image
not
available

14- B. i.4.

Digitized by Google

NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 H
6

Digitized by Google

12 - 34. 14. 16.

I

P
IX
6

Digitized by Google

Della Colle. del Sig.re Giov.ni [illegible] di Roma.

Digitized by Google

DIGESTI SAPIENTIÆ SVPPLEMENTVM.

IN QVO HABETVR

SCIENTIARVM OMNIVM,
Rerum diuinarum atque humanarum nexus,
& ad Prima Principia reductio.

Authore P. YVONE *Parisino Capucino.*

TOMVS TERTIVS ET VLTIMVS.

Cum noua Authoris in suam artem explicatione; & rerum magis notabilium indice copiosissimo.

PARISIIS,
Apud VIDVAM & DIONYSIVM THIERRY, viâ Iacobeâ, sub signis S. Dionysij, & ciuitatis Parisiensis.

M. DC. LXI.

Cum Priuilegio Regis, & Doctorum Approbationibus.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

12.39.H 6

Digitized by Google

FACVLTAS IMPRIMENDI CONCESSA AB ADM. R. P. GENERALI.

F. Simplicianus à Milano Ordinis, FF. Capucinorum Generalis Minister, licet immeritus.

Reuerend. in Christo Patri Yuoni Parisino, ejusdem Ordinis concionatori & exdefinitori. S.

CVm à duobus prædecessoribus nostris. R. P. V. alias impertita fuerit licentia Generalis, vt quæcumque componeret opera, à duobus Ordinis nostri Theologis, prius reuisa & approbata prælo committere posset,& ejusdem concessionis confirmationem postulet à nobis;id ipsum æquum ducentes, præsentium litterarum virtute, prædictam facultatem à prædecessoribus nostris elargitam, confirmamus, atque impartimur. In quorum fidem præsentes officij nostri sigillo munitas,& manu propria subsignatas dedimus Romæ. Pridie nonas Sept. 1656.

F. Simplicianus Minister Generalis.

Consensus R. P. Prouincialis.

EGo infra scriptus,Prouincialis Prouinciæ Parisiensis,Fratrum Minorum Capucinorum. Visa licentia ad R. P. Generalis Ordinis nostri,qua permittitur R.P.Yuoni concionatori ejusdem Ordinis,& Prouinciæ nostræ Parisiensis exdefinitori, typis committere quæ composuit opera,consentio quantum in me est,vt hic tertius Tomus Digesti Sapientiæ, à duobus Ordinis nostri Theologis approbatus typis mandetur, seruatis insuper omnibus alijs de iure seruandis. Datum Parisijs, die 15. Febr. 1661.

Approbatio Theologorum Ordinis.

NOs subsignati sacræ Theologiæ Lectores Ordinis Minorum, S.Franc. Capucin. librum hunc,cui titulus.Supplementum Digesti Sapientiæ à R.P.Yuone Paris. Prædicat. Capucino,exdefinitore compositum,haud inuiti legimus,neque in eo vllum authoris assertum, fidei Catholicæ, bonisue moribus aduersum deprehendimus; sed infinitam rerum copiam verbi diuini præconibus, atque alijs publicè dicturis vtilissimam, & singulari methodo commodissimam; intuebitur enim hîc eruditus Lector, amplissimam quandam sagenam ex omni genere materiarum indiscriminatim congregantem, & sinu suo complectentem, ex qua selectis his quæ sibi aptiora, & proposito suo congruentiora videbuntur,cætera quæ fortè ex minus probatis ac sinceris fontibus occurrent,vel reijcere,vel certè in bonum vsum assumere poterit;nam & venena ipsa, ars medicinæ in salubria plerumque medicamenta conuertit. Datum Paris.in Conuentu nostro Assumptionis, die 12. Febr. 1661.

F. HIERONYMVS Senonensis definitor.
F. MARTIALIS Ricomagensis.

Summa Priuilegij prolegati Auenionensis.

FEderici Sforza prolegati Auenionensis diplomate sancitum est, ne quis in dicta vrbe aut alibi in toto comitatu Venissano, excudere, aut à quouis habente ius excussa diuendere præsumat opera RR. PP. Yuonis Parisini, & Zachariæ Lexouiensis, Capucinorum intra decem annos proximos respectiuè publicanda absque eorumdem PP. aut aliorum quibus per eos libuerit, consensu, & hoc sub pœnis in diplomate contentis. Datum Auenioni, die 14. Maij 1639.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F. SFORZA

Digitized by Google

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS Par la Grace de Dieu, Roy de France & de Nauarre : A nos Amez & Feaux, Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenans; & à tous nos autres Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra. Salut; Nostre cher & bien amé le P. Yues Capucin, Nous a fait remonstrer qu'il a fait & composé vn Liure intitulé; *Digestum Sapientiæ, in quo habetur scientiarum omnium, rerum diuinarum, atque humanarum nexus, & ad prima principia reductio;* lequel il desireroit faire imprimer & iceluy mettre en lumiere, ce qu'il ne peut faire sans auoir sur ce nostre permission, humblement requerant icelle. A CES CAVSES, voulans traiter fauorablement ledit Exposant, luy auons permis & octroyé; permettons & octroyons par ces presentes, faire imprimer en tels volumes, caracteres, & par tels Imprimeurs que bon luy semblera ledit Liure, & iceluy faire vendre & debiter pendant le temps & espace de dix ans, à compter du iour que sera paracheuée la premiere Impression, pendant lequel temps auons fait deffences à tous Imprimeurs & autres personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'imprimer ou faire imprimer, ny mettre ou exposer en vente ledit Liure durant ledit temps, sans le consentement dudit Exposant, ou de ceux qui auront le pouuoir de luy, sur peine de confiscation des Exemplaires, mil liures d'amande, despens, dommages & interests, à la charge d'en mettre deux Exemplaires en nostre Bibliotheque publique, & vn autre en celle de nostre tres-cher & feal, Chancelier de France, le Sieur Seguier, auant que l'exposer en vente, à peine de nullité. Si vous mandons, que du contenu en ces presentes, vous fassiez & souffriez joüir & vser ledit Exposant, plainement & paisiblement, ou ceux qui auront droit de luy, sans souffrir qu'il leur soit fait ou donné aucun trouble ou empeschement. MANDONS au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, faire pour l'execution des presentes, tous exploits necessaires, sans demander autre permission, nonobstant oppositions ou appellations; Clameur de Haro, Chartre Normande prise à partie, & lors à ce contraire. VOVLONS qu'en mettant au commencement ou à la fin de chacun Exemplaire ces presentes, elles soient tenuës pour bien & deuëment signifiées : Car tel est nostre plaisir. Donné à Paris, le 19. iour de Nouembre, l'an de Grace 1646, & de nostre regne le quatriesme.

Par le Roy en son Conseil.

DENISOT.

Ledit R. Pere Yues a cedé le droit du present Priuilege à luy appartenant, à la vesue & DENIS THIERRY, pour en jouyr le temps porté par iceluy.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois, le 1. iour d'Auril 1660. & les Exemplaires ont esté fournis.

DIGESTI

Digitized by Google

DIGESTI SAPIENTIÆ SVPPLEMENTVM.

PROOEMIVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

OPVS hoc Digesti sapientiæ, duobus qui præcesserunt Tomis credebam absolutum, cum in illis indigenti satis ampla rerum series, & artem inquirenti, apposita passim demonstrationum exempla sufficere viderentur. Tamen cum ab initio studia mea eo processerint ordine, vt scriptioni lectio, lectioni scriptio, alternatim succederet, inter editiones librorum, de necessitate, de institutione Religiosi, de iure naturali, de operibus misericordiæ, quod vacabat tempus impendi in perlustrandis, & ad artem hanc reducendis tractatibus, prius à me non perlectis. Fateor ingens solatium & florens solitudo mihi contigit, in illa veritatis venatione, vltra propositum, spemque semper fœlici. Tot congesta fuerant in præcedentibus Tomis, ad thematis cujuslibet probationem, vt nihil superaddi, nihil adjici posse multi crederent, velut in singulis exhausta dicendi materia; & ecce quælibet dies, noua thesauris nostris reposuit, vt ad colligendam messem, votum abundantia superantem, oportuerit me horrea noua construere; sensim enim excreuerunt in cumulum, adjectæ minutatim sententiæ, & ex totius mundi, diuini, cælestis, elementaris, moralis lustratione, comportatæ merces, Tomum hunc præcedentibus fecere parem. Vrgente senio, & ad occasum vita properante collegi fragmenta ne pereant; Iterum aliquid, dies omnis adjecisset, sed artem hanc velut illimitatam, quis absolutam dabit, posterorum diligentiæ aliquid relinquendum est; malo fructus immaturos, quam nullos præstare, posthumorum librorum sortem infœlicem, aliorum exemplis, toties edoctus.

Non distinxi separatis titulis Miscellanea, ab his quæ sunt ex iure ciuili, Theologia, Biblijs, Patribus, nam fateor plura quam sperabam occurrerunt; at in minimis partim vacuæ, semper importunæ mihi videbantur tot sectiones, hic insperatus rerum diuersarum, & toto cælo distantium in idem principium concursus, fortè non erit ingratus menti, noua, contingentia præter solitas leges auidius spectanti. Præcedentium Tomorum supplementum est, iisdem penitus repetitis constans titulis, vt simul vterque consulatur, ad ampliorem de quæstione proposita probationem. Si desit in primis demonstratio, illam dabit supplementum, sed variè, nunc notatis principijs, nunc tacitè mixtis tædij vitandi causa, & vt mens sensim liberior discat, præscriptis verbis, cum scrupulo non inhærere, hæ compendiosæ demonstrationes hac designantur clausula. *Ex principijs.* Meæ sunt, meumque de re proposita sensum aperiunt, cætera mutuatus sum à diuersis scientijs & authoribus; non probo quæ vel asserunt vel negant, hæc lectori relinquo discutienda, meum fuit hæc referre ad artis hujus vniuersalis probationem, vt ex mente Doctoris Seraphici cæteræ scientiæ, res omnes bonæ vltro, malæ, velut captiuæ, Theologiæ dominæ suæ seruiant, verbi gratia, cum pag. 105. E. scribitur, aquam rerum principium videri, scilicet Ægyptijs, Hypocrati, Ouidio, Vanhelmon, antiquis & recentioribus, huic non subscribo opinioni, sed illam ex alijs refero, quia confert ad inductionem probantem primogenituræ priuilegium. Sic cum p. 492. d. citatur Paracelsus qui dicit animam rationalem aduenire naturæ corporeæ & irrationali, absit à me vt assentiar huic authori, tot exoticis, perturbatis, etiam impijs opinionibus laboranti; placuit tamen attexere hoc ab ipso dictum quo nouator hic genius à cæteris dissentiens, negare non potuit, hominis virtutem, crebris, velut implantatis defectibus permixtam. Ex falsa materia elicitur veritas, vt ex malo bonum, ex vipera præsidium sanitatis, vtque lux innoxiè peruenit ad oculum per aërem malis odoribus infectum. Ita solent patres Ecclesiæ ex Poëtarum commentis, ex Paganorum ritibus plura referre quæ probent mentibus inditas naturæ leges. Mihi pariter liceat in aliena castra transire, non tanquam transfugæ, sed tan-

Digitized by Google

quam exploratori; Ægyptum mutui titulo spoliare, hostem armis suis confodere, naturalia, humana, etiam prophana, artis hujus beneficio, expurgare, veritati consecrare. Non igitur me velut rerum hoc in opere propositarum assertorem & fideiussorem conueniant, sed vt cum Propheta, dracones, abyssos ignes, grandines, prouocantem ad laudes Dei, & ad Angelorum concentum, qui faciunt verbū eius. Hæc ab initio fuit, hæc est, hæc erit ad finem vsq; vitæ mens mea, fidei Christianæ decretis humiliter conformari, vnde Tomum hunc velut præcedentes Ecclesiæ Romanæ subiectum volo, & si quid in deteriorem partem argutia lectoris minus beneuoli, detorserit, pro non scripto, velut à me reuocatum habeatur.

In primo Tomo præfati sumus optimum esse solitâ, compendiosâ tamen discendi methodo, lustrare præcipuas scientias, physicam, speculatiuam & practicam, Astrologiam, Geographiam, Medicinam, Mathesim, Moralia, ius vtrumque, Theologiam, vt non hæreat mens, nec longa semper opus sit explicatione, dum conueniunt velut testes, omni exceptione majores ad vnius thematis probationem. Licet singulę, suis constent objectis, terminis, aphorismis, gratissimum est speculari vnam eandem in omnibus fulgentem veritatem, id præstabit ars ista, non docet scientias, sed methodum illas applicandi, reducendi ad idem principium, à quo materialiter, litterâ, cortice tenus videbantur dissidere; sic vera habetur encyclopedia: nam si Philosophia, Mathematica, Medicina, Moralis, & cęteræ reducuntur ad idem principium, simul conueniunt, quia quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se. Hæc iam fusius exposita iuuat repetere, vt si Tomus hic in alicujus manus deuenerit qui priorum vsum non habeat, hac principiorum compendiosa notitia, velut acu nautica possit dirigi.

ROM

Digitized by Google

PRINCIPIA ABSOLVTA.

	Conueniunt	*Repugnant.*
BONITAS.	Esse, substãtia, existere, vita, cõmunicatio, calor, diffusio, beneficiũ, donatio, liberalitas, gratia.	Priuatio, negatio, mors, constrictio, siccitas, auaritia, ingratitudo.
MAGNIT.	vniuersale, infinitũ, immensũ, integrum, quãtitas continua discreta, numerus, altitudo, latitudo, profundum.	Pars, imminutio, detruncatio, vide minoritas.
DVRATIO	Æternitas, tempus, status, constantia, consuetudo, senectus, cõtinuatio Mora, dilatio.	Fortuna, vicissitudo, fluxus, nouitas, celeritas.
POTEST.	Potētię omnes naturales, supernaturales, habit⁹, potestas ciuilis Rex, Magistratus, dux, diues, libertas.	Impedimenta, morbi, passio, alienatio, paupertas, seruitus.
COGNIT.	Quinq; sensus, phantasia, intellectus, memoria, prudentia, scientiæ omnes libri, fides, iudex, oraculum, sol.	Cæcitas, surditas, stupor, paralysis, amentia, ignorantia, tenebræ, hæresis.
VOLVNT.	Amor, desiderium, Spiritus sanctus, charitas, liberum arbitrium, passiones animi.	Odium, fuga, reprobatio, coactio, vis, metus.
VIRTVS.	Virtutes omnes, religio, vires, columna, ætas virilis, meritũ, fortitudo.	Vitia, peccata, infirmitas, palea, morbus, pueritia.
VERITAS.	Lex, synderesis, idæa, prototypũ, regula, oraculum, fides diuina.	Fabula, mendacium, hypocrisis, cæca Pseudopropheta, hęresis, adulatio, perjurium.
GLORIA.	Voluptas. paradisus, quies, pax, centrum, honor, triũphus remuneratio, fruitio.	Dolor, lachrymę, inquietudo, agitatio, infamia, infamia.

PRINCIPIA RELATIVA.

	Conueniunt.
DIFFERENTIA.	diuersitas, diuisio, separatio, solitudo, motus iter, fuga, peregrinatio, exilium, profugus.
CONCORDANT.	Ordo, Sympathia, amicitia, societas, matrimonium, genus, species, relatio, similitudo, fœdus, parentes, consanguinei.
CONTRARIETAS.	Accusatio, lis, bellum, ira, inimicitia, antypathia, resistentia, diuortium, lęsio, destructio, mortificatio.
PRINCIPIVM.	*Causa.* Deus, cælum, elementa, Rex. Papa, Pater, mater. *Initium.* Aurora, ver pueritia, flos, tyro. ianua.
MEDIVM.	*Coniunctionis.* clauus, gluten, cathena, aër. *Ad obtinendum.* instrumenta omnia naturæ & artium, alimenta, ministri, auxilium.
FINIS.	*Intentionis.* bonum, centrum, perfectio, plenitudo. *Terminationis.* punctum, limites, priuatio, senectus, occasus, mors.
MAIORITAS.	Excellentia, extensio, rarefactio, satietas, pinguedo, priuilegium, miraculum, augmentum, excessus, tumor diluuium.
ÆQVALITAS.	Similitudo, affinitas, cõpensatio, ęquiualens pretium, æquinoctium, conformitas.
MINORITAS.	Humilitas, paupertas, subjectio, omnis defect⁹, materia prima, priuatio, annihilatio, capitis diminutio, Eunuchus, fœmina.

Digitized by Google

PRINCIPIORVM HVIVS ARTIS BREVIS EXPOSITIO.

CONSTAT ars ista 18. principiis seu terminis in præcedenti tabula, cum quibusdam suis Synonimis, delineatis; quidquid dici vel excogitari potest, ad illa reducitur, & hæc vni subjecto applicata, attingunt quidquid de illo dici potest. Nam in re qualibet hæc tantum possunt considerari, esse, posse, agere, & perfici. Tria autem prima principia pertinent ad esse, scilicet bonitas, magnitudo, duratio; Tria sequentia, scilicet potestas, cognitio, voluntas, ad posse. Virtus, veritas, gloria ad agere & perfici; & hæc absoluta sicut & relatiua sumuntur, tum essentialiter, tum accidentaliter.

BONITAS significat esse rei, seu essentiam quæ est primum rei bonum, cui omnia alia superaddi intelliguntur; significat etiam communicationem, nam bonum est natura sua sui diffusiuum.

MAGNITVDO essentialis est gradus essentiæ suæ speciei conueniens, vt homo per rationem est in sua magnitudine eleuata supra animal, cui competit tantum sensus. Sumitur etiam pro quantitate seu continua, vt est corporum, aut discreta vt est numerus.

DVRATIO significat continuationem existentiæ, quæ necessaria est ad rei perfectionem, & vt ad actionem se promoueat, si enim momento periret, non ageret. Hæc ergo sunt tria principia ad esse pertinentia.

POTESTAS significat vim essentialem in subjecto ad aliquid agendum, vt est ratio in homine ad discendas scientias, nam lapis non habet hanc potentiam; est etiam accidentalis potestas, vt est ciuilis, Regum, Magistratuum, diuitum.

COGNITIO est necessaria ad agendum, nam opus naturæ, est opus intelligentiæ, & si omnia tendunt ad finem aliquem obtinendum, necesse est cognitione aliqua dirigi, siue sit instinctus, siue cognitio, sensualis, intellectualis, supernaturalis.

VOLVNTAS sequitur cognitionem boni conuenientis, siue appetitus sit naturalis, aut rationalis; significat etiam amorem, & ex illo nascentes omnes passiones.

Sic res habens potentias sibi conuenientes ad agendum, agit perfectè per *virtutem*. Vnde per *veritatem*, agit quod verè debet agere, fit conformis suæ ideæ, implet legem sibi à Deo & natura positam, sicque consequitur suam *gloriam*, & obtinet bonum optatum in quo quiescit.

DIFFERENTIA est specifica aut indiuidualis, aut ratione accidentium semper diuersorum in diuersis subjectis, sic de *Concordantia*, quæ est aut generica aut specifica: aut accidentalis ob similitudinem accidentium, & ab extrinseco aduenions, vt sunt societates omnes ciuiles, & motu factæ coïncidentiæ. Essentialis contrarietas est inter ea quæ sunt ejusdem generis, & diuersæ speciei, vt corpus animatum & inanimatum; animal rationale & irrationale, antipathiæ quædam naturales ex influxu, vt opinantur, syderum; accidentalis continet oppositiones per motum & alterationem factas; odia, lites, bella, quidquid nocet, & affligit.

PRINCIPIVM sumitur pro causa, aut initio.

MEDIVM pro re quæ est inter alias media, extremorum vnitiua, eorumque particeps, vel sumitur pro instrumento, ad actionem & operationem aliquam eliciendam.

FINIS. Significat bonum quod intenditur, vt centrum, scopus, vel extremum rei terminum, bonitatis, magnitudinis, vt est punctum in quantitate continua, durationis, vt mors est finis vitæ, &c.

MAIORITAS dicitur comparatiuè ad alias magnitudines.

ÆQVALITAS est alia quædam identitas, eius imago & similitudo.

MINORITAS significat omnem defectum seu bonum seu malum.

METHODVS REDVCENDI *propositiones omnes; ad huius artis principia.*

PRopositi 18. termini tum absoluti, tum relatiui, debent fideliter commendari memoriæ, cum suis Synonimis; diu præsens sit oculis descripta tabula vt afficiat imaginationem, & vbique postmodum, sit velut præsens, prius enim est vt videatur scopus, quam in illum sagitta dirigatur, sic prius est hæc scire principia, quam ad illa res omnes reducere.

His igitur terminis factis tibi familiaribus, si fiat propositio. Vide quid in ea sit subjectum, quid attributum, vtrumque separatim ad proprium suum reduces principium, junge illa duo, habebis combinationem, in qua reperies propositi tibi thematis probationem. Verbi gratia, sit hæc propositio, Rex debet esse sapiens, Rex est subjectum, & reducitur ad terminum *potestas*. Sapiens. reducitur ad terminum *cognitio*, iunge vtrumque, fiet combinatio. *Cognitio potestatis*, vbi nota quod in illa combinatione abstracta, genitiuus, semper denotat subjectum, in concreto diceretur cognoscens potestas. Sub illa combinatione, *cognitio potestas* reperies quæ Theologia dicit de sapientia Dei creatoris & conseruatoris omnium, de intelligentijs cælorum & inferiorum moderatricibus, de homine rationali creaturis imperante, de spiritibus lucidis totum corpus mouentibus, sic intellectus prius hærens singulari propositioni, fiet vniuersalis, & omnes scientiæ, ad tale principium reductæ, erunt velut radij in vnum centrum directi, quo mediante miscebuntur, & ex omnibus fiet splendidior vna veritatis lux. Hanc artem possidens, quidquid in conuersatione, lectione, meditatione occurrerit, facilè ad suum reducet principium, nihil excidet, nihil peribit, & sensim collecta, thesaurum tibimet ipsi mirabilem conficient. Quæ sequitur propositionum tabula non est tantum indicis loco, sed si attendas intellectum iuuabit, ad similes faciendas applicationes. Cæterum In fine hujus voluminis appositus est Index fidelissimus rerum notabilium, ordine Alphabetico, cujus ope, qui ad discendam hanc artem, vel minimo suo labori parcunt, multa reperient, ad cujuscumque thematis probationem.

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INDEX PROPOSITIONVM QVÆ HABENTVR SVB SINGVLIS COMBINATIONIBVS.

BONITAS.

MAGNITVDO BONITATIS.

MAGNA & effusa largitio. pagina 1.
Integrum beneficium. 2
Omnibus etiam ingratis benefacere. 3

DVRATIO BONITATIS.

Continuatio beneficij. 3
Repugnat. non continuum beneficium. 5
Mora bona in conferendo beneficio. 5
Opportunum tempus eligendum & expectandum. 8
Repugnat. celeritas bona in conferendo beneficio. 9
Non differre, nec negare absolutionem pœnitentibus. 11
Conuentæ mercedis solutio sine dilatione. 12
Beneficij longa dilatione, non est torquenda recipientis patientia. Demonstratio. 12
Vbi malum, simul nascitur antidotum. 13
Frequens & non dilata communio. 14

POTESTAS BONITATIS.

Quantum valeant ad conciliandos animos beneficia. 16
Munera excæcant. Demonstratio. 17

COGNITIO BONITATIS.

Beneficium palam conferre. 18
Expedit, sæpè necessarium est quædam beneficia palam conferri. Demonstratio. 18
Bona noscuntur cum his priuamur. Demonstratio. 19
Repugnat latens beneficium. 21
Discretio boni à malo. Demonstratio. 22

VOLVNTAS BONITATIS.

Appetitus boni. 24
Sibi primum prouidere. 25
Amor sui bonus. 26
Repugnat. Respuere munera & beneficia. 27
Deus impiorum oblationes respuit. 29
Peccans sibi nocet. 30
Inordinatus sui amor. 31

VIRTVS BONITATIS.

Charitas officiosa & eleemosyna. 32
Quæ eleemosyna remittit peccatum. 35
Etiam qui mundo renuntiarunt debent proximis exhibere charitatis officia. Demonstratio. 37

VERITAS BONITATIS.

Verum beneficium, & gratuitum. 39
Paruam exigens remunerationem. 41
Inuitis benefacere. 41
Repugnat. falsum beneficium lædens sub specie auxilij. 42
Non verum bonum. 44

GLORIA BONITATIS.

Benefactor colendus. 44
Commodum ex collato beneficio. 45
Nemini officium suum debet esse damnosum. Demonst. 46

DIFFERENTIA BONITATIS.

Diuersa diuersis bona, & dona. 48

CONCORDANTIA Bonitatis.

Plures simul beneficium conferentes. 49

Digitized by Google

CONTRARIETAS bonitatis.

De his quæ impediunt alterius beneficia. 50

PRINCIPIVM BONITATIS.

Vnde procedit beneficentia, & quæ sunt eius causæ. 51
Fœcunditas à Deo. 51

MEDIVM BONITATIS.

Quibus modis obtinetur beneficium. 52
De intercessoribus qui prouocant ad liberalitatem. 53
Media largitio & liberalitas. 54
Bonum malo mixtum. 55
Ferat onus qui sentit commodum. Demonstratio. 56

FINIS BONITATIS.

Quando cessandum à beneficio, & de eius reuocatione. 58

MAIORITAS BONITATIS.

Plus boni quam mali. 60
Maior liberalitas bona. 61
Nimia abundantia. 61
Prodigalitas. 61

ÆQVALITAS BONITATIS.

Gratitudo & æqualis beneficij largitio. 62
Repugnat, Ingratitudo erga Deum & homines. 64

MINORITAS BONITATIS.

Defectus communicationis bonus. 65
Quando postulatis merito datur repulsa. Demonst. 66
Defectus communicationis. Malus. 67

MAGNITVDO.

BONITAS MAGNITVDINIS.

Ab imperfectione & mutilatione cauendum. 70. 71

DVRATIO MAGNITVD.

Qua ratione conseruatur magnitudo. 72

POTESTAS MAGNITVDINIS.

Maiora & numerosiora sunt potentiora. 73

COGNITIO MAGNITVDINIS.

Cognita rerum quantitas. Demonst. 75

VOLVNTAS MAGNITVDINIS.

Appetitus amplitudinis. Demonst 76. 77

VIRTVS MAGNITVDINIS.

Perfectio quæ habetur ex magna quantitate. 78

VERITAS MAGNITVDINIS.

Quæ sit vera magnitudo & totalitas. 79

GLORIA MAGNITVDINIS.

Honor ex completa magnitudine. 80

DIFFERENT. MAGNITVDINIS.

De diuersis numeris. 80

CONCORDANTIA MAGNITVDINIS.

Conueniens quantitas. 81
Magna sunt rara. 82

CONTRARIETAS MAGNITVDINIS.

Quæ sunt contraria magnitudini. 82

PRINCIPIVM ET MEDIVM MAGNIT.

Causæ magnitudinis. 83

FINIS MAGNITVDINIS.

Terminus in quo desinit magnitudo. 84

MAIORITAS MAGNITVDINIS.

Maior extensio & altitudo. 84. 85
Nimia quantitas mala. 85

ÆQVALITAS MAGNITVDINIS.

In quibus est æqualis quantitas. 85

MINORITAS MAGNIT.

Parua quantitas bona. 86
Parua quantitas mala. 87
Vnitas. 87

DVRATIO.

BONITAS DVRATIONIS.

Bona rerum continuatio & conseruatio. 89
Mora bona. 90

MAGNITVDO DVRATIONIS.

Animæ rationalis immortalitas. 90
Longæua duratio. 91

POTESTAS DVRATIONIS.

Continuatio vim habet maximam. 92
Continuatio mali, mala. 93
Iteratio potens. 93

COGNITIO DVRATIONIS.

Æternitatis pia meditatio. Demonst. 94
Cognitio temporis. 96

VOLVNTAS DVRATIONIS.

Amor vitæ & conseruationis. 97
Fortis vitæ contemptus. Demonst. 99
Famæ post mortem honesta cupiditas. Demonstratio. 100
Ardens propagationis cupiditas. Demonstratio. 102

VIRTVS DVRATIONIS.

Perfectio quæ habetur ex diuturnitate & mora. 103

VERITAS DVRATIONIS.

Quæ sit vera continuatio. 104

GLORIA DVRATIONIS.

Antiquitas veneranda. 104
Prioritatis & primogenituræ priuilegium. 105
Repugnat. Primi & primogeniti posthabiti. 105
Honor & quies senectutis, 106

Digitized by Google

DIFFERENTIA DVRATIONIS.

Varia rerum ætas. 107

CONTRARIETAS DVRATIONIS.

Quæ sunt contraria conseruationi. 107

PRINCIPIVM DVRATIONIS.

Deus est prima causa conseruationis. 108
Naturales conseruationis causæ. 108

MEDIVM DVRATIONIS.

Media per quæ habetur conseruatio. 109
Locus naturalis conseruat. 111
Media duratio. 112
Immatura mors optima. Demonstratio. 112
Mors iuuenis. 114
Media permanentia & consistentia. 115
De his quæ fiunt per interualla. 115

FINIS DVRATIONIS.

Terminus existentiæ. 116
Quæ finem imponant durationi. Demonstratio. 117

MAIORITAS DVRATIONIS.

Nimia permanentia. 118
Quæ excellunt tardius perficiuntur. 118

ÆQVALITAS DVRATIONIS.

De his quæ habent æqualem durationem. 119

MINORITAS DVRATIONIS.

Defectus continuationis malus, rerumque inconstantia. 119
Defectus moræ, seu celeritas bona. 121
Celeritas quando bona. Demonstratio. 122

POTESTAS.

BONITAS POTESTATIS.

Bonum & necessarium inter homines regimen. 124
Bonitas & clementia Regentis. 125
Sacerdotum clementia. 127
Repugnat. sæuitia Regentium. 128
Bonum libertatis. 129
Nitimur in veritum. Demonstratio. 130
Vis actiua bona. 131

MAGNITVDO POTESTATIS.

Monarchiæ optimum regimen. 132
Plura simul officia. 134
Magnæ diuitiæ. bonæ. 135

DVRATIO POTESTATIS.

Continuatio dominationis. 137
Repugnat. non continua dominatio. 138

COGNITIO POTESTATIS.

Videri potens. 137
Sapientia Rectoris. 140
Vigilantia Rectoris, etiam per exploratores. 141
Visitatio Rectorum. 142
Successiuæ regentium visitationes, necessariæ. Demonst. 143

VOLVNTAS POTESTATIS.

Appetitus dominationis bonus. 144
Ambire dignitates malum est. 145
Repugnat. auersari & repudiare dignitates. 142

VIRTVS POTESTATIS.

Virtus quæ debet esse in rectore. 148
Pietas principum. 150
Integritas Sacerdotum. 152
Summa debet esse sacerdotum integritas. Demonst. 153
Repugnat. vitia Regentium. 155

VERITAS POTESTATIS.

Quæ sit vera potestas & libertas. 157
Qui regit sit verax. 158

GLORIA POTESTATIS.

Honor Rectoribus deferendus. 159
Secessus & recollectio regentium. 160
Onera regiminis. 161

DIFFERENTIA POTESTATIS.

Distincta dominia. 163
Diuersa potentia. 163
Distincta iurisdictio. 165
Diuersa diuersis officia. 164
Mutatio regiminis. 166
Diuersitas regiminis. 166

CONCORDANTIA potestatis.

Concordia regentium. 167
Consensus politiæ & Religionis. 168
Communio bonorum. 169
Communio bonorum inter pios. Demonstratio. 170
Obedientia Religiosa. Demonstratio. 172
Obedire Rectoribus. 174
Rectorem populus imitatur. 177
Rectorem imitari in malo. 178
Adulari dominantibus. 179

CONTRARIETAS potestatis.

Dissidia Regentium. 180
Quæ impediant potentiam & actionem. 180
Murmuratio vitanda. 181
Dominantibus resistere quando licet. 181
Mali Rectores tolerandi. 184

PRINCIPIVM POTESTATIS.

Vnde oritur potestas, & quæ sint eius causæ 185
Demonstratio. 186
Reges à Deo. 187

MEDIVM POTESTATIS.

Quibus mediis obtinetur potestas. 188
Vicaria potestas. 188
Rep. seipso & sine Vicario agere. 190
Media & limitata potestas. 190

FINIS POTESTATIS

Quando finiatur & desinat potestas. 193

MAIORITAS POTESTATIS.

Bona major potestas. 194

Qu i

Digitized by Google

Qui potest plus, potest minus. 194
Rep posse majora, non minora, 195
Potestas sacerdotalis. 196
Summus sacerdos. Primatus Petri. 197
Priuilegium. Demonstratio. 199
Miracula. 200
Mala nimia potestas, & diuitiarum abundantia. 201.
Nimiæ diuitiæ plurimum nocent. 202

ÆQVALITAS POTESTATIS.

Aristocratia & Democratia. 203
Mala plurium dominatio. 205

MINORITAS POTESTATIS.

Defectus potestatis bonus. 206
Voluntaria paupertas. 206
Defectus potestatis malus. 209
Seruitus. 209
Paupertas coacta. 209

COGNITIO.

BONITAS COGNITIONIS.

Optima homini scientia. 211
Oculi, visus. 212

MAGNITVDO COGNITIONIS.

Scientia vniuersalis. 212

DVRATIO COGNITIONIS.

Assidua rerum diuinarum meditatio. 216
Demonstratio. 218
Perseuerans cognitio. 220
Memoria. 221
Historia, libri. 221
Mora. Dilatio iudicij. 223
Experientia. 227
Rep moræ, cognitio prompta. 228
Iuuenum ad dignitates promotio. 229

POTESTAS COGNITIONIS.

Quantum possit industria & scientia. 230
Oculorum vis. 232
Vis eloquentiæ. 233
Vis imaginationis. 233
Vis nominum & verborum. 234

VOLVNTAS COGNITIONIS.

Sciendi desiderium. 235

VIRTVS COGNITIONIS.

Scientia, cum virtute & pietate. 236
Rep. scientia cum improbitate. 240

VERITAS COGNITIONIS.

Quæ sit vera cognitio. 240
Rep. falsum de rebus iudicium. 241

GLORIA COGNITIONIS.

Scientiæ & contemplationis excellentia. 243
Scientiarum & artium præmia. 243
Voluptas contemplationis. 244

DIFFERENTIA COGNITIONIS.

Diuersitas cognitionis & opinionis. 245
Disputatio, vtilis aut vana. 246

Scholastica Theologia vtilis Ecclesiæ. Demonstrat. 248
Consilij interdum optima mutatio. 249
Mala mutatio iudicij. 250
Diuersitas artis & scientiæ. 250

CONCORDANTIA COGNITIONIS.

Plurium consultatio optima. 251

CONTRARIETAS COGNITIONIS.

Quæ sunt contraria cognitioni. 253
Ebrietatis summa pernities. Dem. 254
Cæcitas ex peccato. 257

PRINCIPIVM COGNITIONIS.

Vnde oritur cognitio. 258
Scientia à Deo. 258
Necessitas dat intellectum. 260
Alios docere. 261
Director spiritualis. 263

MEDIVM COGNITIONIS.

Media quibus habetur cognitio. 264
Sermo, litteræ, libri. 265
Imagines charæ & piæ. 264
Media cognitio mala. 265
Fides diuina, certa, sed obscura. 267

FINIS COGNITIONIS.

Quid intendat cognitio. 270
Quando desinit & cessat cognitio. 270

MAIORITAS COGNITIONIS.

Major & excellens præ cæteris cognitio. 271
Diuinatio & Prophetia. 272
Sors, augurium. 273
Diuinatio ex somnijs. 274
Astrologia cælestium vires expendens. 274
Nimia sciendi cupiditas. 277
Nimia prædicatorum curiositas. 278
Nimia de futuris sollicitudo vitanda. 279
Eloquentiæ contemptus. 281
Mentis hæbetudo ex nimia lectione. 282
Artes diuinatrices prohibitæ. 282
Alienis non se immiscere negotijs. 282

ÆQVALITAS COGNITIONIS.

Æqualis inter plures cognitio. 284

MINORITAS COGNITIONIS.

Ignorantia quæ bona. 284
Religionis secreta mysteria. 286
Vsus incognitæ linguæ in diuinis officijs. 288
De Religione non disputandum. 288
De his quæ casu benè cesserunt. 289
Cæcitatis malum & consolatio. 290
Ignorantia mala. 290
Alea, casus, fortuna. 292

VOLVNTAS.

BONITAS VOLVNTATIS.

Bonus boni appetitus. 294
Amor liberalis. 294

Digitized by Google

MAGNITVDO VOLVNTATIS.

Magnus & vehemens affectus, bonus. 295
Amor Dei sine modo & integer. 295
Passionum sensibilium vtilitas. 296
Primi motus. 297
Zelus bonus. 297
Zelo feruente magna perficiuntur. Demonstratio, 298
Zelus torquens ob aliena peccata. 299

DVRATIO VOLVNTATIS.

Continuatio ejusdem voluntatis in bono. 301
Fatum. 301
Fidem datam hominibus seruare. 302
Iusiurandum seruandum. 303
Non jurandum. 303
Vota Religiosa. 304
Votorum Religiosorum pia statis temporibus renouatio. 305
Constans amor. 307
Amoris constantia in pia defunctorum commemoratione 308
Obstinatio & pertinacia in malo. 309

POTESTAS VOLVNTATIS.

Vis humanæ voluntatis & intentionis. 311
Liberum hominis arbitrium. 311
Amor transformat. 314
Vis amoris bona. 315
Vis amoris mala. 316
Vis amoris diuini bona. 316
Descensus Spiritus S. salutis humanæ complementum. Demonst. 317

COGNITIO VOLVNTATIS.

Amor volens aut nolens solet agnosci. 319
Amor qui se profert. 320
Repugnat. amor latens. 321
Silentium aut sermo moderatus. 322
Prudentis, pijque silentij ratio. Demonstratio. 323
Occulta voluntas seu secretum. 324
Amor est intelligens & sapiens. 326

VIRTVS VOLVNTATIS.

Voluntas pro facto in bonis. 327
In malis. 328
Charitas summa virtutum. 329

VERITAS VOLVNTATIS.

Quæ sit vera voluntas. 330
Verus amor. 330
Verus & purus Dei amor propter se. 331
Quæ sit vera charitas. 331
Repugnat, non verus sed fictus amor. 332
Amicorum fortunæ perfida societas. 332
In amore veritas. 333

GLORIA VOLVNTATIS.

Amoris voluptas & præmium. 334
Extasis, raptus. 334
Repugnat. amoris dolores & lachrymæ. 335

DIFFERENTIA VOLVNTATIS.

Diuersus amor & appetitus. 336
Mutatio voluntatis bona. 337
Inconstantia voluntatis, mala. 338

CONCORDANTIA VOLVNT.

Mutuus in nuptijs consensus. 339
Parentum consensus in liberorum nuptijs. 339

CONTRARIETAS voluntatis.

Quæ voluntati & libertati contrariantur. 340
Necessitas. 340
Zelotypia. 341
Zelotypiæ mala & remedia. Demonst. 342
Amoris remedia. 343

PRINCIPIVM VOLVNTATIS.

Causæ amoris. 344
Sympathia. 344
Charitas à Deo, 344

MEDIVM VOLVNTATIS.

Quibus medijs excitatur voluntas & amor 345
Blanditiæ, osculum, philtra amatoria. 346
Media voluntas. 347
Indifferentia & neutralitas. 347

FINIS VOLVNTATIS.

Quando desinit amor. 348
Limitata desideria. 348
Suprema defunctorum voluntas. 349
Finita & limitata desideria, 349

MAIORITAS VOLVNTATIS.

Major circa quædam affectus bonus. 350
Fauor principum. 351
Nimius amor & personarum acceptio. 352
Amor crescit semper & proficit. 353
Nimius parentum amor erga liberos. 353
Nimius amor circa quosdam. 353
Nimius amor rerum minimarum. 354
Passionum damna. 354
Nimius amor conjugum. 355
Nimius zelus. 356

ÆQVALITAS VOLVNTATIS.

Deus vult omnes saluos fieri, illisque dat ad id gratias sufficientes. 357
Cuilibet conditioni proposita & possibilis salus à Deo. 360
Æqualis parentum amor erga liberos. 361
Æqualis ad omnes charitas. 361
Amor mutuus seu redamatio. 363
Mutuus amor conjugum. 364
Mutuus Dei & hominum amor. 365

MINORITAS VOLVNTATIS.

Esse sine amore & charitate. 365

VIRTVS.

BONITAS VIRTVTIS.

Virtus homini bona. 367

MAGNITVDO VIRTVTIS.

Magna & perfecta virtus. 368
Cauendum à minimis etiam peccatis. 369
Pœnitentia debet esse omnium peccatorum. 372
Multitudo bonorum. 372
Quilibet præsumitur bonus. 373
Repugnat malorum multitudo, 374
Diffidentia qua non omnes præsumuntur boni. 374

Digitized by Google

DVRATIO VIRTVTIS.

Mora & exercitatio in acquirenda virtute. 377
Constans admonitio. 380
Citò & sine mora virtuti incumbendum, & subita ad Deum conuersio. 381
Sera tamen pœnitentia valida. 384
Perseuerantia in virtute. 385
Non statim à sacris ad prophana. 388
Fortitudo in aduersis. 389
Lenitas, patientia, mansuetudo. 391
Inter malos bonus. 392
Abstineat Christianus à dissolutione publica dierum, quæ præcedunt quadragesimam. 393
Fortitudo in morbis. 396
In corporis deformitate; in humilitate generis, in mentis infirmitate, in carcere & captiuitate. 397
In seruitute, exilio, calumnia & rumore. 398
In jactura bonorum & paupertate. 399
In suorum funeribus, morte amicorum, liberorum. 400
In morte magni viri, & malis publicis. 401
Martyrum constantia. 402
Repugnat. non constans virtus. 403
Apostatæ & relapsi. 403
Apostatæ omnium pessimi. 404

POTESTAS VIRTVTIS.

Quæ sit vis virtutis. 405
Boni soli verè sunt liberi. 405
Sapiens seipso contentus. 406
Rep. seruitus peccati. 407
Vis & potestas virtutis apud Deum. 408
Sanctis creaturæ seruiunt & obsequuntur. 409
Ecclesiæ diuitiæ. 410
Vis, imperium, immunitas Religionis. 411
Collatio Ecclesiasticorum in necessitate publica. 412
Bonorum Ecclesiasticorum recta dispensatio. 413
Demonstratio. 414

COGNITIO VIRTVTIS.

Cognitio virtutis propriæ & confidentia sui. 415
Non sit nimia virium suarum præsumptio. 418
Virtus quæ se profert ad aliorum ædificationem. 420
Exterior ornatus licitus. 421
Nimius vestium ornatus. 421
Ornatus in ceremonijs sacris. 424
Vestis distinguit officia. 427
Albedo. Pulchritudo. 427
Physionomia. 428
De nominibus præclaris. 429
Laus sui ipsius licita. 429
Iactantia vitanda. 430
Fidei publica confessio. 430
Rep. Dei dona non sunt vulganda. 431
Latens virtus. 432
Velata pulchritudo. 433
Vestis humilitas. 437

VOLVNTAS VIRTVTIS.

Amor virtutis. 437
Rep homines sunt in malum proni. 439

VERITAS VIRTVTIS.

Quæ sit vera virtus. 440
An sit vera virtus dum vrget necessitas. 441
Virtus vera licet infœlix. 442
Virtutes Gentilium non sunt peccata. 442
Opera dictis concordent. 443
Fides cum operibus. 445
Vera pietas & attentio in oratione. 446
Vera virtus contraria carens suspicione. 448
Rep. falsa virtus hæreticorum. 448
Hypocrisis. 449
Falsum nomen virtutis. 451
Pigmenta vultus, fucus. Demonstratio. 451
Falsa physionomia. 452
Affectatio mala. 452

GLORIA VIRTVTIS.

Virtutis remuneratio honesta vel vtilis. 453
Virtus ab hostibus honorata. 454
Fama bona 455
Cultus & festa Sanctorum. 455
Remuneratio virtutum in cælo. 456
Quies virtutis post labores. 457
Quies præcedens externas virtutis actiones. 457
Quieta & solitaria virtus. 458
Sapiens aulam fugiat. 461
Pax & voluptas virtutis. 462
Bonæ conscientiæ pax & securitas. 465
Conscientiæ malæ stimuli. 465

DIFFERENTIA VIRTVTIS.

Diuersa diuersis virtus. 467

CONCORDANTIA VIRTVTIS.

Virtutum connexio. 470
Ecclesiæ vnitas. 470
Congregatio bonorum. 472
Imitatio bonorum. 474
Amicitia vera inter bonos. 475
Vota publica. 476
Repugnat. Cœtus & congregationes malorum. 477

CONTRARIETAS VIRTVTIS.

Quæ sunt contraria virtuti. 478
Mala verecundia. 479
Naturæ infirmitas. 480
Dæmonum tentatio. 480
Inuidia. 481

PRINCIPIVM VIRTVTIS.

Causæ naturales quæ conferunt ad virtutem. 483
Patria. Bona indoles. 483
Gratiæ diuinæ ad virtutem necessitas. 484
Deus vult preces nostras ad ipsum dirigi maxime pro consequendis virtutibus. 488

MEDIVM VIRTVTIS.

Quibus medijs habetur virtus. 488
Angelorum auxilium. 488
Varia virtutis media. 489
Admonitio. 490
Media & imperfecta virtus. 492
In bonorum societate aliqui mali. 494
Propter aliquos in societate malos, cæteri tales non sunt habendi. 495

FINIS VIRTVTIS.

Quando desinit virtus. 496

MAIORITAS VIRTVTIS.

In quibus est maior & excellens virtus. 496
Mala. Superstitio. 497

Perfectio Euangelica, vita Monastica. 498
Virtus debet semper proficere. 500

AEQVALITAS VIRTVTIS.

In quibus est æqualis virtus, 502
Idem ritus Religiosus. 502

MINORITAS VIRTVTIS.

Peccatum est mors animæ. 503
Peccati turpitudo & damna. 504

VERITAS.

BONITAS VERITATIS.

Optima veritas & simplicitas. 505

MAGNITVDO VERITATIS.

Communis omnibus veritas & vitæ perfectio. 506

DVRATIO VERITATIS.

Continuatio ejusdem legis & veritatis. 508
Religionis antiquitas & permanentia. 509
Ecclesia infallibilis. 510

POTESTAS VERITATIS.

Veritas tandem prævalet, 510
Legis imperium. 511
Vis sermonis diuini. 512
Veritas libera, & liberè dicenda. 512

COGNITIO VERITATIS.

Ecclesia visibilis. 513
Cognita veritas. 513

VOLVNTAS VERITATIS.

Amor veritatis 514
Admonitio docili & grato animo suscipienda. 514
Demonstratio. 515
Rep. Veritas odium parit. 515

VIRTVS VERITATIS.

Veritatis & simplicitatis efficacia. 517

GLORIA VERITATIS.

Victrix veritas. 517
Splendor veritatis sacra eloquentia. 518

DIFFERENTIA VERITATIS.

Diuersæ leges diuersis populis & temporibus. 518
Diuersus sacræ scripturæ sensus. 519
Legum opportuna mutatio. 520

CONCORDANTIA VERITATIS.

Sibi consona veritas. 521
Sacræ scripturæ concordia. 522

CONTRARIETAS VERITATIS.

Cogens veritas, & an Religio sit vi imponenda. 523
Æquissimum contra Turcas bellum. 524
Hæretici non videntur cogendi, sed admonendi. 527
Hæresis. 528
Oppugnata militans Ecclesia. 529
Hæretici falsarij & seductores. 530
Alia veritati contraria. 531

PRINCIPIVM VERITATIS.

De idæis & regula agendorum. 533
Lex naturæ. 534
Leges à Deo. 535
Legum origo humana. 536
Vera Religio est à Deo. 536

MEDIVM VERITATIS.

Prædicatio & Missio Euangelica. 537
Missionis Euangelicæ dignitas. 538
Varia media cognoscendæ veritatis. 538
Vinum. Eculeus, tormenta. 540
Mulieres. Testes. Iuramentum. 541
Ecclesia credenda proponit. 541
Sacra scriptura. 542
Doctoribus assentiendum. 543
Traditio sacra. 543
Media veritas. 544

FINIS VERITATIS.

Quando desinit lex. 545

MAIORITAS VERITATIS.

Quibus major fides adhibenda. 545

AEQVALITAS VERITATIS.

Vna sit Religio. 545

MINORITAS VERITATIS.

Dolus bonus, & bona veritatis dissimulatio. 546
Dolus malus, falsitas, mendacium. 548

GLORIA.

BONITAS GLORIÆ.

Bonum quietis. 550
Bonum pacis. 551
Delectatio rebus mortalibus optima. 551

MAGNITVDO GLORIÆ.

Perfecta quies & fœlicitas gloriæ cælestis. 553

DVRATIO GLORIÆ.

Dies semper fœlices. 554
Perpetuitas gloriæ cælestis. 554
Continuatio honoris & famæ. 555
Honor à dignitate deposita. 555
Vis & splendor post mortem. 556
Constans fœlicitas. 556
Rep. inconstans fœlicitas. 556
Accessus & discessus sponsi. 558
Contemplationis dulcedini succedit siccitas Demonstratio. 559
Dilatio remunerationis mala. 560

POTESTAS GLORIÆ.

Maxima vis honoris & famæ. 561

COGNITIO GLORIÆ.

Fœlicitas quæ se profert. 562
Præsagia gloriæ & præuisio. 562

VOLVNTAS GLORIÆ.

Appetitus quietis & pacis. 563
Appetitus delectationis. 563
Appetitus honoris. 563
Rep. honoris mundani contemptus. 565
Desiderium & spes beatitudinis. 566
Spes humana. 563

Digitized by Google

VERITAS GLORIÆ.

Vera quies & pax. 569
Verus honor. 569
Repugnat. fœlicitatis mundanæ vanitas. 570

DIFFERENTIA GLORIÆ.

Diuersa diuersis præmia. 571

CONCORDANTIA gloriæ.

Simul frui, delectari, congaudere. 572
Conuiuium. 573
Innocens & læta conuiuiorum festiuitas. 574

CONTRARIETAS GLORIÆ.

Contraria quieti, delectationi, honori. 575
Calumnia, maledicentia, murmuratio. 575
Calumnias non audire. 576

PRINCIPIVM GLORIÆ.

Bona fortuna. 577
Pax à Deo, & in eo tantum sperandum. 578
Victoria à Deo. 578
Causæ voluptatis & delectationis. 579
Christus saluator. 579
Princeps dat honorem. 580

MEDIVM GLORIÆ.

Media & præsidia salutis. 581
Purgatorium. 581
Aduocatus. Medicus. 582
Sacerdos orat pro populo. 583
Orandum pro inuicem. 583
Pati pro alio, diuina prouidentia sic decernente libera patientis electione, vi & alterius imperio. 584. 585
B.V Mariæ auxilium. 585
Sacramenta. 585
Sanctorum intercessio. 586
Templi, & domus asylum. 587
Media delectatio & fœlicitas. 587
Media quies. 588
Medius splendor. 589
Vita mixta ex contemplatione & actione. 589

FINIS GLORIÆ.

Quæ finem imponunt gloriæ, quieti, delectationi. 584

MAIORITAS GLORIÆ.

Nimia quies, otium. 589
Nimia delectatio & voluptas. 593
Luxus in veste. 594
Luxus in ædificijs & conuiuijs. 595
Excellentia & augmentum gloriæ. 596
Facilius voluptate mens corrumpitur. Demonst 596

ÆQVALITAS GLORIÆ.

Æqualis remuneratio & honor. 598
Honor mutuus. 598

MINORITAS GLORIÆ.

Mortificatio sensualis delectationis. 598
Mortificatio visus. 603
Theatri vanitas & pericula. 603
Auditus mortificatio. 604
Mortificatio olfactus. 604
Mortificatio tactus Virginitas. 604
Continentia téporalis, vel perpetua in cõiugio. 607
Abstinendum à fornicatione & adulterio. 607
Abstinendum à secundis nuptijs. 608
Cœlibatus. 609
Cœlibatus sacerdotum. 610
Gustus mortificatio. 611
Iejunium. Abstinentia, vini. 612

INDEX TITVLORVM secundæ partis.

DIFFERENTIA.

BONITAS DIFFERENTIÆ.

Bona rerum diuersitas & distinctio. 753
Vtilitas motus & separationis. 753
Transmigratio bona. 755

MAGNITVDO DIFFERENTIÆ.

Magna diffusio. 755
Magna diuersitas & distinctio. 756

DVRATIO DIFFERENTIÆ.

Perpetua separatio, diuisio, diuersitas. 756
Mutatio sensim facienda. 757

POTESTAS DIFFERENTIÆ.

Vis motus. 757
Vis separationis & diuersitatis. 758

COGNITIO DIFFERENTIÆ.

Nosse rerum differentias. 758
Mutationes & motum nosse. 759
Peregrinatio lustrans exteras prouincias. 759
Repugnat. non peregrinandum. 759

VOLVNTAS DIFFERENTIÆ.

Appetitus diuersitatis & nouitatis. 760

VIRTVS DIFFERENTIÆ.

Missio Apostolica. 761
Virtus in secessu. 761

GLORIA DIFFERENTIÆ.

Læta diuersitas. 764
Securitas ex diuisione & separatione. 765
Viæ libertas & securitas. 765
Splendida & honorifica distinctio. 766

CONCORDANTIA DIFFERENTIÆ.

Diuersarum rerum concordia & vnio. 767
Omnia in omnibus. 768
Musica. 769
Musica sacra seu psalmodia. 769
Ordo. 770
Hospitalitas. 771
Exteri ad regimen non videntur suscipiendi. 772
Exteri recipiendi videntur ad regimen. 774
Amor & conjugium diuersorum inæqualium. 775
Commercium & fœdus cum infidelibus. 775
Quæ sit mala rerum diuersarum vnio. 776
Infœlices nuptiæ cum hæreticis & infidelibus. 776

Google

CONTRARIETAS differentiæ.

Quæ impediunt,distinctionem, separationem,motum. 777

Carcer. 778

PRINCIPIVM differentiæ.

Causæ diuersitatis & distinctionis. 778

MEDIVM DIFFERENTIÆ.

Media & organa quibus fit diuisio & distinctio. 780

Diuersitas ratione loci. 782

Media separatio & diuisio. 782

Media mutatio. 783

FINIS DIFFERENTIÆ.

Desinens separatio, & ad propria reditus. pag. 783

Consistentia,cessatio motus. 784

MAIORITAS DIFFERENTIÆ.

Nimia diuisio & diuersitas mala. 785

ÆQVALITAS DIFFERENTIÆ.

Aequalis motus. 786

MINORITAS DIFFERENTIÆ.

Indiuisio bona. 786

Indistinctio,bona & mala. 787

Nouitas fugienda. 787

Illicita mutatio in alterius præjudicium. 788

Locum non mutare quando bonum. 788

Residentia in officijs & beneficijs. 789

Defectus motionis & mutationis malus. 790

CONCORDANTIA.

BONITAS CONCORDANTIÆ.

Vtilitas vnionis, concordiæ, amicitiæ, pacis. 791

MAGNITVDO CONCORD.

Multorum societas bona. 794

Magna & perfecta concordia. 794

Omnibus humaniter conformari salua virtute. 795

DVRATIO CONCORDANT.

Continuatio societatis & vnionis. 798

Quædam partes à toto suo auulsæ, sensum retinent pristinæ vnionis. 799

Matrimonium indissolubile. 799

Repugnat. non perpetua vnio. 800

Consulto nubendum & ineunda quælibet societas. 801

Nuptiæ iuuenum.Nuptiæ senum. 802

POTESTAS CONCORDANTIÆ.

Vis & authoritas publici Concilij congregati. 803

Vis vnionis & concordiæ. 803

Quantum possit conuersatio cum bonis. 805

Conuersatio cum malis,plurimum nocet. 806

COGNITIO CONCORDANTIÆ.

Quomodo cognoscitur vnio, societas. 809

Rep. latens vnio. 809

VOLVNTAS CONCORDANTIÆ.

Appetitus societatis & vnionis. 810

Appetitus conjugij,mutuusque consensus. 810

VIRTVS CONCORDANTIÆ.

Amicitia contineatur virtutis legibus. 811

Repugnat. malorum societas. 812

VERITAS CONCORDANTIÆ.

Quæ sit vera concordia & vnio. 812

Repugnat. proditio,perfidia. 813

GLORIA CONCORDANTIÆ.

Delectatio ex societate. 813

Grata rei amatæ præsentia. 813

Festiuitas nuptialis. 814

Repugnat dura separatio. 814

Luctus in funeribus. 815

Honor & commodum ex societate. 815

Repugnat. onera societatis. 817

Onera matrimonij. 818

Publica priuatis præferenda. 819

DIFFERENTIA CONCORDANT.

Diuersæ societates. 821

CONTRARIETAS concordantiæ.

Quæ sunt contraria vnioni & societati. 821

Bellum ciuile,seditio. Schisma. 823

PRINCIPIVM concordantiæ.

Causæ vnionis & societatis. 824

Necessitas & indigentia. 824

Deus causa vnionis. 825

Legislator & piæ societatis institutor. 825

MEDIVM CONCORDANTIÆ.

Media quæ conferunt ad vnionem. 826

Arbiter. Conciliator pacis. 827

Media concordia. 828

Neutralitas bona. 831

Neutralitas mala. 832

Vita rustica,agricultura,semiciuilis. 832

Agriculturæ grata simul & vtilis exercitatio. Dem. 833

FINIS CONCORDANTIÆ.

Dissolutio societatis. 835

Diuortium. 836

MAIORITAS CONCORDANT.

Nimia adhæsio & familiaritas. 836

Ad plures amor malus. 837

Polygamia. 838

Quæ congregationes prohibendę. 838

Maioritas concordantię bona. 839

MINORITAS CONCORDANT.

Monodica,seu cum alijs non conuenientia. 839

Esse sine socio & amico quando bonum. 839

Solitudinis mala. 840

Digitized by Google

CONTRARIETAS.

BONITAS CONTRARIETATIS.

Vtilis aduersitas. 842
Vis quando necessaria. 843
Bellorum necessitas & vtilitas. 844

MAGNITVDO CONTRARIETATIS.

Magna seueritas quando bona. 845
Pœna capitis. 847
Multorum simul oppugnatio bona & mala. pag. 848
Magnæ clades. 848
Magna seueritas vbi magna in contrarium inclinatio. 849
Pœna publica ob peccatum regentium. 849

DVRATIO CONTRARIETATIS.

Continuata seueritas bona. 850
Vindicta in mortuos. 851
Vindicta in posteros. 852
Repug. noxa caput sequitur. 852
Continua sensuum mortificatio. 854
Æterna pœna damnatorum. 854
Continuata seueritas mala. Ira non placabilis, 855
Hostibus reconciliatis non fidendum. 856
Series malorum. 856
Pœna lenta & protracta. 858
Mora optima dilatio vindictæ. 860
Admonitio præcedat vindictam. 861
Sera Dei vindicta. 862
Iudicium extremum. 862
Induciæ. 863
Quod durum & laboriosum est, per interualla sustinetur. 863
Repugnat; celeritas in vindicta, remedis agressione. 864
Malum subito ingruens. 865

POTESTAS CONTRARIETATIS.

Vis quantum possit. 866

COGNITIO CONTRARIETATIS.

Spectaculum cruoris. 867
Reorum pœna publica. 868
Præsagia mali futuri. 868
Præuisio iustusque metus mali futuri. 870
Accusator & criminis delator. 872
Timor Dei seruilis. 872
Timor Dei filialis. 873
Nimius futuri mali metus. 874
Repugnantia bona. aduersa dissimulanda. 875
Dolor, lachrymæ, de præsenti malo. 876
Rep latens iniuria deterior. 876
Venenum, veneficium, proditio. 878

VOLVNTAS CONTRARIETATIS.

Velle & optare aduersa. 879
Non optare aduersa, sed tolerare. 880

VIRTVS CONTRARIETATIS.

Virtus in aduersitate purgationis causa. 882
Probationis & exercitationis causa. 883
Virtus in milite. 884

VERITAS CONTRARIETATIS.

Quæ sit vera contrarietas. 885
Repugnat. non vera contrarietas. 885
Minari pœnas. 885
Vanus timor, vana mali æstimatio. 886
Scrupulus. 886

GLORIA CONTRARIETATIS.

Gloria crucis Christi. 887
Pulchritudo cum fortitudine. 888
Opposita magis apparent, 888
Ex malis commodum percipere. 890
Salus ab inimicis. 892
Militum præmia & stipendia. 893

DIFFERENTIA CONTRARIETATIS.

Diuersitas calamitatum, 894
Diuersitas pœnarum, & suppliciorum. 894
Fuga in aduersitate. 895
Diuersitas remediorum. 896
Fuga contrariorum mala. 897

CONCORDANTIA CONTRARIETATIS.

Contrariorum vnio bona. 897
Inimicorum dilectio. 899
Similes effectus ex diuersis & contrarijs causis. 900
Contrarij effectus ex eadem causa. 901
Contrariorum vnio mala. 902
Conjugium cum infideli. 902

PRINCIPIVM CONTRARIETATIS.

Deus iustus mala infert temporalia. 903
Variæ causæ malorum & morborum. 903
Causæ bellorum, & dissidiorum. 904
Antipathia. 905

MEDIVM CONTRARIETATIS.

Discordiarum seminatores. 905
Sæuitiæ ministri. 906
Varia instrumenta sæuitiæ. 907
Vis armata prohibita personis priuatis. 907
Maledictiones. 908
Media seu temperata seueritas. 908
Blanda & lenis admonitio. 911
Non grauis in confessione satisfactio. 913
Lis & disputatio salua charitate. 914
In bello temperata sæuitia. 915
Æquitas. 915

FINIS CONTRARIETATIS.

Cessatio aduersitatis & doloris. 915
Litis & iræ placatio. 916

MAIORITAS CONTRARIETATIS.

Ira sæuiens. 918
Nimia seueritas & crudelitas 918
Afflicto non est danda afflictio. 920
Nimia tributorum exactio. 920
Non est in desperationem hostis adducendus. 922

ÆQVALITAS CONTRARIETATIS.

Æqualis pœna. 922
Pœna talionis. 923
Recriminatio. 924
Vim vi repellere. 924

Digitized by Google

In æquali resistentia nihil fit. 926
Duellum. 926
Restitutio. Satisfactio. 927

MINORITAS CONTRARIETAT.

Non cogere. 928
Non litigare. 929
Nulli nocere. 930
A bellis quantum fieri potest abstinendum. 931
Acceptas injurias non vlcisci. 932
Defectus seueritatis malus. 935
Deus irascitur cum non vlciscitur. 935

PRINCIPIVM.

BONITAS PRINCIPII.

Bona fœcunditas matrimonij. 937
Dei bonitas & misericordia. 939
Bonum initium. 940

MAGNITVDO PRINCIPII.

Dei immensitas. 941
Magna fœcunditas. 941

DVRATIO PRINCIPII.

Dei æternitas immutabilitas. 944
Dei prouidentia & concursus. 944
Causa quæ produxit, conseruat. 945
Benedictio parentum. 946
Matres nutrices filiorum. 946
Causæ vniuersales supplent defectum singularium. 947

POTESTAS PRINCIPII.

Dei omnipotentia. 947
Patria potestas summa, vel limitata. 948
Initium multum potest in subsequentia. 949

COGNITIO PRINCIPII.

Scientia Dei. 951
Præscientia Dei omnia videntis. 951
Vnus Deus. 952
Cognitio Dei per creaturas. 952
Causarum cognitio difficilis. 954
Deus ineffabilis. 955

VOLVNTAS PRINCIPII.

Amor Dei erga homines. 956
Amare Deum. 956
Amor patriæ. 957
Amor parentum erga liberos. 957
Amor matris. 958

VIRTVS PRINCIPII.

Dei perfectio & sanctitas. 959
Parentes sint exemplar virtutis. 959
Bona liberorum educatio. 959
Immaculata virginis conceptio. 960
Innocentes martyres. 961
Sanctitas ab initio. 961

VERITAS PRINCIPII.

Quæ sit vera rerum causa. 962
Verum rei initium. 962
Actio imputatur principali agenti. 962
Rep non verum principium. 963

GLORIA PRINCIPII.

Gloria Dei in omnibus quærenda. 964
Gratiarum actio Deo. 965
Sacrificium. Decimæ. 966
Templum & in templis reuerentia. 966. 967
Repugnant gloriæ Dei, falsum juramentum. Blasphemia, impietas, idololatria, sacrilegium. 968 969
Honorare parentes. 969
Honorare matrem. 970
Priuilegia Virgini Matri à Christo concessa. p. 971
Honor Magistri. 971
Honor nutricis, nutricij. Patroni. 972
Alimenta parentibus debita. 972
Laudari ex effectis. 972
Principij & causæ præstantia. 973
Dies natalis. 973
Splendor originis, nobilitas. 974
Prioritatis prærogatiua. 974
Indulgendum debilibus rerum initijs. 975
Delectatio quæ est in rerum initijs. 977
Suauitas vitam spiritualem incipientium. 977

DIFFERENTIA PRINCIPII.

Diuersitas causarum. 978
Diuersitas initij & originis. 979
Exilium. 979
Diuersitas fori. 979
Separari à suo principio, malum. 980
Repugnat. separari à suo principio bonum. 981

CONCORDANTIA PRINCIPII.

Effectus suis causis similes. 982
Partes suo vniuerso conformes. 983
Cælo assimilari. 986
Deo & Christo assimilari. 986
Rep. effectus à suis causis degeneres. 988
Conformitas humanæ voluntatis cum diuina. 990
Assimilari suis causis in malo & defectu. 991
Concursus causarum. 992
Concursus causarum ad malum. 993

CONTRARIETAS PRINCIPII.

Iusta Dei vindicta. 993
Seueritas parentum, exhæredatio, abdicatio. 994
Abortus. 994
Quæ contra parentes impiè committuntur. 995
Actio licita in parentes. 995
Quæ rebus nascentibus aduersantur. 996
Initia difficilia. 997
Bona sub initijs austeritas. 997

MEDIVM PRINCIPII.

Causæ intermediæ. 1000

FINIS PRINCIPII.

Quando desinit influxus principij. 1000

MAIORITAS PRINCIPII.

Causæ suis effectibus præstantiores. 1001
Repugnat. effectus suis causis præstantiores. 1003
Vnum ex principijs plus conferens. 1006
Honor à nobiliori causa. 1007

Digitized by Google

ÆQVALITAS PRINCIPII.

Æqualis origo. 1007

MINORITAS PRINCIPII.

Independentia. 1008
Initia à paruis bona. 1009
Illegitimi, spurij, bastardi. 1011
Malorum parua initia. 1011
Originis vilitas non contemnenda. 1012
Sterilitas. 1012

MEDIVM.

BONITAS MEDII.

Vsus mediorum necessarius & optimus. 1013
Præparatio mediorum. 1014
Quædam melius fiunt per media. 1014
Bonum quod est in medio. 1016
Rep. malum in medio. 1017

MAGNITVDO MEDII.

Multitudo instrumentorum & ministrorum. pa. 1018

DVRATIO MEDII.

Vsus eorundem mediorum. 1021
Moderata durant. 1021

POTESTAS MEDII.

Vis & potestas, instrumenti, ministri. 1022
Vis alimenti. 1023
Eucharistia validissimus animæ cibus. 1024
Vis medij per quod fit transitus. 1025
Quantum valet dispositio in recipiente. 1026
Digna ad Eucharistiam præparatio. 1027

COGNITIO MEDII.

Electio mediorum. 1029

VOLVNTAS MEDII.

Appetitus conuenientis medij. 1029

VIRTVS MEDII.

Probi ministri. 1030
Recta dispensatio per malos etiam ministros. 1031
Medium quo vtimur debet esse justum & legitimũ. 1031
Repugnat. Simonia. 1033
Quando licet vti malo medio. 1034
Mediocritas, discretio. 1037

VERITAS MEDII.

In quo consistat natura medij. 1040

GLORIA MEDII.

Illustre medium. 1041
Honor instrumenti. 1045
Honor loci. 1046
Remuneratio ministri. 1046
Repugn. ministri deleti. 1047

DIFFERENTIA MEDII.

Diuersitas instrumentorum & ministrorum. 1047
Mutatio opportuna instrumentorum. 1048

CONCORDANTIA MEDII.

Concordia organorum & ministrorum. 1048
Propria & conuenientia media. 1050

CONTRARIETAS MEDII.

Impedire vsum mediorum. 1052
Instrumenta delicti cum reis deleta. 1052

PRINCIPIVM MEDII.

A quo fiant & disponantur instrumenta. 1054

FINIS MEDII.

Quando desinit vsus mediorum. 1055

MAIORITAS MEDII.

Multitudo mediorum noxia. 1056
Multitudo legum noxia. 1057
Nimis potens medium. 1058
Nimium alimentum. 1059
Abuti digniori medio. 1060
Majora media bona. 1063

ÆQVALITAS MEDII.

Commune medium. 1064

MINORITAS MEDII.

Transitus ab extremo in aliud sine medio. 1065
Vti debili medio. 1066
Non vti medio, sed seipso agere. 1069
Defectus mediorum quando bonus, quando malus. 1072
Defectus alimenti, fames. 1073

FINIS.

BONITAS FINIS.

Bonæ rerum extremitates. 1074
Positi rebus termini. Indeterminata non valent. 1074

MAGNITVDO FINIS.

Quod terminat melius est. 1075

DVRATIO FINIS.

Vis intentionis permanens. 1076

POTESTAS FINIS.

Vltima valida. 1076
Quid possit finis. 1076

COGNITIO FINIS.

Mortis cogitatio & præuisio. 1077

VOLVNTAS FINIS.

Optare mortem. 1079
Mors sibi non inferenda. 1081
De his qui sibi mortem consciuerunt. 1081

VIRTVS FINIS.

Virtus & perfectio rectæ intentionis. 1082
Perfectio quæ est in fine rerum. 1082
Valida viridisque senectus. 1083
Senum & morientium pietas. 1084
Pia legata. 1084

Digitized by Google

VERITAS FINIS.

Deus est summum nostrum bonum. 1085
Quis sit verus rerum terminus. 1086
Veritas in morientibus. 1086

GLORIA FINIS.

Quies in fine. 1087
Quies senectutis. 1087
Delectatio & honor in fine. 1087
Honesto fine consummari. 1088
Secura & læta mors iusti. 1088
Oratio funebris. Epitaphium. 1088
Honor sepulturæ. 1089
Cineribus, mortuisque parcendum. 1090
Reliquijs Sanctorum honor exhibitus. 1091
De his qui sibi sepulchrum posuerunt. 1092
Sepulturæ contemptus. 1092

CONCORDANTIA FINIS.

Conuenientia finis cum initio. 1093
Sepeliri in patria cum amicis & parentibus. 1094

CONTRARIETAS finis.

Labor in fine. 1095

PRINCIPIVM FINIS.

Vnde pendet rerum finis & exitus. 1096

MEDIVM FINIS.

Quæ conferunt ad obtinendum finem. 1096

MAIORITAS FINIS.

Principalior finis. 1099

ÆQVALITAS FINIS.

Commori. 1099

MINORITAS FINIS.

Defectus in fine. 1100
Senectutis incommoda. 1102
Casus eminentioris fortunæ. 1102
Indeterminata non valent. 1103

MAIORITAS.

BONITAS MAIORITATIS.

Altiora sunt meliora. 1104
Amplitudo numeri & quantitatis bona. 1105

MAGNITVDO MAIORITATIS.

Excessus bonus, aut malus. 1106

DVRATIO MAIORITATIS.

E gradu non cadere. 1107
Repugnat. minores post majores dignitates exercere. 1107
Perfectiora minus durant. 1108
Mora in obtinendo majori gradu. 1108

POTESTAS MAIORITATIS.

Multitudo præualet. 1109

COGNITIO MAIORITATIS.

Præsagia fœlicitatis. 1110
Dextra pars. 1110

VOLVNTAS MAIORITATIS.

Appetitus incrementi & amplitudinis. 1110
Altitudinis appetitus. 1111
Æmulatio. 1112
Voluntas melioris boni. 1112
Appetitus excellentiæ. 1113
Auaritia insatiabilis. 1113
Vsura prohibita. 1115
Superbia ambitio. 1116
Audere supra vires. 1117

VIRTVS MAIORITATIS.

Perfectio quæ habetur ex majoritate. 1118

VERITAS MAIORITATIS.

Quæ sit vera rerum excellentia, 1118

GLORIA MAIORITATIS.

Quies & securitas ex eminentia. 1119

DIFFERENTIA MAIORITATIS.

Diuersa excellentia. 1120

CONCORDANTIA MAIORIT.

Societas cum excellentioribus bona. 1120
Societas potentiorum periculosa. 1122

CONTRARIETAS MAIORITAT.

Resecatio excessus bona. 1123
Humiliata superbia. 1123
Malum bonis profectibus contrarium. 1124

PRINCIPIVM MAIORITATIS.

Quæ sint causæ augmenti. 1124

MEDIVM MAIORITATIS.

Quibus medijs fit augmentum. 1125
Media & imperfecta excellentia. 1126

FINIS MAIORITATIS.

Quando desinit accessio. 1127

ÆQVALITAS MAIORITATIS.

Æqualis eminentia. 1128

MINORITAS MAIORITATIS.

Priuatio eminentiæ bona vel mala. 1128

ÆQVALITAS.

BONITAS ÆQVALITATIS.

bona & vtilis æqualitas. 1129

MAGNITVDO ÆQVALITAT.

Magna æqualitas bona. 1130

DVRATIO ÆQVALITATIS.

Continuatio æqualitatis. 1130
Repugnat. Res eadem non manens. 1131

VOLVNTAS ÆQVALITATIS.

Amor similium. 1132

VIRTVS ÆQVALITATIS.

Iustitia. 1133
Morum æqualitas. 1134

Digitized by Google

VERITAS ÆQVALITATIS.

Vera identitas & æqualitas. 1135

GLORIA ÆQVALITATIS.

Splendor, pax, delectatio ex æqualitate. 1135
Non moueri gloriosum. 1136

DIFFERENTIA ÆQVALITATIS.

Diuersitas inter æqualia. 1136

CONCORDANTIA ÆQVALIT.

Amor & vnio similium. 1136
Amor proximi. 1138
Amor affinium & consanguineorum. 1139
Nimius parentum affectus. 1140
Amor fratrum. 1140
Nuptiæ inter pares. 1140
Mala. Incœstus. 1141
Nefandi concubitus. 1142
Monopolia. 1142

CONTRARIETAS ÆQVALIT.

Pugna similium bona. 1142
Pugna similium mala. 1143
Homicidium. 1144
Consanguineorum odia & cædes. 1144
Quæ æqualitatem impediunt. 1145

PRINCIPIVM ÆQVALITATIS.

Quæ sunt causæ similitudinis & æqualitatis. 1146

MEDIVM ÆQVALITATIS.

Media & instrumenta quibus fit æqualitas. 1146
Æquiualens. 1146
In quibus non admittitur æquiualens. 1147
Mediata æqualitas. 1147

FINIS ÆQVALITATIS.

Quando desinit æqualitas. 1147

MINORITAS ÆQVALITATIS.

Defectus æqualitatis bonus. 1148
Malus. Injustitia. 1148

MINORITAS.

BONITAS MINORITATIS.

Qui defectus sunt boni. 1149

MAGNITVDO MINORITATIS.

Magnus & integer defectus. 1150
Plus mali, quam boni. 1150

DVRATIO MINORITATIS.

Continuatio defectus & vitij. 1151
Crimen, crimine tegitur. 1152
Semel malus, semper talis præsumitur. 1152
Peccatum est pœna peccati. 1152

POTESTAS MINORITATIS.

Exigua quædam in bonum valida. 1155
Mulier fortis. 1155
Vnum multis æquiualens. 1155
Vnum quod multis æquiualet. 1155
Minima quædam ad nocendum valida. 1155
Mulier plurimum nocens. 1157

COGNITIO MINORITATIS.

Nosse defectus qui sunt curandi. 1158
Nosse proprios defectus. 1159
Difficilis propriæ infirmitatis cognitio. 1160
Confessio culpam minuit. 1160
Confessio Sacramentalis. 1161
Publica pœnitentia. 1162
Manifestatio delicti pœnalis. 1163
Stygmata & aliæ infames notæ. 1164
Dare scandalum. 1164
Rep. occultare proprios aut alienos defectus quando bonum. 1165
Excusatio mala. 1168
Mala sui defectus cognitio, desperatio. 1168
Malum quod debet latere. 1169
Verecundia in verbis & veste. 1169

VOLVNTAS MINORITATIS.

Appetere humilia quando bonum. 1175
Iuri suo cedere. 1171
Velle sibi malum, non licet. 1172
Velle defectus aliquando bonum est. 1174

VIRTVS MINORITATIS.

Humilitas. 1175

VERITAS MINORITATIS.

Quæ sit vera infirmitas. 1176
Parum pro nihilo. 1177
Rep. non vera infirmitas. 1177

GLORIA MINORITATIS.

Ex alienis malis profectus bonus & malus. 1178. 1180
Humilitas exaltata. 1180
Fortis & generosa humilitas. 1182
Salus & securitas ex humilitate. 1182
Cedendo quædam superant. 1183
Gloriari de peccato. 1184
Cultus rebus malis exhibitus. 1185
Insolescit ex paupere diues. 1185
Nemo ex suo delicto debet proficere. 1186
Auxilium afflictis præstitum. 1186

DIFFERENTIA MINORITATIS.

Diuersa infirmitas & malitia. 1187
Separari à malo eius expulsione. 1188
Excommunicatio. 1189
Fuga mali. 1190
Suspectum contubernium vitandum. 1191
Distingui à malis. 1192

CONCORDANTIA MINORITATIS.

Alienis malis compati. 1193
Compassio non sit nimia. 1194
Mala cum inferioribus societas. 1195
Infirmis humaniter conformari. 1195
Descensus Dei ad homines in incarnatione Verbi. 1196
Fructus moralis ex natiuitate Christi. Dem. 1198

CONTRARIETAS MINORITATIS.

Vindicta publica reorum. 1200
Infirma oppugnantur. 1201

PRINCIPIVM MINORITATIS.

Causæ mali defectus & corruptionis. 1202
Origo peccati. 1203
Malum à seipso. 1204

Digitized by Google

MEDIVM MINORITATIS.

Instrumenta & ministri malorum. 1106
Scandalum. 1106
Malum consilium. 1106
Quæ conferunt ad defectum. 1107
Artes peccatorum ministræ. 1108
Media minoritas, seu imperfectio. 1108
E duobus malis minus eligendum. 1109

FINIS MINORITATIS.

Cessatio mali & defectus. 1210
Mali mores in melius mutati. 1211
Indulgentiæ. 1212
Pœnitentia & iustificatio peccatoris. 1212
Christi resurrectio. 1214
Ascensio Christi in cælum. Demonst. 1214
Resurrectio mortuorum. 1216

MAIORITAS MINORITATIS.

Quis sit major defectus. 1217
Corruptio optimi pessima. 1218
Plus mali quam boni. 1218
Dignitas auget peccatum. 1218

ÆQVALITAS MINORITATIS.

Idem reatus. 1219
Eadem infirmitas. 1220
Rep. communem non pati miseriam. 1220
Paritas in miserijs solatium est. 1221
Malis publicis pareitur. 1221

Digitized by Google

BONITAS MAGNITVDO BONITATIS.

MAGNA ET EFFVSA LARGITIO.

DEI magna in omnes largitione. *Vide Virtus bonitatis.* Eleemosina, & *Æqualitas Voluntat.* de gratia Dei sufficiente omnibus data; & de communi erga omnes affectu.

Gen. 2. dicitur quod fons ascendebat de terra, & irrigabat vniuersam faciem terræ.

In Talaro monte Epyri centum esse fontes docet Plin. lib. 4. c. 1.

Sacramentum baptismi remittit omne peccatum, tam originale, quam actuale, & omnem pœnam illis debitam.

Sacrificium missæ tres habet principales effectus, est enim propitiatorium, impetratorium, & satisfactorium. Bonacina.

Eius sacrificij valor generalis, est infinitus extensiuè: consequenter non tot prodest quin possit prodesse pluribus; & in memento Missæ, non est determinatus numerus cogitandorum.

Sacramentum pœnitentiæ, non potest vnum peccatum mortale remittere sine alio, quia peccator non iustificatur sine gratia habituali, quæ facit amicum Dei, ita est incompossibilis cum peccato, quod facit inimicum Dei. Idem de effectibus pœnitentiæ.

Per sacramenta, omnia peccata venialia remittuntur, nisi ponatur obex.

Indulgentia plenaria, quæ est remissio omnis pœnæ pro peccatis debitæ. Indulgentia autem simpliciter concessa, intelligitur plenaria. Idem de Indulgentijs. Priuilegium sine determinatione concessum, censetur generale, iuxta facultatem concedentis; Nam vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus, ratione loci, temporis, aut aliarum circumstantiarum. Idem de priuilegiis. puncto. 5.

Regulariter beneficia conferri debent integra, sine sectione vel diminutione. ca. vlt. 1. q. 3. can. si monachus. 16. q. 1.

Bonum quantò communius & vniuersalius, tanto melius & excellentius, quia diuinius est. Arist. 1. Ethic. cap. 2.

Apud Dominum misericordia, & copiosa apud

A eum redemptio. Psal. 129. sufficiebat ad redemptionem orbis, vna sanguinis Christi gutta, sed data est copia, & totus effusus sanguis per quinque partes, vt virtus diligentis in beneficij redundatione clarescat. Petrus Damiani. ser. 47.

Vnus sermo à me prolatus integraliter à pluribus æquè perfectè auditur, & intelligitur; sic Sol videtur, Eucharistia percipitur.

Omnes creaturæ ex diuina bonitate participant; vt bonum quod habent in alia diffundant.

Frequentius fluunt magna flumina ex montibus magnis, quia sub illis sunt vastæ concauitates, habentes copias & thesauros plurimarum aquarum, & sunt montes sicut spongia spissa quæ calore suo sugit & trahit ad se aquas de fundo vastę concauitatis. Albert. Magn. lib. 2. meteor. tr. 1. cap. 7.

Obseruatum est palmæ arboris esse trecentas & sexaginta vtilitates. Rhodigin. lib. 5. cap. 6.

B Pithoegia festum veteribus erat quo in vini participatum & seruos aduocabant & mercenarios, facta re diuina communicatio omnibus patebat. Idem. l. 28. cap. 25.

Refert Herodotus in Æthiopia pratum esse, in quod per noctem curant secreto magistratus carnes omnis generis parari, vbi verò illuxit, licet omnibus ad tale conuiuium accedere, indigenis existimantibus copiam epularum diuinitus suppeditari, hanc solis mensam nuncupant. Id. lib. 29. cap. 4.

S. Pontifex concedit indulgentias plenas. Episcopi & alij prælati limitatas: can quid autem, de pœnitent. & remiss. can. cum ex eo. eodem.

C Si plura beneficia in eadem Ecclesia simul vacant, & aliud alio sit maioris valoris, hoc censetur collatum. cap. si plurib. de præb. in 6.

Beneficia omnia Ecclesiastica sine diminutione conferri debent. cap. 1. Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur; proinde non possunt diuidi cap. maiorib. 8. de præb. nisi adeo sint ampla vt plurib. sufficere possint. cap. vacante 26. eod. hinc collator fructus beneficij retinere non potest, nisi ante collationem vna cum capitulo statuerit vt fructus ob iustam & necessariam causam ad tempus retineatur. cap. vnico, vers. vnde cre-

dimus vt Ecclesiast. benef. sine dimu. 'conf. cap. 7. A de censib.

Quæ ex sacrificio similaginis offeruntur cum oleo & thure in odorem suauitatis Domino. Leuit. 6. Ministerium quod sanctis defertur, plena manu fieri debet, quia qui parcè seminat, parcè & metet. 2. Cor. 9. Origen. homil. 4. in Leuit.

Septem diebus celebrabis diem festum Domino, & epulaberis tu, filius tuus, seruus, ancilla, aduena, egenus. Deut. 16.

Nutritio speciale non habet organum, quoniam vbique fit.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Rom. 5. Largitatem ostendit doni: non enim cœlum, terram, Angelos dedit, sed Spiritum sanctum, Angelos ex hominibus, Dei filios, Christi fratres effecit. Quod si nollet nos magnis coronis donare post labores, ante ipsos nobis tanta non donasset D. Chrisost. homil. 9. in epist. ad Rom. B

Idem homil. 21. in 1. ad Corinth. inuehitur in diuites qui cum quotidie orent Deum, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, ipsi non secundum magnam misericordiam dant eleemosinam, sed sæpe minus quam artifices.

Cum filiis Israël præceptum esset primitias offerre ad ædificationem templi, venerunt artifices & dixerunt Moysi; plus offert populus quam necessarium sit, oblata sufficiunt & superabundant. Exod. 35. 36. C

Vt sine aqua & igni, sic sine ferro vix viuere possunt homines, auro & argento pretium ex raritate fecit hominum stultitia, cum eorum nullus sit vsus quo non possimus carere; at natura parens indulgẽtissima, optima quæque, in propatulo posuit, vt aërem, aquam, tellurem, ferrum: longissimè verò vana ac nihil profutura semouit. Thomas Morus in sua Vtopia Republica.

Qui vult mutare statum, melius est res suas simul in pauperes distribuere, quam per partes successiuè erogare; & si sit aliquis qui multa indigeat eleemosina, vt v. g. liberetur à carcere vel captiuitate, melius est integram illi dare, quam inter multos egentes distribuere. Tostat. Math. to. 3. fol. 43. D

Cœli & substantiæ spirituales non sunt sui similis productiuæ, cum sint incorruptibiles, sed alia producunt magna fœcunditate, quæ compenset defectum productionis similium.

Sunt priuilegia quædam non personalia tantum, sed quasi publica, vt dotium, creditorum, Ecclesiarum, veteranorum, militum, &c. Cuiac. obseruat. lib. 15. cap. 8.

India fertilis ex inundatione multorum fluminum Indi, Gangis, Nili, qui crescentes agros passim inundant, & auri insuper particulas, quas secum deferunt per campos sparsas relinquunt.

Cum Moyses Aaronem Pontificem eiusque filios consecraret, oleum sacrum tam largè in caput Aaronis effudit, vt primum in barbam, ac inde in vestimenti eius oram deflueret; quæ figura fuit abundantis illius plenitudinis spiritus quam Apostoli & discipuli in Pentecoste perceperunt, vt inde totus orbis sanctitate repletus sit. Rusbroch. de tabernaculo fœderis. cap. 69. De hoc abundanti S. spiritus fluxu. *Vide potestas voluntatis.* Vis amoris diuini. E

INTEGRVM
Beneficium.

INnocentius Papa epist. 3. ad Episcopos Synodi Toletanæ, cap. 1. dicit pœnitentes ad pristinas dignitates admittendos; Ita Petrus Apostolus post lachrymas, hoc fuit, quod fuerat; Thomas post dubitationem, nihil de prioribus meritis amisit; Dauid post manifestam confessionem suam, prophetiæ suæ meritis non fuit priuatus. Sic emendatio confessionis & errores ipsos amputat, & retinet dignitates.

Vide Media Contrarietas. Non sit nimis grauis in confessione pœnitentia

Vide Finis Minoritatis. Restitutio in integrum, & iustificatio.

Episcopus qui in alieno territorio ædificat Ecclesiam, censetur cedere eius consecrationem & gubernationem Episcopo loci, qui tamen nihil poterit auferre de collatis à conditore. Concil. Arelat. 2. can. 36.

Falcidia seu portio legitima relicta filiis ad impediendam querelam inofficiosi testamenti, pura debet esse ab onere æris alieni, vel eius quod æris alieni loco est, non deducto etiam vsufructu qui matri relictus sit. Cuiac. in Nouell. 18.

Cum Deus virtutes infundit, omnes simul infundit. Tost. Math. to. 2. fo. 8.

Cum pannus abluitur, totus abluitur vt in omnibus partibus nulla supersit macula; sic baptismo delentur omnia peccata. Greg. Nissen.

Serui qui pœnæ causa vincti fuerant non fiebant ciues Romani per manumissionem, sed dedititij; illisque vincula soluebantur, non incidebantur: at Iosepho capto bello Iudaico Vespasianus filio intercessore, securi incisæ sunt catenæ, vt tam liber esset, quam si ab initio vinctus non fuisset; sic perfectam dandi libertatem mos erat. Cuiac. Obser. lib. 15. cap. 7. Dirupisti Domine vincula mea, &c. Psal. 115.

In holocausto non poterat offerri animal imperfectum aut fœminini generis. Leuit. 9.

OMNIBVS ETIAM
Ingratis benefacere.

DEus facit etiam miracula apud hæreticos. *Vide Maioritas potestatis.* Miracula. *Et Concordantia contrarietatis.* Inimicorum dilectio.

Bonum non se negat ingratis. Vide quæ scripsi de iure naturali, lib. 1. lege 9. §. 2.

Cum limitatæ sunt facultates, in earum distributione, ordinata debet esse charitas, vt dona sua non casu, non cæca profusione, sed iudicio, dignioribus velut Deo, cui placere vult magis acceptis, conferantur. Aliquando tamen etiam ingratis beneficia conferri possunt, à causis potissimum vniuersalibus, nam cum illæ bonum habeant velut inexhaustũ, largitiones pro naturæ suæ modo, non recipientiũ diffundũt. Sic in rupes, arenas, Maria, cadũt pluuiæ, & Christus Dominus proponit nobis imitãdũ Deum qui Solem suum oriri facit super bonos & malos. Non pendeat ex alterius arbitrio tua beneficientia, sed constans etiam in cõtraria nitatur. Omniũ est, beneficia conferre gratis hominibus magnis

animis proprium est hæc fortiter in ingratum caput congerere. Si te non agnoscit; cæteri plus mirabuntur inuictum largitorem. Soli Deo laborat & largitur charitas, cuius ardorem non extinguit sed irritat frigidum recipientis pectus. Dona prouocat quorundam extrema necessitas; Sanguinis, Religionis, patriæ communio, hic autem in semetipsum, in sui scilicet boni causam, ingrati conuersus furor, sic phreneticis adest cura vigilantiore medicus. Si feros mores tua non vincit pertinax bonitas, at saltem vinces in te naturales indignationis & vindictæ motus, præstantiore quam quæ de barbaris referri posset victoria. Quis neget eminentiorem inter cæteras esse virtutem, quæ suam vim in magis remota etiam contraria diffundit, immensitatis quadã participatione: pari titulo charitas præstantior est, quæ vel ingratitudine, vel iniurijs lacessita non cessat à beneficio. Plus est apud ipsam naturæ rationalis, Christianæ fidei, legum, sacramentorum, & sub vno Christi capite membrorum essentialis quædam connexio, quam quæ per accidens contingit ex perturbata per passiones ratione, contrarietas. Ad proximum charitas à Deo procedens, in eum, per A eum rediens à regulari suo motu humanis quibuscumque de causis non deflectit; vt solis radius sæuiente quauis tempestate, terras contingit, suæ semper hæret origini, & in illam ipsamet parte qua lustrauit inferiora reflectitur. Infirma censetur charitas, quæ non seipsa, sed spe, metu, grati animi, sacrificio vel incenso, muneribus vel laudibus consistit. Hæc transitoria non intendit qui thesaurizat in cœlo; Etiam ab ingratissimo & pro beneficijs iniurias rependenti, plura referet quam contulerit, sinceræ scilicet & contrariorum victricis charitatis præmia. Sic negotiari licet, sed cum Deo, qui nos ad hoc prouocat commercium, quo nostra naturalis subleuari possit egestas cœlestium gratiarum abundantia. Si propter filiorum, populorum, discipulorum, familiarium ingratitudinem, cessaret parentis, principis, Magistri, collegæ beneficium, vna die dissolueretur ciuilis societas. *Ex principijs.* Vide proximè, *Duratio bonitatis.* Continuatio beneficij.

Pauperibus etiam insolenter se gerentibus, eleemosyna conferenda. Vide quæ scripsi lib. de operib. misericordiæ. Parte 1. cap. 23.

DVRATIO BONITATIS.

CONTINVATIO BENEFICII.

CREDITORES prohibentur, debitores suos carcere, pœnisque seuerioribus ad solutionem vrgere. l. 3. Cod. Theodos. de exactionib. vt qui semel beneficium contulere, continuent in solutionis patientia.

Cum acta pleraque sub tyranno facta rescinduntur, valent tamen sub eo factæ donationes, & emancipationes. l. 7. & 8. Cod. Theodos. de infirmandis his, quæ sub tyra. facta sunt.

Cum alicui quædam à Principe donata sunt, intelligitur etiam data libertas, ea filijs suis hæredibus relinquendi. Edictum Theodorici Regis cap. 1.

Patronus non potest libertum, ex leui causa offensæ in seruitutem redigere, & nisi iusta fuerit iudicio Pontificum declarata. In legibus Burgundionum tit. 40.

Naturâ comparatum est, vt quibus impendimus studium, præstemus affectum. Sidonius Apollinaris lib. 7. epist. 2 *Vide Duratio Principij.*

Vt medicus plures herbarum vires congerit in vnam medicinam, sic Magus plura cœli prata, in lapillum vnicum cogere potest, qui vocatur gamaheu, vel imago, vel caracter: sunt enim huiusmodi lapides, velut pyxides in quibus sydereæ vires ac potentiæ reseruantur. Paracelsus. lib. 1. sagacis philosophiæ.

Quicumque agri continuatis sationibus fructificant, continuè ex cœlo & humore suorum principiorum accipiunt innouationem, quibus instaurati semper possunt perficere pullulationem; & ideo A continuè seminantur. Albert. Mag. lib. 7. de vegetabil. cap. 8.

Vide Durat. Princip. De continuo causarum influxu.

Prudentis viri est qui mutuum dedit, id amicè recipere, non postquam humaniter contractum est, odiosè accipere.

Ager excultus, est cornu copiæ. Nam boum cornibus ager efficitur omnium ferax. Ideo cornu copiæ præferunt genius & bona fortuna.

Gratia concessa non expirat morte concedentis.

Vir iustus multa præstans opera satisfactoria, quibus ipse non indiget, reposita in thesauris Ecclesiæ non potest amplius ea sibi applicare si indiguerit, quia non habet dispensationem thesauri Ecclesiæ. Bonacina de Indulg. 3. proposit.

B Dispensatio semel obtenta, & iam executioni mandata, non cessat, nec reuocari potest, cessante causa ob quam fuerat cõcessa, vt si cesset paupertas parentum propter quam alicui dispensatio data est de irregularitate, & id verum est si effectus sit totaliter consummatus: quod si non sit, pro parte qua cessat causa, cessat dispensatio, vt si medio tempore quadragesimæ cesset infirmitas propter quam aliquis dispensatus erat seruare quadragesimam. Idem. de dispensat. 4. propositione.

Quædam priuilegia sunt perpetua, vt quæ conceduntur dignitatibus, Ecclesijs, Monasterijs: alia temporalia quæ personis conceduntur, quibus corruptis & mortuis, moriuntur ea quæ in eis sunt. Idem de priuilegijs. p. 7. §. 1. Communitati concessa, quæ non moriuntur, censentur etiam perpetua, & vim

Digitized by Google

habet legis perpetuę. Ibid. Sic priuilegium reale sequitur rem ipsam, & transmittitur ad eos qui illam possident.

Priuilegium non debet reuocari sine iusta causa, quia priuilegium principis, decet esse mansurum, cap. decet de reg. iur. in 6. Nec sine turpi inconstantiæ nota reuocatur. Priuilegium concessum non subdito non potest reuocari, quia transit in naturam contractus. cap. 1. de constitutio. in 6.

In insula Chio, est arbor ferens masticen, & quotannis per 13. vices scinditur, vt hic humor stillet.

Corpus Christi in Eucharistia licet quotidie manducetur, non tamen minuitur. *Vide Potestas medij.* Eucharistia validus animæ cibus; si multa lumina ab vna candela accendantur, lumen candelæ non minuitur, de fonte aqua fluit, & non minuitur. Card. Cusa Excitation. lib. 2. cap. 20. in fine. *Vide Princip. Cognit.* alios docere.

Aqua spiritualis est fons saliens in vitam æternam, quia propter suam dulcedinem, nunquam generat fastidium, & desideranti nunquam deficit. Idem lib. 10. cap. 1.

Vox Patris de cœlo dicit Christo, Et clarificaui, & iterum clarificabo. Ioa. 17.

Regina Saba plantam Balsami detulit ad Salomonem, quam & ipse plantauit. Ioseph. 8. Antiquit. 3.

Israëlitis in deserto existentibus, nunquam defuit columna nubis per diem, & per noctem columna ignis, Exod. 13.

Qui pulchram captiuam rasis capillis & vnguibus, duxit in vxorem, non potest illam postea vendere pecunia, nec opprimere potentia. Deut. 21.

Deus dixit Iosue, Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, non dimittam, nec derelinquam te. Iosue. 1.

Ex quo Samuel vnxit Dauid, directus est à die illa Spiritus Domini in Dauid, & in reliquum 1. Reg. 16.

Precibus Helisæi, tandiu fluit oleum, quamdiu vasa vacua ad recipiendum inuenta sunt. 4. Reg. cap. 4.

Manumissi in Ecclesia, quia videntur Dei consideratione libertate donati, in seruitutem non reuocentur, nisi ob causas pro quibus ex lege licet, sed eorum libertas ab Ecclesiis deffendatur. Concil. Aurel. V. can. 7.

Quanto aliqua Virtus est maior, tanto imprimit durabiliorem effectum.

Periculum est, si postquam arbores rigare cœpisti, non aquam crebrò adhibeas, nam & pristinam alimoniæ facultatem adimes, & efficies vt arbores æstu citius exarescant. Theophra. de caus. plantar. lib. 3. cap. 11. *Vide Bonitas Potestatis* Clementia regentis de Tribuni domo die nocteq; semper aperta.

Themistocles sæpius Atheniensibus inuocatus adfuit, & elapso periculo iterum iterumque conuitiis lacessitus, hinc se dicebat similem Platano, ad quam orto imbre confugiunt omnes, sereno tempore ramos quibus tecti fuerant, conuellunt. Rodig. lib. 25. cap. 1.

Perennes fluuios diuinos putabant antiqui, quia indeficientem æternamque Deorum substantiam imitentur. Id. lib. 27. cap. 5.

Quædam Sacramenta characterem, hoc est signum quoddam spiritale & indelebile, in animo imprimunt, proinde iterari non possunt, vt Baptismus Confirmatio, Ordo sacer: alia nullum characterem imprimunt, ideoque possunt iterari, vt Eucharistia, Matrimonium, Extrema Vnctio, solemnis Pœnitentia non iteratur.

Iesu Naue dixit, Stet sol, vt obtineret hostes. Deus non tantum nobiscum est duplicato die, sed omnibus diebus vsque ad consummationem sęculi. Origin. homil. 5. de Iesu Naue.

Multum beatus qui ex Deo semper nascitur per singula virtutis opera; sit in iustis, quod in verbo præcessit. Saluator noster splendor est gloriæ; splendor autem non semel nascitur & deinceps desinit nasci, sed quotiescumque ortum fuerit lumen; ex quo splendor oritur, toties oritur & splendor gloriæ. Saluator noster sapientia est Dei, sapientia vero splendor est lucis æternę; sic igitur saluator semper nascitur & idcirco dicit, Ante omnes colles generat me, non vt quidam malè legunt, genuit. Si semper ex patre nascitur Dominus, etiam tu in similitudinem eius, iam adoptionis habens spiritum generaris à domino per singulos intellectus, per singula opera, & efficeris filius Dei in Christo Iesu. Origen. homil. vlt. in Isay. *Vide Duratio principij, & Principium Virtutis.* Dei gratia.

Habenti dabitur. Meliora naturalia habenti, modo par sit conatus, Deus maiores conferet perfectiones infusas. D. Thom. in Magist. Sentent. dist. 17. q. 1. a. 3.

Rerum immaterialium quæ contrarietate carent, proprietas naturalis est earum sempiternitas: hanc autem quam Deus semel dedit, non reuocat, nec tale eus in nihilum redigit. Id. in quæst. disp. q. 5. a. 4.

A quibusdam philosophis dicitur, quod similitudo ad Deum in causando est motus cœli finis; quod quidem fit ipso motu durante; vnde secundum hoc non conuenit quòd motus cœli deficiat; quia deficiente motu, finis ex motu proueniens cessaret. ibid. a. 5.

Arteriæ quæ spiritum vitalem, & cordis influxum deferunt per totum corpus, semper manent apertæ, itaut nunquam compressæ maneant, motu dilatantur, quiete nunquam concidunt, ideò duplici & duriore tunica vestiuntur. Van helmon blas humanum.

Tutor vel curator non potest vllomodo cessiones suscipere aduersus suos minores; quidquid in eo fecerint irritum est, & expelluntur vt indigni ab administratione. Nouella. 72. cap. 5.

Animæ in purgatorio eosdem Angelos habebunt consolatores in pœnis, quos habuerunt monitores hac in vita. Tostat. Matth. 5. fo. 29.

Annona dicitur ab anno, quia per annum dabatur. Id. 4. Reg. fol. 263. d.

Deus dedit bis filiis Israël aquas de petra, primò in Raphidim, & istæ durant adhuc exeuntes de petra: & propter hoc vallis illa Arabiæ facta est habitabilis, quæ alias erat inhabitabilis. Secundo in Cadesbarne, & istæ non exierunt, nisi quandiu fuit ibi populus. Idem num. to. 2. fo. 3. c. 4. K. & iudi. fo 155. c. 1. a.

Deus nunquam aufert id quod dedit, nisi quis demereatur, si id quod datur, est per se manens. Id. 1. Reg. to. 2. fol. 67. & non fit opus miraculo, vt ędificato tabernaculo mansit habitus artis infusæ in Beseleel.

Lacedemonij cum orarent Athenienses, vt ipsis auxilium ferrent, non retulerunt quæ ipsi fecerant pro Atheniensibus; sed solum beneficia quæ ab ipsis Atheniensibus receperant. Arist. 2. Politic.

Sic fecit Thetis Iouem orans. Sic fecit Iacob

orans Deum vt liberaretur de manu Esau. Gen. 32. Sic Moyses orans ne delerentur Israëlitæ pro vitulo aureo; Exo. 32.

Sacrificium quotidianum erat continuum. Vide in hoc tit. Mora.

Angeli nunquam deserunt tutelæ & custodiæ suæ commissos, quia proniores sunt ad auxiliandum quam dæmones ad nocendum, at dæmones semper infestant, igitur semper custodes ferunt auxilium & cum de nullius hominis salute sit desperandum, diuinæ prouidentiæ ministri minus nos deserunt, quam suos ægros medici. Tostat. Math. 10. fo. 33.

Columna dirigens Israëlitas in deserto, nunquam cessauit, vsquequo filij Israël intrauerunt in terram Chanaam. Exo.

Totum bonum terræ Ægypti est à Nilo flumine quo irrigatur, qui statuto tempore & nunquam aberrante incipit crescere die natiuitatis S. Ioannis & crescit continue vsque ad diem Exaltationis sanctæ Crucis in mense Septembri & ab illa die incipit decrescere vsque ad diem Epiphaniæ: cum apparet terra, ægricolæ proiiciunt semen scilicet in mense Ianuario. & maturas fruges colligunt in Martio. Tostat. Math. to. 1. fo. 131.

Ouis inter omnia animalia diutius dat lac respectu suę quantitatis, videlicet per octo menses. Olaus magnus. lib. 17. cap. 2.

Continuandum beneficium etiam ingratis. *Vide proximè titulo, praced.*

Silua cædua, arundo cædua, arbores cæduæ in fructu sunt. l. qui fundum. §. cum fundum. ff. de contrah. empt.

Falsò existimauit Paracelsus, nullum simplex medendo aptum, nisi primitus ipsum moriatur. Multa enim sunt simplicia quæ formæ proprietatem explicant specificam, sospite subiecto cui inhærent; qualia sunt Periapta, Appensa & Amuleta quamplurima. Van helmont.

Quomodo Verbum non trahit nos, cum factum sit homo propter nos; gratis dilexit ingratos; quæsiuit errantes, pœnitentes suscipit, fouet amantes. Laurent. Iustini. fasciculus amoris. cap. 6.

Verbum Dei est folium non defluens, semper iuuans. *Vide Potestas Veritatis.* sermo Dei. In æternum Domine verbum tuum permanet in cælo. Idest in sanctis hominibus. *Vide Æqualitas Voluntatis.* Deus vult omnes saluos fieri. ex D. hilario.

Contrahendus habitus charitatis per frequentes eleemosinarum largitiones. lib. de operibus misericordia. parte 1. c. 26. vide.

REPVGNAT
Non continuum beneficium.

Vide Finis Bonitatis.

ARs perficit quidem naturam, at non producit se sola, substantiam, sed accidens, quod potest tolli à subiecto.

Arenæ Lybiæ mobiles, quos itinerantes sustentabant, opprimunt, si ventus flauerit. Similes sunt in Catalonia, iuxta episcopatum de Girone. Dauity.

Quidquid nostra ratio facit circa substantiam, est accidens non Substantia.

Georgius agricola lib. 3. de his quæ fluunt ex terra, refert quosdam fluuios qui ex fontibus orientes, non procul iterum terra se condunt. Ex arena & sabulo soluto aquæ scaturiunt exiles & instabiles. ibid.

Causis tantum vniuersalibus, cœlo scilicet astrisque proprium est continuos influxus in inferiora mittere, quia his non exhauriuntur, non alterantur largitionibus. Post tot sæcula quibus luxit & profuit sol, totum nunc lumen caloremque viuificum retinet quem à creatore recepit, nascente mundo, sic aër pręsto semper est nostrę respirationi, mare ferendis nauibus, terra fructibus, quanquam hæc vt elementorum inferior, aliquid habeat ex alterabilium conditione; Non enim spontè, sed manibus nostris exculta semen excipit, quod magno cum fœnore restituat, nec assiduè ferax, sed quarto vel quinto anno vacat feriata, quot annis iterum quiescit per hyemem, & opportuno frigore, vires suas in centrum reuocans, imbribus exsatiata, dispendia sua reparat, & congerit quæ sub redeunte sole lætior explicet: ita per semestre circiter spatium, sterilescit ad fœcunditatem, æquali tempore dona sua negans & proferens. Lux mentis vt cœli largitione non minuitur, potest sapiens pluribus & semper adesse consilio; charitas ex Apostolo nunquam excidit, soluta semper debetur, si quid in præstatione limites ponit, defectus est corporis & tēporis, non mentis. Continuum itaque potest esse spirituale beneficium; at externum, vt in pecuniarum largitione, si magnum est, non potest esse continuum; Nam ingens licet & plurium sæculorum labore depositus thesaurus, citò profusione vacuatur: Nemo foret liberalis si prima donatio sequentium induceret obligationem, & conuersa rerum facie, qui pręstat accipientis efficeretur debitor; Ideo ciuilis societas multorum est, vt quisque per vices egentibus subueniat, & ratione communitatis continuum sit beneficium, cui non sufficerent vnius facultates, Sic collata singulorum beneficia conflare possunt pretium rerum immobilium, quarum reditus, continuum præstent, alendis pauperibus subsidium. *Ex principiis.*

Per hyemam sub fœlici Iouis & Lunæ coniunctione, occurrit interdum lętus dies verno similis, sed quem sequens immediatè tempestas excipit: sic est temporalis principum gratia; talis cœli tranquillitas quę pręcedit magnos terrę motus. *Vide Duratio gloriæ Repugnat, & Repugnantias durationis aliorum principiorum.*

MORA BONA IN conferendo beneficio.

NAtura dona sua sensim nobis largitur per tempus, ætates & sęcula. *Vide Duratio cognitionis. Mora.*

Thesauri terrę, ita distributi sunt, vt à mundi vsque principio assiduè reperiantur metalla, argentum, aurum, ferrum, à manibus ita custodiuntur; vt non in die vno omnes vbique prodeant sed singulatim, & discretè iam hic, iam illic, vnus & alter proferatur, Paracelsus lib. de Nymphis.

Quando ingens piscium multitudo visitur & capitur, sæuæ pestis signum est; & multi etiam sese consequentes anni felices, & vltra regionis morem fertiles, malum aliquod denuntiant, simul enim omnia ita exhauriuntur, vt postea ob infirmitatem, consumptasque vires, aduersis non possit resistere? Id. lib. de arte presaga.

Artium vt plantarum semina, sensim coaluerunt, ab hominibus exculta, diuersisque germen & fructus suos dederunt temporibus, vt nullum sæculum Dei beneficentia vacuum esset. Idem lib. de artium inuentione.

Plantæ quæ habent multam medullam ex illa velut ex centro trahunt alimentum, & habent poros transuersos, naturæ industria, quoniam si haberent poros directos, & non haberent vias alimenti per circuitum, cum sint pori eorum ampli, non retinerent humidum nutrimentale vbique, & arescerent. Albert. Magn. trat. 1. de nutrimento & nutribili. cap. 2.

Mare aliquando retinetur locis latis, & diffunditur dilatatum in illos, tunc minus impetuosè, & minori quantitate effunditur super littus; Tardatur B beneficentia cum multis est benefaciendum.

Quædam arbores non ferunt multum fructum nisi alternis annis, quia multitudo ramorum trahit succum ad suum alimentum, & non permittit pullulare fructum, nisi cum redundat humor. Albert. mag. lib. 1. de Vegetabilib. tit. 2. cap. 11. sic magna animalia, minus ponunt in semine, quam parua. Id.

Ita quædam arbores sunt steriles in iuuentute, magis quam in prouecta ætate, quia succus totus transit in incrementum earum sic vitis vetula meliores & viberiores fert fructus, cum stetit incrementum. Ib.

Maturitas fructuum constat ex tribus. 1. ex digestione quæ fit in arbore; 2. iacere debent vt euaporetur naturalis calor, qui est ex loco & aëre maturante; 3. completio est quod iacere debent C fructus, donec resideat in eis humidum, & condensetur frigiditate vincente & aduneture cum terrestri sicco, & faciat id mollescere sicut crusta panis recenter decocti dura est, mollescit autem cùm clausis poris humidum ad superficiem euaporatur. Ibid. lib 3. cap. 5. In conferendo beneficio, primo debet esse rationabilis causa indicio maturo perpendenda. 2. non fiat passione aliqua aut opinione, vanitateque, vnde plusquam decet incalescat liberalitas. 3. mora facit temperamentum ex affectu profuso, & arcta nimium ad sibi seruandum cupiditate.

Agri nouales sunt qui non ferunt fructum singulis annis, sed intermissis aliquib. aut secundo, 3. 4. &c. quiescunt.

Aues minores educunt pullos ex ouis intra duo D decim dies, gallinæ & columbæ per quatuordecim, maiores aues, vt grues, vultures, aquilæ, falcones per 30. dies. Albert. mag. lib. 6. de animalib. cap. 6. Nobiliora tardius perficiuntur.

Maleuolus planeta in sua domo, vel exaltatione, licet cum tarditate, tamen exhibet bonum finem. at contra etiam in ascendente impeditus. Hermes centiloquij. n. 99.

Plutarch. lib. num seni gerenda Respublica. dicit senem à ciuibus vocatum non statim in publicum debere prodire, sed hærere domi aliquandiu, quo majori cum dignitate excipiatur.

Theodoret. serm. 6. de prouidentia Dei, dicit Deum distulisse incarnationem, vt medici potentissimum remedium, cæteris leuioribus expertis. E

Sacramentum Eucharistiæ non consistit in vsu vt baptismus, sed in esse permanenti. d. Thom. 3. q. 78. a. 1. Non debet statim sumi à pueris, cum in illis valet ratio, sicut pœnitentia, sed expectandi sunt anni discretionis scilicet ab anno 10. ad 14. dignius enim sacramentum, dignius debet suscipi. Bonacina de Eucharistia q. 7. prop. 2.

Sacramentum extremæ. Vnctionis confertur tan- A tum extremo morbo laborant ibus ad mortem. Id de extrema vnctione.

Filius prodigus. Luc. 15. malè petit à patre portionem substantiæ quæ ipsum contingebat. Prærogatiuam filij meruit non habere, qui ea quæ patris erant, noluit possidere cum patre. Chrysolog. ser. 1. de prodigo: hinc peregrè profectus dissipat substantiam suam viuendo luxuriosè.

Mora dantis patientissimè sustinenda, quia qui cum semel pulsauerit, indignatur, si non fuerit auditus, non est petitor supplex, sed imperiosus exactor. Audi Prophetam. ps. 29. Expecta Dominum, viriliter age. Math. 6. importunè petens ab amico obtinet. Chrysolog. hom. 59.

Laborans messor, quod in semine non videt, videbit in messe, & quod in sulco deflet, gaudebit in fructu. Ib.

De absolutionis dilatione. Gerson tom. 2.

Postquam Christus audiuit infirmari Lazarum, statim non est profectus ad eum, sed mansit in eodem loco duobus diebus, dat locum morti, licentiam sepulchro & corruptioni, sic agit vt humana spes tota pereat & tota vis mundanæ desperationis accedat; quatenus quod facturus est, diuinum fit, non humanum; quia mœror mortis vertendus mox erat in gaudium resurrectionis. Chrysolog. serm. 63.

Elizabeth sterilitas, non erat maledicta, sed mystica, in qua partus non ablatus est, sed dilatus, vt in filio singulari, tota prædecentis ætatis fœcunditas pensaretur, quando in vno nascebatur numerositas congesta virtutum. Id. sermon. 89.

Non censetur mutatus Deus, qui creauit in tempore mundum, quem ab æterno habuerat in idæa, vt sapiens non est culpandus de mutabilitate, quia secretū quod diu habuit consilium, opportunè alijs manifestauit, non de mutabilitate culpandus, sed de beneuolentia collaudandus est. Rupert. lib. 1. in Genesim. cap. 5.

Niues seruantur hyeme in altis montibus, tunc cum valles habent satis aquarum, & æstate resoluuntur, tunc cum terræ exsiccatæ indigent aquis.

Magis pretiosa diuturniori tempore conferuntur. Vide Bonitas duratio.

Apud Heluetios in valle Hesel montis d'Enghlen fons est qui fluit tantū mense Iunio, Iulio, Augusto, tunc cum maximi calores. Et eius ad potum accedunt peccora Dauity.

Si eodem tempore cuncta ad vescendum poma concurrerent, & fastidium congesta vescentibus gignerent, & simul consumpta, de copia inopiam generarent, at diuina prouidentiâ factum est, vt dum illa comeduntur, alia maturescant, sic fruges, dum varijs temporibus dispensantur, & prouentus copia non minuitur, & labor hominibus leuigatur. Petrus Damna Card. opusculo. 23. Fit etiam vt irato internum cœlo omnes simul fruges non lædantur. vt habetur Exod. 9. sic in conuiuio non omnes escæ simul apponūtur, non omnia simul oriuntur sydera, non omnes personæ in theatro simul apparent; ordo distinguit tempora. *Vide Concordantia differ de ordine.*

Gen. 32. Iacob retinet angelum Dei, cum eo luctatur, nec dimittit, donec recipiat ab eo benedictionem. Sic Exod. 32. Deus detinetur à Moyse ne deleat populum.

Est accidens dispositiuum, quod subiectum disponit ad vlteriorem formam, vt superficies respectu albedinis & calor respectu ignis, & colores quidam aliorum præambuli.

Arbores quæ in planis & palustribus degunt, cū

tius germinant, quam quæ in montibus. Theoph. hist. Plant. li. 3. c. 6.

Herbarum quędam per partes florescunt, vnde fit vt diutius floreant, sicut aliæ multæ, & in primis solaris atque cichorea. Id. lib. 7. c. 9. sic Verbascum, Dictamum, Rosa, &c.

Magnitudo niuis multum prodest terræ; vt paulatim colliquescens subeat, nec vniuersus humor influxu corruens vnito, dilabatur. Ita & terra fermentari optimè potest, calore circum occluso atque coërcito. Idem de causis plantar. lib. 2. cap. 1.

Nocturni imbres præstant diurnis, fit enim vt plantæ humore potiri ampliùs valeant, cum sol illum non protinus consumat. Ib. c. 3.

Dauid Absaloni condonat fratricidium, sed iubet per aliquod tempus abesse à Curia 2. reg. 14. Id solent Reges efficere, vt gratias suas non videantur proiicere, sed dispensare, & clementiam Iustitia temperare, vt cæteri metu in officio contineantur.

Ægyptij prouentu frugum tempora discreuerunt, ac proprie vocarunt annos. Suidas in voce ἔτος.

Theodosius nimium facilis fuit in subscribendis supplicibus libellis non lectis. Pulcheria soror sic obtinuit ab eo vt vxor sua sibi cederet in ancillam, vnde nimiam eius facilitatem obiurgauit. Idem in voce Pulcheria.

Aqua pluuialis, præter id quod pinguior est, & minus frigida quam irrigua, plurimum etiam prodest, quod sensim instillata melius combibitur, nec effluit, nec radices plantarum nudat, quod malum plurimum illis obest. Cardan. lib. de rer. variet. c. 21.

Quidam fluuij alueo sunt flexuoso, vt Mæander, crebris enim, inquit Plinius, ita sinuosus est flexibus, vt sæpè credatur reuerti. Georgius Agricola. lib. 3. de his quæ fluunt ex terra.

Potest S. Pontifex præbendas vacaturas reseruare & in vacaturas ius tribuere. cap. 2. de præb. in 6. cap. significasti de electione.

Panis qui de cœlo descendit non venit ad illos qui primam solemnitatem celebrabant, sed ad nos qui secundam suscepimus. Nostrum enim pascha immolatus est Christus, qui verus nobis panis de cœlo descendit. Origen. homil. 7. in exod.

Manna quotidie cadebat de cœlo, asseruatum contra pręceptum Dei corrumpebatur.

Medicina sumpta non statim producit effectum suum; sic scripturæ sacræ lectio sensim prodest animæ. Id. homil. 20. in Iosue.

Deus post immensa gaudia sua ad manifestandam gloriam suam, voluit facere mundum quasi statuam suam.

Iis qui secundum propositum vocati sunt Rom. 8. Cur non ab initio omnes vocauit, & ipsum Paulum post alios statim, cuius dilatio videbatur damnosa esse, sed tamen à rebus operibusque declarata est vtilis fuisse. D. Chrisost. homil. 15. in epist. ad Rom.

Ziemomil Rex Poloniæ, filium genuit Miesko qui natus cæcus talis mansit vsque ad an. 7. Consulti sapientes dixerunt eum magnum splendorem Poloniæ daturum, quod probauit euentus, nam primus in hoc regnum fidem Christianam inuexit & fœliciter regnauit.

Cum placuisset Deo qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me. Galat. 1.

Cum illum Deus ab vtero destinasset ad apostolatum, ob causam aliquam arcanam, distulit gratiam vocationis, vt cum cæteris duodecim non fuerit vocatus. D. Chrisosth. in cap. 1. ad Galat.

Saphirus cœruleo colore satur, si anthracem, quo

A pestis sese prodit attigerit, & aliquandiu affrictus fuerit, mox verò auferatur, non cesset magneticè iam absens gemma, virus totum è contaminato attrahere; vnde solent locum apostematis saphiro in circinum paulatim aucto conscribere, ne scilicet exiens virus, qua insensibiliter euolat, latius expatietur & nobilem aliquam partem infestet; notatus sic locus nigrescit, tandem in escharā combustus excidit, corde interim à mortifera contagione seruato, Hinc Episcopi ferre solent annulum saphiro donatum, quia solebant peste laborantibus adesse. Van helmon. de magnetica vulnerum curatione.

B Semina singulas suas habent periodos, stataque à creatore momenta quibus cursum ad maturitatem prouehant. Cuniculi enim, canes, volucres, homines, equi, elephanti statutis terminis suos intus fœtus fouent, perficiunt & pariunt, Deo sic terminos singulis præscribente. Id. in tractatu, Ignota actio regiminis.

Deus æternam voluntatem habuit de mundi creatione, non tamen vt mundus semper fieret, sed vt tunc fieret, quando fecit. D. Thom. in quæstionib. disputatis. q. 3. a. 17. ad. 9.

Mineralia non promiscua vbique, sed certa, statis annis & locis, tam enim Sueuia cupro diues, quàm olim potuit esse Cyprus. Loca quæ fodinis caruere olim, sua quandoque die, maturato semine, fœnora reddent ditioribus non imparia, quia semina mineralium sedent in loco immediatè, ac in dietum plenitudinem sine fastidio anhelant. Van Helont: tra-

C ctatu, Magnum oportet.

Legati serui sub ea conditione, si te promeruerint dignos eos libertate existimes, illis debetur libertas si non offenderint. Sed ad arbitrium legatarii, si viuus non manumisit, statim hæres libertatem dare cogitur. l. 20. ff. de man. test.

Ad Adam adducta sunt omnia animantia & postquam in illis non inuenit sibi consortem, Deus illi mulierem formauit. Tostat in Genes. fol. 136. cap. 2. 2.

Plurima eorum quæ Christus prædicauit, plus nunc proficiunt, quam tunc, quando ille ipsa prædicabat. Id. Math. to. 4. fo. 54.

In sacrificijs quotidianis cuiusmodi erant sacrificium matutinum & vespertinum, non cremabantur omnia frusta simul, vt in sacrificiis spontaneis, sed

D successiuè, itaut duraret per totam noctem & per totum diem, vt habetur Leuit. 6. cum dicitur, Hęc est lex holocausti, cremabitur in altari tota nocte vsque mane. Id. Paralip. fo. 114.

Deus propter Dauid est misericors toti eius posteritati. Id Exo. to. 2. 169.

Quare Deus ab æterno mundum non condidit. Vide quæ scripsi Theologia naturalis. to. 1. parte 2. cap. 15. libere & non necessariò produxit. Ib. quare non semper quod homines petunt concedit. Ibid. to. 3. parte 2. cap. 18. Quare dilata fuit per tot sæcula mundi salus cum Verbi incarnatione. Ib. to. 4. parte 2. cap. 22.

Math. 14. Apostolis in mari tempestate iactatis Iesus apparet quarta vigilia noctis; erudiens nos, non esse citò solutionem calamitatum quærendam sed magno animo aduersa perferenda D. Chrys.

E homil. 5. in Math.

Montes longa niue cooperti, gramen saginandis pecoribus aptissimum producunt

Apostoli per totam noctem laborantes in piscatione nihil capiunt, mane Christo iubente mittentes rete in dextram nauigij, concludunt magnam piscium multitudinem. Diu permisit illos in vanum laborare.

Gen. 43. Ioseph fratres suos diu ludificauit & expectatione suspendit antequam se manifestaret eis, non vt se vindicaret; sed vt illos purgaret à crimine transacti sceleris in eum, vt pœniterent, & accumularetur gaudium videntes eius gloriam. Alcuin in Genes. inter. 167.

Omnia per ipsum facta sunt: quod factum est in ipso vita erat. Ioa. 1.

Non quia est coæternum creatori quod creauit, sed quia coæterna est illi ratio voluntatis suæ, in qua ab æterno habuit & habet, quid & quando creauit, qualiter creatum gubernet vt maneat, ad quem finem singula quæ vocauit perducat. Id. in Ioan. cap. 1.

Tardè concedendum est, quod datum non adimitur. Tacit. 13. ann.

Filius quidem viuo patre censetur quodammodo dominus. l. in suis ff. de liber. & posth. non tamen potest rem paternam vendere, ne patrem habeat velut mortuum, cum se pro hærede gerat. Cuiac. obser. lib. 15. cap. 14.

In stillicidiis eius lætabitur germinans. Psal. 64. Deus dona sua spiritalia stillat. D. Hilar.

Pluuia illa optima est quæ sensim descendit in terram: subitus & nimius imber in præceps arua subuertit. D. Hieron. ad Furiam.

Muliere mortua vterus effudit suum fœtum. Van helmons de flatibus, De posthumis: Cod. 6. 29.

OPPORTVNVM TEMpus eligendum, & expectandum.

REmedia quotannis renascuntur, & cum nouis viribus prodeunt: vetus autẽ natura ac astra, loco æstatis suas exaltationes habent, itaut non minus ac terra, idoneum sibi tempus præseruent: & hyemis quidem tempore nihil promunt, sed quærenda & colligenda in sua æstate sunt. Sic exhausta natura restituitur. Paracelsf. lib. 1. sagacis Philosophiæ.

Debet eligi in satione. *Vide Bonitas Principij Initij.* Quod luna prima crescente debeent fieri sationes & plantationes.

Non omnia tempora congruunt doctrinæ, secundum Salomonem Eccl. 3. Tempus tacendi & tempus loquendi; Non quidem per timorem, sed per discretionem, propter malorum incorrectibilem iniquitatem, nonnunquam electos oportet à doctrina cessare. Interdum doctores Ecclesię calore caritatis ardentes, conticescunt à docendo, quia non est qui audiat, testante Hierem. 13. Ciuitates austri clausæ sunt, & non est qui aperiat. Prosper lib. 1. de vita contemplat. c. 20.

Vide Duratio Virtutis. Constans admonitio.

Leuit. 26. pro benedictione promittit Deus, Dabo vobis pluuiam in tempore. Ita verbum Dei cum iudicio dispensandum, non crapulato, ebrio, occupato. Sed vbi sobrius, vigilans, intentus auditor est, & vt in Euangelio, conseruis dat mensuram in tempore. Orig. homil. 16. in Leuit. Sic Apostolus infirmis dat lac non solidum cibum: oportet metiri doctrinam pro virium qualitate. ibid.

Ad liberalitatem dantis pertinet, non solum dare citò, sed conuenienter, sic ad ordinis conuenientiam conseruandam Deus in quadam imperfectione creaturas primo instituit, vt sic gradatum ex nihilo ad perfectum peruenirent. D. Thom in quæst. disput. q. 4. a. q. ad 8.

Id quod est melius simpliciter, in aliquo casu est minus eligendum, sicut philosophari est simpliciter melius quam ditari, sed in tempore necessitatis ditari est magis eligendum. Id. Quodlib. 1. q. 7. a. 13.

Ne scandalum oriatur potest ad tempus relinqui veritas doctrinæ, nunquam tamen veritas vitæ. Tostat. Math. to. 3. fo. 234. & propter scandalum futurum res Ecclesiæ relinquantur indefensæ. Id. Math. to. 5. fo. 23. cessat peccatorum punitio fo. 22.

Paralipo. 1. ca. 12. Principes ducenti dicuntur scire omnia tempora ad præcipiendum Israel, non per astrologiã, cuius fallax est indicium, sed per longam rerum experientiam. Id. 1. paral. fo. 141.

Thesauri in sepulchris, publicæ necessitati seruati. *Vide Gloria Finis,* Honor sepulturæ de Salomone.

Habent veteres agricolæ certa cœli signa in obseruatione seminum emittendorum, vt pote crispatas & raras nubes, tanquam aratro diuisas. Olaus Magnus. rer. septente. lib. 13. cap. 3.

Christus natus est cum incipiunt dies non amplius decrescere, scilicet cum ad summum peruenisset iniquitas, vt in febris sęuiente paroxismo non dantur remedia, sic animorum ægrotantium medicus expectauit dum malitię morbus, quo natura hominum victa laborabat, se totum aperiret, ne latens aliquid incuratum remaneret, si curaret id solum quod cerneretur, &c. D. Gregor. serm. de die natalis Christi.

Stella quæ duxit magos ad Christum præter aliarum stellarum naturam & motus & status est particeps, & ad vtilitatem hac vtitur vicissitudine. Ibid.

Quòd intenditur opportunè suscipiendum est. Vide quæ scripsi de Iure Naturali. lib. 2. lege. 7. §. 2.

Opportunitas est apta rerum ordinatio cum circumstantijs loci, temporis, personarum. *Vide Concordia Differentia.* Ordo. Deus opportunum tempus eligit in vocatione. *Vide Duratio Virtutis.* Sera pœnitentia valida.

Simplicia deligenda sunt in statione, qua in sui vigore sunt, semina nimirum, dum propemodum sunt arida, caules vero & folia, dum succulenta pleno cruore madent, radices quoque dum viribus tument, nondum generando & coquendo exantlatę, sed multa iam quietè saturæ, expergefacto, archeo germinare meditantur.

Quemadmodum immaturus fructus arboris & ante tempus euulsus, nec sapit, nec nutrit; ita neque opus sine modo & tempore peractum, augmentum validum potest præstare virtuti. Omnia igitur cum discretione & mensura facienda sunt opera, vt laudabili fine claudantur. Laurent. Iustinian. opusc. de humilitate. cap. 19. *Vide Vitium Medij Mediocritas.*

Celebris est tractatus Astrologorum de electionibus, vt operi faciendo planetæ conuenientis hora, coniunctio cum luminaribus, positio in congruo cœli loco, curiosius obseruetur.

Psal. 31. Beatus vir comparatur arbori plantatæ secus decursus aquarum quæ dabit fructum suum in tempore suo; Non confusè non importunè. Eph. 1. Sacramentum voluntatis suæ Deus dedit in dispensationem plenitudinis temporum. Hoc est dispensationis tempus, quod accipiendi & dandi opportunitas temperat. D. Hilar. in Psal. 1. Vbicumque de fructibus arborum diuinus sermo aliquid significat, facere potius eas fructus quam dare commemorat. Vt Math. 7. Isay. 5. At lignum hoc dabit fructus suos arbitrio dandi, & ratione moderatum, nam in tempore suo dabit. Ib.

Captanda

Captanda occasio boni faciendi. *Vide Cognitio minoritatis.* Scandalum Veneni nomine & etiam medicamenta intelliguntur. l. qui venenum ff. de verb. sign. nam opportunè non data perimunt. A

REPVGNAT
CELERITAS BONA.
In conferendo beneficio.

CAssian. libr. 4. cap 11. ad sonitum pulsantis ostium, vult monachum opus omne omittere, etiam cœptum apicem non perficiat studio celeriter occurrendi, ne quid mora interponat. B

Dicitur Gen. 1. In principio fecit Deus cœlum & terram, quia creatio rerum, vno temporis momento perfecta est, citraque omnem temporis absoluti morulam; principium enim est quid impartibile, nec vlla interuallari dimensione, à se toto patitur; quemadmodum enim, principium viæ, via nondum est; domus quoque principium non censetur domus, sic principium temporis, adeò tempus non est, vt ne eius quidem sit minima portio. D. Basil. in exam. hom. 1.

Gen. 18 Abraham Angelis futuris hospitibus occurrit obuiam, festinauit occurrere, quia non satis est benefacere, nisi etiam matures quod facias: festinanter enim manducari Pascha lex iubet. Exod. 12. C Vberiores fructus habet accelerata deuotio D. Ambrof. de Abraham lib. 1. cap. 5. De celeri ad Deum conuersione. *Vide Duratio Virtutis. Repugn.*

Claudius Imperator annonæ curam suscipiens, etiam tempore hiberno, commeatus fieri voluit, negotiatoribus certa lucra proponens, suscepto in se damno, quod per tempestatem accidisset. Suetonius in Claudio.

Titus Imperator, natura beneuolentissimus, cum ex instituto Tiberii, omnes dehinc Cæsares, beneficia à superioribus concessa principibus, aliter rata non haberent, quam eadem eidem ipsi dedissent; primus præterita omnia vno confirmauit edicto, nec à se peti passus est. Idem in Tito. D

Melitius, Lollius, Sextilius triumuiri, quod ad incendium in sacra æde ortum extinguendum, tardius venerant, à Tribuno plebis die dicta ad populum, damnati sunt. Valer. Maxi. lib. 8. c. 1.

Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Ne nox quidem misericordiæ opera tibi interrumpat, ne dixeris, rediens redi, & crastino die dabo tibi, ne quid inter propositum tuum & beneficium intercedat. Vna beneficentia est, quæ moram non admittit. D. Gregor. Nazanze. orat. 17. in fine.

In habentibus sanguinem, alia est via alimenti, alia spirituum, quia habentia sanguinem sunt magnæ diuersitatis in membris ex quibus componuntur, & hæc membra non essent expedita ad actus, nisi virtus principii vitæ citò vehi posset ad ipsa; citius autem vehitur, via libera & separata, quam cum nutrimento, quod est graue, viscosum & non facilè mobile. Albert. Mag. tract. 1. de spiritu respirat c. 7. E

Luna motus sui celeritate fauet inferioribus. *Vide Voluntas differen.*

Non est expectanda omnimoda maturitas fœni, & seminum formatio, per vt siccetur diuitius debet ad solem exponi, quia sic ab sumeretur totum humidum radicale, quod animalibus cedit in alimentum, Id. lib. 7. de vegetabil. c. 12.

Auicebron ponit duo rerum principia, materiã primam, quam statim, & sine mora impleuit, & actuauit forma vniuersalis, ei respondens; tantumque effusa in actu, quantum illa in potentia. Idem lib. de processu. c. 5.

Oua citius excludunt, & edunt pullos æstate quam hyeme, ex fœlici stellarum influxu, sole ad nos accedente, quam recedente, luna denique lumine crescente. Albert. Mag. l. 6. de animalib. c3.

In imperio Romano erigendo, & stabiliendo fortuna virtuti comes fuit, sed celerior fortuna virtutem anteuertit. Plutarch. libro de fortuna Romanorum.

Orientales Planetæ bona exhibentes, vel mala, citò dant, Occidentales verò tardè. Hermes centiloquii n. 75.

Plus prodest demonstrasse rectam protinus viam, quam reuocare ab errore iam lapsos. Quintilian.

Cum ciuitas fame laboraret, misit ad frumenta legatum, præstituta die intra quam rediret, profectus ille emit, & ad aliam ciuitatem tempestate dilatus, duplo vendidit, & duplum frumenti modum comparauit, Illo cessante corporibus suorum pasti sunt; Reuersus est ad præstitutam diem, Reipublicæ læsæ accusatur. Id. declam. 12. Multum, inquit, negociatione tua actum est, frumentum habeo, populum non habeo; dum differs alimenta, miseriæ nostræ crudeles factæ sunt, festina, dum supersunt, quibus legationem renunties; primam famem fortunæ imputo, secundam tibi: frumentum atulisti, sed medicina mortuorum sera est; Nemo aquas effundet in cinerem; duplum attulisti, sed his qui perierunt, nihil; plerumque sera pro nullis sunt: temporum momentis, ista preciosa fiunt, aut vilia.

Sol non expectat preces & incantationes, vt exoriatur, sed illicò fulget, & salutatur ab omnibus.

Alchymia promittit se facturam intra aliquot menses, quod natura efficit intra mille annos.

Si quis sit in periculo vrgenti mortis, sacerdos debet accelerare gradum, & currere, etiam indecenter, vt morituro administret sacramentum pœnitentiæ; quia in hac necessitate spirituali debet prodigere suam famam. D. Th. 22. q. 185. a. 5.

Capitulum sede vacante, etiam minus quam anno, potest concedere litteras dimissorias ei qui est arctatus, & qui in mora esset in periculo amittendi beneficium. Bonacina de ordine.

Filio prodigo reuertenti non dicit pater, vnde venis? vbi sunt quæ tulisti? sed, citò proferte stolam primam. Delicta non videt vis amoris, tardam misericordiam pater nescit; delicta qui discutit, prodit. Chrysolog. sermo. 3.

Mulierem sanguinifluam curauit fides intra ictum temporis, quam duodecim anni s, ars humana curare non potuit. Dicit Apostolus. 1. Cor. 15. In momento, in ictu oculi, mortui resurgent; æterna res sine tempore donatur, sicut temporalitatem tempus attulit sic exclusit æternitas tẽpus. Id. ser. 34. in fine.

Gratior est medicus, qui anticipat morbos, quam qui morbis ingerit feram, & non sine dolore medicinam. Id. ser. 131.

Plerique donant multa, nec liberales vnquam habentur, quia illiberali faciunt animo, malignè dant & serò, rogantibus multum, pendentibus diu, exprobrare incipiunt, quod nondum dedere: traducunt dona per superbiam, quo fit vt in tædium adductus animus, incipiat odisse beneficia. Diuites grauiter peccant, qui non faciunt eleemosynam, quamuis habeant intentionem construendi templa, aut omnia pauperibus relinquendi post mortem, nam hæc intentio non tollit obligationem, nec facienda sunt mala, vt eueniant bona. Episcopi tenentur pauperes inquirere, vt eorum necessitatibus prouideant. D. Th 2. 2. q. 32. a. 1.

Opera spiritus nesciunt moras, cui subitaneo operi, assimilatur illuminatio sensibilis; nam sole in Oriente existente, sine mora radius illuminat Occidentem. Card. Cusa Excitat. lib. 5. c. 49.

Eleemosyna à viuentibus danda, non est expectanda mors, vt fiant pia legata. *Vide Virtus bonitatis* Eleemosyna, & de piis legatis. *Vide Virtus finis.*

Qui tardè dolentem consolatur, plagam refricat. Sic Tiberius Troiæ legatis qui ei condolere venerant diu post mortem Drusi, respondit, se quoque vicem eorum dolere quod egregium ciuem Hectorem amisissent. Sueto in Tiberio c. 52. Iam curatus est dolor cum de remedio cogitant, non dolētem, sed forte in conuiuiis lætissimum importuna consolatio reperiet.

Ex capris & mulieribus virginibus elicitur lac si mammæ fortiter confricētur & sugantur. Primo exit sanguis, postea sanies, tandem lac. Cardan. de rerum varietate. c. 43. lac ante fœtum.

Meliores & salubriores sunt aquæ fontium quæ spōte sua fluunt & aperiunt terram, quam puteorum quos magno labore fodimus. Gratius est oblatum, quam precibus extortum beneficium.

Ordinarius vel legatus debent conferre vacans beneficium intra sex menses, ac si vacet in Curia Romana solus Pontifex intra mensem à die vacationis conferre debet c. statutum de collation.

Alitur odoribus spiritus, non autem cæteræ corporis portiones, quia crassæ sunt, nutriunturque crassioribus ex rebus; tenues verò quales sunt odores nequeunt crassescere. & transire in ipsorum substantiā, veluti in substantiam spiritus tenuiorem ipsis, attenuari possunt: quapropter nos post laborem & lassitudinem odorem sentientes confestim refocillamur, propterea quod tenuis est odor nostro similis spiritui, ac repentè in ipsum conuertibilis, eiusque portionē labore perditam, denuo refici ex odore atq; creari dicimus. Potus vini generosi reficit afflictos sua spiralitate extemplo, recreatq; perditos spiritus.

Non sentitur voluptas, quando paulàtim instauratur sanitas, vt in sanatione vulnerum palam est, sentitur verò cum restitutio sanitatis confestim fit; vt cum opprimentia tolluntur, cum potus linguam aridam irrorat.

In principio Deus creauit cœlum & terram, id est cuncta simul, & sine vllo temporis spatio, principium enim non patitur, vt vllum interuallū cogitemus. Greg. Posseu. in examer. Vt punctum est principium lineæ, & indiuiduum corporis, sic momentum ipsius temporis.

D. Paulus. Roma. 12. dilectionem proximi & beneficentiam commendans dicit, spiritu feruentes, vt sine dilatione præstetur.

Non est curiosè inquirendum de persona cui confertur eleemosyna. *Vide Virtus bonitatis.*

Pura legata statim existunt ab adita hæreditate, aut nunquam. l. vlt. ff. comm. prædior.

Orcini siue Charonitæ liberti qui statim aperto testamento, & adita hæreditate ex seruis fiebant liberi. dicebātur autem orcini, quia nullum habebant patronum, nisi orcum & vel Charontem, illis statim pileus imponebatur & præcedebant funus defuncti, postea tamen habiti sunt liberti familiæ. Cuiac. obseruat. lib. 3. cap. 23.

Priuatur delata sibi hæredtiate qui intra annum legata non præstat. Nouell. 1. c. 4.

Potu celerius nutrimur quam cibis.

Nisi digestibile coquatur perfectè, statoque termino, frustra digestio eius speratur; Nam diutius in stomacho morans, corrumpitur, adeoque tunc suboritur agens nouū, nec amplius digestibile pristinum, A dum corruptum est. Van. helmon. tractatu. ignota actio regimin. Sic dilatum nimis beneficium, iras & indignationem accendit.

Iustificatio impij est quædam illuminatio spiritualis, sed illuminatio corporalis fit in instāti, spiritualia autem minus tempori subiiciuntur, vnde iustificatio impij fit in instanti, maximè cum actor iustificationis sit Deus qui est infinitæ virtutis. D. Thom. in q. disput. de iustificat. a. 9.

Mortuus detrimentum patitur ex hoc quod eleemosynæ, quas mandauit dari, retractantur, non quoad meritum eleemosynæ quod principaliter ex intentione & voluntate dependet, sed quia remedium ei non adhibetur, dum suffragia differuntur, ex quibus plurimum iuuaretur. Id. quod lib. 6. a. 12. B

Iupiter Retrogradus etiam aliter non impeditus, diuitias non largitur, nisi in fine vitæ, Cardan. aph. sect. 6. aph. 151. Ita vitium est, cito non largiri.

Beneficium quod dari non est difficile, facilè concedendum. Vide quæ scripsi de iure naturali l. lege 8. §. 3.

Volentem à te mutuari, ne auerseris. Math. 5.

Christus quæ contulit beneficia statim contulit, momento sedat tempestatem, Socrum Simonis sanat à febre, itaut ministraret eis, Paraliticum, itaut grabatum suum ferret, sic de Centurionis filio, &c. D. Chrysost. hom. 28. in Math.

Si vsus fructus legatus est, sed hæres scriptus ob hoc traditus adiit, vt tardius ad legatum perueniretur, hoc quoque præstabitur .l. 35. in prin ff. de vsuf. & quem. C

Emanatio propriorum accidentium à subiecto, non est per aliquam transmutationem, sed per aliquam naturalem resultationem, sicut ex vno naturaliter aliud resultat, vt ex luce color.

Eleemosyna, citò & sine contumelia largienda. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ. partei. c. 22. Eleemosynæ sunt magis meritoriæ quæ fiunt à viuente, quam per pia legata. Id. c. 27.

Præueniens bonitas. Act. 10 Cornelius Cathecumenus erat & antequam ad aquam veniret, meruit accipere Spiritum sanctum. De gratia præueniente *Vide principium Virtutis* & de his qui in fide Verbi incarnandi saluati sunt. Lux auroræ ante solis ortum.

Ante mundi creationem, Deus ipsius Esse fons, vitæ thesaurus, ortus non indigens, bonitate scatens, ea quæ non sunt vocat, nō rogatus, nō supplicatione inuitatus, non existentibus dat existere; quomodo enim quod erat, vt esset, cum qui est, hortaretur? S. Basil. sententiæ. orat. 12. D

Idem orat. 91. loquens de Centurione qui Math. 8. procumbit ad Domini pedes, petens pueri sui salutem. Nondum auditum est, Euntes docete omnes gentes, & gentes ad Dominum conuolant; vocationem cursu præcelerat; adhuc Petrus quasi in vtero erudiendus gestatur, nondū Paulus fulguris ope sub Christi vexillo merebat & gentes ad Regem orandum veniunt.

Loquimur sapientiam quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram 1. Cor. 2. parentes filiis longo ante tempore parati sunt bene facere. Ita Deus longè ante retro acto tempore, etiam nondum natos amauit; Non enim si non amasset, diuitias nobis prædestinasset. Ne ergo cogites eas quæ intercesserunt inimicitias, erat enim antiquior amicitia. D. Chrys. hom. l. 7. in 1. ad Cor. temporalis largitio est effectus amoris æterni. E

Ibid. hom. 18. loquens de tribus pueris in fornace, mortem non timentibus quomodo: inquit, sole exorituro, priusquā appareāt radij, fit splēdida lux diei, ita etiā venturo sole iustitiæ, de cætero mors cessit.

Amicus non vocatus debet cito ire ad amicum in

aduersitatibus, sed in prosperitatibus non nisi reuocatus. Tost. Math. to. 6. fo. 146. b.

Anno sexto ante annum septimum in quo terra non colebatur, Deus dabat mirabilem fœcunditatem quæ sufficiebat duobus annis sequentibus. Tost. Leuit. 25. & Ex. 250. sic 7. anni fertiles præcesserunt 5. annos sterilitatis. Gen. 41.

Laicus non tenetur inquirere pauperes, sed illis tantum petentibus dare, at clericus debet eos inquirere & necessitatem patientes eleemosynis iuuare. Vt dicit D. Hieron. ad Damas. & habetur. 16. q. 1. can. quoniam.

Deut. 15. præcipitur. Omnino indigens & mendicus non erit inter vos, idest, vos date illi vt non mendicet, vt hoc optimè obseruant Iudęi moderni inter se Tost. Exo. to. 1. fo. 75.

Genes. 18. Dicit Angelus Abrahæ, Benedicendæ sunt in te omnes nationes terræ: scio enim quod præcepturus sis filiis tuis, vt custodiant vias Domini, Præparatio præcedit actionem. Tostat. ibid.

Deus etiamsi nunquam oremus dat bonis vitæ necessaria. *Vide Potestas Virtutis.*

Cum planeta exit signum, antequam applicet alteri, mutabuntur significata illius, & qui in duobus signis sunt, res multas in vnum permiscebunt, si iuncti fuerint. Cardan. Aphor. sect. 3. aph. 34.

Ne expectes dum necessitates ad te suas familiaris deferat: tu illas odorare, & eis vltro subuenias; honestis precibus occurre, & antequam oretis, exora.

Deus ab æterno futuris hominum necessitatibus prouidit Vide quæ scripsi. lib. de misericordia Dei. par 1. c. 1. Mundus est instructa domus nascentes receptura. c. 2. Societas ciuilis per plura sæcula formata fuit, vt posteris consuleretur. cap. 3. Incarnatio verbi futuris potissimum sæculis prouidit. cap. 4. Prima gratia datur sine præcedentibus meritis. Ibid. cap 12.

Euangelia rectè dicta sunt, quia supra nostra eminentia dignitatem, etiam felicitate nobis donatæ sunt. Non enim laboribus nostris atque sudoribus, non doloribus & ærumnis, sed per Dei in nos tantum charitatem, tam grandia hęc promissa suscepimus. D. Chrysost. hom. 1. in Matthæ.

Sol antequam oriatur mittit radios suos, & Christus antequam nasceretur, Prophetis, Sancto Ioseph viro Mariæ, Ioanni Baptistę in vtero existenti. D. Chrysost. hom. 4. in Matthæ.

Diu ante natiuitatem Christi in Palæstina, stella se ostendit Magis in Perside, vt possent magnum iter conficere, & inuenire puerum recens natum, & pannis inuolutum adorare; quod erat in mysterio. Id. homil. 7.

Matth. 26. De vnguento super caput suum effuso, dicit Christus præuenit vngere corpus meum.

Paratior est Deus ad tribuendum, quam homo ad petendum. Ob hoc plerumque pręuenit vota. Inuitat trepidos, expectat pigros, sustinet delinquentes, induratos stimulat, renitentes hortatur, & ad se pergentes benigna refouet charitate. Laurent. Iustinian. l. de casto connubio Verbi & animæ. c. 22.

Inuenerunt qui non quæsierunt me: dixi, ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non inuocabat nomen meum. Isay. 65.

NON DIFFERRE NEC NEgare absolutionem pœnitentibus.

DOmine clamaui ad te, & sanasti me. Psalm. 29. Nullum interuallum fuit inter meam vocem & tuam gratiam, sed simul atque clamaui sanitas prodiit D. Basil. in Psalm.

Cœlestinus Papa an. 428. epist. ad Episcopos Galliæ, dicit nulli in fine vitæ pœnitentiam esse denegandam; Nam negare, quid aliud est quam morienti mortem addere, eiusque animam, ne absoluta esse possit, occidere? Cum Deus ad subueniendum paratissimus, inuitans ad pœnitentiam sic promittat, peccator, quacumque die conuersus fuerit, peccata eius non imputabuntur ei; & iterum, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Ezech. 18 23. & 33. q. salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore speratam pœnitentiam denegarit, & desperat de clementia Dei, qui cum ad subueniendū morienti sufficere vel in momēto posse non credit; perdidisset latro præmium in cruce ad Christi dexteram pendens si illum vnius horæ pœnitentia non iuuisset. Cum esset in pœna pœnituit, & paradisum meruit: vera ergo ad Deum conuersio in vltimis positorum, mente potius est æstimanda quam tempore; Cum ergo sit Dominus cordis inspector, quouis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti. Habetur. 26. q. 6. can. agnouimus. Concil. Arelatense. H. can. 26. recipit etiam hæreticos. *Vide Veritas Virtutis.* Vera virtus etiam vrgente necessitate.

Graue & periculosum est audita pœnitentis confessione diu differre absolutionem. Vide quæ scripsi in libello supplici quem obtuli reginæ, contra foliarios. & lib. de misericordia Dei parte 2. cap. 19.

Vide Media Contrarietas. Non debet esse grauis in confessione satisfactio; esset autem grauissima, & bis vindicaretur in idem, si peccatum pluries esset confitendum, priusquam obtineretur absolutio. Nam naturæ contrarium & durissimum est, latentem culpam alienis oculis subijcere, hoc est enim sibi quodammodo violentas afferre manus, si non sit minor famę, quam vitæ conseruandæ cupido. In hoc pœnitentiæ sacramento reuelata semel peccata qui confitetur facilè credit esse sub sacerdotis religioso secreto, tam conscientiæ, quam oris, vt deleta coram Deo, deleantur de memoria, nullis eorum relictis imaginibus quæ pœnitentis pristinam obscurent æstimationem, at ille, cum differtur absolutio scit, idæa peccatorum suorum mentem confessoris esse refertam, in hæc reflexis sæpè cogitationibus inquirere, morum & affectuum censorem ex præsumptione duriorem fieri, vt ferat iudicium de concedenda pro meritis absolutione. Dolor ingens & repetitus plagas interiores sic assiduè tractari, premi, refricari ne veniant in cicatricem. Misericordię sacrementum est, & tamen hic diuinæ potius clementiæ, quam iustitiæ constitutus minister, imitatur peruersos chirurgos qui vulnera citò curabilia, non sanant, sed ad lucrum corrosiuis irritant, vel iniquos magistratus qui clientes dilatis diu torquent & exhauriunt iudiciis, hocque longo fruuntur potentiæ suæ spectaculo: quid si subita mors interueniat; quid si seruitutem hanc indignatus pœnitens, frustrata sua contritione, spiritu compunctionis elapso, nec amplius spirante, redeat ad vomitum? quid si præteritis, non absolutis peccatis noua grauiora superueniant, iterum dilatione digna, fiet malorum sibi semper accrescens cumulus; semper peccans, nunquam absolutus, tandem discet nunquam absolui, & excusso religionis iugo, animi tranquillitatem à sacramentis non pendere. Non sine periculo mulier sæpè motus & affectus omnes suos alienis intimabit auribus. Quam timendum ne discusso verecundię sensu, vitia con-

suetudine mansuescant, minusque vitet, quod minus horrebit. Cætera vetat eloqui pudor de perdito pudore. *Ex principijs.*

A

CONVENTÆ MERCEDIS solutio fieri debet sine dilatione.

NOn morabitur opus mercenarij tui apud te, vsque mane. Leuit.19.13. Idem habetur Tob.4.15.

Si beneficium nullum censetur quod diuturnis emptum est precibus, & egentem longa torsit expectatione, Vera & integra non habetur solutio quę conuentam operis mercedem stato tempore non exoluit; Nam vt ait lex, minus tempore soluitur, propterea præstantur certis casibus vsuræ quæ reparent & restituant, quod de sorte principali, detraxit erositque mora. B

Lugenda sanè conditio mercenariorum quos durè premit in totum genus humanum lata sententia de pane manuum opera, & in sudore vultus comparando; soli pro communi delicto in nostram liberationem pœnas exoluunt, nostra saltem miseratione, nostrisque, vt commodè præstari possunt, subsidijs dignissimi? Cur vilia reputas artium ministeria, nostris vsibus sic necessaria, vt his sublatis periret ciuilis societas?

Diuinæ Prouidentiæ munus est, quod in æquali naturæ libertate hi se mancipent humilibus officiis, & quasi iumenta suis laboribus tuas foueant voluptates; si te non mouet naturæ, patriæ, fidei similitudo; si non intelligis quid debeas tibi subordinatis à Deo hominibus, eos saltem duriori non habeas conditione quam equos, quibus post laborem, statisque temporibus congrua præstantur alimenta, vt moras nec sustineant, nec nisi damno & dedecore tuo exigas viribus eorum inhonesta macie confectis. Debes operario subsidium, vt homini, vt Christiano: vt afflicto; Debes ex stipulatione & conuentione facta, Prior dedit operas, da saltem, prouocatus, mercedem; tuis fidem habuit promissis, sine pignore, fideiussore, sequestro, irreparabile tempus tuis vsibus impendit; Cur tardas promissum fœdifragus? Cur exhibitam tibi seruitutem, superaddita postulationum seruitute cumulas, nouo temporis sibi necessarij dispendio? Egenus viuit in diem, ita vitam aufers, si vanum efficis illi tempus dilata mercedis solutione. Venter enim præcepta non audit, moras diu non sustinet. Si potentiam tuam commendat egentium comparatio, tibique placet illud alienæ miseriæ spectaculum; habet in tanta pauperum turba, quo satietur immitis illa cupiditas, saltem parce tibi beneficis, qui te priores officio suo iuuarunt, qui de probitate tua securi, honestum simul & vtile, vt licuit, contulerunt; quomodo dares beneficium, si negas debitum? Hæc est turpissima crudelis iniustitiæ nota quę voluntatem arguit ad iniquiora paratam. Cur fores tuas obsidenti, culpa tua languenti toties pro mercede verba dantur, finguntur absentiæ diuturnæ, vrgentia negotia, & falsum falso, iniustitia mendacio tegitur? ô quam difficile est diuites intrare in regnum cœlorum, sic in pauperem ingratos, contumeliosos, crudeles! *Ex Principijs.*

Iacob vtitur dolo ad efficiendos ouium partus maculosos, vt compensaret moras qua vsus fuerat Laban ad concedendam ei Rachel in vxorem. Rupert in Genes. lib. 7. cap. 41.

BENEFICII LONGA dilatione non est torquenda petentis patientia.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Si non subsit iustissima officij differendi causa, si fœlix temporis occasio, personæ dispositio excipiendis bonis aptior, tribuentis etiam accrescens sibi facultas muneribus sufficiens non expectetur, beneficium petenti statim conferendum est. Nam si bonum natura sua sit diffusiuum, nunquam vacare debet ab influxu, data quæ prouocet, & aptè recipiat materia. Opacis corporibus amotis momento lux per liberum aërem diffunditur; per patentes & sat inclinatos canales, impetu facto decurrunt fontis perennis vndæ, vt sitientem agrum impleant.

MAGNITVDO. Magna quædam non aliter quam per partes præstari possunt, & tunc exigua portio totius sequuturi fit arrha, dantis fides accipientis spem probat & accendit. At si quod petitur tale sit vt quantitate sua, annuentibus circumstantiis facilè totum possit largiri, cur rei minimæ, maioris molem & labores assignant, debilis & minimus est ad officia charitatis affectus, cui res paruæ sunt pro maximis vt opus illi sit longa dilatione.

C

DVRATIO. Tempus quod amori & possessioni temporalium videtur breue, longum est in aduersis auxilia postulanti & expectanti; nox est ægris laboriosa; longum non horarum & dierum effluxu, sed doloris grauitate supplicium: pœnam hanc primò demulcebat proximæ liberationis spes, sed hæc tandem tot repulsis macerata, languescens concidit, emoritur, & accedit ingrauescentibus sine remedio malis pœnitentia, homini tam inofficioso longam exhibuisse seruitutem, quæ cæterorum potuisset affectus & subsidia promereri.

POTESTAS. Hic igitur, diuitiarum, dignitatum, ciuilis potentiæ splendor, falsa pharus est, tempestate iactatis affulgens, ad certum inter rupes prò portu naufragium. Egenti tolerabilior est, eius quem conuenit, paupertas, quæ si nihil largitur, attamen non fallit, non torquet diu suspensa, tandem irrita præstatione. Gratum tibi fortè videtur hoc spectaculum tuæ potentiæ, quam commendat languentis opposita calamitas, quæ tibi supplicat ad nutum tuum erigi vel abdicari facilis. At turpiter & indignè se gerit potentia, quæ nihil amplius præstat quam extrema paupertas; quid negare facilius; quid iniquius egentem beneficio non iuuare, sed affectatis dilationibus conterere? D

COGNITIO. Hinc igitur te non potentem, sed inhumanum, crudelem, alienum à charitate reputat, eius quem pendentem detines conscientia, & si grauioris mali timor premit gemitus, tortorem te fama publica vulgabit: malignum solatij genus est alienis arridere calamitatibus, spondere quæ non præstes, dilationibus vti, velut in argumentum potentiæ, cum id facere soleat impotentia.

E

VOLVNTAS. Siue fingatur alatus, vel ignitus amor, summa decet illum celeritas, moram nescit, nec expectato verecundæ petitionis pretio, offert libens citiusque quod potest, præuenit non expectat, miseri preces, largitione sic multipliciter benefica. Non est ambitiosa charitas vt gloriam quæ-

tatex alieno supplicio: Christianos omnes habet vt corporis sui partes integrantes quibus compatitur, quibus dum laborant subuenire tentat pari diligentia qua carbones officiosa manus excutit è sinu. Non quærit quæ sua sunt, vt sibi vindicet proprium, quod Christus commilitonibus, commensalibus, amicis suis voluit esse commune.

VIRTVS. Tot singulis diebus occurrunt exhibendæ charitatis occasiones vt eminentioris illius virtutis consequi facilè sit habitum qui cito, etiam cum delectatione quantum potest largiatur. Excludit timidas suspensasque diu præstationes quæ cum fortitudine, cum Iustitia, cum prudentia turpiter pugnant.

VERITAS. Non est igitur vera sed fucata charitas eius qui moras in beneficij largitione trahit, dubitas, hæsitans, ferè nolens, aliqua temporali ductus consideratione; diu noluit, diu finxit dilationis causas, diu Deo qui est charitas, diu proximo quem vt seipsum diligere debuerat, mentitus est, qui tardè dedit.

GLORIA. Melius est dare quam accipere, si liberaliter detur ex virtutis & christianæ charitatis legibus, at si quis pendere faciat largitiones suas in potentiæ suæ spectaculum, melior est conditio petentis in hac forti patientiæ disciplina, quam sit insolenter & superbè sic donantis. Ingrata fit tot precibus empta gratia, panis est lapidosus, qui non sine dolore satiat in contumeliam dantis, & recipientis pœnam.

DIFFERENTIA. Melius fuisset petenti, statim ab inofficioso pati repulsam, sic enim ad alium & alium diuertisset, donec inuenisset misericordem, donec plurimorum tentata & prouocata pietas, aliqua tandem respondisset suis votis. Fallax illa de die in diem dilatio languentem habet velut in vinculis, ne nascentem citoque dilabentem occupet occasionem.

CONCORDANTIA. Stat ciuilis & Ecclesiastica societas potentiorum cum infirmioribus fideli commercio. Humiles hi præstant operas, cultum exhibent, Illi mercedes & auxilia conferunt, vtrinque pari diligentia vt res fœliciter procedat: nam si pluribus ad portandum onus conductis, si de militum cohorte ad arcem expugnandam missa, viribus præstantiores se subtrahant, velut auxilium alio tempore daturi, hæc operis sperati dilatio vera desertio est, socios perfidè dedens necessitati, & eos dum negat auxilium, casibus liberè sæuientibus opprimens.

CONTRARIETAS. Pauper hic rei familiaris inopia, calamitatis vi maiore pressus, ad te confugit velut ad asylum, ad patrem, ad Dei miseris semper propitij fidum dispensatorem, cum maxima tuæ probitatis opinione, sic petitione sua te colentem hostiliter excipis, torques affectatis dilationibus, fallis stratagemate, & in dies accrescentibus sibi malis, auxilia remittis in tempus quo pereundum est.

PRINCIPIVM. Te potentiorem effecit Deus, vt sis cæcutientibus sol, siti laborantibus fons, in Ecclesiæ corpore pars officialis, cæteris alimenta conficiens & dispensans, at sol apertis oculis statim lumen impertitur, fons perenni fluxu fundit aquas, iecur sanguinem, cerebrum spiritus, nec vnquam opportunum causæ superioris auxilium subtrahitur inferiorum necessitati. Probrosum est ad largiendos influxus dignitatibus & potentiæ proprios, imparatum esse.

MEDIVM. Inter dare & negare, dilatio medium est, sed ad negationem magis accedens; absoluta repulsa vna simul & semel acerbitate omnem accipiendi spem rescindit; At illam dilatio lancinat, carpit per partes, lento perimit supplicio. Vt miseris lenius videatur semel cadere, quam semper pendere.

FINIS. Eo fine videtur affectata præstationis dilatio vt tot irritis conatibus lassatus miser sponte sua deficiat à postulando; salua quantum licet potentioris fama, velut spem ipse non abstulerit, sed petentis impatientia tempori non seruiens venientem expectare noluerit occasionem. Eò crudelior inhumanitas quo magis occultè sæuit, & miserum tot iam fractum iniuriis adhuc onerat rei parum fœliciter sibi succedentis contumelia.

MAIORITAS. Si tandem pauperis importuna petitione fatigatus diues patiatur à se donum aliquod extorqueri, semel concedit, quod millies noluit & negauit, vnde gratiam longè superat toties iterata diuque protracta crudelitas; satis igitur erga durum hunc datorem gratus est, qui tam ægris conditionibus ignoscit.

ÆQVALITAS. Nullum sic euexit fortuna, vt aliorum non indigeat auxiliis. Cogitet quantum indignetur, si frigidè, si dubio & ad repulsam affectu magis inclinante quæ petiit, concessa sint; vt experimento sui discat, quantum alteri grauis sit dilata diu rei speratæ præstatio. Timeat ne diuinæ prouidentiæ æquissimo iudicio, idem onus quod proximis imposuerit, patiatur, & qua mensura messus fuerit, remetiatur ei.

MINORITAS. Quotidie victus necessitas moram non patitur; Instar inhumanus creditor, & vsuris vsuras aggerendo miseras pereuntis patrimonij reliquias depascitur, minatur bonis licitationem, libertati carcerem, & interdicto ciuili commercio, vltimum excidium; sic ne periclitanti, sic naufrago supplices ad te manus tendenti auxiliares non porrigis, & vrgenti malo tardum, iamque nullum paras subsidium; an aliena pasceris calamitate, quæ meliorem tuam sortem ex opposito non commendabit, sed velut vox sanguinis inhumanitatem tuam, omnium oculis & auribus testis exponet?

Planetæ orientales à sole, non solù celeriter sed & faciliter dant dona sua. Cardan. aph. sect. 4. aph. 117.

Omnis planeta in domo sua aliquid facilè bonum aut malum ostendit. Ib. sect. 5. aph. 4. læti & in rebus suis prosperis, facilius concedunt quæ petuntur.

Gratis accepistis, gratis date (non dat gratis,) qui dat diuturnis precibus empta.

Deus appropinquans ego sum, & non Deus à longè. Hier. 23.

Adhuc te loquente, dicet, ecce ego, ad sum. Isay. 58.

VBI MALVM, SIMVL nascitur antidotum.

Vide Media Contrarietas.

CAlor solis dum incumbit terræ & aquis, simul eleuat vapores qui ipsum temperent.

Vide Concordantia Contrarietatis. Contrarij effectus ab eadem causa.

Theodoretus existimat fructum primis parentibus prohibitum fuisse ficus, & quod ex eadem arbore in medio paradisi constituta, sumpserint folia ad tegendam suam nuditatem, de qua prius non erat pudor. Theodoret. in Genesim. quæst. 28.

Iuo Carnotensis Epist. 159. in acceptis grauami-

nibus à Papa, suadet ab ipsamet sede Apostolica expectare leuamen, vnde conqueruntur se accepisse grauamen; & hæc est appellatio à sancta sede, ad sanctam sedem. Vide Duratio cognitionis. Mora. A

Sol meridianus dissipat nebulas, quas oriens congregauerat.

Co Insula quæ habet aërem maximè insalubrem; genuit Hypocratem, medicorum principem.

In regno D'elly, Imperij magni Mogol est arbor nomine Baxana, cuius radix est præsens venenum, sed fructus eiusdem arboris, nirabix est pro certo remedio. Dauity.

Referunt naturales, quod Napellus herba duas habet radices, vna venenum, altera eiusdem veneni antidotum, sic scorpio super punctione sua contritus eam sanat; sic theriaca efficitur de serpentibus. Ponitur crux contra crucem, nam in cruce vincit mors vitam, & in cruce vita vincit mortem. Cardi. Cusa. Excitat. lib. 6. cap. 8. Nota remedium mali petendum ab eadem causa vnde oritur; seditionis à plebe, &c.

Deus voluit hominem per hominem liberare, sed per Christum hominem Deum, diuinam & humanam naturam habentem in vno supposito.

Dracones ferunt in capite lapidem qui dicitur Draconites & est remedium contra venena si ab animali viuente & palpitante extrahatur. Albert. Magn. de lapidib. littera D.

Sub Zona torrida sunt flumina maxima, quia calor solis attrahit vaporem copiosum, vnde fiunt pluuiæ assiduæ. Planities quoque maior plura congregat flumina in remedium siccitatis Cardan. lib. 1. cap. 6. C

Georgius Agricola lib. 3. de his quæ fluunt ex terra, refert plures esse fontes & fluuios qui hyeme siccantur, per æstatem augentur sicut Nilus: opportunè suas dant aquas cum terræ & animalia his opus habent ad temperandum calorem. Sicut in Cyrenaica prouincia solis fons media nocte feruet, mox sensim tepescit, dein ad primam lucem friget, atque quo sol magis attollitur, eo fit frigidior, adeout meridie rigeat.

Cum in India periclitaretur exercitus Alexandri quod hostium gladij virulenta sanie essent infecti, vnde ictu vel leuissimo percussi interirét, per quieté Alexandro monstrata est herba, quæ tantæ cladi remedium esset presens. Rodigin. lib. 23. cap. 10.

Dum Pharao fert edictum de occidendis masculis Hebræorum nascitur Moses publicæ suorum libertatis futurus vindex. D

Ad salutem tuam petit diuina Bonitas, quod facilè implere possis, non per multas distraheris ambages, non duris difficultatibus occupandus inuolueris, quod à te & per te reposcitur, intra te est, scilicet oris famulatus & cordis affectus. In anima ergo tua posuit omnia præsidia animæ tuæ Dominus Deus tuus, vt vnde peccatum egreditur, inde & peccati medicina petatur. Laurent. Iustinian. de fide cap. 4.

Vide Potestas Virtutis. Sapiens sibi sufficit.

Propter hoc Dei filius carnem de humanâ sumpsit propagine, vt hominum peccata deleret.

Locus in quo crucifixus est Dominus Caluaria appellatur, scilicet quod ibi sit antiqui hominis caluaria condita, vt secundus Adam & sanguis Christi de cruce stillans, primi Adam & jacentis protoplasti peccata dilueret. D. Hieronym. Eustachia ad Marcellam. E

In India Peruana sunt serpentes qui mortifero veneno inficiunt herbas quibus tum domestica animalia vescuntur, tum fera: prouidentia naturæ fit vt in eorum stomacho innascatur humor quidem præsens malo remedium, interdum hic humor cogitur in lapidem qui dicitur Bezoart. Notum medicis alexipharmacum quod inuenitur in ouium, caprarum, ceruorum, boum stomacho.

FREQVENS ET NON dilata Communio.

MVlto iustius est, vt cum hac cordis humilitate, qua credimus & fatemur, illa sacrosancta mysteria, nunquam merito nos posse contingere, singulis eas dominicis, ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus, quam vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos, eorum participio nos esse credamus. Cassian collat. 23. cap. vlt. in fine.

Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in siti, ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Psal. 6. Pretium nostrum est corpus & sanguis Christi, eius hostes conantur ab eius communione me diuellere, verbis pietatem simulantibus, sed peruersa intentione, ex D. Basilio, in d. Psal. 61.

Vide Potestas Medij. Eucharistia dignè sumenda, & quod scrupulis non debet quis à frequenti communione deterreri. Ita præcipit altaria sibi extrui ex impolitis lapidibus, & quales natura produxit, vt citius ex occasione possent extrui, & destrui, vt fecit Elias in monte Carmeli, ne illo gentes abuterentur. Theodoret in Exod. q. 44.

Melius est frequenter communicare, quam rarò, quia communicans cum debita dispositione, est opus per se bonum, abstinere verò est bonum solum per accidens, quod autem est bonum per se, melius est, quam bonum per accidens, vt art. d. Tho. 3. q. 80. a. 10. Bonacina de Eucharistia. q. 7. prop. 2. Vbi asserit conueniens esse, sacerdotem quotidie celebrare, quia Missæ sacrificium cedit in magnum Dei cultum, & vberes fructus reddit. Exceptis diebus ex consuetudine vt die Veneris & Sabbato ante pascha, dieb. Veneris quadragesimæ ex consuetudine Ambrosiana.

Non est opus valentibus medicus. *Vide Concordantia Minoritatis.* descensus superiorum ad inferiora, ex Chrysologo.

De frequenti communione Madridius.

Apollonius abbas in Thebaide, monebat, vt si fieri posset, quotidie monachi communicarent mysterijs Christi, ne fortè qui se longè facit ab his, longè fiat vt ab eo. De vitis Patrum. lib. 2.

Frequens communio est indicium fidei, quia anima quærit suum pastum, sicut animalia frequentant loca in quibus inueniunt cibum sibi gratum. Beati qui sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, Card. Cusa Excitatio lib. 5. cap. 43.

Agnus paschalis debebat vorari, idest edi cum celeritate, tanquam à peregrinantibus, quib. tempus charum est. Exod. 12.

Etiam Energumenis baptisatis, si de purgatione sua curant, non neganda communio, sacramenti ipsius virtute ab incursu dæmonij, quo infestantur, purgandis. Concil. Arelat. 2. can. 39.

Sæculares, qui in natali Domini, Paschate, & Pentecoste non communicauerint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur. Concil. Agathense. can. 18. an. 506.

Sacra communio frequenter vsurpanda, dum te-

men ad eam quisque indifferenter non accedat, quia A situm periculosum est impurum quemque ad tātum sacramentum accedere, ita etiam periculosum est ab hac prolixo tempore abstinere, salua ratione eorum qui excommunicati, non quando eis libet, sed certis temporibus communicant; & Religiosis quibuscumque sanctè viuentibus, qui penè omni die id faciunt. Capitulare Theodulph 1. Episcopi. Aurelianensis c. in 44. in Concil. Galliæ. a. 797.

Vt Laici si non frequentius, ter in anno communicent. Conc. Turon M. 50.

De frequenti sacramentorum vsu. Vide quæ scripsi Moral. Christi. to. 1. parte 2. cap. 21. Communio non est scrupulosè & prætextu exacta magis præparationis differenda. Vide libellum supplicem quem obtuli reginæ contra nouatores & lib. de misericordia Dei, parte 2. cap. 23. Religiosis maximè conuenit frequens communio lib. de institutione, & officijs religiosi, parte 2. cap. 27. 28. B

Qui possunt missam celebrare presbyteri, id debent quantum possunt frequenter facere. cap. significatum de præben. tamen semel tantum in die cap. consuluisti. de celeb. miss. excepto die natalis Domini. can. sufficit de consecrat. dist. 1.

Iudæorum est dies certos & raros obseruare solemnes, & ideo ad eos dicit Deus. Isay. 1. Quia Neomenias vestras & sabbata, & diem magnum non sustineo, ferias & dies festos vestros odit anima mea; odit ergo Deus eos, qui vnum diem, putant festum diem esse Domini. Christiaui omni die carnes agni comedunt, idest carnes verbi Dei quotidie sumūt: Pascha enim nostrū immolatus est Christus, C & quia lex Paschę talis est, vt in vespera comedatur, propterea in vespera mūdi Christus immolatus est, vt tu semper manduces de carnibus verbi, quia semper in vespera es, vsquequo veniat mane. Origen. hom. 10. in Genes. D. Chrysost. hom. 40. in Math. loquens de Apostolis qui sabbato vellebant spicas. Cur sabbato, inquit, illi opus est qui per totam vitam suam agit solemnitatem, qui cœlesti viuit disciplina, qui peccatorum immunis, virtutes obseruat & colit &c.

Exod. 15 in die quo primum pascha fit, non descendit manna de cœlo, sed in secundo die quo celebratur pascha. Vide supra hoc titulo. Mora in dando.

D Leuit 7. sacrificium salutare, in qua die offertur, debet manducari. Dominus panem quem discipulis dabat, dixit, accipite & manducate, non distulit nec seruari iussit in crastinum. Etiam Iosue iubetur panes non portari in via, vt semper recentes Deo offerantur. Orig. hom. 5. in Leuit.

Qui segnitioris sunt vitæ, itaut vita eorum pendeat à legatis alimentis, non possunt de illis transigere. *Vide minoritas principij. in dependentia.*

D. Chryso. hom. 17. ad Hebræ. quærit, qui magis sint accepti qui semel tantum in anno, vt qui sunt in desertis, an qui sæpe communicant, & Respondet, nec hi nec illi, sed ij qui cum munda conscientia & mundo corde: qui sunt eiusmodi, semper accedant, qui non sunt huiusmodi, ne semel quidem; hæc, inquit, dico, non ab vno eodemque annuo accessu vos arceus, sed volens vos à nociuis abstinentes perpetuo ad sancta accedere. Ideo sancta sanctis, proclamabat diaconus.

In Actibus Apostolorum dicitur, Erant perseuerantes & communicantes in fractione panis. Et Andreas Apostolus dicit ad Ægeam tyrannum. Quotidie immolo Deo agnum immaculatum. De S. Cassio Narniensi Episcopo quotidie celebrante. S. Grego. lib. 4. cap. 56. & S. Ambros. lib. 5. de sacram. cap. 4. reprehendit eos, qui tantum communicabant fer. 5. in cœna Domini, quasi tunc Eucharistia esset præstantioris virtutis.

Primus homo, comedit quidem de ligno vitæ ante peccatum, sed propterea non est factus immortalis, potuit enim fieri, vt de illo sumeret semel & non sæpius. Magister sentent. lib. 2. dist. 29

Vide Duratio Cognitionis. Assidua rerum diuinarum meditatio.

Iudæis quidem singulis annis beneficiorum suorum monimenta per festos dies Deus proposuit, tibi verò quotidie ferme per hæc mysteria ipse, ne obliuiscaris proponitur. D. Chrys. hom. 15. in Mathæ.

Altaris sacrosanctum mysterium quotidianus cibus est. Vnde petimus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Non autem hoc petimus, vt ipsum sacramentaliter quotidie nos accipere oporteat; sed ipsius effectum, & quod est, spiritualiter significatum in eo. Plus verò & minus, frequentius ac rarius, iuxta cuiusque fidei magnitudinem, conscientiæ puritatem, actualem deuotionem, gratiæ affluentiam, atque ignitum charitatis affectum percipi congruit. Laurent. Iustinian. opusc. de perfectio. gradib. cap. 5.

Sicut Christus in vltima cœna, ita Ecclesia primitiua mensam communem & sacram quotidie coniunxit. Vt patet. 1. Cor. ii. Vtriusque autem ministerio & seruitio fideles viduæ pręposita erant, & quia vtraque mensa sacra & communis quotidie parabatur, vt patet ad 2. Hoc ministerium quotidianum appellatum est glossa. Concil. 1. hier. an. 34.

Nullus sine causa grauissima debet excludi à communione. *Vide Maioritas contrarietatis.* Leo Papa.

REPVG. Eulogius Abbas, Monachos agnoscens miraculosè malas agitantes cogitationes à communione iubeat ad tempus secedere. Vitæ patrum lib. 8. c. 75. *Vide potestas medij.* Digna ad Eucharistiam præparatio.

Iustinus Martyr Sereno fratri, sic inducit virum mundo deditum loquentem. Tali sum ingenio, non possum non irasci, vel sic vt etiam à solemni communione precibusque publicis abstineas,

Digitized by Google

POTESTAS BONITATIS.

QVANTVM VALEANT AD CONCILIANDOS Animos Beneficia.

VIR ob delictum in exilium damnatus, licité donat vxori. l. 43. ff. de donat. inter vir. & vxor. vt scilicet in subsidium præsentię donatio seruet affectum.

Ægyptij Sacerdotes, crocodilis, & cęteris feris animalibus, vtebantur velut mansuetis, quia cibos illis maxima cura exhibebant. Arist. Histo. animal. lib. 9. cap. 1

Pulchra Danaë, à patre Zelotypo inclusa in turre ænea, corrupta tamen est à Ioue, in pluuiam auream mutato. Lucian dialogo Doridis & Thetidis.

Hæc erat antiquorum sententia, sine ære Phœbus non diuinat, quasi nihil sit obolo præstantius. Id irridet D. Grego. Nanzia. orat. 3. in fine, tamen & Saul quærens asinas patris, parat prętium Prophetię, homini Dei offerendum. 1. reg. 9.

Pinguedo alit flammas, beneficium alit amorem.

Isaac diligebat Esau, quia ex venatione eius viuebat, Gen. 27. Apostolus copiosis benedictionib. remunerauit eos, qui illi obsequium pręstitissent.

Quantum possint diuitiæ. *Vide Magnitudo Potestatis.* Magnæ diuitiæ.

Mulier peccatrix veniam petitura à Christo, attulit alabastrum vnguenti pretiosi, & vnxit pedes eius. Matth. 26.

Offeramus Christo munera, quia indeuotus satis est vacuus adorator. Hoc probat Magus, qui onustus auro, succensus thure, sacratus myrrha Christi cunabulis inclinatur. Festa cœlestia Iudęus decimis semper honorauit, Christianus centesimis honoret. Deuoti simus creatori, vt nobis deuota sit creatura, proximorum sustentemus angustias, vt à nostris liberemur angustiis. Chrysolog. sermo. 103.

Vide Virtus Bonitatis. De Vi Eleemosynæ. *Et Gloria Principij Sacrificium.*

Non alia res Galbam oppressit, quam donatiui mora. Poterat quantalacumque liberalitate discordes mulcere legiones; sed dum timet emere militem, breuissimum fecit imperatorem, corrupto per Othonis largitiones exercitu. Dona vbique deliniūt accipientes, sed maximè in turbidis rebus valent tentata per acres ęmulos subditorum fide.

Regem Mogol nulli licet adire sine munere. Dauity.

Pugillo aureo, frangitur murus æneus.

Ideo iudices debent respuere munera. *Vide Voluntas Bonitatis. Repugn.*

Christum turbæ sequebantur, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

Viennæ in Austria testamenta libera sunt, itaut & viri vxoribus & vxores viris bona testentur; vt fidem coniugalem obfirment. Æneas Syluius. epist. 165.

Philippo Macedoni oraculum respondit, argēteis lanceis pugnato: sic omnia vinces; significās pecunia

A Græciam superaturum. Suidas.

Auro obturatur os oratorum. Aurum etiam Danaes animum flexit. Auro liquefacto per os infuso, in aures argento, atque in nares, homo, vel hominis probitas occiditur.

Donis & præmijs allecti homines fundūt sanguinē proscriptorum *Vide Medium Contrarietatis.* Sic spe spoliorum accenduntur militum animi. *Vide Gloria Contrarietatis.* Stipendia, spolia militum.

Phœnices fingunt Deos suos sacculos ferentes, quia aurum sit principatus symbolum. Suidas in voce ἱεμῶν.

Peloponenses pecuniam signabant forma testudinis. Rodig. lib. 10. cap. 2. milites autem componebantur in formam testudinis cum muros aggre-

B diebantur. Nihil est quod pecunia non expugnet.

Apud Indos mulieres licet pudicitia celebres, elephanti pretio oblato, se concedebant amatoribus, nullo famæ dispendio, imò honorificum videbatur talem esse pulchritudinem vt eo donaretur prēmio. Id. lib. 18. cap. 31.

Eulogiæ dicebantur munera quæ prælatis offerebant subditi, & quæ sacra petentes concilia, deferebant Presbyteri. Idem. lib. 20. cap. 25. sic dictę quia benedictiones prælatorum promererentur.

Diabolus calumniatur Iob quod non gratis Deum colat, sed propter beneficia quæ confert illi, quibus vallatur.

C Per diem solemnem Præses Romanorū solebat illis dimittere vnum vinctum quem voluissent. Sic sub initiis dominationis gratias conferunt, donec confirmetur super eos iugum. Origen. Tract. 35. in Matthæ.

Heluetij patriâ etiam sanguine iuncti, in se mutuò pugnant, à diuersis principibus pretio conducti.

Licet pecuniam dare infideli vt conuertatur ad fidem, & in hoc non committitur symonia dist. 23. ca. vlt. & dist. 25. ca. sincera Tost. Deut. fo. 69.

Ignis per seipsum deficit nisi fomentis sustineatur: & amor sine beneficiis.

Viri boni possunt dona conferre malis hominibus, ne vexentur ab illis, & sic vexationem redi-

D mere. Tost. Gen. fol. 132.

Possumus temporale beneficium conferre, nutrire, docere, & temporalia impedimenta ferre vt aliquem promereamur & aptus alliciatur ad religionem. Sic enim, ait Apostolus 1. Corin. 10. per omnia omnibus placeo. Deus aliquos temporalibus beneficijs allicit ad bene agendum; In Ecclesiis temporalium distributionibus alliciuntur aliqui ad Ecclesiæ seruiendum. Non vt præmia, sed sunt quędam secundario illectiua ad seruiendum Deo, Dominus enim dicit, primò quęrite regnum Dei, & omnia adiicientur vobis. D. Thomas quodlib. 4. art. 23.

David

Digitized

David & Salomon ineunt amicitiam cum Iram Regè Tyri gentili, quia multa ab eo receperant beneficia. Tostat. 2. Paral. fo. 15.

Olaus Magnus lib. 3. cap. 14. refert occisi proditoriè Regis filios in cauernis occultè enutritos fuisse, cum vi magicę artis è latebris à Maga educerentur, ipsi magnam auri summam in sinum eius effuderunt, sic ipsis libertatem concessit, simulans ægritudinem & artis suæ impotentiam.

Deus allicit homines, illis dando bona temporalia. Vide quæ scripsi. lib. de Dei misericordia. parte 2. c. 5.

Humanus affectus quamuis in singulis vigeat naturaliter, est tamen semper, ne tepescat, seu penitus deficiat, beneficijs, nutriendus, sicut ignis subiecta materia; Sic Deus hominibus quotidie & vniuersalia & singularia confert beneficia, &c. Laurent. Iustin. serm. de Christi corpore.

Dicitur Osee 11. Traham vos in vinculis charitatis: Quæ sunt ista charitatis vincula, nisi Dei beneficia, bona naturæ, bona gratiæ, bona gloriæ? Ecce funiculus triplex. D. Bonauent. de 7. itinerib. æter. distinct. 5.

Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Psal. 48.

Qui longa peregrinatione peruenerunt ad barbaros ignotę linguæ, vnicum illis ad conciliandos animos medium superest, offerre munera.

MVNERA EXCÆCANT.

IVdas accepta pecunia à Iudæis, illis tradit Iesum; Milites accepta pecunia, asserunt discipulos ipsis dormientibus, Christum furto abstulisse. Ideo munera non facilè recipienda. *Vide voluntas bonitatis. Repugn.*

Annulus aureus cuius beneficio maxima facinora committentem Gygem nemo potuit videre, non significat aliud quam eum abundasse auro, quod ex Lydiæ metallis effoderat: quid enim auro non perficitur, aut quos splendor eius non obcæcat? Georg. Agricola. lib. 1. de veterib. & nouis metallis.

Beatus qui excutit manus suas ab omni munere, Isay. 33. dicit Glossa quod triplex est munus, à manu, à lingua, ab obsequio.

Lenones prouincias circuientes, pauperes virgines sibi deuinciebant datis etiam fideiussoribus, promittentes eis victum & vestitum, & has postea prostituebant. Vt autem donis corruptas, donis sibi seruarent, propter hoc aurum lustrale Imperatori pendere statutum erat, quod prohibuit Theodos. Nouell. de Lenonib. Cuiac. in nouell. 14.

Iustinian. Nou. 8. prohibet suffragij nomine quidquam vel suffragatoribus dari, vel publicis rationibus inferri: suffragium autem est pecunia quæ datur honoris adipiscendi causa. Id ipsum prohibuit Theodosius. l. vlt. Cod. ad l. Iul. repet. & Tiberius. nou. 161. Vtitur Iustinianus ratione omnibus nota, necessarium esse, vt qui emit vendat, nec sine pudore eum posse puniri, qui quod emit vendit; quod si venale iudicium est, pecunias habenti, impunitum erit omne scelus, Iudices igitur abstinere debent à muneribus, & constitutis sibi stipendiis esse contenti. Nouella. 86. c. 5.

Quidam putant scrupulosum fuisse in antiqua lege, non omnes acceptasse victimas: In noua dilatata esse spatia ad donum omne recipiendum.

Qui confert beneficium vel ordines, non debet recipere munera, sic enim statuit Ecclesia, nisi sint valdè parua, de quibus verisimiliter præsumatur, quod non poterunt mouere animum conferentis. Extr. de symonia. c. & si quæstiones. De symonia. *Vide Virtus medij. Repug.*

Quæ recipit dona, fœmina nulla bona.

Non accipias munera quæ excæcant oculos & subuertunt verba iustorum. Deut. 17.

Contra hostem à tergo imminentem præda dites spargenda est, vt mutuo dissidio hostis intentus pœnas incurrat. Contra domesticos insidiatores, donis liberalibus vtendum. Insidiatoribus regni, promittenda feuda, castra, gubernacula ciuitatum, ab hostibus incendiariis redimendæ sunt domus, communi pecuniarum contributione. Maximis pollicitationibus ad prælia mitti solent quorum minima pars promissa peritura reuertitur, sed reuersis liberè datur, vt alias credant. Olaus Magnus, lib. 10. cap. 19. Mare tempestate minax, sedatur iactu.

Cœca cupiditate corrupti non intelligunt se dum Rempublicam & iura vendunt, etiam venire. Seneca.

Iudici tenetur iniuriarum, is qui euentum sententiæ eius venditauit tanquam daturus pecuniam. l. item apud, §. idem ait. ff. de iniur. quia hoc modo vænalem profitetur iudicem. Cuiac. Obs. l. 20. c. 9.

DEMONSTRATIO.

APpetuntur diuitiæ, quia sunt pretium rerum omniũ, non tantum ad corporis, sed ad mentis commoda conducentium, his enim discuntur scientiæ, conciliantur amici, exercentur opera charitatis & pietatis; cum autem exigui sint iusti laboris fructus, inter legitimos acquirendi dominii modos, gratissimus est donatio, quæ parcens labori, subuenit indigentiæ, momentò potentiam auget, alterius in nos amorem, nostri meriti conscium testatur. Tot titulis naturæ grata munera suauiter rapiunt recipientium animos, iratos placant, beneuolos mirè transferunt in omnes dantis affectus, officioque promerentur officia potissimum gratuita, quæ iudicio vel sola commendatione perficiuntur. Sic castitas, sic iustitia, sic fides dominis debita patet corruptioni, & sine milite munitissimas arces aurum expugnat. Vbi proprium versatur interesse, amor sui cæteris rebus priuatis publicisque claudit oculos, & mille quæ sitis coloribus fauet malæ fidei, si dona liberali fundat manu. Iudex pecuniarum auidus sibi primum consulit, quam iustitiæ, quæ est virtus ad alterum: hinc legibus Iudices prohibentur à priuatis munera recipere, quibus subest tacita conditio aliquid præter ius concedendi. Datur, vt recipiatur indebitum. *Vide Voluntas Bonitatis.* Respuere munera. *Ex principijs*

Quidam sunt qui super executione iustitiæ litteras non indulgent nisi sub certa promissione pecuniæ, sed quisquis ille est, sciat quod Dei iustitiam, quam gratis exhibere tenetur, venalem exponit, imo qui vnum vendit, sine quo reliquum non pronunit, neutrum inuenditum derelinquit. Certè acceptior est apud Deum Iustitia quam prębenda, ideo cum in vtroque possit symonia committi, damnabilior tamen est omnis venalitas in exhibitione Iustitiæ, quam in venditione decimæ aut præbendæ. Petrus Blesensis epist. 97.

In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. Psal. 25. 10

Principes tui inobedientes, socij furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Isay. 1.

Ex acceptis officiis, vel beneficiis nascitur naturaliter affectus officialis, qui vt putam gratiam referat,

sæpè tam fauet vitio quam homini. Proinde in muneribus vel officiis suscipiendis magna habenda est discretio. D. Bonau. de 7. itiner. æternit.

Muliebrium vitiorum fundamentum auaritia A est. Seneca. lib. 2. contra. vlt.

Legati Pontificis non possunt munera à principibus ad quos mittuntur accipere. *Vide Veritas Bonitatis.* Sub finem.

COGNITIO BONITATIS

BENEFICIVM PALAM CONFERRE.

DEVS plurima naturę & gratię beneficia palam confert, vt cum bonum agnoscamus, cognitum amemus, colamus, & sic ampliora gratię & gloriæ dona promereamur. *Vide Cognitio Principij.* Cognitio Dei per creaturas.

Hoc distat fons à puteo: fons est in summo, puteus in imo.

Vocalis oratio præcipuè fieri debet per ministros Ecclesiæ, qui in persona totius populi fidelis Deo munera labiorum suorum habent offerre. Conueniens est enim quod talis oratio toti populo, pro quo profertur, innotescat: Harphius Theol. myst. lib. 1. c. 41.

Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio. Matth 5. Ista domus totus est mundus: lucernæ C accensio, Verbi est incarnatio; candelabrum autem crucis est lignum; lucerna in candelabro lucens, Christus in cruce pendens. D. Augustin. orat. de quinque hæresibus.

Omne alimentum saporem & odorem habet, vnde discernit animal esse sibi conueniens alimentum, insipidum autem fugit. Albert. Mag. l. 1. de sensu & sensato.

Hyeme videtur expiratus aër, quia in pulmone humectatus, reperiens externum frigus aëris condensatur, ita fit visibilis, & in aquâ facilè resoluitur super materias quas tangit: at inspiratio trahit aërem simplum, qui propter tenuitatem suam non D subiacet visui. Id. tract. 2. de inspirantibus. *Vide Cognitio Potestatis.* Videri potens.

In sacramento debet exprimi actio ministri, vt ego te baptiso, ego te absoluo, &c. Bonacin. de sacramento pœnitentiæ.

Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri. Num. 11. Tympana sunt in Ecclesiis loco tubarum.

Sub montibus sunt cauitates quæ continent thesauros aquarum; vnde à mõtibus oriuntur fontes & flumina. Loca enim alta & montuosa interius sunt sicut spongia spissa, quæ calore suo sugit & trahit ad se aquas, de copia aquarum quam habet in profundo vastæ concauitatis. Albert. Mag. meteor. lib. E 2. tract. 2. c. 7.

In die iudicij defectus & peccata electorum manifestabuntur, vt per oppositum magis appareat misericordia Dei. Tostat. Matth. 10 7. tr. 104.

Hangæ portus in mari septentrionali omnium securissimus est: in eius aditu heroum Gothorum & Sueuorũ insignia in cautibus sunt insculpta, eorum scilicet qui huic bono publico plurimum de suo contulerant. Olaus Magn. lib. 1. cap. 25.

Cristus resurgens vulnerum suorum cicatrices in B corpore suo seruauit, vt haberet quod exhiberet patri ad reconciliationem, & ostenderet nobis, ad erigendas mentes torpescentes: Apostolo dubio ostendit manus & latus; vt in altero creationis, in altero beneficium redemptionis ostenderet. Laurent. Iustin. de Christi agone. c. 21. Angelorum peccatum silentio in Genesi absconditum est, quia Deus illud sanare non prædestinauerat: hominis autem patefactum, quia illud sanare prædestinauerat. Alcuin. in Genes. interrog. 3.

EXPEDIT, SÆPE NEcessarium est quadam beneficia palam conferri.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Creaturæ conditoris sui dotes aliquas palam proferunt, quia Deus vult ab hominibus cognosci bonus, pater, misericors, vt ad ipsum omnis boni fontem homines conuertantur, cõuersi suam assequantur beatitudinem, donis eos leuioribus allicit, vt ad maiora capienda disponat, multiplici titulo beneficus ipsamet boni prioris ventilatione, quæ spem accendit, addit animos, vt riuos sequendo, veniat ad puriores fontis aquas; sic pulchritudo, flos est latentis & sequuturi boni ad illius appetitum alliciens.

MAGNITVDO. Montium multiplex est vtilitas, sunt enim velut terræ matris vbera, quę dum subditis turgent vaporibus, efficiunt & stillant, fontes, fruges, metalla, gemmas, & omnem delicatæ vitæ dulcedinem. Illæ potissimum moles assurgunt, vt frangant vim ventorum, ne terris velut oceano liberius incumbant, arceantque tempestates habitationi nostræ, nostrisque laboribus plurimum nociuas; Igitur arces illæ vtilitatem suam, ingenti sua quantitate præferunt. Non potest abscondi ciuitas supra montem posita, est omnibus præsens: asylum omnium patere debet oculis.

DVRATIO. Quoties regna, ciuitates, societates, familiæ, maximum nobilitatis suæ titulum ducunt ex originis antiquitate, publicum commemorant diuinæ prouidentiæ beneficium, quo seruatæ sunt inter tot humanos casus illæsæ. Ipsa senectutis canities, diuturnum lucis vsum, cœlitus concessum, candore suo testatur. Ad omnium notitiam peruenire debent beneficia quæ transeunt ad posteros deleta prioris vitæ turpi nota, vt libertas, nobilitas, in integrum restitutio.

POTESTAS. Princeps publicam agit Personam, pro

tutela subditorum. Vnde sicut priuato collatum beneficium, notum est: sic publicum omnibus notum esse debet, vt possit affectus omnium principi conciliare: hinc sub initiis imperij publicæ largitiones, ministris, professoribus, medicis, militibus assignata stipendia; monetæ vultus principis, publicis instrumentis & ædificiis nomina solent inscribi, velut omnibus præsens inuigilet & prouideat eius amor beneficus.

COGNITIO. maximum hoc est homini beneficium, præstantiorē eius partem scilicet intellectum, scientiarum fideique præceptis illustrare, & cum hoc spirituale donum instar lucis, pluribus simul sine sui diminutione possit concedi, Doctores palam ex suggestu veritatis radios effundunt, citra vanitatem ore vultuque libero proferuntur auditorum magistri. Potissimum in Ecclesia necesse fuit fidei doctrinam publicè profiteri, vt ab omnibus vna simul excipiatur, occultam enim, furtiuam, & eo titulo suspectam solet hæresis propinare.

VOLVNTAS. Amor ad legitimas tendens nuptias illis præit sponsalitiis publiceque congestis donis velut arrhis seruandæ fidei. Ignis ille cœlo propitio conceptus, splendet innoxiè, nihil absumens plurimum donat, quo palam profiteatur integram animæ cum bonis in amicum sinum transmigrationem.

VIRTVS. Vt non quærit, ita non fugit hominum oculos charitas, Deum solum præsentem, mouentem, implentem contemplata, hæret immobilis, vnde solidior est quam vt auræ popularis leui flatu gaudeat & transferatur. Si dum sua largitur non occurrant qui spectent, sufficit illi Dei & conscientiæ suæ testimonium. Nec tamen timida dolet si plures adsint à se collati beneficij testes; Nam fortè sic multis proficiet, quibusdam pecunia, cæteris exemplo, dum eos ad similia prouocat, ardoreque suo gelu cordium soluit, vt fluant miserationis aquæ. Ea ducuntur ratione, qui piis donationibus & ædificiis patiuntur nomen suum inscribi, non vanitate, sed pietate, vt ipsis defunctis, refricata sic sui memoria posteros inuitet ad preces pro salute sua fundendas, & vtriusque tum piæ donationis, tum fidæ gratitudinis exemplo, ad similia cæteri prouocentur.

VERITAS, Maximum Reipublicæ bonum est, legem humanis actibus modum dicere, mensuras, pondera, nummos forma publica percuti, ne fallacijs via pateat: prostant autem hæc omnium oculis exposita, vt commune bonum ad quod instituuntur promoueant.

GLORIA. Certaturis proponuntur præmia quibus visis, fiant periculorum auidi. Victoribus decernebantur olim triumphi, statuæ, hæc gloriæ maxima pars est, quod honoris præmia in omnium oculis conferuntur.

DIFFERENTIA. Pares nascimur, vultu, figura, moribus, nominibus distinguimur; Ciuilis autem inter homines potissima distinctio procedit ex publicè collatis dignitatibus, etiam maximo splendidoque cæremoniarum apparatu: in virtutis singularis præmium & exercitium, sic assumuntur è plebe, communibus suffragiis & iterum distincta sortiuntur vt officia, sic nomina.

CONCORDANTIA. Hinc familiarum nobilitas, conspicuus dignitatum ordo, qui perpetuum & publicum efficit in talibus legis beneficium.

CONTRARIETAS. Tale donum securum est, cum omnium votis annuentibus conceditur; hic enim inuidiæ, vel cuiuslibet hostilitatis impetus frangi necesse est, & irritos cadere, præmiis authoritate publica decernente, fide iubente, concessis.

PRINCIPIVM. Verum est causas vniuersales, Deum, Angelos, cœlum, occultis sæpè nos influxibus iuuare, præueniunt enim, cessant, iterantur ex certis prouidentiæ legibus, quæ nos latent ne peruersa libertas necessarios rerum ordines, irrito licet conatu, velit interuertere. Regimur vt pueri, ægri, serui, decretis vniuerso semper optimis, licet interdum singularibus nociuis, & ob id arbitrio nostro non relictis. Igitur causæ superiores latente, qui mentem & oculos fallit, gradu procedunt, occultisque pluribus nos iuuare solent beneficiis. Sunt tamen quædam publicè collata, quæ non patiuntur dantem & accipientem ignorari. Tales sunt animi, corporis, fortunæ splendidioris dotes, gratiæ gratis datæ, tandem miracula quibus celebri concursu plaudit & gaudet populus. Nobis sæpè cœlesti sua lingua corporeis auribus ignota loquuntur Angeli, dum pietatem, bonaque consilia mentibus inspirant; celebrat tamen Ecclesia manifestas quasdam eorum apparitiones, vt cum his auxiliaribus Dei copiis, securior fortiorque fit in humanæ vitæ militia, naturalis infirmitas. Sunt latentes cœlorum influxus, sed vim suam inferiora fouentem satis produnt, lumine, motu, quotidianis experimentis, ea certitudine quæ faciat artem & scientiam.

MEDIVM. Administris gloriosum est in partem regiminis palam admitti, ipsis enim officij sui titulis, etiam dum vacant putantur operari, cosque mentis præparatio semper habet velut in procinctu.

FINIS est qui morales actus cum legitimis suis circumstantiis bonos efficit. Sequitur intentionem Christi qui opera sua bona facit coram hominibus, vt glorificent patrem qui in cœlis est, Ita publicum spectat bonum, Dei scilicet gloriam, proximorum ædificationem, non attenta, spretaque de rebus peruersè iudicantium opinione.

MAIORITAS. Generaliter si ex collati beneficij propalatione quid amplius accedat recipienti, publicè conferendum est, alioquin mutila foret liberalitas, dilatatæ non respondens charitati. Ita Rex palam confert sua munera, supponunt enim in recipiente meritum, maiestatis approbatione cunctis colendum, & semper plus est à Principe, quam priuato beneficiis donari.

ÆQVALITAS. Acceptum licet occultè beneficium, in omnium oculis refundam, non vt gratus habear, sed vt debitor, & præuenienti bonitati, nunquam satis in posterum æquandæ me profitear obnoxium.

MINORITAS. Vrgenti necessitati sæpe quod datur parum est, attenta rei quantitate, magnum si respicias viri virtute vel dignitate præstantis affectum, famam enim efficit thesauris præferendam, sequuturæ fœlicitatis causam simul & augurium.

BONA NASCVNTVR
cum his priuamur.

Vide Gloria Contrarietatis-Opposita magis elucescũt.

Homines vecordes non animaduertunt bona se habere in manibus priusquam ea quispiam illis extorserit.

Astra dum occidunt, maiora apparent.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Omnes bonum appetunt, & illud ipsum si contigerit habere se non putant, velut cæci hinc inde prætentando quærentes quod habent præ manibus. Præsentibus non intenti ad præterita futuraque non existentia suspirant, elabi patiuntur opportunum fruitionis tempus, tum irreuocabile frustra dolent amissum, sero sapiunt, & iusta negligentiæ suæ pœna se torquent.

MAGNITVDO. Procedit hæc confusa vitæ ratio ex eo quod voluntas inexpleta concupiscit bonum omne, cuius cum minima pars sit in præsenti, non sic detinet mentis oculos & affectus quin latè diffundantur in præteritum, cuius dulcis memoria; in futurum, cuius spes illustrior exigui præsentis boni sensum obscurat.

DVRATIO. Ab assuetis non fit passio, & rei licet pretiosæ familiaris vsus parit fastidium, varietate licet ignobili leuandum. Cibis natura simul & arte iucundissimis satiati, rusticos, tunc asperitate sua gratos expetunt. At gustasse vel parum esitasse sat est, vt insuauitas citò deprehensa manus & ora conuertat in meliores escas quas abundantia neglectas effecerat.

POTESTAS. Libera rerum electio summum naturæ nostræ priuilegium est, & potentiam hanc ne vana sit, gaudens sibique plaudens animus frequenter educit in actum. Illam itaque non sistunt, sibique non addicunt rerum quæ possidet, pretia, quin ad libitum vt placuerit, ad varia se diffundat. Nulli, licet picturis, & auro fulgens carcer, nulli eximiæ licet pulchritudinis iussus amor, gratus est, melior existimatur etiam inter sordida libertas. Ire, redire, vagari, vult animus, saluo suo iure ad prima si rursus placuerint, redeundi: cum enim liberam hanc electionis facultatem expleuerit, æquum de rebus fert iudicium, priora præsentibus vt meruerint, præfert, saltem desiderio, si fluxæ non possint amplius possideri.

COGNITIO Ipsa rei fruitio, fit per partes & in momentorum temporis successione, ita totum rei pretium ex parte, nec sensus nec ratio benè percipit, præsentibus tantum intenta. Viri sapientis pro Republica labores, detinent quidem omnium in se conuersos oculos, sed quia multum habent occulti mysterij, quod vulgus non capit, ita nec illa laudat: at vita functus, alieno regimini locum cedens, qui iam abest, desideratur, laudatur, quia res singulas præclarè gestas memoria colligit, collectas & in optimum, qui tunc apparet, finem directas, ratio miratur; laudat post mortem & consummationem. Nulla pictoris etiam præstantissimi tabella dum delineatur placet. Præteritis igitur bonis palmam concedimus, quia tunc tota, perfecta, consummata videntur, & multis explicita nebulis quę solent de præsentium pretio detrahere.

VOLVNTAS. Nihil amantium præsentia gratius, conscij tamen de torpore qui rebus consuetis se sensim interserit, bonum quod illis indulgentior fortuna concesserat, sibi consulto negant; vt dulcius haberi possit, ad breue tempus absentias indicunt, quibus exagitatus amor, velut ignis flabello reaccendatur & flammas quiete cadentes, restituat; desideratur absens, & desiderijs dulcior succedit possessio.

VIRTVS. Religiosa probitas humanos fugit oculos, diuinis contenta. Sanctos igitur dum viuunt, in secreto vel in turba latentes mundus non

A cognoscit, & non prius quam in totam vitam, in eius singulas, collectasque actiones curiosa pietas inquisierit; vel latentem sub modio lucernam miraculis fulgere voluerit diuina prouidentia.

VERITAS. Nascentis virtutis radios obscurare solet generis humilitas, æqualium inuidia, potentiorum, quidquid eminet deprimere volentium, fastus. At hominis mortui cineribus & memoriæ parcunt vel iniquissimæ superstitum passiones. Vnde fit vt virtus discussis tenebris, ibera suo se tunc prodat splendore, suique desiderium, cum rectè gestorum exemplis relinquit.

GLORIA. Maximum auidis gloriæ frænum est, sic oppugnari dum viuunt, nec pro meritis lau- B dari, nisi cum laudis sensum, simul & vitam amiserint. Ideo sapiens auram popularem inter vana computans, Dei & conscientiæ suæ testimonio contentus, viuit; fama quæcumque futura sit apud posteros, nihil addet, nihil detrahet consummatæ in Deo suæ fœlicitati.

DIFFERENTIA. Versari volunt humana: melioribus relictis animus ad alia quæ placuerint conuertitur, donec ex illis tandem enascens fastidium ad priora reuocet, nunquam tamen vt in cœlorum periodis, totaliter eadem. Quos prior ætas viuentes contempsit, sequens mortuos collaudat, Iudæi prophetis à patribus suis occisis magnifica posuere sepulchra. Sic vt rerum, ita iudicio- C rum datur ordinata quædam vicissitudo.

CONCORDANTIA. Nihil in totum idæis & affectibus nostris consentit; plura lædunt, quam placeant, vtque iustior appareat calumniandi ratio, prouocamus ad antiquos velut meliores, cum plurimos eorum defectus historia taceat, tempus deterserit. Rerum enim essentiam & pretium ignorantes, facta tantum cùm alijs comparatione colligimus.

CONTRARIETAS. Ab inuitis res mortales & fortuita eripiuntur: vnicum contra vim hanc majorem nobis superest remedium, quæ sors abstulit, memoria recolere, affectu prosequi, eo quidem D intentiore, quo grauius ex iactura incumbit onus; nitimur in vetitum, & è rerum medio sublatis, recordatione celebri, perpetuitatem concedimus, etiam cum aliquam præsentium inuidia.

PRINCIPIVM. Si sub initijs nota nobis essent vera rerum pretia, illis affectu nimio inhæreret animus, & cum mortales fluxæque transeant, his amissis desperata viderentur omnia, at doloris acerbitatem in amissione temperat præter expectationem, primis æqua vel maior succedens virtus, licet nondum satis cognita, quod experti sumus in prædecessore, sperari potest in substituto, sic eadem amissæ rei vel personæ sublimis æstimatio, dolorem simul auget & temperat; instar deleteriorum E quæ cum suis natura profert antidotis.

MEDIVM. Manus instrumentum vsibus suis accommodum & familiare, inuita semper & dolens deserit, velut simile non sit inuentura, sic humanus animus futuri nescius, sibique plurimum timens de futuro, impensius laudat præterita, vt iustior videatur sui pariter amoris & metus causa.

FINIS. Gratiora sunt poma cum fugiunt, occidentem pulchrè solem, plusquam in meridie nostri mirantur oculi, aues dulciori concentu prosequuntur: in bellum, aut in longinquam peregrinationem proficiscentes amicos auidius complectimur, sic vincis retinere conamur manibus quod ab illis dura sors eripit. Inter imminentis absentiæ terrores, amor nullos videt in obiecto suo defectus.

tuncque nihil aliud capit in solatium dilabentis boni, præter congeminata desideria.

MAIORITAS Iuuat. sic præsentia, præteritis comparata plurimorum iudicio vilescere, vt ad maiora & quæ longius excedant, æmula virtus contendat, vt pudor sit, ætatem nostram velut in peius ruentem, in præteritis habere quod miretur, sed imitari non possit.

ÆQVALITAS. Æqua lance si perpendas quæ fuerunt, magna moles est præponderans his quæ per momenta carptim præsens tempus comedit quod delectauerat in præteriti possessione, vertitur in amaritudinem, & ex priuatione dolorem cuius sensus acutior est, quàm speiquæ concipi, potest ex succedente bono, nondum cognito, semper suspecto.

MINORITAS. Fluunt negligenter vitæ dies, dum inconcussa viget sanitas, & tanti boni sensu carens animus, pro miminis quibusque, ad gustum non succedentibus, ingemiscit, quod si taliter sui nescium, oblatas virtutis occasiones spernentem insperata sternat ęgritudo: tunc vna laudatur, fœlix proclamatur, modis omnibus quæritur sanitas, mille medicorum tormentis emitur, emissis ad Deum votis expetitur; quid enim prosunt diuitiæ, dignitates, rura tot impensis ad delitias, composita, homini talibus morbi sæuitia mortuo, mœstitiæ doloribus sæuis, inuidisque viuenti. O si nostris alienisque periculis hinc tandem disceremus occupare tempora, diligenter per occasiones vti rebus oblatis, ad finis æterni consecutionem, non earum æstimationem & commoda in id tempus remittere quo non sunt, diem perditam tunc optare, cum nox est.

Homerus egenus vixit, despectus à suis, adeò clarus post mortem, vt qui ingenium viri contempserant, de cadauere contenderent.

Rerum abeuntium & absentium maior solet esse cupiditas. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 3. Lege. 15. §. 2.

Augmentum præsentis infortunij, memoria est præteritæ fœlicitatis, & eo grauiori confodiuntur doloris vulnere, quo sublimior fuit transacta fœlicitas. Sic Israelitę, Super flumina babylonis sedimus & fleuimus cum recordaremur tui Sion. Sic gemimus cum recordamur quid in Adam perdidimus, & quid patimur. Laurent. Iustin. lib. de connubio verbi & animæ. cap. 11.

REPVGNAT.

LATENS BENEFICIVM.

IN Ponto est fluuius, quo irrigui campi efficiunt in pecoribus lac nigrum. Quod est alimentum, sub specie veneni.

Cœlestia mouent nos inuisibili modo.

Multę virtutes à cœlo diffunduntur, quæ non possunt dici luces, sicut frigidum, humidum, licet hæ sint virtutes cœlestes quę formant materiam ad speciem. Albert. Mag. trat. 1. de natura locorum. cap. 4.

Donans seu legans pecuniam, vt fiat aliquod opus, putà templum, hospitale, potest nomen & arma sua inscribere. l. qui liberalitate. ff. de operib. publ. Tamen perdunt meritum, vt ait Geminianus in c. duæ sunt, circa medium. Dist. 45.

Deus in creatione mundi non iussit tantum terram herbas esculentas germinare, sed etiam eas quæ cum videantur aut inutiles aut nociuæ, vim tamen habent morbos pellendi, licèt latentem, & à peritis tantum medicis cognitam. Theodoret in Genesim. quæst. 13.

Descendet vt pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Psal. 71. Res inuisibiliter quidem descendit, deorsum autem consistens, manifesto apparet. Theodoret. in Genes. q 82. sic Christus in carne inuisibilis, vim diuinitatis suæ per conuersionem totius mundi patefecit. Id,

Non est necesse eum pro quo suffragium & satisfactio exhibetur, agnoscere eã pro se exhiberi & acceptare, quia passiue se habet & vsu Ecclesiæ receptum est, vt fiant orationes pro infantibus, absentibus, ignorantibus. Bonacina. de suffrag. in fine.

Quamuis regulariter beneficium non conferatur inuito, tamen potest inscio eo pro quo obtinetur obtineri, & superior qui dispensandi facultatem habet, potest in lege dispensare cum subdito, non solum inscio, sed etiam nolente & inuito; quia sicut lex ferri potest in inuitum, ita etiam exemptio à lege, seu dispensatio. Id. de priuilegijs. puncto. 3. Item valent actus facti ratione priuilegij, si priuilegium concessum fuit mandatario, licet ipse qui mandauit ignoret esse concessum. Ibid.

In parte Africæ in qua nunquam pluit, palmæ magnæ atque optimæ proueniunt; aluntur aquis sub terra latentibus. Theophr. hist. plantar. l. 4. c. 4.

Nocturni imbres præstant diurnis, fit enim vt plantæ humore potiri amplius valeant, cum sol non protinus illum consumat. Idem de causis Plantar. l. 2. cap. 3.

In Dodone, Iouis fons meridie semper deficit, mox increscens ad medium noctis exuberat; ab eo rursus sensim deficit: & Padi fontem mediis diebus æstiuis, velut interquiescentem semper arere scribit Plinius. Georgius Agricola. lib. 3. de his quæ fluunt ex terra.

Princeps dat militibus pro stipendio folia, sed argentea. *Vide gloria contrarietatis.* militum stipendia.

Quando fuerit amicitia, beneficia à nobis collata celamus, & quæ sunt magna, parua volumus ostendere, ne videamur amicum habere debitorem, sed ipsi esse debitores. D. Chrysost. hom. 2. in epist. 1. ad Thessalonic.

Infantes pueri, lactentes, maternis vberibus inhærentes, quantum eis gratiæ per baptismum conferatur, nesciunt. D. August. ser. 160. dominica in octauam Paschæ.

Substantiæ separatæ semper influunt, sed non semper percipitur earum influxus in animam, sed solum cum est aliquo modo disposita. Tost. in Math. to. 7. fo. 191.

Collata beneficia non sunt exprobranda. *Vide Duratio Bonitatis.* Continuatio, de Lacedemoniis sub finem.

De lapidibus sine nomine insculpto, qui auertunt à naufragiis. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Præuisio mali, sub finem.

In radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudinis species, & tamen quidquid est in arbore pulchritudinis & decoris ex illa procedit.

Inscijs inferioribus auxiliantur superiora. Vide quę scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 9. §. 1.

Inuitis præstatur auxilium. Ibid §. 3.

Qui vanitate & hominibus placendi desiderio confert eleemosynam, charitatem regiam puellam prostituit; negat sponso, seruitium exponit impudentiæ. Intolerabilis superbia quod alienas libenter

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

efferas clades. Eleemosyna mysterium est; concludendę igitur ianuę sunt, ne quis aspiciat, quę videre nefas est, ipse qui recipit solus conscius sit, imò si possibile est, nec ipse quidem percipiat vnde sibi erogatum beneficium est. Si contra feceris, ille ipse à quo gloriam aucupatis, tanquam vanum te condemnabit. Ita contraria tibi eueniunt, quàm desideras. Si vero celes, exclamabit: ô misericordem atque humanum! Non enim grande aliquid atque præcipuum occultari diutius Deus patietur. D. Chrysost. hom. 71. Math. sub finem.

Vide cognitio Virtutis Repug. Latens Virtus.

Intestina ex quibus continuo venę mesenterii chilum exsugunt in iecur transportandum, non apparent foraminata, in vita magis quam in morte.

Pauperibus verecundis prę cæteris auxiliandum saluo ipsorum honore. Vide quę scripsi. lib. de operibus misericordię. par 2. c. 8.

DISCRETIO BONI à malo.

Vide Cognitio Contrarietatis, Cognitio Minoritatis, & vtriusque Differentia.

ANachoreta in deserto radicibus viuens, nec valens vtiles herbas à nociuis discernere, in maximum vitæ discrimen adductus est, donec fasciculum herbarum offerens Ibidi, illa bonas consumpsit, nociuas rostro abegit. Vitæ patr. lib. 4. c. 13.

Quoniam genus plantarum, nullam vim excrementorum egerendorum obtineat, nihil attrahit cibi, quod minus alere possit. Theophr. de caus. plantar. lib. 6. cap. 14.

Ex vaporibus aqueis & terreis quos sol educit è fundo maris, solos aqueos eleuat in sublime ad pluuias, terreas relinquit in superficie maris: vnde fit salsum: sic in digestione cibi, quod est melius ascendit ad alimentum, fæces amaræ subsident & egeruntur. Albert Magn. meteor. lib. 2. tr. 3. c. 15. Sic pisces in aqua salsa, viuunt tamen aqua dulci, quam separant suis branchijs. Id.

Vide Duratio Virtutis. Inter malos, bonus: & *Differentia Minoritatis.* Separari à malo.

Passiones ligant rationem ne liberè possit bonum à malo discernere. *Vide Maioritas Voluntatis.* Passionum damna.

Iustitia est scientia rerum expetendarum, neutrarum, fugiendarum. Suidas. Est iusti atque iniusti scientia; vt dicitur Initio Instit.

Arbores omnes odoratæ salutares habent vmbras, vt laurus, iuniperus, medica malus, quæ verò malè olent, noxiæ vmbra sunt. Cardan. lib. de rer. variet. cap. 20.

Quæ dicta sunt de Lyncis oculo aquam penetrante, sumpta sunt ex eo quod Lynceus quidam metallicus ex terræ superficie cognouit vbi laterent metalla, quæ postmodum adhibitis lucernis scrutatus est. Georg. Agricola lib. 1. de nouis & veterib. metallis.

Vide Cognitio Virtutis. Physionomia & *Cognitio Gloriæ.*

Cæcutimus hic & quid nobis proficiat aut noceat, ignoramus; ideo conformari debemus voluntati diuinæ. *Vide Concordantia Principij.* Conformari diuinæ Voluntati.

Omnia conteruntur ad causas sibi profuturas, vt ab illis accipiant. Vide quæ scripsi de iure naturali, lib. 1. lege. 18. §. 1.

Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inuenta vna pretiosa, vendit omnia quæ habet & emit eam. Matth. 13. Nisi quæras non inuenies veritatem, inuenta autem diligenter custodienda. Vna quippe veritas est, nec in multas scinditur partes. D. Chrysost. homil. 48. in Matth.

Matth. 13. Sagena in mare missa, & ex omni genere piscium trahente, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Ibidem separatur messis tempore zizania à tritico. Separat pastor oues ab hœdis. Sic erit in consummatione sæculi, exibunt Angeli &c.

Idcirco omnia confusa turbataque iacent, quia quasi superflua quædam res anima spernitur: quia quę necessaria sunt contemnuntur, quæ vilia sunt & caduca, magno studio consouentur. Ibid. homil. 60.

Quid tenebrosius, quam tenebras opacas lucem, & meridianam lucem nuncupare noctem. Væ, inquit Propheta, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras, & qui dicunt malum bonum, & bonum malum. Hi sunt qui incommutabili spreto bono, toto mentis affectu commutabili adhærere conantur. Laborant, desudant, quærunt, nec inueniunt, priùs vita carnis deficiunt, quam assequantur quod cupiunt. Laurent. Iustini. lib. de connubio verbi & animæ. cap. 3. *Vide Minor Cognition.* Vera sapientia est in discretione boni à malo. *Vide Veritas Cognitionis.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Subrepunt sub bonorum coloribus & titulis mala, & auiditate consequendi præcipites conatus in eosdem quos vitare voluerant scopulos miserrimè deducunt. Itaque quidquid ambiat cupiditas, quidquid fœlix fauensque manibus nostris exponat occasio, caput est nosse rei naturam & conditiones, has longo probare iudicio, ne sub esca lateat hamus.

MAGNITVDO. Erectis supra cæterorum sortem animis magna placent, quæ tamen non semper impunè possidentur, Nam mole sua sunt oneri, & quos sustulere, si pares non inuenerint, opprimũt. Ita videmus aues quæ viuunt ex rapto, prædam quàm transferre volunt rostro suspensam, diu quanti sit ponderis probare, viribus suis aliquid detrahendo æquare, priusquam libero se committant aëri.

DVRATIO. Res concupitas volumus diù possidere. Ideo prudentia minus præsens quam futurum prospicit. Amicum primo quidem ad officia celerem, sed inconstantia famosum non admittet. Placet tibi virginis pulchritudo, sed cogita florem esse nullis casibus, citissima semper ætate marcescentem, cæterum anxiæ tutelæ, cui propterea, velut mutabili, non est æquum iurare perpetuos amores, & indiuiduam vitæ societatem solidæ tantum virtuti debitam.

POTESTAS. Ideo legibus tot adsunt prudentum consilia, tot rebus agendis præscriptæ legibus formulæ, vt cupiditates suas statim implere volentem, consultationum moras vix patientem patientiam, fræno continerent.

COGNITIO. Ignotas escas, suspectas, visus, tactus, odoratus, lingue timidus apex prętentat & explorat, priusquam in os fidenter admittantur. Ambiguam, sic decernente prouidentia, credo nobis datam esse ratiocinationem, vt inter moras sus-

diosę discussionis aperiantur occultæ rerum conditiones, quà voluntatem boni melioris auidam auertant aut alliciant. Fallax esse solet præceps omne iudicium. *Vide Duratio Cognitionis.*

VOLVNTAS. Stoicorum dogma fuit, ex humana mente proscribere passiones, quia feruntur impetu, & rationi tempus præripiunt quo maturè de rebus ferat iudicium: quædam non sic edomari possunt, vt earum primi motus aliquando non erumpant; imparatos tamen non transferent, si fixum, vsu diuturno receptum sit hoc propositum, illis se nunquam statim concedere, non amori, iræ, vindictæ, quamuis vrgeat apparens iustitiæ ratio.

VIRTVS. In ambiguis consulendi sunt virtute præditi; absentes etiam mortuos habebis monitores, si vitam eorum velut agendorum idæam tibi semper præsentem effeceris, & data quæ tunc offertur occasione, perpendas quid egissent, quo animo, qua mentis firmitate contra vim sæuientem aut blandientem stetissent pro iustitia.

VERITAS. Olim vt bonum eligendum à malo secernerent consulebant oracula. Nunc nobis certiora, & exposita sunt in sacris litteris, quas si quis pie monentes audiat, habebit in promptu, quo sibi semper quod sibi melius est, Deoque magis acceptum, in variis humanæ vitæ casibus possit eligere.

GLORIA. Fidem facilè non dabo rumoribus, obiecto sensibus blandienti, nec homini qui me laudibus & in gratiam composito sermone palpat. Multa splendent quæ non proficiunt, vilia & caduca.

DIFFERENTIA. Sunt generalia quædam electionum præcepta, sed suis distingui debent circumstantiis, quibus longa & per manus tradita sapientum obseruatio suas etiam posuit leges. Singularem hanc moralem docent scripti de officiis libri: sed ex sæculi decurrentis vsu, longè certius est prudentiæ iudicium.

CONCORDANTIA. Commune ius ab omnibus etiam in solitudine discitur. Res autem facti non aliter sciri possunt, quam ab eo qui ad ipsas præsens venerit explorator, & quæ circunstant ex plurium inquisitione didicerit.

CONTRARIETAS. Res quales sint, contrariorum oppositione magis apparent. Peccati morsus internos, contumeliam publicam, humanę diuinæque iustitię continuos terrores, sępius pœnas, confer cum virtutis tranquillitate, illustri fama, pręmiis temporalibus & æternis, facilè tibi constabit ex illis quæ fugienda quæ seligenda.

PRINCIPIVM. Qui se rebus immiscuit, vix nisi cum pudore pedem reuocat. Agendorum itaque discussio fieri debet sub initiis, vt prius interrogantur obuij de itinere, an verum rectumque sit; nam si ferat aliunde, quo plus procedes, maior fiet ab intento distantia, anxium est nescire quo peruenias, mise-

A rum in pœnam & exitium suum fatigari.

MEDIVM. Si pro rerum discussione consulenda sint aliorum iudicia; vide quibus fidem habere debeas, hic enim inscitiâ, hic emulatione, hic propensis in alterius commodum affectibus, hic rumore, pecunia, alia quauis passione corruptus, iniquissimus erit rerum æstimator.

FINIS. Cum in arenis, in campo quem aratrum procidit, in syluis, trita quam sequamur certa via non apparet, dirigit nos visus ex proximo locus in quem itur: aut si visum eius distantia negauerit, ab errore nos reuocat, & quo vergendum sit indice suo docet acus nautica. In dubiis semper attendi debet

B finis quem vitę nostræ proposuimus, & hinc facilè constabit an res de qua quæritur illi congruat.

MAIORITAS. Non statim quod eminet vnicuique bonum est: sunt plantæ quæ montes, aliæ quę valles, syluas & vmbras amant; quæ geniis ignitis placet dominatio, nocet aëreis contemplationi natis, intentisque, non vnius ciuitatis aut prouinciæ, sed totius orbis regimini. Ita malum sæpè deprehendes non ex obiecti natura, sed ex appetentis incongrua dispositione.

ÆQVALITAS. Inconsultis nobis multa contingunt, certo tamen causæ superioris ordine. Saltem de his quæ nostras expectant electiones maturè feramus iudicium, ne toti pendeamus à casu, &

C mens terreno iuncta corpori, vt conuenientius terrenis imperaret, his in rebus libertati suæ relictis, aliqua ratione dominium cum Deo partiatur.

MINORITAS. Doloris an solatium, an augmentum est, quod multi culpa sua, malis quæ traxerunt in se, cruciantur.

Licet fiat debiti quædam confusio cum idem est actor & reus, & sibi quisque plurimum indulgens à se pœnas non exigat: Nescit tamen tacere conscientia, & dolenti durum est non habere causam externam, cui malum quod patitur, & iniquitatem sui fati, semetipsum iustificans imputet, hos reæ mentis morsus vitabit qui sedatis passionibus res vt se offerunt, suo & aliorum adhibito consilio mature dis-

D cutit.

Quod sapit, nutrit; *Vide Duratio Concordantiæ.*

Probandi sunt hi quos in vitæ societatem admittimus.

Sacerdotum in antiqua lege munus erat, Dei cultum curare, discernere inter mundum & immundum. Alcuin. de diuin. officiis c. 34.

De iusta suspicione. *Vide Magnitudo Virtutis Repug.*

In omnibus considera an quod quæris è re tua sit; an consequi possis; an retinere; quomodo consequi & retinere possis, ac qualiter vti debeas. Cardan. de arcanis prudentiæ. c. 26.

by Google

VOLVNTAS BONITATIS.

APPETITVS BONI.

APPETITVS boni est principium motus. *Vide Concordantia Principij.* Partes suo vniuerso conformes.

Epicurus dixit materiam esse primum rerum omnium principium quam & vacuum vocat; cętera quę ei superueniunt, etiam formas quas vocamus substantiales, esse tantum accidentia ex positione & ordine partium resultantia. Albert. Magn. lib. de proprietatib. primæ causę. c. 1. Primum motus ad bonum principium, est appetitus boni. Vnde in conuiuio Plato dicit amorem ex chao, idest indigentia vacuoque natum.

Eucharistia est simul sacrificium diuinam excellentiam indicans, & sacramentum hominem sanctificans.

In adulto recipiente sacramenta, requiritur debita intentio, quia qui non intendit, non consentit, censeturque virtualiter contradicere. Non decet autem Christianos inuitos imbui sacramentis. D. Th. 3. q. 68. a. 7.

De boni appetitu. D. Thom. q. 22. de verit.

Qui eligit id quod melius est, nihil differre videtur ab eo, qui habet hoc ex natura, inquit Ptolomeus.

Materia appetit formam sicut fœmina marem, & sicut turpe pulchrum. Arist. 1. Physic. tex. 81.

Extructo à Salomone magnificentissimo templo, summa orationis erat, vt Deus populum in rebus suis opem in templo implorantem exaudire vellet ex arca & cœlo 3. reg. 8.

Num. 11. Iosue & Caleb. excitant populum ad conquisitionem terrę promissæ, ostenso botro quem vecte duo viri ferebant.

Inter omnes motus voluntatis & virtutis appetitiuæ, primus motus est amor; quia respicit bonum in communi, siue sit habitum, siue non habitum: cæteri autem motus respiciunt bonum sub aliqua speciali conditione, sicut gaudium & delectatio, est de bono præsenti & habito, desiderium autem & spes de bono non adepto. Et propter hoc omnes alij motus appetitiui præsupponunt amorem, quasi primam radicem.

Quælibet res ad formam suam naturalem hanc habet habitudinẽ, vt quando non habet ipsam, tendat in eam, & quando habet ipsam, quiescat in ea; hæc habitudo in carentibus ratione, vocatur appetitus naturalis.

Omne quod est, naturaliter tendit in bonum, vt pote ex principio bono existens.

Omnis motus naturalis intensior est in fine, cum appropinquat ad terminum suę naturæ conuenientem, quam in principio cum recedit à termino suę naturæ non conuenienti, quasi natura magis

A tendat in id quod est sibi conueniens; quam fugit id quod est sibi repugnans.

Passiones concupiscibilis sunt priores passionibus irascibilis si[illegible] autem eos præcedunt, vt passiones irascibilis ab illis originem habeant & ad illas terminentur, *Vide Potestas Voluntatis.* Vis amoris.

Plinio supplicat herba Ioui.

Creatura nunquam fuit diligibilis nisi in quantum bona, vel in effectu reali, vel in potentia, vel in esse intellecto; & quamuis non fuit bona in effectu priusquam à Deo diligeretur, tamen secundum rationem intelligendi, prius fuit bona in potentia diligentis, & in esse intellecto, quam à Deo dilecta. Pelbartus in rosario Theologico, in voce, Amor Dei.

B Bonum dicitur à boo boas, quod est voco, vocas, quia omnia bonum ad se vocant, & velut boando appetunt. Id in voce bonum.

Dum aliquid speramus reiuuenescimus, & corpora alioquin morbosa sana degunt.

Mirabile est quod Plinius scribit Alpibus coërcitas & tam insuperabili munimento Gallias, hanc primam habuisse causam superfundendi se Italiæ, quod ciuis eorum fabrilem ob artem Romę commoratus, ficum siccam & vuam, oleique & vini præmissa remeans secum tulisset. Rhodig. lib. 6. cap. 6.

C Omne bonum debet liberè appeti, & ad illud nemo cogendus *Vide Minoritas (contrarietatis.* non cogere.

In peccatis in quibus principaliter intenditur fruitio boni commutabilis, sicut in luxuria, auaritia, & similibus, prius est naturaliter conuersio, quam auersio, quæ non est principaliter intenta, sed pręter intentionem consequitur ex inordinata conuersione. D. Thom. quodlib. 6. a. 16.

Si quis quæ Christus præcepit expendat, comperiet omnia ad nostras vtilitates referri, vt nemo nisi maximo suo bono sentiat se credere.

Animalium formatio fit, propter actionem, actio propter consequutionem boni conuenientis. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 6. §. 2. D

Vide Voluntas finis. intentionis.

Natura quantum licet facit quod melius est. Ib. l. 20. §. 1.

Innatus est boni conuenientis sensus & appetitus. Ib. l. 2. lege 2. §. 2.

In rerum commercio dantur superflua pro necessarijs. Ib. lege 8. §. 2.

Deus vult nos ab ipso bona petere, eorum enim & erga largientem affectũ probant, talis est oratio dominica & quotidiana; Petite inquit, & accipietis. Ps. 2. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Samaritana petit à Christo. Domine da

mihi

mihi aquam. Ideo differt Deus dona donec petantur, *Vide Duratio Bonitatis. Mora.* Apocal. 3. iubet stare ad ostium & pulsare.

Deus pręcipit orare, quia multa sunt quę dispòsuit non concedere nisi oratus. Tostat. Matth. 10. 3. fo. 212.

Contrà sine precibus Deum nobis bona concedere. *Vide Potestas Virtutis. Vis Orationis.*

Deus vult preces nostras ad ipsum dirigi, quia sic confitemur & colimus paternam eius bonitatem in nos, prouidentem sapientiam, & humiliamur sub eius potenti manu, fatentes nos omnia habere ab ipso. Vide Demonstrationē *Principium Virtutis Deus.*

SIBI PRIMVM prouidere.

VIde Supra *Duratio Bonitatis. Mora.* De plantis quæ non ferunt fructus, nisi postquam steterit eorum incrementum.

Priuilegium extrahendi aquas ex publico aquæductu, restringitur ad aquam superfluam & superabundantem. l. si quis per diuinam liberalitatem. C. de aquæductu. Sic licentia extrahendi frumentum ex prouincia, intelligitur cum hac conditione ne prouincia egeat: quia priuilegia publicæ vtilitati damnosa, non sunt recipienda. l. nec damnosa. C. de precib. Imperat. offerend. Sitientibus agris nostris, aquam non dabimus alienis. l. pręses. C. de seruitutib. quilibet enim primo sibi eleemosynam facit, deinde proximo. can. sane. de pœnit. dist. 3. & can. si non licet. 23. q. 5. Ecclesi. 35. Da altissimo secundum donatum eius.

Licet dominus teneatur seruos suos & belli captiuos baptizare, potest tamen non baptizatos parentibus vendere, si non possit aliter sine magno familiæ suæ incommodo. Bonacina. de subiecto baptismi.

In sacrificio missæ est specialissimus fructus quem sacerdos celebrans non debet, & secundum aliquos non potest, alteri applicare. Id. de sacrificio missæ.

Episcopus frui potest indulgentiis à se concessis, cum etiam obligetur legibus à se positis. cap. cum omnes de constitution. & potest sibi immediatè concedere indulgētias. Id. de indulgētiis 2. propositione.

Prælatus non potest satisfactionem subdito necessariam applicare alteri, quia non potest hoc ei damnum in spiritualibus inferre, quin subditus consentiat. Ib.

Proximi quia sunt aliquid nostri, cæteris sunt pręferendi. *Vide Concordantia Æqualitatis.* Amor consanguineorum.

Charitas obligat ad subueniendum extremæ necessitati spirituali proximi, cum vitæ, aut facultatum periculo. D. Th. 2. 2. q. 26. a. 5. extrema necessitas est, si non sit alius qui subueniat. Extra hanc necessitatem, non tenemur proximo subuenire, cum periculo vitæ, aut cum notabili damno famæ, aut facultatum; quia ad ea seruanda natura ius nobis dedit. Tenemur dare eleemosynam tantum de superfluis vitæ & status. Bonaci. de charitate. puncto 6.

Debitor extremam patiens necessitatem, non tenetur rem debitam restituere creditori simili necessitate laboranti, quia in extrema necessitate omnia sunt communia, & est melior conditio possidentis, vnde non videtur rem alienam retinere; quidam asserunt parentes, filios, fratres, creditori pręferendos, quia debitum naturale, ciuili præferendū. Ibid. & qui in extrema necessitate consumpsit rem apud se depositā non tenetur restituere, quia consumpsit vt cōmunē & ex vi maiore, quam nō tenetur præstare.

Qui eleemosynam accepit distribuendam, potest eam sibi applicare si indiguerit, modo non acceperit distribuendam particularibus personis & dum non constet aliter de voluntate domini. Ibid.

Ægyptii scientias columnis & obeliscis inscripserunt, ne possent alio transferri & his patria fraudari.

Apud Drusos Syriæ populos, mater nubit filio; Pater filiæ, dicunt enim, filios & filias sibi primum quam aliis genuisse. Dauity.

Fōs illās ante omnia terras infundit, ex quibus profluēs deriuatur. *Vide Volūtas Principij. Amor Patriæ.*

Seruorum est, aliis laborare. Asinus vinum portans aquam bibit, frumentum in horreis ponens, fœnum mādit. Boui tamen trituranti os non est alligandū.

Actio immanens est quæ formaliter manet in eodem supposito, & in eadem potentia proxima ex qua elicitur. Vel corporalis, sicut sentire, vel spiritualis, vt intelligere, velle.

Nauarrus existimat eum qui rem inuenit, cuius facta inquisitione nescitur Dominus, posse suam efficere iure naturæ, vt ea quæ fiunt primò occupantis, nā perinde est ac si nullus esset Dominus. Bonacina existimat pauperibus distribuēdā, quia hęc est tacita volūtas Domini. Quāuis possit inuētor si sit indigēs se cęteris præferre; & si nō sit, ratione cōsuetudinis aut legis partem retinere. Vt in inuentione thesauri.

Qui bona fide emit à non Domino, postea agnoscens verum Dominum, non tenetur ei rem restituere, sed potest conuenire iniustum venditorem, & ei rem restituere accepto quod dederat pretio vt se indemnem præstet, quia nullus tenetur ex charitate aut ex iustitia magis prospicere bono alieno, quam proprio. Id de restitutio.

Creditor qui petit & curat sibi fieri restitutionem ante alios, non peccat nec tenetur ad restitutionem, cum vtatur iure suo, nec accipiat alienum, modo itamen alij creditores, non habeant ius prælationis. Ib.

Extrema necessitas debitoris est iusta causa differendæ restitutionis, quia in extrema necessitate omnia sunt communia saltem quo ad vsum, tum quia melior est conditio possidentis. Ibid.

Qui cedit bonis potest abscondere, sibique retinere quantum necesse est ad tenuem sui, & eorum quos alere tenetur sustentationem, iuxta suū statū.

Non obligatur quis ad restitutionem famę alterius, si id non potest, præstare sine periculo vitæ, aut notabili iactura propriæ famæ. Nam iustitia non obligat ad restitutionem, cum damno notabiliter maiori quā sit damnū illatū. Vt vir illustris nō tenetur ad restitutionē famæ homini plebeio, quādo eam præstare nō potest sine iactura suæ famæ. Debet tamen aliis modis compensare. Ibid. q. 4. p. vltimo.

Isocrates dixit, qui malè consuluerit suis rebus nunquam benè consulet alienis.

Licitum est absque peccato mortali, surripere in extrema necessitate ad subleuandam necessitatem, quia necessitas extrema facit omnia communia, hoc tamen intelligitur, modo Dominus rei non existat in æquali necessitate, quia in pari, melior est conditio possidentis. Bonacina de restitutione furti.

Cicero ad Fabium Gallum, Non omnibus dormio ita nec omnibus seruio.

Vrgente fame Hierosolymis mater filium quem genuerat occidit & comedit. Eam loquentem inducit Rodigin. lib. 11. c. 24. in fine.

Qui seipsum non docuit, alium docere non potest. *Vide Veritas Virtutis* Dicta concordent operibus.

Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui, Prouerb. 5.

Omne membrum potestatem habet vertendi in se particulam sanguinis sibi distributam, & donandi proprio calore & consistentia.

Nos nobis ipsis propinquiores quàm proximo sumus, cum igitur nobis ipsi non persuademus, aliis quomodo persuadebimus, nam si quis domum suam minus rectè administrat, is ne Ecclesiæ quidem curam habiturus est: qui fiet vt ne suam quidem ipsius animam tuetur, alios corrigere possit? D. Chrisost. homil. 6. in cap. 3. ad Roman.

Cur tibi cæteris rebus vilior es, qui animam desolatam cum habeas, aliud nihil quàm domus tuæ pulchritudinem ostentes Id. hom. ij.

Tumultuantibus Iudæis dicit Paulus Act. 13. Vobis oportuit primum annuntiari regnum Dei, sed quoniam repellitis illud, conuertimur ad gentes.

Quis militat suis stipendiis, quis plantauit vineam & de fructu eius non edit, quis pascit gregem, & de lacte eius non edit &c. 1. Corinth. 5.

B

Sicut riuus à fluuio deriuatur, ita processus temporalis creaturarum ab æterno processu personarum. Vnde in psal. 143. dicitur, Dixit, & facta sunt; verbum genuit, & hinc cæterorum productio. Omnia per ipsum facta sunt, inquit Ioannes, semper enim id quod est primum, est causa eorum quæ sunt post, secundum Philosophum; vnde primus processus est causa & ratio omnis sequentis processionis. D. Thom. in prologo. magistri sententiar.

Ecclesia debens pecuniam, & non habens vnde soluat, poterit creditor in solutum accipere prædia, non vt in cæteris debitoribus, meliora, sed mediocria, melioribus ecclesiæ relictis. nou. 4. & 120. Vbi Cuiac.

C

Excluduntur à tutela aut cura, qui sunt minorum aut creditores aut debitores; quid enim non agat per se Dominus eiusdem rei existens? non licet etiam tutoribus aut curatoribus, cessiones vllas suscipere aduersus minores. Nou. 27. cap. 1. & 5.

Amicus se præfert amico in causa salutis animæ. *Vide Virtus Concordantia*. Amicitia continetur virtutis legibus.

Amor quo quis seipsum amat, prior est generatione alijs amoribus, quia quilibet homo est prius sibi cognitus. Tost. Math. to. fo. 144. de

Quilibet beatus amabit plus beatitudinem suam, quantumcumque paruam quam beatitudinem omnium aliorum beatorum, imo tenetur post Deum, seipsum super omnia diligere, & bonum suum plus velle. Id. Math. 7. to. fol 232. c. 1. C.

D

Cum dicitur, diliges proximum tuum sicut teipsum, non denotatur æqualitas, sed similitudo quædam. Id. Leuit fo. 191.

Homo prætermissis rebus cæteris debet potissimum studere virtuti quæ sibi propria est. *Vide Bonitas Virtutis.*

Noë desperata cęterorum salute consuluit suæ.

Vnusquisque seipsum præfert alteri. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege 2. 3. 4. & bona sua sibi seruat. Moral. Christian. to. 3. parte. 2. cap. 16.

Nemo seruis suis dat cibos gratiores seruatis sibi vilioribus etiam nociuis: animus præferatur corpori. D. Chrys. hom. 2. in Math.

E

Stomachi ius geniale & particulare est, quod sibi primario coquat, pro to.o autem tantum per accidens: indirectè atque extraordinario iure immediatè alitur chylo à se confecto, non secus ac radix vegetabilium succo terræ, & vt non repetit succum à se emissum, ita nec stomachus chylum, vnde paucas habet venas, nec læsus fundit sanguinem: sed chylo suo pascitur quem dein in spermaticum liquorem sibi congruum adaptat. Van helmont de anima sensitiua.

Omnes, inquit Apostolus, stabimus ante tribunal Christi, & vnusquisque rationem reddet eorum quæ gessit in corpore, siue bonum siue malum: componenda est igitur causa propria, deinde si potest fieri, etiam aliena. Laurent. Iustin.

Idem in prooemio lib. de institut. Prælator. Forte dignabitur Dei clementia etiam me emendare per me, dum ex aliorum eruditione redire curabo ad me, me agnoscere, me redarguere, meque corrigere.

Puteal est operculum putei, quod sigillis veteres exornabant. Cuiac. obseruat. lib. 9. cap. 2. ne omnibus esset communis aqua.

Qui fratris defuncti semen suscitabat, primogenitum quem gignebat, nomine fratris sui nominabat, qui & ad familiam & cognationem mortui pertinebat. Deut. 25.

De his qui aliis bene consulunt, rem tamen suā malè gerunt *Vide Media Cognitio*. Ex Cardano.

Annonæ extractionis prohibitio non comprehendit extrahentes quantitatem necessariam ad sustentationem suam vnius anni vsque ad nouam messem Greg. 15. const. 30. § 3.

Blada, legumina & animalia de statu Ecclesiastico extrahentes excōmunicantur à Greg. 13. const. 50. Bull. p. 316. t. 2. & Paul. v. const. 12. § 6. p. 14. to. 3.

AMOR SVI BONVS.

Corpora, quę in mundo orbiculari cientur motu, quasi mutua conspiratione, & concordi annutu, in seipsa versātur. D. Basil. in hexamerō. hom. 1.

Adorate Dominum in aula sancta eius. Psal. 28. Vt ornantur templa, & domus Domini, sic cuiusque anima est templum, & aula Dei, quæ debet cingi sanctitate vitæ, sermonum, cogitationū in seipsa adorans Deum, cum habeat ad id sufficientem & idoneam occasionem. D. Basil. in d. Psal. 28.

Omne membrum cuiuslibet animalis habet virtutem naturalem, per quam complet suum nutrimentum, & hæc virtus quatuor ad minus habet operationes, quæ sunt alimentum conueniens attrahere, attractum rectificare, rectificatum sibi vnire, & id quod non est conueniens, à se expellere. Albert. Mag. lib. de animal. c. 5.

Teipsum reuerere, & hanc animo tuo legem constitue, vt nihil absurdi committas, etiam si nullos sis habiturus testes.

Qui autoritate Pontificis fures excommunicat, non censetur excommunicatus si furetur, quia Pontifex non præsumitur velle vt hanc pœnam sibi imponat, ita nullus tenetur seipsum prodere, cap. cum non deceat, de electio. in 6. Bonaci. de legib. disp. 1. q. 1. pun. 6. *Vide Volumas Durationis*. De sui conseruatione.

Qui incurrit pœnam ipso iure à lege impositam, & sine hominis actione vt suspensionem officij, non tenetur seipsum officio priuare, si non possit absque magno scandalo, facilè tamen potest dispensationē petere. Id. puncto. 7. §. 2. Reus ob crimen commissum, si neget perseueranter, & non condemnetur, non tenetur pœnam exoluere, in quam confessus damnatus fuisset, quia non tenetur nisi post sententiam declaratoriam & lex per se non obligat, quia requiritur actio hominis. Ibid.

Duplex est iurisdictio: vna inuoluntaria quæ requirit coactionem, & sententiam qua dicitur ius inter partes, & hanc iurisdictionem nemo exercet in seipsum. Ita S. Pontifex non potest seipsum ex-

communicare aut sacramentaliter absoluere. Alia est Iurisdictio voluntaria & gratiosa qualis est, quæ dispensationes concedit: & hæc non requirit personam distinctam, sed superior potest illam in se exercere: sic Papa potest secum in voto dispensare, sibi beneficium conferre, indulgentias concedere, sic de aliis prælatis, secundùm eam quam habent iurisdictionem. Id. de legib. q. 2. de dispensatio. *Vide Minoritas medij*. Seipso agere.

Priuilegium & dispensatio, validè potest obtineri absque mandato, vel scientia illius, in cuius fauorem obtinetur. Id enim velle supponitur. Idem de priuilegiis. puncto. 3. licèt non possit executioni demandari donec acceptetur.

In dubiis licitum nobis est, partem nobis maximè fauorabilem eligere, quando possessio stat pro nobis, & contra nos non extat iuris dispositio. Id de peccatis. q. 4. pu. 7.

D. August. li. de morib. Ecclesiæ, Virtus, inquit, est ordo amoris, omnia ab amore sunt, sed ne aberret, illum virtus dirigit, in ea quæ sunt rationi congrua, & tandem in diuina.

Motu naturali corpora feruntur ad sua centra, non ad centrum vniuersi.

Vt quisque externa misericordiæ opera tenetur in alios exercere, esurientes pascere, sitientes potare; infirmos visitare, hospites colligere: Eadem sibi interius spiritualiter exhibeat; doctrina Spiritus sancti alat esurientem & sitientem animam suam; Nudatam iustitia bonis operibus vestiat; passionibus, velut carcere & vinculis ligatam consoletur; vagam in humanis & peregrinantem colligat, &c. Capitulare Theodulphi Aurelianensis Episcopi.c.32. in Conc Galliç an. 797.

Magis vnusquisque seipsum amat quam alium, quia sibi vnus in substantia, alteri verò in similitudine alicuius formæ. Ideo sapiens potest esse sine amico. *Vide Minoritas Concordantia*.

Non postulatur ab omnibus vt alios seruent, sed illud ab omnibus postulatur, vt semetipsos seruent. Suidas in voce *ἄγιος*.

Vtraque propositio vera est, videlicet quod Deus ideo vult se quia est bonus; & è conuerso, Deus ideo est bonus quia vult se & amat se. Bonitate entitatiua prius est bonus quam amabilis: & bonitate voluntatis quæ consistit in debita conuenientia actus, bonus est quia se amat. Perbartus in rosario theologico, in voce Bonitas diuina. §. 18.

Vtcumque fluat mare in sese fluit ac reciprocatur non in aliud se recipit, velut fluuij Rodig. l. 26. c. 4.

Narcissus se contẽpatus in fonte lucidó, & amore sui moriens significat eum qui animæ suæ dignitatem contemplatus, vitam reliquit sensibilem. Ibid. c. 21.

D. August. li. 10. de Trinitate dicit mentem humanam habere in se imaginem Dei, eo quod sui meminit, intelligit se, diligit se; & hæc tria non sunt tres vitæ, sed vna mens, vna essentia. Et hæc æqualia sunt, non solum singula singulariter, sed etiã singula omnibus, alioquin non se inuicem caperent, se autem inuicem capiunt, capiuntur enim & à singulis singula, & à singulis omnia, memini enim me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem, & intelligo me intelligere & velle atque meminisse, & volo me velle, & meminisse & intelligere. Magist. sententia. dist. 3. q. 3.

Voluntas rationalis creaturæ determinata est ad vnum, in quod naturaliter mouetur sicut omnis homo naturaliter vult esse, & viuere, & beatitudinem, & ista sunt ad quæ primo mouetur naturaliter creatura, vel intelligenda vel volenda, quia semper actio naturalis præsupponitur aliis actionibus, & sic Angelus primo in se conuersus est, quam in Deum. D. Thom. in q. disput. de peccatis quæst. 16. a. 4. ad 5.

Angelus in primo instanti suæ creationis simul dum mouebatur in suam naturam, mouebatur etiam in Deũ in quantum est actor naturæ, quia intelligẽtia cognoscendo essentiam suam, cognoscit causam suam; non tamen tunc ferebatur in Deum, secundum quod est actor gratiæ. Ibid. ad 14.

Ad animam suam se habet homo dupliciter, vno modo vt ad rem suam pretiosissimam; alio modo vt ad rem ab alio ei commendatam & de qua reddi-
B turus est rationem. Tostat. in Math. tom. 6. fo. 323. cap. 1. c.

Bonum proprium amat quis duplici ratione, & quia bonum, & quia proprium, sed potissima ratio amandi est quod sit proprium. Idem Math. tom. 145. c. 4. f.

Arist. Ethic. 9. dicit probos seipsos amare per quinque conditiones amicitiæ. Prima est quia vnusquisque amicus vult amicum sum esse, & viuere. 2. Vult ei bona. 3. Operatur bona ad ipsum. 4. Conuiuit. ei delectabiliter. 5. Concordat ei in eisdem. Hæc seruant boni erga se, quo ad interiorem hominem, quia volunt ipsum seruare in sua integritate, & optant ei bona eius quæ sunt bona spiritualia, & ad ea assequenda operam præstant, & delectabiliter sibi ipsis conuiuunt ad corda propria redeuntes.
C Mali vero in contrarium. Id. Math. to. 6. f. 139.

Tibi non tantum charus esto, sed venerabilis, ne quid teste cõscientia mali, vel inepti peragas. *Vide Potestas Virtutis*. Sapiens seipso contentus. Non is amat se qui opes, qui honores amat, qui voluptates & cætera exteriora, sed amor est corporis inconsultus, cæcus, ferus, perniciosus sibi & alijs. Non amat se qui ignoratione sui ipsius seipsum fallit, aut falli se ab aliis patitur, qui se hoc modo amat nec alium amat, nec ab aliis amatur. Verus amor sui, est circa animum, sic docet Christus, qui amat animam suam in hoc mundo, in vitam custodit eam. Lud. Viues
D in introd. Sapientiæ.

De bono vel inordinato sui amore. Vide quæ scripsi Moralis Christiana, to. 2. parte. 1. c. 1. & 2.

Honoremus in Deo homine naturam nostram; diligamus nos in ipso; seruemus nos ipsi; ambulemus ad ipsum, permaneamus in ipso, delectemur in ipso, vt postea fruamur ipso. Laurent. Iustin. lib. de casto connubio verbi & animæ. c. 9.

Vt quis mereatur accipere Spiritum sanctum, debet secum consentire. *Vide Bonitatis Concordantia*.

REPVGNAT.

RESPVERE MVNERA & beneficia.

E

CAssian. lib. 4. cap. 4. refert hanc fuisse in Ægypto disciplinam, vt ingredientium monasterium bona, ne in vsum quidem cœnobij reciperentur. 1. ne confidentia huius oblationis elatus pauperibus fratribus æquare se non dignetur, sic non descendat ad humilitatem Christi & tepefactus, monasteriumque egressus, sacrilegè data repetat.

D. Basil. ita scribit, ad Chilonem discipulum. Ne quid ab vllo mortalium acceperis; nequidẽ in pauperes erogandũ: qui tangit picem, inquinatur ab ea.

Malorum principum munera sunt respuenda. Sic Exod. 22. non licet comedere de carne, quæ fuerit à bestiæ prægustata.

Appollonius respuit munera sibi oblata à Rege Babyloniæ. Philostrat. in vita Appollonij. lib. 1. cap. 12.

Omnium beneficiorum ista natura est, vt non sit necessitas sed potestas; quidquid in honorem alicuius inuentum est, desinit beneficium vocari posse, si cogas. Cuncta iura percurrite, nusquam adeo pro nobis sollicita lex est, vt quod præstat, extorqueat; dedit cæco talionis actionem, non manus recusantis impellit; iniuriarum, cædis agere permisit, sed non cogit inuitos; adeo pené leuius est vltionem petire quam potestatem. Genus seruitutis est coacta libertas, &c. Quintilian declam. 7.

D. Gregor. PP. in Registro. lib. 1. epist. 64. Episcopo Messanensi prohibet ne amplius ad eum munera transmittat, & missa iubet venundari, pretiumque restitui.

Idem. lib. 4. epist. 8. monet Episcopos ne precibus aut præmiis, sed meritis ordines sacros conferant, ne simonyacæ hęresis laqueis irretiantur. Et ipse xenia ab ipsis missa non vult recipere, ne à prædatis & afflictis fratribus recepisse videretur.

Socrates ambitiosa Alcibiadis munera respuens, dicebat se cum ambitiosa viri ostentatione, certare.

Isay. 33. Iustus manus suas excutit ab omni munere Triplex autem est munus scilicet munus à manu, pecunia; munus ab obsequio, obedientia subiectionis; munus à lingua, fauor adulationis; & his modis committi potest simonia: charius enim emit, qui se loco pecuniæ dat, &c. Petrus Damian. lib. 2. epist. 1. Idem argumentum prosequitur opus. 22. de Clericis aulicis.

Idem lib. 4. epist. 7. monet Episcopum à muneribus impiorum abstineat, ne communicet peccatis alienis. 1. Tim. 5. & libera conscientia possit dicere, mundus sum à sanguine omnium. Act. 20. Sibi id enim nocebit, & donantibus non proficiet, quia victimæ impiorum abominabiles sunt domino. Eccles. 34. quærit enim hominum animas, non bona.

Idem opus. 3. monet Iudices abstineant à muneribus quibuscumque recipiendis. Nam vt dicitur Eccle. 20. dona excæcant oculos iudicum & quasi mutus in ore, auertit correptiones eorum. & Isa. 1. principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.

Vide Potestas Bonitatis. 1. Reg. 8. dicitur: Declinauerunt post auaritiam, acceperunt munera, peruerterunt iudicium. 1. Reg. 13. Samuel morti proximus protestatur coram populo se à nullo accepisse munera. Deut. 16. dicitur, non accipies personam nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Vide Gen. 14. num. 16. 5. 50. 57.

Pyrrus Epirotarum Rex bello moto contra Romanos, illorum Duci Fabricio quartam regni sui partem obtulit, si vellet ad se transfugere, quod ille indignatus abhorruit, & licet pauper, quouis gloriosor rege in sua paupertate permansit. Eutropius hist. Roma. lib. 2.

Acceptis muneribus, si contra datorem quid agere volumus, mox in ore nostro verba mollescunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubescentia præpeditur. Si finito negotio munus accipias, aliud occurret, in quo fies de iudice debitor, & eundem fluuium quem post tergum putabas reliquisse, reperies enatandum. Securius est ergo secundum Prophetam excutere manus suas ab omni munere. Petrus Damiani. opus. 31. c. 5.

Dux Venetiarum nec ipse nec aliquis ex sua domo potest accipere munus quodcumque sit.

A D. August. lib. de vita & morib. cleric. non vult Ecclesiam acceptare testamentum eius qui filiam propriam exhæredarat.

Tenetur quis restituere quod accepit ad faciendum opus quod debebat ex Iustitia, ut iudex ad iudicandum, non verò si opus sit debitum per aliam virtutem, vt per charitatem. Bonacina de restitut. pro. 2. tenetur restituere qui accepit ne danti iniuriam faceret, quia solius dantis turpitudo versatur; l. 2. ff. de cond. ob turp. ca. l. 7. ff. de pactis denique tenentur ad restitutionem quæstores qui accipiunt pecuniam vt soluant, quod ex iustitia soluere

B tenentur. Hinc colligi potest munera penitus non accipienda, nam pro re honesta ex se debita in hominum commercio est contra Iustitiam: pro re inhonesta, penitus prohibitum, quia pactio contra bonos mores est illicita. *Vide Voluntas Minoritatis Mala.* Sic l. 3. Cod. de condict. ob turpem causam. Concussionis reus habetur qui pecuniam à tyrone accipit vt citius quam ferat lex à tempore tyrocinij liberetur, quia solius accipientis turpitudo versatur, potest datum condici.

Munerum receptio in officialibus multa mala producit: ideo prohibuit Paul. 2. const. 3. p. 198. to. 1. Bull.

C Nuncii Apostolici ad principes destinati non possunt ab eis obtinere fauores ad dignitates obtinendas pro se aut suis à sede Apostolica. Pius 4. const. 96. p. 113. to. 3.

Lege Iulia repetundarum tenetur qui cum aliquam potestatem haberet pecuniam ad iudicandum, decernendumque acceperit, vel quo magis aut minus quid ex officio suo faceret l. 3. & 4. ff. ad l. Iul. repetund. Extraordinariè punitur hoc crimen vt exilio. l. 7. eod. Licet iudex possit accipere quædam Xeniola & edulia, quæ tamen producenda non sunt ad munerum qualitatem l. 6. ff. de off. procons.

Bonacina de legibus disp. 10. q. 1. puncto 8. dicit officiarios, qui recipiunt munera vltra salarium sibi

D lege præstitutum teneri ad restitutionem, quia videntur contraxisse cum Principe, aut Republica, eo, non ampliori salario suum officium exequi, quod si dicant hos reditus non æquare ingens pretium officij sui venalis; respondetur hoc exiguum salarium assignatum ne in immensum excrescerent officiorum pretia, quod si ambitiosè tale pretium auxerint, æquum non est vt ex delicto suo meliorem suam faciant conditionem, & inde opprimatur populus.

Munera ne maxima quidem inimicorum sunt concupiscenda, amicorum verò vel minima. Hostium munera non sunt munera Suidas in verbo ἄδωρα.

E Athenis actio dabatur in magistratus qui dona cepisse viderentur. Idem in voce Δωρῶν.

Iudæis non licebat accipere eleemosynam à gentilibus nisi cum suorum eleemosynæ, extremæ necessitati non sufficerent. Serrarius de Rabinis lib. 2.

Hipocrates magnis oblatis muneribus noluit sanare pestem Persas vastantem, quia erat regio Græciæ inimica. Fuisset ignominia, habere opulentiam patriæ inimicam. Hipp. epist. 11.

Munera respuens, dante, ampliorem habet animum.

Non potest eligi prælatus qui à laico antea se eligi passus est. c. quisquis 43. de electionib.

Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Rom. 13. præcipit Apostolus alterius debitores nos non debere constituere, beneficiū accipiendo.

Si iudicem munera recipientem excusare velint, A quod Deus à nobis licet Iudex donaria recipiat, Respondendum, quidquid Deo tribuitur non munus est, sed solutio debiti; sed & si munus volueris appellare, illi conceditur qui æquitatis præuaricator esse non potest, & ideo tantum nostra postulat, vt apud nos non maneant nec nociua, nec sterilia, sed vt semina terræ commissa, surgant in messem ditissimam.

Quæ viatorem præcedit vmbra sæpius impedit, quæ sequitur non item, sic munera quæ litis iudicium præcedunt, lucem auferunt, quæ sequuntur ex gratitudine nihil nocent.

Iustinia. Imp. à Nouella 24. ad 33. diuersis prouinciarum Prætoribus id vbique monens insinuat B vt puras manus seruent à muneribus & gratis acceptum beneficium gratis exerceant.

Mare fontium & fluuiorum aquas non prius recipit, quam respuerit, quasi his non indigeat; Nam in fluxu suo longè illas repellit, sicque in se redeunt & intumescunt, impermixtis aquis marinis.

Tres pueri noluerunt adorare statuam auream regis, sed maluerunt mitti in fornacem. Daniel. 3. Pecunia est aurea imago quæ proponitur adoranda, sed à sanctis contemnitur fœliciter quidem, cum illis pareat flamma tyrannidis ministros deuorans. D. Chrysosth. hom. 4. in Matth. sub finem. Ros magnus est conscientiam habere bonam auaritia liberam, contemptis præsentibus bonis, cœlestibus dignum fieri. Ib.

C Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur Matth. 5. Exercens iustitiam noli formidare pauperiem, tunc enim tibi Deo sic decernente continget rerum abundantia. Id homil. 15.

Debitor qui soluit ante diem, plus soluit, quam debet l. 15. ff. de ann. leg.; nec tamen repetit condictione indebiti, quia censetur donare. l. pen. de colla. bon. quod tamen debetur in diem, creditor inuitus non accipit ante diem, & si post oblationem pereat pecunia, ipsi non perit; nec enim inuitus, quod donatur accipiet, quod etiam tunc ipsi incommodum erit. Cuiac. obser. lib. 13. cap. 23.

Vide Potestas Bonitatis. Munera excæcant.

D Oblationes quæ in altari consecrantur offerre, erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicauerit. D. Aug. serm. 215. de tempo. ita communicaturi panem & vinum in Ecclesia offerebant.

Propheta iustum describens dicit, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accipit: modestiam accipiendi muneris temperauit. Est enim quædam munerum consuetudo quæ honorem adferat largienti, itaut maioris doloris sit, oblata contemni, quam dona donasse quæ sumpta sunt. Igitur ea solum munera quæ in alterius vertuntur iniuriam, prohibuit.

D. Hilarius. in Psal. 14.

E Consolatores potius nos in mœroribus suis, quam conuiuas in prosperis nouerint. Facile contemnitur clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, ire non recusat. Nunquam petentes, rarò accipiamus rogati: beatius enim magis est dare quam accipere. Nescio enim quomodo etiam ipse qui deprecatur vt tribuat, cum acceperis viliorem te iudicat, & mirum in modum si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur. D. Hieron. epist. ad Nepotian.

S. Hilarion. ab homine quem à Dæmone liberauerat, noluit accipere decem libras auri, sed tantum panem hordeaceum, docens eos qui tali cibo aleruntur, aurum pro luto ducere. Id. in eius vita.

Fabricius munera regia respuit, cum auro dominum timens accipere. Seneca lib. 2. contro. 1. Liberis, pretium seruitutis ingratum est.

DEVS IMPIORVM Oblationes respuit.

Sacrificia stultorum ignis solum alimenta sunt.

Matth. 6. Illi telonario dicit Christus. Veni sequere me, non dixit affer ad me, quia Matthęum, non Matthæi sacculos requirebat. D. Chrysolog. serm. 28.

Qui aliena prorogat, plus dando decipit, quam furando, nec compescit inde dolentium gemitus, sed producit. Audeo dicere, qui de fraude Deo offert, cumulat crimina, non emundat, quia Deus in tali munere exuuias suorum pauperum, non misericordias intuetur. Sine causa Deo plorat, contra quem iustè causa pauperis plorauerit Deo. Id. serm. 54.

Vide Virtus. Bonitas. Quę Eleemosyna remittit peccatum.

Acetum non libabatur Diis, quia mortuum vinum sit, Diis vitę authoribus minime conueniens. Suidas in voce

Apud Lacones erat fons Inus in quem certis anni diebus placentas inijciebant, quas si recepisset in bonis signis habebant, si reddidisset, in malis, ex Plinio & Pausania. Georgius Agricola. lib. 3. de his quæ fluunt ex terra.

Sacerdotes non debent oblationes recipere fratrum dissidentium, eorum qui pauperes opprimunt, can. oblationes dist. 90. qui liberos exhæredarunt. can. vlt. 17. q. 4. ex communicatorum. can. si aliquis 26. q. 6. sacrilegorum can. de viro. 12. q. 2. Inuitos ab Ecclesia ad quam confugerunt, extrahentium. c. miror. 17. q. 4. Raptorum. cap. super eo, de raptorib vsurariorum. cap. quia in omnibus de vsuris: meretricum. can. oblationes 2. dist. 90. denique ex rebus turpiter quæsitis. can. immolans.

Cæsar Germanicus Api Deo Ægyptiorum panem obtulit, eius manum auersatus, infaustum omen ostendit, nam anno sequenti occisus est. Tosta. Exo. to. 1. fo. 73. c. 4. g.

Meretricum, & eorum qui opprimunt pauperes Ecclesia non recipit oblationes, ne videatur illicitos actus fouere can. minor 17. q. 4.

Deus suscepit sacrificium Abel, non vero Cain, quia deterior, deteriora offerebat. Alcuin in Genes. interrog. 15.

Vide Virtus Medij. Vti bono medio. *Et Maioritas Bonitatis.* Prodigalitas.

Mali suas oblationes altaribus offerunt ea mente, vt etsi non resipiscant, nihil de rapinis & concupiscentijs suis remittentes, placatum habeant, non iratum Deum. Hoc quid aliud est quam eum fingere sic bonis nostris indigentem, sic ea sitientem vt eorum desiderio, à Iustitia malos corripiente, à prouidentia miseris semper auxilium præbente, deflectat? Deum prędæ socium conscribit hæc impietas, furti, desertionis, impudicitiæ dato pretio receptatorem, vt quæ legibus suis crimina prohibuit, probet, impunè fieri permittat, etiam adiuuet his corruptus muneribus. Quę potest horrenda magis excogitari blasphemia Deum, vt olim dęmones, colens criminibus? Offert raptor non sua, sed pauperum sanguine plenis manibus quę reum denuntiant confitentem. Si de raptis aliquid altaribus

diis suis te subtrahens, inter obscura mortuorum cadaueribus infecta busta te recondas. Sic ab æterno essentia sua infinitè beatus Deus, nostris non indiget, cum ab eo recedis, ingratus, sacrilegus, nihil de gloriæ suæ plenitudine tollis, sed tibi noces, deficiens à cultu summi boni vnde pendet, & tantum tibi constare potest tua fœlicitas. Ita Deus mortem non fecit, sed impij manibus suis accersierunt illam. Ita peccator, viuens tantum ex sensibus, cadit è gradu naturæ suæ rationalis in bruti conditionem; fit iuratæ Christo militiæ desertor exautoratus, & cum sciens volensque se mergit illicitis, fit dæmon, fit vitiorum quibus obsecundat, seruus; *Vide Potestas Virtutis Rep.* Seruitus peccati. Transeunt enim actus in habitus qui velut cathenæ onerant & constringunt miseram voluntatem, vt deinceps viribus suis non se valeat expedire, licèt malorum suorum conscia mens, sæpius proclamet ad libertatem. Ita peccator volens ab hac seruitute fieri liber, prauæ suæ consuetudinis fit seruus, tum opinionis, passionum, fortunæ, tot dominorum, quot inuenerit emptores. Ambit in mundanis videri sapiens, & ecce fit stultus, pretiosa dans pro minimis, æterna pro temporalibus; externa curans, propria nescit & negligit, cum fallitur, sibi plaudens ridiculo, quamuis misericordia digno, furore: tandem nulla nocentior, quam peccatis cæcitas. *Vide Contrarietas Cognitionis.* Cæcitas ex peccato. Quot virtuti dicuntur laudes, decernuntur præmia, tot sunt in illum, sua saltem teste conscientia, publicæ contumeliæ, quod à talibus sponte sua exortem se fecerit. Morum deformitatem tegit quantum potest, vsurpato virtutis habitu, & ingenti sollicitudine, vana tamen, quia vestis hęc inconueniens & aliena notatur ab omnibus. Ipsa se prodit quo plus tenebras affectat iniquitas, & diuturnę suspicioni, sensim nigrescenti famę fidem facit. Ambit magnos profectus in commerciis, in dignitatibus bellicis & ciuilibus, sibi tamē obstat pessimo vitę genere quod tot æmulorum oculi facilè deprehendunt, & omnium, maximè dominantium auribus fama denunciat. Dū varias formas induit Protheus agnoscitur, & malum vnicum forsan perpetraturus, de mille suspicionem facit. Si socios colligit vt in eorum numero, crimen minus horrendum, & familiare magis videatur, tot sibi ponit custodes, è quorum manibus non se, cum voluerit, eripiet; latere non potest in eam amplitudinem excrescens malum, plures lędens, plures habebit accusatores, qui querelas suas in prædonum caput conuertant. Ita læsæ famæ, amissionis etiam temporalis commodi pœnas sibi dat inuitus peccator: fœlix si volens pœnitensque, longè minora pateretur, in suorum expiationem delictorum, hanc enim à Deo, miserante, vocante, iuuante gratiam posset consequi. Sibi maximè noxius est, qui terrena, conditione suâ indifferentia, etiam alia naturaliter bona, vt sunt intellectus & voluntatis facultates in malum suum conuertit. Nemo lugeat etiam immaturo fato sublatum peccatorem. Raptus est miserante prouidentia, ne suis criminibus plures inficeret; & in malum obstinata voluntate, cumulatus in se proprijs & aliorum delictis, seueriori iudicio, fieret in æternum plectendus. Vitam enim temporalem æternæ consequendæ materiam, tot gratias auxiliares, tot diuinæ bonitatis subsidia misere profudit, vt melius fuisset ipsum non nasci. *Ex principiis.*

Victus in lite coram Iudice soluit impensas litis. Cuiac. obser. libr. 12. cap. 1.

A Qui dereliquerunt Dominum consumentur, confundentur enim ab idolis quibus sacrificauerunt. Isay. 1.

Peccans se in nihilum redigit. *Vide Principium Durationis.* Deus.

INORDINATVS SVI amor.

Nemo sibi Iudex esse debet, cum enim omnibus in se propriam dicendi testimonii facultatem, iura submouerint, iniquum admodum est, licentiam tribuere sententiæ. l. 1. Cod. Theodos. ne in sua causa quis iudicet.

B Causa quod sine distantia nihil videtur, est quia visus non recipit visibile, nisi secundum esse spirituale: & si visibile tangeret visum, ageret violenter in ipsum, & destrueret ipsum: oportet igitur intercedere duplex medium, vnum agens quod est lumen, quod agit in coloribus esse spiritale, & alterum deferens quod est diaphanū, sed tamen lumen illud non egreditur ab oculo, nunquam enim inuenitur potentia passiua in se agere formam sui actiui. Ideo visus non habet aliquid, quo in se agat formam sensibilis, sed lumen quod est endelechia diaphani, facit hoc. Alb. Mag. tract. 1. de sensu & sensato. c. 10.

Iniqua est, & barbarorum propria inuicem iniuriæ compensatio: nos ideo magistratus, legesque à C maioribus nostris accepimus, ne sui quisque doloris iudex sit, & assiduæ scelerum causæ se refellent, si vltio crimen imitabitur, damnum accepisti, Erat lex, forum, iudex, nisi vos iure vindicari pudet. At ad arma mittimur, & instituitur pernitiosa nocendi contentio, & in vicem legis, ira succedit, premitur obnoxia infirmitas, & paucorum dominio subiecta plebs, triste seruitium perferet. Quintil. declam. 13.

Extrahens aquam de publico aquæductu, deriuando eam ad fundum suum, punitur amissione illius fundi l. si quis de cætero. Cod. de aquæ ductu lib. 11.

D De amore proprio. Bernard. to. 3. ser 21.

De inordinato amore sui, in principibus, qui sua non publica curant. *Vide Virtus Potestatis Repub.* Vitia principum.

Antipheron qui visum sic debilem habebat, vt non posset aërem penetrare, imaginem suam semper ante se videbat, velut in speculo.

De nimia sui confidentia *Vide Cognitio Virtutis Propria. Mala.*

Petrus Damiani Opusc. 31. cap. 6. de Diuitibus sumptuosum apparatum habentibus dicit, Graue dispendium sui patiuntur ornatus, dum in occipitio vel ceruicibus oculi non erumpunt, vt post tergum positam suam pulchritudinem non agnoscant, cum luxus ille solum fit in vsu propter aspectum.

Ideo nemo potest vti vi priuata ad cogendos debitores. *Vide Medium Contrarietatis. Et Minoritas Contrarietatis.* Iniurias non vlcisci; de excommunicatione ab Episcopo, pro re sua, non indicenda.

Arbores quædam ideo non sunt frugiferæ, quia omne alimentum ad se nutriendas absumunt, fit enim fructus, vt in animalibus semē ex superfluo alimenti. Vnde omnes penè quæ ampliori magnitudine se attollunt, minorem generant fructum. Theophr. de causis plantar. lib. 2. c. 14. de eodem *Vide Minoritas Bonitatis.*

Acco mulier talis fuit delirij, vt cum se amplius contemplaretur in speculo, imaginem suam

perinde ac mulierem alteram alloqueretur, innueret, submurmuraret, arrideret, interdum comminaretur, promitteret, subblandiretur, & quidquid confabulantes solent, numeris omnibus impleret. Rodig. lib. 17. c. 2.

Quidam, inquit Seneca, hoc genere valetudinis laborant, vt ipsi sibi videantur occurrere, vt vbique imaginem suam cernant, quia infirma vis oculorum non potest ne proximum quidem sibi aërem perrumpere, sed resistit. Hominem, cui id contigit vocat Aristoteles Antipheronem. Id. lib. 22. cap. 26.

Patronus seipsum vel liberos suos præsentare non potest cap. consuluit 15. cap. per nostras 26. de iure patronat.

Totius gentilitatis error hinc accepit exordium, dum ea quæ multum diligunt homines, Deos esse volunt, & humanis quibusque vitiis & cupiditatibus diuinum nomen adscribunt. Auaritia flagrantes, Mammonem apud Syrios Deum istius cupiditatis dixerunt; libidinis & voluptatis amatores, Venerem Deam; sic de aliis vitiis. Origen. homil. 1. in Iudic.

Nathan. 2. reg. 12. acutè per parabolam, inducit Dauid vt agnoscat peccatum suum, & Dauidem contra Dauidem statuit iudicem.

Nimius amor omne timens periculum in varia incidet pericula, vt si quis igne in domo sua accenso, nolit fores aperire, ne sua aliquis diripiat, intrabit ignis & omnia consumet, perit nauis si gubernator tantum ea quæ sua sunt, curet. Sibi & aliis seminat agricola, miles decertat, mercator importat. Sic res nostras ordinauit & contexuit Deus, vt etiam ad proprium commodum non veniamus, nisi per ea quæ aliis conferunt. Qui alterius curam non gerit, nullam habet ad Deum fiduciam, &c. D. Chrysost. hom. 25. in 1. ad Corinth.

Fruimur tantum eo bono quod beatos efficit, cæteris vtimur, vnde nullus seipso frui debet, quia non debet se diligere propter se, sed propter illud quod fruendum est, scilicet Deum qui est finis dilectionis. Magister Sententiar. dist. 1. q. 2.

Angelus ab initio cognouit Deum, & intellexit amabilem super omnia, malus autem amauit amore concupiscentiæ, volens sibi bonum Dei, non Deo. Ib. lib. 2. dist. 3.

A Amor suiipsius non ponitur seorsum vt radix peccati, vel etiam vitium capitale, quia omnes radices & capita vitiorum includunt inordinatum sui amorem. D. Thom. in quæst. disput. de peccati. q. 8. a. 1. ad 18.

D. August. lib. 14. de Ciuitate Dei cap. vlt. Sicut, inquit, amor Dei facit Ciuitatem Dei, ita amor inordinatus sui, facit Ciuitatem Babylonis, & sicut in amore Dei ipse Deus est vltimus finis, ad quem omnia ordinantur quæ recto amore diliguntur, ita in amore sui, excellentia inuenitur vltimus finis ad quem alia omnia ordinantur. Nam qui quærit abundare in diuitiis, vel in scientia, vel honoribus vel aliis quibuscumque rebus, per omnia huiusmodi excellentiam quandam intendit. Vt charitas imperat omnibus aliis virtutibus, & earum propter suam diffusionem videtur forma & mater, sic superbia & inordinatus sui amor, omnium vitiorum. D. Tho. dicto loco. à. 2.

B De superbia. *Vide Voluntas Maioritatis Mala.*

Opportebat Angelum primo in se conuerti, deinde in Deum: peccauit autem quia sibi nimium placens voluit sibi bonum Dei. D. Thom. lb. q. 16. a. 4. ad 3. *Vide Cognitio Virtutis* propriæ ex eod. & Alcuin. in Genes. inter. 92.

Propria voluntas non est contenta rebus omnibus temporalibus, in ipsum insurgit Deum, quem nollet esse, quia vellet non esse scientem, iustum, potentem, ne peruersæ suæ obstet voluntati. Ita Deum occidere, & de sua gloria tentat deiicere. Ita propria voluntas aufert homini Deum, & eius beneficia, tanquam ab ingrato, &c. Laurent. Iustinian. lib. de obedientia. cap. 4.

C Amor sui impedit ne quis de seipso bene iudicet. *Vide Cognitio Minoritatis.* Difficilis suæ infirmitatis cognitio.

Natura mortaliū hoc quoque nomine praua & sinistra dici potest quod in suo quisq; negotio hebetior est quam in alieno. Turbida sunt consilia eorum qui sibi suadent. Obstat aliis metus, aliis cupiditas, nonnunquam naturalis eorum, quæque cogitaueris, amor. Q. Curtius. lib. 7.

D Contra Camera Apostolica iudicat de causis ad ipsam pertinentibus. *Vide Gloria Concordantia.* Publica priuatis præferenda.

VIRTVS BONITATIS

CHARITAS OFFICIOSA, ET ELEEMOSYNA.

D. Basil. homilia in ditescentes; asserit bona opera, ieiunia, orationes, & alia sine sumptu pietatem ostendentes, sine eleemosyna in pauperes nihil prodesse. Vitæ perfectionem, se dicunt velle consequi, & similes sunt ei, qui in Ciuitatem aliquam properans, vt ibi spectacula videret, reperto iuxta mœnia diuersorio, deses in eo maneret, nec vrbem ingrediendo frueretur spectaculis. Integra enim debet esse virtus. *Vide Magnitudo Virtutis.*

E Idem homilia de auaritia, loquens de diuite illo, qui videns messem, supra spes, amplissimam; Quid faciam? inquit, parata tibi responsio fuerat: Esurientium animas explebo. Aperiam horrea, & omnes vocabo indigos; Imitabor Ioseph præconio exhibitę hominibus benignitatis celebrem, vocem emittam magnificam. Quicumque panibus indigetis. Venite, &c.

Non decipitur Deus. Mortuum ad rem sacram non offeretur. Viuentem offer hostiam; qui ex eis quæ supersunt offert, ingratus est. Nobili hospiti, non

non apponeres mensæ tuæ reliquias, nec decet Deo A vita desinente, diuitiarum reliquias offerre: quanto amantior opum fueris, tanto magis nihil tibi reliquum sit, ex his quæ possides: tecum aufer omnia, ne alienis opes relinquas, &c. D. Basil. homil. in ditescentes.

Herodes Atheniensis sophista, diuitias in alijs cæcas, habuit ipse occulatas, omnibus prout res exigebat, beneficia conferens: nam opes parsimonia coërcitas, mortuas appellabat, & thesauros diuitiarum carceres. Philostrat. in vitis Sophistarum.

Masculinum est quod ex suo semine in alio suæ speciei indiuiduo generat, per modum agentis in generatione se habens; fœmininnũ autem est, quod ex alio suæ speciei indiuiduo suscepto semine generat in seipso, per modum materię & patientis se habens in generatione. Albert. Mag. trat. 1. de vegetabilibus. *Vide Principium Cognitionis. Alios docere.* B

Fortunæ largæ sunt & fideles; infortunæ verò sunt auaræ & infideles. Fortunæ dant sine labore, infortunæ cum labore & quod dederint, auferent. Almansor centi loquij. n. 5. 6.

In multis casibus in quibus non licet plebeio donare, tamen licitum est nobili donare, & ei permittitur, cum proprium nobilitatis sit donare. cap. 1. de donatio. Vide Chassaneum in catalogo gloriæ mundi. parte. 8. consideratione. 35. *Vide Magnitudo Bonitatis. 1. tomo.*

Voluit nos mortalitatis artifex Deus in commune C succurrere, & per mutuas auxiliorum vices in alterum quemque quæ pro se timeret asserere. Nondum hęc charitas est, nec personis impensa reuerentia, sed similium accidentium prouidi metus, & communiũ fortuitorum religiosus horror. In aliena fame quisque sui miseretur. Sic cibos obsidio partitur. Sic inopiam nauigantium frequenter vnius alimenta pauerunt. Quintil. declam. 5.

D. Gregor. PP. in Registro. lib. 2. epist. 39. iubet suis impensis emi puellam quam Dominus suus nolebat assumere habitum conuersionis, & eo consentiente duci in monasterium.

Ibid. lib. 5. epist. 29 de Martiniano Episcopo, qui pauperibus non dabat eleemosynam. Non, inquit, sibi credat, solam lectionem & orationem sufficere, vt remotus studeat sedere, & de manu D minimè fructificare: sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat, quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.

Præclarius est multos beneficiis afficere, quam splendidè habitare; conuenientius est sumptus facere in homines, quam in ligna & lapides: vtilius multos amicos possidere, quam amplam domum. Alexander aphrodisæus.

Si bona tua non pauperibus pro Christo, sed adulatoribus & parasytis distribuas, erunt similia ficubus quę in præcipitiis nascuntur, quas corui tantum comedunt.

Res Dei habentes illas procuramus, & ex eius E voluntate dispertimur. Ne putetis accipere, lucrum esse, insumere damnum, hęc enim sæpè contrarios habent effectus.

Deo sacrificium offerunt velut caprarum, qui capras imitati, quod ex vsu quotidiano redundat, veluti lac quoddam egentibus prębent iuxta pręceptum Apostoli, quo dicitur. 2. Cor. 8. vt copia vestra illorũ inopiam suppleat. Theodoret in Leuit q. 1.

Leuit 7. prohibet edere victimas seruatas in tertium diem, vt ista necessitate compulsi, pauperes conuiui sui socios habeant. Ib. q. 6.

Non sufficit sibi tantum consulere. Vide titulo præcedenti. Amor sui inordinatus. ex D. Chrisosth.

Præmittamus thesauros nostros in cœlum, sint vectores pauperes, qui possunt sinu suo, quæ nostra sunt, ad superna portare. Nemo de fraude dubitet baiulorum, tuta est ista transuectio, per quam nostra ad Deum, Deo fidejussore portantur. Chrysolog. serm. 7. in fine. Quod est ver floribus, lucernæ oleum, anima corpori, hoc est eleemosyna ieiunio. Ieiunium sine misericordia, simulachrum famis est, imago nulla est sanctitatis, sine pietate ieiunium occasio est auaritiæ, qui ieiunans prandium suum non erogat, sed reponit, cupiditati ieiunat, non Christo. Dicit. Psal. 35. Domine in cœlo misericordia tua. Dicturus causam in iudicio Dei, patronam sibi misericordiam, per quam liberari possis assume. Misericordia non solum anticipat cognitorem, sed etiam sententiam reuocat, absoluit addictos, vt patet in Niniuitis. Ibid.

Homo dando pauperi, das tibi, quia quod pauperi non dederis, habebit alter. Tu solum, quod pauperi dederis, hoc habebis. Id. serm. 41. in fine.

Sine miseratione ieiunans, est ager cultus sine sentibus, sed sine semine sterilis; siue charitate abstinentia, est sine Rege aula regia, quomodo petet misericordiamqui negarit misericordiam? Qui non dat alteri, tollit sibi. Id. serm. 42.

Homo esto tibi misericordiæ forma, sic quomodo vis, quantum vis, quam citò vis misericordiam tibi fieri, tam citò alij, tantum, taliter, ipse miserere. Id. serm. 43.

De eleemosyna liber Petri Damiani. & Chrysosth. hom. 32. & seq. Leo. Papa. serm. 5. D. August. hom. 19. & 20. to. 10. Cypria. to. 2. Laurent. Nouarens. bibl. patr. to. 2. Bernardin. quadrag. 1. serm. 7. & to. 4. Basil con. 3. to. 3.

Renumeratio elemosinæ. *Vide Gloria Bonitatis.* Commodum ex beneficio.

Abraham diues, sed plus humanitate quam censu; Vnde Lazarus, pauper describitur in sinu eius. Luc. 16

Beneficia conciliant animos. & eleemosynæ Deũ. *Vide Potestas Bonitatis & Gloria Principij. Sacrificiũ.*

Abraham excipit in sinu suo non diuitem epulonem, sed Lazarum pauperem, non enim sibi, sed pauperi diues fuit, & opes habere, sed prorogare gestiuit; magis magisque in sinum pauperis, quam in horreis recõdere suas studuit facultates, sicut toto vitæ eius ordine perdocetur. Chrysolog. ser. 121.

Possunt principes Christiani contra tyrannos populum iniuste vexantes, arma mouere in miserorum auxilium. Sic olim Hercules, sic antiqui heroës tot nefaria capita cruore humano saginata messuerunt, sic Reges Galliæ Sarracenos & Longobardos Ecclesiam vexantes, represserunt.

Hebr. 13. dicitur. Communionis & beneficentiæ nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus: Hostias vocat eleemosynas, innuens hanc in largiẽdo benignitatem, esse antiquissimum & commune omnibus gentibus sacrum. Stetit diu sine sacrificiis legalibus mundus, sine Eucharistia stetit; at sine misericordia consistere nunquam potuit, Deo beneficos homines ad solatia mortalitatis vbique dispensante. Tot sunt aræ, quot hominum miseriæ.

Bonacina de charitate concludit omnes obligari ad subueniendum pauperibus, saltem de superfluis vitæ status. Satisfacit pręcepto qui ad tempus egenti mutuum dat, quia non est indigens simpliciter, sed pro tali loco & tempore.

Etiam damnato à iudice vt fame pereat, possum cibum offerre, quia vt potest sumere, possum ego

offerre, modo non sit specialiter interdictum & modo non sim officiarius, quia tunc facerem contra proprium officium.

Socius potest ex bonis communibus societatis, moderatas eleemosynas facere, nam adest præsumptus sociorum consensus. Id.

Tutor vel administrator potest ex bonis suæ curæ commissis facere moderatas eleemosynas, supponitur enim consensus dominorum: & talis largitio cedit in eorum vtilitatem. Ibid.

De eleemosina à Prælatis facienda. *Vide Bonitas Potestatis.*

Monachi Ægyptii tempore messis solebant operas suas locare: & inde tantam frumenti copiam colligebant, vt illi consumendæ non sufficerent pauperes Ægypti, sed pars in Alexandriam nauibus deferretur pauperibus & captiuis eroganda In vitis PP. l. 2.

PetrusDamiani opusc. 9. sic commendat eleemosynam. Si non potes corpus tuũ ieiuniis aliisq; austeritatibus affligere, & teipsum per pœnitẽtiam Deo offerre, saltem quæ circa te sunt, bona scilicet externa impertire; si non vales carnem scindere, scinde capillos, vngues, vestem, hæc est tibi data redemptionis occasio, dispensator à Deo constitutus non possessor, aliena reddis quæ pauperibus distribuis.

Habent pauperes ius aliquod in bonis diuitum, vnde Deut. 23. licet ingredi vineam & vuas comedere; segetem, & spicas manibus confricare; reliquias messis, & oliuarum colligere.

Episcopi singulis diebus dominicis curent per archidiaconum, incarceratos visitari, & illis competentem victum de domo Ecclesiæ tribui. Similiter & leprosis Conc. Aurelian. V. ca. 20. & 21. & Lugdunensi. II. can. 6.

Prisci Christiani, nõ verebãtur ne esurirẽt, sed potius timebãt ne alius esuriret. D. Aug. in append. ser. 9.

Non est curiosè inquirendum de persona cui confertur eleemosyna, sed simpliciter est danda. *Vide Veritas Bonitatis.*

Duo fratres diuisa inter se paterna hæreditate solitudinem sunt ingressi diuerso instituto, vnus enim omnia sua simul dedit monasterijs & Ecclesiis; alter sua sibi seruans, ægris, pauperibus, singulis hebdomadæ diebus largiebatur; vnus Eliæ, alter Abrahæ virtutem sectatus, consultus abbas Pampo, quis maioris esset apud Deum meriti, Respondit post plures dies, Vtrosque vidi apud Deum stantes in Paradiso. Vitę Patum. l. 8.

Draconites lapis inuenitur in capite draconis, sed vt vim habeat contra venena extrahi debet à viuente animali. Animæ enim actus multa confert his etiam superfluitatibus quæ generantur in animalibus: & mortis corruptio alterat ea, quando naturali morte corruptis humoribus moriuntur, vel quando mortua & corrupta iacuerunt. Albert. Mag. de lapid. littera D. Prodest magis eleemosyna data à viuente, quam à mortuo per pia legata, de quib. infra. *Virtus finis.*

In iis casibus in quibus possumus deffendere vitam nostram & bona nostra, possumus etiam defendere vitam & bona proximi, etiam cum morte inuasoris, quando mors inuasoris necessaria est ad defensionem proximi, quia possumus cooperari ad bonum, & suscipere partem innocentis. Bonacina. de restitutionib. q. vlt.

Non dare eleemosynam & auxilium proximo malum est. *Vide Minoritas Bonitatis.* Defectus communicationis malus.

Athenis adynati hoc est corpore mutilati, quibus erat impossibile suo labore prouidere vitæ necessariis: hæc à senatu quotidie accipiebant. Suidas in verbo adynati

Anaxagoras Clazomenius agros suos gregibus & camelis depascendos reliquit, de quo Appollonius Tyanæus dixit, eum ouibus potius, quam hominibus fuisse philosophatum, at Crates Thebanus opes suas demersit, vt nec pecudibus nec hominibus essent vsui. Id. in verbo Anaxagoras.

Mos olim fuit vt singulis mensibus diuitęs Hecatæ mitterent panes, & alia quædam quæ pauperes auferebant. Idem in voce [illegible]

De ratione boni est quod sit diffusiuum, quia in omni bono est essentia, & è conuerso in omni essentia est bonum; Nam bonum & ens conuertuntur. Ab essentia autem fluit potentia, & à potentia fluit actus vel actio. Actio autem boni est communicare seipsum: ad hoc enim ordinatum est tanquam ad finem, scilicet ad communicandum seipsum. Petbartus in Rosario theologico, voce Bonum.

Apud Hebræos pauperibus in aliorum bonis hoc erat ius 1. Angulus, scilicet sexagesima pars agri à domino non metenda. 2. Spicilegium, vt dominus non colligat remanentes spicas. 3. Racematio. 4. Acini decidui. 5. Manipuli qui per obliuionem relinquuntur. 6. Decima pauperis. 7. Eleemosyna. Vide Seldenum de iure naturali. lib. 6. c. 6. & Voisin, lib. de lege diuina, c. 15.

Magnum æstimares honorem si collapsam Rempublicam Rex tibi committeret restituendam. Deus inter omnia quæ videntur, homine nihil maioris æstimat propter quem videlicet, cœlum, terram & mare fecit, in quo magis gaudet inhabitare quam in cœlo; Pauperis igitur cura tibi demandata, magnus honor est; ornamus hic domos perituras, & pauperum corpora Spiritus sancti templa, gloriose resurrectura contemnimus; tunc qui iuuerint à Deo collaudabuntur, D. Chrys. hom. 14. in fin. ep. ad Rom.

Poterat Deus alere pauperes absque humana præstatione; sed vt nos colligaret in charitate, & vt inter nos incalesceremus & accenderemur, ipsos iussit à nobis nutriri. Nam mos est amare eos qui beneficio afficiuntur & qui beneficio sunt affecti, amant benefactores, tale constitutum est amicitiæ vinculum. Id. hom. 32. in 1. ad Cor.

Possessio diuitiarum est fera bestia. Erit autem mansueta, si eam non incluserimus, sed in omnium egentium manus adduxerimus. Ib. hom. 35.

Quid refert magnum esse, si nemini prosis? Vt nihil prodest medicum artis suæ peritũ esse, si nulli ægrotantium medeatur. Idem. Homil. 27. in 2. Corinth.

Furto res auferuntur, da eleemosynam, & dolor rei amissæ cessabit. Sic enim extinguitur pecuniæ cupiditas quæ te torquebat; Nauem in tempestate iactu exoneras; lucrum spirituale obscurabit damnum corporale. Id. Homil. 3. in epist. 1. ad Thessal.

Septem sunt eleemosynæ corporales, pascere esurientem, potare sitientẽ, colligere hospitem, visitare infirmum, redimere captiuũ, sepelire mortuũ; colliguntur hoc versu, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo. Tostat. in Matth. tom. 3. fo. 13. Spirituales sunt 7. scilicet docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, suportare onerosos & graues, & pro omnibus orare, hoc versu continentur. Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora. Ib.

Deus in die iudicij commemorat tantum opera misericordiæ corporalia, quia loquitur rudibus quibus hæc sunt notiora quam spiritualia. 2. quia corporalia sunt maioris difficultatis & ad

ea minus inclinantur homines. 3. quia corporalia pertinent ad omnes, spiritualia ad paucos. 4. quia spirituales necessitates minus vrgent quam corporales; quæ moras non patiuntur, vt fames, nuditas, &c. Tostat. in Math. to.7. fo. 115.

Vide Bonitas Voluntatis. amor est liberalis. *& gloria Minoritatis:* auxilium afflictis præstitum.

Das musicis & histrionibus qui lædũt animam, dum sensibus blandiuntur, cur non magis propter Deum, das homini tibi simili, & Christiano ad eadem mysteria, ad eosdem vocato cœlos, animam immortalem habenti? &c. D. Chrysostom. hom. 36. in Math.

Legitimus diuitiarum vsus in officijs charitatis. Vide quæ scripsi Moral. Christian. to. 4. part. 1. cap. 23. indifferentia rerum temporalium. disponit ad largitiones charitatis: libello de indifferentia cap. 2 Eleemosynæ habeãtur & reputentur inter expensas necessarias. l. de agente Dei in humanis. parte. 3 cap 2. De publicis charitatis officijs, vt domibus fundandis ad excipiendos pauperes, exteros hospites, milites in bello debilitatos. Ibid. parte. 2. c. 20.

Non potes omni ex parte pecuniam eiicere, offeras partem egentibus: graue videtur onus illud, æqualiter cum Christo partire ea quæ habes. Frater tuus est, atque cohæres in regno cœlorum, fac eum etiam hic coheredem, presertim cum omnia quę ei præstas, ad teipsum redundent, atque refundantur. Non licèt cõsanguineum, quanto minus, Deum negligere? Cum liberti & clientes Dominum ad conuiuium inuitarunt, non obtulisse aliquid, sed accepisse arbitrantur; at te primum Deus inuitauit. Cogita cui potum pręb es & perhorrescas; Cogita quia sacerdos Christi tu fias, cum propria manu ei offeras, non carnem sed panem, non sanguinis, sed aquæ frigidæ calicem, qui tanta accepisti, tanta accepturus, quomodo seruies pecuniæ quam paulo post etiam inuitus relinques? Multi sanguinem suum fuderunt, vt cœlo potirentur, tu nequidem ista superflua? igitur iugiter animo versa quid acceperis, quæ sis accepturus, quid à te repetetur, &c. D. Chrysost. hom. 46. in Math. sub finem.

Diuitum ars est, rectè & vt decet vti diuitijs: huius artis non ex ferro aut ære sunt instrumenta, sed voluntate sola ac benignitate mentis constructa. Artes cæteras ignorantes diuites, hanc docuit Magister Christus & Pater eius. Sitis misericordes, sicut pater vester qui in cœlis est, quodque mirabilius est cum ita cæteras artes antecellat, non opus est labore neque tempore, sed sola voluntas sufficit, vt perdiscatur; finis eius cœli possessio est; ad id vitam dirigens fœlicitatem illi præstat, quæ non potest haberi à cæteris artibus superflua ministrantibus, Musica, pictura, &c. D. Chrys. hom. 50. in Math.

Vis Christi corpus honorare? non induas eum sericis in Ecclesia, & foris nudum relinquas in paupere. Id. hom. 51. qui enim dixit, Hoc est corpus meum, & rem simul cum verbo confecit, idem dixit, esurientem me vidistis, & non cibastis, Nemo quia templa magnifica non condiderit, vnquam accusatus est, at ignis inextinguibilis imminet ei qui fratrem necessitatem patientem, non iuuerit. Eleemosyna mundat à peccato. Date eleemosynam & omnia munda erunt vobis; Luc 11: Sacrificio maior est; Misericordiam, inquit, volo & non sacrificium. Osee. 6. Cœlos aperit. Eleemosynæ tuæ ascenderunt in conspectu Dei. Act. 10. &c. Ibid.

Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœ-

A lorum. Math. 5. Itaque si eleemosynam dederis, non tamen maiorem quam illi, non intrabis in regnum cœlorum. Dabant autem illi primo decimam rerum omnium suarum; deinde alteram, & demum tertiam decimam offerebant. Itaque propemodum tertiam partem bonorum offerebant; tres enim hæ decimæ concinnatæ id efficiunt. Sed ad hæc primitias quoque, ac primogenita, & alia plura partim pro peccatis, partim pro purgationibus offerebant, præterea in diebus festis, in iubilæo, in debiti abscisione, & famulorum dimissionibus, in mutuis absque fœnore, hæc congregata ad bonorum medietatem ascendent, qui mediam hanc partem dant, nihil

B magni faciunt, quid tu facies qui nec decimam quidem partem pauperibus vnquam dare cogitasti? &c. D. Chrys. hom. 65. in Math.

Sicut in die Palmarum, vestimenta nostra Christi pedibus substernimus, cum terrenam substantiam, quæ est corporis vestimentum, exhibemus pauperibus, qui in Christi corpore, quod est Ecclesia, contemptibilia membra sunt. Laurent. Iustinia. serm. de ramis palmar.

Verum Christi templum anima credentis est, illam exorna, illam vesti, illi offer donaria, in illa Christum suscipe; quæ vtilitas est parietes fulgere gemmis, & Christum in paupere fame perire? Iam non sunt tua quæ possides, sed dispensatio tibi cre-

C dita est. D. Hieron. ad Paulinum de institutione monachi.

Facta est rationalis natura non solum propter inhærere Deo, per dilectionem Dei, sed etiam propter operari secundum sacras ordinationes benè ad proximum ex dilectione proximi, & si sic non operetur, caret fine propter quem creatur. D. Bonau. de 7. itinerib. æter. itinere 7.

Vide librum quem scripsi. de operibus misericordiæ

De hospitali incurabilium Romæ. Leo. X. consti 15.§. 2. Bull. p. 418.

De confraternitate charitatis. *Vide Concordantia. Virtut.*

D Lucernæ quæ debebant ali ex oleo oliuarum pilo contusarum, significabant opera charitatis & misericordiæ quæ debent exerceri cum aliquo sensibili dispendio. Rusbroch. de tabernaculo fœderis. c.6.

De hospitalibus in quibus aluntur inclusi pauperes Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ. parte 2. cap. 12.

QVÆ ELEEMOSYNA remittit peccatum.

Dicitur quidem Eccles. 3. 33. quod sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosina peccatum; *Sed*

E ea quæ aut necessitate, aut casu, aut aliqua fiunt fragilitate. Ea verò quæ ex industria, aut cuiuslibet libidinis explendæ causa, idcirco fiunt, vt eleemosynis redimantur, nequaquam eis redimi possunt, quia qui hoc perpetrarunt, videntur Deum mercede cõducere, vt eis impunè peccare liceat. Non ergo quis, idcirco peccare debet, vt eleemosynam faciat; sed ideo eleemosynam facere debet, quia peccauit; Mentem enim & corpus quæ libido traxit ad culpam, afflictio & contritio debet reducere ad veniam. Concil. Cabilonens. 11. c. 36.

Vide Voluntas Bonitatis Rep. Deus malorum oblationes respuit.

Eleemosyna liberat hominem à peccato mortali dupliciter, vno modo impediendo futurum pecca-

tum sicut alia opera meritoria, quæ hominem confirmant in gratia ne cadat; alio modo quod liberat à peccato præterito, prius disponit peccatorem ad gratiam recuperandam, sicut faciunt cætera bona opera facta recta intentione. Tostat. Math. to. 3. fo. 36.

Vitula rufa immolabatur pro peccato, & debebat esse rufa, in commemorationem vituli aurei quem fecerunt filij Israël. Idem. num. tom. 1. fo. 12.

Christiana Religio tota est in celebrandis mysteriis, quibus humano generi grauiter laboranti, misericors Deus adfuit. Ita qui similis illi fit per misericordiam gratissimus est, & quam aliis exhibuit, ab ipso hac oblatione placato reportat. Danti & accipienti debet esse congrua, vt qui dat, pœnitens pœnam, qui recipit miser solatium sentiat. Quid enim si nobili summam egestatem sub duri creditoris vexatione patienti des obolum? Tali sibi occurrenti S. Franciscus dedit noua quæ sibi parauerat indumenta, his illum se nudato vestiens. Laudatur in Euangelio vidua quæ licet duo tantum minuta misisset in gazophilacium plus cæteris misisse dicitur quia totum quod potuit dedit, cum alij ex abundanti conferrent. Ordinariè talis probatur eleemosyna, quæ dantem non exhauriat vna largitione, cum pluribus iuuandæ sint sibi succedentes pauperum necessitates Alia tamen ratio in captiui vel carcerati redemptione, quæ non obtinetur, nisi pretiũ simul integrum persoluatur. Diuitiæ sunt ciuilis vitæ sanguis, cum illas igitur diffundit charitas in pauperes, & Dei misericordiam sic promeretur, non fit sine sanguine remissio. Cauendum autem ne se bonis operibus intermisceat pestifera vanitas, & mercedem ab hominibus accipiens, non consequatur à Deo. Dare tamen oportet obuio, & alias non occurrenti pauperi, licet non quæsiti, sed casu præsentes sint aliqui huius operis boni testes; nec enim minus ero misericors, ne talis videar. Abstrahit à talibus ardens charitas, soli Deo priuatim & publicè, prout occasio tulerit, placitura. Hanc cæteræ virtutes comitantur. Prudentia vt opportunè subueniat; Iustitia, ordine seruato, temperantia citra defectum & excessum, qua pulsis de futuro nimiis anxiæ cupiditatis terroribus, liberè tribuatur. Absit ab eleemosynis inquisitio curiosa nimis & ipsis pauperibus contumeliosa, tantum lædit, quantum iuuat qui panem hunc profert lapidosum. Olim ignis cœlo missus accepta Deo probabat sacrificia, nunc veram, sinceram, Dei proximique amore solo factam eleemosynam, testatur interna mentis consolatio, exultans de terrena cupiditate victor, de peccatorum onere liber animus, sic facultates istas à diuina prouidentia sibi concessas, non vt sibi tantum, consanguineis & amicis prosit, sed cunctis naturæ, præsertim fidei titulo coniunctis. Ordinata quidem est charitas, sed personam non accipit, nec ei cui plus secundum Deum debetur, minus ob humanum interesse tribuit. Deo tantum placere debet, qui talibus officiis Dei quærit & sperat misericordiam. Ex vipera theriacam conficies, si diuitias quæ tot in ciuili commercio mortes animarum accelerant, habeas vt efficax medium salutis & resurrectionis. Si natura sua sunt indifferentes, has saltem tantum profuturas efficiat auxiliaris misericordia, quantum nociuas præstare solet inexpleta congerendi cupiditas, quantum auaritia cupit & sibi seruat, tantum charitas in egentium subsidijs eroget. Ita non est quod conqueramur temporalium vsus, animarum saluti

A nociuos esse, cum recta dispensatio illos efficiat plurimum vtiles, & eadem quæ naturæ consuluit prouidentia, nobis etiam in spiritalibus dederit, cum veneno simul nascens antidotum. Quotidiani sunt lapsus, frequentior sit eleemosyna quæ gratiam præferentem aut sanantem promereatur, vix intermittens malum docet nunquam cessandum à remedio. Diligentiæ maximum est incentiuum in eo, qui sibi viuet non proprijs tantum, sed proximorum etiam commodis laborandum, qui totam Ecclesiam, velut familiam suam agnoscit & huius mystici corporis cum sit pars, illi pro modo suo compatiendum & seruiendum. Nemo miretur

B eleemosynis redimi talium peccata, qui totius Ecclesiæ vt curam suscipiunt, vt commodis laborant, sic specialibus suffragijs adiuuantur. Caueant tamen ne tanti boni consideratio, ardentiores quam par sit efficiat ad conquirendas diuitias, vt etiam inique partas offerant Deo. Charitas non patitur delicta, vt egenti succurrat, innocentem non opprimit, supremi iudicis iras non prouocat, vt misericordiam consequatur, demens non offendit, vt conciliet Deum, cui pauperum & filiorum suorum sanguine madentes exuuiæ non placent. Administrationis sibi commissæ quilibet apud se prius rationes habeat, quam illas in extremis reddere conetur Deo. Rerum à se gestarum rigidus censor exactè perpendat, artes, verba, dolos

C quibus imposuit proximo, damnis suis ditior & honoratior effectus est. Si redimenda sint eleemosynis peccata velut iusto pretio; quid tibi agendum, quid exemplo Zachæi pauperibus erogandum, sis in propria vt in aliena causa probus æstimator. Quod autem tribuendum tua & integerrimi directoris conscientia iudicat, id propriis quantum fieri potest largire manibus, nec facile distributionis curam alteri committas. Experimur enim in his plurimos abusus, vt quidam damnatis ab Ecclesia sectis addicti, graues pecuniæ summas à delusis simplicibus & mulierculis colligant, & sic sibi conciliata largitionibus plebe, hæresi, bonis in speciem

D moribus fucum faciunt. Tales eleemosynæ peccata non redimunt, sed augent, sed priuata publicis cumulant, fouent vanitates, errores, schismata & impia collatione, contra matrem Ecclesiam, etsi nesciunt, militant. *Ex principiis.*

Cæteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, & dolores pectoris his officiis consolantur, Pammachius noster sanctam familiam, ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat, his odoribus fouet cineres quiescentes, sciens scriptum; sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum. D. Hieron. ad Pammachium in obitu vxoris.

E *Quod eleemosyna vt sint meritoria debent fieri cum vera & sincera fide Catholica. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ parte 1. cap. 9. Debent esse satisfactoria peccatorum, & sic dantium opibus commensurata. Ib. cap. 15. & 16. Sunt sacrificium expiationis. Ib. cap. 18.*

A

ETIAM QVI MVNDO renuntiarunt, interdum exhibere debent proximo charitatis officia.

Religiosi possunt interdum immiscere se negotiis ciuilibus. Vide quæ scripsi. lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ, parte. 3. cap. 8. & in præfatione lib. de misericordia Dei contra sectarios.

Vox Domini concutientis desertum Psal. 28. vt fiat fœcundum bonis operibus, & charitatis officiis in salutem proximi: multi enim filij sunt desertæ magis, quam eius quæ habet virum. D. Basil. in d. Psal. 28.

De sancto monacho, qui matri necessitatem patienti, adfuit labore manuum. *Vide Gloria Principij.* Matris.

Monachorum prædicatio licita. Rupert. tom. 1.

De Monachis Ecclesiæ membris. Bellarm. tom. 2. contr. 2.

Publicæ pacis cura exciuit sæpè de desertis Anachoretas, vt de mutis faceret oratores. Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt omnium molitor Deus, fingit os infantium, dat sapientiam imperitis. Non licet inter oppressorum gemitus silere. Omnis laboranti mundo iniqua est manus, si non est officiosa.

Heliseus dixit Sunamitidi à quo hospitio excipiebatur, Numquid habes negotium, & vis vt loquar regi, siue principi militię? 4. Reg. 4.

S. Ephrem cum multos annos in cella & studiis egisset orta fame in ciuitate Edessenorum è cella progressus, venit in vrbem, exhortans diuites vt frumenta sua pauperibus erogarent, & cum dicerent se non habere hominem cui hanc curam committerent, huic se officio per annum dicauit, egentibus omnibus prouidens. Anno peracto, & fertilitate redeunte, rediit in cellam, & post mensem est mortuus, cum Deus ei hanc occasionem præbuisset instar coronæ in extremis diebus. Vitæ Patrum lib. 8. cap. 101.

Si quis relictis vrbibus montes occupet, ne inquit peream, ne sim hebetior & obtusior ad virtutem, resilio. Quanto autem est melius te obtusiorem fieri & hebetiorem, & alios lucrari, quam in alto manentem fratres despicere pereuntes; si qui aliquam virtutis curam gerunt, recedunt ab acie, quomodo expugnabimus inimicos? &c. D. Chyrsost. homil. 6. in 1. ad Corinth. sic non probat solitudinem derelicta penitus proximi cura. In id non peccant nunc Religiosi, altari seruientes, prædicationis, & cæteris charitatis spiritualis officiis.

Clerici possunt aduocare pro miserabilibus personis. cap. clerici, & cap. cum sacerdoti. De postul.

RELIGIOSI POST rerum mundanarum abdicationem possunt impendi pro charitatis officiis & fidei publica defensione.

DEMONSTRATIO.

B BONITAS. Homines tribus votis Deo consecratos, & terrenis cupiditatibus abdicatis cultui religioso præ cæteris addictos singulari veneratione prosequuntur omnes, apud quos est in pretio perfectionis Euangelicæ disciplina. Ab his velut patriæ custodibus Angelis, mundi tempestatibus iactati, quærunt lucem in ambiguis, in aduersis auxilium, illos censent inter arma spiritualia, & cœlestes copias quibus retundi possint Dæmonum impetus. Dum sic illos inuocat quorundam pietas, aliorum impugnat inuidia, & sæculo mortuos, dum apparent velut spectra coniurationibus in sepulchrum repellenda ne se deinceps importunè rebus humanis immisceant. An id iure vel iniuria fiat, hic breuiter inquirimus. Mors hæc quam volunt actionibus esse
C præiudicium, non relinquit corpus exangue, frigidum & immotum; Non est partium quibus constamus separatio, sed perfecta concordia & instar hominis secundum Deum in iustitia creati fœlix restitutio. Religiosi moriuntur cupiditatibus, quæ tenebras offundunt, mortem inferunt animæ, sic ratio, discussis nebulis, ruptis vinculis liberior, implet facilius vitæ sanctioris officia. Mortui estis inquit Apostolus, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, vt velut indistincta, cunctis vitam & salutem largiatur.

MAGNITVDO. Religiosi vocationis diuinæ beneficio, assumpti sunt ex hominibus vt præceptorum & amplius consiliorum obseruatione sint supra
D communem viuendi rationem: verè tunc homines cum minus indulgent corpori, multum animo, diuinis illustrationibus & motibus excipiendis aptiores, ciues sanctorum & domestici Dei. Cur maiores, liberiores effectos, minores esse vis in agendo? cur eleuatos statione, damnas impotentia, cum in apogęo planetæ procul à terra remotiores, sint auctis inde viribus magis benefici? cum ex humo sublati vapores dum in rorem & pluuias recidunt, inferant fœcunditatem? cum fauore principis subuecti, suos fortunæ suæ radijs illustrent.

DVRATIO. Tandiu fœliciter degunt in claustris contemplationi vacantes, donec euocet publica vel priuata necessitas; tunc cum vrget charitas Christi, moras non patientes & ad obedientiam
E parata voluntate, de suis euolant claustris, simulque charæ solitudini, & iniunctis negotiis intersunt, sicut Angeli sublunaria regentes, etiam Deo fruuntur. Verum est clericos & Religiosos à tutelis eximi, propterea quod assiduam exigunt in pupilli bonis seruandis curam, at qui Deo militat hâc externorum perpetua sollicitudine non debet distrahi; status suus quietis est, cui repugnat pro terrenis actio non intermissa, & addici singularibus eum quem vota communi Deo, communi bono consecrarunt. At professæ sanctitati non obstat vrgentibus negotiis, vnde sæpius pendet salus animæ, non quidem implicari, non misceri, sed ad diem adesse

Digitized by Google

lucis instar, & hæc astra fœlicia mortalibus interdum A orici, postmodum occidere.

POTESTAS. Qui se totum pietati dicauit passim à scriptura vocatur homo Dei, actor & cooperator Dei, pro ipso legatione fungens apud homines, quos in Domini sui fidelius obsequium conatur reuocare, & putas illi cessandum cum agitur de regno Dei, in terra, sicut in cœlo stabiliendo? cum agitur de saluandis animabus Christi sanguine redemptis. Actum Dei spiritu, vis torpere, Christo indutum latere, Apostolum in omnem terram salutis semina missurum, claustri velut carceris parietibus conclu- B di? quo Deo proximior est, fit potentior, & quo diuina virtute potentior est, eo minus vacare debet à præstandis charitatis officiis.

COGNITIO. Tales ex Apostolo, Dei domestici, in sortem sanctorum & Angelorum admissi, omnes sunt administratorij spiritus, missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Occulta sunt, paucis nota, vix à quibusdem credita, quia sensibus non patent Angelorum auxilia, at quis inficietur diuinam in animarum cura prouidentiam, cum videt homines, nobilitate, scientiis, diuitiis, dignitatibus celebres vocanti gratiæ sic momento respondere, vt separatarum mentium puritatem æmulentur, & C vt Euangelij doctrina illustribus exemplis facilius in hominum mores transeat, fieri visibiles angelos.

VOLVNTAS. Hinc in æternum & immensum Deum æstuans Religiosa charitas non se continet, dato quo regatur imperio, data cui proficiat occasione, dilatatur, effunditur. Maximum hoc ad animarum salutem promouendam negotium, melius à multis Deo & hominibus propter vitæ puritatem charis perficitur, quam à paucis, quorum authoritas instituti sanctioris exemplo destituta fulget, non ardet, & inuitis non proficit, suspecta videri debet hæc humana potestas, quæ Christiano charitatem, charitati diffusionem, profectus in proximi salutem, & Dei gloriam interdicit.

VIRTVS. Religiosi quos obedientia externis impendit charitatis officiis, vt plurimum sunt insi- D gniti sacerdotio, ita cæteris sacerdotibus pares, sed eminentia perfectionis Euangelicę digniores, qui munus Apostolicum obeant; Cur enim sanctitas omnium oculis chara, suis etiam hostibus veneranda, aptissimum organum & argumentum instaurandæ pietatis, characteri pluribus communi iuncta excludetur ab officio, vt minus possit is, cui plus gratiæ ad id ipsum à Deo concessum est?

VERITAS. Imperatores Christiani, Religionis causam censent inter publicas actiones, in quibus vnicuique de populo licet agere, eius enim vindicta cōmunem Reipublicæ salutē, Dei cōmunis parētis gloriam respicit. Cur igitur viro religioso non licebit grassātis hæresis profectibus obstare, ad per- E nitiem hanc velut ad conflagrationem extinguendam conclamare? cur non licebit perditos mores, vim tyrannicam, populis & Religioni grauem ore libero coërcere, ne tot aduersis tētata fides deficiat & multi rebus desperatis suas proiiciant animas vel turpi sceleribus deditione, vel immaturo fato?

GLORIA. Cœlum quod inhabitant sancti, non est terra obliuionis, vt inuocati nostris non adsint necessitatibus, ea qua valent apud Deum intercessione. Cella cœlum est Religioso, Deum in illa possidenti, sed etiam ad miseris auxilia ferenda proprio cum opus erit, votis & operibus sequenti. At pietatis importunus censor, quietum in vmbra vis detinere, quem charitatis, quem obedientiæ lex, quem boni sui conscia mens & vocatio diuina profert, quem Ecclesiæ, proximique necessitas euocat. Suum esset ad quietem prouocare, tuum non est de præstitis alienæ calamitati subsidiis, conqueri; alienum importunè geris negotium, qui Religiosos non vis alienis immisceri negotiis. In hoc publicis votis, fœlicibus de salutis hoste triumphis, non obstas sine turpi sacrilegi liuoris nota.

DIFFERENTIA. Nullæ quamuis ridigissimæ leges, naturalem ita coërcere libertatem, vt in solitis fastidienti, non liceret ad alia diuertere, gustum noua mensa, mentem noua lectione, conuersatione reficere, nam citra boni cōuenientis qualitates ipsa iuuare potest diuersitas. Licet sic distincta sint ciuilis potestatis officia, vt quidquid agi posse videatur, ambiant, licet Iurisdictionē suam ambitiose quilibet tueatur, liberum est quos volueris consulere, rebus integris, vt videtur incerta iudiciorum alea, prudentis arbitrium sequi. Eadem naturali lege licet in ambiguis negotiorum, in secretioris conscientiæ dubiis, pium, doctum, fidum virum Religiosum conuenire, à cupiditatibus magis abstracto plus habere fidei; non tam Religiosis quam sæcularibus, animarum saluti, Ecclesiæ decretis iniuriam facit hæc prohibitio.

CONCORDANTIA. Vnum corpus sumus alter alterius membra, quæ mutuum sibi præstare debent auxilium, vt oculos, manus, & pedes dirigant, vt defæcata magis ratio legem dicat turbidis sensuum & cupiditatum motibus; Cur Inuidia soluit, & abscondere tentat, quod charitas vnit & profert in commune Christiani nominis bonum?

CONTRARIETAS. Hostes fidei, licet contrariis inter se pugnent opinionibus, fœdus tamen ineunt, & facta coniuratione vnitisque suis viribus Ecclesiam oppugnant. Hoc in negotio filij tenebrarum sapientiores sunt filiis lucis, qui propter accidentalem aliquam instituti varietatem, essentialem dissoluunt, fidei, sacerdotij, charitatis vnionem. Sic inuido schismate diuisis fractisque simul viribus ipsis militant hęreticis, dum sacrum, ipsis formidabile Religiosum institutum delere tentant. Admittuntur Religiosi vt peste corporea laborantibus ferant auxilium, æqua martyrio charitate quæ animam ponit pro amicis suis; admittantur similiter ad extirpandam hæresum & cupiditatum pestem, immortalibus animis mortalem.

PRINCIPIVM. Quid miraris Deo consecratos homines, ad humana descendere, cum ad hominem Deus ipse descenderit? Hæc est consueta causis superioribus beneuolentia, vt ad inferioris naturæ laborantis auxilium se dimittant, inclinentur, vt deiectam eleuent. Christus voluntariæ paupertatis est idæa, conuersabatur cum diuitibus publicanis; Egent enim ęgri medico, mundani conuersatione hominis à cupiditatibus, quantum natura patitur, abstracto. Religiosi voluntaria paupertas, sermo simplex, humilis habitus, impensa rebus sacris quotidiana diligentia, tacito licet occursu fortiter arguit diuitis inexpletam auiditatem, dolos, luxus, irrequietas pro temporalibus citò perituris, curas, obliteratam beneficiorum Dei memoriam, & æternorum considerationem, ad quæ nos cursu latente deducit ætas.

MEDIVM. Quæreris salutem inter humana consequi difficilem, tamen media ad eam obtinendam diuinitus concessa, proiicis & abdicas. Remoues ab actione Religiosos, verbo & exemplo Christianæ moralis fidei assertores; cella conclusos vis continere, ne peccantes iuuent & ad meliora reuocent, dum videntur. Vocem in conuersatione, in verbi

Dei prædicatione tollis ne liberius peccantes insectentur, & Christianæ fidei veritates auidis instillent mentibus. Ita deletis confractisque diuinæ prouidentiæ instrumentis prohibes eius artem quâ suauiter liberas mentes auertit à malis, & ad salutaria dirigit.

Finis. Hæc inquis tam grauia non intendo, hæc tamen sequuntur ex inuidiæ tuæ sæuientis conatu, nam facta coniuratione tibi similium, tentas delere quod Christus instituit; vis homines non esse votis Deo consecratos, perfectionem Euangelicam professos, quid inde detrahatur pietati, animarum saluti, Ecclesię militantis profectibus, insipientis est non præuidere; sacrilegi, si sciens velit Deo consecratis hominibus manus violentas inferre.

Maioritas. Crescit in dies vitiorum lugenda propagatio totum turpiter implens agrum Ecclesiæ, & operarios qui suffodiant, qui purgent, remoues? Non times naufragium si desint qui sensim tot rimis guttatim exceptas, tandem opprimentes nauem, aquas exhauriant. Sunt extra Religiosum institutum, viri doctrina, pietate, verbo celebres, sed humanis animis inserta virtus, humanis est fouenda subsidiis, & inde surgit in maiores profectus cum æmulatione sancta prouocatur.

Æqualitas. Nascens Ecclesia sacerdotes suos, quantum poterat Apostolicis institutis ex æquo conformauit, erant aut fiebant Prælati Religiosi. Si nunc mutatis temporibus, immutatus est rerum

A ordo, saltem non effodiatur, non subtrahatur altè surgentis ędificij fundamentum, si non omnes profitentur, saltem probent vitam Religiosam, & indulgentioris suæ vitæ splendorem terrenum, æquis in pietatem compensent affectibus.

Minoritas. Vota Religiosa videntur importare mundanos omnes defectus per paupertatem, castitatem, obedientiam, sunt tamen contra mundanæ cupiditatis excessus, decreta diuinitus remedia, vel intus suscepta, vel exterius adhibita. Quis aptior est ad temperandos ambitionis & cæterarum cupiditatum ęstus, quem qui virtute se liberum à talibus effecit? quis melius sæuum in miseros debitores creditorem continebit aliquo misericordię sensu? quis bonorum iacturas lugentem; potentioris iniuria pressum melius consolabitur? quis de vanitate mundi, de nostris affectibus ad cœlestia

B transferendis melius disseret, quam qui fecit quod loquitur, qui proiecit quod cæteri tam anxiè colligunt; qui totus in se & in Deum collectus, minimum pendet ab externis, qui Deum expertus Deum sitit, quærit, toto capit pectore? Tales humanarum mentium doctos, ægris ipsis gratissimos medicos, Apostolos Christi Domini coadiutores, qui conatur à bonis operibus excludere, peccat in Rempublicam, in Ecclesiam, in priuatum publicumque bonum, hoc perfido cum hæreticis commercio, & nunquam satis execranda Theomachia.

VERITAS BONITATIS.

VERVM BENEFICIVM.

MVLTVM detrahunt bonitati diuinæ, qui dicunt mundum ab ipso, non certa animi destinatione factum, sed emanasse & emersisse voluntate non concurrente, perinde atque corpus vmbræ, lucidumque splendoris est causa. Vt hunc confundat errorem dicit Moyses. In principio fecit Deus cœlum & terram, &c. D. Basil. in hexam. hom. 1. fecit vt bonus, quod vtile est, vt sapiens quod pulcherrimum est: vt potentia prçditus, quod maximum est. Ibid.

Quintilian. decl. 9. de amico qui se pro alio captiuo, & in certamine pugnaturo substituit. Hoc admirabile, & vni tantum pietati referendum est, dedit beneficium quod nunquam reciperet & cum amicum quem redimebat, habiturus non esset, nihil aliud emit, quam honestam mortis conscientiam.

Cætera animalia vsibus nostris destinata, pretio comparantur, alendo curanda sunt, & tantum coacta prosunt. Apes faciunt iniussæ fauos, sine vllo rationis humanę ministerio, totus fructus vltro venit, nullis fructibus nociuæ. Quintil. declam. 13. *Vide Veritas Voluntatis Verus Amor.*

Eucharistia, etiam antequam sumatur, est sacramentum, id enim significant verba, & antequam sumatur, adoratur. Bonacina.

C Vt suffragium prosit alteri, requiritur primo; vt offerens habeat intentionem offerendi pro eo cui prodest, quia si satisfaciens non dirigat intentionem suam in alium, retinet sibi suffragium, cum sit opus ipsius. Id. de suffragiis.

Si filius à patre petierit ouum, numquid serpentem dabit illi? Math. 23.

Non est verum beneficium, quod fit ex pauperũ spoliis. Vide can. non est. 1. q. 1. prouerb. 3. & 15.

Priuilegium concessum cum hac clausula, motu proprio, est magis liberum & voluntarium, excludens omnem subreptionem. Bonac. de dispensatione pun. 4.

Si verba priuilegij non sint clara, explicari debent

D secundum mentem concedentis, quę colligitur, tum ex supplicatione, nam princeps precibus sibi porrectis solet se accommodare; tum ex re quæ conceditur, & ex subiecta materia, tum ex simili priuilegio, tum denique per recursum ad principem. Id. de priuilegiis pun. 7. § 1.

Aqua pluuialis quæ cadit cum tonitru & grandine, non est bona, sed citò corrumpitur.

Quidam egentibus, vt amicis subueniunt, cauent tamen vt ab hostibus.

Rex pacem debet dare non vendere.

Laïci non debent cogi, sed induci, ad danda bona sua Ecclesiæ.

Vide Potiſſias Vrentis. Recta bonorum Eccleſiæ diſpenſatio.

Similiter qui aliquos circumueniunt, & inducunt ad renuntiandum ſæculo, vt eorum bona diripiant, & ſibi donari faciant, talibus priuentur, tanquam turpis lucri ſectatores, bonaque hæredibus reſtituantur. Concil. Cabilonenſe. II. can. 7. a. 813.

Primum agens in quolibet genere, ita eſt influens, quod non eſt recipiens in genere illo, ſicut ſol illuminat ſed non illuminatur, ignis calefacit, ſed non calefit,

Agere nihil eſt aliud, quam communicare illud per quod agens eſt actu, ſecundum quod eſt poſſibile.

Natura menſuræ intrinſecæ, eſt nihil accipere à menſurato,

Motus exiſtentis in potentia, eſt propter indigentiam ſuam, ſed motus exiſtentis in actu, non eſt propter indigentiam ſuam, ſed propter indigentiam alterius.

Amor amicitiæ ſeu beneuolentiæ ex D. Thoma eſt, cum bona amato cupimus & procuramus propter ipſum, & non propter nos.

Præcipuè odore, ſaporeque fructus maturitatem determinamus. Theophr.

Liberalitas, beneficium eſt ſincero animo collatum, Suidas in voce [illegible].

Bonum creatum communicat ſe tribus modis. 1. per ſui diuiſionem, ſicut totum in partes, quia totum bonum creaturæ non habetur in vno, ſed per partes in pluribus. 2. per ſui multiplicationem numeralem, ſicut ex vno genere proueniunt multæ ſpecies, & ex vna ſpecie multa indiuidua 3. ſe communicat per effuſionem, ſicut ex vno fonte procedunt multi riuuli, & hoc fit cum quadam egreſſione. At bonum increatum differenter ſe communicat. 1. ſine ſui ipſius diuiſione, nam Deus dans omnibus eſſe manet in ſe totus. 2. ſe communicando non minoratur nec multiplicatur, ſed manet ſingulariſſimus in omnibus entibus manens, & ab omnibus ſegregatus, 3. manens in ſua eſſentia indiſtincta in ſe, tamen multiplicatur in ſua ſimilitudine in creaturis participantibus ipſam diuinam bonitatem. Perbaltus in roſario Theologico. Voce Bonitas.

Verum bonum creatum dicitur quod eſt à bono cauſatum, in bono fundatum, & ad bonum ordinatum. Ibid.

Canitur in proſa Eccleſiaſtica, charitas eſt pater. Ratio appropriationis huius eſt, quia ſolus pater ſecundum Ricardum de ſancto victore dicitur habere amorem gratuitum, quia tribuit & non accipit ab aliquo. Id. in voce Charitas § 3.

Debet ordinarius & legatus collationem beneficii facere pure. can. quam pio. 1. q. 2. cap. fin. de pactis. Poteſt Pontifex pure, adiecta die, & ſub conditione can. paſtoralis. 7. q. 1. vt Domini eſt fundo imponere ſeruitutem.

Tam perſonales quam prædiales decimę præſtantur ſine deductione impenſarum. cap. paſtoralis. de decimis.

Leuit. 7. Animalium quæ in ſacrificiis offeruntur adipes prohibentur edi: non licet minimum dare Deo, & ſibi quod melius eſt ſeruare vt Cain.

Non ex triſtitia aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus. 2. Corinth. 9. & Rom. 12. qui miſeretur in hilaritate, oſtendens quod magis accipiat quam det. Chryſoſth.

Vidua. 3. Reg. 17. Heliam aluit, non inquirendo; quod neceſſaria domui ſuæ ſubtrahebat. Bonum eſt, ſic adhibere ſimplicitatem in benefaciendo, nec nimis curioſè in eum inquirere qui beneficium ſit accepturus; Abraham non recepiſſet Angelos ſi nimis curioſè voluiſſet agere; Si piis tantum velis dare, incides in impoſtores qui affectata diligentia pietatem ſimulant; & pręteribis verè pios qui tales non curant videri. D. Chryſoſt. Hom. 1. in epiſt. ad Philipenſ. & Homil. 11. in epiſt. ad Hebręos. Non ſumus, inquit, vitę examinatores alioqui nullius miſerebimur: Cur quando Deum rogas, dicis, ne memineris peccatorum meorum; eſt tempus miſericordię, non ratiocinationis & exactę examinationis; Non miſereris & eos qui volunt auertis; nam te qui audiant improperantem, nec huic dabunt pauperi, nec aliis quos ſimiliter impoſtores exiſtimabunt. Nonne Deus nutrit etiam adulteros, & qui laborant omni genere vitij, &c.

Munus eſt quod aliquis dat ſub coactione, quia ſcilicet ſic à lege conſtitutum eſt; & donum dicitur id, quod merè gratuitè datur. Toſtat. Exo. tom. 2. fo. 19. c. 4. b.

In dante eleemoſynam modicum animi feruorem magis acceptat Deus quam maximam donorum quantitatem Id. Gen. to. 51.

Lyſimachus iam olim in Troade vectigal ſalinarium conſtitutum exigebat, natura tamen id quaſi refugiente, ſtatim exaruerunt ſalinæ, ac remiſſo vectigali iterum prodierunt. Athenæ. l. 3. c. 1.

Deus mundum produxit liberè, non neceſſariò. Vide quæ ſcripſi Theologiæ naturalis. to. 1. parte. 2. c. 16.

Plurimæ aquæ ab aquilone per flumina deſcendunt, quæ non recurrunt vnquam ad Septentrionem. Quidquid ſemel in Mediterraneum decidit, nunquam in Oceanum ſpargitur.

Prædia dantur optimo iure à dominis, quæ nihil penſitant, nec fidem vel hominium, vel inueſtituram, & hæc vocantur alodia. Cuiac. obſeruat. lib. 8. c. 14.

Patronus interdum remittit ius patronatus. l. penult. & vlt. Co. de bon. lib.

Præcepta Dei ſunt in bonum noſtrum, non in ſuum. *Vide Voluntas Principij.* Amor Dei erga homines.

Aër transfert ad nos ſpecies obiectorum, à quibus non afficitur, nec aliquid accipit, nec enim fit trigonus, cum trigoni ſpeciem defert. Abraham deuictis Regibus qui Sodamam ſpoliauerant, nihil ſibi de ſpoliis retinet. Gen. 16.

Bulla Pij V. an 1565. contra Nuncios Apoſtolicos, ne à principibus ad quos mittuntur debeant mendicare fauores aut litteras commendatitias pro ſe aut proximis ad dignitates obtinendas à ſede apoſtolica, ne etiam vltro oblatis à principibus ſub pena excommunicationis maioris latę ſententię & priuationis beneficiorum.

Bulla Bonifacij. 8. an. 1574. contra paciſcentes dato pretio pro gratiis, Iuſtitiis, expeditionibus in Curia Romana obtinendis. Summa Bullarii, Verbo; data promiſſa.

Aduocati paciſci prohibentur de quota litis. Paulus V. conſtit. 7. Clericos Regulares miniſtrantes infirmis, iuſſit nihil quærere ab infirmis, vel conſulere vt ſibi aliquid relinquant. Greg. 14. conſt. 17. Bull. pag. 541. to. 2.

Quæſtuarios prædicatores, à prędicationis officio ſe abſtinere, iubent, & inobedientes puniant hæreticæ prauitatis inquiſitores. Vrban. 4. conſt. 2. §. 14. p. 120. to. 1.

Non eſt pauperibus eleemoſynas largiri, dare mercedē operum. Vide quæ ſcripſi. l. de operib. miſericordiæ. parte. 1. c. 14. Nec danda eleemoſyna cum oprobrijs. Ib. c. 21.

SI NON SIT OMNINO *gratuitum officium, saltem non exigatur ingens remuneratio.*

QVis militat suis stipendiis? quis plantauit vineam & de fructu eius non edit? quis pascit gregem & de lacte eius non edit? 1. Cor. 9. Non dixit quis militat & non est diues: quis plantat vineam & aurum non colligit, aut fructum integrum non vindemiat? sed ex fructu eius non comedit? neque dixit, quis pascit gregem, & de agnis non exercet mercaturam, sed ex eius lacte non comedit? Ostendens quod oportet doctorem paruo solatio esse contentum; soloque necessario. Hęc ad eos qui omnia volunt excedere, & totum fructum vindemiare; Ita Christus dixit, Dignus est operarius mercede sua. Et scriptum est Deut. 25. Non alligabis os boui trituranti, &c. D. Chrysost. homil. 21. in 1. ad Corinth.

Cum sint limitatæ vires corporis reique domesticæ, non licet omnibus purum & integrum officium præstare, nihil inde sperantes. Integrum exhibet affectus, mediatum efficit necessitas. Christus mittens Apostolos paupertatem professos ad disseminationem Euangelicæ veritatis, dicit, gratis accepistis gratis date; &. tamen victum vult ab eis recipere, quibus prædicant, nec enim minus officium hoc gratuitum est, nam cognitioni veritatis, animarum saluti, paci, lætificantibus gratiis, dispendium hospitalitatis exigua res est, Imo magnum beneficium, Apostoli merita, in hospitem Apostoli transfundens. Sibi laborat non terræ, qui hanc cultura, sparsoque semine fœcundam efficit; sibi prouidet, qui seruis, iumentis, pecoribus, quotidiana præbet alimenta, cum eorum fructus & ministeria ad se redeant. Sic populus commodis suis spiritualibus intendit, dum altaris & verbi diuini ministris victui necessaria subministrat. Hac ratione ima summis contexit prouidentia, vt mutuo se iuuent complexu, & rationalis facultas in nobis non stet sine sensibili, sensibilis sine vegetatiua, hęc sine qualitatum elementalium temperamento; virtus Religiosa, sine temporalium subsidio. *Vide Concordantia Potestatis.* Consensus politiæ & religionis. Sub iniqua vexatione familiæ pereunti, consilio subuenit aduocatus; ægritudine periculosa laboranti, succurrit fœlici remedio medicus, his habemus gratiam licet soluto salario, quia comparatione collati beneficij, minimum quid est? Sic in pœcuniæ mutuo, quidam dicunt aliquid præter sortem peti posse, non in lucrum, sed in emergentis inde damni compensationem. *Ex Principijs.*

INVITIS BENEFACERE.

Vide infra Voluntas Durationis.
Amor vitæ. initio.

DE mancipij Iudaïci baptismo. Agobar. Bibliot. Patr. tom. 9.

Matth. 9. Christus dicit, Paralytico Remittuntur tibi peccata tua. Non agit gratias Paralyticus qui salutem potius corporis, quam animæ quęrebat. Hoc tamen bonum spirituale cęterorum causa, vel

A inuito confert Christus. Vt medicus ægro suo nolenti aspera dat sorbenda. Chrysolo. serm. 50.

Superior qui dispensandi facultatem habet, potest in lege dispensare cum subdito nolente & inuito, quia sicut lex ferri potest in inuitum, sic dispensatio à lege, maximè si priuilegium vergat in commune bonum. *Vide Voluntas Minoritatis. Mala. Et Cognitio Bonitatis. Rep.* Latens beneficium.

Loth dissimulantis exire de Sodoma citò peritura, Angeli apprehendunt manum, & educunt de ciuitate. Gen. 19.

Nihil debetur alicui, nisi propter id, quod datum est ei à Deo non debitum.

B Possumus & debemus proximum iniustè inuasum, vt nos ipsos tueri etiam si inuasus nolit defendi, si mihi sanguine coniunctus sit, nam ipsius iniuria redundat in me; consequenter possum seruato moderamine, à me, infamiam illam auertere. Qua de causa Pater potest tueri pudicitiam filiæ, & maritus vxoris, cum morte inuasoris, etiam si filia vel vxor nolit defendi. Bonacina de restitut. q. vltima puncto 11.

Teneor defendere vitam qualiscumque inuasi qui non vult defendi, si id possum absque meo graui incommodo, quia cum inuasus non sit dominus vitæ suæ, non potest eam alteri donare, nec potest tollere obligationem quam ego habeo ad illum defendendum, & diligendum sicut me-

C ipsum. Ibid. proposit. 2.

Contractus celebratus per metum iustè incussum ad extorquendum consensum non est rescindendus, quia nulla fit iniuria. Id. de contractib. in genere. q. 1.

Ideo Philosophi Regum & procerum Palatia frequentant. *Vide Cognitio Minoritatis.* Difficilis sui cognitio.

Gelon Siciliæ Tyrannus vt debellauit Carthaginenses, agens de pacis conditionibus, illos coegit legibus adscribere ab infanticidio desituros. Rodigin. lib. 23. cap. 13.

Dei Prouidentia somni solatium & requiem hanc

D non proposito consilioque commisit, nec somni vsum electionis nostræ esse voluit, sed naturalis necessitatis vinculis adstrinxit, vt vel inuiti beneficium accipiamus. Dormire enim naturæ est, nos autem quasi nos ipsos valdè oderimus, propter diuitias, amores, iras, somno priuamus. D. Chrysost. hom. 2. in epist. ad Philippen.

Christus non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Heb. 2. Vsus est Apostolus hac dictione, apprehendit, à Metaphora eorum qui persequuntur auersos, & omnia faciunt vt fugientes comprehendant, & resilientes apprehendant. Ab ipso enim fugientem humanam naturam, longè enim eramus, persequutus comprehendit; quod fecit summa benignitate, charitate, & nostri cura. Idem Homil. 4. in c. 2. ad Hebræ.

E In corporalibus potest quis inuitus curari, non vero in spiritualibus.

Tost. to. 5. Matth. fo. 49. pœnæ tamen legibus indictæ inuitos sanant, dum à vitiis metu reuocant.

Laurent. Iustin. serm. in festo S. Innocentium. O Dei, inquit, nostri stupenda dignatio, quę nolentes plorantesque transmutat ad requiem: sine pugnæ consensu coronantur; non interrogati iugulantur, & consecrantur Christo; nec corde credebant ad iustitiam, nec ore confitebantur ad salutem, & tamen Martyrij coronam sunt adepti; commendare voluit

A Dominus in his pueris misericordiam suam, gratis perceperunt brauium fœlicitatis æternæ; cum alii pro ea grauiter & periculose laborent.

Leges ex se non indigent acceptatione. *Vide Potestas Veritatis.* Legis imperium. Nam in statu non democratico populus transtulit supremã potestatem in principem & ideo non deest illi potestas ad legem dicendam etiam inuitis. Suarez. de legib. lib. 3. cap. 19. Nisi nimium sit grauis lex, contra quam reclamat populus, princepsque censetur eam tulisse, potius probandi quam obligandi animo. Ibid. Similiter S. Pontifex potest obligare Ecclesiam ad accep- B tandas suas leges sufficienter promulgatas, nam Christus dedit illi hanc summam potestatem: Quodcumque ligaueris, &c. Idem lib 4. cap. 16.

Motu suo naturali ferri debet mens rationalis in verum bonum, vnde perfectionem & quietem suam possit adipisci. Quod si deflectat interdum ab eo corporeis impedita compedibus, tumultu passionum, vel opinionibus vulgi delusa, non tam agit quam patitur, & peruersæ voluntatis sicut ægri furentis motus continere debet, si non statim sanare potest proximorum officiosa charitas. Ita desperatione currentes ad laqueum, ferrum, præcipitium custodire solemus, & phreneticos escas abominan- C tes oris speculo cogimus hiare, ingestasque sorbere. Nunquam magis apparet proximum esse nostri partem naturæ fideique nexu, quam cum cæcutientem nostris dirigimus oculis, labantem nostris erigimus manibus, & vt in corpore membra solidis colligantur vinculis, ne pondere vel luxatione discedant ab inuicem, communi proprioque deficiant officio, sic vnitiua charitas omnes simul connectit, trahit ad rationis munia, vim fallacem, vi salutifera retundit, & legibus etiam humanis hoc suum promulgat oraculum, non audiendos perire volentes. Ita malos coercet minis & pœnis armata manu iustitia, tam ipsorum priuato, quam Reipublicæ bono. Et sanè breui dissolueretur ciuilis societas, mutuisque periret iniurijs humanum genus, si singulis peruersa relinqueretur libertas impunè faciendi quidquid D vellent, irrumpendi quocumque cæca furensque passio tulerit. Prodigos interdicto, fœdifragos, homicidas carcere, cęteros ad iniqua pronos, metu pœnarum iudex continet, cœtus omnes hominum, in familijs, ciuitatibus, militia, nauigatione parent vni, qui deuios cogat ad officium, contumaces puniat, ad hoc sibi commissa iurisdictione. Cum enim publicis præsertim negotijs prouideat authoritas publica, & quamuis diligens magistratus, priuatis omnibus dirigendis negotiis non sufficiat, maritalis, paterna magistrorum in propriis viget disciplina, tum proximo proximus inuigilat, monitis, amicorum consiliis & actibus, familiari priusquam publica coërcitione. Naturam imitamur quæ nos à noci- E uis dolore reuocat, semel castigatos in posterum à similibus metu deterret. Non se tantum qui peccat lædit, sed simul patriam, congregationem, cuius pars est, conscientiam alienam, & Deum ipsum parentem quem non offendi omnium interest. In malum itaque procedentem, quantum ex lege conceditur, continebo; arma furenti detraham, depositum repetenti negabo, quod enim alias suum esset, alienum efficitur, cum illo in suam perniciem, in legis humanæ diuinæque contemptum est vsurus. Nunc excandescit, iras spirat, postmodum sedata qua transfertur passione, gaudebit, gratias aget, clementer liganti, profuturis vulneribus sananti medico. Vt libertis ingratis patrono, sic hominibus Deo, peruersa libertas est auferenda; obsequantur qui se nesciunt regere, alienis videant oculis; qui rectè non possunt suis. Et suo pereuntes, alieno cogente licet & vim inferente saluentur arbitrio. Si diuina prouidentia mundanis immersos cupiditatibus hinc sæpè propellit necessitatis stimulo, vrget & in solum illis relictum Euangelicæ perfectionis asylum confugientes excipit. Si ad consilium videtur cogere, cur non ad præceptũ errantes charitas etiam illa vi non reducet? Legis præceptum iuris est puplici, quod læsum vel ne lædatur vindicari debet, contra priuatum ius libertatis. Sapiens Christianus humilis est, & suo se non fidens iudicio, volens & lubens alieno se subijcit; quod à Deo mota pietas selegit ad profectus suos, contumaci, perire volenti fortiter imponat. *Ex Principijs.*

Vide Veritas Virtutis. An sit vera virtus cogente necessitate. *Contrarietas Virtutis.* An Religio sit imponenda vi. *Et Bonitas Contrarietatis.*

Inuitis præstatur auxilium. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib 1. Lege 9. 3. §.

REPVGNAT.

FALSVM BENEFICIVM, lædens sub specie auxilii.

Vide Cognitio Contrarietatis. Repug. Latens iniuria.

LEgatum habetur quasi non scriptum, quod infamat legatarium. Vide 1. tomo Contrar. Gloriæ honori.

Ridiculum visum est apud Romanos, si quis aliquem scriberet hæredem, & alteri bona sua legaret. Plutarch. lib. de sera numinis vindicta.

Pansa Consule in conflictu saucio, & inde mortuo, Glyco medicus custoditus fuit, quasi venenum vulneri indidisset. Sueton. in Augusto.

Claudio Cæsari hausto veneno deficienti, iterum datum est venenum per clysterem, vt quasi abundantia laboranti, hoc genere egestionis subueniretur. Id. in Claudio.

Protesilaüs mortuus iuuenis in obsidione Troiæ, apparens agricolæ accusat genium in cuius tutela erat, velut perfidum sibique inuidum. Philostrat in heroicis.

Idem in vita Appollonii lib. 4. cap. 8. refert historiam cuiusdam, à Dæmone sub forma mulieris adamati; conuocatis ad nuptiale conuiuium amicis, ostendit falsas esse epulas, falsa ornamenta, & mulierem esse lamiam, quę amatores suos solebat dilaniare.

Aduocati, qui consceleratis pactionibus, suæ opis egentes spoliant, dum eorum præcipua poscunt, ab honestorum cœtu, & iudiciorum conspectu segregantur l. 1. Cod. Theo. de postul.

Vide Gloria Minoris. Malus ex alienis malis profectus.

Deportatur tutor, qui pupillam suam corruperit, bonis omnibus fisco quæsitis. l. vni. Cod. Theodos. si quis eam cuius tutor fuerit, corruperit.

Licet quidem medicis, qui salarium de publico accipiunt, etiam accipere quæ sani offerunt pro obsequiis, non ea quæ pereclitantes pro salute promittunt l. 8. Cod. Theod. de medicis & professorib.

Omnis nos hora per tacitos fallentesque cursus applicat fato. Quintil declam. 4.

D. Gregor. PP. in Registro. lib. 7. epist. 34. arguit Virgilium qui commendationis occasione pecuniam accipiebat.

Parentes & amici nimia indulgentia sæpe nos lædunt.

Sæpe pharmaca plus nocent, quam iuuent, quià humores conturbant, bonos cum malis educunt, spiritus in quibus vita potissimum consistit, extrahunt; stomachum cæterasque partes vitales noxia sua qualitate inficiunt.

Aër cuius continua respiratione viuimus, mala qualitate, & noxio vapore infectus, pestem, & mortem infert.

De bonis veris & falsis. Pintus tom. 4. p. 5.

Latronum beneficium, vt commemorent se ijs dedisse vitam, quibus non ademerint. Cicero Philip. 2.

Fructus qui nascuntur circa lacum Asphaltes in Syria extra pulchri, intus nihil habent præter cineres. Ioseph. de bell. Iud. lib. 5. c. 3.

Apud Scythas in regno Tangut mortuo aliquo pingunt in carta, equos, vestes, nummos, & cætera pretiosa, quæ dicunt ex votis, defunctum habiturum in alia vita. Danisy.

Sicut auceps accipitrem ad escam carnis, blandiens prouocat; sed mox vt manu tenuerit, carnem subtrahit, loro pedes astringit, ita diabolus primò quidem pollicetur luctum, quod postmodum subtrahens, peccati dumtaxat inicit laqueum. Sic mus dum tendit ad escam, tendicula suffocatur. Petrus Damiani opusc. 31. cap. 5.

Iahel fugientem Sisaram excipit hospitio, & dormientis caput clauo configit. Iudicum 4.

Rex Babyloniæ habebat pro insigni columbam, cum tamen fuerit sæuissimus: vnde dicit scriptura, terra eorum desolata est à facie irę columbæ.

Amor concupiscentiæ est cum amamus aliquid propter nos, & in nostrum commodum & bonum referimus.

Non omnes plantæ odoratę aut dulces cibo idoneæ sunt, nec omnes amaræ ingustabiles, sed quæ postquam in cibos assumptæ fuere, nihil nocuerint corpori, eas tantum esculentas statuimus. Theoph. hist. planta. lib. 7. c. 9.

Non omnes dulces sapores idonei sunt hominibus, sed alij insaniam important, vt radix quę carduo similis est, & aliæ quędam. Alij somnum conciliant, & si copiosius dentur, mortem afferunt, vt mandragora: nonnulli lethales omnino sunt. Multi locis in multis cum radices ignotas edissent dulces atque suaues, interiere; Idem de causis plantar. lib. 6. cap. 5. *Vide Cognitio Bonitatis.* Discretio boni. Contra, multa sunt amara gustu, ad sanitatem vtilia. *Vide Bonitas Contrarietatis.*

Sapiens eris si clauseris aures, & te surdum præstes amantissimis, bono animo malè precantur, si vis esse fœlix Deos ora, ne quid tibi ex his quæ optantur, eueniat. Seneca epist. 31.

Gyges Lydus agros Milesiorum cum segetes maturæ erant, vastabat, villas autem neque diruebat, neque cremabat, vt terram consererent & excolerent, vt postea ipsorum culturam vastare posset. Suidas in voce Gyges.

Mel colchicum qui edunt, errore mentis afficiuntur, tanquam venenum hausissent. Id. in voce *μελι*.

Ignis omnia corrumpens per se, Impedit ea ab externis corrumpi. *Vide Medium Durationis* ex Cardano de rer. varietate lib. 1. cap. 6. de his qui protegunt eos quos ipsi volunt absumere prædamque sibi seruant.

A Colorum cognitio difficilis. Album enim & in lacte, & arsenico & niue, agarico, calce, cerusa; quæ omnia sapore, odore, natura adeo contraria sunt vt plerique negent à colore posse sumi iudicium de temperamento. Ib. lib. 3. c. 14.

Etiam tyranni fauent ministris quibus vtuntur. *Vide Medium Contrarietatis.* Sæuitiæ ministri.

Aliquando pluit aquis salsis & amaris quæ necant frumenta vt ex Plinio refert Georg. Agricola. lib. 5. de his quæ fluunt ex terra.

Clerici vel monachi prohibentur chirurgiam exercere quæ incisiones & adustiones inducit cap. sententiam, ne Clerici vel Monac. Quia sæpe ars illa morbo sæuior est.

Amici Iob sub specie consolationis calumniantur virum sanctum, quasi hæc pateretur pro suis peccatis.

B Saül offert filiæ suæ nuptias Dauid, non vt eum honestaret, sed vt filiæ nuptiis cædem emeret. S. Basil. Seleuc. orat. 16.

Quotidie diabolus per parua magnis nos priuat, largitur lutum, vt aurum rapiat, vt cœlum eripiat, vmbram obiectat, vt à veritate deturbet, in somnis illudit, hoc enim sunt mundi huius diuitiæ; vt cum dies illuxerit, omnium pauperrimos ostendat. Tales dolos fugiamus. D. Chrysosth. homil. 14. in epist. ad Roman.

Vt si obstetrices Ægyptiorum necassent mares Hebræorum, quos debebant fouere. Exo. 1.

Sacerdotes idolorum deflorabant vigines, prętextu concubitus deorum. Tost. Leuit. fo. 200.

C Adulator, dum laudat vitia, ea nescientibus aperit.

Mali quidem olim expositos infantes colligebant, vt adultos prostituerent, pascebantque velut caprarum greges ad turpem vsum. Contra quem inuehitur Iustinus Martyr Apologia 2. ad Antoninum Pium Imp.

In mineris Septentrionalibus apparent dęmones fossoribus in diuersis officijs ministrantes, sed hęc mentita obsequia præstant, vt lætos & securos opprimant terrarum aggere, ruptis columnis, funibus, scalis, fœtore suffocent. Olaus magnus, Rerum septentrional. li. 6. c. 10.

Infortunæ in humanis signis dolosam faciunt vrbanitatem. Cardan. Aphor. sect. 2. aph. 176.

D Boues mactandi in liberis pascuis relinquuntur.

Vsura lædit sub specie auxilij. *Vide Voluntas Maioritatis Mala.* Vsura prohibita.

Dæmon thesauros pollicetur in terra, vt etiam nos & istis thesauris & cœlestibus spoliet; vult nos in hoc sæculo ditari, ne diuites simus in futuro, D. Chrysost. Hom. 15. in Matth.

Christo sitienti in cruce non aquam quę refrigeret, Iudæi præbent, sed acetum hyssopo & felle mixtum.

Tuta frequensque via est, per amici fallere nomen
Tuta licet frequensque via sit, crimen habet.
Ouid.

E In Indica Peruana fons est cuius aquæ conuertuntur in silices, & si animal ex illis bibat, paulo post obstructione moritur. Videntur sedare sitim, & mortem inferunt. Acosta Historię Indicæ. lib. 3. cap. 17.

Sicut nouacula acuta fecisti dolum. Ps. 51. Nouacula ad nitorem vultus acuitur, vt abradens hirsutam atque horrentem barbam, faciem leuiget; hæc si potius vulneret, dolum fecit, quippe cum præparata ad ornatum, ministerium suum præbuerit ad vulnus. D. Hilar. in Psal. 51.

by Google

Oleum peccatoris non impinguet caput meum. A Psal. 140. quia sub specie boni operis, malitiæ arma commouet Id. in Psal. 55.

Sunt qui pauperibus paulum tribuunt, vt amplius accipiant, & sub prætextu eleemosynæ quærunt diuitias, quæ magis venatio appellanda est, quam eleemosynæ genus; sic bestiæ, sic aues, sic capiuntur & pisces, modica in hamo esca D. Hieron. epist. ad Nepotian.

Deleto exercitu Absalon, plures de populo consumpsit saltus quam gladius, confugiebant ad saltus & eos ibi degentes feræ dilacerarunt. 2. reg. 8.

In Tartaria iuxta vrbem Tetus eleuat. 54. est lapis longitudine & latitudine 5. vlnarum in quo inscriptum est, Benè erit ei qui me mouerit. Cum Moscouitarum nauis tempestate fuisset illic iacta, Nautæ mouerunt lapidem, & in imo id inscriptum inuenerunt, Hic frustra quæris quod nullus deposuit. Benè, quia iustè fuit macerata cupiditas labore & contumeliâ.

Veneni nomine etiam medicamenta intelliguntur, quia naturam sumentis immutant. l. qui venenum 236. ff. de verb. signif.

Mali medici cum insanabiles morbos, vt phtysim, tabem, medicamentis tollere aggrediuntur, non solum non sanant, sed citò necant, alioquin diu duraturos. Cardan. de medendi ratione. cap. 1. Ibid. cap. 7. dicit Melones odore & gustu gratissimos, humores pessimos & venena in corporibus gignere.

Sæpè qui peregrinos hospitio excipiunt, sæuissima in eos latrocinia & clandestina homicidia in eos committunt. Qualiter autem Caupones, Hospites, Albergatores teneantur de furtis factis in eorum hospitiis. Pius 4. Const. 71. Bulla. P. 77. to. 2.

NON VERUM bonum.

Vide Veritas Gloriæ. Repugnat. Veritas Virtutis. Rep.

TErra de sua propria virtute vniuersali, aliquos fructus producit, sed sunt fœnum, tribuli & spinæ. Fœnum autem est syluestris auena quæ habet aliquid similitudinis triticorum, & non sunt fructus vitæ rationalis animalis, sed bestialis. Cusa.

Persica in Rhodo vsque ad florem duntaxat deuenit, sine fructu. Et omnium ferè plantarum quædam sunt frugiferæ, quædam steriles. Theoph. hist. plant. lib. 3. cap. 5.

Non est verum beneficium, his quos nudaueris, B aliquid postea pietatis nomine largiri, vt fecit Anastasius Imperator.

Vide Voluntas Maioritatis, Auaritia insatiabilis.

Bonum in conuenienti, vnde Iudæi animalia vocabant immunda & sacrificiis non apta, quæ ad esum non erant conuenientia. Tostat. Gen. fol. 116.

Saccularius dicitur qui cum vnum sacculum ostentasset, in quo erant aurei nummi, & huic simillimum occultaret, in quo erant ærei, numerata & appensa pecunia aurea, & suo reddita sacculo, mox clam alterum pro altero supposuit & tradidit: hinc saccularij dicuntur deceptores. Cuiac. obs. l. 10. cap. 27.

Ea arte vsus est diues qui obærati & carcerati pulchram mulierem conuento pretio corrupit cum C consensu mariti, de quo. D. August. lib. 1. de serm. D. in monte cap. 16. quam historiam ex eo retulimus huius operis to. 1. *Minoritas Gloriæ* de vitando adulterio in fine.

Latrones, pyratæ se dicunt dedisse vitam quam non abstulerunt.

Flores habent in medio sui quædam granula quæ videntur semina & non sunt.

GLORIA BONITATIS.

BENEFACTOR COLENDUS.

CIVIS ab hostium periculo liberatus à ciue, illi ciuicam coronam dabat ex quercu, quia ex huius arboris fructu, primum vixerunt mortales.

Nemo est tam pauper, vt benefactori suo gratus esse non possit, quia nec auro, nec argento, cæterisque rebus pretiosis gratitudo præstatur, sed animo; Animus autem, tam mendico, quam opulento bonus esse potest. Æneas Syluius epist. 98.

Vide Æqualitas Bonitatis. Gratitudo, & Gloria Principij. Dei, parentum. Nutricij & patroni.

Antiqui Deos vocarunt planetas quorum influxu viuimus, elementa quibus vtimur, etiam homines beneficos, legum & artium inuentores. Rodigin. lib. 18. c. 6.

D Non possunt alienari prædia quæ ab imperiali domo ad Ecclesiam peruenerunt, nec in aliam quidem Ecclesiam possunt transferri. Nec etiam prædia Ecclesiæ relicta ne alienentur. Nou. 120. ne oblitteretur accepti memoriæ.

Aquam colebant Ægyptij, quia valde vtilis erat eis, sterilis enim esset terra Ægypti, si non irrigaretur à Nilo.

Est matutina, meridiana, vespertina lux mentibus infusa ab vno æternæ claritatis radio. Per matutinã percipimus largitorem bonorum omnium Deum; per meridianamq́ beneficiis allecti ipsum clarius contemplamur, per vespertinam, creaturas quales sint cognoscimus, & in Dei comparatione, contemnimus, &c. Laurent. Iustinian. lib. de spirituali animæ resurrectione.

Dicit Propheta. Iustitiam tuam non abscondi in

Digitized by Google

cordis meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Psal. Gratus celebrat Deum benefactorem.

Diaconi à plebe honorantur propter bonorum quam habebant administrationem. *Vide Gloria Medium.* Ministri.

Seruatus contra seruatorem, ne quam habeat actionem. Lex. Seneca. lib. 5. contro. 4.

COMMODVM EX *collato beneficio.*

XEnophon monebat secundis maximè rebus homines Deorum meminisse eosque tunc enixius venerari, vt eos maiori cum fiducia orarent, in aduersis factos propitios. Pultarch. lib. de tranq. animi.

De Gratitudine. *Vide Æqualitas Bonitatis.* Et *Æqualitas Voluntatis.*

Opera quæ fiunt ab aliquo, in satisfactionem alterius existentis in peccato mortali, vel non indigentis illa satisfactione, conuertuntur in vtilitatem ipsius offerentis, si indigeat, iuxta illud Psal. 34. Oratio mea in sinum meum conuertetur, & illud Euangelij, Pax vestra reuertetur ad vos, vel aggregatur thesauro Ecclesię. Bonacin. de suffragiis in fine.

Vide Virtus Bonitatis. Eleemosyna & Ib. Eleemosynis peccata redimuntur.

Zachæus Christum conuiuio excipiens, & quadruplum bonorum suorum dans pauperibus, quęstum non perdit publicanus iste, sed mutat. Chrysolog. serm. 54.

Cuidam Monacho iactanti se quod non laboraret manibus, vt semper oraret, Abbas Lucius dixit, At dormiendo & edendo, bibendo non oras, inueni autem quo etiam in istis possit esse iugis oratio,. laboro manibus, pretij tertiam partem mihi seruo, duas alias pauperibus tribuo, qui pro me etiam dormiente orant, cum ipse etiam operando orem & psallam. Vitæ patr. lib. 3.

Si dederis homini pecuniam tuam in fœnus, centesimam recipis, si verò pauperibus, centuplum consequeris, & si hoc parum tibi videtur, vita tibi cumulatur ęterna. Fœneratur Deo qui miseretur pauperi, & vicissitudinem suam reddet ei. Prouerb. 14. & 31. dicitur, Manum suam aperuit inopi, &c. subiungitur, Non timebit à frigoribus niuis, omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. Gen. 26. legitur quia seuit Isaac in Gerara, & inuenit in ipso anno centuplum. Psal. 40. dicitur, Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, Dominus conseruet eum & viuificet eum. Vni dando, totam habet pro se apud Deum Ecclesiam supplicem. Dum homini præstas misericordiam, eam longe maiorem à Deo consequeris. Petrus Damia. opus. 9.

Virtus magnetis descendens super ferrum, propterea non recedit de magnete, imò augetur per iunctionem ferri.

Vide Gloria Voluntatis. Delectatio amoris.

Quæcumque possidemus viuentes, fur, hostis rapiet, male dispensabit hæres; nihil iam rigidè seruari potest, quod fortunæ non subiaceat: extra fortunam est quidquid donatur amicis, *Quas dederis solas semper habebis opes*, inquit Martialis.

Seruos fideles liberalitas facit. Plautus in Aulularia.

Abraham offert filium suum Deo; & eundem fœliciorem recipit. Cum lætus accesseris ad Deum, A iterum tibi reddit quod obtuleris, & dicit tibi Quia iterum videbitis me, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, sic ergo quæ obtuleris Deo multiplicata recipies, Math. 15. qui benè administrauit mnam, eam recipit. Ita Iob recepit omnia dupla quæ patienter amiserat. Centuplum in hoc sęculo & in futuro vitam æternam promittit Christus. Origen. homil. in Genes. *Vide Gloria Virtutis.* Iugum Christi suaue. Sic Gen. 22. Abrahæ dicitur, Quia nō pepercisti dilecto filio tuo propter me, erit semen tuum sicut stellæ cœli, &c. Vides ergo, quia quę Deo offerimus nobis manent, sed ad hoc expetimur, vt in ijs affectus noster erga Deum probetur & fides. Id. homil. 12. super Numer.

B Pro peregrinorum & pauperum susceptione Iob copiosum habuit seruorum ministerium, sed plures ministrabunt ei in cœlis cœlestes Angeli, incorruptibiles eleemosynas, atque bona opera eius in memoriam coram Deo deferent, vt dicitur de Cornelio. Act. 10. & de Tobia. c. 12. In cœlum eunti quam gloriosè occurrent ei iustorum animę quos in vita, ne caderent in desperationem bonis & consiliis suis iuuit & consolatus est. Id. l. 2. in Iob.

Qui miseretur pauperi fœnerat Deo. Prou. 19.

Post colloquium Christi cum Samaritana, discipuli dicunt ei, Rabbi manduca: pascere volunt Verbum, vt amplius ab eo pascantur. Studium veritatis proficit. Origen. in Ioan.

C S. Basilius Seleuciæ Orat. 7. de Abrahamo sic inducit loquētem Deum: Vnum filium obtulisti, orbis terrarum pater esto; siquidem pater eris Christi, cuius in possessione gentes omnes sunt.

Si differt Deus reddere, etiam in hoc sæculo, gaude sicut fœnerator, qui maiores vsuras expectat ex dilata solutione debiti. D. Chrysost. Hom. 7. in cap. 3. ad Roman. Soluit non in itinere latronibus exposito, sed securè domi, scilicet in cœlo. Ib.

Liberis suis securas & ampliores diuitias relinquit, qui Deum debitorem relinquit. *Vide Maioritas Voluntatis.* De nimio parentum amore:

Qui miseretur in hilaritate. Rom. 12. quasi potius accipiat quam det. Noli itaque pecuniarum

D respicere sumptum, sed magis eum prouentum qui est ex illo sumptu Si enim qui seminat gaudet, tametsi in incertum seminet, multo magis qui cœlum quasi agrum colit. D. Chrysost. Hom. 21. in epist. ad Roman.

Mercator fidem habet mari & illi merces suas committit, agricola terræ, fabri igni, molendina aëri: sic elementis licèt variis, homines fidem habent, & non habent Deo.

Qui vtiles operas conferunt ad bellum, & si non pugnent, fiunt participes victoriæ, sic qui sanctos iuuant, mercedem sanctorum & Apostolorum recipiunt. Ille quidem stat pugnans & vulnera excipiens; tu verò à certamine redeuntem cura, obuiis manibus suscipe, sudorem absterge, recrea, solare, lassam

E animam foue, ac refice, profectò si tanta cum alacritate sanctis inseruiamus, participes mercedum quę illos manent, erimus. D. Chrysost. Hom. 1. in epist. ad Philipens.

Vox exultatationis in tabernaculis iustorum. Ps. 117. Hæc æterna tabernacula nobis ædificant manus pauperum, &c. D. Chrysost. Hom. 32. ad Hebræ.

Pauperes sunt meritorum venditores Tostat. in Math. to. 7. fo. 14.

Opera misericordiæ quæ Christus exiget in die iudicij, omnia pertinent ad membra eius quæ sunt pauperes, & non ad ipsum; & non fecit mentionem de operibus misericordiæ spiritualibus. Idem Ibid, fo. 114. 115.

Dei amator mercator est optimus, fœnerator egregius, dat quod non potest retinere, vt recipiat quod potest amittere, dat modicũ, vt recipiat centuplum, dat temporalem possessionem, vt recipiat hæreditatem æternam. Laurent. Iustin. Tract. de Charitate. c. 11.

Si haberes agrum pinguem & fertilissimum, non tantum ei committeres semen quod est in horreis, sed si non sufficeret ab amicis mutuo acciperes, nam, inquit, Apostolus qui parcè seminat, parcè & metet, ita possumus parcendo perdere, & spargendo colligere. Sparge ergo ne perdas; noli retinere vt magis congreges, sed fructuosissimo eroganda genere, vt lucreris, impende. D. Chrysost. Hom. 5. in Matth.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Math. 5. Pro humana exhibita misericordia, diuinam quæ longè maior est, consequentur. Ib. Hom. 15.

Defuncti piis suis legatis se purgant & liberant. *Vide Virtus Finis. Pia legata.*

Vnde minui ab insensatis arbitrantur charitatis & vnitatis diuitiæ, inde augentur & crescunt; quum erogantur multiplicantur, cum ad profectum militant proximorum, cumulantur, sic augetur oleum viduæ quæ Heliæ ministrauit. Laurent. Iustin. lib. de Casto connubio verbi & animæ, c. 10.

Peregrinationis tuæ memento, & præmitte diuitias tuas, quo post paululum sequuturus es; præsto veniet hora, in qua & tu egebis, vt diues qui petiit, nec obtinuit à Lazaro guttam aquæ. Hæc cogitent diuites; quod impertiuntur egentibus, ipsorum erit in sæculo futuro, quod autem retinebunt in sæculo, erit extraneorum. Relinquent alienis diuitias suas, & sepulchra eorum, domus illorum in æternum. Mercari possunt pro paruis magna, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna; hanc negociationem exercent, qui labentis vitæ agnoscunt statum. Id. in complanctu Christianæ perfecti sub finem.

Idem l. de Insti. Prælato in princ. Fortè, inquit, dignabitur Dei clementia etiam me emendare per me, dum ex aliorum eruditione redire curabo ad me, me agnoscere, me redarguere, meque corrigere.

De temporali & æterna operum misericordiæ remunerratione. Vide quæ scripsi. lib. de Operibus misericordia. parte 1. c. 25.

NEMINI OFFICIVM suum debet esse damnosum.

DEMONSTRATIO.

BONITAS Hæc propositio non sic est accipienda quasi beneficus ex collata gratia nihil incommodi patiatur, & ex eo quod alteri confert, nihil sibi detrahat, id enim solis vniuersalibus causis, Deo, Angelis, cœlis licet & homini circa res spirituales quarum abundantia lucis instar communicatione non minuatur, sed augetur. At in corporeis, quantitatis & loci limitibus contentis, dantem priuari necesse est eo quod alteri concedit, & in his officia nunquam impunè fiunt. Aliquis semper in benefaciente labor, vel causa diligentiæ, sollicitudinis, intercessionis apud alium, cui propterea manet obstrictus, vnde nullum vacans onere beneficium, & ob id illi debetur æqua dispendiis gratitudo. Hæc onera præuidet & lubens subit affectus, at non ea quæ recipientis vitio, captata beneficij ratione in

A caput conferentis perfidè detorquentur, vt si mutuam ab ipso receptam pecuniam occultè tradat hosti suo; vnde sibi vires & arma sæuior ad nocendum conficit.

MAGNITVDO. Licet ad indiuiduorum propagationem æstu & raptu quodam inclinet natura, actum tamen hunc sic æquissimè moderatur, sic generantis conseruationi prouidet, vt solida iam corporis sui constitutio, nihil præter superfluum alimenti conferat leueque dispendium obscuret ingens voluptas. Talis est in ciuilibus agendi modus. Quisque sua limitata computat, nec patitur quod sibi necessarium est, in alios diffundi; dat ad numerum & mensuram, donationi legem dicit, in quam B præuaricatur accipiens si concessa proferat ad eos vsus qui non leue damnum inferunt largienti.

DVRATIO. Beneficientia sacrum est inter humanos casus refugium; aram illi primum dicauit necessitas, & facta partitione possessionum quas natura communes effecerat, vnicum hoc superest malè fortunatis solatium, aliena subleuari gratia. Periret autem hæc diuinæ Bonitatis æmula largitio, solueretur fœlix ille societatis humanæ nexus, si quisque sui præ cæteris naturaliter amans, nulli posset sine grauissimo damni periculo donare; tepesceret etiam in benè natis affectus; munera timore gratiarum conuulsis manibus excuteret, & si sub sole, Ioue, Venere, obstinatè splendida contingeret ad auxiliandum C voluntas, hinc pluribus damnis emergentibus tentata, deiecta, illi tandem exhaustæ facultates deficerent.

POTESTAS Natura non patitur vt aliquid agat contra se actione destructiua, sed potentias omnes semper instructas habet in procinctu ad conseruationem singularis commodi. Mutuò quidem sibi ferunt auxilium membra corporis, sed oculus manum dirigit, non vt ipsum effodiat, sed vt ictus in caput venientes, & alia quæuis auertat impedimenta; quis patietur donum à se collatum in suum damnum conuerti, velut se propriis viribus discerpat, qui dat alienis, vnde sęuiant in ipsum. Ad quid potentia in autorem suum sic valida? Collatis benefi- D ciis cęteri sibi comparant amicos. Illi contra miserè res cedit, qui ex dato damnũ & vim hostilẽ patitur.

COGNITIO. De præteritis edocta prudentia longos in futurum mittit prospectus; scit quantum liceat casui, quantum occultis nos mouentibus causis; quantum humanæ mentis inconstantię & erroribus: At certè fallit coniecturas omnes emergens ex beneficio malum. Vtque ferit ex insidiis & ex improuiso, nullis ad auertendum obiectis manibus alto vulnere corpus transuerberat & frustratę spes, illati damni pœnas duplicant.

VOLVNTAS. Furit læsus amor, & damnis exceptus pro beneficio, vltra rerum æstimationem in- E dignatione violenter agitur. Necessitati tuæ propitius concesserat rem hanc vt tibi prodesset, ipsi non noceret. Igitur dum malignè vertis in vsus ipsi nociuos contra voluntatem domini, non est simplex iniuria, sed ingratitudinis, furti, & iniquissimæ præuaricationis reatu cumulanda. Vt animorum, sic bonorum inter amicos communio facit, vt nullum qui dat, damnum patiatur si recipienti res salua sit & vtilis, congaudet enim, & melius re concessa in amico, quam in se fruitur.

VIRTVS. Imprudentis est multorum beneficiorum seriem & liberos effluxus, vnius vsu peruerso præpedire: Intemperantis in hoc modum sibi non dicere: Iniusti gratiam compensare vulneribus; Ignaui simul & exilis animi ob leue commodum, honesti leges transgredi.

VERITAS. In posterum nulla fides habebitur hominibus, si periculum sit etiam ab his quos donis conciliauimus. Quis rogatus dabit beneficium, quod ideo videtur peti vt sit hostilitatis occasio, concessis scilicet minoribus occupandi maiora.

GLORIA. Solet Respublica de se benè meritis honores & præmia conferre, vt hac æquitatis lege publica, singulos ad gratitudinem prouocet, & humanæ societatis fœdus firmiori vinculo sanciri possit. Omnium igitur interest fortiter obstare ne quis ex collatis à se beneficiis damnum patiatur, sed cultu & mutuis officiis inter ciues foueatur beneficentia.

DIFFERENTIA. Valeat hæc in humano commercio posita lex: inter tot aduersos casus properantem occasionem auidis accipi debere sine mora manibus; cum multa nos fugiant, multa præteruolent & incautis elabantur, saltem quæ nobis offeruntur commoda, excipi sinu gratulabundo. Sed in his tamen est obseruanda, loci, temporum, personarum consideratio, nec in templis, in amicorum lare familiari, in splendido conuiuiorum apparatu, quisque licèt lucri cupidus rapiet quæ veniunt in manus suas, fidei lætitiæque communis turpis præuaricator. Non quod se offert, sed vnde venit pensari debet commodum, cum rebus, vt sunt, limitatis, mihi, sine proximi iactura non contingat acquisitio, parcam tamen benefactori, nec ex ipsismet quæ mihi concessit bonis, non patiar illi damnum inferri.

CONCORDANTIA. Hæc est malefida viperę societas, quæ dum frigore riget innoxia quærit tepescentis loci refugium, & hinc seruatis, postmodum à rediuiuo cœli calore spiritibus, hospitem suo conficit veneno. Sępè viri Religiosi dum ingenti charitate se peste laborantium ministerio deuouent; eadem, qua miseros liberant, lue corripiuntur & concidunt. At malum hoc & pręuisum, etiam Deo permittente volitum ab his charitatis victimis, & propterea non ægris in ingratitudinem effusis, sed implacabili morbo debet imputari.

CONTRARIETAS. Quid amici, quid addictitij ex vrbanitatis recepto more nomen prætendis? quisquis captat occasionem nocendi hostis est, eo sæuior quo plus occultè, vt minùs occurratur desæuit. Auget iniuriam dati pœnitentia, & quod damni sui causa videatur, cum ad illud arma suppeditarit.

PRINCIPIVM. Sunt inter ipsa Dei optimi maximi dona, sacrilegi qui prouidentiam, qua vitam ducunt, inficiantur, dona blasphemant & contemnunt, sed nec ideo tangitur Deus: solis radium nobis eripiunt, ipsi totum relinquunt, euectæ sursum calore suo nebulæ. Hominum alia sors, læduntur enim non veris tantum sed adumbratis iniuriis, crudelius si quod contulere beneficium ipsis noceat, si vi sua, quam alteri cesserant, conterantur. Vnde vasallis feudo ditioribus non licet in hostium domini sui partes transire: Liberto non licet nociuam pa-
A trono suo mercaturam exercere, &c.

MEDIVM. Donationi tacita censeri debet apposita conditio, ne concedenti noceat, quis enim sui naturaliter amans in perniciem suam vellet arma conferre? Sic ab ingratis auferuntur dona & legata. Abdicantur obstinatæ peruersitatis liberi, ne parenti suo qui vitam dedit, contumeliam inferant, sic ob grauem hanc causam, iura sanguinis, iure ciuili, ne suis noceant authoribus, dirimuntur.

FINIS. Seu quis beneficio taliter abutatur ex intentione, seu id casu contigerit, leges & magistratus, saluam præstare debent donantis causam, ne pereat inter homines beneficentia si cœperit authoribus suis esse noxia.

MAIORITAS. Innumeræ patent ad incrementa bonorum viæ; commissa talenta, ne iaceant otiosa dentur ad mensam; vna mna, duas pariat; sed ex lege fœnus hoc exigatur ab externis, & ei qui beneficium contulit; velut proximo parcat, castigata boni maioris auiditas. B

ÆQVALITAS. Probris dignus est, & ex hominum consortio meritò pellendus qui parem beneficiis gratiam non refert, cum possit & debeat. Si dum ab hoc cessat officio reus habetur, quanta peruersitas pro bono malum, pro beneficiis iniurias reddere? Contumelioso nocendi modo, nam largitori videtur iudicij defectum cum personam accipientis eligit, exprobrare. Sed quidquid agat ingratus, facti totius inuidia retorquetur in caput suum publico sapientum, etiam vulgi iudicio.

MINORITAS. Cæterum lugenda sors humanæ vitę cui vim opprimentem inferunt maxima, insidiantur insidis & insperatis artibus minima; non tantum pugnantibus suis qualitatibus mala nocent, sed etiam bona peruerso dantis aut recipientis vsu; beneficium quod conciliare debuerat affectus, gu-
C stata rerum dulcedine cupiditatem ad maiora prouocat, & ex concessis facit sibi gradum ad desiderata.

Quidquid hic datur hominibus cedit oneri, vnum est, securum, æternum, in dies accrescens sibi donum, quod in cœlestes thesauros manus pauperum Christo fideiussore, reponant.

Contra est, qui in veteri lege, aspergebat alium, aqua lustrationis efficiebatur immundus. Tostat. in Math. to. 7. fo. 308. c. 1. a. *Vide Voluntas Minoritatis.* Cos ferrum acuens ab ipso consumitur.

Qui pro ciuitate sua legatione fungitur, si quid per causam absentię amiserit, vel non acquisierit restituitur in integrum. l. 8. ff. ex quib. caus. mai. quia creatus fuit, communi omnium decreto, & iniquum est, vt qui tuę rei & voluntatis causa profectus est, à te in re sua lædatur. Cuiac. obseruat. lib. 19. c. 14.

D Dispensatione sine causa vti potest subditus sine peccato, cum peccet qui concessit. Suarez de legib. lib. 6. c. 20. Nocet quidem hæc concessio largitori, sed sine vitio recipientis.

Ædificantes possunt vti muro vicini soluto pretio. Gregor. 13. const. 21. §. 4.

DIFFERENTIA BONITATIS.

DIVERSA DIVERSIS BONA ET DONA.

TRES sunt vocationis modi, primus propriè ex Deo; secundus per hominem; tertius ex necessitate. Ex Deo quidem est, quoties inspiratio quædam immissa in cor nostrum, nonnunquam etiam dormientes nos, ad desiderium æternæ vitæ exsuscitat, dicitque nobis vt Abrahæ Gen. 12. Exi de terra tua, &c. Sic B. Antonius audito hoc Euangelio in quo Christus dicit iuueni, Vade vende omnia quæ habes & da pauperibus, quasi id specialiter sibi dictum esset, reliquit omnia. 2. Vocationis modus fit per hominem, cum alicuius exemplis, aut monitis accendimur ad desiderium salutis, eumque sequimur, velut populus Israël Moysen in deserto. Tertius denique modus ex necessitate descendit cum ingruentibus pressis tentationibus & aduersis ad Deum recurrimus, quem in prosperitate contempsimus, &c. Vide Cassian. collat. 3. cap. 4. & hæc operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.

Triticum suum habet rorem quem requirit; flores suum habent rorem quem poscunt; folia suam pruinam, fructus suam pluuiam & similia, nam pluuia non est humor florum, sed potius ros, & ros non est humor foliorum, sed pruina; & sic quælibet pars vnius rei, suam propriam, & conuenietem humiditatem habet. Eodem modo & homo mirabiliter ex cœlo suum humorem haurit ad incrementum omnium partium, oculorum, dentium, &c cerebro quoque peculiaris est humor, qui dici potest vinum astrale, &c. Paracelsus lib. de generat. stultorum.

Vide Differentia Principij Differentia Virtutu.

In corpore fit distributio alimenti secundum proportionem geometricam, itaut plus deferatur ad maiora, quam ad minora membra; nam si abundaret in minimis, fieret tumor & corruptio, & hæc proportio est tam in quantitate, quam in qualitate. Vis enim cuiusque membri diuersa, attrahit, quod sibi sufficit & est conueniens. Albert. Mag. tract. 1. de nutrimento & nutribili. cap. 2.

Lumen diuinum per omnia diffusum, agit in vno quoque secundum eius dispositionem. *Vide Potestas Medy.* dispositionis.

Ars medicinæ multoties deficit propter occultas hominum proprietates quæ non nisi experimento sciri possunt, vt aliqui mortui sunt de cassia, cum tamen secundum artem fuerit exhibita.

Sol, licet sit causa vniuersalissima, tamen non lucet vbique telluris, neque annum facit vbique simul, sed hic ver, ibi autumnum, alibi æstum, alibi hyemem, eodem tempore producit.

Singula corporis membra habent sua ornamenta, & respuunt aliena: pes refutat galeam, caput sandalia. Car. Cusa.

Diuersa regio habet specialia sua animalia aerea, aquea, aues, pisces, quadrupedia, etiam plantas. In Septentrione inueniuntur, quæ non sunt in Meridie & Oriente.

A Vbique terra mater, si non fert segetes, in paludibus, aut montibus, habet pascua vnde viuunt homines.

Anima distribuit varium esse membris, ita Deus vniuersis. Cusa.

Res creatas Deus benedixit, secundum cuiusque naturam.

Diuersa diuersis sunt bona, quia sunt in illis diuersæ dispositiones ad superiorum influxus recipiendos. *Vide Potestas Medy.* dispositionis.

Vnum quodque rectum & bonum est, in quantum attingit ad propriam mensuram. Vnicuique est bonum, id quod est sibi connaturale & proportionatum.

Ranis vinum infundere, inconueniens donum.

Qualiter in dando differat increata bonitas à creata. *Vide Veritas Bonitatis.* Verum beneficium.

Triplex est bonum: honestum, iucundum, vtile B quod minus est, quia non propter se, sed propter aliud appetitur.

Si omnia clerici bona ita sunt confusa, vt quid patrimoniale, vel ab Ecclesia sit, secerni non possit, in quatuor partes ea diuidentur & vna pars Ecclesiæ, altera Episcopo, tertia pauperibus, quarta parentibus idoneis assignabitur. cap. sancto. de success. ab intest.

Cum populus Israël mare transiuit, singulis tribubus suæ factæ sunt aquarum diuisiones, & propria vnicuique in mari aperta fuit via. Vnde scriptũ est Psal. 136. Qui diuisit mare rubrum in diuisiones. Origen. Hom. 5. in Exod. Ita Deus suos euocat à mundo diuersis gratiarum donis.

Num. 26. in terræ diuisione, pluribus plura dantur in sortem, & exiguis exigua datur hæreditas. C

Quidam animo valent, cæteri corpore, in singulos omnia non cadunt, nec vni fœlicitas absoluta conceditur. Vnius dotis priuationem, alterius abundantia solatur. *Vide Media Bonitas.*

In veteri lege animalia dicuntur munda quæ ad esum hominis pertinent, & quibus vesci consuetum est, cætera ad vescendum insueta dicuntur immunda. Tost. Leuit. 8. 1. c.

Deus dat singulis differentes gratias. Vide quæ scripsi. Theolo. Natural. to. 3. cap. 4. & lib. de misericordia Dei parte. 1. cap. 14. lib. de institutione & officiis religiosi. parte. 1. c. 7. De diuersa Dei vocatione, libello. de amore Dei nascente. c. 3.

D Infundit Deus Filiis suis Spiritum suum multipliciter ad salutem, cum in toto corde reuertimur ad eum. Ad miraculum, cum signis & prodigiis coruscare facit fideles; ad auxilium cum in tentationibus & pressuris adiuuat infirmitatem nostram, ad solatium, cum per internam suauitatem testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei, ad feruorem cum in cordibus perfectorum vehementius accendit ignem charitatis, vt etiam in tribulationibus

bus glorientur, quod est perfectæ spei signum. Laurentius Iustinian. lib. de spe.c. vlt. A

Alia sunt iustorum dona, alia amicorum, alia sponsæ. Iusti ex infuso lumine culpas detestantur, virtutis bono lætantur, temporalia ordinatè diligunt, aliena non concupiscunt, sua communicant, egenorum causas deffendunt, & hæc possident bona ex dono gratificantis gratiæ. Amici autem tanquam perfectiores, sicut vberiori replentur gratia, ita potioribus ornati sunt donis. Ipsi etenim communi non contenti conuersatione, & mandatorum obseruatione, quieti ad perfectionem anhelantes consiliorum iter accipiunt; obedientiæ, paupertatis, castitis, extra secularium conuersationem vt Deo liberius possint vacare. At sponsa quæ in omnibus perfecta est, vniuersa iustorum, amicorumque suscepit dona, atque his alia longè præstantiora, dicit enim per Prophetam; Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iudicio & iustitia, & in misericordia & miserationibus. Plura recipit munera B quæ norunt experti. Idem. lib. de casto Verbi & animæ connubio. cap. 17.

Diuersa adulteria quæ Ioui adscribunt Poëtæ, significant planetam hunc cæterorum influxus sua mistione fœlices efficere. Pro cuiusque captu in gemini domo Mercurij, facit eloquentes & martiosi ex Leda sub specie cygni dicitur genuisse Castorem & Pollucem & sic de cæteri; est enim fortuna maior, in omnibus iuuans Pater. Leo Hebræus. dial. 2. de amore.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Sed non vniformiter impertitur: nam in spiritu per gratiam quidam suscitantur timore, aliqui flagellis, quidam luce, nonnulli diuini gustus dulcedine Laurent. Iustinian. lib. de spirituali animę resurrectione.

In rebus inferioribus mensura boni & mali, conuenientis & disconuenientis, est vniuscuiusque rei natura, vt verbi gratia, calor est disconueniens aquæ.

Diuersa Dei sunt dona. Vnde & Ioseph in typo Christi variam habet tunicam, & in Psal. 44. legimus. Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circundata varietate. Et Petrus Apostolus. Sicut cohæredes ait, multiformis gratiæ Dei. D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum.

CONCORDANTIA BONITATIS.

PLVRES SIMVL BENEFICIVM conferentes.

VIDE *Concordantia Principij.* Concausæ vt mas & fœmina, cælum & terra. C

Aqua quæ fluit ex fontibus, vel ex lateribus aut vado puteorum exit, duplex est, vna quæ nascitur, altera quam terra pluuiis perfusa, concipit; sursumque effundit. Georgius Agricola. lib. 1. de causis subterraneorum.

Omnes stellæ simul in nos influunt; omnes Angeli pro ratione suæ dotis nobis auxiliantur, omnes Reipublicæ ministri, potissimum collegæ conferunt ad publicam & singularem omnium vtilitatem; Est D in Ecclesia communio sanctorum, vnde manat in singulos inscrutabilis vtilitas. Vitales omnes corporis partes sic dicuntur, quia singulæ tantum conferunt ad vitæ conseruationem, vt omnes necessariæ sint, & vna deficiente reliquarum virtus non sufficiat; Ita concidit magnum onus plurium manibus portandum, si vel vna se subtrahat. Cum omnia sint hic mixta, constant plurium concurrentium beneficio; solus Deus omnibus singulis potest sufficere, ęquat enim & superat omnium multitudinem infinitate sua. *Ex principijs.*

In matrimonio virum oportet acquirere, mulierem conseruare quæsita; proficit res familiaris, cum vterque coniunctorum suo munere diligenter fungitur.

Vide Concordantia Potestatis. De concordia collegarum, & ibidem de consensu politiæ & Religionis *Vide Concordantia Reliquorum Principiorum. Magnitudinis, Durationis, &c.*

Digitized by Google

balneas ad totius corporis sanitatem, in quibus erant domunculæ, & factæ imagines demonstrantes digito partes corporis, quibus illa aqua proficiebat, sed hæc à Salernitanis medicis post, per inuidiam destructa sunt. Tostat. in proœmio Genes. fol. 17.

Vide Contrarietas Virtutis. Inuidia.

Septentrionales regiones frigidissimæ sunt, & ad fouendum ignem indigent magna lignorum copia, Illic tamen venti sunt ita vehementes vt arbores non possint crescere, ita loco lignorum vtuntur ossibus magnorum piscium. Olaus Magnus. lib. 1. cap. 10. & 11

Omne impedimentum boni, malum est, mali bonum. Cardan. Apho. sect. 5. Aph. 5.

Cum Saturnus fuerit Dominus medij cœli, natus difficulter impetrabit à principibus. Ib. Aph. 81.

De Monopoliis. *Vide Concordantia Æqualitatis.* Mala.

In fodiendis mineris plurimum impedimenti afferunt aquæ per intima terræ fluentes. Et Boëtius, de consolat. Quis fuit ille auri qui pondera, gemmasque latere volentes, pretiosa pericula fodit?

Circa Caucasũ montem frumenta sic solerter abscondunt incolæ, vt nisi qui defoderunt, inuenire non possint. Sic ad extremam egestatem & famem adductus est Alexandri exercitus. Q. Curtius. l. 7.

Panis egentium vita pauperis, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Eccles. 34.

Qui impediunt ne adducantur necessaria ad Romanam curiam excommunicantur per Vrbanum 8. Const. 61. §. 8.

Communitatibus & dominis temporalibus prohibet ne impediant subditos agros colere, seminare, conducere. Clem. 8. Const. 72. §. 3.

Aquam fœlicem quam Sixtus V. in Vrbem deriuauit, si quis corruperit; vel aquæ ductibus nocuerit, vel eam deriuauerit, incurret pœnas. Sixti V Const. 101. §. 9. Bull. P. 513. to. 2.

Frumenta ad Vrbem & statum Ecclesiasticum Barones, & alij deferri prohibentes, quas pœnas incurrant. Pius 5. Const. 19. P. 149. to. 2.

PRINCIPIVM BONITATIS.

VNDE PROCEDIT BENEFICENTIA, ET quæ sint eius causæ.

IN mundo duplex est virtus, vna dilatans & rarefaciens, quæ in eius positiua, manifesta, liuida, actiua, & calida dispositione perficitur, arca thesauraria, cuius præcipuum tabernaculum est sol, diuinitate plenum: altera est contractiua, quæ in priuatina & secreta sua dispositione, est tenebrosa, frigida, fixa, cuius sedes & thesaurus præcipuus est circa polos mundi; qui sunt à sole remotissimi. Flud.

Vide Cognitio Virtutis. Virtus quæ se profert ad extra.

Fiunt fontes, aëre, terræ frigore etiam externo; condensato, ita maxime fluunt hyeme. Æstate autem aëre qui est circa superficiem terræ rarefacto, aqua pellitur inferius, & vix salit. Idem.

Principium & causa, est præter res, quarum est principium & causa quia nihil est causa sui ipsius.

Terra calefacta, semper ex sese emittit calidum quiddam, siue succum fuerit, siue humidum non calefacta ignaua est & cessatione torpens nullum halitum expirat. Georgius Agricola lib. 2. de causis subterraneorum.

Præsumitur de bonis Ecclesiæ quæsitum, quidquid à rectore Ecclesiæ cap. 1. De peculio clericorum. cap. 1. de testament.

Bonitas in alios effusa, procedit ab ea, qua quisque sibi bonus est. *Vide Voluntas Bonitatis.* Sibi primum prouidere.

Chrisma & oleum infirmorum solum conficitur in sedibus episcopalibus, & inde omnes Ecclesiæ minores recipiunt illud. Tostat. num. to. 1. fo. 268. c. 3. 8.

Terræ quę sunt intra tropicum cancri & æquinoctialem, habent duplex ver, duplicem æstatem, autumnum, hyemem, duplicem declinationem solis, meridianam & septentrionalem, cum nos habeamus tantum meridionalem; ideo bis fructificant in anno. Idem. num. to. 1. fo. 177.

Inter Tigrim & Euphratem tam est pingue solum, vt à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat. Causa fertilitatis est humor qui ex vtroque amne manat, toto fere solo propter venas aquarum resudante Q. Curtius. lib. 5.

Aquam fœlicem magno sumptu & magnificentia ad montem Quirinalem perduxit Sixtus. V. illi seruandæ assignair, vteditus visitatores ciues Romanos instituit. Sixti V. 101. §. 2. Similiter aquam Paulus V. const. 75. §. 3. p. 226. to. 3.

PRINCIPIVM FOECUNDITATIS DEUS.

VXores Patriarcharum fuere steriles. Nam Sara sterilis erat, & Rebecca, similiter & Rachel. Videns enim quod eam despiceret Lia, aperuit eius vuluam; vt ostenderet non naturali successione, sed gratia & fauore fœcunditatem liberorum acquiri. Theodoret. in Genesim. q. 75. Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem, Psal. 112.

Cum Rachel angeretur quod liberis careret. Dixit ei Iacob: Numquid ego sum tibi pro Deo, qui te fructu ventris priuauit? Non enim nuptiæ dant liberos, sed qui nuptiis legem dedit Deus. Theod. Ibid. q. 85.

by Google

Proerosia dicebantur sacrificia quę fiebant ante arationem pro futuris frugibus, vt ad maturitatem peruenirent. Facta hęc sunt ab Atheniensibus pro Græcis omnibus Olympiade 5. Suidas in verbo *προηροσία*.

Quomodo bonum sit natura sua diffusiuum. *Vide Virtus Bonitatis.* De eleemosyna.

Omnia sunt bona & bonitate propria & bonitate diuina, sicut si pulcher homo faciat pingere plures sui imagines, erunt pulchræ pulchritudine propria, sed denominantur pulchræ ex illo pulchro qui est A causa effectiua & exemplaris, tum quia factæ sunt ad hunc finem vt repræsentent illum pulchrum. Perbaltus in Rosario Theologico. Voce Bonitas diuina §. 20.

Quia Abraham præter spem, in ætate senio confecta, accepit à Deo prolem, accepit signum fidei in circumcisione præputij Iustinus Martyr. quæst. 102. ad orthodoxos.

In mundo res singulares non habent à se vim producendi sibi simile, sed illam accipiunt à Deo. Vide quæ scripsi Theologia naturalis. to. 1. parte 2. cap. 9.

MEDIVM BONITATIS.

QVIBVS MODIS OBTINETVR BENEFICIVM.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vt vnumquodque producit sibi simile: equus, equum risus risum, sic gratia gratiam, ad eam iterum prouocat, quæ liberalibus accedit excellentia, melius est enim dare quam accipere.

MAGNITVDO. Olim candidati suffragiis populi, & voce multitudinis ad publicas dignitates postulabantur. Dicitur enim, vox populi, vox Dei, cuius est rectores, velut vicarios suos hominibus præficere.

DVRATIO. Petitionis instantia beneficium extorquet, vel à saxeo pectore, supponit enim extremam in petente necessitatem, quę tot humiliter patitur repulsas: quoties miser supplicat, toties potentiori, cultu repetito defert honorem. Sic Luc 11. qui panibus indigebat, eos non aliter obtinet quam importuna supplicatione.

POTESTAS. Potentiores, vt in Velleiano fœminæ facilius pro aliis intercedũt, quã soluũt: diuturnos famulatus verbis exoluunt, facili, nec thesauros exhauriẽte solutione; hæc interuẽtio petentibus valida largiẽtibus vim cẽsetur inferre, dum poscẽti, velut imperanti Domino parẽdum necesse censent, ne repulsas vertant in iniuriam timenda vindicandam indignatione. Iniqua tamen est hæc interuentio. Nam si leges eam prohibent in iudiciis, quasi vim inferat iustitiæ, quanto magis priuato?

COGNITIO. Gratus est qui receptum ab alio beneficium palam profitetur, & hæc humilis debiti confessio, dantisque commendatio ipsum ad alia conferenda prouocat. Miramur dotes animi, & qui scientiis & artibus excelluere, maximis priuatis publicisque donati sunt præmiis.

VOLVNTAS. Amorem alterius qui sibi conciliauit compendio bonorum omnium obtinet cum corde donationem; amor enim supra liberalitatem prodigus, spoliatur omnibus bonis, velut ea non det, sed fœlicius in eo in quo viuit, possideat.

VIRTVS. Amplissima sibi merces est, præmium extra non quærit, nec tamen est sine præmio, vnde monet Christus. Quærite primum regnum Dei, & omnia adijcientur vobis.

B VERITAS. Apud amore sui nimio laborantes, vt odium veritas, sic dilectionem adulatio conciliat. Emunt magnates aliquos venali fucata præditos eloquentia, qui blandè compositis eos sermonibus demulceant, à vitiis immunes, heroïca virtute præstantes mirentur, & ad modestiã ore, vultu cõposito paucis se referre dicant, quæ multitudinis voce fama celebret posteris in exemplum relinquenda.

GLORIA. Quidam opinione celebres eligunt in quos sua congerunt beneficia, sic enim æquiora videntur; splendent magis illustribus addicta, præclarum est insignibus iam titulis aliquid superaddere; nec sine virtute censendus est, qui virtute præditos, velut sibi similes singulari prosequitur beneuolentia, suisque fouet muneribus. Dei dona, sanctorum intercessiones hymnis, & laudibus, conamur promereri.

C DIFFERENTIA. Cum occulta sit, quæ conciliat animos sympathia, nec datum sit singulorum geneses expendere, optimum aliqui putant, tentare plurimorum animos, vt dum sagax inquisitio singulorum mores explorat, & amicos sinus cœlo conciliante venatur, occurrat aliquis cui nostra placeant, qui gaudeat excipiendis suis largitionibus aptã inuenisse materiam.

CONCORDANTIA. Solent homines potentiorum beneficia promereri, cum in eorum partes coniurati transeunt, in imperatis nulla deinceps facta iusti vel iniusti distinctione, Ita quidam aulici vel milites suis adhærent principibus, seditiosis, parricidis, sacrilegis, violata, quę regi, quæ patriæ primariò iurata debebatur fidelitate. O crudele scelus sub fidei seruandæ titulo populis lugendum; Inermis enim esset sine talibus auxiliis desertio.

D CONTRARIETAS. Sæpè promeruit ab imperatore donatiuum miles honesta proferens vulnera quæ sub eius vexillis militando receperat. Ægrum infirmum, interitui proximum regnum est, in quo defectiones non inpunitę, non securę tantum manent, sed & pręmiatæ. Nam exemplo suo cæteros ad similia prouocant, contempta iacet quippe sterilis & ingloria militaris fortitudo; præmiorum non honoris auidi, ad scelera quocumque res ver-

by Google

tur apud suos vel apud hostes fœlicia conuertuntur.

PRINCIPIVM. Cum naturale sit, vt vnumquodque quæ produxit conseruet, ipsum filij, clientis, creaturæ nomen beneficium petit & accipit.

MEDIVM. Iidem sunt amoris & beneficij conciliandi modi. *Vide Medium Voluntatis.* Quidam inter disceptantes medij ab vtrisque gratiam & beneficia reportant, raro nec sine periculis exemplo, cum sæpè neutralitas vtriusque partis indignatione feriatur.

FINIS. Diuturna & nullis donata muneribus officia etiam à tenacibus aliquid exigunt in extremis vitę, tanquam mensæ reliquias ministrantibus expositas, his licet diu dilatis præmiis, multi continentur in officio.

MAIORITAS. Numerant plagas suas milites. Illustres sua & maiorum suorum in Reipublicæ bonum præclara facinora, vt maius præmium accipiant qui plura præstiterint officia.

ÆQVALITAS. In rerum vsu se quilibet naturali iure præfert cæteris ad ipsum autem propius accedunt sanguine coniuncti, vnde gratiæ consequendæ iustissimus titulus est affinitas, Concurrunt ad vnius ex suis exaltationem familiæ, nam prouecti radiis splendent consanguinei, & ampliore fortuna in eos exundante ditantur.

MINORITAS. Compassionem humanis cordibus naturaliter inesse sciunt omnes suis & alienis experimentis, propterea commune, efficax tamen est ad beneficentiam conciliandam exordium, necessitatem & calamitatem extremam ostendens, sic pauperes, vlceribus, langore, squallore suo, gemitibus sermone validioribus petunt eleemosynas, &c.

DE INTERCESSORIBVS, aliisque mediis liberalitatem prouocantibus.

Thesauri effodi debent, luna aut Saturno, existente in Tauro, Capricorno, vel Virgine, signis terreis. Paracelsus. libro de philosophia occulta.

Per hominem, Deus, natura, sydera operantur, *Vide Bonitas Medij.* Manus & brachia sunt formata, vt impedientia remoueant ab aliis membris, & conferant expedientia; ita cibus in os manu portatur, fiuntque opera artium, vitæ conducibilium. Albert. Mag. l. 2. de motu animal. tract. 1. c. 5.

Radix plantæ est mediatrix organicè inter plantam & cibum. Id. tract. 1. de vegatabilib. c. 4. Caulis est quo alimentum defertur.

Non sunt propriè venæ in plantis, sunt tamen viæ alimenti, rectæ, tortuosæ, reticulatæ pro natura plantæ. Ib. l. 1. c. 3.

In plantis aqua confert proprium cibo motum, ad partes nutritas.

Albert. Mag. libro de processu vniu. cap 7. in fine dicit habendum hoc pro constanti; quod inter intelligentiam & cœlum aliquid est siue vt anima, siue vt natura, quo cœlum particeps efficitur bonitatis in se ab intelligentia defluentis.

De sanctis apud Deum intercessoribus. *Vide Medium Gloria.*

Quod nutrit debet esse siccum incorporabile, aqua enim quæ est tantum humida, non nutrit, sed tantum vehit nutrimentum. Albert. Mag. lib. 1. de animalib. c. 5.

In animalibus sunt membra, quæ virtutem recipiunt, & in alia refundunt, vt cerebrum & hepar à corde receptam virtutem cæteris communicant: hepar per sanguinem, cerebrum per sensum & motum. Ibid.

Ministrantia membra principalibus, sunt quædam præparantia vt pulmo præparat spiritum cordi. Alia deferentia quod operatum est, vt arteria defert spiritum vitæ a corde in membra, venæ deferunt sanguinem ab hepate; nerui spiritus animales à cerebro. Ibid.

Sunt aquarum custodes quibus curæ est puras aquas in ciuitatem deducere; deducunt autem per agros priuatorum, etiam inuitis dominis. l. si locus §. cum via. ff. quem. seruit. amitt. l. 1. C. de aquædu. satisfacto tamen damno dominis prædiorum, l. Si venditor. §. si constat. ff. commu. prædior. in fauorem aquarum interdicitur dominis prædiorum ne per 15. pedes plantent arbores iuxta aquæ ductum ne arborum radices occupent canales. l. 1. ff. ne quid in loco publ.

Mare est in medio terrarum, velut emporium quoddam omnium commoditatum vitæ. De nundinis, emporiis, Nauigatione, portubus, commerciis; de institoria actione. ff.

Calorem solis concauo speculo exceptum possumus in alia corpora diffundere.

Pro mercatoribus. Bernard. quad. 2. serm. 32. & seq.

Motus ex se nullam habet virtutem, sed applicat actiua passiuis, sic habemus cœlestium vires; dum motus cœlorum, adfert solem, lunam, &c. ad perpendiculum. Sic aquæ fontium permeantes loca subterranea adferunt ad nos mineralium vires; etiam aurum, aër etiam motus diffundit vires quas mixta continuo exhalant.

Aquæ prius fiunt salsę, quam minerales & salutiferę nam vi salis accepta, magis eliciunt virtutem minerę.

Prope Veronam in Italia in valle Policella est rupes quam in formam duarum mammarum ars expressit, si mulieres quibus lac deficit, hac aqua mammas suas lauerint, lac in illis augetur.

Exod. 15. lignum immissum in aquas amaras Marath, effecit illas dulces.

Aquę minerales alta terra sepultam vim mineralium ad nos temperatam, dissolutam, potabilem deferunt.

Deut. 28. inter benedictiones promissas his qui legem seruauerint, dicitur. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cœlum, vt tribuat pluuiam terrę tuę, tempore suo.

Non est vera donatio, quam quisque machinationibus obtinuit. *Vide Veritas Bonitatis.* Verum beneficium.

Remouens prohibens, non est mouens per se, sed per accidens.

Nessus fluuius in Abderensi agro, alueum sępè mutat, & simul vt mutauerit tantum sylua locis congenerat, vt intra triennium opaca vndique reddat, rursus imbre copioso fiunt plantarum generationes. Interdum modo subegeris & moueris terram, illi familiaria protinus emergunt, vt in Creta cupressi. Theoph. hist. plant. l. 3. c. 1. & de causis plantar. l. 1. c. 5.

Calor educit vapores ex corporibus, propter formam raritatis quam illis imprimunt Alb. Mag.

Enidros lapis est chrystallo in colore similis, qui perpetuis guttis distillat quę febricitantibus valere dicuntur, & tamen lapis non minoratur, nec corrumpitur, Nam istæ guttæ non distillant ex substan-

tia lapidis, sed propter nimiam frigiditatem aërem se tangentem continuè mutat in aquam sicut faciunt duri lapides & politi post resolutionem frigoris. Albert. Mag. de lapidibus. littera E. sic non deficiunt substantiæ eorum qui pauperibus procurant eleemosynas.

Aquæ pluuiales plantis longè sunt vtiliores quam irriguæ, quoniam calidiores; adeò fœcundæ sunt vt quocumque loco ceciderint plenæ anima videantur; in mari enim & lacubus piscium generationem augent eosque pinguefaciunt: in stagnis & foueis nouos pisces procreant: in terra iam natas plantas alunt & nouas progignunt, quod etiam sensim instillatur, melius combibitur, nec effluit. Cardan. l. de rerum veritate c. 21. in f.

In insula ferri, quæ vna est ex Fortunatis, arbor est, cuius vsu vniuersa insula gaudet, cum neque riuus neque flumen aut fons ibi sit, circa arborem singulo mane densa nebula colligitur, quæ in aquam versa, non solum hominibus, sed & iumentis & pecoribus satisfacit. Id. c. 22.

In ratione agrorum colendorum sunt emphyteotæ, sic dicti quod sterilia ferè ac squallentia susciperent prędia, vt plantationibus & omni politionum genere excolentes fœcunda redderentur; qui profectus vocantur emphythæomata Rodigin. lection. antiqu. l. 7. c. 31. in fine.

Vide Medium Potestatis. De magia quæ latentes naturæ vires educit.

Qui baptismi candidatos in fonte suscipiunt dicuntur compatres, patrini, sponsores, susceptores, offerentes. Munus susceptoris fuit in Ecclesia antiquissimum, vt testatur D. Dionysius, de Ecclesiast. hierar. c. de baptismo. processit ex eo quod dictum est, & adduxit eum ad Iesum.

Est in aëre occultus vitæ cibus ex qualitatibus corporum in eo existētium, vnde viperę à partu recentes sine cibo in conuenientem suæ speciei magnitudinem excrescunt: vitriolum & sal petræ, si exponantur, sumunt plurimum incrementi. Van. Helmont.

Sunt certi Angeli certis orbibus celestibus deputati; vt illos moueant ad deriuandum virtutem in ista inferiora & continuandum esse. Tostat. in Deuter. fo. 181. c. 4. F.

Angelus custodiendo nos & Deum contemplando, habet se sicut luna quæ simul illuminatur à sole, & receptum lumen mittit ad nos illuminando inferiora. Id. in Matth. to. 5. fo. 34. c. 4. k.

Euphrates mediam Babyloniam influit, & fœcundam efficit, vnde nomen accepit; Nam Hebraïce Euphrate fertilitas interpretatur. Id Genes. fol. 103.

Gentiles colentes Deum camporum, vt daret illis multos fructus, sacrificabant ei hœdum coctum in lacte matris suæ, & hoc se vidisse testatur Rabbi Moyses. Id. Exod. to. 1. f. 166.

Apud alueos Nili, multi facti sunt aquæ ductus per quos deducitur aqua per omnia plana Ægypti, & viæ illæ alias obstructæ aperiuntur cum incipit crescere Nilus. Est in Cod. titulus de non rumpendis aggeribus Nili. Id. in Matth. c. 1. fo. 131.

S. Ephrem Syrus non habens quod egenis impertiretur, suis cohortationibus ad opera misericordiæ commouendo eleemosynas erogabat: erat enim eius oratio quasi diuinitus fabricata quædam clauis diuitum thesauros recludens. D. Gregor. Nyssen. in eius vita.

Cum quis postula uerit aliquid luna eunte ad Iouem, cum capite existentem iuxta cœli cor, A obtinebit ab hominibus. Cardan. Apho. sect. 5. Aph. 80.

Religiosi pauperibus eleemosynas procurant. Vide quæ scripsi lib. de institutione & officijs religiosi. parte. 4. cap. 12.

Symbolica & specifica non sunt agentia sufficienter ad sanationem requisita, at saltem media occasionalia, externa, siue conciliatrices medelæ.

Si non possumus nostris pecuniis, saltem verbis rem terminemus, est enim pro sermonibus merces, imo pro ipsis quoque gemitibus condolentis. Et ideo Iob. 30. Flebam ego super omnem infirmum, &c D. Chrysost. Hom. 15. in Math.

B Mare soluit didragma pro Christo. Math. 18.

Non est necesse pharmacum deferri ad locum affectum sed solo attactu spiritus stomachalis potest longinquos in corpore sanare morbos. Van helmon.

Sanguis est humor venarum, vitæ alimentum.

Nouella Valentiniani de Pentapolis. Permittit Græcis mercatoribus & negotiatoribus, qui dicebantur Pentapolę, Romæ negotiari, vt rerum vbertas populo ministretur, licet eos prius tabernariorum inuidia vrbe summouisset. Cuiac. obser. lib. 10. cap. 19.

In metallis, plantis, animalibus sunt venæ quæ sugunt & deferant alimentum.

C Congregatio nonnullorum Cardinalium pro vbertate annonæ status Ecclesiastici. Sixti V. Const 74. Bull. pag. 465. to. 2.

MEDIA LARGITIO.

Deus multiplicia nobis dedit dona, quæ manu tractantes, pro regula & tenore artis, in vsus nostros impendamus. Metalla sine auxilio humano proueniunt, sed arte ad vsus debent præparari, ferrum enim, nondum est aratrum aut securis: frumentum non est panis. Multa itaque relicta sunt nostro labori, vt vitemus otium, & labore nostro parta sint gratiora. Paracelf. lib. 1. sagacis Philosophiæ. Sic gratię cooperandum, & Initia à D paruis ad perfectum deducenda. *Vide Minoritas Principij.*

Est frigus temperatum quo impeditur nimia euaporatio. *Vide Minoritas Bonitas.*

Mare emittit aquas suas, & retrahit.

Remisso peccato quoad culpam, non semper remittitur totus reatus pœnæ temporalis. Triden, sess. 6. & 14. sic sæpe Deus pro peccato dimisso pœnas sumpsit. Vt ex Dauid 2. Reg. 12. & 14. & de Mose & Aaron ex 14. & 20. sic imposita pœna homines melius in futurum à delictis retrahuntur. *Vide Media Contrarietas.*

Satisfactio quidem Christi est infinita, sed non semper eodem modo nobis applicatur, vt deleat toE tum reatum pœnæ à debitæ.

Indulgentiæ quędam sunt plenariæ, quędam limitatæ.

Bonum quidem est natura suâ, sui diffusiuum, se tamen communicat secundum naturam & conditionem suam. Vnde si bonum liberum est, liberè se diffundit per intellectum & voluntatem; Si naturale, naturaliter; si finitum, finitè, si infinitum infinitè, vt fit in diuinis ad intra, nó autem in operationibus ad extra, quia res creatæ, minimè capaces sunt infinitæ perfectionis. Sic causa libera, vt Deus ad extra, facit omnia in pondere, numero & mensura.

Qui libet artifex etiam diuinus intendit operi suo

inducere dispositionem optimam respectu sui finis, A non autem optimam simpliciter.

Optimi agentis est producere totum effectum suum optimum, non tamen quamlibet partem totius facit optimam simpliciter, sed optimam secundum proportionem ad totum.

Vide Bonitas Minoritatis.

Agricultura terram versando & impugnando, ei ad fertilitatem auxiliatur, sed aërem commodiorem præstare non potest. Theophr.

De his quæ partim vltrò dantur, partim debent vi adhibita extorqueri, vt vinum ex racemis, oleum ex oliuis; tributa à populo. *Vide Bonitas Contrarietatis.* Vis quando necessaria. B

Quando præbenda potest cum reseruatione & non integris fructibus conferri. *Vide Magnitudo Bonitatis.*

Per exorcismos non repelluntur omnes molestiæ & pœnalitates quas dæmones hominibus inferunt, sed solum illæ ad quas expellendas ordinantur. Thost. in Matth. to. 5. f. 210.

In sacrificiis spontaneis licebat immolare animalia fœminini generis. Id. Exod. to. 2. fo. 176. Et etiam ea quæ amputatas haberent aures & caudam, quod in sacrificio votiuo non licebat. Idem Leuit. fo. 249.

Christus contudit caput serpentis, relicto membris eius aliquo motu conuulsiuo, & hinc fit virtus C nostra imperfecta. *Vide Medium Virtutis.* Media & imperfecta virtus.

Iupiter si comburatur in leone, vir ille nunquam erit pauper neque diues. Cardan apho. sect. 6. aph. 164.

Causæ vniuersales, non fortunas, sed qualitates suas imprimunt inferioribus. Vide quæ scripsi de iure naturali. l. 1. lege 15. §. 1.

Confidentia prohibita committitur in beneficiis, cum resignantur sub ea conditione vt ad resignantem iterum reuertantur, vel vt fructus pars alteri concedatur. Pius const. 85. Bull. p. 214. t. 2.

D

BONVM MALO mixtum.

Vide Medium Virtutis Media & imperfecta virtus.

IGnis habet in se vim duplicem, vstiuam scilicet, & illustratiuam, damnati patiuntur vstiuam, nec habent illustratiuam. Ita Vox Domini intercidentis, id est, diuidentis flammam ignis. Ps. 28. D. Basil. in d. Psal.

In quatuor elementis Deus Spiritus & intelligentias indidit, vt nullum sit miraculo vacuum. Paracelsus. l. de pygm: & salamandris, &c. E

Empedocles mundum dixit esse vnum, verum non esse vniuersum, esse verò perparuam naturæ vniuersæ partem, aliquam verò, & magnam partem, vacantem esse materiam. Plutarch. l. de placitis Philosophorum. c. 5.

Ascendens cum fuerit boni esse, & dominus eius mali, sanitatem quidem corporis indicat, anxietatem verò & tristitiam animi. Si verò è conuerso, definias è conuerso. Hermes in centiloq. n. 37.

Esto suspiciosus atque sollicitus, quando beneuolus est cum maleuolo, nec valdè confidas, quod mali malitia penitus auertatur. Ib. n. 78.

Planeta in domo aut exaltatione sua retrogradus, est vt vir in domo sua æger. Bethem. centiloquij n. 16.

Vtendum bonis, licet quidam illis abutantur: Nullumque nobis concessum bonum, de quo non possis esse abusus. *Vide Maioritas Medij.* abuti digniori medio.

Philippus cum in regione venusta admodum, castra ponere pararet, nuntiareturque illi, iumentis non esse istic fœnum. O Dij, inquit, qualis est hæc nostra vita, quam etiam ad asinorum commoditatem instituere cogimur. Plutarch. lib. an seni gerenda Respublica.

Ad conuiuium inuitati, vtimur his quæ apponuntur, non alia gustum nostrum sollicitantia petimus: sic vtamur bonis prout à Deo dantur.

Etiamsi terra sit rotunda, multæ tamen eius partes sunt planæ, vt campi, aut acutæ, vt montes.

Vt mundus in sua compositione, tam tenebrarum vestigia habet, quam lucis, vt pote qui ex terra & cœlo conflatus, sic homo mundi filius, habet corpus vt tenebras, mentem, vt lucem. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Flud.

Aquæ potus iuuat quidē ad extinguendum ardorem febris, prodest quatenus frigida, obest quatenus humida, auget enim putrefactionem, materiam crudiorem reddit, & obstructionem adauget. Non est igitur vtilis, nisi cum furit cholera, & magis prodesse potest frigiditas, quam obesse humiditas. Fracastor. de contagione. l. 3. c. 4.

In aceruo tritici sunt aliqua grana zizaniæ: arbor etiam optima fert aliquos fructus à verme læsos.

Medicina sæpè bonos humores cū malis euacuat.

Vix aliquod, aut nullum somnium est absque re aliqua inani, sicut nullum frumenti granum absque paleis.

Arbor quæ in India maximè in regno Campa iuxta Chinam, fert lignum Calamba odoratissimum, duo alia ligna fert visu indiscreta nullius virtutis; totum mergitur aquis, quod pretiosum est, superest integrum, & magis odoratum, cætera corrumpuntur. Dauity.

Malacha Indiæ insula, fertilis, sed insalubris, quia ex humiditate fertilitati necessaria, nascitur humorum corruptio. Idem.

Terra mater quæ in plerisque regionibus profert alimenta & remedia, in aliquibus tamen vt Puteolis ex Vesuuio monte vomit flammas & sulphureos torrentes; ibidem sunt calidi & salutiferi fontes, sed tota regio frequentibus terræ motibus concutitur

Quorundam locorum prouentus totus in eorum conseruatione consumitur, sic ex Corsica nullos percipit reditus Resp. Genuensis.

Homo medius inter naturam spiritualem & corpoream, perficitur ab vna, patitur ab altera.

In medio paradisi terrestris erant duo ligna, vnum bonum, scilicet lignum vitæ, aliud quod dictum est scientiæ boni & mali, quia de illo edentibus scientiam dæmon promiserat. Rupert. Etiam in paradiso erat serpens, etiam nociturus.

Omnes asserunt efficacissima esse medicamenta ex mineralibus elicita, dum sint expurgata à venenosis qualitalibus quas continent.

In plantis, animalibus & metallis sunt tres humores, quorum quidem vnus crassus & indigestus est & enatans pinguis, sicut adeps, vel oleum, & his facit res inflammabiles; alius autem est sicut flegmaticus humectans partes rerum, & non generans,

by Google

augẽs. Tertius est radicalis, essentialibus partibus A rei imb. itus, quia ex ipso partes essentiales constant, per ipsum augentur & nutriuntur. Argentum & aurum perfectiora sunt metalla, quia in ipsis primæ duæ humiditates sunt expurgatę. Albert. Mag. de mineral lib. 4. c. 5.

Quia vinum bibere voluisti, vna etiam fæces tibi sunt exhauriendæ.

Malum sunt mulieres, sed non potest habitari domus sine malo. Suidas in voce Ἰγύνη.

Quod vni prodest, nocet alteri. Et semper cum aliorum incommodis nostra succedit fœlicitas. *Vide Gloria Minoritatis.* B

Iuuenes valent imaginatione in rebus inueniendis, non iudicio; senes iudicio cæteris animi facultatibus torpescentibus, sic in mulieribus destorescit pulchritudo, cum viget animus.

Primus modus cognoscendi Deum per creaturas, est auferre ab eo conditiones imperfectas & tribuere ei perfectas. *Vide Cognitio Principij.*

Bias de vxore ducenda dicebat, si ducas pulchram habebis communem, si deformem, pœnam. Gellius. lib. 5. c. ii.

Xenocrates semel tantum visus est ridere, quod cum ad Platonem magistrum relatum esset, dixit etiam inter dumeta flores enasci. C

Arthritis, pro hac quam infert dolorum acerbitate, haud leuem rependit gratiam, dum mentis aciem exacuit.

Terram fixam esse videmus, at mutationibus obnoxiam, cœlum contra cum sit omnis expers mutationis nunquam quiescit, voluit nimirum Deus cum immobili naturę mutabilitatem, contraque mutabilitatis experti motum adiungeret, vtramque inter se per hanc proprietatum permutationem, quasi quadam cognitione deuincire, atque etiam impedire quo minus inesse numen hisce rebus existimaretur. Greg. Nyssen. lib. de hominis opificio c. 1.

Cum mala bonis permista sint, quilibet experta sui status mala deflet, alterius conditionem fœliciorem putat. Hæc fuse per inductionem prosequitur D. Chrisost. Hom. 2. in 2, ad Timoth. D

Nunquam ita nautis ventus secundus, vt modicum quandoque à recto cursu ratem non auertat.

Pythagoras posuit duo genera rerum scilicet bonum & malum, & in genere boni posuit omnia perfecta, vt lucem, masculum, quietem & huiusmodi; & in genere mali posuit omnia imperfecta, vt tenebras, fœminam & huiusmodi. D. Thom. in quæst. disput. q. 3. a. 6.

Terræ steriles à possessoribus derelictæ, diuiduntur inter possessores, vt eos ad frugem perducant. Cuiac. in nou. 17. & l. 10. & 11. Cod. de om. ag. des. nou. 128. 166. 168.

Decimæ non sunt dandæ de melioribus, neque de deterioribus, sed de mediocribus. Tostat. Math. to. 6. fo. 212. c. 4. to. E

Per historias tam vitia, quam virtutes discimus. *Vide Duratio Cognitionis.* Historia.

Regimen Monarchicum, est optimum, sed periculosissimum. Tostat. 1. reg. fo. 97.

Cum mala bonis complexa sint, licet vti malo medio, quod non sit peccatum. *Vide Virtus Medij. Repug.* Vti malo medio.

Quæ vis est in homine vt pestem auertat, cadentes cohibeat imbres, terram aduersus concussionem tueatur, at animum quantis ægritudinibus superinspersum inuenies? vndique mala in proximo sunt à quibus nunquam licet sinceras inducias accipere. Cœlum & terram duas esse mansiones censendum est, alteram omnino vacuam malorum; alteram, vtrumque, bonum scilicet & malum confusum retinere. Maxim. Tyrius. serm. 25.

Cupit animus bonum, odit malum, & quod cupit assequi, quod odit vitare, omnino non potest; sic ante vestibulum Iouis finguntur duo dolia, vnum malis plenum, aliud bonis aliquibus temperatum, tertium vas in quo merum bonum sit, in vestibulo Iouis non inuenitur. Fons malorum est iniquitas bonorum virtus, quæ bonum sibi facit ex malis. Id. serm 35.

Regiones septentrionales frigidissimæ maximum commodum percipiunt ex igne, vt per semestrem noctem, illustrentur, calefiant, & in communibus vitæ & artium ministerijs, eo vtantur & cum perpetuum enutriant ignem crebra patiuntur incendia. Olaus Magnus. rerum septentrional. lib. 12, cap. 12.

Iacob optimus, Esaü pessimus fœlicissimam simul & miserimam fecere matrem, ita boni malis adnascuntur.

Mala bonis permixta sunt. *Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 1. lege 10. § 3.*

In Ægypto dentes cariem non contrahunt: at ibi vix tertius hominum caret lippitudine aut notabili oculorum vitio. Vanhelmont.

Lac varias impressiones subit ex omnibus nutricis perturbationibus; vnde malas habet qualitates quas infans bibit. *Vide Potestas Medij.* Vis alimẽti.

Aër putatus est pixis Pandoræ, quia nunc bonas, nunc malas fert qualitates, vel etiam simul mixtas.

In paradiso erat lignum vitæ quo vteretur Adam vt immortalis esset, lignum etiam scientię boni & mali, quo quasi veneno moreretur. Alcuin. in Genes. interrog. 6.

Non repugnat legem secundum diuersos respectus esse fauorabilem & odiosam, nam pœnalis reis odiosa, cæteris quorum tuetur libertatem fauorabilis est; quæ priuilegia concedit, his qui sunt in iure communi est odibilis. Suarez de legib. lib. 5. cap. 2. n. 9. Lex autem quatuor ferè modis dicitur odiosa. Scilicet pœnalis, tributum aut onus imponens, lex irritans factum, & prohibens directè vel indirectè, lex exorbitans à iure antiquo, vel à communi, & illi derogans, illud limitans aut corrigens. Id.

Incolæ regionis in qua habitabat S. Hilarion concurrunt ad eum vt obtineret pluuias quæ per triennium cessauerant, orat, pluit, sed arenosa regio pluuijs irrorata tantam produxit serpentum multitudinem, vt ab his multi interierint. B. Hieronim. in eius vita.

Vita ciuilis laborat morbis complicatis. *Vide Veritas Gloria. Repug.* fœlicitatis humanæ vanitas.

Propone tibi vbicumque vixeris multa tibi patienter esse ferenda: noxæ vitandæ, resarciendæ, sin minus tolerandæ.

FERAT ONVS QVI sentit commodum.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Ratio sensusque probant in hac mortali conditione bonum malum sic permisceri, vt alterum sine altero diu non consistat. Nõ quod ex Manichæorum hęresi duo sint hæc rerum principia, æquo iure rerum entitatem sic temperantia, sed cum creaturæ fuerint ex nihil ad existentiam euocatæ, præferunt hæc originalis sui nihili, & creatricis diuinæ bonitatis insignia, quibus toties ad humilitatem,

tatem & gratiarum actionem mens humana reuocetur, quoties altum insolescens sapere voluerit, sub his igitur conditionibus damni commodique rebus insertis, nec aliter vti frui commissum est.

MAGNITVDO. Ita solent res integræ, scilicet cum suis commodis & oneribus, indistinctis & indiuisis ad nouos transire possessores, emptione, donatione, legatis, vel aliis quibuslibet quærendi dominij modis. Cum fœlici casu inuenit aliquis magnam auri vel argenti massam, gaudet baiulans gratissimum onus, licet vires opprimat, nullo monitore qui ad patientiam inuitet & assiduam doceat pro B thesauri custodia, dies noctesq; sollicitudinem. Sunt grauia quæ corpus tegunt, & irritos præstant hostium ictus arma, repetitis ex arte Vulcani fornacibus confecta, sed cum vitæ seruandæ plurimum prosint, hæc timidi sicut & fortes alacriter tolerant.

DVRATIO. Continet insolescentis mentis humanæ motus aduersitas, & inuicta necessitate continuandus ad rei consecutionem & conseruationem labor; leuat autem dura patientis operas nascentis inde commodi spes. At si quæ prouidentia iunxit; diuidas. Si totum onus vni, totum alteri commodum assignes, quod erit vitæ militantis stipendium, & in prosperis temperamentum?

POTESTAS. Fœlix esset Reipublicæ vel alterius C societatis regimen, si ad illud admissi vt gloriam & potentiam, ita sollicitudinem suam efficerent; si tantum bono publico conferrent propriæ diligentiæ, quantum inde percipiunt honoris & commodi. At si delitijs dediti totum onus in alienos deponant humeros, propriis manibus non excultam fortunam, sibi tandem efficiunt aduersam; negligentia sua speratis frustrantur bonis, æmulos potestatis patientur, quos habere voluerant oneris sui baiulos.

COGNITIO. Placet scientiarum & contemplationis indefessus labor, cum mentem impleat beatitudini proxima dulcedine, & si quid in humanis sperandum immortalem præstet apud posteros me- D moriam: sciunt periti consumptis hoc in opere spiritibus, quibus corpus vegetat; reserata quæ consumptas corporis vires reficit moderata voluptate, lædi sanitatem, mortem accelerari, sed hoc momentaneum onus attenta vitæ præcedentis tranquillitate libenter ferunt, quid si futurum attendant in æternitate?

VOLVNTAS. Nihil homini videtur optabilius amicitia, quę naturæ societatem amanti suauiter indulget; quę nobis est tantum in aduersis præsidium, in prosperis geminata fœlicitas. Nullius enim boni sine socio iucunda possessio est, tunc agendorũ secura consilia cũ licet in fidos ea sinus deponere. Ingens amicorum vtilitas, sed maior inde nascens seruitus, vt multiplicatis corporibus violentæ fortunæ magis E pateas, vnum cum pluribus efficiens, vt illis sit in abdita tua prospectus; de quo nequidem suspicari liceat. Ex Lege communionis bonorum, oportet ægris compati, laborantibus subuenire, in eorum omnes affectus ire maiori quam in propriis æstu: In his enim tepescere contumeliosum est. Amicos enim quos vocant mensæ vel fortunæ publica vox execratur, vt qui commodum percipiunt personæ, è cuius oneribus se malignè subtrahunt.

VIRTVS. Auxiliatur laborantibus Christiana charitas nullis humani pacti titulis obstricta; quod si quis beneficentię desit officio, & acceptis commodis hinc onera nascentia nolit sustinere, iniustum lex humana damnat, nam sub hac expressa vel tacita conditione sancitur hic omnis societas, vt ex ea A quilibet saltem vrgente necessitate, tantum accipiat, quantum contulerit.

VERITAS. Si non consilio, non fraude contingit onus, illud ferre debet, qui secundis rebus percepisset commodum; hoc autem onus graue videri non debet, cum sit intemperanti, fortunæ temperamentum, & prioris minus tolerandæ compensatio. Sic ad pondus, numerum & mensuram res prosperas aut aduersas nobis diuina prouidentia dispensat.

GLORIA. Seruorum est alienis, Domini scilicet sui vestibus & insignibus fulgere. Si conuiuium vel spectaculum amicis exhibeas vnde tibi contingat splendor & gratia, turpissimum esset alienis id dispendiis fieri, hæc tua demum censentur, si tua voluntate, cura, pecunia, præstantur, & vt hinc honoris commodum, sic impensarum onera sentias.

DIFFERENTIA. Dicet ingratus sibi datum sine conditione, & acceptam purè gratiam ab ipso non deberi, sed personalis est obligatio, quæ personam vt vmbra corpus sequitur; est opus commutatiuæ iustitiæ, quæ cogit ad æqualitatem non attenta personarum coditione.

CONCORDANTIA. Socium, amicum, contubernalem, semel cognitum & admissum, cum innatis sibi vitiis ferendum esse iura decernunt, probat consuetudo, nec in matrimoniis ob insperatum aliquid quod lædat, diuortio locus est, alioquin dissolueretur ad diem hæc indiuidua vitæ societas; sic seruos, equos, ministros patimur, cum his quibus carere non possunt incommodis.

CONTRARIETAS. Si iustum putant omnes bonis operibus præmia largiri, stipendia & donaria militibus, venatori prædam cedere in patientiæ & laboris sui solatium; Generaliter si sentire debet commodum, qui tulit onus, cum contrariorum sit eadẽ ratio, ferre debet onus, qui percipit commodũ.

PRINCIPIVM. Habent causæ suam ex eo gloriam, quod in similium productione, diuinæ bonitatis, creatricis omnium præferunt similitudinem. Actus ille totos implet affectus, rapit, & mira deuincit dulcedine. At causas omnes manet onus, amori tantum tolerabile, conseruandi, promouendi quæ produxerint. Patri debetur à filiis summa & diuinis proxima reuerentia, sed Pater filiis præstare debet alimenta, disciplinas, artes quibus, ad familiæ rationem eius vita possit honestè transigi.

MEDIVM. Cuiuslibet artis instrumenta, dum fortiter agunt, atteruntur, sed quod cõtraxere vitium, eius est emendare qui de talibus vsum & commodum percepit, vel si differat, maius inde patietur damnũ in opere minus ad artis regulas conformato. Ita diligentiam in oneris post commoda portatione, necessariã impositis etiam pœnis effecit prouidentia.

FINIS. Hæc naturæ, politiæ, societatis humanæ prima fuit intentio, cui si quis non respondeat, amittit eam, qua frui debet possessionem, sic Dominus amittit ius in seruum quem exposuit, & cuius cum exceperit ministeria, non curauit ægritudines. Nullo iudice deperit domus domino, qui sarta tecta non præstat; Nauis nauclero, qui rimis aquas trahenti, non succurrit, &c.

MAIORITAS. Non expectant cõmodum vt ferant onus aulici qui magna bonorũ profusione splendidi, proferuntur ad principem, eiusque mores ingratos ferunt patienter, spe dignitatis obtinendæ si venerint in gratiam. Quotidianis vitæ periculis obiiciuntur milites honoris & spoliorum auidi. Tam ęquum est onus ex commodo, vt illud etiam pręueniant & anticipata solutione conentur promereri;

pictores, agricolæ, artes omnes, sua, in futurum præmium, reponunt opera. Quod si præcedat cõmodum, vires ex eo validiores effectæ, fortius ferunt onera.

ÆQVALITAS. Hæc est compendiosa Iustitiæ lex, qua mundus, & optima quæuis Respublica regitur. Fœcunda fit floribus, fructibus, animantibus terra ex cœlorum influxu viuifico, hac tamen apposita conditione, vt irati, grandine, fulminibus armati minas & ictus immota ferat, vxoris in connubio sortem exprimens cum solo, cui diu firmiter hæsere domus, concutientur. Principium sortem aduersam, sicut prosperam se sequuturos iurant Palatini, &c. Consanguineis non tam affectus titulo defertur pupillorum tutela, quam quod ad eos A peruenit, aut peruenire potest, pars hæreditatis.

MINORITAS. Dura videbuntur hæc onera, si separatim à commodis considerentur. Plus enim est in natura boni, quam mali, commodi quam incommodi, continuam ex igne, fluuiis, aquis percipimus vtilitatem, rara quæ contingit conflagratio vel inundatio. Liberum nobis rerum vsum reliquit prouidentia, sed ex interdum variis, & insperatis casibus nos admonet inconstantem hunc esse mundi statum, & hic non esse constituendam fœlicitatem nostram.

Ad Ecclesiam Parochialem pertinent omnes decimæ prædiorum quæ in ea sunt sita. Ext. de decim. datur eim beneficium propter officium. *Vide Gloria Virtutis. Et Gloria Contrarietatis.*

FINIS BONITATIS.

QVANDO CESSANDVM A BENEFICIO. Et de eius Reuocatione.

AVGVSTVS frumentationes publicas voluit abolere, quod earum fiducia, cultura agrorum cessaret, Sueton. in Augusto.

C. Caligula, vt exhaustum ærarium repararet; negabat iure ciuitatem Romanam vsurpare eos, quorum maiores sibi posterisque eam impetrassent, asserens ius hoc filiis tantum contingere, non vltra, sic eorum bona occupabat. Idem in Caligula.

In Senatum se protulit Hortatius, vir antiqua stirpe nobilissimus, vt inopiæ suæ, subsidium aliquod quæreret, & cum orasset, Respondit Tiberius; si quantum pauperum est, venire huc, & liberis suis petere pecunias cœperint, singuli nunquam exsatiabuntur, Respublica deficiet; quod si ærarium ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. Ab Augusto data tibi quondam pecunia, sed non ea lege vt semper daretur Languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes & securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignaui, nobis graues. Tacit. 2. Annal.

Cœlum nihil facit hæreditarium, sed id in vno terminatur Paracels. lib. 1. sagacis Philosophiæ. *Vide Concordantia Principij, Rep.* Degeneres.

Exceptis in Arca Noë animantibus ex omni specie, clausit à foris ostium Dominus. Gen. 6. Ita præfinitus à lege numerus Medicorum, Doctorum, & cæterorum ministrorum, limitem ponit largitioni principali, ne plures promoueantur.

In plantis defluunt folia, humido & calido plantæ, se interius retrahente, sicut in somno quædam est retractio. Albert Mag.

Pleraque animalia fœtus suos educant, donec perfecti sint, postea dimittunt eos, etiam vi à se propellunt, vt corui, aquilæ & omnia rapacium auium genera. Id.

Planeta beneuolus à maleuolis impeditus insexta B vel duodecima, fert mala. Hermes in centiloquio. nu. 10.

Luna cum peruenerit ad beneuolorum quadratos timendum est ne beneuoli adiuuare nequeant. Ib. nu. 18.

Cum Iupiter fuerit sub radiis, vel impeditus à malis, non est tunc mutuum dandum, quia nullà sequetur restitutio. Ib. n. 43.

Mars. quodcumque dat reuocat, nisi bonus planeta prohibeat, Ibid. nu. 31.

Quando Sol egreditur ab aliquo signo, relinquit illud vt corpus mortuum sine spiritu & motu. Haly. 1. parte cap. 4.

Omne animal partus suos iuuenes diligit, senescentes spernit.

Priuilegia concessa ab vno Principe subditis, ab alio possunt reuocari, non verò concessa exteris. C Chassanæ. Cathalogi gloriæ mundi 1. parte conclus. 44. in fine. Et parte 5. conc. 24. n. 64.

Sol auget lumen Lunæ donec ei opponatur, tunc enim minuit lumen eius, sicut Princeps concessam potentiam ministro, qui vsque ad inuidiam auctus fuerat. Haly. 1. parte. cap. 4. de Luna.

Iniquissima magnorum meritorum conditio est, si quidquid non fuerat adiectum de prioribus, perit, & pessimo exemplo gratiam præteritis auferunt reliqua cessantia. Quintilian. declam. 5.

Deus creauit paradisum, etiam si statim ex eo expulsurus esset hominem.

D Indulgentiæ tandiu durant, quandiu concedens eas durare voluerit & non vltra, quia gratia pendet à voluntate concedentis. Bonac. de indulgentiis.

Si infirmus cui confertur extrema vnctio, decedat. sacerdos cessat ab vnctione, quia viuis tantum conferuntur sacramenta. Id. de extr. vnctio.

Quod fit ex vrbanitate non præiudicat, nec ius aut consuetudinem inducit, ita vt non possit aliter fieri. l. 1. ff. de seruitut. l. creditores. ff. de pignorib. & in dubio non præsumitur aliquid factum animo

Digitized by Google

se obligandi; quia nemo sibi velle onus imponere A præsumitur, & in dubio melior est conditio possidentis & libertatis.

Dispensatio vim suam amittit, si reuocetur antequam adimpleatur effectus ad quem fuerat concessa, quia vim habet à voluntate concedentis. Bonac. de dispensat. q. 3. §. 2. pr. 2. Superior potest reuocare sine causa, non verò is cui reuocationem faciendam commisit. Ib. Potest reuocari priuilegium ex mera concedentis liberalitate collatum, antequam acceptetur; Non verò si non est ex mera liberalitate. Id. de priuilegiis puncto. 3. vt si concedatur in remunerationem operis præstiti.

Priuilegium amittitur & finitur, cessante tota ipsius causa, antequam mandetur executioni. Ibid.

Propter terræ motus cessant fluere fontes, quia noua illis aperitur via.

Boni Angeli qui dati sunt nobis ad custodiam, si B monita negligimus, de defensoribus, fient accusatores: ex Petro Damiani Card. Opusc. 23.

Mandabo nubibus desuper, ne pluant super eam. Isay. 5.

Ego vado, & in peccatis vestris moriemini.

Gratiæ fuit quod Deus hominem foris plasmatum in Paradiso posuit, iustitiæ vero, quod immeritum eiecit. Ruper. in Gen. l. 2. c. 23.

Quædam plantæ cultu deteriores fiunt, quia virtus earum medica, & odorifera obtunditur nimia culti soli humiditate, & alimenti copia, talia sunt, absinthium, fel terræ, capparis, laser, rumex, satureia, thymum, fructus corni, sorbum, &c. Theoph. de causis Plantar. lib. 3. c. 1. *Vide Veritas Virtutis.* Affectatio nimia. *Et Majoritas Medij.* Nimium alimentum. C

Dona cœlestia sunt tantum ad tempus. *Vide Minoritas Finis.* Senectutis incommoda.

In donationibus gratuitis semper sub intelligitur hæc conditio, tradam nisi status rerum mutetur, vel quantum decet, & quantum potero sine magna difficultate. Vnde debitum ex titulo oneroso, vt ex emptione, prius restitui debet, quam ex titulo gratuito. Bonac. de restitution. q. 8. p. 2. prop. 4.

Reuocanda est donatio & eleemosyna obtenta per Hypocrisim. *Vide Veritas Virtutis. Rep.* Hypocrisis. *Vide Contrarietas Principij*, seueritas parentum.

De Ezechia qui librum remediorum abstulit è D templo. *Vide Bonitas Contrarietatis.* Vtilis aduersitas.

Æneas videns vrbem suam ab hostibus direptam dicit.

Excessere omnes adytis, arisque relictis
Dij, quibus imperium hoc steterat.

Indignus est beneficio, in illud ipsum peccans; non gaudet Ecclesiæ asylo, qui spe impunitatis homicidium aut membri mutilationem in Ecclesijs ipsis patrare ausus fuerit. cap. final. de immu. Ecclesiar.

Num. 33. Filij Israël, ab Helim in deserto veniunt ad mare rubrum. Illud tamen iterum non transeunt: Nam quotidiana non sunt expectanda miracula.

Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti E facienti fructus eius. Matth. 21. & cap. 25. In Parabola seruorum rationes suas reddentium Dominus reuocat liberationem datam seruo, qui conseruum durè vexabat. Illud nos instruit, quod etiam eorum peccatorum, quæ iam nobis à Deo indulta sunt, reuocationem faciet Deus, nisi indulserimus offendentibus nos. Origen. Tract. 6. in Mathæ.

In Petro negatio non tam erat socordiæ & negligentiæ, quam ex eo quod eum Deus deseruerat, erudiens vt humanam sciret mensuram, sed sciret quod absque Deo nihil potest fieri, & quod nisi Dominus ædificauerit domum frustra laborant qui ædificant eam. D. Chrysost. Homil. 31. ad Hebræos.

Imbribus exhausto cœlo, sæpius accidit magna siccitas, & nimiis aquis obrutæ prius stirpes, sitiunt.

Vnius sæculi librorum malè feracis loquacitatem, excipere solet fortunatioris æui silentium.

Mulier ablactans infantem quo citius vbera sibi sterilescant, in prunas lac emulget, & mox vbera flaccescunt. Van Helmon. de magnetica vulner. curatione. §. 21.

Deus potest creaturam in nihilum redigere, quia vt liberè dedit esse, ita potest auferre, eius enim potentia non determinatur ad esse creaturę, non pendet ab illis, à quibus nihil ei accidit; & vt potuit non creare, creatas potest non conseruare, nec enim illis obligatur. D. Thom. in quæst. disputatis q. 5. a. 3. Finis esse posset sufficientia suæ bonitatis quæ nullis indiget. Ibid.

Sicut tenebræ sunt à sole, non ex hoc quod aliquid agat, sed ex hoc quod aliquid non emittit; ita corruptio est à Deo, non quasi aliquid agente, sed non tribuente permanentiam. Ib. de Prouid. a. 3. ad 4.

Libertini patrono suo debitam non exhibentes reuerentiam in seruitutem rediguntur. Nou. 78. cap. 2.

Pacta Dei de beneficiis conferendis & pœnis infligendis, intelliguntur cum conditione si res manserint in eodem statu bonitatis aut peruersitatis, in quo fit promissio bonorum, aut comminatio malorum. Tostat. Iosue. to. 2. fol. 91. c. 2. d.

Quando dicitur Leuit. 26. Dabo vobis cœlum ferreum; significat cessationem boni influxus. Id.

Terra Canaam quæ tempore Abrahæ dicebatur terra fluens lac & mel, nunc misera est, & hoc est propter aspectum cœli, & motum octauę sphęrę. Id. num. to. 2. f. 3. c. 2. *Vide Finis Principij.*

Frustra implorat legis auxilium, qui committit in legem cap. immunitatem. de immunitate Ecclesiarum.

Reg. 1. cap. 19. Nuntios Saül Deus fecit Prophetare, sed impleto officio cessauit in illis spiritus prophetiæ, quia exigebat miraculum. At continuat habitum artis infusæ in Beseleel, etiam constructo Tabernaculo. Tostat. 1. reg. to. 2. fo. 67. *Vide Finis Medij.* Quando desinit vsus mediorum.

Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt.
Virgil.

Vide Contrarietas Maioritatis. Humiliata superbia.

Matth. 24. in extremo iudicio apparebit signum filij hominis, vt appareat quam iustè reprobi sint damnati, qui redemptionis spreuerunt beneficium. Vnde dicitur Prou. 11. 14. Vocaui & renuistis, &c. Ego quoque in interitu vestro ridebo, &c. Laurent. Iustinian. tract. arbor vitæ cap. 4.

Si nutrix clam impregnata sit, lac eius cadauerescit. Nouo fœtui prouidet natura, relicto antiquo.

Dies fatalis dicitur in quam incidit vltimum tempus interiectæ appellationis, & reparationis à principe concessæ. Cuiac. obs. lib. 12. cap. 4.

Mulier adultera amittit omnem, quam à marito acceperat donationem. In legib. Vuisigoth. lib. 5. Tit. 2. cap. 5.

Qui patronum relinquit, quem prius elegerat, omnia ei restituat, quæ ab eo acceperat. Ib. Tit. 3. cap. 1.

Liberti Regij, si exercitus tempore in expeditionem non procedant, in seruitutem iterum rediguntur. Ib. lib. 3. in fine.

Priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. cap Caro. Magn. lib. 7. cap. 48.

Priuilegium gratuitum faciendi contra ius, potest ex iusta causa reuocari à concedente, si autem sit onerosum, & in remunerationem concessum, non potest tolli sine graui necessitate, vel iusta causa spectante ad bonum commune. Bonac. de priuileg. pu. 8. prop. 1.

Priuilegium reuocatur ab eo, qui abutitur; censetur autem abuti, 1. non vtendo priuilegio, tali tempore aut loco, vel in tanta quantitate quanta in priuilegio præscribitur. 2. si vltra limites priuilegij, vt cessante causa, aut eo loco tempore vel circa personam, vel circa res pro quibus priuilegium non est concessum 3. faciendo aliquid iniquum; spe vel occasione accepta à priuilegio, vt liberius delinquat, spe impunitatis. 4. faciendo contra finem priuilegij, vt si canonicus absens prætextu studiorum, tempus in vanum terat. Id. in fine.

Ecclesia destructa authoritate Episcopi, sine spe reædificationis, amittit suas immunitates, vt asyli, quia priuilegium est velut accidens morale, quod destruitur, destructo subiecto. Id. de immu. Ecclesiarum.

Paphlagoniæ habitatores, dicebant Deum hyeme ligatum, Vere solui.

Ferunt aliquando aquas inuidisse plantis viriditatem & ideo ab irroratione destitisse. Suidas in voce [illegible].

Aquarum sub terra latentium canalibus obstructis limo vel ruina, deferuntur vbiuis aquæ per aliquem alium canalem, & sic ordo & vicissitudo ser-

A uatur sempiternis sæculorum ætatibus. Georgius Agricola. lib. 1. de causa subterraneorum.

In filtratione pars panni extra vas aquæ cadens, debet esse longior ea parte quæ aquis in vase mergitur, nam si sit æqualis aqua seruabit æqualitatem suam, nec vltro effluet, quod si in eo vase iam aqua deficiat, nec iam æquet longitudinem panni per quod effluebat, plusque sit aquæ in vase recipiente, quam in dante, tunc aqua reuertitur in locum vnde fluxerat, ascenditque eadem quâ descenderat via. Sic ob summam indigentiam donatoris repetenda videtur donatio.

Cum fuerit fortuna retrograda vel debilis in locis Saturni vel Martis contrariam habens qualitatem significatori, destruet ipsum vt infortuna. Cardan. Apho. sect. 5. Aph. 82.

B Ideo in parabolis loquutus sum eis, vt videntes non videant, &c. Matth. 13. Quoniam contra veritatem quam viderunt & audierunt, iudicant, ideo etiam ipsam audiendi facultatem ab eis aufero, cum nihil ipsis vtile inde, sed maius peccatum accedere rerum periculo pateat; & hinc fieret maior delictorum cumulus. D. Chrysosth. Hom. 46. in Matth. Sic Apostoli dixerunt Iudæis, Quia repellitis verbum Dei, conuertimur ad gentes.

Christus cum transisset in Capharnaum multa signa non fecit. Matth. 14. Ne maiore inuidia exardescerent, neue grauius propter maiorem incredulitatem damnarentur. D. Chrysost, Hom. 49. in Matth.

Vide Duratio Minoritatis. Semel malus semper

C talis præsumitur. De Claudio Imperatore.

In quibusdam locis Indiæ repetitur certa quantitas auri, qua sublata nihil vlterius quærendum est, hæc loca crumenas vocant quæ citò euacuantur. At in mineris sunt venæ, velut inexhaustæ.

MAIORITAS BONITATIS.

PLVS BONI, QVAM MALI.

CONTINGIT aliquod bonũ esse conueniens absque omni dissonantia: non autem potest esse aliquod malum totaliter absque omni conuenientia repugnans. Et omne malum fundatur in aliquo bono sicut omne falsum in aliquo vero.

Preeminentia perfectionis accipitur ex sex rationibus. 1. quia est diuturnius & securius possidetur 2. quod est purius non mixtum malo. 3. quod est communius, & ad plura extenditur: ita bonum Reipublicæ præfertur bono singulari. 4. quod est sufficientius, scilicet quo habito nullis aliis indigemus. Vnde charitas melior est quam castitas. 5 quod est honorabilius & laudabilius. Vnde benefacere extraneis melius est quam consanguineis. 6. quod est pretiosius, sicut aurum præfertur argento. 7. quod diuinius est & magis bonum per essentiam quam per participationem. 8. quod est efficacius in causando. 9. quod secundũ ordinẽ est fini proximius. 10. quod est vtilius, vt equus melior est, quam simia. Perbar-

D tus in rosario Theologico. Voce Bonitas.

In arcam inducuntur ex immundis animalibus bina & bina: ex mundis verò septena & septena. Gen. 6.

Plus nobis prosunt Angeli boni, quam noceant mali. Nam plura mala sunt quæ euadimus, tam à dæmonibus quam à malis hominibus, & aliis rebus exterioribus per custodiam Angelorum, quam mala quæ inferuntur nobis à Dæmonibus. Tostat. Matth. to. 5. fo. 34. 2. b.

Plures sunt Angeli boni, quam mali, & fortè plures quam omnes damnati, tam Angeli mali quam homines damnati. D. Tho. 1. sent. dist. 39. a. vlt. *Vide Magnitudo Virtutis.* Bonorum multitudo.

Vnicus tantum Saturnus frigidus & siccus, habens qualitates contrarias vitæ. *Vide Bonitas Minoritatis.*

E Bona vix quærentibus contingunt. Mala autem etiam non quærentibus. *Vide Magnitudo Minoritatis. Magnitudo Virtutis. Rep.*

Digitized by Google

MAIOR LIBERALITAS Bona.

Vide Maioritas Bonitatis. Maior circa quædam affectus.

DIcit Apostolus, Vbi superabundauit peccatum, ibi superabundauit gratia. Sic sol magis illustrat lunam, quæ sola ex planetis incurrit in vmbram terræ. ægris paruulis, maiori cura subuenitur. *Vide Gloria Minoritatis.* Ex infirmitate securitas.

A

Montes quæ vergunt ad Aquilonem aquas effundunt copiosas, exiles quæ meridiem, mediocres quæ ad ortum & occasum. Georgius Agricola l. 3. de his quæ fluunt ex terra.

B

Principiorum beneficentia cæteris est excellentior. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege. 14. §. 3. & Deus dat quibusdam ampliores gratias. Theolog. natur. to. 3. parte. 3. c. 4. Superabundat gratia, vbi superabundauit delictum. lib. de misericordia Dei. parte 2. c. 25.

Alij ædificent Ecclesias, &c. Aliud tibi propositum, Christum vestire in pauperibus, maximè in domesticis fidei, virginum alere monasteria, seruorum Dei & pauperum spiritu habere curam, qui diebus & noctibus seruiunt Domino tuo, qui in terra positi, imitantur Angelorum conuersationem, & nihil aliud loquuntur, nisi quod ad Dei laudes pertinet. D. Hieron. ad Demetriadem.

C

Ditiores ampliores debent largiri eleemosynas. Vide quæ scripsi libro de operibus misericordiæ. parte. 1. cap. 15.

NIMIA ABVNDANTIA.

ANima quæ in satietate est, fauis illudit; Animę autem egenti etiam amara dulcia videntur. Prouerb. 7.

Ideo beneficia sensim conferenda. *Vide Duratio Bonitatis. Mora.*

D

De nimia copia cibi & potus. *Vide Infra Maioritas. Medij.*

Calamitas animum contrahit & componit, at successus rerum inflat & inanem reddit; vnde infortunijs pressi cautè & prudenter vitam instituunt, at secundis rebus sunt molesti & ferociores. nam magna fœlicitas regit non regitur, vt ampliora vela ventis data vix modum capiunt. Stobęus. serm. 1.

Tiberius Cęsar fecit decolari artificem qui vitrum ductile effecerat sicut metallum; vt sub malleo non frangeretur, quia sic aurum & cętera metalla respectu vitri viluissent.

Galatarum Rex Brennus vastans Asiam, Ephesum cum exercitu venit, ac in Ephesæ puellæ amatorios incidit laqueos. Ea verò congressuram se pollicita est, insuper & Ephesum prodituram, si armillas militum illi concederet. Annuit barbarus, ac militibus imperauit in eam conijcerent quod haberent aurum, quo auarior puella obruta periit. Rodig. l. 8. c. 13.

E

Vide Maioritas Potestatis. Nimiæ diuitiæ.

Atlantes Africæ populi orientem execrantur solem, quia ipsos perurat, & inutilem reddat regionem caloris exuberantia ambustam. Id. l. 18. c. 33.

Sine motus successione terra non valuisset ferre solis & syderum vim fixam & vehementiorem. Id. l. 20. c. 5. *Vide Bonitatis Differentia.*

Eucharistia semel tantum in die recipienda, nisi mortiferum crimen velit contrahere, tam clericus, quam laicus. Can. sufficit. de consec. dist. 1. Can. consuluisti. de celebr. Missar.

Nec tantum segetes, alimentaque debita diues
Poscebatur humus: sed itum est in viscera terræ:
Effodiuntur opes irritamenta malorum
Iamque nocens ferrum, & ferro nocentius aurum.
Prodierant. Ouid. 1 Metaphor.

Excessu plurima deperenut. Vide quæ scripsi. de iure naturali. l. 3. lege. 7. Obruit recipientem qualibet excedens copia. Ib. §. 1.

Vide Virtus Medij. Mediocritatis.

PRODIGALITAS.

CLaudius Cæsar, diuitiarum fructum non alium putabat, quam profusionem; sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret, magnificos autem qui abuterentur ac perderent. Sueton. in Claudio.

Apud Lucian. dial. 4. Timon. Plutus conqueritur quosdam esse qui diuitias suis delectu profundant & è quorum manibus, velut è perforatis Danaidum doliis effluant; alios qui illas semper in vinculis & carcere detineant, sine vsu.

Falluntur quibus luxuria, specie liberalitatis imponit, perdere sciunt, donare nesciunt. Tacit. 1. Annal.

Summa lætitia subitò extinguit hominem, propter nimiam effusionem sanguinis & spirituum à corde.

Rex non potest dare alteri arma sua vt habet plana, scilicet tria lilia aurea in campo azuro, quia illi cælitus data sunt propter excellentiam dignitatis, quæ alteri non debet concedi, alioquin fieret confusio. Chasaneus cathalogi gloriæ mundi. 1. parte, conclus. 44. Ita Princeps non potest alteri omnia sua iura regalia concedere, sed tantum quædam; quia esset contra ius regni vt dicitur in cap. intellecto. de iureiur. Sic Assuerus honorat Mardochęum veste regia induendo. Ester. 8. Ita nemo potest in totum vendere & alienare arma suæ familiæ, quia non tam censentur sua, quam familiæ cui data sunt ad excellentiam & distinctionem, vt nomina personis. Id. *Vide Voluntas Minoritatis. mala.*

In oratione non debent esse nimiæ sententiæ. *Vide Maioritas medij*

Admonendi sunt qui & ea quæ habent tribuunt & aliena rapere non desistunt, ne dum valdè munifici videri appetunt, de boni specie deteriores fiant, nam cogente inopia vsque ad auaritiam deuoluuntur, quid eorum mente infœlicius, quibus de largitate nascitur auaritia, & peccatorum seges, quasi ex virtute seminatur? Occasio rapinę subtrahitur, si benè prius ius possidendi disponitur D. Greg. Pl' in pastorali. part. 3. c. 22.

Qui rem propriam dilapidat, quomodo seruabit alienam? Prodigus itaque infamem se facit, ne eo amicus aut Respublica vtatur. Imprudentes qui viaticum senectuti non prouident Magnę diuitię non excusant prodigalitatem vt nec excusatur coquus, si habens copiam salis, nimium obsonijs inspergerit.

Thesaurus Indulgentiarum concessus fuit Ecclesiæ à Christo dispensandus per summum Pontificem, propriis & rationabilibus de cautis. c. vnigenitus. de pœnitent. & remissionib.

Priuilegium non extenditur ad similes casus, vt lex. *Vide Maioritas Potestatis,* Priuilegium.

Cum Aristoteles dicit prodigum meliorem esse auaro, id verum non est in regno, vbi Princeps to-

nax soli fermè nocet sibi, prodigus omnium est calamitas. Sæpè quod quibuslibet datur, nulli datur. Ridiculus Epiphanes, qui magnam vim pecuniæ per vices effundebat, largiturus cui fortuna dedisset; debuerat mente, non sorte liberalitatem moderari.

Prodigi luxus, est fortunæ suæ pompa funebris.

Mulieri in pœnam transgressionis suæ dicit Deus, Multiplicabo ęrumnas tuas & conceptus tuos.

A M. Apicij nomen, ob luxum & profusiones & delicatam vitam Romæ celeberrimum fuit. Is enim omnes conuiuio excipiebat, opes suas in amicos & ignotos effundens. Suidas in verbo Apicius.

De vitanda prodigalitate. Vide quæ scripsi Moralis Christianæ tom. 4. parte. 1. cap. 20.

Præter victum & vestitum & manifestas necessitates, nihil cuiquam tribuas, ne filiorum panem canes comedant. D. Hieron. ad Paulinum de institutione Monachi.

ÆQVALITAS BONITATIS.

GRATITVDO, ET ÆQVALIS BENEFICII largitio.

BENEFICIVM dando accipit, qui digno dedit. P. Mimus apud Gell. lib. 17. cap. 14.

Iulius Cæsar homines etiam infimi generis ad amplissimos honores prouexit; cum ob id culparetur, professus est palam si grassatorum, & sicariorum ope, in tuenda sua dignitate vsus esset, talibus quoque se parem gratiam relaturum. Sueto. in Iulio Cæsare.

Indi Simias à Leonibus & feris protegunt, quia sunt vindemiatrices piperis in abruptis nascentis. Philostrat in vita Appollonij. lib. 3. c. 1.

Claudius Cæsar de quæstore quodam condidato, inter causas suffragationis suę posuit, quod pater eius frigidam ægro sibi tempestiuè dedisset. Sueton. in Claudio. cap. 40.

Græculus quidam Augusto egredienti offerebat epigrammata, cũque id sępius frustra fecisset, Augustus, sua manu etiam epigramma exaratum venienti misit; Ille legens palam & laudans, accessit ad cellam, & missa in crumenam manu, paucos denarios protulit dicens; Non secundum fortunam tuam Auguste, si plus haberem, plus darem, secuto omnium risu, iussit Cęsar sestertia centum millia Græculo numerari. Macrob. Saturnal. li. 2. cap. 4. ni fine.

Hepar depuratum sanguinem ministrat cordi; ex illo autem cor conficit spiritus, quibus animatur hepar, & totum corpus.

Elementorum generatio ex inuicem, est circularis. Alb. Mag.

Honor mutuus debet esse inter superiores & inferiores. *Vide Contrarietas Potestatis.* Quando licet potestatib. resistere.

Saxa atque solitudines voci respondent. Cicero

Licet aduocato sit honestissimum gratis causas agere, & non vendere operam, cum pleraque hoc ipso possint videri vilia, quod pretium habeant, tamen si res familiaris exiget, secundum omnium sapientium leges patietur sibi gratiam referri, cum Socrates, Zeno, Cleanthes, Chrysippus mercedes à discipulis acceptauerint, nam quę iustior acquirendi ratio, quam ex iusto labore & à quibus optime meruerint; idque necessarium est, quia tempus

B omne alienis negotiis datum, facultatem aliter acquirendi recidat. Quintil. Inst. Orator. li. 12. cap. 7. in fine. Absit tamen pactio de quota litis. *Vide Gloria Minoritatis Mala.* Nihil acquirere volet orator, vltra quam satis erit, & ne pauper quidem tanquam mercedem accipiet, sed mutuâ beneuolentia vtetur, cum sciat se tanto plus pręstitisse, quia nec venire hoc beneficium oportet, nec perire; denique vt gratitudo ad eum magis pertinet, qui debet. Ibid.

Theophrastus vxoris habendam dicit curam, quia assidet ægro, & domestica curat, filiorum autem quia exhibent officia in senectute.

Compositum & modestum decet esse eum qui aliena mensa fruitur. *Vide Potestas Bonitatis.*

Terra optimè & iustissimè respondet colentibus ipsam, multo cum fœnore quæ accepit, restituens.

C Verno tempore dies à nocte mutuo horas accipit vrgentibus tunc laboribus impendendas; sed easdem sensim vt accepit restituit per hyemem. id eloquenter exponit Theodoret. orat. 1. de prouidentia.

De gratitudine erga Deum. *Vide Gloria Principij.*

Aliquid dat Rex subdito, & aliquid subditus Regi, sic stant omnia mutuis officiis.

In Matrimonio est mutua traditio; & acceptatio corporis.

De gratiarum actione. Basilij. Homil.

Principis & populi debita. Iauellus.

Nobis vixerunt veteres, viuimus & nos futuris.

D Si aliquid concedatur sub conditione, hæc conditio debet impleri etiam ante sententiam declaratoriam, quia aliter non est quęsitum eius. Vt mulieri aliquid relictum sit, si castè viuat. Bonaci. de legib. disp. 1 q. 1. p. 7. 9. 2.

Mater in ordine charitatis præferri potest patri si sit nullum benefica. Pater verò crudelis, aut negligens. Id. de charitate proximi.

Terra omnium receptiua, est mater omnium fœcunditatum.

Habitus generantur ex actibus, & contrà actus ex habitibus.

Aristot. 8. Physicor. asserit mundum esse ab æter-

no, quia ex nihilo nihil fit.

Sinenses patris & matris luctum agunt per tres annos, quia per id tempus infirmam infantiam curauerunt. Danity.

De mutua admonitione. *Vide Medium Virtutis.* Admonitio.

Aquæ omnes effluunt è mari & in mare redeunt. *Vide Finis Differentia.* Reditus ad principium. *Vide Gloria Bonitatis.* Cultus benefactoris.

Oculus dirigit manum, & manus purgat oculum.

In sacrificiis pacificis omnia reddebantur ad conuiuandum offerenti, præter adipes & renes qui adolebantur, & armum dextrum, qui relinquebatur sacerdotibus. Geneb. a. m. 3150.

Si quos de seruis Ecclesiæ bene meritos sibi, Episcopus libertate donauerit, collatam libertatem à successoribus placuit custodiri, cum hoc quod eis manumissor in libertate contulerit. Licet alias Ecclesiæ bona non possint alienari. Concil. Agathense Galliæ can. 7. habetur 10. q. 2.

In rebus naturalibus quædam mutuò in se agunt, quia quantum ad aliquid sunt se inuicem superiora, prout scilicet vtrumque est quodammodo in potentia, & quodammodo in actu respectu alterius.

Intellectus & voluntas inuicem suis actibus se includunt, quia intellectus intelligit voluntatem velle, & voluntas vult intellectum intelligere.

Quantitas non agit nisi mediante, qualitate sicut qualitas non recipitur nisi mediante quantitate.

Mare non deficit in exitu aquarum ab ipso, & eleuatione euaporationum, quia redit ad ipsum, tantum quantum recedit ab ipso. Si enim per euaporationes mutatur in aerem ex parte meridiei, tunc tantundem conuertitur in ipsum de aëre ex parte aquilonis. Si mutatur in aërem aliquid de ipso in æstate, redit ad ipsum tandundem de aëre in hieme. Eodem modo eleuatur euaporatio ab ipso ad materiam nubium, hoc totum redit ad ipsum in descensu pluuiarum niuium, & aliarum humiditatum, impressionum ab alto venientium. Quod autem egreditur ab ipso ad ortum fontium & fluuiorum, totum redit ad ipsum, in reditu eorundem ad ipsum. Alber. Mag. meteor. lib. 2. tr. 3. cap. 13.

In mixto humidum continuat siccum, & siccum terminat humidum & ideo se habent in mixto sicut opsonia & condimenta in cibis: vtrumque enim constat per alterum. Id. lib. 4. tr. 2. c. 2. se habent sicut farina & aqua, per aquam farina conglutinatur, & aqua per farinam ne diffluat, sistitur. Id.

Contractus innominati, do vt des, facio vt facias, &c.

Sacrificia Deo homines obtulerunt, vt se gratos probarent, non quod illum talibus indigere existimarent Censorinus de die natali. c. 1.

Die natali cædes non committebatur. *Vide Gloria Principij. Initij.*

Solebant Romani ab illis cognomen accipere, à quibus hæredes scriberentur. Petr. Crinit. de honesta discipl. lib. 3. cap. 4.

Optabat Cyrus se tandiu esse superstitem, dum & benè & malè merentes referenda gratia superaret. Suidas.

Terra recipit aquam ex pluuiis, sed eam postea effundit per fontes, vt exponit Georgius Agricola. lib. 1. de causis subterraneorum.

Alii aliis quod de est mutuò subministrant, vt referunt cæco baiulo, claudi gressus dirigentis.

Quantum decedit montibus, tantum accedit vallibus.

A * Vt est omnium virtutum mater gratitudo, quoniam ex illa profluit in parentes pietas, in patriam charitas, in Deos religio, inter homines, amicitia, in educatores & magistros veneratio; sic colligendum à contrario ingratis omnia inesse vitia. Rodig. lib. 7. cap. 28.

Permutatio beneficiorum fit, cum quis alicui cedit beneficium suum vt conferatur ei à quo ipse inuicem aliud beneficium, per eum resignandum consequatur cap. 1. de rer. permut. in 6.

Potest princeps rem suam cum Ecclesiæ immobili permutare, ita tamen si causa rationabilis id exposcat, & res quam præstiterit sit maior vel æqualis. c. 1. 13. q. 2.

B Clerici tenentur iuramentum fidelitatis præstare Laïcis, si bona ab ipsis habeant. cap. Nimis 30. de iureiur cap. solita. de mai. & obedie.

Vide Gloria Virtutis remuneratio. *Vide æqualitas Voluntatis.* Redamatio.

Si patronus vel eius liberi ad inopiam rediguntur. *Vide Gloria Principij.*

Periret humana vita nisi artes se mutuo iuuarent, & si earum periti sibi tantum, non aliis laborarent, nam nec ab aliis accipiendo, ipsimet perirent. In omnibus dare & accipere est initium multorum bonorum, &c. D. Chrysost. Homil. 10. in 1. ad Corinth.

C De mutuo inter magistrum & discipulum affectu. *Vide Principium Cognitionis.* Alios docere.

Constare non potest ciuitas nisi sint pauperes qui præstent operas suas, & ad vtilia se demittant operas Et diuites qui operum dent mercedem. Chrys. ibid. Hom 34.

Cum iuuas sanctos pro Ecclesia laborantes non tam confers beneficium, quam exoluis debitum: vt enim militibus ciues debent stipendia, sic, &c. Id. Homil. 9. in episto. ad Philipen.

Beneficiati tenentur iure naturali & diuino orare pro mortuis fundatoribus. Tostat. Exo. to. 2. fo. 70. c. 1. 6.

D Deus vult vt sit aliquod iustum inter ipsum & homines, scilicet quod ipse teneatur hominibus ad aliquid, & homines teneantur ei. Exod. to. 2. fo. 7. c. 3. K.

Qui beneficium recipit ab alio, tenetur ei naturali obligatione, sic Deus recenset beneficia quæ contulit Israelitis, vt obligatos ostendat ad obseruationem legis. Id. Deuter fo. 156.

Dauid & Salomon contrahunt amicitiam cum Hiram rege Tyri Chananæo, quia multa ab eo receperant beneficia. Id. 2. paral. fo. 35.

Dii Romanorum cedunt anseribus à quibus fuerunt saluati. *Vide Potestas Minoritatis.* Exigua quædam in bonum valida.

E *Elementa sunt in se mutuo. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 1. lege 4. §. 1.*

Stant omnia mutuis auxiliis. Ib. lib. 2. lege 1.

Inferiora dant vt accipiant. Ib. §. 1.

Accipit ampliores gratias, qui prius accepta benè vsus est. Vide lib. de misericordia Dei. parte 2. cap. 26. De mutua fratrum Religiosorum correctione. lib. de institutione & officiis religiosi. parte. 5. cap. 27.

Et grati estote. Colo. 3. Optima quippe beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio, propterea reuerenda ac salutaria illa mysteria quæ in omni Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, idest gratiarum actio nuncupantur Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum diuinæ erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo

Digitized by Google

gratias semper exoluere; recolit enim Verbi incarnationem, Christi natiuitatem, passionem, amorem, qui nos ad spirituales illas delicias vocauit. Agimus autem gratias pro nobis & pro omnibus qui tanti boni participes fiunt, &c. D. Chrysosth. Hom. 26. in Mathæ.

Ibid. Hom. 35. enumerat artes sibi mutuis auxiliis iuuantes, Agricola dat varios terræ fructus; illi textoria dat amictum, ferrarius vomerem, falcem, securim, lignarius aratrum, iugum, stabulum, coriarius corrigias.

Terra dat cœlo vapores vt accipiat pluuiam, ad plantarum & animalium vitam fouendam, ne siccitate pereant. Sic elementa fiunt ex inuicem fida permutatione.

Bonæ fidei debitor est, qui non est, nec frustrator, nec morator. Cuiac. obser. lib. 8. cap. 10.

Merces in horreis, vel in area, vel in naui ad transfretandum, pignori obligatæ sunt, quasi id silentio conuenerit. l. 3. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacitè. contrah.

Fœnus videtur esse locatio & conductio: nummi enim vtenti dantur & accipiuntur certa mercede. Cuiac. obseru lib. 9. cap. 15.

Vt est contra ius gentium, legatum hostium pulsasse, quod sancti habeantur. l. vlt ff. de legatio. Sic contra ius gentium facit legatus qui in legatione arma capit aduersus eos, ad quos missus est, vt tres Fabii fecere ad Gallos missi, vnde dicta est illis dies & in iudicium vocati à Tribuno plebis. Ib. lib. 11. cap. 5.

Qui equas suas clam equis alienis submisit, tenetur Domino mercedem soluere & actione in factū si equis aliquid deterius contingat. Id. lib. 13. cap. 6.

Conuentio mutuæ successionis, legibus reprobatur, nisi inter commilitones in ipso procinctu. l. licet C. de mut. stipulat.

Vide Duratio Bonitatis. Rep. Celeritas in soluenda operariis mercede.

Agricultura rependit abundè collata beneficia. *Vide Media Concordantia.* Agricultura.

Beneficia eorum qui habent panem de palatio Apostolico, sunt reseruata Papæ, veluti commensalium eius. Iul. 3. Const. 21. §. 1. & 2. Bull. p. 583. to 2. Similiter Curialium sequentium Papam & decedentium in itinere. Clem. 8. const. 54. §. 1. p. 25. to. 3.

REPVGNAT.

INGRATITVDO erga Deum & homines.

MOysi quidam ex Israëlitis exprobrant necem Ægyptij, quem occiderat pro eorum defensione, vtque sibi consuleret fuga, compulsus est ab his, quibus beneficia contulerat.

Cum Iupiter fuerit sub radiis, vel impeditus à malis, non est dandum mutuum; nulla enim sequetur restitutio Hermes in Centiloquio. num. 31.

Ligna dum alunt ignem, ab ipso consumuntur. Actæon à propriis canibus discerptus; princeps ab aulicis.

Apud Persas ingratitudo punitur vt graue crimen, & in hunc seuerissimè animaduertunt, qui cum potuerit gratiam referre, non refert. Nam arbitrantur eos qui sunt ingrati, & Deos maiorem in modum negligere, & parentes & patriam & amicos. Ingratitudinem impudentia sequitur, quæ ad omnem turpitudinem maxima est dux. Xenophon. lib. 1. Cyropediæ.

A

Manichæi sunt ingratissimi qui cum elementis, cæteris corporibus, cibo & potu fruantur, hæc tamen dicunt esse mala, vt omnia corporea, à malo principio. Theodor. orat. 1. de Prouidentia.

Peccata commissa post obtentam aliorum peccatorum remissionem, grauiora sunt, habentque maiorem deformitatem ratione ingratitudinis contra beneficium prius acceptum, consequenter priora peccata dicuntur aliquo pacto redire, non in se & formaliter, sed ratione maioris difformitatis, quæ in peccato post remissionem aliorum commisso, continetur. D. Th. 3. q 88. a. 2. & 4.

B

Fame sæuiente Ioseph alimenta dans populo sub ea conditione vt deinceps quinta pars fructuum cederet Regi, dictus est saluator Ægypti, sed postea redeuntibus annis fertilitatis, odio cœpit haberi memoria eius, & populi sui, tanquam fuisset proditor libertatis. Rupert lib. 9. in Genes. cap. 20. in fine.

Magna pars hominum, eos periisse expetunt, ex quibus beneficia consequuti sunt, sic enim arbitrantur se vinculo solui quo tenebantur; pessimum genus hominum, genimina viperarum, semen diaboli. Æneas Syluius epist. 188.

In declamantium scholis celeberrima fuit ingrati actio, at non in vrbibus & foro, ne quod beneficium est, incipiat esse creditum, & ne gratitudo honestissima res, incipiat honestatis nomen amittere necessitatis iugum subeundo; alioquin vix illis fora sufficerent. Rodigin. lect. antiquar. lib. 7. cap. 28.

C

Semper plurimæ aquæ ab aquilone per flumina descendunt, quæ non recurrunt vnquam ad septentrionem. In mediterraneum descendit Danubius, nec aliquid à mediterraneo remeat; quidquid semel in mediterraneum decidit, nunquam in Oceanum spargitur.

Leuit 6. grauis peccati reus est qui depositum inficiatur: corpus, animam, Spiritus sancti gratiam, vt depositum accepimus. De quo dicitur. 2. Timot. 1. O Timothee bonum depositum custodi. Christum Dominum & Spiritum sanctum depositum habemus Origen. Hom. 4. in Leuit.

D

Ingratitudinis assignantur quatuor gradus, primus cum quis negligit in effectu retribuere aliquid pro susceptis beneficiis, licet agnoscat & æstimet beneficia. 2. Quando quis in affectu contemnit beneficia, 3. quando obliuiscitur beneficiorum 4. quando contra benefacientem operatur aliquid indebitè. Tost. Math. to. 5. fo. 17 Hæc ingratitudo opponitur iustitiæ, quatenus cessamus à solutione eius quod naturaliter & moraliter debemus. Ingratitudinis mensura attenditur secundum mensuram debiti, ita peccatum omne contra Deum Patrem & summum benefactorem est ingratitudo. Ib.

E

Lædi ab eo cui beneficium contulimus durissimum, propter indignam retributionem, & propter inopinatum. Id. Matth. to. 2. fo. 119.

Quando licet non referre gratiam. *Vide Minoritas Bonitatis.*

Erga Deum ingratitudo est inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus vrens siccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, & fluenta gratiæ. Quanto enim maiora beneficia homini conferuntur, tanto grauiora ingrato supplicia tribuentur; quia nihil miserabilius eo cui collata dona sine gratiarum actione à me-

à memoria excidunt. Laurent. Iustinian. de fide c. 5. A *Non est abutendum Dei bonitate & misericordia. Vide quæ scripsi lib. de misericordia Dei. Parte 2. cap. 11.*

De verbo incarnato dicitur Ioan. 1. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit, In propria venit, & sui eum non receperunt.

In lib. Parabolarum suis contemptoribus Sapientia loquitur dicens. Vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Ego quoque in interitu vestro ridebo, &c.

Summa est ingratitudo, damnum pro beneficio inferre. *Vide Gloria Bonitatis.* Nemini officium suum debet esse damnosum.

MINORITAS BONITATIS.

DEFECTVS COMMVNICATIONIS BONVS.

CAPITALE est, si quis doceat barbaros, naues, & arma fabricare l. 24. Cod. Theod. de pœnis

Sudor est amarus, labore parta difficilius donantur.

Reorum damnatorum maiestatis liberos qui adoptauerit, infamis habetur. Vide apud Plutarch. in vitis decem oratorum, in fine vitæ Antiphonis.

Luc. 16. Epuloni diuiti, refrigerium aliquod petenti negat Abraham & dicit, Inter vos & nos magnum chaos formatum est, &c.

Flante Deo concrescit gelu, & coarctantur aquæ, contra frigora eius quis consistet? Iob. 27. 9. Psal. 147. 17. Percutiet te Dominus frigore & rubigine, donec pereas. Deut. 28. *Vide Media Gloria,* accessus & discessus sponsi. *Et Finis Bonitatis*

Possum negare cibum extremam famem patienti si damnatus sit à iudice vt fame moriatur, quia licitum est velle, vt iusta sententia mandetur executioni. Bonacina. de charitate. puncto. 6.

Licet ex iusta & rationabili causa exteros pauperes à nostris ciuitatibus excludere; vt ne otio torpeant, ne morbos, corruptelas vel proditiones afferant, vel vt pauperes domestici præferantur exteris qui non debet admitti cum periculo boni cõmunis.

Inimico priuato existenti non extrema necessitate teneor subuenire : non verò inimico Reipublicæ ne Reipublicæ noceat, quia bonum publicum, priuato præferendum,

Heretici ad Ecclesias confugientes, non gaudent immunitate Ecclesiarum, quia ab eo non debet quis fructum capere, quod vitius est, impugnare. cap. non debet ex eo. de regul. iur. nam hostes Ecclesię digni non sunt, qui ab Ecclesiia per immunitatem protegantur. Bonacina de immunitate Ecclesiarum.

Inueniuntur aquæ minerales, quæ habent vim vitrioli, nitri, ferri; non vero auri & argenti, quamuis aquę transeant per tales mineras, quia aurum est homogeneum, nec virtutem suam extra patitur effluere.

Olim Hiberni antiqua superstitione ducti infaustum credebant vicino ignem petenti dare primo die Maij. Dauity in Hibenia; fortè quia tunc à sole incalescente, non ab homine calor petendus.

Iosue maledixit eum qui muros Iericho reædificaret Iosue 6. Alterius Diœcesis excommunicati clerici non sunt excipiendi, nec prætextu misericordiæ, impedienda iusta de reis vindicta. B *Vide Minoritas Contrarietatis.* Defectus seueritatis malus.

Quod sequitur defectum actionis, non tribuitur agenti, nisi cum potest & debet agere.

De plantis quæ nimio cultu emoriuntur. *Vide Veritas Virtutis.* 1. Affectatio nimia. & *Bonitas Contrarietatis.* & *Contrarietas Principij initij.* Bona sub initijs austeritas.

Neganda donatio, imò etiam restitutio debiti, vel depositi, ei qui est abusurus in detrimentum tertij, vt non tradam depositum gladium furioso; pecuniam ei qui ea vsurus est ad bellum iniustum & iniustam litem mouendam. Minor est difficultas si sit abusurus re tantum in damnum suum. Bonac. de restitutio. dis. 1. q. vlt.

C Ad vitandum malum non modo licet petita negare, sed iam habita surripere. *Vide Varietas Voluntatis.* Quæ sunt contraria voluntati & libertati, Ideo differuntur beneficia, vel sensim dantur. *Vide Duratio Bonitatis mora.*

Res Ecclesiæ prohibentur alienari. nou. 7. alienationis verbo cõtinetur donatio, etiam si fiat ad vicissitudinem beneficij colorati, vel gratiæ referendæ, hæc ἀντιδόσεις generaliter inhibentur, licet naturaliter debeantur & merces sint, pretiaque potius quam liberalitates. l. iubemus. 2. Cod. de sacr. Eccles. Cuiac. in Nou. 7. quia hic color plerumque donationi quæritur.

Eleemosyna non est eroganda hostibus fidei vel Reipublicę, cum bellum indictum est contra eos, D etiam si sint in extrema necessitatate, potest tamen fieri oratio pro ipsis. Secus si non sit illis bellum indictum. Tost. in Matth. to. 3. fo. 17.

In feudum dare est quędam alienatio. Ideo iurant Episcopi non infeudare de nouo, inconsulto Romano Pontifice vt colligitur extra. de feudis c. ex parte, & Tost. in Matth. to. 7. fo. 52.

In viua rana videbis cor eius & arterias moueri, cor singulo pulsu, siue per diastolen rubescere, & per compressionem magis pallescere, etsi diaphanum non sit. Van helmont, blas humanum, Gratius est accipere quam dare.

Vena caua effunditur in dextrum sinum cordis, E quod dum animal viuit est porosum, itaut per illum sanguis transeat in sinum sinistrum, non vicissim hinc ad dextrum; eo quod pori in ipso septo sint triangulares, cuius conus desinens in sinu sinistro facilius constipatur,

Digitized

basis autem trianguli illius in dextro sinu, nunquam A nisi à morte. Ibidem. Nobiliora indiga, dona recipiunt, sed vicissim non reddunt.

Impœnitenti non est danda absolutio. *Vide Magnitudo Virtutis.* Pœnitentia sit omnium peccatorum.

De non extrahendis è prouincia fructibus ipsi necessariis. *Vide Voluntas Bonitatis.* sibi primum prouidere.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis, inquit Christus. Non petit in nomine Saluatoris qui petit contraria saluti suę, terrenas facultates, fugitiuos honores, vindictam inimicorum. Non enim Deus est iniquitatum fautor, aut flagitiorum exauditor, dum talia poscis, imprecaris aduersum te, &c. B Laurent. Iustin. fasciculi amoris. c. 15.

Petentibus etiam iustis Dominus negat quod non licet, quod non decet, quod minimè expedit, cum ipse in pondere numero & mensura omnia disponat. Sic Helię petenti vt moreretur propter persecutionem Iesabel negauit, cum gloriosè translaturus; Petro dicenti, Faciamus hic tria tabernacula; Iacobo per matrem petenti vt sederet ad dextram Christi in regno suo; Paulo postulanti vt tolleretur ab eo stimulus carnis, negatum est, & licet amici Dei, quod inconsultè petebant, non acceperunt, vt hinc discamus non indignari contra Dominum si petita non concedat, &c. Id. serm. de S. Iacobo. Plurimum C obtinebit, qui reportabit inde humilitatem.

Non licet pro mortuis hęreticis Missam celebrare. can. si quis Episcopus. 11. q. 3.

Aiunt medici grandes morbos non esse curandos, dimittendos naturæ, ne medela langorem exasperet. D. Hieron. ad Pammachium de erroribus Origenis. Sic Hipocrates 6. aph. 38. dicit, Cancros occultos melius est non curare, curati enim citius pereunt.

Bulla Sixti V. 1589. prohibet omnibus secularibus vel Ecclesiasticis sub pœna ex communicationis maioris præbere hospitium, victum, vestitum bannitis viarum grassatoribus: tamen Nauar. cons. 57. D 59. & 68. de sent. excom. tenet eam non incurrere eos qui tales ad victum adiuuant in extrema necessitate faciens eleemosynam, vel aliud opus de genere suo bonum ad finem conuertendi & prouidendi. Vide S. Quaranta in summa Bullar. verbo Banniti.

Communitates pro alia communitate, aliaue particulari persona, obligari vetuit Sixt. V. const. 42. §. 6. Bull. p. 414. t. 2.

Christianæ mulieres non debent esse nutrices Iudæorum. Inno. 4. const. 25. 5. p. 64. to. 1. Paul. 4. const. 3. §. 4. p. 589. to. 3. E

Boni medici lethalibus morbis manum non admouent, satis intelligentes eos citius morituros, eamque tractationem dedecori futuram autori. Cardan. de arcanis prudentiæ. c. 26.

Si amici principis aulici mutuum petant, obsta principiis: nam grauè debitum cum exigetur inimicos faciet. monendus est princeps ne fiat tibi infensus alterius repulsam passi calumniâ. Ibid. c. 81. sub finem.

QVANDO POSTVLATIS merito datur repulsa.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Beneficium virtutis & honesti legibus debet contineri, propterea negari debet si periculum sit ne malis faueat cupiditatibus. Aleatori, non dabo mutuum, arma furioso, tunc enim repulsa fit beneficium, cum à nociuis & pœnitendis reuocat; vt qui negat aquam hydropico; qui ad præcipitium, aut ad hostis insidias properanti, viam occludit.

MAGNITVDO. Christianus æqualem habet charitatem ad omnes: hos enim propter Deum causam vniuersalem diligit, at vni plures, priuatis publica debent præferri. Mutuam igitur non dabo pecuniam publicano, qua, dum ad præsens pauca soluit, postmodum regia fretus authoritate, immensas, sanguinolentas in populum exercet vexationes, & hoste quouis sæuior, vastitatem, luctus & mortes inducit fœlicibus ante prouincijs.

DVRATIO. Cum cuiusque limitatæ sint facultates, quædam semel aut bis dantur quę non possunt continuari. Cauendum monet D. Hieronimus ne liberalitate liberalitas pereat; Cauendum ne dandi facilitas, foueat importunè postulantis, & alieno fidentis subsidio negligentiam. Ita Deus quas dedit sub initiis consolationes viæque spiritualis lac, proficientibus negat, vt solidioribus enutriantur, & de suo tandem ipsi militent. Tyronis in scribendo manum post aliquod tempus non dirigit magister vt discat caracteres proprio motu conformare. Meretricis, hæretici, libertini gratiam, tibi necessariam, mihi facilem non conciliabo, rogatus non intercedam, ne naturæ tuæ iam facilis, & accepto beneficio indulgentioris occasione transeas in pessimos talium mores. Ita prudentis est, vt medici, nocitura non concedere.

POTESTAS. Non ea tamen debet esse timidæ mentis suspicio, vt cuilibet potentiæ priuatæ vel publicæ subsidium neget, ne noceat restituta, & à necessitatis vinculo liberior transeat in excessus; Non sic pessimè iudicandum est de proximis quos vt bonos & probos habere debemus, nisi contrarium probetur: vt quid enim pro incerto, ab ægra mente confictò vitio, præsens à te debitum negas officium, vt tanto defectui charitatis patrocinetur semper sibi timens auaritia vel ambitio. Prædoni equos, arma, pyratæ nauim negabo, non tamen esurienti panem, nudo vestem: hæc enim vt homini debentur. Magis timendum est, ne si summa prematur necessitate, ruat in omne nefas quam ne fœlici rerum successu fiat sæuior cum hinc quisque soleat ex clementia splendorem & publicos applausus sibi quærere.

COGNITIO. Proscriptis, igni & aquâ interdictis compatior, & totis affectibus vellem auxilium ferre, sed cum id occultè fieri nequeat & me iam amicitia suspectum, diligens explorator obseruet vt officium meum pari mulctetur calamitate, abeuntis rei non ero receptator; videbo licet non siccis oculis, velut naufragum, cui si manum porrigam, vitam illi suam non seruans, meam proiicio, vt necesse sit ambos perire, hoc frustra desperatum officium à me non exiget qui fuerit amicus.

VOLVNTAS. Amicis durissima lex est posita, A quod in mutuos transire debeant affectus, & alienis plusquam propriis, indulgere, habetur enim neganti proximus, qui petita frigidè concedit. Tamen qui sinceram, virtuti consonam, amici bono consulentem profitetur amicitiam, suspectos habet plurimum feruidos motus, meritoque timet ne rationem, passionis æstus præpediat; nam sereno cœlo sub fœlicibus planetis rarum est mitti fulgura. Iras igitur & vindictam spiranti statim non accedam, iuuat moras trahere, silentio cuncta tegere, vt rebus integris sibi restituta ratio ad saniora consilia conuertatur.

VIRTVS. Sub initiis dum amicitia contrahitur, firma sit hæc conuentio, ne quid contra legem diuinam aut humanam, contra ius & æquum amico roganti concedat amicus; liberè neget moneat B qui conuenitur, & is quem agit passio, dicenti fidem habeat si verè sit amicus; *Vide Virtus Concordantia.* Amicitia contineatur. *Virtutis* legibus. Maior erit authoritas in monente, si parem passus fuerit ab alio correptionem, donec inter vtrosque fœlix inuicta fiat consuetudo.

VERITAS. Non sic grassarentur hæreses & occulta dogmata, si nouatoribus docti non blandirentur; qui fidem Catholicam sincero colit animo, ex Apostoli consiliis vitat pugnas verborum & opinionum quæ destruunt, non ædificant. In Christiana fide firmus nec hæsitãs, publicè profitetur ab amicitia sua eos excidere, qui à fide deficiunt, vtriusque C fidei & affectus sui causam esse indiuiduam; sic deleto amicitiæ titulo prius contractam officiorum obligationem solui.

GLORIA. Contumelia, maledicentia frequentissimum est nocendi telum, quia debilibus, quorum maxima pars, opportunum; tunc autem plurimum potest, & grauius ferit, si plurimorum in vnum consentientium ore famam alicuius impetat, sic occultè negotiatur inuidia, hęresis, ambitio, & venales habet plures amicos, qui quasi fide digna voce multitudinis virum optimum probris dilanient. Talibus suffragium suum vir bonus fortiter negat, filius lucis alterius splendori tenebras non offundet, etsi medios inter allatrantes canes debilis vox sua non audiatur, consultus liberè veritatem aperiet, nec ca- D lumniatoribus ad oppositioně innocentiæ cõsentiet.

DIFFERENTIA. Quidam putant beneficia sicut semina, vt coalescant dispergenda, idest conferenda pluribus inter quos contingit aliquis qui gratitudinem, quam speras exhibeat. Ita plurium debitor singulis in totum non poteris adesse ne congesta in vnicum liberalitate cæteris fias inofficiosus. Cum distincta sint rerum dominia proximis cogor negare, quod mihi totaliter necessarium est.

CONCORDANTIA. Lugenda mortalium peruersitas, qui charitati, languenti proximo, publicæ necessitati negant quæ conferunt ad sectæ palam damnatę, clam sæuientis fomitem. Cur timidè tot sceleribus implicantur; cur fortiter, ore, manibus E non negant stipendia contra patriam & Ecclesiam perfidè militantibus? An hic est mos hominibus rerum pretium ex difficultate metiri; æstimare saluti magis profuturum, quod familiis suis est graue.

CONTRARIETAS. Quidquid aulæ, mulierum, ambitionis sanguine se pascens vanitas effutiat, vir bonus, nunquam in singulare certamen condicta die sui causa, vel ab alio rogatus descendet, suæ fortitudinis conscius non timet aggressorem, non conflictus sui spectaculum, optantis & promouentis dicteria, nihil præter Deum, & in eo Regem timens, vtriusque leges inuicto seruat animo. Igitur roganti vt pro se secundus subeat certamen negabit amicitiam, nam vera non est Christianæ fidei præceptis cõtraria, vera non est quæ nobilem velut seruum addictum exponit vitæ periculo, vt suis protegatur vulneribus. Seruabit fortis inuictam animi sui magnitudinem, inter amici fucati dolos, inter malignos aulæ rumores, eam in opportuna sui deffensione, bellique periculis ampliori splendore probaturus.

PRINCIPIVM. Humanis implicatus negotiis pater, ad easdem quas toto vitæ suæ tempore sectatus est vanitates, adigere conatur filium; Cupiditates suas corporis deficientis ministerio destitutas vellet integris in filio viribus ampliores reproduci; inuitat iuuenem ad auaritiæ thesauros, ambitionis splendorem, vitæ sensualis delicias. At carnali parenti superior vtriusque parens Deus, gratiæ suæ benedictionibus præuentum adolescentem vocat ad præstantiora, & suo destinat ministerio; quid aget inter duos parentes votis inter se contrarios obsequens filius? Certè Deum carnali patri, creatorem creaturæ, virtutem vitio, tranquillitatem animi perturbationibus preferet, & humiliter supplicato patre, ad vexillum crucis euolabit.

MEDIVM. Diuisis in partes ciuibus vir bonus vtrasque conatur conciliare, videt hinc inde aliquid iusti, plurimum passionis. Sibi certè melius censet indignationes vtriusque partis pati, quam alienis cupiditatibus contra Deum & conscientiam militare; nec vnquam malis ex iniquorum coniuratione nascentibus cooperabitur.

FINIS. ad vltimam, vitæ fœlicitatisque finem intentio directa, non audit tumultuantis populi in contraria vocantis voces, it qua decreuit, qua sancti præcessere via; tranquillitatis portum quem hic tenet, non relinquet vt se mundanæ tempestati committat, hac exagitatis non se iungit, vocantibus consensum negat, & libertatis & salutis suæ vindex.

MAIORITAS. Vbi plus petitur, quam præstari possit, liberationem ipsa concedit necessitas. Sub onere nimio fatiscunt in totum vires quæ partem ferre poterant. Impossibilis rei nulla manet obligatio; ęquissimè negantur, quæ pensatis rerum, temporum conditionibus præstari non possunt.

ÆQVALITAS. Diuinis vacans, humanas abdicat dignitates, velut sibi non congruas, & quarum ingens est, nec vllis æstimanda limitibus sollicitudo; totum cor petit Deus, totum immensus implet, vacuam igitur partem non relinquit quam concedere mihi liceat vanitati.

MINORITAS. Humana mens ab infinito ducens originem, innatum habet appetitum excellentiæ; vnde cum ad maiora profecerit, indignum se putat ad minora vocantibus consentire, & pręstantis animi munus est in talibus inofficiosum se præstare. *Vide Duratio Maioritatis.* è gradu non cadere.

Lex Cornelia proscriptum iuuare vetat, & in ipsa humanitatis officia si misero conferantur, sæuit.

DEFECTVS COMMVnicationis: Malus

DVplex est frigus, vnum constringens, plus potens constringere, quam sol eleuare, vel euocare; & hoc impedit omnem euaporationem, constringens poros terræ & superficiem aquæ, & vt radius solis incidens in eam non possit attrahere. Est

etiam frigus temperatum, continens quidem solem ne incendat, sed non prohibet, ne euocet. Albert. Magn. lib. de passionib. aëris. Hujus causa est latitudo regionum à via solis versus septentrionem.

Montes perpetuo niuosi, sunt steriles propter frigus glaciale quod est mortificatiuum, & contrarium temperamento plantę, quod debet esse & humidum & calidum, vt humoris fiat conueniens digestio.

Loca etiam quædam siue plana, siue montuosa, perpetuę sunt sterilitatis, in quibus vincit salsedo & siccitas. Arenosa etiam sunt sterilia, quia vapor plantarum generator & nutritor illic non est solidæ essentiæ & cohærentis, sed expirat inter arenas per diuersas partes; & non formatur in plantam. Alber. Mag. lib. 4. de vegetabilib. tract. 1. cap. 2. & 3.

In animalibus sunt quædam membra, virtutem recipientia, & in alia refundentia vt cor & cerebrum, quod à corde recipiunt in alias partes refundunt. At est in illis aliud membrum suscipiens, & non dans, vt est caro; quæ vim habet à corde, cerebro, hepate, & aliis nihil communicat: denique est cor dans tantum, & non suscipiens. Id. lib. 1. de animalib. cap. 5.

Admonendi sunt qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, vt sciant sollicitè, quod ea de qua sumpti sunt, cunctis hominibus terra communis est, & idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert. Incassum ergo se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi priuatum vendicant, qui cum accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur; quia tot penè quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt. Exsiccata ficulnea quæ fructum non habet. Luc. 13. & cap. 16. Diues epulo non dicitur rapuisse, sed pauperib. non erogasse. Admonendi sunt tenaces vt nouerint quod hanc primam iniuriam faciunt Deo; quia danti sibi omnia, nullam misericordiæ hostiam reddunt. Hinc etiam Psalmista ait Ps. 48. Non dabit Deo placationem suam, nec prætium redemptionis animæ suæ. Scilicet per gratitudinem exhibitam gratiæ præuenienti. Vnde Luc. 3. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur, &c. D. Gregor. PP. in Pastorali parte tertia cap. 22. *Vide Virtus Bonitatis.* Eleemosyna.

Reus est qui negat admonitionem, quasi spiritualem eleemosynam. *Vide Medium Virtutis.* Admonitio.

Nimium alimentum impedit fœcunditatem. *Vide Majoritas Medij.*

Natam sibi prolem in mare proiecit Aulus, homo parcus, cum calculasset impensas, quas viua insumptura fuisset. Tam dolet auarus facultates suas in vsum consumi, quam si de corpore suo aliquid abscinderetur. Non est diues, sed diuitiarum custos; seipsum & viros bonos acquisitis fraudās, sacrilegus est, & parricida: omnibus odiosus; nulli amicus; sine spe auxilij si ingruerit aduersitas. Similis ęrario quęstori, publicum thesaurum, suum esse persuaso. Non viuunt vitam præsentem, sed velut ad aliam quandam magno studio se parant; interim tempus ipsos deserit. Infutum enim est omnibus generationis lethale pharmacum. Non sunt rerum suarum domini, sed tutores. Aliis, non sibi laborant, vt serui; Murorum custodes & omnium quæ sunt in ciuitate sunt tamen indigentes & miseri. Vt sol post occasum, neminem viuentium exhilarant. Habent nummos, non secus ac lapides reconditos, quorum nullus est in commercio vsus.

Diuitiæ ad multa sunt vtiles, sed qui illis rectè non vtitur, similis est homini habenti bonum equum, sed equitandi artem ignoranti: quid prodest pharmacum ei qui nescit, quomodo oporteat vti.

Marci. 3. manus arida sanatur, talis est quæ se non extendit ad Eleemosynam. *Vide Veritas Virtutis*; fides cum operibus. Obediat Christo dicenti, Extende manum tuam, & restituetur sanitati.

In inferno plus ardet epulonis diuitis lingua, quæ misericordia vt fieret, iubere neglexit; in lingua maius sentit incendium, quæ maledixit pauperi; pauperi misericordiam contradixit, denegando pauperi, pauperis blasphemauit autorem. Chrysolog. serm. 66.

Idem serm. 121. de diuite epulone loquens. Iste, inquit, diues, imò diuitiarum captiuus, seruus opum, ipsis censibus compeditus, tantum pompæ immobile sepulchrum, in quo pietatis totus vtique & visus defecerat & auditus; non iam personam, non pauperem, sed ipsam misericordiam despicit, Lazaro ad ianuam suam iacenti.

Auaritia facit lites inter propinquos. *Vide Contrarietas Æqualitatis.*

Manilius dicit auaros esse natos sub cancro, quasi dona constringentibus chelis. Materia prima media est, inter non esse simpliciter, & inter esse in actu formali.

Sunt deserta sine animalibus, quia non producunt alimenta. In Seleucia est lacus nigrescentibus aquis, in eo nullus piscis, nullum viuum animal.

In antiquo testamento rapina tantum prohibetur & plectitur, at in nouo, diues non abstulisse aliena reprehenditur, sed sua non dedisse. D. Gregor. homil. 40. in Luc. 16.

Sunt qui appetunt vt prodigaliter reffundant, sunt qui aliena non appetunt, sed sua tenaciter conseruant: teterrimum est genus eorum, qui & aliena turpiter ambiunt, & quæ iam sui iuris sunt, sordida tenacitate custodiunt, peiores Draconibus Babyloniæ, qui licet dicantur seruare infinitam auri congeriem, contenti rebus propriis, non inhiant alienis. Petrus Damiani Opusc. 31. cap. 3.

De auaritia in quantum inuadit aliena. *Vide Voluntas Majoritatis.*

Pelagius Papa scribit ad Aunacharium Episcopum Antisiodorensem hortaturque vt Chilpericum Regem suum qui fidem Romanam profitetur Romę laboranti auxilium præstet: Cauete igitur, inquit, carissime frater ne dum Regibus vestris iuuandi nos virtus sit data diuinitus, charitatis vestræ circa nos leuitas arguatur, qui illis suadere talia, aut negligitis aut differtis, &c. Habetur to. 1. Concil. Galliæ a. 383. *Vide Duratio Virtutis.* Constans admonitio. *Et Minoritas Contrarietatis.* Defectus seueritatis malus.

Abies, pinus, larix, palma, nepotes, idest, surculos è radice non procreant, tam siccitate radicis, quam quod impetu suo toto sursum contendant, atque etiam quia radice singulari nitantur, altèque descendant; Nusquam enim alimoniæ quicquam superfluit, nec verò dimotum aliorsum se vertit. Itaque fit, vt nullum sit exurgendæ prolis initium. Theophr. de causis plantar. lib. 5. cap. 24. sic amor proprius impedit fœcunditatem? *Vide Voluntas Bonitatis.* Amor sui malus.

Qui non tenetur ex officio succurrere innocenti, peccat solum contra charitatem; qui verò tenetur succurrere ex officio proprio, peccat etiam contra iu-

stitiam non succurrendo, & tenetur ad restitutionem. Bonacina de restitut. q. vlt. p. 11. propo. 2. Tenentur autem ex officio succurrere superiores, Principes, Magistratus, Prætores, &c iuxta modum regiminis sibi præscriptum, similiter tenetur tutor, curator, & qui ad hoc conducti sunt, vt famuli. Sic Episcopi, Prælati, Parochi, parentes filios, filij parentes, &c. Ibid.

Peloponenses blandiebantur auaritiæ, pecuniam signantes forma testudinis quasi non deberet tectis idest thesauris egredi. Rodigin. lib. 10. cap. 2.

Quidam morti proximus aureos deglutiuit non paucos & ita tumulo condi voluit, alius tunicæ plurimos insuit; atque ita indutum citra honorem alium, se contumulari mandauit. Id. lib. 20. c. 23.

Harpias sic describit Virgilius.

Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluuies vncaque manus & pallida semper
Ora fame.

Virgines finguntur; quod omnis rapina arida sit, & sterilis; volatiles quia celeres ad rapinam. Idem lib. 23. c. 37.

Presbyter cuius negligentia commissum, vt sine baptismo æger decessit, est deponendus. can. quicumque presbyter. de consecr. dist. 4.

Sancti alienæ calamitatis compassione tanguntur. *Vide Concordantia Minoritatis.* Alienis malis compati. At mali sunt immisericordes cogunt afflictos artificia mille commentari, vt inhumanitatem & duritiem emolliant: obiiciunt inertiam, otium, pigritiam, hæc tantum nobis dicenda sunt, cum ad Deum orantes accedimus, at non exprobrat Deus, sed maiora quam quæ sperantur, concedit: misericordiam à Deo quotidie poscentes, proximis misericordiam exhibeamus, eadem quippe mensura remetiemur. D. Chrysosth. Homil. 14. in epist. ad Roman.

Periret humana societis si ars qualibet sibi tantum non aliis laboraret & peritus sibi tantum intenderet, nam ab aliis nihil pariter accipiens ipse periret. Semper enim dare & accipere est initium multorum bonorum in seminibus, in disciplinis, in artibus Id. Hom. 10. in 1. ad Corinth.

Qui negat eleemosynas pauperibus, cogit eos ad mendacia & scelera. *Vide Minoritas Veritatis* Dolus bonus.

Ibid. Hom. 21. inuehitur in diuites qui cum quotidie orant Deum vt parcat eis secundum magnam misericordiam, ipsi non dant eleemosynam secundum magnam misericordiam, sed secundum paruam & exiguam qualem daret homo vilis de plebe; cum tamen in omni suppellectile cuncta superflua sint.

Tales sunt auarorum mores, non habent vt fru- A antur sed vt non fruantur. Ib. Hom. 12. 57.

Nihil adeo irritat Deum ac immisericordem esse. Sic Matth. 8 qui conserui sui non erat misertus, traditur tortoribus, &c. Idem. Hom. 4. in epist. ad Phillippen.

Qui tempus in commessationibus teritis & pauperes tabescere sinitis, geminæ mortis authores estis, dum eas qui fame vexantur mori permittitis, & vobis ipsis mortem per delicias sponte consciscitis; vt si illis auxilium præstaretis duplicem consequereris vitam. D. Chrysosth. Hom. 14. in 1. ad Thimoth.

Corpus mortuum, nullo sensu præditum, honorem non amplius sentiens variis, aureisque ornatur vestibus. Id autem quod dolet, lacerat, torquetur, fame, frigore, cruciatur: despicis & inani gloriæ plus largiris quam Dei timori. Id. Hom. 11. in epist. ad Hebreæ.

Qui accepit ab alio secretum sanitatis & iurauit alteri se non dicturum, non tenetur seruare hoc iuramentum, quia est contra charitatem, malè tamen fecit quod iurauerit. D. Thom. quodlib. 11. a. 21.
B Idem est de aliqua doctrina & aliquo artificio.

Voluptas quę à petulantia oritur communicare inuicem non potest, amor autem qui aspectu finitur solus communicabilis est, seque ad vniuersam quæ amari possit naturam extendit. Sic solem vniuersi simul oculi diligunt, &c. Max. Tyriusorat. 10.

Cum pro occisione alicuius excommunicantur occisores, excommunicantur etiam illi, qui cum potuerunt à morte liberare, & non liberauerunt, sic fuit in occisione B. Thomæ Cantuarien. c. sicut dignum. de homici. & Tost. 4. reg. fo. 115.

Semen non transit in substantiam rei habentis illud, imo si non emittatur, corrumpitur, & gignit morbos. Id Gen. f. 18. Bona superflua, si non erogentur in operibus charitatis, non proficunt habenti.

Vis gemmarum sumpta parum prodest, quia latet in densa nimis materia. *Vide Media Concordantia.* Ex Van. Helmonf.

Præcipitur declina à malo, & fac bonum, ita definitur innocens qui & nulli nocet, & cum prodesse
C potest non desistit. Non sufficit Christiano si partem vnam iustitiæ impleat, cum vtrumque præcipitur. D. Hieron. epist. ad Celantiam.

Barones ac vniuersitates status Ecclesiastici non custodientes vias & maria à banitis, tenentur resarcire damna spoliatis. Pius V. const. 10. §. 10. Bull. p. 142. t. 2. & qui eos non persequuntur incidunt in crimen læsæ maiestatis, Leo. 10. const. 36. §. 3. pa 444. to. 2.

Digitized by Google

MAGNITVDO BONITAS MAGNITVDINIS.

IMPERFECTVM est, quod totum & integrum non est. *Vide Magnitudo Virtutis. Vide Magnitudo Durationis & Aliorum Principi.* A

Sensibilia, si sint in minima, & non conuenienti quantitate, non percipiuntur.

Nauis maxima, melior est, quam parua scapha.

Si sacerdos intereat non finita consecratione, perficiendum est sacrificium ab alio sacerdote, ne sacrificium maneat imperfectum. Bonacina. de Eucharistia q. 2.

Si sacerdos aduertat se in forma pronuntianda errasse, & amisisse aliquod verbum essentiale, non sufficit repetere solum illud verbum, quia non aptè cohæreret cum cæteris, sed debet totam formam repetere. Id. de sacrificio missæ. q. vltima.

B

Oportet adesse Missæ corpore & animo, vt præcepto fiat satis. *Vide Minoritas Cognitionis. Mala.*

In indulgentiis, qui totum opus præscriptum non implet, non lucratur totam indulgentiam, nec partem eius, quia superior non concedit partem indulgentiæ, pro parte operis, sed totum opus requirit, sicut relictum, vel promissum sub pluribus conditionibus. l. cui fundus ff de conditionib. & demonstrat. Bonac. de indulgent. *Vide Minoritas Differentia. Indiuisa.*

Nulla pars hominis, est homo.

Non possumus imaginari infinitum sine quantitate, vt nec vacuum sine loco.

C

Persæ in conuiuiis boues, oues, ceruos integros, & coctos, apponebant Regis mensæ, aliquid etiam omnium quorum regio ferax erat, sic fatentes totum illi deberi.

Sublata parte integrante, tollitur totum. Arist. in Topicis.

Agnus Paschalis debebat vorari, idest celeriter edi totus, caput cum intestinis & pedibus; principium, medium, finis.

Num. 23. dicit Balac ad Balaam, Veni ad locum in quo partem tantum Israël videas, vt ei maledicas.

Cum Saül vnctus est, dicit Dominus Samueli, Sume lenticulam olei, cum autem vnctus est Dauid dicit ei, Imple cornu tuum oleo, abundantiam gratiarum significans, Rupert.

Sicut natura non facit per multa, quod potest facere per vnum, ita etiam non coarctat in vnum, id ad quod multa requiruntur.

Significatio orationis est tota simul, & cum completur vltima particula eius.

Paucæ testitudinis carnes tormina gignunt, multæ purgant. Suidas in voce ἡ δεῖ χελώνης

Repugnant ea quæ debent fieri pro parte: de quibus *Vide Virtus Medy.* Medioctitas. *Et Media Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potestas, Cognitio, &c.*

Oratio breuiter & cursim exponens, quę sunt fusius dicenda & imprimenda, est quædam præuaricatio. *Vide Potestas Minoritas.* Minima quædam in bonum valida.

Olim res certis & conuentis notis exprimebant vt per SC. senatusconsultum, per P.R. populus Roman. per R.P. Respublica per D. M. dolum malum &c, quia hinc fiebat deceptio. Imperatores iusserũt litteris integris scribi. Isidor. origin. lib. 1. cap. 22. Cuiac. obseruat. lib. 11. c. vlt.

Indiuisibile & simplex vbicumque est, totum est, vel ibi nulla modo est. Tostat. 2. Paralip. fo. 30.

Inter multas rationes propter quas iure ciuili & canonico vnicuique prohibitum est seipsum castrare, hæc est quia tollit in corpore integritatem, in qua relucet imago bonitatis diuinæ. Id. Matth. to. 5. 110.

Qui in signis breuium ascensionum loca habent principalia obedient aliis vi vel spontè. Cardan. aph. sect. 3. aph. 41.

Itinerantes propositum cõficiunt iter; Duces cœptam consummant victoriam priusquam discedant de campo certaminis. Nihil laude dignum est quod imperfectum relinquitur, hoc contingit in agricultura, ædificiis; studio litterarum, in moribus componendis & adipiscendis virtutibus, in quibus non proficere est in vanum currere. Laurent. Iustinian. tract. de oratio. cap. 10.

Pulmo brutorum supernatat aquis quibus bullitur integer, at dissectus, sidit, quia aëre est impleta aspera arteria.

Nonarum, kalendarum dictiones numerales scribi debent per extensum in litteris Apostolicis. Vrba 8. Const. 6. p. 17. to. 4. Bulla.

Google

MVTILA ET IMperfecta displicent.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Bonum ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu; vnde sicut boni, sic perfecti, nec mutili, naturalis est appetitio; entis enim singularis virtus in sua specie præferre debet vnitatis diuinæ, absolutæ, & omnia complicantis, imaginem.

MAGNITVDO. Vt numeri, sic rerum species, in indiuidua consistunt vnitate, quâ sublata, iam non ipse, sed aliud quid deficiens censetur. Si tollas vnitatem à ternario, desinet esse ternarius indiuisibilis, sed fiet binarius diuisibilis, imperfectionis simbolum. In commodato, non censetur eadem res restitui, si sit in aliqua sui parte vitiata.

DVRATIO. Constant omnia partibus integrantibus quæ mutuo concursu, operum reciproca præstatione permanentiam efficiunt, validasque ad finis consecutionem actiones; his autem deficientibus corruit compositi machina, vnde sicut res perpetuas, ita completas & absolutas optamus, minimos enim defectus in naue, in tecto, vt breui sequuturæ ruinæ causas, auguramur.

POTESTAS. Agens dicitur quod patienti præualet, eiusque vim pro sui conseruatione repugnantem sibi subiicit; Id autem non præstat, nisi fuerit integris partibus & viribus, si quæ deficiant, languescit actio, vt in conuulsione quæ procedit ex semi victa, semi victrice potentia. Claudos, monoculos, spadones vix propitiis intuemur oculis, etiam os solueretur in contumeliam, si non hanc misericordiæ sensus, charitas, lexque coërceret.

COGNITIO. Risum mouent scioli, dum se magistros profitentur in scientiis & artibus, quarum vix prima didicerunt elementa, hærent statim vt dictorum exigitur ratio, vel perperam dictæ validior obijcitur. Ruit ad minimos impulsus ventorum, sine fundamentis elata strues. Ideo fugiunt se doctioris occursus, occulti calumniantur vt scholæ nugas, distinctiones, solutiones, quibus fracti confusique turpiter obmutescunt. Risu sane digna vanitas, sed indignatione iustisque legum pœnis ferienda, dum furtiis sermonibus ignatum vulgus decipiunt, dum hæreses & schismata conflant diserti animarum abigei.

VOLVNTAS. Nec frigidum nec calidum, sed tepescentem abominatur Deus & nos hominem affectibus dubium, vacillantem, claudicantem, auersamur. Timendus enim est qui ad hostilitatem, pront res tulerit inclinans, interiora tamen nostra peruadit explorator. Saltem amor integer, & feruidus appareat dum contrahitur; tendit in bonum absolutum, & vt redametur in se fingit, & hinc amantes suos defectus mille contegunt artibus, ne vel minima circa se pars incongrua, cæterarum decorem obscuret, quia nos plus lædit & auertit turpitudo, quam conciliet sensibus placens intermista gratia.

VIRTVS. Virtutem in homine velut quid diuinum suspicimus, illamque propterea suis omnibus numeris absolutam quærunt inuidi, & austeriori zelo perciti, obseruant enim leues in candore maculas, vt hinc virum probum, velut fucatum hypocritam, sub larua pietatis hostem latentem insectentur.

A VERITAS. Religionem Christianam altis humilia miscentem non patiuntur impij, peruerso suo iudicio non capiunt hoc à diuina prouidentia factum, naturę nostræ conueniens temperamentum. Non capiunt ab hominibus exigi fidem, quæ primogenitum sensum & intellectum immolet Deo. At in fide qui peccat in vno fit omnium reus, quia iam non ex reuelantis authoritate, sed ex priuatæ suæ rationis impetu, fert de rebus sacris iudicium; fides non est, si tota non est: verum cum vno indiuiso, & cum bono ex omni parte perfecto conuertitur.

GLORIA. Ex hac innata perfecti boni cupiditate fit, vt raptu quodam, inconsulta ratione sibi nos addicat pulchritudo; supponit enim decentem, absolutam quantitatis, colorum, linearum positionem, in materia: cui superuenit diuinus ille splen-
B dor, vt impleat, quantum hic licet, affectus nostros ad immensum quid suspirantes, & qui posita quauis perfectione, semper ad vlteriorem protenduntur.

DIFFERENTIA. Rara, tum citissimè vanescens pulchritudo, raros efficit qui sibi constent amores; cum suo flore marcescunt, sæpius ad noui, minus concessi vultus miraculum momento transferuntur. Ita se dedunt homines mutationi, cum menti noua ratio, oculis pulchritudo splendidior affulget; nec sine numinis prouidentia; vt omnium, capax animus, omnibus successiuè saltem fruatur, omnipotentem experimentis boni malique fidus ex-
C plorator: vt mutatis affectibus, errore, iudicio, satietate, casu, in plurium manus pulchritudo deueniat, & citra vitæ fatum in aulis, in dignitatibus, in possessionibus vices suas agat fortuna.

CONCORDANTIA. Sic peregrinatio natiuum solum externis mutat, sic repetitis ab antiquitate modis agendi, quotidie mundus innouatur, vt totum successiuè possideat; sic desinunt societates ad eorum qui contraxere nutum, ne videatur imperfecta, mutila voluntas vni tantum addicta, & cui cum libuerit, non liceat ad alia transmigrare.

CONTRARIETAS. In omnibus ferè rebus absoluta nec in aliquo deficiens qualitas optatur, etiam in ipsis naturæ peccatis, eo spectabilius monstrum est, quo plus à solita lege dissidet, & in malis excessus est in pretio. Non sic tamen iniuriarum
D sumenda vindicta vt extrema sit, totam implens læsi passionem, totas exhauriens eius qui læserit vires, sic crudeliter sæuire proprium est timidis, dum nouas formidant iniurias, quibus se putent impares, at magnanimi suæ fortitudinis conscij de victo non sanguinem, non spolia, sed gloriam volunt reportare: si præclarum habeatur victum deleri penitus, qui vicit fortiorem inueniet à quo pariter destruetur, sic nullo loco clementiæ relicto, peribit humanum genus, propriis confossum vulneribus. Non excedētem sed delictis parem pœnam exigit iustitia; Nullam Christiana charitas & patientia.

PRINCIPIVM. Varientur quantum licet hominum amores, variis successiuè fruantur obiectis, hæc est ægri, quocumque se vertat morbum suum
E portantis & patientis iactatio; quærit animus solidum, integrum, perenne bonum, quod rerum & personarum entitas limitata non præstat. Vanum est omne quod hic quæritur, deludit, non implet, inquietum est cor nostrum, donec in Deo bono suo infinito conquiescat.

MEDIVM. Centrum consistit in puncto, medium in quodam indiuisibili, quod ad extrema non declinet, sed æqua pendeat ab vtrisque ratione, to-

tum, integrum, perfectum est, si operi cui seruit, A congruat. Non est enim aptum instrumentum grauius, quam deceat, & pondere nimio non sequens, non iuuans, sed opprimens operantis doctam expertamque licet manum; Ipsa se premit ingens & supra modum euecta fœlicitas; ingentes thesauri quos in præsidium suum congessit, inuitant auidas cæterorum manus: exasperant collegarum, regentis, populorum inde se spoliatos putantium inuidiam, vnde sequitur personæ vel famæ præceps interitus.

Finis. Cum rerum præcipuè maximarum initia multis septa sint difficultatibus, & assiduo tantum labore suos habeant profectus, excellentiæ mens auida statim sub initiis à iacente, contempto, difficili, deterretur obiecto, si totum eius ex præsenti penderet iudicium; vnica spes est quæ finis intenti, mediorum in eum tendentium prospectu dat animos vt in minimis velut in semine videat maxima, & ex orientis solis nubilo licet obsiti vultu, proximum in meridie conijciat splendorem.

[illegible] ...um quilibet sua sorte non [illegible] ...a altiora, cum è gradu superiore quen[illegible] non patitur se deijci, cum diuitibus nobilibus muta videtur altus quidam sui suæque fortunæ sensus, quo plebis consortia, velut indigna se deuitant; mutilum, & imperfectum putant, quod sui iuris non est, sed subiectum, alieno mouetur & patitur arbitrio.

Æqualitas. Quæ nos demulcet exterior voluptas consistit in conuenientia quadam obiecti cum intima sensus qualitate: est similis quædam animorum sympathia, & cum naturalis sit ad excellentiam propensio, mutila, iacentia, imperfecta displicent.

Minoritas. Placent tantum minima, quæ possunt perfici, quæ nobis coërcendæ potestatis vel B industriæ materiam præbent, & quæ sua comparatione probant alteri competentis magnitudinis excessum, vt gigantis molem auget iuxta positus homuncio.

DVRATIO MAGNITVDINIS.

QVA RATIONE CONSERVATVR existentia vel operi congrua quantitas.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Cum agentium vis præcipua petatur à partium subseruientium quantitate, ampliorque si modum non excedat soleat esse potentior, plurimum interest eam conseruari. At cum sub contrariis aliquid semper à rebus depereat, boni conuenientis affluxu continuo fouendæ & restituendæ sunt; Ne plantis desit, qua vigent humiditas, pluuiis cœlum, irrigationibus agricultura prouidet; optimum corporis habitum fouemus quotidianis alimentis; stipendiis & præmiis milites ne diffluant, continentur in procinctu. C

Magnitudo. Semetipsam tuetur magna quantitas: confluunt in vnum aquæ, quia cum excreuerint alto, & ad satietatem humefacto contentæ sinu, minus eas absorbet cœli calor & terræ siccitas. In Rhetoricis exiles ex se probationes turba valent. Olim muros ciuitatis mos erat constituere ex magnis & quadris lapidibus, quia magis durant. Rodig. lib. 26. cap. 32. Sic Arphaxad ædificauit muros ciuitatis Ecbatanis. Iudic. 1.

Duratio. Res extra loca sua positas tempus sensim carpit & absumit, in centris seruantur & augentur. Lapides & metalla in suis mineris crescunt cum quadam mollitie incrementi susceptiua, at si libero committantur aëri, primò quidem indurantur, omni scilicet accretionis spe iam amissa, tum sensim interno quo constabant humido pereunte, ab externo partes dissolutæ collabuntur, & veterum ædificiorum faciem artisque miracula deformant. Alienas induunt qualitates ligna quercina altissimis aquarum infixa vadis, nam ferè lapidescunt, à spiritu terreo aquis cohibito, & per reflexionem aptam hanc materiam validius stipante.

Potestas. Cuiuslibet mixti partes inclinant ad dissolutionem, qua suis restituantur principijs, si non eas vis imperans velut fræno contineat. Talis est in naturalibus forma, in ciuilibus, lex, princeps, dux, magistratus, sic à subiectione pendet rerum integritas.

Cognitio. Lapides, ligna, metalla suam quantitatis integritatem, sola duritie tuentur; animata verò variis motibus, artibus, dolis, vim oppugnantem irritam efficiunt; sic prudentia res priuatas, publicasque vendicat ab iniuriis, & propriæ seruat integritati.

Volvntas. Innatus rebus omnibus amor sui, & conuenientis boni appetitus, negotiatur, D militat, vt seruentur à læsionibus immunes. Referunt necessitatem effecisse primos hominum cœtus, vt scilicet collatis operibus vita fieret securior & iucundior; at eos multo magis conciliat & seruat amor, ex multis vnum constans indiuisibile.

Virtvs. Frustra bonum appeteret amor sui, & ad illud dirigeret, naturalis instinctus, nisi res quælibet pro sui ratione internis esset prædita potentijs, pro sui tutela & alieni consecutione validis.

Veritas. Rerum existentium abstractas ideas posuit Plato, velut exemplaria & prototypa, quibus, vi cœleste mouente, conformantur, seruantur, cum suis differentijs rerum species, & si materiæ vitio

Digitized by Google

tio deficiant, restituuntur.

Gloria. Voluptas & dolor sunt in natura, quod sunt in ciuilibus bonis præmia, malis pœnæ; ne continua voluptas minus nos afficiat, intermittit, & tantum sentitur in acquisitione rei ad conseruationem necessariæ, vt alimenti.

Differentia Vt sint integræ partes habere debent ordinem ad se mutuo; talem qui referatur ad totius complementum, & quia pars singularis apta non videtur vt intendat efficaciter bonum vniuersale, hinc vniuerso quidam agnoscunt præsidentem intelligentiam, cœlos, elementa, species, indiuidua proprijs continentem limitibus, ne quid deficiat aut excedat: inesse videtur etiam singulis animantibus ordinis, pulchri, decentis idæa, dum aues ad nascentem solem pennas emundant, explicant, componunt, bestię cęterę, ne muscis quidem exceptis, membra variis probant motibus, crebra frictione, lingendo, atterendo leuiter expoliunt, curam integritatis partium essentialem, ab ordine pendentem testantur affectato citra necessitatem decore.

Concordantia. Spectaculum miraculo proximum exhibet in anatomicis medicina, dum obseruat qualiter humani corporis pars, proximæ sic decenter inseritur, vt quæ recipit, locum aperiat tum figurę, tum quantitati receptę congruum, æquali proportione respondentem, qui nihil relinquat vacui, nihil asperi, vel obstantis quod motus libertatem præpediat.

Contrarietas. At ne os insertum, cauo sed lubrico receptum sinu, è loco suo dissiliat, firmo colligatur vinculo, quod quantum opus est ad motum, citra luxationem extenditur. Dum natura cogi vult ad ea quæ decent ipsam, docet quantum in soluta libertate sit periculum, & miraris si tot legibus, contractibus, votis, iuramentis, ipsa Religione à religando dicta, homines in officijs continentur.

Principivm. Sed tot vinculis, tot cautelis, & artibus homines inuicem colligati, ne soluatur integritas Reipublicæ, non seruarent tamen in se partis inferioris cum superiore, subditorum in ciuitate cum rectoribus necessarium, perpetuumque consensum, nisi numinis adesset prouidentia &

A omnium creatrix vnitas, omnes ad vnionem adduceret.

Medivm. Artes variis vtuntur instrumentis, singulæ suis, vt dissitas partes disponant ad vnionem, vnitas in eo statu contineant, ne suo vel alieno dissiliant & detorqueantur motu. *Vide Medium Concordantiæ. Medium Durationis.*

Finis. Partium integritas est finis intentus à natura, quem obtinet si remoueantur impedimenta. Ingens appetitus victoriæ, & eius proxima spes, socios etiam inter se dissidentes conciliat; Dicit Christus, Consentiens esto aduersario tuo, dum es in via, scilicet ad æternam quietem ducente, & quæ hoc titulo meretur, vt internascentia leuia dissidia, patienter feramus.

B Maioritas. Quæ ex ferri, calybis, adamantis constant dura materia, partium suarum integritatem diu seruant; & hæc quo plus secundum speciem suam crassior, eo minus solui facilis est, acuta, subtilia, si solidis circumstantibus partibus non sint firmata, atteruntur & ad cotem citissimè reparatur.

Æqvalitas. Status democraticus ciuium æqualitatem putat solidum suæ conseruationis fundamentum, ita potentiores nobilitate, diuitiis, fama præclarisque facinoribus, vt suspectos pellebat olim ostracismo. Quid boni præstare potest mala contra iustitiam peccans æqualitas, cum deiectos summis pares efficit, mouet præstantium indignationem, fouet popularem in eos inuidiam; quis contendet ad heroïca, si pœnam non præmia merentur, & quæ salus futura Reipublicæ; si priuetur excellentioribus qui sunt cæterorum redemptores?

C Minoritas. Plus durant quæ minus agunt; nec mirum est arca conclusas vestes minus consumi, quam quæ veniunt in vsus quotidianos: at virtus moralis in actione consistit, vnde dicitur in prouerbij, Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens, idest præclarius est hominem impendi publicis rebus & charitatis officiis, etiam cum aliquo integritatis suæ periculo, quam parietibus conclusum nullis mundi sordibus infici: miles in bello pro patria vulnere debilitatus præfertur homini corpore quidem integro, sed mente ignauia laborante, &c.

POTESTAS MAGNITVDINIS.

MAIORA ET NVMEROSIORA sunt potentiora.

CONCVRSVS duarum causarum, maiorem producit effectum. *Vide Concordantia Principij* Ita circulus in imum proiectus, non tantum currit, sed salit.

Vide Potestas Durationis. De iteratis numero Actibus *Et Potestas Maioritatis.*

Denominatio fit à maiori parte. Arist. 2. de anima, tex. 49.

Inductio, est probatio à multis singularibus, vt si

D in pugna terga vertere incipiant milites, & vnus resistendo stet, postea alter, deinde tertius, atque ita omnes in auxilium aduolent, tandem instauratur pugna, sic ex vno, duobus, pluribus singularibus, res vniuersa colligitur.

Cur tot sunt linguæ, nisi vt melius innominabile nominetur? Cur tot homines, nisi vt inexpressibilis humanitas melius explicetur? Cur tot creaturæ quę sunt imagines Dei, nisi vt veritas melius in varietate explicetur, quę vti est, est inexplicabilis. Card.

Digitized by Google

Cusa excitat. l. 5. cap. 55. A

Vide Bonitas, Potestas. Virtus Differentia.

Licet adamas paruo magneti iunctum vim eius liget, si tamen accedat vis magna magnetis, vincit. Id. lib. 7. c. 9.

Chiens de mente, quasi *emente*, quia feras sua multitudine, suoque clamore terrent, & à stabulis pellunt.

Ex his quæ plurimum distant, non potest fieri commixtio, soluitur enim species vnius eorum. Puta si quis guttam aquæ, amphorę vini apponat.

Quia diuina excedunt intellectum nostrum, ita quod non possumus vna intellectione apprehendere omnes modos perfectionum quæ sunt in Deo, ideo aliam conceptionem intellectus noster format de diuina sapientia, aliam de potentia, maximè quia ad illa ascendit per creaturas, vnde hæc B pluritas est propter defectum intellectus nostri in comprehensione diuinæ perfectionis. Etiam beati visa beata essentia diuersos de illa formant conceptus, quia infinitam vt est, nō possunt comprehendere. Perbatus in. Rosario Theologico. voce Attributa. *Vide Bonitas Differentia.*

In subsidium in causa criminali mulier admittitur, quamuis non sit testis omni exceptione maior propter fragilitatem sexus, duæ tamen non sufficiunt ad rei condemnationem, sed si plures sint numerus supplet defectum. cap. cum nuntius de testibus. Vide Decium in reg. 2. ff. de reg. iur.

Si non habentur gemmę satis magnæ ad virtutem C suę speciei propriam eliciendam, plures simul iunguntur. Cardan. lib. de rer. varietate. cap. 19.

Refertur ad vniuersos, quod fit per maiorem, partem. l. 19. ff. ad municipal. l. 27. §. 3. de recept. & qui arbitr. receper.

Militia dicta est à multis, quasi multitia; quasi negotium multorum. Isidor. Origin. lib. 9. cap. 3.

Electus debet esse à maiori parte capituli. vnio Ecclesia 38. de electio. Vt postulatio valeat, non sufficit si maior & sanior capituli pars consentiat; vt in electione, sed necesse vt ex tribus partibus duę in eam conueniant. cap. postulatio. de elect.

Plures Ecclesiæ in vnam possunt coniungi, si vna ex illis vel omnes alienis suppetiis egeant. can. vnio in f. 10. q. 3. can. postquam 16. q. 1. si singulę, sin- D gulos sacerdotes alere nequeant; si ab hostibus fuerint desolatæ. Cogit igitur ad hanc vnionem necessitas & interdum inuitat vtilitas, vt si pluribus vnus sacerdos sufficiat, & populus sit factus infrequens. can. & temporis 16. q. 1. *Vide Principium Concordantia.* Necessitas.

Si plures patroni non concordent præfertur sententia maioris partis. cap. quoniam. 3. de iure patronat.

Græci numeros litteris suis significabant. è duobus autē decertaturis hunc augurabātur victorem, qui nomine suo maiores numeros contineret.

In Brasilia sunt arbores tantæ magnitudinis, vt ex vna excauata conficiant nauem 30. viros ferentem. Huius arboris defectu nos plures tabulas ap- E tamus ad naues fabricandas Indicis longè maiores.

Acuta penetrant propter circumstantes in lateribus partes, vim ad actionem conferentes. *Vide Potestas Concordantia.* Vis vnionis.

Multi fideles congregati magis gaudent. *Vide Concordantia Virtutis.* ex D. Chrysosth.

Numerus in prælijs maximum causæ momentum est, & fortitudinis adeo speciem habet, vt antequam constet non multum posse, semper multum timeatur.

Multa fiunt valida si regantur ab vno, & in vnum finem iuncti viri conspirent, nam si singulis sua vis inest, accrescit sibi, multiplicatur supra numeri rationem, & habetur vt vnum quid ex vnitatis præcellentia summè potens; pars singularis parum ex se conferens ad actionem, eius gloriam non sibi vendicat, sed totam relinquit multitudini, cui propterea firmiter hęret, vt ei competat ius ad communis boni consortium, quod si partes dissideant, semetipsas mutuò periment, eo citius quo fuerint plures & validiores; à cæteris enim velut à tot hostibus obsessæ, nullo concesso refugio conteruntur.

Densioribus rariora cedere naturale est. Tost. Math. to. 7. fo. 131.

Deus fœcunditate supernaturali multiplicauit Hæbreos in Ægypto, vt plures effectos redderet victores gentium. *Vide Magnitudo Principij.* Magna fœcunditas.

Locustarum nubes agros depascentes, stupent omnes, nullus potest auertere: sic falsa religione infectis populis vix resistitur, vt aëri corrupto.

Remoram ferunt nauem sistere saltem cursum morari. Non id efficit solus; est enim pisciculus palmi magnitudine, circa caput latitudo trium scilicet digitorum: pars illa inæqualis velut serra fortiter ligno nauis adhæret, vt vix possit diuelli, multitudo inæqualem efficit in fundo nauem itaut difficilè possit fluctus sulcare.

Aaron non peccauit sicut populus in peccato vituli, sed timore mortis ductus, nihil cooperans non restitit populo iniquitatem suam adimplenti. Tostat. in Exod.

Multitudini parcitur. *Vide Æqualitas Minoritatis.*

Famosi viri sunt in quorum genituris luna multorum recipit lumen planetarum, aut si fixæ potenti regiæ iuncta fuerit. Cardan. apho. sect. 5. aph. 17.

Quod non significat vnum signum validum, ostendunt plura debilia. Ib. sect. 6. aph. 104.

Vnitas diuina quæ est infinita exprimitur multis nominibus. Vide quæ scripsi Iuris naturalis lib. 1. lege 1. §. 5. Infinitatem æmulatur multitudo. Ibid. lege. 2. De diuersis Dei attributis. Theolog. natur. to. 3. parte 1. cap. 20.

Argento legato veniunt etiam vasa inaurata, aut quibus iuncta sunt aurea emblemata. l. pediculis. l. cum aurum. ff. de auro & argento legato. Accessorium sequitur naturam principalis. Cuiac. obseruat. lib. 6. cap. 31.

Aduersus instrumenta contractuum & tabulas testamenti, & testes qui in conficiendis adfuerunt, non valet, nec admitti debet nuda vox aliorum testium. l. 1. Cod. de testib. & Cuiac. Obser. lib. c. 38.

Post legem latam potest supplicari Pontifici & si maior pars resistat, inducitur consuetudo, contra obligationem legis, quia in rebus moralibus, consensus maioris partis, censetur cōmunitatis: & ideo sufficit ad consuetudinem l. quod maior. ff. ad municip. Suarez de legib. lib. 4. cap. 16. nu. 6.

Repugn. Ex multis contingentibus, non potest fieri vnum necessarium, quia sicut quodlibet contingentium per se deficere potest ab effectu, ita & omnia simul.

Non valet manumissio à priuato vel magistratu facta serui, in theatro populo acclamante, cui tunc resisti non poterat. Cuiac. Obseruat. lib. 2. cap 32. & l. si priuatus. ff. qui & à quib. manum. lib. non fiant.

Vnum magnum plus potest quam multa minima; vt ictus magnis viribus excussus, plus facit impressionis, quam iteratæ sed leues percussiones. *Vide* A *Potestas Minoritatis.* Vnum quod pluribus præualet.

COGNITIO MAGNITVDINIS.

COGNITA RERVM MAGNITVDO.

QVACVMQVE in parte cœli fuerint, sol, luna, & aliæ stellæ & orientes & occidentes, & medium occupantes, à quocumque loco semper ab vniuersis hominibus æqualis magnitudinis conspiciuntur, quod magnitudinis excellentis, immensæque molis argumentum dilucidum esse constat, quia amplitudo, latitudoque telluris, nihil affert momenti ad ipsarum moles, aut maiores aut minores conspiciendas D. Basil. in hexamer. Homil. 16.

Augustus Cæsar primus mandauit vt totus orbis describeretur missis ob id legatis in quatuor partes habitabiles. Hæc descriptio facta est annis triginta tribus, & perlata est ad senatum. Alb. Mag. tract. 3. de natura locorum. cap. 1.

De Geographia. Munster, Mercator, Atlas.

Mensurare venit ex ratione, vnde bruta non mensurant. Cusa.

Denarius numerus in se complicat omne numerabile. Valor denarii est mensura in qua omnium valor attingitur. Est complicatio potentialis, numeri, ponderis, mensuræ. Id. excitat. lib. 5. c. 15.

Numerus est mensura magnitudinis, non enim cognoscitur quanta sit magnitudo, nisi adhibeatur numerus, vt bicubitum, tricubitum, & cætera id genus quæ ad numerum pertinent.

Diuersa diuersis mensurantur, non enim eodem modo mensurantur panis & vinum Sic per propriũ mensuram de vnaquaque re fit iudicium. Mensura autem quantum possibile est, debet esse permanens.

Geometria disciplina primum ab Ægyptiis reperta dicitur, quia inundant Nilo & omnibus possessionibus limo obductis, initium terrę diuidendæ per lineas & mensuras nomen arti dedit, quæ inde longius acumine sapientum producta, & maris & cœli & aëris spatia metitur. Isidorus. origin. lib. 3. c. 10.

Refert Lucianus Corebum Phrygium, solitum maris vndas & fluctus numerare.

Card. Cusa lib. de docta ignorantia, dicit Arithmeticam plurimum prodesse ad cęterarum scientiarum perfectã notionem. Hęc nullius alterius adminiculo indigens, videt à se dependentes cæteras omnes Mathematicæ partes, hac adiutus Pythagoras ad abstrusarum & diuinarum rerum cognitionem peruenit.

Certus est saluandorum numerus apud Deum de quo Dauid Psal. 147. Qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat. Origen. Hom. 1. super numer.

Moyses exponit Deum omnia produxisse dicens, Creauit cœlum & terram: sunt enim extrema quæ videt oculus, & intra quæ cætera comprehenduntur. Greg. Niss. in Examer.

B Filiolum cum tertium ætatis annum impleuit, metitur pater; duplo enim maior, quam tunc sit, futurus est ille, cum erit perfectus vir; hunc habet humana natura terminũ, atque mensurã Id. oratio. 1.

Alexandriæ in templo Deæ Isidis erat virga, secundum quam mensurabatur incrementum Nili, sed Ægypto ad fidem Christi conuersa, posita fuit virga illa in Ecclesia Christianorum in honorem Christi. Tost. in Matth. to. 1. fo. 131.

Christus multiplicatis panibus in deserto, iussit discipulos colligere 12. cophinos fragmentorũ quæ superfuerant, vt sic ex congesta quantitate appareret miraculum, quod non apparuisset, si quisque de turba, quod ante se erat, tulisset. Tost. in Matth. to. 4. fo. 101.

Stellæ fixæ, ab oculo experti, valdè altiores iudicantur, quam planetæ.

Laudatur Deus Psal. 145. Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.

Luna minor plurium stellarum, quæ tamen magnæ non reputantur.

Hebræi superstitiosè credunt quod res numeratæ amplius non crescunt, eas ideo non numerant. Tost. 1. Paral. fo. 316.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Plurimum interest rei vel personæ cum qua nobis negotium est, nosse magnitudinem hæc enim solet esse potissima consensus vel repudij causa in dando vel accipiendo. Non aggrediar vastam camporum planitiem fœcundam efficere pugillo frumenti, nec alti fluminis aquas cyatho continere, D admittam in hortum meum fontem, cuius aquis exiguis ludere licet ad commodum & delicias; at repagulis viam obstruere conabor torrenti, qui modum non capit, & semel exceptus hospitem suum lata deuastat ruina.

MAGNITVDO. Transeat vt verum in spiritualibus illud axioma, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, at in corporeis attendi debet rei recipiendæ quantitas, nam si excedat obruit; nimia lux ferit oculos, illi se non committunt debiles, statim vt affulget, velo palpebrisque teguntur. Vt qualitas sic quantitas hostilis est, dum excedit.

DVRATIO concipitur per modum extensæ quantitatis, & numeris significatur, vnde probanda prius examine, si vires ipsi respondeant quam admittenda. Sapiens abhorret à peccato cuius momentanea voluptas, parit continuos conscientiæ morsus: In nobis est in crimen labi, non resurgere, & gradus ex præcipitio reuocare, qui hæc attendit, non peccat.

Digitized by Google

Potestas. Et ratione vix adhærebo potentioribus qui præstitum sibi semel officium, vertunt in seruitutem, & quibus in posterum parere, aut auersos iratosque pati necesse est. *Vide Concordantia Maioritatis Mala.*

Cognitio. Temperamentum & genium suum explorare debent, vt excedentes captum suum scientias non aggrediantur speculatiuas & abstractas, biliosi & sanguinei; altum non petunt aues omnes vt aquilæ, singularia quippe infinita, rumores, hominum nomina, familias, sortes varias & similia negligit Philosophus, vt sectetur certam, & implentem animam de vniuersalibus scientiam.

Voluntas. Castitatem amanti suspecta sit cum altero sexu familiaris vrbanitas, incendium facilè concitatur ex scintilla. Hinc Stoïci rescindendas penitus dicebant passiones, quod sensim animum occupent, & transeant in impetus qui vix possunt temperari. Hæc præuidens aditum negat tyrannidem vsurpaturis.

Virtvs vna cum cæteris necessariam habet connexionem, Ingens ergo virtutis comparandæ propositum, quod tamen non terret sed inuitat mentem absoluta sua pulchritudine; omnes simul completam efficiunt mediocritatem, in qua timeri non debet excessus qui lædat, & contra rationem, quam perficiunt.

Veritas christianæ fidei totum exigit mentis obsequium, nam qui peccat in vno fit omnium reus. Lucrum est, summaque securitas sic à prima veritate dirigi, vt nihil deinceps mens humana cœca, & versatilis temerè de diuinis decernat. Non terret oculum à luce, nec mentem à veritate circumfundi. Integram hanc subiectionem vir bonus absolutam reputat libertatem, sic extra mentis anxiæ sacri legos errores in tuto consistere.

Gloria qualis & quanta sit, obseruat externa petens mercator, præliaturus miles; populos recturus sapiens; terrena deserens, diuinaque tantum sitiens Religiosus, vt labores suos soletur spes ingentis sibi repromissi præmij

Differentia. Si conficiendũ sit iter, primũ inquiritur de loci distantia; ambulationis solatium, non peregrinantis labores suscipiet æger, senex, debilis, lætus in longinqua pergit mercator, cum videt hinc exportatis pretium ex commercij difficultate fieri.

Concordantia Et pax cum omnibus placet ex Apostoli consilio, non tamen cum omnibus

A amicitia, nec cum eo qui pluribus amicis stipatus est, ne fiat prostituta mens & fides, vni tantum ex multis integrè præstanda. Tantos etiam inter se pugnantes non capit angustus cordis nostri sinus.

Contrarietas omnis fit ad agentis conseruationem & augmentum vnde diligenter expendit suas & hostis vires, ne conteratur si se sentiat imparem. Etiam animalia dum decertant, animantur aliqua virium suarum præsumptione.

Principivm Sapientiæ timor Domini: in eo sperantes non confunduntur contemplati infinitam eius bonitatem & potentiam. Attenditur originis magna & antiqua nobilitas velut certum in

B prole virtutis argumentum.

Medivm coniunctionis quo validius, eo certius, Nauium, equorum, baiulorum, columnarum, murorum vires maiores vt aptiores ad onera ferenda, expenduntur.

Finis facilius obtineri potest, cum ardenter in illum voluntas fertur, sic ex magnitudine desiderij coniicitur fœlicitas exitus: Res quædam ex se paruæ, propter consequentias æstimantur maximæ, vt limitata Iurisdictio potest declinari ab eo qui conuenitur vt hæres ad solutionem exiguæ pecuniæ,

C quia qui semel est hæres, nusquam desinit esse hæres, & eo nomine condemnabitur ad cætera onera hęreditaria ferenda.

Maioritas Deprehenditur per comparationem rerum inter se, ita res in mediorum electione solent expendi, nihil enim absolutè votis respondet, fœlicior quæ minus aduersa.

Æqvalitas. Iustitiæ tum distributiuæ tum commutatiuę finis est; Ita rerum quantitates, pondere, numero, mensura peritorum iudicio solent ęstimari vt æquum seruetur. In electionibus perso-

D narum virtus maior præsumitur ex suffragiorum multitudine, quę prius numerantur quam fiat dignitatis collatio

Minoritas Amplitudini, vel altitudini comparata, reddit eam magis spectabilem. Et maior ęstimatur ex altissimis lapsus: tandem rerum magnitudinem sensu, ratione, varia rerum inter se comparatione deprehendens, fit omnium censor & Iudex. Quod oculis nostris instar puncti apparet non vtique punctum est, sed innumeris constare partibus ex microscopio deprehendimus: Sic quod raptim mouetur in momento ferri credimus.

VOLVNTAS MAGNITVDINIS.

APPETITVS DILATATIONIS ET augmenti.

MATHEMATICA considerat ens vt subiectum quantitati. Indiuidua non sunt de prima intentione naturæ secundum Peripateticos. Alb. Mag. 1. Physic. c 2.

Magnitudo appetitur in largitionibus. *Vide Magnitudo Bonitatis.* In quantitate. *Vide Maioritas Magnitudinis.* In rerum permanentia, *Vide Ma-*

E *gnitudo Durationis.* In potentia quę semper vult augeri. *Vide Magnitudo Potestatis.* In scientia quæ vult esse vniuersalis. *Vide Magnitudo Cognitionis. Vide Magnitudinem & Maioritatem cæterorum Principiorum.*

Digitized by Google

MAGNITVDO QVARE appetitur.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Magnitudo significat abundantem & velut exundantem existentiæ vim, quę in quantitate locum pręparat profuturis cæteris accidentibus, ita bonum est ex se fœcundum & appetibile.

MAGNITVDO. Formæ quo sunt nobiliores amplius volunt habere domicilium, pluribus quibus egent potentiis commodius & honestius excipiendis.

DVRATIO. Magna seu quantitate seu numero, validius ab externis iniuriis se vendicant, hinc idem est vt conseruationis sic amplitudinis appetitus.

POTESTAS. In magnitudine seu continua seu discreta plures sunt partes; sic multiplicata vis ad actionem fortiter eliciendam aptior, velut exercitu comparato hostilia superans.

COGNITIO. Alta, protensa, numerosa omnium exponuntur oculis; consentiunt luci per omnia diffusæ, hanc quantum licet sequuntur. Latent infirma sui defectus pudore, velut essent adhuc in materiæ sinu sepulta, at vis essentię maior è causis suis erumpens impetu validiore, sic protenditur & gaudet videri.

VOLVNTAS. Abundantiam boni præ se ferens, conciliat amorem, hinc cum ex pluribus datur electio, magna paruis præferuntur.

VIRTVS Licet in mediocritate consistens vix se temperat, quin fortiter, quia iustè, quod magnum sic præcipuum intensius prosequatur, sub ratione magnitudinis virtutis præfert spiritualia corporalibus, humanis diuina, æternitatem tempori; fluxis mundi delitiis, consummatam in cœlo beatitudinem.

VERITAS. Ita placet quod magnum est, vt gratum sit, etiam dum apertè patet citra veritatem affectari, sic altioribus calceamentis, pileis vltra fastigium suum pennis vndantibus ornatis, non impunè tantum, sed honestè proceram suam staturam homines mentiuntur; gratissimus est Opticę dolus, qui obiecta multiplicat, & vnius rei pulcherrimę longam in speculis seriem ostendit.

GLORIA. Cum maiora sint in pretio, si non verè, saltem fictè: ad staturam & possessionem suam adiicit homo. Benè meritis plura & maiora pro pręmio conceduntur; censenturque sic eorum impleri vota.

DIFFERENTIA. Magnates ambiunt sic amplissimas habere rusticas domos, vt in illis sint syluæ, lacus, flumina, montes, deiectæ rupibus spumantes aquę, vt velut in totius mundi compendio gratissima rerum varietate satientur oculi, & ad lassitudinem vsque libera deambulatio, muris non putet prædium contineri.

CONCORDANTIA. Gloriatur Ecclesia, Catholicæ & vniuersalis titulo. Latam dominationem ambiunt, & suis insignibus ostentant principes, censetur enim forma sicut intelligentia præstantior quæ maioribus præsidet & virtute validiori plurium constantem efficit vnionem.

CONTRARIETAS. Cum quisque velit vincere non vinci spes suas reponit in quantitate maxima quæ minori pręualet. Duces enumerant victorias suas, quasi sint non inconstantis fortunæ beneficium, sed solidæ & ex habitu procedentis fortitudinis actus,

PRINCIPIVM. Ideo maiora pluris æstimamus quia videntur magis accedere ad infinitatem Dei, toleramus debilia rerum initia, si profectus amplioris spem dederint, & fructus numerentur in semine.

MEDIVM. Licet entia nobilia minoribus indigeant ad agendum, velut similiora Deo, qui seipso sine mediis omnia potest exequi. tamen ex hac opinione vulgo recepta, ampliora & numerosiora cæteris præferri, gloriantur magnates excessu palatiorum, mensæ, famulitii, suppellectilis.

FINIS. Appetunt magnitudinem corpora dum motu recto feruntur in suum centrum, in quo felici confusione toti suo permisceantur: superior ignis pars desinit in acumen, non quod ampliorem respuat quantitatem, sed quia sursum tendens sic perforare conatur obstantia sibi corpora, & in hoc centri sui desiderio à contrariis consumptus fortiter emoritur.

MAIORITAS. Calor cœli proles, vitæ principium & actus sibi subiectam materiam quantum licet diffundit, si quantitatem augere non potest, rarefacit, sicut frigus à contrario, densat, stipat corpora, & tenebris amicum, à floribus compressione tollit pulchritudinem.

ÆQVALITAS. Innatam habemus idæam infiniti, qua fit vt in rebus omnibus defectum deprehendamus, & deficiens obiectum sustollere conemur adiecta magnitudine qua compleatur. Turpe censetur non æquare similia, quæ superare volumus per excellentiam.

MINORITAS. Si desit quantitas molis, defectum hunc gloriosè supplet quantitas virtutis; ita magnum appetitur nobilius, vt in auro, gemmis, vnionibus, humilitas ipsamet deiectionis auida, prouocatur ad exterioris excellentiæ contemptum, virtutis eminentioris, diuinaque tantum sitientis præmio.

Digitized by Google

VIRTVS MAGNITVDINIS.

PERFECTIO QVÆ HABETVR EX MAGNA quantitate.

Vide Bonitas Maioritatis.

OMNIA accidentia mediante quantitate in substantia fundantur, & substantia est eis prior naturaliter.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Inter pari facultate præditos, qui maiorem largitur pauperibus Eleemosynam censetur plus habere charitatis, quæ superat amorem proprium sibi retinere volentem, velut necessarium, quod proximis erogatur, ex actu largitionis plus extensæ, conijcitur intensior habitus.

DVRATIO. Splendidior habetur nobilitas antiquitate præstans, quod tam altis infixa sit naturæ radicibus vt à pluribus sæculis illæsa peruenerit ad posteros; sic in bonis perseuerantiam æstimamus, ex actuum numero, & temporis diuturnitate.

B

POTESTAS. Virtuti plurimum detrahit, legis aut Imperantis authoritas, quæ hanc pœnis etiam propositis, exigit. At sincera, quia libera magis censetur laudibusque dignior in Regibus supra legem positis; vnde Salomon virum inter cæteros mirandum celebrat, qui potuit transgredi & non est transgressus, ex ampliori potentia metitur excellentiam virtutis.

COGNITIO. Integra tantum fides commendatur, quæ sic intellectum subiicit in obsequium reuelatæ veritatis, vt nihil in contrarium obtineat opinio, ratio, sensus, occultè serpens hæresis.

C

VOLVNTAS. Deus ex toto corde vult diligi: quisque se totum totaliter, non pro parte diligit, & huic dilectioni parem præcipimur exhibere proximo; tepidos, nec calidos nec frigidos Deus abominatur. Vrget ad optima charitas, sacer est enim ignis in disposita materia moras & modum non capiens.

VIRTVS ea demum laudatur, quę habitu perfectissimè quæsito nihil prætermittit de agendis; quæ minimos cauens defectus, ad maiora quotidiè nititur. Oculata prudentia prospicit in omne tempus; Rerum & personarum circumstantias omnes expendit Iustitia, &c.

D

VERITAS conuertitur cum vnitate semper magna, semper integra, quia diuisionem non patitur.

GLORIA. Miranda quorundam virtus qui manent in splendidis conuiuiis non modo temperantes, sed ieiuni, inter libidinis obiecta, velut inter flammas illæsi. Præstantior est continentia, quo facilior & vulgi iudicio pulchrior offertur voluptas.

DIFFERENTIA. Solitudinem eo securiorem, & ad excipienda diuina magis paratam existimabant Anachoretæ, quo plus distabat ab vrbium commercio, & hominum societate. Si fugiendum celeritate viribusque non parcam; si à mundanis segregatus esse debet homo Dei; toto, quantum licet interuallo sit abstractus, qui propterea dicitur ciuis sanctorum, conuersationem suam habens in cœlis.

A

CONCORDANTIA. Commendatur fidelium in Ecclesia primitiua charitas sic completa, sic indiuisa vt omnium esset cor vnum & anima vna. Apostolis autem rectoribus sic absolutam exhibebant obedientiam, vt in exemplum pœna mortis castigata fuerit voluntas propria aliquid sibi retinere volentium de offerendis. Hinc apud Religiosos cæca, idest totalis nihil iudicans, nihil detrahens præcipitur obedientia.

PRINCIPIVM. In naturalibus fœlicem æstimamus indolem, in iis qui sponte sua feruntur in bonum sub ipsis initiis sine tyrocinio Magistri. Sic superabundantem gratiam in Apostolis & pluribus sanctis ad Deum momento conuersis, & ad mysteria vitę contemplatiuę statim admissis. Ex initij magnitudine, solitis non quęsita profectibus licet pręsidentem illi virtutem diuinam conijcere.

MEDIVM. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Fœlicitatis suæ peritissimus artifex est vir ille, qui ad eam comparandam habet velut instrumenta, quæcumque veniunt in manus suas; qui de rebus aduersis, sicut de prosperis facit prouentum, quocumque res vertat, Deiformis.

FINIS. Libertas qua Deus nos donauit, inexhaustus quodammodo fons est meritorum; Nam si ex fine determinantur & nobilitantur actiones, illas supereminentes & diuinas efficiet recta in Deum intentio, quæ quo purior, quo sublimior, eo plus gratiæ præmiique consequetur.

MAIORITAS. Sic licet ad staturam nostram adiicere naturalia, in superiorem ordinem conuertendo. Sic voluntas etiam inuitâ fortunâ transit in optatos effectus; crescit etiam ipso incrementi desiderio, votis numquam non fœlicibus.

ÆQVALITAS. Ea ratione compensamus tot quæ nos premunt infirmitates; æquamur Angelis, cum his Deum laudantibus, complacemus, congratulamur, votis nunc sumus cœlorum ciues & domestici Dei.

MINORITAS. Quo profundius humilitas iacit Christianæ perfectionis fundamenta, virtutes securè surgent altius; ad lucrum deiicimur, iam prælibare licet promissa laboribus nostris in cœlo præmia, dum pro voluntaria rerum sensibilium priuatione, miras, spem & captum nostrum excedentes consolationes, pro rata mortificationum reportamus à diuina misericordia.

by Google

VERITAS MAGNITVDINIS.

QVÆ SIT VERA MAGNITVDO; ET totalitas.

IN his quæ non mole magna sunt, idem est, esse maius quod melius.

De ratione totius sunt duo, scilicet quod esse eius causetur à partibus & quod sit esse omnium, quia partes non habent proprium esse.

D. Basilius in Hexameron dicit, Per extrema, media intelliguntur vt Gen. 1. cum dicitur, In principio creauit Deus cœlum & terram: nam per creationem cœli & terræ etiam elementa media intelliguntur; quandoque etiam sub terræ nomine omnia inferiora comprehenduntur, vt patet in Psalmo. Laudate Dominum de terra, & postea subditur, Ignis grando, &c. Sic in fine mundi per innouationem cœli & terræ intelligitur innouatio cæterorum elementorum. D. Thom. in quæst. disput. q. 5. a. 7.

Solida dicuntur illa quæ habent omnem dimensionem. Tost. Exo. to. 2. fo. 200.

Vera non censetur magnitudo nisi quæ constat ex propriis, vt bona non censentur nisi deducto ære alieno; non erit altior hominis statura, elephanto, vel basi columnæ insidentis. Proprium etiam non reputatur, quod citò deponendum est, seu voluntate, seu necessitate. Non vult hęres esse, qui ad alium transferre voluit hæreditatem l. 6. de Reg. Iur. similiter quæ precario possidentur, ad alterius arbitrium reuocabilia; vt sunt bona quæ dicuntur fortunæ, instar bullæ momento vanescentia. Veram rerum magnitudinem, extensionem, altitudinem, profunditatem metimur adhibitis Geometriæ instrumentis. Veram rerum æstimationem vitiant passiones amoris vel odij, libero fieri debet iudicio. Vt sit aliquid magnum debet esse vnum, indiuisum non fractum in partes; Est tamen quædam magnitudo collectiua quæ suis connotatur nominibus, vt vrbs, exercitus. Res litigiosa propriè non censetur in bonis, sed est quid neutrum. Vt non censetur agri pars, sed fluminis, quam Hybernus fluctus alluit. Vera rei magnitudo æstimari non debet ex initiis quæ semper minima sunt & infirma; ad magnitudinem vrbis pertinent etiam suburbia; ad magnitudinem familiæ, serui, ad instructam domum quæ pertineant, Vide Tit. ff. de instr. & instrum. leg. qualiter terminus rebus præcedentibus annumeretur. *Ex Principijs. Vide Veritas Finis.*

REPVGNAT.

SOlem respiciens per cribrum, videt plures Soles. Qui habet plura peccata mortalia, & sine confessione accedit ad Eucharistiam, non committit plura peccata, sed vnum; Quia vbi est vnum propter aliud, est vnum tantum, sed præceptum
A confessionis, est per ordinem ad communionem. Bonacina. de Eucharistia quæst. 6. At excommunicatus communicans in peccato, duplex peccatum committit, ratione transgressionis præcepti, & indignitatis. Ib.

In Missa post ablutionem, si appareat aliqua particula Hostiæ potest sumi, quia propter moralem continuationem, vna censetur actio, & vnus actus. Ibid. Aliud est si magna intercessisset mora, & recessisset ab altari.

In mari septentrionali versus polum arcticum, spissi vapores eleuantur qui à nauigantibus putantur esse Insulæ, & hinc creditum est à quibusdam esse insulas mobiles & natantes. Dum apparent, signum est proximæ tempestatis. *Vide Veritas Virtutis. Repugn. Veritas Gloriæ. Repugn. Veritas Maior.*
B *Repugn.*

In tot magnatibus, rarissimi magni sunt, quia magnitudo non mole, sed mente pensatur.

In solis radiis, inter atomos, alij aliis apparent maiores. Stellæ in Oriente apparent maiores, quam in medio cœli, propter vapores qui frangunt radios & faciunt apparere, vt proximiores ita maiores.

Sub montibus sunt magnæ concauitates quæ replentur aquis. Alb. Magn. Meteor. lib. 2. Tr. 2. cap. 7.

Peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem duces, qui in bello representant plures personas, vt plura stipendia recipiant. Bonac. de bello.

Candelæ accensæ noctu, & stellæ nubilo tempore,
C & pisces in aqua maiores quam sint, videntur; scilicet cum in medio fuerint crassiore, vt pisces in aqua, & in nube stellæ. Contra minores apparent propter loci distantiam tenuem, velut astra quę non solum quod multum distent, sed quod in cœlo sint, cuius substantia aëris comparatione est tenuissima. Cardan. de rer. varietate lib. 2. cap. 12.

Oportet homines metiri suam vmbram quæ non est maior post fœlicitatem quam erat ante. Id fusius exponit Rodig. lib. 26. c. 26.

Luna videtur maior pluribus stellis ipsa maioribus.

Seneca in præfatione lib. 3. natural. quæst. loquens de regnorum excidio, Magna, inquit, ista, quia parui sumus, credimus; Multis rebus non ex natura sua, sed ex humilitate nostra magnitudo est.
D Si testamento etiam codicillo, pluries eadem res legata sit, vna tantum debetur; quia res eadem non potest multiplicari, vt domus legata; At si eadem quantitas vt centum, testamento, & codicillo repetita sit, pluries debetur, quia potest multiplicari, non res, quæ eadem semper manens semel debetur, & quia in eandem rem duæ lucratiuæ causæ non concurrunt. Cuiac. obser. lib. 14. c. 19.

Digitized by Google

GLORIA MAGNITVDINIS.

HONOR ET FOELICITAS EX COMPLETA *Magnitudine*.

CRATERAS olim ad summam A vsque oram, boni ominis gratia implebant. Crateras magnos statuunt, & vina coronant. Suidas in voce ἐπιστεφέας κρατῆρας. *Vide Gloria Maioritatis.*

Mala aurea quæ dicuntur hesperidum, non aurea fuerunt, sed aliis grandiora. Idem in voce μειλόπεα.

Topazius magnitudine præcellit cæteras gemmas pretiosas, nam ex eo facta est statua Arsinoë Ptolomæi Philadelphi vxori quatuor cubitorum, sacrata in delubro, quod aureum cognominabatur. Georg. Agricola, l. 6. de natura fossilium.

Plurimi Iudæorum ad Christum conuersi, nondum plane audentes excutere legis iugum, vt non viderentur abstinere à carne porcina, abstinebant ab omni carne sub specie ieiunij & abstinentiæ. D. Chrysost. Hom. 25. in epist. ad Rom.

Omnes fluuij aquis magis quam alibi intumescentes intrant in mare; Nilus per septem ostia intrat in mare Mediterraneum. Tostat. Gen. f. 106. populi congregati solemniter adeunt principes.

Sol ab aurora crescens vsque ad meridiem in eo magis fulget, & ex illa cœli parte decima scilicet domo, iudicium proferunt Astrologi de nati dignitatibus.

Determinata speciei magnitudo, est velut finis ad quem à debilibus initiis tendit natura; brauium, quod magno cum aduersis conflictu, tandem obtinet, vnde tunc maximis instructa viribus exultans triumphum agit.

DIFFERENTIA MAGNITVDINIS.

DE NVMERIS.

DE Numerorum mysteriis. Bun- C gus. Ficin. in 6. Ænead. Plotini.

De vnitate. *Vide Minoritas Magnitudinis.*

De dualitate quæ est vnum & multa. *Vide Media Concordantia ex Cusa.*

In omni genere in quo est contrarietas, sunt duo termini maximè distantes, inter quos cadunt omnia entia illius generis.

Multa de numeris, vnitate, binariò, ternario, quaternario, &c. Vide apud Rodigin. lib. 22. c. 6. & seqq.

Sub numerorum consistimus disciplina, quando horas per eam discimus. *Vide Cognitio Durationis.*

Februarius quia paris numeri erat, mali ominis habebatur, & ideo eum Diis inferis attribuebant, fiebantque tunc purgationes mortuorum & immolationes Diis infernalibus. Tostat. Exod. tom. 1. fo. 71.

Hippocrates lib. de natura humana 1. duo ponit rerum principia: ignem vnde motus, aquam vnde nutritio; referunt agens & patiens, marem & fœminam, & totam naturã: Vnde præferebantur nuptis & in exilium pulsi dicebãtur interdicti igne & aqua.

Numerus est vnitatum collectio, vel quantitatis aceruus ex vnitatibus profusus. Huius prima diuisio est in imparem atque parem. Par est qui potest in æqualia duo diuidi, vno medio non intercidente; impar verò quem nullus in æqualia diuidit, quin in medio vnus intercidat. Boëtius Arithmeticæ. c. 3.

TERNARIVS.

OMnia tribus constant, principio, medio, fine. Deum adoramus tribus in die vicibus, mane, meridie, vespere; & aliquæ leges adorant Deum conuersæ ad Orientem, vt Pythagorei & Christiani; aliæ ad meridiem vt Trismegistus & Turcæ; aliæ ad Occidentem, vt Iudæi propter motum naturalem planetarum ab Occidente in Orientem. Albert. Mag. de cœlo & mundo, tract. 1. cap. 2. Arist. D 1. de cœlo texta. 2.

In principio Genesis vbi dicitur, Creauit Deus cœlum & terram, Hebraïca veritas habet Eloym, quod est plurale huius nominis; vt notetur pluralitas personarum. Similiter cum serpens ait, Eritis sicut Dij, Hebræus habet Éloym, ac si diceret, Eritis sicut diuinæ personæ quibus nihil est ignotum. Item Genes. 3.

Digitized by Google

nes.3. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Genes. 8. Abraham tres vidit, Angelos & vnum adorauit. In Psalmo dicitur. Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus. Item Isay 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth. Sic Angeli laudant Deum. Et in lege Euangelica Math. vlt. præcipitur; Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. & 1. Ioan. 1. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Vide plura apud Perbaltum in Rosario Theologico, voce Cognitio Dei §.13.

Constituunt iudicium Iudex, actor, reus, ad illas reuocantur tres personas quæ illis accedunt, vt consiliarij, aduocati, &c.

De summa Trinitate. Vide quæ scripsi. Theolog. moral. to. 4. parte. 3. c. 6.

4. Si quis plusquam quater sternutauerit, nec in malum, nec in bonũ retulerunt prisci. Malũ si semel, aut ter sternutauerit. Aug. Niphus de augur. l. 1. c. 8.

Quinquennio peracto vrbs lustrabatur, soli taurili, idest vnius tauri sacrificio peracto, Censores mutabantur. Cuiac. Obseru. lib. 14. c. 7.

Lustrum quod est spatium quinque annorum, olim creditum est regnis fatale, vnde singulis lustris Romani vrbem instaurabant solemnibus sacrificijs & votis, vt rem Romanam, vrbes, fines, aquas Dij seruarent incolumes, prosperos successus darent, dubiis conatibus adessent, mala auerruncarent, etiam voto in sequẽs lustrum promisso; ita per vrbem cœtus omnis sacer cũ patribus & plebe, publicaq; precatione procedebat. Sic quinto quoq; anno græci celebrabãt ludos Olympicos, quod tẽpus Olympiadem dixere, itaut per Olympiades annorũ tẽpora dinumerarent vt refert Alexãder ab Alexandro. lib. 5. cap. 8. & 27. Mercatores etiam rerum minimarum pendebant singulis lustris Imperatori aurum lustrale, vt patet lib. 11. Cod. de nauicul. l. 1. & ibi Cuiac. Iure Canonico, precariæ concessiones in quinquennium renouabantur c. 1. de precariis.

6. Duodecim panes qui proponebantur ante Deum, diuisi erant in duas positiones in vna positione sex panes Leuit. 23. senarius numerus habet propinquitatem cum hoc mundo, in sex enim diebus factus est hic mundus. Origen. Hom. 13. in Leuit.

Numerus duodenarius est numerus vniuersitatis; de duodecim tribub. ad quas omnes populi reducuntur. *Vide Differentia Principij.*

Senarius numerus est perfectus quia suis completur partibus, vnum enim & duo & tria faciunt sex, bis tres, tria duo; decies sex faciunt sexaginta: & vt ait Diuus Augustinus in quodam loco, hic numerus est perfectus, non quia Deus fecit præcipua opera sua in eo, sed quia erat perfectus, hunc elegit. Alcuin. de diuinis officiis. cap. 10. Sex diebus orbis à Deo conditus septimo requieuit, per huius vitæ bona opera perueniemus ad æternam alterius vitæ requiem. Id.

De Senario numero. *Vide Potestas Virtutis.* Sapiens seipso contentus ex Alcuin. *& Duratio Gloriæ.* dies semper fœlices.

Iob septem habuit filios, iuxta hebdomadam dierum sæculi: & iuxta septem stellas quæ quotidie pertranseunt spatia cœli. Origen. lib. 1. in Iob. 7.

De septenario numero plura apud D. Gregor. Nyssen. orat. 1.

Per dies septem computatur omne tempus apud Iudæos, primo quia Deus creauit mundum in 6. diebus, & in 7. requieuit, secundo ex natura rerum quia dirigimur per motum 7. planetarum. Tostat. Leuit. fo. 275 c. 2. b.

Iudæi vocati sunt septimi à sabbato. Id. Exo. to. 2. fo. 111.

De numero septenario quo omnia perficiuntur & destruuntur. *Vide Concordantia Contrarietatis.* Contrarij effectus ex eadem causa.

Eudoxius Philosophus & insignis Astrologus scripsit octo annorum circuitum Octa & eridem Suidas in voce Eudoxus. 8.

Octo soliditatem cuborum præ se fert, sine vacuitate, sine fuco omnia ostendentes: In octonario numero distributio prima est æquissima iustitię, vt in omnes partes ciuitatis fructus commodaque deriuentur. Octo enim in duo secernitur quaterna, singula horum in duobina, & hęc in puncta illa vnitatis insecabilia, quę nec refugerent aliis impartiri, si vel natura sua pateretur, vel essent qui aut peterent, aut caperent, si daretur, hæc est causa cur hunc numerum iustitiæ tribuit Pythagoras. Ludo. Viues. in somni. Scipio.

De octonario numero. *Vide Duratio æqualitatis.*

Necepsus Rex Ægypti astrorum peritissimus, censuit per decanatus signorum prospera & aduersa optimâ significari. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 19. cap vlt. 10.

Infans in vtero non mouetur ad partum nisi post nouem menses, & triduum decimi mensis, qui tunc pro completo habetur, dies sunt 273. Origen. Homil. 4. super Numer.

Cœnatores in Pascha, non poterant minus esse quam decem. Ioseph.

In primitiis saltem offertur pars fructuum sexagesima. cap. 1. de decim. primit. & oblation. 60.

CONCORDANTIA MAGNITVDINIS.

CONVENIENS QVANTITAS.

IVSTITIA destributiua profitetur æqualitatem, non arithmeticam sed geometricam, idest proportionis & hanc adfert Plutarchus rationem in Sympofio. In conuiuium, inquit, pergit vnusquisque proprium afferens ventrem, quem non explet æquale, sed quod satis est, Rodigin. lib. 22. cap. 16.

Cuilibet speciei, prouidentia certam & conuenientem præscripsit quantitatẽ, perficiendis suis operibus congruam, Elephantis molem corpoream bel-

Digitized by Google

licis olim rebus vtilé, proboſcidé ad attingéda infra ſupraque poſita, manus inſtar. Caibus variis ad varios vſus corpus cōformatum, moloſſis ſolidum ad certamen, leporariis longum & agile ad curſum, vulpicinis exiguum raris cruribus vt facilius ſubterraneos intrent cuniculos, & cætera. Serpentibus magna longitudo, at flexus aptior; talpis, minima, breuibus, latis, armatis, prioribus pedibus, parumper ad latus inflexis quibus perfodiant terram, & craſas partes procul à via ſua propellant. Infinitum eſt hæc recenſere, cum in vno quoque vel minimo animali, ſit maxima ſimul iucundaque contemplationis occaſio. Naturam ars imitatur, conformans organa edendis ſuis operibus aptiſſima. Figuris, magnitudine diuerſa, itaut quælibet ars habeat ſua ab aliis diſtincta, quantitatis actionibus apta. Nam minor quam deceat, eſſet inſufficiens, maior opprimeret. *Ex principijs.*

REPVGNAT.

Magna ſunt rara:

MAxima quæcumque rara ſunt; raræ igitur geniturae, præclara aut miſerrima ſignificantes. Cum autem vnicuique fermè reuolutio aliqua

A rara contingat, cuilibet fermè in curſu longo vitæ rarum aliquid contingit Hoc autem non diuturnum eſt ob id, & ſi quod ſequitur, plerumque comitatur ad mortem. Cardan. Aphoriſ. ſect. 2. Apho. 29

Vide Magnitudo Virtutis. Rep.

Vnum eſt ſummum rerum principium, cui quo res ſunt per ſublimitatem proximiores, magis accedunt ad indiuiſam vnitatem, vt ignis & pyramis ſenſim inferius relicta latiori quantitate, in apicem aſſurgunt. Id imitantur ciuiles dignitates, quarum maiores ſunt vnicæ, donec ad vnum principem deueniatur. Non eſt admirationi vna arbor

B vbi in eandem altitudinem tota ſylua ſurrexit, excellentiam enim niſi comparatione non percipimus, oportuit igitur multa iacere, quædam tenere medium, vt quod alta magis ſupergreditur ſupremam vnitatem referens, ſit admirationis humanæ materia. Id rerum ordo poſtulat, vt ſint infima, media, ſuprema, & ad apicem perueniatur inferiora ſuperans. Nam præcipuum in vno quoque genere eſt cæterorum regula: ſic legiſlatores, ordinum Religioſorum inſtitutores ſunt partus plurium ſæculorum, heroïcis præditi virtutibus, quas poſteri ſuſpiciunt, illis longè ſemper in-

C feriores.

Difficilia quæ pulchra. vide quæ ſcripſi de iure naturali. lib. 2. lege. 10. §. 3.

CONTRARIETAS MAGNITVDINIS.

QVÆ SINT CONTRARIA Magnitudini.

SIGNA quæ detruncationem ſignificant membrorum, ſunt abſciſa & imperfecta, vt taurus, vel caput Gorgonis. Cardan. aphoriſm. ſect. 2. aphor. 110.

Magnæ hæreditates, in multos partitione minuuntur, ſicut magna flumina in multiplices riuos deducta. Licet cœlum & parentes conferant ad altam præ cæteris ſtaturam, exſiccato tamen per ſenium humido radicali, contractis muſculis corpus inclinatur in terram & præit ſepulturæ. Similiter arboribus cum vltimum ætatis attigerunt, vertex exſiccatus ventis diſcutitur, & capite minutæ, inde primum vnde creuere, depereunt. Prima fit altitudinis, quam totius corruptio. Si ſtipiti radicis pomi vel quercus, obſtet rupes ne recta feratur in profundum, coma minus habebit altitudinis, & latentem defectum depreſſa, rigoſaque ſignabit fronde. Inſunt itaque rebus naſcentibus cauſæ quædam depreſſionis, vel à caſu, vt læſa radice, primo ſurgente ſurculo vitiato; vel à natura, quæ ſpecies quaſdam altius non permittit ſurgere. Vt violis, arbuſtis, nanis arboribus, canibus, hominibus, vis enim hæc deprimens latet in ſemine. Omnia viuentia languent defectu alimenti, nec ad ſolitam ſpeciei ſuæ perueniunt altitudinem, plantæ ſub cœlo propitio, ſed areno-

D ſo ſolo, naſcentes, ſic ſe proferunt contractæ, vt qualiter cum hortenſibus conueniant, vix à peritis poſſint agnoſci. Exſiccat & perimit ſol, ſi calòrem eius non temperet terræ humiditas. Lex & prudentia Rectoris obſtat multorum iniquis profectibus, intendit enim commune bonum, cui nòn conſentit vnius ſe præter modum efferens potentia; ſic Oſtraciſmus apud Athenienſes vrbe pellebat amplioribus præditos diuitiis quæ ſuſpicionem inducebant tyrannidis affectatę: Hortulanus præſcindit ramos pręter intentam in ambulatoriis ęqualitatem excreſcentes, pictor ad tabellæ decorem, ex perſpectinę regulis quædam corpora, minuit, obſcurat, contrahit. Probat

E hæc oculus & ratio rerum Iudex, ſed quis non indignetur videns illuſtrem mentem & fortunam, fœlices maximæque ſpeciei profectus, amoris inſania momento deprimi? Pendent opera interrupta, minęque murorum ingentes. E mari ſalſus vapor vento delatus in vicinas arbores, earum nouella decoquit germina, nec ſinit in altum tolli. Durius ſęuit in animam & fortunam; vtriuſque crudeliter incrementa depaſcitur, odij concepti, vel amoris infœlicis amaritudo. Mirum quod amoris prophani diuinique pares ſint effectus, vterque quem poſſidet ſpoliat, inſanus profuſione bonorum, ſacer voluntaria

paupertate; Nam hic diuina tantum sitiens, liber, A solutusque terrena relinquit aliis possidenda, quo vilior apparet vitæ conditio coram hominibus, eo cœlitibus, Deoque fit proximior. *Ex Principiis. Vide Minoritas Potestatis. Paupertas Voluntaria. Voluntas Minoritatis, Virtus Minoritatis. Humilitas.*

PRINCIPIVM ET MEDIVM MAGNITVDINIS.

CAVSAE MAGNITVDINIS

Vide Principium & Medium Maioritatis.

IN plantis latitudo foliorum generaliter, causatur ex abundantia humoris aquei, qui facilè dilatatur, & viscositatem non habet, tales sunt etiam plantæ quæ in stagnis, locisque humidis nascuntur, vt Nenufar. Albert. Magn. lib. 2. de vegetabilib. cap. 3. tractat. 2.

Numerus est ante magnitudinem. *Vide Cognitio Magnitudinis.*

Magni nascuntur sub signis magnis longarum ascensionum, in initiis signorum, sub planetis existentibus in apogæo excentrici, vel epicicli. Cardan. aph. sect. 2. aph. 180.

Augentur flumina, fontium, torrentium, aquarum pluuiæ dissolutæ niuis appulsu. Habenti dabitur, inquit Christus. Maiora trahunt ad se minora, quibus sibi conquisitis, accrescunt.

In cæteris labor assiduus, operis adiectio continua, non intermissa, nec retrograda, sensim in augmentum excrescit mirabile. Scintilla parit incendium, si dispositam repererit materiam: inest enim igni vis quędam inexpleta, sicut quibusdam animis ambitione vel auaritia percitis, quod vicinum est quantum conceditur occupantibus. Prius res videntur, quam appetantur, tum concupitæ fortiter impensis viribus possidentur: Ita cognitio principium est appetitus, consecutionis & augmenti. Sic B naturæ vires insitæ suis procedentes gradibus, entia seruant, augent, perficiunt; at homines quorum finis est supernaturalis, Christo Saluatori debent virtutum suarum initia, profectus, & in ęternitate gloriosa, consummationem. Sanctus, diuini Verbi proles, fulget in tenebris, crescit tentatione, ab ipsis mundi sectatoribus tandem colitur, & cum vis hæc diuina famę præconio, regnãtium obsequiis tantum splẽdeat, infinitè plus est quod meretur, quam quod percipit; Illum ideo tenebræ non comprehendunt. In cæteris honos alit artes, & virtus applausu prouocata, licet humilis ad maiora contendit, ne publicæ desit existimationi, ne frustra gratiam Dei recipiat, ne deficiens, curiosè scrutantium oculis sincera minus videatur, & fictum putetur esse quidquid eminet. Mutuis stant omnia subsidiis & quod quidam virtute, vel diuitiis augeantur, hoc debent ciuili societati legibusque patronis innocentię. Virtus C quidem pulsatur æmulorum iniuriis, etiam aduersis fortunę casibus, sed in suum trahit colorem, & in occasiones amplioris incrementi. *Vide Virtus Contrarietatis.* Quod elephas leonem corporis magnitudine superet, hoc procedit à diuina prouidentia quę speciebus suos assignauit quantitatis terminos, quos etiam indiuidua non attingunt, nec à debilibus initiis sua capiunt incrementa, nisi sollicitè foueantur. *Ex principijs. Vide Gloria Principij.* Indulgendum initiis.

FINIS MAGNITVDINIS.

TERMINVS IN QVO DESINIT MAGNITVDO.

OMNIA corpora præter primum, habent extra se aliquod corpus ambiens; quo circumscribitur quantitas ipsorum. Albert. Magn.

Vt elementa finitas & suo termino circumscriptas habent sphæras, ita cœlum: habet enim extremitatem vltimam in loco deorsum circa terram; quidquid autem naturalium corporum habet extremitatem vnam, habet & secundam, qua finitur in altera sui parte. Idem lib. 2. de proprietatibus elementorum. tract. 1. cap. 2. Mouetur super centrum & polos circulariter, ergo concauum eius finito tempore mouetur, similiter & conuexum, finitum autem est, quod finito tempore mouetur. Habet medium, & sic duas extremitates concaui & conuexi, ergo habet finem. Ib.

Omnium natura constantium esse, determinatam habet quantitatem inter duos terminos maximè in suo genere, & minimi. Habent enim omnia vt rectè dicit Aristoteles, rationem, & magnitudinis & augmenti, ita licet plantæ nutriantur ex humido illis non deficiente, talis pars cui facienda est additio in tantum induratur processu temporis, vt extendi non possit, & tunc stat augmentum in longum, & tandem ex eadem causa stabit etiam ad alias duas diametros, quæ sunt in latum & in profundum. Albert. Mag. lib. 2. de vegetabilibus tract. 1. cap. 1.

Vide Finis Maioritatis. Animal semper alitur, non tamen semper augetur *Vide Finis Voluntatis.* Limitata desideria.

Obelisci, seu truncatæ pyramides, sic ab Ægyptiis instituebantur, vt esset proportio decupla basis in altitudine, vt si basis sit vnius palmi, altitudo erit decem palmorum.

Iidem Ægyptii per duos canes duo hemispheria A intelligebant, quasi à Deo deputati, vt prohiberent solem, ne vltra procederet. Duas alias statuas circumferebant solemnibus diebus; vnam accipitris qui propter calorem sole inreferebat, aliam Ibidis, quæ ex albo nigro, lunam referebat.

Albert. Mag. tra. 2. de cœlo & mu. c. 2. probat cœlum non posse esse infinitæ quantitatis, quia si daretur à centro infinita distantia, lineæ ab illo ductæ ad distantiam infinitam, à se infinitè distarent, & sic non clauderentur circunferentiâ: argumentatur etiam à motu, quia infinitum, tempore finito non potest transiri, at videmus quotidianas cœli reuolutiones. *Vide Bonitas Finis.* positi rebus termini.

Quantitas continua est diuisibilis in infinitum, sed non augetur in infinitum, ideo quolibet continuo potest dari minus, non autem maius.

B D. Thom. in quæstio. disput. q. 5. a. 5. dicit finem motus cœli esse vt impleatur numerus electorum, qui magnus quidem est, sed finitus, nam si esset infinitus, cœlum moueretur ad aliquid quod consequi non posset.

Licet in circulari magnitudine non sit principium vel finis in actu, potest tamen designari principium vel finis in ea per inclinationem vel terminationem motus alicuius. Ibid ad 15.

Israelitis vetitum erat aliquam terram capere ad vniendum terræ suæ. Tostat. Iud. fo. 117.

Morbis aut senectute proceritas corporis minuitur. Vnde cum milites eligerentur proceritatis 5. pedum & 7. vnciis, de milite podagrico scriptum est.

C *Bellipotens olim fanis metuendus in armis,*
Quinque pedes habui, quos vnquam nemo negauit.
Nunc mihi vix duo sunt, inopem me copia fecit!
Refert. Cuia obs. l. 21. cap. 5.

MAIORITAS MAGNITVDINIS.

ALTISSIMORVM altitudinis montium cacumina, perpetuo rigent frigore.

Insitæ arbores non permittantur nimis in altum crescere, nam quando luxuriat planta in stipite magno, minus expendit in fructu, & non satis facit ad vota. Albert. Mag. lib. 7. de vegetabil. cap. 11. *Vide Magnitudo Maioritatis,* D *Mala. Et Media Magnitudo & Maioritas.*

Montes humiles sunt fertiles & fœcundi, Montes verò alti nimium & eleuati sunt steriles. In suprema aëris regione nullum animal viuit.

Olim ætas maiores tulit homines; tam ingentium hominum ossa inuenta sunt in Mexici sepulchris, vt partium ad totum habita ratione excederent triplum magnitudinis hominum nostræ regionis. Sunt

Digitized by Google

adhuc gigantes iuxta fauces freti Magellani dicti Patagones Cardan. lib. de rer. varietate cap. 43.

Babyloniis laudi datum est, quod in ædibus contignationum quatuor habitarent. Sic quidam dixit Romanos maximas domos, maximis imposuisse dominibus. Rodigin. lib. 8. cap. 12.

D. Hieronymus lib. 5. Comment. in Isayam testatur se accepisse ab iis qui viderant turrim illam à Nembroth ædificatam in campo Sennaar, fuisse altam etiam suis temporibus ad quatuor millia passuum. Asseritque Diodorus lib. 3. cap. 4. Chaldæos ex ea opportune spectasse sydera, & in Astrologia excelluisse.

De his quæ præstant altitudine. *Vide Bonitas Maioritatis altitudinis.*

Dinocrates ex Atos monte Alexandri statuam se facturum pollicebatur in cuius manu ciuitas decem millium hominum capax assideret.

Corpus gloriosum & Angelus possunt esse in conuexo cœli empyrei, si repugnaret, id esset, aut quia non possent ibi ascendere, aut quia non possent penetrare profunditatem cœli empyrei, aut quia indigerent loco conseruante & continente, sed omnia hęc sunt remota à perfectione corporis gloriosi, multo magis Angeli. D. Thom. quod libet 6. a. 3.

Emin erant minores gigantes, Enachim maiores, Raphaim, omnium maximi. Tostat. Iosuë 10.1.fo.50.

Serbetæ sunt populi Æthiopiæ habentes 12. pedes in longitudine. Idem Gen. fo. 7.

Tanta est in plerisque montosis littoribus Noruegiæ, immensurabilis profunditas vt funibus quantis repleri possit nauis ingentissima, bolide plumbea infernè demissa, fundus aliquis nequeat inueniri. Eaque naturæ vis est vt quanto sublimius montes in excelsum prominent, tanto in eorum radicibus inscrutabilior sit profunditas Olaus Magnus lib. 2. cap. 12.

EXTENSIONIS.

Cutis capitis rugosa, vel vltra quam debet laxa, indicat animum resolutum & mollem. Albert. Mag. lib. 1. de animalib. tract. 2. cap. 2.

Plotinus asserit entia materialia propter quantitatem molis ita extendi, vt à seipsis discedant.

Quantitas vniuscuiusque rei, debet esse proportionata fini, sicut quantitas potionis, sanitati.

Abaris Scytha, dicitur ab Apolline donatus volucri, quæ è Græcia vsque ad Scythas Hyperboreos transuolarit. Suidas in verbo Abaris.

Non cœlum sed terra produxit gigantes, quia mole corporea excellentes sunt vt plurimum materiæ terræque magis affines.

Quæcumque magna euadunt, etiam excessus magnos sortiuntur pisces igitur ob elementi naturam, & lacerti in calidis regionibus sunt 25. etiam 100. cubitis longi circa paludes & aquas: natura enim eorum frigida & sicca, ab vtroque contrario, quod vitæ amicum est, temperatur. Cardan. lib. de rer. variet. c. 17. *Vide Principium Maioritatis.*

Longiora facilius franguntur, quia facilius flectuntur, flexio enim est initium fractionis. Ibidem cap. 39.

Babylonicę ciuitatis vastitatem illo argumento maximè comprobat Politic. 3. Aristoteles, quod capta quandoque ab hostibus vrbe, tertio demum die vix id persenserit pars vltima Rodig. lib. 8. c. 12.

Ignis est rarior omnibus corporibus, vnde & pugillo aëris generantur decem pugilli ignis, & ex decem pugillis aëris vnus pugillus aquæ. Tost. Math 7. fo. 31.

Lapides quos ponebat Salomon in fundamento templi, habebant viginti cubitos in longitudine, & decem in latitudine, & in altitudine quinque. Id. 3. reg. fo. 47.

Hoc anno 1658. vidimus Lutetiæ sceletum & pellem Balenæ longit 54. pedum.

Van Helmont refert se vidisse hepar pendisse libras 16. & mulierem quæ cum hydropisi laborare crederetur, mortuæ exciso ventre 21. libr. abdomini mulieris adnatus est saccus cui inerant aquæ libræ 14. gibbositates alias carnis excrescentias insignis magnitudinis, dolore molestas inter morbos continentis referre oportet. *Vide Principij Maior.*

NIMIA QVANTITAS Mala.

Numeri.

Inter plantas vocamus frutices eas, quæ multos ex vna radice ramos emittunt, cum tamen sint lignei rami, sicut sunt spineta quædam, non multa autem imperfecta ex radice emitterent, nisi quia radix succum ad vnum non dirigit, sed porosa, & in multis partibus imperfecta emittit, nulli sufficiens ad debitum robur & incrementum. Albert. Mag. lib. 2. vegetabilium. tract. 1. cap. 2.

Maiores & pauciores sunt fructus domesticarum, quam syluestrium plantarum, causa est humidi abundantia & nutrimenti, quod non est tot diuisionum, eo quod non tantum habet de siccis & acutis partibus, sicut nutrimentum syluestrium, & ideo cum sit abundans non facilè diuisibile, in pauciora diuiditur, sed in ea in quę diuiditur abundantius fluit, & ideò magis crescunt. Ibid. lib. 5. in fine.

Si vltra mensuram semina iaciantur in agro, macilenta erunt & non proficientia. Ibid. lib. 7. cap. 9. Ideo quædam olera transplantantur, quia non proficiunt in spissa nimis seminatione. *Vide Bonitas Differentia.* Transmigratio.

Ouum aliquando edit pullos geminos, sed defectu materiæ, vnus ex illis, aut vterque est imperfectus & monstruosus. Id. lib. 6. de animalib. c. 5.

Quintilian. declam. 2. cœcum adolescentem accusatum nocte de parricidio sic inter cætera defendit, quos, inquit, ista vestigia non frangant somnos? vestigia plura semper errantium, quæ non valent suspensis, prætentatisque gressibus librare corpus, & quia diu incerta sunt nutantia, necesse est grauius premant solum cui crediderint.

Quælibet magna quantitas præsens constituta, potest validè, sed non licitè consecrari, vnde peccaret qui tantam quantitatem consecraret quæ non posset opportunè consumi, ideo determinata debet esse quantitas. Bonacina. de Eucharistia. q. 2.

Oculus non fert totum solis lumen, sed paruum tantum, quod per exiguum foramen in oculos porrigitur, quia cum tenue sit, organum visus non corrumpit.

Sicut multitudo quantitatis retardat motum in rebus materia constantibus, ita similiter in rebus spiritualibus, nimia multitudo confundit intellectum, quia solet esse cum ęquiuocatione, & sine ordine.

Quintilian. inst. orator. laudat Rhodios quod haberent sermonem medium inter Atheniensium breuitatem, & Asiaticorum luxuriam.

Vide Virtus Medij. Mediocritatis.

Gedeon remittit innumeram multitudinem, & seruat tantum sibi trecentos viros, cum quibus victor extitit. Iudicum 7.

Gregorius III. Papa scribit Bonifacio Archiepiscopo, vt nouos Episcopatus instituat, vbi excreuerit multitudo fidelium, pia tamen cōtemplatione, vt non vilescat dignitas Episcopatus. habetur. 16. q. 1. can. præcipimus vt iuxta.

In monasteriis plures non admittantur, quam facultas ferat. Conc. Turon III. c. 31.

Quantitas nimia est oneri, vnde gigantes olim effingebant pedibus in draconum volumina desinentibus, ita significantes difficultatem ambulandi. Petrus Crinitus de honesta discipl. lib. 2. cap. 11.

Plures soles sunt præsagium malorum publicorum. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Præsagia malorum.

Spartæ nummus erat ferreus, cuius pondus magnum quidem erat, pretium verò exiguum. Rodig. lib. 10. cap. 2.

Refert Galenus se vidisse hominem cuius lingua sine tumore & vllo substantiæ vitio, citra doloris sensum, in maximam excreuit magnitudinem. Id. lib. 1. cap. 13.

Tractio seu distinctio lacerat, vt incisiua.

A Thomas Morus in sua Vtopia Republica. lib. 2. vnicuique ciuitati assignat sex mille familias, vnicuique familiæ sexdecim puberes, si plures fuerint possunt ab aliis deficientibus familiis adoptari, vel in vicinas colonias mittuntur, ne ciuium nimio numero vrbs opprimatur.

In ceremonialibus non licebat Iudæis aliquid plus facere, quam impositum fuerat. Deut. 12. & Tost. Math. to. 9. fo. 599. c. 1. b.

Loco primogenitorum filiorum Israel assumpta fuit tribus leuitica & huius præcipua causa fuit, quod erat minor omnibus & facilius poterat sustentari ab aliis quam quæcumque alia. Id. nu. to. 1. fo. 25. Nunc voluntariam paupertatem & mendicationem profitentium ingens multiplicatio sibimet ipsis & fidelibus est oneri, excedunt enim numero Re- B ligiosos in commune possidentes.

In pugna præstat mediocris & benè exercitatus militum numerus, quam vastæ & ingentes copiæ, quæ disciplinam nec accipiant, nec seruent, quæ sibimet ipsis ne decertent, sunt impedimento, dum illis campus angustus est. Victrix semper extitit paucitas, si non fuerit notabilis. Vt 40. millia contra quemcumque numerosum exercitum.

Enuchi pinguescunt. Gibbositas est spontanea excrescentia.

ÆQVALITAS MAGNITVDINIS.

IN QVIBVS EST ÆQVALIS QVANTITAS.

STELLÆ vbique terrarum apparent æqualis magnitudinis. *Vide Cognitio Magnitudinis.*

Omnes plantæ sunt paruæ nascentes & in fine conuenientem sibi acquirunt quantitatem.

Vide Æqualitas Bonitatis, Magnitudinis, Durationis, Potestatis, & cæterorum principiorum.

Ordo rerum constat supremis, mediis, infimis: & illæ totius partes in suo quæque gradu, cum sint multæ, etiam distinctæ sunt, & compendio refe- C runt totius ordinem supremo, medio, infimo gradu constantem. Hic supremæ, proximum superioris entis gradum, minores infimum contingunt; sic in aëris regione notatur suprema pars igni vicina, & infima terræ quam incolimus, circumfusa. Collegæ, titulis, honoribus, stipendiis, exterorum ratione sunt æquales, inter se diuisi antiquitate, rerum experientia, genio, probitate, gratia principis.

Preciosa mobilia æquiparantur immobilibus l. sancimus. C. de sacrosf. Eccles. l. lex quę tutores C. de admin. tutor.

MINORITAS MAGNITVDINIS.

PARVA QVANTITAS BONA.

FORMÆ substantiales, non sunt maiores in maiori quantitate, & minores in minori.

Vt in arboribus latitudo foliorum procedit ex abundantia humidi, ita strictura ex siccitate & viscositate calidi humoris, propter quod talia folia acuun- D tur in punctum ex parte superiori, & adhærent corpori plantæ, sicut pili adhęrent animalibus, vt apparet in folijs pini & iuniperi. Albert. Mag lib. 2. de vegetabilibus tract. 2. cap. 3 Sic folia arborum, sunt breuiora, quam folia herbarum, quę sunt lata propter vicinitatem radicis, & abundantiam humidi. Ibid.

Digitized by Google

Quantitas nulliùs est actiuitatis, si sumatur per se, A & secundum suam naturam quæ consequitur materiā secus verò si sumatur secundū suas dispositiones.

De palmis non excelsis, sed homines tantum altitudine, maximè feracibus, intra tertium aut quartū annum à satione. Theophr. histo. plantar. lib. 2. c. 8.

Adamas gemmarum prætiosior magis, non inuenitur maior aunellanea. Alb. Mag.

In Adria gallinæ cæteris sunt minores, & bis in die oua ponunt. *Vide Magnitudo Principij*, magna fœcunditas.

Minora corpora solent esse pulchriora, nam in minimis natura diligentius proportionem partium seruat, & si aberrauerit aliquantisper, ob paruitatem error non ita facilè deprehenditur. Cardan de de rer. varietate lib. 1. cap. 2.

Aues omnes paruę sunt comparatione quadrupedum & piscium, aliter volare non possent, at parua B magnum excessum habere nequeunt. Ibid. cap. 17.

Animalia habentia magnum cor, timidiora sunt, quia minus habent de caliditate, & virtus animæ magis diffusa, minor est, Tostat. in Math. to. 6. fo. 110. c. 3. g.

Mercurius minimus planetarum dat ingenium, quod rebus cæteris pręcellit. *Vide Minoritas Potestatis.* Paupertas voluntaria sub finem.

Frumentum paleis mensura quidem minus est, sed natura pretiosius. D. Chrys. Hom. 11. in Math. infert humilitatem tumori mundanorum præferendam.

Leges simplicibus, breuibus, ac claris verbis ferri debent, nam quando prolixiores sunt, solent esse magis perplexæ, & ambiguitatibus expositæ.

Pipinus Pater Caroli magni, vir ingenio & bellica fortitudine clarus, erat tantum altitudinis 4. pedum & semi. C

Pręceptum omne breuitate collectum est, vt memoriæ mandetur, vt hæreat animo, vt foris ac domi, publicè priuateque, die ac nocte retineatur, ob temperetur, instetur; est enim hæc breuitas locuples & infinita. D. Hilarius in psal. 14.

In Alexandro fortitudini fortunæque non respondebat externa corporis species: sic ad eius primum occursum hæsere Regina Amazonum & legati Scytharum. Q. Curt.

Paruum pro nihilo reputatur, & præcepta non obligant sub mortali in materia leui. *Vide Veritas Minoritatis.*

In oratione grandia sunt, quæ paucis verbis mul- D ta & magna comprehendunt. Vt iusque datum sceleri.

Altare thymiamatis super quo incendebatur quotidie thymiama in sancta sanctorum, erat tantum vnius cubiti in quadro; & duos habebat cubitos latitudinis. Exod. 30. cum altare victimarum in atrio tabernaculi haberet 5. cubitos in quadro. Exod. 27.

MALA.

VBicumque caput diminuitur vel decurtatur, significat debilitatem virtutis, ob defectum materiæ, Si diminutio est ante, significat defectum E in sensu & imaginatione, si retrò, defectum in motiuis & recordatiuis, si in medio recedit à forma, significat defectum in ratione & cogitatione, & si in omnibus diminuitur, significat defectum in omnibus. Albert. Mag. lib. 1. de animalib. tract. 2. c. 5.

Galenus dicit caput paruum esse indicium proprium malè conformati cerebri. Nam coarctatio ventriculorum cerebri, obstat ne spiritus animalis possit vt decet formari & liberè explicari: ex exigua radice vix prodire potest aliquid magnum. Similiter paruum pectus malum est quia pulmonis & cordis domicilium est, quæ membra latius exigunt spatium, in angustiis naturalis calor cordis præfocatur & debilitatur. Rodigin. lib. 20 cap, 12,

Comprehensio contundit, vt vis contusiua.

Corpus reductum ad indiuisibile, non manet organicum. Tostat, Matth. to. 4. fo. 246. c. 3. f.

Van Helmont refert in Canariis seu fortunatis insulis inueniri cadauera Pigmeorum exsiccata ferè tripedalia forma humana, instar pergameni perlucida, ossaque esse tanquam cartilagines, flexilia cernuntur sole aduerso viscera atque intestina, vnde ex Hispanis dicit se didicisse ibi deletam fuisse Pigmæorum prosapiam.

VNITAS.

PLato dixit vnum esse principium, à quo tota exit naturæ multitudo finita & infinita, & sicut exit ex vno, ita per intellectum resoluitur in vnum, Albert. Mag. tract. 1. de natura animæ.

Cogitamus tantum singularia, & affecta vnitate, quia finita, multitudinem actu diuisam, simul & semel non apprehendimus, vniuersalia concipiuntur per vnum genus, aut vnam speciem; ita gregem, turbam, populum, concipimus per modum vnius, cuius singularia sunt partes. Ordo constituitur vnitate, numeri quorum essentia est in pluralitate, conformantur ab vno. centum intelligimus per semel centies vnum; hoc est constructionem ex semel centies repetita vnitate.

Vnum lumine naturæ intelligimus cuius partes nullæ sunt, Ita mundus propriè non est vnum, quia partes habet: pars etiam mundi partes habet, quia pars essentiam habet totius participem, & illius naturę similem & si pars esset vnum, non produceret totum partibus continuum, quia semel vnum, est vnum duntaxat. Vnum in se & ex se non multiplicatur propter essentiæ suæ plenitudinem, sed extra se & in alio virtutis est productiuæ in infinitum. Nullus tam grandis numerus qui additione vnitatis non crescat, nouamque sumat essentiam.

Duo simul non possunt baptizare, si dependenter ab intentione alterius, si dicant, ego te baptiso, non est verum quia sunt plures, si dicant, nos te baptisamus, mutatur forma. Bonacina. Item si duo baptisent quorum vnus caret manibus, alter lingua, cum enim dicit ego te baptiso falsum dicit.

Altare portatile fieri non potest ex duobus lapidibus inuicem colligatis sed ex vno tantum, ad indicandam vnam in Christo personam. Id. de sacrificio Missæ.

Parmenides dixit non posse esse plura prima principia, quia participarent in vnitatate principij. Participatum autem est prius participante. Ideo Christus dixit: Vnum est necessarium, quia omnia necessitantur, seu vniuntur, seu constringuntur vno, vt sint, & dum sunt, ne defluant in nihil. quædā autem vt sint, vniuntur; quædam verò magis vniūtur vt sint & viuant: adhuc strictius vniuntur quædā vt sint, viuant & intelligāt: vnde essentia quāto magis vnita, tanto maioris estvirtutis, & prima vnitas est infiniti vigoris Card. Cusa excitat. lib. 1 c. 1. *Vide Potestas Concordantia. Vide Magnitudo Potestatis.* Monarchia.

In rebus incorruptibilibus non est nisi vnum in

diuiduum vnius speciei, quia species sufficienter conseruatur in vno.

In speculatiuis medium demonstrationis, quod perfectè demonstrat conclusionem, est vnum tantum, sed media probabilia sunt multa.

In quolibet genere, quanto aliquid est prius, tanto est simplicius, & in paucioribus consistens, sicut prima corpora sunt simplicia

Caulis est, qui in plantis simplex super terram assurgit. Rami à caule fissi multiplices assurgunt. Theophrast hist plant.

Plantarum semina distincta, omnia tamen pendent ab vna radice, ab vno trunco & caule, quædam sub communi tegmine *Vide Media Concordantia.*

In lineis Mathematicis rectum est ante circulare, quia rectum est formæ vnius simplicis; circularis autem linea est duarum formarum eo quod habet formam conuexi & concaui; Vnam exterius in arcu, & alteram interius circa chordam arcus. Alb. Mag. mer. l. 3. to. 4. c. 1.

Pythagoras dicebat principium rerum omnium esse monadem; ex monade infinitam dyadem, quo materia monadi vt causæ suppeteret. Ex monade porrò & infinita dyade numeros, ex numeris puncta, ex his lineas, ex lineis planas figuras, è planis solidas, ex his sensibilia corpora, primum elementa.

A Suidas in voce Pythagoras.

Verus amicus vnus est. *Vide Maioritas, Concordantia mala*

Vide Minoritas Differentia. Indiuisio bona.

Quod eminet est in vnitate. *Vide Magnitudo Virtutis. Et. Malorum multitudo.*

In quacumque domo quantumcumque magna, vnus tantum Agnus paschalis immolandus erat.

Hominis productio à productione aliorũ animalium differt, quia vnicum indiuiduum naturæ humanæ fuit totaliter principium, & in aliis animalibus multa prima principia fuere, quia multos equos, multos asinos Deus simul produxit; in istis speciebus erat mas & fœmina: In natura vero humana, fœmina de carne viri assumpta est. Tost. Genes. fo. 9. Id ita vt esset inter homines causa amoris, vnionis, & pacis. Id. fo. 143.

In homine est tantum vna anima rationalis, quæ continet perfectiones vegetantis & sensitiuæ. Id. in
B Matth. to. 6. fo. 95.

Multa de vnitate quod sit supra & intra multitudinem. Vide quæ scripsi de Iure naturali. lege 1. & quod detur summa vnitas. Thelogia naturalis to. 1. parte. 1. c. 24. Vna in vno regimine Religio. moral. Christia. to. 2. parte. 1. c. 17. In omni Religione vnus fuit summus Pontifex. libello de summo Pontifice c. 1.



BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

DVRATIO

Digitized by Google

DVRATIO.

BONITAS DVRATIONIS.

VITTORIO EMANUELE

BONA RERVM CONTINVATIO; ET conseruatio.

Vide Minoritas Differentia Bona. Nouitas fugienda.

OB ciuem seruatum dabatur ciuica corona ex frondè quercina quoniam quercus primum mortalibus victum præbuit, & Antoninus pius recolendam dicebat Scipionis sententiam, se malle vnum ciuem seruare, quam mille hostes occidere.

Orator sua primum confirmet, tum quæ opponuntur, refutet. Quintilian. Instit. oratorior. lib. 5. cap. 13. sub finem.

Iudæis non licet nouas synagogas ædificare, veteres tamen licet retinere. D. Gregor. PP. in Registro lib. 7. epist. 5.

Sunt quædam impedientia matrimonium, non dirimentia hæc autem sunt interdictum, votum, sponsalia, catechismus, crimen,

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum.
Atque catechismus, sponsalia, iungito votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Sacerdotes Græci post susceptionem ordinum non possunt nubere, coniugati tamen possunt suscipere sacros ordines, & vti matrimonio iam inito; quia votum continentiæ ex decreto Ecclesiæ annexum sacris ordinibus non est acceptatum à Græcis. Bonaci. de Matrimonio quæst. 3. puncto. 9.

Si res vni promissa alteri vendatur, tenet venditio. post sponsalia cum vna, si quis cum alia nubat de præsenti, valet matrimonium; quamuis peccet, qui non stetit promissis.

Ipsa rerum conseruatio, videtur acquisitione operosior, nam multa per audaciam parantur iniusta, iusta, non nisi per prudentiam conseruantur. Rapere prædones & piratæ possunt, continere regna legibus, non nisi periti solent; prædæ in exiguum tempus sunt partæ; rerum tranquillus atque indesinens status, æmulatur cœlestis regni æternitatem. Melius qui magna quæliere per gradus, & quæsita vinxere.

Res non possunt capi in locis religiosis, propter concessam talibus locis immunitatem; capti tamen A possunt per ea loca à satellitibus duci. Bonacina de immunitate Ecclesiarum.

Fabius iubebat ne tam darent operam hostibus vt nocerent, quam ne quo ipsi afficerentur incommodo. Suidas in voce. [illegible].

Facilior est retentio quam actio. Eunuchis nata barba seruatur non tamen oritur. Sic ceruis castratis remanent, non oriuntur cornua.

In mundi consummatione forma quam elementa deponent, est ipsa mutabilitas, non forma quæ sit principium essendi. D. Thom. in quæstio. disput. q. 5. a. 7. ad 11.

Anima sine corpore non potest accipere esse, esse tamen acceptum in corpore, sine corpore conseruat. Tost. Exo. to. 1. fol. 281. c. 3. g.

Deterius est, quod vnus fidelium pereat, quam B quod mille de infidelibus non conuertuntur. Id. Matth. to. 5. fol. 13. c.

Christus in oratione quam facit ad patrem. Ioa. 17. non dicit quod multos acquisiuit, sed quod seruauit eos quos dedit sibi pater, quasi sit magis necessarium acquisitos seruare, quam non acquisitos conari acquirere, & consequenter deterius est, acquisitos perdere, quam non acquisitos non acquirere, Ideo Christus arguit Pharisæos qui conuersos, prauis doctrinis peruertebant, cum tamen circuirent terram & mare ad faciendum vnum proselytum. Item. Ib.

Gen. 1. vidit Deus quod esset bonum. Id est in ea bonitate placuit vt maneret in qua placuit vt fieret quod fecit. Alcuin. in Genes. interrog. 35. Posuit hominem in paradiso, vt custodiret illum, idest C seruaret, ne posset illud culpa sua amittere. Ib. interog. 51.

Non dissoluitur matrimonium contractum inter paganos, si postea fidem Christianam agnouerint, licet eo gradu sint cognati, quo Christiani inter se matrimonio iungi non possunt. c. 4. de cons. & adfin. cap. gaudemus de diuortiis. cap. de infidelibus de nuptiis.

Google

MORA BONA.

QVidam pisces, in aqua non natant, sed ambulant pedibus sicut genera cancrorum multipedum. Albert. Mag. lib. de anim.

Vniones circa Persidem piscantur mense Septembri, qui incipiunt in choncis formari mense Aprili ex rore, quod si ante mensem Septembris ceperis conchas, inuenies in illis vniones molles instar bituminis.

Natura plus impendit temporis in rerum pretiosarum productione, sic Chinenses colunt quemdam sectæ apud eos vigentis Philosophum, quem dicunt à matre vtero gestatum per 80. annos, ideo vocant illum, Lauza, idest veterem Philosophum. Dauity. *Vide Maioritas Durationis. Vide Duratio Bonitatis Mora* in conferendo beneficio.

Christus per duos dies mansit in vtero virginis, plusquam Ioannes in vtero matris; notat Petrus Damianus lib. 4. epist. 161.

Non peccauit Israël petens regem à Samuele, id enim erat ei licitum, etiam promissum à Deo. Deut. 17. sed quia tempore importuno regem petierunt, cum haberent iudicem rectè eos regentem. Rupert.

Est moderator & arbiter omnium tempus; aliqui Prophetas imitantur, qui cito venturum dicebant qui annis post quingētis venit. Æneas Syluius ep. 62.

Peloponenses habebant pro insigni limacem tardigradum. Pierius.

A Successio & tempus est in omni motu & mutatione, propter oppositionem terminorum.

Etiam frigidum est qualitas actiua *Vide Medium Durationis & Potestas Voluntatis*. Vis amoris.

Apud Petrum Crinitum de honesta disciplina lib. 1. c. 14. est Apologus cucurbitæ quę pluuiis excrescens pinum complexa ipsam foliorum amplitudine & fructus, contra eam insolescebat: cui pinus, post multas hyemes & ariditates hic sto & stabo, tu vero ad primos rigores concides.

Seruile esse duco, festinantem currere. Plaut.

Abortiuum dicitur quod ante tempora egreditur de vtero propter aliquam violentiam factam naturæ, aut propter aliquod incommodum quod est præter naturam. Tostat. in num. p. 174. c. 1. c.

Arca Noë centum annis facta est vt dicunt Hieronymus & Augustinus. Id. in Genes. fol. 37. c. 4. g.

Stellæ Iouis & Saturni, efficiunt lentos, patientes, pertinaces, & qui in omnibus grauitatem, & B senum naturam referant. Cardan. aph. sect. 4. aph. 126.

Terra est fertilis & fœcunda mater rerum omnium, quia immota recipit omnes influxus superiorum corporum, qui digeruntur, temperantur, & in tot fœlices productiones exeunt.

Vehunt aurum Indica flumina quæ lento mortuoque lapsu segnes, aquas ducunt. Q. Curtius lib. 8.

Saturnus seu tempus dicitur pater Deorum, quia per successionem temporum nati sunt homines, cæteris plurimum benefici. Polid. Vigil. lib. 1.

MAGNITVDO DVRATIONIS.

IMMORTALITAS ANIMÆ.

QVINTILIA. decl. 10. refert matrem amissi filij conspectu tota nocte fruentem; & expertam, non totum mori hominem. Illud quod nec flammis vritur, nec cineribus extinguitur, nec vrnis sepulchrisque satis premitur, expectat. Scio & intelligo, inquit, eam inter gementes cadauer iacet medium, & cum omnes videtur remisisse curas, tunc sentit & intelligit, & inter suos iudicat.

Antiqui Gallorum Sacerdotes Druidæ credebant immortalitatem animorum: vnde vt refert Valer. Maxim. lib. 2. c. 1. mutuo dabant pecunias in alia vita restituendas, & superstites in bustis defunctorum litteras ad suos mortuos proximos deferendas conijciebant. Diodor. Sicul. lib. 6.

De animarum immortalitate. Theop. Æneas gaz. biblioth. patr. to. 11. Plato in Phædone. Bouerius. tom. 1. dom. 2. D. August. tom. 1. Marsil. Ficinus Theologiæ Platonicæ. Albert. Mag.

Homines nequam appetunt non esse, quia improbo magnum supplicium est æternitas. Arist. 2. magn. moral. cap. 13.

Cardi. Cusa. lib. 5. excitatio. cap. 43 probat immortalitatem animæ; quia fieri debet retributio iustis, qui in hac vita multa pro iustitia patiuntur.

C Anima est supra locum & tempus, quæ vtrumque mensurat, & transgreditur, homo medius est inter Angelos & animalia; ideo secundum partem superiorem est incorruptibilis. Ibid. cap. 55.

Hermias Philosophus animæ immortalitatem asseruit, eam fiduciam illi faciebat vitę integritas naturam corporis auersata & ad sese conuersa, separationem animaduertens atque ipsam adeo immortalitatem. Suidas in voce Hermias.

Heroas dicunt superstites præstantium virorum animas. Idem in voce ἥρωες.

Chaldæi & Indorum magi humanam animam esse immortalem primi omnium tradiderunt: vitam præsentem habent vt conceptum vitalem, mortem verò egressum ad veram fœlicemque vitam. Rodig. lib. 18. cap. 31.

Mortuis Ægypti Regibus erigebant pyramides: sic dictas quod in acumen ignis desinentes significarent animam mortui cœlum petituram. Id. lib. 23. cap. D 6. in fine.

Antonius Zara Episcop. compendiose in libro de anatomia ingeniorum probat immortalitatem animæ, quia spiritualia, diuina, æterna cogitat, & de illis disserit, supra tempus est quæ præteritum & futurum velut præsens considerat; corporeis & sensibilibus quamtumuis perfectis non satiatur; ambit

hominis perpetuitatem non vanè naturaliter indito A desiderio.

Origen. lib. 1. Periarchon. cap. 1. probat animam humanam non esse corpoream, quia res inuisibiles, & diuinas contemplatur; & incorporeas.

Deus qui est naturarum conditor, contra naturam non agit. Rerum autem immaterialium quæ contrarietate carent proprietas naturalis est earum sempiternitas, quia in eis non est potentia ad non esse; vnde sicut igni non aufert naturalem inclinationem qua sursum tendit, ita non aufert rebus prędictis sempiternitatem vt eas in nihilum redigat. D. Thom. in quæst. disput. q. 5. a q.

Principium humanę cognitionis est à sensu, non tamen oportet quod quidquid ab homine cognoscitur sit sensui subiectum, vel per effectum sensibilem immediatè cognoscatur; nam & ipse intellectus B intelligit seipsum per actum suum qui non est sensui subiectus: similiter etiam interiorem actum voluntatis intelligit. Ibid. de electione humana. q. 6. a. vlt. ad 18.

Martyres probant immortalitatem animæ. *Vide Duratio Virtutis*. Martyrum constantia.

Vt mundum ex quadam parte mortalem, ipse Deus ęternus, sic fragile corpus, animus sempiternus mouet. Cicer. in somnio Scipio.

Vide totam primam partem to. 2. Theologia naturalis quam scripsi de immortalitate animæ rationalis, & hanc probare conatus sum ex populorum & sapientium communi sententia, ex natura ipsius, ex operationibus intellectus, memoriæ, voluntatis, etiam ex diuersis C passionibus, tandem ex diuina iustitia & prouidentia.

Dæmoniaci in sepulchris habitant. Math. 8. qui putant animas rationales esse mortales; illos imitantur.

Immortalem animam Democritus non credidit in consolationem damnationis suę. D. Hieron. in Epitaphio Nepotiani.

Animam asserentes esse mortalem, & vnicam in cunctis hominibus tanquam hæretici damnantur. Leo. 10. const. 5. §. 5.

Albertus Magnus tom. 5. de natura & origine animæ dicit à priori, animam esse immortalem, quia est essentialiter imago & similitudo causæ primę, & similitudo lucis intellectuum cœlestium: à D Posteriori autem affert octo demonstrationes. 1. quod est separatum ab aliquo per essentialem operationem, necessario separatum est ab illo eodem per esse & essentiam. At talis est anima ratione corporis. 2. Ex seipsa est causa suarum operationum intellectualium, itaut à natura ad has non agatur, neque impellatur, sicut patet in artibus. 3. est subiectum incorruptibilium, scilicet vniuersalium, quæ sunt in anima sine motu & tempore. 4. est forma quæ gubernat corpus nihil ab ipso accipiens, imo suæ inclinationi contrarians, est sicut artifex qui non sumit formam operis à materia vel ab instrumento; sed potius per instrumentum ponit eam in operatione 5. quidquid recipitur per modum reci- E pientis recipitur, recipit autem anima formas abstractas à materia, tanquam sigillum intelligentiarum separatarum. 6. de se inuenit rationes honestorum & piorum, & his quæ sunt contraria sensibus corruptibilibus delectatur, vt veritate & scientia: omnis autem delectatio fit per sympathiam & similitudiné. 7. Propria eius operatio est intelligere & hanc communem habet cum Deo & Angelis. 8. omnes homines scire desiderant, & omne scire ordinatur ad esse diuinum quod est intellectuale sine continuo & tempore, & secundum Aristotelem fœlicitas hominis consistit in contemplatione.

Immortalitatem animæ rationalis multis rationibus probat D. Thomas toto lib. 5. contra Gentiles: consulatur, nam longum hic eius omnes demonstrationes transcribere, quę compendiosè dictę, videntur insufficientes.

Anima est immortalis quia non determinatur ad certum quid. *Vide Magnitudo Cognitionis*. Scientia vniuersalis. ex Alb. Magn. quia amat virtutes. *Vide Voluntas Virtutis*.

Anima iudicatur immortalis ex eo quod vtitur igne. *Vide Gloria Medij*. Illustre medium.

LONGÆVA DVRATIO.

VNiuersaliter loquendo, vt in pluribus, in plantis inueniuntur quædam longioris vitę, quam in animalibus: & inter animalia magis longæua sunt, quæ sanguinem habent, quam ea quæ sanguinem non habent; gressibilia, quam non gradientia pede; maiora, quam minora. Albert. Magn. tract. 2. de morte & vita. c. 5.

Vltima perfectio plantæ est in arborum soliditate & vita, proportionaliter autem in alijs generibus. Olus autem perfectam complexionem non attingit, & ideo destituitur à ligni soliditate; magis autem mollis propter incompletum & interminatum humorem remanet herba, cuius succus non videtur nisi aqua parum passa & pinguescens à sicco. Id. lib. 2. de vegetabilib. tract. 1. cap. 2. fungi autem mox nati putrescunt, nec sibi simile generant; vt imperfecta animalia ex corruptione nata.

Primi homines erant longæui, vt magis propagarentur, ideo & habebant plures vxores. Theodoret. in Genesim. quæst. 49.

Bonis longior vita pro benedictione promittitur, at de malis dicitur Psal. 54. Viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos.

Quidam viuaces & longæui, videntur aliquid decerpsisse ex arbore vitæ, in medio paradisi plantata.

Diuturniora quæ sunt, ea sunt meliora. Arist. 3. Topic. cap. 1.

Primi homines diu viuebant, ad multiplicandum genus humanum & ad scientiarum principia inuenienda. *Vide Duratio Cognitionis*. Perseuerans.

Tyresias vates longæuissimus. Geneb. a. m. 1887.

Primum in constitutione, est vltimum in resolutione.

De arboribus quę virent perpetua coma. Vide Theophr. hist. plant. lib. 1. cap. 15. & de his quæ diutius seruant folia. *Vide Media Duratio*. Mors iuuenis.

Vita aquatilibus plantis breuior, quam terrestribus est, sicut in animalium genere. Ibid. lib. 4. c. 14. Syluestribus longior, quam vrbanis, oleastro, quam oleæ, &c. quippe robustiores, spissiores, fructuque infœcundiores existunt; vites fœcundissimæ breuioris sunt vitæ. Quędam senescunt quidem, putrescuntque velocius, sed ex eisdem rursus latere suo germinant, vt lauri, mali punicę, & auidarum aquæ pars maior, dubium an eædem videantur esse, manente eadem radice, an mutato caudice. Ibid.

Cupressus non corrumpitur, itaque in Epheso cupressina materies, ex qua valuæ templi Dianæ, quatuor ætates reseruata durauit. Post cupressum,

morum æternam arbitrantur, in operibus facilem, A validam, vetustate nigrescere. Id. lib. 5. cap. 5.

Semina illa maxime permanent quæ nucleo continentur, ceu semen oleæ, & quidquid ligni aut ossis speciem gerit, vt semen palmę, densa enim hæc omnia sunt, protectaque munita tutissimè. Idem de caus. plantar. lib. 5. cap. vlt. in fine.

Plumbum est grossum valde in substantia sua, & de roribus & pluuiis imbibitis humorem paulatim mineralem facit, & ad se conuertit & ideò per diuturnitatem temporis incrementum capit aliquando. Albert. Magn. de mineralib. lib. 4. c. 4.

Asclepiades Philosophus dicitur scripsisse, Ogygicorum res gestas 30000. annorum. Suidas in voce ὠγύγιον.

Ter senex dicitur Nestor, quod tres hominum ætates vixerit hoc est annos 90. Id in voce τριγέρων.

Pomponius Mela de Ægyptiis dicit, Vetustissimi hominum sunt; nam supra 13. millium annorum ętates certis annalibus referunt, & ab eo tempore B quo sunt quater suos cursus vertisse sydera, ac solem bis iam occidisse vnde nunc oritur. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 8. c. 2.

Est in lacu Morauiæ in Scotia, herba quædam quę nunquam putrescit, etiamsi super campos sternatur, dicitur herba olorum quod olores illius semine libenter vescantur; parum habet humidi & benè pinguis. Cardan. lib. de rer. varietate. cap. 21.

Æthiopas anno trigesimo consenescere Asclepiades arbitratur ex ambustione solis. Contraria ratione in Britannia vita protenditur ad 120. annum; obstipari siquidem iis in locis corpora, obseptumque seruari genuinum calorem, qui euanescat in Æthio- C pibus, solis vi laxatis eorum corporibus. Rodigin. lib. 12. cap. 3.

Longæui referuntur homines ante diluuium, quia bona primorum parentum temperatura sensim per ętates diminuta est; Oceani salsedine corrupta fuit terræ fertilitas, vnde minus salubria fuere alimenta. Ibidem.

Quod homines nunc minus viuant quam initio mundi, non est propter continuam debilitationem naturæ, alioquin per processum temporis semper dies breuiarentur, quod patet esse falsum, cum modo tantum homines viuant, sicut tempore Dauid, qui dicebat; dies annorum nostrorum, in ipsis septuaginta anni. Illa ergo diuturnitas vitæ fuit ex virtute diuina, vt genus humanum multiplicaretur. D. Tho. in quęst. disput. q. 4. de peccato Origin. a. 8. 11. & propter Astrologiam discendam. *Vide Duratio Cognitionis* Experientia.

Acroathon fuit oppidum situm in cacumine montis Athos Macedoniæ in quo homines longiori vita per dimidium potiebantur quam homines aliarum terrarum. Tostat in Genes. fo. 90. cap. 2. d. 101. cap. 1. b.

Iustorum longa progenies, Si custodierint filij tui testamentum meum, &c. Psal. 131. deletur progenies Cain. *Vide Finis Durationis*. Seth autem interpretatur positio, quoniam positus à Deo loco Abelis Gen. 4. vel quia futurus esset mundi fundamentum, cæteris eius fratribus & propinquis diluuio deletis. Genebr. in chroni. *Vide Gloria Principij*. Nobilitas.

Saturnus quasi saturans se annis, quod inter planetas lentior sit in cursu, vel quia natos annos vorat, & consumit inexplebiliter. Ludo. Viues in somnium Scipionis.

Trinus Saturni & Iouis, non in aqueis signis, longæuum facit, virumque stabilem ac prudentem. Cardan. apho. sect. 4. aph. 106.

Singularia citius alterantur & intereunt, quam vniuersalia. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 3. lege a. §. 3.

Van Helmont, tractatu arbor. vitæ, dicit fuisse in Libano annosam Cedrum quam putat à mundi exordio illic à Deo creatam, & à diluuio superstitem.

POTESTAS DVRATIONIS.

CONTINVATIO VIM HABET MAXIMAM.

INDI colores omnes exprimunt D ab eadem planta, prout diutius aut parcius fuerit ine supposito excocta.

Vide Medium Durationis. Initio de lapide in arbore inuento.

Consuetudo in possessionibus mouendis, tantum potest, ac temperamentum. *Vide Duratio Contrarietatis*. Series malorum.

Alimenta corpori dissimilia, tandem illud corrumpunt. *Vide Concordantia Differentia*. Extranei ad regimen non admittendi.

Quędam plantę, quæ prius fuerunt olera, processu temporis fiunt arbusta, & formatæ arbores efficiuntur, sicut rutha cum antiqua fuerit. Albert. Mag. lib. 2. de vegetab. tract. 1. cap. 2.

Memoria tempore conualescit. *Vide Duratio Cognitionis*. Memoria.

Aristoteles vitam definit, perseuerantiam insiti caloris, nam vbi spiritus cum calore sociatus & excitatus secundum ingenitam potestatem mouet materiam seminis momentis continuis & nunquam cessantibus, aut otiantibus, sensim illam perducit ad finem, quod fuerat in consilio naturæ, ad animal vel plantam, quod si cessauerit aliquando mouere spiritus, non egreditur ad opus, euanuit, est enim spiritus facultas vt semper moueat, quemadmodum est caloris, calefacere. Seruantur quidem ad tempus semina in potestate & aptitudine agendi, verum vbi aliquando cœperint agere, nunquam cessant ab opere, sed opus concedunt corruptioni.

Terra sicca, stabilis est vt centrum & fulcrum mundi, quia sola siccitas alteri non cedit, non grauatur onere superiorum, in se confirmata stat

Digitized by Google

immobilis, superiora in ordine continet, ne permisceantur, sic in mixto, siccum, seu terrea moles est fundamentum omnium quæ adueniunt. Sic Philosophare de bono proposito in Moralibus. A

Consuetudo sensim introducta, abrogat legem summa authoritate latam

Valida est dispensatio obtenta, etiam si dictum & expressum non sit quod prius petita fuerit, & non concessa; Bonacin. de dispensa. p. 7. pulsanti tandem aperitur, si perseueret. Nouæ etiam causæ possunt allegari.

Fulmen aurum colliquat nihil læso loculo, in auro enim penetrat, & moram trahit, & propter acrimoniam caliditatis eliquat, ad loculum autem non fit debita applicatio, propter laxitatem foraminum.

Diu simulans insaniam, fit verè insanus. *Vide Minoritas Cognitio. Bona.* B

Ex dispositione quæ facilè potest à subiecto diuelli, fit habitus, qui difficilè à subiecto remouetur.

Nauis vi motus impressi adhuc in alueo procedit; sic quidam ex habitu, non ex actuali deuotione offici sua perficiunt.

Helisæus bis percutit aquas Iordanis, antequam diuidantur 4. reg. 14.

Habitus est qualitas simplex relata ad multa secundum vnum.

Omnis potentia confortatur & perficitur ex coniunctione ad actum suum.

Omnium medicaminum vires debiliores in assuetis deprehēduntur: in nonnullis etiam omnino inertes. Cum enim ab natura acceptantur, deuincuntur, conficiuntur, & ideo non debent amplius poni inter medicamina. Theophr hist. plant. lib. 9. c. 18. C

Quidquid inuestigatur, capitur, effugit quod negligitur.

Vniuersa longum & innumerabile tempus, tam obscura illustrat, quam illustria obscurat. Suidas ex Sophocle.

Consuetudo non est inventum hominum, sed vitæ & temporis, regit non vt lex tyrannicè vi & terrore cuncta perficiens, sed humanitate regia, vltro enim omnes eam absque necessitate sequuntur. Id. in voce. Vsr.

Vt consuetudo habeat vim legis, quinque requiruntur. 1. vt sit rationabilis. can. erit autem, dist. 4. vnde si sit contraria saluti animæ non habebit vim legis. 2. vt sit introducta per consensum populi talis qui possit facere consuetudinem. 3. vt sit introducta ex certa scientia non per errorem. 4. quod maior pars populi sit vsa illa consuetudine. 5. vt sit tempus debitum. Perbartusin rosario Theologico. Voce Bonitas moris. D

Calor naturalis ab actione nunquam cessat, donec perfecerit quod primum intenderat, nisi immodica siccitate præpediatur Cardan. lib. de rer. varietate cap. 17. E

De puella venenis enutrita & tandem venenosa effecta. *Vide Potestas Medij.* Vis alimenti.

Quædam in oratione sunt inculcanda. *Vide Potestas Minoritatis.* Minima quædam in bonum valida.

In Moscouia & frigidissimis regionibus non seminant, vt nos hyeme, quia frigus nimium semen enecaret, sed mense Aprili & colligunt in Iulio nobiscum, nam prolixitas dierum ibi recompensat amplitudinem temporis regionis nostræ.

MALA.

De consuetudine mala Bernard. quadrag. 1. serm. 21. Ephrem. to. 1.

Quotiescumque materia & obiectum vltimi peccati venialis, continuari potest cum materia præcedentium, vltimum peccatum, in quo materia notabilis completur, est mortale, quod alioquin esset veniale; vt qui quotidie furatur paruam summam, cum intentione continuandi; fiet peccatum mortale, cum furtum peruenerit ad debitam quantitatem. Bonacina. de peccatis. q. 3. p. 5.

Cap. alma mater de sent. excommun. in 6. dicit rarò interdictis vtendum quia interim excrescit indeuotio populi, pullulant hæreses, ab Ecclesijs sine earum culpa debita obsequia subtrahuntur. Adolescentes non percipiendo sacramenta in fide non proficiunt, tolluntur mortuorū suffragia sicut Iudæi manna habentes quærebant allia, fruentes libertate meminerant seruitutis & assiduè quærebant Ægyptum propter consuetudinem, adeo tyrannica res est consuetudo. D. Chrisosth. Hom. 7. in 2. ad Corinth. stabilis est in dogmatibus, quia turpe censetur in senectute dediscere, quæ anteacta vita probauit. Id.

Deus præcepit immolari sibi adipes, quia partes magis delicatæ in animali, & etiam bouis, arietis, capræ, immolationi aptorum animalium prohibuit adipes comedi, ne talis consuetudo edendi, incitaret eos ad comedendos adipes immolatorum. Tostat. Leuit. 29.

Leo praua consuet udine degenerat in patientiam asini. *Vide Duratio Maioritatis.* è gradu non cadere.

In omni re difficilis est, quæ expugnetur consuetudo, quoniam cum multam ad attrahendum in se animum, afficiendumque vim obtineat, tum in eo valet, vt aliquam honesti opinionem afferat: hinc apud diuersas gentes ex occasione facta cōsuetudo, ex cōsuetudine varij mores & affectus; & sic gemellis diuersum sępè fit vitæ studium. D. Gregor. Nissenus. lib. de virginitate. c. 19. ibique probat abstinentiæ consuetudine, puritatem effici faciliorem.

Influxus cœlestis sensim afficit. *Vide Cognitio Contrarietatis. Repugn.* Latens iniuria.

Consuetudo per se non est contemptus, quia consuetudo est per multos actus, contemptus per vnum, de quo prouerb. 18. Impius cum in profundum venerit, contemnit. Suarez de legib. lib. 3. cap. 28.

Conuersatione, malorum mores induimus. *Vide Potestas Concord.* Conuersatio Malorum.

ITERATIO POTENS.

Circulationem vbique facit natura, nunquam absoluit, quæ semel fecit, reficit & interposita mora retexit; nec inutili conatu, sic enim materia iteratis affecta vicibus altius imprimitur, vt à sculptore ęrea lamina, si mollis sit, & in se redeat iterum comprimenda, talis est motus cordis per compressionem & dilatationem; oceani per fluxum & refluxum; Ita prosunt inferioribus planetarum viam semper eandem in Zodiaco decurrentium periodi.

Digitized by Google

Iteratio est breuis admonitio qua vtitur orator, A tum circa partium, tum circa totius orationis exitum. Iterabimus autem summatim, vel ratiocinãdo, vel interrogando, vel enumerando, vel eligendo. Arist. in Rhetor. ad Alexand. de iteratione.

Plus ex subiecta sibi materia extrahunt chymici si liquorem extractum iterum atque iterum superinfundant materiæ in vase relictæ, eam operationem vocant cohobationem.

Confirmationes & ratihabitiones donationum retrotrahuntur & referuntur ad tempus quo conscripta fuit donatio, similiter aliæ ratihabitiones negotiorum gestorum reducuntur ad ea tempora in quibus contracta sunt, sublata subtili diuisione facti vel iuris. 25. Cod. de donat. inter vir. & vxor.

Ratihabitio est approbatio eius quod cum eo gestum est, qui egit procuratorio nomine, huic contraria est retractatio. L. 1. ff. rem ratam haberi. & L. 12. eod.

In fine cuiusque lustri, id est, quinquennio absoluto fiebat solemne sacrificium & tunc datæ seruis libertates confirmatæ censebãtur: tempore tamen sacrificij in tempus datæ libertatis, & censiti inter ciues Romanos retro acto. Cuiac. obseruat. lib. 18. cap. 10.

Semel in anno S. Sacerdos intrabat Sancta Sanctorum & aspergebat altare thymiamatis sanguine, pro peccato. Exod. 30. 10.

Nazaræus iterabat votum, si cotaminatus fuisset. *Vide Magni. Virtut.*

In Gallia singulis annis Iudices, Aduocati, Procuratores condicta die solemniter iterant iuramentum iustitiam fideliter administrandi: hinc Symmachus lib. 10. epist. 54. Nihil aliud authoritatem facit sententiis nostris, quam quod omnia quasi iuratus ordo decernit.

Operæ seruorum non tam erant ad vtilitatem quam ad obsequii renouationem, vnde quædam dicebantur officiales quæ non transibant ad hæredes. Vide to. 1. *Gloria Principij.* patrom.

Repetitio memoriam confirmat. *Vide Duratio Cognitionis.* memoria & *Duratio Voluntatis.* iteratio votorum.

Mulieri Cananeæ dixit Christus, O mulier magna est fides tua, quia non fuit retardata à feruore petendi propter Christi taciturnitatem; nec postea B propter negatiuam responsionem, nec propter illatum conuicium. Laurent. Iustin. l. de fide c. 7.

Cum reuolutio similis est ex toto genituræ, tunc aliquid proculdubio expecta insigne eorum quæ in genitura promittantur; Si autem reuolutio sit dissimilis, etiam in bonum, vt si planetæ qui erant sub terra, sint supra, vel in propriis domibus contrario radici modo, periculum hoc anno significant, tanto deterius, si ad malum hæc mutatio fiat. Cardan. de indiciis geniturarum. c. 6.

COGNITIO DVRATIONIS.

ÆTERNITATIS PIA MEDITTTIO.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Mundus seu naturalis seu ciuilis scenam exhibet breui temporis spatio spectandam. Fallit mentem & oculos successiua rerum facies, & absoluti, quod inquirimus boni, dum spes quotidie nouas exsuccitat, nunquam implet Cuncta tandem transeunt, cum spectatoribus spectacula, & votis nostris aut pereuntia definiunt, aut rebus adhuc existentibus, fato nostro subtrahimur, auida, nunquam satiata boni cupiditate.

MAGNITVDO. Sic versamur, sic ludimur, vt tandem diuturnis experimentis suis mens edocta certo teneat angustam & vanam esse rerum hic omnium existentium conditionem: quæ celebrat opinio velut excellentia, placere volunt affectato tumore, cui nihil subest solidi, cum plurimum insit reatus & doloris: erumpat tandem, velut solutis vinculis, sursum euolet essentiæ suæ cœlestis & immortalitatis priuilegio humana mens, & spretis temporalibus, æterna dilatato per charitatem, intellectus & affectuum sinu, complectatur.

DVRATIO. O tempus ægris, dura patientibus, melius quid expectantibus longum, quam est breue æterna meditanti. Intumescit in aquis bulla momento dissoluenda; surgit fluctus quem qui sequitur absorbet, sic aulici, magistratus, principes sibi suc- C cedunt, eosque tandem cum tot inquietis vitæ suæ motibus sepultos alta tenet obliuio; fuere, non sunt, nec personarum tãtum, sed & vrbium & regionum, bello, diluuio, terræ motu deletarum, ne vestigium quidem superest: sic ne tantis calamitatibus empta, tanto fastu sublimis humana fœlicitas concidit, & ad nihilũ redigitur? Sequuntur hæc, temporis labentis nec vnquam reuocabilis conditionem; cum annis, horis, & diebus quibus commensurantur, pereunt; sed huic corruptibili materiæ superstes erit, si voluerimus immortale quid, recta scilicet in Deum intentio, charitas quæ non excidit, quæ per successiuas ætatum & temporum actiones æterna promeretur præmia. In peccantibus euanescit delectatio, D remanet reatus æternis eos addicens pœnis; Contra iustos in ipso rerum & actionum fluxu læta comitatur mentis tranquillitas, quæ iam delibat æternæ pacis solatia.

POTESTAS. Quid ni mens nostra creaturarum omnium natalem cogitatione præcurrat? potest Deum ante productionem omnem ad extra in se, & æternitate sua beatissimum contemplari. In hoc nunc fœlicissimo momento quod omne tempus complicat, homo scit aliquid versari quod ad ipsum pertinet; erat ex tunc in idæis diuinis, & in amoris æterni decreto, quo misericorditer ex infi-

Digitized by Google

nitis possibilibus ad existentiam tali tempore fuit eductus, non existens, existentiam non potuit promereri; sed nunc compensare licet necessarios originis defectus; potest dilatata charitas vt grata sit, tempus omne creationis anteire; potest cum beatis mentibus laudare Deum æterna sui possessione fœlicissimum; laudabo æterna sua charitate me complectentem, gratię suæ donis cumulantem, ad salutaria vocantem, promouentem, confirmantem.

COGNITIO. Æternitas est interminabile quid, nec tamen irritam efficit contemplationem nostram, quia terminatur mentis oculus, satiatur cordis affectus in Deo, cuius infinitas perfectiones intelligimus ex eo quod perfectè nō possint à nobis intelligi; vt oculus lucē probat fulgentissimam, quam non valet sustinere. In hac æternitatis infinitate, singulariter determinatum obiectum est, contemplari se ab æterno electum ad existentiam, ad gratiam, ad gloriam; hinc reflexa geminatur charitas quæ Deum prius amantem, prioritatis & infinitæ perfectionis priuilegio creatis omnibus præferat; misericorditer vocanti & mouenti, totos apertos concedat cordis sinus.

VOLVNTAS. Amantes innocenter periuros esse dixerunt antiqui, cum marcessenti pulchritudini negarent, quos florenti vouerant amores, tot se rebus etiam perfectissimis interserunt defectus, vt amorem humanum nunquam obtinerent, nisi raptu fallax vteretur natura. Ridiculum est Martem Veneri subiici; victores gentium seruos effici puellę, cuius mentis & corporis infirmitatem tegit ad diem mutabilis decor. Lugendum est liberum hominem seruum effici fortunę, omnium iniquissimæ dominæ; rationem sensui; animum corpori turpissimum exhibere famulatum. Libertatis & dignitatis humanæ tantum vindex erit, vt suos sic non deiiciat affectus, æternitatis contemplator.

VIRTVS. Æternitas est status immutabilis bonorum omnium aggregatione perfectus. Cum igitur per assiduas meditationes fit agendorum idæa, virtutis habitus efficit incorruptos, ad diuina sibi semper accrescentibus desideriis protensos. Quod si sub corporis rerumque mortalium sarcina non procedit animus sine labore; hæc æternitatis meditatio tantum confert virtutibus quantum ex itinere fatigatis videre se fieri proximum hospitio; & naufragis secundo tandem vento in portum allabi.

VERITAS. Vltro patimur noctis tenebras, securi de solis ad nos proximo reditu: patienter etiam feramus hic fidei certæ sed obscuræ leges, captiuantes intellectum donec illucescat æternitatis perpetua, tenebris nunquam cessura dies; qui relictis infra se sensuum & fortunæ lacunis, montem Domini fortiter conscendit, ex alto videt huius ęternæ diei iam nascentem auroram, in cuius splendores integros ipsum admittet, quæ mox sequetur vita.

GLORIA. Breuis hic labor, illic immensa quies, supra spem & cogitationem inconcussa fœlicitas: Rapit animos illius contemplatio, & hinc sancti gaudent aduersis, Martyres exultant inter ignes & supplicia, eo quod sensum doloris, obscuret excellentior sensus diuinæ voluptatis, sperata beatitudine ad eam recta ducit crucis via.

DIFFERENTIA. Non immoror in exacta rerum terrenarum discussione, de pretio contendant illarum cupidi. Omnes apud me vno communi censentur titulo; omnes video velut puritati mentis insidiosas, à recto cœli tramite longius auocantes, anxiæ, periculosæ tutelæ; breui tandem tempore perituras, efficere semper & in æternum perituros.

CONCORDANTIA. Qui contemplationis beneficio, videt ante se positam æternitatem, velut portum ad quem perueniendum est, facilè deprehendet aberrantes & deuios mortalium cœtus, non mouetur opinionum in contraria vocantium celebritate, & illustrium in deterius ruentium turba, secedit veritatis & salutis suæ vindex. Accedit sanctis cœli ciuibus, expertos, & iam triumphantes securus sequitur: monet tamen proximos de periculo, & si verum audire noluerint, ipsos reprobo suo sensu iustè plectendos non sine compassione relinquit.

CONTRARIETAS. Plaudant sibi licet mutuo voluptatibus & cupiditatibus dediti, latam faciemque sensuum viam magno sequantur apparatu, æterna meditantibus tutius videtur Christum & sanctos eo quo peruenerunt in cœlum itinere sequi, dura quidem occurrunt, sed quis sine labore fructus, quæ celebris sine certamine victoria? ad horam patimur, in æternum sine fine cum Angelis & Deo regnabimus.

PRINCIPIVM. Magnum diuinæ prouidentiæ beneficium erga nos fuit quod nati non simus prioribus sæculis idolatria morumque turpitudine contaminatis, fœlicior sequens ętas viam cœli Christi sanctorumque vestigiis tritam nobis ostendit: erunt nouissimi primi, antiquitatis prærogatiuam & anteactas ętates abundè compensabit concessa nobis æterni Dei fruitio.

MEDIVM. Diligentibus Deum & ad æternitatem properantibus omnia cooperantur in bonum; æquè proficiunt rebus aduersis ac prosperis: vt portum hunc obtineant nullus non secundus sub diuino spiritu flatus est; Artifex ille mundi mentibus dat artem, rebus quibuscumque velut aptis mediis vtendi ad optatæ fœlicitatis consecutionem.

FINIS. Æternitas finis est omniū nobilissimus, quo diriguntur, quo nobilitantur & perficiuntur actus morales; transit in sortem diuinam qui se totum Deo dicat, Deo mouente, iuuante, perficiente. At illæ quas iactant rerum terrenarum possessiones transibunt, & tanquam fumus deficient. Non habet rationem centri quod sibimet ipsi non subsistens, cæteris in illud tendentibus quietas sedes non præstabit. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Deo spem meam.

MAIORITAS. Vltra natalem mundi, & temporum initia mens transcurrit. Soli lucem splendidiorem, cœlis, elementis ampliora spatia desiderare possumus: Nulla pulchritudo quæ excellentiori, saltem ideæ nostræ comparata non deficiat. Æternitas sola est, quæ Durationis extensione, fœlicitatis complemento, quidquid desiderari potest, implet & superat.

ÆQVALITAS Ad tam infiniti boni fruitionem certè non sufficeret entitas creata, nisi iuuaretur ab increata; nisi Deus animæ rationali præberet hic amplitudinem, vt ipso æterno bono fruens omne tempus supergrediatur, æternitati, etiam ex ea qua nos præcedit parte, commensurata. Æquat omnes in natura cinis, In cœlo charitas, Illic Regem rusticus superabit, si fuerit virtute præstantior.

MINORITAS. Si ad æternitatem consequendam nihil confert humana fœlicitas, si sit onus non subsidium; vt febrem, sic diuitias, sic honorem, sic voluptates habere infirmitas & damnum est. Si quæ nos hic premit aduersitas virtutis est occasio, virtus æternitatis arrha & symbolum; humilia sectabor vt ad exemplum Ioannis Baptistę, sim magnus non coram hominibus cæcis, vanis, secum perituris

De variis modis annos computandi. Vide Tostat. A in Exod. to. 1. fo. 70. 71 in Gen. fol. 59. & Origanum. de tempore.

Homines aliquando mensurant actionem suam tempore, postea è conuerso mensurant tempus per actionem, vt sciant quantum temporis transiuit. Id. Genes. fo. 42.

Septentrionales ruricolæ manibus gestare solent baculos, quos vocant annales aut Calendarios, quibus docent, disputant, interrogant & concludunt lunares coniunctiones & oppositiones, festa mobilia ac fixa, signa dierum infallibili experientia, quasi è libro declarata legerent, Olaus Magnus. rer. septentr. lib. 16. c. 10.

Gallus noctis horas cantu diuidit. Ciconia crepitatione rostri.

Bonum est scire quantum quisque planeta antecedat singulis annis, & rursus circuitus eorum, nec B non fixarum & capitis draconis.

CIRCVITVS STELLArum & syderum.

Progressus in anno.

	Anni	dies	horæ	min	Part.	min.	secu.	tert.
Fixæ	49000	0	0	0	0	0	32	14
Saturnus	29	157	22	41	12	13	53	5
Iupiter	11	311	23	0	30	21	35	[illegible]
Mars	1	321	22	40	198	24	38	24
Sol	0	365	5	48	360	0	0	0
Venus	0	365	5	48	360	0	0	0
Mercur.	0	365	5	48	360	0	0	0
Luna	0	27	7	43	332	14	12	7
Caput	18	224	8	0	19	25	29	33

Cardanus aphorism. sectio. 1. aphor. 10.

Medicus nosse debet ætatem eius quem curandum suscepit, nam per diuersas ætates mutatur temperamentum corporis, & propriis morbis fit obnoxium.

Calendarium correctum & absolutum approbauit, illudque imprimi ac seruari decreuit. Grego. 13. Const. 74 Bull. p. 344. to. 2.

VOLVNTAS DVRATIONIS.

AMOR VITÆ ET CONSERVATIONIS.

CN. Domitius atauus Neronis, in C desperatione rerum, mortem, timore appetitam, ita expauit, vt haustum venenum pœnitentia euomuerit, medicumque manumiserit, qui id sibi prudens, ac sciens minus nociuum temperasset. Sueton. in Nerone. cap. 2.

Quod nutrit debet esse aliquid siccum incorporabile, nam aqua quæ est tantum humida, non nutrit, sed vehit nutrimentum. Albert. Magn. lib. de animalib. c. cap. 3.

Vide Voluntas Bonitatis Appetitus boni, qui est propter conseruatioem.

In armorum ratione antiquior est cauendi, quam ictum inferendi cura: sic in quibusdam causis prius diluenda est inuidia & criminis suspicio quam ad narrationem & probationem deueniamus. Quintilian. Inst. oratoria. lib. 3. cap. 2. D

Et seruus & miser optat viuere; inuocant mortem dum abest, dum adest, timent. Nulla viuendi saturitas est; Is quem hortabantur se vita priuare, quia cruribus erat resolutus, dixit, non cruribus viuimus, sed mente.

His qui enumeratis humanæ vitæ miseriis, dicunt melius fuisse non nasci, respondendum sanctis qui nunc sunt in cœlo, optimum fuisse & vixisse, & quidem in aduersis. Tot imperatores rebus bellicis clari, vita delectati sunt, vt medio ad exercendas virtutes, & quærendam gloriam necessario? Idem dicendum de his qui excelluerunt in scientiis & artibus.

Chymici laudant suam artem non quia diuitias augent, sed quia ad sanitatis conseruationem sit aptissima. Nam est incorruptibilis materia, perfectissimum elixir.

Si post consecrationem Sacerdos aduertat esse animal venenosum in calice, aut vinum fuisse veneno infectum, non tenetur species vini consecratas sumere, quia non potest esse sui homicida, nec sacramentum vitæ debet recipi, cum periculo vitæ, conseruandæ sunt species donec corrumpantur, sic enim non est amplius in illis Christus, & mittendæ in piscinam. Bonacina de sacrificio Missæ. qu. vlt. aut potest easdem species euomere, quia non tenetur eas retinere cum vitæ periculo. Ibid.

Confessarius regulariter non debet vti cognitione per confessionem habita, si tamen per illam discat sibi mortem parari, potest à loco discedere. Si in Missa vinum esset veneno infectum, poterit, & debet à Missa abstinere. Id. de pœnitentia. qu 6 quin hinc nullus pudor, nulla confusio, nullum damnum pœnitenti. Ib.

Quilibet tenetur ad conseruationem indiuidui & speciei. *Vide infra Bonitas Principij.* bona fœcunditas.

Ideo similia se quærunt. *Vide Principium Concordantia Voluntas & Potestas concordantia.* & contraria se fugiunt. *Vide Differentia Contrarietatis, & Differentia Minoritatis.*

Melius est esse quam non esse. Vnde nihil appetit non esse: & si dicat Christus, melius fuisset si natus non fuisset homo ille, verum in genere moris non naturæ, & damnati dicunt quidem montibus cadite super nos optant non esse, non primariò, quia aliter non possunt liberari à pœnis & damnatione.

Digitized by Google

Vix credimus aliam vitam, & timemus ex hoc mundo egredi, cum videamus nos deficere, quam cito regionem mutamus in terra, etenim aqua suffocamur & in igne cremamur. Card. Cusa. excitatio. lib. 3. c. 17.

Deus emittit Adamum post peccatum, de paradiso, ne ederet de ligno vitæ, quia etiam miser voluisset semper viuere, quod negare misericordiç fuit. Rupert. in Genes. lib. 3. cap. 29.

Medici pro commendatione artis suæ, non fabulosum, sed verum fuisse contendunt, quod in libris gentilium legitur, Æsculapium medicaminibus herbarum suscitasse mortuum, & ob hoc illum esse fulminatum, videlicet ne assuefcerent homines artem, per quam effugerent vtile sibi mortis edictum. Idem. Ibid. cap. 30.

Calamitatibus quidem referta vita, sed quis scit an in alia maiores sint, quis enim scit, an odio vel amore dignus sit?

Ideo omne ens dicitur bonum, quia habet participationem primi boni, & sic est appetibile.

Motus circularis cœlorum inducit perpetuitatem.

Plantæ omnes prius infra radices emittunt, quam sursum ferantur.

Natura desiderat permanere in esse diu in indiuiduo, & perpetuo in specie, ideo in alimentum caloris vitalis ordinauit humidum vnctuosum, quod difficulter est separabile & siccabile. Albert. Mag. de vniuersalib. lib. 3. cap. 2.

Apud Romanos dies atri & ad res gerendas inauspicati, quibus defunctis inferias inferũt. Suidas in voce *ἀποφράδες*. Super mortuis Iudæi dicebantur polluti.

Primum bonum quod naturaliter omnia appetunt, est perpetuatio in esse. Omnia eo ipso quo sunt, bona sunt, inquit D. Augustin. quia omne ens in quantum ens est in actu habet quandam perfectionem; omne autem perfectum habet rationem appetibilis & per consequens rationem boni. Pelbartus in rosario Theologico, voce bonitas. Dæmones, peccatores, venena licet mortifera, sunt bona bonitate entis, licet non sint bona bonitate moris. Ibid.

Viuere animalia diutius quam possunt, appetunt, quod in vitç possessione omnium operationum & voluptatum vsus consistat. Cardan. lib. de rer. varietate. cap. 26.

Pyrrus Rex Epirotarum hoc maximè diis votum faciebat, sanum esse, quasi cetera sequerentur; Socrates vero in Phedro, interius bene disponi, & vt internis externa responderent. Rodig. lib. 7. c. 24.

Adulantium fallacia, immortales se esse sibi persuaserunt Ptolomæus Rex Ægypti, Iustinianus, & Maximinus imperatores. id. lib. 23. cap. 21.

Si à magnis viris insidiæ conceptæ fuerint, suadet Tacitus. 2. annal. vt securitati consulat, antequam vindictæ.

Terra à calore cœli subacta seipsum instaurat, vmbram & frigus vicissim effundens.

Venit Christus vt eriperet nos ex præsenti sæculo nequam. ad Galat. 1. idest ex malitia sæculi. Neque enim venit Christus vt nos exigeret ex hac vita, sed vt nos in mũdo relictos, dignos sufficeret, qui in cœlis versaremur; ex se enim vita præsẽs mala non est, quæ innumerabiles coronas, tantaque præmia parit. Vnde Paul. Philipp. Si viuere in carne hic mihi fructus est operis, melius ducit hic cõmorari, etsi ardẽter optet esse cum Christo, quod si mala esset vita nemo posset ea ad virtutem vti, vt scortatione ad pudicitiam, inuidia ad beneuolentiam; non essent criminandi qui sibi ipsis consciuerũt necem; sic enim se malis subducerent. At eos Deus acrius punit quam homicidas, & nos omnes eos detestamur, atque id iure meritoque, nam si alios occidere fas non est, multo magis nefas est seipsum occidere, quod si hçc vita res est mala, coronandi forent homicidæ, qui nos à malitia liberarent: laudantur astra quasi sint bonorum huius vitæ authores, peccata quç committuntur sunt corruptæ voluptatis effectus, non humanæ vitæ quam aliqui degunt in virtutibus: vnde constat necessariò malum non pendere à vita, vt edere, bibere, dormire. Num hçc vita mala, in qua Deum agnouimus, in qua de futuris philosophamur & cum cœlestibus virtutibus choros ducimus? &c. D. Chrisost. in cap. 1. ad Galat.

Mors sibi non inferenda. *Vide Voluntas Finis Mala.*

Vt repens lac sese statim incrustat pellicula, ita & semen mox à triduo sese pelle loricat, quæ sensim euadit manifestior.

Aaron metu mortis & lapidationis conflauit vitulum aureum: peccauit aliquo modo peccato idololatriæ, tamen bibit ex aqua vituli combusti, & non fuit aliquod signum sceleris in eo apparens, sicut in cæteris peccantibus. Tostat. in Exod.

Diuortium fit inter eos coniuges, quorum alter in mortem alterius machinatur. cap. si qua mulier. de diuort.

Potest quis se erigere contra dominum in eo tantum casu, vt se liberet à morte. Tostat. reg. 10. 2. fo 115. cap. 3. 1.

D. Greg. Nissenus. lib. de anima & resurrectione, probat omnes artes belli pacisque inuentas ad vitæ tuitionem.

Viuentibus innatus est amor sui, suaque conseruationis. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2 lege 2. §. 2.

Dicit Apostolus. Nemo carnem suam odio habuit, sed potius nutrit & fouet illam hinc medicinæ & remediorum inuentio, & quisque naturaliter pericula timet & fugit.

Licet transigere de crimine inferente pœnam sanguinis, veluti maiestatis & parricidii, quia omnis honesta est ratio expediendç salutis. l. 1. ff. de bonis eorum qui ante sent. mort. sibi consc. & l. eius ff. de iure fisci. At non licet transigere de crimine quod infert infamiam, & de quocumque cuius pœna non est mors, & qui transigit fatetur ac punitur. l. transigere. Cod. de transact. Vide. Cuiac. obseru. lib. 6. cap. 11.

Non vales sistere motum cœli, fluxum temporis, & statum vitæ, si vis absque vlla vicissitudine subsistere, delige quod sempiternum est, beatum, immutabile, &c. Laurent. Iustin. de spir. interitu animæ cap. 1.

Censetur necessitas supra legem, cum agitur de conseruatione vitæ. *Vide Contrarietas Voluntatis.* Necessitas, & quando propter vitæ periculum vitandum, licet legem humanam non obseruare. *Vide Differentia Contrarietatis.* Fuga contrariorum mala.

Ad Papatum promoti mutant nomen, vt diutius viuant. *Vide Bonitas Differentia.*

Aromatarii seu pharmacopolæ medicamenta componentes gaudent priuilegio prioritatis contra quoscumque, & sine dilatione trahunt ad suos iudices, &c. Clem. 8. const. 29. §. 10. Bull. p. 29. to. 2.

FORTIS VITÆ CONtemptus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vita mortalis censeri debet inter indifferentia, quæ materiam exhibent bonis malisque perpetrandis, prout vtentis genius & voluntas tulerit. De Iuda dixit veritas. Melius fuisset si natus non fuisset homo iste: & Magistratus, reis capitali pœna vitam auferunt, qua solent abuti in suam & Reipublicæ perniciem. Miseri quos dura premit aduersitas, vitam odere, mortem optant vt vnicum malorum suorum finem.

MAGNITVDO. Si mentis & fortunæ inconstantia familiarem efficit culpam aut miseriam, si vita tot concussa casibus huic duplici malo sæuienti latam viam aperit, Num melius est semel cadere, quam semper pendere & metu continuo torqueri? Magnum non videtur existentiam habere cum muscis, scorpionibus & viperis communem. Quid si peruersæ voluntates & in malis obstinatæ, nos in sortem dæmoniorum transcribant, quibus mori non posse æternum est supplicium?

DVRATIO. Non inficiari licet beneficium Dei nos è massa rerum possibilium in existentiam eligentis & vocantis; donum hoc magnum efficit non tantum ille transitus à negatione ad vitam; non tantum vita rationalis cæterarum dotes complexa, sed quod ætatum breui curriculo nobis ad æternam fœlicitatem gradus est. Ita cum illius obtinendæ se præbuerit occasio, lucrum est vitam mortalem cum immortali permutare, cessabit cura de viatico, cum ad hospitium, de proroganda & instruenda nauigatione, cum ad portum ventum est; satis longa & completa vita est, cum ad finem suum peruenit.

POTESTAS. Mori necessitas est, & seruitus vitæ nascenti sic imposita, vt ad illam perpetuò decurrat, at benè viuere, benè mori in nostra positum est potestate. Quis nos separabit à charitate Christi? non fames, non angustia. Omnia possum in eo qui me confortat, inquit Apostolus; qui virtutis amore, æternitatis desiderio vitam hanc mortalem contempserit, liber, securus, extra vim omnem sæuientis fortunæ vel tyranni positus est.

COGNITIO. Mens humana concipit aliquid melius quam ea quæ spectant ad vitæ sensibilis prolongationem: profundunt illam voluptatibus supra modum dediti, gloriæ vel spoliorum auidi milites; & pyratæ; vt studiis scientiarum illustretur animus torpescens languet corporis sanitas: infirmam si non habent, efficiunt assidua mortificatione sancti: vt hinc constet aliquid esse vita melius, cuius contemplatione siue falsa, siue vera, vitam suam mortales exponunt; maluntque non viuere, quam priuari concupitis.

VOLVNTAS. In nullo magis effulget arbitrij nostri libertas quam quod corporalis existentiæ bonum, cui tota natura præ cęteris laborat, velut iudex causa cognita rebus plurimis postponit, eligitque potius mortem immaturam, quam vitam inhonestam. Nullum naturaliter agens vires suas ad sui destructionem impendit. Non igitur liberum arbitrium se volens cum vita perimeret, si non esset sic vitę melioris & ęternitatis obtinendę conscia mens.

VIRTVS omnis est in eo posita, vt mores A componat ad idęam recti, & falce recidat, fræno contineat quæ vitam efficerent fortè longiorem & suauiorem, sed honestis legibus minimè consonam.

VERITAS. Quanta fuit in martyribus fortitudo, qui spretis tyrannorum muneribus; ruptis fœderis humani vinculis, se totos cruciandos, dilaniandos pro fide Christiana deuouerunt? Quid enim erat illis mundana cupiditas & vita præsens, Christo Deo suo in æternitate fruendo comparata?

GLORIA. Nihil vitæ producendę, quia nihil eius tranquillitati magis contrarium, quam dignitas publica, hinc enim curę, passiones, fluctus animi, in B hoc Occeano cęteris maiores, quibus impensi spiritus, corporis officia probè minus obeunt. Ad gerendas tamen dignitates maximus fit omnium concursus, licet in ciuilibus magno prętio suam emant seruitutem, in militaribus, indefesso labore vulnera, mortemque violentam pro præmio reportent. Tantum potest in humanis mentibus semel impressa gloriæ, licet vanæ cupiditas.

DIFFERENTIA. Diuersis diuersa mors contingit: omnium tamen vita sæculis præteritis & futuris comparata momentum est. In hoc fere non diuisibili tempore, summa quæ mortales distinguit differentia, quæ fortes ab ignauis, probos ab improbis discernit, est honesto fine concludi, mortis com- C munem necessitatem in meritum, præmiumque conuertere.

CONCORDANTIA. Præcedunt tot pro Republica, pro Christo fortiter occumbentium turmæ; vt his illustribus accedere nemo timeat, omnes ambiant, æterno apud Deum & homines præmio prouocati.

CONTRARIETAS. Nos vndique premunt aduersa: pati, concuti, tandem dissolui necessitas est, turpissimum inuitos rapi, gloriosum vitam à morbis aut lenta senectutis defectione vindicatam, patriæ, Religioni, Deo consecrare.

PRINCIPIVM. Vitam naturalem parentes, D sydera externæque causæ, nobis inconsultis contulerunt: sic seruato iure quodam dominij velut pręcariò concessa ab inuitis, ni prouideatur, repetunt: at vitam ex virtute meliorem, quisque cum auxilijs gratię sibi confert, fit ita suæ fœlicitatis artifex, & ne quid obstet, vitam sensuum, rationi iam subditam ipse, cum opus est, volens & libens immolat Deo.

MEDIVM. Tunc existimo vitam promereri curas, in educatione & institutione per ætatum gradus impensas, cum formatur ad excipienda diuina, cum habet sensus in mentis ministerio subiectos, virtuti, Religioni seruientes, cum suis etiam incommodis: nec enim deseri debet, Temperantia, Iustitia, E Fortitudo, Charitas, licet corporis & fortunæ vires minuant, nam sic ratio, & in Deum cultus proficit.

FINIS. Non igitur tantum contemnitur vita mortalis, cum sæuiente tyranno, pro fide, pro castitate libenter exposita concidit, sed etiam cum longo martyrio per sensuum mortificationes sensim deficiens, mortem immaturam videtur accelerare. Tunc sequitur ordinem dictum vniuerso, vt infima seruiant superioribus & ad vsus sensibilium vegetatiua, naturæ rationalis sensibilia consumantur. Sic creata, finem sibi præscriptum per gradus obtinent, & per medium hominem, sensus mentis ope, in Deum primum suum principium resoluuntur, nec videtur interire quod sic in præscriptam sibi redit originem.

ized by Google

MAIORITAS. Sapientum iudicio soli bellicæ A fortitudini triumphos antiqui decreuerunt: velut hæc inter cæteras virtutes heroïcæ titulum & cultum mereretur, quę vitæ propriæ periculis, Reipublicæ saluti consuleret, & acceptam à patria vitam, ipsi saluis innumeris conciuibus amplissimo restitueret fœnore.

ÆQVALITAS. Vitam contemnit, mortem optat miser, cur idem votum non concipiet vir probus vitæ cœlestis & purioris desiderio? Tædet eadem semper retexere, labi, resurgere, iterum, iterumque lapsuros mortales, ô quando nobis illucescet ęterna dies, sine tenebrarum, lapsus & doloris vicissitudine, ęqua sibi semper fœlicitate beata.

MINORITAS. Ambienti cœlestia vtraque sors prospera vel aduersa, metum incutit; infirmitatis suæ conscius timet ne rebus secundis insolescat, ne sub contrariis deficiat animus, nulli se tutò credit, B cum velut in hostili solo, structas vndique sibi timeat insidias: sibimet ipse potissimum suspectus est. Et non licebit statum hunc sic anxium, tot septum periculis auersari, & cum virtutis occasio tulerit, hac mortali vita fortiter contempta, ad consummatam in cœlo libertatem conuolare?

Academica gymnasia dicebantur, ab Academia villa quadam apud Athenienses quam Plato ad studij vacationem elegit, desertam, & pestilentem, vt libidinosi motus, metu mortis, in discipulis frangerentur, & nihil aliud desiderarent, nisi scire, Tosta. in Genes. fol. 4. c. 1. h.

Vide Duratio Virtutis. Martyrum constantia,

Contemnimus mortem nemini non debitam, prę sertim cum hæc vita nihil nouans semper eadem iteret, quorum vel intra spatium annuum saturos, perturbationum ac inopiæ pertæsos, in aliam iuuat suspirare. Iustinus Martyr apolog. 2. pro Christianis C S.Greg. Nyss. in orat. de S Basilio. Qui, inquit, quotidie moreretur, ac per mortificationem semper lubens absumeretur, quando tandem mortem, quam inimici minabantur, metuere potuisset, cui calamitas erat, quod non posset martyrum pro veritate certamina imitari, cum vni duntaxat morti natura obnoxia sit?

Vt ad perficiendã spicã ex naturæ instituto herbã ostẽdimus esse necessariã, nec tamẽ propter herbam nec propter tunicas aut aristas, aut culmẽ instituitur agricultura, sed propter frugem fructui accommodatã, ad cuius perfectionem natura per illa progreditur, sic expectatus huius vitæ finis est beatitudo: quæ verò nunc corpori eueniunt, vt formatio fœtus in vtero, infantia, iuuentus, senectus, mors, sunt vt herbæ, aristæ, culmi, tandem viæ, in quibus non est immorandum, sed per illas ad perfectionem D tendendum. Id. in oratione de mortuis.

Fortis vitæ contemptus, & mortis desiderium probat immortalitatem animæ. Vide quæ scripsi Theol. natu. tom. 2. parte. cap. 44. & moral. Christia. to. 4. parte. 2. cap. 29.

Quidquid transit temporis perit, & ipsum quem agimus diem, cum morte diuidimus; Non ergo laboriosum est, relinquere quod teneri non potest, imo quod singulis amittimus horis. Laurent. Iustin. lib. de humilitate cap. 4.

Vide Voluntas Finis. Mortem optare.

Effugit mortem quisquis contempsit, timidissimum quemque consequitur. Q. Curt. lib. 4. E

FAMÆ POST MORtem cupiditas honesta.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Qui vitam mortalem virtutis & Religionis amore profundunt, quacumque id de causa præstare se dicant, honestè negotiantur, & existentiæ mille casibus expositæ pretio, aliam sibi comparare volunt apud Deum & homines immortalem: scilicet beatitudinem in cœlo, famam in terris.

MAGNITVDO. A paucis conciuibus quisque cognoscitur dum est in viuis, etiam ætates ipsæ cursu suo sic immutant corporis figuram vultumque vt fucum oculis faciant, & elapso quodam tempore, iam alium, sola superstes nominis identitas ipsis etiam affinibus prodit; at is quem fama celebrem effecit, cunctis vrbibus, Regnis, populis, velut sol suo splendore notus est; non sensu, non oculis, sed mente & ratione: vnde vitam hanc spiritualem vt meliorem, corporali meritò sapientes prætulerunt.

DVRATIO. Dulcissimum est, sic in hominum memoria perpetuò viuere; posteris tradita per manus præclare gestorum historia commendari; cum enim virtus sibi nascenti offusas inuidiæ tenebras semel discusserit, in posterum libero regnat splendore, nec timet occasum, quia tempus res corporeas sensim absumens, virtutis nęuos tantum delet & antiquioris pulchritudinem efficit quauis exceptione maiorem.

POTESTAS. Potentioribus in maxima rerum externarum abundantia, quę fortunæ, quæ tandem morti subiacent, tacitum inest boni solidioris desiderium. Cum se sentiant mortales, optant immortalitatem famæ, quæ sit perpetuum suæ probitatis argumentum, & vitæ deficientis subsidium. In hoc reges sunt habituri populum, quem timent iudicem, & ne mortui seuerum experiantur, viuentes ei, metu, velut fræno coërcita potestate, plurimum indulgent.

COGNITIO. Parum est per aliquot virilis ætatis gradus in actione positos videri; vt fluxus fluxum, sic pręcedentem eminentiam sequens operit, & existimationi suæ iam defunctę multi se dolent esse superstites. Fœlix habetur, cui contigit inter tot mortales, alta sepultos obliuione, caput erigere; & à posteris ob præclarè gesta, nominari, suspici.

VOLVNTAS. Eosdem fama simul celebres & amabiles efficit: virtus enim rationi, & impressæ cunctis ideæ recti conformis ab omnibus amatur; quid autem optabilius, quid amabilius amore, quem ipse Deus rei nullius indigens, à nobis totum expetit?

VIRTVS non vni sæculo se natam putat, omnibus instar vniuersalis causæ prodesse vult & actu prodest cum eam fama celebrem effecerit. Vir enim insignis prostat velut exemplar cui conformentur cæterorum mores, Æquat stellarum & arenæ maris numerũ, sanctorum multitudo qui Christum, Apostolos, ordinum Religiosorum institutores sunt sequuti; toties animas Christo pariunt, quoties exemplo suo mundanos euocant ad cœlestis vitæ rationem. Et quis tanti boni cupidine non teneatur?

VERITAS. Famam multi aucupantur conductis adulantium linguis & scriptis: sed hæc vultus pigmenta citò diffluunt; vitio, stolam virtutis eripit n dina ta, torque mendaciis prouocat veras tunc

effulget sincerior, cum diu post funera nullus super- A est blandiendi locus.

Gloria. Gloriam hanc apud posteros, ambiebant antiqui per venales in sui commendationem historias; per priuata publicaque monumenta suis inscripta titulis. Sed senatus consulto sæpè deleti sunt tyrannorum actus & eorum damnata memoria. Soli virtuti contingit laus perennis, ita virtuti studeat necesse est qui famam consequi vult apud posteros immortalem, & innatus hic appetitus gloriæ, videri potest naturale virtutis incentiuum.

Differentia. Maximum in hac rerum vicissitudine priuilegium, nomen consequi quod permaneat, æternæ cuiusdam veritatis vestigium est in mobilibus immotum, sicut altissimi montis stans B vmbra, super decurrentis fluminis aquas.

Concordantia. Virtus quæ potentias inferiores efficit superioribus, superiores Deo consonas, meretur concordem hanc populorum vocem, & in suas laudes vnita suffragia, cœlo terra respondente consentiunt homines plaudẽtibus angelis; immortalitatem gloria, perpetuus hic honor æmulatur.

Contrarietas. Validam oportet conijcere virtutem, cuius radios extinguere non potuerũt tot conglobatę calumniantium & inuidentium nubes. Vicit hæc aduersa, fixum in bono propositum hominis dum viueret, eo accedente trophæum non vnicum, sed in omnium animis erigit prouidentia, & nouas inter beatos iam agenti, confert aureolas.

Principium. Ita vir bonus suis hac in vita C functus muneribus, agit adhuc partes vniuersalis causæ & tutelaris angeli, homines ad virtutem prouocantis tot sequentum merita, tot splẽdores, etiam propagati in originem suam reflectũtur. Quis cœlestem hanc angelis propriam non optet fœcunditatẽ?

Medium. Ambiens igitur optimam post suum ex hac vita discessum famam, curet primum media quibus potest obtineri, indefessos virtutis actus; obstinatam inuita mundanorum malignitate, recti conscientiam; assiduos conatus, vt Deo ad promouendum proximi bonum cooperetur, constantem hanc perpetuamque diuinæ legis & voluntatis affectum, sequetur splendor indeficiens.

Finis. Immortalitatis suę mens conscia, vult D ad instar Dei, quantum licet esse semper & vbique; mortis corporeæ necessitatem solatur hac intellectuali, terminum non capiente vita. Censeri potest quędam anticipatio futuræ in extremo iudicio gloriæ, cum latentia prius iustorum merita omnium subiicientur oculis.

Maioritas. Sunt qui non optent diuturnam corporis vitam exulem à cœlesti patria; vt hinc deflectat confusis hominum vocibus, vestigiis, turbis auocatam, periclitantem, at quis neget sanctos mortalibus vinculis solutos Deo gratias immortales reddere, quod eorum memoriam celebrent homines, quod impensas sibi gratias, dum recolunt, sperent, & promereri studeant ab eodem summo E largitore.

Æqualitas. Ad similia vocamur paribus instructi subsidiis; non licet, forte non expedit, vitam corporis diutius producere. Sed votis integris expetenda sanctitas, quę nos inferat cœlo, quę fama superstite, velut præsentes exhibeat posteris quos imitentur, & non tam hominis nomen, quam diuinæ gratiæ vim de mundo victricem celebrent.

Minoritas. Sequiente fortuna, & hæreditatis facultates dissipante, superest aui vel parentis illustre nomen, quo splendet bonis etiam spoliata posteritas, quod habet velut antiquæ virtutis germen in pares aliquando profectus surrecturum; non enim dabit Deus sanctos suos videre corruptionem, interdum alicuius vitio depressa nobilitas, cito resurgit velut lignum vi mersum aquis, & in pristinos redit gradus, innata sanguinis virtute, & genii familię pręsidentis cura. Quis igitur non ambiat hoc hereditarium, cœleste, non alterabile ius posteris suis relinquere, familiãque suã hoc palladio præmunire?

MISCELLANEA.

Si fortunæ sint in octaua cum fixis fœlicibus, multiplicabitur fama per plura sæcula, vbi congressus planetarum solus, vno sæculo, quamuis præclara finiuntur. Cardan. de iudiciis genitur. cap. 11.

Omnes aut præcipui planetæ, sub terra, significant gloriam quæ post mortem manet, idest librorum compositionem. Ibid cap. 26.

Cum in hora mortis sol in cœli medio fuerit, gloria illustris post mortem diu perseuerabit. Id aph. sect. 2. apho. 124.

Famæ post mortem cupido probat immortalitatem animæ. *Vide quæ scripsi Theolo. natural.* tom. 2, parte 4. cap. 55.

Math. 26. Christus permisit pretiosum vnguentum super caput suum effundi à Magdalena, siquidem tanta post crucem virtus eius futura erat, vt vbique per totum scilicet orbem diffunderetur. D. Chrysost. Hom. 8. super math.

Ideo facta sunt pretiosa sepulchra. *Vide Gloria Finis.* Et famam historia perpetuam efficit. *Vide Duratio Cognitionis.* Historia.

Omnes ambiunt immortalitatem si non personæ, saltem nominis; hinc propagationis cupido. Ampla construunt ędificia, præcipuum aliquod opus perficiunt quod ad posteros transeat; sed frustra, nam perit memoria eorum cum sonitu, ędificare conantur super labentes aquas. Audiant Prophetam, In memoria ęterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. Iustitiam ergo sectetur, qui vult immortalitatem, nam vt qui inhæret cadenti, necessario corruit, ita qui adhæret ei qui semper est, nunquam deficiet, qui vnus cum Deo spiritus effectus est. Laurent. Iustin. serm. in natiuitate B. Mariæ.

Olim solebant testamento adoptare & hæredes scribere, ea lege, vt nomen testatoris ferrent. Cuiac. obser. lib. 7. cap. 7.

Modus aliquando vim habet fidei commissi, vt in l. legatum ff. de vsuf. leg. modus ad scribitur legato Reipublicæ relicto, vt quotannis memoria defuncti celebraretur, edito certo genere spectaculi & in eam rem expensa certa quantitate, quæ sumeretur ex reditibus prædiorum legatorum: id dicitur fidei commissum quod à Rep. hęredibus debetur, quorum interest memoriam defuncti celebrari. Idem lib. 23. cap. 5. & l. pen. ff. de ann. legat. pecunia Reip. Sardiniorum relicta per quadriennium certaminis Chrysantiani, intelligitur perpetua pensitatio singulis quadrienniis.

Gloria vmbra virtutis est, etiam inuitos comitabitur, sed quemadmodum aliquando vmbra antecedit, aliquando sequitur: ita gloria aliquando ante nos est, visendamque se pręberet, aliquando in auerso est, maiorque quo serior, vbi inuidia secessit. Senec ep. 79.

Donatistæ vt à suis colerentur velut martyres præcipitio se collidebant, & aliis modis violentas sibi afferebant manus. Contra ipsos habitum Conci-

by Google

lium Carthaginense. an. 347.

Quidam asserunt in viris celebribus, figurę cœlestis directiones agere etiam post mortem.

In fimbrijs vestis sacerdotalis, erant malo granata & tintinabula, quæ significabant in fine vitę sacerdotium in templo mundano, ex diuersis bonis operibus famam.

Labienus cuius scripta combusta fuerant, voluit se viuum in sepulchro parentum includi. *Vide Contrarietas Cognitionis.* Quæ cognitioni aduersantur.

Bonis principibus populi statuas posuerunt, vt ipsis hac ficta præsentia semper fruerentur; hinc famam propagandi post mortem ardor & idololatriæ origo. Polidor. Virgil. lib. 1. cap. 5.

ARDENS PROPAGAtionis cupiditas.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Ad indiuidui conseruationem pertinent quæ dicta sunt de legitimo vitæ presentis amore, cui laborant omnes instituti ciuilis artes, & ipsa famæ post mortem cupiditas, hoc intendit, vt is, quem mori necesse est, viuat tamen velut immortalis in hominum memoria. Huic affectui singulari succedit ardentior, propagationis scilicet desiderium, quo particulari simul & vniuersali bono prouidetur. Nam parens moriturus, se putat in prole sua viuere, cum interim seruantur rerum species, & his constans mundanus ordo.

MAGNITVDO. Vnius indiuidui dilata mors reparatur multiplici citaque filiorum generatione, vt fœcunditas varios vitæ casus in tenera prole præueniat, & securior natura sit datis illi pluribus ad speciei conseruationem fideiussoribus, & correis debendi: excedere solent nominis summam, quæ dantur pignora. In his quod excedit, non vitiat, sed reponitur ad pestilentiæ statosque pendentes à cœlo casus, cum occurrerint multorum indiuiduorum pretio, salua semper specie, ferendos.

DVRATIO. Adultæ tantum ætati conceditur hæc generandi vis, vt sub talibus induciis sibi tantum laborans corpus, debitum sumat incrementum, viresque similium generationi deinceps suffecturas; Nam si statim à primis annis illi natura daret operam, vis nondum consolidata, fœtus ederet infirmos & singulorum defectus tandem transirent in speciei contumeliam. Prouidentiæ diuinæ munus est, affectus ætati congruos inserere; Inscitia, stupiditate ab immatura venere continere, Nam cum cœperit hic ardor in animantibus, moras, modumque non capit, & vix institutionis rectæ legibus ab ea reuocantur adolescentes, fallitque cupidinem ad artis & scientias studiis indefessis euocata mens.

POTESTAS. Vis illa vegetatiuæ propria, suos habet motus liberos, importunos, rationis legem nec expectantes nec ferentes. Ad miraculum accedit furens vterus, & ea præstare solet quæ Dæmonibus adscribit superstitio. Læsa debiti nimia dilatione natura, tot pœnis impositis sæuiens illud exigit tributum extorquet indignata quod vltrò non paretur legi communi, publicumque speciei propagandæ ius, non præfertur priuatis singulorum commodis.

COGNITIO. Æquissima ratione nititur propagationis obligatio, sed huic legi singularia parét sine discussione, Impetu raptuque, qui sapientes ipsos animales efficit suspenso & ad breue temp us inter-

A dicto, quo valent in cæteris iudicio.

VOLVNTAS. Non quod cęcam hanc obedientiam exigat natura ne quid in contrarium humana libertas moliatur, Rarum enim id est, &, vt ait Christus Dominus, pauci capiunt verbum istud, sed id impetu fieri melius visum est; ne longa vel dilatio vel consultatio, torqueat, & incendia quæ vix extingui possint, suscitet. Nam amori velut suo principi militant cętere passiones, & in vnum confuso ruentes impetu, id optimum, quod citissimum & violentum ducentes, miserè rationis imperia sensuum officia conturbant, vt amaus velut Tantalus, in ipsis aquis sitiens, semetipsum zelo torqueat, rebus quasi desperatis ęterna se damnet sterilitate.

B Sic reflexus hic ignis fit vltra quam par est, ardentior, & suaues naturæ motus in supplicia conuertit.

VIRTVS. Fœliciter insanit amor, si tandem diuturnæ suæ seruitutis tædio conuolat in castimoniæ libertatem, & gratiæ diuinæ beneficio cordis emancipati futuras operas Deo velut patrono suo conceptis solemniter votis consecrat. Sed castis institutis Religiosis sua non deest se propagandi cupiditas; Id ambiunt instinctu simul & consilio modis inconfusis in optatum finem cuncta dirigente.

VERITAS. Fatentur & incusant omnes vim amoris excedentem, vincula, cruciatus, dolores, la-

C chrymas, nec aduertunt ad hæc lugenda se non tam aperta vi, quam dolis & occulta machinatione perduci. Animalia ex sola differentia sexus, æstuant in venerem. At hominem rapit vultus pulchritudo, quam vt diuinitatis quendam radium innocenter primum veneratur, securiusque quo putat à sensuum corruptela penitus immunem. Non credit oculis suis amans, nisi syderum occulta sympathia fascinatis, excellentiorem quam sit existimet pulchritudinem, vt extra communem sortem immortali, æternos suos amores deuoueat; his natura dolis vtitur vt rationem sensibus subiiciat, & de-

D lusos deducat ad pœnitenda,

GLORIA. Quanto voluptatis lenocinio mens sensusque captiuetur infinitum, nec decens est recésere, si benignè micat oculus, si furtiui susurri spem accenderint, si cætera sequantur, summi cuiusdam boni videtur esse fruitio. Accedit in nuptiis conuiuiorum, musicæ, saltationis solemnitas. Ita reis addictis plaudentibus, amissa libertate, collo sub iugum misso, Natura prolem quam optauerat obtinet.

DIFFERENTIA. Hominem libertatis suæ vindicem, ad intelligibilia natum his artibus & dolis oportebat ad sensibilem captiuantem copulam deduci; Aliquid tamen simile natura molitur

E in animantibus. Nam verno tempore rediuiuis cum solis calore spiritibus animantia gestiunt, exultant, aues dulce concinunt, sibi consortique affectata pulchritudine placent, priusquam æstuent in venerem. Tunc conuentus celebrant & quisque masculus ex pluribus feminis vna selecta, statim à cæteris cum ea separatas quęrit sedes zelotypus, ad amoris securiores delitias & futuri fœtus extra periculum positam educationem.

CONCORDANTIA. Anxium sibi fingit opus amans ex intensione sui desiderij, cum id facile reddat natura propter maris & fœminæ mutuos in idem concursus: ardorem pudor tegit in fœminis, sed ardentissimum esse probat, hæc quæ propterea se partus diuturnis incommodis, cum mortis periculo deuouet infirmitas.

CONTRARIETAS. Concupiscibilem armat, generosam, & vt optatis fruatur in procinctu fortiter

positam detinet irascibilis. Vix vlli sine procorum A certaminibus amores, & in talibus exponendis, vtque placeat dum nostros induunt affectus, theatra naturam imitantur. Auget rei possessæ pretium impensus in obtinenda labor: hinc matres ardentius incubant proli & quam maiori diligentia fouetunt, amant impensius, inuicta magis tutantur fortitudine; mira naturæ solertia, quæ pœnam in affectus incentiuum & actionis præmium conuertit.

PRINCIPIVM. Excellentissimę dignitatis titulus est, prolis esse parentem, est enim quędam participatio Dei primi rerum principij, cuius etiam bonitate rebus creatis hæc infusa & superaddita virtus est vt sibi simile generent, dum præceptum est illis, Crescite & multiplicamini. Solis expertis notum est quanta reflectatur ex natis in parentem dulcedo, quę diuturnos educationis labores amplissimè solatur.

MEDIVM. Artem amandi natura docet, singulisque necessitas industriæ magistra proprios affectus conciliandi modos suggerit, & in his sumptibus, vigilantiæ, labori, vitæ denique suę œstro percitus amans non parcit.

FINIS. amor propter se non propter aliud quæri solet, sibimet ipsi finis est, nec semper nupturi legitimam ex matrimonio prolem sibi proponunt, finem hunc licet à singulis non intentum prouidentia consequitur. Peccat tamen hic cæcus amor, carens intentione cæteris animantibus communi, cum enim feræ ad commodam sui fœtus educationem sua sibi seligunt cubilia; cum aues fabricant nidos & ad fouendam pullorum nuditatem molli sternunt pluma, non tam amoris quam prolis habent imaginem; cum & prole suscepta se contineant à venere.

MAIORITAS. Vitam vnam multis alijs producendis & vlterius propagandis sufficere, prodigium est, consuetum quidem, sed semper mirabile. Idæam entis infiniti & illimitati quam habet homo in re nulla materiali magis exprimit quam in generatione filiorum, qui ordine suo parentes existant filiorum, hinc in futuris interminata propagatione sibi succedentium.

ÆQVALITAS. Quot liberos habet pater, tot Ecclesiæ simul & Reipublicę dat suæ virtutis substitutos hæredes fideiussores, & sæpius qui pauca per se, multa dignaque per liberos præstitit.

MINORITAS. Meritò fuit ab antiquis habita sterilitas velut inauspicata, irasque cœli patiens, quæ B quantum in se, humanæ generationi finem imponit, totamque sine successionis spe, fato concedit, orbe parte sua nobiliori vacuo. Licet tamen quibusdam segregatis ab hominibus, angelos imitari qui non nubunt, sed prolem tantum spiritualem Deo proferunt. Quod suis locis demonstratum est.

Quilibet actus est generatiuus habitus sui generis. Tostat. in Matth. to. 4, fo. 174. co. 4. h.

Vide Bonitas & Magnitudo Principij. Magna fœcunditas.

Inest rebus omnibus si propagandi desiderium. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege. 15. §. 2.

Mutuus est inter vtrumque sexum amor. Ib. §. 3. & de legitima in matrimonio fœcunditate. Moral. Christiana. to. 3. parte. 2. cap. 1. & 2.

In lege Mosaica seminis suscitatio data est in subsidium, C vt ei qui non haberet filios naturales, darentur legales. Tostat. Matth. to. 6. fol. 48. sic de adoptione. Vide supra, Famæ post mortem cupiditas.

VIRTVS DVRATIONIS.

PERFECTIO QVÆ HABETVR EX DIVTVRnitate, & Mora.

VIRTVS non nisi longa D exercitatione perficitur. *Vide Duratio Virtutis.* Sic sapientia. *Vide Duratio Cognitionis.*

Fœmina citius pubescit quam vir, quia humidum quo abundat, citius terminatur quam siccum, quod calori terminanti magis repugnat: sed diutius tenet calorem siccum, quam humidum, & ideo vir diutius generat, quam fœmina concipere possit, vnde Reges Persarum statuerunt, vt quisque iuniorem se duceret vxorem, ne si vetustiorem duceret impediretur filiorum procreatio. Albert Mag. tract. 1. de iuuentute & senectute. cap. 2.

Imperia vi ac robore acquiruntur, at sapientia conseruantur, quanto sapientia viribus, mens corpori præstat, tanto imperiorum conseruandorum ratio, quam acquirendorum maioris existit virtutis. Acquisitio est interdum casus & fortunæ opus vel alieni defectus occasio, at propriè sapientię opus est quæsita conseruare *Vide Potestas Duratio Potestas Durationis*. Excellentia tardius perficitur. *Vide Maioritas Durationis.*

VERITAS DVRATIONIS.

QVÆ SIT VERA CONTINVATIO.

AETAS est spatium temporis in viuente relictum, in quo virtus vitæ omnem perficit suæ mensuræ modum, nisi per accidens impediatur nam plantæ & animalia variant operationes suas secundum ætatem. Albert. Mag. Tract. 1. de iuuentute & senectute.

Non est in nobis tantum boni, vt pluribus quæ recta sunt, placeant, sæpè tota circi turba barbarè exclamauit. Ergo consuetudinem sermonis vocabo consensum eruditorum; sicut viuendi, consensum bonorum. Quintilian. Instit. ratoriar. lib. 1. cap. 11.

De naui refecta quæ eadem semper censetur permansisse. *Vide Gloria Medij.* Honor instrumenti.

Quæ faciant legitimam consuetudinem. *Vide Potestas Durationis.*

A Quantum est vna hæc dies, quantum ad vitam omnium diu viuentium, tantum est omne sæculum hoc quantum ad vitam supernarum virtutum, & si tantum est, quantum ad vitam supernarum virtutum, iam vide quam nullius momenti est, omne hoc sæculum quantum ad vitam Dei, quæ est æternitas. Origen. Tract. 10. in Matthæ.

Longa consuetudo probatur, vel testibus, vel rebus iudicatis; Testibus non rogatis quidem singulis ciuibus, vel prouincialibus, sed vt fit per tribus aut curias, aut centurias, aut vicos interrogatione currente: Rebus iudicatis, vt si inter partes fuerit mota de consuetudine quæstio, & iudex firmauerit consuetudinem. l. cum de consuetudine. ff. de legib. illam declarat, non facit l. si cuti §. sed si quæ-

B ratur. ff. si seruit. vindicet. Cuiac. obseru. lib. 10. c. 1.

GLORIA DVRATIONIS.

ANTIQVITAS VENERANDA.

CORAM cano capite consurge, & honora personam eius. Leuit. 19. Ideo dignitates conferuntur per gradus. *Vide Duratio Maiestatis.*

Dextra pars nobilior, quia ab ea incipit motus. *Vide Magn. Principij.*

Primi fundatores semper colendi. *Vide Minoritas Differentia.* Nouitas fugienda. *Vide Principium Concordantia.* Legislator.

Lignum Cedri, sed veteris tantum, est odoriferum.

Semper id quod pertinet ad prius, habet rationem principij, vnde cum natura sit primum quod est in vno quoque, oportet quod id quod ad naturam pertinet, sit principium in quolibet.

Matth. 13. Prius seminatum est triticum, deinde inimicus homo superseminat Zizania; prius est corpus, quam vmbra, prior veritas quam mendacium. Sic Tertullia. de præscript. c. 31. Ex ipso inquit ordine manifestatur id esse Dominicum, & verum quod sit prius traditum. Id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum. Et c. 34. Hæreses de ætate sola præiudicantur. Et contra praxeam. c. 2. aduersus vniuersas hæreses iam hinc præiudicatum sit, id esse verum, quodcumque primum, id esse adulterum, quodcumque posterius. Et in Apolog. c. 47. Omnia aduersus veritatem, de ipsa veritate constructa sunt, operantibus æmulationem istā,

C spiritibus erroris, &c. Nunquam corpus vmbra, aut veritatem imago præcedit. Et lib. 4. contra Marcionem c. 5. In summa constat id verius esse, quod prius; Id prius, quod & ab initio, ab initio quod ab Apostolis, &c. *Vide Duratio Veritatis. Et Gloria Principij.* Causæ & initij.

Pythagoras dicebat natu maiores esse colendos, & quod tempore antecederet honorabilius existimandum, vt in mundo ortum occasu, in actionibus principium fine, in vita ortum interitu. Suidas in voce Pythagoras. Deum præponendum dæmonibus; heroas hominibus; ex ipsis hominibus colendos maximè parentes. Ib.

Florum odores & suffimenta suauius olent è longinquo, cum in propinquo alia herbam potius re-

D doleant, alia fumum; quia quod est grassius & magis terrenum in propinquo sentitur, quod est subtilius, latius diffunditur. Sic vinorum virtutes obscurat mixta imperfectio, ad posteros sola virtus peruenit.

Bel Idolum Babylonicum interpretatur vetus, fuit enim hic Belus Pater Nini primus rex Assyriorum. Isidor. Orig. lib. 8. cap. 11.

Cæteris paribus, is qui prior ordinatus fuit, postea ordinato præfertur Can. 1. de maio. & obedie. Can. vlt. dist. 17. Can. vlt. dist. 75.

Detractores Hieronymi præferebant ei antiquos scriptores & applicabant illud Eccles. 19. bibens vinum

Digitized by Google

vinum nouum, dicit vetus melius est. Tost. Gen. A 34. c. 2. c.

Antiquitas seu prioritas est legitimus prelationis & excellentia titulus. Vide quae scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 14. §. 1. Vide Duratio Gloria. Honor à dignitate deposita.

Festis deorum diebus, imagines maiorum aperiebantur. Seneca lib. 7. controuersia sexta, quasi simul cum Dijs essent colendi.

PRIORITATIS PRIVILEgium.

Primogenitura.

B

SIgnum primum in significationibus habet dominium, quando per duo signa fit rei significatio. Hermes centiloq. n. 68.

Hinc primus locus solet haberi dignior. In capite libri scriptum est de me; & passim qui dignior est, dicitur prior, vt l. 11. §. Seruius. ff. de Orig. Iur. Samuel constituit Saülem in capite eorum qui fuerant inuitati. 1. reg. 9. De medio digniori. *Vide Bonitas Medij. Vide Gloria Principij. Initij.* Prioritatis praerogatiua.

In primogenito tanquam in capite permanet splendor geniturae. arg. l. cum scimus in f. Cod. de Agricol. cens. & colo. & deterioris conditionis non est, quam pater. l. cum satis Cod. eod. C

Si duo nobiles habeant eadem arma, prior tempore potior est iure. l. 11. c. qui potior. in pigno.

Ordo temporis seruatur tantum inter existentes in dignitate aequali: nam alias prior est alijs, qui maior est in dignitate l. 1. Cod. de consulib. lib. 12.

Deus praecipit nomina filiorũ Israël scribi in veste Aaron, iuxta ordinem natiuitatis eorum. Exod. 28.

Vna Religio praefertur alteri ratione antiquitatis. Vide Chassan. in catalogo gloriae mundi. Parte 4. D consider. 53. Antiquiores Clerici & Doctores, debent habere primum locum, deinde caeteri per ordinem. cap. cum olim. de consuetudine.

Inter artifices qui ex prioritate dicunt artes suas esse excellentiores, statuarij dicunt quod Deus fecit hominem ad imaginem suam. Agricolae quod Deus plantauit paradisum in Edem. Sutores, quod Adamo è paradiso eiecto fecit tunicam pelliceam. Chassan. lib. pa. 11. consid. 41.

Apud antiquos Gallos, haec erat seuera disciplina, vt qui vltimus accessisset ad concilium militare, morte plecteretur. Caesar. lib. 5. de bello gallico.

Si magneti lapidi iungas ferreum annulum, tenebit ipsum, & similiter alium, & alium, licet in omnes penetret per ordinem ex illo lapide vis naturae, tamen priores nexu vehementiore constringit, posteriores, remotiore; sic Verbum supernum lapidem imaginor, cuius virtus penetrat cuncta vsque ad vltimum; non quod gradatim deficiat virtus infinita, sed vt finitis & terminatis creaturis, insit mirabilis connexionis ordo. Card. Cusa. de Concordantia Catholica. lib. 1. cap. 2. E

Apud Indos Idolatras quos vocant Sabis, nullus potest esse sacerdos nisi primogenitus ex Virgine. Adorãt tota die, id quod manè primum illis occurrit.

Initio mundi omnia pontus erant; Ideò aqua videtur antiquissimum elementum, quod sic omnibus imperat, nam terras deuorant aquae, flammas necant, scandunt in sublime, & obtentu nubium, coelum sibi vendicant.

Circasiae populi, infanti nato; nomen imponunt eius extranei qui primò post eius Natiuitatem, domum ingreditur. Dauity in Circasia.

India Orientalis fert vniones, aromata & caeteras gemmas quas non fert Occidentalis.

In Sanctissima Trinitate, filius est primus procedens; ita primus diuinitatem dedit mundo per Incarnationem. Primogenitus in multis fratribus inquit Paulus; ideò se obtulit patri, velut primitias.

Vsque ad Sacerdotium Aaron, omnes primogeniti ex stirpe Noë fuerunt Sacerdotes victimasque immolarunt, & haec sunt primogenita quae Esau fratri suo vendidit. Hieron. ad Euagrium. Rupert in Genesim lib. 7. cap. 13.

In Arabia, inter fratres aetate maior, caeterorum censetur Dominus. Rodigin. lib. 18. cap. 35.

Iure Gentium si aliqua dignitas proueniret iure haereditario, quae diuidi non posset, soli primogenito competebat, & sic erat in dominiis terrarum, & iure regnandi, & hoc vsque ad nos peruenit. Tostat. 2. Paral. fo. 157.

Osculum erat jus primogeniturę. Id. Gen. fo. 306.

Sacerdoti magno succedebat primogenitus illius, nisi aliquam maculam haberet quę priuaret eum iure Sacerdotij. Id. Leuit. 51.

In regno Sinensi, si quis facit cessionem bonorum, vltimus creditorum caeteris praefertur, quia quae supersunt bona, ex suis reputantur. Dauity.

REPVGNAT.

Primi & Primogeniti post habiti.

TAlmudistae dicunt primogenitos suũ naturę jus amisisse propter fratricidium Abelis à Caïn cõmissum, & ita obseruatum fuit deinceps in semine Abrahę; Nam Isaac secundo genitus natura, & Iacob, & Iuda suos fratres primogenitos antecesserunt ea praerogatiua, quod etiam in Moyse erga Aaronem factum est. Item, in Prophetis. Samüel enim vnxit Dauidem natu minimum, & Salomon minor fratribus ad solium regni euectus est. Sic Ioakim supra Ioacham. 2. Paral. 36. Genebr. An. M. 3357.

Dies septimus à rerum creatione in quo Deus requieuit, cęteris diebus non tanquam minor postpositus, sed vt longe dignior superpositus est: nam de illo non dicitur vt de alijs, factum est vespere, caret enim vespera. Rupert. lib. 2. in Genesim c. 13. Sic homo dignior inferiorum creaturarum vltimus creatus est. *Vide Minoritas Principij initij.*

Caïn primogenitus Abel iusti, prius est carnale deinde spirituale, Synagoga ante Christum. Naturalibus ramis qui fracti sunt, posterior est oleaster; Angelorum qui ceciderunt, implebunt ruinas animae humanae postea creatae. Christus est secundus Adam, Maria benedicta inter mulieres, secunda Eua.

Illa regula prior tempore, potior est iure, valet tantum in debitoribus realibus habentibus hypothecam; Nam in debitis personalibus non est habenda ratio temporis prioris vel posterioris, nisi adsit alius titulus prelationis. Bonac. de restitution. q. 8. prop. 5.

In populo Israël egrediente ex Aegypto non numerantur pueri, nisi sint primogeniti, aut ex tribu Leuitica. Origen. hom. 1. super Numer. Leui enim assumitur à Deo pro primogenitis, licet ipse non esset primogenitus, sed tertius natus est ex Lia, sic à Deo assumuntur vt primogeniti qui tales natura non sunt. Id. hom. 3.

Dauid Prophetica manu ad regnum prouectus,

subito fit primus fratrum, ordoque naturæ cedit gratiæ. S Basil. Seleuc. orat. 14. 1. Reg. 16.

Abraham non fuit primogenitus Thare, licet inter filios illius primus ponatur in ordine, quod non ętate sed dignitate factum est. Tost. in Gen. p. 54. col. 3. K.

Adoniæ competebat regnum Israël ratione primogenituræ, tamen delatum est Salomoni Idem in 3. Reg. f. 6. c. 2. a.

Carthago septuaginta annis condita fuit priusquam Roma. Id. Matth. to. 4. fo. 133. c. 4. 1. eam tamen Roma deleuit.

Leuitæ quia non petierunt Deos, nec factum vitulum coluerunt, nec colentibus consenserunt, ideo abiectis cæteris primogenitis filiorum Israël, suscepti sunt loco eorum. n. 3. Tost. Exo. to. 2 f. 133. B

Lex prior limitatur per posteriorem. l. non est nouum ff. de legib.

Moyses preponitur Aaroni, primo quia commissa fuit ei cura de educendo Israëlitas. 2. quia Moyses recipiebat verba Dei immediatè & postea tradebat ea Aaroni. Id. Exod. c. 1. f. 39.

Primogenituram multipliciter mutatam legimus scilicet Iaphet in Sem, Esau in Iacob, Ruben in Iudam, & Ioseph. Id. Gen. f. 251.

Mirantur quidam quomodo Cain dicatur ædificasse ciuitatem quam vocauit de nomine sui filij Henoch, Henochiam, cum tunc quatuor tantum recenseantur homines in mundo. Adam & Eua, Cain & Henoch. D August. lib. 15. de ciuit. cap. 8. Respondet Henoch non fuisse primogenitum C Cain, sed in senectute genitum, cæteris autem fratribus, nepotibus, pronepotibus prælatum affectu singulari patris sui; & si fuisset primogenitus non statim eo nato ædificauit ciuitatem, sed sub finem vitæ tunc cum multiplicatum esset humanum genus, ab ipso Cain, eius filius, & ipso Henoch. Vide Pererium in Gen. l. 7. vers. 17.

Sol, luna, stellæ, sunt creatæ post plantas, homo post bruta, & tamen posteriores illæ, in prius formatas habent imperium.

Redditæ sanitatis nomen vsurpat medicus, qui sub finem morbi venit, non tam peritus quam fœlix; victoriç laus interdum defertur principi obsessę diu ciuitatis vltimos frangenti conatus, & deditionis conditiones acceptanti D

Nunquam successio regni tolleretur, si Reges ex filijs ad regnum eum eligerent qui meliorem & regni initio magis concordem haberet genituram. Cardan. aph. sect. 3. apho. 150.

Plerumque quod differtur ad tempus, suo deinde tempore traditur centuplicatum: similiter & qui posterior ad nuptias accessit, prior recubuit. Currebant olim Petrus & Ioannes ad monumentum, sed ille prior introiuit, qui aduenerat posterior. Erunt, inquit sapientia, nouissimi primi, & primi nouissimi. Lauret. Iustinian. lib. de casto connubio verbi & animę. c 8.

In legatis posterior voluntas potior est priore, vt in legibus. Cuiac. obseru. lib. 14. cap. 7. Sic vltimi Codicilli valent. l. vlt. de leg. 2. *Vide Differentia Voluntatis.* mutatio voluntatis. E

Suares lib. 3. de legib. cap. 2. probat Adamum ex sola prioritate originis non habuisse potestatem in cęteros homines, quia nascebantur liberi, sed tantum potestatem œconomicam in filios quandiu non erant emancipati.

Petrus primo per septem annos sedit in Antiochena Ecclesia & tamen Ecclesia Romana in qua postea sedit, primatum obtinet Patriarchatus, quia A vt dicit D. Gregor. libr. 6. epist. 37. in ea uiescere & vitam finire dignatus. Gloss. in epist. 3. Anacleti.

Noli fidem pensare temporibus, nec me idcirco meliorem putes, quod prior in Christi exercitu cœperim militare. Paulus Apostolus & vas electionis de persecutore mutatus, nouissimus in ordine, primus meritis est, quia extremus licet, plus omnibus laborauit. Moyses septuaginta Seniores eligit, non æuo sed prudentia. Daniel adhuc puer longæuos iudicat. Diu. Hieronim. epistol. ad Paulinum.

Vide Duratio Cognition. Rep. Iuuenum ad dignitates promotio

Vide duratio Virtutis. Sera pœnitentia valida.

Vide Maioritas Duration. Quæ excellunt tardius perficiuntur.

Causa si committatur pluribus auditoribus Rotæ, is cognoscet cui prius commissa fuit. Martin. 5. const. 5. §. 4. Bull. p. 243. p. 1.

HONOR ET QVIES *Senectutis.*

SEnatus dicitur à senibus, tales centum Senatores instituit Romulus & vocabatur venerabilis cœtus. l. leges. Cod. de legib. Consilium Iuuenum Roboam fecit egenum. 3 Reg. 1.

Roma vetus veteres cum te rexere quirites,
Nec bonus immunis, nec malus vllus erat.
Defunctis patribus successit praua iuuentus,
Consilio cuius praecipitata ruis.

De honore Senum & quod valentes genio non debent à regimine discedere. *Vide Virtus Finis.* Valida senectus.

Plato 5. de Republica ideo potissimum volebat vxores esse communes, vt iuuenes, senes omnes velut parentes venerarentur.

Cum cætera tempus auferat, prudentiam in senibus facit firmiorem, multam vim habent senum consilia, iuuenum opera. Senectus vt vinum, sordibus expurgatis ætate maturescit, & dulcescit, tale bonum est, vt qui illud non acquirit, morte mulctetur. Id omnes desiderant, licet dum venit, ægre ferant. Senectus non tam est iuxta finem vitæ, quam iuxta principium benè beateque viuendi. Flos est sapientiæ & temperantiæ canities, quæ ne voluptates quidem desiderat. Rerum à senibus benè gestarum memoria, est ipsis thesaurus, quem aut tempus aut fortuna non potest tollere. *Vide Cognitio Virtutis* propriæ, & confidentia sui.

Multa de honore senibus à iuuenibus deferendo. Vide Chassane. in catalogo gloriæ mundi. part. II. consider. 17.

De cultu antiquarum quercuum. *Vide Bonitas Maioritatis.* altitudinis.

Vide Gloria Finis. Quies & honor senectutis.

Presbyteri, id est seniores sic dicti sunt, non modo pro ætate, vel decrepita senectute, sed propter honorem & dignitatem. can. cleros. dist. 21.

Imperat. Iustinian. Nou. 80. quæstorem iubet inrere diligenter de aduenis in ciuitatem Constantinopolitanam, otiosos ad artium laborem cogere, agricolas ad propria redire. At canitie graues, sine molestia concedit in ciuitate agere.

In omnibus congregationibus Israëlitarum quæ fiebant, vocabantur potissimè maiores natu. Tost. 2. Paral. f. 63.

Digitized by Google

In religiosa congregatione honor senibus deferatur. Vi. A *de qua scripsi lib. de institutione & officiis religiosi. par. te. 3. cap. 20.* *Vide Gloria Virtutis.* Quies virtutis post labores.

Senibus pauperibus præ cæteris auxiliandum. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ. parte. 2. cap. 5.

DIFFERENTIA DVRATIONIS.

VARIA RERVM ÆTAS.

AETAS quadruplex, scilicet ætas B congregans tam substantiam, quam virtutem; ætas standi tam in substantia, quam in virtute: ætas diminuendi virtutem sine diminutione substantiæ, denique ætas minuens tam substantiam, quam virtutem. In homine prima vocatur puerilis. 2. virilis. tertia senectus, 4. senium seu ætas decrepita. Dicit Ptolomæus has ætatum differentias fieri ad instar lunę quæ intra mensem à sua cum sole coniunctione, hos habet ætatis gradus. Albert. Mag. tract. 1. de iuuentute & senectute. cap. 2.

Genera quædam animalium longiorem cæteris habent vitam, & in eadem specie indiuidua inæqualem habent vitæ terminum, id autem procedit ex varia proportione moti & animati corporis cum anima mouente. Id. tract. 2. c. 1. de morte & vita.

Lepus viuit decem annis, capra octo, ouis decé: canes quatuordecim, interdum 20. taurus 15. bos castratus 20. sus & pauo 25. equus 20. interdum 30. etiam 50. Columbi. 8. sicut turtures: perdrix 25. sicut & palumbi. Cardan. lib. de rer. varietate. cap. 17.

Perfectiora minus Durant *Vide Duratio Maioritatis. Repug.* Varia rerum duratio, petitur à diuersis earum causis. *Vide Principium Durationis.* Causæ naturales durationis.

Hæc est differentia legis & iudicis, Iudex statuit de præteritis, lex de futuris, quædam tamen leges ad præterita trahuntur. Cuiac. in nouel. 22. in principio.

CONTRARIETAS DVRATIONIS.

QVÆ SINT CONTRARIA CONSERVATIONI.

VITAM breuiorem efficiunt, excedens C humiditas, quia citò putrescit, seminis eiectio nimia, sic minus viuũt procliues ad venerem: ideo passeres masculi, non durant vltra biennium: plus viuit mulus quia non generat, quam equus; plus castratus, quam integer. Labor etiam nimius, excitat calorem, qui educit humidum & euaporat cum ipso, ita remanet corpus frigidum & siccum: In hominibus, generaliter mares sunt diuturniores, propter calorem humidum digerentem. At in fœminis excedens humiditas patet corruptioni. Albert. Mag. tract. 2. de morte & vita cap. 8. Plura quæ conferunt ad Durationem, ex quibus licet inferre quæ noceant. *Vide Principium Medium, & Magnitudo Durationis & Maioritas Durationis.*

Luna existente in signis ruminantibus, vel coniuncta planetæ retrogrado, non est bonum purgationibus vti, hæc enim vomitum inferunt. Hermes centiloqui. n. 74.

Magna fœcunditas mortem accelerat. *Vide Media Duratio. mors Iuuenis.*

Durationem imminuunt, quæ se opponunt largitionibus causæ superioris. *Vide Contrarietas Bonitas.*

Vide Duratio Maioritatis. Repugnat. Excellentiora minus durant.

PRINCIPIVM DVRATIONIS.

CAVSÆ CONTINVATIONIS ET CONSERVATIONIS.

Deus.

SIVE terra per seipsam consistat, siue super aquas stabilita, dicẽdum semper est à Deo immobilem seruari, & sustineri, & quod in manibus Dei sunt fines terræ D.Basil. in Hexam.hom.1. *Vide Duratio Principij*. Dei prouidentia. *Vide Duratio Concordantia*.

Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Psal. 32. idest Angeli confirmati à Deo in gratia. Rupert. in lib. 1. Genes.c. 13.

Perpetuatur motus naturæ ab æterno motore, qui mouet & non mouetur, à motu cœlesti perpetuo, & quia vnius corruptio, est alterius generatio.

Leuit. 26. obseruantibus legem Dei promittitur, Habitabitis tuti super terram vestram; dormietis & non erit qui vos exterreat. Psal. 90. Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante, &c. Psal. 26. Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? Et iterum, Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Hæc est constantia animæ custodientis mandata Dei; & habentis fiduciam libertatis ingenuæ. Post hæc exterminabo bestias malas de terra.

Iosue 9. vt expugnaret hostes suos oratione obtinuit à Deo, vt staret sol, & non est progressus in occasum, in finem vnius diei. Ex quo aduenit saluator, finis erat iam mundi, ipse enim dicebat: Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. Sed retinuit & repressit diem consummationis & adesse prohibuit. Videns enim Deus Pater salutem gentium per ipsum posse constare, dicit ad eum, Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, &c. Origen. hom. 11. super Iosue.

Qui fecit terram in fortitudine sua, & in sua prudentia extendit cœlum. Hier. 10. 12. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion; non commou. &c.

Proprios motus rerum qui ad earum perfectionem pertinent, Deus sua gubernatione non impedit, sed motus rerum qui ad earum defectum pertinent, aliquando à Deo tolluntur ex abundantia Bonitatis ipsius. D. Thom. in qu. disput. de pœna peccati origin. qu. 5. a. 5. ad 15. Sic minor restituitur à principe in his in quibus læsus est. *Vide finis Minoritatis.*

Si te delectat, ô homo, absque vlla vicissitudine subsistere, dilige quod sempiternum est, beatum, immutabile, æternum habens esse in seipso, gaudens de se, non capiens motum, constituens tempus, creaturis vniuersis tribuens esse, immutabiliter mutans omnia, vbique præsens, cuncta complectens; sine cuius lumine nemo videt lumen, sine cuius protectione, nullus stare potest. Si te elongaueris ab ipso, quod accepisti amittes bonum, & peribis. Domine, inquit, Propheta, qui elongant se à te peribunt, perdidisti omnes qui fornicantur abs te: Sicut qui adhæret Deo, vnus spiritus efficitur, sic qui adhæret peccato, quod nihil est, in nihilum redigitur. Laurent. Iustinia. de spirituali animæ interitu.

Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos. Psal. 65.

Fundasti terram & permanet, & quidem super aquas; cum sit fluidæ naturæ superiecta, & inconstanti innatet substrata elemento: ita tamen sapientia, virtute & spiritu Dei fundata fuit, vt permaneat. D. Hilar. in Psal. 118. Lamech.

In Deo tantum sperandum. *Vide Princip. Gloria.*

NATVRALIA CONSERVATIONIS PRINCIPIA.

TErra commixtione sua cum elementis, alijs generatis, dat retentionem & fixionis permanentiam, & signorum conseruationem. Albert. Mag. trat. 2. de natura locorum. cap. 1. Ideo in omnibus mixtis debet seruata speciei proportione abundare terra & aqua, quia si abundaret ignis & aër, compositum efficeretur adeo rarum, vt figuras proprias non contineret, & esset valdè penetrabile, itaut terra & aqua exiret ab ipso. Ibid.

Durabilia erunt bona vel mala, cum fuerit significator stationarius, & in angulo: transmutabilia verò de facili, cum fuerit idem retrogradus, & in cadentibus angulorum. Hermes in centiloquio. n. 41.

In signis fixis Planetæ dum fuerint, rem durabilem significant, in bicorporeis verò dubiam; in mobilibus conuertibilem vel ad bonum, vel ad malum. Ib. n. 80.

Nunquam perficietur bonum vel malum, nisi quando Planetæ beneuoli vel maleuoli in natiuitate vel reuolutione Lunam aspexerint per quadratum. Ib. n. 64. Sic frænatur lunæ inconstantia.

Quæ diuturno tempore durant, fiunt à causis, vel concursu causarum grandi & raro, quæ breui tempore, à causis sunt variabilibus, vel concursu veloci & frequenti. Campanella.

Vide Supra Cognitio Durationis.

Vnaquæque res tanto est diuturnior, quantò eius causa est efficacior. Idem est enim causa rei & conseruationis ipsius, nam conseruatio rei, est continuatio esse ipsius.

Cœlum primum est vniuersale in lumine mouente ad esse, secundum cœlum habet lumen distinctum sed non figuratum ad expressas figuras, & eius virtutem potissimum quærunt authores imaginum & vocant circulum effectiuum, eo quod infundit differentias essentiales quæ sunt ante figuram. Tertium

Digitized by Google

cœlum habet lumen multiplex ad figuram reductum & mouet inferiora ad multiplicem vigorationem: denique sunt planetæ, quilibet in suo cœlo, mouens ad propriam sibi qualitatem. Albert. Magn. de cœlo. lib. 2. tract. 1. in fine.

Ianuarium olim depingebant dextra manu clauem gestantem vt principium temporis, & apertionem anni & Ianitorem. Suidas in voce Ianuarius.

D. Augustin. in Genes. lib. 3. cap. 10. dicit dæmones dici aërea animalia, quia corporum aëreorum natura vigent, nec per mortem dissoluuntur quia præualet in eis elementum aptius ad faciendum quam ad patiendum: ad patiendum enim humor & humus, ad faciendum aër & ignis aptitudinem præbent. Magister sentent. lib. 2. dist. 8. q. 1.

Cœlum empyreum quia continetur sub vnitate A vniuersi, influit in inferiora, proprius autem effectus eius est perpetuitas, & permansio in inferioribus corporibus. D. Thom. quod lib. 6. a. cap. 9. similiter motus ab oriente in occidentem, quia est vniformis, causat perpetuitatem in inferioribus motibus Ibidem.

Solum quod se mouet, quia nunquam deseritur à se, nunquam ne moueri quidem desinit, cæteris etiam existens principium mouendi. Cicero. in somno scipionis.

Rebus à suis causis insita sunt quadam permanentia principia. Vide quæ scripsi. De iure naturali. lib. 2. lege. 1. Corpora sensibilia ne diffluant agendo, solidis nituntur fundamentis. Ibid. §. 1. Vis interior est præcipuum in rebus permanentia principium. Ibid. §. 2.

MEDIVM DVRATIONIS.

MEDIA PER QVÆ HABETVR CONSERVATIO.

FERVNT lapides in arboribus inuentos, quos scilicet per ætatem cortex obtexit, ad continendos partus esse remedio. Plin. lib. 16. cap. 39.

Si tutus ab hostium armis esse cupias, imaginem tuam ex ferro vel chalybe parabis, & velut incudem indurabis. Paracelsus. lib. de imaginib. sub finem.

Cum varia tempora, varias habeant vires, vt patet in anni tempestatibus; ætatibus lunę, & horis planetarum singulis diebus; verum balsameum tempus in quo vires asseruentur, non secus ac à mumia arcetur putredo. Autumnus ex quatuor anni temporibus est optimum, ex mensibus september & october: lunæ decrementum, quod tribus vltimis diebus finitur, manè nimirum sub diei auspicium; nam vt per quietem noctis, homo reparat vires fractas diei labore, sic post mediam noctem, & ante solis ortum collecti fructus, diutius durant. Item in signis terreis, & luna decrescente, tunc enim non est superflua humiditas, quæ putredinis est causa. Idem valet in eruenda terra, & confingendis ex luto vasis. Id. lib. de discrimine temporum.

Impressiones superiorum astrorũ inclinant hominem ad aliquid tale agendum; & hę impressiones sunt ordinis à Deo positi conseruatrices, his enim deficientibus, variæ hominum mentes, in nullo persisterent exercitio, ita perirent artes & scientiæ. Idem. lib. 1. sagacis philosophię.

Deficiente alimento, aut membro per quod præparatur alimentum, non statim perit animal, sed statim perit, cum deficit respiratio: vnde constat, quod vehiculum vitæ proprium est spiritus. Albert. Magn. tract. 1. de respiratione.

Agendo & patiendo propriè, vitę principium & causæ sunt calidum & humidum, ad inuicem terminata & proportionata. Idem tract. 2. de morte & vita cap. 6. in fine.

Plantæ diutius durant quam animalia, quia sin- B gulis annis radix radicem, ramus ramum generat; & hæc nouiter generata fortius trahunt alimentum. Ibid. cap. 11.

Plantę quæ sunt concauę, multæ & raræ medullæ, habent nodos quibus formantur, & in quibus virtus plantæ sustentata conuertit in se nutrimentum, quod non posset conualescere in stipite plantæ, concauo & sicco. Id. tract. 1. de nutrimento. c. 2.

Infirmiores plantæ, vt hædera, vinea, species omnes volubilis, adhęrent solidioribus vt conseruentur & augeantur. *Vide Potestas Concordantia.* C

Quidam pisces post pastum, ad rupem reuertuntur, ad vitandum impetum fluctuum maris. Albert. Magn. lib. 1. de animal. cap. 1.

Omnia animalia conueniunt in hoc, quod habent duo membra per quæ saluatur substantia indiuidualis ipsorum; quorum vnum est membrum per quod recipiunt nutrimentum, & hoc est os, aut aliquid simile ori; secundum autem est membrum, in D quo retinent nutrimentum, vt exsugant humidum nutrimentale, & hoc vocatur stomachus, aut quid simile. Ibid. cap. 5.

Medicina, sanis & ægris vtilis est, ægrum sanat, sanum conseruat.

De vita conseruanda Ficinus. Lessius.

Saturnus cum est in cœlo fortis, prodest ad fluxum cohibendum.

Plus prodest ad regni aut vrbis conseruationem munitio naturalis, quam artificialis, vt sunt asperi E montes, vnus tantum aditus, deserta in quibus diu non potest subsistere exercitus, insulæ, vt Anglia, quæ habent mare pro fossa.

Reges Persarum omne aurum & argentum ex tributis collectum separatim in massas conflabant, easque in vasis figulinis asseruabant, infectum enim argentum non tam facilè consumitur.

Germani vt vinum conseruent, linteum sulphure illitum, accendunt in dolio vacuo, & obturato, in quod postea vinum infundunt.

De alimentis. *Vide Potestas Medij.* A

Scutum, loricæ, armatura omnis ad corporis munitiones, ad vrbium conseruationem. Repagula contra fluminum & maris inundationes, sic seruatur Hollandia aggeribus, quibus reparandis continuò inuigilant præfecti; alioquin depressam ex se terram mare occuparet.

Plantæ quædam steriles, fructiferæ, floriferæ & floris exortes, ob loca, cœlumque ambiens, redduntur eodem modo perpetuo virentes & folia deperdentes. Theoph. hist. plantar. lib. 1. cap. 6.

Regio, solumque madidum, plurimum confert ad diutius non conseruanda in arboribus folia; quæ enim in siccis atque in totum tenuibus locis extant, prius folia dimittunt, & veteres priusquam nouæ; quędam & antequam fructum præcoquant, folia deperdunt, vt serotinæ fici, & pyri syluestres. Ibid. cap. 15. B

Odor in substantia tenui & simplici vt in aqua non seruatur, sed delabitur & effunditur, quasi fundus nullus sit, quod obsistere possit, sed debet esse callosa & densa, vt oleum. Idem. de caus. plan. lib. 6. cap. penultimo.

Aqua quæ ex distillatione prouenit, seruatur, quia calor inest: ergo cum exhalauerit corrumpetur. Prohibet igitur calor igneus corruptionem, quemadmodum in assatis, quia actionem aëris impedit. Cardan.

Frigidum naturale seu complexionale, licet sit qualitas actiua, tamen nihil operatur ad formam speciei, sed operatur ad id quod est sub forma, hoc est ad constantiam partium materiæ, ne calore dissoluatur & ideo adunando partes continet figuras & formas rerum generandarum. Albert. mag. Meteor. lib. 4. tr. 1. c. 4. Et cap. 9. dicit corruptionem fieri cum calor naturalis euocatus ab externo loci continentis, destruit frigus essentiale conseruatiuum; ideo hyeme minus fit corruptio, vt in alpibus mortuorum corporum; sic metalla frigido coagulata non cito putrescũt: sic multum tardius putrescit, quam paucum, quia in illo est plus de frigiditate essentiali quæ partes materiæ plus potest continere, quam calor aëris valeat dissoluere. C

Induratur ferrum candens si immergatur aquæ frigidæ, quia tunc per frigus velox reprimitur calidum ferri in profundum, quod secum trahit humidum diffusum per ferrum; & cum congregatum fuerit in ipso calidum in centro frigidi, tunc ibi aduritur multum de humido. Si esset aqua vehementis siccitatis in qua ferrum extinguitur, tum ferrum multum induraretur, vt est aqua rafani & expressa de lumbricis. Ibid. lib. 4. tr. 2. cap. 9. D

Circulis iunceis ad pedes adaptatis in niuem multis locis 16. pedum profunditate absque incommodo pertransibant. Suidas in voce λόγοι. Sic reticulis pedibus aptatis barbari Canadenses tuto per altas niues ambulant. Videtur alludere propheta. Psal. 118. Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea.

Palladium fuit sigillum paruum ligneum, initiatum & consecratum, datum Troi Regi condenti vrbem ab Asio quodam philosopho. Hoc Diomedes & Vlysses cum ad Priamum legati essent, è templo surripuerunt, cognouerant enim ex oraculo, quandiu Palladium maneret; tandiu incolume fore Phrygum regnum. Idem in voce Palladium. E

Nullum egregie frigidum putrescit, seu potestate, seu actu tale fuerit, nullum autem humidum egregiè frigidum esse potest, frigidum enim densum. Cardan. de rer. variet. lib. 1, cap. 6.

Cum humidum aqueum sit principium corruptionis, eo variis modis absumpto res potest conseruari, vt per ignem, fumum, solem, sales, prohibendo etiam ab aëre externo, qui sæpè fert secum humiditatem, & mouet internum. *Vide Principium Minoritatis.* Id. cap. 29.

Seruandas carnes sale condimus, quod humorem quem continent superfluum, sua siccitate consumat, & substantiam earum contrahat atque ita à putrescendo tueatur & defendat. Georgius Agricola lib. 3. de natura fossilium.

Iason argonauta cum in Illyricum appulisset, vt ab Hylæis nauigandi rationem edoceretur, dono illis dedit tripoda, cuius hoc fuit fatum, vbicumque foret is, ciuitatem nunquam hostibus cessuram in prędam. Rodigin lib. 8. cap. 15.

Canum colla præmunit colare ex corio clauis confixum, quo retunditur luporum impetus. Id. lib. 17. cap. 9.

Refert Thucidides arcas fuisse ex cupresso, quibus eorum efferrentur ossa, qui in bello fuissent cæsi, quoniam putredinem hęc arbor nesciat. Id lib. 15. cap. 2. Cariem, vetustatem, rimam non sentit hæc arbor vnde Plato leges publicas atque instituta in sacris ponenda, censebat tabulis cupressinis, quod æterniores putaret, quam ęreas. Ibid.

Mel cœlesti quadam præditum potestate citra putrefactionem corpora mire custodit. Ita refert Plinius Claudium Cæsarem vidisse in Ægypto melle conditum Hyppocentaurum. Idem. lib 28. c. 27.

De medicina quæ morbos expugnat, sanitatem conseruat. *Vide Medium Gloriæ.* Medicina

Arca Noë, naturæ scintillam, velut vlnis circumcumplexa, occultabat. D Basil. Seleuciæ. orat. 6. Et infra, Arca mundi habitabilis simulachrum, animantium depositi seruatrix, nauigans vrbs, creaturis grauida, communem secum partum circumferens, aluus vnica varios creaturæ complexa partus, animatorum mater exanimis, turris diluuio valentior, murus montibus celsior. Ibid.

D. Chrysost. Hom. 12. in 1. ad Corinth. conqueritur quod suo tempore pueri cum luminaribus post natiuitatem, non portabantur ad sanctos, vt ab illis nomen acciperent, sed superstitiosè accipiebant nomina eorum qui diu vixerant, quasi pariter essent victuri, cum tamen immatura sæpius morte tollantur. Ibidem, irridet superstitionem eorum, qui collo puerorum appendunt amuleta, quasi hinc pendeat pueri tutela & custodia; frontem etiam eius nutrices liniunt luto & cœno in balneo accepto, velut id eum à fascinatione & inuidia, maloque oculo immunem efficeret. Idem habet homil. 21. ad popul. Antioch. & de aurea imagine Alexandri quam collo appendebant.

Putreret statim cremor, nisi fel cremorem sale suo condiret. Van helmon.

Lignum vitæ in medio paradisi positum, sic dictum, quia diuinitus acceperat hanc vim, vt qui ex eius fructu comederet, corpus eius stabili sanitate, & perpetua soliditate firmaretur, & nulla morbi vel ætatis imbecillitate in deterius vel in occasum laberetur. Magister sentent. lib. 2. dist. 17. q. 3.

Quibus balsamus sponte diffluit, vel expirat, fixis rebus associatus hæret, siccitatis repagulis coercetur, vel alieno balsamo fouetur: sic dulcia, fumus, sal, piper, aqua vitæ, acetum, olea distillata, præseruant carnes. Van Helmont in tractatu Magnum oportet.

Adam dicebatur immortalis in statu innocentię, quia ibi habebat remedia contra omnes modos cor-

ruptionis, & ita nunquam moreretur, sic aliquo modo simul mortalis & immortalis. Tosta. in Genes. fo. 179. c. 1. & 100. c. 1 e.

Sunt arbores quędam in quibusdam regionibus, quæ vocantur arbores solis & lunæ, quæ præstant diutu rnam vitam ad quatuor centum annos. Id. in Genes. fol 99. c. 2. a.

Confirmatio fit dupliciter, vno modo per amotionem impedientium: alio modo per accumulationem adiuuantium, vel conferentium. Id. 3. reg. fol. 15.

Apud Seres Indię populos, est lanugo in arboribus cuius esu vita producitur. Id. Gen. 24.

Ferunt Virgilium Poëtam fuisse excellentem magum, & fecisse Neapoli muscam æneam quæ cæteras omnes expelleret, & macellum in quo carnes non putrescerent. Id. Exod. to. 1. fo. 217.

Cum opus diu manere desideras, significatorem constitue in signis fixis. Cardan. aph. sect. 2. aph. 163.

Compositi dissolutionem impedit, aut tardat potentioris interuentio. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 3 lege 5. 1.

Succus rerum prælo expressus, solo odore cuiusdam ignis sulphurei manet deinceps absque sacharo, vel alio additamento incorruptus, cuius fauore acquirit balsamicum aliquid. Van helmont in dispensatorio moderno. Sulphuris fumus cadum vini à corruptione præseruat. Id.

Genes. 6. iubet Deus arcam Noë bitumine liniri. Est autem bitumen feruentissimum & violentissimum gluten; cuius est hæc virtus vt ligna oblita nec vermibus exedi, nec solis ardore, nec flatibus ventorum, nec aquarum possint inundatione dissolui. Alcuin. in Genes. inter. 103.

Modestini Eurematica consilia, & cautiones sunt à modestino excogitatæ, rei iurisque cuique sui tuendi causa. Cuiac. obseru. lib. 12. cap. 31.

LOCVS.

Locus inter principia naturæ numeratur, habet enim virtutem actiuam in locatum, experimur enim omnia in propriis locis conseruari, extrà corrumpi; vnde corpora feruntur motu proprio in locum suum. Primus motor largitur virtutem suam primum loco, quàm locato, quia locus est illi proximior, motu etiam caret locus, ita patet quod est extra indigentiam propter quam fit motus. Vltima digestio non fit nisi in membro, in quod alimentum transformatur, locus & locatum sunt connaturalia, ea ratione qua similia se quærũt: infirmantur homines si in clima sibi contrarium transferantur: elephantes à primo climate ad quartum vsque tantum generant; leones tantum in sexto & septimo climate; quædam plantæ extra suum locum non conualescunt: ita nullum compositum habitat in loco simplici; aues leuiores ex multo aëre, frequentant aërem; pisces frigidi habentes in se aquam viscosam, habitant aquas; gressibilia grauia & terrestria, terram; variantur naturæ propter diuersitatem horizontis & meridiani; ita duo non sunt inter se penitus similia, quia non est idem amborum locus. Vrsi & lepores in locis multum humidis & frigidis sunt albi coloris, cum alibi accedant ad nigredinem Albert. Magn. lib. de natura locorum.

De natura loci ad rerum distinctionem. *Vide Medium Differentiæ.*

Athenienses & alij Græci fossas subterraneas ex- A cauant latas, eisque tectorio inductis vinum, & oleum excipiunt. Suidas in voce λάκκοι.

Sic & coralium, quo primum contigit auras.
Tempore durescit, mollis fuit herba sub vndis. Ouid.

Ex succo pariter lapidescente etiam aliis in locis stirpes in mari nascuntur, etenim iuxta columnas Herculis, thymum & frutices lauri specie similes, alijque in Indo iunci & calami, in rubro fungi, quæ omnia eiecta in lapides mutantur. Georgius Agricola lib. 4. in fine de natura fossilium.

Refert Iosephus iuxta vrbem Ptolemaida vallem esse, cuius arena est vitrea, quantumcumque ex ea nautæ asportent, repletur mox eadem semper campi facies; quidquid aliunde congesseris arenę, transit è vestigio in vitrum, quod si vltra loci margines fuerit denuo proiectum, in habitum priorem eadem redit celeritate, Rodigi. lib. 21. cap. 5.

B Gręcis in more fuit, vti sub terra pararent loca vel rotunda vel tetragona continendis vinis ac oleo quoque, ea vero lacus dicebant, hinc illud Psalmistæ, Et similis ero descendentibus in lacum. Idem. lib. 28. cap. 26.

Vide Gloria Medij. Honor loci. *Et Differentia Voluntatis* diuersorum locorum appetitus.

Locus est substantia prima, aut sedes aut capacitas immobilis & incorporea apta ad receptandum omne corpus. Hic est mundus Mathematicus interior & anterior ad omnia corporalis mundi systemata, sicut mentalis ad ipsum. Ad mentalem autem Archetypus solus infinitus, portans omnia verbo virtutis suæ. Campanella in Epilogo Physiologiæ. cap. 5 ideoque firmamentum locus noster est, diciturque, si enim moueatur, conturbabit loca, item iret in alium locum qui nec est esset locatum, & non modo locus Ibid.

C Piper recens in Italia plantatum, hederam patrat. Veratrum in Tridentino tractu vi purgante orbum est: papauera apud nos lethali qualitate priuata, quippe locus est decuplo gelidior quam Thebe. Van helmont.

Olim locus in quo haberi senatum oportebat, ab auguribus constituebatur. Cuiac. in nouellam 62. in fine.

In quibusdam locis corpora plantarum & animalium conuertuntur in lapides, itaut amplius non corrumpantur. Tostat. in Genes. fol. 84.

In Babylone non dabant Iudæi decimas & primitias sacerdotibus: ibi cessabat votum Nazaræorum, non fiebant purificationes mulierum, nec redemptio primogenitorum, nec oblatio de pulmentis, nec D redemptiones per sacrificia, nec probationes zelotypiæ, nec purificationes immunditiarum, nec remissio debitorũ anno septimo, nec celebratio Phase, nec annus iubilæi cum suis ceremoniis. Id. 4. Reg. 261. col. 2. c. quasi non essent Iudæi, extra patriam & locum templi.

Cadauera mortuorum nunquam putrescunt in Insula quadam Hiberniæ sed ibi semper remanent incorrupta. Id. Gen. fol. 90. col. 2. a.

Elementa secundum pondera sibi naturaliter tradita, tenent sua loca naturaliter conuenientia, non potentia ab alio eleuari aut deprimi, & hoc facit, vt se inuicem non corrumpant. Id. parado. fo. 64.

Ad cognoscendum quæ seruant Iudęi vel quæ non seruant, considerandum est, quod omnia ceremo- E nialia quæ determinant certum locum, non seruantur ab eis; quæ autem absolutè sine loci determinatione dicuntur nunc ab eis obseruantur, vt circuncisio. Id. Exo. 10. 1. fo. 95. *Vide Finis Veritatis.*

Cum fuerit planeta dominus domus, in opposito

domus, cadet ille magna ex parte à dispositione significata per illam domum. Cardan. de reuolutio. cap. 12. A

Melior electio in homine, est loci habitationis, nam si ascendens vrbis fuerit locus ascendentis, benè valebit; si cor cœli: exaltabitur, si solis, dignitates sine dubio recipiet; si Iouis, lucrabitur; si lunæ, fœlicitatem consequetur omnibus modis. Id. ap horis sect. 2. apho. 171.

In ludo ac bello multum confert, si facies tua ad partem cœli amicam respiciat, quod si vterque, diuturna erit contentio. Id. sect. 5. aphor. 46.

Si genesis vrbi non consentiat, transmigratio est necessaria. *Vide bonitas Differentiæ*. Transmigratio.

B Cum eclypses aut cometæ fiût in signis terreis sterilitates portendunt ob societatem; cum in aqueis ob imbrium abundantiam, in aereis ventos, seditiones, pestes; in igneis bella. Card. aphor. sect. apho. 34.

Calamitates non fiunt nisi prædominantibus infortunis, vnde in piscibus & cancro, innundationes fieri nequeunt. Id. aph. 66. Vnde falsò Stoflerus diluuium prædixerat, Sole Saturno, Mercurio, Ioue, Marte, Venere, existentibus in piscibus in nona, Luna soli opposita in Virgine. Id. aph. 34. pisces enim sunt domus Iouis.

Elementa & mixta sua sibi propria loca vendicant. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege. 6. §. 1.

C *Corpus fertur in locum sui conseruatiuum. Ib. lib. 2. lege 2. §. 3.*

Vt acor in stomacho est gratus & ordinarius sapor, sic extra stomachum omnis aciditas est præter naturam & hostilis; sic tormina ab acido intestinorum, in locio stranguria, in vberibus corrosio, in pelle scabies, in artubus podagra. Van helmont. pleura furens

Deus non tantum corpora virtutibus dotauit, sed & loca repleuit immediatè seminum incomprehensibili thesauro, in mundi terminum duraturo. Terra erat initio inanis & vacua, scilicet nondum repleta his viribus dotalibus.

D Rangifer extra suum clima Scythicum non viuit. Olaus Magnus. Est animal quo Scythæ vtuntur equorum loco, tria habet in capite cornua ramosa.

Alexander venientem contra se Darium cum innumera militum multitudine, expectauit in angusto loco in quo pares copias necesse erat fieri, itaut nec ab hostibus possent obsideri, nec ipsi possent lassis recentes substituere, sic obtinuit victoriam. Q. Curtius lib. 3. De loci virtutibus. *Vide Minoritas Differentiæ*. Locum non mutare *& Cognitio Differentiæ*. Repugn. non peregrinandum.

E Bulla Sixti V. an. 1587. præcipit prelatis & administratoribus Ecclesiarum archiuum habere, idest locum in quo reponantur scripturæ publicę & instrumenta, vt facilius inueniantur, & incorrupta permaneant. auth. de defens. ciuit. cap. vlt. & auth. ad hæc. Cod. de fide instrum.

Admitti nemo nouitius potest ad habitum nisi in conuentibus deputatis. Vrban. 8. constit 26, §. 13.

De custodia arcis S. angeli ærarij Romę. Vrba. 8. Const. 37. Bull. P. 72. to. 4.

MEDIA DVRATIO.

IMMATVRA MORS optima.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Hominis vita bonum est, in eo quod à non ente corpus è suis causis educit in existentiam, illique decenter conformato infunditur anima, quam Deus tunc creat, & hoc naturæ spiritualis cum corporea mirando nexu, à tot pręcedentibus sęculis prælusit salutiferę suę diuinitatis cum humanitate nostra coniunctioni. Hæc vita sensibilis hominibus ideo maxime bonum est, quia fit materia primaque dispositio melioris quam speramus in æterna cæli beatitudine. Hoc autem bonum consequitur, qui statim post regenerationis sacramentum, & puer vita functus est, tantumque bonum, ne casibus humanæ vitæ depereat, in securo ponitur.

MAGNITVDO. Si curiosè lustres singulas regni vel ciuitatis familias; longè plures numerabis in infantia, quam in virili aut prouecta iam ætate sublatos. Id quia fit vt plurimum, violentum non est, totum tamen naturalibus causis adscribendum non puto; non quod tenera, vixque sibi consistens adhuc complexio, leui contrariorum seditione vel occursu dissoluatur; non quod vitę nascentes, velut bullæ, minus illis aura temperata vanescant; & delicatos flores ex vniuersi legibus sæuiens pruina decoquat. Si conueniens fuisset natos omnes homines adolescere, senescere, illis non defuisset vt cæteris animantibus prouidentia, dedissetque fortius, & sui tenax in aduersis temperamentum. Ergo plurimi moriuntur infantes vel adolescentes in ætate nondum criminibus infecta, propterea quod ex hominum multitudine quosdam Deus iure suo, velut primitias & decimas sibi pręmature seruat, & thesauris cœlestibus reponit, vt pręualeat in creatione & redemptione sua de saluandis hominibus intentio. Cęteris largitur gratias, sed volubili humanę voluntatis electioni, velut incertis casibus expositas.

DVRATIO. Pertinet ad maiestatem principis quos voluerit, nec propriis nec maiorum meritis insignes singulari fauore prosequi: bonitatis & potentię suę munus est hoc; postmodum iustitię semper locus erit in pręmiorum quæ quis meretur æqua distributione: queri non debet is cui vita prolixior conceditur cum gratiarum auxiliis ad sibi comparandas illustriores gloriæ coronas; Nec doleant etiam parentes natos suos nondum adultos aut viros mori, cum in hoc ęternæ fœlicitatis amittendæ periculo, minor quidem pars, sed securior videatur optanda.

POTESTAS. Quid indignamur vitæ terminum, ad arbitrium nobis nostrisque non constitui? Heu cæca præsumptione ducti mortales non aduertimus nos ratione corporis seruos nasci sub positis ab initio legibus, quas volentes aut auersos sequi necessitas est. Infinita potestas mundo dominans, vt libuerit inconsultos profert aut reuocat. Inscios quia nec prius existentes, nascimur, inscios etiam vel contumaces implacabilis mors rapit, terra corrumpendos tegit, mare sorbet, elementa quæ sua sunt vendicant Tam vanum est legi fatorum obijcere ciuilis potestatis iura, spes familiarum totas in vno nato recumbentes, quam folio ne cadat, autumnum hyememque,

que, statis anni temporibus vehementes interdicere. A

COGNITIO. Herbæ floresque minus fallunt spes de colligendis suis fructibus conceptas, quam de natorum moribus & profectibus indicia; quidquid promittat stirpis nobilitas, vultus decor, etiam ex astris in melius quantum licet inclinans coniectura; solus Deus futurum vt præsens nouit, & solus ideo vitæ terminos, prout conueniens est bono publico priuatoque, temperat, protendit aut coërcet. Regiminis diuini rationes, in angusto temporis, inter circumfusas hinc inde tenebras mens infirma non capit; tot mysteria nobis aperiet aliquando magna dies æternitatis. Tunc videbimus cur hic in cunis, ille puer, adolescens, vir, senex sublatus sit, miro fati singularis, cum vniuersali concentu.

VOLVNTAS. Interim legis & rationis loco sit, diuina volũtas, nusquã sine summa bonitate sapientiaqu edecernens. Excedentem fortè paternum affe- B ctum in conquirendis etiam per crimina filio diuitiis, coërcuit immaturo funere, & vtique tum patri, tum filio, nociuis cupiditatibus, cum vnius vita, materiam abstulit. Amori paterno durissimum primo contingit funus, & largè fluentibus prosequendum lachrymis; sed iustissimos dolores tempus sensim mitigans amplissimè tandem compensabit; affectuum scilicet temperantia, mentis in posterum temporalia fastidientis, ad æterna suspirantis solida tranquillitate. Incipiet suus esse, liber, securus sui possessor, quem omnibus obnoxium, spei metusque rota volubili circumactum, pene seruum, nimia pro liberis anxietas efficeret. Implet misericors Deus quæ videtur frustrare parentum vota; optant enim potius carere liberis, quam habere proteruos, parricidas, Ecclesiæ, patriæ, familię contumeliosos. Hẽ quis natum in hæc mala, populi cõtagione communia, non casurum sponderet? Igitur, vt monet sa- C piens, translatus est, ne malitia mutaret intellectum eius.

VIRTVS. His in eius funere lachrymis prouidentia redemit, longè magis auaras, quas ob mores corruptos, abdicationem, exhæredationem, diu miseri parentes effudissent. Sed indulgeamus aliquid ab initiis conceptæ spei. Natus ille poterat esse vir probus, & maiorum gloriam titulis illustrioribus cumulare. Rara, sed quæ poterat illi contingere fœlicitas Non impunè tamen, nam in sublimi fortuna liberorum, pendent miseri semper parentes, dum casus vndique, & etiam tutissima formidat senilis animus. Sic effusum in nepotes & lõga serie posteros animum, filij mors imprę uisa reuocat, integrum, D indiuisumque te tibi restituit, vt Deo ipse te talem exhibeas.

VERITAS. Quoties inter æstus paternæ dilectionis, inter inexhaustas habendi cupiditates, te miserum conscientia pronuntiauit? ad horam dolor partus matrem torquet, patrem, per totius vitæ tempus sibi semper accrescens sollicitudo; fœlicem putas duplo miserum quod filios, vanis, fucatisque bonis implicat. Hic enim diuturnis scholarum, aulæ, fori, studiis veritas non tam quęritur, quam amittitur, inter varios hinc inde tramites ratione confusa: at nunc puer compendio beatus, veri bonique idæa fruitur, intellectu ferè, sicut in angelis, dum creatus est, diuinis splendoribus illustrato.

GLORIA. Ob id vt dictum est, scilicet propter gloriæ cœlestis adeptionem datur vita pręsens, propter æternam mortalis, quæ officijs suis rectè functa transit in non desituram fœlicitatem; est igitur potius iustissima causa lætitię, quàm doloris, si quis statim à natiuitate transferatur in gloriam, si nullas expertus vitæ pręsentis ęrumnas, adscribatur choris Angelórum, & gratis obtineat proposita laboriosis virtutibus præmia. Si de tantis & pro momento perpetuis profectibus tristentur parentes, effectu probant se natos non Deo, non cœlo, sed mundo, terrenisque cupiditatibus genuisse. Ita votis à recto fine deuii inuident fœlicitatem filio, in Deum vocantem, largitorem misericordem contumeliosi.

DIFFERENTIA. Mundum in maligno positum conclamat, non modo pietati, sed ipsimet mundo famulantium turba & quis optimum non censeat, ab incendio, naufragio, bestia dilaniante, peste suffocante, quanto citius fieri potest, eripis Gratulabundus pater vidisses principem, filium tuum etiam vnicum, ab vbere puerum, à studiis & academicis magnæ spei adolescentem, vt adoptaret, in domum suam transferentem. Ita durus & fide carens negas Deo, quod concessurus esses principi.

CONCORDANTIA. Priuatis filij, familiæque tuæ commodis consentit ratio quædam publica. Nam vt videmus plantas & bestias quasdam ephemeràs, idest in diem viuentes, alias bimestres, semestres, annuas, ætatisque diuersæ pro ratione sui generis; sic oportuit humanam speciem cæterarum omnium facultates complectentem, omnium ætates in suis indiuiduis æmulari, oportuit quosdam ad breue, alios ad mediocre aut longum tempus nasci, mira ex longis & breuibus vt in musicis & poëticis harmonica concinentia, quam in æternitate mirabimur. In hac varia vitam participantium sorte, fœlicior est eorum, quibus vt nauigantibus citò portus optatus contingit, duplici scilicet commodo, quod saluus à periculis, & propositum sibi finem obtinet.

CONTRARIETAS. Puer aut adolescens mortuus, vitauit hostilitatis mundanæ dolos, insidias, vim, strages, sub quibus viuentium omnium priuata publicaque sors ingemiscit. Talis est præsentis vitæ, licet in speciem, fœlicis, exitus, vt virtutis pietatisque munus maximum sit pœnitere, quis autem bonum putet tot laboribus consequi quod doleat? O mors cita fœlix quæ ne pœnitenda quidem permisit, cœlo matura immatura peccatis.

PRINCIPIVM. Diuina fides te docet innocentis pueri tui defuncti res in tuto positas esse, in eo scilicet statu fœlicitatis ad quam operosa virtus nititur. Deus quem quotidie nomine patris interpellas, munus patris impleuit, ea puritate, quam creando dederat, nitentem animum, ne corrumperetur, assumpsit, quid velut mortuum conclamas? vt viuere censetur qui pro Republica, sic qui pro Deo, & ex prouidentiæ suæ legibus fœliciter occumbit. Superest tibi patris nomen, & si sapis, lætitia, quod videas benedictionis nuptialis fructus tuos, acceptos Deo. Quod pars tui iam beata cum angelis super tempus in æternitatem transierit.

E MEDIVM. Vita præsens est via, vt ad ęternitatem perueniatur emetienda, breuis est si præteritis futurisque sæculis comparetur, at longam & fastidiosam efficiunt labores & quæ circumstant illam pericula, vt sub experto fidoque duce, sępius labatur, hæreat, deficiat, licet tot instructa commodis, eo quod ipsamet quæ parantur subsidia fieri solent innocentiæ pereuntis occasio.

A Hos circa vitam diuturnampositos laqueos transuolauit anima, quæ singulari Dei beneficio tantum mansit in corpore, vt humana fieret & innocens ad gloriæ Christi meritis quæsitæ, consecutionem.

FINIS. Si statim vt infunditur anima corpori, haberet vsum rationis, quid aliud optaret quam ex hoc obscuro fœtidoque corporis carcere statim emitti, in amplissimam diuinæ lucis vitæque fruitionem? at tepescit in incipientis ætatis humido igneus animi vigor, ne tanti boni priuatio cognita, dolores profectibus contrarios inferret, Sed paulatim sensibilibus assueta mens, obiret in hoc mundano templo munus Sacerdotum ad Dei laudes celebrandas sibi succedentium. Priuilegium est eximi ab

B hoc officio hic imperfectè peragendo, vt dignius in æternis splendoribus cum Angelis impleatur; beneficium est sic eripi, sic assumi, citò voti compotem fieri.

MAIORITAS. Vbi per ætatem defæcata ratio, huius vitæ labores, alterius fœlicitatem maturè perpenderit, ingemiscens exclamat cum Prophetas, Vt quid incolatus meus prolongatus est? cupio dissolui: & inter moras hæc vnica superest illi consolatio, quod suis periculis implens Dei voluntatem, quotidie potest ampliores coronas promereri. Sunt hæc quidem vitæ commoda, sed non certa, & naturæ vitio in contrarium sæpius versa; sufficit ei qui citò translatus est, diuinæ voluntatis impletio; sufficit securè per æternitatem frui bono, quod omnes optant, pauci consequuntur; sufficit sanctis amplio-

C res gloriæ coronas consequutis ex perfecta charitate congaudere, in ipsis, puriores Deo laudes dicere.

ÆQVALITAS. Æquat omnes in cœlis absoluta charitas, in inuicem diuinorum charismatum transfusio, in summi boni verique fruitione consecratio. Magnum priuilegium est à gratia baptismi nunquam excidisse; ingenuitatem præferre nulla vnquam seruitutis nota deturpatam, inter innocentium choros Agnum immaculatum sequi, suis decoratum insignibus nunquam deletis, nunquam delendis in perpetuas æternitates.

MAIORITAS. O mors non amplius timenda,

D lugenda, sed optanda, & vt natalis dies qui nos edidit cœlo, celebranda postquam Dominus Iesus illam innocentia sua sacrauit. Diu vitæ tempestatibus actis portus est; citò defunctis asylum, quo non peruadit hostium hic sæuientium impetus; quo tuta manet ad Deo collata puritas. Indignum est priuationis nomine notari celerem hunc transitum, quo vera vita, lux nullis mixta tenebris, consummata libertas & fœlicitas incipit in æterna summi boni fruitione. Puerorum igitur aut adolescentium transitus parenti videri non debet orbitas, sed gloriæ quædam participatio, cum partem sui iam in cœlum præmittat.

E

MORS IVVENIS.

ANtiqui optimum ducebant orci portas transire quam citissime, cum rerum quę illic fiũt per magnum amorem à natura insitum habeamus, & quandiu his corporeis includimur ergastulis, tandiu mollescere, & tanquam pharmacis liquescere videamur. Ideo infantibus inferias non mittebant, neque cętera faciebant, quę par est alios pro mortuis facere, nondum enim his terra est communicata neque eorum quicquam quę terra nascuntur, neque sepulchra extruebant, neque monumenta, neque corporibus assidebant. Hos enim lugere prohibent leges, proinde ac si impium sit, eos lachrymis prosequi, qui in meliorem & magis diuinum locum, transmigrarunt. Plutarch. in consolatione ad vxorem, super morte filię.

Non expedit hominem esse diuturnioris vitæ. *Vide Finis Contrari.*

Quid mortem accusamus, quæ nos mille pericula subituros liberat: longa dies, longas miserias parit. Æneas Syluius epist. 82. sępè agni præmoriuntur ouibus.

Foliorum in arboribus iactura non ita germinationi respondet, vt quæ prius germinauerint, prius folia dimittant: sed nonnullæ germinant quidem præmaturius, sed nihilo ante cæteras folia dimittunt, quædam tarde germinant, citò foliis spoliantur, vt Morus Theoph. hist. plantar. l. 1. c. 15.

In Cypro genus quoddam peculiare palmarum est, cuius fructus nunquam maturescit, crudus tamen suauis apprimè, dulcisque est, dulcedinemque ipsam peculiarem sortitur. Ib. l. 2. c. 7.

Arbores infœcundæ diutius durant, quam fœcundæ. Nam fructificatio magnam atque potissimam partem naturæ detrahit, quod etiam in animalium genere patet, Enimuero quæ plurima pariunt, celerrime consenescunt ac pereũt. Idẽ euenit annuis plantis, & causa hæc est, vt annua constent natura; cum enim fructus perficiuntur, radices protinus exarescunt, quoniam vis naturæ tota consumpta est; quam ob rem culta celerius, quam inculta senescunt, & meliora, quam deteriora, vrbana quam syluestria, cultura enim auget fructus qui arborem necant. Id. de causis plantar. lib. 2. c. 15. Ideo ad vitæ conseruationem præcipit Hypocrates abstinere à dignitatibus, & curis publicis.

Legumina multo fœcundius ferunt, vnde & celerius perficiuntur, minusque vim terræ consummant. Id. l. 4. c. 9.

Vide epist. Senecæ. 94.

Poëtæ fingunt Ganymedem à Ioue raptum, sub aquilæ specie, celerem eius interitum significantes. Suidas in voce Ilium.

Leontius Tripolis Lydiæ Episcopus, cum filium vnum haberet non optimæ spei puerum, præcibus vt aiunt, impetrauit, vt adolecentulus moreretur, optimum ratus, cum ante susceptum aliquod dedecus, defungi, lubricis vitæ casibus ereptum. Idem in voce Leontius.

Tacitus 2. Annal. loquens de Germanico immatura morte sublato, Obseruatum inquit est, breues semper fuisse & infaustos populi Romani amores.

Vlmi ac Persici folia præter tempus decidentia, corruptum aërem significant, sic pestem. Cardan. de rer. varietate. c 78.

Non solum in ætatibus hominum, verum & in structuris ædificiorum, terræ motu, incendio, fulgure, hostilitate subuersorum, contingit immatura mors. D. Chrysost. Hom. 15. in 1. ad Timoth.

Perfectæ atque absolutæ prouidentiæ opus est, non solum contractos curare morbos, verum etiam prohibere antequam contrahantur. Vt qui conuiuium exhiberet proposito sapientissimo Medico qui conuiuarum omnium temperamentum & captum optimè noscens, profuturas tantum illis dapes concederet & temulentiæ ob noxios priusquam vino caperentur, à conuiuio remoueret. Ita Deus per vim præsciam, vi-

sciam, vitiis tempus & materiam aufert, duplici bono, vt etiam parentibus tollatur occasio auaritiæ. D. Greg Nissæn lib. de i s qui præmaturè abripiuntur. Quod autem illi non omnibus sic Deus prouidit, singulare beneficium est collatum liberis propter præcedentium parentum pietatem; deficeret autem humanum genus, si peccaturis omnibus vita longior negaretur & in cunis mors contingeret, ex malis etiam Deus bonum elicit, vt ex induratione Pharaonis potentiæ suæ manifestationem Ibid.

Dixit Christus, Sinite paruulos venire ad me. Math. 19. talium enim est regnum cœlorum, proinde etiam si à te discessit puella, attamen ad Dominum recurrit, tibi oculum non clausit, sed lumini æterno aperuit: à tua mensa remota est, sed angelicæ adhibita; hinc planta reuulsa est, at in paradiso sita est, de regno ad regnum traducta est; huius vitæ malis subtracta, it ad dominum cum innocentia quæ non timet iudicium; iuit ad cœlestis sponsi thalamum vbi non timetur viduitas; non passionum, quæ hac in vita sæuit, tyrannis, non illam sordida cupiditas peruertet, superbia non inflabit, &c.

Obtulit Abraham Deo filium vnigenitum, quem precario acceperat petenti, bono, & sapienti restituit. Bonus bene consulit sapiens, quid vtile sit nouit. Mors in homine nihil est aliud quam vitiositatis expiatio; frangi debet vas malorum infusione corruptum, vt reficiatur & cœlesti dulcedine anima repleatur, &c. D. Gregor. Nyssen. oratio. in funere Pulcheriæ.

Magnis viris infirmæ geniture ad eruditionem conducunt, vnde etiam breuis vita, vt Pico Mirandulano. Cardan. aphor. sect. 1. apho. 63.

Mortem omnibus, vitam nemini flendam transegit, mortalium innocentissimus, Abel.

D. Chrysost. Hom. 9. in Math. loquens de pueris innocentibus ab Herode trucidatis & respondens dicenti, si vixissent, potuissent multis florere virtutibus. Possumus inquit referre, quod non eos permisisset Deus tam celeriter hinc rapi, si eos præclari cuiusdam meriti futuros esse præscisset, si enim peccatores vt conuertantur sustinet, bene operaturos immaturè non permisisset auferri.

Qui luget à sęculi malis per mortem liberum, & ante solitum tempus ereptum, inuidere magis, quam lugere illum videtur. Si in peccato mortui sunt, finem tamen peccandi habuerunt. Nam si pœnitentiam fuissent acturi, Deus cui omnia patent, non antequam eam egissent, ipsos rapuisset, sin verò iusti decesserunt, euaserunt iam à periculis, & tuti supremam beatitudinem possident. Si nunc diem suum non obiisset, paulo post ad hoc ipsum peruenisset; gauderes filium tuum, ad regnum, licet externum rapi. D. Chryso. Hom. 32. in Math. sub finem.

Pueri propter peccata parentum moriuntur. *Vide Magnitudo Contrarietatis*. Magnæ clades.

Murrina ac cristallina ex eadem tellure effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. Hoc argumentum opum, hęc vera luxuria existimata est, habere quod posset totum perire. Plin. lib. 33. pretiosa minus durant, & ex minori duratione fit pretium.

Perfectiora minus durant. *Vide Duratio Cognitionis*.

Rerum ordo mutatus est, & in calamitatem nostram ius suum natura perdidit vt non filij parentes, sed filios parentes lugeant, præcessit te successor tuus; & si Mathusalem nobis vitæ tēpora donarentur, tamen nihil esset præterita longitudo quę esse desisset; transactum omne tantumdem est, nisi quod senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur. D. Hieron. in epitaphio Nepotiani. Ereptus est mille malis, quæ & patimur & condolemus. Hæc fusè prosequitur.

MEDIA PERMAnentia & consistentia.

B IN carbonibus tanta infirmitas, vt ictu leuissimo frangantur, pressu facillimo conterantur; & tanta firmitas, vt nullo humore corrumpantur, nulla ætate vincantur, vnde supponuntur limitib. agrorum; vt appareat esse limites, si quis de ipsis dubitauerit, Petus Damiani opusc. 36. cap. 11.

Philosophi dixerunt animam esse compositam ex eodem & diuerso, illam etiam numero assimilabant, qui est par aut impar, & sicut aquila habere leuem grauitatem, quia volat sursum & fertur deorsum in terram. Card. Cusa lib. 7. excitat. c. 1.

Ignis extra sphæram est in continua generatione, & non manet, nisi quando gignitur.

Pedes sunt mobile fundamentum, sic Luna & Mercurius habent centrum sui differentis mo-
C bile.

Institutum est tempus ex tempore, quia omnia tempora, mutua temporum substitutio & gignit & terminat, atque ob id dies in tempore est, per quem tempus vniuersum, & inchoatum desinit, & desinens inchoatur. S. Hilarius in Psal. 2.

DE HIS QVÆ FIVNT, per interualla.

VIde *Duratio Contrarietatis*. Per interualla dura sustinentur.

D Vtilius est breues esse orationes, sed creberrimas, illud quidem vt frequentius dominum deprecantes, iugiter eidem cohærere possimus; hoc verò vt insidiantis diaboli iacula, quę infligere solet cum oramus, succincta breuitate vitemus; idcirco ne psalmos quidem ipsos integros continuè pronunciant, sed eos pro numero versuum, duabus vel tribus intercessionibus, cum orationum interfectione diuisos, distinctim, particulatimque consummant: non enim multitudine versuum, sed mentis intelligentia delectantur. Cassian. lib. 2. cap. 10. & 11. loquens de Monachis.

E In Hispania Estramadura est fluuius nomine Guadiana, seu Anas, qui per decem leucas sub terra absconsus, fluit, & postea renascitur, vnde dicunt Hispani apud se esse pontem super quo decem millia ouium pascuntur.

In finibus Heluetiorum, in comitatu Tyrol. fons est qui certis horis diei, deficit, postea aquas abundantiores emittit.

Seneca lib. 3. natur. quæstio, loquitur de fontibus qui senis horis sunt pleni, & senis horis sunt vacui, & de fluuiis qui certis mensibus sunt magni, & aliis sunt parui; dicit de ipsis idem esse ac de humoribus, quia quemadmodum quartana ad horam venit, podagra ad tempus respondet, purgatio, si nihil obstat, statum diem seruat, & ad mensem suum præsto est partus, sic aquæ interualla habent, qui-

bus se retrahunt & redeunt; sic determinatę sunt anni tempestates: sed Albert. Mag. meteo. lib. 2. cap. 14. horum veram dicit esse causam, quod in abyssum vnde fluunt fontes sensim aquæ illabuntur, & cum ad iustam altitudinem diuenerint, fluunt.

Flatus venti non est continuus, sed facit vnam ex sufflationem & cessat, & post facit aliam, prout deprimitur vapor à superiori frigido. Id. lib. 3. cap. 14.

Alphæus fluuius statim à fontibus occulitur, & lōgo spatio sub terra iuxta Licoam Arcadiæ emergit, iterumque post 10 stadia occultatus rursus exoritur. Suidas in verbo Alpheus, & Tostat. in Genes. fo. 15. dicens nasci in Gręcia, illic absorberi à terra, & iterum renasci in Sicilia.

A Vsus fructus sui natura intermissionem non habet; nam etsi possit fructuarius, non ita assiduò capere fructus, rem tamen assiduò naturaliter possidet, qui ergo testator vsum fructum contra sui naturam intermitti vult, vt eum cum legat alternis annis, indicat se plura legata facere voluisse. At si viam, iter, actum alternis annis legauerit, vnum est legatum, vnaque seruitus, quia omnis seruitus rustici prædij, sui natura intermissionem habet, nec enim continuo ire, agere, aquam ducere possum, & hoc distant seruitutes rusticæ ab vrbanis, quæ continuum vsum, & continuam possessionem habent. l. seruitutes. ff. de seruit. vrban. prædio. Cuiac. obseruat. lib. 14. cap. 18.

FINIS
DVRATIONIS.
TERMINVS EXISTENTIÆ.

De ætatum diuersitate, vbi & de vltima. *Vide Differentia Durationis.*

NVLLA virtus rei generatæ, mouet per tempus infinitum, post longitudinem enim temporis, corrupta proportione mobilis ad motorem, motum deficere necesse est. Si senex accipiat oculum iuuenis videbit sicut iuuenis. Nō ergo impeditur motus animati ex aliqua corruptione animati, sed corruptio huius proportionis fit ex parte moti. Mors igitur est, priuatio vitæ in corpore, ex corruptione proportionis corporis, prout est ab anima mobile. Albert Mag. tract. 1. in fine de morte & vita.

Talmudistæ asserunt infimum mundum elementarem singulis septem millibus annorum permutari, & post septies septem millenos idest 49. millia omnia permutanda, cœlum nouum & terram nouam, secundum illud Isay. 65. idque significatum per sex dies creationis mundi & requiem diei septimi. Et ideo etiam Iudæi post. 49. annum intra 50. celebrabant iubilæum in quo serui fiebant liberi, & familiæ redibant ad antiquas possessiones.

Omne corpus habet certam periodum in esse, vltra quam non potest durare. Arist. 2. de generat. tex. 57. Alia tabescunt tempore, alia senescunt, alia obliterantur.

Tempus edax rerum, tuque inuidiosa vetustas,
Omnia destruitis.

Mundum sex mille annis duraturum prædixit Elias non Thesbites, sed Rabbi Iudæorum qui scripsit Talmud, tres mille vacuum, id est sine lege, tres mille lex Mosis, tres mille lex Messiæ; primus versus Genesis sexies litteram aleph exprimit, aleph autem mille significat. Deinde Deus sex diebus absoluit mundum ac Sabbatum consecrauit; at mille anni sunt apud Deum sicut dies hesterna; postremo sex primi parentes, Adam, Seth, Enos, Cainam, Malaseel, Iared mortui sunt: Septimus Enoch viuus in cœlum translatus: post igitur millenarios sex, quibus labor & mors viguerit, septimus erit initium quietę & immortalis vitæ, hæ sunt leues Rabinorum

B coniecturæ, cum tamen Christus dicat Matth. 24. vltimum diem ne Angelis quidem esse notum; nec studiosius inquirendum quod pater posuit in sua potestate. Genebrard initio chronic. & Picus Mirandulan. in Heptaplo.

Genes. 5. plures quidem dicit Caim fuisse filios & filias, verum ne primogeniti quidem progeniem in longum producit, quod absumpta sit diluuio ac à Deo desciscens, falsos Deos ac sacra asciuisset. Genebr. ibid.

Thusci dicunt mundum fuisse sex mille annis ante hominem, & duraturum adhuc sex mille annis, id est 12.000. & sic vniuersum in 12. domos distribuisse. Suidas in voce τυῤῥηνία χώρα.

Apocal. 10. Angelus stans super mare & super terram leuauit manum suam, & iurauit per viuen-
C tem in sæcula sæculorum, quia tempus amplius non erit, tempus autem erit, quandiu motus cœli erit, ergo motus cœli aliquando desinet. D. Thom. in qu. disput. q. a. 5.

Vide Principium contrarietatis & principium minoritatis.

Vide Finis bonitatis. magnitud. & cæterorum principiorum.

Rerum corporearum durationi præfixus est terminus. Vide quæ scripsi. de iure naturali. l. 3. lege 2.

Naturalia singula habent ortum, incrementum, statum, declinationem & interitum.

Arabes & Platonici dicūt octauā sphærā circulationem suam absoluere intra 50. millia annorum, & tunc corporea omnia resolui in materiam primam seu chaos, & intellectuales substantias in ideas diuinas, donec materia prima iterum ab intellectu diuino impręgnata nouum pariat mundum; infinitos
D ab æterno sic successiuè productos. Leo Hebræ. dial. 3. de amo. e Alij Cabalistæ dicunt per 6. dies creationis mundi, intelligi 6. mille annos durationis eius, & requiem per vnum mille, velut Sabbatum, Quod dicitur Gen. 1. In principio Deus creauit, &c. Hebraicè sonat, antè quam Deus è chaô, &c. Ib.

Digitized by Google

* Quia liberi arbitrij motu attraximus mali societatem, velut venenum melle conditum, & excidentes à beatitudine transformati sumus ad vitium, ea de causa velut vas quoddam fictile, homo rursus in terram resoluitur, vt secretis quæ in ea nunc sunt sordibus in pristinam figuram reformetur per resurrectionem. Id. Deus primi hominis nuditatem texit pellibus animalium, exteriori nostri parti remedium afferens per mortalitatem, quæ tamen non attingit internam diuinam imaginem. Gregor. Nissen. orat. catachetica. c. 8.

QVÆ FINEM IMPONANT durationi.

DEMONSTRATIO. Breuis.

BONITAS. Plurimæ res intereunt ex sequentibus principiis positiuè vel negatiuè sumptis vt ob nimias largitiones quibus exhauriuntur, animalia per immoderatam venerem, arbores nimio fructu. *Vide Maioritas Bo-nitas.* Vel defectu alieni beneficij, vt nouella planta sine irrigatione, puer sine laste. *Vide Maioritas Bonitatis.*

MAGNITVDO. Exsiccantur flumina in multiplices riuos partita. Partes integrantes recisæ, toti suo causant interitum.

DVRATIO. Cuilibet speciei præfixus est existentiæ terminus, quem nullum eius indiuiduum excedit, multa non attingunt mille casibus contrita; quæ durant diutius sensim dilabuntur; fato immaturo raptis hoc competit priuilegium, integris partibus honestè mori.

POTESTAS. Pereunt naues turgidis nimium sub vento secundo velis, homines, ambitione nimia dominandi; vltra vires effertur cupiditas, nam omnia suis ad agendum potentiis debilitatis, fiunt potentioris præda; libertatis nimius amor, excussit à populis monarchicum regimen, quo sublato seditionibus & anarchia periere.

COGNITIO. Latere volunt infirma, & si aperto soli & aëri exposueris, læduntur, exhauriuntur, depereunt; sua vel alterius iniuria, effossis oculis fame cito tabescit animal, vel præcipitio frangitur; carens facultate qua motus dirigatur & sibi necessaria conquirat.

VOLVNTAS. Pauci torpore, plures affectibus immoderatis absumuntur; lugent theatra desperatos amantes, qui ferro, laqueo, præcipitio vitam ærumnosam proiecerunt.

VIRTVS. Quot videre licet, corpus suum, vt subsit spiritui, torquentes donec deficiat? Fides, Spes, Charitas, quæ donis cœlestibus ditant animam, depascuntur corpora, & sæuiente persecutione faciunt martyres. Si tamen totius orbis & temporis habeatur ratio, longè plures numerabis, vitiis

A & passionibus, quam virtutibus fatū suū accelerātes.

VERITAS. Reos capitalis criminis Deo, & publicæ tranquillitati lex immolat. Innocentes plurimos, falsi rumores, suspitiones, hæresum sectæ, concitatis seditionibus & bellis; de medio sustulerunt.

GLORIA nusquam sine vitæ dispendio tempore belli pacisque quæritur; hos curis & laboribus ardens æmulatio confecit, illos furentes in mutuam egit perniciem, publico vel singulari certamine. Sic mortis horrorem detergit, gloriæ, honestiq; titulus.

DIFFERENTIA. Si res dictis ab æterno legibus, suo tempore veniunt in exsistentiam, ordo fatum efficit, vt recedentes & productas seriatim in

B theatrum & in officiis personas. Motus libertas, plurimos in longinqua peregrinatione, nauigatione, commerciis confecit, multos, carcer, paralysis obstructio, seruitus; varia motus impedimenta suffocant.

CONCORDANTIA. Vbique mala bonis permixta societatem efficiūt, ambiguam vitæ mortisque causam. Vrbes importatis omnibus vitæ commodis, artiumque fido subsidio nos iuuant, sed continua morum corruptione mētes, interdum grassante contagione corpora necant. Amicis iura [illegible] multos exponit periculis, quosdam solu[illegible] auxiliis infirmitas perimit.

C CONTRARIE[illegible] tes interit[illegible] ess[illegible]

cœlo, [illegible] mina, quou[illegible] nis eripit, vis est motus sub initiis impressi.

MEDIVM. Nostri causat interitum excessus vel defectus eorum quæ vitæ sunt subsidia, cumque minus timeatur excessus, fatum tamen magis accelerat, pluresque repletione, quam fame moriuntur.

FINIS. Vt nascimur sic morimur inconsulti, quod nobis proponimus vitæ fœliciori producendæ

D causa, abrumpendę fit occasio, & perimus ex insidiis.

MAIORITAS. Plerique surgunt, vt lapsu grauiore ruant, ipsa celsitudo per confragosa gradiens, Inuidiæ, fortunæque variis tempestatibus exagitata, vbi progredi desierit, quadam circulationis necessitate, deiicitur.

ÆQVALITAS naturæ, identitas speciei, mortales nos omnes conscripsit, lata fuit in nos ab ipsis mundi primordiis sententia, naturę ius est, contra quod nullus vnquam hominum pręscripsit.

MINORITAS. Si minima quæque sæuientis ex occulto fati esse possunt instrumenta, aut semper, aut nunquam timenda mors, vtrique passioni

E simul aliquid indulget prudens in mores nostros censura & pietas quæ nos Deo concilians, spem gloriæ, timori mortis substituat, habitu inter vtramque temperato.

Digitized by Google

MAIORITAS DVRATIONIS.

NIMIA PERMANENTIA.

FIANT sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit, de quo non impleuit manum suam qui metit, &c. Psal. 128. de senectute nimis prouecta. putredo &c. *Vide Bonitas Differentia.*

Incidere vel induere nouas vestes, Luna existente in signo fixo & specialiter in leone, horribile & periculosum est, Hermes in centiloquio, n. 82. corpus est vestis animæ.

Chrisma confirmationis, debe esse confectum illo anno in die cœnæ. Bonac. de confir. & can. si quis. de consec dist. 4.

Sem[illegible] ulum optimum putatur, binum de[illegible] quod autem vltra acceperis sterile [illegible] ad cibum sit idoneum. Omni[illegible] data est definita.

[illegible] qui [illegible] mobilis [illegible] tempus idem est, [illegible] quia magis senex magis onustus peccatis proficiscitur. Laurent. Iustinian. tract. arbor vitæ cap. 4. Non est ergo propter timorem mortis deuiandum à iustitia.

QVÆ EXCELLVNT tardius perficiuntur.

CAnna Indica 7. aut 8. pedum altitudinis, medullam habat optimi saporis, quam vulgo mel arundinis vocant, duas poscit æstates ad maturitatem. Gotard. hist. Ind. cap. 10.

De auium fœtura. *Vide Duratio Bonitatis* ex Alberto. *Vide Bonitas Durationis.* Mora bona.

Vir tradius pubescit quam fœmina. *Vide Virtus Durationis.*

Ideo posteriora primis præferuntur. *Vide Gloria Durationis. Repugnat.*

Chinenses fabulantur quendam eorum Philosophum octoginta annis in parentis aluo fuisse gestatum. Trigant. lib. 1. de Christ. expedit, apud Sinenses cap 10.

Cardan. meth, medendi cap. 7. dicit fungos & melones esse ex putredine terræ, quod tam citò producantur.

Cainan nonagesimo anno patris, dicitur natus, & tamé primogenitus: nam hac ætate non nisi circiter septuagenarij procreabant; vt enim infantiæ, pueritiæ, iuuentutis & reliquarum ætatum interualla erant longiora & tardiora, quam post, ita etiam vires & functiones. Geneb. in Chronico.

In arboribus folia & germina agiliora faciliora que sunt, vtpote cum crassiore callosioreque consistent materia, fructus autem purgatiores consistunt succisque ipsis præcipuè perficiuntur, vnde tardiores

A sunt, quia ampliori paratu, confectuque opus est. Theoph. de causis plantar. lib. 1. c. 16. *Vide Duratio Bonitatis, Cognitionis, virtutis. Maioritas & Bonitas Durationis*, Mora Bona.

Exiles fructus citius maturescunt. Fœminæ citius adolescunt quam viri, syluestres arbores, quam culti Id. c. 17. Ita morus germinat serò propter loci frigiditatem, excoquit citò propter suam debilitatem. Id. cap. 21.

Semina quo minora, eo fertiliora: etenim quæ minima sunt, maximè fructificare videmus, seu milium, sesamum, papauer, &c. quia facilius minora effici possunt: copia autem facilitati adiudicanda est, quod eiusmodi omnia facilius augescant, celeriusque aëris qualitati obtemperent. Vnde semina ipsa fertiliora sunt quam arbores, & inter ea magis legumina quam frumenta, ocyus enim crassantur & perficiuntur. Ib. lib. 2. cap. 17.

B Semen habet vim non solum agendi sed maximè patiendi à solo & cœlo, at imbecille pati aptius est, Ideo constat quod non roboris sed potius imbecillitatis germinandi celeritas est: arbores enim quanquam robustiores, tardius fructus suos percoquunt. Ibid. lib. 4. c. 1.

Triticum maturè seritur, vt semen frigore constipatum fortiores agat radices, legumina vero verno tempore seruntur, quia vnica nituntur radice, & sursum confestim impetum faciunt. Ib. c. 8.

Qui celeri sunt ingenio, natura fieri solet, vt non multum memoria valeant, qui vero cum labore percipiunt, tenaciores præceptorum euadunt.

Quæ Christus prædicauit, magis nunc proficiunt, quam tunc quando prædicabat. Tostat. in Matth. 10. 4. fo. 54. c. 2. a.

C Pygmei quinto anno generant & octauo senescunt. Id Gen. fo. 33.

In Herculis procreatione ex Alcmena ferunt Iouem vnam continuam noctem ex tribus effecisse. Maxim. Tyrius orat. 22. in fine.

Quæ lentius operantur diutius protrahunt effectus suos, neque enim delitescere vis syderis potest, aut aboleri. Cardan. aphoris. sect. 1. apho. 55.

Celeres partus velut sibi prærepros citò reuocant fata: decennio parit elephas, sed elephantem. Festina non sunt quæ festiua.

Ioseph vt primus euadat, vndecimus nascitur, egregium aliquid meditante natura, quæ tot exempla delineauit, vt vnum absolueret, paternæ virtuti, maternæ pulchritudini compar.

Diutius duratura & præstantiora lentè natura perficit. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege. 16. § 2.

D *Citò nascentia, citò dissoluuntur. Ibid. lib. 3. lege 2. § 1.*

De nobilioribus antequam fiant, deliberatur. *Vide Duratio Cognitionis.*

Magna diu sperantur, diuturnis obtinentur votis, opus nobile non edit natura nisi longo tempore me-

Digitized by Google

ditatum; feriatur terra priusquam annum nobis concedat insignem fertilitatis; vix post quingentos annos edit phœnicem. Illustrium virorum genesim diu mundus expectauit; vltimus creaturarum formatur Adam, & inquit Tertulianus lib. de resur. car. Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum. Noë nascitur anno patris Lamech 182. Primogenitus Isaac, fratrũ vltimus, ex parentibus senio confectis, vt esset cœli filius. Samson ab Angelo promittitur sterilibus ante parentibus, sic Samuel & A Ioannes Baptista. Christus Dominus per 2000. ante annos promissus.

Ouiparorum, & piscium, vt innumerabilis fertilitas, sic vitæ longæ possessio, licet adeo facilè acquisita longæuitas tenacissimè tamen hæret, quin imo plures in totam vitam crescere videntur. In lacu Lemano Truta ad libras centum ascendit. Lucius appenso signo ad 300. annos vixit, stupendæ magnitudinis, tandem occisus. Van helmont.

ÆQVALITAS DVRATIONIS.

DE HIS QVÆ HABENT ÆQVALEM durationem.

FORMA per se & ex natura sua, nunquam prior est tempore suo effectu neque posterior; sed simul, quia in suo esse pendet à suo subiecto & extra ipsum subsistere nequit, nec extra compositum. Excipitur anima rationalis. Causæ naturales quæ à primo instanti habent omnia requisita ad agendum & impediri non possunt, effectum possunt habere sibi coæuum quale est lumen à sole productum.

In principio Deus creauit cœlum & terram. Genes. 1.

Vide Æqualitas Finis. Commori.

Omnia corporis membra simul in vtero formantur, & simul hic moriuntur, cum anima separatur à corpore.

Speciebus singulis determinatus est vt quantitatis & incrementi sic durationis terminus, quem nullum B eius indiuiduũ excedit, licet nõ omnia illũ attingãt.

Populis sub eadem poli eleuatione positis, similiter oritur & occidit sol. Ipse cum Venere & Mercurio suam absoluit periodum & duodecim signa zodiaci perlustrat intra annum. Fixarum motus est æqualis, & in nostro horizonte quæ simul oriuntur, simul occidunt, non habita ratione magnitudinis, ita pari fato reges & rustici moriuntur, sola virtus immortalitatem præstat in hominum memoria. *Vide Voluntas Durationis.* Famæ post mortem cupido. Hanc perpetuitatem leges & Reipublicæ sibi spondent, falsò tamen cum mundanæ vicissitudini sint obnoxiæ, & mutatis suis legibus superstes videri possit Respublica. Vno relationis termino sublato perit alter; læso cerebello perit in subiectis membris sensus & motus; sublato cœlorum influxu, spectabilis hęc elementorum compago dissolueretur.

MINORITAS DVRATIONIS.

DEFECTVS CONTINVATIONIS. MALVS.

Rerumque Inconstantia.

RES naturales, instar aquarum fluuij, fluxę, nunquam statum, semper varietatem adeptæ, conuenienter constitutę sunt in tẽpore natura sua fluxo, quod semper vrgetur & effluit, nec vnquam finem facit decurrendi, transactum abit in nihilum: nondum adest, quod est affuturum, & quod abest, prius sensum fugit, quam sciatur adesse. D. Basil. in hexamer. Hom. 1.

Vt nauigantes etiam dormientes, aut alia cogitantes ad portum deducuntur, sic hæc vita decurrit ad mortem. Vita via est in qua multa occurrunt, seu C grata, seu ingrata, quæ pertransimus cum ex illis nihil contraxerimus. Via est, quæ modo hunc, modo alium sortitur continuò statum. Id. in Psal. 1.

Cœlum & terra transibunt; è cœlo sydera cadent, & collabentur, sol obtenebrescet, Luna non dabit lumen suum: quid admirabile videri debet, si nos qui portio qualiscumque sumus vniuersi, in eorum partem venimus, quæ sunt propria mundo. D. Basil. Homil. in martyrem Iulitam.

Imperfecta sunt magis mutabilia. *Vide Duratio Æqualitatis.*

Sunt quædam animalia. quę mutant formam, vt

Digitized by Google

de pisce capitoso fit rana syluestris: sic mutantur erucæ, & bombices in papiliones.

Dum luna erit meridionalis, descendens in scorpione vel piscibus, non incipias fabricare: citò enim huiusmodi fabrica destruetur. Hermes in centiloquio nu. 11.

Omnis inceptio facta, cum planetæ retrogrado luna fuerit coniuncta, citò destruitur, & ad peius esse deuenit, cum fuerit impedita. Ib. nu. 21.

Quando planeta est in postremo signi, est recidens vel recedens. Bethem, centiloquij. n. 11.

Omnis res quę festinanter fit, & subitò destruitur, & quæ reiteratur est in significatione Martis. Almansor propos. 56.

Aër sursum nititur in propriam suam regionem, & is qui est supra, deorsum fertur nimis à regione ignis rarefactus.

Heraclitus dixit; omnia ita esse mobilia, vt de his nihil sciri & affirmari possit.

Res plures & innumerabiles vicissitudine quadam in eundem locum admittuntur, plures statuæ & figuræ ex eadem cera conficiuntur, imago Cæsaris, deinde equi.

Vt lyræ, sic huius mundi varia & reciproca est harmonia, nec in humanis quicquam est, quod purum, sincerum, simplexque sit; verùm vt musica sonis acutis & grauibus constat, & grammatica litteris, vocalibus & mutis, & vt illa musicus & grammaticus, sic prospera & aduersa sapiens temperat: ex vtrisque fit temperamentum homini conueniens; vt aduersa meliorum successu, aut saltem recordatione mitescant. Plutarch. lib. de tranquill. animi.

In mundo tanquam in pelago fortunam habemus gubernatricem, varia sors, sed communis omnium, citò mori. Scena est in qua multiplex persona agenda est. Omnia quidem naturæ circuitu primum crescunt, deinde minuuntur & sensim deficiendo ad finem properant, sed tot incidentes calamitates & morbi vitam perturbant efficiuntque vt cum breuis sit, tamen perlonga videatur, & mors optetur velut perfugiū. Vt in alea, sic in vita non cadē semper cadunt: est quædam rotatio rerum humanarum quę non permittit eosdem semper fœliciter agere. Æsopus dicebat Deos nihil aliud facere quam alia struere, alia diruere. *Vide Duratio Gloria*. Repugnat. Inconstans fœlicitas. Etiam quædam ciuitates in solido existentes, igne, terrę motu, accessu maris absumptę sunt, & perierunt tanquam nauigantes.

Homines tentant mutare faciem naturæ, montes excindendo, cauando, flumina deducendo, cum interimipsi mutentur & deficiant.

Rectè orat Propheta. Miser ere mihi Domine, quoniam infirmus sum, Psal.6. quid enim infirmius homine? *Vide Cognitio Minoritatis*. Vide Senecā de breuitate vitæ.

De fortunæ ludibriis. Maiol. dierum canicular. tom. 4. De fortuna. Plutarch. De fortunæ inæqualitate. Æneas Syluí. epist. 81.

Noua lex, aliam abrogat. *Vide Differentia Veritatis.*

Pila hinc inde à ludentibus proiecta. In Scotiæ extremitatibus circa Orcades sunt insulæ mobiles, constantes scilicet lapidibus porosis.

Vertumni apud antiquos dicebantur dæmones, quorum instinctu homines, in vertigine positi reddebantur instabiles. Petrus Damia. opus. 12. cap. 24. *Vide Duratio. Voluntatis Repug.* Inconstantia voluntatis.

De nouis insulis in mari natis. *Vide Gloria Contraria.* Salus ab inimicis.

A Fugiunt omnia inconstantiam. *Vide Voluntas Gloria.* quietis. Eorum qui in pelago nauigant, vita à tenui filo pendet.

De stellarum & mundana, vicissitudine ex commentariis Ægyptior. *Vide Magnitudo Durationis.* Longæua duratio.

Antiqui fluuios perpetuò decurrentes effingebant humana specie. Rodig. lib. 17. c. 33. vt significarent inconstantiam hominis.

In Topazio quem Neapoli habuit Hadrianus Guillelmus, hæc litteris antiquis Romanis incisa erant. Natura deficit, fortuna mutatur, Deus omnia cernit. Georg. Agricola. lib. 6. de natura fossibilium.

Verumtamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens. Psal. 38.

Somnus est præsens vita, nisi quod in illa, non vt in somno, visa falsa turpitudinem & reatum inducunt, B in somniis fœlicitas interdum continua est per totam noctem, hic verò sępè nos ante diem deserit. D. Chrysost. Homil. 24. in epist. ad Roman. Scæna est ad horam nec in crastinum producta. Arbor à te plantata permanet, & domus abs te condita durat, opifex verò & agricola pereunt, tamen velut immortales in luxū resoluimur: delicias omnes expertus Salomō Eccles. 1. dicit, Vanitas Vanitatē &c. Illuc itaq; animos trāsferamus, vbi omnia firma, fixa, stabilia. Non solum in ætatibus hominum, verum & in structuris ædificiorum, immatura mors fuit dum incendio, terræ motu, fulgure ruunt Idem. Hom. 15. in 1. ad Timoth.

In fundo maris Lybici arenæ sunt mobiles sicut in terra, ideoque illis iactę non hęrent anchoræ firmiter.

Quædam sunt quibus propria seminum libido læna est, auocatque à constantiæ tenore ad subeundas C vicissitudinum transmutationes, non quidem ob appetitum ad aliam formam, verum quod insitus naturæ balsamus facile diffletur, & pereat; vt sunt carnes & pisces: alia verò non nisi prius excitata putredine, thorum mutant, induuntque nouorum seminum sollicita imperia, qualia sunt li. na, lapides atque igne constantissimum vitrum. Van helmont in tractatu Magnum oportet.

His quæ non secundum rationem sunt, non est fidendum, neque vt diuturna sint sperandum. Cardan. aphorism. sect. 1. apho. 5.

Perfectiora minus durant. *Vide Duratio Maioritatis. Repug. & Media Duratio* Mors iuuenis.

Quibuscumque dominus ascendentis cum infortuna est, ac combustus, cum luminaria ambo infortu- D nata in sexta, mortui nascuntur & matres eorum pereunt. Ib. apho. sect. 2. apho. 5.

Quid solidum in humanis; si ætas horarium est, annus lineas, vmbra vita, læthalis vmbra, quæ lineas enecat, quotquot attingit pariterque dum proficit, deficit.

Herbæ quædam non habent radicem, sed in superficie corruptæ & virescentis aquæ nascuntur, cum eis non desit humiditas.

Lex 8. §. si maritus. ff. de donatio inter. vir & vxo. Rem mortuam vocat vnguenta, quorum possessio breuis, inanis, inutilisque est, Ita Plin. lib. 13. c. 3. Margaritæ, inquit, gemmęque ad hęredem transeunt, vestes prorogant tempus, vnguenta illico ex- E spirant, ac suis moriuntur horis. Cuiac. Obseru. lib. 9. cap. 30

Psal. 1. describitur viri boni beatitudo tanquam ligni plantati secus de'cursus aquarum, cuius folium non defluit, & additur, Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Et Psal.

Digitized by Google

Psal. 17. dicitur. Comminuam eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos.

Inconstantia procedit à variis passionibus. *Vide Maioritas Voluntatis.* Passionum damna ex D. Hier.

Ex malorum vt cæterarum rerum inconstantia, nascitur spes. *Vide Finis Contrarietatis.*

Non fit cometes in elementari regione quæ semper est inconstans: cometes autem diu manet. Cardanus. de rer. variet. lib. 1. c. 1.

Pauper sedens ad portas Ecclesiæ vtilia suadet & differit per silentium & aspectum. Ne superbi & insolentes tibi sint spiritus, ô homo; fluxa & caduca est hominum natura; iuuentus properat ad Senectutem, pulchritudo ad deformitatem; vires ad imbecillitatem, honor ad contemptum, sanitas ruit ad morbum, & ęgrotationem, gloria ad vtilitatem & abiectionem, diuitiæ ad paupertatem. Res nostræ sunt similes vehementi fluento, quod nusquam vult consistere, sed fertur festinans ad decliue. Quam multi ex his qui foris sedent, floruerunt in iuuentute, &c. Vt ex humilibus quidam ad magnas dignitates euehuntur; sic alij ex diuitiis & honoribus deprimuntur. Sic aspectu suo prędicatorum munus obeunt, experiẽtiâ, quę est manifestior demonstratio. D. Chrys. ho. 30. in 1. ad Cor.

Infra lunam omnia sunt fluxa, decidua, senio, morbis, vitiis, casibus, mortique exposita atque obuia. Nec natura eorum, etiamsi vis externa abesset, sineret illa esse admodum diuturna, ne dum sempiterna. Sunt enim ea conditione & lege progenita, vt suis statutis certisque temporibus vitam illam suam, tanquam mutuum deponant, & ei quæ credidit naturæ reddant, atque soluant: Ludou. Viues in somnium Scipionis.

Caïn egressus à facie Domini habitauit in terra Naid, quod interpretatur fluctuatio. Quicumque à Deo recedit, statim sæculi fluctibus quatitur, & mouentur pedes eius. D. Hieron. Damaso. lib. 3. epist. *Vide Contrarietas Durationis. Et Repugnantias Durationis Bonitatis, Magnitudinis & cæterorum principiorum.*

DEFECTVS MORÆ SEV celeritas bona.

Galba sumpta virili toga, somniauit fortunam dicentem, stare se antè fores defessam, & nisi ocyus reciperetur, cuicumque obuio prædæ futuram. Sueton. in Galba.

De celeritate motus lunæ, qua prodest inferioribus. *Vide Voluntas Differentia.*

Præuisio mali futuri efficit rerum accelerationem. *Vide Cognitio Contrarietatis.*

Asserunt Platonici igneam naturam mouere cœlos, & calida sunt magis mobilia. *Vide Principium Differentia.* Amor dat celeritatem. Vnde D. Ambr. loquens de Maria quę abiit cum festinatione ad montana ad Elizabeth. Nescit inquit, tarda molimina Spiritus sancti gratia. *Vide Duratio Bonitatis. Repug.* Celeritas in dando.

Reges citò negotia sua perficiunt, & se vindicant, qui habent signum igneum in ascendente, & aëreum in decima. Almansor propositione 98.

Gen. 24. seruus Abraham pacto inito de deducenda Rebecca ad Isaac, cum parentes vellent eum retinere per decem dies, dixit, Ne retineatis me; Dominus enim prosperauit viam meam. In prosperis celeritas bona, in aduersis mora.

Olim in sacrificiis bonum erat omen, si hostia citò moreretur, si vltrò ad aras accederet, si à flamma citò combureretur, hoc Diis acceptabile habebatur sacrificium.

Agente & passo debitè approximatis, statim consurgit actio. Arist. 9. Metaph. text. 10.

Circa Cyrenem arenæ mobiles sterilitatem soli efficiunt, ibi hordei sola messis est, quæ celeritate prouentus, per naturam solis siue aëris ventorum casus euadere solet, quippe fertur à die iacti seminis, trigesimo die maturescere. Vitæ Patrum lib. 4. c. 1.

Ioannes minus duobus diebus, quam Christus, mansit in vtero, quia præcursor erat, & celeritas maximè ministrum decet. Petrus Damianus lib. 4. epist. 16. in fine.

Agnus Paschalis debebat vorari, idest edi cum celeritate. Exo. 12.

Linearum in circulo ductarum ea est longior quæ transit per centrum; aliquid audendum præter mediocritatem. *Vide Magnitudo Voluntatis.* Zelus bonus. *Magnitudo Principij.* Initia à magnis.

Omnis passio animæ inclinat cum impetu in suum obiectum. *Vide Magnitudo & Maioritas Voluntatis.*

Festinant ad germinationem plantæ tam robustæ quam debiles, diuersa ratione. Illæ sua potentia copiaque propellunt, hæ vel à minimo aëris momento moueri facilè possunt. Quin & humiditas atque mollities ad emittendum plurimum confert. Siccum & spissum neque transmeatu facile est, neque copiam habet materiæ. Theophrast. de causis plantar. lib. 1. cap. 10.

Proferunt caules celerrimè, quæ semine ingenti prouenerint, vtpote quæ validissimam obtinent originem. Caulis enim perfectio quædam est siquidem fructus finis rationem obtinet. Inter arbores, quæ sunt vetustiores celerrimè, pleniusque fructus percoquunt; vetera enim minus radices agunt, sed sursum potius tendunt, atque ita celerius se perficiunt. Ibid. lib. 4. cap. 3.

Repugnantiam *Vide Maioritas Durationis, & Duratio seu mora Bonitatis, Cognitionis, Virtutis, &c.*

Anchialia, & Anchiale vrbs quam vno die Rex Assyriorum Sardanapalus, vt & Tarsum condidit. Suidas in verbo Anchialia. Dictum ac factum.

Fama volucris est, & verba quibus constat, sunt alata.

Venatores Leoninis catulis insidiantur, cum leænæ absunt. Captanda occasio. Cum nuper impressa sunt vestigia ferarum, facilius venatores sequuntur priusquam odor à vento aboleatur.

In somnis volare bonum est actionis bonæ signum. Suidas. in voce πέτεσθαι ἐν ὕπνοις.

Vlysses hostium consilia anteuertebat.

De Firmo Imperatore qui robustissimus est habitus, scriptum est eum fuisse vectum ingentibus struthionibus, adeout magis volare, quam gestari videretur. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 16. c. vlt.

Masculus præsumitur prior natus quam fœmina. l. idem erit ff. de statu homin. & Glossa.

Aquæ citius decurrunt quę minus sunt profundæ; quibus fundus non limosus, non asper, sed ęqualis; quæ magis in decliue feruntur, & potius per fistulas quam per apertos canales. Cardan. de rerum varietate. lib. 1. cap. 6. Aqua quæ velociter fertur, omnino pura est. Ibid.

Rex Persarum postea Princeps Mediolanensis habuit cursores seu veredarios qui dispositi per modica interualla, celeritate inenarrabili alius ad alium litteras perferebant. Rodig. lib. 18. cap. 8. Fasces in turribus accensæ significantes quid in longinquo fiat celerius dant nuntium, substituunt enim oculos auditui.

Magna celeritas in opere accedit ad miraculum. *Vide Maioritas Potestatis.* Miracula. A

Celeritas in electionibus temporis secundum virtutem cœli tunc regnantem. *Vide Concordantia Principis.* Cœlo conformari.

Quotiescumque aliquid agimus tardius, quam agere debeamus, peccatum veniale est. Tostat. in Matth. 5. 48. c. 1. b.

Quanto agens est minoris actiuitatis, tanto tardius agit. Idem in Matth. to. 4. fo. 248. c. 1. B.

Imaginatio matris creat velut in instanti, cerasum in fœtu. *Vide Potestas Cognitionis.* vis imaginationis *Et Gloria Concordantię.*

Angeli comparantur in scripturis igni, non soli, quia licet sol sit re vera celerrimus in motu tamen sic non apparet ad sensum, & corporum omnium ignis videtur celerrimus. Tosta in Matth. tom. 4. fo. 19. B

Dæmones & malefici vt simulent voces, & alia opera viuentium in corporibus mortuis, id efficiunt statim post mortem nondum induratis & corruptis organis, etiam infuso aliquo calido humore. Id. in Matth. to. 7. f. 278.

Luna cum velox fuerit motu, bonam significat rationem, & bene eligere, & velocem in operationibus. Cardan. de iudiciis geniturarum. c. 6.

Planetæ in parte Orientali, Orientales, in signis Orientalibus & in angulis, veloces habent successus. Id. aph. sect. 2. aph. 88. Cum celeriter perficere cupis, lunam & significatorem in mobilibus signis constitues. Ib. aph. 165.

Quando planetæ omnes aucti motu fuerint, ille valdè fœlix erit, facilè enim cuncta perficiet. Ib. sect. 4. aph 148. C

Luna cum minus perambulat partibus 13. min. 10. tarda est motu, siccior, & lente effectus suos producit. Ib. sect. 6. aph. 109.

Publica sine mora fieri debent, vnde fisci priuilegium est, vt mora ei fiat re ipsa, id est ex solo tempore tardæ solutionis, sine interpellatione, sicut in minoribus 25. an. & ex suis contractibus vsuras non det, sed ipse accipit ex mora. Cuiac. obseruat. lib. 22. c. 34.

Defunctorum in somnis visiones tarditatem indicant properantibus. Philostratus in Heroicis. D

Phlegmaticæ & melancholicæ creaturæ, tardius mouentur sanguineis & cholericis, sic semper viuum & cicuta tardius ad maturitatem veniunt, quam vegetabilia calidiora. Robert. Flud.

Debitor qui est in mora, tenetur etiam de casu fortuito. l. 18. ff. commod. & can. decimę. 16. q 1.

Circa mare Caspium frequens arbor, faciem quercus habet cuius folia multo melle tinguntur, sed nisi solis ortum incolę occupauerint, vel modico tempore succus extinguitur. Q. Curtius. l. 6. Diligentes esse debemus in excipiendis Dei donis.

Coniurationes statim vt apparuerint, denuntiandæ. *Vide Magnitudo Virtutis. Repug.* diffidentia.

Baptismus non est differendus in pueris, ob periculum mortis. *Vide Duratio Contrarietatis. Rep.* Celeritas remedij. E

Non est celeriter exequi citò exequi, sed antequam possis impediri.

Solent quę per occasionem offeruntur meliora esse & perfectiora, quā quæ quis industria sua sibi parauit, vt pote quasi diuinitus sibi collata, & in finem illum ordinata. Cardan. de arcanis prudentię. c. 60. De occasione celeriter captanda. *Vide Duratio Bonitatis.*

Indacus, sub Leone Marciani successore floruit, homo tantę celeritatis vt equos cursu & itinerando anteuerteret. Suidas in voce Indacus.

Rheginorum numisma fuit currus cum lepore. Rodig. lib. 16. c. 31. Nati sub leporis sydere sunt veloces ad cursum. Ib.

Refert Iustin. historiæ l. vlt. Habidem Gorgonis Regis filium in syluis ceruæ lacte diu nutritum fuisse, & ideo velocissimus fuit in cursu.

Dos agilitatis est qualitas quædam in beato, ad faciliter mouendum se, secundum locum, & non eo modo qui est naturalis, sed qui est secundum conceptionem, & apprehensionem animæ. Tostat. in Matth. to. 4. fo. 155. c. 3. b.

Velocitas est à Mercurio, Marti coniuncto.

Notariorum & Scribarum tanta erat olim velocitas in excipiendis dictis, vt prius sententiam notarent, quam esset pronuntiata; de qua Mart.

Currant verba licet manus est velocior illis.
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

CELERITAS QVANDO *bona.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. In omnibus humanis actionibus esset optanda celeritas quæ supponit magnam in agente potentiam præualentem debili patientis resistentiæ: Sunt tamen quædam rerum, temporum, personarum circumstantiæ quæ celeritatem maiorem exigunt, vt extrema famis necessitas, quam nisi citissima subleuet alimonia, mors occupat; In cæteris humanis officijs bis dat qui citò dat, nec patitur quam confert gratiam, molestissimis precibus, & torquente dilatione, carius quam par sit, emi. *Vide Duratio Bonitatis. Repug.* Celeritas in dando.

MAGNITVDO. Quæ non patiuntur diuisionem, & non nisi tota vim suam obtinent, partes sine mora & vacuo successiuas habere volunt, vt sermo cuius sensus certis constat syllabis, eas proferet os ordinata nec per multum tempus interrupta, sed continua serie. Nam plurimum dissitæ, interpositis pluribus horis aut minutis, non significarent vt decet in stipulationibus & sacramentis. *Vide Minoritas Differentia.* Indistantia.

DVRATIO. Citò sunt incipienda quæ non nisi diuturno tempore possunt perfici. Vna die magnum iter emensurus viator, illud agreditur ab aurora. Intra breuissimum etiam incertum vitæ tempus comparanda nobis est æternitas. Ideo virtutibus à primis annis est incumbendum, ne mali subrepant habitus, quibus postmodum extirpandis, tempus profectibus debitum, impenderetur. *Vide Duratio Virtutis.*

POTESTAS. Mundani principes gratissimum habent impleri citissimè voluntates suas; etiam ægrè ferunt diuinatione quadam officiosa non præueniri, vt eas enuntiare opus fuerit, læduntur autem ministrantium tepida procrastinatione, quasi diu noluerint, qui tardè iussa perficiunt, Id enim arguit defectum, vel voluntatis, vel potentiæ vtrumque regnantibus ingratum.

COGNITIO. Artis cuiuslibet habitus citò perfectè & alacriter suas edit operationes. Id optandum esset in scientiis, vt impressæ naturaliter mentibus generales speculationis & moralis ideæ, studiorum laboribus excultæ, citò nobis notam veritatem proferrent, non tot quæstionibus affectatis, asperam ambiguam, inuida magistri

mens per easdem quas passa est inquisitionis ambages, consulto discipulos circumducit hc melioris sint conditionis& velut desideratam oporteat lucem precedentibus tenebris commendari. Dum improbi pretiosum vitæ tempus in vanis conterunt, dum prolixitatis ambitu proponunt & demoliuntur absurda, cum diu veritatem quæsierint vbi non est, finis studiorum fit lassitudo. & cum ad omnes scientias nati simus, vni perdiscendæ ætas nunc tota non sufficit.

VOLVNTAS. Amori, desiderijs, spei dilatio supplicium est, ambulatoria voluntas, omnia lustrare, omnia probare cupiens non se patitur in singulis diu detineri. Si cœlo conciliante procedit affectus, non consultat, sed impetu, & raptu quodam in obiectum conueniens, velut corpus in suum centrum recto citoque motu transfertur. Suspicione laborat & læditur amor, diu de diligendo deliberans, vim infert in contraria nitenti genio, & cum multa diligens censor discusserit, plura tandem emergent occultiora, quę dabunt locum pœnitentiæ.

VIRTVS. Citò virtutibus incumbendum, vt illis, & bona vita diu frui liceat, vota sua exoluit sine dilatione religio; preces etiam nostras sæpè præuenit pluribus gratiarum auxilijs misericors Deus; his prouocati, his ditati, quid moramur, quid in futurum & incertum tempus differimus gratias referre benignissimo largitori?

VERITAS. Statum vt rerum in electione nostra positarum occasio se profert; quid agendum vel omittendum illustratione momentanea docet synderesis. Quod deinceps nos anxios & ambiguos efficit, sæpè passionum est corruptela, rationem in suas partes occultè, sed iniquissimè trahentium. Dum lucem habemus operemur bonum, primæuum illum diuinæ lucis radium immediatè sequatur fidum nostræ voluntatis propositum exequendi vel relinquendi res qualescumque sensibus appareant, prout nobis diuinum beneplacitum notum fuerit.

GLORIA. Bene gestis statim iudex conscientia, gaudium, plausum internum pro præmio decernit, vt hinc discamus, cito mercedem debitam operarijs tribuere, bene meritis honores, quorum nobis est credita dispensatio.

DIFFERENTIA. Prima & secunda creationis die Deus res, indigesta mole confusas ab inuicem distinxit: cœlum à terra, lucem à tenebris; & sic deinceps vnico verbo, fiat, instructa, docilis natura in corporum confirmatione partes diuerso situ officiorum habita ratione distterminat. Sequuntur illam vt perficiant artes omnes, & data in quam explicent se materia, in congruas operi partes primo diuidunt illam, ne labor non pulchritudinem sed confusionem irritus pariat.

CONCORANTIA. Momento cum rebus, ad se respectum habentibus nascuntur mutuæ relationes. Ita fiunt pariter ordinato cœlorum motu sympathiæ, quibus socianiur & in vnum diuersa confluunt, occultis causis, effectu sensibili. Homines inuicem communis natura conciliat, in hoc dissoluendo nexu, quibuscumque datis causis lentè, suspenso timidoque gradu procedat ratio, nec totum vnquam ius in armis humanitate seclusa constituat. Cum autem ineundæ sunt pacis conditiones, inclinante, conciliante natura, cur hęrent in verbo, cur humana cæcutiens prudentia sic palpat, cum neglectis Dei legibus, incurrere soleat in foueam alijs malo sibi consilio, paratam.

CONTRARIETAS. Innumera sunt naturalis & ciuilis vitę mala quæ nisi citò resecces, sensim in vltimam vsque perniciem grassantur. *Vide Duratio Contrarietatis. Repug.* Incidentem vesti carbonem officiosa manus statim excutit; sic pura mens, integritati suæ nociuam occasionem rescindit sine mora.

PRINCIPIVM. Statim adurit ignis, humectat aqua, effert se sursum mobilis aër ita se proximumque statim ad diuina promoueat, is cui cœlo datus est pietatis sensus; nec vnquam vacet ab hoc officio licet humana sapientia mille variis seducta coniecturis moras trahat. Ne negligantur initia vnde sequentium pendet fœlicitas. *Vide Potestas Medij.*

MEDIVM. Non tantum citò sed præmaturè, curis anticipantibus parantur ad vitam & operationes, necessaria: glans prius radices mittit in terram vnde sugat alimentum, quam se proferat in lucem: belli munitiones fiunt in pace, & in prosperis contra casus aduersos, cogitatione, consilijs, animi se probantis & prouocantis robore, semetipsam pręparat sapientia.

FINIS qui contingit vltimus in executione, primus est in intentione; serò sibi proponunt illum qui suos affectus, ex rerum casu contingentium occasione metiuntur, tales variari, iactari, pendere necesse est dum adhęrent rotæ volubili, & inconstantiam habent pro fundamento; vna dies in contrarium vertet consilia, & toleratos diu labores in proprium caput retorquebit. Igitur à primis annis matura statim ratione totius vitę finis sibi proponendus est, ad quem actionum series seruata proportione referatur. *Vide Maioritas Finis.*

MAIORITAS. Excellentes in aliqua scientia vel arti propenso in illam genio, naturaque magistra in primis suis operibus excelluerunt; non igitur semper ad sublimia per infimos gradus scanditur. Hi fœliciter nati progressus suos incipiunt, vbi desinit cæterorum conatus. Habent fundamenta sua in montibus sanctis, vnde licet illis plurimum assurgere.

ÆQVALITAS. Ponderibus inæqualia statim libra probat & ostendit cum vna in cœlũ leuata lance, in terram altera depressa, vt extremorum demonstratione, nulla subsit in iudicio difficultas: vtinam in ambiguo litis vt veritatem cito nouit, ita proferret expertus iudex, nec affectata dilatione, miserè litigantium facultates, animos, officia Reipublicæ debita publicus pręuaricator absumeret.

MINORITAS. Non est ab aduersis humilitas expectanda; tunc enim non est virtus laude digna, cæteris fundamentum, sed necessaria, turpis, probrosa deiectio, quæ desperatos affectus pellit sæpius in crimen, diuinæ iustitiæ, & omnibus quibus vtitur instrumentis, contumeliosa: præueniat igitur casus omnes aduersos vera cordis humilitas; sponte sua iacentem, nulla vis dejiciet; nulla iactabit tempestas, etiam ex tentatione facientem prouentum. *Vide Virtus Minoritatis.* Humilitas.

POTESTAS. BONITAS POTESTATIS.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE

BONVM REGIMEN, INTER HOMINES necessarium.

OPINIO Philosophorum fuit, quod omnis intellectus vniuersaliter agens in materia quæ sibi subiicitur, sit substantia mouens aliquod cælum, cuius motu virtutes & formæ ipsius intellectuum veniunt ad materiam, & educunt ex ipsa in actu id quod est in potentia. Albert. Mag. tract. de vnitate intellectus. c. 1.

Sine subordinatione & regimine non constaret humana societas. Vide can. fin. in principio. distin. 89.

Notum est quod grex, si pastoris cura defuerit, per auia gradiatur, & ob hoc familiarius inimici laqueos insidiantis incurrat, vnde necesse est de his, qui Ecclesiæ militant, vnum, habito timore Domini, perquirere, qui pastoris ministerium possit digne suscipere, quatenus pro Ecclesiæ filijs, puræ quotidie mētis holocaustum offerat, & viam gregi, quomodo ad supernam patriam gradiatur, ostendat. D. Gregor. PP. in Registro. libr. 1. epist. 58.

Homo dicitur ad imaginem Dei factus, potissimum quia habent imperium, & eius est dominari. vnde 1. Cor. 11. non debet velare caput, quia est gloria Dei, non sic de muliere, quia non est ad imperium nata; sed ad subiectionem. Thodoret in Genesim. quæst. 20.

Hominis in homines imperium est necessarium, vt legum & magistratuum metu mali contineantur; velut nauis à gubernante. Nec enim etiam in Democratia omnes sunt æquales, sed alij legislatores, Iudices, exercitus duces, alij subditi & milites. Nam frustra lex est, si non sint qui illam executioni mandent, & qui impediant ne vt inter pisces, sic inter homines vis præualeat. Qui prius impugnabant regimen, si lædantur, legum & Principis implorant potentiam, & in forum, velut in portum festinant. *Vide Virtus æqualitatis.* Iustitia. In naui, in domo, in exercitu, similiter in populo, vnius imperium necessarium est, si subditi parent imperanti, qui imperat, paret necessitati, & omnium curas in se recipit. Pater imperat filiis, Præceptor discipulis. Archangelus Angelis, &c. Idem orat 7. de prouidentia.

A Diuus Hieronim. epistol. ad Euagrium. citatur. can. olim distin. 95. dicit olim idem fuisse munus presbyteri & Episcopi, sed vt ortæ in Ecclesia diuisiones sedarentur, institutos Episcopos qui cæteris presbyteris præessent.

Male quidam Doctores Hebræi asserunt Iudæos non indiguisse Rege, quia Deus illis speciali cura prouidebat, & Saülem cæterosque Reges irato Deo datos, at sine rectore omnia in fœdam Anarchiam resoluerentur. Deus vtitur causis secundis ad regi-

B men vniuersi, per solem nos illuminat, per ignem calefacit, per aquam lauat, ita regit per magistratus, & principes. Dum Hebræi volunt nulli subiici, omnibus sunt subiecti.

Falsum est cœlum esse igneæ naturę, quia consumpsisset omnia, & esse duræ & solidæ materiæ, sed est humidæ vt aër, facilè cedens motui planetarum, qui nunc sunt proximiores terræ, nunc magis ab ea distantes, stellarum etiam radij, transeuntes per plura media diaphana, variarent apparentiam.

Formę est agere, materiæ autem pati. Aristot. 1. de genere, tex. 55.

C Aliorum Regum finis est, dominari, Christi Regis Regum, saluare.

Iudicum 20. cum vigeret hominum fornicatio, & ob id penè deleta fuisset tribus Benjamin, sæpius repetit scriptura, tunc non erat Rex in Israël, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur faciebat.

In quolibet mixto dominatur aliquod simplicium.

In rebus diuinis exequendis, in auguriis captandis, in diuinationibus, in Iudiciis ferendis, in emancipa-

D tionibus, erat virgarum vsus, & magistratum præcedebat virgarum fasciculus. Virga potestatem significat sine qua nihil fit. Rodigin. l. 7. c. 19.

Vbi non est gubernator, dissipabitur populus. Prouerb. 11. 14.

Electio prælati debet fieri intra tres menses, alias ius eligendi amittitur, & ad superiorem deuoluitur, c. ne pro defectu. de electionibus. can. postquam dist. 50. ne diu vacet regimen.

Vide Voluntas Virtutis. Rep. Homines sunt inmalum proni.

Si Respublica est corpus non debet carere capite. A
Si est quædam fraternitas, patrem debet agnoscere.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Roma. 13. nullum excludit Propheta, Apostolus, Euangelista; Non est enim potestas nisi à Deo. Non de quouis principum sermo est, sed de ipsa re: quod enim principatus sunt, quod hi quidem imperant, isti verò subiecti sunt, quodque non temerè cuncta feruntur, nec fluctuum instar populi huc atque illuc circum aguntur, diuinæ Sapientiæ opus esse dico; propterea non dicit, non enim princeps est nisi à Deo, sed de re ipsa disserit dicens, non enim potestas est, nisi à Deo. D. Chrysost. homil. 23. in Epist. ad Roman.

Rectè sapiens dixit Eccles. 3. quoniam honoris B & conditionis æqualitas pugnas ac dissidia plerumque inducit, multos Deus fecit principatus multasque subiectiones, vt pote viri & vxoris suæ, filij & patris, senis & adolescentis, serui & liberi; principis & subditi; præceptoris ac discipuli. Idem fecit in corpore nostro, cuius membra quædam sunt imperantia, alia subdita. Idem videmus in apibus, in gruibus, in gregibus ouium aggrestium. Multa piscium genera sub vno reguntur, militant, longasque peregrinationes exequuntur. Libertas enim illa dissoluta ac moderamine carens vbique mala, confusionisque causa est. Ibid.

Deut. 22. Prohibetur mulieri ne induatur veste viC rili. Non est hoc leue peccatum cum sit inobedientia legem transgrediens quæ pulchrum ordinem constituit in mundo, eius qui imperat, & qui paret; hunc confundit, Dei dona prodit, datum ab eo honorem abiicit, qui induitur veste muliebri. D. Chrysost. Homil. 26. in 1. ad Corinth.

Viro & muliere creatis dominatur vir, quia paritas in honore inducit pugnam; igitur in vna quaque domo vir est vt imperans; vxor est loco præfecti. Tertium imperandi locum sortiuntur filij; inter seruos præcipuus eorum. Ibid. hom. 34.

Inter Adam & Euam futura erat subiectio in Paradiso, & fœminarum ad viros, sed illa nec esset D pœnalis, neque seruilis. Tostat. in Gen. fo. 219. col. 1. e.

Regula communis erat, quod mortuo vno iudice, tempore Iudicum in Israël, Israëlitæ conuerterentur ad Idola, & hoc quando vnus iudex non succedebat alteri immediatè. Id. Iud. fo. 99.

Vita Religiosa non consisteret sine prudenti superiorum regimine. Vide quæ scripsi. lib. de institutione & officijs religiosi. parte. 3. cap. 2.

Languet humanum genus, à planta pedis vsque ad verticem, ab infimo statu vsque ad superiorem non est in eo sanitas, experto itaque indiget mediE co; Aberrat, indiget ductore. Nulla congregatio, nulla ciuitas esse potest sine rectore, qui corrigat delinquentes, euigilet desides, pusillanimes foueat, dirigat simplices, humiles complectatur, reprimat superbientes, atque de virtute in virtutem proficientes exerceat. Sic in populo Israël, duces, reges, iudices electi sunt, & in sacris Sacerdotes. Et Christus Petrum in Ecclesia Pastorem instituit. &c. Laurent. Iustin. de institutione prælator. cap. 3.

Lex in bonum commune, est præceptum ab eo impositum, qui vim habet cogendi, & ad hoc publicam potestatem; primæ leges naturales & diuinæ sunt à Deo, qui summam habet potestatem. Suarez de legib. lib. 1. cap. 8.

Vbi non est gubernator, corruet populus. Prou. 11. Nam cum singuli singularibus commodis studeant, necesse est aliquem publicis intendere.

BONITAS ET CLEMENTIA Regentis.

OMnibus planetis nocet vicinitas solis, excepto Marte, qui solis radiis oppressus, creditur, solem veneratus, naturalem suam malitiam amittere. Iul. Firmicus lib. 2. cap. 8.

Papa non vtitur baculo, sed tantum inferiores prælati. cap. 1. de sancta vnctione. Quia eius misericordia, vt Domini, debet esse super omnia opera eius; Ita Regibus proprium misereri & parcere, gratiasque & abolitiones reis concedere.

Dominus constituit Moysem super populum, cum esset super omnes mitissimus. Num. 12. & 3. reg. 20. Habetur Ester 3. quod Reges Israël clementes erant. Et Isay. 16. Emitte agnum Domine dominatorem terræ; & de Christo habetur Matth. 20. Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.

Demosthenes dicebat ad Alexandrum; Nil habes Rex, vel fortuna tua maius quam vt possis, vel natura tua melius, quam vt velis seruare plurimos; nihil Deo proximius, quam vt salutem conferas hominibus, vel dando si eguerint, vel parcendo si deliquerint, vel indulgendo si supplicauerint: cum enim vincamur à Dijs in omni munere, sola clementia est, quæ nos Deo reddit æquales.

Prouerb. 20. Misericordia & veritas custodiunt regem & roboratur clementia thronus eius. Reges in signum clementiæ vnguntur vt sint aliis clementiores. cap. 1. de Sancta vnctione.

Solus Princeps remittit pœnam merenti l. ad bestias. ff. de pœnis. Et concedit gratias, abolitiones, restitutiones in integrum. Vide Chasseneum in catalogo gloriæ mundi. Parte 5. consider. 24. n. 74. & seq.

Ibidem. n. 115. refert quod capitale crimen committit, qui aliquem lædit, coram Principe, aut in eius palatio.

Hoc inter Reges gentium, & Reipublicæ Imperatores distat, quod Reges gentium domini seruorum sunt, Imperatores vero Reipublicæ, domini liberorum. D. Greg. PP. in Registro. lib. 11. ep. 38.

Misericordia in natura humana, est vt Ara in Templo.

Homerus Principem vocat bonum & mansuetum patrem: fugiat arrogantiam & pertinaciam, tanquam humilis vilisque animæ affectus, sui enim obliuisci propter phantasiam breuis Imperii, magnam pusillanimitatem arguit. Leuiter curet sine conuitiis quæ iram arguunt. *Vide Media Contrarietas.* Oportet verum principem non rectè tantum imperare scire ac posse, sed etiam humaniter. Turpe enim fuerit Pastorem oues odisse, & pecoribus suis infensum esse.

Pastoris Officium est vt grex benè habeat, similiter Regis, vt populo benè sit; vtriusque opera similia. Xenoph. 8. Cyropediæ. Rex autem bonus est, si se non solum benè regat, sed etiam illis quos regit, fœlicitatis causa sit, ob id enim eligitur, vt fœlices illos faciat.

Res insociabiles miscuit Nerua, societatem & imperium. *Vide Concordantia Minoritatis.* Superiora inferioribus se temperantia.

Ignis qui materiam omnem hic consumit, liquat metalla, nihil in cœlo à tot sæculis liquauit. Theod. Or. 2. de Prouidentia.

Porphyrius & alij Platonici censent non esse Deos,

sed malos dæmones quibus sacrificia animalium placent, & sanguinis effusiones. Idem Theodoret. serm. 10. de oraculis.

Iuppiter dictus est optimus maximus. Traianus imperator nouo & speciali titulo dictus est optimus; de quo sic Siluius Italicus.

Optimus hoc nomen, melius maiusque triumphis.

Iupiter primum dicitur optimus quam maximus, quia ex bonitate solida potentia.

De indulgentiis à Prelato concessis. *Vide Bonitas Principij.* Dei bonitas. *Vide Voluntas Principij.* Parentum amor.

De Ecclesiastici regiminis modo. Agobar. Biblot. Patr. tom. 3.

De Prælatorum modestia. Gerson. tom. 2.

Salomon vt populum suum regeret virtute & sapientia, non fastu à Deo poposcit sapientiam & accepit. Chrysolog. Serm. 48.

Vide Concordantia Minoritatis. De incarnatione verbi.

Inter mundana omnia nihil est prestabilius amicitia quæ consulit in prosperis, non deserit in aduersis; nihil sine ipsa iucundum, nec tanta tyranni crudelitas, vt amicitia non delectetur. Hæc autem amicitia, non tyrannis, sed bonis tantum regibus contingit: ita regnum fit stabile, subditis vltro se pro rege ipsos amante exponentibus. Tyrannorum dominium, quibus omnes repugnant non potest esse diuturnum: facilius attentatur, fauente multitudine, timor debile fundamentum, quia cum affulget spes impunitatis, concurritur, vimque sibi diu factam violentia maiori populus compensat, ipsi timore ad quędam peragenda præcipitantur. At Prouerb. 29. dicitur. Rex qui iudicat in iustitia pauperes, thronus eius in æternum firmabitur. Tyrannus licet multa exigat, pauper est, quia necesse est illum multa expēdere in exploratoribus & satellitibus pro sui custodia, & vt venales habeat, quos timet, nec tutò potest perdere. Timor facit auaros, & auaritia reddit infensos. D. Tho. de regimine principium. lib. 1. cap. 10.

Reges medicinam exercuere. *Vide Medicum Gloria.* Medicina.

Non est hæc principum amplitudo, semper armorum fremere terroribus, & apparatu bellorum, ore igneo tormentorum æneorum pronuntiare sæua, ire per fumantes vrbes, per calcata miserorum corpora, omnia exhaurire ne exhauriantur; quanto illud gloriosius est, fœlicissimi syderis more ambire cuncta mente placida, virtute benefica res lapsas erigere, solari mœstas, dissipatas colligere, & diuulsas componere?

Spiritus ille vitalis quo regna omnia continentur; ille obsequendi promptus & facilis affectus, non extorquetur per metum, sed fide & charitate in diuinum sensum coalescit. Per obliquum irrepentibus, aut per vim iniustam afferentibus coronas, omnia turbida sunt & funesta.

Ars imperandi maxima est, amare & agere quod multis expedit, Regendi forma perfectior est, quæ pastorem magis, quam dominantem sapit. Ideo Deus non dixit Dauid, Tu dominaberis, sed tu pasces.

Optimum est vt se principes æstiment supra omnem contumeliam positos, & quidquid peccatur, ab ignaris potius, quam per contemptum fieri; sint à credulitate alieni, per quam sæuæ & ingentes flammæ solent accendi. Mansuetum esse oportet quidquid est summum, minus audeant. cum sunt animo commotiores; tam sępè iratum mare nihil præter spumam & fluctus, litt oribus allidit. Sciat princeps se seruatorem esse, non destructorem mortalium, priuatorum iræ in rixas exeunt; principum sæuitia bellum est, & in perniciem regionum exundat velut Æthna & Vesuuius. Non timeat ne in fatuā bonitatem inclinet, quia omnis potentia, natura sua ferox est, & nunquam deerunt qui eam accendant.

Ad Dauidem conueniunt omnes qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo. 1. reg. 22.

Olim in clypeis reges, dum inaugurarentur sedere solebāt, quo intelligerent se clypeos esse populorū, aduersus omnia dura & aspera, inuicto robore obiiciendos. Portant orbem, vt dicit scriptura, non portantur ab orbe. Sic Moyses, Nu. 11. 12.

Optimè si tam suauiter agunt, vt horarum instar, non ire, sed isse videantur: fertur Respublica quasi nauis impulsa lenissimo flatu, qui mouet omnia, nec moueri videtur.

Reges olim dicti εὐεργέται, idest benefici, quod testatur Christus. Luc 22. quod eorum esset, opes, & beneficia largiri.

Sacerdotes & Episcopi debent esse misericordes, hospitales & pauperibus largiri. Vide multa præclara ex patrib. collecta apud Barbosam. de officio & potestate Episcopi, parte 1. tit 2. gloss. 9.

Regum Persarum mensæ apponebatur quidquid in escam domesticorum destinabatur, vt omnia viderentur ab ipso procedere, Dauity.

Reges non procedunt in publicum, nisi liberales, *Vide Minoritas (concordantia.*

Quos sæuitia & crudelitate territos subegeris, vt metuas semper necesse est, quos tua tibi pietas, misericordiaque conciliauerit, perpetuo fideles inuenias, Æneas Syluius. Rex pacem debet dare, non vendere. Id.

Ithacius Episcopus communione priuatus quod Priscillianum capite plecti fecisset: quanquam aliquorum Episcoporum sententia absolutus. *Vide Contrarietas Veritatis.* Hæretici non cogendi.

Admonendi sunt Domini subditorum, vt circa suos piè & misericorditer agant, non vi opprimant, & quæ à subditis reddenda sunt, impiè ac crudeliter exigantur. Concil. Turon. III. cap. 49.

Vide Iob. 29. 25. Cum sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator, &c. Misericordia & veritas custodiunt Regem, & firmabitur iustitia thronus eius. Prou. 20 28.

Deus fecit cœlum & terram, cœlum vt terræ influeret, materiam & formam, masculum & fœminam, sic Romulus populum omnem diuisit in patricios, & plebeios, itaut plebeis licitum esset quem voluissent ex patriciis sibi patronum eligere.

Quanto sol est altior, tanto arcus cœlestis est minor, & quanto sol est inferior, tanto arcus est maior vt in ortu & occasu. Alb. Mag. meteo. lib 3. tr. 4. c. 7. Vbi plus est potentiæ, sit etiam plus clementiæ. Hiero Rex Syracusorum cum regnasset 56. an. neminem occidit, neminem relegauit, nulli ciuium molestus fuit, patriæ pacem retinuit & sibi principatum insidiarum expertem custodiuit & ab omni inuidia, cum sæpius instituisset principatum deponere, publicè à ciuibus prohibitus est. Suidas in voce Hiero.

Mauricius Romanorum imperator duas res inter se contrarias coniunxit, summam & magnitudinem animi & clementiam ab omni despicientia & supercilio alienam, Id in voce Mauricius.

Bonus princeps communem hominum fœlicitatem præclarum & inuiolatum thesaurum æstimat, mauult à suis dici pater, quam Dominus.

Plato regem vocat virum ciuilem, innuens ita A humanum ac mitem esse debere, vt inter ciues videatur esse conciuis; prudentia, iustitia, cura potius quam quouis excessu superior. Rodig. lib. 8. c. 1.

Historia Romna refert Tribunitiæ domus fores nō interdiu, non etiam noctu solitas occludi, velut portus & refugium celebre ad quod semper omnibus pateret aditus. Ibid. Fœlix princeps, inquit Pittacus si illum non timet populus. Idem.

Vndecumque ad Regem Persarum venissent legati, magnis afficiebantur muneribus à rege. Id. lib. 11. cap. vltimo.

Rex Ptolomæus reis ad supplicium ductis fortuitò occurrens, eos liberos esse iussit, & puerum ea de causa intercedentem impensius dilexit. D. l. 13. c. 15. B

Nihil eum qui imperium gerit, æquè indicat, vt amor atque indulgentia erga eos quibus præest; Nam & patrem non modo sobolis procreatio facit; sed etiam post procreationem amor. Quod si vbi natura est, tantus amor requiritur, quantò magis vbi gratia? D. Chrysost. Hom. 15. in 2. ad Corinth. *Vide Duratio Principij.*

Thomas Morus Vtopiæ l. 2. dicit in ea Republica principem non veste aut diademate, sed gestato frumenti manipulo discerni.

Imperatoris liberalitates non indigent insinuatione. l. sancimus §. exceptis. C. de donatio. l. illud. C. de sacros. Eccles. quia frequentiores debent esse, velut naturales vt causæ superioris influxus.

Modestum regimen non patitur in competitore certamen. C

Discant qui præsunt subditorum patres se esse, non dominos, studere magis amari quam timeri, & si seueritate interdum opus sit, paterna sit non tyrannica. Matres sint fouendo; patres corripiendo; suspendant verbera, & producant verba; pectora lacte pinguescant, non typo superbiæ turgeant; Charitas enim non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt. Laurent. Iustinian. de charitate. cap. 1.

Christus sic se clementer gessit, vt nemo in eo potentiam nouerit, nisi ad iuuandum.

Principiorum beneficientia cæteris est excellentior. Vide quæ scripsi de iure naturali. l. 1. lege 14. §. 3. De clementia regentis. Moral. Christia. to 3. parte. 1. c. 28. De modestia regentis ibid. c. 29. De clementia erga subditos. lib. de agente Dei in humanis. parte. 2. c. 7. De modestia & humilitate superioris Religiosi. lib. de institutione & officijs religiosi. parte 3. c. 4. D

Dignitate sublimium ad instar Dei propria videtur misericordia. Matth. 18. Dominus remittit debitum seruo; seruus non remittit conseruo.

Deus dedit homini dominationem super animantia, non super homines. Cum tamen sit necesse vt aliquis præsit ad tollendam confusionem quæ procedit ex inordinatione; qui præest agnoscat se cæteris natura similem, virtute fortassis inferiorem, vt non extollatur ex munere, sed humilitatis & humanitatis officia dispenset. Laurent. Iustinia. serm. de corpore Christi. Et lib. de institutione prælatorum. c. 2. Non natura, inquit, sed infirmitas & superbia fecit hominem hominibus dominari, Regimen tantum Deus concessit quod est charitatis opus. Sic Moysem misit non ad dominandum populo, sed ad ducatum regiminis. E

Bonitatis & clementię regentis contrarium est, esse pertinacem. *Vide Duratio Voluntatis.* mala pertinacia.

Familiam tuam ita rege & confoue, vt te matrem magis tuorum quam dominam videri velis, à quibus benignitate potius, quam seueritate exige reuerentiam. Fidelius & gratius semper obsequium est quod ab amore, quam quod à metu proficiscitur. D. Hieron. ad Celantiam.

Est in principibus comitas quę in quadam iucunditate, & officiorum promptitudine consistit, vt minimè videatur indignabundus. Consentiat infimis sine gradus sui dispendio, sic de Attico dicitur. Hic sic se gerebat, vt communis infimis, par principibus videretur. Cardan. de arcanis prudentiæ c. 25.

Potentiores sunt instituti à Deo vt subditis & inferioribus auxilientur. Vide quę scripsi lib. de operibus misericordię. parte. 1. cap. 11. De operibus publicis misericordię. Ibid. parte. 2. c. 17.

SACERDOTVM CLEmentia.

Ecclesia debet defendere reos à morte, quantum honestè potuerit 14. q. 6. ca. hic qui fuit. *Vide Medium Gloriæ.* Sacerdos orat pro populo.

Ferrum in sacrificiis non apponebatur, licet esset necessarium in templo, ad aliquos vsus non sacros. Tostat. Exo. to. 2. fo. 17. & 1. Paralip. fo. 338. quia ferrum est instrumentum belli.

In Sacerdotibus veteris testamenti non causabatur irregularitas propter homicidium, sicut in nouo. Id. 4. reg. fo. 111.

Causa sanguinis prohibita est sacerdotibus & clericis, vt non possint eam pronuntiare, neque dictare, neque esse notarios eius, nec aduocare in illa cap. sententiam sanguinis. de cleric. vel monachis, sed committere possunt iurisdictiones laicis. Tost. Math. to. 2. fo. 98.

Christus vetuit discipulos suos portare baculos in via, in quantum sunt arma pauperum, quia non ibant ad pugnandum, nec resistendum pugnanti, sed ad prædicandum pacem. Id. Matth. to. 4. fo. 294.

Ideo templa præstant Asylum, *Vide Medium Gloriæ.* Templi asylum.

Ecclesia habet se ad modum Dei, maximè quantum ad misericordiam dicitur enim, estote misericordes, sicut pater vester cœlestis misericors est, & Deus vult omnes saluos fieri, Id. Ibid. fo. 173.

Vide Media Contrarietas. Non imposita seuerè pœnitentia.

Arma Ecclasiasticorum sunt orationes & lachrymæ. Sicut Moysis Exo. 17. illis autem materialibus pugnare non licet, nam si occiderent, essent irregulares. Vnde dicit Apostolus 1. Tim. 3. Oportet Episcopum non esse percussorem. Id. Math. to. 3. fo. 31.

Sacerdos assumptus est ex hominibus, vt pro his ad Deum medius intercedat, Christi domini sacerdotis in æternum vices agens, in terris, Vnctione sacra præsignat eius misericordiam, qui cunctis beneficus, nulli nocens, calamum quassatum non confregit, & linum fumigans non extinxit. Vocatione diuina publicis votis concurrentibus ad hanc euectus dignitatem, ipsi dignè non respondet, nisi mansuetudine, clementia, bonitate, charitate; omnium ferat onera; dolores leniat, plagis medeatur, cura nunquam intermittente, humanis diuinisque datis opportunè remediis. Vt Dei vices agit, sic induit affectus; vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; torpentes excitat, lapsis manum auxiliarem porrigit, parcit pœnitentibus, infirmis indulget, oppressis compatitur & subuenit, opere simul & sermone secundus à Christo publicę salutis resti-

tutor. Alienum est igitur ab eo, quidquid redolet indignationem, iram, vindictam, non sæuit in ægrum cuius curam suscepit medicus; fouet, non pœnis exagitat lactandum à se puerum nutrix; hoc in sæculo partes agit Dei miserantis, alio iustitiæ seruato; hic superexcedit iudicium misericordia vt Deo propria cum impij iudicium sibi ad mortem proprijs manibus accersant. Sacerdotis clementia publicum est præconium miserentis Dei qui nullum vult perire, qui dat omnibus gratias ad salutem sufficientes, si voluerimus vti, futuras efficaces, nullo nisi culpa sua reprobato. Omniū est etiā minutissimarū bestiarū, si lædantur sæuire; Excelsioris, imperantis, supra cæterorum sortem elatæ, nunquam læsæ potestatis, misereri, parcere subiectis, pœnitentibus, gratias aboli- tiones concedere, & hoc proprium regalis sacerdotij munus est. Soluendi quidem & ligandi potestatem accepit, vtramque salutis publicæ causa; soluit enim à peccatis, vt libera sit mentis in Deum ascensio, ligat ne ad sui proximique perniciē furens animus in grauiora mala præceps feratur. Hæc illi à cœlo data fuit potestas, cui consensit populus, se sacerdoti sanandum tradens, cum summo iure faciendi quod expedit ad salutem, & hęc antiqua voluntas, passionibus libera præfertur ægræ, mala sua non sentienti, remedia detrectanti cum ligandam & incidendam postulat salutis necessitas. Id instar monstri rarum est; at solita sacerdotum officia benignius impenduntur in mœstorum consolatione, pauperum subsidiis, peccatorum remissione, pace publica priuataque concilianda, gratiis à Deo & principibus pro populo reportandis. Consentire debet cum omnibus, omnium in se vota, omnium patrocinia suscipiens; partes agit causæ vniuersalis inexhausta bonitate suos influxus inferiorum necessitatibus offerentis, vt sub illa nullus nisi vitio suo pereat. Sacerdos maiora confert hominibus, quam ipsi valeant intelligere, ducit enim illos ad vltimum finem, non vi, non imperio, non rigida sæuiente disciplina, non irata, non armata manu, sed serta & munera præferente, suaui gratiarum & charitatis vinculo mentes trahens ad diuina. Sic ad solem itur per venerem, & ille corporei splendoris fons, luce sua omnium pulcherrima, nostros in se trahit aspectus, nostras in admirationem sui mentes. *Ex principijs.*

REPVGNAT.

SÆVITIA REGENTIVM.

Iura Regis quæ referuntur à Samuele. 1. Reg. 8. non sunt talia ex diuina institutione, sed referuntur à Propheta sicut vsurpata à principibus. Vide Chasseneum in catalogo gloriæ mundi 5. parte consideratione 35.

Quidam Phereorum tyrannus è tragœdia prosiluit, indignatus tragœdo quod misericordiæ lachrymas expressisset, & animam eius quasi ferrum emolliisset. Plutarch. lib. 2. de virtute & fortuna Alexand.

Sæui tyranni habent vim, non Regis, sed cicutæ & veneni.

Misera tyrannorum vita, nam cum metuant bonos, coguntur scelestos habere amicos, vnde & illis imminet metus. Ita quæ magna sunt, magnis etiam malis implicantur, iniuria & contumelia creantur, seruantur, immeritos cogitur occidere vtilitatis suæ gratia. Hinc tyrannus est maximè meticulosus. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Nimius futuri mali metus. Assiduitate vilescunt illis sensuum voluptates, quæ etiam non sunt integræ sublata libertate: non enim tutum est illis prodire in publicum & peregrinari, vt fruantur naturæ & artium spectaculis. Veritas illos latet, nec delectant laudes assidentium, quos habent suspectos. Contingit aliquando priuatis pax, nunquam tyrannis. Oderunt proximos, & quia suspectos habent affectati imperij, sæpius necant. Plura & paratu difficilia concupiscunt, arces, exercitus, prouincias, &c. quib. frustrantur, cum ingenti dolore. Verè tyrannus, verè seruus, blanditur malis hominibus sibi blandientibus. In hoc maximè miser, quod crimina criminibus, & malum malis cumulare ad sui tutelam cogitur. *Vide Maiestas Contrarietatis.*

Colores aliter apparent ad fasces, aliter ad solem; sic dominantes rarò seruant quam habuere priuati moderationem: non existimant se imperare, nisi audiantur strepere.

Nemo populum timet, quem timendum ferocia populis fecit: quis pedem, quis manus quis artus suos formidat, nisi qui furere incipit? laborant tibi omnia, si amore dominaris, si odio, nec illa tua, nec tu stas tibi.

Dictus est tyrannus à Tyrrhenis qui sæui homines & latrocinijs dediti fuerint. Suidas in voce Tyrannus. Nomen olim omnibus regibus commune, quia communis illis videtur improbitas.

Gemmæ berilli species est quæ dicitur Heliotropium, causa nominis, inquit Plinius, quoniam deiecta in vas aquæ, fulgorem solis accedentem, percussu sanguineo mutat. Georgius Agricola. lib. 6. de natura fossilium. *Vide Maiestas Medij.* Abuti digniori medio, dum princeps bonitatis diuinæ in regimine radium vertit in cruorem.

Basiliscus serpens nocentissimus qui dicitur solo visu hominem necare, dicitur regius; sic quædam stellæ mali influxus vt cor scorpij, dicuntur regiæ.

Iustinus Martyr in apologia ad Antoninum pium imperatorem prosequentem Christianos. Videmini, inquit, vereri, ne omnes colant iustitiam, atque ita desint in quos animaduertatis; verum hæc cura carnificum fuerit magis quam bonorum principum.

In populari gubernatione possunt preces, potest supplicatio; In tyrannide impotens vis non secus ac in bello & fato dominatur. Maximus Tyrius. ser. 30

Dum Alexander Magnus Indiam oppugnaret, in amicitiam & societatem excepit Taxilem Regem, is ei ostendit quæcumque erant miranda in Indica terra, maximos amnes, varias aues, odoriferas plantas si quæ præterea ignota essent oculis Græcorum. In iis animal quoddam eximium, Liberi patris simulachrum cui sacrificant Indi: Draco erat quinque iugerum magnitudine. Is deuexo quodam in loco alebatur, & anfractu profundo desuper altissimis muris circumsepto. Indorum verò armenta deuorabat, præbentibus Indis oues ac boues in cibum, quasi tyranno cuidam, potius quam Deo. Id. serm. 38. *Vide Maiestas Contrarietatis.* Nimia tributorum exactio.

Tyranni sepultura priuantur. *Vide Donatio Contrarietatis.* Vindicta in mortuos.

Nembroth primus Assyriæ tyrannus primus lapidi suam insculpsit imaginem, cum mutuatis officiis lapis ipsi suam duritiam commodasset.

Hæc tyrannorum natura, diuitias rapere quas donent, timere quas dederint, ac ditatos calcare, ne calcitrent.

Cum naturaliter quisque singulari suo bono studeat

peat. *Vide Voluntas Bonitatis.* Congregatio in ciuilem societatem. Populis necesse fuit vnum institui, qui curaret bonum commune, & ad illud singulorum vires, industrias, opera conferret. Hic exuere debet singularem personam, vt publicam induat, cuius & nomine censetur, suos omnes affectus, sua studia dicare iustitię quæ est virtus ad alterum, sub hac conditione coronam, sceptrum, suę potestatis insignia, faustas acclamationes, obsequia recipit à populis. Vnde meritò speratur rector qui non minus Dei sapientiam & clementiam, quam potentiam referat; speratur populi tutor, Iustitiæ suum vnicuique reddẽtis vindex, Religionis defensor, probitatis idęa, pater patriæ. Quod si versis sensim in cõtrarium moribus, subditorũ bona diripiat, thoros coniugales cõmaculet, innoxium fundat sanguinẽ, auaritia, libidine, crudelitate furens, quæ pestis humano generi grauior incumbit? Non est Dei optimi maximi, sed dæmonis hominibus infensissimi tætrus minister. Magis peccat, minus toleratur, extremam mouet indignationem, promissa, nec seruata fides: quid enim humanæ vitæ tot aduersis pulsatæ, spei superest, si ab his quibus defendi debuerat spoliatur? si dehiscit & sorbet miseros, potestas ad eorum sustentationem constituta? Ergo suo perit consilio populus, si summum illud dominationis ius, quod in principem transtulit, in omnium perniciem vertitur, sitque fatum quoddam ineuitabile, & vis maior cui non potest resisti. Vnum dicis tyrannum, sed plurimorum caput, qui flammas Rempublicam depopulantes, suis blanditiis, consiliis, artibus, officiis, accendunt. Hic enim malo metu legum & impotentia prius latentes vt viperas per hyemem consopitas, quo fundant venenum suum noui regiminis ardore suscitat; trahit eos in partes suas, omnium improbitati, non tantum impunitate, sed prȩda, spe laudis & sublimioris fortunæ proposita; sic populi vis diuisa, fit contra sæuientem debilior: insidiatur proximus proximo, frater fratri, & secreta suæ societatis prodit, qui se sperat de deiectæ spoliis plurima collecturum. Ita perit in ciuili societate fides, & ipsa mali grassantis suspicio, dubios bonorum animos, secreti sui solum conscios cui se tuto committant, non habentes, reuocat à coniuratione. Sic sine remedio viget & accrescit sibi morbus pestilens; nam fœlix iniquitas de populo spolia referens, noua conquirit, velut de successu secura; si desperatis tandem populis furor arma ministret, rapinis accedit color iustitiæ, dum velut in rebelles vindicatur, & securitati regiminis necessaria dicitur inermis populi totalis deiectio. Dubium an fœlicius esset sine regimine, quam sub tali genus humanum? Certè lætos reperimus orbis noui populos, sine lege, sine principe, solius naturalis æquitatis ductu, sua fruentes libertate, quiete, venatione, coniuge. Vires suas norunt singuli, & in fortiorem expertum, non insurgit debilior. At in regnis tyrannide pressis videmus homines, instar iumentorum tota die laboribus addictos vix panis & aquæ concesso alimento, cum cætera tributorum exactor implacabilis rapiat, & inter luctus fame pereuntis familiæ vita morte peior miserè trahatur. Solius Dei est modis prouidentiæ suæ notis, tãtæ desolationi remedia concedere, *Ex principiis.*

BONVM LIBERTATIS.

VT die solis non decet contentionibus occupari, ita gratum ac iucundum est, eo die quæ sunt maximè votiua compleri, atque ideo emancipandi, & manumittendi die festo cuncti licentiam habeant. l. 1. Cod. Theod de feriis.

In armis seu insignibus, manus, expansis digitis, significat libertatem.

Locuples & speciosa vult esse eloquentia, quorum nihil consequetur, si conclusionibus certis, & crebris, & in vnam prope formam cadentibus concisa, & contemptum ex humilitate, & odium ex quadam seruitute, & ex copia satietatem, & ex amplitudine fastidium tulerit. Feratur igitur non semitis sed campis, non vti fontes angustis fistulis colliguntur, sed vt latissimi amnes, totis vallibus fluat, ac sibi viam si quando non acceperit, faciat, Quintil. Instit. Orator. lib. 5. c. vlt.

D. Gregorius PP. in Registro, lib. 6. ep. 13. secundum canonicas constitutiones permittit Fortunato Episcopo Fanensi vendere vasa sacra pro redemptione captiuorum. lb. epist. 35. idem permittit Bono Episcopo Missanensi.

Qui dubitat an in sponsalibus verum dederit consensum, non tenetur stare sponsalibus; quia in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem, sponsalia etiã, debent esse libera, nec faciẽda est stricta interpretatio, quando agitur de obligatione facienda. cap. 1. de iureiur. in 6. Bonacina. de sponsalib.

Amor libertatis excutere conatur iugum dominantium. *Vide Minoritas Differentia.* Nouitas fugienda. De pœna seruitutis, *Vide Minoritas Potestatis.*

Puer qui potest ambulare, non vult amplius sustentari, & cum incipit velle, non vult ab alio dirigi. Vult natura mitti in indiuidui sui liberam possessionem. Hinc obstinatio. *Vide Duratio Voluntatis. Mala.*

Apud Chinenses in funeribus parentes emunt captas aues, & alia animalia quæ reddunt naturali suæ libertati, pro liberatione animæ, defuncti. Dauity.

De populis qui se perimunt, ne fiant captiui, *Vide Voluntas Finis.*

Interficitur qui vendit hominem liberum. Deut. 24.

Potentia passiua dicit imperfectionem, quia ex se non habet actum, & indiget aliquo alio vt reducatur ad actum. Nam potentia passiua est principium patiendi ab alio.

Si quis manumissum ser uitute oppresserit, animaduersione Ecclesiasticâ coërceatur. Concil. Arelat. 2. ca. 33. & can. si quis manumissum in seruitutem reuocare voluerit ingrati titulo, non aliter liceat quam id apud acta municipum probetur. Vnde patet Ecclesiam esse vindicem libertatis.

Omnis corporalis defectus, de se ad tristitiam disponit,

Vide Voluntas Maioritatis. Amplitudinis.

Vrgente extrema necessitate homo seipsum potest vendere, *Vide Contrar. Potestatis* Necessitas.

Olim India fuit penitus seruitutis expers, nemo enim illic indigena vel externus seruus erat. Rodigin. lib. 18. cap. 31.

Homerus Odiss. 17. scribit. Dimidium virtutis Iupiter illis aufert qui seruitutis necessitatem subiere.

In sacris scripturis maledictionis nomine intelligitur seruitus: sic dicitur maledictus Chanaam; seruus seruorum erit fratribus suis: talis fuit maledictio Esau & Gabaonitis Iosue 9. 23. sub maledictione eritis, seruietis.

Quæ causa iustior est belli gerendi, quam seruitutis

depulsio ? in qua etiamsi non sit molestus dominus, tamen est miserrimum posse si velit. Cicer. Philip. 4. A

Picus Martius ab antiquis habebatur sacer & felicis augurij quis obturatum nidi sui in arbore aditum occulta quadam ratione soluit, & clauum immissum excludit. August. Nimph. de auguriis lib. 1. cap. 10. viam sibi aperiens liberam.

Oppressa se vindicant in libertatem. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 2. lege 14. Non minor est amor libertatis quam existentia. Ib. §. 1.

Lutherani & Anabaptistæ asserunt Christum liberasse omnes à iugo cuiuscumque legis, vnde putant eos nullum posse subire, siue iusti sint, siue iniusti. Suarez de legib. lib. 3. cap. 5. nec in temporalib. nec spiritualibus.

Lex dicitur odiosa in eo quod cogit & imperat. B *Vide Media Bonitas.*

Vt bona Ecclesiæ non possunt alienari, sic nec illis seruitus imponi. Auth. multo magis C. de sacros. Eccles. cap. ad hæc de relig. domib.

NITIMVR IN VETITVM.

A *Contrarijs vexata plus virium concipiunt & explicant. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege. 13. §. 2.*

Tentata libertas nititur in vetitum. Ib. lege 14. §. 2. C
Solent excedere quæ se restituunt in libertatem. Ib. §. 3.

Non dubium est aquas quæ per fistulas & scyphones deducuntur & impetu & continuitate agi, quæ verò per canales, riuos, & locos patentes solo impetu. Cardan. de rer. varietate. lib. 1. cap. 6.

Aqua obicibus oppositis maiore impetu erumpit, non quod maiorem vim acquirat, sed quia maior copia aquæ, dum retinetur, congregatur; quæ arctius compressa velut ferrum, quod vibratum, distentum vehementius, & ob multitudinem maiore vi erumpit, & aggeres dissipat. Ibid.

Dæmones thesaurorum custodes, tunc maximè magnos edunt tumultus, cum thesauri sui effodiuntur ab hominibus. Paracelsus lib. de occulta Philosophia, cap. 7. D

Ideo Christus de perfectione dedit consilia non præcepta, ne in contrarium niteretur libera hominis voluntas. *Vide Maioritas Virt.* Perfectio Euangelica.

Matth. 20. cæci à Christo sanandi, quo magis iubentur tacere; eo amplius clamant. Constans quippe ac fortis animus, quo magis vetatur, eo altius prouehitur. D. Chrysost. hom. 67. in Matth.

Edaces sumus sub frigoribus quæ terram sterilem efficiunt.

Vide Cognitio Bonitatis. Bona nascuntur cum his priuamur. E

De truta quæ scandit contra vim perpendiculariter cadentis aquæ. *Vide Voluntas Maioritatis.* Altitudinis in fine.

Ecclesia mutat leges suas, ne videatur consentire hæreticis. *Vide Differ. Minor.* Distingui à malis.

Quorundam, matrimonia adulteriis cohæserunt, sed eiusmodi nuptias citò satietas soluit, cum primum lenocinium libidinis abcessit, quod libebat euiluit. D. Hieron. lib. 1. adu. Iouian. in fine.

Difficultas Sacræ scripturæ auget attentionem. *Vide Minoritas Cognitionis* Religionis secreta mysteria. ex D. Thoma.

Quæ latent meliora putat. Ouid.

Quintilia. declam. 17. de filio qui terens secretò venenum inuentus à Patre, & interrogatus, cui pararet, respondit, sibi, iussus bibere effudit. accusatur parricidij. Respondet, vis occidere? veta, inuade poculum ne hauriam, bibam, ablata sunt sacramenta pereundi te iubente; Innocenti facilius est mori, si rogetur vt viuat.

Palma sola est inter arbores, quę nititur contra pondus. Plutarch. lib. de causis naturalib. cap. 32.

Aues volant contra fluxum ventorum, pisces natant contra cursum fluminis, ne his pennæ, aut squamæ auellantur. Inter pisces excipitur accipenser quia squamas habet in contrarium, & versus caput commissas. Id. lib. de industria animalium.

Cogimus aquas multum descendere in canalib. vt plurimum saliant etiam præter æqualitatem suam; arcum inflectimus, vt vi maxima, ad naturalem suum statum rediens, emittat sagittam. *Vide Gloria Contrarietatis.* Opposita magis fulgent. Sic vi inflexi arborum rami magno impetu in se redeunt; etiam situm naturalem excedunt.

Pretiosos cibos, non eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas & difficultas parandi facit. Seneca in consolat. ad Heluiam. c. 10.

Celebris efficitur controuersia, aduersarum partium nobilitate, quibus resistere videtur arduum. Sic Lutherus sectam suam defendit, vanitate. Tot excelsis capitibus resistendi quęstio dum concertantium nobilitate apparet magna, multos in suas, contrariasque partes, trahit. Est naturalis fauor pro laborantibus, profuit Luthero quod Henricus 8. Rex Angliæ contra eum scripserit.

Argentum viuum liquidis non miscetur, sed durioribus solum, maximè auro & argento. Liquidis autem omnibus propter pondus subsidit.

Lignum Mori Ægyptiacæ cæsum continuò viride est. Siccatur autem in profundo aquæ, mergitur enim in profundas piscinas, atque conditur, madefactumque in profundo siccatur, cumque siccum omnino fuerit, fluitat, atque innatat. Theophr. Hist. plant. lib. 4. c. 2. *Vide Duratio Virtutis,* inter malos bonus.

Amor crescit & furit, cum habet competitorem. *Vide Contrarietas Voluntatis. Zelotypia.*

Prohibita magis desiderantur, quia supponuntur excellentiora.

Arist. 1. de anima, text. 4. dicit homines ardentius desiderare cognitionem futuri, quia difficilior est eius cognitio, & videtur hominibus interdicta.

Ideo secreta fuere religionis mysteria, vt ea magis homines admirarentur & appeterent. *Vide Minoritas Cognitionis.* Religionis secreta mysteria.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Libertas est essentialis, ita præualet accidentali aliorum arbitrio factæ prohibitioni.

MAGNITVDO. In cæteris omnibus liberos, pudet in vno vel altero deficere, velut conuocatis actionum comitiis multa paucis præualent, magnam aquarum vim ruentem, non sistit sed irritat obex exiguus.

DVRATIO. Præscriptione quadam se tuetur libertas & jus suum vindicare se putat, cum vt solet aperto regioque procedentem itinere, vis aliena coërcet.

POTESTAS. Parum est quod inhibetur, tamen contra nititur solutam se & independentem pręstare volens libertas, cui si voluntas aliena vim in vno fecerit, idem in cęteris pręiudicio quodam tentare non desinet.

COGNITIO. Latent pretiosa, & quia rei pretiosæ maior est cupiditas, quæ negatur oculis, vel manibus, vis vel solertia, magis appetit.

VOLVNTAS. Vt fax ita voluntas immota torpescit & ignes exagitata restituit; omnium capax in occurrentibus occupatus amor quietus vacasset à re prohibita, nisi prohibitio desiderium inflammasset, & velut hostilis quædam irruptio, torpentem ad arma prouocasset.

VIRTVS. Tunc virtutes omnes excitantur ad officium, prudentia pręteriti memor in futurum sibi consulit; fortitudo ne cedat, quod rationi, saltem passioni ęquum non videtur.

VERITAS. Ita leges sibimetipsis contrarię, prouocarent ad ea quę prohibent, nisi pœnis appositis, & acutiori doloris metu sensuque suffocarent, quod interdictis excitauere desiderium.

GLORIA. Augetur rei prohibitę cupiditas glorię stimulis, est enim victorię quędam species, oppugnata possidentium resistentiâ, quę concupieris, consequi.

DIFFERENTIA. Hic inuenit quo sibi fidens explicet multiplex animus, seu dolos dolis, vires viribus, vigilantia vigilantiam oporteat superare, hic vt in venationibus ardorem plus excitat rei difficultas, quam pretium, & intentos etiam fallens oculos furtiua possessio.

CONCORDANTIA. Igitur in boni communionem non sola socios admittit electio possidentis, ius hoc velut naturale sibi vindicant, qui rei desiderio tenentur, custodibus inuitis irrumpunt in conuiuium, & in theatrum aliter non vocati, quam quod fores non inueniant apertas.

CONTRARIETAS. Sic per antiperistasin res ad occursum contrarij, fortius vim latentem exerunt, & docent prohibitionibus accendi desideria, vt ventis ignes. *Vide Gloria Contrarietatis.*

PRINCIPIVM. Contrariis cœlorum motibus dicunt augeri vim inferiorum, quæ dum se sentiunt ab externis rapi, ardentius ad propria contendunt. Vnitatem Ecclesiæ compaginat, quæ hanc dissoluere, videtur hæresis. Non est innatum inconuenientis & impossibilis desiderium, excitatum igitur impleri, iustum & possibile reputat cupiditas.

MEDIVM. Ad commercia populos prouocauit, non tam naturæ similitudo, soli varia producentis vbertas, quam quæ diuidunt ipsos velut inaccessibiles latæ maris fossæ, latentes cingentia & abscondentia rupibus horrenda montium iuga. Si quod prohibet, inuitat, si ad saltus, & sagittæ celeritatem retrocessio plurium confert: verum est in omnibus omnia contineri.

FINIS. Quod obstat oculis, manus remouet, seruitutem, nisi consensu positam iura non patiuntur, & ad omnium fruitionem natos torquet & iratos experitur aliquorum prohibitio.

MAIORITAS. Nulla sine priuilegio lex, & nullum quod inuidia vacet priuilegium; indignantur quilibet sibi non licere, quod alteri concessum est. Merito lex dicitur publica conuentio, vt qui non paret illi, censeatur contra publicum propriumque suû factum venire; lex se non profert vt aliena prohibitio; sed electio propria, vt contineatur in contraria nitês cupiditas; nominis tamen fallaciam mens facile deprehendit & læsam libertatem sæpius, occulta transgressione compensat.

ÆQVALITAS. Æqualis natura, cum cæteris quos fortuna prouexit æqualem ambit sortem; Iniquitatem fati, vis aut industria contendit superare.

MINORITAS. Prohibitio, seruitutem, catenas, constringentia libertatem vincula significat, quid mirum si sui iuris vindex animus hæc quantum potest excutit. Prohibitio duo dicit contraria, bonum scilicet, & non appetendum; Monet de bono sopitumque suscitat ad illud appetitum, & dum consequi vult freno continet. Id iustissimum bono publico priuatoque conueniens potest esse, sed inclinationem, non rationem sensibilis natura sequitur.

VIS ACTIVA BONA.

DEus res à se creatas mouit ad operationem, fecitque creaturam suę bonitatis instrumentum; propterea hominum manibus terram iussit excoli, & mare sua terga nauigantibus submittere, aërem hominum respiratione deuorari, solem iugi agitatione moueri: & communem radium emittere: vult similiter homines suæ bonitatis esse imitatores, delectatur enim eorum esse non solum creator, sed & instructor. S. Basilius Seleuciæ, orat. 12.

Cum positus sit rerum ordo, & inferioribus vt situ sic virtute superiora corpora præcellant, vim hanc sibi propriam, aliis beneficam explicare debent, ad id actiua sibi data potentia; prior est ea quam passiuam vocamus, quia sibi sufficiens subsistit independenter ab inferiori: Deum refert ante rerum creationem in se beatum. Genesis prius ordine commemorat cœlum à Deo factum, quam terram; prius est enim perfectum, quam perfectibile; artificis idea, quam materia; & hæc dum ab agente formam excipit, simul suæ & mouentis perfectioni studet, nam velut seruitutis lege dominanti laborat, & acquirit; quod habet virium & pulchritudinis, debetur agentis laudibus, vt pictorem commendat tabella, comitatus principis splendor refunditur in domini gloriam, sic inducit propheta creaturas laudantes Deum. Multos fatemur in inferioribus defectus, sic oportuit prouidentiam quæ non deest in necessariis pro remedio constituisse vires actiuas. His sublatis, Hybernos rigores & steriles afflatus sol & ignis non sanarent; plantas, arbores, animalia suæ non restituerent integritatis; morbus omnis iam debilitata & cedente natura mortalis esset, si medicamentorum contrariæ vel sympaticæ vires non subuenirent, quod luce solis illustretur mundus: quod vrsa cœlestis magnetem trahat, quod quidam cæteris imperanti sint genio; omnes motus quibus cuncta vegetant, sentiunt intelligunt, ab hostili se vindicant oppugnatione; actiuæ potestatis sunt effectus. *Ex principijs.*

Vide Potestas Medij. Ex Magistro sententiarum

Digitized by Google

MAGNITVDO POTESTATIS.

MONARCHIA.

LONGE clarius fulget collecta in vnum maiestas, quam sparsa in singulos. Imago summi numinis, quam in dominante quærimus promit se in vno puris & vibrantibus radiis expressa; quid tot stellæ ad solem? tot in plurium regimine capita, minutæ sunt faces, quas regia claritudo magna vi fulgoris obscurat. Hic est ordo cœli & mundi, in quo mens vna supra omnes eminet, tota ipsa in toto. Hæc in gente Dei stetit administratio, in qua semper vnus aliquis ex Patriarchis & iudicibus tanquam sydus effulsit quod reliqui spectarent. Hic clarissimorum populorum sensus. Etiam Respublicæ non possunt carere aliquo qui supra cæteros emineat. Rex tenerius amat subditos quos in suum velut patrimonium immobili lege transcriptos & pœnè in sua viscera transfusos sentit; in iis viuere & regnare se etiam in posterum videt procul à nouercali cura eorum qui ad tempus regunt. Consilia secretiora, promptiora, minus tumultuosa sub rege. Si Rex optatus contigit, quid visu dulcius, si durus, acuitur subditorum virtus, & vulnere per mortem sanato, in melius omnia mutantur, at in Republica pestis tenacius hæret, diutiusque propagatur.

Actio fit à valentiori seu à vincente, seu à proportione maioris inæqualitatis. Arist. 1. de gener. t. 7. Mixta mouentur à prędominante elemento. Id. 1. de cœlo tex. 7.

Sinenses omnium antiquissimi populi, monarchico semper regimine vsi sunt, nunquam alio. Daviy.

Antiquissima & vniuersalissima omnium hæresum est ea quæ impugnauit vnitatem Dei, hanc primis parentibus inspirauit Dæmon, Eritis sicut Dij, & per vniuersum orbem diffudit in Idololatria. Nec superata est nisi per mysterium vnionis Verbi cum humana natura.

Quod est primum est vnum, at nihil superius est primo.

Agens oportet vt dominetur super materiam, ad hoc quod possit eam mouere, & tanto citius disponit materiam, quanto maioris est virtutis: vnde agens infinitæ virtutis disponit in momento.

Impossibile est motum à pluribus motoribus, esse vnum, continuum & regularem. Motum enim regularem & semper continuum oportet esse à motore qui non mouetur per se nec per accidens.

Omne mouens habet excellentiam quandam, & virtutem supra id quod mouetur; & mouens tunc ex necessitate causat motum in mobili, quando potestas mouentis excedit mobile, ita quod tota eius possibilitas mouenti subdatur.

Lilium est vnicolis; bicaulia lilia rarò, quod cœli, terræque rationi fortassis attribuendum est. A Theoph. hist. plant. l. 6. cap. 2.

Potentia naturalis omnium physicorum causatur ex victoria formæ & actiuorum super materiam: Impotentia autem è conuerso ex victoria materiæ & passiuorum super formam. Albert. Mag. Meteo. lib. 4. tr. 2. c. 18.

Plures simul soles sunt pręsagium malorum publicorum. *Vide Cognitio Contrarietatis*. Præsagium malorum.

Romanos geminos vnum non capit regnum, quos vnum vteri cepit hospitium. D. Cyprian.

Eum qui Democratiam optabat, iussit Lycurgus eam prius in domo sua experiri. Rodigin. lib. 19. cap. 5.

Apud Hebræos primum Dei nomen El dicitur, idest fortis, quod nulla infirmitate premitur, sed fortis est & sufficiens ad omnia perpetranda. Isidor

B Origin. lib. 7. cap. 1. Decimum nomen est Sadai, idest omnipotens. Ibid.

Solem dixerunt quasi solum. Id. lib. 8. cap. 10.

Sic Pomponius l. 2. §. nouissimè, de orig. Iur. Nouissimè inquit sicut ad pauciores iuris constituendi via fuit, necesse visum est Reipublicæ, per vnum consuli.

De monarchia dæmonum. *Vide Principium Minoritatis*. Origo peccati.

Vni orbi vna præficitur intelligentia. *Vide Maioritas Medij*. Multitudo mediorum noxia.

Impossibile est in vno & eodem esse plures formas substantiales, quia ab eodem res habet esse, & vnitatem, habet autem esse per formam, & sic vnitatem, vnde adueniente forma perfecta, tollitur imperfecta sicut adueniente forma pentagoni, tollitur

C quadrati. D Thom. quodlibet. 1. a 6.

Iustinianus Nou. 24. initio, magnificentiam populi Romani, & Reipublicæ tot populis dominantis dicit ex eo procedere quod per prouincias missi fuerint maiores magistratus, qui summam armorum & legum potestatem haberent; Prætores appellabant, quod cæteris omnibus præirent, & præponerentur, permissa scilicet eis, tam rei bellicæ administratione, quam legum præscriptione.

Olim Thraciam regebant duo magistratus à Pop. Rom. missi, vnus qui rebus ciuilibus, alter militaribus præerat, sed quia æternas inter se contentiones exercebant, duplicem hanc dignitatem vni contulit Prætori Thracię Iustinia. Imp. Nou. 26. initio. Similiter Prętorem Isauriæ constituit. Nou. 27. ea lege vt

D duplex in hoc officio non assumat, nec ciuilis officij, & militaris potestatis signum, ne fit inter ciues & milites diuisionis occasio, cum ne diuersitas quidem nominetur

Viuente Aaron, consecratus est filius eius Eleazarus in summum sacerdotem, quo consecrato statim mortuus est Aaron. Tostat in Exod.

Beatorum corpora erunt subtilia ex dominio animæ supra corpus, ratione cuius corpus dicitur spiri-

tuale. Id. Math. to. 4. fo. 144.

Vnius regimen rebus turbatis vt in bello, maximè necessarium, tunc Romani creabāt vnum Dictatorem qui erat super cōsules. Tostat. Num. to. 1. fol. 3. col 1. a.

Bestia non agit contra naturam, quia vnum tantum habet appetitum, homo verò cum duplicem habeat appetitum, scilicet voluntatem & partem concupiscibilem, intellectum & sensum, est quasi duplex, & potest operari contra naturam. Id. Math. to. 2. fo. 166. b. c.

Omnes Curati sunt commissarij Episcoporum, nam tota iurisdictio est Episcoporum immediatè. Id. Math. to. 2. fo. 166. b. c.

Sola potentia organica, cum sit ex multis composita, est fatigabilis, at virtutes quæ sunt sine organo non sunt fatigabiles, vt patet de virtute calefactiua ignis, similiter virtutes corporum homogeneorum non sunt fatigabiles. Id. Exo. to. 1. fo. 134. & 174. Durabilius est monarchicum, quam ex multis compositum regimen.

Messiam regnaturum temporaliter putabant Iudæi, & eis cum libertate summam daturum potentiam. Id. Math. to. 4 fo. 199.

Augustus regnum Iudæorum infirmius effecit, diuidendo illud in quatuor Tetrarchias. Id. math. to. 4. fo 17.

Ex Stoicis sunt qui putent ἀπὸ μόνου solem nominatum, quasi non plures ipse, vel alij similes sint, sed vnus solummodo, & sic à nobis sol, velut solus dictus. Lud. Viues in somnium Scipionis.

Vnicus in spiritualibus director. *Vide Medium Cognitionis.* Director. D. Chrysost. Hom. 34. in 1. ad Corinth. dicit ex vno Adamo omnes homines formatos & procreatos esse, vt significaretur subordinatio ad vnum principem.

Regimen est opus prudentiæ quæ Rempublicam congruis mediis promouet ad finem suum optimum; licet idem finis à pluribus simul in regimen admissis possit intendi, vix tamen conuenient in mediorum electione, & cum par sit senatorum authoritas, aut in ipsorum æqua resistentia nihil fiet. *Vide Æqualitas Contrarietatis*, vel ex consiliorum pacifica mixtione, sequetur veritatis, bonique communis monstrifica quædam alteratio, itaque melius est summum ius esse penes vnum, qui re diligenter à prudentibus administris expensa, quod melius est decernat, authoritate, cui citra controuersiam & æmulationem cedant omnes. Vnius corporis vna est anima, vnius regni, Rector vnus. *Vide Minoritas Magnitudinis* Vnitas. Vnitas enim est principium, medium, finis multitudinis, ideo conuenientius est, vnitatem multitudini, quam vnitati multitudinem imperare. Hominum studia diuersa, diuersos agendi modos, vnus tantum, cui placere volunt, conciliabit, sicut centrum ductas à circumferentia lineas in se recipiens ad suam cogit vnitatem. Diuisioni patet multitudo, vnitas est collecta, indiuisa, nullis internis, minus externis exponitur iniurijs, sic perpetuitatem quam ambit regimen, sola facilius consequitur. Ideo cum Aristocraticæ vel democraticæ Respublicæ non ferant summum in vno dominante ius, stare tamen non possunt sine dictatore, duce, protectore, sub diuersis nominibus vno semper qui præ cæteris de rebus decernat. Quod enim vnus præsit multitudini, lex est naturæ, à qua ciuilis non recedit in totum. l. 6. ff. de iust. & iur. Quod autem huic communi legi derogatur pluribus cum æquali potestate ad regimen admissis, publico soluitur incommodo, collegarum scilicet æmulatione, coninratione, factionibus am-

A bitiosis, quibus si non cadit, periculosè tamen concutitur Respublica. Vt tot malis hinc inde nascentibus lex occurat, seueram in singulorum ciuium mores, impensas, vestes, ædificia, conuersationes, censuram exercet, & titulum publicæ libertatis carè vendit, priuatæ, nunquam alias tolerandæ seruitutis pretio. Vt vnius dominantis iugum populus excutiat, multorum patitur, virga semper ceruicibus suis imminente. Occulta sunt magis Monarchiæ consilia, citra contemptum opportunè sub secreto versatilia, fallunt hostis insidiantis excubias, & venales proditorum animos. Cita præter omnium expectationem executio, nocitura præcurrit, vt rem factam mirentur, qui faciendę ubique notæ fortiter obstitissent. Cætera Monarchiæ commoda, hic

B habes ex diuersis autoribus collecta. Expedit autem aliud esse regimen quam Monarchicum, vt magis probetur aliorum comparatione. *Ex principijs. Vide Æqualitas Potestatis.*

Sunt tamen quædam monarchiæ incommoda. Ib. Macab. 1. cap. 1. dicitur, Mortuo Alexandro, ij quibus diuisit regnum imposuerunt sibi omnes diademata post mortem eius, & multiplicata sunt mala in terra.

Non sit nisi vnus Episcopus vnius ciuitatis, & vnus tantum parochus vnius Ecclesiæ. Conc. Nicæn. cap. 50.

Ancile seu scutum quod Numa Pompilibus accepit è cœlo, erat rotundum sine aliquo angulo, quasi imperium hoc monarchicum, totum orbem

C debuisset obtinere.

Reges gloriam consequuntur ex lata gente & plurib. subditis vt habetur. 1. q. 4. can. Ecclesia. 5. hic, itaque quanto maiora quis tractat, tanto maior est, can. de his vero d e consecr. dist. 5.

Chassaneus in catalogo gloriæ mundi, probat multis ex historia argumentis nunquam fuisse absolutam totius orbis monarchiam, & tempore monarchiæ Assiriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum plures fuisse Reges diuersarum natiohum, tali monarchiæ non subditos. Ibid. parte. 5. consider. 28.

In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis, ignominia Principis. Prouerb. 14.

D Plutarch. lib. de triplici regimine, scilicet monarchico, Aristocratico, Democratico, præfert monarchicum, quia in eo tantum recta & æquabilis est virtus, neque ad vim, neque ad gratiam inclinabilis, at politię reliquę non tam imperantes, quam subiectæ; pendent enim à plebe, vnde firma non potest esse administratio, cum non sit robur & firmitas in rectoribus.

Monarchia imitatur diuinum regimen. Virtus cuiusque magis elucescit sub Principe, quam in media plebe: facilius est animum suum vnius viri instituto accommodare, quam multis variisque opinionibus placere conari: qui semper regimen tenent, licet ingenio tardiores, ipsa experientia cæteris præferuntur.

E Populus multa negligit, dum alter respicit alterum. At nihil negligit qui per seipsum omnia facit. Rempublicam subuertunt priuatæ dissensiones quibus caret monarchia, plures etiam rectores, dum sunt in officio, vt maiorem ex eo gloriam habeant, optarent præteritum & futurum regimen minus fœlix extitisse & extare: plures rectores: applicant animum ad publica tanquam ad aliena, at monarchia, tanquam ad propria, Vno sole lustratur, & fœcundatur terra, à duobus combureretur. In vno solidiora, secretiora, firmiora manent consilia. Isocrates ad Nicoclem.

catur habere dominum, vt episcopum vel abbatem A poteſt ergo vnus angelus pluribus ſimul ad cuſtodiam deputari. Magiſter ſententia. lib. 2. diſt. 11. q. 1.

Vnum pluribus æquiualens. *Vide Poteſtas Minor.*

Creatura dicitur eſſe in Deo, ſicut in virtute cauſæ agentis, vel ſicut in cognoſcente; & ſic creaturæ in Deo eſt ipſa eſſentia diuina, ſicut dicitur Ioan. 1. quod factum eſt in ipſo vita erat. Quamuis autem creatura hoc modo in Deo exiſtens ſit diuina eſſentia, non tamen eſſentia Dei eſt ſufficiens medium ad cognoſcendum diuerſas creaturas, & ſufficiens virtus ad eas producendas. D. Thom. in quæſtion. diſputatis. q 3. a. 16. in fine.

Duæ operationes poſſunt ſimul eſſe vnius potentiæ, quarum vna ad aliam refertur & ordinatur, ſic B voluntas vult ſimul finem & ea quę ſunt ad finem, & intellectus ſimul intelligit principia & concluſiones per principia, quorum ſcientiam acquiſiuit. Angelus ſimul habet cognitionem matutinam & veſpertinam, quæ refertur ad matutinam, ſicut cognitio, & dilectio naturalis ordinatur ad cognitionem & dilectionem gloriæ. Ibid. q. 4. a. 1. ad 10.

Quamuis anima ſit ſimplex in eſſe, eſt tamen multiplex in virtute, non ſolum ſecundum quod habet multas potentias, ſed quia ſecundum vnam & eandem potentiam, ad multa ſe habet, & multipliciter in illa ferri poteſt. Ibid. de peccatis q. 2. a. 9. ad 10.

C In parte ſenſitiua imaginatio plura ſimul exercet officia, conſeruat enim ſpecies à ſenſibus acceptas, & iterum intellectui repræſentat; id etiam poteſt pars intellectiua, quia quanto virtus eſt immaterialior, tanto ad plura ſe extendit. Ibid. de ratio. ſuper. & infer. a. 1. ad 7.

Si anima rationalis eſſet maioris perfectionis naturalis, non ſolum ſtaret in vno corpore, ſed etiam poſſet ſtare in pluribus. Toſt. exo. to. 1. fo. 200. cap. 2. b.

Anima beata poteſt per quamlibet potentiam intensè operari, & vna aliam potentiam non impedit. Id. math. to. 4. fo. 239. cap. 4. g.

D Per eandem formam Socrates eſt ſubſtantia, corpus animatum, animal & homo. Id. Math. to. 6. fo. 94.

Maximus Tyrius ſerm. 18. non probat partitam medicinam in tot diſtincta munia, quot ſunt corporis partes, aliam ſcilicet quæ oculis, aliam quæ auribus atque aliis membris deſeruiat: periculum enim eſt, ne quotidie diminutior facta ob tenues atque ignobiles partitiones, obſcuriſſima penitus euadat; quemadmodum Macedonum imperio aiunt accidiſſe, quod poſt Alexandri deceſſum, in illam multitudinem præſidum incidens, neminem reperit dignum, qui ſummæ rerum præponeretur.

Paulus non accepit aliquam determinatam prouinciam ad prædicandum, ſed accepit totum mundum, & ideo dicitur doctor gentium. 1. Tim. 2. E prædicabat enim in ſortibus aliorum Apoſtolorum. Toſt. math. to. 1. fol. 28.

Teſtis poterat eſſe iudex in veteri teſtamento. Id. Exo. to. 1. fo. 146.

Angeli contemplatio in qua eſt ſua fœlicitas, eſt potius paſſio quam actio, ita poteſt ſimul illi vacare, & noſtræ cuſtodiæ; ſicut enim luna ſimul illuminatur à ſole, & receptum lumen mittit ad nos, illuminando inferiora, ita angeli ſimul & ſemel illuminantur per diuinam contemplationem, & illuminant nos cuſtodiendo. Poteſt etiam dici quod quando ſunt multæ actiones, quę non dependent ab inuicem, non poteſt agens duas ſimul habere, & tamen quando vna eſt regula alterius, habendo vnam poteſt haberi alia velut regula: ideo conſiderando Deum angelus poteſt cuſtodire hominem. Idem math. to. 5. fo. 35. & fo. 166.

Natura facit vnum ad vnum, ars verò facit vnum ad plura, ſicut gladius delphicus qui ex vno latere erat acutus ad ſcindendum, & ex alio habebat dentes ad ſerrandum, & ſupplebat locum duorum inſtrumentorum, ideo dicebatur gladius pauperum, quia vilius emitur vnum inſtrumentum, quam duo. Id. math. 1. fo. 20.

Chriſtus ſaluator pluribus fungebatur officijs pro temporum & perſonarum occaſione. Quando blandis alloquebatur ſermonibus ſe habebat vt mater: quando increpationum emittebat iacula, rectitudinem ſeruabat vt iudex, quando diuinitatis ſacramenta pandebat, authoritatem protendebat vt doctor: quando eruditionis monita dabat, inſtruebat inſcios vt magiſter: quando virtutum formam exhibebat in opere, præcedebat vt lux: quando orationi vacans interpellabat patrem, mediatoris gerebat officium: quando ab inuidis patiebatur aſpera, agnoſci volebat vt redemptor: quando verò miracula faciebat, poteſtatem exercebat vt Deus. Vt nobis prodeſſet, ſibi non pepercit. Laurent. Iuſtin. in faſciculo amoris. cap. 6.

Litigans olim duos habebat aduocatos, vnum qui oratoris, alium qui iuriſperiti partes ageret. *Vide Magnitudo Medij.* Multitudo inſtrum. Prædicator vtriuſque vices agit, mouet & docet.

Ordinariè verum eſt à diuerſis officia diuerſa perfectius exequi *Vide Differentia Poteſtatis.* Quia ſingularis ineſt ad illa virtus. *Vide Differentia Virtutis.* Tamen eminentibus quibuſdam geniis proprium eſt, plura ſimul officia gerere, & facili, fœlici, laudabili ratione, his fungi muneribus, quibus plurimorum diligenter impenſa non ſufficeret induſtria. Id præſtant ſibi prius comparato ſcientiæ vniuerſalis habitu, cuius ope fit vt præſentes habeant agendorum ideas, velut ad manum regulas & menſuras, quibus appoſitis, verú, iuſtum, & in ambiguis quid facto opus ſit, ſtatim deprehendunt. Ineſt rebus omnibus materia, forma, ſpecie, colore diuerſis, vna communis ratio, veritas vna, quam qui ſemel percepit ſapiens, ſcientiis & actibus ſingulis, velut omnium peritus architectonicus, ſua deſignat officia: horum diuerſitas mentem eius non confundit, ſed illuſtrat, certam, ſecuram efficit, ſua lętam ſibique plaudentem poſſeſſione. Nam ſicut ope ſpeculorum opticè poſitorum, vna res multiplicata pluries videtur, ſic vniuerſalis ſcientiæ beneficio apparet vna veritas in phyſicis, mathematicis, moralibus, politicis, forenſibus, etiam religioſis & diuinis. Hac igitur idæa generali præditus, certis artificum præceptis lumen afferet, illos theoriæ ductu ad noua prouocabit experimenta, morbos profligabit vt medicus, dubia litis dirimet, vt legum doctor, de pace, bello, fœderibus, ærario decernet in regum conſilijs, & in tot diuerſis muneribus non magis fatigabitur mens vt veritatem diſcernat, quam oculus ſu agnoſcendo vultu, variis picturis & tabellis ad naturam expreſſo. Et talis eſt præſentis huius digeſti ſapientię finis. *Vide Magnitudo Cognitionis.* Scientia vniuerſalis. *Ex principijs.*

MAGNÆ DIVITIÆ bona.

OTho priuſquam ad imperium perueniret, graui ære alieno preſſus, dicebat, niſi principem ſe ſtare non poſſe; nihilque referre, ab hoſte in acie

an in foro sub creditoribus cadent. Sueton. in Othone.

Diuitibus mandata Dei seruantibus applicari potest illud, In exitu Israel de Ægypto. ps.113. Montes exultauerunt sicut arietes, & colles sicut agni ouium: A facie Domini mota est terra; Mare vidit & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum. Idest non obstante diuitiarum mole terrena, Domino seruierunt & malorum spolijs licet fiut ditati, illis tamen cedit iniquitas sæculi, & viam salutis liberam relinquit.

Pecunia est cornu copiæ, petas ab ipsa quidquid voles, omnia tibi addentur: Amici, auxiliatores, testes, domus, equi, serui. &c. Pauper inter viuos mortuus ambulat: fœlicitas sita est in auro, defectus enim cæteros operit. Sol est & Deus ciuilis vitæ, quem omnes colunt: per ipsum, cæteros Deos habebis ministros. Sapientes enim diuitum limina frequentant. Diuitiarum Deus se iactat hominum necessitates sustentare ac emendare; desideria perficere, damnis resistere; curare morbos, animæ gratificari, splendere in pace; militiæ suppeditans sumptus suppeditare calorem in frigore & contra declinationem æstuum Ornat templa & ciuitates; commercium, agriculturam instruit, nauigationem, bellum artes omnes in subsidium corporis naturaliter infirmi. Ita Deus, diuitiarum vsum hominibus necessarium effecit Etiam diuitiæ dant nobilitatem.

Vinum immutatur cum vasis: diuitiæ verò pro moribus possidentium variant. Vt ab eodem vino alij contumeliosi, alij benigniores fiunt, sic à diuitiis, alii aliter afficiuntur. Non quemadmodum calceus maior ineptus est ad vsum, ita & possessio copiosior: calcei enim magnitudo superflua vtentem impedit: opibus autem vel vniuersis vel ex parte aliqua suo tempore vti licet. Diuitias velut amicum liberalem ac promptum ad honestas actiones assumere oportet.

Inter ciues, diuites præferuntur ceteris in dignitatibus obtinendis. l. honor. §. de honoribus. ff. de munerib & honorib. quia tales diuitiæ sufficiunt oneri iniuncto; & paupertas esset insufficiens. l. paupertas ff de excusation. tutor.

Mercatura si tenuis est, habetur sordida, si magna, illustris, vt cum per omnes terræ marisque plagas exercet commercium: hinc etiam apud Venetos nobiles possunt esse mercatores, quasi sic Reipublicæ multum proficiant, naturalem loci inopiam cura sua & labore non patientes nociuam. Chassen. in catha. glo. mundi. parte. 11. consid. 45.

Pecunia potentissima mundanorum Dea, etsi illi nullæ extructæ sint aræ. Hinc Horatius, O ciues, ciues, quærenda pecunia primum est, virtus post nummos. Hinc Vlpian. l. bonorum. 1. ff. de verbor. signif. refert quod bona naturaliter dicuntur, ex eo quod beant, hoc est beatos faciunt. Pecuniæ sunt effectrices rerum magnarum, voluptatum, bellorum, auro omnia sunt peruia, etiam adamantinæ fores. Saxa prorumpit ictu fulmineo subtiliore. Tolle pecuniam in Imperatore omnia inania. Gratius homines intuentur aurum, quam solem; id præcipuis votis petitur à Deo Moneta dicitur, quia monet, & monet. &c Ibid. parte 12. consider. 54. *Vide Potestas Bonitatis.*

De diuitiis. Sixtus Bibl. part. tom. 5. Basil. homil. 6.

De diuitiarum possessione Patris familias. Iauellus.

De sapientum diuitiis. Cicero parad. 6.

Viguit Romana Respublica, quamdiu abundauit in ea ærarium, nam belli neruus, pecunia. Ærarium est quasi stomachus corporis Reipublicæ, non vacuus.

A Ex diuitiis regni splendor, & apud exteras nationes, fama. Regem inualidum & pauperem, omnes difficultates premunt. Instrumenta rerum administrandarum pecuniæ sunt, his bella gerere, moderari pacem, tueri fines, arcere hostes, officia digerere, fouere comercia. Pietas & litteræ in earum tutela sunt, præmiisque virtutes excitantur. Sicut protegit sapientia, sic pecunia. Eccles. 7. sic afflictæ amicorum fortunæ subuenitur.

Imperatores Romani habebant in suo cubiculo fortunam auream, vt refert Iulius Capitolinus in vita Antonini pij.

B Episcopatus non debent erigi nisi in magnis vrbibus ne vilescat episcopalis dignitas. can. episcopi. & seqq. dist. 8.

Diuitiæ vocantur gallicè; *biens. & moyens.* vt sint boni non mali media. Præcipuum ex sacrificiis iudicium fiebat ex inspectione iecoris, vnde sanguis, & cæteris partibus nutrimentum. Bonum omen ex bono iecore.

In Thebaide monasterium abbatis Isidori, bonis omnibus ad vitam necessariis abundabat, hortis, fructibus & cæteris, ob hoc vt nulli monachorum habitantium intrinsecus, necessitas vlla fieret exeundi foras, ad aliquid requirendũ De vitis Patrum l. 2.

C Tria præcipua corporis membra, initio formantur cor, hepar, cerebrum, sed medici asserunt hepar, officinam sanguinis & nutritionis formari primũ, quia in eo est virtus vegetatiua, quæ sensitiuam præcedit, & vt aliis partibus formandis subministretur alimentum.

Licet Philosophus dicat, Melius est philosophari, quam ditari. 1. Topi. tamen indigentibus facultates necessariæ magis sunt quam scientia ad vitæ sustentationem, & magnæ diuitiæ ad regimen.

Ordo dignissimus apud Hispanos, equitum velleris aurei.

D In Genuensi Republica, ex 28. familijs ditioribus eliguntur ad regimen, & qui eliguntur debent habere 6. domos habitatas in vrbe. Sic olim apud Gallos ditiores ad regimen admittebantur, hanc Timocratiam probat Aristot. 8. Ethicor.

Olim equites Romæ debebant habere. 25. millia librarum nostrarum in bonis. Senatores autem 75. Suet in Cæs. c. 32. Cicero. epist. ad Q. Valer.

Inter aquas minerales & metallicas minus nocet illa in qua est aurum cuius signum est, quia in optimis aquis inuenitur aurum. Albert Mag. meteor. li. 2. in fine.

E Omnibus tam clericis quam laicis, occidere licet inuasorem suarum facultatum, quoties aliter saluari, vel recuperari non possunt, modo sint magni valoris. Bonacina de restitut. q. vlt.

Romam compendium orbis terrarum vocauit Athenæus.

Fortuna aurea in cubiculis visebatur Imperatorum, qui iam morituri ad successurum deferri eam curabant. Rodig. lib. 18. c. 14.

Iuxta lectum Regis Persarum asseruabantur semper auri talenta quinque millia: & hic locus vocabatur regium puluinar. Ib. c. 18.

Nabatæi in Arabia plurimum laborant in cumulandis & asseruandis diuitijs; mulctam publicè dicunt ijs qui rem familiarem aliquo modo decurtarint, vel imminuerint. Id. li. 18. c. 36.

Diuitiæ dicuntur bona, vt non habeant turpem vsum, sed his homines ad res bonas vtantur. Isidor. Orig. lib. 5. c. 25.

Ecclesiæ diuitiæ. *Vide Potestat Virtutis.*

Scio abundare & penuriam pati. Philip. 4. Magna scientia scire abundare, & rebus vti salua virtute. Nam vt egestas ad multa mala facienda adducit, ita & abundantia, &c. D. Chrysost. Hom. 15. in epist. ad Philipens.

Crassus dicebat, nullam auri vim satis esse principi, cui sit alendus exercitus.

Opes substantiam vocant, nam his sublatis homo non stat in vita ciuili; & ita perit, vt in viuis propemodum non censeatur.

Magnam potestatem magnæ decent diuitiæ. *Vide Potestas Virtutis.* Ecclesiæ diuitiæ.

Interdicta est decurionibus bonorum alienatio inter viuos. Nou. 38. etiam donatio mortis causa sub hac conditione vt non posset reuocari. Nou. 87.

Aureos deos sibi fecit antiquitas, vt aurum quod consecrarunt homines, esset quædam maiestatis accessio, fictiles enim & ligneos in contemptum adduxit. ipsa materiæ suæ vilitas.

Bonis fortunę quomodo bene vtendum, Vide quę scripsi Moral. Christ. to. 4. parte. 1. c. 16. & 18. 21 22

Primus gradus paupertatis est abdicatio affectionis temporalium rerum, retento earum vsu & dominio. Sic diues fuit Abraham diuitias impendens hospitalitati. Diues à domino reprehẽditur non quod in horrea congregauerit, sed quod in diuitiis fiduciam posuerit, nec eas pauperibus erogauerit. Dicitur in Psalmo, Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Et Apostolus ad Timoth. Diuitibus huius sæculi pręcipe, non sperare in incerto diuitiarum, &c. Laurent. Iustinian. lib. de paupertate. c. 3.

Artificum gloria est artes suas bene exercere; Diuitum ars est, bene vti diuitiis. Hæc ars cæteris est pæstantior; huius officina in cœlo est, huius non à ferro, neque ab ære instrumenta sunt, sed voluntate sola ac benignitate mentis constructa. D. Chrys. Hom. 50. in Matth.

Ioseph & Pharaoni & Deo charus. Daniel & tres pueri sic præerant Babyloniæ opibus, & sic erant inter principes ciuitatis, vt habitu Nabucodonosor, Deo mente seruirent; Mardochæus & Esther, inter purpuram, sericum & gemmas superbiam humilitate vicerunt, tantique fuere meriti, vt captiui victoribus imperarent. D. Hieron. epist. ad Salinam.

Nulla materia in rebus humanis virtutes clarius ostendit censu, senatorium gradum census ascendit, census equitem Romanum à plebe discernit, census in castris ordinem promouet: censu iudex in foro legitur. Senec. lib. 2. contr. 1.

DVRATIO POTESTATIS.

CONTINVATA DOMINATIO.

GEN. 1. Vocauit Deus firmamentum cœlum, quod quidem est inalterabile, & inferioribus dominatur.

Nero initio Imperij laudabilis, Consulatum in senos plerumque menses dedit; defuncto circa Kal. Ianuar. altero ex Consul. neminem substituit, improbans exemplum vetus Canini Rebili vno die Consulis. Sueto. in Nerone.

Neronem mortuum, etiam crudelem Imperatorem Romani coluerunt; mortuo diuinos honores detulerunt, & cum post 20. annos, quidam conditionis incertæ, se Neronẽ esse iactaret, tam fauorabile nomen eius fuit apud Parthos, vt vehementer adiutus; & vix redditus sit. Ib. Ita fauet populus continuatæ dominationi.

In honorem defuncti Germanici decretum est, ne quis flamen aut augur, in locum eius nisi gentis Iuliæ crearetur Tacit. 2. Ann.

In Lybia est serpens qui morsu suo interficit homines, vnicum est remedium lapis qui accipitur in antiquis Regum sepulchris, qui sibi imbibit balsamum, cum humore egresso de corpore mortui. Albert. Mag. lib. 7. de animalib. tract. 2. c. 5.

Alexander Macedo admirabatur quod Athenienses singulis annis Imperatores, seu duces exercitus eligerent, cum ipse in omni vita, non nisi vnum ducem bonum Parmenionem inuenisset.

Sacerdotia quæ à parentibus per successionem, seu viris, seu mulieribus tradita sunt, nequaquam mouenda. Plato. 6. de legib.

De successione visibili. Bouer. to. 1. demonstrat. 6.

Summa potestas, sicut regia, debet esse continua, alioquin sibi consulens, non patriæ, ne auferatur, non audebit multa, multa tentabit contra eos, quos sibi putat aduersos, aget præcipiti consilio pro se & suis, vt præueniat tempus depositionis, & de ęrario publico sibi faciet amicos, vt villicus deponendus in Euangelio, &c. D. Tho. de regimine principum.

Contra ius hęreditarium regni dicitur quod omnia solemus committere peritis, quod imperitis nautarum filijs non committimus nauem, &c. quis ferat infantes rectores? si natura dat illis ius regnandi, imponit nobis necessitatem pereundi. Tamen dicit Tacitus, tutius nasci principes, quam asseri. In ambiguo est salus principum, vbi multis, & quidem improbis sperare principatum licet, ingens est scelerum illecebra summa dignitate potiri per scelus. Vbi res natura dispensat, vnus aut alter hęres timetur qui fastigio proximus: vbi ex electione pendent, tot sunt metuendi, quot se pares, imperio cogitant. Apud Romanos vnum sęculum triginta fermè numerauit imperatores, plerosque factos, defectos, refectos mirabili fortunæ ludo. Quis potest esse regni status tot intrusis, tot desertis capitibus, republica sic ambientium dolis vexata & inclinante; sæpe præualent crimina quibus deteriores eliguntur, infensi contrarijs partibus, omnem imperij fructum in vindicta ponunt: Rempublicam tractant tanquam alienum patrimonium, cuius nec posteris vsum sperant, ærarium exhauriunt vt suas domos impleant & fautorib. quod debent, exoluant, quanto satius est, digito Dei

monstrari, quem velit præsidere rebus humanis. A Sacra progenies surgit, cui primum virtutis argumentum est nascendi fœlicitas. Delectus habendus est, ex delecta familia; nubilem ætatem diuina vis regit, tota illis adest, quos sibi totos deesse putamus. Pueri reges non soli ad gubernacula gentium sedent, nihil sub optimis administris & sinceris magistratibus de infantia aut imbecillitate principum, timendum est, quod si hæc aliter eueniant, non iam infantium culpa, sed regni in suam perniciem luxuriantis.

Olim tempore Paleologi Imperatoris, insula Chio data Genuensibus recta fuit regimine olygarchico, primum à nobilibus è familia Iustiniana ex qua postmodum singulis annis rectores eligebantur. B

Naboth non vult dare vineam suam Acab, quia erat hęreditas patrum suorum, quod & Deus probauit. 3. reg. 21.

Probatos potius, quam probandos securius est administerium admitti.

Cœlum sub quo fiunt generationes, est ingenerabile, incorruptibile, perpetuum secundum suum esse, & secundum suam substantiam.

Potentia quæ est naturalis, est perpetua. *Vide Duratio Æqualitatis.*

Olim apud Massilienses senatorum dignitas eum habebat finem quem vita. Rodigin. lib. 16. cap. 8.

In statu perfecto veteris legis Pontifices toto vitæ suæ tempore, summum Pontificatum tenebant. Voisin de lege diuina. cap. 11. C

Confirmatus ante consecrationem, iurat de non alienandis & conseruandis rebus Ecclesiæ suæ. cap. per tuas de donatio.

D. Augustin. ex ciuitatum diuturnitate prudens regimen collegit: Nullum illustrius inquit est argumentum rectè & sapienter patriæ administrandæ, quam ipsa diuturnitas & firmitudo principatus infra hanc lunam se suaque omnia mutantem, sub qua nihil est stabile, perpetuum, sed nec quidem diuturnum.

Durabilius est monarchicum regimen, quam ex multis compositum. *Vide Magnitudo Potestatis.* Monarchia. D

Leuit 25. vendita domus in vrbe murata intra annum restituto pretio potest repeti, si sit in agro vel in vico non murato poterit semper repeti, sicut & possessiones Leuitarum venditæ.

Milites exuerunt Iesum chlamyde sua. At coronam de capite non abstulerunt: regnat enim in æternum.

Distinctio ordinum & hierarchiarum cœlestium potest considerari vel quantum ad essentialia hierarchiæ & ordinis, sic semper erit, quia semper manebunt distincti gradus naturę in Angelis, & diuersę sortes gloriæ, & etiam actiones hierarchicæ, quia vnus alium illuminabit, purgabit, & perficiet, vel quantum ad actum consequentem, secundum quod mediantibus ordinibus angelorum, homines reducuntur in Deum, & quantum ad hoc pręlatio ordinum cessabit, cessante statu viatorum. D. Thom. in lib 2. sentent. dist. 11. in fine. E

Principia manere oportet, vt dicitur 1. Phys. Non enim posset esse aliqua firmitas vel certitudo in his quę sunt à principijs, nisi principia essent firmiter stabilita, & inde est quod omnia mutabilia reducuntur ad aliquod primum mobile, & omnis singularis cognitio reducitur ad non mutabilem cognitionem principiorum, talis est regula in mechanicis, synderesis in moralibus. Id. in quæst. disputat. de synderesi. a. 2.

Candax nomen proprium est omnium reginarum Æthiopię, sicut Pharao regum Ægypti, Cæsar Imp. Romanorum. Tostat in Genes. prol fo. 14.

Ioseph fuit princeps Ægypti sub quinque regibus, qui omnes dicti sunt Pharaones & hoc per octoginta annos. Id. Exo. to. 1. fo. 2.

Sacerdotes summi descendebant de stirpe Aaron per lineam rectam, nec vnus substituebatur, donec alius decederet, & hoc durauit vsque ad tempora Machabæorum. Id. 1. Paralyp. fo. 96.

De equis qui non patiuntur nouos dominos & sessores. *Vide Maioritas Concordantię.* Nimia cum multis amicitia.

Effectus Domini exaltationis clarior, domus autem perennior. Cardan. de iudiciis geniturar. cap. 28.

Si reges præponerent ex filiis regno, optimam & dignam habentem regno genituram, ac illius initio concordem, nunquam successio regni tolleretur. Id. apho. sect. 3. apho. 150.

Optimum est singulos quę legitimo titulo possident sibi conseruare. Vide quę scripsi. Moral. Christiana. to. 3. parte 2. cap. 10.

Indifferentia Christiana non impedit bonis suis conseruandis adhibendam diligentiam. libello de indifferentia. cap. 7.

Vbi semel lis contestata est, ibi & finem accipere debet. l. vbi. ff. de iudic. nec licet in aliud tribunal euocare. Cuiac. obser. lib. 13. cap. 11.

Regulariter nemo inuitus rem suam vendere cogitur, ne suo quidem, & iusto pretio. l. 9. rer. amota. l. nec quasi. de rei vindicat. nisi in publica necessitate, Cuiac. obs. lib. 25. cap. 9. 35.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Psal. 44. Patres Apostoli sunt, filii pro patribus nati, Apostolorum successores Episcopi; sed cum distinctione, quam *Vide Maioritas Principij.* Causæ suis effectibus præstantiores.

REPVGNAT.

Grues vicissim alias ducendi subeunt officium, statoque tempore munere hoc perfuncta, ad totius agminis se terga recipiens, ducendi munus, proximè sequenti tradit. D. Basil in hexam. Hom. 8.

Inuidiosum est, vnum hominum toties optare nouos honores intercipere; nec expedit Reipublicæ videri tantum ex vno pendere. Senec. contro. 8. lib 1.

Somnus & vigilia alternatim sibi debent succedere. *Vide Bonitas Glorię.* Quietis. Respublica indicit diuturniorem vacationem ab officio, quam singuli ad tempus sibi imponunt. *Vide Infra Gloria Potestatis.* Recollectio Regentium.

Vide Differentia Medij. Mutatio ministrorum, & instrumentorum.

Non cogitur quis continuare officium, sed debet habere vacationem & interualla legitima. l. penult. C. quemad. ciuilia munera l. 1. & 11. C. de muneribus & honoribus non continuandis & de interuallis. eod. lib. 10. l. honor. in fine. ff. de muneribus vbi propter necessitatem quis admittitur, ad quod alias non admitteretur.

D. Thom. lib. 4. de regimine principum cap. 7. & 8. probat melius esse dignitates non esse perpetuas, in eadem persona aut familia sed diuersis pro meritis concedi, quia variabilis est hominum volun-

tas de bono in malum; Indignantur & seditionem mouent alij fortè digniores à dignitatibus exclusi. Vnde Valer. Maxim. lib. 10. refert de Fabio, quod cum diu in sua familia consulatus permansisset, rogauit populum vt eius vacatio Fabiæ genti daretur. Minera auri semper quidem producit aurum, ficulnea semper quidem producit ficus, non sic à cœlo & natura determinata est mentis humanæ capacitas, valet omnia, quæ saltem successiuè vult experiri.

Imperij diuturnitas, securitatem facit vitiorum.

Salubrius videtur ministros esse ad tempus, & mutari, ne securitate imperij arrogantiores, atque duriores euadant.

Apud Sinenses nulli licet eandem dignitatem gerere nisi per triennium. Dauity. In Republica Genuensi dux eligitur nouus, post duos annos.

Pactum de retrouendendo venditioni appositum.

Lege 12. tabularum cautum erat, Eundem Magistratum, ni inter fuerint decem anni, ne quis caperet. Petrus Crinitus. de honesta disciplina. lib. 8. cap. 13.

Dictator apud Romanos habebat omnem potestatem absolutè super Consules & omnes magistratus & dignitates Romanas in bellis, & durabat solis quinque mensibus, & in fine eorum veniebat Romam ad deponenda signa dictaturæ, etiam si tunc bellum instaret, & si vir probus fuisset, iterum de nouo eligebatur. Tostat. gen. fo. 366.

In regionibus calidis & meridionalibus, dies non sunt longi vt temperetur solis calor per frigiditates noctium. Officiorum mutatio temperat auctoritatem sponte sua in excessus vergentem: nisi modus dicatur. *Vide Medium Potestatis.* Media & limitata potestas.

Thronus Salomonis ex ebore & auro, sex gradibus ad illũ ascendebatur, & in quolibet gradu erant duo leones; ex vtroque scilicet latere vnus, sic erant duodecim significantes imperium suum super 12. Tribus Israël, & quod subiecisset sibi & velut sub pedibus haberet vicinos reges; quos sibi fecerat tributarios. Tost. 2. Paralip. fol. 130.

Vide Maioritas Durationis, bona, & Duratio Contrarietatis. Dura per vices & interualla sustinentur.

Elementa contraria per vices mundo dominantur. Vide quæ scripsi Theologiæ naturalis parte. 1. cap. 10.

Concil. Tridentin. sess. 25. de regularib. cap. 6. & 7. & Bullâ Greg. 13. an. 1583. prohibetur abbatissas eligi in perpetuum, sed tantum triennales, itaut per idem tempus vacantes postea possint ad idem officium assumi.

Auditores Rotæ Ferarriensis singulo quinquennio à Concilio Ciuitatis sunt eligendi. Clem. 8. Const. 59. Bull. p. 56. to. 3.

Clericorum Regularium Theatinorum superiores ad triennium confirmantur. Clem. 7. const. 11. §. 2. p. 483. to. 1.

Monachorum Casinensium Definitores, vltra biennium durare nullo modo possunt, & non possunt denuo eligi nisi elapso alio biennio. Vrban. 8. Const. p. 99. to. 4.

COGNITIO POTESTATIS.

VIDERI POTENS.

DOMVS Deo consecratæ dicuntur tituli, quia vt fiscus impositione alicuius tituli, puta, veli, imaginis, aut nominis imperatorij rem sibi vindicat. vt l. Si quando. de bon. vacantib. lib. 11. sic Episcopi domum diuino cultui mancipantes, illam vexillo crucis consecrabant, & ita delubra gentilium diuino cultui mancipari solebant collocato in eis venerando Christianæ Religionis signo. Theod. præcipit, l. vlt. de pagan. Cod. Theo. Ecclesiæ etiam dicebantur tituli, quia ab illis presbyteri nomen accipiebant, Glossa. in vita Euaristi. con. to. 1.

Ob nouas dignitates insignia seu arma timbrantur, & in illis ponitur nota talis dignitatis. *Vide maioritas gloriæ.*

Dignitates singulæ propriis suis ornamentis se proferunt, & quælibet dignitas habet sua insignia. Papæ imponitur thiara, Imperatori diadema, Regi corona, Episcopo mitra, Archiepiscopo pallium, Doctori biretũ. De aliis insignibus, quæ sunt loco imaginum, & quæ magnam potentiam profitentur, *Vide Magnitudo Contrarietatis.*

Arma depicta in pariete ostendunt murum esse eius, cuius sunt arma depicta. l. qui liberalitate. ff. de operib. publ.

Olim in scutis militum, insculptum erat nomen Imperatoris. Quintil declam. 3

Essentia rerum obscura, & in penitissima medulla posita, sensus fugit, & hebetiori mentis acie non deprehenditur; at potentia clara est, illi fida comes assidet, præit & stipat vt satellitium; & præsentiam testatur essentiæ. Elementa & mixta operantur per qualitates proprias indices peculiaris essentiæ. Ab ipsa fluunt qualitates opifices potentiæ.

Non est validum pœnitentiæ sacramentum administratum sub forma modo deprecatiuo prolata, vt si dicatur, Absoluat te Deus, quia hoc sacramentum exercetur per modum iudicii; quod pronuntiatur modo indicatiuo & imperatiuo; & non est sententia si modo optatiuo feratur Bonac. de pœnitentia. 4 4.

Pyrenei montes dicuntur ab igne quem in illis accendebant pastores, à longinquis regionibus visi, vt sydera.

Omnium quæ facta sunt, causa est vna, gloria Dei. Sic Assuerus fecit grande conuiuium, vt ostenderet gloriam regni sui, & plures faceret lætitiæ suæ participes. Sic Salomon sibi fecit palatium ornatissimum, thronum pretiosissimum, familiam ornatissimam, & ordinatissimam, exercitum potentissimum, vt videretur per filias Sion in gloria sua, quæ etiam ad fines terræ diuulgaretur. Rex noster Deus, est

principem non esse ignarum nec admodum peritum, in talibus potest habere pares & superiores, sed excellat in regiminis scientia quæ sua est.

Multi nolunt admittere alios cœlos supra firmamentum, quia essent sine luce & splendore.

Sapientis est ordinare non ordinari. Arist. 1. Metaph. cap. 2.

Reges Persarum habebant Historiographos qui sui temporis res omnes gestas fideliter scriberent, & hæc commentaria sæpius perlegebant. Ester. 1. dicuntur Sophi, idest Sapientes.

Dicit sapientia, Per me reges regnant. Et alibi. Væ terræ, cuius rex puer est. Angeli qui habent magis claram, & minus vmbræ immersam mentem sunt præpositi hominibus, & secundum Aristotelem homines qui plus habent de sapientia, plus habent de rectoratu.

Ratio autem absoluta per quam omnes rectores subsistunt, maximè debet regere. Ita Christus, ratio incarnata, etiam si non esset creator propter excellentiam naturæ deberet esse omnium rector, ita dicitur, ecce Rex tuus venit: Card. Cusa. excitat. lib. 3. c. 17.

Salomonis tempore reges sapientiæ studebant, sibique mutuò per legatos quæstiones, problemata, ænigmata proponebant, præmiis vincenti constitutis. 3. Reg. de Hiram & regina Saba. Plutarch. in conuiuio 7. Sapient.

Rex sapiens tanto est Socrate maior, quanto difficilius est reges, quam priuatos homines Philosophari. Æneas Syluius. Rex illiteratus, asinus est coronatus. Id.

Omnis bene viuendi norma litterarum studio continetur, ideo maximè principem decent, cuius est bene viuere, vt sit aliis agendorum idea. Id.

Iulianus Apostata Imperator fuit Græcè & Latinè doctus: scripsit septem libros maxima petulantia contra Christianos. Petrus Crinit. de honesta disciplina. lib. 5. cap. 10.

Necepsus fuit Rex Ægypti iustissimus, & astrorum peritissimus, censuit per decanatus, vitæ fœlicia & infœlicia decerni. Id. lib. 19. cap. vlt.

Goticum fuit institutum ne litteris imbuerentur reges, quod illæ à fortitudine & magnanimitate abducerent; effœminarent animos timidos & imbelles efficerent. Rodigin. lib. 18. cap. 1. in fine.

Diogenes diuitem indoctum esse ouem asseuerabat vellere aurato. Id. lib. 20. cap. 24.

Platonici, Peripatetici, Astrologi post Ptolomæum asserunt sphæras cœlestes intelligentia præditas; Nouem orbes, vocant nouem musas. Dicit Theophrastus, non esse Philosophum qui cœlestibus abnegat vitam & intelligentiam. Id. lib. 22. cap. 2.

Princeps carens sapientia, Cyclops est excæcatus. Id. lib. 24. c. 18.

Professionem constat esse Iustitiæ, legum peritos iudices ordinare, quia vix potest negligere qui nouit æquitatem, nec facilè erroris vitio sordescit, quem doctrina purgauerit.

Timetur ab aulicis fœlicioribus Principis solertia, & in distinguendis personis sagacitas; sciunt periculum esse fortunę, si Rex aliquando aduertat se malè effundere opes in immeritos, neque satis subditorum delectum habere in conferendis honoribus.

Tam à sanctis, quam à Philosophis dicitur, quod omnia corporalia mediantibus Angelis à diuina prouidentia reguntur. D. Tho. in q. disp. de pro. q. 5. a. 8. o.

Rectoribus prudentia necessaria, vt non solum seipsos, sed etiam omnes sibi commissos imbuant vitare noxia, appetere salubria, diligere honesta, inuestigare cœlestia, alioquin si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueā cadunt, & apud Deum, duorum sunt noxij, sui videlicet & aliorum, quibus salubria debuerant prębere monita, &c. Lau. Iust. de prudentia c. 1.

Hic est naturæ ordo, vt sapientia regat omnia, pareant homini cætera quæ videmus: in homine verò corpus animo, animus menti, mens Deo; si quid hunc ordinem egreditur, peccat.

Primus motor est intelligens & prima veritas. Vide quæ scripsi Theologiæ naturalis to. 1. parte 1. c. 20. De Angelis qui regnis præsident. Ib. parte 2. c. 11. Rectoris maxima debet esse sapientia. Moral. Christia. to. 3. parte. 1. cap. 19.

Dicunt Poëtæ Apollinem seu Solem accepisse lyram à Mercurio, qua miros edit concentus, quia princeps sapiens pugnantia facilè conciliat in suo regimine. Leo Hebræ. dial. 2. de amore.

Domus Mercurij, Gemini & Virgo aspiciunt Sextili amico radio domus luminarium. Ibid.

Sacerdos habere debet cum potestate scientiam. *Vide Virtus Cognitionis*, Scientia cum pietate.

Bulla Pij V. an. 1567. & Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 18. præcipit non fieri collationem beneficij Parochialis sine diligēti examine ab Episcopo.

Salomon petit à Deo non diuitias, non animas inimicorum suorum, sed tantum cor docile, vt possit iudicare populum. 3. Reg. 3.

VIGILANTIA RECTORIS, Exploratores.

APpollonius ad Vespasiani fores summo mane veniens, quæsiuit à satellitibus, quid ageret Imperator, dixerunt surrexisse iampridem, & scribendis Epistolis vacare: Hic, inquit, homo imperabit. Philost. in vita Appollonij. lib. 5. c. 11.

Virgines Vestales, certa die ibant ad Regem sacrorum, & dicebant, Vigilas ne Rex? vigilas? Seruius in 10. Æneid.

De ducis vigilantia, & officio. Vide L. officium ff. de re milita. & Can. vt pridem 23. q. 8.

Septem oculi Domini respiciunt super vniuersam terram. Zachariæ. 4. 10.

Pastoralis Curæ quatuor partes. Gregor. PP. in Pastorali.

De Prælatorum officio. Clemens. Alexand. 1. Pædag. Dacrian. Bibliot. Patr. to. 5.

Cum dormirent homines, inimicus homo superseminauit Zizania. Matth. 13.

Reges Persarum habebant per regnum dispersos exploratores qui denuntiabant quidquid fiebat, & illi dicebantur oculi & aures Regis. Xenoph. Cyrop. lib. 8.

Petrus Damianus lib. 3. ep. 1. dicit, Qui prius per me metipsum pauper extiti, nunc per tot pauper effectus sum, quot regendos accepi, vnde multiplex debet esse vigilantia.

Argus Pastor, centum dicitur habuisse oculos. Animalia Ezechielis plena oculis requiem non habentia die ac nocte.

Episcopi dicuntur, quasi speculatores, quod populorum sibi creditorum mores debeant speculari. Can. Cleros vers. episcopus dist. 21. *Vide Gloria Potestatis. Repug.* Onera rectorum.

Tamen in Creta Iouem effingebant sine auribus, quia virum principem non decet ex alieno sapere, sed ex indita sibi diuinitus ratione. Rodig. lib. 10. cap. 3.

Græci olim Reges vocabant *ποιμένας*. Idest pastores,

quo nomine curam & vigilantiam, potius quam dominationem significabant. Ammianus Marcellinus lib. 29. Imperium dicit nihil aliud esse quam curam alienæ salutis, Sic Iudæi Ductores suos, vocabant iudices vt notat. Bodin. Reip. 3. cap. 7.

Pater familias efficit ne equi, asini, canes fiant mali & vitiosi, at seruos imo filias non curant, nec auertunt à nociuis moribus. D. Chrysosth. Homil. 12. in 1. ad Corinth.

Si beatus Iacob noctu & diu laborabat in ouium custodia: multo magis eum cui creditæ sunt animæ, etiam si sit opus laboriosum & vile, omnia oportet facere. Id. Homil. 3. in epist. 1. ad Thessalonic.

Pallium quod datur Patriarchis & Archiepiscopis significans plenitudinem potestatis, est non ex lino, sed ex lana cum pluribus signaculis purpureis crucis, vt significet ouem quam bonus pastor magno labore refert in humeris.

Christus mansit tribus diebus in corde terræ, vt principis eius consilium stultum reddat, vt dicitur Isay. 29. & apprehendat sapientes in astutia eorum, & eorum conatus in contrarium vertat. S. Gregor. Nyssen. orat. 1. de Christi resurrecti.

Canis maior, de natura solis aliquid habet. Cardan. aphorism. sect. 5. aph. 19. pastores sunt canes Ecclesiæ valentes latrare.

Pater familias de suis domesticis diligentem habeat curam. Vide quæ scripsi. lib. de agente Dei in humanis, parte. 3. c. 11.

Math. 8. Christo in naui dormiente, nauis periclitatur fluctibus operta.

Math. 26. Christo secedente ad orationem paulo antequam caperetur, dormiunt discipuli & cum venisset ad eos, Petrũ, non sine causa singulariter increpat, futurum scilicet pastorem, & prius de se nimium confidentem. D. Chrysost. Hom. 84. in Math.

Vigilant pastores, qui ab Angelis audierunt, Gloria in excelsis Deo.

Episcopus dicitur ab ἐπὶ & σκοπεῖν idest superintendere, quia dignitate & virtute sublimiores prospicere debent, an aliquid rectè non fiat in populo, sicut speculator ex altissima vrbis turri monet populum de hoste veniente. Ita Deus dicit Ezechieli, Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël. Alcuin. lib. de diuin. officiis. c. 36.

Vbi dormitat custos, aduersarij solent irrumpere.

Ex omnibus mundi partibus gesta martyrum, sæuitiæ persecutionum, referebantur ad S. Romanum Pontificem Glossa in vita Eleutherij tom. 1. Concilior.

Aperire & visitare potest ad libitum, saltem cum duobus, cellas superior in quolibet conuentu. Vrban. 8. Const. 49. Bull. pag. 65. to. 4.

VISITATIO RECTORVM.

QVædam non nisi à præsente monstrantur. Non potest medicus per epistolas cibi aut balnei tempus eligere, vena tangenda est: vetus prouerbium est gladiatorem in arena capere consilium; aliquid aduersarij vultus, aliquid manus mota, aliquid ipsa inclinatio corporis intuentem monet, quemadmodum res fieri oporteat ex longinquo nemo suadebit, cum rebus ipsis deliberandum est. Senec. ep. 22.

Secundum Philosophum. 4. Physico. motor cœli est in aliqua parte eius & nõ in toto, & si nõ circuit gyrũ cœli. Secus autem est de anima, quæ dat esse corpori secundum totum & partes. D. Thom. in quæst. disput. q. vn. de spirituali creatur. a. 6. ad 6.

Motus circularis cœli fit vt quælibet cœli pars sit in omni situ successiuè.

Singulis annis visitationes fieri debent ab Episcopis aut si infirmitate detineãtur, visitationis officium probatis presbyteris committant, qui de reparatione Ecclesiarum, de ministrantium vita requirant, & in concilio Toletano decretum est contra quosdam qui & visitationes negligebant, & ab Ecclesiis pretio redimi volebant quod in earum visitatione impendi debuisset, duplici infamia, negligentiæ & auaritiæ. can. relata. & seq. 10. q. 1.

Planetæ duplex hemisphærium omnesque terræ plagas lustrant successiua præsentia, & suis implent viribus; at dum eos discedere cogit motus necessitas, fœlices suos aspectus, fixasque suæ virtutis vicarias sibi substituunt; sic influxu nouo prius redeunte, quam impressus exciderit, & illum etiam per delegatos explicantes nunquam abesse dicendi sunt.

Persarum Reges veteri instituto solebant obire omnes ditionis suæ prouincias. Plato in Minoë.

Samuel ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala & Masphath, & iudicabat Israelem in supra dictis locis. 1. reg. 7.

Nouella 29. cap. 2. Prætor Paphlagoniæ iubetur totam prouinciam lustrare, non vicarios per vrbes mittere.

Euripides solem vocat Ἀλητήριον à transitu 12 signorum,

Angeli custodes licet aliquando sint in cœlo empyreo, tamen dicuntur semper hominem dirigere & custodire, quia ponunt in eo quasdam impressiones aliquo tempore durantes. Tost. Matth. to. 5. fo. 34. c. 1. 2.

Rex futurus & inaugurandus apud Iudæos ducebabatur extra vrbem, velut extra communem populi sortem assumeretur, vngebatur circa fluentes aquas, quasi non torpescentem nequitia vitam sed in assidua & vigilanti populorum visitatione esset ducturus. *Vide Virtm Potestatis.* Ex Tostat. in fine.

Similiter in Gothia septentrionali non procul à metropoli Vpsalensi est lapis inter duodecim alios elatior, Morasten dictus, supra quem nouus Rex eligendus infinita populi multitudine præsente suscipitur, ac postmodum sacratioribus cæremoniis à Catholicis Episcopis, iuramento defendendæ fidei promisso, confirmatur. Olaus Magn. lib. 1. cap. 31. Extra vrbem inauguratur, eo quod in ea non debet deses esse.

Zach. 1. describuntur Angeli terram circuire. & 1. Machab. c. 3.

Iudas per ambulabat ciuitates Iuda, & perdidit impios ex eis.

Gen. 1. Spiritus domini ferebatur super aquas. Non per vagationem, sed potestate & regentis imperio; ad formandum vel viuificandum informem materiam quę hoc loco aquæ nomine significatur. Alcuin. in Genesim interrog. 29. docuit rectores non nisi per visitationum vagationem suos posse regere. Infinitus enim & immensus motu non indigebat.

S. Hilarion statis anni diebus visitabat, & lustrabat cellulas monachorum. D. Hieron. in eius vita.

Vt clerici & laïci à vitiis saluti animarum obfuturis abstineant debent prælati iurisdictionem habentes loca sibi subiecta quolibet anno semel inuisere. can. decreuimus. can. Episcopum. 10. q. 1. & nullus eximitur à visitatione per præscriptionem. cap. cum officio de præscriptionib.

Oculi domini impinguant agrum, Vide & visita vineam istam ps. 79. in vinea semper est aliquid operis faciendi. Mittitur Ioseph à patre vt exploret

an prosperè cuncta succedant fratribus. Vide concordantias bibliorum in verbo visito.

Romæ est congregatio quorundam Cardinalium pro consultationib. Episcoporum & aliorum prælatorum. Præsentat Papæ visitatores transmittendos vbique locorum pro visitandis Ecclesiis. Sixtus V. const. 74. Bull. p. 463. to. 2.

SVCCESSIVÆ REGENtium visitationes necessariæ.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Quilibet ad aliorum hominum regimen vocatus, partes agit causæ cuiusdam vniuersalis, influxu benefico sibi subiecta conseruantis, fouentis, perficientis. Optandum esset rectorem imitari Deum, qui est vbique per essentiam, præsentiam, potentiam, & sic eum adesse politico suo corpori, sicut anima naturalis, tota in toto & in qualibet eius parte. Sed Dei naturæque dotes licet quidem imitari, non æquare. Ita quod simul non conceditur successiuè per partes, alternante conatu, statisque temporum interuallis, rediuiua præsentia consequi.

MAGNITVDO. Singulæ ditionis partes, rectorem suum nuncupant, eius itaque præsentiam, velut sibi propriam & necessariam vindicare nituntur; sed cum vnus tot creditoribus soluendo non sit, illis se concedit pro rata portione, & hic licet, viuum debitoris corpus inter eos innoxie partiri.

DVRATIO. Ita sol lucere simul non valens toti terræ, quæ mediam tantum superficiem eius exponit radiis, alteram densa sua tegit caligine; hanc indefesso lustrat circuitu, diem & noctem oriens & occidens; æstatem & hyemem accessu recessuque statis horis & temporibus nobis metitur. Immotæ terræ plurimum prodest motus huius astri potentissimi, vim enim eius ex perpendiculo continuam non ferret illi pars exposita, cum interim absentem, cæteræ tenebris sterilitate perpetua, horrendoque situ damnatæ lugerent. Ideo temporib. ordinatis sol ad eas successiuè veniens, vices suas nostris temperat commodis, iustus vnicuique quod suum est tribuit, non minus absentia quàm præsentia beneficus. Non est eadem de rectore ratio. Sub eius enim continua præsentia manuque, sub eius oculis res ex occasione metientibus, administratio contingeret fœlicior, sed cum ditionis amplitudine corpus non respondeat, vt suæ actiuitatis sphæræ angelus, si non assiduè, saltem successiuè se præsentem exhibeat.

POTESTAS. Ambit natura inditas sibi potentias in actum educere & hæc eorum qui ad dignitates conscendunt potissimi cupido, quid possint & valeant proferre, actu potius, quam titulis. Id autem præstant per visitationes in quibus se regimen subditorum habere probant, seu dum eorum excipiunt vota, seu dum agendis dicunt ordinem. Prouocant illos ad hoc munus chronica quædam populorum mala, non aliter quàm à propria Rectoris manu salutem expectantia. Id præcipiunt humanæ diuinæque leges, quibus si parent, excipiunt ipsos populi simul & sapientum applausus, sin minus contumeliæ. Vrget ad hoc officium conscientia, spes, metus etiam vanitas, ut sui videantur obliti, qui munus hoc tot titulis debitum non implent.

COGNITIO. Digni, quos alieno tantum ore demansas escas sumere, alienos semper pati motus; suos ad alienæ manus venire reditus æquus iudex damnaret, eò quod quæ sui sunt officij, alienis tantum videre volunt oculis. Litigantium dubia propriis excipiunt auribus dignitate conspicui præsides; gloriæ stimulus, ducem primum ponit in acie, quo plus periculi, plus est honoris, quem volens nulli cedet. Ridiculus & explodendus magister qui alieno tantum ore doceret discipulos. Pastorem non agnoscunt oues nisi quod illum crebro vident, igitur citò non agnoscent, quem viatoris transeuntis instar, aliquando viderint.

VOLVNTAS. Præsentia, conuictus, maximum est amoris incentiuum & fomentum. Etiam agros, domos, equos propriis obseruant oculis domini, nec in totum alienæ curæ sua committunt. Certissimum igitur argumentum est pastorem gregem suum non diligere, quem lege præscriptis non visitat temporibus. Amittit suauissimum & potens in liberos animos amoris regimen, tale non existens, puto nullum erit, scilicet neglectum; lata porta vitiis & erroribus concessa. Iniquissimus omnium qui ex grege sibi commoda tantum percipiens, suas ipsi charitate, conscientia, legibus debitas negat operas, lucri temporalis, non æternæ salutis auidus.

VIRTVS. Moralis publicæ tyrocinium est, & prius, inquit Plato, ad regimen accedens, Rempublicam optimam debet in animò suo constituisse quam in populis. Vt ergo sapiens in semetipsum frequenti reflexione, sui & prudenter agendorum notitiam consequitur, Rector crebra populi sui visitatione, mores eius, varios proficiendi modos, opportuna malis remedia facilè deprehendit. Vnde non habendus est sui, qui non est populi sibi commissi diligens explorator & cultor.

VERITAS. Veritati fucum faciunt, peccantium latebras quærentium doli, agentium in rebus præuaricationes, & corruptelæ, famæ vera falsis permiscentis sparsi consultò rumores, audacius in contrarium propagati, à veris falsa non discernet nisi qui præsens in rem ipsam venerit, propriis auribus & oculis diligenter cuncta discutiens.

GLORIA. Vt fortius coram suo principe decertant milites, sic ad pietatis, charitatis, cæterarum virtutum officia, fideles ardentius animantur, rectoris laudibus & gratulatione prouocati: his aliisque modis foueri debet virtus hic infirma; latentes eius in mentibus scintillæ, exhortationis, laudis, æmulationis collisione debent excitari.

DIFFERENTIA. Omnes morbi non vno curantur medicamine: ægri vena tangenda, motus examinandi, & de his non nisi præsens benè decernit medicus. Occurrit in visitatione rerum, personarum, temporum varietas; vnde prudentia mutandum iudicabit agendorum ordinem, & si frequenter fiat, nunquam tamen rector frustra mittet oculos sed plura semper obseruabit quæ prona contineri, lapsa restitui, benè cœpta promoueri debeat.

CONCORDANTIA. Vt sol nubes, sic rector coniuratos malorum cœtus præsentia dissipat; pias mutuò sibimet ignotas in vnum cogit mentes, vt vnitis viribus & sacræ charitatis fœdere fortiores, Christianæ pietatis officia viriliter impleant.

CONTRARIETAS. Inest regentium personis indita quædam cœlitus maiestas, & diuinæ potestatis emicans radius, cui cedet vltrò malitia, in quosuis alios etiam sapientiores pertinax. Ad solum rectorem pertinet ea, qua valet authoritate, nobilium sanguinolenta dissidia, componere; familiarum lites, odia sedare: Rabulis, seditiosis, dæmonibus

auferre prædas vnumquemque paci, iurique suo reddere.

Principium. Imminens semper superioris visitatio, plurimorum malorum præuenit originem, vt primos malitiæ conatus faciat irritos. Nam frustra videtur aggredi, quod citò nec impunè foret dissoluendum.

Medium, humanæ voluntati libertatis & excellentiæ suæ plurimum amanti, quædam sapientes indulgent. Facilius autem digniori se subijcit, & quod ægrè præstaret vicario, dignitatem præcipuam habenti, vltro libensque concedit. Est ciuilis quædam relatio inter populos & Episcopum, vnde volunt à sua regi persona, qui personaliter obsequitur.

Finis. Visitationes necessarias esse probant, eorum defectu tot Ecclesiæ, moribus corruptæ, dirutis templis, diuinis officiis aut intermissis, aut indignè celebratis, desertæ.

Maioritas. Sensim per visitationum frequentiam, restitui debet sensim in malum dilabens infirmitas humana supra naturam per abrupta gradiens Christiana Religio, viæ ducem expertum, probatum, dignitate celebrem quęrit, cui facilè populus fidem habeat. Verbum incarnatum seipso non

A per Angelos adfuit laboranti nostræ naturæ, dux, medicus, doctor, redemptor.

Æqvalitas. Parem ab his quibus animarum cura commissa, quærit diligentiam, personaliter obeant munus, ad quod personaliter electi sunt. Hortis regiis qui pręficiũtur quotidiano circuitu, armata manu falce, vmbracula perlustrant, viuaque peripsomata vt cito cadat, & ad æqualitatem reducatur, quod præter artis legem, natura protulerit. Ferax est vitiorum populus; & quam tumcumque frequens fuerit visitatio, multa semper resecanda & in melius formanda reperiet.

Minoritas. Quid velut abiectum reputas in Rusticorum mores inquirere? non fortunæ, sed cœlo, sed Christo laboras, tuæ & aliorum saluti consulis, animabus singulari Dei prouidentia tibi commissis nauas operam, fidus Christi redemptioris collega.

B Quanta mentis securitas, hoc in officio, quod in te fuit, fideliter impendisse. Et heu quam acerba pastoris, in morte memoria qui se sentit reum tot criminibus, quot negligens, ouile sibi commissum exposuit periculis; quot visitationis defectu passim est animarum damna.

VOLVNTAS POTESTATIS.

APPETITVS DOMINATIONIS. BONVS.

ALEXANDER admiratus vitam Diogenis dicebat, Nisi Alexander essem, Diogenes forsitan essem. Id est studiis vacarem, nisi re ipsa philosopharer. Plutarch. lib. de virtute & fortuna Alexandri.

Magnanimitas est mediocritas inter eos qui stupent & admirantur honores.

Vt in conuiuio, vteris dapibus iuxta te & ad manum positis, sic oblatas vltrò dignitates accipe, at longe positas ambitiosè & inquietè non quæras.

Qui nauigat non vult pericula maris subire, sed necessariò illa subit, vt habeat lucrum: qui potiones medicas sumit, non vult earum asperitatem, sed sanitatem. Similiter dicendum de necessario in omnibus artibus labore. Ita volentes bonum publicum, nolentes volunt dignitatem ex Platone in Gorgia.

Potest appeti regimen ab his, qui non imperant dominandi cupiditate, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed prouidendi misericordia, imperant enim qui consulunt, vt vir vxori, pater filiis; dominus seruis, &c. D. August. lib. 19. de Ciuite Dei, cap. 14.

Aquæ maris salsæ & alendis germinibus tunc non aptę, sursum per vapores elatæ, decidunt & stillant in fœcundas pluuias, sic quidam magnanimi amaris sunt moribus si non eleuentur ad dignitates; elati fiunt bono publico multum vtiles. Sic S. Pacomius abbas, Religiosum appetentem sacerdotium, promouit, & de ambitioso sanctæ conuersationis virum effecit. in vita Patrum.

De dignitatis consulatus petitione. Cicero

Laudabiliores sunt qui bene regunt, quam qui se-

C cundum alienam directionem benè se habent. Plus est qui docet, quam qui discit, qui artificium disponit, quam qui manualiter operatur. Maioris virtutis est maius bonum operari, quale est multitudinis; si laude dignus est, qui egenti pręstat auxilium, quanto magis qui vniuerso populo? Rex agit in regno, quod Deus in mundo. Vnde Exod. 22. rectores multitudinis Dij vocantur. Facilius est in ripa fluminis nauigare, quam in alto mari, in œconomica, quam in politia regere. Denique rectoribus maius præmium in cœlo Deus decernit, vt patet Zach. 12. vbi dicitur quod cum in cœlesti Hierusalem domus bonorum futuræ sint sicut domus regia, domus regia futura est, sicut domus Dei. D. Thom. opusc. 20. de regimine prin. c. 9.

D Qui ad dignitates Ecclesiasticas aspirant, hæc sibi bona proponunt, non sibi soli natos, arbores steriles, & nullis profuturas, ignibus tradi; Matth. 25. seruum, qui talentum infoderat domini sententia damnari, cum sibi videbatur prouidere Luc. 19. qui opus detrectat implere, mercedem non recipit; Deum se deiiciendo, contemni; bonis viris ferendum auxilium qui alioquin sub maligna aliorum potestate, opprimerentur, &c. ex Petri Damiani opusc. 21.

Exod. 3. dicit Deus Moysi: Veni, mittam te ad Pharaonem, quia animo ad obediendum parato debebat esse. Rupert. Sic Esay. 6. dicenti Deo. Quem mittam? respondet Esayas, Ecce ego mitte me. In hac occasione debet esse indifferens voluntas. *Vide Media Voluntas Indifferentia.*

Iepthe init pactum cum Israël quod si pugnans pro illis, erit eorum princeps si vincat Ammonitas. Iudicum, cap. 11.

Quælibet

Digitized by Google

Quælibet res habet naturalem inclinationem ad suam operationem.

Patitur vnum quodque, secundum quod est deficiens & imperfectum, & vnum quodque secundum hoc, est principium actiuum alicuius, secundum quod est actu & perfectum: vnde oritur potentia actiua & passiua.

Noë maledicit Cham in filio suo Chanaam, Maledictus Chanaam: seruus seruorum erit fratribus suis. Benedictus Dominus Deus Sem: sit Chanaam seruus eius. Benedictus est qui alteri dominatur.

Dicit Deus; Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram & præsit piscibus maris, &c. illi simul ac creatus est, imperium est attributum, sed maximè supra passiones suas. D. Gregor. Nyssen. orat. 1.

Artes omnes gloriantur se pro suo modo plurimum conferre ad bonum publicum, ædificatoria, lanifica, ferraria, &c. Aduertat philosophia ne inter collaborantes, sibi tantum vacet, & sit inutilis, velut fucus inter apes. Ciuitas enim est composita ex cooperantibus ciuibus cunctis, non sufficit Nauclero scire artem nauigationis, nisi mare conscendat, & philosopho scire artem regiminis, nisi & actu regat. Quid iuuat habere sanos ad videndum oculos, aptas ad opera manus, si non videant oculi, manus non operentur? Ad quid vtilis scientia, si feriatus sis actione? periret & dissolueretur mundi machina si ab eius regimine cessaret Deus: extra negotium sunt soli mortui. Ex Maximo Tyrid. ser 5.

Vide maioritas gloriæ. Nimia quies vitanda.

Homo natus est ad vitam ciuilem, quæ si bene dirigatur est maximi meriti, nec est contraria perfectioni Christianæ. Vide quæ scripsi Moral. Christia. to. 3 parte. 1 c. 2. & 3 Possunt dignitates suscipi, ne quis videatur iners & otiosus: libello de necessitate. c. 14. & libello de amore Dei agente cap. 15 16.

Pro animabus saluandis, fœcundandis atque glorificandis, ipse mundi conditor carnem assumpsit, carnis conuicia, passionesque sustinuit, propterea Dei sui eximius imitator est, qui pastoris veri fungens officio, animas puras curat exhibere Deo. Hic corona redimitus æternitatis inter choros angelorum magnificè sublimabitur Laurent. Iustinian. lib. de perfectione monastica. cap. 9. Dignus fit sempiterna gloria, qui non solum se, sed etiam plurimos secum Christo propriis laboribus gratia in se operante lucratus est, tantorum erit particeps meritorum, quantorum salutis extiterit causa; hoc est propter quod honorabilis redditur præsidentium dignitas; hoc est, propter quod si licet appetenda est, vt enim prosit non vt præsit, desiderare debet vir Dei; exiguum enim est hominis meritum, nisi profectibus cumuletur aliorum. Ita duplici fulgebunt stola, qui fortiter pro cæterorum salute laborauerunt. Id. *Vide Principium Concordantia*. Religiosæ, piæque congregationis institutor.

Quanto ignis est vehementior tanto suum latius diffundit splendorem pariter & calorem. Nullo exercitio congruentius occupatur sponsa, quam cum animarum intendit lucris; hoc sacrificio nil majus, nil suauius Verbo redolet. Vnde Petro cum diceret, amas me? & ipse se amare respondisset, subiunxit, pasce oues meas. Nil amanti ardenter carius potuit committere, quam illud propter quod exinaniri voluit & mori. Vno sponsa oculo vigilat qualiter fraternæ proficiat caritati, altero autem quomodo sponso se immaculatam exhibeat. Laurent. Iustin. lib. de connubio Verbi & animæ. c. 12.

Vide Medium Veritatis. Prædicator.

Clemens nominatus à Petro successor cum coram multitudine congregata se excusaret, dixit ei Petrus, certus esto, quia amplius peccas qui populum Dei velut in fluctibus positum & periclitantem, cum iuuare possis, subterfugis, tui tantum habens considerationem, non quod in commune omnibus expedit, prouidens, &c. Clementis epist. 1.

Leo Papa epist. 9. reprehendit Rusticum Episcopum Narbonensem, qui propter scandala Ecclesiæ volebat se ad priuatam vitam recipere, cum dicat Dominus Matth. 10. Beatus qui perseuerauerit vsque in finem.

AMBIRE DIGNITATES malum est.

Ambitio plura causauit fratricidia. *Vide contrar. Æqualitatis*. De honorum appetitu. Ephrem, tom. 1.

Quas non didicerunt artes, recusant omnes exercere, imperare, quæ est ars artium, omniumque difficillima, nemo recusat; stultos enim putant qui regnare nesciunt, stultum autem sese nemo iudicat.

Clerici sine discussione, & commendatione sui Episcopi, ad Regem non debent accedere pro petendis beneficiis. Concil. Aurelian. 1. c. 7.

Res Ecclesiasticas à Regibus obtinentes, excommunicantur. Concil Aruernense. ca. 5.

Luc. 4. Diabolus promittit Christo omnia regna mundi si cadens ipsum adorauerit.

Nihil Ecclesiam æquè potest diuidere, vt ambitio, & amor imperij; Nihil Deum æquè irritat ac diuisam esse Ecclesiam, & discindi Ecclesiasticum conuentum. Dixit vir quidam sanctus ne sanguinem quidem martyrij posse delere hoc peccatum. Nam si pro Christo animam prodigisti; quid populatis Ecclesiam, pro qua Christus suam profudit animam? Magna fraus quod in Ecclesia educati cum eius arcana didicerint, repentè mutati, velut hostes eam exagitant: ideo periere Core, Dathan, & Abiron. D. Chrys. homil 11. in ep ad Ephes. De schismate. *Vide Contrarietas Concordantiæ*.

Miror an fieri possit, vt aliquis ex rectoribus sit saluus, qui se coniiciunt in tantam molem rectionis cum his qui ad id tracti sunt necessitate, vt Aaron, si malè administrent, non habent quo confugiant, &c. Id homil. 34. in epist. ad Hebræ.

D. August. lib. 19. de ciuit. dicit quod locus superior sine quo populus regi non potest, etsi administretur vt decet, tamen indecenter appetitur, ratio est, quia qui appetit prælationem, aut est superbus aut iniustus. Iniustitia enim est, quod aliquis velit sibi plus de honore accipere, aut de potestate, aut de aliis bonis, nisi sit maioribus dignus, vt dicitur 5. Ethic. quod autem aliquis se taliter dignum existimet, superbiæ & præsumptionis est, vnde secundum Apostolum Heb. 5. nemo sibi assumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Potest tamen aliquis licitè appetere se esse dignum prælatione, D. Thom. quotlibet. 2. a. 11.

Beneficium Ecclesiasticum quod continet curam animarum, vt est Episcopatus, non licet absolutè desiderare & in signum huius, Ecclesia iubet quod qui consecratur in episcopum bis dicat; nolo, cum petitur ab eo si velit episcopari, & in tertia vice dicat; volo, quasi obediendo, non cupiendo. Tostat. Iud. fo. 1. 8. c. 3. h.

Dæmones non sunt hominibus subditi, sed fingunt se illis obedire, vt talis dominationis appetitu, illos ad mala perpetranda alliciant. Id. Math. to. 5. fo. 119. c. 3. h.

Plutarchus lib. de amore, & Maximus Tyrius, serm 18. referunt historiam cuiusdam pueri pulcherrimi qui à duobus suis amatorib⁹ discerptus est, dum eum quisque in suas partes trahere conaretur. Sic inter ambitiosos perit splendor dignitatis.

Semiramis ambitione regnandi nubit filio. *Vide Concordantia Potestatis.* Rectores populus imitatur.

Vide Voluntas Maioritatis.

Ambitiosi planetæ sunt, Sol, Iupiter, & Mars, vbi igitur in angulis, & fixis significauerint, ambitiosos reddunt, maximè si locis lunæ & ascendentis dominentur. Cardan. aphor. sect. 3. aph. 161.

Corruptio carnis semper est in fermento acido, insigni nempe mysterio fermentata vetita leguntur Iudæis: subita ergo & atrox corruptio in carnes impingens, etiam flatum & tumorem gignit. Sic cadauer submersum illico fundum petit, tantisper dum caro acescit sub putredine, tum emergit, flatuque est tumidum, & vita musculorum à vita adhuc residua, flatum operatur. Van Helmont. Boni humilia sectantur, corruptis sensim moribus ambiunt superiora.

Non vocantur à Deo vt Aaron, nequidem ab hominibus, sed quod diuinum est arrogant, infulas appetentes: qualem fructum potest producere corrupta radix: Mens cupida honoris auiditate dominandi accensa, nec Dei gloriam, nec proximorum vtilitatem quærit. Humana & diuina gloria simul stare nequeunt: qui non sequuntur Christum, quomodo vocantur à Christo? non vocantur, sed permittuntur, quoniam autem non vocantur à Christo, ideo tam anxiè prælationes quærunt, offerunt munera, adhærent potentibus, & quod nequeunt virtute consequi, pretio exquirunt & prece: &c. Lauren. Iustinian. de complanctu perfectionis Christianæ. De symonia. *Vide Virtus Medij. Repugn.*

Viri sancti in aliquem defectum lapsi sunt, Moses in Oreb, Dauid, Petrus, Ita Iacobus per matrem petens vt sedeat à dexteris Christi in regno suo. Nam ab humilitate prorsus est alienum cæteros velle honore præcellere. Quum inuitatus fueris ad nuptias recumbe in nouissimo loco. Id serm. de S. Iacobo.

Scriptum est durissimum iudicium his qui præsunt, temerarium est velle gratis multorum baiulare onera, cum nequeas propria, sat tibi videatur de te rationem reddere: periculosum est humilitatis virtute contempta, nomen suum iactanter attollere: vix in honoris culmine possidetur humilitas quæ est Christianæ virtutis fundamentum. Apostolis de primatu contendentibus dicit Christus Reges gentium dominantur, vos autem non sic, &c. Beati pauperes spiritu. Id de contemptu mundi. cap. 11.

Christus cum esset splendor paternæ gloriæ, dicit, Discite à me quia mitis sum, & humilis corde; vixit subditus Mariæ & Ioseph: docet inuitatos ad conuiuium non sedere in primo loco, sed in nouissimo quia omnis qui se exaltat humiliabitur. Id de Institutione prælatorum cap. 1.

Nihil ambitioso difficile, ideoque ambitio est quædam simia charitatis. Charitas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus, ambitio diuitibus: Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate, vtraque omnia credit, omnia sperat, sed longè dissimili modo; hæc ad gloriam huius vitæ, illa ad gloriam sine fine. Vtraque nunquam excidet, &c. Petrus Blesens. epist. 14.

Dignitatis appetitus natione cœlestis est, in cœlo concepit & peperit iniquitatem in eo qui affectabat sedere in lateribus aquilonis Id ep. 23. est abominatio desolationis in loco sancto.

Miserabilis Pretextatus, homo sacrilegus & Idolorum cultor, solebat ludens Beato Papæ Damaso dicere, Facite me Romanæ vrbis Episcopum, & ero protinus Christianus. D Hieron. ad Pammach. aduer. errores Ioan. Hierosolym.

REPVGNAT.

AVERSARI ET REPVDIARE dignitates.

Causa ad Rempublicam non accedendi late patet. Si Respublica corruptior est quam vt adiuuari possit. Si occupata est malis, non nitetur sapiens in superuacuum, nec se nihil profuturus impendet; si parum habebit autoritatis aut virium, nec illum erit admissura Respublica; si valetudo illum impediet. Quomodo nauem cassam non deducet in mare; quomodo nomen in militiam non daret debilis, sic ad iter quod inhabile sciet non accedet. Potest ergo & ille, cui omnia adhuc in integro sunt, antequam vllas experiatur tempestates in tuto subsistere, & protinus commendare se bonis artibus. Seneca de vita beata. cap. 30.

Dum vacas studijs & contemplationi, ne te præferas his quos Deus vt te fortiores implicat regimini externisque negotijs. Vide D. Bonau. stimuli amoris parte. 3. cap. 7. & 8.

Abbas Pynuphius, relicto cœnobio celeberrimo, cui presbyter præerat, longinquum monasterium, in quo velut incipiens susciperetur, desiderio subiectionis, expetiit. Cassian. lib. 4. cap. 30.

Moyses, à filia Pharaonis regali impendio educatus, tyrannidis fastum perosus, ad suæ gentis contribules recurrit, eorumque humilitatem complexus, maluit cum Dei populo calamitates experiri quam inter temporarias voluptates, obnoxium se reddere peccato. Exod. 2. & D. Basil. in hexameron homil. 4.

Boni auersantur dignitates, quia verus honor est in virtute *Vide Gloria Virtutis.* & quia rara in regente virtus. *Vide Virt. Pot. Rep.*

Plura exempla antiquorum Romanorum, qui oblatas dignitates modeste sunt auersati. Vide Chasseneum Catalogi gloriæ mundi. parte. 1. consideratione. 90.

Qui plurimum agit, is pluries peccat. *Vide gloria Potestatis.* Repug. Regnantium onera, & *gloria virtutis.* quieta virtus.

Dignitatis Cancellariæ dimissio. Gerson. tom. 2.

Si Aaron vocatur à Deo ad regimen, in eo tamen sic se male gessit, quid sperandum, de his qui se intrudunt.

Indignus maximè Episcopatu, qui cupit: synodus septima iubet eos deponi qui per fauorem potestatum irrepsere, nulla meritorum laude commendati.

Petrus Damiani Cardin. opusc. 21. laudat Monachum qui se abbatis dignitate abdicarat. De seruitute inquit, in ingenuitatem & Dei libertatē restitutus es. seruum enim te esse sæcularium ne nocerent, Monachorum, ne rebellarent, te oportebat esse; & dū vnū

tot dominis subditur misera anima, cathenis præpeditur, ne Deum possit sequi; quis potest hoc ferreo sæculo, simul esse abbas & monachus? Vt quis abbas fieri incipit, monachus esse desistit, ane Apostata videatur, onus monachi deponendo, vtitur prætextu regiminis. Similes sepulchris dealbatis. Math. 23. &c. Non est mortuus mundo, tot curis implicitus, quibus dies, noctesque non sufficiunt, auaritia flagrans, cui quidquid est, nihil est, nisi habeat quod deest; in abbatum colloquiis, potius quam in curia, disces quæ fiunt in mundo; cum Dominus dicat Math. 6. Cauete à curis huius sæculi Paul. 2 Tim. 2. Nemo militans Deo, implicet se negotiis sæcularibus. Non expectant honestam missionem, vt soluant regularis militię cingulum, relinquunt ordinem, sub prætextu præcedendi Per plures annos non potuerunt perfectè implere officium monachi, & statim præsidentis induunt speciem, quasi non electi, sed nati sint abbates. Quam difficile tot votis fratrum satisfacit, si curat externa, disciplina regularis negligitur, si ab exterioribus se temperet conqueruntur, quod domus & possessio sancta, vnius incuria deperit. His rationibus laudat dignitatis abdicationem, & monet ne à solitudine abducatur sub prætextu, boni publici promouendi.

Ipse Petrus Damiani supplicem tractatum mittit ad Nicolaum. II. Sum Pontificem vt sibi Episcopatus onus deponere permittat; probat autem dimitti posse episcopatum, exemplo Valerij Hipponensis Episcopi, qui sibi Augustinum substituit. Lucidus Lorocłesis Episcopus, relinquit episcopatum, & miraculis clarus moritur. B. Alderbertus, ex Episcopo fit monachus & martyr. Idem fecit, & de Episcopo monachus factus est Laurentius Sabinensis Episcopus.

Bonitus Aruernorum Episcopus. Gaudentius asparensis Episcopus: Paulinus Nolę Episcopus, vt filium viduę redimeret relicto Episcopatu seruum se substituit. Martyrius Antiochenus Episcopus propter inobedientiam populi Ecclesiam dimisit, dicens, Clero non subdito, & populo dissidenti & Ecclesiæ squalenti, abrenuntio, seruans mihimet sacerdotij dignitatem. Gregor. Papa in Registro lib. 9. epist. 41. voluntariè suis renuntiantibus sedibus, successores non denegabat. Si adsit causa incapacitatis. D. Hiero applicat illud nõ renuntianti Luc. 9. Serue nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & illam cum vsuris exegissem? Petrus Archiepiscopus Raueannatem dimisit Ecclesiam; Gregorius Nazianzenus Constantinopolitanam reliquit Ecclesiam, videns aliquos sibi inuidere.

Milesius Episcopus in ciuitate Persica ordinatus, cum in ea multa passus fuisset, & nulli potuisset persuadere, vt Christianus fieret, grauiter ferens, maledixit ciuitati, & exinde discessit; hæc autem ciuitas paulo post ab hostibus est deleta. Fusius hæc prosequitur de Arnulpho Metẽsi Episcopo, Formulpho Cisterciensi, Hidulpho Treuirensi, Deodato æquè Treuirensi. Gondeberto Senonẽsi, Lamberto Florentino, Nono Anthiocheno. Lintulphus Calensis, Benedicto 9. Papæ hinc concludit sibi licitum deponere onus, quod non potest portare. Fatetur tamen id sine iusta causa fieri non posse. Hæc & alia idem Petrus Damiani opusculo 20.

Alii ieiunant à cibis: tu à dominatione, ab omnium obsequiis, quæ naturaliter mens appetit, &c. Idem. opus. 56. cap. 5.

Veremur ne gradus nostra virtute altior, ad ruinam nobis sit: ideo tunc maxime opus est amicis. Æneas Syluius epist. 2,1.

Non licet tamen ad vitandam dignitatem sibi crimen imponere. *Vide Voluntas Minoritatis.* Mala.

Abbas Ammonius cum vi à plebe raperetur vt fieret Episcopus, acceptis forcipibus sibi aurem abscidit, vt mutilatus fieret ad dignitates inhabilis. Vitæ patr. lib. 8. cum vrgeretur. minatus est se linguam, suam abscissurum. *Vide Voluntas Minoritatis Bona.* Velle humilia.

Frustra niti, neque aliud se fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Salustuis de bello Iugurtino initio.

Nemo licet fortis, sordido se & contumelioso labore conteret, nec in negotiis erit negotii causa, rebusque ambitiosis implicitus earum semper æstus feret. Seneca. epist. 22.

Qui in hac vita vult ætatem sanctè agere, is sui iuris esse vult & suum agere negotium.

Isocrates semper abstinuit à rerum publicarum administratione, ita liberum ab omni cupiditate animum, maximeque syncerum probauit. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 12. cap. 11.

Marcum Euangelistam Dei electum post fidem Hyeronimus scribit pollicem sibi amputasse vt sacerdotio reprobus efficeretur; sed & Antonium Anachoretam ne fieret Episcopus læuam sibi auriculam ferro præscidisse. Rodigin. lib. 10. cap. 4.

Dignitatem repudians suæ saluti consulit. Nam Num 21. peccauit populus, & Dominus iubet principes populi stare contra solem, velut pro populo rationem reddituri. Sufficit mihi pro meis argui delictis, quid mihi necesse est pro alienis sistere coram sole ante quem nihil potest abscondi. Orign. Homil. 21. semper numer.

Exod. 4. Moyses electus à Deo vt iret ad Pharaonem pro liberatione & regimine populi, ait, Prouide alium quem mittas. Isayas autem non electus, sed audiens Deum dicentem. Quem mittam? offert se. Ecce ego mitto me: Si comparentur hi duo sancti viri; verecundius fecit Moyses quam Isayas, temeritatis mercedem reportauit, Iussus dicere quæ non optabat & à maledictionibus incipere. Incrassatum est cor populi huius, &c.

Bonum est non prosilire ad eas quæ à Deo sunt dgnitates, neque enim ad principatum Ecclesiæ venit qui saluari vult. Math. 9. principes gentibus suis dominantur, at præesse Ecclesiæ hoc est seruire. Idem. Homil. 6. in Isay.

D. Thom. quodlib. 5. a. 22. quærit, vtrum melius faciat qui consentit electioni canonicæ de se factæ, quam qui eam recusat, Respondet, quia valdè difficilè est purgatum se quemlibet posse agnoscere, prælationis officium tutius declinatur, non tamen pertinaciter, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur.

Columnæ ęneæ magnæ & pulchræ quæ positæ erant iuxta portam templi, vna ad partem septentrionalem, altera ad australem, nullum pondus sustinebant, sed ibi tantum erant ad pulchritudinem. Tost. 2. Parali. fo. 47. c. 3. g. tales sunt magni viri sine ciuili dignitate.

Non est iniurius concioni & coronæ plebis qui cum non sit musicus, se substrahit è musicorum choro, ne concentum perturbet. Maxim. Tyrius serm. 6.

Aberimus à perturbationibus, si primatum non affectauerimus, & alios affectantes cum æquo animo tulerimus, & cesserimus ingerentibus ad ea, ad quæ seruator inuitat. neminem. Iustinus martyr ad Zenam fratrem. Quodcumque negotium inciderit, tunc demum relinquendum, si nec sectione, nec vstione sit curabile. Ibid.

Potentia quid est aliud quam speciosa molestia, in qua si quis sciret, quę sollicitudines, quæ anxietates insint, quantum malorum mare, nemo est tam ambitiosus, qui non eam fugeret vt grauem miseriam. Quantum est odium si regas malos? quãto maius si malus ipse? Lud. Viues Introd Sapient.

An viri boni sint ad dignitates acceptandas compellendi. Vide quæ scripsi Moral. Christia. to. 3. parte 1. cap. 24. Religiosus optare debet perpetuam à dignitatibus exemptionem. lib. de institutione & officijs religiosi parte. 3. cap. 11.

Boni auersantur dignitates quia in illis probitas periclitatur *Vide Virtus Potestat.* Rep. vitia regentiũ.

Qui petiit cedendi dignitatibus licentiam, ex quo illam obtinuit, cedere compellitur. cap. quidam. de renunciatione.

Math. 19. dicit Christus Sinite paruulos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum. Proponit imitandos vt ea nos volentes faciamus, quæ insita natura duce faciunt; non ambiunt autem dignitates. Nihil autem sic in superbiam euehit, sicut principatus & primi cõs. ssus quos ambiebãt Pharisæi. Imitemur igitur paruulos & eorum mores in omni fastu & malitia contẽnenda. D. Chrys. Homil. 64. in Math.

Nemo nisi valdè sanctus absque sui detrimento, proximorum curis occupatur; Nam etsi animarum lucris intendere sit Deo amabile, non tamen cunctis prodest; vnusquisque proprium habet donum à Deo: quisque prius debet suam, deinde aliorum salutem quærere, Quid, inquit veritas, prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò, suę detrimentum patiatur? Nullus animarũ sibi vindicet principatum, magnarum mentium hoc opus est, semper etiam dignus timeat, ne præsumendo ruat Laurent. Iustin. lib. de connubio Verbi & animæ. cap. 12.

Magni ęstimat si pro Dei honore prosit proximo, non autem minoris, si se illibatũ custodiat verbo. Ibid.

Regia securiorque humilitatis via, nam qui se exaltat, humiliabitur coram summo iudice qui non accipit personam, qui elatos dignitatibus, non de proprijs tantum, sed de alienis criminibus coget reddere rationem. Id. de triumphali Christi agone. cap. 12.

Hæc humilitatis via, peccatorum occasiones, peccatorum laqueos vitat, humilis si ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam, at qui in altum conscendit, si lapsus fuerit conteretur. Id. de regimine prælatorum. cap. 1. Si qui sibi ipsis tantum vacant, vix euadunt emergentes casus, quid facient innumerabilibus occupationibus illigati? cap. 16.

Minus est tenere sacerdotium, quam mereri. D. Hier. ad Pammach. pro libris suis aduers. Iouinian.

VIRTVS POTESTATIS.

VIRTVS QVÆ DEBET ESSE IN RECTORE

HIERARCHIA dicit altitudinem quandam, per quam quis sortitur diuinum gradum & perficitur iste diuinus gradus in tribus, scilicet in participatione doni diuini; in consortio diuinæ potestatis, & in similitudine eiusdem effectus, scilicet transfundendo diuina in alios. Albert. Magn. in D. Dyonys. cap. 3. de cœlesti hierarchia; addit, Vt hi in quos donum cœleste transfunditur, transferuntur proportionaliter in Dei similitudinem.

Argentum æri mixtum facit ipsum magis sonorum, virtus in diuitibus maiorem acquirit famam.

Ciuiles dignitates dicuntur honores. l. curiales. C. de decurio. lib. 10 honor autẽ ex Arist. 1. Ethic. est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis. Vnde sequitur quod dignitates supponunt virtutem & vt dicit August. lib. 5. de Ciuit. Dei, honorem non debet sequi virtus, sed virtutem honor.

Prauus, honore non est dignus, & conuersus in tyrannidem tendet ad noxam. can. licet dist. 45.

Non est Rex, nisi sit per se sufficiens & omnibus superexcellens, Arist. 8. Ethicor. Ideo fert coronam auream pretiosis lapillis ornatam.

In rescriptis intentio principis præsumitur conformis rationi & Iustitię, vnde cum quidam diceret Antigono, omnia principibus honesta & iusta, ita respondit, sed barbaris; nobis vero ea honesta quæ honesta, & iusta quæ iusta. Illud enim tantum possumus, quod de iure possumus. can. aliud 11. q. 1. & can. faciat 12. q. 2. l. nepos Proculo ff. de verbor signif.

In electionibus cæteris sunt præferendi nobiles, in quibus Patrum virtus præsumitur. §. interim. in auth. de deffensorib. ciuitat.

Vos estis lux mundi. Math. 5. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Philipp. 2.

Exercitus sine duce generoso, est corpus sine capite, agmen leonum ceruo duce inualidum.

Marsilius Ficin. refert leges à tribus proficisci numinibus, Sole, Ioue, minerua seu Venere; quia in Principe debet esse potentia, sapientia, amor, & nos Christiani tribuimus potentiam Patri, sapientiam filio; amorem Spiritui sancto.

Plutarch. lib. de virtute & fortuna Alexandri. Vt inquit, magnus propter fortunam fuit, maior certe vel ob idipsum quod fortuna rectè vsus est: quoque magis fortunam eius extuleris, virtutem eo magis commendaris propter quam fortuna dignus fuit. Ridiculus est, qui seruis suis est deterior, etsi possessio apud eum maioris sit pretij, quam ingenium.

Cum imperas rege teipsum, inquiebat Pittacus.

Sutores in ciuitate si praui sint, quanquam dissimulent, nihil inde periculi ciuitati imminet, at si custodes non sint verè probi, vrbem totam funditus perdunt. Plato. 4. de Republica.

Apud Lacedemonios Regi assurgunt omnes præter Ephori & Rex ante susceptũ imperium iurat imperaturum se iuxta ciuitatis leges, Stobæus serm. 42.

Digitized by Google

Rectores sic viuant, vt non dignitate, sed virtute se præstent admirabiles, vt etiam mutata fortuna iisdem legibus digni censeantur. Secundæ fortunæ fructus virtuti coniunctus, suauissimus est.

Xenophon. lib. 1. Cyropediæ dicit Imperatorem debere plus laboris tolerare quam cæteri milites, sic sibi conciliabit eorum amorem, dabit animos. Hos autem labores honor efficit leuiores, cum intelligat quidquid facit, in omnium esse oculis. *Vide Concordia Potestatis.*

Quod naturale sit mulieres obedire, & subesse, viros verò dominari, quia plus habent virium in corpore & anima, æquum autem est fortiora debilioribus dominari. Vide Chassanæum in catalogo gloriæ mundi. parte.11. considera. 4.

Montes Armeniæ primi quia cæteris excelsiores à diluuio liberati, & in illis primum arca Noë in sicco reperta. Gen.11. Virtus incipit à Rectoribus.

De cœli anima liber Pauli Riccij. in arte Cabalistica to. 1.

Imperatoris institudo ad Iustinianum. Agap. Bibl. Patr. to. 11.

De regimine Principis, D. Tho. opus. 20. Basil. conci. 15. to. 3.

De Principum eruditione. D. Thom. opus. 40. Gerson. to. 4. serm. ad Regem.

Principis institutio. Gerson. tom. 2. Patricius. Ficin. ep. lib. 5.

De Principe optimo Iauellus. Principis & populi debita. Id.

De Regis institutione. Osor. Lusitan.

Vnus est Deus, vnus Christus colendus omnibus Christianis, vna proponitur gloria cœlestis, & vna omnib. proponitur acquirenda perfectio, magisque exigitur ab his, quibus magis datum est. Macula plus apparet in vultu quam in aliis partibus quæ possunt abscondi.

Boni Principes prodesse magis, quam præesse mortalibus student, & regnum in terris, ad formam Imperij cœlestis componunt.

Sufficit illis non laborare morbis popularibus. *Vide Media Virtus.*

Olim Reges Hebræi vngebãtur non in vrbe, sed iuxta perennem aliquem fontem, vt Salomon in Gion fonte. 3. Reg. 1. id significabat puritatem, & liberalitatem Regum.

In cœlis non potest esse defectus, nec corruptionis, nec inordinationis. Arist. 2. de cœlo. tex. 3.

Anima rationalis est mundus hoc corporeo præstantior, achetypo similis, propter salutem animarum Deus fecit mundũ sensibilem, Christus tot miracula; regere animas est officium angelorũ, hierachiæ cœlestis, in purgãdo, illuminando, perficiendo, sub imperio diuinæ prouidẽtiæ, quælibet anima est tẽplum & domus Dei sanctè custodiẽda, est pars corporis mystici Christi. Ioa. 5. & Eph. 5. Hæc pars debet habere respectum ad sanctitatẽ totius: & finem supernaturalem, scilicet gloriam Dei. Ad hoc, opus est auxilio supernaturali & dono S. Spiritus, quod Paulus. 1. Cor. 12. vocat opitulationes, gubernationes. Vt cœli sunt corpora incorruptibilia & mota ab angelis, vt regant inferiora, sic eminere debet virtus rectoris; qui vt cœlum debet enarrare gloriam Dei, animas sanctificare, in illis Christũ formare. Gal. 4. Ars artiũ, cura animarũ. Est scientia Christi qui seipsum tradidit pro nobis, est radius lucis æternæ omnia dirigẽs, ideo ipsi adhærendũ cum humilitate, vt quæ ab illo accipiuntur, in alios effundantur; non illi subditi sunt alij, vt regat illos proprio spiritu, sed diuino, non ex passione, sed ex ratione, & prius se regat quam

A alios; qui est in sollicitudine, &c. Rom. 2. vt adueniat regnum Dei.

Verum ius Regis est obseruatio legis Dei. Deut. 17. Vide Carol. Molin. de stylo Parlamenti. pag. 169.

Virtus Rectoris præcipua est firmitas, vnde significatur per columnam. *Vide Cogn Contrariet.* Prodigia. Hinc procedit imperium Religionis. *Vide Potestas Virtutis.*

Abominabilis Deo est mulier quæ induitur veste virili. Deut. 21. Id. fit quando is qui vitæ suæ nescit moderamina tenere, iudex fieri vitæ alienæ, & præesse præsumit, qui nondum subesse didiscit, è contrario vir induetur veste muliebri, qui cum habeat

B dotes aptas regimini, sequitur vitia muliebria & sensibus indulget. Rupert. in Deuter. lib. 1. c. 13.

Per formam completur essentia vniuscuiusque rei, & à propria forma rei, sumitur differentia specifica quæ complet definitionem. Sic iudicium de Republica sumitur à rectoribus.

Arbores multæ copiosum fructum ferunt in cacumine, vt etiam frumenta quæ spicam pariunt.

Corpora cœlestia creata sunt à Deo incorruptibilia, vt inferiora seruarent à corruptione.

Antiquitus, inquit Diodorus non ad principum liberos deferebantur regna, verum ad eos qui insigniter de hominum vita essent meriti. Rodigin. l. 8. c. 1.

C Reges à rectè agendo dicti. Isidor Orig. lib 1. c. 28.

Lex Salica quæ apud nos Gallos excludit mulieres à regimine, etsi nullis in Codicibus esset scripta, valet tamẽ quia ius est naturæ vt fœmina subsit viro; Sic præcepit Deus Euæ. & dicitur l. 2. de reg. iuris.

Gratia est in ipsa animæ essentia, vnde diffunditur in potentias. D. Tho. in q. disp. de gratia. a. 6.

S. Pontifex licet ex vi coactiua non sit subditus legibus Ecclesiasticis, nihilominus ex vi directiua & ex honestate tenetur ad obseruantiam legum propria authoritate constitutarum, & maximè legib. diuinis. Bonacina hinc dicit eum teneri confiteri. Vide. cap. omnes isti. de constitutio.

Propriè tamen princeps non tenetur ex vi coactiua, ad seruandam propriam legem, quia lex obligat

D subditos, nullus autem est sibi subditus. Idem non potest esse agens & patiens, & nullus habet iurisdictionem coactiuam in se. Sic etiam decernitur. l. princeps. ff. de legib. Id verum est de vi coactiua, non verò directiua, nam si leges habeant materiam vniuersalem & accommodatam sibi, debent illas seruare, quia debet alios suo exemplo mouere. Matth. 25. Christus reprehendit eos, qui dicunt, & non faciunt, &c. Bonac. de legib. disp. 1. q. 1. puncto. 6.

S. Pontifex & vita & morte prodesse debet populo. *Vide Cognitio Finis.* mortis cogitatio.

S. Leo epist. 90. scribit Episcopo Arelatensi, Intra

E Ecclesiasticas regulas omnia potestatis tuæ iura contineas. Iusto quippe, ideò dicitur lex non posita, quia normam præceptionis implet iudicio voluntatis; cum verus recti amor in semetipso habeat, & Apostolicas authoritates, & canonicas sanctiones.

Alexander Seuerus versus quosdam composuit, quibus addit, Si vides Lector parum hic obseruatas metri leges, memineris Imperatorem scripsisse, cuius est præscribere leges, non parere. Erasmus. Samson futurus Nazareus denuntiatur ab Angelo antequam conciperetur, sic mater Samsonis obligabatur seruare cæremonias, scilicet nõ bibere vinum, donec ipsa pareret & ipse ablactaretur. Tost. Iudic. f. 131. vt alimenta matris transeunt in puerum, sic principis mores in populum, ipsum enim imitatur. *Vide Concordantia Potestatis.*

Septem ceremonias obseruabant Iudæi in suorum regum coronatione. 1. ducebatur extra vrbem, ad aquas aut altissimam quercum, velut antiquas leges seruaturus in visitatione sui populi. 2. vngebatur à sacerdote in signum mansuetudinis, diuinam imitaturæ; 3. clamabat populus, viuat Rex velut acceptans. 4. ductus intra vrbem sedebat in throno, velut ciuilium omnium munerum sapiens dispensator; 5. ponebatur liber legis in eius manu, velut eam directricem sequuturus in opere, & vindicaturus. 6. coronabatur. 7. faciebat pactum cum populo, de modo se habendi. Idem. 4. Reg. fo. 9c. *Vide Cognitio Potestatis.* Visitatio rectorum.

Laurent. Iustinia. tract. lignum vitæ initio, dicit Rectoribus quatuor potissimum virtutes esse necessarias. 1. temperantiam quæ motus corporis & animi rationi subiiciat, vt sine rubore possit subditos corrigere, & per experientiam sanare. 2. prudentia qua sciant, quid, quando, & quomodo oporteat cuncta disponere. 3. possideant iustitiam per quam absque personarum acceptione vnicuique tribuant quod suum est. Postremo vt charitate Dei & proximi ardeant, vt nec pro dulcedine contemplationis proximo ministrare negligant, nec pro vtilitate proximi, Deo per contemplationem vacare postponant.

Qui cæteris præsident amore iustitiæ, & ardore dilectionis proximi, debent opus non dignitatem quærere; laborem non delicias, non crescere fastigio, sed humilitate decrescere, vt fiant serui & ministri hominum propter Christum, quatenus intermissa Rachele decora facie, intrent ad Lyam oculis lippam, & de monte cum Mose descendant, de acie contemplationis ad campum & laborem actionis; non suam, sed aliorum zelantes vtilitatem. Ibid. de Iustitia, cap. 1.

Natiuitates regum habeant signum igneum in ascendente, quod si cum hoc cor cœli etiam in igneo sit, optimum erit? Cardan. apho. sert. 5. apho. 76.

Præceptum Domini est, diliges proximum tuum sicut teipsum, at quomodo vis tibi committi proximum, vt diligas eum sicut teipsum ô homo qui perdis te? si enim tu ipse te diligis, vt perdas te, sic profecto perditurus es eum, quem diligis sicut te. Videtur etiam plus quam seipsum proximum velle diligere, qui curationi propriæ non sufficiens, curam aliorum cupit assumere. Laurent. Iustinia. de charitate. cap. vlt.

Causa superioris virtus eminet. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 1. lege 14. § 2. de summa probitate & integritate rectorum Moral. Christia. to 3 par. 1. cap. 20. 21. Dignitates viris bonis sunt concedendæ. Ib. cap. 23. Dignitatibus qualiter bene vtendum. Ib. to. 4. parte. 1. cap. 27. Fortitudo rectoribus necessaria. libello de amore Dei agente. cap. 12. 15. 16. & lib. de institutione & officijs religiosi. parte. 3. cap. 5.

Caueat à passionibus qui regit alios, vt non tantum in ipsis probet quæ ipse facit; sed singula in singulis extollat Dei dona; prius sua quam aliorum curet emendare delicta; sic viuat, vt ipso tacente sua loquantur opera, reformet se in subdito sana & salubri consideratione; ne segnius subditi, quam proprium concupiscat profectum. Laurent. Iustin lib. de perfectione Monastica. cap. 9.

Constitues eos super omnem terram: primatum adeptus est gentium qui prius sibi didicit principari, sic ad veri honoris conscenditur cathredam, vt ante quis sibi, deinde dominetur & cæteris; nam quomodo cæteris erit bonus, qui sibi est nequam? Id. serm. de S. Mathia.

Sol quomagis est eleuatus à terra, plus dat lucis & caloris. Maior dignitas pronocat ad maiorem scientiam & charitatem?

Ad aliorum regimen non elatè pro adipiscenda gloria, non lætanter pro adimplendis cupiditatibus, non cupidè pro aggregatione diuitiarum accedendum est; sed humiliter, sed pauide, sed deuotè, prius humilitatis & intentionis rectæ sunt iacienda fundamenta. Id. de institut. prælator. cap. 2. quantum caput differt à membris, tantum prælatus debet subditos in perfectione præcellere.

In eminentiori dignitate, maior esse debet integritas. *Vide Concordantia Principij. Repug.* degeneres ex Cuiac.

Legis lator seu ciuilis seu Ecclesiasticus tenetur ad seruandas suas leges, quando materia communis, & eiusdem rationis est in ipso & in aliis, D. Tho. 1. 2. q. 9. a. 5. ad. 3. ad id obligatur ex voluntate totius Reip. quæ ea conditione contulit in ipsum eam potestatem legislatiuam, & ex intentione Dei, vt efficacius leges seruentur à populis. Suarez de legib. lib. 3. cap. 35.

Cruciferorum priores vitam communem cum fratribus ducere & ea omnia quæ fratres obseruant, obseruare, iussit Pius. V. const. 59. §. 13. Bull. p. 92. to. 2.

Exod. 27. columnæ 60. sustinentes tentoria tabernaculi per circuitum, vestita erant argenteis laminis, basibus æneis, sed capitibus argenteis.

PIETAS PRINCIPVM.

COmites admonentur, vt reuerentiam exhibeant sanctæ Dei Ecclesiæ, & Episcopis adiutorium præbeant, ad suum ministerium peragendum. cap. Caroli M. lib. 2 cap. 6. & 21. & 221.

Ioas videns negligentias sacerdotum, captis reditibus templi, authoritate sua ipsum fecit reparari. 4. reg. 12. l. si in aliquam. ff. de officio proconf. & cap. 1 ne sede vacante.

Cum sacerdotes Regem coronant, ponunt librum legis in manu eius. 2. Paralip. c. 23. Deut. 17.

Ad conseruationem sacrorum habetur. 4. Reg. 23. quod præcepit Rex Helciæ Pontifici & Sacerdotibus Exod. 28. Moses Hebræorum dux constituit fratrem suum sacerdotem. Macab. 4. Iudas Macabæorum dux eligit sacerdotes, qui mundarent sancta. Ideo Prælatus electus & confirmatus non potest administrare, nisi fecerit Regi reuerentiam. can. cum longe & can. perlectis. dist. 63.

Aristoteles ad Antipatrum scribens: Alexandro, inquit, præstantissimum est, non modo quod quam plurimis gentibus imperitet, sed etiam quod rectam de diuinis opinionem præter alios habeat. Plutar. l. de tranquillitate animi.

Decet vt optimum ab optimo, summum à summo colatur. Si quidem inter præstantissima naturæ Deus excellit; terrenis autem & hominibus rex antecellit; Nempe vt Deus ad mundum, ita se rex ad ciuitatem habet: & vt ciuitas ad mundum, ita Rex ad Deum. Ciuitas enim ex multis diuersisque concinnata, mundi structuram & harmoniam imitatur. Rex autem imperium gerens nulli obnoxium, & lex viua existens, Dei figuram inter homines repræsentat. *Vide Principium Potestatis.* Reges à Deo.

Christus Dominus fuit natus ex commixtione tribus sacerdotalis & Iuda seu Regiæ; quia secundum humanitatem erat Rex & sacerdos. Theodoret. in Exod. quæst. 16.

Ducis instituto pia. Ferrandus. Biblioth. patr. to.5. A

Deut 32. Moyses laturus legem, cœlum vocat, & terram; humana diuinis debent suffragari.

Can. principes 23. q. 5. secularis potestas debet tueri Ecclesiasticam disciplinam. Tres status, scilicet Ecclesiasticorum, nobilium, plebeiorum, faciunt vnum corpus, cui Rex vt caput præsidet, maximè in his quæ ad publicam vnionem pertinent. Canones consentiunt, vt si prælati in officio suo sint negligentes in his quæ spectant ad vtilitatem Ecclesiæ, habeatur recursus ad Principes can. filiis 16. q. 7. & can. principes 23. q. 5. can de liguribus. can. administratores.

Constātinus magnus dicebat se esse tanquā communem Episcopum à Deo constitutū. Euseb. de vita Cōstantini. lib. 1. cap. 37. Vos inquit, intra Ecclesiā ego extra Ecclesiā Deo Episcopus cōstitutus. Esdræ. lib. 2. B cap. vlt. Inuehitur in Magistratus qui curam domus Dei neglexerant. Euseb dicto loco refert Constantinum piissimum Imperatorem, sic in principio suæ conuersionis humiliatum, vt ad ędificationem Ecclesiæ baiuli munere fungeretur, cum tamen conuocasse concilia, illis adfuisse, &c.

In Apocalypsi, Angeli quasi reges habentes coronas describuntur adorare Deum. Nabucodonosor monarcha in oriente, quia Deum dominum suum non recognoscebat, mutatus est in bestiam. Vnguntur Reges oleo sancto, & Christi Domini vocantur, propter excellentiam gratiæ in coniunctione ad Deum, cuius ideo maiorem tenentur habere similitudinem. D. Thom. de regimine princip. lib. 2. C cap. vlt.

Officium principis est pacem facere in multitudine, principium autem pacis est, ad finem æternum dirigere subditos, media autem sunt sacra instituta Religionum, vnde pagani imperatores, Pontifices maximi dicebantur. Princeps autem Catholicus debet pro tuenda Ecclesia rationem reddere. can. dicat 24. q. 5. can. regum. can. omnes principes. Isto modo imperator dicitur aduocatus, custos, tutor vniuersalis Ecclesiæ, & ideo Imperatores conciliis generalibus adsistebant, & subscribebant, &c Cardin. de Cusa de concordantia Catholica. lib. 3. cap. 7.

Christiana pietas non est regimini politico contraria. Nam consilia Apostolicę perfectionis, vt dare tunicam petenti & similia, non sunt data rectorib. D licet illis possint aliquando vti saluo publico iure, quidquid habet regia fortuna tumidum & arrogans, præceptis diuinis mitigatur, aspectu immensæ potestatis castigatur; discunt se legum esse custodes non Dominos, nihil regni potentiam & propugnacula contra Deum posse, se non tam regnum hominum habere, quam sub Dei regno esse. Hinc fiunt placida imperia, promptum populi obsequium, qui Deo putat obsequi, cum obsequitur illi accepto. Grande iter ad palmas Christiana lex aperit, cum permittit hæreticos, etiam infideles armis impetere. *Vide Contrarietas Veritatis actiua* & tyrannos populos vexantes. *Vide Virtus Bonitatis*. Charitas officiosa. E

Regna sub Deo parari, & cum Deo regi oportet, si quid inde fælicitatis speratur. Reges quasi terræ cardines, orbem portaturi portantur in sinu Dei. Habeant se piè ad Deum, iustè ad homines.

Reges sunt pastores hominum, ita non tantum quæ pertinent ad corpus, sed multo magis quæ ad animum curant, vt scilicet in optimum finem nempe in Deum dirigātur, illique dignè seruiatur, cum religio sit prima virtutum moralium. Si sacra nihil attinent ad regem, cur Salomoni demandata est templi & rerum sacrarum cura? Sic Constantinus, Theodosius & tot religiosi pro Ecclesia decertarunt, Pontifices exules in suam sedem restituerunt; Reges non sunt spectandi quasi prophani homines, sed sacri, vt quibus vngi, & quasi sacerdotali ritu vestiri, etiam dum inaugurantur, contingit.

Habet Rex quo Deum ardentissima charitate diligat, tot ab eo prouocatus beneficiis. Summi regis vicarius, consiliorum eius particeps, voluntatum interpres, arbiter iustitiæ, administer potestatis; cui ad nutum tot mortales obsequuntur.

Quod Reges curam habent politiæ exterioris regni. Vide plura apud Feuret. de abusu. lib. 1. c. 4.

Dum Pontifex imponit coronam capiti Regis in sua coronatione, dicitur antistes, vt sicut in interioribus pastores & rectores animarum intelligimur, ita & tu in exterioribus verus Dei cultor & Ecclesiæ defensor appareas. Pontificale Romanum notat quod sedes regia non debet esse altior, quam supremus gradus altaris.

Rex Persarum dicitur Suphy. Idest rebus diuinis deditus. Dauity.

Rex Calecut, est ex genere Brachmanorum sacerdotum, nihil edit quod habuerit vitam. Idem. Similiter in regno Cochim.

Pharao propriè dicitur victimarius, quia Rex Ægypti ab omni antiquitate fuit in sua gente sacerdos summus ac Pontifex præcipuus. Geneb. a. m. 1949.

Reguntur omnia à superiori, homo autem est alteri superior in quantum ad Deum accedit, accedit autem per sacerdotium. Christus fuit Rex & sacerdos.

In concilio Santonensi Episcopi Emerium ab Episcopatu eiecerunt, eo quod non à populo & clero electus, sed iussu regis Clotarij consecratus fuerat. Id renuntiatum Chariberto filio, Clotarij filio & Regi qui iniuriam Patri suo illatam sic vltus est vt nuntium plaustro spinis pleno impositum, in exilium miserit, cæteros Episcopos, graui mulcta pecuniaria condemnauerit. Concil. Galliæ 1. a. 561. Refert Gregor. Turonens. lib. 4. hist. franc. cap. 26.

Carolus. Magnus in suis titulis dicitur Rex & defensor Ecclesiæ: apud Alcuin. epist. 83. conc. Galliæ. to. 2. a. 796.

Laïci impropriè dicuntur Ecclesiastici propter susceptum baptismum. c. duo. 12. q. 1.

Regis est curare ædificationem templi. *Vide Gloria Virtutis*. vnitas Ecclesię.

Plato lib. 6. de legib. iubet vt sacrę ædes, principum palatiis coniungerentur. Et sic Salomon regiam suam templo vicinam habuit.

Principes sunt quasi ianitores Ecclesiæ. *Vide Gloria Virtutis*. Cultus & gloria sanctorum.

Administratores à Iustiniano Imperatore electi iurabant ei fidelitatem, tum se communicare Ecclesiæ Catholicæ & Apostol. & nullo modo vel tempore ei aduersaturos. Forma iuramēti habetur Nou. 8. in fine.

Hæreticus ad Rempublicam nō accedito. Nou. 37.

Aaroni iure conueniebat summum sacerdotium, postquàm sacerdotium collatum est tribui Leui, eo quod esset princeps illius tribus. Tostat. in Exod.

Ezechias rex Iuda cœpit destruere idololatriam à regno suo, primo anno regni sui.

Apud Iudæos in regis coronatione futurus rex ponebatur in sede, regis diademate coronabatur, sacerdos fundebat oleū super caput eius; ponebat in manibus eius librum Deuteronomij, & promittebat Rex seruare legem illam; deinde clamabat totus populus, Viuat Rex. Tostat. 1. Reg. to. 1. fo 173.

Rex in veteri testamento habebat iurisdictionem super sacerdotes, & poterat eos occidere pro crimine, & priuare eos officiis & dignitatibus etiam spiritualis. Id. 4. Reg. fo. 125.

sum. Cardan. lib. de rer. varietate. cap. 76.

Mundus vniuersus est Dei templum, Sacrarium cœlum, in tota rerum natura præstantissimum; donaria verò sydera, sacerdotes & æditui potestates Angelicæ, animæ carentes corporibus, non quidem vt nostræ contemperatæ è rationali brutaque natura, sed totæ quantæ sunt intellectu præditæ, ratione sinceritatis vnitati similes. Philo-Iudæus. lib. 2. de Monarchia.

Apud Ægyptios sacerdotum tota leuigantur corpora, omni prorsus decusso pilo, ne quid sordium se proferat in re diuina. Rodigin. lib. 18. cap. 37.

Leuit. 7. ex sacrificio salutari, datur sacerdoti pectus hostiæ & brachium dextrum, quia pectus debet habere scientia & Deo plenum, simul & bona opera, vt populos ad Deum conuertat. Origen. homil. 5. in Leuit. In eius consecratione conuocatur Synagoga, idest omnium scientiarum & virtutum corona. Ib. homil. 6.

Dicit Dominus ad Aaron, Tu portabis iniquitatem Sacerdotij. Num. 18. Episcopi ferent delicta sui cleri.

In lamina aurea quæ erat in fronte summi Sacerdotis scriptum erat Hebraïcè, Sanctitas ad Dominum. Tostat. Exo. to. 2. fo. 69.

Super Leuitas aspersit Moyses aquas lustrationis, in eorum consecratione. Id. Nu. to. 1. fo. 89.

Hic iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. 1. Corinth. 4. Fidelitas in hoc consistit, vt non permittant rem Domini perire, sed quantum possibile est promoueant. At non promouetur, sed perit, si dignitates Ecclesiasticæ indignis conferantur. Id. Matth. to. 6. fo. 56.

Dicit Christus Apostolis, Vos estis lux mundi, sic luceat lux vestra coram hominib. Tantum ergo sacerdotes excellant laïcos virtute, quantum lux excellit ea quæ illuminat. Id. Matth. to. 3. fo. 45.

Septem vitia à quibus abstinere debent sacerdotes, antequam ministrent. *Vide Gloria Virtutis.* Secessus ante virtutis ext. actiones.

Status Ecclesiasticus abhorret successionem, & sanctuarium Dei iure hæreditario non debet possideri. cap. ad hæc de Decimis. Quia filij possunt esse degeneres. *Vide Concordantia Principij. Repug.*

Insigni virtute præditus, sic ad dignitates euehitur, vt è sublimi tanquam sol radios suos vndique diffundat.

Auaritiæ & luxui dediti sacerdotes similes sunt Aaroni qui populo conflauit vitulum aureum adorandum.

De integritate sacerdotum. Vide quæ scripsi Theol. natural. to. 4. parte 3. cap. 21. Integritas sacerdotum sola potest mundanos ad meliorem frugem adducere. lib. de agente Dei in humanis. parte. 1. cap. 12.

Sacerdos debet esse integerrimæ vitæ, quia eius officium est orare pro populo. *Vide Medium Gloriæ.* Sacerdos orat pro populo.

Vide Principium Cognitionis. Director spiritualis, vbi de eius integritate.

De cœlibatu sacerdotum. liber Petri Damiani. & Gerson. tom. 2. *Vide Minoritas Gloriæ in mortificatione tactus.*

Cleros Græcé, Latinè sors dicitur vel hæreditas Domini: qui ergo ad clericatus ordinem peruenit, Dei hæreditas esse debet, quia hoc debet semper præuidere, vt Dominum possideat, & ipse à Domino possideatur, vt possit dicere cum Psalmista, Dominus pars hæreditatis meæ. Dixit enim Deus Moysi: Filiis Leui non dabis hæreditatem, ego enim ero hæreditas illorum. Profitentes se reliquisse mundum, si Deo non adhæreant, dicendi sunt acephali. Alcuin. lib. de diuin. officiis. cap. 36. ex D. Hieron. epist. ad Nepotianum.

Accedat sacerdos ad altaris tribunal, vt Christus cuius sermonibus loquitur, assistat vt Angelus, ministret vt sanctus, populorum vota offerat vt Pontifex; interpellet pro pace vt mediator, pro se autem oret vt homo. Laurent. Iustinian. serm. de corpore Christi.

Fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis. Psal. 121. Et abundantia virtutum in sacerdotibus, qui sunt cæteris excelsiores & diuinæ legis propugnacula.

Multi ædificant parietes & columnas Ecclesiæ substruunt, marmora lucent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur, & ministrorum Christi nulla electio est. D. Hieron. epist. ad Nepotian.

Ibidem monet eum ne conuiuio magnates excipiat, vt roget pro miseris atque subiectis. Plus inquit, iudex sæculi deferet clerico continenti quam diuiti, & magis sanctitatem tuam venerabitur quam opes.

Clericos morum integritate & sanctitate præditos esse decet. Clem. 8. Const. 8. 55. 2. Bull. p. 5. tom. 3.

Oleum sanctum in caput Aaronis abundanter effusum significabat abundantem & exuberantem sacerdotum gratiam. *Vide Magnitudo Bonitatis* sub finem.

Claudi à sacerdotio excludebantur, tales sunt qui Deo simul & mundo seruire volunt: ita claudi, nimis paruo aut grandi naso; & torto; gibbosi, herniosi, scabiem & impetiginem in corpore patientes.

SVMMA DEBET ESSE *Sacerdotum integritas.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Ex Apostolo Sacerdos assumptus est ex hominibus vt ad Deum preces & sacrificia offerat. Non igitur habendus est in communi hominum conditione, sed inter eos & Deum medius; est autem natura medij vt extremorum sit particeps. Vnde cum Sacerdos necessariam habeat cum cæteris hominibus in specie, in corporis & animi facultatibus conuenientiam, debet, quantum ei conceditur fieri deiformis, vt acceptam à Deo sanctitatem in populos effundat.

MAGNITVDO. Quis æstimet quanta debeat esse sanctitas eius, qui pro ciuitatibus & regnis se sponsorem, fideiussorem, obsidem exhibet; qui ad infinitam perfectionem eminenti præ cæteris purioris vitæ instituto debet accedere; qui sit soluendo pro tot populorum delictis, & iustitiæ diuinæ pœnas exigenti morum integritatem loco compensationis offerre? Magnum est omnium agere partes; Magnum diuinam sanctitatem imitari, Iustitiam ne sæuiat, continere; pro tot reis gratum intercessorem accedere.

DVRATIO. Momento confertur Sacerdotalis dignitas, sed non sic virtutum quas ex officio profitetur habitus menti superueniunt; diuturnis opus est exercitiis, quæ sensim ad diui-

na præparent animum, illustrent, perficiant tantis dignum mysteriis; vt sanctitas illi facta velut essentialis & indeficiens, respondeat non delebili, quo est insignitus caracteri.

POTESTAS. Sacerdotes præsunt quidem populis, vt eos ad Deum vltimum finem, inter hostiles vitæ præsentis insidias prudenti fortique directione perducant; sed vt tantum munus obirent vim illis coërcitiuam non concessit Ecclesia primitiua, fideles non virge, non fræno, more brutorum sed optimis sacerdotum exemplis, ad Christum via pedibus trita suauiter ducendos existimans. Pascite inquit Petrus, qui in vobis est gregem Dei, non coactè, sed spontaneè secundum Deum, non vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Tunc inter persecutiones miris profectibus, excreuit Christiana religio; tunc spretis rebus humanis tam frequens erat voluntariæ paupertatis, castitatis, vitæ religiosæ votum, tot hominum millibus sanctis exultans & laudans florebat solitudo, vt timeretur ne tot viuentibus hostiis Deo sacris deficeret humanum genus. Patrum antiquorum paupertati, successerunt filiorum diuitię, humilitati fastus & ambitus, quid mirum si sub infirmis morbidisque capitibus, influxu deficiente, iacent languescunt & moriuntur membra? Si cœli viam desertam efficiunt, qui cum pręire debuissent, in contrarium pessimo cunctis exemplo, conuertuntur?

COGNITIO. Sublimis est, sic omnium oculis exposita sacerdotis vita, vt in exemplari proposito, & legis diuinæ viuentibus tabulis conspiciant populi, quid in ambiguis vitæ fugiendum, quid amplectendum, ne salus animæ periclitetur. Magnum est virtutis incentiuum, bonum quod in te probes publicum efficere; tot manibus eorum quos exemplo tuo ad pietatem promoues, Deo sacrificium laudis offerre; cœlo datum ignem charitatis, accendere, fouere, spiritualium filiorum meritis apud Deum & homines commendari. Sed horrendum est vitæ liberioris scandalo, proclamare sensibus libertatem, vitiis impunitatem, laudes & præmia; peccatis alienis, mole velut immensa congestis opprimi, pro singulis, quæ prouocauit, apud æternum iudicem conueniri.

VOLVNTAS. Charitatis est, totum hominem glorię Dei & proximorum spiritualibus commodis deuouere. Hic vnice legitimus potest esse finis, qui sapientem liberum, solutum, sui securum possessorem sacerdotii subimittat oneribus, exponat periculis; Non enim descendit ad humanos affectus, honoris, diuitiarum qui Deo vocante sursum ex hominibus assumptus est; ipsa terminorum oppositio non patitur, vt idem motus qui sustollit, deiiciat; videat igitur imminens sibi gregique suo periculum sacerdos, si passione non charitate dignitatem hanc suscipiat; ne detrectans officio debitum onus temporale, conteratur æterno.

VIRTVS. Magnos magna decent, & eminentem statum comitetur virtus eminens. Cęteris confert decorem, hic accipe accedens sanctitati, refluit enim in originem suam, si quæ processit à Deo, ipsi sacris & adstantibus ministris adhæreat. Ita fit heroïca virtus sacerdoti propria, illoque titulo, qui hanc imitatur populus, dicitur ab Apostolo, gens sancta, regale sacerdotium.

VERITAS. Omni fuco sublato, integritas esse debet in sacerdote velut essentialis, vt Deo

A sancto, minister mutuatâ sanctitate concordet, vt in secretissimo mentis recessu pietas indeficiens expansis desiderio, contractis veneratione potentiis, instar Cherubim, sedentem propitium Deum excipiat. Inde splendor, inde maiestas sponte sua diffunditur; hinc exemplaris integritas, quæ silente lingua, populos iam non auribus, sed oculis, fidem & probitatem haurientes, doceat.

GLORIA. Humanæ quædam conditiones, impatientis materiæ defectu vix possunt saluis omnibus virtutibus exerceri. Sæpius Euangelio putant compati non posse politiam, & si leges diuinas abrogare, nefas est, ad tempus tamen eas dormire iubent, velut id exigat necessitas supra B legem posita. Vix humilitati consentit ad regimen conseruata maiestas; charitati cuncta toleranti & in bonum vertenti, iustitia, prudentiaque; paupertati, futuris vitæ necessitatibus occurrens prouidentia. Sic secum diffident & colluctantur humanis officiis, implicati sæcularium animi. Ecclesiasticorum priuilegium est habere ministerii sui facilem impletionem, gloriamque suam positam in virtute. Quo fuerit sincera, defæcata magis, sanctitati diuinæ similior, eo fœlicius illis cuncta succedunt, etiam mirantur in inuitas & respuentes manus suas, humana, dignitates, diuitias, principum fauores, illustrem nominis famam venire, vt in ipsis impletam quotidie videamus Christi Domini promissionem; Quærite primum regnum Dei, & omnia adiicientur vo-C bis.

DIFFERENTIA. Parum est à sæcularibus, veste, tonsura, titulo discerni, si moribus, si vitæ sensuum voluptati, opinionum vanitati deditæ sacerdos consenserit. Illud est vltimum desolatæ Religionis excidium prædictum à Propheta, si sacris rebus cum prophanis indignissimè confusis fuerit sicut populus, sic sacerdos.

CONCORDANTIA. Cælestibus nomen dedisti, sanctorum ciuis, Angelorum tessera notatus, etiam assumptus ad idem officium, scilicet ad laudes Dei in hoc mundano templo, sicut in cœlesti celebrandas. Inter beatissimos illos spiritus distincta sunt, amoris, lucis, firmitatis, regiminis, & cæterorum quæ diuinas æmulantur D perfectiones munia, at sacerdotem, simul omnium capacem reddit, & his omnibus dotibus insignem postulat gratia Christi multiplex.

CONTRARIETAS. Sit igitur pia sacerdotum congregatio velut cœlestis militia, Deo, Angelis & hominibus, vnitatis infinitæ, fortitudinis inuictæ gratissimum exhibens spectaculum. Exercitatione fortior effecta, hęresum, sectarum, vitiorum effusas per orbem tartareas legiones verbis & exemplo facilè superabit. Vocatur igitur sacerdos non tam ad spectaculum quod exhibet in Ecclesiasticis officiis, quam ad periculosissimum cum coniuratis hostibus certamen, ex quo non redibit victor, nisi præscriptis armis ab Apostolo munitus processerit, scuto fidei, galea salutis, & boni mores sanæ doctrinæ responde-rint.

E PRINCIPIVM. A diuina prouidentia prouectus ad honorem; diligenter attende qualiter à Christo & ab Apostolis fundata fuerit Ecclesia; quibus instructa præceptis & moribus, orbem tot erroribus & vitiis laborantem expurgauit, sibi subiecit. Similia pręstabis & hoc sæculo, institutorum vestigiis fideliter inhærens. At si te pecuniarum,

voluptatis, ambitionis cupido teneat, iam ex mundi legibus viuens, illi te fidelem stipendiarium exhibes; tu non illi, sed ille tibi dedititio imperabit, in suis enim regnare vult diuitiis. Sic sacrilega proditione euacuatur crucis gloria, sic Christus non iam mundo, sed mundus Christo in suis dominatur, & doles culpa tua, rebellem Ecclesiæ fieri terrenam potestatem, quæ tantum diuinæ cedit, non degeneri quæ se turpiter in eius demisit limites.

MEDIVM. Diuinus esto, terrena tuæ subiicies ditioni; esto fidus mysteriorum Dei dispensator, & humanam potestatem talium egentem, supplicem habebis, supplici legem dices, hancque Deo conciliabis, si te morum integritas suę maiestatis dignum effecerit ministrum. Mundi estote qui fertis vasa Domini: magis mentes quam manus prophanæ sacra violant.

FINIS. Magnum est quod intendis conseruare, quę Christi sanctorumque meritis fortiter quæsita sunt, opiniones veritati, leges humanas diuinis subjicere; hæc non aliter erunt tibi possibilia, quam si diuinis innitaris viribus, scilicet veræ fidei, bonis tuis moribus pręmunitæ.

MAIORITAS. Dignitatis tuæ veram cœlitus concessam eminentiam plurimi non concipiunt, nisi cum illam vitæ sanctitas probauerit. Imo si quæ sit in hominum mentibus ab antiquis accepta sanctitatis veneratio, transit in contemptum; velut vmbratilis & nulla reputatur, si hanc ipsimet non agnoscunt, qui sustinent, sed prauis illam moribus fœdare non verentur. Ridicula simul & odiosa maiestas, quam titulus prædicat, metus extorquet improbi mores efficiunt exautoratam.

ÆQVALITAS. Insignitos tali caractere, quis ęstimet quantum meritis inæquales efficiat sanctitas. Sacerdotem sanctum concursus populorum celebrat, turba premit, sapientes consulunt, Reges depositis, velut coram agno, coronis adorant, pietatem pretio sui, testimonio conscientiæ bonis omnibus præferendam, internis à Deo consolationibus prouocatam, sæpè fulgentem miraculis, omnium ore, omnium votis celebrem; spiritualia simul & temporalia desideria cumulatis bonis implentem, si Sacerdos non ambit, & humiliter non colit, in eo quanta mentis cæcitas & peruersitas?

MINORITAS. Humilis optet latere, nesciri velit, hominum etiam gaudeat contemptu, tamen augmenta charitatis & pietatis, bona mens omnis desiderat, diuinam hanc colligit messem, non indignè ferens quod humani flores quidam internascantur. Intelligit sanctus non sibi sed Deo tot obsequia deferri, nec auersatur pios hominum affectus, quos ad se prouidentia mouit, quamuis debili medio, & infirma creatura.

Væ qui vestem non habens nuptialem ingreditur ad cœnam; dicetur illi, quomodo huc intrasti? Seruo nequam dicitur, Cur non dedisti pecuniam meã ad mensam, ego veniens cum vsuris exegissem eam, idest deposuisses ad altare quod ferre non poteras: dum enim tu ignauus negotiator denarium tenes, alterius locum qui pecuniam duplicare poterat, occupasti. D. Hieron. epist. ad Heliodorum. Quamobrem sicuti qui bene ministrat, bonum gradum sibi acquirit, ita qui indignè ad calicem Domini accedit, reus erit Dominici corporis & sanguinis. Id.

Si quis Episcopatum desiderat bonum opus desiderat. Opus non dignitatem, laborem non delitias; opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse. Omnes virtutes in vno sermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit. Id Oceano.

Aaron & filij eius non accipiunt vestes sacerdotales, nisi lotis prius sordibus, nec ornantur ad sacra, nisi in Christo homines renascantur. Vinum enim nouum in nouis vtribus mittitur. Idem ad Fabiolam. de veste sacerdotali.

Contra pastores se pascentes non gregem Gregor. 15. Const. 26. §. 4. pag. 331. to. 4. Bulla.

VITIA REGENTIVM.

MArs cum Dominus ascendentis fuerit in corde cœli, natus habebit potentiam qua malè vtetur. Cardan. aph. 4. ap. 94.

Multi prius humiles, in dignitatibus perdentes humilitatem & conscientiam priorem, sibi intulerunt magna dispendia, & nihil aliis profuerunt, vnde hæc pericula timent humiles, ne perdant in pelago, quod magno cum labore in portu adepti sunt. Laurent. Iustinian. tract. de humilitate c. 5.

Magno animo opus est vt dignitate vtaris, nõ abutaris: nam qui dignitate ac potestate floret, ei similis est, qui cum puella formosa cohabitans, legem atque præceptum suscepit, ne inique lasciuientibus ipsam oculis videat. Dignitas multos etiam inuitos ad contumeliandum intrusit, iram accendit, linguæ frœnum abstulit, ianuam morti reserauit, & in malorum profundum submersit, ne inuideas homini tot periculis concusso. Reputa quot inimicis, quot accusatoribus, quot assentatoribus, qui in dignitatibus est, obsideatur: placet magis populo, sed Deus non populus iudex est, placere multis hoc est fluctibus iactari; & cum malorum excedat multitudo, turba in peius rapi, &c. D. Chrysosth. Hom. 41. in Matth.

Mali principes grauiora mala committunt quam latrones & homicidæ, nam furantur aliena impudentius, occidunt crudelius, lasciuiunt petulantius; nec parietem vnum, sed innumeras domos effodiunt, facilius omnia principatus licentia peragentes. Ita durissima est eorum seruitus, cum passionibus dediti, neminem vereantur. Idem. hom. 59. in fines

Demon impetit potius caput quam membra, quæ læso capite languescunt, prius pastores quam oues oppugnat, &c. Laurent. Iustinian. lib. de institut. prælator. cap. 16.

Malos rectores infamia sequitur. *Vide Gloria Virtutis.* Fama.

Qui per fas & nefas indigni accedunt ad cathedram pastoralem, non attendunt quod sit eis cathedra pestilentiæ, dum sibi & aliis sunt causa ruinæ. Quamuis religiosi propositi tenaces sint, tamen per necessitatem sedis obtentæ, tum ad iniuriam, tum ad pœnam cunctante licet voluntate coguntur, sic tanquam lue morbiba imbuuntur. Ideo cathedram hanc pestilentiæ Propheta vocat, quia contagione sua voluntatem religiosæ mentis inficit. D. Hilarius in Psal. 1.

Olim excelsa montium, falsorum Deorum templis & sacrificiis maculata sunt.

Potentiores leges transgrediuntur, vt magnæ muscæ telas aranearum, in quibus paruæ irretiuntur.

Altissimorum montium cacumina nubibus obsita, semper frigent, hibernumque tempus referunt.

Pistorij in Hetruria contigit, vt ea in vrbe, asinus ipso meridie tribunal conscenderit,

quod fuit augurium indignæ promotionis cuiusdam in rectorem Prouinciæ. Ammian. lib. & 27. lib. 28. refert scopas, quibus nobilitatis curia mundabatur, florere visas, & sic portendisse indignos & sordidos homines extollendos. *Vide Gloria Minoritatis. Mala.*

Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna iocari. Iuuenal. saty. 3.

Sub Tiberio tempora adeo infecta, & adulatione sordida fuere, vt non modo primores ciuitatis, quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat, sed multi consulares fœda, & nimia censerent. Memoriæ proditur Tiberium, quoties curia egrederetur græcis verbis in hunc modum eloqui solitum, O homines ad seruitutem paratos; scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectæ seruientium patientiæ, tædebat. Tacit. 3. annal.

Stellæ quædam dicuntur regales, quia vires maximas habent, licet noxias, vt cor scorpij.

Malos Principes populus imitatur. *Vide infra Concord. Potestat.*

Paracelsus lib. de generatione stultorum, dicit vim cœlestem esse animalem, & stultos efficere, cum superat vim rationalem. Partes zodiaci primi mobilis, & octauæ sphæræ, animales censentur: vnde animalium figuris & nominibus designantur, minus tamen signa humana. Ipsi etiam superiores Planetæ ferinam quandam vim habere videntur, Saturnus hominum societati infensus, & immanis filiorum parricida; Iuppiter fortuna maior, excedens tamen in nimia legum austeritate. Mars ambit cędes, humanumque sitit sanguinem. Vnde vis illa superiorum planetarum vt parum homini conueniens, debet temperari ab inferioribus: Saturnus à Luna: Iuppiter à Mercurio, Mars à Venere, sic peruenitur ad solis splendorem, vimque viuificam. Haly parte 1. cap. 4. Ex his collige vim superiorem & dominantem esse vt plurimum in excessu, vixque mediocritatem, & temperamentum seruare; inferioribus tamen necessarium.

Soli reprobi in principio mundi dominium acceperunt, vt ante diluuium primus dominus inter omnes homines fuit Caïn, vt dicit August. lib. 15. de Ciuitate Dei. cap. 20. qui ciuitatem ædificauit, vt dominaretur in ea, & eam nomine filij sui vocauit Enoch, vt habetur Genes. 4. Post diluuium vero qui dominium acceperunt, fuerunt de maledicto genere Chan filij Noë, vt habetur Genes. 9. & vt refert Iosephus lib. 1. Antiquit. primus fuit Nembroth à quo edificata turris Babel, ab eo descendit Ninus Rex Niniue, qui fuit primus monarcha Assiriorum, &c. Vide Chasseneum in catal. gloriæ mundi. p. 5.

In omni certamine, qui opulentior est, etiam si accipit iniuriam, tamen quia plus potest, facere videtur. Quintilia. Instit. orator. lib. 8. c. 5.

Immeritos euehit fortuna, cum voluerit iocari. Plutarch. velut cum artifex exiguum simulacrum imponit prælto fulcimento, eius paruitatem magis prodit. Idem.

Æquè tutum est furenti dare gladium, & scelesto potentiam. Graue regi à deteriore. Potestas malitiæ coniuncta, neruos ac robur affectibus addit, cito faciet, quod vult & potest facere, ex ira cædem, ex amore adulterium, ex auaritia publicationem.

In vita, vt in theatro sæpè pessimi honoratiorem locum obtinent.

A Tyranni habent omnem apparatum, non virtutes Regis.

Theodoret. contra Nestorium dicit eum occultè concepisse blasphemias, quas obtenta dignitate pastorali Constantinopolitanæ Ecclesiæ effudit, sic totam Ecclesiam perturbans.

Diogenes Cynicus dicebat, Fures magni suspendunt paruos.

Proh dolor, victores gentium, fiunt vitiorum captiui, stant inter sæuientes gladios, cadunt inter pocula, & lenocinia.

Orat Propheta Psal. 6. Sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea. Totam structuram corporis ossa portant, & si ossa turbantur, quæ membrorum firmitas; quæ fortitudo neruorum?
B Chrysolog. serm. 45. Ossa sunt rectores.

De Apostaticis Regibus. Luciferi. Biblioth. patrum. tom. 9.

Sicut monarchia est optimum regimen. *Vide Magnitudo Potestatis*, sic tyrannis, quod ei opponitur, est pessimum, nam propter vnitatem, est efficacius ad nocendum, minusque illi resistitur, consistit autem in hoc quod pro bono communi multitudinis, quærit bonum priuatum regentis.

Venena in montibus plurima nasci videntur, & in ijs maximè qui altissimi sunt atque amplissimi. Theophr. de caus. plant. lib. 6. c. 10.

De Saüle scribitur 1. Reg. quod in tota tribu Ben-
C iamin, non erat vir melior illo; sed post duos annos regiminis, factus est Deo inobediens. Sic Salomon, lapsus est, in luxuriam & idololatriam.

Mali principes putant è re esse se solos intueri, se solos circumspicere, ad se referre omnia, ire per attritos ciues, ad amplissima & regia commoda. Nil distare verum à falso, nisi ex vtilitate nostra, ad quam componendus est omnium negotiorum status; licitum esse, quidquid prodest, importunam excelsis consiliis humilem conscientiam: Religionem scrupulosè tractandam à subditis, à Regibus commodè; virtutem solidam sæpè officere; vm-
D bram & speciem prodesse; probitatem laudari, & algere; nihil esse apud Principes iniustum, quod regno sit magnificum. Non est hæc sapientia discursiua, sed animalis. Caussinus.

Homines vbi se permisere fortunę, naturam dediscunt; nesciunt quam friuolis orti sunt principiis, qui à se oriri putant omnia. Saginata tot delitijs voluptas, tot adulantium obsequiis tumens ambitio, facilè in feros mores degenerat, quidquid lubet, volunt, qui se omnia posse confidunt; anceps est rerum status, vbi voluntas pro ratione, nec ratio pro duce, vbi res, honor, vita mortalium stat aut cadit vnius arbitrio. Id.

Difficillimam rem esse aiebat Plato, ingenium inuenire simul magnum & mansuetum; ita magnam virtutem cum excelsa fortuna.

E Nembroth defectionem à Deo docuit, quasi nihil esset ei tribuendum, sed omnia humanæ virtuti atque industriæ. Ioseph lib. 1. c. 4.

Saül filius vnius anni erat cum regnare cœpisset, & regnauit duobus annis. 1. Reg. cap. 3. Arbor magna & fertilis citò inueterauit; vermis intrinsecus eam corrupit, scilicet superbia regnantibus velut innata: sic dicitur Ezech. 10. Ecce Assur velut cedrus in libano at quia eleuatum est cor eius, traditus est in manu fortissimi gentium. Rupert in 1. Reg. c. 20.

Aduertit Religiosus quidam prędicator, principem qui concioni suæ aderat, obdormientem; vt suscitaret, exclamauit, Putatisne principem saluari posse? cumque rem dubiã & admodũ difficilẽ reddidisset,

Apagete ait, namq; si baptisati principes ac in cunabulis moriantur non est desperanda eorum salus. Æneas Syluius comment. lib. 2.

Qui sæcularem exercuerũt potestatem, vix immunes sunt à peccato: dum gladius exeritur iudicium confertur iniustum, aut tormenta exercentur pro necessitate causarum, aut parantur voluptates: tales multum sibi præstant, si Episcopatum non affectent; sed propter hæc omnia agentes pœnitentiam, certo tempore impleto, mereãtur altaribus sociari. Conc. Roman. ad Epis. Galliæ. c. 10. habetur in fine to. 1. Concil. Galliæ.

Vide Sapientiæ 6. 2. quomodo iudicium durissimum his qui præsunt fiet, & si iustitiam non fecerint, in pœnis primatum habebunt, inquit D. Cyprian. & malorum quæ populis accidunt sunt causæ bellorum, famis, pestis, &c. lib. de abusib. seculi. c. 9.

Loca montuosa sunt maximè cauernosa, ideo motibus terræ frequenter concussa. Alb. mag. Meteo. lib. 3. tr. 2. c. vltimo.

Potestas sanam mentem adimit.

Leontius Monachus celebris doctrina & pietate sub Zenone Imperatore, conquerentibus de sæuitia Imperantis. Non, inquit, miranda sunt ea quæ fiunt ab homine ad imperium ab hominibus ascito; cum Saül diuino suffragio Rex designatus, Abimelechum & eius filios in domo Domini gladio confecerit. Non mutauit Imperator naturam suam, bona initio pollicitus, sed in rebus secundis improbitatem declarauit longo tempore dissimulatam. Suidas in voce Leontius.

Tutior est Respublica sub bono Principe & malis administris. Nam facilius est à bono principe malos corrigi, quam malum principem à malis superari. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 6. cap. 5.

A Apud Græcos prouerbium est, à capite piscem primo computrescere. Hoc est malum principem labem suam in plures diffundere. Rodegin. lib. 24. cap. vlt.

Et Domitianus & Nero vt refert Suetonius, primis annis imperij moderatissimi fuere, post in omne vitium prolapsi sunt, vel ingenti fastu imperij inflati, vel nimia dominandi licentia tumidi, vel maxima rerum affluentia ditati, vel propriæ naturæ instinctu improbi, vel perniciosorum consiliis impulsi, vel amicorum consiliis freti, vel denique diuturno otio, & regiminis ignoratione capti.

Angelos quibus commisit Deus regendas gentes vocat Deos quasi à Deo datos, & dominos quasi à Domino sortiti sint potestatem, ad eos dicit, Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes; vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus B cadetis. Origen. hom. 8. in Exod.

Aquila grandis aufert summitates cedrorum Libani. Ezech. 17. idest diabolus transfert in partes suas principes.

D. Chrysost. homil. 10. in epist. ad Ephes. describit palatium magnum diuitiis repletum, sed igne succensum, ruentibus trabibus & columnis quibus sustentabatur. Omnes accurrunt ad miserandum hoc spectaculum, nullus potest auxiliari. Talem dicit esse statum Ecclesiæ, prælatis vanitate, luxu, diffluentibus.

C Damascenus dicit angelos qui peccauerunt de numero eorum fuisse, qui corporibus corruptibilibus præsident. D. Tho. in quæst. disput. 11. q. vn. de spirituali cratura. a. 6. ad 4.

Dignitates quis potest sic appellare, quum indignissimis contingant, fraude, ambitione, præmiis, pessimis artibus quæsitæ? Lud. Viues. in introd. sapientiæ.

VERITAS POTESTATIS.

QVÆ SIT VERA POTESTAS ET LIBERTAS.

LIBERVM est, inquit Philosophus, quod causa sui est. Libertas quatuor modis dicitur, scilicet ab obligatione, à coactione, ab ineuitabilitate & à necessitate positionis. Obligatio per materiam est, sicut homo obligatur ad necessitatem comedendi, bibendi, dormiendi, à quibus liber esset, si immaterialis esset. Necessitas coactionis est per causam efficientem, sicut necessitatem habet lignum vt comburatur si in igne ponatur: Necessitas ineuitabilitatis est à causa formali vt necesse habet homo humana facere per formam humanitatis. Necessitas positionis secundum causam finalem est, vt posito fine, necesse est studere ea quæ sunt ad finem consequendum, vt secari, qui vult sanari. Ab his liberum esse primum principium probat Albert. Mag. lib. de processu vnius tract. 3.

An electus Imperator, sit verè Imperator, & suo iure possit vti ante coronationem, & vnctionem, vide quæstionem apud Chassenæum in catalogo gloriæ mundi. parte. 5. considerat. 29.

D Plutarchus lib. de doctrina Stoicorum, ridet eos asserentes se mundi dominos, à nullo pendentes, cum tamen syllogismos vendirent & stipem ostiatum petant.

Liber est, qui sui causa est, seruus autem est, qui id quod est, alterius est. D. Thom. de regimine principis. cap. 1

Valida sunt quæ fiunt ab aliquo Iudice, qui verè non est iudex, si modo sit titulus coloratus, scilicet potestas collata ab eo cuius erat conferre. 2. error communis. 3. vt nullum sit impedimentum iuris diuini: ius enim supplet defectum veri tituli vt vitentur multæ perplexitates & incommoda. l. barbarius. ff. de offic. præto. Bonacina de matrimonio q. 2. p. 8. & vide can. infamis. 3. q. 7.

Anno 1535. quidam Ioannes Leiden. dux Anabaptistarum, dicebat se esse Regem Israël. In Episcopatu Monasteriensi captus & supplicio affectus.

Digitized by Google

Alexander 3. Papa à Veneta Republica protectus contra Imperatorem Fredericum, dedit eidem Reipublicæ vt proiecto in mare annulo, illud sibi desponsaret, & velut fœminam in subiectione teneret: an vera est hæc potestas?

Agit propriè ille qui habet dominium sui actus, qui autem non habet dominium sui actus, magis agitur quam agit, agibile enim & eligibile idem est.

Natura non ars confert formam substantialem.

Vide Veritas Principij. Et Veritas Maioritatis.

Vera potestas & libertas est in independentia. *Vide Minoritas Principij.* Independentia est in virtute. *Vide Potestas Virtutis.* Sapiens liber.

Probatur non esse plures Deos, quia de ratione Dei est vt sit omnipotens, at si vterque esset omnipotens, alter posset alterius potentiam destruere.

Thrasilaus delirans putabat Athenis naues omnes Piræum ingredientes suas esse, venientibus applaudebat, sanatus narrabat nunquam se vixisse iucundius, quoniam de amissis non dolebat, magna perfusus voluptate. Rodig. lib. 17. c. 13.

Vulgatum erat Spartæ liberum maximè liberum esse, seruum etiam maximè seruum. Id. lib. 25. c. 19.

Qui promittit fundum liberum maximum, intelligitur fundum non seruire, non tamen fundo seruiri. l. penult. ff. de euictionib. Cuiac. obseruat. lib. 2. cap. 10.

Quædam sunt quæ secundum nomen potentiam important, quæ secundum rem sunt potentiæ defectus, sicut sunt multæ negationes quæ in affirmationibus includuntur, vt cum dicitur posse deficere; ita dicimus Deum non posse deficere, peccare, & id omne quod importat defectum, id enim non posse summa perfectio est, quia naturę absolutissimæ consentit voluntas. D. Thom. in quæstion. disputatis. q. 1. a. 6.

Imper. Iustinia. Nou. 29. præcipit titulos falso prędiis affixos, tolli, & in caput eius qui posuerat, confringi, nouum pœnę genus.

In beatitudine erit consummata libertas, non enim erit principatus hominis ad hominem, nec vllum præceptum, quia principatus & lex ad hoc tantum sunt, vt deducant hominem ad finem. Tostat. Math. to. 5. fo. 204.

Licita sunt omnia quæ vetita non sunt. Idem. Num. to. 1. fo. 11.

Et nunc reges intelligite. Psal. 2. Reges intelligit eos in quos appropinquauit regnum Dei, & eos qui regnans in se peccatum deuicerunt, qui sui ipsius corporis reges sunt, dominatui suo vniuersa vitiorum incentiua subdentes, hoc enim in nobis est regnum Dei. Sic dicitur Luc. 17. regnum Dei intra vos est: & Apostolus 1. Corith. 4. iam sine nobis regnatis, &c. D. Hilar. in Psal. 2.

QVI REGIT, SIT VERAX.

Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. 1. Corinth. 4. quæritur & vix inuenitur.

Omnis contractus celebratus cum Principe, habet naturam bonæ fidei contractuum. Chassaneus catalogi gloriæ mundi. part. 5. conf. 24. n. 144.

Soli verbo Principis propter excellentiam dignitatis statur. can. nobilissimus. dist. 96. Clement. litteris de probationib. Princeps enim est lex animata in terris. auth. de consulib. circa finem.

Verbum Principis debet esse firmissimũ, vt dicit Innocentius in cap. ad Apostol. de sentent. & re indic. A Principis verbo, eiusque narrationi super rebus per se, vel in sua præsentia gestis creditur, etiam si solus testificetur cap. cum à nobis de testib. testificantur autem sine vlla solemnitate iuris. l. apud eum in f. ff. de manumission.

Promissis nobilium maior habetur fides. l. nemo. ff. de in integr. restit. Vide Chassen. catalo. glor. mundi p. 8. consid. 34. magis creditur duobus testibus nobilibus quam pluribus plebeis: can. si testes. §. testium 4. q. 3. vide Chasseneum in catalogo gloriæ mundi, consider. 37.

Tres sunt causæ propter quas homines pollicita violant, & mentiuntur, aut enim statim à principio quispiam aliquid per fraudem dicit: aut eius B quod dixit, postea ipsum pœnitet, aut ad perficiendum inualidus est factus. Ex his primum prauæ voluntatis est; alterum imbecilli iudicij; tertium infirmæ facultatis. Hæc omnia Deus declinat, bonitatis studio fraudem, constantia reuocationem eius cuius ipsum pœnitere posset; postremo agendi efficacia, finis impedimentum. Pythagoras dicebat homines nihil magis Deo simile facere posse, quam veritatem sectando & Magi maximum Deorum quem Oromagden ipsi vocant, corpore quidem asserunt esse luci similem, anima verò veritati.

Corona in regni susceptione poni solet in capite, quia corona signum est perfectionis, cum sit sphericæ figuræ angulo carens, in signum veritatis & C carentiæ sordium, quia vbi angulus, ibi sordes esse dicuntur. Gloss. in Clem. 2. de vita & honest. clericor.

Tamen & aues altum tenentes volant in gyrum, sic superiores in circuitu ambulant, fallunt populum vt medici ægrum. *Vide Minoritas Veritatis* bona. Sic volant aues propter ventum in alto vehementioré.

Plato 2. de Republica, dicit, si Deus est, non mentitur, & si mentitur Deus non est.

Perniciosa est, regni clauum tenentibus astutia, humilis semper & exosa fuit, nec diu vnquam fructuosa, vnde rerum publicarum scientissimus D Thucydides dicebat, Rempublicam melius regi ac fœlicius à moderatis, & mediocri ingenio viris, quam ab acutis, & supra modum industriis; constant imperia iis maximè rebus quibus cœperunt excoli, ita fit vt homines à cœlesti sapientia deuii, in caliginem & scelus ruant precipites. Consulite historias & videte quales sint Tiberianorum & Herodianorum exitus; inuenietis subdolas mentes, vitam ancipitem, spes lubricas, certos metus, incerta consilia, mortes calamitosas, longa supplicia, posteritatem aut nullam aut breuem.

Mentiri seruile est, & trepidum, ingenii lucem fugientis, ac se in vepres abdentis, & tenebras. Quid ei cum principatu, cuius maxima claritudo, & ingens fiducia dignitatis? Non est excelsæ men- F tis seruire mendaciis, si certiora sint meretricum, quam regum promissa.

Iudic. 3. Aioth quem Deus suscitauit vt saluaret Israel, erat ambidexter, in omnibus dexter & verax. Origen.

Iob, cum esset princeps prouinciæ suæ laudatur quod esset iustus & verax. Iob. 1. Veri Dei seruus verax. Coram Deo Angelis & hominibus verax in cogitatione, dictis, & factis, &c. Origen. in Iob. lib. 1.

Exod 27. capita 60. columnarum quæ sustinent tentoria tabernaculi debent esse argentea, nullo ære mixta. Veritatem sine fuco veras que virtutes significant in principe, cum columnę sint tantum vestitæ laminis argenteis.

GLORIA POTESTATIS.

HONOR RECTORIBVS DEFERENDVS.

VITELLIVS miri fuit in adulando ingenii: primus C. Cæſarem adorari vt Deum inſtituit: cum reuerſus ex Syria, non aliter adire auſus eſſet, quam capite velato, circumuertenſque ſe, deinde procumbens. Sueton. in Vitellio.

Ignis in ſua ſphæra, vbi puriſſimus eſt, non lucet, alioquin tegeret lucida corpora quæ ſunt ſuper ipſum. Albert. mag. tract. 2. de proprietatib. elementorum. cap. 11. ſic miniſter totam rerum fœliciter geſtarum gloriam referat ad ſuum principem ne eius in ſe inuidiam concitet.

In medio fratrum, rector eorum in honore. Eccleſ. 10.

Vide Gloria Medij. honor miniſtris deferendus.

Prælatis debetur cultus. Honor ratione excellentiæ; timor ratione poteſtatis; obedientia & tributum ratione gubernationis. D. Thom. 2. 2. q. 102. a. 1.

Seruientes Principi dicuntur habere dignitatem. l. vn. cod. de comitib. & Archiat. lib. 12. quia tales habent aliquod onus iniunctum à principe. Vnde etiam cocus Principis dicitur habere dignitatem Vide Chaſſeneum catalogi gloriæ mundi. 1. parte. conſideratione. 66.

Subditi prælatos reuereri debent, eis affectum dilectionis impendendo. can. eſto. diſt. 95. c. habet 11. 4. 5. Ipſi obediendo, officium eorum non vſurpando. ca. presbyter. diſt. 95.

Dicitur in can. ouis 6. 4. 1. Ouis paſtorem ſuum non reprehendat, plebs Epiſcopum ſuum non accuſet; nec vulgus eum accuſet, quia non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum. Et ca. multi ſæcularium. 1. q. 1. qui vos ſpernit, me ſpernit. vide. can. in ſcripturis. diſt. 96.

Prudens ciuiliter principem ambitioſum laudabit, vti à malo inſtituto ipſum auertat, & ad agendas res laude dignas inuitet. Omne honoratum augetur contemptum imminuitur.

Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. Exod. 22.

Quanquam aliquid accipiat Princeps à populo vt populus à Principe, magis tamen dependet populus à principe, vt magis dependent membra à corde, quàm cor à membris. Ideo licet Deus ſit omnium gubernator & conſeruator maiorem habet curam de regib quam de ſubditis, quia magis intendit finem, quam ordinata ad finem.

Strenuitatis potius quam prudentiæ eſt, ſi ſe princeps periculis obiiciat, nam vita in qua tot populorum vita conſiſtit, periculis ſine magna cauſa non debet obijci.

Macedones ab Illyrienſibus prælio ſuperati ſunt, ſequenti die regem infantem in cunis in caſtra produxerunt, regno ſpoliandum, hinc militibus tanta commiſeratio, vt velut leones, inſtaurato certa-

A mine hoſtem vicerint, Æneas Syluius epiſt. 13.

Serui à Græcis dicebantur ἀνδράποδα, quaſi pedes virorum quod ſerui ſubiecti ſint dominis vt pedes toti corpori. Suidas in verbo ἀνδράποδες.

Magiſtratus & populus ſunt relatiua quæ mutuo pendent ab inuicem; magiſtratus etiam eſt ſingularis perſona, quæ pendet à ſuo toto. Id.

Olim crimen fuit Principis imaginem obſcœ inferre. Rodig. lib. 7. c. 26.

Caius Imperator permiſſa paſſim ſeruis licen dominos ſi quid vellent accuſandi, ingentem o terrarum calamitatem induxit. lb. c. 13.

Plato in Timæo dicit in corpore caput non eſſe principale tantum, ſed etiam totum; nam reliqua

B ſunt adiuncta vt corpori ſeruiant, vnde colligunt hominem contemplationis gratia eſſe natum: hinc conſenſu gentium viris eximiis aperitur caput eniteſcentem in hoc membro præſtantiam religioſè colentes. Rodigin. lib. 20. cap. 12.

Cenſus eſt annua penſio quæ in argumentum ſubiectionis præſtatur. can. 4. in f. 16. 4. 3.

Semper in omni pacto & iuramento excepta cenſetur ſuperioris auctoritas. cap. veniens 19. & cap. 2. de iureiur. cap. conſtitutus de reſcript.

Principes erga genus humanum Dei vice funguntur, ſuntque illius velut imagines animatæ, atque ita l. Titia Seio. § fin. de leg. 2. *ſanctiſſimi*, l. vnum

C ex familia. § fin. eod. *prouidentiſſimi & Religioſiſſimi*, l. quæris de natalib. reſtit. *nobiliſſimi & ſanctiſſimi*. l. in honorib. ff. de vacat. mun. *optimi & maximi* vocantur. denique domus illorum in l. ad inſtar & ibi gloſſa. de ſacr. Eccleſ. *diuina* nominantur.

Propter hoc vectigalia ſoluitis, ſi quidem miniſtri Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Roma. 13. Ab antiquis temporibus communi omnium ſententia principes à nobis ſuſtentari viſum eſt, ob id quod res proprias negligentes, communes curent & ocium ſuum impendunt, vt quæ noſtra ſunt, ſaluentur. Reddite igitur cui honorem honorem, &c. D. Chryſoſt. homil. 23. in epiſt. ad Roman.

D Non puniuntur magiſtratus quandiu ſunt in officio, ſed eo depoſito; ne dignitas cum reis probro afficiatur. Sic Aaron quia ſummus erat ſacerdos, non fuit punitus lepra ſicut Maria, licet cum ea ſimul murmuraſſet. Id homil. 3. in epiſto. ad Coloſſ.

Collatæ donationes in Imperatorem non indigent inſinuatione Nouel. 52. quaſi ſit naturalis refluxus in principium.

Aaron commiſit aliquando idololatriam, conflans vitulum aureum metu mortis; tamen poſtea bibens ex aqua vituli combuſti, non fuit in eo aliquod ſignum ſceleris apparens, ſicut in cæteris peccantibus, pepercit Deus famæ ſummi ſui ſacerdotis. Toſtat in Exod.

Fidelitas miniſtrorum conſiſtit in hoc, quod iuxta vices, non permittant perire rem Domini

sui, & procurant eam augere quantum possunt. Id. Matth. to. 6. fo. 36.

Politia honore non habet aliud maius bonum, quod possit dare rectè principantibus. Id. Matth. to. ·. f 3.

Rectoribus debetur honor propter statum, nam si personæ non sint honorabiles, status tamen est honorabilis. Id. Matth. to. 6 fo. 9.

Diuites sunt honorandi, non quia sunt diuites, sed quia sunt pars præcipua ciuitatis. Ibid. fo. ·. Principes autem honorantur primo propter Deum à quo sunt & cuius vices agunt in regimine, secundo, propter communitatem, quia sunt loco totius communitatis. Id. fo. 30.

Sentiet Deum iratum, qui proprium Dominum crediderit contemnendum.

Apud Tartaros mos est vt legati non admittantur in conspectum principis nisi igne purgati, nisi munera [illegible] flexisque genibus commissa loquantur, cæteraque cœlicolis debita, homini mortali impendant; hæc facere recusantes, vix sine vitæ periculo absoluuntur. Olaus Magnus. lib. 11. ap. 10.

De fidelitate & humili subiectione quam suo principi debet populus. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in humanis. parte. 2. c. 14

Nullum signum fecit Ioannes, vt ex hoc quoque multitudinem traderet Christo, quę ad eum signorum admiratione conflueret. D. Chrys. Hom. 14. in Matth. Sic coram sole non lucent stellę. Contemptus rectoris est peccatum mortale. *Vide Contrarietas Glorię.*

Laudatur modestia & prudentia Christophori Columbi, qui cum nouum orbem Occidentalis Indiæ primus detexisset, locum nullum suo, sed Principis nomine nuncupauit.

Hæreditarium, desponcum & absolutum est imperium Moscouitarum: nobiles omnes se dicunt principis seruos & in seruitutis argumentum, diminutiuis tantum nuncupantur nominibus, vt Petrus dicitur Petrellus, &c.

Repugnat majestati principis, nimia humilitas & familiaris conuersatio: dum enim nimia seruatur humilitas, regendi frangitur authoritas. D. August. ser. 3. de vita Clerico. Infœlix exitus: vt in Xerxem ausi sunt subditi post infœlicem in Græciam expeditionem. Paupertas: quæ cogit pecunias mutuo accipere. Arist. 4. Politic. c. 11 dicit principes inopes semper esse deiecto animo. Tādem fit contēptibilis si leuiter negotia publica pertractet, si magnos & diuturnos honores temerè distribuit; cum remissè nimis & indulgenter imperat; cum caret liberis. Si paucos habeat amicos & confœderatos, nimis vel iuuenis vel senex, infirmus, vel deformis, si nimis credulus, sæpe deceptus, vitiis popularibus vt ebrietati deditus. *Vide Contrar. Gloriæ. Vide Maiestas Concordantia.*

SECESSVS ET RECOLLEctio Regentium.

QVi describunt vniuersi harmoniam, Saturnum contemplatorem septimum planetam, & Sabbatum agentem, comparant thronis, in quibus est sedes Dei.

Iudici liceat, vt in vna hebdomada duobus diebus, vel omnibus meridianis horis, si voluerit, absque causarum audientia, suæ vacet domui pro

A quiete. Reliquo tempore prolata, sine dilatione peragat negotia. In legib. wisigotho. lib. 2. tit. 2. cap. 19.

Qui contemplationem intermiscet actioni, fruitur duobus maximis humanæ vitæ bonis, vt scilicet Reipublicæ, sibique prosit. Plutarch. lib. de institutione liberorum.

Non prodest hæc recollectio, nisi habentibus animum plenum bonis præceptis. *Vide Minoritas Medij Mala.* fames.

Vt per somnum calor naturalis fortior effectus, multique generati spiritus, animal expergefaciunt, & se diffundunt ad extra; sic post secessum fortior B animus redit ad negotia.

Ficus hortenses multum fructificant, si ad radicem earum expandantur ficus syluestres. Albert. Mag. sternantur externa negotia.

Manus ad interiora flectitur.

Ferijs introductis in gratiam Principis vt ad orandum pro ipso, ad gratiarum actiones reddendas pro victoria, partes non possunt illis feriis renuntiare & facere illis diebus actus iudiciales. Chasseneus in catalogo gloriæ mundi. part. 5. consid. 24. n. 115. Vacate & videte quoniam ego sum Deus.

Vide Finis Differentia. In propria reditus.

Sic Dei domum, cum commisso grege custodias, C vt te tamen per incuriam non relinquas. Petr. Damian. lib. 1. ep. 11.

Nullum in antiqua lege præceptum tam frequenter indictum, Custodite diem Sabbati, Exod. 31. Tria sunt præcepta in prima tabula, Non habebis Deos alienos, non assumes nomen Dei tui in vanum, protinus additur, Memento vt diem Sabbati sanctifices. Exod. 20. post & inter opus quies præcipitur.

Num. 8. Moyses ingreditur tabernaculum fœderis, vt consulat Dominum, vt Rectores exterioribus curis inoffensè deseruiant, ad secreta cordis recurrere incessabiliter curent, & sic vocem Dei, quasi per occultam inspirationem exaudiunt, dum D meditatione mentis à carnalib. sensibus abstrahuntur. Rupert. in Num. lib. 1. c. 19.

Scipio Lęliusque, quamuis Rempublicam suis sustinerent ingeniis, sæpè tamen in Laurentem agrum, otio, quieti, etiam ludo indulgebant. Nam qui semper seria tractat, quamuis non est mortuus, tamen viuens moritur. Æneas Syluius ep. 79.

Qui monasterio præficitur, cum temporalia dispensauerit, citò ad orationem vel lectionem, quasi ad matris sinum recurrat; optandum illi esset, vt abiecta sollicitudine mundi, semper cogitaret de seruitio Christi; iuxta illud Apostoli, Nemo militans Deo, implicet se negotiis sæcularibus. S. Cæsarius. in epistola.

E Quædam arbores medullam nullam habere videntur, vt palma. Theophrast. hist. Plant. lib. 1. c. 9. Quidam homines toti sunt in exterioribus.

Durum & maxime siccum est quod non cedit tactui, sed in eadem figura & quantitate persistit. Molle autem est quod fugit tactum cedens in sui profundum; sic humiditas vincit siccum. Albert. Mag. Meteor. lib. 4. tr. 2 c. 5.

Vide Media Gloria. Media quies *& Bonitas Gloria quietis.*

Saturnus dicitur Iouem generasse, id est, contemplatio politicam. Moses & Dauid prius fuere pastores quam Reges, solitarij quam publici. Rodig. libr. 13. cap. 21. Ita regenerantur Rectores per secessum. Ideo Moyses dicitur Sabbati requiem præcepisse.

Festum

Festum Tabernaculorum in quo iubebatur populus certa die anni in Tabernaculis habitaret, habens ramos palmarum & arboris frondosæ, significat secessum à negotiis, palmæ sunt signum victoriæ illius belli, quod inter se caro & spiritus gerunt. Origen. Hom. 9. in Exod.

Vide Gloria Virtutis. Quies ante virtutis externas actiones. *Vide Media Concordia.*

Vide Virtus Potestatis. ex Laurentio Iustini.

In dignitatibus sibi quisque seruet libertatem secessus. libello de necessitate. c. 15. Religiosus post prædicationes & missiones petat solitudinẽ. lib de institutione & officijs religiosi p. 4. c. 22 & libello de amor. Dei agente c. 20.

Matth. 14. Christus dimissa turba ascendit in montem solus orare. Tranquillitatis quippe mater eremus est, quietis portus, omnis perturbationis expultrix. D. Chrys. Hom. 51. in Matth.

Vide Media Gloria. Vita mixta.

Panaritium sanat cruor talpæ. Van. helmont. est autem panaritium inflammatio digiti manus ex labore, ingens sequitur dolor & putredo. Talpa viuit in tenebris & abscons a. nimiam regiminis inquietudinem, sanat à negotiis seductio.

Gen. 24. Isaac secesserat in agrum ad meditandum, cum apparuit ei Rebecca.

Dicit Apostolus. Moyses habet in singulis ciuitatibus qui eum per singula Sabbata prædicent in synagogis; nam Iudæi sex diebus operantes Sabbatho quiescebant, legem diuinam meditaturi, ea die qua Deus requieuit ab operibus, quod illi faciebant in Sabbatho, nos in die Dominica, qua Christus resurrexit; ea die instruitur, quomodo debeat operari in cæteris. Alcui. de diuinis officiis c. 40.

Nauis per interualla petit portum vt resarciantur quæ passa est damna mediis in fluctibus. Ex rediuiua mentis reformatione fiunt fortiores, qui regũt.

Lassatur prorsus in opere, & in via deficit pastor, si ab interna contemplationis maneat refectione ieiunus, hauriant sitibundo corde de thesauris sapientiæ disciplinam morum, quam seruent & doceant. Rectores animarum summi pastoris Christi vestigia imitentur, post tumultus & fragores exteriorum actionum, redeant ad se, & subeant orare in monte, vt hinc alacriores redeant ad opus, vicissim enim sibi famulantur actio corporalis & deuotio mentis, iungantur Marthæ & Mariæ sororum officia. Laurent. Iustin. lib. de institutione prælator. c. 11.

Ita habeto sollicitudinem domus, vt aliquam tamen vacationem animæ tribuas. Eligatur tibi opportunus, & aliquantum à familiæ strepitu remotus locus, in quem tu, velut in portum, quasi ex multa tempestate curarum te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus, secreti tranquillitate componas. Non te retrahimus à tuis, imò id agimus vt ibi discas, ibique mediteris, qualem tuis te præbere debeas. D. Hieron. ad Celantiam.

Fratres S. Ambrosij ad nemus, approbati fuerunt ob reuerentiam S. Ambrosij qui ad dictum nemus in solitudinem sæpè se transferebat, à Greg. 11. const. 9. p. 22. to. 1. Bull.

ONERA REGIMINIS.

Dignitatibus sunt onera annexa. l. 1. §. nec castrense. ff. de collo. bonor. l. continet. ff. quod metus causa, can. ante dist. 40. Ideo multi auersantur dignitates. *Vide Voluntas Potest. Rep.* & Recollectio necessaria, vt supra proximè hoc tit.

Ideo Rex in humero inungitur vt accipiat virtutem ad tantum onus sustinendum. Chassan. catalogi gloriæ mundi. part. 5. c. 22.

D. Greg. in Registro lib. 6. epist. 4. Qui, inquit, regendam nauem suscipit, tanto plus debet vigilare, quanto plus littus relinquit, vt etiam sępè solus vigilet, cum cęteri quiescunt. Quomodo autem suscepto pastorali onere habere serenitatem cogitationum potestis, cum scriptum sit Iob. 26. Ecce gigantes gemunt sub aquis: iuxta Ioannis etenim vocem, aquæ populi sunt, & gigantes sunt qui cæteros ordine potestatis præcellunt.

Nolles mergi in naue licet onusta auro, sic desiderare non debes in ampla magnificaque domo sedens, curis obrui.

Si malè rexeris Deo displicebis, si bene ciuibus; Cum interim te oportet filios, & domestica omnia negligere.

Ne Deus quidem ipse potest simul omnibus gratificari contraria petentibus, si det pluuias, siccitates, ventos.

Seruus corpore seruiens, animam liberam habet à curis quibus rectores, die nocteque exagitantur, siue res benè aut malè cedat. Dulcis somnus serui Eccles. 5. Theod orat. 7. de prouidentia sub finem.

Quantum sit in regia dignitate mali, inexperti nunquam discunt, experti non dicunt, neutri satis sciunt. Rectè dixit Antigonus, conserta esse ex spinis regum diademata, quorum si quis aculeos præuideret, ne oblata quidem humo tolleret; si delicatè viuant, etiam contempti, Deo & hominibus obærati; si sit illis acre ad regimen ingenium, toto æuo curis exerciti, inter dubia semper iactari, inter prospera & aduersa sæpè contriti.

Portant orbem vt dicit scriptura, non portantur ab orbe. Sic num. 11. 11. dicit Moyses. Cur imposuisti pondus vniuersi populi super me? sic pastor fert humeris ouem errantem.

Leuit. 8. Tabernaculum solo oleo sanctificatur, Aaron verò & filij eius & oleo & sanguine immolati agni consecrãtur: illo enim sanguine Moyses tetigit extremum auriculæ, pollicis manus & pedis; Nam pati debet rumores, benè semper operari, & vsque in finem. Rupert in Leuit. lib. 2. c. 5.

Dignitates curæ sequuntur, omnis potentia subiecta est inuidiæ, si ea præditus benè facit, fecisse debitum dicitur, si malè linguis omnium carpitur, si Deo placet, hominibus displicet, seruare medium, arduum est. Æneas Syluius ep. 79.

Animalia omnia sunt tantum quiescentia in terra & in aquis, elementis scilicet quæ habent præcipuas suas qualitates passiuas, non actiuas, scilicet siccitatem & humiditatem. Alb. Mag. Vera quies est in subiectione, non in dominatione.

Camelus scabiosus multorum asinorum fert sarcinas. Suidas.

Augustus Saturninus Imperator, sic de Imperatorum discrimine & periculis disseruit. Nescitis, inquit, amici quid mali sit imperare, nam & gladij & tela nostris ceruicibus impendent, imminent hastæ, vndique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur, non cibus pro voluptate, non iter pro authoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio; ad quod omnis ætas in imperio reprehenditur, senex est quispiam, inhabilis videtur; si iuuenis, inest furor; Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 10. c. 8. Non vitant liuoris & periculi sortem, multi violenta morte intereunt sibi vel ab hostibus vel à curis illata; sapientis est hanc imperandi curam refugere

In labore, facies & superna maximè desudant, A quia calor facilius superiora petit, illicq; trahit humores qui propter abundantiam diffluunt. Rhodig. lib. 6. cap. 5.

Cæsar, inquit elegantissimè Seneca, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius vigilia deffendit, omnium otium illius labor; omnium delicias illius industria; omnium vacationem illius occupatio Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, sibi eripuit. Et syderum modo quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet nec subsistere, nec quicquam suum facere. Id. lib. 8 cap. 1.

Reges ob hanc causam apud Græcos βασιλεῖς vocantur, quod tanquam bases populum sustinent, vnde & bases coronas habent, quanto enim quisque magis præponitur, tanto amplius pondere B laborum grauatur. Isidor. Origin. lib. 9. cap. 3.

Senatores Patres dicti sunt à curę similitudine, Nam sicut Patres filios suos, ita illi Rempublicam alebant. Id. cap. 4.

Milites abstulerunt à Iesu clamydem, non coronam spineam, propter curarum aculeos quos patiuntur qui propter ipsum benè regunt. Origen. tract 35. in mathę.

Obedite prępositis vestris, nam & ipsi vigilant pro animabus vestris tanquam rationem daturi. hebr. 13. quando dicit, nam ipsi vigilant innumeros labores curas & pericula complectitur. bonus enim pastor, & talis, qualem Christus vult cum innumeris componi potest martyribus, siquidem martyr C semel propter ipsum moritur; hic verò millies propter gregem, si modo talis sit pastor, qualem esse oportet talis enim singulis diebus mori potest. Ideo Christus commissurus Ecclesiam Petro Apostolorum coryphæo quærit an ipsum plus cæteris diligat. D. Chrysosth. hom. 29. in epist. ad Roman.

Idem hom. 15. in epist. ad Philip. enumerat sollicitudines & procellas vitæ regalis. Hinc tragœdiæ ferè omnes ex regibus contextæ sunt; quot malis vexati Saül, Dauid, Salomon, Abias, Ezechias.

Fundus censetur liber etiam si non imperet. *Vide Veritas Potestatis libertatis.*

Timet timentes, & grauius est vnum omnes timere, quam omnes vnum.

Augusti flebilis fuit ad senatum epistola, qua se D quæritur fati iniquitate solio afflixum; vinculis aureis constrictus ipsi pretio irascitur, inuocat priuatorum gaudia in hoc illis inferior, quod fœlicitatem suam excutere non liceat; Isti pessimè fœlices calamitatem suam non tantum ferunt, sed fouent, & nisi quiescere cogantur, ad obitum vsque suas ærumnas protrahunt.

Magni honores, magnis oneribus alligantur Tost. Gen. 376.

Liberi non conferunt in hæreditatem ea quæ parentes dedere vel promisere adipiscendi honoris causa veluti ob munerum editionem, l. 1. §. nec castrense ff. de collation. Æquum enim est vt lucretur filius cum onera dignitatis sustineat onera enim E honorib⁹ cohær. l. 2. §. Numerus ff. de vacati muner.

Planetę cadentes ab exaltatione sua, significant hominem qui multa in honore suscipiat incommoda, deiectum, & de quo homines non curent. Cardan lib. de iudiciis geniturar. cap. 28.

Difficile est rectoribus sibi subiectorum omnium nosse naturas vt diuersis morbis specifica adhibeant, id nosse, velle, exequi laboriosum est, teste tamen scriptura, Iudicium durissimum fiet iis qui pręsunt

Nam vnusquisque pro se redditurus est rationem, prælati verò pro seipsis, & pro commissis respondere cogentur, si autem vix reperitur qui pro pro se satisfacere valeret, quomodo qui præsunt, pro se & pro multis. Merito pœnas luent pro subditorum delictis, si dissimulasse, si tacuisse, si non clamasse, aut non orasse fuerint deprehensi; exigetur ab eis sanguis eorum qui sua incuria perierint. Laurent. Iustin. lib. de perfectio. Monastica. c. 9.

Quanta sit in regimine anxietas quis enarret, cum ad benè regendum oporteat illum qui præsidet vnius cuiusque scire mores, affectiones & vitam; quibus tentationibus exagitetur, quibus passionibus superetur, vt possit languentibus conueniens præstare remedium debet gaudere cum gaudentibus: flere cum flentibus, ouium sibi commissarum diligentem curam agere suis periculis, negligentes increpat Dominus apud Osee. Idem. lib. de instit. prælator. cap. 1.

Conqueruntur sancti de carnis onere quo deprimitur mens ne sursum possit erigi, ita sub eo Dauid ingemiscit, adhæsit pauimento anima mea. Onera familiæ licet plurimę alleuet amor, multis sic grauia videntur, vt ab his liberari quærant cœlibatu vel monastica professione. Cum propriis ferendis oneribus vnicuique vires non sufficiant, sine dubio iacebunt oppressæ si publica super imponas onera, & omnium personarum & familiarum curam vni commisseris. Excusatur à tutela qui tres habet aut quinque liberos, velut pluribus intenta, deficiat in singulorum officiis etiam amore vigil & ardens diligentia, quid societatis, ciuitatis vel regni regimen assumere? Non potest esse nisi pondus maximum, quod congestis negotiorum cumulis publicum est. Vt in omnium mores inquirat, vt adsit infirmis vi potentiorum repressa, vt inferendis obstet iniuriis. Illatas reparet, litigantium nodos soluat, ius suum reddat vnicuique, oportet abdicatis rebus propriis, se totum publicis immolari; omne temporis momentum pręripit instantium negotiorum turba, perit mentis & corporis ad quietem, ad vitæ solatium, ad studiorum & contemplationis suauitates, libertas. Quod agit, quod patitur, excipiunt omnes non vt beneficium, sed officium, & obligationis publicæ solutionem, denique non sibi, sed conciuibus vt dominis in posterum laborat, vano dignitatis titulo veram exhibens seruitutem. In his grauiora sunt conscientiæ, quam naturæ pondera, quisquis enim ad aliorum regimen assumptus est cum Deo paciscitur se recepturum aliquod stipendij ratione commodum, honoris, reuerentiæ splendorem, quod præcipuum est. interiores gratias, ad exactam officij pręstationem iuuantes; sed promittit talibus se, qua debet vsurum fidelitate; moderatione, iustitia, & de sibi commissis animabus rationem redditurum, vt si quid sua culpa pereat, in caput suum pœna retorquetur, cum autem inundent in mundo crimina, & rectores in officiis nunquam satis impendant diligentiæ, horrendum est pro tot reis subiturum pœnas, incidere in manus Dei viuentis. Dices vnde fit igitur hæc dignitates ambientium turba, Respondeo, nō credunt qui non verentur Deum iudicem, qui neglecta populorum salute, sua tantum non quæ Iesu Christi quærunt in dignitatib. & infidelitatem ministerij cumulāt impietate. Alius est sapientibus sensus, qui quantum possunt dignitates auersantur vt onera non portabilia. *Vide Voluntas Potestatis. Rep. Ex principijs.*

DIFFERENTIA POTESTATIS.

DISTINCTA DOMINIA

RES propria est delectabilior quàm aliena, eo quod magis vnita, nam ex vnione amor, ex amore delectatio, & diligentia, in qua homo sibi congaudet, quanto est opus difficilius. D. Thom. de regimine principum lib. 1 cap. 5. Sic habetur quædam ab alijs independentia. *Vide Minoritas Principij. Independentia.*

Communitas possessionis, causa est discordiæ. Arist. 2. Politic. 3.

Naturaliter quo plus rem aliquam amamus, eo minus volumus esse communem, & hinc orta fuit dominiorum distinctio.

Nouæ ædificantur Ecclesiæ si parochia latiores habeat fines, quam tempore hyberno possint accolæ in vnum conuenire. cap. ad audientiam de Eccles. ædifican. & ob notabile populi incrementum. c. fœlix. c. multis. c. præcipimus 16. q. 1.

Num. 24. assignat Dominus singulis tribubus suos fines.

D. Ambros. Hexamer. lib. 5. cap. 10. asserit in mari vnumquodque genus piscium habere sibi præscripta domicilia, quæ sui generis nullus excedat, non incurset alienus, ita quod illic gignatur, alatur, alibi desit. Non est interclusa montibus enatandi copia, sed vsus naturæ inpressus, sed quasi patriæ finibus vnumquodque se continet.

Optimum est vnumquemque bona sua sibi conseruare. Vide quæ scripsi. Moral. Christia. to. 3. parte. 2. cap. 10.

Fœtus in vtero potest considerari, vt ramulus peregrinus trunco arboris insertus, qui licet liquore materno alatur, propria tamen intus forma viuit; Neque enim vt pars integralis inest, sed tanquam hospitatus miles rapit omnia in lubitum, ipsumque vas dilatat pro sui imperio. Van Helmont. tractatu magnum oportet.

Religiosus in societate in qua sunt omnia communia, habet tamen aliquid sibi singulare. Vide quę scripsi de Institutione & officiis religiosi. parte. 3. cap. 7.

Tres filij Noë, Sem, Cham & Iaphet post diluuium, tres mundi partes suis generationibus impleuerunt, Sem Asiam, Cham Lybiam, Iaphet Europam. Alcuin. in Genes. inter 94.

Oportet quidem homines ab vno regi, non tamen omnes qui sunt in orbe ab vno & eodem, quia dicit Arist. 7. Polit cap. 4. ciuitatem amplissimam difficilè gubernari rectè, difficilius regnum si nimis sit amplum, multo ergo difficilius totum vniuersum, vnde imperium hoc vniuersale moraliter est impossibile. Antè diluuium primus Caïn proprium regnum construxit, post diluuium Nembroth, diuidens se à paterna familia Noë, sicut Cain ab Adæ. Suarez. de legib. lib. 3. cap. 2.

A

DIVERSA POTENTIA.

POtentia diuiditur in logicam & realem; logica vocatur non repugnantia, ea enim quæ non repugnant, dicuntur possibilia, impossibilia quæ repugnant. Potentia realis est quæ fundatur in aliquo reali, & est passiua, quæ est principium patiendi, aut actiua quæ est principium agendi.

Philosophus 9 Metaph. dicit. Duplex est operatio; quædam transiens in materiam extra, vt est ædificatio domus, & illa dicitur factio; quædam immanens in operante, vt visio vel intellectio, & illa dicitur actio. 3. actio sumitur pro actu simul interiori & exteriori vt Math. 4. Pœnitentiam agite, scilicet corde per contritionem & opere. Perbartus in rosario Theolog. voce agere. *Vide Veritas Virtutis.*

B

Iudex est ordinarius vel extraordinarius; ordinarius est qui iure suo vel superioris beneficio Iurisdictionem vniuersaliter potest exercere, vt Episcopus; Extraordinarius est, qui non iure suo, vel superioris beneficio, sed vel ex partium [illegible] vt arbiter; vel ex superioris commissio[illegible] alicuius causæ iudicialem cogn[illegible] recipit. cap. sanè quia, de off. deleg.

DISTINCTA IVRISDICTIO.

C

CHristus dixit, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Sic Gelasius Papa in epistola 10. ad Anastasium, Duo sunt, Imperator Auguste, quibus hic principaliter regitur mundus; autoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. Duo illa imperia, quasi totidem maria Isthmo quodam immobili diuina prouidentia distinxit, vni tribuens diuina, alteri humana; hæc si reuellatur, immania inter se concurrent freta, mundum aquarum eluuionibus haustura, si pontifices omnium se dicant Reges, & Reges iura Pontificis vsurpent & thuribulo manus imponant. Habetur in Conc. apud S. Macram. à 881.

D

Gen. 21. Abraham dat oues & boues Abimelech, & percutit fœdus cum eo, & statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. Has inquit, accipies de manu mea, in testimonium quia fodi puteum. Hæ 7. agnæ possunt significare exemptos regulares à communi Iurisdictione in signum supremæ Pontificiæ dignitatis, & ad doctrinæ securitatem. *Vide Differentia Principij.* de distincta Iurisdictione.

Qui inconsulto Episcopo, adeunt Imperatorem, eiusque auribus molestiam inferunt contra leges Ecclesiæ, excommunicantur. Conc. Antiochen. c. 11. Aquisgranense c. 13. habetur. 15. 4. 8. c. si quis episcopis. Maximè si iam damnati ab alis Episcopis Imperatorem adeant. c. 11. 4. 5. c. si quis à proprio. & 11. q. 1. si clericus.

Episcopus accusatus, si voluerit appellet Romanũ Pontificẽ, & ad eũ si libuerit confugiat, vt ab eo eius audiatur causa, aut ipse à latere suo legatos, qui audiant, mittat, qui iustè cum omnibus Episcopis comprouincialibus eius authoritate iudicent. Greg. IV. Papa ad Episcopos Galliæ. a 833. vide 2. q. 7. c. si quis arguere, & dist. 12. præceptis. dist. 45. c. licet plerumque.

Archiepiscopus etsi in omnes prouinciæ suæ suffraganeos iuris habeat dictionem, in eorum tamen subditos, paucis articulis exceptis potestatem non habet. cap. pastoralis. de off. ordin. in 6. Sic & Patriarcha non potest de causis eorum cognoscere qui Archiepiscopi sui vel Episcopi sub ditione sunt; nisi appellatione ad eum legitimè interposita, aut consuetudinis alicuius, aut priuilegij iure. cap. duo simul. eod.

Quemadmodum si sit domi contentio erubescimus ad eam exteros vocare, sic absurdum est in Ecclesia vbi est arcanorum mysteriorum thesaurus, omnia foras efferri. D. Chrysost. Hom. 16. in 1. ad Corinth.

Erat inter sacerdotes gentilium ordo dignitatis. Erant enim flamines, archiflamines, protoflamines. Ab his antiquorum gentilium distinctionibus in ministris ordo Ecclesiasticus quendam discretionis modum sumpsit in Patriarchas, Metropolitanos, Episcopos, & simplices sacerdotes, vt ait Isidorus & Magister Sentent. lib. 4. dist. 24.

Religio & ciuilis politia debent concordare vt vna quæ sunt alterius non vsurpet. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in humanis parte. 1. c. 21.

Ecclesia non habet iurisdictionem super infideles qui nunquam f lem Christianam susceperunt. de quib. Paul. 5. Quid enim mihi de his, quæ foris sunt iu & habetur. cap. gaudemus de diuort. co iones Ecclesiasticas non obligare paganos. Suarez de legib. lib. 3. cap. 6.

Cap. nouit de iudic. dicit Pontifex se nolle derogare supremę Iurisdictioni Regis Galliæ; nec temporalia iudicia vsurpare. Idem habetur in cap. duo sunt & c. cum ad verum dist. 69. & c. inter hæc 33. q 2. summam temporalem potestatem Christus non contulit Petro, imo poterat impedire propagationem fidei, si imperantes voluisset efficere subditos. Hæc fuse Suarez. d. loco.

Regimen humanum triplex, politicum, œconomicum monasticum. Ibid. cap. 11. nu. 8.

De his qui foris sunt, nihil ad nos 1. Corin. 5. & Reipublicæ vnius lex aliam non obligat, quia nulla potentia extra suam sphæram operatur; potestas autem vniuscuiusque communitatis habet pro sphæra adæquata ipsam communitatem, ciuilis enim potestas manat à communitate quam non potest excedere. Id. c. 31. num. 8.

Can. Apost. 15. Nicæ. 15. Antioch. 21. non licet Presbytero aut Clerico propria parochia relicta ad aliam transmigrare, & Episcopus qui eum monitus non expellit, tanquam magister inquietudinis communione priuatur. can 16. eod.

Paulus ad Tit. 1. pręcipit vt constituat Episcopos per singulas ciuitates & iurisdictio Episcoporum, præterquam Romani, certis limitibus est circumscripta. Glossa in can. 34. Apost.

Bulla Martini V. contra Ecclesiasticos recurrentes ad tribunal seculare. Vide in summa Bullarij. verbo forum competens.

DIVERSA DIVERSIS officia.

Arabes Philosophi dixerunt, quod præter intellectus qui mouent orbes, sit intelligentia agens, inferioris ordinis quam cœlestis, & hanc esse quæ agit in actiuis & passiuis, & largitur formas in eis; cum enim motor debeat esse proportionatus ei quod mouetur, eadem substantia non debet mouere cœlum & materiam generabilium, quia istæ duę materię non sunt vniuocæ. Alb. Mag. de vnitate intellectus contra Auerroëm. c. 2.

Quando plura sunt mobilia, quorum vnum non mouetur per alterum, & quorum vnum non mouetur à motore ipso, & alterum per vicarium, oportet esse tot animas quot sunt corpora. Ib.

Diuersis Diis, singula erant officia. Mars bellis, Neptunus Mari, Appollo vaticinijs præsidebat: Vnde Iupiter apud Homerum, Veneri rebus bellicis interdicit, & nuptiarias tantum iubet agere. Plutarch. lib. de tranquillitate animi.

Vide Differentia Principij. Et Differentia Virtutis.

Ministrorum terreni principatus triplex est differentia, nam quidam operantur immediatè circa personam Principis; quidam deputantur ad alia officia, puta ad regimen principatus in communi; quidam verò ad regimen alicuius partis. Eorum etiam qui assistunt Principi, triplex est differentia in hierarchia Ecclesiastica quidam sunt vt assessores, scilicet Domini Patriarchæ, quasi Seraphim ardentes amore, quidam vt consiliarij, scilicet domini Cardinales & sunt vt Cherubim, alij sunt cubicularii & seruientes in domo Principis & sunt vt throni. Plura vide apud Chassenęum in catalogo gloriæ mundi. 4. parte initio.

Difficile est multas simul vitæ calles ingredi.

Æsopus res omnium tunc malè se habituras dixit, cum omnes omnia sibi studia proponunt. Plutarch. lib. de institutione mulierum.

Angelos habere substantiam & operationem circumscriptam apparet ex eo quod Deut. 32. dicitur, Quando diuidebat altissimus gentes pro numero Angelorum. Et apud Danielem, vnus est princeps Græcorum, alter Persarum. Et Matth. 18. singuli homines dicuntur subesse singulorum Angelorum procurationi Ideo millia millium ministrant ei propter diuersa officia. Theodoret in Genesim. quæst. 3.

Venatio agricolis & plebeis, non nobilibus est prohibita, ne sub eo prætextu exercitationis, quæ lucrum habet delectationi coniunctum impediantur ab alijs exercitijs Reipublicæ vtilioribus. Vide Chassenęum in catalogo gloriæ mundi. parte. 11. consider. 50.

Plato & Aristoteles in suis Politicis dicunt, quod diuersę secundum speciem operationes, melius perficiuntur à diuersis artificibus, quam si ab vno solo fiant.

Proprium mulieris est rebus domesticis curandis præfici, viri autem publicis negotiis, bellis, & externis rebus. Sic Romæ duo erant consules quorum vnus præficiebatur rebus ciuilibus, alter bellicis. Salomon describens mulierem fortem, assignat ei fusum & domestica: ideo minus habet caloris ad actionem, vt domi maneat. D. Thom. de regimine principum. lib. 4. cap. 5. & 6.

Singuli cœlorum orbes, singulas suas hab ent in

by Google

intelligentias motrices, quia si vna & eadem esset ab omnibus communis, frustra daret motus contrarios, qui sibi mutuo aduersantur, & in opposita feruntur. Fracastor lib. de Homocentricis. cap. 7.

Qui multa sectantur, quædam negligentius insequuntur.

Non patitur natura rerum, esse aliquem in omnibus summum, habet sua fata, suosque limites cuiusque genius; nec qui mediis magistratibus apti sunt, sufficiunt imperiis.

Apud Sinenses, non licet vni plures artes profiteri, & in singulis vrbibus, singulis artibus sui sunt vici assignati.

Mens dum cogitat vnum, non potest cogitare simul & aliud, quia ad vnam rem quam cogitat, totaliter se conuertit, & non est tantæ virtutis, quod cum hoc ad aliam se possit conuertere, sicut visus est liber ad conuertendum se ad diuersa visibilia, non tamen potest se simul actu ad diuersa conuertere. Deus autem est infinitæ virtutis & libertatis qui simul & semel ad omnia & singula se conuertit, & ea intuetur. Card. Cusa Exercit. lib. 5. cap. 57.

B

Agentia naturalia omnia determinatam habent virtutem, quæ si vltra suæ virtutis proportionem elongantur à patientibus, nullum effectum efficere poterunt.

Motor orbis Saturni non posset mouere cœlum stellatum, nec motor eius posset illud mouere, si haberet plures stellas vt dicitur 2. de cœlo. D. Tho. in quæst. disp. de peccatis. q. 16. a. 10. o. Sic anima humana non habet virtutem mouendi corpus etiam localiter nisi proportionatum sibi, per hoc quod est viuificatum ab ea. Id. ad 2.

C

Anima seminauit suas facultates pro vita necessarias per organa corporis, qua propter non videt talus, nec auris ambulat, vt nec hepar assumptos cibos in cibum commutat

Duo simul officia recte gerere nemo potest l. 2 C. quemadmod. ciuilia munera inducuntur, & l. quisque de cohortabilibus principibus. lib. 12. Nec etiam duas militias. l. his quidam. C. qui militare non possunt. & l. fin. C. de assessor. Quia vnum solum officium quis dignè potest implere. cap. 1. de consuetudine. Vnde non licet appetere plura beneficia. cap. de multa. de præbendis, extra clementina cum plures. eod. tit. In extrauaganti execrabilis. eod. tit. Vide plura apud Chassenæum in catalogo gloriæ mundi. 1. parte, consideratione. 16. can. clericus 21. q. 1.

D

Samaritani non edūt fructus ex insitione arborum natos nec ex arbore quæ plures specie fructus fert.

Cum Rex Hispaniæ plurima possideat regna, apud se habet singulare consilium vnicuique regno, aut prouinciæ, aut rebus distinctis prouidens; vt Indiæ, Cataloniæ, Americæ, &c.

Non licet clerico in duarum ciuitatum Ecclesiis ministrare. Concil. Chalcedon. ca. 10. Aquisgratiense. cap. 5. Habetur 21. q. 1. clericus in duas. & 21. q. 2. C. si quamuis Cencil. Parisien. VI. ca. 49. Vbi dicitur quod si vix vni potest sufficere, quomodo pluribus?

E

Ad ea quæ sunt diuersi generis ex æquo se habentia, ordinantur diuersæ potentiæ; sicut sonus & color, sunt diuersa genera sensibilium ad quæ ordinantur auditus & visus. Sed quę non ex æquo se habent, sed sicut quod est secundum se, & secundum alterum vtile & honestum, semper referuntur ad eandem potentiam. Sicut per potentiam visiuam sētitur & color & lux per quam color videtur.

Diuersa à diuersis, melius & expeditius aguntur quam ab vno.

Ideo nos simul non possumus multa intelligere, quia multa per diuersas species intelligimus, diuersis autem speciebus, non potest intellectus vnius simul actu informari ad intelligendum per eas; sicut nec vnum corpus potest simul diuersis figuris figurari: Vnde contingit, quod quando aliqua multa vna specie intelligi possunt, simul intelliguntur. Potest igitur intellectus multa intelligere per modū vnius, non autem multa per modum multorum.

Duę operationes possunt simul esse vnius potentiæ, modo vna ad aliam referatur. Vt cum voluntas simul vult & finem, & ea quæ sunt ad finem: & cum intellectus simul intelligit principia & conclusiones per principia, quando iam scientiam acquisiuit.

Impossibile est idem subiectum perfici simul pluribus formis vnius generis & diuersarum specierum: Sicut impossibile est quod idem corpus secundum idem simul coloretur diuersis coloribus, vel figuretur diuersis figuris.

Filiis Regum Persarum, dabantur quatuor morum Magistri, quilibet docebat vnam ex virtutibus moralibus: Sapientiam, Iustitiam Temperantiam, Fortitudinem. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 1. cap. 2.

Paulus seruus Iesu Christi segregatus in Euangelium; huic vni officio totus impendendus.

Plura simul officia exercere. *Vide Magnitudo Potestatis.*

Quando potentiæ debent esse diuersæ ad actiones eliciendas. *Vide Differentia Cognitionis.*

Homo constitutus in dignitate quæ pertinet ad multitudinem, habet duos angelos custodes, vnus qui dirigit illum vt priuatam personam, alter vt publicam. Tostat. Math. to. 5. fo. 18.

In extasi vires rationales non ligantur, sed eleuantur, & ideo fit extasis vt intellectus ad plura intelligenda perueniat, quę non sufficeret intelligere in vigilia. Id. in Gen. fo. 152. ligatis enim naturalibus & animalibus viribus, solutus manet intellectus & sic totus conuertitur in supremum intelligibile. Id. 2. paral. f. 11.

Talis est Hierarchia Angelorum ascendendo, Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes: Throni, Cherubim, Seraphim.

Tam perfectum est mundi regimen vt antiqui finxerint plures Deos diuersis partibus præsidentes; *Vide Duratio Principij.* Prouidentia diuina.

Romæ diuersæ Cardinalium congregationes institutę sunt, vt rebus diuersis melius prouideant; vt pro vbertate annonæ; pro fide Catholica propaganda; pro sacris ritibus; pro Indice librorum prohibitorum; pro classe paranda ad conseruationem status Ecclesiastici; pro interpretatione Concilij Tridentini; pro subleuandis grauaminibus status Ecclesiastici, pro consultationibus Episcoporum & aliorum prælatorum; pro viis, pontibus & aquis curandis, pro Typographia Vaticana, pro confinibus status Ecclesiastici; pro Baronibus status Ecclesiastici, pro Bannitis Vide Bullas institutionum hic in propriis combinationibus, & in Magno Bullario.

Lectores studii Romani aduocationis munus exercere prohibuit Leo 10. const. 4. §. 4. p. 404. Bull.

Notariorum officia plura incompatibilia sunt, & in simul retineri non possunt. Pius. 4. const. 58. §. 70. p. 63. to. 2.

Laudem mereri in alieno negotio turpe est, quasi deficias in proprio. Vituperatur Nero quod citharam pulsaret benè & caneret, & Alexander ab

pelle reprehensus est, cum de pictura dissereret. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 53.

MVTATIO REGIMINIS.

DE Imperij translatione Bellarm. tom. 1. cont. 1. De Pontificum Romanorum breuitate vitæ. liber Petri Damiani.

Mutatio regiminis periculosa. *Vide Minoritas Differentiæ.* Nouitas fugienda. *Duratio Potestatis Duratio veritatis.*

Prouerb. 4. ludit sapientia in orbe terrarum, & eius opinor ludus est regnorum vicissitudo, & tot mobilia circa immotum rapi.

Cum antiquitus non licuisset Episcopo Ecclesiam suam, vt nec marito vxorem deserere, & ad aliam transire. can. episcopum. 7. q. 1. Id tamen fuit permissum in Concilio Nicæno. can. 14. quia id expediebat Ecclesiæ propter multitudinem Episcoporum occultè Arianorum.

Filij Israël non ingemiscunt propter opera, nisi mortuo Pharaone, antea nimio metu continebantur. Exod. 7.

Apud Rutenos, qui sunt vltra Sarmatas non longe ab ortu Tanais ad quos Romanorum ducum nemo vnquam penetrauit; in medio vrbis foro lapis est quadratus, in quo rex, & quidam stans ius populo dicit, sed raro regia potestas in annum apud vnum mansit; sepè in vnum diem duo tres-ue regnauere; surgit enim ex populo, qui stipatus clientibus regem deturbans lapide, locum eius inuadit atque è vestigio rex salutatur, haud absimilem & ipse casum subit, si quis aduentarit regni cupidus. Mira diuersitas regionum. Septentrio suos inhonestat reges; Meridies non alienos tantum, sed etiam hostes honorat. Æneas Syluius commentar. lib. 2. cap. 6.

Hadrianus II. Papa scribit ad Concilium Suziaciense. an. 871. mutationem Episcoporũ de ciuitate in ciuitatem licitam esse ob communẽ vtilitatem, sed non libitu cuiusquã aut dominatione. Petrus nãque, inquit, sanctus Magister noster & Princeps Apostolorum de Antiochia vtilitatis causa translatus est Romam, vt ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadam parua ciuitate auctoritate Apostolica translatus est Alexandriam; similiter Felix Ephesum, &c. Non enim transit sed transfertur qui sic mutatur propter commune bonum Quando hæc mutatio non sit licita. *Vide Voluntas Maioritatis Mala.*

Vide Bonitas Differentiæ.

Nouæ insulæ in mari natæ, noua significant imperia, nouasque leges. Cardan. lib. de rerum varietate. cap. 72.

Papa vnit, diuidit, transfert episcopatus *Vide Maioritas Principij.* primatus Petri.

Tres sunt præcipuæ regiminis species, scilicet Monarchia, Aristocratia, Democratia. In inuicem mutantur & vnius corruptio est alterius generatio pluribus modis, scilicet ab internis vel externis causis: vtræque pendent à diuina prouidentia quæ mediis cœlorum viribus, velut instrumentis solet regna mutare *Vide Apologiam fati vniuersi. cap. 8.*

Translatio Episcopi nihil aliud est quam dissolutio vinculi quo Episcopus cum priori Ecclesia erat iunctus: & ad alteram Ecclesiam transitio. cap. mutationes 35. 7. q. 1. cap in causis 50. in fin. de electio cap. 2. in f. de postulat. prælator.

Episcopus etiam inuitus transfertur à Papa ab Ecclesia in aliam vel propter vtilitatem vel propter necessitatem. can. 35. 36. 37. 38. 43. 7. q. 1.

Populis inest quædam iugum patiendi necessitas, hoc tantum habent à fortuna posse experiri nouum principem, nouas leges, alternisque sortibus seruitutem suam solari, cum absolutæ libertatis spes sit adempta. Cometes valde clarus ac conspicuus; tum etiam nobilis ac diuturnus, mutationem alicuius imperij decernit. Cardat. aphor. sect. 5. aph. 15.

Quæ sunt ex institutione speciali pendent à voluntate instituentis: vnde communitas quæ sibi regimen constituit, potest illud mutare pro temporum opportunitate; quia determinatio potestatis, vel Monarchicæ. vel Aristocraticæ, vel Democraticæ pendet semper ex eius arbitrio, etiam in regnis hæreditariis quæ transierunt in successores cum suis oneribus, & possunt mutari, sicut is cui primò regnum delatum fuit. Suarez. de legib. lib. 3. cap. 4.

DIVERSITAS REGIMINIS.

DE tribus gubernationis statibus. Plutarch. Iurisdictio vna est voluntaria, cum Iudex simpliciter postulanti suam potestatem accommodat, nullo contradictore vel aduersario interueniente, vt in adoptionibus, manumissionib. &c. Et hanc habebat Proconsul simul ac vrbe egressus erat, alia Iurisdictio dicitur contentiosa, in qua est legitima causæ disceptatio coram Iudice. DD. in l. 1. ff. quor. bonor Cuiac super Nouell. 95.

Demosthenes in Olynthiacis dicit, regum nomen cunctis ferè liberis gentibus semper fuisse inuisum, quod suauius sit obedire legibus, idest rationi, quàm voluntati, idest libidini vnius plerumque praui.

Aaron fuit maior Moyse, in his quæ ad Dei cultũ pertinebant, sed è contra maior erat Moyses, quoad populi regimen & gubernationem. Tostat. in Num.

De diuersis speciebus regiminis Vide quæ scripsi Moral. Christ. to 3 parte. 1 cap. 5.

Nulli hominum concessum est à Deo vniuersale imperium in cæteros omnes homines, sed vt variæ sunt communitates, à diuersis regimen & leges acceperunt. Suarez de legib. lib. 3. cap. 2. *Vide differentia veritatis.* Diuersæ leges.

De Monarchia. *Vide Magnitudo Potestatis.*

De Aristocratia & Democratia. *Vide Æqualitas Potestatis.*

Digitized by Google

CONCORDANTIA POTESTATIS.

CONCORDIA REGENTIVM.

QVI discordes fuere liberi, rebus ita pessimè gestis, sola cathena sub hoste conuenient.

A fœtus initiò deinceps cuilibet membro præsidet assistens rector spiritus insitus, alter vero influus à corde manans, insiti expergefactor & consolator, qui tamen nec determinatur, neque indiuidualiter disponitur, nisi prius ab insito sit subactus. Van Helmont.

Quo melius concordant & vniuntur elementa in mixtis eò perfectiores formæ producuntur, gemmarum, animantium. Vegetans scilicet & sensibile. Leo Hebreus, dialo. 2. de amore.

Tres Angeli apparent Abrahæ, & ipse loquitur illis in singulari Domine si inueni gratiam ante te, vt claresceret præsidentis domini imperium & concordans ministrantium officium. Alcuin in Genes. interrog. 178.

Fratres duo Germani Cardinales esse non possunt. Iul. 3. const. 22 p. 715. to. 1. Bull. & Sixt. 5. const. 50. p. 584. to. 2. Bull.

Sic concordent, vt dura per vices sustineant. *Vide Duratio Contrarietatis. Mora*, dura per vices. *Vide Concordantia Medij.*

M. Æmilius lepidus, simul cum fuluio flauo, censor designatus statim deposuit vehementes, quas prius cum illo habuerat inimicitias existimans eos dissidere non debere, qui publica iuncti sunt potestate. Valer. Maxim. lib. 4. cap. 2.

Vacillat arca Dei calcitrantibus vaccis quę eam trahebant.

In ambulatione, vna pars fixa remanet, dum alia mouetur. At in natatione & volatu, oportet omnes partes simul extendi, & simul retrahi, quia & volatus & natatio, sunt tractus quidam, sicut tractus nauis; vnum solum in talibus non mouet, sed collecta virtus ex omnibus in talibus mouet. Albert. Mag. lib. 2. demotib. animalum. tract. 2. c. 3.

De dissidio Rectorum. *Vide Contrarietas Potestatis.*

Plutarch. lib. de fortuna Romanorum dicit ad stabiliendum imperium Romanum virtutem & fortunam, vt plurimum inter se contrarias, consensisse. Sic ex igne & aqua omnia constant, extremis enim conciliatis cætera concordant.

Vrgente tantum necessitate possunt plures sacerdotes conferre sacramentum extremæ vnctionis, Quia hoc sacramentum non requirit necessario vnitatem ministri, cum habeat plures materias & formas, quarum singulæ habent suam singularem significationem per ordinem ad suum effectum, quamuis à pluribus proferantur. Bonacina de extrema vnctione.

Cæsar lib. 6. & 7. de bello gallico Refert apud antiquos Gallos prohibitum fuisse, ne consanguinei fierent collegæ eiusdem dignitatis, aut sibi immediatè succederent, ne regimen hæreditario iure pos- A sessum, de publico fieret priuatum. Videntur etiam tales personæ natura & sanguine coniunctissimæ in mutuam vltrò venire sententiam, ita ut videantur vnum caput, nec implere numerum in suffragiis requisitum. *Vide Maioritas Concordantia. Mala.* Verum est quod sicut nemo in sua causa potest esse testis aut iudex, ita nec filius in causa patris, frater in causa fratris, & hoc domesticum testimonium improbatur. l. 9. & 10. ff. de testibus. At cum agitur de interesse alterius, tales personæ, licet natura coniunctæ pro diuersis habentur. textus in l. 7. ff. eod. his verbis. Pater & filius qui in potestate eius est, item duo fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, testes vtique in eodem testamento, vel eodem negotio fieri possunt, quoniam nihil nocet ex vna domo plures testes alieno negotio adhiberi, & 5. pater 8. Inst. de testam. Ordin. l. ad testium. ff. qui testam. facere poss. B Vnde sequitur quod possunt esse eiusdem dignitatis & consilij collegæ, quia alienum, & à se discretum negotium est. Imò cum in regimine ministrorum concordia sit maximè necessaria, nesuis dissidiis Rempublicam, vt ægrum medici torqueant & enecent; consanguineorum regimen videtur fœlicissimum; nam licet fratres, sunt tamen diuerso genio, ad veritatis maiorem indagationem, & affectu coniuncti ad sententiæ iudicijque conciliationem, vno citra æmulationem supplente quod alteri deficit. Hinc facultates quæ in nostris corporib. sibi mutuo auxiliantur, medici vocant germanas. In fastis consulum apparet patrem & filium, duosque simul fratres sæpius consulatum gessisse, sic enim sedatis factionibus amor regentium omnes sibi conciliat, populusque, pace, summo suo bono, fruitur. Si ciuile negotium admittit fratres collegas. C Multo magis id videtur licitum in Hierarchia Ecclesiastica, ad Angelorum & ipsiusmet diuinitatis similitudinem conformata, Deus vnus & trinus, Pater Filius & Spiritus sanctus ab vtroque procedens, mundi creator & rector est, operaque ad extra, sunt totius trinitatis. Exod. 25.

Deus loquitur populo, inter duos Cherubim eiusdem cœlestis ordinis & familiæ. Moyses & Aaron fratres in sacerdotibus eius. Psal. 99. Filij Aaron simul in sacerdotium assumpti, Exod. 28. fratres Macabæi consilio & armis fœliciter legem tuentur. Æterna sapientia Christus ex duodecim Apostolis ad Ecclesiæ fundamentum & propagationem assumptis, septem sanguine coniūctos elegit, qui simul decernunt de rebus fidei. Visum est spiritui. S. & nobis. Hinc mos est in Ecclesiis Cathedralib. & collegiatis vt in illis plures fratres simul possint habere præbendas; Imò filij Episcoporum legitimi, possunt in patris Ecclesia obtinere dignitatem, & illegitimi tantum excluduntur propter scandalum, cap. ad hæc & seqq. de filijs Presbiteri Vnde can. præterea dist. 51. & communi vsu, eiusdem collegij dignitatis, professionis homines fratres vocantur,

fratrum collegarum consensus in bonum publicum A sit idæa optimi & fœlicissimi regiminis cuius cæteri vel ipso vsurpato fratris nomine, se profitentur imitatores.

Electis Regibus, Romani elegerunt duos consules, quorum vnus rei militari, alter ciuili intenderet & propter concordiam in regimine vocati sunt Comites. Thom. de regimine principum lib. 3. cap. 11. Deinde sic dicti sunt, quia comitantur principem.

De periculosa disputatione, inter ministros Reipublicæ. *Vide Æqualitas Potestatis.* Mala plurium dominatio & contrarietas potestatis.

Optimum est Principem duos habere præceptores, vnum qui religionem, alter qui humana & militaria doceat, sed sint summo animorum consensu, procul ab inuidia. B

Ammonius Abbas, simul cum duobus suis fratribus, carne & institutione germanis, magnam monachorum multitudinem rexit. In vitis Patrum lib. 2. Homines tantum consanguinei seruantur in arca Noë.

De concordia artis & naturæ, vt agricolæ, cum fœcunditate terræ.

Dux Venetiarum nullum ex sua familia potest habere consiliarium, illi non possunt esse legati, sed tantum duces viginti nauium.

Simplex tubæ clangor, & non concisè vlulans significabat principes & capita multitudinis Israël conuocari. Num. 11.

Num. 11. Deus dicit Moysi, Congrega mihi septuaginta viros, & dabo illis de spiritu tuo. Debent enim esse vnanimes, & cum præcipuo rectore concordes.

Omne compositum consistit in aliqua cõsonantia. *Vide Concordantia Principij.* Concursus causarum.

Eorum quorum vnus est finis, oportet aliquam vnionem esse, in quantum ordinantur ad finem, vt in acie milites vniuntur ad consequendam victoriã.

Intellectus & volũtas suis actibus inuicem se includunt, quia intellectus intelligit voluntatem velle, & voluntas vult intellectum intelligere.

Potentiæ animæ mutuò se impediunt circa diuersa obiecta, non autem circa idem.

Ignis subterraneus consentit cum cœlesti ad eleuandos vapores è fundo terræ, qui pretiosus est, quia illic omnes cœlestes influentiæ confluunt; eleuatus autem vapor à frigido terræ coagulatur, vnde dissoluuntur igne metalla; sic juuenum ardor, cum senum lento consilio conuenire debet.

Acca Laurentia Romuli nutrix duodecim eduxit filios, & cum vnum fato amisisset, in defuncti locum Romulum asciuit, ipsumque & cæteros aruales fratres appellauit, quod agresti & pastoritia sodalitate coniuncti, & limitandis agris intenti. Hoc primum fuit Sacerdotum Collegium Romæ institutum. Alexander. lib. 1. c. 26.

Quod ab alterutro collegarum iussum fuisset, ab vtroque iussum videbatur, nec ad alterum quicquam referebatur. Suidas in verbo *ἀνακρίσ.*

Aristides cum Themistocle in legationem missus, Inimmicitias inquit, intra patriæ fines relinquamus, & Reipublicæ causa consentiamus. Id. in verbo Aristides.

De tribus personis diuinis in vna essentia. *Vide Differentia Magnitudinis. Numerus.* Trinitas.

Nerui optici à celebri orientes lateribus, ambo in vnum coëunt, itaut meatus qui duplex erat, vnus fit, ne sensibile vtroque haustum oculo, videatur geminari. Rodig. lib. c. 20. in fine.

Antiqui fluuios effingebant tauri specie, quod boues terram proscindendo, fluuij irregando, conferant ad fertilitatem. Id. lib. 17. c. 23.

Tres Episcopi simul alterius consecrationem peragere dicuntur, licet vnus vti princeps, cui alij cooperantur, hoc ministerium agat. Syluester in summa verbo consecratio.

Vt cum Duces exercitus non consentiunt subuertuntur omnia, sic domus turbatur ex discordia viri & mulieris. Vnde de hoc ordine constituendo maximam curam habet Paulus ad Ephes. 5. D. Chrysost. Ib. Hom. 10.

D. Dionys. 10. hierarchiæ assignat connexionem ordinum & hierarchiarum & commentator in 12. Metaphys. dicit quod ordo substantiarum separatarum sub Deo & ad inuicem est sicut plurium artium sub vna arte communi, vnde scientiam Dei assimilat Metaphysicæ sub qua sunt omnes scientiæ, & sicut plura officia ordinantur sub principe ciuitatis, & in omnibus est aliqua connexio secundum quod ab inuicem dependent, ad modum ordinis vniuersi cuius partes mutuò se iuuant ad consecutionem sui finis, vt etiam ad vltimum bonum, quod est finis totius vniuersi. D. Thom. in lib. 2. sentent. dist. 9. q. 1. a. 6.

C De anima & intelligentia cuiusque orbis consentiente. *Vide Medium Virtutis.* Angelorum auxilium.

Cum olim Thraciæ duo pop. Rom. præsiderent magistratus, vnus reb. ciuilibus, alter militaribus, immortalesque inter se contentiones exercerent, Iustin. Imp. duplicem hanc dignitatem in vnum Prætorem congessit. Nou. 26.

Quamuis maxima esset longitudo & latitudo arcæ Noë, sic tamen angustiabatur in summitate, vt latitudo esset tantum vnius cubiti. Tostat. in Genes. fol. 57. col. 4. h. summa concordent.

Deus vocauit Petrum, fuit per accidens quod essent fratres. 2. ad ostendendam charitatem quæ debet esse inter prædicatores 3. factum est id ad imitationem Moysi & Aaron qui fratres, & sic vetus & nouum testamentum voluit fundari super fraternitatem, nouum vt perfectius super duplicem. Id. D Matth. tom. 1. fo. 161.

CONSENSVS POlitiæ, ac Religionis.

DE politici & Ecclesiastici regiminis comparatione Agobard. Biblioth. patr. to. 9.

E Episcopatus fiunt Patriarchatus, in vrbibus imperialibus. *Vide Principium Maioritatis. Et Virtus Potestatis. Pietas Regentium.*

Vtraque dignitas alternæ inuicem vtilitatis est indiga, dum & sacerdotium regni tuitione protegitur, & regnum sacerdotalis offici, sanctitate fulcitur. Petrus Damian. lib. 3. epist. 6.

Psal. 121. Cum præmissum esset, Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, statim subiunctum est, & abundantia diligentibus te: abundat enim spiritualibus bonis Hierusalem, etiam eorum ope qui ipsam diligunt. Rupert. in Exod. lib. 4. c. 11.

Num. 2. Moyses populi dux, & Aaron pontifex summus, pariter ad orientem castrametantur, vnde Psal. 8. canimus. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, quia videlicet in præsenti Ecclesia semper ducum aut consulum fascibus, regum, imperatorum gladiis multum indiget sacerdotalis sanctitas, & cum

Vt Episcopi consentientes sint Comitibus & iudicibus ad iustitias faciendas. Concil. Moguntiacum. ca 8. cap. Caro. Mag. lib. 5. c. 114.

Vt se honorificè mutuo suscipiant, seque mutuis studeant subleuare consolationibus. Con. Turon. III. c. 3.

Si inter omnes fideles pax & concordia habenda est, dicente Apostolo, Sequimini pacem, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum; multo magis inter Episcopos & comites esse debet, qui post Imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt. Ita enim inter se concordare debent, vt alterutrum sibi ad Dei seruitium peragendum, & ministerium suum explendum, non solum non noceant, quin potius adminiculo sint. Concil. Cabilonense. II. c. 20. a. 813.

Principis potestas, debet Ecclesiasticam disciplinam munire, vt quod non valet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Isidorus.

Litteras sigillo Regio munitas pœnes se habeant Episcopi, quibus ministros Reip. si eorum indiguerint auxilio, conueniant. Concil. Meldense. c. 71.

Vt ministri Reipublicæ Episcopis Parochiam circumeuntibus sint auxilio, & quos Episcopus per excommunicationem adducere non potuit, regia authoritate ad satisfactionem adducant. Conc. Suessoinense. II. ca. 10. a. 853.

Episcopi comites & ministros regios diligant vt filios, & hi Episcopos honorent vt patres. Conc. Pontigonense. c. 12. a. 876.

Israëlitis ad exeundum de Ægypto non sufficiebat vna manus Moysi: quæritur & manus Aaron, Moyses indicat scientiam legis, Aaron sacrificandi Deo & immolandi peritiam. Vtraque manus necessaria est ex Ægypto exeuntibus vt sit & legis scientia, & operum perfectio tamen vtræque hæ non sunt duæ manus, sed vna, in manu enim Moysi & Aaron eduxit eos Dominus, vnum enim opus vtriusque manus est, atque vna perfectionis expletio. Origen. Homil. 27. super Numer. *Vide Magnitudo Medij.* Multitudo mediorum.

Dum externas pœnas leges ciuiles minantur, minus proficiunt ad morum correctionem quam Christiana Religio, nam de occultis etiam peccatis facit hominem contremiscere, de leuibus etiam noxis pœnas expetit, &c. D. Chrysost. Homil. 1. in 2. ad Corinth.

Nouella 42. Imperator Iustinian. hæreticos à sancta synodo condemnatos pellit è Catholicorum vrbibus, & sacræ synodi decreta sua firmat authoritate vt, inquit, diuina & humana pariter concurrentia, vnam consonantiam rectis sententiis faciant.

Aaron fuit os Moysi, vt dicitur Exod. 7. quia non loquebatur Aaron ex se, sed ex Moyse, sicut os non loquitur ex se, sed est organum loquendi. Tost. in Exod Moses erat maior Aaron in temporalibus; è contra verò in spiritualibus. Id. Leuit. fol. 76.

Legislatores politici intromittunt se aliquando condere leges circa cultum diuinum; id tamen non faciunt quatenus cultus Dei vel latria sit virtus quædam vel naturale debitum Deo propter diuinam excellentiam, vel propter bona suscepta, sed quatenus Deum colere sit vtile Reipublicæ, & perniciosum valdè non colere, & statuendo quod Deus colatur propter vtilitatem Reipublicæ rectissimè facit, quia non spectat ad legislatorem aliter de cultu Dei ordinare. Tostat. Defensorij. fo. 35.

Religio est fundamentum politiæ. Vide quæ scripsi. Theol. natur. tom. 4. parte. 1. cap. 5. Misera mundi totius facies tempore idololatriæ Ib. parte. 2. cap. 1. Christus est summus & sapientissimus legislator, lexque Euangelica optimam docet politiam. Moralis Christiana, to 3. parte. 1. cap. 10. 11. Vna in vno regimine Religio Ib. cap. 16. 17. Religio & politia consentire debent & vna quæ sunt alterius non vsurpet. lib. de agente Dei in humanis parte 1. cap. 21. Lex Euangelica optima ciuili politia non est contraria. Ib. parte. 2. cap. 4.

Domus Iouis nullo malo aspectu aspiciunt domos luminarium sed sagittarius conuenit cum leone domo solis, & pisces cum cancro domo Lunæ, ita Religio bene conuenit cum regimine, & ipse Iupiter ad vtrumque facit aptos. Leo hebræ. dialogo. 2. de amore.

Sensus benè conueniunt cum ratione cui materiam subministrant, vicissim sibi famulantur & absque totius detrimento non possunt ab inuicem separari. Laurent. Iustin. de interiori conflictu c. 7.

Lex vt sit iusta debet congruere Religioni, idest honori Dei, in quem tendit vera Religio, vnde mutato ritu religionis, lex ciuilis si non conueniat, mutari debet, iuxta illud Hebreor. 7. translato sacerdotio necesse est, vt legis translatio fiat. Licèt leges, ciuiles hunc finem non habeant, illi tamen subalternantur, & non debent repugnare. Suarez de legib. lib. 2. cap. 9.

Ad firmamentum cœli, idest vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, idest duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas, & regalis potestas. cap. sollicitę. de maio. & obedie

Lex diuina principaliter instituitur ad ordinandum homines ad Deum, lex autem humana principaliter ad ordinandum homines ad inuicem, & ideo leges humanæ non curauerunt aliquid instituere de cultu diuino, nisi in ordine ad bonum commune hominum. D. Tho. 1. 2. q. 99. a. 3. Potestas ciuilis non multum curat de internis actibus, imo vix circa illos aliquid potest. Suarez. lib. 3. c. 11.

Egressus est Israël de Ægypto in manu Moysi & Aaron, intellige legem & sacerdotium; quorum alterum altero indiget. D. Hieron. Fabiolæ de 42. mansionibus filiorum Israël.

COMMVNIO bonorum.

IOan. 17. Christus dicit Patri, Tua mea sunt, & omnia mea tua sunt.

Alexander Dario superato solus cum Ephestione amico & similiter ornato ingressus est cubiculum vxoris Darij. Quæ procidit ad pedes Ephestionis putans esse Alexandrũ, Ephestione retrocedente & Regem ostendente; propter erratum pudore confectæ; dixit Alexander, eam non errasse, nam & eum esse Alexandrum. Suidas in voce Ephestion.

Rodigin. lib. 24. c. 3. refert Rodigini natum infantem bicipitem vultu simili, sublatis intestinis ne putrescerent, inuentum est vnicum cor, hepar geminum. Significare potest distinctum dominium in vitam communem collatum.

Publius Syrus dicebat, Amicitia pares inuenit aut facit.

Ecclesiæ bona debent esse pauperibus communia

Vide Potestas Virtutis. Bonorum Ecclesiasticorum legitima distributio ex D. Chrysost.

In cœlesti patria vbi plenitudo boni est, licet quædam data sint excellenter, nihil tamen possidetur singulariter, omnia enim in omnibus sunt, non quidem æqualiter, quia alij aliis sublimius possident, quæ tamen omnes habent. Magister sentent. lib. 2. dist. 9. q. 1.

D. Chrysost. Homil. 73. in Matth. loquens de Monachis. *Vna mensa* inquit *omnibus & administrantibus & his quibus administratur: eædem epulæ; eadem indumenta; abest inde meum & tuum, vnus omnibus viuendi modus, cum anima quoque vna sit vniuersis, non secundum substantiam, sed secundum charitatem. Quomodo igitur ipsa contra seipsam superbiret? Non est ibi paupertes, non sunt diuitiæ; magni & parui virtute solummodo sunt, sed nemo id respicit*, &c.

Gen. 15. Abraham in sacrificio suo aues non diuisit, idest spirituales inter se concordant, nec aliquid habent inter se diuisum. Alcuin. in Genes. inter. 167.

Episcopi debent in singulis Ecclesiis iuxta earum facultates, constituere certum numerum clericorum, & statuere, vt bona eorum veniant in commune; in vna domo vescantur, atque sub vno tecto dormiant & quiescant. Contradictores ad id cogat suspensione officij & beneficij, vel alia grauiori pœna, appellatione nonobstante. cap. quoniam 9. de vita & honest. clericor.

INTER PIAS ET DEO sacras personas est optanda bonorum communio.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Lex ciuilis distincta voluit esse bonorum temporalium dominia, ex quo coniugia securitatem quæsiere, & prolis educandæ causa laborum fructus, separatis voluerunt seruari domiciliis. Præualet in vnoquoque suæ conseruationis innatus amor, qui ad quærenda & congerenda sibi bona gaudet, diligentiam suam accendit, difficilia superat prouocatus ipso proprietatis &. singularitatis titulo, quo cæteris electione libera se præfert; quis enim, nisi contra naturam, seruus, alteri laborat, vix sibi sufficiens. Hinc communia publicaque neglecta deperirent, nisi lex & qui dominatur ex singulis ciuium repositis sibi bonis exprimeret publicis vsibus necessaria. Valeant hæc apud homines sensibili tantum ductos appetitu, nihilque sibi proponentes supra naturam; alia fœlicior Deo sacratarum personarum conditio; cœlibes cum nullam habeant coniugij, prolisque seruandæ causam, possunt esse locis, affectibus, possessionibus indiuisi: Optat Christus Dominus suos omnes secum, & inter se mutuo vnum esse, sicut ipse cum patre suo cœlesti vnus est.

MAGNITVDO. Totum non se tradit charitati, proximum sicut seipsum non diligit, qui sibi non proximo quærere, conseruare vult possessiones, & tot titulis, qaot haberi possunt, illi præferri. Comparatis fortunæ bonis vti quidem poterit in egentis subsidium, sed experimur quam arcta sit manus sibi semper timentis, plus æquo prouidentis, potu sitim suam accendentis auaritiæ, forte dat aliquid pauperi diues, sed qui suas posA sessiones confert in bonorum virorum societatem, omnibus illis omnia dat, se ipsumque suum, effusa, pia tamen intra virtutis modum contenta largitione.

DVRATIO. Non est hic timendum ne negligantur communia, præsidet illis, cui sacrata sunt, Deus, qui singulorum affectus, labores, industrias, his conseruandis occulto nexu concordes, applicat. Vnita fortiora fiunt, & illæsa diutius manent. Illustrium quarundam familiarum videmus interitus, sub vigilantis quidem sed infœlicis Domini cura. Religiosas domos spectare licet post hæresum, bellorum, tyrannorum sæuas tempestates, integris adhuc, quibus ab initio dotatæ fuerant facultatibus, etiam plurimum adauctis ne quis in posterum timeat sortem suam B committere societati, sub insigni diuina humanaque, tutela positæ.

POTESTAS. Absurdum est Religiosos qui se totos Deo consecrarunt cum voto paupertatis & castitatis, adhuc diuitias suæ & alienæ mentis corruptrices, vitiorum pretia, cupiditatum incentiua sibi retinere. Qualiter possidere potest qui possidetur? qui Religionis, sicut seruus infortunij causa, censetur non habere caput, in eo necessitate, in illo voluntate iuris & possessionis pariter extincto fundamento. Quod autem singulis non licet, vniuersitati conceditur, ex intentione vouentium qui voto suo, sicut contractui dedere legem hanc, qua mentis integritati, tranquillitati simul & vitæ mortalis necessitatibus prouidetur. Putant hanc fuisse Christi C Domini mentem, dum Religiosæ societatis exemplar proponeret in Apostolorum collegio. In eo namque voluit esse paupertatem, vni tamen, licet non impunè, commissas ad dispensationem pro cæteris, pecunias.

COGNITIO. Rerum diuinarum scientiis & contemplationi totam suam mentem, cæteris omnibus vacuam debet militans Deo, absurdum est igitur eam demitti ad curam temporalium quæ nisi seruentur vigili sollicitudine, mille casibus è prementis etiam manu diripiuntur, & effluunt. Diuisus est ergo, & in spiritualibus minor homo Dei, si cogitationes & operas suas conferat ad peculii conseruationem. Illi pro magnis possessionibus distrahi nimis anxium est; pro paruis indignum. Tunc solutus, vere liber & securus D est, cum totum ius refundit in communitatem. Rerum ad eam pertinentium cura vni procuratori commissa, cæterorum est liberatio; vt verè tunc dici possint, nihil habentes, & omnia possidentes, modico scilicet impletis & nihil vltra quærentibus desideriis.

VOLVNTAS. Sit illud minimum quod sacerdoti vel religioso superest, ad vitæ necessaria peculium. Sed ipsi maximum quia totum est, exiga constans quantitate, priuationi proximum, huic facilè cedit, vix se vindicat, nec valens carpi per partes, totum simul pereundo extremam affert indigentiam. Imminens hoc iacturę periculum monet anxias & ęgras animi passiones, in his potissi- E mum qui velut extra sęculum positi se vident ciuilis amicitię subsidio destitutos; Totum Deo debitum cor non præstabit habens illud sordidis hisce partitum, infectum, præoccupatum curis & affectibus.

VIRTVS. Si pauca priuatim possides, durum tibi videri non debet relinquere contemnenda, tam leui pretio cœlestis hæreditatis emptorem fieri

transcribi in sortem eorum quorum Dominus est possessio. Prudentis est pretiosa vilibus præferre; temperantis, deleteria licet oculis & ori grata ne minimum quidem attingere; Iusti, mentem sub terrenorum seruitute laborantem suis restituere natalibus, in hanc libertatem & integritatem quæ dona capiat cœlestia ignauus est, qui vano futuri metu egredi non vult ex possessiuncula hostibus etiam exposita, & qui dato cœlesti classico, sequi timet cæteros ad perfectionis apicē fortiter contendētes.

VERITAS. Sibi malè consulens nocet humana sapientia, dum spes suas ponit in singulari possessione, hoc enim qualecūque residuum cupiditatis, recidiuas excitabit, erit accrescentis gradatim appetitus, in vana, forsitan peccantia se diffundentis incentiuum. Sanctitas purum, defæcatum, absolutè diuisum à terrenis animum significat, hanc vt veste, nomine, sic vitæ simplicioris instituto debes profiteri. Et ad maiores quotidie virtutis profectus te, sublatis impedimentis, aliorum exemplo promouere.

GLORIA. Experire cum propheta, quam bonum & quam iucundum sit habitare fratres in vnum indiuisis vt affectibus, sic possessionibus. Vna sit fruitio communis, ex fruitione lætitia mutua se reflexione perficiens, & hinc ad Deo laudes persoluendas ardens omnium æmulatio. Benefactori gloriosum est tot sanctos vno iuuare beneficio; habere suæ largitionis, tot gratos, etiam ipso nolente præcones; sed quod optat, pios apud Deum intercessores. Sic in communi possessione procul ab inuidiâ, fit lætitiæ multiplicatæ virtutis citra periculum positæ illæsa securitas, spiritualis & temporalis commodi noua semper accessio, vnde singulis contingit maior pax & tranquillitas.

DIFFERENTIA. Aliud à communi sæcularium consuetudini discretum profiteris vitæ genus, cupiditati minus, virtuti magis conueniens; Inter ipsos introduci debuit possessionum distinctio, meum & tuum, vnde se sustollit mortalium ambitio, vanitas insolescit, vtrique materiam semper sitiens congregat auaritia, vnde se primum & alios inuidia dilacerat. Hinc tot bella? tot lites, malis ipsis quibus mederi videntur grauiora remedia. Cur distinctionem possessionum, tot furiarum notam omnibus matrem, excipis non minus infausta parituram in Deo sacra congregatione?

CONCORDANTIA. Publica vox vbique gentium personans, inter amicos omnia fieri communia, potissimum valere debet inter eos, quos cœlestis iunxit charitas sub eiusdem instituti professione; ad instar diuinarum personarum quib⁹ vna voluntas, vna dominatio.

CONTRARIETAS. à tot externis hostibus pulsatur vitæ sanctioris institutum; quid si propter distinctas possessiones, inuidia, quærelis, internoque laboraret dissidio? Citò deficeret diuisione facta debilior, internis externisque simul bellis concussa.

PRINCIPIVM. Inter primos Christianos dicit Tertullianus, omnia præter vxores fuisse communia, sic Christus instituit, sic receptus ab antiquis Ecclesiæ mos, sic diuitum; sic Principum piæ largitiones, non singulis personis, sed congregationibus factæ sunt, & in posterum sperandæ, vbi bonorum communio fuerit introducta.

MEDIVM. Inter absolutæ paupertatis professionem, & diuitias ea ratione quā possidentur à sæcularibus, medius intercedit status eorum qui nihil in particulari, sed tantum in communi possident, & A sic temperatus optimè congruit humanæ naturæ rerum mediæ; menti non sic in diuina translatæ quin corpori & sensibilibus plurimum hæreat. Cum singuli curis soluti studiis & officiis diuinis impenduntur, rebus communibus conseruandis & distribuendis diligens inuigilabit procurator, omnibus pacem quærens sua labore. Et hic illi grauis non est, quia velut angelus occupatus terreno regimini spiritualibus fruitur: Illum enim negotiis implicat non humana cupiditas, sed cœlestis charitas; partes agit illius sacerdotis qui tota nocte ignem in altari fouebat ad holocausti consumptionem, pias enim conseruat donationes quibus Christo iuge fit in sacra congregatione sacrificium. Ingens huius B exercendæ charitatis motiuum est, præteritis, præsentibus, futuris sæculis laborare, omnium pietati ne deficiat, operas suas plaudentibus omnibus conferre.

FINIS. Hæc in societatem communis bonorum collatio, potest à singulis intendi sicut vitæ modus, morum integritati, concordiæ, tranquillitati conuenientissimus, sed qui præterea plurimum confert ad disciplinæ Religiosæ, faciliorem & perfectiorem obseruantiam, cuius dum splendor emicat, sequitur sanctioris huius instituti numerosa fœcunditas, quam qui zelo feruens intendit, laborat æternitati.

MAIORITAS. Excellentiæ naturaliter auida C mens, sublata spe temporalium, solum nititur in spirituales profectus. Singulare peculium zelo perfectionis in communitatem transfusum fit causa præstantioris meriti, quod prius erat amoris proprij, cupiditatis, vitæque liberioris præceps occasio.

ÆQVALITAS. Æquat omnes cinis, & mundo moriens cœlo viuens animus. Vt quid in conditione supra fortunæ sortem posita, vnus præ cæteris extolli vult ditiori peculio, velut fortunæ continuò sibi blandientis muneribus. Mundi sicut superati tyranni rescindi debent qui supersunt actus & D fauores, maximè qui cum religioso pugnant instituto. Sicut enim inter socios inuidiam, iras, contentiones parit, efferens se supra cæteros singularis vitæ modus in regione spirituali, suo & alterius damno, sensibilis; sic pacem, concordiam, amorem conciliat æqualitas. In religiosa bonorum communione nihil fit contra naturæ legem, licet velut oblitus tui, cœlo propitio tibi donata profundas in alios; conferunt enim & hi pariter sua, & aliquem forte temporalis possessionis defectum, industriâ meritis etiam illustrioribus, compensant, salua præstant, in manibus tuis peritura, vt in lucrum tibi cedat sic inita societas.

MINORITAS. Si cui concedenda foret austerioris vitæ quædam relaxatio, infirmitati, senectuti, virtuti laboribus insolitis occupatæ fuisset E in solatium tribuenda. At ipsis debilibus & benè meritis in agone religiosa fortiter contendentibus; quis ferat validum ignauum cum ampliori stipendio delicatius viuentem: Est igitur iniquissima peculij singularitas, sicut pia, & inæstimabilis merití eiusdem in commune collatio, sic enim habet rectrix œconomia quo pluribus minori sumptu, maiori cura, apparatu lætiori vitæ necessitatibus prouideat, & familiam ampliorem efficiat Deo seruientium, quorum sic boni communis zelo expropriati, existunt, velut fundatores.

Bonorum omnium communione Religiosi imitantur cœlestium vitam. *Vide Maioritas Virtutis*, perfectio Euangelica.

Perfectus amor & amoris vera vnitas, nihil habet priuatum, nihil possidet singulare, exponit sua, tribuit se liberalissima charitate; non inuidet, non abscondit, non negat quod habet, sed totum communicat diligenti dilecto. Laurent. Iustinian. lib. de perfectione Monastica. in fine.

OBEDIENTIA Religiosa.

De voto & meritis obedientiæ Religiosæ. Vide quæ scripsi. libro. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ parte. 2. cap. 7. & lib. de institutione & officiis religiosi Parte. 1. cap. 29. De perfecta superioribus præstanda obedientia. Ib. parte. 3. cap. 6. Religiosus pie & diligenter impleat officia sibi commissa. Ib. cap. 12.

Apud Isaiam Deus accepta non habet quorundam ieiunia In die enim, inquit ieiunij inuenitur voluntas vestra.

Obedientia reprehensibilis. 1. cum quis obedit creaturæ homini inferiori, vt pecuniæ, luxui: 2. cum extorquetur obedientia à superiore, 3. cum quis suo superiori in malo obedit. Obedientia autem commendabilis duplex est quædam necessaria, ad quam quis tenetur, alia est perfecta, quæ legem nescit, locis non arctatur nec angustiis professionis, sed alacriter fertur ad omnia secundum latitudinem charitatis, &c. Laurentius Iustinianus. lib. de obedientia. cap. 5.

Sunt autem hi perfectæ obedientiæ gradus. obedire libenter, simpliciter, hilariter, velociter, viriliter, humiliter; perseueranter; ne tepescat: & propriæ voluntati postea contumaci aliquid indulgeat. Ib. & lib. de perfectione. Monastica. cap. 7. in fine

Obedientia bonum omne parit, quia elidit propriam voluntatem, vnde prodeunt mala omnia, angelorum, primi hominis ruina, bella, discordiæ, tot orbem inundantia, infernum replentia flagitia. Hæc fuse apud eundem. lib de perfectione. Monastica. cap. 7. Magna securitas habere qui pro se Deo reddat rationem; auro & gemmis ornatum, cum magno principis comitatu incedere; sub bono gubernatore periculosum pelagus nauigare; militare sub prudente & fœlici duce; gregem inter lupos diligenti sollicitudine custodiri. Errans enim ouis, fit bestiarum præda. Ib.

Aqua ante diem creata, humilitas & obedientia, ante illustrationem.

Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum Math. 5. idest humiles, quos vocat pauperes propter carentiam propriæ voluntatis, & quidem spiritu, nulla coacti necessitate, quæ inter laudanda non debet numerari. D. Chrys. hom. 15. in Math.

Math. 8. sequuturus Christum petit ab eo. Domine sine me prius abire & sepelire patrem meum. Rem honestam non vult facere sine licentia & negatam non implet. Sed æquo animo tulit, desine mortuos sepelire mortuos suos. Ibid. homil. 29.

Sic ipsa Angelorum numerositas distinctis est condita ordinibus, officiisque variata ac meritis impar, vt imperturbabilem in se custodiant nihilominus caritatem, minores famulentur maioribus, maiores se elatè non præferant minoribus, sed omnes in vno conueniant, & infatigabiliter occupentur diuinæ laudationis affectu. Laurent. Iustin. lib.

A de connubio verbi & animæ. cap. 16.

Præposito suo sint in totum subditi religiosi: nolint discernere, quare, sed quid præcipiat; ad eum vt pueri ad nutricem frequenter recurrant. Nihil illis apparebit asperum, nihil impossibile. Sine oculis replebuntur lumine, sine discretione ornati erunt sapientia, sine voluntate erunt refecti gratia, eo abundantiori quo liberius se subiicient, & dicent paratum cor meum Deus: hæc est via regia, angelorum vallata præsidiis. In manibus portabunt te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum, &c. Id opusc. de obedientia. cap. 25.

Non facias quod vis, comedas quod iuberis, vestiare quod acceperis, operis tui pensum persoluas,
B subiiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, & necdum expleto somno surgere compellaris. Præpositum monasterij timeas vt Dominum, diligas vt parentem. Credas tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de maiorum sententia iudices cuius officij est obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse, audi Israël, & tace. D. Hieron. epist. ad Rusticum Monachum.

Idem ad Eustochium de cœnobitis loquens. Prima, inquit, apud eos confœderatio est obedire maioribus, & quidquid iusserint facere.

De obedientia Religiosa. Vide infra. Hoc titulo, Obediendum potestati.

C Columnæ 60. quæ sustinebant tentoria tabernaculi habebant capita penitus argentea nullo ære mixta; significabant voluntatem Religiosam purè superioris voluntati resignatam, liberumque arbitrium, quod in nobis præstantissimum est, Deo sacrum. Rusbroch. de tabernaculo fœderis. cap. 5.

OBEDIENTIÆ RELIGIOSÆ præstantia.

D
DEMONSTRATIO.

Bonitas. Religiosus est homo qui se totum intelligens Deo deberi, se totum Deo deuouet, hic impleturus quantum poterit diuinam voluntatem, instar beatorum in cœlis. Illi propositum, vt præceptum est, Diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus suis, ne quid autem nimium sibi blandiatur, in paupertatis & castitatis, quibus ab humanis recessit, custodia; voluntatem propriam omnis concupiscentiæ fontem, abdicat, Deo sacram efficit subditque superiori ab eo constituto.

E Magnitudo. Cætera quæ Deo præstantur vota suos habent limites, certisque finibus & officijs includuntur: sola est quæ infinito Deo, infinitum quid offert obedientia, humanam scilicet voluntatem, affectus omnes terrenos electione possibili complectentem in his omnibus cedit iuri suo Religiosus, se totum diuino regimini, docilem, fidum, obsequentem consecrat; Deum vltimum suum finem habere vult, cogitationum, intentionum, actionum suarum primum motorem & tutorem, confusa quadam de reddendis rationibus actione, in eadem quæ has exigere debet, persona.

Duratio. Obedientiam hanc professus, meritò dicitur viuens hostia propterea quod omni die, hora, momento iussis implendis consecrata semper integra manet, iterum, iterumque partibus inconsumptis offerenda. Mirum quod obedientia

sicut æternitas in momento tempus omne, dissitas actiones, motus natura sua contrarios complectitur. Nam omnia paratus exequi, semper in procinctu posita, præceptum etiam præueniente voluntate, omnium consequitur merita.

POTESTAS. Iam nemo conqueratur quod non fuerit necessariò determinatus ad bonum peragendum, sic enim vnum tantum ageret, & in inferiorum sorte positus, careret suo & cæterarum rerum dominio, seruus esset non liber, vt sine electione, ita sine meritis & præmio: At habens facultatem ad vtrumlibet, duplex illi contingit virtutis occasio; scilicet in fuga mali & boni consecutione. Cum autem virtuti morali accesserit obedientia religiosa, censetur omnia simul exequi, omnium merita simul promereri, qui paratam & expeditam habet ad omnia voluntatem. Sic in lucrum centuplo maius & velut infinitum cedit libertas Deo per obedientiam consecrata.

B

COGNITIO. Frequentiora sunt in nobiliore specie monstra, & spectatissimæ sapientiam profitentium aberrationes. Facile quilibet rationi suæ confisus fallitur; falli non potest obediens, qui loquentem in superiore Deum consultat, audit, sequitur quocumque res vertat lætus, securus, conscientiæ suæ simul & alienæ testimonio, & vt Christus præcepit, sine sollicitudine. Vocauit hunc ad vitam religiosam Deus, tot beatæ lucis, terrenorum vanitates, cœlestium dignitatem demonstrantis splendoribus; tanta spiritualium consolationum dulcedine, vt in se diuinum munus stupens & mirabundus agnoscat. Non multiplicantur hæc sine necessitate miracula; semel tantum in templi Salomonis dedicatione visa fuit descendens maiestas domini. Non igitur ad singularis actionis directionem est expectanda singularis Dei inspiratio, cum vniuersalis præcesserit totam voluntatem, offerri sibi postulantis. Sequendus est igitur in cæteris religioni positus ordo, pluribus Ecclesiæ conciliis & Patrum comitiis quibus Spiritus S. præsidebat confirmatus, vt hinc quisque certo sciat, diuinum esse quod deinceps præpositi iusserint.

C

D

VOLVNTAS. quid aliud optat & quærit amans quam in dilectum transformari, & quid ardentius ambit homo, spiritu diuinæ charitatis actus, quam in posterum amplius sibi non viuere, sed Deo; sacris eius ardoribus liquescere, in eum quidquid est humanæ voluntatis & potestatis, transfundere vt dicat cum Apostolo, viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus: hic est altissimus vsus humanæ voluntatis, sic compendiosè transferri in suum vltimum finem; In obediente voluntatem humanam esse mortuam, diuinam tantum mouere, decernere, numquid hoc est deificari?

VIRTVS. quis in necessariorum vsu obediente temperantior; in aduersis tolerandis fortior, in humanis officiis iustior, in electionibus prudentior quam qui perturbationibus vacans, diuino tantum radio, diuino beneplacito dirigitur. Ita confluunt in vnum distinctarum virtutum habitus, & omnes cum intima charitatis forma connotat, qui dicit obedientem.

E

VERITAS. hic obediens informatus charitate omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, patiens & benignus; superiorum iussa non discutit, nec in cõtrouersiam vocat libratis hinc inde rationibus, tunc enim ageret partes iudicis, cum fungi debeat alacriter obsequentis & ministrantis officio. Superioris igitur mandata sunt apud eum pro lege quam

A decernit, non ratiocinatur, & tanquam oraculum de quo dubitare nefas.

GLORIA. hinc in obediente summa conscientiæ securitas; indeficiens tranquillitas animi quam consequi non potest humana sapientia dum innititur cæco, sæpius præuaricanti amoris proprij iudicio: obedienti velut diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum: qualiscumque fuerit rerum exitus, illi cedit in gloriam apud Deum & homines, si qua debet diligentia, manum admouerit operi; suas enim egit partes in re, cuius fœlicitas pendebat à præcipientis indicio, & diuinæ prouidentiæ decretis.

DIFFERENTIA. magna securitas est, expertum & fidum habere ducem itineris, qui suis periculis nos recta ducat in cœlum, inter ambiguos vitæ spiritualis & humani iudicij tramites, ne transferamur vario morum & opinionum vento.

CONCORDANTIA. Obediens si benè cum superiore conueniat fruitur alta pace secum, & cum proximis, si dum exequitur iussa, prouocet quorundam iras, in ipsum tela non torquentur, cui parere necesse fuit, sed sibi salua fidelitatis laude, excessus culpa si quæ sit reflectitur in præcipiẽtem, vt subtilem aciem nouaculæ nemo culpat quod sequens chirurgi manum aliquid plus iusto secuerit.

CONTRARIETAS. Quid prodest instituti religiosi sanctitas, superioris sapientia, zelus, in virtutis exemplum, semetipsam consumens vita, si subditos experitur rebelles, si suo non alieno feruntur indicio; sic enim perit piæ congregationis nexus; iam non est ordo, nec regimen, sed confusis agendi modis Anarchia. Obseruatum est ciuiles societates longè citius contumacia subditorum, quam imperantium vitio dissolui. Occurrit in executione mandati difficultas & hæc est amplioris meriti præsens occasio; viribus etiam fractis, fideles conatus suæ manent coronæ. Milites, obedientes continet austerior militaris disciplina, & Imperatoris plusquam hostis metus. At Religiosum superiori semper subditum efficit emissi voti memoria, tantæ virtutis honestas, charitatis ardor non patiens semel altaribus sacram victimam auferri tepiditate sacrilega.

PRINCIPIVM. Igitur boni tam priuati quam publici rationibus obediens fidelis manet in officio, nihil videns, audiens, consultans in contrarium, his quæ à superiore tanquam motus sui principio sunt imperata; sicut docta pictoris manus dirigentem eius idæam flexu blandiente sequitur, aliorum monitis surda, propositis exemplaribus cæca. Viget eadem, contractis habitibus præstantior charitas, quæ primum religiosi vitam Deo sacrauit, & vt consumetur holocaustum per totam præsentis vitæ noctem, ignem fouet obedientia, donec æterna dies illucescat.

MEDIVM. videtur hic instrumenti, quam principalis agentis actio nobilior, eo quod in illa nihil se interserit appetitus humani: nulla propriæ rationis, voluntatis, complacentiæ, gloriolæ labes meritum infuscat; tantum intendit obediens Deo in superioris ab eo constituti persona subiici; quidquid obstet, implere iussa sic totam actionis seriem charitas defæcatam, sanctam, diuinam efficit.

FINIS. si vel actionis præceptæ labor, vel præcipientis apparens indignitas, habito sensuum consilio, remouere conentur obedientem à præstandis quæ iubentur officiis, tunc propositi sui memor mentem dirigat in eum quem sibi primò constituit

vitæ finem Non hominibus, sed Deo placere: non indulgere sibi, humiliter quæ iussa fuerint exequi; superioris, inquit, munus est, iudicare, præcipere: meum parere iussis, non quia mihi videntur ratio-in consentanea, sed quia iussa sunt. Hæc proposui nouitius, implebo senex, ne me sacræ militiæ desertorem subita mors intercipiat.

MAIORITAS. ne putes obedientiam virtutum obstare profectibus, & exundantem, diffundi natam charitatē velut positis obicibus continere. Iam enim gaudet illimitatè quodammodo dilatata cum omnes voluntatis propriæ motus, cum infinitas singulares electiones & actiones litauit Deo, positas inter manus superioris a maiestate sua constituti. Sed dum internum externūque hoc impletur holocaustum, supersunt, orationis continuæ, deuotionis aliorum exemplo se promouētis actus innumera serie liberi, superfiunt amoris diuini nunquam intermittentis æstus, mille charitatis officia proximis exhibenda. Hic vt in cœlorum motu summa semper est in æqualitate varietas; cui tota se dicans vita, nunquam vacat, nunquam sufficit.

ÆQVALITAS. Est in vita quæ semper pendet à superioris arbitrio varietas, ex occasionum & præceptorum immensa diuersitate. Dum in iussis implendis vires suas explicat obediens, id præstat eodem virtutis habitu; idem agit in diuersis; Idem semper sibimet ipsi, Deo sacer, Deo plenus, temporalium contemptor, candidatus æternitatis quæ concedet illi plenam amandi & laudandi Deum facultatem.

MINORITAS. continua sub superioris directione vita saluam seruat humilitatem vitæ spiritualis fundamentum, silentio, submissione, interdum innocente complacentia, rebus agendis quæ sua non probat ratio gratulabundus obediens accedit, aliorum sic leuans laborem, accendens diligentiam, querelas compescens eorum manibus operas suas Deo dicat.

Lignum in paradiso scientiæ boni & mali censura discretionis est, quod in conuersatione religionis penes patrem spiritualem, qui iudicat omnia & à nemine iudicatur, ipsius enim est discernere, aliorum obedire. Laurens Iustin. tr. de charitate. c. 9.

OBEDIRE RECTORIBV

IN rebus naturalibus quando aliquod corpus inferius à superiori mouetur, est ei ille motus naturalis, quamuis non videatur conueniens motui quem naturaliter habet à seipso, sicut mare mouetur secundum fluxum & refluxum à luna. & hic motus est ei naturalis, & sic creaturæ quasi pro naturali habent quod à Deo in ipsis fit, propter hoc in eis distinguitur potentia duplex; vna naturalis ad proprias operationes, vel motus; aliæ quæ obedientiæ dicitur, ad ea quæ à Deo recipiunt. D. Thom. in quæstio. disput. q. [illegible] a. 1. ad 1.

Vide Concordantia Principij. Conformitas humanæ voluntatis cum diuina.

Motus circularis dicitur esse naturalis cœlo, non quasi sequatur aliquā inclinationē naturalis virtutis inhęrētis, sicut sursum ferri est motus naturalis ignis. Sed in quantum in sua natura habet aptitudinem ad talem motum, & sic in seipso habet principium talis motus passiuum; actiuum autem principium huius motus est aliqua substantia separata vt Deus, vel intelligentia, vel anima vt quidam ponunt. D. Tho. Ibid. q. 5. a 5.

A Completo numero electorum cessabit motus cœli, non propter aliquod contrarium, sed propter voluntatem mouentis tantum Ibid. ad. 21.

Fiunt miracula propter obedientialem dispositionem & habitudinem in creaturis. *Vide Maioritas Potestatis.* miracula

Illa quæ mouent seipsa, vt probatur in 8. Physic. diuiduntur in duas partes, quarum vna est mouens & alia est mota, quod in rebus purè corporalibus esse non potest, quia formæ eorum non possunt esse mouentes, nec habent tantam diuersitatem partium vt vna possit esse mouens, & alia mota, & propter ignobilitatem & materialitatem formarum. Ib. de voluntate, a. 3.

Præcipua ratio, quare dos subtilitatis ponatur in corpore glorioso, est, vt sit plenè subditum animæ ad omnes operationes, quas anima volet exercere per illud. Tostat. Math. to. 4 fo. 149. c. 4. I.

B Instrumentum non assimilat hic sibi rem factam, quia non habent instrumenta quibus fabricatur domus talem formam in substantia & natura sua, nec etiam in intellectu, cum non sint agentia per intellectum; sufficit quod habeant proportionem ad actionem Id. Ibid. fo. 183. obediens non determinat, sed exequitur.

Angeli comparantur igni, quia est motu velocissimus & ardens celeritas, & ardor commendant obedientiam Id. Math. to 4. fo. 211.

Cœli qui semper debent moueri carent tamen instrumentis motus, sed habent figuram sphæricam aptiorem ad continuum motum quàm sunt instrumenta ambulatoria. Potentia obedientialis est præcipua in causis secundis.

C Quemadmodum in animalibus ex capite prouenit corpori ad agendum occasio atque imitatio, vident enim oculi, aures percipiunt, qualiter pedes & manus esse debeant in officio: sic in morali corpore, &c. S. Gregor. Nyssen. l.b. de perfecta Christiani forma.

Militantium Deo sub præpositorum obedientia, quatuor præcipuæ debent esse virtutes 1. Patientia immissas tentationes, illata conuicia, proximorum errata æquanimiter tolerent; 2. discant voluntatem propriam & sensuum per obedientiam retundere 3. contendant per virtutem spei, mentem & affectum ad cœlestia erigere 4. studeant perseuerantiæ laborum quibus æterna merces est reposita. Laurent. Iustinia tract. arbor vitæ.

D Non licet transgredi fines mandati, etiam in eo quod putatur melius Sic in reuolutione nocent planetæ si fuerint aliter etiam in melius dispositi quā in genitura. *Vide Potestas Durationis* iteratio potens.

Religiosus se viuentem hostiam offert Deo per votum obedientiæ, ita sibi mortuus viuit & agitur spiritu Christi, per superiorem ab eo constitutum: sic obedientia quæ est effectus charitatis, vt ipsa charitas in Deum transformat. Non sic tamen moritur propria libertas, vt iterum non surgat sæpius, sed ad meritum, vt iterum iterumque Deo litetur:

E Et hoc est patientia & charitatis continuum exercitium ita dicit Laurent Iustin. de patientia. cap. 1. Patientiam omnibus quidem, sed maximè in obedientiæ studio militantibus necessariam. Habent enim intus impetum voluntatis propriæ, foris improperia præsidentis; diuersos mores: aspera verba, exercitia non pauca, fratrum, velut aquarum inundantium impugnationes. Contra quæ procedat Christi miles armatus patientia, quæ est virtus aduersa omnia æquanimiter ferens, contra eum qui irrogat, nullo animi dolore mota.

Est obedientia spontaneum & rationabile propriæ voluntatis sacrificium: obediunt Deo etiam insensibiles creaturæ de quibus dicitur, præceptum posuit & non præteribit, dum nobis obediunt nos ad obedientiam inuitant: sic Angeli qui sunt omnes administratorii spiritus; Christus implens voluntatem patris sui docuit nos obedientiam: perditi per inobedientiam, restituimur per obedientiam.

Humilitas parit obedientiam, quæ est flexibilitas submissæ voluntatis, & promptitudo ad omne bonum, quæ nunquam fatigatur exequendo voluntatem Dei, subuicitque carnem spiritui, & spiritum Deo & omni creaturæ propter amorem Dei, dummodo hoc rationi consonum esse constiterit, & virtuosum. Harph. theol. myst. lib. 2. cap. 21.

Prima causa subordinantur inferiores. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 3.

Res nonminus patiendo, quam agendo perficiuntur. Ibidem lib. 2. lege 3. §. 2. Virtus est Rectoribus fortiter obsequi. Moral. Christian. to. 3 parte. 2, cap. 11. & libello de necessitate cap. 16.

Sol lucet, tenebras fugat, cunctis generandi virtutem præstat, calorem infundit, lætificat naturam, & de se magnum perseuerantis obedientiæ tribuit documentum. Laurent. Iust. lib de connubio Verbi & animæ, cap. 13. sic qui præstant cæteris dignitate, præstent etiam obedientia.

De animalibus sanctis refert Ezechiel, quod cum fieret vox supra firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant & submittebant alas suas.

Gen. 2. dicitur lignum scientiæ boni & mali; Non quod ipsum lignum in sua natura rationale esset, vel scientiam boni & mali habuisset, sed quod homo in eo experiri & scire potuit, quid esset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Alcuin. in Genes. interr. 2.

Sola obedientia est, quæ iacentem erigit, custodit iustum, dirigit innocentem. Laurent. Iustin.

Duplex bonum Deus præparauit hominibus, vnum videlicet temporale, alterum æternum, præstitit primum, secundum promisit: quamobrem duplex præceptum primus homo habuit, vnum naturæ ad custodiendum bonum datum: alterum disciplinæ ad promerendũ bonũ promissum, quod quidem bonum melius non poterat mereri, quam per puram obedientiam, quæ tunc mera est, quãdo præceptũ ex se obligat, & non ex alia causa; hoc autem præceptum dicitur disciplinæ, quia per ipsum discitur quãta sit obedientiæ virtus. Lex ergo obedientiæ quæ à Deo in paradiso primis est iniuncta parentibus, & quæ per Moysen iubente Deo, est instituta Hebræis; & quæ per Christum est prorogata fidelibus, facta est merendi seu dirimendi occasio, custodita, perennis vitæ brauium &c. Laurent. Iustin. de contemptu mundi cap. 9.

Iudas quidam Galilæus ante Christum, dixit hominem natura liberum, nullis principum legibus teneri; vnde tentatus est Christus an tributum soluendum esset Cæsari; postea Lutherani & Anabaptistæ asseruerunt Christũ liberasse hominẽ ab omni lege. Contra Christus Matth. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: & Apostol. Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Hæc fuſè Suarez de legib. lib. 3. c. . & c. 21. & 24. asserit leges ciuiles obligare in cõsciẽtia, quia Rom. 13. dicitur; Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, sibi damnationem acquirunt: quod de damnatione apud Deum intelligit Chrys. hom. 23. vnde colligit illi esse obediẽdum, non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam; quia legislator fert legem vt minister Dei, at qui resistit ministro Regis censetur Regi resistere. Non te abiecerunt sed me. 1. Reg. 8. Sine tali obedientia non consisteret regimen politicum: quisque fraudem faceret legibus; & sine lege fieret effrænis morum dissolutio &c. quia dicit D. Thom. quod leges ciuiles iustæ, sunt tantum declaratiuæ legis naturalis.

Regũ preces sunt præcepta sic Petrus Blesen. ep. 1.

Est orare ducum, species violenta iubendi
& quasi nudato supplicat ense potens.

Sicut crucifixus non habet potestatem se mouendi & conuertendi, vt libuerit, ita Religiosus applicans voluntates suas, non ad id, quod in præsenti delectat, sed secundum legem Domini, qua se constrinxit, nec cogitat amplius de hoc mundo, vt nec crucifixus qui scit & videt se breui in aliam vitam transiturum. Cassian. lib. 4. cap. 35.

Idem lib. 5. cap. 40. refert iuuenes quosdam monachos iussos à superiore deferre ficus ad senem in eremo ægrotantem, cumque aberrassent à via, nec haberent quod manducarent, maluerunt fame confici, quam depositas sibi ficus, & seni tradendas edere, itaque inuenti sunt mortui in deserto, iuncti manibus, & iuxta eos integræ ficus.

Iuuenis Religiosus nunquam proficiet, qui cœperit superioris mandata discutere, quia cum suo potius, quam patrum iudicio innitatur, facile decipit illum hostis, vt etiam ea quæ maximè vtilia sunt, superflua videantur. Id. coll. 18. cap. 3.

Spiritus, qui est minister & instrumentum animæ, paratus est ad eius imperium, ad omnes motus differentias sursum, deorsum, ante, retrò; & ad vilissima etiam abiectarum partium munia. *Vide Magnitudo Differentiæ.* Sicut enim instrumenti motus in arte est ad omnem locum materiæ, quæ susceptibilis est formæ artis, ita motus spiritus est ad omnem viam & partem corporis, cui potest imprimi forma animæ. Albert. Mag. tract. 1. de spiritu & respiratione. cap. 10. Hic motus spirituum non potest dici naturalis, quia motus naturalis non est nisi vno modo, & ad finem vnum, siue loci, siue formæ; hic autem motus est ad loca, & ad formas multas; neque in vno omnino est, quia fit attractione & expulsione, cum omnis motus naturalis, siue sit corporis simplicis, siue compositi, fit vna via tantum, & non ex eodem in idem reuertendo. Non est etiam violentus, quia esset tantum per accidens & non esset semper in animali; neque frequentor, sed rarò, & non constitueret, sed corrumperet animalis virtutem & perfectionem: esset etiam cum labore & pœna, quæ omnia motui spiritus ab anima omnino aliena sunt; cum perficiat, viuificet, delectet animal, est igitur hic motus spiritus per congruentiam animæ. Ibid. cap. vlt. Non est etiam voluntarius quia non pendet ab electione.

Vita consistit in proportione mouentis animæ cum corpore, & defectus eius sumitur ex parte non animæ sed corporis; vitaque longior in quibusdam procedit ex æqualitate complexionis, quia in illa franguntur excellentiæ contrariorum, & cum remouetur ab harum excellentiis, acquirit ad cœlum quandam similitudinem. Albert. Mag. tract. 2. de morte & vita cap. 1. Malum regiminis eiusque corruptio procedit ex obedientia sublimiorum.

Longitudo vitę vniuscuiusque viui, pendet ex virtute actiui super passiuum. Oportet enim in

omni viuo excellere calidum; & esse operatiuum, & actiuum, formatiuum, terminatiuum, completiuum. ibidem. cap vlt.

Omnis decoctio nutrimenti, est à caliditate quæ nutrimento est aliena, & nutrito propria. Id. tract. 2. de nutrimento cap. 1. fiunt omnia ad arbitrium imperantis, non subditi.

Oportet nutrimentum esse actu humidum, vt sit simile radicali humido, quod sibi dat vim nutrimenti, vt etiam quasi vi magnetica attractum facilius defluat ad partes, & illis assimiletur vnde sitis est desiderium humidi, quod dat alimento facilem ad membra motum. Ibidem. cap. 5. humidum est quod facile alieno termino continetur; talis debet esse obediens.

Quidam pisces natant tantum per motum capitis sui, sicut malachiæ genera, est autem malachie omne intus durum, & exterius molle, sepia, polypus, calamare. Albert Mag. lib. 1. de animalib. cap. 1.

Cincti sunt fortiores, hinc monachis cingulum proprium fuisse refert Cassian. & discinctus pro dissoluto habetur: hinc Persius discincto cantauerit osyma vernæ.

Primum mouens, est mouens per intentionem & intellectum, & ideo preordinat omnia ad finem determinatum; ordo autem ille influitur naturæ non per modum cognitionis & intellectus, sed per modum quo est principium motus & operationis; sic manus cuiuslibet artificis contrahit habitum rectè & similiter operandi, serui exequuntur mandatum domini, cuius non percipiunt rationem, sagitta in scopum peruenit, directa à sagittario; sic natura non consultans, & non intelligens exequitur opus suum. Albert. Mag. 2. Physicor. tr. 3. c. 5.

Potius est obediendum Principi, quam patri, quia Princeps, est anima Reipublicæ. l. veluti ff. de inst. & iure.

Princeps est quasi maritus Reipublicæ, quæ ideo debet ei subesse. Vide Chasseneum in catalogo gloriæ mundi. p. 5. conf. 24 n. 166.

In omnib. rebus est natura irrationalis quæ determinatur, & rationalis quæ determinat; in vniuerso genitum & diuinum. in nobis pars sensualis & intellectualis, fortuna & prudentia similiter in œconomicis & politicis & in omni arte, vt nauis & gubernator &c.

Fœlix ciuitas, in qua ciues magistratibus, magistratus legibus obediunt.

Obedientia præstantes sunt victoriam consequuti, sed vincuntur vbi cœperint priuatim quisque de sua salute consultare; non perueniunt naues nisi rectoribus pareatur.

Non inutilis tantum sed nociua est tum militum, tum equorum virtus si non obediant. Tria sunt bellum rectè gerendi capita, velle, reuereri duces, & illis obedire. Thucidides. lib. 4.

In via malo sequi videntem & peritum, quam cæcum ducere.

Sunt quatuor planetæ circa Iouem incessanter moti, aliique duo circumstant Saturnum per Telescopium reuelati, sed quoniam eorum actio cum planeta suo, communicatur nobis, non est de ipsis specialis doctrina in astrologia. Campanella.

Contra non obedientem Monachum. Gerson. tom. 3.

De obedientiæ perfectione. Bern. ad 1. ser. 13.

Obediendum etiam discolis. *Vide Contrarietas Potestatis Regni.*

A Regula obedientiæ, continet motum elationis. Cusa.

Leges ciuiles factæ à principe possunt obligare in conscientia. 1. Pet. 2. Subditi estote Regi quasi præcellenti, &c. Rom. 13. qui potestati resistunt, Dei ordinationi resistunt, ideoque sibi damnationem acquirunt: damnatio autem non irrogatur, nisi propter peccatum mortale. Multo magis potest obligare potestas Ecclesiastica Luc. 10. Qui vos spernit, me spernit, Matth. 18. si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Non tamen leges omnes obligant in conscientia, quia non est talis intentio legislatoris, & quia populus non acceptauit leges sub tanto grauamine; sed tantum sub

B pœna imposita, tamen communis & probabilior est sententia leges pœnales obligare in conscientia & sub peccato veniali aut mortali, secundum materiæ grauitatem. Vide hæc fusius apud Bonacin. de legib. disp. 1. q. 1. p. 7.

Stellæ per se non mouentur, sed sphæris & circulis suis affixæ vehuntur.

Præceptum superioris magis obligat quam conscientia erronea, quia superior est regula conscientiæ. Idem. de peccatis. q. 4. punct. 6. 2. propos.

Concordia sensuum voluntati & rationi, originalis iustitia à sanctis vocatur, hæc data fuit primo homini à Deo. Card. Cusa. excit. lib. 2. c. 2.

C Perfectio rei, est subiici superiori. *Vide Concordantia Maioritatis.*

Dicit Bernardus, Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam, cum dixit, non sicut volo, sed sicut tu. In triplici statu Christianorum obedientia est necessaria, scilicet laicali, Ecclesiastico, & monastico, &c. Id. lib. 6. c. 19.

Obedientis non est inquirere præcepti rationem vnde dicit serpens mulieri; Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis de ligno, &c.

Patres deserti solebant nouitiis præcipere absurda, si obediebant, deinceps præcipiebant recta, quasi in omnibus forent obedientes. Vitæ Patrum lib. 5. cap. 10.

D Clericus Episcopo non obediens stipendio careat, & communione priuetur. Concil. Matiscon. can. 10.

Quando agens inferius agit per propriam formam, tunc est alia operatio inferioris agentis & superioris. Quando vero agens inferius non agit nisi secundum quod est motum à superiori agente, tunc est eadem operatio superioris agentis & inferioris.

Vbicumque est compositio, ibi est inuenire potentiam & actum, quia aut vna pars est in potentia respectu alterius, aut omnes partes sunt in potentia respectu eius quod ex compositione partium

E resultat ad minus, vt miscibilia sunt in potentia ad mixti, & partes quantitatis ad totam quantitatem Quandocumq; duo concurrunt ad aliquid vnum constituendum, vnum eorum est vt formale respectu alterius.

Superiora ad inferiora se habent sicut forma ad materiam. Albert.

Corpora inferiora si mouentur à corporibus superioribus, non est motus violentus, sed naturalis, quia in corporibus inferioribus est aptitudo, vt sequantur motiones superiorum corporum Non est ergo motus violentus semper, quando passiuum immutatur in suo actiuo, sed quando hoc fit contra interiorem inclinationem passiui, alioquin

omnes alterationes & generationes simplicium corporum essent innaturales & violentæ.

Mouentur inferiora partim motu proprio, partim à superioribus indito. *Vide Media Concordantia.*

Frustra est in natura aliqua potentia actiua cui non respondet aliqua potentia passiua, secundum Aristotelem; scilicet si potentia actiua sit ad finem; non autem, si non sit ad finem, sed sit ipse finis: sicut potentia Dei.

Ægyptij naturam primi principij legibus obsequentissimam significabant hieroglyphicè per vulturem, quia inter has volucres fœminæ tantum inueniuntur. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib 7. cap. 1.

Est seruitutis imago quædam, vbi quis principis alicuius ligium se hominem facit, ac in illius verba iurat. Dicitur ligius, quia illum princeps pollices eius suis ligans, fidei imperiisque suis vincit, ac obnoxium facit. Vocatur à iurisconsultis homagium ligium. Rodigin. lib. 15. cap. 19.

Durum rectorum imperium cedendo vincitur. *Vide Minoritas Differentiæ.* Nouitas fugienda.

Omnis potestas à Deo, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistiterint, sibi ipsis iudicium accipient. Rom. 13. ne durum videretur hominem homini parere, in hoc ostendit obedientiam ipsi Deo præstari, frustra & vnumquemque in pœnam suam niti. D. Chrys. Hom. 23. in epist. Roma.

RECTOREM POPVLUS imitatur.

Circuli partes igneæ, significant super ignem, terreæ super terram, aereæ super aerem, aquaticę super aquas. Almansor. centiloquij. n. 3.

Qui comitatur aliquem, dicitur eum honorare. 2. Reg. 25.

Ita Gellius. lib. 2. c. 14. Refert seniores è conuiuio redeuntes, à minoribus domum reduci.

Hęc conditio superiorum est, vt quidquid faciunt, præcipere videantur, & perniciosissimus est malæ rei maximus quisque auctor. Quintil. decla. 3.

Ideo rectores debent virtute excellere. *Vide Virtus Potestatis.*

Corporis natura motibus animi subijcitur, hinc physionomiæ iudicium: quis non facilè cognoscat patientem, timentem, iratum, gaudentem, moerentem animum ex vultu?

Princeps est caput & vultus Reipublicæ: vnde fit coniectura de populi quasi totius corporis temperamento & moribus. E regia domo in totum regnum funditur morum probitas, & redit quædam aurei sæculi facies.

Puer in vtero matris viuit eius sanguine, respiratione, spiritu, itaut pueri membra, singulis matris membris respondeant, vnde prægnantes notas pueris imprimunt in ea corporis parte quam tangunt rei alicuius cupidæ, sic pendet populus à rectore.

Delinquit populus, & principes puniuntur. *Vide Minoritas Contrarietas. Mala.*

Anima seu forma secundum esse suum, dat esse corpori: si est vegetans, facit vegetabile, si sensitiua, sensitiuum, si humana, humanum, &c.

Si turba Israel peccauerit, & postea intellexerit peccatum suum offeret vitulum pro peccato & po-

A nent seniores populi manus super caput eius coram Domino. Leuit. 4. quasi seniores fuerint causa peccati. Eadem lex plebei ac principis peccantis est, excepto quod princeps hircum masculum, plebeius capram fœminam offerre debet, & rectè; nam quo modo fœmina non à semetipsa concipit, sed ex masculo semen suscipit, sic plebeius, siue popularis, præeunte maioris exemplo peccatum admittit. Rupert in Leuit lib. 1. cap. 19.

Anitus Viennensis Episcopus scribit Regi Clodouæo ad fidem Christianam conuerso; Vestra fides, nostra victoria est, quoriescumque pro ea pugnatis, vincimus, dum in rerum gubernacula tenente, non minus eminet sanctitas, quam potestas. Vide 1. to. Concil galliæ. a. 497. *Vide Supra Virtus Potestatis.* Pietas Regentis.

B Statera dolosa, abominatio est apud Deum, Prou. 11. Vt enim publicis ponderibus, sic personis, cætera conformantur.

Bonum omnium mensuratorum & regulatorum, consistit in attingendo suam regulam ad quam debet cōformari; primum autem in vno quoque genere est regula cæterorum. Ab eo quælibet res mensuratur à quo ipsa dependet. *Vide Concordantia Principij.*

Primum in vno quoque genere est mensura cęterorum. *Vide Potestas Principij. Initij.* Vnaquæque res illud potissimè videtur esse, quod inest principale; sicut quod facit rector ciuitatis, dicitur ciuitas facere. *Vide Concordantia Maioritatis.* Assimilari potentioribus per societatem.

C *Mobile mutatur semper cum principe vulgus.* Claudian.

Scribit Plato ex Zamolxidis Thracum regis doctrina traditum, omnia vel bona vel mala in corpus ab anima dimanare, proinde illam in primis adhibita remediorum salubritate curari oportere. Rhodig. lib. 7. cap. 7.

Omnia, inquit Liuius de Camillo, mutauerat Imperator mutatus, alia spes, alius animus hominum, fortuna quoque alia vrbis videri. Dicitur de Epominonda Thebano, quod vnus homo pluris fuerit quam vniuersa ciuitas.

Iosue cap. vlt. seruiuit Israel Domino cunctis diebus Iosue.

Ante diluuium homines terræ tantum fructibus vescebantur, post diluuium videns eos Dominus D contumaces, concessit eis vt etiam animalibus vescerentur ante hoc tempus feræ non dilaniabant, nec erant crudiuoræ. D. Grego. Nyssen orat. 2.

Rex Niniuæ ad Ionæ prædicationem, agens pœnitentiam, ad eam adducit omnem populum.

Gratia est in essentia animæ, vnde profluit in potentias. D. Thom. in quæst. disp. de gratia a. 6.

Peccata maiorum solent facile trahi in exemplum à subditis. 1. quia peccatum quod princeps facit est impunitum in subditis, vt seipsum non increpet alios puniendo. 2. quia multi illa frequentant, vt in hoc adulentur principi. Tostat. 2. Paralip. fo. 19.

Vt matrum alimenta transeunt in paruulos, sic principis mores in populum.

E Moyses eleuando manus in cœlum eleuabat depressa & timida corda Hebræorum in seruitute educatorum, & id obtinebat à Deo vi suę orationis & hac sensibili cæremonia. Tost. Exod. tom. 1. fo. 140.

Magna vulgi censura est regis virtus. Asa rex fuit optimus & nominis nota medicus appellatur, quia exemplo suo sanauit populum, ita dicitur

A Nolite me constituere regem, non sum medicus: Esay 3. Legis tabulas in omnium pectora transcripsit è suo.

Integritas sacerdotum sola potest mundanos ad meliorem frugem adducere. Vide quę scripsi. lib. de agente Dei in humanis. p. 1. c. 12. & parte. 2 c. 5. id praestare debet princeps.

Luc. 5. dicitur de Christo: Aperiens os suum docebat eos, scilicet tunc sermonibus, cum semper operibus eis loqueretur. D. Chrysost. Hom. 15. in Matth.

Corpus sequitur conditionem animæ. Vide ex eod. *Minoritas Potestatis.* Voluntas paupertas.

In vltima cœna Christus primus communicauit; nam quando de ea re verba fecit, multi scandalum passi sunt: ne igitur tunc id quoque accideret, B primus ipse hoc facit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret. Ibid. Homil. 83.

Angeli qui regunt regna, prouincias, ciuitates in arte sapientiæ Verbi erudiuntur, non per voces, non per signa, sed in ipsa Verbi contemplatione; est enim fons, exemplar, splendor & diuinitatis imago, &c. Laurent. Iustinia. lib. de connubio verbi & animæ. c. 16.

Pontifex dicitur quasi pontem faciens; eo quod aliis viam præbere debeat verbo & exemplo, vnde homines transeant ad patriam cœlestem: pons enim est tabulatum quod fit super aquas. Alcuin. lib. de officiis Ecclesiast. cap. 36.

C Ideo principes suis tenentur legibus. *Vide Virtus Potestatis* quod quisque iuris in alterum statuerit, vt ipse eodem iure vtatur. tit. ff.

Ecclesia fit militans, vt sit singulis in exemplum. *Vide Contrarietas Veritatis.* Ecclesia militans.

Solis radijs illustrantur cæteri planetæ, & virtute Regis imbuuntur, tum aulici, tum populi.

Ideo peccata sacerdotum sunt tegenda. *Vide Cognitio Minoritatis. Rep.* occultare peccata.

D. Hieron. in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum Episcopum. In te, inquit, omnium oculi diriguntur, domus tua & conuersatio, quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ, quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant.

D Tutior habitationi locus est, vbi Princeps & magnus habitat præsertim sapiens & bonus, nam tales ibi plures esse necesse est. Cardan.

IMITARI IN Malo.

Paracelsus lib. de lunaticis, dicit in cœlo virtutem esse animalem, quæ hominis rationem vincit: habet enim multos motus cursusque, qui ægrè coniungi queunt.

E Omnia quæ insunt subiectis, vt accidentia, corrumpuntur vna communi corruptione, eo quod talium corruptio consequitur ad physicas corruptiones subiectorum; ita corruptis animalibus, corrumpuntur pariter sanitas, & accidentia cętera, quæ sunt in ipsis ratione coniuncti: & si saluatur aliquod accidentiũ; illius non fuit subiectum animal per se, sed corpus eius tantum, idest, non in quantum est animatum, sed in quantum est corpus habens quantitatem. Albert. Mag. tract. 3. cap. 2. de morte & vita. *Vide Contrarietas Medij.*

Elementa ex quibus omnia componuntur, corrumpuntur secundũ suas qualitates, calore frigore, humiditate, siccitate & hinc mixta alterantur: corrumpitur aër, aut ex inferiori inuenenante ipsum, vt à serpentibus, cloacis &c. aut à superiori corpore ipsum corrumpente. Albert. Mag. lib. 2. de proprietatib elementor. tract. 2. cap. 1.

Erit impedimentum circa illam partem corporis, quam significat signum, quod fuerit natiuitatis tempore impeditum. Hermes centiloquij n. 87.

Corruptos impietate & scelere magistratus, sequitur tabes populorum, & miserandus status, cui vltima pernicies, non tam differtur, quam trahitur. Rectè à scriptura Antiochus vocatur, radix peccati. Non tantum amantur, sed consecrantur scelera regnantium. *Vide Gloria Minoritatis.* Mala culta. Pro exiguo est, si quis nautarum erret in naui, sed ex gubernatoris errore, maxima omnibus imminet pernicies.

Sub Eutropio Enucho tutore Theodosij imperatoris, genus enuchorum propter illius authoritatem & potentiam adeo creuit, vt aliqui iam barbati fieri vellent enuchi, & aliqui vitam cum testibus amitterent. Suidas in voce *ὀνίδος*.

Apud Æthnam Siciliæ montem semper ardentem Vulcani templum est, & in eo peruigil & inextinguibilis ignis. Rodigin. lib. 25. cap. 29. Induunt aulici passiones principium.

Verumtamen in imagine pertransit homo. Psal. 38. in imagine scilicet terrestris hominis, de qua dicitur, Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

Principes sacerdotum & seniores persuaserunt populo vt peterent Barabbam Matth. 7. Credunt enim turbæ principibus & sacerdotibus suis. Origen. Apocal. 12. draco de cœlo cadens, secum tertiam stellarum partem traxit.

Pro summi sacerdotis peccato, tanta imponebatur pœnitentia in solutione sacrificiorum, sicut pro peccato totius populi simul, vt patet Leuit. 4. eo quod illo errante, totus populus errabat. Tostat. 2. Paralipom fo. 19.

Filij Israël petierunt sibi fieri vitulum aureum in similitudinem bouis Apis Ægyptiorum: sub quorum potestate diu fuerant. Id. Exo. fol. 116.

Cum confortatum fuisset regnum Roboam, dereliquit legem Domini & omnis Israël cum eo. 2. Paralip. c. 12. Nam peccata maiorum solẽt trahi facile in exemplum à subditis; quia princeps non punit peccata quæ committit, ne videatur ea sibimet exprobrare, sic impunitate multiplicantur. Imo vult omnes sibi similes effici, vt per aliorum frequentationem celetur sua iniquitas Sic Semiramis mortuo marito, ne cogeretur deponere regimen, filio regnante, ipsi nupsit, & filiis omnibus matribus nubere permisit. Id. 2. Para. 159.

Matth. 13. dum dormirent homines inimicus homo superseminauit Zizania. Principium mali fuit, quia multi ex præsulibus dormitantes, prauos & hæresim occultantes viros ad gubernacula Ecclesiarum promouerunt. D. Chrys. Hom. 47. in Matth.

Vide Maioritas Gloriæ. Nimia quies. Sub finem de Constantino.

Demon impetit regiminis caput vt eo deficiente membra languescant, pastorem, vt eo prostrato, omnes facilè obtineat, &c. Laurent. Iustinian. lib. de institut. prelator. cap. 16.

ADVLARI DOMInantibus.

Vide supra Gloria Potestatis. Honor Rectoribus, de Galba.

Apollonius dicebat tyrannos feris esse crudeliores, cum ipsæ blandientium attrectatione mitescant, tyranni autem adulationibus fiant sæuiores. Philostrat. in vita Appoll. l. 4. c. 12.

In mixtis oportet quod calidum dominetur, & sit in agendo, & ideo illud excellens semper aliquid educit de humido; cum autem iuuatur à calore continentis aëris, tunc citius corrumpit. Albert. Magn. tract. 2. de vita & morte. c. 4. Excessus Principum fouet adulatio.

Vt non minus discedis à vipera, aspide & scorpione, etiam si sint in scrinio aureo, aut eburneo: Sic noli blandiri malis in fastu fortunæ positis. Vide Maioritas Concordantiæ Mala.

Vide Plutarch. de adulatione, & Gerson. to. 4.

Adulari prælatis, & illis nimium adhærere, causat hæreses. Vide Contrarietas Potestatis. Potestatibus resistere.

Si quis adipem qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo; Leuit. 8. ac si dicat, si quis vitia diuitis adulando fouerit, quem instruere debuit, vt per pœnitentiam mactaret vel intenderet seipsum Domino, peribit de sanctorum populo. Rupert. in Leuit. 1. c. 37.

Multi vitia suadent, pauci virtutes.

Reus est, qui gratulatur malis. Vide Æqualitas Minoritatis.

Potentioribus non est blandiendum maximè in imponenda peccatorum pœnitentia. Vide Magnitudo Contrarietatis. Magna seueritas quando bona.

Expedit aliquando adulari Imperantibus, vt affectu ad meliora conuertantur. Vide Magnitudo Concordantiæ. Omnibus consentire sub finem de Acacio.

Auidius Cassius deprehensos adulatores fumo necabat, addito per præconē elogio, fumo pereat, qui fumum vendidit. Hi enim omnes fumum vendere dicuntur, qui in officiis aulicis emerientes, imperatoris authoritate abutuntur & eius authoritatem infami habitu dehonestant, ex stulto stultiorem faciunt. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 18. cap. 11.

Antiqui diuina perficiebant adhibitis saltationibus, at cum aram saltantes obibant, à dextris dextrorsum pergebant prius Zodiaci quadam imagine cuius motus est ab occasu ab ortum, inde à dextris læuorsum pro ratione cœlestis vertiginis. Rhodigin. lib. 5. cap. 3.

Adulatores sunt diuitum vermes Blanditiæ cum reijciuntur, etiam placent, exclusæ sæpius, nouissimè recipiuntur.

Demosthenes dicebat Pythiam φιλιππίζειν. Idest cum Philippo facere.

Cum Cœlio oratori cliens quidam suus nimium adularetur, & sermonibus anuueret, assentationem hanc non ferens Cœlius, Dic inquit, contra vt duo videamur.

Ministri magnatorum, vt illis impensius blandiantur, transeunt in perniciosos excessus. Vide Medium Contrarietatis. Sæuitiæ ministri.

Adulari solummodo ad placendum ex genere suo est peccatum veniale, cum sit quædam vanitas

A sed adulari ad decipiendum, est peccatum mortale secundum illud Isay. 10. Popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. De tali adulatione loquitur canon clericus. dist. 46. Clericus qui vacat adulationibus & proditionibus debet degradari. D. Thom. in quęst. disp. q. 7. de peccato veniali. a. 1. ad. 11.

Adulatio captat principis amorem, motū imitatione. Vide Voluntas Æqualitatis. Amor similium.

Fortunam principis sequuntur in incrementis & decrementis, vt oceanus lunæ conformatur. Vide Principium Maioritatis.

B Assentatio deforme vitium, turpe illi qui dicit, perniciosum illi qui audit.

Mirum non est adulari populos regibus, cum sæpè reges populis adulentur.

Multi corrumpuntur vt Pilatus cui Iudæi dicebant, si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.

De aulicis qui adulantur principibus, vt fiant ministri vitiorum, dici potest illud quod habetur 1. Machab. 1. de Iudæis qui transierant ad disciplinam gentium, Venundati sunt vt facerent malum.

Nihil tam facilè corrumpit mentes hominum quam adulatio: nihil quod tam dulci & molli vulnere animum feriat, humilitatis tamen & beneuolentiæ loco ducitur. Est sanè grande & subtile artificium, laudare alterum in commendationem sui, & decipiendo, animum sibi obligare decepti, quodque hoc maxime vitio agi solet, fictas laudes certo precio vendere. Quæ hæc tanta est leuitas animi, quæ tanta vanitas, relicta propria conscientia, alienam opinionem sequi, & quidem fictam atque simulatam; Rapi vento falsę laudationis, gaudere ad circumuentionem suam, & illusionem pro beneficio accipere? D. Hieron. epist. ad Celantiam.

C

Possumus & nimio odoramentorum suffitu, extingui.

Nullus plus æquo debet laudare alium, ne sibi cæterisque debitum subtrahat, dum infert indebitum. can. nullus. dist. 99. In laudato causatur superbia, in cæteris inuidia.

D Antonius volebat dici Liber pater, & hoc nomen statuis subscribi. Cū venisset Athenas, salutatus est vt Dionysius, & addiderunt, despondere ipsos in matrimonium Mineruam suam, & rogauerunt vt duceret, Antonius, ait ducturum, sed dotis nomine imperare se illis mille talenta, quæ fecit exigi. Seneca suasoria 1. Manifesta adulatio, est irrisio, & vindicatur.

Sacerdos Iouis Ammonij salutauit Alexandrum vt Iouis filium: hinc se talem dici non solum passus est, sed & iussit, rerumque gestarum famam, dum augere vult, tali appellatione corrupit. Q. Curtius. lib. 4. Iouis filius non dici tantum se, sed etiam credi volebat, tanquam perinde animis imperare posset ac linguis. Itaque more Persarum Macedonas venerabundos ipsum salutare prosternētes humi corpora. Non deerat talia concupiscenti perniciosa adulatio, perpetuum malum Regum, quorum opes sæpius assentatio, quam hostis euertit, Idem. lib. 8.

E

Vide Medium Voluntatis. Blanditię.

Hydra de natura Saturni & Veneris est in gradu 22. leonis. Cor leonis stella regia est in 24. eiusdem signi. Spica stella benefica de natura Veneris est in gradu 18. libræ: Arcturus stella tempestuosa de natura Martis & Iouis est in 19. eiusdem signi. Sic vitia sunt in vicinio virtutum. Et

Digitized by Google

hinc vidimus astrologos alicui promittentes regium animum iusque quod haberet cor leonis in decima, cum decimæ apicem obtineret hydra, vnde fuit inclinatio ad sibi patriæque nocentissima flagitia.

Corui mortuorum, adulatores viuorum oculos euellunt.

Adulatio conciliat amicitiam quia innatus est gloriæ appetitus. *Vide Voluntas Gloria.*

A Bonus vir, nec adulatur aliis, nec alios sibi patitur adulari, sed si meritò laudetur, totam gloriam in Deum, partem in socios, refundit. Sic Pyrrhus cum laudaretur de subita victoria à militibus & diceretur, aquila, si inquit sum aquila, arma vestra mihi pro pennis fuere.

CONTRARIETAS POTESTATIS.

DISSIDIA REGENTIVM.

LASSITVDO fit in animali, quia duo motores contrarij sunt in membro, & vterque impedit alium: motor enim formæ membri scilicet anima, vult ire per circuitum; & motor materiæ mẽbri, vult moueri linealiter deorsum: ideo incidit pœna & lassitudo, in eo quod habet sensus iste Contrarietatis. Alber. Mag. lib. 2. de motibus animalium. cap. 3. Contrarietas est in eo quod vnus motus fit secundum formam, alter secundum materiam. Ne autem esset nimius labor, miscuit eum ex omni specie motus violenti, vt si vnus generaret difficultatem, alter faceret leuamen, seque mutuo temperarent. Ibid.

Planetæ sibi contrariantur secundum naturas, domos, exaltationes, configurationes suas, & vnum cœlum est alteri contrarium: nam quod fit per cœlum Saturni destruitur per cœlum Lunæ; quod per cœlum Iouis destruitur per cœlum Mercurij: quod fit per cœlum Martis, destruitur per cœlum Veneris. Vbi est exaltatio Saturni, est casus solis; & vbi deprimitur sol, exaltatur Saturnus &c. Haly parte. 1. cap. 4. *Vide Gloria Minoritatis.* Ex aliorum defectu proficere. Planetæ quando inimicantur & abhorrent se, damnificant factum & significationem suam. Ib.

Pestis, maligna sua qualitate primum inficit spiritus, deinde humores, & præsertim cordis innatam humiditatem. Pestis quę fit à corrupto aëre, cerebrum magis petit, quæ ab aqua, cor.

In condensis syluis daphniticis vltrò exardescit flamma, vehementi vento motis arboribus, & inter se collisis. Suidas. *Vide Concordantia Potestatis.* Concordia rectorum.

Arduum eodem loci potentiam & concordiam esse; Nam cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior est. Tacit. 2. Annal. hinc fratrum dissidia. *Vide Contrarietas Æqualitatis.*

Homines cum se permutere fortunæ, etiam naturam dediscunt,

Dissidentibus pluribus concausis, causa vniuersalis supplet eorum defectum. *Vide Duratio Principij.* Causa vniuersalis supplet.

Si propter patrodorum discordiam Ecclesia administratore careat, cessatur in ea à diuinis, tolluntur reliquiæ, ostia clauduntur, siquidem aliter Ecclesiæ sine scandalo prouideri non potest. cap. 1. & 2. de iure patron. can. si plures. 6. q. 7.

B Dissident rectores, vt duo appetitus in homine, rationalis & sensualis. *Vide Magnitudo Potestatis* Monarchia. Ideo vnius regimen est melius.

Dum multi imperare cupiunt, omnes simul imperium perdunt.

Regnum plus grauat copia, quam inopia successorum.

Domorum contrariarum vires, eo magis diffident, quo domus ipsæ validiores fuerint. Cardan. aphoris. sect. 2, aph. 8.

Rerum principia sunt inter se contraria. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 2. §. 5.

C

QVÆ IMPEDIANT potentiam, & actionem

ECclypses luminarium, significant, quod viles, plebei, & mali homines insurgunt contra Regem, & contra eius præfectos Haly. 1. parte. c. 4. de luna.

Si pars coniugij viri ceciderit in signis obedientibus, mulieris autem imperantibus, mulier imperabit viro, vir autem obediet mulieri. Hermes centiloquij. n. 61.

Quisquis cæteros antecellit dignitate, veretur quos infra se habet, omnisque dominij possessio fit litigosa. Ideo plurimis potestas sua viluit, & tot telis impetitus honor pro tormento est. *Vide Voluntas Potestatis Repugn. Vide Contrarietas Concordantia. Seditio.*

D Proceras riparum arbores, fallax vnda mersas inuersasque spectantib. ostendit: sed hoc ipsum quod natura ludit in aquis, veriori spectaculo terra exhibet, regiæ celsitudinis depressione.

Causæ se mutuò impediunt, vt aqua ignem.

Furtum est occulta ablatio rei alienæ domino rationabiliter inuito.

Laron comici pro furacissimo vsurpant quandoque, nam est auis laros voracis naturæ rapacisque. Rodigin. lib. 10. c. 6.

Delegari quidam impediuntur natura, quidam lege, quidam moribus natura, surdi, muti, contria sunt. 3. q. 7. perpetuo furiosi, minores 25. an. lege, senatu moti & infames vt sunt hæretici, fures, sacrilegi, capitalibus criminibus irretiti. Moribus, fœminæ, serui, quia ciuilibus officiis non possunt fungi.

Digitized by Google

Quicumque caudam cum Ioue habent, nunquam ditantur. Cardan. aphor. sect. 2. aph. 4.

MVRMVRATIO vitanda.

Belial est nomen commune Dæmonum, & interpretatur absque iugo. Tostat. Iudi. fol. 195. c. 2. b

Querulum seruorum genus est, & quantacumque dederis, semper eis minus est; non enim considerat de quanto, sed quantum detur, doloremque suum, solis quod possunt obtrectationibus consolantur: facilius mala credunt homines, & quodcumque domi fingitur, rumor in publicum fit. D. Hieron. de vitando suspecto contubernio. De detractione. *Vide Contrarietas Gloria.*

Murmuratio est iniusta querela contra superiorem, latenter multorum auribus inculcata, & habet rationem peccati mortalis, secundum quod ad alterius diffamationem anhelat. D. Bonauc. in speculo animæ cap 1.

Hominibus naturaliter liberis graue videtur quodcumque subiectionis iugum, & licet necessarium sit ad optimum societatis regimen, insurgunt tamen, & propter speciale commodum impatientiæ motus tegunt æquitatis læsæ prætextu. Obsequium iubet lex tum diuina, tum humana; exigit pœnis armata regentis potestas, cui cum subditus non valeat resistere, clam velut sub secreto multorum auribus conquestiones suas ingerit, vt sparso traditoque per manus rumore, sibi semper accrescens in rectorem contumelia publica fiat. Præcipit Apostolus. Obedite præpositis vestris & subiacete eis Non obedit, nec subiicitur, qui auersa pertinacique in contrarium voluntate iugum vtcumque potest excutit. Vindicandæ libertatis affectu cæco, labitur in turpem miseramque seruorum conditionem, à quibus obsequium sola vis extorquet. Ita murmurationi deditus amittit in Republica dignitatem ciuis per legem & magistratum in bonum publicum conspirantis. In sua congregatione Religiosus amittit obedientiæ meritum, iuratæ, violatę tamen reus est, & dum nolens parere cogitur, fit iam Deo non holocaustum, sed anathema. Ex aspero forte præcepto conceptum dolorem tediis apud amicos leuare liberamque semper in tormentis fuisse vocem. Iam desinis esse religiosus qui tibi crucem efficis inuoluntariam, & sub obedientia velut sub eculeo patiens ingemiscis. Veniam meretur infirma mens quæ cum sibi non sufficiat, quærit ab amico consolationem. Sed murmurantis est alia & perniciosior intentio, multos conuenit, iniuriam sibi vel alteri factam exaggerat, in contumeliam superioris, quem vult quantum potest ab omnibus haberi vt imprudentem, iniquum, officio suo penitus indignum. Quod in leui, vt reputas, defectu crimina superiori, tutoris, parentis, imò Dei vices agenti detrahis, authoritatem & reuerẽtiam ad suaue regimen omnino necessariam tollis malignis hisce rumoribus sociorum corda sollicitas ad defectionem, ad inobedientiam, quod erat leue iugum aggrauas, spargis rebellionum semina, & non times exterminatorem murmurantium Israelitarum contra Moysen. quis ferat tyrones in magistrum contumaces? quis ferat in naui contra gubernatorem censores assiduè contumeliosos? A Et quis patiatur in Religiosa societate, falso iustitiæ zelo serpente malitia sæuientes contra superiorem? Hunc quem reputas velut tibi cæterisque durè dominantem, minister est legis, constitutionum, superiorum, quibus subordinatur. Ignoras arcanum regiminis, sic de causa non perspecta, nec ponderata malè iudicas. Si tua res agitur, iniquus es in facto tuo iudex; si versatur alterius interesse, inter superiorem & subditum mota controuersia, cur non stas potius pro partibus superioris, iusta præsumptione, legis & Dei contemplatione summa tibi veneratione colendi. Nullus in subditis perniciosior esse potest habitus, quam qui regentis auctoritatem, & simul totius administrationis B rectæ bonum conuellit. Regiminis onus maximum est, etiam paratis in obsequium subditis: quid si contumeliosi, seditiosi, rebelles fuerint, & non tam superior in subditos, quam quilibet subditus in superiorem censuram exerceat, si quid fortè pręter rationem exciderit; si vires interdum sub tantis oneribus concidant? Ad bonum commune magna tentanti facilis debet indulgeri venia: Vix priuatum hominem, quanto minus publicum omni carentem næuo reperies. Miles fortis in conflictu tantum apparet, & verus obediens in rebus inclinationi, iudicioque suo contrariis. Conqueri- C tur obtrectator de malo regimine, & peius illud efficit seditione contra superiorem concitata. Quis ordo, quæ pax sperari potest, si quilibet subditus statim vt superioris pręceptum, suo non consentit iudicio, ad contumelias prorumpat? Is cuius recta est intentio, & qui putat animaduersiones suas Reipublicæ profuturas, poterit humiliter secretoque superiorem monere, arte tali quę debitæ reuerentiæ nihil detrahat. Alter alterius onera portare, monet Apostolus: ferunt morosos parentes filij, cum eorum infirmitatem, inordinatos & proternos motus parentes tandiu patienter tulerint. *Ex Principijs.*

Vide infra hoc tit. mali rectores tolerandi. *Et* D *Infra Gloria Principij.* Honorare parentes.

Delectatio est signum quod spiritus charitatis habitat animam; murmuratio signum inhabitantis inuidi & superbi spiritus. Card. Cusa Excitat. lib. 1. cap. 9.

DOMINANTIBVS resistere quando & quatenus liceat.

Olim erant constituti defensores ciuitatum decreto ciuitatis per biennium, etiam inuit E creabantur, apud eos conficiebantur & edebantur acta, etiam aduersus potentiores & præsides ipsos. l. in hac C. de donat. l. 9. cod. defenso. ciuit. nou. 15. *Vide Media Potestas.* Temperata alia inuigilante potestate.

Pontifices & Reges sunt imagines diuinæ bonitatis & sapientię in regimine creaturarum, si diuinas illas dotes benè repræsentẽt colẽdi sunt, sin minus, consulat respublica quid facto opus sit. Non offendit sanctum pictor, qui deformem eius imaginem integritati suæ restituit.

Non admittuntur rescripta principis dum lis examinatur, sed secundum generales leges, causa debet examinari & decidi. Nou. 113. Rescripta huiusmodi Iulianus eleganter ambitiosa vocat, idest

ad gratiam composita,&hoc habet locũ in rescriptis quibus rei indicandæ forma præscribitur, non de aliis rescriptis quibus ad litem celerrimè finiendam iudices innitantur. Cuiac. ind. Nou. 113.

Licet merus executor non debeat sententiam ferre partibus auditis, debet tamen penes se iudicare de negotio sibi iniuncto, an debeat illud exequi; nam si mandatum contineat errorem intolerabilem, non debet obedire. Tostat. 1. reg. to. fo.63.

Secundum politiam Solonis, potestas eligendi principem remanet semper penes totum populum, & potestas corrigendi eum, vt populus habens hanc potestatem non credat se contemptum, & faciat discessionem à legibus; ne etiam totaliter, prematur seruitute. Idem Exo. to. 1. fo. 151 & id probat Aristoteles 2.Politicor. in fine.

Oppressa se vindicant in libertatem. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege. 14. Solent excedere quæ se restituunt in libertatem. Ib. §. 3. Caueat populus à seditionibus quæ sibi semper sunt graues & damnosæ. lib. de agente Dei in humanis. parte. 2. cap.14. & 17. Vide infra Contrarietas Concordantia seditio.

Qui asserunt regem iniquissimè regnantem habitis publicis regni comitiis posse deponi, his nituntur rationibus: Regem à populo constitutum vt publicæ libertatis, iustitiæ, Religionis esset vindex, non oppressor,& hanc populi tutelam,præstito publicè iuramento pollicitus est, tradita fuit ei potestas ea tantum sub conditione, quæ si non impleatur cadit à iure suo,quod redit ad populum, vt feudum ad Dominum, ob infidelitatem vasalli, eius enim est reuocare qui concessit, sit sit reuocandi ratio. Actum esset de rebus humanis, si quæ res pessimo loco sunt, in eodem semper starent, si authoritas regia redire non posset ad populum à quo primum processit; lex quæ prohiberet authoritate publicum tyrannum excludere, non esset lex, quia fauens iniquitati, legique naturali contraria, leges omnes subuerteret. Si reos minores oportet puniri, saltem deponi, quanto magis principes, bono publico nociuos? Salus populi suprema lex est, non tyranni. Lege Regia, vt ait Iustinianus populus Cæsari, potestatem suam concessit, legitimam, fiduciariam, non tyrannicam, ideo reuocabilem.

Si par in parem non habet imperium, multo minus inferior in superiorem, ita Rex nihil potest præcipere contra legem naturalem & diuinam à Deo datam. Suarez de leg. lib. 1. cap. 9.

In dubio de honestate legis præsumenda est honesta, & concludendum pro legislatore, tum quia habet altius ius, & illud possidet, tum quia regitur altiori consilio, & potest habere rationes vniuersales subditis occultas; tum etiam quia aliàs subditi sumerent nimiam licẽtiam non parendi legibus, quia vix possunt esse tam iustæ, quin possint ab aliquibus per apparentes rationes in dubium reuocari. Sic D. Aug. 22. contra Faustum cap. 57.& can. quid culpatur 23. q. 1. Ib. Suarez.

Quare fremuerunt gentes &c. dirumpamus vincula eorum. Psal. 2.

D. Hieron. ad Theophilum aduers. errores Ioan. Hierosolym. Non sumus, inquit, tam inflati cordis, vt ignoremus quid debeatur sacerdotibus Christi, sed contenti sint honore suo: patres se sciant esse, non dominos, maximè apud eos qui spretis ambitionibus sæculi nihil quieti & ocio præferunt.

A Alienatarum terrarum ac locorum sedis Apostolicæ, nullum detentoribus obsequium, aut ius vassallagij debere voluit Pius. V. constit. 104. § 4.

Barones & Domini terrarum non possunt obligare vniuersitatem ad fideiubendum vel soluendum ipsorum debita Pius. 4. const. 18. §. 13. Bull. p. 12. to. 2.

Anima rationalis, quia libera, potest non sequi naturam legemque Vniuersi. *Vide Potestas Voluntatis.* Liberum hominis arbitrium.

Spiritus in corpore, qui sunt immediata instrumenta animæ ad omnes suas operationes, generantur quidem ex humiditate cibi sed colati & depurati in hepate & in corde, vbi abundat calor naturalis, formantur. Nam ex impuro, & non colato cibo, non generatur spiritus nisi qui est ventositas. Albert. Magn. tract. 1. de somno & vigilia. c. 7. Rectores improbi, non
B habeant ministros sibi obsequentes.

Inferiores certa conditione debent præstare honorem superioribus, vt si superiores id quod debent non impendant inferioribus, non eis debetur obedientia; frustra enim exigit debitum, qui quod debet non impendit. arg. can. esto. dist. 95. & can. de forma 22. q. 5. Turrecremata in can. cum beatus. dist. 45.

Dicitur in can. esto subiectus. dist. 95. Episcopi honorent clericos, vt ipsis Episcopis à clericis, quasi Episcopis honor deferatur. Vnde quidam inferiores debent à superioribus honorari. l. potioris §. 1. c. de offic. rector. Ita. Crassus. Ego te consulem putem, cum tu me non putes esse senatorem? Quintil. Inst. orat. lib. 8. c. 3. in fine. Facit
C textus in c. cum beatus dist. 45. ne dum superior incautè subdita percutit membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reuerentiam subtrahat. Si prælatus non seruat reuerentiam subdito, nec subditus tenetur. c. significasti. in f. de electione. c. ad decorem de institut.

De Principibus qui violenta morte obierunt, & infœlici exitu, vide Chassen eum in catalogo gloriæ mundi. parte. 5. initio.

De milite qui tribunum impudicum vim sibi inferre volentem occidit. *Vide Magnitudo Contrarietatis*

Antiphon orator iussus est à Dionisio Siciliæ ty-
D ranno occidi, quia cum quæstio esset mota quod æs esset prestantius, dixit illud esse ex quo conflatæ essent statuę Armodij & Aristogitonis, scilicet tyrannicidarum. Plutarch. in vita 10. oratorum.

Iosephus antiquit. Iudaica lib. 4. cap. 8. dicit Regi resistendum si nimis eleuetur supra populum, & legem diuinam contemnat.

Filius non est inobediens patri si cum non sit medicinæ peritus iubeat sumere contraria sanitati. Similiter si pater ægrotans iubeat sibi ministrari nociua, & ita si iubeat scelera perpetrari. In talibus etiam si illi contradicat, voluntatẽ eius implet,
E quia bonus pater vult bonum liberis suis, vtilia & honesta. Si esses musicus non inconcinnè cantares aut tangeres lyram, etiam iubente patre, &c. Pater te philosophia interdicit, at Deus omnium pater iubet ac hortatur. Bonum esse hominem diuina lex præcipit, &c. Musonius *Vide Contrarietas Principij.* Actio licita in parentes

Bestiæ non obtemperant amplius homini post peccatum ab eo commissum, vt serui contemnunt constitutos sibi à Domino rectores, si eos viderint

Admissis criminibus auctoritatem amisisse. Theodoret. in Genesim. quæst. 18.

Obstetrices Ægypti nolunt occidere masculos Hebræorum, vt præceperat Pharao, & ideo remunerantur à Deo. Exod. 1.

Oleo vngitur dextera auris & manus sacerdotis, quia hæc significant probatam obedientiam & actionem. Sunt enim & sinistræ actiones & obedientia damnosa. Theod. in Leuit. q. 8.

Ioseph in seruitute non obtemperat cupiditati dominæ suæ. Ananias Azarias, & Misaël nolunt obedire Regi Babyloniæ: Daniel. 2. Nec ipse Daniel. 3. Nihil enim anima quæ vitiis seruire non vult robustius. Theod. orat 8. de prouidentia. Vbi fusius ostendit quod serui nullam à malis dominis noxam contrahunt, si ipsi melius sapere velint.

Vide Chasseneum in catalogo gloriæ mundi parte. 11. cons. 16.

De Papæ auferibilitate seu depositione Gerson. tom. 1.

De tyrannis occidendis. Gerson. to. 1.

Licet Deus vtatur Dæmonibus vt suorum vel virtutem exerceat, vel puniat malitiam, pium tamen censet Ecclesia eos exorcismis & omnibus modis coërcere, & è corporibus pellere: simile fiat de tyrannis iudicium.

Horrendum quod Iudæis non nisi irato Deo, Rex primò datus fuerit; qui placato Deo videtur abiiciendus.

Refert Plinius, olim auspicatum fuisse contra murmur tonitrui, aliud murmur, aliosque fragores edere.

Corpora cœlestia excedunt proportionem virtutis Dæmonum, vel propter conditionem naturæ, vel propter damnationem culpæ. D. Tho. in quęst. disp. de pecca. q. 16. a. 10. ad 4.

Impunè non obtemperatur potestatibus aliquid in præiudicium debitæ sibi reuerentiæ decernentibus. Ita cęci sanati à Christo, cum silentium illis indiceretur, tanto magis clamant. Soloni qui iusserat corpus suum exuri & cineres per totam Prouinciam dispergi, non obedierunt hæredes & ciues; similiter hæres non accusandus, sed potius laudandus, qui defunctum, vt testamento præceperat, non abiicit in mare. l. in sua ff. de condition. institution.

Si deponendi sint mali principes, id fieri debet publica authoritate, ad quam pertinuit eos eligere, sic Romani Tarquinium eiecerunt. D. Thom. de regimine principis. c. 6.

Subditi non tenentur obedientiam præstare prælato, dispensanti in regula sine causa, quia tenentur tantum obedire in his quę pertinent ad obseruantiam regulæ. Bonac. de legib. disp. 1. q. 1.

Lex non obligat in quinque casibus, scilicet quando aduersatur iuri diuino, bono communi, si excedat facultatem legislatoris, vt si præcipiat actus mere internos, aut si onus improportionatum imponat, aut si in falsa præsumptio fundatur, vt si cui nihil debet, sit condemnatus quasi debitor. Ibid. pun. 7. § 3.

Tardum nimis Ægyptiorum consilium, qui in regis acta tantum, eo mortuo inquirebant vt refert Diodor Siculus. rer. ant. lib. 2. c. 3.

In regno Malabar singulis duodecim annis festum celebrabatur, in quo Rex compensabat iniurias subditis suis factas. Dauity.

Sinenses sæpe Regem regiminis incapacem, aut infœlicem deposuerunt alio per electionem substituto, Idem.

Regnum Aragoniȩ in Hispania, habet quædam priuilegia, vt non recipiendi exteros gubernatores, nouis impositionibus, non grauari &c. & hæc priuilegia possunt modis omnibus sibi vindicare, contra Reges, sine nota & pœna seditionis. Idem.

Petrus Damiani lib. 1. ep. 12. conqueritur apud Papam quod Episcopi delinquentes non patiantur se à subditis moneri, nec etiam apud Archiepiscopos & primates corrigi; cum Petro cui commissum fuerat à Christo totius Ecclesiæ regimen, obiectum sit à fidelibus, quod ad alienigenas introisset, cuius rei rationem reddit. Act. 10. & 11. Doctor mansuetudinis, potestatis suæ titulum non obiecit. B Dauid passus est se corripi à Nathan subdito suo. 2. Reg. 12.

Paulus Petro restitit in faciem quia reprehensibilis erat, Galat. 2. Matth. 2. dicitur, Si peccauerit in te frater tuus, corripe, &c. frater est etiam Episcopus. Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto sicut vnus ex illis. Eccl. 30. Iob. 31. non dedignatur subire iudicium cum seruo suo. Samuel exponit se populi iudicio. Loquimini de me coram Domino &c. 1. Reg. 12. Itaque concludit licitum esse debere conqueri de prælato delinquente apud primatem.

Primum bellum memoratur Sodomę & Gomorrhæ pro libertate, contra Regem Elamitarum, idest C Persarum an. m. 2023. Geneb.

Amon impius Rex à seruis suis interficitur. 4. Reg. 21.

Filiæ Loth suæ luxuriæ blandiuntur, dum coeunt cum Patre, sibi persuadentes omnes homines periisse: ex eo contubitu Moab & Ammon, vnde Moabitæ & Ammonitæ, sic qui suum Episcopum solum virum eruditum & perfectum existimant, hoc vino adulationis illum inebriant, dicente Isaya, sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate: Sic generant filios eadem qua ipsi hæresi infectos, qui nunquam Ecclesiam Dei ingrediuntur dum sanam doctrinam ab aliis negligunt discere. Rupert. in Gene. l. 6. c. 15. & prælati deberent non sic affici D erga animas sibi commissas, sed virginem castam exhibere Christo.

Vide Bonacin. de restit. q. vlt.

Quando licet vim iniuste illatam vi repellere. *Vide Æqualitas Contrarietatis.* Vim vi repellere.

Cum Chaldæi ignem Deum suum velut omnium victorem circumferrent, sacerdotes Ægypti, qui aquam propter Nilum colunt, in Hidria fictili perforata foraminibus cera obductis aquam igni imposuerunt, tunc aqua effusa ob liquefactam ceram ignem extinxit. Hanc vrnam vocauerunt Canopum.

Traianus Romanorum Imperator iustissimus, E aliquando strictum ensem coram proceribus suis præfecto prætorij tradidit his verbis, Cape hunc ensem, & si bonus fuero, pro me; sin malus, contra me vtitor. Suidas in voce Traianus.

Ægypti regibus ex præscripto legis antiquæ mos fuit, Iudices mox futuros iuramento adigere, ne si Rex quidem iniusti quippiam iniunxisset, à virtutis medio & à iustitia non declinaturos. Rodigin. lib. 23. cap. 14.

Plures Respublicæ grauissima bella passæ sunt à seruis suis.

Non tenetur iudicio sistere, ad maius tribunal vocatus. cap. 1. de in ius vocando.

Samuel non aliter discreuit qui ex filiis Isai futurus esset Rex, quam quod pluribus seriatim ex ætatis gradu venientibus, oleum in eorum caput non fluebat, sed vltro effusum est in caput Dauidis. S. Basil. Seleuciæ. orat. 14. Sic Asina Balaam non vult vlterius progredi Deo per Angelum eam sistente.

Quando febris inuaserit, serui imperium obtinent in dominos, adest agmen mancipiorum, nullus legem agnoscit dominicam in damnum Domini D. Chrysost. Hom. 23. in epist. ad Hebræos.

Magis est obediendum conscientiæ quam prælato; quia conscientia est vinculum spirituale intrinsecum diuinum, præceptum autem prælati est temporale & extrinsecum, quod diuersimodè euacuatur. D. Thom. in quæst. disput. de conscientia. a. 5.

MALI RECTORES tolerandi.

Vitellius, creatus Imperator, centum atque viginti, quorum libellos Othoni datos inuenerat, exposcentium præmia, ob editam in cæde Galbæ operam, conquiri, & supplicio affici imperauit. Sueton in Vitellio.

In animato corpore operationes omnes fiunt à calore qui debet præualere vt sit agens: spiritus qui est vehiculum virtutis animæ, à calido generatur, & ipsi spiritus sunt calidi. Calidum autem omne est consumptiuum substantiæ, & deperdens per euaporationem aliquid ex ipsa substantia, vnde necesse est per alimenta restaurari deperditum. Albert. Mag. tract. 1. de nutrimento. cap. 4. Non extinguitur calor, licet sit consumptiuus substantiæ, quia ab eo pendet vita. Sic multa sunt condonanda Principi, licet sæuo.

Exod 22. dicitur: Principi populi tui non maledices. & l. vn. Cod. si quis Principi maledixerit.

Dextera Moysis, quæ tot fecit miracula fuit leprosa. Exod. 4. Super cathedram Moysis sedent Pharisæi, quæ dicunt facite. Matth. 23.

Fundatur terra super aquas Ps. 113. Mare commotum frænant tenues arenæ, vt videamus potestatem non pulueri cedere sed præcepto. Et quod terra supernatet liquido fundamento, sit diuinis operis, non rationis humanæ: & eod. verbo quo creata sunt omnia, dissoluentur Psal. 101. Initio tu Domine terram fundasti, &c. Chrysolog. serm. 101.

Vtilius est remissam tyrannidem tolerare ad tempus, quam in tyrannum agendo multis implicari periculis, quæ sunt grauiora ipsa tyrannide: si is qui agit, non præualet, tyrannus magis sæuiet, si præualeat pro ordinatione regiminis, multitudo separabitur in partes; illi ipsi qui vocantur in auxilium, tyrannidem occupant, & notos sibi durius premunt. 2. Pet. 2. Mouemur pati potius quam resistere. Vide D. Tho. de regim. principis opusc. 20. c. 6. Melius est recurrere ad Deum qui habet cor regum in manu sua, qui conuertit Nabucodonosor Dani. 4. qui Pharaonem deiecit. Dicit Ezech. 34. liberabo populum meum de ore pastorum, qui deuorant illum. Ibid.

Duplex est tyrannus; vel is qui iniustè regnum occupat, vel is qui iustè regnum possidens, iniustè grauat subditos. Huius legibus tenemur obedire, quia est verè superior, similiter & vsurpatoris quandiu ei Respublica non resistit, & tacitè approbat suum regimen & suos ministros. Bonacina. de legib. disp. 1. q. 1. p. 7. §. 3.

A

Quæ sunt superiora sic regunt inferiora, vt ab illis nihil patiantur quod manifestum est, ex eo quod nihil immutetur in suis motibus nec citius, aut tardius moueantur.

Nemo temere populis suaserit principis sui abdicationem, quia cum plena sit violentarum actuum, tumultus & sanguinis, sæpè tentat remedia morbis omnib' deteriora, & rem dum tuetur, euertit.

Peccat grauiter qui audit Deum pœnas inferentem, sicut odorunt & detestantur Dæmones Bonac.

Licet acus magnetica deflectat à septentrione in diuersis locis, prodest tamen ad directionem nauigationis, quia scitur quantum deflectat. Sic facile est non imitari nota vitia regentium.

B

Nulli licebat ad Regem Persarum accedere, nisi contractis & complicatis manibus absconsisque in tunicæ manicis Sen. ep. 31.

Samuel humiliter paret Heli; quamuis reprobo sacerdoti. 1. Reg. 3. Superbum Saulem nequam spiritus vexat, & ei Dauid obsequi crispando cytharam non recusat. 1. Reg. 16. Attendite non qua via gradiantur superiores, sed cuius vice fungantur. Petrus Damia. op. 13.

Cœlum generationibus inferioribus præsidens, est ingenerabile, & non habet contrarium.

C

Episcopi cedant, non resistant irato Regi. *Vide Minoritas Contrarietatis.* Non cogere. *Et Minoritas Differentia* Nouitas fugienda.

Episcopus qui ab Imperatore defecerit, timore, cupiditate, aut qualibet suasione, & sacramentum fidelitatis illi promissum violauerit, ab ordine deijciatur; Laicus vero excommunicetur. Conc. Aquisgranense. II. c. 12. Sic depositus fuit Ebbo, Rhemensis Episcopus qui contra Ludouicum Imperatorem conspirauerat. an. 835.

Habitantur regiones etiam quæ frigoris aut caloris excessu suos necant incolas.

D

Palma vulnerata in cerebro perit. Vis enim vitalis, germinatrixque sita est in eo. Quãobrẽ cũ id resecatũ, aut omnino alteratũ sit, intrusu aeris, calorisque alieni corrũpitur, partisque superioris corruptio mox ad ima descendit. Huius ergo peculiaris quædam natura est, vt & pars conspici possit vitæ præstitrix. Theophrast. de caus. plantar. lib. 5. cap. 23. Solæ ex arboribus, abies, pinus, larix, palma decacumi atione pereunt. Hæ enim siccæ natura sunt, & meatu conduntur rectissimo, & vnica radice inhærent; vulnus autem infestat, facitque vt & frigus & ardor facilius subeat, & ob meatuũ rectitudinem non pigrè ad radices deuenit, &c. c. 24.

E

Paul. Rom. 13. præcipit obedire potestatibus, illis timorem, honorẽ, vectigal præstare, etiam cum essent gentiles, multo magis oportet talia fidelibus exhibere. Disce non nunc honoris tui tempus esse, peregrinus enim hic es', & aduena; tempus erit quo omnibus apparebis illustrior. Nunc vita tua abscondita est cum Christo in Deo. Quando Christus comparuerit, tunc & vos comparebitis in gloria: interim Deus exigit, vt creatus ab eo princeps vires suas habeat, &c. D. Chrysosth. Homil. 23. in epist. ad Roman.

Magistro etiam improbo obtemperant discipuli, de Iudæorum Doctoribus dictum est. Matth. 23. vt fiant quæ dicunt, licet ipsi operibus non impleerent. Id. in cap. 1. ad Galatas.

D. Hieronymus ad Rusticum epist. 35. Præpositum timeas vt Dominum; diligas vt parentem; credas salutare quidquid ille præceperit, nec de

maioris

maioris sententia quæras cuius officij est, adimplere quæ iussa sunt *Vide supra Concordantia Potestatis.*
Obedire rectoribus.

Subditus non tenetur obedire superiori præcipiēti actū peccati, imo tenetur nō obedire, sic sācti martyres restiterunt tyrānis: quod si temporalia tributa plus exigat quam deceat, potest subditus vel obedire, vel nō obedire. D. Tho. in 2. sent. dist. 44. a. 2.

Humani actus possunt habere defectum ex parte prouidentiæ humanæ, & ideo plures inordinationes reperiuntur in humanis actibus, quam in naturalibus, id tamen non impedit, quin homo nobiliorem gradum obtineat sub diuina prouidentia Id in quæst. disput. de prouid. q. 5. a. 5. ad 2. Libertas agendi quod libuerit in principibus, est honoris titulus, licet sit occasio peccandi.

B Solis virtus aliis planetis validior est, quia nunquam ab illis tota deleri potest. Cordan. Aphor. sect. 1. Aphor. 14. Vasellus non præscribit contra Dominum.

Deo per hominem præcipienti parendum est, siue bonus siue malus sit ille qui loquitur; si recta & secundum legem, non est ipse qui loquitur, sed Spiritus sanctus. Dirigenda est igitur acies mentis primo in Deum, deinde in id quod præcipitur, postremo in eum qui iubet. Deus siquidem est ille, in quem, à quo, & in quo finem nostrarum debemus instituere, actionum. Super hoc fundamento fa-
A cienda nostri operis structura. Obedire itaque debemus hominibus propter illum, sed nullatenus contra illum. Laurent Iustinian. lib. de obedientia c. 11 De Pharisæis dicit Christus, quæ dicunt facite. Veritas enim à quocumque promulgetur & suadeatur, veritas, est nonpotest corrumpi non potest mutari.

Vide proximè tit. præcedenti ex Suare qui lib. 1. de legib. cap. 9. in fine, dicit aliquando subditos obligari obedire legi etiam iniustè graue damnum inferenti ad euitandum scandalum.

Vuiclephus, Ioannes Hus, & Armacanus dixerunt principes iniquos & infideles non habere ciuilem potestatem, quia finis eius est bonum commune, ad quod iniqui non feruntur, ideo statim vt Saül Deo displicuit, regno fuit spoliatus: hæc tamen opinio damnata fuit in Concilio Constantiensi sess. 8. Tyranni tolerandi in actibus quę nulli nocent, & sunt ex se boni; etiam in actibus iustitiæ, vt in criminum coërcitione, quia idest ex intentione Reipublicæ, minusque malum est iustitiam per malos administrari, quam omnino non administrari. Respublica tolerat, quia nihil potest melius pro tempore. Quoad Regentium malos mores, nulla esset Reip. pax, si singulis liceret in mores principum inquirere, &c. Suarez ibidem, lib. 3. cap. 10.

Vide supra hoc tit. Murmuratio vitanda.

PRINCIPIVM POTESTATIS.

VNDE ORITVR POTESTAS, ET QVÆ SINT eius causa.

C REGVM atque Principum esse, accipitur à Saturno & Sole, & à planeta existente in decima. Auxiliatorum vero regis ab vndecima. Hermes in centiloquio. nu. 22 In exitu cuiuscumque, ad pugnam, sed maxime Regis, sit ascendens vna ex domib. superiorum Planetarum, vel solis. Ib. nu. 29.

Tunc dicitur magna coniunctio, quando tres superiores planetæ in vno de signis regiis coniunguntur, & tunc regna potentissima faciunt, quando aspiciuntur à sole Ib. n. 91.

Nunquam erit pauper & inops, cuius natiuitatis dominus fuerit Iupiter. Almansor. propositione 21.

Cum fuerit vtrumque luminarium in eodem gradu suæ exaltationis, liberum ab infortuniis, natus erit totius mundi Rex & semen eius hereditabit terras. Id. prop. 7.

De iurisdictionum vsu & origine. Bertrand. bibl. patr. tom. 4.

De principis creatione Philo.

Iure naturali, forma imperfecta est propter perfectiorem: plantæ vtuntur terra ad suum nutrimentum, animalia plantis, homo plantis & animalibus. Vnde Philosophus. 1. Politic. probat quod venatio animalium sylvestrium est iusta naturali-
ter. Dominium autem hominis in hominem, si sit per modum seruilis subiectionis, est introductum propter peccatum, sed si importet officium consulendi & dirigendi, est naturale, quia in statu innocentiæ fuisset, vt probat August. 19 de Ciuitate Dei; quia est natus ad societatem quæ non esset ordinata nisi aliquis præesset. Nomen enim ordinis, inæqualitatem importat. D. Thom. de regimine principum. lib. 3. c. 9. in fine.

Nata sunt regna dedentibus se vltrò hominibus homini, vt collecta in vnum omnium authoritas, singulos facilius regeret.

Primus homo creatus fuit in Asia, & in ea etiam instituta fuit prima Monarchia Assyriorum, quæ
D dominabatur 27. prouinciis.

Ex tribus filiis Noë, Sem, Cam, & Iaphet, disseminatum est omne genus hominum super vniuersam terram. Hinc ex eorum benedictionibus Campanella auguratur Regnorum fatum, fœlix aut infœlix, vt quod Galli præstantiores futuri sint Hispanis, quia originem ducunt à Gomer qui fuit primogenitus, Iaphet, Hispani autem à Tubal, qui fuit minor natu. Turcę à Cham, & Chanaam, qui propter maledictionem patris, amisit primogenita.

Vnum quodque agens agit per suam formam, &c. quantò est perfectio forma, tanto est maior & vniuersalior eius potentia in agendo. Vtquando ali-

Digitized by Google

quid est magis calidum, tanto magis calefacit.

Operatio artis fundatur super operationem naturæ; & hæc super creationem.

Subiectum vel materia, non potest agere, nisi virtute formæ, neque etiam dispositio præcedens antequam forma adueniat, ita nec vxor sine marito.

Motus cœli est in vniuerso corporalium naturarum, sicut motus cordis in animali, qua conseruatur vita.

Hic est ordo actionum animæ: primo fit in intellectu consideratio: secundò electio in voluntate, 3. actus in executiua potentia: per duos illos actus habet anima imaginem Trinitatis. Pelbartus in rosario Theologo, voce. actus animæ.

Fixarum robur est à magnitudine, à splendore, à natura, à proprietate, à propinquitate eclypticæ, à prima apparitione orientali, à loci puritate; à circulo positionis. Cardan. aphorism. lib. 2. aph. 11.

Dirige planetas & fixas, & radios etiam planetarum, ad secundam domum pro diuitiis. Ib. sect. 3, aphor. 39.

Saturnus regna acquirit per laborem, fraudem & infamiam. Mars per rapinas, fortitudinem & sæuitiam. Iupiter autem per iustitiam, & probitatis opinionem. Ib. sect. 5. apho. 16.

Cum Sol fuerit in suo trigono in corde cœli, in aspectu Lunæ, natus erit potens. Ib. aph. 78.

Apti ad regnum sunt quibus Sol est in prima domo, vel in dignitate sua, iuxta cœli cor; vel eleuatus ac potens cum Ioue, vel in eius aspectu, & quibus ascendit Leo, Sole super terram eleuato. Ib. sect. 6. aph. 1, 2.

Fortunæ Domini natura sunt, Sol, Luna, Iupiter, Venus in quibusdam tantum. Ib. aph. 147.

Cum ascendēs subiecti fuerit culmen in genitura Domini, diu inseparabiles permanebunt, & subiecto illi magnam fidem habebit Dominus. Ptolom. centil. apho. 48. 49.

Non natura, sed infirmitas & superbia fecit hominem hominibus dominari, nusquam enim Deus mandauit vt hominibus dominarentur homines, sed vt regerent. Sic electus Moyses. Laurent. Iustinian. de instit. prælator. cap. 2.

Primum Concilium Apostolorum habitum est Hierosolymis an. Christi. 34. quo in locum Iudæ traditoris subrogatus est Mathias.

Prælati electio pertinet ad collegium, cui pastor quæritur, & ad eos qui pacto vel priuilegio, vel consuetudine hoc ius obtinuerunt. cap. 3. de causa possess. & prop. Nisi iure eligere prohibeantur. Excluduntur qui in sacris ordinibus non sunt constituti, Laïci seu conuersi c. ex eo de elect. & electi potest. in 6.

Licet eligere sibi spiritualem parentem. *Vide Voluntas Virtutis.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Hominibus publicè beneficis qui artes vitæ necessarias docuerant, hostes, monstra superauerant, mos fuit diuinos honores, multo magis ciuiles & imperia deferre. Naturalis enim libertas concessa nobis ad inquisitionem & electionem boni, videtur eius fontem attigisse, cum se benefico submittit, cui parere hoc est, quod optimum sperare posses non tua, sed eius opera consequi.

MAGNITVDO. Imperium significat quandam supra cæteros eminentiam: hinc communem sortem excellenti qualitate præditis olim delatum est, ve-

A lut tales his caracteribus insignes, sibi iam probatos, cœlum vt patronus, eligendos postularet, quosdam excellentes pulchritudine, alios statura corporis, alios insculptis corpori syderum imaginibus, mirabili curationis virtute, aut aliis dotibus insignes, imperio dignos proposuit. Fundatur ars in natura, & dignitas in excellente Genesi qualitatibus innatis, quas suspiciat populus, sic ad venerationem, cum authoritas accesserit, facilior.

DVRATIO. Quidam rebus diu fœliciter gestis regimen de precario promeruerunt perpetuum, etiam hæreditarium, velut in prole superstes æternaque foret parentum virtus.

POTESTAS. Homines conuenerunt in ciuilem B societatem, vt vnitis viribus vita tutior esset contra prædonū, & ferarum, impetus. Cum igitur salus omnium penderet ex certamine, fortioribus imperium detulerunt. Etiam apud Romanos scientiis & legibus excultos, sæpius ab exercitu, fœlix in armis ad omnium regimen proclamatus est imperator.

COGNITIO. In vniuerso spiritualia præsunt corporeis, & sic homo brutis & toti naturæ dominatur, ratione, consilio, non vi corporea. Hinc publicè visum est sapientes prę cæteris, admittendos ad regimen, quod est eminentis rationis bono publico consulentis & prouidentis actus proprius.

VOLVNTAS. Amato naturaliter paret amans non liberè tantum, sed impetu iussa prouocante, C iniussis etiam officiis implicāte, velut hinc sua penderet fœlicitas. Ita videtur populos naturaliter liberos, his quos dilexerunt, quibuscumque de causis, imperium contulisse. Seruantur omnia iisdem quibus producta fuere modis, vnde fœlicius & constantius est amore quam vi constans regimen.

VIRTVS. Beneficia possunt esse fortuita, captatoria, & in escam effusa; cæcus est in pericula se præcipitem agens amor; nunquam durius regimen quam sub philosophis in tyrannos transformatis, quorum cauta crudelitas vim omnem in contrarium inermem efficiebat; ita suspicione non caret inter bonum & malum anceps industria. Sola virtus est legitimus imperij titulus; sola qua digne Dei D vices agat in hominum regimine, quę cum ipsa sit gratissima, cumulatius accipit ab eo lucem, fortitudinem in agendis, cæteras virtutes quæ populos non tutos tantum, sed sanctos, fœlicesque constituant.

VERITAS. In ambiguis populorum votis, in ambientium procellosa contentione mos apud omnes ferè gentes fuit, oracula, sortes, auguria, prophetas consulendi, cum probantes qui talibus præualuisset.

GLORIA. Dignitates solent esse virtutis præmium. Illas enim vir bonus, rebus optimè fœliciterque gestis, etiam nolens, etiam latens, cum hunc E fama celebrat, omnium vota postulant, consequitur. Sic gloria dignitatis parens & proles est, vt tamen præter ordinem naturę, minor pariat maiorē.

DIFFERENTIA Tam frequens est potestatis insolescentis abusus, vt pleræque gentes nulla pari voluerint vnius imperia continua vel diuturna, sed ad certum tempus, ad paucos annos aut menses, etiam precario, vt imperare statim desinant qui placere desierint. Vbi dignitas sic est ambulatoria, in nondum electis spes promotionis ad insolita mouet animos.

CONCORDANTIA. Contrariis inter se modis fieri solent electiones, aut diu meditatis & in partes coniuratis suffragiis, aut si res ex votis non successerit, subito velut cœlesti motu, omnium in

Digitized by Google

eandem personam consensus.

CONTRARIETAS. Si liceat in regnorum ætates inquirere, videbis vt plurimum illegitimos Martisque deberi sceleribus. Gens potentior debiliorem oppressit, expilauit, sibi subiecit, deuicti populi strages, & vacuum, coloniæ repleuerunt. Hinc degener & inscia, corporum, linguarum, geniorum, morum, varietas.

PRINCIPIVM. Ne id casui vel fato tribuas, sed diuinæ prouidentiæ occultis nobis de causis in orbe populos transplantanti. Regno vacante succedunt ex regio sanguine proximiores, sic & in feudis præferuntur primogeniti, nobiles plebeis, vt in cæteris dignitatibus.

MEDIVM. Inter duos æquis viribus in dignitatem contendentes, dum mutuam inferunt sibi repulsam, medius, quod ambire non audebat, obtinet.

FINIS. Mors pingi debet vt falcem, ita sceptrum manu præferens, quia nullum regno vel dignitate pellit, quin alium substituat: communiorque dominij titulus est successio, qua transit hęres in ius omne defuncti mortis beneficio, eiusdem fati sui lege quę possidet, alteri postmodum concessurus.

MAIORITAS. In electionibus numerantur, non ponderantur iudicia, maiorque numerus minori præualet. Ita Romæ plebis fauorem modis omnibus ambiebant candidati.

ÆQVALITAS. Ciuem, definit Aristoteles, eum cui ius cum cæteris æquale competit ad obtinendas dignitates. In Aristocratico regimine, vt Venetiis, nobiles tantum admittuntur ad publica comitia, æquali nobilitatis titulo, attentis tamen inæqualibus vniuscuiusque meritis.

MINORITAS. Humilitatem passim extollunt sacræ scripturæ, velut gratissimam Deo, qui eleuat de puluere egenum, vt sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat. *Vide Gloria Minoritatis.* humilitas exaltata. Idem inest viris optimis sensus promouendo eos qui dignitates fugiunt; velut intelligant, quia verentur maximum legitimæ functionis onus, & illis propositum sit in officio non sibi, sed alienis commodis, instar serui publici laborare. Modestiam hanc, velut legitimum dignitatis obtinendæ titulum simulant, qui honorem peruersa via sectantur.

REGES A DEO.

COgnoscant viuentes. quod dominetur altissimus in regno hominis, & cuicumque voluerit dabit illud, & humilem hominum constituet super illud Daniel. 4.

Iulius Firmicus. lib. 2. cap. vlt. Asserit Astrologo nihil de imperatore respondendum, solus enim est in cuius fato stellę nihil decernũt, cum enim sit totius orbis Dominus, fatum eius Dei summi iudicio terminatur. Et ad omnia conseruanda, constituitur quasi diuinitas quædam principalis, in quam particulares ius non habent.

Triumphantis, rem diuinam facientis, verba erant. Dij quorum nutu & imperio, nata & aucta est res Romana, eandem placati propitiatique seruate.

Romanum Imperium, non fortuna sed diuinitate propitia defertur. l. fin in pri. Cod. de officio magistri militum.

Ideo Rex à sacerdotibus coronatur 2. Paralipom. 23. Deut. 17 etiam id hodie obseruatur, vt intelligat Rex se sub Christo regnare. D. Th. 3. p. q. 108. a. 3.

A D. Greg. PP. in Registro. lib. 11. ep. 38. asserit Deum Reges dare populis ad bonorum remunerationem, malorum castigationem.

Quod Deus maiorem curam habeat de regibus, quam de subditis, *Vide Supra, Gloria Potestatis* Honor rectorum.

Isayas. c. 6. Deum regali habitu sedere conspexit, vt agnosceret nisi à Deo rege regantur reges, ipsos cum sint homines, nihil posse regere. Chrysolog. serm. 131.

Sicut quidquid mouetur, ab aliquo mouetur, & cum non detur processus in infinitum, deueniendum est ad primum mouens, sic ad primum aliquem regentem in toto orbe, à quo pendeat cæterorum regimen, sicut in regno omnia officia B pendent à rege. Finis regiminis est mouere ad virtutem vt sic habeatur æterna beatitudo: talis autem motus maximè pendet à Deo, vnde debet mouere regem, ad talem motum subditis imprimendum. Motus irradiationis diuinæ super Principem vocatur rectus; reflexus autem & obliquus cum in subditis exurgit diuina laus de quo Propheta Psal. 71. Deus iudicium tuum regi da. &c Ideo debent esse benè dispositi ad recipiendum talem influxum, qui in cæteros possit diffundi.

Imperatorem & Reges esse à Deo, non à Papa. C Vide plura apud Cardinal. de Cusa de concordantia catholica. lib. 3. cap. 41.

Bertrandus Cardinalis contra Petrum de Cuniere, in tractatu de vsu & origine iurisdictionum bibl. patr. to. 3 V. ed. dicit, potestatem iurisdictionis esse inter homines à Deo in quãtum Deus indidit hominibus rationem, per quam debitum est in hominibus esse talem potestatem per bonum regimen eorum; nam in particulari quatuor monarchiæ, Assyriorum & Chaldæorum, Medorum & Persarum, Græcorum, Romanorum, habuerunt initium à violentia & vsurpatione: aliqui tamen D Reges fuerunt dati à Deo, ita dici potest, omnis potestas à Deo, iubente, vel sinente. 26. q. 5. can. nec mirum.

Cum apud Chinenses plures sint sectæ, vnam maximè reijciunt, quia Reges qui eam sequuti sunt morte violenta perierunt. Dauity.

Reges esse & conseruari à Deo, probat antiqua consuetudo orandi pro Regibus, de qua Tertullianus passim, & ab Innocentio 4. & Martino bullæ sunt editæ quibus indulgentiæ conceduntur his qui pro Rege Galliarum orauerint. de quib. D. Th. 4. sentent dist. 19. a. 3.

Esar lingua Syriaca significat Deus, & hinc dicti Cæsares. Suet. in Aug. c. 97.

E Dauid fuit vnctus ter in regem; primo per Samuelem, secundo per tribum Iuda, tertio per totum Israël, sed per primam vnctionem fuit illi collatum magis de iure regnandi quam per alias. Tostat. 1. Reg. fo. 28. c. 3. f.

Reges vngebantur oleo sancto in capite, vt significaretur, quod instituebantur principes, per Deum. Id. 1. Reg. to. 1. fo. 165.

Magnorum principum Sol est significator, Iupiter Magistratuum. Cardan. aphor. sect. 4. aphor. 107. in hoc Sol præcipuus Planetarum, est instrumentum diuinæ prouidentiæ.

Reges sunt à Deo. Vide quæ scripsi Moral. Christiana. to. 3. parte 1. cap. 12. & lib. de agente Dei in humanis. parte. 2. cap. 1.

Ideo leges ciuiles obligant in conscientia, quia princeps est vicarius Dei in regimine. *Vide Concordantia Potestatis.* Obedite rectoribus.

MEDIVM POTESTATIS.

QVIBVS MEDIIS OBTINETVR potestas.

IN omni actione tria præcipuè requiruntur, præsertim si certi cuiusdam gratia futura sit, sunt autem facultas agentis, aptitudo materiæ, & applicatio conueniens, scilicet tactus, situs, mora, & in quibusdam organa. Fracastor lib. de Simpathia, cap. 11.

Libros artem Alchimiæ tradentes, antiqui significauerunt per vellus aureum Rodigin. lib. 7. c. 2.

Miri effectus magiæ naturalis, non fiunt magia ipsa artifice, sed natura potius, cui se hęc mutuos copulando apte consensus ministram exhibet. Cessant autem illa, & velut in sinu maiestateque parentis interquiescunt, donec conciliator excitatorque accesserit opportunus, Id. lib. 9, cap. 13. *Vide Medium Bonitatis.*

Vide superius proximè positam demonstrationem. *Principium Potestatis.*

Obtinetur potestas collatis publicè beneficiis & his qui plurimum possunt apud reges & populos, nam dona conciliant animos. *Vide Potestas Bonitatis.* In dignitatibus electiuis multitudo præualet, numerantur enim, non ponderantur iudicia, ita candidatis mos est plebis potissimũ fauoré promereri: Concurrentibus ad id multis, obstant multa, sed obtinet qui constantior in intenti prosecutione fuerit; minor dignitas ad superiorem immediatè præcedentem gradus est. *Vide Duratio Maioritatis.* Pręcoces enim, & vt dicitur, per saltum promotiones exagitat inuidia, & infœlici sæpè terminantur exitu. Prudenter igitur & moderatè procedendum: sol oriens minus fulget quam meridianus, non se tota sub initiis explicet ambientis industria, relinquatur incrementis & famæ semper crescenti locus. Sic non æmulationem, sed amorem sibi conciliabit vnde magis speranda dignitas potissimum ab ambitiosis; nam quos diligunt suis metiuntur cupiditatibus; & eis potentiam, quam summè appetunt, à se pendenté largiuntur. Ita certant aulici modis omnibus promereri sui principis affectum, velut certius quacumque fortunata Genesi, fœlicitatis principium. Virtus in passionum victoria publici regiminis, sibi quandoque concedendi tyrocinium agit, ad illam parentum exhortatio prouocat liberos, vt ad viam regiam, quæ ducit ad summa, virtuti quippe naturalem suam libertatem submiserunt populi, hic primus fuit imperiorum titulus, seu ciuilis societas esset bonis legibus in pace constituenda, seu bellica fortitudine contra vim hostilem tuenda. Miserrimos, in triremibus pœnæ seruos vitium efficit, Imperatores, triumphatores, ad apicem gloriæ sublimatos virtus, hæc est nobilitatis cui tantum defertur, antiqua parens, iterum noua cum obscuro genere natos, facit illustres, vt se, non longam maiorum seriem agnoscant homines suæ fœlicitatis principium, & degeneri iam prosapię, iam ad occasum properanti, clarum mundo sydus in posteris maiori splendore duraturum, proferat. Qui fidelis est in minimo, maiora promeretur, vt habet Euangelij parabola. Vt pondus magnum moueatur, socias manus aduocamus, & initis fœderibus magna parantur imperia. Opportunum occupandi tempus est, cum post multas alterationes, tandem ad vltimum fati sui peruenerunt. Incertum hoc, nam multa sub potenti manu Dei salubriter humiliata, à suis surrexerunt lætiora cineribus. *Vide Finis Minoritatis. Et Gloria Minoritatis.* Humilitas exaltata. *Ex principijs.*

Sorte delata fuit aliquando potestas, vt eam Romulus obtinuit obseruatis auguriis. *Vide Minoritas Cognitionis,* Sors, Virtute obtinetur imperium. *Vide Virtus Potestatis, & Potestas Virtutis.*

VICARIA POTESTAS, & de omni eo quod substituitur in alterius locum.

CVm homines vbique non haberent herbas & lapides in quibus latet mira vis astrorum, in eorum subsidium, verba, & imagines constituerunt, quibus magia promittit indere vim cęlestem, Paracelsus. lib. 1. sagacis Philosophiæ.

Dicunt Arabes philosophi, quod præter intellectus qui mouent orbes, sunt alij qui mouent inferiora. *Vide Diff. Potestat.*

Plato in Timæo, dicit quod intellectualitas in homine, & sensibilitas in brutis, vtrumque vitæ principium, effluat, à motoribus orbium & stellarum: vnde ad eos sic introducit loquentem summum Deorum; Horum inferiorum sementem ego faciam, vobis autem exequi par est. Sic ordine seruato infima mouentur à supremis per media. Albert Magn. tract. 1. de intellectu & intelligibili. cap. 4.

Alpetragius dixit in quolibet cœlo duos esse motores: primum intelligentiam, quæ mouet vniuersaliter ad vbique esse & semper: alius est motor proximus qui mouet secundum partes, & secundum successionem vbi & nunc: per successionem enim vbi efficitur vbique, & per successionem nunc efficitur semper. Albertus Magnus lib. de processu vnius cap. 7. In fine concludit quod inter intelligentiam & cœlum aliquid est, siue vt anima, siue vt forma, quo cœlum particeps efficitur bonitatis in se ab intelligentia defluentis.

Vide Bonitas Medij. Quædam melius fiunt per media.

Decanatus signorum, singulis planetis deputantur, & cum in ipso decanatu stella fuerit, licet in alieno domicilio, sic tamen est habenda, quasi in suo sit domicilio constituta. Iul. Firmicus. lib. 2. c. 5.

Quod in monasterio præter Antistitem alius etiam esse aliquis debet, qui illo absente aut occupatione distento fratrum ipse curam possit suscipere, vt semper vnius consilio omnia gubernentur, & vitetur omnis deordinatio. D. Basil. lib. regular. fusius disputatarum. cap. 45.

D. Gregor. PP. in Registro lib. 1. ep. 4. Maximianum Episcopum Syracusanum vult sedis Apostolicæ vices agere in tota Sicilia, vt ad eum omnes Religiosi recurrant, nec habeant necesse tanta maris spacia transmittere, vt ipse subleuatus in minimis, in causis maiorib. efficacius occupetur. Idem constituit lib. 3. epist 9. ne pro priuatis aut publicis causis, monachis sit occasio vagandi extra venerabilia loca.

Si sacerdos peracta consecratione intereat, perficiendum est sacrificium ab altero sacerdote, ne sacrificium maneat imperfectum. Bonacina de Euchar. quæst. 2. Capellanus potest missas quas tenetur celebrare, per alium id implere. Quia qui per alium agit, ipse agere dicitur.

Inter agens & patiens debet esse contactus seu quantitatis, seu virtutis.

Petrus Damianus. lib. 5. epist. 10. Fauentinis scribit, vt sede vacante dignissimum è clero eligant qui munus episcopale obeat.

Idem opusc. 13. cap. 16. monet Priorem Monasterij, ne sic circa delinquentes mitis appareat, vt Abbatem faciat apparere crudelem; imò sic instet vt possit Abbas aliquid paterna pietate donare; Aaron indulgens populo absente Moyse fecit eum idololatram, sit vt Aaron os ad populum, dum Abbas velut Moyses est totus in his quæ sunt ad Deum, sic vt tegumen arcæ, sic ipse Abbatis ad exteriora.

Si quis Episcopus in concilio, infirmitatis causa defuerit, personam vice sua dirigat. Concil. Arelatense. 2. can. 18.

Est agens aliena virtute; vt calor naturalis agit in virtute animæ. In Christo verbum agebat per humanitatem.

Christus est sacerdos qui manet in æternum, sempiternum habens sacerdotium. Heb. 7. v. 11. Ideo Papæ & Episcopi sunt eius ministri, non successores, quia semper pendent à Christo summo sacerdote. Sacerdos vice Christi fungitur, inquit. Cyprian. epist. 63.

Vrbs quæ non profert occisorem, tenetur alios pro eo dedere. *Vide Contrarietas Minoritatis.* Vindicta publica.

Pronomen pro nomine. *Vide Gloria Differentia.* Læta diuersitas.

In mari loco plantarum, sunt plures species animantium quam in terra. *Vide Princip. Differentia.*

Quamprimum vel hominum manus atque opera vel aquarum vis excauarit terram in eius locum aër succedit: vt idem omnem in canalibus occupat locum ex quo aquæ effluxerint. Gregorius Agricola. lib 2. de causis subterraneorum.

In ciuitate grassante peste quidam ignobiles & inutiles immolabantur, vt si quid in numen esset offensæ, piaculo eiusmodi paria facerent: ob id catharmata dicebantur græco verbo expiationem significante. Rhodigin. lib. 6. cap. 12.

Cum in re diuina aliquid ex ritu omissum erat, per ostenta quæ mox paulò insequerentur, videbatur numen honoris instaurationem postulare, & hæc sacra, dicebantur postulationes. Id. lib. 10. cap. 19.

Imperatores ad bellum profecturi solebant edere munus gladiatorium vt eo fuso sanguine, Nemesis, idest, fortunæ vis placaretur. Ib. lib. 11. c. 10.

Vide Infra Medium Gloria Pati pro alio.

Vbi veteres filios Saturno immolabant, hi qui liberos non habebant, à pauperibus emebant, vt agnos aut auium pullos. Id. lib. 13. cap. 23

Secundum autores Hebreos, intentio diuina completa est in Messia, qualiter in primo homine non fuerat.

Cardinales sede Pontificatus vacante Ecclesiam regunt.

Archidiaconus est Vicarius proximus Episcopo, omnem sollicitudinem & curam personarum & rerum Ecclesiasticarum habens. cap. 1. de officio Archidiac. Sic Archypresbyter, præest Presbyteris vt ritè suo officio fungantur. Dicitur decanus, quia præest decem Presbyteris. cap. officium. de off. Archipres. Ita coadiutor vices agit Episcopi infirmitate aliqua detenti, cum spe successionis, sed causa prius diligenter à Pontifice cognita, vt habet Tridentin. c. 7. sess. 25. de reformatione. Episcopi vel alij Clerici, possunt Vicarios, constituere officiales. Toto tit. de officio Vicarij. Legati sunt Vicarij summi Pontificis horum tres sunt species: alij sunt legati de latere qui nomine S. Pontificis in Prouincias mittuntur. Legati missi, qui extra ordinem Cardinalium mittuntur. Legati nati sunt qui ratione priuilegij & beneficij, potestatem à Pontifice habent, tanquam eius legati. cap. 1. de off. legati. in 6.

Cardan. lib. 6. de rer. variet. cap. 21. refert, in insula Ferri vna, ex Fortunatis, arborem esse quandam, circa quam singulis diebus horis antelucanis ingens nebula spissetur, quę in aquam mox conuersa, non modo hominibus sed & vniuersis bestiarum gregibus abunde sufficiat.

Vide Magnitudo Medij. Plura media, vt vno deficiente aliud substituatur.

Inundatio Nili supplet defectum pluuiarum in Ægypto, tum vt irrigentur agri, tum ad hominum sitim explendam: asseruant enim exundantes aquas in cisternis.

Licet Cathecumeni non susciperent sacrum Eucharistiæ sacramentum, eius loco, sanctificato panę reficiebantur vt habetur in Conc. Chartag. 3. c. 1. & D. Aug. de peccato remiss. c. 26.

Angelus obtulit Abrahæ arietem immolandum loco Isaac. Gen. 22. Tostat. in Genes. p 182. cap. 2. b. id factum est prima die Septemb. & hanc diem Iudæi singulis annis celebrabant festo clangoris, clangentes buccinis corneis. Id. col. 2 d.

Omnes curati sunt commissarij Episcoporum, nam tota iurisdictio est Episcoporum immediatè. Id. Matth. 10. 4. fo 186.

Scythæ in regione frigida, aquam tantum habent in potu, si quando tamen ebrietatis voluptatem requirant, construunt pyram in quam coniectis herbis adoriferis, eam circumsidet corona, cuius odorem veluti crateris haurientes, haud secus quam alij epoto viuo in ebrietatem vertuntur, quamobrem saliunt, canunt & saltant. Maximus, Tyrius. serm. 111.

Generatio est ad conseruationem eorum quæ in seipsis manere non possunt, vt maneant in suo simili.

De his qui substituti sunt in locum primogenito-

rum. *Vide Gloria Durationis.* primo genitura. Rep.

In lege Mosaica seminis suscitatio data est in subsidium, vt ei qui non haberet filios naturales, darentur filij legales. Tostat. Math. to. 6. fo. 48.

Causa principali, vel consueto procedendi modo deficiente, simile quid natura substituit. Vide qua scripsi de iure naturali lib. 1. lege. 20 §. 1. Imagines sunt in subsidium præsentia. Vide Medium Cognitionis imagines.

Voluntarius procurator, qui se alienis negotiis offert, rem ratam Dominum habiturum, cauere debet. Pauli sent. Cuiac. Obs. lib. 7. c. 26.

Planetæ agunt præsentiâ aut aspectu.

Vrgente necessitate, mulieres viris substituuntur *Vide Potestas Minoritatis.* Mulier fortis ex D. Hieron.

Si testator fundauit capellam cum obligatione celebrandi tot missas per hebdomadam, potest tale beneficium obtinere qui non est sacerdos, si per alium missas conuentas faciat celebrare. Summe bullarum voce, Seruitium.

REPVGNAT.

SEIPSO, ET SINE VICARIO AGERE.

Vide *Minoritas Medij.* Non vti medio sed seipso agere.

Optimum est principem seipso & personaliter adesse bellis; addit animos militibus; fortium testis, illis præmia decernit, iisdem implicatus belli periculis, vulneribus, captiuitati, morti, discit se hominem esse, nec temere bella tentat, sibi periculosa Nimias etiam impedit populi vexationes. Vnde testantur historiæ bonos omnes principes bella per se gessisse, tyrannos verò per Vicarios & locum tenentes.

Non admittitur delegatio, cum persona specialiter electa est. cap. vlt. de offic. delegati.

Qui Reipublicæ pecuniam debebant ex mulcta, nec nono senatus conuentu soluerant, in carcerem includebantur, repudiatis etiam sponsoribus. Suidas in verbo [illegible].

Vide Cognitio Virtutis. Repug. Virtus latens quæ non externo mendicato, sed proprio viget decore.

Nulli iudici neque ciuili, neque militari conceditur mittere per ciuitates prouinciæ quib⁹ præsidet eos qui vocantur loci seruatores: si quid tale fecerint, ipsi cadent administratione, præsumentes alios in suum officium eleuare. Nou. 8. cap. 4.

Tabelliones debent ipsimet non per Vicarios protocola contractuum scribere, seruare, cum die & cosule ad conuincendas falsitates. Nouella 44.

Magistratus ipsimet debent causas audire, sententiam definitiuam ferre; appellationem recipere, nec id possunt adsessores sine magistratu. Nouella 60. in fine.

Mundum seipso Deus saluat per incarnationem Verbi. Vide qua scripsi. Theologiæ naturalis. to. 4. parte 2. cap. 2.

Vlpianus Protribunalium scripsit libros decem, quibus tractauit de causis, quæ nec mandantur, nec delegantur, sed à prætoribus ipsis, præsidibusque pro tribunali expediuntur, veluti de salariis, mercedibus, nutriciis, proxeneticis, de restitutionibus minorum, de tutoribus, aut curatoribus dandis, de transactione alimentorum, de

A prædiis pupillorum alienandis, &c. Cuiac. obseruat. lib. 7. c. 23.

Actus legitimi sunt, aditio aut cretio hæreditatis mancipatio, in iure cessio, acceptilatio, tutoris datio, libertatis datio quæ fit in iure & horum actuum inter cætera proprium est, vt non fiant per procuratorem. Ib. lib. 13. cap. 16.

Non valet sententia arbitri cõpromissarij iubentis arbitrio alterius fundum tradi vel satisdari, quia transfert arbitrium in alium Ib. lib. 22. cap. 24.

Principes aut iudices quibus demandata est iurisdictio, non possunt illam delegare, quia illorum industria postulatur, quando illis committitur, arg. l. 1. ff. de off. eius cui mand. est iurisd. Suarez de legib. 3. cap. 4.

B Pauperibus & fratribus, refrigeria sumptuum manu propria distribue. Rara est in hominibus fides. si non credis verum quod dico, cogita Iudæ loculos, D. Hieron ad Paulinum de instit. Monach.

Abraham non seruis & ancillulis imperabat vt ministrarent hospitibus, sed quasi reperta præda cum Sara sua humilitati solus incubuit, ipse lauit, ipse pinguem vitulum portauit humeris de armento, stetit vt seruus peregrinis, & Saræ manibus coctos cibos ieiunaturus apposuit. Id. ad Pammachium.

Sunt qui ob stomachi angustiam, exercent opera misericordiæ per aliorum ministeria, & clementes sunt, pecunia non manu. Magna fides fabiolæ ista

C contempsit, & propriis manibus ægris sanie diffluentibus in extructo à se Nosocomio ministrauit tanta charitate, vt multi pauperum sani, languentibus inuiderent. Idem ad Occeanum.

Excommunicantur qui se pro aliis substituunt examini ad obtinendum beneficium, & alios se esse simulant. Paul. 4. const. 14. Bulla. n. 597. to. 1.

Beneficij cum cura Parochianorum collatio in personam eius qui non intelligit, nec loquitur idiomate illius loci, vbi situm est beneficium, non valet. Vrban. 8. const. 6. reg. cancell. 20. pag. 17. to. 4.

Legati & Nuntij per seipsos non per auditores aut Vicarios examen & inquisitionem promouendorum ad Episcopatum facere tenentur. Greg. 14.

D const. 6. §. 7. p. 530. to. 1.

Opera charitatis quisque debet propriis manibus exercere. Vide qua scripsi, lib. de operibus misericordia parte. 1. cap. 20.

MEDIATA ET LIMITATA Potestas.

P. Valerius Publicola exactis Regibus, videns vim omnem imperij, sub titulo Consulatus in se translatam, inuidiosum magistratus fastigium, moderatione sua, ad tolerabilem habitum deduxit, secures deposuit; ædes suas eminentiori loco,

E ad instar arcis positas, diruit, ita quo ciuitatis conditio, liberior esset; imperium suum paulatim destruxit. Valer. Maxim. lib. 4. c. 1.

Formæ substantiales in mixto, sunt simul actiuæ & passiuæ quia determinant materiam, pro ratione dispositionis; Vt calor naturalis conuertit sanguinem in partes, secundum earum formam. Alb. Mag. 1. Phys. tr. 3. c. 3.

Nunquã fuisse integrã & absolutam in mundo vniuersaleq; Monarchiã. *Vide Magnit. Potest* Monachia

Digitized by Google

Hoc inter Reges gentium & Reipublicæ Imperatores distat, quod reges gentium, Domini seruorum sunt; Imperatores vero Reipublicæ, Domini liberorum. D. Greg. PP. in Registro. lib. 11. epist. 38.

Vt in alea, res non cedunt ex votis, sed prout succedunt, prudentia regendæ sunt.

Empedocles mundum quidem vnum esse dixit, verum non esse vniuersum, sed esse perparuam naturæ vniuersæ partem; reliquam verò & magnam partem vacantem esse materiam. Plutarch. lib. de placitis philosophorum. cap. 5. Non est explicanda & in actum educenda omnis sua Potestas.

Vide Virtus Medij Mediocrit. Vide Maior. Potestatis Mala.

Equo sine freno, tutum non est vti, vt nec diuitiis sine ratione.

Vt constans & firma sit Respublica, oportet partibus singulis opponi aliquid, vt idem magistratus, aliis imperet, aliis obediat. Sic apud Lacædemonios Regibus opponebantur Ephori, his senes; in quamcumque enim partem, imperij momentum inclinet, illi se alię adiungunt partes.

Non decet in ciuitate aliquem educari, vt leonem in quem concurratur, nec vt culicem quem conculcent.

Theodoret. in Genes. quæst. 48. dicit quidem fuisse gigantes excelso corpore, vt Deus ostenderet se posse hominem producere maiorem corpore, sed id non conuenire ne nimis superbiret, cum etiam exiguum habentes corpus, contra se mutuo, & contra Deum attollantur.

Licet quodlibet signum Zodiaci alienæ cuiuspiam sit potestatis, & alicuius Planetæ proprium habeat domicilium, partes tamen eius quasi propriæ stellis singulis diuiduntur, quæ partes stellarum fines nuncupantur, & in illis ferè parem ac in propriis domibus vim habent. Iulius Firmicus. lib. 2. cap. 5.

Legitimus superior potest reseruare sibi aliquorum grauiorum criminum absolutionem, quia id saluti animarum expedire iudicat: & hęc peccata sunt mortalia & externa. Bonacina de casib. reseruatis.

Can. ita dominus dist. 19. dicitur decreta Pontificum ita demum obseruanda, si decretis sanctorum Patrum non sint contraria. Ita quidam asserunt S. Pontificis potestatem non esse absolutam, sed supremam & tamen subiectam decretis conciliorum & Sanctorum Patrum: & si quid contra statuant non eis obeditur. cap. Inquisitionis ext. de sent. excomm. Ita Paulus Petro restitit in faciem. can. Paulus 2. quæst. 7. Decius. con. 151. Zabarella cons. 150. Sic in Actib. Apostolor. dicitur, Visum est Spiritui sancto & nobis. Petrus solus non decernit. Sic in antiquis Synodis, Placuit sanctæ Synodo. In concilio Africano quod habetur can. primo. dist. 99. statutum, Romanum Pontificem non debere dici, Principem Sacerdotum, sed Episcopum primæ sedis. & D. Gregor. epist. 30. lib 7. non vult dici vniuersalis. can. ecce dist. 99.

In Republica, magistratus sunt tantum executores legum, & non habent plenam in regimine potestatem; sicut rex in suo regno. Vnde si quid noui contingat, debent consulere multitudinem. D. Thom de regimine principum lib. 4. cap. 1.

Quando actus non valet, vt agitur, valet eo modo quo valere potest, l. tam angusti. ff. de seruitutib.

Respublicę quæ habent duces, vt Veneta, Genuensis, non omnem suam potestatem in Ducem transferunt, sed admixtam retinent, itaut nec communitas sine duce, nec Dux sine communitate possit leges ferre, sed totum corpus cum capite. Bonacina de legib. disp. 1. q. 1. p. 2.

Cœlestia corpora, cum multa penes nos faciant, multa à nobis & à natura fieri sinunt.

Nihil summum fecit in rebus humanis qui summus est; sed nec facere potest: ipsa quæ censentur in orbe maxima, suos habent pares, cum quibus cōponantur, & validissimis viribus ab externo diuina vis temperamenta dispensat. Sol cum tanta possit, habet suos aduersarios, quorum maligna vi beneficę lucis fauor hebescit: ignem superis inferisque terribilem, tam mites aquæ suffocant; Gentiles vix Monarchiam in cœlo sunt imaginati, nec Deum sine riuali. Non aliter stare mundum Philosophi credunt, quam maximarum partium æquilibrio. Non omnia permittit Deus cœlo, non omnia vni elemento: non staret mundus si propius admoti essent cœlestes ignes, aut si iure stricto suum sibi dominium aquæ vindicarent.

Dæmones possunt Deo permittente mira agere applicando actiua passiuis, non tamen mouere possunt totam terram, aut totum aliquod elementū, alioquin ordo naturę confunderetur. Bonacina de maleficio. *Vide Maioritas Medij.* Nimis potens Medium.

Cœlum regens inferiora, ea parte quæ ad illa vergit, est concauum, eleuans se, sed à parte superiore est conuexum, se deprimens.

Est duplex potentia: vna antecedens quæ non est cum actu: alia concomitans quę est cum actu, vt actu currens potest currere.

Licet primariò frigus non ingrediatur opus naturæ, quia calor in corpore naturali est primum agens tamen per accidens, & ex secundaria intentione, frigus naturæ opus quodammodo coadiuuat, calorem natiuum temperando, vel ad certam mensuram, modumque reducendo: item ipsum conseruando, aut constringendo ne exhalet, vel per antiperistasim, aut circum obsistentiam, augendo, vel denique adiuuando partes materiæ, ne calore perefluant aut dilabantur.

Non datur infinitum actu, Arist. 1. de gener. anim. cap. 1. quia omnia loca occuparet, omniumque rerum motus & actiones impediret.

Rex Hispaniæ non dicitur Rex, sed dux Asturum. *Biscains:* & cum hanc prouinciam ingreditur, debet esse vno pede sine calceo, dimidiatam sic confessus suam potentiam; Dauity.

Nauarri in interregno quatuor annorum, legem tulerunt, ne deinceps, Rex aliquid statueret sine consilio duodecim magnatorum à populo electorum. Idem.

Prouinciæ quædam Regnis accedunt vt non pendant tributa, & liberæ maneant à cæteris oneribus vt Armorica in Gallia.

Pisces non habent collum, ita caput non mouetur nisi cum reliquo corpore: sic in Republica Veneta dux nihil agit sine senatu.

Imperator non infert bellum, tributa non imponit, sine consilio Electorum: itaque regimen eius non est mere Monarchicum.

In Archiepiscopatu Maguntensi vir sine vxoris consensu non potest obligari: ob illam limitatam potestatem mariti, insolescunt mulieres.

Corpus vt actiuum est, ita & passiuum est, quia ex actu & potentia, id est materia & forma, componitur.

Non est possibile quod aliquid moueat seipsum,

nisi diuidatur in duas partes, quarum vna sit mouens, & alia sit mota, quod in solis animatis contingit.

Potentia non dicitur frustra, si non reducatur ad actum in singulis suis indiuiduis, sed solum si ad actum non descendat in omnibus collectiuè sumptis.

In creatura potest esse potentia passiua infinita, non autem actiua.

In mixto quatuor sunt qualitates ex æquo partitę: duæ actiuæ, calidum & frigidum, duæ passiuæ humidum & siccum.

In omni corpore mobili est actio & resistentia, actio à principio mouente intrinseco, passio & resistentia à subiecto mobili.

Deus alligat naturam, natura artem, superior inferiori dat legem, & limites potentiæ præscribit.

Pactum de retrouendendo emptioni appositum.

Valerius Publicola plebi Romanæ gratificaturus abstulit à fascibus secures & futuris post se consulibus morem tradidit, sic inuidiosum magistratus fastigium ad tolerabilem habitum deduxit. Rodig. lib. 12. c. 7. Idem in concionem prodiens fasces submisit populo. Ib.

Sopor, velut publicanus, plurimum de vitæ spatio detrahit.

Archiepiscopis non licet vti pallio semper, sed in diebus tantum solemnioribus, nec extra suum territorium, nisi fuerit eis specialiter à S. Pontifice concessum, c. 1. 4. penult de aut. & vsu pallij.

Absoluit non omnis sacerdos de omnibus peccatis, sed in casibus tantum sibi commissis, nec alijs per canones reseruatis. Clem. 1. § quibus de priuileg. c. 1. dist. 10.

Archiepiscopus etsi in omnis prouincię suæ suffraganeos iuris habeat dictionem, in eorum tamen subditos, paucis articulis exceptis potestatem non habet. cap. pastoral. de off. ordina. in 6.

Delegari possunt, & principium, & medium, & finis causæ. cap. super quęstionum. § intentionis 2. q. 6.

Cordi iunctus est pulmo qui calorem eius aëre subministrato temperet Tales debent esse ministri Principis.

Sic à Deo prouisum est, vt dum calor & frigus suam intendunt multiplicationem, secunda entia constituant, nam per vices agunt & quasi sibi parcentes, & non quantum & quomodo vellent, quoniam fato & causarum concursu impediuntur inuicem, itaut aliud agant, quam velint, sicut ignis à coquo modificatus non ignem facit, sed assationem, & coctionem carnium. Campan. Phys. q. 33.

Angeli quantumuis magni serui sunt & ministri.

Quamuis Deus det sanctis potentiam miraculorum, de qua *Vide Maiorit. Potestatis* tamen illos permittit & tentationibus exagitari, & multa sæpius ignorare, vt coërceantur & comprimantur Sic Elias dicebat 3. Reg. 9. Ego relictus sum solus: & Paulus habet stimulum carnis, &c. D. Chrysost. homil. 4. in 1. ad Thessal.

Qui fundum simpliciter vendidit, non tenetur eum liberum à seruitute præstare, nisi liberum optimum dixerit, l. penult. ff. de euict. Cuiac. obseruat. lib. 2. cap. 10. alter alteri seruit.

Transgressoribus angelis non seruit ad nutum materia rerum visibilium, sed Deo potius à quo hæc potestas datur, quantum incommutabilis iudicat. Magister sentent. lib. 2. dist. 7. q. 3.

Prælatorũ Religiosorũ per regulas quas profitentur limitata est potestas, itaut secundum tantum illas Religiosi teneantur obedire. Ib. dist. 44.

In corporibus inferioribus non est tota potentialitas completa per actum, eo quod materia substans vni formæ remanet in potentia ad formam aliam, quod non est in corporib. cœlestibus. D. Tho. in quæst. disput. q. 5. a. 8.

D. Augu. 3. de Trinit. dicit. Quædam quæ Angeli mali possent facere si permitterentur, ideo facere non possunt, quia non permittuntur, & sic dicuntur ligari.

Licet Dæmones possint mouere aliquam partem terræ, non sequitur quod possint mouere totam terram, quia hoc non est proportionatum naturæ ipsorum, vt mutent ordinem elementorum mundi D. Thom. Ibid. de peccatis q. 16. a. 10. ad 8.

Hominum vita conditionis est dubiæ, quæ partim est ab ingenito libera arbitrio, partim necessitate obstricta. Vt si dicamus vinctum hominem potestatem accepisse ductores suos sponte sequendi; ita suspicor necessitatem inesse rebus. Maxim. Tyrius. orat. 3.

Lice Deus permittat hominem desiderare quodcumque vult, non tamen permittit patrare quodcumque vult: id enim verteretur in multorum iniuriam. Tostat. 1. Reg. 10. 2. fol 105. c. 2. a. potest cogitare contra Dei dispositionem, sed non agere. Id. Gen. fo. 55. c. 4. f.

Ideo magnæ dignitates non debent esse perpetuæ, vt vicissitudo nimiam reprimat authoritatem. *Vide Duratio. Potestatis Repugn.*

In rebus corruptibilibus nunquam forma plenè dominatur materiæ. Id. Mat. 10. 4. fo. 23.

Apud Iudæos non vendebantur propriè possessiones, quia in anno Iubilæi reuertebantur ad venditores. Id. Leuit. fo. 294.

Iudices in Israel non suscipiebant tributa, non faciebant impositiones super populum, sed viuentes de rebus suis, solum præerant iurisdictioni. Id. Iudic. fo. 4.

Potestas quam Christus dedit Ecclesiæ, est sub certa forma, scilicet ad construendum. 2. Corinth. 10 & Tostat. Math. 10. 2. fo. 78.

Cum planetæ duo simul dominantur, erit iudicium ex amborum significato mixtum. Carda. Apho. sect. 4. apho. 21.

Cuiuslibet agentis naturalis limitata est Potestas, & essentia; loco, tempore. Vide quę scripsi de iure naturali. lib. 1. lege. 7.

Vis actiua certis & determinatis modis procedit. Ib. lib. 2. lege. 1. Vim potentiorum sequentem natura temperat. Ib. lege. 12. §. 2 Virtus rerum externarum vsum moderatur & temperat. Moral. Christiana. to. 4 parte. 1. cap. 21. 22.

Deus animam rationalem sociauit carni passibili, vt ex hac infirmitate eruditus homo: disceret non eleuari supra se. Laurent. Iustinian. lib. de perfectione monastica. cap 4.

Hippocrates lib. 1. de natura hominis, & de dieta, ponit duo rerum principia, ignem & aquam. Eorum autem hæc vis est, ignis omnia per omnia mouet & impellit, aqua omnia in omnibus nutrit, sic vt vtrumque superet ac superetur, neutrum absolutè superet. Si ignis superaret simpliciter, deficeret alimentum; sin aqua motus deesset.

Adam mundi Dominus legem accepit, vt non tanto extolleretur dominio, sed in obseruatione mandati, sciret se subiectum esse creatori suo. Alcuin. in Genes. interrog. 7.

Licet Respublica Veneta, Genuensis, & aliæ, sibi

bi vnum ducem aut principem eligant, non tamen in eum transferunt omnem potestatem, & ideo in illis regimen est mixtum, & suprema potestas neque est in principe solo, neque in sola communitate, vt ab illo distinguitur, sed in toto corpore cum capite; sic in toto ipso residet potestas leges ferendi. Suarez de legib. lib. 3. cap. 7.

FINIS POTESTATIS.

QVANDO FINIATVR ET DESINAT POTESTAS.

A DEVS Reges in solio collocat, in perpetuum, & illic eriguntur. Iudicabit autem opera eorum, & scelera eorũ, quia violẽti fuerint. Iob 36.

Sol in libra, efficit Principem, qui amisso regno, fugit timidus de vno loco, ad alium. Idem præstat Saturnus in 3. facie Leonis. Haly. 1. parte cap. 4.

Postquam arbor successiue per plures annos produxit folia, hyeme accedente defluentia, tandem ipsamet perit; sic Monarchia post successionem hominum. *Vide differentia Potestatis.*

Impune non paretur extra territorium ius dicenti. l. vlt. ff. de iurisdict. quia ens ciuile, sicut naturale, habet sphæram suæ actiuitatis limitatam. Sic peregrinus non tenetur seruare leges proprij territorij; quandiu est in alio. Bonacina. de legib. disp. 1. q. 1.

Nulla res potest agere vltra suam speciem, quia semper oportet quod causa sit potior suo effectu.

Carthago post primam ædificationem à finitimis Afris an. 700. dominata, euersa est à Scipione Africano. Suidas in voce Africanus.

Horatius cum pedibus vti non posset, consulatu excidit quod nec domi nec militiæ vtilis esse posset. Id.

Iacobus peritissimus medicus hausto veneno sub Valente, obiit, eo quod inquisisset, quis in Imperio Valenti successurus esset. Id. in voce Iacobus.

Cum Romulus in montem Auentinum ad auspicium captandum de vrbe condenda secessisset, vidit duodecim vultures quibus significatum est vrbem hanc per mille & ducentos annos florentem fore, quasi singulę vultures centenos annos portenderent. Probauit euentus, nam Romana dignitas consumpta est, cum Italiæ fines egressa sub Constantiis Imperatoribus Bizantium se recepit. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 16. cap. 5. In lib. de fato vniuersi, notatur tunc peruenisse mundum ad suum quadratum scilicet ab ariete ad cancrum, singulis magnis annis existentibus 360. annorum solarium.

In Scotia in lacu Mos vocato, est serpens miræ magnitudinis, scilicet cubitorum quinquaginta, qui regni mutationes portendit. Cardan. de rerum varietate, lib. 1. cap. 4.

Antiquis fontibus & fluminibus terræ motu absorptis, noui sæpè prodierunt. Georgius Agricola lib. 4. de his quæ fluunt è terra, id pluribus exemplis probat.

Licet arma vacent, cessentque doli, sidunt ipso pondere magna, ceditque oneri fortuna suo: vela secundis inflata notis, ventos nimium timuere suos: feriunt celsos fulmina colles; corpora morbis maiora patent; quidquid in altum fortuna tulit, ruitura leuat, modicis rebus longius æuum est. Seneca tragicus in Agamemn.

Dyonisius iunior Siciliæ tyrannus, interrogatus quare principatum sibi à patre relictum non conseruasset contra hostes inuadentes, quia, respondit, mihi plurima pater reliquit, sed non fortunam suam. Rodigin lib. 11. cap. 41.

Degradatio fit ad similitudinem exautorationis eius qui militiam armatam deseruit; coniugium Episcopi & Eccles. dissoluit. Cessat ius patronatus, B si patronus ius suum Ecclesiæ contulerit, si Ecclesiam sine reseruatione iuris competentis patiatur fieri collegiatam; si ædes sacræ igne, terræ motu aut alio vitio interierint; si Ecclesia ab infidelibus occupetur; si patronus sit hæreticus. cap. Vergentis de hæretic.

Licet generaliter res Ecclesię alienari non debeāt, id tamen permittitur iustis de causis. 1. necessitas æris alieni, quod ex fructibus Ecclesiæ non potest solui. 2. pietas, vt ad redimendos captiuos, vel pro alẽdis pauperibus tempore caræ anonnæ. can. cum redemptor 12. q. 2. vtilitas cum alienatur res quæ C seruari non potest, aut quæ magis est oneri quam emolumẽto. can sine exceptione. 12. q. 2. & tot. tit. de reb. Eccles. alien. vel non. Debet fieri cum consensu totius capituli, alioquin alienatio est nulla.

Iurisdictio delegati finitur, si sententia definitiua executioni mandata sit, reuocatione, morte, impedimento, temporis lapsu præfiniti, contrario rescripto, recusatione. tot tit. de off. delegati.

Gen. 4. 13. Cain post fratricidium dicit Deo, Ecce eiicis me hodie à facie terrę, & à facie tua abscondar. Id Salianus & Tornellius intelligendũ putant quod ob crimẽ sacerdotio quo fruebatur vt primogenitus priuatus sit, illi enim in officio successit D Seth.

Priuari administratione, & non emolumento, pœna etiam est: Tost. in 4. Reg fol. 113. c. 2 c.

Quando quis antiquitus cedebat iuri suo alteri, discalceabat calceum, & dabat illi in signum possessionis. Tostat. Ruth. 280.

Nemo potest externa iure sua dicere, quæ tam facilè ad alios transeunt.

Cometæ in cardinibus significant regum mortes. Cardan Aphor. sect. 3. Apho. 117.

Quando luna Saturno iuncta in angulo fuerit, etiam si rex fuerit, ad inopiam redigetur. Ib. sect. 6. Aph. 144.

Digitized by Google

Seruus à Domino noxæ deditus, si actor maluerit pretium à seruo datum, quam noxam, inuito domino iussu prætoris manumittitur, quia dominus prior eum abiecerit. §. dominus Inst. de noxal. action.

Dominus amittit ius patronatus in libertũ, à quo iuramentum exegit, vt vxorem non duceret. l. qui contra. ff. de iure patronat. vel si non aluit libertum. l. si patronus. ff. de bon. liber, vel si reuendiderit, libertatis causa imposita, donum, munus, operas. l. Iulianus eod.

Lex non obligat extra terminum territorij illius principis à quo fertur & incolæ non peccant si tunc illam non seruant. Suarez de legib. lib. 3. cap. 32. qui citat canones & doctores.

Depositio Episcoporum solius est Romani Pontificis. Leo. 9 const. 2 Bull. p. 47. to. 1. Depositio A & priuatio Odetti Castellionis Cardinalis in hæresim Hugonotorum prolapsi. Pius. 4. const. 66. p. 71. to. 2.

Depositio & excommunicatio Henrici 4. Imperatoris Greg. 7. const. 1. p. 49. to. 1. Depositio Frederici 2. Imperatoris. Innocent. 4. const. 3. p. 94. to. 1. Depositio & excommunicatio Elizabeth Assertę Reginæ Angliæ. Pius V. const. 101. p. 219. to. 2.

INTENTIONIS

Regiminis diuersus proponitur finis, sed vnus est legitimus. Vide quę scripsi. Moral. Christianę to. 3. parte. 1. cap. 13. 14.

MAIORITAS POTESTATIS.

BONA MAIOR POTESTAS

REGNA mundi diuersa non eminentis potentię mutuis se cædibus vexabant, donec surrexit Romanum imperium, virtute & fortuna iunctis, omnia sibi subiiciens, & sic in mutuam concordiam adducens. Plutarch. lib. de fortuna Romanorum. initio. Sicut elementa suas sedes non obtinuerunt, nullo scilicet præualente; donec terra facta est stabilis, & cœlum supra enituit.

De Episcopi & Presbyteri differentia. Grego. Valen. lib. controuers. sect. 4. *Vide Mag. Potestatis.*

Episcopatus non debent erigi nisi in magnis vrbibus, ne vilescat episcopalis dignitas. can. Episcopi & seqq. dist. 80.

Adiectu nouæ dignitatis, pristina non perit: nec enim debet operari diminutionem, quod ad augmentum inductum est l. iubemus. Cod. de proximis sacrorum scriniorum l. legata. ff. de leg. 2.

Princeps Turcarum, similiter & Persarum, se dicit Regem Regum. Rex Mogor circa Gangem dicitur Akebal. idest sine pari.

Iacob moriturus benedicens Iuda, dicit; Iuda te laudabunt fratres tui. Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum. Catulus Leonis Iuda, ad prędam fili mi ascendisti. Gen. 49.

Nunquam aliquid corrumpitur, nisi propter victoriam corrumpentis super ipsum, ex debilitate virtutis eius *Vide Potestas Contrarietatis*

Potentia agendi consequitur perfectionem naturæ: quantò enim aliquis habet perfectiorem naturam, tanto est maioris virtutis in agendo.

Præstat vti ducibus strenuis & probatis, quam ignauis, nam si quid patiendum est, prestat pati à forti, quam ab ignauo.

Id esse regni maximũ pignus putant, si quidquid aliis nõ licet, solis licet. Sen. Tragic. in Agameno.

Magistratus dicuntur quod maiores sint reliquis officiis, Isidorus. Origin. lib. 9. cap. 4.

Virga Moysis versa in serpentem deuorat serpentes Magorũ in quos versę fuerãt eorũ virgæ. exod. 7.

B Odores nobis sensibiles oriuntur ex rebus calore robustiori, quam spiritus noster naribus superastans, donatis: idcircò aqua vaporẽ emittit, nõ autẽ odorem nobis, & est sicut insipidũ vt gustui, sic olfactui; canes odores ex bestiis manantes olfaciunt, & equus insidentes nobis non perceptos, & apes à longè flores, & omne animal eos qui suæ vitæ, & destinato muneri sunt necessarij. Campan. l. 1. Phys.

Omnia elementa sunt materia ignis, quandiu ignis agit in illa, vt inde alius ignis gignatur.

Sol cõparatur ascendenti & cordi cœli; planetæ reliqui stellis fixis. Cardan. Aphor. sect. 3. Aph. 38.

Fortiora prędualent infirmis. Vide quę scripsi. de iure naturalis lib. 2. lege 12. Æquum est debiliora pro natura sua modo, subiici potentioribus. Ib. §. 1.

C Populus sequitur mores principis. *Vide Concordantia Potest. Vide Bonit. Potest.* Vis actiua bona.

QVI POTEST PLVS, potest & minus.

GEn. 32. Iacob luctatur cum angelo, qui victus dicit ei, Me vicisti & hominem times? quia inualuisti cum Deo, cum hominibus potens eris.

Qui concedit totum, censetur etiam concedere partes, vt concedens facultatem recipiendi sacerdotium, censetur etiam facultatem concedere recipiendi minores, ordines qui aliquo modo continentur in sacerdotio; concedens facultatem vescendi carnibus, similiter concedit vescendi ouis & lacticiniis. Bonacina de priuilegiis pũcto. 7. in fine

D Cui repugnat quod minus est, debet etiam repugnare quod maius est; quãdo scilicet repugnantia est eiusdem ordinis. Quidquid potest virtus inferior, potest etiam superior, scilicet si virtus superior habeat etiam proportionem in eodem ordine ad effectum producendum, sicut habet inferior, vt homo producere nequit leonem; anima non potest supplere vicem corporis, quia nõ est eiusdẽ ordinis

Digitized by Google

Quod deficit à minori, non habet congruitatem ad id quod est maius. Sicut corpus quod non est aptum perfici animâ sensitiua, multò minus est aptum perfici anima intellectiua.

In potentiis actiuis, quod potest in plus, etiam in minus potest, vt qui potest ferre centum libras, potest etiam viginti. In potentiis autem passiuis est è conuerso; qui enim potest pati à paruo, potest etiā pati à maiori, vt si aliquis potest vinci ab vno, potest etiam vinci à duobus. Sed non conuertitur.

Cuicunque confertur quod posterius est confertur, & eiquod prius est. Nam secundum superue. mens est perfectius priori, vt intelligere est perfectius quā sentire.

Excedens omne secundum quantitatem, continet illud quod exceditur Cum species rerum distinguantur sicut species numerorum, oportet vt in specie superiori, contineatur aliqualiter quod est in inferiori; sicut maior numerus continet minoré. *Vide Maioritas Principij.* causæ suis effectib. præstantiores. Montes habent in se vim producendi omnia *Vide Concordantia Differentia.* omnia in omnibus. Ideo præstat excellere. *Vide Bonitas Maior.*

Qui proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum, quomodo non omnia nobis cum ipso donauit? Rom. 8.

Quærite primum regnum Dei, & omnia adiicientur vobis; quęrens enim diuina, etiam humana consequitur. D. Chrysost.

Si homo currit, homo mouetur.

Omnis actus meritorius vitæ æternę est etiam meritorius bonorum temporalium. Tostat. in gen. fo. 307. c. 2.

Qui facit quod plus est, totum fecisse videtur. Id. Math. to. 6. fo. 131.

Per eandem formam Socrates est substantia, corpus, corpus animatum, animal & homo. Id. Math. to. 6. fo. 74.

S. sacerdos semel in anno, in die propitiationis intrabat in sancta sanctorum, sed & habebat iura communia cum aliis sacerdotibus, scilicet, ponere panes super mensam propositionis; parare lucernas; in altari thymiamatis ponere incensum, &c. Id. Exo. to. 2. fo. 86.

Quicunq; non potest in singulos dies, de pruina, niue, grandine, imbre, vento distinctè prædicere, illi non credas abundantiam aut penuriam frugum aut vini prædicenti. Cardan. Aphor. sect. 11. aph. 112.

Causa vniversalis immediate potest obedire munus singularis ipsa præterita. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib 12. leg 13. § 1. Et qui potest plus potest minus. Ib. §. 3.

Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus possunt fungi officio exorcistæ. Alcuin. lib de officiis Eccles. cap. 35.

Qui habet actum, potest ea omnia quæ qui iter habet, & hoc amplius iumentum agere, & vehiculum ducere. l. 1 7. 12 ff deseruit. rustic. prædio. plus est actus quam iter, & via quam actus.

REPVGNAT.

POSSE MAIORA ET non posse minora.

HErmes Trismegistus refert de Ægyptiis, qui non habentes quomodo crearent animas inuenerunt artem quomodo spiritus includerent, & inde miracula facerent & responsa darent. Gerson in trilogio Astrologiæ Theologiæ.

Fœlix culpa Adæ quæ verbum incarnatum meruit habere redemptorem. *Vide Gloria Minoritatis*

Cardinalis de Cusa. de docta ignorantia. lib. 3. cap. 1. subtiliter probat, rem quamlibet vltimam perfectionem suæ speciei non posse attingere, sed in superiorem transire. *Vide Minoritas Medij* Transitus ab externo in aliud.

Sacramentum pœnitentiæ remittit totum reatum pœnæ æternæ, non tamen reatum pœnæ temporalis. Bonacina de effectib. pœnitentię.

Qui potest plus, potest & minus, quando plus est eiusdē generis cum maiori, illiq; subordinatum, & continetur in maiori; non si sit diuersi generis, vt homo potest generare hominem, non murem; angelus potest intelligere, non videre. Ita contritio quę remittit peccatū mortale, non potest remittere veniale, sed debet esse perfectior, scilicet voluntas placendi Deo etiam in minimis. Id. de sacramental.

Regina cui competit regnum iure hęreditario, si nubat, dominabitur viro, & habebit ius leges condendi in his quæ pertinent ad regimen publicum, nō vero in oeconomicis & iis quę pertinent ad matrimonium. Id. de legib. disp. 1. q. 1. nam. 1. Corinth. 11. vir dicitur caput vxoris. & 1. Timoth. 2.

Cardinales possunt eligere summum Pontificem, non tamen possunt creare cardinales. Electores Imperij possunt imperatorem eligere, non tamen legem generalem ferre, sacerdotes consecrant corpus Christi, non tamen possunt consecrare vasa, & instrumenta quę ad consecrationem adhibentur; homo potest intelligere, nec tamen volare: similiter in iurisdictione non est argumentandum à maiori ad minus, & ab actu nobiliori ad minus nobilem diuersæ rationis, vt benè docet gloss. in clem. 2. de elect. Ratio est, quia iurisdictio pendet à concedentis voluntate, que potest vnum concedere, alio negato.

Commissio seu delegatio facta Vicario Episcopi, eo mortuo non potest exerceri ab Episcopo: nam dignitas Episcopi, diuersa est à dignitate Vicarij. Bonaci. de priuilegiis puncto. 8. § 1.

Astrologus speculationi sydetum intentus non præcauet ante pedes & oculos suos positam foueam in quam cadit.

Non licet Archiepiscopo aut Patriarchæ, clericos subditi sibi episcopi eo inconsulto ad iudicium trahere.. Nicolaus PP. ad episcopum Bituricensem a. 884. habetur 9. q. 3. c. conquestus.

Natura non potest immutari per causam positiuam, sed tantum priuatiuam, vt cœcitas.

Quorundam arborum ramuli platāti coalescunt quippe humore turgentes, & minori indigentes nutritione; rami autem maiores, plantati, exsiccarentur. Theophr. de causis plantar. lib. 1. c. 3. *Vide Potestas Minoritatis.*

Ex vno cadauere putrefacto non nascitur vnum magnum animal sed multa, scilicet vermes; non planta, sed animalia, quia planta habet multum terrestris substantiæ, humidum autem quod per putrefactionem educitur, subtile est, & multum aëreum. Albert. Magn. meteor lib. 4. tr. 1. c. 11.

Quædam fieri possunt per media à se ordinata, non immediatè per se. *Vide Bonitas Medij.* Quædam melius fiunt per medium.

Legatus de latere potest in præiudicium patroni Ecclesiastici iuri patronatus derogare, nō in præiudiciū patroni laici. c. cū dilectus, de iure patronat.

ftent, ac denium pro Christo legatione fungatur honor autem legato exhibitus, ipsi Regi qui misit, exhibetur. Regale Christi sacerdotium, habens plurimum diuini, regnis omnibus prestantius est, nisi equum sit spiritum carnis fascibus submittere, & cœlestia terrenis cedere, vt ait Greg. Nazia. ora. ad ciues Nazia.

D. Ambros. de dignit. sacerd. cap. 2. Vides regum colla submitti genibus sacerdotum, exosculatis eorum dextris, orationib. eorum se putant communiri. Et Chrysost. in Isay. Hom. 4. & 5. Regi corpora commissa sunt, sacerdoti animæ, maior hic principatus, propterea rex caput submittit manui sacerdotis.

B Arma nostra non sunt carnalia, inquit Apostolus 2 Cor. 10. sed Deo potentia. Scilicet ad faciendam vindictam in nationibus; ad alligandos reges eorum in compedibus, &c.

Nostris sacerdotibus, non corporis lepram, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. D. Chrys. lib. 3. de sacerdo.

Absit vt de clericis aliquid quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus. Qui claues regni cœlorum habentes, quodammodo ante iudicij diem iudicant: qui sponsam Domini sobria castitate conseruant. D. Hieron. epist. ad Heliodorum.

C In quibus excellat Archiepiscopus super Episcopos. Vide Steph. Quaranta. in summa Bullarij. verbo Archiepiscopus.

SVMMVS SACERDOS Primatus Petri.

SVper omnes sacerdotes vel Presbyteros in antiqua lege, vnus constitutus erat Pontifex cæteris omnibus excellentior, & velut in summa religionis arce locatus, ad quem cęteri respicerent, eiusque iudicium decretumque seruarent. Sciendum autem quia primo vnus Pontifex iubente Domino constitutus est, quo decedente filius eius Eleazarus sacerdotium suscepit, & hoc mortuo, filius eius Phinées sacerdotij successor extitit, sicque vsque ad tempora Dauid vnus post vnum Pontificatus successores extitere. Sub Dauide multiplicato sacerdotum numero, cum omnes sacerdotali gradu essent æquales, vnus tamen in eis, qui dignior videretur, speciali reuerentia præeminens, summi sacerdotis nomen habebat. Alcuin. lib. de diuin. officiis. cap. 14.

D In vita Romanorum Pontificum, non solum ordinationes clericorum qui Romanæ Ecclesię vsui essent, sed etiam Episcoporum qui in diuersas orbis Prouincias, mittentur, enarrantur, vt ex his perspicuum sit, fuisse muneris & officij summorum Pontificum, non solum vrbis, sed & sed orbis totius Ecclesiæ consulere. Baron. an. 154. num. 2.

Ego autem constitutus sum rex ab eo. &c. Ps. 2. Nescio cui Cristum regem esse ambigere sit tutum, latrone hoc ipso in crucis passione confitente Regem adorant magi. Matth. 4. Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Testatur Pilatus Matth. 27. profitetur Christus qui dum interrogaretur, Tu es Rex Iudæorum? respondit, Tu dixisti. D. Hilarius in Psal. 2.

E Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, idest cathedræ Petri communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est, si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est qui Christi non est, Antichristi est. D. Hieron. Damaso.

Omnes Episcopi tertio aut 5. anno tenentur visitare limina Apostolorum personaliter, vel dignos delegatos regiminis sui rationem reddituri. can. Iuxta. dist. 93. cap. ego de iureiur. & Bulla Sixti. V. an. 1585.

Appellantes à summo Pontifice ad Concilium generale futurum cum eorum consiliariis & fautoribus, crimen læsæ maiestatis incurrunt. Pius 2. const. 5. §. Bul. p. 290. to. 1. sunt schismatici & multas pœnas incurrunt, Iulius 2. const. 22. §. 4. Bul. p. 436. to. 1. sunt excommunicati Vrbani 8. const. 61. pag. 76. to. 4.

Ecclesiæ vniuersalis Episcopi nomen soli Romano Pótifici cōuenit. Pelag. 1. const. 1. §. 5. p. 22. t. 1.

Paulus Apostolus, Petrum primatem recognouit. Greg. 9. const. 14. §. 8. p. 90. to. 1.

Ezech. 34. dicitur Suscitabo super oues meas pastorem vnum qui pascat eas.

Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce dominica, sancto & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippe dicitur Ioan. 21. Petre amas me? pasce oues meas. Ipsi dicitur. Luc 22. Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, & ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ipsi dicitur. Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque solueris super terram erit solutum in cœlis, &c. D. Gregor. PP. in Registro. lib. 4. epist. 32. de Ioanne Episcopo Constantinopolitano qui sibi vniuersale nomen arripuerat. & lib. 6. epist. 37.

Leges de rebus diuinis à Delphis petantur. Plato. lib. 6. de Repu.

Concilij & Pontificis comparatio. Du vallius in libro de suprema Pontificis potestate. Gerson. tom. 1. De clauium potestate. Bernard. quadrag. 2. serm. 27. Æneas Syluius. epist. 188. Barclaius.

De Papæ authoritate Gennadius. 1. Gregor. Valentia.

De Pontificis vnitate. Bouer. to. 2. demonst. 3.

Papa dicitur ordinarius ordinariorum in toto orbe Christiano. Innoc. 3. in integro decretali. cap. cum nobis ex de electio. Clem. 3. in cap. licet de præben. in 6.

D. Thom. lib. 3. de regimine principum cap. 10. probat Papam, seu Romanum Pontificem, Petri successorem, habere summam potestatem, in spiritualibus & temporalibus quia est vicarius Christi qui fuit Rex & sacerdos & temporale à spirituali dependet, vt corpus ab anima. Vnde multi Pontifices, Reges peruersè regentes deposuerunt, & subditos à iuramento fidelitatis absoluerunt. Sic interpretatur Danielis prophetiam de paruo lapide qui excisus à monte contriuit statuam auream argenteam, ferream, & factus est mons magnus.

Contra Imperatorem & Reges esse à Deo, non à Papa, vide Cardinalem de Cusa de concordantia catholica lib. 3. cap. 41.

Vnū corpus sumus in Christo, inquit Apostolus alter alterius autē mēbra. Necesse est ergo cōcordiā

illam esse in vno & pluribus; in vno capite, & pluribus membris.

In cœlo primus est motus, à quo omnes motus recipiunt vt sint: sic in sole plenitudo lucis, in igne plenitudo caloris, in corde plenitudo vitæ; in capite plenitudo sensus; in Imperatore plenitudo ciuilis imperationis, sic in Petro plenitudo authoritatis à Christo concessæ, quæ descendit in omnes Pontifices, & Sacerdotes in Ecclesia. Idem lib. 5. excitation. cap. 36.

Sicut in vno populo speciali vnus requiritur Episcopus, ad quem summa rei deferatur, ita & in toto populo Christiano pernecessarium est vnũ esse totius Ecclesiæ caput, vnum præceptorem atque magistrum, ad quem maxima quæque & difficilia referantur. Cumque ad vnitatem fidei conseruandam, illud potissimum requiratur, vt vna sit omnium fides, circa ea verò quæ fidei sunt, quæstiones varias suboriri contingat, vnum esse principem, vnum caput oportet, & supremum iudicem qui quæstiones ipsas dissoluat. Alioquin sententiarum diuersitas Ecclesiam ipsam diuideret, atque solueret vnitatem. Non defuit Christus Ecclesiæ suæ in necessarijs, cum per Esaiam dicat, Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? itaque cum necesse sit ad perfectum reginem vnum præesse, à quo cæteri pendeant, sic Ecclesiæ prouisum est, finis eius est pax & vnio, quæ non nisi ab vno rectè potest fieri. In apocalipsi Ioannes videt Hierusalem descendentem de cœlo quia hierarchia Ecclesiæ esse debet ad instar cœlestis in qua vt vnus est omnium Deus, sic Ecclesiæ vnus debet esse princeps. Et si Christus etiam nunc regat, tamen vt elegit ministros qui sacramenta à se instituta administrarent, ita vnum elegit, cui vniuersalis Ecclesiæ curam committeret. Dixit enim Petro: Pasce oues meas, Tu es Petrus. &c. & vt Eccles. sit vsque ad finem sæculi duratura, hæc potestas transit in successores, ideo dicit Christus, Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Sic Romanam Ecclesiam caput esse Ecclesiarum definiunt sacri canones, & sicut Romulus & Remus initium ibi mortalis imperij, ita Petrus & Paulus cœleste regnum fundauere. Æneas Syluius. epist. 188.

Anitus Episcopus Viennensis scribit Senatoribus Romanis, qui aliquid mouebant contra authoritatem S. Pontificis, ob id omnes Episcopos Galliæ, tristari, vt pote, inquit, nutare statum nostrum, in lacessito vertice sentientes. Si Papa vrbis vocatur in dubium, Episcopatus iam videbitur, non Episcopus vacillare, dum Ecclesiæ nauis inter hæreses periclitatur, gubernatori, quo liber sit, indulgendum. Reddet rationem qui ouili dominico præest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset. Cæterum non est gregis pastorem proprium terrere, sed iudicis. *Vide to. 1. Concil. gallia. an 503.*

Confirmatus ante consecrationem iurat fidelitatem summo Pontifici. Clem. Rom. de iureiur. c. ego N. Episcopus 4. eod. cap. dilecti filij 13. de maio. & obedien.

Cum Archiepiscopus non habeat potestatem in sui suffraganei subditos; Romanus tamen Pontifex vbique locorum iura Episcop. alia exercet. c. patet 5. q. 2. can. qui se scit. 2. q. 6.

S. Pontifex cæteris Episcopis potestatem habet maiorem. Can decreto. 12. q. 6. omnes iudicat, à nemine iudicatur, excepto concilio generali in causa hæresis. Can. mandastis. 10. 2. q. 5.

Solus quæstiones de fide, maioresque Ecclesiæ A causas decidit. Concilia, eorumque scripta approbat. Synodum generalem congregat. Episcopos, electosque transfert, & eorum sedes mutat; ipsos deponit, depositos restituit: cessiones ab ipsis accipit: eos ne cui alij quam sedi Apostolicæ parere teneantur, eximit; Episcopatus duos vnit, vnum partitur: vota commutat: illegitimos dignitatum capaces reddit: appellationes ad se, medijs omissis, interpositas admittit; de ijs cognoscit; sententias nulli appellationi subiectas fert cap. 2. de translat. Episcop. Can. sicut vnire. de excuss. prælat.

Obseruandum est quod in peccato Pontificis, non addit Legislator, quia per ignorantiam, aut B non voluntate peccauerit, neque enim cadere ignorantia poterat in eum, qui vt cæteros doceret prouectus est. Si autem totius synagogæ peccatum fuerit, vitulum nihilominus in holocaustum synagoga iubetur offerre; sed in peccato synagogæ dicitur, si ignorauerit & latuerit verbum ab oculis synagogæ; vnde apparet etiam omnem synagogam posse delinquere per ignorantiam, quod confirmat Christus in Euangelio, cum dicit: Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Origen. homil. 2. in Leuit. Soli Petro dicitur, Confirma fratres tuos.

Moyses consecrat fratrem suum Aaron, non vt sacerdos, sed vt lex: Moyses enim in scripturis pro C lege sumitur, vt Luc. 16. habent Moysen & Prophetas, audiant illos. Idem homil. 6. in Leuit.

Nullus linearum concursus fit nisi in centro; centrum autem istud punctum est Christiani, quibus lex ipsa vnitas, non sunt vnum nisi in vno, & si extra Petrum alios quoque ostendas, in quos refundi oporteat; nullus, ubi tot metæ, fidelium erit accessus.

Viuente Aaron consecratus est filius eius Eleazarus, quo consecrato statim mortuus est Aaron. Tostat in Exod. ne simul essent duo.

Moyses postquam consecrauit in sacerdotes Aaron & filios eius, & ipsi potuerunt ministrare, nunquam ipse postea ministrauit, quia non erat D sacerdos. Id Exod. to. 2. fo. 77. & si non esset sacerdos, dedit illi Deus potestatem consecrandi Aaron. Id. Leuit. fo. 66.

De diuitijs summi Pontificis, *Vide potestas virtutis* Ecclesiæ diuitiæ. Semper fuit vnicus summus sacerdos nisi tempore Dauid; postea vero dominantibus Romanis, nequitia Hebræorum, & auaritia Romanorum, summum sacerdotium cœpit esse venale, scilicet per singulos annos, vt patet de Anna & Caipha. Math. 26.

Permisit autem Deus tempore Dauid esse duos summos sacerdotes æmulos, Abiathar & Sadoc. Sed Salomon deposuit Abiathar relicto Sadoc solo per totam vitam vt prius obseruatum erat. Idem E 2. Reg. fol. 55.

De summi Pontificis à Christo constituti potestate Vide quæ scripsi. Theol. natur. to. 4. part. 3. cap. 18. & libello integro de summo Pontifice, contra errorem eorum qui Petrum & Paulum duo constituebant Ecclesiæ capita S. Pontifex agnosci & vt talis coli debet ab omnibus Ecclesiasticis. Lib. de agente Dei in humanis part. 2. cap. 20.

Math. 16. quærenti Christo, Quem dicunt homines esse filium hominis, vulgi opinionem referunt cæteri Apostoli. Ipsi vero interrogati, vos quem me esse dicitis? *Petrus omnium Apostolorum os, vertex consortij totius*, respondit. Tu es Christus filius Dei viui. D. Chrys. homil. 55. in Math.

S. Pontifex non habet summam & directam

potestatem temporalem super omnia regna Christiana. *Vide Differentia potestatis.* diuersa iurisdictio.

PRIVILEGIA.

IAcob iubetur à Deo manere in Geraris tunc cum fame terra premeretur, serit, & magnos fructus colligit, agris cæteris sterilib. gen. 26.

Legitimus superior est velut legis lator, qui potest in lege quam fecit dispensare, quia res iisdem modis soluitur, quibus ligatur. Bonac. de leg. dis. 1. q. 2. p. 1. dispensatio. *Vide maioritas voluntatis.*

Maior circa quosdā affectus. In priuilegijs à Papa concessis exprimenda est clausula derogās specialibus statutis & priuilegiis. Id. de priuilegijs puncto. 6.

Priuilegium non extenditur ad alios casus, vel personas propter similitudinem, quia est personale & pēdet à voluntate concedentis, non à ratione, vt lex quæ extenditur ad similes casus, quia ratio est anima legis. Id. puncto. 7. in fine. quæ à iure communi exorbitant, non sunt ad consequentiam trahenda. de reg. jur. in 6.

Vide æqualitas minoritatis. Repug. non pati communem miseriam.

Enoch Moyses, & Elias non sunt mortui, sed translati. Vnde & in Christi transfiguratione apparuerunt. Origenes lib. de ascensu Mosis & geneb. a. m. 1670.

Ex occasione quædam fiunt præter legem; sic S. sacerdos Hebræorum exiuit obuiam Alexandro magno vestitus sacris vestibus, licet his communiter non liceret vti extra Sanctuarium. Præcipitur non fieri sacrificium nisi super altare holocaustorum intra atriū sanctuarij, & tamen non est præuaricatus Dauid cum immolauit in area Areuna Iebusæi. 2. Reg. 14. Nec Elias in monte Carmeli. 3. Reg. 18. Tostat. in Exo. to. 2. fo. 96. c. 1. g. Id permittebatur prophetis & viris sanctis, quibus voluntas Dei cognita erat, & contra quos non erat suspicio de idololatria. Vt patet de Samuele. Id. in gen. fo. 70. c. 1. a.

In dispensatione debet esse aliqua causa rationabilis, quod si non sit, non est tutus ille apud Deum qui dispensationem recipit. Id. in Num. to. 2. fo. 151. Necessitas enim dispensationis est ex eo quod id quod vniuersaliter positum est, in aliquo particulari casu non conueniat. Id. Math. to. 3. fo. 88.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Privilegium dicitur quasi privata lex. Vt enim bonum, ita pulchrum in conuenienti; tum ratione recipientis, tum ratione dantis, cuius libera sic inæqualis potest esse largitio, ita pater familias dat æqualem mercedem his qui summo mane & serò venerant in vineam.

MAGNITUDO. Determinata vestis longitudo est inconueniens exiguæ aut proceræ staturæ; aliter mons, aliter planities colitur.

DURATIO. Veteranis, emeritis, senibus priuilegia conceduntur. *Vide gloria durationis.*

POTESTAS. Vt rex non est subiectus legi, sic exemptiones velut potestatis suæ radios, quibus placet largitur: quod in illis est singulare, suum est.

COGNITIO. Sol non habet epicyclum, nec A patitur retrogradationem cæteris planetis communem, propter sui luminis perennitatem necessariam. Sic qui doctrina eminent eximuntur ab officijs chori. *Vide duratio cognitionis* Libri, de laude scriptorum.

VOLUNTAS. Cum fœminæ excludantur à ciuilibus officijs, matres tamen gerunt tutelam filiorum, prouidas enim efficit amor. Licet vnum præ alijs, plus diligere. *Vide maioritas voluntatis.*

VIRTUS. Virtuti priuilegia conceduntur, ut Religioni, quia iusto lex non est posita. *Vide gloria virtutis.*

B VERITAS. Vix vllæ leges sunt sine exceptionibus; quibus aditum præstant ad alias similes; quia de omnibus leges non potuerunt constitui. *Vide æqualitas veritatis. Et media contrarietas.* Æquitas.

GLORIA. Exemptio cedit in præmium virtutis. *Vide gloria virtutis.* Quia ex ipso priuilegio supponitur virtus eminens.

DIFFERENTIA. Peregrinantes Iudæi eximebantur à multarum legum obseruatione. *Vide cognitio differentiæ. Rep.* Non peregrinandum. Ipsa rerum occurrens diuersitas nouas quærit leges, quæ sint priorum velut exceptiones. *Vide differentia veritatis.* Noua consilia. *Vide differentia cognitionis. Differentia voluntatis.*

C CONCORDANTIA. Communitatibus conceduntur priuilegia quæ singulis non competunt. *Vide gloria concordantiæ.*

CONTRARIETAS. Cessant priuilegia vrgente necessitate, quæ magnum est supra legem omnem priuilegium. *Vide contrarietas voluntatis.* Necessitas.

PRINCIPIUM. Initia quia sunt debilia, fouentur modo singulari. *Vide gloria principij* Initij. Parentes, patroni, & cæteri qui habent rationem principij, non possunt in ius vocari, suntque extra communem iudiciorum legem positi. Vide eod.

D MEDIUM. Domestici, fruuntur dominorum suorum priuilegijs. *Vide gloria medij.*

FINIS. Centrum non diuiditur, vt lineæ in illud tendentes. De medijs deliberatur, non de fine. Mortuis parcitur. *Vide gloria finis.*

MAIORITAS. Eminentia suis, non communibus reguntur legibus. *Vide gloria maioritat.* Vasa electionis statim Deus perficit virtutibus & illustrationibus, quas cæteri diuturno studio consequuntur. *Vide duratio cognitionis. Et duratio virtutis. Rep.*

ÆQUALITAS est proprium opus institiæ, & cum omnia sint in singulari differentia & inæqualitate, illis inæqualiter prouidendum est, ponderanda vniuscuiusque ratio. Nihil enim miniustius rigida æqualitate, si loca, tempora, personas

E non distinguat.

MINORITAS. Quibusdam infirmitas est priuilegii loco, ita pauperes eximuntur à tutelis & publicis oneribus. *Vide gloria minoritatis.* Securitas ex humilitate.

Bonum per priuilegium concessum, ita debet esse aliquorum proprium, vt in bonum commune redundet. Cap. dispensationes. 1. q. 7. Suarez. de legib. lib. 1. cap. 7.

Legislator etiam si sit princeps supremus, vel S. Pontifex non potest licitè dispensare in lege sua, sine causa iusta, vel proportionata legi in qua dispensat. Nam dispensare sine causa, nihil aliud est, quam vnicuique ad leges transgrediendas aditum

aperire, vt dicit Trident. seſſ. 15. cap. 18. de refor. Suar. de legib. lib. 6. cap. 18.

Diſpenſatio efficitur nulla ex parte concedentis ſi ſit defectus poteſtatis, iuſtitiæ, aut voluntatis, ex parte autem recipientis, tacendo verum, & allegando falſum. Ib. cap. 21.

MIRACVLA.

THeodoret. ſerm. 4. de materia & mundo, dicit miraculum pro miraculo non habendum, nam cum Deo omnia ſint facilia, eum non debemus admirari, ſed laudare operantem.

Aſſerit Auicenna intellectui benè diſpoſito, & à materia eleuato, omnia mãterialia obedire; quare pluuiæ, grandines, & reliqua huiuſmodi ab humana anima fieri poſſunt. Pomponat. in epiſt. de incantationibus.

Eodem libro dicit, quod cum legum mutatio, ſit maxima mutatio & difficile ſit à conſuetis, ad maximè inconſueta tranſire, ideo oportet, inquit, pro ſecunda lege ſuccidenda, inconſueta mirabilia, & ſtupenda fieri. Quare à corporibus cœleſtibus in aduentu nouæ legis debent prodi homines miracula facientes.

De miraculis. Albertus tom. 18. D. Thom. q. 6. de poteſtate. Bouerius tom. 2. demonſt. 7.

De miraculis Chriſti. Diſputatio. Ioan. Pici. Mirand.

Si aliqui homines contra venenum ſerpentis ſolo tactu leguntur per genealogiam curaſſe, & Titus Imperator cæcum, potuit Chriſtus ſecundum naturam omnia, quia in eo complementum erat perfectionis naturæ. Card. Cuſa. excit. lib. 5. c. 10.

Ignis æternus iuxta Euangelicam doctrinam, paratus eſt Diabolo & Angelis eius; ſanctis autem Angelis non nocet ignis, quippe quos impaſſibiles iuſtitia fecit; ſed nec ſanctis quos ſanguis Chriſti hominis-Dei muniuit. Rupert in Geneſ. lib. 3. c. 31.

Sicut ſe habet potentia naturalis ad mutationes naturales, ita ſe habet potentia obedientiæ ad conuerſiones miraculoſas.

Sicut Deus non agit contra naturam, ſed contra ſolitum curſum naturæ: ita non agit contra virtutes, nec præcipit contra eas, ſed contra ſolitum modum earum.

Miſſio extraordinaria ſeu immediata à Deo, probata ſemper fuit miraculis. Ita Moyſes c. 3. & 4. Exod. Sic Elias & Elizæ, 3. Reg. 2. cap. 18. Ioannes Baptiſta, natiuitate è ſterili, exultatione in matris vtero; patris extaſi. Denique Chriſti miſſio tot prophetarum oraculis prædicta, etiam miraculis probata fuit; vnde dicit. Si opera non feciſſem, quæ nemo fecit vnquam, peccatum non haberent. Ioan. 15. v. 24.

Ambiunt homines videre miracula & aliquid præter conſuetum ordinem naturæ, vnde refert Plutarch. in Pericle, apud Athenienſes eos læſæ religionis reos habitos eſſe, & igne concrematos, qui Solis aut Lunæ Eclypſes referrent in cauſam naturalem. Ideo Protagoras, & Anaxagoras, in exilium pulſi ſunt.

Non omnia miracula probant alicuius ſanctitatem. *Vide veritas virtutis.*

In his quatuor ſunt neceſſaria 1. vt procedant à Deo, non ex arte quadam; c. teneamus 1. q. 1. 2. quod ſint contra naturam. 3. quod non ex vi

A verborum, ſed ex pietate hominis contingant. cap. cum Marthæ, de celebrat. miſſa. 4. quod ſin: ad confirmationem fidei. can. cathecumenum, de conſecr. diſt. 4.

Num. 31. filij Iſraël ab Helim in deſerto veniunt ad mare rubrum, illud tamen iterum non tranſeunt, quia non ſunt quotidiana expectanda miracula.

Miracula vera à falſis quomodo diſcernantur. *Vide veritas virtutis.*

Ars diuina non totam ſeipſam explicat in creaturarũ productione & ideo ſecundum artem ſuam poteſt alio modo aliquid operari quam habeat curſus naturæ; vnde non ſequitur quod ſi poteſt facere contra curſum naturæ, poteſt facere contra

B ſuam artem, nam & homo artifex poteſt aliud artificiatum facere per ſuam artem contrario modo quam prius fecit. D. Thom. in quæſt. diſput. q. 9. a. 1. ad 12.

In re qualibet naturali eſt naturalis ordo & habitudo ad cauſas ſuperiores, & inde eſt quod illa quæ fiunt in corporibus inferioribus ex impreſſione cœleſtium corporum non ſunt violenta, licet videantur eſſe contraria naturalibus motibus inferiorum corporum, vt patet in fluxu & refluxu maris qui ſequitur motum Lunæ: & multo minus eſt violentum quod à Deo fit in iſtis inferioribus. Ibid. ad. 17. *Vide concordantia poteſtatis.* Obedientia. D. Auguſt. tract. 8. in Ioan dicit. Miraculum eſt aliquid arduum & inſolitum ſupra facultatem

C naturæ, & præter ſpem admirantis appparens.

Tranſſubſtantiatio panis in corpus Chriſti frequentatur quotidie, nec tamen deſinit eſſe miraculum; magis enim debet dici ſolitum, quod in toto ordine vniuerſi communiter accidit, quam quod in vna ſola re contingit. D. Thom. d. loco.

Quædam dicuntur fieri ſupra naturam, cum ad talem effectum natura nullo modo poteſt pertingere, vt dare gloriam corpori, vitam mortuo. Quædam dicuntur contra naturam, cum in ea nulla eſt diſpoſitio ad effectum, quem Deus facit. Vt ſeruare illæſos pueros in igne, remanente in illo virtute comburendi. Præter naturam, cum natura quidem poteſt producere effectum, ſed

D non eo modo; habita ratione numeri, loci, temporis; vt eſt ſubita ſanatio. &c. Ibid.

Miracula ſunt quædam argumenta fidei, dum per ea facta quæ naturam excedunt, illorum veritas comprobatur, quæ naturalem tranſcendunt rationem: vnde Math vlt. dicitur de Apoſtolis; Prædicauerunt vbique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Ib. 2. 9. 0. Fides reddit hominem idoneum ad miracula facienda, abſtrahit enim à rebus naturalibus & ſenſibilibus, & cum in rebus intelligibilibus fundat, & hinc ſua potentia, quia ſubiicit ſuam rationem & voluntatem Deo. Ibid.

Deus miraculosè ſolet ſubuenire in his quæ na-

E tura non poteſt per ſe: in eis verò, quæ poteſt, non operatur miraculosè. Toſtat. Leuit. fo. 117. c. 3. g. & 4. Reg fo. 173.

Vide poteſtas principij. Dei omnipotentia.

Tunc filij Iſraël tranſierunt Iordanem per miraculum, cum impleuerat alueum ſuum, & non poterat per vadum tranſiri. Toſtat. Ioſue to. 1. fo. 24.

Quæſtio. Si miracula in Eccleſiis hæreticorum fiunt, vt morborum ſanationes, immundorum ſpirituum eiectiones, nonne talibus in errore confirmantur. Reſponſio. Quemadmodum quod oritur

britur in malos & bonos, pluitque in iustos & iniustos, id nō est eiusmodi vt malos & iniustos confirmet in malitia & iniustitia, sed pręparet ad iustas pœnas; ita nō confirmat hæreticos in errore, quod quędam miracula fiūt in eis; si enim miraculorum effectio, pietatis esset signum & demonstratio, nunquam Dominus reprobos & sua familiaritate indignos pronuntiaret eos qui dicunt, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & multa miracula fecimus? quibus ille dicit, Nunquam noui vos, discedite à me malefici; nōne docui vos cibum dare esurienti? Multo magis ipse, eorum similia quæ nos docuit facit, congerens ignem in capita eorum, qui fidei datorem, non vt dignus est, cognouerint. Iustinus Martyr q.5 ad Orthodoxos.

Vt ex mirabili mundi machina & conseruatione colligimus Deum esse talium opificem, sic quod Deus nobis in carne apparuerit, probatur per miracula. D. Gregor. Nissen. orat. catechet. cap. 12. Si non credis miraculo, fateris illud esse supra naturā, & hoc ipsum est argumentum diuinitatis eius qui apparuit; nam si intra fines naturæ essent ea quę de Christo narrantur, vbi diuinitas? lb. c. 13.

Plantata est fides miraculis, sicut ostendit Deus in Noë, Abraham, Moyse, & Helia, qui cum in fide veri Dei essent, miracula plura fecerunt, & quandiu Iudæi in vera fide manserunt, quam cum deseruerunt, trāslata est fides & auctoritas in Christianos, sicut patet in primitiua Ecclesia, dedit enim Dominus Iesus auctoritatem Apostolis super naturam vt eam curarent, super dæmones vt eos euerterent; super elementa, vt ipsa immutarent: super mortem vt illam contemnerent; cum data est illis omnium linguarum notitia, audacia in loquendo, vis vt totum mundum Christo subiugarent; præcesserant in Christo cui mare paruit, solidum existens sub pedibus, tranquillum in tempestate. &c. Laurentius Iustinian. lib. de fide. cap. 6.

De miraculis à Christo factis. Vide quæ scripsi Theologia naturalis. to. 4. parte. 2. cap. 6. 7. & à sanctis in testimonium fidei. lb. cap. 10. Qui pertinaciter negat miracula accedet ad infidelitatem. lib. de triumphis vitæ religios. to. 2. cap. 17.

Illuxerunt corruscationes tuæ orbi terræ, vidit & commota est terra. ps. 76.

In legis & politiæ introductione Deus miracula facere consueuit, præstans quædam pignora suæ potentiæ, his qui legem eius accepturi sunt; sic hominem facturus eique legem daturus, mundum creauit vniuersum, quem contemplaretur: sic magno prodigio saluauit Noë priusquam illi daret legem, sic de Abrahamo, Moyse, & Iesus initio suæ prædicationis, ingressus synagogas non solum prædicabat, sed & signa faciebat. D. Chrysost. homil. 14. in Matth.

Virtutis opera sunt magna miracula. *Vide Bonit. Virtutis.*

Plus potest integritas vitæ ad aliorum conuersionem, quam miracula. *Vide Potestas Virtutis. Et Gloria Veritatis.* Victrix veritas.

Apud Persas quidam nomine Risa nouam doctrinam disseminans sectarios iam habebat plus triginta millia: Rex timens aliquam in suo regimine mutationem, pseudophetam ad se honoris specie aduocat, petit nouitates suas confirmet miraculis id præstare non valentem, iussit occidi.

MALA NIMIA POtestas & diuitiarum abundantia.

QVis explicet quot ex diuitiarum abundantia perpetrētur flagitia? Qui volunt, inquit Apostolus, diuites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli; si concupitæ diuitiæ id præstant, quid facient habitæ? Ipsas comitantur sensuum omnium voluptates, fastus, mentis elatio: si tenaciter cumulentur, secum habent diffidentiam diuinæ prouidentiæ, impietatem erga inopes, rapinas, fraudes amorem sæculi, mortis metum, futuræ beatitudinis ignorationem, &c. Laurent. Iustinian. de spirituali animæ resurrectione.

B

Senatoribus ex lege Iulia repetundarum nauem habere non licet l. 3. ff. de vacat. muner. Præsidibus quoque Prouinciarum, etiamsi ex senatoribus non sint, nauem habere non licet, quia & nihil in prouinciis habere & parare licet. l. aufertur §. quod à præside. ff. de iure fisci. Ratio est vt quæstus & prædationes cohibeātur. Libertini & deportati vsque ad certam summam tātum possunt acquirere, Leges modum imponunt donationibus, testamentis, emptionibus. Cuic. Obser. lib. 6. cap. 38.

Cum dicitur omnia Regis esse, sic intelligendum vt omnia Rex imperio possideat, singuli dominio. Nec enim quæ tua sunt, principis sunt, aut certè tua non sunt, quoniam dominium in solidum duorum esse non potest, nec sunt communia inter te & principem. Fiscalia quoqua ipsa, proprie principis non sunt. lb. lib. 15. cap. 30.

C

Apud Senecam lib. 2. contro. 1. filius pauperis non vult tradi in adoptionem diuiti qui iam tres liberos abdicauerat: possum, inquiebat, diuitiis corrumpi quibus corrumpi potest exercitus. Nec est quod quisquam se satis putet firmum ad repellenda vitia contactu ipso nocentia.

Cum agmen Alexandri spoliis apparatuque luxuriæ vix moueretur, suas ipse primum, deinde totius exercitus sarcinas, exceptis admodū necessāriis conferri iussit in mediū. Planities spaciosa erat in quam vehicula onusta perduxerant. Expectantibus cunctis quid deinde esset imperaturus, iumenta iussit abduci, suisque primum sarcinis face subducta, cæteras incendi præcepit; nullo sanguinis pretium audente deflere, cum regias opes idem ignis exureret. Q. Curtius. lib. 6.

D

Gibosi ad sacerdotium non admittebantur apud Iudæos, auari sub diuitiarum pondere terram tantum spectantes, non sunt apti ad seruiendum Deo. Rusbroch. de tabernaculo fœderis. cap. 75.

Minor piscis, maioris est esca, & si vnquam euenerit, vt is, qui minorem superauerat, alterius præda fiat, ambo simul deglutiuntur, vltimique piscis ventrem ingrediuntur. Ita fit apud homines; magni in ciuilibus prædones, minores absorbent cum sua præda. D. Basil. in Hexam. Hom. 7.

E

Cui plus licet quam par est, plus vult, quam licet. Publius Mimus apud Gellium lib. 17. cap. 14.

Augustus inter alia dominationis arcana, prohibuit equitibus & senatoribus, ingredi Ægyptum, ne fame vrgeret Italiam, quisquis eam prouinciam, claustraque terræ ac maris; quamuis

mentem dilaniatam, integra quædam seruare sibi momenta, quibus Deo vacet, suæque saluti consulat?

VOLVNTAS. Vbi Thesaurus tuus, ibi cor tuum erit, adhærens, infossum, alta pressum terra, vt nequidem ad diuina respirare liceat. Aliena cupiditas tuam accendit; irritatur æmulantium ambitu, & inter contendentium turbas ardentius possidet laboris & industriæ suæ fœliciores fructus. Sic totus est in acquirendis, conseruandis, reparandis, augendis diuitiis, additus illis animus, putat enim illas, nisi diligens custodia presserit, effluere. Si non est sine reatu concupiscentia, quid cum concupiscentiam mala fides, iræ, doli, rapinæ, & totæ furentium passionum turmæ cumulauerint? Minima possessio solet partiri cor, totum Deo debitum, quid cum in eam excreuit amplitudinem, cui tota vis animi seruiliter impensa non sufficit?

VIRTVS. Moderatæ diuitiæ sunt vt plurimum iusti laboris; immensæ, malè victricis cupiditatis fructus. Conseruantur autem omnia iisdem quibus parta sunt modis: imo ruit audacius in omne nefas experta diuque fœlix malitia. Summè diuitis, virtus, quamuis fulgeat, potest esse suspecta, hinc maximè quod multis exagitatur aduersis, plura timet & ex iustæ defensionis legibus putat licitum, malam fidem in auxilium aduocare.

VERITAS. Controuersiam passim sibi mouet, secumque pugnat diues, talis videri vult, cum agitur de quærenda præ cæteris dignitate vel possessione, cui pretium solito maius imposuit æmulatio, & plura possidentis argumentum est profusæ sic pecuniæ iacturam non sentire. At se dicet minus diuitem, occultis etiam vexatum incommodis, si quam ab eo largitionem pietas vel charitas exigat. Verè semper pauper est, etiam in abundantia, cui plura desideranti, plura deficiunt; cui versatilis rerum casus plura minatur quam concessit; qui totus pendens à fortuna, nihil suum possidet.

GLORIA. Diuitis splendent domus, ministri, rura; sed vt plebis oculos eo pascat spectaculo, quantis apud se pressis oneribus ingemiscit, torquet illum illustris status conseruandi sollicitudo, amittendi metus, cum interim illum consuetæ non amplius afficiant delitiæ.

DIFFERENTIA Mentitur diues fortem ad dura toleranda præparatum animum, diuisus est cogitationibus & affectibus; semper fluctuat inter spem & metum, æstu tanto maiore, quanto se latius officia, possessiones, cupiditates effuderint; quot tituli, tot sunt sensibiles sui partes, quibus fortunæ telis exponitur, transfigitur, perit, vita sibi semper ad nouos dolores superstite.

CONCORDANTIA. Vt aquilæ, leones, feræ quæ prædas agunt animalia, similium non patiuntur gregem; ita diues arcet sibi vicinos, ab illis commodas sibi possessiones per fas & nefas extorquet, suum efficit, quod erat multorum & publicum, ex iisdem quas expilauit pecuniis soluto pretio: sic de populorum spoliis arma sibi conficit, quibus residuas, charas & auitas possessiones crudelis diripiat.

CONTRARIETAS. Habent magnæ diuitiæ quędam quæ delectant; præ cæteris possidere quod omnes ambiunt; in pecuniis quæ sunt rerum omnium pretium habere quodammodo ius ad omnia sacra vel profana, quæ venalia fecit sæculi peruersitas; sic cum thesauros etiam tenent

A reconditos pascuntur hac intima potestatis suæ præsumptione: sed plura sunt quæ torqueant, quam quę delectent. Nam nulla datur requies menti dies noctesque sollicitæ de quęrendis & conseruandis bonis, amittendorum metu, amissorum dolore semetipsam excrucianti. Capta præda latere volentem diuitem pellit è latebris, & omnium oculis exponit conquerentium multitudo, velut feram magna canum vis; mota lis perfidum vocat ad tribunal, nobilis ad certamen, inuidia nectit laqueos, & pessimis rumoribus famam infestat. Auget dolorem pręsumpta securitas, minima licet iniuria grauis est ei qui se putauerat

B illæsum sub diuitiarum præsidio, quæ tamen illi tot aduersa pepererunt. Taceo desperatæ conscientiæ reatus suos agnoscentis tartareas pœnas, & præoccupato iudicio iam punientis.

PRINCIPIVM. Vulgatum est summe diuitem esse, vel iniustum vel iniusti hæredem, quis tuto sinu foueat genimina viperarum quæ licet ex se forent innoxia, in ea tamen sæuit armata populi manus; conuenitur hæres si non vt fur, saltem vt receptator qui non debet ex alieno delicto ius & commodum sibi parare. Opes partæ malis artibus refluent in originem suam, causas suas exprimunt; à malo procedentes, erunt passionum & vitiorum fomenta. Suspectæ mihi sunt diuitiæ, ex quo Christus Dominus viam

C cœli nos docens, illas nec habuit, nec suos perfectionis amantes habere voluit; spinas esse dixit animum dilacerantes, & difficilius diuitem intrare in regnum cœlorum, quam camelum per foramen acus.

MEDIVM. Aurum fulget, & diues vult videri, opumque tam infestos integritati fructus producentium flos est vanitas. Eminere volunt diuites domus, suppellectilis, mensæ seruorum apparatu magnifico, hæc ab illis exigit, si non proprius, saltem sæculi genius, & affectibus quibuscumque præualens consuetudo. Vno seruo qui contentus esset, plures habere cogitur; mille curas & anxietates pati, suas & amicorum opes profundere, vt numerosa familia, amplissimis dotata stipendiis

D gaudeat, & numquid hoc est, seruis suis seruire?

FINIS. O mors quam amara est memoria tua homini in diuitiis suis pacem habenti. Igitur qui magnas congerit diuitias, auget doloris in amissione sensum, quem lenit, & velut stupefacit paupertas.

MAIORITAS. Magnæ diuitiæ comitem habent superbiam; omnium indignissimo titulo; nam hæc bona cum nec corpus nec animam afficiant, homini non sunt propria, per accidens adueniunt, non inhærent, sed diuturnis empta laboribus momentaneæ procellæ vi depereunt. Non

E igitur diuitum vera sed apparens eminentia, vt qui statuam depressæ quantitatis imponeret præaltæ basi; qui ligneis altisque cruribus aptatis solito pantomimis more, giganteam mentiretur staturam. Fictitia est hæc magnitudo, veros tamen ex tumore dolores parit, veram vitæ superbiam, capitale vitium Deo & hominibus exosum.

ÆQVALITAS. Æqualitatem quam pro meritis seruare vult iustitia, dissoluunt magnæ diuitiæ, sæpius enim contingunt potius malis, quam bonis, iniquis, ad rapinas natis, quam iustis, & hinc præter naturæ, rationis, legum diuinarum & humanarum ordinem, vitium præfertur virtuti, vnde quanta procedant mala, quantaque sit re-

rum confusio, quis æstimet?

MINORITAS. Nescit multum diues humiliari, nescit in aduersis patientiam, in prosperis modum, cum tamen vita his alternantibus peragi debeat; diu fœlices, in extremis seruata collectaque sæuitiâ patiuntur, quæ per partes exolui mitius fuisset. Sic sub zona temperata quam habemus singulis diebus luci succedentem, quieti corporum opportunam noctem, sub polis habent semestrem velut perpetuæ mortis imaginem: perit autem diuitibus morte, vel ex altis præcipitio, plaudentibus cunctis, non reditura fœlicitas.

MISCELLANEA.

NOn est formidanda diuitiarum amissio, quarum sequela est luxuria, ira intemperans; furor iniustus, arrogantia, superbia & omnis irrationabilis motus. Facilè cor humanum opibus ac libertate dissoluitur, ærumnis in semetipsum colligitur. Laurent. Iustinia. lignum vitæ. cap. 5.

Plato. 4. de Republ. dicit nimias diuitias pigriores & negligentiores efficere artifices, similiter erunt imparati, si propter nimiam inopiam non habeant necessaria artis suæ instrumenta.

Carondas Legislator eos qui congregandis diuitiis erant intenti, voluit esse infames, quippe pusillanimes, nimium timentes aduersam fortunā.

Circa fodinas metallorum loci sunt insalubres, quippe aridi & fumidi.

Apostolus. Rom. 8 dicit quod neque altitudo, neque profundum neque creatura alia potest illum separare à charitate Dei. Idest, neque diuitiæ, neque paupertas *Videti maietas medii.*

De diuite Epulone. D. August. homil. 48. tom. 10. Asterius Biblioth. Patr. tom. 13.

Si in paucis diuitiæ sint, tyrannos creant, si in multis, perduelles. Petrus Damiani lib. 6. epist. 12. reprehendit monachos, quod Elemosinas indifferenter à sæcularibus accipiant, possessiones augere & diuites fieri concupiscant, sic sæcularium laqueis se innodant, quietem amittunt, & materiam aut seruiendi, aut pugnandi cum sæcularibus sibi parant; dona ab iniquo recipere, hoc est animam ex dantis squalore fœdare. Quæ sunt vilia quæritis dum prætiosa, quietem, innocentiam, &c. amittitis. Qua ratione monachus dicendus, & sua pro Christo deserens, qui aliena concupiscit? Exod. 36. per præconem iubet Moyses, ne quis amplius in opus sanctuarii offerat.

De voluntaria pauperate, *Vid minoritas potestatis.*

Nemo cum sarcinis enatat. Prodigium fuit in Sorano Batauo qui potuit æquora Danubii cunctis tranare sub armis, vt refert Adrianus Augustus in Epitaphio quem ipsi composuit. Suidas in verbo Adrianus.

Cæsar Augustus 20. viros probatissimæ vitæ delectos in omnes prouincias misit, per quos & homines & opes descripsit, edixitq; vt iustam inde partē in ærarium inferrent quasi locupletibus publico essent crimini diuitiæ. Idem in verbo ἀπογραφή.

Astrippus Socratis discipulus seruum qui de pœcuniæ onere quæretur, iussit abijcere id quo premebatur. Id. in voce Aristippus.

Circa fortunæ bona optimum est si homo non A sit nec pauper nec valdè diues: Si quidem diuitiæ multæ sunt vt triremis magna cum paucis epibatis; si enim non custodiantur, pereunt & homo desidis & stulti nomen subit: si autem custodem adhibeas, quis custodiet ipsos custodes? villicus, medicus, dispensator, cocus, &c. Omnes furantur. Itaque nulla maior est pœna quam velle seruare, quod seruari vix potest. Card. lib. de rerum varietat. c. 40. *Vide maioritas bonitatis.* Abundantia noxia.

Multum est affluentibus hinc inde diuitiis, vitiorum fomitibus, animum seruare inconcussum. Seneca.

Materia superbiæ, diuitiæ, dignitas, gloria sæ-B cularis. Superbia autem vitium est diaboli. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Origen. homil. 9. in Ezechiel. 17. vbi dicitur superbia in saturitate panum, & in abundantia. Genes. 13.

Diues in Euangelio ob id solum culpatur, quod bonis affluens, communia humanitatis iura respuens superbe non habuit miserationis affectum erga pauperem. Ibid.

Nulla ex magnis diuitiis securitas. Nam illis omnes insidiantur & ad rapinam excitantur potentiores aperta vi; domestici & exteri pauperes furto: ne mortuis quidem parcitur, quorum effodiun-C tur sepulchra, vt illata, auferantur & si sepulchrū fuisset, non ex lapide, sed ex auro, id auidius fuisset infractum. D. Chrysost. homil. 15. in 1. ad Corinth. Vt manna qui plus iusto collegerat, conuertebatur in vermes. Exod 16.

Magnæ diuitiæ quas relinquis, non sunt gloriæ tuæ, sed auaritiæ monumentum: quandiu enim tua dicentur, necesse est omnium ora in te aperiant, &c. Idem homil. 10. in 1. Thessalonic.

Nicephor. Phocas prohibuit ne Monasteria vel Ecclesiæ, sibi amplius acquirere possent, vt Frederic. 3. Neapol. tit. 29. quo iure propemodum vtimur, quia nihil acquiri possunt, sine principalis Domini authoritate. Cuiac. in nouel. 5. de Monach.

D Christum pauci diuites sequebantur, pauperes multi.

Inter Iudæos non poterant aliqui esse excellenter diuites super alios. Tost. Leuit. fo. 291.

Quidam legislatores volentes captiuare multitudinem ciuitatis, dederunt legē quod nemo vendere posset immobilia, ne possessiones ciuitatis ad paucos diuites peruenirent. Idem. Leuit. fo. 297.

Loca arida, herbas habent saniores. Olaus magnus lib. 17. c. 1.

Natura comparatum est, vt corpus humanum paucissimis egeat, insaniunt itaque qui tam multa tam anxiè congerunt, cum tam paucis opus sit. Opes immensæ non adiuuant sed opprimunt, vt nauem ingentia onera. Ludo. Viues.

E Hæc quæ multi admirantur magnorum vitiorum sunt causæ, velut insolentiæ, arrogantiæ, socordiæ, ferocitatis, liuoris, æmulationis, simultatum, rixarum, bellorum, cędis, stragis, cladis. Id.

Magnæ diuitiæ soluunt societatem. *Vide finis concordantię.*

Opibus impeditior homo, quo ditior.

Sanguis arteriosus non vertitur in pinguedinem, quia salsus, sed in spiritum vitalem de salis & balsami natura. Van Helmont. Philosophi, maximè Christiani non congregant diuitias.

Google

ÆQVALITAS POTESTATIS.

RESPVBLICA ARISTOCRATICA & Democratica.

NASCIMVR omnes liberi, vnde A quod non est prohibitum, censetur esse licitum & permissum. l. nec non. §. sed quod eis, ff. ex quib. cauſ. maio.

Maior in Republica libertas naturalis *Vide Bonitas Potestatis.*

Non tantum vnus, sed & duo, tres, vel plures ad eandem causam iudices dari possunt. cap. cum ex cauſ. de off. deleg. valet clausula vt quibusdam absentibus præsentes validè iudicent. eod.

Contingit multos Angelos accipere idem nomen, cum multi possint exercere idem officium apud nos. Tostat. Iudic. fo. 138. c. 3. 1.

Regimen ideo constitutum est, vt à dominante B sapientia, dicatur ordo subiectis populis, vt suaui legum imperio ius æquitate temperatum inter eos seruetur; at prudentior est, minus passionibus & errori patet plurium, quam vnius consultatio. *Vide Concordantia Cognitionis.* Multi æmulatione mutua se prouocantes, gloriæ stimulis fortiter acti, feruntur ardentius in bonum publicum & dato motionis signo sociatis viribus magnum hoc onus quo postulauerit occasio baiulant. Authoritate multiplicata dum vnusquisque senatorum suos habet clientes, tot vinculis populos melius in officio continent, ne quid contra ius & Rempublicam moliantur. Quod in quibusdam regionibus fœlix sit Monarchia, hoc debet Aristocratiæ. scilicet administris pluribus in consilium admissis, peccatur, tamen quia Rex qui de prudentum iudiciis summa censet authoritate, ipsis genio, scientia, probitate, rerum experientia sæpius est inferior, sic contra naturæ legem infirma potentioribus, opinio qua constat Rex, veritati, sapientum calculis diligenter expansæ, præualet. Si spectabilis hic mundus certam nobis exhibet optimi regiminis idæam, imitari non pigeat plures Angelos simul ad eius administrationem à Deo constitutos. Licet sol sit lucis & vitalis caloris fons indeficiens, non solus rebus infimis præsidet, sed in regiminis societatem stellas innumeras, potissimum sex alios planetas admittit, qui vim eius augent, minuunt, immutant, quantum expedit rerum generationi, itaut sub eorum censura dicatur ab Astrologis indifferens. Monarchiam electiuam pauci probant populi, propter horrendas ambientium factiones, hæreditaria communior est, sed in illa præsumptio virtutis à maioribus acceptæ, præualet notæ veritati, degeneres, enim quibus cedit hæreditas, imperant, & simul vitia quælibet inperniciem populorum. Væ terræ cuius rex puer est. Eccl. 10. 16. nam innocentis nomine prædas furentes agit inexpleta regentium cupiditas. Vt vni familiæ pluribus fortè titulis immeritæ seruetur dominatio, cęteris ad illam ius præripitur, nam si quod ius ad regimen natura concedit, virtuti, vt doti prę cæteris excellentiori diuinæque debitum est, & cum multi æqualiter ad libertatem, & ius municipale nati, paris in hoc sint conditionis, cur saltem per vices ad Reipublicæ clauum non sedent? Latet sæpe potens genius sub humili fortuna, & hunc rebus maximis peragendis cœlo datum nullus agnoscit, nec miratur, nisi postquam illum in dignitate sors electionis protulerit. Excellentes illi frustra nati sunt, Reipublicæ suis vti frui non licet, in abundantia pauper est, si dominationem semel occupatam vna semper, licet ægra senescensque familia teneat, si cęteras illustres velut sibi suspectas & illatis consultò damnis infirmet, & ab administratione longius pellat.

Plurium bono publico præsidentium, maior est apud singulos ciues authoritas, facilior præstatur illis obedientia, cum quisque velut suum opus, libereque volitum reputet, quod electis à se placuerit. Æternam merito Rempublicam vocabant, quod perpetuis & per succedentium ministrorum manus traditis stet consiliis, quæ seculorum expectant occasiones rebus suis proferendis opportunas. Id autem Monarchiæ vix contingit, consiliis, legibus, moribus ambulatoriis, pro regentium arbitrio variis, in argumentum potentiæ sæpius affectata præter rationem & necessitatem mutatione. *Ex principus.*

C

MALA. PLVRIVM dominatio.

IN Aristocratia habent suæ magnitudinis sensum qui plurimum ingenio, diuitiis & auctoritate possunt: amant homines gerere, timent subiici, qui alios subiecere, sæpè deteriores eleuat popularis aura magnanimos & probos destituit, contumeliosæ solent esse ciuitates in probatissimos viros. Tot D dominatoribus amici multi, qui se offensos putant nisi ex eorum libidine gerantur omnia; hiat aliorum auaritia, aliorum sitit ambitio, vtraque de publico satianda. Quid referam consultantium iras, dum ægrum ciuitatis corpus, per dissidentium iurgia laniatur, & consulere se quisque, dum occidit, putat? Quo subtiliores eo, magis timendi; disputare malunt, quam prodesse, ostentatores ingenij, inimici veritatis. Erumpunt in odia simultates, & tandem in bella ciuilia; cum interim plebs esuriens flagrat inuidia in Patricios vnde sæui & furentes tumultus

Vide Magnitudo Potestatis Monarchia

MINORITAS POTESTATIS.

DEFECTVS POTESTATIS BONVS.

RESTAVRATIO murorum ciuitatis destructæ, non potest fieri inconsulto Principe. Vide Chasseneum in catalogo gloriæ. mundi 5. parte. considerat. 24. num.190.

Oportet esse quasdam partes aliis inferiores, & subseruientes. Vt in corpore manus, pes. &c. 1. Cor. 12. Si omnes facias æquales, nullus alteri ministrabit, artes laboriosas exercebit, ædificatoriam, nauticam &c. Hęc ergo inæqualitas est iucundissimæ vitæ causa.

Impotentia est duplex, vna physica, altera moralis; vtraque excusat à peccato; in carceratus est in impotentia physica ad audientum sacrum At qui inde graue periculum vitæ aut infamiæ incurreret, est in impotentia morali. Bonacin. de peccatis. q. 8.

Actus melior est potentia in bonis, in malis verò contra, vt actu ægrotare peius est, quam posse ægrotare.

Vide Bonitas Minoritatis. Defectus quidam boni & *Vide Minoritas Bonitatis. Magnitudinis, Durationis, & cæterorum principiorum.*

VOLVNTARIA PAVPERTAS.

D. Basil. ita scribit ad Chilonem discipulum: Ne quid ab vllo mortalium acceperis. Aurum maximopere, vt animæ tuæ blandissimum insidiatorem, vt parentem peccati, vt denique diaboli administrum modis omnibus fugito, ne quidem accipe pauperibus erogandum; qui tangit picem, inquinatur ab ea.

Augustus ex nocturno visu, stipem quotannis die certo emendicabat à populo, cauam manum, asses porrigentibus præbens. Sueton. in Augusto.

Sapientes respuunt diuitias, quia sunt ministræ cupiditatum.

Curiales, qui Ecclesiis malunt seruire, quam curiis, volunt esse quod simulant, contemnunt illa quæ subtrahunt. Nec enim eos aliter, nisi contemptis patrimoniis liberamus, quippe animos diuina obseruatione deuinctos, non decet patrimoniorum desideriis occupari. l. 104. Theod. de decurionib.

Plebeios diuites ab Ecclesia suscipi penitus arcemus. Impp. Valentin. & Valens. l. 17. Cod Theod. de fide cathol.

Valerio Publicola mortuo, facultates non sufficiebant ad impensas funeris, vnde publica pecunia sepultus est; abundè patet, quid viuus possederit, cui mortuo lectus funebris, & rogus deficit. Valerr. Maxim. lib. 4. cap. 4. Vbi refert alia paupertatis Philosophicæ exempla.

Paupertatem professus anteuertit, & præoccupat A fortunam, dum volens gaudensque eligit, quod ipsa grauissimum minatur. Plutarch.

Si Iupiter in reuolutione annorum mundi fuerit in propria domo vel exaltatione Orientali in Angulo, & expeditus à malis, penuriam Annonæ significat. Hermes centiloquij. n. 70. mirum quod Planeta Religioni præsidens, in omni sua dignitate faciat paupertatem.

Paruulum terræ, & humilis tugurij rusticum culmen, æquitas animi regnum facit, satisque diuitiarum est, nihil amplius velle. Quintilian. declam. 13.

Paucis contentus, tropheum erigit paupertatis. Bona mens in paupertate est maximum in minimo.

B Abiicimus musica instrumenta, vel quia his nescimus vti, vel quia nos vrgent seria magis. Sic diuitias.

Læta paupertas similis est viæ breui & amœnæ, multum enim gratiæ, parum laboris habet.

Crates videns ementes & vendentes in foro, hi, inquit, dum contraria agunt, se beatos putant, ego autem quod vtriusque sim immunis.

Plato 2. de Republica dicit ciues suos in animo habere aurum & argentum diuinum, neque humano auro indigere, neque fas esse illius possessionem admixtione mortali auri inquinare, nempe ex vulgi pecuniis multa impia prouenerunt.

Diuitię non tam honestati quam improbitati seruiunt, delicias, superbiam, improbas cupiditates inflammant. Cęterum inquietos efficiunt, falsa boni opinione à verissimis abducunt; rapiunt ad externa, exponunt fortuitis, arma vitiis ministrant. Fouent adulatores, auidos ad prædam accendunt; somnus non accersitur lecto aureo, diuitię suspectas faciunt amicitias.

C

Diuitias fortuna dat velut per vomitum, illiberalitas seruat, benignitas aufert, si vtaris corrumpunt per voluptates, si serues, curis obruunt, si acquiras, laboribus & misera seruitute premunt.

Manna in alterum diem asseruatum, corrumpebatur, vt assuesceret populus fidem habere diuinæ prouidentiæ. Id enim non fiebat ex Natura, nam manna Sabbato asseruabatur & in Arca. Theod. in Exod. q. 31.

Qui vitam inopem & curis vacuam amplectuntur, se totos consecrant omnium Deo, & seipsos D exhibent in holocaustum & hostiam integram, nihil huic vitæ reliquum facientes, sed omnia referentes ad vitam æternam. Qui vero sunt his inferiores, partem tribuunt altari, partem sacerdotibus, reliqua corporis necessitati. Id. in Leuit. q. 1. *Vide Magnitudo Voluntatis.* Amor Dei integer.

In rerum penuria non intumescunt affectus, sed non reluctantes rationi facilius subiiciuntur. Anima curis externis expedita maiori fruitur libertate; & quod virtus facilius per diuitias acquiri possit testantur & boni & mali. Paupertatis

Digitized

commendatores philosophos, Deus velut legis suæ præcones dedit mundo; expeditam hanc & plenam ad virtutes viam ostenderunt, Paupertas & diuitię sunt virtutis instrumenta, sed diuitię & pauca & manca eius membra exprimunt: paupertas omnia & perfectè. Id. de provident orat. 6.

D. Bonauent. in pauperum Apologia.

Contra proprietarios Monachos. Gerson. tom. 1.

Christus refertur habuisse loculos, sed eos ita contempsit, vt illorum curam commiserit Iudæ latroni. Bellarmi.

D. Thom. de regimine Principum lib. 4. cap. 15. disserit pauperes ex necessitate non esse admittendos ad regimen, appetunt enim diuitias quas non habent, habentque bonum vtile pro fine, sic facilè corumpuntur, at pauper voluntarius, cum contemnat diuitias, & habeat honestum pro fine, optimè iustitiam administrabit. Talis fuit apud Romanos, Fabritius.

B

Non potest diues esse qui animo pauper est, sicut nec pauper esse potest, qui animo diues est, nam si excellentior atque præstantior corpore anima est, non possunt quæ deteriora sunt ipsam ad se nolentem attrahere, sed illa quæ princeps est, cuncta inferiora & minora vt vult trahit atque transmutat. Sic sano corde, læsa corporis temperies restituitur, &c. D. Chrysosth. hom. 18. in Math. *Vide Concordant. Potesta.* conformari rectoribus.

Constantinus diuitias inuexit in Ecclesiam, & sic eam infecit. *Vide Maioritas Gloriæ.* Nimia quies. sub finem.

C

Absolutam paupertatem professi dici possunt similes herbis quæ nascuntur in aquis immotis & calore crassam habentibus superficiem, non habent radicem: quia quandiu stabit aqua non deficiet illis in alimẽtum humiditas, nec perire possunt nisi cum eo cui adhærent principio. Non peribunt pauperes Euangelici, nisi pereunte Ecclesia & fide in Christum.

Christus pauper, & pauperis Virginis filius, pauperes elegit in Apostolos, Nec domum Reguli introire dignatus est, ne honorare diuitias videretur. Nabuzardan solis pauperibus in terra promissionis remanentibus, omnes diuites captiuauit. 4. Reg. 25.

D

Lapillos pretiosos & margaritas mare expuit.

Portio mea dominus. ps. 118. Fit nobis Deus possessio, vt erat Leuitis, si propter eum terrenas possessiones relinquamus, & viuentes de sæculo exeamus: quæ enim merces est emortuis corporibus, & exeunte anima dissolutis, sæculum reliquisse? Carendum est eo per contemptum eius; nesciendum est ignoratione voluptatum suarum. D. Hilari in d. Psal. 118. Heth.

Non pera tibi sumenda, non virga: affatim diues est, qui cum Christo pauper est. D. Hieron. ad Heliod.

E

Cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem eius, & diuitias lutum putabimus. Quid miramur quod Christus vocat iniquum mammona? quid suspicimus & amamus quod Petrus se non habere, gloriosè testatur? Alioquin si tantum literam sequimur, & in auro atque diuitiis simplex nos delectat historia, cum auro obseruemus & & cætera. Ducant Pontifices Christi vxores virgines; crescamus & multiplicemur & repleamus terram, &c. Idem epist. ad Nepotianum.

Vtinam quod renuntiamus sæculo, voluntas sit, non necessitas, & paupertas habeat expetita gloriam, non illata cruciatum. Idem epist. ad Rusticum.

In Actibus Apostolorum quando Domini nostri adhuc calebat cruor & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas. Idem epist. ad Demetriadem.

Christo dicunt Apostoli, Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? Ex quo intelligimus non laudis esse possidere diuitias, sed pro Christo eas contemnere; non tumere ad honores, sed pro Dei fide eos paruipendere. Id ad Eustochium in Epitaphio Paulæ matris.

Ioseph cum tunica Ægyptiam effugere non potuit; adolescens qui sequebatur Iesum, non effugit militum manus nisi relicta Sindone: Helias cum raperetur in cœlum, melotem reliquit. Helisęus boues & iuga prioris operis vertit in vota. Anima possessionibus terrenis intenta, de Deo liberè cogitare non potest. Nemo potest duobus dominis seruire, nam quæ pars fidelis cum infideli? &c. Idem ad Lucinium.

Diogenes in summa paupertate potentior rege Alexandro, & naturæ victor humanæ, peram pro cellario, dolium pro domo habuit, in præsentem horam poscens à quolibet, & accipiens cibum. D. Hieron. lib. 2. aduersus Iouinianum.

Indicum mare gemmas margaritasque litoribus infundit, neque illis maior opulentiæ causa est postquam vitiorum commercium vulgauere in exteras gentes: quippe æstimantur purgamenta exæstuantis freti, pretio quod libido constituit. Q. Curtius lib. 8. Ditescunt aliqui, ex his quę voluntarij pauperes reliquerunt.

Vide Maioritas Potestatis Mala quod Ecclesiastici & Monachi debent respuere magnas diuitias.

Religiosis mendicantibus, iure debita Eleemosyna. Vide quæ scripsi l. de operib. misericordia parte. 1. c. 19.

S. Antonius discipulum qui ex pecuniis aliquid sibi retinuerat iussit nudum, carnes ex vrbe afferre, at in carnes illas canes irruentes illum vnguibus lacerarunt. Sic inquit Antonius, fit his qui possident. Vitæ patr. lib. 1.

Abbas Arsenius delatam sibi à diuite quodam hæreditatẽ noluit acceptare. Ego illo inquit prior mortuus sum, quo modo mortuo legauit? Ib. Cuidã aliquid ex suis seruanti dixit Abbas, Senator esse desiisti, nec tamen adhuc factus es monachus. Ib.

Oleo aut pinguedine illitum non humectatur, & animus cura rerum temporalium imbutus, non percipit diuina. Petrus Damia lib. 1. epist. 15.

De nimiis diuitiis nociuis *Vide Maiorit. Potest.*

Dicit Petrus Christo. Ecce reliquimus omnia & sequuti sumus te. Meritò relinquit omnia, qui sequitur eum, qui est super omnia, quoniã sufficiẽtia nostra ex Deo est, & erit Deus omnia in omnibus Idẽ serm. 9. Olim priusquã Verbũ caro fieret, & habitaret in nobis, sequebantur patres antiqui temporis Deum, soli spiritui, solo spiritu adhærentes. Nunc verò sequendus etiã corpore est. & nisi quis renuntiauerit omnibus quę possidet, nõ potest esse discipulus eius, qui cũ diues esset, pro nobis factus est pauper: relinquẽdæ ergo sunt possessiones. Ibi.

Sicut lepus in rete quanto magis laborat saltando vt exeat, tanto strictius constringitur: sic mortem magis incurrunt qui in mundanis delitiis vitam querunt, sunt enim intra mortalia. Egrediendum est per omnium abdicationem. Ex Card. Cusa. lib. 3. Excitat. cap. 11.

Cum Deus noster sit absoluta entitas, incontra- A ĉta ad hoc vel illud, & simplicissima sine compositione & accessione, nihil habere ipsi conuenit. Via paupertatis est tollere habere, hac igitur via, si Deus inquiritur, habetur. Idem lib. 4. cap. 11. Dedit omnia beatus Martinus vt haberet agrum in quo latet thesaurus. Deus nihil omnium est, qui est super omnia.

Paupertas spiritualis, scilicet contemptus omnium terrenorum propter Christum, sunt verę diuitię: quomodo enim potest esse pauper, possessor cœlestium diuitiarum? Ibid. lib. 7. c. 19.

Humanitas Christi priuata propria & naturali sibi subsistentia, meruit vniri verbo, & habere plenitudinem gratiarum, vnde omnes accepimus.

Rhecabitæ habitabant in tabernaculis, nihil pos- B sidebant proprium, nihil emere poterant, carentes ædificiis, agris, vineis, seminibus etiam in communi. 1. Paralip. 2. Geneb. an. m. 3172.

Bonifacius Archiepiscopus ep. 4. ad Zachariam Papam, refert in ea qua erat Germaniæ parte, in loco solitario conditum à se monasterium monachorum sub regula S. Benedicti viuentium, strictę abstinentiæ, absque carne & vino, absque sicera & seruis, qui proprio manuum suarum labore contenti erant. Conc. Galliæ to. 1. a. 750.

Vide Voluntas Minoritatis. Bona. Velle humilia.

Sic bona sunt relinquenda, vt pauperibus sint vsui. *Vide Virtus Bonitatis.* Eleemosyna de Anaxagora. C

Aristippus Socratis discipulus, in nauigatione propter opes quas vehebat insidiis appetitus, eas in mare abiecit: harum inquit interitus mea salus erit. Suidas in voce Aristippus.

Musæ Helicona atque Olympum desertos montes incolunt, apes floridos & incultos agros, ingeniosi & Philosophi, paupertatem coluere.

Cum diuitiis proiiciuntur instrumenta vitiorum, ne his possimus abuti. Sic Tertullian. in Apologetico loquitur de Attica meretrice quæ carnifice iam fatigato postremo linguam suam in faciem sæuientis tyranni expuit, vt expueret & vocem ne coniuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset. Animus est qui diuitem facit, pecunia ad animum D nihil pertinet: aurum, argentum, terrena sunt pondera, quæ amare nequit syncerus ac sui memor animus. Rodig. lib. 20. cap. 24.

Cum quidam laudaret diuitem, quod magna quæ cupierat consequutus esset, at, maius fuisset, inquit Socrates, si ab initione quidem concupiisset. Idem. lib. 21. cap. 40.

Palaton pictor pinxit Homerum vomentem, cęteros circum Poëtas quæ eructasset sorbentes Ibid. cap. 44. paupertatem professi proiiciunt & relinquunt mundanas diuitias.

Ecclesiasticæ personæ dicuntur clerici, eo quòd in sortem Domini sunt delecti. can. duo sunt 12. q. 1. E

Maria vt pauper in sua purificatione non offert agnum, sed duos pullos columbarum, vnde patet quod scriptum est 2. Corinth. 8. Christus Iesus cum diues esset, pauper factus est, ideo matrem, de qua nasceretur elegit pauperem, & patriam, pauperem, de qua scriptum est Mich. 5. Et tu Bethleem minima es in principibus Iuda. Origen. Homil. 8. in Leuit.

Iosue 13. Leuitis non distribuit terram, quia Dominus Deus ipse est hæreditas eorum. In hac re quid aliud sentiendum est, nisi quod sint in Ecclesia Domini quidam, qui virtute animi & meritorum gratia cæteros omnes præcedunt, quibus ipse Dominus hæreditas esse dicitur? Homil. 17. in Iosue.

Iob afflictus scidit vestimenta sua, quia propter diuitias non parcitur etiam rebus sacris *Vide Gloria Finis.* Mortuis parcendum.

Mulier Samaritana reliquit Hidriam vt annuntiaret Christum in ciuitate. Sic obliuisci debemus res corporales. Origen.

Propter hominem creata sunt omnia, & ad eorum fruitionem cum lætitia & gratiarum actione passim ante legem, & in lege inuitabantur antiqui; Nunc autem Christi consilium est omnia relinquere, quia diuitiis abusi sunt homines, & quia Christus nos ducit ad vitam spiritualem, cui vel superflæ vel nociuæ sunt diuitiæ.

Deus non aufert ab inuitis diuitias, vt eas liberè & cum merito relinquamus. *Vide Voluntas Contrarietatis.* Velle aduersa.

Voluntaria paupertas spernens quas mundus colit diuitias, non est arrogantia, sed rectitudo animi. *Vide Gloria Minoritatis.* Fortis & generosa humilitas.

Facilius ferrea quam aurea securi lignum scinditur, facilius paupertate quam diuitiis virtus & regnum cœlorũ quæritur, de diuitibus enim dicitur, difficilius esse eos intrare in regnum cœlorum quam camelum per foramen acus: de paupertate autem, vende omnia. &c. D. Chrysost. Homil. 10. in ep. ad Philipens.

Qui in mari nauigant orta tempestate facultates negligunt, aurum & argentum abiiciunt, ne à fluctibus obruantur. Sic tentationum quæ in hac vita occurrunt periti, pecunias abiiciunt. Id. Homil. 3. in epist. 1. ad Thessalon.

Cuius mali causæ non sunt pecuniæ? Nonne harum gratia concupiscimus, rapimus, eiulatu perstrepimus, inimicitias subimus, conserimus, rixas, contentiones perpetuas teximus? Nonne illæ ad mortuos vsque impias extendere manus? nonne inter parentes & fratres sæuierunt? Nonne iura naturæ ac præcepta Dei, & omnia prorsus violarunt, qui illarum tenentur desiderio? Nonne harum causa iudicia sunt instituta? Tolle itaque pecuniarum studium & omnia mala sublata sunt. Conquieuit bellum, cessauit pugna, inimicitię in gratiam redeunt, sedatæ sunt hæreses & contentiones omnes. Idem. Hom. 17. in 1. ad Timoth.

De auaritia. *Vide Voluntas Maioritatis.*

Paupertas dat fiduciam veritatem dicendi principibus. *Vide Potestas Veritatis.* Paupertas est vnctio athletica, magna quædam & admirabilis exercitatio portus tranquillus, non timet damnum, respuit donum & irritam efficit contra se mundanam potentiam. Idem Hom. 18. in epist. ad Hebræ.

In antiqua lege hæc erat vmbra paupertatis Euãgelicæ, quod Leuitæ nihil possidebant, & quod nulla res immobilis poterat applicari in vsus sanctuarii, & ideo redimenda erat vel vendenda si vouetur. Tostat. Leuit. fo 346.

Ecclesiæ diuitiæ sunt præmium voluntariæ paupertatis. *Vide Potestas Virtutis.* Ecclesiæ diuitiæ sub finem ex Iustino Martyre.

Relinquamus quæ in mundo sunt, antequam ab ipsis relinquamur.

Voluntaria paupertas fauet studiis, id significant astrologi ex eo quod stellæ maximæ & lucidæ, honores & dignitates pręstant, mediocres & minus lucidæ diuitias, paruæ ingenium si lucidæ sint; vt enim magnum lumen nos impedit à studiis, sic & sydera magna nunquam ingenium perspicuum decernunt.

decernit. Habetur etiam hoc & planetarum natura. Nam soli tribuimus potentiam, Ioui diuitias, Mercurio minimo planetarum, sed splendido, ingenium. Cardan. de iudiciis geniturarum. cap 3.

De paupertate Euangelica & eius prerogatiuis Vide quæ scripsi. lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ. parte. 2. cap. 12 13. 14. & seq. & lib. de institutione & officiis religiosi. parte 1. cap. 26. 27. Religiosus vsum habeat rerum, moderatum, pauperem, indifferentem. Ib. parte. 2. c. 5. 6.

Pauper voluntarius potest illud dicere, paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & psalmum dicam, Nam diuitiis exoneratus, non laborat pro acquirendis, non pauet de amittendis, non dolet de amissis, non agitatur rerum humanarum fluctibus. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis, de terra & de cœlo deleti sunt. Hæc præcipua causa fugiendarum diuitiarum quod vix possideri possint sine amore, qui diuinum, eiusque sanctas delicias extinguit. Paupertas securum facit ab inuidia & multis pressuris mundi, leuem in huius vitæ via, in qua se lapidibus onerare stultum est, & vinculis coërcere: pauper extra fortunæ aleam positus cæterorum iudex est. Dicente Christo, Vos qui sequuti estis me, &c. recipit centuplum in hoc sæculo, idest spirituales consolationes quibus sæculares non valent comparari. Christus paupertate cœlum emit. Hæc efficaces effecit Apostolos ad prædicationem, liberos in se à cupiditatibus, dicta factis confirmantes.

Primus paupertatis gradus est abdicatio affectionis rerum temporalium, retento earum dominio, vt in Abraham. *Vide supra Magnitudo Potestatis.* 2 gradus est eorum qui possident tantum in communi, & huius forma præcessit in fidelium turba nascentis Ecclesiæ. 3. gradus in quo virtutis perfectio consistit, est in quo non retinetur proprium nec in particulari, nec in communi, sed expectat piam ab aliis sustentationem, ostendit hanc paupertatem Dominus, nascendo, viuendo, moriendo; nascitur in alieno stabulo; habitat in aliena domo, mortuus nudus in nuda cruce sepelitur in alieno sepulchro; hanc ex Domini consilio sequuti sunt. Apostoli, & postea in Ægypto solitarij. Deum qui spiritus est integro spiritu toto corde, cupiditatibus non diuiso, adorat pauper, &c. ex Laurentio Iustiniano lib. de paupertate.

O beata paupertas nihil in hoc sæculo possidens, nihil formidans, quoniam omnem thesaurum suum recondit in cœlo, semper abundans cum nihil habeat, semper læta vbi Deum reperit prouisorem, hominum facultates renuens, in solo diuino innititur suffragio. Magna prorsus sunt stipendia sic Deo militantium, & maiora manent præmia, si vsq; ad finem vitæ dimicauerint. Id. lib. de monastica conuersatione. cap. 2.

Helias ascenserus currum igneum proiicit à se pallium suum, & relinquit Helisæo.

DEFECTVS POTEStatis. Malus.

HVmor peccans decûbit in humiles & ignobiliores partes corporis: infima aëris regio patitur à superioribꝰ: plebs à nobilibus; vrbs ex ea parte oppugnatur, quæ debilior; vt homo, vnde magis patet passioni.

Ignis qui est sub concauo orbis lunæ, in sphæram cœlestis corporis minimè quidem agit, sed solum in infima & mundana.

Pauperes rerum suarum odio, omnia mutari volunt, suntque faciles ad quodlibet crimen. Vide l. 3. ff. de testib. & Chassaneum, in catalogo gloriæ mundi. parte 11. consider. 27. de bono diuitiarum. *Vide Magnitudo Potestatis.*

Omne patiens reagit, nisi sit diuersæ naturæ, vt corporale, non agit in spirituale, vt corpus in Angelum: si sit in minima quam par sit, quantitate, vt gutta aquæ in fornacem, si in nimia distanti & extra spheram suæ actiuitatis.

Ab insufficiente causa nihil fit. Arist. 1. Physicor. scilicet sine auxilio.

Infirma oppugnantur. *Vide Contrarietas Minoritatis.*

Bos excornis, auis implumis, canis edentatus, succisis poplitib. equus, &c.

SERVITVS.

INter Israëlitas ex Ægypto egredientes non numerantur serui, vtpote vita moribusque degeneres. Origen. Hom. 1. super Numer.

De bono libertatis. *Vide supra Bonitas Potestatis.* libertatis.

Thomas Morus in Eutropiæ Republica. lib. 2. refert in ea grauissima quæque scelera seruitute puniri, id siquidem sceleratis non minus triste, & Reipublicę magis commodum arbitrantur, quam si mactare noxios & protinus amoliri festinent. Nam labore magis prosunt, & exemplo diutius alios ac simili flagitio deterrent, Quod si sic habiti rebellent, vt indomitę bestiæ necantur.

Iudæorum captiuitas aliquando dicitur ergastulum Exod, 16. aliquando fornax ferrea. Deut. 4.

Captiuorum redemptio est opus pium, & illi certos red. tus assignauit Six. 5. const. 27. Bull. 396. tom. 2.

PAVPERTAS COACTA.

IVpiter in domibus Martis, in gradibus puteosis, facit sordidos & egenos. Hermes in centilo. n. 13

Igni cupiditatum subtrahitur materia. De consolatione coactæ paupertatis. *Vide Duratio Virtutis.* Constantia in iactura bonorum.

Nullum extat paupertatis templum odiosissimæ Deæ. Impiis admixta moribus subuertit vitam pauper ad omnia formidolosus, se putat ab omnibus sperni, mala multa vis docet, & ad indigna cogit præter naturam solitaria perit auxilio deficiente, in commercio inhonesta, turpis abiecta, & beatorum aspectu, miserior.

Ideo ordinandi sacerdotes debent habere titulum sub pœna suspensionis, si in eo mentiantur. can. per tuas. 37. & cap. si quis de simonia. vide Bonaci. de sacrament Ordinis, quem etiam titulum patrimonialem non licet alienare sine licentia Episcopi. cap. neminem, & cap. sanctorum. de præbendis.

Non est fortuna quæ viros bonos pecuniis priuat, sed habent ipsi nummi nescio quid sensus; sunt enim ambitiosi, & honoris cupidi, non teneri volunt, at vir bonus non vult seruire pecunus

fortuna quas videt aptos modico viuere, non curat in eos multa congerere quia non indigent, at ignaui sine pecuniis sunt abiecti.

In ſtemmatibus Aquila implumis ſignificat hominem Imperialis originis ſed bonis ſpoliatum.

Pauperes defectu Eleemoſynę recurrunt ad mendacia & ſcelera. *Vide Minoritas Virtutis.* dolus bonus.

Pauperes ſedentes ad portas Eccleſiarum ipſo ſuo aſpectu, populis vtilia prædicant; curant ſine dolore humanam ſuperbiam, ideo licet viles maximum præbent ornamentum, & abſque iis non eſſet impleta plenitudo Eccleſiæ. D. Chryſoſt. Hom. 30. in 1. ad Corinth. docens inconſtantiam rerum humanarum. *Vide Minoritas Durationis.* Rerum inconſtantia & Hom. 11. in 1. ad Theſſalon. pauperum mendicantium comparatione dicit ſortem noſtram apparere leuiorem, ita Deus per totum orbem dimiſit pauperes velut conſolatores. Vides illos in fornace paupertatis ab omnibus petentes, à paucis accipientes; hinc diſces eorum quæ petis aliquando repulſam pati, à Deo non ſemper exaudiri; ſed in tuam vtilitatem. In foribus regiis, diuitis, Baſilicarum occurrunt pauperes vt faſtu depoſito, humanę conditionis memor Deum ores humilis. Si bonum eſſent diuitiæ Deus non

A feciſſet ante fores ſtare pauperes. Vocantur etiam ad conuiuium Matth. 14.

Errant qui putant egeſtatem populi, eſſe, pacis præſidium, nam vbi plus rixarum comperies, quam inter mendicos? quis intentius mutationi rerum ſtudet, quam cui minimè placet præſens rerum ſtatus? aut cui denique audacior impetus ad conturbanda omnia, ſpe aliunde lucrandi, quam cui iam nihil eſt, quod poſſit perdere? Thomas Morus lib. 1. ſuæ vtopiæ.

Paupertas cogit iuuenculas ſe dedere lenonibus qui eas proſtituant. Nouel. 14 de lenonib.

Vide Contrarietas Voluntatis. Neceſſitas.

Ceſſio bonorum debitori iniurioſa eſt. Nou. 3. & 135. licet ipſo iure nullam irroget infamiam. l. 11. C. ex quib. cauſ. infa. irrog. l. vlt. C. qui bon. ced. poſſ.

B Quando Luna Saturno iuncta in angulo fuerit, etiam ſi rex fuerit, ad inopiam redigetur. Cardan. Aphor. ſect. 6. apho. 144.

Qui martem in ſecundo loco habet, caueat à mercatura.

Quare pauperes ſedeant ad portas Eccleſiæ. *Vide Minoritas Durationis* inconſtantia.

Paupertas differt ab egeſtate. *Vide Veritas Minoritatis.*

Digitized by Google

COGNITIO.

BONITAS COGNITIONIS.

OPTIMA HOMINI SCIENTIA.

A MVNDVS hic locus est, perdocendis animabus hominum, atque erudiendis accommodatus. D. Basil. in hexam. Hom, 1.

Dixit Deus, Fiat lux, Gen. 1. Prima Dei vox, lucis naturam creauit, tenebras dispulit, mundum illustrauit & exhilarauit, vniuersis continuo gratum attulit incundumque conspectum. Ib.

Etiam in sepulchris constituebantur lampades semper ardentes.

Meditatione ac exercitatione animus pascitur, ocio & ignauia torpet à sui ipsius natura degenerat, & prorsus frangitur, arcum intentio frangit, animum remissio, inquit Seneca.

De luce & lumine Cardan. de subtilitate.

De lumine, liber Ficini. to.1. D. Thom. opusc. 51.

De studiis scientiarum. Bernard. tom. 3.

B Sicut Deus in suo esse actu complicat omnes res quæ sunt aut fieri possunt; ita intellectus omnes omnium rerum similitudines complicat in virtute, & explicat assimilando, & hoc est intelligere. Sunt autem intellectuali naturæ multa incitamenta data, vt semen illud excitetur, & surgat faciendo fructum cognitionis, vt Deus ostendat diuitias gloriæ suæ, & ideo dat multa gratuita dona. Loquutus est mundo Deus, per naturam, per Angelos, tandem per Filium sapientiam æternam, qui nos efficit liberos, quia agimus per intellectum & voluntatem, cum prius essemus serui agentes tantum quia iussum erat & metu pœnæ. Card. Cusa. Excitat. lib. 5. cap. 54.

Intelligere est vita intellectus, & intelligere est veritatem apprehendere & cognoscere. Id. lib. 10. cap. 10.

C Pœnituisse quam plures adepti regni compertum est; At qui litteras didicissent, neminem, est enim doctrina sapientiæ similis, quam omnis anima concupiscit, nulli onerosa.

Omnis bene viuendi norma litterarum studio continetur, ideo illas expedit nosse.

Prometheus homines finxisse dicitur, quod effecerit vt rudes atque indocti illi sapientiam cognoscerent. Suidas in voce Prometheus.

A studio percipiendæ veritatis nemo prohibetur; 8. q. 1. can. qui Episcopatum. Nam Philosophus 1. de Anima dicit quod omnis scientia est de numero bonorum honestorum.

Auicenna dicit lumen esse cœlestium virtutum, & quidem omnium veluti vehiculum. Rodig. lib. 20. cap. 5.

Apud Cretenses serui interdicebantur gymnasiis & armorum possessione. Ib. lib. 25. c. 19.

Mens per diem veris auocatur visionibus ne obdormiat, noctu verò falsis ne excitari celerius queat. Id. lib. 17. cap. 7.

In tenebris prætentat manus, & aliquam itineris habet coniecturam, dempta verò ab hominis vita ratione, quis prohibet preruptis, pessimis, incertis atque asperis viis præcipitem ferri. In hominum grege implet officium pastoris ratio, qua sublata grex dissipatur, &c. Maximus Tyrius serm. 37.

Alexander Magnus triginta millia puerorum è diuersis nationibus victis, sub præceptoribus diuersarum artium instrui fecit; quorum prouecta ætate & prudentia si superuixisset, totum orbem iustè regnando gubernasset. Olaus Magnus lib. 8. cap. 25.

Nihil in terris maius aliquid homine, & in homine nihil maius mente, cuius sanitatem qui conseruant & perficiunt philosophia, diuinos potius honores merentur quam Æsculapius & cæteri qui sanandis corporibus intenderunt. Lud. Viues de initiis philophiæ.

Studia res lætas condiunt, tristes leniunt, temerarios impetus iuuentę cohibent, senectutis molestam tarditatem leuant, domi, foris, in publico, in priuato, in solitudine, in frequentia, in ocio, in negocio comitantur, adsunt, imo præsunt, opitulantur, iuuant. Idem in introd. sapientiæ.

Mercurius nullas stellas occultat, à nullis occultatur. Scientia prodest cuicumque conditioni.

Lux est facies omnium rerum, incitamentum laboris.

Tollo ab homine rationem, erit tanquam nauis in medio æquoris, absque gubernaculo ac directo-

re, vt autem nauis, velis, remis, anchoris, funibus, A sic ratio scientiis debet esse instructa.

Scolæ piæ institutæ fuerunt in vrbe, ad erudiendos pauperes gratis à Paulo V. constit. 81. p. 230. to. 3. Bulla.

OCVLI. VISVS.

INter sensus, visus principatum obtinet, hic enim momento omnia circumspicit, omnia etiam longissimis interuallis dissita attingit, totius mundi fabricam ac ornatum intuetur, lucis pulchritudine, ac splendore recreatur, colorum varietatem discriminat, corporumque omnium figuras assequitur, dumque vnum contrariorum percipit, à perfecta alterius cognitione non impeditur, vnde ad intellectus naturam proximè accedit atque hunc merito possumus dicere sensum, qui rerum cognitionem intellectui suppeditat. Præclare Philo lib. de specialibus legibus, Defluxit, inquit, Philosophia è cœlo in hominum animos, sed oculis sequestris deducta est in hospitium.

Oculos nobis dedit Deus, non vt impudicè aspiciamus, sed vt res ab eo creatas admirantes, adoremus Creatorem, quod autem hic sit vsus oculorum, est perspicuum ex iis quæ videntur. Nam solis quidem & cœli pulchritudinem ex infinito aspicimus interuallo, mulieris autem pulchram formam, ex tanto non didicerit quisquam. D. Chrysosto. Hom. 22. in 1. ad Corinth. De mortificatione visus. *Vide Minoritas Gloriæ.*

Plus est in luce quod probatur aspectu, quàm ore laudari possit. D. Ambros. examer. lib. 1. c. 9.

Cereos placuit per diem in coemeterio non incendi, inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt. Concil. Elibert. ca. 34. a. c. 505. Id prohibitum, quia fideles imitabantur gentiles qui accensis circa tumulos luminibus euocabant animas, inquietantur auté animæ fideles propter superstitiosas sui causa obseruationes. Nunc autem in Ecclesiis accenduntur lumina non solum ad fugiendas tenebras, sed in signum lætitiæ, vt testatur D. Hieron. lib. contra Vigilantium, & epist. ad Ripar. in exequiis autem testantur animas ad veram lucem transiisse. Gloss. in d. Concil. *Vide Potestas Cognitionis* hinc tanta lucernarum cura circa tabernaculum.

MAGNITVDO COGNITIONIS.

SCIENCIA VNIVERSALIS.

SI quis omnia, quæ per tot disciplinas, latè varieque diffusa sunt, ad vnum quoddam simplex, verum, certumque redigerit, eruditi nomine dignissimus, non temerè iam quęrit diuina, non iam credenda solum verum etiam contemplanda, intelligenda, atque retinenda, D. August. lib. 2. de ordine. cap 16.

Natura rationalis, & potest, & debet formari aliquando mente, & tunc actu vnico possidet omnia, sicut oculus vna visione percipit ferulam, quam cæcus diu pertentando, imperfectè deprehendit. Marf. Ficin. in Plotin.

Protheus Deus Ægyptiorum, qui se in varias formas dicitur vertere, sapientiæ apud eos præsidebat: apparuit eius vmbra matri Apollonij, in signum quod sapientem filium pareret, peperit autem in prato, herbis & floribus vario. Philostrat. in vita Apollonij. lib. 1. cap. 1.

Pythagoras post peregrinationes discendi desiderio in Ægyptum, Cretam, & alias orbis partes, fuit in Italia admirationi, ob multiplicem scientiam, Valer. Maxim. lib. 8. cap. 7.

Mamertus Claudianus, peritissimus Christianorum philosophus libro de statu animæ probat, nouem quas vocant Musas, totidem esse disciplinas, quæ continuat Sidonius Apollinaris. lib. 4. cap. 2.

Adolescens debet aliqualem omnium disciplinarum habere notitiam, sed philosophiæ potissimum studere, vt qui plures peragrat vrbes, in meliori domicilium eligit. Plutarch. lib. de institut. liberorum.

Cicero in lib. qui Brutus inscribitur, refert se omnium disciplinarum & in vrbe, & in peregrinationibus habuisse notitiam, ille dialecticæ subtilitatem, ille moralis partis vtilitatem; ille rerum motus causasque cognouit, ita enim est, optimi viri ex multa eruditione, ex pluribus artibus, & omnium rerum scientia exundat, & exuberat, illa admirabilis eloquentia, de omni re aptè disserere parata, &c.

Quintilia. dialogo de Oratoribus; Aliter, inquit, vtimur propriis, aliter commodatis, longeque interesse manifestum est, possideat quis quę præfert, an mutuetur, deinde ipsa multarum artium scientia, etiam aliud agentes, nos ornat; atque vbi minimè credas, eminet, & excellit.

De Herone Philosopho Christiano, in omni scientiarum genere peritissimo. *Vide Virtus Cognitionis.* ex Sidonio, & D. Gregorio Nazian.

De chiromantia vniuersali, quæ rerum omnium naturas, ex intima superficie cognoscit. *Vide infra Cognitio Virtutis.* Virtus quę se profert.

In terra debemus esse sicut Angeli, at Angeli perfectam omnium habent cognitionem; natura accepit omnes vires à Deo & illas licet homini inquirere, hoc pacto natura messis est, & per naturam manifestat homo hæreditatem, velut fidei commisso sibi relictam. Paracels. lib. de fundamento scientiarum.

Omniũ animaliũ intellectus, vnius hominis intellectus est, velut & vnius hominis intellectus a nimalis, omnium animalium intellectus est. Vt quidquid animalia vniuersi orbis singulatim habent artis, & industriæ, id omne conclusum est in vnum hominis cerebrum Ibid.

Si Deus permittit corpori elementato, vt ab vna regione peregrinetur in aliam, ac tam bona, quam mala, experiatur; hanc peregrinationem multo magis permittit spiritui, vt quærendo inueniat. Id. lib. 1. philosophiæ sagacis.

Peregrinationes sunt vtiles ad cognoscendam totam naturam. *Vide Cognitio Differentię.* peregrinatio.

Visus est præcipuus & formalissimus sensuum; quia multiplices rerum differentias, lucem & colores, quibus corpora omnia induuntur; item sensata omnia, scilicet magnitudinem, figuram, motum percipit. Albert. Magnus tractatu 1. de sensu & sensato. cap. 1.

Qui in vna aut altera scientia instructi sunt, comparantur imperfectis animalibus quæ non habent omnes sensus, sicut habent perfecta animalia.

Spiritus qui est proximum animæ organum, est substantia aëreus, subtilis vt omnia penetret, & ad omnes motus paratus. Multo magis anima motum ex se habet ad omne intelligibile. *Vide Magnitudo Concordantia* omnibus conformari.

Scientia vniuersalis potest omnia perscrutari salua conscientię integritate. Nam cognitio mali non est mala, ita forma sensibilis habet aliquam affinitatem cum mouente intellectu, propter quod nec visus nec imaginatio affecta dicuntur formis sensibilibus materialibus, quia visus albi non est albus, nec imaginatio calidi est calida, at in vegetatiuæ passionibus & operibus non eodem modo se habet, quia digestio fit à calore naturali, ideo digestio calidi est calida, cor, hepar, stomachus sunt calida, vt organa quib. fit digestio. Albert. Mag. tract. 1. de natura & origine animæ. cap. 4.

In anima rationali duo sunt intellectus, quorum vno anima dicitur omnia intelligibile fieri, & vocatur intellectus possibilis; & alter quo est animam omnia intelligibilia facere, & vocatur intellectus vniuersaliter agens. Primum se habet ad intelligibilia, sicut perspicuũ in medio & in oculo se habet ad visibilia; aut sicut tabula rasa ad picturam; est enim locus specierum intelligibilium. Intellectus autem vniuersaliter agens, comparatur ad intellectum possibilem, & ad intelligibilia, sicut lux solis comparatur ad perspicuum & ad colores, ita quod sicut colores non mouentur ad perspicuum, nisi actu luminis, ita intelligibilia non mouent intellectum possibilem, nisi actu luminis, intellectus agentis. Ibid. cap. 7.

Inter multas rationes quibus Auicenna probat immortalitatem animæ, hęc est, quia nullum instrumentum est cuius harmonia & proportionalis commixtio sit omnibus corporalibus & incorporalibus, intellectus autem est omnia fieri; non igitur est in aliquo corporeo instrumento sed separatus est ab omnibus. Albert Mag. tract. 2. de natura & origine animæ. cap. 1.

Nobiliores formæ sunt multiplices in potentiis, & minus ad vnum determinatæ. *Vide Concordantia Differentia.*

Intellectus fit vniuersalis per applicationem ad lumen superius. *Vide Concordantia Maioritatis.*

Quintilian. Institut. orator. lib. 1. cap. 16. desiderat in suo Oratore encyplopediam, & omnium scientiarum aliqualem notitiam; debet enim esse sapiens; Sic medici ex pluribus antidotum conficiunt, apes mel ex diuersis floribus, sic orator pluribus artibus eget quæ etiam cum se non ostendunt in dicendo, nec proferunt, vim tamen occultam suggerunt, & tacitæ quoque sentiuntur. Non multum adiiciunt, sed vtique non erit totum, cui vel parua deerunt.

Orator debet in omni dicendi genere exerceri; quanquam ad aliquod magis propendeat. *Vide Differentia Virtutis.* Debet de omni re proposita, ornatè & copiosè dicere. Vnde Cicero lib. 1. de oratore, asserit cumulatum Oratorem rerum magnarum atque artium peritum, aut saltem non inscium esse debere.

Quintilia. Inst. orator. lib 10. cap. 7. loquens de facultate loquendi ex tempore. Intendendus, inquit, animus, non in aliquam rem vnam, sed in plures simul continuas, vt si per rectam viam mittamus oculos, simul omnia quæ sunt in ea, circaque intuemur, non vltimum tantum videmus, sed vsque ad vltimum.

Idem lib. 12. cap. 2. in fine. Probat oratorem nulli philosophorum sectæ speciatim inhærere debere, nec in cuiusquam iurare leges: maius est enim opus atque præstantius ad quod ipse tendit, igitur exercitatione vtitur omni, sed tamen erit plurimus in maximis, atque pulcherrimis.

Ibid. lib. 12. c. vltimo probat hominis ætatem sufficere ad omnes scientias perdiscendas si tota illis, non reb. vanis impenderetur. Si aliqui vnam tantum vsque ad senectam perdiscerunt, ea sola contenti fuere, & tot annos in vtendo, non in percipiendo exhauserunt; cuiuslibet scientiæ & artis vestigia in Homero reperiuntur, Hippias Elæus non liberales tantum scientias assequutus est, sed vestem, annulum, crepidas, quæ omnia manu sua fecerat, in vsu habuit. Gorgias senex disserebat de quacumque re proposita. Nihil deficit Platoni, nihil Aristoteli, qui animantium etiam naturas scrutatus est, id nobis facilius, quibus docendis tot ætates laborauerunt.

Quisquis resoluere potest omnia genera ad vnum idemque principium, iterumque ex eo componere & enumerare, hic vere est sapientissimus, quin & pulchram speculam inuenit, in qua poterit & Deum contemplari, omniaque quæ in eadem serie sunt & ordine, ab ipso seiuncta Stobæus ser. 1.

Aristoteles in prœmio Metaphysicorum. Sapiẽtem dicit debere omnia scire, non sensibili sed abstracta ratione cæteris hominibus non peruia, omnibus tamen scientiis & artibus legem dicente.

Musæ dicuntur sorores simul inhabitantes. Vt artes, sic scientiæ se mutuò iuuant, & velut annuli catenæ se trahunt & sequuntur.

Pictura, sculptura, lanificia omnia exprimit, quidni scientia omnia intelligat?

Proprium est prudentium virorum præsumptioni non seruire. nec patriis moribus alligari. sed veritatem quærere, & quod vtile est, vndecumque colligere. Theod. serm. de fide sic Seneca se dicit ab Epicuro multa discere, Soleo, inquit, in aliena castra transire, non tanquam transfuga, sed tanquam explorator. Romani leges suas à Græcis acceperũt.

Inter plures Doctores præfertur, qui plures habet gradus, vt doctor in vtroque iure, Doctori simplici. Quia duo vincula sunt fortiora Chassanæ in catalogo gloriæ mundi. parte 10. consider. 33.

Orator debet habere scientiam vniuersalem. *Vide Potestas Cognitionis.* Vis eloquentiæ. *Et Duratio*

Cognitionis. historia. libri.

Inductio est instrumentum aptius ad persuadendum, & apertius, & secundum sensum notius, & multis commune; syllogismus verò instrumentum maiori vi vrgens, & aduersus eos qui sunt ad contradicendm apti, efficacius. Arist. 1. Topicor. 11. Quæcumque in omnibus aut plurimis apparent, sumenda sunt quasi principia, hæc enim concedunt qui non vident, quod in aliquibus ita se non habent. cap. 14.

Omnes porro propositiones sumendæ sunt quam maximè vniuersales, & ex vna multæ fieri debent, veluti oppositorum eandem esse scientiam, deinde eandem contrariorum, & eandem relatorum. Ib.

Similium particularium inductione, vniuersale concludi censemus, non enim facile possunt inducere qui similitudines ignorant. c. 18.

D. Bonauentura scripsit artium reductionem ad Theologiam. opusc. 1.

De Philosophiæ diuinę & humanæ studio lib. 1. Francisc. Pici Miran.

Moyses eruditus fuit in omni sapientia Ægyptiorum, Act. 7. sed vt improbaret, nam iussu Dei fecit immolari animalia quæ Ægyptij colebant, arietes tauros, hircos, Agnumque Pascalem iussit comedi.

Homerus diuinitatem tribuit Soli, quia videt omnia.

Dubitare de singulis, non est inutile. Arist.

Intellectus est forma formarum, sicut manus est organum organorum Arist. 3. de anima. tex. 39.

Datur intellectus qui potest omnia fieri, & intellectus qui potest omnia efficere. Id. text. 17. loquitur de intellectu agente & passibili Paulus Rom. 1. dicit Sapientibus & insipientibus debitor sum.

Mens est vis viua, copulatiua seu vnitiua, nam in se omnia vnit, & simul omnibus vnitur. Sic in corpore nostro spiritus vnit omnia membra corporis, & se omnibus vnit, & est locus animæ seu mentis, sic & mens est locus Dei, vnde mens inter Deum & creaturas est se habens, sicut spiritus inter corpus & animam. Ratio cur non intelligit puram veritatem est, quia non est in loco suo siue in cœlo intellectibili, seu Deo; nam ibi non potest non intelligere, sicut visus in oculo sano non potest non videre. Card. Cusa. excitatio. lib. 5. cap. 57.

Oportet necessariò ad coincidentiam recurrere totius & partis, qui Dei opera vult intellectualiter videre. Ibid. cap. 19.

Anima rationalis habet duas potentias in hoc mundo diuersas, vt per vnam omnia in se colligat, & est intellectus, intus seu in se legens omnia seu omnia in se intus ligans; & per aliam ad omnia progreditur ad extra, & se ad omnia ligat, vti est voluntas seu amor; per illam enim se omnibus vnit, ac ligat ad omnia: sed dum est fœlix Deum habet in quo in se omnia habet. Et ipsa est in ipso omnibus vnita, & hoc est idem, scilicet omnia esse in ipsa, & ipsam in omnibus, quia Deum habet in quo omnia, & qui pariter in omnibus. Ibid. lib. 10. cap. 10. in fine.

Alexandrię bibliothecam 54. millium & octingentorum librorum Philaldelphus instruit; incensa fuit priori bello Alexandrino à militib. Cæsaris. Gellius lib. 6. cap. vlt. Genebr. a. m. 3791.

Deus creauit Angelos, cum dixit, Fiat lux, nullo nomine conuenientius potuit illos exprimere, quam lucis. Rupert. lib. 2. in Genes. cap. 4.

Factus est primus homo in animam viuentem, nouissimus in spiritum viuificantem, primus homo

A de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis.

Quarumlibet artium ornamenta quibus Ægyptius malè vtens, mendacium ornat ac vestit, cum Hebræis transeat in seruitium verbi Dei, ad ornatum veritatis, ad famulatum Dominę nostræ sapientię cœlestis; sic Moyses fuit eruditus in omni sapientia Ægyptiorum. Ib. in Exod. lib. 1. cap. 15.

Manna, vt cadebat de cœlo, non edebant Iudæi, sed quidam frangebant mola, & terentes mortario faciebant ex eo tortulas. Num. c. 11. sic licet ac te sacras scripturas exponere. Rupert.

Quanto agens est superius, tanto est vniuersalius.

B Sensus est apprehensiuus singularium, intellectus vero vniuersalium. Species cogniti est in cognoscente, ideoque eius natura minus est limitata, habetque maiorem amplitudinem & extensionem. Vnde dicitur quod anima est quodámodo omnia.

Intellectus noster possibilis est in potentia ad intelligibilia, sicut materia prima ad naturalia; & sicut indeterminatum ad terminatum.

Nihil finitum, desiderium intellectus quietare potest, quod ex inde ostenditur, quod intellectus quolibet finito dato, aliquid vltra molitur apprehendere. Vnde qualibet linea finita data aliquam maiorem molitur apprehendere, & similiter in numeris, & hoc est ratio infinitæ additionis in numeris & lineis mathematicis.

C Natura omnis corporea comparatur ad naturam incorpoream, vt particulare quoddam, ad absolutum & vniuersale.

Omnis scientia operatiua, tanto perfectior est, quanto magis particularia considerat, in quibus est actus.

Scientia de rebus habetur per hoc, quod vnum inuenitur in multis.

Sensus à sensibilibus excellẽtibus corrumpitur vel debilitatur, vt postmodum minora sensibilia percipere non possit. Intellectus autem quia non corrumpitur, nec impeditur à suo obiecto, sed solum perficitur postquã intellexit maius intelligibile, non minus poterit alia intelligibilia intelligere, sed magis.

Significatio orationis est tota simul, & cũ cõpletur vltima particula eius. Tota natura est vna oratio.

D Ratio alicuius totius haberi nõ potest, nisi habeãtur propriæ rationes eorũ ex quib. totũ cõstituitur.

Amandinus gemma coloris varij confert ad cognitionem rerum obscurarum, somniorum, ęnigmatum, &c. Alb. Magn. de lapidibus littera A.

Ioan. Picus Mirandulus an. ętatis 14. studuit Bononię iuri Pontificio per biennium, sed videns id totum inniti traditionibus, tritas has semitas derelinquens extitit secretorum naturæ diligens explorator. Franciscus nepos in eius vita.

Historia, consilia, mores, facta, & fata hominum describit, quæ sunt exigua particula rerum vniuersitatis. Philosophia totam naturam omnemque E mundum animo collustrat, nec quiescit nisi in contemplatione & amore Dei.

Definitio est oratio quæ per resolutionem sic effertur, vt neque desit quidquam, neque redundet.

Asclepiodotus à puero acutissimus, non cessauit inquirere causas miraculorum tam naturæ quam artis, lignorum, lapidum, herbarum animalium, differentias, fatigabat cuiusque generis artifices acuratissimè inquirendo. Suidas in voce Asclepiodotus.

Vt longum iter facientes alicubi diuertunt ac pernoctant, alicubi prandent, alicubi plures dies permanent, quædam obiter spectant, reuersi autẽ in

ædibus suis habitant; sic per omnes disciplinas peruagantes, oportet in quibusdam diutius immorari, in quibusdam breuius, quasdam integras, quasdam ex parte, quarundam rudimenta tantum assumere, earumque vtilitate retenta, in veram patriam reuersos Philosophari. Id in voce Νικόλαος.

Quod fides possit elucidari per rationem naturalem. *Vide concordantia cognitionis.*

Eos qui sapientiam non attingentes minoribus scientiis imbuuntur Plato similes esse dicebat procis Penelopes, qui cum domina potiri nequissent ad ancillas diuertebant. Rodigin. lib. 19. cap. 8.

Medicina inter cæteras artes liberales non numeratur, quia singulas continet, debet enim scire Grammaticam, Rhetoricam, vt aptè demulceat ægros & assistentes; Dialecticam ad Ratiocinandum, Arithmeticam, Astrononicam, &c. Isidor. Orig. lib. 4. cap. vlt.

Caput homini orbiculari figura est tornatum, quia intellectionis organum est omnia complectentis & ad omnia versatile, velut nullis terminis circumscriptum.

Arca Noë continebat munda & immunda animalia mansiunculis tamen ab inuicem discreta.

Rebeca haurit aquam è puteo, quæ sufficeret hominibus & camelis Doctor tantum hauriat sapientiæ vt bonis & reprobis sufficiat; omnibus enim debitor est. Origen. homil. 10. in Genes.

Abimelech fœdus init cum Isaac, scientia humana cum Religione: in multis enim Philosophia est consona legi Dei. Id. hom. 14.

Ab omnibus etiam malis discendum. *Vide minoritas medii*, vti debili medio ex Orige. iuxta illud. 1 Thess. 5. omnia probate, quod bonum est, tenete.

Leuit. 7. Sacrificium laudationis offertur Deo super panes fermentatos; diligenter intuere, quia non ad sacrificium, sed ad ministerium sacrificii fermentatus panis assumitur, humanam doctrinam fermento Dominus comparat. Math. 16. ex illa quæ de Deo sentienda sunt, non sunt sumenda, sed splendor eloquentiæ, disputandi ratio, ad ministerium verbi Dei decenter admittitur. Origen. homil. 5. in Leuit.

Deut. 21. Mulier pulchra capta ex hostibus post 30. dies rasis capillis & vnguibus potest duci in vxorem: sic ex prophana scientia oportet emundare quod emortuum, & inane est. Ib. homil. 7.

Cherubim dicendi sunt, qui habent multitudinem scientiæ. *Vide maioritas cognitionis.* Excellens scientia.

Mare Britannicum, Atlanticum, Germanicum, In dicum & cætera, sunt vnus oceanus, sic diuersæ scientiæ sunt vna sapientia.

Origen. periarchon lib. 2. probat remunorationem bonis promissam in cœlo non consistere in fruitione rerum corporearum sed in omnimoda rerum naturalium, mysteriorum, iudiciorum Dei cognitione. Hic enim sapientia proponit mensam suam, miscet vinum, &c. Prouerb. 9.

Homo animal diuinum de naturalibus satiari non poterat nisi adesset imaginatio. *Vide potestas cognitionis.* Vis imaginationis.

D. Chrysost. homil. 28. in epist. ad Roma. inductione probat, omnem scientiam de rebus præsentibus & futuris hauriri posse ex sacris Scripturis.

Clem. Alexand. lib. 1. stromat. dicit liberales omnes Artes ad Philosophiam conferre, Philosophia verò ad sapientiam seu Theologiam. Etenim

A Philosophia velut artificium est quoddam & facultas; sapientia verò scientia diuinarum humanarumque rerum, causarumque quibus eæ continentur.

Cognitio quanto altior est, tanto est magis vnica, & ad plura se extendit, vnde intellectus Dei qui est altissimus, per lumen, quod est ipse Deus, omnium rerum cognitionem habet distinctè. Sic Theologia per efficaciam diuini luminis, perfecta est, & sufficiens ad omnem humanam perfectionem. D. Thom. in Prologo. Magist. sententiar.

Quomodo plura simul in vno possunt cognosci. *Vide duratio cognitionis.* Mora dilatio iudicii.

Adam in statu innocentiæ habuit notitiam creaturarum omnium; dicit enim D. August. 14. de ciuit.
B Dei, quod in statu illo nil aberat quod bona voluntas non adipisceretur, sed hoc bona voluntate velle poterat, vt omnium scientiam haberet, ergo habuit, vt Deo similior esset, nouit omnia qui omnibus nomen imposuit. D. Thom. in quæst. disput. de cognitione primi hominis a. 4.

Iust. Imp. prohibet vicinis auferre gratissimum maris prospectum, & eum qui id fecerit comparat bona vi rapienti. Nou. 63.

In patria quilibet beatus intelliget omnes res naturales, vt tota sua potentia impleatur & quiescat. Tostat. prol. in Genes. fo. c. 4. k.

Græci curam agentes de vniuersa Republica mundi, imposuerunt nomina omnibus rebus, scilicet Prouinciis, fluminibus, montibus & pluri-
C bus vrbibus, vt dicit Iosephus lib. 1. antiquitat.

Non est bonum medicinam in tot professores diuidi, quot sunt corporis partes. Nam esse debet vniuersalis. *Vide magnitudo potestatis.* Plura simul officia.

Cognitio vniuersalis habetur per peregrinationes. *Vide cognitio differentia.* Peregrinatio. Potest homo simul addiscere plures scientias. *Vide gloria differentia.* Læta diuersitas.

Commentitium est quod Vlysses, vt refert Homerus, tot longinquas peregrinationes susceperit, sed expedito animo vsus, naturam cõsiderauit vniuersam, quot videlicet motus sunt cœli, quales affectiones terræ, Deorum consilia, hominum
D naturas, Solis splendorem, Syderum choros, animantium genituras, alluuiones maris, amnium ostia, aëris mutationes, ciuilia, domestica, bellica, pacifica, nuptialia, rustica, equestria, nautica, diuersas Artes, varias voces, multiplices species dolentium, gestientium, lugentium, ridentium, pugnantium, irascentium, comessantium. Nihil enim aliud est Philosophia quam diuinarum atque humanarum rerum exacta scientia ratiocinationi simul & virtutibus consona, &c. Maximus Tyrius. Serm. 16.

Scientia de parte, subordinatur & subalternatur scientiæ quæ est de toto. Tost. Gen. fo. 15.

E Prophanorum autorum lectio prodest vt per comparationem magis appareat Euangelii splendor; tum vt testimoniis hominum aduersus eos vtamur; qui diuinis parum acquiescunt, vt vitiosi oculi aduersantes Solis splendorem; ad nos quoque commonefaciendos cum in multis gentilium tanta fuerit præstantia virtutis, quam sub Christo magistro debemus habere præstantiorem. Suppeditant quoque facundiam & vsum, ac prudentiam vitæ communis. Lud. Viues in introduct. Sapientiæ.

Cum fuerint planetæ sparsi, nec in vno trigono homines erunt magis accommodati generaliter,

cum in eodem trigono. plus valebunt in vna re. Cardan. Aph. sect. 3 Aph. 166.

Coniunctio planetarum in prima, dat sapientiam. Ibid. sect. 5. Aph. 19.

Homo debet omnia cognoscere, vt se cognoscat, quia compendium est mundi. Vide quę scripsi de iure naturali lib. 1. lege 4. §. 3.

Scientia omnes naturales seruiunt Theologia velut Domina & regina. Vide quę scripsi in Apologia fati vniuersi. cap. 4.

Homo est scientiarum & artium capax, & hinc probatur immortalitas anima. Theologia natural. in 2. parte 1. cap. 20. De scientia angelorum ibid. parte. 2 cap. 9.

Plures faces lumen suum per agustissimum foramen, sine confusione traijciunt. Sic in mente inconfusæ possunt esse scientiæ.

Qui ad sapientiæ propositam mensam accumbunt & multiplicatis à verbo cibis aluntur, nil fragmentorum quæ de tali supersunt conuiuio perire sinit; nam iuxta inspectæ veritatis mensuram amoris vehementia prorogatur. Laurent. Iustin. A fascic. amor. cap. 5.

D. Hieron. epist. magno oratori Romano, diluit obiectionem sibi factam, quod vteretur authoritatibus prophanorum. Id licitum esse probat Tertuliani, Cypriani, Lactantii, Clementis Alexandrini, & aliorum exemplis.

D Greg. lib. 2. moral. cap. 31. refert quod cum S. Benedictus in oratione constitutus, quendam radium diuini solis aspiceret, totus mundus ante oculos suos addictus videbatur, & merito, cum sublcuatus in mentis lumine & contemplatione extra mundum fuerit. Vnde dicit Hugo. Contemplatio est deifica similitudo: quia dum per eam il- B luminati lucentes fiunt, quodammodo ipsius luminis lucentis similitudinem accipiunt.

Linguæ Hebraicæ, Gręcæ, Latinę, & Arabicę Scholas à Regularibus institui iussit Paulus V. const. 65. p. 185. to. 3. Bull.

Lucerna in septifidi candelabri vertice posita, significabat sapientiam quę est à Domini spiritu donorum omnium fonte. Rusbroch. de Tabernaculo fœderis. cap 25.

DVRATIO COGNITIONIS

ASSIDVA RERVM DIVINARVM meditatio.

SMaragdi proprium est oculum implere, non satiare, refocillare visum non dissipare, & quanto intentius intuemur, eo magis vim coloris ac nitoris reddere. Cardan de rer. varietate. cap. 18. sic diuina implent non satiant.

Intellectualis nostra natura, cum viuat, necessario pascitur, sed alio quam intelligibilis vitę cibo nequaquam refici potest; quemadmodum omne viuens cibo simili vitę suę pascitur. Nam spiritus C vitę, nisi restituatur deficit. Cardin. Cusa lib. de venatione sapientię *Vid. potestas medii.* Vis alimenti.

Vide medium veritatis. Ecclesia credenda proponit de panibus propositionis. Rebecca quę quotidie veniebat ad puteum haurire aquam, meruit nuptias Patriarchę Isaac. veniat anima ad puteum S. Scripturę & fiet sponsa verbi. Origen. homil. 10. in Genes.

Qui puteorum fontes expurgant, eos quanto perscrutantur altius, tantò puriores efficiunt, & D aquarum prouentu ditiores. Res diuinę tales sunt, &c. S. Basil. Seleuciæ orat. 13.

Proiecta in terram semina aues colligunt, nisi terra operiantur, vt germinent, sic diuina pręcepta, occulta & assidua meditatione sunt excolenda. D. Chrysost. hom. 3. in 2. Thessalon.

Lumen est ens extra lucem; nam penes me asseruo silicem, quem si ad aërem Sole existente supra horizontem exposuero, ad spatium trium vel quatuor pausarum, ac inde ad obscurum locum detulero, seruat conceptum Solis lumen, ad aliquod simile fortassis spatium. Van Helmont. in tractatu. Magnum oportet.

Meditationis studium est semper quouis industriæ labore, qualibet animi difficultate ardua quęque apprehendere, obscura irrumpere, occulta penetrare, donec diu quæsitam inueniat, & animam siue spiritum ad veritatis contemplationem cum admiratione & exultatione adducat, vnde meditatio sequi debet rectam intentionem de qua *Vide virtus finis.* D. Bonau. de 7. itinerib. æetern.

Intentioni duo sunt necessaria, intentio boni, & cognitio veri, vtrumque iuuat meditatio. Quia secundum Psal. 38. In meditatione mea exardescet ignis. Intentio finem ostendit, meditatio viam ad æterna pandit, & quæ sunt itineri necessaria, prouide disponit. Ib.

Cogitatio vaga est, meditatio recto semper procedit itinere, indefesso labore, in propositum sibi veritatis finem.

Lectiones & meditationes assiduæ sunt quasi intercurrentes nuntii, qui nos de principis & dilecti nostri voluntate certiores efficiant. Richard. contempl. 4. c. 14. aqua frigida animæ sitienti, bonus nuntius de terra longinqua. Prouerb 25. Oculi mei semper ad Dominum. Ps. 24. Cogitatio transit in meditationem, meditatio in speculationem, speculatio in contemplationem, contemplatio in intuitiuam cognitionem. Ib.

Deus detinuit Israëlitas per 40. annos in deserto vt instruerentur in sacris ceremonijs antequam ingrederentur terram Chanaam, ne laberentur in idololatriam. Tostat. Exo. to. 2. fo. 17.

In arterijs è sinistro cordis sinu procedentibus, est spiritus & lux vitalis, quæ debet esse continua, cum-

Digitized by Google

cum sit luci proprium, alioquin extingui; Ideo arteriæ semper apertæ manent, ita quidem vt nunquam compressę dudum maneant. Quare & pulsum easdem dilatare conueniebat, nec ita comprimi, vt tota arteria in se prorsus concidat, duplici forti ac duriore ideo tunica non iniustè vestitur. Discontinuitas autem illius luminis in causa est, vt vno momento suspensio pereat omnis facultas princeps cerebri. Van. Helmont. Blas humanum.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te. Ps.

Studio sapientiæ nullus in vita terminus statuendus est, semper tria illa sunt homini quandiu viuit, meditanda; quomodo benè sapiat; quomodo benè dicat; quomodo benè agat. Ludo. Viues in introduct. sapientiæ.

Stellæ fixæ facilè dignoscuntur, quia propter tarditatem octauæ sphęrę, cœlum mediant toto anno, eodemque loco oriuntur & occidunt.

Signa fixa eruditionem præstant, excipitur Scorpius. Cardan. Aphoris. sect. 2. aph. 20.

De pia lectione, Vide quæ scripsi moralis Christianę. to. 1. parte 2. cap. 19. Religiosus semper oret. lib. de institutis & officiis religiosi. parte. 2. cap. 19. 26. de pia lectione cap. 38.

Vide Duratio Virtutis. Constans admonitio.

Corpus quod aëris sanitate perfruitur, sanius fit, sic anima fit sapientior rerum diuinarum meditatione enutrita. Oculi læduntur fumo, rerum pulchrarum vt horti amœnitate reficiuntur. D. Chrysost. Homil. 2. in Matth.

Nemo dat seruis suis cibos gratiores, seruatis sibi vilibus & nociuis. Nocent animæ vanæ de rebus mundanis cogitationes, diuina illi prouideantur in alimentum eiusque maior sit cura, quam corporis. Si sermo sapientis potest sedare iram aut concupiscentiam, quanto magis, cum à Spiritu sancto profertur. Ib. *Vide Potestas Veritatis.* Vis sermonis diuini.

Etiam pueri discenda per totum diē meditantur, quid iuuat haurire vase rimis vndique hiante & perfluente; nec tam diligenter nobis seruare spirituales opes ac terrenas. Ibid. Hom. 5.

De frequenti communione. *Vide Duratio Bonitatis.* Rep. Moræ. Supponit assiduam rerum diuinarum meditationem & affectionem.

Carnes externis nostris partibus applicatæ citò putrescunt, intus verò sumptæ in nostram substantiam conuertuntur. Sic sermo diuinus interna meditatione digerendus, alioquin corrumpit & corrumpitur.

Agitato aëre lumen minimè mouetur. Inter humana negotia stabilis contemplatio. *Vide Media Gloriæ.* Vita mixta.

Intellectum tibi dabo. Firmabo super te oculos meos, idest dirigam in te lumen perennis intelligentiæ meæ. Alcuin. in Psal. 31.

In bello fœliciter gerendo fortitudini iuncta debet esse prudentia. Vtraque necessaria in bello spirituali contra Dęmonem, qui propter fortitudinem dicitur Leo, propter dolos, Draco; fortitudinem dabit sacræ scripturæ meditatio; est enim gladius acutus quo Christus tentantem in deserto Dæmonem superauit. Docet etiam prudentiam sic propheta, Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, &c. Laurent. Iustinian. lib. de interiori conflictu. cap. 11. dicit Apostolus Sermo Dei viuus est & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti.

Animalia sancta non habebant requiem die ac nocte sed clamabant Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Contemplatio quippe cœlestium mentem efficit in inquisitione sollicitam, sitibundam in gustu, in amore feruidam, & in contemplatione erectam. Idem de vita solitaria. cap. 1.

Oramus, panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et in antiqua lege, quotidie manna debebat colligi, vt discamus cibum potumque cœlestem & spiritualem quærere, nequaquam de priori ac sumpto contenti. Nam hic diuina desiderium potius excitant, quam quietem, quoniam longe excellentiora per fidem percipimus esse ea quę nos latent, quam ea quæ patent. Idem lib. de obedientia, cap. 14.

Corona clericorum & Monachorum denudans verticem capitis, significat animum purum, simplicem, nudatum à superfluitatibus & vitiis semper apertum & expeditum ad diuinas inspirationes facilè percipiendas. Glossa in epistol. Aniceti Papæ. to. 1. Concil.

De viro beato dicit Propheta. Psal. 1. Et in lege Domini meditatur die ac nocte. Meditatio legis; non solum in verbis legentis, sed est in operis religione, vt diurna nocturnaque opera per legem semper exerceantur, secundum illud Apostoli. 1. Cor. 10. omnia quęcumque facitis, in gloriam Dei facite. Sic omnis sancti viri vita, fit oratio. D. Hilar. in Psal. 1.

Iesus Naue iuuenis non egrediebatur tabernaculum, & Anna Prophetissa non discedebat à templo, ieiuniis & obsecrationib. seruiēs die ac nocte.

Maximum ad iustitiam auxilium est, implere diuinis eloquiis animum, & quod opere exequi cupias, semper corde meditari.

D. Hieron. ad Celantiam. Non sic memoria teneas, vt operibus obliuiscaris, sed ideo cognosce vt facias, quæ quid faciendum didiceris, non enim auditores legis sed factores iustificabuntur. Ib.

Maximum tempore pestis præseruatiuum est, focum habere igne perenni fulgentem.

Orationem 40. horarum alternatim & iugiter in Ecclesiis & piis locis habendam instituit. Clem. 8. const. 17. p. 54. to. 3. Bulla.

Charitas efficit vt animam tuam semper habeas in manibus, tuis idest in potestate tua, sicque quoties voles cor, oculosque tuos leuare poteris ad cœlum vbi est thesaurus tuus, & dilectus tuus, seruabisque vnam cum eo vitam. Rusbroch. cap. 2. & si plures imagines incidant, quia sumus inconstantes, licet hostis tartareus suas tibi ostendat merces, nisi eas tibi cum amore comparaueris ac emeris, non manebunt tibi. Ib.

Ne laminea aurea in qua inscriptum erat nomen Dei in fronte summi Pontificis moueretur, ligabatur vitta hiacinthina.

Intentus in cœlum oculus, plures stellas prospicit.

Inhærere Deo iugiter, & contemplationi eius, inseparabiliter copulari, impossibile est homini istius carnis fragilitate circumdato, sed aduertendum vbi defixa sit nostræ mentis intentio qua obtenta gaudeamus, & à qua diuulsi, doleamus, & subiter ad Deum redeamus dolentes de recessu, velut fornicationis rei, sic regnum Dei erit in nobis, &c. Cassian. collat. 1. cap. 13.

Apud eundem collat. 14. c. 10. Abbas Nesterotes sic suadet. Expulsa omni solicitudine, & cogitatione terrena, assiduum te sacrę præbeas lectioni, donec cōtinua meditatio imbuat mentē, & quasi in sui similitudinem formet, arcā ex ea faciē

testamenti, habente duas tabulas lapideas, idest veteris, nouique Testamenti perpetuam firmitatem; vrnam quoque auream, in qua sit manna, idest perpetua degustatio, aut memoria cœlestis dulcedinis. Etiã virga Aaron, id est mortificationis Christi memoriale salutiferum. Et. cap. 13. Vnicum dicit esse remedium, vt quis se præstet immunem à vanis cogitationibus, si sacræ lectioni assiduè incumbat.

Numa focum Vestæ, virginibus colendum dedit, vt ad similitudinem cœlestium syderum, custos Imperii flamma vigilaret. Flor lib. 1. cap. 12.

Os in animali non exsiccatur; assidua lectio non permittit mentem sic exsiccari, vt amplius diuina non capiat. Cibus sumptus si deglutiatur sine masticatione, non benè digeritur.

Sacra scriptura nihil aliud est, quam omnipotentis Dei ad creaturam suam Epistola. Si ab Imperatore epistolam accepisses non quiesceres, non dares somnum oculis quin prius, quid scripsisset, agnosceres. Stude ergo quæso; & quotidie creatoris tui verba meditare; disces cor Dei, in verbis Dei, vt ardentius ad æterna suspires; tanto maior erit requies, quanto modo ab amore conditoris sui, requies nulla fuerit. D. Greg. PP. in Registro lib 5. epist. 4.

Chrysippus dicebat cogitationem, orationis esse fontem.

Decet nos sępius Deum orare, non quod precibus Deus indigeat, sed vt animus noster Dei recordatione illustretur.

Pisces sine pinnis & squamis sunt immundi, quia luto aquarum semper adhærent, tales sunt qui humana tantum, non diuina cogitant. Theodoret. in Leuit. quæst. 7.

Qui aurum rimantur, terram plurimam effodiunt, parumque inueniunt. Id.

Marinis piscibus, quanquam plurimę salsedini enutritis, tamen ad condimentum sale opus est; sic etiam bene educatis necessaria rerum diuinarum meditatio. Id. sermone de principijs.

Quo magis contemplantur diuinam pulchritudinem, crescit possidendi desiderium, & satietas depellitur. Id. oratione de charitate. Sic Exod. 38. post quadraginta dies in monte exactos soli Deo vacans Moyses, non sentit satietatem, sed amoris quodam furore percitus, propriamque naturam oblitus dicit Deo, ostende mihi teipsum, si inueni gratiam coram te, & sciam te, &c. Accessio scientiæ intentio desiderii facta est, & appetitionem auxit fruitio; vt ignis adiecta materia augetur. Cant. 2. sponsa dicit, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, &c. Ibid.

De directione cordis. Gerson. to. 3.

De horis canonicis. Liber Petri Damiani. Drogo. biblioth. patr. to. 2.

De litterarum sacrarum studio. D. August. ep. 13-.

Aurum de terra legere qui nouerunt, vbi diuitem senserint venam, ibi quidquid artis est, quidquid laboris impendunt, sic in diuinis litteris vbi cœlestis latet thesaurus sedulò incumbendum. Chrysol. ser. 91.

Grana salis teruntur, vt melius penetrent. Id. de attenta scripturarum meditatione.

Lex dicitur à legendo, eo quod editur, vt sæpius legatur ad instructionem, & illustrationem mentium. Isidor. 2. ethimolog. 10.

Oculus non fert diu magnam solis lucem, nec mens diuinum splendorem. Mens Christiani debet esse vretiaculum per quod effluant vanæ co-

A gitationes, sicut aqua, bonæ autem & piæ, retinentur vt pisces. Petrus Damian. lib. 4. ep. 15. in fine.

Iuge sacrificium Deo offert matutinum & vespertinum qui in nouo & veteri Testamento, lege Dei meditatur die ac nocte; eleuatio manũ mearũ sacrificium vespertinum. Id. ep. 16.

Qui non meditatur assidue similis est viro consideranti vultum suum in speculo, & statim oblitus est qualis fuerit. Iacob. 1. 23.

Oportet semper orare, Luc. 18. & nunquam deficere 1. Thess. 3. ideo matutinum ecclesia celebrat, secundum illud Ps. 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi, nam Apoc. 2. beati die
B ac nocte non cessant clamare dicentes, sanctus sanctus, sanctus, Dominus, Deus Sabbaoth. Mariæ contemplatrici dicitur, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Caput & manus sacerdotis oleo vnguntur Leuit. 21. caput meditationem, manus operationem sanctam significat.

A decima die mensis Aprilis, vsque ad 14. seruabatur agnus paschalis, vt eius balatus, iterata esset meditatio solemnitatis. Rupert.

Vectes de ligno Sethim ad portandam arcam, semper esse debe[...]nt in circulis. Idest doctores Ecclesiæ semper debent inhærere sacræ lectioni, vt sine mora possint rationem reddere eius fidei quam profitentur. 1. Pet. 3. Rupert. in Exod. l. 4. c. 5.
C

DE REBVS PIIS ET diuinis assidua debet esse cogitatio.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Corpus agendo suas absumit vires, quæ debent alterna quiete reparari; at nobilior nostri pars animus in hoc microcosmo cœli vices agens, perpetuo se circum agit motu, sed irregulari, turbulento, nociuo. Si non illi legem modumq; ratio dixerit. Ad quid enim vires indefessæ,
D sopitis enim sensibus nunquam ociantes, si curiose lustrent tantum externa; si sectentur fugientes vmbras, & vana rerum simulachra, quæ dum teneri putantur depereunt, non impunè tamen, relicto scilicet temporis, & rei male gestę reatu. Immortalis animi vis hæc indeficiens de mortalibus quantum voluerit, cogitet, non dabit fluxis statum, vanis essentiam, malis ex se, rectitudiné, vt totis frustratis suis votis, intelligat homo, non externis, sed propriis; non corporeis sed spiritualibus æternis sibi viuendum, vt dum mores suos rectè composuerit externorum respectu sibi sufficiens, in hoc imaginem Dei referat, quod se fruatur.

MAGNITVDO. Creaturarũ inferiorũ nobilior, ipse sibi magnũ spectaculũ est, dignũ in quod intellectuales suæ potentiæ intentæ semper maneant, instar angelorum qui se semper & cognoscunt & amant. Illos sic assiduè sibi præsentes efficit conditionis suæ beatitudo; at hominem in se vocat dignitati iuncta necessitas, ne mens sua versatilis transuolet ad indigna simul & nociua; ne diuinæ perfectionis imagines oblatas à creaturis, in suum dignè non referat principium; ne pretiosa diuinæ visitationis & gratiæ momenta non satis aperto puroque sinu præsens excipiat. Tota debetur mentis attentio, integer cordis affectus bonis infinitis ambiendis, consequendis offerente misericordia humiliter recipiendis, & ad largitoris gloriam eo quo debetur cultu, referendis.

DVRATIO. Vt in æternitate vnum agunt beati, & à Prophetis describuntur sine fine ter sanctum Deum laudantes, vt illis est in communis summi boni centro interminabilis ex fruitione quies, sic viatoris æternitatis candidati, perennis debet esse mentis intentio, spei & charitatis indeficiens motus qui promoueat ipsum ad beatitudinem vbi temporali huic sollicitudini respondebit æterna quies.

POTESTAS. Statim quidem non vales euadere in virum perfectum, debes tamen & potes id intendere, id optare; & vt voti fias compos, vt ad montem domini sanctum peruenias, semitam rectam, compendiosam, securam eò ducentem diligenter debes inquirere, fixum apud te ratum que sit, cùm inueneris tenere semper indeclinabili passu, legem hanc intellectui, voluntati, moribus dicere, vt à recto nunquam deflectant. Inquiritur autem hæç ad cœlum ducens via, & ad eam certo pede sequendam firmatur animi propositum assidua rerum diuinarum meditatione. His rebus maximis positus est ordo, vt prius sit eas optare, quærere, quam consequi. Igitur ad sanctitatem tua te prouocet cogitatio, nec conqueraris arduam, si quod in te positum est, non præstes.

COGNITIO. Nobiles videmus ad armorum pericula præcipites, eo quod in academiis inter generosos educati, solam audiunt laudari bellicam fortitudinem, velut summum honoris & gloriæ decus. Ita dum de consequenda semper cogitant & loquun tur, his imaginibus impressæ mentes, fiunt certaminis auidæ, tantum enim prêstat ad martis fœlicitatem, quantum ad mira & naturaliter magica perficienda fides. Vnde dicitur Sap. 6. 16. Dei sapientia cogitare sensus est consummatus, & qui vigilauerit propter illam, cito securus erit.

VOLVNTAS. Visa pulchritudo statim mentem per oculos rapit in amorem sui, at virtutis & pietatis pulchritudo, cum spiritualis sit, sola percipitur meditatione, quæ si fuerit assidua excitabit in humanis cordibus naturaliter quidem insitam, sed torpescentem, huius angelicæ perfectionis cupidinem. Amans semper cogitat de obiecto suo, vnde pendet & viuit, cogitando magis ac magis ardet, sic vt ignem hunc spiritualem splẽdor, splendorem ignis pariat perpetua quadam causa & affectus in se vicissim recurrentis, circulatione, sic quodammodo nunc contumeliosum est hortari Christianos ad pias meditationes cum earumdefectus supponat iam extinctum in ipsis rerum diuinarum amorem, qui si vigeret mentem illis semper efficeret intentam.

VIRTVS. Moralis dicitur, inquit Philosophus, eo quod hanc non habemus à natura, sed ab exercitatione, & à moribus: sic ad rationis legẽ temperatis, diuturnum in eis consequendis necessarium laborem fouet contemplatio quæ naturam rationalem expurgat, perficit, transfert in quandam Dei similitudinem supra mundi fortunæque tela positam; ad huius sacri montis apicem volenti peruenire intento semper opus est oculo, qui gressus moderetur, suspendat, quo melius licet dirigat, cũ vndique casum altitudo minetur, virtutes enim vitia circundant & sublimitatem præcipitia, ne facem prudentia præferat, zelumque indiscrete multa mouentia temperet.

VERITAS. Veritatem in putei profundo latitantem dixerunt antiqui: in obscuris autem nigra videntur omnia, nec illic colores figurasque dis-

A cernit oculus nisi paulatim extenuatis quas foras hauserat lucidis imaginibus, latiore, securiore pupilla tenebris assueuerit. Cucum fulgentibus vndique mũdanorum opinionibus vacuanda mẽs, tum his libera paucis notam, claustris & alta tectam humilitate veritatem inquirat, quo plus in illam meditationibus, intenderit plura quæ spectant ad naturæ, Dei, salutisque propriæ mysteria percipiet.

GLORIA. Inquisitionis laborem magnificè compensabit secreta voluptas mentis in conspectum, cæteris velatæ, sibi iam è proximo miira suauitate fulgentis, blandientis pulcritudinis, admissæ. Gaudet in sinu sapiens, & quo diligentius in vitam suam inquisierit, lætior de superatis cu-

B piditatibus gratias rependit Deo. ad nouos virtutum profectus ardens petit cœlestis gratiæ subsidia, quæ toties experta de accipiendis fideiubent. Igitur intenta virtuti, pietatique cogitatio, mentem puriorem, sibi plaudentem, Deo gratam, spe gaudentem efficit.

DIFFERENTIA. Quisque de propriis fœliciter peragendis negotiis cogitat; Dux de bellicis expeditionibus; de commeatu lucrisque mercator; de legibus & iudiciis addictus foro; tractant fabrilia fabri. Cur non Christianus cœlestium conciuis, cœlestia, quæ scilicet ad Dei gloriam pertinent attento semper non ponderabit animo. & cum Propheta legem Dei non medita-

C bitur die ac nocte? factus ipse spectaculum in interiori Deo Angelis in hoc potissimum distinguatur ab his qui terrena sapiunt, quod eius totam mentem impleat vnum necessarium integritatis scilicet & pietatis cura.

CONCORDANTIA. Assidua rerum diuinarum meditatio, conuictus quidam est, quo sensim ad diuina formatur animus, linguam & mores addiscit cœlestium, sub Christi Domini, sub sanctorum exemplis & doctrina familiari. Hoc est pro Dei gloria, Religionis cultu, morum reformatione in sacramentis continuum celebrare Concilium cui præsidet Spiritus sanctus. Et quis coram hoc diuino concessu, sub tot sanctorum magistrorum, monitorum, censorum oculis,

D audeat peccare?

CONTRARIETAS. Prædixerunt antiqui & nostris docemur experimentis, vitam hanc esse militiam positis vndique circumseptam insidiis; hostium vario semper conflictu lacessitam. His vrgentibus periculis, nunquam vacare, sed continuæ haberi debent excubiæ; cum agitur de summa rerum, de salute quotidianis defectibus expolita, nec post hanc incertam vitam reuocabili, assidua debet esse consideratio. Nauigamus in hoc mundi pelago, inter tot scopulos quot sunt cupiditatum irritamenta; momento tempestates excitant incerti fortunæ casus; silente flu-

E ctu, hominum dæmonumque maligna vis in nos prædas agit. Cur ex alto mens speculatrix assiduè sibi non caueat, suæque non consulet securitati?

PRINCIPIVM. Vnicuique sui tutelam commisit Deus, & mentem rationalem præfecit vitæ secundum legem æternam dirigendæ, sicut vnicuique cœlo mouendo suam intelligentiam: hæc autem à sui contemplatione, & operis iniuncti regulari semper impletione nunquam vacat, vt hinc discat animus salutaria nunquam fatiscenti studio, meditari, prosequi.

MEDIVM. Est angusta semita quæ ducit

ad vitam, hanc ideo facile confundunt, transuersæ, latæ, frequentes viæ, quas sequitur hinc inde præceps turba mortalium; & vt à recto deflectamus, præeuntes magnis vocibus ad se nos aduocant. Ad imitationem natura procliuis facilè pereuntibus accedet, illustrium etiam exemplis prouocata, nisi vacillantem confirmet, diuinæ legis, vitæ, doctrinæ sanctorum assidua meditatio.

FINIS. Inter maris infidi procellas, prudens nauta, magnetis ope, polo semper inspecto cursum dirigit; & quantum vi tempestatis à sibi sequenda ventorum linea, deflexerit, æstimat. Prototypum suum in hora millies auidè pictor intuetur, singulisque quas exprimit partibus hæret, nec receptis in se fidet speciebus, si nō illas oculus omni momento nouas effecerit; & dignas quæ manum probè dirigant. Scopum immoto rectoque visus acumine sagittarius inspicit, donec illum, missile suum tangat, sic Deo, sic speratæ beatitudini, debemus intentos esse, ne falsa pro veris, obliqua pro rectis subrepant.

MAIORITAS. Hoc est in cœlis habere conuersationem, cœlestia semper meditari. Charitatem auget perennis contemplatio; amica charitas gratias bonis operibus, meritis noua dat incrementa, vix limitato ad infiniti consequutionem termino. Mirabiles illas ascensiones in valle lacrymarum disponit, & successiue profert intenta semper pietati mens.

ÆQVALITAS. Nunquam intermittit vigil pro nobis Dei prouidentia; custodis angeli, Ecclesiæ matris officiosa charitas. Vicem vtcumque licet rependamus, saltem conuersis in largitores oculis & cordibus, hæc enim sola saltem superest infirmis gratitudo, beneficium agnouisse.

MINORITAS. Miseris in vincula coniectis, graui morbo laborantibus, nulla ratio mali sui potest auferre sensum, quin de libertatis, sanitatis amissione, ægras semper patiantur cogitationes, & dolorem metumque grauioris casus, spe remedii tentent delinire. Vitam hanc mortalem sciunt omnes calamitatibus innumeris, premi, concuti, lætaliter laborare. Ergo cur extinctis spiritibus torporem affectant excedente narcotico quod mortem acceleret; cur in mores suos inquisitione diligenti, morbum suum non agnoscunt, vt opem medici cœlestis implorent, & ne pœnas conscientiæ temporales excipiant æternæ. Nunquam ociatur mens, sed vt terra semper germinat malos fœtus si non illam ad bonos diligens cultura disposuerit. Duplex igitur est fructus assiduę cogitationis de profectu spirituali, vt nempe, malum vitet, bonum promoueat.

PERSEVERANS COgnitio.

DE Vigilantia. *Vide supra cognitio potestatis.*

Lumen naturæ est lumen accensum à spiritu sancto, quod nunquam extinguitur; In homine se habet vt vita, cum ipsa enim similiter nascitur & crescit; vultque vlterius semper propagari. Paracelsus.

A Externa sapientia duplex, perpetua, scilicet angelica; altera transitoria, scilicet animalis. Idem.

Munus oculi non tantum est recipere visibilia, sed etiam seruare donec compleatur iudicium sensibile. Ideo aër non abundat in eius compositione, quia aër id quod recepit, non seruat; sed abundat aqua, quæ species facilè recipit, & melius seruat, quam aër, quia spissior est. Albert. Magn. tract. 1. de sensu & sensato c. 14.

In sensibus diu remanent species percepti ab ipsis obiecti, maximè excellentis. Vt viso sole, per aliquod tempus, nihil aliud percipit oculus; species soni intensi diu remanet in auribus. Qui fuit

B in flumine vel in mari, videntur illi etiam omnia moueri in terra, propter formam motus manentem in oculo. Id. lib. 2. de somno & vigilia cap. 5.

Concepta semel opinio vix eluitur, quia nemo non didicisse mauult, quam discere. Quintil. Instit. orator. lib. 3. c. 1.

In aqua stante, melius vultus nostros contemplamur quam in fluenti. Quintil. Ib. lib. 2. c. 5. suadet oratori opes doctrinæ, velut sanctiore quodam ærario recondere, vnde ad subitos quoque casus cum res exiget proferantur.

Artificium mutat hominis conditionem, & quia discitur cum quadam animi perpetuitate, potentius est officio quod quis subit ad tempus. *Vide duratio virtutis.* Constans admonitio.

C Antiqui Galli Herculem suum catenulis aureis auditores auribus alligatos ducentem, senem referebant, quia non nisi in senibus est consummata eloquentia.

Ægyptii & Chaldei, accepto à Noë filiis more, iam ante diluuium vsitato, scientias obeliscis inscribebant, pyriti lapidi durissimo. Vt à temporum iniuria essent immunes.

Vera somnia solent iterari, vt idem significetur siue vno, siue altero somnio, sic Ioseph de Sole, Luna, & stellis ipsum adorantibus; & de pluribus manipulis, suum adorantibus.

Oculus post excedens lucidum, alia non potest

D amplius videre. At intellectus postquam rem arduam intellexit, melius cætera comprehendit. Inde Gymnosophistæ tota die fixis oculis contemplabantur solem, quem vt Deum colebant. Plin. lib. 7. c. 2.

Carnes nisi sint coctæ non conueniunt homini, etiam esurienti & sano. Seneca lib. de vita beata, cap. 31. conqueritur, quod homo ad immortalium cognitionem natus, sit mortalis.

Longæuitas primorum hominum fuit opus non naturæ sed prouidentiæ vt possent experiri & obseruare disciplinarum artiumque rationes, causas, principia; artes enim longæ & experimenta difficilia quæ non possunt satis colligi, nisi obseruato

E syderum ad sua principia reditu; idest magno anno; diu etiam viuebant ad multiplicandum genus humanum, Genebrar. in Chronicis.

Fractis prioribus tabulis, alias Moyses describit lapideas, Exod. 35.

Amethystus gemma coloris purpurei, dicitur conferre ad vigilantiam contra ebrietatem, & malas cogitationes. Alb. Mag. de lapidibus littera A.

Heber filius Sale, non fuit inter turris Babel conditores, propterea sermo eius non est immutatus. Hebrea scilicet lingua, Suidas in voce Hebræi.

Si dormiatis inter medios cleros, Psal. 67. idest in continua lectione & meditatione vtriusque testamenti. Id.

Præsens obiectum vel eius imago mouet cogitationem sic aulici assident suis principibus; amantes amasiis. Princeps vt ametur & colatur præsentem vbique se sistit per nummos vultus sui figura impressos, per imagines, & titulos; sic commendatur agricultura. *Vide Media Concordantia.* Ideo institutæ imagines. *Vide Media Cognitionis.* Sic instituta apud Iudæos philacteria vt legis diuinæ semper essent memores.

Socrates alta quædam meditatus, stetit in eodem vestigio immotus à mane ad vesperam, & per totam noctem ad ortum vsque solis. Rodigin. lib. 25. cap. 4.

Tandiu discendum quandiu viuimus, neque enim fieri potest nimis quod satis nequit fieri; Non satis scit qui dubitat, hæsitamus apte per totam vitam. Id. lib. 29. cap. 13.

Prouocati studiosi cœperunt post terræ dimensionem & cœli spatia quærere quanto interuallo Luna distet à terris, &c. Isido. Orig. lib. 3. c. 10.

Irati & passionati pluries eadem repetunt verba, quia semel dicendo suis desideriis non satisfaciunt. Tostat. Matth. to. 4. fo. 110.

In Finmarchia regione Noruegiæ ab 8. kal. Aprilis vsque ad 6. Idus Septemb. est illic continuus dies nullis interuenientibus tenebris, videturque sol à 4. non. maij. vsque ad kal. Augusti. Olaus Magnus. lib. 1. cap. 2.

MEMORIA.

Mirari licet naturam, subito res vetustas, tanto ex interuallo repetitas reddere se & offerre, nec tantum requirentibus, sed etiam sponte interim, nec vigilantibus, sed etiam quiete compositis; excidunt proxima, vetera inhærent, hesternorũ immemores, acta pueritię recordamur; quædam requisita se occultant, & eadem forte succurrunt. Hic thesaurus est eloquentiæ nam firmè continere, & cito percipere multa acturos oportet. Quintil. Inst. orat. lib. 11. cap. 2. vbi plura.

Sæpè ipsa dilatio firmat memoriam, siue requiescit labor illi cuius ipsa fatigatio obstabat, siue maturatur ac coquitur, seu firmissima eius pars est, recordatio, quę statim referri non poterant, contexuntur postero die, confirmatque memoriam idem illud tempus, quod solet esse causa obliuionis. Ibid.

Præuelox memoria citò effluit, & velut præsenti officio functa nihil in posterum debeat, tanquam dimissa, discedit. Nec est mirum magis hærere animo, quæ diutius affixa sunt.

Memoria est animæ instrumentum quo res transeuntes apprehendit, conseruat, sistit & circulum facit, id quod præterit reflectens vt cum præsenti iungatur, non permittens vt in infinitum abeat, & in natura non consistat, neque cognitione comprehendatur.

Linea permanens, designat fluxum puncti.

Anno Christi 15. Messala Coruinus orator haud vulgaris, morbo rerum omnium memoriam, sui etiam nominis amittit.

Esdras sub Xerxe rege Persarum, legis Mosaicæ peritissimus, libros qui desiderabantur, è memoria depromptos conscripsit, gentique suæ tradidit. Suidas in voce Esdras.

Est memoria eorum quæ quis didicit, conseruatio, Vetera & quæ pueri egimus velut præsentia habemus; hesternorum obliuiscimur. In brutis est quædam memoria sicut prudentia licet imperfecta. At homini reminiscentia propria est; ea vero est discursus rerum cum ratione ab vniuersalibus ad particularia, & à remotis à sensu: acutiores ingenio non excellunt memoria, sed reminiscentia. Rodigin. lib. 10. cap. 15.

Ferunt Pythagoreos vegetandæ exercendęque memoriæ causa, quod quoque die dixissent, audiuissent, egissent, vespere solitos commemorare Ibid. cap. 10.

Artaxerxes fuere duo, vnus dictus Longimanus, quia dextram habebat sinistra longiorem; alter dictus memor, quia fœlici pollebat memoria Ib. lib. 22. cap. 20.

Ad salutis consecutionem, necessaria est memoria beneficiorum quæ Deus contulit homini, vt de acceptis gratias referat; memoria mandatorum Dei; Memoria iustitiæ quam exercuit in peccantes. Memoria misericordiæ, contra desperationem. Memoria laudabilis vitæ sanctorum, vt eos imitemur. Memoria aduersitatis in prosperitate, & è contrario. Memoria peccatorum propriorum. Recogitabo, inquit Isayas, omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. O memoria salutaris, amaritudo dulcis, fœlices lachrymæ, compunctio fructuosa, quæ de peccatorum rememoratione generatur. Laurent. Iustinian. de prudentia cap. 1.

Memoriam quiescere non sines; nihil est quod ęquè labore gaudeat, & augeatur, commenda ei quotidie aliquid; quo plura commendabis, hoc custodiet omnia fidelius, quo pauciora, hoc infidelius. Vinum memorię mors. Ludo. Viues introd. sapientiæ.

Saturnus in trino Mercurij, facit bonam memoriam. Cardan. de iudiciis genitura. cap. 12.

Apostoli sanctum Spiritum mente portantes, & thesaurum quendam dogmatum donorumque gestantes, omnia circuibant, viui quidam libri, viuæque leges effecti per gratiæ largitatem. D. Chrys. Hom. 1. in Mathæ.

Memoria est scientia facti, obseruatrix rerum contingentium, regularium, & necessariarum.

HISTORIA. LIBRI.

Qvintil. Inst. orat. lib. 12. c. 4. dicit oratori necessariam esse, omnium historiarum cognitionem, nam rerum iudicatarum loco sunt, vnde senibus autoritas maior est, quod plura nosse & vidisse creduntur. Sed non est expectanda vltima ętas, cum studia præstent vt quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis sęculis vixisse videamur.

Inter Doctores præferuntur qui libros scribunt, sunt enim velut stellę in firmamento cœli, Daniel. 13. Hi cum nihil videantur agere, diuina humanaque tractant vt ait Seneca lib. 1. ep. 8. omnibus gentibus & sæculis recentes semper fructus, vt arbor ille apud Prophetam, qui omni tempore fructus ferebat, vnde eximuntur à maledictione Christi qua percussa est ficulnea quæ licet non suo tempore fructus non ferebat. Iuuant cæteros doctores, &c. Chassaneus in catalogo gloriæ mundi, parte. 10. considera. 38.

Gerson. lib. de laude scriptorum, dicit scriptores idoneos, doctrinæ salubris facere opus vitæ

æternæ meritorium, cuius dignitatem his tribus versibus complectitur.

Prædicat atque studet scriptor, largitur, & orat,
Affligitur, sal dat, fontem, lucemque futuris
Ecclesiam ditat, armat, custodit, honorat.

Prædicat manu, si lingua silet, & fructuosius aliquando, quanto scriptura venit ad plures vberior, quam transiens sermo; plurésque fiunt eruditi scripta legendo, & ruminando, quam sermones audiendo; studet magistro dictanti similis, idque in omne futurum tempus, succurrens labili memoriæ, & antiquam tradens doctrinam, quæ noxias nouitates impediat. Spirituales eleemosynas largitur; de quibus dici potest: quod dicit Ionathas 1. Machab. 12. se habere solatio sacros libros, ideo nullo indigere; est proles spiritualis de qua Psal. 127. filii tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Paratur mensa aduersus homines & dæmones qui tribulant nos. Scriptor orat, vt accipiat à Deo lucem quam diffundat. Solitudo illi ad scribendum necessaria fauet orationi, instruit alios ad orationem, vnde scribens est quasi orans, & hoc munus saluat & absoluit ab officiorum Ecclesiasticorum frequẽtatione. Affligitur, quia laboriosum est scribentis exercitium, & in labore vultus sui panem suum comedit.

Sal dat, propter discretionem quæ debet esse in scribendo. Fontem dat aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Lucem dat instar verbi quod illuminat omnem hominem. Lucerna pedibus meis verbum tuum; In libris enim quisque sine rubore videt defectus suos. Ecclesiam ditat, quia iuge conuiuium exponit de quo Can. 5. Comedite amici & bibite, &c. & Prouerb. Sapientia proposuit mensam, &c. inexhaustus est thesaurus, innumeris sufficiens. Armat, vt turris Dauid. Cant. 4. vnde pendet armatura fortium, Eph. 6. verbum Dei comparatur gladio ancipiti. Armat Ecclesiam vt vincat, custodit, ne vincatur. Illam denique honorat velut perpetuo veritatis trophæo. Ideo seruile opus non iudicat esse, scribere libros diebus Dominicis. Gerson. di. loco. *Vide Magnitudo veritatis.* Communis omnibus veritas. De laude scriptorum.

Inter scriptores qui non sibi, sed posteris vixisse creduntur, plurimum debemus historicis, quorum labore & industria effectum est, vt omnium ætatum, omnium gentium, omnium populorum res gestæ, officia, pręclara facinora, scirentur à nobis; hæc nescire, hoc est semper esse puerum; at præterita omnia nosse propè diuinum est. Hæc est morum senectus, & sensus canities; sic enim iuuenes ante actis sæculis videntur vixisse, imò & plures vitas, nam plura negotia cognoscimus per historias, quam per vitam etiam longissimam; Pulchrum est ex aliorum erroribus vitam nostram in melius instituere; hic Principes legunt rerum veritatem, quam à suis non discent. Vnde imperia incrementum, & ruinam acceperint.

Scribit D. Hieronym. ad Marcellam, quod libri sunt ingeniorum effigies, vera & æterna monimenta. Simulachrum enim corporis, non est vera hominis imago. Vnde maxime laudandus primus inuentor Typographiæ. Ioannes Cuthembergus Germanus, circa annum Domini 1450. Vide Chassen. in catal. gloriæ mundi, part. 7. consid. 39.

Liber est lumen cordis, speculum corporis, A virtutum repertorium, vitiorum confusorium, corona prudentum, diadema sapientum, honorificentia Doctorum, clarificentia Rectorum, comes itineris, domesticus fidelis, socius colloquentis, collega præsidentis, vas plenum sapientiæ, via recta eloquentiæ, hortus plenus fructibus, pratum floribus; mare sine fluctibus, principium intelligentiæ, fundamentum memoriæ, hostis obliuionis, amicus recordationis, vocatus properat, iussúsque festinat, rogatus respondens, contra fortunas lictor, atque verus tui ductor, hortus conclusus, puteus aquæ viuæ, paradisus absque ruina, &c. Ibidem part. 12 consider. 75. ex Luca de B Penna.

Sacerdos celebrans sine libro, peccat mortaliter, quia se exponit periculo grauiter errandi. Bonacina de eo qui est sine libris, quibus instruatur potest dici; Noluit intelligere, vt benè ageret.

Res ardua est, vetustis nouitatem dare, nouis autoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, dubiis fidem. Plin. in præfat. hist. natural.

De historia Nationum. *Vide supra cognitio durationis.*

Duobus modis possumus hominibus prodesse, tractando negotia, quod præsentem habet vtilitatem & gloriam. Aut in secessu scribendo, artes, scientias, historias posteris tradendo, quod durabilem magis habet vtilitatem & gloriam. Vtrumq; C præstare volunt principes, bono publico nati. Negotia per se tractant, fauent autem scriptoribus vt per ipsos posteris sint vtiles, vnde sicut Deo primitiæ frugum, sic ipsis ingeniorum, dedicantur.

Historiarum lectione sapiens complurium sæculorum negotiis interest, quasi animus in diuersa corpora sparsus; ex angusto loco, immensa terrarum metitur spatia, & in sacros heroum consessus intrat, fœlicium rebus gestis, atque etiam infelicium eruditus exemplis.

Sapienter dixit Aristoteles, eos qui historias ignorant semper pueros esse, defectu historiæ multa antiquitatis pręclara gesta nos latent; qui autẽ populi pręclaros habuerit scriptores, si non D armis lingua tamen & calamo extitere victores; In armis, enim vis & potestas, in libris laus & gloria consistit.

Libri fixum efficiunt, volatilem maximè mercurium in sermone.

Historia nobis res gestas refert, quæ testis est temporis, lux veritatis, vitę magistra, nuntia vetustatis. Huius prima lex est, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis, has enim leges negligere est à veritate discedere. Cicero.

E Optimum homini dicebat Zenon, cum mortuis conuersari. Idest lectioni intentum esse, sic fœlicem & expertum fieri.

Vsus litterarum repertus est propter memoriam rerum, nam ne obliuione fugiant, litteris alligantur. In tanta enim rerum varietate, nec disci audiendo poterant omnia, nec memoria contineri. Isid. origin. l. 1 c. 3.

Apud Idumæos Seth syderalem scientiam insculpsit duabus colũnis ne periret è memoria hominum. *Vide Maioritas cognitionis*, pro Astrologis. Apud Babylonios septingentorum viginti annorum obseruationes syderum coctilibus laterculis inscripsit Epigenes. Plin. l. 7 cap. 56.

Historia est vera disciplina & exercitatio ad res ciuiles. In ea velut in theatro ab orbe condito

Digitized by Google

rerum gestarum scenas videmus, quid sequi, quid fugere debeamus, quid nobis prosit, quid noceat erudimur, in ea cernimus naufragia absque horrore, bella absque timore, gentium omnium mores & statuta absque dispendio. &c.

A mortuis viuentium mores melius discuntur.

Parum esset virtutem suo tantum sæculo prodesse & commendari. Historiæ beneficio fiunt immortales; tum homines, tum ab his velut exemplaribus ductæ virtutes. Verum tamen est, quod maior historiæ pars in rebus deterioribus moratur, crebrius occurrunt tyrannus bellatores iniusti, fælicitas temerè parta, scelerosa facinora, & cætera quorum periculosa est imitatio, memoria nocens, infortunium perpetuum. Maximus Tyrius, serm. 12.

In moralibus multum potest historia, quia exempla magis afficiunt, quam verba.

Antiquitus relinquebant Iudæi gesta memorabilia in lapidibus scripta. Tostat. Iosue tom. 2, fo. 188.

Necessarium fuit scribi Euangelium, vt non elaberentur de memoria nostra, ea quæ prædicata fuerant, & vt hæretici non haberent occasionem calumniandi nos & falsa supponendi. Id. Math. to. 1. fo. 27.

Populis septentrionalibus mos est in locis in quibus aliquid memorabile gestum est, extollere lapides magnos cum inscriptione quæ factum testetur, & in eum locum celebrem, viatores omnes lapidem proiiciunt aliquid de suo conferentes ad perpetuam rei memoriam, itaut illic videantur lapillorum altæ congeries. Olaus Magnus lib. 1. cap. 31.

Antiqui ante litterarum inuentionem vtebantur clauis. Ib. c. vlt.

Primus Hippocrates suas scripsit obseruationes, cum ante quisque remedia quæ sibi profuerant, sine inuidia in medium adferret. Van. Helmont.

Leges solent scribi, quia debent esse stabiles, & signis stabilibus contineri, & quia sepè necessarium est expendere propria & formalia verba legis, quod non potest naturaliter fieri nisi sint scripta. Hoc tamen non est absolutè necessarium. Suarez. de legibus. lib. cap. 15. nu. 6.

De scriptoribus dici potest illud Psal. 51. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum & in sæculum sæculi.

Epaphroditus Chæronensis parauit 30. m. librorum, eorumque bonorum, nec vulgarium. Suidas.

Apud Græcos primus Bybliothecam instituit Pisistratus, eam Xerxes incensis Athenis euexit in Persas, longoque post tempore Seleucus Nicanor rursus in Græciam retulit. Hinc cæteris Regibus & ipsi potissimum Alexandro, cupiditas libros magna copia congregandi. Maximè Ptolomæus Philadelphus bibliothecam septuaginta millium librorum composuit. Romæ primus librorum copiam aduexit Æmilius Paulus deinde Lucullus & hanc curam Cæsar dedit Marco Varoni. Isidor. Orig. lib. 6. c. 3.

Molesta res & tormento similis, alieno, vt ait Tullius, stomacho, & non suo scribere. de librorum interpretibus.

Esdras artem scribendi apud Iudæos restituit cum lege & templo post captiuitatem, perierant Mosis commentaria, sui originis, oblitus orbis, aut semper sibi natus videbatur, aut nunquam,

A reuixit dum suos legit natales & heroum gesta; perierant humanæ artes cum scriptoria, sapientia nihil parere poterat vitale, cum ingeniis obstetricare desierant paginæ, verbis per auras morientibus; at nunc chartis commisso audiit oculus quod præpetes digiti loquuntur, legenda cunctis, & sequuturis ætatibus exponitur doctrina; inscrutabilia cordis secreta ad amicos mittuntur longo tractu sepositos, libri corticæ inuolutus animus, flumina, occeanumque traiicit.

De piis libris ac religiosis compositis contra perniciosa libertinorum scripta. Videque scripsi. lib. 5. de fœlici successu & triomphis vitæ religiosæ. parte 4 cap. 10.

B Cum hominum munda fuerunt corda inscribebantur à spiritu Sancto, ita Christus non scripsit, nec Apostolis scripta promisit, sed spiritum sanctum qui docebit illos omnia. Ioa. 14. & Hiere. 31. dabo leges meas in mente eorum, & in corda eorum perscribam eas. & 2. Cor. 3. Paulus dicit se legem accepisse, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus; quia vero progrediente iam tempore, alij quidem propter dogmata, alij vero propter vitam & mores grauiter impegerunt, ea quæ litteris constat admonitione fuit opus & illud secundum remedium non negligendum si

C primam vitæ puritatem amisimus, &c. D. Chrysost. Hom. 1. in Math.

Mercurio, Ægyptiis, Phœnicibus diuersi tribuunt litterarum inuentionem, quibus labiles conceptus & sermones manent perpetui. Polidor. virg. lib. 1. cap. 6. Ægyptij figuris animalium primo conceptus suos, secundum eorum mores expresserunt.

MORA.

DILATIO IVDICII.

Consultatio.

D D. Gregor. PP. in Pastorali. parte 3. cap. 26. admonet prædicatores ne temerè & cum precipitatione illud officium sibi arrogent, ne perdant quod tempestiuè obtinere potuissent. Pulli auium in terram decidunt, si nondum perfectis alis volare contendant. Fœminæ si fœtus suos priusquam plenè formentur, proferant, non domos, sed tumulos replent. Luc. 24. Christus dicit discipulis. Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Iesus 12. annorum in medio doctorum, non docet, sed interrogat.

E In confessione debet fieri diligens inquisitio peccatorum. *Vide Magnitudo Virtutis.* Pœnitentia debet esse omnium peccatorum.

Scientiæ fiunt per additamenta, vt scribit Arist. 2. Metaph. & in fine 2. Ethicorum.

De consultando. Dialog. Platonis Sisyphus.

De doctrinarum ordine. Ricius. to. 1. artis Cabalisticæ.

De doctrinam examinatione. Gerson. to. 1.

De fidei probabilitate. Bernardin. quad. 1. serm. 11.

Rudis miles ad aciem concurrit, qui causam belli nescit; vim bellatoris ignorat: peritia est, non segnities, cum sensim veteranus miles incedit; sic Adam nouus citò cecidit, dum citò credidit mulieri, at veteranus Petrus non facile assentitur mu-

mulieribus nuntiantibus Christum resurrexisse. A Luc. 24 Chrysolog 79.

Actus licet notorius sit tamen partes debent audiri, sic Deus dicit Adamo post peccatum. Adam vbi es, vox sanguinis, &c. & de Sodoma dicit, Descendam & videbo. &c.

Vide Minoritas Principij. Initia à paruis. *Et Differentia Cognitionis.*

Aristoteles dicit Philosophiam balbutiendo concepisse, & Auicenna 7. metaph. c. 2. dicit artem quamlibet in suo exordio, crudam & immaturam esse, paulatim tamen maturari, perfici & decorem suum assumere. Ita prisci Philosophi naturæ secreta, sub fabulis abscondebant, non tantum vt plebi non essent nota, sed etiam sibi nondum satis fidentes in inuentis. B

Omnis doctrina, & omnis disciplina discursiua fit ex præexistenti cognitione. Arist. 1. Poster. text. 1. Nihil enim est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Interior sensus pendet ab exteriori.

Ad pauca respicientes, de facili enuntiant. Arist. 1. de gener. text. 7.

Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, & ibi intellectus incipit, vbi desinit sensus. Arist. 1. de sensu & sensil.

Contingit plura scire, sed non cogitare aut intelligere simul. Arist. 2. Topic. cap. 4. Nisi se habeant per modum vnius, & ad vnum referantur, vt subiectum & attributum in propositione, præmissæ in conclusione syllogismi. C

Ita perfectè rationem non audit Arist. 7. Eth. cap. 6. similis est seruis qui non benè intellecta Domini voluntate ad opus transferuntur & aberrant, id præstat in ira feruor sanguinis & spirituum, & calor iustitiæ, qui ad vindictam accendit.

Innata est nobis via procedendi à notioribus nobis ad notiora naturæ. Arist. 1. Phys. cap. 1.

Sensus est in proxima potentia ad sentiendum, intellectus autem in potentia remota ad intelligendum. Id. 2. de anima. c. 5. D

In Republica Genuensi Dux & duodecim Gubernatores, non possunt de rebus publicis ferre sententiam, nisi postera die postquam propositio facta fuerit. Dauity.

Salomon varias cellas, vestibula, porticus, gazophylacia, cœnacula, tabulata, ędes, cubicula, columnas, portas, in omnem plagam condidit, quorum nullus fuerat vsus, vel mentio in tabernaculo Mosis, aut Dei præscripto exemplari. Genebr. a. m. 3100.

Vide Duratio Contrarietatis. Optima dilatio vindictę.

De circulatione spirituum in se mutuò redeuntium, *Vide Media Maioritas.*

Romani non habebant comitia & publica consilia cum fulgetra & tonitrua cœlum mittebat; Non est tempus capiendi consilij cum feruit passio. E

Saturno planetæ lenti motus & temporis Deo, antiqui aperto capite sacrificabant, quia tempus veritates aperit.

Abbas Pambo de re aliqua interrogatus vix post tres menses dabat responsum, dicens, nondum comprehendi. vitę patrum. lib. 8.

Omnia corporalia bona & mala, quanto magis considerantur, minora apparent.

Vide Maioritas Durationis. Perfectiora serius perficiuntur.

Cautum Mosaïca lege ne quis agrum suum penitus, totumque demeteret, sed reliquias pauperibus relinqueret. Supersunt ex antiquorum dictis & scriptis, adhuc discenda & scribenda.

Solus marinus scarus pastum ruminat. Suidas.

Noctu consilium, propter ea quod nox otium det, & deliberandi spatium, de rebus necessariis. Id. in voce ἐν νυκτὶ ἡ βουλή.

Herodotus Persas hoc modo deliberare ait. Si quid sobrij retulerint, de eo consultare ebrios; sin ebrij proposuerint, id confirmare sobrios. Idem in voce ἐσκέμμαι. Quasi verum non sit, nisi quod in diuerso statu idem semper apparet.

Prælatus à quo electionis confirmatio petitur, peremptorium terminum debet præscribere, intra quem si quis contra electionem apponere voluerit, id facere possit, & electionis processum electique personam valeat examinare. cap. nihil est. §. 1. de elect.

Prelatus confirmatus & consecratus non potest eadem die post consecrationem ordines conferre, cap. quod sicut §. super eod.

Apostoli necessaria quidem fidei pręcepta tradiderunt, rationem autem assertionis inquirendam reliquerunt his, qui spiritus dona excellentia sapientiæ & scientiæ, percipere merebantur, vt sapientiæ amatores exercitium habere possent, in quo ingenij sui fructum ostenderent. Origen. lib. 1. peri archon. in proœmio.

Idem. lib. 2. cap. 12. Puto, inquit, quod sancti quique descendentes de hac vita permaneant in loco aliquo in terra posito, quem paradisum dicit scriptura diuina, velut in quodam eruditionis loco, & vt ita dixerim auditorio vel schola animarum, in quo de omnibus his quæ in terra viderant, doceantur; iudicia accipiant de consequentibus & futuris longe lucidius quam in hac vita. Sic crescet anima, cibos quibus vescatur habens theoremata & intellectus rerum, rationesque causarum.

Temporibus Christianis inuenta est typographia. Nouus orbis priscis negatus & incognitus, à Columbo, & habitatio sub ęquatore quam Aristoteles, Virgilius & alij multi dicebant non esse possibilem. Nouæ stellæ per Galilæum, inuentio bombardarum, magnetis vsus. Pistrinum vento, veru fumo, aliæque artes mirificæ inuentæ.

Conueniens obiectum natura primum explorat per odoratum qui illud à longè percipit per species intentionales, at quia aliquarum rerum odor bonus est iucundusque, sapor vero prauus, veluti liliorum, ideo non satis in naso confidit natura, sed & ad gustum confugit simul, qui non modo tenuem materiam, quæ perpetuò ferè iucunda probaque videri potest, sed & crassam discernit. Ita in iudicio putrefactorum entium non confidit gustui, sed ad odoratum recurrit, ergo cognitio ciborum mirifica ratione, duobus testibus demandata est. Campan. physiol. lib. 1. cap. 9. a. 4.

In iudicio extremo apparebit contextura rerum omnium, earumque videbuntur rationes toto perspecto. Nolite iudicare ante tempus, monet Christus. *Vide Duratio Contrarietatis.* Iudicium extremum.

D. Chrysost. Homil. 4. in epist. ad Coloss. dicit rationem non esse inquirendam quare Verbum distulerit incarnationem ad certum tempus, cum id prouidentia sic decreuerit, & quidem fœliciter, vt

Digitized by Google

vt apparet ex mundi conuersione. Cæterum humanam naturam distinguit per ætates, pueritia fuit in lege naturæ, adolescentia iam disciplinis imbuta sub Moyse, tandem instruitur perfectè per Christum.

Iudæi decima die ante Pascha agnum immolandum habebant domi, decima quarta occidendum vt per quatuor dies explorarent, an in illo agno esset aliqua macula: idest defectus, propter quem non deberet immolari, & sic de alio sibi prouiderent. Lyranus.

Oportet intellectum configurari actu secundum speciem rei intelligibilem quam apud se habet rei intellectæ in actu, vt fit assimilatio vtriusque quæ exigitur ad cognitionem; sicut autem impossibile est corpus secundum eandem partem diuersimodè figurari diuersis figuris, ita impossibile est vnum intellectũ diuersis simul speciebus ad diuersa intelligenda actu informari. Intellectus diuinus quia vno omnia cognoscit, ideo simul est actu omnium. Sed intellectus Angeli cognoscit res dupliciter, vno modo per species plures quæ in intellectu eius sũt, & sic oportet quod plura non simul cognoscat, nisi quantum reducuntur ad vnam speciem per quam cognoscuntur; alio modo res cognoscuntur in vno quod est causa earum, & hoc est verbum, & sic possunt esse in actu cognitiones omnium. D. Tho. in lib. 2. sentent. dist. 3. q. 2. a. 4.

Etiam ante peccatum homines vt corpore, sic intelligentia lensim ad perfectionem peruenissent, id enim exigit rerum ordo. Mag. sent. l. 2. di. 20. q 2.

Qui non credit explicitè omnes articulos fidei, potest omnes errores vitare, quia ex habitu fidei retardatur ne consentiat cõtrariis articulorũ, quos solum implicitè nouit, scilicet cum sibi proponuntur quasi insolita suspecta habeat, & assensum differat, quousq; instruatur per eum, cuius est dubia in fide determinare D. Th. in q. dis. de fid. a. 11. ad 2.

Iudices sedendo ferunt sententiam, ne videantur ex quadam leuitate moueri. Tostat. Iosu. to. 1. fol. 7.

Vide Gloria Virtutis, Quies præcedens externas virtutis actiones.

In Templo Salomonis fuerunt multa, quorum similia non fuerunt in Tabernaculo Moysi. Id. 2. Paral. fo. 71. sic Ecclesia Christi fuit successiue edocta.

Deus vt natura cuius est autor procedit ab imperfectis ad perfecta & plura posterioribus Patriarchis reuelauit quam prioribus, vt Moysi, quã Abrahaam, Isaac & Iacob, vt habetur, Exod. 6.

Mars corrumpit rationem & discursum, & facit præcipitem & iracundum, Cardan. de indiciis genituræ, cap. 12.

De solo homine dictum est, Faciamus hominem, de aliis autem creaturis legitur, dixit Deus. Vt videlicet quæ rationabilis creatura condebatur, cum consilio facta videretur, & vt eius nobilitas ostenderetur. Alcuin. in Genes. interrog. 36.

Christus qui ab initio conceptionis habuit omnem scientiam, & gratiam, dicitur tamen proficere ætate & sapientia; proficiebat tamen nobis perfectiora notificando opera gratiarum meritorumq; ita nos erudit Lauren. Iust. serm. in Natiu. Domini.

De capite ciuis acurata consultatio. *Vid. Magn. Contrarietatis.* Pœna capitis.

Causa iuramento & sententia terminata, potest in integrum restitui, & de nouo agitari, repertis nouis instrumentis: l. admonendi ff. de iureiur. Cuiac. Obseru. lib. 18. cap. 35.

Danielis 12. 4. dictum est, Daniel claude Sermonem, & signa librum vsque ad tempus statutum.

Tria obseruantur in hominis formatione, deliberatur de faciendo, faciamus hominem, terram format manibus sumptam, & inspirat in faciem eius spiraculum vitæ. Manus tuæ Domine fecerunt me. D. Hilar. in Psal. 118. Iod. Habet ergo primam hanc origo hominis dignitatem, quod ei proprium fuit, de se ante tractari. Ib.

Balista quantò plus retrahitur, tanto fortius mittit; non est damnum dilatio, vbi certior fit ex dilatione victoria. D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum.

Prima victoriæ causa est, causam pro qua dicturus es, discere. Id. in Apologia pro libris aduersus Iouinianum.

Canonizatio sanctorum consultò procrastinanda. Cælest. 3. const. 1 §. Bull. p. 69. to. 1.

Delinquentes extracti de loco sacro, custodiuntur in carceribus Curiæ Ecclesiasticæ, quousque appareat an delictum commiserint. Greg. 14. const. 7. §. 5. p. 531. to. 2.

Ad comitatem pertinent negotia quæ statim non possunt expediri, in aliud tempus remittere constituta die & hora. Sed caue ne postquam expectauerit, excuses, est enim maleuolentis animi. Cardan. de arcanis prudentiæ, cap. 24.

Si quis vrget te ad quæsiti responsionem, diem interpone. Illudque apud te dicito; hic forsan, multis iam antea annis, certè diebus præmeditatus venit ad me, ego insanus extemporanee illi respondebo, & quanto magis instat, tu eo lentius procede, doli enim suspicionem auget. Nam si bono animo quærit, libenter moram hanc patietur, si decipere vult, habes cauendi ansam. Ibidem cap. 19.

Primum in agendis axioma debet esse, multas in dies mutari cogitationes & ipsammet de negotio existimationem. Propterea ne præceps ruas, nisi occasio prætereat. Ib. cap. 127.

Torpedo videtur, & ouipara, & viuipara, nam intra se parit oua præmollia, in alium vteri locum transferens, atque ibi excludens. Plin. l. 9. cap. 51.

Nero initio Imperii laudabilis, in iurisdictione postulantibus nisi sequenti die, ac per libellos, non temerè respondit. In cognoscendo morem etiam tenuit, vt continuis actionibus omissis, sigillatim per vices quæque ageret. Sueton. in Nerone.

Mores animalium parum viuentium temporis, minus sensu percipiuntur, viuaciorum euidentiores sunt. Arist hist. anim. lib. 9. cap. 1. quia indigemus mora ad cognoscendum.

Quanta animalia hoc primum cognouimus sæculo; & quidem multa venientis æui populus, ignota nobis sciet, multa sæculis tunc futuris, cum memoria nostra exoluerit, reseruantur: pusilla res mundus est, nisi in illo quod quærat omnis mundus habeat: Non semel quædam sacra traduntur, Eleusis seruat, quod ostendat reuisentibus. Rerum natura sacra sua, non simul tradit; initiatos nos credimus, in vestibulo eius hæremus: Illa arcana non promiscuè & omnibus patent; reducta, & in interiore sacrario clausa sunt, ex quibus aliud hæc ætas; aliud quæ post nos subibit, aspiciet. Tardè magna proueniunt, vtique si labor cessat; nec miremur tam tardè erui, quæ tam altè

iacent. Seneca sub finem libri vltimi natural. quæstion.

Roscius nullum vnquam in scena spectanti populo gestum, nisi quem domi meditatus fuerat, ponere ausus est, quapropter non ludicra ars Roscium, sed Roscius ludicram artem commendauit. Valer. Maxim. l. b. 8. cap. 7.

Leges adijciendi, si iusta causarum nouitas exegerit, principalis electio licentiam habebit. Cod. leg. antiq. in legib. Vuisigoth. lib. 2. tit. 1. cap. 13.

Pericles & Demosthenes sæpè in comitiis rogati sententiam suam dicere, noluerunt, dicentes se non esse paratos, nec rem de qua agetur, satis perspexisse. Plutarc. lib. de educatione liberorum.

Primus intellectus, non agit impetu motus. Vide infra *Potestas Cognitionis*. Ex Plotino.

Licet eminentiora fuerint antiquorum qui sciētias & artes tradiderunt, ingenia, illis tamen innixi, possumus esse superiores, vt paruulus, humeris gigantis impositus, illo erit superior. Nec hac tantum ratione, sed quia prouidente tempore, mentisque humanæ industria, nunquam ociante, artes perficiuntur, vt pluribus probat Paracelsus lib. de artium Inuentione, vbi applicat illud Euangelii: Et erunt nouissimi primi.

Dicit Christus, quærite & inuenietis; id non minus de naturali quam æterno lumine verum est; Nam cœlum, à quo pendet naturalis scientia, continuè & iugiter operatur. Hinc tamen artium, & opinionum varietas. Id. lib. 1. Sagacis Philosophiæ.

Celeritas motus efficit vt duo videantur vnum continuum; sic titio accensus in orbem motus, videtur circulus ignitus, tunc enim oculus non potest percipere distantiam terminorum loci & situs: sic sine deliberatione & mora, non percipiuntur rerum differentiæ.

Visio fit per emissionem specierum ab obiectis per modum pyramidis, cuius basis est in obiectis, apex in oculo; vnde quando res est propinquior oculo, partes pyramidis obliquæ respiciunt oculum, & multæ extra oculum feruntur; at quando mensuratæ fuerint distantiæ, plures eius partes respiciunt oculum directius. Albert. Mag. tract. 1. de sensu & sensato. in fine.

Visus & auditus, & olfactus recipiunt species quæ transeunt per medium, nec statim & immediatè perueniunt ad sensum. Odorib. propinquiores magis olfaciunt, &c. Ibid.

Spiritus vitalis emissus à corde, per cerebri cellulas, colatus, digestus, sublimatus, fit tandem animalis: & transit ad singulares operationes sensuum. Ibid.

Vide Duratio Virtutis, Mora, & Concordantia Cognitionis, consultatio.

Anima rationalis, differt ab intelligentia cœlesti, quia per intelligibilia, quæ sunt cum tempore, peruenit ad intelligibile quod est secundum se. Albert. Mag. tract. 2. de natura animæ cap. 13. Ideo dicit intellectus qui in hac vita non peruenerunt ad intelligibilia per sensus, post mortem remanere in perpetuis tenebris; quia post mortem impossibilis est regressus ad sensum, & imaginationem. Ibid.

Vt in seminibus, sic in vnoquoque est virtus quædam actiua & velut mascula; alia per modum materiæ patiens; habemus autem indita semina

A scientiarum & virtutum.

Nodus in arboribus est factus à natura, vt in ipso stet succus, & ampliorem accipiat digestionem, hos autem nodos habent plantæ quæ sunt longæ, & multam habentes medullam, vt vitis, cucurbita, canna, arundo, triticum, siligo, hordeum, auena, & alia huiusmodi, si enim in illis per multos nodos non retinetur, nutrimentum indigestum, vsque ad germen citò ascenderet, & inutile semper germen proferret. Albert. Mag. lib. 2. vegetabilium cap. 3.

In plantis loco venarum, sunt viæ alimenti, in quibusdam rectæ, in aliis tortuosæ, & hæ sunt nodosæ; aliquando reticulatim diffunduntur per plantam, & tunc per vias rectas nutrimentum

B trahitur & per transuersales retinetur & reprimitur in partes plantæ nutrimentum. Ibid.

Quædam arbores non ferunt fructum, quia abundat in eis humor aqueus qui suffocat modicū caloris digestiui, & hic calor adiutus à calore solis tenuē efficit & fluentem humorem, & non coagulatur & inspissatur, quia calor non decoquit, sed facit tantum fluere. Idem lib. 4. vegetab. tract. 3. in fine.

Si vna & eadem arbor abscindatur in trunco, & ramus ab eiusdem arboris summitate decerptus inseratur, tunc conualescens insita proferet fructum alterius generis in sapore, & quantitate, & figura, quam prius protulerat. Ib. lib. 7. cap. 10.

C Reflexa cogitatio producit nouas, & meliores sententias, & opiniones.

Cita nimis respiratio impedit odorem. Vide infra *Glorira Minoritas*.

Mercurius in domo Martis facit festinum in suis negotiis. Almansor proposit. 12. at in domo Saturni erit magni intellectus, longæ cogitationis Philosophus. Ibid.

Non debet præcipitari scriptorum editio, dandum iis otium, vt refrigerato inuentionis amore, diligentius repetita vt à lectore perpendantur. Quintilianus initio Instit.

Appellatur à Principe malè informato, ad eundem benè informatum, l. 1. in f. c de relation l. 1. §. quæsitum est, ff. de appellatio.

D Vulcanus claudus & tarde ambulans, arte tamen positis reticulis venerem vxorem in aldulterio deprehendit cum marte.

Bonorum imitatio per seipsa non sufficit, nisi & inuentis coneris addere, pigri est ingenii traditis contentum esse; nihil fuisset inuentum, si primi homines nihil noui faciendum existimassent. Pudeat nihil habere nisi alieno beneficio. Ratibus adhuc nauigaremus, non esset pictura, nisi quæ lineas modo extremas vmbræ, quæ corpora in sole fecissent, circumscriberet. Ac si omnia percenseas, nulla sit ars qualis inuenta est, nec intra initium stetit, nisi forte nostra tempora damnemus huius

E infœlicitatis vt nunc demum nihil crescat, nihil autem crescit sola imitatione. Quintilian. Inst orator. lib. 10. c. 1. qui ad vlteriora nititur, etiamsi non transierit, fortè æquabit, eum verò nemo potest ęquare cuius vestigiis sibi vtique insistendum putat; necesse est enim sit posterior qui sequitur: adde quod plerumque facilius est plus facere quā idem, tantam enim difficultatem habet similitudo, vt ne ipsa quidem natura in hoc ita eualuerit, vt non res simplicissimę, quæque pares maximè videantur, discrimine aliquo discernantur. Adde quod quidquid alteri simile est, necesse est minus sit eo, quod imitatur, vt vmbra corpore, & imago

facie, & actus histrionum veris affectibus; adde quod quæ in oratione maxima sunt, imitabilia non sunt, ingenium, inuentio, vis, facilitas, & quidquid arte non traditur. Ibid.

Ibid. cap. 3. Suadet magnas doctrinæ opes velut sacro quodam ærario recondere, vnde ad subitos casus, cum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia quæ sufficiant labori certaminum & vsu non exhauriantur, nihil enim rerum ipsa natura voluit magnum effici citò, proposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem, quæ nascendi quoque hanc fecerit legem, vt maiora animalia diutius visceribus parentum continerentur. Scripta sæpius sunt repetenda, sic enim melius iunguntur sequentia prioribus, calor quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, sic recipit ex integro vires, & velut repetito spatio sumit impetum, quod in certamine saliendi fieri videmus, vt conatum longius petant, & in iaculando brachia reducimus, & expulsuri tela, neruos retro tendimus; omnia nostra dum nascuntur, placent, alioqui nec scriberentur; sed redeamus ad iudicium, & retractemus suspectam facilitatem. Sic Virgilius paucos quotidie composuit versus, &c.

Optimum est emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur, vt ad ea post interuallum, velut noua atque aliena redeamus, ne nobis scripta nostra, tanquam recentes fœtus blandiantur. Ibid. cap. 4.

Memoria fit firmior post aliquod tempus. *Vide supra proxime hoc titulo Memoria.*

Volubilis nimium pronuntiatio confundit quæ dicimus, sic distinctio perit, & affectus, & nonnunquam verba aliqua sui parte fraudantur. Ibid. lib. 7. cap. 3.

Cum ad Iudicem se conuertit Orator, non penitus erumpat, sed danda breuis cogitationi mora, mirè enim auditurum, dicturi cura delectat, & Iudex seipsum componit. Ib.

Præceps consilium, comitem habet pœnitentiam, Lucian.

Vlysses cum ad ignotam terram accesisset, in speculam ascendens incolentium mores scrutabatur. Maximus Tyrius serm. 1.

EXPERIENTIA.

IN suasoriis est maximus vsus exemplorum, videntur enim respondere futura præteritis, habeturque experimentum, velut quoddam rationis testimonium. Quintil. Inst. orat. lib. 3. c. 10. *Vide Gloria finis.* Delectatio in fine.

Experientia ad singularia quædam sufficit. Ita cæcus in cubiculo suo ducem non quærit, in quo omnes dies, cunctasque noctes agit, iter, quod iam multis offensis, multis edidicit erroribus. Quintil. declam. 2. extra limen cæcitas est; inde error, inde tenebræ.

In Mathematicis non modo indiuiduum ex indiuiduo, puta triangulum ex triangulo, imaginari & comprehendere facile est, verum etiam speciem vnam ex aliis; puta quadratum ex triangulo, fereque varietas specierum prodit ex abstractione & complexione, compositione, diuisione: at in physicis negotiis res aliter habet, fereque singulæ rerum naturalium species singulis comprehendendæ experientiis. vt exempli gratia, calor, lumen, &c. Si quando plantę, animalis, &c. species vna per

A aliam comprehendenda venit, ferè nonnisi per multas, & ægrè deprehenditur.

Sunt qui cum malè sapiant, rectè tamen agant; experientia enim vincit imperitiam.

Vt in computando colligimus totum ex partibus resultans, sed insuper aduertendum est an nũmi sint boni. Ita speculatio attendit vniuersalibus, experientia singularibus. Neque exercitium est sine arte, nec ars sine exercitio est, cui vnum ex duobus deficit.

Mortis dat corporibus calorem sine luce; experientia multa facit, parum loquitur.

D. Augustin. 5. de Trinitate asserit dæmones mira facere, applicando actiua passiuis, quæ norunt acumine intellectus, & ex longa experientia,
B quæ non cõpetit hominib⁹ ex paucitate experiētię.

Ei qui asserit in contractibus, alicuius malitiam supplere ætatem, incumbit onus probandi, quia præsumptio est in contrarium. Bonac. de sponsalib. puncto 4.

Olim Astures, *Biscains* Hispaniæ populi more Græcorum in hospitio publico exponebant ægros, vt qui eo morbo liberatus esset, doceret remediũ. Sic olim fiebat in Insula Co, vnde Hypocrates.

Multo labore ferrum exacuitur, & post industriam sequitur sapientia, Eccles. 10.

Nautæ alicuius regionis aduenas diligunt, ne allidant ad scopulos portum sæpissimè cingentes, dicitur Gallicè *Piloter*.

C Experimentum versatur circa singularia, ars autem circa vniuersalia, & se habet ad rationem vniuersalem, vt experimentum ad rationem particularem, & consuetudo ad memoriam in animalibus. Nihil tam facilè, vt non sit cum solertia. Theophrast.

Ezech. 1. testatur se accepisse spiritum prophetiæ anno ætatis suę 30. quia doctrinæ sermo non suppetit nisi ætate perfecta. Vnde & ipse Dominus anno 12. ætatis suæ, in medio doctorum in Templo sedens, non docens sed interrogans voluit inueniri. D. Gregor. in Ezech.

Seris venit vsus ab annis. Ouid.

Discimus agendo, & discendo agimus, nempe cum discimus imperare voluptatibus, modesti euadimus; & facti modesti voluptatibus imperamus. Suidas in voce *σωφρόνων*.

D Dicit Philosophus 1. Metaphys. omnis expertus etiam non artifex certius operatur, quam artifex inexpertus.

Maior ætas requiritur in maioribus Ordinibus Ecclesiasticis, anni 18. ad Subdiaconatum; 20. ad Diaconatum; 25 ad Sacerdotium, 30. ad Episcopatum cap. 7. de electio. Et si minor ordinatus fuerit, vsque ad legitimam ætatem suspenditur. c. vel non est compos. Clem. vlt. de ætat. & qualit.

Vt sphera fortunæ; cubo sic insidet hermes,
Artibus hic variis, casibus illa præest. Alciatus.

E Sensus corrigunt scientiam, & dubitationes experientiæ soluunt, dilucidantque, & alter alterius supplet defectum, & sensatio præsens corrigit præteritam, & res cognitæ ignotas demonstrant, ob vnitatem cognitionum ad inuicem, & ad primam causam.

Ad institutionem liberorum magistri sunt eligendi vtramque fortunam experti. *Vide Virtus Principii.* Educatio liberorum.

In media pace vsus armorum docetur, ne tyronum inexperto marte nutet exercitus vbi bellum ingruerit.

Metellus Pontifex maximus & augur peris-

A fimus vetuit auspicari mense Augusto & sequentibus, sed adultis & perfectis auibus antequam æstas adueniat, tunc enim aues sunt inutiles imperfectæ, morbidæ, aut pulli imperfecti. August. Niphus de auguriis, lib. 1. cap. 15.

Dicit Iosephus quod nemo putet falsa quæ de antiquorum longæuitate scripta sunt, quia propter virtutes & gloriosas vtilitates, quas iugiter scrutabantur, idest geometriam & astrologiam Deus ampliora viuendi spatia condonauit, quæ discere non potuissent nisi 600. viuerent annis, vnde patet ab antiquis sanctis Patribus astronomiæ scientiam ad posteros deriuatam. Cardin. de Aliaco Cameracensis in sua Theologiæ & Astronomiæ concordantia.

B Adam licet perfectam rerum haberet cognitionem, experientia tamen multa quotidie cognoscebat. Tostat. in Genes. fo. 128. c. 1. e.

Experientia duplex est, altera qua habitum cognitionis acquirimus, altera qua videmus in rebus id quod per habitum scientiæ tenemus. Ibid. fol. 178.

Principium esse cuiuslibet rei est in sua causa à qua fluit, terminus autem ipsius est in ipsa re in qua recipitur, & ad quam actio causæ terminatur, vnde primitiua alicuius cognitio, est secundum quod res in sua causa à qua fluit, consideratur, vltima autem rei cognitio est secundum quod in seipsa consideratur. C Sic Angelorum cognitio qua vident res in verbo, dicitur matutina, per similitudinem ad mane, quod est principium diei. Cognitio vero rei in propria natura dicitur vespertina, quia vesper est terminus diei. D. Thom. in quæst disputatis. q. 4. a. 2 ad 10.

Pueri ex Adam in statu innocentiæ nascentes plenam rerum omnium scientiam non habuissent sicut Adam, sed ad eam per temporis spatium peruenissent; oportebat enim vt anima proportionaliter ad corpus proficeret & filij acciperent disciplinam à parentibus. Ibid. de cognit. primi hom. a. 7. etiam non habuissent statim vsum rationis propter defectum corporis. a. 8.

D Paralipo. 1. c. 12. dicuntur principes ducenti scire omnia tempora ad præcipiendum Israel. Id quidem non per astrologiam, cuius fallax est iudicium, sed per experientiam rerum, & acumen ingenij in consiliis. Tostat. 1. Paralip. fo. 141.

Cautiores nos efficere debent experta in aliis mala. *Vide Gloria Minoritatis.* ex alienis malis profectus.

Multitudo genituturarum astrologo necessaria, ad experimentum, illam peperit facilitas supputandi, ex experientiis ars. Cardan. Aphoris. sect. 1. Aphor. 50.

Sine exemplo artem condere temerarium, cum vno vel duobus leue, cum pluribus autem negociosum. Ib. sect. 3. Apho. 129.

E Medicus rubescit loquens citra experientiam.

Experimentalis prægustatio diuinorum magis nos ducit ad diuina, quam acquisita scientia per scripturas & auditum: id fuse probat D. Bonauent. de 7. itinerib. æternit. itinere 6.

Etiam matronarum notum in libidine magisterium. Senec lib. 1. contr 2.

Apud Gellium Afranius Poeta dicit, sapientiæ patrem esse vsum, matrem verò memoriam.

REPVGNAT Moræ

COGNITIO PROMPTA & sine mora.

ÆSchines dicitur inuentor extemporanearum orationum, & hæc oratio dicta est diuina, quasi numine afflante. Gorgias apud Athenienses, super qualibet re proposita disseruit. Philostratus in vitis Sophistarum. Suidas in voce Æschines.

Regi Babyloniæ dicenti se iam biduum consumpsisse in litis vnius discussione, Respondit Appollonius; Tardè quod iustum est, inuenisti; potius enim artifex benè & citò operatur. Idem in vita Appollonij. lib. 1. cap. 24.

Hermogenes Sophista, quindecim annos natus, & ex tempore declamans, Imperatori Marco audiendi desiderium excitauit, & ab eo multis muneribus affectus est. Id. in vitis Sophistar. Heraclides Sophista, cum non esset tam acuti ingenij, multum labore profecit, vnde & librum de labore conscripsit, cui titulus τὸ πόνος. Ptolomæus alter Sophista, accepto libello, deleuit π, itaut relinqueretur ὄνος. idest asinus. Ibid.

Gorgiæ Leuntino, studiis litterarum ætatis suæ cunctos præstanti, adeoue primus in conuentu poscere, qua de re quisque audire vellet, ausus sit, vniuersa Græcia in templo Delphici Appollini, statuam solido ex auro posuit, cum cæterorum ad id tempus auratas collocasset. Valer. Maxim. lib. 8. cap. vlt.

Cum experimenta rerum, manus tenet artificis, ad dispositionem formæ frustra quæritur inuestigatio rationis. Ita leges verum & vtile decernunt, non inquirunt Cod. leg. antiq. In legibus Vuisigoth. tit. 1. c. 1.

Paracels. lib. de generatione stultorum, dicit à Deo inditum esse spiritum sapientiæ & Prophetiæ humanis mentibus, qui spiritus promptus est, emicat in stultis etiam, contingente opportuno cœli influxu, veritatem aperit hic spiritus, si quam primum rem concipit, illico profundat, id si non fiat, se cohibet; importunitate namque sua illabitur spiritus animalis ac rei fucum, speciemve indere laborat, sic puram veritatem inquinat. Deliberatio ergo, & meditatio, ex spiritu animali, non ex vero homine proficiscitur. Hoc sensu auscultandi sunt stulti, qui ab homine non eluduntur, aut circumducuntur. Ita dicit Christus, Cum ducemini ad Reges aut Principes, nolite cogitare quid dicturi sitis: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.

Innumerabiles accidunt necessitates, in quibus oratori ex tempore dicendum est. Nam sæpe ea quæ opinati sumus, & contra quæ scripsimus, fallunt, ac tota subito causa mutatur, vt mare. gubernatori quid proderit præteritus labor, si semper idem laborandum est. Facilitatem parit exercitatio. Difficiliorem cogitationem exprimit & expellit dicendi necessitas, & secundos impetus auget placendi cupido; & præsens fructus, laudis. Quintil. Inst. orator. lib. 10. cap. 7.

Aues citissimè volant, & acutissimè vident.

Mens purgata, velut Angelica effecta, sine successione, quod cupit subitaneo momento assequitur. Dauid litteras non didicit, & ex pastore effectus est vates, & diuinarum rerum scientissi-

Digitized by Google

mus. Salomon in vnius noctis somnio, omnium superum & inferum sapientia repletus fuit; sic Isayas, Ezechiel, Daniel, cæterique Prophetæ & Apostoli eruditi sunt.

Artes non consultant, neque deliberant. Arist. 2. Physi. text. 86. de his intelligendum, quarum effectibus non interuenit casus, aut aliena libertas. Ars enim regitur ex se, certis præceptis. Natura quæ nihil facit frustra, non tamen deliberat.

Infinitum pertransiri nequit, Arist. 3. Physic. tex. 34. non potest pertransiri per partes post partes, ostendendo quod in eo sit primum & vltimum, sed potest pertransiri pertransitione simultanea, à Deo sic alicui demonstrante, vt ipsum nihil lateat.

In repentinis actio fit ex præexistente habitu. Arist. 3 Eth. c. 8. Vt qui contraxit habitum fortitudinis, sine consultatione orto periculo, fortiter agit.

Creator per verbum suum omnia simul creauit, & tamen quodlibet creatum singulariter locum sibi debitum sortitum est; dato signo statim omnes nautæ in naui, milites in bello ad proprium officium parati sunt; sic potest esse prompta, & tamen distincta cognitio. Card. Cusa. excitatio. lib. 7. cap. 7.

De vectibus qui semper debebant esse in annulis parati ad portandum arcam. Vide supra hoc tit. assidua rerum diuinarum meditatio.

Intellectualis natura excedit rationalem quantum ad modum intelligendi, intelligibilem veritatem; Nam statim apprehendit veritatem ad quam rationalis natura per inquisitionem rationis pertingit.

Sagacitas & acuta solertis ingenij vis, quæ momento multa percurrit, & cognoscit vestigia rerum quæ indagantur.

Nemo ante Anaximenem dictionem extemporalem inuenit. Suidas in verbo Anaximenes.

Puer habens in horoscopo quatuor planetas coniunctos, Iouem, Martem, Venerem, Mercurium, statim vt natus est, locutus est, & prænuntiauit regni sui proximum excidium vt refert Haly Rodigin. lib. 29. cap. 14.

Per inspirationem fit electio, cum simul omnes electores, quasi diuino impulsu commoti, statim, nullo tractatu præcedente in vnius electione consentiunt. cap. quia propter. 42. de electio. hæc vt valeat necesse vt absque vitio simoniæ, conspirationis, coniurationis, requisitionis, vel consensus extra capitulum habiti processerit. Id. in d. cap.

Citius ratiocinantur pueri à senibus parentibus editi propter siccitatem cerebri.

Ad imaginationem & artes quæ in ea consistunt calor est necessarius, cuius actio est citissima, vt in medicina practica ex occasione remedia præbente, in oratore ex tempore dicente, in poëta, in militia hostem ex occasione lacessente, floruit in ea Iulius Cæsar, de qua Lucanus, semper fœliciter vsus, præcipiti cursu bellorum, & tempore rapto. ex occasione pendet similiter aulicorum vita & profectus; vt momento mentem versent in contraria.

De prompta & subita ad Deum conuersione. *Vide Duratio Virtutis 31.*

Vt momento dicitur omnia creasse in die qua fecit cœlum & terram, sic tempus futuri iudicij non opus habebit spatio temporis, sed sicut resurrectio dicitur futura in momento, in ictu oculi; A sic erit iudicium, Dei virtute omnia opera in memoriam nostram subito reuocante. Origen. tract. 7. in Mathæ.

Vide Magnitudo Principij. Initia à magnis.

Inferiora corpora non habent suum esse perfectum, nisi per motum generationis & augmenti; superiora verò corpora sine motu suum perfectum esse habent statim à principio, vt patet in sole, luna, & stellis. Sic sunt quædam substantiæ spirituales superiores, quæ sine aliquo motu vel discursu, statim obtinent cognitionem veritatis, in qua consistit earum perfectio. Inde est quod Angeli intellectuales substantiæ, quia intellectus simplicem & absolutam cognitionem designat; animæ verò quæ vtuntur discursu, dicuntur rationales. D. Thom. in quæst. disput. de ratione B super. & inferi. a. 1.

Apostolis concessum est hoc priuilegium quod possent respondere absque præuia cogitatione. Tostat.

In beatorum intellectu non est actus inquisitiuus & discursiuus, sed omnia simul vno actu cognoscit. Id. Math. to. 2. fo. 34. c. 2. d.

Diuina mens instar solis vno simul intuitu cuncta prospicit, humana verò, pro more viatorum, non nisi longissima mora, ac diuersis temporibus vniuersi partes cognitione percurrit. Maximus Tyrius. serm. 1.

C Christus concessit Apostolis priuilegium vt nihil præmeditati rectè responderent principibus coram eos vocati. vt non timerent coram eis apparere, imperitiæ suæ conscij, cum experirentur virtutem diuinam defectus eorum supplere, idque plurimum conferret ad fidei in ipsis & in aliis confirmationem. Tostat. Math. 3. t. fo. 249.

Gen 1. dixit Deus Fiat lux & facta est lux.

Ars breui tempore perficit, quod alias aut casu, aut multo sæpius frustrato labore posset obtineri. Sic instrumentis mechanicis adhibitis vna manus mouet molem vix alias à 50. mobilem, arithmetica citò colligit, diuidit, multiplicat numerum, cui non sufficerent multi dies tractandis D singulis partibus intenti. Fusio metalli, typographia breuissimo tempore præstat quod longissimo exequitur sculptura, & calamus.

Solertia est extemporaneum consilium rectè agendi.

IVVENVM AD DIGNItates promotio.

Augustus, liberis Senatorum, quo celerius Reip. assuescerent, protinus virilem togam, latum clauum induere, & curiæ interesse permisit. Sueton. in Augusto.

E Germanicus quæsturam, quinquennio, antequam per leges liceret, & post eam Consulatum statim gessit. Id. in Caligula.

Pompeius nono decimo, Cæsar Octauianus, decimo octauo anno bella ciuilia sustinuerunt, pleraque in summa fortuna, auspiciis & consiliis, quã telis & manibus geruntur. Tacit. 2. annaliũ.

Mercurius fertur eadem qua natus est die, valuisse industria, & armenta Appollinis abegisse.

Asserunt Chymici quod si Elixir philosophicum ponatur in trunco & centro vitis, flores & folia nascentur, fructumque mense Maio producet, sic in cæteris plantis, quia nihil est aliud quam calor veluti naturalis infixus suo humido radicali.

Digitized by Google

Mustum est materia apta ad conficiendum Christi sanguinem, peccaret tamen qui consecraret, multis fæcibus mixtum. Bonacina de Eucharistia. qu. ʃt. 2. Agresta tamen gallicè *verius*, non est apta materia, quia nondum est vinum, quod non est dulce, cum exprimitur.

In sponsalibus & matrimoniis contrahendis, malitia potest supplere ætatem. D. Thom. 3. q. 42. a. 2. Bonaci. de sponsalib. puncto 4.

Luc. 1. Zacharias alloquitur Ioannem infantem octo dierum, Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis, &c. Vnde sic D. Ambr. lib. 2. in Lucam. Potuit vocem patris natus audire, qui Mariæ salutationem, antequam nasceretur audiuit: sciebat alias esse aures Prophetæ quæ spiritu Dei, non corporis ætate reserantur.

Macarius Ægyptius anachoreta vocabatur *παιδαριογέρων*. idest in puerili ætate senex, quoniam citius quam fert ætas profecerat virtutibus. Vitæ Patrum lib. 8.

Vide Magnitudo Principij. Initia à magnis. Vbi de pueris ante pubertatem generantibus. *Vide Media Duratio*. Mors iuuenis.

In Cypro sunt palmæ quędam non excelsę, sed breues, fœcundiores quam cæteræ, trimæ protinus fructificant. Hominis altitudine assurgunt. Theoph. hist. plant. lib. 2. cap. 8.

Arborum eiusdem speciei quædam citius, quædam tardius fructum ferunt, ratione diuersi temperamenti. Id. de caus. plantar. l. 1. c. 22. sic Deus singulis tempora dixit Id.

Sunt in singulis plantarum generibus aliæ præcoces, aliæ serotinæ vt ficus, vitis, malus, pirus. Proprię naturę differentia est, quamuis nomine indicentur communi, vt & in animalium genere, natura canis varia notatur conditione: aliorum calor properat, aut algor differt; in talibus multum potest qualitas regionis; & agri proprietas, adiice & cœli qualitatem. Idem lib. 4. cap. 12. In hominibus celeritas procedit à genio tum singulari, tum familię, & à causis supra naturam.

A Refert Strabo Tarquinium tam egregia floruisse sapientia, vt ab ineunte pueritia canum fuisse referant. Quod & de Numa Pompilio refertur. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 4. cap. 15.

Minor 30. annis potest in Prælatum postulari. cap. quam sit §. deinceps de elect. in 6.

Hieremias excusans se dicit Deo Ecce Domine nescio loqui, quia puer ego sum, cui Dominus; Noli dicere quia puer ego sum, quomá ad omnia quæ mittam te, ibis. Hieremias extrinsecus puer, intrinsecus vir perfectus, habens hanc à Deo sibi concessam gratiam. Origen. Homil. 1. in Hierem.

B Apud extremos Septẽtrionales populos, ętatem legitimam virtus facit, vt qui valet hostem confodere tutoribus indigere non videatur. Olaus Magnus. lib. 4. c. 4. in fine.

Presbyter Grecè, Latine senior dicitur, non propter senectutem, sed propter sapientiam, quia quicumque Presbyter est, sapiens esse debet intellectu. & moribus. Alcuin. lib. de diuinis officiis. cap. 36.

Leuita Laurentius, cum esset ætate iunior, sensus tamen canos gerebat in corde. Laur. Iustin ser. de S. Laurent.

Vitio parentum fit, inquit Petronius Arbiter, vt dum ad vota proferant cruda adhuc filiorum studia in forum proferantur. Ideo constitutione Iustiniani iuris studio quadriennium, postea quinC quennium constitutum est, priusquam possint aduocare l. iubemus. l. petitiones. Cod. de aduoc. diuers. iudicio. Cuiac. Obs. 12. cap. vlt.

Licet in amplissimis magistratibus adipiscendis, ætas peritorum constituta fuisset, tamen indulgentia Principis minores 25. aut 20. annis Consules facti sunt. l. 1. ff. de off. Consul. l. quidam. ff. de re iudic. Id. lib. 17. cap. 34. & Neroni facta est gratia ætatis quinquennio maturius quam per leges liceret, anno scilicet vigesimo pręturam petiit. Ib. lib. 1. cap. 32.

Vide Gloria Durationis. Rep. Primogeniti posthabiti.

POTESTAS COGNITIONIS.

QVANTVM POSSIT INDVSTRIA & Scientia.

LVMEN, calefacit, vrit, vapores attollit, scientia voluntatem excitat, zelo accendit, expurgat.

Prudentia est armatura ferrea totum hominem interiorem & exteriorem circumplectens, vt ab hostibus lædi non possit; prospicit enim pręteritum, præsens & futurum. Operandi & proficiendi modum indicit, proprias metitur vires, operis difficultatem considerat, &c.

Vide Virtus Medij. De discretione. Spiritualis diiudicat omnia, ascensiones in corde suo dispo-D nit, ne plurimorum exemplo sensim tepescens, labatur, &c. Laurent. Iusti. lib. de interiori conflictu. cap. 6.

Ratione mediante védicare conatur homo quod in sua creatione delinquendo amisit, Redigere namque volucres cœli, Pisces maris, ferasque syluestres, sub suum quotidie decertat imperium, quod & in homines sua calliditate obtinere nititur. A ratione pendent artes omnes & scientiæ. Id. de institut. Prælator. cap. 22.

Infanti ante omnia caput increscit, in quo est principale, magnorum virorum, vt principum, in ære, capita tantum, ad humeros vsque repræsentantur. & in l. 44. ff. de religios. & sumpt. funer.

Digitized by Google

A Si locis diuersis sepulta sint defuncti membra, non omnia ea loca erunt religiosa, sed is tantum vbi est principale, scilicet caput. Cuiac. obseruat. lib. 21. cap. 4.

Omne artefactum à seipso multa, ab artifice plura accipit, vnde multorum effectuum ratio non nisi in voluntate artificis est quærenda. Mundus arte factum est, ideo ars naturam vt stabiliuit, sic perficit & superat.

Darius paucis diebus antequam ab Alexandro deleretur, vidit in somnis eius castra magno splendore collucentia. Q. Curt. lib. 3.

In quibus ars plus potest, quam natura. *Vide Concordantia Principij.* Concursus causarum ex Quintiliano.

B Plus potest absoluta ars cum mediocri natura, quam excellens natura cum mediocri arte: est enim natura potentiæ similis, ars verò actui. Cardan. de arcanis prudentiæ.

Præstigiæ aliquorum impugnant fortiter artifices, quibus lucrum his præstigiis perit, vellentque omnia ad artis præcepta deduci, semperque de dolo suspicantur. Ibid. c. 136.

Naturalia fiunt à vita quadam agente per rationes quasi contemplatiuas, sibi infusas ab intellectu diuino. Vide Plotin. lib. de natura & contemplatione.

Diuinus artifex ipsa contemplatione sui facit omnia, & facta prouocat ad seipsum pro viribus imitandum. Ib.

C Quod mundi author, sit intellectus primus. Vide eundem lib. de octo considerationibus.

Græci Hectorem bellatorem vocabant Troianam manum, Æneam verò mentem. Philostrat. in heroicis.

Indi sapientes Brachmanę habent duo dolia, in vno sunt venti, eo aperto venti regionem perflant, & salubeiorem efficiunt: in alio pluuiæ, quo aperto ruunt imbres, & terræ sterilitati medentur. Id. in vita Apollonij. lib. 3. c. 3. sapiens omnibus prouidet.

Philosophi quidam existimant, naturalia omnia à qualitate quadam elementali, motuque generari, & talia generari pro virtute qualitatis. Plotinus auté corporales qualitates, & motus, duci vult ab D incorporea forma, non subiecta motibus, sed præsidente, quam vocat naturam vniuersalem, atque primam, formam scilicet substantialé, atque vitalem, quę nec sit vlla corporum qualitas vt possit omnes procreare, nec impetu motus agat, vt possit disponere omnia moderamine certo, sed agat sua quadam ratione formali, & naturali quadam arte, perinde ac si artificiosa ratio, quæ est accidens in artifice, sit aliquid per se subsistens. Plotin. lib. de natura, contemplatione, & vno.

Omnis forma naturæ, est forma ab intelligentia; opus enim naturæ est opus intelligentiæ; sic in artibus instrumenta mouentur secundum idæam artificis; Nam sine intelligentia non esset intentus E finis, & ordo non constitueretur. Albert. Mag. tract. 1. de natura animæ.

Sol & Luna post Deum omnium viuentium vita sunt, omnes natiuitates diurnæ confortantur per solem; nocturnæ per Lunam si aspicitur à beneuolis. Hermes in centiloquio. num. 1. & 2.

Saturnus supra Martem eleuatus, facit natum fortem & pinguem, at cōtra debilem. Ib. n. 60. contemplatio præcedat actionem.

Sic Vlysses sapiens contestatur contra pugnacem Aiacem. Apud Ouid. Met. 13.

Tibi dextra bello,
Vtilis, ingenium est, quod eget moderamine nostro.
Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri est:
Tu pugnare potes: pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides; tu tantum corpore prodes
Nos animo; quanto qui temperat, anteit
Remigis officium, quanto dux milite maior
Tantum ego te supero.

Perierunt gigantes quos Dominus non elegit, quia non habuerunt sapientiam. Baruch. 3. at filius sensatus deiecit potentiam inimicorum. Eccles. 47.

Vnus malo consilio & calumnia potest commouere populum. *Vide Principium Contrarietatis.* Bellorum.

Crudele erat hominis cum fera in arena spectaculum, quia hominem ratione & astu pollentem cunctaque subigentem, in arcto corporis tantum certantem constituunt. Plutarch. lib. de industria animalium.

Cum omnibus animantibus data sint arma, homini pro armis data est ratio. Hac victores fiunt exercitus: mallem esse Vlysses quam Cyclops. Consilium ritè initum multas manus vincit, imperitia verò cum multitudine deterius malum est.

Deus dicit hominem ad imaginem suam factum maximè propter cognitionem res variè producentem, nouumque velut mundum fabricantem, ad instar creationis. Theodoret. in Genesim. quæst. 10.

Cum scriptura loquitur de Cherubim, vt de eo qui impediebat Adamum ab ingressu paradisi Gen. 3. & Psal 17. Ascendit super Cherubim & volauit &c. intelligit illud omne quod magna potentia præditum est. Ibid. quæst. 40.

Inualidum esset sacramentum si verba non sint coniuncta, sed inter vnum & aliud, sit magna mora, vt vnius horæ. Bonacin.

Gubernator nauem torquet, non vi, sed arte.

Auerroes 12. Metaphy. dicit scientiam immaterialium à nostra differre, quoniam ipsorum scientia causat res, nostra autem à rebus causatur.

Astra agunt in inferiora, vt motu & influxu, sic lumine, quod est occasionum causa, dum sensibus obiecta manifestat. Campanella in præfatione. Astrologiæ.

De artificibus. Chassanęus. parte. 11.

Homo nunc arte valet, qui in statu innocentiæ potestate regnabat. Chrysolog. serm. 148. Hinc per verbum, idest per rationem omnia sunt restituta.

Rupertus in cap. 1. Genesis per illa verba, Creauit Deus, cœlum, & perfecti cœli, & omnis ornatus eorum, intelligit Angelos.

Inducens alium ad peccatum, est reus illius peccati. Bonac. de dispensat. pun. 3. propos. 2.

Quæ agunt, aut spiritus sunt, aut accedunt ad spiritum subtilitate, ignis rarissimus maximè actiuus est, deinde aër subtilis intrat in meatus corporum cæcos, aqua tarda est ad agendum, terra inanis & ignaua, præcipui spiritus resident in cœlo, vbi motum faciunt perennem.

Terra artibus exculta, alia credi potest, quam quæ olim fuit.

Anima est quodammodo omnia. Arist. 3. de ani. tex. 37. quia scilicet potens est recipere species rerum omnium.

Rhodij propter excellentiam artium à se inuentarum, à vicinis inuidis habiti sunt quasi magi.

Quidam præcipuos cœlorum effectus in infe-

riora & rerum ordinem referunt in Angelos cœlorum motores; sicut enim in arte forma operis artificiosa, etsi fieri videatur per instrumentum, efficitur tamen artificiosæ intelligentiæ forma, quam solam imitatur, sic & formæ rerum naturalium, plusquam artificiosa ratione dispositæ, non tam cœlestium corporum, vel moles, vel qualitates, quam animorum cœlestium motiones, imitantur atque sequuntur; sic in animali calor non redigit cibum in vitæ formam, in quantum calor est, cuius officium est dissoluere, sed in quantum ductus à vita. Marf. Ficinus in Plotini. lib. 3. 2. Ænead. c. 2. Idem asserit Cardinalis. Cusa. excitation, lib. 8. c. 8. quia inquit motus fit propter finem, fit ab intelligentia quę mouet ad finem

Vnius Archimedis industria per tres annos effecit vt Syracusas Marcellus non caperet. Velleius.

Æolus primus rationem ventorum tradidit, vnde ventorum rex dictus, quia certis indiciis naturalibus futuros ventos prædicebat, & his vtens opportunè, dicebatur ventis imperare.

Res incorporeæ, & immateriales sunt formalioris & vniuersalioris virtutis, quam quæcumque res corporales. Vnde corporalia per spiritualia administrantur.

Elementa subtiliora prædominantur in misto, secundum virtutem, sed grossiora secundum quantitatem.

In nullo ordine mouentium inuenitur, quod mouens per intellectum sit instrumentum eius quod mouet absque intellectu, sed magis è conuerso.

Prudentia est motor & auriga virtutum moralium, ideo quęlibet cum motu proprio, habet aliquid de motu eius.

Dicunt Epicurei philosophi quod nihil in natura est potentius & nihil acrius spiritu ventoso, sine quo nec illa quidem quę vehementissima sunt valent. Ignem enim spiritus concitat, aquæ si ventum detrahas inertes sunt, tunc demum impetum sumunt, cum illas agit flatus qui potest dissipare magna spatia terrarum, & nouos montes subiectos extollere, & insulas non ante visas in medio mari ponere. Albert, Mag. meteor. lib. 3. tr. 2. cap. 19.

Mineruæ simulachrum hastam tenet, ad significandam constantiam & fortitudinem; clypeum item, quod omnes insidias sapientia repellat, galeam, propter occultum consilium. Suidas.

Vide Potestas Minoritatis. Vnum multis æquiualens.

Apollinis simulachrum cytharam manibus tenens fingunt, quod sol sit harmonia vniuersi, & cum cæteris stellis omnia componat. Suidas in voce Apollo.

In principio Deus creauit cœlum & terram, hoc est in verbo suo omnia enim per ipsum facta sunt, inquit Ioannes. Origen. Homil. 1. in Genes.

Neque labor ipse per se, sed qui cum arte collocatur, laudem meretur. Philo. lib. quod potiorib. deteriora insidientur. Quid enim inquit, si scientia inscienter tradatur.

Cum scientia practica sit directiua in humanis operibus non solum per huiusmodi scientiam ducimur ad bonum, sed etiam reuocamur à malis, & sic ipsa scientia est prohibitiua malorum; ignorantia autem dicitur causa malorum, remouet enim scientiam quæ mala prohiberet. D. Thom. in quæst. disput. de causa peccati. q. 3. a. 6. 6.

Adam respectu Euæ quæ ei subiiciebatur, erat vt ratio per essentiam, & Eua vt pars animæ ratione participans. Tostat. in Gen. to 2. 9. c. 2.

In bello non multitudo indocta, sed exercitati & animosi, solent victoriam assequi. Vt ait Vegetius. lib. 1. de re milit

Lex in ciuitate scripta inanis est, nisi ad eam excipiendam, seruandamque populus docilis fiat; sic optima politia passiones regens non fit in anima, nisi prius consenserit manumque dederit legi. Maximus Tyrius. serm. 21.

Inaccessibilia, humana industria facit peruia.

Spiritualia præsunt corporeis. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 1. lege. 3. §. 2. De artium mira inuentione & efficacia, vnde probatur animæ rationali immortalitas, & quod vi rationis suę homo dominatur cæteris mundi partib. theolog. & natural. to. 2. parte. 1. cap. 2. 4. 21. Angeli sunt cœli intellectuales qui mouent corporeos. Ib. parte. 2. c. 3 4. de potentia Angelorum. Ib. c. 10.

Chalcidensis hospitibus incongruo tempore ferinas carnes apponens confessus, has non venatione, sed domesticas arte in ferinas conuersas sic fiunt ex omnibus gentibus boni milites.

A fœtus initio insitus est inhærens & rector spiritus *Vide Concordantia Potestatis.* Concordia rectorum.

OCVLORVM VIS

Phalangium morsu hominem à mente alienat, Mulier visu, propterea phalangio terribilior, quod etiam non tangendo, inficiat, ideo cupidines sagittarij dicuntur, quoniam pulchra facies, etiam à longinquo vulnerat. Xenophon. de dictis Socratis.

Ignis tangentes solum vrit, pulchritudo procul inflammat.

Putabatur puer immunis à fascinatione, si frons eius lineretur cœno & luto è balneo accepto. *Vide Medi um Durationis* ex D. Chrysost.

Contra fascinationes, pueri gestabant bullas, *Vide Contrarietas Virtutis* inuidia & cum ad pubertatem peruenerant, quasi geniorum tutelarium beneficio salui, bullas eis appendebant. Vnde Persius.

Bullaque succinctis laribus donata pependit. Appendebant etiam puerorum collo metalla in formam membri virilis efformata ad auertendas fascinationes, vt refert Varro lib. 6. de lingua latina.

Christiani ferunt Agnos Dei, ex cera à S. Pontifice in Sabbato S. benedicta, vel ex cereo Paschali benedicto, idque ad disciplinam humilitatis quæ est verum contra fascinationes & inuidiam amuletum. Vide Casalium de ritib. Eccles. c. 48.

Oculi sunt duces corporis, vasa luminis, animi indices.

Vide Minoritas Gloria. Mortificatio visus.

Risit, & arguto quiddam promisit ocello. Citat D. Hieron. ad Gerontiam.

Lingua peritiam, eloquentiam probat, oculus affectum, & quidem momento probat, & certius, cum longa sit, & mendax esse possit affectuum per sermonem expositio.

VIS ELOQVENTIÆ.

OPortet Mercurium aliorum aspectu iuuari. *Vide Veritas Virtutis.* operib. dicta concordent.

Etsi quidam sine arte fœliciter dicant, non ideo tamen ars negligenda: hi plurimos habent similes negligentiæ suæ, paucissimos naturæ. Quintilian. Inst. orat. lib. 2. c. 11.

Ibid. cap. 17. Probat non ideo minus colendam eloquentiam, quia illa possint homines abuti. *Vide Maioritas Medij* abuti digniori medio. Vnde non est æquum id haberi malum quo benè vti licet: optimè verò vsi sunt eloquentia vrbium conditores, vt vagos populos congregarent, & homines ad seruitutẽ iuris & legum astringerent, seditiones compescerent; animos militibus darent fortiter pro patria pugnandi. Ipsa vitæ præcepta, etiam si natura sint honesta, plus tamen ad formandas mentes valent quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat. Præcellunt nos in multis animalia. Nihil autem à Deo oratione melius accepimus quid autẽ præstantius quã inter homines excellere eo, quod ipsi homines cæteris animalibus præstant? *Vide Gloria Medij* illustre medium. *Et Gloria Veritatis.* sacra eloquentia.

Ibid. lib. 9. cap. 3. probat arte compositam orationem, naturali sermone meliorem. Quo si nihil melius licebat, ne domibus quidem casas, aut vestibus pellium tegmina, aut vrbibus montes ac syluas mutari oportuit. Quid non cultu nitescit? cur vites coërcemus manu, cur eas fodimus; rubos aruis excidimus? terra & hæc generat. Mansuefacimus animalia, indomita nascuntur. Arte fluit oratio, vt fluuius sine obice. Cur ergo vires ipsas speciei solui putent, quando nec vlla res sine arte satis valeat, & comitetur semper artem decor. In certamine armorum inesse debet artifex motus & habitus corporis formosior. Prodest igitur compositio, non ad delectationem modo, sed ad motum quoque animorum, quia nihil intrare potest in affectum, quod in aure velut quodam vestibulo statim offendit, deinde quod natura ducimur ad modos.

Persarum Reges ante sacrificia de pietate disserunt, antequam bibant de temperantia, pugnaturi verò de fortitudine. Stobæ. ser. 42.

Pater habens tres filios, vnũ philosophum, aliũ medicum, alium oratorẽ, Reliquit hæreditatem ei ex filiis qui vtilior fuerit Reipublicæ. Orta inter eos controuersia, cum philosophus & medicus quilibet in laudem suæ scientiæ multa dixissent, orator ostendit se has & cæteras omnes scientias complecti, pro materia habere & illustri forma exornare, velut sepultas, viuas efficere in bonum publicum, seu bello, seu pace. Vnde ei adiudicata fuit hæreditas: est enim orator, vir bonus dicendi peritus omnium effector. Chassenę. catalog. glor. mu. parte. consid. 42. & seq.

Orator debet habere scientiam vniuersalem. *Vide Magnitudo Cognitionis.*

Ipsa cõdidit ciuitates, feros mores cõposuit, sedat seditiones; animos ad arma mouet cũ opus est, & c.

Antiqui Galli Mercurium sub specie & nomine Herculis Gallici depingebant, catenulis aureis ab ore emissis auditores auribus alligatos, quo voluisset deducentis. vide apud Lucia.

A De concionandi arte. Granatensis. Consistit in motib. *Vide Magnitudo Voluntatis.* Orationes militares. Belle forest.

Sermone bestias antecellimus, eloquentia homines. Cicero de Oratore.

Arenâ licet sterili, redditur fœcunditas terræ, fit enim leuior, friabilior, minus solida, sic in partes eius diuulsas subit aër, humor retinetur, sic corruptio, sic generatio, elementa enim quo sunt puriora, minus generant. Sic quędam dum delectant, in bonum disponunt.

Apud Indos sunt multæ arbores; quæ nullum B fructum ferunt, sed tantum flores, ex quibus tamen extrahuntur essentiæ miræ virtutis ad suauitatem.

Samij, insulam Samos habitantes, colebant Mercurium charidoten, idest gratiarum largitorem. Plutarch. in quæst. Græcor.

Maximus orator non fortibus tantum, sed fulgentibus armis vtitur.

Orator tonat, fulgurat, sternit, suscitat animorum Deus.

Eloquentia tantum addit scientiis quantum auro qui illud purgant è fodinis erutum, & pulcherrimis impendunt operibus. Maximus Tyrius ser. 1.

Vt vtili voluptatem natura permiscuit, sic hone-C sto mens humana vt poëticæ vel eloquentiæ illicio tracti simul cum ea veras horiant rationes & his carens institutio, Reipublicę non videtur vsibus humanis apta. Id. serm. 7.

De contemptu eloquentiæ. *Vide Infra Maioritas Cognitionis.*

Orpheus Thraciæ montanos populos syluis assuetos, feros inhospitales suauitate sermonis ad optimas leges accipiendas communemque vitam in ciuitate ducendam traxit, hinc finxerunt Poetę, ipsum lyra feras, syluas, quo voluerit duxisse, etiam rupes, ut muros Thebanos constituerent. Id. serm. 21.

D Quemadmodum obsonia condimentorum exiguo additamento, ad contrarias qualitates permutantur, ex acri in dulce, & ex dulci in acre conuersa, ita noster sermo figurarum adiectione ad varios vsus transformatur, prout cuiusque educationi congruit. S. Gregor. Nissenus lib. de castigatione.

Mercurius supra terram fauet eloquentiæ, infra artibus. Card. Aph. sect. 7. Apho. 131.

Cathedra eloquentiæ seu Rhetoricæ instituta in collegio Romano, ab Vrba. 8. const. 81. § 3. Bull. p. 97. to. 4.

VIS IMAGINATIONIS.

MAxima pars eloquentiæ constat animo affici, concipere imagines rerum & transfor-E mari quodammodo ad naturam eorum, de quibus loquimur, necesse est. Quintilia. Inst. orato. lib. 1. cap. 3. in fine.

Sani fortiter cogitantes de ægritudine, possunt fieri ægri, & ægri cogitantes de sanitate, fieri sani. Constant. medic. l. de melanc.

Phantasia & intelligentia habent rerum virtutem. Aliquo enim modo species intellecta calidi & frigidi, aut delectabilis aut tristabilis, talis existit, qualis quidẽ & rerum vnaquæque. Propter quod tremunt & timent intelligentes solũ. Pomponat. de incãtationib. Vide Marsil. Ficin. theol. Platon. lib. 13. c. 1. Hinc prægnantes mulieres variè fœtus suos afficiunt, aut etiã pro diuersa imaginatione

Digitized by Google

æternæ meritorium, cuius dignitatem his tribus versibus complectitur.

Prædicat atque studet scriptor, largitur, & orat,
Affligitur, sal dat, fontem, lucemque futuris
Ecclesiam ditat, armat, custodit, honorat.

Prædicat manu, si lingua silet, & fructuosius aliquando, quanto scriptura venit ad plures vberior, quam transiens sermo; pluresque fiunt eruditi scripta legendo, & ruminando, quam sermones audiendo; studet magistro dictanti similis, idque in omne futurum tempus, succurrens labili memoriæ, & antiquam tradens doctrinam, quæ noxias nouitates impediat. Spirituales eleemosynas largitur; de quibus dici potest: quod dicit Ionathas 1. Machab. 12. se habere solatio sacros libros, ideo nullo indigere; est proles spiritualis de qua Psal. 127. filii tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Paratur mensa aduersus homines & dæmones qui tribulant nos. Scriptor orat, vt accipiat à Deo lucem quam diffundat. Solitudo illi ad scribendum necessaria fauet orationi, instruit alios ad orationem, vnde scribens est quasi orans, & hoc munus saluat & absoluit ab officiorum Ecclesiasticorum frequẽtatione. Affligitur, quia laboriosum est scribentis exercitium, & in labore vultus sui panem suum comedit.

Sal dat, propter discretionem quæ debet esse in scribendo. Fontem dat aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Lucem dat instar verbi quod illuminat omnem hominem. Lucerna pedibus meis verbum tuum; In libris enim quisque sine rubore videt defectus suos. Ecclesiam ditat, quia iuge conuiuium exponit de quo Can. 5. Comedite amici & bibite, &c. & Prouerb. Sapientia proposuit mensam, &c. inexhaustus est thesaurus, innumeris sufficiens. Armat, vt turris Dauid. Cant. 4. vnde pendet armatura fortium, Eph. 6. verbum Dei comparatur gladio ancipiti. Armat Ecclesiam vt vincat, custodit, ne vincatur. Illam denique honorat velut perpetuo veritatis trophæo. Ideo seruile opus non iudicat esse, scribere libros diebus Dominicis. Gerson. di. loco. *Vide Magnitudo veritatis.* Communis omnibus veritas. De laude scriptorum.

Inter scriptores qui non sibi, sed posteris vixisse creduntur, plurimum debemus historicis, quorum labore & industria effectum est, vt omnium ætatum, omnium gentium, omnium populorum res gestæ, officia, pręclara facinora, scirentur à nobis; hæc nescire, hoc est semper esse puerum; at præterita omnia nosse propè diuinum est. Hæc est morum senectus, & sensus canities; sic enim iuuenes ante actis sæculis videntur vixisse, imò & plures vitas, nam plura negotia cognoscimus per historias, quam per vitam etiam longissimam; Pulchrum est ex aliorum erroribus vitam nostram in melius instituere; hic Principes legunt rerum veritatem, quam à suis non discent. Vnde imperia incrementum, & ruinam acceperint.

Scribit D. Hieronym. ad Marcellam, quod libri sunt ingeniorum effigies, vera & æterna monimenta. Simulachrum enim corporis, non est vera hominis imago. Vnde maxime laudandus primus inuentor Typographiæ. Ioannes Cuthembergus Germanus, circa annum Domini 1450. Vide Chassen. in catal. gloriæ mundi, part. 7. consid. 39.

Liber est lumen cordis, speculum corporis, A virtutum repertorium, vitiorum confusorium, corona prudentum, diadema sapientum, honorificentia Doctorum, clarificentia Rectorum, comes itineris, domesticus fidelis, socius colloquentis, collega præsidentis, vas plenum sapientiæ, via recta eloquentiæ, hortus plenus fructibus, pratum floribus; mare sine fluctibus, principium intelligentiæ, fundamentum memoriæ, hostis obliuionis, amicus recordationis, vocatus properat, iussusque festinat, rogatus respondens, contra fortunas lictor, atque verus tui ductor, hortus conclusus, puteus aquæ viuæ, paradisus absque ruina, &c. Ibidem part. 12 consider. 73. ex Luca de B Penna.

Sacerdos celebrans sine libro, peccat mortaliter, quia se exponit periculo grauiter errandi. Bonacina de eo qui est sine libris, quibus instruatur potest dici; Noluit intelligere, vt benè ageret.

Res ardua est, vetustis nouitatem dare, nouis autoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, dubiis fidem. Plin. in præfat. hist. natural.

De historia Nationum. *Vide supra cognitio durationis.*

Duobus modis possumus hominibus prodesse, tractando negotia, quod præsentem habet vtilitatem & gloriam. Aut in secessu scribendo, artes, scientias, historias posteris tradendo, quod durabilem magis habet vtilitatem & gloriam. Vtrumq; C præstare volunt principes, bono publico nati. Negotia per se tractant, fauent autem scriptoribus vt per ipsos posteris sint vtiles, vnde sicut Deo primitiæ frugum, sic ipsis ingeniorum, dedicantur.

Historiarum lectione sapiens complurium sæculorum negotiis interest, quasi animus in diuersa corpora sparsus; ex angusto loco, immensa terrarum metitur spatia, & in sacros heroum consessus intrat, fœlicium rebus gestis, atque etiam infelicium eruditus exemplis.

Sapienter dixit Aristoteles, eos qui historias ignorant semper pueros esse, defectu historiæ multa antiquitatis pręclara gesta nos latent; qui D autẽ populi pręclaros habuerit scriptores, si non armis lingua tamen & calamo extitere victores; In armis, enim vis & potestas, in libris laus & gloria consistit.

Libri fixum efficiunt, volatilem maximè mercurium in sermone.

Historia nobis res gestas refert, quæ testis est temporis, lux veritatis, vitę magistra, nuntia vetustatis. Huius prima lex est, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis, has enim leges negligere est à veritate discedere. Cicero.

E Optimum homini dicebat Zenon, cum mortuis conuersari. Idest lectioni intentum esse, sic fœlicem & expertum fieri.

Vsus litterarum repertus est propter memoriam rerum, nam ne obliuione fugiant, litteris alligantur. In tanta enim rerum varietate, nec disci audiendo poterant omnia, nec memoria contineri. Isid. origin. l. 1 c. 3.

Apud Idumæos Seth syderalem scientiam insculpsit duabus colũnis ne periret è memoria hominum. *Vide Maioritas cognitionis,* pro Astrologis. Apud Babylonios septingentorum viginti annorum obseruationes syderum coctilibus laterculis inscripsit Epigenes. Plin. l. 7 cap. 56.

Historia est vera disciplina & exercitatio ad res ciuiles. In ea velut in theatro ab orbe condito

rerum gestarum scenas videmus, quid sequi, quid fugere debeamus, quid nobis prosit, quid noceat erudimur, in ea cernimus naufragia absque horrore, bella absque timore, gentium omnium mores & statuta absque dispendio. &c.

A mortuis viuentium mores melius discuntur.

Parum esset virtutem suo tantum sæculo prodesse & commendari. Historiæ beneficio fiunt immortales; tum homines, cum ab his velut exemplaribus ductæ virtutes. Verum tamen est, quod maior historiæ pars in rebus deterioribus moratur, crebrius occurrunt tyrannus bellatores iniusti, fœlicitas temerè parta, scelerosa facinora, & cætera quorum periculosa est imitatio, memoria nocens, infortunium perpetuum. Maximus Tyrius. serm. 12.

In moralibus multum potest historia, quia exempla magis afficiunt, quam verba.

Antiquitus relinquebant Iudæi gesta memorabilia in lapidibus scripta. Tostat. Iosue tom. 2. fo. 188.

Necessarium fuit scribi Euangelium, vt non elaberentur de memoria nostra, ea quæ prædicata fuerant, & vt hæretici non haberent occasionem calumniandi nos & falsa supponendi. Id. Math. to. 1. fo. 27.

Populis septentrionalibus mos est in locis in quibus aliquid memorabile gestum est, extollere lapides magnos cum inscriptione quæ factum testetur, & in eum locum celebrem, viatores omnes lapidem proiiciunt aliquid de suo conferentes ad perpetuam rei memoriam, itaut illic videantur lapillorum altæ congeries. Olaus Magnus lib. 1. cap. 31.

Antiqui ante litterarum inuentionem vtebantur clauis. Ib. c. vlt.

Primus Hippocrates suas scripsit obseruationes, cum ante quisque remedia quæ sibi profuerant, sine inuidia in medium adferret. Van. Helmont.

Leges solent scribi, quia debent esse stabiles, & signis stabilibus contineri, & quia sępè necessarium est expendere propria & formalia verba legis, quod non potest naturaliter fieri nisi sint scripta. Hoc tamen non est absolutè necessarium. Suarez. de legibus. lib. cap. 15. nu. 6.

De scriptoribus dici potest illud Psal. 51. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum & in sæculum sæculi.

Epaphroditus Chæronensis parauit 30. m. librorum, eorumque bonorum, nec vulgarium. Suidas.

Apud Græcos primus Bybliothecam instituit Pisistratus, eam Xerxes incensis Athenis euexit in Persas, longoque post tempore Seleucus Nicanor rursus in Græciam retulit. Hinc cæteris Regibus & ipsi potissimum Alexandro, cupiditas libros magna copia congregandi. Maxime Ptolomæus Philadelphus bibliothecam septuaginta millium librorum composuit. Romæ primus librorum copiam aduexit Æmilius Paulus deinde Lucullus & hanc curam Cæsar dedit Marco Varoni. Isidor. Orig. lib. 6. c. 3.

Molesta res & tormento similis, alieno, vt ait Tullius, stomacho, & non suo scribere. de librorum interpretibus.

Esdras artem scribendi apud Iudæos restituit cum lege & templo post captiuitatem, perierant Mosis commentaria, sui originis, oblitus orbis, aut semper sibi natus videbatur, aut nunquam, A reuixit dum suos legit natales & heroum gesta; perierant humanæ artes cum scriptoria, sapientia nihil parere poterat vitale, cum ingeniis obstetricare desierant paginæ, verbis per auras morientibus; at nunc chartis commisso audiit oculus quod præpetes digiti loquuntur, legenda cunctis, & sequuturis ætatibus exponitur doctrina; inscrutabilia cordis secreta ad amicos mittuntur longo tractu sepositos, libri corticæ inuolutus animus, flumina, occeanumque traiicit.

De piis libris ac religiosis compositis contra perniciosa libertinorum scripta. Videque scripsi. lib. 9. de fœlici successu & triomphis vitæ religiosæ. parte 4. cap. 10.

B Cum hominum munda fuerunt corda inscribebantur à spiritu Sancto, ita Christus non scripsit, nec Apostolis scripta promisit, sed spiritum sanctum qui docebit illos omnia. Ioa. 14. & Hiere. 31. dabo leges meas in mente eorum, & in corda eorum perscribam eas. & 2. Cor. 3. Paulus dicit se legem accepisse, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus; quia vero progrediente iam tempore, alij quidem propter dogmata, alij vero propter vitam & mores grauiter impegerunt, ea quæ litteris constat admonitione fuit opus & illud secundum remedium non negligendum si C primam vitæ puritatem amisimus, &c. D. Chrysost. Hom. 1. in Math.

Mercurio, Ægyptiis, Phœnicibus diuersi tribuunt litterarum inuentionem, quibus labiles conceptus & sermones manent perpetui. Polidor. virg. lib. 1. cap. 6. Ægyptij figuris animalium primo conceptus suos, secundum eorum mores expresserunt.

MORA.

DILATIO IVDICII.

Consultatio.

D D. Gregor. PP. in Pastorali. parte 3. cap. 26. admonet prædicatores ne temerè & cum precipitatione illud officium sibi arrogent, ne perdant quod tempestiuè obtinere potuissent. Pulli auium in terram decidunt, si nondum perfectis alis volare contendant. Fœminæ si fœtus suos priusquam plenè formentur, proferant, non domos, sed tumulos replent. Luc. 24. Christus dicit discipulis. Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Iesus 12. annorum in medio doctorum, non docet, sed interrogat.

In confessione debet fieri diligens inquisitio pecE catorum. *Vide Magnitudo Virtutis.* Pœnitentia debet esse omnium peccatorum.

Scientiæ fiunt per additamenta, vt scribit Arist. 2. Metaph. & in fine 2. Ethicorum.

De consultando. Dialog. Platonis Sisyphus.

De doctrinarum ordine. Ricius. to. 1. artis Cabalisticę.

De doctrinam examinatione. Gerson. to. 1.

De fidei probabilitate. Bernardin. quad. 2. serm. 21.

Rudis miles ad aciem concurrit, qui causam belli nescit; vim bellatoris ignorat: peritia est, non segnities, cum sensim veteranus miles incedit; sic Adam nouus citò cecidit, dum citò credidit muliere, at veteranus Petrus non facile assentitur mu-

Digitized by Google

mulieribus nuntiantibus Christum resurrexisse. Luc. 24 Chrysolog 79.

Actus licet notorius sit tamen partes debent audiri, sic Deus dicit Adamo post peccatum. Adam vbi es, vox sanguinis, &c. & de Sodoma dicit, Descendam & videbo. &c.

Vide Minoritas Principij. Initia à paruis. *Et Differentia Cognitionis.*

Aristoteles dicit Philosophiam balbutiendo concepisse, & Auicenna 7. metaph. c. 1. dicit artem quamlibet in suo exordio, crudam & immaturam esse, paulatim tamen maturari, perfici & decorem suum assumere. Ita prisci Philosophi naturæ secreta, sub fabulis abscondebant, non tantum vt plebi non essent nota, sed etiam sibi nondum satis fidentes in inuentis.

Omnis doctrina, & omnis disciplina discursiua fit ex præexistenti cognitione. Arist. 1. Poster. text. 1. Nihil enim est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Interior sensus pendet ab exteriori.

Ad pauca respicientes, de facili enuntiant. Arist. 1. de gener. text. 7.

Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, & ibi intellectus incipit, vbi desinit sensus. Arist 1. de sensu & sensil.

Contingit plura scire, sed non cogitare aut intelligere simul. Arist. 2. Topic. cap. 4. Nisi se habeant per modum vnius, & ad vnum referantur, vt subiectum & attributum in propositione, præmissæ in conclusione syllogismi.

Ita perfectè rationem non audit Arist. 7. Eth. cap. 6. similis est seruis qui non benè intellecta Domini voluntate ad opus transferuntur & aberrant, id præstat in ira feruor sanguinis & spirituum, & calor iustitiæ, qui ad vindictam accendit.

Innata est nobis via procedendi à notioribus nobis ad notiora naturæ. Arist. 1. Phys. cap. 1.

Sensus est in proxima potentia ad sentiendum, intellectus autem in potentia remota ad intelligendum. Id. 2. de anima. c. 5.

In Republica Genuensi Dux & duodecim Gubernatores, non possunt de rebus publicis ferre sententiam, nisi postera die postquam propositio facta fuerit. Dauity.

Salomon varias cellas, vestibula, porticus, gazophylacia, cœnacula, tabulata, ędes, cubicula, columnas, portas, in omnem plagam condidit, quorum nullus fuerat vsus, vel mentio in tabernaculo Mosis, aut Dei præscripto exemplari. Genebr. a. m. 3110.

Vide Duratio Contrarietatis. Optima dilatio vindictę.

De circulatione spirituum in se mutuò redeuntium, *Vide Media Maioritas.*

Romani non habebant comitia & publica consilia cum fulgetra & tonitrua cœlum mittebat; Non est tempus capiendi consilij cum fæuit passio.

Saturno planetæ lenti motus & temporis Deo, antiqui aperto capite sacrificabant, quia tempus veritates aperit.

Abbas Pambo de re aliqua interrogatus vix post tres menses dabat responsum, dicens, nondum comprehendi. vitę patrum. lib. 8.

Omnia corporalia bona & mala, quanto magis considerantur, minora apparent.

Vide Maioritas Durationis. Perfectiora serius perficiuntur.

A Cautum Mosaïca lege ne quis agrum suum penitus, totumque demeteret, sed reliquias pauperibus relinqueret. Supersunt ex antiquorum dictis & scriptis, adhuc discenda & scribenda.

Solus marinus scarus pastum ruminat. Suidas.

Noctu consilium, propter ea quod nox otium det, & deliberandi spatium, de rebus necessariis. Id. in voce ἐν νυκτὶ ἡ βουλή.

Herodotus Persas hoc modo deliberare ait. Si quid sobrij retulerint, de eo consultare ebrios; sin ebrij proposuerint, id confirmare sobrios. Idem in voce ἐπεγνώμων. Quasi verum non sit, nisi quod in diuerso statu idem semper apparet.

B Prælatus à quo electionis confirmatio petitur, peremptorium terminum debet præscribere, intra quem si quis contra electionem apponere voluerit, id facere possit, & electionis processum electique personam valeat examinare. cap. nihil est. §. 1. de elect.

Prelatus confirmatus & consecratus non potest eadem die post consecrationem ordines conferre, cap. quod sicut §. super eod.

Apostoli necessaria quidem fidei pręcepta tradiderunt, rationem autem assertionis inquirendam reliquerunt his, qui spiritus dona excellentia sapientiæ & scientiæ percipere merebantur, vt sapientiæ amatores exercitium habere possent, in quo ingenij sui fructum ostenderent. Origen. lib. 1. peri archon. in proœmio.

C Idem. lib. 2. cap. 12. Puto, inquit, quod sancti quique descendentes de hac vita permaneant in loco aliquo in terra posito, quem paradisum dicit scriptura diuina, velut in quodam eruditionis loco, & vt ita dixerim auditorio vel schola animarum, in quo de omnibus his quæ in terra viderant, doceantur; iudicia accipiant de consequentibus & futuris longe lucidius quam in hac vita. Sic crescet anima, cibos quibus vescatur habens theoremata & intellectus rerum, rationesque causarum.

D Temporibus Christianis inuenta est typographia. Nouus orbis priscis negatus & incognitus, à Columbo, & habitatio sub ęquatore quam Aristoteles, Virgilius & alij multi dicebant non esse possibilem. Nouæ stellæ per Galilæum, inuentio bombardarum, magnetis vsus. Pistrinum vento, veru fumo, aliæque artes mirificæ inuentæ.

Conueniens obiectum natura primum explorat per odoratum qui illud à longè percipit per species intentionales, at quia aliquarum rerum odor bonus est iucundusque, sapor vero prauus, veluti liliorum, ideo non satis in naso confidit natura, sed & ad gustum confugit simul, qui non modo tenuem materiam, quæ perpetuò ferè iucunda probaque videri potest, sed & crassam

E discernit. Ita in iudicio putrefactorum entium non confidit gustui, sed ad odoratum recurrit, ergo cognitio ciborum mirifica ratione, duobus testibus demandata est. Campan. physiol. lib. 1. cap. 9. a. 4.

In iudicio extremo apparebit contextura rerum omnium, earumque videbuntur rationes toto perspecto. Nolite iudicare ante tempus, monet Christus. *Vide Duratio Contrarietatis.* Iudicium extremum.

D. Chrysost. Homil. 4. in epist. ad Coloss. dicit rationem non esse inquirendam quare Verbum distulerit incarnationem ad certum tempus, cum id prouidentia sic decreuerit, & quidem fœliciter, vt

vt apparet ex mundi conuersione. Cæterum humanam naturam distinguit per ætates, pueritia fuit in lege naturæ, adolescentia iam disciplinis imbuta sub Moyse, tandem instruitur perfectè per Christum. A

Iudæi decima die ante Pascha agnum immolandum habebant domi, decima quarta occidendum vt per quatuor dies explorarent, an in illo agno esset aliqua macula: idest defectus, propter quem non deberet immolari, & sic de alio sibi prouiderent. Lyranus.

Oportet intellectum configurari actu secundum speciem rei intelligibilem quam apud se habet rei intellectæ in actu, vt sit assimilatio vtriusque quæ exigitur ad cognitionem; sicut autem impossibile est corpus secundum eandem partem diuersimodè figurari diuersis figuris, ita impossibile est vnum intellectũ diuersis simul speciebus ad diuersa intelligenda actu informari. Intellectus diuinus quia vno omnia cognoscit, ideo simul est actu omnium. Sed intellectus Angeli cognoscit res dupliciter, vno modo per species plures quæ in intellectu eius sũt, & sic oportet quod plura non simul cognoscat, nisi quantum reducuntur ad vnam speciem per quam cognoscuntur; alio modo res cognoscuntur in vno quod est causa earum, & hoc est verbum, & sic possunt esse in actu cognitiones omnium. D. Tho. in lib. 2. sentent. dist. 3. q. 2. a. 4. B

Etiam ante peccatum homines vt corpore, sic intelligentia sensim ad perfectionem peruenissent, id enim exigit rerum ordo. Mag. sent. l. 2. di. 20. q 2.

Qui non credit explicitè omnes articulos fidei, potest omnes errores vitare, quia ex habitu fidei retardatur ne consentiat cõtrariis articulorũ, quos solum implicitè nouit, scilicet cum sibi proponuntur quasi insolita suspecta habeat, & assensum differat, quousq; instruatur per eum, cuius est dubia in fide determinare D. Th. in q. dis. de fid. a. 11. ad 2. C

Iudices sedendo ferunt sententiam, ne videantur ex quadam leuitate moueri. Tostat. Iosu. to. 1. fol. 7.

Vide Gloria Virtutis. Quies præcedens externas virtutis actiones.

In Templo Salomonis fuerunt multa, quorum similia non fuerunt in Tabernaculo Moysi. Id. 2. Paral. fo. 71. sic Ecclesia Christi fuit successiue edocta. D

Deus vt natura cuius est autor procedit ab imperfectis ad perfecta & plura posterioribus Patriarchis reuelauit quam prioribus, vt Moysi, quã Abrahaam, Isaac & Iacob, vt habetur, Exod. 6.

Mars corrumpit rationem & discursum, & facit præcipitem & iracundum. Cardan. de iudiciis genituræ, cap. 12.

De solo homine dictum est, Faciamus hominem, de aliis autem creaturis legitur, dixit Deus. Vt videlicet quæ rationabilis creatura condebatur, cum consilio facta videretur, & vt eius nobilitas ostenderetur. Alcuin. in Genes. interrog. 36. E

Christus qui ab initio conceptionis habuit omnem scientiam, & gratiam, dicitur tamen proficere ætate & sapientia; proficiebat tamen nobis perfectiora notificando opera gratiarum meritorumq; ita nos erudit Lauren. Iust. serm. in Natiu. Domini.

De capite ciuis acurata consultatio. *Vid. Magn. Contrarietatis*. Pœna capitis.

Causa iuramento & sententia terminata, potest in integrum restitui, & de nouo agitari, repertis nouis instrumentis: l. admonendi ff. de iureiur. Cuiac. Obseru. lib. 18. cap. 35.

Danielis 12. 4. dictum est, Daniel claude Sermonem, & signa librum vsque ad tempus statutum.

Tria obseruantur in hominis formatione, deliberatur de faciendo, faciamus hominem, terram format manibus sumptam, & inspirat in faciem eius spiraculum vitæ. Manus tuæ Domine fecerunt me. D. Hilar. in Psal. 118. Iod. Habet ergo primam hanc origo hominis dignitatem, quod ei proprium fuit, de se ante tractari. Ib.

Balista quantò plus retrahitur, tanto fortius mittit; non est damnum dilatio, vbi certior fit ex dilatione victoria. D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum.

Prima victoriæ causa est, causam pro qua dicturus es, discere. Id. in Apologia pro libris aduersus Iouinianum.

Canonizatio sanctorum consultò procrastinanda. Cælest. 3. const. 1 §. Bull. p. 69. to. 1.

Delinquentes extracti de loco sacro, custodiuntur in carceribus Curiæ Ecclesiasticæ, quousque appareat an delictum commiserint. Greg. 14. const. 7. §. 5. p. 532. to. 2.

Ad comitatem pertinent negotia quæ statim non possunt expediri, in aliud tempus remittere constituta die & hora. Sed caue ne postquam expectauerit, excuses, est enim maleuolentis animi. Cardan. de arcanis prudentiæ, cap. 24.

Si quis vrget te ad quæsiti responsionem, diem interpone. Illudque apud te dicito; hic forsan, multis iam antea annis, certè diebus præmeditatus venit ad me, ego insanus extemporanee illi respondebo, & quanto magis instat, tu eo lentius procede, doli enim suspicionem auget. Nam si bono animo quærit, libenter moram hanc patietur, si decipere vult, habes cauendi ansam. Ibidem cap. 19.

Primum in agendis axioma debet esse, multas in dies mutari cogitationes & ipsammet de negotio existimationem. Propterea ne præceps ruas, nisi occasio prætereat. Ib. cap. 127.

Torpedo videtur, & ouipara, & viuipara, nam intra se parit oua præmollia, in alium vteri locum transferens, atque ibi excludens. Plin. l. 9. cap. 51.

Nero initio Imperii laudabilis, in iurisdictione postulantibus nisi sequenti die, ac per libellos, non temerè respondit. In cognoscendo morem etiam tenuit, vt continuis actionibus omissis, sigillatim per vices quæque ageret. Sueton. in Nerone.

Mores animalium parum viuentium temporis, minus sensu percipiuntur, viuaciorum euidentiores sunt. Arist hist. anim. lib. 9. cap. 1. quia indigemus mora ad cognoscendum.

Quanta animalia hoc primum cognouimus sæculo; & quidem multa venientis æui populus, ignota nobis sciet, multa sæculis tunc futuris, cum memoria nostra exoluerit, reseruantur: pusilla res mundus est, nisi in illo quod quærat omnis mundus habeat: Non semel quædam sacra traduntur, Eleusis seruat, quod ostendat reuisentibus. Rerum natura sacra sua, non simul tradit; initiatos nos credimus, in vestibulo eius hæremus: Illa arcana non promiscuè & omnibus patent; reducta, & in interiore sacrario clausa sunt, ex quibus aliud hæc ætas; aliud quæ post nos subibit, aspiciet. Tardè magna proueniunt, vtique si labor cessat; nec miremur tam tardè erui, quæ tam alta

facie, & actus histrionum veris affectibus; adde quod quæ in oratione maxima sunt, imitabilia non sunt, ingenium, inuentio, vis, facilitas, & quidquid arte non traditur. Ibid.

Ibid. cap. 5. Suadet magnas doctrinæ opes velut sacro quodam ærario recondere, vnde ad subitos casus, cum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia quæ sufficiant labori certaminum & vsu non exhauriantur, nihil enim rerum ipsa natura voluit magnum effici citò, proposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem, quæ nascendi quoque hanc fecerit legem, vt maiora animalia diutius visceribus parentum continerentur. Scripta sæpius sunt repetenda, sic enim melius iunguntur sequentia prioribus, calor quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, sic recipit ex integro vires, & velut repetito spatio sumit impetum, quod in certamine saliendi fieri videmus, vt conatum longius petant, & in iaculando brachia reducimus, & expulsuri tela, neruos retro tendimus; omnia nostra dum nascuntur, placent, alioqui nec scriberentur; sed redeamus ad iudicium, & retractemus suspectam facilitatem. Sic Virgilius paucos quotidie composuit versus, &c.

Optimum est emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur, vt ad ea post interuallum, velut noua atque aliena redeamus, ne nobis scripta nostra, tanquam recentes fœtus blandiantur. Ibid. cap. 4.

Memoria fit firmior post aliquod tempus. *Vide supra proxime hoc titulo Memoria.*

Volubilis nimium pronuntiatio confundit quæ dicimus, sic distinctio perit, & affectus, & nonnunquam verba aliqua sui parte fraudantur. Ibid. lib. 7. cap. 3.

Cum ad Iudicem se conuertit Orator, non penitus erumpat, sed danda breuis cogitationi mora, mirè enim auditurum, dicturi cura delectat, & Iudex seipsum componit. Ib.

Præceps consilium, comitem habet pœnitentiam, Lucian.

Vlysses cum ad ignotam terram accessisset, in speculam ascendens incolentium mores scrutabatur. Maximus Tyrius serm. 1.

EXPERIENTIA.

IN suasoriis est maximus vsus exemplorum, videntur enim respondere futura præteritis, habeturque experimentum, velut quoddam rationis testimonium. Quintil. Inst. orat. lib. 3. c. 10. *Vide Gloria finis.* Delectatio in fine.

Experientia ad singularia quædam sufficit. Ita cæcus in cubiculo suo ducem non quærit, in quo omnes dies, cunctasque noctes agit, iter, quod iam multis offensis, multis edidicit erroribus. Quintil. declam. 2. extra limen cæcitas est; inde error, inde tenebræ.

In Mathematicis non modo indiuiduum ex indiuiduo, puta triangulum ex triangulo, imaginari & comprehendere facile est, verum etiam speciem vnam ex aliis; puta quadratum ex triangulo, ferèque varietas specierum prodit ex abstractione & complexione, compositione, diuisione: at in physicis negotiis res aliter habet, fereque singulæ rerum naturalium species singulis comprehendendæ experientiis. vt exempli gratia, calor, lumen, &c. Si quando plantæ, animalis, &c. species vna per

A alium comprehendenda venit, ferè nonnisi per multas, & ægrè deprehenditur.

Sunt qui cum malè sapiant, rectè tamen agant; experientia enim vincit imperitiam.

Vt in computando colligimus totum ex partibus resultans, sed insuper aduertendum est an nũmi sint boni. Ita speculatio attendit vniuersalibus, experientia singularibus. Neque exercitium est sine arte, nec ars sine exercitio est, cui vnum ex duobus deficit.

Mortis dat corporibus calorem sine luce; experientia multa facit, parum loquitur.

D. Augustin. 3. de Trinitate asserit dæmones mira facere, applicando actiua passiuis, quæ norunt acumine intellectus, & ex longa experientia,

B quæ non cõpetit hominib⁹ ex paucitate experiētię.

Ei qui asserit in contractibus, alicuius malitiam supplere ætatem, incumbit onus probandi, quia præsumptio est in contrarium. Bonac. de sponsalib. puncto 4.

Olim Astures, *Biscains* Hispaniæ populi more Græcorum in hospitio publico exponebant ægros, vt qui eo morbo liberatus esset, doceret remediũ. Sic olim fiebat in Insula Co, vnde Hypocrates.

Multo labore ferrum exacuitur, & post industriam sequitur sapientia, Eccles. 10.

Nautæ alicuius regionis aduenas diligunt, ne allidant ad scopulos portum sæpissimè cingentes, dicitur Gallicè *Piloter.*

C Experimentum versatur circa singularia, ars autem circa vniuersalia, & se habet ad rationem vniuersalem, vt experimentum ad rationem particularem, & consuetudo ad memoriam in animalibus. Nihil tam facilè, vt non sit cum solertia. Theophrast.

Ezech. 1. testatur se accepisse spiritum prophetiæ anno ætatis suę 30. quia doctrinæ sermo non suppetit nisi ætate perfecta. Vnde & ipse Dominus anno 12. ætatis suæ, in medio doctorum in Templo sedens, non docens sed interrogans voluit inueniri. D. Gregor. in Ezech.

Seris venit vsus ab annis. Ouid.

Discimus agendo, & discendo agimus, nempe cum discimus imperare voluptatibus, modesti euadimus; & facti modesti voluptatibus impera-

D mus. Suidas in voce *[illegible]*.

Dicit Philosophus 1. Metaphys. omnis expertus etiam non artifex certius operatur, quam artifex inexpertus.

Maior ætas requiritur in maioribus Ordinibus Ecclesiasticis, anni 18. ad Subdiaconatum; 20. ad Diaconatum; 25 ad Sacerdotium, 30. ad Episcopatum cap. 7. de electio. Et si minor ordinatus fuerit, vsque ad legitimam ætatem suspenditur. c. vel non est compos. Clem. vlt. de ætat. & qualit.

Vt sphera fortuna; cubo sic insidet hermes,

Artibus hic variis, casibus illa præest. Alciatus.

E Sensus corrigunt scientiam, & dubitationes experientiæ soluunt, dilucidantque, & alter alterius supplet defectum, & sensatio præsens corrigit præteritam, & res cognitæ ignotas demonstrant, ob vnitatem cognitionum ad inuicem, & ad primam causam.

Ad institutionem liberorum magistri sunt eligendi vtramque fortunam experti. *Vide Virtus Principii.* Educatio liberorum.

In media pace vsus armorum docetur, ne tyronum inexperto marte nutet exercitus vbi bellum ingruerit.

Metellus Pontifex maximus & augur peritis

fimus vetuit auspicari menſe Auguſto & ſequentibus, ſed adultis & perfectis auibus antequam æſtas adueniat, tunc enim aues ſunt inutiles imperfectæ, morbidæ, aut pulli imperfecti. Auguſt. Niphus de auguriis, lib. 1. cap. 15.

Dicit Ioſephus quod nemo putet falſa quæ de antiquorum longæuitate ſcripta ſunt, quia propter virtutes & glorioſas vtilitates, quas iugiter ſcrutabantur, ideſt geometriam & aſtrologiam Deus ampliora viuendi ſpatia condonauit, quæ diſcere non potuiſſent niſi 600. viuerent annis, vnde patet ab antiquis ſanctis Patribus aſtronomiæ ſcientiam ad poſteros deriuatam. Cardin. de Aliaco Cameracenſis in ſua Theologiæ & Aſtronomiæ concordantia.

Adam licet perfectam rerum haberet cognitionem, experientia tamen multa quotidie cognoſcebat. Toſtat. in Geneſ. fo. 118. c. 1. e.

Experientia duplex eſt, altera qua habitum cognitionis acquirimus, altera qua videmus in rebus id quod per habitum ſcientiæ tenemus. Ibid. fol. 178.

Principium eſſe cuiuſlibet rei eſt in ſua cauſa à qua fluit, terminus autem ipſius eſt in ipſa re in qua recipitur, & ad quam actio cauſæ terminatur, vnde primitiua alicuius cognitio, eſt ſecundum quod res in ſua cauſa à qua fluit, conſideratur, vltima autem rei cognitio eſt ſecundum quod in ſeipſa conſideratur. Sic Angelorum cognitio qua vident res in verbo, dicitur matutina, per ſimilitudinem ad mane, quod eſt principium diei. Cognitio vero rei in propria natura dicitur veſpertina, quia veſper eſt terminus diei. D. Thom. in quæſt diſputatis. q. 4. a. 2. ad 10.

Pueri ex Adam in ſtatu innocentiæ naſcentes plenam rerum omnium ſcientiam non habuiſſent ſicut Adam, ſed ad eam per temporis ſpatium perueniſſent; oportebat enim vt anima proportionaliter ad corpus proficeret & filij acciperent diſciplinam à parentibus. Ibid. de cognit. primi hom. a. 7. etiam non habuiſſent ſtatim vſum rationis propter defectum corporis. a. 8.

Paralipo. 1. c. 12. dicuntur principes ducenti ſcire omnia tempora ad præcipiendum Iſrael. Id quidem non per aſtrologiam, cuius fallax eſt iudicium, ſed per experientiam rerum, & acumen ingenij in conſiliis. Toſtat. 1. Paralip. fo. 141.

Cautiores nos efficere debent experta in aliis mala. *Vide Gloria Mineruatis*, ex alienis malis profectus.

Multitudo geniturarum aſtrologo neceſſaria, ad experimentum, illam peperit facilitas ſupputandi, ex experientiis ars. Cardan. Aphoriſ. ſect. 1. Aphor. 50.

Sine exemplo artem condere temerarium, cum vno vel duobus leue, cum pluribus autem negocioſum. Ib ſect. 3. Apho. 129.

Medicus rubeſcit loquens citra experientiam.

Experimentalis prægustatio diuinorum magis nos ducit ad diuina, quam acquiſita ſcientia per ſcripturas & auditum: id fuſe probat D. Bonauent. de 7. itinerib. æternit. itinere 6.

Etiam matronarum notum in libidine magiſterium. Senec lib. 1. contr 2.

Apud Gellium Afranius Poeta dicit, ſapientiæ patrem eſſe vſum, matrem verò memoriam.

A

REPVGNAT Moræ
COGNITIO PROMPTA & ſine mora.

ÆSchines dicitur inuentor extemporanearum orationum, & hæc oratio dicta eſt diuina, quaſi numine afflante. Gorgias apud Athenienſes, ſuper qualibet re propoſita diſſeruit. Philoſtratus in vitis Sophiſtarum. Suidas in voce Æſchines.

B Regi Babyloniæ dicenti ſe iam biduum conſumpſiſſe in litis vnius diſcuſſione, Reſpondit Appollonius; Tardè quod iuſtum eſt, inueniſti; peritus enim artifex benè & citò operatur. Idem in vita Appollonij, lib. 1. cap. 24.

Hermogenes Sophiſta, quindecim annos natus, & ex tempore declamans, Imperatori Marco audiendi deſiderium excitauit, & ab eo multis muneribus affectus eſt. Id. in vitis Sophiſtar. Heraclides Sophiſta, cum non eſſet tam acuti ingenij, multum labore profecit, vnde & librum de labore conſcripſit, cui titulus τὸ αἶνος. Ptolomæus alter Sophiſta, accepto libello, deleuit τ, itaut relinqueretur ὄνος, ideſt aſinus. Ibid.

C Gorgiæ Leuntino, ſtudiis litterarum ætatis ſuæ cunctos præſtanti, adeout primus in conueutu poſcere, qua de re quiſque audire vellet, auſus ſit, vniuerſa Græcia in templo Delphici Appollini, ſtatuam ſolido ex auro poſuit, cum cæterorum ad id tempus auratas collocaſſet. Valer. Maxim. lib. 8. cap. vlt.

Cum experimenta rerum, manus tenet artificis, ad diſpoſitionem formæ fruſtra quæritur inueſtigatio rationis. Ita leges verum & vtile decernunt, non inquirunt Cod. leg. antiq. In legibus Vuiſigoth. tit. 1. c. 1.

Paracelſ. lib. de generatione ſtultorum, dicit à Deo inditum eſſe ſpiritum ſapientiæ & Prophetiæ humanis mentibus, qui ſpiritus promptus eſt,

D emicat in ſtultis etiam, contingente opportuno cœli influxu, veritatem aperit hic ſpiritus, ſi quam primum rem concipit, illico profundat, id ſi non fiat, ſe cohibet; importunitate namque ſua illabitur ſpiritus animalis ac rei fucum, ſpeciemve indere laborat, ſic puram veritatem inquinat. Deliberatio ergo, & meditatio, ex ſpiritu animali, non ex vero homine proficiſcitur. Hoc ſenſu auſcultandi ſunt ſtulti, qui ab homine non eluduntur, aut circumducuntur. Ita dicit Chriſtus, Cum ducemini ad Reges aut Principes, nolite cogitare quid dicturi ſitis: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.

E Innumerabiles accidunt neceſſitates, in quibus oratori ex tempore dicendum eſt. Nam ſæpe ea quæ opinati ſumus, & contra quæ ſcripſimus, fallunt, ac tota ſubito cauſa mutatur, vt mare. gubernatori quid proderit præteritus labor, ſi ſemper idem laborandum eſt. Facilitatem parit exercitatio. Difficiliorem cogitationem exprimit & expellit dicendi neceſſitas, & ſecundos impetus auget placendi cupido; & præſens fructus, laudis. Quintil. Inſt. orator. lib. 10. cap. 7.

Aues citiſſimè volant, & acutiſſimè vident.

Mens purgata, velut Angelica effecta, ſine ſucceſſione, quod cupit ſubitaneo momento aſſequitur. Dauid litteras non didicit, & ex paſtore effectus eſt vates, & diuinarum rerum ſcientiſſi-

d by Google

mus. Salomon in vnius noctis somnio, omnium superum & inferum sapientia repletus fuit; sic Isayas, Ezechiel, Daniel, cæterique Prophetæ & Apostoli eruditi sunt.

Artes non consultant, neque deliberant. Arist. 2. Physi. text. 86. de his intelligendum, quarum effectibus non interuenit casus, aut aliena libertas. Ars enim regitur ex se, certis præceptis. Natura quæ nihil facit frustra, non tamen deliberat.

Infinitum pertransiri nequit, Arist. 3. Physic. tex. 34. non potest pertransiri per partes post partes, ostendendo quod in eo sit primum & vltimum, sed potest pertransiri pertransitione simultanea, à Deo sic alicui demonstrante, vt ipsum nihil lateat.

In repentinis actio fit ex præexistente habitu. Arist. 3 Eth. c. 8. Vt qui contraxit habitum fortititudinis, sine consultatione orto periculo, fortiter agit.

Creator per verbum suum omnia simul creauit, & tamen quodlibet creatum singulariter locum sibi debitum sortitum est; dato signo statim omnes nautæ in naui, milites in bello ad proprium officium parati sunt; sic potest esse prompta, & tamen distincta cognitio. Card. Cusa. excitatio. lib. 7. cap. 7.

De vectibus qui semper debebant esse in annulis parati ad portandum arcam. Vide supra hoc tit. assidua rerum diuinarum meditatio.

Intellectualis natura excedit rationalem quantum ad modum intelligendi, intelligibilem veritatem; Nam statim apprehendit veritatem ad quam rationalis natura per inquisitionem rationis pertingit.

Sagacitas & acuta solertis ingenij vis, quæ momento multa percurrit, & cognoscit vestigia rerum quæ indagantur.

Nemo ante Anaximenem dictionem extemporalem inuenit. Suidas in verbo Anaximenes.

Puer habens in horoscopo quatuor planetas coniunctos, Iouem, Martem, Venerem, Mercurium, statim vt natus est, locutus est, & prænuntiauit regni sui proximum excidium vt refert Haly Rodigin. lib. 29. cap. 14.

Per inspirationem fit electio, cum simul omnes electores, quasi diuino impulsu commoti, statim, nullo tractatu præcedente in vnius electione consentiunt. cap. quia propter. 42. de electio. hæc vt valeat necesse vt absque vitio simoniæ, conspirationis, coniurationis, requisitionis, vel consensus extra capitulum habiti processerit. Id. in d. cap.

Citius ratiocinantur pueri à senibus parentibus editi propter siccitatem cerebri.

Ad imaginationem & artes quæ in ea consistunt calor est necessarius, cuius actio est citissima, vt in medicina practica ex occasione remedia præbente, in oratore ex tempore dicente, in poëta, in militia hostem ex occasione lacessente, floruit in ea Iulius Cæsar, de qua Lucanus, semper fœliciter vsus, præcipiti cursu bellorum, & tempore rapto. ex occasione pendet similiter aulicorum vita & profectus; vt momento montem versent in contraria.

De prompta & subita ad Deum conuersione. *Vide Duratio Virtutis 4.*

Vt momento dicitur omnia creasse in die qua fecit cœlum & terram, sic tempus futuri iudicij non opus habebit spatio temporis, sed sicut resurrectio dicitur futura in momento, in ictu oculi; A sic erit iudicium, Dei virtute omnia opera illi memoriam nostram subito reuocante. Origen. tract. 7. in Matth.

Vide Magnitudo Principij. Initia à magnis.

Inferiora corpora non habent suum esse perfectum, nisi per motum generationis & augmenti; superiora verò corpora sine motu suum perfectum esse habent statim à principio, vt patet in sole, luna, & stellis. Sic sunt quædam substantiæ spirituales superiores, quæ sine aliquo motu vel discursu, statim obtinent cognitionem veritatis, in qua consistit earum perfectio. Inde est quod Angeli intellectuales substantiæ, quia intellectus simplicem & absolutam cognitionem designat; animæ verò quæ vtuntur discursu, dicuntur ratio- B nales D. Thom. in quæst. disput. de ratione super. & inferi. a. 1.

Apostolis concessum est hoc priuilegium quod possent respondere absque præuia cogitatione. Tostat.

In beatorum intellectu non est actus inquisitiuus & discursiuus, sed omnia simul vno actu cognoscit. Id. Math. to. 1. fo. 34. c. 2. 4.

Diuina mens instar solis vno simul intuitu cuncta prospicit, humana verò, pro more viatorum, non nisi longissima mora, ac diuersis temporibus vniuersi partes cognitione percurrit. Maximus C Tyrius. serm. 1.

Christus concessit Apostolis priuilegium vt nihil præmeditati rectè responderent principibus coram eos vocati, vt non timerent coram eis apparere, imperitiæ suæ conscij, cum experirentur virtutem diuinam defectus eorum supplere, idque plurimum conferret ad fidei in ipsis & in aliis confirmationem. Tostat. Math. 3. t. fo. 249.

Gen 1. dixit Deus Fiat lux & facta est lux.

Ars breui tempore perficit, quod alias aut casu, aut multo sæpius frustrato labore posset obtineri. Sic instrumentis mechanicis adhibitis vna manus mouet molem vix alias à 50. mobilem arithmetica citò colligit, diuidit, multiplicat numerum, cui non sufficerent multi dies tractandis D singulis partibus intenti. Fusio metalli, typographia breuissimo tempore præstat quod longissimo exequitur sculptura, & calamus.

Solertia est extemporaneum consilium rectè agendi.

IVVENVM AD DIGNItates promotio.

AVgustus, liberis Senatorum, quo celerius Reip. assuescerent, protinus virilem togam, latum clauum induere, & curiæ interesse permisit. Sueton. in Augusto.

E Germanicus quæsturam, quinquennio, antequam per leges liceret, & post eam Consulatum statim gessit. Id. in Caligula.

Pompeius nono decimo; Cæsar Octauianus; decimo octauo anno bella ciuilia sustinuerunt, pleraque in summa fortuna, auspiciis & consiliis, quá telis & manibus geruntur. Tacit. 1. annaliū.

Mercurius fertur eadem qua natus est die, valuisse industria, & armenta Appollinis abegisse.

Asserunt Chymici quod si Elixir philosophicum ponatur in trunco & centro vitis, flores & folia nascentur, fructumque mense Maio producet, sic in cæteris plantis, quia nihil est aliud quam calor veluti naturalis infixus suo humido radicali,

Digitized by Google

Mustum est materia apta ad conficiendum Christi sanguinem, peccaret tamen qui consecraret, multis fæcibus mixtum. Bonacina de Eucharistia, qu. st. 2. Agresta tamen gallicè *verius*, non est apta materia, quia nondum est vinum, quod non est dulce, cum exprimitur.

In sponsalibus & matrimoniis contrahendis, malitia potest supplere ætatem. D. Thom. 3. q. 42. a. 2. Bonaci. de sponsalib. puncto 4.

Luc. 1. Zacharias alloquitur Ioannem infantem octo dierum, Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis, &c. Vnde sic D. Ambr. lib. 2. in Lucam, Potuit vocem patris natus audire, qui Mariæ salutationem, antequam nasceretur audiuit: sciebat alias esse aures Prophetæ quæ spiritu Dei, non corporis ætate reserantur.

Macarius Ægyptius anachoreta vocabatur *παιδαριογέρων*. idest in puerili ætate senex, quoniam citius quam fert ætas profecerat virtutibus. Vitæ Patrum lib. 8.

Vide Magnitudo Principij. Initia à magnis. Vbi de pueris ante pubertatem generantibus. *Vide Media Duratio.* Mors iuuenis.

In Cypro sunt palmæ quędam non excelsę, sed breues, fœcundiores quam cæteræ, trimæ protinus fructificant. Hominis altitudine assurgunt. Theoph. hist. plant. lib. 2. cap. 8.

Arborum eiusdem speciei quædam citius, quædam tardius fructum ferunt, ratione diuersi temperamenti. Id. de caus. plantar. l. 1. c. 22. sic Deus singulis tempora dixit. Id.

Sunt in singulis plantarum generibus aliæ præcoces, aliæ serotinæ vt ficus, vitis, malus, pirus. Proprię naturę differentia est, quamuis nomine indicentur communi, vt & in animalium genere, natura canis varia notatur conditione: aliorum calor properat, aut algor differt; in talibus multum potest qualitas regionis; & agri proprietas, adiice & cœli qualitatem. Idem lib. 4. cap. 12. In hominibus celeritas procedit à genio tum singulari, tum familię, & à causis supra naturam.

A Refert strabo Tarquinium tam egregia floruisse sapientia, vt ab ineunte pueritia canum fuisse referant. Quod & de Numa Pompilio refertur. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 4 cap. 15.

Minor 30. annis potest in Prælatum postulari. cap. quam sit 5. deinceps de elect. in 6.

Hieremias excusans se dicit Deo Ecce Domine nescio loqui, quia puer ego sum, cui Dominus; Noli dicere quia puer ego sum, quoniã ad omnia quæ mittam te, ibis. Hieremias extrinsecus puer, intrinsecus vir perfectus, habens hanc à Deo sibi concessam gratiam. Origen. Homil. 1. in Hierem.

B Apud extremos Septẽtrionales populos, ętatem legitimam virtus facit, vt qui valet hostem confodere tutoribus indigere non videatur. Olaus Magnus. lib. 4. c. 4. in fine.

Presbyter Gręcè, Latine senior dicitur, non propter senectutem, sed propter sapientiam, quia quicumque Presbyter est, sapiens esse debet intellectu, & moribus. Alcuin. lib. de diuinis officiis. cap. 36.

Leuita Laurentius, cum esset ætate iunior, sensus tamen canos gerebat in corde. Laur. Iustin. ser. de S. Laurent.

Vitio parentum fit, inquit Petronius Arbiter, vt dum ad vota properant cruda adhuc filiorum studia in forum proferantur. Ideo constitutione Iustiniani iuris studio quadriennium, postea quinquennium constitutum est, priusquam possint C aduocare l. iubemus. l. petitiones. Cod. de aduoc. diuers. iudicio. Cuiac. Obs. 12. cap. vlt.

Licet in amplissimis magistratibus adipiscendis, ætas petitorum constituta fuisset, tamen indulgentia Principis minores 25. aut 20. annis Consules facti sunt, l. 1. ff. de off. Consul. l. quidam. ff. de re iudic. Id. lib. 17. cap. 34. & Neroni facta est gratia ætatis quinquennio maturius quam per leges liceret; anno scilicet vigesimo pręturam petiit, Ib. lib. 1. cap. 32.

Vide Gloria Durationis. Rep. Primogeniti posthabiti.

POTESTAS COGNITIONIS.

QVANTVM POSSIT INDVSTRIA & Scientia.

LVMEN, calefacit, vrit, vapores attollit, scientia voluntatem excitat, zelo accendit, expurgat.

Prudentia est armatura ferrea totum hominem interiorem & exteriorem circumplectens, vt ab hostibus lædi non possit; prospicit enim pręteritum, præsens & futurum. Operandi & proficiendi modum indicit, proprias metitur vires, operis difficultatem considerat, &c.

Vide Virtus Medij. De discretione. Spiritualis diiudicat omnia, ascensiones in corde suo dispo- D nit, ne plurimorum exemplo sensim tepescens, labatur, &c. Laurent. Iusti. lib. de interiori conflictu. cap. 6.

Ratione mediante vẽdicare conatur homo quod in sua creatione delinquendo amisit, Redigere namque volucres cœli, Pisces maris, ferasque syluestres, sub suum quotidie decertat imperium, quod & in homines sua calliditate obtinere nititur. A ratione pendent artes omnes & scientiæ. Id. de institut. Prælator. cap. 22.

Infanti ante omnia caput increscit, in quo est principale, magnorum virorum, vt principum, in ære, capita tantum, ad humeros vsque repræsentantur. & in l. 44. ff. de religios. & sumpt. funer.

Digitized by Google

Si locis diuersis sepulta sint defuncti membra, non omnia ea loca erunt religiosa, sed is tantum vbi est principale, scilicet caput. Cuiac. obseruat. lib. 21. cap. 4.

Omne artefactum à seipso multa, ab artifice plura accipit, vnde multorum effectuum ratio non nisi in voluntate artificis est quærenda. Mundus arte factum est, ideo ars naturam vt stabiliuit, sic perficit & superat.

Darius paucis diebus antequam ab Alexandro deleretur, vidit in somnis eius castra magno splendore collucentia. Q. Curt. lib. 3.

In quibus ars plus potest, quam natura. *Vide Concordantia Principij.* Concursus causarum ex Quintiliano.

B Plus potest absoluta ars cum mediocri natura, quam excellens natura cum mediocri arte: est enim natura potentiæ similis, ars verò actui. Cardan. de arcanis prudentiæ.

Præstigiæ aliquorum impugnant fortiter artifices, quibus lucrum his præstigiis perit, vellentque omnia ad artis præcepta deduci, semperque de dolo suspicantur. Ibid. c. 136.

Naturalia fiunt à vita quadam agente per rationes quasi contemplatiuas, sibi infusas ab intellectu diuino. Vide Plotin. lib. de natura & contemplatione.

Diuinus artifex ipsa contemplatione sui facit omnia, & facta prouocat ad seipsum pro viribus imitandum. Ib.

C Quod mundi author, sit intellectus primus. Vide eundem lib. de octo considerationibus.

Græci Hectorem bellatorem vocabant Troianam manum, Æneam verò mentem. Philostrat. in heroicis.

Indi sapientes Brachmanę habent duo dolia, in vno sunt venti, eo aperto venti regionem perflant, & saluberiorem efficiunt: in alio pluuiæ, quo aperto ruunt imbres, & terræ sterilitati medentur. Id. in vita Apollonij. lib. 3. c. 3. sapiens omnibus prouidet.

Philosophi quidam existimant, naturalia omnia à qualitate quadam elementali, motuque generari, & talia generari pro virtute qualitatis. Plotinus auté corporales qualitates, & motus, duci vult ab

D incorporea forma, non subiecta motibus, sed præsidente, quam vocat naturam vniuersalem, atque primam, formam scilicet substantialé, atque vitalem, quę nec sit vlla corporum qualitas vt possit omnes procreare, nec impetu motus agat, vt possit disponere omnia moderamine certo, sed agat sua quadam ratione formali, & naturali quadam arte, perinde ac si artificiosa ratio, quæ est accidens in artifice, sit aliquid per se subsistens. Plotin. lib. de natura, contemplatione, & vno.

Omnis forma naturæ, est forma ab intelligentia; opus enim naturæ est opus intelligentiæ; sic in artibus instrumenta mouentur secundum idæam artificis; Nam sine intelligentia non esset intentus finis, & ordo non constitueretur. Albert. Mag.

E tract. 1. de natura animæ.

Sol & Luna post Deum omnium viuentium vita sunt, omnes natiuitates diurnæ confortantur per solem; nocturnæ per Lunam si aspicitur à beneuolis. Hermes in centiloquio. num. 1. & 2.

Saturnus supra Martem eleuatus, facit natum fortem & pinguem, at cōtra debilem. Ib. n. 60. contemplatio præcedat actionem.

Sic Vlysses sapiens contestatur contra pugnacem Aiacem. Apud Ouid. Met. 13.

Tibi dextra bello,

A *Vtilis, ingenium est, quod eget moderamine nostro.*
Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri est:
Tu pugnare potes: pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides; tu tantum corpore prodes
Nos animo; quaque vtoque ratem qui temperat, anteit
Remigis officium, quanto dux milite maior
Tantum ego te supero.

Perierunt gigantes quos Dominus non elegit, quia non habuerunt sapientiam. Baruch. 3. at filius sensatus deiecit potentiam inimicorum. Eccles. 47.

Vnus malo consilio & calumnia potest commouere populum. *Vide Principium Contrarietatis.* Bellorum.

Crudele erat hominis cum fera in arena spectaculum, quia hominem ratione & astu pollentem cunctaque subigentem, in arcto corporis tantum certantem constituunt. Plutarch. lib. de industria animalium.

Cum omnibus animantibus data sint arma, homini pro armis data est ratio. Hac victores fiunt exercitus: mallem esse Vlysses quam Cyclops. Consilium ritè initum multas manus vincit, imperitia verò cum multitudine deterius malum est.

Deus dicit hominem ad imaginem suam factum maximè propter cognitionem res variè producentem, nouumque velut mundum fabricantem, ad instar creationis, Theodoret. in Genesim. quæst. 20.

Cum scriptura loquitur de Cherubim, vt de eo qui impediebat Adamum ab ingressu paradisi Gen. 3. & Psal 17. Ascendit super Cherubim & volauit &c. intelligit illud omne quod magna potentia præditum est. Ibid. quæst. 40.

Inualidum esset sacramentum si verba non sint coniuncta, sed inter vnum & aliud, sit magna mora, vt vnius horæ. Bonacin.

Gubernator nauem torquet, non vi, sed arte.

Auerroes 12. Metaphy. dicit scientiam immaterialium à nostra differre, quoniam ipsorum scientia causat res, nostra autem à rebus causatur.

Astra agunt in inferiora, vt motu & influxu, sic lumine, quod est occasionum causa, dum sensibus obiecta manifestat. Campanella in præfatione Astrologiæ.

De artificibus. Chassaneus. parte. 11.

Homo nunc arte valet, qui in statu innocentiæ potestate regnabat. Chrysolog. serm. 148. Hinc per verbum, idest per rationem omnia sunt restituta.

Rupertus in cap. 1. Genesis per illa verba, Creauit Deus cœlum, & perfecti cœli, & omnis ornatus eorum, intelligit Angelos.

Inducens alium ad peccatum, est reus illius peccati. Bonac. de dispensat. pun. 3. propos. 2.

Quæ agunt, aut spiritus sunt, aut accedunt ad spiritum subtilitate, ignis rarissimus maximè actiuus est, deinde aër subtilis intrat in meatus corporum cæcos; aqua tarda est ad agendum, terra inanis & ignaua, præcipui spiritus resident in cœlo, vbi motum faciunt perennem.

Terra artibus exculta, alia credi potest, quam quæ olim fuit.

Anima est quodammodo omnia. Arist. 3. de ani. tex. 37. quia scilicet potens est recipere species rerum omnium.

Rhodij propter excellentiam artium à se inuentarum, à vicinis inuidis habiti sunt quasi magi.

Quidam præcipuos cœlorum effectus in infe-

riora & rerum ordinem referunt in Angelos A cœlorum motores; sicut enim in arte forma operis artificiosa, etsi fieri videatur per instrumentum, efficitur tamen artificiosæ intelligentiæ forma, quam solam imitatur, sic & formæ rerum naturalium, plusquam artificiosa ratione dispositæ, non tam cœlestium corporum, vel moles, vel qualitates, quam animorum cœlestium motiones, imitantur atque sequuntur; sic in animali calor non redigit cibum in vitæ formam, in quantum calor est, cuius officium est dissoluere, sed in quantum ductus à vita. Marf. Ficinus in Plotini. lib. 3. 2. Ænead. c. 2. Idem asserit Cardinalis. Cusa. excitation. lib. 8. c. 8. quia B inquit motus fit propter finem, fit ab intelligentia quę mouet ad finem.

Vnius Archimedis industria per tres annos effecit vt Syracusas Marcellus non caperet. Velleius.

Æolus primus rationem ventorum tradidit, vnde ventorum rex dictus, quia certis indiciis naturalibus futuros ventos prædicebat, & his vtens opportunè, dicebatur ventis imperare.

Res incorporeæ, & immateriales sunt formæ lioris & vniuersalioris virtutis, quam quæcumque res corporales. Vnde corporalia per spiritualia administrantur.

Elementa subtiliora prædominantur in misto, C secundum virtutem, sed grossiora secundum quantitatem.

In nullo ordine mouentium inuenitur, quod mouens per intellectum sit instrumentum eius quod mouet absque intellectu, sed magis è conuerso.

Prudentia est motor & auriga virtutum moralium, ideo quęlibet cum motu proprio, habet aliquid de motu eius.

Dicunt Epicurei philosophi quod nihil in natura est potentius & nihil acrius spiritu ventoso, sine quo nec illa quidem quę vehementissima sunt valent. Ignem enim spiritus concitat, aquæ si ventum detrahas inertes sunt, tunc demum impetum sumunt, cum illas agit flatus qui potest dissipare magna spatia terrarum, & nouos montes D subiectos extollere, & insulas non ante visas in medio mari ponere. Albert, Mag. meteor. lib. 3. tr. 2. cap. 19.

Mineruæ simulachrum hastam tenet, ad significandam constantiam & fortitudinem; clypeum item, quod omnes insidias sapientia repellat, galeam, propter occultum consilium. Suidas.

Vide Potestas Minoritatis. Vnum multis æquiualens.

Apollinis simulachrum cytharam manibus tenens fingunt, quod sol sit harmonia vniuersi, & cum cæteris stellis omnia componat. Suidas in voce Apollo.

In principio Deus creauit cœlum & terram, hoc est in verbo suo omnia enim per ipsum facta sunt, inquit Ioannes. Origen. Homil. 1. in Genes. E

Neque labor ipse per se, sed qui cum arte collocatur, laudem meretur. Philo lib. quod potiorib. deteriora insidientur. Quid enim inquit, si scientia insicienter tradatur.

Cum scientia practica sit directiua in humanis operibus non solum per huiusmodi scientiam ducimur ad bonum, sed etiam reuocamur à malis, & sic ipsa scientia est prohibitiua malorum; ignorantia autem dicitur causa malorum, remouet enim scientiam quæ mala prohiberet. D. Thom. in quæst. disput. de causa peccati. q. 3. a. 6. 6.

Adam respectu Euæ quæ ei subiiciebatur, erat vt ratio per essentiam, & Eua vt pars animæ ratione participans. Tostat. in Gen. to 2. 9. c. 1.

In bello non multitudo indocta, sed exercitati & animosi, solent victoriam assequi. Vt ait Vegetius. lib. 1. de re milit.

Lex in ciuitate scripta inanis est, nisi ad eam excipiendam, seruandamque populus docilis fiat; sic optima politia passiones regens non fit in anima, nisi prius consenserit manumque dederit legi. Maximus Tyrius. serm. 21.

Inaccessibilia, humana industria facit peruia.

Spiritualia præsunt corporeis. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 1. lege. 3. §. 2. De artium mira inuentione & efficacia, vnde probatur animæ rationali immortalitas, & quod vi rationis suę homo dominatur cæteris mundi partib. theolog. ç natural. to. 2. parte. 1. cap. 2. 4. 21. Angeli sunt cæli intellectuales qui mouent corporeos. Ib. parte. 2. c 3 4. de potentia Angelorum. Ib. c. 10.

Chalcidensis hospitibus incongruo tempore ferinas carnes apponens confessus, has non venatione, sed domesticas arte in ferinas conuersas sic fiunt ex omnibus gentibus boni milites.

A fœtus initio insitus est inhærens & rector spiritus *Vide Concordantia Potestatis.* Concordia rectorum.

OCVLORVM VIS

Phalangium morsu hominem à mente alienat, Mulier visu, propterea phalangio terribilior, quod etiam non tangendo, inficiat, ideo cupidines sagittarij dicuntur, quoniam pulchra facies, etiam à longinquo vulnerat. Xenophon. de dictis Socratis.

Ignis tangentes solum vrit, pulchritudo procul inflammat.

Putabatur puer immunis à fascinatione, si frons eius liniretur cœno & luto è balneo accepto. *Vide Medicamen Durationis* ex D. Chrysost.

Contra fascinationes, pueri gestabant bullas, *Vide Contrarietas Virtutis* inuidia & cum ad pubertatem peruenerant, quasi geniorum tutelarium beneficio salui, bullas eis appendebant. Vnde Persius.

Bullaque succinctis laribus donata pependit. Appendebant etiam puerorum collo metalla in formam membri virilis efformata ad auertendas fascinationes, vt refert Varro lib. 6. de lingua latina.

Christiani ferunt Agnos Dei, ex cera à S. Pontifice in Sabbato S. benedicta, vel ex cereo Paschali benedicto, idque ad disciplinam humilitatis quæ est verum contra fascinationes & inuidiam amuletum. Vide Casalium de ritib. Ecclesi. c. 48.

Oculi sunt duces corporis, vasa luminis, animi indices.

Vide Minoritas Gloria. Mortificatio visus.

Risit, & arguto quiddam promisit ocello. Citat D. Hieron. ad Gerontiam.

Lingua peritiam, eloquentiam probat, oculus affectum, & quidem momento probat, & certius, cum longa sit, & mendax esse possit affectuum per sermonem expositio.

Digitized by Google

VIS ELOQVENTIÆ.

OPortet Mercurium aliorum aspectu iuuari. *Vide Veritas Virtutis*. operib. dicta concordent.

Etsi quidam sine arte fœliciter dicant, non ideo tamen ars negligenda: hi plurimos habent similes negligentiæ suæ, paucissimos naturæ. Quintilian. Inst. orat. lib. 2. c. 12.

Ibid. cap. 17. Probat non ideo minus colendam eloquentiam, quia illa possint homines abuti. *Vide Maioritas Medij* abuti digniori medio. Vnde non est æquum id haberi malum quo benè vti licet: optimè verò vsi sunt eloquentia vrbium conditores, vt vagos populos congregarent, & homines ad seruitutē iuris & legum astringerent, seditiones compescerent; animos militibus darent fortiter pro patria pugnandi. Ipsa vitæ præcepta, etiam si natura sint honesta, plus tamen ad formandas mentes valent quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat. Præcellunt nos in multis animalia. Nihil autem à Deo oratione melius accepimus quid autē præstantius quā inter homines excellere eo, quod ipsi homines cæteris animalibus præstant? *Vide Gloria Medij* illustre medium. *Et Gloria Veritatis*. sacra eloquentia.

Ibid. lib. 9. cap. 3. probat arte compositam orationem, naturali sermone meliorem. Quo si nihil melius licebat, ne domibus quidem casas, aut vestibus pellium tegmina, aut vitibus montes ac syluas mutari oportuit. Quid non cultu nitescit? cur vites coërcemus manu; cur eas fodimus; rubos aruis excidimus? terra & hæc generat. Mansuefacimus animalia, indomita nascuntur. Arte fluit oratio, vt fluuius sine obice. Cur ergo vires ipsas speciē solui putent, quando nec vlla res sine arte satis valeat, & comitetur semper artem decor. In certamine armorum inesse debet artifex motus & habitus corporis formosior. Prodest igitur compositio, non ad delectationem modo, sed ad motum quoque animorum, quia nihil intrare potest in affectum, quod in aure velut quodam vestibulo statim offendit, deinde quod natura ducimur ad modos.

Persarum Reges ante sacrificia de pietate disserunt, antequam bibant de temperantia, pugnaturi verò de fortitudine. Stobæ. ser. 42.

Pater habens tres filios, vnū philosophum, aliū medicum, alium oratorē, Reliquit hæreditatem ei ex filiis qui vtilior fuerit Reipublicæ. Orta inter eos controuersia, cum philosophus & medicus quilibet in laudem suæ scientiæ multa dixissent, orator ostendit se has & cæteras omnes scientias complecti, pro materia habere & illustri forma exornare, velut sepultas, viuas efficere in bonum publicum, seu bello, seu pace. Vnde ei adiudicata fuit hæreditas: est enim orator, vir bonus de omni re dicendi peritus omnium effector. Chassenę. catalog. glor. mu. parte. consid. 42. & seq.

Orator debet habere scientiam vniuersalem. *Vide Magnitudo Cognitionis*.

Ipsa cōdidit ciuitates, feros mores cōposuit, sedat seditiones; animos ad arma mouet cū opus est, &c.

Antiqui Galli Mercurium sub specie & nomine Herculis Gallici depingebant, catenulis aureis ab ore emissis auditores auribus alligatos, quo voluisset deducentis. vide apud Lucia.

A De concionandi arte. Granatensis. Consistit in motib. *Vide Magnitudo Voluntatis*. Orationes militares. Belle forest.

Sermone bestias antecellimus, eloquentia homines. Cicero de Oratore.

Arenâ licet sterili, redditur fœcunditas terræ, fit enim leuior, friabilior, minus solida, sic in partes eius diuulsas subit aër, humor retinetur, sic corruptio, sic generatio, elementa enim quo sunt puriora, minus generant. Sic quędam dum delectant; in bonum disponunt.

Apud Indos sunt multæ arbores; quæ nullum
B fructum ferunt, sed tantum flores, ex quibus tamen extrahuntur essentiæ miræ virtutis ad suauitatem.

Samij, insulam Samos habitantes, colebant Mercurium charidoten, idest gratiarum largitorem. Plutarch. in quæst. Græcor.

Maximus orator non fortibus tantum, sed fulgentibus armis vtitur.

Orator tonat, fulgurat, sternit, suscitat animorum Deus.

Eloquentia tantum addit scientiis quantum auro qui illud purgant è fodinis erutum, & pulcherrimis impendunt operibus. Maximus Tyrius ser. 1.

Vt vtili voluptatem natura permiscuit, sic hone-
C sto mens humana vt poëticæ vel eloquentiæ illicio tracti simul cum ea veras horiant tationes & his carens institutio, Reipublicę non videtur vsibus humanis apta. Id. serm. 7.

De contemptu eloquentiæ. *Vide Infra Maioritas Cognitionis*.

Orpheus Thraciæ montanos populos syluis assuetos, feros inhospitales suauitate sermonis ad optimas leges accipiendas communemque vitam in ciuitate ducendam traxit, hinc finxerunt Poetę, ipsum lyra feras, syluas, quo voluerit duxisse, etiam rupes, ut muros Thebanos constituerent. Id. serm. 21.

D Quemadmodum obsonia condimentorum exiguo additamento, ad contrarias qualitates permutantur, ex acri in dulce, & ex dulci in acre conuersa, ita noster sermo figurarum adiectione ad varios vsus transformatur, prout cuiusque educationi congruit. S. Gregor. Nissenus lib. de castigatione.

Mercurius supra terram fauet eloquentiæ, infra artibus. Card. Aph. sect. 7. Apho. 131.

Cathedra eloquentiæ seu Rhetoricæ instituta in collegio Romano, ab Vrba. 8. const. 81. §. 3. Bull. p. 97. to. 4.

VIS IMAGINATIONIS.

MAximā pars eloquentiæ constat animo affi-
E ci, concipere imagines rerum & transformari quodammodo ad naturam eorum, de quibus loquimur, necesse est. Quintilia. Inst. orato. lib. 1. cap. 3. in fine.

Sani fortiter cogitantes de ægritudine, possunt fieri ægri, & ægri cogitantes de sanitate, fieri sani. Constant. medic. l. de melanc.

Phantasia & intelligentia habent rerum virtutem. Aliquo enim modo species intellecta calidi & frigidi, aut delectabilis aut tristabilis, talis existit, qualis quidē & rerum vnaquæque. Propter quod tremunt & timent intelligentes solū. Pomponat. de incātationib. Vide Marsil. Ficin. theol. Platon. lib. 13. c. 1. Hinc prægnantes mulieres variè fœtus suos afficiunt, aut etiā pro diuersa imaginatione

habent, dum coëunt, quo fit vt maior sit inter homines dissimilitudo, quam inter cuiuslibet speciei animalia, qui cibos auidius expetunt, saliuam habent eiusdem saporis: ex remedij cogitatione aluus laxatur, nonnullis stupescunt dentes ex aspectu aliquo & auditu; quidam sanguinis humani aspectu, animo deficientes, labuntur; ex præcipitio viso caligant oculi, metus curat singultum & quartanam. Per idæam Deus creauit vniuersa: Angeli producunt inferiora, mediantibus instrumentis æternis, cælis scilicet. Vnde non est mirum si idæa quæ est in mente nostra, quæ est species, producat aliquid reale sibi simile mediantib. instrumentis corruptibilib.

De Imaginatione. liber Francisci Pici Mirandulani.

Imaginatione sola, quædam animalia viuunt. Arist. 2. de anima text. 31. est enim potentia media inter intellectum & sensum; multæ ægritudines ex imaginatione, Imaginatio facit casum è trabe alte posita.

Quod homo sine cœlestium obseruatione possit sola vi imaginationis aliis multum aut nocere, aut prodesse. *Vide Minoritas Principij.* Independentia. *& Principium Contrarietatis.* variæ causæ malorum.

Recordatio est phantasmatis seu visionis intentio, quæ auspicata ab animo, penetrat vsque ad vita præditum corpus. Recordati enim terroris alicuius obiecti nobis expallescimus,& nauigationis recordati, nauseamus. Suidas.

Homini animali diuina de naturalibus scientia & iudicium insufficiens erat, nisi Deus illi virtutem ideatiuam addidisset, per quam tot res & mundos & systemata ferè facit imaginaria, quot Deus faceret realia, vt qui non potest satiari rebus per sensoria & discursu notis, satietur vel ex parte imaginatis, & ex eis assurgeret ad ea, quæ in archetypo cælantur mundo. Campan. Physiol. lib.1. cap. 13. a. 8.

Vide Potestas Voluntatis. Vis humanæ voluntatis & intentionis.

Auicenna dicit quod materia corporalis multo fortius obedit conceptioni substantiæ separatæ, quam qualitatibus contrariis agentibus in natura: quia agentia naturalia sunt tantum disponentia ad formam quæ est ex influentia substantiæ separatæ. Vnde ac conceptionem substantiæ separatæ etiam præter ordinē motus cœli sequitur aliquis effectus in inferioribus, & ponit exemplū de anima humana ad cuius conceptionem totum corpus mouetur, vel ad libidinem, vel admetum, iram, &c. D. Thom. in lib. 2. sentent.dist.7.q.3 a. 1.

Mulier fœtum suum notat sola rei visæ imagine. Pater luminum in hoc per similitudinem manifestat sola luminis cogitatione, & per species quas in se ab æterno complectebatur, sola cogitatione in esse creatum produxit. Van Helmont. in tractatu. magnum oportet.

Acus ex destinato fabricata ab artifice id cogitante & volente, vt vna pars eius super linea ad septentrionem versa sit, semper ad septentrionem vertitur, ac si magnes eam affricuisset; habet homo ex Dei naturali similitudine, vt ad nutum externa quoque possit mouere si vim hanc in se torpescentem excitet, sic nemo fœlix exorcista nisi qui virtutem magicam excitare suæ mentis nouit; si dæmonibus id concessum, vt solo nutu moueant externa, quanto magis homini microcosmo, &c. Van. Helmont. de magnetica vulnerum curatione. *Vide Potestas Voluntatis.* Sic fiunt imagines. *Vide Medium Cognitionis.* imago.

Tanta vis imaginationis matris vt cerasum solo nutu & tactu creet in suo fœtu: procedit ex nexu sensitiuæ cum mente. *Vide Gloria Concordantia,* quia mens est imago Dei creatoris.

Paracelsus libro de occulta philosophia in proœmio, dicit magicas operationes naturaliter fieri certa fide & viua imaginatione, citra caracteres, & cæremonias. & cap. 5. dicit pestem forti eius imaginatione trahi à multum distantibus locis, & perniciosè diffundi; vt si quis degens in Gallia fortiter cogitet de fratre peste mortuo in Italia; pro remedio auocetur animus à tali cogitatione. Refert ibidem in bello metu vulnerum & bombardarum exanimatos. Imitabitur Cæsarem & eius fortunam assequetur qui fortiter eum fuerit imaginatus & præsentem semper animo habuerit, sic benè vtendum imaginatione. *Vide Concordantia Virtutis* imitatio bonorum.

Ex passionibus vel perturbationibus non entibus, oriuntur imagines veræ reales, actuales: non secus atque prægnantis cogitata imaginem realem quantumcumque peregrinam atque exoticam cudunt. Sic venena parit phantasia, quæ hominem proprium interimunt variisque ærumnis affligunt. Van Helmont. de morbornm cognitione.

Gerson in trilogio astrologiæ theologisatæ.prop. 21. dicit non improbandas quasdam obseruationes, ab Ecclesia non damnatas, quarum ad effectus non potest reddi ratio, vt orationes ad certum numerum, nouenis, candelis oblatis, peregrinationibus, collo appensis, quia per talia fortificatur vis imaginatiuæ virtutis.

VIS NOMINVM ET verborum.

APud Quintil. declam. 10. Mater amissum filium, singulis noctibus videbat, amplexabatur, pater aduocato mago incantauit sepulchrum, itaut matri amplius non apparuerit.

Sacramenta constant forma & materia. re vt materia, verbis vt forma.

Licet voces per se tantum immutent auditum, possunt tamen afficere mentem, vt patet in eloquentia & musica; mutata autem mente, corpora facilè mutantur. Vide Cœl. Rhodigin. lib. 16. c. 14. Verba vim potissimum habent, propter fidem quæ illis habetur.

Iamblicus dicit in sacris & magicis nomina quædam barbara & non intellecta vim habere maximam, quia antiqua sunt, & res optime significantia, cumque aliis vsi sint homines, antiqua tamen vt meliora placent numinibus. Ibid.

Numer 22. Rex Balach aduocat Balaam vt maledicat populo Israël: fatendum est in quibusdam plus posse & plus valere verba quam corpora. quia quod exercitus multarum gentium nequiret efficere, quod ferro & armis non posset obtineri, hoc verbis efficitur, non dico sanctis & Dei verbis, sed verbis quæ inter homines habentur, verbis efficitur, quodmagnis corporis viribus non posset obtineri. His vsi sunt in Ægypto incantatores & magi Origen. homil.13.super Numer. Vt populus Israël oratione ad Deum facta Amalech vicerat, sic Rex iste contrariis ver-

bis putauit eos superare. Oblingit, inquiebat, synagoga hæc omnes qui in circuitu nostro sunt, sicut oblingit vitulus herbam campi; scilicet ore, & labiis populus hic pugnat. Ibid.

Iosue 6. ad clangorem tubarum & vociferationem populi cadunt muri Iericho.

Si quædam verba obscura, nequidem à pronuntiantibus intellecta, ex solo vocis sono serpentes trahunt de cauernis, consopiunt, tumores in corporibus humanis reprimunt, animæ stuporem inducunt, quid ni ignota scriptura proderit non intelligentibus. Si enim per illa nomina & per illas incantationes, mali Dæmones ad sunt suis cultoribus, cur non Angeli sacris orationibus prouocati nobis non ferent auxilium Origen. Homilia 20. super Iosue. Ita dicit virtutes qui in nobis & circa nos sunt, delectari, pasci, & nobis fauere, etiam si oratio vocalis à nobis non intelligatur, & sensus sine fructu sit.

Scriptis à Salomone adiurationibus solent dæmones adiurari. Idem. tract. 5. in Matth.

Ioannes dicit Ego vox clamans, in deserto. Vox scilicet explicans verbum quod in principio erat apud Deum.

Gen. 2. adduxit Deus cuncta animantia ad Adam vt videret quid vocaret ea. Adam fit nominum artifex, quando rerum esse non poterat, ita partitur fictricis huius solertiæ gloriam, & omnium ipsa vocis appellatione dominium. S. Basili. Seleuciæ orat. 2.

Quidam putabantur diutius viuere ex eo quod ferrent nomina eorum qui diu vixissent. *Vide Modium Durationis.* ex D. Chrysost.

Christus in omnibus curationibus ægritudinum

A loquebatur aliquid. Tost. Math. to. 3. fo. 1. 5. … 2. eiiciebat dæmones verbo, curabat tangendo. Id. ib. fo. 145.

Verba exorcistarum, non habent ex se virtutem eiiciendi dæmones, inuitos de corporibus humanis, sed id fit à virtute Dei, quæ vult operari prolatis illis verbis, vt fit in omnibus sacramentis. Idem. 1. Reg. to. 1: fo. 26. *Vide Cognitio Virtutis* externæ cæremoniæ.

Ad pronuntiationem vnius nominis terra tremit. *Vide Minoritas Cognitionis*, Religionis secreta mysteria.

Rab. Salomon dicit quod Moyses occidit Ægyptium per solam' inuocationem nomminis tetragrammaton. Tost. Exo. to. 1. fo. 11.

B Ideo translatores solent nomina propria relinquere inexposita. Idem. Matth. to. 4. fo. 169.

Nomina nec naturalem nec supernaturalem habent virtutem, tamen si deuotè proferuntur, Deus exaudit innocentes & salutem tribuit, vt pronuntiato nomine Iesu. Id. 2. Paralip. fo. 192.

Quinque inueniuntur nominati in sacra scriptura, priusquam nati, primus est Ismael. Gen. 16. Secundus Isaac. Gen. 17. tertius Iosias 3. Reg. 13. quartus Ioannes Baptista. Luc. 1. Quintus Christus Rex noster Math. 1. & hoc propter excellentias quas erant habituri. Idem Matth. to. 1. fo. 103.

Cum Moyses & Aaron fecerunt fluere aquas de petra dixerunt quædam verba quę non ponuntur in textu Id. num. 2, fo. 3.

C Vnum verbum multa efficere potest bona vel mala. *Vide Contrarietas Gloriæ.* Calumnia male dicentis.

VOLVNTAS COGNITIONIS.

SCIENDI DESIDERIVM.

VIDE Senecam de otio sapientis. cap. 32.

Omnia animātia ad orientem solem conuertuntur, & ipsi pisces qui solent contra atque fluxum natare, motui motus sui naturalis obliuiscuntur, vt conuertantur ad solem.

Sicut aues ad volatum, equi ad cursum, ad sæuitiam ferę gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio atque solertia; vnde origo animi cœlestis creditur: hebetes verò & indociles, non magis secundum naturam homines eduntur, quam prodigiosa corpora, & monstris insignia, sed hi pauci admodum fuerunt, illisque vt plurimum non natura defuit, sed cura. Quintil. Inst. orato. c. 1.

Apes maximè gaudent sereno cœlo, puroque aëre, & fumo consternuntur, quia meatus spiritus vitalis habent angustos, & quia dulcedinis amantes, fumi amaritudine læduntur. Plutarch. lib. de ausis naturalib. cap. 31.

D Non extant aues nocturnæ quod ament tenebras, quia sic à natura sunt constitutæ; sed absurdissimum est hominem lucis æternæ filium lucem intellectualem non amare. Theodoret. ser. 2. de principiis.

Honor potius dicendus est inquirens, quam rationalis, quia non semper ex ratione procedit. Et rationis est aliquod vestigium in animalibus, at homini proprium est, inquirere.

Propter admirari & nunc & olim homines cœperunt Philosophari. Arist. 1. metaph. c. 2. visis enim effectibus pręter opinionem, cœperunt inquirere causas, quas ignorabant.

Omnia appetunt in sua specie perfici, oculus visu, auris auditu, mens humana intelligibilis intel-
E lectu, Cardan. Cusa. Excit. lib. 4 cap. 10.

Scientiam vnusquisque desiderat, sicut materia formam.

Piscis est cetacei generis, qui vocatur pan, in asterites gemma reperitur, quæ accenditur à sole, & ad philtra facit. Suidas in voce Æsopus.

A Tacito naturæ consensu expetunt homines scientiam, inde etiam affectio quædam summa in sensus omnes exoritur. & hinc maximus videndi amor. Rodigin. lib. 14. c. 19.

Manna interpretatur quid est hoc? Ipsa nominis virtus ad discendum te prouocat, vt cum audis legem Dei recitari, inquiras semper & interroges & dicas doctoribus, quid est hoc? Origen. homil. 7. in Exod.

Cum ad orationem stamus conuertimur ad Orientem, vt admoneatur animus ad naturam excelsiorem se conuertere, & deserta carnali sapientia meliorem intelligentiam, quæ est à Deo in animis iustorum, ambire. D. August. lib. 2. de orat. Domini in monte. Ad orientem conuertebantur quia paradisus vnde eiectus fuerat primus homo, erat ad orientem; baptisandi ter ad occidentem conuersi abrenũciato dæmone cõuersi ad orientem confitebantur Christum; etiam in sepulchris mortuorum corpora sic disponebantur vt facies respiceret orientem, construuntur Ecclesiæ respicientes orientem. Baron. an. 57. sic spectabat templum Hierosolymitanum.

Sicut quando videt oculus puram lucem, videtur sibi nihil videre, ita pauci sunt qui scientiam propter ipsam appetant.

Maximum sciendi desiderium, etiam cum mortis periculo. *Vide Voluntas Durationis.* Rep. fortis mortis contemptus in fine. ex Tostat.

Lucem sensibilem non percipit oculus nisi apertus, sic mens non capit intelligibilia, nisi ad hæc se liberè disponat.

Philosophi longas peregrinationes susceperunt, discendi causa. *Vide Cognitio Differentia.* peregrinatio.

Math. 13. Videntes non vident. *Vide Minoritas Cognitionis.* De affectata ignorantia mala. Et Ioa. 3. Hoc est autem iudicium, quod lux venit in hunc mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.

B Quidam homines maiorem partem vitæ in tenebris ita agunt, vt nouissime solem quasi superuacuum fastidiant. Senec. lib. 5. contr. 1. tales sunt diuites qui noctem habent loco diei. *Vide Gloria Differentia.* honorifica distinctio.

VIRTVS COGNITIONIS.

SCIENTIA CVM VIRTVTE ET PIETATE.

FERVNT Aristæ, corpus visum sæpius iacere, exiguum vsque adeo virium retinens, vt minimè distaret à morte, cum interim animus è corpore egressus, alitis instar circumquaque vagaretur in aëre, subiectam aspiciens terram, mare, vrbes, gentes, & cum reuerteretur in corpus, ordine referebat gentium mores, locorum situs quæ in sua viderat peregrinatione. Quid aliud id significat quam optimi animum viri, vbi se à voluptatibus & affectionibus corporis, cum quibus consuetudinem habuerat, exoluens, earum perturbationem effugerit, ad mentem de integro conuersum, relictis rerum simulachris veritatem attingere. Maximus Tyrius serm. 28.

Vt si nebula vel interna offusione laborantem oculum medicus liberauerit, incipit rerum figuras vi sibi innata videre, & quas morbus abscondebat, sic inest animo vis intelligendi rerum substantias quarum aspectum præripit affectuum corporeorum calamitas, his autem, philosophiâ purgatus, suæ restituitur integræ perspicacitati. Facilius cera liquescens ex sole, impressam signi alicuius imaginem seruet, quam disciplinam animus si corporeus sit, cum constet corporeum cito fluere sicut Euripum, sursum ac deorsum ferri, per ætatem dilabi. Idem.

Apostolus Galat. 2. Dicit Christum esse Dei virtutem & Dei sapientiam, quia quæ per sapientiam excogitauit, per virtutem effecit. D. Gregor. Nyssen. lib. de perfecta Christiani forma

C Sapientia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Omnia illi patent, cuncta famulantur, hanc sapientiam quærit anima rationalis, cui consentiat ad correptionem, quo illuminetur ad cognitionem; cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad sapientiam; cui conformetur ad decorem, quo fruatur ad iucunditatem; & recto tramite incedens, non aberret. Laurent. Iustinia. de prudentia. cap. 1.

Maior cura adhibenda est sanandis animis quam corporibus, animarum enim morbi sunt grauiores & periculosiores, huc tendunt quæcumque à magnis ingeniis excogitata & scripta sunt; hoc est ingens præmium litterati laboris, cuius verissimus fructus est, vt non in admiratio-
D nem, aut ostentationem vanam, sit nobis magna illa rerum suppellex collecta, sed vt transeat in vsum vitæ, & primum omnium prosit possidenti, nec in eius mente sit tanquam in pixidicula, vnde petitur res alios iuuatura, ipsi vasculo inutilis. Lud. Viues in introd. sapientiæ.

Religio Christiana est Mercurialis & scientiis præ omnibus dedita. Vide quę scripsi in apologia fati vniuersi. cap. 3. fides Christiana creuit per doctos homines ad eam conuersos. Theologia natural. to. 4. parte 2. cap 14. Rerum diuinarum cognitionem comitari debent opera bona. Moralis Christiana to. 1. parte 1. c. 22 Studia maximè decent solitarios & & pios. Ib. to. 2. parte 1 cap. 14. Bonis animæ, imaginatiua, memoria, sagacitate mentis, scientia, eloquentia, ad artes aptitudine ad Dei gloriam, proximi vtilitatem, propriam salutem bene vten-

dum est. Ib. to. 4. parte 1. cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Scientia decet sacerdotes lib. de agente Dei in humanis parte 1. cap 13. Est Religiosis propria. lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ. parte 3. cap. 9. & de institutione & officiis religiosi. parte 2. c. 30. & parte 4. c. 15. 16.

Inter dona Spiritus sancti scientia computatur, nam res est sancta si diligendo operatur quod nouit, per se enim non sufficit. Ideo poposcit Propheta, bonitatem & disciplinam & scientiam doce me, &c. Laurent. Iustinian. lib. de coniugio verbi & animæ. cap 14.

Sol vt videatur vult purum & sanum oculum; sol iustitiæ æterna sapientia claritatis suæ radios benè dispositis & se dignis communicare concupiscit.

Quidam putant inutilem physicam, nisi ad medicinam & sanitatem hominis dirigatur.

Boni tantum rectè contemplantur. *Vide Veritas Cognitionis*

Vicissim sibi famulantur sciẽntia & conscientia, & in vno caritatis connexæ sunt vinculo, adeout sine alter alterius dispendio ab inuicem separari nequeant, conscientiam optimè erudit scientia, ne dubiis falsis phantasmatibus, indiscreto zelo, aberret, scientiam dirigit conscientia ne insolescat, superbiat, vera & profutura impugnet, &c. Laurent. Iustinian. de contemptu mundi. cap. 21.

In sacerdote opportunè scientia & potestas conueniunt, adeout sine animarum dispendio vna non possit ab alia separari, sine potestate scientia non valet detegere scelera, præbere consilia, de lege instruere, insinuare, quanta pœnitentibus præmia, impœnitentibus supplicia; sua exhortatione animare ad compunctionem, nec compeditum absoluere. Rursus si adsit potestas, ignoret autem sacerdos discernere inter lepram & lepram, nesciat qualitates criminum, quantumque Deo displiceant, sine profectu pœnitentis seipsum proprio mucrone interimit: quam ob rem sacerdos quisque prius studeat scire quam posse, quoniam in illo potestatem præcedere debet scientia; Ecclesiæ dedecus est inscium habere presbyterum, qui debeat populum docere, &c. Id. lib. de spirituali animæ interitu. *Vide Cognitio Potestatis.* Scientia Regentium.

Vt non bene videt oculus nisi sanus & expurgatus, sic non bene intelligit nisi à peccatis libera mens.

Licitè accenduntur luminaria solo lucente. *Vide Bonitas Cognitionis.*

Candelabrum septifidum in australi tabernaculi parte & dextra positum erat, quia scientiæ proprium est ad virtutem dirigere. Rusbro.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Psal. 118. Prius est probis esse moribus, deinde expurgato, mundatoque animo, scrutari & inuestigare testimonia Dei. D. Hilar. in d. Psal. 118.

Nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur, disce quod doceas; obtine eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt possis exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere, paratus semper ad satisfactionem omni poscenti te rationem, de ea quæ in te est, spe & fide. D. Hieron. Epist. ad Nepotianum, de vita Clericorum.

Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Idem ad Rusticum.

Etiam ex semine Aaron nati, si cæci fuissent, non poterant fieri sacerdotes. Ignorantes à sacerdotio pellendi. Rusbroch.

Impossibile est immundam animam assequi scientiam spiritualem, inficitur enim, vt pretiosus liquor à vase odore malo imbuto, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate. 2. Cor. 6. Cassian. collat. 14. cap. 14. habebunt mali elocutionem & argutias, non gustum veritatis, nec venas & arcana spiritualium sensuum intrabunt. Nam si dicitur. Colos. 2. Omnes thesauros sapientiæ esse absconditos in Christo, quomodo eos assequitur qui Christum contemnit, cœnosis suis libidinibus. In corde bono requiescet sapientia. Pro. 14. Et qui timet Dominum inueniet scientiam cum iustitia, & Paul. 2. Corinth. 6. enumerans ordinem virtutum, suarum in vigiliis, inquit, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in suauitate, in Spiritu sancto. Ibidem. cap. 16.

Deus virtutum conuerte nos, ostende faciem tuam, & salui erimus. Psal. 76. Quid est aliud Dei facies, quam ipsa cui suspiramus, & cui nos amatæ, mundos, pulchrosque reddimus, veritas. D. Augustin. lib. 1. de ordine. cap 8.

Ascendit super Cherubim, & volauit.

Dum mater Apollonij, ipsum in prato pareret, fulmen è cœlo cecidit, & statim in cœlum se recepit, quasi à Deo procedens scientia, ad ipsum debeat redire. Philost. in vita Apollonij. lib. 1. cap. 2.

Apud Indos non admittebatur ad profitendam Philosophiam nisi qui bonis & integræ famæ parentibus natus esset, vnde & ipse bonus coniiciebatur. Ib. lib. 2. cap. 11.

Et lib. 3. cap. dicit purissimum esse debere eum, qui diuinationi vult studere; vt de ipso primum, & de tripode quod in pectore gestat, vaticinari possit.

Plotinus existimat, sicut lucere & calefacere, duo quædam sunt in igne, sed vnum denique sunt in sole, sic cognoscere & amare in potentia rationali, esse quidem diuersa, sed in substantia intellectuali, actum vnum existere, vt in anima mundi. Plotin. lib. de amore.

Episcopi iubentur habere scholas ad instruendos Ecclesiæ ministros. cap. Car. Mag. lib. 1. cap. 5.

Sidonius Apollinaris lib. 1. epist. 9. de Heronio in scientiis omnibus peritissimo; Illud, inquit, in eodem, studiorum omnium culmen antetenenit, quod habet huic eminenti scientiæ, conscientiam superiorem.

In templo Apollonis Palatini, erat magnum candelabrum æneum, in formam arboris, è cuius ramis instar fructuum, pendebant ardentes lucernæ. Plin. lib. 34. cap. 3.

Iulianus Apostata Christianis scientias, & litteras humaniores interdixit, quasi his deficientib. facilè mores eorum corrumperentur, possentque facilius ad idololatriam reuocari, de hoc conqueritur. D. Gregor. Nazianz. orat. 3.

Idem orat. 12. dicit, contemptis rebus omnib. temporalibus, se in sola delectari sapientia, rationem collustrante, nostrosque secundum Deũ gressus dirigente: hac iræ impetum, fræno; hac

tabem afferentem inuidiam consopio; hac mœrorem cordis vinculum, soluo, &c.

Idem orat. 23. laudat Heronem Philosophum Christianum, quod curiosam omnem scientiam assequutus, ne ab his, qui illas profitentur illudi, atque exagitari posset; illis tamen prætulit disciplinas, quæ ad mores pertinent, & vitæ officia.

Filii legitimi sapientiæ, acceptam à Deo patre, in ipsum refundunt, & ad eius honorem. Spurii autem non, sed dolis ac fraudibus, gloriam sibi vindicant, & sunt legitimis iactantiores. Paracelf. lib. de fundamento scientiæ. Diaboli scientia per lapsum facta est spuria. Qui intelligit naturam nigellæ, aut alterius herbæ, intelligit in ea artem Dei. Ib.

Deus sanctus est pater luminum. Nos filii Patrem imitemur & habeamus sanctitatem, cum luce scientiarum. Id.

Spiritus qui est proximum vitæ organum ad omnes motus, est substantia, aëreus subtilis vt possit omnia penetrare, & clarus, vt sui munditia possit omnes formas recipere. Albert. Magn. tract. 1. de spiritu & respiratione, cap. 4.

Scientia vniuersalis potest omnia perscrutari, salua conscientiæ integritate. *Vide Magnitudo Cognitionis*. Scientia vniuersalis.

Sanctitas & puritas intellectus ex quatuor efficitur, quorum primum est studium pulchritudinis, secundum acquisitio multæ illuminationis, tertium excessus separationis à continuo & tempore, quartum applicatio cum lumine superioris ordinis. Albert. Magn. tract. 3. de intellectu & intelligib. cap 10.

Anima non efficitur diuina, nisi per intellectum assimilantem. Ib.

Necesse est consummatum virum, & eorum quæ sunt contemplatorem esse, & eorum quæ decent, actorem. Plutarch.

Omne datum optimum; & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum. Hæc luminum processio in nos optimè ac largè proueniens, iterum vt viuifica virtus restituens nos replet & conuertit ad congregantis patris vnitatem, & deificam simplicitatem, etenim ex ipso omnia, & in ipsum. D. Dionys. initio de cœlesti Hierarchia. Super quo dicit Albert. Mag. in Commentario, quod per datum intelliguntur naturalia, quę possunt tripliciter considerari, aut secundum egressionem, aut secundum participationem, aut secundum reductionem: & licet secundum egressionem non sint optima, quia iam distare incipiunt à summa bonitate; nec secundum participationem, nec secundum reductionē tamen optima sunt, quia reducta non distant à principali bonitate. Ergo naturalia sunt optima, reducta ad primum principium.

Corpora luminosa, sunt calidiora. Et Sol sursum eleuat grauia, lumine & calore.

Saturnus minus nocet Lunæ lumine auctæ & crescenti. Haly. 1. part. cap. 4. de Luna. Solitudo cum scientia.

Recte M. Cato definit Oratorem, virum bonum dicendi peritum, nam ne studio quidem operis plucherrimi vacare mens, nisi omnibus vitiis libera potest; primum quod in eodem pectore nullum est honestorum, turpiumque commercium, & cogitare optima simul & deterrima, non magis est vnius animi, quam eiusdem hominis esse bonum & malum, tum illa quoque ex causa, quod mentem tantæ rei intentam vacare omni-

A bus aliis, etiam culpa carentibus curis oportet, ita libera, ad id tantum quod intendit, accingetur, si enim cura familiæ, quanto magis auaritia, cæteræque cupiditates tempus studiorum auferent, & cogitationes perturbabunt? Nihil enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens. Inter hæc non magis locus est studiis quam fructibus in terra sentibus occupata. Ad perferendos studiorum labores necessaria frugalitas; pro bono & æquo non certabit, vt decet malus & iniquus: bonus bona facilius persuadebit, &c. Quint. Instit. orator. lib. 12. c. 1.

B Colligendo radios solis in speculo concauo, excitamus ignem in materia bene disposita. Sic charitatem ex scientia.

Monachi scientiarum professores. *Vide Principium Cognitionis*, alios docere.

In Epiphaniam, seu sancta lumina Oratio Gregorii Nanzian. & Gerson. tom. 4.

De inscitia Clericorum, liber Petri Damiani.

Pro studiosis lectiones duæ pœnit. Gerson. to 4.

Æsculapius dictus est ab antiquis Appollinis filius, quia sapientiæ æternæ & lucis fontalis participatio dat veram homini sanitatem, seruat & sanat ab omni excessu.

Antiqui dicebant in numine lumen, & in lumi-
C ne numen.

Lumen nihil addit ad pondus candelæ aut cristalli, sic ex scientia non superbiendum Non est vera scientia, quæ inflat.

Nulla sapientiæ lux fulget, nisi purgatis pectoribus.

Lux sacris adhibetur, fugat enim tenebricosos dæmones, qui habet simulachrum & vehiculum lucis illius superioris qui dicit. Ego sum lux mundi. Boni Angeli sunt in luce validiores.

Fumus expellit apes, & mens turbata passionibus non percipit sapientiam.

Dicit Moyses in descriptione creationis mundi,
D Factum est vespere, & mane dies primus, secundus, &c. quia vespera significat perfectum opus quod subsequitur perfectior sancti Spiritus illustratio. Petrus Damian. lib. 2. ep. 5. Tertia die separatis aquis superioribus ab inferioribus, dulcibus ab amaris quarta die fiunt luminaria; illustrationes & Dei ex mortificatione sensuum. Ibid.

Caput vt manus sacerdotis oleo sancto vnguntur Leuit. 21. quia sancta in eo debet esse scientia & operatio, Ibid.

Cum Deus sit charitas, non potest mens scire Deum, & non diligere, ita non potest esse vera
E scientia Dei, vbi non est charitas: In omni igitur peccatore est ignorantia Dei. Card. Cusa. excitat. lib. 5. cap. 57.

In superbam, scilicet & maleuolam animam non intrat sapientia, nā illa non est libera sed serua & fœdere seruili maligno spiritu subacta, vnde oportet exinanire seipsum, vt quis recipiat diuinam formam. Id. lib. 6. c. 6.

In basibus erant Cherubim, leones, & boues, 3. Reg. 7. significabant scientiam cum authoritate, & simul cum patientia, humilitate, mansuetudine. Rupert. in 3. Reg. c. 24.

Successu temporis crescentibus hominum vitiis, virtutibusque pereuntibus disciplinæ, scientiæ, artes diminutæ sunt. Æneas Syluius epist. 104.

Plato 7. de Republ. diuidit scientiam, in Meta-

Digitized by Google

physicam, quæ est de enti secundum se, physicam, & moralem. Logica & Mathematica sunt tantum instrumenta, moralis est velut finis.

Presbyteri iubentur per vicos & villas, scholas habere, in quibus pueros erudiant, quia qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti. Daniel. 12. & nullo accepto pretio doceant. Capitulare Theodulphi. Co. 90. a. 797. Concil. Parisiens. VI. cap. 30. Valentinum III. c. 18.

Cum gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subseruiat fidei, sicut naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati.

Ratio est radix virtutum, scientiis autem ratio perficitur.

De plantis, quarum aliquæ fructum ferunt, aliæ non. *Vide Principium Cognitionis.* Alios docere.

Tria rogat Dauid, Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me.

Dæmon cum Christo de sacra Scriptura loquitur. Serpens erat prudentissimus omnium bestiarum. Quoniam non cognouerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum. Rom. 1.

Theologica scientia quamuis quo ad aliquid sit speculatiua, & quo ad aliquid practica, tamen magis simpliciter dicenda est practica quam speculatiua, tractat enim speculatiua propter operationem dilectionis; & exercitationem amoris, & ipse Deus qui Theologiam inspirauit, plus acceptat à nobis diligi, quam tantum cognosci, denominatur à fine qui est dilectio, in qua pendet tota lex & Prophetæ; dicitur ergo speculatiua, quia dirigit praxim, scilicet actum dilectionis. Dicitur scientia affectiua, quia est sapientia, scilicet sapida scientia propter dilectionem.

Omne perspicuum quod ita lumen admittit vt retineat, album euadit. Specula recipiunt sed non admittunt, aqua & aër admittunt, sed transmittunt. Cardan. de rer. variet. lib. 3. c. 14.

Sacerdotes dicuntur Angeli, propter puritatem, scientiam, illustrationem.

In sacrificio quod offertur pro peccato Pontificis, non addit Legislator, quia per ignorantiam aut non voluntate peccauerit, neque enim cadere ignorantia poterat in eum, qui vt cæteros doceret, prouectus est. Origen. homil. 2. in Leuit.

Leuit. 7. est immunditiæ genus si is qui carnes sacrificii edit, sit immundus. Si sit aliquis naturæ florentis, & ardentis ingenii, non continuo aptus videbitur ad suscipienda verbi Dei mysteria, sed quæritur etiam hoc vt prius à prophanis actibus separetur & ita demum eruditionis capax fiat, si prius capax fuerit sanctitatis. Sic Num. 11. dicitur; Sanctificamini in crastinum vt manducetis carnes, Id. homil. 5.

Num. 11. dicitur de 70. sapientibus electis à Moyse, quod requieuit super eos spiritus, quia propter puritatem cordis & mentis sinceritatem, in illis placidè regnabat. At peccantes recipientes in se spiritum malum, contristant & eiiciunt Spiritum sanctum. Origen. himil. 6. super Numer.

Iesus non inuenitur inter sanguine coniunctos, nec in multorum comitatu, sed inter doctores, interrogans.

Moralia fundantur in naturalibus. *Vide Principium Veritatis Deus.*

Meritò dicebat Christus, Ioan. 3. qui facit mala non venit ad lucem. Vita quippe impura est impedimento sublimibus dogmatibus, non sinens vt appareat perspicax animæ facultas: ab animi perturbationibus liberum esse oportet eum qui venatur sapientiam. D. Chrysost. hom. 8. in. 1. ad Corinth.

Sicut qui est diues in pecuniis, ferre potest damnum & condemnationem, ita etiam qui est diues in dogmatibus Philosophiæ, facilè ferre potest non solum paupertatem, sed alias etiam calamitates; quo plus tulerit ditior & fortior, est ad ferendum, propter habitus. Idem. homil. 9. ad Coloss.

Missa non celebratur absque lumine, non vbique ad depellendas tenebras, cum sit clara dies, sed in typum illius luminis, cuius Sacramenta conficimus, sine quo & in meridie palpamus. *Vide Bonitas Cognitio.*

Scientia cui accedit pietas, est vt oleum aut cera cui permiscetur balsamum. *Vide Gloria Cognitionis.*

Ioannes cum esset lucerna ardens & lucens, solem tamen ostendit.

Lactantius lib. 4. cap. 2. veram probat esse Christianam religionem, in qua iidem sunt doctores sapientiæ, qui & Dei sacerdotes: quia ibi sapientia cum religione coniungitur, vbi Deus colitur vnus, vbi vita & actus omnis ad vnum caput, & ad vnam summam refertur; at apud Ethnicos Philosophia & Religio Deorum disiuncta erant, siquidem erant aliqui professores sapientiæ, per quos ad Deos non aditur; alii Religionis antistites, per quos sapere non dicitur; ex quo apparet nec illam esse veram sapientiam, nec hanc religionem. *Vide Veritas Virtutis.* Opera dictis concordent.

Oculus puluere, fumo vitiatus non videt, sic animus passione possessus non intelligit; auis madefactis alis non volat.

Cardinalis Cameracensis de Aliaco in præfatione suæ Astrologiæ Theologisatæ dicit per magnam & maximam coniunctionem quæ fuit 28. an. August. 6. annos ante Christum, significasse legem mercurialem. Et hæc magna coniunctio fuit in ariete secundum tabulas, assignantes vnicuique 20. annos; in ariete autem erat Mercurius nascente mundo.

Fides est in intellectu secundum quod est motus imperatus à voluntate: cum autem charitas sit perfectio voluntatis, sequitur quod à charitate fide informatur. D. Thom. in quæst. disput. de fide art. 3. o. dicitur autem forma in quantum fidem perficit, sicut elementa superiora perficiunt inferiora.

Ad sapientiam non sufficit lectio siue vnctione, speculatio siue deuotione, inuestigatio siue admiratione: circumspectio siue exultatione, industria sine pietate, scientia siue charitate, intelligentia sine humilitate, studium absque diuina gratia, speculum absque sapientia diuinitus inspirata. Oremus igitur ad Dominum vt Psal. 85. deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua. D. Bonauent. initio itinerarii mentis in Deum.

Quo quis magis est abstractus à corporeis, melius intelligit, ita fit extasis. *Vide Differentia Potestatis.* Diuersa diuersis officia.

Sacrificii genus erat illuminatio lucernarum intra Tabernaculum. Tostat. Exod. 20. 2. 16.

Ortus est Sol & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Scientia diuina feras pas-

ſiones fugat. Laurentius Iuſt. de inſtitut. prælat. A

REPVGNAT
SCIENTIA CVM IMprobitate,

OMne volucrum genus, habens quatuor pedes, eſt immundum. Leuit. 11. de his qui cum ſcientia ſua poſſent ſublime petere, tamen circa terrena, cum cæteris occupantur.

Gen. 3. ſerpens quo velut inſtrumento diabolus loquebatur, dicitur prudẽtior cæteris animantibus. Sic 1. Corinth. 1. dicuntur huius mundi ſapientes. B

Habent lucem ſine calore vermes nocte lucentes, ligna putrida, quorundam piſcium ſquamæ; mali, ſcientiam ſine charitate.

In multis ſcientiæ non modo inutiles, ſed infeſtę, efficiunt enim ingenia deſidioſa, arrogantia, inſincera, ad audaciam pręrupta, & ad ſeditiones excitandas. Sæpius litteræ ſunt improbis, quod ſyluæ latronibus.

Qui quæ ſciunt, non transferunt ad mores, ſimiles ſunt auaris, qui cuſtodiunt theſauros, his autem non vtuntur. Sunt vt cæci qui accendunt facem, qua alii vident, non ipſi.

Qui ſunt ſub polis vident ſolem, nec illis eſt nox, quandiu decurrit ſigna ſeptentrionalia, & tamen, nimio frigore ſterilis eſt regio. C

Rom. 1. Paulus grauiter increpat gentes quæ cum Deum cognouerint, non vt Deum glorificauerunt, ſed obtenebratum eſt inſipiens cor eorũ.

Vide Maioritas Minoritatis. Culpa maior pro ratione dignitatis.

Dæmones valent Arte Magica, & hæc ſcientia & poteſtas eis à Deo data eſt, vel ad fallendum fallaces, vel ad mouendum fideles, vel ad exercendam probandamque iuſtorum patientiam. Magiſter ſenten. lib. 2. diſt. 7. q. 5.

Prophetia poteſt eſſe cum improbitate morum, vt fuit in Balaam; in damnatis qui Math. 7. dicunt, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus? & 1. Cor. 13. Si habuero prophetiam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. D. Tho. in quæſt. diſput. de prophetia. a. 5.

Deterius eſt cum cognitione peccare, quam ſine cognitione, vt tanto deterius eſt inexcuſabile peccatum, eo, quod habet excuſationem. Iuſtinus Martyr q. 3. ad orthodoxos.

Calor eſt medium operandi in calidis animantibus ex natura ſolaris lucis: In piſcibus vero vita eſt de natura luminis frigidi, & propterea ſubſiſtit abſque actuali calore, ideſt vero, ſic in rana viua diſſecta videtur maximus cordis & pulmonum motus, non tamen ob refrigerationem. Van Helmont. blas humanum.

Datur lux frigida. *Vide Differentia Cognitionis.*

Venus multum opponitur diſciplinis & eruditioni, nec vincitur niſi à Saturno, ideo eruditi vt plurimum ſunt malorum morum circa venerea. Cardan. Aph. ſect. 4. Aph. 102.

Mars Mercurio ſociatus facit artifices induſtrios, malis tamen moribus. Ib. ſect. 5. Aph. 168.

Nec ruſticus & ſimplex frater ideo ſe ſanctum putet ſi nihil nouerit, nec peritus & eloquens lingua æſtimet ſanctitatem. Multoque melius eſt è duobus imperfectis ruſticitatem ſanctam habere, quam eloquentiam peccatricem. D. Hieron. epiſt. ad Nepotian.

Doctor creari non poteſt, niſi præuia fidei profeſſione. Pius 4. conſt. 88. Bull. p. 96. to. 2.

Infauſta eſt illa ſapientia quæ te ad exitium ducit. Melior eſſet ignorantia. *Vide Minoritas Cognitionis bona.*

VERITAS COGNITIONIS.

QVÆ SIT VERA COGNITIO.

ARs, vt definit Cleanthes; eſt poteſtas, viam & ordinem efficiens.

Scientia humana abſque diuina curta eſt, teſte Ambroſio; nã cauſas pro cauſis aſſignat, & principia petit, fingitq; qualia homo imaginatur poſſibilia, ſæpeque impoſſibilia. Campanella in præfatione Aſtrologiæ.

Mercurius in domo Saturni, in bono eſſe dat intelligentiam rerum medullitus. Hermes. *Vid. Princip. Cognition.*

Definitio, eſt oratio quæ ſignificat quid res ſit. Ariſt. 1. Top. 5.

De diſcretione ſpirituum. Aluarez to. 3.

Scientia eſt cognitio certa, ſaltem moraliter alicuius rei, & eſt vel practica, vel ſpeculatiua; ſpeculatiua eſt illa qua in genere concluditur, aliquid eſſe bonum vel malum, agendum, vel fugiendum: practica eſt illa, qua in caſibus particularibus iudicatur aliquid eſſe bonum vel malum, agendum vel fugiendum. Bonacina de peccatis q. 4. pun. 6. D

Abſtrahentium non eſt mendacium. Ariſt. 2. phyſ. tex. 18.

Ars, eſt habitus, cum recta ratione effectiuus. Ariſt. 6. eth. c. 4.

Sicut ſe res habet ad eſſe, ita & ad cognoſci. Id. 2. Meta. tex. 4. vt exiſtit per ſuas cauſas, ſic debet cognoſci.

Scientia eſt rerum neceſſariarũ, non autem contingentium. Id. 1. poſter. tex. 8. vnde obiectum ſcientiæ debet eſſe ens per ſe, non autem ens per accidens, 1. Poſt. 15.

Sensus non errat circa proprium sensibile. 1. de anim. Tex.63. positis scilicet omnibus necessariis ad agendum.

Veritas est in intellectu per respectum ad res; In rebus autem est per respectum ad suam ideam. Auicenna definit veritatem vnius cuiusq; rei esse proprietatem sui esse, quod stabilitum est ei. Et Plotinus lib. de æternitate; Veritas, inquit, non est consonantia erga aliud, sed ipsius est propriũ, cuius est veritas.

Verum intellectus nostri, est secundum quod conformatur suo principio, scilicet rebus à quibus cognitionem accipit; veritas autem rerum, est secundum quod conformantur suo principio, scilicet intellectui diuino.

B Philosophus 4. Metaph ponit pro regula generali, quod omnis propositionis negatiuæ veritas fundatur semper in affirmatiua; vt homo non est asinus, quia est homo, & ex 1. posterior. Nulla negatio conuenit alicui enti, nisi ratione positionis alicuius. Herbartus in rosario Theolog. voce affirmatio.

Ex hoc dicitur propositio per se nota, quod ex propriis terminis habet euidentem veritatem, eo quod prædicatum includitur in ratione subiecti, vt homo est animal. quod etiam cadit sub sensu, quia principiis nihil notius: Ea ergo quæ sunt per se nota nobis statim efficiuntur nota per sensum, sicut visis toto & parte, statim sine inquisitione cognoscimus quod omne totum est maius sua parte. Ibidem voce Deus, §. 5. dicit Philosophus 1. Posterior. per se nota sunt, quæ etsi exterius ore negentur, nunquam tamen negari possunt corde. C

Solus sapiens verè de rebus iudicat *Vide Differentia Cognitionis*.

De falsa sapientia humana vide eodem.

Omnis sensus recipit formas sine materia, sicut cera sigillum aureum sine auro; sic sensus odorẽ, non autem odoriferum, & colorem lapidis & figuram, non autem lapidem, quia plantæ non recipiunt sine materia, non sentiunt, recipiens denudatum esse debet natura eorum quæ recipit, alioquid, quod est, fieret. Arist. 1. de ani. t. 121. sic iustitia sine acceptione personarum.

D Plato 7. de Republ. dicit dialecticam cæteris scientiis esse loco sepimenti, vallat enim illas disserendi ratio, de vero, falso, & consequentibus iudicium, alioquin vera sententia à subtili confutata concidet. *Vide Medium Veritatis.*

Vera sapientia est de rebus incorruptè iudicare, vt talem vnamquamqne existimemus, qualis ipsa est, ne vilia sectemur tanquam preciosa, aut preciosa tanquam vilia reijciamus, vt vituperemus laudanda, neue laudemus vituperanda. Quocirca perniciosæ sunt vulgi opiniones quæ stultissime de rebus iudicant. Lud. Viues. *Vide Cognitio Bonitatis*. Discretio boni à malo.

E Mens nostra debet esse intellectualis, nõ autẽ rationalis, si Dei simulachrũ proximũ referre debeat.

Oculi sani nulla habent excrementa vel sordes; vera fides non dubitat.

Solis lucem quisquis sanò cernit intuitu, agnoscit ipsam externo non indigere suffragio, per se namque sufficit sibi, & vt alia per ipsam videantur; quanto magis veritas Christus, lux vera illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum; ex infirmitate intuentium causatur eius ignorantia, vt cæcus non videt lucem, nec de coloribus iudicat, cum sit sine macula, ab immaculatis tantum qualis est, videtur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Laurent. Iustin. fasciculi amoris cap. 13. De puritate ad contemplationem necessaria. *Vide Virtus Cognitionis.*

Recta conscientia est quæ irradiata diuino splẽdore, sincero rationis examine facienda ac non facienda discernit, semperque potiora sectatur. Dei timore, ac internæ pacis tranquillitate suffulta, regia graditur via, spiritusque libertate dirigitur, adeo vt nec propriæ confidentiæ tumore dilatata præcipitetur, nec pusillanimitatis stimulis coarctata delitescendo succumbat. Nulla igitur recta conscientia censenda est, nisi quam informat caritas, confirmat gratia, dirigit sapientia. Hæc saluat hominem, spirituale ingerit gaudium, spei dulcedinem roborat, serenitatem mentis facit, aspirationi supernæ præbet assensum, obtemperat Deo, abhorret vitia, studet in virtutibus proficere, Laurent. Iustinian. de contemptu mundi. cap. 3.

REPVGNAT.

FALSVM DE REBVS Iudicium.

Examen vanitatis, doctrinæ gentium libri 6. Francisc. Pici Miran. Consilium mulieris inualidum, pueri imperfectum, Arist 1. Polit. c. 8. Mulieres enim licet sint acuti ingenii, passionibus subiacent, & sunt inconstantes, ideo à publicis officiis repelluntur. Pueri autem carent experiẽtia Aratus ignarus Astrologiæ ornatissimis, atque optimis versibus de cœlo, stellisque dixit, atque conscripsit. Cicero 1. de oratore.

Vide Contrarietas Cognitionis, & Contrarietas Veritatis. Mino. Verum. Speculum, sinistrum refert velut dextrum.

Falsæ sunt humanæ prudentiæ regulæ, & his vti non debet regimen Religiosum. Vide quæ scripsi, lib. de institutione & officiis Religiosi, parte. 3. cap. 3.

Mathiolus & alii occupati sunt circa facies, non circa virtutes herbarum. Non est prudentia, non est sapientia, non est consilium contra Dominum, euanuerunt in cogitationibus suis, Domino permanente.

Vidi hominem stantem, mortuum ambulantem, qui nunquam fuit, est imago in aqua. Alcuin.

De spe. *Vide Volumus Gloria, & Veritas Gloriæ. Rep.* De somniis sæpe fallacibus. *Vide Maioritas Cognitionis*. Præsagia ex somniis.

De præsumptuosis & falsis doctoribus. *Vide Medium Veritatis.* Doctoribus assentiendum.

HVMANÆ PRVDENTIA vanitas & stultitia.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Viluit iam pridem apud multos à Philosophis & religione tradita morum disciplina, velut Scholis tantum, deiectis & nihil magni spirantibus animis propria. Solum nunc mortales celebrant prudentiam humanam, quam vocant mundi scientiam, qua sola putant, opes, gloriam, & ea quibus res priuatæ publicæque proficiunt, comparari; hanc tamen Christus Dominus vanam stultamque pronuntiauit. Patet om-

culi veritas, cum vides hominem hac sęculi peritia præditum, spretis rebus spiritualibus, corporeis tantum, & fortuitis quæ bonæ menti sunt impedimenta, totis viribus incumbentem. An non vanitas est boni fugaces vmbras, incerta, nocitura sectari? an dementia, rationalem creaturam, non rationi, non virtuti, sed sensibus & cupiditatib⁹ perfectioni suæ cōtrariis totā intēdere?

Magnitvdo. Nocens illa sapientia, sicut febris, aut pestifera quælibet qualitas, quo maior, eo timenda magis. In priuatis hominibus dolos nectit, iurgia quæ sibi prosint, disseminat, serpit, insidiatur, quidquid moueat malæ fidei semper artifex. At cum in regimine positi mentem insederit, consultò res turbat, tenebras offundit, bella mouet, vt securius prædas agat, fœderibus innectit ambigua, quibus possint ad libitum dissolui: heu quantæ nobilium & populorum strages, quos in paratos vrget laqueos; malis vndique timendis obsidet, sic occulta vexat pernicie, vt miseri suæ videantur calamitatis authores.

Dvratio. Non impune tamen mordet & inficit; è latibulis prodeuntem omnium obseruant oculi; vt ab eo sibi quisque caueat, omnium ora proclamant; deceptorem, perfidum, vnius aut alterius ab eo læsi gemitus prodit, vnius vocem, populi vox mirè propagat, vbique denuntiat, & infamis in posterum irritos efficit conatus; hic humanæ sapientiæ finis est, vt sibi dū nimis prodesse vult, noceat, meritoque dicatur apud Deum & homines, sub prudentiæ titulis mera stultitia.

Potestas. Humilibus indignis etiam officiis, fortè dignitates obtinebit sæculo sapiens; sed ô ridicula vanitas, qua quis grauissimum humeris suis imponit, collum iugo, pedes manusque vinculis tradit, vt potentior liberiorque dicatur; si qua fuerit honores ingressus fœlicis astutiæ viâ, sibi plaudens, procedat, in aperto positi fraudes non fallent intentos omnium oculos, semelque de his conuictus æterna postmodū suspicione laborabit, prona sēper in id quod deterius est, fama.

Cognitio. Hominis alia debet esse solertia, quam bestiarum, quæ sensibus tantum indulgent, aut iras suas explicant indomita feritate. Indignissimum est hominem cœlo natum, canes, porcos, lupos, leones imitari in lasciuiam aut credulitatem pronis moribus, & rationē, quam natura dominari præcipit, efficere turpissimum concupiscētiæ mancipium. Non debet sic deijci diuinæ sortis animus, sed si sibi non sufficiunt impressæ naturalis æquitatis leges, si placet imitatio, conformetur sapiens à materia secretis intelligentiis, artem qua regunt vniuersa, alto securoque sensu transferat in mores suos.

Volvntas. In hac mortali peregrinatione falsò se ducem itineris præstat sæculi prudentia, quę à vero fœlicitatis & quietis termino, eo magis recedit, quo velociori transfertur motu; Immensas enim illimitatas concitat cupiditates, ambitiones, auaritiæ, luxuriæ, dum arte possibiles efficit, sed male fœlices, cum deducant hominem in ea quæ vitare debuerat, in seruitutem pro libertate, in curas & labores pro quiete, sæpius in infamiam pro gloria, tandem in impio pertinaces exitus, quibus interdum negatur, quod extremis in malis solatium est, dolere & pœnitere.

Virtvs. Fallacis huius prudentiæ magistri docent virtutem suis cultoribus, onerosam, nociuā, in gloriam fieri; sufficere si quis præferat eius larnam & vestem, quę cum tulerit occasio, securius

A sub quæsita probitatis opinione, possit deponi. Apud illos vtile vel iucundum est pro honesto. Quidquid iusti præcipiunt leges, quidquid pietatis inspirat religio, fictitium reputant, & animalis populi maxillis, frænum, quo regantur, impositū. Ita sine lege, sine conscientia, sine spe metuq; numinis præceps vita labitur in omne nefas, & quas aliis inflixit, vicissim patitur læsiones; nam in rerū humanarum directione, vim, fraudes, confusionē admittunt, secluso penitus ordine, sine quo tamen nullum opus naturæ vel artis stare potest.

Veritas. Sibimet ipsi mentitur iniquitas, inquit Propheta; nam cum politicorum mores, hæc impia dogmata exemplo suo effecerint publica, ab
B iisdē impugnantur, nec ipsi fallunt monitos, & ab his quos fraudis ignorantes putant, fraude pereūt.

Gloria. Hoc habet fallax seculi genius, vt quos afficit nusquam sinat esse quietos, semel quas aliis inferunt iniurias passi, continua postmodū suspicione laborant; vt rectis corde pacem Deus promittit, sic duplici corde linguaque procellas & turbines minatur.

Differentia. Hac imbuti mundana prudentia, non eunt, sed iactantur fortunæ phantasiæq; vario semper æstu. Ipsis nihil constat, nec mens, nec iudicium, nec affectus, nec occasio, vt in tempestate iactato nauigio, concutitur ipsamet, cui putant inniti, sedes.

Concordantia. Vbi nulla fides, perit vnicum
C in aduersis solatium amicitia. Inita sceleribus societas, iisdem quibus coalescit dissoluitur; virtutibus & gratiis proprium est consentire, vitia, malique dissident nunquam fœlicius quam cum mutua proditione, dum sibi quisque consulit, se deferunt iudici.

Contrarietas. Licet mundanus sapiens cuncta verset animo, præterita pręsentibus conferat, auguretur futura, insperata tamen casus afferet, vnde sæpius delusa mens discit in posterum cūcta timere, & dū possibilibus sagax occurrere nititur, futuris malis nescia viam aperit, viribus suis, aliò quā oportebat, cæco iudicio distractis ac diuulsis.

Principivm. Mundanos itaq; sapientes merito
D Christus vocat filios tenebrarū, tum quia plusquā oporteat, & ferant, lucis ambientes, cæcutiunt, tū maxime, quia suæ fidentes industriæ, nihil sperāt, nihil precantur, ita nihil obtinent à Deo, cuius videntur existentiam & prouidentiam inficiari, & qui propterea iustè tradit illos in sensum reprobū vt faciant ea quæ non conueniunt.

Medivm. Impietatis extremæ rei, nullo numinis metu vel amore, mediis iniquissimis implent iniqua sua vota, crimen criminibus contegunt, & ab officiis ciuilibus propria se remouent infamia.

Finis. Vt in Deum intentio piè directa, quibus-
E libet actibus conditione sua licet immeritis, meritum affricat, sic humana prudentia quidquid agit referens in philautiam, in sensibilia vel vana, velut in finem vltimum, ex se bonis operibus, iustitiæ, misericordiæ meritum præripit.

Maioritas. Hæc excellentia quam mundani sapientes ambiunt tot curis, tantoque labore sibi comparant & viuis & mortuis in pœnam.

Æqvalitas. Peccat, & suo se torquet iudicio qui nobiles animæ potentias ad sensuum, & vanitatis ministeria deiicit.

Minoritas. Quidquid agat mundanus sapiens, vagas nō sistet, vacuas non implebit suas cupiditates, nō impediet quin multa casus interueniat, quin ætas decurrat in somniū, quin mœsta latus occultus

rerum ordo permisceat, quin mobilia statum non seruent, temporalia diffluant, mortalia moriantur. Suis eunt ista legib. quibus parere necessitas est; ad quæ præparari sapientia, non mentem torque-
A re vanis cogitationibus quæ hanc restrici prouidentiæ contumacem, cœlo extorrem, efficiant.

GLORIA COGNITIONIS.

SCIENTIÆ ET CONTEMPLATIONIS excellentia.

DVO sibi perpetuum exhibent auxilium, ars & natura. Scientia fortunæ non subiacet,

Antiqui Galli inter Deos Mercurium maximè colebant quasi scientiarum & artium inuentorem, quibus stat fœlix humana vita, ratione tum animi, tum corporis. Cæsar. lib. 6. de bello Gallico.

Non solet scriptura in commemoratione generationum fœminas nominare, tamen Gen. 4. recenset Noëma propter excellentiam artis, docuit enim lanificium & pannum texere, cum antea bestiarum tantum pellibus homines vterentur. Genebr.

Supremus gradus in entibus, est intellectus, & Arist. 14. Metaphys. substantias separatas vocat intelligentias; in quarum prima agnoscit diuinitatem.

Quod est perfectissimum in qualibet intellectuali natura, est intellectualis operatio, secundum quam capit quodammodo omnia. Vnde cuiuslibet intellectualis naturæ creatæ beatitudo consistit in intelligendo; quia sicut vnaquæque res appetit suam perfectionem, ita & intellectualis natura naturaliter appetit esse beata, cum beatitudo significet esse perfectum intellectualis naturę.

Massagetę vni soli rem diuinam obeunt cæteris Diis contemptis. Rodigin. lib. 18. c. 28. soli lucis sensibilis principio.

Pulchrior est pictura auiculæ ab excellenti pictore facta, quam Dianæ ab inepto, propter artis excellentiam.

Olim in solemnitatibus sanctorum, & in funeribus præstantium virorum oleo communi miscebant oleum Nardinum, & ceræ opobalsamum optimosque odores, vt dum lucerent etiam fragrarent. Talis est scientia cui accedit probitas famæ.

In conuiuiis dapes, spectacula, conuentus, odores sensus mulcebant at longe maior est delectatio sermonis primum historici qui mentem sine periculo transfert in omnes orbis partes, sed maior est delectatio sermonis philosophi qui ad naturam mentis spiritualis & rationalis magis accedit, &c. Maximus Tyrius. serm. 12.

Scientiæ speculatiuæ sunt honorabiles, sed non vtiles vt practicę. Tost. Gen. fo. 15.

Suppolares homines in extrema septentrionis portione solem adorant, quod toto æstatis cursu
A eis luceat, gratias ei offerentes quod lumen contra tenebras perpessas, & calorem contra immensa frigora adducit. Lunam etiam adorant, quia hyeme remoto sole, continuè eius vtuntur lumine, exceptis interluniis. Olaus Magnus, lib. 3. cap. 2. *Vide Finis Contrarietatis.* Aduersitatis. *Vide Gloria Principij.* Honor Magistri.

Antiqui nomina Regum qui stellam aliquam scrutati fuerant, eius vim & motum deprehenderant, tribuerunt stellæ, stellarum vero immortalitatem hominibus. Cardanus in encomio Astrol.

Cum Sol, Iupiter Mercu i us fuerint in signis aëris, natus erit magni nominis ratione industriæ. Id. Apho. sect. 3. aph. 135.

B *Hominis dignitas consistit in anima rationali quæ præstantior est cæteris animalibus & finis mundi materialis. Vide quæ scripsi. theologię naturalis. to. 2. parte. 1. ca. 2. 3. 4.*

Si quis ex pluribus herbis emplastrum fecerit, aut ex pluribus odoribus vnguentum, emplastri vel vnguenti Dominus est qui fecit, non cuius herbæ vel odores fuerunt. l. quidquid §. 1. ff. de acq. rer. dom. sic in pictura, materiam enim superat opus. §. si quis 30. Inst. eod.

SCIENTIARVM, ET artium præmia.

C IVlius Cæsar, omnes medicinam Romę professos, & liberalium artium doctores, quo libentius vrbem incolerent, & cæteri appeterent, ciuitate donauit. Sueton. in Iulio Cęsare.

Gorgiæ Leontino Sophistæ, statua aurea posita fuit in templo Apollinis. *Vide Duratio Cognitionis. Rep.* citissima cognitio.

Omne lumen in humido pingui, & pinguedine consistit.

De salario aduocati. *Vide Æqualitas Bonitatis.*

De honore viris doctrina illustribus exhibito vide plura exempla apud Chassenеum in catalogo gloriæ mundi parte 10. confider. 7.

De sapientia dicitur Sap. 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.

Vt fruges sub grata aëris temperie proficiunt, sic scientiæ & artes sub dominantium liberalitate, honorificentia, benignitate. Plutarch. lib. 2. de virtute & fortuna Alexandri.

Digitized by Google

Prouerb. 18. dicitur, De fructu oris viri replebitur venter eius, & genimina labiorum ipsius saturabunt eum, & 12 cap. De fructu oris sui vnusquisque replebitur bonis. Eccles. 7. & Prouerb. 8.

In viis iustitiæ ambulo, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam. Prouerb. 8. dicit Sapientia. Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ, & iustitia.

Cassiod. lib. 13. Variar. cap. 13. dicit quod ars est decus vrbium, & æquiparatur aliquem ali, & artificio eruditi. l. 1. in f. Cod. de infantib expos. Variarum artium enumerationem, & vtilitatem. Vide Chassen. catal. gloriæ mundi parte 11. consider. 24.

Inter artifices præferuntur hi qui seruiunt principi, & tales dicuntur habere dignitatem. Ibid.

Apud Sinenses, primas in Republica partes tenent docti & litterati, postea milites. Dauity.

Oculus videns solam lucem, putat se nihil videre; ita parum videtur scientiam consequi sine præmio.

VOLVPTAS CONTEMplationis.

FRuctus eius dulcis gutturi meo. Cant. super quo sic Origenes.

Da mihi Domine fructum dulcem, fructum vitæ animæ meæ; altus es, attole desiderium; benedictus es, sanctifica obsequium: imputribilis es, purifica affectum; suauis es, lætifica animam.

Sapientia nihil est aliud, quam vnicum, id que æternum gaudium; est enim radius diuinæ sapientiæ, immortalis, & beatæ Paracelsus. lib. de fundamento scientiarum.

Albert Mag. tract. 2. de natura & origine animæ, probat immortalitatem animæ potissimum ex eo quod maximam percipit delectationem ex abstractæ veritatis contemplatione. Ideo omnes homines scire desiderant, & cum omne scire ordinetur ad scire diuinum, quod est intellectuale sine continuo & tempore, finale desiderium omnis hominis est ad illud, sicut ad optimum secundum naturam, eo quod admirabiles delectationes habet huiusmodi scire, ex puritate eius quod intelligitur, & firmitate sapientiæ, quæ primorum & manifestorum est secundum naturam & propter quandam cum anima conuenientiam & analogiam.

Pisces in medio aquarum maris, tamen concupiscunt aquas pluuiæ, quibus impinguantur, propter earum subtilitatem, dulcedinem, vaporositatem, qua etiam crescunt multæ herbæ, quæ cedunt illis in cibum: Cœlestium contemplatio plus habet voluptatis & vtilitatis, quam terrenarum omnium rerum possessio.

In tenebris non cantant aues, sed in luce.

Est aliquis, & nescio an maximus, etiam ex secretis studiis fructus, ac tum pura voluptas litterarum, cum ab actu, idest opere, recesserunt, & contemplatione sui fruuntur. Quintilian. Instit. orato. lib. 2. cap. 19. *V. de Gloria Virtutis.* Secessus.

Pinguedo est naturaliter ignis, luminisque fotiua. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.

Dum mens scientiis & artibus vacat, latenter A prænauigat, & obliuiscitur calamitates. Hanc voluptatem pœnitentia non sequitur.

De consolatione Philosophiæ Boetius. De consolatione Theologiæ. Gerson. tom. 3.

Comprehensio est causa voluptatis. Arist. 12. Metaph text. 39. Idque tum ratione sensus, tum intellectus.

Nisi pulchritudo ab omni pulchro fuerit absoluta & separata, non est simplex, incorruptibilis & delectabilis pastus animæ intellectualis incorruptibilis; ex quibus sumus, ex his nutrimur. Incorruptibili non proportionatur corruptibilis cibus. Vnde pulchri relucentia in pulchris corruptibilibus, non pascit, sed veritas sola quæ relucet, B sic ex multis suis imaginibus aliquis abstractè concipit qualis sit facies sua. Card. Cusa. excitat. lib. 5. cap. 59.

In Deo licet ente simplicissimo, est vera pulchritudo. *Vide Potestas Virtutis.* Sapiens seipso contentus.

Operatio apprehensiuæ virtutis assimilatur quieti, operatio autem virtutis appetitiuæ, magis assimilatur motui.

Quidam scientiarum & studiorum non tam vtilitates quam amœnitates quærunt.

Dicit sapientia, Spiritus meus super mel, dulcis & Sap. 8. dicitur Non habet amaritudinem con- C uersatio illius. Delectabar per singulos dies ludens coram eo in orbe terrarum.

Sapiens dictus est à sapore, quia sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dignoscentiam rerum, atque causarum, quod unumquodque dignoscat, atque sensu veritatem discernat. Isidor. lib. 10. littera S.

Ros lucis, ros tuus. Isay. 26.

Proprium est contemplationi, iucunditatis suæ spectaculo cum admiratione inhærere, meditationi vero proprium est, sua promotione semper in vlteriora tendere. D. Bonau. de 7 itiner. æter. Est enim contemplatio actus intellectus non impediti, gratia sanati, in æterna spectacula directi, D cum admiratione suspensi. Vnde actus contemplationis duo includit, scilicet cognitionem & saporosam dilectionem, quæ adiuuat cognitionem. Ibid.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Nam actiuæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplatiuæ verò vitæ gaudia hic incipiunt, in cœlo consummantur. Ib.

Eruditio pastus ingenij verissimus ex qua voluptates & oblectamenta, & solida & perpetua, quæ alia ex aliis nascientia, & si renouantia, nunquam nos deserunt & lassant. Lud. Viu. in introd. sapientiæ.

Venus benè configurata Mercurio, facit ma- E gnam concupiscentiam & delectationem scientiæ. Venus enim significat delectationem in his quæ fiunt. Cardan. de iudiciis geniturar. cap. 11.

Quædam studia sunt amœna, quibus recreationis tantum causa incumbit sapiens. Vide quæ scripsi Moral. Christiana to. 2. parte 2. cap. 7.

Intellectus noster nouo velut perfectionis rore perfunditur, quoties intellectualiter contemplatur aliquid supercœleste, eo quod pro momento transmigrat in illud, illudque degustat, sine discretione verborum aut idiomatum.

Ad solis ortum explicant se & gestiunt omnes creaturæ, sicut contrahuntur, & mœrent eo ad occasum properante.

Digitized by Google

DIFFERENTIA COGNITIONIS.

DIVERSITAS COGNITIONIS ET OPINIONIS.

TRIPLEX est Hebræorum doctrina Cabalistica antiquissima, quæ sine scriptis occultè capacibus tradebatur, sic apud Gallos Druidæ suam propagabant. Secunda est philosophica, ex naturæ principiis ad Deum ascendens. 3. Denique Talmudica ducentis post Christum annis in odium Christianorum consarcinata. Rodigin. lib 10. cap. 1.

Chymera leo, capra, draco, significat triplex genus dicendi leo iudiciale propter pugnam, capra demonstratiuum propter luxuriantem stylum, draco deliberatiuum propter varios opinionum flexus. Id. lib. 13. cap. 9.

Corporum colores absque luce non possunt discerni, euadunt autem diuersi pro lucis diuersitate super ipsos orientis. Nam in claritate mediocri turbidiores plerumque visuntur, in illustri vero clari scintillantesque. Id. lib. 17. cap. 7.

Scinditur incertum studia inter contraria vulgus.

Sic Cicero pro domo sua, in multitudine, inquit est veritas, & crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio.

Si plures eligantur arbitri, debent esse impari numero, propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem, vt facta dissensione plurium sententia præualere possit. cap. 1. de arbit. in 6.

Sanis omnibus idem est de sensuum obiectis iudicium, ægris autem prout à morbo afficiuntur, diuersum, sic sapientes à lumine naturali directi, idem ferunt de rebus iudicium. Peritus artifex perfectum opus ab imperfecto discernit Vident legem hanc in semetipsis, sic omnis virtute, etiam scientia præditus est, huic enim scientiæ accedit experientia. *Vide Veritas Cognitionis.*

In homine solo variegati & versicolores sunt oculi, in cæteris autem animalium speciebus perpetuò sibi similes existunt.

Anto. Zara Episc. in libro quem scripsit de anatomia ingeniorum considerat tres partes in cerebro, anterior in qua residet vis imaginatiua, media in qua intellectio, posterior in qua memoria, eo ordine sect. 1. diuidit scientias omnes vt quædam pertineant ad imaginationem, aliæ ad intellectum aliæ ad memoriam.

Vidit mulier quia bonum est lignum Genes. 3. postea dicitur, aperti sunt oculi eorum, quomodo vidit cæca, aut nondum apertis oculis. Dicitur Ioan. 9. Veni in hunc mundum, vt non videntes videant & videntes cæci fiant, quod in peccatoribus non vident illi oculi qui meliores sunt, sed ii qui sensus carnis appellantur, & qui consilio serpentis aperti sunt. Exod. 4. dicitur, quis fecit videntem & cæcum, videntem secundum Christum, cæcum verò secundum consilium serpentis. Origen. homil. 17. super Numer.

Deus qui diuersas animantium species creauit, etiam prouidit illis alimenta diuersa, si leo haberet intellectum non inutile diceret fœnum quod prodest alenis armendis, licet ipse carnes crudas edat. Pabulum mentis est scientia, & cum varia sit ingeniorum vis, vt quidam lacte, alij fortiori cibo sint nutriendi, nemo condamnet quod alteri conueniens est, licet non sibi. Id. homil. 27.

Omnes res sentientes dissimiliter sentiunt, tympani rumor displicet ægro quia exilens eius spiritum nimis mouet, quod nobis fœtens benè olet cani qui tamen habet odorem sagacissimum; genista nobis amara dulcis est capræ; excrementa animalium nobis sunt odoramenta, illis vero fœtores, calida est mihi manus medici, sed febricitanti frigida. *Vide Potestas Medij*, quantum valeat dispositio in recipiente.

Quinque modis in actibus animæ diuersitas inueniri potest. Vno modo secundum fortitudinem & debilitatem, sicut opinari & credere. 2. Secundum velocitatem & tarditatem sicut currere & moueri. 3. Secundum habitum & priuationem vt quiescere & moueri. 4. Secundum comparationem ad contraria eiusdem generis vt sentire album & nigrum. 5. Quando actus est diuersorum generum, vt apprehendere vel moueri, sentire sonum & colorem & hæc quinta diuersitas sola diuersitatem potentiæ indicat, cum actus sint genere diuersi, & in ratione obiecti non conueniant. D. Thom. in quæst. disput de ratione superior. & infer. a. 22. ad 12.

In confusione liungarum fuerunt 72. linguæ ex numero filiorũ Noë de quib. 10 Gen. dicitur quod habebant singuli linguas suas. Tostat. Gen. fo. 16.

Annos diuersi diuersè computant. *Vide Differentia Principij.*

Formæ quædam nitent vt in lapidibus & mineralibus, quædam insuper auota luce splendent vt in plantis; aliæ vero sunt etiam luminosæ, vt in animatis, adeoque vitalis luminositas datur spiritui vitali per accensionem non quidem igneitatis, sed illuminatiuam & specificam, siue per species differentẽ. Sic quidam pisces non in fœlicius viuunt, splendent, fortius, viuaciusque & diutius mouentur, quam bruta calida. Van Helmont. blas humanum.

Ne putes parem lucis essentiam in nobis & nitedulis, vt scilicet lumina solo graduum tono discrepent; sed reuera totidem sunt vitalium hominum species, quot vitalium creaturarum. Idque abundans est diuinæ bonitatis indiciũ, quod luminũ quæ nobis sub vnica cõprehendũtur notione & vocabulo, tot species atque vitalis sint differẽtiæ, quot sunt species vitalium, vt pote quod illæ luces

sint ipsosmet vitę animæ atque fermæ vitalium, A exceptarationali. Idem. de spiritu vitæ.

Duplicem oculum Deus dedit homini, carnis & rationis, contra hostes visibiles & inuisibiles.

De medico qui contrariam cæteris methodum fœliciter sequutus est. *Vide Medium Gloriæ Medicina.*

Quintus Ennius tria corda se dicebat habere, quod tribus diuersis linguis loqueretur. Gellius lib. 17. cap. 17.

De scientia Vniuersali. *Vide Magnitudo Cognitionis.*

Res videntur triplici ratione; prima directa, quę est oculi nostri, cum recta in rem obiectam intendit: altera repercussa, siue earum rerum perceptio, quarum à speculis ad nos imagines reuertuntur 3. denique quam infractam vocant, qua rerum species per dissimilia diaphana transmissæ, & ab iisdem quasi deformatæ & fractæ in oculos immittuntur. B

In totius mundi productione quædam sunt formæ, iuxta intelligentiam, vel intellectum mouentem, vt artes liberales, quæ citra vtilitatem propter se quæruntur; quædam iuxta materiam in qua sunt, vt artes mechanicæ; quędam sunt mediæ inter vtramque, vt est militia, quæ etsi prodest patriæ, habet multum artis liberalis, vt sicut sagittatoria propter se quæratur. Albert. Mag. tract. 1. de origine animæ. cap. 1.

Omnes populi intendunt per nomina explicare rerum naturas & essentias, & cum perfecte illas non assequantur, magna fit nominum diuersitas. C

In intellectu sacræ scripturę respui non debet quidquid sanę fidei non resistit. Sicut enim ex vno auro alij murenulas, alij dextralia ad ornamentum faciunt, ita ex vna sacræ sciptur æ sententia expositores innumeros intellectus, quasi varia ornamenta componunt, quæ tandem omnia ad decorem cœlestis sponsæ proficiunt. D. Gregor. PP. in Registro. lib. 3. epist. 6. *Vide Differentia Veritatis.* Diuersus S. sensus.

Quando res vna pluribus insignitur notis, ferè non omnes à quoque obseruantur, & aduertuntur simul. Ideo trahitur, vnus in vnam, alter in alteram de re eadem opinionem. Et vnus atque idē vt à seipso videtur discrepare in iudicio ferendo. D

Cœci qui res male digerunt, exempla pro rationibus obtendunt.

Vnus primarius est color, lux in sole, quæ sol non est, sed essentialis eius qualitas. Lux participata differentiam facit colorum, vbi est plurima dicitur albedo, vbi minima, nigredo appellatur, hi duo colores maximè inter se sunt oppositi & contrarij: albus disgregat visum, & oculos perstringit lucis multitudine: color niger congregat radios visiuos & firmat, & externa luce recreat suscepta. qui medij interiacent colores, affectiones pariunt, vt propius accedunt, vel longius absunt ab extremis. Lux inhæret naturaliter secundum substātię modū & rationē, vel ex accidēti secundū receptionem luminis externi per radios rectos vel obliquos omnium elementorum sicut solis calor est albus. Terra siccissima & pura est alba in vitro & cristallo; sic in concretionibus aqueis niue, glacie grandine. Aër & ignis propter raritatem partium & tenuitatem non videntur, pellucida sunt & translucida corpora, si miscentur cum aqua apparent alba, vt in spuma, & in flamma tenuissima sine fumo; cœli sunt albi, sed propter distantiam obscuratur visus, ex obscuro autem & lucido pu- E ro nascitur nobis ceruleus. Corpora composita ex elementis propter multitudinem rerum connexarum sunt opaca, reflectunt lucem, non translucent, & habent colorem ex lucido & obscuro varium pro ratione materiæ, & temperamenti. Abrupta superficies, & non polita, vt videre est in gemmis brutis. Benè temperata nitent, non bene digesta, confusa, diuulsa nigra sunt vel fusca sordida, obscura, ita fuligo quæ est exhalatio humidi terrestris; omnis putredo, fuscum, atrum, nigrum habet colorem, quia fit confusio humorum sic mare agitatum nigrescit. Est color constans in auro quòd semper in igne flauescit, in argento quod semper albescit, in aliis colores sunt mutabiles, prout mixtio mutatur, vt fuligo quo magis aqua diluitur, magis accedit ad albedinem, & ad nigredinem quo magis siccatur. Igitur extremi colores, sunt albus & niger: intermedij ab albo primus viridis, sic ab humore aqueo, albo, primum herba virescit, sic aqua dolio inclusa sub dio corrumpendo virescit in superficie, sic viridis color incipit imminuere à luce summa quæ est in albedine 3. color est flauedo, sic segetes à viriditate diluta, veniunt ad crassam, & vt minuitur humiditas transeunt in flauedinem; sic ex albo & flauo procreatur viriditas: virides plantæ à terra auulsæ, deficiente humido flauescunt. Malum citrum acerbum viride maturum, flauum est. 4. color est purpurens. Hic videtur in flamma nitida seu fumo ignis, vuæ antequam rubescant, purpurizant. 5. color rubeus in quo videtur æqua participatio lucis & obscuritatis. Tale rubrum videtur in ferro candente, in accenso carbone sine fumo. 6. color est rufus, obscurior rubro, quasi maculis nigrescētibus distinctum. Vt est in butyro, castaneis 7. color est cæruleus, manifestus est in flamma ex sparso fumo vrente, nigrescente, in sulphure accenso, profunditas aëris hunc refert colorem & aquæ vt in mari. 8. color violaceus, proximus nigredini, pallens ex nigro dilutus rubescit, sic mora nigra, rubro vt purpureo colore inficiunt. 9. & vltimum genus colorum est nigredo in qua est aliquis habitus lucis, quæ videtur, & oculorum sensu apprehenditur. Medij colores ex supradictis vim temperantes, sunt innumeri. Color rubeus medius est, vltra quem non amplior fit progressus mutationis, donec corrumpantur. Ex M. S. D. Des homeaux medici celeberrimi Rhedonensis dum viueret mihi familiaris.

Scientiæ secantur, idest diuersæ sunt, sicut res. Arist. 3. de ani. text. 38.

Sunt quædam matrices linguæ ex quibus oriuntur plures diuersæ, vt ex Latina, Gallica, Italica, Hispanica, & in qualibet prouincia talium sunt varia corrupta idiomata, sic factum est de sectis. Hebræi Cabalistæ dicunt hanc idiomatum diuersitatem, ab orbium motoribus proficisci in mentes hominum. Geneb. a. m. 1758.

DISPVTATIO.

QVidam philosophi dixerunt ignem non esse elementum, quia dicebant non esse primum corpus, sed ab alio generatum, scilicet ex confricatione cœlestis corporis cum aëre, hanc tamen opinionem improbat Albert. Mag. tract. 1. de propriet. elementor. cap. 1. Sic in siccitate aëris & regionis. Arbores ventis in se concitatæ, maximè

si sint vnctuosę, vt pinus & abies, concipiunt ignem. Ib.

Certamina eloquentiæ inter iuuenes fuere proposita, etiam in cælatura clypei Achillis, & lites sunt & actores. Quintilian. Instit. oratoria.lib. 2. cap.18.

Omnes volunt doctrina præstare quasi sit propria hominis dos.

Diuitias & opes, frequens donabit amicus,
Qui velit ingenio cedere rarus erit. Martialis.

Vincendi desiderio veritatem obscurant. Vnde de rebus diuinis non sunt mouendæ quæstiones, nam vnus ex contendentibus impiam opinionem tuetur, & vult superare.

Chrysologus Serm. 5. comparat vanos de rebus diuinis disputatores, filio prodigo qui dissipauit omnem substantiam suam viuendo luxuriosè, sic per desiderium sæcularis eloquentiæ, per scholarum lupanaria, per triuia sectarum dissipant Dei patris dementi disputatione substantiam, & cum consumpserint quidquid est rationis & sermonis, egestatem summam, cognoscendo veritatis sustinent. Nam philosophia quærendæ diuinitatis indixit laborem, veritatis inueniendæ fructum contulit nullum. Pascunt porcos, idest voluptuosos homines, dæmonibus addictos.

B

Arist. 1. Topicor. c. 2. dicit syllogismum esse necessarium ad Philosophicas scientias, quia cum poterimus in vtramque partem dubitare, facilè in singulis perspiciemus verum & falsum.

Sicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro, ipse tamen ignis, ferri ac lapidis collisione flammatur, sic obscurum verbum, verbi ac sensus collatione resplendet. Chrysolog. Serm. 96.

Vide Concordantia Cognitionis. Concilium.

C

Simplicitas ciuem bonum facit, non facit militem fortem, hinc est quod ille censum soluit; ille stipendium percepit: ciuis cedit aduersis, miles resistit, talis est differentia inter eum, qui Christianæ fidei simpliciter accipit Sacramentum, & eum qui studet eiusdem fidei nosse, & contra impugnantia deffendere mysterium. Idem serm. 166.

De periculosa disputatione ministrorum Reipublicæ. *Vide Æqualitas Potestatis.* Mala plurimum dominatio.

D

Aliqui de verbulo, velut pro aris & focis digladiantur.

Ægyptii Mercurium sub figura Cynocephali, id est simiæ caput caninum habentis referebant, propter sagacitatem ingenii ad res inueniendas, & inuentas custodiendas.

Clamor disputationis exprimitur per ranas quę fuit 2. plaga Ægypti. Pascitur intellectus veritate, & sicut per digestiones varias, inutile ab vtili separatur, sic per disputationes, falsum à vero reiicitur. Card. Cusa. excitat. lib. 5. cap. 59.

Carneades Academicus, nihil proponebat quod non probaret, nihil improbabat, quod non expugnaret, Geneb. an. m. 1830.

E

Cherubim flammeo gladio custodiens paradisū.

Aduersus fontes fluunt amnes; opinio sapientibus contraria. Perspicui natura est in diuersis subiectis in substantia cœlorum, in igne, aëre, aqua, gemmis, gypso.

Color pro varietate lucis, tam incidentis quam reflexæ, aliter atque aliter se ingerit, itaut nigra interdum albescant, sphęrica videntur plana, quadrata oblonga, ingentia minima, æqualia inæqualia, integra fracta ob medii diuersitatem;

A quieta moueri, mota quiescere.

Origen. homil. 10. in Exod. 21. de muliere quam abortire fecerunt duo viri litigantes, dicit intelligendum de vanis disputationibus quæ sunt ad subuersionem intelligentium, quæ animam prægnantem vt dicitur Isai. 26. à timore tuo Domine peperimus, abortire faciunt, vt infantem seu formatum seu non formatum eiiciat. Tenentur hi pœna talionis; in aliquibus formatur, in aliis formatum est verbum. Donec Christus formetur in vobis, inq. Apostolus; Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus in quibus scandalizabuntur si fieri potest etiam electi.

Math. 24. Christus dicit prælia esse prænuntia consummationis sęculi: de pręliis hęreticorum & Philosophorum interpretatur. Origen. tract. 28. in Matthæ.

Disputatio legitima, non minus silentio quam verbis constat, vt ordine quodam iustitię, & alterna veluti patientia, respondentis fiat auditor, ille ipse cui aggrediendi concessa est facultas.

Tertulian. lib. de præscriptio. cap. 7. loquens de hæreticis, inferunt inquit Aristotelem qui illis Dialecticam instituit, artificem struęndi & destruendi versipellem, in scientiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit.

De vtili disputatione, *Vide Medium Veritatis.* Theologia Scholastica.

Angelus qui loquitur Danieli 7. dicit, Princeps Persarum restitit mihi, quia non norunt profunditatem iudiciorum Dei nisi eis reuelentur, vnde manet incertum de gentium meritis iudicium; concordiæ autem & charitati non repugnat diuersitas opinionum, cum voluntas eorum sit vna, vt diuina prouidentia expleatur. D. Thom. in lib. 2. sentent. dist. 11. q. 1. a. 5.

Pro suis acriter decertant placitis vt qui vincendus est, saltem non ignobiliter cadat.

Multitudo Philosophantium aduersas inuicem acies ordinare ac committere cœperunt; verbis ac susurris oppleta sunt omnia, operis autem mira inopia, bonumque illud celebratum tantopere, pro quo disceptant, considerat nemo. Maximus Tyrius serm. 16.

Orthodoxi multas quæstiones curiosas proponunt Iustino Martyri quas ipse soluit. Libro quæstion. ad Orthodoxos.

Magni negotii est ad rationem veram peruenire; quo enim maior est ingenii vis, eo maiorem humanis animis iudicandi parit angustiam, quam ob rem cum cæteris artibus contingat, vt ad inuestigationem procedentes inuentionem quotidie exacuant qua singulæ peritius propositum opus attingunt, sola Philosophia huic periculo subiicitur, vt quo vberior est, eo magis aduersas atque æquilibres effundat rationes, ager ille quo plus colitur diuersisque instrumentis, eo fit sterilior Maximus Tyrius serm. 34.

D. Greg. Nissen. lib. de professione Christiana, initio, ad harmonium, dicit se cum eo in exercitationibus de pietate versatum vt iis quæ proponerentur, ex aduerso aliquid ipse subiiceret & opponeret, nihilque quod diceretur sine excussione & examinatione admitti. Luna in Solis opposito perpetuas declarat contentiones, claraque facta, Cardan, Aph. sect. 4. Aph. 7.

Quid sentiendum de diuersis in mundo religionum sectis. Vide quæ scripsi Theologia natural. to. 4. parte 2. cap. 23. A

Theologia scholastica est necessaria sacerdotibus, & diuini verbi praeconibus. lib. de agente Dei in humanis parte 1. cap. 13.

Problematicum ens, est ratio.

Non est reus qui in publico certamine, in studio colluctatorem occidit, cum id agit, non vt occidat, sed vt viuum prosternat & vincat. l. 7. §. si in colluctatione. ff. ad l. Aquil. Iniuriarum actiones extra studium sunt, inquit Tertulian. aduersus Gnosticos. Sic ignoscendum acerbis interdum in disputatione verbis, quamquam lenis debeat esse disputatio. vt duo Cherubin quos fecit Salomon ad operiendam arcam; erant de lignis oliuarum. 2. Paralip. *Vide Media Contrarietas.* B

Non est fidendum armaturæ quam hasta, vel sclopetum impenetrabilem non probauit; ita sine disputatione & ingeniorum congressu, non potest haberi certa eruditio. Nam disputatio dicitur cribrum veritatis.

Disputantes etsi contraria asserant, vnanimiter veritatem indagant, ad instar eorum qui funes nectunt, quorum vnus, etsi funem aduersus alterum torquet, congruit tamen ad finem operis, sic qui lintea madida contorquent, vt humorem euacuent.

C

SCHOLASTICA Theologia perutilis Ecclesiæ.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Fides Christiana cum sit supra rationem, à plurimis habetur velut ei contraria, nec illi cedunt, donec lucem afferat Theologia scholastica sic dicta, quod ad rationem prouocantes, ratione conuincat, habeatque dociles velut in schola discipulos sub docente magistro. Computari debet inter eas largitiones quæ præstantur inuitis, duplici titulo beneficæ sunt quod errori mentis, & vrgenti necessitati medeantur, sic mentes illustrat hæc doctrina, vt quæ prius negabant veritatem, non possint expositam non agnoscere, etiam sub humanæ rationis, de qua quæritur, iudicio. Iudicia Domini vera iustificata in semetipsa. D

MAGNITVDO. Videtur immensum opus omnes humanæ mentis tenebras circa diuina discutere; errores omnes etiam pertinaci vanitate susceptos, sic oppugnare, sic elidere, vt iaceant inermes, & se victos non fateri ridiculum sit. Vna lux infinitis coloribus & figuris præstat vt videantur; vna reuelata veritas, fide firmata, Theologico discursu subtiliter exposita, falsum omne deprehendit, quocumque fuco, dæmonum & hominum peruersæ mentes illud obuelare tentauerint; frangit omnes fluctus immota rupes; vnitas diuisionem omnem metiri potest non pati, vna fidei doctrina, vnum sanctuarii pondus, falli nescit, falsum omne discutiens. E

DVRATIO. Sed sacrum illud pondus, ad aliorum examen repositum; æquissimis oportet regi manibus, & fidei veritas doctorum quos Ecclesia probauerit collato sæpius ad rectæ rationis, & verbi diuini trutinam sincero iudicio debet exponi. Inter varias hominum & monstrificas hæresû opiniones, nulla nobis nunc constaret fidei veritas, nisi semel ab Apostolis acceptam, Ecclesiæ Conciliis, summorum Pontificum decretis stabilitam, ab impostoribus scholastica Theologia vindicasset.

POTESTAS. Ecclesiæ summam quidem authoritatem agnoscunt Catholici, sed negant & impugnant hæretici; oportuit igitur militarem Theologiam copias suas auxiliares conferre, cum vrget Ecclesiasticæ potestatis & veritatis tuendæ necessitas.

COGNITIO. Huius cuncta discernentis scientiæ dator & rector est spiritus Domini, qui nunc etiam vt nascente mundo fertur super aquas, idest super confusos mentium errores; firmamentum cœli, solem, stellas constituit, cum summum Pontificem, cæteras Ecclesiæ potestates ordine suo distinctas, probat à se diuinitus institutas, summo subditorum obsequio colendas, fulgent astra mutuato solis splendore, & certam qua regeremur disciplinam in diuinis & moralibus habemus ab Ecclesia, cuius è cœlo datam potestatem Theologia fortiter contra negantes attestatur.

VOLVNTAS. Lumen naturaliter calor sequitur. *Vide Cognitio Voluntatis.* Et subtilem rerum diuinarum discussionem comitatur ardentior ad eas affectus; sic in Theologicis doctores acutissimi, Augustinus, Hilarius, cæteri Patres antiqui, Thomas, Bonauentura, fuerunt etiam eo quo vixerunt sæculo sanctitate celebriores. Si gemina dos hæc pietatis & doctrinæ non contingit omnibus, singulare vitium est mentis, non scientiæ, quę quantum potest diuinorum ostēdit pulchritudinem, vt ad illam humanos pronocet affectus.

VIRTVS. Virtutibus fines suos, & media quibus exerceantur assignat, falsa, quæ pro veris substituit opinio, efficit manifesta. In hoc igitur regit mores, sed potissimum quia moribus pręsidentem potestatem Ecclesiasticam, tuetur & firmat; tot hęreses bonis moribus infestas, puritati, castitati turpiter insidiantes damnauit, & ab orbe Christiano proscripsit, vt quæ nunc apud nos vigent, optima morum & pietatis instituta libertatem suam debeant Theologię scholasticæ.

VERITAS. Thronum erigit Christianæ fidei, vnde populis secura maiestate legem dicit? quis enim nunc nisi desperatæ temeritatis audeat aliquid retentare contra mores aut doctrinam Ecclesiæ, cum in antiquis hæresibus, nouæ iam expugnatę, iam damnatæ fuerint. Non imperat mentibus veritas, non liberat ex Christi Domini oraculo. nisi hanc extra vim expugnantium, in procinctu semper, suis potius armis, quam victoriis fidens Theologia posuerit.

GLORIA. Quod suas igitur victorias Ecclesia numeret; quod ex longiquo nouatoribus det repulsam & spes auferat; quod alta fruatur pace, Dei miserantis beneficium est, Theologię ministerio præstitum. Christianæ veritati gloriosum est non fugam & tenebras quærere velut foret infirma, sed ex Apostoli præcepto, poscenti rationem reddere, pertinacem argumentorum vi, in deditionem cogere; vel deletum, æternis suis suspendere trophæis.

DIFFERENTIA. In Theologico Lycęo indecisę quędam manent quęstiones, in quibus varia cuiusque mens se liberius explicat, eo quod in hac concertatione inoffensa manet fides, imo velut his contrapositis fulcitur adminiculis.

CONCOR-

CONCORDANTIA. Sic dissertantes, consentiunt in rerum substantia, ludunt in variis possibilibus agendi modis, exercentur æmula subtilitate, sibique parant vires, quibus communem hostem, cum insurexerit, marte vario conficiant.

CONTRARIETAS. His spiritualibus armis instructa procedit Ecclesia, vt ordinata castrorum acies, hostibus terribilis, fidelibus solitæ suę victoriæ spes datura. Militat in martyribus, inter feras, ignes carnifices inuicta fortitudine. Militat in doctoribus, à diuinis fidei regulis spe metuque dimoueri nescia, & vna sic à falsis opinionibus vindicato principio, innumeris morum & doctrinæ præceptis, sua constat in posterum firmitas.

PRINCIPIVM. Ridiculum est reuocare nos ad iacentem adhuc in cunis Ecclesiam; non loquentem, sed gementem sub tyrannorum sæuitia: Adultam, qua ratione volunt, vt prius, imbellem, infirmam fieri, dura tantum silentio patientem: scribebant potissimum de moribus antiqui patres, quia fideles velut abominandorum criminum reos insectabantur pagani, cum tamen hæreses insurexere, has profligare conati sunt doctores sæuiente stylo, laxo tamen, Rhetorico, qui fugæ locum relinquebat hostibus obsidione non satis valida pressis.

MEDIVM. Sic suis periculis Ecclesia didicit vtendum cogente magis sermone ex dialecticę regulis composito, contextuque sic hærente sibi, vt nihil hiet, nihil sit abundantis & superflui; Ita veritas manifestior apparet, exclusis eam impugnantium sophisticis artibus.

Nam quia variant animi variabimus artes
Mille mali species, mille salutis erunt.

FINIS. Sic sensim coaluit scolastica Theologia, sermonis terminos omnes exactè ponderans, ex principiis congruas ducens conclusiones, vt nullus subesse possit errori locus.

MAIORITAS. Quid ni liceat omnium præstantissimæ scientiæ, sicut cæteris assiduo cum materia sua conflictu, tempore perfici, & ex rebus fœliciter gestis certas procedendi fœliciores methodos in posterum sibi sequendas præscribere.

ÆQVALITAS. Omnes Dialecticę fallacias vsurpant hæretici, cur non licebit artem arte discutere, eiusdem disciplinæ regulis vti pro veritate, quibus abutuntur pro mendacio? quam ridiculi sunt qui vellent nos inermes, cęcos, inexercitatos, flores, pro clypeo gestantes, vt contra veritates fidei, quas tuemur, sua certius tela caderent.

MINORITAS. Simplex diuina veritas loquitur stylo simplici, sic aptè tamen concinnato, vt perspicua dociles instruat, contumaces falsi reos conuincat; & mutas efficiat detrahentium linguas. Sic Ecclesiæ bonos mores doctrinæ veritatem profitenti. pro his contra spirituales potestates tenebrarum militanti, plurimum prodest scholastica Theologia.

De vtilitate Dialecticæ in Theologicis. *Vide Medium Veritatis.* Varia media inueniendæ veritatis.

CONSILII INTERDVM optima mutatio.

MVtantur etiam publica consilia & leges. *Vide Differentia Veritatis.* Licet miles domicilium habere videatur, vbi militat. l. 23. ff. ad municip. tamen scholares non dicuntur constituere domicilium vbi student. l. 2. Cod. de incolis. Scientia ex se mutabilis est, nec rebus inhæret.

Malum consilium est, quod mutari non potest. Publ. Mimus. apud Gellium. lib. 17. c. 4.

Plutarch. lib. de placitis Philosophorum, refert Epicurum negasse corporibus innasci colores, sed generari secundum quosdam positus respectu visus, eos proinde non esse qualitates absolutas, sed respectiuas pro ratione videntis. Sic nullum certum insidet menti consilium, sed prout se res habent, mutatur. *Vide Differentia Voluntatis.*

Pudor non obstet quominus orator susceptam, cum melior videretur litem, cognita inter discendum iniquitate dimittat, cum prius litigatori dixerit verum; beneficium est, vt non pellat vana spe litigantem, nec conuenit oratori iniusta tueri scientem. Quintil. Inst. orator. lib. 12. cap. 7.

Sunt qui optimum licet consilium non probant, si non afferant omne sapere ex suo corde dum flecti nesciunt, frangunt omnia.

Appellatur à sede Apostolica ad ipsam sedem. Vt refert Yuo Carnotensis epist. 159. Dicit enim D. Bernard. ad PP. Innocentium ep. 180. Apostolica sedes hoc solet habere præcipuum, vt non pigeat reuocare quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum nec veritate promeritum. Sic l. minor 18. de minorib. permittunt Principes causas à se iudicatas, iterum in auditorium suum, induci.

Licet in melius mutare consilium, quia scientia in dies perficitur. *Vide Diuersitas Cognitionis Motus.*

Ioannes Picus Mirandulanus cum ob propositas à se publicè quæstiones calumniis impeteretur, dixit, Errare possum, hæreticus esse non possum, Ecclesiæ me corrigendum submittens. in eius vita.

Phidias Palladis simulacris apponebat dracones quæ singulis annis solent senectam exuere. Rodigin. lib. 10. cap. 3. sapiens opiniones suas mutat in melius.

Consilia rebus aptantur, res nostræ feruntur, imò voluuntur ideo consilium nasci sub die debet & sub manu.

Variasse Papinianum, & mutasse aliquando sententiam scribit Iustinianus in l. vltima. §. sed cum Cod. de fruct. & ipse Papinianus testatur in l. si venditor §. vlt. ff. de seruo export. Cuiac. Obseruat. lib. 2. c. 37.

Ars diuina variè operatur. *Vide Maioritas Potestatis.* Miracula.

Motus astrorum nunquam perfectè sciri poterunt, nec iudicia quę ex his; oportet igitur singulis temporum curriculis, ex nouis obseruationibus motus syderum emendare. Cardan. Aphor. sect. 1. apho. 8.

Cautia iuramento & sententia terminata, potest in integrum restitui, & de nouo agitari, repertis nouis instrumentis l. admonendi. ff. de iureiur. Cuiac. Obseruat. lib. 18. cap. 35.

Digitized by Google

tabem afferentem inuidiam consopio; hac mœrorem cordis vinculum, soluo, &c.

Idem orat. 23. laudat Heronem Philosophum Christianum, quod curiosam omnem scientiam assequutus, ne ab his, qui illas profitentur illudi, atque exagitari posset; illis tamen prætulit disciplinas, quæ ad mores pertinent, & vitæ officia.

Filii legitimi sapientiæ, acceptam à Deo patre, in ipsum refundunt, & ad eius honorem. Spurii autem non, sed dolis ac fraudibus, gloriam sibi vindicant, & sunt legitimis iactantiores. Paracelf. lib. de fundamento scientiæ. Diaboli scientia per lapsum facta est spuria. Qui intelligit naturam nigellæ, aut alterius herbæ, intelligit in ea artem Dei. Ib.

Deus sanctus est pater luminum. Nos filii Patrem imitemur & habeamus sanctitatem, cum luce scientiarum. Id.

Spiritus qui est proximum vitæ organum ad omnes motus, est substantia, aëreus subtilis vt possit omnia penetrare, & clarus, vt sui munditia possit omnes formas recipere. Albert. Magn. tract. 1. de spiritu & respiratione, cap. 4.

Scientia vniuersalis potest omnia perscrutari, salua conscientiæ integritate. *Vide Magnitudo Cognitionis.* Scientia vniuersalis.

Sanctitas & puritas intellectus ex quatuor efficitur, quorum primum est studium pulchritudinis, secundum acquisitio multæ illuminationis, tertium excessus separationis à continuo & tempore, quartum applicatio cum lumine superioris ordinis. Albert. Magn. tract. 3. de intellectu & intelligib. cap 10.

Anima non efficitur diuina, nisi per intellectum assimilantem. Ib.

Necesse est consummatum virum, & eorum quæ sunt contemplatorem esse, & eorum quæ decent, actorem. Plutarch.

Omne datum optimum; & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum. Hæc luminum processio in nos optimè ac largè proueniens, iterum vt viuifica virtus restituens nos replet & conuertit ad congregantis patris vnitatem, & deificam simplicitatem, etenim ex ipso omnia, & in ipsum. D. Dionys. initio de cœlesti Hierarchia. Super quo dicit Albert. Mag. in Commentario, quod per datum intelliguntur naturalia, quę possunt tripliciter considerari, aut secundum egressionem, aut secundum participationem, aut secundum reductionem: & licet secundum egressionem non sint optima, quia iam distare incipiunt à summa bonitate; nec secundum participationem, nec secundum reductionē tamen optima sunt, quia reducta non distant à principali bonitate. Ergo naturalia sunt optima, reducta ad primum principium.

Corpora luminosa, sunt calidiora. Et Sol sursum eleuat grauia, lumine & calore.

Saturnus minus nocet Lunæ lumine auctæ & crescenti, Haly. 1. part. cap. 4. de Luna. Solitudo cum scientia.

Recte M. Cato definit Oratorem, virum bonum dicendi peritum, nam ne studio quidem operis plucherrimi vacare mens, nisi omnibus vitiis libera potest; primum quod in eodem pectore nullum est honestorum, turpiumque commercium, & cogitare optima simul & deterrima, non magis est vnius animi, quam eiusdem hominis esse bonum & malum, tum illa quoque ex causa, quod mentem tantæ rei intentam vacare omni-

A bus aliis, etiam culpa carentibus curis oportet, ita libera, ad id tantum quod intendit, accingetur, si enim cura familiæ, quanto magis auaritia, cæteræque cupiditates tempus studiorum auferent, & cogitationes perturbabunt? Nihil enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens. Inter hæc non magis locus est studiis quam fructibus in terra sentibus occupata. Ad perferendos studiorum labores necessaria frugalitas; pro bono & æquo non certabit, vt decet malus & iniquus: bonus bona facilius persuadebit, &c. Quint. Instit. orator. lib. 12. c. 1.

B Colligendo radios solis in speculo concauo, excitamus ignem in materia bene disposita. Sic charitatem ex scientia.

Monachi scientiarum professores. *Vide Principium Cognitionis*, alios docere.

In Epiphaniam, seu sancta lumina Oratio Gregorii Nanzian. & Gerson. tom. 4.

De inscitia Clericorum, liber Petri Damiani.

Pro studiosis lectiones duæ pœnit. Gerson. to 4.

Æsculapius dictus est ab antiquis Appollinis filius, quia sapientiæ æternæ & lucis fontalis participatio dat veram homini sanitatem, seruat & sanat ab omni excessu.

C Antiqui dicebant in numine lumen, & in lumine numen.

Lumen nihil addit ad pondus candelæ aut cristalli, sic ex scientia non superbiendum Non est vera scientia, quæ inflat.

Nulla sapientiæ lux fulget, nisi purgatis pectoribus.

Lux sacris adhibetur, fugat enim tenebricosos dæmones, qui habet simulachrum & vehiculum lucis illius superioris qui dicit. Ego sum lux mundi. Boni Angeli sunt in luce validiores.

Fumus expellit apes, & mens turbata passionibus non percipit sapientiam.

D Dicit Moyses in descriptione creationis mundi, Factum est vespere, & mane dies primus, secundus, &c. quia vespera significat perfectum opus quod subsequitur perfectior sancti Spiritus illustratio. Petrus Damian. lib. 2. ep. 5. Tertia die separatis aquis superioribus ab inferioribus, dulcibus ab amaris quarta die fiunt luminaria; illustrationes & Dei ex mortificatione sensuum. Ibid.

Caput vt manus sacerdotis oleo sancto vnguntur Leuit. 21. quia sancta in eo debet esse scientia & operatio. Ibid.

E Cum Deus sit charitas, non potest mens scire Deum, & non diligere, ita non potest esse vera scientia Dei, vbi non est charitas: In omni igitur peccatore est ignorantia Dei. Card. Cusa. excitat. lib. 5. cap. 57.

In superbam, scilicet & maleuolam animam non intrat sapientia, nā illa non est libera sed serua & fœdere seruili maligno spiritu subacta, vnde oportet exinainte seipsum, vt quis recipiat diuinam formam. Id. lib. 6. c. 6.

In basibus erant Cherubim, leones, & boues, 3. Reg. 7. significabant scientiam cum authoritate, & simul cum patientia, humilitate, mansuetudine. Rupert. in 3. Reg. c. 24.

Successu temporis crescentibus hominum vitiis, virtutibusque pereuntibus disciplinæ, scientiæ, artes diminutæ sunt. Æneas Syluius epist. 104.

Plato 7. de Republ. diuidit scientiam, in Meta-

Digitized by Google

physicam, quæ est de enti secundum se, physicam, A & moralem. Logica & Mathematica sunt tantum instrumenta, moralis est velut finis.

Presbyteri iubentur per vicos & villas, scholas habere, in quibus pueros erudiant, quia qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti. Daniel. 12. & nullo accepto pretio doceant. Capitulare Theodulphi. Co. 90. a. 797. Concil. Parisiens. VI. cap. 30. Valentinum III. c. 18.

Cum gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subseruiat fidei, sicut naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati.

Ratio est radix virtutum, scientiis autem ratio perficitur.

B De plantis, quarum aliquæ fructum ferunt, aliæ non. *Vide Principium Cognitionis.* Alios docere.

Tria rogat Dauid, Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me.

Dæmon cum Christo de sacra Scriptura loquitur. Serpens erat prudentissimus omnium bestiarum. Quoniam non cognouerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum. Rom. 1.

Theologica scientia quamuis quo ad aliquid sit speculatiua, & quo ad aliquid practica, tamen magis simpliciter dicenda est practica quam speculatiua, tractat enim speculatiua propter operationem dilectionis; & exercitationem amoris, & C ipse Deus qui Theologiam inspirauit, plus acceptat à nobis diligi, quam tantum cognosci, denominatur à fine qui est dilectio, in qua pendet tota lex & Prophetæ; dicitur ergo speculatiua, quia dirigit praxim, scilicet actum dilectionis. Dicitur scientia affectiua, quia est sapientia, scilicet sapida scientia propter dilectionem.

Omne perspicuum quod ita lumen admittit vt retineat, album euadit. Specula recipiunt sed non admittunt, aqua & aër admittunt, sed transmittunt. Cardan. de rer. variet. lib. 3. c. 14.

Sacerdotes dicuntur Angeli, propter puritatem, scientiam, illustrationem.

In sacrificio quod offertur pro peccato Pontificis, D non addit Legislator, quia per ignorantiam aut non voluntate peccauerit, neque enim cadere ignorantia poterat in eum, qui vt cæteros doceret, prouectus est. Origen. homil. 2. in Leuit.

Leuit. 7. est immunditiæ genus si is qui carnes sacrificii edit, sit immundus. Si sit aliquis naturæ florentis, & ardentis ingenii, non continuo aptus videbitur ad suscipienda verbi Dei mysteria, sed quæritur etiam hoc vt prius à prophanis actibus separetur & ita demum eruditionis capax fiat, si prius capax fuerit sanctitatis. Sic Num. 11. dicitur; Sanctificamini in crastinum vt manduce- E tis carnes, Id. homil. 5.

Num. 11. dicitur de 70. sapientibus electis à Moyse, quod requieuit super eos spiritus, quia propter puritatem cordis & mentis sinceritatem, in illis placidè regnabat. At peccantes recipientes in se spiritum malum, contristant & eiciunt Spiritum sanctum. Origen. himil. 6. super Numer.

Iesus non inuenitur inter sanguine coniunctos, nec in multorum comitatu, sed inter doctores, interrogans.

Moralia fundantur in naturalibus. *Vide Principium Veritatis* Deus.

Meritò dicebat Christus, Ioan. 3. qui facit mala non venit ad lucem. Vita quippe impura est impedimento sublimibus dogmatibus, non sinens vt appareat perspicax animæ facultas: ab animi perturbationibus liberum esse oportet eum qui venatur sapientiam. D. Chrysost. hom. 8. in. 1. ad Corinth.

Sicut qui est diues in pœcuniis, ferre potest damnum & condemnationem, ita etiam qui est diues in dogmatibus Philosophiæ, facilè ferre potest non solum paupertatem, sed alias etiam calamitates; quo plus tulerit ditior & fortior, est ad ferendum, propter habitus. Idem. homil. 9. ad Coloss.

Missa non celebratur absque lumine, non vtique ad depellendas tenebras, cum sit clara dies, sed in typum illius luminis, cuius Sacramenta conficimus, sine quo & in meridie palpamus. *Vide Bonitas Cognitio.*

Scientia cui accedit pietas, est vt oleum aut cera cui permiscetur balsamum. *Vide Gloria Cognitionis.*

Ioannes cum esset lucerna ardens & lucens, solem tamen ostendit.

Lactantius lib. 4. cap. 2. veram probat esse Christianam religionem, in qua iidem sunt doctores sapientiæ, qui & Dei sacerdotes: quia ibi sapientia cum religione coniungitur, vbi Deus colitur vnus, vbi vita & actus omnis ad vnum caput, & ad vnam summam refertur; at apud Ethnicos Philosophia & Religio Deorum disiuncta erant, siquidem erant aliqui professores sapientiæ, per quos ad Deos non aditur; alii Religionis antistites, per quos sapere non dicitur; ex quo apparet nec illam esse veram sapientiam, nec hanc religionem. *Vide Veritas Virtutis.* Opera dictis concordent.

Oculus puluere, fumo vitiatus non videt, sic animus passione possessus non intelligit; auis madefactis alis non volat.

Cardinalis Cameracensis de Aliaco in præfatione suæ Astrologiæ Theologisatæ dicit per magnam & maximam coniunctionem quæ fuit 28. an. August. 6. annos ante Christum, significasse legem mercurialem. Et hæc magna coniunctio fuit in ariete secundnm tabulas, assignantes vnicuique 20. annos; in ariete autem erat Mercurius nascente mundo.

Fides est in intellectu secundum quod est motus imperatus à voluntate: cum autem charitas sit perfectio voluntatis, sequitur quod à charitate fide informatur. D. Thom. in quæst. disput. de fide art. 3: o. dicitur autem forma in quantum fidem perficit, sicut elementa superiora perficiunt inferiora.

Ad sapientiam non sufficit lectio siue vnctione, speculatio siue deuotione, inuestigatio siue admiratione: circumspectio siue exultatione, industria sine pietate, scientia siue charitate, intelligentia sine humilitate, studium absque diuina gratia, speculum absque sapientia diuinitus inspirata. Oremus igitur ad Dominum vt Psal. 85. deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua. D. Bonauent. initio itinerarii mentis in Deum.

Quo quis magis est abstractus à corporeis, melius intelligit, ita fit extasis. *Vide Differentia Potestatis.* Diuersa diuersis officia.

Sacrificii genus erat illuminatio lucernarum intra Tabernaculum. Tostat. Exod. to. 2. 16.

Ortus est Sol & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Scientia diuina feras paf-

Digitized by Google

sionesq; fugat. Laurentius Iust. de institut. A prælat.

REPVGNAT
SCIENTIA CVM IMprobitate,

OMne volucrum genus, habens quatuor pedes, est immundum. Leuit. 11. de his qui cum scientia sua possent sublime petere, tamen circa terrena, cum cæteris occupantur.

Gen. 3. serpens quo velut instrumento diabolus loquebatur, dicitur prudẽtior cæteris animantibus. Sic 1. Corinth. 1. dicuntur huius mundi sapientes. B

Habent lucem sine calore vermes nocte lucentes, ligna putrida, quorundam piscium squamæ; mali, scientiam sine charitate.

In multis scientiæ non modo inutiles, sed infestę, efficiunt enim ingenia desidiosa, arrogantia, insincera, ad audaciam prærupta, & ad seditiones excitandas. Sæpius litteræ sunt improbis, quod syluæ latronibus.

Qui quæ sciunt, non transferunt ad mores, similes sunt auaris, qui custodiunt thesauros, his autem non vtuntur. Sunt vt cæci qui accendunt facem, qua alii vident, non ipsi.

Qui sunt sub polis vident solem, nec illis est nox, quandiu decurrit signa septentrionalia, & tamen, nimio frigore sterilis est regio. C

Rom. 1. Paulus grauiter increpat gentes quæ cum Deum cognouerint, non vt Deum glorificauerunt, sed obtenebratum est insipiens cor eorũ.

Vide Maioritas Minoritatis. Culpa maior pro ratione dignitatis.

Dæmones valent Arte Magica, & hæc scientia & potestas eis à Deo data est, vel ad fallendum fallaces, vel ad mouendum fideles, vel ad exercendam probandamque iustorum patientiam. Magister senten. lib. 2. dist. 7. q. 3.

Prophetia potest esse cum improbitate morum, vt fuit in Balaam; in damnatis qui Math. 7. dicunt, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus? & 1. Cor. 13. Si habuero prophetiam, charitatem autem non habeam, nihil sum. D. Tho. in quæst. disput. de prophetia. a. 5.

Deterius est cum cognitione peccare, quam sine cognitione, vt tanto deterius est inexcusabile peccatum, eo, quod habet excusationem. Iustinus Martyr q. 3. ad orthodoxos.

Calor est medium operandi in calidis animantibus ex natura solaris lucis: In piscibus vero vita est de natura luminis frigidi, & propterea subsistit absque actuali calore, idest vero, sic in rana viua dissecta videtur maximus cordis & pulmonum motus, non tamen ob refrigerationem. Van Helmont. blas humanum.

Datur lux frigida. *Vide Differentia Cognitionis.*

Venus multum opponitur disciplinis & eruditioni, nec vincitur nisi à Saturno, ideo eruditi vt plurimum sunt malorum morum circa venerea. Cardan. Aph. sect. 4. Aph. 101.

Mars Mercurio sociatus facit artifices industrios, malis tamen moribus. Ib. sect. 5. Aph. 168.

Nec rusticus & simplex frater ideo se sanctum putet si nihil nouerit, nec peritus & eloquens lingua æstimet sanctitatem. Multoque melius est è duobus imperfectis rusticitatem sanctam habere, quam eloquentiam peccatricem. D. Hieron. epist. ad Nepotian.

Doctor creari non potest, nisi præuia fidei professione. Pius 4. const. 88. Bull. p. 96. to. 2.

Infausta est illa sapientia quæ te ad exitium ducit. Melior esset ignorantia. *Vide Minoritas Cognitionis bona.*

VERITAS COGNITIONIS.

QVÆ SIT VERA COGNITIO.

ARs, vt definit Cleanthes; est potestas, viam & ordinem efficiens.

Scientia humana absque diuina curta est, teste Ambrosio; nã causas pro causis assignat, & principia petit, fingitq; qualia homo imaginatur possibilia, sæpeque impossibilia. Campanella in præfatione Astrologiæ.

Mercurius in domo Saturni, in bono esse dat intelligentiam rerum medullitus. Hermes. *Vid. Princip. Cognition.*

Definitio, est oratio quæ significat quid res sit. Arist. 1. Top. 5.

De discretione spirituum. Aluarez to. 3.

Scientia est cognitio certa, saltem moraliter alicuius rei, & est vel practica, vel speculatiua; speculatiua est illa qua in genere concluditur, aliquid esse bonum vel malum, agendum, vel fugiendum; practica est illa, qua in casibus particularibus iudicatur aliquid esse bonum vel malum, agendum vel fugiendum. Bonacina de peccatis q. 4. pun. 6. D

Abstrahentium non est mendacium. Arist. 2. phys. tex. 18.

Ars, est habitus, cum recta ratione effectiuus. Arist. 6. eth. c. 4.

Sicut se res habet ad esse, ita & ad cognosci. Id. 2. Meta. tex. 4. vt existit per suas causas, sic debet cognosci.

Scientia est rerum necessariarũ, non autem contingentium. Id. 1. poster. tex. 8. vnde obiectum scientiæ debet esse ens per se, non autem ens per accidens. 1. Post. 15.

Digitized by Google

Sensus non errat circa proprium sensibile. 1. de anim. Tex.63. positis scilicet omnibus necessariis ad agendum.

Veritas est in intellectu per respectum ad res; In rebus autem est per respectum ad suam idæam. Auicenna definit veritatem vnius cuiusq; rei esse proprietatem sui esse, quod stabilitum est ei. Et Plotinus lib. de æternitate; Veritas, inquit, non est consonantia erga aliud, sed ipsius est propriũ, cuius est veritas.

Verum intellectus nostri, est secundum quod conformatur suo principio, scilicet rebus à quibus cognitionem accipit; veritas autem rerum, est secundum quod conformantur suo principio, scilicet intellectui diuino.

Philosophus 4. Metaph ponit pro regula generali, quod omnis propositionis negatiuæ veritas fundatur semper in affirmatiua; vt homo non est asinus, quia est homo, & ex 1. posterior. Nulla negatio conuenit alicui enti, nisi ratione positionis alicuius. Perbartus in rosario Theolog. voce affirmatio.

Ex hoc dicitur propositio per se nota, quod ex propriis terminis habet euidentem veritatem, eo quod prædicatum includitur in ratione subiecti, vt homo est animal. quod etiam cadit sub sensu, quia principiis nihil notius: Ea ergo quæ sunt per se nota nobis statim efficiuntur nota per sensum, sicut visis toto & parte, statim sine inquisitione cognoscimus quod omne totum est maius sua parte. Ibidem voce Deus, §. 5. dicit Philosophus 1. Posterior. per se nota sunt, quæ etsi exterius ore negentur, nunquam tamen negari possunt corde.

Solus sapiens verè de rebus iudicat. *Vide Differentiæ cognitionis.*

De falsa sapientia humana vide eodem.

Omnis sensus recipit formas sine materia, sicut cera sigillum aureum sine auro; sic sensus odoré, non autem odoriferum, & colorem lapidis & figuram, non autem lapidem, quia plantæ non recipiunt sine materia, non sentiunt; recipiens denudatum esse debet natura eorum quæ recipit, alioquid, quod est, fieret. Arist. 1. de ani. t. 121. sic iustitia sine acceptione personarum.

Plato 7. de Republ. dicit dialecticam cæteris scientiis esse loco sepimenti, vallat enim illas disserendi ratio, de vero, falso, & consequentibus iudicium, alioquin vera sententia à subtili confutata concidet. *Vide Medium Veritatis.*

Vera sapientia est de rebus incorruptè iudicare, vt talem vnamquamque existimemus, qualis ipsa est, ne vilia sectemur tanquam preciosa, aut preciosa tanquam vilia reijciamus, vt vituperemus laudanda, neue laudemus vituperanda. Quocirca perniciosæ sunt vulgi opiniones quæ stultissime de rebus iudicant. Lud. Viues. *Vide Cognitio Bonitatis.* Discretio boni à malo.

Mens nostra debet esse intellectualis, nõ autẽ rationalis, si Dei simulachrũ proximũ referre debeat.

Oculi sani nulla habent excrementa vel sordes; vera fides non dubitat.

Solis lucem quisquis sano cernit intuitu, agnoscit ipsam externo non indigere suffragio, per se namque sufficit sibi, & vt alia per ipsam videantur; quanto magis veritas Christus, lux vera illuminat omnem hominem venienté in hunc mundum; ex infirmitate intuentium causatur eius ignorantia, vt cæcus non videt lucem, nec de coloribus iudicat, cum sit sine macula, ab immacula-

A tis tantum qualis est, videtur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Laurent. Iustin. fasciculi amoris cap. 13. De puritate ad contemplationem necessaria. *Vide Virtus Cognitionis.*

Recta conscientia est quæ irradiata diuino splẽdore, sincero rationis examine facienda ac non facienda discernit, semperque potiora sectatur. Dei timore, ac internæ pacis tranquillitate suffulta, regia graditur via, spiritusque libertate dirigitur, adeo vt nec propriæ confidentiæ tumore dilatata præcipitetur, nec pusillanimitatis stimulis coarctata delitescendo succumbat. Nulla igitur recta conscientia censenda est, nisi quam informat caritas, confirmat gratia, dirigit sapientia. Hæc

B saluat hominem, spirituale ingerit gaudium, spei dulcedinem roborat, serenitatem mentis facit, aspirationi supernæ præbet assensum, obtemperat Deo, abhorret vitia, studet in virtutibus proficere. Laurent. Iustinian. de contemptu mundi. cap. 3.

REPVGNAT.

FALSVM DE REBVS Iudicium.

Examen vanitatis, doctrinæ gentium libri 6. Francis. Pici Miran. Consilium mulieris inualidum, pueri imperfectum, Arist 1. Polit. c. 8.

C Mulieres enim licet sint acuti ingenii, passionibus subiacent, & sunt inconstantes, ideo à publicis officiis repelluntur. Pueri autem carent experiẽtia Aratus ignarus Astrologiæ ornatissimis, atque optimis versibus de cœlo, stellisque dixit, atque conscripsit. Cicero 1. de oratore.

Vide Contrarietas Cognitionis, & Contrarietas Veritatis. Mino. Verum. Speculum, sinistrum refert velut dextrum.

Falsæ sunt humanæ prudentiæ regulæ, & his vti non debet regimen Religiosum. Vide quæ scripsi. lib. de institutione & officiis Religiosi. parte. 3 cap. 3.

Mathiolus & alii occupati sunt circa facies, non circa virtutes herbarum. Non est prudentia, non est sapientia, non est consilium contra Dominum,

D euanuerunt in cogitationibus suis, Domino permanente.

Vidi hominem stantem, mortuum ambulantem, qui nunquam fuit, est imago in aqua. Alcuin.

De spe. *Vide Voluntas Gloriæ, & Veritas Gloriæ. Rep.* De somniis sæpe fallacibus. *Vide Maioritas cognitionis.* Præsagia ex somniis.

De præsumptuosis & falsis doctoribus. *Vide Medium Veritatis.* Doctoribus assentiendum.

HVMANÆ PRVDENtiæ vanitas & stultitia.

E

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Viluit iam pridem apud multos à Philosophis & religione tradita morum disciplina, velut Scholis tantum, deiecta & nihil magni spirantibus animis propria. Solum nunc mortales celebrant prudentiam humanam, quam vocant mundi scientiam, qua sola putant, opes, gloriam, & ea quibus res priuatæ publicæque proficiunt, comparari; hanc tamen Christus Dominus vanam stultamque pronuntiauit. Patet ora-

Digitized by Google

culi veritas, cum vides hominem hac sæculi peritia præditum, spretis rebus spiritualibus, corporeis tantum, & fortuitis quæ bonæ menti sunt impedimenta, totis viribus incumbentem. An non vanitas est boni fugaces vmbras, incerta, nocitura sectari? an dementia, rationalem creaturam, non rationi, non virtuti, sed sensibus & cupiditatib9 perfectioni suæ cõtrariis totã intẽdere?

MAGNITVDO. Nocens illa sapientia, sicut febris, aut pestifera quælibet qualitas, quo maior, eo timenda magis. In priuatis hominibus dolos nectit, iurgia quæ sibi prosint, disseminat, serpit, insidiatur, quidquid moueat malæ fidei semper artifex. At cum in regimine positi mentem insederit, consultò res turbat, tenebras offundit, bella mouet, vt securius prædas agat, fœderibus innectit ambigua, quibus possint ad libitum dissolui: heu quantæ nobilium & populorum strages, quos in paratos vrget laqueos; malis vndique timendis obsidet, sic occulta vexat pernicie, vt miseri suæ videantur calamitatis authores.

DVRATIO. Non impune tamen mordet & inficit; è latibulis prodeuntem omnium obseruant oculi; vt ab eo sibi quisque caueat, omnium ora proclamant; deceptorem, perfidum, vnius aut alterius ab eo læsi gemitus prodit, vnius vocem, populi vox mirè propagat, vbique denuntiat, & infamis in posterum irritos efficit conatus; hic humanæ sapientiæ finis est, vt sibi dũ nimis prodesse vult, noceat, meritoque dicatur apud Deum & homines, sub prudentiæ titulis mera stultitia.

POTESTAS. Humilibus indignis etiam officiis, fortè dignitates obtinebit sæculo sapiens; sed ò ridicula vanitas, qua quis grauissimum humeris suis imponit, collum iugo, pedes manusque vinculis tradit, vt potentior liberiorque dicatur; si qua fuerit honores ingressus fœlicis astutiæ viâ, sibi plaudens, procedat, in aperto positi fraudes non fallent intentos omnium oculos, semelque de his conuictus æterna postmodũ suspicione laborabit, prona sẽper in id quod deterius est, fama.

COGNITIO. Hominis alia debet esse solertia, quam bestiarum, quæ sensibus tantum indulgent, aut iras suas explicant indomita feritate. Indignissimum est hominem cœlo natum, canes, porcos, lupos, leones imitari in lasciuiam aut credulitatem pronis moribus, & rationẽ, quam natura dominari præcipit, efficere turpissimum concupiscẽtiæ mancipium. Non debet sic deijci diuinæ sortis animus, sed si sibi non sufficiunt impressæ naturalis æquitatis leges, si placet imitatio, conformetur sapiens à materia secretis intelligentiis, artem qua regunt vniuersa, alto securoque sensu transferat in mores suos.

VOLVNTAS. In hac mortali peregrinatione falsò se ducem itineris præstat sæculi prudentia, quę à vero fœlicitatis & quietis termino, eo magis recedit, quo velociori transfertur motu; Immensas enim illimitatas concitat cupiditates, ambitiones, auaritiæ, luxuriæ, dum arte possibiles efficit, sed male fœlices, cum deducant hominem in ea quæ vitare debuerat, in seruitutem pro libertate, in curas & labores pro quiete, sæpius in infamiam pro gloria, tandem in impio pertinaces exitus, quibus interdum negatur, quod extremis in malis solatium est, dolere & pœnitere.

VIRTVS. Fallacis huius prudentiæ magistri docent virtutem suis cultoribus, onerosam, nociuã, in gloriam fieri; sufficere si quis præferat eius larnam & vestem, quę cum tulerit occasio, securius

A sub quæsita probitatis opinione, possit deponi. Apud illos vtile vel iucundum est pro honesto. Quidquid iusti præcipiunt leges, quidquid pietatis inspirat religio, fictitium reputant, & animalis populi maxillis, frænum, quo regantur, impositũ. Ita sine lege, sine conscientia, sine spe metuq; numinis præceps vita labitur in omne nefas, & quas aliis inflixit, vicissim patitur læsiones; nam in rerũ humanarum directione, vim, fraudes, confusionẽ admittunt, secluso penitus ordine, sine quo tamen nullum opus naturæ vel artis stare potest.

VERITAS. Sibimet ipsi mentitur iniquitas, inquit Propheta; nam cum politicorum mores, hæc impia dogmata exemplo suo effecerint publica, ab
B iisdẽ impugnantur, nec ipsi fallunt monitos, & ab his quos fraudis ignorantes putant, fraude pereũt.

GLORIA. Hoc habet fallax seculi genius, vt quos afficit nusquam sinat esse quietos, semel quas aliis inferunt iniurias passi, continua postmodũ suspicione laborant; vt rectis corde pacem Deus promittit, sic duplici corde linguaque procellas & turbines minatur.

DIFFERENTIA. Hac imbuti mundana prudentia, non eunt, sed iactantur fortunæ phantasieq; vario semper æstu. Ipsis nihil constat, nec mens, nec iudicium, nec affectus, nec occasio, vt in tempestate iactato nauigio, concutitur ipsamet, cui putant inniti, sedes.

C CONCORDANTIA. Vbi nulla fides, perit vnicum in aduersis solatium amicitia. Inita sceleribus societas, iisdem quibus coalescit dissoluitur; virtutibus & gratus proprium est consentire, vitia, malique dissident nunquam fœlicius quam cum mutua proditione, dum sibi quisque consulit, se deferunt iudici.

CONTRARIETAS. Licet mundanus sapiens cuncta verset animo, præterita pręsentibus conferat, auguretur futura, insperata tamen casus afferet, vnde sæpius delusa mens discit in posterum cũcta timere, & dũ possibilibus sagax occurrere nititur, futuris malis nescia viam aperit, viribus suis, aliò quã oportebat, cæco iudicio distractis ac diuulsis.

D PRINCIPIVM. Mundanos itaq; sapientes merito Christus vocat filios tenebrarũ, tum quia plusquã oporteat, & ferant, lucis ambientes, cæcutiunt, tũ maxime, quia suæ fidentes industriæ, nihil sperãt, nihil precantur, ita nihil obtinent à Deo, cuius videntur existentiam & prouidentiam inficiari, & qui propterea iustè tradit illos in sensum reprobũ vt faciant ea quæ non conueniunt.

MEDIVM. Impietatis extremæ rei, nullo numinis metu vel amore, mediis iniquissimis implent iniqua sua vota, crimen criminibus contegunt, & ab officiis ciuilibus propria se remouent infamia.

FINIS. Vt in Deum intentio piè directa, quibuslibet
E actibus conditione sua licet immeritis, meritum affricat, sic humana prudentia quidquid agit referens in philautiam, in sensibilia vel vana, velut in finem vltimum, ex se bonis operibus, iustitiæ, misericordiæ meritum præripit.

MAIORITAS. Hæc excellentia quam mundani sapientes ambiunt tot curis, tantoque labore sibi comparant & viuis & mortuis in pœnam.

ÆQVALITAS. Peccat, & suo se torquet iudicio qui nobiles animæ potentias ad sensuum, & vanitatis ministeria deiicit.

MINORITAS. Quidquid agat mundanus sapiens, vagas nõ sistet, vacuas non implebit suas cupiditates, nõ impediet quin multa casus interueniat, quin ætas decurrat in seniũ, quin mœsta lætis occultus

rerum ordo permisceat, quin mobilia statum non seruent, temporalia diffluant, mortalia moriantur. Suis eunt ista legib. quibus parere necessitas est; ad quæ præparati sapientia, non mentem torque-A re vanis cogitationibus quæ hanc rectrici prouidentiæ contumacem, cœlo extorrem, efficiant.

GLORIA COGNITIONIS.

SCIENTIÆ ET CONTEMPLATIONIS excellentia.

DVO sibi perpetuum exhibent auxilium, ars & natura. Scientia fortunæ non subiacet, A

Antiqui Galli inter Deos Mercurium maximè colebant quasi scientiarum & artium inuentorem, quibus stat fœlix humana vita, ratione tum animi, tum corporis. Cæsar. lib.6. de bello Gallico.

Non solet scriptura in commemoratione generationum fœminas nominare, tamen Gen. 4. recenset Noëma propter excellentiam artis, docuit enim lanificium & pannum texere, cum antea bestiarum tantum pellibus homines vterentur. Genebr.

Supremus gradus in entibus, est intellectus, & Arist. 14. Metaphys. substantias separatas vocat intelligencias; in quarum prima agnoscit diuinitatem. B

Quod est perfectissimum in qualibet intellectuali natura, est intellectualis operatio, secundum quam capit quodammodo omnia. Vnde cuiuslibet intellectualis naturæ creatæ beatitudo consistit in intelligendo; quia sicut vnaquæque res appetit suam perfectionem, ita & intellectualis natura naturaliter appetit esse beata, cum beatitudo significet esse perfectum intellectualis naturę.

Massagetę vni soli rem diuinam obeunt cæteris Diis contemptis. Rodigin. lib. 18. c. 28. soli lucis sensibilis principio. C

Pulchrior est pictura auiculæ ab excellenti pictore facta, quam Dianæ ab inepto, propter artis excellentiam.

Olim in solemnitatibus sanctorum, & in funeribus præstantium virorum oleo communi miscebant oleum Nardinum, & ceræ opobalsamum optimosque odores, vt dum lucerent etiam fragrarent. Talis est scientia cui accedit probitas famæ.

In conuiuiis dapes, spectacula, conuentus, odores sensus mulcebant at longe maior est delectatio sermonis primum historici qui mentem sine periculo transfert in omnes orbis partes, sed maior est delectatio sermonis philosophi qui ad naturam mentis spiritualis & rationalis magis accedit, &c. Maximus Tyrius. serm. 12.

Scientiæ speculatiuæ sunt honorabiles, sed non vtiles vt practicę. Tost. Gen. fo. 15.

Suppolares homines in extrema septentrionis portione solem adorant, quod toto solaris cursu eis luceat, gratias ei offerentes quod lumen contra tenebras perpessas, & calorem contra immensa frigora adducit. Lunam etiam adorant, quia hyeme remoto sole, continuè eius vtuntur lumine, exceptis interluniis. Olaus Magnus, lib. 3. cap. 2. *Vide Finis Contrarietatis.* Aduersitatis. *Vide Gloria Principij.* Honor Magistri.

Antiqui nomina Regum qui stellam aliquam scrutati fuerant, eius vim & motum deprehenderant, tribuerunt stellæ, stellarum vero immortalitatem hominibus. Cardanus in encomio Astrol.

Cum Sol, Iupiter Mercurius fuerint in signis aëris, natus erit magni nominis ratione industriæ. Id. Apho. sect. 3 aph. 135.

Hominis dignitas consistit in anima rationali qua prestantior est cæteris animalibus & finis mundi materialis. Vide quæ scripsi. theologię naturalis. to. 2. parte. 1. ca. 2. 3. 4.

Si quis ex pluribus herbis emplastrum fecerit, aut ex pluribus odoribus vnguentum, emplastri vel vnguenti Dominus est qui fecit, non cuius herbæ vel odores fuerunt. l. quidquid §. 1. ff. de acq. rer. dom. sic in pictura, materiam enim superat opus. §. si quis 30. Inst. eod.

SCIENTIARVM, ET artium præmia.

IVlius Cæsar, omnes medicinam Romę professos, & liberalium artium doctores, quo libentius vrbem incolerent, & cæteri appeterent, ciuitate donauit. Sueton. in Iulio Cęsare.

Gorgiæ Leontino Sophistæ, statua aurea posita fuit in templo Apollinis. *Vide Duratio Cognitionis. Rep.* citissima cognitio.

Omne lumen in humido pingui, & pinguedine consistit.

De salario aduocati. *Vide Æqualitas Bonitatis.*

De honore viris doctrina illustribus exhibito vide plura exempla apud Chassençum in catalogo gloriæ mundi parte 10. consider. 7.

De sapientia dicitur Sap. 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.

Vt fruges sub grata aëris temperie proficiunt, sic scientiæ & artes sub dominantium liberalitate, honorificentia, benignitate. Plutarch. lib. 1. de virtute & fortuna Alexandri.

Digitized by Google

Prouerb. 18. dicitur, De fructu oris viri replebitur venter eius, & genimina labiorum ipsius saturabunt eum, & 12 cap. De fructu oris sui vnusquisque replebitur bonis. Eccles. 7. & Prouerb. 8.

In viis iustitiæ ambulo, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam. Prouerb. 8. dicit Sapientia. Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ. & iustitia.

Cassiod. lib. 13. Variar. cap. 13. dicit quod ars est decus vrbium, & æquiparatur aliquem ali, & artificio eruditi. l. 1. in f. Cod. de infantib expofit. Variarum artium enumerationem, & vtilitatem. Vide Chassen. catal. gloriæ mundi parte 11. consider. 14.

Inter artifices præferuntur hi qui seruiunt principi, & tales dicuntur habere dignitatem. Ibid.

Apud Sinenses, primas in Repulica partes tenent docti & litterati, postea milites. Dauity.

Oculus videns solam lucem, putat se nihil videre; ita parum videtur scientiam consequi sine præmio.

VOLVPTAS CONTEMplationis.

FRuctus eius dulcis gutturi meo. Cant. super quo sic Origenes.

Da mihi Domine fructum dulcem, fructum vitæ animæ meæ; altus es, attole desiderium; benedictus es, sanctifica obsequium: imputribilis es, purifica affectum; suauis es, lætifica animam.

Sapientia nihil est aliud, quam vnicum, id que æternum gaudium; est enim radius diuinæ sapientiæ, immortalis, & beatæ Paracelsus. lib. de fundamento scientiarum.

Albert Mag. tract. 2. de natura & origine animæ, probat immortalitatem animæ potissimum ex eo quod maximam percipit delectationem ex abstractæ veritatis contemplatione. Ideo omnes homines scire desiderant, & cum omne scire ordinetur ad scire diuinum, quod est intellectuale fine continuo & tempore, finale desiderium omnis hominis est ad illud, sicut ad optimum secundum naturam, eo quod admirabiles delectationes habet huiusmodi scire, ex puritate eius quod intelligitur, & firmitate sapientiæ, quæ primorum & manifestorum est secundum naturam & propter quandam cum anima conuenientiam & analogiam.

Pisces in medio aquarum maris, tamen concupiscunt aquas pluuiæ, quibus impinguantur, propter earum subtilitatem, dulcedinem, vaporositatem, qua etiam crescunt multæ herbæ, quæ cedunt illis in cibum: Cœlestium contemplatio plus habet voluptatis & vtilitatis, quam terrenarum omnium rerum possessio.

In tenebris non cantant aues, sed in luce.

Est aliquis, & nescio an maximus, etiam ex secretis studiis fructus, ac tum pura voluptas litterarum, cum ab actu, idest opere, recesserunt. & contemplatione sui fruuntur. Quintilian. Instit. orato. lib. 2. cap. 19. *V. de Gloria Virtutis.* Secessus.

Pinguedo est naturaliter ignis, luminisque fotiua. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.

Dum mens scientiis & artibus vacat, latenter

A prætemauigat, & obliuiscitur calamitates. Hanc voluptatem pœnitentia non sequitur.

De consolatione Philosophiæ Boetius. De consolatione Theologiæ. Gerson. tom. 3.

Comprehensio est causa voluptatis. Arist. 12. Metaph text. 39. Idque tum ratione sensus, tum intellectus.

Nisi pulchritudo ab omni pulchro fuerit absoluta & separata, non est simplex, incorruptibilis & delectabilis pastus animæ intellectualis incorruptibilis; ex quibus sumus, ex his nutrimur. Incorruptibili non proportionatur corruptibilis cibus. Vnde pulchri relucentia in pulchris corruptibilibus, non pascit, sed veritas sola quæ relucet, B sic ex multis suis imaginibus aliquis abstractè concipit qualis sit facies sua. Card. Cusa. excitat. lib. 5. cap. 59.

In Deo licet ente simplicissimo, est vera pulchritudo. *Vide Potestas Virtutis.* Sapiens seipso contentus.

Operatio apprehensiuæ virtutis assimilatur quieti, operatio autem virtutis appetitiuæ, magis assimilatur motui.

Quidam scientiarum & studiorum non tam vtilitates quam amœnitates quærunt.

Dicit sapientia, Spiritus meus super mel, dulcis & Sap. 8. dicitur Non habet amaritudinem conuersatio illius. Delectabar per singulos dies lu- C deus coram eo in orbe terrarum.

Sapiens dictus est à sapore, quia sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dignoscentiam rerum, atque causarum, quod vnumquodque dignoscat, atque sensu veritatem discernat. Isidor. lib. 10. littera S.

Ros lucis, ros tuus. Isay. 26.

Proprium est contemplationi, iucunditatis suæ spectaculo cum admiratione inhærere, meditationi vero proprium est, sua promotione semper in vlteriora tendere. D. Bonau. de 7. itiner. æter. Est enim contemplatio actus intellectus non impediti, gratia sanati, in æterna spectacula directi, D cum admiratione suspensi. Vnde actus contemplationis duo includit, scilicet cognitionem & saporosam dilectionem, quæ adiuuat cognitionem. Ibid.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Nam actiuæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplatiuæ verò vitæ gaudia hic incipiunt, in cœlo consummantur. Ib.

Eruditio pastus ingenij verissimus ex qua voluptates & oblectamenta, & solida & perpetua, quæ alia ex aliis nascientia, & si renouantia, nunquam nos deserunt & lassant. Lud. Viu. in introd. sapientiæ.

Venus benè configurata Mercurio, facit ma- E gnam concupiscentiam & delectationem scientiæ. Venus enim significat delectationem in his quæ fiunt. Cardan. de iudiciis geniturar. cap. 12.

Quædam studia sunt amœna, quibus recreationis tantum causa incumbit sapiens. Vide quæ scripsi Moral. Christiana to. 2. parte 2. cap. 7.

Intellectus noster nouo velut perfectionis rore perfunditur, quoties intellectualiter contemplatur aliquid supercœleste, eo quod pro momento transmigrat in illud, illudque degustat, sine discretione verborum aut idiomatum.

Ad solis ortum explicant se & gestiunt omnes creaturæ, sicut contrahuntur, & mœrent eo ad occasum properante.

DIFFERENTIA COGNITIONIS.

DIVERSITAS COGNITIONIS ET OPINIONIS.

TRIPLEX est Hebræorum doctrina Cabalistica antiquissima, quæ sine scriptis occultè capacibus tradebatur, sic apud Gallos Druidæ suam propagabant. Secunda est philosophica, ex naturæ principiis ad Deum ascendens. 3. Denique Talmudica ducentis post Christum annis in odium Christianorum consarcinata. Rodigin. lib 10. cap. 1.

Chymera leo, capra, draco, significat triplex genus dicendi leo iudiciale propter pugnam, capra demonstratiuum propter luxuriantem stylum, draco deliberatiuum propter varios opinionum flexus. Id. lib. 13. cap. 9.

Corporum colores absque luce non possunt discerni, euadunt autem diuersi pro lucis diuersitate super ipsos orientis. Nam in claritate mediocri turbidiores plerumque visuntur, in illustri vero clari scintillantesque. Id. lib. 17 cap. 7.

Scinditur incertum studia inter contraria vulgus.

Sic Cicero pro domo sua, in multitudine, inquit est veritas, & crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio.

Si plures eligantur arbitri, debent esse impari numero, propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem, vt facta dissensione plurium sententia præualere possit. cap. 1. de arbit. in 6.

Sanis omnibus idem est de sensuum obiectis iudicium, ægris autem prout à morbo afficiuntur, diuersum, sic sapientes à lumine naturali directi, idem ferunt de rebus iudicium. Peritus artifex perfectum opus ab imperfecto discernit Videut legem hanc in semetipsis, sic omnis virtute, etiam scientia præditus est, huic enim scientiæ accedit experientia. *Vide Veritas cognitionis.*

In homine solo variegati & versicolores sunt oculi, in cæteris autem animalium speciebus perpetuò sibi similes existunt.

Anto. Zara Episc. in libro quem scripsit de anatomia ingeniorum considerat tres partes in cerebro, anterior in qua residet vis imaginatiua, media in qua intellectio, posterior in qua memoria, eo ordine sect. 1. diuidit scientias omnes vt quædam pertineant ad imaginationem, aliæ ad intellectum aliæ ad memoriam.

Vidit mulier quia bonum est lignum Genes. 3. postea dicitur, aperti sunt oculi eorum, quomodo vidit cæca, aut nondum apertis oculis. Dicitur Ioan. 9. Veni in hunc mundum, vt non videntes videant & videntes cæci fiant, quod in peccatoribus non vident illi oculi qui meliores sunt, sed ii qui sensus carnis appellantur, & qui consilio serpentis aperti sunt. Exod. 4. dicitur, quis fecit videntem & cæcum, videntem secundum Christum, cæcum verò secundum consilium serpentis. Origen. homil. 17. super Numer.

Deus qui diuersas animantium species creauit, etiam prouidit illis alimenta diuersa, si leo haberet intellectum non inutile diceret fœnum quod prodest alenis armendis, licet ipse carnes crudas edat. Pabulum mentis est scientia, & cum varia sit ingeniorum vis, vt quidam lacte, alij fortiori cibo sint nutriendi, nemo condamnet quod alteri conueniens est, licet non sibi. Id. homil. 17.

Omnes res sentientes dissimiliter sentiunt, tympani rumor displicet ægro quia exilem eius spiritum nimis mouet, quod nobis fœtens benè olet cani qui tamen habet odorem sagacissimum; genista nobis amara dulcis est capræ; excrementa animalium nobis sunt odoramenta, illis vero fœtores, calida est mihi manus medici, sed febricitanti frigida. *Vide Potestas Medij*, quantum valeat dispositio in recipiente.

Quinque modis in actibus animæ diuersitas inueniri potest. Vno modo secundum fortitudinem & debilitatem, sicut opinari & credere. 2. Secundum velocitatem & tarditatem sicut currere & moueri. 3. Secundum habitum & priuationem vt quiescere & moueri. 4. Secundum comparationem ad contraria eiusdem generis vt sentire album & nigrum. 5. Quando actus est diuersorum generum, vt apprehendere vel moueri, sentire sonum & colorem & hæc quinta diuersitas sola diuersitatem potentiæ indicat, cum actus sint genere diuersi, & in ratione obiecti non conueniant. D. Thom. in quæst. disput de ratione superior. & infer. a. 22. ad 12.

In confusione liungarum fuerunt 72. linguæ ex numero filiorũ Noë de quib. 10 Gen. dicitur quod habebant singuli linguas suas. Tostat. Gen. fo. 56.

Annos diuersi diuersè computant. *Vide Differentia Principij.*

Formæ quædam nitent vt in lapidibus & mineralibus, quædam insuper auota luce splendent vt in plantis; aliæ vero sunt etiam luminosæ, vt in animatis, adeoque vitalis luminositas datur spiritui vitali per accensionem non quidem igneitatis, sed illuminatiuam & specificam, siue per species differentẽ. Sic quidam pisces non in fœlicius viuunt, splendent, fortius, viuaciusque & diutius mouentur, quam bruta calida. Van Helmont. blas humanum.

Ne putes parem lucis essentiam in nobis & nitedulis, vt scilicet lumina solo graduum tono discrepent; sed reuera totidem sunt vitalium hominum species, quot vitalium creaturarum. Idque abundans est diuinæ bonitatis indiciũ, quod luminũ quæ nobis sub vnica cõprehendũtur notione & vocabulo, tot species atque vitalis sint differẽtiæ, quot sunt species vitalium, vt pote quod illæ luces

Digitized by Google

sint ipsosmet vitę animæ atque formæ vitalium, A exceptarationali. Idem. de spiritu vitæ.

Duplicem oculum Deus dedit homini, carnis & rationis, contra hostes visibiles & inuisibiles.

De medico qui contrariam cæteris methodum fœliciter sequutus est. *Vide Medium Gloria Medicina.*

Quintus Ennius tria corda se dicebat habere, quod tribus diuersis linguis loqueretur. Gellius lib. 17. cap. 17.

De scientia Vniuersali. *Vide Magnitudo Cognitionis.*

Res videntur triplici ratione; prima directa, quę est oculi nostri, cum recta in rem obiectam intendit: altera repercussa, siue earum rerum perceptio, quarum à speculis ad nos imagines reuer- B tuntur 3. denique quam infractam vocant, qua rerum species per dissimilia diaphana transmissæ, & ab iisdem quasi deformatæ & fractæ in oculos immittuntur.

In totius mundi productione quædam sunt formæ, iuxta intelligentiam, vel intellectum mouentem, vt artes liberales, quæ citra vtilitatem propter se quæruntur; quædam iuxta materiam in qua sunt, vt artes mechanicæ; quędam sunt mediæ inter vtramque, vt est militia, quæ etsi prodest patriæ, habet multum artis liberalis, vt sicut sagittatoria propter se quæratur. Albert. Mag. tract. 1. de origine animæ. cap. 1.

Omnes populi intendunt per nomina explicare C rerum naturas & essentias, & cum perfecte illas non assequantur, magna fit nominum diuersitas.

In intellectu sacræ scripturę respui non debet quidquid sanę fidei non resistit. Sicut enim ex vno auro alij murenulas, alij dextralia ad ornamentum faciunt, ita ex vna sacræ sciptura sententia expositores innumeros intellectus, quasi varia ornamenta componunt, quæ tandem omnia ad decorem cœlestis sponsæ proficiunt. D. Gregor. PP. in Registro. lib. 3. epist. 63. *Vide Differentia Veritatis.* Diuersus S. sensus.

Quando res vna pluribus insignitur notis, ferè non omnes à quoque obseruantur, & aduertuntur simul. Ideo trahitur, vnus in vnam, alter in alteram de re eadem opinionem. Et vnus atque idē vt à seipso videtur discrepare in iudicio ferendo. D

Cœci qui res male digerunt, exempla pro rationibus obtendunt.

Vnus primarius est color, lux in sole, quæ sol non est, sed essentialis eius qualitas. Lux participata differentiam facit colorum, vbi est plurima dicitur albedo, vbi minima, nigredo appellatur, hi duo colores maxime inter se sunt oppositi & contrarij: albus disgregat visum, & oculos perstringit lucis multitudine: color niger congregat radios visiuos & firmat, & externa luce recreat suscepta, qui medij interiacent colores, affectiones pariunt, vt propius accedunt, vel longius absunt ab extremis. Lux inhæret naturaliter secundum substātię modū & rationē, vel ex accidēti secundū receptionem luminis externi per radios rectos vel obli- E quos omnium elementorum sicut solis calor est albus. Terra siccissima & pura est alba in vitro & cristallo; sic in concretionibus aqueis niue, glacie grandine. Aër & ignis propter raritatem partium & tenuitatem non videntur, pellucida sunt & translucida corpora, si miscentur cum aqua apparent alba, vt in spuma, & in flamma tenuissima sine fumo; cœli sunt albi, sed propter distantiam obscuratur visus, ex obscuro autem & lucido puro nascitur nobis ceruleus Corpora composita ex elementis propter multitudinem rerum connexarum sunt opaca, reflectunt lucem, non translucent, & habent colorem ex lucido & obscuro varium pro ratione materiæ, & temperamenti. Abrupta superficies, & non polita, vt videre est in gemmis brutis. Benè temperata nitent, non bene digesta, confusa, diuulsa nigra sunt vel fusca sordida, obscura, ita fuligo quæ est exhalatio humidi terrestris; omnis putredo, fuscum, atrum, nigrum habet colorem, quia fit confusio humorum sic mare agitatum nigrescit. Est color constans in auro quòd semper in igne flauescit, in argento quod semper albescit, in aliis colores sunt mutabiles, prout mixtio mutatur, vt fuligo quo magis aqua diluitur, magis accedit ad albedinem, & ad nigredinem quo magis siccatur. Igitur extremi colores, sunt albus & niger: intermedij ab albo primus viridis, sic ab humore aqueo, albo, primum herba virescit, sic aqua dolio inclusa sub dio corrumpendo virescit in superficie, sic viridis color incipit imminuere à luce summa quæ est in albedine 3. color est flauedo, sic segetes à viriditate diluta, veniunt ad crassam, & vt minuitur humiditas transeunt in flauedinem; sic ex albo & flauo procreatur viriditas: virides plantæ à terra auulsæ, deficiente humido flauescunt. Malum citrum acerbum viride maturum, flauum est, 4. color est purpurens. Hic videtur in flamma nitida seu fumo ignis, vuæ antequam rubescant, purpurizant. 5. color rubeus in quo videtur æqua participatio lucis & obscuritatis. Tale rubrum videtur in ferro candente, in accenso carbone sine fumo. 6. color est rufus, obscurior rubro, quasi maculis nigrescētibus distinctum. Vt est in butyro, castaneis 7. color est cæruleus, manifestus est in flamma ex sparso fumo vrente, nigrescente, in sulphure accenso, profunditas aëris hunc refert colorem & aquæ vt in mari. 8. color violaceus, proximus nigredini, pallens ex nigro dilutus rubescit, sic mora nigra, rubro vt purpureo colore inficiunt. 9. & vltimum genus colorum est nigredo in qua est aliquis habitus lucis, quæ videtur, & oculorum sensu apprehenditur. Medij colores ex supradictis vim temperantes, sunt innumeri. Color rubeus medius est, vltra quem non amplior fit progressus mutationis, donec corrumpantur. Ex M. S. D. Des homeaux medici celeberrimi Rhedonensis dum viueret mihi familiaris.

Scientiæ secantur, idest diuersæ sunt, sicut res. Arist. 3. de ani. text. 38.

Sunt quædam matrices linguæ ex quibus oriuntur plures diuersæ, vt ex Latina, Gallica, Italica, Hispanica, & in qualibet prouincia talium sunt varia corrupta idiomata, sic factum est de sectis. Hebræi Cabalistæ dicunt hanc idiomatum diuersitatem, ab orbium motoribus proficisci in mentes hominum. Geneb. a. m. 1758.

DISPVTATIO.

Qvidam philosophi dixerunt ignem non esse elementum, quia dicebant non esse primum corpus, sed ab alio generatum, scilicet ex confricatione cœlestis corporis cum aëre, hanc tamen opinionem improbat Albert. Mag. tract. 1. de propriet. elementor. cap. 1. Sic in siccitate aëris & regionis. Arbores ventis in se concitatæ, maximè

si sint vnctuosę, vt pinus & abies, concipiunt ignem. Ib.

Certamina eloquentiæ inter iuuenes fuere proposita, etiam in cælatura clypei Achillis, & lites sunt & actores. Quintilian. Instit. oratoria.lib. 2. cap. 18.

Omnes volunt doctrina præstare quasi sit propria hominis dos.

Diuitias & opes, frequens donabit amicus,
Qui velit ingenio cedere rarus erit. Martialis.

Vincendi desiderio veritatem obscurant. Vnde de rebus diuinis non sunt mouendæ quæstiones, nam vnus ex contendentibus impiam opinionem tuetur, & vult superare.

Chrysologus Serm. 5. comparat vanos de rebus diuinis disputatores, filio prodigo qui dissipauit omnem substantiam suam viuendo luxuriosè, sic per desiderium sæcularis eloquentiæ, per scholarum lupanaria, per triuia sectarum dissipant Dei patris dementi disputatione substantiam, & cum consumpserint quidquid est rationis & sermonis, egestatem summam, cognoscendo veritatis sustinent. Nam philosophia quærendæ diuinitatis indixit laborem, veritatis inueniendæ fructum contulit nullum. Pascunt porcos, idest voluptuosos homines, dæmonibus addictos. Arist. 1. Topicor. c. 2. dicit syllogismum esse necessarium ad Philosophicas scientias, quia cum poterimus in vtramque partem dubitare, facilè in singulis perspiciemus verum & falsum.

Sicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro, ipse tamen ignis, ferri ac lapidis collisione flammatur, sic obscurum verbum, verbi ac sensus collatione resplendet. Chrysolog. Serm. 96.

Vide Concordantia Cognitionis. Concilium.

Simplicitas ciuem bonum facit, non facit militem fortem, hinc est quod ille censum soluit; ille stipendium percepit: ciuis cedit aduersis, miles resistit, talis est differentia inter eum, qui Christianæ fidei simpliciter accipit Sacramentum, & eum qui studet eiusdem fidei nosse, & contra impugnantia deffendere mysterium. Idem serm. 166.

De periculosa disputatione ministrorum Reipublicæ. *Vide Æqualitas Potestatis.* Mala plurimum dominatio.

Aliqui de verbulo, velut pro aris & focis digladiantur.

Ægyptii Mercurium sub figura Cynocephali, id est simiæ caput caninum habentis referebant, propter sagacitatem ingenii ad res inueniendas, & inuentas custodiendas.

Clamor disputationis exprimitur per ranas quę fuit 2. plaga Ægypti. Pascitur intellectus veritate, & sicut per digestiones varias, inutile ab vtili separatur, sic per disputationes, falsum à vero reiicitur. Card. Cusa. excitat. lib. 5. cap. 59.

Carneades Academicus, nihil proponebat quod non probaret, nihil improbabat, quod non expugnaret, Geneb. an. m. 3830.

Cherubim flammeo gladio custodiens paradisū.

Aduersus fontes fluunt amnes; opinio sapientibus contraria. Perspicui natura est in diuersis subiectis in substantia cœlorum, in igne, aëre, aqua, gemmis, gypso.

Color pro varietate lucis, tam incidentis quam reflexæ, aliter atque aliter se ingerit, itaut nigra interdum albescant, sphęrica videntur plana, quadrata oblonga, ingentia minima, æqualia inæqualia, integra fracta ob medii diuersitatem i

A quieta moueri, mota quiescere.

Origen. homil. 10. in Exod. 21. de muliere quam abortire fecerunt duo viri litigantes, dicit intelligendum de vanis disputationibus quæ sunt ad subuersionem intelligentium, quæ animam prægnantem vt dicitur Isai. 26. à timore tuo Domine peperimus, abortire faciunt, vt infantem seu formatum seu non formatum eiiciat. Tenentur hi pœna talionis; in aliquibus formatur, in aliis formatum est verbum. Donec Christus formetur in vobis, inq. Apostolus; Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus in quibus scandalizabuntur si fieri potest etiam electi.

Math. 24. Christus dicit prælia esse prænuntia
B consummationis sęculi: de pręliis hęreticorum & Philosophorum interpręgtatur. Origen. tract. 28. in Matthæ.

Disputatio legitima, non minus silentio quam verbis constat, vt ordine quodam iustitię, & alterna veluti patientia, respondentis fiat auditor, ille ipse cui aggrediendi concessa est facultas.

Tertulian. lib. de præscriptio. cap. 7. loquens de hæreticis, inferunt inquit Aristotelem qui illis Dialecticam instituit, artificem struęndi & destruendi versipellem, in scientiis coactam, in
C coniecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit.

De vtili disputatione, *Vide Medium Veritatis.* Theologia Scholastica.

Angelus qui loquitur Danieli 7. dicit, Princeps Persarum restitit mihi, quia non norunt profunditatem iudiciorum Dei nisi eis reuelentur, vnde manet incertum de gentium meritis iudicium; concordiæ autem & charitati non repugnat diuersitas opinionum, cum voluntas eorum sit vna, vt diuina prouidentia expleatur. D. Thom. in lib. 2. sentent. dist. 11. q. 1. a. 5.

Pro suis acriter decertant placitis vt qui vincendus est, saltem non ignobiliter cadat.

Multitudo Philosophantium aduersas inuicem
D acies ordinare ac committere cœperunt; verbis ac susurris oppleta sunt omnia, operis autem mira inopia, bonumque illud celebratum tantopere, pro quo disceptant, considerat nemo. Maximus Tyrius serm. 16.

Orthodoxi multas quæstiones curiosas proponunt Iustino Martyri quas ipse soluit. Libro quæstion. ad Orthodoxos.

Magni negotii est ad rationem veram peruenire; quo enim maior est ingenii vis, eo maiorem humanis animis iudicandi parit angustiam, quam ob rem cum cæteris artibus contingat, vt ad inuestigationem procedentes inuentionem quotidie exacuant qua singulæ peritius propositum opus attingunt, sola Philosophia huic periculo subiicitur, vt quo vberior est, eo magis aduersas atque
E æquilibres effundat rationes, aget ille quo plus colitur diuersisque instrumentis, eo fit sterilior Maximus Tyrius serm. 34.

D. Greg. Nissen. lib. de professione Christiana. initio, ad harmonium, dicit se cum eo in exercitationibus de pietate versatum vt iis quæ proponerentur, ex aduerso aliquid ipse subiiceret & opponeret, nihilque quod diceretur sine excussione & examinatione admitti. Luna in Solis opposito perpetuas declarat contentiones, claraque facta. Cardan. Aph. sect. 4. Aph. 7.

Digitized by Google

Quid sentiendum de diuersis in mundo religionum sectis. Vide quæ scripsi Theologia natural. to 4. parte 2. cap. 23. A

Theologia scholastica est necessaria sacerdotibus, & diuini verbi præconibus. lib. de agente Dei in humanis parte 1. cap. 13.

Problematicum ens, est ratio.

Non est reus qui in publico certamine, in studio colluctatorem occidit, cum id agit, non vt occidat, sed vt viuum prosternat & vincat. l. 7. §. si in colluctatione. ff. ad l. Aquil. Iniuriarum actiones extra studium sunt, inquit Tertulian. aduersus Gnosticos. Sic ignoscendum acerbis interdum in disputatione verbis, quamquam lenis debeat esse disputatio. vtduo Cherubin quos fecit Salomon B ad operiendam arcam; erant de lignis oliuarum. 2. Paralip. *Vide Media Contrarietas.*

Non est fidendum armaturæ quam hasta, vel sclopetum impenetrabilem non probauit; ita sine disputatione & ingeniorum congressu, non potest haberi certa eruditio. Nam disputatio dicitur cribrum veritatis.

Disputantes etsi contraria asserant, vnanimiter veritatem indagant, ad instar eorum qui funes nectunt, quorum vnus, etsi funem aduersus alterum torquet, congruit tamen ad finem operis, sic qui lintea madida contorquent, vt humorem euacuent.

C

SCHOLASTICA
Theologia perutilis Ecclesiæ.
DEMONSTRATIO.

BONITAS. Fides Christiana cum sit supra rationem, à plurimis habetur velut ei contraria, nec illi cedunt, donec lucem afferat Theologia scholastica sic dicta, quod ad rationem prouocantes, ratione conuincat, habeatque dociles velut in schola discipulos sub docente magistro. Computari debet inter eas largitiones quæ præ- D stantur inuitis, duplici titulo beneficæ sunt quod errori mentis, & vrgenti necessitati medeantur, sic mentes illustrat hæc doctrina, vt quæ prius negabant veritatem, non possint expositam non agnoscere, etiam sub humanæ rationis, de qua quæritur, iudicio. Iudicia Domini vera iustificata in semetipsa.

MAGNITVDO. Videtur immensum opus omnes humanæ mentis tenebras circa diuina discutere; errores omnes etiam pertinaci vanitate susceptos, sic oppugnare, sic elidere, vt iaceant inermes, & se victos non fateri ridiculum sit. Vna lux infinitis coloribus & figuris præstat vt videantur; vna reuelata veritas, fide firmata, Theologico E discursu subtiliter exposita, falsum omne deprehendit, quocumque fuco, dæmonum & hominum peruersæ mentes illud obuelare tentauerint; frangit omnes fluctus immota rupes; vnitas diuisionem omnem metiri potest non pati, vna fidei doctrina, vnum sanctuarii pondus, falli nescit, falsum omne discutiens.

DVRATIO. Sed sacrum illud pondus, ad aliorum examen repositum, æquissimis oportet regi manibus, & fidei veritas doctorum quos Ecclesia probauerit collato sæpius ad rectæ rationis, & verbi diuini trutinam sincero iudicio debet exponi. Inter varias hominum & monstrificas hæresū opiniones, nulla nobis nunc constaret fidei veritas, nisi semel ab Apostolis acceptam, Ecclesiæ Conciliis, summorum Pontificum decretis stabilitam, ab impostoribus scholastica Theologia vindicasset.

POTESTAS. Ecclesiæ summam quidem authoritatem agnoscunt Catholici, sed negant & impugnant hæretici; oportuit igitur militarem Theologiam copias suas auxiliares conferre, cum vrget Ecclesiasticæ potestatis & veritatis tuendæ necessitas.

COGNITIO. Huius cuncta discernentis scientiæ dator & rector est spiritus Domini, qui nunc etiam vt nascente mundo fertur super aquas, idest super confusos mentium errores; firmamentum cœli, solem, stellas constituit, cum summum Pontificem, cæteras Ecclesiæ potestates ordine suo distinctas, probat à se diuinitus institutas, summo subditorum obsequio colendas, fulgent astra mutuato solis splendore, & certam qua regeremur disciplinam in diuinis & moralibus habemus ab Ecclesia, cuius è cœlo datam potestatem Theologia fortiter contra negantes attestatur.

VOLVNTAS. Lumen naturaliter calor sequitur. *Vide Cognitio Voluntatis.* Et subtilem rerum diuinarum discussionem comitatur ardentior ad eas affectus; sic in Theologicis doctores acutissimi, Augustinus, Hilarius, cæteri Patres antiqui, Thomas, Bonauentura, fuerunt etiam eo quo vixerunt sæculo sanctitate celebriores. Si gemina dos hæc pietatis & doctrinæ non contingit omnibus, singulare vitium est mentis, non scientiæ, quę quantum potest diuinorum ostēdit pulchritudinem, vt ad illam humanos prouocet affectus.

VIRTVS. Virtutibus fines suos, & media quibus exerceantur assignat, falsa, quæ pro veris substituit opinio, efficit manifesta. In hoc igitur regit mores, sed potissimum quia moribus prȩsidentem potestatem Ecclesiasticam, tuetur & firmat; tot hȩreses bonis moribus infestas, puritati, castitati turpiter insidiantes damnauit, & ab orbe Christiano proscripsit, vt quæ nunc apud nos vigent, optima morum & pietatis instituta libertatem suam debeant Theologię scholasticæ.

VERITAS. Thronum erigit Christianæ fidei, vnde populis secura maiestate legem dicit? quis enim nunc nisi desperatæ temeritatis audeat aliquid retentare contra mores aut doctrinam Ecclesiæ, cum in antiquis hæresibus, nouæ iam expugnatę, iam damnatæ fuerint. Non imperat mentibus veritas, non liberat ex Christi Domini oraculo. nisi hanc extra vim expugnantium, in procinctu semper, suis potius armis, quam victoriis fidens Theologia posuerit.

GLORIA. Quod suas igitur victorias Ecclesia numeret; quod ex longinquo nouatoribus det repulsam & spes auferat; quod alta fruatur pace, Dei miserantis beneficium est, Theologię ministerio præstitum. Christianæ veritati gloriosum est non fugam & tenebras quærere velut foret infirma, sed ex Apostoli præcepto, poscenti rationem reddere, pertinacem argumentorum vi, in deditionem cogere; vel deletum, æternis suis suspendere trophæis.

DIFFERENTIA. In Theologico Lyceo indecisę quędam manent quęstiones, in quibus varia cuiusque mens se liberius explicat, eo quod in hac concertatione inoffensa manet fides, imo velut his contrapositis fulcitur adminiculis.

CONCOR-

Digitized by Google

CONCORDANTIA. Sic dissertantes, consentiunt in rerum substantia, ludunt in variis possibilibus agendi modis, exercentur æmula subtilitate, sibique parant vires, quibus communem hostem, cum insurexerit, marte vario conficiant. A

CONTRARIETAS. His spiritualibus armis instructa procedit Ecclesia, vt ordinata castrorum acies, hostibus terribilis, fidelibus solitæ suę victoriæ spes datura. Militat in martyribus, inter feras, ignes carnifices inuicta fortitudine. Militat in doctoribus, à diuinis fidei regulis spe metuque dimoueri nescia, & vna sic à falsis opinionibus vindicato principio, innumeris morum & doctrinæ præceptis, sua constat in posterum firmitas.

PRINCIPIVM. Ridiculum est reuocare nos ad iacentem adhuc in cunis Ecclesiam; non loquentem, sed gementem sub tyrannorum sæuitia: Adultam, qua ratione volunt, vt prius, imbellem, infirmam fieri, dura tantum silentio patientem: scribebant potissimum de moribus antiqui patres, quia fideles velut abominandorum criminum reos insectabantur pagani, cum tamen hæreses insurexere, has profligare conati sunt doctores sæuiente stylo, laxo tamen, Rhetorico, qui fugæ locum relinquebat hostibus obsidione non satis valida pressis. B

MEDIVM. Sic suis periculis Ecclesia didicit vtendum cogente magis sermone ex dialecticę regulis composito, contextuque sic hærente sibi, vt nihil hiet, nihil sit abundantis & superflui; Ita veritas manifestior apparet, exclusis eam impugnantium sophisticis artibus. C

Nam quia variant animi variabimus artes
Mille malis species, mille salutis erunt.

FINIS. Sic sensim coaluit scolastica Theologia, sermonis terminos omnes exactè ponderans, ex principiis congruas ducens conclusiones, vt nullus subesse possit errori locus.

MAIORITAS. Quid ni liceat omnium præstantissimæ scientiæ, sicut cæteris assiduo cum materia sua conflictu, tempore perfici, & ex rebus fœliciter gestis certas procedendi fœliciores methodos in posterum sibi sequendas præscribere. D

ÆQVALITAS. Omnes Dialecticę fallacias vsurpant hæretici, cur non licebit artem arte discutere, eiusdem disciplinæ regulis vti pro veritate, quibus abutuntur pro mendacio? quam ridiculi sunt qui vellent nos inermes, cęcos, inexercitatos, flores, pro clypeo gestantes, vt contra veritates fidei, quas tueremur, sua certius tela caderent.

MINORITAS. Simplex diuina veritas loquitur stylo simplici, sic aptè tamen concinnato, vt perspicua dociles instruat, contumaces falsi reos conuincat; & mutas efficiat detrahentium linguas. Sic Ecclesiæ bonos mores doctrinæ veritatem profitenti. pro his contra spirituales potestates tenebrarum militanti, plurimum prodest scholastica Theologia. E

De vtilitate Dialecticæ in Theologicis, *Vide Medium Veritatis*. Varia media inueniendæ veritatis.

CONSILII INTERDVM optima mutatio.

MVtantur etiam publica consilia & leges. *Vide Differentia Veritatis*. Licet miles domicilium habere videatur, vbi militat. l. 23. ff. ad municip. tamen scholares non dicuntur constituere domicilium vbi student. l. 2. Cod. de incolis. Scientia ex se mutabilis est, nec rebus inhæret.

Malum consilium est, quod mutari non potest. Publ. Mimus. apud Gellium. lib. 17. c. 4.

Plutarch. lib. de placitis Philosophorum, refert Epicurum negasse corporibus innasci colores, sed generari secundum quosdam positus respectu visus, eos proinde non esse qualitates absolutas, sed respectiuas pro ratione videntis. Sic nullum certum insidet menti consilium, sed prout se res habent, mutatur. *Vide Differentia Voluntatis*.

Pudor non obstet quominus orator susceptam, cum melior videretur litem, cognita inter discendum iniquitate dimittat, cum prius litigatori dixerit verum; beneficium est, vt non pellat vana spe litigantem, nec conuenit oratori iniusta tueri scientem. Quintil. Inst. orator. lib. 12. cap. 7.

Sunt qui optimum licet consilium non probant, si non afferant omne sapere ex suo corde dum flecti nesciunt, frangunt omnia.

Appellatur à sede Apostolica ad ipsam sedem. Vt refert Yuo Carnotensis epist. 159. Dicit enim D. Bernard. ad PP. Innocentium ep. 180. Apostolica sedes hoc solet habere præcipuum, vt non pigeat reuocare quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum nec veritate promeritum. Sic l. minor 18. de minorib. permittunt Principes causas à se iudicatas, iterum in auditorium suum, indeq;.

Licet in melius mutare consilium, quia scientia in dies perficitur. *Vide Duratio Cognitionis Morti*.

Ioannes Picus Mirandulanus cum ob propositas à se publicè quæstiones calumniis impeteretur, dixit, Errare possum, hæreticus esse non possum, Ecclesiæ me corrigendum submittens. in eius vita.

Phidias Palladis simulacris apponebat dracones quæ singulis annis solent senectam exuere. Rodigin. lib. 10. cap. 5. sapiens opiniones suas mutat in melius.

Consilia rebus aptantur, res nostræ feruntur, imò voluuntur ideo consilium nasci sub die debet & sub manu.

Variasse Papinianum, & mutasse aliquando sententiam scribit Iustinianus in l. vltima. §. sed cum Cod. de fruct. & ipse Papinianus testatur in l. si venditor §. vlt. ff. de seruo export. Cuiac. Obseruat. lib. 2. c. 37.

Ars diuina variè operatur. *Vide Maioritas Potestatis*. Miracula.

Motus astrorum nunquam perfectè sciri poterunt, nec iudicia quę ex his; oportet igitur singulis temporum curriculis, ex nouis obseruationibus motus syderum emendare. Cardan. Aphor. sect. 1. apho. 8.

Causa iuramento & sententia terminata, potest in integrum restitui, & de nouo agitari, repertis nouis instrumentis l. admonendi. ff. de iureiur. Cuiac. Obseruat. lib. 18. cap. 35.

Digitized by Google

A

MALA MVTATIO Iudicij.

DE fidei firmitate. Bernard. quad. 1. serm. 3.
Cum Mercurius in linea fuerit ascendẽtis, motu velocissimus, in humano signo, hic bonæ memoriæ, bonique erit ingenij & acuti, sed mutabilis in consiliis. Cardanus Aphoris. sect. 3. aphor. 45.

Luna in ariete, bonum ingenium, sed mutabile præstat. Id. sect. 6. aph. 7.

Vt rebus mutatis sapiens mutat consilium & affectus. *Vide Differentia Voluntatis.* Sic similiter B stantibus, turpis & probrosa censetur iudicii mutatio, arguit enim præcipites motus mentis quæ rem non satis expendit, cum de illa censendum esset, sed impetu non ratione propendit in sententiam moribus suis & sibi dominanti passioni blandientem, prius non sibi satis cauit, & nunc plurimum timet de futuro. Turpe semper est dicere non aduerti, non putaui; tacitis causis sensum & affectum mutare. Nam nullus videtur huius inconstantiæ finis, recurret enim in eadem quæ reliquit vago & irregulari motu iactatus animus, & qui sibimetipsi non habet fidem, nullius deinceps poterit promereri. Vt hanc incompositæ leuitatis notam multi fugiant in primo sibi visis fiunt pertinaces, pedem quo semel tulere non referunt, C pudet esse retrogrados, propositi sui velut emensores, meliusque sibi censent rebus malè versis pati, quam pœnitere. *Vide Duratio Voluntatis Mala.* Obstinatio: ideo secreta manent sapientum & principum consilia, vt citra pudorem si postulet occasio, mutari possint. Maiestati quippe regnantis plurimum nocet inconstantia, supponit enim defectum prudentiæ quę de agendis malè coniectauit, timorem de futuris, mentem vbi consistat, nesciam. Artes & scientiæ certis suis procedunt regulis: Virtutes sunt habitus, vna semper mediocritatis via, licet non vno gradu, vt planetæ ratione nostri, procedentes; Veritas vna simul & indiuisa nescit nec mutari, nec D inflecti. Æmulari volunt homines Deum, qui nihil de decretis suis immutat, nam æternæ suæ cognitioni nihil accedit, nec illi potuerunt, nisi optima placuisse. *Ex principiis.*

DIVERSITAS ARTIS & Scientiæ.

HOmines diuersi, diuersis scientiis intendere debent, secundum diuersum suum statum ex necessitate salutis vt rectè officio suo fungantur.

Ars nihil est aliud quam ratio in finem directa; alia quę mechanicè corporeis rebus operam dat, opusque suum efficit, vt fabrilis: alia est negotiorum exercitoria, quæ nequaquam à corporeis abstinet, vt est in imperatoria arte victoria, in medicina sanitas, in politica iustitia. Artium tertia species sequitur rationem prorsus incorpoream, sui ipsius potentem, sibique ipsi operam dantem, cuiusmodi sunt geometricæ & arithmeticæ artes, illæque omnes quorum finis est intelligentia. Maximus Tyrius serm. 17.

Limitatis viribus homo magna non nisi per partes diuisis, rebus, temporibus, actionibus mouet & assequitur. *Vide Potestas Magnitudinis, Potestas Durationis.* Vt Dei perfectiones infinitas quantum hic licet attingimus diuersis & inęquatis conceptibus, qui proprium sunt obiectum Theologiæ, sic entis creati vastam amplitudinem, infiniti quandam imaginem lustrare conati sumus variis artibus & scientiis, quarum vni cuilibet addiscendæ vix hominis vnius tota vita diligenter impensa sufficit. Varios ad diuersa natos genios exercent artes & scientiæ diuersæ; dum autem omnes naturæ vultus & sinus, quisque prout sua trahit cupido, uberiosè scrutatur, fit vt quælibet sui pars, multos habeat amatores, & collectis omnium obseruationibus, tota simul splendidior imago Dei, colenda magis sapientibus appareat. *Ex principiis.*

Baconius in nouo organo, dicit historiam naturalem, & exquisitam per diuersas artes & scientias naturę inquisitionem esse verum condendæ philosophiæ fundamentum. Dupliciter naturam considerat, primò liberam ac solutam, cum sponte fluit, & opus suum peragit, quod obseruamus per historiam cœlorum, meteororum, terrę, maris, mineralium, plantarum, animalium. 2. considerat naturam constrictam & vexatam, vt per artes, quarum sunt discenda experimenta, se profert autem magis natura per vexationes, quam suæ libertati relicta. Virtutes autem eius cardinales enumerat, scilicet densum, rarum, calidum, frigidum, consistens, fluidum, graue, leue. &c

Artium diuulsionem & situationem in certis viis; per magistrum viarum fieri iubet Pius. 4. const. 102. §. 29. Bull. 101. t. 2.

Digitized by Google

CONCORDANTIA COGNITIONIS.

PLVRIVM CONSVLTATIO OPTIMA.

HOC modo ad scientiam discretionis veræ peruenire poterimus, vt seniorum vestigia subsequentes, neque agere quicquam noui, neque discernere nostro iudicio præsumamus, sed quemadmodum nos vel traditio illorum, vel vitæ probitas informarit, in omnibus gradiamur. Cassian. collat. 2. cap. 11.

Attendat homo ad duo lumina, scilicet lumen naturę, & lumen Spiritus sancti, nec alterum sine altero est, sed combinata vtraque & coniugata sunt instar viri & fœminæ. Paracelſ. in præfatione libri sagacis philosophiæ.

Plato in Timæo dicit radios visuales emitti ex oculo, qui tamen ex se non sufficientes, indigent auxilio luminis exterioris, ad contuendum totum hemisphærium, & ideo, inquit, non videmus in tenebris, quia radius egrediens ab oculo extinguitur, & deficit, quando non inuenit alium radium sui generis, qui mixtus sibi, adiuuet eum ad perficiendum visum.

A pluribus lucentibus congregatis, maius lumen egreditur, vt patet in coniunctione plurium candelarum.

Quod præpositi conuentuum vicissim de his quę se concernunt conferre inter se debent, vt minus recta communi sententia corrigantur, rectè gesta, multorum testimonio comprobentur. D. Basil. lib. regul. fusius disputatarum. cap. 54.

D. Gregor. PP. in Registro. lib. 2. epist. 8. vult Episcopum non deponi, nisi in consilio Episcoporum. Idem statuit epist. 9.

Physica quæ materiam considerat, in omnibus artibus concurrit cum mathematica, quæ rationem, ordinem, mensuras, disponit.

Vide Concordantia Potestatis. Concordia Rectorum & Concordantia Virtutis. Et Differentia Cognitionis. Disputatio.

Scientia humana perficitur per diuinam. *Vide Vernas Cognitionis.*

De Conciliis. Bellarm. to. 2. contr. 1. Gregor. Valent. lib. 1. analytic.

De Cōsiliorum authoritate. Bouerius to. 2. dem. 4.

De consilio Ciuili. Iauellus. *Vide Cognitio Bonitatis.* Discretio boni à malo.

Auditis omnium opinionibus, melius consulitur.

Magnates qui consilij causa comitantur principem, dicti sunt Comites. D. Thom. de regimine principum. lib. 3. cap. 21.

Amictus lumine sicut vestimento. Ps. 103. idest Deus circumseptus Angelica, & intellectuali natura, ita sit princeps bonis consiliariis. Rupert. lib. 1. in Genes. cap. 15.

Quando alicui datur facultas aliquid faciendi cum alicuius consilio, opus sine consilio factum, est

A irritum, quia consilium præscribitur, tanquam conditio necessaria. Bonaci. de priuilegiis § 2. aliud tamen est obligari ad petendum consilium, scilicet vt rei veritas innotescat, aliud obligari ad sequendum illud, vt si dicatur, iuxta consilium. Ib.

Conscientia erronea, vt sit inuincibilis, debet consuluisse peritos. Id. de peccatis. q. 4. puncto 6.

Interrogare sapientem, initium est sapientiæ, quam qui putat solus possidere amittit; nihil periculosius Principe omnia ex suo sensu agendi. Audiendæ doctorum hominum dissertationes & prudentium rimandi, atque comparandi sensus: legendæ historiæ de quibus. *Vide Duratio Cognitionis.*

In insula Coo, erat celebre templum Æsculapij, in quo qui remedium aliquod expertus fuisset,

B illud deferebat. Hypocrates inde oriundus hinc multa didicit.

In regno Sinarum, si quod se offerat magnum regiminis consilium, factum typis mandatum mittitur ad singulas prouincias, quæ habito sapientum omnium qui apud ipsas sunt maturo consilio, dant responsum Regi, similiter typis mandatum. Dauity.

Dux Venetiarum non potest audire Principum Legatos, scribere aut quicquam decernere sine consilio sex Senatorum sibi semper assidentium.

Exod. 12. Si in aliqua familia numerus non sufficit ad vescendum agnum, assumitur vicinus.

C Dominus loquitur Moysi, de propitiatorio, inter duo Cherubim. Nu. 8. ad exemplum principibus qui debent vti consilio.

Reges & Pontifices in decretis ab ipsis emanatis loquuntur in numero plurali, etsi sint singulares; mandamus, volumus; &c, vt qui sic præcipit, non videatur solus, sed cum aliorum consilio præcipere. Æneas Syluius epist. 105.

Extra conscientiam Metropolitani, nullus Episcopum audeat ordinare; Integrum enim est iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur; Nec vnus Episcopus ordinare præsumat Episcopum ne furtiuum beneficium præstitum videatur, hoc enim in Nicæna synodo definitum est. Taurinense. Galliæ.

In Concilio Regensi Galliæ cap. vlt. an. 439. sta-

D tutum, vt conuentus Episcoporum, si quies temporum erit, bis in anno fiant.

Nullus conuentus, sine alterius conuentus denuntiatione soluatur. Concil. Arausic. can. 29.

Romæ eiectis regibus; qui regimen Reipublicæ adepti sunt, dicti sunt Consules, à concilio, per quod debebant regere.

Dodonæi Iouis oraculū dicebant lebetibus fuisse circumdatum, inter sese contiguis, quorum vno pulsato, reliquos omnes ordine resonare diu durante sonitus circuitu. Suidas in voce

Digitized by Google

Multitudo medicorum vnumquemque ab infamia vindicat Cardan.

De diuersis, institutas congregationes. Cardinalium. *Vide Differentia Potestatis.* Diuersa diuersis officia.

Astrologi apud Indos conueniebant vt de singulis anni euentibus pronuntiarent. *Vide Maioritas Cognitionis.* Pro astrologis.

Germani de rebus maioribus principes consultant, de minoribus omnes. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 12. c. 8.

B Dicit quidem Gregorius fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed id est intelligendum si quis principaliter innitatur ratiocinationi ductæ ex naturæ principiis; secus si non principaliter & totaliter innitatur, quia sapientia dicit Ecclef. 24. Qui me elucidant; scilicet per rationum claritates, vitam æternam habebunt. Ideo 1. Pet. 3. dicitur Dominum Christum sanctificate parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem reddere de ea quæ in vobis est fide & spe

Vide Magnitudo Cognitionis. Scientia vniuersalis.

C Concilia generalia sunt quæ Episcopi ex vniuerso orbe, authoritate sedis Apostolicę can. 1. & seqq. dist. 17. fidei Euangelicæ asserendæ causa, in vnum conuenientes condiderunt. can. 1. in princ. vers. sub hoc dist. 15.

Cardinales sunt tanquam Senatores Pontificis, seu senatus Ecclesiæ can. Ecclesia. 7. 16. q. 1.

Vetus est apud Græcos adagium sapientum congressu principes sapere. Rodigin. lib. 21. c. 18.

Sapientes hebręi habebant legem moralem seu traditionem, sed illam vna cum consistorio successoribus tradebant. Supremum consistorium ex 71. Iudicibus, quod cum primò non esset certo loco addictum, in ciuitate demum Hierosolymitana stabile constitutum est. Voisin de lege diuina cap. 10. & hoc consistorium magnum, immediatè non solebat consuli, sed prius quisque suæ ciuitatis consistorium adibat.

D Scientiæ cum vera Religione concordes. *Vide Magnitudo Cognitionis.* Scientia vniuersalis.

Exod. 18. non solum Moyses ducit populum ad aquas Petræ, sed & seniores populi cum ipso; Non enim sola lex annuntiat Christum, sed & prophetæ & Patriarchæ, & omnes maiores natu. Origen. Homil. 11. in Exod.

Sensus deprehendit deceptionem sui per alium sensum, vt visus à tactu docetur remum in aqua non esse fractum, & ab alia visione extra aquam.

Vt in arboribus alioquin fœcundis fit insertio, sic optimis scriptis & consiliis additio. D. Gregor. Niss. in procem. hexam.

E D. Chrysost. Hom. 18. in 2. ad Corinth. dicit in Ecclesia non à sacerdotibus tantum petendum, sed ab his etiam qui sunt abiectæ sortis, vt quod ad omnes pertinet, omnium calculis comprobetur, plerique enim indocti clarius perspiciunt, quia minus contentiosè agunt.

Cum agitur de Patrum auctoritate, maior & sanctior habenda, vbi non priuatim singuli, sed vniuersi, & in vnum cœtum collecti sententiam dicunt.

Aguntur per Græcias illa certis in locis concilia ex vniuersis Ecclesiis per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani, magna veneratione celebratur. Tertulian. lib. de ieiunio cap. 13.

Non repugnat aliquid cognosci per duo media, quorum vnum sit altero perfectius, sicut ad eandem conclusionem habere possumus, & medium demonstratiuum & dialecticum; similiter eadem res potest sciri ab Angelo per verbum increatum & per speciem innatam, cum vnum non sit alteri oppositum, sed potius se habeat vt materialis dispositio ad alterum, non tollitur potentia per formam, sed tollitur priuatio quæ ei opponitur. Angelus potest simul cognoscere res per medium creatum & in propria natura quod pertinet ad cognitionem gloriæ & matutinam, & illæ duæ operationes non se impediunt, sed vna est quasi dispositio ad alteram D. Thomas. in quæstionib. disputat. q. 4. a. 1. ad 11. Ita fides potest esse cum ratione & motiuo naturali, quia non sunt contraria, sed vtriusque lumen naturale & supernaturale ab eodem principio scilicet Deo, procedit, vt id. D. Thomas fusius differit initio contra gentiles.

Stella quę duxit Magos, lucebat simul cum sole.

Præsuli suspecto in audiendis litibus adiungitur Episcopus. Nouell. 86.

Vide Potestas Concordantiæ. Vis & authoritas conciliorum.

Quilibet homo in prælatione constitutus habet duos Angelos directores. Tostat. Matth. tom. 5. fol. 18.

Sapienter dicit Cato, iudicium populi nunquam contempseris vnus, quia mentibus impressæ generales veritatis ideæ, licet in aliquo per aliquas passiones turbentur, non tamen in omnibus & plurimis. Exo. fo. 244.

Hippocrati multum adiecit Galenus, Ptolomæo Cardanus & alij. *Vide Duratio Cognitionis Mora.* Inuentis addere.

Fides potest illustrari rationibus physicis. Vide apologiam quam ea de re scripsi initio Theologia naturalis.

Plures faces per angustissimum foramen lumen suum sine confusione traiiciunt.

Proconsules mittebantur in prouincias cum comitibus, idest assessoribus iuris peritis. Cuiac, Obs. lib. 7. cap. 21.

Præfectus Prætorio suis sententiis hanc adiiciebat clausulam, cum concilio collocutus & his tribus litteris significabatur. CCC. Ib. lib. 18. c. 32.

Lex cum sit res valdè grauis, quæ pendet ex multarum circumstantiarum consideratione, quæ facilius à multis, quam ab vno attinguntur, debet fieri cum suffragio virorum prudentum vt habetur l. humanum. C. de legib. hæc consultatio in regimine monarchico non est absolutè necessaria, sed in regimine quod constat ex multis. Suarez de legib. lib. 3. cap. 15. nu. 4.

CONTRARIETAS COGNITIONIS.

QVÆ SVNT CONTRARIA COgnitioni, & quæ illam impediunt.

NOn conueniens distantia, efficit vt res appareant aut maiores, aut minores, quam re vera sint. *Vide Bonitas Differentia, Distantia.*

Amor proprius excæcat. *Vide Voluntas Bonitatis, Mala.* Inordinatus sui amor.

Venus secundum naturam suam opponitur Mercurio, hic quidem sermones & disciplinas, Illa verò voluptates & delectationes amplectitur. Hermes in centiloquio. num. 6.

Ex coniunctione Solis & Martis in signo Bicorporeo, & in tempore veris, fit tenebrositas aëris, & infirmitates contingunt. Id. 34.

Cum Mercurius erit in piscibus in gradibus puteosis, facit natos insipientes, vel mutos. Ibid. Num. 63.

Impedimentum habebit in oculis is in cuius natiuitate duo luminaria fuerint impedita. Almansor. proposit. 15.

Impedimentum Mercurii à Saturno, impedit linguam nati, deterius autem si corporaliter iungatur. Ib. prop. 69.

Præsentia tollunt sensum præteritorum, sicut astra nobis viciniora operiunt superiora. Magistratus exercens officium præfertur antiquiori & nobiliori non exercenti.

Diocletianus infensus Ægyptiis, libros omnes Chymiæ repertos combussit, ne hinc gloriam, & vires bellum mouendi haberent. Suidas.

In phreneticis, moriente ratione & homine, furor viuit. Chrysolog.

Obscuritas & opacitas in corporibus, procedit à nimia humiditate. Exsiccat corpus obscurum, & nigrum diluitur in albedinem, vrge, & exsicca, magis separata omnimoda humiditate quæ in sale hæret pertinacissimè, fit dilucidum. De diuersis coloribus. *Vide supra Differentia Cognitionis.*

In India, maxime in Insulis Maldiuæ nascitur herba dicta Dutroc, quæ potui aut escis mixta sopitos efficit sensus; adulteræ mulieres illam viris suis zelotypis propinant. Dauity in India.

Quæ impediant canum venaticorum odoratum *Vide Virtus Medii, Mediocritatis.*

Si ventus hostibus esset contrarius & faciem perflaret ex aduersa parte, milites vtres gestabant cinere & fauilla plenos, quos perrumpentes, aërem turbidum reddebant. Suidas in voce [illegible].

Christus silentium imposuit oraculis dæmonum. *Vide Concordantia Minoritatis.* Descensus causæ superioris.

Si quis fumum tibi facit, acerbum est id somnium. Suidas in voce Thymœtatæ.

Naasses hostis Iudæorum, bello captiuis dextrum oculum eruebat vt sinistro eorum oculo à scutis tecto, prorsus inutiles essent. Idem in voce Saul.

Eodem anno quo Carolus Francorum Rex Italiam cum validissimo exercitu inuasit, viri in litteris clarissimi obierunt. Hermolaus Barbarus. Ioannes Picus Mirandulanus. Angelus Politianus. Ita simul in Italia, cum libertate bonæ artes defecerunt. Petrus Crinitus, de honesta disciplina, lib. 15. cap. 9.

Hippocrates epist. 17. insaniæ causam in homine dicit esse bilem, vbi nimium redundarit.

Anima corpori immersa conuenientem satis non habet proportionem cum lumine puro veritatis. Vnde dicit Auicenna in Metaphysicis, quemadmodum paralytici lingua humore præpedita quodam, certum in prægustando saporis sensum minus agnoscit, sic & humanus intellectus ob talis nexum corporis quasi paralyticus excæcatur, Rodigin. lib. 6. c. 10. velut corporea effecta, quærit tantum veritatem in corporeis, quæ imagines tantum sunt & vmbræ. Id. lib. 7. c. 13.

Nitescit tranquillum mare, obscuratur turbulentum. Sic passiones turbant animum. *Vide Maioritas Voluntatis.* Passionum damna, & zelus nimius.

Noctem è terra genitam fabulantur Poëtæ, quam densitati corporis sese Soli obiectantis adscribit Mathematica disciplina. Rodigin. lib. 5. cap. 16.

Medicinæ repertor putatur Apollo, hanc ampliauit filius eius Æsculapius, qui postquã fulmine ictus est, interdicta fertur medendi cura, & ars simul cum autore defecit, latuitque per annos penè quingentos, cum eam reuocauit in lucem Hippocrates sub Artaxerxe. Isidorus Orig. lib. 4. cap. 3.

Plerique post ægritudinem sæuam, totam scientiam amiserunt, quoniam totus spiritus scientia affectus exhalauit, nec communicauit successori nisi passionem morbificam vehementem. Campanella.

Obscuratur oculus pinguedine, & tunicarum obesitate, & obscuratur anima corpore obeso. D. Chrysost. hom. 14. in 1. ad Timoth.

Corpora olim robustiora longiorem operam menti præstabant, & ideò fortè doctiores euaserunt, qui prioribus sæculis scientias coluere, quam qui postremo æuo nati, acceperunt vltima corporum cœlestium veluti dona, & fatiscentis naturæ reliquias.

Mens humana solicitudinibus distracta non intrat ad se per memoriam; phantasmatibus obnubilata non redit ad se per intelligentiam; concupiscentiis illecta, nequaquam reuertitur ad seipsam per desiderium suauitatis internæ & læti-

tiæ spiritualis. Ideo tota iacens in sensibilibus, A non potest ad se tanquam ad Dei imaginem reintrare. D. Bonauent. itinerarii mentis in Deum, cap. 14.

In captiuitate Babylonica destructi sunt omnes libri Iudæorum Tost. 1 Reg. to. 1. fol. 4. c. 3. f. Sed illos Esdras restituit. Id. Deut fo. 15.

Indiuisibile non est visibile, cum omnis visio fiat per pyramidem radiosam, cuius basis est in re visa, & conus in oculo videntis, sed indiuisibile non potest esse basis, cum basis sit superficies. Idem Math. to. 1. fo. 124.

Ira dum mentem nimium mouet, rationem confundit. *Vide Maior. Contrariet.*

Lapis Onichinus instar vnionum in albo rubescens, refert rerum imagines inuersas, vt in speculis concauis. Id. Exod. to. 2. f. 65. B

Spissæ Ægypti tenebræ factæ sunt ex priuatiuo & positiuo, priuatiuum fuit quod Sol, & astra nulla, dirigerent ad eos radios suos; positiuum quod supernaturaliter multi vapores, sic condensati, vt tactum paterentur. Idem. Exod. tom. 1. fo. 64.

Olaus Magnus lib. 3. cap. 17. refert Magos septentrionales artem familiarem habuisse fascinandi oculos, vt quod libuerit, viderent, & ex occasione excæcandi, vt penitus nihil discernerent.

Qui habuerit Solem aut Lunam in via lactea, aut cum stella nebulosa, patietur vitium & læsionem in oculis. Cardan. in supplemento Almanach cap. 9. C

Luna cum stellis paruis, paruos facit oculos, & in quadrato, Martis, Saturni, Solis. Id. Aphor. sect. 2. Aph. 1.

Cum ascendens in muto fuerit signo, & Mercurius non in humano, cum stella in qua Saturni vis appareat, natus non rectè omnino loquetur. Cardan Aphoris. sect. 2. Aphoris. 15.

Mercurius maximè hebetatur in humidis signis, sed in Scorpione maleficum facit. Ib. Aph. 140.

Cum Luna Soli opposita, nebulosis stellis iuncta est, natus vitio luminum capietur. Ibidem Sect. 3. Aphoris. 114. Etsi Luna in septimo loco à duabus infortunijs pulsata sit. excæcabitur. Ibid. D

Ne laudes ingenium eius qui habet Mercurium in signo terreo, nisi Ioui, vel Veneri, vel Lunæ, vel fixæ ex horum natura societur. Idem sect. 6. Aph. 6.

Quando Luna fuerit sub radiis Solis cum Mercurio, aut Mercurius sub Solis radiis; Luna diminuta lumine, natus erit stultus, sed non omnino. Id. sect. 6. Aph. 114. Item Sol in Cancro existens, Luna lumine diminuta sub terra. Omnis Planeta robustus in angulo, impedit sapientiam. Ibid.

De his quæ tollunt ab homine claram sui cognitionem. Vide quæ scripsi Moralis Christiana, to. 1. parte 1. cap. 1. E

In Ægypto dentes hominum cariem non contrahunt, itaut in mille mandibulis cadauerum nulla sit inuenta cui dens deficeret; at ibidem vix tertius hominum caret lippitudine aut notabili oculorum vitio. Van Helmont, ardens aër nocet oculis humidis sua naturali constitutione.

In Labienum oratorem violentum, qui sermone passim homines ordinesque laniabat, excogitata est noua pœna. Effectum enim est per inimicos vt omnes eius libri incenderentur. Res noua & insueta supplicia de studiis sumi; facem studiis subdere, & in monumenta disciplinarum animaduertere, quanta, & quam non contenta certa materia crudelitas est. Non tulit hanc Labienus contemeliam, nec superstes ingenio suo esse voluit, sed in monumenta se maiorum suorum ferri iussit, atque ita includi. Veritus scilicet ne ignis qui nomini suo subiectus erat, corpori negaretur, non finiuit tantum seipse, sed etiam sepeliuit. Seneca lib. 10. Contro. in proœmio.

Mediam partem Bactrianæ terræ steriles arenæ tenent. Cum venti à Pontico mari spirant, quidquid sabuli in campis iacet, conuerrunt. Quod vbi cumulatum est, magnorum collium procul species est, omniaque pristini itineris vestigia intereunt, itaque qui transeunt campos, nauigantium modo noctu sydera obseruant ad quorum cursum iter dirigunt. Quin. Curtius lib. 7.

Cerebella quarundam auium insaniam inducunt & vocantur venena, licet vitam non auferant. Cardan. de venen. lib. 1. c. 1.

Peccatur in cognitione, vel quia non omnia assumimus ad diuisionem, vel non colligimus omnia post diuisionem, aut in deliberando erramus, circa tempus, locum, modum atque mensuram. Id. de arcanis prudentiæ.

EBRIETATIS SVMMA turpitudo.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Diuinis beneficiis nunquam periculosius abutuntur homines, illa nunquam magis vertunt in summi largitoris contumeliam, quam cum se dedunt ebrietati. Profundunt enim pretiosum liquorem, qui moderatè sumptus esse poterat naturæ laborantis præsens solatium & medicina. Cœli pretium, si pauperi languescenti hunc charitas exhibuisset. Iacturam hanc maior sequitur, scilicet propriæ mentis, quæ vaporum tempestate iactato cerebro, velut nauta fracta naue, non regit sed mergitur: vacillant, titubant gressus, procumbit velut confossum cadauer, nam vitiatis organis anima nec separata nec coniuncta, sed obscuro clausa carcere, nec intellectualis, nec sensibilis facultatis officio fungitur.

MAGNITVDO. Capitale vitium est, quod cæteris sopita ratione latum præbet aditum, iram, contumeliam, luxuriam, cæteros hostiles animi motus admittit. Circæ poculum est, homines sine magia conuertens in feras, in leones, porcos, hircos; furit, iacet, lasciuit ebrius, prout phantasiam complexionis & occasionis ratio concitauerit. Et quis æstimet reatus tantæ perturbationis, quæ disponit hominem ad omne nefas, nec vacat, nisi cum per excessum sensus impotentes iacent prostrati.

DVRATIO Ne dicas ebrietatem vt somnum, ad breue tempus in naturæ fatiscentis solatium sumi; nam vtriusq; dispar est causa, contrarii sunt effectus; somniũ necessitas, ebrietatẽ dissoluta libertas aduocat; somno spiritus & vires reparatur,

Digitized by Google

ebrietate diu languent, donec tandem penitus concidant. Adustis enim & exsiccatis externo vini calore visceribus, eodem quo fuerunt incensa mero, velut id exigat necessitas, appetunt irrigari, id est magis ac magis consumi, vnde mentis prius alterna cæcitas fit perpetua, caligant oculi, tremor pedes manusque concutit, & ex natiui caloris suffocatione morborum illuuies horrenda, mortem accelerat.

POTESTAS. Nihil iuuant animi, corporis, fortunæque dotes, cum mentem nimia vini potio ligauerit; sic captum athletam & gigantem pumilio castigat; doctum vel principem subsannabit rusticus, & hęc est mulieris ebrioso nuptæ misera consolatio, quod ad horam dominetur. Argumentum est mentis iam ex vino debilitatæ, si sic velint ab eo deijci, cum naturaliter suam sibi velint seruari potentiæ prærogatiuam; si ligantem ipsos, exarmantem, ludibrio cunctis etiam hostibus exponentem tyrannum, non horreant.

B

COGNITIO. Eculeus dolore, vinum voluptate secretum extorquet nec sibi, nec amicis parcit ebrius; vltrò tacenda profert, latens vitium quod magnis obstet profectibus, diuturnæ consultationis libratos agendi modos aperit, & irritos efficit, indicato, quo parantur insidiæ loco. Nullum perfidiæ genus timendum magis, cum & eos quos prodit, & ipsummet prodentem sæpè lateat, obliterata scilicet eorum quæ dicta sunt in referentibus memoria, in hostibus viuaci. Sic ad tempus insanire, cæcutire morbus est, vinumque sæuit crudeliter ex eo quod toties erutos, toties somno restitui patitur oculos, in nouum semper, longumque potentiæ suæ spectaculum.

C

VOLVNTAS. Amittunt vino capti cum iudicio libertatem, sed amissione libera, per lusum & delicias affectata, quæ reos magis constituit; sic ad rationis hostem transfugę, sub eius imperio dicunt, agunt, patiuntur, de quibus postea pœnitent, inualida pœnitentia quæ semetipsos & homines non Deum attendens, non emendat præteritum, de futuro nihil boni pollicetur, cum in eadem de quibus dolent, statim occasione data honestatis obliti relabantur. Mirari licet sic perire volentes & cur legum seueritas fortius non coërceat desperatam hanc nequitiam.

D

VIRTVS. Merito ponitur à sanctis patribus temperantia, velut virtutum omnium fundamentum, sicut ebrietas vitiorum fomes indeficiens. Hinc toties à scripturis sanctis laudantur abstemii velut hac obseruatione rigida se Deo dignos præstarent in exhibendo singulari cultu, & vt patet in Samsone, donis supra naturæ vires excipiendis.

VERITAS. Licet vera quædam hostibus aperiat ebrius, sibi tamen & amicis perniciosè mentitur qui iuratum secretum, quod debebat, quod volebat seruare, profert, contra se suosque factus insidiator & proditor. Expende gressum, sermonemque titubantem, nihil in eo recti, nihil sinceri, nihil veri reperies; vino spiritibus incalescentibus, actu pusillanimis, & popinæ tantum natus, se putat, se iactat magnanimum, pręsidet regum consiliis, legum & agendorum censor, bella mouet, acies instruit, Alexandro fortior, Catone sapientior, cum tamen paulo post haustis adhuc cyathis sermo deficiat, labantur gressus, hebes & impotens; toto corpore procumbat.

E

GLORIA. Vinum dicunt esse lethæum fluuium, qui delet pręteritæ calamitatis memoriam, imminentis metus, oppressisque concedit saltem suo sensu non semper esse miseros; sed quale malis remedium, stupor, alienata mens, quæ toties turbata, toties vigilando somnians, penitus tandem excæcatur vt rebus in posterum non valeat prouidere.

DIFFERENTIA. Ita malis ipsis quæ frustra fugiunt grauius implicantur, elapsa scilicet inter luxus & stuporem remediorum occasione. Tum paulo post mens sibi restituta cum à falsa fugacique libertatis imagine momento transit in contrarium veræ calamitatis opprimentis sensum, necesse est sortem suam acerbius ingemiscat.

CONCORDANTIA. Vino dediti similium gaudent societate, conuiuiaque celebrant, non amicitię contrahendæ causa, vitiis enim virtus non conciliatur; sed vt exemplis & æmulatione suam mutuo prouocent incontinentiam, quę communis effecta, cesset à correis turpis videri. Vni non sufficit perire, nisi cęteros trahat ad interitum, vt quantum ad virtutis profectus laborat sanctorum congregatio, tantum dissoluti conferant ad turpitudinis suæ propagationem.

CONTRARIETAS. Certant enim coronatis, id est plenis calicibus; iniuriam quisque putat haustu pari cæteros non respondere, quasi qui se subtrahit velit fieri communis temulentiæ malignus spectator, testis & iudex. Illic sępè tumultuantium impetus, effrænis linguæ licentia, accenditiras; à vino, pręcipites ruunt ad arma, iisdemque vulneribus fundunt merum & sanguinem, in reprobum sensum traditi, hoc vnum iustè peragunt quod sint suæ dissolutionis tortores.

PRINCIPIVM. Olim crimen fuit obscænis imperatoris imaginem inferre, hanc enim qui quacumque ratione violat, incidit in pœnam legis Iuliæ Maiestatis, l. 1. ff. ad l. Iul. Maiest. Et non timet homo mentem rationalem ad imaginem Dei factam, ipsique summo munere commissam ebrietatis spurcitia, contaminare, peruersis actionibus delere, & immortalem quantum fieri potest confringere. Illam vitæ mortalis casus & officia, indignè satis auocant à Dei contemplatione & amore, cui tota toto tempore deberet impendi; quanta peruersitas, in eos ruens excessus, qui hominem brutum efficiat, cœlestium incapacem, diuinamque maiestatem per lusum congestis criminibus, offendant.

MEDIVM. Ratio manusque duo sunt hominibus regimen creaturarum, ad artium & scientiarum, [illegible] dati collegæ, quos indignissime facit exautoratos ebrietas, nec tantum interdicit solitis, debitisque muneribus, sed eos, quod peius est, corrumpit, vt mala perpetrent, legumque diuinarum & humanarum publici fiant præuaricatores.

FINIS. Turbata, corrupta ratione homines esse desinunt. Animæque suæ immortali quantum fieri potest violentas afferunt manus, ita legibus veniunt coërcendi, non enim auditur perire volens, & qui vitæ tædio animam suam proiicit.

MAIORITAS. Occumbentis rationis, per lusum se tumulantis, sibi parentantis compassionem, monet quidem charitas, sed extinguit risumque vel ab inuitis extorquent noua, inspe- rata, pugnantia, quæ dicunt, quæ faciunt, & in

amentiam fortis animi specie, versa vanitas.

ÆQVALITAS. Pessimum in hoc vitio censeri debet, quod fiat commune, quod à diuitibus in populares facile transeat; quod appetitur voluptatis, & magnificentiæ titulo; quod vino mersi, plurimos, non renitentes, sed vltro manum porrigentes, in suum trahunt naufragium. Palma proponitur pluries bibenti, & dum ad illam omnes æmulatione pessima contendunt, sæpius omnes à mensa cadunt inter ministrantium manus suis tunc dominis contra vinum, & contra sæuissimum hostem licet S.C. Sillaniano non expressum, auxiliatrices.

MINORITAS. Videat tandem Christiana charitas excessus illos non amplius vt ridiculos sed his dignos Isaiæ maledictionibus: Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Hæc opes pietati debitas iniquissimè profundit; fouet inertiam Reipublicæ perniciosam, vires publicis debitas muneribus extenuat, mentes paulatim excæcatas versat per vitiorum abrupta, donec præcipites agat in æternæ perditionis abyssum. Duplex hoc boni temporalis & spiritualis interesse, mouere debet vtrique præsidentes potentias, vt vnitis viribus, validisque remediis tam graui morbo medeantur; de quo *Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in humanis, parte 2, cap. 19.*

MISCELLANEA.

QVidam dicunt, vtinam non esset vinum; ô amentia singularis! delinquunt, & dona Dei criminantur; dicas potius; Vtinam non esset ebrietas. Optabis ne sit ferrum propter homicidum; ne sit nox propter fures; ne sit lux propter calumniatores; ne sit fœmina propter adulterium, & sic omnia Dei opera tibi destruentur? Datum est vinum ad lætitiam, non ad turpitudinem nostram; datum est vt rideamus, non vt derideamur; vt rectè valeamus, non vt ægrotemus, vt imbecilla corpora reficiamus, non vt robur animi deijciamus, honorauit te hoc munere Deus, cur dehonestas propter intemperantiam, teipsum? D. Chrysost. hom. 58. in Math.

Ebrii deteriores sunt bestiis quæ etiam coactæ nunquam plus cibi & potus sumunt, quam oporteat. Vt sanato morbo remanet infirmitas, sedata tempestate remanent ruinæ, post naufragia, fractæ naues, sic post ebrietatem infirmitas corporis & animi, ardens mali sui cupiditas, amissio frugalitatis modestiæ, pudoris, tandem æternæ salutis, dicitur enim 1. Cor. 6. Nolite errare, ebriosi regnum Dei non possidebunt. Ibidem.

Ebrietas multiformis ac multiceps bestia, nam vt Scylla & Hydra apud Poëtas, sic ebrietas multis capitibus armatur. Hinc enim fornicatio, ira, mollities, turpes amores oriuntur. Ibidem hom. 71. verba stolida, mens furiosa, superbiæ flatus.

Comessationes & compotationes, quæ fiunt intemperanter in collegiis artificum, causa fuit vt sæpius ea collegia fuerint à principibus prohibita. Cuiac. Obseruat. lib. 1. cap. 30.

Alexander virtutes suas ebrietate fœdauit. *Vide Media Virtus.* Imperfecta virtus, ex Quint. & Curtio.

Ebrietas, vt somnum adfert mortis germanum, ita vigiliam habet somniis adsimulem. D. Basil. hom. de ieiunio.

De nimietate ciborum. *Vide Maioritas Medii.*

Ex nimio influxu syderum fit quædam ebrietas, qua quis excedit loquela, ferocitate, audacia, superstitione, zelo. *Vide Maioritas Voluntatis. Zelus nimius.*

Calor vini facit eleuare multum humidum vini, & obstruit poros logisticæ, & permiscet operationes formarum, & inde resultant monstra quæ vigilantibus & dormientibus apparent; propter motum autem humidi quod mouetur à calido, videtur eis, quod res quæ circa eos sunt, moueantur; Vinum etiam detinet eorum neruos motiuos, & trementes facit, itaut facilè cadant. Albert. Magn. lib. 2. de somno & vigilia, tract. 1. cap. 1.

Plura de ebrietate in eo quod mentem alienat & aperit consilia, secretumque, *Vide Medium Veritas. Ebrietas.* Vt nimius humor plantas sternit, sic excessus vini mentes & corpora.

Qui ebrietate intabescunt, vinum lætitiæ, genitorem, desipientiæ patrem faciunt. Theodoret. orat. 6. de prouidentia. Abutuntur bono nobis à diuina prouidentia dato. *Vide Maioritas Medii.* Abuti medio.

Luc. 12. Seruus notatur infidelis qui absente domino, ebrietati deditus est. Ebrietas cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ magistra; hanc qui habet se non habet, hanc qui habet; homo non est: hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria; inuitatus hostis, &c. D. Chrysolog. serm. 26.

De ebrietate. Basil. concio. 16. 10. 5. & homil. 14.

Vitis lignum nodosum, tortuosum, hac physionomia indicat liquoris sui in hominibus effectus; fiunt enim inde podagra laborantes, gressibus vacillantes, non se ferentes.

Ignorantia ex ebrietate non potest non subiacere pœnæ, cum ex voluntaria amentia procedat. Concil. Veneticum Galliæ. Can. 13. a. 465.

Apud Persas nobiliores habebantur & in agendis officiis aptiores qui cum se vino admodum proluerent, mente ipsa consisterent, neque à ratione discederent. In quo Cyrus Regis Darii filius se Artaxerxe fratre imperio digniorem asserebat, quod plus vini imperturbata mente haurire posset: vt refert Plutarchus. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 6. cap. 2.

Cardan. de rerum varietate, lib. 1. cap. 4. in oncadibus insulis homines esse vinacissimos, robustissimos, candidissimos, qui nunquam potu, quamuis vini potentissimi, inebriantur.

Vitis cum vita affinitatem habet, estque hominum vsui saluberrima, vnde arescens mortem domini præsagit. Ibid. cap. 73.

Lyncestis est aqua, quę vini modo temulentos facit. Georgius Agricola lib. 2. de his quæ fluunt ex terra.

Ebrietas furor est voluntarius, inquiebat Cato. Fuit olim in India & in Græcia sub Dionysio propositum præmium his qui plurimum biberent. Rodig. lib. 18. cap. 31.

Darii monumento inscriptum. Vini haurire plurimum poteram, & pulchrè etiam num ferre. Id. lib. 22. cap. 20.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

Vino sæpe suum nescit amica virum. Propertius. Eo obrutus animus cœleste aliquid peruidere nequit.

Digitized by Google

quit, adolescentibus præbere, hoc est oleum igni super infundere; ebrietas est voluntaria insania & si perseueret habitualis furor; sternit gentium victores vt Alexandrum amicos inter pocula necantem. Id. lib. 28. cap. 29. & seq.

Bonosus Minutulus Romanorum tyrannus bibit quantum nemo alius, vnde scitum Aureliani dicterium, non vt viueret illum esse natum, sed vt biberet; quantum vini hausisset tantum reddebat vesica circa vllum incommodum corporis & mentis semper integræ. Idem lib. 29. cap. 1.

In cæteris infirmitatibus corporis potest vis spiritus augeri secundum Apostolum. 2. Cor. 4. At ebrietatis ægritudo corpus simul & animam sternit. Origen. homil. 7. in Leuit.

Ebrietas maximè vitanda diebus festis. *Vide Gloria Virtutis.* Dies festus.

Ebrietas herbis odoriferis loco vini prouocata. *Vide Medium Potestatis.* De eo quod alteri substituitur.

Ebrietas memoriæ mors; origo vitiorum, subuersio sensus, tempestas linguæ, naufragium castitatis, insania voluntaria, ignominiosus languor; confundit naturam, amittit gratiam, incurrit in damnationem æternam. Præcipitur, videte ne corda vestra grauentur crapula, &c. Laurent. Iustin. lib. de sobriet.

Ebrietas de homine vindictam sumit; primum pedes acrius punit, quibus ad incontinentes epulas adducimur, deinde manus quæ superflua ministrarunt acrius ligat, in plerisque autem distortione os, oculi & caput dolore vexati sunt, & quemadmodum seruus quando supra vires quicquam impositum est, domino impudentius maledicit, sic & venter nimium plenus per dicta membra, mentem quoque & cogitationem corrumpit. Sic prouidentia factum, vt hac saltem pœna modestius viuere coneris. D. Chrysost. hom. 45. in Matthæ. in fine.

In conuiuio truncatur caput innocentis Ioannis Baptistæ, hic multorum intemperantia reorum; cędũtur capita, licet ad nouos excessus surrectura.

CÆCITAS EX *peccato.*

Piscium oculi, dum viuunt sunt molles, at mortuorum sunt duri.

In lege Moysis sacrificium quod offerri solebat pro peccato, sine thure & oleo offerebatur. Carent enim alimento lucis, qui sedent in tenebris peccati, & qui lugere debent, expertes sunt lætitiæ. Theodoret. in Leuit. q. 1.

De cæcitate peccati liber Tauleri. De cæco nato. Gerson. to. 4.

Hoc est peccatum naturæ, quod est fumus oculis. Chrysol.

Peccatum diuidit inter Deum & hominis animam, ponens peccatum in medio, propter quod manet tenebrosa; excæcat animam, velut plaga oculum, & quia ponit illum extra regionem intellectualem & lucidam scilicet Dei. Cardin. Cusa. excitat. lib. 5. c. 57.

Qui placuerunt Deo, per sapientiam placuerunt, nam ex sapientia est ordo, peccatores autem sunt extra sapientiam, iudicant enim de re-

A bus, non secundum conditionem ipsarum, sicut visus cui videntur maxima parua, scilicet cœlestia, & terrena cum sint parua, videntur magna. Ibid. lib. 7. cap. 17.

Mala consuetudo tollit visionem spiritualem, sicut dura pellis quæ sensim collecta est super pupillam oculi. Ibid. lib. 10. cap. 5.

Maximè luxuria excæcat, supercecidit ignis & non viderunt solem. Triplex est ignis lucens non ardens vt in cœlo; lucens & ardens vt hic noster materialis, & in inferno est ardens & non lucens, talis est ignis luxuriæ. Vitium est directè pugnans contra verbum castissimè incarnatum *Vide Virtus Cognitionis.*

B Causa cur lucem spiritualem acie fixa videre non possis, non est nisi infirmitas, & quis tibi eam fecit nisi iniquitas? D. August. 15. de Trinitate. cap. vlt.

Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, spiritualis autem omnia diiudicat. 1. Cor. 1. In maleuolam animam non introibit spiritus sapientiæ, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sapient. 1.

Lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Ps. 37.

Vt latrones furantur extincta lucerna, id in peccantibus facit corrupta ratio, ardens hoc lumen dæmon extinguit, animam obducit tenebris, tum spoliat bonis internis; excæcat animam libido, vt non videat præsens in quod incurrit

C præcipitium, &c. D. Chrysost. homil. 11. in 1. ad Corinth.

Non dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus & sobrii simus, &c 1. Thess. 5. Vitium vocauit somnium, quoniam qui illud sequitur caret omni actione virtutis, nihil verum videt sed est plenus phantasia & somniis; quæ non sunt, tanquam quæ sunt visione apprehendit; peccantes similes sunt furiosis, ebriis, delirantibus. Id. hom. 9. in 1. ad Thess.

Nihil æquè conturbat mentis oculum, atque mala conscientia. Turbatus est, inquit, ab ira oculus meus. Ps. 6. Nihil æquè offundit tenebras. Id. *Vide Gloria Virtutis Repug.* Conscientiæ stimuli.

D Carnalia peccata mentem à spiritualitate penitus retrahunt, & impediunt prophetiam, & similiter nimia sollicitudo sæculi: ideo dicitur. Mat. 7. Attende à falsis Prophetis, à fructibus eorum cognosceris eos. Falsos ostendunt peccata carnalia, nam spiritualia sunt occulta. D. Thom. in quæst. disput. de prophetia. a 5.

In inferno sunt tenebræ, cum sit ignis; amor ardet & excæcat.

Sicut ij qui per insaniam mente translati sunt, non iam res ipsas sed passionis suæ phantasias vident, ita quoque imprudentis mens semel cupiditatis vinculus adstricta, semper illius obE iectis est intenta. Lauren. Iust. de prudentia cap. 5.

Cæcus est peccator qui licet natura rationalis, sine ratione contempto Deo summo suo bono, conuertitur ad creaturam se minus nobilem, cui dum adhæret patitur summam capitis diminutionem.

Cæcitas mentis est rerum formas non discernere; præferre minima maximis, æternis temporalia, his seruire quos imperio regere debuerat; malis habitibus velut vinculis se colligati, vt in posterum vix liceat ad libertatem proclamare. Laruata & in speciem tantum virtus est, quæ non venit à Deo, & quam religionis

cultus non perficit. Sensus afficit, mentem implet imò labefactat; secretis carpit morsibus ab externis mendicata voluptas. Hanc bestiis propriam, Angelorum gaudiis præferre quanta iudicii peruersitas. Sic enim ordinem à Deo positum nec aduertunt nec seruant cæci peccantes, cœlum terræ, sensum rationi substernunt; fidem habent suis hostibus, quorum sæuitiam quotidianis probant experimentis & auertuntur à Deo piissimo parente, oblatis ab ipso donis cœlesti-

A bus, oculos, manus negant; contemptu fastidioque terga vertunt. Frustra consultant in posterum de mediis, legitimo sibi fine non proposito, sed abdicato; Cæcos cæci sequuntur lata via quæ ducit ad perditionem, cui cum accedant libere, cum alios ad se trahant, damnationis paritas cedit in reatus augmentum. Cæcutiunt quia peccant, peccando magis cæcutiunt infinita quadam malorum in se redeuntium seque mutuo propagantium circulatione. *Ex Principiis.*

PRINCIPIVM COGNITIONIS.

VNDE ORITVR COGNITIO.

VTERE Luna in curandis oculis, cum fuerit aucta lumine, & libera à malorum aspectu. Hermes in centiloquio. n. 39.

Non amittit sensum is in cuius natiuitate Luna ierit ad Mercurium. Almansor Propositione 56.

Cum ad percipiendas disciplinas multo labore desudemus, nulla apis nisi artifex nascitur. Quintil. declam. 13.

De Sole. Liber Marsili Ficini.

De Scientiarum Originibus. Isid. Hispalensis.

De Artium Inuentoribus. Polidor. Virgilius.

Bibl. Patrum to. 3. vet. edit. est oratio Tatiani ad Græcos, in qua probat eos mutuo accepisse ab aliis gentibus scientias quibus gloriantur, velut essent earum authores.

Intellectus mouet se, quia per hoc quod cognoscit principium reducit se de potentia in actum, quo ad cognitionem conclusionis. Ratio imitatur naturam.

Litteræ Latinæ & Græcæ ab Hebræis videntur exortæ, apud illos enim prius dictum est Aleph. Deinde ex simili enunciatione apud Græcos tractum est Alpha, Item apud Latinos A. translator enim ex simili sono alterius linguæ literam condidit vt nosse possimus linguam Hebraicam omnium linguarum ac literarum esse matrem. Ægyptiorum literas Ysis regina Inachi filia de Græcia veniens in Ægyptum, reperit, & Ægyptiis tradidit. Isidor. Origin. lib. 1. cap. 3.

Anima quæ est cognitioni apta, veri plus assequitur, quam qui extra modum studiis inuigilarit. Ptolom. centiloq. n. 4.

Vide Principium Virtutis. Bona naturalis inclinatio.

Vis vaticinandi è terra. *Vide Maioritas Cognitionis.* Diuinatio.

Inesse cerebro & oculis lumen aliquod; etiamsi exiguum, animalia multa quæ noctu vident, testantur. Itaque cum diurnum lumen applicat se visus radio, tunc ea duo inter se concurren-

B tia in vnius domestici corporis concurrunt speciem, ipso scilicet concursu intimi & extimi luminis. Rodig. lib. 15. cap. 2.

Insubres Gallos in bello aduersus Romanos, aurea signa quę vocant immobilia, è Mineruæ tēplo sustulisse Polybius scribit Id l. 2. c. 18. in fin.

Quælibet scientia tria supponit. 1. Obiectum circa quod versatur, in Physica corpus mobile. 2. Significationem nominis quod obiecto suo tribuitur; vt quid significet corpus & mobile. 3. Communes quasdam notiones, ex quibus per discursum rationis, veritates ad scientiæ profectum necessarias elicit.

Cui ascenderit cingulus Orionis, is erit doctissimus & studiosissimus. Cardan. in suplem. Almanach. cap. 19.

Causas naturales diuinationis. *Vide ex eodem, Maioritas Cognitionis.* Diuinatio.

C Mars est significator operariorum; Saturnus rusticorum, Mercurius artificum, qui industria non labore artes perficiunt. Cardan. Aph. sect. 4. Aph. 107.

Coniunctio Planetarum in prima dat sapientiam. Ib. Sect. 5. Aph. 59.

Valdè eruditi sunt, quibus Planetæ Saturnus, Venus, Iupiter, ac Luna Mercurium exquisitè respiciunt, vno ex his, excepto Saturno & Luna in ascendente existente, & nullo aliò Planeta in angulo. Ibid. sect. 6. Aph. 119.

Difficillima pars inuentionis Artis, est initium. Ibid. sect. 7. Aph. 140.

D

SCIENTIA A DEO.

SCipio Africanus quotidie, noctis extremo priusquam dilucularet in capitolium veniebat, & diu in cella Iouis morabatur, illum quasi de Republica consultans. Gellius lib. 7. cap. 1.

In Ægypto Memnonis saxea effigies, vbi radiis Solis icta est, vocalem sonum reddit. Tacit. 2. annal. sic à Deo illustrari possunt, etiam inferioris, ordinis & velut saxeæ mentes.

Germani habent sua consilia certis diebus,

Digitized by Google

cum aut inchoatur Luna, aut impletur; nam agendis rebus hoc auspicacissimum initium credunt. Id.lib. de morib. German. Soli Luna coniuncta, aut per oppositionem plena lumine fauet consiliis; sic à Deo vim consilii accipit anima.

Qui nouit Patrem, nouit & Filium, qui est sapientia æterna Hic omnibus hominibus æqualiter infudit sapientiam, deditque velut talentum, quod alii infodiunt, alii diligentia sua fructificare faciunt, in hoc rusticus par est Principi. Omnibus hæc hereditatis congrua portio datur. Paracel. lib. de fundamento scientiæ. Herbæ non minus proueniunt in horto pauperis, quam diuitis omnium scientiarum & artuum ideæ in vnoquoque conditæ sunt, talis erit, qualiter excitabitur, Dux, Sutor, Agricola. Id.

De Idæis. *Vide Principium Veritatis.*

Intellectus humanus imbuitur & formatur à diuino. *Vide Concordantia Maioritatis.* Societas cum excellentioribus.

Materialia lumina in Ecclesia, significant contemplatiuam sapientiam, qua intellectus Angelorum & hominum replentur à Deo. Albert. Mag. in cap. 1. Dionysii de cœlesti Hierarchia. Et dicit D. Dionys. ibid. cap. 2. quod Theologi Deum laudant, vt Solem iustitiæ, Malach. 4. vt stellam matutinam in animum sanctè orientem, Apoc. 2. & vt lumen incircumuolutè & inuisibiliter resplendens.

Diuinatio in labiis regis est, & in iudicio non errabit cor eius, Prouerb. 16. Nutu enim Dei agi præsumitur: cor Regis in manu Dei est, Prou. 21.

Populum egredientem de Ægypto, Deus præcedebat in columna ignis. Exod. 13. Sic nos illustrat ambulantes in regione vmbræ mortis.

De fide non in hominis potestate, Ioan. Picus Mirand. in disput.

De furore diuino. Ficin. to. 1. lib. 1. epist.

De inspirationibus. Bernard. adu. 2.

De luce quæ illustrauit Berengosum. Bibl. Patr. to. 2. de mysterio ligni.

Hierosolymitanus fons abundat, cum impellit Angelus, non cum sitit, hauritor; sic Sacerdotis sermo exuberat, quando dat Deus, non cum perorat sacerdos. P. Chrysolog. serm. 86.

Baruc. 3. dicitur, Hic est Deus noster, & non est alius absque eo, qui inuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo.

Duplex est humanorum actuum regula, vna proxima homogenea quam rationem appellamus; alia suprema, & omnem vim iudicii excedens. D. Tho. 1. 2. q. 17. sic Prouerb. 21. Cor Regis in manu Dei est, cœlesti enim impetu mouetur.

Sal id tantum in condimentis prodest, quod ex aquis marinis, vi Solis confectum est; at Sal minerale corrosiuum est, nec aptum nutritioni, Prudentia mundana mors est.

Intellectus hominis est tenebrosus & nocturnus; Intellectus Angelicus clarus vt aurora, diuinus vt ipse Sol, quoniam illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Card. Cusa. excitat. lib. 2. cap. 15.

Quotidiana spiritualis natiuitas, quæ visio inuisibilis Filii Dei dici consueuit, nihil aliud est, quam processus verbi, siue genitæ sapientiæ à Deo patre, ad mentem rationalis creaturæ, pro ipsius creaturæ spiritualis gratuita illustratione; & hæc est verbi natiuitas in nobis; sic habetur in Euangelio, quod dedit nobis potestatem filios Dei fieri, non ex sanguinibus nascendo, sed ex Deo per inspirationem. Ibid.

Sic creauit Deus omne virgultum agri antequam oriretur, omnemq; herbam virentem antequam germinaret, sic dixit, fiat lux antequam Sol illam effunderet. Inspirauit Deus in faciē hominis spiraculum vitę, & hinc ratio tot artium & scientiarum inuentrix. Rupert. in Gen. lib. 2. cap. 22.

Ex qua die vnctus est Dauid à Samuele, directus est spiritus Domini in Dauid in die illa & in reliquum. 1. Reg. 16.

Salomō fecit in tēplo fenestras obliquas. 3. Reg. 6. pœnè occultas, vt esset quasi templum cœleste, quod non eget lucerna. Apoc. 22. Spiritus Dei vbi vult spirat, vocem eius audis, sed nescis, vnde veniat, aut quò vadat. Ioan. 3. Rupert.

Plato Dialogo. 6. de iusto, dicit quod sicut res istæ materiales fiunt visibiles per lumen Solis, ita res immateriales fiūt intelligibiles per lumē boni.

Ex Philosopho lib. de anima, nihil volitum nisi cognitum, vnde ad amandum Deum requiritur cognitio fidei quæ est per releuationem, nec enim cognitione naturali perueniri potest ad finem supernaturalem; nam circa illum errabit, aut dubitabit cognitio naturalis. *Vide Media Cognitio.* Fides obscura, sed certa.

Et *Cognitio Principii.* Cognitio Dei.

Da mihi intellectum & discā mandata tua. Ps. 118.

Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me iustificationes tuas. Ps. 118. Cum extra humanæ mentis institutum, non ad animæ sententiam lingua famulatur, sed per ineuntem spiritum officio oris nostri diuinā sensus sermo diffunditur, eructatum videtur esse, quod dicitur D. Hil. lib. tau.

Restituam iudices tuos vt fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis. Isa. 1.

Christus post resurrectionem suam loquens discipulis suis, aperuit eis sensum, vt intelligerent scripturas. Luc. 24.

Exod. 31. Deus Beseleel & Ooliab, implet sapientia, & intelligentia, vt impleant opus tabernaculi.

Christus tenet Cathedram in cœlis, & ipse spargit omnem veritatem in terris, D. Augustin. lib. de magistro. Deus dat visum principaliter, homo instrumentaliter, vt qui oculos habenti rem prius tectam manifestaret.

Fax à Sole accensa. Mens à Deo illustrata. Sic Ouidius in fastis.

Est Deus in nobis agitante calescimus illo,
Impetus hic sacrę semina mentis habet.

In Creta Iouis simulachrum effingebant sine auribus, quia qui regit non ex aliorum relatione debet sapere, sed id exequi quod dicat ratio. Rodigin. lib. 10. cap. 3.

Dicit Iamblicus lumen esse purum actum, ab actu diuinæ intelligentiæ per cuncta porrectum; Diaphanum verò actus eiusmodi esse vehiculum & id quidem incorporeum, neque permixtum corporeis qualitatibus Id. lib 15. c. 1.

A Deo discendum est, quid de Deo intelligendum sit, quia non nisi se autore cognoscitur. Hilar. lib. 5. de Trinit. de fide quæ est per reuelationem *Vide infra Media Cognitio.*

Ipse Deus per suam sapientiam, seipsum plenè & perfectè cognoscit, vnde si quid de ipso cognoscimus, oportet quod ex eo deriuetur, quia omne imperfectum à perfecto ducit originem Vnde dicitur sapientiæ 9. sensum tuum quis sciet, nisi tu

sapientiam. Hæc autem sapientia manifestata est per filium, qui erat lux, vt dicit Ioannes. D. Tho. in prologo. Magistri sententiar.

De Dionys. cap. 4. de nominib. diuin. Angelis tribuit triplicem motum intelligentiæ, circularem, rectum, & obliquum. Motus circularis angeli dicitur secundum quod lumen intellectuale descendit originaliter à Deo in intellectum Angeli; & per illud lumen intellectus Angeli ascendit in contemplationem Dei, & sic est motus ab eodem in idem, & est vniformis in quantum lumen illud non egreditur intellectus simplicitatem. Motus autem rectus dicitur, quando Angelus lumen à Deo receptum inferioribus tradit, quasi secundum rectam lineam: sed motus obliquus dicitur cum lumen illud ab inferioribus receptum non reflectitur in Angelum primum, sed in Deum, & sic obliquatur. D Tho. in Mag. sentent. dist. 37. c. 1.

Scientiarum secreta in sepulchris recondebant antiqui, sed ea reserare nefas, nisi molem terræmotus, inundatio, vel casus aliquis aperuisset.

Cum priuationes & defectus nullatenus possint cognosci nisi per positiones, non venit intellectus noster vt plenè resoluens intellectum alicuius entium creatorum, nisi iuuetur ab intellectu entis purissimi, actualissimi, & absoluti quod est simpliciter æternum ens, in quo sunt rationes omnium in sua puritate, quomodo autem sciret intellectus hoc esse ens defectiuum & incompletum, si nullam haberet cognitionem entis absque omni defectu? D. Bonauent. itinera. mentis in Deum. cap. 3.

Deum consulebant Iudæi in arduis & magnis negotiis, & hoc Deus volebat & iusserat. Tost. Iosue. fo. 1. fo. 165. c. 3. g.

Deus ostendit Moysi terram promissionis miraculose, creando locorum omnium species quæ venirent ad eius oculos. Id. Deut. fo. 177.

Paulus non fuit electus, quia sapiens erat, sed ideò sapiens fuit, quia electus erat. Id. Gen. fo. 10.

Desuper arcam in medio Cherubim audiebatur vox quæ respondebat ad inquisita, vnde & oraculum dicebatur, quia per sancta sanctorum designatur locus gloriæ vbi Deus est omnibus patens; de illo autem loco vox auditur, quia rationes omnium agendorum à Deo descendunt, nec quicquam fit, nisi quod ipse direxerit, quia aliàs tolleremus continuitatem in causis, nisi omnia ad illum velut ad summum verticem referrentur, & cuncta temerè sine rectore fluitarent. Id. Exo. to. 2. fo. 27.

Ex repentinis occasionibus processerunt artes, occasiones autem illæ referendæ sunt in Deum qui per illas homines docuit. *Vide Minoritas Cognitionis*, quæ casu benè cesserunt.

Qui se puros præstant operationi diuinæ, ipsum numen superne descendens pulsat nos tanquam lyram aut citharam, & cœlestem nos sapientiâ reuelat; ita simul consentiuntur de diuinis sermocinantes. Iustinus martyr in exhortat. ad gentes.

Orat Propheta, illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in nocte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum. Quid enim Numen, nisi lumen?

Anima rationalis non est ex traduce sed creatur à Deo Vide quæ scripsi. Theol. nat. to. 2. part. 1. c. 37. 38.

Mysticam Theologiam immediatè solus in spiritu hominem docet, in corde scribit illuminatione & cœlesti influxu, si per amorosos affectus in eum tendat, vt sicut in cœlo Deo coniungitur per tres dotes respondentes tribus animæ potentiis;

A hoc est visione clara, dilectione pura, & fruitione secura, sic in hac via ipsi cōiungimur per exercitia trium virtutum Theologicarum. Harph. Theolog. myst. lib. 1. par. 2. cap. 21. *Vide Cognitio Voluntatis.* Amor intelligens.

Stella quæ duxit Magos ad Christum, fulgebat etiam sole lucente, datur specialis illustratio à Deo vltra commune omnibus fidei lumen.

Math. 28. Christus dat visum duobus cæcis.

Inspiratio Dei in faciem hominis, est traditio animæ rationalis. Alcuin in Genes. interrog. 8.

Optimum est in Dei lumine videre lumen, ne obtutus naturalis caliget & à recto itinere deflectat animum; dum in sæcularibus concupiscentiis voluatur, & præsens exilium, putat patriam.

B Laur. Iustin.

Vt oculus non videt cœlum & terram sine luce solis, sic intellectus non intelligit sine Deo. Id.

NECESSITAS DAT INtellectum.

MAth. 9. Mulier in desperatione suæ sanitatis, tangit fimbriam Christi, & sanatur. In arduis langoribus dat crebro consilium vis doloris: in desperatis causis, est sæpè magistra necessitas; inuenit ipsa sibi passio, medicinam. Chry-

C solog. serm. 31.

Artes magis necessariæ fuerunt primò inuentæ, & ideo prius fuerunt artes mechanicæ adinuentæ, quam speculatiuæ vt dicit Aristo. 1. Metaph. Necessariis enim prius prouidetur.

In candelabro aureo templi Salomonis erant septem lucernæ, quæ omnes nocte ardebant & quatuor de die Tost. 1. Reg. to. 1. fo. 49. c. 3. I. plus est industriæ in aduersis, & nox sicut dies illuminabitur.

De necessitate. *Vide Contrarietas Voluntatis.*

Calidæ aut temperatæ regiones vix deprehendere possunt, quibus artibus & remediis septentrionales se muniant contra frigus asperum; na-

D tura quippe nudum hominem dotauit industria, qua posset in promptu semper habere remedia, vbi plura, & ardua obstacula imminent. Olaus Magnus. lib. 1. cap. 28. Multa, inquit, fieri non posse, priusquam sint facta, iudicantur.

Necessitas consilium quærit, & inuenit. Amorem vniuersi parit pulchritudo, in eius natiuitate defectus & necessitas habendi perfectionem quæ deficit, est velut obstetrix. Leo Hebræus. dialogo 3 de amore in fine.

Aues & omnia animalia pullis iam adultis non amplius ministrant cibos, vt vrgente fame excitentur ad quærendum.

Lynces capta & dilaniata præda, tandiu memi-

E nere prædandi, quandiu venter vacuus, siccum fame guttur exasperat, vbi verò sanguine pasta feritas viscera distenta compleuerit, cum saturitate succedit obliuio, tandiu nescitura quid capiat, donec memoriam reuocauerit esuties. D. Hieron. ad Chrysogonum.

Fortuna belli artem victos quoque docet, vtribus amnem traiiciendi, hostibus exemplum fecimus. Q. Curtius. lib. 7.

Alexander sagitta in femore percussus, & cum frigescente vulnere aggrauaretur dolor, Iouis, inquit, me filium dicunt sed hominem mortalemque corporis ægritudo denuntiat. Idem lib. 8.

Necessitas docuit Chaldæos Astrologiam. *Vide Medium Cognitionis.*

ALIOS DOCERE.

Albertus Magnus lib. de sensu & sensato, multis argumentis probat visionem non fieri per emissionem radiorum, sed per receptionem speciei: auditum visu nobiliorem esse licet per accidens, in quantum voces sunt significatiuæ; & quia pauci à seipsis perfectè instruuntur ad quod confert, multi autem per disciplinam ab alio acceptam; suntque sapientiores qui habent auditum non visum, quam qui habent visum, non auditum. Ita debemus ab aliis instrui. *Vide infra Medium Cognitionis.*

Masculinum est quod in alio generat. *Vide Virtus Bonitatis.* Charitas officiola. *& Duratio Bonitatis.* Continuatio.

Quid vetat apposito lumen de lumine tolli?
Multa licet sumant, deperit inde nihil.

Speculis exceptam Solis lucem possumus in alia diffundere, ita quæ ab alijs, didicimus, alios docere.

Beda in Anglia Monachorum institutor factus, multos post se reliquit doctissimos discipulos, qui docendi ad tempus tenuerunt officium. Nam hinc deinceps laudabilis illa in Anglia cœpta consuetudo in singulis pœnè monasteriis per alias prouincias fuit, habere scholas, quibus non sæculares homines, sed monachi moribus & conditione præficiebantur ornatissimi, non in diuinis tantum, sed in humanis & sæcularibus litteris. Multos enumerat Genebr. an. Christi 705.

De bono disciplinæ. D. August. tomo 9.

De inuentoribus rerum. Polydorus Virgilius.

De Magistro. Aug. t. 1. D. Th. q. 11. de veritate.

Ioan. 1. Iudæi mirantur de Christo, dicentes, Quomodò hic litteras scit, cum non didicerit?

Cum bonum percipitur, fit dilatatio cordis, vt partes omnes fruantur bono, & si bonum sit in vna parte, alias ad eam monet & astringit.

Fecit Ioas rectum coram Domino, cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada sacerdos. 4. Reg. 12. Magistri sunt patres animorum; genij tutelares, per doctrinam suscitantur latentes mentis igniculi quibus multiplici deinde fœtu, ipsamet doctrina fœcundatur.

Est potentia passiua vna perfectiua alia corruptiua, de perfectiua loquitur Aristoteles 3. de anima tex. 1. Intelligere est quoddam pati.

Si ex Platonicis, mentibus sunt species innatæ, se habent vt colores qui actuatur ab externa luce.

Signũ sapientis & sciẽtis est, posse alios docere.

Sol non minuitur communicando influentiam suam, sic spirituales res communicando augentur. Scientia nobilis possessio animæ, distributa crescit, dum communicamus eam. Card. Cusa excitation. lib. 6. cap. 2.

Christus est mundi Magister. *V. Media Cog. fidei.*

Est radius diem efficiens, ad nos descendens, & à sole non recedens, sic est verbum seu sapientia Patris; sicut sapientia magistri ad illuminandos discipulos in nocte ignorantiæ existentes, ad mentem eorum descendit, medio verbi, & manet apud ipsum magistrum. Ibid. lib. 7. cap. 6.

Virtus magnetis descendens in ferrum, non relinquit magnetem, imo augetur per iunctionem ferri, sicut radius per reflexionem. Ib. c. 9.

Non fuit Eua, nisi vt Adam ad imaginem & similitudinem suam, in ipsa generaret filios & filias sic sapientia non creauit rationales animas nisi vt in ipsis generetur fructus ad imaginem & similitudinem eius, & dicantur filij & filiæ Dei. Ibid. cap. 10.

A Primus intellectus non recipit ab alio, sed habet apud se; plantat igitur de se in alio, sicut sapiens instruens discipulos, de se recipit quod in alio plantat. Sic intellectus primus qui in se habet, vt in causa & in principio omne formabile, & est mundus intelligibilis seu æternus, de se recipit id quod plantauit in mundo seu sensibili, seu intellectuali. Ib. lib. 10 cap. 17.

Seth & Enos inuenisse Astrologiam, & duabus columnis inscripsisse, charactereſque Hebraicos excogitasse, vetus est traditio, è Cedreno, Iosepho, Rabbinis, &c. Genebrar. initio

B Chron. Philosophia viguit primo apud orientales vt patet de Indis Gymnosophistis, & Salomon celebrat sapientes orientis, tardissime occidentales sapuimus & sciuimus. Geneb. a m. 1758.

Forma in aliquo secundum esse perfectum & naturale, potest esse principium actionis in alterum, sicut calidum per calorem calefacit, sed si forma existit in aliquo imperfectè & non secundum esse naturale, non potest esse principium communicationis sui ad alterum, sicut interior caloris qui est in pupilla, non potest facere album, neque etiam omnia quæ sunt illuminata aut calefacta possunt alia calefacere & illuminare; sic enim illuminatio & calefactio essent vsque in infinitum.

C Perfectius est quod potest alios perficere, vt perfectè lucet, quod alia illuminat, calidius est, quod alia calefacit. Imperfectè autem lucenti assimilatur quod tantum in se lucet, nec aliud illuminat, vt color.

Postremum in omnibus plantis semen est.

In herbaceis sunt alia frugifera, alia sterilia; quædam vsque ad folia tantum veniunt; alia & caulem & florem edunt, sed fructum nullum; quædam etiam fructum pariunt, veluti naturæ perfectissimæ munus. Theoph. Histo. Plantar. lib. 7. c. 9.

Vide Bonitas Principij. Bona fœcunditas:

D Patent Musarum fores.

Ferunt Hetruscam disciplinam ex eo fluxisse, quod aratori sulcum altius imprimenti apparuit puerili effigie Tages, qui talia docuit scriptis excepta, multis postea obseruationibus aucta. Petrus Crinitus lib. 16. c. 1.

Cum Dardanus egregie in magicis artibus præstaret, libros à se conscriptos in sepulchro condidit, at illos eruit Democritus. & commentariis editis illustrauit. Petrus Crinitus de honesta discipl lib. c. 9. 1.

Apostolus 1. Corinth. 1. dicit; Non misit me Dominus baptizare, sed Euangelizare quasi quia sit præstantius docere publice quàm priuatim, vt

E Architectus præstantior eo qui ligna & lapides dolat D. Tho. quodlibet 1. q. 7. a. 2.

Disciplina à discendo nomen accepit, vnde & scientia dici potest Nam scire dictum est à discere, quia nemo nostrum scit, nisi qui discit. Isidor. Ethymologiar. l. 1. c. 1.

Quæ noctu fulgent aërem proximum leniter sublustrant, non ita vt alia possint videri, sed vt sola se vindicent à tenebris, id facit exilitas portionis eius è qua proficiscitur, manatque lumen Rodig. lib. 15. c. 5. Majus ergo luminosum quod potest alia illustrare.

Vt ea quæ mens in cerebri penetralibus concepit in aliorum disciplinam exprimeret, datus est sermo. Vide infra proximè.

Qui docent alios in Ecclesia, sunt vt candelabrum in templo. Origen. Homil. 3. super Numer. Sunt mensa sacra qui pascunt animas pane, idest sermone Dei. Ibid.

Numer. 11. abstulit Dominus de spiritu Moysi, & dedit septuaginta senioribus; non quod spiritus S. sit secabilis, sed quod spiritus qui erat in Moyse, clarissimi cuiusdam luminis fuerit lucerna, ex qua alias septuaginta lucernas accenderit Deus, ad quos ita principalis luminis splendor peruenerit, vt origo ipsa luminis nihil damni ex commercio deriuationis acceperit, Ibid, Homil. 6.

Quod vnicuique confert Deus dedit proximo, vt alter ad alterum curramus & non simus diuisi. Quod mihi confert in te situm est, & quod tibi conducit in me, tibi confert vt docearis, & hoc mihi fuit creditum vt doceam, propterea necesse habes ad me currere, & mihi confert vt euadas melior, pro eo enim magnam accipiam mercedem propterea necesse habeo te persequi. Ideo dicit Paulus 1. Thessa 2. Quæ est spes mea, nonne vos? & rursus; Spes mea, & gaudium meum & corona gloriationis meæ, &c. D. Chrysost. Hom. 33. in 1. ad Corinth.

In pecuniis non potest aliquis fieri diues, nisi alius factus fuerit pauper. In spiritualibus autem non ita est, sed totum contrarium, nam si nemini profueris, non poteris effici opulentus in corporalibus impertitio efficit diminutionem. In spiritualibus autem impertitio operatur abundantiam; non perdit sed auget artem, artifex qui multos efficit artifices; fons est perennis ipso haustu accrescens. Non minuitur lux solis ex eo quod multi eam participent. Id. Hom. 40.

Quilibet potest esse doctor sectando puram vitam, quam alii imitentur. *Vide Concordantia Virtutis.* Imitatio bonorum ex D. Chrysost.

Dicit tibi Deus, accendi in cœlo luminaria, accende & tu clariora illis, namque potes his qui in errore sunt lucem veritatis accendere; maius istud beneficium est, me scire quam solem intueri. Hominem facere non vales, at iustum gratumque Deo potes efficere, ego substantiam feci, tu exorna propositum, &c. D. Chrysost. hom. 15. in 1. ad Timoth.

Vide Medium Virtutis Admonitio. Medium Veritatis prædicator.

Mulieres taceant in Ecclesia. Corinth. 14. Altior Parnasso Theologiæ summitas, & huic suo vertici præficitur Apollo, ne sine viro præcentore musarum harmonia deflectat. Dociles non doctrices Camœnas Poëtæ fecere, inclytis licet parentibus natas, vt fœminæ sui modestiam sexus etiam ex fabulis discerẽt. Firmianus. Vide infra hoc tit in fine.

Clemens Alexandrin. lib. 6. stromatum tria dicit esse officia Christiani Philosophi 1. contemplationem, secundo mandatorum executionem. 3. virorum bonorum effectionem.

Sicut fluuius exiui de paradiso, Rigabo hortum plantationum, & inebriabo patri mei fructum, &c. Eccles. 24.

Vide supra proximo titulo de motu recto illustrantis Angeli.

Aristot. 4. meteor dicit, quod perfectum est vnum quodque, quando potest facere alterum, quale ipsum est.

In quolibet artificio simpliciter melior est qui disponit de artificio & dicitur Architector, quam aliquis manualis qui opera exequitur: in ædificio autem spirituali sunt quasi manuales operarii qui particulariter insistunt curæ animarum, vt sacra- A menta ministrando, principales artifices sunt Episcopi & Theologiæ doctores. D. Thom. quotlibet. 1. a. 14.

Secundum Gregorium in Pastorali, gradus magistrorum est periculosus, discipulorum autem securus, sed hoc videtur ad perfectionem pertinere, vt aliquis propter aliquod bonum periculis se exponat, ergo videtur laudabile quod aliquis cathedram magistralem appetat & pro se petat, nec est præsumptio vt in petendo officio pastorali. Nam aliquis potest certò scire se habere scientiam per quam sit idoneus ad docendum, charitatem autem B per quam aliquis est idoneus ad officium pastorale non potest aliquis certitudinem scire se habere. Ibid. quodlib. 3. a. 7.

Doctor qui semper propter inanem gloriam docuit, per pœnitentiam non recuperat aureolam, quia tali doctrinæ non debetur aurea cum nullius sit meriti ob superbiam, sic nec aureolã, opera autem mortua, per pœnitentiam non reuiuiscunt, sed tũ redeũt præmia prius habita. Id. quodlib. 5. a. 24.

Doctor assimilatur monstranti viam. *Vide Medium Veritatis.* de doctoribus.

In Ægypto in ciuitate Memphis fuit primum studium generale totius orbis, & durauit vsque ad tempora Alexandri Magni. Tostat. in Genes. fo. C 364. c. 4. I.

Mensa solis de qua S. Hieron. *Vide Maioritas Cognitionis.* Astrologia.

Osiris Rex Ægypti columnæ sepulchri sui fecit inscribi; Ego Osiris Rex nullum orbis locum reliqui ad quem non peruenerim, docẽs ea omnia quę pro vtilitate generis humani inueni. Diodor. lib. 1.

Qui videre vult, necesse est vt externo illustretur lumine.

Lunam cum Ecclypsim patitur, proprio lucet lumine rubente, vnde duplex ei virtus inest. Cardan. Aphoris. sect. 1. aph. 61. sic quilibet innata & ab aliis accepta cognitione.

Deus initio duas creauit creaturas rationales D Angelos in cœlo, homines in terra, ab Angelis instruendos.

Fœminæ ab omnibus officiis tam ciuilibus quam publicis remotæ sint. l. 1. ff. de reg. iur. at prædicatio diuini verbi est officium non tantum virile & publicum, sed Episcopis proprium. cap. quoniam de off. ordin. & tempore Syluestri Papæ, ad securitatem catholicæ fidei statutum fuit vt soli Episcopi in Ecclesia docerent. Baron. an. 325. Sozom. l. 7. cap. 19. Expresse declarat Concil. Tridentin. de reformat. sess. 5. cap. 5. Nulli licitum esse prædicare, nisi mittatur ab Episcopo; ad certe missionem mulieri non debet concedere Episcopus, nec potest, cum id prohibeat Apostolus 1. Corinth. 14. 34. Mulieres in Ecclesiis taceant, non E enim permittitur eis loqui, sed subditas esse sicut lex dicit. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. Huic Apostolicæ sententiæ consentit Can. mulier, dist. 23. his verbis. Mulier quamuis docta, & sancta, viros in conuentu docere non præsumat, & cap. noua de pœnit. & remissionib. fit mẽtio de quadã abbatissa quę præsũpsit audire cõfessiones monialiũ, & Euangeliũ publicè prædicare, quod absonũ & absurdũ est, quia licet Beatissima Virgo Maria, dignior & excellẽtior fuerit Apostolis vniuersis, nõ tamẽ illi, sed istis, Dominus claues regni cœlorũ cõmisit. Euam male suadam imitatę sunt quædam mulieres sub hæreticis falsa dogmata disseminantes, de qu[...]s vide ex D. Hieronymo *Potestas Minoritatis* Malũ à mulieribus. *Vide Dur. Min.*

semel malus semper præsumitur malus. ex D. A Chrysost.

Sine mare fœminæ ex proprio suo semine molas producunt, carnem scilicet informem ac ociosam; sic gallina ouum sine mare producit, sed infœcundum.

Alios non docens, cum sit peritus, est quasi flos qui mane moritur vespere decidit.

Docere ignorantes, est actus charitatis & misericordia spiritualis. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordia parte 2. cap. 20. hæresibus implicatos ad fidem Catholicam conuertere. cap. 28. 29.

DIRECTOR SPIRItualis.

B

OMnes, inquit Propheta, sicut oues errauimus, vnusquisque declinauit in viã suam: & Dauid dicit, Erraui sicut ouis quæ periit, quanto magis nos errabimus cum maximis periculis in huius vitæ deserto vbi rugientes leones, &c. nisi fidum ductorem viæ habuerimus qui valeat illuminare his qui in tenebris & vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, & sic Christi fungatur officio; doceat viam per quam nullus immundus gradiatur. Laurent. Iustin. lib. de interiori conflictu. cap. 13.

De directore & magistro spirituali. Vide quæ scripsi lib. de fœlici successu & triumphis vitæ religiosæ. parte. 3. cap 17. & de institutione Religiosi parte. 3. c. 18. C

Matres sunt spirituales, propinantes lac iis quos Christo genuerunt, post cibos solidiores, prout eorum profectui conueniebat, præmonent de periculis, flent cum flentibus. Id.

Incipiens & ingrediens perfectionis viam, vnicum sequatur directorem, nam difficile formari potest animus per varia discurrens documenta virtutum, cum multifarij sint humani cordis affectus, naturæ hominum difformes disparesque intentiones. Id. lib. de obedientia. c. 20.

Vide Minoritas Magnitudinis. Vnitas. *Magnitudo Potestatis.* Monarchia *Concordantia Differentia. Mala.* D

Director spiritualis est animarum medicus, qui primum nosse debet communes prauos earum affectus & ex primorum parentum culpa hæreditarios, vt his generali methodo remedia conquirat, tum singularis cuiusque personæ, mala specie boni quærens, genium deprehendere, scrutari reconditos animæ sinus, ipsimet laboranti non satis notos, quorum ex pluribus indiciis notitiam expertus colliget. Accedat igitur, cum hac generali præsumptione, animas curæ suę commissas, naturæ vitio, multis infirmitatibus tentari, se ad ęgras accedere, ne velut sanis nocitura liberius indulgeat, austerioris dietę loco. Multa referent collata sibi Dei beneficia. quæ si continua sint, possunt E esse maximum fidelitatis talibus respondentis argumentum; sed sanctorum scientia pariter & experientia præditus, diligenter exploret ne Sathanas se transformet in Angelum lucis, vel sanctitatis imagines sibi fingat etiam innocens phantasia, nam & ebrij, phrenetici, somniantes interdum piè desipiunt. Altum est quo piæ mentes nituntur conscendere, & hic vel minimum aberrans gressus, fit causa præcipitij. Sit igitur director peritissimus viarum Domini, iudex & censor eorum quæ vulgus miratur; custodis Angeli fidelis collega mutuetur à Deo, quas sibi commissis tribuat illustrationes. Abstractus à corporeis diligens puritatis exactor caueat ab his affectibus quos facilè succendit in diuerso sexu secreta cordium manifestatio. Fidem omnium cum maximo splendore merebitur, inter illos sensuum ignes illæsa semper probitas. Modum familiaritati dicat religiosa quædam maiestas, sibi Deoque semper seposita, in secessum inclinans; & vltra quam necessitas exigit, sermone parcior. Vnus illi propositus sit finis, puras humanis affectibus animas sistere, conciliare, firmiter vnire Deo, & se fidelitatis exemplar sponsoremque constituere. Ingens hæc sollicitudo, maximum onus, eminens sine titulorum & infularum splendore dignitas; Deo tantum teste & iudice tot spiritualium filiorum merita in pij parentis caput refundit. *Ex principiis.*

In spiritualibus quisque indiget directore & monitore. *Vide Concordantia Virtutis.* Congregatio bonorum. *Et Medium Virtutis Admonitio. Et Medium Veritatis.* Doctoribus assentiendum.

Si quid ignoras, si quid de scripturis dubitas, interroga eum quem vita commendat, excusat ætas, fama non reprobat, qui possit dicere, despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo, aut si non est qui possit exponere, melius est aliquid nescire securè, quam cum periculo discere. D. Hieron. ad Eustochium.

Puellares animæ his rebus plerumque solidantur si se intelligant curæ esse maioribus. Id. ad Chromatium; Similem habebunt labra lactucam, asino carduos comedente, dignum erit patella operculum, perforatam nauem debilis gubernator reget cæcus cæcum ducet in foueam, si talis sit rector, quales illi qui reguntur, si vt populus sic sacerdos. idem ad Chromatium. *Vide Virtus Potestatis.* Integritas sacerdotis.

Dentes eius sicut grex detonsarum quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellos habentes fœtus, & infœcunda non est in eis. Cant. Si non est infœcunda nec sterilis, omnes habent vbera lacte torantia. Vt possit dicere cum Apostolo, Lac vobis potum dedi. D. Hieron. Oceano. per gemellos fœtus intellige vtrumque sexum.

Exod. 31. Deus Beseleel & Oolaib implet sapientia & intelligentia ad perficiendum opus tabernaculi. Sic ad perficiendum interiorem tabernaculum indigemus directore à Deo directo, & instructo.

Digitized by Google

MEDIVM COGNITIONIS.

MEDIA QVIBVS HABETVR COGNITIO.

IN discendis omnibus scientiis & artibus methodus est necessaria, pluri mumque proficit; quid enim, inquit Philo, si inscienter scientia tradatur?

Omnis ratione percepta cognitio, aut opinione, aut fide, aut intellectu constat: intellectus innititur rationi, fides authoritati, opinio sola veri similitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatem; sed fides clausam & inuolutam; intelligentia nudam & manifestam. Cæterum opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit potius quam apprehendit. D. Bern. lib. de consider. cap. 5.

Vestigium est impressio quædam confusè ducens in cognitionem alicuius, cum non repræsentet ipsum, nisi secundum partem, scilicet pedem, & secundum inferiorem, superficiem tantum. Tria ergo considerantur in ratione vestigii, scilicet similitudo, imperfectio similitudinis, & quod per vestigium in rem, cuius est vestigium deuenitur. Sic creaturæ dicuntur præferre vestigium creatoris. D. Thom. in Magist. sentent. dist. 3. q. 2. a. 1.

Integritas mentis est necessaria ad veritatis cognitionem. *Vide Supra Virtus Cognitionis.*

Prophetę aliquando verbis, aliquando rebus prophetabant. Vt Isayas ambulans nudus. Isay. 20. & Ieremias cathenas portans super collum. Ierem. 27. sic iusti suis virtutum exemplis monent alios. *Vide Medium Virtutis.* Admonitio.

Populi septentrionales sub polis, cum per sex menses continuos noctem habeant, vtuntur pinguedine marinarum belluarum in lampadibus, & tædis pineis connaturalem picem habentibus hasque ore præferunt ambabus manibus in opere occupatis. His pariter vtuntur in bello quod potissimum perficiunt noctis tempore. Olaus Magn. lib. 1. cap. 17.

Craca Noruegiana mulier futuri filii sui Rolleri fortunę consultura, pulmentum parat, cui tabificum humorum trium colubrorum superne tenui reste depensorum instillabat. Ericus Cracæ priuignus dapem faustam surripuit, ea pastus, ad summam sapientiam euasit, omnem adipiscitur scientiam, vt etiam auium & ferarum voces intelligeret, ea tandem scientia Regnum Succiæ est adeptus. Id. lib. 5. cap. 15. Vide Plin. 26. cap. 4. & in Genes. dicitur, quod serpens erat calidior cunctis animantibus.

Stella quæ Magos duxit ad Christum; non erat stella de pluribus, nec stella omnino, sed quædam inuisibilis virtus in specie syderis figurata, non ferebatur ab oriente in occidentem vt aliæ, sed à septentrione in meridiem, sic enim secundum locorum situm Palęstina spectabat ad Persidem, apparebat per diem; sole etiam fulgente, & ipso cla-
A rior, intrantibus Hierosolymam lucem absondit quam egredientibus, & ad puerum accedentibus iterum ostendit, erat in infimo aëris loco, &c. D. Chrysost. Hom. 6. in Matth.

Etsi homines tacuerint, lapides reclamabunt.

Acolyti erant in antiqua lege, qui tabernaculo Dei lucernis accendendis præerant, iuxta quod in Exodo legitur. Præcipe filiis Israel vt offerant tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum: nunc in Ecclesia ceroferarii dicuntur à ferendis cereis. Sed tunc dici hoc nomine non poterant, quod nec mel, nec cera introferebatur in sacrificio Domini. Alcuin. lib. de diuin. officiis cap. 34.

B De sortibus quibus in dubiis speratur veritas. *Vide Supra Maioritas Cognitionis.* Sors.

Vinum constat colore, odore, sapore; sic tribus sensibus probatur, visu, odoratu, tandem gustu; sed præcedit visus & odoratus, qui per emanantem spiritum cerebrum recreat, cor confortat contra melancholiam, & deprehendit quantum aqua debeat temperari.

Vrinatores in fundo maris oleum effundunt, vt aqua fiat perspicacior. D. Basil. in hexam. Homil. 1.

Conueniens obiecti distantia confert ad visionem. *Vide Cognitio Differentię.*

C Ex Aristotele, syllogismus est oratio in qua concessis quibusdam, alia necessario inferuntur. Gellius lib. 15. cap. 26.

Vrbis Paracę in India habitatores, credebant se intelligere animalium conceptus, & admonitiones, si draconis hepar aut cor comedissent. Philost. in vita Apollonii lib. 3. cap. 3.

Animal sine institutione discit ex seipso quæ sui sunt officii, non homo, discit enim ab animalibus & à natura. Paracels. lib. de fundamento scientiarum.

Vt corpus ad extra sumit alimentum, quod intra præparat, digerit, applicat: sic mens mutuatur disciplinas à reb. externis.

Visus & auditus sunt duo modi acquirendi scientiam, eo quod multas annuntiant differentias rerum, quæ iuuant intellectum speculatiuum & practicum. Visus ad inuentionem quam quis facit ex
D seipso, magis est necessarius; auditus autem sumenti doctrinam ab alio. Albert. Mag. tract. 1. de sensu & sensato. c. 1.

Quæ ad visionem sint necessria. *Vide Voluntas Bonitatis Mala* inordinatus sui amor.

Ibidem multis argumentis probat, visionem non fieri per emissionem radiorum, sed per speciei receptionem.

Caput est mobile in his quæ collum habent, vt circumductum citius vtatur sensibus, & maximè visu, qui visus nõ perficitur nisi ad lineam rectam; quæ autem collum non habent totum corpus conuertunt

conuertunt ad rem videndam. Albert. Magn. lib. 2. de motibus animal. tract. 1. cap. 5.

Lingua acutius gustat, si proluatur prius aqua salsa, sic enim deterguntur maligni humores phlegmatici quibus inficiebatur.

Reuelatur statim verbum occultum quod quæritur, quando Luna & Planeta cui applicat, sunt in signis vocem habentibus, & in 5. & 3. eorumque oppositis. Hermes centil, n. 91.

Angelus magnam habet intellectus subtilitatem, quia nullam habet cum materia dependentiæ necessitatem.

Manus suis gestibus, est communis quidam inter omnes homines sermo. *Vide Æqualitas Medij.* Commune medium.

B Res comprehenduntur per negationem, vt Deus, punctus; per se, vt calor, color, figura. Per Analogiam, vt color ab eo qui sit cœcus ab incunabilis. Insensibilia imaginamur per sensibilia ope abstractionis, complexionis.

Os mentis, calamus vtriusque oris scilicet & mentis vices agit.

Signum humanum est quod præter speciem, quod sensibus repræsentat, facit nos in alterius rei cognitionem venire. D. August. lib. 2. de doctrina Christiana. c. 2. sic Sacramenta dicuntur rei sacræ quam efficiunt, signa.

Sensus sunt fenestræ animæ.

De ethymologia nominum. Isidor. Hispal. Fungerus.

C Referunt Hebræi primum hominem scientias omnes naturales accepisse à Deo & filios suos docuisse. Sic peruenisse ad Noë, à quo edoctus Cham primus post diluuium magiam docuit. Dictus est Zoroaster, quasi viues astrum.

Chaldæi profecerunt in Astrologia, qua primum compellente necessitate vsi sunt, iter suum dirigentes per stellas, cum non possent aliter, vento tramite, & vestigia in arena mobili cōfundēte; & per diem propter Solis ardorem, non valentes iter capescere.

D Primus intellectus intelligit dumtaxat seipsum, Arist. 12. Met. tex. 51. Idest Deus non accipit ab obiectis species quibus intelligit, sed essentiam suam comprehensiuè, intelligendo alia omnia, quorum ipse causa est, facilè intelligit.

Telescopium sex pedum longitudinis nuper inuentum, efficit vt oculus videat innumeras in cœlis stellas, aliter non visibiles; in orione vsque ad 50. in via lactea innumerabiles.

Anima nostra quanto magis à corporalibus abstrahitur, tanto intelligibilium abstractorum fit capacior. Vnde in somniis & alienationibus à sensibus corporis, magis diuinæ reuelationes percipiuntur, & præuisiones futurorum.

E Summum animæ est ipsa ratio, imum autem est operatio per corpus exercita; gradus autem medii per quos oportet ordinatè descendere rectè conciliando, sunt memoria præteritorū, intelligētia præsentiū, solertia in cōsiderandis futuris euētibus, ratiocinatio conferēs vnū alteri, & docilitas per quam aliquis acquiescit sententiis maiorum.

Quicumq; intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectę, ex vi intellectiua prouenienς & ex eius notitia procedens. Quam quidem conceptionem vox significat & dicitur verbum cordis, significatum verbo vocis.

Signum quantum in se est, importat aliquid manifestum, quoad nos quo manuducimur in cognitionem alicuius occulti.

Missio extraordinaria probatur miraculis. *Vide Maioritas Potestatis Miracula.* Distantia obiecto necessaria. *Vide Bonitas Differentia.*

SERMO. LOQVELA. *litteræ.*

Verbum vocale est quasi cælum in quo ratio omnia in se habens nam in sermone omnia sunt, vt in signo signata. Remundus dicebat esse sensum sextum, & ipsum nominauit affatum. Nam de omnibus quæ concipimus loquimur. Card. Cusa. excitatio. lib. 5. c. 59.

Aceirui lapidum Mercurio sacri in viis obscuris constituebantur. Suidas in voce ἑρμαῖον.

Ferunt Luna plena si quis speculo sanguine quantum voluerit inscripserit obuerso Lunæ speculo, alium in alio exposito Lunæ speculo ea legere quasi in Luna scripta essent. Suidas in voce Θετταλὴ γυνή.

Non leges tantum, sed etiam artes Reipublicæ vtiles Romani hinc inde mutuati sunt & cum Mago quidam Carthaginensis 32. libros de Agricultura scripsisset S. C. decretum est vt in Latinum sermonem conuerterentur quo maior esset ars colendi agri Romani. Petrus Crinitus de honesta discipl. lib. 4. c. 2.

Litterę sunt indices rerum, signa verborum, quibus tanta vis est vt nobis dicta absentium sine voce loquantur. Verba enim per oculos non per aures introducuntur. Isidor. Origin. lib. 1. c. 3. litteræ autem dictæ sunt quasi ligiteræ, quod iter legentibus præstent, vel quod in legendo iterentur. Ibid.

Nomen dictum quasi notamen, quod nobis vocabulo suo res notas efficiat, nisi enim nomen scieris cognitio rerum perit, Propria nomina dicta sunt, quia specialia sunt. Ibid. cap. 7.

Nocte melius auditur, quia tranquillior & non perturbatus aër integram speciem perfecte refert. Rodig. lib. 5. cap. 10.

Vt è longinquo nuntia celeriter possent perferri, habebant Persarum Reges, cursores certis spatiis dispositos. In Asia turres seu speculæ, erant quæ quid fieret accensis diuersimodè ignibus, aliis significarent, itaut in die vna quid in tota Asia fieret rex perciperet. Id. lib. 18. cap. 8. Visum celerrimum substituerunt auditus.

Sunt aliqui emissi rumorum disseminatores.

Qui non possunt voce, nutu, manu, oculis gestu loquuntur. Isidor. Orig. lib. 1. cap. 25. Hinc Salomon: Vir apostata annuit oculo, terit pede, digito loquitur. Prouerb. 6.

Glossa sermonis dubia interpretatur. Id. cap. 28.

Mercurius dicitur quasi medius currens, quod sermo currat inter homines medius. Id. lib. 8. cap. 10.

In Ecclesia lectores sunt qui sacras scripturas ex suggestu populo legunt. Can 1. §. ad lector. dist. 25.

Vt ea quę mens in cerebri penetralibus concepit, & in arteriolarum plexibus labyrintheis peperit in hominum cœtum reducerentur, linguam rerum conceptarum nuntiam, sermonisque organum Deus optimus, parens, in faucium atrio procreauit.

Locutio Dei cum creaturis, significat occultæ eius operationis virtutem. Origen. lib. 1. in Iob

Verba rerum naturas & passiones imitantur, sic

A qui ſine illis poſſunt eſſe. Sic diuinæ naturæ nihil opus eſt ſignis, hæc tamen conſtituit humana mens, imbecillitatis ſuę conſcia, vt populi non cœlorum tantum, ſed horum ſignorum aſpectu diuinæ naturæ fiant memores; nec vllum reperies hominum cœtum, quæ talibus ſignis non indigeat admoneri. Maximus Tyrius ſerm. 38. Conueniens autem fuit Dei ſimulachrum ad humanã effigiem ſtruere, ſi enim animus hominis accedit proximus Dei, ſenſibiles effigies non potuit melius exprimi, quã per corpus, quod animus inhabitat, ex omnibus maximè temperatum. Ib. De corporis humani temperamento. *Vide Veritas Medii.*

B Gratum eſt quidquid poteſt amati memoriam ſuſcitare, ſint apud diuerſas gentes ſigna varia; animalia, amnes, arbores, ignes, diſſonantiam non accuſo; vnum intelligant, diligant vnum, memorent vnum. Ibid.

Pictura eſt loquax vitæ magiſtra, ideo clariſſimorum fortiumque virorum ſtatuas vetuſtas in locis illuſtrioribus poſuit, vt iuuenum animos excitaret ad parem laudem aſſequendam.

In realis præſentię defectu, quod optat natura, conſequitur per imagines. Vide quæ ſcripſi de iure naturali lib. 1. lege 20. §. 2. & de cultu ſacrarum imaginum. Theol. natur. to. 4. parte 3. cap. 25.

D. Chryſoſt. hom. 4. in Math. dicit ſanctorum imagines eſſe ſpecula in quibus videmus noſtras deformitates.

C De cultu imaginum, & cur aliquando prohibitæ. *Vide Cognitio Virtutis.* Latens virtus.

In honorem imaginis B. Mariæ Virginis capellam ornatiſſimam erexit Paulus 5. conſt. 86. Bullar. p. 232. to. 3. Chriſti & ſanctorum imagines venerandæ, Greg. 13. conſt. 33. p. 301.

De imaginibus Aſtrologicis. Ficin. de vita cœleſtius comparanda ſub finem. Gerſon. tom. 1. & Paracelſus.

In Concilio Francofordienſi, Can. 2. ſub Carolo Magno a. 794. Reiecta eſt Synodus Græcorum, qua Anathemate feriuntur qui imaginibus ſanctorum, itaut Deificæ Trinitati, ſeruitium aut adorationem non impenderent.

D De imaginibus efficacibus quas quiſque poteſt facere ſine cœleſti obſeruatione. *Vide Minoritas Principii.* Independentia.

Albertus Magnus fecit caput quoddam metallicum, partim per Aſtrologiam, & partim per Necromantiam, quod reſpondebat ad omnem quæſtionem; illud confregit B. Thomas eius diſcipulus. Toſt. in Gen. fo. 327. & in Exod. to. 1. f. 110. Filii Iſraël petierunt ſibi fieri vitulum aureum in ſimilitudinem bouis Apis Ægyptiorum; non quod exiſtimarent metallum eſſe Deum ſed vim aliquam diuinam ineſſe huic imagini. Idem.

E Virgilius in Arte Necromantica peritus fecit muſcam æneam in porta Neapolis, quæ cæteras muſcas à prædicta ciuitate pellebat, & aliam in macello, impediens ne illic carnes putreſcerent. Toſtat. in procemio Gen. fo. 17.

Excitatis imaginibus infligunt vulnera, vt exemplaria pereant, & lateat manus quæ intulit iniuriam.

Gemmis includunt dæmones & annulis, ſic gẽmæ dæmonũ filiæ, concepto dæmone matres fiũt.

Non licet vti Magicis caracteribus. Vide quæ ſcripſi Theolog. natur. to. 2 parte 2. cap. 15, 16. Vide Virtus Medii. vti iuſto Medio.

Cum fiunt imagines Taleſmanicæ, ſi quæ vis ſit in illis, non procedit à ſolo cœli influxu, ſed conſtellatio quæ influit, ex cœlo Microcoſmo, ideſt ex Olympo noſtro fluit; irrita fuerunt ſigilla, quæ non à mago in phantaſia ſua exaltato cuderentur. Entitates enim quælibet phantaſiæ cedere coguntur noſtræ. Per quam ſapiens dominatur aſtris. Van Helmont de magnetica vulnerum curatione.

De vi imaginationis. *Vide Poteſtas Cognitionis.*

Palladium Troiæ fuit imago Aſtrologica. *Vide Medium Durationis*, ex Suida. Talis fuit tripus Iaſonis. Ibid.

Repug. Quidam dicunt Idoli nomen ex *Dolo* ſumptum, quod diabolus creaturæ cultum diuini nominis inuexit. Iſid. Orig. lib. 8. c. 11.

Quidam nimium facile credunt facta per imagines miracula, quaſi diuinitas non amplius locum inueniens in mentibus hominum, ſe recipiat in ſanctorum hic imaginibus.

Sine imaginibus antiqui colebant Deos ſuos, vt refert Varro, in libris ſacrorum, & Auguſt. de ciuit. Sic Deam Veſtam abſque imagine colebant, ſcilicet in puro & perpetuo igne. Toſt. Ex. t. 1. f. 66.

MEDIA COgnitio. Mala.

QVidã optant aut noſcere per ſe regẽ omnia, aut ſic inſanire vt omnia conſiliariorum arbitrio regantur. Nihil per ſe diſponens; nam qui aliquid ſcit, minus tamen quam ſatis eſt periculoſus eſt Reipublicæ, & imperia ſæpe ſubuertit, cum non ad rationẽ, ſed ad libidinẽ regat, fœlix regnũ Ioas ſeptem annorum quia is non regebat, ſed ſatrapæ adminiſtrabant. Æneas Sylui. p. 105. *Vide Bonitas Medii, Bonum in Medio. Repug.* Melius fuiſſet ſi Roboam puer fuiſſet, & per alium regnaſſet, quam adhærere conſilio iuuenum, & populo minari Scorpiones. Sic enim regnum amiſit.

Incontinentes habitualiter ſciunt, & actualiter ignorant. Toſtat. Gen. fo. 210.

Qui ſunt multum ebrii non iraſcuntur, quia in eis totaliter eſt ligata ratio, ſicut nec dormiens iraſcitur, ſed quando non ſunt perfectè ebrii, tunc prompti ſunt magis ad iram. Ibid.

Lumbrici fiunt ex alimento ſemidigeſto; quod dum ad loca ſua delatum eſt, tanquam lac tepidum pelle incruſtatur, palpitatque, ac ſenſim vita donatur. Van Helmont.

Mathiolus & alii occupati ſunt circa facies, non circa virtutes herbarum.

Sunt aliqui tenebrarum gradus, vt tenebræ palpabiles in quibus nihil penitus videtur, aliæ in quibus obiecta videntur imperfectè, quibuſdam tamen oculis, vt veſpertilionum proportionatæ.

Omnes exorbitationes paſſionum, ſi ſubitæ, fortes, crebræ, aut diuturnæ, cudunt ideas & infirmitates ſibi pares, etiam in vitam durabiles. Sunt nimirum qui rectè ſapiunt, in materiam autem cuius idæa illos dementauit, ſi inciderint, confeſtim occultatam produnt amentiam.

Vt quadratus aſpectus Lunæ cum Sole, eſt infœlix & inimicitię; ſic cum anima eſt particeps mediæ lucis, ratio cum ſenſu pugnat, & velut in ſecunda quadratura deſinit in obſcuritatem. Leo Hebræ. Dial. 3. de amore.

Nebula eſt nox in die; labor oculorum.

In viſione Eſaiæ Seraphim ſunt circa Deum ſedentem in throno, ſex alæ vni, ſex alæ alteri,

duabus velabant faciem non suam, sed Dei, quis A enim scire potest principium, qualis fuerit Deus in æternitate, duabus alis velabant pedes non suos sed Dei. Extrema enim eius scire quis potest, quid post consommationem sæculi sit futurum an post iudicium alia sit futura terra, aliusque mundus condendus sit, Priora annunciate mihi, & nouissima quę futura sunt: dicam quod dii estis, inquit Esayas, duabus alis volabant, media tantum cognoscimus quæ ex scripturarum lectione panduntur; quando mundus factus sit, &c. D. Hieron. Damaso. lib. 5. epistol.

In communibus sermonibus figuratè loqui melius est, nam hæc figurata oratio proprior est mentis imagini; quod si verba hæc in malam partem B accipiantur, non adeo subiacent reprehensioni, nec tam constanter possunt conuinci, ideo inuolutis sermonibus vti oportet. Cardan de arcanis prudentiæ. cap. 29.

Super frontem summi Pontificis pendebat lamina aurea ad modum lunæ dimidiæ facta. Rusbroc. de tabernaculo fœderis cap. 58. non completam plenamque hic cognitionem significabat.

Videt simul & non videt, qui vno occluso oculo videt.

Ex nouem libris Sybillinis, ad Tarquinium allatis, sex deusti fuerunt, & tres tantum superfuerunt. Gellius lib 1. cap. 19.

Nullum hic corpus est perfectè diaphanum, sed C opaco permixtum; quæ opaca sunt, lumen coloresque admittunt, & eorum ope sub aspectum cadunt, qua verò diaphana, his omnibus peruia sunt.

Verbum caro factum, sic susceptionis nostræ temperauit exordia, vt natus Iesus & credentibus manifestus, & persequentibus esset occultus. S. Leo serm. 2. de Epiphania.

Si misceantur elementa habebunt aliquid perspicui & opaci. *Vide Minoritas Concordantię.*

Imperfecta animalia non habent omnes sensus, vt talpa caret visu. ostreæ non habent nisi tactum.

De superioribus habetur tantum media cognitio. *Vide Cognitio Principij. Difficilis.*

Perfecta orationis methodus præceptis certis D non constat, sed de illa optimè iudicant aures, docti, aliquorum rationem intelligunt, indocti percipiunt voluptatem, omnium autem ars tradi non potest. Quintil. Inst. orator. lib. 9. cap. 3.

Prudentia indiget fortuna & consilio, quia est circa res incertas, at sapientia est circa æterna.

Dubitatio ex toto non est expers scientiæ: neque aliquis verè scit, nisi prius dubitauerit.

In difficillimis & valde abditis in natura, satis is fecit, qui rem ad id quod esse potest, adduxit. Ar st.

Opinio est assensus vnius partis cum timore & formidine alterius. Dubium est quando quis neque assentitur, neque dissentit, in neutram E partem inclinans. Suspicio magis in vnam, quam in aliam partem inclinat. Bonacina de peccatis q. 4. p. 6.

Innumerę sunt artes & oblectationes, quarum nec ignarum omnino principem esse oportet, nec omnino peritum, in talib. potest facile superari ab his qui nihil aliud agunt tota vita; excellat in regendis populis.

Iurisconsulti non potuerunt singulis actionibus propria dare nomina, quia natura compertum est, plura esse negotia, quam rerum vocabula l. natura ff. de præscrib verb.

Singularium non est definitio, Arist. 7. metaph. tex 53. quia de illis non datur scientia; maximè de corruptibilibus.

In iure omnis definitio periculosa est, sic in aliis scientiis; quia nulla est quæ non patiatur multas difficultates.

Maxima pars eorum quæ scimus, minima pars sunt eorum quæ nescimus.

Ex distanti res cognoscitur tantum confusè, vt esse animal, ita fuit in antiqua lege, Euangelica autem veritatē aperuit. Card Cusa excitat. lib. 5. c. 54.

Mens nostra est in horizonte vbi incipit contractio, & desinit absolutio, propterea nō potest capere in perfecto conceptu mentis purè absolutū, seu infinitè absolutū; si enim illud conciperet, omnia in ipso simul conciperet, sicut cum perfectè conciperet Socratem, simul conciperet omnia & singula Socratis: Et si locum, omnia & singula locata, & si essentiam, omnia & singula quæ sunt & esse possunt. Vnde non concipit mens absolutum nisi in contracto, sicut nec contractum, nisi in absoluto, ita præcisè neutrum concipit, res enim quas concipit, sibi assimilat, & cum non sit nec penitus absoluta, nec penitus contracta, sed in absoluto contracta, & in contracto absoluta, sic concipit, vt est. Ibid cap. 57

Ex indiciis dubiis quæ non sufficiunt ad firmiter credendum, possumus dubitare rem ita esse, & opinari esse probabilem, & verosimilem, quamuis non possumus firmiter credere rem ita esse; quia sicut indicia sufficientia ad iudicandum excusant à peccato iudicantem firmiter, ita etiam indicia dubia videntur excusare dubitantem. Bonacina de restitutio. disp 2. q. 7. pro. 2.

Oracula perspicua non erant, sed obliqua & variè inuoluta, vt quæ aliud sentirent, aliud dicerent. Suidas.

Quasdam scientias oportet tantum delibare. *Vide Magnitudo Cognitionis.* Scientia vniuersalis ex Suida in voce. [illegible]

Intellectus creatus videns essentiam diuinam, non propterea videt omnia secreta in Deo, nec omnia quę facit, vel facere potest, vel quæ vult Deus, quia omnia illa videre esset comprehendere infinitam Dei essentiam & virtutem, sed videt tantum ea quæ Deus vult videri in ipso, nam si omnia viderentur in Deo, non essent reuelationes superiorum ad inferiores, quietatur tamen appetitus beati, quia semper tantum videt in Deo, quantum est capax, & sufficit sibi. Plebattus in rosario Theologico. De Angelorum cognitione.

Beati dicuntur propriè apprehendere vel attingere diuinam essentiam potius quam comprehendere quia, à parte comprehendentis beati, perfectè apprehendit & attingitur; sed à parte comprehensi, idest Dei, non totaliter comprehenditur, quia non includitur totali comprehensione, etiam ab anima Christi. Ibid. in voce Cognitio Dei, §. 14.

Quod pręstantissimum est in artibus, arte tradi non potest.

Crepusculum est dubia lux aurora diei clarescentis exordium. Isidor. Origin. lib 5. cap. 31.

Licet ex ingentibus campis paucos flosculos legere, & non quantum ager exuberat, sed quantum odoratui sufficiat. Sicut cum quis accedit ad fontem, non ei tantum haurire necesse est, quantum vena diues effuderit, sed quantum arentes siti mitiget fauces, ne fortè plus iusto sūpta fiat potanti, salubris vnda pernicies, Orig hom. 6. super. Num.

Digitized by Google

Verumtamen in imagine pertransit homo. Psal. 38. In sapientiæ imagine non in ipsa sapientia ambulamus, quia nondum reuelata facie gloriam Domini speculamur. Id. Homil. 2. in d. Psal.

A

Astrologia non potest in totum diuinare. *Vide Maioritas Cognitionis pro Astrologis.*

Exilis lucerna noctem ita amouet, vt non tota abscedat Sic luna nascens & pallida proferens cornua vix iter ostentat viatori.

Errores Patrum sunt defectus luminarium, quæ licet nonnunquam sui splendoris detrimenta sustineant, non tamen amittunt luminaria esse quod sunt.

Vtopienses templa habent sub obscura, cosilio sacerdotum, quod immodicam lucem cogitationes dispergere, parciore ac velut dubia colligi animos & intendi religionem putant. Thomas Morus Vtopię. Reip. lib. 2.

B

Omnis cogitatio intellectus Angelici habet tenebras admistas ex parte cognoscentis, vnde dicitur matutina, non meridiana, hæc enim competit tantum Deo, omnia in seipso cognoscenti, est plena lux & in eo tenebræ non sunt vllæ, in creaturis autem cognitio tenebris admista significatur per mane & vespere: dicitur tamen cognitio dies, per comparationem ad ignorantiam quæ est nox. D. Thomas in quæst. disputat. q. 4. a. 2. ad 14.

Angelos multæ veritates de Deo latent & latuerunt. Tost. Exo. to. 1. fo. 285.

Beati videntes Deum sic perfectè vident ipsum, vt capacitas eorum adimpleatur, licet vnus perfectius videat, quam alius. Ib. Matth. to. 2. 33. cognoscunt omnes Deum infinitum, non tamen cognoscunt infinitè. Ib.

C

Etiam sancti Doctores possunt in aliquibus errare. *Vide Medium Veritatis.* Doctoribus assentiendum.

Prophetæ non omnia sciunt, sed solum ea quæ illis declarantur à Domino; nec illa sciunt omni tempore, sed eo solum tempore, quo illustrantur. Tost. 1. Paralip. fo. 139.

Regiones suppolares quibus est nox sex mensium, lunam adorant, quia hyeme remoto sole continuè eius vtuntur lumine, quo propter interlunium deficiente, sub lucidissimis stellis nimium candore clarius micantibus, quæcumque negotia sua, etiam diurno tempore disponunt, acutius etiam quam aliæ vident in obscuris. Olaus Magnus lib. 3. cap. 2.

D

Mediæ tantum & adumbratæ cognitionis sumus capaces. *Vide Media Contrarietas*, leuis admonitio ex Greg. Nyss.

Cum primi sapientiam professi dicerentur Sophi, idest sapientes primus Pythagoras dici voluit philosophus, idest amator sapientiæ, eius sectator, non possessor, quod est nimis ambitiosum & vires humanas superans. Lud. viues de sectis Philosophorum. Astrologus nihil vnquam de futuris absolute prænūtiare debet Card. Aph. sect. 1. aph. 3.

E

Conceptio cui primo mense dominatur luna, secundo Mercurius & sic de sequentibus, magis decernit qualitates corporis & animi quam genitura, quia verò difficile fuit hoc scire, genituram in qua vmbra horum omnium apparet, inspicimus. Ibid. sect. 3. aph. 138.

Cū inter bonum & malum modica est differentia, à iudicio temperandum. Id. sect 5. aphor. 21.

Facilius ac certius de genitura, quam de tempore indicamus, quoniam scimus horam natiuitatis, non congregationis vaporum, Ib. aph. 26.

Cuicumque Mercurius benè dispositus fuerit Luna autem malè, benè is intelliget, & malè deliberabit. Vnde hi etiam aliis optimè consuluut, rem suam malè gerunt. Ib. Apho. 172.

Dubietas ignorantiæ ficta est, & humiliationis pedissequa: dubitare permisit Dominus quandoque discipulos vt eosdem erudiret; Et quis est qui sæpè non dubitet, quid velit Deus, quid prosit sibi, quibus-ve spiritualibus muneribus honoret conditorem; quem ex pluribus sanctis imitetur; quo enim amor ardentior est, eo sollicitior existit, quomodo Deum valeat amplius honorare; Ita orabit vt Salomon, Mitte sapientiam de cœlis, vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. Laurent Iustinian. lib. de casto connubio verbi & animæ. cap. 21.

Quidquid recipitur per modum recipientis recipitur. Speculum recipit non essentiam obiecti, sed speciem, & minus minorem, sic oculus recipit speciē coloris & figuræ ignis, nō coloris, quia non est eius obiectū, & si reciperet, ab eo cōsumeretur.

Specularia sunt vela quæ impediunt nimium solis ardorem, vmbram accersunt, vnde veniunt instrumento domus legato. Sic Martialis, specularia puros, admittunt soles, & sine sole diem. Cuiac. obseruat. lib. 13. cap. 13.

Reg. 1 c. 11. Naas Ammonites venientibus in deditionem ciuibus Iabes Galaad volebat dextrum cuiusque oculum effodere, totaliter sunt afflicti qui terrena tantum sapiunt, sapientes sunt vt faciant mala. Ierem. 4. 22.

FIDES CERTA, sed obscura.

POnens in thesauris abyssos. Idest rationes diuinæ, Deique decreta quibus singula dispensantur, & quę nobis sunt inscrutabilia, vt abyssi, continet Deus in thesauris suis, vnde prout ei placuerit educit. D. Basil. in Psal. 32.

Tanta fides tribuatur Deo, quanta tributa est Pythagoræ à suis discipulis, quibus pro demonstratione erat, Ipse dixit. In his etiam quę sensibus percipiuntur fides necessaria est, quia conueniens illis simulachrum inuenire non licet. Theodoret. sermo. de fide dicit Heraclitus, nisi speretis, insperatum nequaquam inuenietis, cum inscrutabile sit, & inaccessum. Fides est voluntaria animi assensio, & circa id quod verè est, adhæsio, prius credere oportet, tum addiscere; non discet elementa, qui literatori fidem non habet Non geometriam, qui non cedet magistro dicenti, dari punctum sine longitudine & latitudine, quod demonstrari non potest, &c. Est igitur fides primaria quædam basis, & crepido scientiæ, maximè in rebus diuinis, quæ videri non possunt Hinc dicit Apostolus, accedentem ad Deum credere oportet, quia est. Theodoret. ibid.

Fides non est in hominis potestate. Ioan. Picus Mirand. in disputat.

De fide inuisibilium. D. August. to. 4. De fidei vtilitate Id. to 6.

De fidei necessitate Greg. Val. lib. 1. analy. Bernard. qu. 1. serm. 2.

De fidei nobilitate. Bernard, quad 1. serm. 4.

Fides non expectat rationem. *Vide Duratio Virtutis Rep* Sine mora virtuti incumbendum.

Christo resurgēte Angelus descēdit de cœlo, reuoluit lapidē monumēti & sedebat super eū, sed &

Digitized by Google

Fides imperantem intellectum in homine, subiiciens Deo meretur potestatem miraculorum sicut paupertas voluntaria meretur diuitias, humilitas exaltationem, vt præmia meritis respondeant. Ibidem a. 9 in c. *Vide Maiorit. Potestatis.* Miracula.

Prophetia fit interdum per abstractionẽ à sensibus, sed tunc propheta quę videt cognoscit esse rerum similitudines de quibus certum iudicium habet per lumen mentis. Ibidem. de prophetia. a. 9. o.

Adam sciebat quidem de Deo quæ naturali ratione sciri possunt, non tamen ad videndum Deum per essentiam peruenerat, vnde de Deo cognitionem fidei habuit, per internam Dei locutionem. Ibid. de cognit. primi homi. a. 3. o.

In sancta sanctorum vox Dei ad inquisita respondentis audiebatur non in patenti, sed inter alas Cherubim tegentium propitiatoriũ totaliter, quia ratio seu regula, secundum quam omnia à Deo regulantur dum adhuc in hoc luteo carcere constituti sumus, non cognoscimus sed tunc cognoscemus cum in sancta sanctorum inter alas Cherubim ad ipsum sedentem in throno ascenderimus. Et ideo arca supra quam erat propitiatorium, clausa erat, qui de immensitate Dei occulta iudicia prodeunt quæ quisquam mortalium cogitare nequit, nisi cui ipse cognoscendum concesserit. Tostat Exod. 10. 1. fo. 27.

Vide Minoritas Cognitionis. Occulta religionis mysteria.

Christus nascitur in solstitio hyemali vbi dies sunt breuissimi, quia cessare debebat aut saltem debilitari humana ratio in obsequium fidei & diuinæ reuelationis.

Sicut in radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudinis species, & tamen quidquid est in arbore pulchritudinis & decoris, ex illa procedit, sic ex fidei humilitate, quidquid meriti, quidquid beatitudinis anima susceptura est, ex cæterarum virtutum exercitatione procedit. Nam sine fide impossibile est placere Deo, hæc est enim quæ inuisibilium tribuit notitiam, & visibilium contemptum. Est voluntaria quædam & certa prælibatio necdum propalatæ veritatis. Est perceptio veritatis rerum cum assertione, sine causarum cognitione Laurentius Iustinian. de fide. cap. 1.

Fides informis est qua Deum cognoscimus per rationes philosophicas, aut per sacras scripturas, vel per miracula, signa enim non fidelibus, sed infidelibus dantur; fides autem formata dicitur. quæ habetur per infusionem gratiæ gratum facientis, sic formata per caritatem & dilectionem virtus est qua non visa creduntur. Sic qui amat Deum voluntarius est ad credenda omnia, quæ de eo rectè prolata sunt, & eis beneplacita, licet videantur esse contra rationem, & cum hic radius procedat à fonte vitæ, non solum lucet, sed calefacit & est vita mouens ad declinandum malum & perficiendum bonum, &c. Ibidem. cap. 2.

Ille fidelis dicitur, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus tanquam vas perditum, sed sic perdens animam suam vt in vitam ęternam custodiat eam. Adauget enim fides meritum; nam apud Deum ille plus habet meriti, qui plus attulit non argenti, sed fidei; quod autem à te & pro te reponitur intra te est, scilicet oris famulatus, & cordis affectus. In anima tua posuit Deus omnia præsidia animæ tuæ, vt vnde peccatum egreditur, inde & peccati medicina petatur. Fides est primogenita virtutum, beatificantur qui non viderunt & crediderunt. Excedit omnem aliam cognitionem, dum attingit fides, quod non capit intellectus; attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit nouissima, ipsamque æternitatem suo vastissimo sinu complectitur. Ib. cap. 4. & cap. 5. fides est lux splendens in corde illam possidente, & est lux præcedens intellectum, quia intellectus est merces fidei; est mentium illuminatiua, viarum Dei ostensiua, dubiorum manifestatiua, columna deducens per desertum ostendens vitiosa, vbi periclitantur animę: fides quatruplicem salutarem homini confert cognitionem: 1. à quo est, ne sit ingratus. 2. sub quo est, ne sit inutilis, & sciat Deum omnipotentem & iustum glorificare. 3. ad quid sit & in quem finem, vt sciat actus dirigere; ne deuians quo plus processerit, eo longius absit: fides fundamentum est quo deficiente, ruit ædificij moles: nam sine fide impossibile est placere Deo; vera fides vincit diuitias, honores, voluptates, vt æternum malum fugiat, æternum bonum possideat; vincit amorem vitę in martyribus, & si talia non præstet fides mortua est. Fides pugnantibus ostendit Christum tripliciter, vt strenuum ducem certantem fortiter & sequendum. 2 vt fortissimum adiutorem, & sic ostenditur Stephano dum lapidaretur. 3. vt liberalissimum remuneratorem. Si inquit præparauero vobis locum, veniam, & accipiam vos ad meipsum. Ibid.

Dicta sapientum hominum etiam non intellecta veneramur, quanto æquius est id diuinis deferri.

In vera religione fides est necessaria, & ingenia meliora sunt magis susceptiua fidei. Vide quæ scripsi theolog naturalis. to. 4. parte 9 cap. 1. 2. Res diuinę prius credi debent, quam cognosci Ib. cap. 5 De dono fidei. lib. de misericordia Dei parte 1. cap. 19. Amor Dei extinguit humanam rationem, libello de amore Dei patiente cap. 4.

Qui ponis nubem ascensum tuum. Psal. Nubes est obscura. Tenebrosa aqua in nubibus aëris.

Nisi credideritis non intelligetis. Nisi credideritis in pręsenti, non intelligetis in futuro. Laurent. Iustin.

Concupierat Adam esse tanquam Deus sciens bonum & malum, ideo ipsius posteritas debuit per fidei nescientiam ad intelligentiam promoueri. Est quippe fides nescia, dum cogitur supra sensum & supra intellectum credere, non tamen caret intelligentia, cum ipsam parturiat ex se. Intellectus est merces fidei, vnum ab altero non separetur, vel perit diuinitatis scientia, perit & hominis intelligentia, sic enim accenditur ad amorem Dei & virtutes, ideò rectè dicitur iustus ex fide viuit. Id. de triumphali Christi agone. cap. 1.

Vnde fiunt miracula, orationes exaudiuntur, insensibilia & irrationabilia obtemperant, temporalia despiciuntur, diliguntur æterna, atteruntur ieiuniis & vigiliis corpora, martyria perferuntur, calcatur mundus, diabolus superatur, odiumque animæ habetur propriæ. Non aliunde quam ex virtute fidei qua in Christum creditur. Idem. serm. de S. Thoma Apostolo.

Impietatis est, Deum non ex Dei ipsius professione, sed ex arbitrij sui voluntate metiri, cũ nõ minoris

sit impietatis, Deum fingere, quam negare. D. Hilarius. in Psal. 1.

Apostolus & carnalem hominem posuit, & animalem & spiritualem, carnalem belluæ modo diuina & humana negligentem, cuius vita corporis famula sit, negotiosa cibo, somno, libidine. Animalis autem qui ex iudicio sensus humani sibi honesta & vtilia sectatur, secundum doctrinas & præcepta hominum. Spiritualis autem est qui per A scientiam Dei intelligit quæ sit voluntas eius per donum spiritus Sancti, sciens quæ ratio sit Deo carnis assumptæ, qui crucis triumphus, quæ mortis potestas, quæ in virtute resurectionis operatio. hæc quæ sunt spiritus Dei animalis homo non percipit. Id. in Psal. 14.

De Seraphim qui mediis tantum duabus alis volant. Vde supra hoc tit. *Media cognitio.*

FINIS COGNITIONIS.

QVID INTENDAT COGNITIO.

SVNT quidam qui curiosè scire volunt, vt sciant, quidam, vt inaniter sciantur; aliqui vt turpis lucri causa scientiam vendant, nonnulli & hi rari, vt ex charitate ædificent & ędificentur. Tales incontaminatæ sunt amatores sapientiæ. Laurent. Instinian. lib. de casto verbi & animæ connubio.

Vide Virtus Cognitionis. De scientia eo fine desiderata, vt ad virtutem nos promoueat. *Et Potestas Cognitionis.*

QVANDO DESINIT & cessat cognitio.

DE oraculorum cessatione. Plutarch.

Litteræ aqua scriptæ in tabula, cito delentur, & ex illis nihil apparet aqua exsiccata.

Vis è terra fluens fatidica, desiit aut senio consumpta, aquis aut terręmotibus extincta & confusa. Rodigin. lib. 8. cap. 16.

Adam in statu innocentiæ non cognouit Angelos per essentiam. quia eorum essentia nostram excedit, vnde lumen Angelicum menti humanæ impressum non exprimet essentiam Angeli, quia quicquid recipitur per modum recipientis recipitur. D. Thom. in quæst. disp. de cognitione primi hominis, a. 5.

Et sol crescentis, decedens duplicat vmbras.
Virg. Eclog. 2.

Vide Contrarietas Cognitionis. Minoritas Cognitionis. Duratio Gloriæ. Rep. Accessus & discessus sponsi.

Est quidam fons in Arcadia, cuius potus gene- B rat obliuionem. Tost. Exo. to. 1. fo. 189.

Quidam homo doctissimus Ordinis Minorum nomine Ioannes Ægidius in territorio Zamorensi, oblitus est totaliter eorum quæ didicit præ magna senectute. Id. 3. Reg. fo. 34.

Fulgor lapidum in Rationali summi sacerdotis quo futura prædicebantur, cessauit ante Christi natiuitatem, quasi tringinta annis. Ib. 1. Reg. to. 2. fo. 109.

Spiritus propheticus est lumen quoddam raptim transiens, per modum actus. Id. 1. Reg. tom. 1. fo. 175.

Ex occasu solis fit nox, cessat dies, & luna lumen suum amittit in coniunctione solis, & tunc sol patitur Eclypsim si luna fuerit in Eclyptica. Tenebræ plaga Ægypti puniens cæcitatem mentis. Stella Magorum peracto officio suo, rediit in præiacentem materiam. Math to. 1. fo. 113. Tost.

C Iram & amorem tempus sanat, quia species pendent ab obiectis quę quo fuerint remotiora, etiam debilitantur eorum species, & de memoria delentur, itaut amplius non afficiant, Id. Math. tom. 2. fo. 107.

Diuersi mòdi consulendi Dominum per prophetas, per sacerdotes, per Ephod. per somnia, per sortes cessauerunt diu ante Christi aduentum: nam tempore Machabæorum nullus erat Propheta apud Iudæos qui responderet de lapidibus altaris prophanati, quid esset faciendum. 1. Machab. 5. Tostat. 2. pa. defenso. fo. 30.

Hippocrates nouerat certo depopulantem curare pestem, & cum illo hæc scientia obdormiuit. Van Helmon.

Vide Duratio Cognitionis De memoria & memoriæ defectu.

Digitized by Google

MAIORITAS COGNITIONIS.

MAIOR ET EXCELLENS PRÆ CÆteris cognitio.

IN iudicibus semper fit recursus ab inferiore ad superiorem. Tostat. Defens. f. 38. A

In cœlo vident omnes Solem, Lunam & stellas, sed aliter de illis iudicat Idiota, aliter Philosophus, qui ex contrariis motibus, eam quæ ex contrariis fit aptitudinem, congruentiam, & indeficientem harmoniam contemplatur, & in rebus vniuersi sanctissimam Dei imitationem. S. Grego. Nyssen. lib. de ijs qui præmaturè abripiuntur.

Vide Differentia Cognitionis. Vna cæteris præstantior.

Cum Leo ascendit facit hominem non sine spe, & rationis participem non vulgaris; nam Sol in suo circulo omnino æqualiter mouetur, caret enim páruo circulo, nec in latitudinem aliquam inclinatur. Cardan. Aphor. sect. 5. Aph. 35. B

Si Saturnus ex loco debili Mercurium amica & exacta radiatione aspexerit, præsertim ex nono vel tertio loco, natus sciet secreta multa in disciplinis. Quod si ex valido, erunt res magnæ æstimationis. Ibid. Aph. 140.

Cognitiones abstractæ supra sensum probant immortalitatem animæ rationalis. Vide quæ scripsi Theol. natur. t. 2. pa. 1. c. 23. Deuenimus ad cognitionem rerum quæ non cadunt sub sensus. Ibid. parte 2. c. 1. Excellenti qualibet cognitione, excellenter ad Dei gloriam vtendum. Moral. Christ. to. 4. parte 1. c. 4. & seq. Excellens cognitio est immediatè à Deo. *Vide Principium Cognitionis.* Deus. C

Vires dotales rerum, quas diuina bonitas ex dono pro ægris dedit, plerumque carent gustuum testimonio, vnde non cognoscuntur nisi ab his quos specialis Dei gratia docet.

Arabes Deum summam adorant sapientiam, ab eo dicunt procedere primam intelligentiã, ab ea secundam, secundi ordinis motricẽ. Donec eo ordine deueniant ad intelligentiam cœli Lunæ motricem, à qua procedit intellectus vniuersalis seu anima mundi, vnde postremo anima rationalis; in superioribus excellentior semper cognitio. Leo Hebræus Dial. 3. de amore.

Et vita erat lux hominum, Ioan. 1. quo verbo apertè docetur, quod ipsa vitalis ratio, per quam omnia disposita sunt & reguntur, non omnem creaturam, sed rationabilem tantum, vt sapere possit, illuminat. Homines namque qui ad imaginem Dei facti sunt percipere sapientiam possunt. Alcuin. in Ioan. lib. 1. c. 1. D

Diuina tractantes cæteris excelsiorem debent habere sapientiam.

Vide Virtus Cognitionis. Sapientia cum pietate.

Et *Minoritas Cognitionis.* Religionis secreta mysteria ex D. Hieron.

Verum non est omnem virtutem esse in mediocritate, nam sapientia est præstantia quædam rationis & summitas ac vis, qua summa diuinitas scientiæ, atque beatitudo intenditur. Plutarch. lib. de virtute morali.

De visu remotorum. Ficin. in 17. Plotin.

Visus longè plura alia ostendit, quam alii sensus, & magis distinctè, siquidem & loca & figuras, & motus & actiones, & propinqua, & remota, vsque ad cœlum monstrat; & alia multa quæ alii sensus non monstrant. Fracastor de intellectione.

Flamma est crassa circa materiam, in suo apice superiori longè subtilior, sic est anima obtusior in corporeis actionibus, subtilior in spiritu quæ attingit Deum. Cardin. Cusa. in dialogo de annunciatione.

In dies perficitur cognitio. *Vide Duratio Cognitionis, Mora.* Vbi de augmentis scientia.

Virga Moysis versa in serpentem, deuorat serpentes magorum. Exod. 7.

Minimum quod potest haberi de cognitione rerum altissimarum, desiderabilius est, quam certissima cognitio quæ habetur de minimis rebus.

Naturam sensitiuam meliorem habent, qui meliorem tactum habent & per consequens meliorem intellectum.

Superior ratio habet de omnibus iudicare, quia de sensibilibus per rationem iudicamus, de his verò quæ ad rationes humanas pertinent iudicamus secundum rationes diuinas, quæ pertinent ad rationem superiorem.

Sensus exterior apprehendit tantum rem præsentem, interior vero rem absentem.

Noui Lunio serui vendebantur, & duces designabantur apud Athenienses, Suidas in voce νουμηνία. *Vid. Maio. Cognit.* Crescere cognitione.

Pan duplici etiam quadruplici facie finxerunt, in quatuor partes orbis, idest per totum orbem respicientem, præterita, præsentia, possibilia, futura cognoscentem. Manasses quoque Rex Hebræorum, cum statuam sibi poneret, quintuplici facie ornatam voluit; quo maior in eo prudentia & maiestas significaretur, quod & Eusebius Pamphilus tradit. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 4. c. 10

Quidam plus habent de furto Promethei.

Dicitur quidem Eccl. 3. Altiora te ne quæsieris; quod est intelligendum, de his qui diuina scrutantur vt impugnent, sicut hæretici, vel curiosa præsumptione vt Philosophi, sed licet altiora scrutari spiritu diuino vt faciunt Theologi, ad pro-

Digitized by Google

priam & aliorum maiorem ædificationem. Lumen fidei est vt lumen autoræ, lumen gloriæ est vt lumen meridianum.

Qui rationes quidditatiuas purè nudas possunt contemplari, assimilantur hominibus in montibus eleuatis purum aërem inspicientibus: qui verò non possunt propter ruditatem ingenii, assimilantur stantibus in valle, cum aëre caliginoso. D. August. lib. 9. de Trinit. c. 8.

Apprehendere est attingere operatione intellectus aliquod obiectum: comprehendere autem est attingere tale obiectum adæquatè, quantum in se est attingibile, & sic nulla creatura cum sit finita, potest Deum infinitum comprehendere.

Tres sunt regiones sapientiæ, 1. in qua ipsa reperitur, vt est æternaliter, 2. in qua reperitur in perpetua similitudine, vt sunt Angeli. 3 in qua temporali fluxu similitudinis lucet à remotis. Cardinal. Cusa. lib. de venatione sapientiæ.

Inde sacra faciebant Soli circa meridiem. Rodig. lib. 29. cap. 4. tunc enim creatus fuit Sol.

Si quando vox diuina diuinitus datur; non ad omnium aures, sed ad quorum interest auditus allabitur, vt cognoscat sonitum non linguæ pulsu editum, alioquin fieret communis auditus, sed superni nutus moderamine gubernatum. Origen. Homil. 3. in Genes.

Ii quibus arcana mysteria credidit Deus, & occultorum prouidentiæ suæ iudiciorum secreta commisit, arca testamenti Dei appellentur: Qui metuerint multitudinem scientiæ, & abundantes diuitias in agnitione Dei, Cherubin intelligi possunt. Cherubim namque in nostra lingua multitudo scientiæ interpretatur. Id. homil. 5. super Num.

In futuro sæculo nemo erit imperitus, erunt tamen peritiores qui hic disciplinis fuerint imbuti. Idem Homil 5. super Psal. 36.

Qui originalem legit librum mundi, emendare potest exscripta etiam exemplaria.

In materia tenui magis lucet calor quàm in dẽsa, sicut in flammis magis quam in ferro, & in purioribus magis quam impuris. Sic in abstractè consideratis certior est cognitio.

Aristot. lib. de partib. animal. cap. 5. dicit esse duo genera substantiarum, quædam diuinæ & incorruptibiles, aliæ quæ ortum & occasum patiuntur, harum maiorem habemus notitiam, sed minor cognitio excellentium magis nos afficit vt pauca ex his quæ amamus videre gratius est, quam res alias plurimas.

Sensus, imaginatio, ratio, intelligentia aliter rem intuentur, sensus figuram in substantia materiali constituta; imaginatio solam sine materia iudicat figuram; ratio verò hanc quoque transcendit, speciem quoque ipsam quæ est in ipsis singularibus vniuersali consideratione perpẽdit: intelligentia verò celsior oculus existit, supergressa namque vniuersitatis ambitum, ipsam simplicem formam pura mentis acie intuetur. D. Tho. ex Boëtio 5. De consolat. prosa 6.

Adam sciens omnia sibi necessaria, in non necessariis poterat perfici ab Angelis & illuminari. Tostat. in Genes. fo. 178. c 4. so.

Qui aurum effodiunt, eius naturam probè non agnoscunt, sed qui illud igne purgant; Maximus Tyrius serm. 1. non scolastici sed contemplatiui mysteria benè possunt assequi sapida scilicet scientia.

DIVINATIO ET PROPHETIA.

Dvplex habemus corpus, elementare & sydereum, vbi hoc aptũ ab astris inuenitur, & ipsa astra præparata sunt, puro homini & sobrio, res mirabiles de præteritis, presentibus & futuris reuelantur Ita sępè vaticinantur senes & fœminæ, nullis artibus instructi; ambitio enim, seu sapientia vltroñea, operationem firmamentalem impedit, & astris reluctatur. Ideo firmamentalis operatio euenit tantum illis, qui locum cedunt astris Paracels. lib. 1. Sagacis Philosophiæ. Idem asserit Albert. Mag. lib. 3. de sõno & vigilia. c. 7.

Simonides dicebat Deos inuidere hominibus scientiam futuri, ideo velare eam sub metaphora & deceptione. Albert. Mag. lib. 3. de somno & vigilia. tract. 1. cap. 2.

Ex diuinatione prudentia agenda instituit, medicina medetur.

Rebecca sentiens in vtero suo pugnantes pueros, sortes eorum quærit à sacerdotibus. Gen. 24. & Theodoretus in Genesim quæst. 76.

Plato in Phædro dicit, quæ in Delphis prædicunt Vates, & quæ in Dodona sacerdotes, furentes quidem multa & magna commoda priuatim & publice Græcis hominibus attulerunt, sanæ verò dum sunt exigua aut nulla. Ibid. in Phædro, & libris de Republica, mancam esse dicit Rempublicam, quæ diuinandi artes non haberet, quas reponit in numerum scientiarum.

Isai. 3. Deus Iudæis ob peccata sua sic minatur, Auferam à Iuda validum & fortem, Iudicem & Prophetam, & ariolum, & senem, &c.

De aruspicibus Cicero. Orat. 38.

De Pythonissa. Gregor. Nyssen.

De somniis. Synesius apud Ficin. tom. 2. Albert. tom. 9. Cardanus. De sortibus. D. Thom. Opusc. 25.

In hoc mundo in quo bonis mala permixta sunt, gaudet homo scire futura, vt spei suæ blandiatur, & metum torquentem temperet. Hinc tantæ circa diuinationem superstitiones ex antris vt plurimum, quasi rei reconditæ.

Apud Colophonios & vrbe Claros erat celebre Templum Apollinis, & ibi aqua ex qua qui bibisset, futura prædicebat, sed fiebat vitæ breuioris. Pausa. in Achai.

Indi non solebant prædicere singularia, sed publica pro bono communi, qui ter aberasset in perpetuum silebat. Diod. lib. 2.

Apud Ethnicos sacerdotes ex libris Sybillinis & Astrologicis vaticinabantur; vti Romæ in Tẽplo Appollinis in Vaticano, vbi nunc est Ecclesia sancti Petri, & alibi per orbem vates erant, sicut ex Prophetis sapientes sacerdotũ Hierosolymis; Templũ enim ibi à Salomone ędificatũ, non fuit aliud, quam locus pro visione occultorum mysteriorũ Dei, vbi Deus Deorũ Dominus loquebatur, quem Princeps sacerdotum consulebat, Card, Cusa. excitatio. lib. 9. cap. 3.

Quia res humanas versat diuina prouidentia, & incertas efficit voluntatis humanæ vaga libertas, nulla Respublica vt bene regetur contenta fuit humana prudentia, quæ timida est & incerta, vt dicitur Sapient 9. sed futurum inquisiuit variis modis Astrologia vt Chaldæi, numeris

Digitized by Google

fatalibus, vt Pythagorei, aliis vaticinii modis, A tandem Prophetia, diuinisque oraculis. Campanella. Futura volentibus scire, respondet Deus ipsemet per mala media. *Vide Virtus Medii Rep.* Quando licet vti malo medio.

Pythagoras dicebat omnem diuinationem esse honorandam. Suidas,in voce Pythagoras.

Hetrusci præstabant in obseruandis noscendisque auguriis & ostentis;vnde,inquit Cicero,bene apud maiores nostros Senatus decreuit, quando florebat imperium, vt de principum filiis sex,singulis Hetruriæ populis in disciplinam traderentur,ne tanta ars propter tenuitatem hominum à Religionis authoritate abduceretur ad mercedem & quæstum. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 10. c. 7.

Eius Hetruscæ disciplinæ originem *Vide Principium Cognitionis.*

Semper homo dum viuit, causis aliquibus,imo pluribus commiscetur, quas cum sentit imminentes, etiam effectibus cœli cognoscere poterit,anima enim nostra tanquam speculum. Cardan. lib. de rer. varietate cap. 44. Tria sunt somniorum genera, à cibo, ab humore, à causa superiore.

Ibid. cap. 60. Dicit diuinationes quasdam fieri per Geomantiam & alias vanas obseruationes, quia mouent animam ad veritatem dicendam, intentam atque idoneam diligentius, vimque illius ad amussim exactè exequuntur,vt sint potius irritamenta, quam rationes diuinandi; exponunt enim animam benigno Veneris syderi, quod more facilium hominum arcana reuelat.

Tripodes quibus insidens Sybilla prophetabat, significabant tempus præteritum, præsens & futurum de quibus fieri potest questio. Rodig. lib. 8. cap. 15.

Diodorus Sicul. Bibliot. hist. 16. dicit Delphis priusquam habitaretur fuisse antrum in quod ingressæ capræ, exultantes lasciuiebant, & voces insolitas mittebant; ingressus pastor ipse cœpit mente moueri & prophetare; cum plures similiter essent afflati, sed interirent constitit oraculi vim ex terra esse, ad quam excipiendam electa fuit virgo. Refert idem Rodigin. lib. 8. cap. 15.

Ob Delphici oraculi nobilitatem principes vndique magna conferebant dona, Rodig. l. 12. c. 13.

Augurium, est diuinatio ex auibus, ex earum scilicet vel volatu, vel cantu, vel gustatu.

Themistius homines loqui futura arbitratur,etsi nihil intelligant eorum quæ dicunt, quatenus ab intelligentia diuina mouentur. August. Niphus. de auguriis lib. 1. cap. 17.

Illustratio mentis Propheticæ potest dici speculum æternitatis, quasi per species illas repræsentans Dei præscientiam qui in sua æternitate omnia præsentialiter videt. D. Thom. in quæst. disput. q. 4. a. 2.

Prophetia est diuina inspiratio vel reuelatio rerum euentus immobili veritate denuntians Ib. de Prophetia. a. ii. o. 1.

Daniel vocatus est vir desideriorum, vt patet Danielis 9. quia desiderabat scire secreta populi sui & Messiæ. Tostat in Genes. fo. 34. 6.

Ardenter homines appetunt futuri cognitionem, 1. quia difficilior est, & videtur hominibus interdicta. 2. propter necessitatem & vtilitatem, nam sui amantes volunt sibi prouidere contra imminentia pericula. Idem. Genes. fo. 401.

Qui habuerit lunam in Sagittario vel Piscibus diuinabit etiam sine arte. Luna etiam coniuncta Ioui, vel Mercurio, diuinationem ex arte promittit. Cui Pisces & Sagittarius in nono loco fuerint, ille somnia habebit vera, maximè si Iupiter fuerit in horoscopo, & loco Iouis fuerit Saturnus, & in nona Capricornus vel Aquarius, videbit quidem multa sed falsa. Post Iouem Venus facit diuinare, tum etiam Sol maximè. Cardan. de Iudiciis geniturę. cap. 24.

Cum Sol & Iupiter nonæ præfuerint, ac in locis Mercurii, Lunæ, & ascendentis dignitatem habent, altero alterum respiciente, oracula vir ille proferet. Idem Aphor. sect. 5. aph. 20.

Innatum est omnibus hominibus desiderium futura cognoscendi. Vide quę scripsi in fati vniuersi Apologia, cap. 10. Diuinationes & prophetia probant immortalitatem animę. Theolog. natu. to. 2. parte 1. cap. 26. B

Prophetię impleta sunt per natiuitatem Christi. Ibid. to. 4. parte 2. cap 4.

Senes & mulieres sæpè diuinant, quia per sapientiam vltroneam non obstant operationi cœlesti & firmamentali. Paracelsus. lib. 1. Sagacis Philosophiæ.

SORS AVGVRIVM.

Leuit. 16. & passim diuisio hæreditatis fit per sortes, nam Prouerb. 18. contradictiones cohibet sors, & inter potentes definit. Sic Act. 1. C Mathias eligitur in Apostolum. Vbi ex fide integra, & oratione præmissa sors ducitur, ea quæ Dei voluntas continet in occulto, sors hominibus declarat in manifesto cum dicit Apost. Col. 1. nos sorte in partē sanctorū vocatos, idest occulta Dei voluntate sicut est occulta in sortibus. Orig. Hom. 23. in Iosue.

Vt augurium sumas debet obiectum ex insperato occurrere, & impetu quodam naturali pro augurio accipi, sic enim creditur stellam mouisse tum obiectum vt occurrat, tum mentē nostram vt pro augurio illud sumat, motus enim naturales motu cœlesti regulantur & diriguntur. Aug. Niphus de D Auguriis lib. 1. cap. 5.

Apud Romanos nulli magistratus constituebantur nisi mouentibus auspiciis. Magistratus autem alii maiores habebantur, alii minores quod minores minoribus auspiciis crearentur, Gellius exponit. lib. 13. cap. 14.

Reuelatur peccatum Acham per sortes. Iosue 7. & Ionæ. Ion.

Deus permisit Iudæis sortes propter imperfectionem eorum, quia in dirimendis controuersiis minus concedebant rationi. Tostat. in Num. to. 2. fo. 81. Est autem sors duplex, vel diuisoria, vt inter diuidentes tollat litigium, vel consultoria, E cum obscuram rerum aut factorum veritatem sortibus missis inquirimus. Sic Iosue c. 7. Quæsiuit quis tulisset de anathemate Ierícho, & inuentus est Achan reus. Saul quæsiuit quis ante tempus gustasset, & inuentus est Ionathas. Sic Ionas manifestatur causa tempestatis. Mathias sorte in Apostolum electus est; Zacharias pater Ioannis Bap. sorte incensum obtulit. Si sors per se mala esset, nunquā fuisset permissa. Tost Ib. f. 186.

Elegerat Deus Matthiam ad Apostolatū, antequam darentur sortes & priusquam fieret mundus. Declarauit autem visibilis sors Dei electionē inuisibilē, quem elegit prædestinatio, perfecit sors,

Nemo tamen hoc Apostolorum exemplo ad Dei voluntatem cognoscendam in dubiis vtatur sortibus; Christianis omnino inhibitæ sunt, nec vsurpatæ ab Apostolis, ex quo Spiritus sanctus corda eorum repleuit spiritu intelligentiæ & consilii. In dubiis oratio sola commendatur, quidquid orantes petitis, credite & accipietis, &c. Laurent. Iustinian. Serm. de S. Matthia.

D. Dionysius Eccles. hierarchiæ parte. 3. cap. 5. De illa sorte, inquit, diuina quæ Mathiæ diuinitus obtigit, alii quidem alia sensere, meo quidem iudicio non rectè. Aperiam autem & ipse quid sentiam. Videtur mihi scripturam sortem appellasse diuini quiddam, & præcipui muneris, per quod illi choro insinuaretur, qui esset diuina electione declaratus.

De sortibus mittendis. *Vide Minoritas Cognitionis.* De his quę casu benè cesserunt.

De electione per sortes. *Vide Duratio Contrarietatis.* Mora & per interualla.

Conclauis ad electionem S. Pontificis cellæ, Cardinalibus sorte sunt distribuendæ. Pius 4. const. 63. §. 11. Bull. p. 98. p. to. 2.

S. Franciscus fortuita apertione libri Euangeliorum confirmat Bernardum nobilem Assis. in proposito relinquendi omnia D. Bonau. in legenda S. Francisci cap. 3.

DIVINATIO EX somnijs.

VBicumque humor in capite exuberat, spiritum animalem variis mouet modis. Itaque humore colerico infestatus somniat se præliari, caliditate vero arida, sitire, ac fontium proinde recordatur. Atra bile infestatus, dæmones ac monstrosa in somnis videt, cum modica ipsorum similitudine excitus, ipsorum notiones suscitantur totæ. Cum vapores in caput ascenderint, quibus spiritus supernatat, somniat volare, ac natare, si diuidant deorsum intercurrentem somniat cadere. Campanella.

Quod dormientes & manentes in extasi cognoscant aliquando aliqua occulta, quæ non cognoscunt vigilantes, ideo est, quia tunc anima percipere potest influxum superiorum: nam substantiæ separatæ semper influunt, sed non semper percipitur earum influxus in animam, sed solum cum est aliquo modo disposita. Tostat. Math. to. 7. fo. 191. est autem disposita, cum non agit per sensus. Ibid. fol. 193.

Diuinatio per somnia erat vnus ex 6. modis cōsulendi Dominum, de quibus *Vide Medium Veritatis.* Sic fiebat, qui rationabiliter desiderabat aliquid scire à Domino, ieiunabat & orabat aliquot diebus, deinde ibat ad dormiendum, & Dominus per somnium ostendebat ei declarationem dubii. Ita 1. Reg 28. dicitur quod Saul consuluit Dominum & non respondit ei nec per sacerdotes, nec per prophetas, nec per somnia. Id. defensorii 2. parte, fol. 20.

Rebecca sentiens in vtero suo collidentes pueros, iuit in montem Moria velut in locum sanctum, in quo Abraham iussus fuerat sacrificare filium suum; & ibi vt consuleret Dominum victimam obtulit, super pelle victimæ dormiuit, & capiti suo supposuit laurum ad impediendas phantasticas illusiones. Idem Genes fol. 2. 96.

Olaus magnus. lib. 3. cap. 13. plura refert exempla Principum qui in somniis certum augurium acceperunt de futura clade aut victoria.

Somniorum indagatio curiosa, multos facit insomnes.

Quidam ignotus mecum sine lingua & voce locutus est, qui nunquam ante fuit, nec postea erit, & quem non audiebam, nec noui. Hic erat apparens in somnis. Alcuin. hoc ænigma proposuit Pepino discipulo.

Pater Asellæ virginis somniauit se in vitrea phiala videre puellam. Eam natam & ante annos pubertatis virginitati consecrauit, flammeo virginali tectam. D. Hieron. ad Marcellam, de laudibus Asellæ.

Otho orator, cum illi in declamationibus deficiebat color, somnium narrabat rei prænuntium. Seneca. lib. 7. Contro. 7.

ASTROLOGIA cælestium corporum vires expendens, qualiter probanda.

PEr Angelos ordine naturæ nobis superiores, illuminamur, purgamur, & perficimur, sed cœlestia corpora, quia sunt inferiora agentia imprimere possunt in vires sensibiles, & alias organis affixas. Secundū verò quod motus vnius potentiæ animæ redundat in aliam, cōtingit, quod impressio corporis cœlestis redundat in intellectū quasi per accidēs, & vlterius in voluntatē & quia multitudo vt in pluribus sequitur inclinationes & passiones naturales, magis est probabile quod sequitur id ad quod inclinat corpus cœleste, potest sapiens id non sequi, sed rarus est. D. Thom. in quæst. disput. de prouidentia. q. 5. a. 10 in c. & ad 7.

Est aliquis effectus in corporibus cœlestibus qui non causatur ex calido & frigido, sicut quod magnes attrahit ferrum, & per hunc modum aliqua dispositio in corpore humano relinquitur à corpore cœlesti, ex quo contingit vt anima ei coniuncta inclinetur ad hoc vel illud artificium. Ib. ad 5.

Astrologia à primis hominibus exculta propter agriculturam. *Vide Media Concord.* Agricultura.

Adam habuit omnem Philosophiam & Astrologiam, cognoscebat enim omnia naturalia cum suis proprietatibus. Tost. in Gen. fo. 16. c. 2. C.

Memphis fuit ciuitas in Ægypto in qua primum studium totius orbis fuit, quod præcipuè floruit in Astrologia. Vnde dicti sunt Memphitici vates Id. Genes. fo. 4.

Mensa solis de qua Hieronym. in epist. ad Paulinum, quæ habetur in principio totius Bibliæ, erat magna mensa in qua Astrologicæ & Geometricæ figuræ describebātur à Philosophis. Id Gen. fo7.

In fine mundi cessante motu cœli, & in eius renouatione non manebunt animalia, plantæ sed homines & corpora cælestia. Tost. Math. to. 7. fo. 144. Velut propria hominis obiecta.

Abraham Chaldaicæ Philosophiæ scientia præditus, cum concinnum, aptum, ratum, constantem, certum, ordinatumque situm ac motum syderum animaduertisset, harum rerum cognitione tanquam scala atque adminiculo vsus est, ad superi boni contemplationem, sic reputans quod si ea quæ sensu comprehenduntur sic se habent, quale esse potest quod sensum superat. D. Greg. Nyssem. in vita S. Grego. Thaumat.

Digitized by Google

Quales homines illi qui non frustra corpore tentarunt penetrare cœlos vt gygantes, sed viribus ingeniorum; sordescebat illis totus orbis inferior præ diuino illo domicilio, in quo non modo quid rerum in vniuerso geratur mundo, sed quid etiam futurum sit, posteris tradiderunt, tanquam naturæ antistites, consiliorumque eius participes, & qui Regum & Imperatorum opes, animo longè superabant. Lud. Viues. de initiis, Philosophiæ.

De pueris per Astrologiam electis, ab Alexandro. *Vide Bonitas Cognitionis.*

Moses festos dies omnes ab equinoctiis & noui luniis constituit, eos autem septenario omnes distinxit, vt numero & ordine planetas imitarentur. Cardan. in encomio Astrologiæ. Cœli motus ac tempora ita diligenter obseruauit, vt cum reliquæ gentes Diis propter astra cultum impenderint, ipse (quod magis conuenit) astris diuino verbo auctoritatem dederit. Ibid.

Dædalus quem volare finxerunt, fuit magnus Astrologus. Icarus verò qui cum patriam disciplinam non perfectè adeptus esset, in mare ignorantiæ præcipitatus fertur. Ibid.

Augustus nummum nota Capricorni, sub quo tam fœliciter se natum esse cognouerat, signari voluit. Ib.

Est quoddam supercœleste quod hominem ad diuinandum iuuat. Cardan. Aphoris. 22. sect. 1. Aphor. 22. Astrologia est altissima scientiarum, tum quia de cœlestibus, tum quia de futuris, quorum scientia non tantum est diuina, sed etiam vtilissima. Ibid.

Cum singularia ex generalibus constent, generalia autem astris gubernentur, vt aquæ æstus à luna, necesse est etiam, ex illorum mixtione vnumquodque singulare agi. Cœlum igitur est Dei altissimi instrumentum quo inferiora, agit, impellit, regitque. Ibid. Apho. 65.

Vide Concordantia Principij. Cœlo conformari. Quid aliud est cœlum, quam mysteriorũ pictura.

Cur in primitiua Ecclesia Astrologia iudiciaria fuerit prohibita, & quo adhibito temperamento fuerit postmodum à Doctoribus probata. Vide Apologiam quam scripsi de fato vniuersi. cap. 1. & seq.

Bona indoles procedit ab astris. *Vide Principium Virtutis,* Bona indoles.

D. Thom. 2 generat. Qui sciret, inquit, virtutes cœlorum, stellarumque in eis positarum, dum res aliqua nascitur, posset iudicare de tota vita rei generatæ, licet hoc necessitatem non ponat & possit impediri per accidens. & Origenes. Quemadmodum humana libertas minimè tollitur, quamuis Deus, quæcumque facturi sumus prævideat; sic etiam signa ex stellis, quæ diuinitus ad significandum ordinata sunt, libertati nostræ nequaquam officiunt.

Quid aliud in sole, luna & stellis nisi sapientiam creatoris obserues?

Si quis obseruato natali die cuiusque, & notatis syderum & astrorum signis probabiliter coniectat, eum certa temperatura præditum, certis animi propensionibus affectum iri, ac proinde ingenio, aut corporis viribus valiturum, aut certis morborum generibus obnoxium fore, Ecclesiasticos canones, aut Pontificia iura aut leges non violat. Azorius instit. Moral. lib. 9. cap. 13.

Si quæratur quomodo certi possint assignari syderum effectus, cum nunquam redeant eædem configurationes, Responde, id fieri eadem ratione qua agentia naturalia similiter operantur, licet in diuerso tempore nunquam sint cum iisdem dispositionibus.

Probari potest valide Astrologia à posteriori, ostendendo geneses præclaris euentibus insignes, qui Genethliacis regulis respondent.

Eo licet cognitionem & rationem peruenire, quo peruenit sensus si videtur cœlum oculo, potest & mente contemplari.

Dauid dicit. Videbo cœlos opera digitorum tuorum. Videbo, non video. Videbo quando facie reuelata gloriam Domini fuero contemplatus. D. Hieron. ad Pammach. adu. errores Ioan. Hierosoly. multa hic semper supererũt inquirẽda.

Cœlum virtutes à Deo, pro varietate suarum partium, stellarum, planetarum, & motuum recepit; Est horologium pulcherrimum compositum ab artifice summo; est liber sententiosissimus, exemplatus, ab exemplari libro vitæ, infinito & æterno, qui nominatur mundus archetypus, in quo id quod factum est, vita erat. De stellis dicit propheta; qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat; hæc autem vocatio quid est aliud, quam distincta virtus & operatio stellæ cuilibet attributa; nomen quippe sumitur à proprietate rei. Gerson in trilogio astrologiæ theologisatæ. prop. 4. & propos. 30. Concludit quod in politicis non est spernendum iudicium peritorum astrologorum, sed cum rationibus consiliariorum si contrariæ sint velut in æquilibrio ponendum, & sicut oportet ponderetur cum circumstantiis.

Albertus Mag. lib. qui inscribitur speculũ astronomiæ, dicit astrologiam iudiciariam ex se optimam esse quia considerat, quid Deus agat per stellas, quasi per instrumenta; & qualiter mutationes inferiorum pendeant à mutationibus superiorum. Hinc apparet vnicum esse Deum, cœli & terræ rectorem, quod infima superioribus obediant. Hinc occasio Deum cognoscendi & amãdi.

Vir fortis cui à Mathematico prædictum fuerat fore parricidam, crimen morte vult præuenire. *Vide Voluntas Finis.* Homo sum, inquit, cuius corpus iratum fortè sæculo numen, velut aptissimam facinori videtur elegisse materiam, cui in primis continuò natalibus assignata est virtus pariter & facinus, omnium incredibilium, diuersorumque pariter capax, omnibus difficultatib. nouitatibusque sufficiens, sceleribus miser, & sine morte sua nocens; in quo debeatis ipsasque odisse virtutes. Quintil. declam. 4. Quidquid nascitur consociata mundo velut nummi proprietate signatur; cœlo certa lege constituto conformatur, & in totam æui sui breuitatem, compositum, firmatumque, sic accipit futura, quasi vitam hanc primum humanus miratus est animus, mox ex assiduis obseruationibus, peruenit ad causas; Miraris fatum hominis prædici, cum defectiones syderum, laboresque narrentur, quid cometæ significent, vt certum artis ingenium probat euentus, & futurorum veritatem probant præterita.

De vtilitate astrologiæ in agricultura, in nautica, in medicina, & quod mouendo primas qualitates in nostris corporibus, astra possunt multum ad commouendos affectus. Vide Chasseneum in catalogo gloriæ mundi. parte 10. consideratione vltima.

Ex Aristotele cœlum est instrumentum vniuersale intelligentiarum nam immediatum instrumentum immaterialis debet esse immateriale. Pom-

ponatius lib. de incantationib. dicit genios nihil aliud esse quam genituras, bonas, aut malas.

Ex cœlorum motu & influxu, elementorumque alteratione fiunt ab his non intentæ generationes. *Vide Minoritas Cognitionis*, de his quę casu benè cesserunt. Dicere enim sydera corporea esse rerum causas principes, idem est ac si quis diceret ignem esse causam ligonis, non autem fabri mentem & peritiam. Campanella in proœmio astrologiæ.

Isayas quidem insultat astrologis quod ex sydérum supputatione futura diuinare præsumant. Et Ieremias, A signis, inquit cœli, nolite metuere: non tamen penitus improbanda astrologia, vt nec prudentia humana, nisi quæ contra Deum erigitur; non autem suppositam Theologiæ; qui amicus est Regis non timet eius ministros, nec vir bonus, & Dei amicus stellas. Ibid.

De astrorum iudiciis D. Thom. opusc. 26.

Astrologiæ inuentio. *Vid. Supra Med. Cogn.*

Rex Sinarum habet Eunuchos, astrologiæ peritos, qui per vices, tota nocte obseruant sydera, vt denuntient si quid noui occurrat, cometas & alia meteora, eorumque significationes. Dauity.

De astrologiæ inuentione *Vide Principium Cognitionis.*

Astronomiæ inuentum Iosephus tribuit Seth. Genebr. in Chronica.

Moses posuit ante Propitiatorium, candelabrum aureum septifidum in quo erant septem lucernæ, pro septem planetarum numero: referebant 7. Ecclesiæ spiritus, Apocal. 1. & Zach. 4.

De filiis Isachar, erant viri eruditi qui nouerant singula tempora, ad docendum quid facere deberet Israël 1. Par. 12.

Cœlum est thesaurus bonorum Dei. Vide Deuter. 28.

Principes quidam sapientes astrologos non affecerunt præmiis, sed exilio, quia his non vtebantur; sapiens enim astris dominatur.

Dicit Debbora Iudic. 5. De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine & cursu suo contra Sisaram pugnauerũt. & Habacuc, Sol & luna steterũt in habitaculo suo, idest in leone & cancro: & magi ex cometa in leone signo tribui Iudæ prædixerunt inde nasciturum monarcham vniuersalem.

Abrahamus natione Chaldæus ex inspectione syderum dicit supremum aliquem esse eorum conditorem & moderatorem. Suidas in verbo, Abraham, & Alcuin ep. 8. ad Carol. Magnum.

Fatum & Astrologia magni apud Pharisæos fiebat. Id. in voce φαρισαῖοι.

Cœlum à cęlando dicitur, eo quod inferioribus conuenientem tot sęculis ordinem per stellarum cursus imprimat. Petrus Crinitus de honesta disciplina, lib. 4. cap. 11. ex Varrone.

D. Ioannes Rusbrochius qui inscribitur sanctissimus & diuinissimus contemplator, in libro de vera contemplatione c. 38. dicit hominum complexionem diuersam esse, & se habere ad contemplationem, secundum qualitates 7. planetarum: filios Saturni moueri inordinato metu damnationis, inquietos, perturbatos, diffidentes sine consolatione; filios Iouis, placidos, sibi & aliis gratos, qui propterea facilè rebus huius mundi adhærent. Filij Martis calidi sicci, sunt natura feri, latet in illis occulta superbia, iniuncta pœnitentiæ opera sequuntur, vt habeant laudem ex hominibus Hypocritæ. Solis filij, veritatis, virtutis amantes, ad dignitates & Principum affectus

A apti, habiles ad gratiam Dei recipiendam. Filij Veneris pulchri, amabiles, pacifici, qui sibi cauere debent à nimiis humanis affectibus.

In Indorum Republica primus ordo ac dignitas eorum censebatur, sicut à Diodoro & aliis traditur, qui philosophiæ sacris occupati, rerum causas perquirentes singulis anni principiis conueniebant, pluuias, ventos, calores, frigora, morbosque futuri anni prædicentes vniuerso populo in communem vsum consulebant: quod si quis falsa denuntiasset, haud id quidem impunè faciebat, sed perpetui silentij pœna mulctabatur, sic vt per totam vitam nihil omnino proloqui liceret. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 5. cap. 8.

B Ioseph. antiq. lib. 1. cap. 3. scribit Seth virum probum & religiosum nepotes suos pariter virtutibus imbuisse, sideralem scientiam ac cœlestium rerum cognitionem excogitasse: ne autem inuenta sua ex hominum notitia dilaberentur, scientes Adamum vniuersalem rerum interitum prædixisse, excitatis duabus columnis, vtrisque sua inuenta inscripserunt.

Sublunaria à supernis lationibus dependent vt ait Arist. 1. Metaph. 2. & 2. Physic. 2.

D. Paulus, 1. Corinth. 8. manducantem idolis immolata non tam condemnat ob id, quam quia infirmis dat scandalum. Origen. Homil. 10. super

C Numer. interpretatur hæc de curiosa lectione quæ non lædit eos qui plenam scientiam veritatis acceperunt, nocere potest si eorum exemplo infirmi eadem affectent.

Dominus qui fecit terram in fortitudine sua, & prudentia sua extendit cœlum. Hiere. 10. & Prouerb. 8. Dominus præparauit cœlos prudentia.

Astrologia non potest prorsus diuinare, sed ex parte, quia considerat causas communes, non autem particulares, nec passiones singulas sui subiecti modificatiuas causarum & causationis. Campanella.

Cataractę cœli quę dicuntur apertæ in diluuio, sunt constellationes quas astrologi vocant apertiones portarum quæ ducunt aquas ex abyssis. Id.

D Vetantur sub capitali pœna ritus & sacrificia paganorum, sed prohibentur eorum templa destrui, quia conferunt ad ornatum vrbis. l. 3. Cod. de pagan. & sacrif. & templis. Sic prohibetur astrologia vt ea vsi sunt pagani, non tamen omnino destruenda, ne scientia naturalis reddatur imperfecta.

Astrologiæ cum Theologicis concordantia. *Vide Concordantia Veritatis.*

Ob tres astrologorum errores, astrologia suspecta fuit primis Theologis. 1. est eorum qui ex astris omnia futura necessitate fatali euenire senserunt. 2. est eorũ qui astronomicis libris plures superstitiones execrabiles artis magicæ miscuerunt. 3. est eorum qui terminos astronomicæ potestatis, respectu liberi arbitrij & quarundam rerum quę solum subsunt diuinæ ac supernaturali potestati, superbè, & superstitiosè excesserunt. Card. de Aliaco Cameracensis in præfatione suæ astrologię theologisatæ.

Deus antiquis Patribus vitam concessit longiorem vt discerent astrologiam, ex eod. *Vide Duratio Cognitionis* experientia. Idem in sua apologia dicit quod nõ sit excludẽdus astrorum influxus à natiuitate Christi & Beatæ Virginis, sicut absurdum esset dicere quod eas sol nõ calefecerit, nec luna humectarit, nec elemẽtorũ virtus eam qualificauerit. Christus dicit, nõ veni legẽ soluere, scilicet naturalẽ

Digitized by Google

ſed adimplere, nam excepto peccato, voluit cæteris hominibus aſſimulari. Quæ à doctoribus contra aſtrologiam dicuntur potius probant ſciendi difficultatem, quam impoſſibilitatem.

Liberum arbitrium nō pertinet niſi ad futurum, vt probat Magiſter ſententia. lib. 2. diſt. 24. at cognitio voluntatem præcedit, poteſt igitur eſſe de futuro.

Syderum curſu dies noſtri ac noctes peraguntur, menſeſque includuntur atque anni, & quæ temporis, & eorum quę ſunt in tempore, orbiculares motus, terminant, numerant, ordinant, continent. D. Dionyſ. cap. 4. de diu. nomin. non longe ni tio.

Nec illud certum habeo vtrum ad ſocietatem Angelorum pertineant Sol & Luna & cuncta ſydera, quamuis nonnullis eſſe lucida corpora. non tamen ſenſitiua, vel intellectiua videantur. D. Auguſt. in Enchy. c. 58.

Non tamen dicimus, ora pro me ſol, quia ſubſtantia ſpiritualis non vnitur corpori cœleſti vt forma, ſed vt motor tantum, vt auferatur idololatriæ occaſio. D. Tho. in quæſt. diſp. de ſpirituali creat. q. vnica a. 6 ad 5.

Si ſecundum Platonicos ideæ eſſent cauſæ generationum à cauſa ſimiliter ſe habente, prodiret idem ſemper effectus, at contrarium videmus. Oportet ergo generationum & aliorum motuum principia dari quæ non ſemper eodem modo ſe habeant, oportet tamen ſemper manere vt generatio continua eſſe poſſit; vnde oportet eſſe inuariabilia ſecundum ſubſtantiam, variabilia ſecundum locum, vt per acceſſum & receſſum motuſque varios diuerſi fiant effectus in inferioribus. Talia ſunt corpora cœleſtia, & ideo omnes effectus oportet ad ea reducere, ſicut ad cauſas. Ibid. de prouid. q. 5. a. 9. o.

NIMIA SCIENDI cupiditas.

IVlius Cæſar ius ciuile ad certum modum conatus eſt redigere, atque ex immenſa diffuſaque legum copia optima quæque & neceſſaria, in pauciſſimos conferre libros. Sueton. in Iulio Cæſare.

Auguſtus factus S. Pontifex, quidquid fatidicorum librorum græci, latinique generis, nullis, vel parum idoneis authoribus vulgo ferebatur, ſupra duo millia contracta vndique, cremauit, ac ſolos retinuit Sybillinos. Id. in Octauio Auguſto.

Inueniuntur in diſputationibus callidi, qui rebus grauioribus non magis ſufficiunt, quam parua quædam animalia, quæ in anguſtiis mobilia, in campo deprehēdūtur. Quintil. inſt. orat. l. 12. c. 1.

Philippo altercante cum quodam muſico de cantandi ratione dixit muſicus Dij melius, ô Rex, ne vſque adeo miſer ſis, vt hæc melius ſcias. Plutarch. lib. 2. de virtute & fortuna Alexandri.

Sapiens eſt, non qui multa, ſed qui vtilia nouit. Odi Sophiſtam, qui ſibi nihil ſapit.

Qui mathematicis vacant, neglecta philoſophia, ſimiles ſunt procis Penelopes, qui cum ipſa potiri non poſſent, ad ancillas ſe conuertebant.

Qui Martiis in pugnis, & in conſiliis præcellunt, non eſſe debent ingenioſi in leuibus argutiſque rebus. Sed benè conſultare de magnis bonis ciuitati neceſſariis. Euripides.

Deus ſolet eos confundere qui vtilia deſerentes

A vanis implicantur; imitantur Thaletem qui dum ſtellas obſeruabat, cecidit in foueam, cui ancilla, Quæ alta ſunt vis noſſe, cum ante pedes poſita non videas. Plato refert in Theæteto.

Licet aliqui poſſint vti magia & inuocatione Angelorum in bonum, tamen hanc artem leges prohibent, quia homines ducti cupiditatibus facilè poſſent ea abuti, quia legiſlator reſpicit quod fit in pluribus, & non quod raro. Vnde dicebat Galenus, quod ſi quis homo cognoſceret herbam educentem ſanguinem, iſte homo eſſet interficiendus ne alios doceret.

De libris gentilium. Pintus to. 4. de ſolerti ignorantia. Baſil Hom. 24.

B Innoc. 3. cap. niſi 5. pro defectu de renunciat, dicit ſcientiæ excellentiam optimè ſuppleri per charitatis abundantiam, & cap. cum nobis. de electionib dicit competentem ſcientiam ſufficere, excellentem non requiri.

Nimia induſtria nocet rectoribus. *Vide Veritas Poteſtatis Rex ſit verax.* Tres primi verſus, primi pſalmi ſufficiunt ad inſtructionem ſalutis. *Vide Concordantia Differentia.* Omnia in omnibus.

Qui fertur illimitatè ad varias artes, relinquit ſapientiam veram animæ ſponſam & conuertitur ad ſcorta. Card. Cuſa. excitat. lib. 5. cap. 14.

C Empedocles volens inueſtigare naturam Vulcani ſeu ignis ſubterranei in monte Ethna, cecidit in foueam eiuſdem Vulcani & conſumptus eſt à vulcano, quem inueſtigabat. Alb. Magn. meteo. lib. 4. tr. 2 c. 1. ſimilis fuit mors Plinij obſeruare volentis æſtus montis Veſuuii, initio. lib. hiſt. natur. deſcripta eſt mors eius elegantiſſimè à Plinio. 2. eius nepote.

Apes nimio onere alas ſuas atterunt ad rupes, & pereunt tantus amor florum, & generandi gloria mellis. Virgil.

Corpora infantium & luſu continuo, & caſu frequenti minus læduntur, quia pondus illis abeſt nec ſeipſa grauant, ſic animi dum ſe formandos tradunt, nec ſuo niſu ſtudiis inſiſtunt, non ſimiliter fatigantur. Quintilian.

D Scientia quidem, vt dicit Philoſophus 1. de anima eſt de numero bonorum honeſtorum. Peccatur tamen in ea pluribus modis, ſcilicet ex parte cognoſcibilis, quia ſcilicet inclinat ad culpam, vt ſcientia poetica ad amorem carnalem, vel quia obeſt ſaluti, vt necromantia & artes prohibitæ, vel quia præcipitat in errorem, vt qui volunt ſcire altiora ex ſuperbia. 2. ex parte finis vt qui ſtudent propter ambitionem habendi dignitates & beneficia 3. ex parte cognoſcentis, vt ſi habens curam animarum illas negligit, vel iudex officium vt ſtudeat philoſophiæ. Si propter ſtudia negligat quis, neceſſaria ſaluti, vt dæmones inquit Bernardus, multa ſciunt & ſeipſos emendare neſciunt. Perbalbaltus in roſario theologico, verbo addiſcere.

E Cum Athenienſis orator Lacedæmoniis imperitiam obiiceret, reſpondit Lacon, Rectè dicis, ſoli namque Græcorum nihil à vobis mali didicimus. Rodig. lib. 8 cap 7.

Qui ex Apollinis Clari fonte bibunt, diuinant, ſed illis fit vita breuior. Id. lib. 27. cap. 5. in fine.

Balaam benedicens Iſraël dicit, Quam præclara tabernacula tua Iſrael Num. 24. quia ſemper in ſtudio ſapientiæ perficiendum eſt, tabernacula enim ſunt viatorum per deſerta. Addit autem tabernacula fixit Dominus, quaſi quæ non circūferantur omni vento doctrinæ. Origen. Homil. 17. ſuper Numer.

Digitized by Google

Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Ps. 36. melior est doctrina fidei cum charitate & bonis operibus, quam omnis eloquentia & sapientia huius sæculi quæ destruitur. Id. Homil. 3. in d. Psal.

Peccaut qui magicas scientias discunt, vel vt illis vtantur, vel sola curiositate, quia periculum est: sunt prohibitæ, sic est transgressio præcepti, denique non sunt scientiæ quæ informent intellectum, sed fallaciæ dæmonum. Secus est si quis eas discat, vt confutet. D. Tho. quodlibet 4. a. 16.

NIMIA PRÆDICAtorum curiositas.

PRædicator auditoris sui animum vltra vires non trahat, chorda citharæ nimium tensa rumpitur. Luc 12. Fidelis dispensator dat in tempore tritici mensuram. Apostolus fidelibus lac potum dat. 1. Cor. 3. Moyses abscondit faciem suam ex consortio Dei fulgentem. D. Gregor. PP. in pastorali parte 3. cap. 5.

Vide Magnitudo Veritatis. Communis omnibus veritas.

Angeli in scala Iacob. ascendunt, & descendunt. Genes. 28: Siue mente excedimus, siue temperamus vobis, inquit Paulus.

Exemplo & imperio Saluatoris, qui de sinu patris propter nos exiuit, coguntur interdum prædicatores omittere dulcedinem altissimæ contemplationis & condescendere paruulis, vt cum eis tractent de carnalibus negotiis, vt Paulus Apostolus qui cum raptus fuisset vsque ad tertium cœlum, vel paradisum, & audisset arcana verba, quæ non licet homini loqui, de tam altis, ad tam infima descendit, vt disponeret iura coniugii. vxori, inquiens, vir debitum reddat, & vxor viro. Rupert in Exod lib. 3. c. 29.

Vide Concordantia Minoritatis Infirmis compati.

Luc. 10. præcipit Dominus Apostolis, neminem per viam salutaueritis; nam re vera, quasi per viam salutant, qui verbum Dei, quod ore decantant, auditoribus proficere non desiderant, Id. in num. lib. 2. cap. 19.

S. Sacerdos aliis scilicet magis pretiosis vestibus vtebatur, cum erat in ministerio sacrorum, & aliis cum procederet ad populum; sic Paulus sapientiam loquitur inter perfectos, alios lacte potat. Christus turbas alloquitur in parabolis. Math. 13. Origen. in Leuit. hom. 4.

In nemoribus & lucis, nemo plantat ficum, nemo vineam, nemo arbores fertiles, sed oblectationi visus ligna frondentia, tales sunt hæretici qui orationem suam verborum decore componunt. Ideo præceptum, non facies & plantabis lucum iuxta templum Domini Dei tui, Id. homil. vlt in Hierem.

Christus arguit Pharisæos quod mundarent quæ foris sunt paropsidis; mundis & nutritorus mens nostra impleatur, non ornatis verbis & compositionibus, quia non in sermone est verbum Dei, sed in virtute. Origen. tract. 25. in Matthæ.

Samaritana reliquit hydriam vt annuntiaret Christum in ciuitate, contemnat prædicator scientiam sæcularem glorians cum Apostolo se nihil aliud scire, nisi Iesum crucifixum. Idem in Ioan.

A De dignitate prædicatoris. *Vide Medium Veritatis.* Prædicator.

Clemens Alexandr. 1. stromat. eloquentiam docet non conuenire Euangelium prædicanti, vt nec ornata nimium vestis, aut cibus ad delicias comparatus. *Vide titulum sequentem Eloquentiæ contemptus.*

Altare Holocaustorum debebat esse de terra, vel de lapidibus impolitis, Exod. 20. ne referret aliquam imaginem, quæ posset esse causa idololatriæ. Tostat. Ibid.

Prædicatori vitanda nimia curiositas. Vide quæ scripsi lib. de institutione & officiis Religiosi, parte 4. cap. 17.

B Stella quæ magos duxit ad Christum erat in infima aëris regione, nec enim ex alto potuisset tuguriolum ostendere. D. Chrysost. homil. 6. in Math. Condescendat infirmis prædicator.

Dicebat Paulus, non arbitratus sum me scire aliud inter vos quam Iesum, & hunc crucifixum; insonabat audientium auribus magnum Sacramentum pietatis Christi, quod manifestatum est in carne, iustificatum in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus. Quod proferebat non de fabulis Poëtarum, non de Philosophorum codicibus, sed de præclarissimo prophetarum hauriebat fonte. Sic cęteri Apostoli Iesum prædicantes mundum ad fidem conuerterunt, &c. Laurent. Iustinian. de institutione prælator. c. 7. Cum post

C tumultus negotiorum vitæ ciuilis fideles conueniunt in Ecclesiam ad audiendum salutis monita, indignum est illis recitare fabulas, aut vaniloquia quibus assistentes prouocentur ad risum. Timotheum monet Apostolus, rectè tractare verbum veritatis, prophana & vaniloquia deuitare. Ib.

Plinius de Aduocato dicit. Præuaricatio est transire dicenda, vel cursim & breuiter attingere quæ sunt inculcanda, infigenda, repetenda & aduocatus præuaricator extra ordinem coërcetur. l. 1. & 3. ff. de præuaricat. Cuiac. Obser. lib. 9. cap. vlt.

Olim litigans duos habebat aduocatos vnum qui oratoris, alterum qui iurisperiti partes ageret.

D *Vide Magnitudo Medii.* Multitudo instrumentorum. Prædicator vtriusque partes agit, mouet & docet.

Aduocato præuaricatore longe grauius peccat prædicator, qui cum debeat validis argumentis fidem tueri contra negantes, Christianam in moribus doctrinam suadere, peccantes ad pœnitentiam adducere, tamen vt prophanus declamator totus est in eloqui; suauitate vnde possit eloquentiæ gloriolam promereri. Profert noua, splendida, sed à paucis intellecta, ab instituto suo penitus aliena; non Christo, non Ecclesię, non animarum saluti, sed perfidæ suę vanitati laborans.

E Venit peccator aliquid auditurus vnde spiritum hauriat compunctionis, venit afflictus consolationem, venit pius diuina sitiens, & pro diuinis fabulę, pro sinceris admonitionibus friuola, ridicula, theatris propria tribuuntur: paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Horrendum dictu, dantur ægris pro remedio malorum incentiua; ludunt diuini sermonis maiestate; passionis illicitæ flammas verborum ornatu velut flabello suscitant; suggestum veritatis conuertunt in Cathedram pestilentię, & abominationem desolationis constituunt in loco sancto.

Vide infra proxime Eloquentia Contemptus.

Curiosi

" Curiosi vani sunt, sed non mali. Tost. Math. to. 4. fo. 155. d.

Vir bonus ex scripturis, & ex creaturis solummodo trahit id quod ad salutem deseruit, & hæc est sobrietas in viribus intellectualibus, sapere ad sobrietatem, inquit Apostolus. Harp. Theol. myst. lib. 2. cap 21.

Studia debent esse moderata, non nimia. Vide quæ scripsi Moral. Christia. to 2. parte 1. cap. 15.

Chymicorum curiose & auxiè nimis secreta naturæ scrutantium immatura solet esse mors; quem enim mortalium non inficiant carbonum suffitus? aquarum fortium, gradantium & arsenicalium itemque antimonialium noua in dies examinatio.

B Spiridion Cypri Episcopus qui adfuit Concilio Niceno, vno oculo effosso, & poplite succiso pro fide, reprehendit Tryphilium virum eloquétem, quod in Synodo perorans, loco verborum Christi, tolle grabatum tuum, dixerat, tolle lectum tuum humilem, dedignatus vti verbis Christi. Sozom. lib. 1. c. 11.

Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur; Lachrymę auditorum, laudes tuæ sint. Sermo Presbyteri scripturarum lectione conditus sit. Nolo te declamatorem esse & rabulam, garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum, & Sacramentorum Dei tui eruditissimum. Nihil facilius quam indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, &c. D. Hieron. epist. ad Nepotian.

C Ecclesiastica interpretatio, etiam si habet eloquii venustaté, dissimulare eam debet & fugere, vt nó ociosis Philosophorũ Scholis, paucisque discipulis, sed vniuerso loquatur hominum generi. Idem ad Pammach. pro libris aduersus Iouinianum.

Quidam cum disertè diceret, ferreturque impetu ac volubilitate verborum, causamque omnino non tangeret, prudens auditor & iudex. Benè, inquit? bene, sed quo istud tam bene. Idem ad Pammach. de erroribus Ioan. Hierosolymitani,

Christus in prædicatione communibus parabolis vsus est. *Vide Magnitudo Veritatis.* ex Chrisologo

D Ne recites miracula aut anguria, nec artis alterius scientiam profitearis, quam eius quæ te honestè alit & ornat; nam apud eos qui opera tua vtuntur, minus valere in propria videberis; apud alios contemneris, vt vanus. Cardan, de arcanis prudentiæ. cap. 90.

VITARI DEBET NIMIA de futuris sollicitudo.

DEMONSTRATIO.

E BONITAS. Norunt homines suis & aliorum exemplis vitam hanc mille periculis, velut nauem maris & ventorum tempestatibus expositã, sæpè concuti, citò perire, nisi contra vim incurrentium apprimè fuerit instructa. Hinc vitę ciuilis muneribus addicti, latè cognitiones suas mittunt in futurum; & velut ex alto speculantur: quid in tanta rerum vicissitudine sortes omnium inæqualiter versante sibi sit timendum aut sperandum? Spem metus præcedit aut sequitur, & vtriusq; grauis affectus efficit auidos diuitiarum, quæ sunt boni consequendi, & propulsandæ calamitatis commune medium. Hæc vna pariter illustrium & vulgi mentes implet cupiditas, maxime rerum spiritualium, ad quas nascimur detrimento. Vnde Christus Dominus Luc. 12. monet Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manduceris & quid induamini, hæc enim inquirunt gentes, scit autem pater vester quia his indigetis, &c. Hæc anxia sollicitudo capitale vitium est, in hoc quod hominem efficiat de suis viribus & industria plurimum confidentem, parum aut nullatenus de paterna Dei bonitate, cui sic contumeliosus est, & creaturis omnibus mire prouidentem, ipso fidei defectu à cura sui facit alienum, vt dum se deseri putat, mereatur.

MAGNITVDO. Vaga & in vacuum immensum est dispersa cogitatio, quæ futuris contingentibus extra mentis nostræ captum positis, incertis, infinitis ordinem putat dicere; venientibus prosperis vel aduersis occurrere gratulabunda vel armata manu. Quis qualitates præuideat eius quod nondum est, & de quo hoc vnum est certum, de futura sua existentia vel conditione, nihil certò dici posse? Vt quid igitur te torquet vana de futuris sollicitudo? vis ad vtriusque sortis casus omnes paratissimum fieri, bonus esto; vnum sit tibi propositum adhærere Deo, quo cum nihil sit sublimius, nihil stabilius, nulla te valebit in solescens extollere fœlicitas, nulla calamitas deprimere.

DVRATIO, Nusquam est, quo consistat non habet, qui per hæc imaginaria spatia vagus transfertur; futuri spe vel metu amittit præsentis curam & fruitionem. Scribis in aquis & in aëre, quibus perpetuo fluxu manantibus, nihil manet, nihil subest quod intentos à te caracteres excipiat & reddat. De his mille coniecturis quas auguratur, ponderat, connectit animus, nulla forte iudicio tuo respondebit, sic frustra laboras, pretiosum tempus rerum æternarum meditationi; desideriisque sacrum, profundis. Sufficiat diei malitia sua.

POTESTAS. Sic in ambiguis menté detinere, quid est nisi pasci contumelioso ignorantiæ & impotentiæ suæ spectaculo? debentur animi tui vires nascenti rerum occasioni, vt opportunitate captata fœliciter succedant. Hæc sunt intra positos iurisdictioni tuæ limites, at ius tibi non conceditur in futurum.

COGNITIO. Prudentiæ quidem licet de agédis habere consilium, seligere media pro finis consequutione meliora, contra vim hostilem præmuniri, & sic vltra præsens aliquid conijcere de futuro, tunc tamen cogitationes non exeunt in infinitum vagæ, sed illis limites ponit rerum de quibus agitur certa conditio, exemplaris præteriti memoria, vrgentis actionis circum pedaneumque iudicium. Semen terræ committit agricola præscius autũnalis humiditatis qua turgebit, frigoris quo repercussum altius aget radices, tandem caloris qui germen in herbam, herbam in fructum, fructum ad maturitatem suis temporibus adducet. His & similibus prouidentia sic certas dixit leges annuis probatas experimentis, vt futurum velut pręsens videri possit, sic rectam viam pede terendam, quasi iam occupauerit, prævidet & metitur oculus.

VOLVNTAS. Alitur amor spe suæ fœlicitatis, futuræ quidem, certæ tamen, nec vago circuitu fatigantis animum, sed anticipata quadam sui

Digitized by Google

fruitione replentis. Naturæ desideria vt legitima, sic finita sunt, ex opinione nascentia, quo desinant, non habent; talis est auari vel ambitiosi cupiditas inexpleta, quæ bonis alienis inhians, animo versat casus omnes, quibus fortunæ comes industria, hæc possint in manus suas adducere. Vt id fiat passiones omnes iniquissimas habet in procinctu, & si non actu, saltem votis, ad conatum vsque deductis, præuaricatur.

VIRTVS. Sapiens fixo in bonum proposito, arcem sibi constituit hostibus inexpugnabilem; quid possint, quid velint moliri curiosius, non explorat, sufficit secura se positum statione, quę nec inuadi, nec lædi possit. Concutiantur malorum & dæmonum coniuratis viribus mundana, stabit inter hæc sui compos & immotus sapiens; nihil sperans, nihil timens à caducis, totus hæret Deo, cui cum paratus sit in omnibus obsequi, tota simul illi voluntate consecrata, futuros euentus non inquirit, non discernit, quia qualescumque sint, decernenti vel permittenti Deo placidus annuit, & quidquid contingat id antiqua præuenit conformitas.

VERITAS. Ciuilem hominem impensius de futuro sollicitum, videre licet vt arundinem vento agitatam, nam toties antiqua refricat, noua fingit consilia, à se semper alius, quoties qui regunt consultò sparsis rumoribus illudunt populis, & falsa pro veris disseminat. Si totus mundus histrioniam exercet, quale spectaculum ęgris excipiendum cogitationibus homini de futuris nimiū sollicito cum opus habeat, prout actores scenæ versatilis faciem, laruam, vestem mutauerint in diem & horam noua meditari consilia.

GLORIA. Pendebit miserè sollicìti quies ab arbitrio fortunæ, à potentiorum sæuitia, dolis hostium, rumore populi, quo nihil vagum magis & inconstans. Ergo ne sic mens spiritualis, & immortalis sequitur sortem fortuitorum, & inordinatis concutietur motibus? Plura cupit, qui plura possidet, & multa cupientis anxia nimis est sollicitudo quæ mentis pacem & tranquillitatem omnem conturbat.

DIFFERENTIA. Olim vulgatum est gladiatorem in arena capere consilium, & præsentem tantum cum rebus ipsis fœliciter deliberare, quid igitur de tam longè dissitis sollicitus iudicas, quæ cum sint possibiles, fortassis nunquam erunt futuræ; vel si contingant, alia facie, aliis apparebunt distinctæ circumstantiis, quibus nouo prouidendum erit consilio. Sic præcoci & immaturo frustra te torques. Expectanda rerum certo suo quodam ordine venientium conditio, vt illis opportunè modisq; congruis occurrat versatilis prudentia.

CONCORDANTIA. Sibimet ipsi conciliatus sapiens, amicus sufficiens parum tendit ad externa, nec nisi cum vrget præsens necessitas, illis præbet auditum, æternis sibique semper intenta mens, absit igitur vt hæc deiecta, mutabilia, vana negotia cogitatione præueniat, quæ vix dum irrumpunt, admittit.

CONTRARIETAS. Qui de futuris tam importunè consultat, hostiliter in se conuersum gerit animum; seclusa tranquillitate, perpetuis aditum præbet incursionibus & lento se conficit supplicio. Furoris quædam species est hæc anxietas irrequieta. Externa qualibet calamitate sęuit cum interna sine remedio conuellat & deuastet.

PRINCIPIVM. Hic agimus infantiam ætatis plenitudinis Christi, nondum intelligentes quid nobis conueniat. Cur igitur res nostras fidentes non committimus paternæ curæ Dei, qui futurorum præscius, illis solus potest præsentia contemperare? Rationi pro viribus agenti propitius aderit, opportuna suggeret consilia, quibus nundum maturis negotiis mentem onerat, hæc igitur cum occasionibus sunt expectanda, nec præcipiti conatu rebus ipsis anteire cæca mens præsumat.

MEDIVM. Optima quidem rebus fœliciter peragendis, diligens earum inquisitio, dum tamen in futuris nimium non sit sollicita, hęc enim mentem non dirigeret, sed confunderet in mediorum electione, versaret in contraria nunquam sibi constante iudicio, quia pendet ab irregulari fortuitorum collisione; nihil videt oculus quem circumfert citissima capitis vertigo; nihil expresse refert speculum quod assiduè moueas; nihil rectè scribes in charta, quam aliena manus exagitat; profert & retrahit nullo ad formandos caracteres dato spatio, & quale potest esse iudicium de futuris, variè præter opinionem contingentibus cum ab internis, vel externis occultis causis pendeant, quas casus & fortunæ titulo significamus.

FINIS. Qui sibi legitimum hunc in agendis proponit finem ad rationem & legem Dei viuere, certo semper rectoque procedit gradu nihil de futuris sollicitus, quia quidquid inciderit prosperi vel aduersi in suum colorem trahit, Deum enim diligentibus omnia cooperantur in bonum; at qui fortuita sectantur, de his oportet illos esse sollicitos, sic pendent, sic inter mediorum & finis congenerem malitiam, concutiuntur, pereunt, ipsa sua deordinatione iam miseri

MAIORITAS. Meliorem partem non elegerunt qui sic inquieti turbantur circa plurima. Hæc quæ tanta mentis contentione sectantur sæpè saluti nostræ consulens diuina prouidentia subtrahit, & hac diæta sanat innatas nobis cupiditates. De temporalibus abdicandis Christus dat in Euangelio consilium illud, implent perfectionis amantes, & ad cœlestia viæ ducem alacriter exonerati sequuntur; Quid, ô mortales, sic estis solliciti pro terrenis, quæ veritatis magister Christus docet procul abijcienda, quæ sapientes aliis possidenda relinquunt, quæ sinceris mentibus ad suprema tendentibus sunt oneri. Cogit quidem ipsa vitæ ciuilis necessitas ad externorum bonorum acquisitionem & conseruationem, sed id fieri potest circa nimiam sollicitudinem, & iusto labore cui semper aderit diuina prouidentia. Virtus omnis excessu degenerat in vitium, in temeritatem fortitudo, in prodigalitatem liberalitas, in superstitionem religio, in imprudentiam & se torquentem stultitiam, anxia nimis futuri sollicitudo.

ÆQVALITAS. Antiqua & Christiana Philosophia semper habuit externa bona, inter ea quæ sunt ad fœlicitatem indifferentia eorum igitur inquieta & in futurum late prospiciens sollicitudo plurimum detrahit de Christiani professione, mentem enim mouet, exagitat, de tranquilla sua sede deijcit, Deo sacram implicat, subijcit temporalibus, & auertit ab ęternis.

Digitized by Google

MINORITAS Quæruntur de naturę crebris infirmitatibus rationi mentique toties infidis, illas tamen aduocant & augent ii quibus placet ingens de futuris sollicitudo. Talibus non sufficit aduersis dum ingruunt exagitari, hæc metu præoccupant, non expectato conflictu cadunt; ante diem miseri in ipsamet abundantia, pauperes.

Aquila Ponticus de Astrologo factus Christianus, non desistens à superstitiosa natiuitatis suæ inspectione, eiectus est ab Ecclesia velut inutilis ad salutem. Id agrè ferens factus est Iudæus, & linguam Hebræam discens, conatus est peruertere testimonia de Christo, Baron. an. 137. numer. 8. & 9.

Vide Cognitio Contrarietatis. Nimius futuri mali metus.

A Sacerdotio excludebantur magno & protenso nimis naso.

Odit Dominus obseruantes vanitates superuacuè. Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.

ÆLOQVENTIÆ *contemptus.*

CVm Athenienses magnam Sophistarum in dicendo argutiam viderent, eos iudiciis prohibuerunt, quia Iustitiam violarent. Philostratus. lib. de vitis Sophistarum.

Germani maximè Mercurium colunt, qui certis diebus, humanis quoque hostiis litant. Tacit. lib. de morib. German. Eloquentia sæpe fundit innoxium humanum sanguinem.

Tunc res Ecclesiæ floruerunt, cum non floreret eloquium, idemque videbatur præstigiatorem agere, & corporis flexibus spectatores ludificari, qui noui quidquam ac curiosi de Deo diceret. Simplex contra ingenuaque oratio atque doctrina pietas existimabatur S. Gregor. Nanzia. orat. 21. numer. 10.

Simplex est oratio veritatis: est enim opportuna per se; contra sermo iniustus, cum æger in seipso sit, pharmacis indiget astutis. Vtere iustis; exiguus vincit magnum. Sophocles.

Non refert cuius patriæ & linguę sint artifices, dummodo artem quam profitentur optimè calleant, agriculturam, nauticam, sutoriam, picturam, &c. Ita sufficit homini Euangelico si habeat scientiam sanctorum & artem conuertendi animas, etiam sine vsu receptæ eloquentiæ Theodoret. serm. de fide *Vide Cognitio Virtutis. Rep.* Latens virtus.

Vide Veritas Virtutis. Repug. Affectatio nimia & Maioritas Medii.

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Contra veritatem plurimum possunt affectus, vomitc doctrina & facundia, quia quidquid volunt ingeniosi probant, & placent, quia per ornamenta mentiuntur, eloquentia fallit. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Latens iniuria.

Qui nimio verborum cultui dediti sunt, imitantur Odontomantes Thraciæ populos, qui se leuigabant, pilis nudabant, & pudendis etiam abcissis Suidas in voce ἀποτείαιτ.

Draco bisulcam habet linguam, sic orator.

Cum in antiqua lege præcipitur nihil mellis adoleri in sacrificio Domini; doctores intelligi volunt Philosophicum tumorem & ciuilis eloquentiæ lenocinia, voce quidem non re prædulcia Rhodigin. lib. 6. c. 1.

Meretricis Babylonicæ calicem aureum, intellige, inquit Origines, dogmatum prauorum verba pestifera, eloquentiæ cultu decora. Id. lib. 8. cap. 11. Verba hęc sunt imbres odorati. fiebat enim sparsio liquoris odorati in spectaculis. Id. lib. 26. cap. 6.

Gregor. Nyssenus lib. 1. contra Eunom. non vsum se dicit elaborata eloquentia, & dialecticæ subtilitatis argutia, hæc enim veritatem in mendacii suspicionem apud imperitos traducunt. *Vide Veritas Virtutis. Repug.* Affectatio nimia.

Origen lib. 6. contra Celsum respondet irridenti canonicos scriptores sine ornatu loquentes; dicit eos id ex industria fecisse, vt ad omnium captum fructus illorum pertineat, nam qui eloquentiam in scribendo consecuti sunt, videntur non nisi doctorum rationem habuisse, rudes plebeiosque contempsisse. Idem Philocaliæ cap. 4. sub tenui & contempta locutione latentem esse ait arcanorum splendorem dogmatum, adeo vt quasi thesaurum habeamus in vasis fictilibus; vt luceat sublimitas virtutis Dei, nec à nobis hominibus esse creditur. Vide titulum proximè præcedentem.

Potest tamen vsurpari eloquentia in sacris. *Vide Gloria Veritatis.* Sacra eloquentia.

Mundanis scriptoribus tota cura de verbis est, nostris de rebus. D. Aug. lib. cont. Adamant. c. 11.

Non est Philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum; non in verbis, sed in rebus est Senec. epist. 16.

Thomas Morus Vtopiæ Reipublicæ lib. 2. refert exclusos ab ea causidicos qui affectata eloquentia fucum legibus & iudicibus faciunt, causam suam quisque agit, & refert iudici quæ narraturus erat patrono: sic iudex facilius elicit veritatem & simplicioribus ingeniis opitulatur.

De contemptu eloquentiæ & poetices. *Vide Minoritas Gloriæ.* De mortificatione auditus.

Vbi fucus est, ibi turpidinis formæ præsumptio est, ideo sacra scriptura ornatu rethorico non procedit vt præsumptionem de falsitate refugiat. Tostat. Gen. fo. 11.

Quęcumque humus emittit, viator obiter vario sensu intuetur, sed Agricola sano iudicio spectat quem ferat fructum, quod ex eo sperare potest emolumentum; Placet transeuntibus sermonis volubilitas & ornatus; sed dic in eo quos videris, quos decerpseris fructus, qui fœcundi possint alios relictis seminibus producere. Miscent medici aliquid voluptatis dolori curationis, sed qui omnigenam voluptatem ęgris indulgeret, non esset medicus sed coquus, sic qui solam in sermone quærit voluptatem turpitudinis per sensus conciliatricem. Maximus Tyrius Serm. 15.

In theatris animus non dicentis vestem, sed poemata respicit in rustico vt in principe spectanda. Id. serm. 37.

Vide supra hoc titulo. *De nimia curiositate prædicatori vitanda.*

Interpretes non debent affectare eloquentiam ne fiant obscuri. *Vide Medium Veritatis.* Alia veritatis media ex D. Hieron.

Tantus error est in omnibus studiis maximè in eloquentia, cuius regula incerta est, vt vitia quidam sua & intelligant & ament. Seneca. lib. 9. controu. 6.

Digitized by Google

MENTIS HEBETVDO ex nimia lectione.

ANimalia creata sunt post plantas & post luminaria, quia non potuissent sustinere lucem nimis splendidam, antequam fuisset diuisa & luminaribus per partes distributa, sicque infirmior effecta. Theodoret. in Genesim quæst. 16.

De legendi modo. Seneca epist. 2.

Abderitæ per epistolam aduocantes Hypocratem vt sanaret Democritum ciuem suum præ nimio studio in stoliditatem & amentiam penè lapsum, dicunt. Heu vt etiam boni redundantia morbi existunt; quantum enim Democritus ad summam sapientiam generosè peruenit, tantum nunc pariter periclitatur, ne mentis stupore & stoliditate affligatur. Hipocr. epist 10. B

Id significat fabula Promethei qui ignem cœlo raptum, Idest sapientiam hominibus distribuit, sed nimio studio consumptus Rodigin. lib 7. c. 20.

Saturnus dictus est filios deuorare quia hebescunt & pereunt, sæpius ingenia ex nimia contemplatione. Id lib 1. cap. 20.

Ex alto in imum respicientibus tentatur vertigine cerebrum & oculi caligant, idem contingit his qui periculosa contemplatione se cœlestibus inserunt, non est illis stabile lumen, raroque vt cæteri vident, qui cæteros in depresso reliquere, vt ex altiori videant. C

Empedocles Philosophus Siculus volens inuestigare vnde prouenirent globi ignei in monte Æthna, accessit propius, & ab igne & fumo erumpente suffocatus est. Tostat. de statu animar. fol. 11. c. 4.

Idem euenit Plinio. cuius vide eloquentem historiam à Plinio nepote conscriptam, quæ est in præludio naturalis historiæ. Hi vitam, multi mentem ex nimia curiositate amiserunt. *Vide Maioritas Medij.* Noxia cibi abundantia.

Illabente nouo victu statim clauditur pylorus, alias nouus cibus ac crudus vna cum chylo elaberetur qui in excremento apparet tanquam ab affectu cœliaco partus. studiis studia superingesta mentis pariunt confusionem. D

Necessarium est scire quid sit omittendum aut cognoscendum; multitudo enim confusionem parit, paucitas impedit ne omnia apprehendamus. Cardan.

ARTES DIVINATRICES prohibitæ.

VIde Hierem. 5. Osée 4. Galat. 4. Colossens. 2. Ioan. Picus Mirandulanus scripsit 12. libros contra Astrologos. E

Gerson to. 1. & 4. De diuinatione Dæmonum, D. August tom. 3.

De dierum vana obseruatione. Gerson to 1.

De Magicæ artis erroribus. Gerson to. 1.

Dæmon mala quæ facit hominibus, imputat astris. *Vide Contrarietas Virtutis.* Dæmonum tentatio.

Concilio Venetico Galliæ. can. 16. Clericis prohibetur, exercere diuinationes quas vocabant sortes sanctorum sacrarum scilicet scripturarum

A fortuita inspectione.

Astrologi pendebant olim Alexandriæ tributum; quod dicebatur stultorum, eo quod à stultis consulerentur. Suidas in voce *βλακενμιον.*

Heu vatum ignara mentes. Virg. 4. Æneid.

Sacrificium voti consumi debebat secunda die, & non in tertiam diem reseruari. Leuit. 7. Licet scire præterita & præsentia, non futura, hoc est sapere ad sobrietatem. Origen. homil. 5. in Leuit.

Dæmones dirigebant, auium, sortium, & similium rerum ad diuinationes pertinentium motus. Non vult Deus auditores nos fieri & discipulos dæmonum, Melius est enim ignorare, quam à dæmonibus discere; Vnde diuinatio, non vt quidam putant diuinitus datur, sed magis per antiphrasin, idest ex contrario nomen accepit, quasi quæ per homines dæmoniis repletos fiat. Sed gentilium ritus, diuinum credit omne, quod per qualemcunque spiritum profertur. Id. homil. 16. super Numeros. Vnde augures solent augurari per animalia immunda & rapacia, humano generi insidiantia, vt sunt dracones, lupi, vultures, aquilæ, & hæc sunt magis opportuna ministris dæmonum. Ibid.

Seraphim duabus alis velant faciem Dei, duabus pedes, duabus volant. Isay. 1. Exordium Dei ignotum est; nouissimum quod in Deo nostro est non comprehenditur; sola enim media videntur; ante ista quæ fuerint nescio, post ista quæ futura sint, ignoro; dicit Ecclesiastes, Annuntiate mihi priora & nouissima quæ erunt, & dicam quoniam dij estis. Origen. homil. 1. in Isay.

Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Psal.

Deus Angelos nec beatos nec miseros creauit, nec præscientes quid de ipsis esset futurum, si enim id mali sciuissent non peccassent. Magist. sententia. lib. 2. dist. 4.

Apud sapientem maioris momenti sunt Eclypses animorum, quam syderum; quomodo emergat, occidat, redeat ratio, eius est ad publicam vtilitatem nosse.

Quidam irascuntur Astrologiæ, sicut malorum nuntiis dum lætantur.

Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria eius. Psal.

Bulla Sixti V. an. 1587. permittit tantum Astrologiam Indiciariam in Medicina, Nautica, Agricultura, in cæteris prohibet.

Sponsiones factæ super morte aut electionibus aliorum sunt illicitæ. *Vide Minoritas Cognitionis,* Casus, alea.

ALIENIS NON SE immiscere negotiis.

ABbas Machetes traditas sibi parentum litteras, fasciculo non aperto eas in ignem conjecit. Ite: inquiens, cogitationes patriæ, pariter concremamini, ne me vlterius ad ea quæ fugi, reuocare tentetis. Cassian. lib. 5. cap 32.

Procurator, etsi maritus sit, id solum exequi debet, quod procuratio emissa præscripserit. L. 4. Cod. Theod. de cognit. & procurat.

Non licet thesaurum quacumque ex causa, non si attendatur metalli qualitas, & reperti modus in alieno fundo quærere, l. 2. C. d Theod de thesaur.

Qui se immittunt in palatium, eiusque scrutan-

tur secreta, quæ postea annuncient, & in alienas etiam rescribunt prouincias, capite plectuntur; dicit enim scriptura, Secretum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei honorificum est reuelare. In legib. Longobardor. lib. 3. tit. 16.

Magistri castrorum, & eorum officiales prohibentur extra territorium egredi sine licentia Principis, vt non immisceant se rebus ad suum officiũ non pertinentibus. Constit. secular. lib. 1. tit. 81.

Nihil hominibus adeò suaue ac iucundum est, vt de rebus alienis sermonem habere, idque præsertim, si vel beneuolentia quadam vel odio trahantur, à quibus veritas plerumque suscipi solet. Gregor. Nazianz. orat. 1.

Peregrinus non debet esse in aliena Republica curiosus, can. Leges. 3. q. 6. Ideo exteri in regimen non admittendi. *Vide infra Concordantia Differentia.*

Christus reprehendit Petrum de Ioanne quærentem, Hic autem quid? Ioan. 21. Caue ne in multis sint actus tui. Eccles. 11.

Est species maleficii quo inuestigantur hominum absentium secreta.

In fluctibus palpitanti qui manum porrigit, simul cum eo perit.

Exod. 25. duo Cherubim respiciunt mutuo versis vultibus in propitiatorium; non in se.

Dicebat Abbas Arsenius. Peregrinus Monachus in alia prouincia habitans, nullis rebus se medium faciat, & quietus erit. V. Patrum.

Si petis à proximo tuo pignus, non ingredieris domum eius, sed foris stabis recipiens quod tibi obtulerit. Deut. 24. Idest non debes curiosè scrutari interiora proximi, sed facilem te præstare ad credendum his quæ dicit. Rupert in Deut. lib. 1. cap. 31.

Nunquam quærendum quod inuentum molestiam afferet. Placita quærenda, acerba prætermittenda, quæ obuia tristitiam afferrent.

E medio mari non videtur terra, & è medio terræ non videtur mare, vnusquisque suis intentus aliena non curat.

Ocium à rebus alienis, est planta quæ in academiis nascitur.

Cum aliis malis, nescio quomodo humanam naturam subiit morbus superuacaneæ indagationis, & importunæ curiositatis; quem Christus quoque castigauit dicens. Non iudicetis, vt non iudicemini. Matth. 7. Quod quidem nullam habet voluptatem, vt cætera peccata, sed solum pœnam & supplicium. Etenim cum ipsis simus repleti malis immunerabilibus, & trabes feramus in oculis, peccatorum vicini, quæ à festuca non differunt, exacti sumus examinatores. D. Chrysost. homil 11. in 1. ad Corinth. *Vide Magnitudo Virtutis.* Benè iudicare de proximo.

Aperto pariete seu proprio, seu communi, non licet fenestram immittere, sed cæcus manet paries, nisi sit seruitus luminum. l. eos ff. de seruit. præd. vrban. hęc seruitus solet esse vitri dormientis, per quod datur aliquod lumen, sed ob spissitatem vitri, non est in vicinum prospectus.

Repugnat bonis moribus quod aliquis intret in domum ignotam, priusquam quid clamet.

In antro Triphonis grçciæ qui ingreditur & excubat, fit in posterum sibimet ipsi vates & interpres. Dæmon Socratis monebat tantum eum de rebus suis priuatis, vt ditiorem præ cęteris animum haberet, vitam suam ad honestatem dirigeret, in alienis negotiis sine inuidia; Ita non prædicebat exitus, bellorum, certaminum, dignitatum, cum tamen vt Diuinus id posset. Maximus Tyrius serm. 26.

S. Greg. Nyssen. in vita S. Greg. Thaumaturgi laudat eum, quod in solitudinem se recipiens, nihil de rebus humanis, de publica administratione, de magistratu inquirebat, solum curans vt animus virtute perfectus euaderet, per vacuitatem humanorum affectuum.

Agens singulare propriis intendit, alienis se non immiscet. Vide quæ scripsi de iure Naturali lib. 2. lege 7. §. 1. Potest tamen sapiens oculos aliquando conuertere in ea quæ fiunt in mundo velut in spectaculum vanitatis & compassionis. Moral Christia. to. 2. parte 2. cap. 9. de Religioso. Vide Gloria virtutis, quieta & solitaria virtus.

Quam dabit homo permutationem pro anima sua. Math. 18. animum peccaris, corpus morbis si laboret, externa non sanabunt pro ipsis substituta, noli igitur de alienis curare, & tua negligere, velut qui metallorum operi traditi sunt, vnde nullum illis emolumentum. De Chrysost. hom. 56. in Matth.

Caue ne quasi fidelis & famosus tuorum quondam dispensator, alienam pœcuniam distribuendam accipias: Intelligis quid loquar, dedit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. D. Hieronymus ad Paulinum de institutione Monachi. posset enim esse suspectus, non fidelis distributionis.

Orionus quidam quem sanctus Hilarion à dæmonum possessione liberauerat, in gratiarũ actionem obtulit sancto magnam pecuniæ summam respuenti, ne incideret in crimen Giezi, & gratiam Christi videretur vendidisse, dixit, accipe & da pauperibus: At ille, Tu melius potes tua distribuere, qui per vrbes ambulas & nosti pauperes. Ego qui mea reliqui, cur aliena appetam? D. Hieron. in vita S. Hilarion.

Electionem S. Pontificis tractantes alio viuente, pœnas incurrunt contentas in Pauli 4. const. 16. pag. 600. to. 1. Bull.

Impetratio beneficiorum obtenta à viuente, post eius mortem nulla est & inualida. Paul. 3. const. 28. p. 341. to. 1. & reg. 50. Cancell.

Digitized by Google

priam & aliorum maiorem ædificationem. Lumen fidei est vt lumen auroræ, lumen gloriæ est vt lumen meridianum. A

Qui rationes quidditatiuas purè nudas possunt contemplari, assimilantur hominibus in montibus eleuatis purum aërem inspicientibus: qui verò non possunt propter ruditatem ingenii, assimilantur stantibus in valle, cum aëre caliginoso. D. August. lib. 9. de Trinit. c. 8.

Apprehendere est attingere operatione intellectus aliquod obiectum: comprehendere autem est attingere tale obiectum adæquatè, quantum in se est attingibile, & sic nulla creatura cum sit finita, potest Deum infinitum comprehendere.

Tres sunt regiones sapientiæ, 1. in qua ipsa reperitur, vt est æternaliter, 2. in qua reperitur in perpetua similitudine, vt sunt Angeli. 3. in qua temporali fluxu similitudinis lucet à remotis. Cardinal. Cusa. lib. de venatione sapientiæ. B

Inde sacra faciebant Soli circa meridiem. Rodig. lib. 29. cap. 4. tunc enim creatus fuit Sol.

Si quando vox diuina diuinitus datur; non ad omnium aures, sed ad quorum interest auditus allabitur, vt cognoscat sonitum non linguæ pulsu editum, alioquin fieret communis auditus, sed superni nutus moderamine gubernatum. Origen. Homil. 3. in Genes.

Ii quibus arcana mysteria credidit Deus, & occultorum prouidentiæ suæ iudiciorum secreta commisit, arca testamenti Dei appellentur: Qui meruerint multitudinem scientiæ, & abundantes diuitias in agnitione Dei, Cherubin intelligi possunt. Cherubim namque in nostra lingua multitudo scientiæ interpretatur. Id. homil. 5. super Num. C

In futuro sęculo nemo erit imperitus, erunt tamen peritiores qui hic disciplinis fuerint imbuti. Idem Homil 5. super Psal. 36.

Qui originalem legit librum mundi, emendare potest exscripta etiam exemplaria.

In materia tenui magis lucet calor quàm in dēsa, sicut in flammis magis quam in ferro, & in purioribus magis quam impuris. Sic in abstractè consideratis certior est cognitio. D

Aristot. lib. de partib. animal. cap. 5. dicit esse duo genera substantiarum, quædam diuinæ & incorruptibiles, aliæ quæ ortum & occasum patiuntur, harum maiorem habemus notitiam, sed minor cognitio excellentium magis nos afficit vt pauca ex his quæ amamus videre gratius est, quam res alias plurimas.

Sensus, imaginatio, ratio, intelligentia aliter rem intuentur, sensus figuram in substantia materiali constituta; imaginatio solam sine materia iudicat figuram; ratio verò hanc quoque transcendit, speciem quoque ipsam quæ est in ipsis singularibus vniuersali consideratione perpēdit: intelligentia verò celsior oculus existit, supergressa namque vniuersitatis ambitum, ipsam simplicem formam pura mentis acie intuetur. D. Tho. ex Boëtio 5. De consolat. prosa 6. E

Adam sciens omnia sibi necessaria, in non necessariis poterat perfici ab Angelis & illuminari. Tostat. in Genes. fo. 178. c 4. fo.

Qui aurum effodiunt, eius naturam probè non agnoscunt, sed qui illud igne purgant; Maximus Tyrius serm. 1. non scolastici sed contemplatiui mysteria benè possunt assequi sapida scilicet scientia.

DIVINATIO ET PROphetia.

DVplex habemus corpus, elementare & sydereum, vbi hoc aptū ab astris inuenitur, & ipsa astra præparata sunt, puro homini & sobrio, res mirabiles de præteritis, præsentibus & futuris reuelantur Ita sępè vaticinantur senes & fœminæ, nullis artibus instructi; ambitio enim, seu sapientia vltronea, operationem firmamentalem impedit, & astris reluctatur. Ideo firmamentalis operatio euenit tantum illis, qui locum cedunt astris Paracelſ. lib. 1. Sagacis Philosophiæ. Idem asserit Albert. Mag. lib. 3. de sōno & vigilia. c. 7.

Simonides dicebat Deos inuidere hominibus scientiam futuri, ideo velare eam sub metaphora & deceptione. Albert. Mag. lib. 3. de somno & vigilia. tract. 1. cap. 2.

Ex diuinatione prudentia agenda instituit, medicina medetur.

Rebecca sentiens in vtero suo pugnantes pueros, sortes eorum quærit à sacerdotibus. Gen. 24. & Theodoretus in Genesim quæst. 76.

Plato in Phædro dicit, quæ in Delphis prædicunt Vates, & quæ in Dodona sacerdotes, furentes quidem multa & magna commoda priuatim & publice Græcis hominibus attulerunt, sanæ vero dum sunt exigua aut nulla. Ibid. in Phædro, & libris de Republica, mancam esse dicit Rempublicam, quæ diuinandi artes non haberet, quas reponit in numerum scientiarum.

Isai. 3. Deus Iudæis ob peccata sua sic minatur, Auferam à Iuda validum & fortem, Iudicem & Prophetam, & ariolum, & senem, &c.

De aruspicibus Cicero. Orat. 38.

De Pythonissa. Gregor. Nyssen.

De somniis. Synesius apud Ficin. tom. 2. Albert. tom. 9. Cardanus. De sortibus, D. Thom. Opusc. 25.

In hoc mundo in quo bonis mala permixta sunt, gaudet homo scire futura, vt spei suæ blandiatur, & metum torquentem temperet. Hinc tantæ circa diuinationem superstitiones ex antris vt plurimum. quasi rei reconditæ.

Apud Colophonios & vrbe Claros erat celebre Templum Apollinis, & ibi aqua ex qua qui bibisset, futura prædicebat, sed fiebat vitæ breuioris. Pausa. in Achai.

Indi non solebant prædicere singularia, sed publica pro bono communi, qui ter aberrasset in perpetuum silebat. Diod. lib. 2.

Apud Ethnicos sacerdotes ex libris Sybillinis & Astrologicis vaticinabantur; vti Romæ in Tēplo Appollinis in Vaticano, vbi nunc est Ecclesia sancti Petri, & alibi per orbem vates erant, sicut ex Prophetis sapientes sacerdotū Hierosolymis; Templū enim ibi à Salomone ędificatū, non fuit aliud, quam locus pro visione occultorum mysteriorū Dei, vbi Deus Deorū Dominus loquebatur, quem Princeps sacerdotum consulebat. Card. Cusa. excitatio. lib. 9. cap. 3.

Quia res humanas versat diuina prouidentia, & incertas efficit voluntatis humanæ vaga libertas, nulla Respublica vt bene regetur contenta fuit humana prudentia, quæ timida est & incerta, vt dicitur Sapient 9. sed futurum inquisiuit variis modis Astrologia vt Chaldæi, numeris

fatalibus, vt Pythagorei, aliis vaticinii modis, tandem Prophetia, diuinisque oraculis. Campanella. Futura volentibus scire, respondet Deus ipsemet per mala media. *Vide Virtus Medii Rep.* Quando licet vti malo medio.

Pythagoras dicebat omnem diuinationem esse honorandam. Suidas in voce Pythagoras.

Hetrusci præstabant in obseruandis noscendisque auguriis & ostentis; vnde, inquit Cicero, bene apud maiores nostros Senatus decreuit, quando florebat imperium, vt de principum filiis sex, singulis Hetruriæ populis in disciplinam traderentur, ne tanta ars propter tenuitatem hominum à Religionis authoritate abduceretur ad mercedem & quæstum. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 10. c. 7.

Eius Hetruscæ disciplinæ originem *Vide Principium Cognitionis.*

Semper homo dum viuit, causis aliquibus, imo pluribus commiscetur, quas cum sentit imminentes, etiam effectibus cœli cognoscere poterit, anima enim nostra tanquam speculum. Cardan. lib. de rer. varietate cap. 44. Tria sunt somniorum genera, à cibo, ab humore, à causa superiore.

Ibid. cap. 60. Dicit diuinationes quasdam fieri per Geomantiam & alias vanas obseruationes, quia mouent animam ad veritatem dicendam, intentam atque idoneam diligentius, vimque illius ad amussim exactè excutiunt, vt sint potius irritamenta, quam rationes diuinandi; exponunt enim animam benigno Veneris syderi, quod more facilium hominum arcana reuelat.

Tripodes quibus insidens Sybilla prophetabat, significabant tempus præteritum, præsens & futurum de quibus fieri potest quęstio. Rodig. lib. 8. cap. 15.

Diodorus Sicul. Bibliot. hist. 16. dicit Delphis priusquam habitaretur fuisse antrum in quod ingressæ capræ, exultantes lasciuiebant, & voces insolitas mittebant; ingressus pastor ipse cœpit mente moueri & prophetare; cum plures similiter essent afflati, sed interirent constitit oraculi vim ex terra esse, ad quam excipiendam electa fuit virgo. Refert idem Rodigin. lib. 8. cap. 15.

Ob Delphici oraculi nobilitatem principes vndique magna conferebant dona. Rodig. l. 12. c. 13.

Augurium, est diuinatio ex auibus, ex earum scilicet vel volatu, vel cantu, vel gustatu.

Themistius homines loqui futura arbitratur, etsi nihil intelligant eorum quæ dicunt, quatenus ab intelligentia diuina mouentur. August. Niphus de auguriis lib. 1. cap. 17.

Illustratio mentis Propheticæ potest dici speculum ęternitatis, quasi per species illas repræsentans Dei præscientiam qui in sua æternitate omnia præsentialiter videt. D. Thom. in quæst. disput. q. 4. a. 2.

Prophetia est diuina inspiratio vel reuelatio rerum euentus immobili veritate denuntians Ib. de Prophetia. a. ii. o. 1.

Daniel vocatus est vir desideriorum, vt patet Danielis 9. quia desiderabat scire secreta populi sui & Messiæ. Tostat in Genes. fo. 34. 6.

Ardenter homines appetunt futuri cognitionem, 1. quia difficilior est, & videtur hominibus interdicta. 2. propter necessitatem & vtilitatem, nam sui amantes volunt sibi prouidere contra imminentia pericula. Idem. Genes. fo. 401.

Qui habuerit lunam in Sagittario vel Piscibus diuinabit etiam sine arte. Luna etiam coniuncta Ioui, vel Mercurio, diuinationem ex arte promittit. Cui Pisces & Sagittarius in nono loco fuerint, ille somnia habebit vera, maximè si Iupiter fuerit in horoscopo, & loco Iouis fuerit Saturnus, & in nona Capricornus vel Aquarius, videbit quidem multa sed falsa. Post Iouem Venus facit diuinare, tum etiam Sol maximè. Cardan. de Iudiciis geniturę. cap. 24.

Cum Sol & Iupiter nonæ præfuerint, ac in locis Mercurii, Lunæ, & ascendentis dignitatem habent, altero alterum respiciente, oracula vir ille proferet. Idem Aphor. sect. 5. aph. 20.

Innatum est omnibus hominibus desiderium futura cognoscendi. Vide quę scripsi in fati vniuersi Apologia. cap. 10. Diuinationes & prophetiæ probant immortalitatem animę. Theolog. natu. to. 2. parte 1. cap. 26.

Prophetię impleta sunt per natiuitatem Christi. Ibid. to. 4. parte 2. cap. 4.

Senes & mulieres sæpè diuinant, quia per sapientiam vltroneam non obstant operationi cœlesti & firmamentali. Paracelsus. lib. 1. Sagacis Philosophiæ.

SORS AVGVRIVM.

Leuit. 16. & passim diuisio hæreditatis fit per sortes, nam Prouerb. 18. contradictiones cohibet sors, & inter potentes definit. Sic Act. 1. Mathias eligitur in Apostolum. Vbi ex fide integra, & oratione præmissa sors ducitur, ea quæ Dei voluntas continet in occulto, sors hominibus declarat in manifesto cum dicit Apost. Col. 1. nos sorte in partẽ sanctorũ vocatos, idest occulta Dei voluntate sicut est occulta in sortibus. Orig. Hom. 23. in Iosue.

Vt augurium sumas debet obiectum ex insperato occurrere, & impetu quodam naturali pro augurio accipi, sic enim creditur stellam mouisse tum obiectum vt occurrat, tum mentẽ nostram vt pro augurio illud sumat, motus enim naturales motu cœlesti regulantur & diriguntur. Aug. Niphus de Auguriis lib. 1. cap. 5.

Apud Romanos nulli magistratus constituebantur nisi mouentibus auspiciis. Magistratus autem alii maiores habebantur, alii minores quod minores minoribus auspiciis crearentur, Gellius exponit. lib. 13. cap. 14.

Reuelatur peccatum Acham per sortes. Iosue 7. & Ionæ. Ion.

Deus permisit Iudæis sortes propter imperfectionem eorum, quia in dirimendis controuersiis minus concedebant rationi. Tostat. in Num. to. 2. fo. 82. Est autem sors duplex, vel diuisoria, vt inter diuidentes tollat litigium, vel consultoria, cum obscuram rerum aut factorum veritatem sortibus missis inquirimus. Sic Iosue c. 7. Quæsiuit quis tulisset de anathemate Ierícho, & inuentus est Achan reus. Saul quæsiuit quis ante tempus gustasset, & inuentus est Ionathas. Sic Ionas manifestatur causa tempestatis. Mathias sorte in Apostolum electus est; Zacharias pater Ioannis Bap. sorte incensum obtulit. Si sors per se mala esset, nunquã fuisset permissa. Tost Ib. f. 186.

Elegerat Deus Matthiam ad Apostolatũ, antequam darentur sortes & priusquam fieret mundus. Declarauit autem visibilis sors Dei electionẽ inuisibilẽ, quem elegit prædestinatio, perfecit sors,

Digitized by Google

Nemo tamen hoc Apostolorum exemplo ad Dei voluntatem cognoscendam in dubiis vtatur sortibus; Christianis omnino inhibitæ sunt, nec vsurpatæ ab Apostolis, ex quo Spiritus sanctus corda eorum repleuit spiritu intelligentiæ & consilii. In dubiis oratio sola commendatur, quidquid orantes petitis, credite & accipietis, &c. Laurent. Iustinian. Serm. de S. Matthia. A

D. Dionysius Eccles. hierarchiæ parte. 3. cap. 5. De illa sorte, inquit, diuina quæ Mathiæ diuinitus obtigit, alii quidem alia sensere, meo quidem iudicio non rectè. Aperiam autem & ipse quid sentiam. Videtur mihi scripturam sortem appellasse diuini quiddam, & præcipui muneris, per quod illi choro insinuaretur, qui esset diuina electione declaratus. B

De sortibus mittendis. *Vide Minoritas Cognitionis.* De his quę casu benè cesserunt.

De electione per sortes. *Vide Duratio Contrarietatis.* Mora & per interualla.

Conclauis ad electionem S. Pontificis cellæ, Cardinalibus sorte sunt distribuendæ. Pius 4. const. 63. §. 11. Bull. p. 98. p. to. 2.

S. Franciscus fortuita apertione libri Euangeliorum confirmat Bernardum nobilem Assis. in proposito relinquendi omnia D. Bonau. in legenda S. Francisci cap. 3.

DIVINATIO EX somnijs.

C

VBicumque humor in capite exuberat, spiritum animalem variis mouet modis. Itaque humore colerico infestatus somniat se præliari, caliditate vero arida, sitire, ac fontium proinde recordatur. Atra bile infestatus, dæmones ac monstrosa in somnis videt, cum modica ipsorum similitudine excitus, ipsorum notiones suscitantur totæ. Cum vapores in caput ascenderint, quibus spiritus supernatat, somniat volare, ac natare, si diuidant deorsum intercurrentem somniat cadere. Campanella. D

Quod dormientes & manentes in extasi cognoscant aliquando aliqua occulta, quæ non cognoscunt vigilantes, ideo est, quia tunc anima percipere potest influxum superiorum: nam substantiæ separatæ semper influunt, sed non semper percipitur earum influxus in animam, sed solum cum est aliquo modo disposita. Tostat. Matth. to. 7. fo. 191. est autem disposita, cum non agit per sensus. Ibid. fol. 193.

Diuinatio per somnia erat vnus ex 6. modis cōsulendi Dominum, de quibus *Vide Medium Veritatis.* Sic fiebat, qui rationabiliter desiderabat aliquid scire à Domino, ieiunabat & orabat aliquot diebus, deinde ibat ad dormiendum, & Dominus per somnium ostendebat ei declarationem dubii. Ita 1. Reg 18. dicitur quod Saul consuluit Dominum & non respondit ei nec per sacerdotes, nec per prophetas, nec per somnia. Id. defensorii 2. parte, fol. 10. E

Rebecca sentiens in vtero suo collidentes pueros, iuit in montem Moria velut in locum sanctum, in quo Abraham iussus fuerat sacrificare filium suum; & ibi vt consuleret Dominum victimam obtulit, super pelle victimæ dormiuit, & capiti suo supposuit laurum ad impediendas phantasticas illusiones. Idem Genes. fol. 2. 96.

Olaus magnus. lib. 3. cap. 13. plura refert exempla Principum qui in somniis certum augurium acceperunt de futura clade aut victoria.

Somniorum indagatio curiosa, multos facit insomnes.

Quidam ignotus mecum sine lingua & voce locutus est, qui nunquam ante fuit, nec postea erit, & quem non audiebam, nec noui. Hic erat apparens in somnis. Alcuin. hoc ænigma proposuit Pepino discipulo.

Pater Asellæ virginis somniauit se in vitrea phiala videre puellam. Eam natam & ante annos pubertatis virginitati consecrauit, flammeo virginali tectam. D. Hieron. ad Marcellam, de laudibus Asellæ.

Otho orator, cum illi in declamationibus deficiebat color, somnium narrabat rei prænuntium. Seneca. lib. 7. Contro. 7.

ASTROLOGIA cælestium corporum vires expendens, qualiter probanda.

PEr Angelos ordine naturæ nobis superiores, illuminamur, purgamur, & perficimur, sed cœlestia corpora, quia sunt inferiora agentia imprimere possunt in vires sensibiles, & alias organis affixas. Secundū verò quod motus vnius potentiæ animæ redundat in aliam, cōtingit, quod impressio corporis cœlestis redundat in intellectū quasi per accidēs, & vlterius in voluntatē & quia multitudo vt in pluribus sequitur inclinationes & passiones naturales, magis est probabile quod sequitur id ad quod inclinat corpus cœleste, potest sapiens id non sequi, sed rarus est. D. Thom. in quæst. disput. de prouidentia. q. 5. a. 10 in c. & ad 7.

Est aliquis effectus in corporibus cœlestibus qui non causatur ex calido & frigido, sicut quod magnes attrahit ferrum, & per hunc modum aliqua dispositio in corpore humano relinquitur à corpore cœlesti, ex quo contingit vt anima ei coniuncta inclinetur ad hoc vel illud artificium. Ib. ad 5. Astrologia à primis hominibus exculta propter agriculturam. *Vide Media Concord.* Agricultura.

Adam habuit omnem Philosophiam & Astrologiam, cognoscebat enim omnia naturalia cum suis proprietatibus. Tost. in Gen. fo. 16. c. 2. C. Memphis fuit ciuitas in Ægypto in qua primum studium totius orbis fuit, quod præcipuè floruit in Astrologia. Vnde dicti sunt Memphitici vates Id. Genes. fo. 4.

Mensa solis de qua Hieronym. in epist. ad Paulinum, quæ habetur in principio totius Bibliæ, erat magna mensa in qua Astrologicæ & Geometricæ figuræ describebātur à Philosophis. Id Gen. fo7.

In fine mundi cessante motu cœli, & in eius renouatione non manebunt animalia, plantæ sed homines & corpora cælestia. Tost. Matth. o 7. fo. 144. Velut propria hominis obiecta.

Abraham Chaldaicæ Philosophiæ scientia præditus, cum concinnum, aptum, ratum, constantem, certum, ordinatumque situm ac motum syderum animaduertisset, harum rerum cognitione tanquam scala atque adminiculo vsus est, ad superi boni contemplationem, sic rēputans quod si ea quæ sensu comprehenduntur sic se habent, quale esse potest quod sensum superat. D. Greg. Nyssen. in vita S. Grego. Thaumat.

Digitized by Google

Quales homines illi qui non frustra corpore tentarunt penetrare cœlos vt gygantes, sed viribus ingeniorum; sordescebat illis totus orbis inferior præ diuino illo domicilio, in quo non modo quid rerum in vniuerso geratur mundo, sed quid etiam futurum sit, posteris tradiderunt, tanquam naturæ antistites, consiliorumque eius participes, & qui Regum & Imperatorum opes, animo longè superabant. Lud. Viues. de initiis, Philosophiæ.

De pueris per Astrologiam electis, ab Alexandro. *Vide Bonitas Cognitionis.*

Moses festos dies omnes ab equinoctiis & noui luniis constituit, eos autem septenario omnes distinxit, vt numero & ordine planetas imitarentur. Cardan. in encomio Astrologiæ. Cœli motus ac tempora ita diligenter obseruauit, vt cum reliquæ gentes Diis propter astra cultum impenderint, ipse (quod magis conuenit) astris diuino verbo auctoritatem dederit. Ibid.

Dædalus quem volare finxeruut, fuit magnus Astrologus. Icarus verò qui cum patriam disciplinam non perfectè adeptus esset, in mare ignorantiæ præcipitatus fertur. Ibid.

Augustus nummum nota Capricorni, sub quo tam fœliciter se natum esse cognouerat, signari voluit. Ib.

Est quoddam supercœleste quod hominem ad diuinandum iuuat. Cardan. Aphoris. 22. sect. 1. Aphor. 22. Astrologia est altissima scientiarum, tum quia de cœlestibus, tum quia de futuris, quorum scientia non tantum est diuina, sed etiam vtilissima. Ibid.

Cum singularia ex generalibus constent, generalia autem astris gubernentur, vt aquæ æstus à luna, necesse est etiam, ex illorum mixtione vnumquodque singulare agi. Cœlum igitur est Dei altissimi instrumentum quo inferiora, agit, impellit, regitque. Ibid. Apho. 65.

Vide Concordantia Principij. Cœlo conformari.

Quid aliud est cœlum, quam mysteriorũ pictura.

Cur in primitiua Ecclesia Astrologia iudiciaria fuerit prohibita, & quo adhibito temperamento fuerit postmodum à Doctoribus probata. Vide Apologiam quam scripsi de fato vniuersi. cap. 1. & seq.

Bona indoles procedit ab astris. *Vide Principium Virtutis.* Bona indoles.

D. Thom. 2 generat. Qui sciret, inquit, virtutes cœlorum, stellarumque in eis positarum, dum res aliqua nascitur, posset iudicare de tota vita rei generatæ, licet hoc necessitatem non ponat & possit impediri per accidens. & Origenes. Quemadmodum humana libertas minimè tollitur, quamuis Deus, quæcumque facturi sumus præuideat; sic etiam signa ex stellis, quæ diuinitus ad significandum ordinata sunt, libertati nostræ nequaquam officiunt.

Quid aliud in sole, luna & stellis nisi sapientiam creatoris obserues?

Si quis obseruato natali die cuiusque, & notatis syderum & astrorum signis probabiliter coniectat, eum certa temperatura præditum, certis animi propensionibus affectum iri, ac proinde ingenio, aut corporis viribus taliturum, aut certis morborum generibus obnoxium fore, Ecclesiasticos canones, aut Pontificia iura aut leges non violat. Azorius institut. Moral. lib. 9. cap. 13.

Si quæratur quomodo certi possint assignari syderum effectus, cum nunquam redeant eædem configurationes, Responde, id fieri eadem ratione qua agentia naturalia similiter operantur, licet in diuerso tempore nunquam sint cum iisdem dispositionibus.

Probari potest valide Astrologia à posteriori, ostendendo geneses præclaris euentibus insignes, qui Genethliacis regulis respondent.

Eo licet cognitionem & rationem peruenire, quo peruenit sensus si videtur cœlum oculo, potest & mente contemplari.

Dauid dicit. Videbo cœlos opera digitorum tuorum. Videbo, non video. Videbo quando facie reuelata gloriam Domini fuero contemplatus. D. Hieron. ad Pammach. adu. errores Ioan. Hierosoly. multa hic semper supererũt inquirẽda.

Cœlum virtutes à Deo, pro varietate suarum partium, stellarum, planetarum, & motuum recepit; Est horologium pulcherrimum compositum ab artifice summo; est liber sententiosissimus, exemplatus, ab exemplari libro vitæ, infinito & æterno, qui nominatur mundus archetypus, in quo id quod factum est, vita erat. De stellis dicit propheta; qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat; hæc autem vocatio quid est aliud, quam distincta virtus & operatio stellæ cuilibet attributa; nomen quippe sumitur à proprietete rei. Gerson in trilogio astrologiæ theologisatæ. prop. 4. & propos. 30. Concludit quod in politicis non est spernendum iudicium peritorum astrologorum, sed cum rationibus consiliariorum si contrariæ sint velut in æquilibrio ponendum, & sicut oportet ponderetur cum circumstantiis.

Albertus Mag. lib. qui inscribitur speculũ astronomiæ, dicit astrologiam iudiciariam ex se optimam esse quia considerat, quid Deus agat per stellas, quasi per instrumenta; & qualiter mutationes inferiorum pendeant à mutationibus superiorum. Hinc apparet vnicum esse Deum, cœli & terræ rectorem, quod infima superioribus obediant. Hinc occasio Deum cognoscendi & amãdi.

Vir fortis cui à Mathematico prædictum fuerat fore parricidam, crimen morte vult præuenire. *Vide Voluntas Finis.* Homo sum, inquit, cuius corpus iratum fortè sæculo numen, velut aptissimam facinori videtur elegisse materiam, cui in primis continuò natalibus assignata est virtus pariter & facinus, omnium incredibilium, diuersorumque pariter capax, omnibus difficultatib. nouitatibusque sufficiens, sceleribus miser, & sine morte sua nocens; in quo debeatis ipsasque odisse virtutes. Quintil. declam. 4. Quidquid nascitur consociata mundo velut nummi proprietate signatur; cœlo certa lege constituto conformatur, & in totam æui sui breuitatem, compositum, firmatumque, sic accipit futura, quasi vitam hanc primum humanus miratus est animus, mox ex assiduis obseruationibus, peruenit ad causas; Miraris fatum hominis prædici, cum defectiones syderum, laboresque narrentur, quid cometæ significent, vt certum artis ingenium probat euentus, & futurorum veritatem probant præterita.

De vtilitate astrologiæ in agricultura, in nautica, in medicina, & quod mouendo primas qualitates in nostris corporibus, astra possunt multum ad commouendos affectus. Vide Chasseneum in catalogo gloriæ mundi. parte 10. consideratione vltima.

Ex Aristotele cœlum est instrumentum vniuersale intelligentiarum nam immediatum instrumentum immaterialis debet esse immateriale. Pom-

ponarius lib. de in cantationib. dicit genios nihil aliud esse quam genituras, bonas, aut malas.

Ex cœlorum motu & influxu, elementorumque alteratione fiunt ab his non intentæ generationes. *Vide Minoritas Cognitionis*, de his quę casu benè cesserunt. Dicere enim sydera corporea esse rerum causas principes, idem est ac si quis diceret ignem esse causam ligonis, non autem fabri mentem & peritiam. Campanella in proœmio astrologiæ.

Isayas quidem insultat astrologis quod ex syderum supputatione futura diuinare præsumant. Et Ieremias, A signis, inquit cœli, nolite metuere: non tamen penitus improbanda astrologia, vt nec prudentia humana, nisi quæ contra Deum erigitur; non autem suppositam Theologiæ; qui amicus est Regis non timet eius ministros, nec vir bonus, & Dei amicus stellas. Ibid.

De astrorum iudiciis D. Thom. opusc. 26.

Astrologiæ inuentio. *Vid. Supra Med. Cogn.*

Rex Sinarum habet Eunuchos, astrologiæ peritos, qui per vices, tota nocte obseruant sydera, vt denuntient si quid noui occurrat, cometas & alia meteora, eorumque significationes. Dauity.

De astrologiæ inuentione *Vide Principium Cognitionis.*

Astronomiæ inuentum Iosephus tribuit Seth. Genebr. in Chronica.

Moses posuit ante Propitiatorium, candelabrum aureum septifidum in quo erant septem lucernæ, pro septem planetarum numero: referebant 7. Ecclesiæ spiritus, Apocal. 1. & Zach. 4.

De filiis Isachar, erant viri eruditi qui nouerant singula tempora, ad docendum quid facere deberet Israël 1. Par. 12.

Cœlum est thesaurus bonorum Dei. Vide Deuter. 28.

Principes quidam sapientes astrologos non affecerunt præmiis, sed exilio, quia his non vtebantur; sapiens enim astris dominatur.

Dicit Debbora Iudic. 5. De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine & cursu suo contra Sisaram pugnauerũt. & Habacuc, Sol & luna steterũt in habitaculo suo, idest in leone & cancro: & magi ex cometa in leone signo tribui Iudæ prædixerunt inde nasciturum monarcham vniuersalem.

Abrahamus natione Chaldæus ex inspectione syderum dicit supremum aliquem esse eorum conditorem & moderatorem. Suidas in verbo, Abraham, & Alcuin ep. 8. ad Catol. Magnum.

Fatum & Astrologia magni apud Pharisæos fiebat. Id. in voce φαρισαῖοι.

Cœlum à cęlando dicitur, eo quod inferioribus conuenientem tot sęculis ordinem per stellarum cursus imprimat. Petrus Crinitus de honesta disciplina, lib. 4. cap. 11. ex Varrone.

D. Ioannes Rusbrochius qui inscribitur sanctissimus & diuinissimus contemplator, in libro de vera contemplatione c. 38. dicit hominum complexionem diuersam esse, & se habere ad contemplationem, secundum qualitates 7. planetarum: filios Saturni moueri inordinato metu damnationis, inquietos, perturbatos, diffidentes sine consolatione; filios Iouis, placidos, sibi & aliis gratos, qui propterea facilè rebus huius mundi adhærent. Filij Martis calidi sicci, sunt natura feri, latet in illis occulta superbia, injuncta pœnitentiæ opera sequuntur, vt habeant laudem ex hominibus Hypocritæ. Solis filij, veritatis, virtutis amantes, ad dignitates & Principum affectus apti, habiles ad gratiam Dei recipiendam. Filij Veneris pulchri, amabiles, pacifici, qui sibi cauere debent à nimiis humanis affectibus.

A

In Indorum Republica primus ordo ac dignitas eorum censebatur, sicut à Diodoro & aliis traditur, qui philosophiæ sacris occupati, rerum causas perquirentes singulis anni principiis conueniebant, pluuias, ventos, calores, frigora, morbosque futuri anni prædicentes vniuerso populo in communem vsum consulebant: quod si quis falsa denuntiasset, haud id quidem impunè faciebat, sed perpetui silentij pœna mulctabatur, sic vt per totam vitam nihil omnino proloqui liceret. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 5. cap. 8.

B

Ioseph. antiq. lib. 1. cap. 3. scribit Seth virum probum & religiosum nepotes suos pariter virtutibus imbuisse, sideralem scientiam ac cœlestium rerum cognitionem excogitasse: ne autem inuenta sua ex hominum notitia dilaberentur, scientes Adamum vniuersalem rerum interitum prædixisse, excitatis duabus columnis, vtrisque sua inuenta inscripserunt.

Sublunaria à supernis lationibus dependent vt ait Arist. 1. Metaph. 2. & 2. Physic. 2.

D. Paulus. 1. Corinth. 8. manducantem idolis immolata non tam condemnat ob id, quam quia infirmis dat scandalum. Origen. Homil. 20. super Numer. interpretatur hæc de curiosa lectione quæ non lædit eos qui plenam scientiam veritatis acceperunt, nocere potest si eorum exemplo infirmi eadem affectent.

C

Dominus qui fecit terram in fortitudine sua, & prudentia sua extendit cœlum. Hiere. 10. & Prouerb. 8. Dominus præparauit cœlos prudentia.

Astrologia non potest prorsus diuinare, sed ex parte, quia considerat causas communes, non autem particulares, nec passiones singulas sui subiecti modificatiuas causarum & causationis. Campanella.

Cataractę cœli quę dicuntur apertæ in diluuio, sunt constellationes quas astrologi vocant apertiones portarum quæ ducunt aquas ex abyssis. Id.

D

Vetantur sub capitali pœna ritus & sacrificia paganorum, sed prohibentur eorum templa destrui, quia conferunt ad ornatum vrbis. l. 3. Cod. de pagan. & sacrif. & templis. Sic prohibetur astrologia vt ea vsi sunt pagani, non tamen omnino destruenda, ne scientia naturalis reddatur imperfecta.

Astrologiæ cum Theologicis concordantia. *Vide Concordantia Veritatis.*

Ob tres astrologorum errores, astrologia suspecta fuit primis Theologis. 1. est eorum qui ex astris omnia futura necessitate fatali euenire senserunt. 2. est eorũ qui astronomicis libris plures superstitiones execrabiles artis magicæ miscuerunt. 3. est eorum qui terminos astronomicæ potestatis, respectu liberi arbitrij & quarundam rerum quę solum sub sunt diuinæ ac supernaturali potestati, superbè, & superstitiosè excesserunt. Card. de Aliaco Cameracensis in præfatione suæ astrologię theologisatæ.

D

Deus antiquis Patribus vitam concessit longiorem vt discerent astrologiam. ex eod. *Vide Duratio Cognitionis* experientia. Idem in sua apologia dicit quod nõ sit excludẽdus astrorum influxus à natiuitate Christi & Beatæ Virginis, sicut absurdum esset dicere quod eas sol nõ calefecerit, nec luna humectarit, nec elemẽtorũ virtus eam qualificauerit. Christus dicit, nõ veni legẽ soluere, scilicet naturalẽ

Digitized by Google

ſed adimplere, nam excepto peccato, voluit cæteris hominibus aſſimilari. Quæ à doctoribus contra aſtrologiam dicuntur potius probant ſciendi difficultatem, quam impoſſibilitatem.

Liberum arbitrium nō pertinet niſi ad futurum, vt probat Magiſter ſententia. lib. 2. diſt. 24. at cognitio voluntatem præcedit, poteſt igitur eſſe de futuro.

Syderum curſu dies noſtri ac noctes peraguntur, menſeſque includuntur atque anni, & quæ temporis, & eorum quę ſunt in tempore, orbiculares motus, terminant, numerant, ordinant, continent. D. Dionyſ. cap. 4. de diu. nomin. non longe ni tio.

Nec illud certum habeo vtrum ad ſocietatem Angelorum pertineant Sol & Luna & cuncta ſydera, quamuis nonnullis eſſe lucida corpora. non tamen ſenſitiua, vel intellectiua videantur. D. Auguſt. in Enchy. c. 58.

Non tamen dicimus, ora pro me ſol, quia ſubſtantia ſpiritualis non vnitur corpori cœleſti vt forma, ſed vt motor tantum, vt auferatur idololatriæ occaſio. D. Tho. in quæſt. diſp. de ſpiritualicreat. q. vnica a. 6 ad 5.

Si ſecundum Platonicos ideæ eſſent cauſæ generationum à cauſa ſimiliter ſe habente, prodiret idem ſemper effectus, at contrarium videmus Oportet ergo generationum & aliorum motuum principia dari quæ non ſemper eodem modo ſe habeant, oportet tamen ſemper manere vt generatio continua eſſe poſſit; vnde oportet eſſe inuariabilia ſecundum ſubſtantiam, variabilia ſecundum locum, vt per acceſſum & receſſum motuſque varios diuerſi fiant effectus in inferioribus. Talia ſunt corpora cœleſtia, & ideo omnes effectus oportet ad ea reducere, ſicut ad cauſas, Ibid. de prouid. q. 5. a. 9. o.

NIMIA SCIENDI cupiditas,

IVlius Cæſar ius ciuile ad certum modum conatus eſt redigere, atque ex immenſa diffuſaque legum copia optima quæque & neceſſaria, in paucisſimos conferre libros. Sueton. in Iulio Cæſare.

Auguſtus factus S. Pontifex, quidquid fatidicorum librorum græci, latinique generis, nullis, vel parum idoneis authoribus vulgo ferebatur, ſupra duo millia contracta vndique, cremauit, ac ſolos retinuit Sybillinos. Id. in Octauio Auguſto.

Inueniuntur in diſputationibus callidi, qui rebus grauioribus non magis ſufficiunt, quam parua quædam animalia, quæ in anguſtiis mobilia, in campo deprehēdūtur. Quintil. inſt. orat. l. 12. c. 2.

Philippo altercante cum quodam muſico de cantandi ratione dixit muſicus Dij melius, ô Rex, ne vſque adeo miſer ſis, vt hæc melius ſcias. Plutarch. lib. 2. de virtute & fortuna Alexandri.

Sapiens eſt, non qui multa, ſed qui vtilia nouit. Odi Sophiſtam, qui ſibi nihil ſapit.

Qui mathematicis vacant, neglecta philoſophia, ſimiles ſunt procis Penelopes, qui cum ipſa potiri non poſſent, ad ancillas ſe conuertebant.

Qui Martiis in pugnis, & in conſiliis præcellunt, non eſſe debent ingenioſi in leuibus argutiſque rebus. Sed benè conſultare de magnis bonis ciuitati neceſſariis. Euripides.

Deus ſolet eos confundere qui vtilia deſerentes

A vanis implicantur; imitantur Thaletem qui dum ſtellas obſeruabat, cecidit in foueam, cui ancilla, Quæ alta ſunt vis noſſe, cum ante pedes poſita non videas. Plato refert in Theæteto.

Licet aliqui poſſint vti magia & inuocatione Angelorum in bonum, tamen hanc artem leges prohibent, quia homines ducti cupiditatibus facilè poſſent ea abuti, quia legiſlator reſpicit quod fit in pluribus, & non quod rarò. Vnde dicebat Galenus, quod ſi quis homo cognoſceret herbam educentem ſanguinem, iſte homo eſſet interficiendus ne alios doceret.

De libris gentilium. Pintus to. 4. de ſolerti ignorantia. Baſil Hom. 24.

B Innoc. 3. cap. niſi §. pro defectu de renunciat, dicit ſcientiæ excellentiam optimè ſuppleri per charitatis abundantiam, & cap. cum nobis. de electionib dicit competentem ſcientiam ſufficere, excellentem non requiri.

Nimia induſtria nocet rectoribus. *Vide Veritas Poteſtatis Rex ſit verax.* Tres primi verſus, primi pſalmi ſufficiunt ad inſtructionem ſalutis. *Vide Concordantia Differentiæ.* Omnia in omnibus.

Qui fertur illimitatè ad varias artes, relinquit ſapientiam veram animæ ſponſam & conuertitur ad ſcorta. Card. Cuſa. excitat. lib. 5. cap. 14.

C Empedocles volens inueſtigare naturam Vulcani ſeu ignis ſubterranei in monte Ethna, cecidit in foueam eiuſdem Vulcani & conſumptus eſt à vulcano, quem inueſtigabat. Alb. Magn. meteo. lib. 4. tr. 2 c. 1. ſimilis fuit mors Plinij obſeruare volentis æſtus montis Veſuuii, initio. lib. hiſt. natur. deſcripta eſt mors eius elegantiſſimè à Plinio. 2. eius nepote.

Apes nimio onere alas ſuas atterunt ad rupes, & pereunt tantus amor florum, & generandi gloria mellis. Virgil.

Corpora infantium & luſu continuo, & caſu frequenti minus læduntur, quia pondus illis abeſt nec ſeipſa grauant, ſic animi dum ſe formandos tradunt, nec ſuo niſu ſtudiis inſiſtunt, non ſimiliter fatigantur. Quintilian.

D Scientia quidem, vt dicit Philoſophus 1. de anima eſt de numero bonorum honeſtorum. Peccatur tamen in ea pluribus modis, ſcilicet ex parte cognoſcibilis, quia ſcilicet inclinat ad culpam, vt ſcientia poetica ad amorem carnalem, vel quia obeſt ſaluti, vt necromantia & artes prohibitæ, vel quia præcipitat in errorem, vt qui volunt ſcire altiora ex ſuperbia. 2. ex parte finis vt qui ſtudent propter ambitionem habendi dignitates & beneficia 3. ex parte cognoſcentis, vt ſi habens curam animarum illas negligit, vel iudex officium vt ſtudeat philoſophiæ. Si propter ſtudia negligat quis, neceſſaria ſaluti, vt dæmones inquit Bernardus, multa ſciunt & ſeipſos emendare neſciunt. Perbal-

E baltus in roſario theologico, verbo addiſcere.

Cum Athenienſis orator Lacedęmoniis imperitiam obiiceret, reſpondit Lacon, Rectè dicis, ſoli namque Græcorum nihil à vobis mali didicimus Rodig. lib. 8 cap 7.

Qui ex Apollinis Clari fonte bibunt, diuinant, ſed illis fit vita breuior. Id. lib. 17. cap. 5. in fine.

Balaam benedicens Iſraël dicit, Quam pręclara tabernacula tua Iſrael Num. 24. quia ſemper in ſtudio ſapientiæ perficiendum eſt, tabernacula enim ſunt viatorum per deſerta. Addit autem tabernacula fixit Dominus, quaſi quæ non circūferantur omni vento doctrinæ. Origen. Homil. 17. ſuper Numer.

Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Ps. 36. melior est doctrina fidei cum charitate & bonis operibus, quam omnis eloquentia & sapientia huius sæculi quæ destruitur. Id. Homil. 3. in d. Psal.

Peccant qui magicas scientias discunt, vel vt illis vtantur, vel sola curiositate, quia periculum est: sunt prohibitæ, sic est transgressio præcepti, denique non sunt scientiæ quæ informent intellectum, sed fallaciæ dæmonum. Secus est si quis eas discat, vt confutet. D. Tho. quodlibet 4. a. 16.

NIMIA PRÆDICAtorum curiositas.

PRædicator auditoris sui animum vltra vires non trahat, chorda citharæ nimium tensa rumpitur. Luc 12. Fidelis dispensator dat in tempore tritici mensuram. Apostolus fidelibus lac potum dat. 1. Cor. 3. Moyses abscondit faciem suam ex consortio Dei fulgentem. D. Gregor. PP. in pastorali parte 3. cap. 5.

Vide Magnitudo Veritatis. Communis omnibus veritas.

Angeli in scala Iacob, ascendunt, & descendunt. Genes. 28: Siue mente excedimus, siue temperamus vobis, inquit Paulus.

Exemplo & imperio Saluatoris, qui de sinu patris propter nos exuit, coguntur interdum prædicatores omittere dulcedinem altissimæ contemplationis & condescendere paruulis, vt cum eis tractent de carnalibus negotiis, vt Paulus Apostolus qui cum raptus fuisset vsque ad tertium cœlum, vel paradisum, & audisset arcana verba, quæ non licet homini loqui, de tam altis, ad tam infima descendit, vt disponeret iura coniugii. vxori, inquiens, vir debitum reddat, & vxor viro. Rupert in Exod lib. 3. c. 29.

Vide Concordantia Minoritatis. Infirmis compati.

Luc. 10. præcipit Dominus Apostolis, neminem per viam salutaueritis; nam re vera, quasi per viam salutant, qui verbum Dei, quod ore decantant, auditoribus proficere non desiderant, Id. in num. lib. 2. cap. 19.

S. Sacerdos aliis scilicet magis pretiosis vestibus vtebatur, cum erat in ministerio sacrorum, & aliis cum procederet ad populum; sic Paulus sapientiam loquitur inter perfectos, alios lacte potat. Christus turbas alloquitur in parabolis. Math. 13. Origen. in Leuit. hom. 4.

In nemoribus & lucis, nemo plantat ficum, nemo vineam, nemo arbores fertiles, sed oblectationi visus ligna frondentia, tales sunt hæretici qui orationem suam verborum decore componunt. Ideo præceptum, non facies & plantabis lucum iuxta templum Domini Dei tui. Id. homil. vlt in Hierem.

Christus arguit Pharisæos quod mundarent quæ foris sunt paropsidis; mundis & nutritoriis mens nostra impleatur, non ornatis verbis & compositionibus, quia non in sermone est verbum Dei, sed in virtute. Origen. tract. 25. in Matthæ.

Samaritana reliquit hydriam vt annuntiaret Christum in ciuitate, contemnat prædicator scientiam sæcularem glorians cum Apostolo se nihil aliud scire, nisi Iesum crucifixum. Idem in Ioan.

A De dignitate prædicatoris. *Vide Medium Veritatis.* Prædicator.

Clemens Alexandr. 1. stromat. eloquentiam docet non conuenire Euangelium prædicanti, vt nec ornata nimium vestis, aut cibus ad delicias comparatus. *Vide titulum sequentem Eloquentię contemptus.*

Altare Holocaustorum debebat esse de terra, vel de lapidibus impolitis, Exod. 20. ne referret aliquam imaginem, quæ posset esse causa idololatriæ. Tostat. Ibid.

Prædicatori vitanda nimia curiositas. Vide quæ scripsi lib. de institutione & officiis Religiosi, parte 4. cap. 17.

B Stella quæ magos duxit ad Christum erat in infima aëris regione, nec enim ex alto potuisset tuguriolum ostendere. D. Chrysost. homil. 6. in Math. Condescendat infirmis prædicator.

Dicebat Paulus, non arbitratus sum me scire aliud inter vos quam Iesum, & hunc crucifixum; insonabat audientium auribus magnum Sacramentum pietatis Christi, quod manifestatum est in carne, iustificatum in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus. Quod proferebat non de fabulis Poëtarum, non de Philosophorum codicibus, sed de præclarissimo prophetarum hauriebat fonte. Sic cæteri Apostoli Iesum prædicantes mundum ad fidem conuerterunt, &c. Laurent. Iustinian. de institutione prælator. c. 7. Cum post
C tumultus negotiorum vitæ ciuilis fideles conueniunt in Ecclesiam ad audiendum salutis monita, indignum est illis recitare fabulas, aut vaniloquia quibus assistentes prouocentur ad risum. Timotheum monet Apostolus, rectè tractare verbum veritatis, prophana & vaniloquia deuitare. Ib.

Plinius de Aduocato dicit. Præuaricatio est transire dicenda, vel cursim & breuiter attingere quæ sunt inculcanda, infigenda, repetenda & aduocatus præuaricator extra ordinem coërcetur. l. 1. & 3. ff. de præuaricat. Cuiac. Obser. lib. 9. cap. vlt.

Olim litigans duos habebat aduocatos vnum qui oratoris, alterum qui iurisperiti partes ageret.
D *Vide Magnitudo Medii.* Multitudo instrumentorum, Prædicator vtriusque partes agit, mouet & docet.

Aduocato præuaricatore longe grauius peccat prædicator, qui cum debeat validis argumentis fidem tueri contra negantes, Christianam in moribus doctrinam suadere, peccantes ad pœnitentiam adducere, tamen vt prophanus declamator totus est in eloquij suauitate vnde possit eloquentiæ gloriolam promereri. Profert noua, splendida, sed à paucis intellecta, ab instituto suo penitus aliena; non Christo, non Ecclesię, non animarum saluti, sed perfidæ suę vanitati laborans.
E Venit peccator aliquid auditurus vnde spiritum hauriat compunctionis, venit afflictus consolationem, venit pius diuina sitiens, & pro diuinis fabulę, pro sinceris admonitionibus friuola, ridicula, theatris propria tribuuntur: paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Horrendum dictu, dantur ægris pro remedio malorum incentiua; ludunt diuini sermonis maiestate; passionis illicitæ flammas verborum ornatu velut flabello suscitant; suggestum veritatis conuertunt in Cathedram pestilentię, & abominationem desolationis constituunt in loco sancto.

Vide infra proxime Eloquentia Contemptus.

Curiosi

r Curiosi vani sunt, sed non mali. Tost. Math. to. 4. fo. 155. d.

Vir bonus ex scripturis, & ex creaturis solummodo trahit id quod ad salutem deseruit, & hæc est sobrietas in viribus intellectualibus, sapere ad sobrietatem, inquit Apostolus. Harp. Theol. myst. lib. 2. cap 21.

Studia debent esse moderata, non nimia. Vide quæ scripsi Moral. Christia. to 2. parte 1. cap. 15.

Chymicorum curiose & auxiè nimis secreta naturæ scrutantium immatura solet esse mors; quem enim mortalium non inficiant carbonum suffitus? aquarum fortium, gradantium & arsenicalium itemque antimonialium noua in dies examinatio.

B Spiridion Cypri Episcopus qui adfuit Concilio Niceno, vno oculo effosso, & poplite succiso pro fide, reprehendit Tryphilium virum eloquétem, quod in Synodo perorans, loco verborum Christi, tolle grabatum tuum, dixerat, tolle lectum tuum humilem, dedignatus vti verbis Christi. Sozom. lib. 1. c. 11.

Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur; Lachrymę auditorum, laudes tuæ sint. Sermo Presbyteri scripturarum lectione conditus sit. Nolo te declamatorem esse & rabulam, garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum, & Sacramentorum Dei tui eruditissimum Nihil facilius quam indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, &c. D. Hieron. epist. ad Nepotian.

C Ecclesiastica interpretatio, etiam si habet eloquii venustaté, dissimulare eam debet & fugere, vt nó ociosis Philosophorú Scholis, paucisque discipulis, sed vniuerso loquatur hominum generi. Idem ad Pammach. pro libris aduersus Iouinianum.

Quidam cum disertè diceret, ferreturque impetu ac volubilitate verborum, causamque omnino non tangeret, prudens auditor & iudex. Benè, inquit? bene, sed quo istud tam bene. Idem ad Pammach. de errorib. Ioan Hierosolymitani.

Christus in prædicatione communibus parabolis vsus est. *Vide Magnitudo Veritatis.* ex Chrisologo

D Ne recites miracula aut auguria, nec artis alterius scientiam profitearis, quam eius quæ te honestè alit & ornat; nam apud eos qui opera tua vtuntur, minus valere in propria videberis; apud alios contemneris, vt vanus. Cardan, de arcanis prudentiæ. cap. 90.

VITARI DEBET NIMIA de futuris sollicitudo.

DEMONSTRATIO.

E BONITAS. Norunt homines suis & aliorum exemplis vitam hanc mille periculis, velut nauem maris & ventorum tempestatibus expositá, sæpè concuti, citò perire, nisi contra vim incurrentium apprimè fuerit instructa. Hinc vitę ciuilis muneribus addicti, latè cognitiones suas mittunt in futurum; & velut ex alto speculantur: quid in tanta rerum vicissitudine sortes omnium inæqualiter versante sibi sit timendum aut sperandum? Spem metus præcedit aut sequitur, & vtriusq; grauis affectus efficit auidos diuitiarum, quæ sunt boni consequendi, p opulsandæ calamitatis commune medium. Hæc vna pariter illustrium & vulgi mentes implet cupiditas, maxime rerum spiritualium, ad quas nascimur detrimento. Vnde Christus Dominus Luc. 12. monet Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manduceris & quid induamini, hæc enim inquirunt gentes, scit autem pater vester quia his indigetis, &c. Hæc anxia sollicitudo capitale vitium est, in hoc quod hominem efficiat de suis viribus & industria plurimum confidentem, parum aut nullatenus de paterna Dei bonitate, cui sic contumeliosus est, & creaturis omnibus mire prouidentem, ipso fidei defectu à cura sui facit alienum, vt dum se deseri putat, mereatur.

MAGNITVDO. Vaga & in vacuum immensum est dispersa cogitatio, quæ futuris contingentibus extra mentis nostræ captum positis, incertis, infinitis ordinem putat dicere; venientibus prosperis vel aduersis occurrere gratulabunda vel armata manu. Quis qualitates præuideat eius quod nondum est, & de quo hoc vnum est certum, de futura sua existentia vel conditione, nihil certò dici posse? Vt quid igitur te torquet vana de futuris sollicitudo? vis ad vtriusque sortis casus omnes paratissimum fieri, bonus esto; vnum sit tibi propositum adhærere Deo, quo cum nihil sit sublimius, nihil stabilius, nulla te valebit insolescens extollere fœlicitas, nulla calamitas deprimere.

DVRATIO. Nusquam est, quo consistat non habet, qui per hæc imaginaria spatia vagus transfertur; futuri spe vel metu amittit præsentis curam & fruitionem. Scribis in aquis & in aëre, quibus perpetuo fluxu manantibus, nihil manet, nihil subest quod intentos à te caracteres excipiat & reddat. De his mille coniecturis quas auguratur, ponderat, connectit animus, nulla forte iudicio tuo respondebit, sic frustra laboras, pretiosum tempus rerum æternarum meditationi, desideriisque sacrum, profundis. Sufficiat diei malitia sua.

POTESTAS. Sic in ambiguis menté detinere, quid est nisi pasci contumelioso ignorantiæ & impotentiæ suæ spectaculo? debentur animi tui vires nascenti rerum occasioni, vt opportunitate captata fœliciter succedant. Hæc sunt intra positos iurisdictioni tuæ limites, at ius tibi non conceditur in futurum.

COGNITIO. Prudentiæ quidem licet de agédis habere consilium, seligere media pro finis consequutione meliora, contra vim hostilem præmuniri, & sic vltra præsens aliquid conijcere de futuro, tunc tamen cogitationes non exeunt in infinitum vagæ, sed illis limites ponit rerum de quibus agitur certa conditio, exemplaris præteriti memoria, vrgentis actionis citum pedaneumque iudicium. Semen terræ committit agricola præscius autúnalis humiditatis qua turgebit, frigoris quo repercussum altius aget radices, tandem caloris qui germen in herbam, herbam in fructum, fructum ad maturitatem suis temporibus adducet. His & similibus prouidentia sic certas dixit leges annuis probatas experimentis, vt futurum velut pręsens videri possit, sic rectam viam pede terendam, quasi iam occupauerit, prævidet & metitur oculus.

VOLVNTAS. Alitur amor spe suæ fœlicitatis, futuræ quidem, certæ tamen, nec vago circuitu fatigantis animum, sed anticipata quadam sui

fruitione replentis. Naturæ desideria vt legitima, sic finita sunt, ex opinione nascentia, quo desinant, non habent; talis est auari vel ambitiosi cupiditas inexpleta, quæ bonis alienis inhians, animo versat casus omnes, quibus fortunæ comes industria, hæc possint in manus suas adducere. Vt id fiat passiones omnes iniquissimas habet in procinctu, & si non actu, saltem votis, ad conatum vsque deductis, præuaricatur.

VIRTVS. Sapiens fixo in bonum proposito, arcem sibi constituit hostibus inexpugnabilem; quid possint, quid velint moliri curiosius, non explorat, sufficit secura se positum statione, quę nec inuadi, nec lædi possit. Concutiantur malorum & dæmonum coniuratis viribus mundana, stabit inter hæc sui compos & immotus sapiens; nihil sperans, nihil timens à caducis, totus hæret Deo, cui cum paratus sit in omnibus obsequi, tota simul illi voluntate consecrata, futuros euentus non inquirit, non discernit, quia qualescumque sint, decernenti vel permittenti Deo placidus annuit, & quidquid contingat id antiqua præuenit conformitas.

VERITAS. Ciuilem hominem impensius de futuro sollicitum, videre licet vt arundinem vento agitatam, nam toties antiqua refricat, noua fingit consilia, à se semper alius, quoties qui regunt consultò sparsis rumoribus illudunt populis, & falsa pro veris disseminat. Si totus mundus histrioniam exercet, quale spectaculum ęgris excipiendum cogitationibus homini de futuris nimiũ sollicito cum opus habeat, prout actores scenæ versatilis faciem, laruam, vestem mutauerint in diem & horam noua meditari consilia.

GLORIA. Pendebit miserè solliciti quies ab arbitrio fortunæ, à potentiorum sæuitia, dolis hostium, rumore populi, quo nihil vagum magis & inconstans. Ergo ne sic mens spiritualis, & immortalis sequitur sortem fortuitorum, & inordinatis concutietur motibus? Plura cupit, qui plura possidet, & multa cupientis anxia nimis est sollicitudo quæ mentis pacem & tranquillitatem omnem conturbat.

DIFFERENTIA. Olim vulgatum est gladiatorem in arena capere consilium, & præsentem tantum cum rebus ipsis fœliciter deliberare, quid igitur de tam longè dissitis sollicitus iudicas, quæ cum sint possibiles, fortassis nunquam erunt futuræ; vel si contingant, alia facie, aliis apparebunt distinctæ circumstantiis, quibus nouo prouidendum erit consilio. Sic præcoci & immaturo frustra te torques. Expectanda rerum certo suo quodam ordine venientium conditio, vt illis opportunè modisq; congruis occurrat versatilis prudentia.

CONCORDANTIA. Sibimet ipsi conciliatus sapiens, amicus sufficiens parum tendit ad externa, nec nisi cum vrget præsens necessitas, illis præbet auditum, æternis sibique semper intenta mens, absit igitur vt hæc deiecta, mutabilia, vana negotia cogitatione præueniat, quæ vix dum irrumpunt, admittit.

CONTRARIETAS. Qui de futuris tam importunè consultat, hostiliter in se conuersum gerit animum; seclusa tranquillitate, perpetuis aditum præbet incursionibus & lento se conficit supplicio. Furoris quædam species est hæc anxietas irrequieta. Externa qualibet calamitate sęuit cum interna sine remedio conuellat & deuastet.

PRINCIPIVM. Hic agimus infantiam ætatis

A plenitudinis Christi, nondum intelligentes quid nobis conueniat. Cur igitur res nostras fidentes non committimus paternæ curæ Dei, qui futurorum præscius, illis solus potest præsentia contemperare? Rationi pro viribus agenti propitius aderit, opportuna suggeret consilia, quibus nundum maturis negotiis mentem onerat, hæc igitur cum occasionibus sunt expectanda, nec præcipiti conatu rebus ipsis anteire cæca mens præsumat.

MEDIVM. Optima quidem rebus fœliciter peragendis, diligens earum inquisitio, dum tamen in futuris nimium non sit sollicita, hęc enim mentem non dirigeret, sed confunderet in mediorum electione, versaret in contraria nunB quam sibi constante iudicio, quia pendet ab irregulari fortuitorum collisione; nihil videt oculus quem circumfert citissima capitis vertigo; nihil expresse refert speculum quod assiduè moueas; nihil rectè scribes in charta, quam aliena manus exagitat; profert & retrahit nullo ad formandos caracteres dato spatio, & quale potest esse iudicium de futuris, variè præter opinionem contingentibus cum ab internis, vel externis occultis causis pendeant, quas casus & fortunæ titulo significamus.

FINIS. Qui sibi legitimum hunc in agendis proponit finem ad rationem & legem Dei C viuere, certo semper rectoque procedit gradu nihil de futuris sollicitus, quia quidquid inciderit prosperi vel aduersi in suum colorem trahit, Deum enim diligentibus omnia cooperantur in bonum; at qui fortuita sectantur, de his oportet illos esse sollicitos, sic pendent, sic inter mediorum & finis congenerem malitiam, concutiuntur, pereunt, ipsa sua deordinatione iam miseri.

MAIORITAS. Meliorem partem non elegerunt qui sic inquieti turbantur circa plurima. Hæc quæ tanta mentis contentione sectantur sæpè saluti nostræ consulens diuina prouidentia subtrahit, & hac diæta sanat innatas nobis cupiditates. De temporalibus abdicanD dis Christus dat in Euangelio consilium illud, implent perfectionis amantes, & ad cœlestia viæ ducem alacriter exonerati sequuntur; Quid, ô mortales, sic estis solliciti pro terrenis, quæ veritatis magister Christus docet procul abijcienda, quæ sapientes aliis possidenda relinquunt, quæ sinceris mentibus ad suprema tendentibus sunt oneri. Cogit quidem ipsa vitæ ciuilis necessitas ad externorum bonorum acquisitionem & conseruationem, sed id fieri potest circa nimiam sollicitudinem, & iusto labore cui semper aderit diuina prouidentia. Virtus omnis excessu degenerat in vitium, E in temeritatem fortitudo, in prodigalitatem liberalitas, in superstitionem religio, in imprudentiam & se torquentem stultitiam, anxia nimis futuri sollicitudo.

ÆQVALITAS. Antiqua & Christiana Philosophia semper habuit externa bona, inter ea quæ sunt ad fœlicitatem indifferentia eorum igitur inquieta & in futurum late prospiciens sollicitudo plurimum detrahit de Christiani professione, mentem enim mouet, exagitat, de tranquilla sua sede deijcit, Deo sacram implicat, subijcit temporalibus, & auertit ab æternis.

MINORITAS Quæruntur de naturę crebris infirmitatibus rationi mentique toties insidis, illas tamen aduocant & augent ii quibus placet ingens de futuris sollicitudo. Talibus non sufficit aduersis dum ingruunt exagitari, hæc metu præoccupant, non expectato conflictu cadunt; ante diem miseri in ipsamet abundantia, pauperes. A

Aquila Ponticus de Astrologo factus Christianus, non desistens à superstitipsa natiuitatis suæ inspectione, eiectus est ab Ecclesia velut inutilis ad salutem. Id agrè ferens factus est Iudæus, & linguam Hebræam discens, conatus est peruertere testimonia de Christo. Baron. an. 137. numer. 8. & 9.

Vide Cognitio Contrarietatis. Nimius futuri mali metus. B

A Sacerdotio excludebantur magno & protenso nimis naso.

Odit Dominus obseruantes vanitates superuacuè. Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.

ÆLOQVENTIÆ contemptus.

CVm Athenienses magnam Sophistarum in dicendo argutiam viderent, eos iudiciis prohibuerunt, quia Iustitiam violarent. Philostratus. lib. de vitis Sophistarum. C

Germani maximè Mercurium colunt, qui certis diebus, humanis quoque hostiis litant. Tacit. lib. de morib. German. Eloquentia sæpe fundit innoxium humanum sanguinem.

Tunc res Ecclesiæ floruerunt, cum non floreret eloquium, idemque videbatur præstigiatorem agere, & corporis flexibus spectatores ludificari, qui noui quidquam ac curiosi de Deo diceret. Simplex contra ingenuaque oratio atque doctrina pietas existimabatur. S. Gregor. Nanzia. orat. 21. numer. 10.

Simplex est oratio veritatis: est enim opportuna per se; contra sermo iniustus, cum æger in seipso sit, pharmacis indiget astutis. Vrere iustis; exiguus vincit magnum. Sophocles. D

Non refert cuius patriæ & linguę sint artifices, dummodo artem quam profitentur optimè calleant, agriculturam, nauticam, sutoriam, picturam, &c. Ita sufficit homini Euangelico si habeat scientiam sanctorum & artem conuertendi animas, etiam sine vsu receptæ eloquentiæ. Theodoret. serm. de fide *Vide Cognitio Virtutis. Rep.* Latens virtus.

Vide Veritas Virtutis. Repug. Affectatio nimia & Maioritas Medii.

Ornari res ipsa negat, contenta doceri. E

Contra veritatem plurimum possunt affectus, comite doctrina & facundia, quia quidquid volunt ingeniosi probant, & placent, quia per ornamenta mentiuntur, eloquentia fallit. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Latens iniuria.

Qui nimio verborum cultui dediti sunt, imitantur Odontomantes Thraciæ populos, qui se leuigabant, pilis nudabant, & pudendis etiam abcissis Suidas in voce ἀπεσειασε.

Draco bisulcam habet linguam, sic orator.

Cum in antiqua lege præcipitur nihil mellis adoleri in sacrificio Domini; doctores intelligi volunt Philosophicum tumorem & ciuilis eloquentiæ lenocinia, voce quidem non re prædulcia Rhodigin. lib. 6. c. 2.

Meretricis Babylonicæ calicem aureum, intellige, inquit Origines, dogmatum prauorum verba pestifera, eloquentiæ cultu decora. Id. lib. 8. cap. 11. Verba hęc sunt imbres odorati. fiebat enim sparsio liquoris odorati in spectaculis. Id. lib. 26. cap. 6.

Gregor. Nyssenus lib. 2. contra Eunom. non vsum se dicit elaborata eloquentia, & dialecticæ subtilitatis argutia, hæc enim veritatem in mendacii suspicionem apud imperitos traducunt. *Vide Veritas Virtutis. Repug.* Affectatio nimia.

Origen lib. 6. contra Celsum respondet irridenti canonicos scriptores sine ornatu loquentes; dicit eos id ex industria fecisse, vt ad omnium captum fructus illorum pertineat, nam qui eloquentiam in scribendo consecuti sunt, videntur non nisi doctorum rationem habuisse, rudes plebeiosque contempsisse. Idem Philocaliæ cap. 4. sub tenui & contempta locutione latentem esse ait arcanorum splendorem dogmatum, adeo vt quasi thesaurum habeamus in vasis fictilibus; vt luceat sublimitas virtutis Dei, nec à nobis hominibus esse creditur. Vide titulum proximè præcedentem.

Potest tamen vsurpari eloquentia in sacris. *Vide Gloria Veritatis.* Sacra eloquentia.

Mundanis scriptoribus tota cura de verbis est, nostris de rebus. D. Aug. lib. cont. Adamant. c. 11.

Non est Philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum; non in verbis, sed in rebus est. Senec. epist. 16.

Thomas Morus Vtopiæ Reipublicæ lib. 2. refert exclusos ab ea causidicos qui affectata eloquentia fucum legibus & iudicibus faciunt, causam suam quisque agit, & refert iudici quæ narraturus erat patrono: sic iudex facilius elicit veritatem & simplicioribus ingeniis opitulatur.

De contemptu eloquentiæ & poetices. *Vide Minoritas Gloriæ.* De mortificatione auditus.

Vbi fucus est, ibi turpidinis formæ præsumptio est, ideo sacra scriptura ornatu rethorico non procedit vt præsumptionem de falsitate refugiat. Tostat. Gen. fo. 11.

Quęcumque humus emittit, viator obiter vario sensu intuetur, sed Agricola sano iudicio spectat quem ferat fructum, quod ex eo sperare potest emolumentum; Placet transeuntibus sermonis volubilitas & ornatus; sed dic in eo quos videris, quos decerpseris fructus, qui fœcundi possint alios relictis seminibus producere. Miscent medici aliquid voluptatis dolori curationis, sed qui omnigenam voluptatem ęgris indulgeret, non esset medicus sed coquus, sic qui solam in sermone quærit voluptatem turpitudinis per sensus conciliatricem. Maximus Tyrius Serm. 15.

In theatris animus non dicentis vestem, sed poemata respicit in rustico vt in principe spectanda. Id. serm. 37.

Vide supra hoc titulo. *De nimia curiositate prædicatori vitanda.*

Interpretes non debent affectare eloquentiam ne fiant obscuri. *Vide Medium Veritatis.* Alia veritatis media ex D. Hieron.

Tantus error est in omnibus studiis maximè in eloquentia, cuius regula incerta est, vt vitia quidam sua & intelligant & ament. Seneca. lib. 9. controu. 6.

Digitized by Google

tur secreta, quæ postea annuncient, & in alienas etiam rescribunt prouincias, capite plectuntur; dicit enim scriptura, Secretum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei honorificum est reuelare. In legib. Longobardor. lib. 3. tit. 16.

Magistri castrorum, & eorum officiales prohibentur extra territorium egredi sine licentia Principis, vt non immisceant se rebus ad suum officiũ non pertinentibus. Constit. seculas. lib. 1. tit. 82.

Nihil hominibus adeò suaue ac iucundum est, vt de rebus alienis sermonem habere, idque præsertim, si vel beneuolentia quadam vel odio trahantur, à quibus veritas plerumque suscipi solet. Gregor. Nazianz. orat. 1.

Peregrinus non debet esse in aliena Republica curiosus, can. Leges 3. q. 6. Ideo exteri in regimen non admittendi. *Vide infra Concordantia Differentia.*

Christus reprehendit Petrum de Ioanne quærentem, Hic autem quid? Ioan. 21. Caue ne in multis sint actus tui. Eccles. 11.

Est species maleficii quo inuestigantur hominum absentium secreta.

In fluctibus palpitanti qui manum porrigit, simul cum eo perit.

Exod. 25. duo Cherubim respiciunt mutuo versis vultibus in propitiatorium; non in se.

Dicebat Abbas Arsenius. Peregrinus Monachus in alia prouincia habitans, nullis rebus se medium faciat, & quietus erit. V. Patrum.

Si petis à proximo tuo pignus, non ingredieris domum eius, sed foris stabis recipiens quod tibi obtulerit. Deut. 24. Idest non debes curiosè scrutari interiora proximi, sed facilem te præstare ad credendum his quæ dicit. Rupert in Deut. lib. 1. cap. 31.

Nunquam quærendum quod inuentum molestiam afferet. Placita quærenda, acerba prætermittenda, quæ obuia tristitiam afferrent.

E medio mari non videtur terra, & è medio terrę non videtur mare, vnusquisque suis intentus aliena non curat.

Ocium à rebus alienis, est planta quæ in academiis nascitur.

Cum aliis malis, nescio quomodo humanam naturam subiit morbus superuacaneæ indagationis, & importunæ curiositatis; quem Christus quoque castigauit dicens. Non iudicetis, vt non iudicemini. Matth. 7. Quod quidem nullam habet voluptatem, vt cætera peccata, sed solum pœnam & supplicium. Etenim cum ipsi simus repleti malis immunerabilibus, & trabes feramus in oculis, peccatorum vicini, quæ à festuca non differunt, exacti sumus examinatores D. Chrysost. homil 11. in 1. ad Corinth. *Vide Magnitudo Virtutis.* Benè iudicare de proximo.

Aperto pariete seu proprio, seu communi, non A licet fenestram immittere, sed cæcus manet paries, nisi sit seruitus luminum. l. eos ff. de seruit. pred. vrban. hęc seruitus solet esse vitri dormientis, per quod datur aliquod lumen, sed ob spissitatem vitri, non est in vicinum prospectus.

Repugnat bonis moribus quod aliquis intret in domum ignotam, priusquam quid clamet.

In antro Triphonis gręciæ qui ingreditur & excubat, fit in posterum sibimet ipsi vates & interpres. Dæmon Socratis monebat tantum eum de rebus suis priuatis, vt ditiorem præ cęteris animum haberet, vitam suam ad honestatem dirigeret, in alienis negotiis sine inuidia; Ita non prædicebat exitus, bellorum, certaminum, dignitatum, cum tamen vt Diuinus id posset. Maximus Tyrius serm. 26.

B S. Greg. Nyssen. in vita S. Greg. Thaumaturgi laudat eum, quod in solitudinem se recipiens, nihil de rebus humanis, de publica administratione, de magistratu inquirebat, solum curans vt animus virtute perfectus euaderet, per vacuitatem humanorum affectuum.

Agens singulare propriis intendit, alienis se non immiscet. Vide quæ scripsi de iure Naturali lib. 2. lege 7. §. 1. Potest tamen sapiens oculos aliquando conuertere in ea quæ fiunt in mundo velut in spectaculum vanitatis & compassionis. Moral Christia. to. 2. parte 2. cap. 9. de Religioso. Vide Gloria virtutis, quieta & solitaria virtus.

C Quam dabit homo permutationem pro anima sua. Math. 18. animum peccatis, corpus morbis si laboret, externa non sanabunt pro ipsis substituta, noli igitur de alienis curare, & tua negligere, velut qui metallorum operi traditi sunt, vnde nullum illis emolumentum. De Chrysost. hom. 56. in Matth.

Caue ne quasi fidelis & famosus tuorum quondam dispensator, alienam pœcuniam distribuendam accipias: Intelligis quid loquar, dedit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. D. Hieronymus ad Paulinum de institutione Monachi. posset enim esse suspectus, non fidelis distributionis.

D Orionus quidam quem sanctus Hilarion à dæmonum possessione liberauerat, in gratiarũ actionem obtulit sancto magnam pecuniæ summam respuenti, ne incideret in crimen Giezi, & gratiam Christi videretur vendidisse, dixit, accipe & da pauperibus: At ille, Tu melius potes tua distribuere, qui per vrbes ambulas & nosti pauperes. Ego qui mea reliqui, cur aliena appetam? D. Hieron. in vita S. Hilarion.

Electionem S. Pontificis tractantes alio viuente, pœnas incurrunt contentas in Pauli 4. const. 16. pag. 600. to. 1. Bull.

Impetratio beneficiorum obtenta à viuente, post eius mortem nulla est & inualida. Paul. 3. const. 28. p. 542. to. 1. & reg. 50. Cancell.

Digitized by Google

ÆQVALITAS COGNITIONIS.

ÆQVALES INTER PLVRES COGNITIO.

FAMA publica, inueterata, non solet esse prorsus vana aut falsa Arist. 7. ethicor. prouerbialiter dicitur vox populi, vox Dei.

Verbum Imperatoris exercitus, in tuba omnibus loquitur, & quisque facit suum opus in verbo illo. Cusa, quasi tuba exalta vocem tuam, dicitur prędicatori, velut præconi. *Vide Æqualitas Veritatis.*

Licet non sit impossibilis animarum transmigratio, quam asserebant Pythagoræi, tamen idem spiritus diuinus potest pluribus communicari; sic spiritum Moysis Deus sapientibus communicauit: Ioannes Baptista fuit in virtute Elię; mortuo Ioanne alij dicebant Christum esse Ioannem, Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. sæpe Paulus dicit nos de spiritu Christi accepisse & viuere. Card. A Cusa excitation. lib. 7. cap. 9. Sic magnes diffundit virtutem suam super multos annulos ferreos. Id.

Gen. 29. non aperitur puteus, & oues non adaquantur, nisi cum fuerint greges omnes congregati. Iudæis moris erat de lege sermones habere, cum ex cunctis regionibus venissent populi ad adorandum in Ierusalem. Rupert. in Genes. lib. 7. cap. 7.

Quando cœlesti quodam afflante spiritu mentibus nostris amor accenditur, semper amante altero alter redamat, sæpe altero cogitante, alter idem similiter cogitat. Marsil. Ficin. epist. lib. 4. M. aurelio.

Magister in scolis, prædicator in Ecclesia, sacra scriptura, liber typis mandatus æqualiter omnes docet. Vt sol omnibus lucet æqualis peritia requiritur præceptorum, in his qui eandem artem & scientiam publice profitentur.

MINORITAS COGNITIONIS.

IGNORANTIA BONA.

INDI non admittebant vxores in philosophię communionem, ne fierent improbæ arcana viderent & prophanarent, si verò probæ, à viris diuerterent fortes effectæ, voluptatum contempptrices, subiectionem & seruitutem non patientes. Rodig. lib. 18. c. 31.

Simonide artem memorię iactanti dixit Themistocles præstantiorem sæpius esse artem obliuionis quæ obliteraret ea quorum noxiæ nobis sunt species. Id. lib. 20. cap. 10.

Philosophi ad regimen assumpti fiunt cæteris crudeliores *Vide Maioritas Minoritatis.* Optimi corruptio pessima.

Ferdinandus Castilio Cent. 1. historiæ Ordinis Dominicani, refert Albertum Magnum, virum alias doctissimum, quinquennio ante ipsius obitum à D. Virgine impetrasse, vt omnium eorum, vel quæ legit vel quæ audiuit, & didicit, obliuisceretur; nec eum permitteret in philosophorum opinionibus, sed in sola fide, ac Christi Domini charitate emori.

Scriptum est in Psalmis, homines & iumenta saluabis Domine, idest doctos & indoctos. Indocti B sunt quidem animalia, sed munda, vt oues de quibus dicitur, oues meę vocem meam audiunt Moyses & Elias erant homines Dei. Origin. Homil. 3. in Leuit.

Christus facit de videntibus cæcos, de cęcis videntes, facit mundana ignorari, sciri diuina. *Vide Differentia Cognitionis* ex Origene!

Obseruatum apud Hębreos, quod lectio cantici canticorum permitteretur iis tantum qui ad perfectam maturamque spiritualis ætatis perfectionem peruenissent. D. Hyeron. in prol. Cant. canticorum.

In ordine charitatis, docto, etiam in verbo Dei laboranti, pręferendus est qui propter vitæ suæ meritum Deo similior & proximior est.

Vide Maioritas Voluntatis.

C Moyses refert Deum tam fecisse noctem, quam diem: necesse enim fuit tenebras fieri crassiore natura splendorem non admittente. Greg. Nissen. in hexamer.

Si quis videtur esse sapiens in hoc sæculo stultus fiat vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum. 1. Cor, 3. Stultus autem est mundo qui externam despicatur sapientiam & eius non vtitur decretis & dogmatibus. D. Chryſ.

Digitized by Google

si sciuissent, non fuissent fortes & admirabiles? quid enim mirum si habentes pignora salutis aduersus hæc pericula se audaces præstitissent? D. Chrysost. hom. 18. in 1. ad Corinth.

Omne quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 1. Cor. 1. Talia sunt quæ non sunt mala natura, sed ex animi cogitatione & instituto faciunt immundum. Ib. hom. 25.

Id. homil. 21. in epist. ad Ephes. refert Iulianum quendam Monachum humili loco natum, externa eruditione carentem, veram tamen professum fuisse Philosophiam, & in omnium admiratione fuisse, & cum veniret in vrbem, magnus ad eum videndum fieret concursus. Si tantus huic honor in hac vita peregrina, quantus in alia?

Catechumenus per errorem recipiens Eucharistiam statim baptizatur, confirmatur quasi vocatus à Deo. *Vide Potestas Medii.* Vis Eucharistiæ.

Impetu non consulto fieri debent auguria. *Vide S. Maioritas Cognit.* Sors Plin. lib. 28. cap. 2. scribit auguria his non nocere qui illa contemnunt, nec illis fidem vllam adhibent.

In Angelis sanctis est nescientia, vt dicit D. Dionys. c. 6. Ecclesi. Hierar.

Si quis non teneatur scire, nec sciat, nullo modo ex præcepto obligatur sicut in corporalibus, agere, corporale non agit nisi per contactum, ita in spiritualibus preceptum non ligat nisi per scientiam. D. Thom. in quæst. disput. in conscientia a. 3.

Angeli in corporibus assumptis nec vident, nec audiunt, nec vllo modo sentiunt. Tostat. Exod. to. 1. fo. 45. col. 4. K.

Quælibet pœna inferni habet multum de cogitatione, quare si damnati non possent cogitare de malo quod patiuntur, non essent miseri. Id. Math. to. 7. fol. 135. c. sic somno vinoque curas suas sepeliunt homines.

Videtur quædam ignorantia hominibus bona, cum videamus plerosque, interdum cognita magis, quam ignorata contemnere. Iustinus Martyr. q. 1. ad Gentiles.

Amuleta dolores capitis, vt plantaginis radices auelli solent Luna lumine minuta. Cardan. Aph. sect. 5. Aph. 115.

Consolatio in mentis infirmitate. Vide quæ scripsi moralis Christiana. to. 4. parte 2. cap. 7. De docta ignorantia, Libello de amore Dei nascente. cap. 13. Amor Dei extinguit humanam rationem. Libello, de amore Dei patiente. cap. 4.

Stella quæ ducebat Magos ad Christum ideo fuit aliquandiu abscondita, vt amittentes itineris sui ducem, interrogare Iudæos de puero cogerentur, remque in notitiam omnium publicarent. D. Chrys. hom. 7. in Matth.

Non quia tu causam ignoras, quæcunque in mentem venerint fingenda sunt, præstat enim proba ignoratione detineri, quam falsa opinione mancipari, quę difficilius ex animo suo eijcitur; charta in qua nihil scriptum est, facilius scribitur; terra quę nihil habet, facilius aratro proscinditur, &c. Ibid. hom. 76.

Generans non cogitat de formando fœtu. In libidine enim mens alienatur quodammodo, seseque velut subtrahit, dum Archeus sui imprimit imaginem sine imaginatiua. Van Helmont.

Scientia sine debita gratiarum actione inflat, & perdit, præstantiusque est humiliter nescire, quam sciendo præsumere. Non scientia, sed humilitas est ad salutem necessaria. Multi simplices & humi-

A les cœlos penetrant, nullus vero arrogans. Laurent. Iustinian. lib. de coniugio verbi & animæ cap. 14.

Æternæ sapientiæ non displicet ignorans simplicitas, dum non ex vitio, sed ex natura prouenit. Quis non excuset simplicem, bonum, pudicum & idiotam? Legis enim ignorat talis sanctiones, mandatorum Dei perspicuam non habet notitiam, neque statuta Ecclesiæ noscit; pro posse custodit quid intelligit, nihil prætermittens eorum quæ scit, scire laborat, tamen nunquam ad perfectum attingit, quia naturalis caret acumine ingenii, nec aliud valet erogare quam quod accepit talentum; ista ignorantia hominum opinione reprobatur, sed plerumque diuinis fulget aspectibus. Non habet in se tumorem superbiæ, &c. Ibid. cap. 21.

B

A diuinorum contemplatione, quoties ad humana reciderís, non aliter caligabis, quam quorum oculi in densam vmbram ex claro Sole redière. Seneca in præfat. lib. 3 natur. quæstion.

Iustæ nuptiæ non sunt, inter ciuem Romanum, & Latinam aut peregrinam, & inde nati liberi non sunt iusti, nisi per errorem & ignorantiam contractæ probentur nuptiæ. Cuiac. Obseruat. lib. 15. cap. 13.

C

Pater in testimento scripsit, omnes filii mei exhæredes sunto; non continetur is, quem putabat esse mortuum. Id. lib. 26. cap. 9.

D. Hieron. epist. ad Nepotianum, monet eum, nunquam de forma mulierum disputes.

Romæ est congregatio quorundam Cardinalium pro indice librorum prohibitorum, erect à Sixto V. const 74. Bullar. p. 465. to. 2.

Magistri Scholarum ea quę sunt contra bonos mores, aut quæ ad impietatem inducere possunt, docere vel legere prohibentur. Leo. X. const. 7. p. 406. to. 1.

Tanto quisque magis prauus est, quanto magis sapit, vt bonum sperare non possis, nisi qui vitio naturæ vel ætatis, aut sexus, aut alia quauis causa stupidior sit. Cardan. de arcanis prudentiæ

D cap. 6.

Optimum est nescire scelera & coniurationem amici quam reuelare cogeris, vel patefacto per alios crimine, pœnas legum non vitabis. Idem cap. 81.

Ius ciuile per multa sæcula, inter sacra cæremoniasque Deorum abditum, solisque Pőtificibus notum, Cn. Flauius libertino patre genitus, factus ædilis curulis, vulgauit, ac fastos toto fere foro exposuit. Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1.

Ignorantes & indocti, magis sunt dispositi ad diuinationem. *Vide infra Maioritas Cognitionis.*

E Diuinatio.

Eclypsis Solis licet parum duret, magnam tamen efficit alterationem in inferioribus, & cessare facit diluuium ignis causatum à coniūctione calidorum planetarum in signis igneis. Albert. Magn. tract. 2. de proprietatibus elementorum cap. 12.

Cœlestia, cum nulla patiantur in suis operationibus impedimenta, habent vitam, & tamen non habent sensum. Idem tract. 1. de vegetabilibus cap. 5.

Philosophi ignorant ciuilia, rerum altissimarum contemplationi dediti; sic aues quæ optimas habent alas debiles habent pedes, quia minus sunt in terra, vt hirundines.

Animalia quæ videntur imitari virtutes ciuiles,

Digitized by Google

sor inueniat, & sit ad contemnentis, & ignorantis ruinam, quod confitentis & credentis, donatum est ad salutem, sed dicenti tibi Prophetæ, Dilata os tuum & adimplebo illud Ps. 80. tu respondere possis: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi Ps. 118. Chrysolog. serm. 58.

Scripturæ breuis sermo, in modum fulguris, priusquam illustret oculos, iam refugit, nec dat lucem videntibus, sed pauorem. Id. ser. 64.

Ideo diuina mysticè & sub parabolis traduntur, quia cum petit anima, mens pulsat, quærit sensus, sperat pietas, fides exigit, meretur intentio, apparet & sudantis fructus, & pœna desidis, & iustitia largitoris simul, quia plus accepta sapiunt, quam possessa, inuenta magis, quam subiecta delectant. Id. serm. 96. *Vide Gloria contrarietatis.* Opposita magis elucescunt.

Mahumetana religio inquiri vetat, quæ non possunt nisi agnita, damnari, sic colentium ignoratione, & pœnarum metu tuta.

Muta olim dicebantur sacrificia, in quibus ex extis hostiarum nulla poterant haberi auguria.

Sunt quidam obelisci rasi & sine hieroglyphicis erecti, sub mysterio religionem tenentes, & muto hoc signo tantum profitentes.

Ex quo Moyses loquutus est cum Deo, fit impeditioris linguæ. Exod. 4.

Perspicilia quæ rerum minutias ostendunt aucta magnitudine, opera naturæ illustrant, artis dehonestant, nam texturæ naturales multò subtiliores sunt quam artificiosæ, sic linea recta calamo ducta tortuosa apparet, propter inæqualitatem motus manus, veritas altercando amittitur.

Nocte magna Christianæ religionis mysteria peracta sunt, Christi natiuitas, dum medium silentium tenerent omnia. Eucharistia. Resurectio.

Agesilaus Lacædemoniorum princeps perpetuo edicto cauit, ne quis eius imaginem vllo modo exprimeret, quia existimaret à nullo prorsus opifice singularem eius formam posse absolui. Plotinus non est passus effigiem corporis sui à pictoribus exprimi, animum vero non videri. Petrus Crinitus de honesta disciplina, lib. 16. c. 7.

Apud Ægyptios alias habuisse literas sacerdotes dicunt, alias vulgus sacerdotes ἱερὰ idest sacras. Isidor. Origin. lib. 1. cap. 3. Rodigin. lib. 18. c. 37.

Theologia primum à poëtis tradita sub vocum & fictionum inuolucris. Rodigin. lib. 7. c. 1.

Repugnantia Vide Magnitudo Veritatis. Veritas omnibus cognita.

Cardinales sunt nunc in Ecclesia quales erant apud Iudæos septuaginta sapientes, quibus secreto committebatur verus legis sensus & eloquium Dei, vt ait Paulus. Rodig. lib. 10. c. 1.

Missa tempore sacrificii est quando catechumeni foras mittuntur clamante Leuita, Si quis catechumenus remansit, exeat foras. Isidor. Origin. lib. 6. cap. 19.

Math. 9. præcipit Saluator, Quia nemo mittit vinum nouum in vtres veteres &c. idest animæ nondum reuocatæ, sed in vetustate malitiæ perduranti non oportet secreta diuinorum committi. Origen. Hom. 4. in Leuit.

Loquimur sapientiam inter perfectos, quæ abscondita, & quam nemo principum eius sæculi cognouit. 1. Cor. 2. Vt in scriptis litteris ignorantes vident tantum chartam & atramentum, & docti sensum percipiunt; sic in baptismo aliud Christianus intelligit quam aquam, in sacris scripturis aliud quam quod littera sonat. D. Chrysost.

A Hom. 7. in ep. ad Corinth. de mystico scripturæ sensu. *Vide Differentia Veritatis.*

Vt qui purum solis radium vellet oculis suis sustinere, nihil posset operari, imo luminis ipsius vsum amitteret: sic qui voluerit diuina humanis rationibus metiri. Hinc natæ sunt hæreses Manetis, Marcionis, Valentini, qui perniciosa dogmata, in Ecclesiam inuexerunt, Idem Homil. 2. in 2. ad Timoth.

Missæ obscuro nomine vsi sunt primi Christiani, vt tantum mysterium, non proderetur infidelibus. Baron. an. 34.

Catechumeni non admittebantur nec ad participationem, nequidem ad sermones Eucharistiæ, ne rem tam difficilem renuissent credere. D. Dionys. B Eccles. hierar. cap. 5.

Moyses sub nomine cœli, intellexit Angelos, quasi per metonymiam ponit continens pro contento expressius non loquitur de substantiis spiritualibus cœlo nobilioribus, ne populus procliuis ad idololatriam eos sicut Deos coleret, D. Thom. in quæst. disput. q. 3. a. 19. ad 4.

Vtiliter à Deo dispositum, vt veritas in sacra Scriptura cum aliqua difficultate manifestetur, est enim hoc vtile ad tollendum fastidium, quia ad ea quę sunt difficilia maior surgit attētio quæ tædium tollit, tollitur superbiendi occasio, & dum veritas difficulter capitur, ab infidelium irrisione deffenditur. Id. quodlib. 7. 2.

C Apostolos Christus multa docuit in secreto, vt patet. Marc. 4.

Arca fœderis erat clausa, vide Tostat. Exo. to. 2. fol. 27. c. 5. g. & ponebatur in parte sanctuarij magis abscondita. Erat sẽper cooperta nisi cũ erat in sancta sanctorum. Id. 1. Paral. fo. 144. c. 3. f.

Bethsamitæ discooperientes arcam Domini vt eam nudam viderent, mortui sunt. 1. Reg.

Ezechielis principium & finem; exordiũ Genesis, & Cantica canticorum non permittunt Hebræi legere quemquam, quantumcumque doctum ante 30. annum ætatis. Id. Gen. fo. 27.

D Iudæi habebãt capita velata in sacris, ex illo exod. 3 quando abscondit Moyses faciem suam nolens aspicere contra Deum. Id. Leuit. fo. 131.

Nomen Demogorgonis, qui erat primus Deus, sic fuit apud antiquos gentiles occultatum, vt illud non nominarent, quia sic honorem illius crescere magis putauerant, si non nominaretur, & tantæ reuerentiæ dicebant illud esse, vt quandocumque nominaretur, terra tremeret. de quo Lucan. lib. 6. Tost. Exo. to. 1. fo. 165.

Intra Propitiatorium iacebat corpus quoddam formatum ex aëre denso in quo loquebatur Angelus formans voces quæ audiebantur in Propitiatorio, & propter hoc mandabat Deus, vt esset locus E ille sine lumine, nec sacerdos ibi intraret, nisi prius acciperet thuribulũ cum thymiamate, vt exhalaret vapor eius, & operiret, cuncta quæ intus erant, ne moreretur sacerdos, videns. Id Exo. to. 2. fo. 33. & Leu. 4.

Eo quod homines remotiora magis admirantur, veritatem poëtæ fabulis & ænigmatibus texerunt. Maximus Tyrius. serm. 29.

Quo plus sunt alti montes, eo magis est inscrutabilis aquarum profunditas ad eorum radices. *Vide Maioritas Magnitudinis.*

Religionis mysteria sapientes non ipsi vulgo notis vocabulis sed admirabilibus verborum & figurarum inuolucris, non tam operuerunt, quam contexerunt, quam ab iniuria & contamina

tione prophanæ plebeculæ subſtraxerunt, veritine à quoquam polluto contrectaretur nitidiſſima res. Lud. viues de ſectis Philoſophorum.

Sunt quædam genituræ ſignificatis non congruentes, & hæc vocentur monſtroſæ fugiendæ ſunt, quia artem euertunt, vt corpora monſtroſa in diſſectionibus. Cardan. Aphoriſ. ſect. 3. Aphoriſ. 21.

Diuina prouidentia ratio non eſt curioſè nimis inueſtiganda. Vide quæ ſcripſi Theol. natur. to. 3. cap. 7. periculoſa, eſt Religione curioſa nimis diſcuſſio. Moralis Chriſtianæ. to. 1. parte 2. cap. 5. & lib. de agente Dei in rebus humanis parte 1. cap. 5. & 5.

Maria Virgo fuit deſponſata Ioſeph, ne crederetur concepiſſe ex ſtupro, & latuit initio virginitatis ſuæ myſterium, ne lapidaretur vt adultera à Iudæis calumniatoribus qui Ieſum eijcientem dæmonia dicebant à dæmone poſſeſſum. D. Chryſoſt. hom 5 in Matth.

Poëtæ Religionis & cœleſtium myſteria texerunt fabulis, ne vileſcerent omnibus, proſtituta, aceſcerunt in malorum mentibus, vt vina in corruptis doliis. Hinc enim falſis infectæ ſunt ſcientiæ, & in erroris patrocinium detortæ. Leo Hebræ Dial. 2. de amore.

Sacerdos tacitè pronuntiat in miſſa que proxima ſunt conſecrationi, ne ad tantum myſterium pertinentia vileſcerent, dum à laicis per vſum in vicis & plateis decantarentur. Alcuin. lib. de diuin. officiis cap. 40.

Vide Cognitio Virtutis. Repug. Dei dona non ſunt vulgenda.

Tunica Hyacinthina ſeu ſubucula ſummi Sacerdotis, ſignificat rationem ſublimium non patere omnibus, ſed maioribus atque perfectis. D. Hieron. ad Fabiolam de veſte ſacertotali. Hanc inquit, habuerunt Moyſes, & Aaron & Prophetæ, & omnes quibus dicitur: In montem excelſum aſcende tu qui Euangelizas Sion.

Quodcumque incompertum eſt, maius ſemper fingitur, quoniam in infinitum tendit animus & voluntas & ſpes etiam. At vires humanæ paululum progediuntur. Card. de arcanis prudent. c. 26.

VSVS INCOGNITÆ lingua in diuinis Officiis.

IVdæi in officio diuino vtuntur Hebraico idiomate, quod nec vulgare nec cognitum fœminis vel pueris, ſed ſolum iis qui ſtudio illud apprehenderunt Teodo. q 60. in Geneſim refert olim apud Iudæos Hebraicum Idioma nullatenus fuiſſe vulgare, & tempore Chriſti Domini non fuiſſe cognitum idiotis qui nullũ aliud quam Syriacum intelligebant. Vt etiam teſtatur Euſeb. demonſt. Euang. lib. 3. cap. 7. Id Chriſtus & Apoſtoli non reprehenderunt. Carmina ſaliorum vix ſacerdoribus ſuis erant intellecta, ſed quæ mutari vetat Religio; inquit Quitilian. lib 1. Inſtit. cap. 6 Turcæ & Perſæ in templis ſuis non vtuntur idiomate inter ipſos communi, ſed Arabico, quod vulgus non intelligit. Idioma vulgare mutatur in dies, ideo non eſt aptum medium Religionis quæ debet eſſe immutabilis, ſermonis enim innouatio, nouitatem in rebus poſſet afferre Vniuerſalis Eccleſia ſuo & omnibus communi idiomate debet vti, ſicut in Græcia ſchiſmatici Græco litterali, non vulgari vtuntur; ſic plures ſe melius intelligunt quam ſi communi & vitioſo idiomate celebraretur, nec enim omnes galliæ ſubditi, gallicum ſermonem intelligunt, nec ipſos galli loquentes percipiunt. Vt Prouinciales, Vaſcones, Picardos; infimos Armoricos, at communis eſt omnibus lingua Latina, omnibus fere, ſi plebis fæcem excipias, nota, Polonis, Anglis, Germani, &c. Et ſi vulgus non percipiat quæ cantantur in Eccleſia ſufficit quod laudibus Dei affectibus adhæreat. Trident. ſeſſ. 24. cap. 7. præcipit Parochis, vt inter Miſſarum ſolemnia, aut diuinorum celebrationem ſacra eloquia & ſalutis monita vernacula lingua ſingulis feſtis diebus explanent. Adde, quod notat Origenes, etiam Idiotas in diuino officio quod non intelligunt & pietatem affici ab Angelis qui talibus adſunt gratulabundi *vid. ſupra Poteſtas Cognitionis, vis Nominum.* Non poſſent ad Concilia conuenire Epiſcopi, niſi eſſet lingua Latina communis, & tot ſcripta SS. Patrum de myſteriis fidei, & de formandis moribus, lingua Latina, Græcaque litterari comtempta perirent.

Gregor. 7. Vladiſlaum Bohemorum Ducem ſpecialibus litteris informauit, ne vllo modo diuina officia, populis Idiotis in vulgari lingua, propter arcana & inſcrutabilia myſteria, in eis contẽta, traderentur. Oleaus Magnus lib. 14. cap. 22.

Diuina non debent vt prophana communibus vti mediis *Vide Gloria Differentia.* Honorifica diſtinctio *Et Gloria Medii, Illuſtre Medium.*

In officio Latina lingua celebrato intermiſcentur quædam vocabula Greca, vt Kyrie eleiſon, agios ô Theos, quia quædam Græca melius ſonant, & vt vnum eius populum eſſe oſtendamus, vnumque Deum vtrumque populum credere. Alcuin. de diuinis officiis, cap. 40. Permiſcentur etiam verba Hebraica communiter non intellecta, quia illis ineſt ſecreta vis. *Vide Poteſtas Cognitionis vis Nominum.*

DE RELIGIONE non diſputandum.

HVmida cum agitantur frigent, quia illis caliditas eſt acceſſoria & peregrina, quæ motione exprimitur & diſcutitur. At caliditas mari innata, à ventis excitatur magis, aliturque. Plutarch. lib. de cauſis naturalib. cap. 8.

Cap. quicumque de hæreti. in 6. prohibetur laicis etiam doctis, priuatim, vel publicè de fide diſputare, non vero doctis clericis S. Sacerdos non debet ſcindere veſtimenta ſua. Nec ingredi ſuper mortuo.

Omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Exod. 19. Non eſt malum, imò optimum Deum videre; ſed malum eſt ei qui per curioſitatem illum quærere audet, æſtimans quod Deus ſit vt homo membris diſtinctus. Rupert. in Exod. lib. 3. c 28.

Ex Bethſamitis ſeptuaginta magnates qui æquiualent quinquaginta millibus plebeiorum, moriuntur, eo quod curioſè nimis inſpexiſſent Arcam Domini. 1. Reg. 5. Id enim ſolis ſacerdotibus erat permiſſum. Num. 4. Sæculares Religioſa curioſius ſcrutantes, fiunt hæretici. Id. in 1. Reg. cap. 17

Eccleſia prohibet legi Biblia, lingua vulgari, ne

prohibet escas puero, licet tollat è suis manibus cultrum quo se posset lædere. Sic Origen. in prologo super Cantica refert olim in Ecclesia prohibitum legere Cantica. A

Sic D. Hieron. lib. 1. contra Pelagianos illis obiicit quod apud illos fœminæ volunt videri controuersiarum peritæ & cantent cum viris in Ecclesia. Et epist. ad Paulinum 103. & D. Basilius monet Chilonem temere scripturas non esse interpretandas. Hæc fusius. Vide apud Card. de Richelieu Controuers. c. vlt.

Syri habent in templis argentea piscium simulachra. Rodig. lib. 18. c. 33. silentium in rebus diuinis significabant. Signum piscium est domus Iouis Planetæ, Religioni præsidentis.

Leuit. 21. Summus sacerdos non aufert de capite suo cidarim, non aperit Religionis mysteria. B Leuit. 23. Duodecim panes propositionis ex simila munda confecti, solis sacerdotibus, filiis Aaron sequestrantur, est secreta de diuinis scientia mystis seruata, &c. Origen. in Leuit. homil. 13.

Sancta sanctorum nuda nulli hominum licet inspicere, sed solis tantum sacerdotibus. Num. 4.

Math. 13. Thesaurus in agro inuentus, est mysticus sensus, qui debet abscondi. Origen.

Paulus docet rationem factorum à Deo non exigendam per comparationem figuli. Rom. 9. *Vide Media Concordantia.* Ex D. Chrysost.

Quę exuperant rationem sola fide indigent, C nam si velimus persuadere rationibus quomodo Deus factus sit homo, & cætera mysteria magis irridebunt Res enim magnas ratio nulla potest ostendere. D. Chrysost. hom. 4. in 1. ad Corinth. Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia, &c.

In negotio Religionis vix humilitate peccatur, ascensu sępè.

Iam non est fabula Bellatricem Mineruam ex parentis cerebro cum armis natam, statim à partu hostes quæsiisse, quos conficeret; talis est nunc diuinitus tradita Theologia, arguta, procax, pacem inquietat, perturbat: nimia nunc doctorum in se sæuientium subtilitate laborat orbis. Hoc potissimum habent ex Euangelio non veni pacem D mittere sed gladium, veni enim separare filium à patre, &c. *Vid. Contrarietas Concordantia.* Schisma.

Non sine magno discrimine de Religionis Christianæ veritate disputamus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus: magni periculi res est, si post prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem Christi fidem, quasi nouellam discutere præsumas, & post tam manifestos duces in errore permaneas, & post morientium sudores ociosa disputatione contendas. Laurent. Iustinian. de fide cap. 6.

In Religione nimię discussiones sunt periculosa. Vide quæ scripsi Moralis Christianę. to 1. part. 2. cap. 3. E

Vlpian. in l. si fideiussor §. quædam. ff. mand. eleganter dicit non congruere bonæ fidei iudicio de apicibus iuris disputare, minutias & iuris nimias subtilitates scrupulositatesque sectari, ne propter nimiam subtilitatem verborum, latitudo voluntatis contrahentium impediatur. Vide Cuiac. Obseru. lib. 27. cap. 13.

Origenistæ veritatem S. Scripturæ vitiant per tropologias. *Vide Differentia Veritatis.* Diuersus Scripturæ sensus.

DE HIS QVÆ CASV benè cesserunt.

APud Romanos nullum Sapientiæ fuit fanum; Fortunæ permulta tum antiqua, tum eximia in insignibus vrbis locis dicata. Ea refert Plutarc. lib. de fortuna Romanorum; cui in condendo & conseruando imperio, plus tribuit, quam prudentiæ & fortitudini.

Sæpè etiam stultus fuit opportuna loquutus; Venit veritas in lucem, sæpius non quæsita.

Aliquando sorte vtendum vt vitetur multorum indignatio; tunc Deus, bonaque fortuna debet inuocari. Plato. 6. de legib. Quæ ad sacerdotum electionem pertinent, Deo, & sorti in eius potestate committenda sunt, vt quemadmodum illi placet. Ibid. *Vide Maioritas Cognitionis.* Sors.

Sæpius nauis ad certum naufragium mari exposita, sine velis, remigio, & gubernaculo fœliciter in portum appulit.

Manifestum est sydera non habere in animo, vt fiant quæ fiunt, sicuti neque ignis qui de syderali natura est, neque tellus, aliud quam ignem & tellurem facere satagunt, verum dum pugnant, quodam fato, idest causarum concursu, & necessitate fit, vt harmonicè producant animalia, plantas, lapides, liquores, & cæteras res, quæ rerum vniuersitatem integrant, & variis vsibus, mutuisque iuuant; hinc etiam elucescit causas nobiliores esse in mundo, quæ syderibus & elementis vtuntur, ad rerum productionem & transmutationem. Vt ferrarius vtitur igne, &c. Campanella in præfatione Astrologiæ.

In Germania comitatu Mansfeld, terra fert lapides nigros in quibus apparent naturaliter depictæ piscium & auium imagines. Dauity. similiter in Ægypto, circa Baruc in mõtibus inuenitur lapis, in cuius medio est figura piscis sculpti & colorati, vnũ ex illis lapidibus hinc allatũ habeo apud me.

In antris in quibus stillantes aquæ lapidescunt, videre est, columnas & alia velut arte facta.

Cum quis piscaturus egreditur, si casus attulerit, feram repente, vel volucrem, capit, etiam si nihil de venatione vel aucupio proposuerit; Saluator noster cum domum principis Synagogę, filiam eius resuscitaturus inggreditur, mulieri fluxũ sanguinis patienti, velut absque ea, quam cœperat intentione medetur. Math. 9. Sic scriptores & oratores vtiliter in quædam facta diuersione incurrunt. P. Damiani Opusc. 19.

Godofredus de Bouillon obsidens Ierusalem, vna sagitta emissa tres simul transfixit aues, quas posuit in stemmate, cum hoc dicto. Casus ne, Deus ne: hinc enim victoriæ augurium fuit.

Vide Veritas, Virtus. Vera virtus etiam vrgente necessitatē.

Æquinoctũ à casu & fortuna, quod tamē cõgruit. *Vide Concordantia Differentia.* Ordo, de arboribus quarum rami sunt inconditi, & inordinati.

Ventus turbinis violentus & eradicans, permiscens & confundens, fit tamen in orbem, vt regulatus motus cœli. Sic etiam inter malos, vt inter dæmones est ordo.

Sicut vapores terræ referunt in nubibus figuras hominum, bestiarum, &c. quæ euanescunt quia recipiuntur in materia fluida, sic intra terram, cum recipiuntur in materia sensim lapidescente apparent lapides taliter figurati. Hæ autem figuræ pendent à cõstitutione cœlesti, sub qua vt in ordi-

Digitized by Google

natis, speciebus fiunt internum monstra, sic vbi A foelix est, fiunt in inanimatis animatorum figuræ. Albert. Magn. de mirabilib. lib.2.tr.. c.2. *Vide Principium Glorię.* Bona fortuna.

Constantinopoli in S. Sophiæ templo sunt duæ candidi marmoris, dissecti crustę, quarum vtriusque maculæ nonnihil cinerei coloris, ita sponte natura discurrunt, vt totam D. Ioannis Baptistæ, vestiti tergore cameli imaginem repræsentent; eas Turcæ ostendunt Christianis. quomodo proditur gleba parii marmoris cuneis diuidentium soluta, imaginem Sileni intus extitisse. In Chiorum lapidicinis saxo diffiso, caput Panisci. Rauennæ in Templo D. Vitalis est marmor quod item cinereo colore refert à natura ferè statum & B habitum cœnobitæ Franciscani. Georgius Agricola lib. 7. initio de natura fossilium Lutetiæ Parisiorum saxum diuisum coronę laureæ speciem reddidit. Id.

Argentum purum natura format in figuras, modo arborum, modo virgularum, nunc verò capillorum. Id. lib. 8. in principio.

Calor mouet imaginationem, vnde nonnisi poti, amentes, vel irati quidam bene versificantur hinc Iuuenalis. *Si natura negat, facit indignatio versum.*

Quæ casu accidunt, proueniunt vt in minori parte, at congruentiæ naturales sunt in maiori parte, vnde constat quod non sunt à casu, nec à cognitione carentibus, sed ab intelligentia directę, sic C opus naturæ dicitur opus intelligentię. D. Th. in quęst. disput. de prouid. q 5.a. 5.

Tubal Cain artem ferrariam sic inuenit, dum succenderent fruges in pascuis, venę metallorum, quę superficie tenus eminebant, fluxerunt in riuulos, & sublatæ laminæ, figuras locorum, in quibus iacuerant, referebant, vnde cognouit quod metalla igne fusa in varias figuras duci possent. Tostat. Genes 29.

Aquæ gelu concretæ referunt interdum species arborum, animalium, vultuum humanorum innumera varietate, etiam ædificiorũ, instrumentorum artis cuiuslibet per coincidentias inexplicabiles. Olaus Magnus. lib. 1. cap. 21. & 22.

In littoribus Ostrogothorum reperiuntur in saxis D figuræ quasi humana arte sculptæ, referentes caput humanum, pedes, non tamen integrum corpus, id tribuunt cœlorum influxui. Ibid. lib. 1. c. 31.

Casus multa restituit. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 2. lege 20. §. 5.

Datur contingentia in rebus. Vide quę scripsi in Apologia fati vniuersi. cap. 2.

Querceranus è cinere vrticæ debile traxit lexiuium, quod congelatum exprimere visum folia dentata vrticæ, vnde fundauit axioma, quod in cinere ens seminale figuratiuum herbarum inuictum permaneat, non aduertit quod omnis glacies incipiens, dentatas cuspides ad formam folii E vrticę facit; ita falso casum duxit in axioma. Van helmont. De alea & casu vide infra hoc tr. in fine.

Cum ex scripturis constet homines ab vno fuisse procreatos, si quęratur quomodo aliqui potuerint in Indiam occidentalem eius & insulas peruenire. Respondendum id casu contigisse, nauibus vt ventorum & tempestate actis, A Costa lib. 1. histo. Indicæ, Vbi cap. 21. asserit posse conuenientius, homines & animalia fera peruenisse ad illas regiones per terras quæ faciunt continuum; licet nunc terras maria pluribus in locis occuparint, vt de submersa Atlantide loquitur Plato.

Temerariis remediis graues morbi curentur. Seneca lib. 4. contr. 5.

Nauclerus tempestate eiectus in terras Indiæ occidentalis, & inde secundis ventis rediens in Lusitaniam, Christophoro Colombo auxit desiderium & spem tales terras lustrandi, quæ ex statis annuis ventis esse iam coniecerat.

CÆCITATIS malum & consolatio.

QVintilia. declam. de filio cæco qui accusatur patrem occidisse. Temeritas, inquit, omnis animorum, calamitate corporum frangitur, & trigescunt impetus mentium, quos non explicans ministeria membrorum; ad solum se alligant destituta mœrorem. Vultus ille perpetua nocte coopertus ac timidus, non concipit nefas, ad quod ducibus oculis peruenitur, cogitat semper errare & offendere, cogitat eundi redeundique difficultatem. Magna innocentiæ necessitas est, neminem facilius posse deprehendi; semper se custodiunt miseri, ne esse miserabiles desinant, & quisquis amisit oculos laborat, ne meritò perdiderit. quid aliud cæcitas nescit, quam rogare, blandiri, odium omne adiuuant oculi, & nunc in pectoribus humanis furorem, lumina accendunt, cæcus miserior est, quam vt inuisus sit, timidior, quam vt oderit. Vitiis nostris in animum per oculos via est.

Visus damnum sarciunt reliquę voluptates, odor, gustus, tactus, auditus, quibus tametsi de. esse summam fatendum, non est tamen maxima calamitatis loco numeranda parum plena fœlicitas. domus propria, lectus genialis, conuentus propinquorum, sermo amicorum, in quacumque fortuna beata libertas, tot voluptates obruere possunt vnum dolorem. Rerum natura nihil genitura est spectaculo nostro nouum; media sui parte quotidie natura cæca, noctem die inuoluente; alienis oculis vt licet, malum fœminæ leuius qua debet domi manere. Id. declam. 6.

De causis cæcitatis. *Vide contrarietas Cognitionis.*

Grauis tamen priuatio cæcitas qua vita fit quodammodo non vitalis cæteris partibus interdicto mulctatis, non eunt pedes, manus non operantur, menti sunt inutiles artium & lectionis habitus, auris præsentem, si tacet, non discernit; lingua vincitur, nosse non valens cui loquatur, tali vitæ vnica & tota nox est, mundus inuisibilis, artificii mundani pulchritudo ipsi incognita, quod enim sol in mundo, hoc oculus in corpore. propterea dicit Christus. Lucæ 11. Lucerna corporis est oculus, S. Basil. Seleuciæ. orat. 36.

DEFECTVS COGNITIONIS, seu ignorantia mala.

D. Basil. in Hexamer. Hom. 1. inuehitur in eos, qui ex eo quod dicitur, erant tenebræ super faciem abyssi, tenebras partiale mundi principium asserunt; Tenebras, inquit, hostes animarum, mortis effectrices, virtuti aduersarias.

Omnis scientia sana ordinabiliter vitat ignorantiam execrandam. Nam cum scriptum sit, noluit intelligere, vt benè ageret, certum est quod qui intelligere noluit, benè agere contemnit; nullus

ergo idcirco sibi existimet in licitum faciendi licere quodlibet, quia se nouit legum decreta, sanctionesque nescire, nam non insontem faciet ignorantiæ causa, quem noxiorum damnis implicauerit culpa. in legib. Vuisigoth. lib. 2. ti. 1. cap. 3.

Mala omnia mundum inficiunt, cadunt regna, malè succedunt consilia hominibus, &c. quia non legitimam, sed spuriam omnes sectantur cognitionem, Medici, Iurisperiti ad lucrum, Theologi consultis concionum centonib. sese efferunt, &c. Paracelsus lib. de fundamento scientiarum. Homo qui hominem se sapientia & scientia non præstat, monstrum est; quia nimirum homo non est, sed animal. Ibidem.

Nauigantes circa polum aquilonarem, non possunt vlterius penetrare, quia debilis illis solis calor eleuat nec dissoluit vapores, sic aër semper est caliginosus, itaut homo non possit dirigere, & si intraret caliginem non posset inde ad lumen redire, Albert. Mag. tract. 1. de natura locorum cap. 8.

Quantus erit timor super infirmum, cum fuerint luminaria hora interrogationis sub terra. Almansor. propr. 70.

Saturnus impedit lunam quando est minuta & destructa. Haly. 1. parte. cap. 4. de luna.

Quidquid occurrit, nequaquam potest euitare cæcitas, nisi offensa, vt ambulare, vt ingredi nocte possimus, dies facit. Quint. decl. 2.

Quæ opus est, præsens dispice, ne præsens absis.

Errant peregrini in viis, imperiti in rebus. Ignari homines forma tantum à brutis differunt. Amentia duplex vel insania, vel inscitia.

Vide Contrarietas Cogn. Cæcitas ex peccato.

Aues nocturnæ sunt immundæ. Leuit. 11.

Præceptum audiendi Missam, significat & adesse humano modo, idest corpore & animo; vnde alia negotia versans animo, non censetur satisfacere præcepto, quia non adest mente. Bonacina de sacrificio Missæ. q. vltima.

Antiqui si non accipiebant oracula vera, id tribuebant iratis numinibus.

De ignorantiis variis. Bernard. quad 2. serm. 49.

Cenocephalus, simia caudata tristis est, melancholia laborans, & sanguinem per vrinas emittens dum luna lumine caret.

Arist. 2. Physico tex. 6. dicit cæcum ratiocinantem de coloribus, de hominibus eorundem differere quidem posse, sed quantum ad res, ipsum nihil omnino concipere.

Omnis ignorans malus. Arist. 3. eth. cap. 1. loquitur de voluntaria & affectata, aut crassa quæ dolo assimilatur, ignorantia iuris non excusat, quia quidlibet debet scire artem quam profitetur.

Darius iussit crucifigi medicos quosdam ignorantes, qui morbo quo laborabat non potuerant mederi. Herod. lib. 5.

Decima plaga Ægyptiorum fuerunt tenebræ palpabiles.

Salomon in nocte & per somnium sapientiam nō perseueraturus accipit. Rupert in lib. Reg. 5. c. 2.

Vapor terrestris grossus qui causat terræ motum, quia diu fuit retentus in tenebris, cum incipit expirare, est pestilens, & solem obscurat, sic puteus ab antiquo tempore clausus, cum aperiretur Paduæ plures homines tetro suo vapore necauit. Albert. Magn. meteor. lib. 3. tr. 2. c. 12.

Nigrum causatur ex priuatione luminis ab interioribus perspicui. Ib. tr. 4. c. 2. Nigrum autem est omnino sunt. *Vide Cognitio Contrarietatis.*

Quidam vidit in somnis effodi sibi oculos, post duos dies interfectus est. Suidas.

Margites quidam vltra quinque numerare non potuit, nullius rei fuit peritus. Id. in voce μαργίτης.

Sol obscurus in somnis conspectus, malum omnibus significat. Id. in voce μαυρωσις.

Abyssus dicitur ab à, quod est sine, & byssus, quod est genus lini candidissimi, est igitur abyssus, quasi sine claritate candoris: peccata dicuntur abyssus quia incomprehensibilia sunt pondere & profunditate.

Aquæ turbidæ celerius corrumpuntur, & quæ sunt claræ, antequam corrumpantur, conturbantur. Cardan. de rer. varietate lib. 1. cap. 6. quæ sunt mali odoris & saporis, aut turbulentæ, quæ non clarescunt sunt exitiales & pessimæ. Ibid.

Nati interlunii tempore aut non viuunt, aut debiles sunt, etiam atra bile laborant. Id. cap. 40.

Stupidum dicitur quod sensu caret, paralyticum quod sensu & motu.

Anima sine scientia, est caput sine cerebro.

In medicina falsitas præceptorum causas mortem: in politicis seditiones, bella, interitum Reipublicæ.

Morbi lunares sub nouilunio noctu exasperantur, tunc cum luna minus habet luminis.

Oculi membrana, sub morte manifesta luce destituitur.

Quæ à luna pendent vt cerebrum, medullæ ossium, si patiantur ægritudinem, augentur nocte, cui ex imperio Dei luna præsidet.

O nescientiæ quanta sunt mala, sub ipsa iacet ratio, discretio periclitatur, fluctuat mens, fugatur humilitas, virtus deperit, pax, ordo confunditur, disperditur gratia, & desideria sancta concepta frigescunt. Vbi dominatur ignorantia, ignauia præualet; vbi dormitat custos, ibi aduersarii irrumpere solent. Monet Apostolus, Surge qui dormis & illuminabit te Christus. Improbum & verecundum est, aduersariis irruentibus dormitare, &c. Laurent. Iustin. de interiori conflictu. c. 8. defectu lucis intellectualis non videntur hostes spirituales; sic coram Deo semper vidente non possunt, vt decet, impugnari.

Prætor vel præses non tenetur ex edicto, quod quisque iuris: qui ius dixit iniquum, sic ex imperitia iuris non tenetur, assessor autem tenetur, quia se pro iuris perito agit & scientiam iuris præstare debet, quam Præsides prouinciæ, Senechalli viri sæpius militares non callent. Cuiac obseruat. lib. 23. c. vlt.

Longè à peccatoribus salus, quoniam iustificationes tuas non exquisierunt. Psal. 118. Non tam ignoratæ, quam repudiatæ veritatis est reatus. D. Hilar. Noluit intelligere vt benè ageret.

Charondas qui Atheniensibus leges dedit, dicebat, Qui se populo committit, fortunam non rationem sequitur; qui fortunæ fauet, periculo & aleæ se dedit, qui in alea est, ad ruinam & cladem inclinat. Petrus Crinitus de honesta discipl. lib. 1. cap. 4.

Vox est aër ictus sensibilis auditu quantum in ipso est. Est articulata aut infusa. articulata est hominum, confusa animalium. Articulata scribi potest, confusa non. Isidor. Origin. lib. 1. cap. 14.

Nox à nocendo dicta. Id. lib. 5. cap. 13, tunc enim viget tempus criminum, & dæmonum qui fugantur luce; tunc perit rerum creatarum pulchritudo.

Digitized by Google

Exteriores damnatorum tenebræ non tam aërem aliquem obscurum & sine lumine significant, quam eos qui profundæ ignorantiæ tenebris immersi, extra diuinæ intelligentiæ lumen effecti sunt. Origen. periarchon lib. 13. cap. 2.

Non est putandum omnem ignorantiam sufficere ad apologiam; quædam enim veniam non habebit. Nam & Iudæi ignorarunt, sed ea ignorarunt, quorum ignorantia veniam non meretur, & Græci ignorarunt, sed excusationem non habent. Quod si ea ignoraueris quæ sciri non possunt, præter culpam erit, si vero quæ scitu & impossibilia sunt & facilia extremas pœnas meritò dabis, si enim in his quæ ad nos pertinent non fuerimus negligentes, in his quę ignoramus Deus manum porriget. Nam sole clariora sunt, quæ veritatis sunt, &c. D. Chrysost. Homil. 26. in epist. ad Roman.

De lege naturali omnibus nota & cuius non potest prętendi ignoratio. *Vide Principium Veritatis.* Lex naturæ.

Cubiculum si fenestram non habeat, cæcum dicitur. Cuiac. Obser. lib. 2. cap. vlt.

Angelorum operatio propria est contemplari, vnde beatis assignatur cœlum empyreum lucidum vt illis congruum, malis autem locus tenebrosus quantum ad potentias per peccatum obtenebratas quia recesserunt à prima luce. D. Thom. in lib. 2. sentent. dist. 6. q. 1. a 3.

Est ignorantia triplex eorum scilicet, qui scire nolunt cum possint, quę non excusat, quia & ipsa peccatum est, & eorum qui volunt & non possunt, quæ excusat, & est pœna peccati, non peccatum; & eorum qui quasi simpliciter nesciunt, non renuentes vel proponentes scire, quæ neminem planè excusat, sed sic fortasse vt minus puniatur. Magist. sentent. dist 22. q. 2.

Quale malum sit ignorantia, collige per oppositionem ex bono scientiæ quam prohibet. *Vide Bonitas & Virtus Cognitionis.*

Dicitur 1. Corinth. 14. Si quis ignorat ignorabitur, scilicet per reprobationem, sed talis reprobatio debetur peccato, ergo ignorantia est peccatum & D. August. lib. 3. de lib. arbit. dicit quod stultitia est, rerum appetendarum & fugiendarum vitiosa ignorantia, vitiosum autem est peccatum. Differunt nescientia, ignorantia, & error; nescientia importat simplicem negationem scientiæ rei ad se non pertinentis, vnde potest esse in Angelis vt dicit D. Dionys. 6. Ecclesi. hier. ignorantia est carentia scientiæ, quam quis natus est habere: error est approbare falsa pro veris, vnde addit actum quendam super ignorantiam. Ignorantia qua quis ignorat ea quæ tenetur scire, non est absque peccato tenetur autem scire quilibet ea quibus dirigatur in propriis actibus, vt quæ sunt fidei; præcepta decalogi per quæ potest peccata vitare & bonum facere, vnde coram omni populo sunt diuinitus promulgata Exod. 20. Amplius quisque tenetur scire quæ ad suum officium pertinent. Ignorantia quæ est omnino inuoluntaria, non est peccatum, vnde dicit Augustin. lib. 3. de lib. arbit. c. 19. Non tibi imputatur ad culpam si inuitus ignoras, sed si scire neglexeris. D. Tho. in quæst. disput. de causa pecc. q. 3. a. 7. ad 7.

In affectata ignorantia, voluntas præcedit, at quod ex voluntate causatur, voluntarium in moralibus reputatur; voluntaria enim ignorantia non causabit inuoluntarium. Ebrius qui facit homicidium meretur duplices maledictiones, quia duo peccata facit; minus tamen peccat in homicidio

A quam si sobrius occideret. Ib. a. 8. o. & ad 3.

Error magistri in his quæ sunt contra fidem vel bonos mores non excusat discipulum, in rebus enim dubiis non est facilè præstãdus assensus, sed debet cõsulere manifestum Ecclesiæ testimonium & authoritatem Ecclesiæ. Idem. quodlib. 3. a. 10.

Peccat qui fit iudex non habens peritiam iuris. Test. Matth. to. 4. fo. 174.

Iudæi non sunt excusabiles qui vt lex Mosaïca non deficeret, infirmare conati sunt miracula à Christo, corruptis militibus pecunia, conati sunt populis persuadere fictam fuisse resurrectionem, impletis prophetiis fidem habere noluerunt, nec expertis etiam malis suis credunt. hæc est affectata, & pertinax ignorantia. Iustin. Martyr. quæst. 108.

B ad orthodoxos.

Deterius est aliquem credere se scire quæ nesciat, quam ignorare quæ debeat scire. Cardan. Aphoris sect. 1. aphor. 78.

Ignorantia peccantis non excusatur, quia est lex naturæ scripta in cordibus. *Vide Principium Veritatis.* Lex naturæ

Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ. Matth. 5. quando enim isto quo ab irrationabilibus separamur, & quo maxime homines sumus, intellectu scilicet atque prudentia, fratrem spolias, omni illum nobilitate priuasti. D. Chrys. Homil. 6. in Matth.

Videntes non vident. Math. 13. Vt à praua illorum mente cęcitatis originem esse intelligere-

C mus. Ibid. hom. 46.

Summa est ignorantia non discernere bonum à malo. *Vide Cognitio Bonitatis.* Discretio boni à malo. Ecclesia caput baptizat non cor.

ALEA. CASVS. fortuna.

DE aleatoribus. Cyprian. tom. 3. De aleatorum ludis. Bernardin. qu. 1. f. 42.

Alea apud Iudæos prohibita propter dolum malum in ea consuetum. *Vide Minoritas Veritatis.* Dolus malus.

D In Gothia & Suetia patres familias filiarum suarum procos probant duobus potissimum modis, vino & ludo, si videant aleæ deditos, excludunt à postulatis, nihil enim alea peius, quæ pretiosissimum tempus Deo & Reipublicæ debitum inutiliter absumit, bona diuturnis laboribus quæsita momento dissipat, agit in iras, contumelias, certamina, blasphemias & impietatem. Olaus Magnus rer. septentrional. lib. 15. cap. 13.

Principium eorum quę à casu contingunt, in anima nati est, quæ illum impellit, vt caussam illam subeat; anima autem à cœlo secundum lunæ motum impellitur, non in his quæ à natura sunt. Cardanus. Aphoris. sectio. 1. Aphor. 74.

E *De ludo sapienti recreationis & innocentis voluptatis causa licito Vide quę scripsi moral. Christia. to. 2. par. 2. cap. 11.*

Aleatorum nomen infame censetur l. 26. de iniuriis. l. fugitiuus de verb. significatione.

Sic vt non perdat, non cessat perdere lusor.
Ouid.

Iam dabitur, iam iam, donec deceptus & exspes
Nec quicquam fundo suspiret nummus in imo.
Pers.

Digitized

Homini quotidianis vitæ laboribus exagitato A indulgetur in solatium actiuā quædam quies innocentis ludi, ne torpescat in actionis tota cessatione, vel deficiat in nunquam intermissis negotiorum anxietatibus. Sunt ludi qui mentis simul & corporis sanitati plurimum conferunt, de quibus scripsit Galenus libro de lusu paruæ speræ, sed cupiditas impotens remedia conuertit in venenum, vt alia nunc sit assidua quædam exercitatio passionū mētis integritati simul & tranquillitati magis infensarum, ne ab his virtus pietasque nos liberet. Certatur pro magna pecuniæ summa, ab vtrisque, victori sequestrata pro præmio; ardet ad eius consequutionem auaritia, totæ supra solitum intentæ mentis vires explicantur, vt breui tempore cedat in lucrum, quod diuturnus in officiis labor vix posset assequi & cum ad id insufficiens sit industria, dolis, præstigiis, per fas & nefas sepius res hæc agitur, Cum ludentium manibus mouentur corda, quot taxillorum fortuitæ versationes, quot incidentiæ tot momento variantur affectus, spem, metus, ira, furor sequitur. Victus iterum spe reuocata certamen, iterum & iterum infœlis de dubio, donec damnis crescentibus turbata mens prorumpit in horrendas blasphemias quæ Deum tantæ spoliationis authorem calumniatur. Aleæ sicut fulminis ictus momentanei sunt, in hoc diuersi, quod cœlo tactus iacet sensu carens, viuit, & est vitæ nescius ipse suæ. At infœlix lusor mala sua sentit, auget, exasperat, cumulat impietate, mali pessimus autor, cui meritò nullus miseretur. Sic aliena sitiens sua profundit & amittit auaritia; sic solatium in pœnam conuertit indiscreta mortalium cupiditas; ludus suos asseclas docet quæ sunt diuinis præceptis contraria. Et in peruersis exercitatos efficit, scilicet concupiscentes alieni suspicaces, doli quem timent peritos artifices pacis & tranquillitatis nescios, passionum vulnera quæ curare debuerant, gaudentes refricare; vitæ casus aduersos per diuersas sparsos ætates vt facilius tolerentur, in præsens tempus congerunt, in horæ minuto sperant, metuunt, exultant, irascuntur, fiuntque suæ vel alienæ calamitatis semper autores; maiorum diuturnis laboribus, posteris & Reipublicæ ministerio quæsitas facultates, cæco mentis impetu profundunt; suas aut alienas familias spoliant raptores vel prodigi; liberos immeritos exhæredant & ad officia publica reddunt inhabiles. Sic bono priuato publicoque B grauis est illa pernicies seuerè legibus coërcenda. *Ex principiis.*

Bulla Greg. 14 an. 1591. sub pœna excommunicationis & multa pœcuniaria prohibētur sponsiones factæ super vita, morte electione summorum Pontificum, Cardinalium, vel aliorum; sic enim multa audeant contra ius omne, summa bullarii. Verbo electio.

In alea primum fit iactura temporis, homo assuescit ei vitio. Nihil alea deterius quæ mane diuitem, serò inopem facit.

Nautica pœcunia ideo grauissimam vsuram admitit, etiam ex pacto, quia creditor nauticæ pe- C cuniæ periculum suscipit, & ex sceuolæ sententia valet eadem pactio in his quæ pendent casu, vt in piscatione, venatione certamine, si creditor periculum suum effecerit. l. periculi ff. de naut. fœnore. Cuiac lib 9. cap. 28. *Contra Vide Volumas Maioritas. vsura.*

In l. 11 ff de condition. & demonst. dicuntur esse quædam conditiones, promiscuæ & potestatiuæ quæ sunt ex facili. Alio casuales, vt si fulserit creas lb. lib. 14. cap. 2.



VOLVNTAS.

BONITAS VOLVNTATIS.

BONVS BONI APPETITVS.

Vide Voluntas Bonitatis.

AMOR LIBERALIS.

OMNES aquæ calidæ ſunt medicamentoſæ. Cardan. de rerum varietate lib. 1. cap. 6. Cor amote caleſcens liberales apertaſque in alterius ſubſidium efficit manus, proprium enim caloris eſt dilatari & diffundi. Charitas implet illud Euangelij conſilium; Vende omnia quæ habes, da pauperibus, & ſequere me. *Vide Minoritas Poteſtatis,* Paupertas voluntaria. *Et Virtus Bonitatis.* Eleemoſyna.

Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum, inquit Chriſtus: datur itaque continens pro contento, theſaurus pro corde, qui è ſitu ſuo non poteſt niſi cum vita diuelli; ſed hæc vita ciuili modo dari cenſetur, cum bonis quæ ſunt eius fomenta, ſanguis publicę priuatæque functionis alimentum. Sic amans in amatum ſe transfert, Se ſaluo, ne pereat gratiſſimus ſuæ largitionis ſenſus, & ex dilectæ rei poſſeſſione gaudentis geminata complacentia, qui perſonam ſuam amato conceptis votis toties ſacrauit, nullum in his quæ poſſidet ius ſibi proprium ſeruat, tranſit enim ius cum capite & acceſſorium cum principali. Ex quo de duobus vnum effecit amor, ſequuta eſt bonorum communio, vt amborum quiſque ſuum numerare poſſis quod ab altero poſſideatur; at quia vitæ ſingularis exiſtentia irritos efficit amoris conatus ad abſolutam vnionem tendentes, remanet vt corporis ſic bonorum inconfuſa quædam ob alias familiæ perſonas poſſeſſio, non ſine fructu, cum ſit occaſio mutuis beneficiis, amori velut igni extra centrum ſuum fomenta ſuppeditandi. Amans qui vitæ ſuæ non parcit pro amato. *Vide Medium Gloriæ.* Pati pro alio de amicis pro ſe mutuo morti traditis. Certè non parcit bonis quæ cum dat gratius in dilecto quam in ſe poſſidet, perſonam eo pretio

A ſibi magis addictam efficiens, quidquid innocenter peieratum ſit, amorem vt iam conſummatum augeri non poſſe; ſic in corpore tres quæ vitam vnam efficiunt partes, cor, cerebrum, iecur, mutuo perennique ſpirituum & virium vnicuique propriarum influxu ſe iuuant, nec vna, ſociarum deſtituta ſubſidio, ſuis fungi poſſet muneribus. Amor igitur liberalis eſt, nam ab ipſo procedunt quæcumque tribuuntur beneficia, priuſque ſemper eſt amare quam auxiliari. Ipſa miſericordia alienæ miſerię ſenſum fingit nobis proprium, vt ſimus alterius ſicut noſtri amantes, ita benefici. Ad amoris menſuram fiunt largitiones, ea lege vt plus dilectis maiora conferantur, quia tota donationis ratio, eſt amor. *Vide Maioritas Voluntatis.* Tandiu continuantur beneficia quandiu durat amor, quo expirante ceſſant aut reuocantur. *Vide Finis Bonitatis.*
B Ideo potentia ſunt ad conciliandos animos dona, quia manant ab amore, qui parem ſibi poſcit & generat. Vt ex D. Dionyſio de diuin. nomin. cap. 3. Deus amor eſſentialis ad omnium creationem, vnionem, conſeruationem ſe demiſit, ſic ab ea procedens charitas, bona profundit per eleemoſynas, vitam per martyria. *Vide Duratio Virtutis.* Martyrum cõſtantia. Quod veritas Euangelica per totum orbem diffuſa fuerit, hoc debetur Apoſtolis qui diuini ſpiritus ardore ſuccenſi, dilatata & omnes homines complectente charitate, illis ſalutaria dederunt ad æternitatem præcepta. Diligite, inquit Chriſtus, inimicos veſtros & bene-
C facite illis: prius præcipit amare quam benefacere, quia cauſa præcedit effectum, fons riuum, amor liberalitatem. *Ex principijs.*

Eccleſiaſtici, nihil de eius mulieris cui ſe priuatim ſub prætextu Religionis adiunxerint, liberalitate quacumque, vel extremo iudicio poſſint adipiſci. l. 10. Cod. Theod. de Epiſc. & cleric. Ita milites non poſſunt donare concubinis, ne ſpolientur. Eadem de cauſa prohibentur donationes inter virum & vxorẽ. l. 2. Cod. de donation. inter vir. & vxorem, his legib. impeditur exceſſus liberalitatis.

Sine

Digitized by Google

Sine calore terra est ignaua & sterilis. *Vide A Principium Bonitatis.*

Homines erga Deum quandam exercent liberalitatem in templorum ædificatione. *Vide Gloria Principii.* Templum, & in sacrificiis, decimis, primitiis. Ib.

Ignis sine fomentis, amor sine beneficiis extinguitur.

Laur. Iust. lib. de casto connubio verbi & animæ, c. 17. In hac inquit vita subbarratur sponsa, quædãque munuscula recipit à verbo, vt per illa proficere in virtutibus, & in augmentum valeat caritatis, facilè nempe languescit amor, nisi suis nutriatur fomentis. Solus esse non patitur, appetit, & omnino mutuas exigit vices. Sicut autem ignis naturaliter iuxta sui naturam quærens in proprio conseruari esse, omne refugit frigidum; calefactibile verò aut calidum appetit, sic amor ! amanti vel amabili reflectitur secum nu nens odium aut teporem; hinc est quo sedule à sponso internis ac spiritualibus reu. sponsa muneribus, nec minus à sponsa spo secundum humanæ modulum infirmitatis, ad se, nunc sua puro offerente caritatis affectu.

Hoc vnum ambiunt aulici placere suo princip: & eius amorem conciliare sibi. Hinc enim omnia sperant, quia vbi verus est amor nihil negari potest. Vnicum sanctis votum est, placere Deo, quærite primum regnum Dei & omnia adiicientur vobis, monet Euangelium, &c. Ibid. cap. 18.

Amicis mos olim fuit eductum è vena frontis sanguinem vino mixtum mutuo bibere. De Eucharistia. *Vide Potestas Medii.*

MAGNITVDO VOLVNTATIS.

MAGNVS ET VEHEMENS AFFEctus. Bonus.

IGnis corpora quæ vehementer inflammat, rubificat, corpora autem quæ diminutè & imperfectè inflammat, deformat penitus & denigrat.

Græcia plantas quas habet singulares, non fert nisi ad orientem, & meridiem; at septentrionem versus habet tantum eas quæ frigidis nascuntur locis, abietẽ, pinum, &c. Theoph. hist. plant. lib. 4. c. 6.

Sata diebus calidis celerius calescunt, semenque ocyus reddunt. Idem lib. 7. cap. 1.

Vide Potestas Voluntatis Amoris. Et *Magnitudo Concordantia.*

Et homines & iumenta inclinata, & pastui incumbentia, voracissima habentur. Suidas in voce *κυνεώτς*.

Altare Holocaustorum erat iuxta ostium Tabernaculi in atrio sacerdotum, ad partem australem seu meridionalem; vnde plus lucis & caloris ad totum cor Deo sacrandum.

Nemo potest esse amicus fidelis duorum inter se inimicorum. Tost. Matth. to. 2. fol. 117. c. 3. f.

Ex maiori ad officium propensione, cognoscuntur aptiores. *Vide Cognitio Medii.*

B Abrahaam in sacrificio suo volatilia non diuisit, nec Legislator Moyses diuidi iubet. Nam qui mente sunt volucres, Deum ex toto corde diligentes, non patiuntur illum in terrena & cœlestia, sed totam sursum ferunt. Theodoret. in Leuit. q. 1. De omnimoda rerum abdicatione propter Deum, *Vide Minoritas Potestatis,* paupertas voluntaria. De omnimoda perfectione quæ sacerdoti conuenit. *Vide Virtus Potestatis,* integritas sacerdo. & *Magnitudo Virtutis. Vide Cognitio Contrarietatis.* Timor Dei filialis.

Cain & Abel vterque rectè Domino obtulit, sed non rectè vterque diuisit; nam Cain cum Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat, repositum habens in cupiditate terrena, huiusmodi portionem Deus non accipit, sed, præbe inquit fili cor tuum mihi; at Abel primo cor suum, deinde rem suam plurimam obtulit Deo, ideo ad eius munera respexit, ea igne cœlitus misso consumente. Rupert. in Genesim lib. 4. cap. 2. C

Alia bona aliqualiter inclinant voluntatem, sed nihil sufficienter mouet voluntatem nisi bonum vniuersale quod est Deus. *Vide Veritas Finis.* Vide hoc tit S.

Camphoræ natura adeo est amica ignibus, vt si eos semel conceperit, vsque dum tota consumatur, ardeat; accensa non extinguitur ideò ad compositiones, quæ accensa ardent in aquis, solet addi. Flammam ex se emittit lucidam & odoratam. Georgius Agricola lib 4. de natura fossilium.

AMOR DEI SINE modo, & integer.

D. Dionysius cap. 2. de cœlesti Hierarchia vocat amorem diuinæ pulchritudinis inconfusum; idest terminatum propria ratione amati & non mixtum alio inordinato amore. Dicit enim Augustinus in libro Confessionum; Minus te amat, qui aliquid tecum amat. Albert. Magn. in Commentario. D. Dionysii.

D Dilectio sine simulatione. Roman. 12.

Cum homine in Deo frueris, Deo potius quam homine frueris, inquit D. August. de doct. Christia. c. 31. Sic interpretatur illud Apostoli ad Philemonem. Ita frater, ego te fruar in Domino. Mag. Sententiar. dist. 1. q. 2.

Parua charitas non sufficit ad resistendum omni

Digitized by Google

ioni, sed requiritur magna. Tostat. to. 2. fol. 13. c. 2. 2. esse debet in corde, ore, ere.

cum amare ex toto corde, ex tota anima, totis ibus, quomodo sit intelligendum. *Vide Maio- s Voluntatis.* Zelus nimius.

Modus diligendi Deum, est diligere sine modo; In dilectione enim Dei non est alia ratio, aliaque discretio, nisi vt sicut ille nos dilexit in finem, scilicet in immensum, sic si fieri potest illum diligamus in infinitum. Laurent. Iustinia. tract. de charit. cap 9.

Charitas est propriè ad Deum, & dicitur quasi cara vnitas, quia contemptis cęteris rebus, illum solum quærit. Ibid. cap. 13.

B Hæc est nobilis castitas quæ animam ab omni quod Deus non est, liberam reddit, & continuo sursum effluxu amorosi affectus in creatum bonum animam salubriter deiformem efficit, hic in gratia, & postmodum in gloria. Harph. Theol. mysticæ lib. 2. cap. 21.

Deus ex toto corde amandus. Vide quæ scripsi Theol. natural. to. 2. parte 3. cap. 23. & de iure natural. lib. 3. lege. 8.

Magnus Dominus & magna virtus eius, inquit Propheta, sicut magnus est, ita & ipsius sit habitationis locus. Non autem locorum spatio, non altitudine seu longitudine, dilatatur cor, sed desideriis. Si parum diligit, si desideriorum magnitudine non accenditur, angustum est, & ad suscipiendum verbum minus dignum, cum non toto affectu diligat. Laurent. Iustinian. lib. de connubio verbi & animæ. cap. 13.

C Vulcanus Iouis & Iunonis filius, quia claudus erat, è cœlo fuit eiectus. Amor diuinus non debet esse vacillans. Leo Hebræus Dialogo 2. de amore.

Quandiu viam mundi currimus, non duabus tunicis, idest duplici vestiamur fide. D. Hieron. ad Marcellam. in fine.

Dilectus meus mihi & ego illi, Cant. Fili mi præbe mihi cor tuum, tali sponso dandum cor cui solus sufficit. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Psal 72. & Ioan. 12. dicit, Cum exaltatus fuero à terra, omnia, idest totum cor, traham ad meipsum.

D Leuit. 21. Sacerdos virginem ducit vxorem, & Christus virgo, virginem integram quærit animam. Vnde 2. Corinth. 11. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo; vna & pura anima vnum quærit necessarium.

PASSIONVM SENSIbilium vtilitas.

E VNius aut paucorum dominatio sæpè degenerat in tyrãnidem, & in ambitionis sęuissimos per bella motus: timendum etiam populi effrænis, inordinati, improbi regimen, sed si ex vtrisque sit contemperatum, vocatur libertas; eadem hæc forma reperitur in animo rectè se habenti, in qua ratio conseruatoris locum obtinet, affectiones conseruati: ratio moderatur, affectiones moderationem accipiunt, opus vero ex vtroque conficitur, quod libertatem dicimus; scientia genuit virtutem, sed sola scientia non est virtus, arti Phidiæ non est subtrahenda materia, ita non sunt subtrahendæ affectiones rationi quæ ipsis imperet; ipsisque statuat metam. Maximus Tyrius serm. 17.

Dum Petrus ambulans super aquas mergitur, Christus eum saluat porrigens manum, sed non faciens cessare ventum validum. Tostat. Matth. to. 4. fo. 113.

Homini quare data sunt passiones sensibiles, & harum quædam probant immortalitatem animæ. Vidẽ quæ scripsi Theolog. natural. to. 2. parte 1. cap. 33. 34. 36. homo potest sibi subijcere vim passionum, vt militent virtuti. Libello de necessitate cap. 11.

Paulus Corinthios & Galatas iræ censura correxit, quodnam igitur opportunum est tempus iræ? quando non scilicet nosmetipsos vlciscimur, sed cum reprimimus alios insolentes, cumque desides increpatione conuertimus. Importunum verò tempus est iræ, cum nos ipsos vindicamus, &c. D. Chrysost. hom. 16. in Matth.

Ipsum ergo irasci malum non est, sed importunè irasci, propterea dicit Propheta, irascimini & nolite peccare. Ibid.

Interdum ira non moueri malum est. *Vide Minoritas contrarietatis.* Defectus seueritatis malus.

Pila leuiter proiecta parum nocet, impulsu vi bellici tormenti transuerberat hominem, sic motus in regente & oratore plurimum possunt.

Pars animi irascibilis nobis est ad multa virtutis opera necessaria, vt miles duci, sic iracundia rationi, contra peccatum auxiliatur. Neruus est animæ quidam indignatio, fortitudinem constantiamque ac robur, ad res benè & ordine agendas præbens; animam veluti quadam ferri tinctura corroborans, austeram & fortem ex molli ac remissa reddit. Velut canis pastoris allatrat furibus & lupo, &c. D. Basil. homilia de ira.

Terra quæ ex se nimis frigida est & humida, sanatur, fitque fertilis, incensis super eam cespitibus & lignis: Immixtio cinerum calefacit eam, & efficit porosam, itaut non retineat aquam. Albertus Magnus lib. 7. de vegetabilibus cap. 2.

Virtus non tollit affectus, sed temperat, & efficit vt congrui sint; sicut sanitas non tollit calidum & frigidum. Musica non tollit acutum & graue, sed temperat. Ita virtus constat ex contemperantia rationalis, concupiscibilis, & irascibilis. Stobæus serm. 1. Nam affectuum vacuatio, immobilem & carentem alacritate reddit animam ad honesta: eorundem verò vehementior motus, conturbatam & stupidam efficit. Ibid.

Optimæ sunt ex se passiones, à natura datæ, licet his aliquando abutantur homines, vt cæteris bonis; duplex ex passione vtilitas, & ex vsu moderato, & ex victoria excessus. Vnde Deus dicit Paulo petenti stimuli carnis sedationem, sufficit tibi gratia mea.

Natura, vt ait Tertulianus de anima, non est erubescenda, sed potius veneranda, videndum, non vt ea abscindantur, sine quibus vita non subsistit, sed vt ordinentur, quæ virtuti etiam materiam gloriæ pręstare possunt.

Ægyptii fabulantur, Mercurium euulsis typhoni neruis, pro chordis lyræ vti, sic innuentes, quod opifex ratio vniuersum hoc coaptans, concentum fecit ex dissonis, & tabificam vim non deleuit, sed repressit, & retudit.

Digitized by

Omnis animus qui est magis excellens in suo desiderio & affectu, ipse efficit sibi res huiusmodi magis aptas, efficaces ad id quod appetit, fides in medicum multum confert ægris. Corn. Agr.

Deus per gloriam est in rationali vt veritas, in concupiscibili vt bonitas, in irascibili vt potestas. Cardin. Cusa. excitation. lib. 2. cap. 12.

Deus fecit hominem ad similitudinem suam, masculum & fœminam fecit eos, idest partem intellectualem velut masculum, sensibilem velut fœminam, si consentiant & mulier viro subiecta sit, fiet legitima proles virtutum, secundum illud; crescite & multiplicamini. Origen. hom. 1. in cap. 1. Genes.

Adiicit, Dedi vobis omnem fructum in escam; quando irascimur ad iustitiam & correctionem delinquentis: iracundia nobis cum bestiis communis, & fructus terræ cibus noster efficitur, sicut cum Phinees occidit Israëlitam cum Madianita. Num. 25. Cum concupiscit & deficit anima nostra in Deum viuum, noster cibus est concupiscentia, &c. Ibid.

Numer. 31. Spolia de Madianitis reportata purificantur igne aut aqua, deinde distribuuntur militibus. Passiones purificatæ per rectam intentionem & charitatem, possunt seruire virtuti.

Omnis locus quemcumque subdideritis vestigiis pedum vestrorum, vester erit. Idem. homil. 1. de Iesu Naue. Subditæ passiones nobis seruiunt & militant.

Omnes animæ motiones, vniuersitatis conditor Deus creauit ad bonum; sed pro vsu nostro fit sæpè, vt res quæ bonæ sunt per naturam, dum malè his abutimur, nos ad peccata deducant. Amatur vtiliter sapientia & veritas, malè autem caro & sanguis, &c. Origen. homil. 2. in Cant. Passionum damna. *Vide Maioritas Voluntatis.*

Iram habemus non vt proximos contumelia afficiamus, sed vt eos qui peccant conuertamus; vt nos excitemus, ne simus ignaui & hebetes. Ira est quidam stimulus vt aduersus diabolum dentibus strideamus, vt in eum simus vehementes. D. Chrysost. homil. 2. in epist. ad Ephesios.

D. Thom. in quæst. disput. de peccatis, q. 12. a. 3. dicit homini ex parte rationali & sensitiua composito, iram esse bonam, quæ subsequitur iudicium rationis, illud non perturbat, cum iam præcesserit, sed adiuuat promptam eius executionem, eique seruit; ad virtutem enim hominis pertinet, quod motu appetitus sensitiui vtatur, sicut etiam quod vtatur corporeis instrumentis. Prodest enim ira ad vindictam non quæ fit liuore, sed ex zelo iustitiæ. Est autem peccatum si præueniat iudicium rationis, quæ est proprium principium actiuum in homine, & si contra legem iustitiæ tentet inferre graue damnum, quamuis id faciat sub ratione boni, scilicet iusti vindicatiui & ideo est leuius peccatum odio & inuidia; nam hæ passiones inferunt malum per se. Idem asserit qu. de passionibus animæ a. 6. & 7. Concludit quod passio sequens iudicium rationis & coniuncta merito, illud auget & confert ad bonitatem actus. 1. ratione signi ostendens voluntatem intensam. 2. per modum adiutorii, sic enim promptus &

A facilius rectè intentum peragitur.

Qui equos perdomandos suscipiunt, neque penitus eorum furorem infringunt, neque etiam sinunt eos impudenter propria generositate abuti, equus regitur fræno, homo ratione. Maximus Tyrius serm. 37.

PRIMI MOTVS.

Apud Hebræos militi victori si contigisset pulchra puella in prædam, licet esset gentilis, licebat semel cum ea concumbere ad satian-
B dos libinis primos motus, postea per mensem abstinere debebat si voluisset eam habere in vxorem Deut. 20 21. Vide Seldenum de iure naturali secundum Hebræos, lib. 5. cap. 13.

Sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Roma. 8. De primis motibus videtur intelligendum.

Iob maledixit diei natiuitatis suæ, & hæc verba protulit propter immodicum angorem, quo angore liberatus, non iam eandem de illa die sententiā habuit. Iust. Martyr quę. 15. ad orthodoxos.

Nos affectus & perturbationes quandiu in Tabernaculo corporis huius habitamus, & fragili carne circumdamur, moderari & regere possu-
C mus, amputare non possumus. Vnde Psalmista dicit; Irascimini & nolite peccare; & Apostolus, Sol non occidat super iracundiam vestram, quia & irasci hominis est, & finem iracundiæ imponere, Christiani. D. Hieron. ad Demetriadem.

Amyntas in iudicium vocatus quod aliquid contra maiestatem Alexandri dixisset, sic pro se; Militum, inquit, nec indignatio nec lætitia moderata est; ad omnes affectus impetu rapimur, vituperamus, laudamus, miseremur, irascimur, vtcumque præsens mouit affectio. Sed has cogitationes, has inter se colloquentium vices, signum tuba datum finit, & quidquid irarum in tabernaculo conceptū est, in hostium effunditur capita. Q. Cur. l. 6.

Breui reuersa vxor diuertisse non videtur. l. 33.
D ff. de ritu nuptia.

ZELVS BONVS.

Sagittas suas ardentibus effecit, Psal. 7. Idest eos quos mittit contra peccatores, elegit ex materia combustibili, & zelo ardentes de his, dicitur, Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, Psal. 28. In igne vis duplex, vstiua & illustratoria;
E vires istas diuidit Deus cum efficit vt in zelo ardor non noceat, prosit illustratio. D. Basil. in d. Ps. 28.

Vide supra hoc titulo, De vtilitate passionum.

Ignes subterranei, licet in suis locis generent incendia, in diffitis tamen, certa proportione, producunt metalla & thermas; ita zelus, licet torqueat authorē, cæteris tamen prodesse potest.

De zelo nimio. *Vide Maioritas Voluntatis.*

Cœli, & elementa maiores habent vires cum æstatis calore. *Vide Duratio Bonitatis.* Opportunum tempus.

Cor oportet esse calidissimum omnium partium corporis, tantum autem calorem non retineret, nisi esset creatum ex carne dura & solida

Digitized

talis autem caro plurimum habet terræ. Albert. A Mag. tract. 1. de sensibili. in fine.

Calor est causa fœcunditatis. *Vide Medium Principii.*

Non sunt miracula aquæ frigidæ, quippe natura sua tales, sed calidæ. plit. lib. de causis naturalib. cap. 16. Non miramur amorem proprium se constringentem, sed zelum se pro Deo & proximo diffundentem.

Rubus ardens, & non combustus. Exod. 3. Oportebat agnum comedere non coctum aqua, sed assum igne. Exod 12.

Zelo perciti prosunt cæteris, velut vates diuino furore acti *Vide Maioritas Cognitionis.* Diuinatio.

De iustitia Christiana, integritatem ordinis zelante. Bernardin. aduentu 1. serm. 2. B

De tepiditate. Bernard. serm. externo. to. 3.

Fumauit Mons Sina cum daturus legem, Deus descendit in montem. Exod. 19.

Frigiditas est innata massæ deformi, eius proles, aut comes, à qualitate opposita, scilicet caliditate lucis prole, superata est, recedente caloris effectu iterum naturali quadam inclinatione in suum subiectum connaturale reuertitur, itaut harum vna per alterius absentiam definiri soleat. frigiditas spissat, densat, deprimit, ad imum trahit, sine motu pigrescit; at calor congregat homogenea, heterogenea disgregat; calefacit, dilatat, subtiliat, rarefacit, digerit, maturat, exaltat, ad perfectionis metam perducit; calor refert Spiritus sancti emanationem sanctam, qui est omni mobilitate mobilior, omni re viuacior, & penetrabilior; mundum luce, calore, & motu priuatum, pro Inani & vacuo sumit Moyses. C

Ex Aristotele, vita est perseuerantia implantati caloris.

Ad succensam ollam muscæ non veniunt, sed ad tepidam, sic tepidos, non feruentes, dæmones infestant. vitæ Patr. lib. 3.

Deus apparet Moysi in flamma ignis, quia est elementum forte ac lucidum, quia in manu forti, sua & ministri, debebat educere populum. Rupert in Exod.

Quicquis tantum passibus, magna discretione libratus, ambulant in via Dei, parum proficiunt, multum est si non deficiant. S. Theresia. Expedit viam hanc citò peragere, & dum tempus habemus imperari bonum, potius quam inter moras, pati magnas temporis iniurias. D

Zelus vitat nociuam moram. *Vide Minoritas Durationis.* Celeritas.

Per coctionem non inspissatur corpus simplex, sed cõpositum simplex autem totum efficitur per decoctionem rarius, & ideo aqua decocta rarior est. Albert. Mag. meteor. lib. 2. in fine. Zelus cum simplicitate bonus est.

Regiones quę ab antiquis existimatæ sunt inhabitabiles propter nimium calorem sub zona torrida, repertę sunt habitabiles, at sub polis propter æternum frigus naturæ contrarium penitus non habitantur ita minus vocet nimius zelus, quam frigida in agendis voluntas. E

Temperata regio metallicis perficiendis haud apta est. cum humor nec à solis calore, qui moderatus est, nec à terrestri, qui non potest cogi, concoqui possit. Cardan. de rer. varietate lib. 4. c. 16.

Cyclamen odoratum æstiuo solstitio floret flore maculato, tunc cum maximi calores. zelus efficit aliquos insignes, licet cum aliqua imprudentiæ nota.

Mentem nostram in cœlum extendamus, teneamur illo desiderio; nos coniiciamus in ignem spiritualem; flammâ vos conseruemus. Nemo flammā inferens timet eos qui occurrunt, siue sit fera, siue homo, siue laquei innumerabiles; quandiu fueris ignitus, omnia cedunt, omnia dant locum. D. Chrysost. Homil. vlt. in fine. in epist. ad Hebræ.

Abelis sacrificium magis placebat Deo propter puritatem intentionis, quam propter pretium rei oblatę, signum autem acceptati sacrificii erat eius inflammatio. Tostat in Genes. Ps. 26. c. 3. g.

Lapis carbunculus qui fuit primus in secunda linea Rationalis. vt carbo ignitus etiam nocte fulget, vena lactea cinctus est. Idem Exo. to. 2. fo. 60. Zelus pro charitate proximi ferueat innocẽter.

Cuncta alterationem passa redeunt in naturam suam, sic glacies à solis radiis, præcedunt magni mugitus vt in terrę motu, & horrenda tonitrua. Olaus magnus lib. 1. c. 27. *Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 2. lege 13. §. 3.*

Prægnantes vt sibi & fœtui prouideant, magis appetunt.

Thus non redolet nisi incensum, ita virtus sine zelo, bonum suum in Christo odorem non diffundit.

Zelus efficit vt Christi iugum sit leue. *Vide Gloria Virtutis.* Iugum Christi leue.

ZELO FERVENTE magna perficiuntur.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Ex sacris scripturis audit homo se factum ad imaginem Dei, hæret tamen tantas dotes in se vix agnoscens, infirmitatis suæ conscius; donec primis diuinæ speciei lineamentis, colorem extrema Creatoris manus videatur adhibere, prius vacantes in actum educere potentias, operi velut luteo inspirare spiraculum vitę, cum mentem efficit zelo Seraphicis affectibus feruentem.

MAGNITVDO. Tunc naturæ, propriique genii limites homo supergressus rebus etiam maximis peragendis parem se sentit & superiorem. Non terretur sparsis vulgi rumoribus, nec omnia velut occupante magno in contraria pugnantium numero; vix aduertit rebus circumfusas & annexas difficultates; agenda non superanda computat, certa in Deum omnipotentem fide, qui quos indidit motus, ad propositum finem, modis soli prouidentiæ suæ notis adducit.

DVRATIO. Incepisse sufficit ad perseuerantiam, nam qui semel diuinis actus stimulis gradum ad officia charitatis intulit, nunquam reuocat; auroram enim æternæ lucis sibi primum mixta quadam caligine refulgentis sequuntur, & momentis omnibus accrescentes sibi splendores. Adde quod fœlix præter cæterorum opinionem rerum successus, dat de futuris spes maximas, quas in sacrario mentes iterata diuinæ vocis oracula, promittunt.

POTESTAS. Spiritus natura sua tenuis, quem nec manus tangit, nec videt oculus, ad incorpoream accedens naturam, corpus tamen conditione sua ponderosum, hærens terræ, vnde plus habet, ordinariis & speciei congruis transfert motibus; Cur hominem supra vires & solitos agendi modos, hęc cœlestis aura spiritusque diuini flatus non transfert? Omnia possum, inquit Apostolus

in eo qui me confortat: agnoscit se à sapiente potentique Dei manu paratum instrumentum, cuius actio in mouentis gloriam refunditur.

COGNITIO. Mortalium cogitationes incertæ sunt & timidæ, propriis implicātur argutiis vt apes melle suo, vt inde sibi consulens expediat se prudentia ciuilis, multa relinquit fortunæ; at zelus summam negotiorum fidens committit Deo, trahentem sequitur, paret præcipienti, imposito humanæ rationi silentio, si quid in contrarium moliri tentet.

VOLVNTAS. Intentionis à passionum & amoris proprii motibus inordinatis liberæ puritas & simplicitas dat animos, Cœlesti zelo percitus non suam sed diuinam putat implere voluntatem, ita se totum & quidquid ab ipso pendet implendo dicat operi.

VIRTVS. Sic Phinees, Mathathias, & cæteri suis partibus adhærentes, legem Mosaïcam; Apostoli, Martyres, Confessores legem Euangelicam, contra tyrannorum vim, populi deficientes & delabentis metus, humanæ sapientiæ perfidas deditiones, bonorum vitæque suæ periculis tutati sunt.

VERITAS. Vitæ ciuili deditus, opinioni consuetudini, naturę necessitatis legibus. His velut præpeditus & oneratus catenis, nihil audet in contrarium, sequitur velut pœnæ seruus ducentem, ne vel in minimo deficiens patiatur semper imminentia capiti suo verbera. Compedes autem istos soluit, à pœnis & motu liberos præstat, ardens pro Dei gloria zelus; tutum, securum hominem efficit principis sui maiestate, murum æneum, columnam ferream, vt propalata veritate, à piis implendis operibus nunquam repelli possit, licet vias omnes obsideat horrendis tormentorum machinis armatus miles.

GLORIA. Quidquid contingat zelo flagrans, præmium iam consequitur, Dei & conscientiæ suæ testimonio. Deum vnum & infinitum, primum actum & centrum, simul agentem & quiescentem conatur imitari, sic in actionum, cogitationum agitatione varia, in oppugnantium tumultu sæuitiaque, manet tranquillus sui possessor; quippe diuino per omnia conformis beneplacito; ex tranquilla mentis sede, optimum rebus dicit ordinem, & flagrante diuinæ voluntatis implendæ desiderio, fortiter ordinatā perficit.

DIFFERENTIA. Non hæret ad æquales itineris timores aut depressiones agilis viator; hæc leuia saltu transuolat, & quæ moras minabantur habet in celeritatis occasionem. Ita zelo feruidum scrupulis quædam horrentia non tardant, alienos hæc, non suos terrent oculos, tendit ad vlteriora, nequidem ponderatis quę negligi potius quam attendi satius est. In lignorum strue maxima, flagrans ignis aquæ sparsis guttulis non cedit, sed accenditur, & humida quæ nascentem opprimerent, violentior absumit.

CONCORDANTIA. Zelo flagrans tuendæ veritatis, & implendi quod credit Deo beneplacitum, solus forte rem agreditur, sed citò suis accedunt consiliis & operibus multi, quibus placet noua, splendida votis antiquis expetita rerum facies; ducem desiderabant, quem prouidentia dirigente tunc oblatum animosè sequuntur, collatis se iuuant consiliis, ardoribus, facultatibus, mundumque spiritualem efficiunt sibi plaudentem, terreno ampliori constantem materia, superiorem.

CONTRARIETAS. Pugnandum est, cum nihil vnquam emerserit boni quod hostes non habuerit; plures numeras, & hoc veritati gloriosum est, accedere contra multos, turbisque contraria iactantibus intrepido vultu cœlestia denuntiare, fulgebit magis ipsa sententiarum collisione veritas; vim legum ea tantum putantur habere senatus iudicia, quæ auditis in contrarium partibus reddita sunt. Zelo parum est statim in obsequium paratas inuenisse mentes, fecisse gaudet, & hostiles, explicatis liberè suis viribus, in deditionem adduxisse.

PRINCIPIVM. Succurrit infirmitati naturæ hoc fixum valideque phantasiam afficiens iudicium, susceptam causam esse verissimam, æquissimam, Deo placentem; fauent in idem concurrentium applausus; studia coniurata; præter spes humanas initia fœliciter iam prouecta. sed solidum, maximum, remotis etiam cæteris in agendo fundamentum est cognita Dei voluntas cui parere munus est Angelicum. Etsi omnes præuaricati sint, inquit Mathathias ego & filii mei nunquam à lege Dei recedemus.

MEDIVM. Tali percitus zelo, dubius anxiè non inquirit, non ponderat humana media; vel in totum ab ipsis pendens; non se torquet, non despondet animo, si rei nascenti pauca succedant, opponantur multa. Propitius aderit Deus, opusque suum, ad quod mouit, perficiet, modis supra spes & rationes nostras prouidentiæ suę notis.

FINIS. Cum insolitos illos zeli motus humanæ menti Deus imprimit; operas tantum, diligentiam, profusos ad actionem affectus videtur exigere; seruato sibi rerum successu, ergo suis functi sunt muneribus, qui quod in ipsis fuit contulere; licet sæculi peruersitas nitatur in contrarium.

MAIORITAS. Dum sic supra semetipsum efferri se sentit animus, res futuras solitis naturę modis non amplius metitur. Ingentia spirat & sperat, quidquid tamen contigerit Deo decernente vel permittente boni consulens, adhuc elatum rebus subuersis ferens animum.

ÆQVALITAS. In hac sorte varia temporalium, pares æqualesque sibi semper ad Deum seruat affectus, nisi quod prosperis ex gratitudine, aduersis ex contrariorum occursu magis inardescentibus, ampliora recipiunt in dies incrementa.

MINORITAS. Seruus Dei suæ semper memor infirmitatis timensque ne zelus suus non sit secundum scientiam, illum viri boni, periti, diuina patientis iudicio submittit, eius si meruerit assensum, securior velut iteratis oraculis nullo parcit labori, nullis territus periculis pro rebus piè susceptis, totus fortiter impenditur; est enim in voluntate zelus, quod est in intellectu prophetia; duplex est cœleste munus quo supra naturæ suæ sortem intelligit & agit humana mens quadam suę fœlicitatis prælibatione.

ZELVS TORQVENS ob aliena peccata.

VAria sunt humanæ vitæ munia, vnus in his Christiano finis propositus, diuinę confor-

mari voluntati, in eius celebranda gloria, quam cœli cum omnibus creatis enarrant, non deficere quærit hoc super omnia vir bonus: sed cum ad infiniti laudem & amorem non sufficiant infirmæ suæ vires, se videns in communione sanctorum, auxilium petit, & merito sperat à singulis. Circumspiciens dicit cum Propheta; Leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi. Scientia, nobilitate, dignitate supra cæterorum sortem elatos considerat vt montes; sed altiores hi vitæ ciuilis apices niuibus, æternaque rigent glacie. Vidi montes, vt dicitur Ierem. 4. & ecce mouebantur, & omnes colles conturbati sunt, intuitus sum & non erat homo. In media scientiarum & potestatis regione, fiunt concutionis, monopolii, falsi dogmatis sectarum fulgura quibus percutiuntur infirmæ subiecti populi mentes; & quę speranda salus sub hoc infœlici dominio? quæ sub ægro capite, membrorum sanitas? In varia, veritati, doctrinę, bonis moribus contraria, nouitatis auidæ mentes distrahuntur, & eas abducunt à caulis Ecclesiæ periti talium Abigæi. Ob id conqueritur Dominus Ierem. 50. Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus, de monte in collem transeunt, obliti sunt cubilis sui. Plaudunt hæretici, libertini athęi, & allectis in partes suas rectoribus vt vident diuisam, rimis hiantem, citò sperant mole sua ruituram Ecclesiam. Sperabatur ex hominum societate profectus, & ecce desolatio, Expectauimus lucem, & ecce tenebræ. Si delectat fœlix votorum impletio, par est vt internis doloribus torqueant animum res in contrarium versæ. Sperabatur vt in ciuilibus, sic in diuinis à congregata multitudine iunctis viribus auxilium, tamen ecce pestifera se morum & opinionum labe perimunt, impunè vitia grassantur, iustitia, fides humana simul & diuina venalis est, locum sanctum occupat abominatio, luget mater Ecclesia pereuntes in oculis suis filios, frustra conclamat operibus destituta prædicantium vox. Ideo vir bonus lachrymas suas lachrymis Ecclesiæ miscet, compatitur pereuntium miseriæ; luget obstinatam peccantium malitiam, & in grauius iudicium contempta gratiarum auxilia, timet malis inundantibus non satis verbo, exemplo monitis obstitisse. Si naturâ, redemptione, baptismo, professione Christiana, inest illi necessaria cum malis societas, fluant, inquit fontes lachrymarum, vt pro coniunctorum liberatione, quidquid potest pœnitentia persoluat, aut si non sufficit, tanto magis accrescat dolor; quod tam ardua sit peccantium salus. si non ad satisfactionem, fortassis ex

A occasione non erunt inutiles lachrymæ S. Bernardus videns hominem ad illicita libidinis commercia in itinere propter autem, coram eo se per hyemem gelidis immersit aquis, & hunc miseratione doloris pro se suscepti reuocauit ad pœnitentiam. Instat hic Seneca de ira lib. 1. c. 6. absurdum esse sapientem dolere de peccatis alienis cum enim sint frequentissima, semper moestus esset, affectusque sui ab aliena penderent nequitia. Mirari licet Stoïcos impossibilia simul & pugnantia præcipientes, fatentur heroas tangi miseratione in vrbis excidio, in parentis, liberorum, amicorum funeribus. At Christianum plus mouet animarum quam corporum mors, plus illata Deo, quam B Reipublicæ iniuria, non erit assiduus in lachrymis, cui sæpius conceditur mundana supergredi, interesse beatorum choris, & æternæ fœlicitatis gaudia iam delibare; habet exundantes lætitiæ causas in Dei perfectionibus & muneribus; his congaudere, impleri, satiari bona mens potest, sed ad tempus, cuius vicissitudine fit, vt infra mittens oculos, non possit lugenda non videre, & his affici quantum ratio, quantum pietas concedit. Charitas amoris diuini radius hæret origini suæ, etiam dum inferiora contingit, Christus Dominus simul comprehensor & viator, beatus & patiens docuit in viro bono non repugnare mentis tranquillati, de peccatis alienis compassionem, flammas amoris diuini hos lachrymarum imbres exprimere. *Vide Gloria Voluntatis Rep.* Amoris lachrymæ. Gaudet charitas suis hisce lachrymis C quibus se sibi probat & sui facit experimentum. Dolet de peccatis quia Deum quem offendunt, amat, at ipse amoris in Deum actus, animam in Deum beatum transferens, non est sine beatitudinis aliqua participatione. Illa martyres inuictos, vix sensibiles effecit in tormentis, animam enim à sensibus abstractam, totam sibi vindicabat, consummata, præmiaque sua iam attingens charitas. Hæc eadem præstat animam & cœlestibus fruentem delitiis & de peccatis alienis dolentem, quia secundum D Dionysium, est extremorum vnitiua. Nititur in vetitum, vt flamma reuerberatione fit ardentior, eo fidelius proponit adhærere Deo, quo longius ab eo discedunt peccatores. Miseram aberrantium sortem luget, & eorum comparatione quid debeat Deo, clarius D agnoscit. Vtinam posset læsæ diuinæ Maiestatis crimen fusis lachrymis & bonis suis operibus expiare, & etiam inuitæ gratiam compunctionis promereri. *Ex principiis.*

De zelo mentem torquente. Vide libello de Amore patiente. cap. 16. & 17. Et infra Concordantia Minoritatis compati.

Digitized by Google

DVRATIO VOLVNTATIS.

CONTINVATIO EIVSDEM VOLVNTATIS in bono.

CELEBRATIS sponsalibus, & dato annulo arrarum nomine, non licet mutare voluntatem. In legib. Visigoth. lib. 3. tit. 1. c. 3.

Cor est solidæ carnis, & multum habentis terræ, vt abundantem in ipso calorem possit continere Firmitas animi requiritur in seruando eodem affectu.

Ignis vniformiter mouetur à sole. *Vide Principium Voluntatis.* Charitas à Deo.

Isaac dat Iacob benedictionem Esaü, & certior factus de fraude, confirmat datam à se benedictionem, quia intentionem diuinam agnouit. Gen. 27.

Aliquis virtualiter persistit in priori voluntate, quandiu aliquid facit virtute illius voluntatis, seu intentionis præcedentis, quamuis illa prior intentio, seu voluntas, non amplius formaliter perseueret. Bonacina de pœnitentia, q. 5.

Nihil æquè detrahit autoritati, quam sæpè facere mutanda, & quę destituas, statuere. Vnde magistratus designantur per columnas. *Vide Cognitio Contrarietatis. Prodigia.*

Sedis Apostolicæ sententia tanta semper consilij moderatione profertur, vt non sit mutanda.

Mensura debet esse permanens, quantum est possibile. Mobilia & variabilia, per immobilia & inuariabilia, mouentur & regulantur.

Quantò magis aliqua sunt immobilia, tanto magis sunt causæ eorum quæ sunt magis mobilia. Sic multiformitas corporalium motuum reducitur sicut in causam, in vniformitatem motuum cœlestium.

Quoniam terra per se grauis est, quo quæque fuerit sincerior, eo est grauior, nam si poros eius impleat aër, leuior est. Vnde si ex terra eiusdem ponderis duæ sumantur partes, & vna aquis madida fiat, erit ponderosior eoquod aqua expulit aërem. Georgius Agricola lib. 3. de causis subterraneorum. Minus subiacet inconstantiæ qui procul à passionibus vanitatis & interesse humano sectatur iustitiam.

Stipulatio dicitur à stipula, veteres enim quando sibi aliquid promittebant, stipulam tenentes frangebant, quam iterum iungentes sponsiones suas agnoscebant. Isidor. Origin. lib. 5. c. 24.

Patronus Ecclesiasticus cum semel aliquem pręsentauerit, variare non potest; Laïcus patronus potest. cap. pastoralis. 29. de iure patronatus.

Leuit. 13. vt leprosi sanati raditur omnis pilus; ita pilus omnis seruatur in sancto, nec ferrum ascendit super caput eius, quia nihil rescindit ex suis cogitationibus & operibus. Sic super caput Samuelis & Nazaræorum non ascendebant nouacula; sic discipulorum Domini dicuntur omnes capilli numerati. Math. 10. idest omnes actus, omnes sermones, omnes cogitationes eorum seruantur apud Deum, quia iustæ, quia sanctæ sunt. Origen. hom. 8. in Leuit.

A

Creatus est homo vt pręsit piscibus maris, & volatilibus cœli. Ne permittas igitur cogitationem tuam sublimem vagari; ne sinas animum tuum leuitate instabilem fieri. D. Gregor. Nyssen. orat. 1.

Vide Differentia Voluntatis. Inconstantia mala.

In Deo liberum arbitrium dicitur eius sapientissima & omnipotens voluntas, quę non necessitate, sed libera voluntate omnia facit prout vult. Magister sentent. lib. 2. dist. 25. q. 1. Angeli & sancti qui iam cum Domino fœliciter viuunt, & gratia beatitudinis confirmati sunt, vt in malum flecti nec velint; nec possint, libero arbitrio non carent, inquit D. August. lib. 22. de Ciuit. Dei. cap. 30. & in Enchir. c. 105.

B

Prima immortalitas in Adam fuit posse non mori, ita primum liberum arbitrium posse non peccare, nouissimum non posse peccare: multo quippe liberius erit liberum arbitrium quod omnino non poterit seruire peccato. Sicut ergo anima nostra etiam nunc habet nolle infœlicitatem, ita nolle iniquitatem semper habitura est; sed ordo seruandus fuit quo Deus voluit ostendere quam bonum sit animal rationale quod etiam peccare posset, quamuis sit melius quod peccare non possit. Vnde liberum videbitur dici arbitrium, quia sine coactione & necessitate valet appetere vel eligere quod ex ratione decreuerit. Mag. sentent. Ibid.

C

Vxor Loth condolens rebus suis respiciens retro, versa est in statuam salis, vt doceret nos Deus à bono incepto nunquam desistere, ne peior exitus sequatur. Tostat. Gen. fol. 271.

Multa fiunt fixa, resistuntque perspicabilitati, si calore vrgeantur, alias erant in se volatilia, quare alkali non generatur in cinere, ab igne efficienter quanquam inde procedat. Van Helmont charitas fixam efficit voluntatem.

Qui petiit cedendi dignitatibus licentiam, ex quo illam obtinuit, cedere compellitur. cap. quidam. de renunciatione.

Habet Angelus post electionem siue in bono, siue in malo, immutabilem firmitatem. Ad quod enim se vertit, inflexibilis est.

D

Homines naturaliter liberi, conuenientes, vnum constituerunt qui illos regeret, & hæc semel concessa potestas, semper durat. Suarez lib. 3. de legib. cap. 2.

FATVM.

VIde *Duratio Æqualitatis.* Quod fatum sit cõplexio causarũ à primo principio, quodest

necesse esse, & per motum regularem & vniformem cœlorum, explicantur.

De fato & fortuna D. August. ep. 243. Ficinus in 19. Plotini.

Quod fatum non tollat liberum arbitrium. *Vide Potestas Voluntatis.*

De fato Plutarch. Cicero. Albert. to. 17. D. Thom. opusc. 28.

Boetius 4. de consol. dicit, fatum singula in motum dirigit certis locis, formis aut temporibus distributa, & ipsa temporalis ordinis explicatio in diuinæ mentis adunata prospectu prouidentia est: cum ergo videamus res esse distinctas secundum formas & tempora vel loca, necesse est ponere fatum, & sic etiam prouidentiam. D. Thom. in quæst. disputatis. de prouid. q. 5. a. 2. a.

Hominum vita conditionis est dubiæ, quæ partim est ab ingenito libero arbitrio, partim necessitate obstricta; vt si dicamus vinctum hominem potestatem accepisse ductores suos spontè sequendi, quæ cogitatio eò me ducit vt necessitatem suspicer existere in rebus. Maxim. Tyrius. orat. 3.

Hominibus multa accidunt propter generalem constitutionem, non ex propria particularis naturæ qualitate, vt quando propter magnas aëris conuersiones quæ difficulter caueri possunt, totæ gentes intereunt, sicut fit in ardoribus, aut pestilentia, aut diluuiis, cum semper inferior causa succumbat maiori & validiori, hæc vim maiorem habent, cui non resistitur. Alia eueniunt propter singulorum naturale temperamentum, ab exigua & imbecilli cœli actione orta, & hæc per opposita remedia facilè mutantur. Ptolomæus quadripar. lib. 1, cap. 3.

Contra mala vniuersalissima potest homo sibi consulere singulari remedio, vt contra solis absentiam igne calido, lucidoque, contra pestem ignibus odoratorum lignorum, & transmigratione, contra diluuia montibus & nauibus, &c. quæ fusius prosequitur Campanella lib. de syderali fato vitando.

Fati, Parcarum, Erynnis nomina confinxerunt mortales ad honestandam improbitatem suam, cum hæc verè intus habeantur in animo. Maxi. Tyrius. serm. 3. in fine.

Fata volentem ducunt, nolentem trahunt, inquit Seneca ad Lucilium, vocat fata diuinam dispositionem in his inferioribus, quæ mouentes ducit, idest molliter mouet; nolentes trahit, idest si aliquis resistit illi dispositioni diuinæ, magis violentabitur, vnde mali sunt sub dominio Dei vt serui qui ad officium vi coguntur. Tostat. Exo. to. 1. 30.

Fatum tyrannicum est, nemini parens, & immutabile penitus quod veluti frænum immittens humano gregi, ipsum violentissimè trahit, ac parere iubenti cogit. In populari administratione possunt preces, potest supplicatio. In tyrannide autem vis non secus ac in bello dominatur. Maximus Tytius serm. 30.

Olaus Magnus lib. 1. cap. 31. refert in Gothia meridionali inueniri lapidem prealtum inscriptione hæc referentem fuisse duos fratres quibus à diuinatoribus prædictum fuerat eos mutua cæde interituros; vt malum hoc vitarent peregrinantur diuisi indissitas & remotas orbis partes, & in illis morantur, donec ætate decrepita quisque pro se putans, tanto temporis progressu, fratrem & fatum fuisse finitum in patriam regreditur: sibi senes occurrunt ignoti, rixantibus eorum canibus; & ipsi ad mutuas rixas & vulnera prorumpunt, animamque trahentes, & fratres se agnoscentes, expirarunt.

Fatales exitus nullus vindicare præsumit. Id.

Deus est supra fatum. *Vide Potestas Minoris.* vnum quod plurib. præualet.

Fatum est cœli & terræ lex à Deo dicta. Vide quæ scripsi in apologia fati vniuersi. cap. 2. An fatum concedi debeat & quid sit, Tostolo, natural. to. 3 parte. 2. cap. 19.

Dicitur fata causarum componi. l. 4. C. de legib. & dirimere ambigua fata causarum l. 14. Cod. de aduoca. diuers. iudicior.

Si omnia ad voluntatis nostræ normam traducerentur, nihil staret.

FIDEM DATAM hominibus seruare.

Fida est terra, infidum mare. Qui fidelis non est, amicis destituitur.

Princeps debet fidem seruare. *Vide Veritas Potestatis.*

Perfidia est improbitas aduersus quam solum nulla datur custodia.

C. Hostilius Mancinus Consul Romanus victus à Numantinis, & acceptis iniquis pacis conditionibus, illas senatus improbauit, & Mancinum nudum, vinctum ad portas Numantiæ exposuerunt; illum autem illæsum Numantini remiserunt, dicentes fidem publicam violatam vnius particularis supplicio, non posse expiari. Velleius Patercul. lib. 2.

Fœdus quod inter Gabios & Romanos actum est Tarquinio imperante scriptum est in Clypeo ex corio immolati bouis; & in templo Iouis appenso. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 16. cap. 13.

Æquitas naturalis suadet vt pacta seruentur. l. 1. in p. ff. de pact.

Est fides dictorum conuentorumque constantia & veritas. Hæc est, inquit Seneca, sanctissimum humani pectoris bonum, quod nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur premio. Vre inquit, occide, non prodam, sed quo magis secreta quæret dolor, hæc illa condet altius.

Perfidè quidam cytharœdo promisit se magnam pecuniam daturum si cantaret in nuptiis, cantauit, sed nihil dedit sponsor, dicens me cantu suo oblectauit, & hunc ego spe tandiu oblectaui. Rodigin. lib. 11. cap. 9.

Plurimum esse faciendam fidem veteres sanxere, ideò perfidè tergiuersanti debitori graues pœnas irrogabant, coram iudice 30. dies concedebantur pro quærenda pecunia, si non exoluebant vinciebantur, tandem capite plectebantur etiam inter creditores diuiso miseri debitoris corpore. Id. lib. 12 cap. 10.

In fœderibus sanciendis hic erat ritus; fecialis sumpto in manibus lapide, postquam de fœdere inter partes conuenerat, hæc verba dicebat: Si rectè ac sine dolo malo hoc fœdus, atque hoc ius iurandum facio, dij mihi cuncta præstent fœlicia, sin aliter aut ago aut cogito, cæteris omnibus saluis, solus ipse peream, vti lapis hic è manibus meis decidet; nec loquutus plura, manu, quem gestabat lapidem, excutiebat. Id. lib. 21. cap. 15.

Qui

Qui extremam voluntatem suam in alterius dispositionem confert, non decedit intestatus. cap. cum tibi, de testam.

Leuit. 6. Grauis peccati reus habetur, qui mentitur proximo super deposito, aut societate, aut rapina. Reddit quintuplum.

Meritò turpissima res videtur inter Christianos, si illorum fœderibus absit fides, qui peculiari nomine fideles appellantur; pacta tamen sic dictant callidè vt nunquam tam firmis vinculis adstringi queant, quin elabantur aliqua, fœdusque & fidem pariter eluant. Thomas Morus Vtopiæ. Reip. lib. 2.

In pacti confirmatione antiquitus occidebatur animal, & ponebantur partes illius seiunctæ, & ipsi paciscentes transibant inter diuisiones, significantes per hoc, quod sicut animal diuidebatur, ita diuidi deberet, qui pactum initum violaret; talis confirmatio dicebatur fœdus à fœda porca quæ occidebatur & diuidebatur. Tost. Exo. c. 1. f. 7

Maius peccatum est mentiri promittendo, quam mentiri asserendo. Id. Math. to. 2. fo. 215.

Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio; vre, inquit, cæde, occide, non prodam, sed quo magis secreta quæret dolor, hoc illa altius condam. Seneca epist 88.

Si quid promiseris præsta, etiam si res sit ardua & difficilis, saltem vt obligatam alteri fidem tuam soluas.

Fides hominibus seruanda. Vide quæ scripsi Moral. Christian. to. 3. part. [illegible] cap. 18.

Fides vbique frangitur. *Vide Magnitudo Virtutis. Rep.* Multitudo malorum.

Græcorum vana cautio est, qui acta consignant, & Deos inuocant. Scythæ religionem in ipsa fide nouerunt, qui non reuerentur homines, fallunt Deos. Hæc Alexandro dicit Scytha, apud Q. Curtium lib. 7.

Negotia quæ non possunt statim expediri, possunt remitti in aliud tempus constituta die & hora, sed caue ne postquam expectauerit, excuses, est enim maleuolentis animi. Cardan. de arcanis prudentiæ, cap. 24.

Ad existimationem seruandam pertinet, non proponere lucra aut honores incertos, delusus enim plus vanitatis in te, quàm si successerit gratiæ reputabit. Ib. cap. 25.

IVSIVRANDVM seruandum.

APposito iureiurando, cautior & diligentior animus fit: à duobus enim sibi tunc cauet; & ne lędat amicos, & ne peccet in Deum, diuina fides in auxilium humanæ aduocatur.

De periurio, Bernardin. qu. 1. serm. 45.

Atheniensium censura perstrictus Euripides; quod dixisset in tragœdia, iuraui lingua, mentem iniuratam gero Hoc est enim à fundamentis ius humanum, omnemque ciuilem societatē euertere.

Detestandum sibi periurium Dominus ostendit Leuit. 29. 12. Dicens non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui; ego Dominus. Ita refert D. Gregor. hom. 32. in Euang. Ad Martyrum sepulchra veniunt ægri & sanantur, dæmoniaci veniunt & curantur, periuri veniunt, & à dæmonio vexantur. Concil. Meldense c. 39.

Vt in iudicio forensi, iuramentum, iuramento legitimè facto non opponatur. quia ex duobus vnus futurus est periurus; & sic iuramentum non erit controuersiæ finis, sed in scandalum & animæ perditionem. Concil. Valentinum III. cap. 11.

Iuramentum non potest firmare contractum, qui est irritus propter vtilitatem publicam, vt si clericus iurauerit se coram Iudice laico litigaturum, cap. si diligenti, de foro compet. potest autem firmare contractum si sola versetur vtilitas priuata, & non sit turpitudo; vt si mulier promittit alienationem fundi dotalis, quę non valet nisi adhibeatur iuramentum. cap. cum contingat de iuram. sic valent contractus minorum sine authoritate curatoris si adhibeatur iuramentum; contractus qui per vim, dolum, vel metum fuit extortus non firmatur iuramento; illud tamen seruandum est, ne Deus videatur adductus in testem falsi. Bonac. de contractibus in genere.

Hæc erat antiqua iuramenti formula, si sciens fallo, me diespiter salua vrbeque, arceque bonis eiiciat, vt ego nunc lapidem. Cuiac. Obser. lib. 1. cap. 1.

Vt iuramentum sit obligatorium debet habere tres comites, iudicium, iustitiam & veritatem, vt habetur Ierem. 4. D. Thom quodlib. 5. a. 27. non tenetur qui iurauit se non intraturum religionem. *Vide Maioritas Virtutis.* Profectus virtutis.

Vide Differentia Voluntatis, & Differentia Cognitionis. De bona consilii & voluntatis mutatione.

In Ægypto mos est, vt si aliquis per vitam vel salutem regis iurauerit, & non compleuerit, morte moriatur, à qua liberari non poterat, etiam si se auro & lapidibus pretiosis ponderaret. Tostat. Deuter. fo. 29. & Math. to. 2. fol. 200. hæc dicit.

Sex maxime casus determinantur in quibus iuramentum est necessarium per hos versus.

Pax & fama, fides, reuerentia, cautio damni
Defectus veri, sibi poscunt vera caueri.

Lex violatur, vt seruetur iuramentum. *Vide Voluntas Minoritatis,* velle aliquando defectus, bonum.

De periurio vitando. *Vide Gloria Principii, Rep.* quæ repugnant gloriæ Dei: periurium & falsum iuramentum.

Iuramentum est medium ad cognitionem veritatis. *Vide Medium Veritatis.*

NON IVRANDVM.

IVramenta non fidem afferunt viro, sed vir iuramentis. Si petis aut à bono viro, aut à malo insanis. Nam bonus etiam sine iuramento verax, malus etiam cum iuramento perfidus. Lingua iurauit, sed iniurata mens. Amantium iuramenta non curat Iupiter, quasi cogente cupiditate facta; ea etiam non seruant homines ad quæ coëgit necessitas.

De Iuramento. Bernardin. quadrag. 1. serm. 45.

Vide Differentia Voluntatis, Opportuna mutatio consilii.

Nouella 94. Prohibet matres effectas tutrices aut curatrices filiorum iurare, quod ad secunda vota non transibunt, quia tale iuramentum sæpè violant.

Iuramentum prohibetur non tanquam malum, sed tanquam periculosum, sicut vinum quod vetabatur sacerdotibus ministrantibus in antiqua lege. Tostat. Leuit. fo. 89. Damnati autem sunt ab Ecclesia qui dicebant omnibus modis etiam in necessitate illicitum esse iuramentum. Idem Deut. fo. 26.

Abstinendum à iuramento. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in humanis parte 1. cap. 11.

Non licet vti vasis & vestibus sacris in actione prophana. *Vide Maioritas Medii.* Abuti digniori medio. Quanto minus licebit vti passim iuramento in communis vitæ negotiis. Hoc est in vanum Dei nomen assumere, nam humana Dei comparatione vana sunt, & qui facilis est ad iuramentum in rebus seriis, vix abstinebit ab eo in vanis, incertis, falsis, dolique mali patrocinium; qui iurat eo ipso se profitetur talem esse vt verbis suis fides non debeatur, infirmitatis ideo suæ conscius, fideiussorem inuocat Deum, & hac profanatione, qui Deum offensum non timet, timendam suspectamque magis efficit fidem suam. Vera semper dicenti creditur, & falsa semel asseueranti, etiam iurato, nullus assentietur; ergo iurare vanum est ad veritatis priuatam assertionem, etiam erit impium, si quis valens authoritate pessimam hanc consuetudinem, exemplo suo communem effecerit. Si licitum dicas in rebus magni momenti iuramentum, nulla nisi magna res est amāti, auaro, irato; sic malæ conscientiæ passionibus actæ iudicio, sacrum Dei nomen velut licitè violabitur. Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? quid sunt terrena cœlestium comparatione, vt pro his homo peieret? Non sunt facienda mala vt eueniant bona, nec vnquam licebit periurio etiā imperia quærere. Humanis quidem diuina miscet in mysteriis suis religio, sic vt illibatis diuinis humana perficiantur; at vano iuramento temerantur diuina, humanis ob reatum diuino tandem iudicio pereuntibus, periurus enim notatur infamia, & rei per Dei contemptum possessæ, tam infœlix solet esse exitus, vt à tanta criminis vindicta sæpe lex ciuilis supersedeat, quia iurisiurandi contempta religio, satis Deum vltorem habet. Abstineant igitur homines à iuramento priuatis in causis, ne fiat habitus in abusum inclinans, & sibi rebusque suis malè consulat, qui Deum impiè tentat habere receptatorem criminis, cuius duplici titulo, læsæ scilicet suæ maiestatis & iustitiæ, vindex existit. *Ex Principiis.*

Mentiri atque iurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veri amor, vt quidquid dixeris, iuratum putes. Dico vobis, inquit Saluator, non iurare omnino, sit autem sermo vester, est est, non, non. D. Hieron. epist. ad Celantiam.

Iuramentum vsurpatur vt iusta & iniusta, vera & falsa asserantur.

VOTA RELIGIOSA.

Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Psal. 125. Id fit cum sibi confidit anima, ex abundantia diuinæ gratiæ.

D. Basil. ita scribit ad Chilonem discipulum. Vide ne fortè dum vis, quæ quibusdam pactus es, custodire, transgrediare pacta à te inita cum Deo, quæ professus es coram multis testibus.

In insitione qua planta sylucstris debet fieri domestica, fortis esse debet alligatio, ne quid medium se interserat quo impediatur vnio; vnde plantæ molles non possunt inseri. *Vide Contrarietas Principii. Bona* sub initiis austeritas.

Ananias pœcunias quas Domino vouerat non reddens, multatur morte, quanto periculo in diuino iudicio dignus est, qui non nummos, sed seipsum Deo omnipotenti sub monachali habitu deuotum, subtrahit D. Greg. PP. in Registro lib. 1. epist. 33. venantio. Bonum propositum, est vt immota basis statuæ.

Cœlum ex aquarum fluida natura compositum, natura eius fluida, condensata & consolidata, firmamentum nominatum est. Theodoret. in Genesim quæst. 11.

Ex præcepto diuino, sacrificium perficiendum est, & non potest imperfectum relinqui, Bonacina.

Cingulum Religiosum significat adstrictam vitæ formam. *Vide infra Duratio Contrarietatis*, continua mortificatio. Idem significat stola, scilicet Christi iugum & vinculum collo impositum.

Qui post inita sponsalia & copulam, promisit ingredi Religionem, tenetur implere Matrimonium, & eo dissoluto ingredi Religionem, quia votum ex parte sponsi videtur esse validum, & eius obligatio per Matrimonium non extinguitur sed suspenditur. Bonacina de sponsalibus.

Homo offert se Deo per mortificationes, vt sit pura hostia, sacrificium sanctum, viuens victima, quæ & tibi maneat, & data sit Deo. Chrysolog. serm. 43.

In monasterio Abbatis Isidori in Thebaide hæc erat lex posita, vt semel ingressi, nunquam exeāt; ingressos autem, non iam legis necessitas, sed vitę beatitudo ac perfectio retinet. De vitis Patrū l. 2.

De Apostaris, *Vide Duratio Virtutis. Repug.* Vota implenda, etiam cogente, necessitate facta. *Vide Veritas Virtutis*, cum vrget necessitas.

In oratione Dominica dicimus, Pater noster qui es in cœlis, quia ibi propriè est, vbi nulla transmutatio est. Card. Cusa. excit. lib. 6. c. 21.

Tunc Deo gratissimæ fuerunt oblationes cum Tabernaculum antea mobile & portatile, cœpit figi extructo Templo Salomonis. Gen. a. m. 3130.

Exod. 12. Alienigena non debet edere phase, seu agnum Paschale, quia dum liber est, postquam hodie comederit phase, cras, vel continuò, si volet communicabit superstitioni Ægyptiacæ, non diiudicans inter vtrumque, similiter & mercenarius; admittitur autem seruus emptitius, cum fuerit circumcisus. Rupert. in Exod. lib. 2. cap. 22. Omnis incirconcisus non vescetur ex eo. Ib.

Voti reus dicitur, qui votum emissum tenetur implere. Ex Virgilio Petrus Crinitus de honesta discipl. lib. 3. c. 5.

Quod semel Deo oblatum, non reuocandum, nec retinendum est. Can. sunt qui opes 17. q. 4. Can. clerici. 17. q. 2.

Matth. 13. Simile est regnū cœlorū sagenæ missæ in mare & ex omni genere pisciū congreganti. Nihil est absurdi si ex his piscibus qui saliunt sic constringantur, vt aufugere non possint, sed velut omni ex parte seruitute coërciti, facultatē non

Digitized by Google

habeant elabendi. Orig. d. cap. qui capiuntur, amittunt vitam piscium: obtinent Angelorum. A

Quod Deus coniunxit, homo non separet. Genes. 1.

Paulus seruus Iesu Christi. Rom. 1. dicit 1. Corinth. 9. cum liber sim ab omnibus hominibus me seruum feci. Seruit ergo Christo, non in spiritu seruitutis, sed in spiritu adoptionis, quia omni libertate nobilior est seruitus Christi. Origen. in epist. ad Roma. cap. 1.

Acidus aceti Spiritus sese agendo coagulat, quique alias penitus erat volatilis & liquidus, non modo constringitur, sed & saporem mutat. Cogit namque & constringit se, forma tangibili, quasi magis gauderet solidioris corporis, quam liquoris specie permanere. Eiusmodi autem coagulationem atque saporis mutationem contingere, proprio spiritus aceti motu, non autem reactione corporum in dissoluto stantium fieri patet, quia corporum illorum non fit vel vnius saltem grani in corpore diminutio; dum interim aliquot mensurę stillati aceti mutationem præfatam subeunt. Propemodum idem fit dum spiritus vitrioli cum Mercurio incalescit, Mercurius namque manet impermutatus in Mercurii essentia atque materia, nisi quod niuis faciem assumat, at spiritus vitrioli transit in verum alumen. Van Helmon in tractatu. ignota actio regiminis. Volatilis prius voluntas vult fixari per vota. *Vide Finis Differentia*. Fixatio. B

Dedicatio est magnum opus. *Vide Duratio Principij*. Benedictio parentum. C

Firmum propositum in bono non tollit liberum arbitrium Vide supra hoc tit. Continuatio eiusdem voluntatis in bono.

Vide Bonitas Durationis. Continuationis.

Metallum in imperfecta sui formatione fluor est, perficitur vbi fixitatem venæque stabilitatem propriam acquisiuit. Van Helmont. votum fixat & perficit voluntatem in bono.

In corporibus inferioribus non est tota potentialitas completa per actum, eo quod materia substans vni formæ remanet in potentia ad formam aliam quod non est in corporibus cœlestibus. Nam materia corporis cœlestis non est in potentia ad aliam formam, vnde sua potentialitas tota est terminata per formam quam habet. D. Thom. in quæsti disput. q. 5. a. 2. in c. sic differunt Religiosi voto obligari à sęcularibus expositis inconstantiæ. D

Dicitur in psalmo, Vouete, & reddite Domino Deo vestro, vbi dicit glossa, quod vouere voluntati consulitur, sed post voti promissionem redditio necessario exigitur. & Ecclesi 5 dicitur si quid vouisti Deo ne moreris reddere, displicet enim infidelis & stulta promissio: & Augustinus in epist. ad Armarium & Paulinam dicit: Quia iam vouisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet, prius quam esses voti reus, liberum fuit, quamuis non sit gratulanda libertas, qua fit vt non debeatur quod cum lucro redditur. E

Cum igitur impletio voti pertineat ad latriam, loquitur contra primum pręceptum qui dicit non est vouendum, & contra secundum, non assumes nomen Dei tui in vanum, qui dicit votum non esse implendum; & qui dicit talia, manifestè hæreticus est. D. Thom. quodlib. 4. a. 11.

Vt voluntas tanto peior est, quo plus infirmata in malo, vt in obstinatis, sic tanto melior erit quo plus fuerit obfirmata in bono. Ita dicit Dauid, iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Id. a. 23.

Agnus sole lucente debebat immolari; nocte poterat comedi. Significabat, vota publicè facta, in occulto postmodum seruata.

In altare quod fecit Moyses Deus misit ignem de cœlo in primo sacrificio, quiquidem ignis mansit in altari, nec vnquam extinguebatur, etiam si pluuiæ inciderent. Tost. in Leuit. fol. 83. c. 4. k.

Nazaræus dicitur à Nazir quod Hebraïcè significat separatus, quia segregati erant à communi vita: votum poterat esse perpetuum vel temporale, non radebant capillos toto tempore voti, & finito, rasos à sacerdote comburebant in altari. Non bibebant vinum, non poterant accedere ad exequias mortuorum, & si accessissent, radebantur, & iterum incipiendum erat tempus voti. Id. Gen. fo. 411. nu. 10. 1. fol. 73.

Vota fideliter implenda. Vide quæ scripsi. moral. Christia. to. 1 parte. 2. cap. 23. De votorum Religiosorum excellentia & quod maius meritum actionibus imprimant. lib. de fœlici successu & triumphis vitæ religiosę parte 2. cap. 2. & 3. & lib. de institutione & officiis religiosi. parte 1. cap. 25.

Christus tradidit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate. Repende igitur vices ei qui dedit se, vt te reuocaret ad se, qui fecerat te, & si se non tradidisset, deberes te illi qui te condidit; tuum nihil præstas cum donas te, reddis namque depositum suum Domino, quod tibi prorogauit ad tempus. Da gratis, atque volenti animo, quod velis nolis, dabis in posterum. Nunc pro dato mercedem accipies, commutabis in melius quod tribues sponte; fœlicius teipsum abnegando possidebis in Christo; quam si te tibi custodire volueris. Laurent. Iustinian. serm. de S. Bartholomæo.

Et si multis erogaueris censum tuum, multo plures sunt quibus nihil dedisti, neque enim Crœsi diuitiæ valent explere pauperes mundi, te Dominus vult hostiam viuam, non tua, vt eum sequaris & Apostolica virtute sis perfectus, D. Hieron. in consolatione ad Iulianum. multus à te sanctorum numerus sustentatur; sed melius faceres, si & ipse sanctus, inter sanctos viueres.

VOTORVM RELIGIOSORUM pia statis temporibus renouatio.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Religiosus est homo qui se votis solemniter emissis Deo consecrauit, & vt maiestati suæ perfectius seruiret, ex euangelicis consiliis totam vitam suam ab humanis cupiditatibus abstractam, transigendam promisit in paupertate, castitate, obedientia. Omnium largitori Deo gratus, totum se dicat, totum diuinæ suæ voluntati mancipatum, regendum committit ad præsens & per totum vitæ tempus. Ita nullo, nec iure nec tempore ab aris deducto, viuentis hostiæ perfectum censetur holocaustum, cui nihil superaddere posse videtur humana voluntas, hac sui profusione totaliter exhausta.

Digitized by Google

MAGNITVDO. Cum tamen hæc voluntas nata A sit ad infiniti boni cultum, infinita quædam in illa debet esse vis, qua licet immolata velut consumpta, adhuc sibi superstes, innumeris actibus iterum iterumque se totam in principium suum refundat. Nec enim in essentialem vitam amore translata perit, sed perficitur, & accipit ab infinito charitatis amplitudinem, qua per iterationem affectuum & votorum probet se sibi fuisse relictam vt profiteatur se totam esse Dei. Sic oblatio quæ videbatur vnica, fit multiplex, respondens amori hac in vita nunquam satiato.

DVRATIO. Donationis ratihabitio, retrotrahitur ad tempus factæ donationis. *Vide Potestas Durationis.* iteratio; superaddit etiam maturo iudicio, quod illi videbatur defuisse. Ergo religiosus qui vota sua renouat, memor sit quantum initio suæ vocationis concepit rerum terrenarum contemptum, cœlestium amorem, vt fœlicibus initiis non modo se parem præstet, sed virtutum profectibus maiorem, & ad plenitudinem ætatis Christi magis accedentem. Si voti confirmatio reuocat ad initium, qualis debet esse præparatio, quanta diuinæ misericordiæ spes, quem, per vota Religiosa, patres Ecclesiæ docent in integritatem baptismalem restitui.

POTESTAS. Talis est liberæ voluntatis nostræ facultas, vt mota, subleuata gratiæ sibi præsentis auxiliis, præteriti temporis complacentia, pio præsentis vsu, futurum præoccupante proposito, pluribus simul titulis possit coronas illustriores promereri. Transeunt cum ipso fluxu temporis actiones, & ipsis quibus feruntur momentis pereunt, futuræ non sunt, & ex possibilibus an futuræ sint, ignoratur; ex his tamen omnibus, sicut ex præsentibus fructum colligit auida boni pietas; vota facta confirmat, emissis firmiter in posterum adhærere vult, se totam æterno Deo, litat, collectis in vnum temporibus, velut iam in æternitate constituta. Si diuinæ gratiæ beneficio mihi conceditur hæc insignis potestas vacuam & sine suis actibus non patiar; iterum iterumque vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius.

COGNITIO. Torpescit interdum vitæ religiosæ sensus, in eadem semper redeunte circuitu, & si tædium non parit, gustum tamen obscurat, consuetudo: excitari debet animus quibusdam interiectis quæ varietatem æmulentur in identitate. Sic hebescit rei molliter lenis & delicatæ sensus, cum illi manus immota, pondereque suo premens hæserit, eleuanda crebris, lenibus, velut fictis digitorum immitentium reuocantium se prætentatiunculis, vt se bono suo frui percipiat. Etiam sapiens indiget monitore, qui licet noua non doceat, obliterata tamen refricet; quod si velit ab alio non pendere sibi sufficiens, officium sibi consulentis impleat in decurrentis vitæ seriem, reflexione; Religiosus propositi, votique sui renouatione.

VOLVNTAS. Amor ignis est suis se tegens cineribus, si non hunc motus aliquis excusserit, refricatur inter præsentes sermone, inter absentes litteris, vbique captata pro præstandis officiis, occasione. Deum amanti, gustanti, grauissimum est acceptas consolationes compensare mutuis oblationibus, & quod frequens tentat oratio, liberalius implere per solemnes statis anni temporibus votorum renouationes. Toties iterantur & accenduntur in Deum affectus qui suis non carent meritis.

VIRTVS iterantur quæ vel non ritè vel insufficienter facta sunt. Iterat sculptor in ære lineam, vt profundior fiat deletioni minus obnoxia, si in delineata figura defectus ipse processu notabiliores obseruet geometer, nouam describit oculo manuque, punctis exactius inhærente. Tria religionis vota tantam exigunt intentionis & actionis puritatem, vt in illorum obseruatione plurimum etiã sancti deficiant. Vnicum superest remedium in votorum renouatione, vt quæ rectè gesta sunt, altius imprimantur menti, quæ malè ad regulam reformentur. Nazaræus si fuisset contaminatus B modis sibi à lege prohibitis, dies priores quos habebat in voto irriti erant, itavt non computarentur; radebatur totum caput eius, & repetebat votum, notat Tostatus in Numer. Non tam rigidè nobiscum agit lex Euangelica. Sacramentis enim tolluntur qui subrepserant, infirmitatis reatus, & iterantur vota, non deletis priorum actionum meritis vt in posterum vouens sibi diligentius cõsulat; & charitatis accessionibus ad vlteriora promoueatur.

VERITAS. Adolescentum vota culpant aliqui, velut nondum satis maturo iudicio facta. Virorum prouectæ iam ætatis improbant, velut ad hæc desperata quædam amoris, ambitionis, læsæ famæ, fortunæque passio, duraque necessitas adegerit. Inde nascentes scrupulos excutiet, mundanorum contumelias remouebit votorum renouatio. Hæc enim ad primum quem confirmant actum, vt diximus, retroducta, quæ potest superesse pro seruandis votis reclamante vel conscientia, vel populo difficultas, quidquid enim incusant, quidquid in ipsis primordiis notari potuisset vitiosum, libera, prudens, diu perpensis omnibus consulta voluntas comprobatione sua legitimum effecit.

GLORIA. Hæc igitur renouatio plurimum confert ad tranquillitatem & pacem, quæ animum Deo præparat. Non agnoscit gemma fulgorem D suum, sic illo non fruitur, non gaudet, non fœlix est. At Religiosus rationis capax, intelligit vitæ suæ fœlicitatem, ex nocentium cupiditatum, quas inermes effecit, victoria; ex mundanorum tumultuantium & miserorum comparatione, ex conscientiæ viam Christi tenentis securitate; ex interioris spiritus testimonio, qui nos Dei Patris filios, in viuentis hæreditatem admissos proclamat. Hac autem tranquilla beataque sua conditione tunc maximè fruitur; Deo largitori gratus est, sibi plaudit, semetipsum ad perseuerantiam excitat, vota sua renouans.

DIFFERENTIA Mobilem, vagam natura sua E mentem fræno cohibet sic innouata pietas Non pendet homo Deo sacer à diuitum vel principum æstuosis affectibus, à fortuita quæ diu spes suspensas tenet, sæpius fallit, occasione. Vita Religiosi, status est qui tamen per virtutum latè spatia sic diffunditur, sic parte quadam eminet, vt singulis soluta libertate liceat, pro naturæ gratiæque genio in diuersis explicari, & supra communem viuendi rationem ad altiora contendere.

CONCORDANTIA. Vt ad hæc omnes prouocentur ab omnibus & coram omnibus fit votorum renouatio, quilibet cæteros habet testes, fideiussores promissionis Deo factæ, & nisi vita consenserit, censores, iudicesque. Commune bo-

Digitized by Google

num est, in Dei gloriam, ordini professum, omnium ædificationem; lex est & publica sponsio, quam, cum omnium intersit, omnes vindicare tenentur, actione velut publica.

CONTRARIETAS. Qui per infirmitatem in hac aspera cœli via labuntur, votis renouatis ad lucrum surgunt, fiunt enim cautiores in vitandis aduersis, & quam traxerunt in implendis officiis suis moram, celeritate, & magno virtutum fœnore postea compensant.

PRINCIPIVM. Prodit iam nouus homo, præteriti pœnitens, sequuturæ perfectionis auidus, dicit enim cum propheta, ecce nunc cœpi. Velut ab hospitio discedens, somno ciboque reparatis viribus, alacritate gestiens, confidentia plenus viator. In omni feudi mutatione domino suo feudatarij præstant homagium, & ab eo inuestituram accipiunt. Singulis annis per genesis reuolutiones insignem vita patitur mutationem, & nouam ideo postulat voti renouationem, nouasque gratiarum accessiones. Laborans corpus vel naturale vel politicum, integritati suæ nunquam melius restituitur, quam cum redit in illud, quod sub initiis habuerat temperamentum.

MEDIVM. Hæc est ars spiritualis & innocentis magiæ, senes in adolescentiam repastinantis; medium simili puncto qui vitam incepit & finiet, notantis; solent enim Religiosi morientes renouare vota sua. Sic ambulatur; sic proceditur, vt pes dexter qui motum incepit, alternatim redeat, donec motum terminet ad iter præuio iam situ dispositus.

FINIS. Quid aliud intendit vota sua renouans, nisi quia negligentijs præcedentibus pœnitere, talibus perpetuum dare repudium, veterem hominem exuere, nouum induere qui secundum Deum creatus est; hæc est mortis simul & æternitatis meditatio, cum solutis captiuitatis nostræ vinculis, vindicabimur in libertatem filiorum Dei. Sic ignis noster alligatus materiæ, in acumen definente flexu, saltem ostendit quò deserere, & quò peruenire concupiscat.

MAIORITAS. Priorum oblitos monet Apostolus ad ampliora nos extendere. *Vide Maioritas Virtutis.* Hæc meditari, proponere, iurare, ad infirma tendentibus affectibus se negare, iam magnum & excelsum est.

ÆQVALITAS. Hæc adhuc in foris viget consuetudo, vt Iudices, Aduocati, Procuratores, semel in anno publicè præstent iuramentum se fideliter functuros iustitiæ ministeriis, & hinc dicit Symmachus, Senatorum sententiis authoritatem conciliari, quod iuratus ordo decernat. Ambiunt qui iustitiam administrant eius dici sacerdotes. *Vide Virtus Æqualitatis.* Vicissim sacerdotes, potissimum Religiosi, dicendi sunt seruire iustitiæ, qui hanc moribus profitentur, Deo, Angelis, & hominibus debitores in spectaculum facti, Cur ergo votis suis iteratis, tot creditoribus fidem suam non oppignorabunt?

MINORITAS. Confitetur præteritos suos defectus, iteratque vota sua, velut præcedentia irrita fecerit non satis exacta vitæ ratio. In posterum ad maiorem accingit se diligentiam, & perfectionem. Supplex orat, vtinam pereat in me quidquid à diuinæ maiestati debitis officiis me reuocat, & in his segnem efficit. Concupiscentiam vt feram tot iteratis votis quasi catenis oneratam, ne noceat, quantum possum, continebo. Si nihilominus vim inferat, statim sanari & restitui conabor. Voluntatem meam totam ex tunc Deo consecratam volo, accepter misericors sibi commissam, & vt suam à nociuis vindicet. Anima de optima quam elegit parte secura, clamat. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam.

Actus liberæ voluntatis multiplicari possunt, & quoties vota multiplicantur, toties noua merita consequuntur. Vide & applica. *Veritas Magnitudinis.* ex Cuiacio.

D. Hieron. epist. ad Heliodorum; Recordare, inquit, tyrocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus in sacramenti verba iurasti, pro nomine eius non te patri parciturum, non matri. Super quo sic Erasmus: Mihi videntur optimè consulturi vitæ Christianæ, qui instituerint, vt adolescentibus solemni ritu renouetur tota professio baptismi, ac verbis apertis explicetur summa totius Euangelicæ doctrinæ.

Iudæi singulis annis magna solemnitate celebrabant pascha, seu phase, seu diem exitus de Ægypto.

Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum, &c. Hebræor. 10. 32.

Clerici Regulares ministrantes infirmis quot annis vota simplicia renouare tenentur. Clem. 8. Const. 75. §. 9. Bull. p. 543. t. 2.

CONSTANS AMOR.

DVplici constamus corpore, scilicet elementari, & sydereo; sydereum non tam citò corrumpitur ac elementare, sed vagatur circa ea quæ quis in vita amauit, vt circa thesauros, amicos, &c. Hinc Nigromantia, illos euocans spiritus, discit ab illis prioris vitæ secreta. Hi spiritus habentur vt spectra propter quæ fiunt coniurationes, & orationes pro defunctis. Paracels. lib. 1. sagacis philosophiæ.

Cum terra sit elementum solidum, frigidum, siccum, ingressum in se calorem retinet fortius, quia solidum; & incenditur facilius quia siccum efficitur acutius, & magis penetratiuum, non enim de facili retunditur. Albert. Mag. lib. de passionibus aëriis.

D. Dyonis. cap. 2. de cœlesti hierarchia, dicit in animalibus esse innatam, & inuincibilem ad delectabilia concupiscentiam: eam autem, dum applicatur intelligentiis, significare immutabilem diuinæ pulchritudinis amorem, & vniuersalem reuocationem in id quod verè est appetendum. Inflexibile & non indigens desiderium ad illam puram & formificam pulchritudinem, æternæ, veræ, & inuisibilis societatis.

Qua virtute res attrahit, recipitur aliquid, vt magnes ferrum, &c. eadem receptum retinet.

Socratis est sententia, decere filios, quemadmodum in substantia relicta, ita in paterna succedere amicitia.

Ex Theophrasto, est amor irrationalis cuiusdam cupiditatis expcessus qui velocem habet accessum, tardum autem discessum. Furit enim, nec audit monita.

Ex elementis in solo igne non fit putrefactio; quia in simplici putrefactio non potest esse aliqua cum simplex nihil habeat alienum. Albert. Magn. meteor. lib. 4. c. 7.

Digitized by Google

Vide Duratio Concordantia. Et Duratio Virtutis. A
Constans admonitio.

Præceptum quo tenemur Deum ex toto corde, & super omnia diligere, intelligendum est quantum ad firmitatem, non quantum ad feruorem, vel dulcedinem amoris, maiorque simpliciter censetur affectus qui magis repugnat opposito effectui, idest peccato mortali, itaut quis eligeret potius mori quam Deum offendere cuiuscumque creaturæ amore. Perbartus in rosario Theologico voce affectus.

Heu mihi quod nullis amor est sanabilis herbis.

In Cant. Ne suscitetis dilectum donec ipse velit. Mensura charitatis hæc sola est, vt tantum quantum vult Deus, diligatur; voluntas autem Dei semper eadem est, nec vnquam mutatur. Numquam ergo immutatio aliqua, aut finis vllus in Dei charitate recipitur Origen. Hom. 3. in Cant. B

Petrus & Ioannes ad monumentum Christi timuerunt, & ideo non steterunt: Maria autem non timebat, quia nihil suspicabatur sibi superesse quod timere deberet. perdiderat enim magistrum suum, quem ita singulariter diligebat, vt præter ipsum nihil posset diligere, nihil posset sperare. Id. Homil. de Maria Magdal. Dixerat Iesus, Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea, quia licet Christus sit ablatus ab oculis eius, non est ablatus à corde. Non vult consolatores angelos ne cessatio doloris, sit amoris cessatio. C

Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Rom. 13. quod debetis statim soluite, & liberationem habebitis, excepta charitate quæ semper præstanda est, & præstita semper debetur. D. Chrisost. Christi passioni quæ desunt adimpleo. Rom. Nondum existimat totum pro nobis esse passum. Id.

Ignis seruatur per annum integrum in cineribus iuniperi. Tostat. 3. Reg. fo. 175.

Solus amor perpetuitatem vitæ cœlestis repræsentat; sola Dei dilectio est, quam non alterat casualis euentus; quam separatio corporalis non diuidit, quam temporalis longitudo non abolet, quæ defectui non succumbit. Sola charitas est per quam absentes videmus, alloquimur, amplexamur; quæ sic quadam angelica agilitate transuolat, & recurrit, vt nihil de corporeæ molis, aut distantiæ localis iniuria conqueratur Laurent. Iustinian. tract. de charitate. cap. 8. D

Exod. 21. dicitur, Ego sum Dominus Deus tuus visitans iniquitates patrum in filios, & faciens misericordiam in millia iis qui diligunt me.

Discat à Christo anima Christiana Deum diligere, quia & ipse nos dilexit sapienter culpam cauens, dulciter carnem induens, fortiter mortem sustinens, Et nos debemus Deum diligere sapienter, ne decepti dulciter ne illecti, fortiter, ne oppressi deficiamus. Ibid. cap. 9. E

Amicitiæ venenum est, si ames tanquam osurus, & amicum sic habeas, vt putes posse inimicum fieri. Sit fides & simplicitas, omni exclusa suspicione.

De amicis fortunæ quorum non est vera amicitia. *Vide Veritas Voluntatis. Rep.*

Amicitia quæ desinere potest, vera nunquam fuit. D. Hieron. ad Ruffin.

D. Dionysius explicat amorem Seraphim per proprietates ignis qui est in perpetuo motu sursum, vt perueniat ad suum centrum, & deorsum vt materiam in se conuertendo, illuc etiam transferat. Hæc fusius exponit D. Bonauent. de 7. itineribus æternit. epist. 5. & sicut ignis data materia nunquam cessat ab actione, sic amoris motus nunquam desinit sursum circa Deum infinitè bonum, & infra circa se & proximum semper perfectibilem.

Videbar partem viscerum meorum abrumpere, si in quos tam magna contuleram, veliores mihi facerem. Q. Curtius. lib. 6.

Amor eorum crescit tempore, qui interiorem amant pulchritudinem quia per ætatem augetur.

AMORIS CONSTANTIA in pia defunctorum commemoratione.

QVantuscumque sit amor erga defunctos, minus tamen illis prodest sacrificium Missæ, quam viuis, nam viuis prodest ad satisfactionem, impetrationem, & propitiationem, defunctis verè solum ad satisfactionem. Bonacina de sacrificio Missæ.

De defunctis fidelibus. Oratio Gregorii Nisseni. Damascenus.

De defunctorum memoria epist. Gerson. to. 3. Defunctorum querela, tom. 4. De cura pro mortuis. D. August. to. 4.

De honore sepulturæ. *Vide Gloria Finis.* De lucta in funeribus. *Vide Gloria Concordantia. Repugnat.*

Petrus Damiani Apostolicæ sedis Legatus in Gallia Monasterio Cluniacensi multa contulit beneficia, in quorum gratiam petit ab Hugone eius monasterii Abbate, vt pro ipso defuncto fiant orationes à Religiosis omnibus Hugoni subditis. lib. 6. ep. 2. & 4. His orationibus nihil dicit sibi esse pretiosius, quas seniores habent in phialis aureis. Apocalyp. 5.

Ideo fideles tumulis editioribus post mortem includuntur, vt sui memoriam viuentibus ingerant, vnde sepulchra vocantur memoria, scilicet vt per ea memorentur viui, & percipiant refrigerium mortui. Idem sermo 2.

Geneb. in fine suæ Chronologiæ ex probatis Iudæorum authoribus refert preces fieri solitas pro defunctis & vide 2. Machab. 12.

Vt in omnibus Missis fiat commemoratio defunctorum. Concil. Cabilonense. II. can. 39. habetur de consecr. dist. 1. can. visum.

Vide D. Dionysium de Eccles. Hierar. c. vlt. parte 3.

Tertulian. lib. de testimonio animæ c. 14. Cui gratiam debes, ossibus & cineribus eius refrigerium comprecaris, & vt benè requiescat apud inferos, cupis. Et lib. de corona militis. c. 4. oblationes pro defunctis, &c. annua die facimus; harum & aliarum eiusmodi disciplinarum traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix. Et lib. de exhortatione ad castitatem, c. 11. lib. de monogamia c. 10. D. Cyprian. ep. 66. vetat fieri oblationes pro eo qui Presbyterum tutorem filij sui testamento nominauerat. S. Cyrillus Hierosolymitan. Catech. 5. mystag. S. Epiphan. hær. 75. nu. 7. Cæteras Patrum authoritates collectas. Vide apud Card. de Richelieu. controu. lib. 4. c. 6.

Digitized by Google

Orant Christiani pro mortuis, quia credunt medium quendam locum inter vitam hanc & gloriam in quo animæ expurgantur à sordibus, quæ non merentur gehennam, nec compati possunt cum gloria, in qua nihil intrat immundum. *Vide Medium Gloriæ.* Purgatorium.

Ne nos pigeat opem ferre iis qui excesserunt, & pro eis offerre preces; est enim propositum orbis terræ commune piaculum, propterea fidenter pro orbe terræ tunc rogamus, & cum martyribus eos vocamus, cum confessoribus, cum sacerdotibus. Etenim vnum corpus omnes sumus, etiam si sint membra membris splendidiora, & fieri potest vt veniam eis omni ex parte conciliemus, à precibus, à donis quæ pro iis offeruntur. D. Chrysost. Hom. 41. in 1. ad Corinth.

Dicit Deus 4. Reg. 19. Protegam vrbem hanc propter me, & propter Dauid, seruum meum. Si sola iusti memoria tantum valuit, vbi opera præterea pro mortuo fiant, quid non poterunt? non igitur frustra ab Apostolis constitutum, vt eorum qui decesserunt, memoria fieret; hinc enim illis multum accedit vtilitatis. Eo enim tempore quo vniuersus populus stat manibus passis, ac cœtus sacerdotalis, & illud horrorem venerationis plenum incutiens sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro ipsis orantes. Id. Hom. 3. in epist. ad Philippenses.

S. Odilo Abbas Cluniacensis primus instituit vt in suis monasteriis memoria defunctorum ageretur an. 998. id in vniuersa Ecclesia seruari statuerunt S. Pontifices an. 1048. Baron.

Magister sententiarum 4. sentent. dist. 45. dicit quod ille, pro quo fiunt plura suffragia, citius à pœnis purgatorii liberatur. & D. Thom. quod libet. 2. a. 14.

Beneficiati tenentur iure naturali & diuino orare pro mortuis fundatorib. Tost. Exo. to. 2. fo. 70. c. 1. b.

Antiqui volentes æternam sibi fieri memoriam defunctorum, ferro sibi imprimebant quasdam figuras plagarum, in facie, manu, brachio. Id. Leuit. fo. 200.

Indi Guineæ, & Peruuiæ ad tumulum defunctorum congerebant cibos, vestes, arma, coniuges, seruos mactatos, & quidquid credebant vt ad hanc sic ad aliam vitam necessarium fore, non indigent talibus mortui, sed tantum precibus.

Eleemosynæ pro defunctis. *Vide Virtus Bonitatis*, quæ eleemosyna remittit peccatum. Ex D. Hieronymo.

Animabus in purgatorio existentibus, viuorum suffragia prosunt. Eugen. 4. Const. 17. 2. 3. p. 266. to. 1. Bullarij.

Est opus misericordiæ spiritualis orare pro defunctis. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ. parte 2. cap. vlt.

OBSTINATIO ET Pertinacia in malo.

QVare inueteratus es in terra aliena? Baruc. 3. idest in vitiis.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in cathedra pestilentiæ non sedit, idest diuturnam in peccatis non traxit moram. D. Basil. in Ps. 1.

Vnde procedat obstinatio, scilicet ex eo quod animalis spiritus superat rationalem. *Vide Maioritas Minoritatis.* optimi corruptio pessima. *Vide Gloria Minoritatis.* Gloriari de peccato

A Arboris substantia dura est inter mollem medullam, & succum intra corticem, à radice emissum.

Christus suscitaturus Lazarum, dicit, Tollite lapidem, idest cor lapideum, & obstinatum, vt in meliorem vitam homo suscitetur Chrysol. ser. 65.

Peccatum est sicut vulnus in corpore, quod cum est recens se tangi & premi permittit, post triduum difficulter. Tres dies in peccatore sunt, perpetratio, consuetudo, obstinatio tunc se tangi non permittit, iuxta illud Prouerb. Peccator cum in profundum peccatorum venerit contemnit. Card. Cusa. Excitat. lib. 2. cap. 22.

B Mala consuetudo est velut dura pellis oculo circumfusa, quæ crescit per successiuam immunditiam, collectam super pupillam, quæ difficulter tollitur postquam inueterata est. Id. lib. 10. cap. 5.

Durum est quod non cedit in seipsum quando tangitur, vel comprimitur, & non amittit nec figuram nec dimensionem suam. Albert. Magn. meteor. lib. 4. tr. 2. c. 3.

Etiam si aqua tundenda humeros perdideris, tamen aqua manebit. Suidas.

Aethiopem lauare & abstergere.

Velut heroum statuæ maiestatem quandam præ se ferentes, nunquam flectuntur, nec vlli annuunt. Rodig. lib. 8. cap. 1.

C Leuit. 13. Si lepra post adustionem refloruit, immundus à sacerdote iudicatur.

Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit Prouerb. 18. non est adeo graue excecidisse, ac iacere cum cecideris; nec tam malum est esse vulneratum, quam vulneratum nolle curari. D. Chrysost. Hom. 8. in 1. ad Corinth.

Vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Hebræo. 4. Vides quod peccatum faciat incredulitatem. Nam quomodo incredulitas malam parit vitam, ita etiam anima, cùm in profundum malorum venerit, cōtemnit contemnens autem ne sustinet quidem credere, vt se à metu liberet. Id. Homil. 6. in epist. ad Hebr.

D Obstinatio est in malitia mentis induratæ pertinacia, per quam fit homo impœnitens, & est peccatum contra Spiritum sanctum, eo quòd ad bonitatem Spiritus sancti nunquam redire velint, patientia Dei abutentes, velut non esset iustus. D. Thom. in 2. sentent. dist. 43.

Peccatum in Spiritum sanctum consistit in hoc, quòd voluntas reiicit id per quod à peccato retrahi deberet. Id.

Obstinatio & impœnitentia dicitur peccatum in Spiritum sanctum quod non remittitur neque in hoc sæculo, neque in alio, si enim perseuerat vsque ad mortem in peccato mortali, erit irremissibile, D. Thom. in quæst. disput. qu. 3. de peccat. a. 15. 10.

E Belial est nomen commune Dæmonum & interpretatur Hebraïcè absque iugo. Tostat. fo. 193. c. 2. b.

In damnatis manet voluntas immutabilis, sicut & in dæmonibus. Id. Math. to. 7. fo. 152. c. 2. d.

Reg. 3. c. 16. Hiel reædificans Hiericho & videns in morte primogeniti sui compleri maledictionem à Iosue positam reædificanti, non cessauit ab ædicatione, dicens mortem hanc casu euenisse; sic Philistiim capta arca, post multa prodigia & mortes subitas in ciuitatibus per quas circumducebatur, tamen ambigebant id esse à Deo. Id. 3. Reg. fo. 152

Digitized by Google

Retrogradi superiores præstant pertinaciam; si omnes sic fuerint, adeo erunt pertinaces; vt pro fatuis ac stolidis habeantur. Cardan. de iudiciis geniturarum. cap. 28.

Quando Saturnus fuerit cum dextro Orionis humero, natus erit insignis pertinaciæ, & perseuerans vnde nomen illustre consequetur. Idem. Aphoris. sect. 2. Apho. 100.

Pertinacissimi sunt quorum ascendenti Saturnus præest, & ipse cum regia. Idem. sect. 3. Aph. 117. & malè dispositus Ioui iunctus. Ibid. sect. 4. Aph. 21.

Math. 12. Christus sanat cæcum & mutum. O pestiferam dæmonis astutiam, vtramque viam occupauit & obstruxit, quibus erat ille crediturus, visum scilicet atque auditum. D. Chrysost. hom. 41. in Mathæ. tales sunt qui non recipiunt admonitiones, & nolunt confiteri Ibid.

Flammula herba non vesicat cadauer, prout corpus viuum, eo quod cadauer non moueatur actiuè siue proprio motu, à fermento venenato flammulæ; sic medicina infusa cadaueri nihil operatur, nec salutaris admonitio in obstinatis.

Interdum natura sic morbis succumbit, vt medicus non sit amplius eius minister, sed interpres.

Qui temporali non corriguntur pœna, duplicem sustinebunt, temporalem scilicet & æternam: vnde dicit Propheta; Duplici contritione contere eos Domine Deus noster. Percussi illos & non doluerunt, attriui illos nec compuncti sunt. Quid autem miserius quam in præsentiarum æternæ damnationis inchoare supplicia, & beatæ vitæ nullam expectare mercedem? Laurent. Iustin. lib. de spirituali animæ resurrectione.

Contumax dicitur qui tribus edictis propositis, vel vno pro tribus, vel litteris euocatus præsentiam sui facere contemnit, l. contumacia. ff. de re iudic.

Rigorem inflexibilem, ex contrarietate duriorem & obstinatiorem quidam affectant, & velut inuictam, de omnibus triumphum agentem fortitudinem in se mirantur, sed falso, nam tempori seruit sapiens, accommodat se rebus natura sua variis; vt insignis experientia nauclerus, vela pro ratione ventorum inflectit, explicat, colligit; vt medicus ex diuersis morbi paroxismis, ex naturæ laborantis inclinationibus discit, quo remediorum genere sit illi subueniendum. Ingenium versatile, rebus, personis, temporibus aptatum sapientem decet, seu res illi sit cum maioribus, æqualibus, inferioribus. *Vide Magnitudo Concordantia.* Omnibus conformari. Superiorum gratiam

A sola promeretur in quoduis obsequium paratissima voluntas, his resistere, se sibi vindicare liberis affectibus & motibus hoc est contra torrentem niti, malo semper exitu. *Vide Concordantia Potestatis.* Obedire rectoribus. Æqualium concordiam & amicitiam nihil magis conciliat, quam vrbanitas, quæ se totam impendit officiis, aliorum affectus suauiter induens & præueniens. Horrent omnes propriis exoticis addictum opinionibus & passionibus in cæterorum dulcissima communione. Homo singularis fit odiosus, quod ipsi amicè se concedentibus aliis, iniquè se mutuò non præstet, vicemque non reddat; saltem fit ridiculus à cæteris opinione falsa, more melancholici dissentiens. At lugendus est rector pertinax, qui quidquid occurrat, seruare vult non flexibilem

B animum, velut aliquid de proposito remittere, sit deiici. Rigor ille saxeus familiaris est pusillis mentibus, quibus minima sunt pro magnis, & quarum exiguitatem dum affectata firmitas malè tegit, magis offert irrito velamine conspiciendam. Vbi rebus mutatis mutari debet propositum, huic, maximè si publicum sit, affixi manent, & ne naturalis defectus, cuius conscij sunt, appareat, esse, dicique malunt imprudentes & miseri, quam leues. Si ad preces & gemitus procumbat coram ipsis subditorum infirmitas, si nouas offerant pro sui defensione rationes, & ad examen attentius causæ suæ prouocent; si externa quærant oppressioni suæ subsidia, irritatur vel furens, vel

C in infirmorum pœna ludens feritas, & miseri conatus omnes irritos, gratissimum efficit potentiæ suæ spectaculum, nullus apud hunc in malis pertinacem, clementiæ locus, diuinis regiisque virtutibus quæ durum subiectionis iugum alleuiant; sæuit rector immitis, quasi gloriosum sit, iam humili sua fortuna & aduerso casu prostratis insultare, inermes supplicesque confodere. O verè lugenda sors generis humani, tam crudelium dominorum tutelæ commissi *Ex principiis.*

Vide Differentia Cognitionis. Mutatio consilij. *Et Differentia Voluntatis,* Mutatio propositi.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit. Ps. 1. Natura in viam hanc deferente, sed ex via hac fidei religione referente. D. Hilarius in d. Psalm.

Nihil ita repugnat Deo quam cor impœnitens.

D Si enim ei ignoscitur post peccatum, qui peccare desistit, & ille flecti iudicem qui rogat; Impœnitens omnis ad iram prouocat iudicantem, & solum desperationis crimen est, quod mederi nequeat, & veniam consequi. D. Hieron. ad Sabinianum.

POTESTAS

Digitized by Google

POTESTAS VOLVNTATIS.

VIS HVMANÆ VOLVNTATIS ET INtentionis.

SINE magnete, solo nutu fabricari potest acus quæ polum respiciat. Sic, in incude qua cuditur acus ex chalybe, notatus sit septentrio, idque linea recta; stet faber dorso versus septentrionem, vt cum ducitur sub malleo chalybis ad faciendam acum, eam versus te & boream trahas. Talis acus sic facta, sine vllo auxilio alio, polum notabit, & quidem sine variatione solita; Acus autem quæ fieret super dictam lineam casualiter, & inscio fabro, est inanis, nec polum notat. Vnde constat quod imaginatio hominis fabricantis imprimat hanc facultatem magneticam; non cœlum, quod hanc daret etiam non intendente fabro. Van Helmont de magnetica curatione vulnerum. §. 167.

S. Hilarius dicit in libro de Synodis, omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit, talesque sunt creaturæ, quales eas Deus esse voluit.

Angelus quidquid agit & mouet, id exequitur per imperium voluntatis. Nam in Angelo non est alia virtus quam intellectus & voluntas: intellectus autem non agit nisi per voluntatem, ergo omnis eius actio est per imperium voluntatis. D. Bonau. de 7. itin. æter.

Qualibet affectio vocatur spiritus; quatenus motus quidam est interior secundum quem impellimur ad hoc vel illud agendum. Tost. in Iudic. fo. 89. c. 4 f.

Ex maiori in aliquid affectu coniicitur aptitudo. *Vide Cognitio Medii, & Principium Virtutis.* Naturalis inclinatio.

Beneficium bonum est, id autem quod fit aut datur, nec bonum, nec malum est; animus est qui parua extollit, sordida illustrat, magna & in precio habita dehonestat: ipsa quæ appetuntur neutram naturam habent nec boni nec mali, id refert quo illa rector animus impellat à quo forma datur rebus. Seneca lib. 1. de benef. cap. 6

Dicitur Gen. 1. In principio Deus creauit cœlum & terram; idest informem materiam, quæ est appellata cœlum & terra, non quia iam hoc erat, sed quia iam hoc esse poterat, & futura erat. Alcuin. in Genes. interrogat. 28.

Recta intentio est continua oratio. *Vide Duratio Cognitionis*, assidua rerum diuinarum meditatio. Est affectus timoris filialis. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Timor Dei filialis.

Latro crucem mutat paradiso, & facit homicidii pœnam, Martyrium. D. Hieron. ad Paulinum.

Si offeramus Christo opes, cum anima nostra libenter suscipiet, si autem quæ foris sunt Deo, quæ intus sunt diabolo demus, non est æqua partitio, & dicitur nobis; nonne si rectè offeras, & non rectè diuidas peccasti. Idem ad Pammachium.

LIBERTVM HOMINIS arbitrium.

LEuius si vellemus, quam corpora, liberum arbitrium susciperet correctionem; nam illic quidem, & medicamentis & medicis, & tempore opus est; hinc autem sufficit, si volueris, & bonus esse & malus. In summa, nihil est difficile si nos velimus, nihil facile si nolimus. Omnia enim sunt in nostra potestate, propterea quoque dicit scriptura, si velitis, & me audiatis; totum ergo situm est in eo, quod est velle & nolle; propterea & punimur & laudamur. D. Chrysost. homil. 5. in 1. Thessalonic.

Artes quædam sunt difficillimę quas sine horrore non videmus, vt funambulos, scrutantes profunda maris, &c. his omnibus virtus facilior est, nec licet dicere non possum, nam volenti omnia sunt possibilia: habemus enim Deum adiuuantem & opem ferentem; eligamus ergo virtutem quæ nobis in omne sæculum sufficiet, &c. Idem hom. 16. in epist. ad Hebr.

Liberum arbitrium non tollitur per firmum propositum in bono. *Vide supra Duratio Voluntatis.* Constantia voluntatis in bono.

Voluntas Dei est ad vtrumlibet, quia non est ad vnum obiectum determinata, potest enim hoc facere vel non facere, aut facere hoc vel illud, non tamen sequitur quod possit malefacere. D. Thom. in quæst. disputatis q. 1. a. 6. ad 7.

Quidam dicunt voluntatem hominis ex necessitate moueri ad aliquid eligendum, nec tamen ad id cogi, non enim omne necessarium est violentum, vt patet in motibus naturalibus: hæc opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus; non enim videtur esse meritorium vel demeritorium quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam numeranda inter extraneas Philosophię opiniones, quia non solum contrariatur fidei sed subuertit omnia principia Philosophiæ moralis, si cum necessitate mouemur ad volendum,

tollitur exhortatio, deliberatio, præceptum, punitio, laus, vituperium circa quæ philosophia moralis consistit, &c. Ibidem q. 6. de electione humana a. 2.

Sicut in rebus naturalibus forma est principiũ, sic in homine anima intellectualis. In hoc est differentia, quia forma rei naturalis est forma indiuiduata per materiam, vnde & inclinatio ipsam consequens est determinata ad vnum, sed forma intellectiua est vniuersalis sub qua multa possunt comprehendi, vnde cum actus sint in singularibus, in quibus nullum est quod æquet potentiam vniuersalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè se habens ad multa; sicut artifex concipiens formam domus sub diuersis figuris potest determinari ad quam voluerit, &c. Ibidem.

Voluntas diuina est vniuersaliter causa entis, & vniuersaliter omnium quę consequuntur modum necessitatis & contingentiæ. Ipsa autem est supra ordinem necessarii & contingentis, sicut est supra totum esse creatum; & ideò necessitas & contingentia in rebus distinguuntur non per habitudinem & voluntatem diuinam, quæ est causa communis, sed per comparationem ad causas creatas quas proportionaliter diuina voluntas ad affectus ordinauit, vt scilicet necessariorum affectuum sint causæ intransmutabiles, contingentium autem transmutabiles. Idem ibid. de peccatis q. 16. a. 7. ad 15.

Homini datum liberum arbitrium, quia est ad Dei similitudinem.

Vide Concordantia Æqualitatis, amor consanguineorum.

D. August. 5. de ciuit. Dei c. 105. dicit, si aliquid est voluntarium, non est necessarium.

Est in homine tantum media quædam libertas. *vide Duratio Voluntatis*, Fatum. Charitatis actus in via, est quędam inclinatio in finem, in patria verò est quietatio in ipso fine. Tostat. Matth. to. 2. fo. 20. c. 4. h. sic eadem, grauitate qua lapis fertur in centrum, quiescit in centro. Ita malè quidã comparant libertatem beatorum necessitati iunctam, cum libertate viatorum, quæ est ad vtrumlibet, & cum electione.

Diabolus non potest vincere nisi volentem. Id. Matth. to. 5. fo. 153.

Nulla laude quicquam esset dignum, nisi esset ad vtrumlibet flexibile, & hoc fatentur legislatores omnes quia alia iubent, alia vetant. Iustinus Martyr in Apologia pro Christianis.

Est solum inanimorum, aut eorum quæ sunt expertia rationis, aliena voluntate ad id quod videtur adduci; intelligens autem natura si liberum deposuerit arbitrium, simul perdit gratiam intelligentiæ, non est electio, abolita virtus, honore priuatur vita, ablata laus eorum qui se rectè gerunt; peccare impunè cuique licet, vitæ instituendę discrimen nullum superest. D. Gregorius Nyssen. Orat. catech. cap. 31.

Homo fabricatus est imago similitudoque, eius potestatis, cuius imperio quæcumque sunt omnia tenentur ac reguntur, ideoque in hominis libero consilio voluntateque positum fuit, se illius similitudinem tenere, cuius potestate res vniuersæ complectuntur, neque vlla rerum externarum necessitate seruus effectus est, sed sua ipse sententia, ad id quod sibi visum est, sese affecit, cumque ex potestate id elegisset quod sibi placuerat, contraxit calamitatem qua humanum genus oppressum tenetur. Idem lib. de virginitate, cap. 12.

Quia nolumus cogi, nitimur in vetitum. *Vide Bonitas Potestatis*, libertatis.

Hominis liberum arbitrium non subest fato syderali. Vide in Apologia quam scripsi de fato vniuersi, cap. 2. & 8. & Theologia naturali to. 2. parte 1. cap. 27. 28. 29. De libertate Dei, Ibid. to. 3. parte 1. cap. 18. Homini Deus dedit libertatem, quam non impedit sua scientia & prædestinatio. Ib. parte 2. cap. 14. 15. 16 17. quarè non fecerit hominem sic liberum vt non posset peccare. Ibid. parte 3. c. 2. astra inclinant, non necessitant. Libello de necessitate cap. 7. Lib. de misericordia Dei, parte 1. cap. 8.

B

Gratia quantumuis efficaces non tollere liberum arbitrium. Ibid. cap. 15. Periculosum est credere gratiam quæ necessitatem imponat, & hanc patres Ecclesia non admittunt. Ibid. cap. 16. 17. qualiter voluntas cum gratia concurrat, cap. 18.

A libertate voluntatis peccatum prorepsit, tam in Angelum, quam in hominem. Vide D. Basil. homil. quod Deus non sit autor mali.

C

Anima rationalis libero motu mouetur, irrationalis verò sequitur vniuersum; & patet rationalem animam existere aliquid in se totum, nec esse vniuersæ animæ partem, 1. quia nulla pars toti continua, motu proprio reflectitur in seipsam: nulla rursus toti æquare se potest; nulla denique toti repugnat: anima verò rationalis in seipsam, sui ipsius animaduersione conuertitur; ordinem vniuersi metitur, ipsumque transcendit, ad causam vniuersi procedens; seipsam aliter sæpè ducit, quam trahat natura totius, siue surgat in melius, siue labatur in peius. Marsilius Ficin. in Plotinum.

D

Deus vult omnes saluos fieri, integra libertate. *Vide Æqualitas Voluntatis.*

Licet fatum sit immobile, secundum quod fluit à primo cardine causarum, mobiliter & contingenter secundum suum esse participatur ab inferioribus. Fatales autem dispositiones vim suam magis habent in animalibus non sollicitis circa proprios actus, & similiter in melancholicis. Albertus Magnus 2. phys. tr. 2. c. 21.

Vincitur fatum si resistas, vincit si contempseris. Quint. declam. 4.

E

Libera voluntas magis aberrat. *vide Gloria Minoritatis.* Securitas ex humilitate.

Deus cum bonus sit & iustus, ab iis pœnas non exigeret, qui contra leges vitam ducunt, si necessariò delinquerent: homines sapientissimi leges non tulissent, nec delinquentes tot tormentis subiicerent, si fati vel necessitate naturæ leges violarentur. Theodoret. sermone 5. de natura hominis; Et si inquit, peccantibus veniam non tribuunt, manifestè ostendunt voluntatis opus esse peccatum.

Anima est infusa corpori, non confusa, potest enim respuere passiones vt dicit D. Ambrosius.

Quod fatum non tollat libertatem voluntatis

Gregor. Nyssen. D. Chrysost. sermone habet 6. tom. 5. Ficin. in Plotin. 8. Ænea 6.

Deus hominem in fine creauit, donis ornauit, ratione vt ipsum intelligeret, libero arbitrio vt amaret, & bona naturalia sibi data, & ad Deum ordinata sursum erigeret, ac per virtutem, obedientiam, charitatem multiplicaret moraliter. Creatus est vltimo, tanquam in quo complementum, & creaturarum perfectio consisteret, hominis autem perfectio in Deo est: sic itaque omnis creatura per hominem in Deum ordinata est. Card. Cusa. lib. 1. excitation. cap. 2.

Sicut nauis in mari aut stagno, est de se immobilis, & mediante vento, nauta ipsam mouet quò vult, spiritu non deficiente, sic fides est conceptus fortificans spiritum nostrum, vt possit in opera ad quæ non potuit. Coincidunt igitur fides & verbum. Christus facit miraculum, & dicit, Fides tua te saluam fecit. Idem lib. 5. c. 10.

Virginitas est potentialis fœcunditas, actu infœcunda. Sic anima rationalis potentia est fœcunda, sed fœcundatur conceptione verbi: sic ars fœcundat rationem, ad diuersa opera. Ib. c. 11.

Noluit Deus habere seruitores ignobiles, qui more iumentorum coacti sub iugo necessitatis, onera ferrent, sed liberos & nobiles, qui ex electione libera, voluntaria, & amorosa affectione, se ad impletionem mandatorum suorum offerrent. Liberi potuerunt peccare, sed peccantes insigni misericordia, quæ esset naturæ complementum, voluit liberare. Ib. lib. 6. cap. 10.

Anima rationalis nihil habet nisi liberam electionem per quam ab vno fugit, & ad aliud accedit, pellit & attrahit, sicut vis punctalis magnetis, & nominatur vis illa à parte attractiua, voluntas, & est spiritus vitæ eius, qui omittitur & transit in seruitutem si alligetur concupiscentiis, perficitur autem in libera, nobili & viuifica voluntate, quanto plus Dei voluntas est ei gratior, & magis placens. Ib. lib. 7. cap. 17. Deus charitas est, qui Deum amat, amorem amat, vnde vbi amor est amatum manet anima libera, non enim est alligata ad hoc vel illud, sed manet in amore, qui omne hoc vel illud amabile vt causa præuenit. Voluntas viuificatur amore amoris, à quo habet vt sit volens, liberè amans & eligens. Ibid. Vide plura ex eodem *Minoritas Virtutis.* Peccati turpitudo.

In Con. Moguntino, a. 848. damnatus fuit Gothescalcus Monachus Remensis qui tollebat humanam libertatem, dicebatq. homines à Deo necessariò prædestinatos esse, aliquos ad vitam, alios ad mortem.

Intellectus cogitur ab intelligibili, voluntas autem non cogitur ab appetibili.

Ex hoc voluntas potest liberè ad diuersa ferri, quia ratio potest habere diuersas cõceptiões boni.

Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod non potuit, summæ iniquitatis est, & insaniæ D. August. lib. de duab. animabus c. 12.

Vsque adeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Id. lib. de vera relig. c. 14.

Homines adducunt in desperationem, implendis obstant, qui dicunt humanam voluntatem necessitate aliqua regi. *Vide Finis Minoritatis.* Mali mores in melius mutati.

Vt animus velut Dei filius à Deo tanquam à parte prouidentiæ legibus clementer agitur & suauiter: ita corpus vt mundi membrum à mundano corpore fati viribus, velut particula quædam à mole tota impetu quodam trahitur violento, vnde fit vt in mentem nulla prorsus fati vis queat assultare, nisi quatenus corpori ipsa se, fatalibus obnoxio legibus, addixerit; sic Plato docet à corporeis & malis ad Deum fugiendum. Rodig. lib. 10. cap. 20.

Oculi in actione sua speciem quandam præferunt libertatis, quod reliquis sensibus natura denegauit, cum aures naresque perpetuò sint patulæ, oculi vero palpebras habeant, quibus se claudere, & ab intuitu cum volunt semoueri possunt.

Christus est Sol & luminare maius illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, sed ita lucem suam præstat mentibus nostris, si nequaquam cæcitas mentis impediat, sed tales clament ad eum, vt cæci Matth. 9. Domine vt videam Orig. hom. 2. in Genes.

Et nunc Israel, quid est quod Dominus Deus poscit à te? Deut. 5. Erubescant illi hæc verba, qui negant in homine esse liberum arbitrium, quomodo posceret ab homine Deus, nisi haberet homo in sua potestate quod poscenti Deo posset offerre? sunt ergo quæ dantur à Deo & sunt quæ præbentur ab homine; verbi gratia in homine fuit vt vna mna faceret decem mnas, aut vna mna faceret quinque mnas; ex Deo autem fuit vt haberet homo mnam, ex qua facere posset decem mnas. Id. hom. 12. super numer.

Idem est omnium hominum plasma de limo terræ, qualis est omnium anima ex Dei operatione; non tamen omnes homines demonstrant idem in bono propositum, neque eandem tolerantiam, non quia non possunt, sed quia nolunt. Id. lib. 1. in Iob, qui ideo laudatur quia volens sustinuit aduersa cum gratiarum actione.

Veni columba mea, iam hyems transiit, vineæ florentes dederunt odorem suum. Cant. 2. Non sine causa dicit odorem suum, vt ostenderet inesse vnicuique animæ vim possibilitatis, & arbitrii libertatem, qua possit agere omne quod bonum est; sed quia hoc naturæ bonum præuaricationis occasione decerptum fuit, per gratiam reparatur, & per doctrinam verbi Dei restituitur, & odorem reddit illum quem primus conditor Deus indiderat, sed peccati culpa subtraxerat. Origen. hom. 4. in Cant.

Iudas peccauit ex libero arbitrio. *Vide Voluntas Maioritatis.* Auaritia.

In area est frumentum paleis mixtum, verum ibi non sua causa, nec per voluntatem paleæ sunt aut est frumentum, hic vero in sua potestate positum est, vt sis palea vel frumentum. Orig. hom. 1. in Ezech.

Idem lib. 1. Periarchon in prœmio, fortiter asserit libertatem arbitrii, vt à fato, & stellis cogi non possit.

In nostræ vitæ cursu à nobis quidem dependendus labor, & studium atque industria adhibenda, laboris verò nostri fructus, à Deo speranda est salus. Alioquin si nihil operis nostri exposcit, superflua videbuntur esse mandata; frustra etiam ipse Paulus culpat quosdam decidisse à veritate, & collaudat alios stantes in fide; præcepta quædam & instituta ex superfluo tradit Ecclesiis; frustra etiam nos ipsi, vel volumus, vel currimus ad bona. Origen. lib. 3. Periarchon cap. 1.

Paulus seruus Iesu Christi segregatus in Euangelium Dei. Roman. 1.

Præuidit Deus quod abundantius quam cæteri

omnes laboraturus esset in Euangelio, quod in A fame & siti &c. Prædicaturus esset euangelium non igitur sortis incerto, vel naturæ melioris prærogatiua fuit electus, sed præcedit præscienta Dei perquam noscuntur qui in labores & virtutes habituri sint, & ita prædestinatio sequitur, quod enim apud homines vniuscuiusque meritum pensatur ex præteritis gestis, hoc apud Deum indicatur ex futuris. Id. epist. ad Roma. cap. 1.

Non est in nostra electione vt nascamur masculi vel nobiles, sed possumus per electionem nostram fieri virtute præstantes & malis formidini vnde nostri quodammodo sumus patres. D. Gregor. Nyssen. de vita Mosis.

B Antequam Iacob & Esau aliquid boni aut mali egissent dictum est; Maior seruiet minori, &c. Roma. 9. Non enim expectat Deus vt homo à rerum exitu videre quis bonus aut malus sit, sed id antea nouit. D. Chrysost. homil. 16. in epist ad Roma. Vnde constat quod prædestinatio non tollit libertatem, & electio Dei supponit præcedentia merita. *Vide Cognitio Principij.* Scientia Dei.

At dices si ex gratia salus est, cur non omnes saluamur, quia noluistis, gratia siquidem, licet gratuita sit, volentes tamen tantum modo saluat, non eos qui nolunt, qui continuò auersantur, qui contradicunt. ibid. homil. 18.

Si essemus natura boni aut mali, nihil in contrarium possemus, vt non possumus euadere, insensibiles, immortales, instar auium volentes, &c. At multos videmus, ex luxuriosis fieri abstinentes & castos, vnde patet ad hæc vitia naturam non esse determinatam, sed indifferentem. Hæc fusè prosequitur D. Chrysost. homil. 2. in 1. ad Corinth. *Vide Minoritas Contrarietatis.* Non cogere.

Quod vitium procedit non à corpore, sed à libero arbitrio. *Vide Virtus Principij.* Actio imputatur principali agenti

Vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Eph. 2. Illud longè & illud propè est solius liberi arbitrii & electionis. D. Chrysost. Ib.

Liberum arbitrium & libera electio magis obtinet principatum quam essentia & hoc magis est homo, quam illud. Non enim essentia iniicit in gehennam neque inducit in regnum, sed ipsum liberum arbitrium, & libera electio & neminem amamus neque odimus quatenus est homo, sed quatenus est talis homo. Id. homil. 8. in epist. ad Coloss.

Impossibile est vt non veniant scandala. Luc. 17. Non quia Christus futura scandala prædixit, idcirco veniunt, sed quoniam omnino ventura erant, idcirco prædixit. Non enim fierent, si nollent ea excogitare nequam homines atque pestiferi; quod si ventura non fuissent, nec ipse futurà prædixisset, &c. D. Chrys. homil. 60. in Matth.

Cur, inquiunt, Deus talem ipsum fecit? Non fecit Deus talem, idest malum, non enim pœnis afflixisset, si talem ipsum fecisset. Nam si nullius nos rei, cum ipsi causa sumus seruos nostros & vernas criminamur, multo minus creator omnium criminaretur vnde igitur hoc factum est, inquiunt, ab homine & negligentia sua. Nam qui mali sunt, si à seipsis mali non sunt, noli tuos seruos castigare, nec vxorem, si peccat, increpa, nec liberos verbera, nec amicos incusa, nec offendentibus inimicis infensus sis; Nam hi omnes nisi sponte delinquant, non punitione sed miseratione digni sunt, &c. Ibid. *Vide Principium Minoritatis.* origo peccati.

Homo suæ potestatis autor est creatus, vt sibi ipse auctor esset ad vitam siue ad mortem. Si verò necessitate esset subiectus, tunc nec boni operis haberet gloriam, nec mali pœnam. Sed esset quasi vnus ex pecoribus. Alcuin. in Genesim interrog. 5.

Deus permisit hominem tentari quem consentire præsciebat: quia magnæ laudi non esset, si ideo homo non peccasset, quia malefacere non potuisset. Nam & hodie sine intermissione genus humanum ex insidiis diaboli tentatur, vt ex eo virtus tentari probetur, & palma non consentientis, gloriosior appareat. Ib. inter. 61. Homini dedit liberum arbitrium, quia noluit eum cuiuslibet seruum creare, quem ad imaginem suam fecit, & vt ex voluntario bono laudabilis appareret Ib. inter. 65.

Deus qui perfectus ac bonus est, bonitate in nos ac beatitudine sua non sine ratione ac modo vsus est. Nam vnicuique nostrum libertatem vitæ sensusque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens, vt vnumquemque ex natura bonum malumue esse lex cogeret, sed qui nos per beneuolentiam vtendæ beatitudinis suæ creasset, C profectum nobis ad id per meritum vitæ innocentis honestæque constituit. Quid autem honoris ac præmii bonitatis necessitas mereretur, cum malos non esse, vis quædam nobis conferta, non fineret? voluntati ergo permissa bonitas est, vt præmium sibi voluntas bonitatis acquireret, & esset nobis æternæ huius beatitudinis profectus atque vsus ex merito; non necessitas indiscreta per legem. D. Hilarius in Psal. 2.

Gratia simul operatur cum libero arbitrio, iuuat illud & non tollit. *Vide Principium Virtutis.* Gratiæ necessitas ex D. Hieronymo. Liberum, inquit arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget; at Pelagiani asserebant, Deo D adiutore non indigere.

AMOR TRANS formant.

D. Augustin. lib. de verbis Domini, dicit quod anima talis est qualia amat, quia per amorem transformatur in amatum. Si cœlum amat, cœlestis est, si terrena terrestris. Est secundum D. Dyonisium, sicut speculum quod ad quodcumque E conuertitur illius habet imaginem. *Vide Potestas Concordantia.*

Calor succos rubentes ex candidis efficere potest, ex rubentibus flauos ex flauis virides aut nigros, non secus ac ex pituita dulci fit sanguis propter coctionem; ex sanguine flaua bilis propter nimium calorem; ex flaua bile viridis vel atra propter adustionem, verbi causa, bitumen quoddam liquidum idcirco candidum est; quia mitis calor idipsum è terris expressit, &c. Georgius Agricola lib. 1. de causis subterraneorum.

In terra & calore & frigore lapides concrescunt, cum vero calor fuerit lapidum effector materiam colorat, nam eius colores obscuros illustrare, contra illustres obscurare potest, frigus verò parum immutat de materiæ coloribus. Ibid. lib. 4.

Nullum maius vinculum est; quam vinculum amoris, nam qui amat, amato identificatur, & amor transformat amantem in amatum, quia anima verius est vbi amat, quam vbi animat. Tost. in Genes. prol. f. 3. c. 3. h.

Nullum animal potest in igne viuere, & si quædam per breue tempus in eo maneant illæsa. Deus ignis consumens est, sic in extasi. *Gloria Voluntatis.*

Domine, tuæ caritatis dono, ex toto corde dulciter, ex tota anima sapienter, ex omnibus viribus fortiter diligunt te. Porro agnoscunt se melius viuere in te quam in se, quia viuis vita æterna, esse immutabili & beato de te in te; viuificasque cuncta quæ viuunt naturaliter, seu vita spiritus. Laurent. Iustinia. Fasciculus amoris. Sunt autem quia viuunt in te, non per se, sed per te qui es finis omnium quæ sunt, iuxta ordinationis tuæ arcanum, ineffabile, rectumque consilium. Ibid *Vide Concordantia Principij.* Deo & Christo conformari.

Hortos in Babylonia pensiles, syluas super pilas lapidum, maximi, constantes arboribus plantauit Syriæ Rex amore coniugis, quæ desiderio nemorum syluarumque, virum compulit in ædibus, naturæ genium in campestris imitari. Q. Curtius. lib. 5.

VIS AMORIS. BONA.

VIs magnetica latius dominatur in sphæra sua, quam luminosum pariter in sua: Nam lumen impeditur ab obscuro, denso, & adiaphano corpore; at vim magneticam nullum corpus, quantumuis durum sistere potest; est enim qualitas totius globi vniuersalis, vt sit in conuenienti dispositione ad cœli influentias. Kerker. lib. 2. artis magneticæ parte 1. propos. 7.

Cum adolescens amore filiæ Pisistrati Atheniensium Tyranni, accensus, eam, in publico sibi obuiam factam deosculatus esset, hortante vxore, vt ab eo capitale supplicium sumeret, respondit; Si eos, qui nos amant, interficimus, quid iis faciemus, quibus odio sumus. Valer. Maxim. lib. . cap 1.

Ancillæ alienæ corruptor potest manere in eius contubernio, domini ancillæ seruus effectus, aut ei duo mancipia eiusdem pretij exoluat. Edict. Theod. Reg. cap. 64.

Calidis plantis attribuuntur nouem præcipuæ operationes scilicet calefacere, desiccare, exprimere, contrahere, oppilare, glutinare, consolidare, incarnare, sigillare, seu formas inducere & hæc conueniunt calido, non simpliciter & per se, sed pro ratione mixti in quo est. Albert Magn. lib. 5. de vegetabili. tract. 2. cap. 2.

Ignis mobilitatem cunctis causat corporibus. Calor amara efficit dulcia. *Vide Gloria Virtutis.* Iugum Christi suaue.

D. Gregor. PP. in Registro lib. 6. epist. 24. Non miratus sum inquit vos in vestris epistolis imperialia verba posuisse, quia habent inter se maximam cognationem amor & potestas. Nam vtraque principaliter præsunt, vtraque per autoritatem semper loquuntur.

Xenophon lib. . de doctrina Socratis, refert eum quidem censuisse fortissimos in primis & vltimis aciei ordinib. constituendos, eos autem fore fortissimos, qui sint magis amatores rei ex victoria speratæ, auaros, vbi rapiendum, &c.

De miris amoris effectibus. Plutarch. in opuscul Ibid. de amore.

Tenerum in mulieris amorem homini pectus; vnde originem cepit, facile reditutum. Satis fœminæ sunt disertæ, dum placent.

Calor digestionem efficit. Arist. 2. de anima tex. 50.

Frigus non ingreditur opus naturæ. Calor enim in corpore naturali est primum agens, quod introducit formam speciei, non autem frigus. *Vide Cognitio Virtutis.* Virtus quæ se profert.

Calor naturalis habet in se virtutem formatiuam vniuscuiusque naturæ cuius calor naturalis esse dicitur. Sic est enim in eo vis cœli & motorum cœlestium, & vis complexionis siue formæ, illius naturæ quam format, sicut in calore seminis plantæ vel animalis est vis quæ vocatur formatiua animalis vel plantæ Eodem modo est in mineralibus & calore eorum. Alber. Magn. metro. l. 4. t. 1 c. 4.

Vide Magnitudo Voluntatis. Zelus bonus.

Amor naturalis est primus actus voluntatis & appetitus, omnesque motus appetitiui, præsupponunt amorem, quasi primam radicem; nullus enim desiderat aliquid nisi bonum amatum, nec gaudet, nec delectatur nisi de bono amato; & per oppositum odium, tristitia dolor non sunt nisi de eo quod contrariatur rei amatæ. Perbartus in Rosario Theologico. de amore Dei.

Quidquid discimus, quidquid excogitamus, quidquid omnino pertractamus in vita, ex amoris fontibus profluit, quibus latius manantibus vberius rigati artes percipimus aut inuenimus. Rodigin. lib. 29. cap. 16.

Campanella in quæstio. Physicis, duo tantum ponit rerum principia calorem & frigus quæ describit Moyses dicendo Deus creauit cœlum & terram ex his manant molle & durum, congelatum & liquidum, motus & immobilitas seu quies, rarum & densum, &c.

Calor est omnium quodammodo anima, ideo generat ex corruptione.

Filia si post 25. an. nupserit inconsultis etiam inuitis parentibus non censetur ingrata, nec est iusta exhæredationis causa, quia id culpa parentum putatur commisisse qui nuptias distulerant. Noue. 115. cap 3. §. 11.

Amor nihil tam hostiliter odit quam necessitatem ac metum, vtpote qui magnanimus sit ac liber, diuitias non admiratur tyrannum non expauescit, cuncta contemnit, omnia vincit; sic laudantem poetam adolescentula præferet tyranno, amorem volenti, vel extorquere potentia, vel corrumpere diuitiis. Maximus Tyrius. serm. 10.

Potest quis in casu necessitatis extremæ famis, vel naufragii licitè cedere suo commodo & dare panem vel tabulam amico, ad quod tamen non non posset lege humana obligari. Suarez. de legib. lib. 5. c. 30.

Vide Medium Gloria. De his qui se pœnæ pro amicis substituunt.

Vide Æqualitas Voluntatis, mutuus amor coniugum.

Mulieres viris veternum excutiunt, eosque in perpetuo tenent exercitio omnis sine mulieribus frigida est conuersatio.

Amor depingitur vna manu florem, altera piscem ferens, quia terræ & mari imperat.

Digitized by Google

MALA.

OMnis lapis preciosus ignitus, virtutem & efficaciam suam amittit.

Licet motus libidinis sint pœna voluntatis à Deo auersæ, pauci tamen sunt qui velint carere hac pœna. Rupert. in Genes. lib. 3. c. 11.

Aquæ quæ transeunt per mineras auri & ferri sunt bonæ & confortant interiora; aliæ fluentes per alia mineralia sunt salutiferę; omnium pessimę & amaræ sunt quæ transeunt per cuprum metallum veneris & ideo necant animalia sicut pisces & vermes. Albert. Mag. meteor. lib. 2. in fine.

Arabes inter hominis morbos numerant amoris ægritudinem, quæ nihil est aliud quam nimius animi affectus atræ bili affinis atque consimilis, qui mentem assiduè agitans perurit ex imagine & forma alicuius pulchritudinis, quæ oculis & animo amantis insidens, incumbit: affectus ille miris modis permutatur, vt qui lętitiam, fletum, hilaritatem, tristitiam, spem, metum, audaciam pauorem præ se ferat, nec in aliquo possit consistere, vt passio, sic vultus, sic pulsus varius. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 16. cap. 4.

Iuuenis quidam ardet amore statuæ bonæ fortunæ in foro positæ; offert flores & munera, tandem desperato in rem insensibilem amore, sibi violentas attulit manus. Rodigin. lib. 15. cap. 11.

Herculem monstrorum domitorem mulierum libido vicit. Syrenes quæ dicuntur cantu nauigantes in saxa & naufragium pellicere, significant blandas mulierum fraudes; melius vnicuique est quod sit suus quam alterius, liber quam seruus. Id. lib. 14. cap. 14. in fine.

Ideo vitandum suspectum mulierum contubernium. *Vide Differentia Minoritatis.*

Alexander mulierem sic ardenter amabat vt putaretur veneficio irretitus. Olympias mater hanc videns mulierem animi corporisque pulchritudine præcellétem, Recedant, inquit, calumniæ, sola in ea pulchritudo veneficium est. Id. lib. 16. c. 6.

Balaam Num. 25. consilium dat regi Balach. mitteret ad Israëlitas pulchras virgines quæ cogente libidine inducerent eos ad sacrificandum Idolis. Nam forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captiuat, vincuntur specie qui non vincuntur prælio. Vix prohibetur libido legum minis, vix gladij terrore reprimitur. quid sceleris non perpetret, vbi facinore suo placituram se mulier regi credidit, & salutem patrię quæsituram. Captiuantur ergo Israëlitæ, non ferro sed libidine, &c. Origen. Hom. 10. in Numer.

D. Chrysost. Hom. 23. in 2. ad Corinth. probat passionem amoris impuri violentiorem esse passione auaritiæ; quia auaritia miseros tantum & abiectos sternit, at corporum cupiditas pręcellentes viros vt Dauid. 2. Reg. 1.

Hæc omnium maxime vehemens & tyrannica dilectio, habens vehementiam quæ vix marcescit. Nihil nostram vitam æquè concutit atque agitat, vt amor viri & mulieris, pro eo multi arma sumunt, animam produnt, &c. D. Chrysost. Hom. 20. in epist. ad Ephes.

Mulieres vsurpant potestatem ligandi & soluendi animas, quam Christus solis concessit sacerdotibus.

Amor dicitur tener, quia dura & fortiora quæque efficit tenera & mollia sibi subiecta. Tostat. in Gen. fo. 177. c. 1. b.

Si quis in amore modum tenere velit, idem est ac si cum ratione insaniat, quod concludit contradictionem. Id. Math. to. 2. fo. 144.

Ad peccandum magis inclinamur per concupiscibilem, quam per irascibilem. Id. Exo. tom. 1. fo. 256.

Veteres coniunxerunt Venerem Vulcano, quia libido est de natura ignis. Id. 2. Reg. fo. 76.

De latere & costa dormientis Adę formata est mulier, vt ipse operantem & formantem Deum non videret. Id. Genes. fo. 139. Sic amor raptus est, intellectu cessante.

Venus vbi nimium potens in genitura fuerit, & in locis infortunarum, multa ex fœdis amoribus expecta inconuenientia. Cardan. Aphoris. sect. 5. Aphor. 175. de mala inclinatione ad res venereas. *Vide Contrarietas Virtutis.* naturæ infirmitas.

Amoris æstus omnibus communis. *Vide Æqualitas Minoritatis.* Eadem infirmitas.

Non sic auaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio, facilè his caremus vitiis, hic hostis nobis inclusus est, quocumque pergimus nobiscum portamus inimicum. D. Hieron. ad Eustochi.

Vide Maioris. Voluntatis. Nimius amor coniugum. *Et Gloria Voluntatis.* Amoris lacrymæ. *Contrarietas Voluntatis, Zelotypia.*

Quæ mala mulierum amor pariat. *Vide Contrarietas Voluntatis.* Amoris remedia.

In amatis soli imperant sensus, ratione mortua.

Exugit peras exugit Lesbia corda
Stultus! qui duplici mercatur sanguine amorem.

VIS AMORIS diuini.

LAurentius Iustinianus scripsit librum, cui titulus, Amoris fasciculus; aliumDe amoris diuini incendio. D. Bonauentura pharetras. Item amoris incendium; amoris stimuli; amatorium. D. Bernard. de amore Dei.

De amore diuino Idiotæ. Bibl. Patr. to. 5. & D. Thom. opusc. 61.

De donis Spiritus sancti. Drogo. Biblio. Patr. to. 2. Iauellus, Bernardinus tom. 4.

Mulieri peccatrici Christus dimittit peccata. quia dilexit multum, Ama Deum, homo, & ama totus, vt possis omnia sine labore vincere peccata: teneræ militiæ, delicati conflictus est, amore solo, de cunctis criminibus reportare victoriam. Chrysolog. serm. 94. in fine.

Charitas calor est spiritualis & diuinus qui eleuat à terrenis ad sanctitatem & Dei formitatem: sic lignum accensum, statim mittit flammam sursum, sic Dauid dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam: de Apostolis sic accensis legitur, Qui sunt isti qui sicut nubes volant? Card. Cusa. Excitat. lib 6. c. 16. *Vide Voluntas Principis,* Amare. Deum

Sicut non apparet in accensis carbonibus nisi ignis, & in coloratis pannis non nisi color, ita & in sanctis, non nisi Deus. Ib. lib 10. cap. 10

Amor de Deo triumphum agit, dum summum ad ima demittit in incarnatione. *Vide Concordantia*

Digitized by Google

Minoritatis. Incarnatio & dum verbum diuinum A
corpori dans dotes beatitudinis, tamen amor illas continet ne appareant. *Vide Cognitio Virtutis. Repug*. Latens virtus.

In his quæ sunt supra hominem, amor est nobilior cognitione, sed in aliis è conuerso. Amor est altior cognitione in mouendo, sed in attingendo est è conuerso. Aliquid perfectè amatur, quod non perfectè cognoscitur, sicut patet in scientiis quas aliqui amant propter aliquam summariam cognitionem quam de illis habent.

Amor Dei infima spernens, in solam diuinam pulchritudinem intentus est, sic à suppliciis vitæ tum præsentis, tum futuræ liberat, & in cœlorum regnum perducit; interim hic Christum possidens, summa & omnes excedente voluptate fruitur; B
hunc igitur amorem amplectamur, tum in nostram lætitiam, tum in amati Dei gloriam. D. Chrysost. Hom. 9. in fine in epist. ad Roman.

Vide Principium Voluntatis. Charitas à Deo.

Per ignem credebant gentiles omnia purgari; ideo homines in ætate parua inter ignes transire faciebant, & istum ritum obseruant Tartari vsque in hunc diem. Tostat. Deut. fo. 101.

Vide Virtus Voluntatis. Charitatis excellentia.

Charitas ligat Deum & hominem, quia vinculum est; quam potens est vinculum quo Deus ligari potuit. Si contra Deum fuisti fortis, multo magis contra homines præualebis; charitas Deum in terram, hominem in cœlum leuauit. sine charitate nullum vinculum Christum in columna ligasset nullum ferrum in cruce fixisset. Laurent. Iustinian. tract. de charitate. cap. 6. C

Machina mentis est vis amoris, quæ eam dum à mundo abstrahit, in alta sustollit. Ibid. cap. 8.

Difficile est humanam animam aliquid non amare, & necesse est vt in quoscumque mens nostra trahatur affectus. Carnis amor spiritus amore superatur, desiderium desiderio restinguitur quidquid inde minuitur, hinc crescit. D. Hieron. ad Eustochium.

Charitas seu amor diuinus, est ignis in meditatione mentem purificans à sordibus vitiorum. Lux est in oratione mentem irradians claritate virtutum. Mel est in gratiarum actione mentem dulcorans, dulcedine diuinorum beneficiorum. Vinum est in contemplatione mentem inebrians iucunda delectatione. Sol est in æterna beatitudine mentem clarificans serenissimo lumine & suauissimo colore exhilarans ineffabili gaudio in perenni iubilatione. D. Bonauent. de 7. itiner. æternit. D

De diuersis effectibus amoris diuini. *Vide Infra Veritas Voluntatis* quæ sit vera charitas.

Cogitemus quæ sit supereminentia charitatis Christi, quæ dilectionem parentum vincit, amorem prolis superat, affectum carnis transcendit, vel extinguit, insuper & animam suam in odium vertit. Ib. E

Quidquid desiderare potes & multo etiam plura sine tuo conatu amor tibi suppeditabit; habebis quidquid possis appetere, id vero nihil est aliud, quam perpetuo sine cessatione amare Deum atque ita omni morieris proprietati, & charitas erit vita tua. Rusbroch. cap. 1.

Amor Dei si verus est, exundat in auxilium proximi. Vide quæ scripsi. lib. de operibus misericordiæ parte 1. cap. 6.

DISCENSVS SPIRItus Sancti, salutis humanæ complementum.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Innumeris naturæ bonis prouocatus homo ad largitoris cultum dona recepit, datorem inficiatus est, coluitque per tot sæcula, pro creatore creaturas. Mali vastè regnantis caussam originalem & tot reatus vt aboleret, diuinum verbum incarnatur. Christus infiniti meriti sui thesauros aperit egenti mundo, vsum eorum salutarem verbis & exemplis edocet, tandem immensa charitate pro reis substitutus in cruce moritur. Sed tunc contra naturæ legem sensibiles tenebræ significabant stupendam caliginem mentium quæ de tanto beneficio sibi scandalum facerent, blasphemant Iudæi morientem pro se ipsis Christum, ipsorummet Apostolorum fides vacillat, & hinc patet aliquid adhuc desiderari ad humanæ salutis complementum.

MAGNITVDO. Impleuit æternæ misericordiæ humano generi prouidentis dispensationem; impleuit Prophetarum vota, & malis nos prementibus opportunum dedit remedium in terras missio Spiritus sancti. Eo mouente, cooperante natus Christus verbum incarnatum, quæ nobis merita quæsiuerat, etiam de Spiritu sancto regeneratis, sibi sanctitate coniunctis fratribus cohæredibus dispensari voluit, vt totum creationis & redemptionis nostræ munus referri posset in amorem diuinum. Vnde Spiritus sanctus sic in nos effusus, per excellentiam dicitur donum, velut cætera complectens, & in firmitatibus humanis vniuersale, specificum tamen validumque remedium.

DVRATIO. Etiam perfectiores prius laborabant turpi mentis & affectuum inconstantia. Petrus Christum imminente passione negat, cæteri ne velut socij pœnis subiiciantur, fugiunt; qui prius reliquerant omnia vt magistrum sequerentur, eo mortuo ad viles operas suas redeunt, iterumque fiunt piscium, non hominum, vt promissum fuerat, piscatores. sæuiente persecutione, latent, donec afflati Spiritu sancto publicè fidem in Christum profitentur; huius sancti nominis hostes, non amplius fugiunt, sed prouocant, gaudentque hac in caussa suis contumeliis & verberibus. Idem spiritus qui nascente mundo ferebatur super aquas, quos possidet extollit super fluxas humanarum rerum vicissitudines; æternis firmiter hærent amoris æterni beneficio, & quis separabit à charitate Christi, ipsi diuino nexu coniunctos.

POTESTAS. Fit repentè de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, fœlici præsagio, deinceps afflatos eo spiritu, mundi totius potentiam, Dei legibus aduersam, concussuros, deleturos, donec Christo inimici sui colla subiiciant, & secundum Prophetam, fiant scabellum pedum suorum. Viget eadem vis diuini spiritus in his qui fortiter contemptis diuitiis, voluptatibus, sceptris & coronis, ad vexillum crucis euolant, securi de thesauris incorruptibilibus obid in cœlo sibi repositis.

Digitized by Google

COGNITIO. Nec id audent temere, nam vim contra Deum surgentem contenentia fulmina, præcedunt diuinę collustrationes, nec sacer ignis quo cœlestem Hierarchiam illustrant Seraphim, in hominibus caret sua luce. Quod variis linguis loquuntur. Apostoli, signum est natam ex peccato linguarum diuisionem cessare iam in hominibus secundum Deum regeneratis. Excipiunt enim diuinos splendores quibus vident mundanos errores inter quos viam salutis certam licet non ita frequentem eligunt; nullus superest in animis ambigendi locus, vbi spiritus diuini lux affulserit; Omnia videt supra rationem, plurima supra fidem, hoc est supra temporis & mentis nostræ palpantes modos. momentaneam beatorum in æternitate visionem fœlici quodam sensu prælibare.

VOLVNTAS. Infinitum est motuum in nobis sensibilium aberrationes omnes dicta singulis lege moderari; latius quam ferant rectæ mentis & voluntatis vires: patet imperium hoc, & debilitata virtus, ad omnia validè se non extendens, dum partes aliquas in officio continet, cæteras rebelles experitur. Mirum diuinę, moralis & Religionis compendium in nobis efficit sancti Spiritus effusio, nam toto corde Deo semel oblato, illi anima tota dicata, nullus superest excipiendæ passioni, fouendo rerum humanarum desiderio locus. Apostoli hoc afflati diuino Spiritu, totum mundum Christo subiecerunt, & hæc orbis conuersio publica quædam est sponsio & fideiussio, quæ fidem nostram promeretur, affectus nostros singulares, debiliores eadem diuina virtute facilius posse subigi.

VIRTVS. Angusta laruata virtus est, cui sufficit hominibus placere vitio deditis, & apud quos minor malitia probitas est, vel quæ sibi plaudit, corrupto per amorem proprium iudicio; sola vera, heroica, diuina virtus est quam informat cœlo missa charitas, transfundit enim animam in Deum, ter, idest in infinitum extensa, vna tamen indiuisibili sanctitate sanctum; illam deiformem efficit suauissimo profectu, meritis & præmiis sibi semper accrescentibus.

VERITAS. Sincera Dei proximique dilectio, ad benignos effectus ex occasione paratissima procedit à charitate; hanc si tollas nulla fides hominibus erit habenda, patebit iustitia præuaricationi; amicitias quantumuis solemniter iuratas excipiet perfidia, omnesque iustum ex suis metientur commodis; denique veritas exulabit à rebus ciuilibus, sicut à Religiosis & vtriusque defectione periclitabitur salus animarum: succurrit tot malis Spiritus sanctus diffusus in corda nostra. Illic enim extinguit cupiditates quarum causa mundus totus est in dolis & simulatione; igne sacro scorias affectuum absumit, luce mundissima & simplicissima, vitiis detrahit laruam virtutum, & ipsas vt amentur, natiuæ suæ pulchritudini restituit. Tot Dæmonum & Sacerdotum in idolis præstigiæ dissipatæ sunt vi spiritus, qui loquebatur in Apostolis. Sola charitas nihil timens, nihil sperans in humanis, nihil fingit, sed vera simpliciter agit & loquitur.

GLORIA. Virtus olim labor erat, nunc voluptas est, cum eam Spiritus sanctus ineffabili voluptatis suę dulcedine, perfudit. Si gaudet inter flagella, contumelias & cruces Apostoli, quantus lætitiæ cœlestis excessus in ipsissimet sanctimoniæ, & charitatis officiis.

A DIFFERENTIA. Qui cum Christo consurrexerunt, velut corpore iam impassibiles, toti mente diuinis hærent, vi spiritus vehementis sic assūpti, sic trāslati. Sacer ille spiritus fœliciter absoluit circa mentes, quam ars frustra tentauit circa metalla, chymiam. Tres in ea sunt operationes separat purum ab impuro, pura sic separata simul vnitissime permiscet; tandem sibi conuenienter admota in suam naturam trahit, vt non tantum quod semel obtinuit seruet, sed augeat, & materiam suam præstet simul incorruptibilem & fœcundam ab obstinatis in incredulitate sua Iudæis recedunt Apostoli, & conuertuntur ad gentes.

CONCORDANTIA. Primo quidem viget Hierosolymis in origine sua fidelium communio, B congregantur, Concilia celebrant præsidente sancto Spiritu; & eo conciliante fit in omnibus vna fides, cor vnum, & anima vna. Vnitas hæc est tessera Christianę militiæ; In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem

CONTRARIETAS. Procul est à stupore vehemens ille spiritus, vt suos eleuet, alienos sternat; sic Simon Magus, sic Ananias & Saphira cadunt ad vocem Petri; sic separantur à reprobis electi, sic Ecclesia per excommunicationes tradit aliquando corpus Satanæ, vt spiritus saluus fiat, mittit fulgura, sed in salutem; vel percussi, vel circumstantium quos pœnæ timor continet.

C PRINCIPIVM. Idem ille spiritus qui nascentis mundi partes in pondere, numero, mensura distribuit; qui corpus humanum in vtero matris sic aptissimè conformat; qui per spiritus sui viuas imagines in nostris corporibus omnia perficit; idem ille seipso validius agens in Ecclesia, seruat quam regenerauit; vnam apud diuersas gentes efficit fidem, de tot libertinis, schismaticis, hęreticis victricem. In cordibus nostris diffusa charitas, omnis operis boni principium est; ab illa Paulus se fatetur habere vim quæ tot filios spirituales Christo genuit, ipsi subiecit Romanorum Imperium, donec totus orbis ipsum agnoscat, & sit omnia in omnibus.

D MEDIVM. Igitur Ecclesiæ sicut mundi & cœlorum artifex spiritus, dedit hominibus dona: diuersis diuersa, quosdam fecit Apostolos velut causas vniuersales quæ præsideant & influant inferioribus, quosdam disposuit vt agentia secundaria superioribus ministrantia, illis alia subiecit ordine sapientissimo qui moralis huius corporis pulchritudinem efformat, partes ministras aptissima virtute præditas ad actionem disponit, & vinculo præmiorum, dignitatum, honesti, potissimum charitatis, rectè peragendis officiis alligat.

FINIS. Spiritus sanctus ex tribus personis sanctissimæ Trinitatis solus quidem ad intra nihil E producit, illi tamen potissimum tribuuntur productiones ad extra, dicitur enim, Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. sic per eum fit à Deo processus, & in Deum reditus, sicut ex creaturis per Seraphim sacro eius igne flagrantibus; quemadmodum & virtus solis descendit ad inferiora per venerem, & ad eum inferiora per eandem perueniunt. Amoris igitur vi finis respondet initio.

MAIORITAS. Ergo spiritus sancti sacer de cœlo missus ignis, tres exequitur chymiæ spiritualis operationes, separat purum ab impuro, fæcibus abiectis expurgata connectit, tandem adhęrentes

Digitized by Google

rentes sibi partes conuertit in se, incorruptibili sua dote factas insignes habet in posterum indiuiduas. Ita se propria multiplicat fœcunditate.

Æqvalitas. Spiritus sanctus vnus cum Patre & Filio Deus, quem possidet, animum vnum efficit, Deum in omnibus quærentem, intendentem, contemplantem. Hic homo Dei proximos æquali complectitur charitate, nescit has quas mundus induxit diuitiarum, nobilitatis distinctiones, apud ipsum minus mutantur gratię quam naturæ iura, pauper tam est homo, tam Deo potest placere quam diues, ita Deum amanti tam acceptus est. Etiam hoc singulari titulo charior, quod Christum in humanis agentem magis exprimit, ipseque Dominus esse se dixit in paupere non in diuite.

Minoritas. Maxima in abiectis humanæ societatis conditionibus consolatio, quod hunc locum sancto Spiritu sic ordinante teneant humiles; quod Christo Domino magis conformentur; quod extra superbiæ, vanitatis, inuidiæ, A tumultuantes motus positi sint; quod sponte sua quietem habeant, quam multi, Deo vocante, per rerum mundanarum spontaneam abdicationem, naturæ difficilem ambiunt. Spiritu sancto plenus & actus homo, nihil quærit in humanis.

Descendit Spiritus sanctus super congregatos & vnanimes Apostolos. *Vide Bonitas Concordantia.*

Hic almus spiritus cum illabitur, infundit lumen, immutat corda, delet facinora, firmat dubios, erudit ignaros, eleuat de imis, & collocat in excelsis. Huic qui præsidet in Ecclesia consentiat, illique in se receptaculum paret, venientem suscipiat, introeuntem amplectetur, quoniam sine ipso potest nihil, & cum ipso omnia, & omni qua valet diligentia, illius ad se obseruat aduentum. Nam quemadmodum pertransit negligentem, sic se desiderantem visitat, fouet, eleuat, & informat. Laurent. Iustinian. lib. de institut. prælat. cap. 11.

De superabundanti gratia tunc in Apostolos effusa. *Vide Magnitudo Bonitatis.*

COGNITIO VOLVNTATIS.

AMOR VOLENS AVT NOLENS SOLET agnosci.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Non cessat amans à conferendis beneficiis, vt testetur totum sui, bonorumque suorum ius in amatam personam transtulisse, cum sub ea seruitutem nullius proprietatis capacem, dedititius profiteatur. Hæc sine magno cum splendore & apparatu, vel in secreto fiant, æmulæ perspicaces non latent oculos, qui de riuis facilè deueniunt ad originem.

Magnitvdo. Fortis & magnanimus amor non hæret in communibus, ambit, sectatur, implet magna, quibus omnium in se mentes & oculos conuertit; excelsum enim etiam à longè videri vult; & ne diuertat aliò visus, suis illum limitibus concludit, magnam quod fit aut dicitur mouet admirationem; inquirit & amorem tantæ rei causam reperit admiratio.

Dvratio. Mouetur primum amor, vt fulgentes hinc inde pulchritudinis radios conquirat, colligat & collatione facta nobilius, idæsque suis plus arridens obiectum ambiat; id vbi reperit totis complectitur affectibus, sistit motum, & velut acus magnetica sedatis quas prius patiebatur conuulsionibus, tandem ad polum suum immota fixaque manet: vrbanitas multis, amor vni gratulatur; itaque nunquam certius de amore iudicium, quam familiaris consuetudo, & si non assidua, crebra tamen quantum licet, præsentia.

Potestas. Imperitat hic affectus, vt enim est naturalis, antiquior, nobilior origine his po- B tentię titulis quos humana sibi finxit ambitio, etiam contemptis illis, pulchritudinem quæ cœlo conciliante plus cæteris placet, & magis afficit, vnicam consectatur; sic interdum diues ambit pauperem, illustris plebeiam, & hoc cunctis stupentibus, multis etiam indignantibus in fortunam imperium, heroïcos probat affectus.

Cognitio. Amorem suum magnanimus ostentat, fortis suæ fœlicis & amatæ rei pulchritudinis publicus laudator, & si votis fortuna respondeat, fidens securusque possessor: hunc igitur amorem qui non vident, audiunt ipsum fama celebrante, qui vident aut audiunt in vanum inuideant, eius gratia fortiter decertaturo. At amantes timidi latebras, secreta, dolos quærunt, vt securitati suæ contra vim proci vel zelotypi consulant. Interdum vultu, silentio, quærulis etiam vocibus iras mentiuntur; sed in hac simulatione, vt perdices in sulcis, lepores in cubilibus C non sic latent, quin appareant doctis obseruantium oculis, vnoque sæpius nutu, gestu, suspicione longam præcedentis comediæ seriem ridiculam efficiunt.

Volvntas. Amor ignis est, tam fumo quam flamma, tam occultis agendi modis, quam ambitu publico notus; etiam si suo tegatur cinere, qua licet mittit scintillas, duxque passionum, etiam latere volens, magno se prodit comitatu.

Virtvs. Præcipuus quidem religionis cul-

Digitized by Google

tus est interior, verus tamen sincerusque non est nisi transeat ad actus exteriores, & qui Christum corde tenet, etiam ore confiteatur, nam qui negat incidit in crimen desertionis impię, læsæque diuinæ maiestatis. Charitas enim virtutum regina comitem habet in confessione, ipsius etiam vitæ periculis, fortitudinem.

VERITAS. Amori præiudicium facit, vel pudor, qui sui aut amatæ rei defectum, dum celare tentat, confitetur; vel metus, qui probat immeritum, & propriæ vilitatis conscientia, ad charæ pulchritudinis cōsequutionem aut vindicationem turpiter imperatam. Igni congenita lux est, quæ primo materiam suam, tum circumiecta collustrat: sic amori manifestatio sui, obiectique censetur propria.

B

GLORIA. Si quod ambis bonum & pulchrum, votis tuis dignum est, debitam suis meritis, tibi fœlicis electionis gloriam negas; si furis instar, occultè timideque grasseris, ad naturæ delicias non in supplicium humanis mētibus amorem creator indidit. At grauiter torquentur, si prout illas hæc passio versauerit, lætis aut Mœstis affectibus liberum non concesseris exitum.

DIFFERENTIA. Amor vt ignis transpiratione pascitur, sic licet aptissima materia non deficiat, propria fuligine suffocatur nisi perspirabilem concesseris aërem, qui se non profert amor variis agendi modis versatilem non fouebit, officio non continebit alio diuertentem voluntatem, amor latens quasi non sit negligitur, perit, suisque tandem sepelitur cineribus. Cœlestis illa cordium fax immota torpescit, exagitata restituitur. Honestos tantum licet amores profiteri, quos vt admiserit animus amantem, in alium virum transformat, efficit enim vrbanum de rustico, de rudi politum, de tepido diligentem, industrium, fortem, pulchritudini cui seruit, pari quantum potest pulchritudine blandientem Sic amorem suum etiam nolens variis ingenii dotibus, veste, sermone totiusque corporis habitu profitetur.

C

CONCORDANTIA. Plurimos ad se trahit illustris pulchritudo, & cum nihil æquè conciliet amorem, quam amor, suum quilibet summa probare tentat æmulatione. Consultius fuisset non accedere, quam inter alios neglectis officiis contemptum & indignationem promereri. Assideri sibi volunt principes & amicæ; dum enim vnus intermittit, noui gratiores sedem occupant, vix postmodum dato restitutioni loco.

D

CONTRARIETAS. Naturaliter hic affectus socium non admittit, latentem, & ex insidiis irrepentem, curiosius explorat, deprehensum, pari dolo, vi maiore deturbat, ita siue latens, siue professus amor lynceos zeli non vitabit oculos.

PRINCIPIVM. Hæc inter cæteras ardens magis passio, mentis est acutissimus morbus, quem grauia præcedunt & comitantur symptomata, vnde peritis facile constat de causa iudicium, pallor, macies, vigilię, solitudo, gemitus, neglectæ rerum cæterarum curæ, captiuum aliò probant animum, sibi rebusque suis non amplius viuentem & laborantem.

E

MEDIVM. Sub initiis tranquillè contineri potest, vt vix appareat affectus, pauca tunc mentis semetipsam absumentis proferuntur indicia, at vbi per tempus sensim auctum, grauiusque flagrans incendium claustra non amplius patitur, furens exundat, velut cum è Vesuuio diu concepti flammarum vortices, leui prius fumo notati, horrendo tandem regionis fragore cuncta deuastant. Sic amor aliquandiu latens moras tandem compensat desperata morum & fortunarum perditione.

A

FINIS. Quid iuuat ad mensem aut ad annum furorem hunc ne videretur, continuisse, si semel admissus vix sanari possit, & in priuatum publicumque damnum erumpat; ab exitu pernicies æstimanda. Sic per cuniculos repens ignis, paratam arte materiam suam lentè sequitur, donec in ampliorem, puriorem que deductus, turres subruat, latius incendio daturus spatium: latet amor ad breue tempus, ingenti se postmodum explicandus desolatione.

MAIORITAS. Tenere nescit modum, peccat vel excessu supra naturæ fortunæque vires, vel affectatis indifferentiæ modis, quorum vim diuturnam non ferens, emicat tandem æstu furente qui tot præcedentibus coniecturis fidem faciat.

ÆQVALITAS. Amanti non vultus, non color vnus, sed alius ex alio mutabilis prout spes, metus, dolor mentem concusserint. Sub terra latentes vndæ, metallorum fomites, mittunt in superficiem certissima sui signa; non est ita profundum humanum pectus, nec ab oculis ita semotum, vt qui motus illos interiores non videt, vultus tamen indicio non percipiat, qui diligentius attenderit.

MINORITAS. Humano generi forte consuluit prouidentia, pepercitque pudori, dum contumeliosam rationi passionem in abdito reponere permisit, vt obuiis statim non appareret, sed familiariter tantum conuersantibus, ne graue malum penitus latens careret remedio, sed medicas admitteret manus, prudentum scilicet amicorum consilia, & varias artes quibus posset sanari.

Amor dominæ ad seruos diu non latet. *Vide Concord. Minor. Mala.*

Loquitur amans nutibus, & quidquid nequit dicere, significat affectibus. D. Hieron.

Quibus signis deprehenditur verus amor, & vera charitas. *Vide Veritas Voluntatis.*

AMOR QVI SE profert.

IN æstu acutiores sunt voces, quia aër est subtilis, at in frigore spissus. Refert etiam Charentinus in lib. de effectibus in natura, in loco in quo factum est aliquando incendium, herbas quasdam nasci, quæ sua virtute apertiuæ sunt omnium ferarum.

Ignis validus non est sine strepitu, flamma, luce, scintilla; est apertiuus pororum & meatuum, in corporibus tum animatis, tum inanimatis.

Est species honoris aperire secreta sua; Ideo aperimus caput coram dignioribus tanquam omnia nostra illis patere debeant, & Apocal. 4. viginti quatuor seniores deponunt coronas suas ante Thronum Agni. Ideo oramus nudo capite. 1. Cor. 9.

Statuarii viuentes effingunt imagines, cum viuentibus maximè similes efficiunt; sensus efformando, vt se habent in animi affectibus: vt oculos in pugnantibus minaces, in victoribus lætos Ita statuarius debet nosse affectus animi.

Digitized by Google

In sponsalibus valdè contrahendis, vtriusque voluntas debet manifestis externis signis esse testata & acceptata. Non enim sufficit taciturnitas. Bonacina de sponsalib. Similiter in Matrimonio, non sufficit consensus internus, nisi exprimatur verbis, vel signis. Idem de Matrimonio.

Motus naturalis cognoscitur per oppositum motui violento; si motus vnus fit vi, contrarius illi erit naturalis. Albertus Magnus tr. 3. De cœlo.

Spontaneus plantarum ortus expressius naturam ostendit, siquidem ex iisdem omnia generantur & nutriuntur. Theoph. de caus. plant. lib. 2. cap. 9. sic ex spontaneis actionibus Plato pręcipit explorari puerorum indolem. *Vide Principium Virtutis*. Bona indoles.

Erasistratus medicus Antiochum regem ex amore nouercæ Stratonices ægrum sanauit, manu enim cordi admota, ex palpitatione quoties Stratonicen fortuito prætereuntem videret, amorem deprehendit. Suidas in voce Erasistratus.

Platago, instrumentum quoddam æneum fuit, sonum & strepitum edens, quo pollici & indici imposito atque impulso explorabant amasiorum suorum affectum, nam si sonuisset aucabantur, sin minus contra. Id in voce πλαταγὼν.

Apud Grammaticos interiectio est vocata quia sermonibus interiecta, idest interposita affectum commoti animi exprimit, sicut cum dicitur ab exultante, eia, à dolente, heu. Isid. Orig. lib. 1. c. 13.

Igne de cœlo misso & sacrificia consumente solebat illa Deus accepta sibi probare, vt Gedeonis Iud. 2. Manue. Iud. 13. 20. Aaronis. Leuit. 2. 24. Eliæ. 3. Reg. 18. 38. Dauidis. Paral. 21. 26. Salomonis. 2. Paral. 7. & Nehemiæ. 2. Machab. 1. 32.

Dæmones enuntiant cogitationes hominum, in quantum eas cognoscunt per aliqua corporalia iudicia, vt timiditatem ex pallore. D. Thom. in quæst. disput. de peccatis q. 16. a. 8. ad 9.

Interiectiones non sunt voces determinatæ linguæ, nec aliquid determinate significant, sed sunt ad innuendos affectus. Tostat. Iosue 1. 7.

In osculorum præludium suauiantur oculi, fatentur, petunt, & amœno prorsus incendio, significant illum placere, illum optari inquam contentæ acies toties vibrant; in omnium oculis, tanquam in amatoriis codicillis legere licet cupidinem.

Non latet, sed rumore famaque propalatur amor eius qui habet cum venere Mercurium.

Omnes creaturæ tanta sapientia creatæ, prouidentia conseruatæ, nostris vsibus destinatæ clamant ad humanum cor amandum Deum; ne sit igitur ingratum diligat vehementer; repleatur laudes, dilatetur in immensum, & tanquam inundans fluuius per adiacentia sibi fundatur corda. Suo bono solus non gaudet quisquis in amore conditoris veraciter accenditur, quod accepit communicat, dantis non suam quærit gloriam, latissimo caritatis sinu omnes complectitur, tenet dilectione, fouet oratione, hortatur verbo; sic Apostolus, os nostrum patet ad vos, ô Corinthii, &c. Laurent. Iustinian. lib. de connubio verbi & animæ.

Quamuis verbo Dei cuncta sint nota, probare tamen non cessat quos suo dignos facit amore; non vt ipse sciat, sed vt aliis innotescat, agit ista, atque vt quod est virtutis & vtilitatis latens, ad ædificationem manifestetur, per interiora recta

A magnificatur Deus, per exteriora & honoratur, & ad bonum excitatur proximus: ardebant intus Martyres sancti caritate, sed probati foris per tormenta redolebant miram virtutum suauitatem. Ignorabant vtrum Deum diligerent propter Deum, an propter seipsos, probati aperuerunt amoris sui sinceritatem. Ibid. cap. 21.

Vide Virtus Contraritatis. Aduersitas probationis causa.

Est amor virtus quædam cordis valida & præceps quę occultari nequit, sermone & opere se profert, loquitur enim sæpius de his de quibus cogitat; & conatur assequi quod ardenter amat. Idem in fasciculo amoris, cap. 11.

B

REPVGNAT.

AMOR LATENS.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Amor in homine rationali debet esse rationalis, & ex natura spiritualium, externis non exponi sensibus, nec imitari passiones quas exterior semper alteratio sequitur.

MAGNITVDO. Magna, mole quantitatis se proferunt, nec potest abscondi ciuitas supra montem posita; at quæ sunt magna virtute, latent, vt plurimum velut spirituali naturæ proxima; & cum illa necesse sit adhærere materiæ, habent minimam vt facilè tegi possit, & auidas sui manus contemptibili specie delusas vitare; sic absconduntur vniones & gemmę sub asperis matricibus, cor amoris sedes velatur pericardio, tegitur costarum munitione, cerebrum cranio: sic amans occultat amorem suum, quo nihil illi pretiosius est.

DVRATIO. Hunc ideo amorem optat æternum & vult quantum potest conseruari. At externorum iniuriis minus exposita diutius conseruantur.

POTESTAS. Non est hæc amantis infirmitas, sed cautela, sic enim reges etiam potentissimi habent consilia sua sub secreto.

COGNITIO. Amanti sufficit ab eo tantum cognosci, à quo solo diligi vult; Dilectus meus mihi & ego illi, dicitur in Canticis.

VOLVNTAS. Si satis est amans amato, & amatus amanti, cur vterque se profunderet ad extra?

VIRTVS. In re amata, quid diuinum quo rap tur, amans suspicit, habet igitur illam vt sacram sub velo & in mysteriis, nec permittit prophanis oculis, manibus, vsibus contaminari; sic puriores animæ Deo contentæ vitant frequentiā hominum & virtutes suas humilitate contegunt.

VERITAS. Infirmitatis suæ conscii quærunt externum sui testimonium, affectatis actibus quæ plausum mereantur; at inter veros amantes intercedit mutua quædam animorum penetratio, tum securitas ab externis independens.

GLORIA Gaudet amans in sinu, sibique tacitus congratulatur, quod in amatæ rei, quam beatissimam putat fruitionem solus mortalium admittatur; aquæ furtiuæ sunt dulciores.

DIFFERENTIA. Hinc amantes gaudent solitudine, huius autem vices agit secretum, quo fiunt non minus extra conspectus æmulos, quam

si magno locorum spatio distarent.

CONCORDANTIA. Socios non admittit amans, ita rem amatam quam censet pulcherrimam curat non videri, ne trahat aliorum oculos & affectus.

CONTRARIETAS. Amantem esse se tegit & silet: vt efficiat irritos insidiantium sibi conatus. Hoc stratagemate, nunc victor, certamen postea fortiter initurus contra procos qui partiri vellent quod vnicum & indiuisum esse debet, vel qui prius latentem, nunc deprehensum, à charissimæ sibi rei possessione tentarent expellere. Solertiam hanc mirari licet in auibus quæ cum teneantur ardenti prolis suæ desiderio, ad dilectum tamen cubile multo circuitu, per anfractus & obscura sic perueniunt, vt recessisse videantur; at detectæ, velut furentes, vngue, rostro, clamore, vago volatu charissima pignora quantum possunt vindicant.

PRINCIPIVM. Occultæ amoris sympathici causæ, primos sibi similes occultos proferunt conatus: agunt furtiuè & velut ex insidiis.

MEDIVM. Hos agendi modos sibi fœliciores putat amans, vt temerè se non exponat dubio cum procis certamini.

FINIS. Media sæpè transuolat amor moras non patiens, & si cœlo conciliante natus sit, certus de alterius affectu sibi congenito, quietus & placidus eo fruitur, sine motib' externis vnde possit deprehendi. Sic intra terram nati lapides latent & quiescunt, at hi quos ex vnctuoso vapore, calor excoquit in sublimi, cadunt & quas petant amicas sedes motu rapido testantur.

MAIORITAS. Nondum sub initiis consummatus amor, & sibi non fidens, latet, vt sensim incrementa capiat, sicut fœtus in vtero.

ÆQVALITAS. Si statim amor parem amorem non reportat, moras trahit, secretis vtitur insinuationibus, & naturæ non satis conciliatæ defectus, arte nititur compensare.

MINORITAS. Aut si desperata sit cordis in alios affectus inclinantis expugnatio, cum fuerit infœlicitas hęc occulta, nihil detrahit amantis gloriæ, parcit pudori, maxima suppliciorum pars tollitur, si fuerint extra contumeliam occulta, de lapsu non quæritur, qui nullo vidente, puluere statim deterso celeriter surrexit; cum fama, manent spes integræ, nouos amores, velut primarios, & illibatos instaurandi. Licet igitur amor vix fugiat vigiles ęmulantium oculos, ex se tamen affectat secretum & tenebras naturali quodam ductu suæ consulens securitati.

MISCELLANEA.

Dissimulant passionem suam amasii, ne fruitionem quis impediat, dissimulant aulici affectus suos, nec querelas audent proferre, cum amici sui à principe male habentur, sed reos & infœlices, velut contagione laborantes coguntur fugere, ne iisdem inuoluantur malis.

In thymo semen sensu percipi non potest, flos tantum cernitur. Theophr. de causis plantar. l. 4. cap. 5.

Hebenus nigra quia solidissima, est & habet in se parum aëris, non dat flammam in igne, & in aquis non natat. Alber. Mag. Met. ore. l. 2. tr. 3. c. 19.

Montes quorum ardent viscera die non eructant A flammas quæ videantur, obscurantur enim luce solis sicut stellæ. In tenebris autem nocturnis incendia quantulacumque fuerint, ardore & flammis micant. Georgius Agricola de causis subterraneorum. Amor latebras quærit.

Vide Cognitio Concordantia. Repug.

Lunam seu Isidem præesse amatoriis scribunt, quia amori furtiuo congrua est nox. Rodigin. lib. 3. cap. 6.

Cupidini gallum gallinaceum, & hirundinem immolabant antiqui, quod amori non conueniat loquacitas & lumen: aues illæ prænuntiant diem securæ per tenebras voluptati finem impositurum.

B Amantes qui amorem suum prodere non audent, macie conficiuntur & aliquando moriuntur, maxime qui patiuntur amorem heroicum, de quo Auicenna lib. 2.

Abscondi debet amor superioris in aliquem, ne exponatur inuidiæ, & potius persona quam causa videatur diligi. Tostat. Gen. fo. 349.

Quoque magis tegitur, tanto magis æstuat ignis. Ouid. 4. Metaph.

Concubinæ, pellices, secreta Matrimonia à Saturno, Marte & Venere absque luminarium testimonio. Cardan. Apho. sect. 6. Apho. 68. latentem efficit amorem Venus sub terra.

Grisæus color significat ardentem & secretum C amorem; assimilatur enim cineri, qui occultum & viuacem ignem fouet.

SILENTIVM AVT *sermo moderatus.*

De viris bonis, sed loquacibus, dicebat quidam senex, hi pulchras habent domos, sed non est ianua quæ claudat. Vide proximè de secreto, & *Gloria Virtutis.* De solitudine, ideo expetita, vt seruetur silentium.

Abbas Agathon, tandiu lapidem ore gestauit, D donec taciturnitatem disceret. Abbas Lucius cuidam Monacho dicenti quod vellet viuere peregrinus in mundo, Refrena inquit linguam tuam vbique eris peregrinus. Vitæ Patrum lib. 5. c. 10.

Non possumus custodire cor, si lingua ianuam apertam habuerit.

Ne lingua nobis proximisque inconsiderato sermone noceret, illam Deus labiis dentibusque quasi vallo quodam & claustris clausit, & tacito hoc symbolo nobis indicauit, vt omnia quæ effecimus, prius per rationis acutam, prudentemque limam, quam per incautam, laxamque linguam proferamus.

E Persæ & Medi inter edendum & bibendum seruant silentium ne quid improuidè proferatur. *Vide Medium Veritatis.* Vinum.

Seraphim calculò quem tulit de altari, tangit labia Isaiæ & dixit, Ecce tetigit hoc labia tua, & mundabitur iniquitas tua. Isai. 6. Pium silentium confert ad animę salutem.

Dolia maiorem sonitum edunt si inania, pleno vase nihil surdius, & hoc argumentum tenuissimæ doctrinę, vbique loqui, vbique iactare doctrinam suam. Non frequenter oracula vocalia sunt, patientia emendum est, quodcumque rogata emiserint; viris parcior lingua, feminis vt leuioribus continua ferè loquacitas. *Vide Cognitio Virtutis. Repug.* Indecora sui ipsius iactantia.

Digitized by Google

Turca mancipiis mutis vtitur ad quædam suæ potestatis obsequia, ita nemo nisi elinguis viris principibus adest, vbi de regiminis seu sæuitia seu mollitie promendus est animi sensus.

Totius sapientiæ caput est, in vita perfecta, in sanitate mentis, in breui loquentia signum attingente, quæ gerit imaginem non improuidè cursantis, sed statarii militis certo passu gradientis, seque tutè mouentis. Digna est quæ ametur operum copia, parsimonia verborum. Sermones similes sint Pythagoræ legibus, breues scilicet summariique in verbis, in operibus prolixi; qui non sinant animum in langorem laxari Maximus Tyrius serm. 15. Leonem rugitus, clangor aquilam, hominem sermo prodit. Regulæ sunt aues timidæ. Ib. *Vide Maior. Cognit.* Contemptus eloquentiæ.

B

Leprosi ne inficerent alios cum erant in ciuitate, cooperibant os suum. Tostat. Leuit. fo. 131. malis necessarium silentium.

Qui vult fœliciter viuere, nec videre multa, nec audire studeat, & quę videt auditue dissimulet, hinc enim originem habet tranquillitas animi. Iustinus Martyr ad Serenum fratrem.

Quæ referri non vis, prior ipse taceas.

De Silentio à Religiosis etiam in suorum societate seruando. Vide quæ scripsi lib. de institutione & officiis religiosi parte 3. c. 8.

Quale debeat esse silentium discretum docet Propheta, Dixi custodiam vias meas vt non delinquam in lingua mea; non vt taceam, inquit, sed vt non delinquam. Fugiant igitur omnes Domino Iesu placere cupientes, extremum silentium, fugiant quoque ociosa, contentiosa, detractoria, inhonesta, adulatoria, pompatica verba secundum Apostoli sententiam, sermo semper sit in gratia sale conditus, vt valeat ædificare audientes; artifices mechanici de suis operibus loquuntur, &c. spiritualem vitam profitentes, de ea sermonem habeant, vt olim patres in eremo quorum habemus collationes, &c. Laurent. Iustinian. lib. de perfect. monast. cap. 15.

D

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea inardescet ignis. Obstructo scilicet inutilium verborum meatu inclusus amoris ignis cogitationes modificat, compungit animum; fugat vitia, lacrymarum educit fontes, custodit ostia, sectatur pacem, sursum cor erigit, Deoque coniungit tunccomposita proferuntur eloquia, &c. id. in fasciculo amoris cap. 11.

Nunquam quid agatur in alia domo, domus alia per te nouerit Hippocrates adiurat discipulos suos antequam doceat, extorquet sacramento silentium. Quanto magis nos, quibus animarum cura commissa est, omnium Christianorum debemus domos amare velut proprias. D. Hieron. ep. ad Nepotian.

E

Diu antè considera quid loquendum sit, & adhuc tacens prouide, ne quid dixisse pœniteat. Verba tua ponderet cogitatio, & linguæ officium animi libra dispenset. Id. ad Celantiam.

Idem ad Marcellam de laudibus Asellæ, dicit sermo silens, & silentium loquens.

Vnicum verbum multa potest inferre mala. *Vide Contrarietas Gloria.* Maledicentia.

In verbis sit potius quod desideretur, quam quod abundet.

Ad mouendos affectus confert plurimum sermonis breuitas; plurima enim loquendo subis pericula; negotiosum impedis; cogitantem obturbas aliqua contra causam tuam contra teipsum facilè excident: importunus videberis, nonnullis grauis, quod quæ nouerunt docere velle videaris, superfluus, leuis, anxius, verbo deficiente, vt solet casu, sinistrè sententiam interpretabuntur; tum maximè si ignari sint facti: inimici quoque deprehendent causæ tuę debilitatem, aut præsidia quibus te tueris. Ob id breuitas in cunctis præstantior est, & quod vltima primis magis cohærent, sic periodo, quatuor partibus vt plurimum, versibus exametris quatuor, plena sententia contineri debet. Cardan. de arcanis prudentiæ. c. 29.

Non narrabis quæ tibi acciderunt, quanto minus arcana tua deteges, nisi coactus. Nam etsi non effutiant, Domini tamen tui efficiuntur, & qui amicus est, potest fieri inimicus, & domesticus è domo exire, tempus omnia mutat. Ibid.

Memineris vnam te linguam habere atque illam reconditam, duas verò aures atque patulas. Damna verborum non meditatorum pręcipua sunt secreta pandere, viam inimicis nocendi aperire, amicis obesse, & odium sine vtilitate quærere. Solum silentium integra tibi omnia relinquit. Ibid. in fine.

Nil celeriter confectum dici potest, quod qui impedire cupiebant, ante resciuerunt, quam factum sit. Id.

Scias quod omnis loquax est deceptor, si ex sententia loquitur, aut stultus se incautè profert. Id.

Pythagoræ pręceptum erat, aut sile, aut dic meliora silentio. Qui nescit tacere, nescit benè loqui.

Vide Cognitio Minoritatis. Repug. Suos & alienos defectus occultare.

Vbi plus est cordis, minus est linguę.

PRVDENTIS PIIQVE silentij ratio.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Plus interdum tacendo quam loquendo proficit charitas; si præteritos, pœnitentia deletos vel delendos proximi defectus taceat, ne virtutum & officiorum obstent profectibus. Si sanę doctrinę, bonisque moribus contrarios sermones, velut ignes subterraneos liberum aërem, ad maius incendium expectantes prudenti pioque silentio suffocet; si modesta cessione frangat iras, verbis licet ad excusationem iustissimis exasperandas.

MAGNITVDO. Illa linguæ continentia, sub inscitiæ vili pallio, virtutum omnium fructus est, supponit enim vanitatis, æmulationis, irę cęterarum passionum in alterius contumeliam prorumpentium sedatos motus; supponit charitatem alienæ famæ consulentem, benignam, patientem, non inflatam, sua non quærentem, in Dei gloriam, proximi commoda, iustitiæ, misericordiæ quælibet officia, longè lateque dilatatam.

DVRATIO. Momento prodit, diu volat & nocet irreuocabile verbum, cum afflatu maligno per ora se diffundens, famam effecerit; cum fama vires procedendo sumpserit, cum dictis incrementa sua cuiusque referentis passio contulerit, in immensum malo sic excrescente vt non sit remedio locus. Occurrendum fuerat prudenti vel sermone vel silentio vt nulla maledicis daretur materia.

Digitized by Google

linguæ tam facilis est in conuitia, quam aquis in præceps lapsus, cum semel aperta fuerit via qua decurrant confluit in eadem sibi semper accrescens plurium sermo, & incautos allicit in pœnitenda, nisi sibi constet habitus pij prudentisque silentij, rapi nescius.

POTESTAS. Virtus hæc linguam coërcens tantæ molis est, vt ea deficiente, regum consilia, vires, arma, fœdera corruant. Qui ad ea quæcumque nouit aut cogitauit effutienda facilis est, fit suorum apud hostes; non dicam innocens, licet consultus proditor. At proditioni nulla vis obstat.

COGNITIO. Naturali dispositione semper patent aures ad audienda quæ dicuntur, sed labiis & dentibus velut repagulis continetur lingua ne diffluat. B
Quam absurdum est probum alioquin hominem, fieri rerum ab aliis male gestarum institorem & pessimæ passionis aut opinionis deteriorem nuntium; cur non magis efficit, vt apud se silentio pereat, ne vlterius disseminetur.

VOLVNTAS. Inter peste vel alio populari morbo laborantes conuersatus, malum etiam nescius transfert in alios, necessaria, sic timenda magis contagione. Tales sunt qui visa vel audita, quodam oris profluuio, vbicumque repererint auditores referunt, & mala quæ non sensere, scilicet æmulationes, iras, concupiscentias, ægras de proximi moribus opiniones de fide dubia, male dispositis mentibus ingerunt: hæc dixisse pœnitebit, non tacuisse. C

VIRTVS. Ex abundantia cordis os loquitur Si ferantur affectus ad diuina, erunt de diuinis sermones, de virtutum profectu, de viis ad beatitudinem ducentibus, Etiam in istis sępè multa silentio sunt prætereunda, quæ videntur locum dare vanitati, & cœlestis sponsi secreta non sine consolationum internarum dispendio promulgare. *Vide Cognitio Virtutis. Repug.*

VERITAS. Ideo potissimum vitanda loquacitas, quia veris falsa sæpè permiscet, de rebus ex aliorum relatione, nullis nixa fundamentis, passionibus alterata, ferens iudicium.

GLORIA. Silentiosus quietus est, loquax, quæ cæco mentis impetu profudit; recolens dolet, D
metuit aliorum iudicia, non satis fidas relationes quæ concitare possint amicorum quærelas, potentiorum in se vim, cæterorum contemptus. ita sermo præceps ęgris & diuturnis cogitationibus mentem torquet.

DIFFERENTIA. Nulla certiore nota sapientem ab amente vel nebulone distingues quam silentio. Affectant hi copiam pudore defectus, & cum pauca sciant, multa præter rationem loquuntur; illic tacent humiles, plus ad discendum, quam ad loquendum parati.

CONCORDANTIA. Modestè liberior potest esse loquutio in piorum ad id facta congregatione & collatione. Sermonem enim omni discretione temperatum tunc exigit censorum maiestas, sub qua quid tacendum, quid loquendum certo discitur. E

CONTRARIETAS. Temeritas parit loquacitatem & pertinaciam, nam cum multa dicantur præter rationem & aliorum opinionem, fit pugna verborum pacis & charitatis inimica.

PRINCIPIVM. At silentium efficit pacatos dociles, ad disciplinas optimè dispositos, reddit animum sui iuris, & eo loco sapietem euehit, vnde iudicat de omnibus, cum à nemine iudicetur.

MEDIVM. Loquacitas probat animum oblitum sui, rebus tantum alienis inordinatè casuque confluentibus plenum, illas instar speculi vel Echo sine cognitione referentem.

FINIS. Hæc habent rationem infiniti & illimitati quod auersatur natura, hæc vaga linguæ relaxatio procedit à mentis infirmitate, vt probant pueri, mulieres, senes, rustici, quibus nullus est dicendi finis, in enarratione rerum domesticarum cum suis omnibus circumstantiis & coniecturis, itaut non minori tempore sit opus in referendo quam in implendo negotio, sublimem ad quem nati sunt finem tot laboribus consequendum ignorant, qui sic vanis immorantur.

MAIORITAS. Quæris quare sapiens abstinet & silet à talibus, quia mentem eius implent solidiora, quæ saluti sollicitus inuigilat, naturę, gratiæ nouus quotidie spectator accedit; præterita, præsentia, futura, mentis oculo lustrans effunditur in Dei laudes, contemptis ciuilibus negotiis.

ÆQVALITAS. Seriis illis peragendis ipse sibi non sufficit & putas vanis intendet. Hunc esi tumultuosis hisce sermonibus corpore præsentem casus effecerit, absens erit mente, quæ mortalium nugas non ferens, diuertet ad diuina, silet ideò quia dictis non intendit & non intellectis non habet quid respondeat.

MINORITAS. Sed dent homines rebus & sermonibus suis, quod voluerint pretium, si hæc quæ tractant, maximi putant esse momenti, humilis imparem se talibus fatetur, inexpertus meritò tacet; quæ si ludicra sint attentionem vt seria non exigunt, liberum est ab his abstrahi, nullus risum extorsit ab inuito. De his igitur rebus alienis à se meritò silebit sapiens, vt de longinquis regionibus quarum nec peregrinatione, nec lectione, nec relatione vllam habet notitiam.

OCCVLTA VOLVNTAS, seu secretum.

ADministratores bonorum pertinentium ad monasteria Monialium possunt amoueri ab Episcopo loci, nec tenetur notificare causam superioribus regularibus. Greg. 15. const. 18.

Aperitio litterarum superiorum est casus reseruatus. per superiores in Religionibus. Vrban. 8. const. 26.

Vultum habeas in omnem fortunæ euentum ita compositum, ne affectus animi prodat. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 26.

Cum cuidam obiiceretur oris fœtor, respondit fœtere sibi ex multis secretis, quæ intus conclusa computruissent. Id dicebat de secretis, tum propriis, tum alienis. Stobæus. Quisque debet esse consilii sui, sicut alieni, fidus secretarius.

Vide Supra. Maioritas Cognitionis. Alienis non se immiscere negotiis.

Per secreta Religionis mysteria instruimur res nostras & amicorum fido secreto continere. Plutarch. lib. de institut. liberorum. De secretis Religionis mysteriis. *Vide Minoritas Cognitionis Bona.*

Idem lib. de amore erga liberos, dicit res familiares sub secreto continendas, & nos imitari de-

bere aues Alcyonias, quæ sic nidos conficiunt, vt nullas, nec maiores, nec minores, nec ipsam & maris aquam admittant.

Paracelsus lib. de virtute imaginatiua, dicit hominem, habere, corpus vnum visibile, aliud inuisibile. In hominum cœtu, nostra partim pateant; partim occultentur.

Idem lib. de Philosophia occulta, dicit thesauros inueniri, eo indicio, quod Dæmones illorum custodes, appropinquantes illic homines territant, horrorem incutiunt spectris, tumultu edito, &c. quo importunius & ferocius, illis in locis sese vel audiendos, vel videndos præbent, eo maiores thesauros esse, & altius in terra sepultos esse iudicandum. Affectio nimia & studiosa nimis dissimulatio, prodit quod volumus latere.

Cum spiritus homini loquitur, auditur tantum ab eo cui loquitur, non autem à circumstantibus. Id.

Cognoscuntur cordis secreta per physionomiam *Vide Cognitio Virtutis.* Virtus quæ se profert. *Et Vide Repug.* Latens virtus.

Loca arenosa sunt sterilia, quia vapor terræ effluit per diuersas partes, nec est satis solidæ substantiæ & cohærentiæ, vt formetur in plantam, Albert Mag. lib. 4. de vegetab. cap. 3. similiter de ægris vliginosis. *Vide Maioritas Differentia Mala.*

Complicatio labiorum condecens, componit hominem & facit aspectui gratum.

Vtere in rebus clandestinis luna sub radiis non eunte sed exeunte. Hermes centiloqui N. 81. Luna coniuncta Soli in nullis est bona, nisi in eis quæ vult aliquis abscondi. Bethem. centil. n. 47.

Non adeo coniugali societate cuncta miscentur, vt nihil sibi aduersus hanc concordiam proprium relinquat animus. Est aliquis etiam à sanguine suo secretus affectus, genusque reuerentiæ, vt tacenda minimè velis scire charissimos; quædam non possis verberibus equuleis eruere, & plerosque videas fortiter supra secreta sua morrentes. Pudeat nos infirmitatis Quintil. declam. vlt.

Malitia res est quæ facile capitur, quia apparet quò tendat, in lucrum aut in ambitum, si conueniens ei esca proponitur.

Quod facturus es, ne prædixeris, frustratus enim spe irrideberis. Thales milesius. Securius est tacere, proximum est, breuiter loqui. Natura nobis dedit duas aures & vnam linguam, vt plus audiamus quam loquamur. In multiloquio est verborum flumen, gutta mentis.

Euripides, cum ei graueolentia oris obiiceretur à quodam. Multa enim, dixit, secreta in eo computruerunt.

De occultandis defectibus, & secreto confessionis. *Vide Cognitio Minoritatis Repug.*

De secreto Seneca epist. 3.

Litteras ab amico receptas in medium proferre, hoc est tollere è vita vitæ societatem; tollere amicorum colloquia absentium, quam multa solent esse in epistolis, quę prolata si sint, inepta esse videbuntur, quam multa seria, nullo modo diuulganda. Cicero Philippica 2.

Habeat mens secessus suos, non insidiosos & peruersos. Silentium est sepes sapientiæ, tamen sine affectata taciturnitate, nam tunc algantur cum anxiè latent. & multa relinquunt omnibus coniicienda. Auersamur omnes frigidas in colloquio mentes, summa est artis, comiter etiam tacere. A Imitandus nobis est Deus, qui, vt ait Iob. 26. ligat aquas in nubibus vt non pariter erumpant, fluant verba opportunè: dicit Chrysolog. serm. 56. inter cor & linguam, totum humanæ salutis versari, & geri sacramentum.

Si arcana, ingenua simplicitate prodideris continuo irritabis audaciam factiosorum, & tumultuantium insaniam; dabis tempus & vires vt se parent & firment, vt optimis rebus impedimenta perstruant aut infecta res quam moliris, excidet, aut ingenti labore, ingentibus curis, atque impēsis, & multa sæpe profusione cruoris erit sarcienda. non solum in bello, sed & in pace, licet vel stratagematibus quæ de malis cogitas silentio premere, & in tempus suum differre. Nescit regnare, qui nescit dissimulare. *Vide Minoritas Veritatis Bona.*

B Sola extra omnem aleam Dei maiestas, quę nihil timere possit, in cæteros timor cadit malorum quæ honestè dissimulando auertuntur.

Veritas & simplicitas consueta efficit maius secretum maiusque inuisibilem cum opus est.

Quo astra magis à nobis distant, eorum paralaxis est maior, idest differentia aspectus, occultius est magnatorum consilium.

Alium silere quod voles, primus sile. Seneca Trag.

λόγος significat sermonem & rationem, nomen hoc tribuitur Filio, æternę sapientiæ in diuinis. Non sit sermo sine ratione.

C Violans secretum absque iusta causa, cum alterius detrimento, tenetur ad restitutionem pro ratione illati damni. Vide Bonacin. disput. 2. de restitutionib. ita interrogatus à iudice, potest cum iuramento respondere se nihil scire cum hac tacita æquiuocatione, vt illi aperiat, quia iudex non potest cogere ad manifestandum secretum, quod ex obligatione naturali seruandum est. Modo id quod petitur non sit in præiudicium communitatis aut innocentis. Tunc enim debet reuelari, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis. Ibid. *Vide Virtus Concordantia.* Amicitia continuatur virtutis legibus.

D Grues taurum montem superuolantes ferunt in ore calculum silentii causa, ne ab aquilis appetantur.

Tiberius Romanorum Imperator peculiari natura fuit præditus; neque enim eorum quę appetebat, quicquam præ se ferebat, & eorum quæ dicebat, nihil; facere volebat, quidquid appetebat, recusabat, & quidquid oderat amplectebatur. Suidas in voce Tiberius.

Deus tutelaris Romæ ignotus erat ne posset ab hostibus euocari.

Homo acutum animal, sagax, varium & multiplex, vt nihil sit minus tutum, quam hominis fidei confidere. Cic.

De hoste victoriam reportat qui per secretum est quodammodo inuisibilis. *Vide Cognitio Contrarietatis. Repug.*

E Vnitas semper eadem perseuerat, Dualitas autem est principium differentiæ indefinitum, statim enim à se deficit duplicatione in multitudinem abiens; sic sermo dum arcanus etiam vnus est, ac si alteri communicetur, iam famæ ordinem subit: nam verba dicuntur alata & volatilia. Rodigin. lib. 13. cap. 5. sermo silentio, vt nauis anchora frænari debet.

Notas litterarum inter se veteres faciebant, vt si quid occultè inuicem scriptura significare vellent

Digitized by Google

mutuo scriberent, ignorantibus aliis, quid sibi vellent eæ litteræ. Isidor. Orig. lib. 1. cap. 24.

Monarchia melius secretum seruat, ideo melius regimen.

Oculi sunt quidem in suprema corporis parte constituti vt tanquam exploratores in specula eminus omnia perspicerent, at quasi in antro quodam, veluti sinuosa valle reconditi sunt, & in orbita retrusi vt & tutiores essent & minor spiritus fieret dissipatio, & extrinsecus irruentibus iniuriis non ita forent expositi.

Si quando vox diuinitus datur, non ad omnes aures, sed ad quorum interest auditus allabitur, vt agnoscas sonitum non linguæ pulsu redditum, alioquin fieret communis auditus, sed superni nutus moderamine gubernatum. Origen. Homili 3. in Genes.

Leuit. 21. Summus Pontifex non aufert de capite suo cidarim.

Arcana non habemus propter aliud, quam quod omnibus non fidimus: charitatis itaque refrigeratio facit arcana; vt vbi charitas, cum nihil mali intentet, nihil timet, non diffidit. D. Chrysost. Homil. 9. in epist. ad Ephes.

Potest Angelus vni loqui quod aliis erit ignotum: si enim id nobis concessum est, multo magis ipsi. D. Tho. in quæst. disput. de cognitione Angelor. a 7.

Religiosus non tenetur obedire prælato suo præcipienti reuelare secretum fidei suæ commissum; quia solemnior est obligatio ad seruandum ea quæ sunt fidei & charitatis, quæ est ex lege naturali, & ex promissione in baptismo facta, quam ea quæ est ex professione religionis. Sic non tenetur reuelare culpam occultam alterius fratris, & eum sic infamare; nisi in inquisitione, & accusatione, quia tunc prælatus præcipit vt iudex Ecclesiasticus. Idem quodlibet 1. ar. 15. & 16.

Deus est erga beatos, ostendens illis quæ ipsi placuerit. Corpora beatorum erunt vt ipsis placuerit, aut palpabilia, aut impalpabilia. Tostat. Math. to. 4. fol. 251. c. 1. d. Licet Deus sit naturaliter causa exemplaris omnium, illa tamen non naturaliter, sed ex voluntate repræsentat. Id. fol. 239. c. 1. e.

Homo dicitur vas quia continet in corde suo abscondita bona vel mala. Paulus dicitur vas electionis. Id. Genes. fol. 10.

Occultare veritatem vel intentionem per verba vel signa exteriora licitum est, dum tamen nihil falsum exprimat. Id. 1. Reg. to. 2. fol. 18.

Intra Templum Salomonis nec ligna secabantur, nec poliebantur lapides. Id. Math. to. 5. fol. 269. Fiant negotia sine strepitu.

Deus omnia videt, cum ipse non videatur.

Ad præaltorum montium radices est inscrutabilis aquarum profunditas. *Vide Maioritas Magnitudinis.* In magnis secretum magis seruandum, vt in religione. *Vide Minoritas Cognitionis.* Religionis secreta mysteria.

Effectus maximè latent, cum significator peregrinus & cadens vel sub terra, vel solis radiis iunctus fuerit, similiter luna. Cardan. Apho. sect. 2. aph. 160.

Secretum commissum diligentius quam deposita pecunia custodiri debet; nihil erit in humana vita tutum, si tollatur secretorum fides.

Corruptio introducitur in cutem apertam, prout in ouum læso cortice.

Ita construuntur ædes in ciuitatibus, vt medio itinere publico se mutuo respiciant, at contra vici-

A ni conspectum se muniunt, cancellis, syrtibus, velis. de quib. Cuiac. Obseruat. lib. 13. cap 30.

Lingua quem ad intelligentiam profert sermonem, non intelligit, *Vide Medium Cognitionis.* Sermo. Prophetæ multa dicunt quæ non intelligunt; secretum negotii etiam ministros latet.

AMOR EST INTELligens & sapiens.

ABbas Theodorus interrogatus à monachis, quomodo possent ad intelligentiam scripturarum peruenire, non, inquit, commentarios

B peruoluendo, sed animum à passionib. purum ad Deum eleuando, tunc enim velut sublato velamine sacramenta scripturarum apparebunt, datæ enim sunt à Deo scripturæ vt intelligerentur, sed vitia nostra tenebras offundunt, hinc tot hæreses. Cassian. lib. 5. cap. 34.

Cum in quolibet sensu aliquod elementum dominetur, quidam visum igni adaptauerunt; quia lucent ex seipsis oculi, vt patet in lupis, cattis, in nobis etiã aliquãdo in tenebris, & post somnum. Nihil autem lucet nisi ignis, vnde & cœlum igneũ putant, & cum nihil videatur sine lumine, instrumentum visus maximè debet esse luminosum, lumen autem commiscibile in compositione corporum non est nisi lumen ignis. Hanc tamen opinionem improbat Alb. Mag. tract. 1. de sensu & sen-

C sato. cap. 3. & 4.

D. Dionysius cap. 2. de cœlesti hierarchia, dicit amorem diuinum esse super rationem & intellectum, inflexibile & non indigens desiderium diuinæ & æternæ puchritudinis.

Poëtæ excellunt in amatoriis, tunc enim ex Platone, concurrunt duo furores, poëticus, & amatorius.

Cum amor sit fruendæ pulchritudinis desiderium, ex pulchrorum desiderio natus, pulcherrima plura mortalibus impartit. Ex eo quasi ex fonte artes manarunt; omnium est inuentionum author & propagator, medendi, diuinandi, sagittas mittendi, amore duce inuenit Apollo; texendi artificium Minerua, fabricam ærariam Vulcanus, Mercurius litteras, leges Ceres; denique omnes qui per artes inuentas vitam excoluerunt,

D amore impulsore atque ductore commenti sunt nouas adinuentiones: Non enim talia satagendo inuenissent, nisi amassent. Amore constant omnia, augescunt, florescunt, propagantur. Plotinus.

Christus post resurrectionem apparens discipulis iuxta mare, primùm agnoscitur à Ioanne dilecto. Ioa. 21. dicit enim, Dominus est. Primus qui diligitur videt, quia semper amoris oculus acutius intuetur, & semper viuacius, qui diligitur, sentit. Chrysolog. serm. 78.

Samij in loco Amori dicato habebant Academiam, in qua iuuentus exercebatur. Athen. lib. 5.

Musicam docet amor, & si fuerit indoctus prius, industriam enim exacuit, & est artium inculpa-

E tus magister. Rodig. lib. 9. c. 2.

Athenis vnde scientiarum fluenta in orbem terrarum sunt effusa in Academiæ gymnasio duo erant iuncta Palladis & Amoris signa & vtrique simul res diuina fiebat. Id. lib. 16. cap. 24.

Dicitur 2. Pet. 1. donec Lucifer oriatur in cordibus

dibus vestris. Venus Orientalis dicitur Lucifer & amori præsidet.

Intellectio fit potissimum in plexu arteriolarum quæ sunt à corde.

Homines & iumenta saluabis Domine, idest doctos & indoctos. *Vide Minoritas Cognitio. Bona.*

De Domino Iesu Christo dicit Apostolus Col. 2. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Fuit autem conceptus de Spiritu Sancto.

Vbi deficit sapientia supplet amor, cum Philosophia sit amor sapientiæ & vbi torpet amor, à sapientia excitatur.

Tribus modis exprimitur alicuius imago, pictura, sculptura, fuso per ignem metallo, & hic modus est omnium celerrimus. Longum iter est ad imitationem Christi per exercitia virtutum & mortificationis breue per amorem, qui momento transformat. *Vide Potestas Voluntatis.*

Dicit Augustinus lib 8. de Trinit. c. pen. quod quanto flagrantius Deum diligimus, tanto certius serenius que eum videmus. Voluntas enim imperat intellectui quærere & inuenire notitiam, quæ est perfectio intellectus & partus mentis & Hugo in 7. Angelica hierarchia.

Dilectio inquit supereminet scientiæ, & maior est quam intelligentia; plus enim diligitur Deus, quam intelligatur, & dilectio intrat, & appropinquat, vbi scientia foris stat, amplius enim præsumit & confidit, habet acutum penetrans omnia, & sequens impetum ardentis desiderij, nec dissimulare valet donec ad amatum perueniat: Vnde nullum bonum perfectè cognoscitur, nisi quod perfectè amatur. D. Bonauent. de 7. itinerib. æternit. itinere 4. dist 1.

Idem in legenda S. Francisci. cap. 11. dicit de eo, licet sacrarum litterarum scientiam non haberet per doctrinam, penetrabat tamen ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita, &. vbi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis

Patremutius ex latrone monachus, audiens tres primos versus primi psalmi, dixit eos sibi sufficere ad totius vitæ institutionem.

Pulchriora sunt vbera tua vino. Cant. 4. scientia infusa per charitatem præstantior est acquisita per studium Origen. in Cant.

A Liberalis totum quod in se est profundens amor conuertitur ad artes, & fit industrius, vt exhausta reparet. Amans duplicem vitam in amata re reperiens, duplicat intelligentiam, & in rei pretiosæ sibi contingentis custodia, vigilem, exercitatum, altiora meditantem, imperio quippe dignius aliquid possidentem habet animum. Incalescunt amore vitales & animales in corpore spiritus, vnde fiunt lucidiores, ab humido torpescente magis defæcati, sic ad intelligentiam aptiores. Hebescit virtus sine zelo, qui est ardens honestæ rei cupiditas, si splendorem hunc ex charitatis ardore nascentem tollas, caligat suis implexa consiliis prudentia; ignis ignem, lux lucem in se trahit, ita sancti charitate feruentes, diuinum è cœlo

B splendorem, & prophetiam sæpè meruerunt. Inde fit animus inter res humanas versatiles ad omnia paratus, acuitur, præmunitur, & senilem prudentiam ardoris pulcherrimi luce maturat. Spiritus Domini prius describitur aquis incubans, quam fieret lux; propius accedit ad solem Venus quam Mercurius; ad Deum Seraphim quã Cherubim, & abignitis, illis spiritibus inferiores, etiã hi quibus lumen proprium est illustrantur. Sic in humani corporis conformatione calor prior est, etiam lucidi spiritus artificis artifex. Inferiora sunt eminenter in superiori gradu, amor autem plus est quam cognitio, quæ tendit in amorem velut in finem. Non est igitur amor priuatus cognitione, licet non sit semper discursiua, sed momentanea quædam illustratio, imperantis amoris æquitatem, lucis & ardoris illapsu sympathico

C percipiens. Id potissimum contingit in rebus diuinis, quas prius & præstantius amore quam intellectu mortales assequimur. Amor enim in diuina nos transformat & quod deest intellectui, quadam in nos bonorum communione refundit, aliàs diuina humanè tantum reciperet, cum tamen sæpius feratur supra se in eorum cognitionem, & diuina non humaniter, sed interdum humana diuinè concipiat. *Ex principiis.*

Amor pingitur oculis vitta obductis, quia dum viuit tantum in persona amata & de ea perpetuo cogitat, cętera negligit: anima enim à pulchritudine intellectuali ad corpoream se transferens, patitur Ecclypsim, vt luna ex oppositione terræ. Leo Hebræus, dialo. 3. de amore.

VIRTVS VOLVNTATIS.

VOLVNTAS PRO FACTO IN BONIS.

DE Abrahamo volente immolare filium. *Vide Potestas Principij.* patria potestas limitata.

De actu efficaci. *Vide Potestas Finis.*

Pœnitentium subitò mortuorum oblationes recipiantur, & eorum funera Ecclesiastico affectu prosequenda. Concil. Vasense Galliç. cap. 2. Con-

D cil. Arelatense. 2. can. 12. an. 452.

Bona externa ex se quidem sunt indifferentia, & vt ait Terentius, perinde sunt, vt illius est animus, qui ea possidet.

Ixion Iunonem adamauit, quod sciens Iupiter, nubem Iunoni similem obiicit, quam amplexus est Ixion, & rotæ in se semper redeunti affixus Suidas in voce Ixion.

Digitized by Google

A De his quæ dicunt se non posse capere & credere Trinitatem in diuinis quamuis vellet credere. Respondetur secundum Cancellarium Parisiensem, quod aliquando non tam meritorium est credere, quam velle credere, nec dolere de peccatis sensibiliter, sicut velle dolere & non posse, Probatur hoc per illud Psalmi; Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua & ita iudicat nos Deus secundum rationis superioris arbitrium, voluntatem, & iudicium & non secundum ea quæ nobis inuitis & contra nitentibus portio sensualitatis & inferior aduehit, & producit, qualia sunt volubilitas imaginationū & phantasiarum, &c. Perbaltus in rozario Theologico. voce Cognitio trinitatis.

B Animus est qui diuites facit; pecunia ad animum nihil pertinet.

Fides non consistit in circumcisione sed in corde: qui non credit vt oportet, circumcisio eius non facit eum Iudeum, qui verò credit vt oportet, ille est Iudæus, etiamsi non sit circumcisus. Doctores Hebræi quos refert Voisin de lege diuina. cap. 8.

D. Augu st. lib. de spiritu & littera. cap. 26. Ita inquit, fiunt de domo Israël, quum præputium eorum in circumcisionem deputatur, eo quod iustitiam legis non præcisione carnis ostendunt, sed cordis charitate custodiunt.

C Dæmones ab Angelis differunt non essentia, non potentiis, sed earum mala applicatione. sic mali à viris bonis differunt.

Tentationis & fragilitatis verba fuerunt in filiis Israël dicentibus: Melius fuerat nos seruire Ægyptiis, quam mori in deserto, longè enim melius est in Eremo mori, quam seruire Ægyptiis, qui enim in Eremo moritur, hoc ipso quod separatus est ab Ægyptiis, idest à rectoribus tenebrarum, habuit aliquem profectum, etiamsi ad integrum peruenire non potuit. Melius enim perfectam vitam quærenti est in itinere mori, quam ne proficisci quidem ad perfectionem quærendam; sic à virtute propter difficilem eius perfectam acquisitionem, nemo debet deterrri. Orige, Hom. 5. in Exod.

D Si quis crimen quod voluit, aggressus quidem est, sed non successit, punietur, vt qui non solum corde, verum etiam opere peccauerit, semper adulterium quod in corde peractum, minus est peccatum quam si quis adiungat etiam factum. Idem in Math. cap. 16.

Math. 20. qui toto mane & maxima parte diei steterant in foro otiosi quia nemo eos conduxerat, missi in vineam, recipiunt æqualem mercedem his qui à mane laborauerant.

Roma 14. Paulus probat natura nihil esse immundum sed ex voluntate vtentis immundum fieri Omnia quidem, inquit, munda, sed malum homini est, per offendiculum vescenti, quidquid non est ex fide, peccatum est.

E Abrahaam obtulit filium, obtulit & ouem, vel vt rectius loquar, ante omnia voluntatem suam; per ouis cruorem manum, per filii mactationem animam sanctificauit; atque ita sacerdos creatus est. D. Chrysost. Hom. 3. in 2. ad Corinth.

Qui argentum furatur, multo magis aurum si se obtulerit occasio, itaque cum Principes insimulamus, nostra nobiscum reputemus, inueniemus nos ipsos plus auaritiæ studere quam illos, si ista non re sed voluntate metiamur. Id Homil. 3. in 2. ad Corinth.

Qui habet meliora naturalia, dummodo sit par conatus magis recipiet de perfectionibus infusis, & qui peiora naturalia, quandoque magis recipiet, si adsit maior conatus. D. Thom. in Magist sentent. dist. 17. a. 1. a. 3.

Thomas Morus Vtopiæ Reipublicæ. lib. 2. refert in ea sollicitasse ad stuprum, non minus esse quam stuprasse. In omni siquidem flagitio certum destinatumque conatum æquant facto, neque enim id quod defuit ei putant prodesse debere, per quem non stetit, quo minus nihil defuerit.

Abraham multum meruit in volendo efficaciter occidere filium suum. Tostat. in Exod. Psal. 188. cap. 6.

Sacerdotes Iudæorum non lauabant nisi manus & pedes, manus significant opera, pedes affectiones. Id. Exo. to. 2. fol. 215.

Non expectauit Christus Iudæorum impetum, nec sententiam Pilati, vt eorum malitia sit communis salutis hominum causa, sed consilio suo anteuertit, & arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert, & victimam immolat, sacerdos simul existens & agnus Dei qui mundi peccatum tollit? quando id præstitit, cum corpus suum discipulis congregatis edendum, & sanguinem bibendum præbuit, tunc apertè declarauit agni sacrificium iam esse perfectum Nam victimæ corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit, quare cum corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcana & nō aspectabili ratione corpus erat immolatum, vt ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat, &c. D. Gregor. Nyssen. orat 1. de resur. Christi. Hinc incipit numerare tres dies in quibus fuit Christus in visceribus terræ. Vide Ibid.

Luna discedens ab infortuniis aut earum malis aspectibus, & accedens ad fortunam, aut eius bonos aspectus, iam bono est. Cardan. aphor. sect. 1. apho. 31. Ipse motus ad bonum, iam bonus est

Cum planeta exit signum, antequam applicet alteri, mutabuntur significata illius. Ibid. sect. 3. apho. 14.

Mentium inspector Deus, non solum laborem operis, verum etiam affectum voluntatis in retributione compensat. Etiam deficiente tyranno in mēbris suis spiritualibus semper triumphat Ecclesia quæ Christi spiritu viuificatur. Laurent. Iustinian. de contemptu mundi. cap. 6.

Si per statuliberum non stat, quominus condicioni pareat, libertas ei competit. l. 3. §. non solum autem. ff. de statulibeirs.

Moniales S. Dominici possunt profiteri in mortis articulo, etiam non expleto anno professionis. Pius 5. const. 109. Bull. pag. 237. to. 2.

IN MALIS.

NVsquam nisi in voluntate peccatum est; sicut enim se habet falsa intellectio ad intellectum, ita praua actio ad voluntatem, sed falsa opinio non est nisi in intellectu, ergo peccatum non nisi in voluntate. D. Thom. in lib. 2. sentenc. dist. 41. a. 2.

Vide Potestas & Virtus Finis.

Licet principaliter voluntas furantis non feratur ad rem sacram, sed ad aurum, fertur tamen super rem sacram ex consequenti, magis enim vult rem sacram accipere, quam auro carere. Id. in quæstio.

dißput. quæst. 2. de peccatis. a. 6. ad 6.

Conscientia etiam erronea ligat; dicitur enim Roma. 13. omne quod non est ex fide peccatum est, etiamsi bonum sit in se, si enim credit esse malum & diuino præcepto prohibitum, tamen illud faciat, habet voluntatem legem Dei non obseruandi, vnde mortaliter peccat. Ibidem de conscientia. ar. 4.

Reus mendacii est, qui dicit verum, quod putat esse falsum. Id. quodlib. 6. a. 17.

Iosephus 12 antiquitat. & multi Iudæi tempore Christi credebant quod peccatum cōsisteret in solo actu exteriori, errantes in hoc quia non considerauerunt hominem secundum suam proprietatem, sed sicut politicus vel legista, qui considerant tantum de habitudine ciuium inter se, quæ est in actibus exterioribus Tostat. Math. to. 2. fo 337.

Inter multas rationes ob quas vnicuique prohibitum est seipsum castrare; licet sub specie conseruandæ castitatis, hæc vna est, quod per hæc non tollitur concupiscentia in quo consistit peccatum, licet semen formatum in corpore, & ad exitum pulsans non possit emitti. Id. Math. to. 5. fol. 110.

Sunt quidam accipitres, qui auis captæ cor tantummodo, latere per rostrum aperto, deuorant, aliquando etiam cerebrum appetunt, reliqua parte corporis reiecta. Olaus Magn. lib. 19 cap. 4. Dæmon expetit potissimum in homine cogitationes & affectus, & his pascitur mortem inferens animæ.

Peccant mulieres se nimium ornantes. *Vide Maioritas Gloria*, Vestis ornatus.

Qui dum transfugit ad hostes ab illis captus est, habetur pro transfuga ex prima animi destinatione non pro captiuo. l. Non omnes, §. qui captus ff. de re militari.

Scelera quamuis citra exitum subsederint, puniuntur. Senec. decl. 7.

Lex 1. Cod. Theodos. ad l. Iul. de amb. pari inquit forte leges scelus puniunt & sceleris voluntatem. plura apud Cuiac. Obseruat lib. 15. cap. 25.

Etiam inuoluntaria quædam puniuntur. *Vide Contrarietas Minoritatis.* Vindicta publica.

CHARITAS SVMMA *Virtutum.*

MAteria elementaris, in maiori subtilitate, & raritate esse non potest quam sub forma ignis, qui leuissimus, purissimus vicinum cœlo locum obtinet; luminis etiam generatiuus. Albert. Magn. tract. 2. de proprietatibus elementorū. c. 11.

Ad fumum sulphuris albescunt rosæ prius purpureæ: igne cœlesti candorem habent consciētiæ.

De charitate Ficin. epist. l. 8. Bernardi quadrag. 2. serm. 1. 2. & seq.

De proximi amore. Hom. 39. D. Aug. D Tho. opusc. 61.

Charitas operit multitudinem peccatorum.

Si quando lues publica grassabatur, sacerdotes, sacris ritè peractis ex ara ignem accendunt, & rogis in vrbibus accensis fœtidi aëris corruptricem illam vim hebetant, & morbum igne extingunt Suidas in voce ἱερεύς Vide simile. *Duratio Concordantia.* Partium diuulsarum cum suo toto concordantia vbi aëris æstus, igne de sepulchro sumpto temperatur.

Cum anima præferat imaginē Dei in intellectu

A & voluntate, perfectior tamen est imago in voluntate quia ipsa se habet in regno animæ vt regina, imperat enim memoriæ & intellectui, etiā præ aliis potentiis virtute optima informatur. videlicet charitate: Spiritus Seraphici supra cęteros collocantur: actus ipsius voluntatis est perfectior. Nam fruitio voluntatis perfectior actus est quam visio: summa merces est, inquit D. Augustin. vt ipso Deo perfruamur. Perbartus in rosario Theologico. Voce anima.

De charitate erga Deum. *Vide Voluntas Principij.*

Dilectio proximi malum non operatur. Non adulterabis, non occides & si quod aliud præceptum in hoc verbo instauratur, diliges proximum B tuum sicut teipsum. Consummatio itaque legis est dilectio. Rom. 12. diligamus itaque nos inuicem tanquam & eadem dilectione diligentem nos Deum dilecturi. Humanus amor zelo & inuidia plenus est, diuinus verò ab effectu tali liber, propterea quærit qui secum in amore communicent; diligentem secum plus diligit. D. Chrysost. Homil. 13. in epist. ad Roman.

Si vigeret vbique charitas, multa existerent bona, neque enim opus esset legibus, neque iudiciis, neque pœnis, neque suppliciis ac tormentis, nam si omnes diligerent, & diligerentur, nullus cuiquam faceret iniuriam, & ad nomen vsque, ignoratum esset vitium. Alia bona mala C quidem sibi habent adiuncta, pauper intumescit, quod suas abdicarit facultates; dicendi facultate præditus laborat vanæ gloriæ cupiditate; humilis propter hoc superbit in conscientia, Charitas ab omni eiusmodi pernicie est libera; mutuo se diligentes terram vt cœlum habitant, summa fruentes tranquillitate, innumerabiles sibi contexentes coronas ab omni mentis ægritudine liberi, quomodo enim nullus sibi malum facit, sic nec dilecto; non verè diligit patrem qui offendit eum in filio dilecto nec Deum, qui ipsum offendit non diligendo proximum, propterea de vtroque datum mandatum; vt ex toto corde Deus diligatur. idest etiam in proximo. Non esset paupertas, non essent immodicæ diuitiæ sed essent sine D cura, paupertas sine metu; Charitas non patitur cæteris virtutibus coniunctos labores, sed acerba omnia facit leuia, acerbum tantum nobis reddens vitium, &c. Idem Hom. 32. in 1. ad Corint. est maior martyrio, quia martyrium facit, quod tale non est si hæc deficiat. Ibid.

Apostolus ad Colosi. 3. vocat charitatem vinculum perfectionis, quia ligat omnes virtutes in quandam perfectam vnitatem, dirigit enim omnes virtutes in Deum, in quo est summa perfectio Tostat. Math to. 5. fo. 153.

Quemadmodum is qui humanæ naturæ particeps est, omnes naturę humanæ proprietates habet, ita etiam is qui perfectam charitatem in sese E confecerit, & assecutus est, omnes, quęcumque vna cum hac spectantur & comprehenduntur bonorum formas, cum primario principalique bono tenet S. Greg. Nyss. orat. in laudē. D. Bas.

Charitas oleo cōparatur. Oleum enim supernatat aliis liquoribus; sic charitas cæteris virtutibus. Comparatur etiam auro quod est inter metalla preciosius. Comparatur igni, de quo Dominus, Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? vt ignis ferrum in se transformat; sic charitas animam quam possidet, sui iuris esse non patitur. Ignis non est

Digitized by Google

ociosus, sic amor, qui verus non est, si magna non operetur, splendorem adducit ignis, sic charitas; non enim clarescet anima in fulgore æternæ pulchritudinis, si non arserit in officina charitatis. Ignis in puluerem redigit, idem agit charitas Loquar, inquit Abraham, ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis. Ignis tendit sursum, similiter & charitas; ignis consumit, sic & charitas; cupio dissolui, &c. vt ex radice arboris multi procedunt, fructus, sic ex charitate virtutes; excellit cæteras, quia gratis operatur, Iustitia reddit debitum, timor redimit incōmodum quod imminet; spes emit cōmodum quod obtinere intendit; purus vero amor mercenarius non est, nec tamen diffidentiæ damna sentit, &c. Laurent. Iustinian. de charitate. cap. 4. A

Nihil est aliud bene viuere, quam toto corde, tota mente Deum diligere, vt incorruptus in eo amor, atque integer custodiatur, quod est proprium temperantiæ; vt nullis frangatur incommodis quod est fortitudinis; nulli alij seruire, quod est iustitiæ; vt vigilet in discernendis rebus, ne fallacia doloue paulatim peruertatur, quod est prudentiæ. Ibid. cap. 6. in fine. B

Charitas implet legem omnem. *Vide Medium Veritatis*. S. Scriptura.

Charitas hominem perficit. Vide quæ scripsi de misericordia Dei. parte 1. cap. 24.

Charitas est donum Dei de diuinæ bonitatis emanans fonte, gratuitum, accommodatum animæ ad promerendum immortalitatis gloriam, ad cumulanda merita, ad virtutes perficiendas, ad custodiendam gratiam; ad Dei filios à gehennæ filiis segregandos. Clauis enim est regni, perfectionis mater, virtutum virtus, thesaurus incomparabilis, cunctorumque meritorum principium & finis Laurent. Iustin. lib. de casto verbi & animæ connubio. cap. 18.

VERITAS VOLVNTATIS.

QVÆ SIT VERA VOLVNTAS.

VOLVNTAS neutralis non est vera voluntas. *Vide Media Voluntas.* C

Vera voluntas est quæ est libera à coactione, velle non creditur qui obsequitur imperio patris vel Domini, ita qui credunt cœlos non solidos, sed fluidos, in illis tamen faciunt planetas motu regulari se mouentes, indifferenter vt animalia in aëre.

Amor, odium, ira, & huiusmodi accipiuntur dupliciter 1. in quantum sunt actus appetitus sensitiui, & sic dicuntur passiones propriè, & sic nullomodo possunt esse in Deo, quia aliàs Deus esset alterabilis. Aliò modo accipiuntur in quantum sunt actus appetitus intellectiui, & sic non sunt passiones, vnde sic ponuntur in Deo, quia vt Philosophus 7. Ethic. dicit, Deus vna & simplici operatione gaudet; & eadem ratione sine passione amat. Deus charitas est. Perbartus in rosario theologio de amore Dei. D

Si quis priuatus vel magistratus applaudente populo, seruum egregium in theatro pugillum vel actorem manumiserit, non valet manumissio, frustra & inutiliter manumittitur. Cuiac. Obseru. lib. 2. cap. 32.

Omne quod quis operatur propter finem est voluntarium, sed ea quæ quis operatur ex timore, operatur propter finem, scilicet ad vitandum malum quod timet sicut qui proiicit merces in mare, vitat subuertionem nauis, ergo huiusmodi sunt voluntaria. Philosophus autem 3. Ethic. dicit quod alia, mista sunt ex voluntario & inuoluntario, simpliciter autem sunt voluntaria, secundum quid autem inuoluntaria ex necessitate facti. D. Thom. quodlib. 5. a. 10.

VERVS AMOR.

PLutarch. lib. de amore parentum erga liberos, probat eum amorem esse purum sine vlla spe remunerationis, cum liberi parentibus sint oneri, vix commodo & voluptati cum parētes decedant priusquam liberi ad bonam frugem adducantur. Falsum est eo fine educare liberos vt heredes habeant, nam liberi non sunt grati parentibus ob hæreditatem quasi sibi debitam: gratior erit extraneus hæres institutus.

Ferrum licet natura sua ponderosum, adhæret magneti, licet nulli rei infra innixum, nec supra alligatum. *Vide Veritas Bonitatis.*

Verus amor est sine coactione. *Vide Minoritas Contrarietatis.* Non cogere. *Et Voluntas Concordantia. Appetitus coniugij.*

Probatio dilectionis est exhibitio operis, inquit Gregorius. *Vide Maioritas Voluntatis.* Non est in suauitate sed in opere. *Vide Gloria Principij Iustitiæ.* Suauitas vitam spiritualem incipientium.

Charitas est non nuda verba, non salutationes simpliciter præstare sed præsidium ac patrocinium, opetibusque ipsis coniuncta voluntatis demonstratio. D. Chrys. Hom. 7. in cap. 3. ad Roman.

Frui, est amore inhærere alicui rei propter seipsam. Magist. sentent. dist. 1.

Maximus Tyrius serm. 4. quomodo distinguatur amicus ab adulatore. Amicus, inquit, si pro amico subeat infortunium, vix præsentit, adulator maximè sentit, amicitia probatione confirmatur; adulatio ll ad probationē accedit penitus frāgitur; amicitia tēpore validior fit, adulatio tēpore deprēditur; amicitia minimè eget vt vtilitate firmior fiat, adulatio sine vtilitate stare non potest; sic com-

Digitized by

placet adulator vt excedat, sicut qui superstitione Deum colit, qui boni sui non conscius solo metu ducitur. At plena spei & fiduciæ vera amicitia est.

Boetius dicit gratias habendas aduersæ fortunæ quæ præbet occasionem vt veros amicos à falsis discernamus.

Verè Deum amantis signa sunt de ipso frequenter cogitare, loqui, orationes ad ipsum dirigere, eius mandata libenter, etiam suauiter exequi quamuis difficilia, propter ipsum cætera contemnere. eleemosynas largiri, &c. Laurent. Iustinian. de charitate cap. 11.

Ibid. cap. 1. Has refert amoris Christi erga nos conditiones, quas imitari debemus. 1. gratuitus fuit eius amor; amicus enim non verus vtilitatis causa, non personæ, sed fortunæ adhæret. 2. discretus, personas amans & vitia persequens. 3. vehemens, quoniam pro nobis animam suam posuit, & nos pro fratribus debemus animas ponere vehemens denique dilectio fratri remedia fert in aduersis, eius compatitur, incommodis, nec patientius propriam iniuriam sustinet quam amici. 4. fructuosus vt apparet in donis ab ipso nobis collatis. 5. perseuerans vt non cesset in aduersis; ideo iubet Christus diligere proximum sicut semetipsum.

Verum charitatem probant opera. Vide quæ scripsi Moral. Christ. to. 1. parte 2. cap. 12. Quæ sint amici veri officia. Ibid. tom. 2. parte 1. cap. 36.

Vt intelligas quantum ameris à tuis; hi amant qui tibi etiam metuunt; oderunt, qui metuenda fingunt non credere, vel non credunt, vel etiam rident. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 1.

VERVS ET PVRVS *Dei amor propter se.*

De puro & defæcato amore qui in Deo nihil quærit præter Deum *Vide Voluntas Gloriæ*. spes & desiderium beatitudinis.

Defæcatæ illius dilectionis & intentionis quinque sunt signa. 1. humanæ laudis detestatio, & Dei glorificatio. 2. sobria tristitia & exultatio mentis. 3. ordo correctionis, vt alios correpturus à se incipiat 4. benignitas compassionis, nam qui bonus est corde, benignus est compassione. 5. immobilitas mentis, tam in prosperis quam in aduersis. D. Bonau. de 7. itinerib. ætern. dist. 3.

Charitas est sine intentione remunerationis, nec est mercenaria. *Vide Virtus Voluntatis*, charitatis excellentia, ex Laurent. Iustinian.

Vide quæ scripsi libello de amore Dei nascente. c. 10

Quæsiuit nos Christus propter nos, quæramus & nos ipsum propter ipsum nec sine ipso. Nemo illum inuenire præsumat si non diligenter & perseueranter quæsierit. Laur. Iustin.

Sanctus est Deus & purus, sicque mentis debet diligi puritate, & sanctitate sincerissima. Non segniter, non elatè, non obliquè amandus est, sed alacriter, sed sponte, sed rectè, non ex timore, non ex vtilitate, non ex consuetudine, imo potius ex mera & simplicissima charitate, non ex præmio, sed propter seipsum, quia dignissimus est Laurent. Iustinian. lib. de connubio verbi & animæ. cap. 21.

Qui magis aut certè solum diligit suum bonum conuincitur non castè diligere bonum, quod propter se diligit, non propter ipsum. D. Bonau.

A De timore seruili & filiali. *Vide Cognitio Contrarietatis.*

QVÆ SIT VERA *charitas.*

Signum charitatis infusæ est. 1. dolor de culpa præterita, quia est contraria concupiscentiæ carnali, quæ est radix omnium malorum. 2. est firmum propositum cauendi futura peccata cum effectu, nam diu carere peccato mortali non potest nostra infirmitas sine charitate. 3. est delectatio in auditu diuini sermonis, quia amantes delectantur sermonibus mutuis 4. promptitudo boni operis, charitas enim est maxime operatiua; quia est amor finis. 5. signum quando quis delectatur de alterius profectu spirituali, & de defectu tristatur. Nam est virtus vnitiua & 1. Corinth. 13. dicitur charitas non congaudet iniquitati, congaudet autem veritati. Roboratæ iam charitatis signa sunt quinque. 1. frequens & iusta conscientiæ examinatio, de peccatis etiam venialibus: quia sicut charitas opponitur peccato mortali, ita feruor veniali. 2. concupiscentię diminutio; quia quo quis fit proximior Deo, tanto magis à concupiscentia recedit. 3. frequens exercitatio sensuum spiritualium & interiorum, vt exercitatio sensuum exteriorum est signum vitæ corporalis. 4. studiosa mandatorum Dei obseruatio. 5. diuinarum rerum manifestatio, quia perfectus amicus Dei noscit eius secreta. Iam dicam vos amicos meos, &c.

C Perfectæ autem charitatis signa sunt. 1. libenter vitam exponere pro gloria Dei & salute proximi. Maiorem charitatem nemo habet, &c. 2. inimicorum dilectio; hoc opus difficile perfectus tantum amor exequitur. 3. aduersa omnia gaudenter suscipere, & patienter sustinere; fortis enim est vt mors dilectio, quę sensum tollit rerum terrenarum: Charitas omnia sustinet, inquit Apostolus. 4. si omnibus renuntiare paratus sit, & sequi Christum; quia charitas renuit omnia quæ eius possunt officium impedire 5. si nihil aliud quam solum Deum timuerit, perfecta charitas foras mittit timorem. Charitas proximi caret liuore, sed charitas Christi caret timore. Hæc sunt signa extrinseca perfectæ charitatis. Intrinseca autem sunt. 1. profunda & intima suspiria mentis propter absentiam dilecti. 2 alta desideria, vnde fit maximus contemptus rerum mundanarum. 3. cogitationes languidę; vnde dicit Origen. Amant incipientes, ardent perficientes, languent perfecti. 4. expectationes tædiosæ, amor enim moras non patitur. 5. affectiones extaticæ quia cum mens tota fertur in Deum, extra se est. Ex D. Bonauent. de 7. itinerib. ætern. dist. 4.

Tres sunt charitatis mansiones, primo ea prædictus sui ipsius est habitator perpetuus, cordisque veritati & conscientiæ paci studebit. 2. supra rationalem intelligentiam motu Spiritus sancti fertur in vnitatem cum Deo. 3. infra te charitas est amoris quædam ad proximum emanatio per actus & officia misericordiæ, vtcumque ille iis opus habet. Rusbroch. cap. 2.

REPVGNAT.

NON VERVS SED *fictus amor.*

OMnes hodie simulati sumus amici, amare fingimus, non amamus sed fingendum est, postquam omnes fingunt; Nam, & Iesu finxit se longius ire; vt homines sunt, ita vtamur. Æneas Syluius.

Non habent verum amorem principes erga aulicos, quos sibi nimium dispares existimant, & seruitio suo natos, vtuntur illis velut equis quandiu sunt vtiles: etiam minus amant quam equos, quibus deficientibus, alii non possunt haberi nisi numerata pecunia, at vltro se aulici offerunt. Aulici etiam inter se non habent veram amicitiam, quia rara inter illos virtus, crebræ passiones inuidiæ, iræ, &c. Id. epist. 166.

Math. 21. 28. Pater dicit filio, fili vade hodie operari in vinea mea, at ille respondens ait: Eo Domine, & non iuit & Exod. 19. 8. populus Moysi; cuncta quæ loquutus est Dominus faciemus, id tamen non impleuit.

Vide Veritas Virtutis. Repugn.

De falso amore Dei propter vanam gloriam, aut mercedem. *Vide Virtus Finis.* De recta intentione. Non est etiam defæcatus amor qui solatia quærit in Dei seruitio. *Vide Voluntas gloria*, spes beatitudinis.

✝ Carbunculus lapis irradiat, vt carbo ignitus, nec habet ignem.

Multi eliguntur non amore sui, sed alterius odio. In plerisque suffragium meretur sola simplicitas, alterius prudentiæ & malitię opposita. D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum.

AMICORVM FORTVNE *perfida societas.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Meritò sacræ philosophiæ sectatores auersantur diuitias, quia mentem à melioribus abstrahunt, curis lacerant, mille casibus exponunt; ipsi libertatem, quietem, integritatem inuident, dum cupiditatibus fomenta subministrant, cum hac timenda, quidquid libuerit impunè perpetrandi licentia. Tot malis accedit amicorum quos vocant fortunæ, grauis turba, quæ conuolans ad diuitiarum messem, beneficum etiam genium obsidet, lassat, & exhaurit.

MAGNITVDO. Confluunt ad diuitum mensas, velut ad mel formicæ; cum autem tot auidis vnius facultates non sufficiant, plures conueniunt quibus statis hebdomadæ diebus assident, paribus officiis blandiuntur; non sine diuitum secreto vanitatis morsu, quod integros illos soli non possideant, cum impotentiæ suę sit argumentum, tam cogi pascere canes alienos,

A quam suos sufficientes escas aliunde quærentes.

DVRATIO. Durum est pati non personæ, sed fortunæ tuæ, quidquid fingant, addictos; stipendia præstare paratis desertoribus cum tuba vocauerit ad pugnam, cum intonuerit aduersitas; imo quotidie transfugis, apud parum tibi conciliatos, bonisque tuis insidiantes ęmulos. Gratis recipimus hospites philomelas ad nos verno tempore redeuntes, non enim nos, sed solem suum fidæ sequuntur; terræ, non nostris viuunt impensis, nulli graues, omnibus miro suo concentu gratissimæ; quod veniunt, beneficium est, quod autumno iam sæuiente discedant, naturæ prouidentia. At magnis sumptibus enutrire parasitos, propè diem, si maioris commodi spes affulserit, in contrarias partes transituros; vires ex te sumere, quos in te, cum fors tulerit, explicent, quis

B ferat?

POTESTAS. Fortunam quam vocas tuam, suam efficiunt, illis bona congregas; mensam, famulos, domum instruis; sub dominij non titulo, sed fruitione, rident te prouisorem & seruum interim dilabentis patrimonii vel fortunæ casus imminentes animo computant, quas licet, colligunt reliquias, & iam alium apud quem maturè se recipiant officiis suis promerentur.

COGNITIO. Tales semel admissi penetrant domos, fiunt negotiorum, consiliorum exploratores, & quos audis aliena quæ perceperint tibi referentes secreta, ne credas futuros rebus tuis indulgentiores: prodent tua, qui dederunt aliena,

C hac enim negotiantur permutatione, familiarum occulta vicissim in alias transferunt pectore cunctis, etiam hostibus venali.

VOLVNTAS. Acerbissimum est inter tot amicitiam profitentes rarum, imò nullum amicum inueniri: parum est eos non prodesse gratis beneficia conferenti, etiam quod est indignum nocent, vnde quos semel admiseris in secreta, times, vt iam nulla sit in conuictu securitas, seu sermo solita decurrat familiaritate, seu continentior, suspicione læsos, ad frangendam fidem audaciores iure quodam efficiat.

VIRTVS. Sapiens sibi sufficit, & si quęrit amicum, vt exercendæ suæ beneficentię mate-

D riam multos non admittet, potissimum sic sensibilibus inhiantes, honesti, pudoris, integritatis nescios qui tacenda videant & proferant virorum bonorum commodis vel auribus semper graues. Si ad familiæ simul & Reipublicæ munia dignius obeunda necessarius est diuitiarum vsus, his non alam canes qui nunc me, mox proximum dilanient, vt magnificus videar non fouebo malum publicum; sed ex Christianæ charitatis præcepto, superfluas facultates egenis erogabo, thesaurisque cœlestibus reponam.

VERITAS. Dum assidentibus tibi bona tua das, mala recipis, affectus enim tuos conciliaturi, te falsis placant laudibus, alieni

E dedecoris instructos, proprij nescios efficiunt, & te sic nimis confidentem, superbientem exponunt periculis, in quæ temeritas incauta, cœlestibus odiosa vanitas solet incurrere; frustra consultas falso posito tuæ potentię, virtutis, existimationis, amicorum fundamento. Miseri diuites quos perpetuo latet veritas, adulantium magno conductorum industria. Inter medios hostes falli volunt, sic perire.

Digitized by Google

GLORIA. Sit aliquod fortunæ præstantioris argumentum pluribus sufficere, & in eos beneficere diffundi. At stultissimum est nocituris arma quibus te confodiant præbere, hostes admittere secreti tui conscios, præstigiatoribus qui tuis imponant oculis habere fidem, qui te delusum, spoliatum, hostibus proditum, etiam spectaculo ridiculum efficiant.

DIFFERENTIA. Tibimet ipsi non constas, nec seruare potes mentis vnæ sibi, rebusque suis solerter intentæ firmitatem dum per tot ora iudiciaque scinditur; qualis potest esse vitæ status, quem non modo potentiorum, æmulorum, hostium ira concutit; sed etiam domestiorum fidelis turba palam absumit, clam ad excidium prouocat.

B

CONCORDANTIA. Vna parasitorum intentio, eius cui solemniter assident periculis, res proprias promouere. Stet aut cadat, à volente vel inuito referent spolia, in hoc conueniunt omnes, licet commodo fineque singulari dissideant, pessimum sub virtutis larua vitium, & nocentissima sub amicitiæ symbolis, sua tantum quærens commoda, cupiditas. In hoc mihi videtur, potentioris lugenda conditio, quod cum omnibus esse possit vtilis, semper suspectos habet, sæpius infideles experitur amicos.

C

CONTRARIETAS. Dantur quidem vera beneficia libero, & à patia recipiendi alieno penitus animo. Inest tamen conferenti secreta quædam gratitudinis spes, & quos muneribus ditauit, futuros in aduersis auxilio. Contrarium autem experiuntur in hac assidentium colluuie. Hi namque dum stat arbor, eius colligunt fructus, teguntur vmbra, si cadat, primi velut proximiores lapsæ ramos conscisasque partes diripiunt. Miserum est videre sub amico vultu, si fortuna sæuierit, exterminii sui ministros.

PRINCIPIVM. Sunt qui principum fauorem astris potius, concilianti genio, industriæ, virtuti suæ præmia meritæ tribuunt, quam liberæ dominantis electioni. Sic soluto fati legibus tali commercio, cum nihil aut parum debere se putent viuenti, eius cineribus & memoriæ minus se tenent obligatos. Ingratissimum genus hominum è ciuili societate publico iudicio pellendum, nisi pœna in caput eorum qui tales aluerunt iustissime refunderetur.

D

MEDIVM. Tales, qui sibi assideant, eligunt, non ex probitate, sed ex animo ad quæuis perpetranda parato patiuntur; itaque principes quos habere voluerunt iniquitatis ministros & suis merito, conficiuntur consiliis.

FINIS. Sic transit gloria mundi, sic vanescunt tumentes bullæ, magno bonorum solatio, qui vident in talibus humanam non esse positam fœlicitatem.

E

MAIORITAS. Quanta potentioribus, si sapiant, sollicitudo; & ex suamet magnificentia quam multiplex nascens periculum, accessus enim ad eos quem ambiunt plurimi, paucis conceditur, vnde procedit in repulsam passis indignatio, etiam sublimioribus, nunquam non timenda; quod si nec in admissis nec in eiectis vlla fides, dum splendet, in pœnam suam laborat humana potentia.

ÆQVALITAS. Vanitate ducuntur qui tot assidentes sibi nutriunt, vtilitate qui se illis mancipant; nullus alterius, sed sui tantum agit gratia, totum amoris proprii negotium est. Ideo mirum non est si seclusa charitate veniant vtrinque velut ex æquo mala.

MINORITAS. Fœlix media vitæ conditio his exempta periculis, seruitutem nec exigens, nec patiens, sola veræ sincæreque amicitiæ capax. Ridet potentes suis implicatos retibus, miseretur in supplicium suum laborantibus, dum nesciunt, innocenter vti concessa temporali fœlicitate, nec virtutum meritis ad futuram præparari.

De amicorum infidelitate fortiter toleranda. Vide quæ scripsi. moral. Christia. tome 4. parte 2. cap. 15.

Eligunt amicos vt plantas dum vigent. *Vide Duratio Bonitatis.* Mora opportunum tempus.

Est amicus secundum tempus suum, sed non permanebit in tempore tribulationis. Eccles. 6. *Vide Duratio Voluntatis.*

Tempore passionis discipuli Domini defecerunt.

Muscæ etsi nobiscum & de cibariis nostris viuant, non tamen semper nobiscum volunt esse.

IN AMORE veritas.

AMor puer & nudus pingitur, quia nescit dissimulare & occultari. Sic Marulus Poeta explicans imaginem Amoris.

Cur sine veste Deus? simplex puer odit opertum;
Vnde puer? pueros quod facit ille senes.

Forma ignis est simplicior omnibus formis elementorum. Tostat. Math. to. 7. fol. 177. *Vide Cognitio Voluntatis.*

Amor verus totalis est. *Vide Magnitudo Voluntatis.* Cum corde dat secretum, vt cum fundo thesaurum; quid enim sibi seruet, qui seipsum non seruat, sed totum se transfundit in personam amatam, in qua fit vitæ iurisque confusio.

Amanti tamen placent cordis sui sinus, externis sensibus non obuii, quia suppeditant illi materiam, perpetui cuiusdam muneris conferendi, dum occultas pandit cognitationes. Has susurris in aurem instillat si præsens est, si absens, per signatas litteras probatæ fidei commissas loquitur oculis, & inconcessum cæteris aperit secretum. Cor primum compressione vacuatur, quam spiritum vnde viuit, excipiat, & in amore quidquid habet occulti profundens, dilectę personæ reciprocos affectus promeretur. Æternum illi iurat amorem, & hoc capitale vnde sua pendet fœlicitas & vita, periclitaretur, si falleret in manifestatione secreti; sic Samson vitæ patriæquæ suæ periculis, arcanum quo fortis erat, aperuit, quia non poterat Dalilam non amare, & amatæ, quidquid secreti sui petiisset, negare. Passim in historiis videmus, tyrannos hac hominum, cum mulieribus nimia confidentia taliter vsos vt in se factas coniurationes, perfido potius dilectatum amore, quam exploratorum diligentia, vel vi tormentorum detexerint. Ex *Principiis*.

REPVGNAT. Dixisti de nobis non quæ modo sciebas, sed quę voluisses esse vera; permitti,

mus omnia dilectioni tuę. Æneas Syluius epist. *Vide Cognitio Voluntatis. Rep.* & ibidem amor industrius.

Amans semper aduertat se hominem esse; distinctæ sint apud eum res amoris & rationis, passionis & officii. Raptum patiatur, blanditiis indulgeat sensibilis inferior animæ pars, dum in superioris consilia temerè non irrumpat. Sibimet ipsi nocet & in perniciem suam agit, iam non amans, sed amens proditor; si quidquid scit factum aut proponit faciendum, si omnia sua consilia effundat in animum muliebrem, idest in vas hæc non valens continere. Infirmitas mulieris, perfida, vel inconsulta secretum propalans, citò concitabit in facilem nimis amantem, hostium iniurias, irriti negotii damna, mutuas tandem pariet quærelas quibus dissoluetur amor & fortè desinet in tragicos exitus. Quis amans etiam ad extremum dicit amatæ quæcumque scit & cogitat? non aperit, sed artium omnium auxilio tegit innatos sibi defectus; fortitudinem timiditas mentitur, liberalitatem auaritia. *Vide Cognitio Minoritatis. Rep.* Tacebit intimos zelotypię motus ne ius ad malum suspicione faciat; multa displicent quę facies in lætitiam composita dissimulabit. Minimis istis docetur quid in seriis agendum; non omne mentis arcanum aperiendum dilectæ; non propria, non amicorum, nō officii, non Reipublicæ secreta; fidei hominis non mulieris commissa sunt: in hoc alienis vt Samsonis & tyrannorum periculis quisque sapiat. Cum perpetua debuerit esse viri & mulieris vitæ societas, prouidentia dedit hunc amoris æstum homini, vt esset excedentis in eo potentiæ cum sexu fragili temperamentum, & vt onera Matrimonii fortius dulciora toleraret, sed quod concessit ad delicias, noluit nec in amantis, nec in cuiusque iniuriam conuerti, at amore secreta sua profundenti, nihil potest esse nocentius. Sit licet infans facilis ad affectum, sed vt nomen sonat, fandi careat facultate. *Ex principiis.*

GLORIA VOLVNTATIS.

AMORIS VOLVPTAS ET PRÆMIVM.

IN Ecclesia thurificationes significant, sensibiles amoris concremantis suauitates. Albert. Magn. in cap. 1. D. Dionys. de cœl. Hierar.

Cum Deus sit vbique per essentiam, ad nos venire, est nos ad ipsum ire, sic est spiritus noster amans, Templum Dei amati, & cœlum empyreum eius, & ipse amatus, quies, cœlum & pax amantis spiritus. Card. Cusa. excitatio. lib. 3. cap. 17. Paraclitus est consolator, quando per recessum à signis sensibilibus, rapitur sursum in absolutionem vt sic attingat. Ibid.

Plus amans, plus habebit, ibi erit circulatio, ex amore gustabit, & ex gustu, plus in amore feruebit. Id. lib. 9. cap. 10. in fine.

Si diligerem proximum ita intensè sicut meipsum, gauderem de eius gloria, merito, & omni bono suo, sicut si meum esset sine vlla differentia; sic si Deum diligo ex toto corde, quanta ex infinito eius bono lætitia, sicut visibile habetur in vidente, videndo, sic amabile in amante, amando, sed quo quis idipsum amat intensius, hoc ipso habet verius, & gaudet dulcius. Quamuis ignis appetat esse immediatè cum sphæra Lunæ, pars tamen infima seu media ignis quiescit citra, quia habet idem esse cum suprema parte ignis; ita de quolibet sancto, qui pars est Ecclesię triumphantis. Sic est par gaudium omnium electorum in dispari claritate. Ibid. lib. 10. cap. 1. in fine. *Vide Gloria Bonitatis* Commodum ex collato beneficio. *Econcordantia Gloria.*

Fructus spiritus, est pax, gaudium, &c. quæ enumerat Apostolus. Itaque delectatio est signum quod spiritus charitatis inhabitat animam. Murmuratio signum inhabitantis inuidi & superbi spiritus. Id. lib. 10. cap. 9.

Vide Virtus Voluntatis. Charitas summa virtutum.

Amor est dulcedo saporis intimi, & quanto ardentius amat, tanto suauius gustat. D. Bonauent.

EXTASIS, RAPTVS.

DE extasi seu raptu, D. Thom. q. 13. de veritate. Albert. de apprehens. 10.

De fruitione Dei, Mars. Ficin. in librum vltim. Plotini.

Interior homo est tantum capax lucis seu Verbi Dei, loquitur enim ad intra. Ita rapi ad verbum est recedendo intrare, sicut cum de circumferentia pergitur ad centrum, de composito ad simplex, de corpore ad spiritum, sic coïncidunt extra & intra. Propterea Paulus loquens de raptu suo dicit se nescire an fuerit in corpore, vel extra corpus; erat enim separatus per intelligentiam à corpore, licet illud anima non reliquisset. Cusa. Card. excitatio. lib. 9. cap. 11.

Ferunt Aristei cuiusdam sicut & Hermotimi Clazomenii animam, cum vellet exiisse & remeasse. Suidas in verbo Aristeas.

De his qui cum voluerint rapiuntur in extasim *Vide Voluntas Minoritatis.* Appetere humilia.

Sem

Semel in anno S. Pontifex ingrediebatur sancta sanctorum, habens vtramque manum repletam, vnam batillo carbonum, & aliam compositionis incenso, vt cum fuisset ingressus, statim supposito incenso carbonibus fumus ascenderet totamque ædem repleret, vt aspectum sanctorum, quem ingressus Pontificis reuelauerat, nubes velaret incensi. Origen. homil. 9. in Leuit. Quod contemplatio manifestat, abscondit extasis.

Raptus est ab eo quod est secundum naturam, in id quod est contra naturam, vi superioris naturæ eleuatio. Nam si in statu viæ eleuatur ad hoc quod cognoscat Deum secundum statum patriæ, hoc erit contra naturam, sicut esset contra naturam, quod puer mox natus haberet barbam. D. Thom. in quæst. disput. de raptu. a. 1.

Cum vna potentia in suo actu plurimum intenditur, alia vel debilitatur in suo actu vel in toto abstrahitur, vt qui videt intentissimè rem vnam, non audit quæ dicuntur, sic ad visionem diuinam eleuata mens toto conatu in illam fertur, & sic debet abstrahi à sensibus. Ibid a. 3. o. hæc abstractio non erit necessaria post resurrectionem, quia corpus perfectissimè subditum erit animæ. Ibidem.

Vbi Deus per essentiam videtur, beata vita in suo fonte bibitur; vnde aspergitur aliquid huic humanæ vitę, vt in tentationibus huius sæculi, temperanter, iustè, fortiter, prudenterque viuatur. D. August. 12. super Genes. ad litter.

Viuus sermo Dei efficax, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus. Heb 4. Cum scilicet sui & inferiorum oblitus, cum anima corpus non deserat superiore tamen parte sua sursum Deo coniungitur. D. Bonauent. de septem itineribus æternit. dist. 3.

Extasis fit vt intellectus fit totus ad diuina. *Vide Differentia Potestatis.* Diuersa diuersis officia.

Extases contemplantium probant immortalitatem animæ. Vide quæ scripsi Theolog. natur. to. 2. parte 1. cap. 25. De vnione & transformatione diuina. Libello de amore Dei fruente. cap. 18.

Vt Luna coniuncta Soli recipit tantum lucem in parte sua superiori & obscurat Solem, itaut ipse non priuetur luce quæ est illi essentialis, sed non peruenit ad partem Lunæ inferiorem nos respicientem: sic & sensualis & rationalis cognitio cessat in anima ad Deum conuersa & extasim patienţe. Leo Hebr. Dial. 3. de amore.

Vide Potestas Voluntatis. Amoris transformatio.

REPVGNAT

AMORIS DOLORES & lachrymæ.

IN Persia, amantes vt fidem suam mulieribus, quas ambiunt, testentur, igne linteis apposito se adurunt, & sic se mulieribus læsos ostendunt, quæ compatientes, mittunt ad eos remedia.

Ex igne aqua procedit, & ex aqua ignis vt 2. Machab. 1. Sic ex amore compunctio, ex compunctione amor. Petrus Damia Opusc. 13. c. 13.

Hæc sunt in amoris imperio, longi Luctus, breues risus, parua gaudia, magni metus; semper moritur, & nunquam mortuus est qui amat.

Operatio apprehensiuæ virtutis assimilatur quieti, operatio autem virtutis appetitiuę, magis assimilatur motui.

Est species graminis tremuli maiore pennicula candicante gallicè dicitur *Amourettes tremblantes.*

Clamat sponsa in Cant. Stipate me malis, quia vulnerata charitate ego sum.

Charitas si viderit peccantem luget. & dolore afficitur, sed ipse dolor affert voluptatem, charitatis enim lacrymæ quouis risu sunt iucundiores, vnde si velis eorum reprimere lacrymas, non minus ægrè ferunt, quam si passi essent grauissima. D. Chrysost. hom. 31. in 1. ad Corinth. *Vide Magnitudo Voluntatis.* Zelus torquens.

De amaro discessu sponsi *Vide Duratio Gloriæ. Repug.*

Res est solliciti plena timoris amor. Ouid.

Maria Mater Christi summè delectabatur & tristabatur de passione filii sui. Tostat. Deuter. fo. 48.

In septentrionum mineris fabricatur gehennæ instrumentum quod Virgo dicitur, digitos comprimens cum intolerabili cruciatu. Olaus Magn. rer. septentrional. lib. 6. cap. 6. sic dicitur quia virginis amor torquet.

Amoris flammas, lacrymarum sequuntur vndæ. *Vide Concordantia Æqualitatis. Mala.* Nefandi concubitus.

Pentapolim ignis deleuit, mare mortuum mersit. Nulla circumiacet Ceres, cassæ tantum fruges, & poma præstigioso calore blanda, experientium fauces putri eludunt fauilla, in exemplum voluptatis, quæ foris nitida, in pœnitendum mox cinerem vanescit. Venus est flamma aquis nata, sic inter lacrymas ardent amantes, pręstat Venus humida calida. ardentes lacrymas.

Amor si excedit torquet, temperatus ad omnia fœlix est. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege. 15. §. 4. Amantium dolores; & tormenta; Moral. Christia. to. 4. parte 2. cap. 13.

Amor Dei non est sine dolore, infert varia mortis symptomata. Libello de amore Dei. cap. 1. 2. & seq.

Sponsa verbi licet secura de sponsi amore, vtitur tamen desideriis. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? hæc & similia ingeminans caritatis lachrymas vbertim emittit, quia non valet esse, vbi quem diligit esse nouit; præmittit ad illum gemitus & suspiria amoris testes, totaque in expectatione erigitur, sæpè in animo repetens: Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex. Laurent. Iustin. lib. de casto verbi & animæ connubio. cap. 18.

Bruta per idæas molestas libidinis, non pinguescunt.

Amor semper anxius, inquietis, furentibus zelo passionibus actus, hoc præstat vt in amante vita semper moriatur, mors semper viuat; suis gaudens suppliciis iuuantem, consulentem non admittit, plura patitur quam possit mens & lingua vel tacere vel exprimere, etiam concessa corporea fruitione non cessat dolor in verè amantibus, quia vellent in se mutuo transformari personæ, quæ cum sint indiuiduales id illis non conceditur; propterea desiderio suo frustratæ languent. Id quidem fit non ratione ordinaria qua morales &

ciuiles actiones diriguntur, sed ratione extraordinaria qua persona amata vt dignior quippe finis, modis omnibus quæritur & pro ea libenter amans impenditur. Leo Hebræus Dialogo 1. de amore.

De vnione ignis & aquæ. *Vide Concordantia Contrarietatis.*

Amori dicarunt myrthum, propter gratum odorem, perpetuam viriditatem, folia è regione bina, reciprocum amorem significantia, sed maximè quia fert fructum colore nigrum, & delicias in dolorem & melancholiam desinentes. Dicarunt etiam ei rosas, cum odore suaui spinis mixtas, & citò marcescentes. Idem Dialogo 2.

Cœlum aliquando vna parte nebulosum, pluit, alia serenum Solis fulgentes radios mittit.

Angelum aliquando vidit S. Teresia ignito iaculo sibi præcordia transuerberantem. Greg. 15. Const. 28. §. 6.

DIFFERENTIA VOLVNTATIS.

DIVERSVS AMOR, ET APPETITVS.

De amore multiplici. Bernardi. quad. 4.

De incessu animalium diuerso. Arist.

De duabus voluntatibus Christi. Ioan. Damascen.

Triplex maxime gradus dilectionis, inter pares, superioris ad inferiorem, inferioris ad superiorem.

Omne corpus habet motum naturalem à dispositionibus naturalibus in ipso causatum; motus autem simplices non sunt nisi duo, videlicet circularis & rectus; quia & lineæ simplices non sunt nisi duæ, circularis & recta. Albert. Magn. de cœlo & mu. tr. 1. c. 7.

Plantæ specialia loca sibi commoda desiderant; quippe cum aliæ sitientes adament tractus; aliæ humidos, aliæ hybernos, aliæ Soli expositos, & alię opacis, aliæ apertis gaudeant, & alię in totum palustribus, aliæ montosis lætentur, quędam dulcibus, quædam salsis; est enim genus quoddam sicut animalium, ita etiam plantarum, quod nisi in mari viuere nequit. Theoph. de caus. plant. lib. 2. cap. 6. & 8. *vide Medium Durationis. locus.*

Sunt antipodes, quibus quæ deorsum nobis sunt, illis sunt sursum. Themades lapis vim magneti habet contrariam, vt enim ille ferrum ad se trahit, ita hic abigit à se. In India similes duo montes sunt iuxta flumen Indum, alteri natura est vt teneat omne ferrum, qui constat ex magnete, alteri vt respuat qui ex Themade. Duo illi lapides viribus quidem differunt sed non colore. Georgius Agricola lib. 5. de natura fossilium.

Quia humanis animis inest gemina vis, potentia scilicet intelligendi & generandi, duplicem dixerunt esse venerem, cœlestem & terrenam. Rodigin. lib. 23. cap. 3.

Dignum scitu de Cratero & Hephestione amicis interioribus ita sanxisse Alexandrum, vti illum diceret φιλοβασιλεα hunc autem φιλαλέξανδρον. Ibidem.

De ordine charitatis seu ordinata ad plures charitate. *vide Maioritas Voluntatis.* Nimius amor.

Quædam non tam hominum, quam annorum passiones sunt, quas amouet non sibi diu constans B natura. Voluentibus annis, non corpus tantum, sed & animus mutatur, omnia penè quæ elegit, amauitque nouo iudicio nec firmo tamen, certissimè improbaturus. Etiam mutantur ingenia post certas syderum conuersiones, & à consuetis studiis ad contraria traducuntur. Iacuit ante ducentos annos eloquentia, quæ nunc florens, seculum aliud tremens expectat.

Sic humanæ res se habent, vt inter se differant omnes, tametsi cunctos mortales communis quidam amor ac desiderium exerceat boni, velut in tenebris aurum quærentes, nec oculis nec sono discernentes ruunt magno tumultu vbi maiorem percipiunt esse turbam, sic collidun-tur, & hinc contentiones, voces inquirentium, gementium, rapientium, exultantium, tanquam in ipsum inciderint bonum, cum tamen adeptus C nemo sit, &c. Maximus Tyrius serm. 16.

Solicitudines distinguntur per tempora, sicut & opera per tempora distinguntur; sic aues solicitæ sunt. Tostat. Math. to 3. fo. 115.

Triplex amor circa bonum, honestum, vtile, iucundum.

Est amor naturalis inter elementa, sensibilis inter animantia, rationalis & voluntarius inter homines. Nobilior & superior complectitur inferiores; est enim in homine naturalis & sensibilis cum rationali. Naturalis est inclinatio sine præuia cognitione: sensibilis & intellectualis habet cognitionem, charitas est habitus supernaturaliter infusus quo mens eleuatur ad amorem Dei: est amor Angelicus qui fortior est, cum procedat ab illustriori cognitione; denique est amor diuinus, D sine fine sine pricipio, in se, bono & pulchro suo semper manens ad bonum, cuncta trahens, quemadmodum magnes immotus facit ferrum ad se moueri. D. Bonauent. de 7. itenerib. æternit vbi de charitate.

Est affectio quam caro seu natura gignit; est affectio quam studiosa exercitatio acquirit, siue quam ratio regit & affectio quam sapientia condit. Hæc vltima primam illuminat, secundam remunerat, est enim suauis & pinguis quæ gustat quam suauis est Dominus. D. Bernard. ser. 50 Cant.

In Indiæ plaga mundus statas temporum vices

Digitized by Google

mutat, vt cum alia feruore Solis exæstuant, Indiam niues obruant, rursusque vbi cætera rigent, illic intolerandus æstus existat. Q. Curtius lib. 8.

In Sacramentorum administratione triplex est intentio. Actualis, quando actualiter intendit quis, & vult conficere dum conficit. Virtualis quæ durat post actualem, post aliquod tempus, vt dum necessaria ad administrationẽ præparantur; cum aliqua mora quæ non censetur facere interruptionem. Denique habitualis cum actualis est interrupta per conuenientem moram, vt per somnum, & diem præteritam. Sufficit virtualis, non habitualis. Bonac. de Sacrã. disp. 1. q. 3. p. 3. 4. proposit.

MVTATIO VOLVNtatis. Bona.

CVm quotidianæ occurrant occasiones decreta voluntatis mutandi, perfecti viri, nihil debent absolutè definire, & definita, si maior sit spiritualis profectus, possunt in melius commutare nec est constantiæ præuaricatio, sed temeritatis emendatio. Sic Petrus discessit à sua prima sententia, qua dicebat, non lauabis mihi pedes. Ioan. 13. Filius qui noluerat obedire patri iubenti, vt iret in vineam, iuit tamen. Matth. 21. &c. Primum enim est optima statuere, quod si aliter cesserit, sequens est in melius mutare, ordinationibusque nostris iam iacentibus, dexteram manum porrigere. Hæc immutatio non est iudicanda mendacium, sed inconsultæ definitionis prudens correctio. Natura ipsa in nobis, opera sua, de consilio diuinæ maiestatis immutat. Nam de infantia in pueritiam, de pueritia in iuuentam, de iuuenta ad vlteriora transferimur; non soluitur Euangelica lex, sed cumulatur per ampliorem perfectionem, vnde dicit Christus, non veni legem soluere, sed adimplere. 4. Reg. 20. Deus minatur proximam mortem Ezechiæ, at postea conuerso adiicit vitæ annos, ita potius vult cassare sermonem & decretum suum primum, quã inexorabilis inueniri; sic reuocat sententiam contra Niniuitas, quia fuerant ad pœnitentiam conuersi. Secundum quod dicitur Ezech. 33. Hierem. 18. & 26. Hæc autem dicenda sunt, non de principalibus mandatis, sine quibus non potest salus nostra subsistere, sed de his quæ sine periculo status nostri possunt relaxari. Eccles. 3. dicitur, Tempus plantandi, tempus euellendi, &c. Tempus est omni rei, & omni facto, nihil ergo ex his bonum est perpetuum, nec tale, nisi cum opportunè & competenter expletur. *Vide Duratio Bonitatis.* Occasio.

Tyrannicum fuit in C. Caligula, quod testamenta fecerit irrita eorum qui dixissent se herede Cesare mori destinasse. Suet. in Caligula.

Non valent testamenta ante dum mortes per decennium conscripta cũ facilè potuerit eorum vetustas innouari, & re vera nefas est, vt antiquæ deliberationis ordinatio, voluntas postrema dicatur. lib 6. Cod. Theod. de testament.

Quidam ferunt pro insigni vndam; ad typum vndæ fluentis.

Princeps contractui celebrato in magnum dãnum sui principatus, non tenetur stare l. 1. ff. de offic. Procurat. Cæsar. ob nimiam enim læsionem conceduntur priuatis in integrum restitutiones.

Sponsus non tenetur adimplere promissionem futuri Matrimonii, quando præuidet fore, vt Matrimonium sortiatur prauum exitum; vt cum ea quæ sit malæ famæ; & si inde oriatur graue parentum odium. Bonacina de sponsalibus.

Sponsalia dirimuntur per ingressum Religionis, quia censetur promissio facta cum hac tacita conditione, nisi melior status eligatur. Ibid. puncto 5. etiamsi sponsalia contraxerit cum iuramento, quia accessorium sequitur naturam principalis, scilicet hic irritorum sponsaliorum. Idem est dicendum de voto simplici castitatis, & ordine sacerdotali suscipiendo. Denique dissoluuntur sponsalia propter ætatem non conuenientem, lapsum termini, discessum in longinquum, dolum, metum, fornicationem, mutuum consensum. Ibid.

Matth. 13. Negotiator, inuenta vna pretiosa margarita, vendit omnia quæ habet, & emit eam.

Matrimonium ratum & non consummatum dirimitur per sequentem professionem, in religione approbata; quia est de meliori bono Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 4. sic vterque coniux post consummatum Matrimonium potest ex mutuo consensu transire in religionem.

Qui proposuit non vti dispensatione, si renuntiatio non fuerit a superiore acceptata, poterit mutata voluntate vti dispensatione. Idem de dispensationib. q. 3. §. 2. pr. 3.

Pomponius Mela refert ex Herodoto, ex quo Ægyptii sunt, quater cursus suos vertisse sydera; ac solem bis iam occidisse, vnde nunc oritur. *Fracastor* lib. de homocentricis. cap. 11.

Ceruus castratus habens cornua, nunquam ea dimittit, at integri quotannis illa mutant.

Cœptis, quæ quidem iusta sunt, decet regem inuictum adhibere animum ac fortunam ferendo vincere: at vbi conatus iniquus est, præstat vinci, quam vincere. Æneas Syluius coment. l. 1. c. 9.

Contrahens cognito errore vel dolo non tenetur adimplere contractum, quia iura fauent deceptis, non decipientibus. l. 2. ff. ad Velleianum.

Mare fluxu suo & refluxu irrequieto motu appetit semper quæ relinquat, rursumque relinquit quæ appetat. Rodig. lib. 26. c. 17.

Cœlum inferiorum causa est inuariabilis in substantia; variabilis in motu. *Vide Maioritas Cognitionis.* Pro Astrologis.

Rebus mutatis, mutatur voluntas beneficia continuandi. *Vide Finis Bonitatis.*

Deus potest facere alia quam quæ facit, non enim agit necessitate naturæ vt ea quæ ab alio diriguntur, sicut opus naturæ quod est opus intelligentiæ, & sicut sagitta quæ non à se, sed à sagittante dirigitur; non enim quod sibi finem præstiterit ipse talem quod ipsum non possit immutare. Finis enim naturalis diuinę bonitatis est eius bonitas quam non velle non potest; sed fini huic non commensurantur creaturæ, ita quod siue his diuina bonitas manifestari non possit, quod Deus intendit ex creaturis. Sicut enim manifestatur diuina bonitas per has res quæ nunc sunt, & per hunc rerum ordinem, ita potest manifestari per alias creaturas, & alio modo ordinatas per infinitam suam sapientiam, voluntatem, potentiam. D. Thom. in quæstion. disputatis q. 1 a. 6. Etiam artifex potest habere ideam eorum quæ non est operaturus, & operibus opera noua superaddere: vnde dicit Christus Mat. 26. An nõ possum rogare patrem; poterat ergo Christus aliquid quod non faciebat: & Ephes. 3. dicitur, Ei qui potest omnia facere superabundanter, quam intelligimus aut

detimus; hæc tamen omnia non facit. Ibid.

Scenici exigebant à Scenicis mulieribus quas corruperant, vel fideiussores, vel iuramentũ quod ab hac turpi conditione non discederent, vtrumque irritum esse & iuramentum & fideiussionem declarat Imp. Iustinian. Nouella 15.

Principum erat olim gratiam facere iurisiurandi. l. vlt. in princ. ff. ad municip. Sueton in Tiberio, equiti Romano iurisiurandi gratiam facit, vxorem in stupro generi deprehensam dimitteret, quam se nunquam repudiaturum ante iurauerat. Cuiac. in Nouell. 51. *Vide Duratio Voluntatis. Rep.*

Deus aliquando promittit aliqua siue bona siue mala, qua promissione debet intelligi conditionaliter, scilicet si fuerit idem rerum status, qui si non fuerit, promissio etiam mutatur. Sic dicitur Iere 18. Repentè loquar aduersus gentem. Tostat. Gen. fo. 366; c. 2. e. & Iosue to. 1. fo. 9.

Lac nutricis imprægnatæ cadauerescit. Natura relicto antiquo fœtu, nouiter concepto prouidet.

Stesicorus Poeta cæcitate dicitur punitus, quod contra mores Helenæ & Paradis scripsisset, pœnituit, & contraria scribenti liber vt antea oculorum visus ei restituitur. Leo Hebræ. dial 3. de amore.

Vltimæ voluntates, priores reuocant, quod etiam obtinet in constitutionibus Principum, reuocantur enim antiquę per nouas, etiam sine speciali reuocatione, vel si in prioribus adiectum fuisset, ne ipsi per posteriores derogaretur; vt enim priuatus, & Princeps multo minus potest sibi legem dicere, vt à priori non possit recedere. Cuiac. Obseruat. lib. 14. cap. 7.

Pertinacia in regente maxime noxia. *Vide Duratio Voluntatis. Mala.* Pertinacia.

INCONSTANTIA voluntatis. Mala.

VErtigo est motus violentus, compositus ex tractu & expulsione. *Vide Differentia Contrarietatis.*

Propter siccitatem ignis, quidam dixerunt ipsum non esse continuum, sed ex atomis, trigonis, & rotundis; quoniam non dixerunt esse continuum, nisi quod est humidum, cum humidum faciat partes fluere ad inuicem; & ita sit causa continuationis, ignis autem cum non habeat humidum non est continuus. Albert. Mag. tract. 2. de proprietatib. elementorum. cap. 11.

Peripatici probant cœlum non moueri ab anima intelligente & eligente, quia hæc non semper eodem modo se haberet; at motus ille vniformis debet esse ab intelligentia, quæ semper & vbique vno modo se habet. Id. lib. de processu vniuers. cap. 7.

Quantumcumque suauis & quietus sit ipse aër, tamen à currentib. ventus fieri existimatur. Mentis inconstantia, facit in statu mutionem.

Protheus formam, imperitus verò animum vbique mutat & variat.

In Sacramentorũ administratione sufficit virtualis intentio, quia actualis non est homini semper possibilis propter inconstantiam & volubilitatem mentis. D. Thom. 3. q. 64. a 9.

Protheus varias induens formas, significat aërem omnia peruadentem & qui nunc mutatur in meteora ignita, nunc in humida, glacies, grandines, ita spiritus in corporibus nostris nunc inardescit, & diffunditur calore, concrescit & stupet frigore. Naturam suam mutat pro ratione venti, qui ex aliquo mundi angulo spirat, spirante borea habet dispositionem frigidam & siccam, Flante Austro habet naturam madidam cum calore; flante Subsolano, Euro, vel Cæcia, fit æstuosus, & siccus flante Fauonio Coro, Africo, fit frigidus & humidus. Ita Mercurius cœlestis mutat qualitatem & naturam suam, secundum dispositionem planetarum, quibus corpore aut aspectu coniungitur. sic voluntas.

Sicut materia prima nunquam quietatur sub vna forma, quia data vna, est in potentia ad aliam; sic voluntas nunquam quietatur per amorem, in creaturas, quæ finitæ sunt, sed tantum in Deum. Sicut materia quiescit in forma cœli, quæ est forma formarum materialium & materia metallaris in auro, quia complicat omnem formã metallarem. sic Deus est complicatio omnis virtutis amoris. Card. Cusa. Excita, lib. 5. c. 11.

Vide Mineritas Durationis, de rerum inconstantia.

Pluit super peccatores laqueos, ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Ps. 10.

Homo naturaliter est mobilis, & quæ illum circonstant remedia, non sanant pertinaces morbos, sed quæ magis ab eo distant. sic sola ex mineralibus elicita remedia sanant, epilepsiam, lepram, podagram quartanam, hydropisim, non quæ ducuntur ex plantis & animalibus, stellæ fixæ potentiores, quam planetæ.

Meretrices quos habent amatores eiiciunt, vt alios admittant.

Vide Duratio Voluntatis. Continuatio eiusdem voluntati;

Dum cor nostrum siue spiritus noster per desideria seuere cœperit, quasi in tot diuisum est, quot sunt ea quę concupiscit; hinc nascitur motus sine stabilitate, labor sine requie, cursus sine peruentione itaut semper sit inquietus spiritus noster, donec illic inhærere cœperit, vbi desiderio suo nihil deesse gaudeat, & ea quæ diligit semper mansura confidat & credat. Hugo. lib. 1. de arca moral. in prologo cir. Fin.

Mutabilis ac pœnitens vir, si ex deteriori consilium mutet in melius, iam ante sibi consuluerat prauè, si verò ex optimo vertat in peius, proculdubio commutauit. Maximus Tyrius serm. 30.

Planetæ meridionales leuitatem significant. Cardan. aphor. sect. 2. apho. 90. In nodis ambiguitatem & ancipites. Ib.

Vide Differentia Cognit. Iudicii mutatio mala.

Inconstantiam humanæ voluntatis agnoscebant discipuli, qui dicente Christo, Vnus ex vobis me tradet, cœperunt singuli de se dicere; Nunquid ego sum Domine? Math. 26.

Peruersum est cor hominis, facilè corrumpitur, laboriosè corrigitur, leniter seducitur, stabilitur nunquam. Quid humano corde fugacius? quid mobilius? quid ad edomandũ difficilius? Cũ tenenet, labitur, cũ restringitur aufugit. In breuissimo tempore multa terrarum lustrat spatia, bella mouet, homicidia perpetrat, cumulat pecunias, destruit, ædificat, plantat, &c. omni frænandum est industria, timore, compũctione, confessione. Laur. Iustinian. lib. de connubio Verbi & animæ cap. 3.

Pœnitere est quodammodo retrocedere, ita planetæ retrogradi pœnitentia ductos significant.

Digitized by Google

CONCORDANTIA VOLVNTATIS.

MVTVVS IN NVPTIIS CONSENSVS.

CAP. 1. de sponsat. impuber; dicitur quidem filium debere adimplere matrimonium, quod pro se nondum adulto pater promisit, sed id intelligendum de debito honestatis, non de necessitate & debito præcepti. Imo admonendi sunt parentes, ne ad id cogant liberos, cum in materia matrimonii sint sui iuris. Bonacina de sponsalib. pu. 4.

Non valet pœna apposita discedenti à sponsalitiis, quia id esset contra libertatem matrimonii inducens scilicet metum. Ibid.

Vide Voluntas Concordantia. Appetus coniugii.

Viennæ in Austria puellæ patribus inscijs viros sibi deligunt. Æneas Syluius. ep. 165.

Semper libera fuerunt matrimonia, necvnquam pater potuit inuitam filiam matrimonio copulare. B licet votū quod virgo fecerat de virginitate irritum esset, patre contradicente; poterat tamen illud seruare, quia non poterat inuita in matrimonium collocari. Tostat. num. 10. 2. fo. 114.

PARENTVM CONsensus in librorum nuptiis.

APud Scythas, seu Parthas, si cui filius pubes moritur, & alteri filia nubilis, vtriusque parentes defunctorum nuptias celebrant, pictos seruos, equos, nummos in cartha comburunt, quasi transmigrassent ad liberos sua voluntate nuptos, &, exinde affinitatem inter se contra-A hunt, quasi verè celebratæ fuissent liberorum nuptiæ. Dauity.

In Pannonia seu Hongria, solent parentes celebrare nuptias liberorum adhuc in cunis existentium, vt stabiliant pacem inter familias; & tales nuptias liberi, maiores effecti, nunquam detrectant. Id. In Boemia qui nubunt contra voluntatem parentum spoliantur bonis omnibus fisco addictis, & fiunt infames. Id.

Excommunicatur qui inuitis parentibus, per imperium potestatis, filiam eorum sibi iungit matrimonio Conc. Aurelia. IV. can. 22.

Nec liberis contra voluntatem parentum, nec seruis contra voluntatem dominorum, spe coniugii liceat ad Ecclesias confugere, sed parentibus & dominis reddantur accepta fide excusati, sub separationis promissione. eod. can 24.

Nicolaus Papa intercedit apud Carolum Caluum Regem pro Balduino qui filiam eius rapuerat, & in vxorem acceperat. Ne Balduinus desperatione ad Nortmannos inimicos Ecclesiæ confugeret. Concil. Galliæ. a. 862.

Apud Samnites pulchriores virgines, præstantioribus iuuenibus dabantur in matrimonium, non parentum, sed publico magistratuum iudicio vnicuique pro meritis.

Si nuptias contrahentes parentes habeant, eorum consensum olim ex necessitate, can. non omnis 32. q. 2. can. aliter 30. q. 5. hodie ex Concilio Tridentino, ex honestate tantum debent adhibere.

De parentum consensu in liberorum nuptiis. Vide quæ scripsi. lib. de agente Dei in humanis parte 3. cap. 9.

CONTRARIETAS VOLVNTATIS.

QVÆ VOLVNTATI ET LIBERTATI *contrariantur.*

IGNIS, aqua superinfusa stridorem emittit. A

Quod mouetur naturaliter ad aliquid sicut ad finem sui motus non remouetur ab eo, nisi per violentiam. Sicut cum graue proiicitur sursum.

Vis infertur particularium voluntati & libertati propter bonum publicum. *Vide Gloria Concordantia.* Publica priuatis præferenda.

Rectè quis rem aliquam aufert ad faciendam iustam compensationem, si vel extremam patiatur necessitatem: libros hæreticos licet auferre ab eo, qui non habet facultatem legendi, ne illos legat; licet gladium ab eo auferre qui armatus homicidium committeret; sic vxor aufert pecuniam B marito ne ludat. In talibus non committitur furtum, quia Dominus non censetur rationabiliter inuitus. Bonacina de restitutione furtiua.

Vide Contrarietas Virtutis. Infirmitas naturæ vbi de ara hæretic.

Pater filii, Maritus vxoris votum irritum efficit. Leuit.

Clausit Dominus ostium arcę à foris, ne liceret egredi. Gen. 6.

De votis quæ firmant voluntatem in bono, *Vide Duratio Voluntatis.*

NECESSITAS. C

VIde Minoritas Medij. Mala, fames, de famis necessitate.

Magnam partem mortalium fortuna dimisit à legibus, nec vlla iura tam tristia sunt, vt ea in aduersis patiantur homines Quintil. declam. 16.

In articulo mortis sacerdos etiam non approbatus, potest audire confessiones, ita necessitas cogit vti debili medio. *Vide Minoritas Medij.* Interdum & vitioso. *Vide Virtus Medij Repugn.* Quando licet vti malo medio.

In necessitate conseruandæ speciei, qui vouit castitatem, tenetur matrimonium contrahere. *Vide Bonitas Principij.* Bona fœcunditas.

Non est separandus ab vxore, qui filium suum vrgente necessitate baptizauit. Nam inculpabile est D iudicandum quod necessitas intulit. 30. q. 1. ad limina.

Exercitum angustis conuallibus & aditu difficilibus circumuentum, turpem pactionem facere cogimus.

Iudæus cogente extrema necessitate venditis omnibus suis bonis se poterat vendere, & septimo anno redibat in libertatem. Leuit. 25. 39. sic apud Romanos homo liber se poterat vendere. l. 17. §. 11. ff. de ędilit. edicto.

Hannibal in ipso Italiæ corde constitutus & vndique ab hostibus obsessus, sic milites suos est alloquutus: Nihil nobis relictum est, nisi quod armis vindicauerimus, illis timidis & ignauis licet esse qui receptum habent, quos suus ager, sua terra per tuta, pacata itinera fugientes excipiant; vobis necesse est fortes esse, & in prælio potius quam in fuga mortem oppetere. Et Cato maior, vt suos ad egregiè dimicandum contra Hispanos animaret, longe à mari & à classe illos deduxit, & in hostium medio se constituit. Heluetii contra Romanos Galliam occupantes certaturi, vrbes suas incenderunt vt non esset refugio locus: necessitatem victoriæ quidam sibi fecerunt adiecto iuramento. Quod debet esse voluntarium & hæc desperatio terrorem hostibus incutit. *Vide Maioritas Contrarietatis* quæ in desperationem adducit.

Extrema necessitas cogit pauperes ad scelera & mendacia. *Vide Minoritas Veritatis.* Dolus bonus.

D. Chrysost. Homil. 2. in epist. ad Ephes. probat nos habere semina virtutum, & nullam esse necessitatem quæ cogat ad vitia, non libido cogit ad adulterium, potest enim sedari in matrimonio, non enim Deus sic fabricauit naturam vt necesse habeat peccare, alioqui si ita esset, non esset pœna; de his enim quæ fiunt necessitate, non exigimus pœnam, multo minus Deus summe bonus & clemens. Paupertas affert necessitatem operandi non furandi; furtum ipsum plus habet difficultatis, anxietatis metus, quam labor & artium operatio; fidem hominum meremur non iuramento, sed moribus, &c.

In mari ventis aliquando obsequendum, quos præter artem patitur, qui clauum tenet. Necessitas non minus Regum quam cæterorum lex, prout se obtulerit, ab omnibus excipienda est: ad quid enim inutilis indecensque reluctatio; quà trahimur eundum.

Non valet serui manumissio facta acclamante populo, cui tunc resisti non poterat. l. si priuatus ff. qui & à quib. man. lib. non fiant. & Cuiac. Obseruat. lib. 2. cap. 32.

Ignaui milites, aliis mixti sunt in nauibus collocādi, aut in vrbium prędiis, vnde non sit refugiēdi locus, & vt extrema necessitas in virtutē vertatur.

Necessitas cogit eligere minus nobilia, & præferre melioribus, *Vide Maioritas Voluntatis.* Dat intellectum. *Vide Principium Cognitionis.*

An necessitas faciat inuoluntarium. *Vide Vogitas Voluntatis, Medium Voluntatis Media, & Vig*

Digitized by

Virtutis. An sit vera virtus cum vrget necessitas.

Necessitas eximit à lege, sic in deserto per 40. annos filiis Israel non sunt circumcisi, propter periculum vitæ in via. Tostat. Deut. fol. 60. & Iosue to. 1. fo. 62. e.

In eleemosynarum datione, necessarium præponderat honesto & debito Idem Math. tom. 3. fol. 41.

Quod de se licitum non est, necessitas licitum facit. cap. quod licitum. Extra. de reg. iur.

In extrema necessitate dati sunt panes propositionis Dauidi, cum regulariter non liceret eos manducare nisi solis sacerdotibus. Tostat. Math. tom. 4. fol. 5.

Prohibitum erat sum. sacerdoti exire extra sanctuarium cum vestibus sacerdotalibus; tamen cum illis processit obuiam Alexandro magno qui venerat ad destructionem Ierusalem. Id. Num. to. 2. fol. 11.

Etiam inter bruta, rara sunt quæ comedant carnes suæ speciei, nisi ea quæ sunt valde immunda & voracia, & tamen necessitas extrema tollit omnem horrorem, & facit sapidum quod erat insipidum, facit licitum quod erat impium. Sic 4. Reg. 6. in Samaria matres comederunt filios suos, quamquam malum id perpetrare non debuissent, sed in necessitate reos criminum potuissent occidere. Id. 4. Reg. fo. 69. & 70.

Prius necessariis prouidetur. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege 2. §. 5. De variis naturæ & vitæ ciuilis necessitatibus quæ possunt in virtutem conuerti. toto. libello quem scripsi de necessitate.

In necessitate publica coguntur priuati res suas vendere & conferre. Vide Cuiac. Obseru. lib. 25. cap. 9.

Propter necessitatem famis licet communicare cum excommunicato, procurando subsidium. ca. quoniam multos. 11. q. 3. cap. inter de sent. excommu.

Duplex est necessitas, vna absoluta, secundum quam dicitur res aliqua per se & propter se simpliciter necessaria, qualis est Deus, alia est necessitas respectiua in ordine ad aliquem finem vel effectum, quæ duplex est, nam quædam est necessitas simpliciter, alia ad melius esse, quæ propriùs est vtilitas. Suarez de legib. lib. 1. cap. 3.

In necessitate publica cessant priuilegia, & Ecclesia de suo confert. *Vide Potestas Virtutis.* Ecclesiæ diuitiæ.

Vrgente necessitate vtimur rebus aliter improbatis. *Vide Minoritas Medii.* Vti debili medio.

Vrgente summa necessitate fit alienatio bonorum Ecclesiæ consensu, non petito. c. aurum & c. gloria 12. q. 2.

Difficile omnium est tenere medium, geometricum non æqualitatis, ob id necessitas aliquando vtilis est, quæ vel monstrat quod vtile est, vel excusat si erres. Cardan de arcanis prudent. cap. 117.

ZELOTYPIA.

Ea voluptas quæ à petulentia oritur communicare inuicem non potest, amor autem qui aspectu finitur, solus communicabilis est, seque ad vniuersam quæ amari possit, naturam extendit, quid ipso pulchrius sole, quidne quod amatoribus multis æque par esse possit, at hunc vniuersi simul oculi diligunt qui viderit statuam ac eius pulchritudinem laudauerit, is nequaquam laqueum petit. Maxim. Tyrius serm. 10.

Amor cum habet competitorem in immensum efferatur, ruit ad omnia, & si forte tepescat ignis ille, ex medullis rediuiuus renascitur. quod vinculum amoris esse debuit, seditionis atque odii causa est, idem velle. Tostat. 2. Reg. fo. 83.

Vide Bonitas Potestatis. Libertatis. Nitimur in vetitum.

Berecinthia mater Deorum adamauit Atym iuuenem pulcherrimum, & eum castrauit ne aliis mulieribus se misceret. Vnde in eius festo sui sacerdotes per vrbem discurrebant sanguine perfusi, & vnus eorum ex præcipuis castrabatur. Hęc irridet August. de ciuit. lib. 2. & 7. & Tostat. Deut. fo. 79.

Non offerebatur thus nisi in sacrificiis quæ fiebant ex deuotione, at sacrificium zelotypiæ non fiebat ex deuotione, sed ex mentis turbatione mariti suspicantis de vxore, propterea non offerebatur in eo thus. Leuit. 2. Ib. Tostat.

Amor consortem non patitur. Vide quę scripsi de iure naturalib. lib. 1. lege 15. §. 5.

Plenus est zelo furor viri, non parcet in die vindictæ. Prouerb. 6.

Dura sicut infernus æmulatio. Cant. 8. ab ea passione fuit immunis Ioseph, qui virginem grauidam voluit occultè dimittere, nolens nec vitæ nec famæ nocere, cum tamen retinere putaret sibi illicitum, &c. D. Chrysost. Homil. 4. in Math.

Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt.

Antiquus mos erat vt sponsus sponsam in domum suam duceret l. quæsitum ff. de sponsalib. & Cuiac. Obser. lib. 11. cap. 15. Amoris sui securitati consulebat. At Conc. Trident. de reforma sess. 24. c. 1. sancta Synodus hortatur vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent. Hoc decreto consulitur castitati, ne præcoces fructus amor colligat.

Appetunt animalia vitam diuturnam in qua consistit vsus omnium operationum & voluptatum; Cum verò semper viuere nulli mortalium concessum sit, naturæ alium rursus appetitum speciei conseruandæ causa indidit, animalibus, & magis suimet, quam alterius, ob id tempore coitus pugnant suam stirpem conseruaturi, tanquam brauio quodam æternitatis proposito; ferocioresque euadunt in ea pugna, quam si cum animali diuersi generis decertarent; nam tunc est tantum contentio pro vita quæ finem habitura est; at in alia pro spe æternitatis sed his modum naturæ posuit natura; cum enim cessat suspicio zelotypiæ cessat contentio, quæ inter animalia diuersi generis non cessat. Cardan. de rer. varietate. cap. 17.

Nec regna ferre socium nec tædæ sciunt. Senec. Trag in Agamen.

Mars dicitur tanquam mas, quia marium est pugnare. Isidor. Orig. lib. 8. c. 10.

Frustra se torquet zelotypus in vxoris custodia. *Vide Gloria Concordantię Rep.* Onera matrimonii. Et *Maioritas Voluntatis.* Nimius amor coniugum.

Digitized by Google

ZELOTYPIÆ MALA & remedia.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Bonum & pulchrum parit amorem, origini suæ parem, decoris, honesti, suauitatis fortiter studiosum, quandiu data seruatur, & seruari creditur vtrinque fides: Amor enim tendit in vnitatem, indiuisam in se, diuisam à quouis alio, & integros affectus, qui dedit, exigit. Si quæ contraria suboriatur suspicio, ægris primum & occultis cogitationibus torquetur misera mens, tandem furit, & in horrenda diu meditata præceps agitur.

MAGNITVDO. Athletarum exquisitus habitus, externis fortior, non nisi maximis internisque tentatur morbis, inquit Hipocrates. Hæc est rerum maximarum sors, vt mole sua corruant, & ex se nascentibus malis exagitatæ, tandem conficiantur. *Vide Principium Minoritatis.* Malum à seipso. Frustra preces, imperium, vim, minas, tormenta, fortunæ casus omnes aduersos explicabis, vt amorem extinguas, nititur in vetitum, & flammarum instar, circa quæ tentant opprimere, circumfunditur. Suæ tantum passionis excessu torquetur amans, cum se credit non tantum amari quantum amat, & in sibi debitas iuratasque cordis sedes clam immeritum admitti. Quo sublimius dilectæ personæ meritum, inde miseri sæuior nascitur indignatio, vnde sua constare debebat fœlicitas.

DVRATIO. Vbi semel mentem insedit de violata fide credulitas, indignam amore suo censet personam infidam. Nec tamen potest non amare, & hunc amorem inuictum, licet delusum & frustratum, quo plus cogitat, plus ingemiscit, insanabili vulnere quod dies noctesque perpetuis irritat punctionibus.

POTESTAS. Vellet amari, vel saltem ab amore sic ipsum depascente liberum fieri, neutrum potest, aliena propriaque passione pœnæ seruus effectus, vt nihil quod optet liceat, rotæ qua torquetur alligatus propriis, quod miserum est, vinculis, quæ fugit & nectit, detestatur & amat, concurrentibus contrariis passionibus ad continua suæ calamitatis incrementa.

COGNITIO. Prodest amori quod intimi cordis affectus lateant, sic enim saluus est pudor, & secretis non obstant quæ se proferentibus aduersarentur. Illi tamen nocent illæ tenebræ, quod amans suæ conscius fidelitatis, alienam non videt, suæ nimius æstimator, alienam non putat parem & vt huic faueat opinioni, singularis, dicti, facti, gestus, diligens explorator; rigidus iudex, suis & alienis pretio conductis oculis in suam laborat calamitatem. Id est latens in corde virus, quo quidquid sensus denuntiant, etiam innocentia sanctaque, vertit in venenum.

VOLVNTAS. Læsus amor in vltionem armat omnes quibus dominatur passiones, occultè primum sæuiunt, & in solius amantis perniciem, continet enim illas pudor, postponi, non amari, decipi. potissimum in coniugiis celatur materis turpido, prolem, & familiam quadam notans infamia. Æstuat ardentior in se reflexus ignis

A donec confractis obicibus, magna stupendaque clade, liber erumpat.

VIRTVS. Si Philosophia passioni modum velit dicere, si referat non seruiendum opinioni, quæ gloriam & fœlicitatem hominis pendentem efficit à mulieris infirmitate, noxam caput sequi, in hoc malo nihil magis timendum, quam videris vt enim occultus ignis crescit in incendium si differtur, vt cancer exulceratus fit incurabilis, sic actio publicaque conquestio zelotypi, morbo grauius est remedium, nam accendit iras famæ pretio se vindicantes. At contra leges docent maritum lenocinii reū fieri si crimen vxoris conniuentibus videat oculis, & patiatur inultum, & dicit Tertullianus diabolum suos docuisse patientiam, B in vxorum venali prostitutione. *Vide Minoritas Gloriæ* De adulterio vitando. Igitur ratio pietasque zelotypiæ suffragatur, & quid mirum si sub tali patrocinio sæuiat.

VERITAS. Armantur illę leges in verè commissum crimen adulterii; at zelotypia falsis sæpè laborat imaginibus, quas aut sibi fingit, aut accipit à venali sic præuaricante suorum exploratorum fide; & quæ perniciem hanc vitare potest integritas, cum cæteris honestè viuentibus fœminis concessa libertas, trahitur in crimen, aut affectata solitudo, in amoris occultè se satiantis aut vindicantis suspicionem. Ideo. l. 22. ff. ad l. Iul. de adult. patri non marito datur ius occidendi adulterum cum adultera, quia mariti facilè decernentis impetus fuit coërcendus. & apud Iudæos C diuortia fuere permissa nullis etiam expressis causis, quia falsæ sufficiunt vt voluntates à se mutuo dissentiant.

GLORIA. Zelotypos vt damnatos æternus vermis conscientiæ corrodit, horret mens, ipsa quæ sibi proponit in vindictam committenda scelera, seu suspecto crimini causam dederit, seu non, si dederit, sibimetipsi fit implicabiliter iratus, si non dederit augetur indignatio fidum suum amorem iniuriis compēsari. Ne tam infœlices nuptias, oppositione Veneris à Saturno læsæ in septima adscribant Astrologi, non humanum, non cœleste, sed dæmonum opus est, quod zelotypum exagitat.

D DIFFERENTIA. Si quærantur remedia, primum sit, vt priusquam exasperata passio foras erumpat, ad nascentis indicium sapiens coniux elidat serpentem in ouo, ex alterius votis suspectas studiosè vitet personas, & ægrum quem videt amorem, cura diligentiore foueat,

CONCORDANTIA. Amore casto prudentique mulier præueniat omnia consortis sui desideria; amet quod amat, vitet quod vitari vult, assideat solitario, extra prodeuntem comitetur, nec credat etiam vrbaniter ad alia prouocanti.

CONTRARIETAS His artibus sanatur æger animus, breui subiectione, comparatur duratura toto vitæ tempore pax, tranquillitas familiæ, tan- E dem fidus amor, inter ciuiles motus, & onera matrimonii solatium.

PRINCIPIVM. Hic potissimum principiis obstat Deo sacrificium obedientiæ donariis omnibus pretiosius litat, qui pro salute coniugis, pro pace familiæ, ad fœliciorem prolis educationem, suæ voluntati vim facit, vt ne in minimis quidem à consorte suo dissentiat

MEDIVM. Infinitum est censere media quibus conciliari potest amor; industrius est, vt de minimis operetur maxima; operibus, sermone, nutu,

Digitized by Google

nutu, gestu, consortis voluntati consona totius vitæ dispositione, ferreum etiam pectus emolliet.

Finis. Amat quisquis zelo tangitur, amantem igitur facilè seruabis his officiis quibus posses non amantem & auersum conciliare; vnum intendit te solum, sine socio, sine procis possidere; possideat, & in obtento fine vterque lætus conquiescet.

Maioritas. Cauendum ab affectatione que suspicionem inducit, sit idem simplexq; vitæ tenor in agendis, dicendisque, sit familiaris libertas quæ probet se nihil vereri, nihil timere, nihil de laborantis suspicione suspicari. Quærit sincerum amorem, & iudicio suo talis non esset, si vim aliquam externam pateretur.

Æqualitas. Breui tempore seruitutem exhibes, absolutum inde quæsiturus imperium, nam si coniux, coniugem tui feceris amantem, seruum habebis, tuis in posterum votis obsequentissimum.

Minoritas. Sic in humanis, obtinetur labore quies, humilitate gloria, seruitute libertas & imperium. *Vide Gloria Minoritatis.*

AMORIS REMEDIA.

IVpiter in domibus Saturni, maximè in Capricorno, facit rigidos, & omnibus odiosos. Hermes in centiloquio n. 63. Apud Quintilian. declam. 14. mulier amatori suo pauperi dedit odii potionem. Bibisti, inquit potionem, quæ finem cupiditatibus daret, præmeret ardorem, desideria restingueret. decl. 15. O si quis odium posset omnium bibere vitiorum. Datum est remedium dolori, qui sępe egit in laqueos, in præcipitia compulit, qui cruciatus laborantis animæ, vulneribus emisit.

Æneas Syluius, epist. 106. de luxuriæ malis sic disserit; Non tantum æger, sed captiuus, insanus & amens est omnis qui amat, mors est, qua non amplius in te, sed in muliere viuis; quid peius quam viuentem non viuere, sentientem non sentire; oculis præditum non videre; morbus grauis, magnam exigit de sanitate curam; maximè cum omnes qui curam hanc agere possent, negligat, & contemptu offendat; primum remedium est, cogitare quod cum Deum diligere debeas ex toto corde, creaturam tamen sic diligis lapsus in idololatriam; mulierculam habens pro Deo; cui tot titulis creationis, redemptionis, conseruationis perpetuæ es obnoxius. Pulchra est, sed diu non erit, res est forma fugax, tamen bona tua perpetua & immutabilia, pro caducis permutas. Rosa mane rubet, sero languescit; indignum est solam amare, quæ plures amat, ita nec amat, proiecta non tradita. Quid est mulier, nisi iuuentutis expilatrix, virorum rapina; senum mors, patrimonii deuoratrix, honoris pernicies, pabulum diaboli, ianua mortis, inferni supplementum. Cogita quot mala per mulierem obuenerint, cum Salomon, Holophernes, Samson per mulierem decepti sint, non te credas sic fortem vt non possis illudi; fœtidam voluptatem comitatur pœnitentia, quàm iniquus est homo, qui toties admonitus non quiescit; actus ille & corpus & animam interimit, quasi duo vasa terrea, collisa inter se confringuntur. Cito hæc marcescet pulchritudo, fœtebit os, &c.

A melius est rem contemnere, quam perdere, prius fuge, quam prioeris. Resume quæ simul sunt in amore gaudia, & tædia, dices parum mellis, in multo felle mersum. Igitur sic persuasus amorem malum esse, declina amicæ sermonem, ocium fuge, in negotio semper sis, sequere viros bonos qui te instituant, nulli ludo, nulli conuiuio intersis, si quid largita sit amica abs te abiice: cogita breuem hanc vitam, incertam, sed certam pro meritis pœnam aut gloriam, irrisui est quicumque amat, velut ebrius; cogita instabilem mulieris animum, temporis pretiosi non reparabilem iacturam; dissipationem bonorum, sed maximè quietis & conscientiæ.

Gelosia lapis est habens figuram grandinis & colorem, duritiæ adamantis similis, & tantæ
B fertur hunc esse frigiditatis, vt ab igne vix vel nunquam calefieri possit. Cuius causa est nimia pororum constrictio non permittens ignem ingredi; aiunt etiam hinc iram, luxuriam & similes passiones mitigare. Albert. Magn. de lapidibus littera G.

Iaspis lapis est multorum colorum dicitur gestantem à luxuria prohibere. Ib. littera I. plurium couersatio sanat vnius amorem, vnde sibi consulens amor quęrit solitudinem.

Crates Philosophus dicere solebat; amorem sedat fames, sin minus tempus, fine id quidem, laqueus. Suidas in voce Crates.

De amoris ægra passione. *Vide Potestas Voluntatis, Mala.* Eius remedia sunt, legitima coniunctio, si fieri non possit, in aliam grauiorem curam, magisque anxiam distrahi, quousque in-
C fidens illa mentis cogitatio & feruor intepescat, ingrauescit enim si non prima nouis conturbes vulnera plagis. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 16. cap. 4.

Extinguendi ignem auxilia ab ipsa ignis vita sumuntur, viuit enim alimento & motu. Ergo quatuor modis extinguitur, si motus prohibeatur, & suffocetur, iniecta terra & lapidibus, subtrahitur alimentum; dum domus ardet subtractis trabibus. Corrumpitur alimentum aqua & arena; intercipitur muris lapideis, linteisque aqua imbutis. Cardan. lib. de rer. varietate cap. 49.

Ruta, semen extinguit, vel esu vel potu sumpta. Dioscorid.

Calor natiuus quomodo suffocatur. *Vide Principium Minoritatis.*

Vt mulieris amorem superes, aliis rebus quæ
D animam distrahant fac te addicas, libris nimirum, necessariis curis, patrociniis, opitulationibus eorum quibus iniuria infertur, precibus, rerum futurarum meditationi. His animum abstinge; ad hunc modum, non recens modo vulneris curabis, sed concretum etiam atque inveteratum facilè discuties. Nam si contumelia vt est in prouerbio amanti persuadet, vt amorem abrumpat, potentiores erunt hę spirituales incantationes; ac si sermone, si consuetudine ignem accendis, quid mirum si non extinguitur? Iuuat Dei timor, ge-
E hennæ memoria; regni cœlorum cupiditas; florem pulchritudinis vides, sed cogita citò transiturum. D. Chrysost. hom. 7. in 1. ad Corinth.

Agnus castus herba valet ad seminis humani dessiccationem & cōsumptionem. Tostat. in Deut. fo 121. co. 2. o.

Passiones se mutuo impugnant & amorem sępe sanuit ira, metus, indignatio. Id. Math. co. 4. fo. 78.

Digitized by

Quæ sint amoris optima remedia. Vide quæ scripsi moralis Christiana to. 2. parte 1. cap. 28.

Amor Dei, superat impurum amorem. *Vide Potestas Voluntatis.* Vis amoris diuini.

Matth. 19. Christus dicit, Sinite paruulos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum. Illos proponit, vt ea nos volentes faciamus, quæ insita duce natura faciunt. Ipsi autem venustas formas non admirantur, &c. D. Chrysost. hom. 64. in Matth.

Lex antiqua adulterum & adulteram in diuersas & distantes insulas relegabant. Cuiac. obser. 21. cap. 18.

Philosophi sæculi solent amorem veterem amore nouo, quasi clauum clauo pellere. Quod & AssueroRegi septem principes fecere Persarum vt Vasthi reginæ desiderium, aliarum puellarum amore compescerent, illi vitium vitio, peccatumque peccato medicantur, nos amore virtutum vitia superemus. D. Hieron. epist. ad Rusticum.

CAVSÆ AMORIS.

Voluntas vt quælibet vis appetitiua, est mouens, & motum, scilicet à cognitione. Ratio enim mouet voluntatem per modum causæ finalis, in quantum ostendit sibi bonum quod est finis eius.

Vide *Voluntas Bonitatis*, Et *Voluntas Finis.*

In Arcadia Scotiæ regione lapis est, qui diutius manens super stramenta sponte ignem accendit. Cardan. lib. de rerum varietate. cap. 19. Amor naturaliter animantium pectoribus insitus.

De pulchritudine. Vide *Cognitio Virtutis.* Virtus quæ se profert.

A Beneficentia conciliat amorem. *vid. Potestas Bonitatis.*

De diuersis causis amoris & societatis. *Vide Principium concordan.*

Amoris inter animantia causæ sunt primo copulæ maris & fœminæ voluptas. 2. Parentis in prolem naturaliter insitum speciem propagandi desiderium. 3. Est mutuus amor ob data & accepta beneficia: sic capra amat animal etiam alterius speciei quod lactauit, & amatur ab illo. 4. Animalia eiusdem speciei si non sint rapacia, se agnoscunt, amant, nec in se sæuiunt. 5. Nascitur amor ex consuetudine & conuictu etiam inter animantia diuersæ speciei.

B Eędem illæ causæ vigent apud homines, sed fortius, illas enim auget & accendit ratio in prima, secunda & tertia causa; in quarta & quinta deficiunt homines, nam auaritia, ambitio & cæteræ passiones armant conciues & consanguineos in se mutuo.

Singulares autem amoris causæ inter homines sunt sympathia, de qua proximè hoc titulo; virtus, pulchritudo. Leo Hebræus Dialogo 2. de amore, & Dialogo 3. probat amorem esse productum; est enim actus qui supponit agentem, & amor est boni & pulchri, cuius species exceptę in mente videntis & intelligentis generant amorem.

C Nimia virorum conuersatio castos etiam mulierum mores corrumpit. Vnde olim cum his quæ publicè tabernis vel mercibus exercendis procurant, adulterium fieri non placuit, huic tamen antiquo iuri derogatur l. quæ adulterium. Cod. ad. l. Iul. de adulter.

Vide Differentia Minoritatis. Suspectum contubernium.

PRINCIPIVM VOLVNTATIS.

SYMPATHIA.

ERVNT amici hi in quorum natiuitatibus sunt luminaria permutata. Sol in loco Lunæ, & Luna in loco Solis. Odiosi erũt qui in oppositis horum nascuntur, & in oppositis signis vel quadratis, vel dominis signorum, existentibus in hunc modum, aut luminaribus. Almansor proposit. 21.

E latere Adę dormientis formata est mulier, ne Adam videret operantem Deum; & cessantibus externis sensibus, cum scilicet non vidisset ex se formatam mulierem, intelligeret tamen interno sensu sympathiæ, vnde dixit, Hoc nunc os de ossibus meis. Tostat. Genes. fo. 139.

Venus à Paphiis colitur, cuius signum est alba pyramis ignotæ penitus materiæ. Maximus Tyrius serm. 38. amor ex occultis causis.

In duorum genituris commutatio Lunę facit D amorem ob naturæ conuenientiam. Cardan. Aphoris. sect. 3. Apho. 83.

De sympathia, vide quæ scripsi Theologia naturalis to. 1. parte 1. cap. 26. & de iure naturali l. 2. lege 6. §. 1. & lege 11. in principio.

CHARITAS A DEO.

ÆGyptii dixerunt, ignem alium non esse, nisi ex quo sunt corpora cœlestia. Albertus Magnus tract. 2. de proprietatibus element. c. 10.

Vt Luna mouet aquas, sic quidam Philosophi dixerunt Solem præcipuè mouere ignem, cæteros planetas aërem, vnde varius est, propter diuersitatem mouentium; vnde cum Sol

Digitized by Google

non habeat epicyclum nec patiatur Retrogradationem, motus eius magis est vniformis. Ibidem cap. 12. B

Poma ad Solem conuersa, rubescunt.

Cœlum agit in animam dispositiuè & indirectè, humores & spiritus afficiendo, sicuti aquas & aërem; Angelus & Dæmon persuasiuè, Deus autem solus motiuè, idest physice immutando.

Charitas est infusa aut acquisita. Infusa est illa quæ ab increata charitate diuinis influxibus solum in voluntates Angelicas aut nostras mittitur, & hæc etiam diffusa & effusa in quantum se ad extra diffundit. Perbartus in rosario Theologico, voce charitas: acquisita est quæ ex dilectione Dei frequenti acquiritur ex naturalibus, quam etiam multi gentilium habere potuerunt. Ibidem.

Deus non potest esse forma inhærens vel perficiens alicuius, sed omnis forma rei creatæ est C creata, anima autem humana informatur & perficitur per charitatem tanquam per formam, ergo ipsa non est Deus, sed est infusa ab ipso, sicut Sol non est in aëre & diaphano, sed per radium suum. Licet de potentia absoluta possit Deus seipso mouere animam ad eliciendum actum charitatis, quia omnis perfectio est in Deo, & sic potest per se quidquid potest per multas causas medias.

Nullus calor generat nisi cœlestis, is vero qui oritur aliis ex causis non facit ad generationem, nisi cœlestem, à contrario impediente liberet; quod potissimum est materiæ crassities; ita arbores quasdam igne fouemus hyeme. Cardan. de rer. varietate lib. 2. c. 13.

Antracas gemma Soli exposita flagrat colore carbonibus ardentibus simili; Latini carbunculos appellant. Georgius Agricola lib. 6. de natura fossilium.

Amor Dei, amorem proximi generat, & amorem proximi calefacit amor Dei; tunc enim ad summam perfectionem caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, & quo benignius descendit ad ima, eo perfectius recurrit ad summa. Laurent. Iustin. tract. de caritate cap. 14.

Vide Principium Concordantiæ Deus.

Verus Dei amor est effectus diuinæ gratiæ. Vide quæ scripsi libello de amore Dei nascente cap. 2.

Dicit Dionysius quod vnus est amor increatus qui sua supersubstantiali & vniuersali appetibilitate ingignit amorem creatum omnibus rebus, qui amor creatus est quædam inclinatio & coordinatio amantis ad bonum sine præuia cognitione, vt est inclinatio ad conseruationem sui esse. D. Bonauen. de 7. itineribus æternitatis, vbi de charitate. Vt magnes immotus facit ferrum ad se moueri, sic in suo bono & pulchro quiescens Deus trahit ad se creaturas rationales.

MEDIVM VOLVNTATIS.

QVIBVS MEDIIS EXCITATVR VOLVNTAS & amor.

CALOREM Solis concauo speculo exceptum, possumus in alia corpora diffundere, sic proxenetæ amorem excitant.

In Sacramento Matrimonii recipitur gratia cum speciali auxilio ad fouendum mutuum amorem, & ad seruandam fidem. Bonacina.

Contingit sæpè vt ignis quasi extinctus in domorum incendio in flammam accensus erumpat, ob salsedinem murorum, & halinitrum quod muris vetustis adhæret, & lignorum cariem; flatus etiam à pruna flammam excitat. Cardan. lib. de rer. varietate. cap. 49.

Sacramentalia, vt aqua benedicta, benedictio Pontificalis non causant quidem gratiam; sed excitant rationem ad aliquid considerandum quod excitet charitatis feruorem, & etiam piè creditur quod virtus diuina interius operatur, excitando dilectionis feruorem. D. Thom. in quæstion. disput. de peccato veniali q. 7. a. 12. o.

Ignis fomentis, amor beneficiis alitur. *Vide Potestas Bonitatis.*

Hæc laudabiliter reddunt hominem proximo A amabilem; modestia in sermone, nullum proferre conuitium, vel maledictum, consilium pietate plenum & dulce. Virtus reddit amabilem, est enim insitum bonis, vt vnusquisque virtutes suas in aliis amet; è contrario, oderunt hilarem tristes, tristemque iocosi. 3. Mansuetudo. Eccl. 3. Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris. 4 Obsequia & beneficia. 5. Nulla maior est ad amorem inuitatio, quam præuenire amando. Laurent. Iustinian. de charitate cap. 16.

Solent lasciui & comptuli iuuenes, blandimentis, affabilitate, munusculis aditum sibi per nutrices aut alumnas quærere, & cùm clementer intrauerint, de scintillis incendia concitare, paulatimque proficere ad impudentiam, & nequaquam D posse prohiberi, illo in se versiculo comprobato. Ægre reprehendas quod sinis consuescere. D. Hieron. ad Gaudentium.

Quum propositum actionis humanæ sit hominum mouere affectus vt quæ in eorum sunt potestate, obtineas, atque idcirco omnia humana in hoc præcepto contineri videntur, namque & musici modi, & preces, & oratorum fulmina & af-

fectus id ostendunt, maximam in hac parte diligentiam adhibere conuenit. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 29. de vi motuum in oratore. *Vide Magnitudo Voluntatis.* passionum vtilitas.

Amor excitatur pulchritudine. *Vide Cognitio Virtutis.* pulchritudo.

Virtute prouocatur. *Vide Voluntas Virtutis & Gloria Virtutis.*

Ad persuadendum valent rationes ductæ ab honesto, iucundo, vtili, necessario & facili. Necessitas omnes mouet, sed & vtilitas, attamen præcipuè, pauperes, & viles, auarosque; Iucundum etiam omnes & præcipuè incontinentes, mulieres, pueros, adolescentes, honestum bonos & Reipublicæ amatores, facilitas pariter omnes, præcipuè tamen timidos & inertes. Cardan. d. loco. cap. 14.

BLANDITIÆ.

Est lapis albus, cuius nomen est Anast, qui trahit ignem ex maxima longitudine, & sequitur eum ignis & inflammatur in ipso, siue superius siue inferius, & ad omnem loci differentiam, ideo pro certo est quod lapis ille spirat quasi spiritum sulphuris, quo ignis attrahitur, velut subministrato alimento. Albert. Magn. tract. 2. de proprietatib. elementorum. cap. 14. Blanditiæ etiam per litteras amorem accendunt ex longinquo.

Placet primum mulieri qui eius laudat pulchritudinem, & hoc exordio amor insinuatur.

De Vrbanitate. *Vide Magnitudo Concordantia,* omnib. conformari.

Labia meretricis dicuntur mel stillare; fauus distillans labia meretricis. Prouerb. 5.

Adulatio conciliat amorem. *Vide Concordantia Potestatis.* adulatio.

OSCVLVM.

Quid aliud faciunt, qui ora mutuò tangunt, quam animas coniungunt? si modo corporis sui terminum transire possent, quod cum nequeant, circa corpus veluti fores astare supplices videntur. Phauorinus

Salutate inuicem in osculo sancto. 2. Corinth. 13. Ob id nobis datum est osculum, vt charitatis igniculus ac fomes sit, vt affectum inflammet, vt hac ratione nos mutuo amemus, velut fratres se inuicem amant, ad hunc modum animæ inter se deuinciuntur; ob eam causam etiam ex peregrinatione aliqua reuersi mutuo nos osculamur animis videlicet ad mutuum congressum accedentibus, hoc enim potissimum membrum est, quod animi affectum nobis prædicat. Templum Christi sumus, itaque templi aditum osculamur, per hanc portam ad nos ingreditur Christus cũ communicamus; neque vulgari quodam honore os nostrum afficitur, cum Corpus Dominicum excipit. D. Chrysost. homil. 30. in 2. ad Corinth.

Dicit Apostolus, bonum est homini mulierem non tangere: quasi & in tactu periculum sit, & qui tetigerit non euadat illam quæ virorum pretiosas animas rapit, quæ facit adolescentium auolare corda; alligabit quis ignem in sinu, & non comburetur, quomodo igitur qui ignem te-
A tigerit, statim aduritur, ita viri tactus & fœminæ sentit naturam suam, & diuersitatem sexus intelligit. D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum.

PHILTRA AMATORIA.

Si amorem, fauorem, & gratiam conciliare vis, fac imaginem hominis ex cera, terra, aut metallo; & iterum aliam, itaut duo illi homunculi sibi mutuo manum porrigant, se amplexentur, osculentur & similia faciant, amatoria officia. Paracelsi. lib. de imaginib.

B Si à corpore frustum aliquod auferatur, & rite hæc mumia præparata alicui edenda aut propinanda detur, amor mirè incenditur & corpus id, ex quo munia desumpta fuit, alterius corpus tam potenti amore trahit, vt iam alter sinè altero viuere non possit; sed perpetuo sese inuicem affectu prosequuntur. Ita cicurantur gallinæ, anseres, columbi, equi, canes, falcones etiam feræ mitescunt erga eos, qui illis suam mumiam applicarunt, etiam conciliatur simia serpenti, si duobus mutuo detur mumia. Ita quis-
C que potest hostem suum sibi conciliare, vt omnia ad placitum exequatur; trahit enim, non secus ac magnes ferrum; at venenum pro remedio datur, si mulier de suo menstruo, viro quem vult allicere; non conciliabit, sed hac lue occidet morbisque vix sanabilibus afficiet. Id. Philosophiæ tractatu 3.

Qui capiebant in nido matrem cum ouis, trahebant hoc ad fœcunditatem, & experimenta amoris, ideò præcepit Deus ne mater caperetur. Deut. 22. Card. Cusa. Excitat. lib. 2. cap. 16.

Prohibetur etiam ne mulieres vestem virilem assumant, viri muliebrem, quia id viri faciebant propter venerem, mulieres propter martem. Ib.

Sincus est animal aquaticum, quadrupes, lacertæ simile, cauda tamen breuiore; Carnem eius ita venerem exstimulare credunt, vt nihil ei
D possit præponi. Cardan. lib. de rer. variet. c. 37. in fine.

Si sponsus per nuptialem annulum mingat, soluitur impotentia veneris & fascinatio. Ib. cap. 90.

Ad regiam basilicam apud Babylonem magi tecto aureas alligarunt alites quatuor, quas illi deorum linguas vocabant, quæ vim habebant, vt animos multitudinis in regis beneuolentiam conciliatu inenarrabili conciliarent. Rodig. l. 8. c. 12.

Van Helmont tract. de magnetica vulnerum curatione, Noui, inquit, herbam passim obuiam, quæ si teratur & foueatur manu, donec intepuerit, mox alterius manum detinueris, quoad & illa tepescat, amore tui ille totus continuo ardet ad
E aliquot dies, detinui pedem cuiusdam catuli, hic confestim peregrinum sequutus adeo, quod noctu ante cubiculum eiularet. Calor effluuio quodam spirituum naturalium concitatus herbam ad se determinat, indiuiduatque sibi, & assumpto hoc fermento, per magnetismum alterius spiritum trahit, & subigit in amorem.

D. Hieron. in vita S. Hilarionis refert suis precibus sanatam puellam, quam magicis artibus ad amorem adolesceus perlexerat.

Merito Libram Astrologi dicunt esse domum Veneris, nam fœmina sicut Libra in eam partem propendit magis, ex qua plus recipit. *Vide Potestas Bonitatis.* beneficia conciliant animos.

Digitized by Google

A

MEDIA VOLVNTAS.

SApiens nihil immutabiliter decernit. *Vide Differ. Voluntas.*

Ardea amat flumina, sed versatur tantum circa eorum ripas, sic aliqui scientiarum, & virtutum attingunt primordia.

Amans, contrarias simul habet voluntates. *Vide Med. Gloria. Media delect.*

Adultus recipiens sacramentum inuitus non recipit fructum sacramenti, secus si recipiat voluntariè mixtè, vt per metum grauem aut leuem. Bonacin. de sacram. disp. 1. q. 6. puncto. 2. Secus si nullam habuit intentionem suscipiendi baptismum, aut cum intentione neutrali, quando scilicet hæret & dubius est, an velit recipere. Idem de subiecto baptismi.

B

Si sit dubium an aliquis sit baptizatus ritè, iterum baptizatur sub hac conditione si tu non es baptizatus; ego te baptizo, similiter fit in aliis sacramentis, vt si dubitetur de consecratione hostiæ, de valido matrimonio, &c. Id. ib. passim.

In Lotharingia, vt in Bolduc, à *Mons en Henault* sunt Dominæ Canonissæ, quæ votum non emittunt, sed possunt, vt libuerit, nubere. Sic olim Nazaræi obligabantur tantum ad tempus.

Non vt volumus sed vt possumus viuendum est, coaptanda est tempori vita nostra.

C

Nihil adeo contingens est, quin in se aliquid habeat necessarium vt contingens est sortem currere, at si currat necessariò mouetur.

Metus non tollit voluntarium simpliciter ex Arist. 3. Ethico. 1. sed facit inuoluntarium mixtum cum quo inuoluntario sicut stat consensus sufficiens ad peccandum, ita etiam stat consensus sufficiens ad contrahendum. Itaque sic facti contractus non sunt ipso iure nulli, sed ius præcipit eos rescindi. l. vlt. C. de his quæ vi. *Vide Veritas Voluntatis.*

Veriti quidem sunt negare, sed & polliceri non ausi.

De iuuenum adhuc incerta voluntate ad electionem vitæ. *Vide Voluntas Virtutis*, vbi de littera Pythagoræ.

D

Patronus potest plures præsentare, vt ex illis vnum Episcopus eligat. Clement. plures. de iure patron.

Dum calor paruus est, blandusque, sed copiosus multum augeri videtur animal, eo quod non tantus inest, vt partes corporis fragiles cibique attenuet multum forasque educat, at tantummodo liquefacit cibum, nil exsiccando & in partes corporis transmittit, ex quibus paucissimis exhalantibus portiunculis euenit vt infantes sint pleni succo, flauis capillis, calor enim intus remanet cum tenuitate; & mollis, molem non egressus tumefacit, & auget, etiam ob solidarum partium spongiositatem, admittentem vltro alimentum. Campan. Physiol. lib. 1. c. 17. art. 3. à contrario zelus nimius malus est, aperiens secreta; sese nimium effundens & vanescens. *Vide Maioritas Voluntatis. zelus nimius.*

E

Ignis qui est inter nos, mixtus est.

INDIFFERENTIA neutralitas.

BEneuolus planeta in octaua domo, neque bona exhibet, neque mala. Hermetin centiloquio. n. 93.

Non prodest aspectus trinus & sextilis infortunarum; sicut nec obest quartus & oppositus fortunarum Almanzor proposito.

Vide Æqualitas Contrarietatis, in æquali resistentia nihil fit.

Metalla pendula, sunt magis sonora.

Exod. 3. Moyses soluit calceamentum de pedibus suis in terra sancta. Nam postea in tabernaculo nudis pedibus sacerdotes ministeria diuina peragebant & sacrificia. Nudis pedibus, idest libero & soluto affectu, nullis adstricto.

In schismate, cum non constet quis legitimè Pontificatum teneat, cum dubium non debeat pro certo haberi, sapiens debet vtrumque venerari, donec res à Concilio generali sit definita. Bonacina. de charitate in fine. *Vide Media Concordantia.* Neutralitas.

Cum quis ad hoc vocatur à Spiritu sancto vt mittatur contra Pharaonem, idest contra diabolum, scilicet vt aliquo fungatur ministerio salutis animarum, sic viam teneat regiam, vt non declinet ad dextram siue ad sinistram, videlicet vt nec nimius sit dicendo, quis ego sum vt eam sicut Moyses; nec importunus vociferando, ecce ego, mitte me, vt Esay. 6. Nam hic pertinaciæ, illic præsumptionis cauendum est vitium. Rupert. in Exod. lib. 1. c. 13.

Corpus cœleste nullam habet grauitatem, nec leuitatem, quia non mouetur motu recto, nec ad medium vt grauia, nec à medio sursum vt leuia: sed motu circulari, figuræ suæ vt sphæricæ figuræ conuenienti: qui motus illi naturalis est, alioquin vim continuam pateretur: si haberet alium motum naturalem, deorsum aut sursum, aliquando eo moueretur.

Cum in construendis stemmatibus, hæc lex sit generalis, vt metallum metallo, color colori non superponatur; sed vicissim vnum alteri, color tamen azurus vtrisque potest superponi, quia habetur indifferens inter metallum & colorem, pij & cœlestes sunt indifferentes.

Grammatica habet neutrum genus, sic dictum, quia nec hoc est, nec illud, idest nec masculinum, nec fœmininum. Commune quod duobus generibus nomen vnum communicat, vt hic & hæc canis. Epicœnum quod vtrumque sexum sub vno genere enuntiat, vt hic passer. Est enim incertus sexus, quod nec natura nec oculis discernitur, sed sensus tantum peritia. Omne genus dictum, quia cunctis generibus seruit, masculino & fœminino neutro, & communi. Isidorus Originum. lib. 1. cap. 6.

Vide Magnitudo Concordantia. Cum omnibus conuersari.

Aquarum natura multiplex est, sed quæ expers est omnis saporis atque odoris, & frigida non multum; ea optima est, inquit Cardan. de rer. varietate lib. 1. cap. 6. cæteræ malæ, deteriores autem quæ saporem aut odorem improbum habent. Ibid. & Gregorius Agricola lib. 1. de causis subterraneorum.

Aurum manibus ipsum tractantibus nullũ conj

Digitized by Google

lorem imprimit vt alia metalla, nihil enim ex sincero illius corpore decidit. Idem lib 8. in principio de natura fossilium.

Ex pugnantibus æquali ferè visu contrariis, producitur aliquid medium *Vide Æqualitas Contrarietatis* de agentibus sibi contrariis.

Nullus actus procedens à voluntate deliberante est indifferens, quia si refertur in Deum supposita gratia meritorius est; si autem non est referibilis, peccatum est; si verò est referibilis, & non referatur, vanus est; ociosum autem inter peccata apud Theologos computatur. D.Thom. in Magist. sentent. dist. 1. q. 3. Si autem sit aliquis actus sine deliberatione procedens ex sola imaginatione, sicut confricatio barbæ, talis actus est extra genus moris, vnde non participat bonitatem vel malitiam moralem. Id. in quæst. disput. de peccatis q. 2. a. 5. o.

A Anima est actus corporis organici; sed corpus aëreum non potest esse organicum, quia cum non sit terminabile termino proprio, sed solum alieno, non est figurabile, ergo substantia spiritualis, quæ est anima, non potest corpori aëreo vniri. Ibid. q. vn. de spirit. creat. a. 7. o. sic indifferentes nō sunt apti regiminis ministri. Vt ex D. Thoma. Angeli non possunt habere corpus aëreum, sicut à quibusdam creditum est.

Sequestres apud quos res litigosa deponitur, seu honorarij arbitri & mediatores, non coguntur testimonium ferre, nisi ex consensu v[illegible] partis Nouella 90.

Indifferentia Christiana est effectus charitatis, vnde procedit inexpugnabilis animi fortitudo, & pax imperturbata. Vide quæ scripsi. libello de indifferentia, cap. 5. 9. 10.

FINIS
VOLVNTATIS.
QVANDO DESINIT AMOR.

IGNIS extinguitur, aut à seipso per fumum, defectu aëris ipsum purificantis; aut defectu materiæ alentis cum denique à contrariis aqua & terra. *Vide Finis Bonitatis Finis Concordantiæ.*

Pinguibus auidè delectamur, sed continuo satiamur.

Naturę vitia ad tempus teguntur, vbi autem apparent soluitur amicitia, quia perditum est quod amabatur. Non potest amicitia perdurare vbi mores dissimiles sunt; non tamen rumpatur, sed soluatur amicitia; imitandi tamen sunt nautæ qui adueniente periculo, retinacula incidunt. Æneas Syluius epist. 97.

LIMITATA desideria.

VIde. Voluntas Maioritatis. Mala & Maioritas Magnitudinis Mala.

Cum initio Romæ in vrbis lustratione quę fiebat singulis quinque annis rogarentur dij immortales, vt rem Romanam propagarent, & ampliorem facerent: postea aucto propagatoque latè imperio, Scipio Æmilianus rogari iussit, non vt ampliorem facerent rem Romanam, sed tantum vt seruarent incolumem, tanquam ad vltimum amplitudinis prouecta esset. Alexan. ab Alex. genial. dier. lib. 5. cap. 27.

Vide Finis Magnitudinis & Voluntas Medij. velle mediocria.

Quiescit omnis res in natura sua specifica, species enim est cœlum quoddam ambiens omnem

A indiuidualem motum suæ naturæ; non est oculus inquietus, quia non audit, aut quia non gustat, solum appetit videre, & videndo perfici, non satiatur nisi visu, auris auditu, &c. ita homo sua sorte debet esse contentus. Cardin. Cusa. Excit. lib. 4. cap. 10.

Aues licet liberum habeant cœlum, volant tamen intra certos quosdam limites, & loca certa habitant.

Benè ordinatus humanus intellectus non potest appetere quod sit Angelicus, aut spiritus Petri, quod sit spiritus Ioannis Baptistæ; quia spiritus non potest appetere non esse, at non potest esse alius nisi desinat esse ille qui fuit, ideo intra esse suum clauditur appetitus; imò non solum non appetit aliud esse, sed summè delitiatur, quia aliud

B esse non potest, esse enim suum est ex participatione diuini esse, nam propriè Deo conuenit esse, ideo quum ab illo esse habeat id quod est, in illo vti in suo regno, gaudet & deliciatur. Idem. lib. 9. in fine. Quare vnus non desiderat iustitiam alterius. *Vide Media Gloria.* Media delectatio.

Beati summam habent complacentiam & sic fruitionem de mutuis bonis. *Vide Gloria Voluntatis.* Delectatio amoris, & hæc est communio sanctorum, quia contentatur quilibet de suo, vt de collectione mannæ legitur: sicut contentatur quodlibet membrum de loco & ordine suo in corpore. Idem. lib. 10. c. 1.

De inuidia vitanda. *Vide Contrarietas Virtutis*

Iacob licet ditissimi hominis filius, dicit, Si de-

C derit mihi Dominus panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, offeram illi hostias pacificas, &c. Genes. 28. loquitur tanquam pauper, sicut Apostolus; Habentes quib. viuamus & induamur, his contenti sumus.

Digitized by Google

Manna qui plus collegerat, plus non habebat. Exod. 16.

Sapiunt qui accepto aliquo beneficio vel mediocri, curiæ vale dicunt, ostendunt enim animum suum expletum esse, aliis frequenter accidit idem quod suibus, qui saginati, in cœnam Domini mactantur; qui magnas opes adepti, apud reges perseuerant, non id agunt vt gratias referant, sed vel tuto abire nequeunt, vel acquisita non sufficiunt. Æneas Syluius. comment. lib. 1. cap. 4.

Beati dicuntur comprehensores quamuis diuinam essentiam vt in se est infinita, adequatè non comprehēdant, sed quātum ipsis sufficit & sic quiescunt, quamuis ampliora non attingant; quia tantum habent, quantum habere possunt, sicut amphora & scyphus ex aqua fluui, qua implentur. Pelbaltus in rosario Theologico. voce cognitio Dei, in fine.

Metaph. 2 dicitur, qui ponit infinitum in causa finali, destruit finem & naturam boni, pertingere enim quod infinitum est, impossibile est; nihil autem mouetur ad id quod impossibile est ipsum consequi; ita motus infinitus non potest esse finis motus cœli. D. Thom. in quæst. disput. q. 5. a. 5.

Animæ puerorum in peccato originali decedentium, cognoscunt quidem beatitudinem in generali; sed non in speciali, itaut de ea, qua priuati sunt, non doleant. Ibid. de pœna peccati origin. q. 5. a. 3. ad 1.

Sumpto cibo, naturali non voluntario motu, os stomachi clauditur; sic os vteri fætu concepto.

Deus licet omnipotens, die septimo requieuit ab operibus suis. *Vide Duratio Principij*. Concursus Dei.

Omnibus id necessarium, vt postquam non possunt quod velint, velint quod possunt. Card. de arcan. prud. c. 1.

Metiri oportet proprias vires ante omne negotium, animi scilicet, corporis, amicorum, conditionis & vitæ; multi quædam inchoant quorum finem expectare non possunt. Senes aggrediuntur mutationem vitæ. Cato senex Græcas litteras discit; vitæ summa breuis, spem nos vetat inchoare, longam inquit Poëta, senes honores quærunt in ea ætate in qua quiescere deberent. Id. cap. 51.

Semper auarus eget, certum voto pete finem.

Si cera inuideret lateribus duritiem quam acceperunt ab igne, & vt eundem posset assequi, se in ignem proiiceret, citò dissolueretur *Vide Differentia Bonitatis*. bonum inconuenienti.

SVPREMA DEFVNctorum voluntas.

VLtima voluntas potest mutari. *Vide Differentia Voluntatis*.

De testamento condendo. Gerson tom. 2.

Christus semper orauit pro hominibus, in fine tantum vitæ orat pro se. Pater in manus tuas commendo spiritum meum; quia in hac suprema hora quæ soluit humanam societatem quisque debet sibi prouidere.

Viennæ in Austria testamenta libera sunt, ita & viri vxoribus, & vxores viris bona testantur. Æneas Syluius epist. 165.

Suus hæres qui per annum protrahit non implens vltimas voluntates defuncti, priuatur hæreditate quæ accrescit aliis & quarta tantum falcidia donatur Nou[illegible]. 1. cap. 1.

Non debet tolli libera testandi facultas. Ideo conuentio mutuæ successionis legibus reprobatur nisi inter commilitones in ipso procinctu. l. licet. C. de pact. l. 4. C. de inut. stipul.

FINITA ET LIMItata desideria.

QVisquis viuat sua contentus conditione. *Vide quæ scripsi Moral. Christiana. to. 2. parte 2. cap. 13. Sic tranquilla conceditur vita fruitio. cap. 14. Reipublicæ negotiis ambitioni, propagandi desideriis limites sunt imponendi. lib. de agente Dei in humanis. parte 2. cap. 10. Mediocris vitę conditio sublimioribus est pręferenda. Ibid. parte 3. cap. 14.*

Matth 19. Dicit Christus; Sinite paruulos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum. Volens nos illis similes esse: paruuli nihil vltra necessitatem quæritant, sed cum lacte repleti fuerint, statim relinquunt mamillam; non dolent pecuniarum aliarumque rerum iacturam, sicut maiores &c. D. Chrys. Hom. 64. super Matth.

Vide Voluntas Maturitatis Mala. Audere supra vires.

Seneca suasoria 1. sic inducit suadentes Alexandro, Desistat ab orbis noui periculosa nimis inquisitione. Nihil infinitum est, vnicuique rei magnitudinem & modum natura dedit. Satis sit hactenus vicisse Alexandro intra terras in quibus Hercules cœlum meruit, quod numerat vicit, quare quod nescitur concupiscat; Non quæret orbem, sed amittet in vasto & intentato pelago, modum magnitudini facere debes, cum fortuna non facit, Magni pectoris est, inter secunda moderatio. Eundem fortuna victoriæ tuæ, quem natura finem facit. Imperium tuum cludit oceanus: ô quantum magnitudo tua rerum quoque naturam supergressa est: Alexander orbi magnus est, Alexandro orbis angustus est; aliquis etiam magnitudini modus est. Non procedit vltra spatia sua cœlum; maria intra terminos suos agitantur. Quidquid ad summum venit, incremento non reliquit locum. Non magis quicquam vltra Alexandrum nouimus quam vltra oceanum. Modus rebus secundis imponendus. Illa demum magna est fœlicitas, quę arbitrio suo consistit.

Apud Q. Curtium lib. 8. Sic Scytha loquens Alexandro, inexpletam suam ambitionem increpat. Si Dii habitum corporis tui, auiditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet, altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres, & hoc assecutus scire velles, vbi tanti numinis fulgor conderetur, sic quoque concupiscis quæ non capis. Ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam, deinde si humanum genus omne superaueris, cum syluis, niuibus, fluminibus, ferisque bestiis gesturus es bellum, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium quas adisti latro es. Quid tibi diuitiis opus est quæ te esurire cogunt! primus omnium satietate parasti famem, vt quo plura haberes, acrius, quæ non habes cuperes. Bellum tibi ex victoria nascitur. Impone fœlicitati tuæ frænos, facilius illā reges. Si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, nō sua eripere. Sin autē homo

Digitized by Google

d. quod es, semper te esse cogita. Stultum est A eorum meminisse, propter quæ tui obliuisceris, &c.

Pisces habent certas sedes. *Vide Differentia Potestatis* Distincta dominia.

Tuta consilia præpone maiori expectationi, & vtilia ambitiosis quæ tot modis euertuntur, vt inter mala reponi possint: paucis naturæ fit satis, ad superuacua sudatur. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 127.

MAIORITAS VOLVNTATIS.

MAIOR CIRCA QVÆDAM AFFECTVS.

Bonus.

APPOLLONIVS totum mane, idest meliores diei horas concedebat soluendis suorum discipulorum quæstionib. à meridie exteris se concedebat. Philostr. in vita Appolloni;. lib. 1. cap. 12.

De maiori affectu erga suos. *Vide Concordantia Æqualitatis.*

Meliora eliguntur, expulsis nociuis, aut minus bonis. *Vide Differentia Minoritatis.*

Plato existimauit motores orbium, quos Deos vocat; esse potius in stellis, quam in aliis partibus orbis. Albert. Magn. tract. de natura & origine animæ. cap. 7.

Laborantibus magis fauendum. *Vide Gloria Minoritatis.* Salus ex humilitate.

Quomodo pater potest vnum ex filiis plus amare. *Vide Æqualitas Principij.*

Deus dicit Israëlitis. Eritis mihi populus peculiaris præ gentibus omnibus. Exod. 19. sic Leuitas elegit præ cæteris tribubus.

Magnes omnem aliam materiam immotam dimittens, ferrum tantum ad se trahit.

Licet sacrificium Missæ sit infiniti cuiusdam meriti extensiuè, itaut possit pro innumeris offerri, est tamen speciale meritum pro eo pro quo specialiter offertur. Bonacina de sacrificio Missæ.

Dispensatio facta à superiore sine iusta causa, valida est, sed non licita. Idem. de dispensat. punct. 3.

Causæ dispensationis ad tres potissimum reducuntur, scilicet vtilitas communis vel priuata. 2. necessitas communis vel priuata 3. est pietas. S. Pontifex facilius concedit dispensationes principibus in impedimentis matrimonii, quia hinc sequi solet bonum publicum; & quia talibus beneficiis affecti magis feruntur ad Ecclesiæ defensionem. Ib. propos. 3. *Vide Maioritas Potestatis priuilegium.*

Eius est priuilegium concedere, à quo lex fieri potest, cum priuilegium sit quædam legis dispensatio. Id. de priuilegiis.

Vnus proximus magis diligendus est quam alius vt qui est coniunctior hoc ordine pater, mater, vxor, filii, fratres, &c. hic tamen ordo potest præuerti ab rationabiles causas, videlicet, accepta beneficia, extrema necessitas; si personæ sint B publicæ, &c. Idem. de charitate proximi. punct. 5.

Ex mari sol eleuat subtiliores partes in vaporem, vnde fiunt aquæ pluuiæ dulces, relicta salsedine, sic calor naturalis ex humido in corpore, & remanet salsa vrina; sic plantæ sugunt conuenientes sibi alimentum; animalia cibum sibi conuenientem eligunt, &c.

Apud Indos, seu idololatras, seu Mahometanos, licet licitum sit plures habere vxores, inter omnes vna præfertur & habetur cæteris præstantior, vnde procedunt legitimi hæredes.

Salomoni fuerunt vxores reginæ. 70. concubinæ 300. 3. Reg. 11.

Petrus Damiani opusc. 9. probat vnicuique homini, ex virtutibus vnam eligendam cui fermat, & C in qua perficiatur, eam scilicet ad quam maiorem habet aptitudinem.

Quamuis Deus non possit aliquid eorum quę fecit odisse, potest tamen vnum quod sit ei magis simile, plus diligere quam aliud, sicut pater vnum ex filiis suis, licet omnes diligat. Hęc autem creatura debet esse intelligibilis, vt possit ipsum intelligere & amare, sicut ipse se cognoscit & amat. Card. Cusa. Excitat. lib. 5. cap. 17.

Humanitas à verbo assumpta & suppositata, est omnium creaturarum nobilior & supremo beneficio donata; maximum opus diuinę bonitatis, sapientię, potentiæ. Suscitabo prophetam. Deut. 18. Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. Matth. 17. Vnus est magister vester Matth. 23. Filius vnicus qui est in sinu Patris ipse enarra- D bit, &c. voluit Deus sic in vnum gratiarum plenitudinem omnem conferre, ne in plures affectus nostri diuiderentur; sed per vnum vni Deo conciliaremur. Vni se essentialiter communicauit, & vt sit vnus, in Eucharistia multiplicat præsentiam, non essentiam.

Rex Ægypti ex duobus Eunuchis qui in ipsum peccauerant, vnum liberat, alium iubet suspendi. Gen. 40. duo in agro, vnus assumetur, alter relinquetur. Matth. 24. Luc. 17. Roman. 9.

Cum vngitur Saül, dicit Deus Samueli, Sume lenticulam olei; cum autem vncturus esset Dauid, dicit, Imple cornu tuum oleo, abundantiam gratiarum significans. Rupert. 1. Reg. c. 23.

In his quę ex gratia dantur potest aliquis pro debito suo dare cui vult plus aut minus, dummodo nulli subtrahat debitũ, absque præiudicio iustitiæ.

Cœlestia

Cœlestia melius influunt in materiam melius dispositam. *Vide Potestas Medii.* Dispositionis.

A Deus magis est diligendus quam cætera omnia extensiue, itaut præferatur omnibus & intensiuè idest maiori affectu; sufficit secundum Scotum quod hæc affectio dilectionis Dei, sit super omnia quantum ad firmitatem non quantum ad feruorem & dulcedinem, quia naturaliter quidam magis afficiuntur erga parentes & liberos. Perbattus in rosario Theologico voce affectus.

Quod bonum est præ cæteris eligendum. *Vide Maioritas Bonitatis.*

Fames canina solet oriri ex nimia præcedenti virium resolutione, impletis etiam visceribus non satiata.

B Excellens quibusdam collata gloria *Vide Maioritas Gloriæ.* Bona.

Qui adhæret Deo, vnus cum eo spiritus efficitur, eius itaque respectu ordinata est charitas, vt post Deum inter nos ordo ponatur. Primum mandatum est, vt diligamus parentes, secundum vt filios, tertium vt domesticos: si autem filius malus est, & domesticus bonus, domesticus in charitate filii collocetur, & ita fiet vt sanctorum ordinata sit charitas. Origen. hom. 2. in Cant. Quod sancti Deo similiores vitæ merito sint cęteris præferendi. Vide r. hoc tit. nimius circa quædam amor. Rationabilis enim creatura si æqualiter diligenda, eo magis diligenda, quo magis est rationabilis. Ab ipso Deo capiamus exemplum, nihil odit eorum quæ fecit, non tamen similiter dilexit Ægyptios ac Hebræos; Pharaonem & Moysem, qui fecit omnia in pondere, numero & mensurâ, secundum meritum vnius cuiusque, dilectionis suæ temperat libram. Ibid.

C Math. 13. Christus dimissis turbis, venit in domum suam cum discipulis suis, simus familiares & domestici Iesu vt ab eo doceamur. Origen.

Negligere debet gemmarum & auri splendorem, qui stellas & Solem est contemplatus.

Quod est melius simpliciter in aliquo casu potest esse minus eligendum, sicut Philosophari est simpliciter melius quam ditari sed in tempore necessitatis ditari est magis eligendum, & aliqua margarita est carior vno pane, & tamen in casu famis panis præfertur margaritæ: secundum illud Iere. th. 4. Dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. D. Thom. quodlibet 1. a. 14. sic quamuis docere & prædicare sit excellentius quam Sacramenta administrare, tamen vrgente necessitate cessandum à studiis vt Sacramenta ministrentur, maximè si sit id ex officio. Ibidem.

D Pauperi in extrema necessitate constituto, si alium minus indigentem præferas in eleemosynæ distributione, est acceptio personarum illicita. Tostat. in Matth. to. 6. 33 c. 4. f.

Cum omnes ratione speciei simus equales, æqualiter sub ea ratione debent diligi, tamen inter virtutes ciuiles & morales refertur amicitia, quę est inter duos aut paucos.

E Omnibus dantur Angeli custodes, sed singulari Dei misericordia aliquibus digniores & vigilantiores. Tostat. Matth. to. 5 fo. 267.

Christus volens interdum Gentiles curare, volebat à Iudæis rogari, ne videretur ad vtrosque æqualiter se habere. Id. Matth. to. 4 fo. 143 c. 2. a.

In extasi anima relinquit naturalia pro diuinis. *Vide Differentia Potestatis.* Diuersa diuersis officia.

Quando medium imaginis accedit ad vnum extremorum, tanto magis recedit ab altero. Tostat. Matth. to. 7. fo. 191.

Res vilis intellecta non vilificat intelligentem, bene tamen vilificat volentem. Idem Matth. to. 3. fo. 261.

Obiectum charitatis est natura rationalis in qua inuenitur multa differentia, quia ibi est Deus, Angelus, homo, & in his rursus multa inæqualitas; ideo potius in charitate, quam in aliis virtutibus considerandus est ordo. Idem Matth. to. 6. fol. 142.

Matth. 20. Pater familias his qui primo mane venerant in vineam suam dat pretium de quo conuenerat; his autem qui circa vesperam venerant dat parem mercedem. Primis dedit ex iustitia, vltimis ex liberalitate, quæ non recipit æqualitatem & proportionem vt iustitia; sed pendet à dantis voluntate se vt libuerit largius effundente. Id. Matth. to. 5. fo. 178.

Deus maxime prouidet hominibus & regnis. Vide quę scripsi Theolog. natur. tom. 3. parte 2. cap. 11. 12.

Dum vnum præponit Deus alteri, nemini derogat, & æquissime agit, sua in se id ordinante sapientia, hominibus quidem ignota, Deo autem ipsi sine ambiguitate notissima. Eligit puerum Dauid præ cæteris fratribus & dicit Samueli, inueni hominem secundum cor meum; futurorum Dominus præscius, qualis futurus erat, prædicabat, prædicando eligebat, eligendo arcana eius iudicia palam exhibebat. Laurent. Iustin. serm. de S. Matthia.

In Canticis. sexaginta sunt reginæ; octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus; vna est columba mea, perfecta mea.

Anno Christi 34. Iudęi habitantes in Græcia, conquæruntur quod eorum viduæ contemnerentur in ministerio quotidiano & postponerentur viduis habitantium in Ierusalem, natiuæ præferebantur externis, & super hoc nihil decisum refertur à Concilio, quasi probaret quod fiebat.

Anima licet per totum corpus ad minimas vsque partes sit diffusa, priuatam tamen & regiam in eo sedem obtinet. Sol totum cœlum illustrat, via tamen illi solum est per Zodiacum.

Vide Cognitio Bonitatis. Discretio boni à malo, & electio.

Magis laborantibus citius auxiliandum. *Vide Æqualitas Voluntatis.* Æqualis parentum amor.

Quædam loca Deus præ cæteris eligit. *Vide Gloria Principii.* Templum.

Charitas est ordinata, & in largitionibus vnum alteri profert. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordie parte 2. cap. 1.

FAVOR PRINCIPVM.

Minimæ partes terræ contingunt centrum; quibus cæteræ coniunctim quiescũt, quasi ipsæmet contingerent, hinc elementa sibimet non sunt grauia. Vnius consanguinei gratia cæteris prodest.

Non est inconueniens aliquos homines præcedere Angelos in præmio essentiali, & in præmio accidentali. Tostat. Matth. to. 5. fo. 166. c. 4. *Vide Gloria Minoritatis.* Humilitas exaltata.

Israël dicitur populus & hæreditas Dei. Id. 1. Reg. to. 1. fo. 173.

Vide Principium Gloria. Princeps dat honorem.

Vide Concordantia Maioritatis. Societas cum excellentoribus.

Cum ascendens subiecti fuerit culmen genituræ principis, & Dominus ascendentis subditi, eleuatus supra Dominum ascendentis principis, & planetam in sexta vel duodecima eius, tunc princeps ille subditi sui parebit imperio. Cardan. Apho. sect. 2. Aph. 178.

Plurimum potentię apud regem est, cum Dominus cœli medii aut loci Solis subditi, potens fuerit in figura regni aut regis. Ibidem Aphoris. 179.

Venus in corde Solis ingentes largitur dignitates. Ibid. sect. 5. Aph. 49.

Luna in Aquario & Piscibus, gratum minimè facit natum principibus. Ibidem sect. 5. Aphoris. 57.

Cum Dominus ascendentis aspexerit Solem benigno aspectu, vel fuerit orientalis, proximus Soli, vel iunctus domino medii cœli, natus à regibus diligetur; causam autem habebis ex natura Domini ascendentis ipsius, ac illius loco. Ibid. Aph. 90.

Fauore principum quomodo benè vtendum. Vide quæ scripsi moralis Christiana to. 4 parte 1. cap. 26.

Ex anima & corpore constat homo, ex terra factum est corpus, anima ex nihilo creata etsi nobilior. Præstantius videtur fauore principis, quam generis nobilitate subleuari.

Amynthas in iudicium vocatus quod fuisset amicus Philotæ reo maiestatis nuper conuicto & occiso. Amicitiam, inquit, cum Philota non inficior, vt expetisse quoque nos, magnosque ex ea fructus percepisse confitear. Tu Hercule, si verum audire vis, Rex, huius nobis periculi causa es, quis enim alius effecit vt ad Philotam decurrerent qui placere vellent tibi? ab illo traditi, ad hunc gradum amicitiæ tuæ ascendimus. Is apud te fuit, cuius & gratiam expetere, & iram timere possemus. An non propemodum in tua verba, tui omnes te præeunte iurauimus, eosdem nos inimicosque habituros esse, quos tu haberes? hoc Sacramento pietatis adstricti auersaremur scilicet, quem tu omnibus præferebas. Igitur si hoc crimen est, paucos innocentes habes, immò hercule neminem; omnes enim amici Philotæ esse voluerunt, sed totidem quot volebant, esse non poterant, Q. Curtius lib. 6.

NIMIVS AMOR ET personarum acceptio.

PLurium gratia ac venustate demulcendus est Principis animus, ne in vnum toto impetu propendeat. Hinc enim infuscata maiestas, & quassatæ regni vires, opesque, dum tot infœlicium miseriis saginatur vnius fœlicitas.

Caueat princeps ne in vnum prodigus, in omnes sit iniuriosus; dona in vnum coacta, vt semina, depereunt; mediocria beneficia debitores faciunt, ingentia inimicos, dum non habent amplius quod petant. Dare paucis, quod eripias omnibus, nihil habet magnificum; reuerenter habendus est, tot mortalium sanguis.

Arist. 5. Politicor cauendum dicit Principi, ne totam regni curam vni committat, sed in plures imperia, dignitatemque diuidat, vt alii alios obseruent; opinionum, quæ videtur diuersitas, consilium est, decor & salus regni, sic Deus mundum etiam ex antithetis honestat. Exod. 17. Iussu Dei, Moyses elegit non vnum, sed plures, qui iuuent ipsum in regimine; salus populi, tanta res est, vt vni capiti non videatur committenda. Non est fas marito vxorem amico prostituere, nec principi dominationem à Deo sibi commissam, de publico decidit, quidquid vni prolixius impenditur; non sunt fida erga regnantem obsequia, vbi per alium regnatur, si quid benè gestum est, totam minister occupat gloriam, & nescio quid per singulos dies de corona decerpitur, facile contemnitur Princeps à quo nihil potest sperari; cum se sua vni tradiderit, in eius arbitrio est, non tantum vt imperet, sed vt viuat.

Tiberius Seianum non nisi trepidando diruit, qui mole magnitudinis omnes oppresserat. Hinc rebellionum semina; nihil æque pestiferum regnantibus, quam sibi pares facere, quos postea superiores habeant. Amor voluntaria quædam est peregrinatio à se; at quis ferat à se & à regno exulem, qui debet non tantum interesse, sed & præesse. *Vide Maioritas Medii.* De medio potentiori quam deceat.

Exitiale imperiorum virus, vnum aliquem habere, in quem se totũ Princeps transfundat. Vnius sæpè dignitas omnium contumelia est, inde cæterorum indignatio, inde liuor, & disperatę virtutis ignominia, cum fauor sequitur indignos, & marcido capiti laureæ imponuntur quibus oportuit generosorum ornari frontes, tegi vulnera fortiũ.

Excelsæ potentię genus est, facere etiam potentes, sed cauendum ne quid supra nos, ne quid contra Rempublicam possint.

Virgultæ quæ circa arborum radices enascuntur, cæteris sunt exitio, quia totam arboris substantiam ad se trahunt.

Dæmon sub pretextu charitatis erga propinquos, efficit vt nascatur auaritia, non enim ipsi cura est de propinquis, qui sæpè docuit fratrem, matrem, & patrem occidere. Vitæ Patrum lib. 8.

Hadrianus Cæsar dixit non pertinere ad principum dignitatem, atq; fortunam, amori amplius, quam virtuti concedere. Cum Augustus filios suos populo commendabat, adiicere solitus erat, si merebuntur. Petrus Crinitus de honesta discipl. lib. 2. c. 4.

De vi amoris nimia & morbosa. *Vide Potestas Voluntatis.*

Antiquitus pueri educandi dabantur patruis, in quorum fide par securitas, nec amor nimius iudicium peruertit, nec seueritatem frangit, vnde illud Persianum, cum sapimus patruos. Cardan. lib. de rerum varietate cap. 44.

De illicita personarum acceptione. *Vide Æqualitas Voluntatis.* Æqualis charitas ad omnes; est cum quis personam non causam considerat. Tost. in Deut. p. 6. c. 5. f. & cum præter modum legibus dictum procedit.

Lege Iulia prohibetur ne reus vel accusator ex occasione secreti domum iudicis adeant. l. 1. Cod. Theodos. de offic. iudi. ciui. Cuiac. obs. lib. 6. c. 345

AMOR CRESCIT semper & proficit.

A

VIde supra Duratio Cognitionis. De assidua rerum diuinarum meditatione, sine satietate. Et Maioritas Virtutis. Profectus Virtutis.

Ignis debet esse perpetuus in altari. Leuit. 6. Charitas nunquam excidit, imo acrescit mentibus post hanc vitam. Æterna quippe contemplatione, agitur, vt omnipotens Deus, quo magis fuerit agnitus, eo amplius diligatur. Rupert. in Leuit. lib. 1. cap. 29.

B In motibus appetitiuæ virtutis est quædam circulatio, quia vis appetitiua, sicut & apprehensiua reflectitur super suos actus: appetibile enim mouet appetitum, faciens quodammodo in eo eius intentionem, & appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, vt sit ibi finis motus, vbi fuit principium.

Amice ascende superius. Ascensus iste est progressus diuini amoris qui est abyssus interminabilis, & ideo infinitis gradibus ascendere poterimus per amorem practicum, in amorem fruitiuum. Harphius.

Nunquid mox vt nascitur charitas, iam prorsus perfecta est, imo vt perficiatur nascitur, cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata perficitur, cum ad perfectum venerit, dicit; Cupio dissolui & esse cum Christo. D. August. super canon. 5. C

D. Bonauent. lib. de 7. itineribus æternitatis. dist. 5. sex constituitgradus charitatis seu amoris gratuiti. 1. Incomparabilis vt supra omnia Deus diligatur. 2. incontaminabilis, fugiens id omne vnde posset contaminari. 3. infatigabilis, animam non sinens quiescere donec inueniat quem diligit. 4. Inseparabilis, dicit Deo, non dimittam te nisi benedixeris mihi, & nunquam dimittam te, quia non benedicis nisi timentem te. 5. inseparabilis qui est martyrum & dura patientium, cum amanti nihil graue. 6. insatiabilis. quo plus bibit, plus sitit. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. D

NIMIVS PARENtum amor erga liberos.

QVi sollicitè nimis liberis suis quærit diuitias, illas incertæ custodiæ committit, satius est vtrumque prouidentiæ committere; dicit Deus, mihi vindictam; & mihi curam & ego retribuam; electus à te, ad tutelam filiorum, eam maiori benignitate excipiet. vt Elias 3. Reg. 17. viduæ dedit bonorum abundantiam, quia ipsum propriis filiis prætulerat, quid tibi non sperandum à Deo. Si vis eos diuites relinquere citra periculum, relinquito eis Deum debitorem. Gratiam habet Deus cum nobis debet, & quo plus debet magis amat, cui restitutio & grata & facilis, amanti, omnipotenti; amat enim nostram salutem, pecunias igitur contemnamus, ne contemnamur à Christo; qui vult diues fieri, fiat pauper, insumat vt colliget; spargat vt congreget, eo semente cœlum tanquam agrum colimus, &c. D. Chrysost. Homil. 7. in fine in cap. 3. ad Roman. E

A Non propterea nobis dedit Deus filios, vt aliena raperemus. Vide ne hos dicens Deum irrites. Nam si dicis eos esse tibiautores & causas rapinæ, & quod propter illos pecuniæ colligendæ inhies, timeo ne eis prueris, vt qui lædant & insidientur. Deus dedit tibi filios vt tui curam gerant in senectute, vt virtutem à te discant, &c. Id. Homil. 10. in 1. Thessal.

Hic nimius parentum amor non debet eos auocare à piis legatis faciendis. Vide Virtus Finis Pia legata.

D. Grego. Nyssen. lib. de iis qui præmaturè abripiuntur, dicit præsciam Dei prouidentiam, hæc immatura funera permittere, vt tollatur parentibus occasio quærendi bona liberis per fas & nefas inexhausta cupiditate, & vt liberis subtrahatur tempus & materia talibus abutendi. Vide Media Duratio Mors iuuenis.

De nimio parentum amore, ad quærenda liberis bona. Vide quæ scripsi. lib. de agente Dei in humanis. 3 cap. 5. & lib. de operibus misericord. 5. parte 1. cap. 24.

De his qui auertunt liberos suos à religione, quibus liberi debent non obedire. Vide Contrarietas Principij. Actio licita in parentes. Et Concordantia Æqualitatis. Rep. Nimius parentum amor.

Potius damnari eligunt, quam filios suos post se in egestate relinquere, mali tam perniciosè filios suos diligunt, quam se; qui enim sibi nequam est, cui potest esse bonus, sibi nociuus, filiis nocituras, & in animæ perditionem ducentes relinquunt diuitias, Merito in contemptum & obliuionum hæredum suorum veniet, qui carnem spiritui, prolem suam Deo prætulit, &c. Laurent. Iustinian. lib. de spirituali animæ resurrectione.

D. Hieron. ad Eustochium in Epitaphio Paulæ matris. Testis est, inquit, Iesus, ne vnum quidem nummum ab ea filiæ derelictum, sed derelictum magnum æs alienum, & quod his difficilius est, fratrum & sororum immensam multitudinem, quos sustentare arduum, & abiicere impium est. quid hac virtute mirabilius fœminam nobilissimę familiæ, magnis quondam opibus, tanta fide omnia dilargitam, vt ad egestatem penè vltimam perueniret. Nemo plus dedit pauperibus, quam quę sibi nihil reseruauit. Secura esto Eustochium magna hæreditate ditata es; pars tua Dominus.

NIMIVS AMOR circa quosdam.

MOrtuo Claudio, testamentum quo Nero ad imperium vocabatur non est recitatum, ne antepositus filio priuignus, iniuria, & inuidia, animos vulgi turbaret. Tacit. 12. annal. in fine.

Prometheus ob nimium erga homines amorem, dicitur Caucaso alligatus, suaque viscera à vulture depasci Philostrat. in vita Apollonii lib. 2. cap. 1.

De inordinato sui amore. Vide Voluntas Bonitatis. Mala.

Cardan. de rerum varietate lib. 1. cap. 3. loquitur de regionis circa polos terra nigra, quæ cum sit bituminis & petrolei particeps, ceræ lentore & vsu non absimilis, ardet vt candela; similis ferè est terra Scotica.

Ordinauit in me charitatem. Cant. 2. Est contra

Digitized by Google

ordinem in aliquo charitas, cum aut id diligit quod non debet, aut quod debet diligit, sed plus iusto diligit, aut minus iusto. Membra alterutrum sumus vt inquit Apostolus. 7. Corinth. 8 ita quæ sunt in corpore membra magis honorabilia, vt quæ laborant pro verbo Dei, cæteris sunt præferenda. Origen. homil. 3. in Cantic. & huic ille qui vitæ merito & sanctitate Deo similior & proximior est. Iubemur inimicos diligere, sed eos maximè & plus cæteris, qui cum sint nobis infensi, in aliis tamen benè agunt, pudici, sobrii, Deo seruientes. Id.

Debet qui aliquem diligit naturas & causas considerare dilecti, & non plus eum diligere quam meretur; Nam si mensuram charitatis modumque transcenderit, & qui diligit & qui diligitur in peccato erunt. Ideo Ioannes dicit, Non sum ego Christus. Id. homil. 25. in Lucam.

De acceptione personarum illicita *Vide infra Æqualitas Voluntatis.* Æqualis charitas ad omnes. Non est acceptio personarum, nisi quando quis tenetur ad certum modum. Tostat in Matth. c. 6. 33. c. 1. d.

Iustitia liberalitatem sic ordinat, vt non omnia vni, sed singulis quædam præstet, vt pluribus prodesse possit, iuxta illud Psal. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Laurent. Iustinia. de Iustitia. cap 5.

Amor si excedit torquet, temperatus ad omnia fœlix est. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 15. §. 4. Caueat Religiosus à nimio circa quosdam affectu lib. de institutione & officiis Religiosi. parte 3. cap. 31.

Caue ne omnino te ostentes, seu verbis seu diligentiæ specie in amicis adiuuandis, nam vt plus niteris, forsan minus præstabis. Etsi non successerit res, palam hoc adulatorem aut impotentem declarabit, horum altero contemneris, altero eris odiosus, quod si obtinuerit, videberis aliis, quibus ille se debere etiam plurimum putat, beneficij meritum & amici gratiam erga illos eripere velle. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 41.

NIMIVS AMOR RERVM minimarum.

CRassus muræenam cicurem, mortuam luxit. Plutarch lib. de industria animalium.

Nullus est, quisquis est multus, & proximum est desidiæ occupari futilibus. Maiestatis diminutio est, ordinare quæ non decet.

Vide Veritas Gloria Rep. fœlicitatis humanæ vanitas.

Fratres nolite pueri effici sensibus. 1. Cor. 14. Pueri parua quidem hianti ore stupent & mirantur, rerum autem valdè magnarum non tanta tenentur admiratione. D. Chrys. hom. 36. in 1. ad Corinth.

De re parua combustibili, fit magnus ignis.

Intelligentem non vilificat res vilis intellecta; sed benè voluntatem. Tostat. Matth. to. 5. fol 79. & to. 3. fol. 261.

PASSIONVM DAMNA.

REctè sensit Origenes, nihil referre inter dæmoniacum, & alium passionibus suis agitatum, nisi quod dæmoniaco, pœna sola est hæc vexatio, quæ alteri ad culpam detestabilem imputatur, citat. Gerson tract. de paruulis ad Christum trahendis.

Amara natura sua, dulcia efficimus melle aut saccaro, rationem & amorem natura dulcem, corrumpimus, & amarum facimus.

Quæ cædebant in holocaustum mascula erant, virorum enim est perfectio: quæ verò pro peccato mactabantur, fœminea. Nam si quæ in nobis est princeps facultas animi, debilitata fuerit, imperant affectiones. Theodoret. in Leuit. quæst. 1.

De animi perturbationibus. Cicero Tuscul. 4.

Putrefactio, fit ab externo calore. *Vide Minoritas Voluntatis.* defectus charitatis. est in homine passionibus dedita voluntas, velut equus rebellis, qui retrocedit cum pungitur. Card. Cusa. Excitat. lib. 5. c. 13.

Pluit super peccatores laqueos, ignis sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Ps. 10.

In omni passione animæ aliquid additur vel minuitur à naturali motu cordis; & ratione transmutationis corporalis annexæ dicitur passio. Passio autem ad defectum pertinet, quia est alicuius, secundum quod est in potentia. Vnde in his quæ appropinquant primo perfecto scilicet Deo, inuenitur parum de ratione potentiæ & passionis. Interno simul & externo bello concutimur.

Passiones sunt in homine partes bruti. *Vide Media Virtus.*

Cardanus lib. 1. de rer. varietate cap. 1. dicit populos magis ab æquinoxiali distantes & polis viciniores, magis etiam suis passionibus obtemperare propter vehementem aëris mutationem, quæ ob magnam dierum cum noctibus diuersitatem atque vicissitudinem contingit, Ideoque dicuntur barbari, non quia careant ingenio, vrbanitate, delitiis, sed quia suis affectibus nesciunt imperare, qui vehementes sunt, nam difficilius est equum currentem, quam ambulantem retinere.

Ibid. cap. 40. dicit affectibus corporis grauiores esse affectus animi, eo quod in parte principaliore, & non tantum pro præsenti tempore, sed etiam pro præterito & futuro afficiant, at præteritum longe maius est præsenti; futurum autem cum termino non comprehendatur, imaginem habet infiniti corporis dolores animi viribus possunt cohiberi, animi autem à corpore nequaquam.

Non desiderat fortitudo aduocatam iracundiam, satis est instructa, parata, armataque per sese, sic enim liceret dicere vtilem vinolentiam ad fortitudinem, vtilem etiam dementiam, quod & insani & ebrij multa faciunt vehementius. Cicero.

Tres furiæ sunt tres passiones hominum corda perturbantes: Ira quæ vindictam cupit; cupiditas quæ desiderat opes, libido quæ appetit voluptates. Isidor. Origin. lib. 8. cap. vlt.

Dixit, Deus Faciamus hominem ad imaginem nostram; non ergo vt irascatur, concupiscat, & mereat, perturbationes enim non cadunt in ima-

Digitized by Google

ginem Dei, sed ratio perturbationum moderatrix & domina vnde dicitur vt præsit piscibus maris, volatilibus cœli, & bestiis terræ, libidini, superbiæ cæteris concupiscentiis. D. Gregor. Nissen. orat. 1. faciamus hominem. Cur ergo perturbationibus seruis? cur rerum constitutus princeps, naturæ tuæ grauitatem proiecisti? cur non potius principatu, tibi à Deo tradito, gaudes & gloriaris. Cum enim ab aliqua perturbatione victus es, illa tibi imperat, & tu bestiis non dominaris. Id.

Passionibus obsequi, hoc est in Idololatriam incidere. *V. Gloria Principij. Repug.* Idololatria.

Cum morte affectuum turba introiit, vt mortalitati subsidium aliquod afferret. Concupiscentia peccatum quidem non est, at cum ea modum non seruat, non sustinens se intra nuptiarum leges continere, sed ad alienas vxores desultoria se transferens, tum res ea in adulterium erumpit, non ab ipsa quidem concupiscentia, sed ab illius immodica cupiditate. D. Chrysost. homil. 13. in epist. ad Roman.

De vtilitate passionum si modum non excedant *Vide Magnitudo Voluntat.*

Apud Romanos inter sacerdotes augures, non recipiebantur personæ quæ morsum aliquem aut perturbationem in animo haberent, quasi forent inepti ad diuina recipienda. August. Niphus de auguriis lib. 1. cap. 11.

In voluntate quidem hominis positum est quod seruetur à peccato, sed in hoc infirmatur per passionem, vt perfectè non velit ligato rationis vsu, & hæc est mentis infirmitas, vt est corporis, cum aliquis humor excedit, nec subditur virtuti corporis regitiuæ. D. Thom. in quæst. disputat. de causis peccati. q. 1. a. 9. Ratio autem ligatur ex hoc quod intentio animæ applicatur vehementer ad actum appetitus sensitiui, vnde auertitur à considerando in particulari id, quod habitualiter in vniuersali cognoscit. Ib.

Quilibet homo est quodammodo duo. *Vide Contrarietas Concordantia.* Bellum ciuile.

Quemadmodum accidit vt subitis procellis crescentes amnes legitimum excedant alueum, superque vel segetes vel plantarum culturam præcipites lati, rusticorum operum salutem atque ornamentum euertant, sic animus affectionum nimia vi ab rectis ratiocinationibus depulsus, falsis & improbis præter naturam opinionibus surgentibus corrumpitur. Maximus Tyrus serm. 17. de passionum vsu. *Vide Magnitudo Voluntatis.*

Passiones sunt vt equi indomiti aurigam rapientes in præcipitia.

Hic est naturæ ordo, vt sapientia regat, pareant homini cætera quæ videmus in homine, corpus animo, animus menti; mens Deo. Ergo peccatum est in homine, perturbationes tumultuari, sæuire, ac trahere ad se ius & ditionem totius hominis, spreta & contempta mente; mentem etiam contempta Dei lege, animo & corpori seruire. Ludou. Viues. in introductione ad sapientiã.

Nihil aliud conatur pietas Christiana, quam vt serenitate & tranquillitate animorum, compositisque affectionibus, simus Deo & Angelis quam simillimi. Ibid. *Vide Virtus Æqualitatis.*

Maxima vitæ pars agitur perturbationibus, neque enim viuimus quandiu affectibus concutimur. Vbi regnum occupauere, illis tanquam dominis, blandimur, indulgemus, paremus.

Æquales & mediocres in affectibus sunt, quibus ascendunt initia arietis vel libræ, aut fines piscium & virginis, immoderati autem, quibus initia cancri aut capricorni, vel fines geminorum & sagittarii. Cardan. aphorif sect. 4. aph. 108.

Anima rationalis cur exposita passionibus vnde procedunt earum motus inordinati, quos tamen ratio potest sibi subiicere. Vide quæ scripsi Moralis Christiana. to. 2. parte 1. cap. 18. 19. 20. 21.

Venena animarum oriuntur ex perturbationibus, quæ quo atrociores fuerint, eo sæuiora venena proferunt. Sic nempe serpentum venena ex ira, inuidia, furore, superbia, metuque variegata nascuntur, sic venena erysipelatis & dysenteriæ, ex ira rectoris spiritus sanationem habent ex lepore, cui timor, mansuetudo, fuga & vita innocua. Van Helmont.

Dicit Apostolus, Tradidit illos Deus passionibus ignominiæ, idest tanquam feris bestiis à quibus discerpentur.

Non vacet mens tua variis perturbationibus, quæ si pectori insederint dominabuntur tui, & te deducent ad delictum maximum. D. Hieron. ad Rusticum.

Vultus nunc gestit lætitia, mœrore deprimitur, feruet ira. Cum ad imaginem & similitudinem Dei conditi simus, ex vitio nostras personas nobis plurimas superinducimus, & quomodo in theatralibus scenis, vnus atque idem histrio, nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem ita & nos, tot habemus personarum similitudines, quot peccata. Id. ad Marcellam.

Ex vna passione, aliæ nascuntur. *Vide Duratiò Contrarietatis.* ex Gregorio Nisseno.

Motus naturalis misericordiæ non est sine aliqua imperfectione. Vide quæ scripsi. lib. de operibus misericordiæ. parte 1. cap. 4

NIMIVS AMOR coniugum.

Amor formæ rationis obliuio est, & insaniæ proximus, fœdum minimeque conueniens animo sospiti, vitium. Turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit, querulos iracundos; temerarios, durè imperiosos, seruiliter blandos, omnibus inutiles, ipsi nouissimè amori facit. Nam cum fruendi cupiditate insatiabilis flagrat, plura tempora, suspicionibus lachrymis, conquestionibus perdit, odium sui facit, & ipse nouissimè sibi odio est. Non iudicio sed furore ducitur, & maximè vxorum pulchritudini grauissimus custos accubat. Origo quidem amoris honesta est, sed magnitudo deformis, Nihil autem interest quam ex honesta causa quis insaniat. Adulter est in suam vxorem amator ardentior; nihil est fœdius quàm vxorem amare sicut adulteram. Quorundam matrimonia adulteriis cohæserunt, &c. & rem improbam iisdem illis pudicitiam præceperunt, qui abstulerant. D. Hieron lib. 1 aduersus Iouinianum in fine.

Vide Potestas Voluntatis. Vis amoris. *Contrarietas Voluntatis Zelotypia. Gloria Voluntatis.* amoris lachrymæ.

NIMIVS ZELVS.

IN cœlo & in æthere, pura & innoxia viget flamma, in terra verò est carbo adurens, in aspera materia. In viris bonis est zelus, sed innoxius.

De zelo bono. *Vide Magnitudo Voluntatis.*

Affectatio nimia prodit, quod vellemus latere. *Vide Cognitio Voluntatis. Repug. secretum.*

Paracelsus lib. 1. Sagacis Philosophiæ, dicit esse ebrietatem quamdam syderalem, qua quidam, B affectu nimio ad obiecta transferuntur, sui, & moderationis omnis obliti, cum hæc ebrietas fit intensior, parit maniam.

Ignis abundans in compositis, composita destruit, propterea non præualet in oculo.

Compositorum & mixtorum, vt sit conueniens locus, compositus est ex concursu trium elementorum, scilicet aëris, aquæ & terræ: ignis autem locus ibi esse non poterat, quia est simpliciter leuis, & quia non est causans, cum sit vehementer actiuus, dissolueret enim omne compositum, propter quod nihil habitat, & mouetur in igne. Albert. Mag. tract. 1. de natura locorum cap. 5.

Diluuium ignis fit, quando ignis in sua sphæra excitatus à lumine solis exsiccat, & incendit climata calida. fabula Phaetontis qui currus solis patris regens, & accedens nimis ad terram illam combussit, significat, longo mundi interuallo fieri exorbitationes solis; quibus factus terræ proximior, illam comburit; Id tamen fictitium est, sed causa huius incendii vera est coniunctio Solis, Martis, Iouis in signo igneo, cum stellis calidis, vt cum corde Leonis, aut caniculis: si sol & cæteri planetæ sint in perigæo, & sic terræ proximiores nec impediti; à Saturno, aut ab illiis stellis frigidis. Soluitur autem hoc diluuium per Eclypsim Solis; quæ licet minimum duret, multum tamen alterat. Id. tract. 2. de proprietatib. elementorum. cap. 12. Nimium zelum efficiunt nimius ad terrena humanaque consideranda, mentis descensus; & similium zelatorum conuersatio, temperatur autem aliquo in honore dispendio. Primum in quo se manifestatas alteritas incendii, est in infimo terræ: & zelus prius inardescit in corde, quam ad extra.

Mare est salsum & amarum propter terræ exustæ admixtionem vt lexiuium, sic insitum nostrum humorem febris in bilem commutat. Plutarch. lib. de causis naturalib. cap. 1.

Tonitrua fiunt vere & autumno propter temperiei inæqualitatem. Ibid. cap. 4.

Periculosum est nauigantibus in portum præter solitum locum & morem appellere, sic præter legem viuere.

Deus in creatione mundi diuisit aquas ab aquis, aquæ quæ super cœlos sunt sua humiditate & frigiditate non sinunt corrumpi firmamentum ab igne luminarium, quæ autem deorsum remanserunt, suis vaporibus aërem fouent exustum, & siccatum ab igne superiore. Theodoret. in Genesim. quæst. 11.

Seraphim igne de altari sumpto, Isayæ labia purgat, non perurit. Chrysol. sermo. 37.

Dæmon vocatur meridianus. Ps. 91. & Deut. 28. 32. Deus ab austro veniet, ante faciem eius ibit A mors. Habac. 3. 5. vnde patet quod morborum pestiferorum radix sit in meridie quod Hypocrates & Galenus sæpè testantur. Flud.

Ignis in spissa materia rubens est, in flamma croceus in splendore candidus; ignis magnus citò absumit paruam candelam.

Meteora flatibus turgent potius, quam spiritu, qui in illis spurius est, retinent enim plurimum sulphuris, & igneæ impressionis, quamobrem magnos, sed violentos reddunt, effectus spiritus sincerus agit suauiter secundum naturam, ædificat, perficit; flatus destruit corrumpit; mutat formam.

Rubus Moysi apparens, ardet, sed non consumitur. Exod. 2.

Spiritus Domini non est in impetu montes & petras conterente, sed in sibilo auræ lenis. 3. Reg. 19. *Vide Media Contrarietas.*

Æstus perdit omnes plantas annuas, & alias ratione infirmitatis, maximè nouellas, cum attingit radices; & quo viuunt, humidum absumit. Theophr. de caus. plantar. lib. 5. cap. 21.

In partibus meridionalibus frequentiores sunt terræ motus; quia in illis viget Sol, in inferioribus autem terræ partibus plus eleuat, quam consumit, & ideo in terra multiplicatur ibi spiritus ad terræ motum faciendum. Albert. Mag. meteor. C lib. 3. tr. 1. c. 20.

In his etiam regionibus inferiora elementa conuertuntur in superiora, aqua, & terra in aërem, sicca etiam terra fit cauernosa propter frequentes exhalationes & grossi flatus, multiplicati eam concutiunt. Ibid.

Aquæ calentes sunt mixtæ & minus claræ. *Vide Bonitas Veritatis.* Nimio calore succi nigrescunt. *Vide Potestas Voluntatis.* Amor transformat.

Odorem malum auget calor, & innatos malos affectus, zelus, nam calor diffundit, stringit frigus.

Nadab & Abiu quia offerunt ignem alienum non datum à Deo consumuntur eodem igne; zelus nimius non est ignis ille quem Christus venit D mittere in terram. Origen. Homil 9. in Leuitic.

Salsus humor oritur ex nimio calore adurente ac liquefaciente intra claustra terræ, sicut vrina nostra, & sudores salsi frequentes reperiuntur, quoniam in profunditate ipsius oriuntur à calore aucto vnione liquefaciente materiam ambustam, vbi ipse considet, nihil foras egrediente, quia loci angustia non permittit. Campan. Physiolog. cap. 6.

Prodest animæ temperatus affectus. vt corpori temperatus calor. *Vide Media Voluntas.*

Quidquid per solum calorem exhalat, id vniuersum, tam in viuis, quam in animatis, fæcem post se relinquit, hanc periti caput mortuum E appellant, quæ fæx sic tosta, carbonem exhibet. Van Helmont.

Nimius zelus est flammeus gladius impediens introitum paradisi.

Sapientia est Deus, & vult non solum dulciter amari, sed & prudenter, alioqui zelo suo spiritus illudet erroris, negligentem scientiam charitatis. Laurent. Iustinian. de prudentia. cap. 6.

Modus diligendi Deum est sine modo. Notandum tamen quod cum nullum finem debeat habere deuotio amantis, tamen terminos suos & fines & regulas habere debet actio operantis. Id. tract. de charitate cap. 9. modus verò diligendi Deum ostenditur Deut, 6. his verbis; Di-

liges Dominum Deum tuum ex toto, corde A tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua Ille etenim Deum ex tota corde diligit, qui eum sapienter diligit; tota anima diligit, qui illum dulciter diligit; tota virtute diligit, qui ipsum fortiter diligit, qui enim Deum diligit sapienter nulla superstitione vel leuitate, vel spiritus feruentioris vehementia metam discretionis deserit. Ibid.

Hoc deerat miseris, Regum pietatem timere & bonorum.

Solent excedere qua se restituunt in libertatem. Vide qua scripsi de iure naturali lib. 2. lege. 14. §. 3. Sic nouiter conuersi solent nimio Zelo laborare, discretione est opus Vide Virtus Medij, discretio.

Religiosus caueat à zelo indiscreto. lib. de institutione & officiis religiosi. parte. 3. cap. 28. De Zelo mentem torquente. libello. de amore patiente. cap. 16. 17.

Viros perfectos sic impugnat Dæmon, vt vitia sub virtutum specie suadeat, Nam sub colore zeli furorem inserit, sub iustitiæ imagine crudelitatem. Laurent. Iustin. lib. de perfectione monastica. cap. 11.

Si quandoque calor in nobis auctus insurgat, adeo qui membra velut adurit, gangrænat & instar ignis escharam facit, vel subinde gliris instar carnes erodit. Ista sunt opera salium corrosiuorum degenerantium à vitali Republica. Van. Helmont. Nimius zelus autorem suum primum torquet.

Splendent spiritus in corpore non lumine igneo, vrente inflammante, & à concentratis radiis conspicuo, sed est lumen formale de conditione animæ sensitiuæ. Idem

Abstinendum à nimio zelo sua tantum æstimante. *Vide Magnitudo Concordantia.* Omnibus humaniter conformari. *Et Duratio Virtutis.* patientia, mansuetudo.

Venena omnia quæ in corpore nostro gignuntur calida sunt & sicca, vt vix pestis sine febre. Si ergo accidentia frigidi veneni appareant, coniici debet venenum fuisse propinatum.

B

ÆQVALITAS VOLVNTATIS.

DEVS VVLT OMNES SALVOS. fieri illisque dat gratias sufficientes.

DICITVR Psal. 80. si populus C meus audisset me, &c. Notandum quod sicut liberi arbitrii facultas populi inobedientia comprobatur, ita quotidiana circa eum promissio Dei, clamantis quodammodo, & monentis ostenditur, cum enim dicit, si populus meus audisset me, ostendit se priorem illis loquutum, non solum per legem scriptam, sed etiam per secretas inspirationes vt dicitur Isay. 65. Tota die expandi manus meas, ad pepulum non credentem mihi, & contradicentem, &c. Cassian. collat. 3 cap 22.

Propositum Dei est, vt nullus hominum pereat, sed vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Timoth. 2. quia non est, inquit, voluntas ante patrem vestrum D vt pereat vnus de pusillis istis. Matth. 18. Viuo ego, dicit Dominus, quia nolo mortem impii, sed vt conuertatur à via sua & viuat: pereunt ergo contra suam voluntatem, vnde continuo proclamat ibidem, Conuertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israël? & iterum Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. & Hier. 8 Quare, inquit, auersus est populus iste auersione contentiosa, indurauerunt facies suas, noluerunt reuerti, ergo gratia Christi omnibus presto est, qui vult omnes soluos fieri, omnesque sine exceptione conuocat Matth. 11. Venite ad me omnes: qui laboratis, & ego reficiam vos, si enim non omnes conuocaret, non essent omnes onerati peccato, vel originali, vel actuali. Id. collat. 12. cap. 8.

Simul in vnum diues & pauper. Psal. 48. æqualiter vocantur.

Deus dat omnibus sufficientem sapientiam. *Vide Principium Cognitionis.*

Quis pater vellet filios suos esse mutilos, & minora quam se membra habere, imo vellet ab illis in omni virtute superari, quia gloria patris est filius sapiens. Creauit ipse medicinam, qua bonitatem suam, sicut solem suum offert bonis ac malis. Paracelsus. lib. de fundamento scientiarum.

Deus præcipit Noë vt exciperet in arca ex omni genere animantium, vt seruaretur vniuersum semen in ea. Gen. 5.

De lumine diuino per totum orbem diffuso. *Vide Concordantia Maioritatis.* Agit in vnoquoque secundum eius dispositionem. *Vide Potestas Medij.* Dispositionis.

Oportet quod corpora cœlestia sint altiora in loco, secundum distantiam à centro, & claudant in se per circuitum alia, quia aliter non vbique per circuitum æqualiter effluerent virtutem ad esse inferiorum. Albert, Mag. tract. 1. de natura locorum cap. 2.

Plantarum figura est vt plurimum rotunda per modũ columnalis corporis, quia altitudo colũnalis competit incremento plantæ, rotunditas autem competit motui caloris viuifici, cuius motus est ex centro ad circumferentiam, hæc etiam figura competit motui nutrimenti quod in strictura angulorũ impediretur. Id. lib. 2. de vegetabil. tract. 1. c. 5.

Digitized by Google

Vide Bonitas Principij. Dei bonitas, de prouidentia & continuo eius concursu *Vide Duratio Principij.*

Qui recipiunt sacramenta eiusdem speciei, cum æquali dispositione, recipiunt æqualem gratiam. D. Thom. 3. q. 69. a. 8. & Bonacina de sacram disp. 1. q. 4. potest quidem Deus æqualiter disposito, maiorem gratiam conferre, sed hic non erit effectus sacramenti, sed donum Dei gratis & liberaliter datum. Ibid.

Ecclesia Christi sponsa, offert sacrificium Missæ pro omnibus fidelibus, licet illi inæqualiter participent pro sua ipsorum dispositione. Id de sacrificio Missæ.

De amore Christi pro omnibus Ecclesia Ludonensis in absolut. quæstion. Biblioth. Patrum, tom. 4.

Christus suscitaturus Lazarum, fremit spiritu, & tota se viscerum commotione conturbat, quia adhuc solum Lazarum, & iam non omnes mortuos suscitabat. Chrysolog serm. 64.

Trismegistus dialogo 12. Sic de Deo. Deus, circa omnia simul atque per omnia, actus est enim omnium atque potentia, nihil etiam est in omni quod non sit ipse Deus.

Cœlum, cum sit causa vniuersalis omnia elementa, quantumuis inter se pugnantia, motu suo, atque lumine conseruat, nullum que ex iis destruit, ita Deus creata à se omnia conseruat. Agens autem particulare virtutem suam ad effectus contrarios extendere nequit, sed cum vnum contrarium conseruat, aliud destruit.

Vt semen non fructificat sine sole, sic anima sine Deo; & sicut non stat per solem, quin in grano frumenti virtutem operetur vitæ sensibilis, sed in agricola, qui non applicat granum soli, modis congruis, ita non stat per virtutem Dei, quin influat nobis quæ sunt necessaria ad ponendam vitam spiritus in actum, si debitam applicationem fecerimus. Card. Cusa. Excitat. lib. 4. cap. 2.

Quomodo libera voluntas cooperatur diuinæ gratiæ. *Vide Potestas Voluntatis.* Liberum arbitrium.

Christus nominatur filius hominis, & non huius aut huius hominis, sed hominis, vt sicut vniuersalitas concipiendi est in virgine, quæ est indeterminata, vt ab illo, aut illo viro concipiat, quandiu adhuc incorrupta est per virum, ita partus virginis est partus vniuersalis, scilicet hominis & non huius, vnde Iesus est Filius Dei, qui est pater vniuersorum. Cardin. Cusa. lib. 4. cap. 8. Christus est filius hominis, vt sit omnium frater & cuilibet volenti proximus Id. lib. 5. cap. 9.

Deus agit vt lux, quæ se communicat omnibus prout est capacitas recipientium, & actus actiuorum. Ibid. cap. 41.

Quamuis anima non semper influat lætam vitam in suum corpus, per eam tamen non stat, sed per indispositionem corporis. Ibid. cap. 54.

Bona futura cuilibet sunt communia & propria, quia quilibet totum possidet, sicut omnes videmus solem, & quilibet totum solem: sic electi qui erunt omnes reges, iuxta illud Apocalypsis, fecisti eos reges, & omnes habebunt regnum & quilibet totum. Ibid. lib. 6. cap. 2.

Trahit Christus, sed non indispositum, A quod enim sol non omnia trahat & lapides minus quam arbores, est quia varia est dispositio trahibilium; disponere se debet anima vt trahi possit, si enim fugit vocantem, & ab inuitante retrocedit, per eam stat, quod non trahatur. Ibid. lib. 10 cap. 5.

Animalia munda & immunda seruata in Arca Noë, & Act. 10. vas è cœlo descendens, plenum variis animantibus, quæ Petrus iubetur edere, ostendunt, Deum non esse acceptorem personarum, &c. sed creatori omnium acceptam fore fidem vel conuersionem cunctorum.

Vide epistolam Fausti Retensis Episcopi contra sectam Prædestinatorum, qui ex libris S. Augustini malè intellectis, de prædestinatione ita disserebant, quasi fatalem quandam necessitatem afferret. Hi damnati sunt in Concilio Arelatensi, Galliæ an. Christi 475. Vide 1. tom. Concil. B Gall. æ.

Christus Iesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit vel erit, cuius natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur. Quod verò omnes passionis eius mysterio non redimuntur non respicit ad magnitudinem & pretij copiositatem, sed ad infidelium & non credentium ea fide quæ per dilectionem operatur, respicit partem: quia poculum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur. Concil. Carisiacum ca 4. an. 848. contra Gotescalcum monachum ex secta Prædestinantium.

Idem statuitur in Conc. Valentino III. co. 2. Malos non ideo perire, qui boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt suoque vitio C in massa damnationis permanserunt. & seq. c. hæc materia de gratia & libero arbitrio fusè tractatur.

Forma substantialis non solum est perfectio totius, sed cuiuslibet partis.

Duplex in Deo voluntas, vna antecedens qua vult omnes saluos fieri & ad agnitionem veritatis peruenire. Alia est consequens, quæ respicit merita nostra finalia, & hac non diligit eos, qui nolunt ad ipsum conuerti. Perbaltus in rosario theologico de amore Dei.

Matth. 13. simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, significat vocationem gentium ex omni D natione. Origen. in d. c.

Omnes quidem ad baptisma accurrunt, non autem omnes eadem hora, sed hic primus, ille secundus, non tamen primus plus accipit, quam secundus, neque hic plus eo, qui post eum accedit, verum eadem omnes assequuntur. D. Chrysost. Hom. 2. in c. 1. ad Roman.

Non Iudæos tantum, sed & gentes Deus vocauit ad agnitionem veritatis. *Vide Magnitudo Virtutis & Magnitudo Veritatis.* Ita dicit Rom. 15. Scriptum est, propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo, psallam, & Gaudete gentes cum populo eius & Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi;&, Erit radix Iesse,& qui exurget imperare E gentibus; in eo gentes sperabunt.

Vnum corpus & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vna spe vocationis vestræ; vnus Dominus vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater omnium

Digitized by Google

omnem, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus. Ephes. 4. Deus vos inquit, ad eadem vocauit, nihil vni plus tribuens quam alteri; omnibus immortalitatem, omnibus vitam æternam, omnibus gloriam immortalem, omnibus fraternitatem, omnibus donauit hæreditatem, factus est commune omnium caput, omnes simul suscitauit & consedere fecit; qui ergo in spiritualibus habemus tantam honoris æqualitatem, cur vnus super alium extollitur, &c. D. Chrysost. hom. 11. in ep. ad Ephes. quæ principem locum magis habent, ea sunt omnium communia, baptisma, saluum esse per fidem, Deum habere patrem, eiusdem spiritus omnes esse participes, si quis plus habet in charismate, ne doleas plus habet laboris, &c. Ibid.

Christus sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis, sicut totum ei debent vniuersi, sic totum singuli, &c. Saluian. lib. 2 ad Eccles. Catholic.

Deus dat omnibus Angelis easdem gratias licet inæqualiter. *Vide Concordantia Potestatis.* Communio bonorum.

Deus non ita communicat suam bonitatem rebus, vt quasdam eligat, quas suæ bonitatis participes faciat, quasdam verò à participatione suæ bonitatis penitus excludat. Sed omnibus dat affluenter, vt dicitur Iacob. 1. Quamuis quantum ad hoc eligere dicatur, quod quibusdam plura quam aliis dat ex ordine suæ sapientiæ. D. Thom. in quæst. disput. de volunt. Dei a. 1. Deus antecedente voluntate vult omnes saluari, non autem consequenti. Ib. a. 2.

Sic ad sibi seruiendum non elegit vnam familiã & gentem, vt Leuitas in antiquo testamento, sed ex omnibus gentibus. Tostat. Num. to. 1. fo. 26.

Causa vniuersales, vt necessarium, sic communem, æqualem continuum influxum sibi subditis inferioribus largiuntur. vide quæ scripsi de iure natural. lib. 1. lege. 8 & Theolog. natur. to. 3. parte 3. cap 3 Deus dat omnibus gratias sufficientes ad salutem. lib. de misericordia Dei parte 1. cap. 13

Fidelis est Deus per quem vocati estis in communicationem filii sui. 1. Cor 1.

Deus omnes à prima ætate vocaret si essent dispositi, quod patet in parabola, Matth. 19. Exiit summo mane conducere operarios. *Vide Duratio Virtutis.* Sera pœnitentia valida.

Christus ex nostra generatus est substantia, si ad naturam nostram descendit, patet quod ad omnes, quod si ad omnes, & ad vnum quemque profectò. Sed quomodo non omnes inde lucrum consequuti sunt, inquies? id certè non illius causa, qui maximè hoc optat, accidit, sed eorum culpa qui eum recipere noluerunt: singulis enim fidelibus per Eucharistiæ mysterium se coniungit & quos peperit, non alii nutriendos tradit, sed ipse studiosissime alit, hac etiam re tibi persuadens, carnem illam tuam assumpsisse, &c. D. Chrysost. hom. 83. in Matth.

Christus in cruce pendens clamauit, Sitio; vos, inquit, volo, vos cupio, vos corpori meo vnire, vos mihi associare sitio; curramus nos vt sitienti Christo, in potum illi præbeamus nos ipsos. Laur. Iust. de triumphali Christi agone cap. 19. Sitis hæc ardore dilectionis, de latitudine nascitur charitatis, aquæ multę populi multi quorum sitiebat salutem. Ibid.

Noli homo cum delinquis bonitatem damnare diuinam, quod suam minimè prorogauit gratiam, quod ad peccatum impulerit, & benè agendi tibi negauerit potestatem; iniquè cogitas dum talia meditaris. Numquid scelerum autor est Deus? an fortè peccatorum fauet voluntatibus malis? Nonne potius illas insequitur, iudicat, punit & damnat. Vult, quantum in ipso est, omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quatenus in omnibus reperiat quod coronet, planè nihil eorum quæ fecit, odit, quoniam quidquid fecit, bonum est; vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, non poterat bonitas, nisi bona facere. Vis scire quis sit bonus? Nemo bonus, nisi solus Deus, &c. Lauren. Iustinian. de contemptu mundi. cap. 8. Ex liberi arbitrii electione peruersa quemadmodum homo delinquit, ita ex electione laudibili efficitur iustus & ad promerendum idoneus; nam secundum arbitrii electionem gratificatur opus. Ibidem.

O quam frequenter ad cordis pulsat ostium Deus, vt ingrediatur ad te, tecum maneat, & suis te participem efficiat delitiis. Insequitur te, quasi tuo ipse Dominus indigeat famulatu, & tanquam sine te nequeat esse beatus, cum re vera tu absque ipso non dico non valeas esse beatus, sed nequidem esse quod es. Id. lib. de obedientia cap. 5.

Habeo potentiam videndi, audiendi, currendi, etiam si actu non videam, audiam, curram, sic habere possum gratiam etsi liberè ea non vtar.

Ab omni in peccatis morante vultus Domini auersus est, non quod tanquam per naturam corporalem, se à quoquam aut auertat, aut referat, sed quod par atque idem æqualiter semper manens vniuscuiusque auxilio pro meritorum diuersitate, aut desit, aut adsit, ex persona enim peccatorum ita scriptum est, Auerte faciem tuam à peccatis eorum. Ps. 50 Auertisti faciem tuam & factus sum conturbatus. Ps. 59. &c. D. Hilar. in Psal. 65.

Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Psal. 118. Per hanc Prophetæ religiosam modestiam quisquam sic impiè loqui audebit. Si omnia à Deo sunt, humana ergo ignorantia caret culpa, cum nihil obtinere possit, nisi quod donatum à Deo sumpserit. At hoc impiæ voluntatis est existimare, idcirco se ea quæ sunt credentium propria non consequi, quod sibi à Deo indulta non fuerint. Omnem occasionem huius impiæ excusationis Propheta submouit; primum enim cum orat conueniens infirmitati suæ egit officium; dehinc Dei muneribus, humanæ deuotionis studia connexuit, cum ait, Legem statue mihi & subiicit. Et exquiram eam semper, officium deuotionis suæ protulit. Idem in Psal. 118 He.

In æternum Domine permanet verbum tuum in cœlo. Ibid. stat ad ostium Verbum Dei, & pulsat ostium animæ nostræ, vt dicit Apoc. 3. Ecce stans ante ostium pulso, si quis aperuerit mihi ostium, ingrediar ad eum. Vult ergo semper introire, sed à nobis ne introeat excluditur. Claudimus enim per corporis vitia animæ nostræ aditum; qui si cœperit emundatis omnibus patere illico introibit modo Solis. Est enim Verbum Dei Sol iustitiæ adsistens vnicuique vt introeat, nec moratur lucem suam apertis aditibus infundere. Ibid. Lamech in æternum manet idest; in sanctis hominibus. Ibid.

Ipsa corporis nostri anima sanis & integris ad-

mixta membris est, & cum eadem fuerint putria & recidenda, non sequitur. Ita Deus toti mundo admixtus & immensus, vitiosis tamen & emortuis operibus non inest. Ibid. Caph.

Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. At contra de nobis dicitur, sic currite vt apprehendatis. non est inuidus Agonotheta noster, nec alterius palma alteri parat ignominiam, omnes Athletas suos desiderat coronari. D. Hieron. ad Lucinium.

Dicit Iesus in Euangelio: Nonne vos duodecim elegi Apostolos, & vnus ex vobis diabolus est? Interroga cur elegerit furem & proditorem. Vis audire rationem? Deus præsentia iudicat non futura, nec condemnat ex præscientia, quem nouerit talem fore, qui sibi postea displiceat, sed tantæ bonitatis est, vt eligat eum, quem interim B bonum cernit, & scit malum futurum, dum ei potestatem conuersionis & pœnitentię iuxta sensum Apostoli: Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, &c. Neque enim ideo peccauit Adam, quia Deus futurum hoc nouerat, sed præsciuit Deus, quod ille erat propria voluntate facturus, &c. Id. lib. 3. aduersus Pelagianos.

Capellas Pontificias per 7. primarias vrbis Ecclesias & Basilicas in quadragesima celebrandas censuit Sixtus V. & alibi per anni circulum. Const. 23. §. 4. Bull. p. 393. to. 2.

Lucianus Dialogo. Iupiter confutatus, introducit Cyniscum contra Iouem disputantem, & asserentem, aliquos iniuste in inferno puniri, cum nemo ex sua voluntate, sed ex prædestinato fatoque impellente peccet. Idem asserunt dicentes Deum ex hominum massa damnata aliquos prædestinare ad gloriam, cæteris præteritis, sic enim non esset illis salus sua deficiente gratia possibilis.

CVILIBET CONDITIONI proposita & possibilis salus à Deo.

Vide *Magnitudo Veritatis*. Non solum Monachis, sed omnibus proposita veritas & virtus.

Nulli deerit centesimus fructus, si in eo quo positus est statu legitimè certauerit. Nam æquissimus arbiter, qui singulorum pensat merita, pro diuersitate vocationum minimè virtuti preiudicat. Non enim ex vocatione, sed ex virtutum operatione quisque sanctificatur. Nam coram Deo vna est iustitiæ libra, quamuis varia sint statuum exercitia in Ecclesia, per quę fideles animę, quotidie reformantur & crescunt. Maneat itaque quilibet in sui status vocatione, nec consideret quid in altero, seu quid agatur per alterum. Recipiet vnusquisque, ait Apostolus, mercedem secundùm suum laborem, sæculo videlicet deditus, & diuino seruitio totaliter mancipatus, &c. Laurentius Iustinian. de compũctu Christianę perfectionis, sub finem.

Etiam Deus virtutes Gentilium remunerat. *Vide Veritas Virtutis*. virtutes Gentilium.

Qualiter in vita sæculari, potest obtineri salus. Vide quæ scripsi moral. Christiana to. 1. parte 1. A *cap. 16. & libro de agnitu Dei in humanis parte 3. c. 1.*

De virtute militum. *Vide Virtus Contrarietatis.*

Oportuit hominum in vita ciuili diuersas esse conditiones, quę geniis in diuersa vocantibus responderent, & humanis necessitatibus variè nos prementibus mederentur. Ita sapientissimus rerum artifex, in ciuili sicut in naturali mundo, actiua passiuis, necessaria liberis & delectabilibus opportunè contemperauit, vt quod vnius egestas expectat auxilium, id vltro cum voluptate se proferens, præstet alterius inclinatio. Sic sub diuerso cœlorum influxu nati, diuersis incumbũt scientiis, artibus, officiis; quibus constat humana societas. Consentit sibi diuina prouidentia, & quæ vult omnium salutem, hanc fecit in omni conditione possibilem. In Deum & proximum charitas, ab ea cæteræ virtutes quibus cœlum emitur, proprium sunt opus mentis, in quolibet vitæ statu ad eas liberæ, & cum voluerit exercitæ scientiis, Mathesi, Agriculturæ, Picturæ, solitariis artibus vita dedita, fluit innocentius, & agendorum habitu comparato, solutus supra fortunam animus, à nullo præpeditur, quin Deo sibique vacet. At magnis populi, negotiorum, fortuitorum tumultibus exposita conditio, qualis est in aula, bello, foro, commerciis, contingit vt plurimum his, quibus planetæ suis in dignitatibus fœliciter constituti magnos inspirant animos, splendidis, etiam arduis, gaudentes. Cum vires his oneribus pares acceperint, non est quod illos, velut negotiorum ponderibus fractos, deiectosque putes ad virtutem & pietatem minus idoneos. C Inest illis magnificus quidam difficultatum omnium victrix genius qui placidè videt varias rerum venientium & abeuntium facies, ordinem illis quem pati possunt, dabit, arte sua, licet materia deficiat, securus; si gaudet, magnis, nouis se supra communem cæterorum sortem efferentibus, vindicet mentis suæ libertatem, vt se totam, puram effundat in Deum, & summam, celebrem, tot sanctis concessam obtineat huius vitæ fœlicitatem, id esse possibile probat Ecclesia, dum celebrat homines cuiuslibet conditionis beatos, duces, milites, aulicos, tandem Reges, qui charitatem, humilitatem, sanctimoniam habuere cum purpura. Vnde si quibusdam in operosis humanæ vitæ functionibus tepescit, vel corrumpitur pietas, non est hoc negotii sed mentis D vitium, quæ talibus imperare nata, se tamen illis seruiliter addicit. Si negotiis fortior est, cur residuas victricesque suas potentias non refert in authorem Deum: cur mauult illas torpescere, quam deificari? si laborantem premunt vrgentium negotiorum onera, cur non trahit spiritum alterna contemplatione? cur leuamen & auxilium non postulat à diuina misericordia semper oppressis propitia. Cuilibet igitur vitę conditioni patet ad pietatem & cœlum aditus. *Ex principiis.*

Multi mundum in astris suis vicere, ne timere viderentur, si hunc fugiendo conficerent.

E De his qui inter delicias & alienas voluptates fuerunt sancti. *Vide Duratio Virtutis*. Inter malos bonus. De Pachutio.

In qualibet conditione homo potest esse Deo gratus. *Vide Differentia Virtutis*. Paphnutius.

In calice vinum & aqua, ne populus qui per aquam significatur, à Christo separatus videatur. D. Cyprian.

Nulla ciuilis & legitima cōditio obstare potest exercicijs charitatis. Vide quæ scripsi. lib. de operibus charitatis. parte 1. cap. 10.

A

ÆQVALIS PARENTUM amor erga liberos.

OPortuit vt animali plures facienti simul natos, plures apparentur mamillæ, vt omnes simul lactari possent. Albert. Mag. lib. 2. de animalib. cap. 3.

Par est in omnes liberos, eademque pietas, sed habet in aliquo plerumque proprias indulgentiæ causas, & salua charitatis æqualitate est quiddam per quod tacito mentis instinctu singulos rursus tanquam vnicos amemus. Hunc primus nascendi locus; alium latior vultus, quosdam probitas commendat; in quibusdam diliguntur calamitates, & damna corporis maiori miseratione complectimur, salua tamen est vniuersitas, cum quicquid in alio cessare creditur, in altero restituit alter affectus. Non intercidunt ista, non pereunt, sed inuicem vincunt, præualent, cedunt. Quintil. decl. 5. Non est pietas æquare liberos iustitia desperationis, & ex hoc quod sucurrere non contingit duobus, orbitatem facere totam. In hac declamatione introducit patrem qui duos habens liberos captiuos, non valens duos redimere, liberat ægrum & luxuriosum, & alteri præfert; nam quomodo dura carceris tolerasset, quem torquere solebat nostra fragalitas: homo apud quem filius sola præualuit gratia calamitatis, non fratrem ubi prætuli, sed quod in te fratri prætulissem; non patris sed fortunæ consilium fuit. Si duos pariter naufragia raperent, illi porigerem manum, quem tam membrorum contentione lassatum fluctus hauriret; si vulneribus confectos remisisset acies, properantius ei clauderem plagas, per quem animam largior sanguis egereret. Non possum de liberis, possum eligere de miseris; etiam mortuum pro funere redemissē. Æger qui tantūdē est pyratis, plus est patri. Secreta conditionis difficultas; Redimi debebat æger, ego te volebam. Cætera lateant. Charior est ex liberis, ille qui moritur, vicit æger, quod non rogabat.

B

C

D

Idem decl. 8. contra patrem qui è duobus geminis eodem latente morbo laborantibus, vnum permisit à medico occidi, vt alter sanaretur. Inter duos, inquit, liberos pari desperatione languentes, da bonum patrem; non præponderabit alter vtrum non eliget, sed vt incertum, orbitatis euadat, ipse morietur.

Nisi terra esset spherica non possent aquæ ex qualibet parte in mare se diffundere. Æquidistantia peripheriæ à centro facit lineam circularem.

Sol sub linea æquinoctiali terras positas, tam in Oriente, quam in Occidente fertiles efficit auri, gemmarum, rerumque pulcherrimarum.

Locus dicitur firmamentum quia est immutabilis. *Vide Medium Durat* Locus propterea habet longitudinem, latitudinem, profunditatem incorporaliter, quo possit corpora longa, larga & profunda absque mutatione corporali concipere, quibus quidem omnibus est similis & proportionatus; enti nulli contrarius, sed omnibus vndique persimilis. Campanella in epilogo physiologiæ cap. 1.

Patri vel matri superstiti, ius non competit eligendi vnum ex filiis in quem lucrum nuptiale transferat in solidum, sed id ex æquo seruandum est liberis omnibus. Nouel. 2. cap. 1. & ibi Cuiac.

Idem. Iustin. Nouel. 21. reuocat legem Armenorum qua fœminæ non succedebant parentibus, dotem non habebant, sed emebantur à maritis, sic exhonorabant naturam & fœmineum genus, quasi non à Deo factum nec seruiat natiuitati; præcipit igitur æquo iure fœminas vt mares ad parentum successionem admitti.

Oportet quidem præponi filios quos pater voluerit, non tamen in tantum minui alios, vt importabilis sit eis imminutio; itaque cæteris salua debet esse legitima pars habita ratione bonorum antequam pater immensis donationibus exhauriretur. Nouel. 97.

Portio virilis dicitur æqualis, quia hæreditas paterna cum inter liberos æquali sorte diuiditur, virilis portio est. Tostat. Gen. fol. 34.

Lumen suam extensionem vel motum à subiecto non repetit; hoc habet cum naturis spiritualibus commune, vt totum sit vel in minutissima sui subiecti portione. Nullum est punctum in aëre, in quo tota solis imago non colluceat.

Marculphius primus contra legem Salicam, qua filiæ cum fratribus non succedebant in hæreditatem patris, voluit filiam suam ex æquo cum illis succedere. Vide Cuiac. Obser. lib. 8. cap. 14.

Quare parentes magis probis filiis aliquid supra cæteros largiantur. *Vide Gloria Virtutis.* Ex D. Chrysost.

ÆQVALIS AD omnes charitas.

VT intellectualis cogitatio sit sine discretione verborum aut idiomatum. Sic affectus charitatiuus se diffundit sine discretione personarum.

Vide Æqualitas Medii. Commune medium.

Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Coniungi vult inter nos absque connecti, per mutua beneficia charitatem vt id vnoquoque præstante alteri, quod sibi ab omnibus præstari vult, communis sit vtilitas hominum; præmium nobis pollicetur, si nos inuicem diligamus, idest si nobis ea præstemus inuicem, quorum vicissim indigemus, & nos superbo simul & ingrato animo, eius renitimur voluntati, cuius etiam imperium, beneficium est. D. Hierom. epist. ad Celantiam.

Et si Gregor. XIII. & S. V. prohibuerint sub pœna excommunicationis receptare bannitos & viarum grassatores, tamen Nauar. cons. 57. 59. & 68. de sent. excommun. tenet pœnam hanc non incurrere eos qui dictos bannitos quo ad victum adiuuant in extrema necessitate, faciendo eleemosynam vel aliud opus ex se bonum, ad finem conuertendi & pœnitendi

E

Vrgente necessitate omnibus hominibus debetur auxilium. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ. parte 1. cap. 3.

Vide Virtus Æqualitatis Iustitia.

Spiritus in corpore mouetur sursum, deorsum, & ad latera, vt prouideat omnibus corporis partibus. *Vide Gloria Medii.* Illustre medium.

Digitized by Google

d. quod es, semper te esse cogita. Stultum est eorum meminisse, propter quæ tui obliuisceris, &c.

Pisces habent certas sedes. *Vide Differentia Potestatis* Distincta dominia.

A Tuta consilia præpone maiori expectationi, & vtilia ambitiosis quæ tot modis euertuntur, vt inter mala reponi possint: paucis naturæ fit satis, ad superuacua sudatur. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 127.

MAIORITAS VOLVNTATIS.

MAIOR CIRCA QVÆDAM AFFECTVS. Bonus.

APPOLLONIVS totum mane, idest meliores diei horas concedebat soluendis suorum discipulorum quæstionib. à meridie cæteris se concedebat. Philostr. in vita Appolonij. lib. 1. cap. 12.

De maiori affectu ergà suos. *Vide Concordantia Æqualitatis.*

Meliora eliguntur, expulsis nociuis, aut minus bonis. *Vide Differentia Minoritatis.*

Plato existimauit motores orbium, quos Deos vocat; esse potius in stellis, quam in aliis partibus orbis. Albert. Magn. tract. de natura & origine animæ. cap. 7.

Laborantibus magis fauendum. *Vide Gloria Minoritatis.* Salus ex humilitate.

Quomodo pater potest vnum ex filiis plus amare. *Vide Æqualitas Principij.*

Deus dicit Israëlitis. Eritis mihi populus peculiaris præ gentibus omnibus. Exod. 19. sic Leuitas elegit præ cæteris tribubus.

Magnes omnem aliam materiam immotam dimittens, ferrum tantum ad se trahit.

Licet sacrificium Missæ sit infiniti cuiusdam meriti extensiuè, itaut possit pro innumeris offerri, est tamen speciale meritum pro eo pro quo specialiter offertur. Bonacina de sacrificio Missæ.

Dispensatio facta à superiore sine iusta causa, valida est, sed non licita. Idem. de dispensat. punct. 3.

Causæ dispensationis ad tres potissimum reducuntur, scilicet vtilitas communis vel priuata. 2. necessitas communis vel priuata 3. est pietas. S. Pontifex facilius coucedit dispensationes principibus in impedimentis matrimonii, quia hinc sequi solet bonum publicum; & quia talibus beneficiis affecti magis feruntur ad Ecclesiæ defensionem. Ib. propos. 3. *Vide Maioritas Potestatis priuilegium.*

Eius est priuilegium concedere, à quo lex fieri potest, cum priuilegium sit quædam legis dispensatio. Id. de priuilegiis.

Vnus proximus magis diligendus est quam alius vt qui est coniunctior hoc ordine pater, mater, vxor, filii, fratres, &c. hic tamen ordo potest præuerti ab rationabiles causas, videlicet, accepta beneficia, extrema necessitas; si personæ sint

B publicæ, &c. Idem. de charitate proximi. puncto. 5.

Ex mari sol eleuat subtiliores partes in vaporem, vnde fiunt aquæ pluuiæ dulces, relicta salsedine, sic calor naturalis ex humido in corpore, & remanet salsa vrina; sic plantæ sugunt conuenientia sibi alimentum; animalia cibum sibi conueniens eligunt, &c.

Apud Indos, seu idololatras, seu Mahometanos, licet licitum sit plures habere vxores, inter omnes vna præfertur & habetur cæteris præstantior, vnde procedunt legitimi hæredes.

Salomoni fuerunt vxores reginæ. 70. concubinæ 300. 3. Reg. 11.

C Petrus Damiani opusc. 9. probat vnicuique homini, ex virtutibus vnam eligendam cui seruiat, & in qua perficiatur, eam scilicet ad quam maiorem habet aptitudinem.

Quamuis Deus non possit aliquid eorum quę fecit odisse, potest tamen vnum quod sit ei magis simile, plus diligere quam aliud, sicut pater vnum ex filiis suis, licet omnes diligat. Hęc autem creatura debet esse intelligibilis, vt possit ipsum intelligere & amare, sicut ipse se cognoscit & amat. Card. Cusa. Excitat. lib. 5. cap. 17.

Humanitas à verbo assumpta & suppositata, est omnium creaturarum nobilior & supremo beneficio donata; maximum opus diuinę bonitatis, sapientię, potentiæ. Suscitabo prophetam. Deut. 18. Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. Matth. 17. Vnus est magister vester Matth.

D 23. Filius vnicus qui est in sinu Patris ipse enarrabit, &c. voluit Deus sic in vnum gratiarum plenitudinem omnem conferre, ne in plures affectus nostri diuiderentur; sed per vnum vni Deo conciliaremur. Vni se essentialiter communicauit, & vt sit vnus, in Eucharistia multiplicat præsentiam, non essentiam.

Rex Ægypti ex duobus Eunuchis qui in ipsum peccauerant, vnum liberat, alium iubet suspendi. Gen. 40. duo in agro, vnus assumetur, alter relinquetur. Matth. 24. Luc. 17. Roman. 9.

Cum vngitur Saül, dicit Deus Samueli, Sume lenticulam olei; cum autem vncturus esset Dauid, dicit, Imple cornu tuum oleo, abundantiam gratiarum significans. Rupert. 1. Reg. c. 23.

In his quę ex gratia dantur potest aliquis pro debito suo dare cui vult plus aut minus, dummodo nulli subtrahat debitū, absque præiudicio iustitiæ.

Cœlestia

Digitized by Google

Cœlestia melius influunt in materiam melius dispositam. *Vide Potestas Medii.* Dispositionis.

Deus magis est diligendus quam cætera omnia extensiue, itaut præferatur omnibus & intensiuè idest maiori affectu; sufficit secundum Scotum quod hæc affectio dilectionis Dei, sit super omnia quantum ad firmitatem non quantum ad feruorem & dulcedinem, quia naturaliter quidam magis afficiuntur erga parentes & liberos. Perbattus in rosario Theologico voce affectus.

Quod bonum est præ cæteris eligendum. *Vide Maioritas Bonitatis.*

Fames canina solet oriri ex nimia præcedenti virium resolutione, impletis etiam visceribus non satiata.

Excellens quibusdam collata gloria. *Vide Maioritas Gloriæ.* Bona.

Qui adhæret Deo, vnus cum eo spiritus efficitur, eius itaque respectu ordinata est charitas, vt post Deum inter nos ordo ponatur. Primum mandatum est, vt diligamus parentes, secundum vt filios, tertium vt domesticos: si autem filius malus est, & domesticus bonus, domesticus in charitate filii collocetur, & ita fiet vt sanctorum ordinata sit charitas. Origen. hom. 2. in Cant. Quod sancti Deo similiores vitæ merito sint cæteris præferendi. Vide 1. hoc tit. nimius circa quædam amor. Rationabilis enim creatura si æqualiter diligenda, eo magis diligenda, quo magis est rationabilis. Ab ipso Deo capiamus exemplum, nihil odit eorum quæ fecit, non tamen similiter dilexit Ægyptios ac Hebræos; Pharaonem & Moysem; qui fecit omnia in pondere, numero & mensurâ, secundum meritum vnius cuiusque, dilectionis suæ temperat libram. Ibid.

Math. 13. Christus dimissis turbis, venit in domum suam cum discipulis suis, simus familiares & domestici Iesu vt ab eo doceamur. Origen.

Negligere debet gemmarum & auri splendorem, qui stellas & Solem est contemplatus.

Quod est melius simpliciter in aliquo casu potest esse minus eligendum, sicut Philosophari est simpliciter melius quam ditari sed in tempore necessitatis ditari est magis eligendum, & aliqua margarita est carior vno pane, & tamen in casu famis panis præfertur margaritæ: secundum illud Iere. th. 4. Dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. D. Thom. quodlibet 1. a. 14. sic quamuis docere & prædicare sit excellentius quam Sacramenta administrare, tamen vrgente necessitate cessandum à studiis vt Sacramenta ministrentur, maximè si sit id ex officio. Ibidem.

Pauperi in extrema necessitate constituto, si alium minus indigentem præferas in eleemosynæ distributione, est acceptio personarum illicita. Tostat. in Matth. to. 6. 33 c. 4. f.

Cum omnes ratione speciei simus equales, æqualiter sub ea ratione debent diligi, tamen inter virtutes ciuiles & morales refertur amicitia, quæ est inter duos aut paucos.

Omnibus dantur Angeli custodes, sed singulari Dei misericordia aliquibus digniores & vigilantiores. Tostat. Matth. to. 5 fo. 267.

Christus volens interdum Gentiles curare, volebat à Iudæis rogari, ne videretur ad vtrosque æqualiter se habere. Id. Matth. to. 4. fo. 143 c. 2. a.

In extasi anima relinquit naturalia pro diuinis. *Vide Differentia Potestatis.* Diuersa diuersis officia.

Quando medium imaginis accedit ad vnum extremorum, tanto magis recedit ab altero. Tostat. Matth. to. 7. fo. 191.

Res vilis intellecta non vilificat intelligentem, benè tamen vilificat volentem. Idem Matth. to. 3. fo. 261.

Obiectum charitatis est natura rationalis in qua inuenitur multa differentia, quia ibi est Deus, Angelus, homo, & in his rursus multa inæqualitas; ideo potius in charitate, quam in aliis virtutibus considerandus est ordo. Idem Matth. to. 6. fol. 142.

Matth. 20. Pater familias his qui primo mane venerant in vineam suam dat pretium de quo conuenerat; his autem qui circa vesperam venerant dat parem mercedem. Primis dedit ex iustitia, vltimis ex liberalitate, quæ non recipit æqualitatem & proportionem vt iustitia; sed pendet à dantis voluntate se vt libuerit largius effundente. Id. Matth. to. 5. fo. 175.

Deus maximè prouidet hominibus & regnis. Vide quæ scripsi Theolog. natur. tom. 3. parte 2. cap. 11. 12.

Dum vnum præponit Deus alteri, nemini derogat, & æquissimè agit, sua in se id ordinante sapientia, hominibus quidem ignota, Deo autem ipsi sine ambiguitate notissima. Eligit puerum Dauid præ cæteris fratribus & dicit Samueli, inueni hominem secundum cor meum; futurorum Dominus præscius, qualis futurus erat, prædicabat, prædicando eligebat, eligendo arcana eius iudicia palam exhibebat. Laurent. Iustin. serm. de S. Matthia.

In Canticis. sexaginta sunt reginæ; octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus; vna est columba mea, perfecta mea.

Anno Christi 34. Iudei habitantes in Græcia, conquæruntur quod eorum viduæ contemnerentur in ministerio quotidiano & postponerentur viduis habitantium in Ierusalem, natiuæ præferebantur externis, & super hoc nihil decisum refertur à Concilio, quasi probaret quod fiebat.

Anima licet per totum corpus ad minimas vsque partes sit diffusa, priuatam tamen & regiam in eo sedem obtinet. Sol totum cœlum illustrat, via tamen illi solum est per Zodiacum.

Vide Cognitio Bonitatis. Discretio boni à malo, & electio.

Magis laborantibus citius auxiliandum. *Vide Æqualitas Voluntatis.* Æqualis parentum amor.

Quædam loca Deus præ cæteris eligit. *Vide Gloria Principii.* Templum.

Charitas est ordinata, & in largitionibus vnum alteri profert. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ parte 2. cap. 1.

FAVOR PRINCIPVM.

Minimæ partes terræ contingunt centrum; quibus cæteræ coniunctim quiescũt, quasi ipsæmet contingerent, hinc elementa sibimet non sunt grauia. Vnius consanguinei gratia cæteris prodest.

Non est inconueniens aliquos homines præcedere Angelos in præmio essentiali, & in præmio accidentali. Tostat. Matth. to. 5. fo. 166. c. 4.

Vide Gloria Minoritatis. Humilitas exaltata.

Israël dicitur populus & hæreditas Dei. Id. 1. Reg. to. 1. fo. 173.

Vide Principum Gloria. Princeps dat honorem.

Vide Concordantia Maioritatis. Societas cum excellentioribus.

Cum ascendens subiecti fuerit culmen genituræ principis, & Dominus ascendentis subditi, eleuatus supra Dominum ascendentis principis, & planetam in sexta vel duodecima eius, tunc princeps ille subditi sui parebit imperio. Cardan. Apho. sect. 2. Aph. 178.

Plurimum potentię apud regem est, cum Dominus cœli medii aut loci Solis subditi, potens fuerit in figura regni aut regis. Ibidem Aphoris. 179.

Venus in corde Solis ingentes largitur dignitates. Ibid. sect. 3. Aph. 49.

Luna in Aquario & Piscibus, gratum minimè facit natum principibus. Ibidem sect. 5. Aphoris. 57.

Cum Dominus ascendentis aspexerit Solem benigno aspectu, vel fuerit orientalis, proximus Soli, vel iunctus domino medii cœli, natus à regibus diligetur; causam autem habebis ex natura Domini ascendentis ipsius, ac illius loco. Ibid. Aph. 90.

Fauore principum quomodo benè vtendum. Vide quæ scripsi moralis Christiana to. 4. parte 1. cap. 26.

Ex anima & corpore constat homo, ex terra factum est corpus, anima ex nihilo creata etsi nobilior. Præstantius videtur fauore principis, quam generis nobilitate subleuari.

Amynthas in iudicium vocatus quod fuisset amicus Philotæ reo maiestatis nuper conuicto & occiso. Amicitiam, inquit, cum Philota non inficior, vt expetisse quoque nos, magnosque ex ea fructus percepisse confiteor. Tu Hercule, si verum audire vis, Rex, huius nobis periculi causa es, quis enim alius effecit vt ad Philotam decurrerent qui placere vellent tibi? ab illo traditi, ad hunc gradum amicitiæ tuæ ascendimus. Is apud te fuit, cuius & gratiam expetere, & iram timere possemus. An non propemodum in tua verba, tui omnes te præeunte iurauimus, eosdem nos inimicosque habituros esse, quos tu haberes? hoc Sacramento pietatis adstricti auersaremur scilicet, quem tu omnibus præferebas. Igitur si hoc crimen est, paucos innocentes habes, immò hercule neminem; omnes enim amici Philotæ esse voluerunt, sed totidem quot volebant, esse non poterant, Q. Curtius lib. 6.

NIMIVS AMOR ET personarum acceptio.

PLurium gratia ac venustate demulcendus est Principis animus, ne in vnum toto impetu propendeat. Hinc enim infuscata maiestas, & quassatæ regni vires, opesque, dum tot infœlicium miseriis saginatur vnius fœlicitas.

Caueat princeps ne in vnum prodigus, in omnes sit iniuriosus; dona in vnum coacta, vt semina, depereunt; mediocria beneficia debitores faciunt, ingentia inimicos, dum non habent amplius quod petant. Dare paucis, quod eripias omnibus, nihil habet magnificum; reuerenter habendus est, tot mortalium sanguis.

Arist. 5. Politicor cauendum dicit Principi, ne totam regni curam vni committat, sed in plures imperia, dignitatemque diuidat, vt alii alios obseruent; opinionum, quæ videtur diuersitas, consilium est, decor & salus regni, sic Deus mundum etiam ex antithetis honestat. Exod. 17. Iussu Dei, Moyses elegit non vnum, sed plures, qui iuuent ipsum in regimine; salus populi, tanta res est, vt vni capiti non videatur committenda. Non est fas marito vxorem amico prostituere, nec principi dominationem à Deo sibi commissam, de publico decidit, quidquid vni prolixius impenditur; non sunt fida erga regnantem obsequia, vbi per alium regnatur, si quid benè gestum est, totam minister occupat gloriam, & nescio quid per singulos dies de corona decerpitur, facile contemnitur Princeps à quo nihil potest sperari; cum se sua vni tradiderit, in eius arbitrio est, non tantum vt imperet, sed vt viuat.

Tiberius Seianum non nisi trepidando diruit, qui mole magnitudinis omnes oppresserat. Hinc rebellionum semina; nihil æque pestiferum regnantibus, quam sibi pares facere, quos postea superiores habeant. Amor voluntaria quædam est peregrinatio à se; at quis ferat à se & à regno exulem, qui debet non tantum interesse, sed & præesse. *Vide Maioritas Medii.* De medio potentiori quam deceat.

Exitiale imperiorum virus, vnum aliquem habere, in quem se totū Princeps transfundat. Vnius sæpè dignitas omnium contumelia est, inde cæterorum indignatio, inde liuor, & desperatę virtutis ignominia, cum fauor sequitur indignos, & marcido capiti laureæ imponuntur quibus oportuit generosiorum ornari frontes, tegi vulnera fortiū.

Excelsæ potentię genus est, facere etiam potentes, sed cauendum ne quid supra nos, ne quid contra Rempublicam possint.

Virgultæ quæ circa arborum radices enascuntur, cæteris sunt exitio, quia totam arboris substantiam ad se trahunt.

Dæmon sub prætextu charitatis erga propinquos, efficit vt nascatur auaritia, non enim ipsi cura est de propinquis, qui sæpè docuit fratrem, matrem, & patrem occidere. Vitæ Patrum lib. 8.

Hadrianus Cæsar dixit non pertinere ad principum dignitatem, atq; fortunam, amori amplius, quam virtuti concedere. Cum Augustus filios suos populo commendabat, adiicere solitus erat, si merebuntur. Petrus Crinitus de honesta discipl. lib. 2. c. 4.

De vi amoris nimia & morbosa. *Vide Potestas Voluntatis.*

Antiquitus pueri educandi dabantur patruis, in quorum fide par securitas, nec amor nimius iudicium peruertit, nec seueritatem frangit, vnde illud Persianum, cum sapimus patruos. Cardan. lib. de rerum varietate cap. 44.

De illicita personarum acceptione. *Vide Æqualitas Voluntatis.* Æqualis charitas ad omnes; est cum quis personam non causam considerat. Tost. in Deut. p. 6. c. 3. f. & cum præter modum legibus dictum procedit.

Lege Iulia prohibetur ne reus vel accusator ex occasione secreti domum iudicis adeant. l. 1. Cod. Theodos. de offic. iudi. ciui. Cuiac. obs. lib. 6. c. 34.

AMOR CRESCIT semper & proficit.

VIde supra Duratio Cognitionis. De assidua rerum diuinarum meditatione, sine satietate. Et Maioritas Virtutis. Profectus Virtutis.

Ignis debet esse perpetuus in altari. Leuit. 6. Charitas nunquam excidit, imo acrescit mentibus post hanc vitam. Æterna quippe contemplatione, agitur, vt omnipotens Deus, quo magis fuerit agnitus, eo amplius diligatur. Rupert. in Leuit. lib. 1. cap. 29

In motibus appetitiuæ virtutis est quædam circulatio, quia vis appetitiua, sicut & apprehensiua reflectitur super suos actus: appetibile enim mouet appetitum, faciens quodammodo in eo. eius intentionem, & appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, vt sit ibi finis motus, vbi fuit principium.

Amice ascende superius. Ascensus iste est progressus diuini amoris qui est abyssus interminabilis, & ideo infinitis gradibus ascendere poterimus per amorem practicum, in amorem fruitiuum. Harphius.

Nunquid mox vt nascitur charitas, iam prorsus perfecta est, imo vt perficiatur nascitur, cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata perficitur, cum ad perfectum venerit, dicit; Cupio dissolui & esse cum Christo. D. August. super canon. 5.

D. Bonauent. lib. de 7. itineribus æternitatis. dist. 5. sex constituit gradus charitatis seu amoris gratuiti. 1. Incomparabilis vt supra omnia Deus diligatur. 2. incontaminabilis, fugiens id omne vnde posset contaminari. 3. infatigabilis, animam non sinens quiescere donec inueniat quem diligit. 4. Inseparabilis, dicit Deo, non dimittam te nisi benedixeris mihi, & nunquam dimittam te, quia non benedicis nisi timentem te. 5. inseparabilis qui est martyrum & dura patientium, cum amanti nihil graue. 6. insatiabilis. quo plus bibit, plus sitit. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.

NIMIVS PARENtum amor erga liberos.

QVi sollicitè nimis liberis suis quærit diuitias, illas incertæ custodiæ committit, satius est vtrumque prouidentiæ committere; dicit Deus, mihi vindictam, & mihi curam & ego retribuam; electus à te, ad tutelam filiorum, eam maiori benignitate excipiet. vt Elias 3. Reg. 17. viduæ dedit bonorum abundantiam, quia ipsum propriis filiis prætulerat, quid tibi non sperandum à Deo. Si vis eos diuites relinquere citra periculum, relinquito eis Deum debitorem. Gratiam habet Deus cum nobis debet, & quo plus debet magis amat, cui restitutio & grata & facilis, amanti, omnipotenti; amat enim nostram salutem, pecunias igitur contemnamus, ne contemnamur à Christo; qui vult diues fieri, fiat pauper, insumat vt colliget; spargat vt congreget, eo semente cœlum tanquam agrum colimus; &c. D. Chrysost. Homil. 7. in fine in cap. 3. ad Roman.

Non propterea nobis dedit Deus filios, vt aliena raperemus. Vide ne hos dicens Deum irrites. Nam si dicis eos esse tibi autores & causas rapinæ, & quod propter illos pecuniæ colligendæ inhies, timeo ne eis pueris, vt qui lædant & insidientur. Deus dedit tibi filios vt tui curam gerant in senectute, vt virtutem à te discant, &c. Id. Homil. 10. in 1. Thessal.

Hic nimius parentum amor non debet eos auocare à piis legatis faciendis. Vide Virtus Finis Pia legata.

D. Grego. Nyssen. lib. de iis qui præmaturè abripiuntur, dicit præsciam Dei prouidentiam, hæc immatura funera permittere, vt tollatur parentibus occasio quærendi bona liberis per fas & nefas inexhausta cupiditate, & vt liberis subtrahatur tempus & materia talibus abutendi. Vide Media Duratio Mors iuuenis.

De nimio parentum amore, ad quærenda liberis bona. Vide quæ scripsi. lib. de agente Dei in humanis. 3 cap. 5. & lib. de operibus misericord. 4. parte 1. cap. 24.

De his qui auertunt liberos suos à religione, quibus liberi debent non obedire. Vide Contrarietas Principij. Actio licita in parentes. Et Concordantia Æqualitatis. Rep. Nimius parentum amor.

Potius damnari eligunt, quam filios suos post se in egestate relinquere, mali tam perniciosè filios suos diligunt, quam se; qui enim sibi nequam est, cui potest esse bonus, sibi nociuas, filiis nocituras, & in animæ perditionem ducentes relinquunt diuitias, Merito in contemptum & obliuionum hæredum suorum veniet, qui carnem spiritui, prolem suam Deo prætulit, &c. Laurent. Iustinian. lib. de spirituali animæ resurrectione.

D. Hieron. ad Eustochium in Epitaphio Paulæ matris. Testis est, inquit, Iesus, ne vnum quidum nummum ab ea filiæ derelictum, sed derelictum magnum æs alienum, & quod his difficilius est, fratrum & sororum immensam multitudinem, quos sustentare arduum, & abiicere impium est. quid hac virtute mirabilius fœminam nobilissimę familiæ, magnis quondam opibus, tanta fide omnia dilargitam, vt ad egestatem penè vltimam perueniret. Nemo plus dedit pauperibus, quam quę sibi nihil reseruauit. Secura esto Eustochium magna hæreditate ditata es; pars tua Dominus.

NIMIVS AMOR circa quosdam.

MOrtuo Claudio, testamentum quo Nero ad imperium vocabatur non est recitatum, ne antepositus filio priuignus, iniuria, & inuidia, animos vulgi turbaret. Tacit. 12. annal. in fine.

Prometheus ob nimium erga homines amorem, dicitur Caucaso alligatus, suaque viscera à vulture depasci Philostrat. in vita Apollonii lib. 2. cap. 1.

De inordinato sui amore. Vide Voluntas Bonitatis. Mala.

Cardan. de rerum varietate lib. 1. cap. 3. loquitur de regionis circa polos terra nigra, quæ cum sit bituminis & petrolei particeps, ceræ lentore & vsu non absimilis, ardet vt candela; similis ferè est terra Scotica.

Ordinauit in me charitatem. Cant. 2. Est contra

ordinem in aliquo charitas, cum aut id diligit quod non debet, aut quod debet diligit, sed plus iusto diligit, aut minus iusto. Membra salter utrum sumus vt inquit Apostolus. 7. Corinth. 8 ita quæ sunt in corpore membra magis honorabilia, vt quæ laborant pro verbo Dei, cæteris sunt præferenda. Origen. homil. 1. in Cantic. & huic ille qui vitæ merito & sanctitate Deo similior & proximior est. Iubemur inimicos diligere, sed eos maximè & plus cæteris, qui cum sint nobis infensi, in aliis tamen benè agunt, pudici, sobrii, Deo seruientes. Id.

Debet qui aliquem diligit naturas & causas considerare dilecti, & non plus eum diligere quam meretur; Nam si mensuram charitatis mo- B dumque transcenderit, & qui diligit & qui diligitur in peccato erunt. Ideo Ioannes dicit, Non sum ego Christus. Id. homil. 25. in Lucam.

De acceptione personarum illicita *Vide infra Æqualitas Voluntatis.* Æqualis charitas ad omnes. Non est acceptio personarum, nisi quando quis tenetur ad certum modum. Tostat in Matth. c. 6. 33. c. 1. d.

Iustitia liberalitatem sic ordinat, vt non omnia vni, sed singulis quædam præstet, vt pluribus prodesse possit, iuxta illud Psal. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Laurent. Iustinia. de Iustitia. cap 5.

C *Amor si excedit torquet, temperatus ad omnia fœlix est. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 15. §. 4. Caueat Religiosus à nimio circa quosdam affectu lib. de institutione & officiis Religiosi. parte 3. cap. 31.*

Caue ne omnino te ostentes, seu verbis seu diligentiæ specie in amicis adiuuandis, nam vt plus niteris, forsan minus præstabis. Etsi non successerit res, palam hoc adulatorem aut impotentem declarabit, horum altero contemneris, altero eris odiosus, quod si obtinuerit, videberis aliis, quibus ille se debere etiam plurimum putat, beneficij meritum & amici gratiam erga illos eripere velle. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 41. D

NIMIVS AMOR RERVM minimarum.

CRassus murænam cicurem, mortuam luxit. Plutarch lib. de industria animalium.

Nullus est, quisquis est multus, & proximum est desidiæ occupari futilibus. Maiestatis diminutio est, ordinare quæ non decet.

Vide Veritas Gloria Rep. fœlicitatis humanæ vanitas.

Fratres nolite pueri effici sensibus. 1. Cor. 14. E Pueri parua quidem hianti ore stupent & mirantur, rerum autem valdè magnarum non tanta tenentur admiratione. D. Chrys. hom. 36. in 1. Corinth.

De re parua combustibili, fit magnus ignis.

Intelligentem non vilificat res vilis intellecta; sed benè voluntatem. Tostat. Matth. to. 5. fol 79. & to. 3. fol. 261.

A

PASSIONVM DAMNA.

REctè sensit Origenes, nihil referre inter dæmoniacum, & alium passionibus suis agitatum, nisi quod dæmoniaco, pœna sola est hæc vexatio, quæ alteri ad culpam detestabilem imputatur, citat. Gerson tract. de paruulis ad Christum trahendis.

Amara natura sua, dulcia efficimus melle aut saccaro, rationem & amorem natura dulcem, corrumpimus, & amarum facimus.

Quæ cædebant in holocaustum mascula erant, virorum enim est perfectio: quæ verò pro peccato mactabantur, fœminea. Nam si quæ in nobis est princeps facultas animi, debilitata fuerit, imperant affectiones. Theodoret. in Leuit. quæst. 1.

De animi perturbationibus. Cicero Tuscul. 4.

Putrefactio, fit ab externo calore. *Vide Minoritas Voluntatis.* defectus charitatis. est in homine passionibus dedita voluntas, velut equus rebellis, qui retrocedit cum pungitur. Card. Cusa. Excitat. lib. 5. c. 13.

Pluit super peccatores laqueos, ignis sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Psal. 10.

In omni passione animæ aliquid additur vel minuitur à naturali motu cordis; & ratione transmutationis corporalis annexæ dicitur passio. Passio autem ad defectum pertinet, quia est alicuius, secundum quod est in potentia. Vnde in his quæ appropinquant primo perfecto scilicet Deo, inuenitur parum de ratione potentiæ & passionis. Interno simul & externo bello concutimur.

Passiones sunt in homine partes bruti. *Vide Media Virtus.*

Cardanus lib. 1. de rer. varietate cap. 1. dicit populos magis ab æquinoxiali distantes & polis viciniores, magis etiam suis passionibus obtemperare propter vehementem aëris mutationem, quæ ob magnam dierum cum noctibus diuersitatem atque vicissitudinem contingit, Ideoque dicuntur barbari, non quia careant ingenio, vrbanitate, delitiis, sed quia suis affectibus nesciunt imperare, qui vehementes sunt, nam difficilius est equum currentem, quam ambulantem retinere.

Ibid. cap. 40. dicit affectibus corporis grauiores esse affectus animi, eo quod in parte principaliore, & non tantum pro præsenti tempore, sed etiam pro præterito & futuro afficiant, at præteritum longe maius est præsenti, futurum autem cum termino non comprehendatur, imaginem habet infiniti corporis dolores animi viribus possunt cohiberi, animi autem à corpore nequaquam.

Non desiderat fortitudo aduocatam iracundiam, satis est instructa, parata, armataque per sese, sic enim liceret dicere vtilem vinolentiam ad fortitudinem, vtilem etiam dementiam, quod & insani & ebrij multa faciunt vehementius. Cicero.

Tres furiæ sunt tres passiones hominum corda perturbantes: Ira quæ vindictam cupit, cupiditas quæ desiderat opes, libido quæ appetit voluptates. Isidor. Origin. lib. 8. cap. vlt.

Dixit, Deus Faciamus hominem ad imaginem nostram; non ergo vt irascatur, concupiscat, & mœreat, perturbationes enim non cadunt in ima-

Digitized by Google

ginem Dei, sed ratio perturbationum moderatrix & domina vnde dicitur vt præsit piscibus maris, volatilibus cœli, & bestiis terræ, libidini, superbiæ cæteris concupiscentiis. D. Gregor. Nissen. orat. 1. faciamus hominem. Cur ergo perturbationibus seruis? cur rerum constitutus princeps, naturæ tuæ grauitatem proiecisti? cur non potius principatu, tibi à Deo tradito, gaudes & gloriaris. Cum enim ab aliqua perturbatione victus es, illa tibi imperat, & tu bestiis non dominaris. Id.

Passionibus obsequi, hoc est in Idololatriam incidere. *V. Gloria Principij. Repug.* Idololatria.

Cum morte affectuum turba introiit, vt mortalitati subsidium aliquod afferret. Concupiscentia peccatum quidem non est, at cum ea modum B non seruat, non sustinens se intra nuptiarum leges continere, sed ad alienas vxores desultoria se transferens, tum res ea in adulterium erumpit, non ab ipsa quidem concupiscentia, sed ab illius immodica cupiditate. D. Chrysost. homil. 13. in epist. ad Roman.

De vtilitate passionum si modum non excedant *Vide Magnitudo Voluntas.*

Apud Romanos inter sacerdotes augures, non recipiebantur personæ quæ morsum aliquem aut perturbationem in animo haberent, quasi forent inepti ad diuina recipienda. August. Niphus de auguriis lib. 1. cap. 16.

In voluntate quidem hominis positum est quod C seruetur à peccato, sed in hoc infirmatur per passionem, vt perfectè non velit ligato rationis vsu, & hæc est mentis infirmitas, vt est corporis, cum aliquis humor excedit, nec subditur virtuti corporis regitiuæ. D. Thom. in quæst. disputat. de causa peccati. q. 1. a. 9. Ratio autem ligatur ex hoc quod intentio animæ applicatur vehementer ad actum appetitus sensitiui, vnde auertitur à considerando in particulari id, quod habitualiter in vniuersali cognoscit. Ib.

Quilibet homo est quodammodo duo. *Vide Contrarietas Concordantia.* Bellum ciuile.

Quemadmodum accidit vt subitis procellis crescentes amnes legitimum excedant alueum, D superque vel segetes vel plantarum culturam præcipites lati, rusticorum operum salutem atque ornamentum euertant, sic animus affectionum nimia vi ab rectis ratiocinationibus depulsus, falsis & improbis præter naturam opinionibus surgentibus corrumpitur. Maximus Tyrus serm. 17. de passionum vsu. *Vide Magnitudo Voluntatis.*

Passiones sunt vt equi indomiti aurigam rapientes in præcipitia.

Hic est naturæ ordo, vt sapientia regat, pareant homini cætera quæ videmus in homine, corpus animo, animus menti; mens Deo. Ergo peccatum est in homine, perturbationes tumultuari, E sæuire, ac trahere ad se ius & ditionem totius hominis, spreta & contempta mente; mentem etiam contempta Dei lege, animo & corpori seruire. Ludou. Vines. in introductione ad sapientiã.

Nihil aliud conatur pietas Christiana, quam vt serenitate & tranquillitate animorum, compositisque affectionibus, simus Deo & Angelis quam simillimi. Ibid. *Vide Virtus Æqualitatis.*

Maxima vitæ pars agitur perturbationibus, neque enim viuimus quandiu affectibus concutimur. Vbi regnum occupauere, illis tanquam dominis, blandimur, indulgemus, paremus.

Æquales & mediocres in affectibus sunt, qui- A bus ascendunt initia arietis vel libræ, aut fines piscium & virginis, immoderati autem, quibus initia cancri aut capricorni, vel fines geminorum & sagittarii. Cardan. aphorism sect. 4. aph 108.

Anima rationalis cur exposita passionibus vnde procedunt earum motus inordinati, quos tamen ratio potest sibi subiicere. Vide quæ scripsi Moralis Christiana. to. 2. parte 1. cap. 18. 19. 20. 21.

Venena animarum oriuntur ex perturbationibus, quæ quo atrociores fuerint, eo sæuiora venena proferunt. Sic nempe serpentum venena ex ira, inuidia, furore, superbia, metuque variegata nascuntur, sic venena erysipelatis & dysenteriæ, ex ira rectoris spiritus sanationem habent ex lepore, cui timor, mansuetudo, fuga & vita innocua. Van Helmont.

Dicit Apostolus, Tradidit illos Deus passionibus ignominiæ, idest tanquam feris bestiis à quibus discerpentur.

Non vacet mens tua variis perturbationibus, quæ si pectori insederint dominabuntur tui, & te deducent ad delictum maximum. D Hieron. ad Rusticum.

Vultus nunc gestit lætitia, mœrore deprimitur, feruet ira. Cum ad imaginem & similitudinem Dei conditi simus, ex vitio nostras personas nobis plurimas superinducimus, & quomodo in theatralibus scenis, vnus atque idem histrio, nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem ita & nos, tot habemus personarum similitudines, quot peccata. Id. ad Marcellam.

Ex vna passione, aliæ nascuntur. *Vide Duratio Contrarietatis.* ex Gregorio Nisseno.

Motus naturalis misericordia non est sine aliqua imperfectione. Vide quæ scripsi. lib. de operibus misericordiæ. parte 1. cap. 4

NIMIVS AMOR coniugum.

AMor formæ rationis obliuio est, & insaniæ proximus, fœdum minimeque conueniens animo sospiti, vitium. Turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit, querulos iracundos, temerarios, durè imperiosos, seruiliter blandos, omnibus inutiles, ipsi nouissimè amori facit. Nam cum fruendi cupiditate insatiabilis flagrat, plura tempora, suspicionibus lachrymis, conquestionibus perdit, odium sui facit, & ipse nouissimè sibi odio est Non iudicio sed furore ducitur, & maximè vxorum pulchritudini grauissimus custos accubat. Origo quidem amoris honesta est, sed magnitudo deformis, Nihil autem interest quam ex honesta causa quis insaniat. Adulter est in suam vxorem amator ardentior, nihil est fœdius quàm vxorem amare sicut adulteram. Quorundam matrimonia adulteriis cohæserunt, &c, ô rem improbam iisdem illis pudicitiam præceperunt, qui abstulerant. D. Hieron lib. 1 aduersus Iouinianum in fine.

Vide Potestas Voluntatis. Vis amoris. *Contrarietas Voluntatis Zelotypia. Gloria Voluntatis.* amoris lachrymæ.

NIMIVS ZELVS.

IN cœlo & in æthere, pura & innoxia viget flamma, in terra verò est carbo adurens, in aspera materia. In viris bonis est zelus, sed innoxius.

De zelo bono. *Vide Magnitudo Voluntatis.*

Affectatio nimia prodit, quod vellemus latere. *Vide Cognitio Voluntatis. Repug. secretum.*

Paracelsus lib. 1. Sagacis Philosophiæ, dicit esse ebrietatem quamdam syderalem, qua quidam, affectu nimio ad obiecta transferuntur, sui, & moderationis omnis obliti, cum hæc ebrietas fit intensior, parit maniam.

Ignis abundans in compositis, composita destruit, propterea non præualet in oculo.

Compositorum & mixtorum, vt sit conueniens locus, compositus est ex concursu trium elementorum, scilicet aëris, aquæ & terræ: ignis autem locus ibi esse non poterat, quia est simpliciter leuis, & quia non est causans, cum sit vehementer actiuus, dissolueret enim omne compositum, propter quod nihil habitat, & mouetur in igne. Albert. Mag. tract. 1. de natura locorum cap. 5.

Diluuium ignis fit, quando ignis in sua sphæra excitatus à lumine solis exsiccat, & incendit climata calida. fabula Phaetontis qui currus solis patris regens, & accedens nimis ad terram illam combussit, significat, longo mundi interuallo fieri exorbitationes solis; quibus factus terræ proximior, illam comburit; Id tamen fictitium est, sed causa huius incendii vera est coniunctio Solis, Martis, Iouis in signo igneo, cum stellis calidis, vt cum corde Leonis, aut caniculis: si sol & cæteri planetæ sint in perigæo, & sic terræ proximiores nec impediti; à Saturno, aut ab illis stellis frigidis. Soluitur autem hoc diluuium per Eclypsim Solis; quæ licet minimum duret, multum tamen alterat. Id. tract. 2. de proprietatib. elementorum. cap. 12. Nimium zelum efficiunt nimius ad terrena humanaque consideranda, mentis descensus; & similium zelatorum conuersatio, temperatur autem aliquo in honore dispendio. Primum in quo se manifestatas alteritas incendii, est in infimo terræ: & zelus prius inardescit in corde, quam ad extra.

Mare est salsum & amarum propter terræ exustæ admixtionem vt lexiuium, sic insitum nostrum humorem febris in bilem commutat. Plutarch. lib. de causis naturalib. cap. 1.

Tonitrua fiunt vere & autumno propter temperiei inæqualitatem. Ibid. cap. 4.

Periculosum est nauigantibus in portum præter solitum locum & morem appellere, sic præter legem viuere.

Deus in creatione mundi diuisit aquas ab aquis, aquæ quæ super cœlos sunt sua humiditate & frigiditate non sinunt corrumpi firmamentum ab igne luminarium, quæ autem deorsum remanserunt, suis vaporibus aërem fouent exustum, & siccatum ab igne superiore. Theodoret. in Genesim. quæst. 11.

Seraphim igne de altari sumpto, Isayæ labia purgat, non perurit. Chrysol. sermo. 37.

Dæmon vocatur meridianus. Ps. 91. & Deut. 28. 32. Deus ab austro veniet, ante faciem eius ibit

A mors. Habac. 3. 3. vnde patet quod morborum pestiferorum radix sit in meridie quod Hypocrates & Galenus sæpè testantur. Flud.

Ignis in spissa materia rubens est, in flamma croceus in splendore candidus; ignis magnus citò absumit paruam candelam.

Meteora flatibus turgent potius, quam spiritu, qui in illis spurius est, retinent enim plurimum sulphuris, & igneæ impressionis, quamobrem magnos, sed violentos reddunt, effectus: spiritus sincerus agit suauiter secundum naturam, ædificat, perficit; flatus destruit corrumpit; mutat formam.

B Rubus Moysi apparens, ardet, sed non consumitur. Exod. 2.

Spiritus Domini non est in impetu montes & petras conterente, sed in sibilo auræ lenis. 3. Reg. 19 *Vide Media Contrarietas.*

Æstus perdit omnes plantas annuas, & alias ratione infirmitatis, maxime nouellas, cum attingit radices; & quo viuunt, humidum absumit. Theophr. de caus. plantar. lib. 5. cap. 21.

In partibus meridionalibus frequentiores sunt terræ motus; quia in illis viget Sol, in inferioribus autem terræ partibus plus eleuat, quam consumit, & ideo in terra multiplicatur ibi spiritus ad terræ motum faciendum. Albert. Mag. meteor. lib. 3. tr. 1. c. 20.

C In his etiam regionibus inferiora elementa conuertuntur in superiora, aqua, & terra in aërem, sicca etiam terra fit cauernosa propter frequentes exhalationes & grossi flatus, multiplicati eam concutiunt. Ibid.

Aquæ calentes sunt mixtæ & minus claræ. *Vide Bonitas Veritatis.* Nimio calore succi nigrescunt. *Vide Potestas Voluntatis.* Amor transformat.

Odorem malum auget calor, & innatos malos affectus, zelus, nam calor diffundit, stringit frigus.

Nadab & Abiu quia offerunt ignem alienum non datum à Deo consumuntur eodem igne; zelus nimius non est ignis ille quem Christus venit

D mittere in terram. Origen. Homil 9. in Leuitic.

Salsus humor oritur ex nimio calore adurente ac liquefaciente intra claustra terræ, sicut vrina nostra, & sudores salsi frequentes reperiuntur, quoniam in profunditate ipsius oriuntur à calore aucto vnione liquefaciente materiam ambustam, vbi ipse considet, nihil foras egrediente, quia loci augustia non permittit. Campan. Physiolog. cap. 6.

Prodest animæ temperatus affectus. vt corpori temperatus calor. *Vide Media Voluntas.*

Quidquid per solum calorem exhalat, id vniuersum, tam in viuis, quam in animatis, fæcem post se relinquit, hanc periti caput mortuum

E appellant, quæ fæx sic tosta, carbonem exhibet. Van Helmont.

Nimius zelus est flammeus gladius impediens introitum paradisi.

Sapientia est Deus, & vult non solum dulciter amari, sed & prudenter, alioqui zelo suo spiritus illudet erroris, negligentem scientiam charitatis. Laurent Iustinian. de prudentia. cap. 6.

Modus diligendi Deum est sine modo. Notandum tamen quod cum nullum finem debeat habere deuotio amantis, tamen terminos suos & fines & regulas habere debet actio operantis. Id. tract. de charitate cap. 9. modus verò diligendi Deum ostenditur Deut, 6, his verbis; Di-

Digitized by Google

liges Dominum Deum tuum ex toto, corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Ille etenim Deum ex tota corde diligit, qui eum sapienter diligit; tota anima diligit, qui illum dulciter diligit; tota virtute diligit, qui ipsum fortiter diligit, qui enim Deum diligit sapienter nulla superstitione vel leuitate, vel spiritus feruentioris vehementia metam discretionis deserit. Ibid.

Hoc deerat miseris, Regum pietatem timere & bonorum.

Solent excedere quæ se restituunt in libertatem. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 2. lege. 14. §. 3. Sic poniter conuersi solent nimio Zelo laborare, discretione est opus Vide Virtus Medij, discretio.

Religiosus caueat à zelo indiscreto. lib. de institutione & officiis religiosi. parte. 3. cap. 28. De Zelo merentem torquente. libello. de amore patiente. cap. 16. 17.

B Viros perfectos sic impugnat Dæmon, vt vitia sub virtutum specie suadeat, Nam sub colore zeli furorem inserit, sub iustitiæ imagine crudeli-

A tatem. Laurent. Iustin. lib. de perfectione monastica. cap. 11.

Si quandoque calor in nobis auctus insurgat, adeo qui membra velut adurit, gangrænat & instar ignis escharam facit, vel subinde glitis instar carnes erodit. Ista sunt opera salium corrosiuorum degenerantium à vitali Republica. Van. Helmont. Nimius zelus autorem suum primum torquet.

Splendent spiritus in corpore non lumine igneo, vrente inflammante, & à concentratis radiis conspicuo, sed est lumen formale de conditione animæ sensitiuæ. Idem

Abstinendum à nimio zelo sua tantum æstimante. *Vide Magnitudo Concordantia.* Omnibus humaniter conformari. Et *Duratio Virtutis.* patientia, mansuetudo.

Venena omnia quæ in corpore nostro gignuntur calida sunt & sicca, vt vix pestis sine febre. Si ergo accidentia frigidi veneni appareant, conici debet venenum fuisse propinatum.

ÆQVALITAS VOLVNTATIS.

DEVS VVLT OMNES SALVOS. fieri illisque dat gratias sufficientes.

DICITVR Psal. 80. si populus meus audisset me, &c. Notandum quod sicut liberi arbitrii facultas populi inobedientia comprobatur, ita quotidiana circa eum promisio Dei, clamantis quodammodo, & monentis ostenditur, cum enim dicit, si populus meus audisset me, ostendit se priorem illis loquutum, non solum per legem scriptam, sed etiam per secretas inspirationes vt dicitur Isay. 65. Tota die expandi manus meas, ad populum non credentem mihi, & contradicentem, &c. Cassian. collat. 3 cap 12.

Propositum Dei est, vt nullus hominum pereat, sed vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Timoth. 2. quia non est, inquit, voluntas ante patrem vestrum vt pereat vnus de pusillis istis. Matth. 18. Viuo ego, dicit Dominus, quia nolo mortem impii, sed vt conuertatur à via sua & viuat: pereunt ergo contra suam voluntatem, vnde continuo proclamat ibidem, Conuertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israël? & iterum Math. 23. Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. & Hier. 8 Quare, inquit, auersus est populus iste auersione contentiosa, indurauerunt facies suas, noluerunt reuerti, ergo gratia Christi omnibus præsto est; qui vult omnes saluos fieri, omnesque sine exceptione conuocat Matth. 11. Venite ad me omnes: qui laboratis, & ego reficiam vos, si enim non omnes conuocaret, non essent omnes

C onerari peccato, vel originali, vel actuali. Id. collat. 11. cap. 8.

Simul in vnum diues & pauper. Psal. 48. æqualiter vocantur.

Deus dat omnibus sufficientem sapientiam. *Vide Principium Cognitionis.*

Quis pater vellet filios suos esse mutilos, & minora quam se membra habere, imo vellet ab illis in omni virtute superari, quia gloria patris est filius sapiens. Creauit ipse medicinam, qua bonitatem suam, sicut solem suum offert bonis ac malis. Paracelsus. lib. de fundamento scientiarum.

Deus præcipit Noë vt exciperet in arca ex omni genere animantium, vt seruaretur vniuersum semen in ea. Gen. 5.

D De lumine diuino per totum orbem diffuso. *Vide Concordantia Maioritatis.* Agit in vnoquoque secundum eius dispositionem. *Vide Potestas Medij.* Dispositionis.

Oportet quod corpora cœlestia sint altiora in loco, secundum distantiam à centro, & claudant in se per circuitum alia, quia aliter non vbique per circuitum æqualiter effluerent virtutem ad esse inferiorum. Albert. Mag. tract. 1. de natura locorum cap. 2.

Plantarum figura est vt plurimum rotunda per modũ columnalis corporis, quia altitudo colũnalis competit incremento plantæ, rotunditas autem competit motui caloris viuifici, cuius motus est ex centro ad circumferentiam, hæc etiam figura competit motui nutrimenti quod in strictura angulorũ impediretur. Id. lib. 2. de vegetabil. tract. 1. c. 5.

Digitized by Google

Vide Bonitas Principij. Dei bonitas, de prouidentia & continuo eius concursu *Vide Duratio Principij.*

Qui recipiunt sacramenta eiusdem speciei, cum æquali dispositione, recipiunt æqualem gratiam. D. Thom. 3. q. 69. a. 8. & Bonacina de sacram disp. 1. q. 4. potest quidem Deus æqualiter disposito, maiorem gratiam conferre, sed hic non erit effectus sacramenti, sed donum Dei gratis & liberaliter datum. Ibid.

Ecclesia Christi sponsa, offert sacrificium Missæ pro omnibus fidelibus, licet illi inæqualiter participent pro sua ipsorum dispositione. Id de sacrificio Miss.r.

De amore Christi pro omnibus Ecclesia Ludonensis in absolut. quæstion. Biblioth. Patrum. tom. 4.

Christus suscitaturus Lazarum, fremit spiritu, & tota se viscerum commotione conturbat, quia adhuc solum Lazarum, & iam non omnes mortuos suscitabat. Chrysolog. serm. 64.

Trismegistus dialogo 12. Sic de Deo. Deus, circa omnia simul atque per omnia, actus est enim omnium atque potentia, nihil etiam est in omnibus quod non sit ipse Deus.

Cœlum, cum sit causa vniuersalis omnia elementa, quantumuis inter se pugnantia, motu suo, atque lumine conseruat, nullum quæ ex iis destruit, ita Deus creata à se omnia conseruat. Agens autem particulare virtutem suam ad effectus contrarios extendere nequit, sed cum vnum contrarium conseruat, aliud destruit.

Vt semen non fructificat sine sole, sic anima sine Deo; & sicut non stat per solem, quin in grano frumenti virtutem operetur vitæ sensibilis, sed in agricola, qui non applicat granum soli, modis congruis, ita non stat per virtutem Dei, quin influat nobis quæ sunt necessaria ad ponendam vitam spiritus in actum, si debitam applicationem fecerimus. Card. Cusa. Excitat. lib. 4. cap. 2.

Quomodo libera voluntas cooperatur diuinæ gratię. *Vide Potestas Voluntatis.* Liberum arbitrium.

Christus nominatur filius hominis, & non huius aut huius hominis, sed hominis, vt sicut vniuersalitas concipiendi est in virgine, quæ est indeterminata, vt ab illo, aut illo viro concipiat, quandiu adhuc incorrupta est per virum, ita partus virginis est partus vniuersalis, scilicet hominis & non huius, vnde Iesus est Filius Dei, qui est pater vniuersorum. Cardin. Cusa. lib. 4. cap. 8. Christus est filius hominis, vt sit omnium frater & cuilibet volenti proximus Id. lib. 5. cap. 9.

Deus agit vt lux, quæ se communicat omnibus prout est capacitas recipientium, & actus actiuorum. Ibid. cap. 41.

Quamuis anima non semper influat lætam vitam in suum corpus, per eam tamen non stat, sed per indispositionem corporis. Ibid. cap. 54.

Bona futura cuilibet sunt communia & propria, quia quilibet totum possidet, sicut omnes videmus solem, & quilibet totum solem: sic electi qui erunt omnes reges, iuxta illud Apocalypsis, fecisti eos reges, & omnes habebunt regnum & quilibet totum. Ibid. lib. 6. cap. 2.

Trahit Christus, sed non indispositum, quod enim sol non omnia trahat & lapides minus quam arbores, est quia varia est dispositio trahibilium; disponere se debet anima vt trahi possit, si enim fugit vocantem, & ab inuitante retrocedit, per eam stat, quod non trahatur. Ibid. lib. 10. cap. 5.

Animalia munda & immunda seruata in Arca Noë, & Act. 10. vas è cœlo descendens, plenum variis animantibus, quæ Petrus iubetur edere, ostendunt, Deum non esse acceptorem personarum, &c. sed creatori omnium acceptam fore fidem vel conuersionem cunctorum.

Vide epistolam Fausti Reiensis Episcopi contra sectam Prædestinatorum, qui ex libris S. Augustini malè intellectis, de prædestinatione ita disserebant, quasi fatalem quandam necessitatem afferret. Hi damnati sunt in Concilio Arelatensi, Galliæ an. Christi 475. Vide 1. tom. Concil. Gall.æ.

Christus Iesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit vel erit, cuius natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur. Quod verò omnes passionis eius mysterio non redimuntur non respicit ad magnitudinem & pretij copiositatem, sed ad infidelium & non credentium ex fide quæ per dilectionem operatur, respicit partem: quia poculum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur. Concil. Carisiacum ca 4. an. 845. contra Gotescalcum monachum ex secta Prædestinantium.

Idem statuitur in Conc. Valentino III. co. 2. Malos non ideo perire, qui boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt suoque vitio in massa damnationis permanserunt. & seq. c. hęc materia de gratia & libero arbitrio fusè tractatur.

Forma substantialis non solum est perfectio totius, sed cuiuslibet partis.

Duplex in Deo voluntas, vna antecedens quæ vult omnes saluos fieri & ad agnitionem veritatis peruenire. Alia est consequens, quæ respicit merita nostra finalia, & hac non diligit eos, qui nolunt ad ipsum conuerti. Perbaltus in rosario theologico de amore Dei.

Matth. 13. simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, significat vocationem gentium ex omni natione. Origen. in d. c.

Omnes quidem ad baptisma accurrunt, non autem omnes eadem hora, sed hic primus, ille secundus, non tamen primus plus accipit, quam secundus, neque hic plus eo, qui post eum accedit, verum eadem omnes assequuntur. D. Chrysost. Hom. 2. in c. 1. ad Roman.

Non Iudęos tantum, sed & gentes Deus vocauit ad agnitionem veritatis. *Vide Magnitudo Virtutis & Magnitudo Veritatis.* Ita dicit Rom. 15. Scriptum est, propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo, psallam, & Gaudete gentes cum populo eius & Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi;&, Erit radix Iesse, & qui exurget imperare gentibus; in eo gentes sperabunt.

Vnum corpus & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vna spe vocationis vestræ; vnus Dominus vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater omnium

omnem, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus. Ephes. 4. Deus vos inquit, ad eadem vocauit, nihil vni plus tribuens quam alteri; omnibus immortalitatem, omnibus vitam æternam, omnibus gloriam immortalem, omnibus fraternitatem, omnibus donauit hæreditatem, factus est commune omnium caput, omnes simul suscitauit & considere fecit; qui ergo in spiritualibus habemus tantam honoris æqualitatem, cur vnus super alium extollitur, &c. D. Chrysost. hom. 11. in ep. ad Ephes. quæ principem locum magis habent, ea sunt omnium communia, baptisma, saluum esse per fidem, Deum habere patrem, eiusdem spiritus omnes esse participes, si quis plus habet in charismate, ne doleas plus habet laboris, &c. Ibid.

Christus sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis, sicut totum ei debent vniuersi, sic totum singuli, &c. Saluian. lib. 2 ad Eccles. Catholic.

Deus dat omnibus Angelis easdem gratias licet inæqualiter. *Vide Concordantia Potestatis.* Communio bonorum.

Deus non ita communicat suam bonitatem rebus, vt quasdam eligat, quas suæ bonitatis participes faciat, quasdam verò à participatione suæ bonitatis penitus excludat. Sed omnibus dat affluenter, vt dicitur Iacob. 1. Quamuis quantum ad hoc eligere dicatur, quod quibusdam plura quam aliis dat ex ordine suæ sapientiæ. D. Thom. in quæst. disput. de volunt. Dei a. 1. Deus antecedente voluntate vult omnes saluari, non autem consequenti. Ib. a. 2.

Sic ad sibi seruiendum non elegit vnam familiã & gentem, vt Leuitas in antiquo testamento, sed ex omnibus gentibus. Tostat. Num. to. 1. fo. 26.

Causæ vniuersales, vt necessarium, sic communem, æqualem continuum influxum sibi subditis inferioribus largiuntur. vide quæ scripsi de iure natural. lib. 1. lege. 8 & Theolog. natur. to. 3. parte 3. cap 3 Deus dat omnibus gratias sufficientes ad salutem. lib. de misericordia Dei parte 1. cap. 13.

Fidelis est Deus per quem vocati estis in communicationem filii sui. 1. Cor 1.

Deus omnes à prima ætate vocaret si essent dispositi, quod patet in parabola, Matth. 19. Exiit summo mane conducere operarios. *Vide Duratio Virtutis.* Sera pœnitentia valida.

Christus ex nostra generatus est substantia, si ad naturam nostram descendit, patet quod ad omnes, quod si ad omnes, & ad vnum quemque profectò. Sed quomodo non omnes inde lucrum consequuti sunt, inquies? id certè non illius causa, qui maximè hoc optat, accidit, sed eorum culpa qui eum recipere noluerunt: singulis enim fidelibus per Eucharistiæ mysterium se coniungit & quos peperit, non alii nutriendos tradit, sed ipse studiosissime alit, hac etiam re tibi persuadens, carnem illam tuam assumpsisse, &c. D. Chrysost. hom. 83. in Matth.

Christus in cruce pendens clamauit, Sitio; vos, inquit, volo, vos cupio, vos corpori meo vnire, vos mihi associare sitio; curramus nos vt sitienti Christo, in potum illi præbeamus nos ipsos. Laur. Iust. de triumphali Christi agone cap 19. Sitis hæc ardore dilectionis, de latitudine nascitur charitatis, aquæ multæ populi multi quorum sitiebat salutem. Ibid.

Noli homo cum delinquis bonitatem damnare diuinam, quod suam minimè prorogauit gratiam, quod ad peccatum impulerit, & benè agendi sibi negauerit potestatem; iniquè cogitas dum talia meditaris. Numquid scelerum autor est Deus? an fortè peccatorum fauet voluntatibus malis? Nonne potius illas insequitur, iudicat, punit & damnat. Vult, quantum in ipso est, omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quatenus in omnibus reperiat quod coronet, planè nihil eorum quæ fecit, odit, quoniam quidquid fecit, bonum est; vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, non poterat bonitas, nisi bona facere. Vis scire quis sit bonus? Nemo bonus, nisi solus Deus, &c. Lauren. Iustinian. de contemptu mundi. cap. 8. Ex liberi arbitrii electione peruersa quemadmodum homo delinquit, ita ex electione laudibili efficitur iustus & ad promerendum idoneus; nam secundum arbitrii electionem gratificatur opus. Ibidem.

O quam frequenter ad cordis pulsat ostium Deus, vt ingrediatur ad te, tecum maneat, & suis te participem efficiat delitiis. Insequitur te, quasi tuo ipse Dominus indigeat famulatu, & tanquam sine te nequeat esse beatus, cum re vera tu absque ipso non dico non valeas esse beatus, sed nequidem esse quod es. Id. lib. de obedientia cap. 5.

Habeo potentiam videndi, audiendi, currendi, etiam si actu non videam, audiam, curram, sic habere possum gratiam etsi liberè ea non vtar.

Ab omni in peccatis morante vultus Domini auersus est, non quod tanquam per naturam corporalem, se à quoquam aut auertat, aut referat, sed quod par atque idem æqualiter semper manens vniuscuiusque auxilio pro meritorum diuersitate, aut desit, aut adsit, ex persona enim peccatorum ita scriptum est, Auerte faciem tuam à peccatis eorum. Ps. 50. Auertisti faciem tuam & factus sum conturbatus. Ps. 29. &c. D. Hilar. in Psal. 65.

Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Psal. 118. Per hanc Prophetæ religiosam modestiam quisquam sic impiè loqui audebit. Si omnia à Deo sunt, humana ergo ignorantia caret culpa, cum nihil obtinere possit, nisi quod donatum à Deo sumpserit. At hoc impiæ voluntatis est existimare, idcirco se ea quæ sunt credentium propria non consequi, quod sibi à Deo indulta non fuerint. Omnem occasionem huius impiæ excusationis Propheta submouit; primum enim cum orat conueniens infirmitati suæ egit officium; dehinc Dei muneribus, humanæ deuotionis studia connexuit, cum ait, Legem statue mihi & subiicit. Et exquiram eam semper, officium deuotionis suæ protulit. Idem in Psal. 118 He.

In æternum Domine permanet verbum tuum in cœlo. Ibid. stat ad ostium Verbum Dei, & pulsat ostium animæ nostræ, vt dicit Apoc. 3. Ecce stans ante ostium pulso, si quis aperuerit mihi ostium, ingrediar ad eum. Vult ergo semper introire, sed à nobis ne introeat excluditur. Claudimus enim per corporis vitia animæ nostræ aditum; qui si cœperit emundatis omnibus patere illico introibit modo Solis. Est enim Verbum Dei Sol iustitiæ adsistens vnicuique vt introeat, nec moratur lucem suam apertis aditibus infundere. Ibid. Lamech. in æternum manet idest, in sanctis hominibus. Ibid.

Ipsa corporis nostri anima sanis & integris ad-

Nulla ciuilis & legitima cõditio obstare potest exercicijs charitatis. Vide quæ scripsi. lib. de operibus charitatis. parte 1. cap. 10. A

ÆQVALIS PARENtum amor erga liberos.

OPortuit vt animali plures facienti simul natos, plures apparentur mamillæ, vt omnes simul lactari possent. Albert. Mag. lib. 2. de animalib. cap. 3.

Par est in omnes liberos, eademque pietas, sed habet in aliquo plerumque proprias indulgentiæ B causas, & salua charitatis æqualitate est quiddam per quod tacito mentis instinctu singulos rursus tanquam vnicos amemus. Hunc primus nascendi locus; alium latior vultus, quosdam probitas commendat; in quibusdam diliguntur calamitates, & damna corporis maiori miseratione complectimur, salua tamen est vniuersitas, cum quicquid in alio cessare creditur, in altero restituit alter affectus. Non intercidunt ista, non pereunt, sed inuicem vincunt, præualent, cedunt. Quintil. decl. 5. Non est pietas æquare liberos iustitia desperationis, & ex hoc quod sucurrere non contingit duobus, orbitatem facere totam. In hac declamatione introducit patrem qui duos habens liberos captiuos, non valens duos redimere, liberat C ægrum & luxuriosum, & alteri præfert; nam quomodo dura carceris tolerasset, quem torquere solebat nostra fragalitas: homo apud quem filius sola præualuit gratia calamitatis, non fratrem tibi prætuli, sed quod in te fratri prætulissem; non patris sed fortunæ consilium fuit. Si duos pariter naufragia raperent, illi porrigerem manum, quem iam membrorum contentione lassatum fluctus hauriret; si vulneribus confectos remisisset acies, properantius ei clauderem plagas, per quem animam largior sanguis egereret. Non possum de liberis, possum eligere de miseris; etiam mortuum pro funere redemissẽ. Æger qui tantũdẽ est pyratis, plus est patri. Secreta conditionis difficultas; D Redimi debebat æger, ego te volebam. Cætera lateant. Charior est ex liberis, ille qui moritur, vicit æger, quod non rogabat.

Idem decl. 8. contra patrem qui è duobus geminis eodem latente morbo laborantibus, vnum permisit à medico occidi, vt alter sanaretur. Inter duos, inquit, liberos pari desperatione languentes, da bonum patrem; non præponderabit alter vtrum non eliget, sed vt incertum, orbitatis euadat, ipse morietur.

Nisi terra esset sphærica non possent aquæ ex qualibet parte in mare se diffundere. Æquidistantia peripheriç à centro facit lineam circularem. E

Sol sub linea æquinoctiali terras positas, tam in Oriente, quam in Occidente fertiles efficit auri, gemmarum, rerumque pulcherrimarum.

Locus dicitur firmamentum quia est immutabilis. *Vide Medium Durat.* Locus proptereahabet longitudinem, latitudinem, profunditatem incorporaliter, quo possit corpora longa, larga & profunda absque mutatione corporali concipere, quibus quidem omnibus est similis & proportionatus; enti nulli contrarius, sed omnibus vndique persimilis. Campanella in epilogo physiologiæ cap. 1.

Patri vel matri superstiti, ius non competit eligendi vnum ex filiis in quem lucrum nuptiale transferat in solidum, sed id ex æquo seruandum est liberis omnibus. Nouel. 2. cap. 1. & ibi Cuiac.

Idem. Iustin. Nouel. 21. reuocat legem Armenorum qua fœminæ non succedebant parentibus, dotem non habebant, sed emebantur à maritis, sic exhonorabant naturam & fœmineum genus, quasi non à Deo factum nec seruiat natiuitati; præcipit igitur æquo iure fœminas vt mares ad parentum successionem admitti.

Oportet quidem præponi filios quos pater voluerit, non tamen in tantum minui aliis, vt importabilis sit eis imminutio; itaque cæteris salua debet esse legitima pars habita ratione bonorum antequam pater immensis donationibus exhaurietur. Nouel. 97.

Portio virilis dicitur æqualis, quia hæreditas paterna cum inter liberos æquali sorte diuiditur, virilis portio est. Tostat. Gen. fol. 34.

Lumen suam extensionem vel motum à subiecto non repetit; hoc habet cum naturis spiritualibus commune, vt totum sit vel in minutissima sui subiecti portione: Nullum est punctum in aëre, in quo tota solis imago non colluceat.

Marculphius primus contra legem Salicam, qua filiæ cum fratribus non succedebant in hæreditatem patris, voluit filiam suam ex æquo cum illis succedere. Vide Cuiac. Obser. lib. 8. cap. 14.

Quare parentes magis probis filiis aliquid supra cæteros largiantur. *Vide Gloria Virtutis.* Ex D. Chrysost.

ÆQVALIS AD omnes charitas.

VT intellectualis cogitatio sit sine discretione verborum aut idiomatum. Sic affectus charitatiuus se diffundit sine discretione personarum.

Vide Æqualitas Medii. Commune medium.

Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Coniungi vult inter nos absque connecti, per mutua beneficia charitatem vt id vnoquoque præstante alteri, quod sibi ab omnibus præstari vult, communis sit vtilitas hominum; præmium nobis pollicetur, si nos inuicem diligamus, idest si nobis ea præstemus inuicem, quorum vicissim indigemus, & nos superbo simul & ingrato animo, eius renitimur voluntati, cuius etiam imperium, beneficium est. D. Hierom. epist. ad Celantiam.

Et si Gregor. XIII. & S[illegible] V. prohibuerint sub pœna excommunicationis receptare bannitos & viarum grassatores, tamen Nauar. cons. 57. 59. & 68. de sent. excommun. tenet pœnam hanc non incurrere eos qui dictos bannitos quo ad victum adiuuant in extrema necessitate, faciendo eleemosynam vel aliud opus ex se bonum, ad finem conuertendi & pœnitendi

Vrgente necessitate omnibus hominibus debetur auxilium. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordia. parte 1. cap 3.

Vide Virtus Æqualitatis Iustitia.

Spiritus in corpore mouetur sursum, deorsum, & ad latera, vt prouideat omnibus corporis partibus. *Vide Gloria Medii.* Illustre medium.

Leo primus optauit omnes homines, non patria diuersisque institutis distingui, sed omnes ad inuicem esse populares, municipes vt eorum vna esset vita, sicut vnus est mundus, hoc Alexander, hoc Romani dicuntur intendisse sub vnius Imperium redactos populos, inuicem conciliantes. Plutarch. lib. de fortuna & virtute Alexandri.

Ratio circuli & omnium figurarum mathematicarum, non pendet à materia sensibili in qua sunt, sed est æqualiter in cœlo, elementis, auro, stanno. Albert Magn. 1. Physic. cap. 1. Metaphys. ita est scientia vniuersalis speculans ens in quantum ens. Aliæ autem duæ sunt scientiæ particulares; Mathematica considerat ens subiectum quantitati intelligibili non sensibili, Physica, subiectum quantitati & motui. Ibid.

Princeps potest facere quod priuilegium suum, aut aliorum sit ius commune quo ad omnes. l. fin. Cod. de iure dominii impetr. l. Cæsar. ff. de publican.

Materia prima per se cupida est omnium formarum, ideo omnium expers.

Alexander velut à Deo constitutus hominum arbiter, omnes velut vnius mundanæ ciuitatis municipes optimis legibus instituit, ex diuersis gentibus sumptas centum vxores, velut omnium vnus sponsus publicè sub aureo tentorio duxit. Veste ex omnibus mixta vestitus. Plutarch. lib. de fortuna Alexandri.

Solus Delphinus hominem hoc solum nomine, quo homo est, diligit, cætera animalia, canis, equus, elephas, nutricatores diligunt suos. Id. lib. de industria animalium.

Ouidius 4. Metamorph. dicit de sole Leucotheæ Virginis amore capto. Quique omnia cernere debes. Leucotheon, spectas, & virgine figis in vna, quos mundo debes oculos.

Iustitia est præstantior virtus, quia omnibus prouidet. *Vide virtus Æqualitatis.*

Conducit ciuili communioni si lex non monarchica fuerit, neque ad priuatam quorundam, sed ad communem vtilitatem instituta, & ex æquo ad omnes pertinens. Plato.

Sol per zodiacum circulum vectus, terrenis omnibus generationis, alimenti, vitæque suam cuique portionem tribuit, ex diuersis anni partium temperamentis, optima rerum omnium moderatione constituta.

Baptismus non vitiatur per errorem personæ, quia administrans non debet respicere personas particulares, secundum conditiones indiuiduas, sed subiectum præsens, quodcumque illud sit. Sic de alijs sacramentis, excepto matrimonio, in quo intenditur contrahi cum tali persona. Bonacina. de Sacra. disp. 1. q. 2. p. 4.

Candela non tantum lucet ei pro quo accenditur, sed etiam cæteris circumstantibus, tam seruis, quam dominis, ita vox non tantum intelligitur ab his quibus loquimur. *Vide Magnitudo Bonitatis.*

D. Bernardin. scripsit de amore proximi. q. 2. f. 8.

In mixtis perfectis, non est plus vnius elementi, in vna particula, quam in altera.

Mutila virtus est, quæ in vno tantum se exerit, restringit in alio.

Ægyptij exprimebant hoc caractere ♀ vim cœli per omnia diffusam, orbis totum mundum, crux, omnes mundi partes significabat.

Proprium est causæ vniuersalis contraria simul conseruare nullum destruendo. *Vide supra hoc* A *tit. Deus vult omnes saluos fieri.*

Apud Persas qui sacrificium offerebat, non inuocabat Deum pro se, sed pro omnibus Persis, & maximè pro Rege, velut pro persona publica.

Non habebis diuersa pondera, maius & minus Deut. 25. abominatio est Domino; Pondus duplex & statera dolosa. Prouerb. 20.

Petrus Damiani opusc. 31. cap. 4. dicit B. Paulum non habuisse propriam Ecclesiam vt alii Apostoli, quia omnium erat prædicator.

Oramus in oratione Dominica, Pater noster, vt intelligamus nos esse fratres. Cusa.

Quod propriè augetur, in omni parte sui augetur proportionaliter. *Vide supra. Maioritas voluntatis mala.* B

Primitiæ ad statuas mercuriales, in viis collocabantur, quas viatores ederent. Suidas in voce ἑρμαῖον.

Athenienses quatuor anni temporibus faciunt Cereri sacra pro omnibus, & hæc vocant Proerosia. Ideo vndecumque mittuntur primitiæ Athenis grati animi causa. Idem in voce εἰρεσιώνη.

Non natio, non ciuitas non cognatio à charitate diuellat, vnus est omnium pater, quem quotidie patrem compellas, qui te filium agnoscet si tu eius filios, fratres agnoueris.

In sacris atque ceremoniis quas Flamines sacerdotes apud Romanos dicuntur obseruasse, illud à veteribus notatum est, fuisse nefas vti nodum vllum haberent in apice, in cinctu, aut in vlla alia parte. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 10. cap. 10. Id allegoricè significat virum Deo dicatum, velut causam vniuersalem nullis alligari debere singularibus affectibus. *Vide Minoritas Concordantia.* esse sine socio. C

Inter digitos pollex dominantis cuiusdam iustitiæ munus obit, nam sicut iustitiæ munus est, vnicuique quod suum est reddere, sic & suum pollicis videtur, digiti cuiusque actionem iuuare, dirigere, ac æquiualentem omnibus vtilitatem impertiri. Rodigin. lib. 17. cap. 12.

Inter aquas est optima quæ citra vllam sit qualitatem vel saporis vel odoris. Ibid. lib. 27. cap. 5. *Vide Media Voluntas.* indifferentiæ. D

Contra Dei voluntatem amamus, cum Christum inopia tabescentem dispicimus, liberis autem, amicis & cognatis, supra quam necesse sit, elargimur. D. Chrysost. homil. 2. in c. 1. ad Roman. de eleemosyna. *Vide Virtus Bonitatis.*

Propterea voluit Deus omnes vnum habere caput, Adamum, & in illo ligauit totum corpus humani generis, vt etiam locis dissiti, à nostro genere non sint alieni, & quoniam initio duo videbantur esse eos colligauit per matrimonium. Id. hom. 34. in 1. Corinth.

Indidit Deus naturæ nostræ quoddam amatorium, vt alter alterum diligamus, omne enim animal diligit sibi simile, & homo suum proximum. Id homil. 2. in epist. ad Ephes. E

Dominus multiplicet & abundare faciat charitatem vestram inuicem, ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate ante Deum, cum omnibus sanctis eius. 1. Thess. 3. Hoc planè est charitatis quæ est secundum Deum omnes complecti. Si autem hunc quidem diligis, illum verò minime, est amicitia secundum hominem. D. Chrysost. hom. 4. in 1. ad Thessalonic.

Charitas & dilectio sæpè fit causa dissensionis; nam quando bini, aut terni fuerimus coniuncti, & duo quidem aut tres, aut quatuor valdè inter

Digitized by Google

se fuerint colligati, à cæteris autem seipsos abstrahentes, hoc est dissensio, non dilectio; vt si oculus manus tantum dirigeret, non etiam pedes, sic si charitatem quæ extendi debet in totam Christi Ecclesiam, in vnum aut alterum contrahamus. Id. homil. 2. in 1. ad Thessalon.

Obsecro fieri obsecrationes, orationes, postulationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, &c. 1. Timoth. 2.

Thomas Morus Vtopiæ Reipublicæ lib. 2. Vtopiani inquit populi, fœdera quæ reliquæ inter se gentes toties ineunt, frangunt ac renouant, ipsi cum nulla gente feriunt; quorsum enim fœdus, inquiunt, quasi non hominem homini satis natura conciliet, quam qui contempserit, verba putes curaturum, quis enim Principum fœdera pactaque bona fide seruat?

Absoluta ad quodcumque comparentur, eadem sunt, sed non sic est in relatiuis. Tostat. in Math. to. 3. 184. c. 2. e.

Acceptio personarum opponitur iustitiæ distributiuæ, & legi taxanti distributionem certo modo faciendam. Id in Deut. 6. c. 2. at sic præcipitur; Diliges proximum tuum sicut teipsum, indistinctè. Deut. 1. dicitur, non accipies cuiusquam personam.

Calor naturalis seruata proportione facit partium corporis nutritionem.

Diliges proximum tuum sicut teipsum, at teipsum amas, non quia formosus, nobilis, diues, sed innato amore, qui similiter æqualis esse debet ad omnes sub ratione eiusdem speciei & proximitatis ad Deum.

Omnes homines sunt æqualiter diligendi ex parte boni quod illis optamus in genere, quod est beatitudo. Tost. Math. to. 6 fol. 147.

Opera misericordiæ tenemur impendere infidelibus tempore necessitatis. Id. Math. to. 3. fol. 15.

Leuitæ erant dispersi per omnes tribus, & his in qualibet tribu dabantur ciuitates, in quibus ipsi soli habitabant. Id. Num. 35. Iosue 20.1. Paral. 6.

Illis licitum erat peregrinari in Israël, & accipere vxores ex quacumque tribu voluissent. Id. Iudic fo. 176. & 188.

Peccans in alium potest admoneri tanquam si in nos peccasset. *Vide Medium Virtutis.* admonitio.

Quilibet homo vocatur proximus, quem naturæ communitas nobis participem fecit, ita dicitur Exo. 18. cum vxore proximi tui non coibis. Idem. Exo. to. 1. fo. 214.

Quæcumque vultis vt faciant vobis homines hoc facite illis. Math. 7. dicitur homines vt intelligatur istud præceptum debere seruari generaliter ad omnes, quia lex charitatis non debet esse specialiter ad amicos & cognatos. Id. Math. to. 3. fol. 125.

Christus sic nos docuit orare. Pater noster qui es in cœlis, vt charitatem constitueret inter omnes homines velut fratres, & non pro nobis tantum ex necessitate, sed etiam pro aliis ex charitate oremus. Id. Math. to. 1. fo. 6.

S. Gregor. Nyssen. refert de S Basilio eum tempore famis etiam Iudæorum liberos suæ liberalitatis participes effecisse.

Æqualem in omnes affectum significat numerus octonarius. *Vide Differentia Magnitudinis.* Numeri.

A *Religiosus æqualem habeat erga fratres omnes suos charitatem. Vide quæ scripsi. lib. de institut. & offici's Religiosi. parte 3 c. 22. erga omnes homines in his quæ pertinent ad animæ salutem. Ib. parte 4. cap. 8. 9. & libello de amore Dei agente cap 10.*

Orationes & gratiarum actiones publicæ. *Vide Gratia Concordantia* publica priuatis præferenda; & *Concordantia virtutis.* vota publica.

Amor proximi cum pro amore impenditur sapientiæ, diligit propinquos & extraneos, amicos inimicosque latissimo fouet sinu caritatis eoque plus, quo virtuosiores agnoscit, &c. Laurent. Iustinian. lib. de casto Verbi & animæ connubio. cap. 21.

B

AMOR MVTVVS, SEV, Redamatio.

Filius abdicatus à patre, quod hostis sui filium dilexisset. Respondit filius: Duxit me similis ætas, euicerunt officia, cepit fides, amantem odisse non potui. Quintil. declam. 9.

In sponsalibus validè contrahendis debet esse mutua promissio, mutuo consensu data & acceptata signis etiam exterius manifestis. Vide Bonacin. de sponsalib.

C Vera redamatio est tantum inter duos. *Vide Maioritas Concordantia.* amor inter plures malus.

Deus amat vt ametur. *Vide Gloria Principij.* amor Dei.

Materia metallorum est humidum vnctuosum subtile, quod est incorporatum terrestri subtili fortiter commixto ita vt vnum aliud mutuo æqualiter apprehendat & retineat. In auro vnum ab alio non est separabile Albert. Magn. de mineralib. lib. 3. c. 2. *Vide Duratio Concordantia.*

Si publicano præstantior non est qui amantem amat, fera deterior erit qui amantem & benefacientem non amat, sed lædit. Etiam latrones & siccarios communis mensa conciliat; & inter D Christianos alter alteri inuidet, detrahit, & sub vno capite iacent mortua, & sine legitima sua actione membra, &c. D. Chrysost. homil. 27. in 1. ad Corinth.

Exiguæ res sunt, & nullius impendii, salutatio, affabilitas, comitas, honor; maximas amicitias conglutinant exhibitæ, dissoluunt prætermissæ. Lud. Viues.

Vide Æqualitas Bonitatis Gratitudo.

Alexander impensius diligebat equum Bucephalum à quo videbatur diligi. *Vide Gloria Differentia.* honorifica distinctio.

Mulier similis est morti, hæc enim ad instar E mortis fugientem sequitur, & sequentem ac vocantem fugit.

Vix est vt quæ cum pulchra sit amatur, vicissim non amet. Vnde Ouid.

Lis est cum forma, magna pudicitia.

Digitized by Google

MVTVVS AMOR coniugum.

PRæstet vir temperantiam, quam exigit ab vxore; nam natura fortior, non debet citius ab intemperantia superari.

Colebant olim Venerem barbatam, quia mascula & fœminea habet instrumenta, quippe omnis generationis præses ac lumbis quidem & supernè virum dicunt: cætera fœminam. Suidas in voce. *ἀφρόδιτη*.

Vxori vir debitum reddat, similiter vxor viro. 1. Cor. 6 *Sunt enim mutuo serui.* quando ergo videris te tentari à fornicatione, dic, corpus non est meum, sed vxoris; hæc etiam dicat mulier iis qui volunt eius euertere pudicitiam, non est meum corpus, sed mariti. D. Chrys. Hom. 9. in 1. ad Cor.

Vxorem verberare inquissimum est, hanc iniuriam passam externi legislatores non amplius cogebant habitare cum eo qui verberauit velut indigno, est enim extremæ iniquitatis vitæ sociam, quæ in rebus necessariis tibi summe est coniuncta, eam tanquam mancipium afficere ignominia, quamobrem eiusmodi virum, si vir est appellandus & non bestia, instar parricidæ & matricidæ ego dixerim. dure habens eam, propter quam pater & mater relinqui præceptum est. At, inquis, mulieres audax & insolens. sed cogita mulierem esse vas imbecillum, te autem virum, propterea datus es ei instar capitis, vt feras eius quæ à te regitur imbecillitatem. Igitur effice imperium tuum spendidum, nam rector gloriæ suæ partem adimit qui vicarium suum afficit ignominia; agricola omni diligentia terram colit, quæ suscepit semina, licet noxia pariat simul. Tranquilla domus portus est, at in ea grauius reperies naufragium si tumultibus impleueris. Si oportet alterum alterius onera portare, multò magis vxoris; & si sit pauper ne exprobres; si sit stulta ne insultes, sed potius eã corrigas & emẽdes; est enim mẽbrum tuũ. & facti estis vna caro. Oportet de vitiis eius dolere nõ irasci, ad monere cõsulere, vt vitiũ amputes, non ad verbera procedendum; nam audacia soluitur lenitate: non alia audacia gloriabatur Philosophus cui contigerat vxor contumax, se habere domi gymnasium & palæstram Philosophiæ ero enim, inquit, cæteris mitior, si in ea quotidie erudiar. D. Chrysost. ibid. Hom. 26.

Idem Homil. 20. in epist. ad Ephes. Sicut inquit in exercitu ducum dissidia omnia conturbant, sic domum subuertit viri & vxoris rixa, vir amorem & honorem deferat vxori, ne vtrumque apud exteros quærat.

Nihil est hac pugna acerbius, quando viri fuerit pugna aduersus vxorem, nam quæ aduersus personas quæ diliguntur sunt pugnæ, eæ sunt acerbæ, & ostendit hoc fieri ex magna acerbitate, cum alicui aduersus suum membrum est dissidium. Si ergo vnusquisque quod suum est, afferat, stant omnia firma & stabilia. Id. Hom. 10 in ep. ad Colos.

Ex accipitribus circum altero pede claudum prosperissimi augurii nuptialibus negotiis & pecuniariæ rei Plinius. lib. 10. cap. 13. esse scribit. Temperata sit mariti potestas, etiam in bonorum administratione, ex qua penitus non debet excludi mulier.

Mulier de latere viri formata est, quia in consortium creabatur dilectionis, ne fortè si fuisset de A capite viri facta, viro ad dominationem videretur præferenda, aut si de pedibus ad seruitutem subiicièda; quia ergo viro nec domina, nec ancilla parabatur, sed socia, nec de capite, nec de pedibus, sed de latere fuerat producenda, vt iuxta se ponendam cognosceret, quam de suo latere sumptam didicisset. Magist sententiar. lib. 2. dist. 18. q. 1. Tostat. in Genes. fol. 93.

In paradiso futura erat fœminæ ad virum subiectio, sed nec seruilis nec pœnalis. Tostat. in Gen. fol. 129. col. 1. e.

Quando vterque coniugum fornicatur, non potest alter alteri opponere fornicationem. Id. 1. Reg. to. 1. fol. 106. c. 4. f.

B Inter virum & vxorem non debet esse principatus tyrannicus, sed aristocraticus, idest secundum virtutem, quia vir naturaliter est prudentior fœmina. Id Exo. tom. 1. fo. 165.

Inter Septentrionales vir vxori dabat, non ornamenta muliebria, sed hastam & frameam, vt significaretur & viri nobilitas ab vxore protegenda & olim raptu connubia fieri solita; his consummatis hasta solemni ritu eiiciebatur extra fenestram palatii nuptialis, in signum mutui fœderis, & perpetuæ cohabitationis. Olaus Magnus. rer. C Septentrional. lib. 14. cap. 4.

Gen. 3. mulieri post peccatum, dicit Deus, sub viri potestate eris. Fuit quidem ante peccatum sub potestate viri, sed ea seruitute quæ per dilectionẽ operatur, & foras mittit timorem; post vero, conditionali timore seruitutis quæ per disciplinam operatur. Alcuin in Genes. inter. 77.

In immaculato coniugio Apostolicæ regulæ ordo teneatur. Seruetur inprimis viro autoritas sua, totaque à te discat domus, quantum illi honoris debeat Tu illum dominum obsequio tuo, tu magnum illum tua humilitate demonstra, tanto ipsa honoratior futura, quanto illum amplius honoraueris. caput enim, vt ait Apostolus, mulieris est vir, nec aliunde magis reliquum corpus ornatur, quam ex capitis dignitate. Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in Domino. Sara obe-D diebat Abrahæ dominum suum vocans, &c. D. Hieron. ad Celantiam de institutione matris familias. *Vide Maioritas Voluntatis.* Nimius amor coniugum.

Recens nuptę vngebant postes domus mariti axungia porci, & hinc dicebantur vxores ab vngendo, quasi deberent asperos mariti mores delinire. Polidor. Virgil. lib. 1. cap. 4.

Ideo virtutes pinguntur vt pulchræ fœminæ. *Vide Volumus Virtutis. Vide Potestas Voluntatis.* Vis amoris.

Intendit natura perfectam vnionem, vt mentium, sic corporum. Amor vterque sibi mutuo prętat auxilium, & augmentum. Si tamen primo E non intendatur corporea delectatio, sed sequatur ex animorũ vnione Leo Heb. dial. 1. de amore.

Apud Latinos vt apud Hebræos dicitur hic & hæc homo vtrumque sexum, quo constat propagatio, complectens. Ib. dial. 2.

Plato in Symposio refert Androgini fabulam qui erat simul masculus & fœmina, & quia insolescebat, Iupiter misit Apollinem qui eum diuideret in duas partes, in quibus est inclinatio ad reunionem. Ibid. dial 3.

Gen. 3. Adamo & Euæ post peccatum aperti sunt oculi, scilicet ad inuicem concupiscẽdũ; quod eis ad pœnam euenit. Alcuin. in Gen. inter. 68. *Vide Æqualitas Bonitatis.* Gratitudo.

MVTVVS DEI ET hominum amor.

EXaltabo te Domine quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Psal. 29.

Intellectus humanus imbuitur & formatur à diuino. *Vide Concordantia Maioritatis.* Societas cum potentioribus.

De diligendo Deo. liber. D. Bernar. *Vide Voluntas Principij*

Amor est quidam sapor diuinitatis terris infusus, quo Deum hic incipimus degustare.

In creatione mundi septima die peruenitur ad Sabbatum, in quo Deus & ipse consummatis operibus requiescit, & hominem requiescere præcipit, hoc itaque modo, & homo fit Sabbatum Dei, & Deus Sabbatum hominis, cum & ipse in Deo, & Deus requiescit in eo. Manete inquit, in me, & ego in vobis. Ioan. 15. Ipse quippe nobis & intemporale tempus est illocalis, est locus illocalis, scilicet quia non circumscribitur, intemporalis, quia nunquam finitur. Tu idem ipse es, & anni tui non deficient; benedixit diei septimo & sanctificauit illud, quia templum sibi in viri perfecti mente constituit. Petrus Damian. lib. 2. epist 5.

Per gratiam quam à Christo consequuti sumus, solo amore in libertate spiritus seruire possumus Deo, seruitus autem illa, est supra coincidentium contrariorum, amare enim, sic est seruitus, quod non est seruitus sed libertas; sic est seruire, quod est regnare; sic est amans seruus, quod & amicus cui omnia nota sunt; tantum assequitur amans in amato quantum amat, si te liberaliter amori eius in tota virtute spiritus, donas, tantum assequeris amati, quia & ipse amor si igitur tanta est retributio, quantus est amor, amor tuus est mensura retributionis amoris, dicit enim Christus, Cui minus remittitur, minus diligit. Card. Cusa. Excitat. lib. 1. cap. 27.

Christus loquens de discipulis, sic orat. Ioan. 17. Pater, da vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & isti

A in nobis vnum sint.

Vide Potestas Virtutis. Vis sanctitatis apud Deum.

Dicit Christus Matth. 10 Qui patrem matremve plusquam me amat, non est me dignus. Velle autem magnopere amari ex eo nascitur, quod & magnopere amet. D. Chrysost. Hom. 10. in epist ad Roman. ob solam suam charitatem pro nobis passus est; quæ autem nos pro ipso passi fuerimus, ea non propter charitatem tantum, sed & propter amati magnitudinem & dignitatem nobis gloriosa sunt. Igitur ad pericula pro illo obeunda, tanquam ad coronas accurramus. Ib.

Anima varie ad Deum accedit & cum alloquitur, vt Deum adorat, vt creatorem omnium in suis operibus admiratur, vt patrem confidenter

B deprecatur; vt Dominum humiliter honorat; vt iudicem veretur, vt socium audit confabulantem, vt sponsum intima, nec satis explicata verba & desideria promentem obseruat. D. Bonau. de 7. itinerib æternit.

Arist. 9. Ethic. dicit inter Deum & hominem non esse amicitiam, quia excedit naturam nostram, & cum nulla sit cum eo conuersatio, nullam dari scientiam practicam per quam regulemus actiones nostras ad ipsum. Sed falsum est; nam dicitur Ioan. 15. Vos amicos meos dixi: & Baruc. In terris visus & conuersatus est. Tostat. Deuter. fo. 19.

C Laurent. Iustinianus lib. de casto connubio Verbi & animæ, cap. 9. illud probat per Propheram dicentem; Quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis; & eundem iterum, Et gaudebit sponsus super sponsa, & gaudebit super te Deus tuus &, S. Ioannes sic loquitur. Qui habet sponsam sponsus est, &c. sub hoc sponsi ac sponsæ vocabulo sanctus Spiritus diuinam ad hominum genus voluit commendare caritatem, & verbi ad animam spiritus vnitatem. Si enim relinquens homo patrem & matrem, & vxori adhærens, fit vnum cum ea, & sic efficiuntur duo in carne vna; quanto magis humana diuinę adhærendo naturæ in vnitate personali vnum fient: fœlix anima quę potest dicere, Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.

MINORITAS VOLVNTATIS.

ESSE SINE AMORE ET CHARITATE

VAPOR humidus, cum sit aqueus, non est inflammabilis, quia in duabus qualitatibus igni contrariatur, scilicet in frigido & humido potentia, licet in actu sit calidus & siccus temperatè. Albert. Mag. lib. de passionib. aëris.

De operationibus frigidi in mixto. *Vide Po-*

D *testas Minoritatis & Medium Durationis* Conseruationis.

Putrefactio, est dissolutio quædam mistionis, calido innato euaporante, atque humido; eius verò euaporationis principium semper est aliena caliditas, siue ea in aëre fit, siue in circumfuso humido Fracastor de contagione. cap. 3. lib. 1.

Peccatum, quod charitati Dei & proximi valde repugnat, iudicatur mortale ex suo genere,

Digitized by Google

grauitas autem oppositionis, pensanda est ex obiecto, ex circumstantiis, & qualitate precepti. Bonacina.

Moriuntur animalia calore in corporibus suis in corde potissimum extincto, sic animæ defectu charitatis moriuntur.

Omnis rerum naturalium corruptio fit per frigus subintrans in locum caloris naturalis, quia exhalauit secum educto humido naturali. Albert. Mag. meteo. lib. 4. tr. 1. cap. 5.

Frigidum nullum saporem efficit, ob id nec aqua, nec terra saporem vllum habent, nec aër. Cardan. de rer. varietate. lib. 2.

A

Frigiditas non ponit pedem in operatione naturali, nisi per accidens, vt ait Auicenna, omnis ideo defectus naturalis adi coitum vocatur frigiditas generali nomine. Hinc nulla est generatio sub polis.

Sine amore periret mundus quia esset sine vnione similium inter se, & inclinatione superiorum ad inferiora, inferiorum ad superiora. Intelligentia non moueret cœlos anima non informaret corpus, &c. Leo Hebræ. dial. 2. de amore.

Frigus vel gelu est persecutio florum, vinculum terræ.

VIRTVS

VIRTVS BONITAS VIRTVTIS.

VIRTVS HOMINI BONA.

PER animam viuimus, per virtutem benè viuimus, solutum enim à passionibus facit animum, & verè liberum, est delubrum & azylũ contra fortunæ iniurias. Cum in lege Moysis diuersæ, & diuersis modis hostiæ offerrentur, generaliter præcipitur, vt illæ sint à maculis & ab omni defectu immunes, quia in omni vitę genere quisque vitio carere debet; in virginitate, in coniugio, in vita ascetica, & vt in summa dicam, & diuites, & inopes, & serui & domini in suis ordinibus incorruptam atque irreprehensibilem vitam debent tenere. Theodoret. in Leuit. q. 1.

Philo in libro allegoriarum, refert totam legem ad moralia.

De virtute Ficin. in 2. Plotini.

Virtus, dum luce inter mortales fruimur, vitam præstat suauiorem, postquam migramus ex hoc sæculo, spem dat fœlicitatis æternæ. Hoc verè nostrum est bonum. Virtus Sola cœli præbet aditum, quod si eo anhelamus, hæc astruenda est scala. Æneas Syluius.

Quoties sancta Synodus congregatur, nullus Episcoporum aliquam prius causam suggerere audeat, quam ea quæ ad emendationem vitæ, ad seueritatem regulæ, ad animæ remedia pertinent, finiantur. Concil. Aruernense. Can. 1. Sic primo natura prouidet necessariis, tũ cæteris ad ornatũ.

Vis Deum propitiari, inquit Seneca, bonus esto, satis illum coluit, qui imitatus est.

Virtus est homini secundum naturam, sicut sanitas. *Vide Finis Minoritatis.* Mali mores in melius mutari: ex D. Chrysost. Inde videmus plures continentes quam adulteros, quia minus laboris est in virtute, quam in vitio.

Homo definitur à Philosophis, animal rationale; à sacris autem Scripturis sic. Homo, inquiunt, fuit iustus, verax, pius, abstinens ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua; qui talis non est, non est homo, sed Leo, Lupus, Vulpes, &c. D. Chrysost. hom. 14. in 1. ad Timoth.

Sufficit virtutem velle, agendo consequemur, multis enim artibus est facilior. *Vide Potestas Voluntatis.* Liberum arbitrium ex D. Chrysost.

A Philosophiam in cœlis elementisque diuagantem, primus Socrates ad formandos hominum mores deuocauit, vt ea primum scirent, quæ scire oportet, ne cum multa scirent, seipsos prætermitterent incognitos, contra primum Apollinis præceptum, nosse teipsum. Turpe ducens ea non doceri, quæ nescire summa foret turpitudo, vt quid enim intensissimis studiis quærantur quæ prætermissa nullum afferrent malum; illa vero ignorari, quæ nescire grande flagitium & nefas esset. Lodouic. Viues lib. de sectis Philosophorũ. *Vide Voluntas Bonitatis*, sibi primum prodesse.

B *Virtus moralis ad quam nascitur homo, probat immortalitatem animæ. Vide quę scripsi Theolog. natur. to. 2. parte 1. cap. 30. Necesse est hominem agere secundum naturam suam rationalem, vt possit summum suum bonum consequi. Moral. Christiana. to. 1. parte 1. cap. 2.*

Signa sæpè vtilitati aliis fuerunt, eum verò qui fecit, cum in tumorem inanemque gloriam impulerunt, plurimum nocuerunt. Virtutis autem opus, tum aliis, tum maximè eis, qui operantur, profuerit. Si ex auaritia in liberalitatem transieris, siccam & mancam manum recuperasti; si theatralibus ludis spretis atque relictis, Ecclesiam petieris, claudicanti pedi incolumitatem restituisti. Si oculos tuos ab aliena forma & à meretricio aspectu reuocaueris, cæcum te illuminasti. C Si diabolicos cantus despexeris, & eorum loco spiritales Psalmos dedideris, iam loqueris, cum antea mutus esses. Hæc maxima miracula sunt, hæc signa eximia nobis & aliis profutura. D. Chrysost. hom. 33. in Matth.

Virtus moralis bona semper est & potest vtiliter exerceri, & à gentilibus, & ab existentibus in peccato mortali. *Vide Veritas Virtutis.* Virtutes Gentilium.

Ius significare potest, quidquid est ęquum & consentaneum rationi, quod est velut generale D obiectum virtutis in genere. Suarez de leg. c. 2.

Finis & effectus legis est efficere subditos bonos, nec enim fœlicitas politica constare potest sine moribus honestis. Ib. cap. 13.

MAGNITVDO VIRTVTIS.

MAGNA ET PERFECTA VIRTVS.

QVIDAM Senator vitam Monasticam professus, seruauit sibi ex bonis suis reditus, vnde viueret, non ex opere manuum, vt cæteri Monachi. Illi S. Basilius Cæsariensis Episcopus dixit. Et Senatorem perdidisti, & Monachum non fecisti. Cassian. lib. 7. c. 19.

Tepor animi, in corpore spadonibus, vt plurimum deprehenditur, qui velut soluti à necessitate carnali, nec labore continentiæ corporalis, nec contritione cordis se æstimant indigere, & hac resoluti securitate non festinant ad perfectionem, & hic status de frigido ad tepidum transiens, detestabilior Domini voce signatur Apoc. 3. Id. Colla. 4. c. 17. Facilius est passiones in totum resecare, quam temperare; in nuptis consuetudo concubitus facilè rapitur in adulterium, at qui continentiam & virginitatem vouerunt, interdum Dei gratia iuuante, ne minimos quidem libidinis motus sentiunt, dumque contemnunt licita, illicita non nouerunt; sic auri cupiditas facilius incendit eos, qui dant decimas & eleemosynas, quam totalem Euangelicam paupertatem professos: facilius mitescit ira in eo qui statuit penitus non vlcisci, quam qui id tantum intendit modis legitimis. Idem Collat. 21. cap. 22.

Molestè fero, quiduis minus perfectum abire. Imago dimidia ex parte expressa, ingrata est spectatori; quid prodest victori viam carpere, & ad destinatas stationes non peruenire. Ex venatu propemodum cœpisti? peræque est, ac si nihil. In stadiis qui currunt, vel vnico gradu posteriores, amittunt palmam. D. Basil. homilia in Martyrem Iulitam. Quid si quis in aliquam ciuitatem proficiscens, inuento iuxta mœnia diuersorio, ibi deses maneat, nec vrbem ingrediatur. Id. homilia in ditescentes.

Hæreticorum vocabulo continentur, & latis aduersus eos sanctionibus debent succumbere, qui vel leui argumento à indicio Catholicæ Religionis deuiarint. l. 18. Cod. de his qui super Religione contendunt.

Saul quidem inter Prophetas, 1. Reg. 10. Quia tamen purè & integre in alium virum non est mutatus, sed semina, fomitemque pristinæ improbitatis retinuit, miserum sortitus est exitum. D. Greg. Nazianzen. Orat. 7.

Idem Orat. 20. refert Valentis Imperatoris filium non fuisse à morbo liberatum, eo quod Imperator simul cum sancto Basilio hæreticos aduocasset.

Amor Dei debet esse perfectus & integer. *Vide Magnitudo Voluntatis.* Et de omnimoda perfectione sacerdotis. *Vide Virtus Potestatis.* Integritas sacerdotum.

Vide Voluntas Maioritatis. Electio maioris boni. Et *Maioritas Virtutis.*

De fidei integritate. Gregor. Val. lib. 2. analy.

De perfectione cordis. Gerson tom. 3.

Paschalis festiuitas, nouis vetera non connectit, nec carnes agni seruat in crastinum, nouæ regenerationis ablactat infantiam, iuxta Apostolum 2. Cor. 5. Vetera transierunt, & ecce facta sunt omnia noua. Chrysolog. serm. 73.

Maximum peccatum Israëlitarum fuit quod cum vero Deo, etiam Deos gentium colerent.

Vide Media Gloria. Mediâ delectatio ex Cusa.

Domus non vno aut altero constat muro, sed quatuor muris se mutuo vt stent iuuantibus, & tecto. Ita virtutes vt sint perfectæ debent esse connexæ. *Vide Concordantia Virtutis.* Virtutum connexio.

Concil. Turonense. II. Can. 21. à. 567. inuehitur in Christianos qui retinent cultus aliquos Gentilium, vt colere Kalendas Ianuarii, in memoriam Iani Regis, quasi fuerit Deus; aut qui ad petras, arbores, fontes, designata loca Gentilium perpetrant, quæ ad Ecclesiæ rationem non pertinent, tales non participent de altari, quid enim Dæmonibus cum Christo commune? Sic prius a. 541. in Concilio Aurelia. 4. c. 16. prohibetur Christianis iurare more Gentilium, super caput feræ vel pecudis, inuocatis nominibus paganorum. Etiam feria quinta vacare ab operibus, quia hæc dies dicitur Iouis, quod prohibetur Conc. Narbonensi. Can. 15 a. 589.

De his qui sæculum relinquunt ad seruitium Dominicum impediendum, & tunc neutrum faciunt, vt aut in sæculo sint, aut planè in regula permaneant. Capit. Car. Mag. lib. 5. c. 142.

Si à malo recesseris, & non feceris bonum, præuaricator es legis quæ dicit, declina à malo & fac bonum. De Virginibus dicit Apostolus, vt sit sancta corpore, & spiritu; non solum animo sed & corpore, non vno tantum membro, sed toto corpore sanctitatem habeat, capite, oculis, lingua, ore, abstinentia, incessu, &c. D. Athanasius ad sponsas Christi.

Natura secundum totam suam virtutem mouetur, quando non est aliquid quod retardet aut impediat.

Perfectio importat quandam vniuersalitatem, quia perfectum est, cui nihil deest.

Apud Indos hæc fuit olim superstitio, non iugulare victimas, sed præfocare, ne quid diminutum honori diuino cederet. Rhodig. lib. 18. c. 31.

Virtus ab omnibus cuiuscumque sint conditionis sectari debet. *Vide Magnitudo Veritatis.*

Olim Donatistæ asserebant quędam esse peccata quæ destruebãt Ecclesiã, alia non, quod repugnat.

D. August. de vnitate Eccles. c. 14. quasi dicant. quod volumus sanctum est, vt obiicit illis idem lib. 2. contra epist. Parme. c. 13. Sic hæretici licet diuersa etiam contraria asserant in rebus fidei, Caluinistæ, scilicet, Lutherani, &c. dicunt tamen se vnitos, quia sunt articuli quidem fundamentales in quibus conueniunt; licet non conueniant in aliis non fundamentalibus; quod absurdum est, quia Ecclesia est congregatio fidelium vnam fidem profitentium, ab vnitate fidei denominantur, non est autem vna, si tam contraria. Cypr. ep. 76. Christus aduersarios suos dicit qui secum non sunt, qui mecum, inquit, non colligit, spargit, aliquam speciem hæreseos non designauit: & D. August. in Ps. 54. & epist. 48. Erant ibi mecum, sed non omnino mecum; in multis mecum, in paucis non mecum: sed in his paucis inquibus non mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum.

Circa fidem qui peccat in vno fit omnium reus, fides debet esse rotunda, Apocal. 22. v. 18. Reus est qui detraxerit vel addiderit. auferet Deus partem eius de libro vitæ. *Vide Bonitas Magnitudinis.* Totalitas.

Si Gentilis accedat suscepturus legis capita excepto vno aliquo, ille non est admittendus. Doctores Hebræi quos refert Voisin de lege diuina. cap. 7. sic Apostolus Gal. 5. v. 3. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.

Saltem Dominicis & festiuis diebus, quilibet debet missam audire ex integro, donec sit finita, & benedictio data. Can. missas 64 de consecr. dist. 1.

Leuit 11. Prohibentur manducari animalia, quæ ex parte videntur esse munda, & ex parte immunda, sicut camelus & lepus quę ruminant, sed non findunt vngulam.

Omnes sunt sub peccato, ideo, nullus verè magnus sacerdos nisi Iesus segregatus à peccatoribus, ideo Gabriel eius natiuitatem annuntians dicit, erit magnus, & filius altissimi vocabitur.

Peccatum vt ægritudo corporis, hominem facit paruum & exilem, virtus eminentem & magnum. Origen. hom. 12. in Leuit.

Ipsius sumus factura creati in Christo Iesu in operibus bonis. Eph. 2. Non igitur sufficit vnius virtutis opus, sed omni virtute opus est, vt cum fiducia sistamus ante tribunal Christi. Propter defectum eleemosynæ mittuntur miseri in ignem ęternum; propter defectum olei virgines excluduntur; si quis cætera rectè fecerit, & contumeliosus dixerit fratri suo, stulte, reus est gehennę. Sic in ciuilibus sufficit vnum crimen ad hominis condemnationẽ, &c. D. Chrys. in ep. ad Eph. ho. 4. Vt sitis perfecti ad omne opus bonum 1. Thess. 3. Perfectum est, cui parum quid deest; hoc enim perficitur. Id. hom. 4. in 1. ad Thessal.

Sicut omnino nihil, nihil habet de esse, nec de eius conditionibus, sic è contra ipsum esse nihil habet de non esse, nec actu, nec potentia, nec secundum veritatem rei, nec secundum æstimationem nostram; non esse autem non potest intelligi nisi per esse. Mira igitur cæcitas intellectus qui non considerat illud quod prius videt & sine quo nihil potest cognoscere. D. Bonauent. itiner. mentis in Deum. cap. 5.

Iudæis non licebat comedere adipes omnium animalium immolabilium, ad subtrahendam occasionem, ne comederent adipes animalium oblatorum Deo. Tostat. in Math. to. 7. fo. 289. c. 2. a.

Deus aduerbiorum remunerator est, non nominum, vt non virtutis simpliciter: sed sinceræ, ardentis, perfectæ, &c. Id. in 4. Reg. fo. 114. cap 4. h.

Qui circumcisionem suscipiebat, cogebatur ad omnes circumstantias conuenientes populo Dei, sicut nunc qui semel suscipit baptismum cogitur ad omnes obseruationes religionis Christianę. Id Gen. fo. 288.

Ecclesia militans dicitur regnum cœlorum, quia debet in ea haberi perfecta virtus, & conuersatio nostra in cœlis. Philip. 3. Id.

Lex Christi dicitur perfecta, quia vetat omnia vitia, non vero lex Moysi. Id. Math. to. 6. f. 266. non solum vetat seruari prima præcepta legis naturæ, sed etiam secunda, & ideo tollitur pluralitas vxorum, repudium, matrimonium in gradibus coniunctis, vsura, iniuriarum vindicta, &c. Math. to. 7. fo. 46.

Ordo tanto perfectior est, quanto descendit ad minima. Id.

Sanctitas accipitur pro separatione ab omni contaminatione, siue corporea, siue spirituali. Id. Leuit. fo. 1 3.

Sancta sanctorum erat quadrangulum significans æquas esse debere virtutes in homine Dei. Idem 3. Reg. fo. 55.

Cum Deus virtutes infundit, omnes simul infundit. Id. Math. to. 5. fo. 8.

Platonici, Stoici, Historici singuli partem aliquam habent diuinæ rationis. At quidquid vnquam apud omnes scriptores rectè dicitur, nostrum est Christianorum, à verbo diuino procedens, &c. Iustinus Martyr in Apologia Christiani.

Læditur maritus etsi non sit vxor omnibus prostituta, sed vni tantum adultero, ita soluit sacrum Verbi cum anima connubium, vnius tantum peccati reatus. S Greg. Nyssenus. libro de virginit. cap. 15. Turpis est ex Euangelio, qui cœpit ædificare, & non potuit consummare.

Sinus sinister cordis transmutat sanguinem in spiritum sine fæce & fuligine, quippe quę nec sordes continet, nec heterogeneitates admittit, nec propter calorem degenerat spiritus filius caloris: sic etiam sanguinis arterialis digestio, fit in partibus, nullis relictis fæcibus & superfluitatibus.

Vera virtus plus est in animo quam in corpore. *Vide Veritas Virtutis.*

CAVENDVM A MINIMIS etiam peccatis.

GErson lib. de vita spirituali animæ. lect. 1. asserit quod nulla offensa Dei est venialis de se, sed tantum per respectum ad diuinam misericordiam, quæ non vult de facto quamlibet offensam imputare ad mortem, cum illud posset iustissimè, quia talis culpa est in iniuriam boni infiniti, & abiicit ab homine Deum tanta elongatione, quod nõ potest fieri proximus nisi per solã gratiã.

Plutarch. lib. de industria animalium dicit à ferarum venatione homines fuisse allectos ad domesticorum etiam animalium cædem, imo & ipsorum hominum in arena & spectaculis.

In vita, vt in simulachro, omnes partes pulchras esse oportet.

Vt qui inter gladios saltant, si semel tantum aberrauerint, periculosè læduntur, aut etiam necantur.

Perfectior est charitas, quę vitat etiam minima peccata. *Vide Maioritas Potestatis.* Qui potest plus, potest minus, Repugn.

Vide Cognitio Contrarietatis. Timor filialis etiam in cœlo.

De conscientiæ puritate liber in Opus. d. Bonauent.

De veniali peccato. D. Thom. q. 7. de malo.

Peccat mortaliter qui habet intentionem non vitandi vllum peccatum veniale, quia se ponit in proximo periculo peccandi mortaliter. D. Th. 1. 2. q. 83. a. 3. qui spernit modica, paulatim decidet Ecl. 18. Bonacin. de peccatis q. 3. Pet. 5. Quamquam multa peccata venialia non possint constituere vnum mortale, quia non priuant hominem gratia Dei.

Vitia in corde nostro, cum venerit princeps eorum diabolus, quasi proprio auctori dant locum, & introducunt eum velut in possessionem suam vnde hæc corda nunquam habent pacem. Ruffin. lib. 2. de vitis Patrum. c. 1. de Ioanne Anachoreta qui hæc dicebat.

Bonum ex integra causa, malum autem ex quouis defectu Sic Arist. 2. Ethic. cap. 6. Peccare contingit multipliciter, rectè verò agere, vno tantum modo; vnicus næuus faciem alioquin pulchram deformat. Prouerb. 3. scribitur, Viæ omnes eius, viæ pulchræ.

Episcopi congregati omnes libros Origenis damnarunt, quia bonis hęretica quędam essent permixta, respuendamque penitus dixerunt lectionem, quæ plus esset nocitura insipientibus quam profutura sapientibus. vitæ Patr. lib. 4.

Minima congregata fiunt valida. *Vide Veritas Minoritatis.* Parum pro nihilo. *Et Potestas. Concord. & Potestas Minoritatis.* Minima ad nocendum valida & Ibid. vnum quod multis præualet.

Quid ciuitatis portas summa cura occlusisse profuerit, vel etiam cataractas demisisse, si ipsi hostem admittere aliqua parte statuerimus.

Draco legislator Atheniensis, leuissima delicta furti & otii morte plectebat, quoniam, inquiebat, parua vltimo digna supplicio arbitor, maioribus quid grauius statuerem non habui. Rhodigin. lib. 10. cap. 6.

Animi nostri fures sunt & sacrilegi, inanes curę, ludi superuacui, somni diuturniores, negotia non necessaria.

Cum Democritus Protagoram semel lignorum fasciculum magna symmetria vincire, & quasi in æquilibrio disponere videret, illum ex hoc facto ad scientias capessendas habilem iudicauit.

Moyses petit à Pharaone discessum in desertum spatio trium dierum; Pharao autem dicit, non longè abeatis, Exod. 4.

Leuit 7. Carnes sacrificii non debent contingi ab aliquo immundo sic enim polluuntur & contaminantur. Idest Catholicæ doctrinę non debet immisceri hæretica; sed diem festum celebremus in azymis sinceritatis & veritatis, 1. Cor. 5. Orig. Hom. 7. in Leuit.

Leuit. 13 Leprosi sanati, radit sacerdos omnem pilum, ne supersit in conuersis aliqua vana cogitatio. Id. Hom. 8.

Si vis agere Azymorum festiuitatem cum Deo, ne paruum quidem malitiæ fermentum intra te patiaris, modicum enim fermentum totam massam corrumpit. Idem. Hom. 2. super Numer.

Dicitur Iosue 6. Custodite vos ab anathemate Iericho, ne faciatis castra filiorum Israël Anathema, & conteratis nos, & omnem Synagogam Domini. Videte ne mores sæculares in Ecclesiam afferatis; nolite diuinis mundana miscere. Nolite conformari huic sæculo. Rom. 12. qui enim id faciunt, accipiunt de Anathemate. Id Hom. super Iosue.

Iob. dicitur abstinens ab omni malo, & ideo laudatur à Deo.

Crescunt mala licet minima, nisi celeriter illis obuiam eatur. *Vide Duratio Contrarietatis. Repug.* Celeritas in vindicta. *Et Potestas Durationis.* Consuetudo.

Si parua despiciamus magna non apprehendemus; fit vnusquisque diues & parua & magna colligens. Negotiantur in argento & minimis qui non possunt in auro & maximis. D. Chrysost. Homil. 3. in 1. ad Corinth.

In via qui parum abscesserit, multum etiam procedens abscedet: corpus si ab ense accepit diuisionem peribit, ædificium si vel parum dehiscat, dissoluetur, palmes si à radice parum fuerit abscissus, fit inutilis, quamobrem hoc parum non est parum, sed ferè totum; vnde non est negligendum, in veste citò crescit scissura; vnius tegulæ defectu ruit tota domus, facilis in profundum lapsus vnde vix licet surgere. Ibid. Hom. 8.

Sacerdos in altari abluit non manus, sed solas extremitates digitorum, ad designandum non solum grauia, sed etiam leuissima peccata esse delenda. D. Dionys. Eccles. Hierar. c. 3.

Aliquis actus qui ex genere suo venialis est aliquomodo mortalis potest fieri, si tantum placeat vt finis in eo constituatur, & cum non possint esse duo fines vltimi, pro eo Deus deseritur. Huius complacentiæ signum est quando aliquis rei etiam non prohibitę tantum adhæret, vt si esset prohibitum non desereret, vt constat de ebriosis. D. Tho. in Magist. sentent. lib. 2. dist. 14. a. 6.

Adam fuisse seductum in hoc quod credidit, quod esset veniale quod erat mortale, tenet Mag. sentent. 2. sent. dist. 22.

In vita æterna nemo manebit cum veniali. Tost. Math. to. 7. fol. 155.

Nazaræus si contaminaretur super homine mortuo, aut eum tangendo aut eundo ad exequias, dies priores quos habuerat in voto, irriti erant, itaut non computarentur, radebatur totum caput eius, & repetebat votum. Id. Num. to. 1. fo. 69.

In pretiosa veste minimus næuus magis apparet; in ornata domo, minima deordinatio, quæ nobilis hospitis oculos offendat.

Fieri non potest quin Christus sit & iustitia, & puritas, & veritas, atque cuiusuis mali vitatio; neque Christianus esse potest, qui non illorum quoque nominum communionem & societatem in se ostendat; est enim Christianismus imitatio diuinæ naturæ, prima hominis fabricatio ad Dei similitudinem erat; venit Christus vt perfectius imaginem vitiatam reformet. D. Gregor. Nyssenus de professione Christiana.

Monstrum est velut hypocentaurus qui partem habet Christi, partem bestiæ, idest hominis sensibus dediti. Id. de perfecta Christiani forma, quæ conuentio lucis ad tenebras, inquit Apostolus: quandiu duobus inhæremus alterutra manu contraria complectentes, fieri nequit, vt vtrumque consequamur; quantum enim ex vna parte mali-

tiæ capimus, tantũ ex altera virtutis amittimus. Ib. A

Reperiuntur lapides casu partem corporis humani referentes, non totum corpus. *Vide Minoritas Cognitionis.* Sub finem quæ casu benè cesserunt.

Deuter. 22. Leuit 19. præcipitur, Non iunges in area tua diuersi generis animalia simul; non arabis in boue & asino; non contexes in pallio lanam cum lino, animal non facies coire cum altero diuersi generis. Quid hæc sibi volunt ænigmata? Quod in eodem animo vitium & virtutem conserere non oporteat, &c. S. Gregor. Nyssen. lib. de scopo Christiani.

Lex vetus hoc vnum habebat propositum, vt variis mandatis homo ab immixta naturæ suæ malitia purgetur. Huc spectat circumcisio, huc sabbati, huc ciborum, huc variæ animalium immolationes, huc omnium ceremoniarum obseruatio; circumcisio significat superflui recisionem, sabbatum animi quietem à peccatis; animalium mactatio, vt perturbationes & vitia mactemus; ciborum immundorum abstinentia, & vt ab impura vita recedamus, vt victus in Azymis per septem dies, idest per omne tempus quod per hebdomadas circumuoluitur, &c. Id. orat. 1. de Christi resurectione. B

Vide Minor. Principii. Malorum parua initia.

Christianus debet sibi cauere à minimis etiam peccatis, vide quæ scripsi. moralis Christiana to. 2. parte 1. cap. 40. Id maxime præstet Religiosus cum fideli cogitationũ suarum examine lib. de institutione & officiis. Religiosi. parte. 2. cap. 10. & 11. Sibi quisque diligenter inuigilet, ne excidat à diuina gratia libello de amore Dei fruenս. cap. 20.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Math. 5. Mundos hic appellat vniuersalem virtutem tenentes, & nullius sibi mali conscios. D. Chryso. Hom. 15. in Math. Sic Paulus dicit, Pacem sectamini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo vidit Deum.

Si quædam facimus, alia negligimus, nihil nobis confert ad salutem; quid enim refert hoc vel illo modo perdaris, si non diuitiarum fraude, sed ocio, vel pusillanimitate corrumparis, si semen verbi Dei perit conculcatum à transeuntibus, suffocatum à spinis, arefactum non habens radicem, &c. Ibid. Homil. 45.

Solent mihi non nunquam non tanto studio magna videri peccata esse euitanda, quanto parua & vilia: illa enim vt auersemur ipsa peccati natura efficit; hæc autem hac ipsa re, quia parua sunt desides reddunt; & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Vnde citò ex paruis maxima fiunt, negligentia nostra; nemo enim repentè ad extremam improbitatem insiliit. Iudas primo pecunias pauperum furatus, tandem magistrum vendidit. Habet quippe insitum quendam anima pudorem, quem subito calcare & proiicere non potest, sed sensim ex negligentia perit; sic introducta idololatria cum vltra quam oportet viui atque defuncti honorarentur. ex immoderato risu scurrilitas, hinc turpiloquium, ex turpiloquio operatio turpis, &c. Ibidem. Hom. 87.

Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate; idest cum multiplicium virtutum indumento. Laurent. Iustin.

Licet veniale delictum se perpetrantem æternæ mortis non faciat reum, maculat nihilominus animam, feruorem charitatis minuit, potentias animæ in bonis operibus debilitat, retardat à gloria, & sæpè fit peccati mortalis occasio, ex conscientia non pura Id. opusc. de grad.b. perfect. cap. 1.

Communis Doctorum opinio est transgressionem legis humanæ per se leuem, ex contemptu fieri mortalem. Autores & rationes refert Suarez de legib. lib. 3. cap. 28.

Tu mandasti mandata tua custodiri nimis: nihil igitur dissoluto animo & incurioso agendum est. Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Ps. 118. Nisi enim attenti in omnibus mandatis eius fuerimus, fuerintque alia prætermissa, alia pro voluntate obseruata, iustificationis ordinem non tenebimus. D. Hilar. in Psal. 118. Aleph.

D. Bonauent. lib. de 7. Itinerib. æternitatis, dicit primum esse signum roboratæ iam charitatis. Si quis frequenter conscientiam examinet, non solum de peccato mortali, sed etiam de veniali, quia vt charitas est contraria mortali, ita feruor veniali.

Ignitum eloquium tuum vehementer. Psal. 118. Qui seruat illud purgabitur ab omni sorde, vt fusum igne metallum. dicitur Math. 5. iota vnum aut vnus apex non præteribit, à lege donec omnia fiant D. Hilar. in d. Psal. Zade.

Vt creatorem non in cœlo tantum, sole, terra; sed in minimis etiam animalibus, formica, culice veneramur; ita mens Christo dedita æquè & in maioribus, & in minoribus intenta est, sciens etiam pro ocioso verbo reddendam esse rationem. D. Hieron. in Epitapho Nepotiani. C

Stoïcorum est, peccatorum tollere differentiam; & delicta omnia paria iudicare. Nos verò etsi multum distare inter peccata credimus, quia & legimus; tamen satis prodesse ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cauere. Tanto enim facilius abstinemus à quocumque delicto, quanto illud magis metuimus, nec cito ad maiora progreditur, qui etiam parua formidat. Et sanè nescio an possimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Estque prudentissimus, qui non tam considerat quod iussum sit, quam illum qui iusserit, nec quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem. Id. epist. ad Celantiam. D

Præcipitur declina à malo & fac bonum. Non sufficit Christiano si partem iustitiæ impleat, cui vtrumque præcipitur. Ibid.

Si quis diligit me, sermones meos seruabit. Grandem vim obtinet vera dilectio, & qui perfectè amatur totam sibi amantis vindicat voluntatem. Nihil est imperiosius charitate; si perfectè Christum diligimus, nihil omnino debemus velle & agere, quam quod illum velle cognoscimus. Ibid.

Perfecta virtus extinguit inuidiam. *Vide Cognitio Virtutis.* Virtus quæ se profert. ex D. Hieron. E

Hanc adhibeamus vitæ nostræ diligentiam, ne malæ mentes occasionem inueniant detrahendi; ne ex nobis scintilla procedat per quam aduersus nos sinistræ famæ flamma consletur. Alioqui frustra irascimur obtrectatoribus nostris, si eis ipsis materiam obtrectandi ministramus. D. Hieron. ad Celantiam.

Quandiu viam mundi currimus, non duabus tunicis, idest duplici vestiamur fide. Id. ad Marcellam.

Christus dicit adolescenti. Vende omnia quæ habes, non partem; totus homo Deo consecrandus ne.

Digitized by Google

cum, Anania & Saphira puniatur ex eod. in consolatione ad Iulianum.

Dicit Deus apud Ezechielem, Assumam vos de gentibus, & aspergam super vos aquam mundam & mũdabimini ab omnibus inquinamẽtis vestris, & dabo vobis cor nouum,& spiritum nouum. In omnibus, nihil prætermittitur, in nouo nihil est veteris D Hieron. Oceano.

POENITENTIA debet esse omnium peccatorum.

EXod. 13 prohibetur ne quis offerat panes fermentatos, quia fermentatus habet aliquid veteris fermenti, idest ne quid Ægyptiacæ doctrinæ rebus diuinis admisceatur. Vnde dicitur Matth. 16 Cauete à fermento scribarum & Pharisæorum. Theoderet. in Exod. quæst. 15.

Magna peccata non facilè homines confitentur, sunt enim similia fæci, quæ ob crassitudinem, per coli foramina non transit. Id. serm. de fide. Non sufficit aliquas ex agro spinas tollere, omnes ex agro radicitus sunt euellendæ. Id.

In Sacramento Eucharistiæ fit transubstantiatio panis & vini, in corpus & sanguinem Christi; est autem transubstantiatio, conuersio totius substantię, ad distinctionem conuersionis partialis, per quam non tota substantia sed sola forma desinit ad positionem alterius formæ, quæ dicitur generatio, seu transformatio, & dicitur substantiæ ad distinctionem conuersionis accidentalis, qua vnum accidens desinit ad positionem alterius. Bonacina.

Ad confessionem iure diuino prærequiritur examen conscientiæ, ex Trident. sess. 24. cap. 5. & can. 7, tenetur enim quilibet facere inquisitionem qualem meretur negotium arduum boni viri arbitrio & pro ratione vitæ suæ & negotiorum. Id. de pœnit. q. 5.

De pœnitentia vera & falsa. August. to. 4.

Iosue cap. 24. dicit Israëlitis, auferte Deos alienos de medio vestri.

Leuit. 7. ex sacrificio salutari dabatur sacerdoti pectus, & brachium dextrum hostiæ. Offerte pectora vestra sacerdotibus Dei, vt auferant ex his omne quod crassum est, vt sacerdotalem eam faciant portionem, date brachium dextrum, idest recta opera. Origen, Homil. 5. in Leuit.

Sic præcipitur bellum geri aduersus Og. regem Basan, vt non relinquatur ex eo viuens. Num. 22. Cuncta subuertenda sunt opera turpitudinis; in nullo enim potest honestum esse, quod turpe est. Idem, Hom. 13. super Numer.

Iosue 8. Israëlitæ percusserunt habitatores Hai in ore gladii vsquequo non relinqueretur ex eis qui saluus fieret, neque qui effugeret; de peccatis omnibus per pœnitentiam delendis interpretatur Origen. Ibid.

Ad alterati restitutionem est necessaria contrarij vexantis omnimoda cessatio. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege. 20. §. 3.

Quoties aliquid cruoris in externo corporis ineptum fit, aut non sensim disponitur gradusque subit, vt totum per totum fiat volatile & transuolabile, eo momento iam scirrhi, nodi & apostemata fiunt concepta, si verò parte interiori id contingat, plerumque febres, apoplexiæ, epilepsię, asthmata, dolores & mortes subsequuntur. Van Helmont. Blas humanum nu. 35. sic latens peccatum, deterius est.

Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea dum clamarem tota die Psal 31. non vsus sum confessione ad salutem, ideo interior mea fortitudo est infirmata dum clamarem: clamant multi si quid boni habent, ac per vanitatem demonstrant. Tacent itaque impii & clamant; tacent quod loqui fas est, loquuntur quod tacere debent; tacent dum sua abscondunt peccata, clamant dum sua prædicant merita; tacent peccatorum confessione, clamant meritorum præsumptione. Alcuin. in Psal. 31.

Impœnitenti & adhuc peccare volenti, non est tribuendæ absolutio, alioqnin qui talem conatur absoluere, seipsum propria authoritate transfigit, ac per hoc absque profectu alterius, sibi ipsi plurimum nocet. Laurent. Iustinian. serm. de S. Maria Magdal.

MVLTITVDO bonorum.

RVffinus in proœmio lib. 2. de vitis Patrum dicit, Cum optima quæque rara sint & difficilia, in Anachoretis tamen Ægypti & Thebaidis, vtrumque concessit, vt essent & numero immensi, & virtutibus incomparabiles.

Ibidem de Oxyrintho ciuitate populosissima refertur, quod nec portæ ipsæ, nec turres ciuitatis, aut vllus omnino angulus eius, monachorum habitationibus vacat, quippe per omnem partem ciuitatis, die ac nocte, hymnos ac laudes Deo referentes, vrbem totam, quasi vnam Dei Ecclesiam faciunt, nullus enim ibi inuenitur aut hæreticus aut paganus, sed omnes ciues Christiani, omnes catholici, vt nihil omnino differat, si Episcopus in platea orationem, aut in Ecclesia faciat.

Christus omnes laborantes ad se vocat, & sic omnes cuiuscumque conditionis homines, qui possunt cum eo habere perfectam conuenientiam, quia omnium in se gerit similitudines, vnde dicitur ars patris plena rationibus omnium viuentium in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, omne verum & purum bonum. Card. Cusa. Excitat. lib. 6. cap. 17.

Heliæ existimanti omnes Prophetas esse occisos & eum relictum esse solum, dicit Deus, Reliqui mihi septem millia virorum qui non curuauerunt genu ante Baal 3. Reg. 19.

Vide Maioritas Virtutis.

Bonum proportionatum communi statui naturæ accidit vt in pluribus, & deficit ab hoc bono vt in paucioribus: sed bonum quod excedit communem statum naturæ, inuenitur vt in paucioribus, & deficit ab hoc bono vt in pluribus: sicut patet quod plures homines sunt qui habent sufficientem scientiam ad regimen vitę suæ, pauciores autem qui hac scientia carent, qui stulti dicuntur: sed paucissimi sunt respectu aliorum qui attingunt ad habendam profundam scientiam intelligibilium rerum.

Fiscus semper præsumitur diues & probus ideo satisdare non tenetur. l. 1. §. 18. ff. vt legator. nom. caueatur, & contra vniuersitatem non datur de dolo actio. l. 14. ff. de dolo malo. l. 1. §.

vlt. de acq. poss. c. dilectus de simonia. cap. A grauamen de sententia excommunicat.

Non monachi tantum & solitarii, sed habitatores etiam ciuitatum Christianam Philosophiam debent sectari. *Vide Magnitudo Veritatis.*

Vide Maioritas Bonitatis. Plus boni quam mali.

Malum naturæ non contingit nisi in sphæra generabilium, & corruptibilium, quæ est paruæ quantitatis respectu corporum cœlestium, in quibus malum esse non potest, quia incorruptibilia sunt & se semper habent eodem modo. Causæ etiam naturales consequuntur effectus suos vt in pluribus & in voluntariis sunt plures Angeli qui manserunt, quam qui ceciderunt, & omnes simul homines damnati. vt tenet, D. Tho. 1. sen. ten dist. 59. a. vlt.

B

De magno numero Angelorum. Vide quæ scripsi Theolog nat. to. 2 parte 1. cap. 7. De magno numero Religiosorum. lib de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ parte 3. cap. 2.

Plures homines sunt saluati, quia moriuntur iuuenes. *Vide Media Duratio.* Mors immatura bona.

QVILIBET PRÆSVmitur bonus.

Prius est quod obiicis verum efficere, quam magnum, quia criminum inuidia pro reo est, priusquam probetur. Difficillima est enim grauissimi cuiusque sceleris fides. Quintil. Inst. orat. lib. 4. cap. 3.

De iudiciis temerariis. Gregor. Nyssen. Bernard. quadr. 1. serm. 14.

Quoties aliquid fieri potest cum peccato, & sine peccato, præsumendum est fieri sine peccato. l. merito. ff. pro socio. Ita è duobus peccatis minus præsumendum est: l. Si adulterium. §. 1. & 3. ff. ad l. Iul. de adulter.

Quandò dubitatur vtrum imposita sit aliqua censura, iudicandum est in fauorem dubitantis. Bonacin. de peccatis q. 4. pun. 7.

Eucharistiæ Sacramentum absolutè debet adorari adoratione latriæ, quia continet verum corpus Christi; non sub hac conditione, si panis est consecratus; debet enim supponi ritè confectum esse Sacramentum. Id. in 1. præceptum Decalogi.

Licet error sit vbique vitandus, tolerabilius tamen est, si quis iustificet peccatorem, quam si præiudicet innocentem. Petrus Damia. opusc. 30.

Suspicio est vt prima plaga Ægypti, qua aquæ versæ sunt in sanguinem.

Gallicani Episcopi superuenientes in Galliis non discutiantur, sed vt probi habeantur. Concil. Vasense can. 1.

Committitur iudicium temerarium, & consequenter mortale peccatum, iudicando firmiter & deliberatè de aliquo graui malo proximi absque sufficienti fundamento & indiciis, seu coniecturis, modò iudicium sit de re graui, & fiat sine aliqua rationabili causa. Bonac. de iudicio temerario.

Regulariter loquendo in dubiis de proximo tenetur dubia explicare in meliorẽ partem seu negatiuè, seu positiuè iudicemus; quia proximus habet ius ad bonam suam opinionem, nisi adsint indicia sufficiẽtia in contrarium; tũ quia in pari causa melior est conditio possidentis; & quia in dubiis reo potius fauendum est; quam actori. Ibid. q. 7.

Cum aliis malis nescio quomodo humanam naturam subiit morbus, superuacaneæ indagationis. *Vide Maioritas Cognitionis.* Alienis se non immiscere negotiis.

Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur. *Vide Potestas Medii.* Dispositio in recipiente.

Creditor dicitur à credendo, quia credit, cui pecuniam mutuo dat, eam fideliter restituturum. Tostat. 4. reg. to. 1. c. 3. fol.

In dubiis quando sunt æqualia signa boni & mali, in meliorem partem inclinandum est, scilicet ad absolutionem. cap. ex litteris cap. inter dilectos. de probation.

Magis proximorum virtutes cogita, quam vitia, si vis intellectum captiuare tuum, & Deum toto corde diligere. Laurent. Iustin. tract. de charit. cap. 9.

Cum Christus pro omnibus mortuus sit, nemo audeat cum contemnere quem amauit & tanto pretio redemit, vt nos seruos nequam amauit, referimus gratiam, etiam exteriori signo, sed incerto, non satis probos amando; ne tu oderis, quem ille amat, & forte ad sublimia præparat.

De proximo benè indicandum. Vide quæ scripsi moral. Christ. to. 3 parte. 2. cap. 19. lib. de institutione & officiis Religiosi parte 3 cap. 17.

C

Solus Deus scrutator est cordium, & nulla creatura est inuisibilis in conspectu eius. Dei igitur gloriam deprædari videtur, qui aliarum mentium arcana perquirit. Difficilè ascendit supra se qui temerè iudicando operibus deprimitur alienis; hic sibi non vacat, sed suimet opinione inflatus, diuinum incurrit iudicium. Beatus humilis qui se omnium arbitratur esse minimum. Laurent. Iustin. de vita solitaria cap. 3.

Inscrutabilia sunt Dei iudicia circa hominum salutem, vnde qui heri nequam fuit, hodie bonus efficitur, & in filiorum Dei numero: expectandum tempus messis, ad eradicanda zizania, ne simul eradicetur triticum; sic continendum iudicium ne innocens & electus à Deo, reprobus existimetur. Id. de spirituali animæ interitu. c. 1.

D

Inter pares sententias præualet ea quæ reum absoluit. l. inter pares. ff. de re iudic.

In dubio lex præsumitur iusta. *Vide Contrarietas Potestatis.* Dominantibus resistere quando liceat, ex Suare.

Guineæ populi credunt defunctos in alium mundum migrare, in quo varia vt hic indigent supellectile: si quid forte perdant, credunt id ablatum ab aliquo alterius mundi amico, qui re tali indiguerit. Gotard. Histor. Indicæ cap. 11.

E

Meritis nos virtutibus tuis, & paruos magnus extollis. D. Hieron. epist. ad Paulinum.

Alexander graui laborans morbo, amici litteris monetur, ne à Philippo medico suo quippe à Dario corrupto, remedium accipiat. Inter hæc, sic apud se: Damnare non possum toties expertam medici fidem. Cæterum satius est, alieno me mori scelere quam metu nostro. Hausit vna manu poculum, altera litteras legendas dedit medico, cuius fidem reddita paulopost sanitas probauit, & crimen diluit. Q. Curtius lib. 3.

Digitized by Google

partem, cum id famæ eius non noceat; sic pater remouet filiam & vxorem à colloquio adolescentis quem videt ante fores deambulantem. Sic superior ad cautelam exercet rigidum regimen, &c. Bonacina de restitut. dis 2. q. 7.

Frustra nauis in rupem irruens, illi supplicaret, cauendi sunt mali, non precibus flectendi, quod frustra fit.

Inquilini singuli cogebantur habere ciuem aliquem patronum cum quo res suas administrarent, velut fideiussorem. Suidas in voce *πρόστατου νέμοντες*. Exteri in ciuitate habentur vt suspecti, *Vide Concordantia Differentiæ*. Repug. exteri non admittendi.

B

Etiam in pace regna non sunt sine milite, præsidiis, excubiis, quia fidem non habent vicinis; ciuis quilibet in ciuitate, claudit ostia, arcas claue, quia diffidit de ciuibus & domesticis. *Vide Cognitio Contrarietatis*. Præuisio, iustusque metus mali futuri.

Diffidentia procedit ex defectu charitatis. *Vide Cognitio Voluntatis. Repug.* Secretum.

Cum infortunæ in decimo loco, ascendenti non amicæ, atque ibi peregrinæ fuerint, natus erit suspicione plenus, atque eo magis si in corde cœli. Cardan Aphor. sect. 4. Aph. 139.

De diffidentia qualiter permissa. Vide quæ scripsi moral. Christ. to. 3. parte 2. cap. 20.

C

Gen 19. Loth de Sodomis fugiens in Segor, illi se non fidens, quia sæpe terræ motu concussa fuerit, fugit in montem.

Impp. Gratian. & Valentin l. 1. C. de mand. princip. Si quis asserat cum mandatis nostris secretis se venisse, omnes sciant nemini quicquam nisi quod scriptis probauerit esse credendum, quacumque præditus sit dignitate. Vide Cuiac. Obseru. lib. 1. cap. 30.

Paulus dicit Calceatos esse debere pedes ad præparationem Euangelii. Calceati sumus, inquit Hieronymus, necubi in eremo sæculi, Scorpius & coluber obrepat, ne Serpens plantam gradientis inuadat.

Inquiritur in mores omnium qui ad publicas

A

dignitates promouentur. Tutores quilibet etiam testamento dati, possunt suspecti postulari, actione quasi publica ad quam scilicet omnes admittuntur. Inst. de suspect. tutor. Suspectum tutorem soli mores faciunt, suspectum hæredem, solæ facultates. Cuiac. Obser lib. 18. cap. 39.

Diffidentes similes sunt cæcis iter prætentantibus. *Vide Maioritas Magnitudinis Mala*. Et *Cognitio Contrarietatis*. Nimius futuri mali metus.

Milites vtriusque regni amice simul conueniunt & fidem mutuo seruant pacis tempore, at orto bello sibi quisque timet ab hoste, seruat excubias, munitionibus tegitur, sic suscitatis inter Christianos passionibus, orta est diffidentia, perit charitas, quæ omnia credit, omnia sperat, &c. D Chrysost. hom. 8. in epist. ad Rom. sibi mutuo fidem habent & seruant prædones simul viuentes, nec conciliantur Christiani Christum habentes in eadem Ecclesię mensa cibum, hinc ab inuicem diuisi efficimur infirmiores. Id.

Proni sunt homines ad credendum mala quæ de aliis dicuntur quasi sibi blandiantur, quod talibus sint meliores, & vt ait Boëtius, hæc est vltima aduersę fortunæ sarcina, quod dum miseris aliquod crimen affigitur, quæ perferunt meruisse creduntur. Tostat. Math. to 3. fo. 254.

Cabellianus fit reus quod non monuisset Alexandrum de conspiratione, sed per tres dies distulisset deferre quod ad ipsum delatum fuerat. In suo quemque periculo magnum animum habere, cum de salute regis timetur, credulos esse debere, vana quoque deferentes admittere. Q. Curtius lib. 6.

Si tibi persuaseris omnes proprium suum commodum prosequi, nec sincero in te affectu propensos esse, rebus tuis diligentius intendes, cauebis insidias, & erit tibi cura potissima sapientem imitari seipso contentum. *Vide Potestas Virtutis*. Sapiens seipso contentus.

Semel malus semper talis præsumitur. *Vide Duratio Minoritatis*.

DVRATIO VIRTVTIS.

MORA EXERCITATIO IN ACQVIrenda virtute.

MANSIONES 41. filiorum Israel in deserto antequam perueniant ad terram promissionis, significant mansiones illas animarum quæ dicuntur esse apud Patrem, illuminatur cum amplius ex vna ad aliam veniens, maiora semper illuminationis argumenta conquirit, vsquequo assueta sit ipsius veri luminis quod illuminat omnem hominem intuitum pati, & miræ maiestatis ferre fulgorem. Origen. hom. 27. sup. Numer. Dum vincit in deserto vnam tentationem & aliam, per singula virtutum augmen-

D

ta peruenit ad summum. Ibidem.

Veni dilecta mea iam hyems transiit. Cant. 2. Non hortatur exire, sed intra se colligi & vniri quandiu sæuit passionum tempestas, sed tantum cum venit ei ver, cum quies animo datur, tranquillitas menti, tunc extra domum & ciuitatem excitatur egredi. Idem. hom. 4. super Cant.

A timore tuo Domine in vtero concepimus. Isai. 26. sicut enim in prægnantibus formatur & figuratur semen, sic & in anima quæ suscipit verbum, paulatim formatur & figuratur conceptio verbi in ea, vnde Galat. 4. Filii mei quos iterum

Digitized by Google

parturio, donec in vobis formetur Christus. Origen. tract. 19. in Matth.

Tempore pacis exercentur milites ad bellum, nam qui in pace de prælio est sollicitus, erit terribilis in tempore prælii; instat prælium. Monet enim Apostolus 2. Timoth. 3. Omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur, &c. D. Chrysost. hom. 3. in epist. 1. ad Thessal.

Virtutes nobis distribuamus, sicut agriculturam agricolæ. In hoc mense expugnemus maledictum, contumeliam, iram iniustam, & nobis imponamus legẽ. In alio mẽse nosipsos doceamus patientiam, in alio aliam virtutem, sufficit velle & confecta sunt omnia. Id. hom. 24. ad Hebr.

D. August. supra Genesim dicit Angelicam naturam primò informiter creatam, & cœlum dictam, postea formatam, & lucem appellatam quando ad Creatorem est conuersa perfecta dilectio ei inhærens: vnde prius dictum est: In principio Deus creauit cœlum & terram, & postea subditur, Dixit Deus, fiat lux & facta est lux, quia prius agitur de creatione spiritualis naturæ informis, postea de formatione eiusdem. Magister Sentent. lib. 2. dist. 3. q. 2.

Nouel. 6. de Episcopis & clericis præcipit, vt Episcopi assumantur ex clero vel Monasterio, non ex plebe, vel si idoneus ex plebe videatur, prius per sex menses cum clericis conuersetur.

Deus præcepit Abrahæ procul à domo sua immolare filium, ad maiorem probationem obedientiæ. Tostat. in Gen. p. 280. c. 2. e.

Qui è nauigio descendunt in terram, corpus diu agitatum, vix potest firmis stare vestigiis, soliditati assuescendum est.

In Cantico graduum sunt tres quinarii Psalmorum, primus pertinet ad incipientes, secundus ad proficientes, tertius ad perfectos. Tostat. in Genes. prolo. fo. 22. c. 1. b.

Moyses prima vice qua ascendit in montem, non habuit faciem cornutam, sed in secunda. Id. Exod. to. 2. fo. 181.

Templum Salomonis erat altum, & priusquam accederetur ad portam & porticum Templi, erant quindecim gradus, per quos ascendebant, & quando erant magnæ festiuitates, ascendebant cantores per illos gradus, & in quolibet gradu cantabant vnum Psalmum de his qui dicuntur Canticum graduum. Idem Genes. fo. 22. virtutes sensim acquirendæ, & in qualibet mora facienda, stabiliendus habitus, & Deo laus dicenda.

Vnicuique domus debet esse palæstra virtutis. Si enim inanem gloriam apud vxorem seruosque calcaueris, apud nullum alium hac peste capieris. D. Chrysost. hom. 21. in Matth. sub finem.

Pictores modo, hos modo illos colores prioribus abrasis imponunt, sic sensim mulieres ad modestiam componendæ, vt primo abstineant à pictura faciei, & fucatis coloribus, tum à nimiis ornamentis. Sufferamus interim cætera, vt vnum solum consequamur, quod cum habebimus ad aliud, hac via progrediemur. Ibid. hom. 2.

Iudęa fuit quasi palæstra Apostolis totum mundum conuersuris. Ibid hom. 33. velut è nido auiculas protrahit ad volandum.

Nemo Christum inuenire pręsumat, si non diligenter & perseueranter quæsierit: non enim repentè inuenitur, cum etiam sollicitè quæritur, quibusdam namque gradibus peruenitur ad ipsum, nullus ad vltimum attinget, nisi gradatim

A ascendat. Laurent. Iustin. lib. de connubio verbi & animæ. cap. 12.

Exercitatione fiunt ex omnibus gentibus boni milites. *Vide Potestas Cognitionis.* Quantum possit ars, in fine.

Metalla sunt optima proles inferioris globi, super quam scilicet tota vis centralis per aliquot prius sæcula prodigaliter suum profudit thesaurum, vt hanc diuinæ prouidentiæ sobolem ditissimè desponsaret ad fines quos naturæ debilitas requirebat. Van Helmont.

Corpus Christi ponitur in lino mundo, sicut Ioseph inuoluit illud in syndone munda; & quia sicut linum per multos sudores peruenit ad candorem, ita Iesus Christus multis affectus passionibus, in hoc sęculo migrauit ad candorem resurrectionis & æternitatis. Alcuin. lib. de diuin. officiis cap. 40.

B

Puer suscitatus ab Helisęo oscitauit septies, antequam perfectè sanus incederet.

Qui nauali prælio dimicaturi sunt, ante in portu & in tranquillo mari flectunt gubernacula, remos trahunt, ferreas manus & vncos præparant, dispositumque per tabulata militem, pendente gradu, & labente vestigio stare firmiter consuescunt, vt quod in simulachro pugnæ didicerint, in vero certamine non perhorrescant. D. Hieron. in vita Malach. Monachi.

C

Non Neophytum, inquit Apostolus, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Heri Catechumenus, hodie Pontifex; heri in Amphitheatro, hodie in Ecclesia; vespere in circo, mane in altari: dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator. Ignorat momentaneus sacerdos humilitatem & mansuetudinem, nescit seipsum contemnere, de dignitate transfertur ad dignitatem, non ieiunauit, non fleuit, non mores suos sæpè reprehendit, & assidua meditatione correxit, non substantiam pauperibus erogauit. De Cathedra quodammodo ducitur ad Cathedram, idest de superbia ad superbiam, incidunt in iudicium & arrogantiam diaboli, qui in puncto horæ, necdum discipuli, iam magistri sunt. D. Hieron Oceano.

D In Monasterio suscepti, non permittuntur statim congregationi fratrum commisceri, sed prius in loco separato, excipiendis peregrinis destinato, exercentur. Cassian. lib. 4. cap. 7.

Primus ad perfectionem gradus est, timor seruilis; de quo dicitur, cum omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus; 2. Proficientium gradus est, agere tanquam mercenarius, qui sperat mercedem securus scilicet de pœnali timore, præmium glorię expectat. 3. Et cõsummatus charitatis gradus est, in quo quis, omnia quæ patris cœlestis sunt, sua esse credit, vnde & illa tantum intendit & proclamat ad exemplum veri filii. Ioan. 16. Omnia quæ habet Pater, mea sunt. Id. Collat. 11. cap. 7. & 8.

E

Mel ab apibus collectum, humidum primum est; deinde tempore concoctum, ad suam propriã crassitudinem, suauitatemque redit. D. Basil. in Hexam hom. 8.

Per gradus conscendere oportet scalam Iacob, quæ à terra pertingit ad cœlum; vt autem in gradu scalari prima est ascensio, ab humo recessus, sic in exercitatione diuinæ conuersationis, principium profectus est, discessus à malo. Id. in Psal. 1.

A Radix chicoreæ, quæ solaris est, quia floribus Solem sequitur, post septennium in speciem auis conuertitur, quod magnum esse dicit magiæ naturalis mysterium, nec tamen aperit Paracels. lib. de imaginibus.

Vt pyrum initio nihil est, paulatim tamen ac in dies augescit, & processu temporis acquirit figuram, colorem, gustum pyri; ita sydereum lumen in homine, fabricat doctrinam, mechanicum opus, quod nec tangibile nec visibile est; vt ex opere illo, intra hominem fabricato opus visibile fiat per operationes virtuosas. Idem lib. 1. Sagacis Philosophiæ.

B Perfectiora fiunt diuturniori tempore. *Vide Virtus Durationis.*

Vt cognitio, sic virtus mora perficitur. *Vide Duratio Cognitionis.*

In semine est vna pars subtilior, & magis digesta, quæ conuertitur in spiritum, estque formans & impregnans; est alia pars materialis, quæ augetur per humorem qui à terra trahitur in alimentum, & hæc est formata & impregnata; sic in ouo sunt agens & patiens, scilicet semen maris & fœminæ sub vna testa. Albert. Magn. tract. 1. de natura animæ. cap. 3.

Nauis oneraria fabricatur multis plagis, clauis, coagmentis, donec perficiatur. Templum Salomonis triginta annis ædificatum est.

C Vites arboribus applicitæ inferiores prius apprehendunt ramos, quam in cacumina euadant. Vt vascula oris angusti superinfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur; sic animi puerorum quantum excipere possunt, videndum est. Nam maiora intellectu, velut parum aptos ad percipiendum animos non subibunt; vtile igitur est habere quos imitari primum, mox vincere velis, ita paulatim & superiorum spes erit. Quintilia. Instit. Orat. lib. 1. c. 3.

Ibid. cap. 4. non probat celeres in prima ætate ad discendum animos, & præcoces, qui quidquid possunt, statim ostendunt, possunt autem

D id quod in proximo est; non multum præstant, sed cito, non subest vera vis, nec penitus immissis radicibus innititur, vt quæ summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt, & imitatæ spicas herbulæ inanibus aristis ante messem florescunt: placent hæc annis comparata, deinde stat profectus, admiratio decrescit.

Luna à coniunctione Solis vadit crescendo, sicut creatura à sua natiuitate, & vadit crescendo & accedendo, donec se faciat vnum corpus rotundũ, completum ad similitudinem sui principis, qui nasci fecit, & accendit eam. Haly. 1. parte cap. 4. de Sole.

E Quod repente ad dignitates non est ascendendum. *Vide Duratio Maioritatis.*

In Euripidis tragœdia, ex debili & decrepito, precibus nescio quibus, de repente & annis & corpore firmus, in bellum surrexit Iolaus, at Stoicorum sapiens, heri perditissimus, & valde vitiosus, hodie nobis confestim compos fit virtutis. Plutarch. lib. de Stoicorum doctrina.

De ascensionibus spiritualibus. Gerbard. Biblioth. Patr. tom. 5.

De amoris diuini gradibus. Bernardinus tom. 4.

De gradibus salutis, liber Tauleri. Virtutum gradibus Bonauent. to. 7.

De profectu Religiosorum. D. Bonauent.

De profectu spirituali. epist. Gerson. tom. 3.

Scala paradisi. Ioannis Climaci. Bibl. Patr. tom. 5. Bernard. quadr. 2. serm. 63.

De virtute docenda. Plutarch.

Aristoteles vitam definit, perseuerantiam insiti caloris. Perficit enim semen in quo omnia sunt dissimilia ab eo quod debet generari.

Fontes fiunt non simul, sed vapore guttatim in aquam resoluto.

Lentè mouetur concretio ad generationem, continuo motu, ordine successionis, complemento perfectionis. Discretio, seu dissolutio, citius procedit, turbate, interrupte, confusè ad ruinam, & operis concreti exitium, pro vi & tyrannide agentis externæ causæ.

Quidam Angelorum post creationem ceciderunt, nec mirum videri debet, quia spiritualis creatura, sicut habuit initium, sic habere debuit & profectum, & voluntate debuit tendere ad similitudinem bonæ essentiæ. Rupert. l. 1. in Genes. c. 14.

Vt Iudæi ad fidem conuersi volebant retinere circumcisionem, sic idololatræ conuersi in regno Malabar abstinent ab esu vaccarum, retinent aliquid prioris superstitionis. Dauity.

Fieri non potest, vt simul herba nascatur & semẽ.

Homo minor mundus, debet imitari mundanæ conditionis speciem, & sicut corporalis mundus per molem & multitudinem ordine formatam & conseruatam subsistit, sic homo noster interior paulatim ad sui plenitudinem veniat ob incrementa virtutum. De qua plenitudine dicit Apostolus Eph. 5. Donec occurramus omnes in virum perfectum. Petrus Damianus. lib. 2. epist. 5.

Lino, quo ad puritatis significationem vestiebatur S. Sacerdos, Exod. 28. Id. ad candorem cum labore perducitur. Id. serm. 13. Sacerdotes tui induantur iustitiam; sic cera ad Solem candescit. Ecce isto venit saliens in montib⁹ transiliens colles. Cant. 2. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Cant. 1. & Psal. 76. dicitur exercitatus sum, & defecit spiritus meus; spiritus scilicet superbiæ & mundanus. Crescit in mente regnum Dei, sicut in terra semen, etiam eo nesciente qui seminauit, primo producit herbam, &c. Marci. cap. 4.

Elizæus pluries inspirat in puerum viduæ antequam eum à mortuis suscitet. 4. Reg. 4.

Virtus acquisita habet quædam quæ non habet infusa, primo non deperditur v. g. castitatis habetus per vnum actum luxuriæ, sed dolet & inclinatur adhuc ad castitatem. 2. Acquisita non potest stare cum habitu vitioso contrario. 3. Acquisita nõ patitur tentationes & difficultates quia subiugauit appetitum sensibilem. Hæc non competunt virtuti infusæ, licet sit excellentior, in eo quod dirigit in finem superiorem. Card. Cusa. excitat. lib. 2 in fine.

Paratur via Domini per Angelum, cuius officiũ est, purgare, illuminare & perficere, sicut pictor intendens pingere imaginem regis in pariete, purgat parietem, illuminat seu dealbat, deinde perficit intentum. Ibid. lib. 5. cap. 30.

Rebus cæteris creatis vidit Deus quæ fecerat & erant valdè bona; at de homine post eius creationem hoc non dicit, quia liber creatus non habet suam perfectionem à natura, sed ab electione & habitu.

Leuit. 5. Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna mane per singulos dies. Fomenta igni dare, est in exercitatione

Rupert. in Leuit. lib. 1. cap. 29.

Abbas Pastor dixit melius esse quotidie manducare, & aliquid de satietate detrahere, quā abstinere per plures dies. Vitæ Patrum. l. 5. c. 10.

Plura requiruntur dispositiuè ad remotionem formæ contrariæ, & ad introductionem formæ simul, quam ad solam formæ introductionem: facilius ad virtutem formantur iuuenes, quam in vitiis enutriti.

Omnis planta syluestris aut vrbana effici potest, scilicet cultum adepta, aut non adepta. Theoph. Hist. planta. lib. 1. c. 6.

Homo est inter vrbana quæ volunt coli. *Vide Veritas Virtutis.* Affectatio mala. *Vide Maioritas Virtutis.* Profectus ad ampliora.

Plantæ & arbores cultu in melius, neglectu in deterius mutantur, Id. lib. 2. c. 3.

Vide Maioritas Durationis. Perfectiora tardius perficiuntur.

Euidentissima & communissima omniū mutationum in deterius in plantis est negligentia; omnia namque ferè neglecta immitescunt. Theophr. de causis plantar. lib. 2. cap. 20.

Fructus omnes non nisi diuturna & conuenienti coctione, ex acerbis fiunt dulces. Ibid. 6. c. 7.

Metalla thesaurum à sole & planetarum radiis magnetica suæ materiæ proprietate acquisitum, assiduè ad sui corporis perfectionem recondunt & reseruant, quare quotannis lucidiora, & solarib. radiis similiora efficiuntur, ac in fixatione & perfectione, licet insensibiliter crescunt & multiplicantur. Rober. Flud.

Athenis iuuenes exercebantur in lycæo antequam ad bella procederent. Suidas in voce. λύκειον

Ars dicta est quod artis præceptis regulisque constet, alii dicunt à græcis hoc tractum esse vocabulum ἀπὸ τῆς ἀρετῆς idest à virtute quam scientiam vocauerunt. Isidor. Orig. lib. 1. c. 1.

Argentum ex venis excoctum, non nominatur alio vocabulo, nec differt, modo purum sit, ab eo quod statim syncerum, & sui coloris reperitur in metallis. Greg. Agricola. lib. 8. de natura fossilium, eadem est infusa vel acquisita labore virtus.

Herculem facetè Lucianus vocat triespetum ab trinoctio illo, quod traditur in eo concipiendo insumptum. Rodigin. lib. 6 c. 7. in fine.

Sic memoria constat exercitatione. *Vide Duratio Cognitionis.* Memoria.

Leuit. 13. Leprosus mundatus tria offert sacrificia. primo duas gallinas; 2. duos agnos. 3. vnam ouem. prima hostia est qua peccata soluuntur, 2. qua anima cōuertitur ad Deū; 3. est fœcunditatis & fructuum, quos in operibus pietatis, is qui dicitur conuersus, ostendit Origen. Homil. 6. in Leuit. Ibidem sanguine hostiæ cum oleo lenitur auris dextra purificati, manus dextra & pes dexter. debet salutaria audire, operari, ad alios.

CONSTANS ADMONITIO.

XEnophon. lib. 1. Cyropediæ, monet in adhortationibus modum esse seruandum, ne illis aures animique sic assuescant, vt amplius non moueantur; vt si quis in venatione canes hortetur semper eadem appellatione, qua solet vbi feram aspicit, primum alacriter parent, sed si sæpius fe-

A felleris, non obediunt, etiam cum verè feram viderit ita si spem sępius fefelleris.

Materia proxima baptismi est ablutio, quæ est, cum aqua successiuè contingit corpus; vnde non sufficit quilibet contactus, sed debet esse successiuus. quia per nudum contactum homo non potest ablui. Bonac. de Sacram. disp. 1. q. 2.

Spiritus Dei ferebatur super aquas, antequam ex illis educeret, quod intendebat. Rupert. in Genesim. lib. cap. 1.

Felix Abbas rogatus sermonem habere fratribus, dixit, Deus dedit verbum Euangelizantibus, cum erant qui opere complerent, nunc autem negat mihi verbum, quia non est qui opere compleat. compuncti fratres dixerunt, ora pro nobis pater. vitæ Patr. lib. 5.

B Per 7. dies circuitur Iericho, concrepantibus tubis, tandem muri eius corruunt. Iosue. 6.

Quando licet ab admonitione cessare. *Vide Duratio Bonitatis.* Mora opportunum tempus seligendum.

Prælati sanctè debent viuere propter exemplum, & piè docere propter administrationis officium, nam cum dispensatio verbi illi commissa sit, si sanctè viuat, & tamen perditè viuentes arguere aut erubescat aut metuat, cum omnibus qui eo tacente perierint, perit, & quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato. increpat tales Dominus apud Ezech. 3. Et tu fili hominis speculatorem dedi te domui Israel. Prosper.

C de vita contempl. lib 1. c. 20.

Vide Minoritatis Contrarietas Defectus seueritatis. Malus.

Quidam senex videns alium non ipsum conuenientem metu ne esset importunus, accensa vna candela fecit ex ea accendi aliam & similiter plures; tum dixit, vt hęc prima candela non patitur damnum ex eo quod multæ ex illa lumen acceperint, sic nec ego consilium dando. vitæ Patrum, lib. 11.

Gen. 26. Abraham ter fodit puteos quos iniqui Philistæi replent terra tandem fodit alium puteum, contra quem non sunt rixati. *Vide Principium Veritatis.* Lex naturæ omniū mentib. insita.

D Medici semper conuersantur cum ægris querulis, etiam contumeliosis, nec tamen sanare desistunt. sic sunt Prophetę & prædicatores inter peccantes illis infensos, quos tamen monere non desistunt. Origen. Homil. 11. super Ezech.

Elias filium viduæ mulieris suscitaturus, applicat eos ori, oculos oculis, pedibus pedes; sic per conuenientē conformitatem conuertuntur peccantes.

Si non persuaseris hodie, cras persuadebis: & si nunquam persuaseris tu integram & perfectam habebis mercedem: & si non persuaseris omnibus, paucis ex multis persuadere poteris. Nam

E Apostoli quoque non omnibus persuaserunt hominibus qui erant, & quæ propter omnes debetur habuerunt mercedem. Non enim ex exitu eorum quæ rectè fiunt, solet Deus coronas definire. D. Chrysost. Homil. 3. in fine super 1. ad Corinth.

Charitas omnia sperat, omnia credit, omnia sustinet. 1. Cor. 13. quæcumque sunt bona dilecto non desperat, sed etsi malus sit, permanet eum corrigens, prouidens, curam gerens. Ib. Homil. 31. Charitas nunquam excidit; idest ferendo non dissoluitur.

Admonitio sit constans, sed blandè & opportunè facienda. *Vide Med. Cons.* Leuis admonitio.

Digitized by Google

Aspersio vbi iubebatur fieri in veteri Testamento semper debebat fieri septies, vt aqua lustrationis. Tostat. Leuit. fo. 116. cap. 5. K.

Christus qui fuit summus prædicator, vix quartam partem eorum quibus prædicauit, conuertit. Id. Matth. to. 4. fo 54. cap. 2. 2.

Leuitæ per septem dies continuos clangentes buccinis subuertunt muros Iericho, assiduitate prædicationis & vocis instar tubę clangentis superat corda lapidea & munitiones impietatis. Id. Iosue. to. 1. fo. 111.

Arteriæ per quas influit vitalis spiritus semper manent apertæ, itaut nunquam comprimantur & in se prorsus concidant, ideo duplici tunica vestiuntur ac duriore; discontinuitas enim illius luminis in causa est vt vno momento suspensis pereat omnis facultas princeps cerebri. Monitores influere debent perpetuò charitatis spiritum. *Vide Duratio Cognitionis.* Assidua rerum diuinarum meditatio.

Ne deficias in admonitione etiam millies irrita. Nonne vides quomodo continuè per Prophetas, per Apostolos, per Euangelistas nos Deus admonet, & si non conuertamur, &c. D. Chrys. Hom. 60. in Matth.

Vide Concordantia Minoritatis. De igne qui sequitur materiam suam donec illam in se conuertat.

Dixit Hippocrates à rationali cura non desistas, quoniam multoties aliqui sanantur absque spe aliqua mirabiliter. citat, Cardan. methodi medendi. cap. 1. in fine.

CITO ET SINE *mora virtuti incumbendum, & subita ad Deum conuersio.*

CAssian. lib. 3. cap. 7. Refert eos qui ad diurnam orationem antequam primus finiatur psalmus, non occurrerit, oratorium introire non licere. In nocturnis autem, vsque ad finem secundi psalmi.

Moyses etiam ex matris pendens vbere scripturæ testimonio probatur amabilis Deo & gratiosus fuisse, qui noluit à muliere Ægyptiaca lactari. Exod. 2. & Act. 7.

Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum, afferte Domino gloriam & honorem. Psal. 28. his enim vitæ primitiis sibi oblatis maximè glorificatur Deus.

In vtres nouos vinum nouum mittendum; spiritale vinum quod Spiritu S. efferuescit, quærit animas vetustate erroris non exolescentes. D. Basil. in psal. 32.

Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Psal. 44. lingua prædicatoris mouente Spiritu sancto inscribit cordibus verba salutis, & quidem velociter, velox est enim motus mentis. Idem. in Psal. 44.

Et dominabuntur eorum iusti in matutino. Ps. 68. idest, boni Angeli suis inspirationibus, vitam rationalem incipientes deducent ad salutaria & æterna. D. Basil. in d. Psalm.

Qui citò à tyrannorum partibus, ad Imperatorem redeunt, ordinem & fructum militiæ non amittunt, quibus verò lentum regressum necessitas desperationis indixit, matricula abolentur nec possunt redire ad pristinam militiam. l. 11. Cod. Theodos. de indulgentiis criminum.

Plato dicit quod studia & assuefactiones, non aliquid conferunt intellectibus & affectibus, sed tantum remouent contrarium impediens, & tunc anima per hoc quod habet apud se, de habitibus intellectualibus & moralibus, agit perfecte, & operatur tam circa intellectualia quam circa moralia. Alb. Magn. tr. 2. de natura animæ. ca. 15.

Principium veris est tempus opportunum plantationi plantarum, cum tota virtus est adhuc in planta, quia iam in se attraxit humorem & calorem, ex quibus pullulat, & adhuc frigore iuuatur, ne humidum & calidum eius euanescat per euaporationem. Id. lib. 1. de vegetabilibus. tract. 2. cap. 10.

Vide Bonitas & Virtus Principij. Initij. Educatio liberorum.

Sunt quędam plantæ quę ferunt flores & fructus ante folia, quia abundant humido vnctuoso ex quo formantur flores & fructus, & hic humor primo solis calore excitatus sic erumpit Albert. Mag. lib. 4. de vegetabilib. tract. 3. cap. 2. postea formant folia ex humiditate aquea, qua abundant plantæ quæ folia ante flores & fructus producunt.

Vide Magnitudo Principij. Initij.

Deus præcipit sibi sacrificari pullos columbarum, simplicitatem retinentes, & copulam nondum expertas, non columbas adultas, quia hoc animal est ad coitus calidissimum. Theodoret. in Leuit. q. 1.

De baptismo paruulorum. De baptismo non differendo. Greg. Nyssen.

Interdum partus non expectat nonum, aut decimum mensem, sed septimo effunditur, ampliores moras nō patiēs; quantò magis id præstabit diuina gratia, Ita Paulus. 1. Cor. 15. abortiuū se nominat, quia miratur se fuisse natum, qui nouit se nulla conceptus tēpora pertulisse. Chrysol. ser. 56.

Qui fidem quærit, rationem non quærit, qui diuinam postulat, seponit humanam: qui Deo genitore nascitur, transcendit naturam, & tempori nihil debet, qui temporis meretur autorem, prius se videt nasci, quam concipi, ante percipere cœli regnum, quam ventris angustias sustinere nec se putat abortiuum, qui maturus est per Christum. Accipite ergo fidem sola fide, nec ipsius fidei quæratis rationem, quam fide præuenistis. Apostolus 1. Cor. 15. per fidem maturus nascitur, qui se abortiuum clamat esse per tempus. Id. serm. 58.

Si mulier Cananea, clamore subito, repentina fide, iuuante Christo, & quod petebat accipit, & quod negabatur extorsit; si Æthiops spado arcanū vitalis lauacri præteriens inuenit in via, rapuit in transitu, si Cornelius Centurio, antequam intraret baptisma, peruenit ad spiritum; si latro in ipso momento mortis, paradisum inuasit, & vitam vobis, in articulo temporis, quam quæritis, quis negabit. Id. serm. 60.

Ioannes in vtero suum sentit autorem. Luc. 1. Iacob in vtero matris, cum fratre luctatur, præripit & triumphos: in vtero Thamar gemini de primatus honore præliantur, nec ante lucem cupiunt videre quam vincere; Ioannes antequam ex genitricis vtero prodeat, suo occurrit autori; sic humana pignora ante Deo militant, quam nascantur parentibus, quam viuant sæculo, & inclamant Pater noster qui es in cœlis. Id. serm. 74.

Magdalena rigando pedes Domini lacrymis suis, non solum obtinuit veniam peccatorum, sed ad totum sanctitatis verticem peruenit. Id. Romę floralia instituta, vt omnia benè deflorescerent. Plin. lib. 18.

Falcones & accipitres, fiunt homini magis fideles qui nunquam fuerunt sui iuris, sed statim è nido securati.

Exod 13. Præcipit Deus sibi sanctificari omne primogenitum, & Leuitas assumit pro omni primogenito, qui suus est.

De his qui in adolescentia vitam religiosam profitentur. Vide quæ scripsi lib. de falsis successu & triumphis vitæ religiosę parte 2. cap. 4. & lib. de institutione & officiis Religiosi parte 1. cap. 8. & 9. Religiosus si lapsus sit, statim surgat. Ib. parte 2. cap. 12. Homo debet ad Deum conuerti statim vt sit rationis capax, moralis Christ. to. 1. parte 1. cap. 23. non est differenda pœnitentia. Ib. cap. 26. De adolescente Deo consecrato. Libello de amore Dei nascente. cap. 11. vocanti gratiæ statim respondendum. Ib cap. 20.

Matth. 8. Adolescenti Christum sequuturo, & dicenti, Domine sine me prius abire, & sepelire patrem meum. Respondit Christus: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem me sequere. Poterat hoc officium pietatis ab aliis præstari; at omni diligentia studio salutis incumbendum, & id negotiis omnibus præferendum. Erat verisimile post parentis sepulturam ad testamenti considerationem deuenturum, deinde in aliud ex alio, quasi vndarum fluctibus distractus, procul à portu salutis fuisset iactatus. D. Chrysost. homil. 29. in Matth. Christus hoc officium pietatis non permisit adolescenti; paratus enim semper diabolus est, vt ingressum vbique attentè quærit, & si paruæ tarditatis causam apprehenderit, magnam inde conflabit desidiam. Ibidem hom. 69.

Nemo laudaret inutiliter pecunias dispergentem, sed neque vltro properantem ad interitum, & tamen pœnè omnes hoc faciunt; tempus, quod solum nostrum est, quod ad æternitatem promerendam nobis misericorditer indultum est, terunt in iocis, nugis, & negotiis inutilibus. Vtinam saperent & nouissima præuiderent: veniet, veniet necessitatis hora, quando misericordiæ claudetur fons, & operandi de erit facultas. Veniet vtique properè, nec tardabit; tunc prorsus oculos aperiet pœna, quos nunc claudit culpa; tunc quanti sit præsens tempus noscetur, non ad meritum, sed ad supplicium. Complebitur quod de ipsis contemptoribus loquitur sapientia. Vocaui & renuistis, &c. tunc inuocabunt me & non exaudiam, &c. Laurent. Iustin. in complanctu Christianæ perfectionis.

De sanctis Innocentibus citò ad gloriam translatis. *Vide Veritas Bonitatis* Inuitis benefacere, Et *Virtus Principii, initii.* Sanctus ab initio.

De matutina & vespertina luce. Vide hoc tit. de sera pœnitentia.

De Deo dicit Propheta, qui fecit omnia simul.

Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus superueniet interitus. 1 Thess. 5. Mors enim subita & incerta, remedium pœnitentiæ frequenter anticipat: morbi etiam qui sæpissimè graues & inualescentes sunt, angustia sensuali spiritum deuotionis extinguunt, certissimum autem est ex D. August. in Psal. 50. Quod homo non punit, punit Deus, horrendum vero est incidere in manus Dei viuentis. Heb. 10. Petrus Blesensis epist. 16. sub finem.

Idem epist. 9. ad quendam qui statuerat intermittere studia sua, & per biennium otio frui. Desertorem hunc & transfugam studiorum vocat; Defecit, inquit, in salutare tuum anima tua, mihique satius videretur hominem qui semita damnata opinionis incedit, negotium honestatis prorsus omittere, quam differre; sancti quidem & honesti propositi dilatio, magna ruina est. Nunc docibilis es, prouectiori ætate capax doctrinæ non eris. Ideoque in præsenti articulo quod differtur, aufertur. Verbum Aggæi. 1. est, populus iste dicit, nondum tempus est ædificandi domum Domini; cur bonum opus differs, forsitan cras non erit. Sapiens dicit Eccles. 9. 10. Quidquid potest manus tua, cum instantia operare, qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Timendum est ne fuga nostra fiat hyeme aut Sabatho, quando operari non licet. Matth. 24. 20.

Vt vas figuli peccantes cito Deus confringit, & in melius reformat. *Vide Magnitudo contrarietatis.* Magna seueritas bona.

In quo corrigit adolescentior viam suam, in custodiendo sermones tuos. Psal. 118. Difficile est abvsitatis desinere, & à familiaribus abstrahi; magnum in se consuetudo habet vinculum, & idcirco optimus ille fuerit cultor, quem non modo delictorum remissio sine crimine constituerit, sed ipsa illa præstiterit vitiorum ignoratio, innocentem. Beatus vir qui portauerit iugum ab adolescentia. Thr. 3. Non expectat frigescentes senectutis annos, nec emortuam per ætatem vitiorum consuetudinem, vult longi prælii militem; vult Christi seruum quem ne ipsa quidem præteritorum criminũ recordatio polluat, &c. D. Hilar. in Psal. 118. Heth. Bonum est iuueni ferre iugum ab adolescentia. Onus istud maturi ad obediendum anni ęgrè ferunt. Cæterum ætas tenera grauis oneris molestiam per virtutis incrementa non sentit. Ib. Præueni in maturitate & clamaui, præuenerunt oculi mei diluculo, vt meditarer eloquia tua. Ib. non expectauit, infirmam à vitiis senectutem.

Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.

Tanta fiet celeritate resurrectio mortuorum, vt viui quos in corporibus suis, consummationis tempus inuenerit, mortuos de inferis resurgentes præuenire non valeant, testatur Paulus, Canet enim tuba, inquit, & mortui resurgent incorrupti, &c. D. Hieron. Minerio lib. 3 epist. sero pœnitentes æquant cæteros.

Volenti facilis est virtutis acquisitio. *Vide Voluntas Virtutis.* ex Quintil.

De infantibus quos parentes Monasterio dicarunt. *Vide Potestas Principis,* Potestas parentum, summa.

Leuit. 21. Sacerdos virginem ducit sponsam; Christus virgo adolescentis animam virginem impollutam quærit. vnde 2. Cor. 11. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.

Sole ad nos propinquante, terra germinare facit semen sibi commissum. ita sancti sunt illi, ex quibus enascuntur, quæ Deus inseminauit, & qui dormiendo nihil transire sinunt, & ætatem suam iugi operatione exigunt. Si Christus maledixit ficui non habenti fructus, etiamsi nondum

esset tempus fictum, quid facturus est si legitimum fructuum tempus in vanis elapsum sit.

Ager qui est aquis coopertus, vere quando debent plantæ pullulare, & autumno quando debent seminari, vocatur ab Ægyptiis cœnosus, & hic infructosus est, quia si proscindatur, æstate glebæ magnę leuantur, & indurantur, cum in fundo retideant aquæ, quibus putrescunt semina. Albert. Mag. lib. 7. vegetab. c. 8.

Dicit Christus Math. 24. Orate ne fiat fuga vestra hyeme aut sabbato; hyems nimio frigore, sabbatum lege prohibente continet viatores: hyeme ergo vel sabato fugere conatur, qui iram districti iudicis tunc appetit fugere, quando ei iam non licet ambulare. Scriptum est Ecclef. 9. Omne quod potest manus tua facere instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia sunt apud inferos quò tu properas. D. Gregor. Pl. in reg. lib. 1. epist. 33.

Pascha celeriter manducandum, tumultuoso ciborum apparatu, tanquam peregrini, in aliam vitam transituri.

Peste correptis quo tardius bubones apparent, eo peius, est enim signum debilis naturæ.

Aristot cap. 9. lib. 1. Rhetoric. Ponit augurale signum, sanctum & sacrum, sternutamentum, quo cerebrum momento nociua discutit.

Ex quocumque loco, etiam distantissimo, & situ, corpora motu suo naturali feruntur in sua centra. Sic mentes in Deum, sublatis impedimentis.

Homo tenetur se ad Deum conuertere in primo instanti, quo rationis vsum acquirit, sciens malum morale à bono discernere.

Non pudeat errores abiurasse, sed si quis pudori locus est, pudeat non citius puduisse.

De cœnocephalo animali simiæ genere, quod per diem & noctem 24. vicibus vrinam emittit. *Vide Cognitio Differentię.*

Agnus paschalis erat masculus anniculus sine maculæ. debebat festinanter comedi. Exod. 12. Quia præcepta vitę sunt cum festinatione implenda, quia enim hodie licet bene agere, ignoramus vtrum cras licebit. Rupert in Exod. lib. 2. c. 13.

Leuit. 3. Iubentur offerri primitiæ de spicis adhuc virentibus, quæ confringi debent in mortario. Passiones iuuentutis confringendæ.

Mane debet sacerdos ligna ignii in altari subiicere, vt sit perpetuus. Leuit. 6. Quærite primum regnum Dei, ea scilicet quę pertinent ad gloriam Dei & salutem animæ. Rupert.

Immundus est 7. diebus qui cadauer hominis tetigit, quod si tertio die non fuerit purificatus, septimo non poterit emendari. Num. 19.

Melius est citò viam Dei ingredi, & in ea currere, dum Deus dilatauit cor nostrum, quam lentè procedendo, expectare temporis iniurias.

Christianus non differat de die in diem conuerti ad Deum, nec satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ constituat, quia periculosè hac se conditione fragilitas & ignorantia humana concludit, vt ad paucarum horarum se reseruet incertum, & cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, in quo vix inueniat spatium, vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis. S. Leo. epist. 19.

Optimam aliqui dicunt esse sationem quæ fit autumno, quia solo tepido plantæ melius radices concipiant, at proxima superueniens, hyems plerisque officit, succum intestinum crassat, & causam infert offensæ. Theophr. de causis plantar. lib. 3. c. 3. & 4.

Ver est tempus magis commodum. *Vide Virtus Principii.* Educatio liberorum; nam sero conuersos intercipit senectus, & inutiles efficit. *Vide Minoritas Finis.* Senectutis incommoda.

De his qui in sæculo libertini, momento ad Deum conuertuntur. *Vide Minoritas Medii,* Transgredi medium.

Christianus catechumenus martyr: vide hoc tit martyrum constantia.

Non est absoluendus peccator qui differt restitutionem ad horam mortis, & committit hæredibus suis faciendã, quia non est in proposito vitandi peccatum, quod committitur retinendo alienum. Bonaci. de restitut. disput. q. 6. prop. 2.

Caïnus eo nomine reprehenditur, quod non primitias sed secundas fruges, post aliquod tempus natas obtulisset Domino, cum Abel primos omniũ fœtus obtulisset. Suidas in verbo, Abelus.

Erinaceus quo diutius partum differt, eo magis à spinis fœtus sui pungitur in enixu.

Elementa corruptioni obnoxia, aqua scilicet & terra, etiam aër motu recto feruntur, qui breuissimus est, ne si sint extra locum suum, diutius moras trahant. Cardan. lib. de Rer. variet. cap. 47.

Presbyter ieiunus debet consecrare. can. sacramenta de consecr. dist. 2. ieiunus est nondum vitiis & cupiditatib. humanis pastus.

Primitiæ sunt primæ fructuum obuentiones Domino offerendæ, vt cautum Exod. 22. antequam vsibus nostris secundiæ deputentur. cap. causa carpensis de verbor. signif.

Abrahaam immolaturus filium suum Deo, surrexit mane, quia initium lucis splendebat in corde eius. Non deliberat, non detractat, non communicat cum vllo homine consilium, sed statim occupat iter. Orig. Homil. 8. in Genes. Trium tamen dierum fit iter, vt per totum triduum recursantibus curis paterna viscera cruciarentur, vt omni hoc spatio tam prolixo intueretur filium pater, cibum cum eo sumeret, tot noctibus penderet in amplexibus patris, in tantum tentatio cumulatur. Ibidem.

Si peperit terra vna die, & nata est gens de semel. Ista est generatio perfectorum, quæ statim sub die, vt concepta fuerit, nascitur. Isay. 66.

Summus sacerdos non accipit in vxorem, nec meretricem; nec eiectam. Leuit. 23. Valdè puram & synceram animam Verbum desiderat cui iungatur, nã qui se iunxerit Domino vnus spiritus est. Origen. in Leuit. Homil. 12. Purior est adolescentis anima Deo tunc consecrata.

Soli pueri & primogeniti, & ex tribu Leuitica numerantur in populo Israël egrediente ex Ægypto. Origen. Homil. 1. super Numer.

In diuinis pueri censentur inter viros, iuuenes vestri visiones videbunt.

Iosue 9. Altare ædificatur ex lapidibus integris quibus ferrum non est iniectum. Tales lapides sunt qui semper pacifici, quiet extra vim omnem externam, super illos Dominus Iesus offert holocaustum & sacrificium laudis. Idem. Id Homil. 9. Super Iosue in valium cordibus scribitur lex. Ibid.

Ecce venit dilectus saliens super montes, transiliens colles. cant. 2. sic Christus parui temporis spatio totum occupauit mundum, de regno in

regnum afferens Euangelium. Paulus non ambulando profecit, sed currendo cum dicit. 1. Tim. 4. cursum consummaui. Origen. Hom. 3. in Cant. *Vide Duratio Cognitionis Rep.* Subita illustratio.

Orate vt non fiat fuga vestra hyeme vel Sabbato, idest in senectute, cum amplius non licet operari, est enim malum Sabbatum vacans à bonis operibus. Id. tract. 29. in Matth.

Propter electos breuiabuntur dies persecutionis Ioa. 14. præscinduntur dies superflui in mundanis transigendi, vt remaneat solummodo lux quæ est secundum verbum veritatis, vt nihil patiatur à desolatione. Ibid.

Nonne vos dicitis quod quatuor menses sunt & messis venit. Ecce dico vobis, leuate oculos vestros & videte regiones iam albas ad messem. Ioan.

Lentus ignis duram materiam mollem efficit lentam fluidam, tandem spirituosam; at robustus calor simul ac materiam explicauit, tenuem facit, & exhalate, ita quod prædicti gradus non discernuntur, licet fiant. Campanella.

Plagis excipitur seruus qui missus à Domino ad aliquid per agendum tempus terit in obuiis rebus, pantomimis in foro spectandis. Sic miramur diuitias, dignitates, bella, &c. nec ad cœlum, vt præceptum est, properamus rerum ridicularum admiratores, si vis talia spectare, vide non pulchras vestes; sed sub illis deformes, irrequietas suppliciis affectas animas, &c. D. Chrysost. Hom. 4. in fine in cap. 1. ad Roman.

Caue dixeris, erit tempus cum ad meliorem frugem conuertar: hæc enim verba iram Dei concitant, quod cum ille infinita secula tibi pollicitus sit, tu contra in præsenti hac vita, quæ breuis ac fluxa est, nullum laborem suscipere velis, potest quibusdam contingere pœnitentia in fine, sed quantis non contigit: multi redeunt salui ex bello, securius tamen est ante illud condere testamentum, casui non est committenda salus animæ. Id. Homil. 22. in 2. ad Corinth.

Festinemus ingredi in illam requiem, &c. Hebræo. 4. sic curro non quasi in incertum. 1. Cor. 9. Cursu opus est, eoque vehementi qui currit nullum videt ex omnibus, etiam si ingrediatur per prata, per arida & aspera, etiam si quis contumelia afficiat, lapidibus appetat, in hoc solum est vt currat & pretium accipiat. Id. Hom. 7. in epist. ad Hebr.

Debilitatur anima per peccatum. *Vide Minoritas Virtutis* peccati damna.

Quicumque potest se obligare diabolo, potest se obligare Deo sed pueri possunt se obligare diabolo, peccando, vt dicitur cap. 1. de delict. puero. ergo possunt etiam se obligare voto vel iuramento ad seruiendum Deo in religione. D. Thom quaodlib. 3. a. 1.

Dicitur in Canticis Surge, propera amica mea. Cant. 2. quia iam præsentia solis hyems transiit. viæ facilitas, & lætitia, flores apparuerunt in terra nostra, &c.

Deus volebat offerri sibi agnum anniculum. Leuit. 2.

Donum innocentiæ conseruatæ ex parte sui maius est, quam pœnitentiæ donum. Tost. Math. to. 5. fo. 22.

Resurectio corporum fiet in nictu oculi. Id. Math. to. 7. fo. 134.

Manna colligendum erat mane antequam calore dissolueretur.

Vitula russa quæ offerebatur pro peccato, non debuerat portasse iugum. Idem. Nu. tom. 1. fol. 281. quia reliquiæ vsus humani non debent offerri Deo.

In aliis sacrificiis poterant offerri boues & oues prouectæ iam ætatis, at in holocausto sacrificiotum ad Dei gloriam præcipuo, debebat offerri agnus anniculus. id est qui non excessisset annum. Idem Leuit. fo. 13.

Cogita diligenter quam multi modo moriuntur, quibus si vna hora, ad agendum penitentiam, quæ tibi concessa est, tribueretur, irent ad Ecclesiam vbi manerent pœnitentes & toto corpore prostrati, donec peccatorum suorum veniam consequerentur. Laurent. Iustinian. lib. de fide. cap. 6. in fine.

SERA TAMEN *pœnitentia valida.*

D. Gregor. Papa in Registro. lib. 1. epist. 14. præcipit hæreticos etiam cum periculo, in communionem recipiendos, ne, inquit, de animabus eorum negligentiæ possimus subire iacturam.

Plantę molles non possunt inseri, quia non ferunt fortem alligationem in insitione necessaria. Vnde si olus inseri debeat, oportet quod ante lignescat truncus eius, vt insitionem valeat sustinere. Albert. Mag. lib. 7. de vegetabil. cap. 10. Sic exilia quædam ingenia vix possunt in meliorem frugem conuerti nisi in senectute.

Humana censura solet citò vindicare. Hæc est Christi magna, larga, sola misericordia, quę iudicium omne in diem seruauit vnum; & homini totum tempus ad pœnitentiæ deputauit inducias, vt saltem de peccato pœniteat, cum iam sentit se non posse peccare, faciat de necessitate virtutem, moriatur innocens, qui totus vixit in crimine. Chrysolog. serm. 42. *Vide Virtus Finis.* Virtus in senectute.

De conuersione tarda. D. Aug nom. to. 10. lib. 3.

De latrone beato sermo Gofrid. bibl. Patr. to. 15.

Non deterretur Christus à suscitando Lazaro, quod dicatur eis iam fœtet, quatriduanus in monumento. Chrysol. serm. 61.

Pecoribus fatigatis, velocior in domum gradus est Seneca de tranquillitate animi. cap. 1.

Leui propter crimen admissum in Sichimitas, patris maledictione hæreditate priuatus, Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia, dispergam illos in Israël. Gen. 49. Tamen in sacerdotium assumptus.

Ex mineralibus alta terra infossis, expurgatis à vitiosis suis qualitatibus habentur medicamenta validissima, sic serò conuersi fiunt, vt Paulus, Apostoli ad gloriam Dei magis efficaces.

Nemo desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est, quia nonnunquam quod diffidentiâ ætatis differtur, consilio maturiore perficitur, de pœnit. dist. 7. can. nemo.

In plantis aliæ citò, aliæ serius seminatæ proueniunt, illas enumerat Theoph. hist. plantar. lib. 7. cap. 1.

Math. 20. operarii qui vltimi veniunt in vineam, parem recipiunt mercedem iis qui à mane laborauerunt & portauerunt pondus diei & æstus.

Infinitam, immensam credimus Dei misericordiam, ita non alligatam certo tempori, quo transacto, intercludatur nobis ad eam aditus. Si dilata fuit totius mundi salus per incarnationem verbi, licet tot sæculis, tot Prophetarum votis expetita, mirandum non est si singularis hominis conuersio in senectam vsque differatur; seu malis suis habitibus addicta mens, citius vocanti gratiæ, non consentiret; seu superabundans gratia, nondum maturam pœnitentiæ, prius non messuerit. Tam absurdum est quærere cur tam serò conuersus, quam cur post tot sæcula, ab ortu mundi creatus fuerit homo; summæ potestatis & libertatis diuinę opus est, summæ sapientię ordinatio, vt quædam aliis sint priora, media, posteriora; B sunt hęc etiam singularia, multis nixa rationibus, licet illas angustę nostræ mentes non capiant. Singuli suis constant indiuidualibus differentiis, quibus ad inuicem, & ad vniuersalis Ecclesiæ pulchritudinem mirè concinunt, sed harmoniam hanc, in ęternitate tantum, tempus omne complectente, percipiemus. Cæterum hæc est arbitrii nostri liberi sors, vt ad omnem temporis differentiam suo se iure, vt libuerit, flectat, procul ab externa coactione, & necessitate: sunt alii aliis ab aurora magis vigiles, aut somnolenti, sunt alii plus aut minus inediam ferentes; sunt qui ab adolescentia, sunt qui in ætate virili, tandem sunt qui senectute tantum vrgente conuertuntur, sunt præcoces, sunt medii, sunt serotini fructus; C quis id miretur in humana specie, rerum omnium differentias complectente. Sic Euangelii parabola refert operarios aliquos summo mane, alios die media, alios sero tantum & inclinata iam die in vineam patris familias admissos, vltimosque primis æquatos in præmio. Solent enim tardè conuersi moras diligentia, zeloque compensare in virtutibus sibi comparandis: rerum mundanarum vanitates experti, nullo deinceps earum teneantur desiderio, ruptis passionum compedibus, soluta mens tota fertur in Deum, pœnitet in præteritis, præsens omne tempus impendit charitati, cui & sacram efficit totam quam hic habitura est vitam, ergo licet sera sit pœnitentia, fertur tamen ad omne tempus, & sic beatam æternitatem illud omne complectentem potest promereri. D Prostat hoc azylum diuinæ misericordiæ, paternæque bonitatis, sub qua nulli desperandum est. *Ex principiis.*

Numquid qui cadit non resurget? Hier. 8. Erigite dissolutas manus, & genua debilia confortate. Isai. 53. Surge qui dormis & exurge à mortuis. Eph. 5.

Etiam si, vt Paralyticus Matth. 21. triginta octo annos habeas in infirmitate; potes sanari, modo velis tu surgere, modo non desperes. Non habes hominem, sed habes Deum; non habes E qui te valeat in piscinam immittere, sed habes qui potest facere ne piscina indigeas. Nullus vetat si volueris in fontem gratiarum descendere. Hæc nempe gratia nunquam consumitur, nunquam euacuatur, continuè fons hic emanat, & à plenitudine ipsius corpus & anima curatur, testantur Rahab meretrix, latro, &c. alii D. Chrysost. Ib. hom. 68.

Sic Reges magi; sic publicanus Euangelista, sic Paulus serò salutem sunt consequuti.

Habetur fiducia recuperandæ sanitatis ex aliis ægris similiter sanatis.

Psal. 6. Misericordiam poscit Dauid in vetera-

A ui inter omnes inimicos meos, inter veteris Adæ iniquitates & spiritus diabolicos. Alcuin.

Est æternæ veritatis matutina, meridiana, vespertina lux, quæ non vniformiter mentes illuminat, licet ab eodem æternitatis fonte emanet. Vespertina lux est, quæ mundanæ fallaciæ & temporalis illecebræ cognitionem tribuit, atque contemptum. Laurent. Iust. lib. de spirituali animæ resurrectione.

Si quis circa finem suum per pœnitentiam desinat esse malus, non ideo debet desperare, quia in termino est vltimo vitæ, quoniam Deus non respicit quales antea fuimus, sed quales circa finem existemus; ex fine enim suo vnumquemque aut iustificat aut condemnat, sicut scriptum est; ipse iudicat extrema terræ, & alibi, vniuersorum finem ipse considerat. Et si bona est ad extremum conuersio, melior tamen est quæ longè ante finem agitur, vt ab hac incerta vita securius transeatur. Alcuin. de diuin. officiis cap. 55.

De desperatione vitanda. *Vide Cognitio Minoritatis. Repug.*

Fiunt non nascuntur Christiani. D. Hieron. ad Lętam. Auratum squalet Capitolium; fuligine & aranearum telis omnia Romę templa cooperta sunt. Mouetur vrbs sedibus suis, & inundans populus ante delubra semiruta, currit ad Martyrum tumulos. Nunquam est sera conuersio. Latro de cruce transit in paradisum Nabuchodonosor Rex Babylonis, post efferationem corporis & cordis, & belluarum in Eremo conuictum: mentem recepit humanam. Solitudinem patitur, & in vrbe gentilitas; Scythiæ frigora feruent calore fidei. D. Hieron. Ibid.

Latro crucem mutat Paradiso, & facit homicidii pœnam, Martyrium. Subitus calor longum vincit teporem. Id. ad Paulinum.

Et sancti corruunt si fuerint negligentes, & peccatores pristinum recipiunt gradum, si sordes fletibus lauerint, hoc dixi, vt non te terreant descendentes, sed prouocent ascendentes. Id. ad Iulian. conso

Christus in paradisum de cruce latronem intulit, & ne quis aliquando seram conuersionem putaret, fecit homicidii pœna Martyrium. Idem Damaso.

In die resurrectionis in viuis reperti non præuenient eos qui à pluribus sęculis mortui sunt. Sero pœnitentes possunt æquare cæteros. Vide S. hoc tit. subita conuersio ex eodem.

Digitized by Google

labor damna intendimt. Idem declam. 13.

D. Gregor. PP. in Registro. lib. 3. epist. vlt. reprehendit Rusticiam Patriciam quæ cum ad montem Sinai & loca sancta perrexisset citius ab illis decessisset vt rediret Constantinopolim.

Fortunę bona sunt mutabilia, sola virtus est firma animæ anchora.

Assiduus esto, vt qui scalas ascendunt non prius desistunt ab ascensu, quam summum attigerint gradum

Quando pars rationalis superat irrationalem' nascitur tolerantia & continentia, ne cedamus labori. Vt qui sano est corpore, potest æstum & frigus tolerale. Sic sanus animus aduersa.

Cum euentus non possimus voluntati accommodare, voluntatem euentis accommodemus. Iustus habet mores suos, tanquam leges.

Labor improbus superat omnia. gutta cauat lapidem non vi, sed sæpè cadendo; plures fiunt exercitatione boni, quam natura, labor continuus ipsa consuetudine fit leuior. At perpetua cunctatio reddit actiones imperfectas. *Vide Virtus Finis. Virtus* in senectute. Diogenes dicebat Medeam non fuisse veneficam, sed sapientem quæ mollia prius & velut senilia infirma corpora, labore indurabat & firmiora efficiebat. Exercitus vt suo fungatur officio nunquam debet vacare, sed semper aut hostibus nocere, aut sibi prodesse.

De voto implendo. *Vide Duratio Voluntatis.*

De perseuerantia. liber Origenis. Bernardin. quadr. 2. serm. 66.

Aqua pura & poculenta coquendo non incrassatur, vt fit in succo & humore.

Omnis finis, aut est opus, aut operatio. Artes quædam habent opus pro fine vt ædificatoria, domum. Alię operationem, vt saltatoria saltationem, &c. Virtus moralis est propter operationem rectam, perennem.

Intus existens, prohibet extraneum. Arist. 3. de anima. interior bonorum consolatio efficit vt ab externis non lædantur.

Bona incipere omnium est, electorum benè cœpta perficere. stultus enim vt luna mutatur Ecl. 27. Exprobratur illi Luc. 14. Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Petrus Damiani lib. 8. ep. 5.

Spiritus sanctus in aliquibus hospitatur, in aliis permanenter habitat, de quib. Ioan. 14. Apud eum mansionem faciemus; & Isay. 68. Super quem requiescet spiritus, nisi super humilem & quietũ. Id.

Leuit 8. Aaron dum consecratur, Moyses tingit sanguine immolati agni extremum auriculæ eius, pollicem manus dexteræ & pedis. Id significat attentum esse debere diuinis mandatis, opere implere, & vsque in finé Rupert. in Leuit. lib. 2. c. 3.

Vide Bonitas Æqualitatis. Et Virtus Æqualitatis. Merum Æqualitas. Duratio Æqualitatis.

Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine conuenitur, populus non ante discedat, quam Missæ solemnitas compleatur, & vbi Episcopus fuerit, benedictionem accipiat sacerdotis. de cõs. dist. 1. c. cum ad celebrandũ. Ex Conc. Aurelian. 1. can. 26.

Antiqui nobiles fortiter gesta, in scutis aut picta aut sculpta deferebant, quasi à rectè factis non cessantes, & exercita virtus foret illis pro scuto terrens hostem.

Absinthus gemma coloris nigri permanet calidus per septem dies, quia habet multum humidi vnctuosi. Albert. Mag. de lapidib. litt. A.

Multorum finis est, non esse factum, sed fieri.

A Et enim frui voluptate malumus, quam ab ea discedere, & contemplari quã contẽplati esse. Suidas.

Obsidio laboriosa, recessus autem probi plenus.

Callimachus Atheniensis bello Persico inuentus est mortuus hastis insistens. Suidas in voce Callimachus.

Aliqui lucci concreti, vt sal, nitrum, alumen, etiamsi transluceant, quia tamen duri non sunt, inter gemmas numerari non possunt, vt nec lapides qui igne liquescunt. Georgius Agricola lib. 6. de natura fossilium.

Athenis in academia erat ara Prometheo dicata vnde accensis lucernis fiebat cursus in vrbem, præmium is obtinebat cuius lampas non fuisset extincta. Pausanias & Rhodigin. lib. 11. c. penult.

B Solem antiqui vocarunt Phœbum, quasi Ephebum, idest adolescentem vnde & sol puer pingitur quia non senescit, quotidie oriatur & noua luce nascatur Isidor Orig. lib. & cap. 10.

Noë iubetur facere arcam ex lignis quadratis: quadratum est quod nulla vacillat ex parte, sed quocumque verteris fida & solida stabilitate consistit, tam firmi debent esse doctores in fide, virtute doctrina vt vitæ, & hæresum fluctus superent Orig homil. 2. in Genes.

Abraham per triduum perseuerat in firmo proposito immolandi filium suum Deo. Vide supra proxime sine mora vocationi consentiendum hoc titulo.

C Ioan. 1. dicit super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum. Hoc est signum in Saluatore, quod in aliis non reperitur, de nullo enim scriptum est, quod manserit in eo spiritus: solus enim est qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Origen. homil. 6 super Numer.

Dicitur. Num. 33. exierunt filij Israël de Ægypto cum virtute sua, scilicet diuina.

Christus qui à mortuis surrexit, non amplius moritur, mors illi vltra non dominabitur, quod enim mortuus est, peccato mortuus est, quod autem viuit, viuit Deo, ita existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo Rom. 6.

D Vt corpus censetur impassibile quod accepto vulnere nihil patitur damni, sic vera est libertas quæ talis manet etiam in externa seruitute. Diu. Chrysost.

Quandoquidem nos Christus vita donauit, viuentes maneamus, nec ad priorem mortem rursus redeamus. Christus enim non iam moritur, quod enim mortuus est peccato mortuus est semel: viuit corpus si non dissolutum iacet, nec præpostere mouetur, sic ex rectis actionibus æstimatur viuens anima. Id. homil. 6 in 1. ad Corinth.

Nihil proficit in studio cucurrisse si gradũ sistas, cum ad metam non perueneris. Equites semper præferunt torquem suæ dignitatis insigne, & nos fidem, charitatem cæterasque virtutes nunquam

E deponamus. Id. homil. 1. in epist. ad Philipens.

Aliquis potest confirmari in bono per aliquod munus gratiæ, quo ita inclinatur in bonum, quod de facili non possit ab eo deflectere, prouidentia scilicet custodiente, cum ratione libertatis & infirmitatis semper possit peccare D. Tho. in quæst. disp. de libero arb. a. 9.

Cor hominis amore diuino stabile & fixum in æternitate stat, quia vnum amando vnum permanet. D. Bonauent.

Post diem iudicij & post depurationem elementorum, nullum eorum manebit in sua disposi-

Digitized by Google

tione naturali. Tostat. Math. to. 7. fo. 137. sic qui post pœnitentiam non relabuntur.

De dono perseuerantiæ. vide quæ scripsi lib. de misericordia Dei parte. 2. cap. 27.

Perseuerantia omnia superat. *Vide Potestas Durationis.*

NON STATIM A SAcris ad prophana.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Mos hic potissimus inualuit apud nobiles fœminas, vt eadem die sacram corporis Christi communionem mane sumant, pomeridiano tempore theatris adsint, festiuis nocturnisque conuenticulis maximo pietatis Christianæ ludibrio à licitis etiam abstinendum docet Apostolus, cum orationi vacandum est, quanto magis ab illicito, quæ peccata foueant. *Vide Potestas Medij.* digna ad Eucharistiam dispositio. Excipis Christum & qualis esse debet mentis integritas, ne quid offendat hospitis sanctissimi dignitatem. Christo ad te venienti, se tibi, si capere valeas, cum immensis gloriæ suæ thesauris concedenti grata totam etiam mentem rebus temporalibus vacuam debes concedere. At quis credat te sanctum cum fide recipere quem ad horam turpiter eiicis, & ille te dare mentem malis affectibus vacuam, quam ad mundana citissime reuocas.

MAGNITVDO. Totum vitæ tempus Deo debitum sic partiris, vt ex cunctis anni diebus paucos, & in singulis vix horam sincero pietatis officio tribuas. Nam destinata communioni die, cum res sit de anima, ex matutinis tamen horis primæ dicantur corpori vt plurimum ministrantium doctis manibus, teste speculo, vultus, capitis, totius corporis ornatus studiose componatur. Sic tam falsis quam pretiosis, in vanum temporis impensi, vanitatis, intentionis forsitan magis peruersæ delictis onerata procedit ad Ecclesiam, fastu à Christi hic iacentis & expectantis humilitate penitus alieno. Accedit ad synaxim, paulo post à sacra mensa ad communem, ciborum apparatu superfluo vix innocentem, condimenta sunt vani sermones, vtinam proximorum famæ, bonis moribus, fidei decretis non contumeliosis fit conuiuarum & superuenientium corona, vbi lingua liberior, cuncta peruadens, veris falsa iucundè permiscens, nihil intactum relinquit. Ex illa singulari de viuente comedia condictis horis procedunt ad eam, quam publicè de fabulis & historiis sumptam exponunt theatra, tandem ad nocturnos saltationis conuentus; ad Baal dæmonis orgia, celebres impuritatis nundinas; hæc ne vita Christianæ mulieris quæ deberet Euam vbique lugentem præferre? hæc ne pietati sacrata dies, cius nequidem hora datur Deo, totum reliquum, mundo, vanitati, delictis?

DVRATIO. Cur ex pluribus mensibus vna seruata dies pietati, tota Deo non cedit? sit sabbatum à mane ad vesperam quiete continua celebrandum. Ad id nos prouocat indiuisum quietumque in Eucharistia Christi corpus. Ex tam mibili Sacramento si speras malis tuis remedium, efficax quidem concedi ur, sed vt quod libet

A aliud in transitu non prodest. benè disposita mens illud excipiat, deuota seruet, non in contraria noxiaque statim se diffundens. Hac spirituali diæta salutares effectus Eucharistiæ consequeris.

POTESTAS. Ea die qua sumpsisti medicinam, abstines à solitis epulis, negotiis, actionibus, cubiculo velut carceri mancipata, affixa lecto, silentibus, exclusis omnibus, vix gratus in solatium familiaris admittitur. Quidni tantum possis & debeas, pro Deo, pro anima quantum pro mortali corpore.

COGNITIO. Sic à diuinis in humana te præ- B cipitem, vident & mirantur omnes cum ingenti scandalo, fidem enim tanti sacramenti tuis negas operibus, & cum diuina vox hæc auribus tuis intonet: Vacate & videte quoniam suauis est Dominus, cum te prouocet ad pietatis continuationem, temere tibi sat esse putas vnius breuioris Missæ tempus. Certè panem hunc cœlestem non diiudicas, & illum à communi vix licet distinguere, cum ad solita tam cito te transfert humana cupiditas. Quid sperandum ab elixir illo viuifico, cuius ne hac quidem qua sumptum est die notatur effectus. parum mentem indispositam afficit quam sic parum detinet.

C VOLVNTAS. Si solitudini, quietique dicatum tempus importunè posceret aliquod casu con tingens negotium, cui necessitatis vel honestatis lege parendum esset, vim tunc passa deuotio, potens humiliter inducias, quod debet breui post solutura, veniam posset promereri. At lugendum est quod ex destinato, condictis horis veniunt quæsita, stipulata, gratissima pietatis impedimenta. Voluntas eadem quæ tempus dixit communioni, dixit simul & his quibus statim interrupta deuotio periret, conuiuarum facetiis, nugantium circulo, comœdiæ lasciuienti, nocturnis D ad falces pudicitiæ funeribus.

VIRTVS. Non vult pietatis habitum, quæ non aliter quam transitorias eius admittit actiones? Non vult nutritionem & remedium cibi cœlestis quod statim sumptum indignans euomit Non vult crucis Christi fructum innocentiæ restitutionum, quæ flores eius mox vt apparent, motu, verbere, quantum potest discutit. Quid pietatem prædicas, illi sensuum voluptates illustri pompa præferens

VERITAS. Quædam videri volunt piæ simul & mundanæ, sed cum paucissima tribuant pietati, longè plura sensuum illecebris, suomet testimonio habendæ sunt parum piæ, multum mundanæ: & verius nullomodo piæ, quia vera pietas E quæ diuina degustat, illis gaudens adhæret, ab his facilè non transfertur, propter temporalia quæ fastidit Peieras non ore, sed actu, & Deum falsitatis testem aduocas, sumendo corpus Christi, vt ridearis habere, quam verè non habes pietatem.

GLORIA. Vulgo dicunt, turpius eiicitur, quam non admittitur hospes. Leuius sanè videtur Eucharistiam non sumere, quam sumptam infamare sacrilegis vsibus, & ridiculam efficere, quam Ecclesia prædicat exactam, circa tale mysterium, pietatem.

DIFFERENTIA. A locis prophanis, templa certo distare debent spatio: clerus à populo sedibus, cancellisque diuiditur. In altari in quo celebrauit Episcopus, eadem die sacerdos alius non celebrat. &c. *Vide Gloria Differentia.* honorifica distinctio: sic quæ corpori Christi communi-

tauit, statim non transeat ad communia, multo minus ad peccantia.

Concordantia. quæ conuentio lucis ad tenebras, Christi ad Belial, & ad voluptuarios, lasciuos, criminum incentores cœtus. In illos inhabitantem in te Christum transfers, eiusquemaiestatem violas horrenda profanatione; Numquid enim par est sacrilegium abominationem in loco sancto, & sanctum in abominabili constituere?

Contrarietas. Olim pœnitentes per plures menses aut annos abstinebant à conuiuiis, theatris, balneis cæterisque voluptatibus quæ sensui blandiuntur, velut luctui numinique placando parum congruis. Temperantiam hanc impera tibi saltem ea die, qua Pœnitentiæ sacramento purgata ad sacram corporis Christi communionem accedis. Sacramentum hoc est passionis Christi memoriale, quod ad prophanas voluptates transferre non oportet, vt nec altaris, in quo celebratur, ornamenta ad festiuitates, etiam licitas, nuptiarum.

Principium. Larua pietatis est quæ sic ad libitum cito sumitur & deponitur. Fixam non habet in corde causã Ita nec Deo interiora scrutanti, nec hominibus qui fucum hunc facile deprehendunt, imponit. Miserum est quod illustris mulier hac peccans indeuotione, plures exemplo suo tradit ad similia, & multiplicati causa sua reatue; seniores in iudicio dabit pœnas.

Medium. vsquequo nec frigidus nec calidus animus, à Deo merebitur repulsam? Periculis non vacat transitus ille ab extremo in aliud sine medio *Vide Minoritas Medij.* transitus abextremo in aliud.

Finis. timendum ne talis hæc actionum series sæpius repetita, sit infœlicis exitus tui prænuntia quædam imago, vt sicut diem, sic vitam incipias & claudas per sensibilia medio breui tempore rationi, sed non vtiliter, quia non perseueranter dicato.

Maioritas. Duplici titulo grauior est, meditata, & pietatis veste se tegens indeuotio. Non satis æstimant sinceræ Religionis excellentiam; quæ sic ab eius gradu, volentes, negligentes cadunt.

Æqualitas. Quando vitæ liberioris culpas pœnitentia diluet, quæ veteres nouis quotidie cumulat, & sacris miscet prophana? Vno quidem & pari tenore diuersis intenta muneribus vita vix potest decurrere, sed tamen in agendis seruetur ordo, & quem prudentia dicit humanis actionibus, vt vnaquæque suum tempus habeat, id & religiosis officiis imponat, intimus de Deo sensus.

Minoritas. Plus temporis impendi deberet pietati, quæ vnum est nobis necessarium, vnde pendet præsentis vitæ tranquillitas, futuræ spes. Tamen cum illi dicata sit ex multis mensibus vna dies, ex illa die vix vnam à mundanis liberam reponunt horam cum animus è cœno temporalium statim egrediens, mox in eadem paratus immergi, ab his purus non existat, & si daretur aliquod momentum integritatis, tam exiguum est vt pro nihilo haberi debeat.

Deprehenderis & detegeris Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris: fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuæ fidem modo ingrediens Ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis quibus renuntiasti. D. August. de symbolo ad catechum. lib. 4. cap. 1.

Vide Gloria Virtutis. Quies præcedens externas virtutis actiones.

Vide Gloria Differentia. Splendida & honorifica distinctio.

FORTITVDO IN *aduersis.*

Nix non cadit in oceanum, quia vapor eius calidus ipsam dissoluit antequam cadat: fortitudo Christiana præuenit aduersitatem.

Proiectus miles animum non proiicit, sed cum magna spe ad pugnam descendit, eaque virtute, mala fortuna vincitur, & bona ornatur.

Iudas Machabæus cõparatur Leoni imperterrito. 1. Machab. 3. Vide. Cæneus apud Pindarum, dicitur habuisse corpus taliter conformatum, vt ferro lædi non potuerit. Stoïci magis mirabilia dicunt de sapiente, in carcere & captiuitate liberum, in aduersis lętum, inter dolores & tormenta, velut si non sentiret quietum. Plutarch. libro. de sapientia stoïcorum.

Si perpetua fuerit infœlicitas asuescendum, si desinit prior fœlicitas, eius recordatio debet lenire dolorem, ne Deo qui concessit, simus ingrati. Id. in consolatione ad vxorem.

Luxuriosi cum ægrotant, stulti cum fortunam sinistram experiuntur, vix curari queunt. Plato.

Epictetus laudat Agrippinum, qui eius aduersitatis, qua vexabatur, laudes dicebat & encomium, si quidem febriret, febris, sin notaretur infamia, infamiæ, si exularet, exilii.

Cogita quanta tibi in vita acciderint præter voluntatem, tamen in bonum ipse deiectus & fractus animus plus habet doloris, quam qualibet calamitas.

Callimachus Atheniensis multis vndique in prælio confixus hastis, & mortuus, erectus stetit velut arbor ferreis firmata radicibus.

Omnibus communes sunt aduersitates, sapiens fortiter ferendo, differt à stulto & fortis suę ignauo Vna licita nobis fœlicitas, indolentem transire vitam, non tristari, hoc est de aduersis triumphum agere, industrii est, ex malis bonum elicere, vel à Deo expectare.

Dolor apud eos libenter manet, à quibus alitur & augetur. Dicat quisque, talis est natura mundi, fuit, est, eritque deinceps. Elementa inuicem commutantur. Magnanimitas est leuiter ferre fluctuationem: quis indignetur fieri hyemes, nubes, tonitrua, grandines, fulgura, maris æstus & tempestates, hoc lex vniuersi, cui se sapiens accommodat. In militia habens equum pugnas vt eques, si non habes, vt pedites. Sic age prout licet, non prout optares. Noli propter vnius rei absentiam priuari cæterorum voluptate, ac si vno oculo amisso alterum confoderes, &c.

Si Iacob non fuisset patiens in sua seruitute, si illam patri denuntiasset, non habuisset dominationem Ægypti, nec occasionem iuuandi familiam suam. Theodoret. in Genesim. q. 99.

Tactus ignobilior sensuum dolore vehementiori afficitur, quippe à primis qualitatibus. Non sic nobiliores sensus, visus & auditus.

Deficientes in aduersis, sunt tanquam fal-

sum alchemistarum aurum, quod non patitur ignis experimentum.

Dum Episcopus confert sacramentum Confirmationis, recipientis genas percutit alapa vt intelligat se debere pati iniurias pro fide Christi.

Bonacina de confirmatione propositione vltima.

De afflictionibus ferendis. D. Aug epist. 123. 1,6. 149.

De consolatione in aduersis. Basil. to. 3.

Consolatio tentati. Gerson. in epist. to. 3.

De Ecclesia sub typo mulieris fortis. Albert. tom. 12.

De fortitudine. Plato Lachez. Cicero 1. de Officiis.

De impassibilitate spirituum. Ficin. in lib. 14 B Plotini.

In aduersis confortat spes gloriæ. *Vide Voluntas Gloriæ, spes.*

Cælum non alteratur in suis motibus & influentiis propter inferiora meteora & elementorum mutationes, sic mens diuinior & superior in nobis pars, non debet turbari propter externa.

Quantum hoc & quam Deo vicinum, etiam inter humani generis ruinas stare erectum; & super concussa non concuti: stant inde sua magnitudine trophæa, quæ nulla vis diruat, nulla ætas obnubilet. Vir fortis victa fortuna sua, victrici stat mente, fatum ferens & Deum etiam captus & saucius reptat ad suorum vulnera obliganda.

Habemus hoc integerrimæ pietatis argumentum, quod Deum colimus etiam iratum. Forte non fuisset inter sanctos Ludouicus, nisi aliquando habitus inter infortunatos, ipsa bonorum fœlicitas innocentia est, inter tot acies victas inuicta dum sæui turbines quatiunt, habere portum in pectore.

De ligno Calamba incorruptibili. *Vide Media Bonitas, bone malum mixtum.*

Nautæ non statim deserunt nauigationem propter contrarium ventum, sed pugnant contra procellas.

Deus conclusit ostiis mare, & dixit, huc vsque venies. Iob. 38. permittit aduersa in corpus sæuire, non vsque ad animam. Petrus Damiani. serm. 13.

Bulliat aurum non minuitur, cædatur adamas, non secatur. Id.

Licet turbetur mare & sæuiant venti contrarii, acus quam magnes affricuit, semper dirigitur ad polum. Sic anima quam afficit charitas, ad Deum in vtraque fortuna semper conuertitur.

Desperationis genus est pro re temporali amissa, proiicere animam suam Deo sacram malo externo adiicere internum quod grauius est, amittere pacem & lætitiam cui cætera debent seruire, & quia fortè non es ita diues honoratus, vt sperabas, fieri miser.

Generosi duces bello capti, eum vultum, eam seueritatem retinuerunt quam habuerant liberi. E Prostrati non iacent.

Etiam si aqua tundenda humeros perdideris, tamen aqua manebit.

Occumbere in bellis eos video, qui vitam plurimi faciunt, & eos euadere, qui vitam pro nihilo putant. Itaque & ego pugnabo tanquam moriturus, neque quocumque sors vertat, victorem fore scio. Sic magistratus scripserunt ad Leonidum pugna vt moriturus, & non morieris. Suidas in verbo

A flamma recta sursum ferretur Idem in voce. λυκοῦργος fortitudo propter Deum.

Vir fortis similis est tesseræ ex medulla sambuci confectæ & plumbo supposito, cui recta innititur quocumque modo iaciatur. Gallice dicitur bilboquet ludicrum puerorum. est dilemma, ambidexter.

Apud Spartaneos matres, cum filiis ad bellum exituris clypeos darent dicebant. aut hunc reporta, aut in hoc reportare interfectus. Suidas in voce Lycurgus.

In testamento veteri commendatur actio, in nouo verò potissimum passio & rerum aduersarum tolerantia.

Mulier præsumitur prior mortua. l. qui duos §. si maritus ff. de reb. dub. & contra masculus præsumitur prius natus. l. idem ex. t ff. de statu homin.

Oua à capitibus compressa non franguntur, à lateribus autem statim. Rectum enim vt rectum est non frangitur, sed prius oportet inflecti, quia in se colligitur & partes sibi inuicem occurrentes tuentur sese. longiora facilius franguntur quia facilius flectuntur, initium enim fracturæ flexio est. Cardan. lib. de rerum varietate cap. 39.

Aurum igne liquescit & fundi potest, verum tantum abest, vt eo consumatur, vt vnum ex omnibus metallis nihil de sua magnitudine deperdat, sed quo sæpius & diutius etiam in magno camino C arserit, & apparuerit igni simillimum colore, eo fiat melius præstantius. Georg. Agricola lib. 8 initio de natura fossilium. Nulla rubigine, nulla ærugine infestatur.

Iob ex consilio insanæ suæ mulieris non vult maledicere Deum in aduersis. Si enim hæc aduersa non sunt à Deo, non est ratio cur ei maledicam, si ab eo, timere debeo potentiam, sic in me validam non exacerbare, sed potius ei supplicare Origen. lib. 2. in Iob.

Vis superiorum aduersæ non resistendo, sed cedendo vincitur. *Vide Minoritas Differentia.* Nouitas fugienda & gloria minoritatis cedendo vincere.

D Multi quidem malis quibus premebantur fracti sunt, non tamen per tentationum naturam, sed per suam ipsorum socordiam. D. Chrysost.

Cogita quod factum est, infectum fieri non posse, fieri verò posse vt casum generoso animo ferens, fructum etiam aliquem ex irreparabili illa calamitate reportes, si pro maledictis laudem Domino referas. ita fiet vt quæ tibi incommoda minime volenti allata erunt, in voluntatis ac propositi merita vertantur. Si sit in te amor Dei omnia infra se posita habet infima spernens, in cœlum euolabit, diuinam tantum pulchritudinem habens præ oculis. Id. Hom. 9. in ep. ad Rom.

Est caracter timoris filialis laudare Deum etiam in aduersis. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Timor filialis.

De constantia & patientia sub malis principibus. *Vide Contrarietas Potestatis. Mali* rectores tolerandi.

Iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. 1. Cor. 4. rerum dispensatores sumus, Deus autem Dominus. eius esse omnia semper cogitantes duo maxima lucrabimur, grati enim erimus, & dum habemus, & dum à nobis auferuntur, & non seruiemus, iis quę præterfluunt, & non sunt nostra, si tollit dignitatem, pecunias,

Digitized by Google

sanctitatem, gratias agamus, quod digni habiti sumus, qui rerum istarum constituti fuerimus administri, &c. D. Chrysost. Hom. 10. in 1. ad Cor.

Qui domum fabricat non intendit cœlo interdicere calores, frigora, pluuias sed contra hæc externa se tueri: qui nauem fabricat, non intendit vt non excitetur maris tempestas, sed vt possit illam ferre, qui curam gerit corporis, non eò spectat, vt non sit aëris inæqualitas & intemperies, sed vt corpus hæc omnia facilè ferat. Sic faciamus in anima & studium ponamus, non vt paupertatem fugiamus & cætera aduersa, sed vt simus in tuto. Ibid. Homil. 35.

Cogita quantum fructum referas ex tentationibus, quibus scelerum maculas eluis, & Christo communicas quemadmodum si exiguam scintillam B in magnum pelagus iniicias, eam protinus extinguis, sic grauis quælibet molestia si in animum sibi conscium inciderit, confestim euanescit. Sic Paulus sub catenis superabundat consolatione. Id. Hom. 2. ad Ephes.

Vulgus putat hyeme cœlum pati & animum sapientis in aduersitate, cum tamen nihil vtrumque patiatur. Id. Homil. 16. ad Hebr.

Ignis in altari non extinctus pluuiis. *Vide Duratio Voluntatis.* Vota.

Qui excommunicatur vt malum faciat, debet potius excommunicatus manere, quam malum facere. Tostat. Math. to. 5. fol. 107.

Excommunicati iniustè non priuantur fructu C bonorum operum totius Ecclesiæ Ibid. tom. 4. fol. 187.

Animi firmitas & sanitas, simplex & efficax est remedium contra vim omnem fortunæ; quod si corporis non sanat dolorem, minuit, cum eum efficit tolerabilem. Maxim. Tyrius serm. 18.

Rubus ardens & non combustus significabat Iudæos in seruitute non consumendos, sed ex ea liberandos. Tost. Exo. fol. 2.

Ad virtutem pertinet bene agere & benè pati. Id. Math. to. 5. fo. 16.

Christus dicitur lapis, vt eum imitando doceamur, rectam viuendi rationem tenere, firmam ac stabilem, & in rebus aduersis fortiter perferendis constantes simus, ad ædificationem Ecclesiæ. D S. Gregor. Nyssen. lib. de perfecta Christiani forma.

Consideremus quę pro peccatis meremur, & bene videbitur quod patimur.

Consolatio in aduersis rebus familiaribus, vt in vxore proterua, in mali genii liberis, in seruorum infidelitate, &c. Vide quę scripsi moral. Christia. to. 4. parte 2. cap. 12. In amicorum infidelitate Ibid. cap. 25. & tota. parte 2. eiusdem tomi.

Mirabilius est videre hominem, qui dum vituperatur, non commouetur, quam hominem qui dum pellitur, & percutitur, non decidit D. Chrys. E Hom. 89. in Matth.

Charitas patiens est, inquit Apostolus, consueuit diuina sapientia sua probare dona, & quos charitate insigniuit, flagellis exercere. Nunquam sine patientię exercitio est charitas, Impudicæ mentis ac frigidæ experimentum est nolle pati; reprobæ verò murmurare de verbere. Quid deformius quam aduersus corrigentem & amantem irasci patrem. Hoc exhortando Sapiens prohibet, dicens, Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias, quem enim diligit Dominus corripit. Laurent. Iustin. lib. de casto Verbi & animę connubio, cap. 18.

Sanctorum tribulatio patientiam operatur patientia probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus eorum per Spiritum sanctum qui dadatus est eis: hinc efficiuntur spe gaudentes, & in tribulatione patientes, quoniam non spiritum seruitutis acceperunt in timore; sed spiritum adoptionis filiorum in quo affectu & voce clamant. Abba pater. Id. fasciculus amoris. cap. 10.

Qui mandatis obtemperat, de retributione securus hilarescit. *Vide Voluntas Contrarietatis.* Velle aduersa dicit illis Christus, Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus.

Beatus humilis, quoniam si disponente Deo ceciderit, de qualicumque mentis inflatione non collidetur; quia Dominus supponit manum suam, ne funditus pereat. Laur. Iustin.

Calceati sunt pedes in præparationem Euangelii ne lædantur offendiculis.

Aduersa quædam non sunt fugienda. *Vide Differentia Contrarietatis,* Fuga contrariorum mala.

Si sæuiant aduersitates dicamus cum Propheta, iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Ps. 118. Genuit nos non ad iniuriam & dolorem. Si quid est quod patimur ex iudicio bonitatis suæ accidit, vinci diabolum patientiæ nostræ virtuti bus delectatur, & probari nos per luctus & dolores & damna desiderat, vt nihil in seruos suos sæculi potestas, sibi esse iuris intelligat. D. Hilar. in d. Psal. Zade.

Vide Concordantia Principii. Conformitas humanæ voluntatis cum diuina. *Vide Principium Contrarietatis.* Mala temporalia sunt à Deo.

D. Hieronymus ad Paulam super obitu Blesillæ filiæ, multis præterea pressam aduersis Et tu, inquit, è duobus elige quod velis, aut sancta es & probaris: aut peccatrix, & iniustè quæreris, minora sustinens, quam merearis.

Qui nauali prælio dimicaturi sunt, pendente gradu & labente vestigio consuescunt stare firmiter; sic constantia in rebus fluxis addiscenda.

In vite resecantur sarmenta, quæ si in vite manerent, fructum multiplicem, sed minus nobilem proferrent, sic quæ apta sunt in vita actiua tolluntur propter meliores fructus vitæ contemplatiuæ. D. Bonauent.

Vide Virtus Contrarietatis. Virtus in aduersitate purgationis & exercitationis causa.

Christus se resignauit passioni & morti, vt impleret patris sui voluntatem, licet doloribus in tantum natura repugnaret vt emiserit sudorem sanguinis; sic afflictiones sine electione perpeti via salutis est. Rusbroch. cap. 3.

LENITAS, PATIENTIA; Mansuetudo.

CHaritas patiens est. 1. Corinth. 13. Hanc primam velut fundamentalem Paulus tribuit charitati, nam pusilli animi sunt impatientes, patiens autem dicitur longanimus, quia longam quandam & magnam habet animam in aduersis integram, ad vlteriora, & finem suum semper

tendentem. D. Chryſ. hom. 33. in 1. ad Corinth.

Sancti ſe dicebant hoſpites in mundo, quaſi nullam curam habentes rerum illic exiſtentium: nihil videntes eorum quæ volebant, ſed externa omnia & aliena, nulli amicitiæ titulo adhærentes, ſed agentes ea quæ pertinent ad ſupremam ciuitatem, non hic ædificantes domos ſplendidas &c. cum bello pulſarentur, cedebant & locum dabant, vt qui eſſent in terra aliena, hoſpites enim facilè talia patiuntur, vt quibus non ſit ius, tanquam in patria. Id. Hom. 24. in ep. ad Hebræ.

Baptizatis in cera conſecrata dabantur imagines agni cœleſtis, vt ſtuderent virtutum Chriſtianarum officiis, potiſſimum manſuetudine quæ in agno elucet, exemplo aliis prælucere. Etiam hodie tales conſecratę imagines dantur fidelibus.

Manſuetudo quid ſit. *Vide Minoritas contrarietatis.* Non litigare.

Patientia eſt honeſtatis aut vtilitatis cauſa rerum arduarum & terribilium, voluntaria & diuturna perpeſſio, nullo animi dolore contra ſæuientem commoto. Laurent. Iuſtin. de patientia. cap. 1. Verè patiens eſt qui diligit lædentem. *Vide Concordantia Contrarietatis.* Inimicorum dilectio.

Sine flamma & ferro martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam veraciter in mente ſeruemus. Hæc eſt inuicta ad labores, fortis ad pericula, vt nec ipſam timeat mortem, omnia vincit aduerſa non colluctando, ſed ſufferendo. Ib. cap 2.

Mititas eſt in patientiæ tranquillitas, per quam vis iraſcibilis quaſi ſilentio quodam immobilitatur, & concupiſcibilis in virtutibus ſublimatur, quod rationalis aduertens lætatur, & conſcientia tantæ dulcedinis guſtu, pace mirifica tranquillatur. Harphius theol. myſt. lib. 2. cap. 31.

Patientia eſt propriè Chriſtiana virtus. Vide quæ ſcripſi moralis Chriſtianæ. to. 2 parte 1. cap. 39 In inimicorum iniuriis. to. 4. parte 2. cap. 15. De patientia & manſuetudine religioſi in ſuorum ſocietate. lib. de inſtitutione & officiis Religioſi. parte. 3. cap. 25

Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram. Matth. 5 quia videntur aliquid de ſuo iure temporali perdere, amplius aliquid etiam temporale promittit Deus. D. Chryſoſt. Hom 15. in Matth. dicitur enim, quærite primum regnum Dei, & omnia adiicientur vobis.

De Chriſto dicitur. Iſay. 42. Non contendet neque clamabit, arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.

Vide Magnitudo Concordantia. Omnibus humaniter conformari.

Mores ſint graues, ſuaues, benigni, æquales, compti, iucundi, manſueti; tantum enim poſſunt, vt nihil iam in prouerbium ceſſerit ſui cuique mores fortunam fingunt, ad benignitatem in vniuerſum declinare oportet; hęc nos Deo & viris bonis conciliat, hac imbuti ridemus quæ alias eſſemus apertè vindicaturi, famam nobis bonam comparamus, & ad agenda liberi atque muniti accedimus, ex hoc multos amicos nobis comparamus, multi nobis; dum habent & ſe ſubiiciunt lenibus verbis ac moribus tracti. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 23.

Benignitas & affabilitas eſt magnes, quo cęterorum amici trahuntur.

A

INTER MALOS bonus.

CHymia mixtum aut ſoluit, aut coagulat, illæſis internis viribus & eſſentialibus. Vir bonus idem eſt, ſiue in conuerſatione, ſiue in ſolitudine.

Iudicum 6. vellus Gedeonis ſiccum eſt, terra rore madida, & madidum terra ſicca. Vir bonus ſemper alius eſt à populo.

B

Id quod eſt commixtum, nulli miſcibilium eſt idem ſpecie.

Vide Bonitas Poteſtatis. Amor libertatis, nitimur in vetitum.

Nauis in mare protr: cta, humore imbibito ſe vndique protinus comprimit, arctiſſimis coniunctis omnibus continuat. Theoph. hiſt. planta lib. 5. cap. 8.

Contraria locis contrariis poſſe perducere cenſentur, calida frigidis, frigida calidis; ſic enim principio naturam etiam ipſam generaſſe omnia volunt quaſi res à ſuo ſimili per exceſſum perire, à contrario ſeruari maximè poſſint velut medio quodam exultanti temperamento; ſicut de animalibus dicit Empedocles; quæ enim calida ſunt, hæc humidis locis collocaſſe naturam aſſerit In plantis etiam, calidiora maximè aquatilia iudicat vt iuncum, arundinem, gladiolum, à gelu proinde torpere hæc eadem minimè poſſe & quæ locis algentibus valeant perdurare, hęc plus caloris ſortiri vt abietem, pinum, cedrum, iuniperum, hederam Super his enim nec niuem poſſe durare autumant, ſcilicet ratione caloris aquatilia, etiam celerius igneſcunt, propter calorem. Idem. de cauſis plantar. lib. 1. cap. 27. *Vide Concordantia Contrarietatis.* Vtilis eſt contrario. miſtio.

C

Arbores excelſæ & frugiferæ in mari, non è mari, ſed è ſubiecta terra poſſunt ali, mareque ipſum ſine offenſa circumuenire, quemadmodum aqua ſtirpes ſuas incolas tutiſſimè ambit. Ib lib. 2. c. 6. Vir Deo plenus, ab humanis non læditur, nec nutritur.

D

Ea quæ in mari naſcuntur non ſine dulcedine, aut aliqua cæterorum ſapore qualitate proueniunt atque conſiſtunt, vt piſces & reliquum animalium genus quod in mari verſatur, ſalſum enim erodit, & tollit facultatem generandi. Ibid. lib 6. cap. 14.

Tractus frigidi pariunt odorata propter calorem in terra concluſum vis enim caloris eſt, quæ vbique excoquit. Ib. c. 28.

Piſces in mari viuunt aqua dulci; vnde ſunt dulces. *Vide Cognitio Bonitatis.* Diſcretio boni à malo.

E

Solis radius æqualiter purus eſt, in floribus & in cœno.

Pahnutius celebris ſanctitate monachus & Abbas Deo reuelante didicit virtutibus ſibi ſimilem eſſe, vnum citharædum, qui inter aliorum delicias vitam agebat Deo placentem & alium Protocomitem, in dignitate & opibus, charitatis operibus egenis & hoſpitibus ſubleuandis deditum vitæ Patrum. lib. 8. cap. 63. & 64.

Alpheus fluuius Arcadicæ vrbis, quæ ſita eſt ad Peloponeſum & per mare Adriaticum penetrans in mare Siculum, & ſalſadine nulla infectus, in Sicilia inſula emergit ad fontem Arethu

ſam.

sam; quasi eius amator. Suidas in verbo Alpheus.

Ars ambulandi super niues, & non infigi. *Vide Medium Durationis.*

Salamandra, bestiola magnitudine lacertæ; natura gelidissima vt & ignem subiens flammam extinguat, nec ipsa crem etur. Id. in voce Salamandra.

Tacitus loquens de Iudęa dicit, præcipuum montium Libanum erigit mirum dictu, tantos inter ardores opacum; fidumque niuibus.

Sunt quædam nomina tota græca, quia ex toto græcè declinantur vt Calisto. Sic enim græcus & latinus dicit. Isidor. Origin. lib. 1. cap. 6.

Lacus est in Noruegia apud Nidrosiam metropolim qui nunquam congelatur, tametsi frigidissima in regione sit, pinguis enim cum sit concrescit, sed non congelatur quemadmodum & oleum. Cardan. de rerum varietate. lib. 1. cap. 7. in ne.

In medio Macedoniæ lacu nitroso, dulcis emergit fonticulus. Georg. Agricola. lib. 3. de his quæ fluunt ex terra.

An non stupendum est, inquit Proclus, animam immaterialiter in rebus materialibus viuere & à caducis incontaminatam se alicubi conseruare.

Fuit apud Trœzenios fons, cuius perennes manserunt aquæ, cæteris arescentibus in nouem annorum siccitate in qua pluit nunquam. Rodigin. lib. 16. cap. 14.

Mergitur eques Pharao in aquis maris, filii autem Israël ambulauerunt per siccum in medio mari. Exod. 15. Si fuerit in medio nationis prauæ & peruersæ, sicut lumen solis verbum vitæ continens ad gloriam, potest fieri vt in medio peccatorum incedentem te, non infundat humor peccati: potest fieri, vt transeuntem te per hunc mudum, nulla libidinis vnda respergat, nullus cupidiatis æstus verberet. Origen. Homil. 6. in Exod.

Vide Potestas Minoritatis. Vnum quod multis præualet.

Populus est immanis tyrannus, cui multi conantur complacere; vim autem eius effugiet qui maiores concipiet spiritus; qui rerum inspiciet naturam, qui vulgi condemnet sententiam, qui in rebus turpibus erudit seipsum non extimescere homines, sed oculum qui non obdormiscit homines iudicio, cęci, passionibus acti velut essent emotæ mentis impunè patiuntur etiam probant scortationes, aleam, ebrietatem, & illis vis placere. D. Chrysost. Homil. 12. in 1. ad Corinth.

Vide Veritas Gloria Repug. Vanitas humanæ glorię.

Cum his qui oderant pacem, eram pacificus. Psal. 119.

Aqua in veteri Testamento non poterat pollui, etiam si in eam proiicerentur quæcumque secundum legem essent immunda. Leuit. 11.

Vt inter conuiuii luxus & tumultus, vix potest animus in se redire; sic inter hominum opiniones, & multiplices sensuum affectus.

Bonos sæpè Deus collocat in domibus malorum propter duo; primo vt ipsos malos à malis coërceant, dissuadendo saltem indirectè, 2. vt ipsi misereantur virorum bonorum quos Deus tradidit, interdum in manus iniquorum. Tostat. 3. Reg. fo. 164. c. q. col 4. inf.

Mesopotamia, siue vt Chaldæorum & Aran, est terra inter Tygrim & Euphratem; sic dicta quia est in medio aquarum. Id. Gen 103.

Noë ambulabat inter animalia ferocia, dans illis cibos, & nullum eorum nocebat ei. Id. Genes. 38.

Non est inconueniens beatos actualiter manere in inferno, quia sic factum est in morte Christi, quando ipse discendit ad inferos; nam anima sua beata erat, & omnes qui erant in sinu Abrahæ fuerunt beati videntes clarè diuinam essentiam quando Christus descendit ad eos; infœlicitas inferorum non turbabat istorum gloriam perfectam. Id. Math. to. 7. fo. 168.

Ligna quercina in aquis imputribilia. *Vide Gloria Contrarietas.* Opposita magis elucescunt.

Cum fuerit Venus vel Iupiter in medio duarum infortunarum illis propinquus dicentur tres infortunæ. Cardan. Aphor. sect. 5. Aphor. 119

Cum igitur vir bonus in bono perseuerat inter malos, apparet gratiam esse natura potentiorem.

Noë vixit iustus inter perdendos diluuio homines, vt scias magna inter vitia, magnę locum esse virtuti.

Quomodo quis potest in mundo viuere, & eius societate non pollui. Vide quæ scripsi moralis Christian. to. 1. parte. 1. cap. 16 Perfectio Christiana potest exerceri in quacumque ciuilis vita conditione, Ib. c. 25. propter malam verecundiam non sunt diferenda pietatis exercitia. Ibid. cap. 25. Religiosus fidelis maneat in obseruatione sua regulę inter discolos. lib. de institutione & officiis Religiosi parte 3. cap. 29. Solida debet esse virtus Religiosi negotiis externis implicati: Ibid. parte. 4. cap. 2 Sit etiam in conuersatione solitarius. Ibid. parte 4. cap. 4. 5. 6.

Ioseph & Moyses in Ægypto, in medio Babyloniæ tres pueri sancti fuerunt.

Ille, inquis, auri talenta non pauca possidet, nec aliquid pauperibus præbet. Et quid hoc tua interest, imo vero mirabilior atque venerabilior uideberis, si cum pauper sis benignior ac liberalior eris. Noli alium iudicare, sed teipsum ita redde laudabilem, vt omnem meritò accusationem possis effugere, cur enim committas quod in alios criminaris? Cur omisso misericordiam exercente, præcipiente Domino, conserui operationem respicis? D. Chrysost. Homil. 65. in Matth. Si alienis inhias homo? si ad alios respicis, cur probè viuentes non imitaris, quorum comparatione te in humilitatem & compunctionem perduces. Recordare Pharisæi, qui cum ad probos non respexerit, in superbiam elatus labores suos perdidit. D. Chrysost. Homil. 65. in Matth.

Ibid. Hom. 82. dicentibus melius fuisse malos non nasci, aut statim natos perire, quam inficere bonorum conuersationem, respondet, maiori admirationi bonos esse, cum inter improbos viuant, tunc enim innocentia ipsorum, & mirabilis Philosophia magis elucet. Tu verò omnem luctationis atque certaminis materiam & causam funditus euertere vis. Mali autem non fiunt aut puniuntur vt alii meliores fiant & appareant, sed propter incredulitatem eorum & improbitatem cum habuerint tales virtutis magistros.

Christo dictum est à Deo Patre; Dominare in medio inimicorum tuorum.

Ignis inextinctus in aqua est silex vnde potest ignis educi.

In medio laci Mexici est insula amoenissima

Digitized by Google

ABSTINEAT CHRIstianus à dissolutione publica dierum qui præcedunt quadragesimam.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. His publicæ dissolutionis diebus videtur Christianus orbis de sancta sua professione pœnitens, & in corruptos gentilium mores lapsus, contemptis fidei, passionis Dominicæ sacramentis, extincta quę sibi, proximis, Deo debetur, charitate, ruit in omne nefas.

MAGNITVDO. Non admittitur in tantæ præuaricationis excusationem peccantium multitudo, cum singulorum congesti lapsus conflent hanc multitudinem. Huius igitur cum quisque sit ex parte causa, cum ita cadit, vt alios in se trahat, multiplicem ex suo & proximorum lapsu, contrahit reatum, non venia, sed seueriori districtione dignum. Christiani proprium est in publica morum corruptione purum & illibatum seruari, vt origini suæ respondeat; fides enim quam profitetur, orbe toto horrendis criminibus & idolatria laborante, fulsit, & communem nequitiam, diuinæ veritatis & charitatis diffundendæ, sibi materiam effecit.

DVRATIO. Dices ad breue tempus populum has sectari voluptates, fixo statim ad meliora redeundi proposito. Sed quis sibi lethale vulnus infligit, vt gratior sit illi magis postmodum restituta sanitas; certus est ex plaga dolor, imminens mortis periculum, dubia, si contigerit mille tormentis emenda quę speratur curatio; admittis scintillam vnde fiet incendium; hærebunt cordi præteritæ voluptatis, peccati si non commissi, saltem stipulati species, & mala mentis gaudia in Spiritum sanctum pugnantia. Tam graue peccatum est, vt ad eius abolitionem, totius mundi vires non sufficiant, & si non remittitur à Deo, ęterna pœna sit puniendum; ergo ne sic de salute tua, de Dei maiestate, & bonitate ludendum putas?

POTESTAS. Senatusconsulti sin morbi popularis remedium olim instituta fuere spectacula quæ publicam prouocarent lætitiam, sed salua semper fama Principis, quem dum fauet, dum blanditur, conuicio lędere, crimen maiestatis fuisset atrocissimum. Dei præceptum est viros mulieris, mulieres virorum veste non indui à carnalibus desideriis, ab ebrietate, commessationibus, cęteris quæ militant aduersus animam abstinere. Hæc tamen in contemptum Christi Domini committuntur ab his qui se dicunt Euangelicæ legis sectatores.

COGNITIO. Fiunt & dicuntur, sic homine, sic Christiano penitus indigna, vt pudore facies larua contegant, minus timentes Dei quem offendunt, quam hominum, quibus placere volunt, oculos.

VOLVNTAS. Irritantur pessimis exemplis passiones omnes, nec in angustiis theatri, & pretio conducti spectaculi, sed in totius vrbis compitis, ne quis à malitia sic in omnium perniciem grassante, se subtrahat.

A VIRTVS. O fœlix qui iuratę Christo fidei memor, scit hæc ad se non pertinere, & hinc experimentum sui, gratiæq; sibi præsidentis capit, quod ipsum non mouet, non afficit hæc publica morum dissolutio.

VERITAS. An laruati verso tunc in contrarium vitæ ciuilis instituto, dum absconduntur, ostendunt quadam gestorum ironia quid in mundo fieri soleat; mos est aperta fronte, mente clausa, ad vrbanitatem composito sermone, nulli fidentes cum omnibus conuersari; at hi turpes, ex horrido gratiores vultus præferunt, affectato silentio, gestis & operibus loquuntur, ne vox fallere consueta, suspectaque resonet. Sit hoc penes sapientem iudicium. At de facto

B sic incedentes, alieno vultu, veste peregrina, ignoto nomine, licet silentes toto corpore mentiuntur.

GLORIA. Merito faciem velant, quia non sic de turpitudine sua gloriantur, vt eos non pudeat histriones fieri, publicæ voluptatis prostituta mancipia. Sanè lugendus in Christianis risus, quo solent hæc indigna videre spectacula; laruas, dæmones factos visibiles & familiares, luxum, turpitudinem, aleam præ se ferentes, vrbanitate, cultu, conniuiis excipiunt, numquid hoc est malis moribus adulari, vitiis & idolis, vt olim, adolere? Lugeret hic Hieremias, ridet & applausu fouet factam nomini suo contumeliam Christianus.

C DIFFERENTIA. Non sine graui causa vestis sexui suo propriæ mutationem lex diuina prohibet; arguit enim excessum œstro quodam furentis amoris, qui sic fertur ad vnionem vt velit transformari, & planetarum instar augeri viribus ex mutua receptione. Excusso verecundiæ fræno, lasciuit magis, subrepit sub muliebri veste masculus, sub virili mulier; vtinam & hæc contra leges metamorphosis, peccata contra naturam non insinuaret.

CONCORDANTIA. In hac rerum & morum lugenda confusione, plus habent periculi qui fiunt ad choreas & aleam nocturni conuentus. Illic enim sub maligna facium luce, male

D fœlix amans, habet quos optabat, fugit facilè quos timebat oculos spectaculis intentos, & in circumiacentibus tenebris audacius negotiatur.

CONTRARIETAS. Hi dies pingues dicti, quod plus solito voluptatibus indulgeant, mihi videntur referre degenerem illam ætatem mundi quam Deus mersit diluuio, non ferens hominem caro factum. Si tales pœnas nunc differat diuina misericordia, alias sibimet ipsis peccantes infligunt, nam inter luxus, iras, & certamina dæmon accendit, vt aliqua semper illi cadat hostia.

PRINCIPIVM. Nituntur in vetitum, & cum incipit Ecclesia celebritatem passionis Christi, & compressis lætitiæ vocibus, piè compa-

E tiens luctus instaurat. Ecce matre dolente, in risum, in affectatam consulto lætitiam insolenter prorumpunt filii, piæ parentis dolorem ingeminant, ipsam & Christum iterum iterumque crucifigentes obstinata sua perditione.

MEDIVM. Qualis ad ieiunium per comessationes & ebrietatem dispositio? ad pœnitentiam per peccata, ad conciliandam Dei misericordiam per morum insolitas dissolutiones, quæ iustitiæ suæ tela prouocent.

FINIS. Citò finitur hæc sensuum voluptas, sibimet tædio futura, quamuis illam diuina

Digitized by

omnia, qui seipsum offerre non renuit. Noli abiicere disciplinam domini; si argentum, si aurum es, ignis ille te purgabit. Intuere Christum in cruce pendentem; reuolue martyrum tormenta, his quæ pateris longè grauiora. Contemplare mercedem quam nec oculus videt, &c. momentaneus dolor, perennis gloria Idem lib. de spirituali animæ resurrectione.

Ezechias vicina morte terretur, & fusus in lacrymas quindecim annorum spatio protelatur ad vitam Blesilla diu febre æstuauit, vt sciret reiiciendas delicias corporis, quod paulo post vermibus exarandum sit. Vbi erant auxilia propinquorum & verba omni vento vaniora. Solus Christus potest suscitare. D. Hieron. ad Marcellam de ægrotatione filiæ.

De hospitalijs ægrorum. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ parte 2. cap. 13. & de ægrorum pia visitatione & consolatione cap. 17.

IN CORPORIS DEFORMITATE.

Consolatio in corporis deformitate. Vide quæ scripsi. Moral Christia to. 4. parte 2. cap. 9.

De vanitate & periculo corporeæ pulchritudinis. *Vide Cognitio Virtutis.* pulchritudo. vnde debet velari. *Vide Cognitio Virtutis Rep.* velata pulchritudo.

IN HVMILITATE GENERIS & familiæ.

NVlli te vnquam de generis nobilitate præponas, neque obscuriores quasque & humiliore loco natas, te inferiores putes Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum; seruum & nobilem de moribus pronuntiat. Sola apud Deum libertas est non seruire peccatis: summa apud Deum est nobilitas clarum esse virtutibus. Quid apud Deum in viris nobilior Petro, qui piscator & pauper fuit? Quid in fœminis beata Maria illustrius, quæ sponsa fabri describitur; Contemptibilia huius mundi elegit Deus vt confundat fortia. Ex vno omnes generati, per vnum omnes regenerati, &c D. Hieronym. ad Celantiam.

Generis & diuitiarum prærogatiua abdicatur per voluntariam paupertatem *Vide Minoritas Potestatis.* & per monasticam professionẽ. *Vide Maioritas Virtutis* Vera nobilitas est in virtute *Vide Gloria Virtutis* Originis nobilitas non contemnenda. *Vide Minoritas Principij. Initij.*

IN MENTIS INFIRMITATE.

Consolatio in mentis infirmitate Vide quæ scripsi Moral. Christiana to. 4. parte. 2. cap. 7. & in infœlici genio. cap. 8. Vide hic minoritas cognitionis. bona.

A

IN CARCERE ET CAPTIUITATE.

DEcem mensibus in materno vtero, carcerem pati didicimus, anima in corpore, tanquam in carcere.

Implent carceres egeni, vt inopiæ suæ pœnas luant.

De carcere vt motum & libertatem præpedit. *Vide Contrarietas Differentiæ.*

De carcere fortiter tolerando. Vide quæ scripsi moralis Christianæ. to. 4. parte, 2. cap. 21.

B Confraternitas pietatis carceratorum erecta fuit ad carceratos visitandos, subleuandosque a Greg. 13. const. 56. Bull. p. 325. to 2.

Carceratis præstandum auxilium. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ parte. 2. cap. 9. De redemptione captiuorum cap. 19.

Si ob æs alienum carcer te premit: Dulce fuit accepisse; durum reddere; hæc est temporalium conditio, malo fine concludi, si placent dum accedunt, cogita reddendam Deo rationem, & satius iudicabis talibus caruisse. Maior quidem hoc in ergastulo libertas corporis, sed maior, si volueris, animi. Secessum quem à tuis cupiditatibus non obtinuisses; necessarium effecit Deus, vt sibi, tibique assuescas: scies in cœlo quantis te malis illæ C subduxerint latebræ, & quem vocas carcerem, fuisse præsidium & asylum. Tuis nunc edoctus periculis, scies modum legesque tuis affectibus dicere, moderatis faciles, ambitiosis graues esse semper exitus. Ne creditoris arguas acerbitatem, sed inordinatos motus tuæ cupiditatis, quæ propriis non contenta, ex alterius pendere voluit arbitio. Vrgenti necessitati succurrendum potius erat, abstinentia, diligentiæ, laboris incremento quam mutui petitione. O fœlix carcer si huic in posterum te libertati reddiderit, vt more sapientum sufficientiam ratio, frugalitas abundantiam efficiat.

Si te carcer reum detinet, vtinam detinuisset D eo tempore quo delictum cõmisisti, & fortè nunc maioribus eripit; Munus suum implet iustitia, quia tuum ipse non impleuisti, viam peccantium sequutus es, eorum & sortem patere; communis est principibus vt plebeis, personam enim non accipit iustitia, vnum à te præsens hæc necessitas exigit, vt supplex conuertaris ad Deum sinceris affectibus pœnitentię; Eius summa fuerit misericordia si dispendio corporis salutem animæ concesserit.

Quod si te carcer premat, & inter reos constituat innocentem, hæc fuit Christi Domini nostri, Apostolorum & Martyrum sors. ô te fœlicem si hac E te via Redemptor ducat, qua peruenit in cœlum. Suæ te totum committe prouidentiæ, diligentem tui geret tutelam, qualiscumque rerum sit exitus, fœlix tibi futurus est, nam hic vel oppressam vel liberatam innocentiam, immortales manent coronæ. Sancti pro reis apud homines habiti, nunc ob breuissimi temporis ærumnas ęterna fruitur, etiam summa mundi veneratione; fœlicius mortalis vita non potest desinere, quam in gloriam immortalem.

Digitized by Google

IN SERVITVTE.

ETiam qui dicuntur liberi seruiunt legibus, Principibus. Reges Deo, etiam populus, legibus ministri. Nihil non alterius existit, maiora minoribus dominantur, seruo corpore, mens potest esse libera.

Vid Potestas Virtutis. Sapiens sibi sufficit. Vera libertas est in animo. *Vide Veritas Potestatis.*

De monacho qui se seruum vendidit hæreticis, vt eos ad Christum converteret. *Vide Virtus Differentiæ.*

IN EXILIO.

EXiguæ mentis homines, vt formicæ vel apes, si ex vna cauerna exciderint, hospites externique esse sibi videntur. Vbique eadem nobis lucent luminaria. Liberos & solutos nos natura in lucem emisit, ipsimet nos colligamus, locorumque coarctamus angustiis, qui vnam tantum habet ciuitatem, cæteris omnibus est aduena & peregrinus. Optimus quisque discedit à negotiis quæ patria afferre solet; vt ostreum à mari hinc inde actum, domi semper est. plantis locus potest tollere optimam constitutionem, at non homini virtutem, illi mundus vniuersus patria est, nullibi degener, nec exul. Comœdi vbique terrarũ personam suam possunt agere, artifices data materia artem suam exercere & sapientes suam. Exilium non spoliat animi bonis, nam ibi quisque liberius potest exercere virtutes iustitiam, temperantiam, &c. Non tollit corporis bona, licet enim illic benè valere. Non etiam fortunæ bona, cum multi per exiliũ m fuerint fœliciores: possunt in terra externa gerere dignitates. *Vide Concordantia Differentiæ.* & in patria possunt ab illis excludi. cæterum sapiens priuatus, fœlicior est eo qui magistratum gerit. *Vide Voluntas Potestatis Rep.* Habes quod ingratæ tuæ patriæ sis beneficus culpam in te commissam condonando gratiam habe, quod qualis sit erga te patria, noueris vt tibi ex insidiis non noceat. E domo ruinæ proxima in qua natus es, egredi optimum putas, & è naui in qua à puero nauigasti. Non sepeliri in patria commune tibi erit cum magnis ducibus sepultis extra patriam, pro qua pugnabant. vndique ad cœlos vna via est, tot regna inter se diuisa, sunt velut diuersæ domus mundanæ ciuitatis. Vbique licet frui eodem sole, iisdem elementis cum hominibus conuersari, amicitiam inire. liberior eris in studiis à cognatis & familiaribus non diuexatus. Aristides, Themistocles, & alii præclari viri, iniquè passi sunt exilium vnde noninfamat. *Ex principiis.*

Planetæ etiam in suis exiliis habent fines seu terminos & decanatus in quibus similem ac in propriis domibus habent vim.

Consolatio in exilio. Seneca ad Heluidiam & epist. 28.

Plutarchus de exilio. In exilium vadens Cicero orat. vltima.

Sic in oratione pro Milone, eum in exilium profecturum, inducit loquentem. Ego cedam, atque abibo, si mihi Republica bona frui non licet at carebo mala, quemcumque cursum fortuna dederit mecum semper ero, non sunt habendi A miseri qui ciues suos beneficiis vicerunt, ibi exilium est, vbi virtuti non est locus. Eritne dignior locus in terris, qui hanc virtutem excipiat, quam hic qui procreauit Ita ne vir patriæ natus, vsquam, nisi in patria morietur, eiciet ne, quem omnes vrbes expulsum ad se vocabunt.

Socrates se dicebat mundi ciuem, cœlestes nos dicamus; hinc enim origo nostra, & illuc, si benè vixerimus, reuertemur.

Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor.
Vt volucri vacuo quidquid in orbe patet.
Ouid.

S. Gregor. Nyssen. in orat. de S. Basilio. Ab exilii, inquit, metu liber erat, quod vnam pa- B triam hominum censeret esse paradisum, atque omnem terram, quasi commune naturæ exilium spectaret.

De exilio fortiter tolerando. Vide quæ scripsi moralis Christiana. to. 4. parte 2. c. 2.

D. Hieron. ad Theophilum contra errores Ioan. Hierosoly. qui monachis impetrabat exilium. Non nouit terrori natio ista succumbere, & impendenti gladio magis ceruices quam manus subiicit. Quis enim monachorum exul patriæ, non exul est mundi? Domini est terra & plenitudo eius. Christus loco non tenetur inclusus.

C

IN CALVMNIA ET *rumore.*

QVilibet malus potest calumniari, sapientis tantum est non moueri, & in hoc certamine victus, victore melior est. In cæteris silentium culpa vacat, hic præmio dignum est; nam aliquid Socraticum & Herculeum præ se fert. Magna est peritia posse ferre aliorum imperitiam.

Christus non vicit mundum, nisi quando in mundo putabatur esse victus, mortem morte in- D terfecit. Cusa. excitat. lib. 5. cap. 1. Cum esset prima veritas iudicatus est blasphemus, ita Virgo gloriosa iudicata est mulier immunda.

Feriunt summos fulmina montes, & virtute aut dignitate præcipuos calumniæ, cum illis tamen benè agitur, si verbis tantum impetantur.

Dementia est timere ne infameris ab infamibus. Nihil stultius homine verba metuente.

Siquis de te maledixerit & patienter feras, imo calumniantem laudes, multa inde bona consequeris, primum eximis te à conturbatione & cõmotione, te collaudabunt qui contra te dicta referunt, bonitatem tuam admirati, alterum odio habebunt qui nulla iniuria prouocatus te læsit, obtines ita vt fides ei non habeatur; dolebit insu- E per & pœnas temeritatis suæ soluet, audiens te talibus non affici, & hæc irrita in te contorqueri tela. At ex pusillanimitate contentiosa contraria tibi contingent, &c. D. Chrysost. Hom. 22. in f. in epist. ad Rom. *Vide Minoratas Contrarietatis.* Iniurias non vlcisci,

Non quæramus vt nemo sit qui calumniam inferat, sed vt nocere non possit, istud vero nequaquam aliunde erit, quam si externis non afficiamur. Id.

Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer aut ab humano die. 1. Corinth. 4. Eam quæ verè est, ferre de rebus sententiam, non est arrogantiæ, sed Philosophiæ, nõ fastũ hic docet Paulus

Digitized by Google

sed sanos dat spiritus, & rectam animi elationem, A Nam vt ab arrogantia remotum oportet esse Christianum, sic ab assentatione & liberali animi deiectione. Id Homil. 11. in 1. ad Corinth.

In ædibus quando ex aduerso & directè steterint duę ianuæ, sitque ventus vehemens. si alteram clauseris, venti maior vis præciditur. Os tuum, & eius qui te calumnia afficit, sunt duæ ianuę, si tuam clauseris, & flatum aduersum non dederis, extinguis totum spiritum Id. Hom. 11. in 1. ad Thessalonic.

Vide supra *Hoc titulo lenitas, mansuetudo.*

Vis vt sileat Echo, tu sile, & tacentem cito habebis, relinque illam sibi.

Multum excellentes non irascuntur, si contemnantur in eo, in quo manifestè excellunt. Tost. B Math. to. 2. fo. 105.

Nunc sibi mutuo plaudunt mali, & bonos calumniantur, ne sint illis in opprobrium; abscondunt etiā virtutes suas boni per humilitatē, & ne proiiciant margaritas ante porcos. At in die iudicii; Illuminabit Deus abscondita tenebrarum & tunc laus erit vnicuique à Deo. Id. Math. to. 7. f. 85.

Moyses dux sapientissimus & pijssimus patitur conuicia murmurantis contra se populi, etiam fratris & sororis. Inter hæc erat perpetuo Moyses, & nihil seipso deterior euadebat. S. Gregor. Nyssen. lib. de castigatione in fine.

Idem in vita S. Gregorii Thaumaturgi, refert subornatam à calumniatoribus meretricem eum C in doctorum hominum cœtu disserentem conuenisse, familiaritatem simulasse, sed conqueri quod conuentum stupri pretium non persoluisset. At Sanctus nihil excusans iussit illi quam petebat pecuniā dari, qua accepta à dæmone possessa est.

Iustus opprobria lætus excipit, vt qui potuit exire foras per laudes, repulsus contumeliis ad seipsum redeat, & eo robustius se intus in Deo solidet, quo foris minus inuenit vbi requiescat. Dicit Psalmista, Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam. Laur. Iust. de Iustitia. c. 4.

Ne sis tam tener vt verbulis transuerbereris. A potentiorbus contemni te ne iniquè accipias, potiusque id crede fortunæ vitio fieri, quam ho- D minis: Si quid à minore proficiscatur, quod tibi parum placeat, cogita non id protinus contumeliam esse, sed libertatem. Te etiam nimis esse delicatum, cui leues titillationes, grandes videantur esse plagæ. Ludou. Viues in introd. sapientiæ.

Si virtute non excellis, cur vis videri aliis potentior? Si excellis cum affectibus moderandis, non plus quam vulgus præstas. Ibid.

De fortiter tolerandа calumnia. Vide quæ scripsi morali Christianę to. 4. parte 2. cap. 16.

Innocentem non debilitat mentem illata contumelia, quoniam in aduersis solatium est, non E meruisse quæ patitur. Laur. Iustin.

Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduersum vos, &c. Math. 5. Sic persecuti sunt Prophetas.

Præstantius enim est percuti, & malum non pati; omnium persecutionum grauior videtur calumnia, quia videtur impedire applausum & exhortationem quæ dari solet in aliorum malorum patientia. Sic Iob in aduersis constantem conturbauit amicorum turba, qui dicebant hæc in pœnam suorum peccatorum pati. D. Chrys. Hom. 35. in Math.

Qui rumores non contemnit, seruire cogitur, etiam vilissimis personis

De modis quibus ira post contumelias excitata possit placari. *Vide Finis Contr.* Iræ placatio.

Contra calumnias indefessa virtus, maximum est remedium. Sic Psal. 118. Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur, seruus autem tuus exercebatur in tuis iustificationibus, & consilia mea iustificationes tuæ.

Condonandum aliquid primis animi motibus: *Vide Magnitudo Voluntatis.* Primi motus.

Vir bonus non mouetur calumnia, quia nouit in se gratiam Dei. *Vide Cognitio Virtutis propria & confidentia sui.*

Fama vt flamma cito accenditur & extinguitur. In ciuitate libera, linguæ sunt liberæ; sed contrà virtutem eximiam inualidæ.

IN IACTVRA BOnorum & paupertate.

DE bono voluntariæ paupertatis. *Vide Minoritas Potestatis.* Voluntariam autem efficiet illi se accommodans voluntas. Paupertati extremę, vel vnus amicus opem ferens, medetur Hoc habet boni, quod mutationem in deteriorem statum non timeat: turpis tantum est si propter turpē causā accedat. Paupertas exigit temperantiam quam suadet Philosophia: efficax est virtutis gymnasium, virtus est per se docta animæ timiditati medere, & ōn timebis paupertatē. Plures paupertate quam diuitiis ad Philosophiam accesserunt; plures satietate, quam fame perierunt. Paupertas licet ad plurima vtilis, res est minimè inuidiosa, & de acquirenda ea minimè certatur; incustodita seruatur & neglecta augetur. Pauca appetere facit, vt paupertas diuitiis æquipolleat: nemo detrectare debet personam sibi à numine destinatam. Si res meæ mihi non sufficiunt, at ego ipsis sufficio, & sic etiam ipsæ mihi. Pauperes sunt velut nauigantes circa littus in quo facile est funem eiicere. at diuites periculosè nauigant in alto *Ex principiis.*

Numquid parum æquus nobis Deus, si donat omnia, præter licentiam pereundi? Opes humanæ sunt tanquam membra incerta, & suo ipsius pondere fatiscentis fortunę.

Quidam illatam paupertatem ægrè ferunt, quia tollit facultatem exercendę charitatis erga pauperes, sed Deus hoc in casu, petit à singulis non eleemosynam, sed pacem animi & tranquillitatem, in qua habitat. M. Theresia.

Arbores nimio turgentes humore, perforatu castigantur. *Vide Maioritas Medii.* Abundantia nimia alimenti. *Et Bonitas & Virtus Contrarietatis.*

Quæ de mensa deciderent tolli vetuit Pythagoras; idest damna fato permittenda. Suidas in voce Pythagoras.

Non minus molestum est comatis quam caluis pilos velli, errat qui putat animosius detrimenta diuites ferre; maximis minimisque corporibus par est dolor vulneris. Seneca.

Propterea pauperes sumus, quod paupertatem formidamus etiam in magnis diuitiis; non enim qui nihil habet est pauper, sed is qui horret paupertatem; & quia experta mala minus timentur; illo te vano timore diu torquet diabolus. D. Chrisost. Homil. 30. in 1. ad Corinth. Nunc experire quid valeas, paupertatis acerbitatem simul & timorem superans. Si pœcunias irriseris, non ha-

zed by Google

bebit dæmon vbi te feriat, vnde te apprehendat, malorum euulsisti radicem; si autem non sit radix, malus non germinabit fructus. Ib.

Martyrii genus est bonorum amissionem forti animo perferre, id autem præstabis, cum intelliges te per vnicam vocem, qua Deo gratias agis, plus lucri facturum, quam damni feceris. Idem Homil. 1. in 2. ad Corinth.

Bonis furto ablatis remedium est dare eleemosynam. *Vide Virtus Bonitas.* Eleemosyna ex D. Chrysost.

Bona fortunæ nostra non sunt, quæ ab inuitis auferuntur, precario concessa fuerant; hæc tamen aliena mordicus tanquam nostra prehendimus, & si detrahantur, affligamus nos ipsos; & nostra tanquam aliena negligimus, auersamur profutura, amplectimur noxia. Lud. Viues in introd. Sapientiæ.

Nihil perdit qui sibi totus superest; qui nihil amat, perdit nihil; nam sine dolore amittitur, quod sine amore possidetur.

De iactura bonorum & paupertate fortiter toleranda. Vide quæ scripsi moralis Christianæ. to. 4. parte 2. cap. 24.

Cum auferuntur diuitiæ, onus maximum & perurgens delictorum materia subtrahitur; dicit esse superflua quæ putabat esse necessaria, &c. Laur. Iustin.

Alexander victo Dario, reperit quendam Abdalonymum regiæ stirpis, sed paupertate ad horti suburbani culturam adactum; admitti eum rex iussit, quærit inopiam qua patientia tulerit. Tum ille, Vtinam, inquit, eodem animo regnum pati possim, hæ manus sufficere desiderio meo, nihil habenti, nihil defuit. Hinc magnam indolem agnoscens Alexander, regiam dedit supellectilem, & huius regionis regimen. Q. Curtius lib. 4.

Vide Minutias Contrarietatis. A litibus abstinendum.

IN SVORVM FVNERIBVS.

QVidam Euphrates Syrus mortua vxore dixit: O Philosophia, tyrannica sunt præcepta tua, amare iubes, & si quis amiserit quod amabat, dolere prohibes.

Vanæ sunt lachrimæ quæ cum torquent superstites, non iuuant defunctos. Si enim possent eos reuocare, essent auro pretiosiores. Casus veteres non sunt deplorandi nouis lachrymis; te sanabit tempus, malorum omnium necessariorũ medicus.

Astra nobis proximiora maiorem faciunt vmbram, vt luna, quam sol. Plus lugemus proximos quam magnates.

Consolatio super morte mariti. D. August. ep. 6. Basil. epist. 186. 347. Æneas Syluius epist. 100. super morte vxoris. D. Aug. ep. 115. super morte fratris. Id. 248. Seneca ad Polybium.

Stulti mortales putamus perpetua, quæ quotidie possunt auferri; multis modis amittitur vxor, sed nullo melius quam morte; aut valetudo sic deturbat, vt periisse optandum sit; alteri nuptam subtraxit adulter, aut hostis, hæc non manu hominum, sed diuino duntaxat imperio subripitur. Moritura mortua est ante tempus, quod obitum eius optabilem fortè reddidisset. Nõ amisisti, sed præmisisti, iam agit gratias Deo qui diutius illam peregrinari non permisit; congaudere debes illi, quæ omnia quę vult, habet; inuidere est non amare si in terris eam esse cupias. Æneas Syluius epist. 110.

Quid agamus? trita est hæc via, aut non nasci oportet, aut natum mori; præcedunt, sequimur, minus inuiti, cum ad turbam amicorum fuerit eundum. Id. epist. 374.

S. Basilius Seleuciæ orat. 7. sic inducit Abrahaam se consolantem de morte filii. Quem Deus dedit repetiit; quem formauit, requisiuit, quem rogatus dederat, rogans recepit.

De patientia in suorum funeribus Vide quæ scripsi moral. Christia. to. 4. par. 2. cap. 30. In morte patris epistola initio libelli de in differentia.

Ridiculum est vt quis rem qualemcumque votis omnibus amplectendo retinere conetur, quam per momenta singula amittere valet. Nempe diligendi sunt propinqui; & liberi tanquam res aliena, non propria, ne forte si repetantur mens abundantiori absorbeatur mœstitia, per quam Deo possit displicere qui petiit. Meminerit verborum Iob Dominus dedit, Dominus abstulit, hinc discant quam fallax sit humana domina spes, quam breuis temporalis consolatio, &c. Laurent. Iustin. lib. de spirituali animæ resurectione.

De luctu in funeribus. *Vide Gloria Concordantia. Repugn.*

Non mœremus, quod talem amisimus, sed gratias agimus quod habuimus, imo habemus, Deo enim viuunt omnia. & quidquid reuertitur ad Dominum, in familiæ numero computatur. D. Hier. ad Eustochiũ, in Epitaphio Paulæ matris.

Aduersum mortis duritiam & crudelissimam necessitatem hoc solatio erigimur, quod breui visuri sumus eos quos dolemus absentes, vnde Apostolus vetat de dormientibus contristari idem ad Theodoram.

IN MORTE AMICORVM AVT DEFECTIONE.

COnsolatio in morte amici. Æneas Syluius ep. 119. August. to. 9. Gregor Nyssen.

Amici sæpè variis modis impediunt nostram salutem. Ideo dicebat Christus; inimici hominis domestici eius; nam sæpè nos inclinant ad mundum amandum; suis nos implicant passionibus, oportet nos de rebus eorum magis affici quam de propriis, nam indifferentia & resignatio in talibus videretur iniuriosa & inofficiosa. Gerson, tom. 4.

Nolentem fatum coëgit suum fieri.

De amicis fortunæ. *Vide Veritas Voluntatis. Repugnat.*

De desertione amicorum. Vide quæ scripsi Moral. Christiana. to. 4. parte. 2. cap. 25.

IN MORTE LIBERORVM.

SI orbitas tibi mœstitiam affert, respice Romanorum reges, quorum ne vnus quidem moriens filio regnum reliquit. Plutarch. lib. de tranquillitate animi. Si non tristatus es cum nondum essent, noli tristari quod amplius non sint. gratus esto accepti,

Conso-

Digitized by Google

. Consolatio super morte filii. Seneca. ad Marc. A Plutarch. super morte filiæ. Basil. epist. 188. 189. 201.

Vbi liberi Saturno immolabantur, mater adesse debebat sacrificio sine gemitu & lacrymis, si ducere suspiria deprehendebatur, honore censebatur indigna. Rodigin. lib. 13. c. 21. Sic in morte liberorum à principibus occisorum parentes dolorem suffocarunt. *Vide Cognitio Contrarietatis. Rep.* Aduersa dissimulanda.

. Vix reperitur pater tam magnificæ fidei ac Abraham, qui filium liget, iugulet. Hæc à te mysteria non quæruntur, si morte communi sublatus est filius, proposito saltem & mente constans esto, B fide fixus, lætus offer filium Deo. Esto sacerdos animæ filii tui, sacerdotem autem immolantem Deo non decet flere. Hilarem datorem diligit Deus, non in profundis terræ, nec in conualle fletus, sed vt Abraham in monte & excelsa fide offer filium tuum; fortior sit fides, quam carnis affectus. Origen. Homil. 8. in Genes.

Ne dicas, perdidi filium. Res hæc est somnus non mors; est migratio non perditio; est peregrinatio à deterioribus ad meliora, ne facti impatientia Deum in te irrites. Non dixit Iob, melius fuisset non accepisse, quod tu ingrato animo dicis, sed etiam pro acceptis liberis gratias agebat dicens: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Sciuit Deus quod filio tuo conferret. C Multum liberi viuentes vitam non vitalem effecerunt parentibus, etsi in bona sint existimatione, finis eorum est incertus. Cæterorum omnium res minus sunt in tuto, quam filii. &c. D. Chrysost. Hom. 41. in 1. ad Corinth.

Abraham in immolatione filii promptum efficiebat vox de cœlo ad eum facta, præclarum facinus, & spes in Deum consolabatur. non vidit mortuum iacentem, & inde non est exacerbatus eius dolor, hic autem nihil huiusmodi est. Ex quo intelligitur adamantina quadam anima opus esse, vt quispiam vnicum filium, qui in diuitiis educatus fuerat, latamque de se spem afferebat, in tumu- D lo iacentem & extentum conspiciens, casum hunc leniter ac placidè ferat. Id. Homil. in 2. ad Cor. Non desinis esse pater, sed meliori titulo, scilicet immortalis filii & in tuto positi; cognationem non dissolueret peregrinatio, multo minus ad beatitudinem transitus; non cadauer hoc quod humi iacet, filius tuus est, sed ille qui euolauit, atque in immensam altitudinem ascendit; domus hæc euersa est, vt luculentior fiat; Resurget in lucrum cum Christo. dicitur 1. Thess. 4. Si credimus quod Iesus resurrexit, ita Deus eos qui obdormierunt per Iesum adducet cum eo. quare si filium quæris, illic eum quære vbi rex est, vbi angelorum exercitus, non in sepulchro, non in terra & eo in cœlum elato, humi non iaceas. Ibid. E

Ordine naturæ pater debet superuiuere filio; vnde si commoriantur, dicimus filium superuixisse. l. qui duos. §. cum pater. ff. de reb. dubiis. cum ergo præmoritur filius; id factum dicitur, malè iudicantibus fatis & præposterè, vt testatur hæc vetus inscriptio *Infœlicissimus parens afflictus præposteritate naturæ filium hoc tumulo condidit, quem importuna vix ademit, praerepsitque senii baculum cui iam defessa, ætas adnitens, perbreues annos suos alleuabat; nunc ante mors adsequitur, quam tristes lacrymæ desierunt* Refert Cuiac. Obseruat. lib. 8 cap. 21. *Vide Media Duratio.* Mors iuuenis.

Non times ne tibi Saluator dicat; irasceris quia tua filia mea facta est? indignaris de iudicio meo, & rebellibus lacrymis facis iniuriam possidenti. D. Hieron. ad Paulam de obitu filiæ. Si viuentem crederes filiam, nunquam plangeres ad meliora migrasse. Ignoscimus matris lacrymis, sed modum quærimus in dolore, si matrem cogito, non reprehendo quod plangis; si Christianam & monacham, istis nominibus mater excluditur. Sancta Melania calente adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios; lacrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis & ad pedes aduoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit Expeditius, inquit, tibi seruitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti. Ibid.

IN MORTE MAGNI *viri.*

Necesse est vitam demeti, veluti grauidas spicas, & alium viuere, alium non: quid attinet lugere quæ secundum naturam transigenda sunt.

Astra cognoscimus esse nobis proximiora, ex eo quod maiorem faciunt vmbram. ex maiori dolore conicitur defuncti excellentia. Obseruatio hæc fit, si sint in eodem gradu super horizontem eleuati.

Ad sacra venientes expurgari solebant inspersionibus aquæ in quam torrem ex altari, vbi rem diuinam obissent, prius restinxissent. Rodigin. lib. 12. cap 1.

Refert scriptura quod Moyses plangitur, at Iesus Naue vir sanctus sepultus refertur, & tamen fletus esse nõ scribitur, quia referebat Iesum Christũ qui primus cœlos nobis aperuit deleto Adami peccato. D. Hieron. ad Paulam de obitu Blesillæ filiæ. Addi potest non flendum in morte magni viri post mortem Christi, qui cum sit Rex regum, & sacerdos in æternum, supplet defectum causæ particularis. *Vide Duratio Principii.* Causa vniuersalis supplet defectum particularis.

Deus author vt naturæ, sic politiæ vult hanc in dignitatibus successionem. *Vide Duratio Potestatis, Repug.*

IN MALIS PV- *blicis.*

D. Thom. in quæstio. disput. q. 5. ar. 6. Dicit vltimam mundi consummationem cognitam tantum esse homini Christo, quia non competit reuelationem de fine mundi fieri nisi ei, cui sit reuelatio de tota prædestinatione diuina, & per quem quodammodo adimpletur. Nimia foret hominum sollicitudo, si priuatæ accederet publica; publicis tantum personis debita rerum publicarum cura.

De malis publicis fortiter tolerandis vide quæ scripsi moral. Christi to. 4 parte 2 cap. 26. De necessitatibus publicis mundi & Republicæ patienter tolerandis libello de necessitate. cap. 2. & 3. Sapiens quietus spectat mala publica. cap. 12.

sum alchemistarum aurum, quod non patitur ignis experimentum.

Dum Episcopus confert sacramentum Confirmationis, recipientis genas percutit alapa vt intelligat se debere pati iniurias pro fide Christi.

Bonacina de confirmatione propositione vltima.

De afflictionibus ferendis. D. Aug epist. 133. 1,6. 149.

De consolatione in aduersis. Basil. to. 3.

Consolatio tentati. Gerson. in epist. to. 3.

De Ecclesia sub typo mulieris fortis. Albert. tom. 12.

De fortitudine. Plato Lachez. Cicero 1. de Officiis.

De impassibilitate spirituum. Ficin. in lib. 24 Plotini.

In aduersis confortat spes gloriæ. *Vide Voluntas Gloriæ, spes.*

Cælum non alteratur in suis motibus & influentiis propter inferiora meteora & elementorum mutationes, sic mens diuinior & superior in nobis pars, non debet turbari propter externa.

Quantum hoc & quam Deo vicinum, etiam inter humani generis ruinas stare erectum; & super concussa non concuti: stant inde sua magnitudine trophæa, quæ nulla vis diruat, nulla ætas obnubilet. Vir fortis victa fortuna sua, victrici stat mente, fatum ferens & Deum etiam captus & saucius reptat ad suorum vulnera obliganda.

Habemus hoc integerrimæ pietatis argumentum, quod Deum colimus etiam iratum. Forte non fuisset inter sanctos Ludouicus, nisi aliquando habitus inter infortunatos; ipsa bonorum fœlicitas innocentia est, inter tot acies victas inuicta dum sæui turbines quatiunt, habere portum in pectore.

De ligno Calamba incorruptibili. *Vide Media Bonitas, bono malum mixtum.*

Nautæ non statim deserunt nauigationem propter contrarium ventum, sed pugnant contra procellas.

Deus conclusit ostiis mare, & dixit, huc vsque venies. Iob. 38. permittit aduersa in corpus sæuire, non vsque ad animam. Petrus Damiani. serm. 13.

Bulliat aurum non minuitur, cædatur adamas, non secatur. Id.

Licet turbetur mare & sæuiant venti contrarii, acus quam magnes affricuit, semper dirigitur ad polum. Sic anima quam afficit charitas, ad Deum in vtraque fortuna semper conuertitur.

Desperationis genus est pro re temporali amissa, proiicere animam suam Deo sacram malo externo adiicere internum quod grauius est, amittere pacem & lætitiam cui cætera debent seruire, & quia fortè non es ita diues honoratus, vt sperabas, fieri miser.

Generosi duces bello capti, eum vultum, eam seueritatem retinuerunt quam habuerant liberi. Prostrati non iacent.

Etiam si aqua tundenda humeros perdideris, tamen aqua manebit.

Occumbere in bellis eos video, qui vitam plurimi faciunt, & eos euadere, qui vitam pro nihilo putant. Itaque & ego pugnabo tanquam moriturus, neque quocumque sors vertat, victorem fore scio. Sic magistratus scripserunt ad Leonidam pugna vt moriturus, & non morieris. Suidas in verbo flamma recta sursum ferretur Idem in voce. ἀνδρεία fortitudo propter Deum.

Vir fortis similis est tesseræ ex medulla sambuci confectæ & plumbo supposito, cui recta innititur quocumque modo iaciatur. Gallice dicitur bilboquet ludicrum puerorum. est dilemma, ambidexter.

Apud Spartaneos matres, cum filiis ad bellum exituris clypeos darent dicebant. aut hunc reporta, aut in hoc reportare interfectus. Suidas in voce Lycurgus.

In testamento veteri commendatur actio, in nouo verò potissimum passio & rerum aduersarum tolerantia.

Mulier præsumitur prior mortua. l. qui duos §. si maritus ff. de reb. dub. & contra masculus præsumitur prius natus. l. idem ect ff. de statu homin.

Oua à capitibus compressa non franguntur, à lateribus autem statim. Rectum enim vt rectum est non frangitur, sed prius oportet inflecti, quia in se colligitur & partes sibi inuicem occurrentes tuentur sese. longiora facilius franguntur quia facilius flectuntur, initium enim fracturæ flexio est. Cardan. lib. de rerum varietate cap. 39.

Aurum igne liquescit & fundi potest, verum tantum abest, vt eo consumatur, vt vnum ex omnibus metallis nihil de sua magnitudine deperdat, sed quo sæpius & diutius etiam in magno camino arserit, & apparuerit igni simillimum colore, eo fiat melius præstantius. Georg. Agricola lib. 8 initio de natura fossilium. Nulla rubigine, nulla ærugine infestatur.

Iob ex consilio insanæ suæ mulieris non vult maledicere Deum in aduersis. Si enim hæc aduersa non sunt à Deo, non est ratio cur ei maledicam, si ab eo, timere debeo potentiam, sic in me validam non exacerbare, sed potius ei supplicare Origen. lib. 2. in Iob.

Vis superiorum aduersa non resistendo, sed cedendo vincitur. *Vide Minoritas Differentia.* Nouitas fugienda & gloria minoritatis cedendo vincere.

Multi quidem malis quibus premebantur fracti sunt, non tamen per tentationum naturam, sed per suam ipsorum socordiam. D. Chrysost.

Cogita quod factum est, infectum fieri non posse, fieri verò posse vt casum generoso animo ferens, fructum etiam aliquem ex irreparabili illa calamitate reportes, si pro maledictis laudem Domino referas. ita fiet vt quæ tibi incommoda minime volenti allata erunt, in voluntatis ac propositi merita vertantur. Si sit in te amor Dei omnia infra se posita habet infima spernens, in cœlum euolabit, diuinam tantum pulchritudinem habens præ oculis. Id. Hom. 9. in ep. ad Rom.

Est caracter timoris filialis laudare Deum etiam in aduersis. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Timor filialis.

De constantia & patientia sub malis principibus. *Vide Contrarietas Potestatis. Mali* rectores tolerandi.

Iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. 1. Cor. 4. rerum dispensatores sumus, Deus autem Dominus, eius esse omnia semper cogitantes duo maxima lucrabimur, grati enim erimus, & dum habemus, & dum à nobis auferuntur, & non seruiemus, iis quę præterfluunt, & non sunt nostra, si tollit dignitatem, pecunias,

sanitatem, gratias agamus, quod digni habiti sumus, qui rerum istarum constituti fuerimus administri, &c. D. Chrysost. Hom. 10. in 1. ad Cor.

Qui domum fabricat non intendit cœlo interdicere calores, frigora, pluuias sed contra hæc externa se tueri: qui nauem fabricat, non intendit vt non excitetur maris tempestas, sed vt possit illam ferre, qui curam gerit corporis, non eò spectat, vt non sit aëris inæqualitas & intemperies, sed vt corpus hæc omnia facilè ferat. Sic faciamus in anima & studium ponamus, non vt paupertatem fugiamus & cætera aduersa, sed vt simus in tuto. Ibid. Homil. 35.

Cogita quantum fructum referas ex tentationibus, quibus scelerum maculas eluis, & Christo communicas quemadmodum si exiguam scintillam in magnum pelagus iniicias, eam protinus extinguis, sic grauis quælibet molestia si in animum sibi conscium inciderit, confestim euanescit. Sic Paulus sub catenis superabundat consolatione. Id. Hom. 2. ad Ephes.

Vulgus putat hyeme cœlum pati & animum sapientis in aduersitate, cum tamen nihil vtrumque patiatur. Id. Homil. 16. ad Hebr.

Ignis in altari non extinctus pluuiis. *Vide Duratio Voluntatis.* Vota.

Qui excommunicatur vt malum faciat, debet potius excommunicatus manere, quam malum facere. Tostat. Math. to. 5. fol. 107.

Excommunicati iniustè non priuantur fructu bonorum operum totius Ecclesiæ Ibid. tom. 4. fol. 187.

Animi firmitas & sanitas, simplex & efficax est remedium contra vim omnem fortunæ; quod si corporis non sanat dolorem, minuit, cum eum efficit tolerabilem. Maxim. Tyrius serm. 18.

Rubus ardens & non combustus significabat Iudæos in seruitute non consumendos, sed ex ea liberandos. Tost. Exo. fol. 2.

Ad virtutem pertinet bene agere & benè pati. Id. Math. to. 5. fo. 16.

Christus dicitur lapis, vt eum imitando doceamur, rectam viuendi rationem tenere, firmam ac stabilem, & in rebus aduersis fortiter perferendis constantes simus, ad ædificationem Ecclesiæ. S. Gregor. Nyssen. lib. de perfecta Christiani forma.

Consideremus quę pro peccatis meremur, & bene videbitur quod patimur.

Consolatio in aduersis rebus familiaribus, vt in vxore proterua, in mali genii liberis, infernorum infidelitate, &c. Vide quæ scripsi moral. Christia. to. 4. parte 2. cap. 12. In amicorum infidelitate Ibid. cap. 25. & tota. parte 2. eiusdem tomi.

Mirabilius est videre hominem, qui dum vituperatur, non commouetur, quam hominem qui dum pellitur, & percutitur, non decidit D. Chrys. Hom. 89. in Matth.

Charitas patiens est, inquit Apostolus, consueuit diuina sapientia sua probare dona, & quos charitate insigniuit, flagellis exercere. Nunquam sine patientię exercitio est charitas, Impudicæ mentis ac frigidæ experimentum est nolle pati; reprobæ verò murmurare de verbere. Quid deformius quam aduersus corrigentem & amantem irasci patrem. Hoc exhortando Sapiens prohibet, dicens, Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias, quem enim diligit Dominus corripit. Laurent. Iustin, lib. de casto Verbi & animę connubio, cap. 18.

Sanctorum tribulatio patientiam operatur patientia probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus eorum per Spiritum sanctum qui datus est eis: hinc efficiuntur spe gaudentes, & in tribulatione patientes, quoniam non spiritum seruitutis acceperunt in timore; sed spiritum adoptionis filiorum in quo affectu & voce clamant. Abba pater. Id. fasciculus amoris, cap. 10.

Qui mandatis obtemperat, de retributione securus hilarescit. *Vide Voluntas Contrarietatis.* Velle aduersa dicit illis Christus, Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus.

Beatus humilis, quoniam si disponente Deo ceciderit, de qualicumque mentis inflatione non collidetur; quia Dominus supponit manum suam, ne funditus pereat. Laur. Iustin.

Calceati sunt pedes in præparationem Euangelii, ne lædantur offendiculis.

Aduersa quædam non sunt fugienda. *Vide Differentia Contrarietatis,* Fuga contrariorum mala.

Si sæuiant aduersitates dicamus cum Propheta, iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Ps. 118. Genuit nos non ad iniuriam & dolorem. Si quid est quod patimur ex iudicio bonitatis suæ accidit, vinci diabolum patientiæ nostræ virtutibus delectatur, & probari nos per luctus & dolores & damna desiderat, vt nihil in seruos suos sæculi potestas, sibi esse iuris intelligat. D. Hilar. in d. Psal. Zade.

Vide Concordantia Principii. Conformitas humanæ voluntatis cum diuina. *Vide Principium Contrarietatis.* Mala temporalia sunt à Deo.

D. Hieronymus ad Paulam super obitu Blesillæ filiæ, multis prætereа pressam aduersis Et tu, inquit, è duobus elige quod velis, aut sancta es & probaris: aut peccatrix, & iniustè quæreris, minora sustinens, quam merearis.

Qui nauali prælio dimicaturi sunt, pendente gradu & labente vestigio consuescunt stare firmiter; sic constantia in rebus fluxis addiscenda.

In vite resecantur sarmenta, quæ si in vite manerent, fructum multiplicem, sed minus nobilem proferrent, sic quæ apta sunt in vita actiua tolluntur propter meliores fructus vitæ contemplatiuæ. D. Bonauent.

Vide Virtus Contrarietatis. Virtus in aduersitate purgationis & exercitationis causa.

Christus se resignauit passioni & morti, vt impleret patris sui voluntatem, licet doloribus in tantum natura repugnaret vt emiserit sudorem sanguinis; sic afflictiones sine electione perpeti via salutis est. Rusbroch. cap. 3.

LENITAS, PATIENTIA; Mansuetudo.

CHaritas patiens est. 1. Corinth. 13. Hanc primam velut fundamentalem Paulus tribuit charitati, nam pusilli animi sunt impatientes, patiens autem dicitur longanimis, quia longam quandam & magnam habet animam in aduersis integram, ad vlteriora, & finem suum semper

Digitized by Google

tendentem D. Chryſ. hom. 33. in 1. ad Corinth.

Sancti ſe dicebant hoſpites in mundo, quaſi nullam curam habentes rerum illic exiſtentium: nihil videntes eorum quæ volebant, ſed externa omnia & aliena, nulli amicitiæ titulo adhærentes, ſed agentes ea quæ pertinent ad ſupremam ciuitatem, non hic ædificantes domos ſplendidas &c. cum bello pulſarentur, cedebant & locum dabant, vt qui eſſent in terra aliena, hoſpites enim facilè talia patiuntur, vt quibus non ſit ius, tanquam in patria. Id. Hom. 24. in ep. ad Hebræ.

Baptizatis in cera conſecrata dabantur imagines agni cœleſtis, vt ſtuderent virtutum Chriſtianarum officiis, potiſſimum manſuetudine quæ in agno elucet, exemplo aliis prælucere. Etiam hodie tales conſecratæ imagines dantur fidelibus.

Manſuetudo quid ſit. *Vide Minoritas Contrarietatis.* Non litigare.

Patientia eſt honeſtatis aut vtilitatis cauſa rerum arduarum & terribilium, voluntaria & diuturna perpeſſio, nullo animi dolore contra ſæuientem commoto. Laurent. Iuſtin. de patientia. cap. 1. Verè patiens eſt qui diligit lædentem. *Vide Concordantia Contrarietatis.* Inimicorum dilectio.

Sine flamma & ferro martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam veraciter in mente ſeruemus. Hæc eſt inuicta ad labores, fortis ad pericula, vt nec ipſam timeat mortem, omnia vincit aduerſa non colluctando, ſed ſufferendo. Ib. cap. 2.

Mititas eſt in patientiæ tranquillitas, per quam vis iraſcibilis quaſi ſilentio quodam immobilitatur, & concupiſcibilis in virtutibus ſublimatur, quod rationalis aduertens lætatur, & conſcientia tantæ dulcedinis guſtu, pace mirifica tranquillatur. Harphius theol. myſt. lib. 2. cap. 31.

Patientia eſt propriè Chriſtiana virtus. Vide quæ ſcripſi moralis Chriſtiana. to. 2 parte 1. cap. 39 In inimicorum iniuriis. to. 4. parte 2. cap. 15. De patientia & manſuetudine religioſi in ſuorum ſocietate. lib. de inſtitutione & officiis Religioſi. parte. 3. cap. 25

Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram. Matth. 5 quia videntur aliquid de ſuo iure temporali perdere, amplius aliquid etiam temporale promittit Deus. D. Chryſoſt. Hom 15. in Matth. dicitur enim, quærite primum regnum Dei, & omnia adiicientur vobis.

De Chriſto dicitur. Iſay. 42. Non contendet neque clamabit, arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.

Vide Magnitudo Concordantia. Omnibus humaniter conformari.

Mores ſint graues, ſuaues, benigni, æquales, compti, iucundi, manſueti; tantum enim poſſunt, vt nihil iam in prouerbium ceſſerit ſui cuique mores fortunam fingunt. ad benignitatem in vniuerſum declinare oportet; hęc nos Deo & viris bonis conciliat, hac imbuti ridemus quæ alias eſſemus apertè vindicaturi, famam nobis bonam comparamus, & ad agenda liberi atque muniti accedimus, ex hoc multos amicos nobis comparamus multi nobis fidem habent & ſe ſubiiciunt lenibus verbis ac moribus tracti. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 13.

Benignitas & affabilitas eſt magnes, quo cęterorum amici trahuntur.

INTER MALOS *bonus.*

CHymia mixtum aut ſoluit, aut coagulat, illæſis internis viribus & eſſentialibus. Vir bonus idem eſt, ſiue in conuerſatione, ſiue in ſolitudine.

Iudicum 6. vellus Gedeonis ſiccum eſt, terra rore madida, & madidum terra ſicca. Vir bonus ſemper alius eſt à populo.

Id quod eſt commixtum, nulli miſcibilium eſt idem ſpecie.

Vide Bonitas Poteſtatis. Amor libertatis, nitimur in vetitum.

Nauis in mare protracta, humore imbibito ſe vndique protinus comprimit, ac tiquerimis con iunctis omnibus continuat. Theoph. hiſt. planta lib. 5. cap. 8.

Contraria locis contrariis poſſe perducere cenſentur, calida frigidis, frigida calidis; ſic enim principio naturam etiam ipſam generaſſe omnia volunt quaſi res à ſuo ſimili per exceſſum perire, à contrario ſeruari maximè poſſint velut medio quodam exultanti temperamento; ſicut de animalibus dicit Empedocles; quæ enim calida ſunt, hæc humidis locis collocaſſe naturam aſſerit In plantis etiam, calidiora maximè aquatilia iudicat vt iuncum, arundinem, gladiolum, à gelu proinde torpere hæc eadem minimè poſſe & quæ locis algentibus valeant perdurare, hęc plus caloris ſortiri vt abietem, pinum, cedrum, iuniperum, hederam Super his enim nec niuem poſſe durare autumant, ſcilicet ratione caloris aquatilia, etiam celerius igneſcunt, propter calorem. Idem. de cauſis plantar. lib. 1. cap. 27. *Vide Concordantia Contrarietatis.* Vtilis eſt contrario. miſtio.

Arbores excelſæ & frugiferæ in mari, non è mari, ſed è ſubiecta terra poſſunt ali, mareque ipſum ſine offenſa circumuenire, quemadmodum aqua ſtipes ſuas incolas tutiſſimè ambit. Ib lib. 2. c. 6. Vir Deo plenus, ab humanis non læditur, nec nutritur.

Ea quæ in mari naſcuntur non ſine dulcedine, aut aliqua cæterorum ſapore qualitate proueniunt atque conſiſtunt, vt piſces & reliquum animalium genus quod in mari verſatur, ſalſum enim erodit, & tollit facultatem generandi. Ibid. lib 6. cap. 14.

Tractus frigidi pariunt odorata propter calorem in terra concluſum vis enim caloris eſt, quæ vbique excoquit. Ib. c. 28.

Piſces in mari viuunt aqua dulci; vnde ſunt dulces. *Vide Cognitio Bonitatis.* Diſcretio boni à malo.

Solis radius æqualiter purus eſt, in floribus & in cœno.

Pahnutius celebris ſanctitate monachus & Abbas Deo reuelante didicit virtutibus ſibi ſimilem eſſe, vnum citharædum, qui inter aliorum delicias vitam agebat Deo placentem & alium Protocomitem, in dignitate & opibus, charitatis operibus egenis & hoſpitibus ſubleuandis deditum vitæ Patrum. lib. 8. cap. 63. & 64.

Alpheus fluuius Arcadicæ vrbis, quæ ſita eſt ad Peloponeſum & per mare Adriaticum penetrans in mare Siculum, & ſalſadine nulla infectus, in Sicilia inſula emergit ad fontem Arethuſam.

sam; quasi eius amator. Suidas in verbo Alpheus.

Ars ambulandi super niues, & non infigi. *Vide Medium Durationis.*

Salamandra, bestiola magnitudine lacertæ; natura gelidissima vt & ignem subiens flammam extinguat, nec ipsa cremetur. Id. in voce Salamandra.

Tacitus loquens de Iudęa dicit, præcipuum montium Libanum erigit mirum dictu, tantos inter ardores opacum, fidumque niuibus.

Sunt quædam nomina tota græca, quia ex toto græcè declinantur vt Calisto. Sic enim græcus & latinus dicit. Isidor. Origin. lib. 1. cap. 6.

Lacus est in Noruegia apud Nidrosiam metropolim qui nunquam congelatur, tametsi frigidissima in regione sit, pinguis enim cum sit concrescit, sed non congelatur quemadmodum & oleum. Cardan. de rerum varietate. lib. 1. cap. 7. in fine.

B

In medio Macedoniæ lacu nitroso, dulcis emergit fonticulus. Georg. Agricola. lib. 3. de his quæ fluunt ex terra.

An non stupendum est, inquit Proclus, animam immaterialiter in rebus materialibus viuere & à caducis incontaminatam se alicubi conseruare.

Fuit apud Trœzenios fons, cuius perennes manserunt aquæ, cæteris arescentibus in nouem annorum siccitate in qua pluit nunquam. Rodigin. lib. 16. cap. 14.

C

Mergitur eques Pharao in aquis maris, filii autem Israël ambulauerunt per siccum in medio mari. Exod. 15. Si fuerit in medio nationis prauæ & peruersæ, sicut lumen solis verbum vitæ continens ad gloriam, potest fieri vt in medio peccatorum incedentem te, non infundat humor peccati: potest fieri, vt transeuntem te per hunc mudum, nulla libidinis vnda respergat, nullus cupidiatis æstus verberet. Origen. Homil. 6. in Exod.

Vide Potestas Minoritatis. Vnum quod multis præualet.

Populus est immanis tyrannus, cui multi conantur complacere; vim autem eius effugiet qui maiores concipiet spiritus; qui rerum inspiciet naturam, qui vulgi condemnet sententiam, qui in rebus turpibus erudit seipsum non extimescere homines, sed oculum qui non obdormiscit hominem iudicio, cęci, passionibus acti velut essent emotæ mentis impunè patiuntur etiam probant scortationes, aleam, ebrietatem, & illis vis placere. D. Chrysost. Homil. 12. in 1. ad Corinth.

D

Vide Veritas Gloria Repug. Vanitas humanæ glorię.

Cum his qui oderant pacem, eram pacificus. Psal. 119.

Aqua in veteri Testamento non poterat pollui, etiam si in eam proiicerentur quæcumque secundum legem essent immunda. Leuit. 11.

Vt inter conuinii luxus & tumultus, vix potest animus in se redire; sic inter hominum opiniones, & multiplices sensuum affectus.

E

Bonos sæpe Deus collocat in domibus malorum propter duo; primo vt ipsos malos à malis coërceant, dissuadendo saltem indirectè, 2. vt ipsi misereantur virorum bonorum quos Deus tradidit, interdum in manus iniquorum. Tostat. 3. Reg. fo. 164. c. q. col 4. inf.

Mesopotamia, siue vt Chaldæorum & Aran, est

A

terra inter Tygrim & Euphratem; sic dicta quia est in medio aquarum. Id. Gen 103.

Noë ambulabat inter animalia ferocia, dans illis cibos, & nullum eorum nocebat ei. Id. Genes. 38.

Non est inconueniens beatos actualiter manerè in inferno, quia sic factum est in morte Christi, quando ipse discendit ad inferos; nam anima sua beata erat, & omnes qui erant in sinu Abrahæ fuerunt beati videntes clarè diuinam essentiam quando Christus descendit ad eos; infœlicitas inferorum non turbabat istorum gloriam perfectam. Id. Math. to. 7. fo. 168.

Ligna quercina in aquis imputribilia. *Vide Gloria Contrarietat.* Opposita magis elucescunt.

Cum fuerit Venus vel Iupiter in medio duarum infortunarum illis propinquus dicentur tres infortunæ. Cardan. Aphor. sect. 5. Aphor. 119 Cum igitur vir bonus in bono perseuerat inter malos, apparet gratiam esse natura potentiorem.

Noë vixit iustus inter perdendos diluuio homines, vt scias magna inter vitia, magnę locum esse virtuti.

Quomodo quis potest in mundo viuere, & eius societate non pollui. Vide quæ scripsi moralis Christianæ to. 1. parte. 1. cap. 16. Perfectio Christiana potest exerceri in quacumque ciuilis vita conditione, Ib. c. 25. propter malam verecundiam non sunt dise renda pietatis exercitia. Ibid. cap. 15. Religiosus fidelis maneat in obseruatione sua regulę inter discolos. lib. de institutione & officiis Religiosi parte 3. cap. 29. Solida debet esse virtus Religiosi negotys externis implicati. Ibid. parte. 4. cap. 1 Sit etiam in conuersatione solitarius. Ibid. parte 4. cap. 4. 5. 6.

Ioseph & Moyses in Ægypto, in medio Babyloniæ tres pueri sancti fuerunt.

Ille, inquis, auri talenta non pauca possidet, nec aliquid pauperibus præbet. Et quid hoc tua interest, imo vero mirabilior atque venerabilior uideberis, si cum pauper sis, benignior ac liberalior eris. Noli alium iudicare, sed teipsum ita redde laudabilem, vt omnem meritò accusationem possis effugere, cur enim committas quod in alios criminaris? Cur omisso misericordiam exercente, præcipiente Domino, conserui operationem respicis? D. Chrysost. Homil. 65. in Matth. Si alienis inhias homo? si ad alios respicis, cur probè viuentes non imitaris, quorum comparatione te in humilitatem & compunctionem perduces. Recordare Pharisæi, qui cum ad probos non respexerit, in superbiam elatus labores suos perdidit. D. Chrysost. Homil. 65. in Matth.

Ibid Hom. 82. dicentibus melius fuisse malos non nasci, aut statim natos perire, quam inficere bonorum conuersationem, respondet, maiori admirationi bonos esse, cum inter improbos viuant; tunc enim innocentia ipsorum, & mirabilis Philosophia magis elucet. Tu verò omnem luctationis atque certaminis materiam & causam funditus euertere vis. Mali autem non fiunt aut puniuntur vt alii meliores fiant & appareant, sed propter incredulitatem eorum & improbitatem cum habuerint tales virtutis magistros.

Christo dictum est à Deo Patre; Dominare in medio inimicorum tuorum.

Ignis inextinctus in aqua est silex vnde potest ignis educi.

In medio laci Mexici est insula amoenissima

ABSTINEAT CHRIstianus à dissolutione publica dierum qui praecedunt quadragesimam.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. His publicæ dissolutionis diebus videtur Christianus orbis de sancta sua professione pœnitens, & in corruptos gentilium mores lapsus, contemptis fidei, passionis Dominicæ sacramentis, extincta quę sibi, proximis, Deo debetur, charitate, ruit in omne nefas.

MAGNITVDO. Non admittitur in tantæ præuaricationis excusationem peccantium multitudo, cum singulorum congesti lapsus constent hanc multitudinem. Huius igitur cum quisque sit ex parte causa, cum ita cadit, vt alios in se trahat, multiplicem ex suo & proximorum lapsu, contrahit reatum, non venia, sed seueriori districtione dignum. Christiani proprium est in publica morum corruptione purum & illibatum seruari, vt origini suæ respondeat; fides enim quam profitetur, orbe toto horrendis criminibus & idolatria laborante, fulsit, & communem nequitiam, diuinæ veritatis & charitatis diffundendæ, sibi materiam effecit.

DVRATIO. Dices ad breue tempus populum has sectari voluptates, fixo statim ad meliora redeundi proposito. Sed quis sibi lethale vulnus infligit, vt gratior sit illi magis postmodum restituta sanitas; certus est ex plaga dolor, imminens mortis periculum, dubia, si contigerit mille tormentis emenda quę speratur curatio; admittis scintillam vnde fiet incendium; hærebunt cordi præteritæ voluptatis, peccati si non commissi, saltem stipulati species, & mala mentis gaudia in Spiritum sanctum pugnantia. Tam graue peccatum est, vt ad eius abolitionem, totius mundi vires non sufficiant, & si non remittitur à Deo, ęterna pœna sit puniendum; ergo ne sic de salute tua, de Dei maiestate, & bonitate ludendum putas?

POTESTAS. Senatusconsulti sin morbi popularis remedium olim instituta fuere spectacula quæ publicam prouocarent lætitiam, sed salua semper fama Principis, quem dum fauet, dum blanditur, conuicio lędere, crimen maiestatis fuisset atrocissimum. Dei præceptum est viros mulieris, mulieres virorum veste non indui à carnalibus desideriis, ab ebrietate, commessationibus, cęteris quæ militant aduersus animam abstinere. Hæc tamen in contemptum Christi Domini committuntur ab his qui se dicunt Euangelicæ legis sectatores.

COGNITIO. Fiunt & dicuntur, sic homine, sic Christiano penitus indigna, vt pudore facies larua contegant, minus timentes Dei quem offendunt, quam hominum, quibus placere volunt, oculos.

VOLVNTAS. Irritantur pessimis exemplis passiones omnes, nec in angustiis theatri, & pretio conducti spectaculi, sed in totius vrbis compitis, ne quis à malitia sic in omnium perniciem grassante, se subtrahat.

VIRTVS. O fœlix qui iuratę Christo fidei memor, scit hæc ad se non pertinere, & hinc experimentum sui, gratiæq; sibi præsidentis capit, quod ipsum non mouet, non afficit hæc publica morum dissolutio.

VERITAS. An laruati verso tunc in contrarium vitæ ciuilis instituto, dum absconduntur, ostendunt quadam gestorum ironia quid in mundo fieri soleat; mos est aperta fronte, mente clausa, ad vrbanitatem composito sermone, nulli fidentes cum omnibus conuersari; at hi turpes, ex horrido gratiores vultus præferunt, affectato silentio, gestis & operibus loquuntur, ne vox fallere consueta, suspectaque resonet. Sit hoc penes sapientem iudicium. At de facto sic incedentes, alieno vultu, veste peregrina, ignoto nomine, licet silentes toto corpore mentiuntur.

GLORIA. Merito faciem velant, quia non sic de turpitudine sua gloriantur, vt eos non pudeat histriones fieri, publicæ voluptatis prostituta mancipia. Sanè lugendus in Christianis risus, quo solent hæc indigna videre spectacula; laruas, dæmones factos visibiles & familiares, luxum, turpitudinem, aleam præ se ferentes, vrbanitate, cultu, conniuiis excipiunt, numquid hoc est malis moribus adulari, vitiis & idolis, vt olim, adolere? Lugeret hic Hieremias, ridet & applausu fouet factam nomini suo contumeliam Christianus.

DIFFERENTIA. Non sine graui causa vestis sexui suo propriæ mutationem lex diuina prohibet; arguit enim excessum œstro quodam furentis amoris, qui sic fertur ad vnionem vt velit transformari, & planetarum instar augeri viribus ex mutua receptione. Excusso verecundiæ fræno, lasciuit magis, subrepit sub muliebri veste masculus, sub virili mulier; vtinam & hæc contra leges metamorphosis, peccata contra naturam non insinuaret.

CONCORDANTIA. In hac rerum & morum lugenda confusione, plus habent periculi qui fiunt ad choreas & aleam nocturni conuentus. illic enim sub maligna facium luce, male fœlix amans, habet quos optabat, fugit facilè quos timebat oculos spectaculis intentos, & in circumiacentibus tenebris audacius negotiatur.

CONTRARIETAS. Hi dies pingues dicti, quod plus solito voluptatibus indulgeant, mihi videntur referre degenerem illam ætatem mundi quam Deus mersit diluuio, non ferens hominem caro factum. Si tales pœnas nunc differat diuina misericordia, alias sibimet ipsis peccantes infligunt, nam inter luxus, iras, & certamina dæmon accendit, vt aliqua semper illi cadat hostia.

PRINCIPIVM. Nituntur in vetitum, & cum incipit Ecclesia celebritatem passionis Christi, & compressis lætitiæ vocibus, piè compatiens luctus instaurat. Ecce matre dolente, in risum, in affectatam consulto lætitiam insolenter prorumpunt filii, piæ parentis dolorem ingeminant, ipsam & Christum iterum iterumque crucifigentes obstinata sua perditione.

MEDIVM. Qualis ad ieiunium per comessationes & ebrietatem dispositio? ad pœnitentiam per peccata, ad conciliandam Dei misericordiam per morum insolitas dissolutiones, quæ iustitiæ suæ tela prouocent.

FINIS. Citò finitur hæc sensuum voluptas, sibimet tædio futura, quamuis illam diuina

omnia, qui seipsum offerre non renuit. Noli abiicere disciplinam domini; si argentum, si aurum es, ignis ille te purgabit. Intuere Christum in cruce pendentem; reuolue martyrum tormenta, his quæ pateris longè grauiora. Contemplare mercedem quam nec oculus vidit, &c. momentaneus dolor, perennis gloria Idem lib. de spirituali animæ resurrectione.

Ezechias vicina morte terretur, & fusus in lacrymas quindecim annorum spatio protelatur ad vitam Blesilla diu febre æstuauit, vt sciret reiiciendas delicias corporis, quod paulo post vermibus exarandum sit. Vbi erant auxilia propinquorum & verba omni vento vaniora. Solus Christus potest suscitare. D. Hieron. ad Marcellam de ægrotatione filiæ.

De hospitalijs ægrorum. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ parte 2. cap. 13. & de ægrorum pia visitatione & consolatione cap. 17.

IN CORPORIS DEFORmitate.

C*Onsolatio in corporis deformitate. Vide quæ scripsi. Moral Christia to. 4. parte 2. cap. 9.*

De vanitate & periculo corporeæ pulchritudinis. *Vide Cognitio Virtutis.* pulchritudo. vnde debet velari. *Vide Cognitio Virtutis Rep.* velata pulchritudo.

IN HVMILITATE GEneris & familiæ.

NVlli te vnquam de generis nobilitate præponas, neque obscuriores quasque & humiliore loco natas, te inferiores putes Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum; seruum & nobilem de moribus pronuntiat. Sola apud Deum libertas est non seruire peccatis: summa apud Deum est nobilitas clarum esse virtutibus. Quid apud Deum in viris nobilior Petro, qui piscator & pauper fuit? Quid in fœminis beata Maria illustrius, quæ sponsa fabri describitur; Contemptibilia huius mundi elegit Deus vt confundat fortia. Ex vno omnes generati, per vnum omnes regenerati, &c D. Hieronym. ad Celantiam.

Generis & diuitiarum prærogatiua abdicatur per voluntariam paupertatem *Vide Minoritas Potestatis.* & per monasticam professionē. *Vide Maioritas Virtutis* Vera nobilitas est in virtute *Vide Gloria Virtutis* Originis nobilitas non contemnenda. *Vide Minoritas Principij. Initij.*

IN MENTIS INFIRmitate.

C*Onsolatio in mentis infirmitate Vide quæ scripsi Moral. Christiana to. 4. parte 1. cap. 7 & in infœlici genio. cap. 8. Vide hic minoritas cognitionis. bona.*

A

IN CARCERE ET CAPtiuitate.

DEcem mensibus in materno vtero, carcerem pati didicimus, anima in corpore, tanquam in carcere.

Implent carceres egeni, vt inopiæ suæ pœnas luant.

De carcere vt motum & libertatem præpedit. *Vide Contrarietas Differentiæ.*

De carcere fortiter tolerando. Vide quæ scripsi moralis Christiana to. 4. parte, 1. cap. 11.

B Confraternitas pietatis carceratorum erecta fuit ad carceratos visitandos, subleuandosque. Greg. 13. const. 56. Bull. p. 325. to 2.

Carceratis præstandum auxilium. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ parte. 2. cap. 9. De redemptione captiuorum cap. 19.

Si ob æs alienum carcer te premit: Dulce fuit accepisse; durum reddere; hæc est temporalium conditio, malo fine concludi, si placent dum accedunt, cogita reddendam Deo rationem, & satius iudicabis talibus caruisse. Maior quidem hoc in ergastulo libertas corporis, sed maior, si volueris, animi. Secessum quem à tuis cupiditatibus non obtinuisses; necessarium efficit Deus, vt sibi, tibique assuescas: scies in cœlo quantis te malis illæ
C subduxerint latebræ, & quem vocas carcerem, fuisse præsidium & asylum. Tuis nunc edoctus periculis, scies modum legesque tuis affectibus dicere, moderatis faciles, ambitiosis graues esse semper exitus. Ne creditoris arguas acerbitatem, sed inordinatos motus tuæ cupiditatis, quæ propriis non contenta, ex alterius pendere voluit arbitrio. Vrgenti necessitati succurrendum potius erat, abstinentia, diligentiæ, laboris incremento quam mutui petitione. O fœlix carcer si huic in posterum te libertati reddiderit, vt more sapientum sufficientiam ratio, frugalitas abundantiam efficiat.

D Si te carcer reum detinet, vtinam detinuisset eo tempore quo delictum cōmisisti, & fortè nunc maioribus eripit; Munus suum implet iustitia, quia tuum ipse non impleuisti, viam peccantium sequutus es, eorum & sortem patere; communis est principibus vt plebeis, personam enim non accipit iustitia, vnum à te præsens hæc necessitas exigit, vt supplex conuertaris ad Deum sinceris affectibus pœnitentię; Eius summa fuerit misericordia si dispendio corporis salutem animæ concesserit.

Quod si te carcer premat, & inter reos constituat innocentem, hæc fuit Christi Domini nostri, Apostolorum & Martyrum sors. ô te fœlicem si hac
E te via Redemptor ducat, qua peruenit in cœlum. Suæ te totum committe prouidentiæ, diligentem tui gerit tutelam, qualiscumque rerum sit exitus, fœlix tibi futurus est, nam hic vel oppressam vel liberatam innocentiam, immortales manent coronæ. Sancti pro reis apud homines habiti, nunc ob breuissimi temporis ærumnas ęterna fruitur, etiam summa mundi veneratione; fœlicius mortalis vita non potest desinere, quam in gloriam immortalem.

Digitized by Google

IN SERVITVTE.

Etiam qui dicuntur liberi seruiunt legibus, Principibus. Reges Deo, etiam populus, legibus ministri. Nihil non alterius existit, maiora minoribus dominantur, seruo corpore, mens potest esse libera.

Vid. Potestas Virtutis. Sapiens sibi sufficit. Vera libertas est in animo. *Vide Veritas Potestatis.*

De monacho qui se seruum vendidit hæreticis, vt eos ad Christum conuerteret. *Vide Virtus Differentiæ.*

B

IN EXILIO.

Exiguæ mentis homines, vt formicæ vel apes, si ex vna cauerna exciderint, hospites externique esse sibi videntur. Vbique eadem nobis lucent luminaria. Liberos & solutos nos natura in lucem emisit, ipsimet nos colligamus, locorumque coarctamus angustiis, qui vnam tantum habet ciuitatem, cæteris omnibus est aduena & peregrinus. Optimus quisque discedit à negotiis quæ patria afferre solet; vt ostreum à mari hinc inde actum, domi semper est. plantis locus potest tollere optimam constitutionem, at non homini virtutem, illi mundus vniuersus patria est, nullibi degener, nec exul. Comœdi vbique terrarũ personam suam possunt agere, artifices data materia artem suam exercere & sapientes suam. Exilium non spoliat animi bonis, nam ibi quisque liberius potest exercere virtutes iustitiam, temperantiam, &c. Non tollit corporis bona, licet enim illic benè valere. Non etiam fortunæ bona, cum multi per exiliu in fuerint fœliciores: possunt in terra externa gerere dignitates. *Vide Concordantia Differentiæ.* & in patria possunt ab illis excludi. cæterum sapiens priuatus, fœlicior est eo qui magistratum gerit. *Vide Voluntas Potestatis Rep.* Habes quod ingratæ tuæ patriæ sis beneficus culpam in te commissam condonando gratiam habe, quod qualis sit erga te patria, noueris vt tibi ex insidiis non noceat. E domo ruinæ proxima in qua natus es, egredi optimum putas, & è naui in qua à puero nauigâsti. Non sepeliri in patria commune tibi erit cum magnis ducibus sepultis extra patriam, pro qua pugnabant. vndique ad cœlos vna via est, tot regna inter se diuisa, sunt velut diuersæ domus mundanæ ciuitatis. Vbique licet frui eodem sole, iisdem elementis cum hominibus conuersari, amicitiam inire. liberior eris in studiis à cognatis & familiaribus non diuexatus. Aristides, Themistocles, & alii præclari viri, iniquè passi sunt exilium vnde non infamat. *Ex principiis.*

Planetæ etiam in suis exiliis habent fines seu terminos & decanatus in quibus similem ac in propriis domibus habent vim.

Consolatio in exilio. Seneca ad Heluidiam & epist. 28.

Plutarchus de exilio. In exilium vadens Cicero orat. vltima.

Sic in oratione pro Milone, eum in exilium profecturum, inducit loquentem. Ego cedam, atque abibo, si mihi Republica bona frui non licet at carebo mala, quemcumque cursum fortuna dederit mecum semper ero, non sunt habendi

A miseri qui ciues suos beneficiis vicerunt, ibi exilium est, vbi virtuti non est locus. Eritne dignior locus in terris, qui hanc virtutem excipiat, quam hic qui procreauit Ita ne vir patriæ natus, vsquam, nisi in patria morietur, eiiciet ne, quem omnes vrbes expulsum ad se vocabunt.

Socrates se dicebat mundi ciuem, cœlestes nos dicamus; hinc enim origo nostra, & illuc, si benè vixerimus, reuertemur.

Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor.
Vt volucri vacuo quidquid in orbe patet.
Ouid.

S. Gregor. Nyssen. in orat. de S. Basilio. Ab exilii, inquit, metu liber erat, quod vnam patriam hominum censeret esse paradisum, atque omnem terram, quasi commune naturæ exilium spectaret.

De exilio fortiter tolerando. Vide quæ scripsi moralis Christiana. to. 4. parte 2. c. 2.

D. Hieron. ad Theophilum contra errores Ioan. Hierosoly. qui monachis impetrabat exilium. Non nouit terrori natio ista succumbere, & impendenti gladio magis ceruices quam manus subiicit. Quis enim monachorum exul patriæ, non exul est mundis Domini est terra & plenitudo eius. Christus loco non tenetur inclusus.

C

IN CALVMNIA ET rumore.

Qvilibet malus potest calumniari, sapientis tantum est non moueri, & in hoc certamine victus, victore melior est. In cæteris silentium culpa vacat, hic præmio dignum est; nam aliquid Socraticum & Herculeum præ se fert. Magna est peritia posse ferre aliorum imperitiam.

Christus non vicit mundum, nisi quando in mundo putabatur esse victus, mortem morte interfecit. Cusa. excitat. lib. 5. cap. 1. Cum esset prima veritas iudicatus est blasphemus, ita Virgo gloriosa iudicata est mulier immunda.

D Feriunt summos fulmina montes, & virtute aut dignitate præcipuos calumniæ, cum illis tamen benè agitur, si verbis tantum impetantur.

Dementia est timere ne infameris ab infamibus. Nihil stultius homine verba metuente.

Siquis de te maledixerit & patienter feras, imo calumniantem laudes, multa inde bona consequeris, primum eximis te à conturbatione & cõmotione, te collaudabunt qui contra te dicta referunt, bonitatem tuam admirati, alterum odio habebunt qui nulla iniuria prouocatus te læsit, obtines ita vt fides ei non habeatur; dolebit insuper & pœnas temeritatis suæ soluet, audiens te talibus non affici, & hæc irrita in te contorqueri tela. At ex pusillanimitate contentiosa contraria tibi contingent, &c. D. Chrysost. Hom. 12. in f. in epist. ad Rom. *Vide Minoritas Contrarietatis.* Iniurias non vlcisci,

E Non quæramus vt nemo sit qui calumniam inferat, sed vt nocere non possit, istud vero nequaquam aliunde erit, quam si externis non afficiamur. Id.

Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer aut ab humano die. 1. Corinth. 4. Eam quæ verè est, ferre de rebus sententiam, non est arrogantiæ, sed Philosophiæ, nõ fastũ hic docet Paulus

Digitized by Google

sed sanos dat spiritus, & rectam animi elationem, A Nam vt ab arrogantia remotum oportet esse Christianum, sic ab assentatione & liberali animi deiectione. Id Homil. 11. in 1. ad Corinth.

In ædibus quando ex aduerso & directè steterint duę ianuæ, sitque ventus vehemens, si alteram clauseris, venti maior vis præciditur. Os tuum, & eius qui te calumnia afficit, sunt duæ ianuę, si tuam clauseris, & flatum aduersum non dederis, extinguis totum spiritum Id. Hom. 11. in 1. ad Thessalonic.

Vide supra *Hoc titulo lenitas, mansuetudo.*

Vis vt sileat Echo, tu sile, & tacentem cito habebis, relinque illam sibi.

Multum excellentes non irascuntur; si contemnantur in eo, in quo manifestè excellunt. Tost. B Math. to. 2. fo. 105.

Nunc sibi mutuo plaudunt mali, & bonos calumniantur, ne sint illis in opprobrium; abscondunt etiā virtutes suas boni per humilitatē, & ne proiiciant margaritas ante porcos. At in die iudicii; Illuminabit Deus abscondita tenebrarum & tunc laus erit vnicuique à Deo. Id. Math. to. 7. f. 85.

Moyses dux sapientissimus & pijssimus patitur conuicia murmurantis contra se populi, etiam fratris & sororis. Inter hæc erat perpetuo Moyses, & nihil seipso deterior euadebat. S. Gregor. Nyssen. lib. de castigatione in fine.

Idem in vita S. Gregorii Thaumaturgi, refert subornatam à calumniatoribus meretricem cum C in doctorum hominum cœtu disserentem conuenisse, familiaritatem simulasse, sed conqueri quod conuentum stupri pretium non persoluisset. At Sanctus nihil excusans iussit illi quam petebat pecuniā dari, qua accepta à dæmone possessa est.

Iustus opprobria lætus excipit, vt qui potuit exire foras per laudes, repulsus contumeliis ad seipsum redeat, & eo robustius se intus in Deo solidet, quo foris minus inuenit vbi requiescat. Dicit Psalmista, Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam. Laur. Iust. de Iustitia. c. 4.

Ne sis tam tener vt verbulis transuerberetis. A potentiorbus contemni te ne iniquè accipias, potiusque id crede fortunæ vitio fieri, quam ho- D minis: Si quid à minore proficiscatur, quod tibi parum placeat, cogita non id protinus contumeliam esse, sed libertatem. Te etiam nimis esse delicatum, cui leues titillationes, grandes videantur esse plagæ. Ludou. Viues in introd. sapientiæ.

Si virtute non excellis, cur vis videri aliis potentior? Si excellis cum affectibus moderandis, non plus quam vulgus præstas. Ibid.

De fortiter toleranda calumnia, Vide quæ scripsi moralis Christianę to. 4. parte 2. cap. 16.

Innocentem non debilitat mentem illata contumelia, quoniam in aduersis solatium est, non meruisse quæ patitur. Laur. Iustin.

Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduersum vos, &c. Math. 5. Sic persecuti sunt Prophetas.

Præstantius enim est percuti, & malum non pati; omnium persecutionum grauior videtur calumnia, quia videtur impedire applausum & exhortationem quæ dari solet in aliorum malorum patientia. Sic Iob in aduersis constantem conturbauit amicorum turba, qui dicebant hæc in pœnam suorum peccatorum pati. D. Chrys. Hom. 35. in Math.

Qui rumores non contemnit, seruire cogitur, etiam vilissimis personis

De modis quibus ira post contumelias excitatā possit placari. Vide *Finis Contr.* Iræ placatio.

Contra calumnias indefessa virtus, maximum est remedium. Sic Psal. 118. Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur, seruus autem tuus exercebatur in tuis iustificationibus, & consilia mea iustificationes tuæ.

Condonandum aliquid primis animi motibus. Vide *Magnitudo Voluntatis.* Primi motus.

Vir bonus non mouetur calumnia, quia nouit in se gratiam Dei. *Vide Cognitio Virtutis propria & confidentia sui.*

Fama vt flamma cito accenditur & extinguitur. In ciuitate libera, linguæ sunt liberæ; sed contra virtutem eximiam inualidæ.

IN IACTVRA BOnorum & paupertate.

De bono voluntariæ paupertatis. *Vide Minoritas Potestatis.* Voluntariam autem efficiet illi se accommodans voluntas. Paupertati extremę, vel vnus amicus opem ferens, medetur Hoc habet boni, quod mutationem in deteriorem statum non timeat: turpis tantum est si propter turpē causā accedat. Paupertas exigit temperantiam quam suadet Philosophia: efficax est virtutis gymnasium, virtus est per se docta animæ timiditati medere, & ōn timebis paupertatē. Plures paupertate quam diuitiis ad Philosophiam accesserunt; plures satietate, quam fame perierunt. Paupertas licet ad plurima vtilis, res est minime inuidiosa, & de acquirenda ea minimè certatur; incustodita seruatur & neglecta augetur. Pauca appetere facit, vt paupertas diuitiis æquipolleat: nemo detrectare debet personam sibi à numine destinatam. Si res meæ mihi non sufficiunt, at ego ipsis sufficio, & sic etiam ipsæ mihi. Pauperes sunt velut nauigantes circa littus in quo facile est funem eiicere. at diuites periculosè nauigant in alto *Ex principiis.*

Numquid parum æquus nobis Deus, si donat omnia, præter licentiam pereundi? Opes humanæ sunt tanquam membra incertæ, & suo ipsius pondere fatiscentis fortunę.

Quidam illatam paupertatem ægrè ferunt, quia tollit facultatem exercendę charitatis erga pauperes, sed Deus hoc in casu, petit à singulis non eleemosynam, sed pacem animi & tranquillitatem, in qua habitat. M. Theresia.

Arbores nimio turgentes humore, perforatæ castigantur. *Vide Maioritas Medii.* Abundantia nimia alimenti. *Et Bonitas & Virtus Contrarietatis.*

E Quæ de mensa deciderent tolli vetuit Pythagoras; idest damna fato permittenda. Suidas in voce Pythagoras.

Non minus molestum est comatis quam caluis pilos velli, errat qui putat animosius detrimenta diuites ferre; maximis minimisque corporibus par est dolor vulneris. Seneca.

Propterea pauperes sumus, quod paupertatem formidamus etiam in magnis diuitiis; non enim qui nihil habet est pauper, sed is qui horret paupertatem; & quia experta mala minus timentur; illo te vano timore diu torquet diabolus. D. Chrisost. Homil. 30. in 1. ad Corinth. Nunc experire quid valeas, paupertatis acerbitatem simul & timorem superans. Si pœcunias tritieris, non ha-

zed by Google

. Consolatio super morte filii. Seneca. ad Marc. Plutarch. super morte filiæ. Basil. epist. 188. 189. 201. A

Vbi liberi Saturno immolabantur, mater adesse debebat sacrificio sine gemitu & lacrymis, si ducere suspiria deprehendebatur, honore censebatur indigna. Rodigin. lib. 13. c. 23. Sic in morte liberorum à principibus occisorum parentes dolorem suffocarunt. *Vide Cognatio Contrarietatis. Rep.* Aduersa dissimulanda.

. Vix reperitur pater tam magnificæ fidei ac Abraham, qui filium liget, iugulet. Hæc à te mysteria non quæruntur, si morte communi sublatus est filius, proposito saltem & mente constans esto, B fide fixus, lætus offer filium Deo. Esto sacerdos animæ filii tui, sacerdotem autem immolantem Deo non decet flere. Hilarem datorem diligit Deus, non in profundis terræ, nec in conualle fletus, sed vt Abraham in monte & excelsa fide offer filium tuum; fortior sit fides, quam carnis affectus. Origen. Homil. 8. in Genes.

. Ne dicas, perdidi filium. Res hæc est somnus non mors; est migratio non perditio; est peregrinatio à deterioribus ad meliora, ne facti impatientia Deum in te irrites. Non dixit Iob, melius fuisset non accepisse, quod tu ingrato animo dicis, sed etiam pro acceptis liberis gratias agebat dicens: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Sciuit Deus quod filio tuo conferret. Multum liberi viuentes vitam non vitalem effecerunt parentibus, etsi in bona sint existimatione, finis eorum est incertus. Cæterorum omnium res minus sunt in tuto, quam filii, &c. D. Chrysost. Hom. 41. in 1. ad Corinth. C

Abraham in immolatione filii promptum efficiebat vox de cœlo ad eum facta, præclarum facinus, & spes in Deum consolabatur. non vidit mortuum iacentem, & inde non est exacerbatus eius dolor, hic autem nihil huiusmodi est. Ex quo intelligitur adamantina quadam anima opus esse, vt quispiam vnicum filium, qui in diuitiis educatus fuerat, latamque de se spem afferebat, in tumulo iacentem & extentum conspiciens, casum hunc leniter ac placidè ferat. Id. Homil. in 2. ad Cor. D

Non desinis esse pater, sed meliori titulo, scilicet immortalis filii & in tuto positi: cognationem non dissolueret peregrinatio, multo minus ad beatitudinem transitus; non cadauer hoc quod humi iacet, filius tuus est, sed ille qui euolauit, atque in immensam altitudinem ascendit; domus hæc euersa est, vt luculentior fiat; Resurget in lucrum cum Christo. dicitur 1. Thess. 4. Si credimus quod Iesus resurrexit, ita Deus eos qui obdormierunt per Iesum adducet cum eo. quare si filium quæris, illic eum quære vbi rex est, vbi angelorum exercitus, non in sepulchro, non in terra & eo in cœlum elato, humi non iaceas. Ibid. E

Ordine naturæ pater debet superuiuere filio; vnde si commoriantur, dicimus filium superuixisse. l. qui duos. §. cum pater. ff. de reb. dubiis. cum ergo præmoritur filius; id factum dicitur, malè iudicantibus fatis & præposterè, vt testatur hæc vetus inscriptio *Infœlicissimus parens afflictus præposteritate naturæ filium hoc tumulo condidit, quem importuna vix ademit, præreptisque senii baculum cum iam defessa, ætas adnitens, perbreues annos suos allevabat; nunc ante mors adsequitur, quam tristes lacrymæ desierunt* Refert Cuiac. Obseruat. lib. 8 cap. 23. *Vide Media Duratio.* Mors iuuenis.

Non times ne tibi Saluator dicat; irasceris quia tua filia mea facta est? indignaris de iudicio meo, & rebellibus lacrymis facis iniuriam possidenti. D. Hieron. ad Paulam de obitu filiæ. Si viuentem crederes filiam, nunquam plangeres ad meliora migrasse. Ignoscimus matris lacrymis, sed modum quærimus in dolore, si matrem cogito, non reprehendo quod plangis; si Christianam & monacham, istis nominibus mater excluditur. Sancta Melania calente adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios; lacrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis & ad pedes aduoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit Expeditius, inquit, tibi seruitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti. Ibid.

IN MORTE MAGNI viri.

Necesse est vitam demeti, veluti grauidas spicas, & alium viuere, alium non: quid attinet lugere quæ secundum naturam transigenda sunt.

Astra cognoscimus esse nobis proximiora, ex eo quod maiorem faciunt vmbram. ex maiori dolore conicitur defuncti excellentia. Obseruatio hæc fit, si sint in eodem gradu super horizontem eleuati.

Ad sacra venientes expurgari solebant inspersionibus aquæ in quam torrem ex altari, vbi rem diuinam obissent, prius restinxissent. Rodigin. lib. 12. cap 1.

Refert scriptura quod Moyses plangitur, at Iesus Naue vir sanctus sepultus refertur, & tamen fletus esse nõ scribitur, quia referebat Iesum Christũ qui primus cœlos nobis aperuit deleto Adami peccato. D. Hieron. ad Paulam de obitu Blesillæ filiæ. Addi potest non flendum in morte magni viri post mortem Christi, qui cum sit Rex regum, & sacerdos in æternum, supplet defectum causæ particularis. *Vide Duratio Principii.* Causa vniuersalis supplet defectum particularis.

Deus author vt naturæ, sic politiæ vult hanc in dignitatibus successionem. *Vide Duratio Potestatis, Repug.*

IN MALIS PVblicis.

D. Thom. in quæstio. disput. q. 5. ar. 6. Dicit vltimam mundi consummationem cognitam tantum esse homini Christo, quia non competit reuelationem de fine mundi fieri nisi ei, cui fit reuelatio de tota prædestinatione diuina, & per quem quodammodo adimpletur. Nimia foret hominum sollicitudo, si priuatæ accederet publica; publicis tantum personis debita rerum publicarum cura.

De malis publicis fortiter tolerandis vide quæ scripsi moral. Christi to. 4 parte 2 cap. 26. De necessitatibus publicis mundi & Republicæ patienter tolerandis libello de necessitate. cap. 2. & 3. Sapiens quietus, spectat mala publica. cap. 12.

MARTYRVM CONSTANTIA.

QVintil. Inst. orator. lib. 11. c. 1. loquens de Socrate qui noluit supplicare Iudicibus & vti defensione sibi in scriptis data à Lysia tunc eloquentissimo. Quando, inquit, ab hominibus sui temporis parum intelligebatur, posterorum se iudiciis reseruauit; maluit quod superesset è vita sibi perire, quam quod præterisset; breui detrimento iam vltimæ senectutis, æuum sæculorum omnium consequtus.

Martyrium est passio, seu cruciatus lethalis, susceptus pro Christi fide, aut pro vera virtute. Dicitur baptismus sanguinis, quia in remissione omnis peccati & pœnæ gerit vices baptismi: est actus elicitus à virtute fortitudinis, & à charitate; secundum illud, Maiorem charitatem nemo habet quã vt quis det animam suam pro amicis suis: cõfert gratiam ex opere operato vt in infantibus & in adultis cum attritione etiã virtuali: habet suum effectum cum Martyr accipit vulnus lethale. Non est in præcepto nisi cum vrget grauis necessitas, interim ad illud sufficit præparatio animi.

Quomodo Ecclesia creuit sanguine Martyrum. *Vide Potestas Minor.* minima in bonum valida.

De Martyribus sermones Leonis Papæ. Cyprian, to. 3. Chrysost. serm. 2. Berengos. Biblio. Patr. tom. 2.

Moriendum pro filio Dei. Lucifer. Biblio. Patr. tom. 9.

Martyr moriendo viuit. *Vide Minoritas Gloriæ.* mortificatio.

Agens est nobilius patiente, si ad idem actio & passio referatur, non autem semper si ad diuersa.

Licet teneat defendere proximum, etiamsi nolit defendi. *Vide Veritas Bonitatis.* inuitis benefacere. Non teneor tamen Martyrem è manibus tyranni eripere, quia ipse licite se obiicit morti. Bonacina de restitutionib. q. vlt. p. 11. propos. 2.

Iustinus Philosophus audiens idololatras accusantes Christianos quasi vitiis deditos, cum ipse nondum mysteriis esset initiatus, fidem calumniis non adhibuit, cum videret eos nec mortem horrentes, nec aliud quicquam cæteris terribile, cogitabat esse impossibile tales vitiis seruire ac voluptatibus, qui gaudent morte. Idem in Apologia pro Christianis.

Vide Voluntas Durationis. Rep. fortis vitæ contemptus.

Semina secta aut vsta non generant, at Martyrum corpora vstione, contusione, vim maiorem habebunt ad gloriosam magis resurrectionem non ex naturali virtute, sed ex virtute Christi, sic à passione sua gloriose resurgentis, oportuit enim pati Christum &c. Idem. quæst. iij. ad Orthodoxos.

Cæduntur membra vt vniuersum corpus ad sanitatem deducatur, Spartæ membrum Leonidas fuit; qui pro vniuersa occubuit Sparta; incisione membri voluptates patriæ seruatæ sunt. Maximus Tyrius sermo. 33. in fine *Vide Voluntas Principij.* amor patriæ; sic sanctus patitur pro Ecclesia.

Veneremur inter sanctos Christi martyres fidem

A nostram catholicam, in qua isti illustres athletæ subscripserunt sanguine, morte iurauerunt: Mater namque martyrii fides Christi est; ab illis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis euidenter asseritur; Nunquam enim hanc vitam tam constanter impenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem certa definitione sentirent: prompti perenne in melius reparandi, quibus per angustias tribulationum, aperitur exitus ad plenitudinem gaudiorum. Laurentius. Iustinianus. lib. de fide cap. 6.

Horruit mors expiandis sceleribus nata, primos sibi aditus per innocentis Abelis iugulum concedi: tam dulci delinita sanguine innocentes auidius petit.

Eleazar senex sacerdos iussus ab Antiocho edere porcinas carnes, Absit inquiebat, vt hoc ore leges violem quo legem doceo, Nonaginta me illaqueant anni, mortem effugere nec possum velle, nec velim posse. In hoc nascimur vt honesti euadamus, tunc dignum est mori, cum indignum est viuere, moriendi metum pellit peccandi metus; sacerdos sum, mei muneris est sanguinem fundere, neque semper ferinum, ignauus mystes si de alieno tantum pius; tot hostias feci, vt semel hostia fieri discerem, quid martyrium, nisi beneficium malo animo factum? *Vide Cognitio Virtutis.* fidei publica confessio.

C *De Martyribus qui fidem sanguine subsignarunt. Vide quæ scripsi Theologia naturalis to. 4. parte. 2. 1. cap. 9. De fortis tolerantia Martyrij seu actuali, seu in votis libello de amore Dei patienti cap. 20.*

Incidit quis arborem in qua radius solis stat; inciditur arbor, tamen radius solis nihil mali patitur. Sic Dominus Iesus secundum humanitatem passus est, secundum diuinitatem impassibilis mansit. Alcuin. lib. de diuinis officiis cap. 41. Lacerato corpore intacta remansit martyrum fides & constantia.

An fugiendum in persecutione. *Vide Differentia Contrarietatis, & Voluntas Contrarietatis.*

D Laurent. Iustinian. serm. de sanctis Innocentibus triplex facit martyrium; primum quod velut gratis à Deo conceditur vt illis de quo *Vide Veritas Bonitatis.* inuitis benefacere; secundum genus est eorum qui durissima pro Christo passi sunt etsi mors non sequatur, voluntate enim, licet non actu dicendi sunt martyres: tertium genus est quod voluntate & actu perficitur; cum multis in extremo & sub gladio animus defecerit.

Mors tamen sibi non inferenda ob cuiusuis rei metum vel dolorem *Vide Voluntas Finis.*

REPVGNAT NON CONSTANS virtus.

E VIde *Duratio Voluntatis Repug. & Minoritas Durationis, inconstantia.*

Vnus cõiugum potest religionem ingredi, altero remanente in sæculo, si non sit periculum incontinentiæ, propter ætatem, non verò propter virtutem cap. cum sit, cap. vxoratus. & Bonac. de matri. q. 3. pu. 4. nam virtus potest deficere.

Digitized by Google

Acedia est tristitia seu tædium rerum spiritualium, quatenus ad ipsum hominem pertinet, vt si quem tædeat pœnitentiam agere, ex quadam pœnitentię nausea, aut si nollet concionem haberi; aut ieiunium esse. D. Tho. 2. 2. q. 36. a. 1. Hæc tristitia sæculi mortem operatur. 2. Cor. 7. opposita est charitati, quæ gaudet in exercitio dilectionis. Est vitium capitale, nam inde nascitur, rancor, pusillanimitas, disperatio, torpor, euagatio mentis. de quib. D. Thomas. dicto loco. A

Iared. idest descensus, sic Gen 4. vocatus fuit, quia fuit tempore suo mundi descensus & declinatio. Nam loco diuinarum artium Enos, emergunt prophanę professiones & artes mechanicæ per Lamech & eius filios. Genebrard.

Exod. 4. Deus vult occidere Moysen, eo quod non circumcidisset pueros, id timente Sephora vxore, illos circumcidit, sed territa discessit à Moyse dicens, Sponsus sanguinum tu mihi es; ita multos terret mortificatio, & à pietatis exercitiis auertit. B

Dominantes non sunt constantes in virtute. *Vide Virtus Potestatis. Rep. Et Finis Virtutis. & Minoritas finis. defectus in fine.*

Pueri & senes postquam diu recta processerunt, subitò & insperatò labuntur præ infirmitate.

Differt habitus à dispositione, quod habitus difficulter mouetur, dispositio verò facillimè. Suidas.

Temeritas vbi primum impetum effudit, sicut quædam animalia amisso aculeo torpet. Curtius lib. 4. C

Et Domitianus & Nero primis annis imperii moderatissimi fuere. *Vide Virtus Potestatis. Rep.*

Pelagus se vicinorum fluminum vndis inferens aquas corrumpit salsugine, dehinc in refluxu dulcescunt, & sinceræ perlabuntur.

In aulico freto, vitia fluunt, vt refluant.

Quis Manasse deterior fuit, sed facile conuersus lacrymis Deum sibi fecit propitium? quis Salomone felicior; sed cum negligentia dormitasset, decidit in profundum: quis Iuda beatior; sed factus est proditor; Paulus, Matheus conuersi, nec igitur illi, qui vixit in scena, disperandum, nec huic qui versatur in Ecclesia confidendum. Qui se existimat stare, videat ne cadat. &c. D. Chrysost. Homil. 6. in Math. D

Viri sancti interdum lapsi sunt. Moses ad petrā Oreb. Dauid, Petrus negando Christum, sed ad humilitatis profectum, & posterorum eruditionem. Laur. Iustin. serm. de S. Iacobo.

Possum peccare vel non peccare vt liberum seruetur arbitrium, sed hoc pro modo & tempore, & conditione fragilitatis humanæ, perpetuitas autem impeccantiæ soli Deo reseruatur. Nec quia ad breue possum, coges me vt possim iugiter. possum ieiunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire, numquid in perpetuum. D. Hieron. lib. 3. aduersus Pelagianos. E

Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicii. Argentum tuum versum est in scoriam. &c. Isay. 1.

Ideo laudes post mortem differendæ. *Vide Gloria Finis.*

APOSTATÆ ET RElapsi.

NEro Religionum contemptor, præter Deæ Syriæ, hanc tamen mox ita spreuit, vt vrina contaminaret. Sueton in Nerone. Vni sectæ addicti ipsammet tandem spernunt.

Pisces in aqua læsi appellunt ad littus, relinquunt similium greges & proprium elementum? Sic læsi in suis cœnobijs Religiosi.

Si aliquis habet Mercurium in loco sexto natiuitatis suæ conuertitur à fide sua in aliam, & qui partem felicitatis habuerit impeditam, hic non erit firmus in fide sua. Hermes Centiloquij n. 67.

Contra Recidiuam peccati. Gerson. to. 2.

Vide Differentia Principii. Separari à suo principio malum.

Abortiuus est qui non perseuerat, & Deo exosus.

De votis Religionis perpetuò seruandis. *Vide Duratio Voluntatis.*

Petrus Damiani opus. 16. inuehitur in Episcopū suadentem monachis ad sęculum redire, Quis inquit, hanc sententiam reperit, nisi qui primum hominem de paradiso deiecit. Si potest homo suā, cur non seipsum Deo offerre? se à tartari periculo per pœnitentiam retrahere, vocat, venientem excipit Deus, cur auertis? dicit Veritas. Luc. 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum, aptus est regno Dei. Si terrenæ militiæ transfuga fit infamis, quid si desertor sit cœlestis militiæ, fidem quam seruamus hominibus, quis abnuat Deo seruandam; seruus est fugitiuus, amicus huius sæculi, fit inimicus Dei; puniuntur serui fugitiui & corruptores, & receptatores. Refert authoritates Conciliorum Toletani, Triburensis, Moguntini.

Exod. 15. Israëlitæ liberati à seruitute Ægypti, volunt illi illam reuerti propter penuriam, quam patiebantur in deserto. Num. 11.

Homo qui dederit libellum repudii vxori suæ, quæ postea alteri nupserit, non poterit postea prior maritus iterum in vxorem accipere, quia polluta est Deut. 24. qui terrena reliquit, agnoscens eorum fœditatem, non debet ad eadem redire. Rupet. in Deuter. lib. 1. c. 28.

Non est mirandum si quis cadat sub tam potenti inimico, sed si quis illum superet?

Monachus qui relicta singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias deuolutus est, publica pœnitentię satisfactione purgandus est, quia etsi innocens sit militia, & honestum potest esse connubium, electionem tamen meliorum deseruisse, transgressio est. 20. q. 3. can. præpositum.

Iudæi conuersi facilè ad vomitum redeunt, ideo 8. mensibus sint inter catechumenos priusquam baptizentur. de consecr. dist. 4. Iudæi.

Desertores prælii, seu terrestris, seu naualis, ipsi & eorum posteri erant ignominiosi. Suidas.

Hecabolius sophista Constantinopolitanus sub Constantino ardenti Christianismo simulato, sub Iuliano fatuum gentilem se præbuit, iterum fieri volens Christianus, ante domum oratoriam prostratus clamabat. Calcate me fatuum saltem. Idem in voce Hecabolius.

In Græcia naualis prælii desertoribus manus amputabantur Idem in voce.

Digitized by Google

Apud Lacedæmonios lex eſt vt quiſquis eorum hoſti tergum dediſſet, in caſtra reuerſus ab ab amicis lapidibus obrueretur. Idem in voce *ſirgai* De deſertoribus. *Vide Differentia Contrarietatis Mala.* ſunt vt aquæ Stygiæ & fortes quæ confringunt vas quo continentur *Vide Finis Concordantiǵ.*

Exierunt ex nobis, non enim erant ex nobis, ſi enim fuiſſent ex nobis permanſiſſent vtique nobiſcum Ioan. 2.

De montibus combuſtis qui certo temporis circulo, iterum diſponuntur ad combuſtionem. *Vide Duratio Contrarietatis* ſeries malorum, *Et Duratio Minoritatis*

Manus diſlocata decreſcit.

Maledictus qui reædificat Iericho, quam in ſe ſpiritualiter deſtruxerat. Ioſue 6.

Spreuiſti omnes diſcedentes à iudiciis tuis. Pſal. 118. ideſt ſpretos & contumelioſe exceptos effeciſti D. Hilar.

OMNIVM PESSIMI Apoſtata.

Vide *Maioritas Minoritatis.* Optimi corruptio peſſima.

Si contingat in aliquo climate calido, frigiditatem ad locum vnum congregari, & ibi aliquid generari, hoc erit frigidiſſimum, plus habens frigiditatis, quam ſi generatum eſſet in climate frigido, quia frigiditas per expulſionem ad locum vnum congregata, multiplex eſt ad frigiditatem in loco frigido generaliter expanſam & diffuſam. Albert. Mag. tract. 2. de natura locorum. in fine.

Oleum accenſum ardet & lucet, ſed extinctum fœtet. Locus calefactus & denuò frigefactus, fit valde fœtidus. Ariſt. problem.

Lucifer ex ſupremo ordine Angelorum, lapſus eſt in infimum abyſſi.

Quorundam fontium guttæ extra ſalientes lapideſcunt, quæ prius communibus aquis commixtæ fluebant.

De Monachis Apoſtatis. D. Auguſt. ep. 76.

Ad apoſtatam epiſt. Theodor. Bibliot. Patr. tom. 2.

Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, &c. rurſus reuocari ad pœnitentiam. Hebr. 6.

Ariſtot. de Republica dicit hominem nobiliſſimum creaturarum, ſi ampliſſimis ſuis potentiis

A verè vtatur, peſſimum, ſi malè.

Vini vis exiſtit in aceto. Nulla res eſt, quæ non eius ex quo naſcitur notas reddat. Seneca 3. natural. quæſtion.

Acetum differt à vino, quia ex ipſo partes ignis euolauerunt, & licet acutum ſit in actione propter præcedens calidum naturale quod fuit in ipſo, tamen frigidum eſt, & plus habet aqueæ naturæ quam vinum Albert. Mag. meteor lib. 4. tr. 2. c. 13.

Succus lapideſcens quamdiu fluit cum aquis videtur aqua, extra poſitus ſtatim lapideſcit, ex eo

B creſcit corallum in mari, planta, extra lapis. Georgius Agricola. lib. 4. de cauſis ſubterraneorum. *Vide Medium Durationis.* locus.

Omnia extra locum ſuum corrumpuntur *Vide Medium Durationis, locus.*

Extra totum putreſcunt partes, quoniam viribus totius non fouentur & functionibus: à calore autem extremo eorum augetur calor extra formæ fines, itaut putreſcant, id quod in multa mole non fit.

Sunt vt campanæ in bombardas conuerſæ, *Vide Maioritas Medij* abuti digniori medio.

Apoſtatæ peſſimi ſunt in mundo, tam deprauati non erant in religione, ſicut ligna continent

C aquam & oleum, non carbonem, qui non inerat ſed producitur per artem; nec inerat, niſi materialiter potentialiter, remote. Non enim rei ineſt quidquid ex ea fit. ſic enim pani ineſſent ſanguis, oſſa; Nec etiam marmor continet vitrum, licet ex marmore cum adiuncto vitrum fiat. Corium aut lignum lapis non ſunt, etſi quibuſdam fontibus petrificentur.

Grauior eſt culpa poſt veniam, renouatum vulnus plus dolet poſt curam, moleſtius homo ſordidatur poſt gratiam. Nam vere indulgentiæ ingratus eſt, qui poſt veniam peccat; ſanitatis indi-

D gnus eſt, qui ſemetipſum poſtquam ſanatus eſt, vulnerat. Laurent. Iuſtinian. lib. de ſpe. cap. 5.

D. Hieron. ad Sabinianum, diaconum peſſimis moribus. Sub veſtitu ouium latebat lupus, & poſt adulterium hominis, adulter Chriſti eſſe cupiebas.

Idem ad Auitum, de erroribus Origenis refert eum exiſtimaſſe angelos poſſe fieri Dæmones per libertatem arbitrij, & rurſus Dæmonas in ſortem angelorum pœnitentes tranſire.

Inter bonos, quales erant non apparebant, vt ſuccus lapideſcens in aquis, *Vide Medium Durationis locus.* ex Georg. agricola.

Separata à ſuo principio corrumpuntur. *Vide Differentia Principij*

POTESTAS VIRTVTIS.

QVÆ SIT VIS VIRTVTIS.

QVO plus anima fuerit à corporeis separata, fit potentior ad edenda etiam miracula. *Vide Virtus Differentię* Virtus in secessu. A

Antisthenes rectè dicebat hostibus optanda omnia à Diis esse bona, præter fortitudinem. Plutarch. lib. 2. de virtute & fortuna Alexandri.

Antiqui dicebãt vnicuique homini triplicem assignatum, Dæmonem. vnus sacer, alter genituræ præsidens, alter professioni. sacer immediate à Deo datur, & ideo superat naturam.

Abbas Pithyrion. si quis vult Dæmonibus dominari, prius vitiis suis & passionibus dominetur, quodcumque enim vitium propriæ passionis abieceris, huius vitij dæmonem poteris etiam, de obsessis corporibus effugare. In vitis Patrum. B

Vide Voluntas Virtutis. de Democrito Philosopho, qui totius vrbis & senatus Abderitarum loco habebatur.

Ex Aristotele quisquis tantum cæteros præcellit, quantum anima corpus, & bestiam homo, hic videtur ad imperandum natus, & vt ei cæteri ad corpori ministeria nati, velut instrumenta subseruiant Rodigin. lib. 25. cap. 17

In conuersione totius orbis Apostoli miracula fecerunt, sed nisi fuissent integerrimis moribus velut præstigiatores habiti, nullius fidem, omnium odia meruissent. Illos igitur magnos effecit verus ac non simulatus gloriæ atque pecuniæ contemptus & quoniam nullam sæcularium harum rerum curam habebant; viuendi ergo disciplina est, quæ vbique fulget, quæ spiritus etiam gratiam attrahit, quod enim signum Ioannes fecit, qui tot tantasque ciuitates erudiuit? D Chrysost. tom. 47. in Matth. C

Ioannes quidem nullum signum fecit, Ioan. 10. Helias mirabilis factus est à zelo quem habebat erga Deum Abraham, Isaac, Iacob, Iob nullos mortuos suscitauerunt, Leprosos mundauerunt. Christus Apostolis præcepit non signa facere, sed luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, &c. Miraculis enim potest quis abuti. Ibid. D

BONI SOLI VERE SVNT liberi.

DE sapientis libertate. Cicero parado. 5. & *Vide Veritas Potestatis.*

Quomodo intelligendum est illud, iusto lex non est posita. *Vide Virtus. Potestatis.* Virtus in Rectore.

In homine quodammodo sunt omnia, & ideo secundum modum quo dominatur his quæ in ipso sunt, secundum hunc modum competit ei dominatialiis. *Vide Minor. tas Glor.* de mortificatione.

Sapiens liber est. quia nulli est obnoxius.

Sic Poeta. Tunc omnia iure tenebis, cum poteris Rex esse tui, & Boetius lib 3. Licet tibi seruiat vlt ma Thule, Tamen atras pellere curas, miserasque fugare querelas Non posse, potentia non est.

His qui contemnunt præsens sæculum dicit Deus: Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi tede terra Ægypti, de domo seruitutis. Origen. Homil. 8. in Exod.

Quando cruce te signas, vniuersam tecum crucis causam verte, & iræ ac reliquarum passionum incendia extingue. Quando te cruce signas, magna tuam frontem arma fiducia, libertate animum munias, ita dicit Paulus, Pretio redempti estis, non sitis serui hominum, &c. D. Chrys. homil. 55. in Matth.

Cum dicimus sapientem verè liberum esse, sapientem intelligimus non ex Philosophorum supercilio, non ex mundanæ sapientiæ fortuita sectatis conditionibus, sed ex Christi Domini præceptis, qui se nouum hominem secundum Deum creatum nobis imitandum proposuit. Talis homo viuet non ex opinione, passione, cupiditatibus, sed ad legem Dei rebus in se sic ordinatis, vt sensus rationi, ratio diuinæ veritati & voluntati, infima superioribus pareant. Talis subiectio vera libertas est, quia voluntas mittitur in possessioné veri boni, quod naturaliter insito sibi sensu quærit, & actu semper appeteret, si hanc in diuersa nõ transferrent cupiditates & passiones. Igitur liber est sapiens qui verum bonum sibi conueniens quærit, & quidquid incidat possidet: supra vulgo receptas opiniones, supra fortunæ casus, Dæmonis & mundi laqueos transuolauit in montem Domini, vnde sæculi tempestatibus iactatis miseretur, sibi, Deoque gratiarum largitori plaudit, Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Quæ maior libertas quam independenter ab his quæ mundani sectantur, quibus aguntur & transferuntur, vnum semper velle, vnum quod volunt possidere; innocentiam scilicet, cordis mundiciem, cui etiam hic Deum videre conceditur. Sic eodem semper tenore ducens vitam, inter mundanos fluxus stabilem, sedet iudex rerum omnium, quarum conditiones melius immota mens percipit. Liberior est quam vt terrenis potestatibus blandiatur, & fœlicitatis momentaneæ pretio, venalem ferat animum. Pendent Reges à ministris, populis, ab hostibus, à fortuna; sapiens à nullo pendet, quocunque res vertat sem-

Digitized by Google

Per locus erit virtuti; in aduersis fortitudinem, in A prosperis temperantiam, vbique iustitiam & prudentiam exercebit, lætus securusque sui possessor, habet intra se regnum Dei, dum cœlestia, elementa, viuentia æternis parere legibus contemplatur, diuinam pariter ipse sequens & implens voluntatem, amoris vnione fit deiformis. Quis eo liberior quem è statu suo nulla deiiciunt, cuius desideriis nihil obstat, sed omnia cooperantur in bonum. Sibi fidus, perpetuus, sufficiens erit amicus, etsi deficeret omnis humana societas. Qui sic se liberè Deo consecrauit, in Deum quodammodo transfusus, dotes eius quantum natura capit, quantum gratia dilatauerit, consequetur, bonitatem, immutabilitatem, æternorum lucem, B ardorem, sed potissimum à transitoriis independentiam. Dum vitæ spatia crescentibus annis decrescunt, crescit ipse virtutum profectibus in dies fini suo, sicut tempore, sic meritis propinquior; ita vitam agens in Dei suique possessione tranquillam, hanc perpetuam optare posset, nisi spes esset melioris in æternitate. *Ex Principiis.*

Vir bonus liber est, sicut peccans est seruus. *Vide Voluntas Bonitatis.* Repug. Peccans sibi nocet.

Falsò Lutherus iustos omnes eximit à lege, quasi sola fides in Christum sufficiat, & illam habenti non imputentur actus, licet ex se mali sint; refutat hanc impietatem Suarez de legib. lib. 1. cap. 18. & 19. sic Trident. cap. 11. Can. 18. 19. 20. C Nemo quamuis iustificatus liberum se ab obseruatione mandatorum, putare debet. Nam quod dicitur 1. Tim. 1. Iusto lex non est posita; sic intelligendum, quo ad coactionem qua non indiget, cum vltrò quæ legis sunt faciat, ab ipsa directus.

SAPIENS SEIPSO contentus.

Perfectum est, cuius perficientia & conferentia sunt intra ipsum secundum substantiam, & ideo cum cœlum sic perfectum sit, mouetur in eodem loco & situ permanens, Albert. Mag. lib. D 2. de motib. animal. cap. 4.

Vide Minoritas Principii, independentia, Et *Minoritas Medii.*

Non in Iouis tantum limine, sed in animo suo quisque reputet esse duo dolia, vnde aut malum aut bonum liberum est elicere. Plutarch. lib. de tranquillitate animi.

De interiori domo, tractatus D. Bernardi.

Virtus seipsa contenta. Cicer. Tusculan. 5 & 1. Parado. 2.

Ante omnia Deus erat solus, & ipse sibi, & mundus, & locus & omnia. Tertul. contra Praxeam cap. 5.

Antequam faceret Deus cœlum & terram, in se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se Deus. D. August. in illa verba est, Ps. 121. Qui habitat in cœlo. E

De solitudine qua gaudet sapiens. *Vide Gloria Virtutis.* Quieta virtus.

Qui in propria domo pacem non habet, quomodo habebit in aliena?

Vide Minoritas Concordantia. Esse sine socio & amico quando bonum.

In compositis ad pulchritudinem requiritur quidem symmetria, & proportio partium ad se inuicem & ad totum, ad pulchritudinem tamen non requiritur compositio, alioquin res simplices non possent esse pulchræ. Plotin. Sic vera pulchritudo est in primo ente, cum sit longissimè à materia, intelligibilis, vnum & ipsum bonum; pulcher est mundus in quantum ad æternum illud exemplar formatus est: inquit Plato in Timæo.

Id quod est per se, semper maius est eo quod est per aliud: quod per se habet esse, non potest generari vel corrumpi nisi per se.

Christus in vltima cœna corpus suum manducauit sub speciebus panis & vini: quia habet vitam in semetipso, sicut pater, Ioan. 5. 26. Sapiens per reflexionem a seipso pascitur. Est *αὐτάρκης*, idest sua sorte contentus.

Hismenias medicus dicebat se sibimet cauere. Petrus Crinitus, de honesta disciplina. lib. 12. cap 12.

Cardanus de rer. varietate lib. 2. cap. 1. asserit contra Aristotelem cœlum non moueri propter hæc inferiora, cum ipse fateatur finem nobiliorè esse his quæ ad illum sunt; at inferiora sunt velut fæx superiorum, vnde motus cœli altum habet finem quam hanc generationem, licet & hæc ad illum sequatur, sitque hoc commodum, non principale intentum; non ergo cogitur cœlum ad terræ obseruationem circumuerti. Sic sapiens sibi ipsi non externorum causa benè agit.

Dicitur Eccles. 32. Recurre prior in domum tuam, illic lude, & age conceptiones tuas; tanto quis in contemplatione fortior, quanto magis sequestratus fuerit à cæteris, velut nullius egens.

Terra Ægypti non indiget imbribus ad fœcunditatem, propter Nilum eam inundantem de quo Tibullus.

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.

In intimo pectore velut olim in arca asseruatur virga Moysis, disciplina celestis quo domantur elementa, & manna dulcedo cælistis, ibi est thymiama, bonus odor & consolatio rectæ conscientiæ. Intra se Pontificatum agit & pretiosis ornatur suprema mentis pars, per quam capaces esse possumus Dei. Origen. hom. 9. in Exod. Studeat vnusquisque nostrum facere intra se tabernaculum Deo. Sic Patriarchæ dicuntur habitasse in tabernaculis. Ibid.

Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Ps. 36. Origen. hom. 4. in dictum Psalm. interpretatur de Iusto qui sibi sufficiens ab alieno non pendet subsidio, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico; idest super abundat, vt etiam aliis largiatur.

Cœlum efficiamur elati supra mundanas vicissitudines, & Deo proximi, ex hac altitudine videmus homines nihil differre à formicis, nec distinguemus regem à priuato, omnia videbimus tanquam muscas, nullus illic tumultus, nec perturbatio, nec clamor, &c. D. Chrysost, hom. 16. in epist. ad Hebr.

Baptizati albis induebantur vestibus propter gratiam regenerationis, tunc sacro Chrismate caput perungebatur, & mystico tegebatur velamine, vt intelligat se diadema regni, & sacerdotii dignitatem portare. Alcinus de diuinis officiis cap. de Sabbato sancto.

Sicut in cunctis animalibus non est repertum homini adiutorium simile sibi, sed de illo sumptū quod ei formaretur in coniugium, sic in parte animæ inferiori nullum menti nostræ simile est

adiutorium, sed in parte superiori qua diuinis con- A iungimur Magister senten. disp. 24. q. 1.

Deus die septimo requieuit ab operibus suis: Non ipsis rebus conditis quasi in fine quieuit, sed à rebus conditis in seipso, in quo sua beatitudo consistit, permansit, cum non sit beatus ex eo quod res fecerit sed ex eo quod in seipso sufficientiam habēs rebus factis non indiget; sic non quiescamus non in externis, sed in interiori in quo Deus habitat. D. Thom. in quæst. disputat. q. 4. a. 2. propterea fuit institutum Sabbatum.

De productionibus Dei ad intra. *Vide Magnitudo Principij* magna fœcunditas, hanc in se imitari debet sapiens.

Ignis extra propriam sphæram non potest esse B sine aliena materia: sapiens extra solitudinem sibi non sufficit, sed alienis indiget auxiliis.

Qui est cum alio tristatur aut delectatur secundum ea quæ in ipsis reperit Ita bonus gaudet sibi conuiuere, quia rememorat bona opera quæ fecit & sperat se facturum. Malus vero è contra tristatur sibi relictus, & iniquitatum suarum fœdo spectaculo. Tostat. parado. fo. 8-.

Vide Gloria Virtutis pax & delectatio virtutis & Repugn.

Vir fortis & sapiens bonæ suæ fortunæ peritus est artifex *Vide Principium Glorię*. bona fortuna: de Alexandro.

In antro Triphonis Græciæ qui ingreditur & C excubat, inde egressus sibi ipse interpres, vatesque fit. Maximus Tyrius serm. 26.

Solum quod se mouet, quia nunquam deseritur à se, nunquam ne moueri quidem desinit, cæteris etiam existens principium mouendi,

Cicero in Somnium Scipionis.

Lumen quo maius à Sole Luna suscipit, siccior est, & magis exsiccat, cum autem minus, humectat. Cardan. Apho. sect. 7. Apho. 85 qui plus luminis accipit, magis seipso contentus; siccum enim facile suo termino continetur.

Pluris facias iudicium conscientiæ tuæ quam voces omnes ingentis multitudinis de conscientiæ D tranquillitate. *Vide Gloria Virtutis.*

Sapiens sibi sufficit, ideo Philosophi summum bonum in virtute posuerunt Vide, quæ scripsi moralis Christianæ to. 1. parte 1. cap. 7.

Math. 13. Negotiator inuenta vna pretiosa margarita vendit omnia quæ habet, & emit eam. Vna quippe veritas est nec in multas scinditur partes: ac veluti qui margaritam habet ipse nouit se diuitem esse, etiam si aliis ignotum nonnunquam illud sit, cum paruo in loculo margarita recondatur: sic qui veritatem euangelicam amplectuntur opulentos sese non ignorant, quamuis has opes cæteri contemnant. D. Chrys. hom. 48. in Matth. *Vide Cognitio Virtutis.* confidentia sui.

In Genesi legitur Requieuit Deus die septimo ab E omnibus operibus suis. Si diuiduas septenarium numerum in vnum & sex, erunt duo numeri perfecti. Vnitas enim in seipsa natura & potestate perfecta est. Senarius verò numerus, primus opere & actu perfectus est, & partibus suis impletur, nam vnum, duo, tria faciunt sex: significatur ergo requies diei septimi, quod Deus ante creationem mundi in seipso natura & potestate perfectus est, & æternaliter in seipso habet requiem: creaturæ vero, actu ab ipso creationis accepto habent per ipsum in suis naturis perfectionem quandam & requiem in operatione obedientiæ & maxime rationabiles creaturæ in eo bono beatæ sunt, vt in conditore suo requiescant. Alcuin. in Genes. interrog.

D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum recensitis oneribus matrimonii, concludit in vitæ solatium non esse ducendam vxorem. Sapiens, inquit, nunquam solus esse potest, Habet secum omnes qui sunt, quicunque vnquam fuerunt boni, & animum liberum quocunque vult, transfert quod corpore non potest, cogitatione complectitur. Et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo, nunquam minus solus, quam cum solus fuerit.

Muri sunt sanctiores portis ciuitatis *Vide Cognitio Differentia Repug.* non peregrinandum.

De Babylone segetes intra muros suos habente *Vide Bonitas Medij* præparatio mediorum.

Sapiens habet in se prima principia veritatis, *Vide Principium Veritatis.* lex naturæ.

Auditores Rotæ Romanæ lucrantur indulgentias stationum vrbis, visitando propriam capellam. Clement. 7. const. 13. §. 10. Bull. p. 485. to. 1

REPVGNAT
SERVITVS PECCATI.

CAin per fratricidiū amisit ius primogenituræ *Vide gloria Durationis.* primogenitura Rep. Iacob primogenitura spoliat Ruben, quia ascenderat cubile patris; Sicut aqua, inquit, effusus es ne crescas.

Quando febris inuaserit, etiam serui imperium obtinent in dominos, adest agmen mancipiorum, nullus legem agnoscit dominicam in damnum domini. D. Chrysost. homil. 13. in ep. ad Hebr.

Voluptatibus addicti eo perueniunt, vt quæ illis superuacua extiterunt, fiant necessaria. Seruiunt itaque voluptatibus, non fruuntur, flagellantur ab iis, non oblectantur; & mala sua, quod malorum est vltimum, amant. Laurent Iustinian. de continentia cap. 4.

Vt serui non sibi, idest non animo, sed dominæ imperanti sibi concupiscentiæ laborant.

Diuiti quot sunt bona, ambitioso quot dignitates tot vincula, temporalium amor est custos carceris, qui semel v ctum vix aut nunquam exire permittit, ferris, ostiis, vinculis circundat quæ facit ab eo amati, vt nulla supersit spes liberationis. D. Chrisost homil. 23. in Matth.

Cum genus humanum contentiosum sit, nullum magis oppugnat, quam elatos, arrogantes, ac inanis gloriæ seruos. Hic autem ipse qui sic affectus est quo gloriam iam acquisitam, vt putat, conseruet, quasi mancipium plurimis adulatur nonnullos præter dignitatem suam nimium colit, & quouis emptitio seruo, seruitutem seruit difficiliorem. Ibid. hom. 6.

De aulicorum seruitute *Vide Concordantia Potestatis* adulatio *& Gloria Virtutis*, secessus sapiens aulam fugiat.

Vide Voluntas Bonitatis. Rep. peccans sibi nocet.

Seruitus est constitutio iuris gentium qua quis domino alieno contra naturam subiicitur. Serui aut nascuntur, aut fiunt, Nascuntur ex ancillis, fiunt bello captiui, aut cum liber homo maior 20 annis ad pretium participandum se venundari passus est. Instit. de iure personar. Nascimur serui peccati, quia filij iræ Eph. 2 Efficimur serui peccati, cum in bello inter sensum & rationem carne contra spiritum concupiscente, ratio tur-

zed by Google

cedit sensibus & in eorum venit deditionem. A Capitur non armata vi, sed voluptatum corruptela, & eo pretio momentaneo, inperpetuũ toto vitæ tempore, durissimam se dat seruitutem, iterum, nisi pœniteat, secunda nec vnquam finienda morte plectendam. Seruus est peccator, quia videt quidem bonum virtutis & gloriæ, quod optaret, sed ne consequatur, se dicit ferreis velut cathenis præpeditum, has autem fatetur sibi fabricasse cathenas, cum libens volensque se peccatis addixit. Seruus est, quia non animo vnde censeri debet, sed corpori laborat, non sibi, sed principi, cuius fauorem pulchritudini, B cuius amorem ambit, vanitati, auaritiæ, hæredibus ingratis, tandem morti cuncta depascenti miser acquirit. Singulares peruersos actus vertit in habitum, & velut in necessitatem, vnde difficilem exitum putat impossibilem instar melancholici, qui se credit his viribus, quas habet, spoliatũ. Miserior eius seruitus est ex eo quod intelligit & laudat egregios virtutis actus, sed deiectus animus existimat se ad illos inualidum, velut seruus qui miratur quam consequi non valet domini sui fœlicem conditionem; ferè tota sæcularis vita mendacium est, timidum & seruile vitium fallit assumpta probitatis larua, fallitur C rerum mundanarum spe, voluptatibus quę desinunt in anxietates, dolores & pœnitenda. Seruus peccati fugam sæpe meditatur, sed intra cathenæ prætensæ longitudinem suus sistitur motus, hæret enim quibusdam obiectis, vnde captiua mens se non potest expedire. Durum putat naturalem libertatem, votis Religiosis, altaribus, matrimonio, licet innocenter in perpetuum addici, & tamen miserè se mancipat malis moribus: qui tollunt integritatem, tranquillitatem mentis, delent omnem futurę beatitudinis spem Peccantibus vt seruis non licet ire quò vellent, scilicet ad Dei conspectum, ad Ecclesiæ sacramenta, ad sanctorum cœtus, cum sint vnde D scelerum suorum conscientia vel infamia proscripti. Si lucida quandoque contingunt illis interualla, lugent amissas virtutis occasiones; in malum conuersa, quæ debuerant esse probitatis incentiua, & recordatio prioris in innocentia libertatis, duriorem efficit in peccato seruitutem. Vt serui quod acturi sunt, nesciunt, nec proponunt, quia non suo, sed dominantis passionis aut fortunæ ducuntur arbitrio. Cum se non putent amplius esse sui iuris, nullum cogitant mali genus, cui se non videant expositos, ad omne verò crimen parata voluntas quanto teneatur reatu quis æstimet? Hinc sæpiùs malorum extremum desperatio, vt seruis cum intra fidam fortemque sui custodiam, nulla spes libertatis affulger. *Ex principiis.* E

Alienorum factus est seruus, qui noluit esse suus. Dicit Propheta; Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.

Peccator tot ligatur funibus, quot desideriis agitur, eoque grauior seruitus quo fœlicitas amplior. Laurent. Iustin.

Græci cum ab Ecclesiæ vnione recesserunt, in seruitutis iugum lapsi sunt. Greg. 4. Const. 14. p. 90. to. 1. Bull.

VIS ET POTESTAS virtutis apud Deum.

ANtiqui Galli nunquam offerebant sacrificia, quin adesset sapiens aliquis & Philosophus, quasi ad placandum numen ipso sacrificio potentior. Diod. Sicul. lib. 6. cap. 9.

De orationis valore. Gerson. tom. 3.

De suffragiorum bono liber Petri Damiani.

Orat Moyses & vincitur Amalech. Exod. 71.

Iosue 10. præcipiens soli vt staret, dicitur stetisse, obediente Deo voci hominis.

Hebræorum astrologi dicunt præceptam fuisse Sabbathi requiem, quia eleuatione mentis in Deum votis ac sacrificiis frænatur vis malefica Saturni & martis, illud Chaldæorum confirmantes præceptum, si mentem ad pietatis opus ardentem erexeris, corpus quoque caducum seruabis. Rodigin. lib 15. cap 21.

Dicit Deus; Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, non quod sit corporeus & tantę molis, sed quod in his quorum conuersatio est in cœlis, Deus requiescit & residet, in his autẽ qui adhuc terrenũ propositũ gerunt vltima pars eius prouidentiæ inuenitur; boni fiunt sedes Dei, facti prius peritia & cõuersatione cœlestes Suscitauit nos cum Christo & simul, sedere nos fecit in cœlestibus Ephes 2. propterea cœli effecti enarrant gloria Dei, Origen. in c. 1. Genes. Homil. 1.

Vide Æqualitas Voluntatis. Mutuus Dei & hominum amor.

Scribitur irasci Deus, & comminari interitum populo, quo doceatur homo, tantum sibi esse apud Deum loci, tantumque fiduciæ, vt etiam si sit aliqua in Deo indignatio, obsecrationibus mitigetur humanis, tantumque de eo impetrare posse hominem vt & propria statuta conuertat. Idem. Homil. 8. super Numeros.

Oratio Petrum è vinculis exemit: Pauli os aperuit, vnde qui ad spirituales dignitates veniunt, hoc suffragium exposcunt, &c. D. Chrysost. Hom. 18. in 2. ad Corinth.

Orationes congregatæ fidelium multitudinis sunt potentiores apud Deum. *Vide Concordantia Virtutis.* Congregatio bonorum ex D. Chrysost.

Moyses tenebat Deum ne perderet populum Hebræorum in peccato vituli, non vi, sed orationibus. Tostat. Exod. to. 2. fo. 121.

Maximus Tyrius serm. 30. quęrit an sit orandus Deus, aut enim, inquit, qui rogat dignus est quod petit accipere, aut omnino indignus. Si dignus est, accipiet etiam non precatus; sin indignus, ne precatus quidem accipiet. Dignus à precando abstinens minime molestus cum sit, fiet etiam dignior, verecundia & fiducia plenus, quæ precamur, aut prouidentia Dei perficit, aut necessitas fati aut hominis ars, aut fortunæ fluxus; in his sine prece, aut succedent aut non, quæ pendent à Deo & fato, quia sunt in bonum vniuersi, cui partes seruiunt & si singulorum Deus curam agat, vt medicus sanare volens non audiet ægrum secari & potionem sumere detrectantem. Concludit externa non esse petenda, orationes Philosophorum fuisse colloquia quædam cum Deo, à quo accipiebant tranquillitatem viuendi, irreprehensibilem vitam, mira dona & digna quæ tribuantur à Deo.

Deus

Deus vult ipsum oremus. *Vide Voluntas Bonitatis.*

Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Psal. 144. *Vide Gloria Medij.* Honor ministri.

Amor erga Deum quod appetit consequi, impetrare non trepidat, nam eadem obtinere sperat, quę est paratus impendere Laurent Iustin dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius, &c.

Sint orationes pugnantium, & quiescentium diuersæ. *Vide Differentia Virtutis.*

Ob amorem fidemque sororum lugentium, quatriduanum in monumento Lazarum Christus suscitauit Id de animæ interitu. cap. 1.

Orante Moyse deletur Amalech, oratione Iosue sistit cursum solis, Anna impetrauit filium, Iudith victoriam de Holopherne; Hester de Aman. Ezechias vitæ prolongationem; Helias suscitat puerum mortuum, tres pueri illæsi manent in fornace, &c. denique Christus dicit, Qidquid orantes petitis; credite & accipietis. Id. Opusc. de perf. gradib cap. 11.

Deus malis sæpius parcit propter bonos in quorum sunt societate, & vide. 1. tomo hoc tit. Nam boni omnes homines etiam malos diligunt, naturalis, ciuilis etiam societatis, & quod præcipuum est dilatatæ charitatis vinculo, in deteriora labentibus compatiuntur, spes conuersionis non abiiciunt, non desperant de persecutoribus futuros exemplo Pauli Euangelicæ veritatis professores, quidquid sit, pro his quos caritate complectuntur, orant; ideo misericors Deus sanctis iam ex culpâ peccantium afflictis, non congerit ex eorum deletione nouas afflictiones. Fit hic quædam bonitatis cum iustitia compensatio; sicut enim interdum boni cum malis conteruntur, communi mortalitatis sorte, eiusdem nauis qua feruntur naufragio, sic bonis indulget, vt eorum contemplatione mali à debitis sibi pœnis eximantur. *Vide Æqualitas Minoritatis.*

Iuxta Gangem Bracmanæ Philosophi abstinentissimi solo farinæ aluntur cibo. Cum Rex ad eos venerit, adorare illos solitus est, pacemque suæ prouinciæ in illorum precibus arbitratur sitam. D. Hieron. lib. 2. aduersus Iouinianum.

Angeli per deuotas à Deum preces, potius quam per curiosas inspectiones, vel obseruationes constellationum possunt conciliari, vt nobis opem præstent, vnde dicitur, Sancti per fidem vicerunt regna Gerson in trilogio Astrologiæ Theologisatæ propos. 20.

SANCTIS CREATURÆ seruiunt & obsequuntur.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Antiqui nouique Testamenti passim docet historia creaturas conditione sua sensu vel ratione carentes, his velut præditas sanctis fideliter obsequia præstitisse, relictis etiam sibi propriis & innatis agendi modis. Id testantur à Moyse, Gedeone, sanctis Martyribus crebro facta miracula, quæ sicut naturæ potentias, sic hostiles prius animos traxerunt in veritatis deditionem. Antiquum ius est primi hominis innocentiæ concessum creaturis dominari. Hoc autem occasione peccati reuocatum, diuina misericordia sanctis in nouum hominem reformatis, iterato beneficio concessit.

MAGNITVDO. Magnum est in tanto mortalium numero peccati pœnas luentium, sub dura continuaque corporalium seruitute, aliquos cœlesti priuilegio fieri tales, qui soliditatem aquis, igni lucis pulchritudinem vstione sublata, feris mansuetudinem, mari tranquillos motus, ægris sanitatem, mortuis vitam imperent, & restituant. Totum se sanctus deuouit Deo; totum etiam quod petit, obtinet ab infinita bonitate, quæ se non patitur à creatura sua doni magnitudine superari.

DVRATIO. Tempus iam præludit æternitati, cum consummata fœlicitate beatorum, nulla nocebit illis, sed plaudet, obsequetur, in Dei laudem concinet, omnis creaturarum actiuitas. Ideo Christus Dominus vocat Ecclesiam regnum cœlorum, propter anticipatum hoc ius beatitudinis, prout occasio tulerit, sanctis concessum.

POTESTAS. Fidelem Dei seruum ex eo celebrant diuinæ scripturæ, quod intret in potentias domini sui, summas, illimitatas, creatis omnibus, indita sibi lege paratis in obsequium. Ita breuis certaque nobis aperitur ad Dominum via per sanctitatem, huic patent omnes creaturæ; hanc genu flexo reges adorant, depositis velut ante thronum Agni coronis, vt sic in persona omnibus dominante dominetur omnibus, eo quod omnes optant, nullus assequitur, amoris & venerationis imperio.

COGNITIO. Pro fundamento sanctitas habet humilitatē quæ latere vult solis oculis Dei contenta, & quibus solis cupit placere; sed non expedit lucernam poni sub modio, lumen mundi ad hominum vtilitatem in Ecclesiæ cœlo positum non videri. Emicat igitur Deo sic disponente, crebris, vt occasio tulerit, miraculis. Facti nouitas conuocat omnes in religiosum spectaculum, diuinæ Potentiæ, sanctitati concessę, omnes sic acceptam Deo, & in sanctis colunt eminentem, & sibi proponunt, quantum licebit imitandam.

VOLVNTAS. Pugnabat sancti cum humilitate charitas, cum vna latere, alia diffundi velit, hic vtrasque conciliat prouidentia, nam licet exposita sit sanctitas, suo tamen sensu latet, & vt totum quod mirantur homines refundit in Dei bonitatem, maxima per minima solitam operari, idem putat ab aliis fieri iudicium; interim gaudet videns effusos in Dei laudes populos & sua velut charitatis scintilla, sacrum hunc ignem, latè sicut Christus Dominus optauerat, accendi.

VIRTVS. Ad imitationem Christi sancta mortificatio, sensus, passiones, motus omnes inordinatos rationi rebelles diuinæ legi perfectissimè subiecit. Huic exhibitæ Deo fidelitati plaudunt irrationales creaturæ, & quæ non possunt per se gratias agere Deo, sed tantum per hominem, ipsi hoc munere diligenter fungenti gratulabundæ, sua modis insolitis exhibent ministeria, & supra solitas naturæ leges, Deo seruienti, seruiunt.

VERITAS Ad hoc officium prouocat illas rectrix intelligentia, sic implens toties factas hominibus à Deo promissiones, petite & accipietis; & Math. 17. Si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis &c Sic Apostoli prædicationē suā miraculis confirmante

fidem populorum promeruerunt, æquum enim, A vt docentis authoritate cedat ratio, sicut in testimonium cedit natura.

GLORIA. Christus se fideliter sequentibus promisit centuplum in hoc & alio sæculo. Plusquam centuplum sanctus accipit, qui pro singulari sensus sui mortificatione videt omnes creaturas sibi subiectas, pro humilitate latebras affectante splendorem virtutis, magistratibus, regibus, superiorem authoritatem. Insensibilibus autem vt cœlis inest insitus appetitus enarrandi gloriã Dei, & cum id magis assequantur apud homines, insolito procedendi modo, si sanctus amicus Dei iubeat à consuetis sibi legibus facile discedunt.

DIFFERENTIA. Ad obsequium natæ sunt, B sic illas ad diuersos vsus humanæ vitæ detorquent artes, & quidquid obstent, operantium ideis subiectas assiduus efficit labor. At cum Dei voluntatem Angelo tutori nota sanctitas denuntiat, momento parent omni dispositione prætermissa, nec enim fugæ vel dilationi locus est, cum vrget omnipotentis imperium.

CONCORDANTIA. Si res inanimatæ Dei magnitudinem non intelligunt, eam tamen intelligentia sua duce, laudant, actu quo prædita, & etiam supra conditionis suæ legem accedunt ministrantque suum authorem laudanti sanctitati. C

CONTRARIETATIS. Cum sint igitur ad Dei gloriam institutæ creaturę, vim patiuntur, & humanis conatibus quantum conceditur resistunt, dum ad malos aut communes vsus applicantur, at vltrò ruunt in obsequium velut sibi magis naturale, licet insolitum, nulla in contrarium nitente vi, si sanctitas id ex parte Dei præcipiat.

PRINCIPIVM. Vnicuique rei facilis est ad suum principium reditus. Ita natæ res vt innocenti parerent homini, huic libenter obsequuntur cum affulget innocentia, non primitiua tantum, sed hominis Dei splendidiori charactere insignita. Præferunt sancti diuini verbi per quod D omnia facta sunt, imaginem, etiam humanizati consanguinitatem; qua fit vt ipsis sicut filiis Dei competat ius in res creatas, cum agitur de patris æterni gloria.

MEDIVM. Vocat Deus ea quæ non sunt vt ea quæ sunt; res quælibet aptum est instrumentum opifici maximo, qui nulla cum voluerit, eget. Induit igitur aqua terræ soliditatem, ignis innocentes zephyri flatus, roris delicias, blandietur Leo, velut canis domesticus, cum Dei dilectique sui causa versatur.

FINIS. Tunc creaturæ non agendo solitis naturæ suæ modis finem suum fœlicius assequuntur, quia potentiæ suæ naturalis interdictum, apertè vertitur in Dei gloriam, cuius causa sunt conditæ; tacendo prædicant, quiescendo promouent creatoris potentiam, illiusque multos simul efficiunt cultores & præcones. E

MAIORITAS. Iure naturali limitata est cuiuslibet rei potestas, fit autem vniuersalis & illimitata sub sanctitatis imperio; vnde quæ sic cadunt ab actione fœliciter exaltantur. Non est timendum ne abutantur sancti hoc iure sibi concesso, cum voluntatem suam habeant diuinæ conformem, ex se nihil audentem, nihil mouentem, splendorem ex miraculis humiliter fugientem.

ÆQVALITAS. Christianæ militiæ tyrocinium fuit corporalia menti subijcere. Sic est æquissimum victa victori mancipari & in posterum seruire; velut initis conditionibus quales inter Dauid & Goliath, vt victi tota gens, victoris genti subijceretur. Ita sanctus superatam in se naturam corpoream, totam deinceps habet sibi obsequentem. Vident, suspiciunt venerantur omnes in hoc præsidentem rebus humanis diuinam prouidentiam, & sensibili demonstratione conuicta silet impietas.

MINORITAS. Diximus in iure naturali, spiritualia dominari corporeis; sic intelligentiæ cœlis & singulis rerum speciebus præsident; humani corporis artifex & rector est spiritus, subtilis vapor incorporeis proximus. Exuunt sancti quantum licet naturam corpoream perfecta rerum sensibilium abdicatione, cum sint igitur in naturam Angelicam quodammodo translati, mirum non est si dominentur corporeis, quibus seruiunt, dum possidere videntur, diuites. O fœlicior potentiorque regum titulis & thesauris sanctitas, omnipotentis Dei summo iure donata.

Sumus adoptiui filii Dei, at adoptati habent idem ius in bonis adoptantis, ac filii sui & legitimi, & quasi liberis, liberti debet honorem. Cuiac. Obser. lib. 7. cap. 1. vt Christo, ita sanctis obediunt creaturæ.

De miraculis in testimonium veritatis factis. Vide *Maiestas Potestatis*, Miracula, Et *Gloria Veritatis*. Victrix veritas.

ECCLESIÆ DIVITIÆ.

SIcut olim Leuitæ in singulis tribubus ciuitates habebant ad habitandum, licet decimis d tarentur. Nu. 35. Sic Ecclesiæ à primis temporibus possessiones habuisse probant Pii & Vrbani I. epistolæ, & edicta Imperatorum, quibus iubetur, tales possessiones ab hostibus Christiani nominis occupatas Ecclesiis restitui. Vide Baron. an. Chr. 57. num. 82.

Tom. 2. Concilior. an. 324. habetur donatio facta Romani Imperii Syluestro Papæ à Constantino Imperatore, & ab eo tempore nullus Imperatorum Romanam ciuitatem habitauit, velut summo Ecclesię capiti destinata.

Pudet dicere, sacerdotes idolorum, mimi & aurigæ, & scorta hæreditates capiunt, solis clericis & Monachis hoc lege prohibetur, & prohibetur non à persecutoribus, sed à principibus Christianis, nec de lege conqueror, sed doleo quod meruerimus hanc legem. D. Hieron. epist. ad Nepotian.

Postquam Ecclesia venit ad Christianos principes, potentia quidem & diuitiis maior, sed virtutibus minor facta est. Id. in vita Malchi.

Christus permittit corpus suum vngi pretioso vnguento: duo corpora habet Christus, vnum quod suscepit in virgine, alterum Ecclesię, quod charius habet benignitas redimentis, denique illud pro isto exposuit morti & cruciatibus. Petrus Damiani serm. 29.

Leuitis separantur 48. ciuitates ad habitandum, Iosue. 20. sed illis postea multo plures obtigerunt. 1. par. 6. In terra sancta 380. vrbes: quarum plusquam tertia pars erat de iure & patrimonio Ecclesię Mosaicæ, vltra decimas, primitias & spontaneas oblationes. Genebra. m. 2709.

Gen. 30. Iacob dicit Laban, Modicum habuisti,

& nunc diues factus es ad introitum meum; iustum igitur est, vt aliquando prouideas etiam domui meę. Per Christum abundantia omnis gratiæ spiritualis & temporalis peruenit ad Reges & populos, destructa scilicet idololatria & tyrannide. Iustum igitur Christum aliquando prouidere domui suę, idest de Regum palatiis, de principum thesauris, ac prædiis suas Ecclesias ditare, vt esset vnde haberet sufficientiam in sumptus necessarios altario seruientium, in vsus pauperum ac peregrinorum, in restaurationes Ecclesiarum, vel cœmeteriorum. Rupert. in Genes lib. 7. c. 37. A

Fuit maledictio in tribu Leui quod nihil habuerit proprium. *Vide Maioritas Contrarietatis*. Nimia sæuitia. B

Vnicuique Deo aliquot agri iugera assignabant, è quorum locatione sumptus fiebant in sacrificiis, vt certò constaret vnde fierent, nec penderent à mutabili hominum liberalitate. Suidas in voce *ἀπεμισθωμάτων*.

Apud Iudæos summus Pontifex debebat esse omnium sapientissimus & ditissimus; quod si opibus careret, colligebantur pecuniæ à sacerdotibus & illi conferebantur, itaut ditissimus omniũ fieret. Ioseph. Voisin de lege diuina. cap. 11.

Leuit. 23. Iubet Deus in Templo lucernas accendi per pontificem, & earum lumen ministrari ex oleo quod datur à populo. Itaque nisi dederit oleum populus, extinguetur lucerna, & non erit lumen in sanctis. C

Lex Dei Sacerdotibus & Leuitis commissa est, sed interim vt ei vacare possint sine sollicitudine, laïcorum vti ministeriis debent. Si enim laïcus, quæ necessaria sunt non præbuerit Sacerdotibus & Leuitis, occupati in talibus corporalibus curis, minus legi Dei vacabunt. Illis autem non vacantibus, neque operam dantibus legi Dei, tu periclitaris; obscurabitur enim lux scientiæ quę in illis est, te non subministrante oleum lucernæ, & cæcus cæcum ducet, & si lux quæ in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Origen. homil. 17. super Iosue.

Ecclesiæ seruientium bona debent esse moderata. *Vide Veritas Bonitatis*. Beneficium gratuitum, saltem nimiam non exigens remunerationẽ. D

Qui altari deseruiunt, ex altari participant. 1. Cor. 9. Non dixit, accipiunt à sacrificantibus, sed de altari participant. Nam quæ sunt oblata, non sunt amplius eorum qui obtulerunt, sed sacra & altaris. D. Chrys. hom. 22. in 1. ad Corinth.

De magnifica supellectile templorum. *Vide Gloria Medij*.

Proprium obiectum sanguinis est in spiritum vitalem traduci: temporalia verti debent in spiritualia.

Alienatio bonorum tantum maioris Ecclesiæ Constantinopolitanæ inhibita primum fuit constitutione Leonis I. iubemus 2. de sacros Eccles. deinde porrecta constitutio fuit ad omnes Ecclesias quæ erant sub Patriarcha Constantin; & hinc ad omnes. Cuiac. in nouel. 7. de Ecclesiasticis bonis. E

Aaron bibit ex cineribus vituli aurei combusti, & non apparuerunt in eo signa sceleris vt in aliis, Tostat. in Exod. sacerdotes manducant reditus ex peccatis populi collectis, qui non nocent si benè dispensentur.

Summus sacerdos veteris testamenti sumebat vxorem de tribu Regia de filiabus Regum; eoque nullus erat ditior in Israel præter Regem Tostat. Matth. to. 6. 108. & 111. Nam sumebat decimam partem decimarum Leuitarum, sic centesimam partem omnium fructuum totius Israel. Id. num. to. 1. fo 257.

Dum creuit Ecclesia, maioribus indiguit auxiliis. *Vide Maioritas Medii*. Bona.

Christus non instituit primitiuam Ecclesiam diuitem, nec prælatos diuites, quia vocabat ad paupertatem; quæ facilius disponebat ad martyrium, abdicatis terrenis persecutionem auxissent diuitiæ, cum maior fuisset eas rapiendi cupiditas in gentilibus, & maior difficultas eas relinquendi in Christianis. Idem. Matth to. 5. fo. 201.

Relinquentibus omnia propter Christum, promittitur centuplum in hoc & alio sæculo; qui Ecclesiam fundarunt Apostoli, & in primitiua Ecclesia Episcopi, voluntariam paupertatem accepere, nunc Ecclesia fruitur centuplo illis promisso. Iustinus Martyr. q. 110. ad orthodoxos.

Iouis ac Veneris constitutio, ex sacerdotio diuitias præstat, & fixæ de eorum natura. Cardan. Aph. sect. 6. Aph. 46.

Constantinus inuexit diuitias in Ecclesiam, & sic eam corrupit. *Vide Maioritas Gloria*. Nimia quies, sub finem.

Sunt clerici qui possident opes sub Christo paupere. Vide infra do recta dispensatione.

VIS ET IMPERIVM Religionis & immunitas.

Episcopis debent Reges assurgere. Can. solitæ de maio. & obed.

Tribus Leuitica erat omnium minor, tanquam cæteris imperitans, decet enim eos qui præsunt subditis esse potiores. Theodoret. in Num. 42.

De Christi regno & dominio. Bernard. quadrag. 1. serm. 34.

De Ecclesiastica potestate. Gerson. to. 1.

De legis Ecclesiasticæ potestate. Gregor. Valent. contr. sect. 6.

De legibus diuinis. Cicero. 2. de legib.

De sacerdotii iure. Agobard. Bibl. Patr. to. 9.

In veteri lege quia promittebantur bona temporalia à Deo, religioso populo exhibenda, sacerdotes regibus erant subiecti; sed in noua lege est sacerdotium altius, per quod homines traducuntur ad bona cœlestia, vnde in lege Christi, Reges debent sacerdotibus esse subiecti; vnde præsagio quodam, Romæ vbi futura erat præcipua Ecclesię sedes, sacris imperia seruierunt, vt refert Valerius Maximus, & in Gallia vbi maximè vigere debebat Christiana Religio: sacerdotes, qui Druidæ vocabantur, summum habebant ius. D. Thomas lib. 1. de regimine principum cap. vlt.

Cardinalis Bertrandus Bibl. Patr. to. 3. v. ed. scripsit librum de vsu iurisdictionum, in quo probat Christianos omnes esse subditos Ecclesiæ: ex illo Matth. 18. dic Ecclesiæ, & dictum Petro, quodcumque legaueris, &c. vnde concludit Ecclesiam habere iurisdictionem super omnes actiones personales in quantũ sunt peccata & deuiant à debito fine. Sicut medicus iudicat de his quæ impediunt sanctitatem, itaut in optione actoris sit, euocare ad quod voluerit tribunal. Iurisdictio à Christo instituta & data Ecclesiæ, respicit finem vltimum, scilicet acquisitionem beatitudinis, cuius autem est iudicare de fine, eius etiam est iudicare de his quæ sunt ad finem.

Verbum incarnatum est rex mundi propter crea-

ionem & excellentiam naturæ *Vide Cognitio Potestatis* sapientia regentis.

Math. 28. dicit Christus, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

Postquam dixit Deus, Faciamus hominē ad imaginem & similitudinem nostram, statim subiungit, & præsit volatilibus cœli, &c, præsint igitur natura homines iumentis; ipsis autem hominibus gratia præsint homines Dei, filii Dei. 1 Ioa. 3. nam cæteri cum in honore essent, non intelligentes, comparantur iumentis insipientibus psal. 48. *Vide Virtus Potestas.*

Arca intus & foris deaurata, etiam corona aurea supra circumdatur. Exod. 25.

Religio imperat etiam ope eorum qui ipsam diligunt *Vide Concordantia Potestatis.* Religionis & B politiæ consensus.

De fori priuilegio. *Vide Differentia Principij.*

Ad imperium Religionis pertinet, quod Christiani non possunt esse serui Iudæorum. dist. 54. c. præsenti constitutione. Et quod Iudæi aut hæretici non possunt esse iudices Christianorum. *Vide Virtus Medij.* probi ministri.

Tonsura sacerdotalis & Monachalis in modum coronæ significat Regale Christi sacerdotium. 1. Pet. 2. Isidor de Eccl. officiis l. 2. c. 4.

Romulus Capitolium condidit, in quo Palladium asseruabatur futurum caput vrbis. Suidas in voce Capitolium.

Leontius Tripolis Lydiæ episcopus cum omnes C alij Episcopi, Eusebiæ Constantij vxori adularentur, & eam adorarent; vocatus Leontius noluit ad illam ire nisi promitteret debitam Episcopis reuerentiam exhibituram, vt eo ingrediente ipsa de solio suo descenderet, ipso sedente ipsa staret, caput manibus supponeret, benedictionem acceptura, ipsa stet, donec signo dato sedeat, Ita fregit insolentiam seruata Episcopali dignitate. Idem in voce Leontius.

Clerici Laïcis habentur digniores. can. beatus 6. q. 1. hi illis non debent imperare cap. Ecclesia 7. de constitut. cap. fin. de reb. Eccles. non aliena; nec violentiam inferre ni excommunicari ipso iure velint. can. si quis suadente 7. q. 4. cap. D tua nos de sent. excommun. Laicis fidelitatis iuramentum præstare non tenentur nisi ab ipsis temporalia habeant. cap. nimis 30. de iureiur. A muneribus personalibus sunt immunes. can. episcopus dist. 88. can. 20. & 40. 16. q. 1.

Benedictio quæ ab Isaac data est Iacob præ Esau nihil aliud fuit quam prærogatiua sacerdotij & consecratio propter quam fratres ipsi subiciebantur Bolduc de Ecclesia ante legem lib. 2. cap. 3.

Tribunal Ecclesiasticum non necat personam, sed vitium, & per salutarem pœnitentiam ad meliora reuocat; effecit diuitiarum, voluptatum, vanitatum, mortis denique contemptores, docuit solitudinem, philosophiæ matrem, paupertatem, virginitatem, &c. D. Chrysost. hom. 15. in E 2. ad Corinth.

Episcopi non sunt magistratus sed consultores. *Vide Medium Concordantia.* arbiter.

Ideo mulier fidelis non debet nubere infideli, *Vide Concordantia Differentiæ Mala.* ne sit in contumeliam religionis sic subiici.

Moyses maior erat quam Aaron in temporalibus, contra vero in spiritualibus Tostat. Leuit. fo. 76.

Sacerdotum status in veteri Testamento non erat excellentior statu regali, sed sacerdotes iudica- A bantur per Reges Id. Iosue. to. 2. fo. 78.

Vide Medium Gloria. templi asylum.

Saturnus & Mars, iuxta Iouem aut Venerem, parum fiunt hebetiores. Card. amor & Religio præualent.

Impp Theodos. & Valentin. l. vlt Cod. de Iudæis: Sācimus inquiunt, neminem Iudæorum, quibus omnes administrationes & dignitates interdictæ sunt, deffensoris ciuitatis fungi officio, nec patriæ honorem accipere, ne officij authoritate muniti, insultent Christianis & Religionis Antistitibus.

Ecclesiastici tenentur seruare leges ciuiles omnibus communes, si non derogent priuilegiis Ecclesiasticis, vt non vendendi frumentum carius, non ferendi arma, non communicandi cum hostibus &c. tum quia sunt ciues, tum quia ad talium legum obseruationem obligantur virtute canonum. Suarez de legib. lib. 3. cap. 34.

Mulier quæ describitur in Apocal. amicta sole, habens lunam sub pedibus significat Ecclesiam vi diuina circumfusam, mortalia omnia dirigentem ad finem supernaturalem.

Christiani Iudæis famulari prohibiti sunt. Paulus 4. const. 3. §. 4. Bull. p. 589 to. 1. Non possunt habere Iudæi nutrices Christianas. Inno. 4. const. 2 p. 64 to. 1.

Milites hospitandi onus abstulit quibuscumque monasteriis & locis piis. Pius V. const. 148. p. 270. to. 2.

Mulieres cum statum subiectionis habeant, sacramentum ordinis nequaquam suscipere possunt. D. Thom. supl. q. 39. a. 1.

COLLATIO ECCLESIAsticorum in necessitate publica.

IN necessitate publica debent Ecclesiastici de suo conferre, quia hi qui bona immobilia illis dederunt, non potuerunt illa eximere ab essentiali onere, publicis necessitatib. debito.

Omnium bonorum temporalium regimen ad publicam commoditatem primò debet referri. Vnde Hugo de S. Victore in lib. de sacramentis loquens de ecclesiasticis possessionibus, dicit, ipsas possessiones nunquam à regia potestate posse elongari; quoniam si ratio postulauerit, & necessitas, debent obsequium potestati, quæ semper debet talibus necessitatibus auxiliū ferre, & sicut ipsa nunquam eximitur ab hoc officio, ita nec possessiones ab auxilio &c. Cardin. de Cusa de concordantia catholica lib. 3. cap. 39.

Bonifacius octauus, licet sibi voluerit arrogare summum ius in temporalia regum, cōcedit tamen illis vrgente necessitate ab Ecclesiasticis auxilium accipere. cap. clericis laicos de immu. Eccles. in 6.

Quis feret clericos ex deuotione principum dotatos, tanquam partes suo vniuerso non respondentes; velut inutilia membra, capiti suo, debita subsidia denegare. Reuocantur donationes titulo aut extremæ necessitatis, aut ingratitudinis tot tit. de reuocand. donatio.

In Hispania Rex tertiam partem redituum Ecclesiasticorum percipit, ex concessione summorum Pontificum, vt possit infidelibus bellum inferre.

Rex Portugaliæ percipit omnes fructuum & redituum decimas in India, tanquam Præfectus ordinis Christi, *grand maistre* ipse autem Ca-

Digitized by Google

ratis, Canonicis, & cæteris, dat pensiones congruas.

Pecuniam Ecclesiasticam sub precario & censu in subsidium exercitus præstita est sub Carlomanno, & confirmatum in Concilio Leptinensi. can. 2 an 743

Ecclesiis non fuisse olim immunes à publicis collationibus certissimum est. Nou. 37.

Reges possunt de licentia Prælatorum accipere de thesauris Ecclesiæ in extrema necessitate, cum cautione tamen ea Ecclesiæ restituendi Tostat 4. reg. fo. 182.

Vide Virtus Medij. Repug. quando licet vti malo medio sub finem, ex Seneca.

BONORVM ECCLESIAsticorum recta dispensatio.

DE Ecclesiasticæ rei dispensatione contra sacrilegos, Biblioth Patr. tom. 9.

De Ecclesiastici & politici regiminis comparatione Bibl. Pat t. 9.

Res Ecclesiæ non sunt cuiusquam Prælati aut clerici, nec delictum ipsius Prælati in damnum Eccles. ea propter redundare potest Card. de Cusa. de concordantia catholica. lib. 3. cap. 31.

Aedificaut domos per Ecclesiæ gemẽtis ruinas, quo vis non irrumpit, technæ penetrant; & illicitis modis obtinetur, quod iniquioribus profunditur mira in Christi pane suauitas, quẽ paruuli de lacte, senes pene de tumulo querunt, præda tam pinguis sæpius est vnius ludicri præmium: Regum pietas hæc interdum indulget nobilibus, in splendorem, siue tutelam Ecclesiæ. & vt iam diuites suo patrimonio non vsurpent, sed augeant illud quod est pauperum. In cæteris indignum est, nundinari homines de sanguine crucifixi.

Petrus Damiani opus. 20. conqueritur; quod cum Episcopus debeat esse dispensator pauperum, ad eorum mensam affluentibus deliciis, alieni ructant, cum & illi quorum est tota substantia procul exclusi, famis inedia contabescant.

Idem lib. 4. ep. 12. arguit Episcopum bona Ecclesiæ alienãtem, quod Victor 2. in Cõcilio Florentino sub anathematis censura prohibuit, bona enim Ecclesiæ sunt pauperum patrimonium, Vnde si damnatur qui vnum hominẽ perimit ferro, qua sententia dignus erit, qui bona Ecclesiæ profligando, quamplures interficit inopiæ gladio, quorum sanguis clamat ad Deum de terra Gen. 4. si meretur indulgentiam qui dat Ecclesiis, quantum obnoxius qui rapit, & sine sanguinis effusione multiplicis homicidij reus est, plures pauperes, viduas fame necando.

Idem. opus. 1. Monet Abbatem non profligere bona monasterij; si enim ditantium Ecclesiæ peccata soluuntur, minuentes & dilapidantes sacrilegij vinculis innectuntur.

Idem opus. 31, cap. 6. luget luxum Ecclesiasticorum, vnde per Esaiam cap. 57. Dominus dicit. Nunquid super his non indignabor. vt scilicet interiori exteriorem præponant ornatum, & sic Ecclesia in viri sui thoro adulterum introducat.

Non sunt nec cogendi nec inducendi fideles ad res suas dandas Ecclesiæ, iuxta illud, Voluntarie sacrificabo tibi ps. 53. & illud Exo. 35. omnis populus mente deuota obtulerunt donaria Domino. Ecclesia vero sancta non solum fideles spoliare non debet; quin potius inopibus opem ferre; vt debiles, pauperes, viduæ, orphani, & cæteri necessitatem patientes, a S. Ecclesia, vt puta à pia matre, & omnium gubernatrice subsidium accipiant: quia res Ecclesiæ, quibus Episcopi, non vt proprius, sed vt commendatitiis vti debent, pretia sunt peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi viuentium Concil. Cabilonense. 21. cap. 6.

S. Paulinus. S. Hilarius, & alii sancti Pontifice, proprias possessiones perfectionis amore reliquerunt, & tamen Ecclesiæ facultates habuerunt, non vt possessores, sed vt procuratores, scientes nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vindicauerunt in vsus suos vt proprias; sed vt commendatas pauperibus diuiserunt. Prosper de vita contemplat. lib. 2 cap. 9.

Hæc eadem fusius repetuntur in Conc. Aquisgranensi ca. 11. vbi additur illud ex B. Hieronymo super Mathæ Omnes qui stipe templi, & his quæ conferuntur ad vsus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum & sacerdotum, redimentium mendacium, & Saluatoris sanguinem.

Prosper loco citato dicit; Conuenit pastoribus Ecclesiarum, res Ecclesiæ possidere non ab his possideri: possidere autem non sibi sed aliis, & non ad suam, sed ad Dei gloriam; & fidelium commoditatem si res Ecclesiæ, eo modo quo dispensandę sunt, dispensentur; nimiæ non sunt. citatur in Concilio Parisiensi VI c. 18 a. 829.

Leuit. 5 qui subtraxit aliquid de rebus sanctis & his quæ in vsum sanctorum oblata sunt, reddet quintuplum & immolabit arietem Origen. homil. 3. in Leuit.

Qui considerat in multis Ecclesiis talium Christianorum peccata, qui arbitrantur quęstum esse pietatem, & cum deberent de Euangelio viuere secundum quod viuere decet seruos Dei, hoc non faciunt sed diuitias & multas possessiones acquirunt, nonne decet speluncam latronum factum esse sub illis Ecclesiam. Id. tract. 15 in Matth. qui Ecclesiasticas pecunias nõ secundũ iustitiã dispensant, & diuites fiunt de rebus pauperũ, ipsi sunt nũmularij mensas habentes quas Christus euertit. Ib.

B. Chrysost. hom. 10. in 1. ad Corinth. dicit Et nos & omnia quæ nostris seruiunt vsibus ad Deum pertinere dispensatores enim sumus: vnde Inuehitur in eos qui dicunt ego de meis consumo, meis fruor, tibi datã erant vt in seruos distribueres, fiunt tua quæ sunt aliena. si in alios insumpseris, sin autem in teipsum profuse insumpseris, quæ tua sunt fiunt aliena: nam quoniam eis vsus es crudeliter, & dicis æquum esse vt eis solum ad tuas fruaris delitias; propterea ea dico aliena. Tria enim sunt etiam conseruotum communia, sicut sol est communis, terra, aer: quemadmodum in corpore est & totius corporis, & vniuscuiusque membri ministerium: quando autem fuerit vnius solius membri, etiam propriam perdit operationem; alimentum corporis quod est commune datum membris, si ad vnum venerit membrum, nec illi nec aliis prodest; non dicit vẽter, quoniam accepi, debeo totum detinere, neque ergo hoc dicas in pecuniis, eius enim quæ accipit, est impertiri: oculus totam accipit lucem sed ea totum corpus dirigit; Nares acceptum odorem communicant cerebro, & his totum homi-

pem recreant; pedes soli ingrediuntur, sed non se solum transferunt, sed etiam totum corpus. A Si nemini des, & à nemine accipias, totum euertis humanæ vitæ commercium, &c. D. Chrysost. d. loco. Multo magis hæc dicenda sunt de distributione bonorum Ecclesiasticorum quę nascente Ecclesia fuerunt communia, & quorum maxima pars iure canonico assignatur pauperibus, velut eorum patrimonium à fundatoribus illis relictum.

Ibidem. Hom. 21. Respondet his qui dicebant magnas Ecclesię diuitias sufficere alendis pauperibus. Cum videris, inquit, facultatum magnitudinem, cogita inscriptorum pauperum greges, ægrotantium multitudinem, innumerabilium expensarum occasionem, videbis sumptus non esse B minores prouentibus; sed etiam aliquando maiores. Sed cur impositam tibi obligationem in alium reiicis; vestrum erit respondere Christo dicenti Math. 25. Esuriui & nō dedistis mihi mãducare, &c.

Bonorum Ecclesiasticorum clerici non sunt verè domini, sed dispensatores, secundum illud. 1. Corinth. 7. dispensatio mihi credita est: pertinet autem ad dispensatorem vt fideliter distribuat ea quæ eius dispensationi committuntur, secundum illud 1. Cor. 4. Hic iam quęritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. In his ergò potest dupliciter peccatum cõtingere. Vno modo ex conditione ipsius rei, dum scilicet vsurpat sibi quasi rem propriam, & in vsus suos conuertit, id quod esset alii erogandũ in alio modo ex inordiato vsu C eorum quæ in partem suam cedunt. D. Thom. quodlib. 6. a. 12.

Nou. 6. de Episc. & clericis, pręcipit Iustinian. vt Episcopus creetur cœlebs & orbus, idest, neque vxorem neque liberos habeat, ne affectu vxoris aut liberorum diripiat Episcopus Ecclesiæ facultates. Cuiac. in expos. eius. Nou.

Debent saltem superflua, pauperibus, quæ autem sint verè superflua boni viri arbitrio & bona fide sunt æstimanda, non enim debet profundere & lapidare bona fideicommissi. Nouella 59.

Moyses irridebat sacrificia gentilia, dicens. Deut. 32. Vbi sunt Dii eorum in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & D bibebant vinum libaminum; & ex præcepto ipsi cremare debebant adipes vt meliores animantis partes. Tostat. Gen. fo. 71. Indignũ est & gentiliũ Ecclesiasticos reditus in vitæ delitias conuertere.

Math. c. 13. Christus multiplicatis panibus in deserto, prius voluit turbas satiari, quam Apostoli reliquias colligerent, & ipsas haberent in cibum. Nunc turbis populorum famelicis, soli Clerici secura gaudent rerum omnium abundantia.

Decimæ debent immediate dari clericis, & de his clerici debent dare pauperibus sustentationem; cum omne quod clericorũ est, pauperum sit. 16. q. 1. can. quoniam quidquid. Tost. Math. to. 6. fo. 221. E

De legitima bonorum Ecclesiasticorum dispensatione. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in humanis, parte 1. cap. 17.

Contra malos Ecclesiasticos pauperum facultates rapientes & sibi appropiantes, multa apud Laur. Iustinian. lib. de casto connubio Verbi & animæ cap. 20.

Prædo ex eo die quo rem alienam inuasit, fructus præstat, non tantum quos vel inhoneste percipit, sed & quos verus possessor honestè percipere potuit. l. 1. §. ex die. ff. vnde vi. Cuiac. Obseru. lib. 5. cap. 12. Videatur qualiter sancti vsi sint bonis Ecclesiasticis.

Vnde temporalia Ecclesiis sunt prorogata stipendia, nonne vt Christi pauperibus erogentur? Noli igitur tu qui pręsides retinere quod alienũ est, ne furti reprehẽdaris causa Noli prodige dispẽsare, quod tibi Christi caritas concessit ad tẽpus. Clamabit contra te pauperum necessitas, scito debitorem omnium facultatum esse, quæ honesto victui tuo supersunt; si pro proximorum salute animam suam dare tenentur, cur non magis temporalem substantiam; quæ ad illorum non pertinet patrimonium, quomodo persuadebũt subditis eleemosynas facere si ipsi sint immisericordes. Laur. Iustinian. in complanctu Christianæ perfectionis.

Qui bona Ecclesiæ in vanis & superfluis impendunt, quia Deo sacrata sunt, sacrilegium committunt. *Vide Gloria Principii. Rep.* Sacrilegium auferunt rem sacram è loco sacro. inter manus suas sacras depositam.

Nihil Ecclesia sibi, nisi fidem possidet; possessio Ecclesiæ sumptus est egenorum, D. Ambros. ep. 31.

Nunc verum non inuenitur quod dicit Salomon parabol. cap. 14. Vbi non sunt boues, præsepè vacuum est; vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis Nunc magni sunt reditus Ecclesiastici, cum ex his qui hos percipiunt pauci sint qui laborent in agro Dei, opus hoc à pauperibus & nihil percipientibus Religiosis vt plurimum perficitur.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vt Christi fides liberum orbis imperium obtineret, è simulachris eiecti sunt dæmones, & ex hominum mentibus auaritia, quæ est idolorum seruitus. Propterea Christus seruat & datis in Euangelio consiliis suadet voluntariam paupertatem, quam relictis suis omnibus profitentur Apostoli. Horum pedibus pretia bonorum suorum conferabant fideles, & hæc in communes necessitates impendebantur, diaconorum ministerio, Apostolis incumbentibus prædicationi verbi. Conuersis postmodum ad fidem principibus, ab his & populis data sunt Ecclesiæ prædia, quorum reditus annui perennem efficerent in pauperes largitionem & indeficiens subsidium. Igitur ex institutione Christi Domini fundata fuit Ecclesia sibi pauper, pauperibus diues, vt quæ nunc possidet merito patrimonia pauperum dicantur.

MAGNITVDO. Diuina prouidentiâ factum est, vt amplissimæ sint illæ facultates, quæ numero fidelium in dies accrescenti, & sub asperis temporibus multa patienti sufficerent. Impium esset pluribus afflictis destinata subsidia, ab vno qui non eget, occupari; diuitem absumere necessariam pauperum alimoniam; vnam corporis Ecclesiæ partem obrui nimio sanguinis affluxu, cæteris atrophia laborantibus.

DVRATIO. Futuris sæculis prouisum est hoc sacro pietatis deposito; cui parcit etiam auida regnantium manus & necessitas; nam id vrgenti magis pauperum necessitati, & operibus misericordiæ, maiorum deuotio consecrauit. Donaria vocas, pretia sunt animarum, vitam sensibilẽ Christo in paupere tribuentia, vt immortalem ab ipso consequantur; talibus parcit Respublica, & non parcet inexpleta sacerdotum cupiditas? Sacrilegi de salutis redemptione suas fouent libidines, mergunt animas?

POTESTAS. Tolerabilius esset hęc publicis impẽdi necessitatibus, quã priuatorũ his abutentium dis-

Digitized by Google

solutioni. Conclamatur tamen & meritò, si quid A eorum attingat fiscus; sed cur nō magis ingemiscit publica vox, cum hæc in Ecclesiæ damnum & scandalum absumit procuratorum luxus. Bona sua temporalia primi fideles, afferebant ad pedes non ad manus Apostolorum, qui fidem verbo disseminantes huius dispensationis munus diaconis committebant, nunc reditus sacri veniunt, non in manus tantum, sed in corda gerentium præcipuas Ecclesię dignitates; quo tandem vsu, nefas dicere.

COGNITIO. Prædicatur, arguté defenditur, scitur ab omnibus Ecclesiæ possessiones, esse rebus sacris annexas, & ex earum conditione positas extra ciuile commercium, inalienabiles fieri, pugnabunt ne contra semetipsas, & suo se conficient B apparatu splendido dignitates Ecclesiasticæ: asserunt verbis, quod negant operibus, dum bonis, addictis operibus pietatis & misericordiæ, non prophanè tantum & indifferenter vtuntur, sed flagitiose, scilicet vt vitiorum omnium instrumentis, hæc est verè fundi totalis alienatio, licet successiua, si quotannis fructus eius in res illicitas profundantur, abusu nunquam intermittente.

VOLVNTAS. Hærent rebus impositæ seruitutes à Dominis, dum in alios transferuntur, legatis ęquantur fidei commissa & si malesanus hæres in eorum pręstatione moras trahat, illa, iudex exig t fideles Ecclesię bona sua dederent ea conditione, vt sumptis inde necessariis ad congrua ministrorum alimenta, diuinique cultus decens ornamentum, cætera pauperibus destribuerentur, & ne non satis expressa donatorum voluntas dubium faceret, id Conciliorum & summorum Pontificum expressere canones.

VIRTVS. Pauperibus debentur ab omnibus subsidia lege naturali, ciuili, diuina potissimum quæ his operibus misericordię peccatorū indulgentiam, & regni cœlestis cōsequutionem promittunt; quanto magis præstari debent ab Ecclesiasticis, toti gregi Christiano datis in exemplum.

VERITAS. Vt redituum quas percipiunt, certa pars cedat pauperibus, est ius priuatum, onus instar seruitutis, & conditionis impositum donationi; est ius publicum ex decretis Ecclesiasticis, hanc igitur duplici vinculo firmatam obligationem dissoluere nulli conceditur, quidquid praui cupiditatibus aliqui doctores velint blandiri.

GLORIA. Mali sunt rerum æstimatores qui Prælati gloriam metiuntur ex vestis, palatii, comitatus splendore, hæc decent aulicos non sanctitatem professos in humilitate Christo Domino famulantes. Cedit in viri Deo sacrati maiestatem & reuerentiam affinis Apostolicę paupertati, parsimonia, hinc nascitur sanctitatis opinio titulis & ornamentis omnibus illustrior.

DIFFERENTIA. Clerici debent abstinere à negotiis, personis, locis, vestibus superfluitatibus laicis. cap. clerici. 15. de vita & honest. clericor. vt sic abstinentes sint bonus odor Christi, & in superfluis non absumant pauperum patrimonia.

CONCORDANTIA, ideo præcipiunt Canones eos in commune viuere, vt sub sociorum velut censorum oculis absit luxus & sua seruentur pauperibus. *Vide Concordantia Potestatis.* Communio bonorum.

CONTRARIETAS. Bonorum Ecclesiasticorum profusione, tolerabilior esset hostium deprædatio: quia ministros non inficeret vitiis, sed exerceret patientia, nec populis fieret in scandalum.

PRINCIPIVM. Ex sanctitate processerunt illæ diuitiæ, & filiæ matrem suffocauerunt, in paupertate fundata primum Ecclesia; inundantium diuitiarum appulsu destruitur.

MEDIVM. Qua ratione suadebunt populo de familię suæ substantia falcidiam pauperibus largiri, cum ipsimet illis debita suffurentur, nec restituant.

FINIS. Nullus habendi, nullus rapta profundendi finis, hinc iam publicum fit de beneficiis, vt de cæteris rebus commercium, detersa subtilibus coniecturis symoniæ contumelia.

MAIORITAS. Si tenet illos amplificandi reditus summa cupiditas, detrahant de superfluis impensis; ita poterunt quod debetur pauperibus exoluere, & cæteris iucundius, quia sine crimine, frui licebit.

ÆQVALITAS. Maioribus dignitatibus ampliores assignantur reditus, quibus possint & decentius exerceri, & quæ contingunt onera sustinere, quidquid occurrat, multa semper suppetunt quæ charitati temperantia largiatur.

MINORITAS. Omnis annus non respondet votis agricolæ, at Ecclesiasticorum beneficiorum indeficiens sibi semper par est reditus. Ita licet sine casus aduersi metu, securè frui bonis suis; sequens annus præcedentis fideiussor est, restituturus, quod in vrgentes fortè proximi necessitates, plus solito charitas impenderit.

C In epist. Alexand. 1. Papæ. to. 1. Conc. Episcopi dicuntur actores Ecclesiæ, seu œconomi. Quales essent ęconomi, qui totum sibi vindicarent, de abutentibus Ecclesiæ bonis dici potest illud Psal. 52. qui comedunt populum vt cibum panis, scilicet pauperes. His, vt dicit Apostolus Gal. 5. Deus venter est, qui ministerium deputant ad negotiationem, collationibus se plebis & muneribus ditando, dum conuiuia sub obtentu religionis sumptuosa sectantur, cum consuetudo ab Apostolis necessariæ huius collationis, ad diurnam tantum sæculo renuntiantium, aut per inopiam indigentium alimoniam fuerit instituta.

D D. Hilar. in d. Psal. 52.

Replebimur in bonis domus tuæ, scilicet dono sapientiæ, scientiæ, fidei, & muneta non secundum sensus æstimanda, sed vt dicitur 1. Cor. 2. quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Ideo subiicit Propheta, Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. Id. in Psal. 64.

Sunt clerici qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerant, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos. Mensulam tuam pauperes & peregrini, & cum illis Christus conuiua nouerit. Negotiatorem clericum, &
E ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge, &c. D. Hieron. epist. ad Nepotianum.

Amico quippiam rapere furtum est, Ecclesiam fraudere sacrilegium est, accepisse quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis, omnium prædonum crudelitatem superat. Ib. in fine.

Egentium famem suas faciunt esse diuitias, & miseris derelicta in suam reseruant miseriam. Id. ad Rusticum.

Sanctus Exuperius Tolosæ Episcopus, Viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore

pallente ieiuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditius qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro, qui auaritiam eiecit è templo, qui absque funiculo & increpatione cathedras vendentium columbas, idest dona sancti Spiritus, mensasque mammonæ, subuertit, vt domus Dei sit domus orationis, &c. Ibidem. in fine.

A Pars sacrilegij est rem pauperum dare non pauperibus Id. ad Pammach

Vide Virtus Bonitatis. Si non sit omnino gratuitum officium, saltem non exigatur ingens remuneratio.

Ad opera charitatis specialiter obligantur qui percipiunt magnos beneficiorum reditus. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ. parte 1. cap. 13.

COGNITIO VIRTVTIS.

COGNITIO VIRTVTIS PROPRIÆ ET confidentia sui.

MIRABILIS facta est scientia tua ex me. Psal. 38. artificium sapientiæ tuæ qua corpus & animum ad imaginem tuam construxisti cognoscens, ex parua fabrica magnum opificem animaduerto. D. Gregor. Nyssen. Hom. 1. faciamus hominem.

Numquam Apostolis venisset in mentem totum mundum conuertendi, nisi sensissent in se datam gratiam ad tantum opus, quoniam imbecilli aduersus fortes, pauci aduersus multos, pauperes aduersusdiuites. D. Chrysost. Homil. 7. in 1. ad Corinth.

Motus Angeli primo est in id quod est sibi connaturale, quia per id pertingit in id quod est supra naturam & ideò oportuit quod Angelus in primo instanti suæ creationis conuerteretur ad naturalem sui cognitionem, secundum quam non potuit peccare; postmodum verò potuit conuerti in id, quod est supra naturam, vel ab eo auerti & ideo Angelus in primo instanti suæ creationis non fuit neque beatus per conuersionem perfectam in Deum, neque peccator per auersionem ab ipso. Vnde August. dicit 4. super Genes. ad litt. quod post vesperam primæ diei sit mane, cum lux spiritualis, scilicet Angelica natura post cognitionem propriæ naturæ, quę non est quod Deus, refert se ad laudandam lucem quæ est ipse Deus, cuius contemplatione formatur. D. Thom. in quæst. disput. de peccatis. q. 16. a. q. 2.

Qui veritati coniunctus est nouit quam benè se habeat, etiam si plures illum corripiant, quasi amentem & extra se factum; nouit ipse per simplicem & semper secundum eadem & eodem modo se habentem veritatem euasisse liberum. D. Dionys. de nominib. diuin. cap 7. in fine.

Primam intelligentiam esse summè gaudiosam, & in seipsa delectari dixit Aristot. 12. Metaph.

Multum excellentes non irascuntur si contemnantur in eo in quo manifestè excellunt. Tostat. Math. 10. 2 fo. 105. ita suæ virtutis cognitio confert ad fortitudinem & patientiam.

Ordinatus debet intelligere quam accipit spiritualem potestatem. *Vide Cognitio Potestatis.* Videri potens.

B Non benè vendit res suas qui eas contemnit.

Hæc bona de se opinio, opponitur nimio timori, *Vide Cognitio Contrarietatis*, nimius futuri mali metus, & desperationis. *Vide Cognitio Minoritatis Mala.*

Qui se cognoscunt magno loco natos; magna audent. *Vide Virtus Principij.* Bona educatio de Moyse.

Alexander Macedo cum ad templum Iouis Ammonis peruenisset & à Deo salutatus fuisset vt filius, ipsi fidem habuit. Maximus. Tyrius. serm. 25.

Pellis vituli marini nunquam tangitur fulmine, & Octauius Augustus fulmen supra modum expauescens, vbique pellem vituli marini pro remedio circumferebât. Hoc autem animal internæ virtu-
C tis suæ conscium, audito tonitru, & viso fulgure, gaudens ascendit planos monticulos, sicuti ranæ exultant accessu pluuiarum. Olaus Magnus. rer. septentrion. lib. 20. cap. 6.

Anima perfectè non cognoscit excellentiam suam donec corruptibili detinetur corpore, sed quando ab ipso liberata fuerit, tunc reuelabitur eius gloria, sicut scriptum est; Charissimi, filii Dei sumus& nondum apparuit quid erimus: quod cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Laurent. Iustinian. lib. de fide. cap. 6.

Cui Iupiter est in aspectu Solis, is superbus erit, & sine causa si non recipiat. Cardan. Aph. sect. 3. Aph. 149.

Confidentia hominum est cum domini ascen-
D dentis & planetæ plures in suis fuerint dignitatibus; & cum luminaria, & Dominus ascendentis cum fortunis; & cum luna fuerit lumine & motu aucta, cumque Dominus ascendentis natura talis est, & orientalis à sole, & in superiori excentrici parte; ex oppositis autem maxima diffidentia. Ib sect. 4. aph. 133.

Ad contemplationem aspiranti, omnes discussiones peccatorum quibus miscetur vitiosa delectatio, aut formidolosa desperatio & pusillanitas, vel conscientiæ scrupulositas, rescindendæ sunt confestim, alioquin impedimento sunt in vita proficiente. Nam bonos affectus extingunt animum

& libertatem cordis deprimunt, familiaritatem Dei elongant, veram confidentiam extinguunt, animamque à vita contemplatiua reuocant. Harphius. Theolog. myst. lib. 2 cap. 17.

Viuentia norunt suas, & hostis sui vires. Vide quę scripsi de iure natural. lib. 2. lege 11. Sentiunt animalia quid possint & valeant. Ib. § 1.

Homo debet nosse naturæ suæ dotes. Theolog. naturalis to. 2. parte 1. cap. 1 Cognitio supra semetipsam reflexa est homini propria, & probat immortalitatem animæ. Ib. cap. 14.

Paracelsus lib. de occulta philosophia in proœmio, dicit ad magicas naturales operationes, citra characteres & cęremonias, sufficere fidem seu magnam de opere perficiendo confidentiam, cum illius viua imaginatione.

Sapiens seipso contentus est, quia nouit bonum quod possidet. *Vide Potestatis Virtutis.* Sapiens seipso contentus.

Secundum sapientes Hebræos prima à Deo producta intelligentia habet duplicem cognitionem & amorem 1 Dei, secundo sui; contemplatione & amore Dei, producit secundam intelligentiam; amore autem sui producit primum orbem cælestem, cuius est anima intellectiua & motrix. Sic de secunda intelligentia & sequentibus quæ in eam à qua processerunt, primo conuertuntur, tum ad se. Leo Hebræ. dialo. 3. de amore, à Lunæ motrice intelligentia procedit anima mundi datrix formarum.

Gen. 2. adduxit Deus animalia ad Adam, vt videret quid vocaret ea: vt homo intelligeret seipsum, quanto melior esset cunctis animantibus ex rationis discretione, & eo magis conditorem suum diligeret, quo se meliorem aliis viuentibus intelligeret. Alcuin. in Genes. inter. 55.

Sapiens fugit aulas principum, quia his se putat meliorem. *Vide Gloria Virtutis*, Sapiens aulam fugiat.

O fortunatos nimium sua si bona norint agricolas.

Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Psal. 125. sibi confidit ex experta gratiarum abundantia, & bonis inde operibus. D. Basil.

Scipio Africanus Carthaginem obsidens, sic certam sperabat victoriam, vt deprehensos Annibalis speculatores, postquam illis castra sua lustrare permisisset conuiuio exceptos, illęsos dimiserit; ipsemet vrbem aliam obsidens, litigantes ad iudicium, in ęde quæ intra mœnia vrbis erat, postera die vocauit. Valer. Maxim. lib. cap. 7.

Est etiam placuisse sibi quęcumque voluptas.
Virginibus cordi, grataque forma sua est
Laudatas homini volucris Iunonia pennas,
Explicat & forma muta superbit auis. Ouid.

Sapiens sibi complacet, vnde seipso contentus est *Vide Voluntas Bonitatis.* Bonus sui amor, Et *Potestas Virtutis.* Sapiens seipso contentus.

De his qui sibi tumulos posuerunt, cum sui commendatione *Vide Gloria Finis.*

Seipsos laudare videbantur, qui in funere parentum ipsos publicè laudabant. *Vide Gloria Principii.* Parentum.

Florum coronæ non supra caput, sed infra nares & oculos debuerant poni. *Vide Maioritas Gloriæ.* excessus voluptatis; sibi quisque primum plaudere debet.

Paracelsus libro de Philosophia occulta; dicit eum militem qui se pascit his cogitationibus se pericula omnia, inuicta fortitudine superaturum, & ad omnes militares honores peruenturum: id tandem verè consequi vi imaginationis, quæ vires addit, & apud alios etiam, multū potest.

Quidam existimarunt oculos esse igneæ naturæ de quibus. *Vide Cognitio Voluntatis.* amor sapiens. Hos impugnat Albert. Magn. tract. 1. de sensu & sensato cap. 2 quia, inquit, si lux esset in oculi compositione, ipsam oculus videret. illustriores animæ seipsas, splendoremque suum intelligunt, & sentiunt.

Corpora perspicua, simplicia, sicut ignis, aqua, aër, recipiunt lumen in profundo sui, non in superficie tantum: alia corpora recipiunt tantum lumen in superficie, quo videntur. Albert. Magn non sufficit videri, nisi teipsum in interiori cognoscas.

Inter multas rationes quibus Auicenna probat immortalitatem animæ, hæc est, quod virtus in corpore operans nec se, nec suum apprehendit instrumentum, vt visus, auditus, imaginatio, nec se, nec sua apprehendunt organa, intellectus autem & seipsum, & omnia apprehendit organa. Albert. Magn. tract. 1. de natura animæ. c. 1.

Mare & Nilus quo fœcundatur Ægyptus, prius in se intumescunt, quam effundantur in terras: in proximi publicique commodum non se diffundit, nisi sibi confidens.

Quædam plantæ sunt penitus concauæ, sicut fistulæ, calami; & hoc fit ideo, quia illæ multò indigent spiritu fumoso, libero, qui eleuatur in concauo plantarum illarum, ex nutrimento quod ascendit per directos poros laterum plantæ, sicut arundo, & calamorum genus. Albert. Mag. lib. 2. de vegetabil. c. 3. exilia quędam ingenia, indigent confidentia sui, qua velut mouente ad intra spiritu, ad actionem prouocantur, nam infirmitatis suæ conscia, torpescerent.

Pluuiæ secum deferunt pinguedinem superficiei terræ, cum distillant in profundum; vt autem animalia quæ generantur in lacubus subterraneis sunt venenosa, eo quod lucis expertia sunt & vaporibus spissis nutrita, ita etiam id pingue quod in profundo terræ latet, incongruum est, grossum & frigidum, nisi ad superficiem aliquando tollatur, & lumine Solis lustratum fiat subtilius ad alimentum plantæ. Ibidem lib. 7. cap. 4.

Ad constantis animi statum pertinet seipsum imprimis, suaque æstimare, non aliena tantum suspicere, aliena poëmata, picturas theatra, & animi fortunæque proprię dotes negligere ad instar adulterorum, qui suas licet pulchras vxores fastidientes, alienas inhiant; in seipsos sæui, & in fortunam ingrati. Plutarch. lib. de tranquillitate animi.

Præuideat animus quæcumque euenire possunt aduersa, & fidens sibi, securusque decernat se in talibus, probitatem, sapientis virique boni affectus seruaturum. Ibid.

Magi quærunt apud Iudæos Christum, quem Iudæi apud se natum, & miracula facientem non agnoscunt.

Eos qui sibi robur aliquod in stylo fecerint, non ad infœlicem calumniandi se pœnam alligandos puto, nam quo modo sufficere ciuilibus officiis possit, qui singulis actionem partibus insenescat. Sunt autem quibus nihil sit satis, omnia mutare, omnia aliter dicere, quam occurrit, velint, increduli quidem, & de ingenio suo pessimè meriti, qui diligentiam putant facere sibi scribendi difficultatem;

Digitized by Google

difficultatem; nec promptum est dicere vtros peccare validius putem, quibus omnia sua placent, aut quibus nihil; accidit sæpius vt in silentium hi descendant, nimia bene dicendi cupiditate; melius dicere volunt, quam possint, ad profectum opus est studio, non indignatione. Quintilian. Inst. Orator. lib. 10. cap. 3. Putant semper optimum quod latet, & id dicendum putant, quod non inuenerint. Ib.

Ipsa emendatio finem habet, sunt enim qui ad omnia scripta, tanquam vitiosa redeant, & quasi nihil possit esse rectum quod primum est, melius existimant quidquid est aliud; similes medicis, etiam integra secantibus, accidit itaque vt cicatricosa sint, & exanguia, & cura peiora; sit igitur aliquando quod placeat, aut certè quod sufficiat, vt opus poliat lima, non exterat. Ibidem cap. 4.

Si odorata fruteta, quamuis accisis stirpibus, suauecolentiam ad longum tempus retinent, actiones honestæ in animo sapientis gratiorem habent recordationem, cum intestina lætitia, & perenni eius riuo. Plutarc. lib. de tranquillitate animi.

Stupidus est qui quod accepit & reposuit, quærens non inuenit.

Qui ex Delphica sententia se nouit, Deum cognoscet; illi assimilabitur Deoque fiet dignus, itaut nihil eo indignum committat. Res diuinas cogitabit, & faciet. Agapetus.

Absurdum est imitari lyram, quæ cum egregiè resonet, non intelligit.

Ficinus lib. de vita cœlit. compar. cap. 3. dicit in omnibus rebus creatis vim inesse se propagandi, vt in animalibus, sic in metallis, sed in illis seminariam virturem crassiori materia prohiberi, quę si ritè secreta fuerit sublimatione, cuilibet metallo adhibita, ex eo faciet aurum. Qui nesciunt vires suas ab alio debent produci.

In oratione Dominica, ideo dicitur, Pater noster qui es in cœlis, vt intelligas tibi genus esse de cœlo, vt viuendo sanctè, sancto respondeas Patri. Chrysolog. serm. 67.

Impossibile est, nos habere nobilissimos habitus, & nos lateant. Arist. 2. posterior. cap. vlt. fallit in actibus voluntatis, quia nemo scit an odio, an amore dignus sit.

Iudic. 6. Angelus salutat Gedeonem, salue vir fortissime, vt daret ei confidentiam.

Impossibile sub electione non cadit, quia ad id quod est impossibile nullus mouetur; ideo quisque debet scire quid possit, vt agat. Quælibet potentia immaterialis, vt nulla materialis supra suum actum reflectitur.

Sanctificate bellum, suscitate robustos; infirmus dicat, quia fortis ego sum. Ioel 3.

Charitas est diligenda ex charitate, quia sicut non est perfecta cognitio nisi cognoscens cognoscat se cognoscere, sic a simili, non est perfecta dilectio nisi quis diligat se diligere per amorem complacentiæ quod diligens acceptat ipsam dilectionem. Perbaltus in rosario Theologico, voce charitas. §. 14.

Si hanc cogitationem homines habuissent, vt nemo se meliorem fore eo, qui optimus fuisset arbitraretur, ij ipsi qui sunt, optimi non fuissent. Quintilian. declam. 12.

Vide Cognitio Potestatis. Videri potens.

Sapienti contingit gaudium, quod non aliud est ferè quam animi elatio bonis suis viribusque fidentis. Seneca.

A Anto. Zara lib. de anatomia ingeniorum sect. 2. cap. vn. dicit medicos fœliciores esse in cura pauperum quam diuitum; quia circa pauperes minus timent, & vim calidæ suę imaginationis remedia conquirentis sequuntur; at metus circa diuites sanguinem ad cor reuocans, imaginatiuam suo calore destitutam efficit, & in illis nolunt experiri remedia.

Vir bonus est in suo interiori velut S. Pontifex. *Vide Potestas Virtutis.* Sapiens seipso contentus.

Ne vilem existimes teipsum, dicit Christus, vos estis lux mundi: habes igitur in te Solem & Lunam; habes vt mundus inhabitantem in te Deum & Spiritum sanctum. Verbo Domini cœli firmati sunt. Origen. homil. 5. in Leuit. Ecce ego vobiscum sum: effundam de spiritu meo super omnem carnem. B

Num. 31. Aurum quod de spoliis Madianitarum retulerant Centuriones, Moyses intulit in tabernaculum testimonii memoriale filiis Israel coram Domino. Beatus est enim ille qui recordatur se boni aliquid operis egisse coram Domino, & obtulisse munera beneplacita Deo, animi virtutes, & ornamenta pietatis. Id. homil. 26. super numer.

Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum. Cant. 1. Si non cognoueris temetipsam cęteras mulieres pulchritudine superantem, inter cæteras fies nouissima & despecta. Id hom. 1. in Cant. C

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & plena erat domus maiestate eius. Isai. 1. de interiori sua domo intelligit Origenes hom. 1. in Isai.

Math. 16. Christus quærit à discipulis quem dicunt esse filium hominis? docet discipulos esse curiosos eorum quæ de ipsis dicuntur, vt si sit malum, auferant, si bonum, augeant. Id. tract. 1. in Matth.

NON SIT NIMIA VIRIUM SUARUM PRÆSUMPTIO.

D

Ex nimia spe, de viribus suis concepta nascitur impietas, quasi iniquus Deus illis aduersetur, cum defectus penes hominem sit, qui exigua animi dote præditus, maiora non poterat consequi, vt bone incitato venari leporem, huius erroris causa est, perditus amor sui. Plutarch. lib. de tranquillitate animi.

De nimio sui amore. *Vide Voluntas Bonitatis. Mala*, de defectibus suis cognoscendis. *Vide Cognitio Memoriatis.*

Cum multis conuersandum ne laboremus nimia nostri æstimatione. Vide infra hoc tit. proximè virtus quæ se profert, ex Quintil.

E Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt. Roman. 1. & Cor. 10. Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

Mala est præsumptio sui contra honorem Dei, vt Sennacherib: dicens quod Deus non posset liberare populũ suum ab eius potentia. 4. Reg. 19. In contumeliam proximi, vt Goliath, & Phariseus. Vanitatis tantum & laudis humanæ quærendæ causa; aut vt alium decipiat.

De indecora sui iactantia. Vide infra hoc titulo.

Auicenna 9. de animalibus refert, quod si gallina vincit gallum in pugna, erigit cristam quasi esset gallus, & aliquando nascitur ei cornu in crure, sicut gallo.

Dauid punitur à Deo, eo quod recenseat populum suum ad decies centena & trecenta ciuium millia. 2. Reg. 24.

De prælatis qui sibi nimium confidentes aberrant à veritate, & alios aberrare faciunt. *Vide Contrarietas Potestatis.* Potestatibus quando licet resistere.

Immolatæ auis ascellæ confringuntur. Leuit. 1. vt mens de acceptis à Deo muneribus doceatur se non extollere; confringuntur autem, sed ferro non secantur, vt accepta gratia per humilitatem ignoretur, per rationem tamen optimè sciatur, vt seruetur, Rupert. lib. 1. in Leuit c. 7.

Philosophi asserunt nullum alium esse mundum, quam hunc quem inhabitant; alii tot esse mundos dicunt, quot stellæ.

In Concilio Romano condemnatus fuit quidam Adelbertus, qui se dicebat à Deo illustratum, & missum; interiora cordis nosse; capillos & vngulas suas populis pro sanctuario exhibebat: sic Pseudopropheta seducebat populos. Conc. Galliæ. to. 1. an. 745.

Caluinus asserit vnumquemque teneri credere se electum & necessario saluandum: sic Beza in confess. fidei. c. 4. a. 13. Vnusquisque, inquit, nostrum ita apud se ratiocinetur: Ego sum in Iesu Christo, ideoque non possum perire.

Etiam die & mari tranquillo nauis potest perire à latentibus scopulis, dissoluta compage, malacia, vel à piratis.

In scientiis opinio copiæ, causam inopiæ dedit, non quærût quæ putant esse ab antiquis inuenta.

Ardelio habitu Achillis sumpto & equo conscenso putabat se omnibus hominibus fortiorem esse & inuictum. Suidas.

Vide Maioritas Gloriæ. Nimia vanitas.

De quodam Polydama oppresso ob nimiam virium suarum præsumptionem *Vide Principium Minoritatis.* Malum à seipso.

Ineruditi quæcumque norunt, quoniam hærent sensibus, firmius noscentes, nec vltra ad æterna progressi multum se scire existimant. Eruditi æternorum magnitudinem & multitudinem cernentes, inferiorum neglecta notitia nihil prope se scire putant. Cardan. lib. de rer. varietate. c. 41. & addit. Nos qui admirationi sumus pluribus, gentibus tam humiliter de nobis ipsis sentimus, vt malim acerbissimi inimici iudicio stare, quam nostro, vbi de doctrinæ existimatione agitur.

Pharisæi sunt omnes qui iustificant semetipsos, & diuidunt se à cæteris dicentes, recede à me quia mundus sum. Phares enim Hebraicè significat diuisio. Origen. tract. 25. in Matth.

Creatus est homo vt præsit bestiis terræ & volatilibus cœli: igitur ne sublimes spiritus tollas, ne intumescas, ne tibi nimium placeas, aut plus de te sentias, quam patiatur humana conditio. Ne laudibus inflatus extollaris, ne te ipse iactites, aut magnum aliquid esse putes, animum igitur tuum modera, si vis bestiis imperare. D. Gregor. Nyssen. Orat. 1.

Superbia atx ægritudinum quæ Deum bello petit; quæ ad naturam pertinentia ignorat; quæ diaboli morbo iactatur, qua virtutis cursus inutilis efficitur, & vniuersas ipsa virtutum fasces extinguit. Ieiunii cum superbia copulati emolumentum nullum; superuacanea virginitas superbię sorde inquinata; iustitiam Deus auersatur fastui seruientem, &c. S. Basil. Seleuciæ. Orat. 35.

Luc. 18. sic orat Pharisęus; Gratias ago Domine, quia non sum sicut cæteri. Bellum sane gratiarum actionis exordium, mundi criminatio, & iudex mortis sententiam in omnes ferens: decimas do omnium quæ possideo: tanquam debitori Deo. debiti memoriam refricat. Ibid.

D. Paulus scribens Romanis non illis blanditur de summa in cæteras gentes potentia, sed vt ponat humilitatis fundamentum, connumerat cum cæteris gentibus vocatis, in quibus estis & vos vocati Iesu Christi. D. Chrysost.

Væ prudentibus apud semetipsos, & in oculis suis sapientibus. Isai. 5.

Moyses ignorabat quod cornutam haberet faciem ex consortio Dei.

Isai. 31. sic inducitur de se præsumens: Super astra cœli ponam thronum meum, ero similis Altissimo; apprehendã manu mea orbem sicut auiculæ pullum, & sicut oua relicta tollam illum. Sic stultus est omnis arrogans, vt vix vnum ab alio discernat; quemadmodum aquaticæ ampullæ facile rumpuntur, ita & illi facilè pereunt, vt aridæ stuppæ facilè in cinerem vertuntur, sic illi in minimis aduersis deficiunt, excidentes à concepta prius præsumptione. D. Chrys. hom. 21. in epist. ad Rom.

Qui se existimat stare, videat ne cadat, 1. Cor. 10.

Nihil ęquè nos manes efficit & disperdit, ac rectè factorum memoria, duo enim parit mala, negligentiores facit, & in arrogantiam tollit; vnde dicit Paulus 3. Philip. Fratres me non arbitror comprehendisse. &c. Id. hom. 12. in epist. ad Philip.

Cum omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus. Luc. 17.

Superbia est initium peccati, non enim agnoscit nec colit Dei boni largitionem, taliter affectus propensus est ad vlciscendum vel minimam sibi factam contumeliam; hominem efficit Dæmonem, contumeliosum, blasphemum, periurum, cædis appetentem, semper est in doloribus, & tristitia quasi aliquid sibi debitum detrahatur; quantacumque fruantur gloria maiorem expetunt, non naturæ, sed morbi affectu, pro remedio cogita rerum humanarum variam sortem, post multos casus tandem morte conclusam: cogita peccata tua & Dei iudicium. Idem homil. 1. in 2. ad Thessalon.

De superbia. *Vide Voluntas Maioritatis.* De ambitione. *Vide Voluntas Potestatis, Mala.*

Deus totum virtutis opus non posuit in sola nostra potestate, sed etiam in auxiliis gratiæ, vt nostram amputaret arrogantiam. *Vide Principium Virtutis,* gratię diuinæ auxilium. Propterea multis te cinxit bestiis, exposuit casibus, & in tanto constituit metu, vt humiliter de te sentires, propterea frequentes sunt mortes & immaturæ, & tamen tanquam immortales superbimus; rapimus aliena tanquam rationem non reddituri; ædificamus tanquam hic semper mansuri, &c. D. Chrysost. hom. 15. in epist. ad Hebr.

D. Augustin. super Genes. dicit, Non est putandum quod homo deiiceretur, nisi præcessisset in eo quædam elatio comprimenda, vt per humilitatem peccati sciret quam falso de se præsum-

cedit sensibus & in eorum venit deditionem. A Capitur non armata vi, sed voluptatum corruptela,& eo pretio momentaneo, inperpetuā toto vitæ tempore,durissimam se dat seruitutem, iterum, nisi pœniteat, secunda nec vnquam finienda morte plectendam. Seruus est peccator, quia videt quidem bonum virtutis & gloriæ, quod optaret, sed ne consequatur, se dicit ferreis velut cathenis præpeditum, has autem fatetur sibi fabricasse cathenas, cum libens volensque se peccatis addixit. Seruus est, quia non animo vnde censeri debet, sed corpori laborat, non sibi, sed principi, cuius fauorem pulchritudini, B cuius amorem ambit, vanitati, auaritiæ, hæredibus ingratis, tandem morti cuncta depascenti miser acquirit. Singulares peruersos actus vertit in habitum, & velut in necessitatem, vnde difficilem exitum putat impossibilem instar melancholici, qui se credit his viribus, quas habet, spoliatū. Miserior eius seruitus est ex eo quod intelligit & laudat egregios virtutis actus, sed deiectus animus existimat se ad illos inualidum, velut seruus qui miratur quam consequi non valet domini sui fœlicem conditionem; ferè tota sæcularis vita mendacium est, timidum & seruile vitium fallit assumpta probitatis larua, fallitur C rerum mundanarum spe, voluptatibus quę desinunt in anxietates, dolores & pœnitenda. Seruus peccati fugam sæpe meditatur, sed intra cathenæ prætensæ longitudinem suus sistitur motus, hæret enim quibusdam obiectis, vnde captiua mens se non potest expedire. Durum putat naturalem libertatem, votis Religiosis, altaribus, matrimonio, licet innocenter in perpetuum addici, & tamen miserè se mancipat malis moribus: qui tollunt integritatem, tranquillitatem mentis, delent omnem futurę beatitudinis spem Peccantibus vt seruis non licet ire quò vellent, D scilicet ad Dei conspectum, ad Ecclesiæ sacramenta, ad sanctorum cœtus, cum sint vnde scelerum suorum conscientia vel infamia proscripti. Si lucida quandoque contingunt illis interualla, lugent amissas virtutis occasiones, in malum conuersa, quæ debuerant esse probitatis incentiua, & recordatio prioris in innocentia libertatis, duriorem efficit in peccato seruitutem. Vt serui quod acturi sunt, nesciunt, nec proponunt, quia non suo, sed dominantis passionis aut fortunæ ducuntur arbitrio. Cum se non putent amplius esse sui iuris, nullum cogitant mali genus, cui se non videant expositos, ad omne verò crimen parata voluntas quanto teneatur reatu quis æstimet? Hinc sæpiùs malorum extre- E mum desperatio, vt seruis cum intra fidam fortemque sui custodiam, nulla spes libertatis affulget. *Ex principiis.*

Alienorum factus est seruus, qui noluit esse suus. Dicit Propheta; Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.

Peccator tot ligatur funibus, quot desideriis agitur, eoque grauior seruitus quo fœlicitas amplior. Laurent. Iustin.

Græci cum ab Ecclesiæ vnione recesserunt, in seruitutis iugum lapsi sunt. Greg. 4. Const. 14. p. 90. to. 1. Bull.

VIS ET POTESTAS virtutis apud Deum.

ANtiqui Galli nunquam offerebant sacrificia, quin adesset sapiens aliquis & Philosophus, quasi ad placandum numen ipso sacrificio potentior. Diod. Sicul. lib. 6. cap. 9.

De orationis valore. Gerson. tom. 3.

De suffragiorum bono liber Petri Damiani.

Orat Moyses & vincitur Amalech. Exod. 71.

Iosue 10. præcipiens soli vt staret, dicitur stetisse, obediente Deo voci hominis.

Hebræorum astrologi dicunt præceptam fuisse Sabbathi requiem, quia eleuatione mentis in Deum votis ac sacrificiis frænatur vis malefica saturni & martis, illud Chaldæorum confirmantes præceptum, si mentem ad pietatis opus ardentem erexeris, corpus quoque caducum seruabis. Rodigin. lib. 13. cap. 21.

Dicit Deus; Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, non quod sit corporeus & tantę molis,sed quod in his quorum conuersatio est in cœlis,Deus requiescit & residet, in his autē qui adhuc terrenū propositū gerunt vltima pars eius prouidentiæ inuenitur, boni fiunt sedes Dei, facti prius peritia & cōuersatione cœlestes Suscitauit nos cum Christo & simul,sedere nos fecit in cœlestibus Ephes. 2. propterea cœli effecti enarrant gloria Dei, Origen. in c. 1. Genes. Homil. 1.

Vide Æqualitas Voluntatis. Mutuus Dei & hominum amor.

Scribitur irasci Deus, & comminari interitum populo, quo doceatur homo, tantum sibi esse apud Deum loci, tantumque fiduciæ, vt etiam si sit aliqua in Deo indignatio, obsecrationibus mitigetur humanis, tantumque de eo impetrare posse hominem vt & propria statuta conuertat. Idem. Homil. 8. super Numeros.

Oratio Petrum è vinculis exemit: Pauli os aperuit, vnde qui ad spirituales dignitates veniunt, hoc suffragium exposcunt, &c. D. Chrysost. Hom. 18. in 1. ad Corinth.

Orationes congregatæ fidelium multitudinis sunt potentiores apud Deum. *Vide Concordantia Virtutis.* Congregatio bonorum ex D. Chrysost.

Moyses tenebat Deum ne perderet populum Hebræorum in peccato vituli, non vi, sed orationibus. Tostat. Exod. to. 2. fo. 121.

Maximus Tyrius serm. 30. quęrit an sit orandus Deus, aut enim, inquit, qui rogat dignus est quod petit accipere, aut omnino indignus. Si dignus est, accipiet etiam non precatus; sin indignus, ne precatus quidem accipiet. Dignus à precando abstinens minime molestus cum sit, fiet etiam dignior, verecundia & fiducia plenus, quæ precamur, aut prouidentia Dei perficit, aut necessitas fati aut hominis ars, aut fortunæ fluxus; in his sine prece, aut succedent aut non, quæ pendent à Deo & fato, quia sunt in bonum vniuersi, cui partes seruiunt & si singulorum Deus curam agat, vt medicus sanare volens non audiet ægrum secari & potionem sumere detrectantem. Concludit externa non esse petenda, orationes Philosophorum fuisse colloquia quædam cum Deo, à quo accipiebant tranquillitatem viuendi, irreprehensibilem vitam, mira dona & digna quæ tribuantur à Deo.

Deus

Deus vult ipsum oremus. *Vide Voluntas Bonitatis.*

Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Psal. 144. *Vide Gloria Medij.* Honor ministri.

Amor erga Deum quod appetit consequi, impetrare non trepidat, nam eadem obtinere sperat, quę est paratus impendere Laurent Iustin dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius, &c.

Sint orationes pugnantium, & quiescentium diuersæ. *Vide Differentia Virtutis.*

Ob amorem fidemque sororum lugentium, quatriduanum in monumento Lazarum Christus suscitauit Id de animæ interitu. cap. 1.

Orante Moyse deletur Amalech, oratione Iosue sistit cursum solis, Anna impetrauit filium, Iudith victoriam de Holopherne; Hester de Aman. Ezechias vitæ prolongationem; Helias suscitat puerum mortuum, tres pueri illæsi manent in fornace, &c. denique Christus dicit, Qidquid orantes petitis; credite & accipietis. Id. Opusc. de perf. gradib cap. 11.

Deus malis sæpius parcit propter bonos in quorum sunt societate, & vide. 1. tomo hoc tit. Nam boni omnes homines etiam malos diligunt, naturalis, ciuilis etiam societatis, & quod præcipuum est dilatatæ charitatis vinculo, in deteriora labentibus compatiuntur, spes conuersionis non abiiciunt, non desperant de persecutoribus futuros exemplo Pauli Euangelicæ veritatis professores, quidquid sit, pro his quos caritate complectuntur, orant; ideo misericors Deus sanctis iam ex culpâ peccantium afflictis, non congerit ex eorum deletione nouas afflictiones. Fit hic quædam bonitatis cum iustitia compensatio; sicut enim interdum boni cum malis conteruntur, communi mortalitatis sorte, eiusdem nauis qua feruntur naufragio, sic bonis indulget, vt eorum contemplatione mali à debitis sibi pœnis eximantur. *Vide Æqualitas Mineritatis.*

Iuxta Gangem Bracmanæ Philosophi abstinentissimi solo farinæ aluntur cibo. Cum Rex ad eos venerit, adorare illos solitus est, pacemque suæ prouinciæ in illorum precibus arbitratur sitam. D, Hieron. lib. 2. aduersus Iouinianum.

Angeli per deuotas à Deum preces, potius quam per curiosas inspectiones, vel obseruationes constellationum possunt conciliari, vt nobis opem præstent, vnde dicitur, Sancti per fidem vicerunt regna Gerson in trilogio Astrologiæ Theologisatæ propos. 20.

SANCTIS CREATURÆ seruiunt & obsequuntur.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Antiqui nouique Testamenti passim docet historia creaturas conditione sua sensu vel ratione carentes, his velut præditas sanctis fideliter obsequia præstitisse, relictis etiam sibi propriis, & innatis agendi modis. Id testantur à Moyse, Gedeone, sanctis Martyribus crebro facta miracula, quæ sicut naturæ potentias, sic hostiles prius animos traxerunt in veritatis deditionem. Antiquum ius est primi hominis innocentiæ concessum creaturis dominari. Hoc autem occasione peccati reuocatum, diuina misericordia sanctis in nouum hominem reformatis, iterato beneficio concessit.

MAGNITVDO. Magnum est in tanto mortalium numero peccati pœnas luentium, sub dura continuaque corporalium seruitute, aliquos cœlesti priuilegio fieri tales, qui soliditatem aquis, igni lucis pulchritudinem vstione sublata, feris mansuetudinem, mari tranquillos motus, ægris sanitatem, mortuis vitam imperent, & restituant. Totum se sanctus deuouit Deo; totum etiam quod petit, obtinet ab infinita bonitate, quæ se non patitur à creatura sua doni magnitudine superari.

DVRATIO. Tempus iam præludit æternitati, cum consummata fœlicitate beatorum, nulla nocebit illis, sed plaudet, obsequetur, in Dei laudem concinet, omnis creaturarum actiuitas. Ideo Christus Dominus vocat Ecclesiam regnum cœlorum, propter anticipatum hoc ius beatitudinis, prout occasio tulerit, sanctis concessum.

POTESTAS. Fidelem Dei seruum ex eo celebrant diuinæ scripturæ, quod intret in potentias domini sui, summas, illimitatas, creatis omnibus, indita sibi lege paratis in obsequium. Ita breuis certaque nobis aperitur ad Dominum via per sanctitatem, huic patent omnes creaturæ; hanc genu flexo reges adorant, depositis velut ante thronum Agni coronis, vt sic in persona omnibus dominante dominetur omnibus, eo quod omnes optant, nullus assequitur, amoris & venerationis imperio.

COGNITIO. Pro fundamento sanctitas habet humilitaté quæ latere vult solis oculis Dei contenta, & quibus solis cupit placere; sed non expedit lucernam poni sub modio, lumen mundi ad hominum vtilitatem in Ecclesiæ cœlo positum, non videri. Emicat igitur Deo sic disponente, crebris, vt occasio tulerit, miraculis. Facti nouitas conuocat omnes in religiosum spectaculum, diuinæ Potentiæ, sanctitati concessę, omnes sic acceptam Deo, & in sanctis colunt eminentem, & sibi proponunt, quantum licebit imitandam.

VOLVNTAS. Pugnabat sancti cum humilitate charitas, cum vna latere, alia diffundi vellit, hic vtrasque conciliat prouidentia, nam licet exposita sit sanctitas, suo tamen sensu latet, & vt totum quod mirantur homines refundit in Dei bonitatem, maxima per minima solitam operari, idem putat ab aliis fieri iudicium, interim gaudet videns effusos in Dei laudes populos & sua velut charitatis scintilla, sacrum hunc ignem, latè sicut Christus Dominus optauerat, accendi.

VIRTVS. Ad imitationem Christi sancta mortificatio, sensus, passiones, motus omnes inordinatos rationi rebelles diuinæ legi perfectissimè subiecit. Huic exhibitæ Deo fidelitati plaudunt irrationales creaturæ, & quæ non possunt per se gratias agere Deo, sed tantum per hominem, ipsi hoc munere diligenter fungentes gratulabundæ, sua modis insolitis exhibent ministeria, & supra solitas naturæ leges, Deo seruienti, seruiunt.

VERITAS. Ad hoc officium prouocat illas rectrix intelligentia, sic implens toties factas hominibus à Deo promissiones, petite & accipietis; & Math. 17. Si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis &c. Sic Apostoli prædicatione sua miraculis confirmante

fidem populorum promeruerunt, æquum enim, A vt docentis authoritate cedat ratio, sicut in testimonium cedit natura.

GLORIA. Christus se fideliter sequentibus promisit centuplum in hoc & alio sæculo. Plusquam centuplum sanctus accipit, qui pro singulari sensus sui mortificatione videt omnes creaturas sibi subiectas, pro humilitate latebras affectante splendorem virtutis, magistratibus, regibus, superiorem authoritatem. Insensibilibus autem vt cœlis inest insitus appetitus enarrandi gloriã Dei, & cum id magis assequantur apud homines, insolito procedendi modo, si sanctus amicus Dei iubeat à consuetis sibi legibus facile discedunt.

DIFFERENTIA. Ad obsequium natæ sunt, B sic illas ad diuersos vsus humanæ vitæ detorquent artes, & quidquid obstent, operantium ideis subiectas assiduus efficit labor. At cum Dei voluntatem Angelo tutori nota sanctitas denuntiat, momento parent omni dispositione prætermissa, nec enim fugæ vel dilationi locus est, cum vrget omnipotentis imperium.

CONCORDANTIA. Si res inanimatæ Dei magnitudinem non intelligunt, eam tamen intelligentia sua duce, laudant, actu quo prædita, & etiam supra conditionis suæ legem accedunt ministrantque suum authorem laudanti sanctitati. C

CONTRARIETATIS. Cum sint igitur ad Dei gloriam institutæ creaturę, vim patiuntur, & humanis conatibus quantum conceditur resistunt, dum ad malos aut communes vsus applicantur, at vltrò ruunt in obsequium velut sibi magis naturale, licet insolitum, nulla in contrarium nitente vi, si sanctitas id ex parte Dei præcipiat.

PRINCIPIVM. Vnicuique rei facilis est ad suum principium reditus. Ita natæ res vt innocenti parerent homini, huic libenter obsequuntur cum affulget innocentia, non primitiua tantum, sed hominis Dei splendidiori charactere insignita. Præferunt sancti diuini verbi per quod D omnia facta sunt, imaginem, etiam humanizati consanguinitatem; qua fit vt ipsis sicut filiis Dei competat ius in res creatas, cum agitur de patris æterni gloria.

MEDIVM. Vocat Deus ea quæ non sunt vt ea quæ sunt; res qualibet aptum est instrumentum opifici maximo, qui nulla cum voluerit, eget. Induit igitur aqua terræ soliditatem, ignis innocentes zephyri flatus, roris delicias, blanditur Leo, velut canis domesticus, cum Dei dilectique sui causa versatur.

FINIS. Tunc creaturæ non agendo solitis naturæ suæ modis finem suum fœlicius assequuntur, quia potentiæ suæ naturalis interdictum, apertè vertitur in Dei gloriam, cuius causa sunt E conditæ; tacendo prædicant, quiescendo promouent creatoris potentiam, illiusque multos simul efficiunt cultores & præcones.

MAIORITAS. Iure naturali limitata est cuiuslibet rei potestas, fit autem vniuersalis & illimitata sub sanctitatis imperio; vnde quæ sic cadunt ab actione fœliciter exaltantur. Non est timendum ne abutantur sancti hoc iure sibi concesso, cum voluntatem suam habeant diuinæ conformem, ex se nihil audentem, nihil mouentem, splendorem ex miraculis humiliter fugientem.

ÆQVALITAS. Christianæ militiæ tyrocinium fuit corporalia menti subijcere. Sic est æquissimum victa victori mancipari & in posterum seruire; velut initis conditionibus quales inter Dauid & Goliath, vt victi tota gens, victoris genti subijceretur. Ita sanctus superatam in se naturam corpoream, totam deinceps habet sibi obsequentem. Vident, suspiciunt venerantur omnes in hoc præsidentem rebus humanis diuinam prouidentiam, & sensibili demonstratione conuicta silet impietas.

MINORITAS. Diximus in iure naturali, spiritualia dominari corporeis; sic intelligentiæ cœlis & singulis rerum speciebus præsident; humani corporis artifex & rector est spiritus, subtilis vapor incorporeis proximus. Exuunt sancti quantum licet naturam corpoream perfecta rerum sensibilium abdicatione, cum sint igitur in naturam Angelicam quodammodo translati, mirum non est si dominentur corporeis, quibus seruiunt, dum possidere videntur, diuites. O fœlicior potentiorque regum titulis & thesauris sanctitas, omnipotentis Dei summo iure donata.

Sumus adoptiui filii Dei, at adoptati habent idem ius in bonis adoptantis, ac filii sui & legitimi, & quasi liberis, liberti debet honorem. Cuiac. Obser. lib. 7. cap. 1. vt Christo, ita sanctis obediunt creaturæ.

De miraculis in testimonium veritatis factis! *Vide Maioritas Potestatis*, Miracula, Et *Gloria Veritatis*. Victrix veritas.

ECCLESIÆ DIVITIÆ.

SIcut olim Leuitæ in singulis tribubus ciuitates habebant ad habitandum, licet decimis d tarentur. Nu. 35. Sic Ecclesiæ à primis temporibus possessiones habuisse probant Pii & Vrbani I. epistolæ, & edicta Imperatorum, quibus iubetur, tales possessiones ab hostibus Christiani nominis occupatas Ecclesiis restitui. Vide Baron. an. Chr. 57. num. 82.

Tom. 2. Concilior. an. 324. habetur donatio facta Romani Imperii Syluestro Papæ à Constantino Imperatore, & ab eo tempore nullus Imperatorum Romanam ciuitatem habitauit, velut summo Ecclesię capiti destinata.

Pudet dicere, sacerdotes idolorum, mimi & aurigæ, & scorta hæreditates capiunt, solis clericis & Monachis hoc lege prohibetur, & prohibetur non à persecutoribus, sed à principibus Christianis, nec de lege conqueror, sed doleo quod meruerimus hanc legem. D. Hieron. epist. ad Nepotian.

Postquam Ecclesia venit ad Christianos principes, potentia quidem & diuitiis maior, sed virtutibus minor facta est. Id. in vita Malchi.

Christus permittit corpus suum vngi pretioso vnguento: duo corpora habet Christus, vnum quod suscepit in virgine, alterum Ecclesię, quod charius habet benignitas redimentis, denique illud pro isto exposuit morti & cruciatibus. Petrus Damiani serm. 29.

Leuitis separantur 48. ciuitates ad habitandum, Iosue. 20. sed illis postea multo plures obtigerunt. 1. par. 6. In terra sancta 380. vrbes: quarum plusquam tertia pars erat de iure & patrimonio Ecclesię Mosaicæ, vltra decimas, primitias & spontaneas oblationes. Genebra. m. 2709.

Gen. 30. Iacob dicit Laban, Modicum habuisti,

Digitized by Google

& nunc diues factus es ad introitum meum; iustum igitur est, vt aliquando prouideas etiam domui meę. Per Christum abundantia omnis gratiæ spiritualis & temporalis peruenit ad Reges & populos, destructa scilicet idololatria & tyrannide. Iustum igitur Christum aliquando prouidere domui suę, idest de Regum palatiis, de principum thesauris, ac prædiis suas Ecclesias ditare, vt esset vnde haberet sufficientiam in sumptus necessarios altario seruientium, in vsus pauperum ac peregrinorum, in restaurationes Ecclesiarum, vel cœmeteriorum. Rupert. in Genes lib. 7. c. 37. A

Fuit maledictio in tribu Leui quod nihil habuerit proprium. *Vide Maioritas Contrarietatis.* Nimia sæuitia. B

Vnicuique Deo aliquot agri iugera assignabant, è quorum locatione sumptus fiebant in sacrificiis, vt certò constaret vnde fierent, nec penderent à mutabili hominum liberalitate. Suidas in voce ἀπομισθώματα.

Apud Iudæos summus Pontifex debebat esse omnium sapientissimus & ditissimus; quod si opibus careret, colligebantur pecunię à sacerdotibus & illi conferebantur, itaut ditissimus omniũ fieret. Ioseph. Voisin de lege diuina, cap. 11.

Leuit. 23. Iubet Deus in Templo lucernas accendi per pontificem, & earum lumen ministrari ex oleo quod datur à populo. Itaque nisi dederit oleum populus, extinguetur lucerna, & non erit lumen in sanctis. C

Lex Dei Sacerdotibus & Leuitis commissa est, sed interim vt ei vacare possint sine sollicitudine, laïcorum vti ministeriis debent. Si enim laïcus, quæ necessaria sunt non præbuerit Sacerdotibus & Leuitis, occupati in talibus corporalibus curis, minus legi Dei vacabunt. Illis autem non vacantibus, neque operam dantibus legi Dei, tu periclitaris; obscurabitur enim lux scientiæ quę in illis est, te non subministrante oleum lucernæ, & cæcus cæcum ducet, & si lux quæ in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Origen. homil. 17. super Iosue.

Ecclesiæ seruientium bona debent esse moderata. *Vide Veritas Bonitatis.* Beneficium gratuitum, saltem nimiam non exigens remunerationẽ. D

Qui altari deseruiunt, ex altari participant. 1. Cor. 9. Non dixit, accipiunt à sacrificantibus, sed de altari participant. Nam quæ sunt oblata, non sunt amplius eorum qui obtulerunt, sed sacra & altaris. D. Chrys. hom. 22. in 1. ad Corinth.

De magnifica supellectile templorum. *Vide Gloria Medij.*

Proprium obiectum sanguinis est in spiritum vitalem traduci: temporalia verti debent in spiritualia.

Alienatio bonorum tantum maioris Ecclesiæ Constantinopolitanæ inhibita primum fuit constitutione Leonis I. iubemus 2. de sacros. Ecclesiæ deinde porrecta constitutio fuit ad omnes Ecclesias quæ erant sub Patriarcha Constantin; & hinc ad omnes. Cuiac. in nouel. 7. de Ecclesiasticis bonis. E

Aaron bibit ex cineribus vituli aurei combusti, & non apparuerunt in eo signa sceleris vt in aliis, Tostat. in Exod. sacerdotes manducant reditus ex peccatis populi collectis, qui non nocent si benè dispensentur.

Summus sacerdos veteris testamenti sumebat vxorem de tribu Regia de filiabus Regum; eoque nullus erat ditior in Israel præter Regem Tostat. Matth. to. 6. 208. & 223. Nam sumebat decimam partem decimarum Leuitarum, sic centesimam partem omnium fructuum totius Israel. Id. num. to. 1. fo. 257.

Dum creuit Ecclesia, maioribus indiguit auxiliis. *Vide Maioritas Medii.* Bona.

Christus non instituit primitiuam Ecclesiam diuitem, nec prælatos diuites. quia vocabat ad paupertatem; quæ facilius disponebat ad martyrium, abdicatis terrenis persecutionem auxissent diuitiæ, cum maior fuisset eas rapiendi cupiditas in gentilibus, & maior difficultas eas relinquendi in Christianis. Idem. Matth. to. 5. fo. 201.

Relinquentibus omnia propter Christum, promittitur centuplum in hoc & alio sæculo; qui Ecclesiam fundarunt Apostoli, & in primitiua Ecclesia Episcopi, voluntariam paupertatem accepere, nunc Ecclesia fruitur centuplo illis promisso. Iustinus Martyr. q. 110. ad orthodoxos.

Iouis ac Veneris constitutio, ex sacerdotio diuitias præstat, & fixæ de eorum natura. Cardan. Aph. sect. 6. Aph. 46.

Constantinus innexit diuitias in Ecclesiam, & sic eam corrupit. *Vide Maioritas Gloria.* Nimia quies, sub finem.

Sunt clerici qui possident opes sub Christo paupere. Vide infra de recta dispensatione.

VIS ET IMPERIVM Religionis & immunitas.

Episcopis debent Reges assurgere. Can. solitæ de maio. & obed.

Tribus Leuitica erat omnium minor, tanquam cæteris imperitans, decet enim eos qui præsunt subditis esse potiores. Theodoret. in Num. 42.

De Christi regno & dominio. Bernard. quadrag. 1. serm. 34.

De Ecclesiastica potestate. Gerson. to. 1.

De legis Ecclesiasticæ potestate. Gregor. Valent. contr. sect. 6.

De legibus diuinis. Cicero. 2. de legib.

De sacerdotii iure. Agobard. Bibl. Patr. to. 9.

In veteri lege quia promittebantur bona temporalia à Deo, religioso populo exhibenda, sacerdotes regibus erant subiecti; sed in noua lege est sacerdotium altius, per quod homines traducuntur ad bona cœlestia, vnde in lege Christi, Reges debent sacerdotibus esse subiecti; vnde præsagio quodam, Romæ vbi futura erat præcipua Ecclesię sedes, sacris imperia seruierunt, vt refert Valerius Maximus, & in Gallia vbi maximè vigere debebat Christiana Religio: sacerdotes, qui Druidæ vocabantur, summum habebant ius. D. Thomas lib. 1. de regimine principum cap. vlt.

Cardinalis Bertrandus Bibl. Patr. to. 3. v. ed. scripsit librum de vsu iurisdictionum, in quo probat Christianos omnes esse subditos Ecclesiæ: ex illo Matth. 18. dic Ecclesiæ, & dictum Petro, quodcumque legaueris. &c. vnde concludit Ecclesiam habere iurisdictionem super omnes actiones personales in quantũ sunt peccata & deuiant à debito fine. Sicut medicus iudicat de his quæ impediunt sanitatem, itaut in optione actoris sit, euocare ad quod voluerit tribunal. Iurisdictio à Christo instituta & data Ecclesiæ, respicit finem vltimum, scilicet acquisitionem beatitudinis, cuius autem est iudicare de fine, eius etiam est iudicare de his quæ sunt ad finem.

Verbum incarnatum est rex mundi propter crea-

ionem & excellentiam naturæ *Vide Cognitio Potestatis* sapientia regentis.

Math. 25. dicit Christus, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

Postquam dixit Deus, Faciamus hominē ad imaginem & similitudinem nostram, statim subiungit, & præsit volatilibus cœli, &c, præsint igitur natura homines iumentis; ipsis autem hominibus gratia præsint homines Dei, filij Dei. 1 Ioa. 1. nam cæteri cum in honore essent, non intelligentes, comparantur iumentis insipientibus psal. 48. *Vide Virtus Potestas.*

Arca intus & foris deaurata, etiam corona aurea supra circumdatur. Exod. 25.

Religio imperat etiam ope eorum qui ipsam diligunt *Vide Concordantia Potestatis.* Religionis & politiæ consensus.

De fori priuilegio. *Vide Differentia Principij.*

Ad imperium Religionis pertinet, quod Christiani non possunt esse serui Iudæorum. dist. 54. c. præsenti constitutione. Et quod Iudæi aut hæretici non possunt esse iudices Christianorum. *Vide Virtus Medij.* probi ministri.

Tonsura sacerdotalis & Monachalis in modum coronæ significat Regale Christi sacerdotium. 1. Pet 2. Isidor de Eccl. officiis l. 2. c. 4.

Romulus Capitolium condidit, in quo Palladium asseruabatur futurum caput vrbis. Suidas in voce Capitolium.

Leontius Tripolis Lydiæ episcopus cum omnes alij Episcopi, Eusebiæ Constantij vxori adularentur, & eam adorarent; vocatus Leontius noluit ad illam ire nisi promitteret debitam Episcopis reuerentiam exhibituram, vt eo ingrediente ipsa de solio suo descenderet, ipso sedente ipsa staret, caput manibus supponeret, benedictionem accepturа, ipsa stet, donec signo dato sedeat, Ita fregit insolentiam seruata Episcopali dignitate. Idem in voce Leontius.

Clerici Laicis habentur digniores. can. beatus 6. q. 1. hi illis non debent imperare cap. Ecclesia 7. de constitut. cap. fin. de reb. Eccles. non alienа; nec violentiam inferre ni excommunicari ipso iure velint. can. si quis suadente 7. q. 4. cap. tua nos de sent. excommun. Laicis fidelitatis iuramentum præstare non tenentur nisi ab ipsis temporalia habeant. cap. nimis 30. de iureiur. A muneribus personalibus sunt immunes. can. episcopus dist. 88. can. 20. & 40. 16. q. 1.

Benedictio quæ ab Isaac data est Iacob præ Esau nihil aliud fuit quam prærogatiua sacerdotij & consecratio propter quam fratres ipsi subiciebantur Bolduc de Ecclesia ante legem lib. 2. cap. 3.

Tribunal Ecclesiasticum non necat personam, sed vitium, & per salutarem pœnitentiam ad meliora reuocat; effecit diuitiatum, voluptatum, vanitatum, mortis denique contemptores, docuit solitudinem, philosophiæ matrem, paupertatem, virginitatem, &c. D. Chrysost. hom. 15. in 2. ad Corinth.

Episcopi non sunt magistratus sed consultores. *Vide Medium Concordantia.* arbiter.

Ideo mulier fidelis non debet nubere infideli, *Vide Concordantia Differentiæ Mala.* ne sit in contumeliam religionis sic subiici.

Moyses maior erat quam Aaron in temporalibus, contra vero in spiritualibus Tostat. Leuit. fo. 76.

Sacerdotum status in veteri Testamento non erat excellentior statu regali, sed sacerdotes iudicabantur per Reges Id. Iosue. to. 2. fo. 78.

Vide Medium Gloria. templi azylum.

Saturnus & Mars, iuxta Iouem aut Venerem, parum fiunt hebetiores. Card. amor & Religio præualent.

Impp Theodos. & Valentin. l. vlt Cod. de Iudæis: Sācimus inquiunt, neminem Iudæorum, quibus omnes administrationes & dignitates interdictæ sunt, deffensoris ciuitatis fungi officio, nec patriæ honorem accipere, ne officij authoritate muniti, insultent Christianis & Religionis Antistitibus.

Ecclesiastici tenentur seruare leges ciuiles omnibus communes, si non derogent priuilegiis Ecclesiasticis, vt non vendendi frumentum carius, non ferendi arma, non communicandi cum hostibus &c. tum quia sunt ciues, tum quia ad talium legum obseruationem obligantur virtute canonum. Suarez de legib. lib. 1. cap. 34.

Mulier quæ describitur in Apocal. amicta sole, habens lunam sub pedibus significat Ecclesiam vi diuina circumfusam, mortalia omnia dirigentem ad finem supernaturalem.

Christiani Iudæis famulari prohibiti sunt. Paulus 4. const. 3. §. 4. Bull. p. 589 to. 1. Non possunt habere Iudæi nutrices Christianas. Inno. 4. const. 2 p. 64 to. 1.

Milites hospitandi onus abstulit quibuscumque monasteriis & locis piis. Pius V. const. 148. p. 170. to. 1.

Mulieres cum statum subiectionis habeant, sacramentum ordinis nequaquam suscipere possunt. D. Thom. supl. q. 39. a. 1.

COLLATIO ECCLESIAsticorum in necessitate publica.

IN necessitate publica debent Ecclesiastici de suo conferre, quia hi qui bona immobilia illis dederunt, non potuerunt illa eximere ab essentiali onere, publicis necessitatib. debito.

Omnium bonorum temporalium regimen ad publicam commoditatem primò debet referri. Vnde Hugo de S. Victore in lib. de sacramentis loquens de ecclesiasticis possessionibus, dicit, ipsas possessiones nunquam à regia potestate posse elongari; quoniam si ratio postulauerit, & necessitas, debent obsequium potestati, quæ semper debet talibus necessitatibus auxiliū ferre, & sicut ipsa nunquam eximitur ab hoc officio, ita nec possessiones ab auxilio &c. Cardin. de Cusa de concordantia catholica lib. 3. cap. 39.

Bonifacius octauus, licet sibi voluerit arrogare summum ius in temporalia regum, cōcedit tamen illis vrgente necessitate ab Ecclesiasticis auxilium accipere. cap. clericis laicos de immu. Eccles. in 6.

Quis feret clericos ex deuotione principum dotatos, tanquam partes suo vniuerso non respondentes; velut inutilia membra, capiti suo, debita subsidia denegare. Reuocantur donationes titulo aut extremæ necessitatis, aut ingratitudinis tot tit. de reuocand. donatio.

In Hispania Rex tertiam partem redituum Ecclesiasticorum percipit, ex concessione summorum Pontificum, vt possit infidelibus bellum inferre.

Rex Portugaliæ percipit omnes fructuum & redituum decimas in India, tanquam Præfectus ordinis Christi, *grand maistre* ipse autem Ca-

tatis, Canonicis, & cæteris, dat pensiones congruas.

Pecuniam Ecclesiasticam sub precario & censu in subsidium exercitus præstita est sub Carlomanno, & confirmatum in Concilio Leptinensi. can. 2 an 743.

Ecclesiis non fuisse olim immunes à publicis collationibus certissimum est. Nou. 37.

Reges possunt de licentia Prælatorum accipere de thesauris Ecclesiæ in extrema necessitate, cum cautione tamen ea Ecclesiæ restituendi Tostat 4. reg. fo. 182.

Vide Virtus Medij. Repug. quando licet vti malo medio sub finem, ex Seneca.

BONORVM ECCLESIAsticorum recta dispensatio.

DE Eccle siasticæ rei dispensatione contra sacrilegos, Biblioth. Patr. tom. 9.

De Ecclesiastici & politici regiminis comparatione Bibl. Pat t. 9.

Res Ecclesiæ non sunt cuiusquam Prælati aut clerici, nec delictum ipsius Prælati in damnum Eccles. eapropter redundare potest Card. de Cusa. de concordantia catholica. lib. 3. cap. 31.

Aedificaui domos per Ecclesiæ gemẽtis ruinas, quo vis non irrumpit, technæ penetrant; & illicitis modis obtinetur, quod iniquioribus profunditur mira in Christi pane suauitas, quẽ paruuli de lacte, senes pene de tumulo quærunt, præda tam pinguis sæpius est vnius ludicri præmium: Regum pietas hæc interdum indulget nobilibus, in splendorem, siue tutelam Ecclesiæ, & vt iam diuites suo patrimonio non vsurpent, sed augeant illud quod est pauperum. In cæteris indignum est, nundinari homines de sanguine crucifixi.

Petrus Damiani opusc. 20. conqueritur; quod cum Episcopus debeat esse dispensator pauperum, ad eorum mensam affluentibus deliciis, alieni ructant, cum & illi quorum est tota substantia procul exclusi, famis inedia contabescant.

Idem lib. 4. ep. 12. arguit Episcopum bona Ecclesiæ alienãtem, quod Victor 2. in Cõcilio Florentino sub anathematis censura prohibuit, bona enim Ecclesiæ sunt pauperum patrimonium, Vnde si damnatur qui vnum hominẽ perimit ferro, qua sententia dignus erit, qui bona Ecclesiæ profligando, quamplures interficit inopiæ gladio, quorum sanguis clamat ad Deum de terra Gen. 4. si meretur indulgentiam qui dat Ecclesiis, quantum obnoxius qui rapit, & sine sanguinis effusione multiplicis homicidij reus est, plures pauperes, viduas fame necando.

Idem. opusc. 1. Monet Abbatem non profligere bona monasterij si enim ditantium Ecclesiæ peccata soluuntur, minuentes & dilapidantes sacrilegij vinculis innectuntur.

Idem opusc. 31, cap. 6. luget luxum Ecclesiasticorum, vnde per Esaiam cap. 57. Dominus dicit, Nunquid super his non indignabor. vt scilicet interiori exteriorem præponant ornatum, & sic Ecclesia in viri sui thoro adulterum introducat.

Non sunt nec cogendi nec inducendi fideles ad res suas dandas Ecclesiæ, iuxta illud, Voluntariè sacrificabo tibi ps. 53. & illud Exo. 35. omnis populus mente deuota obtulerunt donaria Domino. Ecclesia vero sancta non solum fideles spoliare non debet; quin potius inopibus opem ferre; vt debiles, pauperes, viduæ, orphani, & cæteri necessitatem patientes, a S. Ecclesia, vt puta à pia matre, & omnium gubernatrice subsidium accipiant: quia res Ecclesiæ, quibus Episcopi, non vt propriis, sed vt commendatitiis vti debent, pretia sunt peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi viuentium Concil. Cabilonense. 11. cap. 6.

S. Paulinus. S. Hilarius, & alii sancti Pontifice, proprias possessiones perfectionis amore reliquerunt, & tamen Ecclesiæ facultates habuerunt, non vt possessores, sed vt procuratores, scientes nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vindicauerunt in vsus suos vt proprias; sed vt commendatas pauperibus diuiserunt. Prosper de vita contemplat. lib. 2 cap. 9.

Hæc eadem fusius repetuntur in Conc. Aquisgranensi ca. 11. vbi additur illud ex B. Hieronymo super Mathæ Omnes qui stipe templi, & his quæ conferuntur ad vsus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum & sacerdotum, redimentium mendacium, & Saluatoris sanguinem.

Prosper loco citato dicit; Conuenit pastoribus Ecclesiarum, res Ecclesiæ possidere non ab his possideri: possidere autem non sibi sed aliis, & non ad suam, sed ad Dei gloriam; & fidelium commoditatem si res Ecclesiæ, eo modo quo dispensandę sunt, dispensentur; nimiæ non sunt: citatur in Concilio Parisiensi VI c. 18 a. 829.

Leuit. 5 qui subtraxit aliquid de rebus sanctis & his quæ in vsum sanctorum oblata sunt, reddet quintuplum & immolabit arietem Origen. homil. 3. in Leuit.

Qui considerat in multis Ecclesiis talium Christianorum peccata, qui arbitrantur quęstum esse pietatem, & cum deberent de Euangelio viuere secundum quod viuere decet seruos Dei, hoc non faciunt sed diuitias & multas possessiones acquirunt, nonne decet speluncam latronum factum esse sub illis Ecclesiam. Id. tract. 15 in Matth. qui Ecclesiasticas pecunias nõ secundũ iustitiã dispensant; & diuites fiunt de rebus pauperũ, ipsi sunt nũmulatij mensas habentes quas Christus euertit. Ib.

D. Chrysost. hom. 10. in 1. ad Corinth. dicit Et nos & omnia quæ nostris seruiunt vsibus ad Deum pertinere dispensatores enim sumus: vnde inuehitur in eos qui dicunt ego de meis consumo, meis fruor, tibi data erant vt in seruos distribueres, fiunt tua quæ sunt aliena, si in alios insumpseris, sin autem in teipsum profuse insumpseris, quæ tua sunt fiunt aliena: nam quoniam eis vsus es crudeliter, & dicis æquum esse vt eis solum ad tuas fruaris delitias, propterea ea dico aliena. Tria enim sunt etiam conseruorum communia, sicut sol est communis, terra, aer; quemadmodum in corpore est & totius corporis, & vniuscuiusque membri ministerium: quando autem fuerit vnius solius membri, etiam propriam perdit operationem; alimentum corporis quod est commune datum membris, si ad vnum venerit membrum, nec illi nec aliis prodest; non dicit vorax, quoniam accepi, debeo totum detinere, neque ergo hoc dicas in pecuniis, eius enim quæ accipit, est impertire: oculus totam accipit lucem sed ea totum corpus dirigit; Nares acceptum odorem communicant cerebro, & his totum homi-

zed by Google

nem recreant; pedes soli ingrediuntur, sed non se solum transferunt, sed etiam totum corpus. A
Si nemini des, & à nemine accipias, totum euertis humanæ vitæ commercium, &c. D. Chrysost. d. loco. Multo magis hæc dicenda sunt de distributione bonorum Ecclesiasticorum quę nascente Ecclesia fuerunt communia, & quorum maxima pars iure canonico assignatur pauperibus, velut eorum patrimonium à fundatoribus illis relictum.

Ibidem. Hom. 11. Respondet his qui dicebant magnas Ecclesię diuitias sufficere alendis pauperibus. Cum videris, inquit, facultatum magnitudinem, cogita inscriptorum pauperum greges, ægrotantium multitudinem, innumerabilium expensarum occasionem, videbis sumptus non esse B minores prouentibus; sed etiam aliquando maiores. Sed cur impositam tibi obligationem in alium reiicis; vestrum erit respondere Christo dicenti Math. 25 Esuriui & nō dedistis mihi māducare, &c.

Bonorum Ecclesiasticorum clerici non sunt verè domini, sed dispensatores, secundum illud. 1. Corinth. 7. dispensatio mihi credita est: pertinet autem ad dispensatorem vt fideliter distribuat ea quæ eius dispensationi committuntur, secundum illud 1. Cor. 4. Hic iam quęritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. In his ergò potest dupliciter peccatum cōtingere. Vno modo ex conditione ipsius rei, dum scilicet vsurpat sibi quasi rem propriam, & in vsus suos conuertit, id quod esset alii erogandū in alio modo ex inordiato vsu C eorum quæ in partem suam cedunt. D. Thom. quodlib. 6. a. 12.

Nou. 6. de Episc. & clericis, pręcipit Iustinian. vt Episcopus creetur cœlebs & orbus, idest, neque vxorem neque liberos habeat, ne affectu vxoris aut liberorum diripiat Episcopus Ecclesiæ facultates. Cuiac. in expos. eius. Nou.

Debent saltem superflua, pauperibus, quæ autem sint verè superflua boni viri arbitrio & bona fide sunt æstimanda, non enim debet profundere & lapidare bona fideicommissi. Nouella 59.

Moyses irridebat sacrificia gentilia, dicens. Deut. 32. Vbi sunt Dii eorum in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & D bibebant vinum libaminum; & ex præcepto ipsi cremare debebant adipes vt meliores animantis partes. Tostat. Gen. fo. 71. Indignū est & gentilū Ecclesiasticos reditus in vitæ delitias conuertere.

Math. c. 15. Christus multiplicatis panibus in deserto, prius voluit turbas satiari, quam Apostoli reliquias colligerent, & ipsas haberent in cibum. Nunc turbis populorum famelicis, soli Clerici secura gaudent rerum omnium abundantia.

Decimæ debent immediate dari clericis, & de his clerici debent dare pauperibus sustentationem; cum omne quod clericorū est, pauperum sit. 16. q. 1. can. quoniam quidquid. Tost. Math. to. 6. fo. 221. E

De legitima bonorum Ecclesiasticorum dispensatione. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in humanis. parte 1. cap. 17.

Contra malos Ecclesiasticos pauperum facultates rapientes & sibi appropiantes, multa apud Laur. Iustinian. lib. de casto connubio Verbi & animæ cap. 20.

Prædo ex eo die quo rem alienam inuasit, fructus præstat, non tantum quos vel inhonestè percipit, sed & quos verus possessor honestè percipere potuit. l. 1. §. ex die. ff. vnde vi. Cuiac. Obseru. lib. 5. cap. 12. Videatur qualiter sancti vsi sint bonis Ecclesiasticis.

Vnde temporalia Ecclesiis sunt prorogata stipendia, nonne vt Christi pauperibus erogentur? Noli igitur tu qui pręsides retinere quos alienū est, ne furti reprehēdaris causa Noli prodige dispēsare, quod tibi Christi caritas concessit ad tēpus. Clamabit contra te pauperum necessitas, scito debitorem omnium facultatum esse, quæ honesto victui tuo supersunt; si pro proximorum salute animam suam dare tenentur, cur non magis temporalem substantiam; quæ ad illorum non pertinet patrimonium, quomodo persuadebūt subditis eleemosynas facere si ipsi sint immisericordes. Laur. Iustinian. in complanctu Christianæ perfectionis.

Qui bona Ecclesiæ in vanis & superfluis impendunt, quia Deo sacrata sunt, sacrilegium committunt. *Vide Gloria Principii. Rep.* Sacrilegium auferunt rem sacram è loco sacro. inter manus suas sacras depositam.

Nihil Ecclesia sibi, nisi fidem possidet; possessio Ecclesiæ sumptus est egenorum. D. Ambros. ep. 31.

Nunc verum non inuenitur quod dicit Salomon parabol. cap. 14. Vbi non sunt boues, præsepè vacuum est; vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis Nunc magni sunt reditus Ecclesiastici, cum ex his qui hos percipiunt pauci sint qui laborent in agro Dei, opus hoc à pauperibus & nihil percipientibus Religiosis vt plurimum perficitur.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vt Christi fides liberum orbis imperium obtineret, è simulachris eiecti sunt dæmones, & ex hominum mentibus auaritia, quæ est idolorum seruitus. Propterea Christus seruat & datis in Euangelio consiliis suadet voluntariam paupertatem, quam relictis suis omnibus profitentur Apostoli. Horum pedibus pretia bonorum suorum conferabant fideles, & hæc in communes necessitates impendebantur, diaconorum ministerio, Apostolis incumbentibus prædicationi verbi. Conuersis postmodum ad fidem principibus, ab his & populis data sunt Ecclesiæ prædia, quorum reditus annui perennem efficerent in pauperes largitionem & indeficiens subsidium. Igitur ex institutione Christi Domini fundata fuit Ecclesia sibi pauper, pauperibus diues, vt quæ nunc possidet merito patrimonia pauperum dicantur.

MAGNITVDO. Diuina prouidentiâ factum est, vt amplissimæ sint illæ facultates, quæ numero fidelium in dies accrescenti, & sub asperis temporibus multa patienti sufficerent. Impium esset pluribus afflictis destinata subsidia, ab vno qui non eget, occupari; diuitem absumere necessariam pauperum alimoniam; vnam corporis Ecclesiæ partem obrui nimio sanguinis affluxu, cæteris atrophia laborantibus.

DVRATIO. Futuris sæculis promissum est hoc sacro pietatis deposito; cui parcit etiam auida regnantium manus & necessitas; nam id vrgenti magis pauperum necessitati, & operibus misericordiæ, maiorum deuotio consecrauit. Donaria vocas, pretia sunt animarum, vitam sensibilē Christo in paupere tribuentia, vt immortalem ab ipso consequantur; talibus parcit Respublica, & non parcet inexpleta sacerdotum cupiditas? Sacrilegi de salutis redemptione suas fouent libidines, mergunt animas?

POTESTAS. Tolerabilius esset hęc publicis impēdi necessitatibus, quā priuatorū his abutentium dis-

Digitized by Google

solutioni. Conclamatur tamen & meritò, si quid A eorum attingat fiscus; sed cur nô magis ingemiscit publica vox, cum hæc in Ecclesiæ damnum & scandalum absumit procuratorum luxus. Bona sua temporalia primi fideles, afferebant ad pedes non ad manus Apostolorum, qui fidem verbo disseminantes huius dispensationis munus diaconis committebant, nunc reditus sacri veniunt, non in manus tantum, sed in corda gerentium præcipuas Ecclesię dignitates; quo tandem vsu, nefas dicere.

COGNITIO. Prædicatur, arguté defenditur, scitur ab omnibus Ecclesiæ possessiones, esse rebus sacris annexas, & ex earum conditione positas extra ciuile commercium, inalienabiles fieri, pugnabunt ne contra semetipsas, & suo se conficient B apparatu splendido dignitates Ecclesiasticæ: asserunt verbis, quod negant operibus, dum bonis, addictis operibus pietatis & misericordiæ, non prophané tantum & indifferenter vtuntur, sed flagitiose, scilicet vt vitiorum omnium instrumentis, hæc est verè fundi totalis alienatio, licet successiua, si quotannis fructus eius in res illicitas profundantur, abusu nunquam intermittente.

VOLVNTAS. Hærent rebus impositæ seruitutes à Dominis, dum in alios transferuntur, legatis ęquantur fidei commissa & si malesanus hæres in eorum pręstatione moras trahat, illa, iudex exig ... si fideles Ecclesię bona sua dederent ea conditione, vt sumptis inde necessariis ad congrua C ministrorum alimenta, diuinique cultus decens ornamentum, cætera pauperibus destribuerentur, & ne non satis expressa donatorum voluntas dubium faceret, id Conciliorum & summorum Pontificum expressere canones.

VIRTVS. Pauperibus debentur ab omnibus subsidia lege naturali, ciuili, diuina potissimum quæ his operibus misericordię peccatorũ indulgentiam, & regni cœlestis cõsequutionem promittunt; quanto magis præstari debent ab Ecclesiasticis, toti gregi Christiano datis in exemplum.

VERITAS. Vt redituum quas percipiunt, certa pars cedat pauperibus, est ius priuatum, onus instar seruitutis, & conditionis impositum donationi; est ius publicum ex decretis Ecclesiasticis, D hanc igitur duplici vinculo firmatam obligationem dissoluere nulli conceditur, quidquid prauis cupiditatibus aliqui doctores velint blandiri.

GLORIA. Mali sunt rerum æstimatores qui Prælati gloriam metiuntur ex vestis, palatii, comitatus splendore, hæc decent aulicos non sanctitatem professos in humilitate Christo Domino famulantes. Cedit in viri Deo sacrati maiestatem & reuerentiam affinis Apostolicę paupertati, parsimonia, hinc nascitur sanctitatis opinio titulis & ornamentis omnibus illustrior.

DIFFERENTIA. Clerici debent abstinere E à negotiis, personis, locis, vestibus superfluitatibus laicis. cap. clerici. 15. de vita & honest. clericor. vt sic abstinentes sint bonus odor Christi, & in superfluis non absumant pauperum patrimonia.

CONCORDANTIA, ideo præcipiunt Canones eos in commune viuere, vt sub sociorum velut censorum oculis absit luxus & sua seruentur pauperibus. *Vide Concordantia Potestatis.* Communio bonorum.

CONTRARIETAS. Bonorum Ecclesiasticorum profusione, tolerabilior esset hostium deprædatio: quia ministros non inficeret vitiis, sed exerceret patientia, nec populis fieret in scandalum.

PRINCIPIVM. Ex sanctitate processerunt illæ diuitiæ, & filiæ matrem suffocauerunt, in paupertate fundata primum Ecclesia; inundantium diuitiarum appulsu destruitur.

MEDIVM. Qua ratione suadebunt populo de familię suæ substantia falcidiam pauperibus largiri, cum ipsimet illis debita suffurentur, nec restituant.

FINIS. Nullus habendi, nullus rapta profundendi finis, hinc iam publicum fit de beneficiis vt de cæteris rebus commercium, detersa subtilibus coniecturis symoniæ contumelia.

MAIORITAS. Si tenet illos amplificandi reditus summa cupiditas, detrahant de superfluis impensis; ita poterunt quod debetur pauperibus exoluere, & cæteris iucundius, quia sine crimine, frui licebit.

ÆQVALITAS. Maioribus dignitatibus ampliores assignantur reditus, quibus possint & decentius exerceri, & quæ contingunt onera sustinere, quidquid occurrat, multa semper suppetunt quæ charitati temperantia largiatur.

MINORITAS. Omnis annus non respondet votis agricolæ, at Ecclesiasticorum beneficiorum indeficiens sibi semper par est reditus. Ita licet sine casus aduersi metu, securè frui bonis suis; sequens annus præcedentis fideiussor est, restituturus, quod in vrgentes fortè proximi necessitates, plus solito charitas impenderit.

In epist. Alexand. 1. Papæ. to. 1. Conc. Episcopi dicuntur actores Ecclesiæ, seu œconomi. Quales essent ęconomi, qui totum sibi vindicarent, de abutentibus Ecclesiæ bonis dici potest illud Psal. 52. qui comedunt populum vt cibum panis, scilicet pauperes. His, vt dicit Apostolus Gal. 5. Deus venter est, qui ministerium deputant ad negotiationem, collationibus se plebis & muneribus ditando, dum conuiuia sub obtentu religionis sumptuosa sectantur, cum consuetudo ab Apostolis necessariæ huius collationis, ad diurnam tantum sæculo renuntiantium, aut per inopiam indigentium alimoniam fuerit instituta. D. Hilar. in d. Psal. 52.

Replebimur in bonis domus tuæ, scilicet dono sapientiæ, scientiæ, fidei, & munera non secundum sensus æstimanda, sed vt dicitur 1. Cor. 2. quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Ideo subiicit Propheta, Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. Id. in Psal. 64.

Sunt clerici qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerant, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos. Mensulam tuam pauperes & peregrini, & cum illis Christus conuiua nouerit. Negotiatorem clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge, &c. D. Hieron. epist. ad Nepotianum.

Amico quippiam rapere furtum est, Ecclesiam fraudere sacrilegium est, accepisse quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis, omnium prædonum crudelitatem superat. Ib. in fine.

Egentium famem suas faciunt esse diuitias, & miseris derelicta in suam reseruant miseriam. Id. ad Rusticum.

Sanctus Exuperius Tolosæ Episcopus, Viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore

pallente ieiuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditius qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro, qui auaritiam eiecit è templo, qui absque funiculo & increpatione cathedras vendentium columbas, idest dona sancti Spiritus, mensasque mammonæ, subuertit, vt domus Dei sit domus orationis, &c. Ibidem. in fine.

A Pars sacrilegii est rem pauperum date non pauperibus Id. ad Pammach

Vide Virtus Bonitatis. Si non sit omnino gratuitum officium, saltem non exigatur ingens remuneratio.

Ad opera charitatis specialiter obligantur qui percipiunt magnos beneficiorum reditus. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ. parte 1. cap. 13.

COGNITIO VIRTVTIS.

COGNITIO VIRTVTIS PROPRIÆ ET confidentia sui.

MIRABILIS facta est scientia tua ex me. Psal. 38 artificium sapientiæ tuæ qua corpus & animum ad imaginem tuam construxisti cognoscens, ex parua fabrica magnum opificem animaduerto. D. Gregor. Nyssen. Hom. 1. faciamus hominem.

Numquam Apostolis venisset in mentem totum mundum conuertendi, nisi sensissent in se datam gratiam ad tantum opus, quoniam imbecilli aduersus fortes, pauci aduersus multos, pauperes aduersus diuites. D. Chrysost. Homil. 7. in 1. ad Corinth.

Motus Angeli primo est in id quod est sibi connaturale, quia per id pertingit in id quod est supra naturam & ideò oportuit quod Angelus in primo instanti suæ creationis conuerteretur ad naturalem sui cognitionem, secundum quam non potuit peccare; postmodum verò potuit conuerti in id, quod est supra naturam, vel ab eo auerti & ideo Angelus in primo instanti suæ creationis non fuit neque beatus per conuersionem perfectam in Deum, neque peccator per auersionem ab ipso. Vnde August. dicit 4. super Genes. ad litt. quod post vesperam primæ diei fit mane, cum lux spiritualis, scilicet Angelica natura post cognitionem propriæ naturæ, quę non est quod Deus, refert se ad laudandam lucem quæ est ipse Deus, cuius contemplatione formatur. D. Thom. in quæst. disput. de peccatis. q. 16. a. q. a.

Qui veritati coniunctus est nouit quam benè se habeat, etiam si plures illum corripiant, quasi amentem & extra se factum; nouit ipse per simplicem & semper secundum eadem & eodem modo se habentem veritatem euasisse liberum. D. Dionys. de nominib. diuin. cap 7. in fine.

Primam intelligentiam esse summè gaudiosam, & in seipsa delectari dixit Aristot. 12. Metaph.

Multum excellentes non irascuntur si contemnantur in eo in quo manifestè excellunt. Tostat. Math. 10. 2 fo. 105. ita suæ virtutis cognitio confert ad fortitudinem & patientiam.

Ordinatus debet intelligere quam accipit spiritualem potestatem. *Vide Cognitio Potestatis.* Videri potens.

B Non benè vendit res suas qui eas contemnit.

Hæc bona de se opinio, opponitur nimio timori, *Vide Cognitio Contrarietatis*, nimius futuri mali metus, & desperationis. *Vide Cognitio Minoritatis Mala.*

Qui se cognoscunt magno loco natos; magna audent. *Vide Virtus Principij.* Bona educatio de Moyse.

Alexander Macedo cum ad templum Iouis Ammonis peruenisset & à Deo salutatus fuisset vt filius, ipsi fidem habuit. Maximus. Tyrius, serm. 25.

Pellis vituli marini nunquam tangitur fulmine, & Octauius Augustus fulmen supra modum expauescens, vbique pellem vituli marini pro remedio circumferebat. Hoc autem animal internæ virtu-

C tis suæ conscium, audito tonitru, & viso fulgure, gaudens ascendit planos monticulos, sicuti ranæ exultant accessu pluuiarum. Olaus Magnus. rer. septentrion. lib. 10. cap. 6.

Anima perfectè non cognoscit excellentiam suam donec corruptibili detinetur corpore, sed quando ab ipso liberata fuerit, tunc reuelabitur eius gloria, sicut scriptum est; Charissimi, filii Dei sumus & nondum apparuit quid erimus; quod cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Laurent. Iustinian. lib. de fide. cap. 6.

Cui Iupiter est in aspectu Solis, is superbus erit, & sine causa si non recipiat. Cardan. Aph. sect. 3. Aph. 149.

Confidentia hominum est cum domini ascen-

D dentis & planetæ plures in suis fuerint dignitatibus; & cum luminaria, & Dominus ascendentis cum fortunis; & cum luna fuerit lumine & motu aucta, cumque Dominus ascendentis natura talis est, & orientalis à sole, & in superiori excentrici parte; ex oppositis autem maxima diffidentia. Ib sect. 4. aph. 133.

Ad contemplationem aspiranti, omnes discussiones peccatorum quibus miscetur vitiosa delectatio, aut formidolosa desperatio & pusillanitas, vel conscientiæ scrupulositas, rescindendæ sunt confestim, alioquin impedimento sunt in vita proficiente. Nam bonos affectus extingunt animum

& libertatem cordis deprimunt, familiaritatem Dei elongant, veram confidentiam extinguunt, animamque à vita contemplatiua reuocant. Harphius. Theolog. myst. lib. 2 cap. 17.

A

Viuentia norunt suas & hostis sui vires. Vide quæ scripsi de iure natural. lib. 2. lege 11. Sentiunt animalia quid possint & valeant Ib. §. 1.

Homo debet nosse natura sua dotes. Theolog naturalis to. 2. parte 1. cap. 1 Cognitio supra semetipsam reflexa est homini propria, & probat immortalitatem animæ. Ib. cap. 14.

Paracelsus lib. de occulta philosophia in proœmio, dicit ad magicas naturales operationes, citra characteres & ceremonias, sufficere fidem seu magnam de opere perficiendo confidentiam, cum illius viua imaginatione.

Sapiens seipso contentus est, quia nouit bonum quod possidet. *Vide Potestatis Virtutis.*. Sapiens seipso contentus.

B

Secundum sapientes Hebræos prima à Deo producta intelligentia habet duplicem cognitionem & amorem 1 Dei, secundo sui; contemplatione & amore Dei, producit secundam intelligentiam; amore autem sui producit primum orbem cælestem, cuius est anima intellectiua & motrix. Sic de secunda intelligentia & sequentibus quæ in eam à qua processerunt, primo conuertuntur, tum ad se. Leo Hebræ. dialo. 3. de amore, à Lunæ motrice intelligentia procedit anima mundi datrix formarum.

Gen. .. adduxit Deus animalia ad Adam, vt videret quid vocaret ea: vt homo intelligeret seipsum, quanto melior esset cunctis animantibus ex rationis discretione, & eo magis conditorem suum diligeret, quo se meliorem aliis viuentibus intelligeret. Alcuin. in Genes. inter. 55.

C

Sapiens fugit aulas principum, quia his se putat meliorem. *Vide Gloria Virtutis*, Sapiens aulam fugiat.

O fortunatos nimium sua si bona norint agricolas.

Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Psal. 125. sibi confidit ex experta gratiarum abundantia, & bonis inde operibus. D. Basil.

Scipio Africanus Carthaginem obsidens, sic certam sperabat victoriam, vt deprehensos Annibalis speculatores, postquam illis castra sua lustrare permisisset conuiuio exceptos, illęsos dimiserit; ipsemet vrbem aliam obsidens, litigantes ad iudicium, in ęde quæ intra mœnia vrbis erat, postera die vocauit. Valer. Maxim. lib. cap. 7.

D

Est etiam placuisse sibi quæcumque voluptas.
Virginibus cordi, grataque forma sua est
Laudatas homini volucris Iunonia pennas,
Explicat & forma muta superbit auis. Ouid.

Sapiens sibi complacet, vnde seipso contentus est *Vide Volumtas Bonitatis.* Bonus sui amor, Et *Potestas Virtutis.* Sapiens seipso contentus.

De his qui sibi tumulos posuerunt, cum sui commendatione *Vide Gloria Finis.*

E

Seipsos laudare videbantur, qui in funere parentum ipsos publicè laudabant. *Vide Gloria Principii.* Parentum.

Florum coronæ non supra caput, sed infra nares & oculos debuerant poni. *Vide Maioritas Gloriæ.* excessus voluptatis; sibi quisque primum plaudere debet.

Paracelsus libro de Philosophia occulta; dicit eum militem qui se pascit his cogitationibus se pericula omnia, inuicta fortitudine superaturum, & ad omnes militares honores peruenturum: id tandem verè consequi vi imaginationis, quæ vires addit, & apud alios etiam, multū potest.

Quidam existimarunt oculos esse igneæ naturæ de quibus. *Vide Cognitio Voluntatis.* amor sapiens. Hos impugnat Albert. Magn. tract. 1. de sensu & sensato cap. 3 quia, inquit, si lux esset in oculi compositione, ipsam oculus videret. Illustriores animæ seipsas, splendoremque suum intelligunt, & sentiunt.

Corpora perspicua, simplicia, sicut ignis, aqua, aër, recipiunt lumen in profundo sui, non in superficie tantum: alia corpora recipiunt tantum lumen in superficie, quo videntur. Albert. Magn non sufficit videri, nisi teipsum in interiori cognoscas.

Inter multas rationes quibus Auicenna probat immortalitatem animæ, hæc est, quod virtus in corpore operans nec se, nec suum apprehendit instrumentum, vt visus, auditus, imaginatio, nec se, nec sua apprehendunt organa, intellectus autem & seipsum, & omnia apprehendit organa. Albert. Magn. tract. 1. de natura animæ. c. 1.

Mare & Nilus quo fœcundatur Ægyptus, prius in se intumescunt, quam effundantur in terras: in proximi publicique commodum non se diffundit, nisi sibi confidens.

Quædam plantæ sunt penitus concauæ, sicut fistulæ, calami; & hoc fit ideo, quia illæ multò indigent spiritu fumoso, libero, qui eleuatur in concauo plantarum illarum, ex nutrimento quod ascendit per directos poros laterum plantæ, sicut arundo, & calamorum genus. Albert. Mag. lib. 2. de vegetabil. c. 3. exilia quędam ingenia, indigent confidentia sui, qua velut mouente ad intra spiritu, ad actionem prouocantur, nam infirmitatis suæ conscia, torpescerent.

Pluuiæ secum deferunt pinguedinem superficiei terræ, cum distillant in profundum; vt autem animalia quæ generantur in lacubus subterraneis sunt venenosa, eo quod lucis expertia sunt & vaporibus spissis nutrita, ita etiam id pingue quod in profundo terræ latet, incongruum est, grossum & frigidum, nisi ad superficiem aliquando tollatur, & lumine Solis lustratum fiat subtilius ad alimentum plantæ. Ibidem lib. 7. cap 4.

Ad constantis animi statum pertinet seipsum imprimis, suaque æstimare, non aliena tantum suspicere, aliena poëmata, picturas theatra, & animi fortunæque propriæ dotes negligere ad instar adulterorum, qui suas licet pulchras vxores fastidientes, aliena inhiant; in seipsos sæui, & in fortunam ingrati. Plutarch. lib. de tranquillitate animi.

Præuideat animus quæcumque euenire possunt aduersa, & fidens sibi, securusque decernat se in talibus, probitatem, sapientis viri que boni affectus seruaturum. Ibid.

Magi quærunt apud Iudæos Christum, quem Iudæi apud se natum, & miracula facientem non agnoscunt.

Eos qui sibi robur aliquod in stylo fecerint, non ad infœlicem calumniandi se pœnam alligandos puto, nam quo modo sufficere ciuilibus officiis possit, qui singulis actionem partibus insenescat. Sunt autem quibus nihil sit satis, omnia mutare, omnia aliter dicere, quam occurrit, velint, increduli quidem, & de ingenio suo pessimè meriti, qui diligentiam putant facere sibi scribendi difficultatem;

De indecora sui iactantia. Vide infra hoc titulo.

Auicenna 9. de animalibus refert, quod si gallina vincit gallum in pugna, erigit cristam quasi esset gallus, & aliquando nascitur ei cornu in crure, sicut gallo.

David punitur à Deo, eo quod recenseat populum suum ad decies centena & trecenta ciuium millia. 2. Reg. 24.

De prelatis qui sibi nimium confidentes aberrant à veritate, & alios aberrare faciunt. *Vide Contrarietas Potestatis.* Potestatibus quando licet resistere.

Immolatæ auis ascellæ confringuntur. Leuit. 2. vt mens de acceptis à Deo muneribus doceatur se non extollere; confringuntur autem, sed ferro non secantur, vt accepta gratia per humilitatem ignoretur, per rationem tamen optimè sciatur, vt seruetur, Rupert. lib. 1. in Leuit c. 7.

Philosophi asserunt nullum alium esse mundum, quam hunc quem inhabitant; alii tot esse mundos dicunt, quot stellæ.

In Concilio Romano condemnatus fuit quidam Adelbertus, qui se dicebat à Deo illustratum, & missum; interiora cordis nosse; capillos & vngulas suas populis pro sanctuario exhibebat: sic Pseudopropheta seducebat populos. Conc. Galliæ. to. 1. an. 745.

Caluinus asserit vnumquemque teneri credere se electum & necessario saluandum: sic Beza in confess. fidei. c. 4. a. 13. Vnusquisque, inquit, nostrum ita apud se ratiocinetur: Ego sum in Iesu Christo, ideoque non possum perire.

Etiam die & mari tranquillo nauis potest perire à latentibus scopulis, dissoluta compage, malacia, vel à piratis.

In scientiis opinio copiæ, causam inopiæ dedit, non quærût quæ putant esse ab antiquis inuenta.

Ardelio habitu Achillis sumpto & equo conscenso putabat se omnibus hominibus fortiorem esse & inuictum. Suidas.

Vide Maioritas Gloriæ. Nimia vanitas.

De quodam Polydama oppresso ob nimiam virium suarum præsumptionem *Vide Principium Minoritatis.* Malum à seipso.

Ineruditi quæcumque norunt, quoniam hærent sensibus, firmius noscentes, nec vltra ad æterna progressi multum se scire existimant. Eruditi æternorum magnitudinem & multitudinem cernentes, inferiorum neglecta notitia nihil prope se scire putant. Cardan. lib. de rer. varietate. c. 42. & addit. Nos qui admirationi sumus pluribus, gentibus tam humiliter de nobis ipsis sentimus, vt malim acerbissimi inimici iudicio stare, quam nostro, vbi de doctrinæ existimatione agitur.

Pharisæi sunt omnes qui iustificant semetipsos, & diuidunt se à cæteris dicentes, recede à me quia mundus sum. Phares enim Hebraicè significat diuisio. Origen. tract. 25. in Matth.

Creatus est homo vt præsit bestiis terræ & volatilibus cœli: igitur ne sublimes spiritus tollas, ne intumescas, ne tibi nimium placeas, aut plus de te sentias, quam patiatur humana conditio. Ne laudibus inflatus extollaris, ne te ipse iactites, aut magnum aliquid esse putes, animum igitur tuum modera, si vis bestiis imperare. D. Gregor. Nyssen. Orat. 1.

Superbia arx ægritudinum quæ Deum bello petit; quæ ad naturam pertinentia ignorat; quæ diaboli morbo inflatur, qua virtutis cursus inutilis efficitur, & vniuersas ipsa virtutum fasces extinguit. Ieiunii cum superbia copulati emolumentum nullum; superuacanea virginitas superbiæ sorde inquinata; iustitiam Deus auersatur fastui seruientem, &c. S. Basil. Seleuciæ. Orat. 35.

Luc. 18. sic orat Pharisæus; Gratias ago Domine, quia non sum sicut cæteri. Bellum sane gratiarum actionis exordium, mundi criminatio, & iudex mortis sententiam in omnes ferens: decimas do omnium quæ possideo: tanquam debitori Deo debiti memoriam refricat. Ibid.

D. Paulus scribens Romanis non illis blanditur de summa in cæteras gentes potentia, sed vt ponat humilitatis fundamentum, connumerat cum cæteris gentibus vocatis, in quibus estis & vos vocati Iesu Christi. D. Chrysost.

Væ prudentibus apud semetipsos, & in oculis suis sapientibus. Isai. 5.

Moyses ignorabat quod cornutam haberet faciem ex consortio Dei.

Isai. 31. sic inducitur de se præsumens: Super astra cœli ponam thronum meum, ero similis Altissimo; apprehendã manu mea orbem sicut auiculæ pullum, & sicut oua relicta tollam illum. Sic stultus est omnis arrogans, vt vix vnum ab alio discernat; quemadmodum aquaticæ ampullæ facile rumpuntur, ita & illi facilè pereunt, vt aridæ stuppæ facilè in cinerem vertuntur, sic illi in minimis aduersis deficiunt, excidentes à concepta prius præsumptione. D. Chrys. hom. 21. in epist. ad Rom.

Qui se existimat stare, videat ne cadat, 1. Cor. 10.

Nihil ęquè nos inanes efficit & disperdit, ac rectè factorum memoria, duo enim parit mala, negligentiores facit, & in arrogantiam tollit; vnde dicit Paulus 3. Philip. Fratres me non arbitror comprehendisse. &c. Id. hom. 12. in epist. ad Philip.

Cum omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus. Luc. 17.

Superbia est initium peccati, non enim agnoscit nec colit Dei boni largitionem, taliter affectus propensus est ad vlciscendum vel minimam sibi factam contumeliam; hominem efficit Dæmonem, contumeliosum, blasphemum, periurum, cædis appetentem, semper est in doloribus, & tristitia quasi aliquid sibi debitum detrahatur; quantacumque fruantur gloria maiorem expetunt, non naturæ, sed morbi affectu, pro remedio cogita rerum humanarum variam sortem, post multos casus tandẽ morte conclusam: cogita peccata tua & Dei iudicium. Idem homil. 2. in 2. ad Thessalon.

De superbia. *Vide Voluntas Maioritatis.* De ambitione. *Vide Voluntas Potestatis. Mala.*

Deus totum virtutis opus non posuit in sola nostra potestate, sed etiam in auxiliis gratiæ, vt nostram amputaret arrogantiam. *Vide Principium Virtutis,* gratię diuinæ auxilium. Propterea multis te cinxit bestiis, exposuit casibus, & in tanto constituit metu, vt humiliter de te sentires, propterea frequentes sunt mortes & immaturæ, & tamen tanquam immortales superbimus; rapimus aliena tanquam rationem non reddituri; ædificamus tanquam hic semper mansuri, &c. D. Chrysost. hom. 15. in epist. ad Hebr.

D. Augustin. super Genes. dicit, Non est putandum quod homo deiiceretur, nisi præcessisset in eo quædam elatio comprimenda, vt per humilitatem peccati sciret quam falso de se præsum-

Digitized by Google

Inanis gloria est periculosissimum peccatum non tam propter grauitatem sui, quam propter hoc quod est dispositio ad grauius peccandum. D. Tho. in quæst. disp. de pecc. q. 9. a. 2. ad 4.

Inanis gloriæ filiæ sunt, inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, nouitatum præsumptio. Ibid. a. 3.

Salubriter à Deo ordinatum est, vt prædestinati ignorarent suam prædestinationẽ ne securitas negligentiã pareret in ipsis ad vitanda peccata, & ne alij quibus non esset nota sua prædestinatio, intelligentes se reprobatos caderent in desperationem. D. Tho. in quæst. disput. de prædest. a. 5.

Dauid grauiter peccauit numerando populum, scilicet per elationem gloriando quod tot populis dominaretur. Tost. in 1 Paralip. c. 21.

Beata fides transcendere facit humanum sensum; Nam ille fidelis dicitur, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus tanquam vas perditum, sed sic perdens animam suam vt in vitam æternam custodiat eam. Laurent. Iustin. de fide cap. 4.

Meditare potius quid tibi desit, quam quid adsit, quod habes caue ne perdas; quod non habes supplica vt habeas, in quantis sis minor est considerandum, non in quantis sis maior; si enim cogitas quãtum præcessisti alterum, time tumorem; si verò cogitas quid tibi deest, ingemisce, & cum ingemiscis curaris: humilis si eris tutior ambulabis, non præcipitaberis, non inslaberis, Nam quanto maioris gratiæ lumen percipis, tanto magis reprehensibilem te esse cognoscis. Idem. tract. de Charit. cap. 9.

Quando Venus cum Saturno fuerit, & Mars & Mercurius in loco Lunæ, natus erit stultus, Philosophum se putans. Cardan. aph. sect. 6. aph. 115.

Non oportet existimes te solum hominem, reliquos pecudes, quibus nec mutrire liceat: homo es, viue æquo cum reliquis hominibus iure.

Qui externis operibus propter Deum impenditur, videtur illi externa exercitia multo esse vtiliora qualibet exercitatione interna; & quia magis exercet opera exteriora propter Deum, quam colat eum interiori affluxu dilectionis, propterea in corde eius magis depicta sunt opera quæ propter Deum perficit, quam ipse Deus propter quem agit. Harph. Theol. myst. lib. 2. p. 2. c. 14. in fine.

Optima de suis viribus dessidentia. Vide quæ scripsi Moralis Christiana to. 1. parte. 1. cap. 18.

Obedientẽ impedit sui cõfidentia & præsũptio, præsumptuosus enim primus in cõgregatione præcedere desiderat, in cõsiliis primus respondet: non vocatus accedit, non iussus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta, quidquid ipse non fecit, aut non ordinauit, non rectè factum, nec pulchrè existimat ordinatum, iudicat iudicantes, præiudicat iudicaturos; si cum tempus aduenerit non promoueatur, aut inuidiæ face accenditur, aut iracundiæ mucrone iugulatur, nescit enim prælatis subesse. Laurent. Iustinian. lib. de obedientia cap. 4.

Est præsumptuosa confidentia, quæ periculis pro certo vitam suam commendat. Et lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati saluari se sperat. Incerta victoria est inter hostilia arma pugnare. Impossibilis liberatio est flammis circumdari, & non ardere expedit igitur magis benè timere, quam male confidere & vtilius est vt homo se infirmum cognoscat. Idem lib. de spe. cap. 3.

De hac præsumptione legitur, Qui confidit in

A corde suo stultus est, quoniam qui de nihilo factus est, in nihilum redigetur, si à creatore suo & Angelorum ministerio contra tot hostes non sustenteur. Ib. cap. 4.

Minimum de se sensisse tam magnum est, quam maximas res fecisse, quod si non adsit, nec illæ poterunt esse laudabiles, ita gratiores habemus seruos, qui se magna præstitisse non arbitrantur. Itaque si bona tua magna vis facere, noli ea magna putare, aliter enim magna esse non possunt. Centurio dicens, Domine non sum dignus, dignus factus est. D. Chrysost. hom. 3. in Matth.

Vide Virtus Minoritatis. Humilitas. *Et Cognitio Minoritatis.*

B ¶ Quanto acutius viderimus, tanto magis discimus quam longè à cœli regione distamus: sic quanto excelsiores sumus in virtute, tanto magis cognoscimus quantum sit inter nos & Deum discrimen. Ille est maximè seipsum sciens qui se esse nihil existimat, sic Abraham dicit esse terram & cinerem; Dauid vermem, horum more sancti se deiiciunt, vnde solemus dicere de superbo, nescit seipsum, seque prorsus ignorat, qui vero se nescit, quemnam poterit agnoscere? Paulus abortiuum se & minimum sanctorum vocat, qui seipsum & alia ignorat, temporalibus velut magnis adhæret, cupiditatibus inflammatur, &c. Ib. Homil. 26.

Agnoscebant discipuli naturæ suæ infirmitatem, qui cum nullius perfidiæ essent conscii, tamen dicente Christo, Vnus ex vobis me tradet, cœperunt

C singuli de se dicere. Numquid ego sum Domine Matth. 26.

Abraham post tantas sibi à Deo factas promissiones dicit, Puluis sum & cinis, sublimitatem promissionum humilitate temperauit: qua igitur pœna digni sunt qui cum ad summa non proficiant, tamen de minimis extolluntur? Alcuin. in Genes. inter. 10.

Non nos perpetuo existimemus, vt possimus esse perpetui. D. Hieron. ad Marcellam in fine.

D

VIRTVS QVÆ SE PROfert ad extra & vult videri ad cæterorum ædificationem.

APrilis dicitur quia hoc mense omnia aperiuntur in florem quasi aperilis. Isidor. Origin. lib. 5. cap. 33.

Ecclesiastici per decentiam habitus extrinseci, debent intrinsecam morum honestatem indicare, dist. 40. per tot. & Clem. 2 de vita & honest. clericorum.

In Euangelio domus repleta est ex odore vnguenti, quod Magdalena effudit super pedes domini, Eleemosina exbita pauperibus edificat to-

E tam Ecclesiam & totum mundum. orig. homil. 1. in cant. Vnguentum effusum nomen tantum. Scilicet nomen Christi.

Crescite, multiplicamini, & replete terram, bonis operibus & exemplis quæ numerum electorum augeant, & Dei liberatoris gloriam. D. Gregor Nyssen, orat. 2.

Deus delitescentem in Dauid adolescente bo-

hi thesaurum non sine pompa extrahit in lucem S. Basil Seleuciæ orat 16.

D. Chrysost. Homil. 11. in epist. ad Thessaloni increpat mulieres quasdam quæ a pauperibus per dominum adiuratæ, non dant eleemosynam, dant autem si adiurentur per suam pulchritudinem, lætitia effusæ & emollitæ mouentque etiam in ipsis pauperibus risum.

Affectaut Christiani distingui ab hæreticis *Vide Differentia Minoritatis.* distingui à malis.

Cerei accensi in manus baptizati à ministro dabantur, quatenus impleatur illud Euangelij: Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est; cæteris igitur exemplo prælucere debebant. Iuo Carnotens. serm. de sacrament. Significabat etiam animam baptizati nuptias cum Christo contrahere, & hanc esse recordationem luminis Spiritus sancti.

In Ecclesiis cathedralibus & collegiatis incensum offertur, Prælatis, Canonicis, & populo, vt admoneantur vitam suam sic dirigere, vt sint in exemplum secundum Apostolum. Christi bonus odor sumus. 2. Corinth. 1.

Manifestantur defunctorum virtutes per honorem sepulturæ *Vide Gloria Finis.* honor sepulturæ.

Angeli suas proprietates ostendunt per formam suæ apparitionis. *Vide Minoritas Veritatis.* dolus bonus.

Initio terra erat inanis & vacua scilicet aquis cooperta & inuisibilis D. Thom.

Gloria importat euidentiam quandam secundũ quam aliquid fit conspicuum & manifestum in suo splendore multitudini: ita Liuius introduit Fabium dicentem, Neque tempus gloriandi mihi apud vnũ est, id autem potest laudabiliter ordinari ad tria 1. ad gloriã Dei, per hoc enim quod bonum alicuius manifestatur, glorificatur Deus, cuius est principaliter illud bonum sicut primi actoris. Vnde dicitur Math. 6 Sic luceant opera vestra vt glorificent patrem vestrum qui in cœlis est 2. ad proximorum salutem, qui talibus exemplis prouocati bonum hoc imitantur 3. ordinari potest ad vtilitatem ipsius hominis, qui dum considerat bona sua ab aliis laudari, de his gratias agit, & firmius in eis persistit, &c. D. Thom. in quæst. disput. q 9. de inani gloria a. 1

Angeli mali solent assumere figuram angeli lucis, sed boni angeli non mutant propriam figuram Tostat. in Gen fo. 1. 8. a.

Verbum, Spiritus sanctus, Deus dicitur descendisse de cœlis, quantum ad aliquam demonstrationem effectus in aliqua parte orbis in quo prius non videbatur à nobis. Id Exo. to. 1. fo. 157. vt Luce 1. & Gen. 11. venite descendamus.

De fama quantum desideretur & possit apud homines *Vide Potestas Gloria.*

Quando Iudæi erant Idololatræ ponebant altaria idolorum in augulis platearum, & ibi faciebant sacrificia, vt contigit tempore Achaz & aliorum regum, vt patet 2. Paral 28. & 4. Reg. 23. & Ierem. 44. Tost Math. to. 3. fo, 51.

Gloriosam lucem ostendere, vel ocultare, est in potestate beati. Ib. Math. to. 4. fo 25.

Manlius Torquatus sic dictus est, quia semper deferebat torquem, quem ab hoste à se victo tulerat. Id. 2. Reg. fo. 52.

Nazarei distinguebantur à cæteris Iudæis ex cæsarie non tonsa.

Virtute excellentes habuerunt à Deo nomen priusquam nascerentur *Vide Potestas Cognitionis* vis nominis.

Superabundantem sanctitatem simulare peccatum est Tost. Math. to. 4. fo 23. tamen sanctitatem possunt simulare Religiosi absque hypocrisi, quia pertinet ad eorum statum. Ibid. fo. 130.

Semen & lac non perficiuntur ab anima vt maneant in corpore, sed pulsant ad exitum. Id. Math. to. 6. fol. 103.

In templo Ierusalem nihil erat quod non tegeretur auro. Idem. Gen. fo. 14.

Templum Salomonis ædificatum est in Ierusalem ciuitate regia. ad quam fieret maximus concursus populorum, vt sic magis frequentaretur cultus diuinus. Id. 2. Paralip. fo. 40.

De muribus aureis quas Philistini posuerunt in arca permittentes eam redire ad Israël, Israëlitæ non conflauerunt aurum istud in vasa, sed figuras illas aureas suspenderunt in loco vbi possent videri ab omnibus ad manifestationem gloriæ Dei. Idem. 1. Reg. 69.

Non dedecet lucis filios esse & videri.

In quo homo excellit, in eo etiam planeta optime dispositus est significator. Cardan. Aph. sect. 2. aph. 124.

Planetæ omnes supra terram, in vita, factis omnibus mortalibus cognitum efficiunt. Ib. sect. 4. aph 145.

Quibuscumque planeta nullus est supra terram nec in prima hora ortus sui non solum longam habere vitam, sed egregium aliquid perficere est impossibile. Ib. sect. 7. aph. 1.

Quid nomina sine gestis, quod gesta sine nomine, vtraque pereunt.

Virtus se profert & quantum potest extendit gloriam Dei. Vide quæ scripsi, libello de amore Dei Agente. cap. 7. & 8.

Mares natura, manifestis signis à fœminis distinguit.

Pharmaca dum carent odore, carent viribus.

Christus ante discipulos suos transfiguratus est & ascendit in cœlum.

Hoc ab homine exigitur, vt prosit hominibus, si fieri potest, multis sin minus paucis, sin minus proximis si minus sibi. Nam cùm se vtilẽ cæteris efficit, cõmune agit negotium. quomodo qui se deteriorẽ facit, non sibi tantum modo nocet, sed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodesse potuisset, sic qui benè de se meretur, hoc ipso aliis prodest, quod illis se profuturum parat. Seneca lib. de vita beata cap. 10.

Qui timent te, videbunt me & lætabuntur, psal. 118. vult vitæ suæ probitatem conspici. D. Hilar.

Præcipit Apostolus rationem habere non conscientiæ tantum, sed & famæ, sicut luminaria in mundo lucere nos iubet in medio nationis peruersæ, vt incredulæ mentes errantium, ex nostrorum actuum lumine, ignorantiæ suæ tenebras deprehendant. Prouidentes inquit, bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Beatus est qui tam sancte tamque grauiter disposuit vitam suam vt de eo sinistri aliquid ne fingi quidem possit, dum aduersus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo; nec fingere quisquam ausus sit, quod à nullo putat esse credendum. D. Hieron. epist. ad Celantiam.

Sponsa Christi arca est testamenti intrinsecus & A extrinsecus deaurata.

Licet fœtus sit perfectus in vtero post septimum mensem, tamen ætas non numeratur, nisi ab hora qua in lucem profertur. Non censetur virtus latens, & nisi cum se profert.

In aquis distillatis vbi nec sapor, nec odor, ibi virtus esse non potest. Cardan. meth. med. cap. 11.

Missa cur potius de die, quam de nocte celebranda. Paul. 3. const. 24. § 15. Pl. 537. to. 1. Bull.

Præferat quisque pietatem & veritatis studium, nam & cultus ipse nos Deo gratos reddit, & hominibus venerabiles, iam verò plurimum absunt à legum metu, & criminum suspicione, ob idque, etiamsi peccent, raro deprehenduntur. Cardan. de arcanis politiæ. cap. 23.

Aucmpace apud Auerroëm asserit, absente lumine nullum superesse colorem in corporibus, sed luminis tantum appulsu colores suscitari, quò spectare videtur illud Virgilii 6. Æneid. rebus nox abstulit atra colorem At Albert. M. libro de sensu, & sẽsibilibus asserit, absente lumine remanere colorem quæ sit qualitas ex primis qualitatibus oriunda, coloris velut materia, eius verò forma lux est; sic quidam non putant esse virtutem, nisi in quantum splendet, iuxta illud, scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Posthumia Vestalis stupri accusata, quod liberius cum hominibus loqueretur, absoluta fuit à Pontifice Spurio Minutio, sed admonita, vt eam quam haberet vitæ honestatem, sermone & conuersatione præferret. Plutarch. lib. de capienda ex inimicis vtilitate.

Nero quamquam exiguæ vocis & fuscæ, blandiente tamen in cantando profectu, prodire in scænam concupiuit, iactans illud occultæ Musicæ nullum esse respectum. Cantante eo nec necessaria quidem de causa excedere theatro licitum erat, itaque & enixæ quædam in spectaculis dicuntur, & multi tædio audiendi laudandique, clausis oppidorum portis, aut furtim dissiluisse de muro, aut morte simulata, funere elati. Sueton. in Nerone.

Illustra faciem tuam super seruum tuum; idest notum fac hominibus me ad te pertinere; sic erubescant impii, muta fiant labia dolosa. D. August. in Psal. 30.

Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet, & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem. Psal. 36.

Ideo eriguntur trophæa, templis appenduntur spolia, laudes victoris celebrantur. *Vide Gloria Contrarietatis.* Honor militiæ.

Vide Cognitio Gloriæ.

Gamehey, seu lapides naturaliter insculpti figura sua virtutem, sibi inditam ostendunt. Paracel. lib. de imaginibus.

Chiromantia vera, multiplex est, nec ex manibus tantum iudicat, sed de herbis, foliis, lignis, saxis, mineralibus, regionibus, viis, fluuiis, terræ motibus & siccitatibus, ex rimis; Ex hac chiromantia lignarii cognoscunt ligna, metallarii fodinas, Geographi regiones; equites naturam equorum, &c. Ibidem.

Sic agnosci possunt naturæ plantarum vt satyrion virilis speciem referens, prodest ad restituendam virilitatem, Cardui folia pungentia, prosunt ad sanandas internas puncturas; Victorialis seu allium anguinum, radicem habet filamentis crebris ita intortam, vt loricæ speciem exhibeat, hæc gestantem munit & illæsum præstat, non secus ac lorica. Radix syderica, singulis in foliis habens figuram serpentis, remedium est contra venena omnia; Chicorea quæ solem foliis sequitur, & eo occidente, paruæ virtutis, solarem se ostendit. Ibidem.

Quidquid natura generat, formatur id secundum essentiam virtutis in subiecto latentis, itaut per virtutem forma, & per formam virtus intelligatur. Sic per rufos capillos, virtus cordis rubra cognoscitur; per flauos, flauum albumue cor; sic mutili corporis, mutila solet esse mens, & mutilæ mentis mutilum corpus est; Idem lib. 1. B sagacis Philosophiæ. Nihil opertum, quod non reueletur, sic abdita cordis humani, per signa naturæ, per operationes proprias, & per iudicium Dei possunt cognosci. Ibidem.

Expergiscuntur animalia, cum digestio completa fuerit, tunc enim caliditas multa efficitur, multique generantur spiritus qui se diffundunt ad exteriora. Albert. Mag. lib. 1. de somno & vigilia in fine. post recollectionem, virtus fortior, emicat ad extra

Calor diuidit lignum & perosum efficit, vt per illud discurrat alimentum, consumpto autem calore naturali & humido, remanet prorosum aëre C refertum, sic supernat, sic magis supernatant arida quam viridia. Id. tract. 1. de proprietat. elementor. cap. 3.

Folia minus operiunt fructus, natura sua multum humidos, & qui ad digestionem maiori indigent solis calore. Idem lib. 2. de vegetabilib. tract. 2. cap. 1.

Flos est indicium fructus. Florum autem generatio, vt in pluribus, est eadem substantia cum fructu, propter quod in quibusdam in superiori parte fructus adhæret; aut fructus formatur in medio floris. Ibid. cap. 3.

Aer facit ascendere corpora rara super aquam, ita quæcumque merguntur in aqua, habent tantum virtutem terræ grossæ & fæculentæ

D Animalia etiam frigida per æstatem prodeunt è latebris in lucem: quædam tamen, vt aues quæ dicuntur Diomedis, tunc quærunt loca frigida, quia cum constent pauco calore interno, & terrestri valde, substantia dissoluerentur ab æstiuo calore. Albert. Mag. lib. 7. de animalib. tract. 3. cap. 3.

Quintilian Instit. orator. lib. 1. cap. 3. asserit melius esse iuuenes edoceri in publicis gymnasiis quam domi. Maximè quia futurus orator, cui in maxima celebritate, & in media Republica viuendum est, assuescat iam à tenero non reformidare homines, neque illa solitaria & velut vmbratili vita pallescere. Excitanda mens, E & attollenda semper est, quæ in huiusmodi secretis, aut languescit, & quendam velut in opaco situm ducit, aut contra tumescit inani persuasione, necesse est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat. Deinde cum proferenda sunt studia, caligat in sole & omnia noua offendit, vt qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est. Mitto amicitias quæ à pueris contractæ durant vsque ad extremum vitæ.

Vide Voluntas Gloriæ. Bonus honoris appetitus.

Terra exterius, herbis, arboribus, floribus exor-

nata est, interi*aute propter frigus dēsa est, & lapis
A Ignis suffocatus non emittit flammam, sed fumum, & aqua superinfusa stridorem emittit.

Licet natura sit principium motus & quietis, tamen physica considerat corpus vt mobile, non vt quiescibile, quia quies est priuatio motus, & non dicit formam positiuam, & quia cœli qui sunt perpetui motus, non sunt quiescibiles. Albert. Magn. 1. physic. c. 3.

Artifices habent notas particulares quas imprimunt suis operibus, vt eorum agnoscantur authores.

In armis seu insignibus nobilium vtuntur auro & argento, pro metallis & quatuor coloribus, sed
B digniores sunt rubeus, cæruleus qui ad lucem & splendorem magis accedunt.

In armis etiam manus expansis digitis significat libertatem, vt contractis seruitutem. Vt homines pinguntur in proprio suo habitu, Pontificio, militari, iudiciali & forensi; sic animalia ferocia in maxima sua feritate in armoriis; vt leo mordax & radens pedibus, *rampant*. Chassanæus Catal. glo. m. 1. p. 10. 86.

Signatur baptizandus signaculo sanctæ crucis, vt ab eo tempore Apostata diabolus in vase suo p...ino suæ interemptionis cognoscens signaculum, iam sibi deinceps sciat esse alienum. Can.
C postea signatione de consecr. dist. 4.

Actio in oratore, est quędam corporis eloquentia. Quintil.

Verecundia licet virtutes generet, est tamen aduersa, multisque in causa fuit, vt bona ingenii, studiisque in lucem non prolata, situ quodam secreti consumerentur. Id. Inst. Orat. lib. 12. c. 5. quis dubitet vitiis adscribere affectum propter quem facere honesta pudet?

Pythagorici colorem vocabant superficiem corporis. Plutarch. lib. de placitis Philosophorum cap. 15. Plato flammam ex corporibus pro-
D deuntem, accommodatas visui particulas habentem. Ib.

Calor exhalare facit odores, frigus coërcet, & continet. Ib.

Homo non debet velare caput, quia est imago & gloria Dei. 1. Cor. 11. Auctores debent libris à se compositis, nomina sua inscribere, & in sui commendationem aliqua dicere. Chassan. in Catalogo glorię mundi parte 10. considerat. 28.

Primarius effectus Sacramenti est producere gratiam sanctificantem, secundarius vero characterem qui est nota qua vnus distinguitur ab alio, vt baptizatus à non baptizato: hic tamen character non apparet oculis hominum. Tria Sacramenta imprimunt characterem, baptismus, con-
E firmatio, ordo.

Cōfessarius non tenetur ex vi sigilli confessionis, ad occultanda bona & virtutes pœnitentis, sed solum tenetur ex vi secreti naturalis iuxta intentionem pœnitentis, quia hæc dona non manifestantur in confessione animo se accusandi, & ex ipsorum manifestatione, confessio non solet fieri odiosa. Bonacina.

De transfiguratione Christi. Oratio Ioannis Damasceni.

Vide Principium Bonitatis.

Corpus ostendit animum, sicut vagina figuram ensis, cortex nuclei, figuram sub eo contentam.

Cœlum à cernendo dictum est, quia ab omnibus oculos habentibus cernitur. Rupert. lib. 1. in Genes. cap. 9. Terram pulchram & fœcundam futuram Deus educit ab aquis, quibus mersa erat. Ibid.

Apud Indos est arbor, tristis vocata, quia nullos producit fructus, sed flores tantum per noctem, ita ut Sole oriente nihil ex natis ad nasciturís etiam in gemma appareat.

Adamantis constantia splendida est.

In India maximè in insula Maldiues est arbor dicta Irondamans, idest flos Solis, quia oriente Sole producit flores, qui in occasu cadunt.

Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, conspiciuntur, aliquid est factum à Deo inuisibili, quod est visibile vt se ostendat. Cusa. excit. lib. 5.

Multorum virtus iacet, quia campus deest, vbi se ostentent.

Quædam arbores medullam nullam habere videntur vt palma. Theophr. quidam toti in exterioribus.

Vitandum scandalum. *Vide Medium Minoritatis.*

Omnia sunt in clarissima luce posita, & prudenter à maioribus nostris ordinata, non tam egemus præceptis, quam exemplis.

Oleum effusum nomen tuum, vnguenti virtus est incognita, cum est in clauso vase, at tunc apparet & trahit cum effunditur, trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Card. Cusa. excitat. lib. 5. c. 3.

Arca fuit deaurata intus & foris. Exod. 25.

Optimum est facere Holocaustum, quod dicitur totum incensum, idest opus bonum in amoris igne probatum, non sibi, sed Deo attribuere totum, fugere ventum gloriæ popularis: iuxta præceptum dicentis, Matth. 6. cauete ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis. Verumtamen si semper fugias spectatorem, nunquam habebis imitatorem. Proinde idem Dominus dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Rectè igitur post occultum holocaustum, scilicet incensum amoris, sequitur lex sacrificii & libamentorum eius, quorum partem comedant Aaron & filii eius, quo signatur opus bonum factum coram hominibus vt glorificetur Deus. Rupert. in Leuit. lib. 1. c. 30. itaque comeditur absque fermento, idest absque vanæ gloriæ tumore ventoso; & in loco sanctuarii, idest in communi ædificatione Ecclesiæ: tantum marēs de stripe Aarōn comedent, idest fiet tantum coram illis hominibus. Ibid.

Reliquiæ messis & fructuum, relinquuntur colligendæ pauperibus. Deut. 24. Plura operum nostrorum, propter periculum miseræ vanitatis, intra conscientiæ secretum quidem reponamus, aliqua tamen pauperibus relinquamus carpenda, vt nostris prouocati exemplis, glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est. Rupert. in Deut. lib. 1. cap. 33.

Virtus nomen habet fœmininum, vt fœcunda sit parens; prolemque sibi similem gignat.

Viennę in Austria tantum est ædificiorum sub terra, quantum desuper Æneas Syluius ep. 165. sic in regionibus in quibus sęuit magna ventorum vis, & hyemis.

Dum videmus in aliis possibilia, quę nobis videbantur impossibilia, crescit animus, nec torpet: sic aues pullos prouocant ad volatum. *Vide Concordantia Virtutis.* Imitatio bonorum.

Digitized by Google

Concilio Parisiensi VI. can. 20. præcipitur, Episcopo & Prælatis, vt innocentis vitę suæ testes contubernales, commensales habeant, non laicos sed probatæ integritatis clericos qui ex tali exemplo profectum sumant.

A

In testimonium virtutis stemmata & insignia fueruntnobilibus & eorum hæredibus concessa in clypeo animalia quędã fera ferebant insculpta, vt leones, leopardos, aquilas, dracones velut icones terroris, & producta virtus sit aliis terrori sic Hercules spolium ferebat leonis, quem occiderat.

Folia parte superiori sunt viridiora, quippe solem versus sic à suo duce volunt videri milites.

Arbores quædam paucis editis foliis, & postmodum labentibus, solis fructibus videntur onustæ, cum scilicet ad fructũ edendum amplior vehementiorque impetus factus est, id sæpe contigit amygdalæ, quippe cum & propter nimiam fructuum multitudinem, folia cerni non possint, exigua prodeant, infirma decidant, quoniam natura se tota ad fructum generandum contulit. In ficulnea frigus hunc motem foliorum penitus tollit, fructuum, qui largior & calidior est tollere ex toto non potest, sed constipat, atque condensat. Theoph. plantar. lib. 5. c. 4.

B

Caliditas & frigiditas sunt duę qualitates actiuæ. Calidum autem est longè magis actiuum, ob plures causas, sed maximè quia in animali est causa vigiliæ & motus, eo quod expandit calorem ad superficiem, & tunc ab animali procedunt opera, & in aliis rebus facit quid simile: sic flores per calorem diei euocantur & aperiuntur, nocte clauduntur. Albert. Magn. meteor. lib. 4. tract. 1. cap. 2.

Maior calor genitalia in sexu masculo protrudit exterius, non in femellis in quibus est nimis debilis. Baron.

Sunt nomina qualitatis & epitheta quę qualitatem rei significant, vt sapiens, formosus, diues, magnus, &c. Isidor.

Adamas differt à gemmis candidis quod vibrat admodum, nam cristallum non vibrat. Cardan. de rer. varietate lib. 5. cap. 18.

Rubinis proprium est, quod sint sub tecto purpurei, sub cœlo flammei, & in solis radiis scintillent. id. Ibid.

Plin. lib. 33. conqueritur quod annuli in præmium dati læua gestentur, cum dextra debuissent ostentari.

Olea vnde dabantur athletis coronæ in Olympicis vocatur Callistephanos, huius folia contrario modo se habent quam in aliis, extra siquidem non intus albent. Rodig. lib. 11. cap. 19. sic olim qui honores ambibant induebantur alba veste quæ innocentiam proferebat, vnde dicebantur candidati.

Magnus Alexander & Pater Theoderici regis dicuntur scintillas toto corpore profudisse Rodig. lib. 15. cap. 5.

Lacedæmonii scuto insculptum habebant. Missenii. M. capitalem patriæ litteram, vt quales essent, agnoscerentur. Id. lib. 18. cap. 1.

Palladem effinxit Phidias, & in eius scuto suam imaginem, tali arte vt qui eam auferre conaretur, statua omnino periret. Idem. lib. 29.

EXTERIOR ORNATUS licitus.

Seneca scribit ad vxorem Neronis, Indue te charissima vxor delicatè non propter te, sed propter honorem Imperii. Nam vestimentum debet esse conueniens statui, l. id vestimentum. ff. de peculio & 2. Esdræ cap. 3. apparet quod vestiri purpura, est honor.

De nimio militum ornatu vide infra hoc tit. Repugn.

Color in omni corpore designat bonum habitum, & perfectionem corporis, maturitatem in frugibus, firmitatẽ in lignis, valetudinem bonam in viuentibus si deficit color à natiua constitutione, est corruptionis indicium certissimum, quia lux, est qualitas præstantissima omnium elementorum, & vbi viget in colore, bene speramus de motu spirituum ad actiones edendas iuxta institutum naturę.

Zach. 3. aufert Angelus à sacerdote sordidam vestem, vt indicet ab eo sublatam esse iniquitatem. Sicut dicitur Roma. 8 Creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei: & Psal. 29. Conscidisti saccum meum, & pręcinxisti me lætitia: ita prodigus nudus rediens induitur, & datur annulus in manu eius.

C

Aristophanes dixit, musis indignum esse conspici Poëtam agrestem & hirsutum. Suidas. Vestis ornatus affert gestantibus honorrem, aspicientibus voluptatem, est ornamentum vitę. Id. *Vide Cognitio Potestatis.* Videri potens.

Empedocles auream coronam gestans in capite & aureis calceis indutus, & coronas delphicas in manibus gerens pertransibat vrbes, vt opinionem diuinitatis consequeretur. Id. in voce Empedoles.

Demosthenes fuit in vestitu cultuque corporis affectatæ venustatis atque elegantiæ, fuit apud Romanos Hortensius pari mollitie luxuque. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 6. cap. 11.

Refert Plinius Hismeniam musicum fulgentibus gemmis vti solitum, vt ea ostentatione musicæ artes magis censerentur. Ibid. lib. 11. cap. 12.

D

Ornatus, est exterior apparatus qui potest esse licitus, si quis eo vtatur ne vilis appareat. Tostat. to. 3. Math. fol. 177. Et si secundum communem consuetudinem conueniat conditioni personæ. Ibidem.

Salomon regiam & tribunal gemma & ostro consternit; ne venalis speretur iustitia, quę opes calcat; atque vt profugam reuocaret Astræam, aureos mores in aurea domo restituit, nusquam lautius sapientia sedit. Hanc enim magnificè tractauit. vt dicitur Machab. 2. cap. 2.

E

Prohibentur ornatus domorum vt statuas & columnas transferri de ciuitate rus, nisi parietibus cadentibus è domo in aliam l. 6. & 7. Cod. de ædific. priuat.; vt quisquis antiquo ornatu relicto, nouum procuraret.

Pulchritudinem rebus corporeis indidit benignissimus Deus in solatium hominis qui hanc solus inter animantia percipit, amat, & veluti summi boni splendorem veneratur. Cum autem hæc cœlestis gratia paucis contingat naturæ, fœlicisque genesis beneficio, eius defectum omnes variis artibus, sed maximè vestium ornatu compensant.

Solic-

Digitized by Google

quidem est, intima, propria vera non apparens, ita gratior naturalis pulchritudo, breui tamen ætate deflorescit, & semel emortua non reuiuiscit. At vestis ornatus si modum non excedat, esse potest perpetuus, senectuti non minus quam adolescentiæ confert gratiam, sibi semper succedente nouitate perennem, extra fastidium, tędiumque positam.

Vt pulchritudo naturalis procedit ex summo formæ supra materiam imperio, sic decens corporis habitus indicium est mentis benè compositæ, cuncta, sed primo corpus quod inhabitat ad rationis legem decenter ordinantis. Nihil inconcinnum in se patitur, quod spectantium lædat oculos; quod arguat animi vilitatem, quod alios in sui contemptum prouocet, negligentia virtuti, fortunæque contumeliosa. Liceat vt verbis sic vestibus benè compositis aliorum affectus promereri. Corpora nostra templum Dei vocat Apostolus, ita pium videtur hęc ornare, & inhabitantem spiritum qua deuotione excipiamus hoc externo cultu profiteri. Sic mos est in festis solemnioribus cum plus solito feruet pietas, indui vestibus plus solitò pretiosis, quę nihil deiectum, nihil seruile, & mechanicum significent. Si talibus abutuntur superbia, vanitas, luxuria placere volens oculis quibus non debet, virtus tamen propriis sibique debitis insignibus non spoliabitur quidquid excessu vel defectu peccent cęteri, aget quod suum est sapiens, vt in cæteris, sic in externo corporis cultu, temperantiæ, decoris, honestique leges consuetudine probatas, fidens securusque sequetur. Cur enim inculta, sordidaque veste iniquo suo iudicio se constitueret inter homines exautoratum. Vestis honesta compositio naturalem ęmulatur physionomiam, vnde fit de latentis animæ viribus iudicium; se negligentem cæteri negligunt; fidem verbis & consiliis detrahit, deiectam arguit mentem vilis exterior habitus; quis sanæ mentis hac se volens pulsabit infamia, & proximo, quo iuuetur, aditum præcludet. In hoc tam peccat qui deficit, quam qui excedit, & fortè grauior est culpa defectus & negligentiæ quæ charitatem in proximi commoda diffundi natam, silentiò, carcere, publicoque contemptu damnat. *Ex Principiis.*

NIMIVS VESTIVM ornatus.

D. Bernard. ad milites templi, dicit: Imminente bello, intus fide, foris ferro, non auro se muniant, quatenus armati, & non ornati hostibus metum incutiant, non auaritiam prouocent; pugnam quippe non pompam, victoriam sed non vanam gloriam cogitantes & studentes magis volunt esse formidini quam admirationi. Hæc enim non tam essent insignia militaria, quam muliebria ornamenta; Numquid forte hostis mucro reuerebitur aurum, gemmis parcet, serica penetrare non poterit, &c.

Vide Maioritas Gloria. Luxus in veste.

Purpuratus diues sepelitur in inferno. Luc. 16.

Immoderatus vsus & ornatus vestium cognoscitur per comparationem ad consuetudinem regionis, ad qualitatem personæ, & ad affectum placendi. Tostat. Matth. 10. 3. fo. 275.

Sit licet homini publicis officiis nato conueniens exterior corporis ornatus, in eo tamen vt in cæteris rebus ex se bonis peccari potest per excessum, in quem natura philautiæ, vanitatis, gloriolæ stimulis acta solet induci. Studium hoc placendi per ascititium decorem minus honestatis & integritatis habere patet ex eo quod viget potissimum in mulierculis prostitutæ pudicitiæ, in cinœdis, in otio, lasciuiæ, voluptati deditis hominibus, eoque ruit maior turba pereuntium. Vbi mentem insedit hæc vanitas, totam occupat, mollem efficit, minimis impleri, minimis lædi facilem, quanta seruitus corpori sic indulgere, alienis oculis sui quotidianum exhibere spectaculum, vulgi plausus ambire, similium æmulatione torqueri; tentare noua, pantomimi variè se transB formantis personam agere: Non veniunt hominibus, vt floribus vltrò & innocenter ornamenta. Emuntur magno pretio, magnis interdum criminibus si rei familiaris angustia his profusionibus facilè non sufficiat. Aguntur hæc inter conciues, quos non decipit splendidus hic apparatus, vt plebeium putent esse principem, norunt antiquas familiæ, nouas personæ conditiones, ridentque sic insolenter, nec impunè tamen, sed patrimonii sensim dilabentis graui dispendio se proferentem. Videri vult, & videtur non sine maxima famæ suæ iactura, nam publico concurrente suffragio, habetur vt vanus, prodigus, scientiarum, rerum honeC starum, etiam vtilium contemptor, pronis totis suis affectibus ad superflua. Virtutem potius videre licet sub sordida, quam sub splendida veste, vt adamantem sub rudi saxo; margaritas sub asperis concharum inuolucris Habetur suspecta virtus, quæ non propriis animi dotibus, sed affectato corporis apparatu so præstat in signem. Non permanet Dei spiritus in his qui caro sunt, qui tantum sensibilia, & vt magis placeant, exornata, sectantur, sic enim non sibi tantum, sed & aliis exemplo suo perniciem inferunt.

Quis non probet veste militem à pagano, nobilem à plebe, Philosophum pallio, senatorem purpura à cæteris distingui; sic habitu distinctus sis D vulgo, vt ipsomet occursu virtute & dignitate præstantibus similis possis æstimari; at turpissimum est si ab illis nimio corporis cultu dissentias in lasciuiam dissolutis par. Huius superbi cultus admirationem tollit consuetudo, cum intermissionem vel ad breue tempus, malignus rumor impotentiæ, rebus in contraria versis imputet; magna seruitus, dura necessitas, sic semper altum tenere citra gloriam, & hinc descendere non posse sine contumelia. Sapientibus durum videtur hoc in cultu plusquam optarent, corpori, dignitati, consuetudini sic indulgere, quid vltra limites prudenter positos, excurrit vanitas in ipsiusmet dignitatis, cui fauere videtur, contumeliam? Fœlix liberque status Religiosorum, quibus licet rerum E mundanarum abdicationem, vestis humilitate profiteri; facilis & ad manum illis est hic decens habitus, cedit illis in ornatum, quod aliis esset in pœnam, nam vt leones pulchri censentur ex horrido. *Ex principiis.*

Vestes pullas æquè deuita, vt candidas, ornatus vt sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet. D. Hieron. ep. ad Nepotianum.

CÆRÆMONIÆ ECCLEsiastica, & in illis ornatus.

NE nouiter ad fidem conuersi erubescerent adorare crucifixum, crucem solebant ornare fulgentissimis gemmis quę virtutem eius internam significarent; vnde cantatur: O crux splendidior cunctis astris.

Si tu incorporeus esses, nu dè ipsa dona incorporea tibi Deus tradidisset, quoniam verò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda traduntur. D. Chrysost. hom 8,. in Matth. Concil Trident. sess. 22. cap. 5. D. Ambros. in cap. 4. Luc.

Abraham non habebat certas cæremonias tam circa sacrificia, quam circa conditiones animalium quæ in sacrificio offerebat. Tostat. in Genes. p. 71. c. 3. K. quasdam tamen cæremonias seruabat varias pro rerum & temporum occasione.

Ezechias senatus est massa ficuum posita super vlcere suo, quod factum fuit iuxta morem patrum veteris testamenti, qui quando faciebant miracula, præmittebant aliquas cæremonias, quæ licet viderentur conferre, non conferebant, vt patet de Elia. Idem 4. Reg. fo. 202. *Vide Bonitas Medii.* Bonus vsus mediorum. Sic Christus sanauit cæcum, & prolatis etiam quibusdam verbis. *Vide Potestas cognitionis.* Vis verborum.

Iudæi induuntur vestibus pretiosioribus quando vadunt ad Synagogas, sumentes occasionem ex illo Genes. 35. & mutate vestimenta vestra. Tostat. Gen fo. 3 1.

Iudæi putabant munditiam exteriorem facere ad sanctitatem. Id. Matth. to. 4. fo. 113.

Meliora & magis pretiosa debent offerri Deo, nam qui vilia offerunt ad contemptum diuini nominis, grauiter arguuntur Malach. 1. vnde patet Ecclesias, earumque apparatum esse debere magnum & pretiosum, vt ibi seruiat Domino aurum & argentum, vt hæc terrena pulchritudo ad admirationem & desiderium illius cœlestis pulchritudinis aspicientes conuertat; legimus enim illud antiquum tabernaculum in deserto factum, multa auri & argenti pondera habuisse, & illud admirandę pulchritudinis templum, quod construxit Salomon, mons aureus videbatur, quia nihil erat in eo quod non laminis aureis tegeretur, vt patet 3. Reg 6. cauendum tamen ne propterea pauperes qui sunt viua Christi membra & templa defraudentur. Ca. aurum. 12. q. 2. Tostat. dicit fo 86. Sic in Ecclesia fiunt vestes pretiosæ. vt significetur Dei, & noster in eū affectus offerendo ei, quę sunt apud nos pretiosa; vt in eius redigantur obsequium, quibus solet abuti humana vanitas. Idem Exod to. 1. fo. 157.

Sicut in essendo Deo attribuitur quæcumque perfectio essendi reperitur in aliqua re, ita in bono quod exhibetur & honore, quidquid honoris inter homines iudicatur, Deo attribuendum est, sed mundare sordes à conspectu alicuius est honor inter homines, ita debet fieri in conspectu Dei Et hæc est causa quare in templis & locis sacris specialiter obseruatur munditia corporalis, quia Deus ibi specialiter est. Idem Deut. fo. 121.

A De templis debita reuerentia. *Vide Gloria Principii.*

Cultus exterior necessarius est in religione. Vide quæ scripsi Theol. natural. to. 4. parte 1. cap. 14. & moral. Christia. to. 3. parte 1. cap. 18. De templorum, & sacra supellectilis ornatu. lib. de agente Dei in rebus. parte 1. cap. 19.

Promogeniti fungebantur sacerdotis officio in lege naturæ, & habebant ad id officium vestes pretiosas, his Rebecca induit Iacob vt sub nomine Esau prępiperet benedictionem patris Isaac. Alcuin. in Genes. inter. 227. 226.

De pretiosa supellectile pię vsurpata in Ecclesiis. *Vide Gloria Medii.* Illustre medium.

B Congregatio quorundam Cardinalium pro sacris ritibus & cæremoniis ad diuinum cultum pertinentibus erecta fuit à Sixto V, const. 74. Bull. p. 465. to. 2.

VESTIS DISTINGVIT officia.

COncil Aquigranense. c. 135. an. 816 prohibet canonicos induere cucullas Monachorum, & eorum habitum vsurpare, quorum non sequuntur propositum; habitus namque singulorum ordinum idcirco in Ecclesia ab inuicem discreti sunt, vt his visis, cuius propositi sit gestans vel in qua professione Domino militet, liquido cognoscatur, sic Deut. 22. prohibetur vir C indui veste muliebri, & mulier virili.

Identitas figuræ, est quasi certum signum identitatis specificæ.

Sicut post peccatum factus mortalis & infirmus induitur pellibus animalium quæ id significabant: sic Aaron purificatus per legem Dei, induitur pretiosis vestibus. Origen. hom. 6. in Leuit.

Sales diuersi quantumcumque fuerint dissoluti, propriam sibi semper reassumunt figuram; sal commune formatur in cubum quadrilaterum, sal nitrum, in columnas sex habentes facies: sal armoniacum, fit hexagonum, sal ex vrinis fit pentagonum. D

Dicit Seneca, induere delicatè, non propter te, sed ne dignitas regia vilescat. Ita qui vtitur pretiosis vestibus secundum modum suum non peccat. D. Thom. quodlib. 10. a. 14.

Altare holocaustorum quando moueri debebat, inuoluebatur purpureo vestimento, ad significandum ibi esse ignem latentem. Tost. in Num. to. 1. fo. 45.

Religiosi diuersorum habituum concurrentes ad conuersionem Liuoniensium, iussi sunt conuenire in vnam vestem superiorem. cap. Deus qui, de vita & honest. Clericor.

E Sacerdos magnus nunquam aliquid poterat inquirere à Deo sine vestibus sacerdotalibus. Tostat. 1. Reg to. 1. f. 1 3.

Iudęi habebant vestes pendentes vsque ad talos & habebant eas laxas, idest non colligatas corpori: sed ad itinerandum & ministrandum oportebat vt accingerent lumbos suos decurtando vestes. Idem 4. Reg. fo. 96.

Quando tales sunt vestes quæ competunt aliquibus in certa figura, colore, & conditione materiæ, vt sunt vestes religiosorū, illas mutare pec-

Digitized by Google

catum est, quia est contra præceptum. Id. Matth. to. 3. fol. 275.

Omnes vestes sacerdotales veteris testamenti inductæ sunt principaliter ad decorem, & vt ministrationes fierent cum maiori reuerentia. Id. Exod. to. 2. fo. 71. id imitata est Eccl. fo. 54.

Monachi humili veste, & tonsura maiori quam sit in clericis sæcularibus publicè profitentur maiorem rerum mundanarum & omnis superfluitatis abdicationem. Idem Matth. to. 1. fo. 24.

Regibus, prælatis & cæteris personis licet vti pretiosis vestibus pro gradu dignitatis suæ secundum loci consuetudinem, nec esset laudabile si prælati vterentur veste rudi. Ita D. August. 3. de doct. Christ. Quisquis, inquit, sic vtitur exterioribus rebus, vt metas consuetudinis bonorum inter quos versatur excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est, scilicet quia propter delicias, vel inanem gloriam taliter vtitur. Id. Matth. to. 3 fo. 276.

Senatores vt liberius olim cœnarent, nec admonerentur quod peccaret in magistratu ebrietas, exuebant ornamenta dignitatum.

De Religiosæ vestis humilitate. Vide quæ scripsi lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ. parte 3. cap. 3. De diuersis Religiosorum institutorum vestibus. Ibid. cap. 22. Pro Religiosæ vestis sumptio. lib. de institutione & officiis religiosi. parte 1. cap 17.

Fertur beatus Petrus primum tonsuram sibi fecisse ad similitudinem spineæ coronæ Domini, vt clerici à laicis non solum differrent habitu, sed etiam tonsura. Hæc à Nazaræis duxit originem, qui ad tempus Deo consecrati, impletis voti sui diebus, veniebant ad Templum Domini, radebant capillos capitis sui & barbæ, flamma altaris comburebant, & sic redibant ad propria. Alcuin. lib. de diuin. officiis cap. 35. hæc etiam tonsura significat puritatem animi. *Vide Duratio Cognitionis* assidua rerum diuinarum meditatio. *Vide Gloria Contrarietatis.* Gloria crucis Christi.

De Episcopo Sisinio pretiosis vtente vestibus. *Vide Bonitas Gloria.* Dilectionis.

Capucini sunt verè fratres minores S. Francisci. Paul. V. const. 54. §. 2. Bul. p. 178. to. 3. & Vrb. n. VIII. const. 68. §. 12. p. 85. to. 4 Eorum habitum, eique consimilem nulli deferre licet. Greg. XIV. const. 11. §. 6 p. 535 to. 2. Paul. III. const. 11. §. 9 p. 524. to. 1. Greg XV. const. 15. §. 1. p. 294. to. 4. Idem statuit de Carmelitis discalceatis Clem. VIII. const 121. p. 115 to 3.

Singulis Religiosis ordinibus suus assignatus est distinctus habitus à summis Pontificibus: vide indicem Bullarum verbo habitus. Milites cuiusuis Religionis earum habitum gerere tenentur. Six. V. const. 91. p. 495. to. 2.

ALBEDO.

Albedo igni tribuitur, propterea senibus liuescit caro defectu caloris, calor in animali est album luminosum commixtum; est enim spiritus quidam in spermate interceptus, & in spuma spiritus aliquis natura proportionem habens cum stellarum dispositione, vt est apud Aristotelem lib. 2. de gener. animal. Rodigin. lib. 15. cap. 5.

Albedo procedit à calore intus retento propter imbecillitatem extra se diffundendi, vt in pueris & senibus, aut propter resistentiam externi frigoris vt in populis septentrionalibus. Vide hoc tit. iactantia Recenter baptizati, induebantur albis vestibus vnde Lactantius de resurrectione Domini.

Fulgentes animas vestis quoque candida signat
Et grege de niueo, gaudia pastor habet.

Et Nyssen. Orat. 3. puellus infans mutatione vestis, sensu externo festum colit, quandoquidem interiori animi sensu nondum potest. Albis induebantur vestibus propter gratiam regenerationis, & vt scirent se adeptos regii & sacerdotii dignitatem: sacro chrismate caput vngebatur velo tectum, quod non auferabatur nisi in octaua Paschæ. ideo dicta Dominica in Albis.

Angeli communiter nobis apparent in vestibus albis. Tostat. 4. Matth. fo. 213. c. 3 h.

Vide Cognitio Gloriæ. Præsagium est Albedo.

PVLCHRITVDO.

Pulchritudo secundum Platonem est flos boni; allicit enim, & latentem virtutem sic profert, vt ametur; definitur etiam pulchritudo à medicis, imperium formæ in materiam. Vide Galenum lib. quod animi mores temperamentum corporis sequantur: hinc refert Strabo plerasque gentes solitas pulchriorem in regem constituere, & in nuptiis inæqualitas diuitiarum & generis, compensatur pulchritudine. Dos est sua forma puellis, inquit Ouidius. Vide Cælium Rhodigin. lib. 13. c. 7. & 9. & quod pulchritudo sit loco dotis habetur l. si voluntate. Cod. de dotis promissione.

Cæteræ tum animi tum corporis virtutes latere possunt, fortitudo, prudentia, robur, sanitas; at pulchritudo statim in possidente apparet, alia bona inuidiam concitant, at pulchritudo amorem conciliat, & neminem inimicum sibi fieri permittit: pulchritudo quauis epistola magis facit commendabiles & acceptos. Rectus amor ipsa sui natura temperate & musicè amat pulchrum atque decorum.

Pulchritudo in homine est, dignitas vt ait Cicero. 1. Officior. Recensetur ab Aristotele inter bona corporis, sine quibus non est vera felicitas. Plato refert in Gorgia & 2 de legib. quod in nuptiis cantores canebant tria esse ad felicitatem necessaria, bonam valetudinem, pulchritudinem, & diuitias legitimè acquisitas. Est præsumptio boni cœlestis influxus, quia iidem boni planetæ creduntur dare pulchritudinem & bonos mores. Chassan. in Catal. gloriæ mundi parte 11. considerat. 1.

In omni pulchro est consonantia siue proportio, & claritas; consonantia vt subiectum, claritas vt essentia. Virtus in se habet claritatem, per quam est pulchra, etiamsi à nullo cognoscatur, aptitudinem tamen habet, vt cum claritate in notitiam veniat. Sic honestum Tullius vocabat pulchrũ, addit supra bonũ, quod cũ suauitate nos trahit; est motus circularis Angelorum & animarũ in Deum pulchritudinis fontem, & in ea quæ ab ipso pulchra sunt. Card. Cusa. excitat. lib. 8. cap. 1.

by Google

Moyses propter pulchritudinem seruatur maiori diligentia à matre Exod. 2.

Poetis quia pulchra, magis placet, & hæret memoriæ, hinc dulcibus hymnis, pietas in Deum prouocatur, & pulchro cæremoniarum apparatu. de laude Poeticæ. Vide Æneam Syluium epist. 104.

Pulchrum non dicitur, nisi de iis quæ habẽt respectum ad facultatem cognoscentem, vnde non dicitur pulchrum in obiectis sensuum nisi visus & auditus dicuntur enim colores & soni pulchri, non item sapores & odores Plato dial de pulchro.

Samnites pulchriores puellas seligebant & præstantioribus iuuenibus iudicio publico, in matrimonium dabant.

Apud Armeniacos viri per pulchra iurant velut per quid diuinum. Suidas.

Quid tam in nauigio necessarium quam latera, quam carina, quam prora, quam puppis, quam antennæ, quam vela, quam mali, quam reliqua, quæ tamen hanc habent in specie venustatem, vt non solum salutis, sed etiam voluptatis causa, inuenta esse videantur Columnæ & templa & porticus sustinent, tamen habent non plus vtilitatis quam dignitatis. Cicero de orat.

Vide Glor Verit. splẽdor veritatis sacra eloquẽtia.

Angeli quando apparẽt in corporibus pulchriores sunt quam nos. Tostat 4. Reg. fo. 65. c. 2. d.

Christus accepit infirmitates corporis communes toti speciei, vt famem, lassitudinem, non tam ẽ accepit infirmitates quæ non sunt communes, sed consequuntur aliqua indiuidua, vt morbos, & deformitatem corporis. Id. Math. to. 3. fo. 146. c. 2. d. vt à peccato, sic à deformitate fuit immunis.

Nihil aliud est corporis decor quam aduentatem virtutem præueniens flos, quasi maioris pulchritudinis præmium quoddam & aurora surgentis solis, vberioris lucis afferens spem, Ita splendescenti animo præfulget in superficie corporis decor, qui quod spem affert melioris multo decoris, philosophorum exhilarat aspectum. Maximus Tyrius serm. 9.

Pulchritudo potest innocenter à pluribus simul amari *Vide Contrarietas Voluntatis.* Zelotypia.

Quodcumqne natura bonum, adiunctas habet gratias, cœlum rerum omnium quæ spectantur est iucundissimum; sic mare nauigabile, sic segetes fructiferæ, sic arboriferi colles, sic florida prata, sic fluenta prosunt & placent hominibus. Achillis pulchritudo fauorem sibi conciliabat, quod erat illustrata virtute, quæ voluptatem à se non repellit. Idem serm. 15.

Ad magnificum pertinet habere res pulchras magni valoris & pauci reditus. Tost 2 Paral. fo. 10.

Pulchra & pretiosa templa. Vide supra hoc titulo cæremoniæ Ecclesiasticæ.

Qui vult contrahere matrimonium ad habendam prolem, & se determinat ad eligendam talem mulierem propter pulchritudinem, non peccat, vt Iacob. cum dilexit Rachel. Id. Gen. fo 34. eligitur pulchra ne tepescat amor coniugalis, & aliò diuertat concupiscentia.

Quæcumque hominibus pulchra videntur, ab ipsius Dei natura diuina nuncupamus. Maximus Tyrius. serm. 38.

Pulchros facit mares Iupiter, Venus fœminas, mares autem muliebri pulchritudine, deformes. infortunæ, in ascendente vitia in facie imprimunt Cardan. de iudiciis geniturar. cap. 18.

Quando Venus fuerit domina ascendentis cum corde Leonis. & Luna cum capite, & in sextili Martis, nec fuerit impediens, mulier illa erit pulchra, & ob pulchritudinem nubet viro potenti, & ex paruo statu in magnas diuitias ascendet Apho. sect. 6. Aph. 112.

De pulchritudine eiusque miris viribus ad excitandum amorem. Vide quæ scripsi Theologia naturalis to. 1. parte 1. cap. 27. De Dei pulchritudine Ibid. to 3. parte 1. cap 13. Sanitate, sensuum excellentia, pulchritudine quomodo bene vtendum. Moralis Christiana. to. 4. parte 1 cap. 13 14. 15.

Pulchritudo consistit potius in vnitate, quam in diuersorum proportione. *Vide Minoritas Concordantia.* esse sine socio.

Pulchritudo est formalis gratia mouens intelligentem ad amandum.

Christus dicitur speciosus forma præ filiis hominum. Virgo de virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. Nisi enim habuisset in vultu quiddam sydereum, nunquam eum statim sequuti fuissent Apostoli nec qui ad cõprehendendũ eum venerant, corruissent. D Hieron. ad Principiã virginem in expositione Psal. 44. lib 3. epist.

Forma elegantior sine vllo discursu prouocat affectum, sic filia Pharaonis Moysen pulcherrimum infantem per tres menses abscondit contra præceptum patris, & tandem adoptat Pulchritudo est à Deo. *Vide Principium Bonitatis.*

Sophites Indiæ populi, nuptiis coeunt non genere ac nobilitate coniunctis, sed electa corporum specie, quia eadem æstimatur in liberis, deformes enim & mutilos necant. Q. Curtius lib. 9.

Amor est desiderium pulchritudinis, quæ triplex est, animi, corporis, & vocis: prima comprehenditur mente, altera oculis, tertia auribus. vnde tres gratiæ tribus istis partibus repræsentari dicuntur.

PHYSIONOMIA.

Dicit Theophrastus, cuius sententiam ponit Seneca in hæc verba, Sunt sub terra minus nota nobis naturæ iura, sed nõ minus certa. Credo infra quidquid videris supra sunt & illic specus vasti, sunt ingentes recessus & spatia suspensis hinc inde montibus laxa: sunt abrupti in infinitum hiatus, qui sæpe illapsas vrbes receperunt. Albert. Magn meteor lib. 2. tr. 2. cap. 9.

Nemo erat ita socors & iners, quin conspecto Mose, percelleretur dignitate formæ illius. Suidas.

Sap. 7. dicit Salomon, quod occultorum & manifestorum accepit scientiam: ostendens sine dubio quod vnumquodque eorum quæ in manifesto sunt, referatur ad aliquid eorum quæ in occulto sunt, idest singula quæque visibilia habere aliquid similitudinis & rationis ad inuisibilia; sic agnoscit sapiens elementa mundi, non solum visibilia, sed inuisibilia, & vtrorumque virtutes. Origen. Homil 1. in Cant.

Nullam frontis esse fidem nimis audacter dixit aliquis. sæpius enim ingenua ostendit seu latens venenum, seu secretas animi dotes, vt neque vitia sine monitore noxia sint, nec seclusæ virtutes, absque reuerentia & honore.

S. Francisci mens in carne patuit, dum sacratissima passionis stigmata in corpore suo ante mortẽ per biennium deportauit, ardens passionis Christi cultor & amator D. Bonauen. in prologo lib. itinerar. mentis in Deum.

Moyses descendens de monte & conuersatione Dei in anima & corpore, aliqua signa & testimonia secum ferebat, testificantia quod in regione lucis fuisset. Id.

Quod tibi mens velat, facies rubicunda reuelat.

Barbam non licebat Iudæis radere. Tostat. Leuit. fo. 99. c. 4. g.

De falsa physionomia *Vide Veritas Virtutis. Rep.*

Prodigiosæ formæ homines plerumque etiā emota sunt mente, nam anima corpori, & corpus animæ solet consentire, vnde D. Gregor. Nazianzenus refert se Iuliani Augusti apostasiam augurasse ex vultu, oculis & totius corporis compositione. hinc Martialis.

Crine ruber, niger ore, lumine luscus.

Rem magnam præstas Zoile si bonus es. & alibi

Pes tibi quod claudus, quod clauda per omnia sit mēs

Interius retegunt extera signa malum.

Vide Cognitio Contrarietatis. signa mali futuri.

DE PRÆCLARIS NOminibus.

ANtiqui Principes, prout aliqua in re excellebant, dominantis illis Planetæ nomen sumpserunt, vt postea facilius pro Diis colerentur. Paracelsus lib de imaginibus.

Decus est habere pulchrum nomen cap. cum secundum de præben. Ideo pulchra nomina imponenda sunt filiis, & bona præsumptio oritur ex pulchro nomine. l. fact. §. si in danda. ff. ad Trebellian. vnde Scipio & alij Imperatores sumebant sibi nomen à partis victoriis. Vide Chassan. in catalago gloriæ mundi. parte 11. consid. 23.

Potest quis mutare nomen quod accepit in baptismo. l. 1. Cod. de mutatione nominis, dummodo id nō fiat in fraudem. l. falsi ff ad l. Cornel. de falsis

Sicut dominum prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina, sæpè sanctorum merita indicant, Petrus à Petra, Stephanus à corona. Chrysolog serm. 154.

Papæ mutant nomen *Vide Bonitas Differentiæ,* mutatio bona.

De naue, dicta victoria, quæ totum orbem terræ circuiuit. *Vide Gloria Medij* honor instrumenti.

Hispani honoris auidissimi affectant multa & præclara nomina.

Athenienses decreto statuerunt ne Harmodij & Aristogitonis tyrannicidarum nomina seruis indere liceret. Rodigiu. lib. 17. c. 17.

Plato existimat positionem nominum non esse fortuitam, sed ex oculto naturæ sinu prodire, vt rē explicet, sic cum vos dicimus apertis labris emittimus spiritum, cum nos, compressis ad interna recipimus Id. lib. 24. cap. 5.

Apollo seu sol dictus fuit Pythius eo quod Pythium serpentem ingentis magnitudinis sagittis confodit, & nominis, spolia reportauit. Isidor. lib. 8. cap. 10. Ita mos fuit Romanis Imperatoribus pronomina sua sumere à deuictis gentibus vt Scipio Africanus. & Iustinianus Imperator initio Institut. dicitur, Alemanicus, Gothicus, Germanicus, &c.

Cum Deus promittit Abrahæ seminis sui maximam multiplicationem, mutat ei nomen, eiusque auget syllabas vt sic generis multiplicatio intelligeretur, cum enim prius diceretur Abram, vocatus est Abraham Origen. Homil. 3. in Genes.

Solebant Christiani propter suam in Apostolos propensionem & affectionem, nomina eorum liberis suis imponere. Niceph. lib 6 cap. 12 vnde in synodo Nicena can. 30. gentilium nomina filiis imponere fuit vetitum. Sed Christiani suis vtantur nominibus.

Cum in terris septentrionalibus plurima oppida nomen haberent à fluuiis & torrentibus inundantibus & principibus viris ibi suffocatis, prudentioribus placuit, vt à triumphis & victoriis, non à calamitatibus rei appellatio fieret. Olaus Magnus. lib. 2. cap. 30.

Quare tribus votis Deo sacri, dicantur Religiosi. Vide quæ scripsi. lib. de fœlici successu & triumpho vitæ Religiosæ. parte 1. cap. 17.

Quatuor in veteri testamento propriis nominibus nominati sunt antequam nascerentur, Ismaël Isaac, Salomon, Iohas, certis quibusdam ex causis. Alcuin. in Genes. interrog. 17. In nouo Ioannes; Iesus Christus.

Roma fortitudinis nomen est apud Græcos, sublimitatis iuxta Hebræos. D. Hieron. lib. 2. contra Iouinian. in fine: vtrumque illi congruit. Nam in libro fati vniuersi probatur quod ordine magnorum annorum nata sit in decima cœli domo, & apice cœli, vnde potens fit ex perpendiculo influxus. sic toti mundo imperauit.

De superstitiosa nominum impositione, cum debeat esse pia *Vide Medium Durationis.* ex D. Chrysost.

Vide Veritas Differentiæ. de armis seu insignibus

M. Antonius Trium vir duos habuit geminos ex Cleopatra, marē vocauit Solem, fœminam Lunā.

LAVS SVI IPSIVS quando licita.

NEcessaria sui commendatio permissa est, vt in eo qui veniam ætatis impetrat, qui non aliter admittitur, nisi morum suorum honestatē probauerit. l. omnes Cod. de his qui veniam ætatis impetrauer. Vtilis etiam commendatio permittitur, vt cum nouus rector prouinciæ commēdat se à bono regimine pro beneuolentia subditorum consequēda. l. solent. §. ante omnia ff. de off. Proconsul. & leg. can. tenore debet dist. 31. denique vt homo possit saluare suam famam sicut Samuel senex moriturus se laudat coram filiis Israël. 1. Reg. 12. similiter si quis aliter non potest famæ suæ læsionem vitare. Aut si quis se laudet ad manifestanda Dei opera in se, vt beata virgo. Magnificat anima mea &c. Vt etiam quis impediat scandalum, ex aliorum in se calumnia nascens. Aut pro ædificatione subditorum & liberorum Vt Paulus. 1. Cor 15. quando etiam aliquis est in afflictione, ne in desperationem incidat vt Iob. 29. oculus fui cæco, &c. tandem vt vitetur periculum, non tamen à veritate deflectendo Ita Paulus se dicit ciuem Romanum Act. 25. De pessima sui laudatione. *Vide supra hoc. tit de nimia sui confidentia.*

Medici possunt seipsos laudare cap. ad aures de ætate & qualitate.

Ascendit Deus in Iubilatione & Dominus in voce tubæ. psal. 46. 6. Ipsa natura lætitiam & amorem vultu prodit *Vide Cognitio Voluntatis.*

De laude sui ipsius. Plutarch. liber.

Stellæ habent lucem, qua se tantū non alia ostendunt; sol autem fons luminis se & alia ostendit.

Nobiles tum sua tum maiorum fortiter gesta, A nominibus, insignibus, coloribus præferunt. Tyrones olim scuta ferebant, in quibus nihil erat depictum. Vnde Virgilius, parmaque inglori us alba.

Galli crebro cantantes insignem Boetiis aduersus Lacedæmonios præsagere victoriam, quoniam ales illa victa non caneret. August. Nimphus de auguriis. lib. 1. cap. 10.

Moyses de se scripsit magna præconia dicens Num. 12. Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.

Qando aliquis infamatur licitum est illi opera sua bona referre, si propter infamiam sine accusatione proceditur contra eum. Tost. 3. reg. fo. 167. B

In articulo mortis licet alicui enarrare bona sua ad ędificationem aliorum; melius enim tunc excipiuntur, nec imputantur vanæ gloriæ. Ibid.

Sic S. Ephrem Syrus moriturus dixit, Nullo modo in tota mea vita aduersus Dominum contumeliosius extiti, nec sermo stultus è labiis meis egressus est; neminem in vita mea maledictis oneraui, nec cum vllo Christiano homine contentiosum me præbui. D. Greg. Nyss. in eius vita.

Christus interrogatus, Tu es filius Dei? respondit, tu dicis, iactantia & gloriatio spontaneæ professionis effugitur; quæsita tameņ veritas non negatur. Ac sic verecundia humilitatis, & veritatis confessio temperantur; vt sit & in responsione officium, & in interrogatione cognitio. D. Hilarius. C in hæc Psal. 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo, &c.

Si vitia sunt occultanda, quæ ad virtutem, diuinum fauorem, familiæ, Reipublicæ decorem pertinent, sunt detegenda. Sic Socrates, Synesius, Dion, Iosephus, genium se habere confessi sunt, maxime interrogati simplici & spontanea confessione. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 100. Specialiter autem cum è re oritur laudis occasio, vt cum factum damnant, vel si falsi insimuleris, rectæ administrationis testimonio in hoc genere mentionem laudis tuæ facere licet, cum hoc ad innocentiam pertineat; si ignorantiæ, ex finis laude; si ex iactura recensere, quæ bene gesseris; 2. ratio cū in aduersis quasi cū fortuna dimicare cogeris 3. D cum patrocinium à Deo vel societate petimus. 4. cum errorem confiteris, vt actio præclara non appareat inuidiosa. 5. cum ad deprimendam falsam aliorum laudem ad id cogimur; Cum res qualiter gesta sit, non nisi à te verè possit exprimi. Ibidem.

IACTANTIA VItanda.

IActantia sui vitiosa parit inuidiam. *Vide Contrarietas Virtutis.* Inuidia.

Ab aliis laudemur, nam ipsos Demosthenes ait, erubescere etiam cum ab aliis laudamur, decet. Quintil. Inst. orat. lib. 11. c. 1.

Non ferunt iudices reum tumidum, ac sui iactantem, & ambitiosum institorem eloquentiæ. Ib. Ita Sidonius Apollinaris refert inuidiam iudicum in se concitasse, quod audacior securusque læta & superba veste iudicio sisteret.

Procemio frequentissimè leuis conuenit pronuntiatio, nihil est enim ad conciliandum gratius verecundia. Quintil. Ibid c. 3.

De nimia sui presūptione vide supra hoc titulo D. Gregor. PP. in Registro. lib. 2. ep. 4. Episcopo Regiensi Gaudeo, inquit, quod misericordiæ operibus vehementer insistatis, sed mentem meam momordit quod eadem opera multis vos ipsi nunciastis, ex qua re, collegi quod mens vestra non studeat Dei oculis, sed humano iudicio placere; vnde necesse est vt cum bona exterius agis; hæc interius cum magna cautela custodias, ne appetitus placendi hominibus subrepat, & omnis labor boni operis incassum fiat.

Idem. lib. 6. epist. 9. Episcopo Syracusano: Audio quod ex his quæ scripsi, fraternitas vestra ad mensam suam coram extraneis legi faciat, quod mihi non videtur esse faciendum, quia hoc quod vos pro charitate facitis, possunt quidam, quantum ad me est, vanæ gloriæ deputare.

Ceruo, ignauissimo animali, natura dedit cornua magnetudine & asperitate prę cæteris conspicua, vimque profitentia. Immeriti, inopinata statim fœlicitate lasciuiunt. Clitus quatuor hostium depressis nauibus, vocari se Neptunum passus, tridentemque appingi.

Clearchus Heraclię tyrannus, fulmen gestauit. vnumque liberorum tonitrum appellauit, quidam iusti, magni, victores, seruatores appellari voluerunt. Plutarch. lib de virtute & fort. Alex.

Age res præclaras, nihil magnifici interim promittens. Stobęus.

Demades tubis similes dicebat esse Athenienses, quod adempta lingua nihil residui rationis haberent.

Monent alienos velut cæcos & ignorantes de magna sui æstimatione.

Magna lumina paruas faciunt vmbras, magnæ virtutes sunt sine ostentatione. Iactantia est vitium exigui animi opinionem sui non valentis continere; rimas & fracturas patitur, & quia præclara opera multum illos superant, & multo labore illa pepererunt, ideo talia pluris quam par est, æstimant & prædicant. Magnis autem animis opera nunquam satis respondent.

Aqua per canales à dissitis locis habetur, effunditur cum murmure, at quæ scaturit è fonte, non edit murmur, licet sit perennis & purior, talis est perfecto quæ habetur à Deo in anima habitante. S. Theresia.

Florent diutius legumina quam frumenta, quia flos frumenti imbecillior est; imbecilliora autem citius perficiuntur. Theophrast. de caus. plant. lib. 4. cap. 11.

Vide *Maioritas Gloria.* Nimia vanitas.

Menecrates medicus quia multos sanasset dictus est Iupiter, eo nomine superbiens quos curabat iuramento obstringebat, vt ipsi seruirent in posterum; sequebantur autem ipsum in habitu Mercu- E rii Herculis aut alterius Dei. Nouum hunc Deum Philippus Macedo vocauit ad cœnam, & throno elato sedenti pro ferculis fumigationes obtulit, sic irrisus decessit ieiunus à conuiuio. Rodig. lib. 11. cap 16.

Macedones Indis deuictis erexerunt trophæum, illud ferus Leo subuertit, hinc decretum, ne deinceps trophæum erigerent, velut id esset ominosum, & irreconciliabiles inimicitias excitaret Id. lib. 12. cap. 10.

Fit etiam per adulatores conductos iactantia. sic Ammon Carthaginensis aues cicuras factas articulatim loqui docebat, vt Deum illum postea emissę, cantillando proclamarent.

A In senectute ad an. 58. calor mordax adurensque regnat, tunc albescunt capilli quod exhalare, foras plurimo calore, exilis remanet intus occlusus in densitate arida; & sibi similes facit capillos, cum albedo sit caloris species, propterea corium asinorum & equorum qua in parte sauciatum, plangatumque fuit, albesit, quod calor ibi factus imbecillis elabi nequit, Campanella.

Iactantiæ ridicula vanitas. *Vide Voluntas Gloria. Rep.* Gloriæ contemptus. *Et Cognitio Voluntatis. Repug.* Silentium.

Vt in musicis vocum, sic inter homines operum & sermonis debet esse concentus, itaut neque opera nimis terra sint, neque sermones superiores B operibus, tanquam in angustum vasculum infusi vndique ab eiusdem labris exundent; sed altrinsecus concordes effecti, debent eandem mensuram eandemque plenitudinem seruare; pauoni sua pulchritudo est incommoda ad volatum licet oculos nostros oblectet. effusio laudis propriæ, nocet loquenti quamuis audientium aures demulceat. Maxim. Tyrius. serm. 15.

Vide Magnitudo Virtutis. Pœnitentia sit omnium peccatorum, ex Alcuin.

Sesostris Rex Ægypti adeo fuit insolens; vt curru auro & gemmis ornato insidens, Reges à se victos illis iungeret. Suidas in voce.

C Anno Christi 271. Paulus Samosætenus Episcopus Antiochenus factus hæreticus, ipso die Paschatis, explosis psalmis qui solent in Ecclesia decantari, parauit mulieres quæ cantilenas in laudē suam compositas decantarent. Baron. dicto anno.

In exercitio lassitudinem, in rerum successu inuidiam declinare oportet.

Philotæ obiicitur quod dum oraculo pronuntiatus esset Alexander Iouis filius, ipse Philotas rescripsisset se misereri eorum quibus viuēdum esset sub eo qui modum hominis excederet. Respondit dignior mihi Alexander videbatur, qui iouis stirpem tacitus agnosceret quam qui prædicatione iactaret. Q. Curtius. lib. 6. & hęc fuit causa cur D Parmenio & Philotas filius in regem conspirarent. Amisimus, iuquiebant, regem, incidimus in superbiam, nec Diis quibus se exequat, nec hominibus quibus se eximit tolerabilem. Nostro ne sanguine Deum fecimus qui nos fastidiat? qui grauetur mortalium adire concilium? Ibidem.

Vulgo dicitur, canem timidum vehementius latrare, quam mordere altissima quæque flumina minimo sono labi, Ib. lib. 7.

Clitus Alexandrum non ferens se supra Philippum patrem extollentem. Preclara Philippi gesta recensuit, velut præstantiora, hæc indigne ferens Alexāder Clitū hasta perfodit, & occidit. Id. lib. 8.

Iactantia prouocat aliorum indignationem & inuidiam. *Vide Contr Virtutis.* Inuidia ex Quintil.

E Affirmantes se esse illos qui non sunt in litteris beneficialibus, vt ipsis expeditis beneficio gratis currat, ex communicantur, & litteræ nullæ sunt. Innoc. 8. constit. 11. §. 1. & 2.

Bona sua ostentare non decet, est enim inuidiam sibi frustra comparare, dum ostendis magis antecellere te velle videri, quam antecellere. Cardan. de arcanis prudentię cap. 27.

Si decet verecundari cum ab aliis præsentes laudamur, quanto magis si teipsum laudes. Ostendis deesse tibi amicum, si non habes alium qui te laudet; aut iudicium, si cum possis laudari ab alio, vis à teipso potius; talis laus suspicionē affert quod nō sit vera, tædium & fastidiū affert. Id. cap. 100.

Ingratæ sunt gustui dapes, quæ fumum sapiunt, & animis sermones iactabundi. Ita nemini de seipso loquendum est, neque in laudem neque in vituperium: quandoquidem alterum sit arrogantiæ, alterum fatui & inepti.

FIDEI PVBLICA confessio.

VOx Domini preparantis ceruos, & reuelabit condensa. Ps. 28. prҿparantis, idest perficientis in eo quod ceruus venenata è cauernis & densis dumetis, aut extrahit vt conterat, aut fugat, sic boni doctores, hæreticos & apertos & occultos, debent insectari, ne quid fidei veritas sub illis patiatur, ex D. Bas. in d. Psal. 28. Psallite illi in vociferatione. Psal. 32.

Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrismate non præsumant; sed Presbyteri baptisatos vngant in pectore, vt Episcopi postmodum vngere debeant in fronte. D. Greg. PP. in Registro lib. 3. epist. 9.

Veritas libere. qādo diceda. *Vide Gloria Cōcord.* Publica priuatis præferenda. *Et Gloria Veritatis.*

Abyssini Christiani, loco aquæ, vtuntur in baptismo ignis, notas enim ferro candenti imprimunt vnam in fronte, aliam in mento, duas in genis, in figuram crucis, quam sic vultu præferunt. Dauity. & Tostat. Math. to. 1. fo. 193. c. 2. e.

Cum sint plures differentiæ furti, pessimum illud constat furtum esse, quod est veritatem Dei in iniustitia detinere. Roma 1. Rupert.

Abbas Agatho patienter tulit quod à quibusdam diceretur superbus, maledicus, fornicator, sed non est passus se dici hęreticum, quia, inquiebat, hæresis separat à Deo, à quo nolo separari. Vitæ Passum. lib. 5.

Cœlestinus Papa ep. 2. ad Episcopos Galliæ an. 428. iubet reprimi quosdam Presbyteros qui Ecclesiam nouis quæstionibus turbabant. Timeo, inquit, ne in talibus tacere, sit conniuere; Timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò namque causa nos respicit, si silencio faueamus errori Ergo corripiantur huiusmodi; desinat incessere nouitas vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem, inquietudo turbare. Habere fratres oro Catholicæ plebis pace tractatum, sciāt vos esse Doctores; Reprimantur qui laborant per terras, aliud, quam ille noster iussit agricola, seminare, non est agentium causa solorum, quādo vniuersalis Ecclesia, quacumque nouitate pulsatur. pulsamur intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere.

Vide Minoritas Contrarietatis mala.

Spiritus sāctus apostolos fecit & ardētes & loquēes. Vt verborum suorum facibus corda principū mūdi accenderēt. Nicolaus Papa. ep. 65. an. 867. *Vide Cognitio Virtutis.* Ecclesiæ visibilis.

Helcitæ dānati sunt vt hæretici, eo quod assererent in persecutione licitum esse Christum ore negare Euseb. lib 6. c. 15.

Circumcisio Iudæis tribus de causis data est, vt signum esset fidei, & Abrahaamici generis indicium, & ænigma vitæ puræ & temperantis itaque non data est vt iustitiæ effectrix, sed sigillum & signum iustitiæ Abrahami ex fide. Suidas in voce. Tostat Gen. fo. 206.

Laurus foco imposita si non crepitabat malum erat omen; erat enim Apollini fatidico sacra; vnde Propertius Et tacet extincto laurus adusta foco. Rodigin. lib. 5. cap. 6.

Vide Potestas Veritatis. Veritas libera, & liberè dicenda.

Agnus debebat offerri ante solis occasum licet nocte posset comedi: significare potest publicã fidei confessionem & vota publicè emissa, & etiam bona opera, occultè, & clauso ostio facta.

Iudæi duplici signo distinguebantur ab aliis populis scilicet circumcisione, & quibusdam fimbriis in exterioribus pallij. Tostat. Matth. to. 3. fol. 204. B

Iudæi velato capite sacra sua faciebant; nemo enim in festis sabbatorum aut aliis solemnitatibus synagogam sine capucio intrabat, proueniebat hæc consuetudo ex eo quod Exod. 3. dicitur Moyses abscondisse faciem suam, ne respiceret contra Deum. At contrarius est mos in Ecclesia. 1. Cor. 11. vt orantes sint aperto capite, quia prima lex erat timoris & figurarum, hæc libertatis & amoris. Id. Leuit. fo. 131.

Caput nostrum est Christus, ideo illum publicè confitentes in diuinis suis officiis aperto sumus capite, etiam tonso in clericis & monachis; nam turpia velantur, pulchra ad sui commendationem, & spectantium voluptatem proferuntur. Id. Math. to. 1. fo. 24.

Matth. 10. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Hæc confessio semper est meritoria, quia respicit solum Dei honorem. Est autem necessaria si quis in persecutione interrogetur an sit Christianus. tunc enim tenetur confiteri, nam tunc erubescere & dissimulare est negare Christum: quod si non interrogetur, non tenetur confiteri nec se ingerere ad martyrium quamuis id sit magni meriti. Idem. Math. to. 3. fo. 163. D

Iustinus Martyr in apologia ad Antoninum Pium Imperator. Nobis, inquit, in promptu est negare dum examinamur, sed nolumus tueri vitam mendacio.

Eleazarus rogatus ab amicis fingere se porcinas carnes edere, id fortiter abnuit, Religio meretrix non est, pigmenta respuit peccat non ficte, qui ficte peccat, ignoratis quales oculos in cordis secreta numen immittat; benè cautum est mihi non possum totus mori. Valete amici, aliquando laudabitis quod nunc timetis.

Fidei Christianę publica fieri debet confessio. Vide quę scripsi Theolog. natural. tom. 4. parte. 2. cap. 20.

Fortiter quisque vindicare debet quę pertinent ad Dei cultum: vide præludium lib. de agente Dei in humanis. Peccant contra fidei confessionem qui falsorum Deorum imagines publicis operibus imponunt. Ibid. parte 1. cap. 9. Vota Religiosa quare publicè fiunt lib. de institutione & officiis Religiosi. parte 1. cap. 30. E

Religiosus fortiter pro veritate fidei decertet. Ib. parte 4. cap. 18. 19. & lib. de misericordia Dei in præfatione.

Estote prudentes sicut serpentes. Matth. 10 hi namque totum corpus exponunt, vt saluum sit caput; & tu expone externa omnia bona vt salua sit fides. D. Chrysost. Homil. 34. in Math.

Latro Christum confitetur, etiam in cruce pendentem, & Iudæorum blasphemiis tunc acerbissimè impetitum.

Christo dicenti, Palam loquutus sum mundo, & in synagogis vbi omnes Iudæi conueniunt, Minister Pontificis dedit alapam Iesu, qui respondit. Si male loquutus sum testimonium perhibe de malo, si bene, cur me cędis? Nusquam legitur ipsum calumniam inferenti publicè restitisse; nisi hoc in loco cum agebatur de veritate publicè professa. Laurent. Iustin. de triumphali Christi agone cap. 8.

De vidua quæ à Rege in matrimonium expetita in conuiuio se Deo consecratam sumpto sacro velo profitetur. *Vide Minervitas Gloria*. De secundis nuptiis non contrahendis.

Act. 4. fideles petunt à Deo gratiam vt firmi sint contra minas sacerdotium. Cum orassent motus est locus, in signum exauditionis, & repleti omnes Spiritu sancto, loquebantur verbum Dei cum fiducia.

Nolo in suspicione hæreseos quemquam esse patientem; ne apud eos qui ignorant conscientiam eius, dissimulatio conscientia, iudicetur; si taceat. D. Hieron, ad Pammach. adu. errores Ioan. Hierosolym Sic sentẽtiam temperasti, vt nec simplicibus displiceres, nec tuos offenderes benè scripsisti, sed nihil ad causam pertinens. quidam cum diserte diceret, & causam non tangeret prudens iudex dixit benè, benè, sed quò istud tam benè? Qui arguitur in pluribus, & in dilutione criminum aliqua prætermittit, quidquid tacuerit confitetur. Ibid.

In Rationali summi sacerdotis, erat manifestatio vel doctrina & veritas, hæc in pectore præferebat. Cum enim indutus quis fuerit veste multiplici, consequens est, veritatem, quam corde retinet, sermone proferre, & alios docere, quod mente concepit. Idem ad Fabiolam de veste sacerdotali.

Græci credere tenentur etiam à Filio Spiritum sanctum procedere, sed non tenentur pronunciare, & quando secus. Clem. 8. const. 34. §. 6. p. 35. to. 3. Bull.

REPVGNAT

DONA DEI NON sunt vulganda.

Dicitur Iob. Quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius. verba huius diuini susurri quandoque sic sunt abscondita & occulta, vt in intimis audita extra dici non possint. Hæc nemo scit, nisi qui accipit. D. Greg. moral.

Dona Dei pluribus de causis sunt occultanda nec propalanda 1, ne vilescant apud eos qui terrena tantum sapiunt, ne fiant nota inimicis, qui conentur illa diripere; ne insolescat animus, & gloriando inaniter, bonum quod intus percipit amittat. dicit sponsa in Canticis, Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Intenta sibi anima vt se puriorem exhibeat, donis excipiendis intenta; semper agens & patiens non ociatur vt bona commemoret, tunc excipienda. cæterum quæ recipit, minima pars sunt eorum quæ sperat; & quomodo loquetur de his quæ sensum, mentem, sermonem excedunt, nec enim in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se. Laurent. Iustin. de vita solitaria cap. vlt.

Propheto

Digitized by Google

Propheta cum multa ratiocinando dixisset, nonnulla in semetipso silentio tegens ait, secretum meum mihi Non est dubitandum plura occulta mysteria, quædamque secreta cœlestia sanctis viris propalari per spiritum, quæ profecto illis manifestare non licet; quoniam vel ad instructionem solummodo ipsorum, vel in signum testimoniumque singularis illis innotescunt dilectionis. Verum illa quæ ædificare possunt audientes, seu Dei gloriam in hominibus accrescere, quamuis reuelentur introrsus, sunt, vt arbitror, cum humilitate & deuotione dicenda, interueniente nihilominus rationabili causa, seruatoque congruo modo & tempore, ne transfiguret se Sathanas in Angelum lucis, &c. Idem lib. de institut. Prelator. cap. 11

In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Ps. 118. simile est quod dicitur Tob. mysterium regis bonum est abscondere. Margaritæ non sunt proiiciendę ante porcos, neque sanctum canibus dare oportet. Ergo quædam cordis secreta seruanda sunt, ne in Deum peccemus, quia cum cætera peccata secundum differentias rerum, aut in nos ipsos, aut in alios exercentur, tamen tum fierent in Deum propria, cum quæ occultorum cordium condenda essent secreto, hæc in prophanæ cognitionis scientiam proderentur. D. Hilar. in Psal. 118. Beth.

Vide Minoritas Cognitionis. Religionis secreta mysteria.

Quid est quod semper loquitur in secreto Deus, nisi quod nos ad secretum vocat, & cum paucis loquitur vt nos colligat & vniat. D. Bonauent.

Circa mare Caspium frequens arbor, faciem quercus habet, cuius folia multo melle tinguntur, sed nisi solis ortum incolæ occupauerint, vel modico tempore succus extinguitur. Q. Curtius. l. 6.

LATENS VIRTVS.

Fluuii sub mari labuntur in canalibus subterraneis. Georg. Agricola lib. 4. in fine de his quæ fluunt ex terra.

In sympofio Alcibiades dicit Socratem similem esse silenis qui sub monstri quadam specie pulcherrimas Deorum imagines abscondebant.

Plutus diuitiarum Deus cæcus effingebatur, quia solent in tenebris, & in suffocato marsupio asseruari diuitiæ. Rodigin. lib. 20. cap. 13

Luna etiam dum caret lumine coniuncta soli vim plurimam emittit, vnde tunc turgent maria.

Fit Ecclesiæ consecratio superficiei interioris parietum delinitione, cum crucibus cap. proposuisti de consecr. Eccles.

Galli, Germani, Scythæ sunt audaces quia propter circumstans frigus naturalis calor ad interiora confugit. Æthiopibus verò & Arabibus naturalis calor euaporatur, ita proprio destituti, ascititio & externo incalescunt. Galen.

Aues cœli comedunt semen, & transeuntes conculcant si sit seminatum iuxta viam.

Mater Moysis videns infantem suum pulchrum, occultauit eum mensibus tribus. Sic bona opera sunt occultanda ne Ægyptius, idest dæmon ea perimat. Origen. hom. 2. in Exod.

Vir bonus facit intra se tabernaculum Deo, & sancta sanctorum vbi solus intrat. *Vide Potestas Virtutis.* Sapiens seipso contentus.

A Num. 8. præcipitur sacerdotibus, curent præcipuè quæ intra velamen sunt. Quandiu sumus in hoc tabernaculo, inquit Paulus, sunt in eo interiora velaminis, vbi inaccessibilia conteguntur, scilicet principale cordis, quod solum recipere potest mysteria veritatis & capax esse Arcanorum Dei: sunt altaria duo, idest interius & exterius, interius est illud de quo Apostolus. 1. Cor. 14. orabo spiritu, orabo & mente; exterius est oratio vocalis. Id. hom. 11. super Numer.

Apud Iudæos festum Neomeniæ celebrabatur noua Luna cum Soli coniuncta mundo non apparet Talis est anima Deo coniuncta, cum neque videri, neque comprehendi humanis aspectibus potest; cum se totam sapientiæ, totam lumini, totam calori sancti Spiritus mancipauerit, subtilis & spiritalis effecta, quomodo cerni ab hominibus potest, ideo idem festum agit. Idem homil. 23.

B Cant. 1. dicit sponsa, nolite considerare me quod fusca sim, quia decolorauit me Sol.

Matth. 13. thesaurus inuentus in agro absconditur vt seruetur. Sæculum præsens hyems est iustis qui apparent sicut arbores siccæ, tempore autem opportuno in fructibus suis apparebunt. Origen. tract. 30. in Matth.

Fuit in Ecclesia traditio Christum habuisse duas exteriores formas, vnam secundum quam omnes eum videbant; alteram secundum quam

C transfiguratus est & vnicuique apparebat secundum quod fuerat dignus: & cum fuisset ipse, quasi non ipse omnibus videbatur & hæc traditio non videtur incredibilis, propter ipsam verbi naturam quod non similiter cunctis apparet. Ib. tract. 35. sic sæpius non agnoscitur à discipulis, & cum turbæ vellent eum comprehendere, per medium eorum ibat.

Albedo procedit à calore intus retento. Vide s. hoc tit. Albedo, innocentia à virtute latitante.

In regia qui sunt magis honorati, sunt intus circa regem; ii autem quorum non est tam bona

D existimatio, sunt foris. D. Chrysost. homil. 12. in epist. ad Coloss.

In sacris scripturis sub tenui & contempta locutione latent altissima mysteria. *Vide Maioritas Cognitionis.* Eloquentiæ contemptus.

Quæ odorem de se spargunt, eundem fluente & raptore vento amittunt, vel concluso vase eundem intus retinent. Si enim prius inanes corporum pori, aërem recipiunt, qui ibidem conclusus, fracescit cum odorabili, & ad corruptionem deducit concretum. Van Helmont in tractatu magnum oportet.

E Aromatica benè conseruantur in loco frigido, quia frigiditas loci circumstans non permittit exhalare virtutem aromaticam & resolui. Tostat. 2. paralip. fo. 129. c. 5. g.

In potestate beati est ostendere vel occultare corpus suum, vel lucem corporis sui oculis mortalium, non tamen oculis aliorum beatorum. Id. Matth. 10. 4. fo. 257. c. 3. f. possunt se non ostendere oculis non beatis, per imperium voluntatis, cessando agere in oculos eorum, non multiplicando species coloris, vel subtrahendo radios lucis, Ibid.

Caro dicitur viua quæ est spoliata cute, apparet sanguinolenta nec vllam habet pulchritudinem, sic virtus sine quodam humilitatis velo indecenter omnium oculis exposita.

Digitized by Google

Sponsa Christi arca est testamenti intrinsecus & extrinsecus deaurata.

A Licet fœtus sit perfectus in vtero post septimum mensem, tamen ætas non numeratur, nisi ab hora qua in lucem profertur. Non censetur virtus latens, & nisi cum se profert.

In aquis distillatis vbi nec sapor, nec odor, ibi virtus esse non potest. Cardan. meth. med. cap. 11.

Missa cur potius de die, quam de nocte celebranda. Paul. 3. const. 23. § 25. Pl. 537. to. 1. Bull.

Præferat quisque pietatem & veritatis studium, nam & cultus ipse nos Deo gratos reddit, & hominibus venerabiles, iam verò plurimum absunt à legum metu, & criminum suspicione, ob idque, etiamsi peccent, raro deprehenduntur. Cardan. de arcanis politiæ. cap. 23.

B Auempace apud Auerroëm asserit, absente lumine nullum superesse colorem in corporibus, sed luminis tantum appulsu colores suscitari, quò spectare videtur illud Virgilii 6. Æneid. rebus nox abstulit atra colorem At Albert. M. libro de sensu, & sẽsibilibus asserit, absente lumine remanere colorem quæ sit qualitas ex primis qualitatibus oriunda, coloris velut materia, eius verò forma lux est; sic quidam non putant esse virtutem, nisi in quantum splendet, iuxta illud, scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

C Posthumia Vestalis stupri accusata, quod liberius cum hominibus loqueretur, absoluta fuit à Pontifice spurio Minutio, sed admonita, vt eam quam haberet vitæ honestatem, sermone & conuersatione præferret. Plutarch. lib. de captanda ex inimicis vtilitate.

Nero quamquam exiguæ vocis & fuscæ, blandiente tamen in cantando profectu, prodire in cœnam concupiuit, iactans illud occultæ Musicæ nullum esse respectum. Cantante eo nec necessaria quidem de causa excedere theatro licitum erat, itaque & enixæ quædam in spectaculis dicuntur, & multi tædio audiendi laudandique, clausis oppidorum portis, aut furtim dissiluisse de muro, aut morte simulata, funere elati. Sueton. in Nerone.

D Illustra faciem tuam super seruum tuum; idest notum fac hominibus me ad te pertinere; sic erubescant impii, muta fiant labia dolosa. D. August. in Psal. 30.

Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet, & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem. Psal. 36.

Ideo eriguntur trophæa, templis appenduntur spolia, laudes victoris celebrantur. *Vide Gloria Contrarietatis.* Honor militiæ.

Vide Cognitio Gloriæ.

Gamchey, seu lapides naturaliter insculpti figura sua virtutem, sibi inditam ostendunt. Paracel. lib. de imaginibus.

E Chiromantia vera, multiplex est, nec ex manibus tantum iudicat, sed de herbis, foliis, lignis, saxis, mineralibus, regionibus, viis, fluuiis, terræ motibus & siccitatibus, ex rimis; Ex hac chiromantia lignarii cognoscunt ligna; metallarii fodinas, Geographi regiones; equites naturam equorum, &c. Ibidem.

Sic agnosci possunt naturæ plantarum vt satyrion virilis speciem referetis, prodest ad restituendam virilitatem, Cardui folia pungentia, prosunt ad sanandas internas puncturas; Victorialis seu allium anguinum, radicem habet filamentis crebris ita intortam, vt loricæ speciem exhibeat, hæc gestantem munit & illæsum præstat, non secus ac lorica. Radix syderica, singulis in foliis habens figuram serpentis, remedium est contra venena omnia; Chicorea quæ solem foliis sequitur, & eo occidente, paruæ virtutis, solarem se ostendit. Ibidem.

Quidquid natura generat, formatur id secundum essentiam virtutis in subiecto latentis, itaut per virtutem forma, & per formam virtus intelligatur. Sic per rufos capillos, virtus cordis rubra cognoscitur; per flauos, flauum albumne cor; sic mutili corporis, mutila solet esse mens, & mutilæ mentis mutilum corpus est; Idem lib. 1. sagacis Philosophiæ. Nihil opertum, quod non reueletur, sic abdita cordis humani, per signa naturæ, per operationes proprias, & per iudicium Dei possunt cognosci. Ibidem.

Expergiscuntur animalia, cum digestio completa fuerit, tunc enim caliditas multa efficitur, multique generantur spiritus qui se diffundunt ad exteriora. Albert. Mag. lib. 1. de somno & vigilia in fine. post recollectionem, virtus fortior, emicat ad extra

Calor diuidit lignum & perosum efficit, vt per illud discurrat alimentum, consumpto autem calore naturali & humido, remanet prorosum aëre refertum, sic supernat, sic magis supernatant arida quam viridia. Id. tract. 1. de proprietat. elementor. cap. 3.

Folia nimus operiunt fructus, natura suat multum humidos, & qui ad digestionem maiori indigent solis calore. Idem lib. 2. de vegetabilib. tract. 2. cap. 1.

Flos est indicium fructus. Florum autem generatio, vt in pluribus, est eadem substantia cum fructu, propter quod in quibusdam in superiori parte fructus adhæret; aut fructus formatur in medio floris. Ibid. cap. 3.

Aer facit ascendere corpora rara super aquam, ita quæcumque merguntur in aqua, habent tantum virtutem terræ grossæ & fæculentæ

Animalia etiam frigida per æstatem prodeunt è latebris in lucem: quædam tamen, vt aues quæ dicuntur Diomedis, tunc quærunt loca frigida, quia cum constent pauco calore interno, & terrestri valde, substantia dissoluerentur ab æstiuo calore. Albert. Mag. lib. 7. de animalib. tract. 3. cap. 3.

Quintilian Instit. orator. lib. 1. cap. 3. asserit melius esse iuuenes edoceri in publicis gymnasiis quam domi. Maximè quia futurus orator, cui in maxima celebritate, & in media Republica viuendum est, assuescat iam à tenero non reformidare homines, neque illa solitaria & velut vmbratili vita pallescere. Excitanda mens, & attollenda semper est, quæ in huiusmodi secretis, aut languescit, & quendam velut in opaco situm ducit, aut contra tumescit inani persuasione, necesse est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat. Deinde cum proferenda sunt studia, caligat in sole & omnia noua offendit, vt qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est. Mitto amicitias quæ à pueris contractæ durant vsque ad extremum vitæ.

Vide Voluntas Gloriæ. Bonus honoris appetitus.

Terra exterius, herbis, arboribus, floribus exor-

A nata est, interi⁹ aute propter frigus dēsa est, & lapis Ignis suffocatus non emittit flammam, sed fumum, & aqua superinfusa stridorem emittit.

Licet natura sit principium motus & quietis, tamen physica considerat corpus vt mobile, non vt quiescibile, quia quies est priuatio motus, & non dicit formam positiuam, & quia cœli qui sunt perpetui motus, non sunt quiescibiles. Albert. Magn. 1. physic. c. 3.

Artifices habent notas particulares quas imprimunt suis operibus, vt eorum agnoscantur authores.

In armis seu insignibus nobilium vtuntur auro & argento, pro metallis & quatuor coloribus, sed B digniores sunt rubeus, cæruleus qui ad lucem & splendorem magis accedunt.

In armis etiam manus expansis digitis significat libertatem, vt contractis seruitutem. Vt homines pinguntur in proprio suo habitu, Pontificio, militari, iudiciali & forensi; sic animalia ferocia in maxima sua feritate in armoriis; vt leo mordax & radens pedibus, *rempant*. Chassanæus Catal. glo. m. 1. p. 10. 86.

Signatur baptizandus signaculo sanctæ crucis; vt ab eo tempore Apostata diabolus in vase suo [illegible] ino suæ interemptionis cognoscens signaculum, iam sibi deinceps sciat esse alienum. Can. C postea signatione de consecr. dist. 4.

Actio in oratore, est quędam corporis eloquentia. Quintil.

Verecundia licet virtutes generet, est tamen aduersa, multisque in causa fuit, vt bona ingenii, studiisque in lucem non prolata, situ quodam secreti consumerentur. Id. Inst. Orat. lib. 11. c. 5. quis dubitet vitiis adscribere affectum propter quem facere honesta pudet?

Pythagorici colorem vocabant superficiem corporis. Plutarch. lib. de placitis Philosophorum cap 15. Plato flammam ex corporibus pro- D deuntem, accommodatas visui particulas habentem. Ib.

Calor exhalare facit odores, frigus coërcet, & continet. Ib.

Homo non debet velare caput, quia est imago & gloria Dei. 1. Cor. 11. Auctores debent libris à se compositis, nomina sua inscribere, & in sui commendationem aliqua dicere. Chassan. in Calogo glorię mundi parte 10. considerat. 28.

Primarius effectus Sacramenti est producere gratiam sanctificantem, secundarius vero characterem qui est nota qua vnus distinguitur ab alio, vt baptizatus à non baptizato: hic tamen character non apparet oculis hominum. Tria Sacra- E menta imprimunt characterem, baptismus, confirmatio, ordo.

Cõfessarius non tenetur ex vi sigilli confessionis, ad occultanda bona & virtutes pœnitentis, sed solum tenetur ex vi secreti naturalis iuxta intentionem pœnitentis, quia hæc dona non manifestantur in confessione animo se accusandi, & ex ipsorum manifestatione, confessio non solet fieri odiosa. Bonacina.

De transfiguratione Christi. Oratio Ioannis Damasceni.

Vide Principium Bonitatis.

Corpus ostendit animum, sicut vagina figuram ensis, cortex nuclei, figuram sub eo contentam.

Cœlum à cernendo dictum est, quia ab omnibus oculos habentibus cernitur. Rupert. lib. 1. in Genes. cap. 9. Terram pulchram & fœcundam futuram Deus educit ab aquis, quibus mersa erat. Ibid.

Apud Indos est arbor, tristis vocata, quia nullos producit fructus, sed flores tantum per noctem, ita ut Sole oriente nihil ex natis ad nascituris etiam in gemma appareat.

Adamantis constantia splendida est.

In India maximè in insula Maldiues est arbor dicta Irondamans, idest flos Solis, quia oriente Sole producit flores, qui in occasu cadunt.

Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, conspiciuntur, aliquid est factum à Deo inuisibili, quod est visibile vt se ostendat. Cusa. excit. lib. 5.

Multorum virtus iacet, quia campus deest, vbi se ostentent.

Quædam arbores medullam nullam habere videntur vt palma. Theophr. quidam toti in exterioribus.

Vitandum scandalum. *Vide Medium Minoritatis.*

Omnia sunt in clarissima luce posita, & prudenter à maioribus nostris ordinata, non tam egemus præceptis, quam exemplis.

Oleum effusum nomen tuum, vnguenti virtus est incognita, cum est in clauso vase, at tunc apparet & trahit cum effunditur, trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Card. Cusa. excitat. lib. 5 c. 3.

Arca fuit deaurata intus & foris. Exod. 25.

Optimum est facere Holocaustum, quod dicitur totum incensum, idest opus bonum in amoris igne probatum, non sibi, sed Deo attribuere totum, fugere ventum gloriæ popularis: iuxta præceptum dicentis, Matth. 6. cauete ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis. Verumtamen si semper fugias spectatorem, nunquam habebis imitatorem. Proinde idem Dominus dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Rectè igitur post occultum holocaustum, scilicet incensum amoris, sequitur lex sacrificii & libamentorum eius, quorum partem comedant Aaron & filii eius, quo signatur opus bonum factum coram hominibus vt glorificetur Deus. Rupert. in Leuit. lib. 1. c. 30. itaque comeditur absque fermento, idest absque vanæ gloriæ tumore ventoso; & in loco sanctuarii, idest in communi ædificatione Ecclesiæ: tantum mares de stripe Aaron comedent, idest fiet tantum coram illis hominibus. Ibid.

Reliquiæ messis & fructuum, relinquuntur colligendæ pauperibus. Deut. 24. Plura operum nostrorum, propter periculum miseræ vanitatis, intra conscientiæ secretum quidem reponamus, aliqua tamen pauperibus relinquamus carpenda, vt nostris prouocati exemplis, glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est. Rupert. in Deut. lib. 1. cap. 33.

Virtus nomen habet fœmininum, vt fœcunda sit parens; prolemque sibi similem gignat.

Viennę in Austria tantum est ædificiorum sub terra, quantum desuper Æneas Syluius ep. 165. sic in regionibus in quibus sęuit magna ventorum vis, & hyemis.

Dum videmus in aliis possibilia, quę nobis videbantur impossibilia, crescit animus, nec torpet: sic aues pullos prouocant ad volatum. *Vide Concordantia Virtutis.* Imitatio bonorum.

Concilio Parisiensi VI. can. 20. præcipitur, Episcopo & Prælatis, vt innocentis vitę suæ testes contubernales, commensales habeant, non laicos sed probatæ integritatis clericos qui ex tali exemplo profectum sumant.

A

In testimonium virtutis stemmata & insignia fuerunt nobilibus & eorum hæredibus concessa in clypeo animalia quædā fera ferebant insculpta, vt leones, leopardos, aquilas, dracones velut icones terroris, & producta virtus sit aliis terrori sic Hercules spolium ferebat leonis, quem occiderat.

Folia parte superiori sunt viridiora, quippe solem versus sic à suo duce volunt videri milites.

Arbores quædam paucis editis foliis, & postmodum labentibus, solis fructibus videntur onustæ, cum scilicet ad fructū edendum amplior vehementiorque impetus factus est, id sæpe contigit amygdalæ, quippe cum & propter nimiam fructuum multitudinem, folia cerni non possint, exigua prodeant, infirma decidant, quoniam natura se tota ad fructum generandum contulit. In ficulnea frigus hunc morem foliorum penitus tollit, fructuum, qui largior & calidior est tollere ex toto non potest, sed constipat, atque condensat. Theoph. plantar. lib. 5. c. 4.

B

Caliditas & frigiditas sunt duę qualitates actiuæ. Calidum autem est longè magis actiuum, ob plures causas, sed maximè quia in animali est causa vigiliæ & motus, eo quod expandit calorem ad superficiem, & tunc ab animali procedunt opera, & in aliis rebus facit quid simile: sic flores per calorem diei euocantur & aperiuntur, nocte clauduntur. Albert. Magn. meteor. lib. 4. tract. 1. cap. 2.

C

Maior calor genitalia in sexu masculo protrudit exterius, non in femellis in quibus est nimis debilis. Baron.

Sunt nomina qualitatis & epitheta quę qualitatem rei significant, vt sapiens, formosus, diues, magnus, &c. Isidor.

Adamas differt à gemmis candidis quod vibrat admodum, nam cristallum non vibrat. Cardan. de rer. varietate lib. 5. cap. 18.

Rubinis proprium est, quod sint sub tecto purpurei, sub cœlo flammei, & in solis radiis scintillent. id. Ibid.

D

Plin. lib. 33. conqueritur quod annuli in præmium dati læua gestentur, cum dextra debuissent ostentari.

Olea vnde dabantur athletis coronæ in Olympicis vocatur Callistephanos, huius folia contrario modo se habent quam in aliis, extra siquidem non intus albent. Rodig. lib. 12. cap. 19. sic olim qui honores ambibant induebantur alba veste quæ innocentiam proferebat, vnde dicebantur candidati.

Magnus Alexander & Pater Theoderici regis dicuntur scintillas toto corpore profudisse Rodig. lib. 15. cap. 5.

E

Lacedæmonii scuto insculptum habebant. Missenii. M. capitalem patriæ litteram, vt quales essent, agnoscerentur. Id. lib. 18. cap. 1.

Palladem effinxit Phidias, & in eius scuto suam imaginem, tali arte vt qui eam auferre conaretur, statua omnino periret. Idem. lib. 29.

EXTERIOR ORNAtus licitus.

Seneca scribit ad vxorem Neronis, Indue te charissima vxor delicatè non propter te, sed propter honorem Imperii. Nam vestimentum debet esse conueniens statui, l. id vestimentum. ff. de peculio & 1. Esdræ cap. 3. apparet quod vestiri purpura, est honor.

De nimio militum ornatu vide infra hoc tit. Repugn.

Color in omni corpore designat bonum habitum, & perfectionem corporis, maturitatem in frugibus, firmitatē in lignis, valetudinem bonam in viuentibus si deficit color à natiua constitutione, est corruptionis indicium certissimum, quia lux, est qualitas præstantissima omnium elementorum, & vbi viget in colore, bene speramus de motu spirituum ad actiones edendas iuxta institutum naturę.

Zach. 3. aufert Angelus à sacerdote sordidam vestem, vt indicet ab eo sublatam esse iniquitatem. Sicut dicitur Roma. 8. Creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei: & Psal. 29. Conscidisti saccum meum, & precinxisti me lætitia: ita prodigus nudus rediens induitur, & datur annulus in manu eius.

Aristophanes dixit, musis indignum esse conspici Poëtam agrestem & hirsutum. Suidas. Vestis ornatus affert gestantibus honorrem, aspicientibus voluptatem, est ornamentum vitę. Id. *Vide Cognitio Potestatis.* Videri potens.

Empedocles auream coronam gestans in capite & aureis calceis indutus, & coronas delphicas in manibus gerens pertransibat vrbes, vt opinionem diuinitatis consequeretur. Id. in voce Empedoles.

Demosthenes fuit in vestitu cultuque corporis affectatæ venustatis atque elegantiæ, fuit apud Romanos Hortensius pari mollitie luxuque. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 6. cap. 11.

Refert Plinius Hismeniam musicum fulgentibus gemmis vti solitum, vt ea ostentatione musicæ artes magis censerentur. Ibid. lib. 12. cap. 12.

Ornatus, est exterior apparatus qui potest esse licitus, si quis eo vtatur ne vilis appareat. Tostat. to. 3. Math. fol. 177. Et si secundum communem consuetudinem conueniat conditioni personæ. Ibidem.

Salomon regiam & tribunal gemmā & ostro consternit; ne venalis speretur iustitia, quę opes calcat; atque vt profugam reuocaret Astræam, aureos mores in aurea domo restituit, nusquam lautius sapientia sedit. Hanc enim magnificè tractauit. vt dicitur Machab. 2. cap. 2.

Prohibentur ornatus domorum vt statuas & columnas transferri de ciuitate rus, nisi parietibus cadentibus è domo in aliam l. 6. & 7. Cod. de ædific. priuat. vt quisquis antiquo ornatu relicto, nouum procuraret.

Pulchritudinem rebus corporeis indidit benignissimus Deus in solatium hominis qui hanc solus inter animantia percipit, amat, & veluti summi boni splendorem veneratur. Cum autem hæc cœlestis gratia paucis contingat naturæ, fœlicisque genesis beneficio, eius defectum omnes variis artibus, sed maximè vestium ornatu compensant.

Solis

quidem est, intima, propria vera non apparens, ita gratior naturalis pulchritudo, breui tamen ætate deflorescit, & semel emortua non reuiuiscit. At vestis ornatus si modum non excedat, esse potest perpetuus, senectuti non minus quam adolescentiæ confert gratiam, sibi semper succedente nouitate perennem, extra fastidium, tędiumque positam.

Vt pulchritudo naturalis procedit ex summo formæ supra materiam imperio, sic decens corporis habitus indicium est mentis benè compositæ, cuncta, sed primo corpus quod inhabitat ad rationis legem decenter ordinantis. Nihil inconcinnum in se patitur, quod spectantium lædat oculos; quod arguat animi vilitatem, quod alios in sui contemptum prouocet, negligentia virtuti, fortunæque contumeliosa. Liceat vt verbis sic vestibus benè compositis aliorum affectus promereri. Corpora nostra templum Dei vocat Apostolus, ita pium videtur hęc ornare, & inhabitantem spiritum qua deuotione excipiamus hoc externo cultu profiteri. Sic mos est in festis solemnioribus cum plus solito feruet pietas, indui vestibus plus solitò pretiosis, quę nihil deiectum, nihil seruile, & mechanicum significent. Si talibus abutuntur superbia, vanitas, luxuria placere volens oculis quibus non debet, virtus tamen propriis sibique debitis insignibus non spoliabitur quidquid excessu vel defectu peccent cęteri, aget quod suum est sapiens, vt in cæteris, sic in externo corporis cultu, temperantiæ, decoris, honestique leges consuetudine probatas, fidens securusque sequetur. Cur enim inculta, sordidaque veste iniquo suo iudicio se constitueret inter homines exauctoratum. Vestis honesta compositio naturalem ęmulatur physionomiam, vnde fit de latentis animæ viribus iudicium; se negligentem cæteri negligunt; fidem verbis & consiliis detrahit, deiectam arguit mentem vilis exterior habitus; quis sanæ mentis hac se volens pulsabit infamia, & proximo, quo iuuetur, aditum præcludet. In hoc tam peccat qui deficit, quam qui excedit, & fortè grauior est culpa defectus & negligentiæ quæ charitatem in proximi commoda diffundi natam, silentiò, carcere, publicoque contemptu damnat. *Ex Principiis.*

NIMIVS VESTIVM ornatus.

D. Bernard. ad milites templi, dicit: Imminente bello, intus fide, foris ferro, non auro se muniant, quatenus armati, & non ornati hostibus metum incutiant, non auaritiam prouocent; pugnam quippe non pompam, victoriam sed non vanam gloriam cogitantes & studentes magis volunt esse formidini quam admirationi. Hæc enim non tam essent insignia militaria, quam muliebria ornamenta; Numquid forte hostis mucro reuerebitur aurum, gemmis parcet, serica penetrare non poterit, &c.

Vide Maioritas Gloria. Luxus in veste.

Purpuratus diues sepelitur in inferno. Luc. 16.

Immoderatus vsus & ornatus vestium cognoscitur per comparationem ad consuetudinem regionis, ad qualitatem personæ, & ad affectum placendi. Tostat. Matth. to. 3. fo. 275.

Sit licet homini publicis officiis nato conueniens exterior corporis ornatus, in eo tamen vt in cæteris rebus ex se bonis peccari potest per excessum, in quem natura philautiæ, vanitatis, gloriolæ stimulis acta solet induci. Studium hoc placendi per ascititium decorem minus honestatis & integritatis habere patet ex eo quod viget potissimum in mulierculis prostitutæ pudicitiæ, in cinædis, in otio, lasciuiæ, voluptati deditis hominibus, eoque ruit maior turba pereuntium. Vbi mentem insedit hæc vanitas, totam occupat, mollem efficit, minimis impleri, minimis lædi facilem, quanta seruitus corpori sic indulgere, alienis oculis sui quotidianum exhibere spectaculum, vulgi plausus ambire, similium æmulatione torqueri; tentare noua, pantomimi variè se trans-
B formantis personam agere: Non veniunt hominibus, vt floribus vltrò & innocenter ornamenta. Emuntur magno pretio, magnis interdum criminibus si rei familiaris angustia his profusionibus facilè non sufficiat. Aguntur hæc inter conciues, quos non decipit splendidus hic apparatus, vt plebeium putent esse principem, norunt antiquas familiæ, nouas personæ conditiones, ridentque sic insolenter, nec impunè tamen, sed patrimonii sensim dilabentis graui dispendo se proferentem. Videri vult, & videtur non sine maxima famæ suæ iactura, nam publico concurrente suffragio, habe-
C tur vt vanus, prodigus, scientiarum, rerum honestarum, etiam vtilium contemptor, pronis totis suis affectibus ad superflua. Virtutem potius videre licet sub sordida, quam sub splendida veste, vt adamantem sub rudi saxo; margaritas sub asperis concharum inuolucris Habetur suspecta virtus, quæ non propriis animi dotibus, sed affectato corporis apparatu se præstat insignem. Non permanet Dei spiritus in his qui caro sunt, qui tantum sensibilia, & vt magis placeant, exornata, sectantur, sic enim non sibi tantum, sed & aliis exemplo suo perniciem inferunt.

Quis non probet veste militem à pagano, nobilem à plebe, Philosophum pallio, senatorem purpura à cæteris distingui; sic habitu distinctus sis
D vulgo, vt ipsomet occursu virtute & dignitate præstantibus similis possis æstimari; at turpissimum est si ab illis nimio corporis cultu dissentias in lasciuiam dissolutis par. Huius superbi cultus admirationem tollit consuetudo, cum intermissionem vel ad breue tempus, malignus rumor impotentiæ, rebus in contraria versis imputet; magna seruitus, dura necessitas, sic semper altum tenere citra gloriam, & hinc descendere non posse sine contumelia. Sapientibus durum videtur hoc in cultu plusquam optarent, corpori, dignitati, consuetudini sic indulgere, quid vltra limites prudenter positos, excurrit vanitas in ipsiusmet dignitatis, cui fauere videtur, contumeliam? Fœlix
E liberque status Religiosorum, quibus licet rerum mundanarum abdicationem, vestis humilitate profiteri; facilis & ad manum illis est hic decens habitus, cedit illis in ornatum, quod aliis esset in pœnam, nam vt leones pulchri censentur ex horrido. *Ex principijs.*

Vestes pullas æquè deuita, vt candidas, ornatus vt sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet. D. Hieron. ep. ad Nepotianum.

catum est, quia est contra præceptum. Id. Matth. to. 3. fol. 275. A

Omnes vestes sacerdotales veteris testamenti inductæ sunt principaliter ad decorem, & vt ministrationes fierent cum maiori reuerentia. Id. Exod. to. 2. fo. 72. id imitata est Eccl fo. 54.

Monachi humili veste, & tonsura maiori quam sit in clericis sæcularibus publicè profitentur maiorem rerum mundanarum & omnis superfluitatis abdicationem. Idem Matth. to. 1. fo. 24.

Regibus, prælatis & cæteris personis licet vti pretiosis vestibus pro gradu dignitatis suæ secundum loci consuetudinem, nec esset laudabile si B prælati vterentur veste rudi. Ita D. August 3. de doct Christ. Quisquis, inquit, sic vtitur exterioribus rebus, vt metas consuetudinis bonorum inter quos versatur excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est, scilicet quia propter delicias, vel inanem gloriam taliter vtitur. Id. Matth. to. 3 fo. 276.

Senatores vt liberius olim cœnarent, nec admonerentur quod peccaret in magistratu ebrietas, exuebant ornamenta dignitatum.

De Religiosa vestis humilitate. Vide quę scripsi lib. de fœlici successu & triumphis vitę Religiosa. parte 3. cap. 3. De diuersis Religiosorum institutorum vestibus. Ibid. cap. 22. Pia Religiosa vestis C *sumptio. lib. de institutione & officiis religiosi. parte 1. cap 17.*

Fertur beatus Petrus primum tonsuram sibi fecisse ad similitudinem spineæ coronæ Domini, vt clerici à laicis non solum differrent habitu, sed etiam tonsura. Hęc à Nazaræis duxit originem, qui ad tempus Deo consecrati, impletis voti sui diebus, veniebant ad Templum Domini, radebant capillos capitis sui & barbæ, flamma altaris comburebant, & sic redibant ad propria. Alcuin. lib. de diuin. officiis cap. 35. hæc etiam tonsura significat puritatem animi. *Vide Duratio Cognitionis* assidua rerum diuinarum meditatio. *Vide Gloria Contrarietatis.* Gloria crucis Christi.

De Episcopo Sisinio pretiosis vtente vestibus. D *Vide Bonitas Gloria.* Dilectionis.

Capucini sunt verè fratres minores S. Francisci. Paul. V. const. 54. §. 1. Bul. p. 178. to. 3. & Vrb. n. VIII. const. 68. §. 12. p. 85. to. 4 Eorum habitum, eique consimilem nulli deferre licet. Greg. XIV. const. 11. §. 6 p. 535 to. 2. Paul. III. const. 11. §. 9 p. 514. to. 1. Greg XV. const. 15. §. 1. p. 294. to. 4. Idem statuit de Carmelitis discalceatis Clem. VIII. const 121. p. 115 to 3.

Singulis Religiosis ordinibus suus assignatus est distinctus habitus à summis Pontificibus: vide indicem Bullarum verbo habitus. Milites cuiusuis Religionis earum habitum gerere tenentur. Six. V. const. 91. p. 495. to. 2.

E

ALBEDO.

Albedo igni tribuitur, propterea senibus liuescit caro defectu caloris, calor in animali est album luminosum commixtum; est enim spiritus quidam in spermate interceptus, & in spuma spiritus aliquis natura proportionem habens cum stellarum dispositione, vt est apud Aristotelem lib. 2. de gener. animal. Rodigin. lib. 15. cap. 5.

Albedo procedit à calore intus retento propter imbecillitatem extra se diffundendi, vt in pueris & senibus. aut propter resistentiam externi frigoris vt in populis septentrionalibus. Vide hoc tit. iactantia Recenter baptizati, induebantur albis vestibus vnde Lactantius de resurrectione Domini.

Fulgentes animat vestis quoque candida signat
Et grege de niueo, gaudia pastor habet.

Et Nyssen. Orat. 3. puellus infans mutatione vestis, sensu externo festum colit, quandoquidem interiori animi sensu nondum potest. Albis induebantur vestibus propter gratiam regenerationis, & vt scirent se adeptos regii & sacerdotii dignitatem: sacro chrismate caput vngebatur velo tectum, quod non auferebatur nisi in octaua Paschæ ideo dicta Dominica in Albis.

Angeli communiter nobis apparent in vestibus albis. Tostat. 4. Matth. fo. 213. c. 3 h.

Vide Cognitio Glorię. Præsagium est Albedo.

PVLCHRITVDO.

Pulchritudo secundum Platonem est flos boni; allicit enim, & latentem virtutem sic profert, vt ametur; definitur etiam pulchritudo à medicis, imperium formæ in materiam. Vide Galenum lib. quod animi mores temperamentum corporis sequantur: hinc refert Strabo plerasque gentes solitas pulchriorem in regem constituere, & in nuptiis inæqualitas diuitiarum & generis, compensatur pulchritudine. Dos est sua forma puellis, inquit Ouidius. Vide Cælium Rhodigin. lib. 13. c. 7. & 9. & quod pulchritudo sit loco dotis habetur l. si voluntate. Cod. de dotis promissione.

Cæteræ tum animi tum corporis virtutes latere possunt, fortitudo, prudentia, robur, sanitas; at pulchritudo statim in possidente apparet, alia bona inuidiam concitant, at pulchritudo amorem conciliat, & neminem inimicum sibi fieri permittit: pulchritudo quauis epistola magis facit commendabiles & acceptos. Rectus amor ipsa sui natura temperate & musicè amat pulchrum atque decorum.

Pulchritudo in homine est, dignitas vt ait Cicero. 1. Officior. Recensetur ab Aristotele inter bona corporis, sine quibus non est vera felicitas. Plato refert in Gorgia & 2 de legib. quod in nuptiis cantores canebant tria esse ad felicitatem necessaria, bonam valetudinem, pulchritudinem, & diuitias legitimè acquisitas. Est præsumptio boni cœlestis influxus, quia iidem boni planetę creduntur dare pulchritudinem & bonos mores. Chassan. in Catal. gloriæ mundi parte 11. considerat. 1.

In omni pulchro est consonantia siue proportio, & claritas; consonantia vt subiectum, claritas vt essentia. Virtus in se habet claritatem, per quam est pulchra, etiamsi à nullo cognoscatur, aptitudinem tamen habet, vt cum claritate in notitiam veniat. Sic honestum Tullius vocabat pulchrũ, addit supra bonũ, quod cũ suauitate nos trahit; est motus circularis Angelorum & animarũ in Deum pulchritudinis fontem, & in ea quæ ab ipso pulchra sunt. Card. Cusa. excitat. lib. 1. cap. 1.

Moyses propter pulchritudinem seruatur maiori diligentia à matre Exod. 1.

Poetis quia pulchra, magis placet, & hæret memoriæ, hinc dulcibus hymnis, pietas in Deum prouocatur, & pulchro cæremoniarum apparatu. de laude Poeticæ. Vide Æneam Syluium epist. 104.

Pulchrum non dicitur, nisi de iis quæ habét respectum ad facultatem cognoscentem, vnde non dicitur pulchrum in obiectis sensuum nisi visus & auditus. dicuntur enim colores & soni pulchri, non item sapores & odores Plato dial de pulchro.

Samnites pulchriores puellas seligebant & præstautoribus iuuenibus iudicio publico, in matrimonium dabant.

Apud Armeniacos viri per pulchra iurant velut per quid diuinum. Suidas.

Quid tam in nauigio necessarium quam latera, quam catina, quam prora, quam puppis, quam antennæ, quam vela, quam mali, quam reliqua, quæ tamen hanc habent in specie venustatem, vt non solum salutis, sed etiam voluptatis causa, inuenta esse videantur Columnæ & templa & porticus sustinent, tamen habent non plus vtilitatis quam dignitatis. Cicero de orat.

Vide Glor Verit. splédor veritatis sacra eloquẽtia.

Angeli quando apparẽt in corporibus pulchriores sunt quam nos. Tostat 4. Reg. fo. 65. c. 2. d.

Christus accepit infirmitates corporis communes toti speciei, vt famem, lassitudinem, non tam ẽ accepit infirmitates quæ non sunt communes, sed consequuntur aliqua indiuidua, vt morbos, & deformitatem corporis. Id. Math. to. 3. fo. 146. c. à. d. vt à peccato, sic à deformitate fuit immunis.

Nihil aliud est corporis decor quam aduentatem virtutem præueniens flos, quasi maioris pulchritudinis præmium quoddam & aurora surgentis solis, vberioris lucis afferens spem, Ita splendescenti animo præfulget in superficie corporis decor, qui quod spem affert melioris multo decoris, philosophorum exhilarat aspectum. Maximus Tyrius serm. 9.

Pulchritudo potest innocenter à pluribus simul amari *Vide Contrarietas Voluntatis.* Zelotypia.

Quodcumque natura bonum, adiunctas habet gratias, cœlum rerum omnium quæ spectantur est iucundissimum; sic mare nauigabile, sic segetes fructiferæ, sic arboriferi colles, sic florida prata, sic fluenta prosunt & placent hominibus. Achillis pulchritudo fauorem sibi conciliabat, quod erat illustrata virtute, quæ voluptatem à se non repellit. Idem serm. 15.

Ad magnificum pertinet habere res pulchras magni valoris & pauci reditus. Tost 2 Paral. fo. 10.

Pulchra & pretiosa templa. Vide supra hoc titulo cæremoniæ Ecclesiasticæ.

Qui vult contrahere matrimonium ad habendam prolem, & se determinat ad eligendam talem mulierem propter pulchritudinem, non peccat, vt Iacob. cum dilexit Rachel. Id. Gen. fo 34. eligitur pulchra ne tepescat amor coniugalis, & aliò diuertat concupiscentia.

Quæcumque hominibus pulchra videntur, ab ipsius Dei natura diuina nuncupamus. Maximus Tyrius. serm. 38.

Pulchros facit mares Iupiter, Venus fœminas, mares autem muliebri pulchritudiue, deformes. infortunæ, in ascendente vitia in facie imprimunt Cardan. de iudiciis geniturar. cap. 18.

A

Quando Venus fuerit domina ascendentis cum corde Leonis, & Luna cum capite, & in sextili Martis, nec fuerit impediens, mulier illa erit pulchra, & ob pulchritudinem nubet viro potenti, & ex paruo statu in magnas diuitias ascendet Apho. sect. 6. Aph. 112.

De pulchritudine eiusque miris viribus ad excitandum amorem. Vide quæ scripsi Theologia naturalis to. 1. parte 1. cap. 27. De *Dei pulchritudine Ibid. to 3. parte 1. cap 13. Sanitate, sensuum excellentia, pulchritudine quomodo bene vtendum. Moralis Christiana. to. 4. parte 1 cap. 13 14. 15.*

Pulchritudo consistit potius in vnitate, quam in diuersorum proportione. *Vide Minoritas Concordantia.* esse sine socio.

B

Pulchritudo est formalis gratia mouens intelligentem ad amandum.

Christus dicitur speciosus forma præ filiis hominum. Virgo de virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. Nisi enim habuisset in vultu quiddam sydereum, nunquam eum statim sequuti fuissent Apostoli nec qui ad cõprehendendũ eum venerant, corruissent. D. Hieron. ad Principiã virginem in expositione Psal. 44. lib 3. epist.

Forma elegantior sine vllo discursu prouocat affectum, sic filia Pharaonis Moysen pulcherrimum infantem per tres menses abscondit contra præceptum patris, & tandem adoptat Pulchritudo est à Deo *Vide Principium Bonitatis.*

C

Sophites Indiæ populi, nuptiis coeunt non genere ac nobilitate coniunctis, sed electa corporum specie, quia eadem æstimatur in liberis, deformes enim & mutilos necant. Q. Curtius lib. 9.

Amor est desiderium pulchritudinis, quæ triplex est, animi, corporis, & vocis: prima comprehenditur mente, altera oculis, tertia auribus. vnde tres gratiæ tribus istis partibus repræsentari dicuntur.

PHYSIONOMIA.

Dicit Theophrastus, cuius sententiam ponit Seneca in hæc verba, Sunt sub terra minus nota nobis naturæ iura, sed nõ minus certa. Crede infra quidquid videris supra sunt & illic specus vasti, sunt ingentes recessus & spatia suspensis hinc inde montibus laxa; sunt abrupti in infinitum hiatus, qui sæpe illapsas vrbes receperunt. Albert. Magn meteor lib. 2. tr. 2. cap. 9.

D

Nemo erat ita socors & iners, quin conspecto Mose, percelleretur dignitate formæ illius. Suidas.

Sap. 7. dicit Salomon, quod occultorum & manifestorum accepit scientiam: ostendens sine dubio quod vnumquodque eorum quæ in manifesto sunt, referatur ad aliquid eorum quæ in occulto sunt, idest singula quæque visibilia habere aliquid similitudinis & rationis ad inuisibilia; sic agnoscit sapiens elementa mundi, non solum visibilia, sed inuisibilia, & vtrorumque virtutes. Origen. Homil 1. in Cant.

E

Nullam frontis esse fidem nimis audacter dixit aliquis. sæpius enim ingenua ostendit seu latens venenum, seu secretas animi dotes, vt neque vitia sine monitore noxia sint, nec seclusæ virtutes, absque reuerentia & honore.

S. Francisci mens in carne patuit, dum sacratissima passionis stigmata in corpore suo ante mortẽ per biennium deportauit, ardens passionis Christi cultor & amator D. Bonauen. in prologo lib. itinerar. mentis in Deum.

Digitized by Google

Moyses descendens de monte & conuersatione Dei in anima & corpore, aliqua signa & testimonia secum ferebat, testificantia quod in regione lucis fuisset. Id.

Quod tibi mens velat, facies rubicunda reuelat.

Barbam non licebat Iudæis radere. Tostat. Leuit. fo. 199. c. 4. g.

De falsa physionomia *Vide Veritas Virtutis. Rep.*

Prodigiosæ formæ homines plerumque etiã emota sunt mente, nam anima corpori, & corpus animæ solet consentire, vnde D. Gregor. Nazianzenus refert se Iuliani Augusti apostasiam augurasse ex vultu, oculis & totius corporis compositione. hinc Martialis.

Crine ruber, niger ore, lumine læsus.

Rem magnam præstas Zoile si bonus es. & alibi

Pes tibi quod claudus, quod clauda per omnia sit mēs

Interius retegunt extera signa malum.

Vide Cognitio Contrarietatis. signa mali futuri.

DE PRÆCLARIS NOminibus.

ANtiqui Principes, prout aliqua in re excellebant, dominantis illis Planetæ nomen sumpserunt, vt postea facilius pro Diis colerentur. Paracelsus lib de imaginibus.

Decus est habere pulchrum nomen cap. cum secundum de præben. Ideo pulchra nomina imponenda sunt filiis, & bona præsumptio oritur ex pulchro nomine. l. fact. §. si in danda. ff. ad Trebellian. vnde Scipio & alij Imperatores sumebant sibi nomen à partis victoriis. Vide Chassan in catalago gloriæ mundi. parte 11. consid. 23.

Potest quis mutare nomen quod accepit in baptismo. l. 1. Cod. de mutatione nominis, dummodo id nõ fiat in fraudem. l. falsi ff ad l. Cornel. de falsis

Sicut dominum prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina, sæpè sanctorum merita indicant, Petrus à Petra, Stephanus à corona. Chrysolog serm. 154.

Papæ mutant nomen *Vide Bonitas Differentia*, mutatio bona.

De naue, dicta victoria, quæ totum orbem terræ circuiuit. *Vide Gloria Medij* honor instrumenti.

Hispani honoris auidissimi affectant multa & præclara nomina.

Athenienses decreto statuerunt ne Harmodij & Aristogitonis tyrannicidarum nomina seruis indere liceret. Rodigin. lib. 17. c. 17.

Plato existimat positionem nominum non esse fortuitam, sed ex oculto naturæ sinu prodire, vt rē explicet, sic cum vos dicimus apertis labris emittimus spiritum, cum nos, compressis ad interna recipimus Id. lib. 24. cap. 5.

Apollo seu sol dictus fuit Pythius eo quod Pythium serpentem ingentis magnitudinis sagittis confodit, & nominis, spolia reportauit. Isidor. lib. 8. cap. 10. Ita mos fuit Romanis Imperatoribus pronomina sua sumere à deuictis gentibus vt Scipio Africanus. & Iustinianus Imperator initio Institut. dicitur, Alemanicus, Gothicus, Germanicus, &c.

Cum Deus promittit Abrahæ seminis sui maximam multiplicationem, mutat ei nomen, eiusque auget syllabas vt sic generis multiplicatio intelligeretur, cum enim prius diceretur Abram, vocatus est Abraham Origen. Homil. 3. in Genes.

Solebant Christiani propter suam in Apostolos propensionem & affectionem, nomina eorum liberis suis imponere. Niceph. lib 6 cap. 12 vnde in synodo Nicena can. 30. gentilium nomina filiis imponere fuit vetitum. Sed Christiani suis vtantur nominibus.

Cum in terris septentrionalibus plurima oppida nomen haberent à fluuiis & torrentibus inundantibus & principibus viris ibi suffocatis, prudentioribus placuit, vt à triumphis & victoriis, non à calamitatibus rei appellatio fieret. Olaus Magnus. lib. 2. cap. 30.

Quare tribus votis Deo sacri, dicantur Religiosi. Vide quæ scripsi. lib. de fœlici successu & triumpho vitæ Religiosæ. parte 1. cap. 17.

Quatuor in veteri testamento propriis nominibus nominati sunt antequam nascerentur, Ismaël Isaac, Salomon, Iohas, certis quibusdam ex causis. Alcuin. in Genes. interrog. 1 7. In nouo Ioannes; Iesus Christus.

Roma fortitudinis nomen est apud Græcos, sublimitatis iuxta Hebræos. D. Hieron. lib. 2. contra Iouinian. in fine: vtrumque illi congruit. Nam in libro fati vniuersi probatur quod ordine magnorum annorum nata sit in decima cœli domo, & apice cœli, vnde potens sit ex perpendiculo influxus. sic toti mundo imperauit.

De superstitiosa nominum impositione, cum debeat esse pia *Vide Medium Durationis.* ex D. Chrysost.

Vide Veritas Differentiæ. de armis seu insignibus

M. Antonius Trium vir duos habuit geminos ex Cleopatra, marē vocauit Solem, fœminam Lunā.

LAVS SVI IPSIVS quando licita.

NEcessaria sui commendatio permissa est, vt in eo qui veniam ætatis impetrat, qui non aliter admittitur, nisi morum suorum honestatē probauerit. l. omnes Cod. de his qui veniam ætatis impetrauer. Vtilis etiam commendatio permittitur, vt cum nouus rector prouinciæ commēdat se à bono regimine pro beneuolentia subditorum consequēda. l. solent. §. ante omnia ff. de off. Proconsul. & leg. can. tenere debet dist. 31. deniquevt homo possit saluare suam famam sicut Samuel senex moriturus se laudat coram filiis Israël. 1. Reg. 12. similiter si quis aliter non potest famæ suæ læsionem vitare. Aut si quis se laudet ad manifestanda Dei opera in se, vt beata virgo. Magnificat anima mea &c. Vt etiam quis impediat scandalum, ex aliorum in se calumnia nascens. Aut pro ædificatione subditorum & liberorum Vt Paulus. 1. Cor 15. quando etiam aliquis est in afflictione, ne in desperationem incidat vt Iob. 29. oculus fui cæco, &c. tandem vt vitetur periculum, non tamen à veritate deflectendo Ita Paulus se dicit ciuem Romanum Act. 25. De pessima sui laudatione. *Vide supra hoc. tit de nimia sui confidentia.*

Medici possunt seipsos laudare cap. ad aures de ætate & qualitate.

Ascendit Deus in iubilatione & Dominus in voce tubæ. psal. 46. 6. Ipsa natura lætitiam & amorem vultu prodit *Vide Cognitio Voluntatis.*

De laude sui ipsius. Plutarch. liber.

Stellæ habent lucem, qua se tantū non alia ostendunt; sol autem fons luminis se & alia ostendit.

Nobiles tum sua tum maiorum fortiter gesta, A nominibus, insignibus, coloribus præferunt. Tyrones olim scuta ferebant, in quibus nihil erat depictum. Vnde Virgilius, parmaque inglori us alba.

Galli crebro cantantes insignem Boetiis aduersus Lacedæmonios præsagere victoriam, quoniam ales illa victa non caneret. August. Nimphus de auguriis. lib. 1. cap. 10.

Moyses de se scripsit magna præconia dicens Num. 12. Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.

Qando aliquis infamatur licitum est illi opera sua bona referre, si propter infamiam sine accusatione proceditur contra eum. Tost. 3. reg. fo. 167. B

In articulo mortis licet alicui enarrare bona sua ad ędificationem aliorum; melius enim tunc excipiuntur, nec imputantur vanæ gloriæ. Ibid.

Sic S. Ephrem Syrus moriturus dixit, Nullo modo in tota mea vita aduersus Dominum contumeliosius extiti, nec sermo stultus ę labiis meis egressus est; neminem in vita mea maledictis oneraui, nec cum vllo Christiano homine contentiosum me præbui. D. Greg. Nyss. in eius vita.

Christus interrogatus, Tu es filius Dei? respondit, tu dicis, iactantia & gloriatio spontaneæ professionis effugitur; quæsita tamen veritas non negatur. Ac sic verecundia humilitatis, & veritatis confessio temperantur; vt sit & in responsione officium, & in interrogatione cognitio. D. Hilarius. C in hæc Psal. 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo, &c.

Si vitia sunt occultanda, quæ ad virtutem, diuinum fauorem, familiæ, Reipublicæ decorem pertinent, sunt detegenda. Sic Socrates, Synesius, Dion, Iosephus, genium se habere confessi sunt, maxime interrogati simplici & spontanea confessione. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 100. Specialiter autem cum è re oritur laudis occasio, vt cum factum damnant, vel si falsi insimuleris, rectæ administrationis testimonio in hoc genere mentionem laudis tuæ facere licet, cum hoc ad innocentiam pertineat; si ignorantiæ, ex finis laude; si ex iactura recensere, quæ bene gesseris; 2. ratio cū in aduersis quasi cū fortuna dimicare cogeris 3. D cum patrocinium à Deo vel societate petimus. 4. cum errorem confiteris, vt actio præclara non appareat inuidiosa. 5. cum ad deprimendam falsam aliorum laudem ad id cogimur; Cum res qualiter gesta sit, non nisi à te verè possit exprimi. Ibidem.

IACTANTIA VItanda.

Iactantia sui vitiosa parit inuidiam. *Vide Contrarietas Virtutis.* Inuidia.

Ab aliis laudemur, nam ipsos Demosthenes ait, erubescere etiam cum ab aliis laudamur, decet. Quintil. Inst. orat. lib. 11. c. 1.

Non ferunt iudices reum tumidum, ac sui iactantem, & ambitiosum institorem eloquentiæ. Ib. Ita Sidonius Apollinaris refert inuidiam iudicum in se concitasse, quod audacior securusque læta & superba veste iudicio sisteret.

Procemio frequentissimè leuis conuenit pronuntiatio, nihil est enim ad conciliandum gratius verecundia. Quintil. Ibid c. 3.

De nimia sui præsūptione vide supra hoc titulo

D. Gregor. PP. in Registro. lib 2. ep. 4. Episcopo Regiensi Gaudeo, inquit, quod misericordiæ operibus vehementer insistatis, sed mentem meam momordit quod eadem opera multis vos ipsi nunciastis, ex qua re, collegi quod mens vestra non studeat Dei oculis, sed humano iudicio placere; vnde necesse est vt cum bona exterius agis; hæc interius cum magna cautela custodias, ne appetitus placendi hominibus subrepat, & omnis labor boni operis incassum fiat.

Idem. lib. 6. epist. 9. Episcopo Syracusano: Audio quod ex his quæ scripsi, fraternitas vestra ad mensam suam coram extraneis legi faciat, quod mihi non videtur esse faciendum, quia hoc quod vos pro charitate facitis, possunt quidam, quantum ad me est, vanæ gloriæ deputare.

Ceruo, ignauissimo animali, natura dedit cornua magnitudine & asperitate prę cæteris conspicua, vimque profitentia. Immeriti, inopinata statim fœlicitate lasciuiunt. Citius quatuor hostium depressis nauibus, vocari se Neptunum passus, tridentemque appingi.

Clearchus Heraclię tyrannus, fulmen gestauit. vnumque liberorum tonitrum appellauit, quidam iusti, magni, victores, seruatores appellari voluerunt. Plutarch. lib de virtute & fort. Alex.

Age res præclaras, nihil magnifici interim promittens. Stobęus.

Demades tibiis similes dicebat esse Athenienses, quod adempta lingua nihil residui rationis haberent.

Monent alienos velut cæcos & ignorantes de magna sui æstimatione.

Magna lumina paruas faciunt vmbras, magnæ virtutes sunt sine ostentatione. Iactantia est vitium exigui animi opinionem sui non valentis continere; rimas & fracturas patitur, & quia præclara opera multum illos superant, & multo labore illa pepererunt, ideo talia pluris quam par est, æstimant & prædicant. Magnis autem animis opera nunquam satis respondent.

Aqua per canales à difficilis locis habetur, effunditur cum murmure, at quæ scaturit è fonte, non edit murmur, licet sit perennis & purior, talis est perfecto quæ habetur à Deo in anima habitante. S. Theresia.

Florent diutius legumina quam frumenta, quia flos frumenti imbecillior est; imbecilliora autem citius perficiuntur. Theophrast. de caus. plant. lib. 4. cap. 11.

Vide *Maioritas Gloria.* Nimia vanitas.

Menecrates medicus quia multos sanasset dictus est Iupiter, eo nomine superbiens quos curabat iuramento obstringebat, vt ipsi seruirent in posterum; sequebantur autem ipsum in habitu Mercurii Herculis aut alterius Dei. Nouum hunc Deum E Philippus Macedo vocauit ad cœnam, & throno elato sedenti pro ferculis fumigationes obtulit, sic irrisus decessit ieiunus à conuiuio. Rodig. lib. 11. cap. 16.

Macedones Indis deuictis erexerunt trophæum, illud ferus Leo subuertit, hinc decretum, ne deinceps trophæum erigerent, velut id esset ominosum, & irreconcilabiles inimicitias excitaret Id. lib. 12. cap. 20.

Fit etiam per adulatores conductos iactantia. sic Ammon Carthaginensis aues cicuras factas articulatim loqui docebat, vt Deum illum postea emissę, cantillando proclamarent.

Digitized by Google

A In senectute ad an. 58. calor mordax adurensque regnat, tunc albescunt capilli quod exhalare foras plurimo calore, exilis remanet intus occlusus in densitate arida; & sibi similes facit capillos, cum albedo sit caloris species, propterea corium asinorum & equorum qua in parte sauciatum, plangatumque fuit, albescit, quod calor ibi factus imbecillis elabi nequit. Campanella.

Iactantiæ ridicula vanitas. *Vide Voluntas Gloria. Rep.* Gloriæ contemptus. *Et Cognitio Voluntatis. Repug.* Silentium.

B Vt in musicis vocum, sic inter homines operum & sermonis debet esse concentus, itaut neque opera nimis terra sint, neque sermones superiores operibus, tanquam in angustum vasculum infusi vndique ab eiusdem labris exundent; sed altrinsecus concordes effecti, debent eandem mensuram eandemque plenitudinem seruare; pauoni sua pulchritudo est incommoda ad volatum licet oculos nostros oblectet. effusio laudis propriæ, nocet loquenti quamuis audientium aures demulceat. Maxim. Tyrius. serm. 15.

Vide Magnitudo Virtutis. Pœnitentia sit omnium peccatorum, ex Alcuin.

Sesostris Rex Ægypti adeo fuit insolens; vt curru auro & gemmis ornato insidens, Reges à se victos illis iungeret. Suidas in voce.

C Anno Christi 271. Paulus Samosætenus Episcopus Antiochenus factus hæreticus, ipso die Paschatis, explosis psalmis qui solent in Ecclesia decantari, parauit mulieres quæ cantilenas in laudẽ suam compositas decantarent. Baron. dicto anno.

In exercitio lassitudinem, in rerum successu inuidiam declinare oportet.

Philotæ obiicitur quod dum oraculo pronuntiatus esset Alexander Iouis filius, ipse Philotas rescripsisset se misereri eo... quibus viuẽdum esset sub eo qui modum hominis excederet. Respondit dignior mihi Alexander videbatur, qui iouis stirpem tacitus agnosceret quam qui prædicatione iactaret. Q. Curtius. lib. 6. & hęc fuit causa cur Parmenio & Philotas filius in regem conspirarent.

D Amisimus, inquiebant, regem, incidimus in superbiam, nec Diis quibus se exequat, nec hominibus quibus se eximit tolerabilem. Nostro ne sanguine Deum fecimus qui nos fastidiat? qui grauetur mortalium adire concilium? Ibidem.

Vulgo dicitur, canem timidum vehementius latrare, quam mordere altissima quæque flumina minimo sono labi. Ib. lib. 7.

Clitus Alexandrum non ferens se supra Philippum patrem extollentem. Preclara Philippi gesta recensuit, velut præstantiora, hæc indigne ferens Alexãder Clitũ hasta perfodit, & occidit. Id. lib. 8.

Iactantia prouocat aliorum indignationem & inuidiam. *Vide Contr Virtutis.* Inuidia ex Quintil.

E Affirmantes se esse illos qui non sunt in litteris beneficialibus, vt ipsis expeditis beneficio gratis currat, ex communicantur, & litteræ nullæ sunt. Innoc. 8. constit. 11. §. 1. & 2.

Bona sua ostentare non decet, est enim inuidiam sibi frustra comparare, dum ostendis magis antecellere te velle videri, quam antecellere. Cardan. de arcanis prudentię cap. 27.

Si decet verecundari cum ab aliis præsentes laudamur, quanto magis si teipsum laudes. Ostendis deesse tibi amicum, si non habes alium qui te laudet; aut iudicium, si cum possis laudari ab alio, vis à teipso potius; talis laus suspicionẽ affert quod nõ sit vera, tædium & fastidiũ affert. Id. cap. 100.

Ingratæ sunt gustui dapes, quæ fumum sapiunt. & animis sermones iactabundi. Ita nemini de seipso loquendum est, neque in laudem neque in vituperium: quandoquidem alterum sit arrogantiæ, alterum fatui & inepti.

FIDEI PVBLICA confessio.

VOx Domini preparantis ceruos, & reuelabit condensa. Ps. 28. preparantis, idest perficientis in eo quod ceruus venenata è cauernis & densis dumetis, aut extrahit vt conterat, aut fugat, sic boni doctores, hæreticos & apertos & occultos, debent insectari, ne quid fidei veritas sub illis patiatur, ex D. Bas. in d. Psal. 28. Psallite illi in vociferatione. Psal. 32.

Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrismate non præsumant; sed Presbyteri baptisatos vngant in pectore, vt Episcopi postmodum vngere debeant in fronte. D. Greg. PP. in Registro lib. 3. epist. 9.

Veritas libere qãdo dicẽda. *Vide Gloria Cõcord.* Publica priuatis præferenda. *Et Gloria Veritatis.*

Abyssini Christiani, loco aquæ, vtuntur in baptismo ignis, notas enim ferro candenti imprimunt vnam in fronte, aliam in mento, duas in genis, in figuram crucis, quam sic vultu præferunt. Dauity. & Tostat. Math. to. 1. fo. 193. c. 2. e.

Cum sint plures differentiæ furti, pessimum illud constat furtum esse, quod est veritatem Dei in iniustitia detinere. Roma 1. Rupert.

Abbas Agatho patienter tulit quod à quibusdam diceretur superbus, maledicus, fornicator, sed non est passus se dici hæreticum, quia, inquiebat, hæresis separat à Deo, à quo nolo separari. Vitæ Passum. lib. 5.

Cœlestinus Papa ep. 2. ad Episcopos Galliæ an. 428. iubet reprimi quosdam Presbyteros qui Ecclesiam nouis quæstionibus turbabant. Timeo, inquit, ne in talibus tacere, sit conniuere; Timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò namque causa nos respicit, si silencio faueamus errori Ergo corripiantur huiusmodi; desinat incessere nouitas vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem, inquietudo turbare. Habere fratres oro Catholicæ plebis pace tractatum, sciãt vos esse Doctores; Reprimantur qui laborant per terras, aliud, quam ille noster iussit agricola, seminare, non est agentium causa solorum, quãdo vniuersalis Ecclesia, quacumque nouitate pulsatur. pulsamur intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere.

Vide Minoritas Contrarietatis mala.

Spiritus sãctus apostolos fecit & ardẽtes & loquẽtes. Vt verborum suorum facibus corda principũ mũdi accenderẽt. Nicolaus Papa. ep. 65. an. 867. *Vide Cognitio Virtutis.* Ecclesiæ visibilis.

Helcitæ dãnati sunt vt hæretici, eo quod asserent in persecutione licitum esse Christum ore negare Euseb. lib 6. c. 13.

Circumcisio Iudæis tribus de causis data est, vt signum esset fidei, & Abrahaamici generis indicium, & ænigma vitæ puræ & temperantis itaque non data est vt iustitiæ effectrix, sed sigillum & signum iustitiæ Abrahami ex fide. Suidas in voce. Tostat Gen. fo. 206.

Laurus foco imposita si non crepitabat malum erat omen; erat enim Apollini fatidico sacra; vnde Propertius Et tacet extincto laurus adusta foco. Rodigin. lib. 5. cap. 6.

Vide Potestas Veritatis. Veritas libera, & liberè dicenda.

Agnus debebat offerri ante solis occasum licet nocte posset comedi: significare potest publicā fidei confessionem & vota publicè emissa, & etiam bona opera, occultè, & clauso ostio facta.

Iudæi duplici signo distinguebantur ab aliis populis scilicet circumcisione, & quibusdam fimbriis in exterioribus pallij. Tostat. Matth. to. 3. fol. 104.

Iudæi velato capite sacra sua faciebant; nemo enim in festis Sabbatorum aut aliis solemnitatibus synagogam sine capucio intrabat, proueniebat hæc consuetudo ex eo quod Exod. 3. dicitur Moyses abscondisse faciem suam, ne respiceret contra Deum. At contrarius est mos in Ecclesia. 1. Cor. 11. vt orantes sint aperto capite, quia prima lex erat timoris & figurarum, hæc libertatis & amoris. Id. Leuit. fo. 131.

Caput nostrum est Christus, ideo illum publicè confitentes in diuinis suis officiis aperto sumus capite, etiam tonso in clericis & monachis; nam turpia velantur, pulchra ad sui commendationem, & spectantium voluptatem proferuntur. Id. Math. to. 1. fo. 24.

Matth. 10. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Hæc confessio semper est meritoria, quia respicit solum Dei honorem. Est autem necessaria si quis in persecutione interrogetur an sit Christianus. tunc enim tenetur confiteri, nam tunc erubescere & dissimulare est negare Christum: quod si non interrogetur, non tenetur confiteri nec se ingerere ad martyrium quamuis id sit magni meriti. Idem. Matth. to. 3. fo. 163.

Iustinus Martyr in apologia ad Antoninum Pium Imperator. Nobis, inquit, in promptu est negare dum examinamur, sed nolumus tueri vitam mendacio.

Eleazarus rogatus ab amicis fingere se porcinas carnes edere, id fortiter abnuit, Religio meretrix non est, pigmenta respuit peccat non fictè, qui ficte peccat, ignoratis quales oculos in cordis secreta numen immittat; benè cautum est mihi non possum totus mori. Valete amici, aliquando laudabitis quod nunc timetis.

Fidei Christianæ publica fieri debet confessio. Vide quæ scripsi Theolog. natural. tom. 4. parte. 2. cap. 20.

Fortiter quisque vindicare debet quæ pertinent ad Dei cultum: vide præludium lib. de agente Dei in humanis. Peccant contra fidei confessionem qui falsorum Deorum imagines publicis operibus imponunt. Ibid. parte 1. cap. 9. Vota Religiosa quare publicè fiunt lib. de institutione & officiis Religiosi. parte 1. cap. 30.

Religiosus fortiter pro veritate fidei decertet. Ib. parte 4. cap. 18. 19. & lib. de misericordia Dei in præfatione.

Estote prudentes sicut serpentes. Matth. 10 hi namque totum corpus exponunt, vt saluum sit caput; & tu expone externa omnia bona vt salua sit fides. D. Chrysost. Homil. 34. in Math.

Latro Christum confitetur, etiam in cruce pendentem, & Iudæorum blasphemiis tunc acerbissimè impetitum.

Christo dicenti, Palam loquutus sum mundo, & in synagogis vbi omnes Iudæi conueniunt. Minister Pontificis dedit alapam Iesu, qui respondit, Si male loquutus sum testimonium perhibe de malo, si bene, cur me cędis? Nusquam legitur ipsum calumniam inferenti publicè restitisse; nisi hoc in loco cum agebatur de veritate publicè professa. Laurent. Iustin. de triumphali Christi agone cap. 8.

De vidua quæ à Rege in matrimonium expetita in conuiuio se Deo consecratam sumpto sacro velo profitetur. *Vide Minerita Gloria.* De secundis nuptiis non contrahendis.

Act. 4. fideles petunt à Deo gratiam vt firmi sint contra minas sacerdotium. Cum orassent motus est locus, in signum exauditonis, & repleti omnes Spiritu sancto, loquebantur verbum Dei cum fiducia.

Nolo in suspicione hæreseos quemquam esse patientem; ne apud eos qui ignorant conscientiam eius, dissimulatio conscientia, iudicetur; si taceat. D. Hieron, ad Pammach. adu. errores Ioan. Hierosolym. Sic sentētiam temperasti, vt nec simplicibus displiceres, nec tuos offenderes benè scripsisti, sed nihil ad causam pertinens. quidam cum diserte diceret, & causam non tangeret prudens iudex dixit benè, benè, sed quò istud tam benè? Qui arguitur in pluribus, & in dilutione criminum aliqua prætermittit, quidquid tacuerit confitetur. Ibid.

In Rationali summi sacerdotis, erat manifestatio vel doctrina & veritas, hæc in pectore præferebat. Cum enim indutus quis fuerit veste multiplici, consequens est, veritatem, quam corde retinet, sermone proferre, & alios docere, quod mente concepit. Idem ad Fabiolam de veste sacerdotali.

Græci credere tenentur etiam à Filio Spiritum sanctum procedere, sed non tenentur pronuntiare, & quando secus. Clem. 8. const. 34. §. 6. p. 35. to. 3. Bull.

REPVGNAT

DONA DEI NON *sunt vulganda.*

Dicitur Iob. Quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius verba huius diuini susurri quandoque sic sunt abscondita & occulta, vt in intimis audita extra dici non possint. Hæc nemo scit, nisi qui accipit. D. Greg. moral.

Dona Dei pluribus de causis sunt occultanda nec propalanda 1. ne vilescant apud eos qui terrena tantum sapiunt, ne fiant nota inimicis, qui conentur illa diripere; ne insolescat animus, & gloriando inaniter, bonum quod intus percipit amittat. dicit sponsa in Canticis, Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Intenta sibi anima vt se puriorem exhibeat, donis excipiendis intenta; semper agens & patiens non ociatur vt bona commemoret, tunc excipienda. cæterum quæ recipit, minima pars sunt eorum quæ sperat; & quomodo loquetur de his quæ sensum, mentem, sermonem excedunt, nec enim in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se. Laurent. Iustin. de vita solitaria cap. vlt.

Propheta

433

Propheta cum multa ratiocinando dixisset, nonnulla in semetipso silentio tegens ait, secretum meum mihi. Non est dubitandum plura occulta mysteria, quædamque secreta cœlestia sanctis viris propalari per spiritum, quæ profectò illis manifestare non licet; quoniam vel ad instructionem solummodo ipsorum, vel in signum testimoniumque singularis illis innotescunt dilectionis. Verum illa quæ ædificare possunt audientes, seu Dei gloriam in hominibus accrescere, quamuis reuelentur introrsus, sunt, vt arbitror, cum humilitate & deuotione dicenda, interueniente nihilominus rationabili causa, seruatoque congruo modo & tempore, ne transfiguret se Sathanas in Angelum lucis, &c. Idem lib. de institut. Prælator. cap. 11

In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Ps. 118. simile est quod dicitur Tob. mysterium regis bonum est abscondere. Margaritæ non sunt proiiciendę ante porcos, neque sanctum canibus dare oportet. Ergo quædam cordis secreta seruanda sunt, ne in Deum peccemus, quia cum cætera peccata secundum differentias rerum, aut in nos ipsos, aut in alios exercentur, tamen tum fierent in Deum propria, cum quæ occultorum cordium condenda essent secreto, hæc in prophanæ cognitionis scientiam proderentur. D. Hilar. in Psal. 118. Beth.

Vide Minoritas Cognitionis. Religionis secreta mysteria.

Quid est quod semper loquitur in secreto Deus, nisi quod nos ad secretum vocat, & cum paucis loquitur vt nos colligat & vniat. D. Bonauent.

Circa mare Caspium frequens arbor, faciem quercus habet, cuius folia multo melle tinguntur, sed nisi solis ortum incolæ occupauerint, vel modico tempore succus extinguitur. Q. Curtius. l. 6.

LATENS VIRTVS.

Fluuii sub mari labuntur in canalibus subterraneis. Georg. Agricola lib. 4. in fine de his quæ fluunt ex terra.

In symposio Alcibiades dicit Socratem similem esse silenis qui sub monstri quadam specie pulcherrimas Deorum imagines abscondebant.

Plutus diuitiarum Deus cæcus effingebatur, quia solent in tenebris, & in suffocato marsupio asseruari diuitiæ. Rodigin. lib. 20. cap. 13

Luna etiam dum caret lumine coniuncta soli vim plurimam emittit, vnde tunc turgent maria.

Fit Ecclesiæ consecratio superficiei interioris parietum delinitione, cum crucibus cap. proposuisti de consecr. Eccles.

Galli, Germani, Scythæ sunt audaces quia propter circumstans frigus naturalis calor ad interiora confugit. Æthiopibus verò & Arabibus naturalis calor euaporatur, ita proprio destituti, ascititio & externo incalescunt. Galen.

Aues cœli comedunt semen, & transeuntes conculcant si sit seminatum iuxta viam.

Mater Moysis videns infantem suum pulchrum, occultauit eum mensibus tribus. Sic bona opera sunt occultanda ne Ægyptius, idest dæmon ea perimat. Origen. hom. 2. in Exod.

Vir bonus facit intra se tabernaculum Deo, & sancta sanctorum vbi solus intrat. *Vide Potestas Virtutis.* Sapiens seipso contentus.

A Num. 8. præcipitur sacerdotibus, curent præcipuè quæ intra velamen sunt. Quandiu sumus in hoc tabernaculo, inquit Paulus, sunt in eo interiora velaminis, vbi inaccessibilia conteguntur, scilicet principale cordis, quod solum recipere potest mysteria veritatis & capax esse Arcanorum Dei: sunt altaria duo, idest interius & exterius, interius est illud de quo Apostolus. 1. Cor. 14. orabo spiritu, orabo & mente; exterius est oratio vocalis. Id. hom. 11. super Numer.

Apud Iudæos festum Neomeniæ celebrabatur noua Luna cum Soli coniuncta mundo non apparet. Talis est anima Deo coniuncta, cum neque videri, neque comprehendi humanis aspectibus potest; cum se totam sapientiæ, totam lumini, totam calori sancti Spiritus mancipauerit, subtilis & spiritalis effecta, quomodo cerni ab hominibus potest, ideo idem festum agit. Idem homil. 23.

B Cant. 1. dicit sponsa, nolite considerare me quod fusca sim, quia decolorauit me Sol.

Matth. 13. thesaurus inuentus in agro absconditur vt seruetur. Sæculum præsens hyems est iustis qui apparent sicut arbores siccæ, tempore autem opportuno in fructibus suis apparebunt. Origen. tract. 30. in Matth.

Fuit in Ecclesia traditio Christum habuisse duas exteriores formas, vnam secundum quam omnes eum videbant; alteram secundum quam

C transfiguratus est & vnicuique apparebat secundum quod fuerat dignus: & cum fuisset ipse, quasi non ipse omnibus videbatur & hæc traditio non videtur incredibilis, propter ipsam verbi naturam quod non similiter cunctis apparet. Ib. tract. 35. sic sæpius non agnoscitur à discipulis, & cum turbæ vellent eum comprehendere, per medium eorum ibat.

Albedo procedit à calore intus retento. Vide s. hoc tit. Albedo, innocentia à virtute latitante.

In regia qui sunt magis honorati, sunt intus circa regem; ii autem quorum non est tam bona

D existimatio, sunt foris. D. Chrysost. homil. 12. in epist. ad Coloss.

In sacris scripturis sub tenui & contempta locutione latent altissima mysteria. *Vide Maioritas Cognitionis.* Eloquentiæ contemptus.

Quæ odorem de se spargunt, eundem fluente & raptore vento amittunt, vel concluso vase eundem intus retinent. Si enim prius inanes corporum pori, aërem recipiunt, qui ibidem conclusus, fracescit cum odorabili, & ad corruptionem deducit concretum. Van Helmont in tractatu magnum oportet.

E Aromatica benè conseruantur in loco frigido, quia frigiditas loci circumstans non permittit exhalare virtutem aromaticam & resolui. Tostat. 2. paralip. fo. 129. c. 3. g.

In potestate beati est ostendere vel occultare corpus suum, vel lucem corporis sui oculis mortalium, non tamen oculis aliorum beatorum. Id. Matth. to. 4. fo. 257. c. 3. f. possunt se non ostendere oculis non beatis, per imperium voluntatis, cessando agere in oculos eorum, non multiplicando species coloris, vel subtrahendo radios lucis, Ibid.

Caro dicitur viua quæ est spoliata cute, apparet sanguinolenta nec vllam habet pulchritudinem, sic virtus sine quodam humilitatis velo indecenter omnium oculis exposita.

Digitized by Google

A fet à vino, oblatum tamen à quodam fratre bibit, maluitq; contra consuetudinem degustare, quam virtutem ignotæ cunctis continentiæ propalare. Cassian. collat. 17. cap. 24.

Apes ceram è floribus apertè colligunt, & præferunt in coxis, at mel quod collegere, non videtur, intus enim tubo cauo illud deferunt.

Magnes lapis herculeus, sub terrestri indumento, indolem habet cœlestem, prima fronte apparet res vilis admodum, nihil tamen dignius & admirabilius in natura; ad totius mundi thesauros, via, dux, & clauis vnica. Nihil immotu mobilius, nihil vita priuata, viuacius. Hic tanto est efficacior quanto è profundiori vena fuerit erutus; at contra, tanto infirmior quanto aëri aut superficiei extrinsecæ fuerit vicinior: Ibi enim velut in loco naturæ suæ consentaneo, magis gaudet, viget, nutritur, & roboratur. Hic vero, aëris, solis, humorumque iniuriis expositus, viribus eneruatus, veluti tabe quadam consumitur. Kerkerus lib. 1. de magnete.

B Colores sunt in tenebris, etsi non videantur. *Vide supra Cognitio Virtutis.*

Minium non fert radios Solis & Lunæ, sed illis expositum amittit suum splendorem.

C Paracelsus lib. de occulta Philosophia, dicit, spiritus qui thesauros custodiunt eos transmutare in fœdas aut ridiculas materias, vt lutum, argillam, & simile aliud. Fossores autem non debent desperare, sed tales materias igne probare; iudicabit enim Deus mundum per ignem.

Nox est tempus spirituum, vt dies corporum. *Vide Gloria Virtutis.* quieta est solitaria virtus.

Testudo, testa includitur, quæ cum ipsa crescit: in homine modestia & humilitas crescat cum virtutibus.

Principium motus animalis est in posteriori parte corporis, quæ latet: & quia ibi sunt nerui duriores apti ad motum; vt in anteriori molliores ad recipiendas species sensuum. Albert. Magn. tract. 2. de motib. animal.

D Spiritus qui in semine est, suo & loci calore excitatus, id quod formatur, primum pelle circumducit viscosa, ita exhalare non valens, reflecti incipit & pulsare, & operari organa vitæ ex ipso humido quod intra pellem continetur. Id. tract. 2. de spiritu & respiratione cap. 5.

Muscæ, Scarabei, quando volant, sonitum edunt, exilia ingenia ventilant virtutes suas.

Pisces in quorum compositione præualet terra, imum maris petunt, & vix supernatant. Albert. Magn. tract. 1. de proprietatib. elementor. cap. 3.

Maiores plantæ deorsum figunt radices in terram, vbi calor magis commiscet & digerit alimentum, & si aliquæ plantę magnæ in superficie spargant radices, & non in profundum dirigant, cito arescunt, quia nutrimentum quod est in superficie terrę, euanescit ab eis in fumum à calore Solis, & non cogitur spirare in radices earum per

E loci continentiam. Idem lib. 2. de vegetabilibus tract. 2. cap. 1.

Rosæ si exponantur Solis radiis, citissimè cadunt & arescunt.

Ficulnea non producit florem, quia caret subtili humido, ex quo generantur flores, sed habet humidum viscosum; ideo fructus eius dulcissimi sunt, propter dulce humidum diu decoctum, quod totum remanet in ipsis. Id. cap. 4.

Semina operiuntur tum siliqua, tum cute dura quæ ipsa complectitur, & exhalans ab eis vapor, reflectatur, & in humiditatem conuersus in seruiat digestioni, impediatque nimiam quam paterentur siccitatem. Ibid. lib. 3. cap. 2.

Multa semina prius rubent, quam nigrescant: Rubent, cum inflammatur, & vinci incipit humidum calore digestiuo; cum autem fortiori adustione decoquitur, conuertitur in fuscum vel nigrum colorem; calor enim disgregans heterogenea, separat terrestre subtile, à terrestri grosso, quod emittit nigro colore infectum ad superficiem. Ib. cap. 5.

Aromatica melius seruantur in locis frigidis, quia illic minus expirant. Sic aqua rosacea ad Solem expirat, & in loco frigido seruatur. Idem.

Externis plantæ partibus abscissis non moritur planta, imo repullulat, & in iuuentutem restituitur; at ablato cortice arescit, quia euaporat nutrimentum. Albertus Magnus lib. 5 de vegetabilib. cap. 6.

Quędam plantæ non bene conualescunt nisi in vmbra vt cucurbita, aliæ non nisi ad Solem, vt vitis. Ibid.

Si Iupiter fuerit in cancro, remotus ab ascendente, nec impeditus ab aliquo, erit quidem natus rationabilis, & in scientia valde peritus, diliget tamen solitariam vitam, nec habebit laudem de scientia sua. Hermes in centiloquio n. 51.

Vmbra infrigidat exterius, sed inflammat interius, quia calorem ad intra repercutit.

Quanto magis Luna elongatur à Sole, tanto magis lucet versus terram, & minus contra cœlum: sed quanto magis appropinquare videtur ad ipsum Solem, tanto magis lucet versus cœlum, minus verò versus terram. Ptolom. in Almagesto.

Ferrum ignitum obtusiorem habet sonum, quam frigidum. Moyses, Zacharias, & magni contemplatores, vt Paulus, à raptu non poterant loqui.

Qui ægris sunt oculis, debent abesse à Sole & igne, frigore confortantur: infirmis animis, optimum est latere. *Vide Minoritas Concordantia.*

Omnis fons, maior, & diffusior est in nocte quam in die.

In armis seu stemmatibus nobilium, interdum ponitur niger color, qui ad tenebras accedit: latentem virtutem significat, & in illis armoriis depinguntur sępe animalia quæ more Ægyptiorum viri virtutem hieroglyphice & sub mysterio significant, non apertè & impudenter.

Omnes amant splendorem gloriæ, & pauci sunt qui se abscondunt à calore eius.

Ioseph fausta sua somnia suis fratribus enarrans incidit in eorum inuidiam. Sepia atramentum suum effundit ne à piscatore videatur.

Pythagoras, Socrates, Archesilaus, & Carneades nobiles Philosophi nihil scripserunt, sed scribendi partes Sophisticis reliquerunt. Plutarc. lib. de fortuna Alexand.

Vt Margarita in profundo mari ostreo inclusa: aurum sub terra sterili, gemmas inuoluit lapis immundus: sic veritas latet sub simplici & non elaborato sermone. *Vide Maioritas Cognitionis. Mal.* eloquentiæ contemptus.

Doctor non tenetur semper vti doctoralibus insignibus, sed quando vult. Chassan. Catalog. gloriæ mundi, parte 10. consider. 37.

Motus dat corporibus calorem sine luce: diuinorum sensus & fœlix experientia habet calorem charitatis, sine luce sermonis. Sacerdos.

cedat ad altare imponit capiti suo amictum; quem postea tollit existens aperto capite. Sacrum ministerium incipiat à solitudine.

Iustitia quæ se humanis oculis locat, diuini patris non potest expectare mercedem, voluit videri & visa est, voluit hominibus placere & placuit, habet mercedē quam voluit, præmium quod habere noluit, non habebit. Cum facis eleemosynam, noli ante te tuba canere. Math. 6. Chrysolog. serm. 9. In te homo custodire debes, quod tibi extra te positum poterit deperire Id serm. 46 in fine.

Zacharias viso angelo fit mutus Luc. 1.

Non minus sunt colorata quæ absconduntur, quam quæ foris apparent, visa.

Clerici, Magistratus, olim omnes Monachi nigro colore vestiti, qui color minimum habet lucis *Vide Differentia Cognitionis.* vbi de coloribus

In consecratione Episcopi dantur ei chirotecæ seu operimenta manuum, quia quædam bona sua opera debet per humilitatē abscōdere. pontificale.

Apollonius Abbas Thebaidis improbabat eos qui collo catenam circumferunt, videlicet qui velint videri ab hominibus, non contenti Deo qui videt in abscondito. lib. 2. de vitis Patrū de vita Apollonij.

Omnia exponuntur oculis nostris ratione materiæ quæ est minor compositi pars.

Mares in vtero crescunt, quia plus habent caloris qui concoquit, & discernit. At fœminæ facilius crescunt extra vterum, quia molliores, & citius ad senectā perueniunt, vt minora artis opera ad finem. Facilius perficitur homo in externis, quam in internis.

In India arbor est pruno similis non floret nisi nocte, orto sole flores omnes cadunt, sic fit toto anno, nascitur maxime in Malabar. Dauity in India & in Malaca vocatur arbor tristis

Sinenses non patiuntur exteros ad se venientes & exeuntes, sed tantum eos qui apud eos perpetuū volunt habere domicilium timent enim exploratores. Idem.

In Scythia Rhabarbarum colligunt hyeme, tunc enim virtus eius collecta maior est; si colligatur æstate non est solidum, sed semivacuum Id.

Abbas Agathon, in omnibus discretus, vestibus sic vtebatur, vt nec satis bonæ, nec satis malæ, cuiquam apparerent Vit. Patr. lib 2.

Vt cera à facie ignis, sic anima per laudem resoluitur. Thesaurus patens minuitur.

Sunt subterranei lacus, vnde fontes erumpunt, & vapores terræ superpositæ siccitati medentur.

Apud Petrogoros *en Perigeux* in Gallia, est antrū per quod fit descensus in terram iuxta Miraumont per 1. leucas visuntur in ea cubiculi ornati opere Mosaïco, & mira quadam arte. Dauity.

Montes in quibus latent metalla, in sua superficie, herbas & arbores non producunt, quia humor omnis in metallis consumitur, & sic dum latere volunt, deprehenduntur mineræ.

Petrus Damiani opusc. 12. initio loquitur de viro Religioso, qui abstinēs ab his quæ magis appetebat, dicebat se illis priuari propter infirmitates scilicet animæ, cum cæteri intelligerent de infirmitatibus corporis.

Paulus dicit aliū exteriorem hominē & aliū interiorē. Est autem exterior homo visibilis, interior inuisibilis & in interiori est virtus. Card. Cusa excitat l 6 c. 2 antiquus secundū veterem Adā, nouus secundū Christū, cuius virtus & diuinitas latuit. Id.

Herba non curat morbum nisi per inuisibilem virtutem, quæ sub visibili colore & figura latet Id.

A Humanitas Christi, quandiu fuit in hoc mundo non exposuit omnes influxus gratiarum quos in plenitudine recipiebat à diuinitate; debebat enim semper esse sicut fuit in momento suæ transfigurationis; per tres annos apparuit vis illa diuina, cum virtus de illo exibat & sanabat omnes, cum imperabat cœlo & elementis.

Virgo Maria gratia plena, & omnium creaturarum nobilissima, nascitur sine vllo tanti boni indicio, sed ignoratur à sua etiam gente & familia, vnde dicitur in scripturis alma, idest abscōsa. Isay. 7.

Circūcisio facta est olim in parte corporis occulta.

Iob. 28. dicit Sapientia, vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ abscondita est ab oculis om-

B nium viuentium.

Virtus dissoluitur laude, vt cera igne. Vt impossibile est eodem tempore esse herbam & fructum, sic vt sæcularem gloriam habentes, cœlestem faciant fructum.

Lucas Gauricus tract. 2 fig. 8 dicit se in mille ferè figuris expertum, longioris vitæ esse illos, qui habuerunt in suis genituris omnes planetas sub terra, quam qui supra terram.

Bonum totius præfertur bono partis. Sic artifex abscondit fundamentum sub terra, vt tota domus habeat firmitatem.

Arbores quædā fructus suos ferunt, aliæ cacumine, aliæ latere, quædam sub foliis, aliæ super folii aliæ sub terram. Theophrastus c. 1. historię plātar.

Taxus & Padus & thraupalus gaudent vehementer vmbrosis. Idē l. 4. c. 1. Itaque quædam in imis, quædā in summis pulchriora & fertiliora exurgūt.

Buxus & ebenus ita sunt densæ materiæ vt in aquis non fluitent, sed merganter. Idem. lib. 5. c 4.

Sol non modo quæ super terram extant, sed etiam quæ celantur sub terra vegetiora melioraque reddit. Id. de caus. plant. lib. 3. cap. 4.

Vites resecantur, breui relicto palmite, vt radices vires, incrementaque capiant Ibid. cap. 18.

Simplicia non habent nec odorem, nec saporem *Vide Gloria Concordantia.* delectatio ex societate.

D De herba quæ nocte floret, & de virtute quæ latebras affectans splendet *Vide Gloria Minoritatis.* humilitas exaltata.

Carbunculus inuenitur in alio lapide minus rubeo & splendenti qui dicitur Balagius *ruby balait* estque carbunculi domus & palatium Albert. Magn. de lapidib. littera. B.

Chrysopagion gemma est ab Æthiopia veniens. dicitur lucere in tenebris & euanescere à lumine superueniēte, ita quod nō retinet nisi colorē hebetē obscuro & quasi sub tenui colore operti auri, & fit in ipso, secundū diuersitatem luminis & tenebrarū reciprocatio coloris nō determinati, velut in quercu putrefacta & noctiluca. Ib littera C. honor fugientē sequitur *Vide glor. minor.* humilitas exaltata

E Non fit metallū nisi in loco in quo vapor receptus non valens vltra transpirare in se reflectitur: si enim apertus esset locus expiraret tota materia, & nihil inde omnino generaretur. Idem de mineralib lib. 3. cap 10.

Aurum propter similitudinem suæ complexionis, & compactionem minus odorat, quia minus vaporat. Ibid. cap. 4. tr. 2.

Abyssus ædes fuit Proserpinæ in qua multum auri ab omni æuo intacti & humi absconditi asseruabatur Suidas in verbo abyssus.

Radices florum eiusdem speciei, vt rosarum, cariophilarū, tuliparum, anemonum similes sunt, nullam in se habentes pulchritudinem, tamen pro

ducunt flores longè dispari pulchritudinis pretio A
sic sub simili habitu Religioso latent diuersæ gratiæ gratis datæ & gratum facientes.

In medio tenuissimo res apparet minor quã sit. *Vide Veritas Magnitud.*

Albedo fit ab aëre intus incluso, non quolibet, sed congelato velut speculum lumen reddens, sic & saccharum & sal dum refrigerantur alba euadunt quod aer intus ob materiam frigidam congelatur. Cardan. de rer. varietate lib. 3. cap. 14. pulueres excalefacti obscuri videntur, dum refrigerantur sensibiliter albescunt. Nebulæ in suprema parte aëris albicant, quia frigidior est ea regio, infra autem non similiter: In timentibus alba fit facies contracto calore & sanguine, aër ibi contentus congelatur, fitque pallor; si perfrigeratio multa sit, albescunt multum, vt in mortuis. B
Ibid. Non effusa, sed se continens in interioribus virtus laudem meretur. Vt aërea substantia contineatur facit puritas partium ante positarum, congelatio aëris, & tenacitas continentis. Si substantia in qua continetur humida sit.

Hyacinthus in sole positus obscurus redditur, & in aëre claro, sed in tenebris mediocribus splendet. Ib. cap. 19.

Auri sonus non admodum clarus est, nec vt materia ærea aut argentea. Ibid. cap. 97.

VELATA, PVLCHRITUDO.

C. Sulpitius vxorem dimisit, quod eam capi- C
te aperto foris versatam cognouerat. Lex inquit, meos tantum tibi præfinit oculos, vlterior tui conspectus, superuacua irritatione accersitus, in suspicione & crimine hæreat, necesse est. Valer. Max. l. 5. cap. 3.

Principalis intentio naturæ in productione foliorum est, vt tegant fructus. Ideo sub fructu solent produci, vt folium dilatatum vltra fructum porrigatur, Albert Mag. lib. 2. de vegetabil. tract. 2. c. 1.

§ Sacerdos accedens ad altare imponit capiti suo amictum.

Matrimonium dicitur etiam connubium ab obnubendo, quia vxor in benedictionibus, velo quodam, quasi nube tegatur. Sic Rebecca ad occursum Isaac sponsi sui, pallio se operuit. gen. 2. in fine.

Veli vsus D. Augustin epist. 179.

Latens virtus Verbi in sacris scripturis *Vide Medium Veritatis. S. Scripturæ.*

Alma apud Hebræos significat abscondita, ita virgo dicitur alma, idest diligenter custodita. Ecce virgo concipiet, in hebræo legitur, Ecce alma concipiet. Rupert in Genes. lib. 7. c. 41.

Vt in interiori tabernaculo, byssus fulgeat; coccus corruscet, hyacinthus & purpura pulchris coloribus resplendeant, desuper pelles & cilicia, ponuntur, vt excipiant puluerem & ventos. Rupert in Exod. 16 Notandum, inquit, quia prout quæque viliora, vel minus operosa sunt, ita in tabernaculo superiora, & tempestatibus viciniora sunt Ib.

Apud Spartanos virgines aperta facie procedebant. Nuptæ velata, quia viros sibi comparauerant quibus solis debebant placere Rodig. l. 13. c. 6. Linus cõstituit mulieres velato capite ecclesi. ingredi, ob angelos, vt dicitur 1. Cor. 11. idest sacerdotes.

D. Hieron ad Demetriadem virginem: Illa, inquit tibi sit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ se nescit esse pulchram, quę negligit formæ bonum, & procedens in publicum, non pectus & colla denudat, nec pallio reuoluto ceruicem aperit, sed quæ celat faciem, & vix vno oculo, qui viæ necessarius est, patente ingreditur.

VESTIS HVMILITAS.

Sordidæ vestes, candidæ mentis indicia sint, vilis tunica contemptum sæculi probet, ita duntaxat, ne animus tumeat, ne habitus sermoque dissentiant. D. Hieron. epist. ad Rusticum.

S. Hilariõ saccum quo semel fuerat indutus nunquam lauit, superfluum esse dicens, munditias in cilicio quærere. Nec mutauit alteram tunicam, nisi cum prior penitus scissa esset. Id in eius vita.

Vestibus pretiosis non vtebatur S. Sacerdos in die expiationis. Leuit. 16. pœnitentes decet vestis humilitas.

Monachi humili veste vti debent. Vide supra vestis distinguit officia.

Non debet esse nimis affectata vestis humilitas. Vide supra latens virtus ex D. Hieron.

Infamatur aliquis si alius squallida veste indutus sit, quasi ab eo iniuriam acceperit l. 15. ff. de iniuriis. *Vide Contrarietas Gloria.* maledicentia, sub finem.

Hoc est Christum induere ex apostolo. *Vide Maioritas Gloria.* luxus in veste.

VOLVNTAS VIRTVTIS.

AMOR VIRTVTIS.

NON debent à Deo peti alia, quam quæ Oratione dominica continentur, scilicet spiritualia: Nam offenditur Deus, si præter ipsum, imò contra ipsum temporalia postulentur, læditur eius magnificentia, si prætermissis sempiternis pe- D
titionibus transitoria & caduca petantur. Cassian. collat. 9. cap. 23.

Albert. Mag. tract. 2. de natura & origine animæ c. 8. inter diuersas rationes quib. probat immortalitatem, hanc adfert, quia anima rationalis colit virtutes, pietatem & Religionem, quæ sunt

Digitized by Google

REPVGNAT.

HOMINES SVNT *in malum proni.*

HOmines comparant sibi necessaria ad viuendum, non ad benè viuendum. Curam agunt possessionum suarum, vt benè sint, non animi, quem negligunt. Multi hinc inde discursant & luctantur pro bonis fortunæ, pauci sunt, qui virtuti operam dent.

Ideo necessaria liberorum educatio. *Vide Virtus Principii. Initii.*

Regiminis & legum institutio. *Vide Bonitas Potestatis.* Regimen necessarium.

Philo lib. de confusione linguarum, maximum enim & vix æstimabile malum est, humanum animum per se indomitum, & ad flagitia ruentem, sine fræno & rectore sinere, cum is etiam habenis & scutica, & prudenti rectore adhibitis, ægrè tamen contineri queat.

Gen. 1. aquæ producunt reptilia & volatilia, idest mens nostra mala & bona opera, reptilia sunt affectus rebus infimis hærentes, volatilia bona desideria sursum nos eleuantia. Origen. Homil. in Genesim.

Diabolus dicitur princeps huius sæculi, quoniam tota ferè humana natura seipsum illi dedit, & omnes sua sponte ei seruiunt, ex libero animi instituto & arbitrio; Christo autem innumerabilia bona promittenti animum non adhibent. Mundi Rectorem diabolum vocat Paulus Ephes. 2. D. Chrysost. Homil 4. in epist. ad Ephesios.

Vide Voluntas Minoritatis mala.

Non sunt audiendi qui putant animam esse partem Dei, ex eo quod dicitur in Genesi, Insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ. Si enim hoc esset, nec à se nec ab alio decipi posset, nec ad malum faciendum, vel patiendum compelli, nec in melius, vel deterius mutari. Magister sententia. lib. 2. dist. 17. q. 1.

A passionibus agitur in deteriora. *Vide Maioritas Voluntatis.* Passionum damna.

Magister sentent, 43. dist. 2. dicit quod ille in Spiritum sanctum peccat, cui malitia propter seipsam placet. Sicut Patri appropriatur potentia, & Filio sapientia, ita Spiritui sancto apropriatur bonitas; sed ille qui peccat ex infirmitate quæ opponitur potentiæ dicitur peccare in Patrem; & ille qui peccat ex ignorãtia, quæ opponitur sapientiæ, dicitur peccare in Filium, ergo ille qui peccat ex malitia quæ opponitur bonitati, dicitur peccare in Spiritum sanctum. D. Thom. in quæst. disput. q. 3. de causa peccati. Ar. 14. o.

Habent vota sibimet ipsis contraria. *Vide Voluntas Bonitatis.* Rep. peccans sibi nocet.

Homo compositum est ex contrariis, scilicet vna parte rationali, altera sensibili: pugnant in se, & inter principatum ambientes arbitra voluntas inclinatur ad sensibilia, eo quod ab his primum vitam accipimus, his totum pueritię tempus & adolescentiæ maxima pars assueuit, & longa consuetudo legem effecit, quam Apostolus vocat legem membrorum, sensibilia necessaria magis sunt, nam sine spiritualium contemplatione vita constat non sine quotidiano rerum sensibilium vsu; sua multitudine, tum varietate nos obsident, ne aliò diuertamus; demulcent voluptatibus vnicuique sensuum propriis; sic visæ, vel cogitatæ cupiditates fortiter irritant, implent possessę, & in ampliores delibatæ prouocant. Dubios in sensibilium amore confirmat turba nobilium, quos dum amplissime suis cupiditatibus indulgent, suspicit, celebrat populus vt beatos, & quantum homini licet fœlices. Igitur ad hæc sensibilia nos inclinat natura suæ conseruationis auida, & quæ nos prius fecit sensibiles quam rationales; cogit necessitas, trahit delectatio, rapit ad ea concurrentium omnis ætatis, omnis conditionis turba, sic ad illa propriis, alienisque transferimur motibus. Reclamat interdum ratio, vt agat partes suas in rerum diuinarum & humanarum contemplatione: diuina lex multa prohibet quæ sensus concupiscit, multa præcipit quæ sensus auersatur; vt obsequium extorqueat, minatur pœnas, promittit præmia, sed in futurum; at plus nos afficiunt præsentia quam futura, sensibilia quam intellectualia, quæ iam ex tenebris obsita, vsu difficilia, paucis concessa, opinionum contrarietate facta sunt incerta. Sic citra virtutem, pietatem, Deique leges, cæca mortalium vita hæret pręsentibus, cum his dilabitur, nihil vltra de fine supernaturali nec cogitans, nec optans, more brutorum, vt cœpit, vt processit, sic desinet. Ex *Primipiis.*

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorũ. Ps. 1. Sunt enim qui ex consilio & animi proposito sectantur impietatem. D. Hilar. d. Psal.

Dicit Dominus in Euangelio. De corde exeunt cogitationes malæ. Vnde patet procliuius esse cor hominis ad malum.

Improbis scelera etiam sine præmio grata sunt; peruersi ingenium seu furiosus sit, seu impatiens seu leue, seu malignum facile ad omne flagitium impellitur, nec minus stupidum ex ignorantia; præsentia tantum considerant, futura dicunt à Deo & fortuna pendere. Cardan. de arcanis, cap. 63.

Digitized by Google

VERITAS VIRTVTIS.

QVÆ SIT VERA VIRTVS.

SOLA *Religio Christiana* A *nos docet veras virtutes Vide quæ scripsi. moralis Christiana. to. 1. parte. 1. cap. 8. & 10.*

Homo est conditoris imago in interiori homine, dicitur factus ad Dei imaginem & similitudinem. Imago est in æternitate, similitudo in moribus; Alcuin. in Genesim. interrog. 38 39.

Virtus est bona qualitas mentis qua benè, viuitur, qua nullus malè vtitur, quam solus Deus in homine operatur. Laurent. Iustinian. de vita solitaria. cap. 11.

Tres sunt conditiones necessariæ ad modum B virtutis, scilicet operari scienter, voluntariè, cum fine & circumstantiis debitis. Suarez de legib. lib. 3. cap. 29.

Vera virtus est, quæ fit non timore seruili, sed filiali & amore. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Timor Dei filialis.

Caue ne si ieiunare aut abstinere cœperis, te putes esse iam sanctum, hęc enim virtus adiumentum est, non perfectio sanctitatis, magisque id prouidendum est, ne tibi hoc, cum licita contemnas, securitatem quandam illicitarum faciat. Quidquid supra iustitiam offertur Deo, non debet impedire iustitiam, sed adiuuare. Quid autem prodest tenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia? quid virtutis habet vinum non C bibere, & ira atque odi o inebriari&c. D. Hieron. epist. ad Celantiam Non est enim vera virtus nisi sit integra. *Vide Magnitudo Virtutis.*

Virginitati veræ non præiudicat imitatio virginum diaboli, nec veris ieiuniis, ieiunia paganorum, vt nec veris miraculis Moysi, Magorum signa ad imitationem facta Ita per omnia quæ per æmulationem Dei facit diabolus, non religionis nostræ superstitio, sed nostra arguitur negligentia, id nolentium facere quod bonum esse etiam sæculi homines non ignorant. Idem. lib. 2. aduersus Iouinianum, quanquam affectetur à malis distingui. *Vide Differentia Minoritatis.*

Verus equus camporum spatia transuolat, pictus parieti hæret in curru.

Quidam in publico tristes, domi dissoluti, D captant autoritatem contemptu cæterorum, Philosophia enim simulari potest, eloquentia non potest. Quintil. Inst. orator. lib. 12. c. 3. in fine.

Vera virtus est absolutio seu complementum naturæ hominis, tria autem hæc debet habere, rationem & facultatem, & voluntatis arbitrium Rationem quæ iudicat & contemplatur, & facultatem qua perdurat & euincit; voluntatem verò, qua propensus est, & amat. Stobæus sermone 1, De emendatione cognoscenda. Plutarch.

De spiritualis vitæ substantia. Aluarez to. 1.

In agone, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium, sic currite vt comprehendatis. 1. Cor. 9.

Calidum disgregat heterogenea, quia mouet à centro rei ad circumferentiam & ideo euolat subtile, & facit moueri totam rem, cum transitu ratione substantiæ; & ideo calidum est simpliciter actiuum, & vehementis actionis. Frigidum autem est quod æqualiter coniungit homogenea & heterogenea, quia constringit partes rei à circumferentia ad centrum, & ideo abscindit motum rei, cum transmutatione substantiæ, ideo frigida diutius conseruantur. Charitas verè purgat, hypocrisis constringit.

Natura vniuscuiusque rei ex eius operatione ostenditur.

Actus moralis bonus ratione potissimum sui, agentis, patientis, finis etsi adsint debita proportione, omnes istæ conditiones, quis, quid vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Vide fusius apud Perbartum in rosario Theologico. voce Bonitas.

Non omnes qui miracula faciunt sunt venerandi, quia quandoque etiam per malos miracula fieri possunt. can. Teneamus. 1. q. 1. Sed ij demum qui autoritate Papæ approbati, & in numerum sanctorum relati sunt, cap. 1. eod.

Pręsentati à patronis debent ab Episcopo examinari, pręsentatis tamen electis, sed nominatis ab Vniuersitatibus seu Collegiis generalium studiorum exceptis, qui non sunt examinandi. Concil. Trident. cap 9. vers. 1, sic liceat. sess. 25. de reformat.

Populus Israel non statim numeratur cum egressus est Ægypto, sed diu postquam mare transiit, pugnauit cum hoste, vicit Amalech; non enim ad perfectionem tendenti sufficit vna victoria. Lex per Moysen datur, sacrificiorum mos traditur & purificationum ritus, sanctificationum leges & sacramenta conduntur, & tunc ad numerum ex præcepto Dei populus adducitur. Multa sunt tibi toleranda vt possis ad diuinum numerum pertinere, &c Origen. Homil. 1. super Numer.

Non censetur vera virtus quæ suscipitur metu pœnæ. *Vide Medium Virtutis.* de Gabaonitis. *Et Cognitio Contrarietatis* de metu seruili.

Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. Psal. 36. lex velut radix quædam in profundo cordis posita, germinat verba iustitiæ, verba sanctitatis, quæ profert iustus de corde suo, & non solum verbum, verum & actus etiam & gesta. Id. Homil. 5. in Psal. 36.

Non est vera virtus quæ talis dicitur per comparationem

Digitized by Google

parationem vitii contrarii, sed quæ bonis est melior. *Vide Gloria Contrarietatis.* Opposita magis elucescunt.

Quædam non sunt veræ virtutes, sed virtutum condimenta. *Vide Medium Virtutis* Varia virtutis media.

Circumcisio erat signum fidei & iustitiæ, quæ mentalis esse debebat vt signum habeat; hac enim de causa signum accepisti, vt rem exquireres cuius signum habes. D. Chrysost. Hom. 8. in epist. ad Roman.

Signa quæ fiunt per bonos tripliciter possunt distingui ab his quæ fiunt per malos: primò ex efficacia virtutis operantis quæ excedit vim ordinariam naturæ, vt suscitare mortuos, quod non faciunt mali nisi præstigiis quæ non multum durant. 2. ex vtilitate signorum, quia signa per bonos facta sunt de rebus vtilibus, vt in restitutione sanitatis; signa autem per malos facta sunt in rebus nociuis vel vanis; sicut quod volant in aëre, vel reddunt membra hominum stupida. 3. differentia est quantum ad finem, quia signa bonorum ordinantur ad ædificationem fidei & bonorum morum, sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei & honestatis. Et quantum ad modum differunt, quia boni operantur miracula per inuocationem diuini nominis piè & reuerenter, sed mali quibusdam deliramentis. D. Thom. in lib. 2. sentent. dist. 7. q. 3. a. 1.

Vera virtus est per propinquitatem ad Deum. *Vide Concordantia Principij.* Deo conformari.

Seruos quidam ita legauit; Rogo si te promeruerint dignos eos libertate existimes, censentur meruisse si non demeruerint. l. 20. ff. de man. testa. meriti videntur in fidecommissis pecuniariis qui non offenderunt. l. 22. Cod. de inoff. test. l. cùm pater §. rogo. ff. de leg. 2. Cuiac. ad African. tract. 1. in fine.

Actus absolutè & in se non sunt boni vel mali, sed tales efficiuntur per circumstantias additas. Tostat.

AN SIT VERA virtus, cum vrget necessitas.

Metus non tollit intentionem & voluntarium simpliciter, vt dicit Arist. 3 Ethic. vnde baptizatus metu mortis aut seruitutis rectè est baptizatus, si habuit intentionem. Bonacina. de subiecto baptismi.

Quacumque hora peccator conuersus fuerit, vita viuet, & non morietur. Ezech. 18. Ideo ægrotus habitum Religiosum potest induere, & si conualuerit, non potest ad sæculum redire Petrus Damiani opusc. 16. vnde Gelasius sacras virgines ante 25. annum velari prohibet, nisi illud implorent in extremo vitæ periculo.

Populus Israël non exiuit ex Ægypto, nisi nimiis operibus pressus. *Vide Virtus Contrarietatis.* Ad probationem.

Idem opusc. 41. probat eum qui emiserat votum Religionis profitendæ si liberaretur à seditione populari, teneri illud implere. nu. 40. si quis vouerit Domino, quod promisit implebit, &c Impleres quod homini in periculo promisisses. quid ni Deo? Ibidem refert plura exempla infœlicis exitus eorum, qui votum sic factum, non impleuerunt: te promisisti Deo quam commutationem dabit homo pro anima sua Matth 16. delusis authorem, offendis mendacio veritatem si teneris implere gratuitam donationem, quanto magis eam cui subest causa.

De votis implendis. *Vide Duratio Voluntatis.*

Qui coactus in arma progreditur, impulsus tamen fortiter præliatur. Id.

De his qui in infirmitate credere volunt, placuit eis debere manum imponi. Concil. Arelatense 1. Galliæ. can. 6. an. 314. Tamen can. 22. & vltimo prohibet communionem dari apostatis qui nunquam ad Ecclesiam se repræsentarunt, sed tantum petunt communionem infirmitate arrepti, placuit eis non dandam communionem, nisi conualuerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ.

Pœnitentia in fine vitæ non deneganda. *Vide Duratio Bonitatis. Repug.*

Macarius cùm esset 18. annorum ludendo cum coetaneis cædem inuoluntariam fecit, ob quam metu iudicum fugit in solitudinem, in qua tandem vitam eremiticam egit sanctissimam, laudabat Deum de cęde, quæ causa fuisset suæ conuersionis, vt Moysi quod fugiens vidisset Deum in Oreb. Sunt enim, inquiebat, virtutes quæ oriuntur ex casu, quando quis non vult sua sponte ad bonum accedere vitæ Patrum lib. 8. *Vide Minoritat. Cognitionis* De his quæ casu bene cesserunt.

Euagrius ex diacono dissoluto, fit monachus sanctissimus, ex visione in somnis, in qua vinculis ferreis constrictus videbatur coram iudice accusari; & postea recidiuus in cupiditatem, longa ægritudine & admonitione S. Melaniæ, monachi habitum suscepit. Vitæ Patrum lib. 8 cap. 86.

Gemmæ frigore concrescunt, & cæteri lapides pretiosi qui soluuntur igne. Georgius Agricola. lib 4. de causis subterraneorum. Necessitas est quasi frigus interdum efficiens pretiosa sicut crystallum.

Christus dicit, Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, non inuitat tantum, sed vim facit, vt perducat ad salutem. Matt. 28. Si exaltatus fuero omnia traham ad me ipsum: & rursus; Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Ioa 6. pater familias mittit seruos qui cogant intrare in conuiuium.

Si non esset malleus non esset tuba ductilis, quæ confert ad solemnitates, si non essent aduersa deficerent in Ecclesia ad aliorum ædificationem, sic ad Deum conuersi. Origen. Homil. 5. in Hierem.

An metus & necessitas faciant inuoluntarium: *Vide Veritas Voluntatis & Medium Voluntatis. Media.*

Animal laceratum à bestia non licebat nec edere, nec Deo offerre. Tost. in Leuit. fo. 95. videntur non rectè offerri Deo hi, quos aduersa fortuna decerpsit.

In aduersitate homo non habet apud se aliquod bonum de bonis falacibus fortunæ quo possit frui, ideo cogitur redire ad vera bona, & cognoscit Deum esse maximum bonum, intellectus enim non impeditus melius verum cognoscit. Id. Deut. fo. 12.

Vide Virtus Contrarietatis. Purgationis causa vt succinum.

De his qui vocantur ad Religionem vrgenti aliqua necessitate. Vide quæ scripsi lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ parte 1. cap.

Digitized by Google

12. & lib. de institutione & officiis Religiosi parte 1. cap. 12. Libello de amore Dei nascente c. 18.

Stella quę duxit Magos ad Christum venit ad meridiem ab aquilone, vnde dicitur; omne malum pandi. Sic enim habet Palæstina ad Persidem vnde Magi.

Deus peccantes confringit vt vas figuli & in melius reformat. *Vide Magnitudo Contrarietatis.* Magna seueritas bona.

Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum; qui trahitur non spontè currit, sed aut retractans, & tardus, aut inuitus adducitur. D. Hieron. lib. 3. aduers. Pelagianos.

Prima mansio populi Israel egredientis de Ægypto, fuit in Rameses, quod interpretatur commotio turbulenta. D. Hieron. de 42. mansio.

Necessitas est inter diuersos vocationis modos. *Vide Differentia Bonitatis.*

Clodouæus oppressus ab hostibus petit auxilium à Christo, & si obtinuerit vouet se futurum Christianum.

Repug. Si quis in ægritudine fuerit baptizatus, ad honorem Presbyterii non potest promoueri, quod non ex proposito fides eius, sed ex necessitate descendit, nisi forte propter sequens studium eius & fidem, atque hominum raritatem, talis possit admitti. Conc. Neocęsariense. c. 12. a. c. 314.

VIRTVS VERA, LICET INFÆLIX.

Vide Gloria Contrarietatis. Ex malis bonum elicere.

Carthagine Imperatores tollebantur in crucem, si prospero euentu, prauo consilio rem gessissent. Rhodig. lib. 18. c. 38.

Ignis terra nobilior est quia tendit sursum, etsi centrum suum non attingat, terra autem deorsum lata eo fruatur.

Prædicator consequitur ministerii sui præmium, etiamsi nullos conuertat. *Vide Medium Veritatis.* Prędicator. Et *Duratio Virtutis.* Constans admonitio, ex D. Chrysost.

Quidquid aggressurus es, finem spectato, & vbi tu rectum consilium præstiteris, de euentu ne sis sollicitus.

Vide Virtus Voluntatis. Voluntas pro facto.

Non qui plus operatur, sed qui plus diligit, magis commendatur à Christo; parum operatur, quàuis multa agat, qui non amplius agit affectu, quam actu Amor enim desideriis nutritur, desideria autem ab amore, tanquam calor ab igne prodeunt. Non meruit secreta scire cœlestia Propheta Daniel, quia ieiunauit, sed quia concupiuit, dicente Angelo, veni vt indicarem tibi quia vir desideriorum es. Immensa est amoris vis, & nullo abreuiata fine, qui sicut nutritur de se, ita dilitatur in se, non alieno indiget adminiculo, sibi ipsi sufficit, cum virtutem suam exercere valet. Laurent. Iustin. lib. de perfectio. Monast. cap. 6.

In rebus irregulari semper motu contingentibus consilia tantum nostra sunt, euentus occultæ superiores causæ, variant, moderantur, aut ad insperata conuertunt. Inter hæc supra vires, supra rationem ingruentia, sapienti tantum ius est, ex præsenti rerum statu, perpensis acuratè circumstantiis, reuocata præteritorum memoria, præuisis quæ vim inferre possunt, periculis, habito prudentum consilio, quod melius visum est prudenter eligere, fortiter quantum conceditur exequi, nulla quæ culpari possit, interiecta mora; nullis ad opus deficientibus instrumentis & ministris. Ex tunc virtus impleuit prudenter & fortiter partes suas, licet non fœliciter, vnde præmium quod abstulit fortuna, sperare potest ab ęquissimo Reipublicæ iudicio. Non est tantum contumax, sed vaga, mobilis, instabilis politiæ materia vt in ea ipsi non liceat, quod plurimis artibus in sua cuique conceditur. Officio suo functus est orator, si dixit apta ad persuadendum, etsi non flexerit contumaces animos. Hic vt in similibus, non sola præmiatur voluntas, sed opus fœliciter in finem peruenturum, nisi vis maior à nemine pręstanda furens obstitisset. Habet igitur in talibus vir fortis, consilii simul & operis gloriam; vltimam ex successu quam sustulit maligna fortunæ vis, grata compensare debet Respublica. *Ex principiis.*

VIRTVTES GENTILIUM NON SUNT PECCATA.

Aroni dicit Deus, Dedi tibi primitias ex omnibus quę sanctificantur mihi à filiis Israel. Num. 18. Gentilis aliquid honestum & probabile habere videtur in moribus; sed hoc ipso quod non Deo adscribit animi virtutem, sed iactantiæ suæ deputat, non est sanctificata huiusmodi probitas, & ideo non recipitur inter primitias. Origen. hom. 11. super numer.

Num. Salphaat mortuus est sine masculis liberis. Quinque eius filiæ petunt hæreditatem, quam eis decernit Moyses, Deo super hac re consulto. Ingenii & operum tenuitas non nocet ad hæreditatem consequendam. Id. hom. 22. super numer. primus gradus est filii masculi perfectique in fide & virtute. 2. filiarum minus perfectarum. 3. fratrum propter imitationem. 4. fratris patri, significans eos qui ex veteri traditione instructi bona egerunt. Vltimus gradus scribitur ille qui quolibet pacto iis proximus fuerit, quasi si diceret, sine occasione, sine veritate doctrinæ, si quis aliquid boni fecerit, non peribit boni operis merces, sed largiente domino, locum hæreditatis accipiet. Ibid.

Oleo vt vnguento pretioso Maria vnxit pedeș Iesu: aliud est oleum commune, aliud pretiosum; commune est opus quod facimus propter hominem, pretiosum, quod propter Deum. Benè quis facit homini naturali iustitia motus, non propter Deum, vt faciebant gentes, opus illud est oleum vulgare, non magni odoris, & ipsum tamen acceptabile apud Deum: sic Daniel 4. dicit ad Baltazar Deum non cognoscentem, peccata tua eleemosynis redime. Opera bona quę fiunt ab infidelibus in hoc sæculo eis prosunt, non ad consequendam vitam æternam. Orig. tr. 35. in Matth.

Tales etiam si vitam non habeant æternam, quia non crediderunt in Christum, tamen gloria operum eorum, & pax & honor poterit non perire. Id. in epist. ad Roman. lib. 2. cap. 2.

Rom. 2. Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, vnde ante legem latam humana natura omnimodam prouidentiam erat assequuta, si le-

in cordibus scriptam, & opus exhibent, quid tandem est quod accusare possit cogitatio. D. Chrysost.

Nulla res destituitur propria operatione, at hominis propria operatio est agere secundum rationem, sic potest etiam intelligere veritates naturales, sine gratia, non tamen sine omni concursu Dei. D. Thom. in lib. 2. sententia. dist. 28. a. 1.

Vt in naturalibus sic in moralibus vna perfectio alteri superadditur, qua tamen deficiente prior remanet, actus quidem sine gratia & charitate non sunt meritorii vitæ æternæ, sed substracto posteriori, nihilominus remanet prius; vnde quamuis ab infidelium actibus subtrahatur ista bonitas, secundum quã actus meritorius dicitur, remanet tamen bonitas alia, vel virtutis politicæ, vel ex circumstantia, vel ex genere, & ideo eorum actus est tantum dificientis bonitatis, non malus; sicut quamuis equus deficiat à rationalitate quam homo habet, non tamen ideo malus est, sed habet bonitatem deficientem à bonitatę hominis. Ibid. dist. 41. a. 2.

Bona opera sine charitate, suffragantur, sed non ad æternæ vitæ meritum. Valent enim ad mitigandum pœnam quæ iustè ex omissione, & pręcepti transgressione debetur; præstant temporalia bona, honores videlicet, diuitias, incolumitatem corporis, longæuitatem vitæ, terrenam fœlicitatem, propagationem filiorum, successusque prosperos, occupant hominem, nec permittunt operantem ad deteriora labi, assuefaciunt ad benè operandum, delectant mentem, restringunt fomitem, arcent peccati fluxum, atque ad susceptionem gratiæ gratum facientis habilitant cor. Exigua vero vniuersa sunt hæc, in comparatione retributionis æternæ. Laurent. Iustin. lib. de spirituali interitu.

Bona quædam opera possunt fieri in peccato. Vide quę scripsi lib. de misericor. Dei parte 2 cap. 8. & 9.

Opera bona facta ab homine non existente in gratia, non prosunt ad vitam æternam, sed secundum gloss. in cap. quod quidam de pœnit. & remission. quid prosint explicatur his duobus versibus.

Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ,
Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.

Bonacina de effectib. pœnitentię.

Matrimonium infidelium est quidam contractus, quem infideles celebrando non peccant, est enim ad conseruationem & propagationem naturæ humanæ. Idem de matrimonio.

Lucidus Presbyter qui prius sectam Prędestinatorum sequutus fuerat, ea in Concilio Aretalensi condemnata, pœnitens, rescribit ad Episcopos fidei suæ confessionem, & cum Concilio damnat eos, qui dicunt ab Adam vsq; ad Christũ nullos ex gentibus, per primam Dei gratiam, idest per legem naturæ, in aduentum Christi fuisse saluatos, eo quod liberum arbitrium in primo parente perdiderint. Vide to. 1. Concil. Galliæ. an. 475.

Licet infideles continuò sint in peccato mortali, quia non accipiunt legem Christi, non tamen peccant mortaliter, nisi cum agunt contra legem naturæ. Tost. Matth. to. 5. fol. 44

Hic titulus cum demonstratione habetur in 1. tomo sub tit. *Bonitas Virtutis.*

Oculi eius super gentes respiciunt. Psal. 65. Incorporalis Deus misericordiæ suæ oculis & tan- quam ministerio famulantium Angelorum protegit gentes. D. Hilar. in 8. Psal.

Cornelius Centurio adhuc Ethnicus dono sancti spiritus mundatur. D. Hieron. epist. ad Heliodo.

Domine refugium factus es nobis in generationem & generationem, idest ante legem, in lege, & post legem. Vide ex eod. *Principium Virtutis.* Gratiæ necessitas.

Quod homo in peccato mortali potest exercere veras virtutes morales, & quod earum actus non sunt peccata. Vide Gerson. lib. de vita spirituali animæ lectione 1.

OPERA DICTIS CONcordent.

PEr ficulneæ maledictionem. Matth. 21. Christus significauit maledictionem sacerdotum, qui ex dignitate habentes speciem virtutis, bonis tamen carebant operib⁹, velut haberent folia tantum sine fructu. Tostat. Genes. fol. 214.

Hominum vota, dicta factaque sunt sibimetipsis contraria. *Vide Volumas Bonitatis. Repug.* Peccans sibi nocet.

Plus mouent exempla quam verba. *Vide Concordantia Virtutis.* Imitatio bonorum.

Christus baptizari voluit baptismo Ioannis eo non indigens, vt ad illud cęteros suo prouocaret exemplo. Tost. Matth. to. 1. fo. 199.

Ecclesiasticorum vitę integritas consentiat veritati doctrinæ. Vide quæ scripsi de agente Dei in rebus parte 1. cap. 12.

Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Matth. 5.

Qui doces alium, teipsum non doces. Rom. 2.

Plus possunt ad aliorum conuersionem boni mores, quam miracula. *Vide Potestas Virtutis.*

Lingua est inter duas manus media, quia debent implere quod ipsa dicit & docet. Leo Hebr. Dial. 2. de amore.

Dauid sic orat Deum, Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me. Sciens sine sapientia bonum, & absque bonitate sapientem esse non posse. Ambo benè conueniunt, nam bonitas non potest fallere, neque vult, sapientia verò errare nescit. Laurentius Iustinius fasciculus amoris, cap. 5.

Reciproca sibi sunt & pari charitatis vinculo colligata, mansio hominis in Christo, & eloquia sapientiæ Christi in homine: manent autem, cum opere perficiuntur, cum à sensu verbi, vita non discrepat. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, inquit Christus. Ibid. cap. 9

Spiritualiter conspuitur Christus, quando sapientiam cœlestem prædicantes carnaliter viuunt, dicit Paulus, Castigo corpus meum ne doctrina discreparet à moribus. Illudunt Christo, sicut milites qui genu flexo dicebant, Aue Rex Iudæorum Id. de Christi agone c. 14.

Absque igne quis ignem accendet, & sine charitate, quis charitatis officium consummabit? habeto itaque geminam charitatem Dei & proximi, alioquin eris velut cymbalum tinniens. Idem.

by Google

Christus ascendit in montem vt doceret turbas. Beati pauperes spiritu &c. hoc exemplo suo insinuauit pastores constitutos esse debere in sublimi virtutum, vt efficacius plebem instruant. Id. de institut Prælator cap 7. de authoritate cum scientia. *Vide Virtus Cognitionis.*

Quantam verò athoritatem præstet doctrinæ vita laudabilis & experientia diuturna virtutum, insinuat mundi conuersio, & numerositas aggregata fidelium. non enim per eloquentiam profunditatemque humanæ scientiæ, sed per virtutum exempla, contemptum videlicet terrenorum, fundata est Ecclesia. sine prædicatione possunt saluari qui præsunt, absque vita vero laudabili minime, quoniam irreprehensibilis vita, prædicatio efficacissima est, si testentur opera, quod non valet lingua Id. ib.

Princeps suis tenetur legibus. *Vide virtus Potestatis.*

Solent plures gloriosam intelligentię verborum speciem præferre, & voluntatis, ac iudicij decus etiam verborum honestate mentiri, cum de Deo benè sentiant & loquantur, verbis autem ac sensui suo, gestis atque operibus mentiantur; hi sunt, qui quæ loquuntur oderunt & his quæ prædicant ipsis rebus inimici sunt; vnde Propheta loquēs de his qui valent in montem Domini ascēdere, dicit, Qui non egit dolum in lingua sua; quia secundum Apostolum, vt in corde creditur, ita in ore confessio fit ad salutem D. Hilar. in Psal. 14.

Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat; accusare auaritiam & latro potest, sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. D. Hieron epist. ad Nepotian.

Inter Christianum & gentilem, non fides tantum debet, sed etiam vita distinguere, & diuersam religionem, per diuersa opera monstrare. Id. ep. ad Celantiam.

Ephod seu superhumerale S. Sacerdotis connexum erat Rationali quod erat in pectore, vt non sit laxum atque dissolutum, sed hæreant sibi inuicem & auxilio sint. Ratio enim operibus & opera ratione indigent, vt quod mente percipimus, opere perpetremus. Id. ad Fabiolam de veste sacerdotali. In humeris opera sunt, in pectore ratio.

Compendiosior ad famam via est, si quis curet talis esse, qualis videri desiderat.

Frustra laborat, qui obliquam vmbram rectam velit facere, antequam virgam ipsam, ex qua vmbra causatur, rectam faciat.

Idæas boni verique concipere, & eas in aliorum ædificationem proferre, duplex bonum hominis, ad diuinorum contemplationem, mutuumque subsidium nati; inefficax tamen hæc est in sui proximique commodum sola lux mente concepta, verbis explicata, si vitæ non consenserit integritas, nisi bonum sit ex integra causa moribus scilicet eloquio consonis. Quis enim credit verum & optimum, quod homo sui naturaliter amans, sibi non eligit? quis credet aquas innoxias, quas è fundo suo scaturientes foras emittit, alias hinc inde, licet pecorum appulsu contaminatas, quæsiturus; Virtutem suadens non sequens putatur agere personam præstigiatoris, qui sibi plaudit, quod hominum oculis & mentibus imponat, quod velut ex-

A tra communem sortem positus; de cæterorum libertate iudicio, moribus ludat, falsi peritus artifex. Censetur alios à sensibilibus auertere, vt discussa concurrentium turba, hæc solus possideat æmulis sermone velut magia ligatis Nihil religioni simul & Reipubl. timendum magis, quam si populus aduertat, sibique pro certo persuadeat, esse falsa, & vt freno contineri possit, arte conficta quæ dicuntur. Hinc contumacior vindicabit iudicij vitæque suæ libertatem, insolesces, ridebit deprehensos sibi frustra positos laqueos; in posterum suspicax ne semel deceptus, iterum decipiatur, nullius diuinis humanisque legibus fidem habebit. Hæc opinio perniciosa vulgi mentes obtinebit, si

B prædicantium & præsidentium dictis vita non consentiat; si suadentes & præcipientes austera, voluptuosa sectentur; plus quisque credit oculis quam auribus, & vt tacentem, optimè tamen viuentem imitatur; benè loquentem malè viuentem spernit, ridet, auersatur, conuitiis dirisque lacerat. Melius esset homines solum innatis naturæ legibus formandos relinquere, quam explicitas veritates verbis proferre factis egarne, vnde procedet legum naturalium sicut & positiuarum contemptus, velut omnes fuerint dominantium arte, popularis opinionis vel laborantis phantasiæ vitio confictæ. Idem

C omnibus humanæ vitæ finis, eadem spetanda & sectanda beatitudo, præcedentem itaque sequar, nec credam verbis aliud iter suadentibus Si vita sermoque contradictoria nuntient, vitæ potius credam, quam externo sermoni, cum internus sine dubio vitæ consentiat. Destruit igitur non ædificat sermo, si huic non astipuletur æqua vitæ sanctitas. *Ex Principiis.*

Abbas Ioannes post sanctissimæ vitæ cursum, expetitus à discipulis vt præceptum aliquod præcipuum, velut hæreditarium bonum relinqueret quo ipsum possent imitari. Nunquam, ait, meam feci voluntatem, nec quemquam docui, quod prius ipse non feci. Cassian lib. 5. cap. 28.

D Chæremon senex anachoreta interrogatus à iuuenibus de via perfectionis; sic humilians se respondit; Quomodo docere præsumam quod ipse non facio? Ideo nullum iuniorum mihi permisi cohabitare, ne exemplo meo laxaretur. Nunquam enim erit efficax instituentis authoritas, nisi effectu operis, affixerit cordi audientis. Idem. collat 11. cap. 4

Psallite Domino sancti eius. psal. 29. diuinę voluntati, quam lex & omnes ex conscientia prædicant, concinant opera.

Aperiam in psalterio propositionem meam. psal. 48. psalterium est instrumentum musicum cum humana voce concinens, Id fit, cum

E actiones humanæ sermonibus respondent; doctrinamque exemplo comprobans. D Basil. in d. psalm.

Etsi dictis facta non concordent, multum tamen prodest admonitio. *Vide Medium Virtutis, admonitio.*

Oportet Mercurium per loca consona, & per configurationes aliarum stellarum in natiuitatibus esse fortem, ad hoc quod natus habeat dignitatem. Mercurius enim per se planeta debilis est. Hermes in centiloquio. nu. 14.

Orator definitur vir bonus, dicendi peritus; fuerunt hæc quemadmodum iuncta natura, sic officio quoque copulata, vt iisdem sapientes &

eloquentes haberentur. Scidit deinde se studium, & inertia factum est vt alij eloquentiæ, alij philosophiæ operam impenderent. Quintilian. in præfat. Instit. oratoriar.

In armis seu insignibus, manus hominis significat laboriosum, & opere cuncta implentem.

Necesse est consummatum virum, & eorum quæ sunt contemplatorem esse, & eorum quæ decent, actorem. Plutarch. initio de placitis Philosophorum. Vbi dicit triplicem esse philosophiam, rationalem, naturalem, moralem.

Corpus non tantum habet oculos ad cognitionem, sed etiam pedes & manus ad operationem; non sufficit arbori radix & truncus, oportet etiam esse ramos, vnde pendeant fructus. Ita erimus imitatores Dei, qui factis loquitur. Theodoret. serm 12. de virtute actiua; qui sunt sine bonis operibus, sunt quasi virgines sine oleo. De sapientia cum Religione. *Vide Virtus Cognitionis.*

Sacramentum est signum sacrum, non solum significans, verum etiam infabiliter efficiens rem sacram, sanctificantem homines. Bonacina,

Signum autem melius significat rebus & verbis, quam sine verbis.

Ioannes exercet, quam prædicat pœnitentiam. Magister verus, quod verbo asserit, demonstrat exemplo: docenda faciens, obedientē perficit auditorē, cœpit Iesus facere & docere. Chrysol. ser. 167.

Familiaris Episcopi, qui actu, non denominatione famulatum exhibet *Vide Veritas Concordantia.*

Quid turpius quam sterilem facere sapientiam, quæ mater est fœcunditatis; qui præclara loquuntur & non faciunt, similes sunt insectis qui lucentes habent alas, cum nec mel, nec sericum efficiant.

Rerum ignari spirant magna, & inania faciunt.

Prædicatori, & vitæ & doctrinæ perfectio necessaria, quod si vtrumque non adest, melior est vita, quam doctrina: dulcior quippe est fructus operum quam folia nuda verborum, Petrus Damiani. lib. 8. epist. 1.

Abominatio est Domino pondus duplex, & statera dolosa, Prouerb. 20. qui scilicet aliud ore, aliud operibus prædicant.

Aqua calida, interiora penetrat, & perfectè abluit sic sermo ex charitate *Vide Potestas Virtutis.* vis Virtutis de Abbate Pithyrion.

Qui bene docet, & male viuit aliis prodest, sibi nocet, etiam aliis dum dicta factis impugnat, vt cereus dum aliis lucet se consumit; videtur bonum malo coniungere; lucem tenebris miscere, veritatē mendacio mutare. Prosper. lib 3. sentent. c. 37.

Cœli enarrant gloriam Dei, idest hi qui cœlorum instar sunt à terrenis segregati. Orig. in 1. Genes. homil. 1.

Leuit. 13. leprosus nudas corporis partes habere iubetur, & os solum operire. significat eum qui est in lepra peccati, non habere fiduciam sermonis, & ab authoritate docendi esse exclusum. Peccatori enim dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas &c. Psal. 50. Clausum ergo habeat os peccator, quia qui seipsum non docuit, docere alium non potest, male agendo, loquendi amisit potestatem. Id. hom. 8. in Leuit.

Ezech. 15. vitis est nobilior arborum si ferat fructus, ignobilior si non ferat, est enim lignum eius inutile ad omne opus; sic imbuti eloquiis Dei, si dignos fructus afferant sunt præstantissimi, sin minus, abiectissimi Id. homil. 5. super Ezechiel.

Religiosi ad nullum opus nisi ad pietatem apti.

Prius enim debemus nobis prodesse. *Vide Voluntas Bonitatis.* sibi primum prodesse.

Prophetia fit interdum simul dictis & factis sicut patet Hierem. 13. quod lumbare suum posuit iuxta fluuium ad putrescendum.

FIDES CVM OPERIBVS.

CVretur manus arida vt Marci 3. Manus hominis quæ ab initio ad illicita se porrexit, à bonis se retrahit. Manus carpat fructus dominicæ passionis, affigatur cruci vt ad arborem concupiscentiæ non extendatur. Petrus. Chrysolog ser. 32.

De fide recta Basil. hom. 15. Origenes, D. Tho. q. 14. de veritate Laur. Iustin.

De fide mortua & viua. Bernardin. quadrag. 2. serm. 7.

De operibus fidei Sixtus Bibl. Patr. tom 5. Bellar. to. 4. contro. vlt.

Alioquin duas Moysis tabulas quæ respiciant Deum & proximum colligendo confringunt.

Actus est qui separat & distinguit. Arist. 7. Metaph. tex. 49. actus intrinsecus seu forma, cognoscitur per extrinsecum.

Idem. 4. meteor. cap vlt asserit in cadauere, manum, oculos, &c. esse tantum tales æquiuocè, quia amplius non possunt operari.

Intellectus practicus fine differt à contemplatiuo. Arist. 3. de anima text. 49. practicus apprehendit gratia operis, contemplatiuus propter se tantum speculatur.

Mortiferum gelicidium est, si credatur Deus, & non ametur, Dæmones credunt & contremiscunt, sed non amant, diabolica igitur est fides, credere & non amare. Card. Cusa excitat. lib. 4 c. 4.

Verus fidei habitus assimilatur Deo, sicut radius solaris assimilatur soli. Deus autem trinus est, ita & habitus ille. Nam in eo habitu est principiū, scilicet fides, & ab illa procedit spes, & ab illis charitas sicut radius solis habet in se, principium quia lux, & ab illa procedit illuminatio, & ab illis calor. fides à Patre, spes à Filio, charitas à Spiritu sancto. Id. lib. 5. cap. 58.

Vide Veritas Voluntatis. Rep.

Operatio est vltimus actus operantis; vnde & actus secundus nominatur: frustra est quod non habet propriam operationem, cum omnis res sit propter suam operationem, qua finem suum vltimum consequitur.

Quod sola fides sine operibus non sit sufficiens ad salutem Vide expressis verbis D Chrysost hom. 48. in cap. 7. Ioan. & D August. lib. 2. de peccat. mer. c. 3. 4. & 15. ciuitat. 1. Cor. 6. Nolite errare, neque fornicatores, &c. & Gal. 5. manifesta sunt opera carnis, &c si vis venire ad vitam, &c. Math. 25. Ite in ignem æternum, &c. non increpat deficientes in fide, sed in bonis operibus, &c.

Plinius dicit eas arbores religione damnatas fuisse, quæ neque seruntur vnquam, neque fructum ferunt. Petrus Crinitus de honesta disc. l. 20. c. 5

Actio simul immanens & ad extra. *Vide Differentia Potestatis.* diuersa potentia.

Omnis scientia in Angelis, beatis & hominibus debet esse practica, quia debet ordinari ad amorem Dei. *Vide Virtus Cognitionis.*

Digitized by Google

Vino dediti milites, lingua, quam manu sunt A promptiores, prædam agunt ex sociis, hostibus præda futuri.

Manna vltra diem sabbati asseruatum, corrumpitur in vermes: sermo Dei asseruatus & non sumptus in cibum per bona opera, fit vermis qui corrodit animam, & vermis eorum non moritur. Origen. Homil. 7. in Exod.

Ex sacrificio hostiæ pectus & armus dexter datur sacerdoti, Leuit. 7. quia per eius sanam doctrinam, & exempla bonorum operum peccatores ad Deum conuersi sunt. Id. in Leuit Hom. 5

Duodecim panes qui singulis sabbatis proponebantur ante Dominum, significabant fructus bonorum operum 12. tribuum Israël & erat iugis B eorum commemoratio. Ibid. Hom. 13.

Mutuabitur peccator & non reddet, iustus autem miseretur & commodat. Psal. 36. Mutuatur doctrinam fidei, & non reddit, vtique cum vsura vt Math. 25. Si non habeat opera bona in suam salutem & proximi ædificationē. Id Homl. 3. d. Ps.

Bonum est vt os iusti meditetur sapientiam & alios doceat; Optimus tamen & ille est, qui sapientiam probat actibus, & esse sapiens vitæ suæ probitate cognoscitur. Ibid Hom. 5.

Fides cum operibus est harmonia, vt cytharæ Dauid Saülis dæmonium eiiciens. D. Chrys. Hom. 28. in epist. ad Roman.

Non sufficit in certamen descendere nisi & vin- C cas, non sufficit fidem profiteri nisi eam operibus impleas. vnde dicit Apostolus: Nescitis quod hi qui in stadio currunt, &c. 1. Cor. 9. Id. Homil. 23. in 1. ad Corinth.

Fides sine operibus est vt pictura, inanimis, sensim delenda. Id. Hom. 8. in 2. ad Timoth.

Deus de rebus creatis non tantum speculatiuam, sed etiam operatiuam sapientiam habet, sicut artifex de arteficiatis. dicitur enim Psal. 103. Omnia in sapientia fecisti. & Prouerb. 8. dicit Sapientia cum eo eram cuncta Componens. D. Thom. in prologo Magistri sentent.

Fides formata est cum operibus. *Vide Media Cognitio.* Fides ex Laurentio Iustiniana.

Credere Deum, est credere eum esse; credere D Deo, est credere eum vera dicere. Et hæc duo etiam mali, & dæmones præstant. At credere in Deum, est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & eius membris incorporari. Hæc enim fides est formata charitate. Laurent. Iustin. de fide. cap. 3.

Israël egressus est de Ægypto in manu Moysi & Aaron. Intelligo legem & sacerdotium, opera, & cultum Dei quorum alterum altero indiget, nihil enim prodest & exercere virtutes nisi noueris creatorem, nisi Dei veneratio proficit ad salutem, nisi præcepta conditoris impleueris. D. Hier. fabiolæ de 4. mansionib. Israel.

E

VERA PIETAS ET attentio in oratione.

CAssianus lib. 2. cap. 10. refert cum ad Synaxim & orationem Monachi conuenirent, altum ab omnibus seruari silentium, non sputum emittitur, nō excreatio obstrepit, nulla vox absque sacerdotis precem concludentis auditur, nisi fortè hæc quæ per excessum mentis claustra oris effugerit, dum ea quæ ignita mens in semetipsa non præualet continere, per ineffabilem quendam gemitum, & per intolerabilem spiritus feruorem ex intimis pectoris sui conclauibus euaporeconatur.

Quid est quod homini astare toto tempore liber, & Deo assistere, ne puncto libet, decipere parat inimicus, qui non patitur orationibus communiri. Quid de aduersis queritur, qui sibi prospera non precatur. Audiamus vocem Dei monentem, Math. 26. Orate ne intretis in tentationem. In tentationem vadit, qui ad orationem non vadit. Chrysolog. serm. 43.

Cyrillus Alexāder. scripsit librum de adoratione in spiritu.

Affectiones in oratione. Aluarez. tom. 3.

. De oratione liber Laurentii Iustiniani. De orando Deum. lib. 2. Chrysosth. Nilus Bibl. Patr. to. 5. Gerson. to. 2. in conc. Const.

Officii tempore sedentes. opusculum. Petri Damiani.

Quando magis sumus spirituales & angelis similes tanto sumus aptiores ad orandum. C. Cusa dialogo de annunciationem.

Qui orat, nec attendit est hypocrita.

Hoc est verè colere Deum, adorare in spiritu & veritate, procul amandatis vanis cogitationibus. Ecce nos reliquimus omnia dicebant Apostoli.

Oratio dicta est, quasi oris ratio. Nam orare est loqui & dicere. Est autem oratio contextus verborum cū sensu. contextus autē sine sensu non est ratio quia non est oris ratio. Isidor. Orige. lib. 1. c. 5.

Magnes ad se non alicit ferrum, si fuerit rubiginosum, aut impurum, aut illitum allii, cepæ, rumue succo. Georgius agricola. lib. 5. de natura fossilium. *Vide Minoritas Gloria mortificatio.*

Vide Gloria Principis. Cultus Dei, Reuerentia in templis.

De duplici oratione vocali & mentali. *Vide supra Cognitio Virtutis. Repug. Latens Virtus.*

Naturæ prius cura est 4. de internis quæ vitam animali tribuunt, quam de cute, aut de pilis.

In altari thimiamatis intra sancta sanctorum, nihil licebat offerre præter thimiama.

Modus orandi antiquorum erat per extensionem manuum in cœlum, Tostat. Exo. tom. 1. fo. 60. Leuantes puras manus, inquit, Apostolus; quasi à terrenis abstinentes, cœlestium donorum auidas.

Oramus conuersi ad Orientem, quia noua quotidie & assidua debet lux splendescere, at Iudæi conuertebantur ad Occidentem.

Orantes tenemur nihil aliud petere nisi quod sub oratione Dominica continetur, quia quidquid aliud petitur, inhonestè & carnaliter petitur. Tostat. Math. 3. fol. 79

Orare in monte. Matth. 14. est animum ab infimis euocare, & totum in Deum colligere. Id. Matth. to. 4. fo. 106. Christus solebat ire solus ad orandum. Nam orandi locus est solitudo. Ibid. fo. 83. & 106.

Oratio secundum Damascenum, est decentium petitio à Deo.

In sacrificiis apponebatur thus, vt significaret ascensionem mentis in Deum. Idem. Leuit. fol. 21.

Sic Sophocles loquitur apud Iustinum Martyrem. lib. de monarchia neglecto veri Dei cultu ereximus simualchra malorum solatie. hisque sacrificia & pulcros conuentus peragentes, putamus nos esse pios.

Digitized by Google

Quandoquidem religio omnis sita est in intimis pectoribus, caue ne ore tantum permurmures, vt interiori cultui exterior consentiat; execrantur illum cœlestia oracula qui opus Dei facit negligenter. Si in citharœdo turpe est, aliud ipsum ore, aliud fidibus sonare, multo est turpius, cùm Deo psallimus, aliud linguam dicere, aliud animum cogitare. Lud. Viues.

Religio Christiana adorat Deum in spiritu & veritate. Vide quæ scripsi theol. natur. to. 4. parte. 3. cap. vlt. De attenta & pia oratione à fidelibus frequentanda. moralis Christianæ. to. 1. parte 2. cap. 20. De diuinis officiis à sacerdotibus pié celebrandis. lib. de agente Dei in humanis parte 1. c. 16.

B *Religiosus semper oret & Deum benedicat. lib. de institutione & officiis Religiosi. parte. 2. cap. 19. de attentione in psalmodia Vide Concordantia Differentia psalmodia: frequens sacrarum antorum vsus non ex consuetudine sed ex pietate. Ib. cap. 21.*

Oratio est piæ mentis ad Deum conuersio, fide, spe, charitate subnixa, ad illam duplex est præparatio, remota, scilicet orantis vita laudabilis, propinqua est cum animus ab exterioribus ad interiora reuocatur; ita clauso ostio oramus Patrem; consideremus nos orantes & eum quem oramus; infinitum, immensum, &c. Fiat oratio cum maxima spe & confidentia; petatur quod petendum est, non temporale bonum, quo interdum expedit eos priuari, vt si discipuli petant in scholis ne castigentur. Orationem impedit mala cogitatio, rancor iniuriæ; nec enim nisi dimiseris tibi remittetur. Æternam vitam si ore petimus, non corde desideramus, clamantes tacemus, si verò corde concupiscimus, etiam nihil loquentes clamitamus. Laurent. Iustinian. tract. de Oratio. cap. 4.

C Orationis puritatem iuuant solitudo; dicitur enim, ducam in solitudinem & loquar ad cor eius: iuuat silentium, sedebit, inquit, Hieremias, solitarius & tacebit, & leuauit se supra se; bonum est prestolari cum silentio salutare Dei: libenter enim se infundit verbum expectanti & tacenti; respuit humanam consolationem qui diuinam degustauit. Quies etiam est orationis fomentum; vt immota tantum aqua cœlum refert, sic mens Deum. attentionem iuuat locus secretus. 2. templum ideo consecratum. 3. cor mundum & purum, de quo Apostolus, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Vt perfecta sit deprecantis oratio, debet esse attenta, vt nihil aliud animus cogitet, quam quod petitur; fieri debet cum magnitudine desiderii; continua quantum fieri potest; cum lacrymis & gemitu; orandum humiliter, Deus enim respicit orationem humilium, scilicet de se nihil præsumentium perseuerranter. Laurentius Iustinian. tract. de oratione

D Dicit Propheta Ps. 124. De profundis clamaui ad te Domine, de imo prorsus corde vocem depromè, & proprii cordis contentus arcano, orationem tuam fac esse mysterium. D. Chrys. Homil. 19. in Math.

E Potest quisque parare vas ad liquoris susceptionem, non autem implere: petendi inest nobis facultas, sed petitionum effectus desuper expectandi sunt; adeundi Deum sola cuiusque conscientia ausum præbet si munda est, repellit autem si polluta, &c. Laurent. Iustin. lib. de casto connubio Verbi & animæ. cap. 22.

Intentio deuiat in ociosis ac noxiis, labitur cogitationibus, si Deus in ipsa oratione non quæratur, hoc præcauens Propheta dicebat; Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Optimè quidem congruit, vt Altissimo assistat, qui vota sua exaudiri desidera. Ib.

Pax conscientiæ ad orationem necessaria *Vide Gloria Virtutis* Conscientiæ pax & securitas.

Optimè comitantur orantes Angeli, quoniam orationis instantia quæ purè exhibetur Altissimo, sicut Angelorũ est opus, ita angelicũ deprecantis facit animum. Vnde sancti Angeli non immeritò exultant atque famulantur orantibus, cùm rationales spiritus corruptibili natura vestitos aspiciunt supra cœlorum altitudinem ascendere in spiritu Sic Tobiæ, sic Cornelio, sic Christo adsistere. Id. de triumphali Christi agone. cap. 6

Aliquando datur lex de exercitio actus, vt faciendi eleemosynam, aliquando de specificatione tantum & modo actus, vt si actus fiat, talis modus seruetur, talis est lex attentè orandi, si oratio fiat. Suarez de legib. cap. 1.

Oratio vim habet ex puritate mentis, hæc enim si terrena cupiditate fuerit infecta, non ascendet ad Deum, vt nec ignis in sphæram, cum adhæret densæ hunc in ima deiicienti materiæ. Quamuis oratio non speraret vitę mortalis subsidia, magnũ ex se Dei beneficium est ad thronum maiestatis suæ cum beatissimis spiritibus admitti, æternos splendores carptim, vt fert temporis ratio, delibare; hinc enim accrescit ipsorum amor, rerum mundanarum contemptus, & mens interdum deiformis effecta, vt sanctitatis, sic omnipotentiæ diuinę colorem quendam refert essentialem, quo fit vt ipsi apud Deum & creaturas nihil videatur impossibile. Ter sanctum Deum celebrant Angeli, priusquam Dominum sua maiestate cuncta replentem, vt hinc discamus ex sanctitate nasci potentiam & fœlicitatem; nos enim efficit amicos Dei, & in quandam suam bonorum communionem admittit: potest omnia qui diuino beneplacito conformis, nihil aliud posse vult, quam quod cõceditur, qui quotidie miratur exundantes in se Dei misericordias vota sæpè præuenientes, & si quandoque differantur, miraculis postmodum cõpensari solitas. Spiritus Deus, spiritu vult adorari; spiritu à mortalibus, corporeis, impuris defæcato, spiritu simplici, vniformi, humili. Magnum est quod agitur, Deo supplicare, gratias eius pio mentis habitu promereri; cur cessamus in vota precesque? cur se diuinis importunè, vana, temporalia interserunt? cur nos Deo loquentes, in officio, cur loquentem nobis Deum, ne percipiamus commotæ cogitationes & passiones præpediunt? quid agit in templis, cuius mens, per fora, per theatra, per licita simul & illicita præterita futuraque diuagatur? suum cuique rei tempus assignat sapiens, quod incongrue dilatum vel anticipatum votis non respondet. Orationis tempus est, rebus, cogitationibus alienis detur repulsa, in suam vnitatem collecta mens, Deo vacet, ad infiniti poscendam misericordiam, laudes dicendas, gratias excipiendas angustissima semper, etiam cum se totam Deo totamque sacrauerit; quis in conspectum principis admissus vt fortunæ vitæque suę subsidia postulet, incomposito vultu, gestu, sermone, maiestatem cui supplicare venit, contemnens, offendat.

Distractus nec Deo, nec sibi consentit, & fidem seruat; venit oraturus mente, & hanc obuiis quibusque vanis, etiam reis cogitationibus prostituit, quid mirum si discedat & consolatione vacuus,

penitus aliena; quam quæ intendebat peregit. A Vix appellabo defectum, qui ne momento quidem ascendit, idem in templo qui fuerat in mensa, foro, prophanis turpibusque negotiis, pessima vagæ semper mentis, & vbique peccantis constantia; sic ne frustra populi deuotionem excitabunt, tot impensis ornata templa, sacerdotum psalmodiæ, & ad instar cælestium ordinatæ, fulgentesque cæremoniæ O verè saxeus homo, quem tot diuina non afficiunt; vt inter tot lumina cæcutiat, inter sacros ignes frigeat, fœteat inter thura mens, per proprias cupiditates iacens emortua. *Ex principiis.*

Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Nihil igitur dissoluto animo, nihil incurioso agendum B est. Cæterum si aliquando remissa voluntate, & occupata in res alias cogitatione egerimus, officia quidem corporis in agendo occupabuntur, sed deuotionis meritum per negligentiam non consequemur. D. Hilar. in Psal. 118. Aleph. Confitebor tibi in directione cordis, idest directo, & ad nullam aliam partem deflexo corde est confitendum. Ib.

Iesus ingressus in templum, ea quæ templi non erant proiecit. Deus enim zelotes est, & non vult Patris domum fieri speluncam latronum. D. Hieron. ad Eustochium.

VERA VIRTVS C
contraria carens suspicione.

Seneca lib. 1. contr. 2. lex erat casta è castis, pura è puris sit sacerdos Quædam capta à pyratis, lenoni vendita, à lenone prostituta incorrupta permansit, petit sacerdotium, repellitur. Quid passa sit nescio, quid pati potuerit scio. Non est satis pudica de qua queritur. Sacerdoti ex lupanaribus ancillæ non emuntur.

In vitæ ciuilis commercio alter alterius explorator & censor est, omnium actiones, etiam intentiones exactissime ponderat prudentia vt norit cui potissimum debeat fidem vitium vt sibi quæ- D rat in tutelam & excusationem multos similes; inuidiæ vigil est oculus vt occultos defectus reuelet, qui ad sublimia properantem infami nota deiiciant, ne cæteris emineat. Vnde cum alicuius famam malignus rumor non inficit, argumentum est tersæ, defæcatæ, solidæque virtutis, in quam nihil audet calumnia, nullo cui adhærere possit, apparente mali vestigio. Sufficit ad virtutis probationem, quod nihil in contrarium fama, vel accusator denunciet, nam quisque præsumitur bonus nisi contrarium probetur. *Vide Magnitudo Virtutis.* Ita de Iudith vidua dicitur cap. 8. Non E erat qui loqueretur de ea verbum malum.

Magnus pudicitiæ fructus est. pudicum credi, & aduersus omnes illecebras atque omnia delinimenta muliebris ingenii, est veluti solum & firmamentum in nullam incidisse fabulam; quæ potest non timere opinionem adulteri, potest non timere adulterium. Seneca lib. 2. controu. vlt.

Claudia virgo Vestalis, cum in suspicionem venisset stupri, nauem onerariam cingulo traxit, quam millia homium trahere non poterant. melius tamen cum illa fuisset actum si hoc quod euenit, ornamentum potius exploratæ fuisset pudicitiæ, quam dubiæ patrocinium. D. Hieron. lib. 2. aduers. Iouinian.

Suspicio impedit societatem. *Vide Contrarietas Concordantiæ.*

Ideo vitandum suspectum contubernium. *Vide Differentia Minoritatis.* Suspectum contubernium. ex D. Hieron.

Sic amicum lauda vt nihil trahi possit in malam partem vt quidam cum laudare amicum vellet, dixit: Magnificetis eum, nam etsi eum sui contemnant, vir tamen egregius est. Nam primam partem testatam habuit, secundam quomodo probabit. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 41.

FALSA VIRTVS
hæreticorum.

Leontius Presbyter seipsum castrauit sub specie castitatis, sed vt libere cum Eustolio dormiret, re vera quidem muliere, quam ipse virginem prædicaret. Ideo depositus transiuit ad partes Arianorum, Athanas. epist. ad solita. Socrates. lib. 2. cap. 2. *Vide Minoritas Principij.* Sterilitas.

Plures heretici ieiuniis corpora defatigant, & continentiam patrimoniorum largitione testantur, & pudicitiam virginitate consummant hæc futura sciens Dominus dicit discipulis, Cum venerit filius hominis, putatis inueniet fidem super terram & quia hæc non proficiunt ad sanctitatem nisi expleantur in Christo, idest cum Christi veritate consentiant, in suscepta confessione veritatis, ideo postquam propheta dixit eum ascensurum montem Domini, qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam addit, qui loquitur veritatem in corde suo. D. Hilar. in Psal. 14.

Cernimus nudis corporibus Philosophos algere, ipso etiam coniugiorum vsu magistri abstinent: hæretici sicco panis cibo viuunt, sed quis tandem otiosi huius propositi finis est & profectus? totum hoc inane atque ridiculum est, & cum ipsis superstitionis causis, miserabile. Deo quidem vouenda sunt, contemptus corporis, castitatis custodia, ieiunii tolerantia, sed in Ecclesia, & non extra religionem Dei. Vnde dicitur Psal. 64. Te decet hymnus in Sion, & tibi reddetur votum in Hierusalem. Id. in d. Psal. 64.

Venena non dantur, nisi melle circumlita, & vitia non decipiunt nisi sub specie vmbraque virtutum. D. Hieron. epist. ad Lætam.

Inter monstra marina ex confusione seminum orta, & à natura speciei degenerantia, quædam tamen referunt speciem monachi.

Nix cadens, interdum habet figuram stellæ; & hæc prænuntia est intentioris frigoris. Gresil.

Quando priuilegiatis vt Abbatib. dantur insignia pontificalia, vt mythra, & baculus pastoralis, dantur in honorem, non in amplitudinem officii, & in istis non plus operatur, quam genitalia in mulis, inquit Geminianus in cap. vt Apostolicæ, de priuilegiis in 6.

Circumcisio Abrahæ data est in signum fidei, at non tantum qui erant ex eius genere circumcisi sunt, sed etiam, Ismaelitę, idumæi, & qui ex Cetura, etiam Ægyptii didicerunt ab Israelitis circumcidi; isti omnes habentes signum fidei, tamquam impii à diuina scriptura notantur. Theodoret. in Genesim. quæst 68.

Tyranni habent omnem apparatum, non virtutes Regis.

Theodoret initio contra Nestorium, dicit cum

Digitized by Google

eum suaui primum oratione inanes populi plausus aucupatum; fusca veste indutus, tristis incedens pallore corporis continens videri affectans, libris domi vt plurimum incumbens, ac in ocio & quiete secum habitans. Hac simulatione populum inescans, studensque suæ, non Christi gloriæ.

Falsum Alchimistarum aurum, quod non patitur experimentum ignis. *Vide Veritas Magnitudinis. Repug.*

Dum multa semper audent, multa quoque facere videntur.

Mille officiorum nomina, nulli fermè homines sine titulo, sed multi tituli sine homine; vt Astrologi aram centauro iungũt, sic professioni sacræ multi iungunt mentem impuram; speciem virtutis sufficere putant ad regimen.

Colossi magnitudo solum corporea, sine motu mente, intelligentia. In Hybernia sunt vites, sed ad ornatum sine fructu, quia deficit calor Solis ad maturitatem necessarius.

Qui nomine non spiritu sunt Christiani, qui Deum non colunt in spiritu & veritate, statuis Christi assimilantur, quæ habentes externam figuram Christi, carent vita & spiritu. Cusa. excit. l. 9. 14. imagines autem illæ sunt ligneæ, argenteæ, aut aureæ, aliqui enim sunt insensibiles vt lapides, vegetationi, auaritiæ, ambitioni dediti, &c. Ib.

Adamo post peccatum Deus dicit Ironice: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.

Falsa virtus abducit à principali bono.

Bonum alimentum nodositatem in lignis arborum operit, non tollit. *Vide Finis Minoritatis.* ex Theophrasto.

Olim in statu Democratico mulieres alebant pilos, vt cum suffragarentur, viri esse viderentur, totoque perunćto corpore per diem apricabantur ad Solem, vt virorum instar nigrescerent. Suidas in voce λόγιμαι.

Bracteis aureis inaurantur opera argentea, ęnea, ferrea, trabes, pilulę medicorum; Romani, hostiæ mactandæ cornua; texitur cum serico & vellere, &c. Georgius Agricola lib. 8. initio de natura fossilium.

Multo nocentior est hæreticus bonæ vitæ, & plus in doctrina sua habet autoritatis eo, qui doctrinam conuersatione maculat: qui enim pessimę vitæ est, non facile homines ad falsum dogma sollicitat; est quædam castitas diaboli velut decipula animæ humanæ. Orig. hom. 7. in Ezech.

Ex his sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quę ducuntur concupiscentiis variis. 2. Tim. 3.

Exquisitissimo veneno noxii sunt serpentes, qui ex colorum splendore, ac mixtura formosiores sunt. Sic apud plerosque apparens Religio veste, vultu, sermone laruata, vitiorum est latens receptaculum. Pietas lenonis officio fungitur, dum turpissimis moribus velum obducit.

Non licet Monasteria vel Ecclesias ædificare sine licentia Episcopi, multi enim simulantes fabricare quasi orationis domos, suis indulgent languoribus, ædificatores facti non Ecclesiarum, sed speluncarum illicitarum. Nouell. 67.

Arbori viridi & fructuosæ, sed venenosæ assimilantur hęretici. Tostat. Matth. to. 1. fo. 190. cap. 2. b.

Aqua calida propter essentiale suum frigus extinguit ignem, & citius quam frigida, quia penetrat poros ignitæ materiæ. Sic simulantes veritatem periculosius grassantur.

Christus dicebat Iudæis, super Cathedram Moysi sederunt Pharisæi, quæ dicunt facite, quæ faciunt nolite facere. Nunc receptis peruersis dogmatibus & apparente magna morum reformatione à contrario dicendum est, facite quæ faciunt, his quæ dicunt nolite credere. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Repug. Latens iniuria deterior.

HYPOCRISIS.

Svnt viæ quæ videntur rectę, nouissima autem eorum veniunt in profundum inferni. Prouerb. 16. Et iterum, malignus nocet, cum se commiscuerit iusto. Prouerb. 11. Idest malignus nocet, diabolus decipit, cum fuerit colore sanctitatis obtectus. Cassian. Collat. 1. cap. 20.

Quidam Callias Atheniensis, cum in venis argentariis reperisset arenas fulgentes, putans esse aurum illas excoqui curauit, & inuenit esse minium, hinc ars minii conficiendi. Plin. lib. 33. c. 7.

Vos Cynici nouo genere ambitus, adorationem miseria captatis. Quintil. declam. 283.

Iudæi qui reatu aliquo, vel debitis fatigati, simulant se Christianæ legi velle coniungi, vt ad Ecclesias confugientes vitare possint crimina, vel pondera debitorum, arceantur, nec antè suscipiantur, quam debita vniuersa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati. l. 2. Cod. Theod. de his qui ad Ecclesias confugiunt.

Radicem Mandragoræ, multis constantem capillamentis impostores detractione sic confingunt, vt referat formam hominis.

In fœminis sinistra pars maior, dextra minor, contrarium obseruatur in viris, quod si mas accipiat proprietatem fœminæ, aut fœmina maris, mendacem significat, quia partes mendosum sexum sibi assumpserunt. Albert. Magn. lib. 1. de animal. tract. 2. cap. 2.

Falsi crimen committit, qui fert insignia dignitatis quam non habet. l. eos. 5. fin. ff. de falsis. vt qui se pro milite gessit & eius vsurpauit insignia. Ita non licet opifici, alterius excellentis marcham seu notam vsurpare, quia falleret populum, qui opus hoc charius emeret, quasi ab excellente opifice factum.

Ossa ieiuniis atteruntur, & mente turgemus; corpus despectis vestibus tegitur, & elatione cordis purpuram superamus. Iacemus in cinere, & excelsa non despicimus; doctores humilium, duces superbiæ, ouina facie lupinos dentes abscondimus. D. Greg. PP. in Registro. l. 13. ep. 31.

De iactantia. *Vide Cognitio Virtutis. Mala.*

Generosus equus non æstimatur ex ornatu; nec homo ex fortuna. Vt quidam incontinuè canantes volunt haberi musici, sic aliqui speciem habent non veritatem virtutis; nam quo res est maior & dignior eo plura sunt genera quæ eam sibi vindicent, Stob. serm. 1. ô Deus, vnde fit vt pecunię non virtutis adulterinæ sunt iudicia; simulachra artificiosa & bellè ornata, ad sui quidem spectaculum alliciunt, sed corde carent.

Matth. 6. cũ ieiunatis, Nolite fieri sicut hypocritę tristes, &c. hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis: aduersa cætera impugnant palam, vnde tam facilè cauentur, quã videntur. Hypocrisis

crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum; A ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem euacuat, misericordiam miseratione prosternit; velut hydrops bibendo & inebriata sitit. Fugiendum est vitium, pestilentia cauenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationẽ facit reatum, generat de propitiatione discrimen; thesaurum qui non abscondit, prodit: cum ieiunant, exterminant facies suas; si vult ieiunium, quare tristis; si non vult, quare ieiunus; nec Deo, nec sibi, sed auræ populari laborant, vnde nec debitos virtuti fructus colligunt. Chrysolog. serm. 7. *Vide Veritas Maioritatis Repug.*

Rhodii antiquis statuis nouos vultus nouorũ hominum imponebant. Rupes contecta terris, B quas pluuia facilè detergit.

Itali mortuos vestitos & aperto vultu ferunt in sepulchrũ, mulierũ vultus sic pigmentis ornant, vt mortuę pulchriores appareant, quã fuerant viuæ.

Gramen fert spicas similes tritico, sed sine granis ad nostram nutritionem aptis.

Leuit. 1. iubetur pellem hostiæ detrahere, idest omnem hypocrisim abiicere. Rupert.

Nullus in mundo locus est purus ab hypocrisi; inter mortales enim nemo est, qui non ex aliqua parte fictus, fucatusq; sit. *Vide Voluntas Gloriæ.* Et *Cognitio Minoris.* Abscondere proprios defectus.

Natura in nullo alio differt ab arte, nisi quia natura est principium intrinsecum, & ars est principium extrinsecum.

C Veritas tandem apparet *Vide Potestas Veritatis.*

Ligna iacentia in quibusdam aquis conuertuntur in lapides, & retinent formam lignorum. Albert. Magn. de Miner.

Ligna arcæ Noë debent esse quadrata, foris & intus bitumine linita, tales debent esse doctores, non vt hi qui deforis apparent hominibus iusti, deintus autem sunt sepulchra mortuorum. Matth. 23. sed debent esse corde & opere puri. Origen. hom. 2. in Genes.

Accepta per simulationem & hypocrisim, domino sunt restituenda, vt si quis simulans pietatem mouit ad dandum, quia mendacium illud versatur circa causam finalem, & dominus non D dedit nisi contemplatione pietatis, aliter non dedisset; dominium ergo à se non transtulit, sed rem tradidit tali personæ, sub conditione quæ non subsistit. Bonacin. de contractib. in genere, pun. 11.

Sunt qui erant, sed non videntur; naturam non mutant, sed figuram.

Ægyptiorum templa exterius erant superbè ædificata, intus simia, ibis, cattus, crocodilus colebatur, Rhodig. lib. 16. c. 5.

Ammon Carthaginensis aues cicuras factas articulatim loqui docebat, vt deumillum, postea emissæ, cantilando proclamarent. Verumtamen in E imagine pertransiit homo. Psal. 38. figurã & imaginẽ habet virtutis, non veram sinceramq; iustitiã quæ est Christus, nobis datus iustitia à Deo.

Vide Contrarietas Veritatis. Hæretici falsarii.

Omnis iustitia simulata, mortua iustitia est; sicut homo mortuus videtur quidem homo, sed non est homo, sic & mortua castitas, nec castitas est, sunt quidam Martyrii, Ecclesiasticę scientiæ vel doctrinæ simulatores tantũ personas & ostentationem virtutum habentes, verè autem sunt inimici earum virtutum quas simulant. Orig. tr. 25. in Matth.

Si Sathanas ipse transfigurat se in Angelum lucis; non magnum est si ministri eius transformantur velut ministri iustitiæ. 2. Cor. 11. Nihil tam diabolicum est, quam ad ostentationem aliquid efficere; vt mali sibi iustorum famam pariant. D. Chrysost. hom. 24. in 2 Cor.

Mali latitant in bonorum societate. *Vide Media Virtus.* in bonorum societate aliqui mali.

Nihil diabolo scelestius. Ita vbique infructuosis laboribus suos obruit, ac dilaniat: non solum præmiorum compotes esse minimè sinit, sed etiam supplicio nouit obnoxios facere; non enim solum prædicationem, sed etiam eiusmodi ieiunia ac virginitatem ipsis iniungit; quæ non modo premiis sit illos priuatura, verum etiam magnam calamitatem iis, qui ipsam amplexi fuerint, inuectura. D. Chrysost. hom. 2. in epist. ad Philip.

Sanctitas simulata duplex est iniquitas, inquit Hieronymus, & licet sanctitatem possint simulare Religiosi absque hypocrisi, quia pertinet ad eorum statum, tamen superabundantem sanctitatem simulare peccatum est. Tostat. Matth. to. 4. fo. 23. & 130.

Planeta malè dispositus cum Ioue, extremum virtutis, quod vitium est, pro virtute significabit, vitia verò ipsa augebit in immensum. Card. Apho. sect. 4. Aph. 36.

Hypocrisis est à Ioue, cum Marte in tertia, vel Venus peregrina in nona, vel Sol in tertia.

Ad bonum regimen non sufficit ficta & apparens virtus. Vide quæ scripsi Theol. natural tom. 4. parte 1. cap. 6. Superstitiones in Republica non sunt tolerandæ. Moral. Christ. tom. 1. parte 2. cap. 26. similiter nec fucatæ deuotiones. Ib. cap. 28.

Simon post Christum crucem portauit, sed cum illo mori non meruit, tales sunt qui professionem sanctitatis confitentur exterius, & à virtutis habitu alienantur interius, &c. Laurent. Iustin. de Christi agon. c. 16.

Otia & Sabbata vestra odit anima mea. Is. 1. 13.

Viderunt eam hostes & deriserunt Sabbata eius. Thren. 1. 17.

Mendaces filii hominum in stateris. Psal. 61. sub iustitiæ scilicet nomine iniusta peragentes; mendaces, quia & alios & seipsos fallunt, spes suas ponentes in iniquitate, vnde addit Propheta: Nolite sperare in iniquitate. D. Hilar. in Ps 61.

Nunc sub religionis titulo exercentur iniusta compendia, in vitro & patella fictili aurum comeditur, & honor nominis Christiani fraudem magis facit, quam patitur, plenis sacculis moriuntuř diuites, qui quasi pauperes vixerunt. D. Hieron. ad Rusticum Monach.

Aliud est virtutem habere, aliud virtutis similitudinem: aliud est rerum vmbram sequi, aliud veritatem. Multo deformior illa superbia, quę sub quibusdam humilitatis signis latet. Id. epist. ad Celantiam.

Sępe laus dum vitatur, appetitur. *Vide Cognitio Virtutis. Repug.* Latens Virtus. ex D. Hieron.

Idem de vitando suspecto contubernio sic describit virginem sub honestatis specie lasciuam. Palliolum interdum cadit, vt candidos nudet humeros, & quasi videri noluerit, cælat festinè, quod volens detexerat. Et quando in publico quasi per verecundiam operit faciem, lupanarium arte id solum ostendit, quod ostensum magis placere potest.

Google

FALSVM NOMEN virtutis.

CAssis quando est fœminini generis, dicitur significare armaturam corporis, & quando masculini significat recte, vnde versus.

Casse meo venor, nunc armor cassida clara Tostat. 1. Reg. to. 2. fo. 3. c. 2. arma pertinent ad viros, doli ad mulieres.

Rem duplicem, cuius altera pars ad virtutem feratur, altera habeat cum improbitate cognationem, vno homines nomine amorem appellare, eodem scilicet modo, & Deum & morbum nuncupant. Sic impuritati suæ fucum inducunt. Maximus Tyrius serm. 8

Vigilantius talis dicendus est per antiphrasim, nam dormitantius rectius diceretur. D. Hieron. ad Ripatium aduersus vigilantium.

Pelagius librum Xysti Pythagorei, hominis Ethnici, immutato nomine Sixti Martyris & Romanæ Ecclesiæ Episcopi prænotauit, in quo disserit iuxta dogma Pythagoricorum qui hominem exæquant Deo & de eius dicunt esse substantia; itaut qui volumen Philosophi nesciunt, sub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. D. Hieron. ad Ctesiphontem aduersus Pelagium.

Adulantes vitiis imponunt nomina virtutum. *Vide Concordantia Potestatis. Mala.* Adulatio.

Interdum res denominantur à contrario; vt lucus quia vmbra opacus minimum luceat. Isidor. Orig. lib. 1. cap. 28. Manes, idest mites & modesti, cum sint terribiles & immanes. Parcæ & Eumenides, idest furiæ, quod nulli parcant, vel benefaciant. Id. cap. 36.

Tyrannus quidam sæuissimus, filialibus suis virtutum nomina indidit. Plutarch. lib. 2. de virtute & fortuna Alexandri.

Naues quibus inditum est nomen victoria, vel fœlicitas, non minus quam cæteræ in mari periclitantur.

Quædam domus & vrbes prioris domini fortissimi nomen retinent, cum in ignauorum possessionem peruenerint fortitudinis habent frontispicium. Hæretici fidem Catholicam, consiliorum Euangelicorum obseruationem impugnantes vsurpant nomen reformationis. Cardanus lib. de methodo medendi in præfatione dicit Arabes malis versionibus linguarum innitentes in nominibus rationeque morborum peccasse, medicamenta mutasse, & membris hominis, nec formam, nec situm, nec numerum sanum reliquisse.

Basiliscus serpens etiam visu necans hominem vt nocentes stellæ Algol, cor Scorpii & aliæ dicuntur regiæ.

PIGMENTA VVLTVS, fucus.

DE quodam qui canos capillos tinctura obliterabat, dictum est, quod ipsum puderet senectutis, & quod recta non esset dicturus, qui mendacium non in anima solum, sed capite quoque circumferret.

A Agni Dei cerei à Pontifice consecrati, non sunt auro, minio, alioue colore pingendi, alioquin incurritur excommunicatio. Bonac. in. 1. præc. decalogi. Ridendi sunt qui naturam virilem transformant in muliebrem. Philippus Macedo pater Alexandri ab officio remouit Antipatrum quem capillos & barbam fucasse animaduertit, qui in pilis, inquit, infidus est, eum ne putes in rebus gerendis esse fide dignum. Suidas in voce Leontius.

De his qui capillos iam canos pingunt vt mentiantur ætatem, dicitur.

Tam subito coruus, qui modo cygnus eras.

B Leonem bracteatum Seneca intelligit peregrinis excultum ornamentis & naturali destitutum generositate, quoniam gloriari nemo nisi suo debet. Rhodig. lib. 13. c. 8.

Rex Persarum barbam habet auream, iis qui harumrerum sunt periti, veluti subtegmine, illius pilis auri laminas inuoluentibus sed iacet tanquam monstrum. D. Chrysost. hom. 7. ad Coloss.

Vbi fucus est, ibi turpitudinis formæ præsumptio est, ideo sacra Scriptura non vtitur ornatu Rhetorico, vt præsumptionem falsitatis effugiat. Tostat. Gen. fol. 11.

C Fucus aliquando ponitur ad tollendum aliquam turpitudinem, & hoc non est illicitum, sed non licet ad ostendēdum pulchritudinē. D. Thom. 2. 2. q. 196. a. 2.

Fucis vtuntur mulieres non tantum in animæ, sed etiam in corporis detrimentum; vis adolescentula videri, at ea res senium accelerat hac re quasi formosam gloriari te posse putas, hac tibi non paruum dedecus affertur, non solum æquales, atque amicas, sed conscias ancillas, & scientes seruos, cum vides erubescis, & multo plus, cum te in speculo videas. Quod potissimum est, Deū offendis, modestiam suffodis, zelotypiæ flammam incendis, prostituta scorta imitaris, igitur hac deformi formositate omissa, pulchritudinem in animis comparate, quam Angeli concupiscunt. D. Chrysost. hom. 31. in Matth. in fine.

D Impudenter reformare tentant opus Dei, & peccato peccatum adiiciunt dum laqueos carnales tendunt ad capiendas animas, & accendendum ardorem libidinis, reæ tot criminum, quot excitarint cupiditates. &c. Laurent. Iustin. opusc. de humilit. cap. 11.

Ebrii, phrenetici, somniantes, interdum piè decipiunt.

Vide Minoritas Veritatis. Mala. Mendacium.

D Hieron. ad lætam de instit. filiæ. Caue, inquit, ne cerussa & purpurisso consecrata Christo ora depingas, nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris.

Ornatus ille non Domini est, velamen istud Antichristi est: qua fiducia erigit ad cœlum vultus quos conditor non agnoscit? Idem epist. ad Furiam.

E Erubescat mulier Christiana, si naturæ cogit decorem, si carnis curam facit ad concupiscentiam, in qua Christo placere non potest; si tota die, quid sibi desit, quærat ad speculum. Idem ad Marcellam, de ægrotatione filiæ.

In contumeliam artificis conatur pulchrior esse, quam nata est. Id.

Senes argenteos capillos in aureos mutant, vt ætatem mentiantur, sed flaccidum vultum non possunt mutare.

Digitized by Google

PIGMENTA VVLTVS dedecent Christianam.

DEMONSTRATIO.

PVlchritudinem & ætatem ascitis coloribus mentientes, pecant duabus potissimum de causis. Primò quod studium suum probet esse circa corpus, velut ex ea minima sui parte se norint, & velint æstimare; spirituali neglecta. Secundo videri volunt, & alienis oculis placere, eo mentis affectu pessimo quo passim insolescit vanitas, tumet superbia, luxuria negotiatur. Quis Christianam mulierem probet addictam sensibilibus, alienasque cupiditates sollicitantem. Cum dicat Apostolus, Si hominibus placerem, Dei seruus non essem. Acceptum à Deo conseruationis beneficium infitiatur, quæ facie per ætatem marcescente, iuuentutis florem simulat, velut temporis omnia depascentis iniurias, extra mortalium sortem posita non senserit. Mauult videri iuuenis quam senior, idest pulchra quam sapiens, forte quia nondum sapit, & lasciuientis ætatis vitia retinens vultum conatur imitari. Sed, ô ridicula vanitas! pueritiam, adolescentiam, annorum seriem ex diuersis vitæ casibus obseruarunt, totius ciuitatis oculi, & his putas illudere? vetus ædificium etiam ruinis reparatis, noui decorem non obtinet; ars nulla vinum adolescentis pulchritudinis splendorem æquat, & mortuum restituit. Licet frontis vultus quæ sulcos impleat cerusa, licet minio rubeant genæ, flaccescentes tamen concidunt, os turpiter hiat, fœtet, contorquetur, hebescunt, collachrimantur conscij tantæ desolationis oculi & figuræ vultus sic in senium dilabenti, puerilis color indecentissimus accedit. Risum mouet quæ frustra tentat videri quæ non est, & doctis omnium oculis imponere animum vt vultum mendacem, sine fructu, & honoris tantum sui dispendio profitetur. Rapit cunctos mortales torrens temporis contra fluxum hunc frustraquisque nititur, damni solatium est æqualitas. Deletus est per ætatem decor, quem sæpius castitas se doluit habuisse, quem velo texit, & vrgente periculo fœdauit vulneribus. Flores qui maturè cita vim cadunt, proximos prænuntiant fructus, & annorum decursu marcescens pulchritudo, monet transferendos mores ad seria virtutum opera, vt eorum fructus mens à corpore soluta colligat in cœlo. Natura progreditur ad id quod melius est, flores excutit propter fructus nascituros, & Deus decorem corporeum in spiritualem, hic tandem in beatum æternumque post ætatis definita tempora commutat. Non vult igitur abiectis vanitatibus menti vacare, ad infinitæ pulchritudinis excipiendos splendores præparari quæ vultus tantum, sensim depereuntis curam agit. Speciosus forma præ filiis hominum Christus Dominus, voluit à Iudæis faciem suam sic sputis, colaphis, sanguine fœdari, vt in ea nullus superesset decor, sed horrenda leprosi species. Sic oportuit eum pati & deformari, vt sibi nobisque gloriosam resur-

A rectionem mereretur. Patiamur saltem, in nobis sensim à natura deleri, quod in domino vis tormentorum excussit, nec dura videtur deformitas, quæ fuit in Christo proximus ad gloram & æternos humanitatis suæ splendoris gradus. *Ex Principiis.*

Bulla Gregorij 13. prohibet Agnus Dei minio vel quolibet alio colore vel auro infici, sed eos mundos & puros agnum purum & innocentem repræsentantes. Bulla an. 1199.

FALLAX PHISIONOmia.

B ARistocrates electus fuit Rhodiorũ princeps propter venerandum aspectum & pœnè terribilem, vnde visus est dignus imperio, sed spe sua frustrati sunt, Nam cum ad res gerendas tanquam ad ignem ventum esset, instar adulterini numismatis expectationi hominum de se non respondit. Suidas in voce Aristocrates.

Sæpè non res habent, sed duntaxat rerum titulos pharmacopolarum loculi, & ea nominum vanitate solatur inopiam suam artifex pharmacis destitutus. Subeleganter variegata pelle nocentissimum venenum abscondunt serpentes.

C Angeli in corporibus assumptis de aëre, quamuis videantur habere oculos, nasum, aures, nec vident, nec audiunt, nec odorantur. Tostat parado. fo. 66. c. 4. K.

Cum corporis decore sæpè turpis est animus, & in pulchro hospitio hospes deformis.

De physionomia *Vide Supra Cognitio Virtutis.*

Vt simulachra & idola, os habent & non loquuntur, oculos habent & non videbunt, &c.

AFFECTATIO MALA.

D MAteria propria baptismi est aqua naturalis & qui aqua artificiosa licet magis pretiosa vteretur, vt aqua rosacea, peccaret. Bonacin. de Sacram. disput. 2. q. 2. *Vide Maioritas Medij.* & idem de pasta amygdalina & cæteris delicatis quæ non sunt materia coonueniens Eucharistiæ; sed tantum panis vsuarius. Id. de Eucharistia q. 2.

Vide Minoritas Cognitionis. Nimia eloquentia.

Plantarum aliæ viuere nequeunt sine cultura; quales sunt vrbanæ, aliæ syluestres cultum nullum patiuntur, sed eo deteriores redduntur, vt abies, pynaster celastrus. Sunt & quæ loca frigida, niuosaue adamant, sic in herbis capparis, lu-

E pinum; homo autem omnium maximè vrbana species est. Theophrast. hist. plantar. lib. 1. c. 6.

Cupressus nullo pacto fimum, nec aquam concupiscit, sed etiam emori dicitur si copiosè nouella adæquetur. Id. lib. 2. c. 8.

Vide Minoritas Bonitatis Bona.

In cornis, & sorbis & cæteris quæ culturam non patiuntur syluestria vrbanis sunt maturiora, & suauiora: quod autem mitigari recusat, vt etiam inter animalia est, id natura syluestre iudicandum Id. l. 5. c. 3.

Arbor thuris, omnem penitus cultum aspernatur. Id. l. 9. c. 4.

Digitized by Google

Attici rebus turpibus pulchra accommodant A nomina, vt simias vocant pulchellas, furias Eumenides idest benignas Suidas in voce

Pisander ex Rhodo vsus est triplici crista, & armis insignibus vt fortis videretur, cum non esset. Idem in voce ... Simia purpurata, quę qualis sit, apparet.

Quanto magis falsa sunt quæ fiunt, tanto plura solent fieri Tacit. Ingeniosior ad excogitandum adulatio veritate, seruitus libertate, metus amore. Plin. secundus. affectant omnes copiam pudore defectus. quem intra se probat conscientia, nunquam videtur satis, quod factum est.

Ea die qua natus est Cicero, Virgo Romana in Apuliam pergens icta fulmine nuda iacuit discussis vestibus, calceamentis, annullis, omnibus ornamentis, equusque eius pari modo frænis & cingulis peremptus iacuit dissolutis. sinceram sine fuco, & affectatione vitiosa viri eloquentiā significauit hoc prodigium, Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 12. cap. 1. *Vide Bonitas Veritatis*. bona veritas simplicitas.

Qui delectare volunt sub arte artem abscundunt, & naturam imitantur.

Affectatio sermonis nimia oratori vitanda *Vide Maioritas Gloria*. nimia delectatio.

Gratiæ depinguntur nudæ, vt signifficetur ad acquirendum amorem necesse esse vt cor appareat candidum, purum, absque vllo fictionis & affectationis velo. Vera quippe amicitia, inimica est non minus verborum, quam actuum, pompæ & affectationis plenorum.

GLORIA VIRTVTIS.

VIRTVTIS REMVNERATIO HONESTA vel vtilis.

IN plantis succum facit odorificum, vis caloris in ipsum, & quod conuenienter digestum est, fit aromaticum. Albert. Magn. lib. 2. de vegetabiab. tract. 1. cap. 3. quod autem corruptum est fit fœtidum. Ib.

ApudDeum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio approbatur 23 q. 4. can. sicut excellentiam, quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis acquiritur regnum Dei cap. ad aures de temporib. ordinatio; & non qui maior est, sāctior est, sed qui sanctior est, maior est c. multi. dist. 40. verus honor ex virtute *Vide Veritas Gloria*. Ideo boni auersantur dignitates *Vide Voluntas Potestatis. Rep.*

D. August. de ciuitate Dei refert Romanos virtutem & honorem pro Diis habuisse, illisque templa constituisse, itaut non posset perueniri ad templum Honoris nisi per templum Virtutis.

Viri deuoti honorantur propter inhabitantem Spiritū sanctum; sicut capsella propter reliquias. Ideo Tobias honorat & Salmanazar.

Qui Reipublicæ beneficium contulit debet publicis vocibus laudari, ne bonum quod fecit, silentio videatur incognitum, l. vn. c. de quæst. & magistris officiorum. lib. 12.

Textor in sua officina. numerat 49. viros excellentes qui in suum virtutis præmium statuas meruerunt.

Multi genere ignobiles, virtute ad summas dignitates perueneruut, *Vide Gloria Minoritatis* humilitas exaltata.

Si laudes virū, quia diues; hoc fortunæ debetur; si quia fortis ægritudine debilitatur, si quia nobilis, non ipsum, sed parentes laudas, si quia pulchet, morbo & senectute deturpatur, sed si laudes quia sapientia & virtute ornatus, tunc ipsum B virum laudas. Thus Deo, honor virtuti tribuatur.

Leges sapientum causa positæ sunt, non vt iniuriis abstineant, sed ne eis afficiantur. Epicurus.

Aristot. 3. Politior 9. excellentibus virtute in ciuitate dicit sponte parendum, itaut tales pro Regibus habeantur.

Exercitatio cibos debet præcedere. Hipocr. aphor. 28.

De mercede & pœna liber Philo. Iudæi.

Priuilegium, est vel gratuitum, vel remuneratorium, quod concedit alicui ratione meritorum ipsius vel alterius, interdum ex conuenti one vel ex C lege sic decernente. *Vide Maioritas Potestatis* priuilegium.

Sancti hic degentes, vel mortui, nondum in numerum sanctorum ab Ecclesia relati possunt coli & adorari cultu priuato, imagines eorum in domib. haberi, inuocari, feriatos dies in eorum honorem facere; vocari beati & sancti, sed abstinendum à cultu, in Ecclesiis, altaribus prædicationibus, litaniis, & officiis in eorum honorem f. ctis. Bonacin in 1. præcept Decalogi.

Si boni s beneficia & officia non debetur, duplex oritur malum, & quod mali abutuntur beneficijs & quo d qui sunt digni, ob repulsam indignati, D fiant hostes.

Quædam dari & retineri etiam honestè possunt, At quidquid meritis debetur si non redditur, non tantum sordidi animi est, sed iniusti.

Petrus Damianus lib. 5 epist. 12. probat homini Dei bona opera non esse deferenda, vt per humilitatem fugiat honorem externum quem inde percipit; non enim id intendit, sed vtitur honore vt medio, quo maiorem in rebus exequendis habet authoritatem & facilitatem, Ita Christus se & suos commendabiles efficit per miracula.

Digitized by Google

A M. Cato ex nouo homine factus Consul; nam se virtute non genere pop. Romano commendauit Cicero in Verrem.

Difficilia, & longè à nobis posita sunt maioris virtutis, vt medicamenta ex mineralibus arte chymica extracta; stellæ fixæ, Saturni & superiorum planetarum virtus validior; sagitta longius mittitur, cum arcus corda magis in contrarium tenditur. ex alto maior vis, aquæ minerales, cæteris remediis inexpugnabiles morbos soluunt.

Deut. 25. Non alligabis os bouis terentis in area fruges tuas. Nam vt ait Paulus. 1. Cor. 9. propter nos hæc scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare.

B Seruch à tribu Iapheti ortus idolatriæ fuit autor Vetustas enim homines virtute præstantes imaginibus & statuis ornandos censuit, & honorandos vt bene meritos. Suidas in voce seruche.

Gladiatores emeriti rude donati, habebant immunitatem à gladiatoriis & publicè alimenta capiebant. Rodigin. lib. 11. cap. 11.

Præbenda est ius percipiendi reditus Ecclesiasticos ratione diuini officii, cui quis insistit. tot. tit. de præbend. & dignitat. Introductus prębendæ vsus, vt qui in Ecclesia debitum seruitium præstat, ab eadem Ecclesia pro dignitate & officio sufficienter sustentetur, qui enim altari seruit, de altari viuere debet. can. ex his 12. q. 1. can. Ecclesiasticis. 12. q. 2.

Vide Æqualitas Bonitatis, & Æqualitas Voluntatis.

C Numer. 27. Moyses moriturus petit à Deo ducem populi, non eligit aliquem ex suis vel fratris sui filiis: discant Ecclesiæ Principes sibi non consanguineos, sed virtute præstantiores eligendos. Origin. Homil. 22. super Numer.

In ordine charitatis, seu in ordinata charitate proximis exhibenda, ii sunt præferendi qui virtute excellunt. *Vide Maioritas Voluntatis.*

Homo virtute præditus est maior Angelo, quia talis ex libero arbitrio & animi instituto, tales autem natura sua facti sunt Angeli. D. Chrys. Hom. 10. in epist. ad Ephesios.

D Sicut parentes quando fecerint vt filii viuant ex virtute, tunc etiam eis dant mercedem, sunt enim debitores quod eos constituerunt in voluptate. Ita etiā Deus. Id. Hom. 2. in ep. 1. ad Thessal.

Sicut culpæ redditur duplex pœna, vna quæ comitatur ipsam culpam vt est conscientiæ remorsus; alia quæ infligitur à iudice Deo vel homine; ita duplex est præmium respondens merito, vnum quod comitatur ipsum actum meritorium, vt ipsa delectatio boni operis & similia: aliud quod pro bono opere redditur à Deo, vel homine, vt gratiæ augmentum; tandem vita æterna. D. Thom. in lib. 2. sentent. dist. 27. a. 5.

E Idem quodlibet 1. a. 12. quærit an prædicatori liceat habere oculum ad terrena, & respondet, non licet velut ad mercedem & præmium, sic enim venale fieret Euangelium; sed licet vt stipendium pro necessitate sustentationis vitæ, ita dicit D. August. Necessitas est accipere vnde viuitur, charitatis est præbere, non tamen venale est Euangelium pro his: si enim sic vendunt magnam rem, vili vendunt; accipiant ergo sustentationem necessitatis à populo, mercedē dispensationis à Domino.

Commoda certaminum creditor iure hypothecæ non vindicat. l. 5. C. quæ res pign. oblig poss. sacra sunt commoda ex sacris certaminibus, & obligari non possunt conuentione priuatorum. Cuiac. in Nouel. 53.

Omnis actus meritorius vitæ æternæ, est etiam meritorius bonorum temporalium. Tostat. in Genes. fol. 107. c. 2. a.

Rhetorica præsupponit Grammaticā, quia non est pulchrum sine recto. Id. Gen. fol. 5. Non est laus sine virtute.

Qui fert onus sentit commodum. *Vide Media Bonitas.*

Gręci sacrificant optimis viris, quorum virtutes prosequuntur honoribus, calamitates autem obliuionibus delent. Maximus Tyrius. serm 38.

Dignitates virtute præditis sunt conferendæ. Vide quę scripsi moral Christ. to 3. parte 1, cap 23. Virtuti debetur remuneratio. Io. cap. 25. & Theolog natur. to 2. parte 1. c. 41. 42.

Honore se inuicem præueniant Religiosi lib. de institutione & officiis Religiosi. parte 3. cap. 19.

Cum vana sint vt plurimum mundanorum gaudia, fallacia, & saltem vsu in senectute deficientia quę virtus affert intima, solida, perpetua sunt, & in ipso certaminis tempore conceduntur coronę. Nam qui pecunias aspernatur, non paruam hic etiam accipit mercedem, omnis curæ, inuidiæ, calumniæ, insidiarum expers; qui modestè ac pudicè viuit, etiam hic non paruo animi gaudio fruitur, ab omni turpitudine, periculis, reprehensione liber, vt igitur pręsentibus & futuris bonis fruamur sectemur virtutem. D. Chrysost. Homil. 68. in Math.

Canonizatio requirit morum virtutem in eo qui pro sancto colendus est in terris & miraculorum testimonium. Greg. 9. const. 4. Bull. pag. 85. to. 1.

In eleemosynarum distributione virtute præstantiores sunt præferendi. vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ. parte 2. cap. 4.

Equus generosus diligentius curatur, quam alius, sic canis.

VIRTVS AB HOSTIbus honorata.

PHilistiim captiuam arcam Israel posuerunt in templo, cum Deo suo Dagon. 1. Reg. 5.

Gloriosum est vel inimico iudice, comprobari.

Vitium adeo est manifestum, vt omnes eius sint accusatores, etiam ii qui ipsum vsurpant. Tanta autem res est virtus vt in admiratione habeatur, etiam ab illis qui eam non æmulantur, nam & scortator laudabit temperantiam; auarus non condēnabit iustitiam, iracundus admirabitur patientiam, &c. D. Chrysost. Hom. 24. in epist. ad Hebr. *Vide Voluntas Virtutis*

Danielem & tres alios pueros, adorabat idem Rex qui abduxerat in captiuitatem. Ibidem. Homil. 26.

Errores Patrum, sunt defectus luminarium quæ deinceps non minus lucent. D. August. lib. 6. de baptismo honorifice loquitur de S. Cypriano licet malè senserit hæreticos esse rebaptizandos. Plato, licet Poetas de sua Republica ableget, Homerum extra ciuitatem cum honore deduci iussit, vittis prius albis redimitum, & effuso in eius caput vnguento pretiosissimo.

Apud Gothos summa fortitudinis laus erat posita in duello, in quo victus non carebat honore, illi namque victor supremæ humanitatis ex-

hibebat officia; liuorem fato, simultatemque funere sopiebat. Olaus Magnus lib. 5. cap. 25. A

Idem lib. 36. cap. 45. refert exempla multorum Principum qui hostibus suis deuictis & occisis magnificum honorem sepulturæ exhibuerunt.

Math. 8. Christus leprosum quem sanauit, remisit ad sacerdotem, vt probaret an vere sanatus esset. Voluit miraculum suum etiam sacerdotum sibi offensorum testimonio probari. D. Chrysost.

Christo Pater cœlestis dixit, Dominare in medio inimicorum tuorum, quod fit cum sancti sui ministri coluntur à mundanis. *Vide hoc titulo, cultus sanctorum.*

Sæpè contigit virtutem ab hostibus honorari, nam virtus est habitus vitæ morumque directiuus secundum rationem, quę cum sit essentialis homini, commune speciei bonum præualet hostilitati, quæ contigit per accidens, & cuius sortem occultæ fortuitæque causæ moderantur. Viri fortes ad certamina publica vel singularia feruntur, gloriæ potius, quam odii vel iræ stimulis acti, at glorię prima pars est congredi cum prudentia, fortitudine, heroïcis actibus hoste celebri, quem victorem pati tolerabilius est, victum habere præstantius. Ita famæ suæ propriæ consulunt, qui laudant hostem, cui pares initum iam certamen effecit, superiores sperata proclamabit victoria. Emicat potissimum hæc virtutis in hoste veneratio, cum infœlicem belli sors effecerit, & extincto cum vita liuore, cineribus debitus honor exhibetur. Fortis miseratus sui similis casum parem sibi cogitat imminere, cum res prosperas in contrarium momento fortuna versauerit; sic ęquitate naturali defuncto reddit honorem, quem in simili casu à suis vel exteris optaret. Nec laude sua vacat hic actus pietatis, hunc enim simul cum defuncti meritis latè fama celebrat. Heroas istos sympathica virtus, geniique paritas conciliat & amicos efficit, hos tantum in contrarias partes diuiserat Reipublicæ suæ, cui se totos deuouerant causa, hæc igitur cum finita sit Martis iudicio; liberos relinquit affectus, etiam post vim diu sibi factam, effusos. *Ex principiis.* B C D

Seneca lib. 10. controuers. in prooemio de Labieno oratore loquens. Magnus inquit orator, ad famam ingenii, confitentibus magis hominibus peruenerat, quam volentibus. Magna autem debet esse eloquentia, quæ inuitis placeat, & inter obstantia erumpat. Nemo erat quin eum homini omnia obiecerat, ingenio multum non tribueret.

Etiam mali approbant, & in exterioribus imitari conantur virtutes Christianas. *Vide Veritas Virtutis.* Ex D. Hieron. & in *Repug. Falsa Virtus hæreticorum.* E

FAMA BONA.

Gloria est clara alicuius cognitio & extensio nominis cum laude, quando quis à multis cognoscitur, & ab omnibus laudatur. Tostat. 2. Paral. 114.

Vide Bonitas, Potestas, Voluntas Glorię, Honoris.

Vt anima est tota in singulis corporis partibus, vt lux momento per totum aerem diffunditur; odoris suauissimi suffitus ad longe distantes perueniunt; vt sydera licet distantia miramur, sic eminentis virtutis fama ad omnes peruenit.

Nihil est quod ita vitam hominis citò obtenebret, aut illustret, sicut Pontificalis autoritas; citò fit vel bonus odor Deo, vel rumor in populo: quędam gemmæ splendidiores sunt in obscuro quam in luce: quidam ante dignitatem, quam post, melius fuisset illis sub modio latere, quam super candelabrum constitui, priuato peccanti sępè parcitur, si prælatus deliquerit, in eius infamiam omnium linguæ acuuntur, &c. Petrus Blesens. epist. 15.

Famæ post mortem cupido. *Vide Voluntas Durationis.*

CVLTVS ET FESTA Sanctorum.

Honorantur Sancti propter honorem Dei, qui dedit illis hanc gratiam, & quia ei fideliter seruierunt. 2. quia pro nobis intercedunt. 3. quia spem dant nos posse eandem gloriam consequi. 4. quia prouocant nos ad imitationem suarum virtutum. 5. quia lætantur de nostra conuersione, lętari debemus de sua glorificatione. 6. nostra interest fratres nostros, fœlices effectos sic colere. Vide Chasseneum catalogi gloriæ mundi parte 3. consideratione 22. Honorantur à Deo vt amici, & per eos facit miracula, & ideo à nobis vult honorari. Nam honorandus est is quem Princeps honorat. *Vide Principium Glorię.* Princeps.

Valentinian. & Theodos. iubent festa 12. Apostolorum celebrari l. omnes Cod. de feriis, sed potissimum Ecclesiæ assentiendum, quæ talia festa decreuit. Vide apud eundem. Chassenæum. dicto loco.

De festis diebus. Bellarem. tom. 2. contr. 4.

De gloria sanctorum. Gennadius. cap. 4. conc. Florent. Biblioth. Patr. to. 4.

De sanctis. Bouer. to. 1. demonst. 7.

Adoratio est exhibitio reuerentiæ propter excellentiam illius cui exhibetur. D. Th. 2. 2. quæst. 8. a. 1. Actus adorationis propter excellentiam creatam dicitur dulia, & quia vna creatura potest esse altera perfectior, excellentiori debetur adoratio quæ dicitur hyperdulia, vt B. Virgini Bonac. in 1. præc. Decalogi vide supra hoc titulo. *Gloria Virtutis.* remuneratio virtutis.

Canonizare, est canonicè & regulariter statuere vt aliquis sanctus honoretur pro sancto, puta solemne officium pro eo fiat, sicut pro aliis fit sanctis, canonizationem præcedit de vita & miraculis diligens inquisitio can. miramur. dist. 91.

D. Paulus. 1. Corinth. 11. arguit eos, quod in diebus festis vigeret ebrietas, & tunc maximè quando non fieri oportet.

Celebratur dies festus, non vt nos indecorè geramus; non vt peccata congregemus, sed vt quæ sunt tollamus. Id. Mensa regia es exceptus, repletus Spiritu S. duxisti choros cum Seraphim, fuisti socius supernarum potestatum, ne abiicias tantam lætitiam, ne effundas thesaurum, ne inducas ebrietatem matrem animi ægritudinis, lętitiam diaboli, quæ mala parit innumerabilia. D. Chrysost. Hom. 27. in 1. ad Corinth.

Imperatorum periit memoria, Christi, Apostolorum, Sanctorum etiam nunc gloriosa sunt sepulchra innumeris miraculis celebria; Constantinum magnum in vrbe Constantinopolitana sepeliuit in piscatoris vestibulo, quodque Imperatoribus sunt in aulis ianitores, hoc in Apostolorum sepulchro sunt imperatores, quibus vestibuli ianua assigna tur. Id. Homil. 26. in 2. ad Corinth.

Non offendunt quemquam quod ante sanctorum imagines lucernaria suaueolentia, thymiamata accendantur. quoniam honor ad Christum recurrit. D. Hieroni. lib. 2. epist. 2. *Vide Gloria Medij.* Honor minstri.

De honore & cultu sanctorum. Vide quę scripsi theolog. natur. to. 4. parte. 3 cap. 14. Festa piè celebranda. lib. de agente Dei in humanis. parte 1. B cap. 7.

Quare in commemoratione mortis Christi lugemus, & lætamur in die mortis sanctorum. *Vide Concordantia Gloria.* Congaudere.

S. Bonifacius Papa Romæ expurgauit Pantheon diis omnibus dicatum & consecrauit. B. Mariæ & omnibus sanctis, cum annua solemnitate, vt quidquid fragilitas humana per ignorantiam aut negligentiam in solemnitatibus sanctorum minus plenè peregisset, in hac sancta obseruatione solueretur. Alcuin, lib. de diuinis officiis cap. 32.

Vide Gloria Finis. Honor sanctorum reliquiis exhibitus.

Honoramus reliquias martyrum; vt eum cuius C sunt martyres adoremus, honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum qui ait, qui vos suscipit, me suscipit. Iudæi sunt qui corpora mortuorum pro immundis habent, ergo Petri & Pauli immundæ sunt reliquiæ? ergo & Domini corpus in sepulchro positum, immundum fuit? Si non sunt honorandæ reliquiæ martyrum quomodo legimus Preriosa in conspectu Domini mors sanctorum eius? si ossa mortuorum polluunt contingentes, quomodò Elisæus mortuus, mortuum suscitauit, & dedit vitam corpori, quod iuxta Vigilantium iacebat immundum: ergò omnia castra Israelitici exercitus & populi Dei fuerunt immunda, quia Ioseph & Patriarcharum corpora portabant in solitudine, & ad sanctam terram im- D mundos cineres pertulerant. Et quid passi sunt Apostoli, vt immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent? D. Hieron. ad Riparium adu. Vigilantium.

In transitu sanctorum quare lætatur Ecclesia. *Vide Concordantia Gloria.* Congaudere.

Sancti lapidibus pretiosis comparati à Leone 10. in const. 3. p. 408. to. 1. eorum festa celebranda. Pius. 5. const. 5. §. 7. p. 135. to. 2. Bullarij.

REMVNERATIO virtutum in cælo. E

DE sanctorum præmiis sermo D. Chrysost.

In vigiliis Sanctorum obseruantur ieiunia & austeritates, sic enim compatimur malis quæ passi sunt in hac vita, spe possidendi idem præmium in altera. Petrus Damiani. serm. 8.

Exod. 1. die sexto colligi debebat duplex mensura mannæ quæ sufficeret etiam die Sabbathi. Sextus dies est hæc in qua nunc sumus in vita; in sex enim diebus Dominus fecit hunc mundum. Hac ergo dictantum reponere & recondere debemus, A quantum sufficiat & in futuro die. Si quid enim hic boni operis acquiras, si quid iustitiæ, misericordię & pietatis recondas, hoc tibi in futuro sæculo erit cibus, quod enim seminauerit homo, hoc & metet. Origen. Hom. 7. in Exod.

Rectè dixit Iob, Si bona recepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? vtraque citò finiuntur, at opulentiæ finis inutilis erit, nisi fuerit in eleemosynis impensa, tribulationum autem tolerantia in fide, & cum gratiarum actione æternę gloriæ hæreditatem præparat in cœlo. Id. lib. 2. in Iob.

Qui hominis cœlestis portauit imaginem & fuit cœlum, in cœlum ibit. *Vide Finis Differentia.* Reditus in sua principia.

Habebitur illic omnimoda & perfecta rerum omnium cognitio. *Vide Magnitudo Cognitionis.* Scientia vniuersalis ex origene.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Roman. 5. maximum donum quod nos Angelos ex hominibus, Dei filios, Christi fratres efficit. Quod si nollet magnis nos coronis post labores donare, nunquam ante ipsos labores, tot tantaque donasset bona; cum bonorum fontem cumulatè & plena manu in nos effuderit ante ipsa certamina, ne igitur desperes habens magnum patronum, iudicis dilectionem. D. Chrysost. Hom. 9. in epist. ad Roman.

Sicut Christus resurexit, sic nos in nouitate vitæ ambulemus Rom. 6. hæc in gratiam resurectio est alterius sequuturæ prœmium, vita pristina deleta, noua & Angelica regnante. Ibid. Hom 10.

Olim figuræ crucis corona laurea imponebatur manu è cœlo protensa: Casallius de veteri ritu Ecclesiæ.

De perfecta in cœlis gloria. *Vide Magnitudo Gloria.* De eius perpetuitate. *Vide Duratio Gloria.*

Non est omnium miserrimus homo, qui cæteris rebus naturalibus plus affligitur, conferunt enim hæc aduersa ad finis sui consequutionem, morum emendationem, virtutum exercitia, tandem glorię fruitionem. Iustinus Martyr, qu. 124. ad orthodoxos.

Vide Virtus contrarietatis.

Virtus sibimet non est satis ampla remuneratio, sed diuina iustitia vult eam gloria condigna compensare. Vide quæ scripsi Theolog. natur. to. 2. parte. 1. cap. 41. 42. & Ibid. to. 3. parte. 3. cap. 6.

Seruum sibi fidelem quisque remunerat vel viuens donatione, vel moriens legatis aut hæreditate, & putas Deum summè bonum sibi fideliter seruientes irremuneratos saltem in alia vita relinquere. D. Chrysost, Homil. 13. in Matth. sub finem.

Nunc saturatur qui esuriuit, fruitur corona iustitiæ, & lęta decantat, sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri. O beata rerum commutatio! fleuit, vt semper rideret, despexit lacus contritos, vt fontem Dominum reperiret, prius vestita cilicio, nunc dicit, Scidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia; pane lachrimarum saturata, meruit panem Angelorum, gustat & videt quàm suauis est Dominus. D. Hieron. ad Eustochium in Epitaphio Paulæ matris.

QVIES VIRTVTIS post labores.

TRansiuimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium. Ps. 65. hoc dicunt sancti martyres.

Lex fuit antiqua, qui ter fortiter fecerit militia vacet. Nullus iam tibi nisi per cicatricem vulnus imprimi potest. Optimus virtuti finis est, antequam deficias desinere, dicit hoc pater petens fortis filii vacationem, apud Senec. lib. 1. contr. 8.

Vide Gloria Durationis: quies senectutis. Et *Gloria Medii*. Ministri.

Dionysius India superata, veteranos milites militia postmodum exemptos heroas vocauit, vnum ex illis Indiæ Regem constituit, cæteris, alimenta, honores, immunitates tribuit. Vide historiam apud Æneam Syluium epist. 126. similiter Augustus, Theodoricus Gotthorum Rex, Carolus Magnus, veteranis seu heroibus stipendia, honores, coronas, armillas aliaque priuilegia concesserunt, & vt rei postulati, non nisi ab ipsomet imperatore iudicarentur, si quadregenarii decennium militassent. Ib.

In Concilio Matisconensi III. ca. 1. inuitantur Christiani ad celebrationem diei Dominicæ post septimanæ labores nullus, inquit, vestrum litium fomitibus vacet, nullus causarum actiones exerceat, estote omnes in hymnis & laudibus Dei animo corporeque intenti. Ipse est enim dies requietionis perpetuus: ipse nobis per septimæ diei vmbram insinuatus noscitur in lege & Prophetis: iustum est vt hanc diem celebremus, per quam facti sumus, quod non fuimus; fuimus enim ante serui peccati, sed per eam facti sumus serui iustitiæ, vt nos vacantes à terrenis, Deus nos ad cœlestia prouehat, &c.

De alterna requie necessaria. *Vide Bonitas Gloria*, quietis. De recollectione magnatibus necessaria. *Vide Gloria Potestatis*.

Apes ex boum cadaueribus nascuntur; dulcedo ex labore.

Num. 33. filii Israël peruenerunt in deserto ad mara; ad amaritudines & hinc venerunt in Helim, vbi erant 12. fontes aquarum, & septuaginta duæ arbores palmarum. Vides quomodo post amaritudines tentationum, amœna te loca suscipiant. Non quod finis iam sit itineris & perfectio cunctorum, sed dispensator animarum Deus in ipso itinere interserit laboribus etiam quædam refrigeria, quibus refota anima & reparata promptior redit ad reliquos labores. Origen. hom. 17. super Numer.

Dæmon in aliqua tentatione superatus ab homine, de eadem non amplius illum tentat, vel non nisi post multum tempus. Tostat. Matth. to. 1. fo. 246. c. 4. g.

Dulcior est fruitio rei quæ obtinetur magno desiderio & labore. Idem Matth. to. 4. fo. 108.

Sabbatum apud Iudæos, & dies Dominica apud nos significat quietem nostram in Deo, consummatis omnibus laboribus huius seculi. Idem Exod. to. 1. fo. 186.

Pretiosa iustorum mors, tanquam finis laborum; victoriæ consummatio, vitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressus. Laurent. Iustin. tract.

A de iustitia cap. 4. *Vide Voluntas Finis*. Mortis.

Transiuimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium. Ps. 65. ad pacem per patientiam peruenitur; finis patientiæ pax est.

In ædificatione templi omnes lapides prius tundebantur, ne in illorum aptatione sonus mallei audiretur: nec in horreo domini ponitur granum, donec flagellis aut pedibus sit excussum. Id de patientia cap. 3.

Vide Contrarietas Principii. Initii. bona sub initiis austeritas.

Noë saluus à diluuio, immersabilis est vera virtus, medio in ponto portum inueniet.

B Zorobabel templo absoluto, diu vixit nihil egit, minora agere noluit, maiora non potuit, nam satis egit qui Deum recipit.

Nautæ post tempestatem quærunt portum in quo resarciant fractam nauem, scissa vela; milites sua habent tentoria in quibus post certamen reficiantur.

Sicut post vehementes imbres, mundus aër ac purus efficitur, sic lacrymarum pluuias serenitas mentis sequitur atque tranquillitas, & sicut ex aqua & spiritu, sic rursus ex lacrymis & confessione purgamur. D. Chrysost. hom. 6. in Matth.

Qui seminant in lacrymis in exultatione metent. Psal.

C *Vide Duratio Virtutis*. Exercitatio in acquirenda virtute.

Existentias & actiones omnes, certis natura limitibus circumscripsit, vt vltra progredi, seque proferre, sit non vitabilis ad interitum lapsus; quantumcumque valida fuerit constitutio corporis atteritur labore, ne vlterius procedat, lassitudinis dolore, vitium defectione castigatur, & si quid amplius tentare cogit vis exterior, vel improba cupiditas subita morte solet damnari, vt apparet in equis, quos sessoris impatientia nimium exagitauit. Eadem est totius vitæ ac singularis actionis ratio, nam exercitatione diuturna virtus obscuram artubus lassitudinem inducit, vt idem quod olim efficere vires non ferant, non præstare pudor sit. Huic pudori parcendum, ad extrema non debet adigi virtus, vt quæsitam tot egregiis facinoribus gloriam, ob fortunæ vel naturæ

D defectum, turpi conclusione commaculet. Labem hanc concessa publicè quies præueniat. Illi concedatur secessus, in quo quietè videat, probet quę fecerit, & hunc salem laboris sui fructum colligat. Veteranis honesta missio concessa milites omnes alit spe similis vel maioris præmii, quod aliquando pericula sua meminisse dulce futurum sit, & extra fortunę casus positos, sui cæterorumque spectatores fieri.

Indictio est periodus quindecim annorum qua euoluta emeriti milites, quindem honesta missione, & capitationes immunitate impetrata, si vellent, soluti militia libere abire poterant, si nollent maioribus priuilegiis augerentur. 8. Kal.

E octo. cum colligitur fructus.

QVIES PRÆCEDENS externas virtutis actiones.

SAturnus qui significat vitam contemplatiuam, est ante Iouem, Martem, Solem, qui significauit actiuam, dicitur Iouem generasse. *Vide Gloria Potestatis*. Secessus. Abbas Pastor nunquam extra

Mmm

Digitized by Google

Moyses prius fuit in deserto, quam in populi regimine, Dauid prius pastor ouium, quam hominum. D. Hieron. ad Rusticum.

Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris. Ps. 126.

Pascere greges honorabilis erat occupatio tempore Patriarcharum. Tostat. Exod. to. 1. fo. 13. cum hæc solitudo præpararet animos ad maiora.

Cretenses dicunt Minoem legis latorem suum in antro Iouis per nouem annos delituisse, Deo magistro ad ediscendas politicas artes, quas daret populis. Maxim. Tyrius serm 21.

Vide Duratio cognitionis. Mora.

Vt Christus per tres annos mundo se manifestaret, per 30. annos vitam duxit absconditam, & hanc longam nos docuit ad actiones externas præparationem.

B Christus antequam prædicaret ductus est à spiritu in desertum; vt prædicatoribus daret exemplum recessus præuii. Tost. Matth. to. 1. fo. 127.

Sacerdos nouiter consecratus septem diebus recludi debebat in custodiis Domini, octaua autem die ministrare. Leuit. 9. quoniam septem sunt à quibus Pontifices & alii Sacerdotes consecrati abstinere debent, scilicet prolixitas dormitionis, voluptas comessationis, inutilitas actionis, multiplicitas distractionis, vanitas confabulationis, veritas fictionis, vilitas affectionis; à quibus septem cum se recludentes abstraxerint, octauo die, idest, post hæc ministrare poterunt. Idem Leuit. fo. 71.

C Vt suos Dominus ad tolerandas passiones accenderet, ante eorum oculos voluit transfigurare se, vt ex recordatione gloriæ libenter portaretur pœna. Laurent. Iustin. de patientia. cap. 6.

Enoch translatus, quid agat quæris, orbis spectator, orbi spectaculum parat, Pseudo-Christum perempturus.

Ioannes Baptista vix vtero egressus, solitudinem ingressus, quod loqueretur tacendo didicit. Nemo diutius infans fuit, nemo altius egit factus vir. *Vide Maioritas Durationis. Mora.* Quæ excellunt tardius perficiuntur.

D Vt naturalis hominis vita, sic spiritualis incipit à quiete & somno.

Siluit & latuit Christus vsque ad maturam ætatem, quamuis posset sine redargutione loqui & agere. Vniuersos docere voluit vt secum prius commorari discerent, secreta Dei mysteria intelligerent, diuinam legem perficerent opere, Dei ac proximi caritate feruerent, priusquam exeant foras. Laurent. Iustin. in fasculo amoris. cap. 11. Christi passioni proximus in monte Oliuarum, prius dixit discipulis, dormite & requiescite, quà, surgite & eamus. Agnoscant se fideles in quietis otio, antequam ad exteriorum tumultus foras prodeant. Id. de triumphali Christi agone cap. 7.

E Sedent discipuli congregati orationi vacantes, priusquam accipiant Spiritum sanctum, & ad prædicationem Euangelii dispergantur.

Nullum opus est priuatum aut publicum, vnde virtuti debita præmia sperari possent, quod multis non sit septum difficultatibus, quas vt prudendentia caueat, vel fortitudo superet, primum & necessarium est præuidere. At subitus hostilitatis occursus, mentem terret, & inopem efficit consilii, cum fortitudinem exigit. Si res magnæ, velut dignitates suscipiendæ sint, illustribus titulis sic blandiuntur ambitioni, vt in his splendida tantum, non laboriosa videre soleant inscii, seque negotiis implicant, quorum onus nec valent sustinere, nec auersari, sine publica turpitudinis & infamiæ nota. Necessarium igitur est rebus & animis integris in secessu negotiorum suscipiendorum conditiones omnes, onera commodaque solerter explorare, his vires suas sincero amicorum etiam conuocato iudicio, metiri, nec vt sufficientes habere, nisi maiores inuenerit, actiuum enim passo debet esse potentius, & animus negotio, quod versare debet, validior. In his malo timidum quam audacem, qui plus veretur, magis sibi cauet, plura conquirit ad rectitudinem operis subsidia, vt nullum vel exiguum casibus locum relinquat. Antiqua fuit ducum industria, militem etiam ardentem, à conflictu continere, donec irritata dilationibus feritas, tandem dato classico impetu maiore ruat in hostes, vt in campos confractis repagulis aqua, cuius solitos fluxus obstantia præpedierant. Sic vbi se cæteraque probauit animus, sibi fidens optat ea, in quibus se liberius explicet negotia, gaudet enim & impatiens moræ fidens, securusque, quod benè scit, vult fortiter exequi, etsi cætera desint, vt se probet & experiatur. In secessu perlegit gentium omnium historias; facti rationes diuersas, in diuersis temporibus expendit; & iterum ad noua naturam fortunamque prouocat, experimentum suicapturus; in contraria suum arcum inflectunt Sagittarii, vt fortius impellat, retrocedunt saltu magnum spatium emensuri, retrogrados imitantur planetas, qui postmodum directi, fœlicius influunt; sic in solitudine consiliis saginatæ mentes, ardentius & opportunius in concupita veniunt negotia. *Ex principiis.*

Sapiens natura nunquam præceps, prius intimæ virtutis ponit fundamenta, quam ad externos actus se proferat, & in speciei concessam altitudinem nitatur, glans prius mittit radices quam caulem hunc [herbaceum, postea ligneum. *Vide Duratio Magnitudinis, Duratio Virtutis.* Non statim à prophanis ad sacra. Et *Duratio Maioritatis.*

Saturnus supra Martem eleuatus facit natum fortem & pinguem, contra vero debilem. Hermes centiloquii num. 6. contemplatio præcedit actionem.

Sacerdos imponit capiti suo amictum antequam accedat ad altare, postea celebraturus aperit caput.

QVIETA ET SOLItaria virtus.

IN aliud tendere quam in Deum, & tamen propter Deum, non otium Mariæ, sed Marthæ negotium est, quæ huiusmodi est, nihil [quidem habet difforme, sed ad perfectum decoris non peruenit, quia adhuc sollicita est, & turbatur erga plurima, & non potest terrenorum actuum vel tenui puluere non aspergi, quem tamen intentio recta cito discutiet. D. Ber super Cantica.

Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine. Ps. 54. non fuit contentus exire, nisi & longè se faceret, & quiescere posset, abdicatis non solum concupiscentiis, sed earum phantasmatibus, vt inueniat locum secretum, quietis, luminis, habitaculum pacis. Ib. serm. 52.

Surge amica mea, iam hyems recessit, imber abiit. Cant. 2. Imber est aqua hyemalis à cœlo fugiens, in terram corruens, in multas guttas se diuidens, lutum generans, itinerantes impediens, significat curas temporales, quæ impediunt iter ad æternitatem. D. Bonau. de 7 itiner. ætern.

Deus non nisi vacuæ & in seipsam contractæ illabitur menti; non auditur interna vox eius, inter populi clamores, passionum tumultus, &c.

Tres sunt animæ potentiæ diuersis locis ad diuersa munia constitutæ à Deo, tamen ad conuictum, velut ciuitatem quandam; principem ipsum ac ciuitatis consultorem constituit in arce, solumque illi munus ratiocinandi assignauit: alteram animæ partem in qua vigor, efficacia, explendis principis mandatis impenditur; tertia pars, multitudo petulans, referta cupiditatibus, non regit, sed regitur. Prima Monarchiæ, secunda Aristocratiæ, tertia Democratiæ potest comparari; talis est contemplationi vacantis dignitas. Sine terræ marisque periculis, animus vniuersum excurrit, fertur in cœlum, minimum abest quin vna cum Deo cuncta gubernet atque ordinet, agendorum Idæam legesque cæteris daturus; ex Maximio Tyrio serm. 6.

Ignis extra propriam sphæram non potest esse sine aliena materia. Sapiens sibi solum sufficit in solitudine, extra alienis indiget auxiliis.

Manna non cadebat intra castra, sed extra. Tostat. Exod. to. 2. fo. 131. per noctem, & non per diem, tunc cum cessat actionum tumultus. Sic multis Prophetis consueuit fieri reuelatio de nocte. Id. Gen. 278.

In sacrificiis ex volatilibus, mandauit Deus vt nihil secaretur, aut ferro diuideretur; Id tantum fiebat in aliis sacrificiis ad notandum duo genera humanæ vitæ, scilicet actiuum, & contemplatiuum, quod non debet diuidi & distrahi per externas occupationes. Id. Leuit. fo. 15

Sanctum in sacris litteris, tantum valet, quantum separatum. Ib. fo. 50.

Sancta solitudo exprimit mortem & sepulturam Christi, vt possit anima resurrectionis suæ fieri particeps; exprimit etiam vitam 30. annorum Christi absconditam.

Arca facta fuit, vt ponerentur in ea quæ Deus conseruari mandabat & non erant necessaria ad ministerium quotidianum, & huiusmodi erant tabulæ, & vrna, manna, & virga Aaron quæ fronduerat. Tostat. Exod. to. 2. fo. 21.

Aqua fontis in multos riuulos dissipata puritatem amittit, etiam absumitur, collecta tantum multis visibus fit vtilis; ita mens si passim diffunditur vim amittit, in ea quibus adhæret, transformata, at collecta saliet in sublime & congruam habebit principio suo & origini altitudinem. D. Gregor. Nyssen. orat. de virginitate cap. 7. Deum non diligit ex toto corde qui illud partitur rebus externis. Ib In regno Noruegiæ prope insulam Farensem, mons est eminens in oceano, quem nauigantes Monachum appellant, habet enim naturali suo situ, & incisione partium præsertim verticis, cappam contextam, imò & proprietatem, vt omnes in dira tempestate ad eum confugientes tutissime susceptos consoletur. Olaus Magnus lib. 2. cap. 5.

Officium ignis est quidem accendere, consumere & separare, non tamen quippiam producere: cum non sit diues semine, ipse destructor seminũ ignis ex hominibus autem procedit omnis generatio. VanHelmont blas humanum. Ideo Vestales virgines ignem perpetuum fouebant.

Quiescentes quorum studia semper debent vnioni diuinæ bonitatis per internam exercitationem intendere his quatuor virtutibus præfulgeant. 1. Abrenuncient per paupertatem voluntariam omnibus temporalibus vsu & affectu. 2. Gulæ appetitum per virtutem sobrietatis restinguant. 3. Vtroque composito homine in profunda Dei & sui cognitione per humilitatem se collocent, vt opificis æterni munera absque sui præiudicio recipere queant, sic 4. perueniant ad orationem, contemplationem, & eam quæ hic haberi potest Dei fruitionem. Laurent. Iust. tract. arbor vitæ. initio.

Saturnus debilis redditur in locis luminarium & Martis. Cardan Apmh. sect. 4. Aph. 13. solitarius se non fœliciter externis immiscet.

Venus multum opponitur disciplinis & eruditioni, nec vincitur nisi à Saturno. Ib. Aph. 102.

Sunt alii Angeli, quam hi qui mouent cœlos Vide quæ scripsi Theolog. natural tom. 2. parte 2. cap 6. De hominibus ad solitudinem & vitam tranquillam natis. Moral. Christiana tom. 2. parte 1. cap. 6. Vita tranquilla præstantior est. Ib. cap. 7. Vita ciuilis periculosa. Ibid. tom. 3 parte 1. cap. 3. Religiosi etiam S. Francisci non obligantur victum sibi quærere labore manuum, lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ parte 2. cap. 9. & seq.

De meritis & excellentia eorum qui procul à negotiis soli vacant contemplationi Ibi. parte 3. cap. 6. & to 2. cap. 12. & 13 Religiosus sæcularibus etiam familiæ suæ negotiis se non immisceat, lib. de institutione & officiis Religiosi, parte 2. cap. 7. & 8. maximus sit solitudinis amator. Ibid. cap. 9. etiam in cœnobio debet esse solitarius. Ibid. parte 3. cap. 7 8. Non se immisceat rebus regiminis ad quod non est vocatus Ibid. cap. 10. nec rebus quibuscumque externis sine speciali obedientia. Ibid. parte 4. cap. 2.

Vide Concordantia Æqualitatis. Repug. de nimio parentum amore Religiosis vitando.

Van Helmont refert historiam mercatoris Belgæ qui in Canaria montem cum comitatu & viatico necessario, ascendit altissimum, itinere trium dierum, peruenit ad cacumen, in quo arenæ sole, immotę, & seruantes characteres ab anno, tanquam recenter impressos, nullus enim illic ventus, sentitur tantum suauis aura fluens, sed ibi nullum vegetabile defectu pluuiarum. Grata quidem, quieta sed sterilis contemplatio.

Solitaria virtus est ne conceptus spiritus conuersatione dissipetur & externorum mixione alteretur. *Vide Concordantia Differentiæ.* Exteri in regimen non admittendi.

Ideo discipuli esurientes fricant spicas in die Sabbati, in quo notatur vtilium sententiarum discussio, quæ mente quieta diligentius procuratur. Sic Ezech. 46. porta atrii interioris quæ respicit orientem, clausa est sex diebus in quibus opus fit, die autem Sabbati aperitur, qui enim à terrenis vacant, spiritualium notitiam facilius assequuntur. Vacate & videte, &c. Petrus Blesen. ep. 9

Clericus fideiussionibus inseruiens, abiiciatur. Can. 20. Apost. non tamen si id fiat pietatis causa. glossa Ib.

Corona Clericorum & Monachorum denudans caput, significat vitam puram, simplicem, animæ

denudatum à vitiis, spoliatum affectu superfluitatum, apertum & expeditum ad diuinas inspirationes facilè percipiendas. Glossa in epist. Anicet Papæ.

Per diem sol non vret te, neque luna per noctem. Psal. 120.

D. Hieron. inuitans Heliodorum ad vitam Eremiticam, Interpretare, inquit, vocabulum monachi, hoc est nomen tuum, quid facis in turba qui solus es. Quid agis frater in sæculo qui maior es mundo. O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni regis extruitur! O eremus familiarius Deo gaudens! Id. epist. ad Heliodorum.

Ioannes Baptista ne in domo parentum cum periculo viueret castitatis, viuebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere. Filii Prophetarum, (quos monachos in veteri Testamento legimus) ædificabant sibi casulas propè fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, polenta & herbis agrestibus victitabant. Id. epist. ad Rusticum. Vnusquisque suo sensu ducitur, mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est quid desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur. Ib.

Pudet dicere, de cauernis cellularum damnamus orbem. In sacco & cinere volutati, de Episcopis sententiam ferimus. Quid facit sub tunica pœnitentis regius animus. Id. Marco Presbytero.

Vide Differentia Principij. Separari à suo principio bonum, de sybilla & *Concordantia Maioritatis.* Societas potentiorum periculosa.

Inquire pacem, & persequere eam. Ps. 33. Inquire pacem quem Dominus se dicit dare; inquire procul à passionum, & rerum mundanarum tumultu; para tibi mentem tranquillam, statumque animæ vnum, procul etiam à falsis mundi opinionibus vt consequaris pacem Dei, quæ exuperat omnem sensum, corque custodit: qui pacem quęrit, Christum inquirit, quoniam ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, pacificans cuncta, &c. D. Basil. in Psal. 33.

Aqua ex se limpida turbatur ventis, & puluere, securius est instar passeris montes petere, procul à laqueo venantium. In solitudine inuenitur scala Iacob ad cœlum pertingens, & videntur Angelorum castra. Illic Moyses Deum vidit & legem accepit; Illic Elias placuit Deo; illic Christus orauit, &c. Vide D. Basil. epist. ad Chilonem discipulum.

Vt oculus hinc inde continuò circumactus nihil potest aptè discernere, ita nec mens curis humanis exagitata. Id.

Dies est tempus corporum, nam luce & præsentia solis excitantur ad actionem. Nox autem est tempus spirituum, quia silente mundo, & quiescente corpore, liberius vacant contemplationi. Paracelsus. tract. 4. Philosophiæ.

Hermes & alij diuinationi studentes in desertis degebant, vt liberior anima à phantasmatibus exteriorum, & à passionibus puros cœlestium influxus exciperet. Albert. Magn. lib. 3. de somno & vigilia. tract. 1. cap. 5.

Vide Virtus Differentiç. Virtus in secessu.

Animalia enim gregalia, tempore partus ab inuicem separantur ita solitudinem quærunt, qui Deo & proximorum vtilitati spirituales fœtus sunt edituri.

Nocte, cessante mundi strepitu, dulcior apparet musica.

A Aër omnis in tranquillitate, seu regio quælibet, quieta & tranquilla citius accenditur, & validius inflammatur.

Qui sedet dicitur magis honorari, quam stans Bald. in l. quoties. Cod. vbi senatores vel clarissimi. Vnde quilibet etiam in dignitate constitutus, causam agens debet stare coram suo iudice: qui recumbit, dignior est, quam qui ministrat. Luc. 22.

D. Gregor. PP. in Registro. lib. 1. epist. 67. cum audisset Ioannem Abbatem plurima habere negotia monasterii, hortatur vt illa externa committat curæ pii Domini. Expedit enim, inquit, paruo incommodo à strepetu causarum, seruos Dei quietos existere, vt & vtilitates cellæ per negligentiam non pereant, & seruorum Dei mentes ad opus Domini cum liberiores existant. B

Maximam habet tranquillitatem animus à negotiorum anxietate feriatus, suis secum viuens consiliis, qui vitæ fontem inturbidum ac defæcatum habens, actiones omnes suas hilaris, velut aspirante numine celsus semper erectusque profert Plutarch. lib. de tranq. animi.

Qui multum agit, plurimum peccat; iucunda res est ei, qui malos mores odit solitudo. Obliuiscimur nos esse mortales, & ad breue tempus viuere. Solitudo non fortuitos sed veras animi diuitias acquirit, & similes efficit Deo. Ideo prima Deorum templa fuerunt in lucis & locis solitariis.

C Contemplantes sunt quasi in patria, cæteri velut exules. D. Grego. in Ezechielem, dicit quod actiua vita seruitus, contemplatiua libertas vocatur. *Vide Minoritas Differentia.* Non mutare locã.

In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos. Matth. 19. Fœlix regeneratio, quando enim renascar ad sessionem miser homo, natus ad laborem! O si vnquam federem totus, cuius modo ne minima quidem pars sedit, in quo nihil tranquillum, nihil quietum, sedatum nihil, nihil vnquam in eodem permanet statu. &c. D. Bern. ser. de bonis deserendis.

D Stola sacerdotis significat vincula Christi, sacerdos contemplationi vacaturus illam fert collo impositam, Diaconus verò vno humero, quia debet vacare vitæ actiuæ. Sic non æquè fert iugum Christi.

De clericorum solitudine. D. Cypr. to. 3. De eremitica via liber Petri Damiani. D. August. to. 1.

De vita solitaria. liber Laurentii Iustiniani. D. Bernard. ad fratres de monte Dei. Hieron. epist. 1. Basil. to. 3. Pint. to. 4.

De substantiis separatis. D. Thom. opusc. 15.

De vita beata. Ambros. lib. de Iacob.

De vita contemplatiua. Aluarez. to. 1.

Quieta auris accipiet à Deo grandia. Climac. scal. grad. 27.

E Sapientes agriculturæ dediti, vt procul à negotiorum, inuidiæ, aulæ tumultu, plus seipsos quam agrum colerent.

Arsenius orans Deum, vt ostenderet ei viam per quam posset saluari, audiuit vocem dicentem, Arseni, fuge tace, quiesce.

Etiam in angusto domicilio habet monachus quò fugiat, scilicet in cellam & intra se.

Rufinus de sanctis monachis loquens ait Commanent per Ægypti eremum dispersi, & separati cellulis, sed charitate connexi. Ob hoc autẽ diuiduntur habitaculis, vt silentii quiete & intentione

diuinæ sectantes; ne vox aliqua, nec ocursus vllus, aut sermo aliquis otiosus obturbet. Quidam in eremo sine vllis tabernaculis viuunt, nullo vnquam loco certo consistentes, ne ab hominibus visitentur.

Israelitis tantum in deserto existentibus lux cœlestis affulsit, & monacho tantum solitario. Petrus Damiani lib. 6. epist. 5.

Ibidem epist. 12. refert verba S. Benedicti quibus probat vitam eremiticam perfectiorem esse claustrali, supponit enim exercitatos, qui sine sociis valeant singulari certamine pugnare contra tẽtationes, in claustro tanquam informes fœtus in B vtero materno continentur, hinc auẽ debẽt egredi cum perfectionem acquisierint; discipuli Ioannis eo relicto, sequutur Christum, ita licet ad id quod perfectius est, eniti. liceat ex atrio ingredi in Sancta sanctorum. Ibidem epist. 22. Nepotem suum Damianum hortatur vt ad eremum redeat, quam reliquerat, vt transiret ad monasterium.

Sybilla Cumæa fatidica in antro sub terra degebat, ornato tamen.

Dina, dum vagatur, raptum patitur. Gen. 34. Similiter vxor Leuitæ Gen. 25. Esaü erat venator, Iacob autem simplex habitabat in tabernaculis. Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Cant. 5. & Cant. 2. dicit sponsus. Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne euigilare faciatis dilectam; donec C ipsa velit.

Quædam picturæ non nisi ex distanti pulchræ sunt, ex proximo apparent deformes, tales sunt solitarii. Christum cupiebat Pilatus videre, quia multa audierat de illo, visum spreuit. Luc. 23. dicit Paulus. 2. Cor. 10. Epistolæ graues, præsentia autem infirma. *Vide Maioritas Concordantia. Mala.* Et *Maioritas Cognitionis.* Alienis non se immiscere negotiis.

Petrus Damiani opusc. 12. cap. 30. suadet monachis secessum, quia vanũ est hominib. sæculi verbũ Dei prædicare, non enim conuertuntur sicut olim Niniuitæ ad prędicationem Ionæ, Ionæ 3. & Esdrę. 1. cap. 10. mercator non it ad nundinas, ex D quibus videt alios vacuos redeuntes.

Idem opusc. 15. Vitæ Eremiticæ authores & propagatores agnoscit; Eliam, Elisæum, Ioannem Baptistam, Paulum, Antonium.

Homo creatus propter requiem. *Vide Veritas Finis.* Deus summum bonum.

Sapiens ad instar Dei sibi sufficit. *Vide Potestas Virtutis.*

Caïn fratricida primus ciuitatem condidit sibi timens & non sufficiens, quæsiuit humanam conuersationem. Rupert. in Gen. lib. 4. cap. 10.

Iacob postquam luctatus cum Angelo, eius benedictionem accepit, claudus extitit; idest defecit in vita actiua, vt magis vacaret contemplationi. Id. lib 8. c. 9.

Ezech. 15. ex ligno vitis præciso, nullum potest fieri opus; sic hi quorum erat spiritnale exercitium, si ad seculare deuoluantur negotium; & quod fuerant deperit, & quod aggrediuntur interdum non proficit. vnde Act. 6. dicunt Apostoli; Non est æquum derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis Sic dicitur Deut. 22. Non seres vineam tuam altero semine. Sic statunt sacri Canones, nemo militans Deo, implicet se negotiis sæcularibus. Id. in deut. lib. 1. cap. 17.

Quandiu populus fuit in deserto per 40. annos non circunciderunt pueros, ideo Iosue accipit à Deo mandatum circuncisionis. Iosue 5. *Vide Mi-* A *noritas Concordantia bona.* Esse sine socio & amico.

Plantam nouellam non multum excedere terra præcipiunt, difficulter enim augescit, cum pars quæ laborat, amplior illa est, quę terræ immersa nutritur, pleraque etiam exarescunt, vt ficus, & quidquid solutum. Theophr. de causis Plantar. lib. 3. cap. 6.

Agrestium arborum morbi nulli traduntur, sed vrbanarum complures, propter earum infirmitatem. Id. lib. 5. cap. 10. Quæ dulcia sunt celerius putrescunt, etenim succus eorum, mutationem facilius recipit, quoniam imbecillior est. Ibidem cap. 11.

Abbas Isidorus habens sub se mille monachos, nullum permittebat è monasterio egredi, sed necessitatibus omnium prouidebat per duos quibus hæc cura erat commissa. vitæ Patrum lib. 8. cap 17.

Pharisæi dicebantur quasi separati ab aliis omnibus cum puritate & exquisita ratione vitę, cum obseruatione præceptorum legis: phares enim hebraïca lingua segregationem significat, aut dissectionem. Suidas in voce.

Qui exustas à sole mundi partes incolunt, ita caloris exuberantia in extimis torrentur, vt intima frigoris plurimum concipiant, vnde sunt timidi & effœminati; dilabitur enim intimus calor meatibus corporum laxatis, & quodammodo hiatibus syderis propinqui intemperantia. Rodigin. lib. 18. cap. 20. contra qui frigidas regiones incolunt ex caloris concentratione sunt audaces.

Si per vitæ sanctioris institutum transcriptus es inter filios Israel, & postea declinas ad opera carnalia, lites, aulas, ad domi fœda, foris crudelia, intra conscientiam flagitiosa, agit te Rex Ægypti, idest immundus spiritus velut seruum, vt illi ædifices ciuitatem. &c. Origen. Homil. 1. in Exod.

Sabbatum Christianum est, à secularibus omnibus operibus desinere spiritualibus vacare, de cœlestibus, de futura spe solitudinem gerere, &c. Homil. 23 super Numer.

Populus Israel egrediens ex Ægypto prius vadit per desertum quam in terram promissionis perueniat. Nouiter conuersis solitudo necessaria Ibid. homil. 26.

Iesus non inuenitur inter carne coniunctos, & in comitatu multorum.

SAPIENS AVLAM fugiat.

PEtrus Damiani scripsit librum de aulicis clericis opusc. 22. in quo sic ait; Dum non erubescunt Templo Dei, mutare palatium, de religione canonica in ordinem transeunt laïcorum; vt Ecclesiam nanciscantur, Ecclesiam deserunt. Isay. 33. E Iustus excutit manus suas ab omni munere; non tantum munera principibus, manu vt sunt pecunia, obsequio per subiectionem, & lingua per assentationem, seipsos dant alienæ seruituti; licet etiam dent facultates in impensis, vt sint grati in aula; ita seipsos cum facultatibus expendunt. Iacob pro suis vxoribus, lia & Rachel, bis septem annis seruiuit Laban in pretium. Gen. 3. Aulæ præstitum officium, longa est negotiatio, & grauius pretium fit seruus mundi vt cathedram dominiumque ha-

beat in domo Dei; Ruit coram Deo, exaltatus coram principe, deiecisti eos dum alleuarentur. Psal. 72. Idem tractas. lib. 2. epist. 1. *Vide Voluntas Bonitatis. Respuere munera.*

Idem opus. 36. cap. 1. Errat, inquit, qui confidit se simul & monachum esse, & curiæ deseruire, quam malè mereatur qui monachorum præsumit claustra deserere, vt mundi valeat militiam baiulare, vndis erutus anus est piscis, non vt sibi viuat, sed vt alios pascat: vocamur, attrahimur, sed vt viuamus aliis, moriamur nobis; amat venator ceruum, sed vt sibi faciat cibum; persequitur capras, lepusculos insectatur, sed vt ipsi benè sit, illa nihil sint, amant & homines nos, sed non nobis, sibimet diligunt, in suas nos vertere delitias concupiscunt.

Elisæus Spiritum sanctum perdidit in regum comitatu, nec nisi psalte ad citharam pulsante recepit. 4. Reg. 1. Geneb. a. m. 3672.

Vide Concordantia Maioritatis & Mala. Societas cum potentioribus periculosa.

Æneas Sylnius. PP. Pius 2. epist. 166, scribit de curialium miseriis & primo respondet his qui dicunt scriptum ab Apostolo, Subditi estote Regi vt præcellenti, addit Paulus propter Deum, non propter opes, potentiam, honorem, dicit enim Propheta Nolite confidere in filiis hominum, in quibus non est salus. Menippus adolescens credit licita adulteria, quæ in diis Poëtę celebrant, sic facilè est imitari Principum vitia, qui cum non sint fœlices, fœlicitatem suis dare non possunt, potissimum ab illis ablata libertate; nullus est viris bonis apud Principes locus; canibus tantum latrātibus, hiantibus, blandiētibus. Stultus est qui quærit quod non potest inuenire; qui quærit quod nocet inuentum, & qui ad finem quem sibi proposuit, deteriorem eligit viam, his tribus modis stulti sunt qui se curiæ dedunt. Ex multis pauci promerentur honores, & quidem indulgendo passionibus Principum, hic autem non est verus honor, sed fictus, nam talibus, velut tyrannidis ministris clam maledicit populus: ambitio non respicit qui sequantur, sed dolet de his qui præcedunt, multa faciet inuitus qui seruit fortunæ, nulla est apud Principes diuturna potestas, cadit inuidia suspicione, insidiis, calumnia, testis Seianus sub Tiberio. Hoc vnum in aula studium, alios deijcere, se eleuare; si dentur diuitiæ, eo accepto pretio magis addicitur libertas, vt iusta atque iniusta aggrediaris, blandiaris, innumeris te periculis obiicias, maiori bonorum & vitæ periculo si reuocare gradum volueris; stultum est, vt locuples moriaris egenti viuere fato, illæ quas congregas diuitiæ, auidas Principis prouocant manus; si quædā dant, sunt iniquitatis præmia, innocētiū aut Ecclesiarū spolia. Si quęritur in aulis voluptas, abest, seu rerum nimia cōsuetudine, seu curis aliò mentem auocantibus, oculos habent & non vident, particularis melius contemplatur artis & naturę opera, in nouitatibus plura audiuntur, quæ displiceant, quam quę placeant, viget illic non veritas sed adulatio, inuitis sæpe somno oppressis importuna musica, cœna, saltatio, periculosus amor mulierum, procorum turba & certaminibus gloriantium; nequidem illic vxoris fida castitas. Falsò dicitur aliquem boni publici causa esse in famulatu Principis, illic enim nemo venit, nisi amore proprio, cæterum inter tot pericula, secura non est probitas, omnium enim moribus etiam malis oportet cōformari. Christus in terris gatus de vita beata, non misit nos ad aulam, sed potius ad solitudinem, vide ne dum propter animam sequeris curiam, perdas animam inter tot insidias & laqueos Principes amicos amant, vt canes & equos, ex illis vtilitatem recepturi, imò plus amatur equus, cui mortuo alius non nisi cum pecunia substituitur, si amas Principem, publica in te suscipis onera quæ ferre quietus non poteris, inter aulæ tumultus, nunquam tibi vacare licebit. Cuilibet curiali officiū suum est supplicium & vt per multas tribulationes iusti intrant in regnum Dei, sic curiales in regnum diaboli. &c.

In Conc. Parisiensi VI. lib. 3. cap. 14. Episcopi supplicant Regi, vt deterreat ab aula clericos & monachos illam frequentantes, quia religio sacerdotalis & professio monastica vilescit. Conc. Meldense. c. 57. a. 845. Canonicos sine Episcopi consensu in seruitiū suū Rex non recipiat. Ib. c. 57.

Nolite fieri serui hominum. 1. Cor. 7. quandoquidem prius facti sumus serui ventris, pecuniæ, gloriæ, & aliorum omnium: prodimus libertatem qua nos donauit Christus. Seruus non manet in domo in æternū. Ioa. 8. in domo & regia, & cælesti &c. D. Chrys. hom. 15. in epist. ad Hebr.

Ne Episcopi ad comitatum principis accedant sine commendatitijs litteris metropolitani. Nou. 6. c. 3.

Religiosi fugiant aulam, ne dissoluantur à rigore virtutis, adsint autem tantum ad expediendum negotia miserabilium personarum quæ alias essent peritura, & pro vtilitate publica, & causis piissimis. Tostat. 4. Reg. fo. 35. col. 3. I. sic Elizæus promittit intercessionem suam apud Regem, non quod apud ipsum semper esset. Ibid.

Vide quæ scripsi. de institutione religiosa. parte. 4. cap. 7. & moral. Christiana. to. 2. parte. 1. cap. 35.

Christus præceptor cœlestis in omni conuersatione sua humilitatis exemplum præbuit. Nusquam legimus ipsum familiaritatem habuisse cum Regibus, Principibus vel mundi Magistratibus, neque eorū interfuisse cōuiuiis, sed turbis, populis, mediocribus, pauperibus, ægris se concessit humiles elegit discipulos. &c. Laurent. Iustin. opusc. de humilitate. cap 14.

Falsi vel stellionatus crimen est, rem alteri obligatam aliis vt liberam tradere. Vide Cuiac. obser. lib. 13. c. 21. Sacrilegii species est, personam Deo sacram ad mundanos vsus transferre.

Viget adhuc Iosue maledictio. Maledictus qui reędificat Iericho, Iosue 6. cum hanc in se spiritualiter destruxisset.

Aulæ vanitas. *Vide Veritas Gloria. Repugn.*

Petrus Blesensis epist. 14. dicit clericos sacrò eloquio pollentes inexcusabiles esse, si se curialibus vinculis innectant, de his enim dicit Dominus Osee. 2. 8. Dedi eis argentum & aurum meum, ipsi verò de auro & argēto meo operati sunt. Baal Balaam constituunt, dum pro rerum temporalium quæstu quasi sub iactu aleæ, vitam & animam ponunt. Nemo potest duobus dominis seruire. Post signa in rubo, in serpente, in manu leprosa, Moyses se excusat adire Pharaonem. Nam graue in aulis imminet sanctitati periculum.

In cœlestem scientiam homo eruditus es. Quid tibi cum terrenis operibus & gestis est? Auis effectus es; cur non in naturæ tuæ elemento moraris. Sæculo renontiasti, quid tibi cum sæculi rebus? quid quæris captus in sæculo? quid quęreris iniuriam laquei in regione non tua. D. Hilar. in Psal. 118. Num.

D. Hieron. ep. ad Paulin. de institutione Monachi. *Secularium, inquit, & maximè potentium consortium deuita. quid tibi necesse est ea videre crebrius, quorum contemptu Monachus esse cœpisti?*

Idem ad Eustochium Virginem: *Si ad Imperatoris vxorem concurrit ambitio salutantium, cur facis iniuriam viro tuo? ad hominis coniugem Dei sponsa properas? disce in hac parte superbiam sanctam, scito te illis esse meliorem.*

Monachi Cassinenses personarum Ecclesiasticarum aut secularium seruitio se mancipare nequeant. Eugen. 4. const. 9, §. 15 pag. 260. tom. 1. Bullarii.

B

PAX ET VOLVPTAS Virtutis.

PArum est mundana reliquisse, nisi assequamur tranquillitatem cordis, pro hac solitudo, abstinentia, lectio, & cæteras sectamur virtutes, vt his velut gradibus ad perfectam charitatem, idest cordis tranquillitatem possimus peruenire; nam quid est aliud charitas, de qua loquitur Apostolus 1. Corinth. 13. quam cordis puritas? quid est aliud non æmulari, non inflari, non irritari, non agere perperam, non quærere quæ sua sunt, non gaudere super iniquitate, non cogitare malum, & reliqua, nisi cor perfectum ac mundissimum Deo semper offerre, & intactum à cunctis perturbationibus custodire? Cass. coll. 1. c. 6. & 7. C

In profectu positus, ad illud quod dicitur vnum, idest Dei solius intuitum ipso adiuuante perueniet, vt scilicet etiam sanctorum actus: ac ministeria mirifica supergressus, solius Dei iam pulchritudine scientiaque pascatur; cęterarum virtutum actus cessabunt; Maria optimam partem elegit, quę non auferetur ab ea. Ibid. cap. 8.

Plutarch. lib. de tranquillitate animi in fine: Indignissimum putat nos componere ad publicas quasdam ex hominum instituto festiuitates, & tamen celebritates naturæ & virtutis, quarum Deus autor est, per lamenta & acerbitates animi transigere, easque ęrumnosa vita fœdare & funestare. D

Bonæ actiones sunt quasi pia proles quæ parentem alit in senecta.

Dicit Propheta Psal. 94. Venite, exultemus Domino. Ille exultat Domino, qui nescit de rapinis, de fraudibus, de proximorum lacrymis lætari. Exultat Domino, qui verbo, actu, opere, non sibi, sed suo exultat creatori; cui sola, & tota lætitia semper est Deus. Chrysolog. serm. 46.

De Alleluia D. August. Homil. 17. & tom. 10. lib. 3. de beatitudinibus. E

Bernardin. ad. 1. S. 4. & seqq. Ephrem. to. 1.

De deliciis spiritualibus. liber Petri Damiani.

De donis Spiritus S. opusculum D. Bonauent. & it. 6. diætæ. Rupertus tom. 1.

Christo moriente turbatur tota natura, resurgens autem, & ab inferis rediens dicit Apostolis, quibus apparet, Pax vobis, mortuo Christo in corde, omnia turbantur, resurgente, omnia pacifica & læta.

Signum habitus generati est delectatio. Arist. Ethic. lib. 2. cap 19.

Fructus motus, quo nos iubet spiritus ambulare, sunt charitas, gaudium, pax & reliqua quæ enumerat Paulus, nam in hoc motu se anima conuertit ad vnitatem, & Identitatem, ideo hæc quæ consequitur sunt æterna & stabilia, pergit enim anima ad vnionem, & sic augetur fortitudine. Card. Cusa. excit. lib. 7. cap. 1. A

Est fons indeficientis voluptatis. *Vide Duratio Bonitatis.* Continuatio. *Et Gloria Voluntatis.* Delectatio amoris & charitatis. *Et Gloria Cognitionis.*

Non habetur vera pax nisi per mortificationem vitę sensibilis. *Vide Minor. Gloria.* Mortificatio.

Suauitas contemplationis docuit Dauidem musicè laudes Deo dicere. Geneb. 2. m. 3146.

Abbas Apollo suis discipulis dicebat: Non oportet nos esse tristes, qui futuri sumus hæredes regni cælorum; Tristes sint gentiles, Iudæi, peccatores, si mundani lætantur rebus terrenis, quare non lætemur tanta spe digni? vitæ Patrum lib. 8. cap. 52.

Abrahaam non delectatur nec facit conuiuium in die natali Isaac sed postquam ablactatus est, vera lætitia de his qui non iam lacte indigent, sed cibo forti & qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni vel mali. 1. Thess. 2. Origen. Homil. 7. in Genes.

Luc. 22. Christus dicit discipulis, Non bibam de hoc genimine vitis donec illud bibam in regno Patris mei: aduenit regnum Dei, cum fit eius voluntas in sanctis; quandiu sum imperfectus, Christus non consummauit opus suum, nec omnia Patri subiecta sunt; non ergo vitam nostram negligẽtes lætitiã eius remoremur. Id. Hom. 7. in Leuit.

Habent homines non dignitates, sed dignitatum nomina, quæ ideo cum externa sint, interius fœlices non efficiunt, non vestium ornatus, &c. animi tranquillitatem sola dat conscientia bona. Spiritus enim fructus est, dilectio lætitia, pax; gaudet Paulus in tribulationibus, & Achab in deliciis gemit animo despondens. D. Chrys. Hom. 1. ad Rom.

Si quis in virtute labor, ipsum leuat, & lenit quæ sequitur voluptas, at in ipsa vitii perpetratione anxius inest dolor, quem auget secuturæ poenę metus, &c. Ibid. Homil. 12.

Maior est voluptas in virtute quam in vitio; hæc enim est externa, illa interna; sensuum voluptatem obscurat conscientiæ morsus, improbitatis infamia, vnde plures sunt continentes, quam in adulterio. Id. Homil. 22. in 1. ad Corinth. & quia virtus est secundum naturam. *Vide Bonitas Virtutis.* Quid est aliud voluptas quam liberum esse à cura & metu, & animę ægritudinibus non esse obnoxium, neminem timere, neminem habere suspectum, & cum libuerit mundana ridere. Ib.

Voluptas quę est secundum Deum, est velut armatura fortis nullis ictibus penetrabilis, virum ea fruentem nihil est quod in mœrorem possit conicere. Ibid. Homil. 1. in 1. ad Corinth. Sic Martyres erant in tormentis fortes & læti.

Baptizatorum capita sertis coronabat sacerdos, tanquam lætitiæ Symbolum. Regium & sacerdotale insigne. Nazianz. orat. 25. & signum victoriæ.

Quando Deus per essentiam videtur, beata vita in suo fontę bibitur. vnde aspergitur aliquid huic humanæ vitæ, vt in tentationibus huius sæculi temperanter, iustè, fortiter, prudenterque viuatur. D. August. lib. super Genes. ad litteri.

Beatitudines de quibus Math 5. sic vocantur, quia per illas in hac vita homines valde appropinquant beatitudini, & habentes illas possunt vocari beati. Tostat. Math. to. 2. fo. 6, c. 1. d.

Semen est verbum Dei, ex quo surgit fructus interna delectatio. Tostat. Matth. to. 4. fo. 41.

Culpatur tamen nimia delectationis spiritualis auiditas. Vnde Deus vetuit, ne in aliquo sacrificio poneretur mel. Leuit. 2.

Ex sacrificiis combustis non exhalabat aliquis fœtor vel malus odor. Tostat. Exod. to. 2. fo. 93. ingratum odorem impediebat aromatum simul combustorum copia.

Gaudere de donis cum superbia, vetatur, quoniam sic non bellè gaudetur, sed gaudium de donis, cum modestia bonum est: dicit enim Saluator, Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis, & Apostolus Fratres gaudete in Domino, &c. Iustinus Martyr. qu. 70 ad orthodoxos.

Honestus quidem labor trahit secum voluptatem, sed ita tamen vt velim pulchrum ipsum anteire voluptati. At si ordinem commutare volueris, voluptatemque ducis, rationem autem satellitis locum obtinere, grauem & inexorabilem imponis animis tyrannum, vt eius iniustum etiam imperium detrectare non possis. Quem enim voluptas licentia adiuta sibi tertium statuat, &c. Maximus Tyrius ser. 34.

Dicit Psal. 4. Dedisti lætitiam in corde meo; &, Dominus regnum cœlorum intra vos est. Luc. 17. Regnum appellauit gaudium insuper insitum animis per spiritū, quod est arrhabo sempiterni gaudii. quo tunc fruentur sanctorum animæ. S. Gregor. Nyssen. lib. de scopo Christiani.

Duæ sunt amicæ charitatis vinculo conglutinatæ, scilicet iustitia & pax, si pacem vis, ama iustitiam. Laurent. Iustin.

Qui sunt veri fructus pietatis. Vide quæ scripsi. moralis Christiana. to. 1. parte. 2. cap. 30. Quid agendum Religioso tempore consolationis & sterilitatis. lib. de institutione & officiis Religiosi. parte. 2. cap. 22. 23. De tranquillitate animæ in se & Dei possessione libello de amore fruitiuo cap. 1. & 2.

Si virtuti nos tradamus nihil poterit dolorem inferre, hæc enim spem bonam suggerit, semper hæc Deo nos reconciliat, & hominibus, gratos facit, hæc denique ingenti animum replet voluptate. Nam etsi laboriosa virtutis operatio videatur, facilè tamen efficit, vt cum nullis stimulis conscientiæ animus pungatur, magno semper fruatur gaudio D. Chrysost. hom. 55. in Matth.

Christus consolationes spirituales & amoris quædam mittit munuscula per quæ peregrinationis huius modificatur tædium & tribulationum pressuræ leuigantur: non est ingratus Deus vt obliuiscatur sub tribulationum fasce laborantium, Vnde Propheta dicebat Domino, Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis qui fingis laborem in præcepto? & alibi; Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam: & iterum, Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala & Christus dicit, Si diligitis me mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Laurent. Iustin. in fasciculo amoris. cap. 6.

Vera quies est in animo. *Vide Veritas Gloria* Vera quies.

Bonus planè deuotionis est gustus, per quem homo elongatur à sæculo, ablactatur à vanis, resurgit in spiritu, renouatur in mente, robotatur in via, animatur ad inuisibilia, allicitur ad cœlestia. Ex hoc discit quid credere debeat, quid quærere, quid sperare, quid diligere. Nam deuotio propria

A est amantium cibus, donum humilium, mansuetorum merces, ros cœlicus, absconditum manna, inuisus thesaurus, refectio salutaris, iucundissimum bonum, spirituale commercium, ac futuræ beatitudinis præcursor egregius, hanc qui tenet teneat, diligentissimeque custodiat, ne ex suimet incuria, vel malignorum spirituum fraude amittat. Nam per ipsam filialis timor concipitur, & coalescit, adeout flagella strenuè perferantur, custoditur puritas, veritas intelligitur, Dei charitas gustatur, sapientiæ lumen percipitur, dulcedo cœlestis in suo fonte potatur. idem. lib. de spirituali animæ resurrectione in fine.

B Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; non malæ & Psal. 72. dicitur, Quam bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde! In cœlo vbi non est peccatum, gloria est, perpetua laus, indefessa præconia. D. Hieron. ad Theodoram.

In actibus virtuosis corde occupatum & inquietum esse, rationem obnubilat, hebetatque. Rusbroch. de regno Dei. cap. 19.

Omnis liquor acetosus & amarus, cum calefactus fuerit, dulcior apparebit, vnde & acetum calefactione potabile fit, & fructus amari igne excocti esibiles fiunt & dulces: sic amor Dei, & zelus efficit vt quę ad sensum aspera sunt, videantur dulcia. *Vide Potestas Voluntatis.*

C Ex Galeno corpora complexionis igneę, in suo motu valide agilia sunt.

In armis seu insignibus interdum sunt cruces Florentiatæ in quarum extremitatibus sunt flores liliorum.

Ferrum existens coniunctum magneti est in loco desiderii & quietis, quare non est graue, vti sunt ea quæ alium locum appetunt quam habent, experimur autem ferrum adhærens magneti non esse graue, quia pondus magnetis in statera per adhæsionem attracti ferri, non augetur nec minuitur. Card. Cusa. Excitat. lib. 7. cap. 9.

Num. 11. exploratores detrahunt terræ promissæ, dicuntque, Terra deuorat habitatores suos. At contra Iosue & Caleb dicunt, Ascendamus, poterimus obtinere illam,

D Abraham filium offert Deo, & eundem fœliciorem recipit. Cum lætus accesseris ad Deum, iterum tibi reddet quod obtuleris. *Vide Gloria Bonitatis.* Commodum ex collato beneficio.

Exod. 15. aquæ Mara amaræ fiunt dulces misso in eas ligno, quod illis ostendit Deus. Hoc est mysterium crucis. Origen. hom. 7. in Exod.

His qui contemnunt præsens sæculum dicit Dominus vt Exod. 20. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Ibidem. Homil. 8.

E Ego autem non laboraui subsequens post te Hierem. 2. & diem hominis non concupiui.

Concupiscentiæ nostrę faciunt laborem in virtute, nam re ipsa plus laborat fur, prædo, fœnerator, adulter, quam homo qui suis contentus, labore iusto quietam ducit vitam, &c. D. Chrysost. Homil. 14. in 1. compatitur quidem Paulus in aduersis, sed in illis exultat, propter mentem suę fidei fortitudinis, gratiæ cœlestis acceptę consciam, & quia momentum hic passionis, æternum gloriæ pondus operatur. Ibid.

Sancto desiderio ęstuans, ad quodlibet opus bonum habilis est. nihil enim habet in corde durum, quod non feruore, æstuantis desiderij

desiderii in Deum liquescat. Origen. in Cantica. A

Deus quasi viator iter æternitatis sequentibus se associat, & iucundis cõfabulationibus à labore viæ reuelat, vt eo discedente dicant, numquid cor ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via. D. Bernard. super Cant.

Christi lex dicitur lenis non simpliciter, sed propter considerationem præmii, & propter adiutorium ad operandum. Tost. Matth. 10. f. 127.

Corpus viuum, propter existentes in eo spiritus, leuius est quam mortuum ex quo penitus effluxerunt.

Vnde sub præcepto non cadunt ardua, sed sub consilio. Idem Matth. 10. 7. fol. 116.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. quis potest enim mandatum sine charitate perficere? & quis potest legem absque cordis dilatatione complere? Laurent. Iustinian. de charitate cap. 1. B

An lex Euangelica obseruatu difficilior sit, quam Mosaica. Vide quæ scripsi moralis Christian. to 1. parte 2. cap. 13. Facilia sunt Christi præcepta. lib. de misericordia Dei parte 1. cap. 22.

Legifer noster accendit ad spirituale certamen fidelium corda, & infudit amorem, vt delectabile fieret quidquid imperabatur, amanti quippe nihil difficile, nihil laboriosum est, præsentia deserit spe futurorum, temporalium damna lucrum existimat ęternorum amore. O mirabilis artifex è cœlo missus! O incarnata sapientia magister amoris! qua arte reparas lapsos, quibus vinculis trahis post te filios Adam? quaue virtute totum legibus tuis subdis orbem? grauia suades, contraria corpori consulis, difficiliora iubes quam olim in lege, & tamen innumeros tibi aggregas sectatores, non metu mortis, non terrore iudicii, sed solo amore. O quam fortiter trahit, qui dulciter capit! vis namque tua, est amor tui. Laurent. Iustin. de monastica conuersatione cap. 1. sic per internam inspirationem afflatus, & ex prælibatione quadam spiritualium gaudiorum accensus, currit in odorem vnguentorum tuorum. Iugum hoc portat portantem se, & in laboribus fortitudinem subministrat. C

Postquam Christus bibit passionis calicem, fecit dulcescere in se & per se, quod sine ipso erat importabile. Ib. cap. 11. D

Qui miserantis Dei dono ad vitam monasticam vocatus es, depone omnem animi tui mœrorem, gaude semper in domino, qui de tenebris mundanis te vocauit in admirabile lumen suum, te posuit in loco voluptatis, securitatis, & pacis: gaude in domino, vt ei alacrius & ardentius valeas famulari, vt sacrificiũ laudis & fragrantiam votorũ tuorũ purius illi offerre valeas, vt per dilatationẽ iucundissimæ caritatis, curras viam mandatorum & te amabiliorem exhibeas. Sic tamen age, vt modestia tua nota sit omnibus hominibus. Idem lib. de perfectione monastica cap. 16.

De suauitate nouitiorum. *Vide Gloria Principii. Initii.* E

Velut rapidissimus torrens inundantium aquarũ exterminat de humano corde tristitiam diuinæ gustus charitatis. Non habet locum mœror, vbi sancta charitas posuit habitaculum. Ibid.

BONÆ CONSCIENTIÆ pax & securitas.

VIr bonus, ab omni negotiorum anxietate feriatus, habens in se vitæ fontem inturbidum & defæcatum, actiones omnes suas hilaris exequitur, velut aspirante numine, suauique pascitur, actionum, & agendorum cogitatione; sic odorata frutera, etiam à stirpe sua recisa diu seruant odorem. Viro bono, dies omnis festus est in hoc spectabili mundi templo, tot syderibus, & æternis luminaribus illustrato, non sunt ad lætitiam expectanda bacchanalia. Plutarch. lib. de tranquillitate animi, in fine.

Iustus neminem timens, nec apud vllum erubescens, magnam percipit voluptatem, & quasi sufficientiam, siue perfectionem vitæ.

Nullum, inquit Cicero, virtuti theatrum conscientia maius.

De conscientia. D. Bernardi lib 2. De conscientiæ cultu. Drexellius in Trysin. De conscientia bona. Bernard. quadr. 2. serm. 52.

De acedia huic paci contraria. *Vide Duratio Virtutis. Repugn.*

Peccatum antequam perpetretur aliquam habet voluptatem, vbi verò consummatum fuerit cessat voluptas, subit mœstitudo & tristitia. At iustitia initio labores habet, in fine autem voluptatem & requiem. D. Chrysost. homil. in 2. ad Timoth.

Pluris facias iudicium conscientiæ tuæ, quam voces omnes ingentis multitudinis, quæ imperita & stulta est: ignota temerè vt probat, sic damnat. Conscientia est quæ turbata maximos animo affert cruciatus; tranquilla, maximam beatitudinem, cui nullæ opes, nulla possunt regna comparari. Conscientia verum & solidum & duraturum reddit testimonium, est magna vitę magistra, maximum præsidium quod aduersa non concutiunt.

Maxima ad sapientiam præparatio nihil agere contra conscientiam. Vide quæ scripsi moralis Christiana to 1. parte 2. cap. 9. Religiosus pacatam & tranquillam mentem sibi semper seruet. lib. de institutione & officiis Religiosi. parte 2. cap. 16.

Habeto pacem cum Deo tuo, habeto cum omnibus vt Dei visione fruaris. Nunquam ad diuinam attinges perfectionem, nisi pacificus fueris. Vbi tumultus perstrepit vitiorum, vbi cogitationum confusio resonat, abest præsentia Domini. In pace factus est locus eius; propterea inquire pacem & persequere eam. Vbi mentis est puritas, ibi frequens est exultatio, tranquillitas, perpetuæ charitatis dulcis inhæsio. Laurent. Iustin. de triumphali Christi agone cap. 1.

De tranquilla oratione. *Vide Veritas Virtutis.*

CONSCIENTIÆ MALÆ stimuli.

VErmis qui ad pœnam impiorum deputatur, non est intelligendus corporaliter, sed spiritualiter, vt per vermem stimulus suæ con-

Digitized by Google

scientiæ intelligatur vt dicit August. 20. de ciuitate Dei. D. Thom. in quæstio. disput. q. 5. ad. 13.

In damnatis manebit in æternum memoria malorum quæ commiserunt. Tostat. Matth. 10. 7. fo 102.

Scelerati fugiunt solitudinem in qua anima liberior & ab aliis non distracta recordatur scelerum suorum; quærunt itaque alios cum quibus communicent, & si non inueniunt non ferentes memoriam facinorum suorum, seipsos occidunt. Id. de statu animarum post hunc vitam, fo. 4.

Primus homo post peccatum, eiicitur è paradiso loco voluptatis.

Turbo dum exitum non inuenit, in seipsum reflectitur.

Dæmones aliis suppliciis non sunt miserrimi, quam superbia, inuidia, odio, ira. Cernere est vultus eorum, qui his affectibus tenentur, quam varii sunt, quam anxii, anheli, truces, horridi ad eundem modum animi sunt affecti.

Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina, Psal. 31. Spina est stimulus conscientiæ peccatricis. Alcuin. in d. Psal.

Aduersarius conscientia tua, tuus est constitutus à Domino, vt clamet aduersus te, arguat te, & quoties delicta perpetrare conaris, ab interitu eripiat sempiterno. Esto igitur consentiens aduersario tuo dum es in via, &c. Laurent. Iustin. serm. in conuersione S Pauli.

Deus essentialis ratio, primæua lux, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, luce quæ fulget in tenebris, idest inter infœlicis temperamenti, passionum & vitiorum caligines. Commune beneficium est humanæ speciei à creatore collatum, vt quemadmodum membra corporis, situ propriis edendis actionibus congruo disposuit, sic impressit mentibus veri bonique generales idæas, quibus in ambiguis possent dirigi; & sicut è suis locis diuulsas corporis partes natura dolore castigat, vt citò restituantur; sic læsa peruersis moribus conscientia, reos exagitat, vt in brutorum sortem lapsi, pristinæ suæ dignitatis memores, ad altiora diuinaque consurgant. Pueritiam hic agimus, quam asperioribus monitis, interdum flagellis, hic nobis cœlo datus pædagogus emendat. Præludium est extremi iudicii, cum semetipsas humanæ mentes reas vltrò confitebuntur, & suo se damnabunt iudicio. Humanum est veritatem longo perplexoque rationis discursu venari; diuinum, statim vt illuxerit, agnoscere; id autem præstat hæc à Deo mentibus indita synderesis. Moras, ambages, suspensum inter passiones & rationem iudicium non patitur, quod verum, quod iustum est momento discernit, falli, nec fallere vel adulari nescia. Mirum quod animi tranquillitatem velut summum mortalis vitæ bonum, omnes desiderant, & tamen non sectantur integritatem, qua deficiente nulla menti contingit quies. Calculo vel podadagra sæuissime torti, sentiunt dolorem suum, etiam in auro gemmisque, inter epulas, inter musicorum choros, laudantium blandimenta; falsis enim & externis non discutitur vt corporis, sic animi verus dolor. *Ex principiis.*

D. Hieron. ad Auitum de erroribus Origenis refert eum dixisse ignem gehennæ & tormenta quæ scriptura sancta peccatoribus comminatur, non esse in suppliciis, sed in conscientia peccatorum quando Dei virtute & potentia, omnis memoria delictorum ante oculos nostros ponitur.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Nero occisa matre sceleris conscientiam; quanquam & militum & senatus populique gratulationibus confirmaretur, aut statim, aut vnquam ferre potuit, sæpè confessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum, ac tædis ardentibus. Sueton in Nerone.

Si recludantur tyrannorum mentes, possunt aspici laniatæ, vt enim corpora verberibus, ita sæuitia, libidine malis consultis animus dilaceratur; sic Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur. Tacit. 6. annal.

Duo fratres iuuenes, occiso parente in eodem cubiculo, in quo decumbebant; habiti sunt innocentes, ex eo quod aperto ostio inuenti sunt securè dormientes; iudicatum est enim rerum naturam non recipere, vt occiso patre supra vulnera, & cruorem eius, quietem capere potuerint. Valer. Maxim. lib. 8. c. 1.

Vt rigor & æstus febris quia interior est, magis afficit, quam exterior, sic magis laboramus peruersa conscientia, quam aduersa fortuna Plutarc. lib. de tranquillitate animi.

Quidam dicunt fragorem tonitrui procedere ex extinctione ignis in nube affluentia humidi vaporis.

Malus semper est infœlix, siue adsit materia, malè enim illa vtitur, siue ea careat. Sicut cæcus talis est, siue lumen habeat, & claritatem visibilem, siue in tenebris degat. Stob. serm. 1.

Etsi malitia alios lateat, non latet conscientiam; instar vulneris intus lancinat. Æstus & rigor febris quia interior, maximè vexat.

Primi parentes ante peccatum, cum fuissent ad imaginem Dei creati, habebant quidem discretionem boni & mali, sed experimentum postea ceperunt. Theodoret. in Genesim, cap. 27.

De conscientia mala. Bernardin. quadrag. 2. serm. 53.

Hoc est peccatum animæ, quod est amara salsedo fontibus. Chrysolog.

In futuro iudicio reus, plus de conscientia, quam de gehennæ erubescit incendio. Chrysol. serm 125.

Similes sunt mali, damnatis, qui Deum nec possunt obliuisci, nec possidere: habent enim essentialem dependentiam ab eo, sine quo non possunt existere, sciunt esse summum bonum, ita coniuncti sunt illi per voluntatem naturalem, sed ab eo semper separati per voluntatem liberam & deordinatam. Ita pugnant secum qui Deo repugnant.

Quid pœna præsens? conscientiæ pauor, & animus culpa plenus, seque ipsum timens.

Vide Principium Minoritatis. Malum à seipso.

Furias olim vocabant virgines, quod nullis largitionibus corrumpi à maleficis possint, Suidas in verbo ἀνευ ϑιοῖς.

Contra naturam est corpus esse voluptati

primum oneri, siquidem bono suo constant omnia. Rhodig. lib. 9. cap. 9.

Teterrimæ damnatorum tenebræ miscetur aliquid ingrati luminis, quo vident id quo exulcerantur vehementius; propterea moralium 9. Gregor. illud Iob exponens, vbi vmbra mortis & nullus ordo. Infernus ignis, inquit, ad lenimen non lucet, lucet autem vt magis torqueat; nam consectatores complicesque flagitiorum improbi flamma illustrante visuri sunt. Idem lib. 10. cap. 11. vt fulgetra nocte terrent, videbunt horrendas imagines, &c.

Sic intelligendum illud Pythagoræ præceptum; ne gustes de melanauro, idest, de pisce habente nigram caudam; de vitio, scilicet quod conscientiæ morsus pœnaque sequitur. Ibid. lib. 15 cap. vltimo.

Peccatum Iudæ scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino super latitudinem cordis eorum. Hieron. cap 17.

Damnati à propriis torquentur sceleribus, dicitur enim Isai. 50. Ambulate in lumine ignis vestri & flamma quam accendisti. Cum mens ipsa per diuinam virtutem omnia in memoriam recipiens quorum in semetipsa signa quædam & formas cum peccaret, expresserat, & singulorum quæ turpiter fecerat, historiam quandam ante se positam habens, propriis compungitur stimulis, fuimet accusatrix & testis, & hic est corrodens vermis conscientiæ qui non moritur. Origen. Periarchon lib. 2. cap. 11.

Non debemus existimare Petrum interfecisse Ananiam, sed illum non sustinuisse acritudinem Petri. Act. 5. vt quid repleuit Satanas cor tuum vt mentireris Spiritui S. Idem tract. 8. in Matth.

Qui carcere clusi expectant sententiam contra se ferendam, quamuis interim voluptatibus fruantur, maiori cum animi mœstitia victi tanquam mendicantes nullius sceleris conscii; tales sunt Dei iustum iudicium formidantes. D. Chrysost. hom. 11. in epist. ad Roman.

Non alia ex causa tenebricosæ conscientiæ pœna est ipse Deus, quam quia lux est, & radiis suis ea ostendit quæ sine dolore, pudore, metu non videt animus.

Dæmones gerunt semper secum infernum. Tostat. Matth. 10. 7. fo. 266.

DIFFERENTIA VIRTVTIS.

DIVERSA DIVERSIS VIRTVS.

MONACHVS in cœnobio diuersas virtutes à diuersis debet mutuari, & apes imitari, quæ ex diuersis floribus mel suum colligunt; nam omnimoda perfectio in vno non reperietur; in alio iustitia, in alio mansuetudo, in alio sapientia, humilitas, patientia reperitur; membratim Christus per vnumquemque nunc sanctorum diuisus est, concurrentibus autem vniuersis, in vnitatem fidei & virtutis redditur in virum perfectum: nunc enim Deus est omnia in omnibus, non in singulis. Cassian. lib. 5. cap. 4. *Vide Concordantia Virtutis. infra.*

Multis viis ad Deum tenditur, & ideo vnusquisque illam, quam semel arripuit, irreuocabili cursus sui intentione conficiat, vt sit in qualibet professione perfectus. Id. Collat. 14. cap. 6.

Paracelsus tractatu Philip. 4. dicit spiritibus, Qui in terra, aëre, aquis, igne existunt sua diuersa esse munia, nec vnum exequi quod alterius est.

Animæ per gradus, aliæ aliis existimatæ sunt superiores. *Vide Maioritas Cognitionis.* de diuinatione. Stoici dicunt animas descendere à comparibus stellis, & in se habere differentias nobilitatis & ignobilitatis secundum differentiam istarum stellarum Albert. Magn. lib. 3. de somno & vigilia. tract. 1. cap. 8.

Virtus hominis quadruplex, moralis, intellectualis, heroica, diuina. Idem tract. 2. de natura animæ cap. 14.

Platonici dicebant quod bonitas fluens à primo; forma quædam est in proximis; imago autem in distantibus; in vltimis autem obscura reflexio; siue, vmbrosa primi repræsentatio. Idem lib. de processu vnius. tract. 4. cap. 4. sic sensibile est in vmbra intellectualis, & vegetabile in vmbra sensibilis; corpus autem contrarietate determinatum est, mixta in vmbra & remissione qualitatum elementarium; sic ordinem in gradibus entium non facit nisi casus, & occubitus à lumine primi entis. Ibid.

Ficus non fert oleas, nec olea aues; ideo irrationabilis est inuidia, quæ in aliis non patitur dotes, quas vnusquisque non potest in se habere. *Vide Contrarietas Virtutis.* Inuidia.

Vide Differentia Potestatis. diuersa diuersis officia. Et *Differentia Principii. Principium Virtutis;* Naturalis inclinatio.

Non pauciores animarum, quam corporum formæ; optimum autem plurimis videtur, in id potissimum ingenia, quò tendunt adiuuari: in eo dicendi genere quo quisque eminet, prouehi, quod adiuta cum natura magis coalescat, oratoritamen, nullum est dicendi genus omittendum, & labore supplendus naturæ defectus. Nam sicut cithara, ita oratio perfecta non est, nisi ab imo ad summum, omnibus intenta neruis consentiat. Quintilianus Institut. Orat. lib. 2. cap. 9.

Non tam variæ mortalibus formæ, nec in vultibus nostris sedet tanta diuersitas, quanta latet in ipsis dissimilitudo vitalibus, inenar-

errabile indeprehensibile est, quidquid nos elementorum varia compago formauit, & prout in nos plura seu rariora de terrenis seminibus, cœlestibusque coierunt, ita vel duramur tanta ratione vel soluimur. Idem. 3 declam. 8.

Cæteris animantibus vna est natura, hominibus varia.

Seruis, vt partibus corporis, alio ad aliud vtere.

Pomponatius lib. de incantationib. dicit hominem esse medium vniuersi per participationem, itaut humana species contineat omnes aliarum virtutes, lapidum, herbarum, animalium, sed non omnes competunt omnibus, verum aliquibus aliquæ, itaut hac virtute naturali ali sanent vnum morbum, non alium.

Simplicium deuotarum exercitia Gerson. tom.3 De vitæ statu deligendo. Lessius.

Paphnutius Abbas dicebat, Nullum in hoc sæculo debere despici quia in omni ordine humanæ vitæ, sunt animæ Deo placentes, & habentes actus aliquos occultos, quibus delectatur Deus, vnde constat non tantum professionem vitæ, aut habitus speciem Deo esse placitam quantum sinceritatem, atque affectionem mentis hinc per reuelationem discit. pauperem symphoniacum sibi æquari; deinde primarius vir in vitis Patrum. lib. 2.

Qualitates suscipiunt magis & minus, vnum est altero calidius.

Quisque in sua vocatione operetur, de Iudice, qui ius non reddebat, vt orationi vacaret *Vide Virtus Æqualitatis Iustitia.*

Petrus Damiani opusc. 9. dicit dona Dei non esse æqualia, vnde quilibet in ea virtute quæ sibi magis propria est, debet exerceri, & quantum potest, perfici.

Absoluta fides omnia indifferenter operata est in Christo, sed in aliis non indifferenter, alius enim habuit operationem vnam miraculosam, alius aliam Card Cusa lib. 5. excitat. cap. 26.

Vita Christi est vita vniuersalis, per quam tamen varij ambulant, quilibet in ordine, officio & vocatione sua, vt ex eodem panno potest vestiri princeps & Monachus. Ibid. cap. 54. in fine.

Aues diuersimodè volant, aliæ vndatim, aliæ recta petunt altum, aliæ per circuitus, aliæ in aëre expansis & velut immotis alis suspenduntur.

Gen. 13. dixit Deus Abrahamo, Erit semen tuum sicut stellæ cœli, & numero, & differentia tum magnitudinis, tum virtutis Rupert. in Genes. lib. 5. cap. 18.

In fato vniuersi Christus dicitur natus in Gemini; quia duplex est conditio Christianorum, alij præcepta in vita communi sequentium, alii seruant consilia in vita Religiosa.

Dicunt Hebræi, quod ad transitum populi Israël, non vna tantum fuit diuisio maris, sed duodecim iuxta numerum tribuum, vnde Psal. 135. dicitur, Qui diuisit mare rubrum in diuisiones significant diuisiones gratiarum, de quib. 1. Cor. 12. Rupert. in Exod. lib. 1. c. 34.

Motus qui vni corpori est accidentalis, alteri est naturalis.

Palmarum diuersa genera recenset Theoph. hist. plant. lib. 2. c. 8.

Nihil est in vniuersa natura quod non habeat propriam suæ speciei operationem, sicut scamonea choleram purgare, & alia huiusmodi: hoc autem in simplicibus probatur medicinis & in scientia de incantatione & alligatione, vbi ostenditur inem-

A bra diuersorum animalium, aut collo, aut corpori, aut alij membro corporis humani alligata, mirabiles operari effectus. Idem est de herbis, radicibus, lignis, lapidibus. Ridiculum enim esset dicere qualitates primas vehementes habere operationes, & formas substantiales ipsis rebus vt fines naturæ datos, sicut diuinos & optimos, omnino nullas habere operationes ad perfectionem materiæ, Albert. Magn. de mineral lib. 2. c. 1. 0.

In eadem specie, quædam indiuidua inueniuntur plus aut minus efficacia, vel etiam non valentia operari ea quæ sunt speciei, aut propter inordinationem materiæ, aut propter vehementissimas virtutes cœlestium in contrarium mouentes. Ibid. cap. 4. tr. 2.

B *Vide Principium Minoritatis.*

Vt ab vnitate sunt quidam numeri, quadrati, trigoni, cubici, circulares, perfecti; sic per eundem spiritum datur sermo scientiæ, &c. 1. Corinth. 12.

Terrarum magna varietas, quædam est vtilis agricolis producendis fructibus, quædam medicis, vt Lemnia, Samia, Armenia; quædam figulis, vt argilla, alia pictoribus, vt Paretonium, & Melium, aliæ fullonibus, vt cimolia. Greg. Agricola lib. 2. de natura fossilium.

Terra est vel macra, vel pinguis, vel mediocris, hic fit nouem differentiarum numerus. Ibid.

Vide Cognitio Minoris. Nosse proprios defectus.

C Quod diuersis diuersæ gentes floruerint disciplinis enumerat Rodig lib. 16. c. 3. Apud Ægyptios non vnus est medicus, suus est vnicuique morbo destinatus. Idem lib. 18. c. 37.

Vt in arca Noë erant diuersæ mansiunculæ, sic in Ecclesia licet omnes intra vnam fidem contineantur, atque vno baptismate diluantur, non tamen vnus omnibus atque idem profectus est, sed vnusquisque in suo ordine. Orig. homil. 2. in Gen.

Quanta in specie vultus inest diuersitas in hominibus, tanta in aulicis inuenitur differentia, & vt Moyses iubet populum Israël secundum signa sua incedere, sic quilibet secundum acceptas à Deo dotes, vt non alius incedat, cuius humilia sunt signa omnes scribunt iisdem caracteribus & litteris,

D & tamen longè differunt singulorum scripturæ, vnde agnoscuntur chirographa. Petrus & Paulus seruant eandem castitatem, sed suo quisque modo licet eadem videatur, sic iustitia, sapientia habet aliquid proprietatis in Petro, habet & in Paulo, cum vnum sint per spiritum Dei, est tamen iqua diuersitas in ipsarum proprietate virtutum. Igitur vnusquisque secundum signa sua incedat. Id. hom. 2. super Numer.

Deus peritissimus agricola habet in horto suo fructus omnis generis Id homil. vnic. in l. Regum.

Diuersè cœlestis hominis Christi imaginem portamus. *Vide Concordant. Princip.* Christo assimilari.

E Math. 25. serui accipiunt talenta à domino suo, alius duo, alius tria, alius decem, secundum propriam virtutem, Sunt diuersæ animarum dotes, vt vna valeat in vna virtute, alia in alia, &c. Origen. tract. 7. in Mathæ.

Omnibus creatis angelis commune fuit, quod erant spiritus, quod indissolubiles & immortales. In subtilitate verò essentiæ, & intelligẽtia sapientiæ & libertate voluntatis differentes erant. Has discretiones intelligibiles inuisibiliũ naturarũ, ille solus comprehendere potuit & ponderare, qui cuncta tenet in pondere, numero & mensura Magister. sentent. lib. 2. dist. 3 q. 1.

Tanta potest in animabus esse diuersitas in perfectione naturali, quanta potest esse in corporibus informatis ab eis; & ista differentia naturalium facit multum ad gradum intellectionis animæ separatæ, per modum naturalem. Tost. Math. 10. 7. fo. 251. e.

Gentiles posuerunt multos Deos, & cuilibet attribuebāt potestatem super vnam rem in qua erat excellentior, sic præficiebant Martem bello, Venerem delectationi; Apollinem diuinationi. &c. Idem. 4. Reg. fo. 4.

Laurent. Iustin. tract. lignum vitæ in militanti Ecclesia tres dicit esse status, præsidentium, certantium in studio subiectionis, & quiescentium, quorum sicut distincti sunt status, ita distinctæ virtutes, quibus ad perfectionem perueniunt. Distinguit Ecclesiam in tres ordines, præsidentium, obedientium, quiescētium: vnicuique assignat quatuor proprias virtutes, quas vide in propriis locis. Vi *Virtus Potestatis. Concordantia Potestatis* obedientia & *Gloria Virtutis*. vita solitaria.

Ad diuersa nascimur. Vide quæ scripsi Moralis Christianæ to. 2. parte 1. cap. 3 De eligenda vita conditione sibi congrua, lib. de agente Dei in humanis parte. 3. cap. 1. De variis Religiosorum institutis. lib. de triumphis vitæ Religiosæ parte. 3. cap. 21.

Religiosus nosse debet quis sit ordinis sui spiritus, & in eo perfici. lib. de institutione & officiis religiosi. parte. 2. cap. 2. 3. 4.

Laurent Iustinian. lib. de perfectione Monasticā cap. 9. dicit Prælatum imitari debere Deum qui vnūquemque pro naturæ suæ modo ad perfectionem vocat, vnde diuersos constituit in Ecclesia status. Sic qui præest, hunc prout inclinatur, in oratione, studio, operibus manuum, solitudine foueat.

Vide Differentia Bonitatis. diuersa diuersis dona.

Est rebus singulis specificus sapor, qui proprietatem docere debet plus quā alia externa signa. Est nempe præter acuitatem cinnamomo peculiaris gratia in sapore, quam in nullo simplici reperias, sic gentiana, enula campana &c præter communes amarores, specificum saporem habent. Van Helmont.

Est tanta in sinu materiæ heterogeneitas, vt vix filum aureum fiat, quod non aliqua sui parte sit infirmius, citiusque dissiliat; sic non est mirum si in tanta membrorum ac functionum distractione, membris inæquale robur cedat. Aliquibus gressus à quinquagesimo deficit, quibus visus in octuagesimum persistit. Aliis vero à quadragesimo visus hebes, quibus gressus longæuitatem promittit. Id.

Diuersimodè singuli vacant Deo prout sancti Spiritus magisterio ducuntur & suaue conditori suo orationis sacrificium exhibent: est oratio alia quiescentium, alia pugnantium, quiescentium A quidam præterita delicta lacrymis lauant; alij accepta beneficia recolentes iuge sacrificium laudis offerunt; quidam hominum consortia fugientes, cordis sui secreta custodiunt, & diuinam in se venerantur præsentiam, corde læti, amore feruidi delectatione iucundi, quidam supra se feruntur & liquescunt in Deum & sitiunt quem non semper præsentem habent vitæ fontem quærunt, oratione, lectione, meditatione. Pugnantium vero oratio gemitibus plena, desideriis ignita, postulationibus crebra, ornata fide; superbiæ tumore vacua. &c. Laurent. Iustinian. lib de interiore conflictu cap. 10.

B In mulierum purificatione præcipit Dominus offerri sibi par turturum, aut duos pullos columbarum, vt intelligas & contemplationis & actionis Domino placere commercia; singuli etsi nequeūt omnia, simul singula offerant, meminerintque Mariæ Marthæque sororum, Dominum Iesum opera cōprobasse. Affectum in cunctis quæ agimus, Deus potius attendit, quam opus. Id. ser. de purific. Virg. Mariæ.

Ad idem opus plura comparantur media, quia sunt diuersæ virtutis *Vide Magnitudo Medij*. multitudo mediorum.

Latum mādatum tuum nimis: latum quia multa sunt in quibus Deo placeatur secundum diuisiones gratiarum, neque enim omnia ab omnibus C expectantur; alius ieiunio placet, alius simplicitate fidei promeretur; alius charitate se consummat, Ita difficile non est Dei mandatum, cum latū & diffusum sit ad placendum officiosæ religionis varietate. D. Hilar. in psal. 118. Lamech. in fine.

Non facio vllam inter sanctas fœminas differentiam, quod nonnulli inter sanctos viros stultè facere consueuerunt. D. Hieron. ad Principiam in epitaphio Marcellæ, odiosa comparatio.

Idem lib. 1. contra Iouinian refert eum, pari omnia peccata pares omnes virtutes posuisse, ex multis Scripturæ locis male intellectis, vt quod plagæ Ægyptiorum Ægyptiis pares, manna Israëlitis æqualiter pluit &c. Respōdet sunt quidē D oues à dextris, hœdi à sinistris; sed, vt dicit Ezechiel, fit iudicium inter pecus & pecus. in arca Noë munda animalia & immunda, sed diuersæ speciei, dicit Apostolus, Sicut in vno corpore multa membra habemus quæ eundem actum non habent. &c. Sectamini charismata meliora Alia claritas solis, alia stellarum, &c. Qui parce seminat parce & metet. In cœlo māsiones multæ, & innumeris scripturæ locis congestis prosequitur id argumentum S. doctor.

Aquila excellit viribus, pauo pennis, philomela cantu.

CONCORDANTIA VIRTVTIS.

VIRTVTVM CONNEXIO.

PLVTARCH. lib. de virtute & fortuna Alexandri dicit: In actibus eius virtutum discrimina ad notare non licet, vt hoc fortitudinis fuisse dicas, illud humanitatis, & aliud continentiæ, sed vnum quodque eius faciunt ex vniuersis concretum virtutibus videtur: erat in eo humanitas belligeratrix, frugi liberalitas, exorabilis iracundia, amor modestus, non vacans animi remissio.

Prudentiam, fortitudinem, temperantiam vnum dicimus, & diuersa, cum dicimus virtutem, quia communis illis ratio, commune beneficium cum se mutuo iuuent. Plato. 12. de legib.

Tria sunt per quæ stat fides, constat deuotio, manet virtus, oratio, ieiunium, misericordia, quod oratio pulsat, impetrat ieiunium, misericordia accipit: oratio, misericordia, ieiunium, sunt hæc tria vnum, dant hæc sibi inuicem vitam, est namque orationis anima, ieiunium, ieiunij vita, misericordia est; hæc nemo rescindat, nesciant separari. Chrysolog. sermone 43.

Virtutes si separatæ fuerint, dilabuntur, æquitas sine bonitate sæuitia est, & iustitia sine pietate crudelitas. Ib. serm. 145.

Etiam antiqua Philosophia omnes virtutes complexa est sub vno virtutis nomine, Christiana sub vna charitate, quæ respicit Deum & proximum.

Vbi est speciale impedimentum rationis, ibi necesse est esse specialem virtutem.

Sicut virtutes morales connectuntur sibi inuicem in prudentia, ita dona Spiritus sancti in charitate.

Amor diuinus quo Deum diligimus, est congregatiuus in quantum affectum hominis à multis ducit in vnum, ideoque virtutes sunt connexæ. Amor autem humanus est disgregatiuus, quia disgregat affectum hominis in diuersa bona temporalia, in passiones & peccata.

Ramus incertus citius euadit in arborem quam si processisset ex semine; sic virtutes theologicæ, moralibus insertę magis proficiunt.

Leuit. 16. incensum compositionis offertur in altari; quia non est vna species operum, sed ex iustitia, ex pietate, ex continentia, ex prudentia, ex omnibus huiusmodi virtutibus componitur, vt eo placetur Deus. Origen. in Leuit. Homil. 9.

Anima est velut paradisus & in ea pietas, patientia, sapientia, cæteræ virtutes, quas vt arbores cœlestis agricola excolit.

Quemadmodum vitam nostram esca continet, atque istam vita vicissim dispensat, ita si bona opera habuerimus, Spiritum sanctum habebimus, & si Spiritum sanctum habuerimus, bona etiam opera habebimus & à contrario, si bona opera non habuerimus, auolabit Spiritussanctus, & eo vacui, circa opera claudicabimus. D. Chrysost. hom. 18. in epist. ad Rom.

Nemo potest esse virtuosus sine præparatione animi ad omnes virtutes, si materia se offerat & opportunitas. Tostat. Matth. to. 7. fo. 2.

A contrario, ex vna passione cæteræ oriuntur. *Vide Duratio contrarietatis.* Series malorum.

Virtutes inter se connexæ sunt ac per se inuicem cultores ad cacumen extollunt. Etenim simplicitas obedientiæ tradit, obedientia fidei: hæc vero spei; & spes iustitiæ: iustitia ministerio, & ministerium humilitati: ab hac autem clementia assumitur quæ gaudio admouet, gaudium charitati; hęc precationi, sic à se inuicem pendent, vt sublimem eum qui appensus adhæret, ad ipsum apicem optatæ rei vehunt. D. Gregor. Nyssen. lib. de scopo Christiani.

Laurent. Iustinian. serm. de S. Ioanne Euangelista laudat eum quod fuerit simul virgo, martyr, & doctor.

Quatuor virtutes describunt Stoïci, ita sibi inuicem nexas, & mutuo cohærentes, vt qui vnam non habuerit, omnibus careat, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. D. Hieron. ad Pammachium.

Rationale S. Sacerdotis duodecim in se lapides habebat, & quatuor ordines, quia quatuor cōstat esse virtutes, prudentiam, fortitudinem, iustitiam & temperantiam, quæ sibi hęrent inuicem, & dum mutuò miscentur duodenarium efficiunt numerum. Idem ad Fabiolam de veste sacerdotali.

Virtutes sunt imperfectæ si desit illis charitas erga proximum. Vide quæ scripsi lib. de operib. misericordiæ. parte 1. cap. 17.

ECCLESIÆ VNITAS.

MIssa à Gręcis vocatur Liturgia, idest publicum munus, & sacrificium concursu populorũ offerendum, tres sunt eius partes essentiales, consecratio, oblatio, consumptio: plures Missæ assistentes offerunt cum sacerdote, & ita augent meritum sacrificii.

De Ecclesiæ vnitate. D. Aug. tom. 7. Cyprian. tom. 2.

De Ecclesia corpore Christi. Etherii. Biblioth. Patr. to. 4.

Vide Differentia Principii. Separari à suo principio.

Oculus non lucet nisi in corpore. Lex est data non vni, sed omnibus; Christus non pro vno, nec ad vnum, sed ad omnes, & pro omnibus venit; vt reintegraret omnes in vnum, quod solum bonum propheta prædicit, Ecce quam bonum &

quam iucundum habitare fratres in vnum. Chrysolog. serm. 132. in fine. A

Christi crucifixi ossa non fuerunt confracta vt Ecclesiæ nexus seruaretur.

Sumus ab initio ad supermirandam harmonicam pacem, in adoptionem filiorum Dei, per Iesum Christum prædestinati, qui ideo descendit, vt adimpleret omnia, ideo posuit in Ecclesia differentem gradualem concordantiam, alios dando Episcopos, Doctores, & ita deinceps, quousque in vnitate fidei occurrat capiti; vt corpus vnum ex omnibus rationabilis naturę spiritibus, adhæreat capiti suo Christo. B

Omnis concordantia differentiarum est, & quanto minor contrarietas in differentiis, tanto fortior concordantia, & longior vita. *Vide Duratio Concordantiæ.*

Petrus Damiani opusc. 11. cap. 5. dicit diuinum officium recitantes in cellis, etiamsi soli essent debere dicere Dominus vobiscum, quia Ecclesia Christi tanta inuicem charitatis compage connectitur, vt & in pluribus vna, & in singulis sit per mysterium tota. sicut dicitur Genes. 27. Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni. Roma 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Iste itaque spiritus, qui est vnus & multiplex, vnus in maiestatis essentia, multiplex per diuersa charismatum dona, dat Ecclesiæ sanctæ quam replet, vt & in aduersitate sit vna, & in suis partibus tota; credentes enim in Christum vnum sunt cum Deo, vt dicitur Ioh. 17. vnde & pars in toto, & totum in parte censetur: sic partes corporis seruiunt toti, & opera partium attribuitur toti, & opera partium attribuitur toti, homo dicitur videre, licet oculus tantum videat. C

Vide Concordantia Differentia. Omnia in omnibus. & *Concordantia Principii.* Partes suo vniuersoconformes Sic homo dicitur microcosmus quia constat quatuor elementis, sicut totus mundus. Ideo in fornicationem lapsi ad ordines admittuntur non vero bigami, propter mysterium, quia scilicet Christus vnius Ecclesiæ vnus est sponsus. Ibidem, cap. 11. D

Vnitas Ecclesiæ designatur cũ in manducatione Agni Paschalis dicitur Exod. 12. vt in domo vna manducetur, carnes eius non extra efferantur, vt nõ sit scissura fidei. Rupert. in Exod. lib. 2. c. 22.

Præceptum affirmatiuum sequendi Ecclesiam non includit negatiuum non sequendi Ecclesiam hęreticorum. Vnde falso asserunt Caluinistæ licitam sibi esse communionem cum variis sectis quæ non erant in fundamentalibus, quia veritas vna est, & qui peccat in vno factus est omnium reus. Ioa. 10. v. 5. oues non sequuntur alienum pastorem v. 8. fures sunt. Rom. vlt. declinate ab his qui offendicula & dissensiones præter doctrinam faciunt. &, 2. Thess. 2. ad Tit. 3. E

Vt filios Dei congregaret in vnum, non quidem in vnum locum corporalem, sed in vnum spiritum, & in vnum corpus, cuius vnum caput est Christus. D. August. ep. 57. in illud Ioannis vt filios Dei, &c.

Apostolus Eph. 4. æquare videtur vnitatem fidei vnitati Dei. Vnus inquit Deus, vna fides, vnum baptisma. *Vide Magnitudo Virtutis.*

Omne regnum in se diuisum desolabitur. Matth. Non est Deus dissensionis sed pacis 1. Corinth. Non sint in vobis schismata. Vnanimes idipsum sentientes. Ph. 2. v. 2. orat Christus vt sui sint vnum. Ioan. 17. v. 21.

Plato 4. de legib. prohibet haberi in priuatis ædibus sacella.

Pantheon templum commune omnium Deorum Romæ.

Ne quilibet tribus cuperet templum in possessione & ditione sua habere, ac ita lites & contentiones hinc orirentur, quemadmodum ortę sunt in ambitu sacerdotii, ideò præceptum fuit ne extrueretur templum nisi constituto iam rege, qui illud ædificari imperaret, omni contentione & dissidio sublato. R. Moses in mare Nebochim. lib. 1. cap. 45.

Carnes sanctæ sacrificiorum debent intra templum comedi. Leuit. 6. Atria tabernaculi testimonii sunt quæ fidei murus ambit, spei columnæ suspendunt, charitatis amplitudo dilatat. Origen. hom. 4. in Leuit.

Ciuitas Domini est siue Ecclesia ex fidelibus, siue anima iusti ex diuersis & viuis virtutib. velut lapidibus. Id. hom. 8. super Iosue.

Vnusquisque ex populo Israël iubetur conferre ad opus tabernaculi vt omnes vnum sint tabernaculum. Id. homil. 9. in Exod.

Nomen Ecclesiæ, non est nomen separationis sed vnionis & concordiæ, & consensus. D. Chrysost. homil. 1. in 1. ad Corinth. Si fideles locus separat, sed coniungit Dominus qui est communis.

De schismate quo soluitur vnitas Ecclesiæ. *Vide Contrarietas Concordantia.*

Facta est Ecclesia non vt diuisi simus qui conuenimus, sed vt qui diuisi sumus simus coniuncti, & hoc ostendit conuentus. Ibid. homil. 27.

Ecclesia significat congregationẽ & vnionẽ fideliũ, ideo nõ saluatur in vno vt patet ex cap. firmiter de sum. Trinit. & c. frequẽs de excessib. Prælator.

Sacrificia ideo mandabat Deus in vno loco fieri, vt vitaretur idololatria. Tost. Exod. 20. 1. fo. 196. *Vide Magnitudo Veritatis.* Communis veritas.

Ecclesia dicitur vniuersalis quia fideles vbique iubentur idem credere, vnus enim Deus, vna fides propter vnitatem principii, quia est lumen infusum desuper, & non est à probabilitate rerum quæ creduntur, nec diuersificatur secundum diuersitatem rerum creditarum; hæc etiam vnitas fidei probatur ex vnitate motiui; quia vna est ratio credendi in omnibus articulis, scilicet prima veritas, cui fides vna semper principaliter innititur ex vnitate subiecti, quia natura hominum est vna apud omnes; vnde si intellectus debet Deo de iure naturali obsequium fidei, debet quoque vna eademque fides esse apud omnes. Laurent. Iustin. lib de fide cap. 6.

Ecclesia est mundus intellectualis à Christo constitutus, in quo nascituri commode recipiantur. Vide quę scripsi lib. de misericordia Dei. parte 1. cap. 5.

Christus moriens in cruce exclamauit, Pater in manus tuas commendo spiritum meum, idest Ecclesiam meam, spiritu meo viuentem. Id. die Christi agone. cap. 20.

Bigamus qui duas vxores vel simul vel successiuè duxit, est irregularis can. Aposto. 17. tum quod matrimonium iteratum & bis consummatum, vnam illam coniunctionem vnius sponsi Christi, cum vnica sponsa Ecclesia, non satis accommodatè significat, tum quia signum est incontinentiæ, & quomodo poterit esse hortator viduitatis, vt ait Ambrosius, qui coniugia frequentat? Gloss. in d. can.

Sixtus I. anno Christi 132. statuit vt quicumque Episcopus euocatus fuerit ad sedem Roma-

nam Apostolicam, rediens ad Parochiam suam non susciperetur nisi cum formatis salutationis litteris ad plebem, à sede Apostolica. Erant autem formatæ litteræ, per quas vnitas fidei, ac mutuus amor inter caput & membra monstrabatur, ac fouebatur, præscribitur. Nicæno Concilio. can. 18.

Fabianus 14. vrbis regiones assignauit totidem diaconibus, qui acta martyrum colligerent, pauperum curam gererent. Ideo dicti diaconi regionarii qui in Conc. Romano 2. sub Syluestro c. 6. dicti sunt diaconi Cardinales, eo quod diuersis in locis agerent, vnius tamen Ecclesiæ, eiusdemque primariæ cardine continerentur. Baro. an. 112. nu. 8. & 9.

Eulogia, erat panis fermentatus à populo oblatus, ab Episcopo benedictus, Presbyteris singularum parochiarum ab Episcopo datus, vt in signum catholicę communionis fidelibus sub se constitutis distribuerent, & impartirentur. Gloss. in cap. 14. Conc. Load. a.

Vide Æqualitas Virtutis. Idem ritus Religiosus.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! &c. Sunt multa & innumerabilia Dei tabernacula, quia etsi in orbe Ecclesia vna sit, tamen vnaquæque vrbs Ecclesiam suam obtinet, & vna in omnibus est, cum tamen plures sint, quia vna habetur in pluribus D. Hilar. in Psal. 14.

S. Hieronymus Damaso Papæ scribit vnitatem Ecclesiæ ab vno Christo, Petro, Petrique successore pendere. *Vide Maioritas Potestatis.* Summus Pontifex.

Christus voluit fideles omnes esse mystici sui corporis membra. Vide quæ scripsi. lib. de operibus misericordia. parte 1. cap. 7.

CONGREGATIO *bonorum.*

D. Hieronym. epist. ad Rusticum Monachum. Primum inquit, tractandum est, vtrum solus, an cum aliis in monasterio viuere debeas. Mihi quidem placet vt habeas sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absque doctore ingrediaris viam quam nunquam ingressus es, statimque tibi in partem aliquam declinandum sit, & errori pateas, plusque aut minus ambules, quam necesse est, ne aut currens lasseris, aut moram, faciens obdormias. In solitudine cito subrepit superbia, si parumper ieiunauerit, hominemque non viderit, putat se alicuius esse momenti; quo gula voluerit porrigit manum, dormit quantum voluerit, nullum veretur, &c.

In spiritualibus quilibet indiget directore. *Vide Principium Cognitionis.* Director spiritualis.

Nulla ars absque magistro discitur, etiam muta animalia & ferarum greges duces sequuntur suos, &c. hinc discas te viuere debere in monasterio sub vnius disciplina patris, consortisque multorum, vt ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam, hic te silentium, ille doceat mansuetudinem, &c. Ibid.

Aggregationis formam confraternitatibus & regularibus prẹfiniuit Clemens 8. Const. 115.

Archiconfraternitas charitatis erecta à Iulio Cardinali Medicеo, approbata à Leone. X. const. 37. §. 1. Bull. p. 455. to. 1.

De sanctis Congregationibus institutis ad opera misericordię exercenda. Vide quæ scripsi. lib. de operibus misericordia parte 1. cap. 29. & 30.

Pueri sunt in communi collegio & societate instituendi *Vide Cognitio Virtutis.* Virtus quæ se profert ex Quintil.

Inter suffimenta & bonos odores conuersatus, dulce flagrat.

Caligula curauit sibi domum fieri in Capitolio, vt posset cum Ioue habitare. Zonaras.

Multo plus virtutis, quam sanguinis vincula stringunt, boni & litterati dant & accipiunt sibi mutuo, hac simul fruentes voluptate, & ea quæ ex sympathia procedit.

Vide Supra Differentia Virtutis. Et Gloria Concordantię. Commodum ex societate.

Boni simul congregati, iunctis viribus ad bonum se, aliosque promouent. *Vide Potestas Concordantia.* Vis vnionis. *Et Concordantia Æqualitatis.* Vnio similium. Interdum tamen transeunt ad zelum nimium. *Vide Maioritas Voluntatis zelus nimius.*

Si cupis placidè & omnibus gratus vitam transigere, habita tantum cum bonis, sic habebis socios voluntarios & amantes.

Nactus est præmium, quisquis nactus est bonum amicum. Hesiod.

Multum differt vnio in cœno, aut in diademate.

Augemus calorem solis, radios eius congregando in speculo concauo, sic ignem per reuerberationem in speculis concauis radii congregantur in centro.

Plures simul lucentes vermiculi possunt efficere magnam lucem.

De communi vita Canonicorum, liber Petri Damiani. De communi vita. Clem. Alexandrin. pædagiæ. lib. 2. cap. 7.

De domo Dei. Bibl. Patr. to. 9. Potho. De domo sapientiæ. Ibid.

De monastica vita. *Vide Maioritas Virtutis.* Euangelica perfectio.

Probos & potentes fœderatos legere prudentiæ est, nancisci fœlicitatis.

Bonum superadditum bono, facit ipsum melius.

In lignis benè dispositis maior accenditur ignis, quam in diuisis.

Sub Samuele erant collegia Prophetarum, eorum scilicet qui se sponte huic professioni deouebant, vt precibus, contemplationi, scripturarum interpretationi, prædicationi, studio vacarent commodius, è quibus Deus aliquos interdum suscitabat, qui rerum prædicendarum munere apud Reges & populos fungerentur. Vide 1. Reg. 19. & Actor. 3. Genebr. a. m. 3066. Samuelem collegii Prophetarum fundatorem Hebræi faciunt. Ibid.

Periander Corinthius septem Græciæ sapientes epulo excepit a. m. 3560.

Chymica sic separat, vt vniat, separat nociua ab vtilibus, dura efficit fluida, & vtilia sic à nociuis separata, vnit, & congregat.

Non arabis in boue & asino. Deut. 22. Idest non sociabis in prędicatione sapientiæ, sapientes & fatuos, ne per eum qui implere non valet & illi obsistas qui præualet. Rupert in Deuter. lib. 1. cap. 18.

Cum domus Dei ædificatur, malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo 3. Reg. 6. Sũma pax in bonorũ congregatione.

intelligibilia

Digitized by Google

Intelligibilia cum entia multa sint, sunt simul & vnum: rursus cum vnum sint, interea ob infinitam naturam sunt & multa, tum verò multa in vno, & in multis vnum. Plotin. Æne. 6. lib 5. cap. 6.

Sicut vnus Christus pro omnibus mortuus est, & resurexit, ita Pascha Domini per totum orbem vno die celebrari iubetur Conciliũ Arelatense Galliæ 1. an. 314.

Quibus permissum est propter fatigationem familiæ, habere in agro oratoria in quibus Missæ celebrentur, debent tamen diebus solemnioribus in Parochiis conuenire. Concil. Agathense ca. 2. habetur de consecrat. dist. 1. si quis etiam. & ib. dist. 3. c. nulli ciui. & Concilium Aruernense Can. 15. Aurelianense. IV. c. 3. maxime id iniungit primoribus ciuitatis.

Sacerdos Missam solus non celebret; esse enim debent qui ei circumstent, quos ille salutet, & à quibus ei respondeatur. Matth. 18. dicitur, Vbi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, sum in medio eorum. statutum Theodulphi Episcopi Aurelianensis cap. 7. in Conc. Galliæ. an. 797. & Conc. Parisien. VI. c. 48. a. 819.

Vt diebus Dominicis populus per Missas peculiares à publicis non abstrahatur, particularibus enim intersunt, vt illis mox celebratis per totum diem à primo mane, commessationi potius quam Deo deseruiant. Capitulare Theodulphi Aurelian. Episcopi, c. 45. a. 797.

De modo viuendi Clericorum in commune. Vide Concil. Aquisgranense. cap. 130. & seq.

Inter montes æstate calor est maximus, quia Sol reflectitur à latere montis in aliud latus alterius montis, & è conuerso multoties, & ex illa radiorum multiplicatione, & diuaricatione, multiplicatur calor in montibus. Sic vt etiam consumat vapores, & non fiant venti. Albert. Mag. meteor. lib 3. cap. 16. sic augetur charitas & cessat omnis dissensio inter bonos.

Virtus seruatur integra nec corrumpitur in multorum bonorum societate. *Vide Potestas Concordantia.* Vis vniones.

Præceptum Dei est Exod. 23. vt omnis masculus ter quotannis Hierosolymæ coram Domino se sistat, nempe in festo Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum. Præcepti ratio erat vt feruor cultus diuini præsentia & vnione fidelium omniũ, in vnum locum conuenientium accenderetur.

Societatem spiritus vocat Apostolus. Philip. 2. Si cum Patre & Filio dicitur nobis esse societas, quomodo non & cum sanctis, non solum qui in terra sunt, sed & qui in cœlis? Vnde dicitur Luc. 15. gaudium esse in cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente: hanc societatem soluit qui malis impenditur operibus. Origen. hom. 4. in Leuit.

Amor Dei quærit socios, est enim sine zelo & inuidia. *Vide Virtus Voluntatis.* Charitas summa virtutum.

Leuit. 23. duodecim panes in conspectu Domini proponebantur, vt & memoria duodecim tribuum apud eum semper habeatur, quo veluti exoratio quædam & supplicatio per hæc pro singulis fieri videretur. Origen. in Leuit. hom. 13.

Iusti propter distincta merita fulgebunt tanquã stellæ in perpetuas æternitates. Daniel 2. 1. Cor. 15. at eo quod vno Christi spiritu vnanimes fuere, fulgebunt sicut Sol in regno Patris sui, Matth. 13. Origen. Ibid.

A Roman. 1. dicit Paulus, simul consolari in vobis per eam quæ inuicem est fidem vestram atque meam. Sicut enim plures lucernæ accensæ maiorem efficiunt lucem; sic fideles congregati magis illustrantur & gaudent, auulsi ab inuicem mœrent; sic è longa peregrinatione, vel carceris detentione redeuntes cum maximo gaudio complectimur. D. Chrysost. hom. 2. in c. 1. ad Rom.

Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est, quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes enim ex eodem pane participamus. 1. Cor. 10. sicut panis ex multis granis compositus est vnitus, vt nusquam appareant grana, nec manifesta sit eorum differentia propter coniunctionem; sic vnum sumus corpus

B Christi, non corpora multa, multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna; quia caro prima erat à peccato corrupta, & in dissolutionem inclinans, aliam carnem induxit à peccato liberam & vitam plenam dedit eam omnibus participandam. Id. hom. 24. in 1. ad Corinth.

In Ecclesia multa sunt membra & diuersa, & alia quidem sunt prestantiora & honoratiora, alia verò minora & inferiora, vt sunt chori virginum, viduarum cœtus, sunt eorum qui in honesto resplendent matrimonio sodalitates; & multi gradus virtutum: omnes se inter se ornant, & si minorem nihili fecerit qui est maior, seipsum maximè lædit. Ibid. hom. 30.

C Vnum rogare pro multis magnæ est audaciæ, & quod multa eget fiducia. multos autem cum simul conuenerint, pro vno precari, non est graue, nec importunum; non enim suæ virtuti credens facit vnusquisque, sed multitudini & consensui quem semper respicit Deus, & eo mouetur ac placatur. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, sum in medio eorum; multo magis cum multitudinem charitas congregarit. Id. hom. 4. in 2. ad Thess. *Vide Potestas Magnitudinis.*

Magnum bonum est conuentus ac congregatio, ipsa enim charitatem reddit ardentiorem, & ex ipsa omnia nascuntur bona. Id. hom. 9. ad Hebr.

D Panis Eucharisticus ex multis granis, calix ex multis racemis confectus, significat & facit concordiam fidelium: asseruabatur olim in altari in figura appensæ columbæ, quæ est animal sociabile, simplex, non violentum & vnguibus dilacerans. D. Cypr. lib. 6. de vnitate Ecclesiæ.

Origines & alii cum eo putant quod sancti castè & pudicè viuentes sic minuant vim dæmonũ, vt in eo in quo victi sunt, alios homines non possint amplius tentare. Magister Sentent. lib. 2. dist. 6. q. 1.

Supponitur probitas eius qui est in bonorum congregatione, nam similia se quærunt, & amicè complectuntur. *Vide Concord. Æqualit.*

Omnes Iudæi veniebant in Ierusalem in festo Azymorum. Tostat. Matth. to. 6. fo. 289.

E Leui in Hebreo interpretatur copulatio, vel cohabitatio. Id. 1. Par. fo. 42. Ecclesiastici simul debent habitare. Nã Leui erat tribus sacerdotalis. Sumus membra Christi. Ephes. 5. Vt igitur totum corpus in naturali amicitia cum capite permaneat, æquum est, vt mutua concordia singula item mẽbra inter se coniungantur: Sequanturque capitis sui puritatem. S. Gregor. Nyssen. lib. de perfecta Christiani forma.

Vide Concordantia Æqualitatis. Amor proximi.

Fructus congregationis bonorum est mutua ex-

by Google

hortatio. Vnus enim quomodo calefiet, vt dicitur Ecclef. 4. non equidem poteft quifque benè degere qui fe tantum diligit, qui fe tantum intuetur; alteri viuas oportet, fi vis tibi viuere, mutua pax & exhortatio indicat aliquod effe commune ius generis humani. Laurent. Iuftinian. tract. de charitate cap. 15. in fine.

Cum duo planetę eiufdem naturæ fimul conueniunt, vel etiam exquifitis radiationibus colligantur, quod per ambo fignificatur clarè apparet, vt iucunditas ex Ioue & Venere. Cardan. Aphor. fect. 3. Aph. 81.

Solis commutatio facit amicitiam, propter honeftatem, decorum & gloriam Id. Aph. 83.

De piis facularium fodalitatibus & congregationibus. Vide quæ fcripfi lib. de fucceffu & triumphis vitæ religiofę parte 3. cap. 23. quare congregationes religiofę fuerint inftitutæ, & quantum Ecclefię fint vtiles. lib. de inftitutione & officiis Religiofi parte 3. cap. 1. De piis congregationibus. Libello de amore Dei agente cap. 9.

Opinantur plurimi nouas ftellas quæ apparuerunt in cœlo, factas ex coniunctione plurium minutarum ftellarum, apparuerunt enim omnes circa circulum lacteum qui talis eft, à luce debili plurium diffitarum ftellarum. Argolus Aftronom. lib. 1. cap. 17.

Cherubim & Seraphim per M. litteram prolata, iuxta proprietatem linguæ Hebreæ, mafculini funt generis, & pluralis numeri tantû. Alcuin. l. de diuin. offic. cap. 40. docta charitas eft vnitiua.

Hirenarcha eft is qui difciplinæ publicæ, & corrigendis moribus præficitur. l. vlt. §. Irenarchæ. ff. de muneribus & honorib. hunc leges Gothorum vocant pacis affertorem. Cuiac. obfer. lib. 9. c. 35. optimi mores pacem feruant.

IMITATIO BOnorum.

QVintilian. Inft. orator. lib. 2. fuadet adolefcentibus memoria tenere elegantiffimos oratorum locos, fic enim hæc familiarius animo fuo affigent, & affuefcent optimis, femperque habebunt intra fe quod imitentur, etiam non fentientes formam orationis illam, quam memoria penitus acceperint, exprimen; abundabunt copia verborum optimorum, ac figuris iam non quæfitis, fed fponte & ex repofito velut thefauro fe offerentibus.

In fuaforiis maximè valent exempla, cum plerumque videantur refpondere futura præteritis, habetur enim experimentum velut quoddam rationis teftimonium. Id. lib. 3. cap. 10.

Si non fit æquandi, aut vltra tranfcendi fpes, pulchrum tamen eft in fecundis tertiifque confiftere. Ibid. cap. vlt. lib. vltimi in f. ita faltem multos infra nos videbimus.

Non fufficit imitatio, nifi ad vlteriora nitaris. *Vide Duratio Cognitionis Mora.* Et in probatis etiam non funt omnia imitanda, fed elige quod imiteris. *Vide Media Concordantia.*

Exod. 18. præcipitur vt in S. Sacerdotis rationali nomina duodecim Patriarcharum effent defcripta. Afcriptos enim Patres femper in pectore habere, eft antiquorum vitam fine intermiffione cogitare; nam tunc facerdos irreprehenfibiliter graditur, cum exempla Patrum præcedentium indefinenter intuetur. D. Gregor. PP. in Paftorali parte 2. cap. 2.

Ad animi tranquillitatem multum facit, diligenter infignes homines animaduertere, fi quid fortè fimile aliquando iifdem ex caufis perpeffi fint. Plutarch. lib. de tranquillitate animi.

Febrientibus amara omnia effe videntur, quoadufque videant amicos eadem fumere, vt non ingrata probare; tunc non in cibum aut potum, fed in morbum fuum guftus vitium remittunt. Ibid. afferit fore nos conftantes fi viderimus viros bonos conftanter ferre, imo & optare quæ formidamus.

Vanus eft homo, qui cum honefto ftudeat, fcopum fibi alium vitum, quam bonum proponit. Plato.

Imitamur Solis lucem & calorem per ignem, lucernas & candelas, fic noctem vertimus in diem.

Origenes vnus ex difcipulis Antonii, fermone & narratione de virtutibus optimi magiftri, omnes ædificabat, in vitis Patrum lib. 1.

Exod. 12. edentes agnum Pafchalem, debebant habere calceamenta in pedibus, calceamentum fit ex pellibus mortuorum animalium, greffus noftri muniuntur in hac peregrinatione exemplis fanctorum qui nos præcefferunt. Rupert. lib. 2. in Exod. c. 13.

Leuit. 3. iubetur primitias offerre de fpicis adhuc virentibus, ideft nondum maturis; fignificant exempla imitanda patrum veteris teftamenti. Id. lib. 1. in Leuit. c. 11.

Credo equidem viuos facient de marmore vultus. Virgil. de pictoribus. *Vide Cognitio Virtutis.* Virtus quæ fe profert ad exemplum.

Moris fuit ex legis præfcripto vt à re diuina redeuntes, domefticis ex facrificio portiunculam proferrent; ex prophanis facrificiis dicebatur idolotytum. Rhodig. lib. 12. c. 1.

Cum in Senatu Romæ ageretur de creando cenfore, exclamatum eft voce publica: Valeriani Augufti vita cenfura eft, is de noftra vita fententiam ferat, cui nihil poteft obiici. Idem lib. 12. cap. 11.

Reges Perfarum in fua inauguratione induebantur vefte quam Cyrus habuerat adhuc priuatus. Fuit Argiuorum Rex Enhippus miræ fœlicitatis, qui fi pręclarè aliquid in bello feciffet, eius clypeum ferebat incedens per vrbem, & hoc erat virtutis fuæ præmium quafi dictum regem fuiffet imitatus. Id. cap. 14.

Alexandri Regis fortiffimi & fœliciffimi imaginem plurimi ferebant, auro argentoque infculptam velut amuletum, quo fibi credebant in rebus omnibus plurimum adiumenti afferre. Id. lib. 21. cap. 35.

Patres veteris teftamenti nos iuuant fuis precibus, incedunt primi ante nos armati, præcedunt enim per exemplum & docent quomodo poteftates tenebrarum poffimus fuperare. Origen. hom. 26. fuper Numer.

Idem hom. 1. in Iob dicit Moyfem filiis Ifrael in feruitute Ægypti dura patientibus propofuiffe in exemplum patientiam, & remunerationem Iob.

Sancti funt velut fydera quibus infpectis curfus vitę noftræ dirigitur in hoc mundi pelago. S. Bafilius Seleuciæ orat. 8.

S. Scriptura virorum recordatione, qui res magnas gefferunt ad imitationem prolectat. Præclaros pietatis athletas producit in medium per

narrationes, similitudine naturę, ad simile propositum inescans. Id. orat. 14.

Memores estote vinculorum meorum. Coloss. 4. vis delicate epulari, sericis indui, es in afflictione, paupertate sordibus, memor sis vinculorum Christi, spernes voluptatem, fortiter feres aduersa. D. Chrysost. hom. 12. in epist. ad Coloss.

Vnusquisque vestrum, si velit, potest esse doctor, si seruaueris mandata, habebis multos qui æmulentur, accensa lucerna, innumeras accendit, sic vita pura innumerabiles habet discipulos, & efficit doctores. Id. hom. 5. in 2. ad Thessalon.

Deus bonis aliquando diuitias largitur, vt eorum exemplo cæteri prouocentur ad misericordiam. Idem hom. 1. in 1. ad Timoth. Tentauit Abraham, non vt ipse disceret, sed omnibus manifestam efficeret magni animi sui virtutem. Idem hom. 25. ad Hebr.

Deus mouet alias intelligentias in ratione amati & desiderati, vt dicit Arist. 12. Metaphysi idest tanquam quoddam bonum desideratum, & ad participandum illum, mouent & operantur. Tostat. Deut. fol. 168. Col. 2. c.

Sapiens nihil antiquius habet quam facinorosos homines corripere, id autem præstat non sophisticis verbis, quod est in omni genere censuræ molestissimum; sed quotidianarum exemplo actionum, quæ maximè salubris, quietaque reprehensio est. Maxim. Tyrius serm. 20.

Efficacius loquimur factis quam verbis. *Vide Medium Cognitionis.*

Absurdum est vt omnes laudent virtute præditum, nullus imitetur; etiam aues canorę tibiam sæpius audientes, illam ęmulantur.

Iappones & alii septentrionales populi, sub rigidissimo frigore & semestri nocte, non carent omni lætitia, sed conuiuia celebrant, & his finitis habent citharædos qui primum lęta concinunt, vocibus & rithmis patriis heroum suorum præclara gesta recensentes; tum sono lugubri prorumpunt omnes in gemitus & vlulatus, quasi dolentes se in præclarè gestorum imitatione deficere, procumbunt in terram velut exanimati, donec lætior sonus eos iterum ad gaudia saltumque reuocet. Olaus Mag. rer. septentrio. lib. 4. c. 8.

Timidi & ignaui ponendi sunt mixto ordine inter fortes in classe vel mœnibus vbi fugere nequeant, sæpè enim extrema necessitas virtutem operatur. Idem.

Liquor ex planta extractus & consimilis radici affusus, dat illi fœcunditatem. *Vide Gloria Minoritatis,* ex alienis malis profectus.

In congregatione religiosa, habemus quę imitemur virtutum omnium exemplaria. Vide quæ scripsi lib. de institutione & officiis Religiosi parte 3. cap. 18.

Qui voluerit in re militari & honoribus Cæsari parem fieri, Cæsarem fortiter imaginetur, & in animo sibi fingat, sic fœlicius facta illius constanter adimplebit, & fortunam assequetur. Paracels. lib de occulta Philosophia cap. 6.

Plus proficiunt ad aliorum emendationem virtutes, quam miracula. *Vide Potestas Virtutis.*

Si ad alios respiciendum est, respice non malos, sed sanctos vt imiteris. *Vide Duratio Virtutis.* Inter malos bonus.

Dicunt Arabes sapientes cuiuslibet orbis cœlestis duplicem esse motricem intelligentiam, vnam quæ effectiuè mouet, & est orbis intellectualis anima; alia mouet vt finis, quam scilicet vt excellentiorem anima sibi proponit imitandam.

A Leo Hebr. dialo. 2. de amore. In congregatione Religiosa institutor est vt finis, superior localis vt actu mouens.

Infirmitatis humanæ proprium est exemplis erudiri, vt qui per se iacent, aliena virtute erigantur; ita voluit Deus semper in Ecclesiæ cœlo sanctos velut stellas fulsisse, quę splendorem in suis dederunt custodiis, & luxerunt illi cum iucunditate qui fecit illas, &c. Laurent. Iustinian. fasciculi amoris cap. 12.

In matutino diei Epiphaniæ non dicitur vt in aliis diebus inuitatorium, quia satis ad adorationem Christi nos inuitant exemplo suo Magi. Alcuin. de diuinis officiis cap. 5.

Bonum exemplum est loco prædicationis. *Vide Veritas Virtutis.* Opera dictis concordent.

B Licet leges Imperatorum Romanorum per se non obligent in Gallia, Hispania, aliisque regnis, deseruire tamen possunt per modum exemplarium ad imitandum prudentiam & æquitatem, quam frequentius continent, siue in taxandis pœnis, siue in interpretandis testamentis in coniecturanda mente defuncti, & similibus. Suarez de legib. lib. 3. cap. 8.

Erudimini qui iudicatis terram. Psal. 2. sancti intelligendi sunt iudices terrę, quorum vita atque fides, infidelibus iudicii loco sit. Sic Math. 12. Regina austri surget in iudicio, & Apostol. 1. Cor. 6. an nescitis quia sancti mundum iudicabunt? D. Hilar. in Psal. 2.

C Homo in operationibus ad Deum, ad se, & ad proximum debet imitari tres ordines Angelicæ hierarchiæ. *Vide Concor. Differ.* Ordo. ex D. Bonau.

Bonus multum meretur qui se præbet imitandum. *Vide Medium Virtutis.* Admonitio. ex D. Chrysost. cœli.

Exempla sanctorum sunt velut oleum quo lucernæ in septifido candelabro nutriuntur, idest septem dona Spiritus sancti. Rusbroch de tabernaculo fœderis. cap. 27.

Bonum exemplum citò afficit ad instar odoris suauissimi. *Vide Duratio Bonitatis. Repugn.* beneficium sine mora.

D

AMICITIA VERA inter bonos.

Cassian. l. 1. c. 2. refert Monachos cingulo semper fuisse accinctos, quo vnio & concordia inter ipsos significabatur.

Bene psallite in vociferatione. Est vociferatio vox quædam inarticulata, cum in bello addensati milites, consonè sibi acclamant. In vno igitur concêtu, eademque animorum conspiratione & vnione charitatis, psallite. D. Basil. in Psal. 32.

Matth. 10. Dominus Apostolis præcipit, in quãcumque ciuitatem introieritis, interrogate quis in ea dignus sit, & in ea manete, donec exeatis.

E Solæ lineæ rectæ inter se conueniunt, nam curuę nec cum rectis, nec cum aliis curuis variè semper incuruatis concordant; ita malus vir nec cum bono, nec cum malo conuenit.

Angulus obtusus aut acutus est infinitè multiplicabilis & diuersus, sed rectus est semper vno modo, & ideo omnis rectus angulus, æqualis est omni angulo recto.

Virtus amicitiæ conciliatrix est, & custos, & omnis probus probos diligit.

Alexander Magnus orbem terrarum habebat vt vnã ciuitatem, cuius arcem dicebat esse suũ exer-

Vota publica facta singulis lustris *Vide Differentia Magnitudinis* de numero quinario.

Communitates sine licentia Oratores ad vrbem mittere non possunt. Six V. const. 42. §. 8. Bull. p. 414. to. 2. & Clem. 8. const. 10. p. 7. tom. 3.

De perenni oratione 40. horarum. *Vide Duratio Cognitionis*. assidua rerum diuinarum meditatio.

COETVS ET CONGREGATIONES malorum.

CVm aquæ operirent terram, eamque inuisibilem, & sterilem efficerēt, dixit Deus Congregentur aquæ in locum vnum.

Vide Concordantia Principij concursus causarum in malo.

Lapides qui fiunt ex collisione vndarum, commiscendo lutum viscosum, fiunt fortes, duri, & merguntur. Albert. Mag.

Conuersatio bonorum, est continuum virtutis exercitium; quo illam non licet obliuisci.

Tyrannus viros bonos metuens, cogitur scelestos habere amicos, vnde iterum illi impendet metus.

Ciuitates quæ plures habent seruos eiusdem linguæ, hinc multa mala patiuntur, vt furta, latrocinia, pyratas. Non ergo debent esse eiusdem patriæ, quantum fieri poterit, sed dissoni. Plat. 6. de legib.

In corporibus, dum valida sunt, nihil sentitur ex putridis humoribus hinc inde sparsis, fit morbus cum colliguntur.

Tales sunt hæreses ex multis conflatæ. Vt Turcorum Caluinistarum, Theodoretus tales vocat polimorphos seu multiformes.

De Behemot dicitur. Iob. 41. 14. Mēbra carnium eius cohærentia sibi: & Prouerb. 1. 14. Impij conspirantes in iustum, dicunt Marsupium sit omnium nostrum.

Saturnus serpentibus est proficuus, sicut Iupiter noxius.

Discipuli Ioannis non ferentes Christi discipulos sibi anteferri, iunguntur Pharisæis liuore simili laborantibus, & dicunt. Quare nos & Pharisæi ieiunamus, discipuli autem tui non ieiunant? Math. 9.

Duæ infestissimæ cœli domus, octaua scilicet & duodecima se respiciunt trino & amico radio.

Faciunt fauos vespæ, faciunt Ecclesias Marcionistæ, inquit Tertullian. lib. 4. aduersus. Marcionem.

Media aëris regio est frigida ob frequentes vapores, qui eam eo peruenerint sublatis omnibus impedimentis, sese ad naturale frigus restituunt; eamque regionem sic afficiunt.

Aqua cum terra plus habet continuitatis, quam ignis cum aëre, quia plus conueniunt in dēso grosso aqua & terra, quam ignis & aër conueniant in raro spirituali. Albert. Mag. meteor. lib. 1. tr. 1. cap. 3.

Etiam inter malos est quidam ordo *Vide Concordantia Differentia* ordo *Et Minoritas Cognitionis*. de his quæ casu benè cedunt

In calce frigida, est dispersus ignis, qui quando congregatur ad vnum locum, ex hoc quod expellitur à quibusdam partibus calcis ad aliasquasdam per aquam frigidam infusam calci, efficitur adurens; sic in nube quæ fulgur vibrat dum vapor torrens calidus à frigido regionis obsessus, condensatur. Alb. Magn.

Vide Virtus Concord. Repug. malorum societas,

Mollia non sunt sonora, quia humida cum sint pars percussa cedit in se, & ideo non à tota superficie expellit aërem, qui est causa sonoritatis, dura autem in contrarium. Id. de mineralib. lieb. 4. c. 4. sic mali se mutuo protegunt vt vno læso cæteri læsi videantur.

Licet vti susurratione ad impediendam aut dissoluendam societatem *Vide Virtus Medij Rep.* quando licet vti malo medio.

Titiones ardent communicatis ignibus, propterea. Isay. 7. 4. dicitur de duobus regibus qui adunatis consiliis & viribus obsidebant Ierusalem, Ne timeas à duobus caudis titionum fumigantium istorum.

Sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conniuium malorum pariter potantium Nahum cap 1.

Exitialis est morsus cuiuscumque serpentis cum alium deuorauerit; rubetam, vel scorpionem vipera. Cardan. lib. de rerum varietate cap. 29.

Cato Censorinus dicere solebat ab nullo genere non summum periculum esse, si cœtus & consilia, & secretas consultationes esse finas mali non tanguntur zelotipia in vitiis suis, imo se ab illa inuitant sicut Math. 12. spiritus qui exierat ab homine assumit septem alios spiritus nequiores se, vt in vna anima simul habiteur.

Iosue. 9. congregantur multi reges vt expugnent Israël.

Origen. lib. 1. periarchon. in proemio, dicit Diabolum qui erat excelsus angelus multos alios in suas partes traxisse, qui etiam eius angeli dicuntur.

Herodes & Pilatus prius inimici consentiunt vt interficiant Iesum. Astiterunt Reges terræ aduersus Dominum & aduersus Christum eius Psal.

Diuinus amor, cuius obiectum est sufficientissimum, & non partiale, caret dolore zelotypiæ & coniungit amantes non dissoluit.

Dæmones nefandi spiritus, rebus humanis nocituri, potentioribus causis vim suam iungunt, vt certius perdant; fulminibus scilicet, incendiis inundationibus.

Monasteria & Ecclesiæ non possunt ædificari sine licentia Episcopi, quia multi simulantes ædificare domos orationis, suis indulgentes langoribus, illicitas sibi constituunt speluncas. nou. 67.

Cum serpenti dictum est, terram comedes, intelligendum de Dæmone, qui homines terrena desiderantes sibi incorporat. Tost. Gen. fo. 21.

Pharisæi & saducæi licet essent inter se contrarii tamen contra Christum inuicem concordabant. idem. Math. 20. 6. fo. 113.

Crocodyli morsus terribilis est, nam inter dentes sunt distantiæ in quibus superiores ab inferioribus inferiores à superioribus excipiuntur sic vtrique dentes catenati tenacissimo morsu inhærent, vt quod momoderit, nisi præcisum dilaniatumque non effugiat. Tostat. exo. fo. 109. talis est malorum inter se pessima fœderatio, vt vnum virans miser, in alium incidat, assignatis sibi loci & temporis partibus.

Populus est multiplex, multi sonus, multipliciter affectus, ex dissimilibus multis ac colluuio

ftes vt patet Nehemiæ. 5.

Saturnus inuidum, Iupiter opibus intentum; Mars furibundum, Sol ambitiosum; Venus deliciosum; Mercurius versutum; Luna vagabundum facit. Cardan. Aphor. sect. 2. aph. 173

Stellæ de natura Saturni & veneris inuidos, fallaces, turpem venerem: de natura Martis & veneris, maximam incontinentiam. Ib. sect. 4. Aph. 124. 125.

De parentibus qui liberos diuertunt à professione religiosa. *Vide Potestas Principij.* Patria potestas limitata.

Christiana perfectio difficile potest obtineri inter vitæ ciuilis officia. Vide quæ scripsi de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ. parte 1. cap. 11. De hostibus vitæ Religiosæ. Ib. cap. 19. 20. De his qui per calumnias auertunt alios à professione Religiosa. Ib. parte 2. cap. 6. Mundus ferax est vanitatis & criminum. lib. de institutione & officijs Religiosi. parte 1. cap. 1. 2. 3. 4.

B

Vide Differentia Contrarietatis & Principium Contrarietatis. De diuersis infirmitatibus, earumque causis.

Tot compedibus detinetur homo, quot terrenorum cupiditatibus & peccatis irretitur, ne transeat ad virtutem, captiuatur consuetudine peccandi; retrahitur à sensualitate quæ pœnitentiæ iugo colla submittere recusat; Repellitur suasionibus dæmonum, visibilium detinetur amore; amicorum & affinium dissuadetur blanditiis. Laur. Iustin. l. de spirituali animæ resurrectione.

C

A Religionis ingressu retrahentes. D. Thomas. opusc. 17.

Propositum intrandi religionem est à Spiritu sancto, vt habet can. duæ 19. q. 1. sed resistere Spiritui sancto est graue peccatum, ergo qui aliquem adstringeret iuramento ad non intrandum religionem, grauiter peccaret. D. Thom. quodlib. 4. a. 14.

MALA VERECVNDIA

IN Concilio Vasensi Galliæ. c. 9. an. 442. statutum est vt qui expositos infantes colligunt, id denuntient Ecclesiæ; vt non deterreantur ab hoc opere misericordiæ, metu calumniarum, sic enim prius hæc quærela processerat, vt non misericordiæ, sed canibus infantes exponerentur, quipostquam contestata fuerit Ecclesia, calumniator extiterit, vt homicida Ecclesiastica districtione damnabitur. Concil. Arelarense. II. cap. 51.

D

De multis doctrina præstantibus viris qui verecundia in perorando exciderunt interrupto sermone. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 5. cap. 1.

Propter malam verecundiam non sunt deserenda pietatis exercitia. Vide quæ scripsi moralis Christiana to. 1. parte 1. cap. 29. & lib. de operibus misericordiæ. parte 1. cap. 21.

E

Virgo Maria nuntium Angeli suscepit. Ecce Ancilla Domini, &c. Etsi præuideret famæ suę periculum ex suspicione sponsi & aliorum accusatione. D. Chrysost. homil. 4. in Math.

Non debet aliquis deterreri à bonis operibus quia impugnantur à multis. *Vide Duratio Virtutis.* Inter malos bonus.

Dominus Iesus cum publicanis conuersans, vt eos lucraretur sustinuit dici homo edax & potator vini. Omnia enim hęc despiciebat vt ad finem optatum perueniret, sicut & factum est in conuersione Matthæi. D. Chrysost. homil. 31. in Matth.

Ingenuæ mentes vt sunt, ita videri volunt recti honestique studiosæ, & si quid in opere contrarium incidat, subito naturæ motu sanguis suffunditur in faciem, vel vt pudore confectam, latebrasque quærentem officiosè tegat, insolito calore fingat aliam, vel vt cruorem hunc spectantibus litet in expiationem erroris. hic effectus dicitur verecundia petulantis sexus & ætatis frænum, indolis nondum corruptæ nota certior, cum virtutis amorem, læsæ pœnitentiam, pudor testetur; quandiu viget magna spes est restitutionis, vt à contrario mentis in vitia prostitutæ, nullum maius argumentum, quam si dura frons in his perpetrandis non erubescat. Quid si versis in contrarium affectibus, pudeat non de opere malo sed de bono, si propositum sit imitari nequiores, & eos in malitia non æquare, vel superare habeatur vt deiici.

Magnis quidem in criminibus reclamat interdum conscientia, & illorum horrorem etiam inter perditos non deponit, sæpè tamen in deuotione languidis, affectata negligentia multi conformantur, pudet attentos sacris adesse mysteriis, frequenter peccata confiteri, ad synaximaccedere, statis anni temporibus & horis diei, à negotiis vacare, in vnitatem suam, Deo proximam colligi, & saltem per interualla his se concedere religiosis institutis.

Si virtus retrocedit, quæ non progreditur, in quas tandem abyssos vita præceps non ibit quæ sequitur turbam in deteriora semper ruentem. Facilis in ima lapsus, ad quæ pondus inclinat, vbi nulli sunt qui retineant, multi qui pellant & rapiant.

Cessat certamen, dum turpiter in hostis deditionem venit miles, ad quid Christi de mundo victoris gratia, si hanc tantum homo recipit, vt prodat, & cæteros suos reatus hac profanatione cumulet. Celebrat Ecclesia sanctos qui Deum inuicta fortitudine coluerunt, etiā vitæ suæ periculis intèr idolorum, & vitiorum omnium abominationes, vt intelligamus vim eandem cœlo nobis datam, & si hac vti voluerimus, vnicum hominem fieri posse populo potentiorem. Non timebit insanæ plebis cachinnos & contemptus, qui paratus est ad sanguinem vsque decertare. Ipsi mundani quotidie rident, diris insectantur corruptos vulgi mores, mentis corporisque libertati leges durissimas, ex prauis natas opinionibus, & tamen his non adhęrere verecundum putant; quid facilius quam in ima decliuis loci cadere, at sursum niti sensibus & turbis non adhærere, labor & virtus est, quam qui non sequitur, rationis & Christianæ professionis desertor est turpissimus. Dices tibi soli, vel cum paucis contingere hanc virtutis exercitationem; erit illustrior quo minus communis, sed age fortiter, militabit in lasciuientium etiam animis latens pro te veritas; plures forte lucraberis exemplo tuo; saltem rationem suam seruasse, alios operibus prouocasse, non erit sine præmio. Interim calumnientur, verbis, factis sæuiant, malis displicere laus est.

Quanta mentis peruersitas & adulatio sacrilega, vt placeas hominibus, Deo displicere: timere potius seruorum, quam regis Regum oculos, ipsi fit contumelia si te contemni verearis ex eo

quod leges suæ præcipiunt. Passim in scripturis A Deus dicitur frontem ferream & æneam suis dedisse, cum legis veritas dictis factisque fortiter contra proteruos erat asserenda. *Ex Principiis.*

Per bonam famam & malam, à dextris & à sinistris Christi miles graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur. Læta contemnit & tristia. D. Hieron. ep. ad Nepotianum.

Est confusio adducens gloriam, & est confusio adducens peccatum Eccl. 4. 25.

Prima virtus est Monachi contemnere hominum iudicia; & semper Apostoli recordari dicentis: Si hominibus placerem Dei seruus non essem. Sic Dominus posuit in Prophetis frontem æneam, vt impudentiam contemnentium contererent, & deridentes se deriderent. Id. ad Pammachium. B

NATVRÆ INFIRMITAS.

DE carnis & animæ conflictu. Idiot. Bibl. Patr. tom. 5.

De pœnitentiæ impedimentis. Bernardin, quad. 1. sermo. 19.

In oratione Dominica, oramus, Et ne nos inducas in tentationem, quia vita hominis tentatio C est. Iob 7. Rogamus, vt nos arbitrio nostro non relinquat, sed in omni actu paterna nos pietate constringat, & in vitæ tramite, cœlesti moderatione confirmet. Chrysolog. serm. 67.

Vide Principium Minoritati. Origo peccati.

Artam quidam hanc hæreticam opinionem in occidente propalauit homines natura non voluntate peccare, natura quidem non ea qua præditus ab initio, conditusque est Adam, illam enim bonam, & boni Dei opus esse asserebat; sed ea quam post peccatum adeptus est, quando per præuaricationem atque peccatum, malam pro bona, mortalemque pro immortali commutauit. Photius D Biblioth. cap. 177.

Quid miramur in singulis hominibus ignobile corpus imperanti animo non obsequi, datur etiam corporis politici quædam concupiscentia quæ Dominum nescit, & peccatorum veluti fomes est, quo regna vitiantur.

Mali sunt animi, quibus Mars est in Mercurii quadratura Cardan. Aphor sect. 2. Aph. 32.

Mulier quę Martem cum Luna habet, non est pudica. Cardan. Apho. sect. 4. Aphoris. 4. quod homines inclinentur ab astris ad quædam vitia Vide combinationes ad quas hæc vitia reducuntur.

Non est pudica quæ habet in ascendente signũ Martis & in eo Venerem, aut signum Veneris & in eo Mars, aut Mars sit dominus ascendentis in corde cœli. Idem Aph. 110.

Pessimi mores fiunt ab infortunis, maximè iunctis inter se, vel cum Mercurio in septimo loco, E post in octauo, inde in nono, nam Deum tunc non verebuntur, atque hoc magis, si vim habeant in ascendente. Ib. Aph. 134.

De vi amoris impuri. *Vide Potestas Voluntatis. Mala.*

Infirmitates naturæ ne subrepant inuigilandum. Vide quæ scripsi moralis Christiana tom. 2. parte 1. cap. 41.

Apostolus & carnalem hominem posuit, & animalem & spiritalem; carnalem belluæ modo diuina & humana negligentem, cuius vita corporis famula sit; negotiosa, cibo, somno, libidine: animalis autem qui ex iudicio sensus humani, quid decens honestumque sit, sentiat, &c. D. Hilar in Psal. 14.

Asperam nobis & insuauem virtutum viam, nimia facit vitiorum consuetudo. D. Hieron. epist. ad Celantiam. De mala consuetudine *Vide Potestas Concordantia.* Societas cum malis.

Quia sensus sunt contrarii rationi, per mortificationem subigendi sunt. *Vide Minoritas Gloriæ.* Mortificatio.

DÆMONVM TENTATIO.

PEtrus Damian. scripsit librum de Antichristo, & Hipolytus Biblioth. Patr. tom. 11. De conflictu interiori liber Laurentii Iustiniani.

De tentatione Dæmonum. Albert. to. 18. 19. Gerson. tom. 3. 4.

Matth. 17. Christus sanat lunaticum; ita Dæmon, aptans Lunę cursibus hominum passiones, vexabat corpus lunaribus incrementis; vt esse Lunæ crederent, quod erat diabolici criminis & furoris; sic homines illusit, infamauit apud desides creaturam, quæ lumini tantum condita, lædere nescit homines, quos continua magis iuuare cogitur seruitute. Chrysolog serm. 52.

Tentatio est species fallens, quæ prospera in aduersis, aduersa occultat in prosperis, humanamque ignorantiam dolosos educit in lapsus. Id. serm. 71. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Latens iniuria.

Postquam in Dæmonem conuersus est ex Angelo, ne qua creatura in suo statu consisteret, arte, dolis, machinis, fraude contendit. Id. ser. 96. Hostis plus ducem, quam militem petit, nec obsidet mortuos, sed impugnat viuentes; sic Diabolus, nec peccatores quærit capere, quos possidet subiugatos, sed vt iustos capiat, sic laborat. Ibidem.

Cœlo pulsus, non habens societatem Angelorum, nec valens bonum facere, omnem non extinctam in se industriam naturalem impendit vt noceat homini. Sic quantum potest, nocens Deo, dum nocet creaturæ Deo charæ, cum vexant energumenos volunt imitari incarnationẽ Verbi.

De malis dicitur. Introibunt in inferiora terræ, partes vulpium erunt, idest Dæmonum qui astu nos àuertunt à Deo. Origen. hom. 11. super Num.

Dæmones induunt figuram equitum, vt armenta Iob stata die abigerent. Id. lib. 1. in Iob.

Serpit Dæmon per omnes aditus sensuales, dat sese figuris, accommodat coloribus, adhæret sonis, odoribus se subiicit, infundit saporibus. D. August. lib 18. de ciuit. Dei. cap. 18.

In hominibus mouent humores & spiritus, vt aliud illis appareat vigilantibus sicut & dormientibus, & sic decipitur intellectus, illumque sic immutant. D. Thom. in quæst. 9. 16. a. 11. & 12.

Ipse Diabolus est mali author, nequitiæ origo; bonorum hostis, corruptio sæculi; homini semper inimicus. Ille laqueos tendit, lapsus parat, foueas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit

Digitized by Google

git animas, cogitationes suggerit, mittit iras, dat A virtutes odio, vitia addit, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, humana violat, & diuina contemnit; damnationis sibi socios conquirens. Laurent. Iustin. de fidec 4.

Dæmones bonis nostris inuident & obstant. Vide quæ scripsi Theolog. natura. to. 2. parte 2. cap 13. 14. Et libello de amore Dei patiente cap. 7.

Plura de Dæmonum tentatione. *Vide Medium Minoritatis.* Malum consilium.

Diabolus tam infestus est hominum saluti, propter odium in creatorem, & inuidiam in hominem, & desperationem suæ salutis. Alcuin. in Genes. interrog. 13.

Diabolo dulce est peccare nos, vt peccatorum B nostrorum testimonio glorietur. Est enim eius hæc propria calliditas, instigare ad peccandum, & arguere peccantes. D. Hilar. in Psal. 118. Aleph.

Dæmonis multæ sunt in genus humanum insidiæ. Alex. 4 const. 8. Bull. p. 113. to. 1. maximè contra Religiosos Clem. 4. const. 3. p. 128. to 1.

INVIDIA.

INuidus sibimet ipsi pœna est. *Vide Principium Minoritatis.* Malum à seipso.

Dionysius senior, non satis habuit, se maximum C sui temporis tyrannorum esse, sed indignum esse ratus quod Philoxeno Poëtæ in poëtica, Platoni in disserendi facultate esset secundus, vtrosque mulctauit exilio. Plutarch. lib. de tranquillitate animi.

Planeta cum hoste suo, est vt vir pugnans cum hoste suo. Bethem. centiloquii n. 11.

Omnis vitiosa iactatio sui affert auditoribus non fastidium modo sed odium. Habet enim mẽs nostra sublime quiddam & erectum & impatiens superioris; ideoque abiectos & submittentes se, libenter alleuamus, quia hoc facere tanquam maiores videmur. & quoties discessit æmulatio, succedit humanitas; at qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur, nec tam se D maiorem, quam minores cæteros facere. Inde inuident humiliores; nam hoc vitium est eorum, qui nec credere volunt, nec possunt contendere, rident superiores, improbant bonos. Quintil. Inst. orator. lib. 11. cap. 1. De vitiosa sui iactantia quæ inuidiam parit. *Vide Cognitionis Virtutis* Iactantia.

Eo iam amentiæ ventum est, naturaque nostra in degenerem quandam inuidamque affectationem sic est deprauata, vt non tam propriis lætari soleat, quam alienis bonis angi. Plutarch. lib. de tranq. animi. Vbi inuehitur in querelosam illam animi iniquitatem, fortunæ conuiciatricem, & abiicientem se præ aliorum admiratione, animũ.

Inuidus, non est sine impietate, quia odit eum quem Deus amat & illustrem efficit. Non sibi inuident mundi partes, terra cœlo, Luna Soli; sed imo splendorem suum excipiens, effundit. At inter homines solet esse inuidia in eos qui sunt dote aliqua præstantes, vt eos qui ambulant in Sole, vmbra sequitur. Hoc vnum iusti habet inuidia, quod authorem suum torqueat. Est vlcus animę; vt ærugo ferrum, sic inuidia animum corrodit.

Inuidi peccant contra legem naturæ, qua elementa non grauitant in propriis locis. Et pars terræ alteri innitens, quiescit, licet non contingat centrum.

Luc. 16. Senior filius inuidus quod iunior filius receptus esset à patre, summum frugalitatis bonũ, extremo zeli malo perdidit. Inuidia malum vetustum, prima labes, antiquum virus, sæculorũ venenũ, causa funeris. Hæc Angelum deiecit è cœlo, primum hominem è paradiso, Abrahæ sobolem ad saluatoris sui mortem, armauit; non carnis quatit muros, sed in ipsam cordis arietat arcem. O zeli tumor, duos non capit, domus ampla germanos, sicut olim duobus fratribus angusta fuit totius mundi latitudo. Chrysolog. serm. 4.

De inuidia. D. Chrysost. hom. 44. 45. Basil. concio. 18. to. 3. & hom. 11. D. Thom. q. 10. de malo. Gerson. tom. 4.

Inuidia de cœlo deiecit Angelum, de paradiso exclusit hominem; ipsa primum contaminauit terras germano sanguine. Ipsa germanos compulit venundare germanum; ipsa Moysem fugauit, Aaron in fratris excitauit iniuriam; Mariam maculauit errore germani; denique Christum ipsum cruci affixit. Chrysolog. serm. 48.

Matth. 13. inimicus homo superseminat zizania in medio tritici, non vt acquirat, sed vt perdat triticum; quia inuidiæ spiritus, aliorum damnũ suum reputat lucrum, & quod perierit hominibus hoc se existimat acquisisse. Id. serm. 97.

Tyranni viros bonos, quantum possunt, delent, ne corũ comparatione deteriores appareant, & ne plures boni, malum non ferentes, fortiter contra eos insurgant. D. Th. de regimine principis opusc. 20. c 3.

Inuidia est inordinata tristitia, qua quis dolet de bono alicuius, non quatenus est bonum illius, sed quatenus videtur diminuere propriam excellentiam.

In Scotia est lacus qui tunc maxime procellis agitatur, cum cœlum magis est serenum, & venti quiescunt. Dauity.

Dicitur 1. Reg. 2. de filiis Heli, erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines à sacrificio Dei. *Vide Contrarietas Maioritatis.* Docere sine inuidia. *Vide Medium Cognitionis.*

Quilibet debet esse contentus de propria conditione. *Vide Finis Voluntatis.* Limitata desideria, & de alienis bonis non tristari, sed gaudere. *Vid. Glor. Volunt.* Delectatio amoris. Et *Glo. Bonit.*

Ignorant te tempora nostra. Sic est, inuidia viuentes vrit, calcat, exterminat. Rari viuentes laudati sunt. Virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quærimus inuidi. Æneas Syluius ep. 131.

Inuidia non vult habere pares. Philosophi asserũt vnicum esse mundum quem inhabitant, alii obseruant in Luna terras, montes, valles, Maris etiam fluxum & refluxum, & in singulis planetis asserunt tot esse mundos.

E Adrianus Imperator ambiebat scire omnes artes, omnes scientias & in illis excellere, ita prestantibus inuidebat, vt eos deprimere conaretur minus peritos illis præferendo, & præmiis donando. Suidas in verbo Adrianus.

Canis in præsepe, de iis qui nec ipsi rebus vtuntur, nec alios vti sinunt. Suidas

Ferunt aliquando aquas inuidisse plantis viriditatem, ideo ab irroratione destitisse. *Vid Fin. Bonit.*

Inuidia festos dies non agit, sibi semper & aliis noxia.

Hominem malignum forsan esse tu credis. Martial.
Ego esse miserum puto, cui places nemo. epirg. 19 l. 5.

Cato Censorinus quadragies quater accusatus, toties pro se causam dixit & absolutus, est. Cardan. de rer. variet cap. 40. A

Licet in stadio eniti vt vincas, non licet alium currentem manu vel quocumque astu detinere. Rodig. lib. 11. cap. 5.

Qui Ecclesiam vel ædificari, vel consecrari prohibuerit, aut non permiserit, sacrilegium committit. can. nullus. §. qui autem & can. seq. 2. q. 1.

Grauius sæuit in Dauidem Saulis inuidia quam Goliæ hostilias. Luget victoriam, communem, lætitiam deplorat, & obtentæ victoriæ celebritatem calamitatem reputat. S Basil. Seleuciæ. orat. 6.

Ita ne qui corpus tuum affectum curauerit; inimicus tibi antea cum esset, hunc protinus amicum tibi in posterum censes, eum autem qui Christi corpus, hoc est Ecclesiam exornat, amicus antea cum esset, hunc protinus inimicum ducis; quanam alia melius ratione bellum te aduersus Deum suscipere ostendas; obruerent omnes lapidibus eum qui ignem manibus gestans; vellet sacras ædes incendere, grauius est spiritualem ędificationem demoliri; &c. cum pastore depugnat qui Christi ouibus insidias struit. Gentili durior, offendens eum à quo nullam accepit iniuriam. Bello perniciosior est inuidentia nam qui bellum gerit sublata belli causa inimicitias deponit, aperto marte decertat, at inuidus occulto, & perpetuo, hoc malo fraternam manum armauit; Christianorum couentus subuertit, hæreses peperit &c. D. Chrysost. Homil. 7. in c. 3. ad Rom. B

Inuidiam excludit Apostol. Rom. 12. cum dicit; gaudere cum gaudentib. *Vide Concordantia Gloriæ* Congaudere.

Cum fuerit inter nos zelus & contentio, numquid carnales estis, & secundum hominem ambulatis? 1. Cor. 3.

Multa quidem membra, vnum autem corpus. 1. Corinth. 12. vno spiritu pascimur, vnum sumus in eo quod vnum corpus: hæc cogitantes omnem expellamus inuidiam in eos qui maiora habent dona nec eos contemnamus qui minora, sic enim Deus voluit. Si adhuc conturbaris, cogita quod tuum munus ille non potest implere, nec tu illius, &c. D. Chrysost. Homil. 30. in 1. ad Corinth.

Inuidus communis humanæ naturæ circumiens hostis, & Christi membra verberans. Dæmon inuidet, sed hominibus, nulli autem dæmoni: at tu doles rebus proximi secundis, cum te oportere coronari, lætarique & ei qui est eiusdem generis non aduersari, quasi quidam fucus perdit alienos labores, non studet surgere, sed alios deiicere perfectus æmulator diaboli. Is autem cui inuidetur, si sapiat, euadit splendidior, qui autem inuidet plura mala sibi accumulat. Sic Ioseph, Aaron, Iacob euasere illustriores. Inuidet gratiam à Deo datam; odium ergo & inimicitias aduersus illum suscipis qui donum dedit. Rogemus Deum vt hi liberentur à tali malo quo quasi verme in hac vita corroduntur, à futuro defectu charitatis exclusi. Ibid. hom. 31.

Inuidet Ecclesiæ ad cuius gloriam & ministerium talis ornatur. Id. hom. 11. in epist. ad Coloss.

Bulla gestamen erat triumphantium, quam in triumpho præ se ferebant, inclusis intra eam remediis, quæ crederent aduersus inuidiam validissima, hinc prætexta & bulla in vsum puerorum nobilium vsurpata ad omen, & vota concilianda virtutis. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 6.

Fœlicitas beatorum, est tormentum damnatorum. Tostat. Math. 10. 7. 182.

Inuidia solet esse inter similes. *Vide Contrarietas Concordantia.* Pugna similium mala.

Vide Contrarietas Bonitatis. Quæ impediunt largitiones.

Certantibus non omnes inuident cum à natura non habeant ad id vires, nec habitus ab arte: at virtute præstantibus magis inuidetur, quia nascuntur omnes ad virtutem, insitis eius in se seminibus. Maximus Tyrius serm. 37.

Cum dominus duodecimi loci, dominum primi oppresserit, vir ille, & si egregius fuerit, inimicorum tamen potentium illo à multis impedietur; sed hoc magis cum constans planeta fuerit, & infortuna, nec in ascendente vim vllam habeat. Cardan. aphor. sect. 3 aph. 121.

Proximi bona sine inuidia spectanda sunt. vide quę scripsi moral. Christia to. 3. parte 2. cap. 15. Absit inter homines sacratos altaribus sub diuersis institutis inuidia. lib. de agente Dei in humanis parte. 1. cap 22. 23. extinguatur quæ viros religiosos exagitat inuidia. Ib. de vitanda inuidia. Ib. parte. 5. c. 13. boni multa patiuntur à malis libello de amore patiente cap. 18.

In remedium inuidię orationes fiunt pro omnibus. *Vide Concordantia Virtutis* vota publica. *Et Gloria Concordantię*. Publica priuatis præferenda.

Tale malum est inuidia, vt nulla sit malignitas peior. Nam adulterio inquinati, voluptatis saltem iniquæ fructum, vt putant, aliquem capiunt; & breui tempore peccatum committunt; Inuidi autem multum ante seipsos, quam quibus inuident perturbant & cruciant, nunquam cessant à peccato, & vt dæmones aliorum calamitatibus exultant, fœlicitates, suam putant miseriam, vt scarabæi alieno stercore, sic isti aliena miseria nutriuntur. Inuidia hominem conuertit in immanissimum dæmonem D

Inuidia primo homines cædes apparuit terra hominis sanguine primo maculata, & aperta vt sorberet Dathan, Chore & Abyron: à communi societate exterminandus magis magis inuidus quam fornicator latet enim nec habetur vt est peccatum grauissimum. D. Chrysost. Homil. 41. in Mathæ.

Math. 10. inique conquerentur operarij à mane in vinea qui laborauerant, quod accepta de qua conuenerant mercede; posterioris illis in mercede pares facti sint. E

Inuidia in aliena prosperitate tabescit, in aliena aduersitate hilarescit; & in aliena mendicitate refrigescit. D Bonauen.

Inuidiam vitat apud æmulos qui de fortuna sua quæritur.

Inuidia corrodit cor inuidi, sicut tinea lignum in quo nascitur.

PRINCIPIVM VIRTVTIS.

CAVSÆ NATVRALES, QVAE conferunt ad virtutem.

PATRIA.

EX patria mores accipimus, & ex variis cœli locis aspectibusque diuersæ ingenerantur morum cõtemperationes, quod asserit Hypocrat. lib. de aëre, aquis & locis. Plato in Timæo. Arist. 7. Politic. cap. 7. Veget lib. 1. de re militari. cap. 2. Ptolomæus, Haly & cæteri astrologi, idque docet experientia. Nam vt plantarum semina, sic hominum mores trahunt similitudinem regionis in qua sunt.

Vide multa ad hanc rem collecta à Chassen. in catalogo gloriæ mundi. parte 11. consider. 24:

Propter astralogicas rationes, dici potest quod patria mores corrumpit propter abundantiam rerum; vt exercitus Hannibalis fractus est delitiis campaniæ. Cuilibet patriæ sui sunt mores, suæ leges, sua vitia. *Vide Differentia Veritatis.*

Ex elementis alimenta, ex his corpora, ex his autem mores, Carda. lib. de rer. varietate cap. 40. vbi plura. *Vide Potestas Medij.* Alimenti.

In smaragdis sunt quædam vitia nationum peculiaria, Etenim ex Cypriis aliqui variè glauci sunt. In Atticis viriditas paulatim euanescit, & senectute confici videtur. Georg. Agricola. lib. 6. de natura fossilium. Similiter in plantis, animantibus, leonibus, equis, canibus virtus qua excellunt petitur à patria.

Flagrat vitio, gentisque, suoque.
Emollit gentes clementia cœli.

Historicorum est sentia cuique speciei plantarum aliquod solum sic esse connaturale, vt spontè tantum ibi oriantur, alibi verè consimiliter translatæ & cultæ.

Imp. Iustinian. Nou. 26. initio dicit Thraces ingenito & patrio quodam iure esse bellicosos.

Diuersas cœli partes, influxus varios in hęc inferiora mittere ipsi sensus percipiunt, videmus enim plantas & animalia certis tantum in locis vltro produci, cum alibi non viuant, & extra solum suum translata, quidquid artis diligentia conferat, post successiuos defectus, tandem emoriuntur. *Vide Medium Durationis* locus. Corporis nostri & humorum ex quibus constat temperamentum à cœlo pendere probat Hypocrates lib. de aëre, locis & aquis & experimur asperis regionum qualitatibus ferendis paria nasci corpora; quis enim ardores Æthiopię, nisi æthiops, sub polo frigora, nisi hunnus toleret, his partibus vbi quisque natus est, congruit, & sub cœlo cæteros mortales torrente, nihil patitur violenti. At corporis temperamentum mores sequuntur, vt id integro tractatu probat idem Hypocrates, & A tota Physicorum, Medicorum, Astrologorum schola consentit. Aër enim afficitur à cœlo & hic in pulmones exceptus, transit in spiritus vitales & animales omnis motus arbitros Sic terra qualitates quas accipit à cœlo, fructibus suis imprimit, & offert alimenta, quę sic in corpus nostrum transeunt, vt assiduitate dum assimilantur, assimilent. Ptolomæus sic totum cœli spatium diuidit, vt quasdam eius partes signorum Zodiaci trigonis igneis, terreis, aëreis, aqueis & his dominantibus planetis assignet, & hinc varios incolarum mores colligit. Vt vnicuique cœlorum suus est motor, sic diuersis sub eo regionibus, ordinis diuersi genios præsidere credidit sacra simul & prophana sapientum turba. Ab his dicunt populos ad singularia quædam natos propriis distinctisque regi legibus, Meridionales ad scientias & ar-B tes, Septentrionales ad bella, medios ad vtraque studiis & exercitatione perfici. Nec vno parique semper tenore, prout enim stellæ fixæ lento suo gradu fiunt illis verticales, afficiunt ex perpendiculo vi maiore, & in qualitates suas, antiquis etiam contrarias fortiter inclinant. Sic Orientales olim scientiarum & artium Magistri, nunc incultis mentibus toti sunt in bellis & commerciis, dolis, ferina, saturnina timidaque crudelitate tantum insignes. Vt tamen omnia sunt in omnibus, vt in medio mari videre licet florentes insulas, sic Anacharsim Philosophum ferox Scithia produxit; plures tyrannos mitis Græcia, non est hæc minor ex peregrinatione voluptas obseruare quosdam moribus Gallicis in Hispania, Germanicis in Italia, Italicis in Suecia, sic prouidentia ludit in humanis, incolarum varia genesi. & vt exemplo doceat, nihil obstare nostræ libertatis profectibus, C Germanum fieri posse Gallum & cælitem. *Ex Principii.*

Lupi & Vrsi sunt longè sæuiores in regionibus septentrionalibus quam in aliis, itaut rusticorum domos inuadant.

Locorum asperitas hominum quoque ingenia durat.

BONA INDOLES.

DE educatione. *Vide Virtus Principii.*

Fontes totius virtutis tres sunt. Scientia & potẽtia, & volũtas. Scientia qua res contẽplantur

& iudicamus. Potentia vero seu robur corporis quo perstamus & immanemus rebus intenti. Voluntas autem est tanquam manus ipsius animæ, quibus agredimur& apprehendimus res. Stobæus serm. 1.

D. Thom. libro contra Gentiles, resoluit argumentum D Augustini de Iacob & Esaü natis sub eadem constellatione tam disparibus & ait quod cor principium vitæ Esaü, erat in diuerso situ ad horizontem, & sydera à corde Iacob. itaque melior dispositio fuit in vno quam in altero Et opusculo. 28. de fato.

Virum bonum natura, non ratio facit. Publ. Syrus. Magnum inter naturæ ornamenta Dei donum nasci fœlicem: doctrina sine natura deficit vt seges in agro sterili.

Qui præter vim & naturam ministeriis destinantur, coguntur sæpè totavita luctari, & à scopo semper aberrare.

Petrus Damiani opusc. 9. cap. 1. probat quod vnicuique homini ex virtutibus vna eligenda cui magis seruiat & in qua perficiatur, ea scilicet, in quam naturalem habet propensionem.

Vide Medium Virtutis. diuersa media ad virtutem.

Non vbique terrarum sed in terra certo modo disposita, & sine cultura hominis, aurum producitur.

Motus naturalis & indoles, deprehenditur ex eo quod contrariatur actioni in qua vim & difficultatem patimur.

Actus & habitus non habent rationem radicis, sed rami. Omnes potentiæ animæ intellectiuæ & sensitiuæ, appetitiuæ & apprehensiuæ interiores, vt operantur ex ratione indigent habitu, non autem ex instinctu naturæ De habitu quo virtus acquiruntur. *Vide Duratio Virtutis mora.* in acquirenda virtute.

Passiones animæ tanto vehementius impellunt, quanto magis sequuntur inclinationem naturæ.

Virtutes in nobis sunt à natura secundum aptitudinem & inchoationem, non autem secundum perfectionem, præter virtutes Theologicas quæ sunt totaliter ab extrinseco.

Quædam syluestria nolunt coli, sed indoli suæ relinqui. *Vide Veritas Virtutis Repug.* affectatio mala.

Quæ secundum naturam feruntur, frugiferè prodeunt, cum præter naturam facilè sterilescunt Theoph. lib. 2. hist plant. c. 7.

Aliquando aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum purum & sincerum intra terram generatum inuenitur. Georg. agricola lib. 8. initio, de natura fossilium. In Hispania repertæ sunt massæ puri auri decem libras excedentes. Hunc aurum Græci vocant ἄπυρον idest ignem non expertum.

Sæpius ad laudem atque virtutem plus valet natura sine doctrina, quam doctrina sine natura; constat poëtam natura ipsa valere & mentis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari. Cicero pro Archia poëta.

IlludPlatonis reperitAristoteles in Politicis, quibusdam statim in vitam prodeuntibus aurum affundi, nonnullis argentum, artificibus verò & agricolis æs aut ferrum, Rodig. lect antiq. lib. 7. cap. 24.

ReferuntGalenum à teneris annis medicina delectatum, Origenem ob ipsis incunabulis, Leonidā parentem de abditis diuinæ scripturæ mysteriis interrogasse. D. Nicolaum & D. Anathasium pue-

A ros inter coetaneos Episcopi personam egisse. D. Thomam puerum solis libris delectatum: S. Carolum Boromæum infantem altaria in cubiculo erexisse: sic appositè Propertius.

Sunt quibus Elea concurrit palma quadrigæ,
Sunt quibus in celeres gloria nata pedes
Hic satus ad pacem, hic castrensibus vtilis armis
Naturæ sequitur semina quisque suæ.

SiDeus vult alicui infundere animam perfectam, secundum naturales virtutes, incipit à corpore, & dat ei corpus benè dispositum. Tost. Math to. 7. fo. 13. c. 4. g.

Vide Potestas Medij. dispositio quantum valeat in recipiente.

B Ex maiori in aliquid affectu coniicitur aptitudo. *Vide Cognitio Medij.*

Virtus est à Ioue bene posito.

Ad contemplationem multum facit conditio naturæ, tametsi non sufficiat, quia graues, amari, melancholici ex natura, scrupolosi inflati valdè difficulter ad internā spiritualem vitam peruenire possunt, ad illam autem magnam habent dispositionem, læti, amorosi, & compassiui. Harph. theol. myst. lib. 2. p. 2 c. 14.

Ad diuersa nascimur. Vide Differentia Virtutis. Eligenda vita conditio genio suo conformis. Vide quæ scipsi moralis Christiana to. 2. parte 1. cap. 5. bona indole quomodo bene vtendum. Ib. to. 4. parte 1 cap. 10. Consolatio eorum qui malam sortit sunt indolem. C *Ibid. parte 2 cap 8.*

Vide Concordantia Principij cœlo assimilari.

Fert fabula, Iouem concubuisse cum. Alcmene sub forma amphitrionis mariti sui, vnde natus Hercules. Idest Iupiter planeta influxu suo dedit Herculis natiuitati, quam sperare non poterat ab homine parente complexionem Leo Hebræ. dial. 2. de amore.

In quibusdam Indiæ partibus inueniuntur auri grana pura, & tale aurum terræ impermixtum non indiget igne purgari. Acosta hist. Ind. lib. 4. cap. 4.

Ad mores formandos plurimum interest qualis natura sit. ceu in lignis statuarum, nodosa enim D difficile celari possunt, quapropter qui mediocres natura sunt, nec nimis concitati, aut remissi, hi ad morum institutionem apti sunt Cardan. de arcan. prudentiæ cap. 23.

CAVSÆ SVPERNATVrales Diuina gratia ad virtutem necessitas.

DIrectio viæ nostræ ex Deo est, vnde debemus eam à Deo petere cum Psalmista psal. 24. dirige me in veritate tua, & Psal. 5. Dirige in E conspectu tuo viam meam. Sic Hieremias proclamat c. 10. Cognoui Domine, quia non est in homine via eius, nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos. & Osee 14. dicit Dominus de Israële, Et dirigam eum ego, vt abietem virentem; ex me fructus tuus inuentus est. Cassian collat. 3. cap. 12.

Vt ex terræ mandato semine, nihil proficit agricola sine sole, Ita in virtutibus homo sine Deo. Id. col. lat. 13. cap. 5.

Virga directionis, virga regni tui psal. 44.

Nix dissoluitur ad lumen solis, sed non ad lumem Lunæ parū proficit ad emendationē vitæ, naturalis

cognitio, si non accesserit gratia. *Vide Principium Gloria.* A

Dicit Apostolus. In ipso viuimus, mouemur, & sumus: Viuimus per gratiam Christi nos à peccati morte eruentem, mouemur per eandem nos excitantem, & mouentem, sumus velut in centro per quietem contemplationis. Gerson. in præfatione lib. de vita spirituali animæ.

Viri boni non euadunt tales nec natura, nec institutione, tales ergo fieri debent inspiratione diuina, vt fatidici, vnde & vulgo viri diuini vocantur. Plato 7 de legib. & addit quod cum Deus vult Rempublicam aliquam florere, bonos viros in ea constituit, adimit autem, cum aliquid mali illi imminet. Ibid. B

De Spiritus sancti fructibus tit. 8. dietę salutis. Bernard to. 4.

In Insula Cypro, terra ex se fertilis, sed defectu pluuiæ & roris magna sæpius laborat sterilitate.

Effundam spiritum meum, super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam, & germinabunt in te herbæ, &c. Esay 44.

Deus est in Angelis vt decor in quantum veritas, & sapor in quantum bonitas; In fideli anima, sicut rex in regno, fons in hortis, lux in tenebris, carbunculus in annulo Card. Cusa. excitat lib. 2. cap. 12.

In grano tritici est thesaurus quidam vegetalis vitæ, sed qui nō potest prodire in actū, sine virtute superiori, solis scilicet: sic in nobis semen vitæ non potest prodire in actum, nisi per sublimitatem virtutis Dei Idem lib. 4. cap. 2. C

Sicut ignis accensus in ligno, potest innumera ligna sibi apposita accendere, sic gratia Christi ad ipsum accedentes, sanctificare. Ibid. cap. 5.

Vide Medium Virtutis. de tribus mediis ad virtutem, quorum præcipuum est Dei gratia Nam vt arbor plantata non fructificat sine sole, sic nec bona inclinatio naturalis sine Deo, Id. lib. 6, cap. 2.

Christus nos docuit orare, fateamur omnia ex gratia nos habere. Id.

Ferrum non currit ad magnetem principium suum, nisi magnes virtutem ei suam impresserit, sic creatura intellectualis caret motu sursum ad suum principium Deum, nisi Spiritus sanctus superueniat, & obumbret ipsum. Nemo, inquit Christus, potest ad me venire, nisi Pater meus traxerit eum; sustinetur in aëre ferrum vi magnetis, sic gratia impedit ne homo cadat Idem. lib. 7. cap. 9. D

Pictor non potest suis coloribus solem splendidum pingere, ipse se solus exprimit in speculo. Deus solus gratia sua format animam in sui similitudinem.

Dicit sponsa in Canticis de sponso introduxit me in cellam vinariam.

Vide Epistolam Cœlestini Papæ an. ch. 431 in Conciliis Galliæ Sirmondi, quod Adam omnes homines læsit; quod nemo est bonus nisi participatione eius qui solus est bonus: quod per Christum vitamus insidias diaboli, & bene vtimur libero arbitrio; omnia sanctorum merita esse dona Dei. quod gratia Dei & peccata dimittit, & adiuuat ne committantur, &c. E

Animalia habent à se principia generationis; plantæ potius ab aere & cœlo, vnde qualis fuerit annus, talis & fructificatio, vt in cæteris rebus, sic in tarditate & celeritate. Theophr. de causis plantar. lib. 4. cap. 12.

Cardanus de rer. varietate lib. 1 cap. 2. asserit elementa inferiora esse natura sua frigida, scilicet terram, aquam, omnium maximè aerem, qui aquam congelat. His calorem esse à cœlo.

Dicit Plinius omnia modicis imbribus ali, quippe & harundines quamuis in palude prognatę non tamen sine imbre adolescunt. Pisces in aqua assidui, si non appluat, exanimantur. Rodigin. lib. 27. cap. 2.

Natura videtur ideo hominem quasi inuersam arborē, sursū radices, versus terrā ramos habentē creasse, vt nimirum à cœlo tanquam à proprio solo, eiusque agricola Deo, at eius in mundo sublunari vicariis necessarium mentis pabulum, educatione mediante capesseret, Dei agricultura, Dei ædificatio estis 1. Cor. 3. Sanctimonium Domine quod præparauerūt manus tuæ. Exod. 15. Dicitur, Num. 33. exierunt filij Israel cū virtute sua, diuina scilicet, quæ dixerat Moysi. descendam tecum in Ægypto.

A Domino gressus hominis dirigentur. Psal. 36. ne deficiat, excedat, deuiet.

Gratiæ Dei continuus est in nos influxus. *Vide Duratio Bonitatis.* continuatio beneficij. Sine tali influxu non potest haberi virtus propter contagionem corporis. *Vide Potestas Concordantia* malorum.

Deus dicitur ignis consumens, quia consumit malas mentium cogitationes, consumit gesta turpia, consumit desideria peccati, cum se credentiū mētibus inserit. Origen. lib. 1. periarchon. cap. 1

Sicut cum bonos atque vberes fructus ad perfectam maturitatem pertulit seges, nemo dicet quod istos fructus fecit agricola, sed à Deo fatebitur præstitos. Sic nostra perfectio non quidem nobis cessantibus & otiosis efficitur, eius tamen consummatio Deo debet adscribi. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus 1. Cor. 3. Id. lib. 3. cap. 1.

Sicut terræ fœcunditas non à sola terra sine cœlo, nec à cœlo sine terra, sic neque perfecta virtus absque diuina virtute. Vnde non glorietur sapiens in sapientia sua, neque robustus in robore suo quod enim gloriatione dignum est, nostrum non est, sed donum est Dei. Id. in Matth. 13. in fine

Ioannes dicit de Christo, Non sum dignus vt procumbens soluam corrigiam calceamentorum eius Accommodatum enim est ad naturam bonitatis Dei, vincere in beneficiis eum in quem beneficia conferuntur, anticipareque eum qui dignus futurus est atque ornare idoneitate vt post ideonitatem assequatur esse dignus; Ne talis dignus omnino cum fuerit, præueniens Deum munera largientem, ipsiusque gratias anticipans, ad hoc pertingat vt sit idoneus Id. in Ioan.

Iesus apparet Magdalenæ vt hortulanus, quia ipse seminat omne semen bonum in animabus & cordibus fidelium, & rigat. Id. Homil. de Maria Magdalena.

Gratiæ nomine audito, caue putes exclusam esse mercedem eam quam ob propositum voluntatemque accipimus. Consueuit enim Paulus rectē facta ac merita gratias ac dona vocare, propterea quod & in his multo indigeamus superni auxilij adminiculo. D. Chrysost. Homil. 2. in cap. 1. ad Romani.

Paulus 1. Corinth. 2. sapientiam huius sæculi vocat stultitiam, vt enim artem nauigandi peritus, stultus esset, si vellet pelagus transfretare sine naui, sic qui suis viribus nimium confidens, non expectat & sibi necessarium non putat Dei auxilium. Id. hom. 7. in 1. Corinth.

Digitized by Google

remissionem & similia, vultuos petere fusis ad A
eum precibus.

Magnitudo. Quid non speremus ab oratione, quæ nascens, adhuc in desiderio velut in semine mentem eleuat in Deum. Oratio nomen est significans supplices affectus sibi necessaria postulantis à Deo, implicitè tamen totam Christianæ vitæ perfectionem complectitur, fidem in Deum prouidentem ad quem se conuertit, spem obtinendi, charitatem infinita naturæ præstantia, & misericordia prouocatam.

Dvratio. Quid diuturnis à Deo precibus tentas extorquere quod natura sua fluxum, breui possideas, diu lugeas, quod fortasse nocebit; quod veluti infortunæ transeuntis radius, hæren- B
tes malignas qualitates relinquet, ad æternitatem natus ea pete quæ te ad illam promoueant; pete bonum permanens, solidum, quod animum impleat, quod fortuita despiciat, prouocet, frangat, pete fortitudinem, prosperis & aduersis illæsam, sanctitatem à communi contagione puram, immaculatam, beatorum æmulam, pete cor gratia stabilitum, quo fias ciuis sanctorum, supremæ beatitudinis candidatus.

Potestas. Diuitias, honores, illustria quædam obtinere potes à principe, sed semper libertatis, sæpius integritatis tuæ pretio, parum interest aureis an ferreis catenis iaceas oneratus, & sub fœlicitatis titulo sæuissimè torquearis. Deo per pietatem facer animus regnum est, ab inter- C
nis externisque passionibus liberum; sub æternis legibus imperturbata fruens pace, qui confidit in Domino sicut mõs Sion, non commouebitur Regnum est charitate adhærere Christo regnanti, cum eo sedere in cœlestibus; vnde licet mundanos ireprobo suo sensui traditos, puniendosque relinquere. Supremum hoc dominium qui petit accipit à Domino dominantium, sub perpetuæ fidelitatis iuramentis.

Cognitio. Cæcitas mentis naturale simul & populare malum est, innatis enim tenebris multum adiicit opinionum confusa varietas; vis lumen videre audi, sequere manu ducentem pro- D
phetam accedite ad Deum & illuminamini; Ora cum Salomone, Mitte Domine sapientiam de sede maiestatis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret recutiunt & palpant diuturnis suis quæstionibus scholæ, ea sola puta, clara verum, naturas & differentias minuta quæque discernens lux, quam humili ad Deum oratione promeremur. *Vide Principium Cognitionis.* Deus.

Volvntas. Plurimis à Deo collatis bonis abuti potest fragilitas humana, Ideo talia postulantes & nescientes quid petamus, iustâ patimur repulsam. Vnum est quod citra præsumptionis, E
excessus, abusus, periculum petit & accipit deuota mens, scilicet charitas, ardensque totus in Deum amor. Petam seraphicos ardores. Sancti Spiritus fœlix incendium, quo mens illustretur, expurgetur à mundanis, transformetur in diuina Vbi charitas est, nihil vacat, nihil torpet; nihil superfluit. Illam qui habere se non putat incipit habere, nec enim aliter quam amore diuino amari potest amor diuinus. ô maximum inter cœlestia donum solo desiderij nostri pretio comparandum.

Virtvs. In Dei gloriam & proximi commodum ardens charitas petit ad hoc angelicum munus congrua virtutum subsidia, humilitatem, fortitudinem, iustitiam, temperantiam; quo mens fiet diuinis charismatibus illustrior, dilucide magis percipiet defectus in agendo, gratias, viresque vt perfectius operetur, supplex à Deo postulabit; de acceptis laudes largitori rependet, ita lucis ardoris, virtutum, fiet infinita quædam circulatio, quam sola claudet, & implebit æternitas.

Veritas. Si petis honores, sanctitatem, diuitias, externa bona quæ minus habent commodi quam periculi, sæpè non accipis, quia non bene petis, & vota tua in semet aperta pugnant contradictione vis enim tibi bonum, animæ tuæ salutem à tentationibus liberari, eâ tamen qua procedere cupis via, tuis in paratas insidias, Misericors Deus periturum auertit, frigidam hydropico, somnum lethargo, gladium furenti negat, petenda sunt non quæ vim in nos hostilem augeant, sed minuant.

Gloria. Ab æterno beatissimus in se Deus, non gaudet, vt mundani principes, supplicantium turba, ad potentiæ suæ manifestationem, sed ideo vult preces nostras ad ipsum dirigi, quia fecit nos ad se, nec aliter quam præstitis maiestati suæ religionis officiis, fœlicitatem nostram consequuntur. ad ignem aut solem accedat oportet qui rigens frigore, calorem pro remedio petit; similiter accedat ad Deum omnis boni fontem qui bona, potissimum ad gloriæ consequutionem conferentia, postulat. Falsis nominibus officia nostra designantur, dare dicimus cum nihil accedere possit, infinitæ perfectionis & fœlicitatis Deo gloriam deferre, cum hæc ad eum non perueniens, in nos ipsos qui litauimus, refundatur Nam religionis, orationis, adorationis, charitatis actus; augent nostra merita illustrioribus gloriæ coronis præmianda.

Differentia. Oratio motus est animæ creaturam vt terminum à quo, deferentis, vt affectibus velut alis in Deum transuolet Hæc igitur ratio præcipitur quotidiana imo, perpetua, vt animus velut ignis extra sphæram suam hic alligatus pabulo sursum assiduè tendat, & locum superiorem si non datur consequi, saltem ambire, & innatos eius affectus nisu continuo testari liceat. Nobis quidem hic, vt in cœlis non contingit clara Dei visio & fruitio; ipsum tamen immensum; implentem omnia sine motu locali contingimus. Regnum Dei intra nos est; habitat, mansionem eligit in nobis Deus, si puritas effecerit mentem tanto dignam hospite.

Concordantia. Bonum semper oratio reportat, licet quod vltimatè petit, non consequatur; Cum enim incipit, iam habet quid in homine præcipuum est, ad Deum conuerti, & ad maiestatis suæ thronum fidentem accedere, quanta dignitas hominis cui cum Deo contingit amicitia, & ciuilis societatis omnes delitias infinitè superans. æternæ quædam fruitionis delibatio.

Contrarietas. Multa properantem adhæc animum coniurata malignitate morantur & retinent, infirmitas corporis, sodalium conuictus, humanæ vitæ noua quotidie facies, insperata diuersitas, quæ rationem vocans in consilium, illam à diuinis auertit. At si benè perpendas sunt hæc orationis non diuagationis irritamenta Sicut enim naturale nobis est imminente graui periculo supplices in cœlum manus tollere, vnde

potens tunc & vnicum speratur auxilium, sic in A ambiguis vitæ fortunæque casibus ipsa rerum difficultas mentem prouocat, vt à Deo lucem & vires postulet.

PRINCIPIVM. Haberi debet oratio velut maximum, Deoque gratissimum laudis sacrificiũ, quia tunc adoratur vt prima rerum causa, vt bonitas, sapientia, potestas, amor singulorum necessitatibus prouidens; pater qui nos filios agnoscit, excipit periclitantes, lapsis subuenit affectu qui nostra velut sua reputat.

MEDIVM. Enumerentur quantum licet singula vitæ præsentis mala, omnibus oratio remedium est; si optatam rei fruitionem non obtinet, hæc tamen ad Deum sincera conuersio, fortitu- B dinem in aduersis humiliter sub diuino placito patientem animum; ex passionum victoria, intimam cordis lætitiam reportabit. Sic inter mortalem, & cœlestem vitam hæc per pietatem media partitur vtriusque velut ex æquo conditiones, dolorem in augmentum, meriti consolationem & quietem in anticipatum laboris præmium.

FINIS. Præsens Ecclesia passim dicitur regnum cœlorum eo quod velut in cœlo, sic in animabus terreni corporis incolis fit voluntas Dei. A sanctis orationi deditis, mutuato ab Angelis trilogio laudatur sanctus creator, sanctus ad se venientium consolator & glorificator, vbique principium, medium, finis.

MAIORITAS. Plus est bonum animi vel corporis precibus à diuina misericordia consequi, quam si nescientibus, vel laborantibus conferretur; habet enim cum optato bono sensum Dei, bonitatis & prouidentiæ circa se dulcissimum experimentum, arras futuræ fœlicitatis. Quid ergo mirum si Deus qui non tantum vt bonus, sed vt iustus dona sua largitur, præcipit nos orationi vacare, & rei obtinendæ gratia, & piæ petitionis merito.

ÆQVALITAS. Si res ex votis non succedat, Deo sic occultis de causis decernente, habet semper qui pias fudit preces, saluum, thesaurisque cœlestibus repositum petitionis suæ fructum, quem abundè cumulant, illi superuenientes, patientię, longanimitatis, Deo conformatæ voluntatis coronæ.

MINORITAS. Hinc ambiguum est, melius ne sit petita non consequi, quam obtinere; frustratis votis humiliamur sub potenti manu Dei; euadimus seueri magis vitæ nostræ censores, ne quid ingrati paratas Dei largitiones auertat, diuturnis emptum laboribus diligentiori puriorique vitæ instituto custoditur. Bonæ menti gratissimum est, qualecumque sit fauens, aut exulcerans diuinum beneplacitum petita neget aut concedat, dicet semper cum Propheta: Mihi adhærere Deo bonum, ponere in Deo spem meam.

Deus vult ipsum oremus. *Vide Voluntas Boni-* C *tatis.*

Fœlix & grata est subiectio à Deo pendere. Vide quæ scripsi, libello de necessitate cap. 9.

MEDIVM VIRTVTIS.

QVIBVS MEDIIS HABETVR VIRTVS.

ANGELORVM auxilium.

ET dominabuntur eorum iusti in matutino. Ps. 68. idest boni Angeli suis inspirationibus deducent iuuenes in viam salutis. *Vide Gloria Medii.* Illustre medium, vbi de Angelis.

Angeli in cœlo lætantur super vno peccatore pœnitentiam agente, & de profectibus hominum gloriantur. Ipsi enim velut procurationem animarum nostrarum tenent, quibus dum adhuc paruuli sumus velut tutoribus & actoribus committimur vsque ad præfinitum tempus à patre. Origen. hom 8. in Genes.

Christus dicitur Rex Regum & Dominus dominantium, propter Angelos qui sub ipso regunt gentes, Ecclesias, personas. Idem hom. 11. super Numer.

Vt opus est Angelis qui præsint animalium natiuitati, virgultorum, plantationumque & cæteris D incrementis, multo magis opus est his qui præsint operibus sanctis, qui æternæ lucis intellectum & occultorum Dei agnitioné doceant. Id hom. 14.

Adest vnicuique nostrum, etiam minimis qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini qui regat, qui moueat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus exposcendis, quotidie videat faciem patris qui in cœlis est, sicut Dominus designat in Euangelio. Et iterum secundum ea quæ Ioannes Apocal. 2. scribit, vnicuique Ecclesiæ generaliter Angelus præest, qui vel collaudatur pro benè gestis populi, vel etiam pro delictis eius culpatur. Idem homil. 20.

E Angeli nobis auxiliantur prouocati per sacra nomina, etiam quæ nos non intelligimus. *Vide Potestas Cognitionis.* Vis hominum.

Cum eorum auxilio vnus præualet contra plures. *Vide Potestas Minoritatis.*

Quousque lugebit terra, &c. Hier. 12. Terra cum sit insensibilis non potest, intelligi lugere, aut lætari, nisi intelligamus omnibus rebus Angelos præsidere, tam terræ & aquæ, quam aëri & igni & elementis, rebusque singulis princi-

singulis principati. Origen. Homil. 8. in Hiere. A

Cum actiones quas circa nos exercent Angeli sint particulares, & circa particularia, oportet quod earum consecutio sit per formas maxime contractas; quales sunt in Angelis inferioris ordinis; & hæc est causa quare Philosophi posuerunt duplices motores orbium, scilicet quosdam coniunctos, quos vocabant orbium animas; quorum conceptiones sūt determinatæ & particularizatæ, & hos etiam Auicenna dicit Angelos ministrantes; alios verò separatos, quos intelligentias dicunt, in quibus sunt formæ simplices & vniuersales, & hos dicit Angelos esse assistentes. D. Thom. in lib. 2. sentent. dist. 10. a. 2.

Sicut rationes seminales sunt in natura inferiori tantum à Deo, tamen per prouidentiam agricolæ adiuuantur, vt in actum exeant; sic gratia infunditur à Deo, colitur ab Angelo. Id. in quæst. disput. de prouiden. q. 5. a. 8. ad 4. B

D. Dionisy. 8. cœlestis hierar. homines, inquit, purgantur, illuminantur perficiuntur ab Angelis, sed hoc non fit nisi per quendam influxum, ergo Angelus potest influere in animam humanam. D. Thom. quodlib. 5. a. 7.

Angeli custodes operantur quatuor custodiæ effectus in nobis, scilicet ad bonum inducere, retrahere à malo, tollere impedimenta profectus spiritualis, liberare ab exterioribus periculis. Tostat. Math. 10. 5. fol. 31.

Digniores sunt sub maiori custodia. *Vide Maioritas Medii.*

Angeli custodes prouinciarum, dicuntur earum principes, quia afficiuntur ad illas, sicut si essent indigenæ, & pugnant pro ipsis sicut principes pro suis populis. Id. Reg. fo. 198. C

Sunt exercitus Dei in auxilium hominum. *Vide Bonitas Contrarietatis.* Belli necessitas & vtilitas.

Maximus Tyrius serm. 26. de dæmonio Socratis disserens probat inter Deum & homines dari substantias spirituales, intellectuales, medias, quæ Deo proximiores, vnionem nostram cum ipso, quantum licet, promoueant.

De Angelis præsidentibus regnis & personis. Vide quæ scripsi. theol. natur. tom. 2. parte 2. cap. 11. 12. D

Quotiescumque grauis vrget tentatio, aduocemus custodes & adiutores nostros angelos, aderunt, si puros societate sua dignos inuenerint. Laurent. Iustinian. lib. de spe cap. vlt.

Hæliseus Giezi timenti milites missos à rege Samariæ, ostendit militiam cœli in auxilium suum paratam.

Purè orantibus merito adsunt Angeli. *Vide Veritas Virtutis.* Pietas in oratione.

Vniuersum tanta moderatione disponunt Angeli, vt nihil sit inordinatum hinc elementorum tanta concordia; corporibus cœlestibus indicta lex hoc magisterio perseuerat, hinc innumera mala cohibentur ne fiant, dæmonum malitia coercetur, bonorum vita custoditur, ne deficiat, bella, seditiones, clades, & huiusmodi millia temperantur; gaudium illorum est fortitudo nostra, vnde exultant in conuersione peccatoris. Laurent. Iustinian. serm. de S. Michaele. Etiam nobis ministrantes fruuntur visione Dei. *Vide Magnitudo Principii.* Dei immensitas. Nos instruunt in dubiis, protegunt in periculis, sustentant in aduersis, in prosperis humiliant, orationes perferunt, reportant gratiam. Ib. E

Pudor est coram Angelis peccare. *Vide Cognitio Minoritatis.* Occultare proprios defectus.

Summa bonitas mundi creatrix, partes eius eo distinxit ordine, vt superiores naturæ prærogatiua sibi similiores effusis in inferiora beneficiis eam imitarentur; rapit subiectas sibi sphæras, vt optimum quem habet motum sequantur, primum mobile. Cœli simul omnes, luce, virtute, motu, aëre illustrant, terram fœcundant, viuentium generationibus præsident, & specierum inter decedentium indiuiduorum fluxus, æternæ conseruationi.

Diuinæ bonitatis largitiones, perfectius imitantur, ipsi similiores angeli; primum inter se, nam hierarchiæ cœlestis supremus ordo cæteros purgat, illustrat, perficit. Omnes sunt administratorii spiritus, qui regnis, ciuitatibus, personis etiam singulis adsunt, cœlicos mores in terras quantum licet illaturi, Æternitate donatis, delectationi non oneri sunt hæc pietatis officia, placidè semper nostris inuigilant profectibus; auersos reuocant, recreant, conciliant, minus terrent, consolationibus reficiunt, malis nostris propitii semper monitores & adiutores. Vrget illos indeficiens diuina charitas; ne pereat Dei similitudinem referens creatura, ne fluant in vanum tot ad humanam salutem instituta mysteria; tot ex illis perennes gratię; & in mortem, in odium Dei, in æternas pœnas se det pręcipitem, creatura ad Dei visionem, fruitionem, parem quam possident gloriam nata. Hæc sola competit Angelis casta generatio, cœlesti luce, charitate sibi similes Deo parere, regnum & gloriam Dei, quantum possunt proferre, vacuas dæmonum lapsu sedes implere; dare tantum auxilii, quantum damni potest inferre humanæ conditionis infirmitas, nequitiæ spiritualis insidiosa malitia. Validissimæ quidem illæ sunt auxiliares copiæ, his tamen solis non cedet victoria, si turpiter deserta statione proiectis armis; in hostis deditionem vltrò venerimus. *Ex principiis.*

VARIA VIRTVTIS media.

TRia ad virtutem debent concurrere. Ratio quæ ordinat & dirigit, lex quæ continet & promouet; consuetudo quæ format velut cereum animum. Sic in ciuitate sunt consiliarii rectores, viri fortes & militares; denique mechanici necessaria fabricantes & comportantes. Promouetur enim virtus ratione, legum metu, pudore violatæ consuetudinis.

Sacramentalia non remittunt peccata venialia ex opere operato, sed ex opere operantis, excitando ad actum contritionis, seu amoris qui disponit ad gratiam. Bonacina de sacramental.

Ponit Paulus triplicem vitam seu motum rationalis animæ, scilicet naturæ, legis scriptæ, & gratiæ. Nam quidam sunt secundum naturam sibi ipsis lex, ita quod natura imperat & mouet illos, vt sciant vbi est vita animæ; alii mouentur ad vitam imperio legis; alii mouentur imperio verbi Dei. Et hi tres modi procedunt à Deo, primum verbum est in natura scriptum, Secūdum in lege & Prophetis, tertium in Euangelio,

primum videtur quasi sensus, secundum ratio, tertium spiritus; qui tantum saluat & iustificat, quia gratia Dei influit mediante qua supra naturam sperat & credit, & quia Deus fidelis, assequetur. Card. Cusa. excitat. lib. 6. cap. 2. *Vide Principium Virtutis.* Deus.

De Sacramentis quorum quinque sunt necessaria, duo voluntaria. *Vide Bonitas Medii.* Necessitas mediorum.

Meretur qui meretricem accipit in vxorem, existens illi salutis occasio. *Vide Concordantia Differen.* Matrimonium inter diuersæ sortis coniuges.

Iosue legit totam legem coram populo, & sunt qui ex vna parte pronuntient benedictiones seruantibus, ex altera maledictiones non seruātibus. Iosue 9. alii ad salutem properant spe retributionis, alii metu pœnæ. Origen. hom. 9. in Iosue de præmio. *Vide Voluntas Gloria* de pœna. *Vide Bonitas Contrarietatis.* Et *Differentia Contarietatis.* Fuga mali.

Vlmus necessaria est & vtilis licet ex se non ferat fructum, quia portat vitem multum fructum afferentem. Sic Gabaonitæ recipiuntur in ministerium templi, portantes aquā & ligna; nota hæc infamiæ & seruitutis illis fuit imposita, quia metu tantum pœnæ ad Israelitas conuersi sunt. Id. hom. 10. *Vide Veritas Virtutis.*

Dicit Iesus Iudæis quod decimarent mentham & anetum, & relinquerent grauiora legis; sicut mentha & anetum sunt ciborum condimenta, non ipsi principales cibi, sic in conuersationibus nostris, quædam quidem sunt principalia & necessaria ad iustificationem animarum nostrarum, qualia sunt hæc grauia legis, iudicium & misericordia & fides, alia autem quasi condientia actus nostros, & commendantia eos, & suauiores eos facientia vt puta abstinentia risus, ieiunium, flexio genuum, permansio in collectis, assiduitas communicationis, & alia his similia quæ non ipsæ iustitiæ sunt, sed conditura iustitiarum habentur. Id. tract. 25. in Matth.

Inest etiam in impudentibus aliquid verecundiæ, naturę enim nostræ Deus ipse pudorem inseuit. Etenim quando non satis poterat timor ad nos componendos, multas alias non peccandi rationes apparauit; quemadmodum reprehensiones hominum, metum humanarum legum, amorem gloriæ, amicitiarum studium; omnia hæc eo nos adducunt, vt peccandum non putemus. D. Chrysost. hom. 4. in epist. ad Philippens. de pudore. *Vide Cognitio Minoritatis.* Repug.

In moralibus medium debet accipi, secundum rationem, & non secundum quantitatem. Tostat. Matth. 10. 7. fo. 21. secundum proportionem circumstantiarum, ad rationem rectam. Ib.

Mortificatio est medium ad virtutem comparandam necessarium. *Vide Minoritas Gloria.* Mortificatio.

Ad benè agendum excitamur ratione, exemplo, mercede, sapiens ratione, rudis exemplo, mercenarius mercede. De ratione. *Vide Potestas Cognitionis.* *Voluntas Virtutis.* De exemplo. *Vide Concordantia Virtutis.* De mercede. *Vide Glor Virt.*

Vltimus finis & effectus legis est facere subditos bonos. D. Thom. 2. 2. q. 92. a. 1. de lege diuina dicit Propheta: Lex Domini immaculata conuertens animas. *Vide Virtus Cognitionis.* Nec enim constare potest fœlicitas politica sine bonis moribus. *Vide Bonitas Virtutis.*

Per formam sub qua apparet Christus Apocal. 1. ostenditur quibus modis perficiatur Ecclesia, scilicet per participationem tribulationum filii Dei, per regimen pastorum, per administrationem verbi diuini. Habet enim vocem tanquam aquarum multarum, ecce participatio tribulationum: habet septem stellas in manu, ecce regimen pastorum; habet in ore gladium acutum, ecce prædicatio verbi. Hinc illi gloria & imperium.

De diuersis vocationis modis. *Vide Differentia Bonitatis.*

Cardanus librum scripsit titulo proxeneta, seu de arcanis prudentię ciuilis; vt enim dantur diuersæ artes, quibus vitæ necessaria rite perficiuntur, datur & ars benè & ciuiliter viuendi, cum ipsa ciuitas tota ratione atq; consilio gubernetur.

ADMONITIO.

NOn præstant Philosophi quæ loquuntur; multum tamen præstant, quod loquantur, quod honesta mente concipiant; nam si & paria dictis agerent, quid esset illis beatius? Interim non est quod contemnas bona verba, & bonis cogitationibus plena præcordia; studiorum salutarium, etiam citra effectum, laudanda tractatio est. Seneca de vita beata cap. 20.

Præceptor quo sæpius monuerit, hoc rarius castigabit. Quintil.

D. Gregor. PP. in pastorali parte 3. cap. 26. de his qui præ nimia humilitate nolunt prædicare; dum inquit, peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt. Vnde dicitur Eccl. 20. Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque. Si populum fames stringeret; & occulta frumenta ipsi seruarent, autores procul dubio mortis existerent. Vnde dicitur Prouerb. 11. qui abscondit frumenta maledicitur in populis. Reus est medicus, qui sciens non medetur. Vnde per Hier. 48. dicitur, Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine; idest prædicatione à deletione peccati. Sententia Domini dānatus est qui talentū fodit in terra Mat. 25. Paulus dicit Act. 20. Mundus sum à sanguine omnium, non enim subterfugi docere vos. dicit Isai. 6. Væ mihi quia tacui. dicit Dauid Ps. 39. Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti. *Vide Minoritas Bonitatis.* Defectus communicationis malus.

Ariston orator & Philosophus ædibus suis inter ipsis, omnibus animi doloribus se mederi. Plutarch. lib. de decem oratoribus.

Socrates dicit se plus prodesse Reipublicæ si multos ad eam gubernandam aptos efficiat, quam si ipse gubernet. Plato. lib. 7. de legibus.

De fraterna correctione. D. Thom. q. 3. de virt. Bernardin. quad. 1. serm. 18.

Quod inferiores debent monere & accusare prælatos delinquentes, & quod admonitio sit æquo animo suscipienda. *Vide Contrarius Potestas.*

Qui custodias seruant, ad se mutuo clamorosas dirigunt voces, vt se excitent, talis est mutua admonitio.

Felle piscis liniti cæci oculi Tobię, lumen recipiunt, prodest monitoris amaritudo, corripiet me iustus in misericordia.

Super propitiatorium stabant duo Cherubim alis obumbrantia propitiatorium, & intuentia se inuicem & ipsum. Exod. 26.

Num. 13 Caleb dicit contra exploratores qui detrahebant terræ; ascendamus & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.

Quod quandoque est agens in actu, & quandoque in potentia, indiget moueri ab aliquo mouente.

Qui carent præceptore & monitore, sunt quasi fructus extra suam arborem peruersè maturi. *Vide Differentia Principii.* Separari à suo principio. Malum.

Autor est Plinius, Gallinaceos excitandis ad opera mortalibus, rumpendoque somno à natura genitos.

Immodestos carceri mancipatos, sapientes noctè vtilibus admonitionibus ad meliorem frugem adducebant. *Vide Contrarietas Concordantia.*

Themistocles videns Gallinaceos fortiter inter se dimicantes, hac tantum causa ne vnus alteri subesset; milites ad pugnam excitauit, sic fœliciter reportata fuit victoria. Vnde mos postea fuit Athenis tale certamen proponere quotannis. Rhodig. lib. 17. c. 32.

Socrates obstetricis filius, circa mores formandos obstetricis fungebatur officio, & sic sapientis munus est cæteros iuuare.

Vendit arietem ad sacrificium, qui consilium dat ad emendationem peccati. Origen. hom. 4. in Leuit.

Vt euaginauerunt peccatores gladium suum, parauerunt sagittas suas, de quib. *Vide Gloria Minoritatis.* Gloriari de peccato. Habent & iusti sagittas suas contra peccatores. Sic Isai. 47. posuit me sicut sagittam electam. Iusti sermo cum arguit & corrigit peccatorem velut sagitta compungit & transforat cor eius, vt conuertatur ad pœnitentiam & saluetur. Id. hom. 2. in Ps. 36. habent gladium spiritus, quod est Verbum Dei. Eph. 6.

Fructificant plantæ omnes sub vere, propterea quod tunc ab appropinquante sole sopitus ipsarum calor, ac veluti in veternum deiectus excitatur, fouetur que. Sic admonitio intimam idæam recti excitat.

Persuasum & ipse ego de vobis habeo fratres mei quod & ipsi pleni estis bonitate, impleti omni scientia, potentes etiam ad admonendum vos inuicem. Roman. 15.

Moysi altercantibus duobus pacem suadenti. Maledixit Hebreus, quis te constituit iudicem super nos? *Vide Medium Concordantiæ* Arbiter.

Episcopi sunt propriè, consultores non Magistratus. *Vide Medium Concordantia.* Arbiter. Olim omnes Presbyteri vocabantur Coepiscopi, & Diaconi Christi, postea procedente tempore, proprium cuique nomen distributū est. D. Chrysost. hom. 1. in epist. ad Philip. quasi sacerdotum omnium sit pro salute proximi inuigilare.

Omnes qui in bellis vtiles operas contulerunt participes sunt victoriæ; sic sanctis inseruire, communes facit repositas illis mercedes. Ibid.

Si crimen censetur commisisse qui ad illud, imperio, consilio, opera alium comitauit. *Vide Medium Minoritatis.* gloriam virtutis partitur, qui ad illam proximum promouit.

De directore spirituali. *Vide Principium Cognit.*

Cœli glorificant Deum, non vocem emittentes, sed per splendorem, motum regularem, substantiam indeficientem, laudantes artificem. Magis glorificatur Deus ex viri boni virtute inuicta inter turbam malorum insidiantium; ex talibus seruis suis glorificatur Deus sicut ex miraculis, sicut ex tribus pueris non consumptis in fornace. D. Chrysost. hom. 18. in 1. ad Corinth. *Vide Duratio Virtutis.* Inter malos bonus.

Vestra æmulatio prouocauit plurimos. 2. Cor 9.

Virtutem in aliis accendimus, & verbis & operibus. *Vide Concordantia Virtutis.* Imitatio bonorum. Et *Principium Cognitionis.* Alios docere.

Porrigite manum qui nondum estis obruti, iis qui pereunt ab ebrietate, qui sani estis, laborantibus; qui sapitis, furentibus, spectate vtilitatem proximi; quando febris inuaserit & animum conturbauerit, serui imperium obtinent in dominos. Id. hom. 23. in epist. ad Hebr.

Si ei qui habet pecunias & non impertit, infligitur supplicium, etiam maius infligendum est ei qui potest admonere & non facit. Illic corpus nutritur, hic anima; illic mortem prohibes temporalem; hic æternam, te sano opus est ad illius curationem etiam simplici sermone. Ib. hom. 30.

Omnis virtus interior, vt se proferat, indiget excitatione; infima per teporem, quo prius consopiti spiritus expergefiunt; animalis per fortem imaginationem, hominis per eandem, & per conceptum intellectualem. Van Helmont. de magnetica vulnerum curatione.

Christus multos, vt Matthæum, ad perfectionem vitæ vocauit, at Christi actio nostra est instructio, vnde debemus peccatoribus in sæculo suadere religionis ingressum; vt de peccatis pœnitentiam agant, & ab his in posterum abstineant. D. Thom. quodlib. 4. a 13.

Angeli mouendo non cogendo, implent officium suum Tostat. Matth. to. 5. fo. 17. c. 1. c.

Correctio fraterna est actus charitatis, quia est quædam spiritualis eleemosyna, & est remedium quod debet adhiberi contra peccatum alicuius, quatenus est malum ipsi peccanti. Id. fo. 39 c. 3. f.

Ouem errantem similiter persequitur coquus & pastor, sed fine diuerso, coquus vt mactet, pastor vt seruet à luporum rabie, & reducat in caulam; sic adolescentes ambit Philosophus vt erudiat, insanus amator vt corrūpat. Maxim. Tyr. serm. 9.

Quandocumque aliquis peccat, siue in Deum, siue in aliquem hominem, peccat in quemcūque hominem, & ideo quilibet potest corrigere delinquentem, tanquam in eum peccauerit, iuxta dictū Christi, si peccauerit in te. Tostat. Matth. to. 5 f. 45.

Efficacius loquimur factis, quam verbis. *Vide Medium Cognitionis.*

Lapidatio reorum maximi criminis fiebat apud Iudæos, vt intelligerent ad omnes pertinere curam, ne Deus offendatur. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Reorum pœna publica.

Congregationis bonorum fructus est mutua admonitio. *Vid. Concord. Virt.* Congregatio bonorū.

Ad vitam spiritualem ante omnia debet eligi probus & aptus director. Vide quæ scripsi moral. Christianæ to. 1 parte 2. cap. 18. lib. de fœlici successu, & triumphis vitæ religiosæ parte cap. Nouitii fidem habeant suo directori seu magistro lib. de institutione seu officiis religiosi parte 1 cap. 18. Religiosus alium cum charitate moneat de suis defectibus. Ib. parte 3. cap. 27.

Israel egrediens de seruitute Ægypti, per deserta, & inter hostiles populos Moysem accepit à Deo, itineris, morum, & Religionis directorem, tot miraculis insignem: sic qui vitam spiritualem ingreditur, ducem habeat probatum, ne erret, ne pereat; moneat illos de futura malorum miseria, bonorum gloria, de mortificatione sensuū de vi-

obedientia. Laurent. Iustin. lib. de casto Verbi A & animæ connubio. cap. 3.

Qui sua salute contentus negligit alienam, nec suam quidem consequi potest, milites iunctis viribus præliantur, nautæ nauigant, sic ad salutem omnium pugnemus, alios cohortatione, alios auxilio iuuantes, sic efficimur singuli fortiores, efficimusque ne vitia in nos impetu maiore ruant. &c. D. Chrysost. hom. 60. in Matth.

Ponantur duæ candelæ accensæ, vna superior paululum inclinata, alia inferior, quæ si extinguatur, protinus vt fumus eius tetigerit flammam superioris candelæ, descendit flamma per fumum vsque in lychnium fumigans, sic succurrendum ei cuius rationem passio extinxerit.

Athletæ suis incitatoribus fortiores sunt, & tamen monet debilior, vt pugnet ille qui fortior est D. Hieron. in consolat. ad Iulianum.

In pestilenti tempore, non modo propriæ sanitatis, sed etiam alienæ curam agit, nam quanto plures morbo corripiuntur, tanto grauius vni cuique imminet periculum quia contagio facilior.

Aduocati debent gratis pauperibus patrocinari. Paul. V. const. 71.

Cum maiori consulere cogeris; vt patri, patruo, matri, fratri maiori consilium ab eo pete, vt ea vicissitudine existimet se potius præbere consilium, quam accipere. Dubias res exagera, claras illi diiudicandas relinque Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 28.

Proximum monere est opus misericordiæ spiritualis. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ. parte 2. cap. 21. & 26. Mala prudenti & opportuno consilio auertere. cap. 29.

MEDIA ET IMPERFECTA virtus.

Olim Androgeni semimares, vt inauspicati in mare proiiciebantur *Vide Concordantia Differentia. Mala.*

Paracelsus lib. de Lunaticis, dicit animam rationalem aduenire naturæ corporeæ & irrationali, & quidem singulari, itaut quædam sint re vera ferinæ, leoninæ, scilicet, lupinæ, vulpinæ, &c. cum enim actus talium animalium agant, debet in eis esse talis natura, velut principium à quo procedant Vnde Christus, sine similitudine, vocat Iudæos genimina viperarum, Herodem vulpem, &c.

De animalibus quæ secundum minus nobiles partes, iuuenescunt, & restituuntur. *Vide Finis Minoritatis.* cessatio defectus.

Vt in ouo animalium, & in semine plantarum, sic in quolibet homine est simul vna virtus actiua, altera passiua. *Vide Duratio Virtutis. mora.*

Cœlum est fons lucis, in eo tamen sunt partes non lucidæ, vt in sensibili corpore sunt partes non sensibiles, scilicet ossa.

Infinita aëris regio quæ est vicina terræ, friget propter vicinitatem duorum frigidorum elementorum, scilicet terræ & aquæ, & interdũ incalescit propter reflexionem radiorum solis. Alb. Mag.

Animalia quæ videntur aliquam virtutum moralium imitari, negligunt aliam; imo & subiacent passioni oppositæ ipsimet virtuti quam imitantur Ita Leo magnanimus & fortis subiacet iracundiæ Id. lib. 2. de animalib. cap. 4.

In mari sunt quædam animata, de quibus dubium est, vtrum sint animalia vel plantæ. Ib. lib. 7. cap. 1. pascuntur enim radicitus vt plantæ, rupibus hærent, & sine coïtu generant sibi simile. habent tantum ex animali obscurum sensum tactus ex contractatione, & dilatione. Ib.

Planeta retrogradus est vir infirmus, stupefactus solicitus; Cadens est quasi mortuus, cui non est motus. Combustus, vt captiuus, incarceratus, vituperatus absque posse. Bethem. in centiloq. n. 3.

Nullus in omni genere perfectus & in totum imitandus. *Vide Media Concordantia* & *Medium Durationis* media permanentia.

B Vir fortis parricida. *Vide Maioritas Cognitionis.* pro Astrologis.

Homines vehementer boni aut mali perpauci sunt, medij vero plurimi. Plato in Phædone.

Contritio seu amor Dei, remittit tantum ea peccata venialia, cum quibus habet oppositionem, vnde vnum potest remitti sine alio, secus est de mortalibus. *Vide Mag. Vir.* & Bonac. de sacramenti

Peccata mortalia remitti possunt absque venialibus; maior enim dispositio requiritur pro venialib. *Vide Maioritas Potestatis.* qui potest plus, potest minus Rep.

Tempore ieiunij dicit diabolus, si non possumus homines debellare per gulam, seminemus C discordias, excitemus iras, odia, mendacia, periuria, &c. D. Chrysolog. serm. 15. in fine.

Math. 8. discipuli periclitantur in turbato mari, itaut nauicula operiretur fluctibus: quia tot sunt pæne in Ecclesia hæreses, quot diuinæ legis quæstiones Id. serm. 21.

Ignis non sine fumo & cinere.

De Christi humanitate & diuinitate. D. Dionys. epist. 4.

Elementa nunquam tota corrumpuntur, manent sincera in suo centro. sed in circumferentia propter mutuum contactum, alterantur, & corrumpuntur ex illa corruptione fit mixtorũ generatio.

D Rupert. l. 1. in Genes. cap. 11. asserit Angelos habere corpora aërea, humida, subtilia, & nostris quia subtiliora sunt dicuntur spiritus; vnde locales sunt & cum volunt hominibus apparent.

Vt planetarum motus non possumus comprehẽdere sine excentricis, & figuris, quæ minimè cœlum deceant, sic diuina, sine aliquo defectu saltem respectu nostræ intellectionis.

Qui est in impotentia totum præceptum adimplendi, tenetur adimplere partem quam potest. Si pars sit diuidua, & sit intenta à legislatore & notabilis; ita qui non potest in totum ieiunare, abstineat quantũ potest; sic de Officio recitando, de audienda Missa Bonacina. de peccatis q. 8.

Quemlibet hominum duo circumstant Angeli, E vnus bonus, alter malus.

Verecundia & compassio sunt virtutes imperfectæ, disponunt ad alias; sic pœnitentia.

In Scotia est lacus in Gallovvay cuius media pars gelu concrescit, altera vero nunquam. Dauity huius prouinciæ homines in duo genera diuiduntur, qui versus Occidentem, sunt velut syluestres, alij versus orientem, magis vrbani, & ciuiles. Id.

Apud Heluetios quidam Cantones, vt Glaris, d'Apenzel sunt mixti ex Catholicis & Caluinistis, mixtos etiam habent magistratus.

Fontium natura varia est, vt plurimum sunt salutiferi; aliqui tamen fundunt aquas noxias, mortiferas, etiam igneas vt iuxta Gratianopolim. Pars angelorum superbiens cecidit.

d by Google

Initio Ecclesiæ remanserunt multæ superstitiones paganorum, quæ sensim sublatæ sunt. *Vide Magnitudo Virtutis.* Perfecta debet esse virtus. Idem testatur Zacharias Papa ad Bonifacium Episcopum, habetur to. 1. Concil. Galliæ. an. 745. & in Concilio Nannetensi. cap. 20. de arboribus dæmonibus consecratis, quas vulgus celebrat. & ex quibus ne surculum quidem audebant amputare. Conc. Gall. a. 900.

Pulchritudo quæ est in entibus materialibus, non est vera pulchritudo, sed tantum similitudo & imitatio veræ pulchritudinis, quia ea quæ requiruntur ad pulchritudinem non in eis verè reperiuntur, nam non sunt abstracta à materia, & quamuis in eis materia non semper dominetur, tamen non est perfectè formata, retinet enim priuationem cæterarum formarum, habent respectum ad sensum, qui est facultas cognoscitiua maxime imperfecta: in illis non est symmetria ita perfecta vt non sit perpetua pugna contrariorum. Vnde cadunt à perfectione entium immaterialium, quæ sunt illorum exemplaria. ex Platone in Timæo.

In multis nobilium stemmatibus depingitur luna, sed nusquam plena, sed crescens aut decrescens.

Homo habet superius & inferius, sicut in toto mundo.

Primum mouens in ordine aliquo mobilium, non oportet esse immobile simpliciter, sed immobile secundum idem genus motus, sicut cœlum quod est primum alterans, non alteratur, sed mouetur, non enim est primum mouens simpliciter.

Nihil prohibet, id quod est simpliciter & secundum se præstantius, quo ad aliquid, esse debilius. *Vide Media Minoritatis.*

Probum nutrimentum operit non tollit arborum nodositatem, *Vide Finis Minoritatis.* cessatio defectus. Sic post pœnitentiam sæpè remanent vitiorum habitus, licet cessent actus, iuxta illud psalmi, Operuisti omnia peccato mea.

Sunt inter plantas pleræque quæ particulatim florent, atque fructificant, simulque germen sursum impellunt, vnde fit vt in illis alia perfecta sint, alia imperfecta, alia futura. Theophrast. de causi plantar. lib. 4. cap. 11.

Quædam flore, aliæ radice, folijs, odore, suaues & vtiles sunt, non tamen omnibus suis partibus Ibid. lib. 6. cap. 19.

Si quis infamatum in vno genere peccati, infamet in alio non habente connexionem, peccat mortaliter, quia læsa in vno fama. in alio potest esse integra; fama enim non est aliquid indiuisibile & simplex, sed habet partes, quarum vna potest amitti, alia non. vt qui amisit equum, non sequitur quod amiserit vestem. sunt diuersi virtutum habitus. Bonacina. de restitutio. disp. 2. q. 4. p 7. Aliud est in connexis criminibus. *Vide Duratio Minoritatis.*

Stoici negant quicquam inter virtutem & vitium esse interiectum. nam vt lignum, inquiunt, est aut curuum, aut rectum, ita hominem aut iustum aut iniustum esse oportet. Suidas.

Aristei cuiusdam sicut & Hermotimi Clazomenii animam tradunt cum vellet, exiisse & remeasse. Id. in voce Aristeas.

Filii Dei, idest Seth & Enoch ad Caini filias ingressi, genuerunt gigantes, ob iustum parentem robusti & maximi, ob iniustum autem & profa-

A num improbi & pessimi. Id in voce Seth.

In Scotia lacus est Myrtons, cuius pars quod bituminis sit expers gelascit, pars nunquam, quod abundet bitumine. Cardan de rerum varietate. lib. 1. c. 7. vis enim bituminis non solum calida, sed acris, & halitu prohibet glaciem Nec mirum, cum id apud nos contingat, solo aspectu solis aut ventorum. Id.

Pars aëris superior perpetuo mouetur ab oriente in occidentem, inferior autem hinc inde agitatur à Solis radiis ac syderum, & reflexione radiorum & exhalationibus.

In gemmis sunt vitia quod succus earum non fuerit concolor; vt vmbra propter succi partem

B obscuram, nubecula propter partem albidioris coloris, &c. capillamentum, &c. Georg. Agricola lib. 4. de caus. subterraneorum.

In Cypro gemma est inuenta cuius dimidia pars erat Smaragdus, dimidia Iaspis, quia diuersis constabat succis. Id lib. 6. de natura fossilium.

Magnum quiddam & varium eloquentia est, nec adhuc vlli se ita indulsit, vt tota contingeret: abundè fœlix & præclare actum cum eo videri potest, cui portio contingit honesta. Seneca.

Quibus habere contigit gemina genitalia, alterum maris, alterum fœminæ, iis semper alterum ratum, alterum irritum redditur. Aristot. lib. de

C generat animal.

Deus hominẽ fecit ad imaginẽ suã, masculũ & fœminã fecit eos: idest allegorice spiritum & animam, quæ partes si consentiant fiet virtutum proles legitima. Origen. Homil. 1. in cap. 1. Genes.

Ibid. Homil. 5. dicit Loth medium fuisse inter peccatores & iustos, qui statim non perrexit in montem & qui vino captus commisit incestum.

In ventre Rebeccæ duo Esaü & Iacob, duæ gentes dissident, vitiorum & virtutum populus intra nos est. Ib. Homil. 12.

Sunt nonnulla communium hominum gesta, quæ quamuis peccato careant, non tamen digna videntur quibus interesse putemus Spiritum san-

D ctum: sic connubia legitima carent quidem peccato, nec tamen tempore illo quo coniugales actus geruntur, præsentia S. Spiritus dabitur, etiamsi sit propheta qui opus generationis impleat. Id homil. 6. super Numer. *Vide Media Gloria.* media fœlicitas.

Media pars aquarum Iordanis in mare labitur, altera subsistit velut murus, vt transeat populus Israel. Iosue 3. media pars hominum dilabitur in mare sæculi Id. homil. 5. in Iosue.

Adolescens cui dixit Christus, Vade, vende vniuersa quæ habes, & da pauperibus, abiit tristis. sic erat imperfectæ virtutis, qui præcepta non consilia seruauerat.

E Sicut templum in Hierosolymis non est in semel destructum, sed paulatim tempore procedente. ita & omnis homo qui suscipit in se verbum Dei, templum est, & sensim negligentia sua fit ex parte destructum. Origen. tract. 17. in Matth.

Olim Samaritani ex dimidia parte eligebant idololatriam & impietatem. D. Chrysost. hom. 26. ad Corinth.

Lectiones quæ leguntur in Ecclesia significant Euangelij prædicationem. In fine autem additur, Tu autem Domine miserere nobis, quia id officium vix sine aliquo leuioris culpæ puluere potest impleri.

Quamuis ille qui peccat venialiter, non referat

actu in Deum suam operationem, nihilominus A tamen Deum habitualiter pro fine habet, vnde non ponit creaturam finem vltimum, cum diligat eam citra Deum, sed ex hoc peccat quod excedit in dilectione, sicut ille qui nimis immoratur viæ, non tamen exit à via. D. Thom. in Magistr. sententiar. dist. 1 q. 3. ad 4.

Idem in quæst. disput. q. 5. a. 5. ad 4. dicit quod finis motus cœli non est, quod acquirit successiuè diuersos situs, ad quos prius erat in potentia, tum quia hoc infinitum est; tum quia sicut ex vna parte per motum acceditur ad diuinam similitudinem, per hoc quod situs qui erant in potentia fiunt in actu, sic ab alia parte receditur à diuina similitudine per hoc quod situs qui erant in actu, fiunt in potentia. Ita nos qui plura simul B non possumus peragere, vnum agendo in cæteris omnibus deficimus.

D. August. lib. 2. de sermo. Domini in monte cap. 18. dicit quod quędam sunt facta media, quæ possunt bono & malo animo fieri, de quibus temerarium est iudicare.

Angeli initio suæ creationis non fuerunt, nec perfectè beati, nec peccatores. *Vide Cognitio Virtutis propria.*

In semine est vita prima, in embryone vita media, vltima vero cum totalis perfectio constitui adest. Van. Helmont.

D. Dionys. cap. 7. de diuin. nom. dicit. Sapientia semper fines priorum coniungit principiis; C secundorum, inferior enim natura in suo summo attingit ad aliquid infimum superioris naturæ: illud ergo quod est superioris naturæ, non potest esse in inferiori natura perfectè sed per quandam tenuem participationem, sicut in natura sensitiua non est ratio; sed aliqua participatio rationis; habent enim bruta quandam prudentiam naturalem. D. Thom. in quęst. disput. de ratione super. & infer. a. 1. a.

Bonus homo semper habet multa mala adiuncta cum bono ex quorum quolibet potest sufficienter operari malum, scilicet pronitatem ad malum, siue fomitem & defectibilitatem liberi arbitrii. Tostat. Matth. to. 3. fo. 12; c. 1. e.

In veteri lege pręcipiebantur quædam in qui- D bus erat immunditia & quam nolle, incurrere peccatum esset. *Vide Voluntas Minoritatis Bona.*

Iudæi erant de progenie Caïn ex parte matris, quia Seth habuit vxorem de filiabus Cain. Tostat. Matth. to. 6. fo. 251.

Sola lex Euangelica est perfectissima prohibens omne malum, si tamen illa daretur omni politiæ, non esset conueniens. Id. de optima politia. fo. 4.

Samaritani colebant Deum verum, cum Diis gentium. Id. Exod to. 1. fo. 77.

Cum serpentis caput contritum est, cętera eius membra diu vitam & motum conuulsiuum retinent; sicut per mortem Christi contusum est caput serpentis, & hæc fera per tot ætates hominibus noxia potestate mortua est, eius tamen residua malitia penitus non delebitur, nisi in fine sæ- E culorum. D. Gregor. Nyssen. serm. in diem Natalis Christi.

Gen. 22. dicit Deus Abrahæ, Erit semen tuum sicut stellæ cæli, & sicut arena maris. In stellis cœli spirituales; in arena maris carnales intelliguntur. Alcuin. in Genes. interrog. 209.

In virtutum scala spirituali non semper ascendunt viri sancti, vt neque descendunt, sed alternatis viribus nunc ascendunt, nunc descendunt; de ascensu fiunt promptiores, ex descensu humiliores: id fuit figuratum in scala Iacob, &c. Laurent. Iustinian. lib. de spirituali animæ resurrectione. Quis, addit, est inter mortales tam alacer, tamque in virtutum exercitatione, perfectus vt interdum non intepescat, interiorem non remittat rigorem, ex diuina dispensatione non relinquatur sibi ipsi, ignoretque nonnunquam quæ sit voluntas Dei beneplacens, atque perfecta. Ita viri perfecti non semper vocandi sunt sancti, secundum actum, sed secundum propositum. Id.

E duobus malis minus eligitur. *Vide Media Minoritas.*

Sunt aliqui inter impios, piosque medii, ex vtroque admixti, neutri tamen propriè, nec fidei admiscendi, quia sit illis aliquid infirmitatis insertum, nec infidelitati deputandi, quia aliquid habeant & fidei. plures namque Dei metus in Ecclesia continet, sed eosdem tamen ad sæcularia vitia sæculi blandimenta sollicitant. Orant quia timent, peccant quia volunt. Christianos se nuncupant, quia bona est spes æternitatis; gentilia agunt, quia blanda præsentia sunt, impii non manent, quia his Dei nomen in honore est; pij non sunt, quia quæ pietati sunt aliena sectantur. Hi propriè à Domino iudicantur, nam quia iudicium de ambiguis rebus existit, impius iam iudicatus est. Ioan. 3. propterea dicitur Psal. non resurgent impii in iudicio, & qui credit in me non iudicatur. Ioan. 3. soli ergo hi medii propriè iudicabuntur. D. Hilarius. in Psal. 1.

Perfecta hic non potest haberi virtus, propter contagionem corporis. *Vide Potestas Concordantia Malorum.*

Redimunt vitia virtutibus, & in illis plus est quod laudes, quam quod ignoscas. Seneca.

Nemo sine vitiis nascitur; optimus ille est qui minimis vrgetur, velut si egregio inspersos reprehendas corpore næuos D. Hieron. ad Saluinam.

Multa populus Romanus in suis Imperatoribus tulit; in Manlio impotentiam, cui non nocuit & filium & victorem occidere, in Sylla crudelitatem, in Lucullo auaritiam. Senec lib. 9. contr 2.

Alexander ingentia animi sui bona, illam indolem quæ omnes reges antecessit, illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisque velocitatem, in deditos fidem, in captiuos clementiam, in voluptatibus permissis quoque & vsitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate fœdauit. Q. Curtius. lib. 5.

Bactrianæ terræ multiplex & varia natura est; alibi multa arbor & vitis, largos mitesque fructus alit, solum pingue, frumenti ferax crebri fontes rigant; magnam deinde partem eiusdem terræ steriles arenæ tenent, squalida siccitate regio, non hominem non frugem alit. Idem. lib. 7.

Rusticorum est prouerbium, sationem non esse relinquendam propter multitudinem auium. Ita virtus non est deserenda propter intermixtas imperfectiones.

IN BONORVM societate aliqui mali.

EX aquis Deus produxit reptile & volatile, sensuales & spirituales in qualibet societate, sensuales oppositi spiritualib. cōferūt ad eorū decorē

Vide Gloria Contrarietatis. Opposita magis apparent.

A Iosue 21. Iudæi non potuerunt Iesubæos extinguere, sed simul habitauerunt in Ierusalem. Non est possibile ad liquidum purgare Ecclesiam dum in terris zizania manet cum tritico; remanent dubia vel occulta peccata, licet manifestè criminosi eiciantur ex Ecclesia. Origen. homil. 21. in Iosue.

Is qui in Romano foro circa columnas & statuas se occultat, euitandi creditoris causa, pro latitante habetur, eiusque bona ex edicto possunt vendi. l. fulcinius § illud sciendum ff. quib. ex caus. in possess. eat. Cuiac. Obseruat. lib. 1. cap. 13. Sic mali latitant in bonorum societate.

B Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines viuo; nec minus arrogare audeo, vt domus mea melior sit, quam arca Noë, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus est; aut melior sim quam domus Abrahæ, vbi dictum est, Eijce ancillam & filium eius; aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est; Iacob dilexi, Esau odio habui; aut melior quam domus ipsius Iacob, vbi lectum patris sui filius incestauit. D. August. epist. 137.

Natura procliuis est in malum. *Vide Voluntas Virtutis. Repug.* Hunc autem mali fomitem diu continet bonorum societas, & pudor inter bonos malum videri, sed non extinguit; Ita quorundam violentior in id quod peius est inclinatio, diu vim passa, erumpit tandem & moras impetu C maiore compensat. Partes referunt totum. *Vide Concordantia Princ.* Vnde quod in Ecclesia idipsum contingit in qualibet societate. Pertinax est quorundam malitia, nec minus potest in mundo vitium, quam virtus; vt igitur datur virtus quæ non corrumpitur inter malos. *Vide Duratio Virtutis.* Bonus inter malos. Sic reperies vitium inter bonos insanabile. Vt corpus naturale, sic morale non externis tantum, sed periculosius tentatur internis morborum causis. Exercetur bonorum virtus, & in qualibet societate, perfectionis auidus reperit hinc quod imitetur, inde quod fugiat, plurimum ex vtrisque proficiens. In se quilibet experitur motus rationi contrarios; quid D mirum si hos etiam reperiat in aliorum societate. *Ex Principiis.*

Sicut olim cum venissent filii Dei, vt assisterent coram Domino, inter eos Satan etiam adfuit: in sancto Episcoporum consessu qui adfuerunt Niceno Concilio, adfuerunt aliqui hæretici, idest diabolus in membris suis.

Vide Contrarietas Virtutis. Inuidia.

PROPTER ALIQVOS IN societate malos cæteri tales non sunt habendi.

E HAbet omnis professio fictas personas: sunt Christiani mali, sed sunt & boni; si iuuenis sanctimonialis sit indisciplinata, numquid ideo sanctimonium reprehendendum est? numquid propter virgines malas damnaturi sumus sanctas & corpore & spiritu? D. August. in Psal. 99. sub finem.

Ad quid aliud sedent isti? & quid aliud captant? nisi vt quisquis Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel sanctimonialis ceciderit? omnes tales esse credant, iactent, contendant, sed non omnes posse manifestari. Id. epist. 137. & addit: Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis: nolite ergo propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, vnde apothecę Dominicæ fructu olei luminosioris implentur.

Vide Duratio Virtutis Inter malos. bonus.

Cum vbique mali sint bonis permixti, si vnico socio peccante fieret de cæteris par iudicium, omnes haberentur mali, quia nulla societas in qua non fuerit malus aliquis: extinguerentur omnium virtutes ob vnius delictum, gleba terræ, stellas omnes & Solem obscuraret. Apostolos propter Iudę traditionem expūgeres è sanctorum catalogo; propter Dęmonum superbiam Angelos è cœlo deturbares. Quod inter bonos mali reperiantur, non est virtutis contumelia, sed commendatio, cum inter tales incorrupta permanserit, nec sit sequuta prauum exemplum ruēs in deteriora. Non datur summum malum, in ęgris, licet admotem, plurimę partes sanæ sunt, & suis rectè funguntur muneribus; læso pede non laborat oculus, &c. cur ergo tribuunt omnibus singularem defectum? Noxa caput sequitur. *Vide Duratio Contrarietatis. Repug.* Et si rei deprehensi crimen in collegium suum refunditur, erunt suspecti Senatores omnes, inter quos fuit aliquis præuaricator, defectuque iudicum qui recusari non possint, manebunt impunita crimina. Cum plures sint boni quam mali, sicut sani quam ægri, & graue vitium, sicut monstrum rarò contingat, rationi potius conueniens est, ex tot bonis, omnes bonos iudicare, quam ex vno singulari malo, omnes malos. Sic diu latuit, vultu, gestu, sermone fucata malitia, hanc tandem diligens Rectoris oculus deprehensam castigauit, integerrima societas auersata est, abdicauit, statutis à legé pœnis exposuit, quis reum dicat totum exercitum ob militis vnius desertionem, quam & armis vindicare paratus est. *Ex principiis.*

D. August. lib. de vnico baptismo contra Petilianum agens. Non parua est inquit, parumque gloriosa consolatio cuiusque nostrum, si ab inimicis Ecclesię cum ipsa Ecclesia criminamur. *Vide Duratio Virtutis.* Ecclesia infallibilis.

Non hæc culpa est Christiani nominis, si simulator religionis in vitio sit, quin imo confusio gentilium, cum ea vident Ecclesiis displicere, quæ omnibus bonis non placent. D. Hieron. epist. ad Rusticum.

Vide Differentia Minoritatis. Diuersa infirmitas, ex particularibus.

Lepus marinus venenum est; vnde suffocatio, asthma, tussis, sanguinis sputum, abominatio in cibis cuiuslibet generis piscis, & terror in sola eius visione. Zachias medic. lib 2. tit. 2. q. 6. abominantur pisces omnes propter vnum maleficum.

Petrus designatum iam Ecclesiæ caput, lapsus est, Ecclesiæ fundamentum, & columen cecidit, Christum negauit, num propterea Ecclesiæ totius honor deperiit? quot Episcopi, quot Archiepiscopi, quot Patriarchæ Ecclesiarum capita, & pastores in hæresim lapsi sunt? quid Nouatum Aphricanum Episcopum? quid

quid Paulum Samosatenum primatem Antiochenum? quid Donatum Calamensem Episcopum? quid Nestorium Constantinopolitanum Patriarcham? quid Dioscorum Alexandrinum? quid Photium Syrmiensem? quid Eunomium Cizici? quid Photium Bizantii, & alios plurimos qui in fide naufragium passi sunt; nec eorum lapsu A Ecclesia ita denigrata fuit vt omnem prorsus pristini honoris iacturam fecerit Equidem si vnius vel paucorum turpitudo omnes commaculat, à labe minimè liberæ ac immunes erunt cœlestes illæ Angelorum hierarchiæ quę tot cadentes spiritus conspexerunt.

FINIS VIRTVTIS.

QVANDO DESINIT VIRTVS.

VIRTVS alteratur per B hominum conuersationē. *Vide Potestas Concordantia & Minoritas Concordantia Bona. Et Differentia Minoritatis* Suspectum contubernium.

Quomodo dulce in amarum conuertatur. *Vide Concordantia Principij. Repugn.* Effectus suis causis dissimiles.

Planeta stans ad retrogradationem, est vt homo sanus, à quo recedit sanitas, sed remanet parum de ea. Bethem centiloq n. 5.

Laurentij Iustiniani liber, de complanctu Christianæ perfectionis.

De Innocentia perdita. Idiot. Biblioth. Patr. to. 5.

Samuel erat filius vnius anni cum regnare cœpisset; idest simplex & innocens vt puer, & sic regnauit duobus annis, postea tyrannus Geneb. *Vide Minoritas Finis.* Defectus in fine.

Seneca conqueritur de eloquentia & virtutibus suo tempore deficientibus, siue luxu temporum, nihil enim tam mortiferum ingeniis, quam luxuria; siue cum præmia rei pulcherrimæ cessarint, translatum est omne certamen ad turpia multo honore quæstuque vigentia; siue fato quodam cuius maligna in omnibus perpetuaque rebus lex est, vt ad summum perducta, rursus ad infimum, velocius etiam, quam ascenderant, relabantur Rodig. lib. 10. cap. 20.

MAIORITAS VIRTVTIS.

IN QVIBVS EST MAIOR ET excellens virtus.

DE virtutibus cardinalibus. D. C Thom. q. 5. de virtut. Bonauent.

Quibusdam rebus insunt virtutes, supra speciem suam mirificæ. Sic refert Auicenna, tempestate sua vixisse hominem qui halitu venenata interficiebat.

Sol inter astra, adamas inter lapides, homo inter animalia.

Cum in aliquo genere inuenitur aliquid imperfectum, oportet præ existere aliquid perfectum in genere illo. Vnde quia sunt aliquæ intellectuales substantiæ imperfectę, ex sensibus haurientes scientias, oportet dari alias perfectas, quæ ad id sensibus non indigeant.

Vnaquæque virtus tanto excellentior est, quanto ad altius bonum ordinatur.

Species inferior si excellat præfertur superiori deficienti. Sic vilis Adamas minoris est prætii quam præstans carbunculus: & magnus topazius pluris venditur, quam paruus smaragdus: & achates quæ insignis rei imaginem exprimit, carius æstimatur, quam deterior opalus, Georg. Agricola. lib. 6. in fine de natura fossiliū.

In Iudæorum tractu duo sunt genera draconum, palustres. qui sunt pigri, tardi, sine cristis, alii sunt montani, acriores; grandiores & cristati. In eorum capitibus inuenitur lapis pulcherrimus miræ virtutis, qualem fuisse dicunt Gygis annulum. Rodigin. lib. 6. cap. 11. *Vide Principium Virtutis.* Patri.

In collectione fructuum, idest electorum in die iudicii Angeli offerunt Deo primitias, idest eos qui fuerunt primi & eximii credentium. Origen. Homil. 11. super Numer.

Digitized by Google

Sicut iniquitas mea, iustitia est comparatione maioris iniquitatis. *Vide Gloria Contrarietatis.*

A Opposita magis apparent. Sic iustitia mea ex comparatione multiplicis iustitię iniquitas reputatur. Propterea non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens Abraham, Moyses & cæteri Christo comparati non sunt iusti, vt Luna & cæteræ stellæ obscurantur coram Sole; ideo Ioan. 1. iustorum lux in tenebris lucet, vt stellarum in nocte, hic scilicet vbi nobis est colluctatio cum principibus tenebrarum. Origen. homil. 9. in Ezech.

Datur tenue, tenuius & tenuissimum, molle, mollius & mollissimum. Sic de cæteris qualitatibus.

Lex Euangelica vocatur lex perfectionis, non quia omnibus perfectionem pręcipiat, sed quia omnem imperfectionem prohibet, scilicet omne peccatum, quia nullum vitium in nouo Testamento permittitur; lex verò vetus omnem imperfectionem non prohibebat, sed quædam vitia permittebat; vt libellum repudii. Deut. 24. vsuras, ibidem. purgationem vulgarem zelotypiæ. Num. 5. & vindictam, itaut posset quis manu propria occidere alium. Num. 35. Vocatur etiam lex Euangelica, lex perfectionis, quia tota est spiritalis; lex verò vetus considerabat temporalia, & in temporalibus bonis ponebat præmia. Tostat. Num. to. 1. fo. 75.

B

Sanctuarium significabat locum in templo maioris sanctitatis, scilicet vbi erat Tabernaculum & arca. In eo tamen Sanctuario erant tres distinctiones, scilicet, atrium, sanctum, & sanctum sanctorum. Id. Exod. to. 2. fo. 214.

C

Sicut in metallis argentum plumbo est pretiosius, & aurum argento, sic in actibus virtutum magna est differentia. Laurent. Iustinian. lib. de fide cap. 3.

Magni homines nascuntur in magnis coniunctionibus. Cardan. Aphoris. sect. 3. Aphoris. 136. Vel cum in vnius genesi Sol & Luna sunt in suis exaltationibus, Sol in Ariete, Luna in Tauro, vel Cancro. Id. sect. 5. Apho. 70.

Oportet esse excellentes quasdam virtutes ad inferiorum humiliationem. *Vide Concordantia Differentia.* Ordo.

D

Mulieres nascuntur oculis in cœlum sublatis, mares contra. Sic deuotus est fœmineus sexus.

MALA SVPERSTITIO.

SErui & ancillæ supra modum non sumantur, ne deserentur villæ. capit. Carol. Ma. l. 1. c. 113.

De scrupulis. *Vide Veritas Contrarietatis. Repugn.*

Qui abominantur esum carnium, in clero constituti, tanquam id regulæ non consentiat, ab ordine cessare debent. Concil. Ancyran. c. 13. Aquisgranense. c. 63 & 65. habetur dist. 10. si quis carnē.

E

Anathemate feriuntur qui propter continentiam, aut contumaciam, die Dominico ieiunant. Conc. Gangrense. c. 18. Aquisgranense. 68. habetur dist. 30. c. si quis.

Permisit Deus filiam Iephte in sacrificio victimam offerri, non quod humano delectaretur sanguine, verum vt homines posteri documentum haberent, ne vnquam vota sua Deo infinitè nuncuparent; multa enim absurda sunt, per huiusmodi generale votum cauenda. Iustin. Martyr. quæst. ad orthod.

Religio est virtus moralis, omnis autem virtus moralis in medio consistit, ideo contra peccatur per defectum & excessum. Superstitio autem est vitium Religioni oppositum secundum excessum; non quia plus exhibeat in cultum diuinum quam vera Religio, sed quia exhibet cultum diuinum, vel cui non debet, vt dæmonibus, idolis, imaginibus, vel eo modo quo non debet, vt indignus est, inquit D. Ambrosius, qui aliter celebrat mysterium, quam Christus tradidit; quanquam non possit secundum absolutam quantitatem exhiberi quippiam Deo in cultu diuino superfluum, potest tamen secundum aliquam proportionem superflui aliquid adhiberi non ordinatum ad debitum illius finem. Finis est vt mens ad Deum eleuetur, ad Deum glorificandum, & carnis concupiscentia refrænetur, superfluum est quidquid fit ad id non conferens; vel contra institutionem & morem Ecclesiæ; superstitiosum esset & mortiferum nunc antiqua legalia obseruare. Cum dicatur Luc. 17. Regnum Dei intra vos est, superstitiosum est in exterioribus principalem curam impendere. D. Thom. 2 2. q. 92. 93. & seq.

Superstitio nasci solet ex amore proprio, quo quis externa bona tanto concupiscit affectu, vt mediis omnibus licitis vel illicitis vtatur ad illorum consecutionem, hæc cum non obtineat à Deo, eo quod malè petat reus, reatus amplioris fomenta, conuertitur ad Dæmones, Deo sibique perfidus. Alio nimio metu damnationis, vires tum animæ tum corporis indiscretis obseruationibus conterunt; & puritatis internæ nescii, toti sunt in exterioribus. Insufficiens illis videtur, quod Ecclesia decernit, quod antiqua sanctorum pietas exemplo suo nos docet, ire volunt per inuia, per abrupta zelo non secundum scientiam æstuante, congestis supra vires suas austeritatibus miserè se torquent, & perimunt metu, vanitate, Dæmonum martyres. Similes sunt ægris qui malorum impatientes, nimioque sanitatis amore, non ferunt naturæ motus sequentem probatæ medicinæ methodum, sed præcipiti remedio, mortem sibi conciscunt. Misericors Deus plurimum indulgens infirmitatibus nostris, iugum suum leue nobis efficit, nihil grauantibus præceptis; & hæc obseruantium qualemcumque laborem cœlesti compensans dulcedine. At superstitiosi semetipsos opprimunt superimpositis oneribus, quorum labor & dolor deiicit animum, vt in pœnam sibi traditus, Deo militantium annonam non percipiat. Vna est quę recta tendit in scopum via, qnod aberrat infinitum est, & vbi semel sanctorum scientiam contempserit animus, suæ versatili se credens opinioni, per omnes sectas iactatus suo pondere primum sensibilia tandem ad Dæmonum præstigias, ad illisam vbique se torquentem, nulli rei, ne sibi quidem fidem habentem conscientiam deueniet. Pessimus potissimum in re spirituali quisque sui iudex est; ars huius vitæ, sicut quælibet alia constat experimentis, ne quis aberret à via quæ ducit ad vitam; interrogandi sunt sanctitate magis insignes; sequendi, qui hac fœliciter decursa peruenerunt ad quietas beatorum sedes. Legum omnium mutatio periculosa, harum maximè quæ pertinent ad religionem, hæc enim cœlestibus affinis, diuinam vnitatem, veritatem, immutabilitatem debet æmulari. Oritur & pendet à Deo,

at talis esse desinet, si iam ab hominum opinione cæca, vaga, legem agendique modos accipiat, si prout intumuerit æstus, in varias superstitiones transeat; optimi corruptio pessima. *Vide Maioritas Minoritatis.* Sic omnis circa religionem maximè nocet. Quæ fit per excessum videtur periculosior, quia se mentibus insinuat sub specie præstantioris sanctitatis, inflammatur aura populi, vanitate, spectantium laudibus & hinc nata sunt orbi tot horrenda sectarum monstra, sensibilibus addicti sæpè pœnitentia mouentur, & eorum diu delusa ratio se vindicat in libertatem. At in superstitiosis mentibus, vnde superbia longius abdicauit, sui defectus, & omnem humilitatis sensum, quæ potest esse spes pœnitentiæ. *Ex Principiis.*

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Ps. 118. plures vtilem & necessariam viam esse se ingressos existimant, sed immaculati in via non erunt, quia non in lege domini ambulant. D. Hilar. d. Psalmum.

Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesque ciborum quærere. Tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non vescamur pane, vt aquam non bibant sitim explent sorbitiunculis delicatis, & famam abstinentiæ in delitiis quærunt. Non erubescimus tales ineptias, nec tædet superstitionis: sint pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa ieiunia. D. Hieron. epist. ad Nepotian.

Magis Deos miseri quam beati colunt, frangitur calamitosis animus & ipsa se infœlicitas damnat, & hoc conditio humana, vel pessimum habet, quod fortuna quos miseros fecit, & superstitiosos facit. Seneca lib. 8. Controu. 1.

PERFECTIO EVANGELICA, vita Monastica.

De Consiliis Euangelicis, tit. 4. diætæ salutis. D. Bonauent. Et Gerson. to. 3.

Institutiones Monasticæ. Hugo à S. Victore. tom. 2.

De Monasticæ vitæ perfectione. Basil. epist. 411. Eiusdem ad illam exhortatio. Plures hac de re libri Petri Damiani.

De Monasticæ conuersationis disciplina. liber Laurentii Iustiniani,

De mundi contemptu. *Vide Veritas Gloria. Repugn.*

Monachorum vita. Chrysost. hom. 56. & seq.

Ad Monachos Faustus. Rheg. Bibl. Patr. tom. 2. Iustus ibid. Athanas. tom. 4.

Pro Monachis liber Asceticus. Nilus. Bibl. Patr. lib. 5. De Monachorum institutione Oresiesis Ibid. Monachorum speculum Ioan. Climach. Bibl. Patr. tom. 5. Ioan. Hierosol. Bibl. Patr. to. 9. Ibid. tom. 15. & multa apud Basil. in regulis breuibus & passim.

De profectu Religiosorum. D. Bonauent.

De Religiosi status bono. liber Petri Damiani. Platus. Pintus.

Dialog. 2. Aluarez. tom. 1. Gregor. Valentia Controu. sect. 6.

Bernardin. quad. 1. serm. 16. & quad. 2. serm. 24. Ephrem.

Oras Pater noster qui es in cœlis. Homo quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi, genus esse de cœlis; ergo cœlestem vitam monstra in habitatione terrena. Chrysolog. serm. 71.

Matrimonium ratum, sed non consummatum dirimitur per subsequens votum approbatæ religionis; quod non est concessum ordinationi Episcopi, vel susceptioni ordinis sacri. Bonacin. de matrimonio. qu. 3. pu. 4. prop. 3.

Antequam populus legem acciperet, iubetur sanctificari, & non appropinquare vxorib. Exod 19. quid enim est sanctificari, nisi abstinere, etiam ab illicitis; nam qui abstinet solum ab illicitis, pœnam quidem euasit peccati, sed gloriam nondum est assequutus sanctitatis; etenim ad sanctificationem non satis est fecisse præceptum, nisi adiicias facere & consilium. Si hoc accedentibus ad montem visibilem, quanto magis ad ciuitatem Dei viuentis, & Iesum mediatorem. Ruperti in Exod. lib. 3 c. 26. *Vide Magnitudo Veritatis. Perfecta virtus.*

Omne sacrificium sacerdotis igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo. Leuit. 6. Id fieri non potest, nisi curis carnis totum se exuat, & abalienet cor suum ab hoc sæculo, vt soli Deo vacare, & solo possit frui Deo. Id. in Leuit. lib. 1. c. 31. in fine.

Leuit. 8. dicitur, qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium & libamenta. Id est cum rebus externis offerat etiam cor contritum. Nam si rem suam Deo offerat, seipsum autem sibi retineat, comparabitur Cain, diciturque illi vt Gen. 4. si rectè offeras, & non rectè diuidas, nonne malum est? etenim Cain rectè quidem obtulit, quia cui debuit Deo obtulit, sed non rectè diuisit, quia quod minus erat, idest rem suam, Deo quidem obtulit, quod autem pretiosissimum esset, scilicet semetipsum, sibi retinuit. Id. in Leuit. lib. 1. c. 38.

Dicuntur præ cæteris Religiosi, quia obseruant soli consilia Euangelica, vt multæ Prouinciæ habent pro insigni, quod in illis est singulare Ægyptus Crocodylum, Britannia Armorica, *Les Hermines.* Mus ponticum.

Donatio alicui facta sub hac conditione, si nupserit, valet etiamsi non nubat, sed religionem ingrediatur; quia si hæc conditio fuit opposita vt retraheret à religione, habetur vt inhonesta, & pro non adiecta. §. sed & hoc Antho. de sanctissim. Episcop.

Religiosus, ait Cicero à relegendo appellatus, qui retractat & quasi relegit ea quæ ad cultum diuinum pertinent: hi sunt dicti Religiosi ex relegendo, tanquam exeligendo eligentes, ex diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. Isidor. Origen. lib. 10. littera R.

Geographi dum ima atque demissa lustrare desiderant, illa ex sublimibus montibus despiciunt. Extra mundum positi vanitates eius melius deprehendunt.

Abraham filium immolaturus iubetur montem conscendere, scilicet vt fide elatus terrena derelinquat, & ad superna conscendat. Origen. hom. 8. in Genes.

Exod. 15. de Israëlitis in Ægypto saluatis, plantabis eos in monte hæreditatis tuæ. Non vult nos Deus in Ægypto plantare, nec in deiectis & humilibus locis, sed in monte hæreditatis suæ vult plantare, quos plantat. Orig. hom. 6. in Exod.

Erant sancta sanctorum, Sabbata Sabbatorum, & Cantica Canticorum, sic dicta per exuberantiam, sanctitatis, festiuitatis, lætitię, quæ ideo ob-

tinere difficilius est. Id, hom. 1. in Cantica.

Matth. 13. simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas; inuenta autem vna pretiosa, &c. multi de variis rebus negotiantur, hic autem de re pretiosissima.

In eo statu est maxima omnium æqualitas. *Vide Bonitas Æqualitatis.*

Melius est ingredi in domum luctus, quam risus. Eccles. 7. Verè domus luctus Monasteria sunt, vbi cinis atque cilicium, vbi solitudo, vbi risus nullus, nullus negotiorum secularium strepitus, absunt perturbationes, curæ. In littore placido sedent, & ad suam quietem cæteros prouocant, &c. D. Chrysost. hom. 14. in 1. ad Tim. vbi plura de vitæ Monasticæ Angelico instituto.

B

Monachi maiorem tonsuram ferunt quam clerici sæculares, quia profitentur maiorem abdicationem rerum temporalium & superfluitatis. Tostat. Matth. to. 1. fo. 24.

Vita Monastica est portus contra tempestates. *Vide Gloria Virtutis.* quieta & solitaria virtus, ex Olao Magno.

Audire vultis à me vnde inter cætera pœnitentiæ instituta Monasterialis disciplina meruerit hanc prerogatiuam vt secundum baptisma nuncupetur; arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, & singularem excellentiam vitæ spiritualis, quæ præeminet vniuersis humanæ vitę generibus. Huiusmodi conuersatio professores & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus, imò diuinam in homine reformat similitudinem, configurat nos Christo instar baptismi. D. Bernard. lib. de præcept. & dispensati.

Cor est in medio corporis vt ex eo diffundantur operationes vitæ de facili per totum corpus. Cerebrum autem ponitur in supremo, vt operationes animales, quę ibi perficiuntur, non impediantur per diuersas corporis transmutationes. D. Thom. quodlib. 4. a. 5. *Vide Gloria Virtutis.* Et *Virtus Differentia.* Solitaria virtus.

Maior est præsumptio in his qui se putant immaculatos custodire in hoc seculo, quam in his qui metu tanti periculi confugiunt ad religionem. Ibid. a. 24. ad 22.

D

Consilia Euangelica ordinantur ad præcepta, scilicet vt mens à passionibus libera, perfectiorem habeat charitatem Dei & proximi. Ibid. a. 24.

Religiosi pulsantur aliorum Ecclesiasticorum inuidia. Vide quæ scripsi de agente Deo in rebus parte 1. c. 22. 23. Vita Religiosa est ad imitationem Christi. l. de fœlici successu & triumphis vita Religiosa parte 1. cap. 10. Est vera cœli via, sacrificium expiationis & laudis. Ib. cap. 14. 15. 16. quantum Ecclesia sit vtilis, & quare sic nuncupetur. cap. 17. 18. summa perfectio, sequi Christi consilia. lib. de institutione & officiis Religiosi parte 1. cap. 14. Vita Religiosa leges suas habet legibus mundi contrarias. Ib. pa. 2. c. 1.

E

Religiosa conuersatio gerit imaginem cœlestis patriæ, supernis namque ciuibus vna est mansio, vna gloria, communis lętitia, concors voluntas, mutua dilectio, sempiterna securitas, hęc autem in congregationibus vniformiter degentibus reperiuntur, ab his enim procul est proprietas, æmulatio, inuidia, &c. Laurent. Iustin. lib. de perfectione Monasticæ conuersat. cap. 7. In hoc distant, quod illi cum Christo regnant, isti pro Christo pugnant: Illa triumphantium, hæc congregatio dicitur militantium, quod illi tenent in re, isti habent in spe; vnus est illorum & istorum Dominus, vna hæreditas vna, societas. Ib.

Qui vult venire post me abneget semetipsum. Matth. 16. liberam voluntatem relinquit, & sic vehementer Apostolos attraxit; nam sicut qui vim affert, plerumque auertit, sic qui liberos audientes relinquit, multo magis attrahit, potentior enim est oratio mitis, quam violentia; præmia proposuit vt ad ea sponte homines conuertantur. D. Chrysost. hom. 56. in Matth. Rex dilecto non dat statim coronam, sed vult eum decertare in agone, vt ipsam mereatur, quo magis eum diligit, eo magis victorem videre cupit. Sic etiam Christus quos maximè diligit, eos non solum auxilio suo duntaxat, verum etiam & à seipsis vult cōprobari; tunc patres maximè filiis parcunt, cum magistris atque doctoribus tradentes, maximè rogant, ne parcant. Ibid.

Ibid. hom. 69. describit integritatem & fœlicitatem vitæ Monasticæ vrbium voluptatibus longè superiorem.

De diuersis Dei donis quæ fiunt, iusto, amico, sponsæ. *Vide Differentia Bonitatis* Diuersa diuersis dona.

Monachismo deletur ingratitudo liberorum erga parentes, vt Monachus non possit exhæredari ex antefacto, idest ex causa ingratitudinis quæ Monachismum antecessit. Nou. 123. & Cuiac. Obs. lib. 12. cap. 26. hæc consentiunt cum sententia Patrum, qui asserunt hominem in professione Religiosa restitui in innocentiam baptismalem. Vide 1. tomo.

Nobiles facti Religiosi. *Vide Gloria Medii.* Illustre medium. Et *Magnit. Contrariet. Bona.* D. Thom. 1. 2. q. 108. a. 4. Consilia Euangelica ponit inter partes legis gratiæ, quia quod illa consulit, iure prohiberi non potest, nec tanquam malum refutari, sic consilium retinet vim legis & obligat. Suarez de legib. lib. 1. cap. 14.

Introibo domum tuam in holocaustis; reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Ps. 65.

State in viis & interrogate vias Domini æternales, & quærite quæ sit vita bona. Hier. 6. Multarum margaritarum negotiatorem oportet esse, vt vnam margaritam multi pretii consequatur.

Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine. Ps. 118. lex præcipit malum pro malo reddere. At Dauid voluntariè Sauli hosti suo deprehenso parcit; filio etiam parricidali bello eum persequenti: sic Apostolus consilium dat non præceptum de virginibus. 1. Cor. 9. habet potestatem mulierem sororem circumducendi, sed ea non vtitur. Potestas in licito est, cum lex infidelitati nostræ parcens præscriptis nos grauibus non onerat; at verò voluntatis professio ex incremento fidei est, cum in his quæ moderata lex nobis est, nosmetipsos voluntarię deuotionis studio continemus; hæc vt Deo sint placita Propheta orat. D. Hilar. in Psal. 118. Nun.

Non solum effusio sanguinis in confessione reputatur, sed deuotæ quoque mentis seruitus immaculata, quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis & violis plectitur, ista de liliis, vnde in cantico scribitur, dilectus meus candidus & rubicundus. D. Hieron. ad Eustochium in Epitaphio Paulæ matris.

Idem aduersus Vigilantium; quod inquit, asseris eos melius facere qui vtuntur rebus suis, & earum fructus paulatim pauperibus distribuunt, quam qui semel omnia largiuntur, à domino tibi respondetur, si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.

Virtus ad Deum infinitum se extendens, nullum habet terminum & exitum quo cessare possit. Licet non paruum sit lucrum, partem aliquam consequi lib. lib. de vita Mosis.

Vt probetis quæ sint potiora, quæ sit voluntas Dei, bona, accepta & perfecta Roman. 12.

Iam satiati estis, iam diuites facti estis. 1. Cor. 4. hoc dicit Paulus Corinthijs, ipsos irridens quod breui tempore se putarent ad perfectionem peruenisse. paucis enim saturari est animi imbecillis; paucis existimare se ditari est nauseantis & miseri Insatiabilis enim res est pietas, & mentis est puerilis arbitrari se totum accepisse, & quum ne sit quidem in proemiis se efferre, & magnifice de se sentire D. Chrysost. hom. 11. in 1. ad Corinth.

Induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est, Coloss. 3. quo magis processerit non tendit ad senium, sed ad maiorem priore iuuentutem; cum enim maiorem acceperit cognitionem, maiora quoque consequitur, & magis viget & obtinet formam ad quam refertur, & hæc optima vitæ institutio dicitur creatura ad imaginem Christi Id homil. 8. in epist. ad Coloss.

Angeli benè vtendo naturalibus, poterant amare Deum super omnia, & qui id non præstiterunt non acceperunt gratiam perseuerantiæ, sic ceciderunt. Magister sentent. lib. 2. dist. 5. q. 2.

D. Augustin epist. 106. dicit quod gratia meretur augeri. vt aucta mereatur perfici, & ita augmentum gratiæ cadit sub merito.

Virtus est dispositio perfecti ad optimum. D. Tho. in quæst. disp de fide a. 5. o.

Qui iurauit se non intraturum religionem, potest licitè intrare; hæc enim obligatio est illicita, quia per hoc homo quantum in se est, obfirmat se contra gratiam Spiritus sancti, quæ facit hominem in corde suo ascensiones disponere & hoc iuramentum retrahit à meliori bono Id. quodlib. 5. a. 17.

Gradus dicuntur mensuræ crescentium virtutum D. Greg. 22. Moral.

Israelitis declarati sunt termini terræ quam possidere deberēt, vt intelligerēt se necessario pugnare debere contra gentes quæ erāt inter terminos eorū conclusæ; contra alias autem data iusta causa belli. Tost. 1. Paralip. fo. 114. vltra præcepta & consilia semper offertur occasio maiora faciendi ad Dei gloriam & animæ profectum.

Corpus nostrum crescit naturæ suæ impetu & necessitate, non ad arbitrium nostrum, at pendet à studio nostro, pietate, diligentia extendere dona Spiritus sancti, vt vltra semper progrediamur ad sempiternā vitam & ineffabilem in cœlis lætitiam. S. Gregor. Nyssen. lib. de scopo Christiani.

Viuens quod non crescit minuitur. Vide quę scripsi de iure natur. lib. 2. lege 10. §. 4. Virtus debet niti ad maiora moral Christia. 10. 1. parte 1. cap. 27. & lib. de institutione & officiis Religiosi parte 2. cap. 3. dolet qui non satis vt optat, proficit. libello de amore Dei patiente. cap 11. & libello de amore Dei agente. cap. 6.

Soli humano generi licet mereri & demereri, proficere & deficere quod irrationabiliter viuentibus non datur, neque Angelis.

Non solum vna virtutis particula omissa, cœlum nobis claudit, verum etiam si non congruenti cura & studio peragitur, illud ipsum solet inferre dicitur enim Math. 5. Nisi super abundauerit iustitia vestra, &c. si eleemosynam dederis non tamen maiorem quam illi, non intrabitis in regnum cœlorum, &c. D. Chrysost. homil. 65. in Matth.

Merito commendandus illi qui spiritualis affectionis beato calori ardendi materiam subministrat; ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accędatur. Laurent. Iustin. serm. de S. Luca,

In fraudem fisci facit, non tatum si alienet, sed & si non quærat l. in fraudem ff. de iure fisci. damnatur seruus qui talentum sibi commissum infœcundum seruauit.

Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini. ps. 118. Via hæc non solum ineunda est, sed etiam peragenda, nemo enim dum in via est, id ad quod per viam tendit, obtinuit Philip. 3. Non quod perfectus sim, sequor autem si apprehendam cum obliuione præteritorum spes in futurum extendens. D. Hilar. in Psal. 118.

Deus semper largitor, semperque donator est Non mihi sufficit quod semel donauit, nisi semper donauerit, Peto vt accipiam, & cum accepero rursus peto. Auarus sum ad accipienda beneficia Dei, nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo: quanto plus bibero, tanto plus sitio dicit Psalmista, Gustate & videte quoniam suauis est Dominus. Omne quod habemus bonum, gustus est Domini cum me putauero ad calcem peruenisse virtutum, tunc habebo principium. hæc hominibus sola perfectio, si imperfectos esse se nouerint dicant serui inutiles sumus, &c D. Hieron. ad Ctesiphontem aduersus Pelagianos.

Digitized by Google

ÆQVALITAS VIRTVTIS.

IN QVIBVS EST ÆQVALITAS VIRTVTIS.

ARIST. 3. Metaph. 3. & passim Theologi asserunt omnes hominum animas naturę dignitate omnino vniformes esse & differentiam inter stultos & sapientes procedere à varia dispositione organorum, quæ vt mutatur in singulis, sanitate aut morbo, sic varię fiunt operationes.

Virtutes omnes sunt æquales non quantitate, cum Apostolus dicat quod maior est charitas; sed proportione, in quantum vna quæque æqualiter se habet ad suum actum, sicut si quis diceret omnes digitos manus esse æquales proportione non quantitate. Peccata autem nec proportione sunt paria, quia non dependent omnes ex prudentia vel charitate. peccatorum autem diuersę sunt radices. D. Thom. in quæst. disput, q. 2. de peccatis a. 9. a. 8.

Virtutem omnes sectari debent, cuiuscumque sint conditionis. *Vide Magnitudo Veritatis.*

IDEM RITVS RELigiosus.

COncilio Venetico Galliæ. can. 15. iubetur vt in eadem prouincia idem sit sacrorum ordo, & vna psallendi consuetudo, sicut vna est fides.

Per omnes Ecclesias vna debet esse traditio & disciplina, vt vna fides: licet enim diuersis in regionibus Ecclesiæ sunt conditæ, tamen per omnem mundum vnitate fidei catholicę, vna est appellata. Sic legimus. Vna est columba mea Cant. 6. 8. Vnum corpus omnes efficiunt, at vnius solidi corporis, quantitatis continuæ, partes omnes vno mouentur motu, idololatriæ temporibus, quælibet natio singulos suos habebat Deos, propriis sacrificiis & orgiis colendos, nunc autem abdicato dæmonum cultu, cum omnes Christiani populi, vnum Deum agnoscant, vnam fidem, vnum baptisma, cum agantur vno Christi spiritu, cur in rebus sacris, eosdem non seruant ritus, cur accessorium non sequitur natu-

A tam principalis? firmior conseruatur in omnibus vna fides, vbi nulla ne in externis quidem distinctio, nam pronis naturaliter in diuisionem animis, vel minima cultus diuersitas, fit occasio maioris dissensionis, & vt repagulis quibus fluentes aquæ vi continentur, rima latam citò pandit viam effusioni, qui vni speciei animantium pręsidet genius, eius indiuidua singula, pari fingit forma, vestit colore, mouet instinctu, aues ocynes efficit, sicut Romæ, sic Lutetiæ, pari cantilena laudantes Deum. Nobiles habere volunt seruos, equos pares, paribus decoros ornamentis. Roma formulas easdem, contractuum, actionum forensium, testamentorum populis omnibus sibi subditis præscripsit, vt nihil superesset antiquæ diuersitatis qua possent ad defectionem sollicitari. Fideli totus orbis Christianus sua fit patria, cū eosdē vbique reperit pietatis ritus; tāta nō

B similitudo tantum, sed identitas, fouet fidem charitatem, inuita regnantium ambitione, conciliat populos, & de belli furoribus, multum remittit. Eiusdem ordinis religiosi peregrinantes, quocumque diuertant apud suos, cum idem sit institutum, momento se familiariter sua complectuntur dilectione. *Ex principiis.*

Vide Concordantia Virtutis. Ecclesiæ vnitas. *Et Æqualitas Medii.* Commune medium. *Et Principium Veritatis.* Religio à Deo.

Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, &c. Eph. 4. Vnanimes vno ore honorificemus Deum. Roma. 5. id non præstat nisi cultus vniformitas. Ezech. 1. rotę vno mouentur spiritu

C illumque sequuntur. Deus est qui facit habitare vnius moris in domo. Psal 67. & Sophon. 3. Ipse præstat vt seruiant ei humero vno. & Paul, Phil. 2. Vnanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. at si diuersi sunt ritus, pro sua quælibet Ecclesia decertabit & vna alteri volet præferri,

Diuersę tamen leges humanę, diuersis dari possunt populis. *Vide Differentia Voluntatis.* Diuersæ leges.

Ab omnibus Monachis in Ægypto, eadem regula seruabatur. *Vide Magnitudo Veritatis.*]

Digitized by Google

MINORITAS VIRTVTIS.

PECCATVM MORS ANIMÆ.

MISERABILIORES sunt hi, qui à vitiis, quam qui ab ipsis Dęmonibus possidentur, quod sæpius contingit citra culpam, & inuoluntariè. Cassian. collat. 7. cap. 25.

Auerte oculos à figura in qua Mars fuerit in angulo, maximè cum fuerit ascendens scorpio. Almansor proposit. 106.

Adæ animam in peccato mortuam dicimus, non à substantia viuendi, sed à qualitate viuendi, quia enim aliud est substantia, aliud qualitas, non est eius anima ita mortua vt non esset, sed ita mortua vt beata non esset. D. Greg. PP. in registro. lib. 6. epist. 11.

Inter animantia homini sæpè pronus est animus, erectum corpus.

Qui sunt sine virtute, sunt in foro hominum simulachra.

De morte & interitu spirituali animæ liber Laurentii Iustiniani.

De morte peccatorum. Chrysost. hom. 69. Bernard. quadrag. 1. serm. 13.14.

Peccatum nostrum Christum in cruce interfecit, sic dici potest mortale quia Christum cruci affixit. Mortaliter peccans homicida dici potest, quia quantum in se est Christum occidit, de quibus dicitur, Christum iterum crucifigentes; se homo interimit per peccatum, quia sic se disponit, vt non possit trahi à Deo qui est vita animæ. Card. Cusa. excitation. lib. 10. cap. 5.

Anima non potest seipsa à peccato resurgere, *Vide Duratio Minoritatis & Finis Minoritatis iustificatio.*

Sicut anima motor corporis: ità Deus animæ qui abest, quando est per peccatum separatus, & ipse est iustitia, quæ est ab iniusto separata. Ibid. cap. 9. in fine.

Anima quæ in peccato mortali detinetur, est similis simulacris insensibilibus, oculos habet & non videt, aures, & non audit, &c. caret visu, quia Deum videre non potest, quem in se purum cor habentes contemplari solent, beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Non audit, quia verbum Dei audire contemnit, olfactum non habet, quia bonum odorem Christi negligit; gustu priuatur, dulcedinem verbi gustare recusans tactu caret, quia de verbo vitæ tentare non vult, Ibid. cap. 14.

Mortua est anima iacens, nec rectas amplius habens actiones, & quæ caret sensu timoris Dei, &c. D. Chrysost. hom. 6. in 2. ad Corinth.

Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus dormientem, & mortuum dicit eum qui est in peccatis; tetrum enim odorem spirat vt mortuus, nec potest operari vt qui dormit, & nihil videt. Id. hom. 18. in epist. ad Ephes.

Pœnitentia restituit homini præmia quæ habuit, non dat ea quæ non habuit. Sic doctor qui semper docuit propter vanam gloriam, etiam pœnitens non consequitur aureolam, quia nunquam illam consequutus est, & hæc actio propter vanam gloriã erat mortua. D. Thom. quod lib. 5. a. 24.

Vt corruptis Eucharistiæ speciebus ab ea Christus recedit, sic ab anima & à gente corrupta.

Maximus Tyrius serm. 41. probat morbis corporis, grauiores esse morbos animi, quia nobiliorem nostri partem afficiunt, cuius vt præstantior est natura, sic peior est corruptio; mens quæ dominari debet, omnes affectus & motus peruertit, vt malus princeps populum legemque omnem; huius mali interioris cura difficilior, ad peiora

B lapsus facilis, interdum corporis morbus prodest ad virtutem, animi verò ad desperationem; vbi ratio locum cessit passionibus, fit turbatio, democratica seditione & anarchia peior, &c.

Vide Voluntas Bonitatis Rep. Peccans sibi nocet.

Multi viuere putantur, qui sunt mortuis deteriores. Nam qui mortuus est, iustificatus est à peccato Roman. 6. hic autem seruit peccato. Non deuorant vermes, sed perturbationes animi, non vt mortuus clausis est oculis, sed apertis morbos & dolores sibi quotidie contrahit, in suam mobilis pernitiem integro corpore corrupta, putrida manet anima; etiam corpore mortui, cum manus & pedes à diabolo pollinctore colligati, debitis pietatis officiis non funguntur. D. Chrysost. hom. 25. in Matth.

C Gen. 2. dicit Deus homini, In quacumque die de ligno hoc comederis morte morieris: duplicẽ hominis mortem designat, idest animæ & corporis. Animæ mors est, dum propter peccatum quodlibet, animam Deus deserit; Corporis mors est, dum propter necessitatem quamlibet corpus deseritur ab anima & hanc duplam hominis mortem, Christus sua simpla destruxit, nam sola carne mortuus est ad tempus, anima verò nunquam, quia nunquam peccauit. Alcuin. in Gen. inter. 53.

Dicit S. Iacobus, Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem quoties itaque homo voluntariè peccat, moritur.

D Quemadmodum peccatum nihil est, ita qui voluntariè peccat, vergit in nihilum, & perseuerando efficitur nihil, non substantialiter, sed effectiuè. Laurent. Iustinian. de spirituali animæ interitu. *Vide Principium Durationis.* Deus.

Vt exanimato cadaueri nihil prodest ornatus vestium, diuitiarum affluentia, & numerositas filiorum, ita in peccatis defunctæ animæ non valent naturales virtutes, acquisita scientia, & aliquid eiusmodi. Id. de spirituali animæ resurectione.

Regnante in nobis peccato nihil prosperi accidit. *Vide Magnitudo Contrarietatis.* Pœna publica cata regnantium.

ed by Google

PECCATI TVRPITVDO & damna.

VItiosus, in dispari fortuna habet tyranni sæuitiam.

Quam tibi es iniurius, animum tuum in culpa faciens; quanta sit peccati turpitudo, postmodum videbis,

Non natio, sed mores, barbarum & infidelem efficiunt.

De peccati corruptela in 3. parte breuiloquii Bonauenturæ.

De peccatorum tribus ternariis infamibus. Ib.

Hoc est peccatum naturæ, quod est fumus oculis, quod febris corpori. quod dulcissimis fontibus amara salsedo, purus & lucidus est oculus per naturam, sed per fumi conturbatur & obscuratur iniuriam. Chrysolog. serm. 111.

Cantabri, Astures, Biscains Hispaniæ populi, reos grauissimi criminis præcipitio collidebant, scilicet quasi pœna talionis, quia scilicet peccatum è statu suo animam deiicit.

Ad Deum naturaliter mouemur, quia ibi quietem & incorruptibilitatem assequimur. Vnde peccatum est contra naturam, Nam oritur quando ex libero arbitrio dimouemur à Deo, & est peccatum retrahens animam à suo motu naturali & à fine, sicut grauitas accidentalis igni, trahit ignem deorsum, vt cum ignis vnit se ligno graui in tecto, cadente ligno secundum motum grauitatis, cadit & cum eo ignis versus centrum terræ. Cardan. Cusa. excitation. lib. 5. cap. 57. *Vide Potestas Voluntatis.*

Peccatum tria mala efficit in animo, obtenebrat, maculat, contristat vt sponsa mortuo sponso induitur nigris vestibus. Ib.

De cæcitate ex peccato. *Vide Contrarietas Cognitionis.*

Peccata habent extremam grauitatem, quia demergunt animam vsque ad infernum. Inordinatum amorem in omni peccato vocat Apostolus passionem desiderii: sapientia est ordinata charitas peccatores autem sunt, extra sapientiam iudicant enim de rebus non secundum conditionem ipsarum, sicut visus qui videt maxima parua. Idem lib. 7. cap. 17.

Quantum peccatum displiceat Deo apparet. 1. in Angelis quorum tot millia damnauit ob peccati odium 2. in primis parentibus, quos propter peccatum exclusit à paradiso. 3 in mundi creaturis, quas in odium peccati diluuio deleuit. 4. in multis nunc flagellis. 5 in operibus nostris etiam bonis, quæ non acceptat si in peccato mortali fiant. 6. in hominibus cúctis quos omnes pro vnico peccato Adæ morti obligauit sine remissione. Septimo in infernalibus pœnis perpetuis ad quas impœnitentes peccatores sine fine deputat. O quantum A odium Dei contra peccatum, pro quo ferè totum mundum dissipauit. Perbaltus in rosario theolog. in voce amor Dei.

De peccatis omissionis quæ reos nos efficiunt. *Vide Maioritas Gloriæ.* Nimium otium.

Duo sunt hominis mala, malum culpæ & pœnæ, de quibus *Vide Differentia Minoritatis.* At plus est de ratione mali in culpa quam in pœna, nam culpa opponitur bono honesto, quod est præcipuum, vitiat nobiliorem potentiam intellectualem, magis est inordinata auertens à summo bono Deo, opponitur gratiæ & gloriæ, & est priuatio finis vltimi; hinc ex malo culpæ dicitur homo malus, non ex malo pœnę, quo quis etiam potest B benè vti: culpa magis distat à Deo qui, est essentialis bonitas, quam pœna, potest enim esse autor pœnæ non culpæ; infertur pœna ad cohibendam culpæ malitiam, minus malum, vt vitetur maius; nam pœna habet rationem iustitiæ & sic boni, &c. D. Thom. in quæst. disput. q. 1. a. 11.

Peccatum non solum excludit gratiam, sed etiam facit animam minus aptam vel habilem ad gratiæ susceptionem, & cum hęc habilitas sit bonum naturæ, illud diminuit, vt frigidum minus est susceptiuum caloris qui diu mansit in tenebris difficilius recipit lumen, sic infirmatur & excæcatur natura. Ibid. de peccatis. q. 2. d tt o.

Peccando amittit homo multa bona, & incurrit multa detrimenta quæ ad tria reducuntur; C primum est macula quatenus anima priuatur decore ex deformitate peccati. secundum est corruptio naturalis boni, quatenus natura hominis deordinatur per voluntatem Deo non subiectam. Tertium pœnæ æternæ, quem ex reatus quis incurrit, quando peccat. Tostat. Math. to. 5. fo. 154.

Quæ quisque habet, non donata putet, sed accommodata, quocirca ingentis dementiæ est graue aliquod crimen & magna luendum pœna, ob res minutas nec constantes, committere.

Turpitudo & horror peccati. Vide quæ scripsi moralis Christiana to. 1. parte 1. cap. 84. Miser animæ status in peccato. lib. de misericordia Dei parte. 2. cap. 1. Nulla est peccati excusatio legitima cap. 2.

D Grauius est peccatum quod continuatur & alio tegitur. *Vide Magnitudo Minoritatis.*

Peccatum est paralysis animę grauissima, efficit enim vt homines non solum in ocio virtutis viuant, verum etiam in operibus nequitię. D. Chrysost. hom. 68. in Matth.

In peccato est duplex inordinatio, prima in quantum est dissonum rectæ rationi, secunda in quantum contrariatur diuinæ legi illud prohibenti. Suarez de legib. lib. cap. 6.

Quid tam superbum & ingratum videri potest, quam aduersus eius viuere voluntatem, à quo ipsum viuere acceperis? quam illius præcepta despicere, qui ideo aliquid imperat vt causas E habeat remunerandi. Neque enim obsequii nostri Deus indiget, sed nos illius indigemus imperio. D. Hieron. epist. ad Celantiam matronam.

VERITAS BONITAS VERITATIS.

OPTIMA VERITAS, ET SIMPLICITAS.

TVNC maximè formanda ætas, A cum ſimulandi neſcia eſt, & præcipientibus facillimè cedit. Quintil. Inſt. Orator. lib. 9. 4.

Simplex eſt veritas, ideo ſimplicibus, tum animis tum corporibus, ideſt cœleſtibus propria. Supra terram non eſt ipſa veritas, ſed ſunt quędam veritatis adumbrationes & imitationes, vt cum supernè influxus phantaſiæ contingit, at ſine ſuperioris efficacia mendacium remanet; omne quod alteratur mendacium eſt: nos autem ex pluribus compoſiti ſumus, & alteramur, ita veritatem non habemus, quod vnum & idem non eſt, id verum non eſt. Non eſt hic verus homo, ſed hominis imago, falſi tamen iſti affectus, supernè ab ipſa veritate pendent, vnde mendacium eſt opus veritatis Triſmegiſt.

Qui dubitat an in ſponſalibus contrahendis, veram habuerit intentionem & voluntatem, actus pręſumitur factus ſecundum ſuam naturam nec vllus præſumitur dicere quod non habet in mente. Bonacina de ſponſalibus. puncto 2.

Recta ſemper dicantur conſilia, & ſi non profutura, nobis noſtra conſcientia liberanda eſt, penes Deum ſunt rerũ ſucceſſus. quam indignum diuinas humanaſq; leges, flexibiles ad potentium nutus trahere.

Aſſidua diſſimulatio, tandem abit in deriſum, Tiberio, vt cum vana, fingeret, veris quoque & honeſtis, demeret fidem; hoc aſſequabatur ſæpè mentiendo, vt de ſe mentiri omnibus faceret poteſtatem.

Verum conuertitur cum bono & honeſto, vnde nobiles maximè læduntur, & certamine vindicant iniuriam, ſi dicantur mendaces, quia idem eſt ac ſi dicerentur non nobiles.

Nazaræi comam non radebant, vinum non bibant, quippe in naturali ſimplicitate vitam ducentes.

Bonum continetur ſub vero, in quantum eſt quoddam verum intellectum, & verum continetur ſub bono, in quantum eſt quoddam bonum deſideratum.

Vide Veritas Virtutis. Repugn. affectatio vitioſa, *Et Virtus Veritatis.*

A Aqua quo purior, eo magis ſuus ipſi color candidus eſt, quo verò plus ſuccis, terris, ramentis ſaxorum permixta fuerit, eo magis alienus color in ipſa ineſt, qua de cauſa aquæ calidæ, quia magis miſcentur, cæteris plerumque nigriores & minus claræ ſunt. Georg. Agricola. lib. 1. de cauſis ſubterraneorum. Ex multa admixtione fit obſcurior; aufertur autem perſpicuitas ab atro. Ibid.

Ægyptus eſt terra multum plana, & ideo benè irrigatur à Nilo. Toſtat. Gen. fo. 75. ſimplex animus gratiam diuinam melius excipit.

Duplex genus incenſi erat in ſanctuario Iudæorum, quoddam ſimplex quod ponebatur ſuper panes; aliud erat compoſitum. Id. Nu to. 1. f. 47.
B grata Deo priuatorum ſimplicitas, & adminiſtrantium prudentia velut ſerpentis, cum ſimplicitate columbæ. *Vide Minoritas Veritatis. Bona.*

Homini qui omnia reliquerat, ſollicito quod non haberet quo in ciuitate diuerteret, dixit D. Gregor. Taumatturgus. opus eſt domo & parietibus his qui turpitudinem ſuam volunt tegere; at quorum vita cum virtute tranſigitur, in his nihil eſt quod parietes obtegant, & obuelent. D. Greg. Nyſſen. in eius vita. Puritas & ſimplicitas non indiget tegumentis.

Si primi parentes manſiſſent in innocentia, non indiguiſſent pellicea tunica.

De ſimplicitate in religioſa conuerſatione. Vide quæ ſcripſi lib. de inſtitutione & officiis religioſi parte 3. cap. 26.

Matth. 19. dicit Chriſtus. Sinite paruulos venire ad me, talium enim eſt regnum cœlorum.
C Proponit ſimplices imitandos, vt ea nos volentes faciamus, quæ inſita duce natura faciunt. D. Chryſoſt. hom. 64. in Matth. Non eſt poſſibile cœlos attingere ſed neceſſe omnino eſt in gehennam detrudi malitioſos omnes atque ſimulatores, imò ante tempus gehennæ cruciantur. Nemo quam Saul verſutior vnquam fuit, nemo ſimplicior atque integrior quam Dauid, vtriſque ſortem expende. Ibid.

Non habens aſtutiam deceptionis, diuina protegitur bonitate, perſecutionem malorum patiens; verbi gubernatione defenditur, dicente Propheta, conſiderat peccator iuſtum & quærit mortificare eum; Dominus autem non derelinquet eum in

manibus eius bona simplicitas ignara, quæ Deum suum habet protectorem, quæ suæ innocentiæ seruat custodiam, Laurent. Iustinian. lib. de casto connubio Verbi & animæ cap. 21.

Corona clericalis seu tonsura in modum coronæ denudans caput; significat vitam apertam & puram cui Ecclesiastici studere debent gloss. in A epist. Aniceti. 20. 1. Concil.

Vide Veritas Potestatis. qui regit fit verax.

Veritatis cultus facit vt tibi semper credatur. Vnde illud de Attico, Mendacium neque dicebat, neque pati poterat: at mendaci etiam verra dicenti non creditur.

MAGNITVDO VERITATIS.

COMMVNIS OMNIBVS VERITAS ET vita perfectio.

VIDE *Infra Æqualitas Veritatis.*

Cassian lib. 2. cap. 3. refert in Ægypto, vniformem regulam ab omnibus Monachis obseruatam, non vnius cuiusque arbitrio, sed per successiones ac traditiones maiorum, in vespertinis conuentibus & matutinis vigiliis.

Alexander instituit sibi totum mundum subiicere vt omnes homines essent velut vnius mundanæ ciuitatis municipes, & cunctos vna lex regeret, vnumque ius, veluti commune lumen, ad vniuersos pertineret. Plutarch. lib. de fortuna Alexandri.

Aqua putealis est minus salubris plantis & animalibus, quam fluuialis aut cœlestis, quia habet plurimum frigoris, minimum aëris, & immota contrahit nociuas qualitates Id. lib. de causis naturalibus. cap. 3.

De Catholicæ fidei vniuersalitate Vincentius Lirinensis Biblioth. Patrum to. 4. De fidei vnitate. Bouerius tom. 2. demo. 2.

De intellectus vnitate tom. 5. D. Thom. opusc. 16.

Christus ad doctrinæ suæ manifestationem, comparationes sumit, non de cœlo, sed de fermento, de grano synapis, & cæteris rebus in vsum quotidianum venientibus vt ad omne genus hominum veritas perueniat, iuxta illud psal. 48 Audite hæc omnes gentes, &c. quia homo in Dei vocatione quæritur, non discernitur persona diuitis, docti, &c. Chrysolog. ser. 99.

Vide Maioritas. Cognitionis. Nimia Prædicatorum curiositas.

Sunt sub terra aquarum abyssi; & si quando terræmotu hinc erumpant aquæ, habent pisces pingues, otio & corpore saginatos in tenebris mortiferos, & lucis expertes, vnde salubritas ducitur, refert Seneca ex Theophrasto & citat Alb. Mag. meteor. lib. 2. tr. 2. cap. 9. sic exitialis est secreta & cabalistica hæreticorum doctrina.

Lumen naturale omnibus hominibus etiam indoctis notum est. *Vide Principium Veritatis.* lex naturæ.

Absurdum est in Caluinistis dicere veram Ecclesiam discerni ex veritate doctrinæ, veritatem autem illam dari spiritu Dei electis particularibus qui non potius Ecclesiæ cui promissa est infallibi- A litas. Math. 16. & à qua in omnes veritas debet diffundi, ignorans & infidelis non habebit notas quibus ad Ecclesiam accedat, quia non iudicabit de doctrina & veritate scripturæ, de qua vix constat inter peritos.

Loquitur Plutarch. de Alcibiade rege quod Cereris & Proserpinæ mysteria polluisset, domi ea celebrando Rodigin. lib. 8. c. 3.

Asserunt Hebræi septem præcepta iuris naturalis data filiis Noë, id est vniuersis hominibus, primum est non colere Idola 2. benedicere Deum. 3. Cauere ab incestu 4. Ab adulterio & nefando coïtu 5. Non furari. 6. Seruare ius publicum. 7. Membrum animalis viuentis non comedere. Vide Seldenum de Iure Naturali secundum Hebræos, lib. 1. c. 10.

Math. 24. Ecce Christus in solitudine, nolite B exire, ecce in domibus, nolite credere. Quidam secreta proferentes dicunt, ecce in solitudine verbum veritatis. Secretæ enim scripturæ recte solitudines appellantur, in quibus aut pauci sunt credentes aut nullus. Origen. tract. 29. in Matthæum.

Omni rei suum tempus est, Eccles. 3. Tempus proditorum veritatis proprium hoc est, quando non sunt circa Christum multi fideles. cum Iudas tradidit sine turbis Id. tract. 35.

Vide Medium Veritatis. prædicator & missio Euangelica.

Qui non est Christianus mirabitur fortè Religionis Christianæ præcepta, sed illa putabit impossibilia, si non seruentur ab his ipsis qui illa prædicant, si remittas illos ad monachos hæc ob- C seruantes, sic ne, inquiet, ad solitudines recurrendum est, ostende mihi hominem qui domum & vxorem, liberos habens, philosophetur, hinc magna Christianis confusio, præcepit enim Christus, Luceat lux vestra coram hominibus, non coram montibus, neque coram solitudine, aut recessibus auiis. Hæc dicens non detraho his qui mõtes occupant, sed habitatores vrbium deploro, eo quod ex illis virtutem exegerint; hortor itaque vt philosophiam ex montibus in vrbes reducamus, vt ciuitates sint verè ciuitates. D. Chrysost homil. 26. in epist. ad Roman.

Prædicatio crucis Christi, effecit vt omnes vbique philosophentur & ostendant omnem magni fortisque animi virtutem Id. hom. 4. in Corinth

Digitized by Google

Ecclesia vetuit conuenticula occulta, in quibus docetur fides. cap. cum ex iniuncto. de hæret.

Matrimonium Christi, est cum Ecclesia vniuersali, non particulari, quæ potest errare. Tostat. Matth. to. 5. fo. 2.

Christus non dedit leges personales, nec locales, nec temporales, sed omnino generales duraturas in omne tempus, comprehendentes omnẽ sexum, ætatem & statum hominum ratione vtentium, & hoc est vnum in quo legislatio Christi differat à legislatione veteris Testamenti, & ab omnibus aliis legibus. Id. defens. fo. 39. dicitur enim. Matth. 28. Euntes in vniuersum mundũ, &c.

Sacrificia ideo mandabat Deus in vno loco offerri, vt vitaretur idololatria. Id. Exod. to. 1. fo. 196. *Vide Concordantia Virtutis.* Ecclesiæ vnitas.

Deus mandauit sibi offerri agnum masculum anniculum, quia in illa ætate modicus erat, & à quolibet facilè haberi poterat. Ibid. fo. 73. Sic Sacramenta sunt in vili materia; præcepta Decalogi lumine naturali omnibus nota.

Christus prædicans circuibat totam Galilæam & cæteras ciuitates, omnibus communi charitate, communem efficiens omnibus veritatem.

Christus iussit Apostolos suos Euangelium suum omnibus prędicare, quod in aure audistis prædicate super tecta, non in occulto, quia Ioa. 3. qui facit veritatem, venit ad veritatem, vt manifestentur opera eius. 4. imitabantur Christum. 5. facto probabant doctrinam suam non esse suspectam. 6. cum Deus velit omnes saluos fieri, debebant omnibus prædicare. Id. Matth. tom. 5. fo. 241.

Non est infirmitas virium in Deo quod abrogata lege Iudaïca & Gentilitia, adhuc multi sint non credentes; quia Sol omnes illustrauit, licet quidam noluerint apertis oculis lucem recipere. Iustin. Martyr quęst. 1. ad orthodoxos.

Lex naturæ est vniuersalis. Vide quæ scripsi lib. de iure naturali cap. 2. præludii. Vera Religio est vna, Theolog. natural. to. 4. parte 1. cap. 17. Veritas fidei per omnes mundi partes diffusa. Ib. parte 2. cap. 13. Quid sentiendum de diuersis in mundo religionum sectis. Ib. c. 23.

Est sacra pagina viua quædam & perpetua vox cœlitus infusa ad communem omnium profectum mortalium; nam multis in locis, plurimisque personis, vno eodemque se valet accommodare momento; absque cuiusquam detrimento; hinc sancti Patres, quod cœlitus acceperant, posteris librorum multa exararunt volumina, quorum documentis mortalium corda in melius mutata sunt; de his dicit Daniel, qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas fulgebunt æternitates. Laurent. Iustin. in proœmio, libri de casto connubio verbi & animæ

De laude scriptorum. *Vide Duratio Cognitionis. Libri.* Ne occultetur talentum, sed de aliorum meritis scriptor proficiat.

D. Chrysost. hom. 2. in Matth. conqueritur quod Christiani discant studiosè theatrica, non diuina, ea ratione quod non sint Monachi. Hoc est, inquit, quod omnia vna quasi peste corrumpit, quod putent rerum diuinarum lectionem ad solos Monachos pertinere; cum magis illis sit necessaria, qui enim versantur in medio, & vulnera quotidie accipiunt, magis indigent medicamine; putant sibi superfluam esse legem Dei, cum Paulus dicat Roman. 15. quęcumque scripta sunt ad vestram doctrinam scripta sunt, *Vide Virtus Contrarietatis.* Virtus in milite.

Ib. hom. 7 quid aliud ingemisco quam quod solis Monachis vitam honestam putatis congruere, cum communia omnibus constituerit præcepta; si quis viderit mulierem, &c. hoc non solum Monacho dicitur; sed cum illis etiam omnibus præcepta legis communia.

Christus suos docens discipulos nequaquam ad eos sua dicta determinat, sed infinite & incircumscriptè cũctas beatitudines in commune proponit; non enim dicit, beati estis vos, si pauperes fueritis, sed, beati pauperes; & si ad illos sermo directus esset, doctrina tamen fuisset communis, nam cum dicit. Matth. 28 Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, non ad eos tantummodo loquitur, sed per eos ad vniuersum prorsus orbem. Ibid. hom. 15.

Vos estis sal terræ, &c. ad totum mundum variis criminibus infectum eos mittit, non ad vnam aut alteram regionem, &c. Ib.

Vt negotiis omnibus solutus deses virtuti non incumbit, sic illam sequitur, etiam inter negotia vir fortis. Vna res quæritur, magnitudo & generositas animi, quam non ętas, non inopia, non diuitiæ, non aliquid aliud, ne ad virtutem perueniat coercebit; qippe tam senes quam iuuenes, quam vxores & liberos habentes; adolescens Daniel, seruus in Ægypto Ioseph, Centurio, æger Timotheus; fugitiuus Onesimus, nihil obfuit quin hi omnes virtute coruscarint. Non ego vanis nos causis excusemus. Ib. hom. 44.

Idem radius cœlum, aëra, terram & aquam peruadit.

In missa Diaconus cum luminaribus transfert librum Euangelii ab oriente in occidentem, vt ostendat totum mundum luce Euangelii fuisse illustratum; totus enim mundus his duobus terminis concluditur, ad quos successiuè peruenit Sol, veniens ob orienté, & occidente, &c. Alcuin. lib. de diuin. officiis cap. 40.

In omni vitæ statu possibilis est salus. *Vide Æqualitas Voluntatis.* Deus vult omnes saluos fieri, etiam in diuersa vitę conditione.

S. Marco Euangelistæ tribuitur Leo; quia incipit à deserto in quo vixit Ioannes, pennę appinguntur, vt vndique illum Euangelium suum annuntiasse ostendatur. Laurent. Iustin. serm. de S. Marco. Lex naturæ scripta non est in tabulis lapideis, sed in hominum cordibus, ideo est vniuersalis, omnes obligans, Iudęos, Gentiles, Catholicos. Id. Lex propriè generalis & communis est, vt lex ęterna, naturalis, diuina, tam vetus, quam noua pro communitatibus latæ sunt. Suarez de legib. lib. 1. cap. 6.

Dicit Gratianus tunc leges institui, quando promulgantur, firmari verò, quãdo moribus recipiuntur. *Vide Cognitio Veritatis.*

Lex ordinariè fertur tantum in futurum; quia est regula operationum quas supponit, lex tamen declaratiua fertur etiam in præteritum, quia non est regula actionis, sed præcedentem interpretatur. Sic cap. vt lex 17. q. 1. matrimonia clericorum & Religiosorum professorum declarantur non esse vera matrimonia. Suar. de leg. l. 3. c. 14.

Leges Ecclesiasticæ obligant omnes baptizatos, quia baptismus est fundamentum subiectionis. Leges Episcopales seu Synodales, obligant omnes intra territorium existentes Id. lib. 4. cap. 19.

Dispensatio non debet concedi sine causa. *Vide Maioritas Potestatis.* Priuilegium ex eod.

DVRATIO VERITATIS.

CONTINVATIO EIVSDEM LEGIS ET VERITATIS.

NON obsolescit veritas annorum longinquitate. & quæ rebus hisce mortalibus labem inducit, & ruinam temporum series, affert tantum scientiis & legibus venerationem.

Contra ius rescripta non valeant, quocumque modo fuerint impetrata, quod enim publica iura præscribunt, magis sequi iudices debent l. 1. Cod. Theodos. de diuers. rescrip.

Si quis rem iudicatam repetere in malo præsumpserit, & conuictus fuerit. 25. ictus accipiet ab his iudicibus, qui rem prius iudicauerint lege Salica in additione in Cod. legum antiqua.

Definitiuæ omnes sententiæ debent proferri in scriptis. Et instrumenta publica debent proferri in scriptis pergamenis Ibid. Constitution. Sicular. lib. 1. tit. 75. & 78.

Veri sunt rumores, si fuerint hora nuntiationis anguli signa fixa, & Luna atque Mercurius in signis fixis, & si fortuna fuerit in angulis, & ab ea separetur Luna Almansor propositi. 6.

Verum est vtique, quod semper est, Quintil. declam. 10.

D. Gregor. PP. in Registro lib. 2. epist. 37. Absit, inquit, hoc à me vt statuta maiorum in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.

Antiquos Patres imitari Vide ex eodem *Concordantia Virtutis. Imitatio.* bonorum, legibus vetor antiquis, obsoniis autem recentibus.

Tutum non est nauigantibus præter solitam, publicamque loci commoditatem appellere. Ita præter legem vitam agere.

Melior est status ciuitatis, quæ licet deterioribus, firmis tamen legib. vtitur, quam illius quæ bonis quidem, sed irritis. Thucidides.

Græcis olim obiiciebatur, quod semper essent pueri, quia nulla apud eos disciplina incanuisset. Theodoret serm. 9. de legib refert Lycurgi, Charondæ & cæterorum legislatorum leges breui abolitas esse, miraturque legem euangelicam & vniuersalem esse perpetuam.

De Religionis veræ perpetuitate. Bouer. tom. 2. demonst. 8.

De traditionibus Du perron, Bellarm. to. 1. contr. 1. Gregor. Valentia lib. 8. analyt.

Terra infecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. propter hoc maledictio vorabit terram. Isay 24.

Ministri non possunt sacramenta Ecclesiæ quæ fundata est in fide & sacramentis, augere vel minuere, neque nouos articulos facere, ad illos enim non spectat, sed ad infinitam potestatem quæ est Dei. Nam fundamentum Ecclesiæ consistit in fide & sacramentis quæ variari non possunt Card. Cu-

A sa. excitat lib. 6. cap. 2.

Apud Hebræos conseruatus est idem contextus legis duobus exemplaribus, quorum vnus erat in templo cum reliquiis pretiosioribus, alter penes sacerdotum collegium in manibus summi sacerdotis. Mal. 2. Genebr. an m. 36 8.

Zosimus Papa epist. 3. ad Episcop Viennensem Apud nos, inquit, inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reuerentiam. Symmachus Papa ep. 2. ad Aonium Arelatensem episcopum. Ne sit sententiarum varietas, ad ipsam sacro sanctam Catholicam credimus pertinere, cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa quæ à Domini sacerdotibus semel statuuntur, perpetua

B sint & si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem. Vide to. 1. Concilio. Gallic. anno Christi 500.

Zacharias Papa epist. 4. ad Bonifacium Episcopum refert de quodam Pseudopropheta reperto & condemnato in Galliis, qui antiquas Ecclesias relinquens, populum conuocabat ad quædam Oratoriola & cruces quas in agris ponebat, affirmans etiam se scire nomina angelorum Ibid. anno. 744.

De subiecto corruptibili rationes sunt incorruptibiles, quæ rationes sunt principia scientiarum; Alb. Mag. c 1. de generat & corrupt.

Lycurgus Sparta in Cretam profectus, necem sibi consciuit inedia, ne leges quas tulerat, solueret. Suidas ciues obstrinxerat iuramento, illas se seruaturos donec rediret.

C Mercurium fingunt adolescentulum quia non senescit oratio, atque etiam quadrãgulum, ob veri sermonis firmitatẽ & constantiam veritas enim vndecumque sui similis est. mendacium verò varium, ac multiplex, secumque ipsum minimè consentit. Suidas in voce ἑρμῆς.

Non censetur verum, nisi quod semper idem apparet *Vide Duratio Cognitionis. mora* de Persarum deliberandi ratione.

Gamaliel dixit de Christo, si humanum eius consilium fuit facilè dissoluetur, si ex Deo, nihil contra poterimus.

Abstractum non moritur. *Vide Minoritas Principij.* independentia.

Ius diuinum est immutabile can. fin. §. his itaque dist. 6.

D State super vias, & videte. & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona. Ierem. 6. 16.

Vide Æqualitas Veritatis.

Ius naturale ab exordio creaturæ rationalis incipiens, manet immobile c. fin. § his itaque dist. 6.

Athenis colebatur Mineruæ victricis simulachrũ sine alis. Rodig l. 14. c. 18. victrix veritas perpetua.

Ecclesiastica traditio est certa linea & manifesta regula veritatis; illaque sola veritas quæ in nullo ab Ecclesia discordat traditione Origen. lib. 1. peri archon. in prooemio.

Generaliter quoties pactum à iure communi remotum est, seruari hoc non oportet, nec iusiurandum de hoc adactum, ne quis agat seruandum l. iuris gentium. ff. de pactis.

A Iusdiuinum non aboletur per desuetudinem, sed decimæ debentur de iure diuino, vt Deo ministrantibus necessaria subministrentur, ergo soluendæ sunt decimæ non obstante contraria consuetudine. D. Thom. quodlibet. 2. a. 8.

Nautas non dirigunt stellæ mobiles, nec populos leges quæ facile mutantur.

Cum vera via nondum nota est in arte, ille rectè agit, qui antiquorum dicta fideliter recitat. Cardan. Aph sect. 5. aph. 18.

Lex naturæ est æternæ veritatis. Vide quæ scripsi. lib. de iure naturali cap. 3. præludii.

B *Doctor certam debet sequi sententiam, non ad contradictorias indifferenter se habere Ibid. lib. 3. lege 7. §. 1. Duratio & constantia fides Christianæ. theolog. natural. tom. 4. parte 2. cap. 19. Non sunt tolerandi libertini in fide dubii & pendentes. Ib. parte 3. cap. 3. Sunt quædam æternæ leges regiminis. moralis Christianæ. tom. 3 parte 1 c. 9*

Constans debet esse superior Religiosus pro seruandis instituti sui regulis. lib. de institutione & officijs Religiosi parte 3. cap. 5.

Transite ad insulas Cethim & Cedar, considerate si mutauit gens Deos suos. Hierem. 2.

C Omnia præcepta lata à Prælatis inferioribus, qui non possunt constitutiones facere, expirant morte illorum, dispositiones autem omnes, quæ per legem vel statutum sunt, perseuerant post mortem statuentis, nam lex fertur à principe nomine Reip. quæ non moritur, Hæc fusè Suarez de legib. lib. 1. c. 10. lex sic data non solum præsentes obligat, sed etiam futuros statim vt incipiunt esse illius communitatis, cui lex imposita est; lex enim fertur prospiciendo ad futura, prodesse vult communitati quæ semper durat, & semper eadem licet partes mutentur. Ita nititur præceptis stabilibus, permanentibus regulis ac mensuris operationum, lex durat, quandiu non reuocatur. Ib.

D Lex naturæ est immutabilis, nec eius vniuersalissima principia possunt à Deo immutari, quia sibimet ipsi non est contrarius qui legem naturæ cordibus hominum impressit, quæ tali lege præcipiuntur bona sunt, at Deus bonum non vetat, malum non præcipit, quod faceret, si dispensaret de legibus decalogi; vt si præciperet se odio haberi, aliena concupiscere, &c. Idem lib. 2. cap. 15.

Lex perpetua est, & comparatur consuetudini omnibus proposita, præceptum autem hominis transitorium est & facilè mutabile. Ibid. lib. 3. cap. 33.

RELIGIONIS ANTIquitas & permanentia.

E DE Catholicæ fidei antiquitate, & vniuersalitate. Vincentius Lirinensis Biblioth. Patr. tom. 4.

Inter primas Romuli leges hæ fuerunt, Deos peregrinos ne colunto, sacra patrum custodiunto.

Vide Minoritas Differentia. Nouitas fugienda. Nouæ doctrinæ sese opponat Episcopi. *Vide Cog. Virtutis.* Fidei publica confessio. *Vide Glor. Dur.*

In exponendis vel prædicandis diuinis scripturis sanctorum catholicorum & probatissimorum patrum sensum quisque sequatur, in quorum scriptis, vt dicit B. Hieronymus ad Lætam, fidei veritas non vacillat, qui contra fecerint vt præsumptores arguantur, & comprimantur. Concil Meldense. c. 34. a. 845.

Ecclesia Christi perpetua & immutabilis. Ozee. 2. Sponsabo te mihi in sempiternum. Rom. 12. Eph. 1. dicit. corpus Christi, quod est immortale domus Dei. Dan. 2. 44. Regni eius non erit finis Math. 16. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Math vlt. Vobiscum sum vsque ad consommationem sæculi. D. Aug. in Psal 60. Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, non cedet quibuslibet tentationibus donec veniat huius sæculi finis, Chrysost. Hom. 4. in 6. Isay. Ecclesiæ nauis iactatur, & non mergitur. Cum Deus voluerit omni tempore homines saluari, & non saluantur nisi per Ecclesiam, oportet omni tempore fuisse & futuram esse Ecclesiam; Regum Christi perpetuum supponit perpetuos etiam sibi subditos. D Ambros. lib. 4. hexamer c. 4. Videtur, inquit, Ecclesia, sicut luna deficere, sed non deficit: obumbrari potest, deficere non potest.

Tertul. lib. de præscript. c. 31. Possumus dicere, edant origines Ecclesiarum suarum; euoluant ordinem Episcoporum suorum. & cap. 37. Ad illos meritò dicendum qui estis? quando & vnde venistis *Vide Minoritas Differentia.* Nouitas in Religione fugienda.

Si Ecclesia esset corpus materiale; cuius duratio limitata est, posset comparari nostris corporibus, ædificio, naui, quæ senescunt, sed cum sit corpus mysticum Dei spiritu afflatum, temporis iniurias non patitur. *Vide Medium Veritatis.* Ecclesia credenda proponit.

Corpus est ante vmbram, veritas antè falsitatem. Antiquitas quidem ex se non est argumentum veritatis vt patet in idololatria, sed supponendo quod Christus ab hinc 1655. suam instituit Ecclesiam vsque ad finem sæculi duraturam; quæ non est ab eo tempore instituta, sed longe post, non est vera Ecclesia. Fuit quidem Ecclesia Chri tempore Apostolorum noua quidem respectu Synagogæ, sed primitiua respectu suæ originis, & cui erat vicinior, & antiquior respectu futurorum sæculorum quæ præcedebat. *Vide Duratio Veritatis* Antiquitas veneranda.

Ecclesia Romana doctrinam ab Apostolis acceptam, illibatam seruauit vide Cyprian. ep 55. Irenæum lib. 3 c. 3. Theodoret, epist. ad Renat.

Si non fuisset gratia spiritus, non fuisset tantus consensus à finibus ad fines terræ, sed cito deprehensi fuissent qui fingebant, nec tam multæ res rectè ac præclare gestæ constitissent ex figmentis & mendacio. Sic accessit totus orbis terrarum, & vbique monachorum Philosophia plusquam sol resplenduit. D Chrys Hom. 6. in 1. ad Cor.

Iuuenes estis animo, nullam habentes ex antiqua auditione veterem opinionem, neque doctrinam quæ temporis diuturnitate canitiem contraxerit. Plato in Timæo sub finit.

Bonum est perfectiuum affectus, verum autem intellectus; intellectus autē naturaliter præcedit affectū & verum præcedit bonū ergo quanto aliquid est immaterialius tanto est prius, sed verum est immaterialius quā bonum quod in rebus materialibus inuenitur, verum autem est tantum in mente. D. Thom. in quæst. disput. de bono. a 3.

Nouitas potissimum in religione non toleranda. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in humanis. parte 1. cap. 6.

Lex Mosaïca habuit perpetuitatem negatiuam, quia sine temporis certi limitatione posita fuit, vt per multa tempora duraret, tandem vero reuocata fuit. At lex noua habet positiuam perpetuitatem, quia mutari non debet vsque ad finem mundi. Suarez de legib. lib. 1. cap. 10.

Lex æterna perpetua est in mente diuina; lex naturæ dici potest absolutè perpetua, quia ex parte mentis in qua scripta est, perpetuitatem habet, etiam ex parte obiecti includit intrinsecam necessitatem, prohibet enim quæ intrinsece mala sunt, & præcipit quæ per se necessaria sunt, quod autem est necessarium, perpetuum est. Ibid.

Appollinaris nouas cantilenas in Ecclesiam induxit, refert Gregor. Nazian. ep. 1. ad Cledon.

Caïn egressus à facie Domini habitauit in terra, Naid, quod interpretatur fluctuatio. Quicumque à Deo recedit, statim sæculi fluctibus quatitur, & mouentur pedes eius. D. Hieron. Damaso. lib. 3. epist.

Litaniæ communes sanctorum & B. Virginis non aliæ edi & dici possunt. Clem. 8. Const. 122. p. 123. to. 3. Bull.

ECCLESIA INfallibilis.

Ecclesia vt infaillbilis credenda proponit. *Vide Medium Veritatis.*

Obiiciunt hæretici Marcellinum Papam tempore Diocletiani idolis sacrificasse, & hinc inferunt Petri successores in definiendis fidei dogmatibus errare posse. Sed falsa est illatio, Marcellinus enim idolis sacrificando, metu mortis inductus, contra fidei confessionem peccauit, adeoque externo actu fidem negasse visus est, verum interiore actu contra fidem nihil credidit, nihil etiam docuit, atque ideo infidelis & hæreticus esse non potuit: cuius rei postea pœnitentiam agens, martyrio coronatus est Gloss. in eius vita. to. 1. Concil.

Idipsum Donatistæ obiiciebant Augustino. Quibus respondet lib. de vnico baptismo contra

A Petilianum. Non sanè parua est inquit, patumque gloriosa consolatio cuiusque nostrum, si ab inimicis Ecclesiæ cum ipsa Ecclesia criminamur; eius tamen defensio non in eorum hominum defensione consistit, quos isti nominatim falsis criminationibus oppetunt. Prorsus quales fuerint Marcellinus, Marcellus, Cæcilianus & alii quibus obiiciunt pro sua defensione quod volunt, nihil præiudicat Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffusæ. Nullomodo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate dãnamur.

Vide Medium Virtutis. Media, propter aliquos in societate malos cæteris tales non sunt habendi.

B Tota Catholica Ecclesia non potest ad litteram scripturarum obligari, licet semper ad spiritum, quando enim litera non seruit ædificationi & spiritui, recipit id quod magis seruit spiritui. Ita Paulus Apostolus se aiebat ministrum noui Testamenti non littera sed spiritu, & ita qui cum humanis rationibus ex littera Ecclesiam nituntur oppugnare, errant. Nam Ecclesia sine litera fuit aliquando ante Moysen, & antequam Apostolus Ioannes Euangelium, vel Paulus Epistolas scripserit. Et Christus Ecclesiam ædificauit sine littera, quia nihil scripsit. Non est igitur litera quæ per tyrannum penitus deleri posset, de essentia Ecclesiæ, sed spiritus est qui viuificat, quare nec mirum si praxis Ecclesiæ vno tempore intrepretatur scripturam vno modo, & alio tempore alio modo, &c. Cardan. de Cusa. ep. 7. ad Bohemos de vnitate Ecclesiæ.

C Ecclesia non subiacet errori, quod probant Patres, ex Euangelio, Quæ dicunt facite; &, Qui vos audit, me audit, &, Sicut misit me viuens Pater, ita mitto vos: &. Vobiscum sum omni tempore, vsque ad consummationem sæculi. Et, Fidelis seruus quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram. Maximè hæc potestas credita est Petro, & eius successoribus, pro Petro enim rogauit Iesus vt non deficeret fides eius, & obtinuit quod portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiam, cui Christus præsidet. Id. Ibid.

D Hanc materiam habes fusè tractatam apud authores de controuersiis vt Coccium, Bellarminum, Cardin. Du Perron, &c.

Vide Supra Maiestas Potest. Sũmus Pontifex.

POTESTAS VERITATIS.

VERITAS TANDEM PRÆVALET.

INTELLECTVS cogitur ab intelligibili, voluntas autem non cogitur ab appetibili.

Principia se habent ad conclusiones in demonstratiuis, sicut causæ actiuę in naturalibus ad suos effectus.

E *Vide Potestas Cognitionis.* Vis eloquentiæ.

Plurima olerum genera, cum permanserint, quasi ramos quosdam capessunt, totaque in arboris figuram mutantur, diu tamen durare nequeunt. Theophr. hist. plant. lib. 1. c. 5. ficta citò in naturam suam redeunt. *Vide Veritas Virtutis.*

Digitized by Google

Repug. hypocrisis.

Consuetudo non habet vim legis nisi sit rationabilis, & non sit contraria saluti animæ. *Vide Potestas Durationis.*

Mirabile fuit in Apostolis quod cum essent in mediis hostibus inermes, etiam carcerati, cathenis onusti, non solum illis non cesserunt, sed eos in se conuerterunt oues in medio luporum, lupos vicerunt & impleta est prophetia ps. 109. Dominare in medio inimicorum tuorum. D. Chrysost. homil 4. in 1 ad Corinth.

Christus publicè mortuus est, ne quis dubitaret verè hominem fuisse: non surrexit autem publicè, vt qui sciret tempus, quod postea erat futurum, veritati laturum testimonium. Id homil. 6. in epist. ad Colos.

Modestiæ larua tegi potest dirus animus, sed non diu; quis enim constanter personam ferre queat? illam cito natura abiicit vel imprudens, vel indignata.

Alexandriæ circulator quidā proposuit in theatro simiam muliebri veste & larua ornatam, ad tibiæ modos optimè saltantem, at aliquis apud se reputās quod esset simia, occultè proiecit amigdala, tum simia neglecta cantilena proiecta collegit plausumque suæ saltationis in risum conuertit D. Grego. Nyssen. de professione Christiana. initio.

Quidquid videri cupis, fac vt sis, aliter frustra cupis, Nam falsa tempus infirmat, vera corroborat; nulla simulatio diuturna. Lud. Viues in introd. Sapientiæ.

Planeta qui fuerat ab aliis modificatus cito redit ad naturam propriam. Cardan. de reuolution. cap. 12.

His quæ non secundum rationem sunt, non est fidenddum, neque vt diuturna sint, sperandum. Idem. aphor. sect. 1. apho.

Vide Gloria Veritatis, victrix veritas.

Sententiæ quam iudex appellationis, instam esse pronuntiauit, executio ad priorem iudicem redit Cuiac. Obser. lib. 10. cap. 36.

Verum quod est in rebus, conuertitur cum ente secundum substantiam D. Tho. 1. q. 16. a. 3. est enim ipsum esse rei cum suis insitis proprietatibus, tum specificis, tum indiuiduantibus, & hæc essentialis veritas, vnde prodeunt inclinationes in aliquid, semper præualet, Nam innata cohiberi possunt ad tempus, non in totum superari *Vide Principium Virtutis* naturalis inclinatio. Veritas autem quæ est adæquatio intellectus cum re cognita, immutabilem eius naturam & idæam vult imitari, nec cedit contrariis. sic pro suis dogmatibus acriter decertant philosophi. *Vide Contrarietas Cognitionis.* disputatio, Sancti Martyres cum auxiliis gratiæ vitam pro veritate fidei fortiter posuerunt *Vide Duratio Virtutis.* Martyrum constantia. Dolendum quod falsis rerum imaginibus impressa mens, adhæreat vt veris, nec in contrarium se patiatur inflecti. *Vide Duratio Voluntatis obstinatio & Potestas Cognitionis* vis imaginationis.

LEGIS IMPERIVM.

FOelix ciuitas in qua ciues Magistratibus, Magistratus, legibus obediunt. Lex est anim ciuitatis.

A Lex sustinet personam viri; populus autem personam vxoris. Sic Ierem. 3. dicitur Quemadmodum mulier contemnit virum suum, sic contempsit me domus Israël. & Apostolus dicit Roman. 7 Lex dominatur homini quanto tempore viuit; quæ enim sub viro est mulier viuente viro alligata est legi Theodoret in Exod. q. 39.

An lex obliget in conscientia *Vide Concordantia Potestatis.* obedite rectoribus.

Quę contra formam rescriptorum fiunt, infirmantur cap. cum dilecta 22. ver. dictum de rescript.

B Iudices in iudicando debent sequi leges positas, & non inniti sensui, vel prudentiæ suæ. cap. canonum statuta. de constitutionibus & cap. non inuitaris eod.

Qui subest iudici, non est subiectus viro, sed iuri Tostat. Iudic. fo. 6.

Per præcepta affirmatiua legis præcipiuntur actus virtutum, & per negatiua vetantur actus vitiorum. Id. Math. to. 5. fo. 47.

Sicut phrenetico imponenda est custodia, ita malis statuenda fuit lex. Imposuit Deus legem Adæ, indixit præcepta Moysi & Ecclesiæ suæ per sanctos suos, nec enim salubrius homo reparatur quam per præceptum, vt discat mens non se extollere supra se, cum opus habeat per obedientiam negare se. Laurent. Iustinia. de obedientia. cap. 1.

C *Mundo rebusque singulis diuina lex imperat* Vide *quæ scripsi de iure naturali lib. 1. lege 1. Deus dedit leges hominibus vt ignorantiæ remedium, & meriti materiam illis obediendo. theolog. natur. to 3. parte 3. cap 1. Christus & Ecclesia quare leges constituerunt obligatorias sub pœna peccati mortalis Ib. to. 4. parte 3. cap. 27. 29. Seruiendum Deo sub his legibus quas nobis præscripsit. moralis Christiani. to. 1. parte 2. cap. 2. & theol. natur. to. 4. p. 2. cap. 23. Deo & legibus obedire gloriosum est libello. de necessitate cap. 10.*

Dantur fideiussores indicatum solui, vt res iudicio facto parata sit Cuiac. Obser. lib. 10 cap. 29.

D Lex est quædam regula & mensura, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur D Tho. 1. 2. q. 90 a. 1. lex dicitur à ligando, quia proprius effectus eius est, ligare, seu obligare. Ib. vnde Hierem. 2. dicitur fregisti iugum, rupisti vincula. Ius dicitur, quasi iussum, quod est participium verbi iubeo.

Ad rationem legis non requiritur vt acceptetur à subditis, nisi ex defectu potestatis in legislatore Suarez de legib. lib. 1. cap. 4. quia potest etiam inuitis beneficium fieri. *Vide Veritas Bonitatis.*

Vide Bonitas Contrarietatis. Vis quando necessaria.

E Lex propriè non dicitur in communitate imperfecta qualis est œconomica, quia in ea non est iurisdictio & vis coërcitiua, sed est quoddam dominium patris familias, diuersum in diuersis personis, vxore, liberis seruis; sed lex humana propriè locum habet in politia, quæ est communitas perfecta, cum in ea sit iurisdictio habens vim coactiuam, & legum latiuam Suarez. Ib. cap. 6. Nullaque lex est quæ obligationem non inducat, idest necessitatem quandam operandi, vel non operandi Ib. cap. 14.

Modestinus in l. 7. ff. de legib. dicit, legis virtus est, imperare, vetare, permittere, punire. Quod declarat D. Thom. quia actus humani aut boni sunt, aut indifferentes, his tres effectus legis

respondent, qui sunt præcipere bonos, prohibere malos, permittere indifferentes, additur punitio tanquam necessaria ad effectum legis. A

Potestas legislatiua, est etiam coactiua, vnde lex ciuilis non præcipit actus merè internos, quia non potest illos nec cognoscere, nec punire. Suarez de legib. lib. 3. cap. 13. Sic sunt extra forum suum.

Leges ciuiles obligant in conscientia, omnis enim potestas à Deo, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, sibi damnationem acquirunt. Rom. 13.

VIS SERMONIS diuini.

B

De verbi Dei officio. Bernardin. quadrag. 2. serm. 9. & tom. 4.

Herbæ vim medicam habentes, cum videntur in pratis & montibus, conculcantur quasi viles; at cum videntur collectæ in officina medici, tunc iudicantur ad sanitatem vtiles: sic præcepta in gentilium libris dispersa negliguntur, at tunc vtilia deputanda sunt cum docentur à Christo, qui est verus medicus animarum. Origen. homil. 8. in Leuit.

Vide infra Medium Veritatis Prædicator & sacra Scriptura. C

Viuus est sermo Dei & efficax. Heb. 4.

Assidua scripturarum lectio & meditatio multum potest ad morum reformationem, & animæ spiritualem profectum. *Vide Duratio Cognitionis.* Assidua rerum diuinarum meditatio.

Paulus 2. Corinth. 7. dicit se Corinthios contristasse ad pœnitentiam. 3. Reg. 22. sermone Dei audito Dauid pœnitet, sermone Dei tales facti sunt Apostoli quales miramur: si enim sapientis sermo sedat iram aut concupiscentiam, quanto magis cum à Spiritu sancto profertur; ideo diabolus quantum potest homines à rerum diuinarum lectione, auertit D. Chrysost. hom. 2. in Matth. in fine. D

Vide Medium Cognitionis Lectio libri.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent. Psal. 44. Eloquia Dei non immeritò accendunt, quia verba sunt Verbi, veritas vtique de fonte trahitur veritatis, vnde efficaciter mens amore repletur, quam non hominem loquentem, sed verbum in homine & per hominem loquens attendit. Sacra pagina spiritualis est locus, in quo Deum loquentem mens audit per Prophetas sanctosque Doctores, misit Deus verbum ad posteros, vt de diuinæ voluntatis agnitione nemo per ignorantiam se valeat excusare: verbum illustrat & accendit mentem, semel corporaliter agere voluit, quod spiritualiter iugiter operatur, eius alloquio discipuli euntes in Emaus exarserunt incendio charitatis. Laur. Iustinia. lib. de connubio Verbi & animæ cap. 14. E

Et folium eius non defluet. Psal. 1. folia teneros fructus vallo quodam communiunt. Hic significant doctrinam verborum Dei; his enim verbis spes nostræ inumbrantur; horum inter has sæculi tempestates munimine conteguntur. Non defluent igitur hæc folia, idest Dei verba, quia per Dominum dictum est, Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. hæc folia salutaria sunt gentibus. Apocal. 22.

Lucerna pedibus meis verbum tuum. Psal. 118. vt vitem laqueos, foueas, præcipitia præcedere debet tale lumen, vt in antiquo tabernaculo lucernæ semper ardebant, sic nos in corporis nostri tabernaculo festinitatem spei nostræ sermonis diuini luce peragamus. D. Hilarius in Psal. 118. Numer.

VERITAS LIBERA & liberè dicenda.

Historiæ prima lex est, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis, Cicero.

Euthymenes prætor athenis, Abrogauit decretum, de nemine à Comicis perstringendo, id fecit illis licitum. Suidas in voce Euthy.

Qui ad capitale supplicium abducebantur, iis licebat cibo & potu plenis tria dicere quæ vellent: deinde ore obturato ad necem ducebantur. Idem in voce

Omnes seminis expertes, vt pueri, mulieres, decrepiti, spadones, sunt acutæ vocis, viri autem grauis; Nam sicut linea cæteraque tenuia dimensionem duntaxat vnam sortiuntur; crassa verò pleraque plures obtinent, ita vox etiam tenuis, vnam dimensionem habet, vnum autem efficere ac mouere facilius est quam plura. Igitur qui spiritum habent imbecillum, nonnisi parum aëris mouere possunt.

Vocem magnam Galenus adscribit non tam calori, quam amplitudini asperæ arteriæ, duæ illæ concurrunt causæ. Rodigin. lib. 19. cap. 13. Libera admonitio supponit cum anima libera abundantem charitatem.

Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. Roman. 12. Idest nemini des ansam dissidii; si vero alicubi pietatem labefactari videris, ne præponas concordiam veritati, sed generosè persistas ad mortem vsque; non tamen eris animo erga aduersarium hostili, sed in rebus tantummodo pugnabis D. Chrysost. hom. 22. in epist. ad Roman.

Vide Cognitio Virtutis. Fidei publica confessio. *Et Magnitudo Voluntatis.* Zelus bonus. *Et Duratio Virtutis.* Constantia martyrum.

Vides hunc solem radiis inijce vincula, siste eius cursum, si id non potes, multo minus alligare cœlestem diuinamque veritatem. Id. homil. in epist. ad Coloss.

Non dedit nobis Deus formidinis spiritum, sed fortitudinis charitatis, ac sobrietatis. 2. Timoth. 1.

Paupertas dat fiduciam & libertatem dicendi. Elias confidenter dixit Achabo; non ego peruerto Israël, sed tu & domus patris tui. 3. Reg. 18. & Ioannes dixit Herodi, Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Diues autem est seruus & timens damnum, qui non audet liberè loqui est velut is qui multos & longuos trahit funes vnde potest retineri. At pauperem & nudum quis retinebit? &c. Chrysost. homil. 18. in epist. ad Hebræ.

Speculorum hæc natura vt omnia ostendant.

Vbi verecunda aut tremens veritas silet, licentius furit vitiorum incendium *Vide Cognit*

gnitio Virtutis. Fidei publica confessio.

Vox incarnati verbi prænuntia, nec sub ipso Herode tacuit. Fingunt mundani se sic esse veritatis amatores, vt totam in pectore gestent, nec patiantur effundi, nec à circumfusa multitudine partiri.

Veritatem dissimulari non vult Christus, qui iubet suos quæ in aure audierint, prædicari super tecta.

Sapiens nescit potestatibus vitiisque blandiri; dicet & scribet quæ sentit ipse, non quæ aliis placeant. Iudæi coluerunt vt Prophetam eum qui Dauidem regem de crimine monuit & pœnitentia. Nunc crimen est, potentiorum crimina non laudare, saltem non dissimulare. Christus cæcos illuminauit, videntes non excæcauit; qui dominantur peruersè optarent homines esse cæcos & mutos, ne tot exposita mala opera viderent & arguerent.

Non cessandum à prædicatione veritatis & propter hoc mortem subiens est, martyr. Tostat. Matth. 10. 4. fo. 80.

Peccantibus non est nimis indulgendum. Vide quæ scripsi de iure natural. lib. 3. lege 8. in fine. & lege 10 §. 1. in fine. Christus vitia liberè increpauit. Theolog. naturalis tr. 4. parte 2. cap. 5.

Matth. 5. Christus dicit Apostolis, Vos estis sal terræ, & hoc est omnino mirabile, quia non adulantes neque palpantes, sed è diuerso salis instar vrentes, ferè omnibus se tam desiderabiles reddiderunt. D. Chrysost. hom. 15. in Matth.

Etsi mihi vera dicenti succenseant diuites & potentes, apud me ista vel fabula videntur, vel vmbra, vel somnium. Nemo quippe mihi ex his qui locupletes habentur, ibi cum accusatus fuero, patrocinabitur, cum mihi pro crimine fuerit, Dei à me lex non cum omni vehementia, constantiaque defensa; hoc Heli sacerdotem perdidit, quod filios cum seueritate non corripuerit. Id. hom. 17. in fine. *Vide Minoritas Contrarietatis. Mala.*

A Act. 4. Apostoli iussi à synagoga non prædicare, responderunt; Si iustum est vos audire magis quam Deum, iudicate. Non possumus autem nos quæ vidimus & audiuimus non loqui.

Dicit Christus, ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati; quemadmodum obtenebrescere non potest lux, ita nec veritas fallere.

Qui timet pruinam, veniet super eum nix. Iob 6. maiora incurrit mala, qui timens homines, tacet veritatem.

Vide Gloria Minoritatis. Fortis & generosa humilitas.

B Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore vbi non erat timor. Psal. 52. Impius timor est, cum quæ timenda sunt, non timentur, & quę non timenda, timentur; quidam tamen adulantur regibus, ~~quibus~~ nihil vltra in nos licet, quam latroni, febri, incendio, naufragio, ruinæ, & propter breuem dolorem, libertatem Ecclesiæ, spei nostræ fiduciam, confessionem Dei addicimus, æternis diuinæ vltionis pœnis momentanea supplicia præferentes. Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent. Timuit hoc sanctus doctor, dicens, si hominibus placerem, Dei seruus non essem. 1. Cor. 10. D. Hilar. in Psal. 52.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque, quia in iudiciis tuis speraui. Psal. 118. Sic in te spero, vt metu hominum non taceam veritatem. Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Ib. Te, non principes timui, & sermonibus tuis adhærens de persequentibus spolia retuli. D. Hilar.

C Nullum læsi, nullius nomen mea scriptura designatum est, neminem specialiter meus sermo pulsauit, generalis de vitiis disputatio est, qui mihi irasci voluerit, ipse de se quod talis sit, confitebitur. D. Hieron. ad Nepotian. in fine.

COGNITIO VERITATIS.

ECCLESIA VISIBILIS.

CVM extra Ecclesiam non sit salus, debet Ecclesia ab hominibus cognosci, vt ad eam possint transfugere, velut in vrbem refugii. Ita D. August. lib. 19. contra Faustum c. 11. In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur, hominum visibilium ex se, non potest esse nisi visibilis societas; dicitur Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem, de externa fidei professione. *Vide supra Cognitio Virtutis.*

Christus constituit Ecclesiam, vt dirimat controuersias fidelium. Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ. Iudex autem talium debet esse visibilis. Denique Ecclesia fuit à Christo instituta, vt aduersaretur, hæresibus in temporum serie nascentibus. 1. Cor. 11. oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant; debet igitur esse visibilis, vt sit contra visibiles hostes præsidium & munitio.

D Debet esse communio fidei inter fideles, debet ergo fides hęc signis externis manifestari; quia mentis & cordis arcanum aliter non cognoscitur. Oportet etiam esse visibiles pastores, qui visibilem gregę dirigant & protegant à lupo veniente. Super muros Hierusalem constitui custodes, &c. Is. 62. Ciuitas est Ecclesia supra montem posita.

Digitized by Google

vt luceat omnibus Matth. 5. Rom. 10. fides ex auditu: si ergo cessaret prædicatio, cessaret & fides.

Obiicitur, creditur Ecclesia, ergo non videtur quia fides est argumentum non apperentium. Heb. 11. Respondetur, idem posse & credi & sentiri sub diuersa ratione, vt humanitas Christi, ab Apostolis, videtur extra ablutio in baptismo, & creditur esse sacramentum. Multi Doctores asserunt eandem veritatem posse & ratione & fide simul cognosci. D. Thom. initio contra gentiles. Homo visibilis est, etiam si anima, & intestina non appareant. Apostolus vocans Ecclesiam corpus Christi, innuit esse visibilem, est corpus mysticum ratione gratiæ, visibile ratione personarum, ouium & pastorum.

C Signa visibilis Ecclesiæ quo ad illam discernendam ab aliis docet scripturæ antiquitas, perpetua pastorum successio ab ipso Christo &c. propagatio miraculosa per vniuersum orbem, doctrinæ stabilitas.

COGNITA VERITAS.

NArratio est rei factæ aut non factæ vtilis ad persuadendum expositio, debet esse lucida, breuis, verisimilis: sunt enim plurima vera quidem sed parum credibilia, sicut falsa quoque fre-
A quenter verisimilia Quintilian. Instit. oratoriar. lib. 3. c. 2.

Cum quæreretur à Christo, quid est veritas, nihil respondit, quia nos latet.

Tabernaculum dicebatur testimonium, quod in eo essent legis tabulæ; legem enim, mandata & testimonia & iura vocabant. Suidas in voce *μαρτύρια*.

Quilibet tenetur scire quæ pertinent ad suam salutem promouendam Vide quæ scripsi Moral Christ. to. 1 parte 1 cap. 21.

Vide Cognitio Bonitatis. Discretio boni à malo.

Leges ab omnibus debent intelligi, vt vniuersi præscripto earum manifestius intellecto, prohibita declinent, & faciant præcepta l. 9. c. de legib. Vnde de ratione legis est promulgatio, sine qua manet ignota, nec obligat, est enim, vt definit Aristoteles communis operationum regula & mensura vim habens cogendi. Suarez de legib. lib. 1. cap. 11.

Lex incipit obligare pro prudenti arbitrio iuxta tempus moraliter necessarium, vt eius notitia haberi possit in aliis partibus. Ib. lib. 3. c. 17. ordinariè post duos menses. auth. vt factæ nouæ constitutiones coll. 5.

Tres sunt conditiones necessariæ, vt positiua lex obliget sub mortali, quæ sunt grauitas materiæ, verba seu signa præceptiua, & intentio præcipientis Id. lib. 4. cap. 18.

VOLVNTAS VERITATIS.

AMOR VERITATIS.

AMANT veritatem lucentem, etiam ipsi qui oderunt redarguentem D. Aug.

Quod est in intellectu affirmatio vel negatio, est in appetitu prosecutio & fuga, & quod est in intellectu verum & falsum, est in appetitu bonum & malum.

Vide Voluntas Cognitionis.

Amorem veritatis probat gratitudo & reuerentia magistris exhibita *Vide Gloria Principij.* magistri.

Amor veritatis innatus homini probat immortalitatem animæ. Vide quæ scripsi theologia naturalis. to. 2. parte 1. cap. 22.

Sermo Dei attente audiendus, si enim nos de friuolis rebus loquentes, putamus nos læsos eorum incuria qui nobis non attendunt; quantum debet offendi Deus, si ipso nobis loquente, ad alia contemnentes conuertimur. D. Chrysost. homil. 1. in Matth. *Vide Veritas Virtutis.* attentio in oratione.

Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti. ps. 118.

C

ADMONITIO DOCILI & grato animo suscipienda.

ADmonitio sedat passiones, & tam officiosa debet videri, quam apud Indos à charis sibi ventilari, ad temperandum calorem, & muscas abigendas; hoc officium præstant filij parentibus, serui dominis. Ita Reges & triumphantes voluerunt moneri à suis, esse homines.

D Lucidus Presbyter qui sequutus fuerat sectam Prædestinatorum, ea damnata, scribit ad Episcopos Concilij Arelatensis pœnitens. Correptio vestra salus publica, & sententia vestra medicina est. Vide to. 1. concil Galliæ. an. Christi 475.

Qui reprehensus & castigatus vt canis non indignè fert, vtitur verbis Chananeæ & dicit; Vtique Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt sub mensa dominorum suorum; talis fides obtinebit quod postulat, à Christo. Origen. in Matth. cap. 15.

Lapides, metalla, gemmæ crescunt per intus susceptionem, ita radices habent non duras, sed lentas, & molliores; cæteris partibus. Docilitas

Digitized by Google

in veritatis susceptione; firmitas in eiusdem defensione. *Vide Differentia Principii.* Separari à suo principio malum

Moyses licet sapientissimus, & cum Deo loquutus, consilium humiliter accipit à socero. Exod. 12.

Ægri quidam auersantur remedia & assistentes sibi amicos, & medicos habent vt hostes, eo miseratione magis digni qui morbum suum, & auxilia non agnoscunt, principium sanitatis est velle sanari.

Ferimus amicum, qui vehementius quam par sit inuehitur, quia hoc animo facit beneuolo, & non per arrogantiam: multo magis ferre debemus magistrum talia dicentem, & res nostras per ista curantem; nam si quis peccauerit, sibi nocet, si remedium auersetur. D. Chrysost. hom. 5. in Hebr. c. 2.

Principem aut sanctum non offendit pictor qui deformem eius imaginem integritati suæ conatur restituere.

Inter bonum hominem & malum hoc interest, quia bonus cum increpatur de peccato, corrigitur, & melior in dies fit, malus verò efficitur deterior. Tostat. Matth. to. 5 fo. 172 c. 1. C.

Reprehensio non exercenda solum, sed & admittenda est. Iustinus Martyr ad Serenum fratrem.

Familiares elige non placituros tantum, sed admonitione profuturos, quantum execranda adulatio, quæ impedit ne ad bonum perueniamus, dum suadet iam peruenisse; tam diligenda recta admonitio, quæ prouehit, dum quantum supersit docet. Si reprehendi fers ægrè, reprehendenda ne feceris.

Si coleres terram pinguem & fertilem, non tantum semen quod habes in horreis illi committeres, sed etiam ab amicis mutuo acciperes, ne tantæ deesses fertilitati. D. Chrysost. hom. 5. in Matth.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Beneficium commendat rei collatæ maior & vrgens necessitas; at nulla re magis indigemus quam optimis consiliis; nam nosse defectus nostros tam necessarium est, vt sit omnis in virtute profectus fundamentum, sed tam difficile vt nullus id à se sperare possit, nec magis animi quam vultus næuos propriis videre licet oculis. *Vide Cognitio Minoritatis.*

MAGNITVDO. Maximum ergo beneficium nobis præstat, qui nos honesti cupidos, sed in illud ex ignorantia peccantes, monet; & ne fiat errorum cumulus correctione priuata, malis præteritis & præsentibus medetur, futuris innumeris occurrit, saluo pudore.

DVRATIO. Si vitia sub specie virtutis subrepunt; si prauis suis moribus plaudit & gaudet qui horum non percipit turpitudinem, nunquam ab his abstinebit, nec properantem ad præcipitia gradum reuocabit nisi monitus. Quanta medico vel Astrologo haberetur gratia, qui vitæ periculum præuidens, vt opportunè vitaretur, prædixit; huic ex arte coniectanti nemo sapiens irascitur, sed potius facto suo, cuius vim sperat alterius scientia monitisque superandam.

POTESTAS. Vis expers consilii mole ruit sua. Ideo princeps alicui sapienti permittit in mores suos censuram, nec res magnas aggreditur ex A animi sui sententia, sed hanc subiicit administrorum iudicio.

COGNITIO. Hæc culpa quæ peruenit ad notitiam amici, diu non fugit vigiles æmulorum oculos, nisi maturè prouideas, famæ tuæ consulit, parcit pudori qui monet, defectus tuos aperit tibi, vt cæteros lateant.

VOLVNTAS. Ex duobus vnum efficit amicitia, & vtriusque ius commune; meum reputo, quod tuum dicitur, sic in te, velut in meipsum inquiro, nec sine causa, cum ex vnius amici moribus, de altero fiat iudicium, aut igitur amicum te nega, aut gratus fer censuram.

B VIRTVS. Sacræ Scripturæ, Prophetarum, Prædicatorum, diuinum munus est aberrantes ad rectum iter reuocare. Vitiis adulantur fortunæ non personarum amici. At malis moribus nunquam consentit, Deo conciliante nata societas; si desit emendatio fertur ad diuortium, monet ergo spe conuersionis, qua sublata, soluitur.

VERITAS. Non irasceris speculo quod tè, tibi qualem excepit tui speciem incompositam, ostendat, & velles amicum, te moribus deformem, pulchrum mentiri? quid aliud expectares ab hoste quam tacere defectus, vt incorrecti sibique semper accrescentes excipiantur publicâ contumeliâ?

GLORIA. Displicet aberrasse, sed non moneri, si docilis existas, leui contra superbię sensum conflictu, magnam reportabis victoriam, de te primum moribus ad meliora conuersis, tum de C hostibus, quorum spes improbas elides hac opportuna mutatione.

DIFFERENTIA. Hic lapis lydius, hæc tessera, qua verus amicus à falso distinguitur, si consulat, moneat, malis blandiri nescius. Incolis aberrantem ad rectum iter reuocantibus gratiam habes, cur non maiorem refers ei, qui te virtuti, regiæ scilicet ad cœlum viæ, restituit?

CONCORDANTIA. Homines infirmitatis suæ conscii, ideo societatem ineunt vt mutuum sibi præstent auxilium, non minus consiliis, quam operibus.

CONTRARIETAS. Paratas hostis insidias irritas efficit exploratoris opportuna denuntiatio. Nec ob id Imperator putat aliquid prudentiæ vel fortitudini suę detractum. Latentibus po-D tissimum malis affligamur, proditione, detractione, venenis, corrupto de nobismetipsis iudicio.

PRINCIPIVM. Ne durum videatur pati monitorem, quasi se velit efferre, purior & sapientior videri; calumniam hanc eluit priuata correctio, & quidem necessaria. Nam cæcutimus in propriis, & qui minores accepit à natura dotes animi, in aliena causa dabit optimum consilium; æger archiatrus inferiorem sibi medicum consulit.

MEDIVM. Vt nos ad se trahat Deus, non vtitur tantum illustrationibus & motibus suæ gratiæ; non tantum Angelorum, sed & hominum ministerio, vt mutuam inter nos collatis ex occasione beneficiis, foueat charitatem.

E FINIS. Qui monet non mouetur inuidia, quã crescentibus sensim erroribus tuis magis pasceretis non vanitate, cum officium hoc præstet in occulto. Vnicus illi finis est, vt vltimam manum adhibeas vitæ tuæ, & nobiliorem in candido næuum detergas.

MAIORITAS Nautas, expertos etiam Astrologos dirigit magnes. Inferiores naturæ gra-

d by Google

VIRTVS VERITATIS.

VERITATIS ET SIMPLICITATIS EFFICACIA.

VIDE *Bonitas Æqualitatis Et Bonitas Veritatis.* A

Olim sacrarius habebatur altare, super quod nec securis ascendisset, nec visa, nec audita fuisset ascia; quo sublimius aliquid significabatur, nempe natiuum & simplex, artisque ac fuci expers esse debere, quidquid Deo consecratur D. Gregor. Nazianz. orat. 19.

V*ide Maioritas Cognitionis.* contemptus eloquentiæ. *Et Cognitio Virtutis. mala.* affectatio nimia.

Fœlix est, qui Deo, quatenus fieri potest, similis fuerit, perfectus, simplex, purus & separatus ab humana vita Iamblicus.

De simplicitate liber Petri Damiani.

De simplicitate Dei. D. Tho. q. 7. de potent. Dei.

Simplicitas est duplex, alia cordata & iusta, alia vecors & iniqua. Suidas in verbo

Leuit 13. Leprosi sanati radi debent capilli & barba. Idest conuersus deponere debet antiquas suas cogitationes, & virilis ætatis peccata, vt fiat sicut infans; etiam radi debent supercilia, idest superbiæ motus. Origen. homil. 8. in Leuit.

Azyma significat simplicitatem. at Pascha celebrari debet in azymis sinceritatis & veritatis.

Non deficimus sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei. 2. Cor. 4.

GLORIA VERITATIS.

VICTRIX VERITAS.

SERPENS Moysis, deuorat serpentes Magorum. A

In argumentis nulla sunt firmiora quam quæ ex dubiis facta sunt certa Quintilian. Instit. orat. lib. 5. cap. 12.

D. Thomas refert ex D. Augustino, quod Deus pro veritate aliquando in gentilibus miracula fecit.

De verbi Dei victoria Rupert. to. 2.

Si vrgeat communis necessitas spiritualis etiamsi non sit extrema, debeo ei subuenire etiam cum periculo famæ & vitæ, vt corrige peccatum, quod communitatem inficeret. Bonacina de charitate proximi.

V*ide Cognitio Virtutis.* fidei publica confessio, maxime cum publica versatur vtilitas, *Vide Gloria Concordantia.* publica priuatis præferenda,

Prophetæ Leuitis fuerunt animosiores; nam in eo etiam sua collegia, atque conuentus continuarunt, vt ex Iiæ & Elisei historiis liquet. Geneb. a. m. 3101.

Carbunculus lapis pretiosus, si verus est, lucet in tenebris sicut carbo accensus. Alb. Mag. de lapidib. littera C.

In eo est victrix quod semper duret. *Vide Duratio Veritatis Et Æqualitas Veritatis.*

Qui iudicio eorum qui præsunt Ecclesiæ eiectus est, si id non meruit, illæsus manet. Origen. in Leuit. Homil. 14.

Hæres non priuatur hæreditate si iniustam testatoris voluntatem non impleuit. Nouel. 1. cap. 1. de hæredib. quod enim ius remittit, id hæres obmittit impune vt conditio viduitatis. l. Iulia. l. cuncta. l. muliet. ff. de cond. & demonst. & conditio diuortii. l. 5. Cod. de inst. & substit.

Quemadmodum infirmitatis, paupertatis, ignominiæ paternæ nemo non recusat hæres fieri, sic quidquid rationi non est consentaneum detrectat quiuis sapiens. Iustinus Martyr. in apologia ad Antonium Pium. V*ide Differentia Veritatis.* mutatio legum.

B Etsi veritas initio sit odiosa, deinceps tamen nihil est amabilius aut gratius. Laborat aliquando veritas, nunquam opprimitur, nec eius damnum diu nocet.

Vide Potestas Veritatis Veritas tandem præualet

Falsus rumor cito opprimitur, & vita posterior iudicat de priore: fieri quidem non potest vt absque morsu hominum vitæ huius curricula quis pertranseat, malorumque solatium est bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum sed tamen cito ignis stipulæ conquiescit, & exundans flamma deficientibus nutrimentis paulatim emoritur. si anno præterito fama mentita est, aut certe si verum dixit cesset vitium, cessabit & rumor. D. Hieron. epist. ad Furiam

Digitized by Google

De muliere innocente septies icta nec occisa *Vide Medium Veritatis* tormenta: sic tres pueri inter frigidos flammarum globos hymnos edidere pro fletibus, & circa sanctam cesariem innoxium lusit incendium sic iuxta Danielé, adulentibus caudis prædam suam leones timuere. D. Hieron. ad Innocentium: de muliere septies icta. *Vide Potestas Virtutis. & Maioritas Potestatis* Miracula.

De Hieron. interpretatur de falsis dogmatibus illud Isay. 1. Qui dereliquerunt Dominum consumentur; erunt quasi terebinthus fluentibus foliis & velut hortus sine aqua. Et erit fortitudo vestra vt fauilla stuppæ & opus vestrum tanquam scintilla.

Ferdinandus Rex Hespaniarum Regnum Granatæ à Sarracenis recuperauit & eidem dedit insulas noui Orbis, Alex. 6. const. 2. pag. 36. to. 1 Bull.

SPLENDOR VERITATIS sacra eloquentia.

VOx Domini in magnificentia. Psal. 28. Seruato magnificentiæ decoro, Res magnæ splendide exponuntur.

Sapientum erat dictum, Quod pulchrum est, pulchrè dicito.

In verbis, rerum maiestas periclitatur. Theodoret. orat. 8. de prouidentia.

Poësis sermo Deorum dicitur, & Poëtas diuino furore correptos asserit Plato. Hinc Ouidius, est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Plura de laude Poetices. Vide Chasseneum in catalogo gloriæ mundi parte 10. consider. 45. Idem dici potest de eloquentia, quæ delectat, & suauiter rapit, sicut ipsa diuina gratia.

De vi eloquentiæ. *Vide Potestas Cognitionis.*

Poëticæ sententiæ, breues, certo numero concinnatæ, magis placent, & hærent memoriæ, vnde dulcibus hymnis, & psalmis Christiana pietas prouocatur. Vide plura de laude Poeticæ, apud Æneam Syluium. epist. 104.

Mercurius communicat cum Venere, quod vterque æqualem motum habet similem Solis motui, annoque vno circulum perficiunt. Cardan. de rer. varietate. lib. 2. cap. 11. Mercurius cum eloquentiæ ornatu qui Veneri proprius est, habet splendorem Solis.

Etiam necessaria ornantur, vt militum arma, *Vide Magnitudo Virtutis.* Pulchritudo.

Nec verum est quod simplici stylo, nec falsum quod ornato dicitur, verbis ornatis & inornatis, sicut vasis vrbanis & rusticis vtrique cibi possunt ministrari. D. August. 1. confess. cap. 6.

De contemptu eloquentiæ in sacris. *Vide Maioritas Cognitio Mala.* Nimia Prædicatorum curiositas, & contemptus eloquentiæ.

Potest & clauis aurea, quod clausum est, aperire.

Gregor. Nazian. orat. 20. inter laudes Basilii Magni recenset eloquii pulchritudinem, stultos habendos qui eam negligendam dicunt, omnes sui similes cupiunt, vt priuatum eorum dedecus sub communi delitescat, nec quisquam eorum inscitiam prodat & redarguat.

Quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes atque discentes, propter fastidia plurimorum, etiam ipsa, sine quibus viui non potest, alimenta condienda sunt. D. August. lib. 4. de doctr. Christ. cap. 11.

Lampas accensa potest ex odorato nutrimento suauiter spirare.

Etiam in meridie, & si sufficiat ad necessitatem lux cœlestis, propter honorem ampliorem accendimus lampades & cereos, vt præcipitur cap. vlt. de celeb. Miss. fidei accedit eloquentia.

Appollo Deus habitus, & musicus & sagittarius, delectabat harmonia, sternebat sagittis. Maximus Tyrius. serm. 29.

Vide Gloria Contrarietatis Pulchritudo cum fortitudine.

De sacra Prædicatorum eloquentia. Vide quæ scripsi. lib. de institutione & officiis Religiosi. parte 4. cap. 18.

De sacra psalmodia. *Vide Concordantia Differentiæ.* Musica sacra.

DIFFERENTIA VERITATIS.

DIVERSÆ LEGES, DIVERSIS POPVLIS & temporibus.

D. Gregor. PP. in Registro. lib. 1. ep. 41. dicit & trinam in baptismate infantis immersionem pro loci consuetudine seruandam ad significandum tres personas trinitatis, & vnam immersionem ad significandam, vnam in tribus personis essentiam. Quia inquit, in vna fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa, tamen quia hæretici seruant trinam immersionem, non censet obseruandam, ne videantur mores nostros vicisse.

Qui sacramenta administrat tenetur sub pœna grauis peccati, sequi ritum suæ Ecclesiæ, vt in baptismo, per immersionem, aut infusionem D. Thom. 3. q. 48. a 8. Bonac. de sacram. disp. 2. q. 2. p. 3.

Can. septuaginta & can viginti. dist. 16. dicitur Concilii Niceni 70. esse conclusiones, ex quibus 20. tantum sibi obseruandas statuit Ecclesia Romana. Vnde patet etiam œcumenicorum con-

Digitized by Google

conciliorum variam esse in diuersis populis obseruationem & D. Grego. epist. 31. lib. 9. dicit aliquos canones synodi vniuersalis non esse receptos ab Ecclesia Romana, quia non omnibus ea politia conueniens est.

Nullum pœnè scelus quod non aliquo gentium instituto sancitum fuerit, vorare parentes mortuos, necare filios, sorores constuprare, multis non pudor, sed lex fuit.

Archelaus philosophus iustum & turpe, non natura sed lege atque opinione censuit esse constitutum Suidas in voce *Διαίωμα*.

Cardan. de rer. varietate lib. 2. cap. 1. dicit anno Christi 1800. magnam mutationem faciendam in Christi lege; quoniam capita motuum octaui orbis, non solum in contrariis locis erunt, sed contrario modo mouebuntur.

Prouincilia Concilia sunt, quæ Ecclesiasticis de causis, Metropolitano omnes prouinciæ Episcopos conuocante celebrantur can. propter 4. dist. 18 Episcopalia quæ Episcopus in sua Diæcesi, conuocatis Abbatibus, presbyteris, clericis singulis annis celebrat can. pen. 1. palea dist. 18. eorum non proprie canones, sed constitutiones dicuntur; & tantum eius prouinciæ, ciuitatis & diœcesis homines deuinciunt can. 1. dist. 18. si Conciliis generalibus non aduersantur, interdum confirmatione apostolica indigent cap. cum accessissent. 8. de constitutionib.

Leges & iura pro cuiusque placito in partes ita distrahuntur dilacerantur que, vt non modo gens, cum gente, sed nec vrbs cum vrbe, nec familia, cum familia, nec homo cum homine, nec vnus aliquis interdum secum ipse consentiat. Maxim. Tyr. diss. 1.

Status Iudaicus semper erat mutandus, etiamsi Iudæi seruassent ex parte sua id quod erant seruaturi, quia Deus non dederat legem veterem, tanquam semper mansuram, sed vt quoddam manuductiuum ad inducendum postea legem noui Testamenti, vt declarat Apostolus Galat. 3. & 4. Tostat. Iudicum fo. 18.

Diuersa sunt species regiminis. & quodlibet eorum potest esse fœlix, sub bonis sibique congruis legibus. Vide quæ scripsi Moral. Christia. to 3. parte. 1. c. 5. & 6. lib de misericordia Dei parte 1. cap. 21. probatur Ecclesiam diuersas constituisse leges pro diuersitate temporum & in apologia fati vniuersi cap. 5. & 6.

Animalia eiusdem speciei diuersis induuntur coloribus, diuersis etiam figuris sunt insignia.

Diuersos gentium ritus longa inductione refert D. Hieron. lib. 2. aduersus Iouinianum.

Græcorum ritus qui substantialibus sacramentorum non aduersantur, tolerantur ab Ecclesia Romana Innoc. 4. const. 14. p. 103. to. 1. Clem. 8. const. 34. p. 35. to. 3. Bull.

Repugnat. Vna Religio. *Vide Æqualitas Veritatis & Æqualitas Virtutis.* Idem ritus Religiosus.

Triplex veritas, scilicet vitæ, Iustitiæ, & doctrinæ. Tost. Matth. to. 6. fo. 21.

Plato. in Timæo & Phædro, diuidit legem in quatuor membra, dicit enim legem esse diuinam & æternam in mente diuina, cœlestem in cœlorum situ, motu, influxu; naturalem, inditi scilicet rebus ratione carentibus motus & instinctus. humanam denique, quia liberum hominis arbitrium dirigitur in finem suum per media conuenientia. Lex humana diuiditur in naturalem & positiuam: de naturali. *Vide Principium Veritatis.* Positiua est diuina vel humana, diuina quæ ab ipso Deo immediatè data est & toti legi naturali addita, vt dirigat hominem etiam in interioribus, quod lex humana non potest ps. 118 Lex Domini immaculata conuertens animas. ab omni scilicet malo, ad perfectum bonum. Suarez de legib lib. 1. c. 3.

DIVERSVS SACRÆ scripturæ sensus.

Declaratio sermonum tuorum illuminat ps. 118. sunt enim sub velamine opinionis alterius prædicata. Sic per Esay, 6. Iudæis dicitur. Auditu audietis, & non intelligetis. signata enim omnia sunt, vt dicitur Daniel. 12. & per solam spiritalem doctrinam resignanda & Esay 20. D. Hilar. in ps. 118. phe.

Totum quod legimus in diuinis libris, nitet quidem & fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est, qui edere vult nucleum, frangat nucem. Reuela, inquit Dauid, oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Christus loquutus est in parabolis, habet clauem Dauid claudit & aperit D. Hieron. epist. ad Paulinum.

Idem ad Eustochium in epitaphio Paulæ matris: Cum, inquit, sacram amaret historiam, & hoc veritatis diceret fundamentum, magis tamen sequebatur intelligentiam spiritualem, & hoc culmine, ædificationem animæ protegebat.

Origenistæ sic paradisum allegorizant, vt historiæ auferant veritatem, pro arboribus angelos, pro fluminibus virtutes cœlestes intelligunt, totàque paradisi continentiam tropologica interpretatione subuertunt. Id. ad Pammach. ad errores Ioan. Hierosolym.

Duo pretiosi lapides in superhumerali S. Sacerdotis quibus sustinebatur rationale duodecim lapidum, significabant litteram & spiritum, in quibus continetur legis vniuersa mysteria. In dextra spiritus, in læua littera est, per literas ad verba descendimus, per verba venimus ad sensum. Id. ad Fabiolam de veste sacerdotali.

Rationale duplex erat, apertum & absconditum; simplex, & mysticum.

Isay. 1. dicitur, Audi cœlum & auribus percipe terra. qui habent municipatum in cœlis, audiant mystice D. Hieron. Ib.

In Christo carnis aspectus patebat omnibus, paucis vero & electis dabatur diuinitatis agnitio. Ita cum per Prophetas verbum Dei profertur ad homines, est velamen litteræ & intrinsecus spiritualis sensus tanquam diuinus. Origen. homil. 1. in Leuit.

Triplex est scripturæ sensus, historicus, moralis, mysticus, vnde & corpus inesse ei, & animam & spiritum intelleximus. Ib. homil. 5.

Leuit. 8. Moyses induit Aaronem duobus tunicis, idest intellectu duplici, literali & spirituali, vt offerret sacrificia carnalia & spiritualia. Christus autem noluit habere duplices tunicas, vt induantur indumento incorruptionis, & absorbeatur mortale à vita Ib hom. 6.

Duo Moyses *Vide Duratio Concordantiæ.* partes post dissolutionem, &c.

Tria genera ciborum habuerunt filij Israel, cibum

DVRATIO VERITATIS.

CONTINVATIO EIVSDEM LEGIS ET VERITATIS.

NON obsolescit veritas annorum longinquitate, & quæ rebus hisce mortalibus labem inducit, & ruinam temporum series, affert tantum scientiis & legibus venerationem.

Contra ius rescripta non valeant, quocumque modo fuerint impetrata, quod enim publica iura præscribunt, magis sequi iudices debent l.1.Cod. Theodos. de diuers. rescrip.

Si quis rem iudicatam repetere in malo præsumpserit, & conuictus fuerit. 25. ictus accipiet ab his iudicibus, qui rem prius iudicauerint lege Salica in additione in Cod. legum antiqua.

Definitiuæ omnes sententiæ debent proferri in scriptis. Et instrumenta publica debent proferri in scriptis pergamenis Ibid. Constitution. Sicular. lib. 1. tit. 75. & 78.

Veri sunt rumores, si fuerint hora nuntiationis anguli signa fixa, & Luna atque Mercurius in signis fixis, & si fortuna fuerit in angulis, & ab ea separetur Luna Almansor propositi. 6.

Verum est vtique, quod semper est, Quintil. declam. 10.

D. Gregor. PP. in Registro lib. 2. epist. 37. Absit, inquit, hoc à me vt statuta maiorum in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.

Antiquos Patres imitari *Vide* ex eodem *Concordantia Virtutis. Imitatio.* bonorum, legibus vetor antiquis, obsoniis autem recentibus.

Tutum non est nauigantibus præter solitam, publicamque loci commoditatem appellere. Ita præter legem vitam agere.

Melior est status ciuitatis, quæ licet deterioribus, firmis tamen legib. vtitur, quam illius quæ bonis quidem, sed irritis. Thucidides.

Græcis olim obiiciebatur, quod semper essent pueri, quia nulla apud eos disciplina incanuisset.

Theodoret serm. 9 de legib refert Lycurgi, Charondæ & cæterorum legislatorum leges breui abolitas esse, miraturque legem euangelicam & vniuersalem esse perpetuam.

De Religionis veræ perpetuitate. Boner. tom. 2. demonst. 8.

De traditionibus Du perron, Bellarm. to. 1. contr. 1. Gregor. Valentia lib. 8. analyt.

Terra infecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. propter hoc maledictio vorabit terram. Isay 24.

Ministri non possunt sacramenta Ecclesiæ quæ fundata est in fide & sacramentis, augere vel minuere, neque nouos articulos facere, ad illos enim non spectat, sed ad infinitam potestatem quæ est Dei. Nam fundamentum Ecclesiæ consistit in fide & sacramentis quæ variari non possunt Card. Cu-

A sa. excitat lib. 6. cap. 2.

Apud Hebræos conseruatus est idem contextus legis duobus exemplaribus, quorum vnus erat in templo cum reliquiis pretiosioribus, alter penes sacerdotum collegium in manibus summi sacerdotis. Mal. 2. Genebr. an m. 36 8.

Zosimus Papa epist. 3. ad Episcop Viennensem, Apud nos, inquit, inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reuerentiam. Symmachus Papa ep. 2. ad Aonium Arelatensem episcopum. Ne sit sententiarum varietas, ad ipsam sacro sanctam Catholicam credimus pertinere, cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa quæ à Domini sacerdotibus semel statuuntur, perpetua

B sint & si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem. Vide to. 1. Concilio. Gallic. anno Christi 500.

Zacharias Papa epist. 4. ad Bonifacium Episcopum refert de quodam Pseudopropheta reperto & condemnato in Galliis, qui antiquas Ecclesias relinquens, populum conuocabat ad quædam Oratoriola & cruces quas in agris ponebat, affirmans etiam se scire nomina angelorum Ibid. anno. 744.

De subiecto corruptibili rationes sunt incorruptibiles, quæ rationes sunt principia scientiarum, Alb. Mag. a 1. de generat & corrupt.

Lycurgus Sparta in Cretam profectus, necem sibi consciuit inedia, ne leges quas tulerat, solueret. Suidas ciues obstrinxerat iuramento, illas se seruaturos donec rediret.

C Mercurium fingunt adolescentulum quia non senescit oratio, atque etiam quadrāgulum, ob veri sermonis firmitatē & constantiam veritas enim vndecumque sui similis est, mendacium verò varium, ac multiplex, secumque ipsum minimè consentit. Suidas in voce ἑρμῆς.

Non censetur verum, nisi quod semper idem apparet *Vide Duratio Cognitionis. mora* de Persarum deliberandi ratione.

Gamaliel dixit de Christo, si humanum eius consilium fuit facilè dissoluetur, si ex Deo, nihil contra poterimus.

Abstractum non moritur. *Vide Minoritas Principij.* independentia.

Ius diuinum est immutabile can. fin. §. his itaque dist. 6.

D State super vias, & videte. & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona. Ierem. 6. 16.

Vide Æqualitas Veritatis.

Ius naturale ab exordio creaturæ rationalis incipiens, manet immobile c. fin. § his itaque dist. 6.

Athenis colebatur Mineruæ victricis simulachrū sine alis. Rodig l. 14. c. 18. victrix veritas perpetua.

Ecclesiastica traditio est certa linea & manifesta regula veritatis; illaque sola veritas quæ in nullo ab Ecclesia discordat traditione Origen. lib. 1. peri archon. in proœmio.

Digitized by Google

Generaliter quoties pactum à iure communi remotum est, seruari hoc non oportet, nec iusiurandum de hoc adactum, ne quis agat seruandum l. iuris gentium. ff. de pactis.

Iusdiuinum non aboletur per desuetudinem, sed decimæ debentur de iure diuino, vt Deo ministrantibus necessaria subministrentur, ergo soluendæ sunt decimæ non obstante contraria consuetudine. D. Thom. quodlibet. 2. a. 8.

Nautas non dirigunt stellæ mobiles, nec populos leges quæ facilè mutantur.

Cum vera via nondum nota est in arte, ille rectè agit, qui antiquorum dicta fideliter recitat. Cardan. Aph sect. 5. aph. 18.

Lex naturæ est æternæ veritatis. Vide quæ scripsi. lib. de iure naturali cap. 3. præludii.

Doctor certam debet sequi sententiam, non ad contradictorias indifferenter se habere Ibid. lib. 3. lege 7. §. 1. Duratio & constantia fidei Christianæ. theolog. natural. tom. 4. parte 2. cap. 19. Non sunt tolerandi libertini in fide dubii & pendentes. Ib. parte 3. cap. 3. Sunt quædam æternæ leges regiminis. moralis Christianæ. tom. 3 parte 1 c. 9

Constans debet esse superior Religiosus pro seruandis instituti sui regulis. lib. de institutione & officijs Religiosi parte 3. cap. 5.

Transite ad insulas Cethim & Cedar, considerate si mutauit gens Deos suos. Hierem. 2.

Omnia præcepta lata à Prælatis inferioribus, qui non possunt constitutiones facere, expirant morte illorum, dispositiones autem omnes, quæ per legem vel statutum sunt, perseuerant post mortem statuentis, nam lex fertur à principe nomine Reip. quæ non moritur, Hæc fusè Suarez de legib. lib. 1. c.10. lex sic data non solum præsentes obligat, sed etiam futuros statim vt incipiunt esse illius communitatis, cui lex imposita est; lex enim fertur prospiciendo ad futura, prodesse vult communitati quæ semper durat; & semper eadem licet partes mutentur. Ita nititur præceptis stabilibus; permanentibus regulis ac mensuris operationum, lex durat, quandiu non reuocatur. Ib.

Lex naturæ est immutabilis, nec eius vniuersalissima principia possunt à Deo immutari, quia sibimet ipsi non est contrarius qui legem naturæ cordibus hominum impressit, quæ tali lege præcipiuntur bona sunt, at Deus bonum non vetat, malum non præcipit, quod faceret, si dispensaret de legibus decalogi; vt si præciperet se odio haberi, aliena concupiscere, &c. Idem lib. 2. cap. 15.

Lex perpetua est, & comparatur consuetudini omnibus proposita, præceptum autem hominis transitorium est & facilè mutabile. Ibid. lib. 3. cap. 33.

RELIGIONIS ANTIquitas & permanentia.

De Catholicæ fidei antiquitate, & vniuersalitate. Vincentius Lirinensis Biblioth. Patr. tom. 4.

Inter primas Romuli leges hæ fuerunt. Deos peregrinos ne colunto, sacra patrum custodiunto.

Vide Minoritas Differentia. Nouitas fugienda. Nouæ doctrinæ sese opponãt Episcopi. *Vide Cog. Virtutis.* Fidei publica confessio. *Vide Glor. Dur.*

In exponendis vel prædicandis diuinis scripturis sanctorum catholicorum & probatissimorum patrum sensum quisque sequatur, in quorum scriptis, vt dicit B. Hieronymus ad Lætam, fidei veritas non vacillat, qui contra fecerint vt præsumptores arguantur, & comprimantur. Concil Meldense. c. 34. a. 845.

Ecclesia Christi perpetua & immutabilis. Ozee 2. Sponsabo te mihi in sempiternum. Rom. 12. Eph. 1. dicit. corpus Christi, quod est immortale domus Dei. Dan. 2. 44. Regni eius non erit finis Math. 16. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Math vlt. Vobiscum sum vsque ad consommationem sæculi. D. Aug. in Psal 60. Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, non cedet quibuslibet tentationibus donec veniat huius sæculi finis, Chrysost. Hom. 4. in 6. Isay. Ecclesiæ natiis iactatur, & non mergitur. Cum Deus voluerit omni tempore homines saluari, & non saluantur nisi per Ecclesiam, oportet omni tempore fuisse & futuram esse Ecclesiam; Regum Christi perpetuum supponit perpetuos etiam sibi subditos. D Ambros. lib. 4. hexamer c. 4. Videtur, inquit, Ecclesia, sicut luna deficere, sed non deficit: obumbrari potest, deficere non potest.

Tertul. lib. de præscript. c.31. Possumus dicere, edant origines Ecclesiarum suarum; euoluant ordinem Episcoporum suorum. & cap. 37. Ad illos meritò dicendum qui estis? quando & vnde venistis *Vide Minoritas Differentia.* Nouitas in Religione fugienda.

Si Ecclesia esset corpus materiale; cuius duratio limitata est, posset comparari nostris corporibus, ædificio, naui, quæ senescunt, sed cum sit corpus mysticum Dei spiritu afflatum, temporis iniurias non patitur. *Vide Medium Veritatis.* Ecclesia credenda proponit.

Corpus est ante vmbram, veritas antè falsitatem. Antiquitas quidem ex se non est argumentum veritatis vt patet in idololatria, sed supponendo quod Christus ab hinc 1655. suam instituit Ecclesiam vsque ad finem sæculi duraturam; quæ non est ab eo tempore instituta, sed longe post, non est vera Ecclesia. Fuit quidem Ecclesia Christi tempore Apostolorum noua quidem respectu Synagogæ, sed primitiua respectu suæ originis, & cui erat vicinior, & antiquior respectu futurorum sæculorum quæ præcedebat. *Vide Duratio Veritatis* Antiquitas veneranda.

Ecclesia Romana doctrinam ab Apostolis acceptam, illibatam seruauit vide Cyprian. ep. 55. Irenæum lib. 3 c. 3. Theodoret, epist. ad Renat.

Si non fuisset gratia spiritus, non fuisset tantus consensus à finibus ad fines terræ, sed cito deprehensi fuissent qui fingebant, nec tam multæ res rectè ac præclare gestæ constitissent ex figmentis & mendacio. Sic accessit totus orbis terrarum, & vbique monachorum Philosophia plusquam sol resplenduit. D Chrys Hom. 6. in 1. ad Cor.

Iuuenes estis animo, nullam habentes ex antiqua auditione veterem opinionem, neque doctrinam quæ temporis diuturnitate canitiem contraxerit. Plato in Timæo sub finit.

Bonum est perfectiuum affectus, verum autem intellectus; intellectus antè naturaliter præcedit affectũ & verum præcedit bonũ ergo quanto aliquid est immaterialius tanto est prius, sed verum est immaterialius quã bonum quod in rebus materialibus inuenitur, verum autem est tantum in mente. D. Thom. in quæst. disput. de bono. a 3.

Nouitas potissimum in religione non toleranda. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in humanis. parte 1. cap. 6. A

Lex Mosaïca habuit perpetuitatem negatiuam, quia sine temporis certi limitatione posita fuit, vt per multa tempora duraret, tandem vero reuocata fuit. At lex noua habet positiuam perpetuitatem, quia mutari non debet vsque ad finem mundi. Suarez de legib. lib. 1. cap. 10.

Lex æterna perpetua est in mente diuina; lex naturæ dici potest absolutè perpetua, quia ex parte mentis in qua scripta est, perpetuitatem habet, etiam ex parte obiecti includit intrinsecam necessitatem, prohibet enim quæ intrinsece mala sunt, & præcipit quæ per se necessaria sunt, quod autem est necessarium, perpetuum est. Ibid. B

Appollinaris nouas cantilenas in Ecclesiam induxit, refert Gregor. Nazian. ep. 1. ad Cledon.

Caïn egressus à facie Domini habitauit in terra, Naid, quod interpretatur fluctuatio. Quicumque à Deo recedit, statim sæculi fluctibus quatitur, & mouentur pedes eius. D. Hieron. Damaso. lib. 3. epist.

Litaniæ communes sanctorum & B. Virginis non aliæ edi & dici possunt. Clem. 8. Const. 121. p. 123. to. 3. Bull.

ECCLESIA INfallibilis.

Ecclesia vt infaillbilis credenda proponit. *Vide Medium Veritatis.*

Obiiciunt hæretici Marcellinum Papam tempore Diocletiani idolis sacrificasse, & hinc inferunt Petri successores in definiendis fidei dogmatibus errare posse. Sed falsa est illatio, Marcellinus enim idolis sacrificando, metu mortis inductus, contra fidei confessionem peccauit, adeoque externo actu fidem negasse visus est, verum interiore actu contra fidem nihil credidit, nihil etiam docuit, atque ideo infidelis & hæreticus esse non potuit: cuius rei postea pœnitentiam agens, martyrio coronatus est Gloss. in eius vita. to. 1. Concil.

Idipsum Donatistæ obiiciebant Augustino. Quibus respondet lib. de vnico baptismo contra

A Petilianum. Non sanè parua est inquit, parumque gloriosa consolatio cuiusque nostrum, si ab inimicis Ecclesiæ cum ipsa Ecclesia criminamur; eius tamen defensio non in eorum hominum defensione consistit, quos isti nominatim falsis criminationibus oppetunt. Prorsus quales fuerint Marcellinus, Marcellus, Cæcilianus & alii quibus obiiciunt pro sua defensione quod volunt, nihil præiudicat Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffusæ. Nullomodo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate dãnamur.

Vide Medium Virtutis. Media. propter aliquos in societate malos cæteris tales non sunt habendi.

Tota Catholica Ecclesia non potest ad litteram scripturarum obligari, licet semper ad spiritum, B quando enim litera non seruit ædificationi & spiritui, recipit id quod magis seruit spiritui. Ita Paulus Apostolus se aiebat ministrum noui Testamenti non littera sed spiritu, & ita qui cum humanis rationibus ex littera Ecclesiam nituntur oppugnare, errant. Nam Ecclesia sine litera fuit aliquando ante Moysen, & antequam Apostolus Ioannes Euangelium, vel Paulus Epistolas scripserit. Et Christus Ecclesiam ædificauit sine littera, quia nihil scripsit. Non est igitur litera quæ per tyrannum penitus deleri posset, de essentia Ecclesiæ, sed spiritus est qui viuificat, quare nec mirum si praxis Ecclesiæ vno tempore intrepretatur scripturam vno modo, & alio tempore alio modo, &c. Cardan. de Cusa. ep. 7. ad Bohemos de vnitate Ecclesiæ.

C Ecclesia non subiacet errori, quod probant Patres, ex Euangelio, Quæ dicunt facite; &, Qui vos audit, me audit, &, Sicut misit me viuens Pater, ita mitto vos: &, Vobiscum sum omni tempore, vsque ad consummationem sæculi. Et, Fidelis seruus quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram. Maximè hæc potestas credita est Petro, & eius successoribus, pro Petro enim rogauit Iesus vt non deficeret fides eius, & obtinuit quod portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiam, cui Christus præsidet. Id. Ibid.

D Hanc materiam habes fuse tractatam apud authores de controuersiis vt Coccium, Bellarminum, Cardin. Du Perron, &c.

Vide Supra Maioritas Potest. Sũmus Pontifex.

POTESTAS VERITATIS.

VERITAS TANDEM PRÆVALET.

INTELLECTVS cogitur ab intelligibili, voluntas autem non cogitur ab appetibili.

Principia se habent ad conclusiones in demonstratiuis, sicut causæ actiuæ in naturalibus ad suos effectus.

E *Vide Potestas Cognitionis.* Vis eloquentiæ.

Plurima olerum genera, cum permanserint, quasi ramos quosdam capessunt, totaque in arboris figuram mutantur, diu tamen durare nequeunt. Theophr. hist. plant. lib. 1. c. 5. ficta citò in naturam suam redeunt. *Vide Veritas Virtutis.*

Digitized by Google

Repug. hypocrisis.

Consuetudo non habet vim legis nisi sit rationabilis, & non sit contraria saluti animæ. *Vide Potestas Durationis.*

Mirabile fuit in Apostolis quod cum essent in mediis hostibus inermes, etiam carcerati, cathenis onusti, non solum illis non cesserunt, sed eos in se conuerterunt oues in medio luporum, lupos vicerunt & impleta est prophetia ps. 109. Dominare in medio inimicorum tuorum. D. Chrysost. homil 4. in 1 ad Corinth.

Christus publicè mortuus est, ne quis dubitaret verè hominem fuisse:non surrexit autem publicè, vt qui sciret tempus, quod postea erat futurum, veritati laturum testimonium. Id homil.6.inepist. ad Colos.

Modestiæ larua tegi potest dirus animus, sed non diu; quis enim constanter personam ferre queat?illam cito natura abiicit vel imprudens, vel indignata.

Alexandriæ circulator quidā proposuit in theatro simiam muliebri veste & larua ornatam, ad tibiæ modos optimè saltantem, at aliquis apud se reputās quod esset simia, occultè proiecit amigdala, tum simia neglecta cantilena proiecta collegit plausumque suæ saltationis in risum conuertit D. Grego. Nyssen. de professione Christiana. initio.

Quidquid videri cupis, fac vt sis, aliter frustra cupis, Nam falsa tempus infirmat, vera corroborat; nulla simulatio diuturna. Lud. Viues in introd. Sapientiæ.

Planeta qui fuerat ab aliis modificatus cito redit ad naturam propriam. Cardan. de reuolution. cap. 12.

His quæ non secundum rationem sunt, non est fidendum, neque vt diuturna sint, sperandum. Idem aphor. sect. 1. apho.

Vide Gloria Veritatis. victrix veritas.

Sententiæ quam iudex appellationis, instam esse pronuntiauit, executio ad priorem iudicem redit Cuiac. Obser. lib. 20. cap. 36.

Verum quod est in rebus, conuertitur cum ente secundum substantiam D. Tho. 1. q. 16. a. 3. est enim ipsum esse rei cum suis insitis proprietatibus, tum specificis, tum indiuiduantibus, & hæc essentialis veritas, vnde prodeunt inclinationes in aliquid, semper præualet, Nam innata cohiberi possunt ad tempus. non in totum superari *Vide Principium Virtutis* naturalis inclinatio. Veritas autem quæ est adæquatio intellectus cum re cognita, immutabilem eius naturam & ideam vult imitari, nec cedit contrariis. sic pro suis dogmatibus acriter decertant philosophi. *Vide Contrarietas Cognitionis.* disputatio, Sancti Martyres cum auxiliis gratiæ vitam pro veritate fidei fortiter posuerunt *Vide Duratio Virtutis.* Martyrum constantia. Dolendum quod falsis rerum imaginibus impressa mens, adhæreat vt veris, nec in contrarium se patiatur inflecti. *Vide Duratio Voluntatis obstinatio & Potestas Cognitionis* vis imaginationis.

LEGIS IMPERIVM.

FOelix ciuitas in qua ciues Magistratibus, Magistratus, legibus obediunt. Lex est anim ciuitatis.

A Lex sustinet personam viri; populus autem personam vxoris. Sic Ierem. 3. dicitur Quemadmodum mulier contemnit virum suum, sic contempsit me domus Israël. & Apostolus dicit Roman. 7 Lex dominatur homini quanto tempore viuit; quæ enim sub viro est mulier viuente viro alligata est legi Theodoret in Exod. q. 39.

An lex obliget in conscientia *Vide Concordantia Potestatis.* obedire rectoribus.

Quę contra formam rescriptorum fiunt, infirmantur cap. cum dilecta 22. ver. dictum de rescript.

Iudices in iudicando debent sequi leges positas, & non inniti sensui, vel prudentiæ suæ. cap. canonum statuta. de constitutionibus & cap. non

B inuitaris eod.

Qui subest iudici, non est subiectus viro, sed iuri Tostat. Iudic. fo. 6.

Per præcepta affirmatiua legis præcipiuntur actus virtutum, & per negatiua vetantur actus vitiorum. Id. Math. to. 5. fo. 47.

Sicut phrenetico imponenda est custodia, ita malis statuenda fuit lex. Imposuit Deus legem Adæ; indixit præcepta Moysi & Ecclesiæ suæ per sanctos suos, nec enim salubrius homo reparatur quam per præceptum, vt discat mens non se extollere supra se, cum opus habeat per obedientiam negare se. Laurent. Iustinia. de obedientia. cap. 1

C *Mundo rebusque singulis diuina lex imperat Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 1. lege 1. Deus dedit leges hominibus vt ignorantiæ remedium, & meriti materiam illis obediendo. theolog. natur. to 3. parte 3. cap 1. Christus & Ecclesia quare leges constituerunt obligatorias sub pœna peccati mortalis Ib. to. 4. parte 3. cap. 27. 29. Seruiendum Deo sub his legibus quas nobis præscripsit. moralis Christianæ. to. 1. parte 2. cap. 2. & theol. natur. to. 4. p. 2. cap. 23. Deo & legibus obedire gloriosum est libello. de necessitate cap. 10.*

Dantur fideiussores iudicatum solui, vt res iudicio facto parata sit Cuiac. Obser. lib. 10 cap. 29.

D Lex est quædam regula & mensura, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur D Tho. 1. 2. q. 90 a. 1. lex dicitur à ligando, quia proprius effectus eius est, ligare, seu obligare. Ib. vnde Hierem. 2. dicitur fregisti iugum, rupisti vincula. Ius dicitur, quasi iussum, quod est participium verbi iubeo.

Ad rationem legis non requiritur vt acceptetur à subditis, nisi ex defectu potestatis in legislatore Suarez de legib. lib. 1. cap. 4. quia potest etiam inuitis beneficium fieri. *Vide Veritas Bonitatis.*

Vide Bonitas Contrarietatis. Vis quando necessaria.

E Lex propriè non dicitur in communitate imperfecta qualis est œconomica, quia in ea non est iurisdictio & vis coërcitiua, sed est quoddam dominium patris familias, diuersum in diuersis personis, vxore, liberis seruis; sed lex humana propriè locum habet in politia, quæ est communitas perfecta, cum in ea sit iurisdictio habens vim coactiuam, & legum latiuam. Suarez Ib. cap. 6. Nullaque lex est quæ obligationem non inducat, idest necessitatem quandam operandi, vel non operandi Ib. cap. 14.

Modestinus in l. 7. ff. de legib. dicit, legis virtus est, imperare, vetare, permittere, punire. Quod declarat D. Thom. quia actus humani aut boni sunt; aut indifferentes, his tres effectus legis

Digitized by Google

respondent, qui sunt præcipere bonos, prohibere malos, permittere indifferentes, additur punitio tanquam necessaria ad effectum legis. A

Potestas legislatiua, est etiam coactiua, vnde lex ciuilis non præcipit actus merè internos, quia non potest illos nec cognoscere, nec punire. Suarez de legib. lib. 3. cap. 13. Sic sunt extra forum suum.

Leges ciuiles obligant in conscientia, omnis enim potestas à Deo, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, sibi damnationem acquirunt. Rom. 13.

VIS SERMONIS diuini.

B

DE verbi Dei officio. Bernardin. quadrag. 2. serm. 9. & tom. 4.

Herbæ vim medicam habentes, cum videntur in pratis & montibus, conculcantur quasi viles; at cum videntur collectæ in officina medici, tunc iudicantur ad sanitatem vtiles: sic præcepta in gentilium libris dispersa negliguntur, at tunc vtilia deputanda sunt cum docentur à Christo, qui est verus medicus animarum. Origen. homil. 8. in Leuit.

Vide infra Medium Veritatis Prædicator & sacra Scriptura. C

Viuus est sermo Dei & efficax. Heb. 4.

Assidua scripturarum lectio & meditatio multum potest ad morum reformationem, & animæ spiritualem profectum. *Vide Duratio Cognitionis.* Assidua rerum diuinarum meditatio.

Paulus 2. Corinth. 7. dicit se Corinthios contristasse ad pœnitentiam. 3. Reg. 22. sermone Dei audito Dauid pœnitet, sermone Dei tales facti sunt Apostoli quales miramur: si enim sapientis sermo sedat iram aut concupiscentiam, quanto magis cum à Spiritu sancto profertur; ideo diabolus quantum potest homines à rerum diuinarum lectione, auertit D. Chrysost. hom. 2. in Matth. in fine. D

Vide Medium Cognitionis Lectio libri.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent. Psal. 44. Eloquia Dei non immeritò accendunt, quia verba sunt Verbi, veritas vtique de fonte trahitur veritatis, vnde efficaciter mens amore repletur, quam non hominem loquentem, sed verbum in homine & per hominem loquens attendit Sacra pagina spiritualis est locus, in quo Deum loquentem mens audit per Prophetas sanctosque Doctores, misit Deus verbum ad posteros, vt de diuinæ voluntatis agnitione nemo per ignorantiam se valeat excusare: verbum illustrat & accendit mentem, semel corporaliter agere voluit, quod spiritualiter iugiter operatur, eius alloquio discipuli euntes in Emaus exarserunt incendio charitatis. Laur. Iustinia. lib. de connubio Verbi & animæ cap. 14. E

Et folium eius non defluet. Psal. 1. folia teneros fructus vallo quodam communiunt. Hic significant doctrinam verborum Dei; his enim verbis spes nostræ inumbrantur; horum inter has sæculi tempestates munimine conteguntur. Non defluent igitur hæc folia, idest Dei verba, quia per Dominum dictum est, Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, hæc folia salutaria sunt gentibus. Apocal. 22.

Lucerna pedibus meis verbum tuum. Psal. 118 vt vitem laqueos, foueas, præcipitia præcedere debet tale lumen, vt in antiquo tabernaculo lucernæ semper ardebant, sic nos in corporis nostri tabernaculo festiuitatem spei nostræ sermonis diuini luce peragamus. D. Hilarius in Psal. 118. Numer.

VERITAS LIBERA & liberè dicenda.

HIstoriæ prima lex est, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis, Cicero.

Euthymenes prætor athenis, Abrogauit decretum, de nemine à Comicis perstringendo, id fecit illis licitum. Suidas in voce Euthy.

Qui ad capitale supplicium abducebantur, iis licebat cibo & potu plenis tria dicere quæ vellent: deinde ore obturato ad necem ducebantur. Idem in voce

Omnes seminis expertes, vt pueri, mulieres, decrepiti, spadones, sunt acutæ vocis, viri autem grauis; Nam sicut linea cæteraque tenuia dimensionem duntaxat vnam sortiuntur; crassa verò pleraque plures obtinent, ita vox etiam tenuis, vnam dimensionem habet, vnum autem efficere ac mouere facilius est quam plura. Igitur qui spiritum habent imbecillum, nonnisi parum aëris mouere possunt.

Vocem magnam Galenus adscribit non tam calori, quam amplitudini asperæ arteriæ, duę illæ concurrunt causæ. Rodigin. lib. 19. cap. 13. Libera admonitio supponit cum anima libera abundantem charitatem.

Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. Roman. 12. Idest nemini des ansam dissidii; si vero alicubi pietatem labefactari videris, ne præponas concordiam veritati, sed generosè persistas ad mortem vsque; non tamen eris animo erga aduersarium hostili, sed in rebus tantummodo pugnabis D. Chrysost. hom. 22. in epist. ad Roman.

Vide Cognitio Virtutis. Fidei publica confessio. Et *Magnitudo Voluntatis.* Zelus bonus. *Et Duratio Virtutis.* Constantia martyrum.

Vides hunc solem radiis iniice vincula, siste eius cursum, si id non potes, multo minus alligare cœlestem diuinamque veritatem. Id. homil. in epist. ad Coloss.

Non dedit nobis Deus formidinis spiritum; sed fortitudinis charitatis, ac sobrietatis. 2. Timoth. 1.

Paupertas dat fiduciam & libertatem dicendi. Elias confidenter dixit Achabo; non ego peruerto Israël, sed tu & domus patris tui. 3. Reg. 18. & Ioannes dixit Herodi, Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Diues autem est seruus & timens damnum, qui non audet liberè loqui est velut is qui multos & longuos trahit funes vnde potest retineri. At pauperem & nudum quis retinebit? &c. Chrysost. homil. 18. in epist. ad Hebræ.

Speculorum hæc natura vt omnia ostendant.

Vbi verecunda aut tremens veritas silet, licentius furit vitiorum incendium *Vide Cognitio*

gnitio Virtutis. Fidei publica confessio.

Vox incarnati verbi prænuntia, nec sub ipso Herode tacuit. Fingunt mundani se sic esse veritatis amatores, vt totam in pectore gestent, nec patiantur effundi, nec à circumfusa multitudine partiri.

Veritatem dissimulari non vult Christus, qui iubet suos quæ in aure audierint, prædicari super tecta.

Sapiens nescit potestatibus vitiisque blandiri; dicet & scribet quæ sentit ipse, non quæ aliis placeant. Iudæi coluerunt vt Prophetam eum qui Dauidem regem de crimine monuit & pœnitentia. Nunc crimen est, potentiorum crimina non laudare, saltem non dissimulare. Christus cæcos illuminauit, videntes non excæcauit; qui dominantur peruersè optarent homines esse cæcos & mutos, ne tot exposita mala opera viderent & arguerent.

Non cessandum à prædicatione veritatis & propter hoc mortem subiens est, martyr. Tostat. Matth. 10. 4. fo. 80.

Peccantibus non est nimis indulgendum. Vide quæ scripsi de iure natural. lib. 3. lege 8. in fine. & lege 10 §. 1. in fine. Christus vitia liberè increpauit. Theolog. naturalis to. 4. parte 2. cap. 5.

Matth. 5. Christus dicit Apostolis, Vos estis sal terræ, & hoc est omnino mirabile, quia non adulantes neque palpantes, sed è diuerso salis instar vrentes, ferè omnibus se tam desiderabiles reddiderunt. D. Chrysost. hom. 15. in Matth.

Etsi mihi vera dicenti succenseant diuites & potentes, apud me ista vel fabula videntur, vel vmbra, vel somnium. Nemo quippe mihi ex his qui locupletes habentur, ibi cum accusatus fuero, patrocinabitur, cum mihi pro crimine fuerit, Dei à me lex non cum omni vehementia, constantiaque defensa; hoc Heli sacerdotem perdidit, quod filios cum seueritate non corripuerit. Id. hom. 17. in fine. *Vide Minoritas Contrarietatis. Mala.*

A Act. 4. Apostoli iussi à synagoga non prædicare, responderunt; Si iustum est vos audire magis quam Deum, iudicate. Non possumus autem nos quæ vidimus & audiuimus non loqui.

Dicit Christus, ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati; quemadmodum obtenebrescere non potest lux, ita nec veritas fallere.

Qui timet pruinam, veniet super eum nix. Iob 6. maiora incurrit mala, qui timens homines, tacet veritatem.

Vide Gloria Minoritatis. Fortis & generosa humilitas.

Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore vbi non erat timor. Psal. 52. Impius B timor est, cum quæ timenda sunt, non timentur, & quę non timenda, timentur; quidam tamen adulantur regibus, quibus nihil vltra in nos licet, quam latroni, febri, incendio, naufragio, ruinæ, & propter breuem dolorem, libertatem Ecclesiæ, spei nostræ fiduciam, confessionem Dei addicimus, æternis diuinæ vltionis pœnis momentanea supplicia præferentes. Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent. Timuit hoc sanctus doctor, dicens, si hominibus placerem, Dei seruus non essem. 1. Cor. 10. D. Hilar. in Psal. 52.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque, quia in iudicis tuis speraui. Psal. 118. Sic in te spero, vt metu hominum non taceam C veritatem. Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Ib. Te, non principes timui, & sermonibus tuis adhærens de persequentibus spolia retuli. D. Hilar.

Nullum læsi, nullius nomen mea scriptura designatum est, neminem specialiter meus sermo pulsauit, generalis de vitiis disputatio est, qui mihi irasci voluerit, ipse de se quod talis sit, confitebitur. D. Hieron. ad Nepotian. in fine.

COGNITIO VERITATIS.

ECCLESIA VISIBILIS.

CVM extra Ecclesiam non sit salus, debet Ecclesia ab hominibus cognosci, vt ad eam possint transfugere, velut in vrbem refugii. Ita D. August. lib. 19. contra Faustum c. 11. In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur, hominum visibilium ex se, non potest esse nisi visibilis societas; dicitur Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem, de externa fidei professione. *Vide supra Cognitio Virtutis.*

Christus constituit Ecclesiam, vt dirimat con-D trouersias fidelium. Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ. Iudex autem talium debet esse visibilis. Denique Ecclesia fuit à Christo instituta, vt aduersaretur, hæresibus in temporum serie nascentibus. 1. Cor. 11. oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant; debet igitur esse visibilis, vt sit contra visibiles hostes præsidium & munitio.

Debet esse communio fidei inter fideles, debet ergo fides hęc signis externis manifestari; quia mentis & cordis arcanum aliter non cognoscitur. Oportet etiam esse visibiles pastores, qui visibilem gregé, dirigant & protegant à lupo veniente. Super muros Hierusalem constitui custodes, &c. Is. 62. Ciuitas est Ecclesia supra montem posita.

Digitized by Google

vt luceat omnibus Matth. 5. Rom. 10. fides ex auditu: si ergo cessaret prædicatio, cessaret & fides.

Obiicitur, creditur Ecclesia, ergo non videtur quia fides est argumentum non apperentium. Heb. 11. Respondetur, idem posse & credi & sentiri sub diuersa ratione, vt humanitas Christi, ab Apostolis, videtur extra ablutio in baptismo, & creditur esse sacramentum. Multi Doctores asserunt eandem veritatem posse & ratione & fide simul cognosci. D. Thom. initio contra gentiles. Homo visibilis est, etiam si anima, & intestina non appareant. Apostolus vocans Ecclesiam corpus Christi, innuit esse visibilem, est corpus mysticum ratione gratiæ, visibile ratione personarum, ouium & pastorum.

Signa visibilis Ecclesiæ quo ad illam discernendam ab aliis docet scripturæ antiquitas, perpetua pastorum successio ab ipso Christo &c. propagatio miraculosa per vniuersum orbem; doctrinæ stabilitas.

COGNITA VERITAS.

NArratio est rei factæ aut non factæ vtilis ad persuadendum expositio, debet esse lucida, breuis, verisimilis: sunt enim plurima vera quidem sed parum credibilia, sicut falsa quoque fre-

A quenter verisimilia Quintilian. Instit. oratoriar. lib. 5. c. 2.

Cum quæreretur à Christo, quid est veritas, nihil respondit, quia nos latet.

Tabernaculum dicebatur testimonium, quod in eo essent legis tabulæ; legem enim, mandata & testimonia & iura vocabant. Suidas in voce *μαρτύριον*.

Quilibet tenetur scire quæ pertinent ad suam salutem promouendam Vide quæ scripsi *Moral Christ. to. 1 parte 1 cap. 21.*

Vide Cognitio Bonitatis. Discretio boni à malo.

Leges ab omnibus debent intelligi, vt vniuersi præscripto earum manifestius intellecto, prohibita declinent, & faciant præcepta l. 9. c. de le-

C gib. Vnde de ratione legis est promulgatio, sine qua manet ignota, nec obligat, est enim, vt definit Aristoteles communis operationum regula & mensura vim habens cogendi. Suarez de legib. lib. 1. cap. 11.

Lex incipit obligare pro prudenti arbitrio iuxta tempus moraliter necessarium, vt eius notitia haberi possit in aliis partibus. Ib. lib. 3. c. 17. ordinariè post duos menses. auth. vt factæ nouæ constitutiones coll. 5.

Tres sunt conditiones necessariæ, vt positiua lex obliget sub mortali, quæ sunt grauitas materiæ, verba seu signa præceptiua, & intentio præcipientis Id. lib. 4. cap. 18.

VOLVNTAS VERITATIS.

AMOR VERITATIS.

AMANT veritatem lucentem, etiam ipsi qui oderunt redarguentem D. Aug.

Quod est in intellectu affirmatio vel negatio, est in appetitu prosecutio & fuga, & quod est in intellectu verum & falsum, est in appetitu bonum & malum.

Vide Voluntas Cognitionis.

Amorem veritatis probat gratitudo & reuerentia magistris exhibita *Vide Gloria Principij.* magistri.

Amor veritatis innatus homini probat immortalitatem animæ. Vide quæ scripsi theologia naturalis. to. 2. parte 1. cap. 22.

Sermo Dei attente audiendus, si enim nos de friuolis rebus loquentes, putamus nos læsos eorum incuria qui nobis non attendunt; quantum debet offendi Deus, si ipso nobis loquente, ad alia contemnentes conuertimur. D. Chrysost. homil. 1. in Matth. *Vide Veritas Virtutis.* attentio in oratione.

Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti. ps. 118.

C

ADMONITIO DOCILI & grato animo suscipienda.

ADmonitio sedat passiones, & tam officiosa debet videri, quam apud Indos à charis sibi ventilari, ad temperandum calorem, & muscas abigendas; hoc officium præstant filij parentibus, serui dominis. Ita Reges & triumphantes voluerunt moneri à suis, esse homines.

D Lucidus Presbyter qui sequutus fuerat sectam Prædestinatorum, ea damnata, scribit ad Episcopos Concilij Arelatensis pœnitens. Correptio vestra salus publica, & sententia vestra medicina est. Vide to. 1. concil Galliæ. an. Christi 475.

Qui reprehensus & castigatus vt canis non indignè fert, vtitur verbis Chananeæ & dicit; Vtique Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt sub mensa dominorum suorum; talis fides obtinebit quod postulat, à Christo. Origen. in Matth. cap. 15.

Lapides, metalla, gemmæ crescunt per intus susceptionem, ita radices habent non duras, sed lentas, & molliores; cæteris partibus. Docilitas

Digitized by Google

in veritatis susceptione; firmitas in eiusdem defensione. *Vide Differentia Principii.* Separari à suo principio malum

Moyses licet sapientissimus, & cum Deo loquutus, consilium humiliter accipit à socero. Exod. 18.

Ægri quidam auersantur remedia & assistentes sibi amicos, & medicos habent vt hostes, eo miseratione magis digni qui morbum suum, & auxilia non agnoscunt, principium sanitatis est velle sanari.

Ferimus amicum, qui vehementius quam par sit inuehitur, quia hoc animo facit beneuolo, & non per arrogantiam: multo magis ferre debemus magistrum talia dicentem, & res nostras per ista curantem; nam si quis peccauerit, sibi nocet, si remedium auersetur. D. Chrysost. hom. 5. in Hebr. c. 2.

Principem aut sanctum non offendit pictor qui deformem eius imaginem integritati suæ conatur restituere.

Inter bonum hominem & malum hoc interest, quia bonus cum increpatur de peccato, corrigitur, & melior in dies fit, malus verò efficitur deterior. Tostat. Matth. to. 5 fo. 172 c. 1. C.

Reprehensio non exercenda solum, sed & admittenda est. Iustinus Martyr ad Serenum fratrem.

Familiares elige non placituros tantum, sed admonitione profuturos, quantum execranda adulatio, quæ impedit ne ad bonum perueniamus, dum suadet iam peruenisse; tam diligenda recta admonitio, quæ prouehit, dum quantum supersit docet. Si reprehendi fers ægrè, reprehendenda ne feceris.

Si coleres terram pinguem & fertilem, non tantum semen quod habes in horreis illi committeres, sed etiam ab amicis mutuo acciperes, ne tantæ deesses fertilitati. D. Chrysost. hom. 5. in Matth.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Beneficium commendat rei collatæ maior & vrgens necessitas; at nulla re magis indigemus quam optimis consiliis; nam nosse defectus nostros tam necessarium est, vt sit omnis in virtute profectus fundamentum, sed tam difficile vt nullus id à se sperare possit, nec magis animi quam vultus næuos propriis videre licet oculis. *Vide Cognitio Minoritatis.*

MAGNITVDO. Maximum ergo beneficium nobis præstat, qui nos honesti cupidos, sed in illud ex ignorantia peccantes, monet; & ne fiat errorum cumulus correctione priuata, malis præteritis & præsentibus medetur, futuris innumeris occurrit, saluo pudore.

DVRATIO. Si vitia sub specie virtutis subrepunt; si prauis suis moribus plaudit & gaudet qui horum non percipit turpitudinem, nunquam ab his abstinebit, nec properantem ad præcipitia gradum reuocabit nisi monitus. Quanta medico vel Astrologo haberetur gratia, qui vitæ periculum præuidens, vt opportunè vitaretur, prædixit; huic ex arte coniectanti nemo sapiens irascitur, sed potius facto suo, cuius vim sperat alterius scientia monitisque superandam.

POTESTAS. Vis expers consilii mole ruit sua. Ideo princeps alicui sapienti permittit in mores suos censuram, nec res magnas aggreditur ex

A animi sui sententia, sed hanc subiicit administrorum iudicio.

COGNITIO. Hæc culpa quæ peruenit ad notitiam amici, diu non fugit vigiles æmulorum oculos, nisi maturè prouideas, famæ tuæ consulit, parcit pudori qui monet, defectus tuos aperit tibi, vt cæteros lateant.

VOLVNTAS. Ex duobus vnum efficit amicitia, & vtriusque ius commune; meum reputo, quod tuum dicitur, sic in te, velut in meipsum inquiro, nec sine causa, cum ex vnius amici moribus, de altero fiat iudicium, aut igitur amicum nega, aut gratus fer censuram.

B VIRTVS. Sacræ Scripturæ, Prophetarum, Prædicatorum, diuinum munus est aberrantes ad rectum iter reuocare. Vitiis adulantur fortunæ non personarum amici. At malis moribus nunquam consentit, Deo conciliante nata societas; si desit emendatio fertur ad diuortium, monet ergo spe conuersionis, qua sublata, soluitur.

VERITAS. Non irasceris speculo quod tè, tibi qualem excepit tui speciem incompositam, ostendat, & velles amicum, te moribus deformem, pulchrum mentiri? quid aliud expectares ab hoste quam tacere defectus, vt incorrecti sibique semper accrescentes excipiantur publicâ contumeliâ?

GLORIA. Displicit aberrasse, sed non moneri, si docilis existas, leui contra superbiæ sensum conflictu, magnam reportabis victoriam, de te primum moribus ad meliora conuersis, tum de

C hostibus, quorum spes improbas elides hac opportuna mutatione.

DIFFERENTIA. Hic lapis lydius, hæc tessera, qua verus amicus à falso distinguitur, si consulat, moneat, malis blandiri nescius. Incolis aberrantem ad rectum iter reuocantibus gratiam habes, cur non maiorem refers ei, qui te virtuti, regiæ scilicet ad cœlum viæ, restituit?

CONCORDANTIA. Homines infirmitatis suæ conscii, ideo societatem ineunt vt mutuum sibi præstent auxilium, non minus consiliis, quam operibus.

CONTRARIETAS. Paratas hostis insidias irritas efficit exploratoris opportuna denuntiatio. Nec ob id Imperator putat aliquid pruden-

D tiæ vel fortitudini suæ detractum. Latentibus potissimum malis affligimur, proditione, detractione, venenis, corrupto de nobismetipsis iudicio.

PRINCIPIVM. Ne durum videatur pati monitorem, quasi se velit efferre, purior & sapientior videri; calumniam hanc eluit priuata correctio, & quidem necessaria. Nam cæcutimus in propriis, & qui minores accepit à natura dotes animi, in aliena causa dabit optimum consilium; æger archiatrus inferiorem sibi medicum consulit.

MEDIVM. Vt nos ad se trahat Deus, non vtitur tantum illustrationibus & motibus suæ gratiæ; non tantum Angelorum, sed & hominum ministerio, vt mutuam inter nos collatis ex occasione beneficiis, foueat charitatem.

E FINIS. Qui monet non mouetur inuidia, quã crescentibus sensim erroribus tuis magis pasceretis non vanitate, cum officium hoc præstet in occulto. Vnicus illi finis est, vt vltimam manum adhibeas vitæ tuæ, & nobiliorem in candido næuum detergas.

MAIORITAS Nautas, expertos etiam Astrologos dirigit magnes. Inferiores naturæ gra-

VIRTVS VERITATIS.

VERITATIS ET SIMPLICITATIS EFFICACIA.

VIDE *Bonitas Æqualitatis Et Bonitas Veritatis.* A

Olim sacratius habebatur altare, super quod nec securis ascendisset, nec visa, nec audita fuisset ascia; quo sublimius aliquid significabatur, nempe natiuum & simplex, artisque ac fuci expers esse debere, quidquid Deo consecratur D. Gregor. Nazianz. orat. 19.

V*ide Maioritas Cognitionis*. contemptus eloquentiæ. *Et Cognitio Virtutis. mala.* affectatio nimia.

Fœlix est, qui Deo, quatenus fieri potest, similis fuerit, perfectus, simplex, purus & separatus ab humana vita Iamblicus.

De simplicitate liber Petri Damiani.

De simplicitate Dei. D. Tho. q. 7. de potent. Dei.

Simplicitas est duplex, alia cordata & iusta, alia vecors & iniqua. Suidas in verbo

Leuit 13. Leprosi sanati radi debent capilli & barba. Idest conuersus deponere debet antiquas suas cogitationes, & virilis ætatis peccata, vt fiat sicut infans; etiam radi debent supercilia, idest superbiæ motus Origen. homil. 8 in Leuit.

Azyma significat simplicitatem. at Pascha celebrari debet in azymis sinceritatis & veritatis.

Non deficimus sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei. 2. Cor. 4.

GLORIA VERITATIS.

VICTRIX VERITAS.

SERPENS Moysis, deuorat serpentes Magorum. A

In argumentis nulla sunt firmiora quam quæ ex dubiis facta sunt certa Quintilian. Instit. orat. lib. 5. cap. 12.

D. Thomas refert ex D. Augustino, quod Deus pro veritate aliquando in gentilibus miracula fecit.

De verbi Dei victoria Rupert. to. 2.

Si vrgeat communis necessitas spiritualis etiamsi non sit extrema, debeo ei subuenire etiam cum periculo famæ & vitæ, vt corrige peccatum, quod communitatem inficeret. Bonacina de charitate proximi.

V*ide Cognitio Virtutis*. fidei publica confessio, maxime cum publica versatur vtilitas. V*ide Gloria Concordantiæ*. publica priuatis præferenda.

Prophetæ Leuitis fuerunt animosiores; nam in eo etiam sua collegia, atque conuentus continuarunt, vt ex liæ & Eli sei historiis liquet. Geneb. a. m. 3101.

Carbunculus lapis pretiosus, si verus est, lucet in tenebris sicut carbo accensus. Alb. Mag. de lapidib. littera C.

In eo est victrix quod semper duret. V*ide Duratio Veritatis Et Æqualitas Veritatis.*

Qui iudicio eorum qui præsunt Ecclesiæ eiectus est, si id non meruit, illæsus manet. Origen. in Leuit. Homil. 14.

Hæres non priuatur hæreditate si iniustam testatoris voluntatem non impleuit. Nouel. 1. cap. 1. de hæredib. quod enim ius remittit, id hæres obmittit impune vt conditio viduitatis. l. Iulia. l. cuncta. l. mulier. ff. de cond. & demonst. & conditio diuortii. l. 5. Cod. de inst. & substit.

Quemadmodum infirmitatis, paupertatis, ignominiæ paternæ nemo non recusat hæres fieri, sic quidquid rationi non est consentaneum detrectat quiuis sapiens. Iustinus Martyr. in apologia ad Antonium Pium. V*ide Differentia Veritatis.* mutatio legum.

B Etsi veritas initio sit odiosa, deinceps tamen nihil est amabilius aut gratius. Laborat aliquando veritas, nunquam opprimitur, nec eius damnum diu nocet.

V*ide Potestas Veritatis* Veritas tandem præualet

Falsus rumor cito opprimitur, & vita posterior iudicat de priore: fieri quidem non potest vt absque morsu hominum vitæ huius curricula quis pertranseat, malorumque solatium est bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum sed tamen cito ignis stipulæ conquiescit, & exundans flamma deficientibus nutrimentis paulatim emoritur. si anno præterito fama mentita est, aut certe si verum dixit cesset vitium, cessabit & rumor. D. Hieron. epist. ad furiam

A De muliere innocente septies icta nec occisa *Vide Medium Veritatis* tormenta: sic tres pueri inter frigidos flammarum globos hymnos edidere pro fletibus, & circa sanctam cęsariem innoxium lusit incendium sic iuxta Danielé, adulantibus caudis prædam suam leones timuere. D. Hieron. ad Innocentium: de muliere septies icta. *Vide Potestas Virtutis. & Maioritas Potestatis* Miracula.

De Hieron. interpretatur de falsis dogmatibus illud Isay. 1. Qui dereliquerunt Dominum consumentur; erunt quasi terebinthus fluentibus foliis & velut hortus sine aqua. Et erit fortitudo vestra vt fauilla stuppæ & opus vestrum tanquam scintilla.

B Ferdinandus Rex Hespaniarum Regnum Granatæ à Sarracenis recuperauit & eidem dedit insulas noui Orbis, Alex. 6. const. 2. pag. 36. to. 1 Bull.

SPLENDOR VERITATIS sacra eloquentia.

VOx Domini in magnificentia. Psal. 28. Seruato magnificentiæ decoro, Res magnæ splendide exponuntur.

Sapientum erat dictum, Quod pulchrum est, pulchrè dicito.

C In verbis, rerum maiestas periclitatur. Theodoret. orat. 8. de prouidentia.

Poësis sermo Deorum dicitur, & Poëtas diuino furore correptos asserit Plato. Hinc Ouidius, est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Plura de laude Poetices. Vide Chasseneum in catalogo gloriæ mundi parte 10. consider. 45. Idem dici potest de eloquentia, quæ delectat, & suauiter rapit, sicut ipsa diuina gratia.

De vi eloquentiæ. *Vide Potestas Cognitionis.*

Poëticæ sententiæ, breues, certo numero concinnatæ, magis placent, & hærent memoriæ, vnde dulcibus hymnis, & psalmis Christiana pietas

D prouocatur. Vide plura de laude Poëticæ, apud Æneam Syluium. epist. 104.

Mercurius communicat cum Venere, quod vterque æqualem motum habet similem Solis motui, annoque vno circulum perficiunt. Cardan. de rer. varietate. lib. 2. cap. 11. Mercurius cum eloquentiæ ornatu qui Veneri proprius est, habet splendorem Solis.

Etiam necessaria ornantur, vt militum arma. *Vide Magnitudo Virtutis.* Pulchritudo.

Nec verum est quod simplici stylo, nec falsum quod ornato dicitur, verbis ornatis & inornatis, sicut vasis vrbanis & rusticis vtrique cibi possunt ministrari. D. August. 1. confess. cap. 6.

De contemptu eloquentiæ in sacris. *Vide Maioritas Cognitio Mala.* Nimia Prędicatorum curiositas, & contemptus eloquentię.

Potest & clauis aurea, quod clausum est, aperire.

Gregor. Nazian. orat. 20. inter laudes Basilii Magni recenset eloquii pulchritudinem, stultos habendos qui eam negligendam dicunt, omnes sui similes cupiunt, vt priuatum eorum dedecus sub communi delitescat, nec quisquam eorum inscitiam prodat & redarguat.

Quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes atque discentes, propter fastidia plurimorum, etiam ipsa, sine quibus viui non potest, alimenta condienda sunt. D. August. lib. 4. de doctr. Christ. cap. 11.

Lampas accensa potest ex odorato nutrimento suauiter spirare.

Etiam in meridie, & si sufficiat ad necessitatem lux cœlestis, propter honorem ampliorem accendimus lampades & cereos, vt pręcipitur cap. vlt. de celeb. Miss. fidei accedit eloquentia.

Appollo Deus habitus, & musicus & sagittarius, delectabat harmonia, sternebat sagittis. Maximus Tyrius. serm. 29.

Vide Gloria Contrarietatis Pulchritudo cum fortitudine.

De sacra Prædicatorum eloquentia. Vide quæ scripsi. lib. de institutione & officiis Religiosi. parte 4. cap. 18.

De sacra psalmodia. *Vide Concordantia Differentię.* Musica sacra.

DIFFERENTIA VERITATIS.

DIVERSÆ LEGES, DIVERSIS POPVLIS & temporibus.

E D. Gregor. PP. in Registro. lib. 1. ep. 41. dicit & trinam in baptismate infantis immersionem pro loci consuetudine seruandam ad significandum tres personas trinitatis, & vnam immersionem ad significandam, vnam in tribus personis essentiam. Quia inquit, in vna fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa, tamen quia hæretici seruant trinam immersionem, non censet obseruandam, ne videantur mores nostros vicisse.

Qui sacramenta administrat tenetur sub pœna grauis peccati, sequi ritum suæ Ecclesiæ, vt in baptismo, per immersionem, aut infusionem D. Thom. 3. q. 48. a 8. Bonac. de sacram. disp. 2. q. 2. p. 3.

Can. septuaginta & can viginti. dist. 16. dicitur Concilii Niceni 70. esse conclusiones, ex quibus 20. tantum sibi obseruandas statuit Ecclesia Romana. Vnde patet etiam œcumenicorum con-

conciliorum variam esse in diuersis populis obseruationem & D. Grego. epist. 31. lib. 9. dicit aliquos canones synodi vniuersalis non esse receptos ab Ecclesia Romana, quia non omnibus ca politia conueniens est. A

Nullum pœnè scelus quod non aliquo gentium instituto sancitum fuerit, vorare parentes mortuos, necare filios, sorores construprare, multis non pudor, sed lex fuit.

Archelaus philosophus iustum & turpe, non natura sed lege atque opinione censuit esse constitutum Suidas in voce *Ἀρχέλαος*.

Cardan. de rer. varietate lib. 2. cap. 1. dicit anno Christi 1800. magnam mutationem faciendam in Christi lege; quoniam capita motuum octaui orbis, non solum in contrariis locis erunt, sed contrario modo mouebuntur. B

Prouincilia Concilia sunt, quæ Ecclesiasticis de causis, Metropolitano omnes prouinciæ Episcopos conuocante celebrantur can. propter 4. dist. 18 Episcopalia quæ Episcopus in sua Diæcesi, conuocatis Abbatibus, presbyteris, clericis singulis annis celebrat can. pen. 1. palea dist. 18. eorum non proprie canones, sed constitutiones dicuntur; & tantum eius prouinciæ, ciuitatis & diœcesis homines deuinciunt can. 1. dist. 18. si Conciliis generalibus non aduersantur, interdum confirmatione apostolica indigent cap. cum accessissent. 8. de constitutionib. C

Leges & iura pro cuiusque placito in partes ita distrahuntur dilacerantur que, vt non modo gens, cum gente, sed nec vrbs cum vrbe, nec familia, cum familia, nec homo cum homine, nec vnus aliquis interdum secum ipse consentiat. Maxim. Tyr. diss. 1.

Status Iudaicus semper erat mutandus, etiamsi Iudæi seruassent ex parte sua id quod erant seruaturi, quia Deus non dederat legem veterem, tanquam semper mansuram, sed vt quoddam manuductiuum ad inducendum postea legem noui Testamenti, vt declarat Apostolus Galat. 3. & 4. Tostat. Iudicum fo. 18.

Diuersa sunt species regiminis, & quodlibet eorum potest esse fœlix, sub bonis sibique congruis legibus. Vide quæ scripsi Moral. Christia. to 3. parte. 1. c. 5. & 6. lib de misericordia Dei parte 1. cap. 21. probatur Ecclesiam diuersas constituisse leges pro diuersitate temporum & in apologia fati vniuersi cap. 5. & 6. D

Animalia eiusdem speciei diuersis induuntur coloribus, diuersis etiam figuris sunt insignia.

Diuersos gentium ritus longa inductione refert D. Hieron. lib. 2. aduersus Iouinianum.

Græcorum ritus qui substantialibus sacramentorum non aduersantur, tolerantur ab Ecclesia Romana Innoc. 4. const. 14. p. 103. to. 1. Clem. 8. const. 34. p. 35. to. 3. Bull. E

Repugnat. Vna Religio. *Vide Æqualitas Veritatis & Æqualitas Virtutis.* Idem ritus Religiosus.

Triplex veritas, scilicet vitæ, Iustitiæ, & doctrinæ. Tost. Matth. to. 6. fo. 21.

Plato. in Timæo & Phædro, diuidit legem in quatuor membra, dicit enim legem esse diuinam & æternam in mente diuina, cœlestem in cœlorum situ, motu, influxu; naturalem, inditi scilicet rebus ratione carentibus motus & instinctus. humanam denique, quia liberum hominis arbitrium dirigitur in finem suum per media conuenientia. Lex humana diuiditur in naturalem & positiuam: de naturali. *Vide Principium Veritatis.* Positiua est diuina vel humana, diuina quæ ab ipso Deo immediatè data est & toti legi naturali addita, vt dirigat hominem etiam in interioribus, quod lex humana non potest ps. 118 Lex Domini immaculata conuertens animas. ab omni scilicet malo, ad perfectum bonum. Suarez de legib lib. 1. c. 3.

DIVERSVS SACRÆ scripturæ sensus.

Declaratio sermonum tuorum illuminat ps. 118. sunt enim sub velamine opinionis alterius prædicata. Sic per Esay, 6. Iudæis dicitur, Auditu audietis, & non intelligetis. signata enim omnia sunt, vt dicitur Daniel. 12. & per solam spiritalem doctrinam resignanda & Esay 20. D. Hilar. in ps. 118. phe.

Totum quod legimus in diuinis libris, nitet quidem & fulget etiam in coritice, sed dulcius in medulla est, qui edere vult nucleum, frangat nucem. Reuela, inquit Dauid, oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Christus loquutus est in parabolis, habet clauem Dauid claudit & aperit D. Hieron. epist. ad Paulinum.

Idem ad Eustochium in epitaphio Paulæ matris: Cum, inquit, sacram amaret historiam, & hoc veritatis diceret fundamentum, magis tamen sequebatur intelligentiam spiritualem, & hoc culmine, ædificationem animæ protegebat.

Origenistæ sic paradisum allegorizant, vt historiæ auferant veritatem, pro arboribus angelos, pro fluminibus virtutes cœlestes intelligunt, totamque paradisi continentiam tropologica interpretatione subuertunt. Id. ad Pammach. ad errores Ioan. Hierosolym.

Duo pretiosi lapides in superhumerali S. Sacerdotis quibus sustinebatur rationale duodecim lapidum, significabant litteram & spiritum, in quibus continētur legis vniuersa mysteria. In dextra spiritus, in læua littera est, per literas ad verba descendimus, per verba venimus ad sensum. Id. ad Fabiolam de veste sacerdotali.

Rationale duplex erat, apertum & absconditum; simplex, & mysticum.

Isay. 1. dicitur, Audi cœlum & auribus percipe terra. qui habent municipatum in cœlis, audiant mystice D. Hieron. Ib.

In Christo carnis aspectus patebat omnibus, paucis vero & electis dabatur diuinitatis agnitio. Ita cum per Prophetas verbum Dei profertur ad homines, est velamen litteræ & intrinsecus spiritualis sensus tanquam diuinus. Origen. homil. 1. in Leuit.

Triplex est scripturæ sensus, historicus, moralis, mysticus, vnde & corpus inesse ei, & animam & spiritum intelleximus. Ib. homil. 5.

Leuit. 8. Moyses induit Aaronem duobus tunicis, idest intellectu duplici, literali & spirituali, vt offerret sacrificia carnalia & spiritualia. Christus autem noluit habere duplices tunicas, vt induantur indumento incorruptionis, & absorbeatur mortale à vita Ib hom. 6.

Duo Moyses *Vide Duratio Concordantiæ.* partes post dissolutionem, &c.

Tria genera ciborum habuerunt filij Israel, cibum

DVRATIO VERITATIS.

CONTINVATIO EIVSDEM LEGIS ET VERITATIS.

NON obsolescit veritas annorum lon ginquitate. & quæ rebus hisce mortalibus labem inducit, & ruinam temporum series, affert tantum scientiis & legibus venerationem.

Contra ius rescripta non valeant, quocumque modo fuerint impetrata, quod enim publica iura præscribunt, magis sequi iudices debent l.2.Cod. Theodos. de diuers. rescrip.

Si quis rem iudicatam repetere in malo præsumpserit, & conuictus fuerit. 25. ictus accipiet ab his iudicibus, qui rem prius iudicauerint lege Salica in additione in Cod. legum antiqua.

Definitiuæ omnes sententiæ debent proferri in scriptis. Et instrumenta publica debent proferri in scriptis pergamenis Ibid. Constitution. Sicular. lib. 1. tit. 75. & 78.

Veri sunt rumores, si fuerint hora nuntiationis anguli signa fixa, & Luna atque Mercurius in signis fixis, & si fortuna fuerit in angulis, & ab ea separetur Luna Almansor propositi. 6.

Verum est vtique, quod semper est, Quintil. declam. 10.

D. Gregor. PP. in Registro lib. 2. epist. 37. Absit, inquit, hoc à me vt statuta maiorum in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.

Antiquos Patres imitari *Vide* ex eodem *Concordantia Virtutis. Imitato.* bonorum, legibus vtor antiquis, obsoniis autem recentibus.

Tutum non est nauigantibus præter solitam, publicamque loci commoditatem appellere. Ita præter legem vitam agere.

Melior est status ciuitatis, quæ licet deterioribus, firmis tamen legib. vtitur, quam illius quæ bonis quidem, sed irritis. Thucidides.

Græcis olim obiiciebatur, quod semper essent pueri, quia nulla apud eos disciplina incanuisset.

Theodoret serm. 9 de legib refert Lycurgi, Charondæ & cæterorum legislatorum leges breui abolitas esse, miraturque legem euangelicam & vniuersalem esse perpetuam.

De Religionis veræ perpetuitate. Bouer. tom. 2. demonst. 8.

De traditionibus Du perron, Bellarm. to. 1. contr. 1. Gregor. Valentia lib. 8. analyt.

Terra infecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. propter hoc maledictio vorabit terram. Isay 24.

Ministri non possunt sacramenta Ecclesiæ quæ fundata est in fide & sacramentis, augere vel minuere, neque nouos articulos facere, ad illos enim non spectat, sed ad infinitam potestatem quæ est Dei. Nam fundamentum Ecclesiæ consistit in fide & sacramentis quæ variari non possunt Card. Cu-

A sa. excitat lib. 6. cap. 2.

Apud Hebræos conseruatus est idem contextus legis duobus exemplaribus, quorum vnus erat in templo cum reliquis pretiosioribus, alter penes sacerdotum collegium in manibus summi sacerdotis. Mal. 2. Genebr. an m. 36 8.

Zosimus Papa epist. 5. ad Episcop Viennensem; Apud nos, inquit, inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reuerentiam. Symmachus Papa ep. 1. ad Aonium Arelatensem episcopum. Ne sit sententiarum varietas, ad ipsam sacro sanctam Catholicam credimus pertinere, cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa quæ à Domini sacerdotibus semel statuuntur, perpetua B sint & si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem. Vide to. 1. Concilio. Gallic. anno Christi 500.

Zacharias Papa epist. 4. ad Bonifacium Episcopum refert de quodam Pseudopropheta reperto & condemnato in Galliis, qui antiquas Ecclesias relinquens, populum conuocabat ad quædam Oratoriola & cruces quas in agris ponebat, affirmans etiam se scire nomina angelorum Ibid. anno 744.

De subiecto corruptibili rationes sunt incorruptibiles, quæ rationes sunt principia scientiarum; Alb. Mag. c 1. de generat & corrupt.

Lycurgus Sparta in Cretam profectus, necem sibi consciuit inedia, ne leges quas tulerat, solueret. Suidas ciues obstrinxerat iuramento, illas se seruaturos donec rediret.

C Mercurium fingunt adolescentulum quia non senescit oratio, atque etiam quadrãgulum, ob veri sermonis firmitatẽ & constantiam veritas enim vndecumque sui similis est, mendacium verò varium, ac multiplex, secumque ipsum minimè consentit. Suidas in voce ἑρμῆς.

Non censetur verum, nisi quod semper idem apparet *Vide Duratio Cognitionis. mora* de Persarum deliberandi ratione.

Gamaliel dixit de Christo, si humanum eius consilium fuit facilè dissoluetur, si ex Deo, nihil contra poterimus.

Abstractum non moritur. *Vide Minoritas Principij.* independentia.

Ius diuinum est immutabile can. fin. §. his itaque dist. 6.

D State super vias, & videte. & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona. Ierem. 6. 16.

Vide Æqualitas Veritatis.

Ius naturale ab exordio creaturæ rationalis incipiens, manet immobile c. fin. § his itaque dist. 6.

Athenis colebatur Mineruæ victricis simulachrũ sine alis. Rodig l. 14. c. 18. victrix veritas perpetua.

Ecclesiastica traditio est certa linea & manifesta regula veritatis; illaque sola veritas quæ in nullo ab Ecclesia discordat traditione Origen. lib. 1. peri archon. in proœmio.

Digitized by Google

Generaliter quoties pactum à iure communi remotum est, seruari hoc non oportet, nec iusiurandum de hoc adactum, ne quis agat seruandum l. iuris gentium. ff. de pactis.

Iusdiuinum non aboletur per desuetudinem, sed decimæ debentur de iure diuino, vt Deo ministrantibus necessaria subministrentur, ergo soluendæ sunt decimæ non obstante contraria consuetudine. D. Thom. quodlibet. 2. a. 8.

Nautas non dirigunt stellæ mobiles, nec populos leges quæ facilè mutantur.

Cum vera via nondum nota est in arte, ille rectè agit, qui antiquorum dicta fideliter recitat. Cardan. Aph sect. 5. aph. 18.

Lex naturæ est æterna veritatis. Vide quæ scripsi. lib. de iure naturali cap. 3. præludii.

Doctor certam debet sequi sententiam, non ad contradictorias indifferenter se habere Ibid. lib. 3. lege 7. §. 1. Duratio & constantia fidei Christianæ. theolog. natural. tom. 4. parte 2. cap. 19. Non sunt tolerandi libertini in fide dubii & pendentes. Ib. parte 3. cap. 3. Sunt quædam æternæ leges regiminis. moralis Christianæ. tom. 3 parte 1 c. 9

Constans debet esse superior Religiosus pro seruandis instituti sui regulis. lib. de institutione & officijs Religiosi parte 3. cap. 5.

Transite ad insulas Cethim & Cedar, considerate si mutauit gens Deos suos. Hierem. 2.

Omnia præcepta lata à Prælatis inferioribus, qui non possunt constitutiones facere, expirant morte illorum, dispositiones autem omnes, quæ per legem vel statutum sunt, perseuerant post mortem statuentis, nam lex fertur à principe nomine Reip. quæ non moritur, Hæc fusè Suarez de legib. lib. 1. c. 10. lex sic data non solum præsentes obligat, sed etiam futuros statim vt incipiunt esse illius communitatis, cui lex imposita est; lex enim fertur prospiciendo ad futura, prodesse vult communitati quæ semper durat; & semper eadem licet partes mutentur. Ita nititur præceptis stabilibus, permanentibus regulis ac mensuris operationum, lex durat, quandiu non reuocatur. Ib.

Lex naturæ est immutabilis, nec eius vniuersalissima principia possunt à Deo immutari, quia sibimet ipsi non est contrarius qui legem naturæ cordibus hominum impressit, quæ tali lege præcipiuntur bona sunt, at Deus bonum non vetat, malum non præcipit, quod faceret, si dispensaret de legibus decalogi; vt si præciperet se odio haberi, aliena concupiscere, &c. Idem lib. 2. cap. 15.

Lex perpetua est, & comparatur consuetudini omnibus proposita, præceptum autem hominis transitorium est & facilè mutabile. Ibid. lib. 3. cap. 33.

RELIGIONIS ANTIquitas & permanentia.

De Catholicæ fidei antiquitate, & vniuersalitate. Vincentius Lirinensis Biblioth. Patr. tom. 4.

Inter primas Romuli leges hæ fuerunt, Deos peregrinos ne colunto, sacra patrum custodiunto.

Vide Minoritas Differentia. Nouitas fugienda. Nouæ doctrinæ sese opponāt Episcopi. *Vide Cog. Virtutis.* Fidei publica confessio. *Vide Glor. Eur.*

In exponendis vel prædicandis diuinis scripturis sanctorum catholicorum & probatissimorum patrum sensum quisque sequatur, in quorum scriptis, vt dicit B. Hieronymus ad Lætam, fidei veritas non vacillat, qui contra fecerint vt præsumptores arguantur, & comprimantur. Concil Meldense. c. 34. a. 845.

Ecclesia Christi perpetua & immutabilis. Ozee. 2. Sponsabo te mihi in sempiternum. Rom. 12. Eph. 1. dicit. corpus Christi, quod est immortale domus Dei. Dan. 2. 44. Regni eius non erit finis Math. 16. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Math vlt. Vobiscum sum vsque ad consommationem sæculi. D. Aug. in Psal 60. Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, non cedet quibuslibet tentationibus donec veniat huius sæculi finis, Chrysost. Hom. 4. in 6. Isay. Ecclesiæ nauis iactatur, & non mergitur. Cum Deus voluerit omni tempore homines saluari, & non saluantur nisi per Ecclesiam, oportet omni tempore fuisse & futuram esse Ecclesiam; Regum Christi perpetuum supponit perpetuos etiam sibi subditos. D Ambros. lib. 4. hexamer c. 4. Videtur, inquit, Ecclesia, sicut luna deficere, sed non deficit: obumbrari potest, deficere non potest.

Tertul. lib. de præscript. c. 31. Possumus dicere, edant origines Ecclesiarum suarum; euoluant ordinem Episcoporum suorum. & cap. 37. Ad illos meritò dicendum qui estis? quando & vnde venistis *Vide Minoritas Differentia.* Nouitas in Religione fugienda.

Si Ecclesia esset corpus materiale; cuius duratio limitata est, posset comparari nostris corporibus, ædificio, naui, quæ senescunt, sed cum sit corpus mysticum Dei spiritu afflatum, temporis iniurias non patitur. *Vide Medium Veritatis.* Ecclesia credenda proponit.

Corpus est ante vmbram, veritas antè falsitatem. Antiquitas quidem ex se non est argumentum veritatis vt patet in idololatria, sed supponendo quod Christus ab hinc 1655. suam instituit Ecclesiam vsque ad finem sæculi duraturam; quæ non est ab eo tempore instituta, sed longe post, non est vera Ecclesia. Fuit quidem Ecclesia Chri tempore Apostolorum noua quidem respectu Synagogæ, sed primitiua respectu suæ originis, & cui erat vicinior, & antiquior respectu futurorum sæculorum quæ præcedebat. *Vide Duratio Veritatis* Antiquitas veneranda.

Ecclesia Romana doctrinam ab Apostolis acceptam, illibatam seruauit vide Cyprian. ep 55. Irenæum lib. 3 c. 3. Theodoret, epist. ad Renat.

Si non fuisset gratia spiritus, non fuisset tantus consensus à finibus ad fines terræ, sed cito deprehensi fuissent qui fingebant, nec tam multæ res rectè ac præclare gestæ constitissent ex figmentis & mendacio. Sic accessit totus orbis terrarum, & vbique monachorum Philosophia plusquam sol resplenduit. D Chrys. Hom. 6. in 1. ad Cor.

Iuuenes estis animo, nullam habentes ex antiqua auditione veterem opinionem, neque doctrinam quæ temporis diuturnitate canitiem contraxerit. Plato in Timæo sub finit.

Bonum est perfectiuum affectus, verum autem intellectus; intellectus antē naturaliter præcedit affectū & verum præcedit bonū ergo quanto aliquid est immaterialius tanto est prius, sed verum est immaterialius quā bonum quod in rebus materialibus inuenitur, verum autem est tantum in mente. D. Thom. in quæst. disput. de bono. a. 3.

Nouitas potissimum in religione non toleranda. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in humanis. par. te 1. cap. 6.

Lex Mosaica habuit perpetuitatem negatiuam, quia sine temporis certi limitatione posita fuit, vt per multa tempora duraret, tandem vero reuocata fuit. At lex noua habet positiuam perpetuitatem, quia mutari non debet vsque ad finem mundi. Suarez de legib. lib. 1. cap. 10.

Lex æterna perpetua est in mente diuina; lex naturæ dici potest absolutè perpetua, quia ex parte mentis in qua scripta est, perpetuitatem habet, etiam ex parte obiecti includit intrinsecam necessitatem, prohibet enim quæ intrinsece mala sunt, & præcipit quæ per se necessaria sunt, quod autem est necessarium, perpetuum est. Ibid.

Appollinaris nouas cantilenas in Ecclesiam induxit, refert Gregor. Nazian. ep. 1. ad Cledon.

Caïn egressus à facie Domini habitauit in terra, Naid, quod interpretatur fluctuatio. Quicumque à Deo recedit, statim sæculi fluctibus quatitur, & mouentur pedes eius. D. Hieron. Damaso. lib. 3. epist.

Litaniæ communes sanctorum & B. Virginis non aliæ edi & dici possunt. Clem. 8. Const. 122. p. 123. to. 3. Bull.

ECCLESIA INfallibilis.

Ecclesia vt infaillbilis credenda proponitur. *Vide Medium Veritatis.*

Obiiciunt hæretici Marcellinum Papam tempore Diocletiani idolis sacrificasse, & hinc inferunt Petri successores in definiendis fidei dogmatibus errare posse. Sed falsa est illatio, Marcellinus enim idolis sacrificando, metu mortis inductus, contra fidei confessionem peccauit, adeoque externo actu fidem negasse visus est, verum interiore actu contra fidem nihil credidit, nihil etiam docuit, atque ideo infidelis & hæreticus esse non potuit: cuius rei postea pœnitentiam agens, martyrio coronatus est Gloss. in eius vita. to. 1. Concil.

Idipsum Donatistæ obiiciebant Augustino. Quibus respondet lib. de vnico baptismo contra

A Petilianum. Non sanè parua est inquit, parumque gloriosa consolatio cuiusque nostrum, si ab inimicis Ecclesiæ cum ipsa Ecclesia criminamur; eius tamen defensio non in eorum hominum defensione consistit, quos isti nominatim falsis criminationibus oppetunt. Prorsus quales fuerint Marcellinus, Marcellus, Cæcilianus & alii quibus obiiciunt pro sua defensione quod volunt, nihil præiudicat Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffusæ. Nullomodo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate dãnamur.

Vide Medium Virtutis. Media propter aliquos in societate malos cæteris tales non sunt habendi.

B Tota Catholica Ecclesia non potest ad litteram scripturarum obligari, licet semper ad spiritum, quando enim litera non seruit ædificationi & spiritui, recipit id quod magis seruit spiritui. Ita Paulus Apostolus se aiebat ministrum noui Testamenti non littera sed spiritu, & ita qui cum humanis rationibus ex littera Ecclesiam nituntur oppugnare, errant. Nam Ecclesia sine litera fuit aliquando ante Moysen, & antequam Apostolus Ioannes Euangelium, vel Paulus Epistolas scripserit. Et Christus Ecclesiam ædificauit sine littera, quia nihil scripsit. Non est igitur litera quæ per tyrannum penitus deleri posset, de essentia Ecclesiæ, sed spiritus est qui viuificat, quare nec mirum si praxis Ecclesiæ vno tempore intrepretatur scripturam vno modo, & alio tompore alio modo, &c. Cardan. de Cusa. ep. 7. ad Bohemos de

C vnitate Ecclesiæ.

Ecclesia non subiacet errori, quod probant Patres, ex Euangelio, Quæ dicunt facite; &, Qui vos audit, me audit, &, Sicut misit me viuens Pater, ita mitto vos: &, Vobiscum sum omni tempore, vsque ad consummationem sæculi. Et, Fidelis seruus quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram. Maximè hæc potestas credita est Petro, & eius successoribus, pro Petro enim rogauit Iesus vt non deficeret fides eius, & obtinuit quod portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiam, cui Christus præsidet. Id. Ibid.

D Hanc materiam habes fuse tractatam apud authores de controuersiis vt Coccium, Bellarminum. Cardin. Du Perron. &c.

Vide Supra Maioritas Potest. Sũmus Pontifex.

POTESTAS VERITATIS.

VERITAS TANDEM PRÆVALET.

INTELLECTVS cogitur ab intelligibili, voluntas autem non cogitur ab appetibili.

Principia se habent ad conclusiones in demonstratiuis, sicut causæ actiuę in naturalibus ad suos effectus.

E *Vide Potestas Cognitionis.* Vis eloquentiæ.

Plurima olerum genera, cum permanserint, quasi ramos quosdam capessunt, totaque in arboris figuram mutantur, diu tamen durare nequeunt. Theophr. hist. plant. lib. 1. c. 5. ficta citò in naturam suam redeunt. *Vide Veritas Virtutis.*

Digitized by Google

Repug. hypocrisis.

Consuetudo non habet vim legis nisi sit rationabilis, & non sit contraria saluti animæ. *Vide Potestas Durationis.*

Mirabile fuit in Apostolis quod cum essent in mediis hostibus inermes, etiam carcerati, cathenis onusti, non solum illis non cesserunt, sed eos in se conuerterunt oues in medio luporum, lupos vicerunt & impleta est prophetia ps. 109. Dominare in medio inimicorum tuorum. D. Chrysost. homil 4. in 1. ad Corinth.

Christus publicè mortuus est, ne quis dubitaret verè hominem fuisse: non surrexit autem publicè, vt qui sciret tempus, quod postea erat futurum, veritati laturum testimonium. Id homil. 6. in epist. ad Colos.

Modestiæ larua tegi potest dirus animus, sed non diu; quis enim constanter personam ferre queat? illam cito natura abiicit vel imprudens, vel indignata.

Alexandriæ circulator quidã proposuit in theatro simiam muliebri veste & larua ornatam, ad tibiæ modos optimè saltantem, at aliquis apud se reputãs quod esset simia, occultè proiecit amigdala, tum simia neglecta cantilena proiecta collegit plausumque suæ saltationis in risum conuertit D. Grego. Nyssen. de professione Christiana. initio.

Quidquid videri cupis, fac vt sis, aliter frustra cupis, Nam falsa tempus infirmat, vera corroborat; nulla simulatio diuturna. Lud. Viues in introd. Sapientiæ.

Planeta qui fuerat ab aliis modificatus cito redit ad naturam propriam. Cardan. de reuolution. cap. 12.

His quæ non secundum rationem sunt, non est fidenddum, neque vt diuturna sint, sperandum. Idem. aphor. sect. 1. apho.

Vide Gloria Veritatis. victrix veritas.

Sententiæ quam iudex appellationis, instam esse pronuntiauit, executio ad priorem iudicem redit Cuiac. Obser. lib. 10. cap. 36.

Verum quod est in rebus, conuertitur cum ente secundum substantiam D. Tho. 1. q. 16. a. 3. est enim ipsum esse rei cum suis insitis proprietatibus, tum specificis, tum indiuiduantibus, & hæc essentialis veritas, vnde prodeunt inclinationes in aliquid, semper præualet, Nam innata cohiberi possunt ad tempus, non in totum superari *Vide Principium Virtutis* naturalis inclinatio. Veritas autem quæ est adæquatio intellectus cum re cognita, immutabilem eius naturam & idæam vult imitari, nec cedit contrariis. sic pro suis dogmatibus acriter decertant philosophi. *Vide Contrarietaas Cognitionis.* disputatio, Sancti Martyres cum auxiliis gratiæ vitam pro veritate fidei fortiter posuerunt *Vide Duratio Virtutis.* Martyrum constantia. Dolendum quod falsis rerum imaginibus impressa mens, adhæreat vt veris, nec in contrarium se patiatur inflecti. *Vide Duratio Voluntatis obstinatio & Potestas Cognitionis* vis imaginationis.

LEGIS IMPERIVM.

FOelix ciuitas in qua ciues Magistratibus, Magistratus, legibus obediunt. Lex est anim ciuitatis.

A Lex sustinet personam viri; populus autem personam vxoris. Sic Ierem. 3. dicitur Quemadmodum mulier contemnit virum suum, sic contempsit me domus Israël. & Apostolus dicit Roman. 7 Lex dominatur homini quanto tempore viuit; quæ enim sub viro est mulier viuente viro alligata est legi Theodoret in Exod. q. 39.

An lex obliget in conscientia *Vide Concordantia Potestatis.* obedire rectoribus.

Quę contra formam rescriptorum fiunt, infirmantur cap. cum dilecta 22. ver. dictum de rescript.

Iudices in iudicando debent sequi leges positas, & non inniti sensui, vel prudentiæ suæ. cap. canonum statuta. de constitutionibus & cap. non inuitatis eod.

B Qui subest iudici, non est subiectus viro, sed iuri Tostat. Iudic. fo. 8.

Per præcepta affirmatiua legis præcipiuntur actus virtutum, & per negatiua vetantur actus vitiorum. Id. Math. to. 5. fo. 47.

Sicut phrenetico imponenda est custodia, ita malis statuenda fuit lex. Imposuit Deus legem Adæ; indixit præcepta Moysi & Ecclesiæ suæ per sanctos suos, nec enim salubrius homo reparatur quam per præceptum, vt discat mens non se extollere supra se, cum opus habeat per obedientiam negare se. Laurent. Iustinia. de obedientia. cap. 1.

C *Mundo rebusque singulis diuina lex imperat Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 3. lege 1. Deus dedit leges hominibus vt ignorantiæ remedium, & meriti materiam illis obediendo. theolog. natur. to 3. parte 3. cap 1. Christus & Ecclesia quare leges constituerunt obligatorias sub pœna peccati mortalis Ib. to. 4. parte 3. cap. 27. 29. Seruiendum Deo sub his legibus quas nobis præscripsit. moralis Christianę. to. 1. parte 2. cap. 2. & theol. natur. to. 4. p. 1. cap. 23. Deo & legibus obedire gloriosum est libello. de necessitate cap. 10.*

Dantur fideiussores iudicatum solui, vt res iudicio facto parata sit Cuiac. Obser. lib. 10 cap. 29.

D Lex est quædam regula & mensura, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur D Tho. 1. 2. q. 90 a. 1. lex dicitur à ligando, quia proprius effectus eius est, ligare, seu obligare. Ib. vnde Hierem. 2. dicitur fregisti iugum, rupisti vincula. Ius dicitur, quasi iussum, quod est participium verbi iubeo.

Ad rationem legis non requiritur vt acceptetur à subditis, nisi ex defectu potestatis in legislatore Suarez de legib. lib. 1. cap. 4. quia potest etiam inuitis beneficium fieri. *Vide Veritas Bonitatis.*

Vide Bonitas Contrarietatis. Vis quando necessaria.

E Lex propriè non dicitur in communitate imperfecta qualis est œconomica, quia in ea non est iurisdictio & vis coërcitiua, sed est quoddam dominium patris familias, diuersum in diuersis personis, vxore, liberis seruis; sed lex humana propriè locum habet in politia, quæ est communitas perfecta, cum in ea sit iurisdictio habens vim coactiuam, & legum latiuam Suarez. Ib. cap. 6.

Nullaque lex est quæ obligationem non inducat, idest necessitatem quandam operandi, vel non operandi Ib. cap. 14.

Modestinus in l. 7. ff. de legib. dicit, legis virtus est, imperare, vetare, permittere, punire. Quod declarat D. Thom. quia actus humani aut boni sunt, aut indifferentes, his tres effectus legis

respondent, qui sunt præcipere bonos, prohibere malos, permittere indifferentes, additur punitio tanquam necessaria ad effectum legis.

A

Potestas legislatiua, est etiam coactiua, vnde lex ciuilis non præcipit actus merè internos, quia non potest illos nec cognoscere, nec punire. Suarez de legib. lib. 3. cap. 13. Sic sunt extra forum suum.

Leges ciuiles obligant in conscientia, omnis enim potestas à Deo, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, sibi damnationem acquirunt. Rom. 13.

VIS SERMONIS diuini.

B

De verbi Dei officio. Bernardin. quadrag. 1. serm. 9. & tom. 4.

Herbæ vim medicam habentes, cum videntur in pratis & montibus conculcantur quasi viles; at cum videntur collectæ in officina medici, tunc iudicantur ad sanitatem vtiles: sic præcepta in gentilium libris dispersa negliguntur, at tunc vtilia deputanda sunt cum docentur à Christo, qui est verus medicus animarum. Origen. homil. 8. in Leuit.

Vide infra Medium Veritatis Prædicator & sacra Scriptura.

C

Viuus est sermo Dei & efficax. Heb. 4.

Assidua scripturarum lectio & meditatio multum potest ad morum reformationem, & animæ spiritualem profectum. *Vide Duratio Cognitionis*, Assidua rerum diuinarum meditatio.

Paulus 2. Corinth. 7. dicit se Corinthios contristasse ad pœnitentiam. 3. Reg. 22. sermone Dei audito Dauid pœnitet, sermone Dei tales facti sunt Apostoli quales miramur: si enim sapientis sermo sedat iram aut concupiscentiam, quanto magis cum à Spiritu sancto profertur; ideo diabolus quantum potest homines à rerum diuinarum lectione. auertit D. Chrysost. hom. 2. in Matth. in fine.

D

Vide Medium Cognitionis Lectio libri.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent. Psal. 44. Eloquia Dei non immeritò accendunt, quia verba sunt Verbi, veritas vtique de fonte trahitur veritatis, vnde efficaciter mens amore repletur, quam non hominem loquentem, sed verbum in homine & per hominem loquens attendit. Sacra pagina spiritualis est locus, in quo Deum loquentem mens audit per Prophetas sanctosque Doctores, misit Deus verbum ad posteros, vt de diuinæ voluntatis agnitione nemo per ignorantiam se valeat excusare: verbum illustrat & accendit mentem, semel corporaliter agere voluit, quod spiritualiter iugiter operatur, eius alloquio discipuli euntes in Emaus exarserunt incendio charitatis. Laur. Iustinia. lib. de connubio Verbi & animæ cap. 14.

E

Et folium eius non defluet. Psal. 1. folia teneros fructus vallo quodam communiunt. Hic significant doctrinam verborum Dei; his enim verbis spes nostræ inumbrantur; horum inter has sæculi tempestates munimine conteguntur. Non defluent igitur hæc folia, idest Dei verba, quia per Dominum dictum est, Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, hæc folia salutaria sunt gentibus. Apocal. 22.

Lucerna pedibus meis verbum tuum. Psal. 118 vt vitem laqueos, foueas, præcipitia præcedere debet tale lumen, vt in antiquo tabernaculo lucernæ semper ardebant, sic nos in corporis nostri tabernaculo festiuitatem spei nostræ sermonis diuini luce peragamus. D. Hilarius in Psal. 118. Numer.

VERITAS LIBERA & liberè dicenda.

Historiæ prima lex est, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis, Cicero.

Euthymenes prætor athenis, Abrogauit decretum, de nemine à Comicis perstringendo, id fecit illis licitum. Suidas in voce Euthy.

Qui ad capitale supplicium abducebantur, iis licebat cibo & potu plenis tria dicere quæ vellent, deinde ore obturato ad necem ducebantur. Idem in voce

Omnes seminis expertes, vt pueri, mulieres, decrepiti, spadones, sunt acutæ vocis, viri autem grauis; Nam sicut linea cæteraque tenuia dimensionem duntaxat vnam sortiuntur; crassa verò pleraque plures obtinent, ita vox etiam tenuis, vnam dimensionem habet, vnum autem efficere ac mouere facilius est quam plura. Igitur qui spiritum habent imbecillum, nonnisi parum aëris mouere possunt.

Vocem magnam Galenus adscribit non tam calori, quam amplitudini asperæ arteriæ, duę illæ concurrunt causæ. Rodigin. lib. 19. cap. 13. Libera admonitio supponit cum anima libera abundantem charitatem.

Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. Roman. 12. Idest nemini des ansam dissidij; si vero alicubi pietatem labefactari videris, ne præponas concordiam veritati, sed generosè persistas ad mortem vsque; non tamen eris animo erga aduersarium hostili, sed in rebus tantummodo pugnabis D. Chrysost. hom. 22. in epist. ad Roman.

Vide Cognitio Virtutis. Fidei publica confessio. *Et Magnitudo Voluntatis.* Zelus bonus. *Et Duratio Virtutis.* Constantia martyrum.

Vides hunc solem radiis iniice vincula, siste eius cursum, si id non potes, multo minus alligare cœlestem diuinamque veritatem. Id. homil. in epist. ad Coloss.

Non dedit nobis Deus formidinis spiritum, sed fortitudinis charitatis, ac sobrietatis. 2. Timoth. 1.

Paupertas dat fiduciam & libertatem dicendi. Elias confidenter dixit Achabo; non ego perverto Israël, sed tu & domus patris tui. 3. Reg. 18. & Ioannes dixit Herodi, Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Diues autem est seruus & timens damnum, qui non audet liberè loqui est velut is qui multos & longuos trahit funes vnde potest retineri. At pauperem & nudum quis retinebit? &c. Chrysost. homil. 18. in epist. ad Hebræ.

Speculorum hæc natura vt omnia ostendant.

Vbi verecunda aut tremens veritas silet, licentius furit vitiorum incendium *Vide Cognit*

Digitized by Google

gnitio Virtutis. Fidei publica confessio.

Vox incarnati verbi prænuntia, nec sub ipso Herode tacuit. Fingunt mundani se sic esse veritatis amatores, vt totam in pectore gestent, nec patiantur effundi, nec à circumfusa multitudine partiri.

Veritatem dissimulari non vult Christus, qui iubet suos quæ in aure audierint, prædicari super tecta.

Sapiens nescit potestatibus vitiisque blandiri; dicet & scribet quæ sentit ipse, non quæ aliis placeant. Iudæi coluerunt vt Prophetam eum qui Dauidem regem de crimine monuit & pœnitentia. Nunc crimen est, potentiorum crimina non laudare, saltem non dissimulare. Christus cæcos illuminauit, videntes non excæcauit; qui dominantur peruersè optarent homines esse cæcos & mutos, ne tot exposita mala opera viderent & arguerent.

Non cessandum à prædicatione veritatis & propter hoc mortem subiens est, martyr. Tostat. Matth. 10. 4. fo. 80.

Peccantibus non est nimis indulgendum. Vide quæ scripsi de iure natural. lib. 3. lege 8. in fine. & lege 10 §. 1. in fine. Christus vitia liberè increpauit. Theolog. naturalis to. 4. parte 2. cap. 5.

Matth. 5. Christus dicit Apostolis, Vos estis sal terræ, & hoc est omnino mirabile, quia non adulantes neque palpantes, sed è diuerso salis instar vrentes, ferè omnibus se tam desiderabiles reddiderunt. D. Chrysost. hom. 15. in Matth.

Etsi mihi vera dicenti succenseant diuites & potentes, apud me ista vel fabula videntur, vel vmbra, vel somnium. Nemo quippe mihi ex his qui locupletes habentur, ibi cum accusatus fuero, patrocinabitur, cum mihi pro crimine fuerit, Dei à me lex non cum omni vehementia, constantiaque defensa; hoc Heli sacerdotem perdidit, quod filios cum seueritate non corripuerit. Id. hom. 17. in fine. *Vide Minoritas Contrarietatis. Mala.*

A Act. 4. Apostoli iussi à synagoga non prædicare, responderunt; Si iustum est vos audire magis quam Deum, iudicate. Non possumus autem nos quæ vidimus & audiuimus non loqui.

Dicit Christus, ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati; quemadmodum obtenebrescere non potest lux, ita nec veritas fallere.

Qui timet pruinam, veniet super eum nix. Iob 6. maiora incurrit mala, qui timens homines, tacet veritatem.

Vide Gloria Minoritatis. Fortis & generosa humilitas.

Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt
B timore vbi non erat timor. Psal. 52. Impius timor est, cum quæ timenda sunt, non timentur, & quę non timenda, timentur; quidam tamen adulantur regibus, quibus nihil vltra in nos licet, quam latroni, febri, incendio, naufragio, ruinæ, & propter breuem dolorem, libertatem Ecclesiæ, spei nostræ fiduciam, confessionem Dei addicimus, æternis diuinæ vltionis pœnis momentanea supplicia præferentes. Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent. Timuit hoc sanctus doctor, dicens, si hominibus placerem, Dei seruus non essem. 1. Cor. 10. D. Hilar. in Psal. 52.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque, quia in iudiciis tuis speraui. Psal. 118. Sic in te spero, vt metu hominum non ta-
C ceam veritatem. Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Ib. Te, non principes timui, & sermonibus tuis adhærens de persequentibus spolia retuli. D. Hilar.

Nullum læsi, nullius nomen mea scriptura designatum est, neminem specialiter meus sermo pulsauit, generalis de vitiis disputatio est, qui mihi irasci voluerit, ipse de se quod talis sit, confitebitur. D. Hieron. ad Nepotian. in fine.

COGNITIO VERITATIS.

ECCLESIA VISIBILIS.

CVM extra Ecclesiam non sit salus, debet Ecclesia ab hominibus cognosci, vt ad eam possint transfugere, velut in vrbem refugii. Ita D. August. lib. 19. contra Faustum c. 11. In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur, hominum visibilium ex se, non potest esse nisi visibilis societas; dicitur Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem, de externa fidei professione. *Vide supra Cognitio Virtutis.*

Christus constituit Ecclesiam, vt dirimat con-
D trouersias fidelium. Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ. Iudex autem talium debet esse visibilis. Denique Ecclesia fuit à Christo instituta, vt aduersaretur, hæresibus in temporum serie nascentibus. 1. Cor. 11. oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant, debet igitur esse visibilis, vt sit contra visibiles hostes præsidium & munitio.

Debet esse communio fidei inter fideles, debet ergo fides hęc signis externis manifestari; quia mentis & cordis arcanum aliter non cognoscitur. Oportet etiam esse visibiles pastores, qui visibilem gregé, dirigant & protegant à lupo veniente. Super muros Hierusalem constitui custodes, &c. Is. 62. Ciuitas est Ecclesia supra montem posita,

Digitized by Google

vt luceat omnibus Matth. 5. Rom. 10. fides ex auditu: si ergo cessaret prædicatio, cessaret & fides.

Obiicitur, creditur Ecclesia, ergo non videtur quia fides est argumentum non apperentium. Heb. 11. Respondetur, idem posse & credi & sentiri sub diuersa ratione, vt humanitas Christi, ab Apostolis, videtur extra ablutio in baptismo, & creditur esse sacramentum. Multi Doctores asserunt eandem veritatem posse & ratione & fide simul cognosci. D. Thom. initio contra gentiles. Homo visibilis est, etiam si anima, & intestina non appareant. Apostolus vocans Ecclesiam corpus Christi, innuit esse visibilem, est corpus mysticum ratione gratiæ, visibile ratione personarum, ouium & pastorum.

C

Signa visibilis Ecclesiæ quo ad illam discernendam ab aliis docet scripturæ antiquitas, perpetua pastorum successio ab ipso Christo &c. propagatio miraculosa per vniuersum orbem; doctrinæ stabilitas.

COGNITA VERITAS.

NArratio est rei factæ aut non factæ vtilis ad persuadendum expositio, debet esse lucida, breuis, verisimilis: sunt enim plurima vera quidem sed parum credibilia, sicut falsa quoque fre- A quenter verisimilia Quintilian. Instit. oratoriar. lib. 3. c. 2.

Cum quæreretur à Christo, quid est veritas, nihil respondit, quia nos latet.

Tabernaculum dicebatur testimonium, quod in eo essent legis tabulæ; legem enim, mandata & testimonia & iura vocabant. Suidas in voce μαρτύριον.

Quilibet tenetur scire quæ pertinent ad suam salutem promouendam Vide quæ scripsi Moral Christ. to. 1 parte 1 cap. 21.

Vide Cognitio Bonitatis. Discretio boni à malo.

Leges ab omnibus debent intelligi, vt vniuersi præscripto earum manifestius intellecto, prohibita declinent, & faciant præcepta l. 9. c. de legib. Vnde de ratione legis est promulgatio, sine qua manet ignota, nec obligat, est enim, vt definit Aristoteles communis operationum regula & mensura vim habens cogendi. Suarez de legib. lib. 1. cap. 11.

Lex incipit obligare pro prudenti arbitrio iuxta tempus moraliter necessarium, vt eius notitia haberi possit in aliis partibus. Ib. lib. 3. c. 17. ordinariè post duos menses. auth. vt factæ nouæ constitutiones coll. 5.

Tres sunt conditiones necessariæ, vt positiua lex obliget sub mortali, quæ sunt grauitas materiæ, verba seu signa præceptiua, & intentio præcipientis Id. lib. 4. cap. 18.

VOLVNTAS VERITATIS.

AMOR VERITATIS.

AMANT veritatem lucentem, etiam ipsi qui oderunt redarguentem D. Aug. C

Quod est in intellectu affirmatio vel negatio, est in appetitu prosecutio & fuga, & quod est in intellectu verum & falsum, est in appetitu bonum & malum.

Vide Voluntas Cognitionis.

Amorem veritatis probat gratitudo & reuerentia magistris exhibita *Vide Gloria Principij*, magistri.

Amor veritatis innatus homini probat immortalitatem animæ. Vide quæ scripsi theologia naturalis. to. 2. parte 1. cap. 22.

D

Sermo Dei attente audiendus, si enim nos de friuolis rebus loquentes, putamus nos læsos eorum incuria qui nobis non attendunt; quantum debet offendi Deus, si ipso nobis loquente, ad alia contemnentes conuertimur. D. Chrysost. homil. 1. in Matth. *Vide Veritas Virtutis*. attentio in oratione.

Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti. ps. 118.

ADMONITIO DOCILI & grato animo suscipienda.

ADmonitio sedat passiones, & tam officiosa debet videri, quam apud Indos à charis sibi ventilari, ad temperandum calorem, & muscas abigendas; hoc officium præstant filij parentibus, serui dominis. Ita Reges & triumphantes voluerunt moneri à suis, esse homines.

Lucidus Presbyter qui sequutus fuerat sectam Prædestinatorum, ea damnata, scribit ad Episcopos Concilij Arelatensis pœnitens. Correptio vestra salus publica, & sententia vestra medicina est. Vide to. 1. concil Galliæ. an. Christi 475.

Qui reprehensus & castigatus vt canis non indignè fert, vtitur verbis Chananeæ & dicit; Vtique Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt sub mensa dominorum suorum; talis fides obtinebit quod postulat, à Christo. Origen. in Matth. cap. 15.

Lapides, metalla, gemmæ crescunt per intus susceptionem, ita radices habent non duras, sed lentas, & molliores; cæteris partibus. Docilitas

Digitized by Google

in veritatis susceptione; firmitas in eiusdem defensione. *Vide Differentia Principii.* Separari à suo principio malum

Moyses licet sapientissimus, & cum Deo loquutus, consilium humiliter accipit à socero. Exod. 12.

Ægri quidam auersantur remedia & assistentes sibi amicos, & medicos habent vt hostes, eo miseratione magis digni qui morbum suum, & auxilia non agnoscunt, principium sanitatis est velle sanari.

Ferimus amicum, qui vehementius quam par sit inuehitur, quia hoc animo facit beneuolo, & non per arrogantiam: multo magis ferre debemus magistrum talia dicentem, & res nostras per ista curantem; nam si quis peccauerit, sibi nocet, si remedium auersetur. D. Chrysost. hom. 5. in Hebr. c. 2.

Principem aut sanctum non offendit pictor qui deformem eius imaginem integritati suæ conatur restituere.

Inter bonum hominem & malum hoc interest, quia bonus cum increpatur de peccato, corrigitur, & melior in dies fit, malus verò efficitur deterior. Tostat. Matth. 10. 5 fo. 172 c. 1. C.

Reprehensio non exercenda solum, sed & admittenda est. Iustinus Martyr ad Serenum fratrem.

Familiares elige non placituros tantum, sed admonitione profuturos, quantum execranda adulatio, quæ impedit ne ad bonum perueniamus, dum suadet iam peruenisse; tam diligenda recta admonitio, quæ prouehit, dum quantum supersit docet. Si reprehendi fers ægrè, reprehendenda ne feceris.

Si coleres terram pinguem & fertilem, non tantum semen quod habes in horreis illi committeres, sed etiam ab amicis mutuo acciperes, ne tantæ deesses fertilitati. D. Chrysost. hom. 5. in Matth.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Beneficium commendat rei collatæ maior & vrgens necessitas; at nulla re magis indigemus quam optimis consiliis; nam nosse defectus nostros tam necessarium est, vt sit omnis in virtute profectus fundamentum, sed tam difficile vt nullus id à se sperare possit, nec magis animi quam vultus næuos proprius videre licet oculis. *Vide Cognitio Minoritatis.*

MAGNITVDO. Maximum ergo beneficium nobis præstat, qui nos honesti cupidos, sed in illud ex ignorantia peccantes, monet; & ne fiat errorum cumulus correctione priuata, malis præteritis & præsentibus medetur, futuris innumeris occurrit, saluo pudore.

DVRATIO. Si vitia sub specie virtutis subrepunt; si prauis suis moribus plaudit & gaudet qui horum non percipit turpitudinem, nunquam ab his abstinebit, nec properantem ad præcipitia gradum reuocabit nisi monitus. Quanta medico vel Astrologo haberetur gratia, qui vitæ periculum præuidens, vt opportunè vitaretur, prædixit; huic ex arte coniectanti nemo sapiens irascitur, sed potius facto suo, cuius vim sperat alterius scientia monitisque superandam.

POTESTAS. Vis expers consilii mole ruit sua. Ideo princeps alicui sapienti permittit in mores suos censuram, nec res magnas aggreditur ex

A animi sui sententia, sed hanc subiicit administrorum iudicio.

COGNITIO. Hæc culpa quæ peruenit ad notitiam amici, diu non fugit vigiles æmulorum oculos, nisi maturè prouideas, famæ tuæ consulit, parcit pudori qui monet, defectus tuos aperit tibi, vt cæteros lateant.

VOLVNTAS. Ex duobus vnum efficit amicitia, & vtriusque ius commune; meum reputo, quod tuum dicitur, sic in te, velut in meipsum inquiro, nec sine causa, cum ex vnius amici moribus, de altero fiat iudicium, aut igitur amicum te nega, aut gratus fer censuram.

B VIRTVS. Sacræ Scripturæ, Prophetarum, Prædicatorum, diuinum munus est aberrantes ad rectum iter reuocare. Vitiis adulantur fortunæ non personarum amici. At malis moribus nunquam consentit, Deo conciliante nata societas; si desit emendatio fertur ad diuortium, monet ergo spe conuersionis, qua sublata, soluitur.

VERITAS. Non irasceris speculo quod tè, tibi qualem excepit tui speciem incompositam, ostendat, & velles amicum, te moribus deformem, pulchrum mentiri? quid aliud expectares ab hoste quam tacere defectus, vt incorrecti sibique semper accrescentes excipiantur publicâ contumeliâ?

GLORIA. Displicit aberrasse, sed non moneri, si docilis existas, leui contra superbię sensum conflictu, magnam reportabis victoriam, de te primum moribus ad meliora conuersis, tum de

C hostibus, quorum spes improbas elides hac opportuna mutatione.

DIFFERENTIA. Hic lapis lydius, hæc tessera, qua verus amicus à falso distinguitur, si consulat, moneat, malis blandiri nescius. Incolis aberrantem ad rectum iter reuocantibus gratiam habes, cur non maiorem refers ei, qui te virtuti, regiæ scilicet ad cœlum viæ, restituit?

CONCORDANTIA. Homines infirmitatis suæ conscii, ideo societatem ineunt vt mutuum sibi præstent auxilium, non minus consiliis, quam operibus.

CONTRARIETAS. Paratas hostis insidias irritas efficit exploratoris opportuna denuntiatio. Nec ob id Imperator putat aliquid pruden-

D tiæ vel fortitudini suę detractum. Latentibus potissimum malis affligimur, proditione, detractione, venenis, corrupto de nobismetipsis iudicio.

PRINCIPIVM. Ne durum videatur pati monitorem, quasi se velit efferre, purior & sapientior videri; calumniam hanc eluit priuata correctio, & quidem necessaria. Nam cæcutimus in propriis, & qui minores accepit à natura dotes animi, in aliena causa dabit optimum consilium; æger archiatrus inferiorem sibi medicum consulit.

MEDIVM. Vt nos ad se trahat Deus, non vtitur tantum illustrationibus & motibus suæ gratiæ; non tantum Angelorum, sed & hominum ministerio, vt mutuam inter nos collatis ex occasione beneficiis, foueat charitatem.

E FINIS. Qui monet non mouetur inuidia, quã crescentibus sensim erroribus tuis magis pasceretis non vanitate, cum officium hoc præstet in occulto. Vnicus illi finis est, vt vltimam manum adhibeas vitæ tuæ, & nobiliorem in candido næuum detergas.

MAIORITAS. Nautas, expertos etiam Astrologos dirigit magnes. Inferiores naturæ gra-

VIRTVS VERITATIS.

VERITATIS ET SIMPLICITATIS EFFICACIA.

VIDE *Bonitas Æqualitatis Et Bonitas Veritatis.*

Olim sacrarius habebatur altare, super quod nec securis ascendisset, nec visa, nec audita fuisset ascia; quo sublimius aliquid significabatur, nempe natiuum & simplex, artisque ac fuci expers esse debere, quidquid Deo consecratur D. Gregor. Nazianz orat. 19.

Vide Maioritas Cognitionis. contemptus eloquentiæ. *Et Cognitio Virtutis. mala.* affectatio nimia.

Fœlix est, qui Deo, quatenus fieri potest, similis fuerit, perfectus, simplex, purus & separatus ab humana vita Iamblicus.

De simplicitate liber Petri Damiani.

A De simplicitate Dei. D. Tho. q. 7. de potent. Dei.

Simplicitas est duplex, alia cordata & iusta. alia vecors & iniqua. Suidas in verbo

Leuit 13. Leprosi sanati radi debent capilli & barba. Idest conuersus deponere debet antiquas suas cogitationes, & virilis ætatis peccata, vt fiat sicut infans; etiam radi debent supercilia, idest superbiæ motus. Origen. homil. 8 in Leuit.

Azyma significat simplicitatem. at Pascha celebrari debet in azymis sinceritatis & veritatis.

Non deficimus sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei. 2. Cor. 4.

GLORIA VERITATIS.

VICTRIX VERITAS.

SERPENS Moysis, deuorat serpentes Magorum.

In argumentis nulla sunt firmiora quam quæ ex dubiis facta sunt certa Quintilian. Instit. orat. lib. 5. cap. 12.

D. Thomas refert ex D. Augustino, quod Deus pro veritate aliquando in gentibus miracula fecit.

De verbi Dei victoria Rupert. to. 2.

Si vrgeat communis necessitas spiritualis etiamsi non sit extrema, debeo ei subuenire etiam cum periculo famæ & vitæ, vt corrige peccatum, quod communitatem inficeret. Bonacina de charitate proximi.

Vide Cognitio Virtutis. fidei publica confessio, maxime cum publica versatur vtilitas. *Vide Gloria Concordantia.* publica priuatis præferenda,

Prophetæ Leuitis fuerunt animosiores; nam in eo etiam sua collegia, atque conuentus continuarunt, vt ex liæ & Eli sei historiis liquet. Geneb. a. m. 3102.

Carbunculus lapis pretiosus, si verus est, lucet in tenebris sicut carbo accensus. Alb. Mag. de lapidib. littera C.

In eo est victrix quod semper duret. *Vide Duratio Veritatis Et Æqualitas Veritatis.*

Qui iudicio eorum qui præsunt Ecclesiæ eiectus est, si id non meruit, illæsus manet. Origen. in

A Leuit. Homil. 14.

Hæres non priuatur hæreditate si iniustam testatoris voluntatem non impleuit. Nouel. 1. cap. 1. de hæredib. quod enim ius remittit, id hæres obmittit impune vt conditio viduitatis. l. Iulia. l. cuncta. l. muliet. ff. de cond. & demonst. & conditio diuortii. l. 5. Cod. de inst. & substit.

Quemadmodum infirmitatis, paupertatis, ignominiæ paternæ nemo non recusat hæres fieri, sic quidquid rationi non est consentaneum detrectat quiuis sapiens. Iustinus Martyr. in apologia ad Antonium Pium. *Vide Differentia Veritatis.* mutatio legum.

B Etsi veritas initio sit odiosa, deinceps tamen nihil est amabilius aut gratius. Laborat aliquando veritas, nunquam opprimitur, nec eius damnum diu nocet.

Vide Potestas Veritatis Veritas tandem præualet

Falsus rumor cito opprimitur, & vita posterior iudicat de priore: fieri quidem non potest vt absque morsu hominum vitæ huius curricula quis pertranseat, malorumque solatium est bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum sed tamen cito ignis stipulæ conquiescit, & exundans flamma deficientibus nutrimentis paulatim emoritur. si anno præterito fama mentita est, aut certe si verum dixit cesset vitium, cessabit & rumor. D. Hieron. epist. ad furiam

Digitized by Google

conciliorum variam esse in diuersis populis obseruationem & D. Grego. epist. 31. lib. 9. dicit aliquos canones synodi vniuersalis non esse receptos ab Ecclesia Romana, quia non omnibus ea politia conueniens est.

Nullum pœnè scelus quod non aliquo gentium instituto sancitum fuerit, vorare parentes mortuos, necare filios, sorores construprare, multis non pudor, sed lex fuit.

Archelaus philosophus iustum & turpe, non natura sed lege atque opinione censuit esse constitutum Suidas in voce Διώνυμα.

Cardan. de rer. varietate lib. 2. cap. 1. dicit anno Christi 1800. magnam mutationem faciendam in Christi lege; quoniam capita motuum octaui orbis, non solum in contrariis locis erunt, sed contrario modo mouebuntur.

Prouincilia Concilia sunt, quæ Ecclesiasticis de causis, Metropolitano omnes prouinciæ Episcopos conuocante celebrantur can. propter 4. dist. 18 Episcopalia quæ Episcopus in sua Diæcesi, conuocatis Abbatibus, presbyteris, clericis singulis annis celebrat can. pen. 1. palea dist. 18. eorum non proprie canones, sed constitutiones dicuntur; & tantum eius prouinciæ, ciuitatis & diœcesis homines deuinciunt can. 1. dist. 18. si Conciliis generalibus non aduersantur, interdum confirmatione apostolica indigent cap. cum accessissent. 8. de constitutionib.

Leges & iura pro cuiusque placito in partes ita distrahuntur dilacerantur que, vt non modo gens, cum gente, sed nec vrbs cum vrbe, nec familia, cum familia, nec homo cum homine, nec vnus aliquis interdum secum ipse consentiat. Maxim. Tyr. diss. 1.

Status Iudaicus semper erat mutandus, etiamsi Iudæi seruassent ex parte sua id quod erant seruaturi, quia Deus non dederat legem veterem, tanquam semper mansuram, sed vt quoddam manuductiuum ad inducendum postea legem noui Testamenti, vt declarat Apostolus Galat. 3. & 4. Tostat. Iudicum fo. 18.

Diuersa sunt species regiminis, & quodlibet eorum potest esse fælix, sub bonis sibique congruis legibus. Vide quæ scripsi Moral. Christia. to 3. parte. 1. c. 5. & 6. lib de misericordia Dei parte 1. cap. 21. probatur Ecclesiam diuersas constituisse leges pro diuersitate temporum & in apologia fati vniuersi cap. 5. & 6.

Animalia eiusdem speciei diuersis induuntur coloribus, diuersis etiam figuris sunt insignia.

Diuersos gentium ritus longa inductione refert D. Hieron. lib. 2. aduersus Iouinianum.

Græcorum ritus qui substantialibus sacramentorum non aduersantur, tolerantur ab Ecclesia Romana Innoc. 4. const. 14. p. 103. to. 1. Clem. 8. const. 34. p. 35. to. 3. Bull.

Repugnat. Vna Religio. *Vide Æqualitas Veritatis & Æqualitas Virtutis.* Idem ritus Religiosus.

Triplex veritas, scilicet vitæ, Iustitiæ, & doctrinæ. Tost. Matth. to. 6. fo. 21.

Plato. in Timæo & Phædro, diuidit legem in quatuor membra, dicit enim legem esse diuinam & æternam in mente diuina, cœlestem in cœlorum situ, motu, influxu; naturalem, inditi scilicet rebus ratione carentibus motus & instinctus. humanam denique, quia liberum hominis arbitrium dirigitur in finem suum per media conuenientia. Lex humana diuiditur in naturalem & positiuam: de naturali. *Vide Principium Veritatis.* Positiua est diuina vel humana, diuina quæ ab ipso Deo immediatè data est & toti legi naturali addita, vt dirigat hominem etiam in interioribus, quod lex humana non potest ps. 118 Lex Domini immaculata conuertens animas. ab omni scilicet malo, ad perfectum bonum. Suarez de legib. lib. 1. c. 3.

DIVERSVS SACRÆ scripturæ sensus.

Declaratio sermonum tuorum illuminat ps. 118. sunt enim sub velamine opinionis alterius prædicata. Sic per Esay, 6. Iudæis dicitur, Auditu audietis, & non intelligetis. signata enim omnia sunt, vt dicitur Daniel. 12. & per solam spiritalem doctrinam resignanda & Esay 20. D. Hilar. in ps. 118. phe.

Totum quod legimus in diuinis libris, nitet quidem & fulget etiam in coritice, sed dulcius in medulla est, qui edere vult nucleum, frangat nucem. Reuela, inquit Dauid, oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Christus loquutus est in parabolis, habet clauem Dauid claudit & aperit D. Hieron. epist. ad Paulinum.

Idem ad Eustochium in epitaphio Paulæ matris: Cum, inquit, sacram amaret historiam, & hoc veritatis diceret fundamentum, magis tamen sequebatur intelligentiam spiritualem, & hoc culmine, ædificationem animæ protegebat.

Origenistæ sic paradisum allegorizant, vt historiæ auferant veritatem, pro arboribus angelos, pro fluminibus virtutes cœlestes intelligunt, totamque paradisi continentiam tropologica interpretatione subuertunt. Id. ad Pammach. ad errores Ioan. Hierosolym.

Duo pretiosi lapides in superhumerali S. Sacerdotis quibus sustinebatur rationale duodecim lapidum, significabant litteram & spiritum, in quibus continetur legis vniuersa mysteria. In dextra spiritus, in læua littera est, per literas ad verba descendimus, per verba venimus ad sensum. Id. ad Fabiolam de veste sacerdotali.

Rationale duplex erat, apertum & absconditum; simplex, & mysticum.

Isay. 1. dicitur, Audi cœlum & auribus percipe terra. qui habent municipatum in cœlis, audiant mystice D. Hieron. Ib.

In Christo carnis aspectus patebat omnibus, paucis vero & electis dabatur diuinitatis agnitio. Ita cum per Prophetas verbum Dei profertur ad homines, est velamen litteræ & intrinsecus spiritualis sensus tanquam diuinus. Origen. homil. 1. in Leuit.

Triplex est scripturæ sensus, historicus, moralis, mysticus, vnde & corpus inesse ei, & animam & spiritum intelleximus. Ib. homil. 5.

Leuit. 8. Moyses induit Aaronem duobus tunicis, idest intellectu duplici, literali & spiritali, vt offerret sacrificia carnalia & spiritualia. Christus autem noluit habere duplices tunicas, vt induantur indumento incorruptionis, & absorbeatur mortale à vita Ib hom. 6.

Duo Moyses *Vide Duratio Concordantiæ.* partes post dissolutionem, &c.

Tria genera ciborum habuerunt filij Israel, cibum

quem asportauerant ex Ægypto qui diu non durauit, est eruditio Philosophiæ secularis, Manna in deserto, verior ratio in scripturæ intelligentia cœlitus data, tandem colligit fructus terræ promissionis, ex sapientia perenniter procedentes. Id. hom. 6. in Iosue.

Idem. lib. 1. Periarchon in proœmio, dicit scripturas sacras à Spiritu sancto conscriptas sensum habere, non eum solum qui in manifesto est, sed & alium quam plurimos latentem Formæ enim hæc quæ scripta sunt, Sacramentorum quorumdã, & diuinarum rerum imagines sunt, est quidem omnis lex spiritualis, sed quod spirat omnibus notum non est, sed his tantum quibus spiritus sapientiæ conceditur,

Sensus mysticus est thesaurus absconditus in agro. Id, in Matth. 13. Scriptura ex variis sensibus plexa est quasi sagena qua capiuntur pisces.

Littera est corpus, spiritualis autem sensus est anima scripturæ. Idem. hom. 26. in Matth.

Post colloquium Iesu cum Samaritana, discipuli dicunt ei: Rabbi manduca; pascere volunt verbum & studiosè excolere vt amplius ab eo pascantur. Id. in Ioan.

Mithra Episcopi bipartita signat duo testamenta sub diuersis ritibus data, duæ fasciolæ ex mythra super humeros pendentes, indicant duos sensus, litteralem & mysticum quibus sacræ scripturæ exponuntur.

Anagogia, est quando res & verba scripturæ traducimus ad ea quæ pertinent ad gloriam.

Lex est vmbra futurorum vt dicit Apostolus. Col. 2. Ergo quæcumque doctrinam spiritualium vmbra complexa est, hæc lex esse dicenda est, quia lex & spiritalis est, & vmbra futurorum. D. Hilar. in Psal. 118. Aleph.

Vide *Differentia Cognitionis*. ex D. Gregor.

LEGVM OPPORTVNA mutatio.

OMnia constituta non præteritis calumniam faciunt, sed futuris regulam imponunt. l. 3. Cod. Theodos. de constitutionibus princip. Nam in diuerso tẽpore, diuersæ possunt esse leges.

Nihil veterum Principum authoritati subtrahimus, si iuxta nouorum temporum qualitatem, de nostro gremio, noua iura producimus, & nouis abusibus, noua remedia reperimus. Imp. Fridericus Constit. Siculat. lib. 1. tit. 37.

Vt remedia pro ratione morbi, sic leges pro ratione temporis mutari debent, & consuetudo fatuitas est, si quodlibet constitutum velit pro æterno accèptare, solius Dei est æternas leges condere, homines autem tempori subiiciuntur, illique se debent accommodare, vt se diuersè habent in variis anni tempestatibus. Paracelsus lib. de inuentione artium.

De legis veteris & nouæ differentia. Gregor. Valent. contr. sect. 6.

Leges Ecclesiasticas tempore mutabiles; Vide can. quia sancta dist. 63. sic serpens æneus erectus à Moyse ab Ezechia sublatus, quia populum prouocabat ad idololatriam.

Vide Card. Cusa. epist. 7. de amplectenda vnitate Ecclesiæ ad Bohemos vbi pluribus probat Ecclesiam non obligari ad litteram scripturarum, sed ad spiritum, ita Paulus Apostolus se aiebat ministrum noui testamenti, non litteræ, sed spiritu. Quare nec mirum si praxis Ecclesiæ vno tempore interpretatur scripturam vno modo, & alio tẽpore alio modo. Fuit enim aliquando Ecclesia sine scriptura vt ante Moysem, & antequam Apostoli aliquid scripsissent, sed nunquam fuit sine spiritu. Vnde non decipitur, quo ad animarum salutem in rituum diuersitate. Apostoli baptizabant in nomine Iesu, alio tempore Ecclesia in nomine Trinitatis, Conficiebant Apostoli Sacramentum Eucharistiæ dicendo, Pater noster, vt vult. S. Gregorius & variæ adhuc formæ interuenerunt, antequam scholasticus composuisset, illam, quo nunc vtimur. Origenes & alii quidam textum Si quis non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus, secundum praxim primitiuæ Ecclesiæ, intellexerunt præceptum esse, postea damnati sunt ab Ecclesia qui hoc asseruerunt quia propter intrantem multitudinem hoc fuit impossibile, &c.

D. Gregorius supra citatus sic scribit epist 64. ad Ioannem Episcopum Syracusanum. Mos Apostolorum fuit, vt ad Dominicam tantummodo orationem, oblationis hostiam consecrarent.

D. Augustin. in 2. quæst. ad Deo gratias, de diuersitate sacrificiorum dicit, vnum Christum ita diuersis sacrificiis, tempore & loco congruis exprimi, sicut in varietate linguarum, idem pronuntiatur: vt hæc varietas pro hominum salute à Deo facta & præcepta extitit, qui nunquam iustitiæ, & pietati mortalium defuit: aliis enim tunc moribus & signis, aliis nũc, vt prius occultis, & postea manifestius, & prius à paucioribus postea à pluribus vna & eadem religio sanctificatur obseruata graduatio in iis sacrificiis fuit; quoniã prima vt vmbræ, deinde aliæ vt figuræ, vsq; in Christũ, qui fuit veritas. Card. Cusa de concordantia catholica, lib. 1. cap. 3.

In communione sub vna specie, non peruertit Ecclesiæ sacramentum, sed ritum mutat, quæ sunt enim de necessitate sacramentorum immutabilia perseuerant, quæ circa ritum sunt, immutare Ecclesia potest, cuius potestas non minor est hodie, quam sub Apostolis erat; Potestas autem & administratio Ecclesiæ, sicut Doctores tradunt, tribus in rebus consistit in ordinibus diuersorum Prælatorum, in administrationibus sacramentorum; in diuersis præceptis subditorum, ob quam rem non sine ratione putauit Doctor insignis Aquinas in arbitrio esse Ecclesiæ diuersos gradus Prælatorum instituere, & institutos pro rerum diuersitate vel temporum amouere: sic subdiaconi sunt ordinati quos Ecclesia primitiua nesciuit, sic Prælati, Presbyteri, Episcopi, quos olim Hieronymus æqualis fuisse potestatis affirmat: sic Cardinalium sacer senatus iuuentus, Ecclesiæ magnum decus & stabile firmamentum, &c. Æneas Syluius. Pius. PP. 2. epist. 129.

Posteriora rescripta præferuntur prioribus, si de iis mentionem habeant, aut si is qui priora impetrauit iis dolo vel culpa intra annum non sit vsus. can. si autem 9. de rescrip. & can. plerumque eod. præferuntur specialia generalibus, cap. pastoralis. §. quoniam de offic. ind. delegati.

Ab Atheniensibus Hercules petebat vt sacris liceret initiari, lex id vetabat, qua cauebatur ne peregrinis impartirentur mysteria, at illi ... ri admirantes virtutem, rationem inierunt qua nec legi derogaretur quippiam, & tamen voti compos fieret Hercules. Protinus namque parua instituere mysteria, quibus & illum initiarunt, & vt celebrior

briora efficerent constitutum, vt quam quis dum initiaretur vestem fortè gestasset, eàm ne vnquam exueret, donec victa tempore fieret omnino ingestabilis. Rhodig. lib. 16. c. 9.

Inter præcepta diuina non sunt annumeranda ea quæ non sunt in vsu perpetuo, qualia sunt ea quæ in deserto tantum obseruata sunt. Voitin de lege diuina. c. 23.

Mutat Ecclesia antiquos suos ritus, ne consentiat cum hæriticis. *Vide Differentia Minoritatis.* Distingui à malis.

In sacramentis permutauit Ecclesia quæ non pertinent ad integritatem substantiæ sacramenti, sed ad integritatem significationis eiusdem: sic cum immersio in baptismo denotasset Christi sepulturam, & mortem nostram; egressus ex aquis Christi resurrectionem, & nostram quoque regenerationem à morte peccati, in gratiam vitæ, hunc tamen ritum mutauit Ecclesia quia pueri non sine vitæ periculo immergebantur, & propter erubescentiam in fœminis catechumenis se dispolianubus, & sufficit aspersio in capite, cum sit membrum principale totius corporis quo fiebat immersio. Sic communio introducta est sub vnica specie panis; quia in magna populi communicantis frequentia non sufficeret vnus calix consecratus, nequidem vna hydria, vnde consecratio non esset conformis expressis verbis; Hic calix, & propter periculum effusionis, irreuerentiam, & difficultatem quorundam bibendi post alios in eodem calice, potissimum tempore pestis. Casallius de ritib. Ecclesiæ. Non etiam facilè reperitur tanta copia vini in quibusdam regionibus. Sufficit quod sub specie panis habetur sanguis concomitanter.

Veritas præualet consuetudini. *Vide Gloria Veritatis.*

Cometæ in nono loco, significant Religionis iacturam. Cardan. Aphor. sect. 5. Aph. 117.

Etiam leges Religionis voluit Deus immutari. Vide quæ scripsi in Apologia fati vniuersi cap. 5.

Portari in humeris hominum in prima ætate bonum est, postea miserrimum; præmansis vti cibis inter principia vitæ bonum est, postea verò abominationis horrorisque plenissimum: lacte nutriri atque ad mamillarum alimenta confugere, in initio quidem vtile ac salutare est; postea verò perniciosum prorsus ac noxium. Vides quod eædem ipsæ res, secundum tempora, nunc bonæ, nunc verò contrarii esse generis appareant: nam & vestem puerilem gestare paruulo quidem honestum est, viro autem pudendum, & si vicissim des puero vestem virilem, risus sequetur, & si committas ei peragenda negocia. D. Chrysost. hom. 17. in Matth. Nisi abundauerit iustitia ve-

A stra plusquam scribarum, non intrabitis in regnū cœlorum. Sic debemus veterum mensuram excedere, &c.

Ius naturale est vt homo singularis sibi prouideat, sicut & communitas modis conuenientibus, sicut medicina pro personarum & ætatum differentia diuersa præcipit, sic introducta dominiorum distinctio, ne segni tantum accedat, quantum laboranti; iure gentium introducta seruitus, vt metu reuocarentur à bellis temerè suscipiendis populi. Natura dedit homini libertatem qua potest vt libuerit vti, etiā obligare per contractus & vota, etiam vendere. Vide Suarem de legib. lib. 2. cap. 14. Multi asserunt sola præcepta Decalogi primæ tabulæ esse immutabilia; secundæ

B autem diuersis causis occurrentibus posse mutari. Ib. cap. 15. n. 24.

Etsi S. Pontifex non habeat summam directam potestatem temporalem, potest tamen ferre leges canonicas contrarias ciuilibus legibus periculosis animarum saluti, vt malæ fidei possessor, nullo tempore præscribit, cap. vlt. de præscr. & cap. cum haberet de eo qui dux. in matr. illegitimis assignantur alimenta. Suarez ibid. lib. 3. cap. 6.

Olim dictum est, crescite & multiplicamini, nunc laudantur Eunuchi qui seipsos castrauerunt, propter regnum cœlorum; tunc oculum pro oculo; nunc maxilla percutienti porrigenda. &c. hæc

C dicimus non separantes legem & Euangelium, vt Marcion calumniatur, sed vnum atque eundem suscipientes Deum, qui pro varietate temporum atque causarum, principium & finis, serit vt metat, plantat vt habeat quod succidat; iacit fundamentum, vt ædificationi, consummato seculo, culmen imponat. D. Hier. ad Gerontiam.

Vnus Deus per sanctos Prophetas & famulos suos, secundum ordinatissimam distributionem temporum dedit minora præcepta populo quem timore adhuc alligari oportebat, & per filium suum maiora præcepta populo quem charitate iam liberari conuenerat. Cum autem minora minoribus, maiora maioribus dantur, ab eo dantur

D qui solus nouit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam. D. August. lib. 1. de serm. Dom in monte sub initium.

Iosephus refert Sacerdotes ex adytis templi, ante destructionem Hierusalem, virtutum cœlestium audisse vocem transeamus ex his sedibus. Ita templi velum scissum est. D. Hiero. Damaso, lib. 3. epistol.

Quædam quæ licent, tempore & loco mutato non licent, de prætore qui in cœna ad petitionem meretricis reum fecit decapitari, Seneca lib. 9. Controu. 2.

CONCORDANTIA VERITATIS.

SIBI CONSONA VERITAS.

DE Catholico nomine epist. Paciaci Biblioth. Patrum to. 3.

Varia, multiformis, & confusa quædam res est impostura, veritas autem vna. D. Chrysost. hom. 3. in c. 1. ad Rom.

Secundum Philosophum, omne verum, omni vero consonat, sic necesse est veram Astronomiæ scientiam sacræ Theologiæ cōcordare. Cardin. de Aliaco Cameracēsis in prologo astrologiæ theologisatæ. vbi subiungit vtiles esse theologos astrologiam studiosius indagare, & inter varias vtilitates, inquit, vna esset theologicis propheticis astronomica iudicia respectu quorundam futurorum aduentum coaptare, & de his exempla annotare; Cœli enarrant gloriam Dei, & ideo astronomia, naturalis theologia nominatur, quia sicut superior theologia ad Dei cognitionem supernaturalem fidem inducit, sic ista tanquam inferior ancilla eidem seruiens ad diuina per naturalem rationem introducit.

Doctores à Deo moti concordant. *Vide Principium Cognitionis* scientia à Deo. *Vide Magnitudo Veritatis. Æqualitas Veritatis.*

Ptolemeus Rex Ægypti septuaginta bibliorum interpretes è Iudæa accersitos, excepit diuersis cellulis, vt separatim quisque verteret, & cum animaduerteret septuaginta viros eisdem verbis vsos non modo sententiis, & ne vna quidem diuersos vocula, attonitus, persuasusque id non accidisse sine numine, omnibus eos vt Deo charos dignatus est honoribus, atque ita magnificè donatos remisit in patriam. Iustinus martyr in exhortatione ad gentiles, quos arguit & philosophos & poëtas suæ Religionis antistites esse opinionibus inter se dissentientes.

Quædam Deus prædixit & per Prophetas suos & per alienos à religione, vt per Balaam, & Sybillas, ab eodem fuit & verborum prædictio & rerum euentus. Iustinus Martyr. qu. 2. ad orthodoxos.

Non vno teste Christus manifestari voluit, sed pluribus eadem probantibus. Prophetarum prædictionibus, Angelorum in Natiuitate militia congratulante; pastorum, Regum Magorum concursu; elementis omnibus ei parentibus, Dæmonibus eiectis; tandem Apostolorum, Martyrum, Confessorum, hominum omnis ætatis & sexus testimonio Laurentius Iustinian. lib. de fide cap. 6.

De 70. Bibliorum interpretibus consentienti bus vt ne syllaba discordes reperti sint, dixeris aut tot manibus vnum præfuisse caput, aut tot capita vna scripsisse manu, Vnilingues fuere, quia vnicordes, pretiosiorem vnionem nusquam viderat illud mare, vnionum ferax, ita sibi constat veritas semper eadem & vna; nec improui- A de librum edidere, vbi turrita pharos fidum nautis lumen ostendit, nam per fallaces Rabinorum syrtes, errore varia iactata ingenia, voluminis huius lampas in rectam ducit.

Vna Religio vera, vna fides. Vide quæ scripsi de Iure Naturali lib. 1. lege 1 § 7. & Theol. natur. to. 4 parte 1. cap. 17 Ius gentium est quod apud plerasque gentes instinctu naturæ & rationis seruatur, vt sunt sedium vacantium occupatio, ædificatio, munitio, bella, seruitutes, deprædationes, postliminia, multi contractus, permutatio, emptio, venditio, locatio, de quibus Suarez de legibus lib. 2. cap. 19. præcepta namque iuris gentium sunt conclusiones deductæ ex principiis iuris naturalis vt dicit D. Tho. 1. 2. q. 95. a. 4.

B

S. SCRIPTVRARVM concordia.

EVangeliorum harmonia. Tatian. biblioth. Patr. tom. 7.

De scripturæ vnitate Bouer. to. 5. demonst. 5.

Testimoniorum scripturæ cōcordia Greg. Papa.

Vt Eliam currus æthereus euexit ad cœlum, sic nos Euangeliorum quadriga euehit in deum Chrysolog. serm. 92.

Exod. 23. duo Cherubim mutuo conuersis vultibus in Propitiatorium significant concordantia sibi duo Testamenta, quod enim vnum promittit, C aliud exhibet. Rupert. in exod. lib. 4. c. 6.

Vis videre quia Moyses semper cum Iesu est, hoc est lex cum Euangelio: cum transformatus est in gloriam Iesus, etiam Moyses & Elias apparuerunt cum eo in gloria, vt scias quia lex & Prophetæ & Euangelia in vnum semper conueniunt, & in vna gloria permanent. Petrus cum tria facere vellet tabernacula, imperitiæ arguitur, Legi enim, & Prophetis & Euangeliis vnum est tabernaculum Ecclesia. Origen. homil. 6. in Leuit. & tract. 3. in Mathæum.

Summi bellatores Israelitæ spolia aurea quæ tulerant de superatis Madianitis, offerunt Deo. Ca- D tenulæ significant verbi & doctrinæ connexiones Id. homil. 26. super Num. 31.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus, inter vbera mea commorabitur. Cant 1. idest inter duo testamenta quæ sunt Ecclesiæ verba vnde nutriuntur animæ Id homil. 2. super cant.

Sicut duos boues altercantes stimulus cogit in vnum venire, ita & sermo sapientium duo testamenta conuenientia reddit, etiam si in quibusdam inconuenientia videantur apud eos, qui non possunt attingere profundum consensum eorum; id autem fit virtute Dei qui est in medio duorum, sic super terram consentientium, Orig. tr. 6. in Math.

Digitized by Google

Sufficiebat quidem vnus Euangelista, cum tamen quatuor diuersis locis & temporibus consona scripserint, fit veritatis grande documentum; dissonant quidem in rebus exiguis, & sic vacant à suspicione coniuratæ scriptionis; in maximis autem consentiunt, vt quod Deus homo factus sit, quod mirabilia operatus, quod crucifixus, A quod sepultus, quod resurrexit, quod ascendit in cœlum, &c. D. Chrysost. hom. 1. in Matth. quisque habet aliquid proprium, ne videatur temere adiectus. Quonam modo authoritatem dissona meruissent, & inter se pugnantia. Ib. quod in minimis dissonantiæ veritati non officiant. *Vide Veritas Minoritatis.* Parum pro nihilo.

CONTRARIETAS VERITATIS.

COGENS VERITAS ET AN RELIGIO sit vi & armis imponenda.

VIDE *supra Cognitio Virtutis.* Fidei publica confessio.

Bellorum necessitatem, *Vid. Bonit. Contrarietatis.* De militibus melitensibus, & eorum fortitudine, vt pugnent contra infideles. Vide D. Bernardum ad milites templi Imitantur Machabæos pro lege pugnantes; tanquam dicerent, Nonne qui oderunt te Domine oderam? in aduersarios irruunt, de auxilio Dei maxime confidentes; ita miro & singulari quodam modo cernuntur & agnis mitiores & leonibus fortiores, quibus nec deest Monachi mansuetudo, nec militis fortitudo; à Domino factum est istud, mirabile in oculis nostris.

Bella suscipi debent non desiderio fundendi sanguinem, sed vt nomen Christi per subditas gentes fidei prædicatione circumquaque discurrat. can. vt pridem 23. q. 8. & can. omnium q. 4. si non ex fidei, & can. sicut excellentiam.

D. Gregor. PP. in Registro lib. 3. epist. 26. scribit Episcopo Caralitano. Si paganus rusticus tantæ fuerit perfidiæ, & obstinationis inuentus, vt ad Dominum Deum venire minimè consentiat, tanto pensionis onere grauandus est, vt ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare.

Id. lib. 4. epist. 2. laudat Episcopum Carthaginensem, quod hæreticorum sectas cum feruore sacerdotali coërcere non neglexerit, monet tamē vt prius interna charitas seruetur, priusquam substantiarum, dignitatumque priuatione plectantur.

De bello sancto ineundo. Æneas Syluius epist. 121. 155. 376. 377. & seq. 397. &c.

Lex Christiana videtur bellicosis principibus, totum orbem aperire, nam Antoninus, Syluester, Innocentius maior, & Alphonsus à Castro periti Theologi, asserunt bellum iustum inferri gentibus, siue ob idololatriam, siue ob criminum immanitatem quæ naturæ lumini penitus aduersantur. Sic Deus Chananæos, Iebusæos, Moabitas, Ammonitas paribus flagitiis implicatos Israëlitarum armis delere iussit. Vide Molin. tract. 2. de Inst. & iure hst. 106.

Lib. 1. Reg. 15. Israëlitę iubentur delere totum Amalech, nulli parcentes, quia fugientes de Ægypto, persecuti sunt, occiderunt multos, & occisorum pudenda excisa, propter circumcisionem irriserint & in aërem projecta, sic in Deum fuerint contumeliosi; accipe quos elegisti.

Mori & Arabes vi armorum coacti baptizati fuere, a. 1589. sub Ferdinando & Isabella, cæteri fuga sibi consuluere.

Seruus si ad te confugerit, ne tradas eum domino suo. Deut. 23. seruus infidelium si ad Ecclesiam confugerit fidei causa, religioso Ecclesiasticæ pietatis patrocinio in libertatem omnibus modis deffendatur. Rupert in Deut. lib. 1. c. 25.

C Bellum melius est pace, quæ separat à Deo. Greg. Naz. orat. 1. Episcopi habent ius bellum indicendi hæreticis. *Vide Bonitas Contrarietatis.* Bellorum necessitas.

Contra hæreticos licet bellum mouere, eo titulo quod sint Reipublicæ noxii. Bonacina de bello; siue sint Principibus Christianis subiecti, de facto, vt sunt Caluinistæ, vel de iure, vt sunt Turcæ vsurpatores. Contra infideles nunquam Christianis Principibus subditos per se loquendo non licet bellum mouere, nisi in quantum impediunt libertatem datam à Christo prædicandi Euangelium per vniuersum mundum; vel si peccata committant quæ afferant damnum proximis vt more belluarum comedendo innocentes Ibidem.

D Videtur etiam illis licet inuitis posse beneficium conferri, vt ægris & phreneticis. *Vide Veritas Bonitatis.* Inuitis benefacere.

Moyses pręcepit omnes mortales cogendos esse ad recepienda mandata iniuncta filiis Noë, quicumque ea non reciperit occidendum. Doctores Hebræi, quos refert Voisin. de lege diuina. c. 7. non autem cogebantur ad circumcisionem & baptismum, sic ad vniuersam legem Moysis implendam. Ibid.

Dauid 1. Reg. 17. cum dissuaderetur pugnare cum Philistęo, ad pugnam exacuitur hac consideratione; quis est hic incircúcisus qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis? viribus non meis, sed gratię in aciem prodeo. Deo contumelia dicitur, ecquis in pugnam non armetur? Ipsum Deum

contumelia lacessitum in auxiliis numero, maledicam illam inimici linguam victoriæ pignus teneo, lorica vestitur, ego immortali defensione munior. S. Basil. Seuc. orat. 15.

Hæretici ferunt onera curialia, sine honore & his annexo pro aliis priuilegio. *Vide Gloria Minoritatis.* Nemo ex suo delicto proficit.

Aduenæ qui ex gentibus veniebant habitare cum Iudæis, compellebantur accipere ritum Iudaicum. Tostat. in Leuit. 147. c. 1. d.

Bella Iudæorum dicebantur bella Dei. Id. 1. Reg. to. 2 fo. 51. & 4. h.

A Contra hæreticos Ecclesia bellum indicit, cum aliter non potest iustitia fieri de illis. cap. ad abolendam cap. excommunicamus. extra de hæret.

Vide Minoritas Contrarietatis. defectus seneritatis malus *Et Contrarietas Minoritatis vindicta blica.*

Circumcidere seruum emptitium præceptum, erat domino eius, etiam ipso seruo nolente. Tostat. Exod. to. 1. fol. 96. c. 2. b. & Math. tom. 7. 297.

Ante Augustini tempora erant nonaginta hæreses, quia tunc Ecclesia non habebat potestatem coercitiuam, & ei deficiebant reditus, vnde Prælati non habebant statum honorabilem. Idem. Matth. to. 5. fo. 203.

S. Ericus Gothorum Rex bello superatas vicinas gentes coëgit ad fidem Christi suscipiendam. Indocile enim genus barbarorum nisi per arma ad iugum Christi adduci non potuit. Olaus Magnus lib. 2. Sap. 25.

Mahumet sectam suam quare vi & armis imponit. *Vide Duratio Contrarietatis.* seta Dei vindicta,

Mathathias videns Eleazarum, septem fratres, & alios pro lege ab Antiocho occidi; Sic inquit extinguitur zelus, qui ęternus est focus sacerdoti commissus; occidi volunt, cum liceat occidere. O ingloriam fortitudinem, quæ pati tantum potest, ergo vt viuat religio, sanguinem totum dabit, hoc ipso peribit exanguis. Cape in armatos arma, miseri fiant, qui miseros faciunt.

Asa Rex Israël Priapi sacerdotes comburi iussit, hac tantum luce dignos.

Iudæis sub Iuliano Apostata templum Hierosolymis reædificare cupientibus, de fundamentis ignis exiliens, à cœpta illos ædificatione deterruit. D. Chrysost. hom. 4. in Matth.

Non veni pacem mittere in terras, sed gladium. Matth. 10. & 1. tamen Christo nascente canunt Angeli Gloria in excelsis & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nec enim semper concordia laudanda vt inter latrones. Igitur concidenda peior mundi pars vt pars melior cœlo copuletur, &c. Ibid. hom. 36.

Nonne odientes te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam, perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Psal. 139. Est religiosum odium, quoties is nobis odio est qui Deum odit. Inimicos quidem nostros, amare præcipimur, sed nostros, non & Dei. Nam iuxta Deum, & patrem, & matrem, & coniugem, & filios odisse deuotum est. Diuus Hilarius. in. d. Psalm.

Admitti possunt Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi. Auditores causarum Palatij Apostolici, Referendarij, qui per biennium exercuerunt, absque aliis probationibus ad habitum militię Christianæ, & cum militum priuilegiis remanent in suis dignitatibus Vrban. 8. const. 11. §. 1.

Armis spiritualibus inuisibiles hostes profligantur, & visibilium vsu religio propugnatur. Ib. Bull. p. 24. to. 4.

Romæ est Congregatio aliquorum Cardinalium pro classe paranda & seruanda ad statum Ecclesiastici defensionem. instituta fuit à Sixto V. const. 74 p. 465. to. 2.

Episcopi & locorum Ordinarij iubentur perquirere bibliothecas Hebræorum, & inde scripta damnata extrahere & comburere. Clem. 8. con. 20. p. 37. to. 3.

B Gladius temporalis & spiritualis ad Romanum spectat Pontificem. Greg 9. const. 14. p. 90. to. 1.

Imperator gladium materialem etiam quoad hæreticos exercet. Innoc. 4 const. 1. p. 92. to. 1.

Cum filij Ruben & Gad ædificassent altare vltra Iordanem, cæteræ tribus bellum mouerunt contra ipsos, cessauit autem quia se excusauerunt dicentes, se duntaxat in testimonium altare illud erexisse. Iosue. 22. & 23.

ÆQVISSIMVM ET NEcessarium contra Turcas bellum.

C

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Malè cessit olim Iudæis obseruatio Sabbati. sic scrupulosa, vt etiam ab hostibus lacessiti, perire mallent quam ad æquissimam, iure naturali præceptam sui deffensionem in surgere, ne quietem ea die seruandam violarent. Sic prouocabant in se timidas & imbelles alioquin manus, semetipsos hostibus suis misere deuouebant, sibi, patrię, Religioni, Deo perfidi hoc peruerso religionis sensu Turcæ sæuiunt in Christianos horrenda persecutione, quos in patria sua sibi subiecerunt, violatis fœderum conditionibus, exactione quotidiana bonis spoliant, negantes, & quod petitur præstare non valẽtes, mille baculi verberibus, carcere, fame cruciant ad D mortem, Aliunde terra marique venantur homines, captos parum est habere seruos, extincta humanitate canes vocant, vt feras, ferreis onerant catenis, ad triremes damnatos inter labores, famem, vulnera, sibi miserrimam, quod durius est, etiam patrię, Religioni suæ nocituram per mille mortes cogunt vitam agere. Huic hosti publico ius omne naturale, gentium, diuinum violanti vltro si cederet orbis Christianus, nec vim illatam, cuncta vastantem propulsaret, ne videretur iniurias, quas condonare debet vlcisci, sane tam rea, tam sibi perniciosa foret hęc mansuetudo, quam olim Iudęis obseruatio superstitiosa sabbati. Non tam vindicantur iniu- E riç factę, quam ne fiant prouidetur.

MAGNITVDO. Iubet quidem Christus Dominus zizaniam tritico mixtam non euelli, ne simul eradicetur triticum. At extra tale periculum nos posuit mali sæuientis immanitas. Timendum non est ne noceatur fidelibus indicto Turcæ bello; illis enim censeri non debet permixtus cum integras regiones, tyrannico premat imperio, to-

tam Asiam & Africam obtinet, serpit in Indiam, Europæ partem obtinet occupat, cæteris imminet, nulli cedens, nulli parcens vlterius se semper profert ardentior successorum ambitio.

DVRATIO. Itaque si tritico parcendum est, demetenda sunt pessimè se propagantia zizania, & integras messes, ni statim obsistatur, irrumpentia. sunt quidem adhuc aliqui Christiani per Græciam, Palestinam, insulas sparsi, sed hos habet Turca, velut seruos qui non faciunt partem suæ gentis; ad hanc tamen illos destinant & misere promouent; grauibus enim, nouis, insperatis, sæpius in anno repetitis tributis sic vexant, vt multi vitæ familiæque suæ necessitatibus pressi cogantur fidem Christianam abiurare & Mahumeticam profiteri. Cæterum durissima lege Christianis superstitibus nihil remittitur, sed conuerso accrescendi iure, quod à fide deficiens non soluit, in reliquos refunditur, vt nunc mille tantum soluant, quantum olim viginti millia Miseri soluunt & in ære & in corpore, fœlicem existimantes antiquam martyrum sortem quibus licebat paucorum dierum tormento vitam hanc cum immortali commutare. Sic igitur vnus perit, vt reliquos in suam trahat perniciem, nam quo maior deficientium a fide multitudo, accrescens exactionum pondus in reliquos refusum eos breui tempore spoliabit & sternet, ni liberior orbis Christiani pars, oppressæ sine mora tulerit auxilium.

POTESTAS. Non deest Christianis populis & Principibus ad communem libertatis & religionis hostem frangendum potentia. Certe Venetis hanc habemus gratiam quod per eos innotuit Imperij Turcici debilitas, si enim hi solis suis freti viribus abhinc quindecim annis fere paribus armis vsurpatori fortiter obstant, vim eorum in extremis insulis debilitata possessione. quid si fœcundæ, ditiores, bellicosæ magis Christianæ nationes vnitis viribus communem hostem inuaderent? sed, ô lugenda calamitas! mutuis se bellis crudeliter absumunt, hosti suo militant, quocumque cadat victoria, ipsi cessura, orbe scilicet Christiano tantundum in se diuiso, debilitato, conuersis & fractis in se viribus, ad externas expeditiones minus parato.

COGNITIO. Hæc in præterito, præsentique videns Turca, quid non speret in futurum de his qui ne serò quidem suis sapiunt periculis? Ne miseris proscriptas è suis regionibus scientas, cum aduertat Europæos qui has sectantur, sic cæcutire, sic aberrare, bestiis dementiores quæ bis in eosdem expertos laqueos non incurrunt. Cum autem scientiæ sint mentium alimenta his Turcarum animæ carentes, debilitatæ cedunt passionibus, quarum impetus in nos velut in authores, negligentia nostra mali fautores, merito reflectuntur. Habemus igitur vindicandum ius animæ rationalis, quam in speciei nostræ contumeliam addicunt sensibilibus. Ius scientiarum ex his vnde natæ sũt regionibus patricidio quodam proscriptarum: ius commune gentium crudeli feritate violatum, ius patriæ, religionis fraterni sanguinis, nostrum denique iisdem quotidianis periculis, ni prouideatur, expositum, & super omnia Ius Christi Domini, tot cædibus, sceleribus, abominationibus prophanatum.

VOLVNTAS. O si videres oculis captiuos sub Turca Christianos, assiduo verbere tumentes, liuidos, laceratos, fame tabescentes: si miserorum audires gemitus, opem Christi nomine pro quo patiuntur, implorantium; ferreum esset pectus quod compassione non tangeretur; quod singulares iræ bellique causas non deponeret ad patriæ, Religionis, Christi Domini commune ius totis viribus vindicandum. At hæc non minus fiunt; captiui fratres non minus dura patiuntur, & si patientes non videas, nec audias gementes imò dolores crudelius exasperantur quod illis relicti, plures habent qui malis suis gaudeant nullos qui compatiuntur, & opem ferre valeant, spectatores. Charitas omnia credit, fidem igitur habe miserorum litteris, Religiosorum inde redeuntium relationibus; plusque ratione quam sensu mouearis in auxilium.

VIRTVS. Omnium Christianorum est, tanta pro fide patientibus compati, meliora precari, votis eos & quibus possunt facultatibus iuuare, verbo, sollicitatione his auxilia quærere, religiosum martem accendere. Sed præstantium est hac in catholicæ fidei causa, fortiter agere bellum Dei, vitæ suæ periculis inire certamen, vt Religio superet impietatem, non patiendo tantum sicut in martyribus, sed etiam militari fortitudine, quæ superbientem conterat, deinceps ad nocendum inermem & impotentem efficiat, quot è tyranni manibus captiuos vindicas in libertatem, tot fortè Christo, lucraris animas fide debiles & in tormentis defecturas.

VERITAS. Turcæ peccant multipliciter contra veritatem Euangelicam, hanc enim armis extremaque crudelitate impugnant, suos eam recipere prohibent, sub ignis præsenti pœna, nostros abiurare cogunt bonorum spoliatione, & exquisitis tormentis. Tum sectam suam falsissimam, imposturis, peccatis contra naturam, blasphemiis abominandam, vt quia ratione caret, nolentes cogit profiteri. Fouit hanc impietatem longa tot sæculorum impunitas, in remedium & vt libere prædicetur veritas, opus est ea quæ fuit Apostolis ostensa pro sequuturis ætatibus methodo, dũ Spiritum sanctum in die Pentecostes acceperunt, scilicet vrendum vehementi spiritu, qui propellat, confringat obstantia; linguis igneis quæ corda mundicem ex aquis baptismi recipere nolentia, vi dominantis huius elementi dura subigant, immunda prius expurgent, & in se conuertant, quam diuinæ veritatis splendoribus illustrentur.

GLORIA Hoc in bello non agitur tantum de propagandis imperij terreni finibus; de tyranni vsurpatoris sæuitia coërcenda, de redimendis oppressis & captiuis cõmuni quodam cunctis gentibus debito, tum iustitiæ, tum charitatis officio, quo tamen gloriæ stimulis fortiter aguntur aurei generis animi, famamque sibi comparant apud posteros immortalem. Eedem illæ causę, sed longe grauioribus titulis occurrunt in bello contra Turcas mouendo, his enim omnibus accedit zelus, non tantum, patriam, bona, libertatem gentium omnium vindicandi, sed terras, Christi quem colimus natiuitate, conuersatione sacratas nobis fratribus, cohæredibus suis relictas, è manibus hostis sui fortiter eripiendi. Præcipuus belli finis est, animas Saluatori charissimas, sanguine suo redemptas à superstitionibus, ab æterna perditione, quò præcipites aguntur; liberare. Imminet populorum omnium capitibus, corporum & animarum libertati tyrannus, immani crudelitate per Mahumeti legem ipsi præcepta ..toties iurata, vt cæ-

Digitized by Google

teras orbis religiones quantum fieri poterit armis extirpet. Igitur populorum & sæculorum omnium Christianorum agitur causa, quam qui fortiter bello sancto tutatus fuerit, splendidiorem quam ex quouis alio marte, gloriam apud homines, & insuper æternam apud Deum in cœlo consequetur. A

DIFFERENTIA. Si primis Ecclesiæ temporibus persecutionem fugientes, relictis suis, bonis, vt confessores, in eo statu mortui, sicut martyres colebantur. refert Baron. an. 253. quanto magis qui non fugiunt, sed aggrediuntur hostem, qui non exposita fortuna, sed vita sæuienti fortiter insultant, & de furentis feræ dentibus prædas eripiunt; in sacro militari procinctu, multa patientes, ad omnia parati, Martyrii nomen & coronas promerentur. B

CONCORDANTIA. Hypocrates lib. 1. de natura hominis, & de diæta, ponit tantum duo rerum principia ignem & aquam, vnde constant omnia mixta; motum habent ab igne, nutritionem ab aqua. Gallia nata est in Cancro signo aqueo, Hispania in Leone sequente signo igneo, vt patet in lib. de fato vniuersi. E duorum istorum regnorum potentissimorum concordia pendet orbis totius habitabilis fœlicitas. O si vires quas in mutuam perniciem miserè profundunt in vnum conferrent impietatis extirpandæ propositum, actum esset de Turcico Imperio, & fati quos timet, quos speramus effectus impleret vtriusque gentis inuicta, sanctissimè fœderata fortitudo. C

CONTRARIETAS. Dominus Iesus passioni suæ proximus illam & sequuturas persecutiones prędicens suis Discipulis, Vendat inquit, vnusquisque tunicam suam & emat gladium, cui cum respondissent, Ecce duo gladii, sufficit, inquit. Eo paulo post à Iuda prodito irruentibus turbis Petrus gladio percussit seruum Pontificis; tunc ad eum Iesus, Sinite vsque modo, mitte gladium tuum in vaginam; an putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? Ex his Euangelij verbis patet Religioni quidem necessarios gladios, binos, idest duorum aut plurium regnorum hostem inito fœdere percutientium, non quidem primis temporibus cum fidei veritas, tum patientia, tum miraculis stabiliri debebat sed elapsis aliquot sæculis cum qui sectam suam gladio proferre putauerint, gladio perituri sunt. Quis rebus benè perpensis neget hęc intelligi debere de secta Mahumetana se tantum armis protegente, furentem vel continebunt, vel anathemate delebunt in eius oppugnationem vnitæ Christianorum vires. D

PRINCIPIVM. Has implorant miseri sub sæuissimo tyranno Græci parentes, à quorum gremio singulis annis electissimos filios tributi nomine rapit, per baptismum Christo iam consecratos, cogit Mahumeti sectam amplecti, facitque simul fidei, patriæ, parentum, in quos adulti scribuntur milites, sacrilegos parricidas. Superest sine dubio, talium cordibus, patriæ, familiæ, antiquę suæ Religionis insitus amor, quo vim sibi factam vindicarent, si præsens esset à Christianis auxilium, cui tutò possent accedere. E

MEDIVM. Vim hanc extremam non patietur perpetuam diuina prouidentia; implesse videtur mensuram suam iniquitas. Argumentis pluribus instare tempus diuinæ iustitiæ, cuius iacram hanc professi militiam, erunt instrumenta, cum his quos ab erroris violenta professione in propriam originem, gratia reuocabit.

FINIS. Vita mortalis mille casibus exposita, tandem annorum breui curriculo desinens, inter corruptos sæculi mores animæ semper exitu periculoso, cum huic sacræ militię se dicat, securitati suæ, meliori quo fieri potest modo prouidet, vnicuique ducum & militum propositum est patriæ, proximis afflictis; Christianę Religioni laboranti quantum poterit auxilium conferre. Christo Domino factas iniurias vel vlciscetur victor, vel moriens ipsi cadet victima quocumque modo gratus, leuesque militiæ maculas proprio sanguine diluet.

MAIORITAS. Miserum est quod cum desidia languent Christianorum vires, vel mutuis vulneribus fractæ concidunt, maximos progressus orbi toto lugendos facit impietas, & velut ignis ampliori data materia magis ac magis in ardescens latius se diffundit, & has supra spem suam, metumque nostrum amplitudines trahit in argumentum probantis & ipsam iuuantis diuinæ prouidentiæ.

ÆQVALITAS. Etsi cessaret pietatis & charitatis consideratio, natura docet vim inferentes vi repellere, iusta deffensio non æquabit iniurias à tot sęculis, orbi Christiano, bonis corporibus, animarum saluti factas.

MINORITAS. Dicunt aliqui toties in vanum, nostris etiam accrescentibus damnis suscepta contra Turcas bella, vt meritò nunc videatur ab illis abstinendum. Respondetur huius Imperij vim nec intactam nec inuictam probant tot insignes à Christianis reportatę victoriæ à Godofredo Bullonio, Scanderbeoh, Ioanne Hunniada, Ioanne de Austria & quotidie ab Equitibus Melitensibus bellum hoc licet sacrum, Deus non semper protegit miraculis, humana fortitudine, potentia, prudentia regendum est captis opportunè temporibus; in illo, licet non fœliciter impensæ facultates, diligentiæ, vitæ, non carent præmiis suis apud Deum, qui bonas voluntates, & multo magis pios conatus coronat. Non obtinuit quod optabat S. Ludouicus Rex Galliæ, ipso in expeditione mortuo, bisque suo exercitu fracto, sed apud nos sanctitatis, in cœlo fœlicitatis æternæ gloriam est adeptus. Nunquam melius & honestius impenduntur mortalia quam pro Deo qui hæc alioquin peritura, nobis in cœlestibus suis seruat thesauris, extra casus omnes positis. Forte statim petita non concedit, vt ardentius petantur, & congruis concedat temporibus, cum malorum iniquitate completa, diuinæ iustitię locum dederit.

Licet hic referre quę notat liber cui titulus Fatum vniuersi: fortè non erunt ingrata, quod votis nostris de bello Turcis inferendo, mirè consentiant. Obseruat pag 33. quoties magnis annis mundi currentibus, Cancer horoscopus mundi peruenit ad quadratos, aut oppositionem alicuius dominationis vel legis, res illius turbari & in peius cedere. At nata est secta Mahometana in 23. Cancri, nunc deuenit mundus ad 20. gradum Libræ, sic intra tres gradus perueniet ad eius qua-

Digitized by Google

dratum. Si quę talibus fides, peti debet ab experimentis quæ dicto loco liber exponit. Consentit huius sectæ mutationi Luna, in cuius domo & decanatu nata fuit:hanc ideo sumpsit pro insigni, hæc autem mutabilis est, & consistere nescia. Caput etiam Medusæ decimam obtinens, significat summam capitis diminutionem secundum illud Christi Domini oraculum, qui gladio percusserit, gladio peribit. Destructionem igitur vel notabile detrimentum patietur à Libra. Regnum autem Ludouici. 14. Galliarum Regis habet in ascendente Libram, velut de omnium iniquissimo tyranno sic disponente prouidentia vindictam sit sumpturum. Imperitis Astrologię hæc vana & ridicula videbuntur, peritis non item. Ex superioribus concludendum arma contra Turcas fortiter mouenda, licet cum hæreticis aliqui putent mitius agendum.

Æneas Syluius ep. 131. Capta Constantinopoli, ex parte Imperatoris Germanis principibus suadet bellum, contra Turcas quod dicit iustum contra vsurpatorem & Christi hostem. 2. vtile, ne cæteras Europæ regiones inuadat & omnibus auferat cum libertate religionem, 3 facile, si fiat vnitis Christianorum viribus posset Deus hunc hostem Angelorum ministerio delere vt Sennacherib. sed experiri vult an religiosi, an grati simus. Sæpè Principes mouent bellum pro ministro non sat honestè excepto, hic pro Christo contumeliis affecto, &c. Fœlix bellum in quo si vincis, in terra, si vinceris in cœlo triumphas.

Sacerdotes Græci cogente paupertate, vitam miseram traducunt labore manuum. vnde sequitur crassa ignorantia rerum diuinarum in ipsis & populo, Nec tamen audent à schismate discedere ne grauius à Turca vexentur Romano Pontifici subiecti.

Multum sperandum est auxilij à Deo in sua causa. Spem etiam humanam auget quod Turca non tanto valet militum numero, vt fert sparsus rumor, pauci milites sunt exercitati, cæteri emunt titulum militiæ vt à communi tyrannica gubernatorum vexatione fiant immunes &tutius possint negotiari, cæterum nihil habent bellicæ fortitudinis. Populus autem omnis inermis, & in durissima enutritus seruitute bella nescit, & horret, & qui scriberentur inde milites ad fugam potius quam ad certamen essent paratissimi. Ita Moyses iussu Dei per 40. annos circumduxit Israëlitas per desertum, donec morerentur senes in seruitute nati & enutriti, quia deiectis animis non potuissent sustinere bella gentium. *Vide Differentia Medij.* ex Origene. Opportuna mutatio instrumentorum.

Cardinales tempore Inno. 3. contribuerunt partem suorum redituum pro expeditione terræ sanctæ, Inn. 3. const. 11. §. 9. Bull. 71. to. 1.

Cruciatam pro recuperatione terræ sanctæ Hierusalem, indixit Eugen. 3. Const. 3. p. 58. Gregor. 8 const. 1. p. 67. Innocent. 3. const. 12. p. 77. to. 1. Bullarii.

Dux Sabaudiæ duas triremes instructas militibus SS. Mauricij & Lazari præstare & manu tenere tenetur, Gregor. 12. const. 7. p. 177. t. 2.

Sarraceni quæ mala perpetrarunt in occupatione terræ sanctæ Hierusalem. Nicol. 4. const. 5 p. 150. to. 1.

HÆRETICI NON videntur cogendi, sed admonendi.

D. Gregor. PP. in Regist. lib. 1. ep. 34. Episcopo Taracinensi præcipit ne persequatur Iudæos. Eos enim, inquit, qui à religione Christiana discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, ad vnitatem fidei necesse est congregare. Ne quos dulcedo prædicationis & B præcensus futuri iudicis terror ad credendum inuitare poterat, minis & terroribus impellantur. Oportet ergo magis, vt ad audiendum de vobis verbum Dei benignè conueniant, quam austeritatem, quæ supra modum extenditur, expauescant.

Ibid. epist. 45. dicit Iudæos ad baptismum suscipiendum non cogendos, ne si ad fidem non prædicationis suauitate sed necessitate peruenerint, ad pristinam superstitionem remeantes, in deterius moriantur, vnde renati videbantur.

Quid de Episcopis qui verberibus timeri volunt, canones dicant, nouit vestra fraternitas. Pastores enim facti sumus non percussores Et egregius C prædicator dicit, Argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Noua vero atque inaudita est hęc prędicatio, quæ verberibus exigit fidem. Idem. lib. 2. epist. 52.

Idem lib. 7. epist. 5. Ablatas Iudęis Synagogas præcipit restitui quia circa eos temperantia magis vtendum est, vt trahatur ab eis velle non reniti, non vt adducantur inuiti; quia scriptum est Psal. 55. voluntariè sacrificabo tibi, idest ex voluntate mea confitebor tibi, & addit ne hoc tempore, dum instat hostis, diuisus sit populus.

Id. lib. 11. epist. 15. dicit Iudæos non debere opprimi, ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat prouocare, pellat procul aduersitas. prouocentur potius mansuetudine, vt sequi nos D velint non fugere.

Matth. 13. Dominus prohibet seruis ne eradicent zizania, ne simul eradicent & triticum, quia patientia Domini sæpè facit de zizania triticum, Si zizaniis Dei patientia non subuenisset, nec Matthæum de publicano Euangelistam, nec Paulum de persecutore Apostolum Ecclesia possideret. de eo dum quæreretur Ananias. act. 9. & persecutorem diceret, tunc Dominus prædicatorem sciebat & vas electionis, Chrysol. serm. 97.

Deut. 27. præcipit Deus altare sibi erigi, de lapidibus quos ferrum non tetigit, significat legem Christianam inuitis auditoribus vi non imponendam sed calce leuigetur, idest populus suaui E mulceat prædicatione. Rupert. in Deuter. lib. 2. cap. 4.

Itacius Episcopus multorum Episcoporum sententia damnatus fuit, & communione priuatus, eo quod existens accusator Priscilliani, fecisset eum capite plecti. Partes eius tuebatur Maximus Imperator & ni absolueretur, minabatur milites armatos mittere in Hispaniam qui hæreticos trucidarent, ne id fieret, & tempestas illa etiam fideles obrueret, Martinus Tyronensis maluit absolutioni subscribere. vnde postea pœnituit grauiter & 16. viuens annos ab omnibus se Episco-

porum conuentibus se remouit. Concil. Treuirense an. 386.

Fratres obseruate eos qui dissidia & offendicula contra doctrinam, quam vos didicistis gignunt, & declinate ab illis. Roman. 16. non dixit aggredimini, & manus conserentes decertate, sed declinate ab illis. D. Chrysost. hom. vlt. in epist. ad Roman.

Vide Minoritas Contrarietatis. Non cogere.

Iurisiurandi contempta Religio satis Deum vltorem habet. l. 2. Cod. de reb. cred. quod est intelligendum de periurio in Deum, non in Principem qui periurii in se commissi vindex est, vt Deus, si per Deum peieratum sit. Cuiac. Obser. lib. 2. cap. 19.

Præsidibus prouinciarum præcipitur, nullos admittant quæsitores hæreticorum, quam potestatem sæpè nefarii quidam à principe postulabant, vt sub hoc prætextu calumniis onerarent, & expilarent plebem innocentem & piam. Idem in Nouell. 15.

Asa non occidit aliquos ex Israëlitis qui fuerunt idololatriæ tempore regum priorum, sed hortatus est eos vt quærerent Dominum in toto corde suo, & fecerunt sic, componentes fœdus cum Deo. Tostat. in 2. Paralippo. fo. 207. c. 4. f.

Iudæi lege sic decernente, cogebant eos quos habebant in sua potestate ad Iudaismum, vt seruos, 1. quia si fuissent infideles non potuissent edere de sacrificiis, & onerosum esset eis alios cibos prouidere. 2. lex Moysi erat tantum data vni populo, sic per coactionem augebatur. 3. quia consistebat in actibus exterioribus. Nam dilectio Dei & proximi sunt de lege naturali. At cessant illæ rationes apud Christianos; quia non est apud nos distinctio ciborum: lex Christi omnibus data est, hęc non suscipitur nisi à volente, quia consistit in actibus interioribus fidei, ad quos nullus vi potest cogi, &c. Tostat Matth. to. 7. fo. 178.

Gothorum superstitio fuit, vt cum cœlum tonaret, quasi Dij sui aliquid aduersa paterentur in cœlo touitrui fragores imitari æneis malleis, & sagittas in cœlum mittere, velut Diis suis auxilium daturi; & hæc superstitio durauit vsque ad an. Christi. 1130. Olaus Magn. lib. 3. cap. 8.

Pagani non subiacent Iurisdictioni Ecclesiasticæ. *Vide Differentia Potestatis* Distincta iurisdictio.

Matth. 13. prohibet seruos colligere zizania, ne simul eradicent triticum; quod dicebat, vt bella & effusionem sanguinis prohiberet. Nam si trucidarentur hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur, cum hæreticis multi sanctorum interimerentur, & quia verisimile est ab ipsis zizaniis multos in triticum conuertendos. Non prohibet autem conciliabula hæreticorum dissipare, ora struere, libertatem loquendi concidere; D. Chrysost. hom. 47. in Matth.

Principes Christiani cum Iudęis non possent imperare Christianam religionem, quia nemo cogitur credere inuitus, vt paulatim minuerentur prohibuerunt nouas synagogas ædificare l. vlt. Iudę. vide Cuiac. Obseru. lib. 16. cap. 3.

Paganis Valentiniano Imperatori supplicantibus vt liceret Diis suis aras ædificare, restitit. D. Ambros. ad eum scribens epist. 30. Ara, inquit Christi dona tua respuit, quoniam aram simulachris fecisti; vox enim tua, manus tua, & subscriptio tua, opus est tuum, obsequium tuum

A Christus Dominus respuit, quoniam idolis obsequutus es. Dixit enim; Non potestis duobus dominis seruire.

HÆRESIS.

MAtth. 4. discipuli periclitantur in turbato mari, itaut nauicula impleretur fluctibus; quia tot ferè sunt in Ecclesia hæreses, quot diuinæ legis quæstiones. D. Chrysolog. serm. 21.

De fidei impedimentis. Bernard. quadr. 1. serm. 27.

De hæresibus liber Ioan. Damasceni.

B De Religionum prophanarum errore. Iul. Firm. Bibl. Patr. to. 4.

Hæresis nata ex nimia Prælatorum adulatione & complacentia. *Vide Contrarietas Potestatis.* Potestatibus quando licet resistere.

Nobis & hæreticis nec fides, nec Ecclesia communis. Cypria. ep. 73.

Hæretici sunt portæ inferorum. *Vide Medium Minoritatis.* Malum consilium.

Obsecro vos fratres vt obseruetis eos qui dissidia & offendicula contra doctrinam quam vos didicistis, gignunt, & declinetis ab illis; nam qui tales sunt Domino nostro Iesu Christo non seruiunt, sed suo ventri & per dulces sermones

C decipiunt corda innocentium. Roman. 16.

Quæritur si hæretici quęrentes veritatem non cognouerunt nonne iniustum est eos propterea puniri. Responderetur eos inuidia & ambitione aberrasse, nec ex toto corde quęsiuisse veritatem, à Deo qui eis aperuisset, dicit enim; Omnis qui petit accipit, & pulsanti aperietur. Iustin. Martyr q. 4. ad orthodoxos.

Saturnus in nona facit hæreticum. Cardan. Aphor. sect. 4. Aphor. 134. & si Luna, Mercurius & dominus ascendentis fuerint in bicorporeis, alienæ legis erit particeps. Ibid. sect. 5. Aph. 183.

Claudicationes, obliquitates conuulsiones

D sunt à luna damnata. Idem sect. 6. Aph. 8.

De hæresium origine & malignitate, vide quæ scripsi moralis Christiana. to. 1. parte 2. cap. 4.

Hæresis procedit ex hominibus non bene de fide sentientibus ad prælaturas promotis. *Vide Concordantia Potestatis.* Assimilari rectoribus in malo.

Oportet hæreses esse dicit Apostolus, supposita scilicet hominibus innata malitia, qua fit vt falsa veris, vitia virtutibus misceantur, sicut zizania tritico, mali pisces bonis in eadem sagena; Ex hac tamen vix vitabili malorum illuuie, fidelibus multiplex contingit bonum, primo quod se videant hęreticos vt potentia, dignitatibus, sic numero superare. Æterna sibi-

E que constans ab origine sua manet Ecclesiæ veritas, per omnes mundi partes, instar arenæ maris diuina benedictione multiplicata, at hæreses in angustum paucis in locis contractę, singulares sunt ab inuicem diuisæ, nec sibimet ipsis sub vno nomine consentientes, vertentibus annis, oriuntur, variantur, occidunt, velut monstra sterilitate damnata, postquam fidelium vires suis exercuere temporibus, tandem contrita sacris annalibus in trophæum affiguntur, spumantes fluctus sunt ad immotam Ecclesiæ

rupem illisi, qui quoties franguntur toties soliditatem eius commendant. Tenebris prius erat obsita doctrina, quam à patrum vel traditione vel scriptis acceperamus, & sola fide constans, velut rationi naturæq; nullatenus consentiret, eam oppugnare volentibus opportuna videbatur; at nunc acutissimè discussis omnibus articulis fidei, à contradictione vindicatis post tot hæresum pugnas, Ecclesia nullos habere potest nisi deuictos hostes, nulla subtilis difficultas cui non sit parata responsio; serpentis dentes auulsit, exhausit venenum, vt iam ab eo nihil timere debeat. Cum igitur Theologorum militari Theologia factum sit, vt hæreticis iam in sermone deficiat ars, eam ad opera conuertunt, morum reformationem profitentur, & omnes hac virtutis larua fictis suis falsi conuictis, subsidium aliquod afferre conati sunt; & hinc etiam Ecclesia proficit, vt ipsi necesse videatur hæreses esse; suos enim æmulatione prouocat vt fidem probent operibus, & ne patiantur in officio sibi proprio, ab hostibus se superari. In naturam suam ficta citò redeunt; mentitos probitatis vultus tunc deponunt hæretici, cum assiduitate nimium suam læserint patientiam, & testis, cui placere voluerint, defecerit. At Catholicorum solida virtus, Deo non hominibus placitura optaret potius tegi quam apparere, nisi foras eam euocaret charitas ad ædificationem proximi, & ad hæresis falsa pro vero substituentis, confutationem. Sic igitur oportet hæreses esse, vt Ecclesia Christi Domini singularem patientiam imitata, humano generi communem non aborreat; vt cœlestis doctrina fiat exercitatione dilucidior; poscenti credibilium rationes dare parata, vt toties victrix spes aliquid mouendi procellosis mentibus auferat, & æmulatione sanctissima, fideles ad perfectum charitatis opus exstimulet. *Ex principiis.*

Vide Contrarietas Cognitionis. Et *Voluntas Veritatis. Repugn.* Veritas odium parit.

Sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Rom. 8. idest quandiu manet sapientia carnis; ac si diceret malitia non potest esse modestia, neque scelus, virtus. D. Chrysostom. homil. 13. in epist. ad Roman.

Vt vidit diabolus homines aliquid prauum ac corruptum dixisse, effecit vt omnes consentirent, & si aliquid veri & sani sint loquuti, alios in ipsos concitauit; vt neque exciderent absurda consensu confirmata, & diffluerent vtilia variè intellecta D. Chrysost. hom. 7. in 1. ad Corinth.

Creatura spiritualis separata potest immutare phantasiam naturali virtute, non per imperium inducendo formas in organo phantasiæ, sed per aliquam commotionem spirituum & humorum; patet enim quod aliqua transmutatione in his facta phantasmata apparent, vt in phreneticis & dormientibus, & ad humorum mutationem dicuntur res quædam naturales vim habere quibus vtuntur magi. D. Thom. in quæst. disput. q. 6. a. 3. ad 13.

Vulgi opiniones sunt contraria veritati. Vide quæ scripsi moralis Christian. to. 1. parte 1. cap. 5.

OPPVGNATA MILITANS Ecclesia.

Confitentur & colunt omnes præsidentem mundo diuinam prouidentiam, æquissimis æternisque legibus, cœlorum motus, elementorum commercia, specierum distinctiones sic optime regentem, sic partes in vniuerso contemperantem vt nobiliores & illustriori qualitate donentur, & in loci distributione, sedes teneant eminentiores. Mirum est spectabilem hunc ordinem rebus materialibus à Deo dictum, in humana societate non inueniri, sed malos brutis simimiles, fœlictores existere, bonos aduersis exagitari, velut ex professo iustos, diuina iustitia profligaret. Diximus tit. *Virtus Contrarietatis.* Hæc ita contingere vt excellens virtus his ignibus purgaretur, perficeretur, probaretur. Consentit quidem ratio, sed hæret sensus & durum semper videtur iustum hominem, dignum imperio, subiici pessimis; leges, iras, & contumelias eorum pati, vt ad hoc occultum prouidentiæ munus, placidè se componerent animi, necesse fuit speculatiuas rationes fulciri magnis exemplis, & proponi totum aliquod illustre, quod vltro partes sequerentur. Christo & Ecclesiæ militant fideles omnes, & hos duce; sequi cum agitur de regni cœlestis consecutione, summum virtutis est. At Christi Domini vita, in paupertate, humilitate, laboribus exacta, longum fuit præcedens, vltimũ sæuissimum, quo tandem concluditur, martyrium. Ecclesia sponsum sequitur, suisque resplendet radiis, mediis in persecutionibus nata, illis ipsis creuit, & toti mundo fortior legem dedit. Ne vero victricis gloriam nimia quies obscuraret, quotidianis exercetur internis externisque præliis. Nulla virtus sine multiplici superanda morum defectione, nulla veritas quam non multiceps vitiorum hydra, venenosis morsibus imperat, duplici gladio conficienda. Ecclesiam rectè pingunt velut nauem contrariis ventis, procellosis fluctibus pulsatam, inter rupium & prædonum imminẽtia pericula, naufragio, quod nunquam tamen patietur, proximam. Hac vehuntur fideles omnes communi periculo, etiam vnicuique singulari sorte, vt æternitatis portum per labores postmodum nunquam desitura quiete contingant. Sic vincit, vt semper militet Ecclesia, inter coronas nunquam secura vt aliquid remittendum sibi putet de morum, de doctrinæ sinceritate, cum se videat obsessam à tot hostibus, qui ex minimo defectu maximas clades sint illaturi. Non sufficit generalis prælatorum vigilantia, si non ipsis consentiat subditorum cum operibus fides; quid enim præstabit dux sine milite, & Concilium Ecclesiasticum, sine plebis in bonum & verum zelo. Oppugnabitur, sed militabit, sed superabit etiam in singulis Ecclesia, saluté referet ex inimicis suis, & faciet ex tentatione prouentum. *Ex principiis.*

Ecclesiæ Catholicæ & arcæ Noë pulchra comparatio. Inno. III. const. 5. p. 75. & Ioan. 22, const. 3. §. 15. p. 170. Bull. to. 1.

Digitized by Google

runt enim in corpore aëreo resurrectionem debere fieri.

Exod. 12. præcipitur ne ossa agni Paschalis frangantur, ossa verò conterunt agni, qui malè intelligunt eloquia diuina; & illa ad suam impietatem detorquent. Theod. in Exod. quæst. 24.

Leuit. 10. ignis qui cœlo lapsus primas victimas absumpsit, alebatur perpetuus in altari, & oportebat eo sacrificia offerri; Nadab & Abiud filii Aaron, qui ignem alienum & factitium obtulerunt, absumpti sunt: ignem alienum offert, qui ad sacram Scripturam addit proprias & hæreticas commentationes. Idem in Leuit. quæst. 9.

Pueri Isaac fodiunt puteos olim effossos ab Abraham, sed zelantes Philistei eos replent terra; de hæreticis qui corrumpunt scripturas & peruersè sanctos Patres interpretantur. Origen. hom. 13. in Genes.

B Ezech. 16. Hierusalem meretrix ædificat lupanar suum in capite omnis viæ, vt alliciat transeuntes: sed quid dicit Scriptura Prouerb. 5. Fili ne intendas in malam mulierem, mel enim distillat de labiis eius. Ingressa est ad Moysen, ad Esaiam, ad Hieremiam, & de Scripturis eorum sibi mella collegit, hęc, inquit hęreticus, dicit Moyses, Isaias, &c. Idem homil. 8. in Ezechiel.

ALIA VERITATIS CONTRARIA.

Vide Contrarietas Cognitionis.

C Mens & iudicium excæcatur amore proprio. *Vide Voluntas Bonitatis.* Amor sui inordinatus. Muneribus. *Vide Potestas Bonitatis.* Munera corrumpunt.

Venena consultantium, sunt affectus, auersio, amor, odiumque, inquit Ptolom. in centiloq. plurimum autem nocent comite eloquentia. *Vide Maturitas Cognitionis.* Eloquentię contemptus.

Num. 20. Edom non vult permittere Israël transire per terram suam. Sic Iudæi impediebant ne Christus annuntiaretur in Synagogis; tales sunt qui missos à S. Pontifice Religiosos, vetant prędicare.

A Conscientia nihil est aliud quam applicatio scientiæ ad aliquem specialem actum, in qua potest esse error, aut quia id quod applicatur non est verum, aut non bene applicatur: sic Ioan. 6. dicitur, Venit hora, vt qui interficit vos putet se obsequium præstare Deo. D. Thom. in quæst. disput. de conscientia. a. 2. & vide tit. proximo. lex naturæ.

Non omnis conscientia commendabilis est, est perturbata, tentationum agitata procellis, phantasmatum vndis illisa; inconstas est, erronea, discretionis non habens regimen, nullo prudentiæ pollens consilio; supra vires nititur, vnde repercussa, cadit in desperationem & desidiam. Est conscientia obliqua quæ spiritualibus passionibus seducitur, sibique facit licere quod libet; sub zeli specie vacat detractioni, iocis inanibus, sensualitati, sibi rationes fingit, intus reclamante gratia, vt benè agat, intelligere negligit; hæc difficile corrigitur, quoniam vt plurimum veritatem cognoscendo delinquit. Est conscientia damnabilis quę noscit delictum, sed peccare fatetur, & tamen vitiorum serua, in omne nefas ruit præceps Sine vllo mortis & iudiciorum metu; hæc sine speciali gratia vsque ad finem incorrigibilis perseuerat. At recta conscientia est, quæ irradiata diuino splendore sincero rationis examine facienda, ac non facienda discernit, & semper potiora sectatur. Laurent. Iustinian. de contemptu mundi. cap. 3. Quæ sit vera conscientia, *Vide Veritas Cognitionis.* ex eodem.

Librarii scribunt, non quod inueniunt, sed quod intelligunt, & dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos. D. Hieron. ad Lucinium.

Apud Hebræos reperitur sylua maxima ambiguorum nominum atque verborum; quæ res diuersæ interpretationi materiā præbuit, dum vnusquisque inter dubia, quod sibi consequentius videtur, hoc transfert. Idem in Apologia aduersus Rufinum.

Vitiosissimum docendi genus, deprauare sententias, & ad voluntatem suam scripturam trahere repugnantem. Id. Paulino.

Nunquam ad liquidum fama perducitur; omnia illa tradente maiora sunt vero; fugisset Alexander ex Asia si hunc fabulę debellare potuissent. Q. Curtius lib. 9.

PRINCIPIVM VERITATIS.

DE IDÆIS, ET REGVLA AGENDORVM.

D. August. lib. 1. de ordine cap. 3. præcipit adolescentibus, vt aliquid præter Codicem secum agat, & secum habitare consuefaciant animū, quod sibi dicit esse fātliare.

Deus dat vnicuique ex æquo conuenientem sapientiam, & agendorum Idæam, *Vide Principium Cognitionis.* Deus.

D In oratione sententiæ à sensu dicuntur, quasi intimum innatumque rationis sensum afficiant. Quintil. Inst. orator. lib. 8. c. 5.

Non temerè miranda diuinaque lex nomen menti proximum possidet νοῦς enim mentem, νόμος legem significat. Plato, lib. 12. de legib.

Hac lege naturæ omnium mentibus inscripta. Adam agnouit peccatum suum & se abscondit à

facie Dei. Cain fratrē occisurus eum clā abduxit à A parentibus & perpetrato scelere fratribus cōfitetur se grauiter peccasse. Sem & Iaphet operiūt pudenda patris, quæ irridens Cham, incurrit maledictionem. Theodoret. in Genesim. q. 57.

Contra academicos. Aug. to. 1.

De conscientia. R. Sorbon. Bibliot. Patr. to. 5. Petrus Cell. to. 6. & 9. Albert. tom. 19. D. Thom. q. 5. & 17. de verit. Gerson. tom. 2.

De Idæis. Plato in Parmenide. D. Th.

De mensuris sacris liber Aliazar. in Apocalypsim.

Conscientia, licet erronea obligat ad faciendum id quod ipsa faciendum dictat per modum præcepti, quia est lex interna, & ratio agendorum B Bonaci. de peccatis q. 4. pu. 6 Conscientia autem vim habet obligandi à lumine naturæ, quatenus indicat voluntatem sequi debere intellectum, tanquam ducem, & proximam suam regulam: cum enim voluntas nostra sit cæca, duci debet ab intellectu, Ibid. quæ sit falsa conscientia *Vide Contrarietas Veritatis*.

Omnis ratiocinatio deriuatur à principiis naturaliter notis, & omnis appetitus eorum quæ sunt ad finem, deriuatur à naturali appetitu vltimi finis.

Prima principia, quorum cognitio est nobis innata, sunt quædam similitudines increatæ veritatis.

Deus creauit hominem ad imaginem suam, id-C est secundum similitudinem & idæam quam de homine formauerat Deus. Sic doctores Hebræi quos citat Ioseph. Voisin de lege diuina. cap. 4.

Magister se habet ad discipulum, vt medicus ad sanandum, vtque principalius sanans est natura interior, sic principium principaliter causans scientiam & intrinsecum est lumen intellectus agentis, quo causatur scientia in nobis, dum deuenimus per applicationem vniuersalium principiorum ad aliqua specialia quæ docet vel magister, vel experientia D. Thom. in quæst. disput. q. vn. de spirit. cratura a. 9. ad. 7.

Conscientia est intellectus nostri lex, quia est iudicium ratione ex lege naturali deductum. Ibid. de conscientia. a. 1. ad. 1.

Prima principia sunt instrumenta intellectus agentis, vt dicit commentator 1. de anima. D

Innatas veritatis species offendunt obscura caligine corporeorum affectus. *Vide Virtus Cognitionis*. scientia cum pietate.

Ratio prognantem animum, doloribusque plenum obstetricatur; omnes enim animæ natura concipiunt, sensu sustinent dolores, pariunt rationes. Quemadmodum autem natura non producit quicquam nisi ex semine, ad eius similitudinem vnde procedit semen, sic animus si veritatem intelligit, necesse est verarum similitudinibus rerū imbutum esse, quas sempiternas esse dicendum est. Maximus Tyrius serm. 28. Sine artificio, sui doctor est purus animus, sic animalia non nisi E à seipsis proprias actiones ediscunt; etiam habebit indigenam veritatis idæam, quæ ducis instar cæteras facultates velut sopitas ad officium excitet & dirigat. Vt quædam corpora impulsibus, patentia, vbi semel ab impellente manu motionis initium acceperint, eam diutissime seruant, sic mens sumptis à sensibus exiguis ad memoriam initiis latissime reminiscentiam extendit. hinc dicunt Poëtæ, memoriam esse matrem Musarum. Ibid.

Sol & Iupiter sunt domini veritatis Mars & Mercurius mendacij. Cardan. Aphoris. sectio. 5. Aph. 17.

Quod factum est in ipso vita erat, Ioan. 1. quod factum est in tempore siue viuum siue vita carens apparuit, omne hoc in spiritali factoris ratione, quasi semper vixerat & viuit, quidquid per ipsum factum est, etiam & in ipso viuit, sicut ars in animo artificis viuit; licet arca vel aliud quid ab ipso factum, pereat. Alcuin. in Ioan. cap. 1.

Lex æterna est ratio diuina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conseruari iubens, & perturbari vetans. D. Aug. lib. 22. contra Faust cap. 27. seu est decretum liberum voluntatis Dei, statuentis ordinem seruandum in partibus vniuersi. Suarez.

Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis, hæc enim lex & prophetæ. hæc breuis sententia latentem hominum velut regula dirigit conscientiam, vt speculum semper in manu ostendit absoluit, aut damnat. D. Hieron. epist. ad Celantiam.

LEX NATVRÆ.

Legem naturæ, Plato dicit esse cæterarum legum animam & mentem. Vt enim in rerum omnium ordine, est quoddam summum, ad quod cætera referuntur, sic omnis quæ in commerciis est iustitiæ, ad illam primam & æternam ordinatur.

Verbum Dei in nobis posuit sui similitudinem, cum sit λόγος seu ratio; in rationali spiritu lucere voluit, in eo posuit desiderium veritatis, desiderium vitæ, & legem æternam, per quam potest intrare in veritatem & vitam. Christus est veritas, vita, & via, appetimus ergo Christum. Charitas est via ad veram vitam. Card. Cusa excitatio. lib. 5. cap. 1.

Omnis cognitio veritatis, est quædam irradiatio & participatio legis æternæ, quę est veritas incommutabilis.

Dicitur l. 1. ff. de reg. Iur. Regula est, quæ rem quæ est breuiter enarrat, Non vt ex regula ius sumatur, sed ex iure quod est, regula fiat Ius autem illud est naturale. *Vide quæ scripsi in præfatione Iuris Naturalis*.

De iure naturæ per nos ipsi cogitare ac dicere debemus; de iure populi Romani, quæ sunt relicta & tradita. Cic. 1. de legib.

Pueri Isaac in omni terra fodiūt puteos & inueniunt aquā In omni anima inuenitur rationabilis sensus ad imaginē Dei, fides, pietas, Religio potest in omnibus inueniri; perfecti, omni animæ verbum Dei loquuntur; & inueniunt fructum. Origen. Hom. 13. in Genes. In vniuscuiusque nostrum anima est puteus aquæ viuę, est quidam cœlestis sensus, & imago Dei latens Mulier inuenit in domo sua verrendo drachmam quam perdiderat. Intra te est collocata imago regis cœlestis; cum enim faceret hominem ex initio Deus ad imaginem & similitudinem suam fecit eum, & hanc imaginem non extrinsecus, sed intra eum collocauit. Hæc in te non videbis quandiu domus tua erit sordida, quia talis ac tantus est pictor, imago eius obscurari per incuriam potest, deleri per malitiam non potest, licet superinducatur, terre-

nus auaritiæ, fulgens superbiæ, &c. Idem.

Ex lege naturali quam Deus scripsit in hominum cordibus, initia sumimus ac semina quædam ad perscrutandam veritatem, quæ semina si benè excolamus, fructum vitæ afferent in nobis in Christo Iesu. Origen. Homil. 11. super Numeros.

Ioannes dicit Iudæis de Christo, In medio vestrum stat quem vos nescitis, scilicet verbum λόγος hoc est ratio, cum interim non differant, vel de ipsius natura, vel à quo fonte & principio venerit. Id. homil. in Ioan.

Vnusquisque habet in semetipso fontem aquæ salientis in vitam æternam, orientem & rerectum à diuina sapientia, accipit qui diligenter se exercuerit, veniendo & inde hauriendo Ibid.

Ante legem peccatum mortuum erat. Roman. 7. hoc est non sic notum, cognouerant enim & qui ante legem vixerant se peccauisse, exactius vero id didicere lege data; quo quidem nomine maiori reprehensioni se illi obnoxios reddidere, neque enim perinde fuerit naturam habere quæ accuset atque vna cum natura legem etiam apertè omnia dictantem, si non fuisset lex. non fuisset mundus subuersus diluuio, exusta Sodoma; ita lex peccatum non produxit, sed occultum quod erat, patefecit; nam si non fuisset lex naturalis, homines bestiis deteriores fuissent; lex igitur data, subiungit Apostolus, vt peccatum appareat peccatum. D. Chrysost. homil 12. in epist. ad Roman. Idem asserit. hom. 13. super illud, quod enim ago non intelligo, idest sine lege, non sic apertam habeo cognitionem recte agendorum.

Sole clariora sunt, quæ veritatis sunt, & vbicumque quis intenderit, facile suam ipsius salutem apprehendet; si quidem aduertere voluerit, illamque non velut obiter quærendam putauerit. An in Palæstina occlusa sunt salutis negotia? an in modico orbis angulo? Non audisti prophetam Baruch. 1. dicentem, Quoniam omnes cognoscent me à paruo vsque ad magnum. Vtantur barbari & rustici in rebus spiritualibus, ea prudentia qua vtuntur in secularibus; Nonne facilius nunc est inuenire veram pietatem, quam temporibus Abrahæ, qui patre Idololatra natus & in medio nationis prauæ, Deum coluit, & alios colere docuit? Ibid. homil. 16 *Vide Magnitudo Veritatis.* communis omnibus veritas.

Conscientia est lex vbi lex deficit. Tostat. Iudic. fo. 77.

In prima ætate saluabantur homines per legem naturalem Id. Math. to. 7. fo. 250.

Prima principia iuris naturalis quæ audita quilibet approbat, & sunt omnibus nota, vt neminem sine causa lædendum. Secunda sunt quæ ex illis deducuntur per actum rationis. Id. Matth. to. 5. fo 61.

Ideo excusatio hominum non excusat à peccatis, quia lex naturę est cordibus inscripta. Vide quæ scripsi de iure natural. in præfatione, & theolog. natur. to. 3 parte. 3. cap. 10.

Quæ sit recta conscientia. *Vide Veritas Cognitionis.*

Os iusti meditabitur sapientiam, lex Dei eius in corde ipsius.

Lex naturæ primum dicitur inclinatio rebus ratione carentibus à Deo indita. vt Prouerb. 8. Quando certa lege & gyro vallabat abyssos, & legem ponebat aquis ne transirent fines suos; hæc inclinatio dicitur lex, quia est mensura ope-A rationis Suarez de legib. cap. 1.

Lex naturæ non tantum est indicatiua, sed etiam præceptiua boni, alioquin non esset lex cui proprium est imperare. Ib. lib. 2. c. 6. *Vide Potestas Veritatis.* legis imperium.

Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ ps. 118 quia quod à naturali lege accipiunt, derelinquunt. D. Hilar. in d. Psal.

LEGES A DEO.

B DE sapientiæ domo. Potho. Bibliot. Patrum. tom. 9.

De verbo Dei expresso. Hosius.

Deus miseratus ægrarum mentium errores & dolores, eis leges dedit in remedium, vt conciliaret, componeret, & in optimum reduceret temperamentum. Plato.

A primo rectore petenda est regiminis forma, à prima veritate tanquam à veri fonte, lex.

De fide à Deo reuelata *Vide Media Cognitio.* fides.

Gramen habet spinas similes tritici, nostro alimento non sufficientes, sed tantum bestiali: sic intellectus producit ex se rationes quasdam, sed insufficiẽtes nisi accedat cultura Dei, qui terrã hanc C colat, & fertilem efficiat Card. Cusa excitat. lib. 6. cap. 14. semen est verbum Dei. Semen omnium veritatum & virtutum, quia fructificat in Dei similitudinem, &c. Ibid.

Ex Platone lex est gubernandi ratio, formula quæ vera ad optimum finem per commoda media nos perducens, transgredienti pœnam, parenti præmium præfigens, quæ quia à summo est bono, in idem rursum refluit. Rhodigin. lib. 18. cap. 18.

Moyses hominum sapientissimus, leges Hebræis Dei nomine laturus à Physiologicis incepit, quorum genesim in sex diebus absoluit, dehinc humanam texit historiam ad illa vsque tempora qui-D bus à Deo legem accepit, vt intelligeret omnis homo eundem esse Deum qui fecit cœlum & terram, omniaque quæ in eis sunt & qui curat humanum genus, legibusque dirigit in finem. Nam moralia in naturalibus fundantur, nec potest bonus esse politicus qui physiologiam, historiam humanam, inclinationes hominum & Deum omnium authorem, ignorauerit.

Vide Principium Cognitionis. scientia à Deo.

Platonici, Stoici, Historici, horum singuli partem aliquam diuinæ rationis insitam sibi scriptis suis expressere. At quidquid vsquam apud omnes E scriptores rectè dicitur nostrum est Christianorum à verbo diuino traditum, scriptores omnes per inditum sibi rationis semen, non nisi obscurè potuerunt veritatem videre; aliud enim est semen quoddam, & inuitamentum quo ad fieri potest, aliud id à quo gratia hæc, & facultas pronanat. Iustinus martyr in apologia pro Christianis.

Lex naturę est à Deo. Vide quæ scripsi lib. de iure naturali cap. 1. prælndij. Seruiendum Deo sub his legibus quas nobis dedit. Moralis Christiana tom. 1. parte 2. cap. 2. Sapientia humana ex se non est capax condendi bonas leges. Sed sunt à Deo Ibidem tom. 3. parte 1. cap. 7. & 8.

Deus in principio legem non dedit, quam

postea per Moysem tradidit; quia in hominibus primis diu lex bonæ naturæ seruabatur, vt vbi naturalis lex euanuit, oblata consuetudine peccandi, data est lex litteræ per Moysen, vt bona quę sciebantur auctoritatem haberent, & quæ latere cœperant manifestarentur, & vt terror disciplinæ corrigeret delinquentes, & fidem reformaret in Deum. Alcuin. in Genes. interrog. 14.

De duplici lege primo homini data à Deo. *Vide Concordantia Potestatis.* Obedire rectoribus. ex Lauren. Iustin.

A enim illa in particulari sic poterant determinari vt essent immutabilia. Ib.

Vide Maioritas Medii. Mala, multitudo legum noxia.

Lex est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. D. Thom. d. loco a. 4. Hæc potestas ferendi leges ex sola rei natura in nullo singulari homine existit, sed in hominum collectione, hanc autem exercet princeps, quia ius hoc accepit à communitate. l. 1. ff. de const. princip. Suarez. lib. 3. de leg. cap. 2.

LEGVM ORIGO HVmana.

DE iuris origine. Cicero 1. de legib.

Decreta Pontificum sunt constitutiones Ecclesiasticæ à summo Pontifice vel solo vel Cardinalium Episcoporum consilio adhibito, aut vltro, aut aliquo interpellante factæ. cap. 1. de constitution. can. generali 25. q. 1. Si generalia sint omnibus. cap. 1. de constitutio. si specialia, iis quibus conceduntur, legem imponunt. can. ideo. §. neque enim 25. q. 1. can. priuilegia. dist 3.

Sanctorum dicta vim constitutionum habent, puta ea quæ collectore Gratiano, ex scriptis Doctorum Ecclesiæ, autoritate Eugenii tertii sub nomine decretorum iuris nomen & vim acceperunt, & sacris canonibus inserta sunt. d. c. 1. & tota dist. 20.

Stylus Romanæ curiæ, vbi ius non est contrarium in decisionibus allegari potest. cap. literas 1. de iuram. calum. Is est formula qua aulæ Romanæ curiales in rescriptis vel aliis negotiis expediendis vtuntur. cap. cum in causis de sent. & re iudic.

Ius canonicum dicitur à Græco κανὼν, idest regula, eo quod normam rectè & benè viuendi præbeat, vel quod distortum, prauúmque, corrigat. c. 2. dist. 2. Pontificium verò quod Pontificem Romanum authorem habeat.

Leges dederunt Moyses Hebræis, Phoronæus Græcis, Mercurius Trismegistus Ægyptiis, Solon Atheniensibus, Lycurgus Lacedæmoniis, Numa Romanis, &c Isidor. Origin. lib. 5. cap. 1.

De legum latore & piæ congregationis institutore. *Vide Principium Concordantię.*

Conditor legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, legem æternam consulit, vt secundum eius immutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum, vetandumque discernat. D. Aug de vera religio cap. 13.

Lex naturalis vel diuina, generalis est, & solum complectitur quædam principia motum per se nota, & quędam quæ ex illis euidenter eliciuntur: pręter illa vero multa alia sunt necessaria in Rep. humana, ad eius rectam gubernationem & conseruationem, & ideo necessariæ fuerunt leges humanæ. D. Thom. 2 2. q. 91. a. 3.

Homo sociabile animal similium quærit societatem in qua quilibet non spectat quæ ad communem vtilitatem spectant, nisi à lege diligatur. Suarez lib. 1 de leg. cap. 3. Sic Deus substantialia quædam fundamenta instituit Ecclesiæ, quæ est spiritualis Respublica, reliqua per suos ministros in particulari disponenda reliquit, nec

B

VERA RELIGIO EST à Deo.

DE sanctæ Scripturæ authoritate. Hosius.

Genes. 29. Iacob reuoluit lapidem putei, circa quem tres erant greges ouium inde reficiendi. Christus dedit veritatis aquam salientem in vitam æternam. Iudæis, Samaritanis, & Gentilibus, qui habebant Scripturas valebant intelligere. Rupert in Genes. lib. 7. c. 26.

Quoties Apostolorum, & Prophetarum, siue etiam doctorum Spiritus sanctus ora aperit ad prædicandum salutis verbum, ad reuelanda mysteria scripturarum, portas cœli aperit Dominus, & pluit nobis manna ad manducandum. Id. in Iosue lib. 1. cap. 17.

C *Vera Religio non est ab astris, nec ab hominum industria, sed a Deo. Vide quę scripsi Theologia naturalis to. 4. parte 1. cap. 12. 13 15. 16.*

Festum Pentecostes celebrabatur apud Iudęos in memoriam acceptæ legis à Deo in monte Sinai, interpositis quinquaginta diebus post immolationem agni; & in lege noua significat descensum Spiritus sancti super Apostolos, quinquaginta diebus post mortem Christi, qui verus fuit agnus auferens peccata mundi. Alcuin. lib. de diuin. officiis cap. 26.

Accenduntur cerei in Ecclesia, non ad fugandas tenebras, cum etiam lucente sole accendantur, sed vt demonstretur quod de tenebris infidelitatis venimus ad lucem fidei, & vt signum lętitiæ sit, quatenus sub typo corporalis luminis, lux illa in memoria habeatur, de qua dicitur: Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ibid. cap. 36.

D Exclamat Isai. 33. 11. Dominus legifer noster, Dominus rex noster ipse saluabit nos; nam creaturas suas voluit ad se vt ad vltimum finem peruenire; eas itaque regit, viam docet, doctrina illuminat, consiliis monet, legibus cogit; sic lex omnis iusta in eum debet refundi; lex diuina ab ipso proximè dimanat, ciuilis ab homine tanquam eius ministro; non est enim potestas nisi à Deo. Suarez in præf. lib. de legib.

E Religio in duobus maximè consistit, in cultu scilicet interno & externo. Internus est quo mens nostra sentit de Deo in bonitate, idest concipit digna & congrua supereminenti suæ essentiæ, quam profundissima humilitate veneratur. Ad hoc quidem humana ratio peruenit, vt tribuat illi omnimodam perfectionem, omni communi nobis defectu liberam. Sed positiuas naturæ suæ dotes, vt personarum in vna essentia trinitatem nullus intelligit, nisi fuerit edoctus ab ipso, nam si quæ sunt in homi-

ne, [illegible] [illegible]er ipsum capit, quanto minus A quæ pertinent ad Dei superessentialem & infinitam bonitatem: sol solus imaginem suam in speculis & aquis purissimis exprimit viuam, quæ scilicet in alia corpora similes emittit radios, cum quidquid ad eius expressionem suis coloribus tentet pictura, obscurum sit, & sine luce mortuum, ita solus Deus perfectiones suas reuelat Ecclesiæ quæ nos de his credenda docet, & acceptas cœlitus illustrationes mentibus fidelium imprimit. *Vide Medium Veritatis*. Ecclesia proponit credenda, Vt autem constamus anima simul & corpore, vt intelligibilia pariter & sensibilia nobis quotidie Deus confert beneficia, donis non respondebit gratitudo, nisi colamus ipsum vt interno sic externo religionis cultu. Hic modis infinitis potest variari, sed ex omnibus is solus probandus, quem sibi gratum B esse manifestis docuerit indiciis. Nam si liberum vnicuique relinquatur seruare quem voluerit cultum, tot erunt ritus, quot personæ, imo vitæ dies in quibus singulis meas cuiuslibet potest variari. Cultus exterior potissimum institutus est, vt iisdem cæremoniis conciliatæ populi mentes in eadem fide conueniant, & de communibus sibi collatis beneficiis gratias referant in commune, at nulla foret in his communio si ad cuiusque arbitrium ritus variè confingantur, pugnarent quæ consentire debent vota, & externa contrarietas, transiret in fidei grauius dissidium. Ita necesse fuit internos externosque religionis actus à Deo præscribi. Reges, nobiles, etiam plebei, qualiter sibi velint à suis ministrari, legem dicunt. Plus apud Deum valet obedientia, quam effusus victimarum sanguis. At perfecta non est obedientia, quam determinat propria voluntas. Imo nulla esset externi cultus obligatio, si diuina lege non præscriptus relinqueretur singulorum arbitrio. *Ex principiis. Vide Minoritas Finis.* Indeterminata non valent. *Vide Æqualitas Virtutis.* Idem ritus religiosus.

MEDIVM VERITATIS.

PRÆDICATIO ET MISSIO EVANGELICA.

VIDE *Magnitudo Veritatis*. Communis omnibus debet esse veritas.

Dicit Deus homini, Crescite, multiplicamini & replete terram, multiplicamini Ecclesiæ fœcunditate; ne in vno concludatur cognitio Dei, sed in omnem terram promulgetur salutis Euangelium. D. Greg. Nyssen. orat. 2.

Prædicator est velut cœlum enarrans gloriam Dei, ipso cœlo multo melior, animam possidens pulchritudine cœli splendidiorem, cœlum namque licet sit tanto tempore visum, non tamen admodum permouit; Paulus verò exiguo concionatus tempore, totum orbem attraxit, cœlo suus positus est terminus, mentis Pauli sublimitas omnes cœlos transcendit, ipsique Christo conuersatur. cœlum sæpè nubes obtegit, Pauli mentem nulla obnubilauit tentatio. D. Chrysost. hom, 18. in epist. ad Roman.

Vide Supra Potestas Veritatis. Vis sermonis diuini. *Et Virtus Differentia.* Missio Euangelica.

Nullius rei pretium est cum anima conferendum, ne totus quidem mundus, quamobrem etiãsi diuitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficies, quale is qui conuertit animam: qui enim pretiosum educit è vili, is, Hierem. 15. erit tanquam os meum, nam magnum quidem est bonum misereri egenorum, sed nihil est tale, quale liberare ab errore, qui enim hoc facit, fit sicut Petrus & Paulus: id liberius exequi possumus tempore pacis, cum non sunt subeunda pericula, etiam domi familiariter docendo, D. Chrysost. homil. 3. in 1. ad Corinth.

Assidua & constans debet esse prędicatio. *Vide* B *Duratio Virtutis*. constans admonitio. Non nimis curiosa. *Vide Maioritas Cognitionis.* Mala.

Addit D. Chrysost. si non possis orbem terrarum seruare, noli paucos dispicere propter magnorum desiderium, ne te à paruis subtrahas, si non possis centum, decem cura, si non decem, saltem vnum; & si ne vnum quidem, age tamen quod in te est, negotiantur in argento & minimis, qui nonn possunt in auro & maximis. Fit vnusquisque diues & parua & maxima colligens. Ibid.

Vide Principium Cognitionis. Alios docere. *Et Medium Virtutis admonitio.* Prædicator potest petere stipendia pro necessitatibus vitæ, *Vide Gloria Virtutis.* Remuneratio virtutis.

Canit Propheta. Psal. 112. qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Verè enim ac solidè virgo mater gaudet quæ spiritus C opere immortales liberos parit, sterilis ob temperantiam à Propheta appellata: hæc vita vim mortis superat, at corpore liberorum procreatio, non vitæ magis, quam mortis occasio hominibus extitit. S. Gregor. Nyssen. lib. de virginit. cap. 13.

Contemnunt materiales diuitias & lucrum longè maius, quod alii non assequuntur, ambabus manibus captant, hominum scilicet animas & in dilectionis thesauro depositas tenent. Idem. lib. de iis qui præmaturè abripiuntur.

Petro piscante habet Christus in manibus panem & fauum mellis, verbi diuini ministris adsunt, & necessaria & suauia. Christus enim hæc accipiendo ostendit quid remunerator conferat ex eod. orat. 1. de resurect. Christi.

Duplici immortalitatis corona donabuntur, tam pro propria, quam pro aliorum laudabili vita, quorum potissima extitere causa. Laurent Iustin.

De Apostolis qui Euangelium primò prædicauerunt. Vide quæ scripsi Theologiæ naturalis to. 4. parte 2. cap. 8. De Religiosis prædicatoribus. lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ. parte 3. cap. 12. & missionariis. cap. 13. & lib. de institutione & officiis Religiosi parte 4. cap. 15. & 20.

De zelo saluandi animas. Vide *Voluntas Potestatis.* Appetitus dominationis bonus. *Et Cognitio Voluntatis.* Amor qui se profert.

Apostoli tota nocte piscando laborantes nihil capiunt, Christo iubente concludunt magnam piscium multitudinem. Noli præsumere prædicare nisi mittaris, nam sine diuino iussu mortalium non emolliuntur corda: sic de se Propheta, Misit Dominus manum suam & tetigit os meum, & dixit, Ecce dedi verba mea in ore tuo, sola sapientia est quæ aperit os mutorum; Dominus dat verbum Euangelizantibus virtute multa. Laurent. Iustin. de Christi agone cap. 27.

Si Deum honorare conaris, non aliter melius quam in hominis salute poteris agere, in aduentu & vita Christi, nihil aliud reperies, nisi paterni honoris, & salutis animarum zelum. Idem egerunt Apostoli Christi spiritu in illis operante; sic excolitur vinea Domini; odor optimus charitatis & sanctitatis fragrantia immola Deo sacrificium laudis. Id. de complanctu Christianæ perfectionis.

Constitues eos principes super omnem terram. Extolluntur Apostolorum merita, quoniam animarum zelo, & honoris Dei excelluerunt, quippe propinquiores verbo, & spiritualibus donis locupletiores. Id. serm. de S. Mathia.

Qui sunt isti qui vt nubes volant. Isay. 60. Omnibus mobilibus mobilior est sapientia Sap. 7. Religiosi propter promptam ad missiones obedientiam, videntur habere alas. ex D. Bonauentura.

Perfecta charitas tristatur de proximi defectu spirituali. *Vide Magnitudo Voluntatis.* zelus torquens ob aliena peccata & de profectu congaudet. *Vide Concordantia Gloriæ.* Congaudere quia cum secundum Dionysium, charitatis ardor sit virtus vnitiua, nititur diuersitates mentium incendere, liquescere, conflare, & in vnam speciem auri reformare, Id. de 7. itinerib. æternitatis, vbi de signis charitatis.

Idem Ibid. dist. 5. ex D. Doinysio explicat amorem Seraphim per proprietatem ignis qui est in perpetuo motu, sursum vt perueniat ad centrum suum, deorsum vt materiam conuertat in se & illuc transferat. Et sicut ignis data materia nunquam cessat, sed vndantium flammarum flexu, quo maior est, eo longius quærit; talis est missio Euangelica in exteras prouincias. Alia enim ignis proprietas est caliditas quæ inclinat in dilationem & diffusionem sui in omnem partem. Alia proprietas ignis est quod sit acutus omnia penetrans; sic charitas Apostolica, exteras regiones ferreasque mentes penetrauit.

Prædicatores cum docent censentur facere miracula. Vide *Potestas Medij.* Ex Origene.

Præclarum est religionem protendere. *Vide Voluntas Maioritatis.*

Congregationem pro fide Catholica propaganda instituit Greg. 15. const. 26. [illegible] p. 310. to. 3. fit semel in mense coram. S. Pontifice & bis in domo antiquioris Cardinalis, superintendit missionibus ad prædicandum, ministros constituit & mutat. Ib.

Est opus misericordiæ spiritualis hæreticos ad fidem catholicam conuertere. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ p. 2. cap. 28.

Fœminæ non debent prædicare. *Vide Principium Cognitionis.* Alios docere.

B *MISSIONIS EVANGELICÆ dignitas.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Illustrior offerri non potest occasio in qua simul ad Dei gloriam se diffundat hominis charitas & imitetur summam bonitatem Christi Domini, qui vt impleret voluntatem Patris animam suam pro nobis posuit.

MAGNITVDO. Is quem sic agit spiritus Dei, sentit se non vni terræ angulo natum; C videt autem orbis Christiani partes sic ad satietatem edoctas, vt plus sit operariorum quam messis, & in fastidium diuina transeant, nisi decorem quo placere possint, ars addiderit. Interea cogitat vastissimas alias mundi regiones incultas; Religionis gentes ignaras, feris moribus, solo corruptæ naturæ ductu, instar bestiarum sensibus addictas, nihil de futura ad quam creatæ sunt beatitudine, nisi peruerso quodam iudicio cogitantes, sic ne populos cæcutientes nullus diriget, pereuntibus præstabit auxilium? hos nobis consanguineos effecit natura, barbaros opinio, & diu negatum à nobis quod præstare debueramus subsidium. Agnoscamus fraternas animas ab eodem Deo parente D natas, Christi Domini sanguine redemptas, vt ad cœlestem hæreditatem æquo iure venirent. quid moramur hæc ignorantibus adesse consilio, vocare sua negligentes ad commune bonum quod pluribus in id admissis, non minuitur sed augetur. Christus suos misit Apostolos non in vnam aut alteram ciuitatem, sed in vniuersum mundum.

DVRATIO. Parum est sanctos desertas illas nunc regiones olim peragrasse, fideique Christianæ præceptis imbuisse, si non ipsis hoc in opere fortiter vita functis succedant alij, qui quem accenderint ignem foueant, extinctum suscitent, legem obliteratam restituant, sicut fecit à E captiuitate rediens Nehemias.

POTESTAS. Hæc contemplatus audire sibi videtur vocem Dei dicentis, Quis ibit? & exemplo Prophetæ respondet, Ecce ego mitte me quò tibi placuerit, ius est: nam tua & Ecclesiæ tuę potestas nullis coërcetur limitibus. Charitati ministerium hoc implenti; salutem omnium sitienti, vt cœlum contingat & impleat, totus mundus angustus est.

COGNITIO. Hæc significauit Christus sic loquens Apostolis, Vos estis lux mundi, ipse Sol erat, cuius splendorem hi velut emanantes radij diffundebant per omnes populos, vt idem agnosceretur salutiferum, veritatis principium

VOLVNTAS.

VOLVNTAS. Quis Christianus non optet barbaros & infideles ad Christum conuerti, & cum id contigerit, de populorum salute, plusquam de reportatis victoriis Deo laudes non dicat? Cæteris vitam communem agentibus, sit hæc in votis & gratulatione pietas: at is qui sacræ militię nomen dedit, quod sanctum & Deo acceptum putat, implere debet operibus; proprium charitatis est statim diffundi, & quod agnoscit bonum, implere zeli cuncta superantis æstu. Ad se vocat pereuntium populorum necessitas, suos ad ferendum auxilium inuitat Ecclesia, pluribus sanctis in hac sacra militia ducibus; perit in cordibus charitas, si miseris etiam perire volentibus officiosè non occurrat.

VIRTVS. Non sine causa Religionem asserunt, primam virtutum moralium, cum eam in Euangelica missione suscipienda, cęteræ comitentur. Fortitudo soluit patriæ, parentum, mundanæ cupiditatis, timorisque vincula, vt Christo sacer liberè deseruiat; iustitia reddit miseris quod illis debetur auxilium; prudentia rebus cęteris posthabitis, agrum emit, occulto thesauro grauidum. Temperantia, carere voluptatibus in externis oris, inter feroces populos necessitatem indicit.

VERITAS. Sic prius bonis operibus, quam verbis Christiana veritas annuntiatur. Hanc potissimum sanctam agnoscunt barbari, quod homines nullis egentes in fœlici solo, impulerit in externum sibique durissimum, vt prædicationis fungerentur munere. Plus habet virium, si cesset omnis temporalis commodi, commerciique causa; nam ipsos sic amantes non possunt non amare, expositos doctrinæ sibi tradendæ causa, non possunt quin profusis affectibus excipiant barbari.

GLORIA. Si quidam sancti Confessores, studiorum & laborum suorum, amplum satis putant esse fructum vnius hominis animam saluasse; quid gentes integras docuisse fidem, posteris immortali serie tradendam? quis dubitet Apostolo etiam in cœlis nouas semper accidentalis gloriæ coronas multiplicari?

DIFFERENTIA. Turpissimum est si plus in suscipiendis longinquę peregrinationis laboribus possit in mercatore auri fames, lucrique temporalis cupiditas, quam in prædicatore animarum Christo comparandarum zelus. Non casu, sed certa prouidentia Saluator ex nauticis hominibus elegit Apostolos, scilicet ad superanda maris pericula pro disseminatione Euangelii promptiores, & vt intelligerent posteri hoc esse munus Apostolicum, externas omnes regiones celeri maris ventorumque ministerio lustrare.

CONCORDANTIA. Solent illæ magnæ nauigationes commercii causa suscipi, & prædicatio quæ debuerat esse principale, fit accessorium, sic filii tenebrarum prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua: si non pręcessimus, sequamur tamen, & moras compenset in posterum fixa, curam animarum suscipiens, nullis cedens periculis, administratio.

CONTRARIETAS. Plus videtur esse difficultatis in suscipienda, quam in conseruanda missione. Tunc enim hoc pietatis propositum charis omnibus valedicit, properantem terrent maria sæua tempestatibus, infesta piratis, qui perpetuam in triremis minantur seruitutem citra morte duriorem. Sed hæc gloriæ spiritualis pars est, tot malis imminentibus exponi pro Christo; toties mori, quoties se periculis obiicit illæsa pro fidei propagatione, constantia.

PRINCIPIVM. Euangelico prædicatori, contingit Abrahæ Christoque concessa benedictio, & illustris titulus fieri pater multarum gentium, quot merita, quot coronę refunduntur in vnum caput quod dedit initium fidei, per maxima terræ spatia postmodum propagatæ.

MEDIVM. Magnum hoc opus totum efficit miserantis Dei gratia, non qui rigat tanti fructus parens est, sed qui incrementum dat Deus; præclarum tamen est in hoc fieri ministrum diuinæ prouidentiæ; conceptos charitatis ardores, magnis in periculis, magnis etiam propositis pręmiis fortiter explicare.

FINIS. Propositum est seruire Deo, sequi quam ostendit viam, quos impressit motus; fidem, charitatem, quam voluit accendi, quantum concesserit, vbique locorum, ferre, propagare. Hoc in bello si vita deficiat, melius non potest impendi; si supersit, in posterum decernentis prouidentiæ legibus manebit oppignorata.

MAIORITAS. Maiorem charitatem probat maior in opere superata difficultas. Plus est apud exteras gentes, cum assiduis vitę periculis & incommodis, iniuriis & probris Euangelium prędicare, quam eo munere fungi, inter suorum, principum, & populi plausus, suauiter & dulciter fluente vita quam coronent speratæ supra communem sortem infulæ.

ÆQVALITAS. De martyrio loquens Tertullianus dicit oportuisse fidem habere aliquem spei cumulum, cui studium suum cogeret, votumque suspenderet, quo eniteretur ascendere, cum terrena quoque officia in gradu æstuent. Sic inter prædicantium munera, illud eminet hoc innocenter potest ambiri quod pręstatur infidelibus huic prædicationi, etiam dum pax est Ecclesiæ, non deficit, martyrium præcedit, affectu, sequitur prout Deo placuerit, interdum exemplo suo mortui quam viui martyres plus ad fidei propagationem contulerunt.

MINORITAS. Quid est mortalis vita, nisi folium quod vento rapitur, intumescens, & quæ statim euanescit bulla, quotidianis mille casibus frangi facilis. Hoc tamen rerum minimo hic ingentia præstat, in cœlo conquirit charitas; æternum est quod spirat, quod obtinet vita mortalis in Dei gloriam laboribus & periculis fortiter impensa.

VARIA MEDIA COgnoscenda veritatis.

ANgulus rectus est primus, per quam alij definiuntur, quia obtusus maior est recto, acutus minor, ideo cum per plus & minus differant, non differunt specie. Albert Magn.

Lapis Lydius metalli colorem latitantem excipit, proditque naturam eius. Cardan. de rerum varietate. cap. 18. lib. 5.

Plato 7. de Republica dicit Dialecticam esse cæteris disciplinis velut sepimentum & vallú, sine quo vera sententia à subtili oppugnata concidit.

Philo Iudæus lib. de agricultura, Dialecticam

iuuene quem accusat maritus, admouentur tormenta, iuuenis impatiens confessus est quod non admiserat, mulier constanter negauit, vterque damnatus ducitur ad supplicium; ille occiditur, hæc sæpius icta vixit, demum admoto iugulo mucrone, visa est mori; sublatum cadauer reuixit. de qua sic D. Hieron. ad Innocentium. Oculis, inquit, quos tantum tortor alligare non poterat suspexit in cœlum, & volutis per ora lacrymis. Tu, inquit, testis es Domine Iesu, cui occultum nihil est, non ideo me negare velle ne peream, sed ideo mentiri nolle, ne peccem. At tu miser homo, si interire festinas, cur duos interimis innocentes? equidem & ipsa cupio mori, sed non quasi adultera, excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram.

Reus in tormentis desperatione interdum innocentes accusat. Vide *Maioritas Contrarietatis*. Desperatio.

MVLIRES.

Dalila secretum fortitudinis extorsit blanditiis suis à Sampsone, per Fuluiam amatam pretio corruptam Cicero Catilinam oppressit. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 45.

Amore extorquent, quod facilitate linguæ effutiant; ad secreta trahenda validæ, ad retinenda debiles. Vide *Potestas Voluntatis*. Amoris.

TESTES.

LEo III. falso accusatus à quibusdam è clero Romano, coram congregata Synodo & Carolo Magno Rege, sistit, sed cum suprema sedes à nemine iudicetur, ipse tactis, sacro sanctis Euangeliis se purgauit. Cæteri autem Episcopi si fuerint accusati à legitimis testibus, à Synodo iudicentur, si testes sunt insufficientes, & vacent omni suspicione, tactis sacris Euangeliis purgentur. Capit. Caroli Mag. l. 5. c. 24.

Hæretici non admittuntur testes contra Catholicos. Nou. 45.

Vox sanguinis Abel clamat ad Deum de terra, infandum facinus multa fatentur.

Constitutione Zenonis Imperatoris, si desint instrumenta, ad probationem, exiguntur quinque testes. Cuiac. Obser. lib. 8. cap. 13.

Iudex iudicare debet secundum ea quæ aguntur & allegantur in iudicio, quia tutior hæc est via & ratio finiendarum litium, quam si ex his quæ se scire putat, iudicet, nec enim fungi potest partibus testis & iudicis, sed si religione moueatur ne contra conscientiam iudicet, potest deponere personam iudicis & suscipere accusatoris. Ibid. lib. 12. cap. 19.

Odoratus & gustus sunt duo testes ad qualitates mixtorum deprehendendas. Vide *Duratio Cognitionis*. Mora ex Campanella.

Quibus testibus magis creditur. Vide *Maioritas Veritatis*.

IVRAMENTVM.

QVi testamento vel alia scriptura addito iuramento reliquit bonorum suorum descriptionem, huic credere, & fidem adhibere tenentur hæredes, non creditores. Nou. 48.

Nouell. 94. prohibet matres effectas tutrices aut curatrices filiorum, iurare quod ad secunda vota non transibunt, quia facile tale iuramentum violant.

Iurare ne consuescas, sapiens enim ait, vir multum iurans replebitur iniquitate, & non recedet à domo eius plaga, & Dominus in Euangelio suo vetat nos penitus iurare, sed tantum affirmare, ita est, aut negare, non est. Magna est Dei reuerentia, non illum passim, vt facilè testem adducere, non hoc debet nisi ab inuito & coacto fieri. Qui facilè in seriis iurat, in iocis iurabit, qui in iocis & in mendacio. Lud. Viues.

Summa debet esse iuramenti Religio. Vide *Duratio Voluntatis*. Et *non Iurandum*. Ibid.

ECCLESIA CREDENdenda proponit.

SVb. Tiberio reperta per Prouincias carmina Sybillina, examinanda data sunt sacerdotibus, qui quantum humana ope poterant, vera discernerent. Tacit. 6. annal.

D. Gregor. Papa in Registro lib. 1. epist. 16. præcipit Seuero Episcopo Aquileensi Romam venire, ad dubiam de fide causam terminandam.

De controuersiarum iudice. Gregor. Valen. lib. 3. 4. 5. 6. Hosius.

De visionibus veris & falsis. Gerson. tom. 1.

Deus volens homines ad beatitudinem peruenire, per rectitudinem intellectus & voluntatis, dat ducem visibilem, qui ipsos dirigat, & si particularibus olim hominibus Prophetis dedit infallibilitatem, maximè id concedit Ecclesiæ quæ est congregatio fidelium. Ephes. 4. dedit quosdam Apostolos, &c. ad consummationem sanctorum, in ædificationem corporis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ. Luc. 10. Qui vos audit, me audit. Ioan. 14. v. 16. Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis. Ib. & Ioan. 16. Cum venerit spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Et 1. Timoth 3. Ecclesia Dei viui columna & firmamentum veritatis. In symbolo dicimus, credo Ecclesiam sanctam Catholicam; non esset sancta nec Catholica si esset fallax, & in contraria mobilis. Isay. 59. Spiritus meus qui est in te, non recedet de ore tuo, &c. D. August. lib. 1. contra [...]resc. c. 33. & contra epist. fundam. c. 5. to. 6. Ego Euangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret authoritas.

Si licet vnicuique de sensu S. Scripturæ decernere, quasi quod asserit procedat ab interiori afflatu spiritus sancti non poterit conuinci, quia asserunt Caluinistæ doctoribus, quasi infallibilibus non esse necessario assentiendum, ergo talis Ecclesia caret medio certo, & determinato quo homines à schismate auertantur, & ad vnitatem fidei reuocentur; hæc fusius prosequitur Card. de Rhichelieu Controu. lib. cap. 9.

Dicitur Leuit. Et pones panes propositionis in conspectu meo semper. Id bene dicitur, inquit Beda, quia semper debet patere sermo salutis cunctis

fidelibus, nec vnquam deesse debet in Ecclesia verbum solatij.

Vide Duratio Cognitionis. assidua rerum diuinarum meditatio.

Vt innotescat principatibus & potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Ephes. 2. sic angelis per Ecclesiam manifesta fuit sapientia Dei. D. Chrysost. homil. 7.

Vniuersalis Ecclesia Christum proprium sponsum repræsentans, valet obligatoria præcepta imponere, ac etiam nouas indicere cæremonias D. Bernard. epist. 174. Ego quæ accepi ab Ecclesia securus teneo & trado. In libro Esther. Synagoga instituit nouum diem festum qui singulis annis celebrabatur 15. Mensis Veadar, idest Februarij. Exod. 18 Iethro dicit ad Moysem. Esto populo in his quæ ad Deum pertinent, vt ostendas cæremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant.

Agnosci Deus ab homine non potuit, nisi agnitionem sui ipse tribuisset; tribuit autem per scripturas, quæ tamen plenè non sufficiunt, nam & traditione multa propagata esse constat; & illa quorum in scriptura mentio fit, nisi cum interpretandi authoritate declarentur, varias & contrarias in partes argumentando duci possunt, scripturis adiungi debuit Ecclesiæ auctoritas & hi sunt tres fontes veræ Theologiæ.

Sic Romæ Prætores honorario iure leges interpretabantur.

Ad Ecclesiam pertinet iudicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum sanctarum. Tridentin. Sess. 4.

Nunquam Deus per se, vel per angelum loquutus fuit toti populo Israël, postquam loquutus est eis in monte Sinai, sed per Moysen, Sacerdotes, Duces, & Prophetas. Tost. Exo. to. 2. fo 90. cap. t. g.

Apud Iudæos ad summum sacerdotem spectabat cum 70. iudicum concilio definire in omnibus, de quibus lex non definiebat. Idem Matth. to. 4. fo. 12. & nunc ad S. Pontificem. Ibid.

Credere vniuersalem Eccelesiam non posse errare, est articulus fidei inter cæteros maioris necessitatis, & tangitur in Synbolo Apostolorum cum dicitur, sanctam Ecclesiam Catholicam, non enim esset sancta si posset errare, est igitur hic articulus fundamentum cæterorum, quia si potest in vno falli, potest in omnibus Idem. Matth. tom. 1. fol. 15.

De infallibilitate Ecclesiæ & summi Pontificis Vide quæ scripsi libello de summo Pontifice cap. 10. & 11 12. Nullius rei certa esset fides si Ecclesia non esset infallibilis Vide libellum supplicem Regi oblatum contra sectarios & libro de misericordia rei parte. 1. cap. 20. Ecclesiæ decreta doces Religiosus vt dubia conscientia soluat. lib. de institutione & officiis Religiosi parte 4. cap. 14.

Vide Duratio Veritatis. Ecclesia infallibilis.

Legimus in veteri Testamento quod sæper Moysi & Aaron loquutus sit Deus ad ostium tabernaculi, quasi ante Euangelium necdum eos in Sancta sanctorum introduxerit, cum Dei Ecclesia postea introducta est, dicens, introduxit me rex in cubiculum suum. quando ergo Dominus noster descendit, secundum istam morum est superliminare, idest intrare cupientibus sublatum est obstaculum. D. Hier. lym. Damaso. lib. 3. Epistolarum.

Ecclesiæ Catholicæ proprium est iudicare de ve-

A ro sensu scripturarum Pius 4. Const. 58. p. 35. 2. Bull. Greg 13. const 5. p. 501. to. 2.

SACRA SCRIPTVRA

MVlta sunt & penitus inexplicabilia mysteria quæ latēt in verbis Christi, omnibus & singulis, cum ipse sit veritas qui loquitur, & in simplicitate sensibili verborum, vti in forma serulli humana, latet inaccessibilis altitudo diuini verbi. Card. Cusa excitat lib. 5 cap. 6

B Est mater Eclesia, & vbera eius duo Testamenta diuinarum scripturarum D. August. tract. 3; in 1. Ioan.

Omnis scriptura diuinitus inspirata est, vtilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. 2. Timoth. 4.

Sacræ scripturæ cur vili & communi stylo conceptæ. *Vide Maiestas Cognitionis.* eloquentiæ contemptus & Petrus Chrysolog. serm. 139. sicut in terra latet aurum, ita diuinus sensus verbis celatur.

Propitiatorium ex quo procedebat vox diuina inter alas Cherubim, erat super arca in quo erant inclusæ tabulæ legis. Fundamentum veritatis est C sacra scriptura.

Sacra scriptura est quasi pharus nautas dirigens. *Vide Concordantia Veritatis.*

Sacræ scripturæ sunt velut gradus scalæ Iacob, per quos ad cælum conceditur ascensus; sunt velut mensa variis & pretiosis dapibus referta; speculum in quo videt anima defectus suos, itineris & peregrinationis suæ directionem, &c. Laurent. Iustin. lib. de casto Verbi & animæ connubio. cap. 4.

Est sacra pagina sapientiæ Verbi speculum; Nullus ab ea, purè, prudenter, humiliter accedens recedit vacuus, omnium morum scientiam consequet. Per hanc nostram voluit Deus erudire ignorantiam, informare fidem, spem solidare, ablactare à visibilibus, & inuisibilibus pascere. Sine D scripturarum adminiculo totus excæcatus esset mundus, ignorans quæ de Deo credenda sunt, de virtutum præmiis, vitiorum pœnis. Ibidem. cap. 19.

Solidum & irrefragabile fidei fundamentum sunt verba Verbi, & scripturarum eloquia quæ dictante verbo conscripta sunt; quibus contradicere Deo odiosum & prophanum est. Id.

Ad reparandam deperditam naturæ scientiam in homine Deus eidem scriptam digito suo contulit legem, in qua scientiæ ac sapientiæ fluenta consistunt, quatenus per ipsam eruditus agnosceret, quod didicerat delinquendo. Ita lex hominis pædagogus fuit; quandiu Dei sapientia promissam E per vates suos suam distulit exhibere præsentiam, & Christus legem institueret caritatis, quæ vniuersa legis mandata contineret. Id. in fasciculo amoris. cap. 20.

In hoc simplici sermone scripto libro, habet foris simplex & indoctus quod legat, habet spiritualis & perfectus quod intus intelligat, simplex compungitur, excitatus irradiatur & accenditur. Idem

Olim in Dominica palmarum preparabatur quoddam portatorium honestissime, in quo intromittebatur sanctum Euangelium, quod intelligitur

Digitized by Google

Christus & procedente cum ramis processione illud baiulant diaconi cum ingenti exultatione iugum Christi suaue, & onus eius leue. Alcuin. de diuinis officiis. cap. 14.

Præceptum omne breuitate collectum. est. *Vide Memoritas Magnitudinis.*

Vis sermonis diuini. *Vide Potestas Veritatis.*

Turcæ volumen suæ legis Alcoranum si præ manibus accipiant, statim suo imponunt capiti in signum subiectionis, nec demittunt infra pectus, ne partium obscænarum vicinitate videatur pollui.

De diuerso sacræ scripturæ sensu. *Vide Differentia Veritatis.*

DOCTORIBVS ASSENTIENDUM.

DOctores funguntur officio Angeli, qui reuoluit lapidem monumenti Christi, vt eum resurrexisse viderent fideles, tollunt cor lapideum & incredulum. Chrysolog. serm. 75.

Vectes de ligno sethim incorruptibili ad portandum arcam, significant bonos & sinceræ fidei Ecclesiæ doctores, veritatem euangelicam prædicantes. Rupert. in Exod. lib. 5 c. 4.

Libros Doctorum etiam sanctorum non sic approbat Gelasius Papa in ca. sancta Romana Ecclesia 15. dist. vt definiat quod omnia contenta in illis sic habeantur, ac si essent per Ecclesiam determinata. Tostat. defens. fo. 41. c. 1. c.

Vide Medium Cognitionis. Media.

Vox Dei audiebatur in sanctuario, inter alas Cherubim. *Vide Principium Cognitionis.* scientia à Deo.

Deus dicit per prophetā aperi os tuum & implebo illud, spiritus sapientiæ habitans in homine, per hominem mysteria loquitur, non igitur audio Paulum propter Paulum, neque credo in Paulum quia Paulus; nec homini obtempero propter hominem, sed homini propter Christum obedio: credo Paulo tanquam Christi seruo, & audio Christum loquentem per Paulum & manentem in Paulo. Quid ipse de se loquatur attende An experimentum, inquit, quæritis eius qui in me loquitur Christus? & ipsa sapientia dicit, Qui vos audit, me audit. & qui vos spernit, me spernit. Laurent. Iustin. fasciculi amoris. cap. 12.

Christo moriente velum templi scissum est; obscura S. Scripturæ mysteria patefacta per Doctores, quos docuit & monuit multiformis gratia Paracleti. Donum hoc poscebat Propheta. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua Id. de Christi agone c. 2.

Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Ioan. 1. Non ait, vt omnes crederent in illum. Alcuin.

Benedicite gentes Deum nostrum, & ob audite vocem laudis eius. Psal. 65. Vox laudis, non eius qui laudatur, sed eius qui laudat, auditur. D. Hilar. in d. Psal.

Si rudes secularium literarum de tractatibus hominum disertorum quippiam legerint, verbositatem solam discunt, absque notitia scripturarum, & iuxta vetus elogium, quum loqui nesciant, tacere non possunt, docentque scripturas quas non intelligunt, & quum aliis persuaserint eruditorum sibi assumunt supercilium, prius imperitorum magistri, quam doctorum discipuli. D. Hieron. epist ad Demetriadem & addit; bonum est igitur obedire maioribus, parere perfectis, & post regulas scripturarum vitæ suæ tramitem ab aliis discere, nec præceptore vti pessimo, scilicet præsumptione sua lb.

Vide Principium Cognitionis. alios docere & director spiritualis.

Romæ est congregatio quorundam Cardinalium pro executione, & interpretatione Concilij Tridentini erecta à Sixto V. const. 74. Bull. pag. 465. to. 2. Est & alia pro Typographia Vaticana, vt sit emendatissima impressio librorum quibus Catholicæ fidei doctrina, traditionesque Ecclesiasticæ continentur ead. const. p. 467.

TRADITIO SACRA.

S. Scriptura non continet omnia ad credendum necessaria, cum in præcipuis fidei articulis, non sic apertè loquatur, vt in mysterio Trinitatis & Incarnationis hæretici non inueniant vnde fiunt in errore suo pertinaces. Itaque recurrendum est ad traditionem, quæ docet qualis in talibus fuerit antiquorum Patrum fides ab Apostolis accepta Nam omnia scriptis non sunt mandata; Christus prædicauit; non scripsit & Mar. 16. dicit Apostolis Prædicate Euangelium omni creaturæ. Sic Apostol. Thessa. 2. v. 15. Itaque, inquit, fratres tenete traditiones quas accepistis siue per sermonem, siue per epistolam. & Thessā 2. c. 3. & 2. Timoth. 2. hæc fusius Card. de Richelieu controuers. lib 3. c 5.

Vide Potestas Durationis. de consuetudine & lege non scripta.

Artes sine scriptis à primis inuentoribus ad nos vsque peruenerunt & si quædam de his scripta fuerint, imperfectissimam tantum dant notitiam, cum ingenti desiderio, cætera per praxim addiscendi. Nec enim omnes motus & circumstantiæ describi possunt, ad rem veniendum est. Quis enim scripto docebit artem picturæ, colorum mixtiones opportunas, videri volunt ista, & diuturnis experimentis comprobari *Vide Duratio Cognitionis.* Experientia, sic non constat veritas fidei ex solis scripturis, quarum verba detorquent in contrarios sensus hæretici. Consulenda Ecclesiæ traditio. Vide supra proximè. *Ecclesia credenda proponit.*

D. August. de baptismo cont. Don. lib. 2. cap. 23. Sunt, inquit, multa quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.

Quamuis Moyses veteris Testamenti verba in literis condidisset, tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta senioribus qui doctores deinceps manerent, intimauerat. Cuius doctrinæ etiam Dominus in Euangeliis meminit, dicens; Super cathedram Mosis sederunt scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis facite. Hæc ergo doctrina in hoc seniorum numero & officio conseruata est, & quia occulta Moysis doctrina imbuti, quædam secundum virtutes rerum, à propriis verborum significationibus sic temperantes doctrinam scriptam, magna fuit erroris occasio oc-

cultam Moysi doctrinam ignorantibus. S. Hilarius in Psal. 2.

Ecclesia fuit fundata sine litteta. *Vide Duratio Veritatis.* Ecclesia infallibilis.

Apostolus 2. Timoth. 3. loquitur de Iannes & de Mambres Magis qui restiterunt Moysi, & Iudæ 9. fit mentio de altercatione Michaëlis Archangeli cum Dracone de corpore Moysi, cum vetus Testamentum nullibi faciat de talibus mentionem, hoc ergo Apostoli didicerant ex traditione

---

MEDIA VERITAS.

ORacula quę habebantur ex somniis, dicebantur esse ab Apolline & nocte, quia obscuris vera inuoluunt. Plutarch. lib. de sera numinis vindicta.

Omnia in rebus humanis dubia, incerta, suspensa, magisque omniaverisimilia quam vera. Minutius Felix.

Vide Media Cognitio. Fides certa sed obscura.

Syllogismus contentiosus est, qui construitur ex iis, quæ videntur probabilia, nec tamen sunt. Arist. 1 top. cap. 1.

Refert Gellius Alexandrum somniasse, somniis non credendum, somnium istud sibimet vt aliis fidem derogat, si credendum est somniis, si credendum est, non est illi fides adhibenda quia dicit non credendum. Simile est illud Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.

Tragœdus est verus tragœdus, sed falsus Hector. D. August. in soliloq.

Sicut in his quæ sunt, inuenitur quoddam non esse, ita in his quæ sunt, inuenitur quædam ratio falsitatis.

Ad necem damnati tria tantum poterant dicere. *Vide Potestas Veritatis.*

Nulla fuit Philosophorum secta tam deuia, quę non habuerit aliquid veritatis inquit Lactantius lib. 7. cap. 7. Itaque sicut in nucibus putamina sunt abiicienda, edendus nucleus.

Vt in nimia distantia, vel in luce nou satis temperata, rerum figuræ & magnitudines non expressè apparent.

Fingendi forma in Poëtis, Pictoribus, Oratoribus, Historicis non est vna, nec simplex; est enim vbi tota res fingitur, nihilque prorsus argumento inest veri subsistentis. Est verò vbi veritas adest, sed figmentis conuestitur, latetque,

A quam vocant fabulosam narrationem, vt sunt dicta mystica Pythagoræ. Rodiginus lib. 7. cap. 2.

Ecclesia approbans aliquos libros, non sic approbat illos, vt definiens quod omnia contenta in illis sic haberi debeant, ac si essent per Ecclesiam determinata. can. sancta dist. 15. Tostat. defens. fo. 41. c. 3. f.

Filii Israel non plenè seruauerunt iuramentum, quod fecerunt Gabaonitis, quia fecerunt eos seruos. Id. Iosue. to. 1. fo. 166. dubium an mendacibus tenerentur filii Israel datam fidem seruare & ideo hæc moderatio habita est, vt non occiderentur sed fierent serui.

Dæmon respondebat in oraculis æquiuocè vel amphibologicè circa futura purè contingentia, obscuris vera inuoluens. Id. Leuit. 102.

B Ambiguam veritatem efficiunt in vtramque partem rationes & disputationes. *Vide Differentia Cognitionis.* Disputatio.

In adulationis commentis inseritur aliquid veritatis, eget enim illo vehiculo, vt iucundè leuiterque ad principis animum perueniat, & non sine fundamento videatur suam machinam struxisse; alias assentatione læditur princeps, & laus quæ à mera fictione petitur, exprobratio est, non præconium. Vide adulatio.

Etiam Euangelistæ in aliquo dissentiunt, non tamen in essentialibus. *Vide Concordantia Veritatis.* Concordia scripturarum.

Nulla scientia humanitus tradita vacat aliqua aberratione & nullus tractatum aliquem C protraxit in multas paginas quin næuum reliquerit.

D. Hieron. ad Theophil. aduers. errores Ioan. Hierosolym. Origenem me arguit vertisse in latinum. Hoc non solus ego feci, sed & confessor Hilarius fecit, & tamen vterque nostrum noxia quæque detruncans, vtilia transtulit. Sicut enim interpretationem & idiomata scripturarum Origeni semper attribui, ita dogmatum constantissimè abstuli veritatem, non mihi displiceret ingenium, nisi quibusdam eius placeret impietas.

Apud Hebræos est sylua maxima ambiguorum nominum atque verborum, quę res diuersæ interpretationi materiam præbuit, dum vnusD quisque inter dubia, quod sibi consequentius videtur, hoc transfert. Idem in apologia aduersus Rufinum.

Prophetæ veritatem sub verborum vaticinati sunt nubilo, vt nec fides careret merito, neque intellectus, ab inquisitione deficeret. Laur. Iustin. de triumphali Christi agone. cap. 1.

FINIS VERITATIS.

QVANDO DESINIT LEX.

VIDE *Differentia Veritatis.* Legis opportuna mutatio.

A Legem Moysi soluerunt Apostoli, & tota Ecclesia in concilio congregati. Act. Tostat. Matth. to. 2. fo. 78.

Leges non obligant extra territorium eius qui illas tulit, quia hæc est sphæra actiuitatis illius: hæc fusè tractat Suarez de legib. lib. 3. cap. 32. *Vide Finis Potestatis.*

Iudæi à quibus legibus eximebantur extra patriam. *Vide Medium Durationis locus.*

MAIORITAS VERITATIS.

QVIBVS MAIOR FIDES EST ADHIBENDA.

DE verbi diuini & humani differentia, D. Thom. opusc. 13. Verbum, inquit, nostrum prius est formabile quam formatum, præcedit enim mentis inquisitio & discursus quærens naturam v. g. lapidis, priusquem habeam de eo perfectam cognitionem, quæ dicitur verbum. Verbum autem diuinum semper est in actu. 2. verbum nostrum est imperfectum & plura quæ sunt in anima nostra non possumus intelligere nisi per diuersos conceptus. At Deus vno verbo intelligit se & alia

B 3. verbum nostrum non est eiusdem naturæ nobiscum, sed verbum diuinum est eiusdem naturæ cum Deo, & in eo idem est intelligere & esse.

Testium fides diligenter est examinanda & persona eorum exploranda; plus enim creditur ratione conditionis, libero quam seruo, viro quam mulieri; decurioni quam plebeio, honestæ & inculpatę vitæ, quam infami, extraneo testi, quam domestico, &c. l. 3. & toto tit. ff. de testib. suspecti sunt testes qui non vocati se ingerunt. l. quæ omnia. §. 1. de Procurat.

ÆQVALITAS VERITATIS.

VNA SIT RELIGIO.

CHRISTVS vnam Ecclesiam, vnum ouile, vnum pastorem esse præcipit, quæ omnia sine fidei vnitate non consistunt; ideo monuit cauendum nobis esse à falsis Prophetis, & Apostolus monet Corinthios, ne sint inter illos schismata, quia non est Deus dissensionis, sed pacis; & Hebræos ne se sinant abduci variis & peregrinis doctrinis.

C Omne regnum in se diuisum desolabitur. Luc. 11. Nulla autem maior diuisio quam in religione quæ est animorum. Nemo enim potest duobus dominis seruire, neque vlla est participatio Christi cum Belial. 2. Corinth. 6.

Vt Eua seducta est colloquta cum serpente, sic corrumpunt bonos eloquia praua hæreticorum, corruptio mundi & hinc deletio per diluuium processit, ex eo quod filii Dei miscuerunt se filiabus hominum. Iudæi qui permiserunt gentes

Digitized by Google

Matth. 6. Ioseph fratribus falsum crimen imponit Gen. 42. Rahab meretrix abscondit nuntios: obstetrices Ægypti ne occidant masculos Iudæorum mentiuntur Iudæorum fœminas; sine obstetricibus parere. Salomon primum sapientiæ suæ testimonium dat per mendacium, fingens se velle diuidere puerum. 3. Reg. 3. Et cætera plura vide apud Cassian. collat. 17. & Rupert in Iosue lib. 1. cap. 11.

Sertorius vt milites in officio contineret, multa fingebat, etiam oracula, & prodigia: ceruam habebat albam, per quam dicebat Iouem sibi agenda reuelare. Gellius lib. 15. cap 21.

Cæsar Caligula laudatus fuit, quod mulieri libertinæ octoginta donauerit, quod excruciata grauissimis tormentis, de scelere patroni reticuisset. Sueton. in Caligula.

Vespasianus mechanico grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium, pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit, operam remisit, præfatus sineret se plebeculam pascere. Id. in Vespasian.

Licet verum non dicere, ad occultandos proprios defectus. *Vide Cognitio Minoritatis. Repug.*

In Ironia contrarium ei quod dicitur, intelligendum est. Quintil.

Stoicorum asperrimi confitentur, facturum aliquando bonum virum vt mendacium dicat, & quidem nonnunquam leuioribus causis, vt in pueris ægrotantibus vtilitatis eorum gratia multa fingimus, multa non facturi promittimus, nedum si ab homine occidendo, grassator auertendus sit, aut hostis pro salute patriæ fallendus. Sic orator dat rebus colores; & futurum bonum virum seruat Reipublicæ, arte dicendi bona quidem, sed malis artibus simillima vt res feret deflectetur oratio, manente bona voluntate. Quintilian. Inst. orat. lib. 12. cap. 1. sub finem.

Non est sincera veritas in istis inferioribus. Mendacium tamen est opus veritatis. *Vide Bonitas Veritatis.*

Cum ea quæ nobis sunt viciniora, maiora appareant, artifices qui naturam imitantur veritate dimissa, non res vt sunt, sed vt videntur pulchriores, simulacris ipsis accommodant, Plato in Sophista.

Delectant etiam doli eorum quos amamus, vt cum vxor iras & dolores viri mitigat, tunc amor cedit in cæterarum rerum solatium.

Sceuola dicebat, expedit in Religione ciuitates falli, vt de eo refert D. August. lib. 4. de ciuitate Dei cap. 27.

Signa bicorporea dominium habent super Reges, quia sunt duplices animo, maxime Sagittarius ex humano & ferino.

De astutia animalium Albert. Magn. tom. 5. lib. 3.

De mendacio officioso. D. August. epist. 261.

Sic compatiendum infirmis. *Vide Concordantia Minoritatis.*

Valet matrimonium factum coram sacerdote, qui facultatem obtinuit à Parocho allegata falsa causa impulsiua, alioquin multi actus fierint irriti; quia vix in omnibus seruatur veritas, aliud est si dolus versetur circa causam finalem. Bonacin. de matrimonio q. 2. p. 8.

Poëtis licet fingere. *Vide Voluntas Maioritatis.*

Vide Cognitio Voluntatis, Repugn. de silentio.

Et *Dissimulatione.*

In vitis Patrum lib. 5. initio. Ex duobus fratribus qui simul in eremo morabantur, vnus non vult regredi in cellam, quia, inquiebat, alio absente ibi ceciderat in fornicationem; alius finxit se in idem peccatum cecidisse vt lucraretur fratrem, & ad pœnitentiam à Patribus accipiendam adduceret, quod factum est.

In exemplis non requiritur veritas.

Turcæ, & Iacobitæ hæretici, dicunt Christum non verè mortuum, sed alium eius loco substitutum. Iacobitę asserunt non verè carnem assumpsisse, vnicam in eo fuisse naturam diuinam, ideo vno tantum digito signum crucis effingunt.

Teopemptus Abbas fingit se à tentationibus impugnatum vt Monachus qui nolebat se tentatum confiteri, senis exemplo confiteretur, in vit. Patr. Christus habuit simulatum Patrem, & Matrem apparenter non virginem. sanctus fidelis martyr in militari vita, animas Christo quęrebat, sic sancta fraus liberius procedebat, cum is cui suspicio doceat, animas Christo lucrabatur. Petrus Damian. serm. 54.

Dum Otto I. Italiæ regnum Berengario eripuit, duæ eius filiæ pulcherrimę, vt se à procorum petulantia liberarent, duos pullos sub mammis fecerunt corrumpi, quorum fœtore qui ad illas appropinquabant deterriti, liberas reliquerunt, sic exules Deo sunt consecratæ. Id. Opusc. 47.

Iacob stipulatus cum Laban cuius pascebat greges, vt illi partus maculosi cederent, arte effecit vt maculosi ederentur, exponendo ouibus virgas decorticatas, iustum enim erat vt compensaretur mora in obtinenda Rachel, eo quod decem vicibus à Laban esset in mercede circumuentus. Rupert in Genes. lib. 7. c. 41.

In ludo doli quidam, ex consuetudine, & receptis ludi legibus sunt permissi. Bonacina in de restitut. disp. 2. vt simulare timorem, &c. ludentes enim norunt talia sæpè adhiberi.

Iuramentum non est vinculum iniquitatis. *Vide Concordantia Virtutis.* Amicitia contineatur virtutis legibus.

Seclusis mendaciis licitum est procurare victoriam per insidias & stratagemata; dummodo non fuerit data fides hostibus non ponendi insidias, fides enim hostibus data seruanda Nisi hostes non stent promissis ex toto vel ex parte, quia frangenti fidem, fides seruanda non est; promissiones enim censentur fieri conditionaliter, si hostis steterit promissis, si non fregerit fidem, &c. promissiones autem etiam si fuerint iuramento confirmatæ, non obligant, deficiente conditione sub qua factæ sunt. Id. de bello.

Si leonina pellis non sufficit, vulpinam assuito.

Ingenii varietas aliis insita est cum iustitia & prudentia, aliis cum iniuria & inscitia. Suidas in verbo ἀγχίνοια.

De Zopyro qui fingens se à suo rege mutilatum apud hostes se recepit, & eos prodidit. *Vide Voluntas Minoritatis.*

Dicenti Isaac patri, Ecce ignis & ligna, vbi est victima? non dicit ipsum futurum victimam, sed, Deus prouidebit de victima, fili mi.

Si pauper morbos grauiores quam sint simulat, ex necessitate & egestate simulat propter tuam crudelitatem & inhumanitatem; quę aliter non flectitur ad misericordiam, si enim extrema non premeret necessitas, non sic indecorè se gere

ret, & dura pateretur. Illius itaque simulatio circuit prouincias, tuam prædicans inhumanitatem; & hæc machinatio plus illi, quam tibi affert dedecus: quidam coacti sunt suos excæcare filios, vt tuam mouerent compassionem; alii occiderunt, mortem meliorem existimantes vita assiduè cum fame & miseriis luctante, quibus supplicijs digni sunt talibus dantes occasionem, &c. D. Chrysost. homil. 21. in 1. ad Corinth. & hom. 21. ad Hebr.

Hypocrita & simulator quærit exitium, & simulat vt accipiat, non vt det, non sic Paulus, omnibus omnia fiebat, sed tanquam medicus, tanquam magister, tanquam pater. Ibid. hom. 22.

Sicut in locutionibus metaphoricis non est falsitas, eo quod non proferuntur ad significandum res quibus nomina sunt imposita, sed magis illa in quibus dictarum rerum similitudines inueniuntur, ita etiam in apparitionibus Angelorum non est fictio, quia figuræ illę non ostenduntur ad significandum esse naturale illius rei, sed proprietates Angeli. D. Thom. in lib. 2. sent. dist. 8. q. 1. a. 3.

Nihil præclari prolata veritas habet cuius cognitio nequaquam afferat bonum. Idcirco medicus ęgrotum fallit, Imperator exercitum, gubernator nautas; nam homines sæpissimè ex intellecta veritate detrimentum, ex mendacio vtilitatem retulerunt. Max. Tyrius. orat. 3.

Non oportet quod exempla sint vera, sed sufficit quod sint verisimilia, vt rudes erudiant. Tostat. Matth. to. 5. fo. 66.

Fictio iuris vtilis est, secundum quam duo dies sunt vnus dies. mortui iudicantur viuentes, duæ personę reputantur vna, præsens reputatur præteritum, &c. Id. Matth. to. 1. 199.

Iudith mendacio officioso liberauit populum suum. Tale officiosum mendacium dicitur, quod alicui prodest, nulli nocet, est veniale peccatum, non tollens gratiam. Id. Exod. to. 1. fo. 6.

Etiam monacho licitum est texere rete pro capiendis piscibus vel auibus. can. nunquam dist. 5.

Christus aliquando vsus est cautelis, similiter & Paulus, & hoc etiam licet nobis in nostram vtilitatem, cum non cedit in præiudicium iuris alieni, & non includit in se aliquid illicitum. Tostat. Matth. to. 5 fo. 253.

Appollinaris hęreticus libros suos cuidam fœminæ sibi familiari custodiendos commisit, hæc sciens S. Ephrem, adit fœminam, fingit se Appollinaris sectam amplecti, & habere quod dictis ab ipso adderet; Rogat tales libros ad breue tempus sibi commodari, obtinet. & singulas cartas glutino piscis ita connectit, vt vnum fiant. Restituit librum exterius eundem Apollinaris iussus sectæ suæ rationem reddere, excusat se præ senio, prouocat ad librum, cuius cum folia explicari non possent, confusus præ dolore ferè mortuus est. S. Gregor. Nyssenus in vita S. Ephrem.

DOLVS MALVS falsitas mendacium.

D. Grego. PP. in Registro lib. 9. epist. 69. conqueritur de peruersitate Andreæ monachi qui litteras falsauit, & ipsius Gregorii nomine

A scripta quædam vulgauerat falsò.

Infidus est qui spontè mentitur, qui verò non spontè, amens, quorum neutrum obtabile est. nam & infidus & amens ab amicitia admodum alienus. Plato. 5. de Republ.

Causas propter quas homines mentiantur. *Vide Veritas Potestatis.*

Rector sit verax. Ibidem quod dolus non deceat principem.

Quidam tenentur mentiendi libidine, & falsos rumores spargendi quod rebus priuatis & publicis nocentissimum est. gaudent famæ authores fieri, multosque fallere.

B De cupidine dicitur, Nudum corpus habet, mentem fallacia velat.

Mulieres sunt malorum omnium artifices doctissimę, si dolis acquirere victorias liceret, viris imperitarent Metuenda mulier cum benignis verbis vtitur; infidum enim habet ingenium.

Non licet sacerdoti dare peccatori etiam consentienti hostiam non consecratam ad vitandum peccatum indignæ sumptionis, quia sic ore & facto affirmaret esse verum corpus Christi, & materiam præberet adstantibus maioris peccati, scilicet Idololatriæ. Bonacina disp. 1. q. 6. puncto 4. proposit. 2. Ita sacerdos in peccato grauius peccaret simulando consecrationem, quam irreuerenter sumendo Eucharistiam D. Tho. 3. q. 80. a. 6.

C Dolus dans causam sponsalibus & ab vno in alterius deceptionem commissus, illa dirimit, quia sunt contractus bonæ fidei, qui non stant cum dolo. l. 7. ff. de dolo. & Bonacina de sponsalib.

De duplicitate cord. s Bernardin. quadr. 1. serm. 32

De fallaciis logicis Albert. to. 2. D. Thom. opus. 39.

De mendacio Bernard. quod. 1. serm. 31. & tom. 4. Plato in Hippia minore. D. Augustinus. tom. 4.

Non valet dispensatio obtenta cum quis expressit falsam causam quam falsis testibus probauit. Bonaci. de dispensat pu. 2. prop. 1. quia dispensatio vim habet à voluntate dispensantis, quæ non adest se fiat dolus circa causam finalem. Vt si fingatur, aut taceatur aliquid, quo cognito non fuisset data dispensatio.

D Falsitas non est propriè in sensu, qui circa proprium sensibile non fallitur, sed in phantasia seu imaginatione. Arist. 4. Metaph. tex. 24. nam cum quis conuertitur ad similitudinem rei, tanquam ad rem ipsam, ex eiusmedi apprehensione oritur falsitas.

Serpens decipiens mulierem, & mendax mendacem & inuidum supponens Deum.

Non licet contra se falsò testimonium dicere. *Vide Voluntas Minoritatis Mala.*

Non licet imponendo sibi falsum crimen amicum à morte liberare. *Vide Virtus Concordantia.* amicitia contineatur virtutis legibus.

Draco bisulcam habet linguam; sic orator. Suidas.

E De spectro in varias se figuras transformante. *Vide Maioritas Differentia.*

Rescripta per mendacium & veritatis occultationem obtenta non valent. cap. ad audientiam de rescript.

Apud Iudæos qui alea, talis, similibusque modi aliquid lucrabatur, habebatur furti reus, licet conuentio partium interuenisset, vt vitaretur dolus malus, quo hæc certamina carere non solent. Seldenus de lege naturali Hebræo. lib. 6. cap. 11.

Athenienses dolos vocant πίτυρα hinc dicti pituræ. Rhodig. lib. 11. c. 8.

Abraham montem ascensurus in quo immolaturus erat filium, dicit pueris, sedete hic, ego autem & puer ibimus vsque illuc, & cum adorauerimus reuertemur ad vos. Si verum dicit non faciet holaucaustum, si fallit pueros, rem se indignam facit, verum dicit, quia credebat quod à mortuis suscitare eum poterat Deus. Origen. hom. 8. in Genes.

Membra se inuicem non fallunt, non fallit pedem oculus, stomachum lingua, ita ne nos fallamus, si sumus alter alterius membra. D. Chrysost. hom. 14. in epist. ad Ephes.

Sacerdos peccatori occulto non debet dare hostiam non consecratam, sed secreto monere ne se immisceat turbæ, sed si se immiscuerit, debet dare consecratam, quia vt vitet peccatum subditi non debet ipse peccare, fictionem faciens in sacramento veritatis, & dans populo occasionem idololatriæ saltem materialis. D. Thom. quodlib. 5. a. 12.

Nemini licet seipsum falsis defensionibus tueri; quanto magis cum falsitas proposita vergit in præiudicium alterius. Tostat. 1. Paralip. fo. 14. *Vide Virtus Medii* Vti bono medio; non proditione.

Pisces in ascendente faciunt duplicis animi, blesos. Cardan. de iudiciis geniturar. cap. 24.

Rumores qui excitantur Luna existente in initio Scorpii vel Capricorni, sunt falsi. Id. Apho. sect. 4. Aph. 103.

Mendacium est à Mercurio in domo Martis.

De pigmentis vultus, falsa physionomia, nimia

A affectatione. *Vide Veritas Virtutis. Repugn.*

Vide Medium Minoritatis. Malum consilium dolosum.

Te decet existimare homines habere sensum, rationem, mentem, iudicium, ne speres te illis posse persuadere malefacta esse benefacta, aut contra, nec falli posse rebus simulatis, tectis, fucatis, adumbratis, quæ tandem produnt se, & fiunt tanto fœdiores ac inuisiores, quanto prius occultiores fuerant. Infestis enim animis accipimus ea quibus sumus decepti. Ideo consultius est, omnia esse aperta, nuda, simplicia. Mendacii nulla vtilitas solida ac diuturna, citò vertitur in mendacis turpem ignominiam, cui in posterum nulla habetur fides, etiam si se fideli memoria rerum

B à se dictarum torqueat. Lud. Viues in Introductione sapientię.

Vt vim ita dolos certis limitibus natura conclusit. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 2. lege 16. §. 2. Superstitiones in Republica non tolerandę. moral. Christ. to. 1. parte 2. cap. 26. In vita ciuili prudentia fraudibus careat. Ibid. to. 3. parte 2. cap 16. 17. similiter in regimine Regularium lib. de institutione Religiosi parte 3. cap. 3.

Multum interest cum quo contrahas, fraus enim in imperitos, miseros, simplices, viduas, pueros, rusticos, nunquam admittenda, sed nec cum filiis familias, & qui corio suo erroris pœnas dominis luere coguntur, neque vltra dimidium iusti pretii. Cardan. de arcanis prudentiæ

C cap. 4.

Quidam dicunt secretum nulli melius committi quam mendaci, quia ipsi etiam reuelanti & vera dicenti, non credetur.

Digitized by Google

GLORIA

BONITAS GLORIÆ.

BONVM QVIETIS,

APVD Iudæos sabbatum erat institutum, vt quiescerent iumenta & famuli, post totius hebdomadæ labores Exod. 20.

Galba otio indulgens dicere solebat, quod nemo otij sui rationem reddere cogeretur Sueton. in Galba.

Scipio & Lælius interdum animi remissioni acquiescebant, visique sunt lectitantes calculos, & conchilia in maris littore.

Scæuola S. Pontifex, postquam ceremonias Deorum ordinasset, animum calculorum vsu reficiebat. Valer. Maxim. lib. 8. c. 8.

De aliis magnis viris qui ludo & alea, negotiorum molem, leniorem effecere *Vide Voluntas Contrarietatis. Alea.*

Plantæ quia non sunt sensibiles, non habent somnum & vigiliam. *Vide Voluntas Maioritatis.* At cum motus virtutis non est naturalis motui organi, fiatq; continuus discursus spirituum in organinis, in vigilia inducitur lassitudo quæ per quietem debet reparari, organa enim sunt harmonicè composita & ab excessu læduntur. Vnde nullum est animal quod semper dormiat, aut vigilet sed successiue & per vices id præstat; somnusque est propter vigiliam, finisque sensuum est vigilia, vt potentia animæ prodeat in actum, & explicentur spiritus, per somnum ad interiora retracti. Albert. Mag. tract., de somno & vigilia cap. 8. Plantæ videntur habere aliquid simile somno, dum omnes nocte contrahunt flores, quædam folia; & tota hyeme quiescunt vt glyres, testudines, limaces.

Somnus accersitur 1. propter digestionem cibi, quę melius fit contractis ad interiora spiritibus intensoque calore naturali 2. labore, vt consumptæ in eo vires reparentur 3. euaporatione cibi ad cerebrum, vnde maiorem contrahit frigiditatem, quæ descendens in neruos sensibiles, grauat eos, immobilitat, & somnum inducit, hinc in dormientibus exteriora frigent.

Somnus itaque est ligamentum virtutum sensibilium, & motiuarum, cum augmento & con-
A fortatione earum. Vigilia autem est solutio earundem, cum diminutione, & debilitate earundem; somnus maior in pueris. *Vide Gloria Principij. Initij.* Indulgendum debilibus rerum initiis,

Omnes vires animæ vegetabilis magis intenduntur in somno quam in quiete.

Danda est discentibus pueris aliqua remissio, non solum quia nulla res est quæ perferre possit continuum laborem, atque ea quoque quæ anima & sensu carent, vt seruare vim suam possint, velut quiete alterna retinentur, sed quia studium discendi voluntate quæ cogi non potest, constat itaque & virium plus afferunt ad discendum renouati ac recentes, & acriorem animum qui ferè
B necessitatibus repugnat. Quintilian. Instit. oratoriar. lib. 1. c. 4.

Qui sedet dicitur magis honorari quam stans *Vide Gloria Virtutis.*

Obstat diligentiæ scribendi etiam fatigatio, & abundè si vacet, lucis spatia sufficiunt; occupatos in noctem, necessitas agit Ib. lib. 16. cap. 3.

Aristoteles dixit, tantum esse vacui extra mundum, vt respirare cœlum possit, vtique quod sit igneum. Plutarch. lib. de placitis Philosophorum cap. 18.

Remissiones ad nouos labores præparant, & arcus, & lyra & homo quiete vigent.

Leuit. 23. anno septimo terram serere prohibet.

De sabbato. Athanas. to. 3. Bernardin. quod. 2
C serm. 10.

De tranquillitate vitæ Pintus tom. 4. p. 2.

Animalia magis augentur dormiendo, quam vigilando. Arist. lib. de somno & vigilia; quia in somno intenduntur virtutes naturales & quiescunt animales, quo fit vt postmodum illæ fortiores fiant in actibus suis, in somno igitur facul. tas alendi magis functionem suam exercet.

Temporum circuitu solito, arbores æstiuo tempore exinanitæ partim ex germinatione, partim ex fructificatione, rursus repleri restituique videntur. Deinde ex ea ipsa restitutione temporibus congruis parere, atque germinare partu ge-

Digitized by Google

ſtato quodammodo, tam in partibus, quam in A toris. Theoph. de cauſis plantar lib. 1. c. 14.

Solent agricolæ altero quoque anno terram incultam relinquere vt ſolidas gignat fruges; ſiquot annis ſatione fatigata non fuerit.

Periander ſæuus Corinthi Tyrannus, ne in ipſam ciues coniurarent, ipſis otium interdixit, vetuit ſeruos habere, ſedentem aut ociantem in foro mulctabat. Suidas in voce Periander.

Motus fit ſuper immobili. *Vide Medium Differentia.* motus.

Aquæ limoſæ purgantur ſi fuerint in vaſis fictilibus, donec limus omnis ſubſidat, & tum in pura vaſa transfundantur. Georgius Agricola lib. 1. in fine de his quæ fluunt ex terra

B Gentibus omnibus mos fuit ſacra curare cum laborum intermiſſione ſolemni. Strabo. lib. 10.

Dixit Liuius, otio qui neſcit vti, plus negotij habet, quam cum eſt negotium in negotio. Rhodig. lib. 6. c. 10.

Quod de iecore Promethei per diem abſumebat aquila, ſolitum erat noctu ſuccreſcere. Id. lib. 7. cap. 20.

Apud Iudæos ſeptimus annus erat Sabbatum terræ in eo nihil ſeri, nihil ſacrum meti oportebat, quod autem ſponte creſcebat ex granis deciduis id omnibus erat commune. Leuit 19. 15.

Alterna quies vitæ neceſſaria. *Vide Gloria Virtutis.* quies poſt labores.

Thomas Morus in ſua Vtopia Republica lib. 2. dicit artifices perpetuo labore vt iumenta non fatigari, ſed ex 24. horis ſex tantum operi deputant tres ante prandium & tres poſt horas cæteras lectioni aut cui voluerint non ſeruili operi impendunt.

C Completo numero electorum ceſſabit motus cæli. & ſi motus ſit actus mobilis, eſt tamen actus imperfectus. Vnde per hoc quod motus auferetur non poteſt concludi quod ſimpliciter perfectio auferatur, & præcipuè ſi per motum mobili nihil acquiratur D. Thomas in quæſtionib. diſput. q. 5. a. 5. ad 19.

Cœlum empyreum eſt locus capaciſſimus, ſplendidus, immobilis, quietus, contemplationi conueniens & gloriæ beatorum. Toſt. in Gen. fo. 4. c. 1.

D In mundi renouatione interpoſita quies. *Vide Finis Durationis.*

Repugn. Cæteræ digeſtiones quietem exigunt, quarta quæ fit in ſiniſtro cordis ſinu, indeſinenti motus continuitate perficitur, quia illic abundat fermentum maxime vitale Spiritusque ad hanc transmutationem aptiſſimus. VanHelmont blas humanum.

BONVM PACIS.

MAtth. 5. dicitur, Beati pacifici, quia filij Dei vocabuntur Chriſtianæ virtutes vireſcunt in eo qui vnanimitatem Chriſtianæ habet pacis, nec peruenitur ad vocabulum filij Dei, niſi per nomen pacifici. Pax eſt quæ ſpoliat hominem ſeruitute, dat nomen ingenuum mutat apud Deum cũ cõditione perſonam. Pax fratrum voluntas eſt Dei iucunditas Chriſti, perfectio ſanctitatis, iuſtitiæ regula, magiſtra doctrinæ morum cuſtodia, atque in rebus omnibus laudabilis diſciplina, &c. Chryſolog. ſerm. 53. *Vide Bonitas Concordantia.*

Chriſtus dicit Ioan. 14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, quaſi omnis boni conſeruatiuum, & omnis mali antidotum. Deus charitas eſt, ergo qui eſt ſine charitate, eſt ſine Deo, charitas operit multitudinem peccatorum Eccleſia Dei in pacis vnitate fundata ſic perfectam Chriſti tenebit diſciplinam. Ibid.

Quærunt Principes gloriam per ſtagnantes cruore campos, per collucentium vrbium flammas, cum ipſa ſit in tranquilla ſede quod vita & mors in rerum natura, hoc ipſum præſtant pax & bellum in regnorum ſtatu. Pax maximum & præcipuum diuinæ intelligentiæ munus, temperiem quandam voluntatum conciliat, è qua functionum omnium acerrimus in corpore ciuili vigor, mentium alacritas, beata ruris copia, ſecuri aditus viarum, regnorum opulentia, & bonorum omnium cumulus accedit. At vbi diſſipata concordia bellum intonuit, ſtatim membrorum omnium conuulſio, ſoluta legum vinculis audacia, ſacra prophanis æquat, nocentes & innocentes promiſcua vis fatorum inuoluit, fiunt de claris vrbibus buſta, non niſi miſerorum ſanguine reſtinguenda, non hominum, ſed Dæmonum videtur opus. Sapientiſſimi reges per tumultus armorũ veniunt ad iuſtitiam, ipſique paci litant armati Maior cœleſtium virtutum claritudo ſerena die, quam tempeſtatibus & fulminibus horrenda timenda dominorum poteſtas, fiat amabilis, Non eſt Principis ore ſemper igneo, pronuntiare ſæua.

Bellum habeat neceſſitas, pacem voluntas. D. Auguſt. ad Bonifac. de neceſſitate belli. *Vide Bonitas Contrarietatis.*

Præſtat in terra eſſe pauperem, quam diuitem in mari, in pace pauca poſſidere, quam multa in bello.

Claua Herculis fuit ex oleaſtro & iterum plantata dicitur germinaſſe, ac ſuperfuiſſe tempeſtate ſuâ oleaſtrum ſcribit Pauſanias, Rodigin lib. 12. c. 16. pax dat ſubſidia pro bello neceſſario, vt iterum ſtabiliatur pax.

In natiuitate Chriſti exultant Angeli, quod in terra pax ſit.

Spiritus hominis nunquam viuificat membra, niſi fuerint vnita, ſic Spiritus ſanctus non viuificat Eccleſiæ membra, niſi fuerint in pace fraternæ dilectionis vnita. Laurent. Iuſtinian. lib. de caritate. cap. 15.

Vide Concordantia Æqualitatis. Amor proximi.

DELECTATIO ET VOluptas rebus mortalibus optima.

MAiumæ lætitia, Prouincialibus redditur, ita tamen vt ſeruetur honeſtas, & verecundia caſtis moribus perſeueret. Imp. Arcad. & honor. l. 1. Cod. Theod de Maiumæ.

E Fœminis ſcenicis nondum Chriſtianis, non licet à tali exercitio diſcedere l. 8. eod. de ſcænicis.

Cunctos Iudices admonemus, vt ludorum, quibus moris eſt, interſint feſtiuitati, & oblectamentis fauorem eliciant populorum. l. 2. Cod. Theod de impenſis ludorum.

Venus quę præſidet voluptatibus, ſic vocatur, quia ad omnia venit, vel quia ex ea omnia veniunt Cic. 3. de natura deorum.

Digitized by Google

De ludo quo reficitur animus. *Vide Minoritas Cognitionis.* Alea.

In plerisque plantis & arboribus fructus nascuntur de medio florum. Albert. Mag. lib. 2. de vegetabil. tr. 2. c. 3.

D. Hieronymus in vita S. Pauli Eremitæ refert eum captum pulchritudine antri, habentis intus grande vestibulum quod aperto desuper cœlo, patulis diffusa ramis, vetus palma contexerat, aderat & fons lucidissimus; hoc adamatum habitaculum incoluit.

In antro Sybillæ Cumeæ videntur diuersoria, sculpturis & auro ornata, licet sub terra.

Quod natura magis asperum, hoc maioribus condiendum est voluptatibus. Quintil. Instit. orator. lib. 5. in fine.

Idem lib. 6. cap. 4. Inter oratori necessaria refert vrbanè & salsè quędam dicta, quę auditorem à satietate & fatigatione reficiant, & quæ faciant quandam audiendi sitim.

Vita sine festiuitatibus, longa est via sine diuersoriis.

Arist. lib. 3. Topicor. c. 2. Inter locos quibus probatur, vnum quid altero præstantius & magis eligendum. Quæ inquit, sunt cum voluptate, magis eligenda sunt, quam quæ sine voluptate, & quæ cum indolentia, magis, quam quæ cum dolore; & quod est magis à malis segregatum.

De voluptate liber Marsilii Ficini to. 1. eiusdem de voluptate Apologia epist. lib. 10.

Olim Cretenses pueri leges, & encomia heroum decantabant, vt voluptas metri & musicæ hæc memorię mandaret. Ælian. lib. 2. c. 39. Ibidem iuuenes saltabant armati, vt delectatio, bellica promoueret.

Iucunda & delectabilia dicimus facilia & expedita, molesta verò, ardua, aduersa, difficilia.

Sisinnius Episcopus vir præstans, & sacrarum litterarum peritus & inculpatus, in ratione victus fuit delicatus & varius; alba & delicata veste indutus. Dicebat sic Christum in Thabor apparuisse discipulis, & Angelos. Suidas in voce *σισίννιος*.

Poëtæ primi fuere Philosophi & Theologi sapientiam per metri voluptatem blandè insinuantes. Rhodig. lib. 7. c. 1.

Sunt odores qui appetitum animalis ad cibum proritant, & hic odoratus excellentior est in cæteris animalibus quam in homine; alius est odor totus ad delectationem, vt est in floribus, in ambara, musco, mure peregrina, & huius odoris maximè capax est homo, nam prodest calore suo ad temperandum cerebri frigus ob affluentiam humorum. Ibid. cap. 27.

Ludi scenici inuenti sunt, vt duros populi mores delinirent, & cum eos in Græcia Arcades omisissent, sic obduruerunt vt cæteris essent execrabiles. Romæ orta graui pestilentia recepti sunt, quamuis inde maxima morum corruptio. Id. lib. 8. cap. 7.

Herculem ferunt laxandi animi gratia sæpius cum pueris lusisse. Sic Alcibiades, sic Agesilaus arundinem velut equum cum pueris ascendebat. Idem fecere Philosophi Socrates & Architas Tarentinus. Id. lib. 9. cap. vlt.

Hipocratis est Aphorismus, deliria quæ cum risu accidunt tutiora sunt quam quæ serio; quod enim furibundum & efferum & cum agresti quodam mentis ardore accidit, periculosius est, vt magis naturæ contrarium.

A Cum ob vini copiam, frumenti inopiam Domitianus iussisset vites eradicari quasi negligerentur ob id arua, dixit Apollonius eum terram effecisse Eunucham Id. lib. 10. cap. 18.

Postquam à veris paradisi delitiis excidimus, adulterinas nobis excogitauimus, coquos, pistores, suffimenta, sic ægris solitis voluptatibus vti non valentibus, indulgent medici quædam oblectamenta. D. Greg. Nyssen. orat. 2.

Non malum est risus, sed malum est id quod est præter modum; insitus est nobis vt congratulemur amicis, subleuemus afflictos, vt aliquando relaxetur animus, non vt diffundatur; nam insita nobis est corporum cupiditas, ea tamen vti necesse est cum moderatione. D. Chrysost. hom. 15.

B in epist. ad Hebr.

Inter suauissimos fructus etiam flores carpere licet, vt in arangiis.

In honestis etiam conuiuiis præter solidos ac necessarios cibos, bellaria in mensam inferuntur, ad lenocinia moderatæ ac concessæ voluptatis.

Dolore prorsus vacare, stupor est, non voluptas. Constans etiam sanitas non sentitur nisi motu quodam extraneo.

Grati debemus agnoscere naturæ parentis indulgentiam quæ fœtus suos ad id quod necessitatis causa tam assiduè faciendum erat, etiam blandissima suauitate pellicit; quantum enim esset tædium si pharmacis amaris viuendum esset.

C Thomas Morus in Vtropiæ Republic. lib. 2.

Falluntur sæpius indiscreta deuotione qui vitam in perpetuis lacrymis & compassione passionis Christi volunt ducere, citò natura dolore fatigatur, aut alienatur aut stupescit mens, opus est aliqua varietate, & delectatione, quæ deficientem subleuet; non sic hærendum trunco crucis arboris vitæ, vt fructus eius manus non carpat, os non degustet, fructus autem ex Apostolo sunt, gaudium, pax, patientia benignitas, &c. Ecclesia in suis vbique templis erigit crucis trophæum, per totum tamen annum vnicam dicat hebdomadam commemorationi passionis, reliquo tempore prout occurrunt mysteria, lætissimè festos

D dies suos agit, & de donis Dei læta fidelibus suis gratulatur. Melancholici indigent voluptate quæ temperet malitiam complexionis. Tostat. ex Aristot. 7. Eth. cap. vlt.

Voluptatem maxima ac naturalis quædam amicitia cum æquæuis corporibus coniunxit, veluti fundamentum quoddam animalis subiicitur saluti; qua sublata, quodcumque creatum est, effluere statim oportet; illam homo nemine docente ab natura ipsa suscipiens in ipsis auspiciis vitę possidet, eiusque amator effectus, doloribus bellum indicit; quibus corrumpitur, vt per voluptatem seruatur. Si modo naturalis sit, nam plurimę artis ac rationis opera per affluentiam procedente tempore violant legem voluptatis;

E vt vero rationem, sic nec voluptatem quis accuset, quod ea possit aliquis malè vti; optima futura est si fuerit ratione temperata. Communis, Sol, aër, aqua, terra, etiam voluptas est in communione boni, quod vniuersam sensibilem naturam custodit, laborem nemo propter ipsum suscipit, sed propter honestum, quod semper vt pulchrum, voluptas comitatur; æqua fit voluptatis cum quibuscumque laboribus compensatio. Si sit animi cum virtute amicitia, erit & in hoc complexu voluptas: quæ & ritè procedentem actionem comitatur, & post exantlatos labores expe-

ꝯtatur. Quædam etiam voluntates, vt Bacchi sacri- A ficiis locum obtinent.

Tu qui voluptates Diogenis puras à dolore, labores appellas, cum ex improbitate ingenii tui metiris, qui rebus iis ex quibus Diogenes voluptatem sentiret, acciperes dolorem. Amauit voluptatem, qui familiam non pauit, administrationem non attigit, nec nuptias; cum in his grauia multa perspexisset. Maximus Tyrius serm. 33.

Apud Athenienses nulla pars anni publica voluptate carebat, institutis suo tempore festis diebus; bellum ex se tristissimum, tibiarum cantus demulcebat. Ib. in fine.

Voluptas allicit in bonum. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 1. lege 11 § 2. Sapienti in suo secessu opus est aliqua innocenti delectatione. Moral. Christ. to. 2. parte 2. in proœmio.

Obseruatum est prægnantes insigni mœrore diudum afflictas, fœtum dedisse minorem. Van. Helmont.

Voluptate defectus animi sanantur, vt creditum est lunam reuocari ab Eclypsi sonitu æris metalli venerei. *Vide Finis Minoritatis.*

MAGNITVDO GLORIÆ.

PERFECTA QVIES ET FELICITAS GLORIÆ cœlestis.

DE futuro sæculo Iulian. in prognost Bibl. Patr. to. 9. B

De gloria Paradisi. D. Bonau. diætæ salut. titu. 10. Bouerius to 1. lib. 1. demonst. 3. Bernardin. quadrag. 1. serm. 57. & seq.

Vita istius mundi non est vita, sed imago & vmbra veræ vitæ, ita de prudentia, lætitia & aliis, ita oportet illas similitudines deponere vt ad veritatem & exemplar perueniatur: præterit figura huius mundi. Cardin. Cusa, lib. 4. excitation. cap. 2.

Non tantum beati gaudent propter propriam gloriam, sed etiam de gloria omnium beatorum & Dei, *Vide Gloria Voluntatis, delectatio amoris. & Concordantia Gloriæ.*

Illic vera est requies vbi effugit dolor, tristitia, gemitus; vbi neque curæ, neque labores. neque angor animam percellens. sed solus Dei metus plenus voluptate. Omnia sunt pax, gaudium, lætitia, voluptas, bonitas, mansuetudo; Non est illic æmulatio, inuidia morbus: non mors nec corporis, nec animæ, non tenebræ, neque nox, omnia sunt dies, omnia lux. Cogita ex rerum omnium desiderabilium possessione voluptatem procul ab omni anxietate & metu; Cogita spiritualium turmas, laudantium Deum omni intellectus & voluntatis gloria fruentium, est aliqua supernæ patriæ descriptio, sed imperfecta, nam oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se. 1. Cor. 2. D. Chrysost hom, 6. in ep. ad Hebr.

Æternitas, secundum Boëtium, est interminabilis vitæ, simul tota & perfecta possessio. exponit Tostat. Exo. to. 1. fo, 263.

Apud te est fons vitæ, omnes enim electi haurient de illo fonte indicibiles consolationes, nec tamen minuetur, implebitur intellectus Sapientia contemplando sapientiam; voluntas voluptatibus æternis, & memoria iucunditate fœlici & sic miro modo ex sola Dei contemplatione exuberabit anima innumeris bonis, ne hoc mirum est, cum oculus carnis solem inspiciens illustretur luce solis absque ipsius diminutione. Laurent. C Iustinian. tract. de charitate cap. 8.

Gloria cœlestis est diuinę misericordia complementum. Vide quę scripsi lib. de misericordia Dei parte 2. cap. vlt.

Per charitatis excessum Deo vnita mens, non aliunde quam de Dei gloria, de ipsius bonitate, immensitate, æternitate, virtute, & sapientia beata erit; mutui siquidem amoris suaue vinculum, & participatio diuinæ charitatis, quidquid proprium est, commune faciet. Id. lib. de perfectione monastica in fine.

Tunc nihil erit in homine, quod diuinis non occupetur in laudibus; quoniam ipse Deus erit omnia in omnibus Rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ fruitio deificæ maiestatis. Id. lib. de spirituali animæ resurrect.

Digitized by Google

DVRATIO GLORIÆ.

DIES SEMPER FOELICES.

NOE eodem die quo ingressus est in arcam, reuoluto anno solari exiuit de arca. Tostat. Genes. fo. 46.

Die Solis Deus depulsis tenebris, formataque materia mundum creauit; Christus Saluator noster eadem die resurexit à mortuis, nam ea quæ proxima Saturni diem, precedit, crucifixus fuit, & proxime sequenti Saturni diem Solis die videlicet conspiciendum se Apostolis ac discipulis præbuit, eisque suam doctrinam impartiit Iustinus Martyr Apologia 2. pro Christianis in fine.

Eadem die Iudæis primum manna de cœlo datum est, sic enim dicit Dominus: Sex diebus colligetis manna, in die autem sexta duplum colligetis. Sexta dies est parasceue quę ante Sabbatum ponitur, quam sequitur dominicus dies. Eadem die descendit Spiritus sanctus super Apostolos. Alcuin. lib. de diuinis officiis. cap. 17.

Feudatarii Ro. Ecclesiæ in festo SS. Petri & Pauli ei iura debita soluere tenentur. Gregor. 13. const. 63. p. 332. to. 2. Bull.

Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 85. dicit experimento suo probatum obseruari circuitus quosdam maximè decimi noni anni, in quibus si fausta acciderint, & pari tempore euenient in posterum.

In Laodiceno Concilio quod celebratum est an. 364. cap. 20. statutum; Non oportere Iudaïzare Christianos & in Sabbato vacare, sed operari, sed sequentem diem colere, quæ dicitur Dominica, quia in ea Christus resurrexit. Ea etiam die oportet consecrare Episcopos can. quod die dist. 75. & Cœl Rhodig. lib. 7. cap. 42. dicit Sabbati loco Christianos diem Solis colere, eumque Domino adscribere, quod nulla magis re possimus exprimere maiestatem Christi, quam per Solem, scriptum est enim. In sole posuit tabernaculum suum, & exiit de tribu. Iuda, cuius signum Leo est, solare animal, sol etiam est lucis & libertatis autor, contrarius Saturno, tenebris & carceribus presidenti, sub Saturno autem nati sunt Iudęi, & à seruitute legis Iudaïcæ nos Christus liberauit per legem Euangelicam.

PERPETVITAS GLORIÆ cœlestis.

IN ipso mundi nascentis exordio, cum vnumquemque diem scriptura mane præfigat & vespere; iam cum ad Sabbatum peruenit, neutrum horumnominat, vt illud quasi sine initio esse, & fine prorsus ostendat. Petrus Damian. lib. 1. ep. 5.

Homo creatus est propter gloriam cœlestem. A *Vide Veritas Finis*. Deus Summum bonum.

Non est vera opinio Platonicorum dicentium animas separatas frui beatitudine ad certum tempus, postea in corpora reuerti, desinerent enim esse beatæ, quia rationalis natura extendit desiderium suum ad omne tempus, & ad perpetuum non esset anima beata cum ignorantia sui defectus, vel cum præscientia casus; dicit Christus, Omne quod venit ad me, non eiiciam foras; & quoniam sancti adhærent Deo, cum proposito se nunquam separandi ab eo, quomodo iustitia diuina sanctos à se separabit de quibus dicitur, in sæcula sæculorũ laudabũt te. Card. Cusa. Excit. lib. 8. c. 11.

B Beati non crescunt in meritis, quia in termino motus, non est motus. *Vide Bonitas Differ.* Motus.

Alia est immortalitas carnis quam in Adam accepimus, alia quam in resurrectione speramus per Christũ. ille factus est homo immortalis vt posset nõ mori si nõ peccaret, moreretur autẽ si peccaret: filii vero resurrectionis nec poterunt vltra peccare, nec mori. caro Adæ indigebat alimento, quibus hic nullus indigebit. Magister, sentent. lib. 2. dist. 19. q. 1.

Quia quies creaturæ, secundum quod in Deo stabilitur, finem non habet, similiter nec quies Dei, qua in seipso à rebus conditis quiescit, eis non egendo, finem non habet, quia eis nunquam egebit, ideo septima dies quæ respondet tali quieti, C non habet vespere, sed tantum mane. D. Thom. in quæst. disput. q. 4. a. 2. ad 15.

Sic manebit æqualis gloria cœlestis, vt tamen possit augeri. *Vide Maioritas Gloriæ.*

Dicit Christus, Ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum. Tunc manet nobiscum in æternum, cum illuc nos perducit vbi manere valeamus in æternum, in vita hac non in æternum, sed temporaliter manemus. In futuram verò vitam, quicumque introierit cum Angelis, non mouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem. Laurent. Iustin. in fasciculo amoris cap. 6.

De die Sabbati dicitur Benedixit Deus dei septimo & sanctificauit illum, cum de aliis diebus non D legatur hoc eum dixisse, vt ostenderet sanctorum requiem post sex huius sæculi ætatum labores in æterno Sabbato, ideo & ille dies sine vespera legitur, quod vltima requies sanctorum sempiterna est Alcuin. in Genes. interrogat. 43.

Tunc tantum erit immortalitas, vbi nullus mori potest. Prima conditio hominis fuit posse non mori, restat in illa felicitate illud tertium non posse mori. Tunc plenè erit liberum arbitrium, quod primo homini fuit sic datum, posse non peccare; sed illud beatius erit, quando tale erit, non posse peccare. Id. de fide S. Trinitatis lib. 3. cap. 22.

Continuatio

Digitized by Google

CONTINVATIO HONORIS & FAMÆ.

Dicunt quod ex cæruleo colore, seu azuro factæ picturæ, fumo nunquam deformantur, nihilque illi successu temporis deperit.

Cn. Domitius Neronis atauus in consulatu, superatis Allobrogibus Aruernisque, Elephanto per Prouinciam inuectus est, turba militum quasi inter solemnia triumphi, prosequente. Sueton. in Nerone.

Victoria obtenta in signo Bicorporeo, duplicatur. Hermes in centil. Num. 15.

Ad posteros virtus durabit, non perueniet inuidia. Quintil.

Post gaudium, somnia dulcia & suauia consequuntur.

Laudatur quis à tempore præterito, præsenti, & futuro.

Sapiens gratam habet honestarum rerum à se gestarum recordationem velut perennem lætitiæ fontem. *Vide Cognitio Virtutis.* Propriæ.

P. Cor. scipio primus nomine victæ à se gentis est nobilitatus Africanusque est appellatus. Liuius, Florus.

Romæ singulis annis duo Consules creabantur pro regimine Reip. sed breuis huius dignitatis honorem perpetuum effecerunt, annos per Consules & Consulum nomina numerando.

Milo Crotoniates luctando sex continuas olympiades vicit. Suidas in voce Milo. Nicon pugil in variis certaminibus, accepit coronas vt aiunt, mille quadringentas. Idem in voce *vixor*.

Celebratus est à Plinio Euthymus Pyctes insignis, quoniam semper Olympiæ victor, semel tantum victus fuit. Petrus Crinitus de honestas disciplina, lib. 15. c. 1.

Inter arbores palma censetur esse longioris æui, folia, sicut cæteræ, nunquam abiicit, sed constanter eadem retinet; ita decet gloriam esse perpetuam, nec vnquam consenescere. Rhodig. lib. 5. cap. 6.

Vide Duratio Maioritatis. è gradu non cadere.

Vide Voluntas Durationis. Fama post mortem.

De fama virtutis, nulla suspicione læsa. *Vide Veritas Virtutis.*

HONOR A DIGNITATE DEPOSITA.

Odorata fruteta, quamuis accisis stirpibus exhausta, suaueolentiam tamen ad multum tempus referunt. Plutarch.

Ædium sacrarum ruinas, religiosi, æquè ac stantes, adorant. Seneca in consolat. ad Heluiam cap. 13 in fine.

Ecclesiæ etiam dirutæ seruant ius suæ immunitatis & azyli, etiam indulgentiarum, nisi diruta sit authoritate Episcopi, sine spe restitutionis: priuilegium enim est velut quoddam accidens morale, quod desinit, destructo subiecto. Bonacin. de immunitate Ecclesiarum.

In Genuensi Republica dux non potest in eo

A esse officio nisi per biennium, deposita autem dignitate per totum vitæ tempus habet vocem in Senatu, & in camera rationum. Dauity.

In libris Iurisconsultorum sæpe mentio fit de exconsulibus, exquæstoribus, expræfectis, & cæteris quibus seruabantur dignitatis depositæ priuilegia. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 10. c. 11.

Argenti nomine venit argenteum seu factum seu infectum. Rhodig. lib 10. cap. 2. quia eiusdem semper est pretii, & in eandem formam potest reassumi, sic de his qui honestè dignitatibus functi sunt.

Qui dignitatem sic deponit potest dicere, hoc habeo quodcumque dedi.

B Arca testamenti non mansit sub tabulis & cortinis facto templo, sed facta est quædam domus specialiter pro illa. Tostat. 2. Reg. fol. 421 c. 3. g.

Leuità etiamsi non esset in ministerio, poterat accedere ad tabernaculum. Num. 1. Exod. 1. fol. 100.

Consumato Templo Salomonis cessauit vsus tabernaculi, & illud reseruatum fuit in thesauris domini in palatiis templi superioribus; quæ erant super tectum templi, similiter & vasa ænea fuerunt ibi recondita. Idem 1. Paralip. fo. 66.

Quidam dicunt lacteum circulum esse viam quam olim tenuit Sol splendore cæteris partibus fulgentiore nitentem. Lud. Viues in somnum Scipionis.

C Cum in peregrinis locis Sol & Iupiter in opposita vel quadrata fuerint radiatione, Saturnusque in secunda, fuerit autem Sol & Iupiter in angulo; semel in honore erit, & diuitias magnas acquisitas conseruabit. Cardan. Aphoris. sect. 2. Aph. 2.

Ciues virtute præstantiores, peracto priuatis in rebus publicorum munerum tyrocinio, officiisque minoribus probè peractis, illustriori dignitate donat Respublica. Beneficium hoc duo distinguenda complectitur, eminentis scilicet virtutis præmium, & amplioris dignitatis administrationem; hæc vt non sit perpetua, sed ad tempus, necessitas efficit, vel legis, ita precarias breues, successiuas instituentis dignitates, vel D fortuiti casus, tandem senectutis inter onera publica deficientis. Sic ab officiis eximi censetur honesta missio, qualis olim veteranis & emeritis concessa. Nec enim æquitas patitur, vt cum exercitio præteritæ functionis, splendor eius occidat. Nam Respublica dignitatem concessit in præmium iam probatæ virtutis, hanc autem vir egregius auxit in posteriori rectè gesta dignitate, sic ampliorem deberet consequi, si non obstaret rerum, præscripti temporis, fortunæ, vel ætatis dilabentis angustia. At si præteritis honoribus nouos non adiicit iustitia, saltem antiquis nihil detrahat, factam donationem, etiam onerosam, sine causa non reuocet, seruetur in suo gradu, qui altiorem non consequitur, cum etiam cum lex ad inferiora demitti non patiatur. *Vi. Dur. Maiorit.* Iniquum est, si Respublica tollat à bene merito concessum semel splendorem, quem ampliare potius debuerat, & cum is nulli, nec ærario, nec populo grauis sit. Vilescit maiestas sua in illustri ministro sic turpiter deiecto, & si reductum in vulgi sortem, infamibus illum fortè subiici contingat, tunc reorum prius ab ipso

Vide Virtus Contrarietatis. Purgationis & exercitationis causa. Et *Finis Bonitatis Ex principiis*.

Fragilis & caduca fœlicitas est, & omnis fortunæ blandientis speciosus cum periculo nitor, & sine causa sæpè fluit, & sine ratione destituit. Vidi ego magni exercitus ducem sine comite fugientem; vidi ambitiosa turba clientum limina deserta, &c. Seneca lib 2. Contro. 1.

Nunquam in solido stetit superba fœlicitas & ingentium imperiorum magna fastigia obliuione fragilitatis humanæ collapsa sunt, scias licet ad finem peruenisse quæ ad inuidiam perducta sunt, Maria terrasque rerum natura statione mutauit sua. Idem Suasoria 2.

De deiectis aulicis. *Vide Contrarietas Maioritatis*. infra.

Flammam stipula exorta, claro crepitu, largo fulgore, cito incremento, sed materia, caduco incendio, nullis reliquiis. Apulei 1. Floridor.

Ros insidet herbis in modum mellis, perfunditque illas magna dulcedine, sed cito euaporatur, & ad primos Solis radios euanescit

Mars quodcumque dat, reuocat. *Vide Finis Bonitatis*. & *Finis Gloria*.

Stella vna eademque existens, in apparitiones varias transmutatur. Nam in oriente & occidente maior apparet, in sero rubea, in mane alba, quemadmodum in Luna conspicimus quæ dum in oriente & occidente fuerit, maiorem, latioremque circulum ostendit.

Malus nauclerus aliquando fœlicem expertus fortunam, plura desiderans, cuncta simul amittit.

De rerum humanarum inconstantia *Vide Minoritas Durationis*.

Apelles interrogatus cur sedentem fortunam pinxisset, quia, inquit, non consistit, nec recta stare potest.

Vt torrentis vndæ circa ripas positas arbores preterlabuntur non illis adhærent, sic fœlicitas humana nunc inundat, mox arescit & aquis aut turbidis, aut limpidioribus accedit. Theodoret. orat. de caritate. Res illæ fluxę possessores suos permutant, & ab aliis ad alios perpetuo transeunt.

Trahunt sæpè victi victores, & nimia fortuna, super ipsas glorias ruit.

Cn. Pompeius deleto exercitu suo à Cæsarianis, naue in Ægyptum delatus, iussu Ptolomæi, antequam in terram descenderet occisus est eodem die, quo de Mythridate & Tigrane regibus triumpharat. Genebr. an. m. 4041.

Vide apud Petrum Crinitum de honesta disciplina. lib. 2. c. 14. elegantem apologum de cucurbita quę tempore pluuioso citò crescens, floribus foliis & fructu turgens, pinum quo ferebatur, superabat, & insolescebat; cui pinus, hic sto, & stabo post tot hyemes, at tu cito crescens, ad primos rigores contabesces.

Ipsa dies, aliquando parens, aliquando nouerca. Suidas.

Si te beatum censes vt votorum compotem & auro abundantem, scito fortunam quoque senescere. *Vide Duratio Maioritatis. Repug.*

Nostra omnia sunt in motu, nihil solidum, nihil quod eodem diu permaneat gradu, quatimur fortunæ salo; omnis vita supplicium est, in inquieto mari nunquam stabili consistimus loco, pendemus, & fluctuamur, & alter in alterum allidimur. Tres huius inconstantiæ causæ sunt

A scilicet, diuina, cœlestis, naturalis humana: diuina prouidentiâ ita sancitum fugacia hic esse, ne delusi diuinorum obliuiscamur. Cœlestis causa est quia motus cœli irrequietus versat inferiora dum planetæ à fœlici trino & sextili relabuntur in quadratum & oppositionem ordo, naturæ talis est vt à summo qualitatis elementaris fiat descensus vnde variantur humores & temperamenta; denique homines passionum impetu ruunt in nociua. *Vide Principium Minoritatis*, Malum à seipso. Rhodigin. lib. 9. cap. 18.

Zoroaster, post eum Platonicorum turba dixit alatam esse animam, fractis vero alis ac gradu deiectam in elementa ferri præcipitem, tum illis succrescentibus in gradum reponi, & ad superos

B reuolare. Id lib. 17. cap. 14.

Apud Romanos, teste Plutarcho, nobiles, lunulas in calceis gestabant vt hinc commonerentur non insolescendum ob fortunam quæ est inconstans: sicut enim Luna ex obscuro sensim per incrementa lucem accipit, quam mox amittit in priorem rediens obscuritatem, sic vices suas agunt honor & paupertas, surgunt ex imo, & in imum relabuntur familiæ. Id. lib. 10. cap. 28

Aulici similes sunt calculis qui nunc maximum, nunc minimum numerum significant à computatore loco moti. Id. lib. 23. cap. 11.

Sunt missilia fortunæ quæ nihil in sequentiâ promittunt.

C Heliogabalus vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat, eosque reflabat prandentibus illis, itaut plerumque sub mensis repentè inuenirentur prandentes. Id. lib. 28. cap. 8.

Romani mense Ianuario sacra faciebant diis superis. Sequenti Februario diis inferis & manibus. Isidor. Orig. lib. 5. c. 33. nam bonis mala contigua sunt.

Vidi impium exaltatum sicut cedros libani, transiui & ecce non erat. Psal. 36. vt secundo vento nauigans videt vrbes & montes quasi transeuntes, sic mentem perflante spiritu sancto, & ad æterna properantem, non aliter afficiunt quę hominibus videntur magna. Origen. hom. 5. in Psal 36.

D Ante diem iudicii erunt tempora fœlicia sine bellis, sine temporalibus angustiis, itaut homines possint vacare delitiis, colligitur ex verbis Christi Luc. 17. Matth. 24. Tostat. Gen. fo. 49. cap. a. a. c.

Dionysius Syracusanus fuit pulsus à patria propter tyrannidem & coactus inopia docuit pueros litteras Corinthi Valer. lib. 6. Tostat. Gen. fol. 4. c. 4. f.

Diuturna prosperitas malorum, rarius accidebat, inter Hebræos quam inter alias gentes. Id Paralip. fo. 263.

Quis plenam erroris ac periculi viam non ingreditur, vt suis indulgeat cupiditatibus, per loca

E confragosa incedunt quasi suspensi, vt commiserationem intuentium maximè moueant. Maxim. Tyrius serm. 19.

Apis bos cultus ab Ægyptiis semel in anno apparebat, & eadem die mactabatur. Tostat. Exod. fo. 42.

Cur mari fidem habeam, quamuis ventus minimè perflet, sed tranquillitas latè dominetur, nimirum suspectam habeo eiusmodi quietem. Maxim. Tyr. orat. 31.

Ingens fœlicitas excipi solet ab ingruentibus malis. Ideo Solon Crœsum minimè fœlicem

iudicauit, sapiens enim erat. Id. serm. 35.

Voluptas breuis est, quæ quo auidius hausta est, eo citius in contrarium vertitur; semper tamen patitur, cum non habetur; cum autem habita fuerit, prorumpit dolor, angit mœror, hebetatur mens, ingemiscit ratio, exhorretur vita, concupiscitur mors, & tardè cognoscitur diu stare non posse quod male perpetratum est. eius appetentia est plena anxietate satietas, fastidio tristis omnium voluptatum exitus. Laurent Iustin. lib. de continent. cap. 3.

Qui diu bona fortuna vsi in pessimam repentè decidunt, atque in ea perseuerant. hi sunt, qui bona simul ac mala decreta ab initio geniture sortiuntur, quibuslibet ex his suum tempus sortientibus. Cardan de iudiciis geniturarum c. 16.

B

Planetæ in finibus suis significant hominem variæ fortunæ & permutantem statum sæpè. Cum enim planeta vitam significans redierit, vita erit incolumis; cum autem ad inimicorum terminos processeretit erit infœlix. Idem de honoribus & diuitiis Ibid. cap. 28.

Cum Luna fuerit in Cancro in cœli corde, nati fortuna inconstans erit. Idem. Aphoris. section. 1. Aph. 541.

Quando Dominus ascendentis fuerit in Bicorporeo, peregrinus natus erit anceps in negotiis suis Ib. sect. 3. aph. 70.

Vide Minoritas Finis Et Finis Maioritatis.

C

Qui genituram habuerit pro diuitiis & honoribus infortunatam; & lunam cum præclara fixarum, fiet insperato potens, inde iterum redibit miser, magnitudinem euentus ex statu lunæ deprehendes. Id. sect. 6. aph. 148.

Cupidinis flammas lachrymarum sequuntur vndæ *Vide Concordantia Æqualitatis.* nefandi concubitus.

Obseruatum est stellas in cœlo genitas de nouo, vnam anno 1572. in sede Cassiopeæ; secundam anno 1600. in pectore Cygni, vltimam ann. 1604. in genu Serpentarij, lucidissimas omnes ac Veneris magnitudinem ferè adæquantes, quę diu collustrantes, sensim tamen diminutæ dispatuerunt; nec immerito, sicut enim stellæ cœlo congenitæ à primordio rerum, ad extremum vsque incorruptæ permanebunt, sic par est de nouo genitas pro tempore tendere ad interitum, & paulatim contabescentes extingui Argolus astronomicorum. cap. 17.

D

ACCESSVS ET DISCESSUS sponsi.

INcola sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei. ps. 38. si dignus efficiar esse apud te sum peregrinus; quia non semper, sed remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero, quasi à te, qui verè es, discedens, nihil sim. Origen. in d. psalm. in fine.

Sponsa sæpè conspicit sponsum, qui conspectus abscedit. Sæpè Deus testis est, sponsum mihi aduentare conspexi, & mecum esse quam plurimum, quo subito recedente inuenire non potui quod quærebam Rursus igitur desidero eius aduentum, & nonnunquā iterum venit, & cum apparuerit, meisque manibus fuerit comprehensus, rursum elapsus quęritur. Id. hom. 1. in Cant.

E

A Veni columba mea. Iam hyems transiit, flores apparuerunt in terra nostra &c. Cant. 2. est vox Dei post tribulationes suscitantis animam.

Extasis & raptus in quo Deus possidetur confert ad virtutis exercitium *Vide Gloria Voluntatis,* extasis.

Paulus in suo raptu non omnia expertus est quæ beatis inerunt sed vt ex his quæ experiebatur, etiam alia scire posset, non enim rapiebatur vt esset beatitudinis testis. Nam ex ipsa aspectione verbi, imprimebantur in intellectu quædam rerum visarum similitudines, quæ etiam in memoria & imaginatione conseruabantur. D. Thom. in quæst. disput. de raptu. a. 3. ad. 4. & 8.

Aduentus Christi dicitur, quicumque effectus mirabilis vel spiritualis, quem ipse facit. Tostat. in Matth. to. 3. fo. 253. c. 3. K.

Vide Finis Cognitionis. desinens illustratio. *Gloria Concordantiæ.* *Rep.* dura rei amatæ absentia.

Quid agendum Religioso tempore consolationis aut sterilitatis Vide de qua scripsi lib. de institutione & officiis Religiosi parte. 2. cap. 12. & 13. & libello de amore Dei patiente cap. 8 9.

Veniunt dies cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt. Matth. 9.

Ante faciem frigoris eius quis sustinebit: Emittet verbum suum & liquefaciet ea, flabit spiritus eius & fluent aquæ: fluunt lachrymæ amoris indices, & aduentus concupiti veri testes. Verbum aliquando sic venit ad cor vt etiam recedat, dicit enim, vado & venio ad vos, & si perseuerat gratia, subtrahitur gustus. occulto iudicio, & prout quisque ad conseruationem est dispositus.

Beata mens in quam sic venit verbum vt apud eam mansionem faciat. Venire & abire illius multis concessum est, venire autem, & mansionem facere paucis, si à perfectis ad horam dispensatiuè recedit, non tamen diu. Nam vehemens amor citò reuocat, quod leuis fugauit culpa. Nemo tam sanctus vt amoris vicissitudini non subiaceat Tolle peccatum, & hæc vicissitudo cessabit, da animam nulla delicti contagione pollutam, vt fuit Mater Domini, & actualem in ipsa reperies gustæ sapientiæ. Itaque quoniam nullus est qui non saltem in multis venialibus offendat, nemo inuenitur cui sæpè diuinus non subtrahatur gustus. Hoc opus hic labor est ante eos, donec intrent in sanctuarium Dei Tunc erit Verbi perfecta æternaque fruitio. Laurentius Iustinianus. lib. de connubio Verbi & animæ. cap. 14.

Recedit interdum vt propriam agnoscamus infirmitatem, & ne continuus successus occasionem paret elationis. Sic Apostolus dicit, Ne magnitudo reuelationum extollat me, &c. ita se subtrahit sapientia vt quem diligit, humiliando custodiat; Nam legitimus amator, mox vt abest sponsus, redit ad se, cordis sui latebras perlustrat & purgat diligenter: Nam perfectus amor semper suspiciosus est, semper anxius. Ibid. cap. 15.

Anima cœlesti se conspicit circumdari lumine, accendi ardentissimo amore, & infinito inflammari laudis desiderio Laudat quantum potest. & nimio cruciatur laudis desiderio, cum se videt non posse perficere quod amabiliter concupiscit: ad se vero rediens os laude repletum, oculi lachrymis, cor humilitate, animamque deuoto merore persentit, tunc non esse, vbi se tam delectabiliter fuisse recogitat. Ibidem. cap. 22.

Digitized by Google

Vide Gloria Voluntatis. Rep. Amoris lachrymæ.

A Piè & sobriè in hoc sæculo viuendum, temperanter enim spiritualis est sumenda dulcedo ne ex immoderato gustu fastidium generet, hoc sapiens insinuans ait: Mel inuenisti comede quod sufficit, ne cogaris euomere. Non igitur ad satietatem spiritualis est sectanda deuotio, ne ex familiaritate nimia contemptum, aut ex assiduitate imprudenti tædium generet, &c. Id. de interiori conflictu. cap. 6.

Vide Maioritas Concordantia. Nimia familiaritas vitanda. *Et Virtus Medii.* Discretio.

Accessus sponsi, est minutum quoddam æternitatis quo totum tempus cœlesti perfunditur dulcedine.

B Cantant & gemunt, clamant & laudant, quiescendo tacent, vociferando discurrunt, tenent & quærunt sponsum, dum abscedit, ingeminant illud propheticum. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Ib. cap. 10.

De perfectorum per vices ascensu & descensu. *Vide Media Virtus* ex Laurent. Iosiniano.

Anima similis est gemino speculo ex vna parte superiori Deum, in inferiore sensibilia referente, in hac vita sumus mutabiles, nunc spiritus noster ab opere suo deficit feliciter in fruitionem & beatitudinem quandam effluens, & vicissim exit per virtuosam operationem, semper spiritui diuino coniunctus, per amorosam inclinationem, C in Deo per amorem fruitiuum morimur, & iterum in nobis viuimus per amorem practicum. Harph.

CONTEMPLATIONIS dulcedini prouidè succedit interdum siccitas.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. In hoc rerum medio positi, cœlis, elementis humoribus ordinata vicissitudine tempora partientibus, res quascumque licet ad votum fœlices, non patimur continuas, & natura nostra velut ex amoribus mixta, omnibus sympathica ad omnes saltē alternatim inclinatur: hinc tanta nouitatis auiditas quæ cæco quodam impetu a maximis ad minima solo diuersitatis nomine conuertitur. Mirum quod versatilis iste genius etiam vigeat in spiritualibus, & velut superari non possit, illi se multiformis Christi gratia conformat, vitam contemplantium, derelictionibus intermixta dulcedine temperando.

MAGNITVDO. Stabilitas, Identitas, vnitas, cœlestis patriæ, & fruitionis in boni centro, priuilegium est, hic bonum omne transit in excessus naturæ nostræ non tolerandos si continuum sit. grauant & enecant non nutriunt alimenta si sumantur assiduè. Dandum est digestioni, tum appetitui tempus, vt vacuitati repletio succedens gratior accedat, corporique facilius assimiletur.

DVRATIO. Sic quę contemplationis interdum dulcedo diuinitus conceditur, hoc animæ sitienti post derelictiones dulcius sapit, altius interiora penetrat, nutrit, fouet, & conditione sua fortior eam, in diuina transformat. Raptus quidam est de natura violenti, quod non potest esse continuum.

POTESTAS. Donum hoc diuinum si perpetuū esset, haberetur à multis velut naturale, quasi procederet à genesi. & in pietatem fœliciter inclinanti sub Iouis genio. At cum nec semper, nec statis hæc conceduntur temporibus, apparet à libera concedentis Dei pendere voluntate, qui sic animæ vel laboranti subsidia, vel fortiter decertanti stipendia, victrici præmia decernit.

COGNITIO. Experimento suo fœlici discit animus vt est supra cognitionem sensuum ratio; sic supra rationem esse diuinas illustrationes, quæ nunquam aliter in cogitationem & cor hominis ascendissent. discit has humano non metiendas iudicio, excedere captum nostrum, & vt quædā speciali dono nobis aperiuntur, sic alię suæ conditionis eminentioris exceptione nos latent, & hinc sapiens fieri debet fidei mysteriis obsequentior.

VOLVNTAS. Nihil amantibus mutua sua præsentia fœlicius contingit, extra cupiunt, timent, sperant, hic fruuntur, & in posterum immutabilem, supra casus omnes positam fidem se putant possidere, hęc corde concipiunt, ore proferentur, & tamen vtriusque mens infirmitatis suę conscia de remedio cogitat: toties experti sunt immotos ignes suis sepeliri cineribus vsui frequentiori vilescere pretiosa, vt meritò timeant ardoris sui remissionem in assidua fruitione; hunc itaque meditatis exagitant & reaccendunt velut casu violento contingentibus absentiis. Fatentur contemplatiui diuini solis ad ipsos post tenebras & hyemis, redeuntis præsentiam mirabilius, dulcius, auidius excipi; duplex enim tunc voluptas, ex doloris scilicet, quo torquebatur cessatione; & ex summi boni mentem omni suauitate replentis possessione.

VIRTVS. Peccant interdum mentes diuinæ consolationis intemperantia, vt tunc plus Dei dona, quam Deum ipsum quærant, amore minus sincero, quia muneribus enutrito & velut D conducto. Interdum itaque sibi relinquendus est animus vt experimentum sui capiat, an subtracta dulcedinis mercede, fidelis in officio perseueraret.

VERITAS. Non omnibus eadem contingit, quæ fuit in D. Paulo fides, vt ex vnico raptu, toto vitæ suæ tempore fuerit inuictus Euangelicæ veritatis prædicator. Plerique diuinas illustrationes ad breue tempus concessas, elapsis aliquot annis accepisse vix sibimet ipsis fidem habent, eas imaginationi circa res etiam pias & diuinas illudenti fortè tribuerent, nisi toties repetitas, toties laboranti propitias & auxiliares vt cœlestis misericordię donum, mens luci, sanitati, quieti E restituta humilis agnosceret, & post iteratos lapsus oraret cum Propheta Redde mihi lætitiam salutaris tui.

GLORIA. Hic velut æternitatis dies est animæ sabbathum in quo terrenorum munerum vacatione reficimur & docemur, talem esse legem mortalis conditionis, vt in ea minus sit otii, quam operæ, hic enim certandum est, & fortiter promereri debemus coronas quas nobis in cœlo iustus iudex reponit.

DIFFERENTIA. Instructa rebus necessariis hospitia peregrinantes opportunè recipiunt, vires consumptas cibis & quiete reparant, sed diu non morantur properantem ad vlteriora diligentiam Secretum ad horam cum principe

Digitized by Google

colloquium ministri fidem contra casus omnes obfirmat, agendis in posterum legem dicit, & præmii propositi; gratiæ consequendæ spes, miram præstat in suscipiendis laboribus alacritatem. Ita mentem reficit eleuat diuina visitatio non vt in ea sedem figamus, sicut optabat Petrus in Transfiguratione Domini, sed vt fortiores inde surgamus ad opera charitatis.

CONCORDANTIA. Omnes etiam qui assistunt Deo spiritus sunt administratorii: eo tamen priuilegio, vt in ministeriis nihil de fœlici sua remittant visione, alia nobis & impar longè sors contingit. Vocantur ad necessaria vitæ, & charitatis munia, sed quietæ semper contemplationis dispendio, paucis & ad horam Mariæ, cæteris Marthæ contingit officium, nec tamen solatio destituitur actor animus, quia sentit præsentem sibi, sua videntem & probantem opera Dominum, illaque per vices cœlestibus donis præmiantem.

CONTRARIETAS. Homo natus est ad laborem, personalem hanc seruitutem nunquam fugit, quocumque se vertat patitur, vt expiandi delicti, exercendæ patientiæ, virtutis etiam eminentioris opportunam & necessariam occasionem Amator quietis vitat turbam, & varios vitæ ciuilis tumultus, cum tamen in secessum ferat motus internos qui sæpè negotium illi faciant; quod si tandem emerita virtus illis pacem & silentium indixerit, vix aliter quam ad momentum diuina delibat mens, & casto suo sponso fruitur quo paulo post vidua, videtur breues delicias ad longos absentiæ luctus habuisse.

PRINCIPIVM. Nunquam clarius mens intelligit quantum à Deo pendeat, quam cum eo recedente suas horret tenebras, confusiones, languores, mortis velut prænuntias conuulsiones; & cum eo veniente rediuiua, æternis circumfusa splendoribus surgit in beatorum ordinem & choros, cum ipsis Deo laudis canticum celebratura.

MEDIVM. Animæ lugenti vnicum hoc superest solatium quod accessus & recessus, ortus & occasus sui solis, reputat diuinæ prouidentiæ suauiter omnia disponentis, proprium opus. Implet igitur diuinam voluntatem in vtraque sorte, facilius in dilecti præsentia; in absentia vt difficilius, ita fortius, & quodam interioris vitæ martyrio.

FINIS. Sic quibusdam videtur optabilior sterilitas, cum ad illam velut in finem consolatio refeiatur, vt anima scilicet verum robur colligat, quo possit in aduersis inuicta Deo fidelius inseruire. Militibus dantur stipendia propter certamen, peregrinantibus hospitia, vt reparatis viribus iter commode perficiant: sic diuina misericordia suas largitur consolationes quibus mens recreata fortius asperitates vitę toleret.

MAIORITAS Heu quam apparet ridicula mortalium vanitas menti sursum ad cœlestia translatæ, diuina degustanti, fastidio futura sunt in posterum, quæ sensibus blandientia vulgus habet in pretio. Momentum est quo nos sic rapit, sic reficit diuina misericordia, manet tamen menti diuinitus impressa tantæ fœlicitatis species, qua fouetur amor diuinorum, & rerum cæterarum contemptus. Sic oculus qui solem fixè sustinuerit, ab eo licet diuertens, suis diu plenus splendoribus res alias non probat, quas nequidem videt.

ÆQVALITAS. Non est æquum adhuc certantes triumphantibus æquari. Beatis sit immota, sit æterna fixaque fœlicitas, hanc carptim experiri nobis maximum videri debet priuilegium. & consistentes in atriis domus Domini, cœlestis chori concentus, quamuis minus distinctos audire liceat.

MINORITAS. Ad Christianæ vitæ perfectionem duæ potissimum nobis necessariæ sunt virtutes, fortitudo scilicet in aduersis, humilitas in prosperis; vtrique plurimum fauet per vices accedens & recedens consolatio: quid enim non audeat mens Deum auxiliantem, amantem sponsum experta? quid arrogabit sibi conscia proprii defectus, toties lapsa, toties Dei miserantis beneficio subleuata; quod si languescit interdum diuinæ consolationis defectu, humilis confitetur: hanc ideo subtractam, quia negligens tantis muneribus indignam se præstitit. Deus enim qui non deest in necessariis, repelli debuit, propter indispositionem cordis, cœlestem influxum aut dignè non excipientis, aut in prauos forsitan vsus conuersuri.

Populus Israel egrediens de Ægypto peruenit in quinta mansione ad Mara, locum vbi aquæ erant amaræ & in 6. mansione venit in Elim, vbi aquæ dulces & palmæ; hinc ad mare Rubrum. Similis est in vita spirituali societatis & consolationis vicissitudo. D. Hieron. ad Fabiolam de 42. mansionibus filiorum Israel.

Feruet hic anima amore diuino, feruere autem dicuntur qui impresso calore supra se sursum feruntur, & proprio pondere in se redeunt ab actuali supra se eleuatione. D. Bonauent. de 7. itiner. æter.

Sponsus iterum atque iterum absentabit, donec sis sollicita custodire eum, vt te securam non audeas reddere, & omnia habeas iam suspecta. Id. stimuli amoris parte 3. cap. 5.

DILATIO REMVNERATIONIS. Mala.

AFfirmans animas purgatas ab omni pœna reatu in quibusdam receptaculis detineri, vsque ad diem iudicii, hæreticus est Benedict. 12. const. 4. §. 3.

Vide Duratio Bonitatis Repug. de mercede operariorum cito soluenda.

Animæ baptisatorum qui nullam peccati notam incurrerunt, aut contractam purgauerunt, corporibus exutæ in cœlum euolant. Eugen. 4. constit 37. §. 6.

Dilationes non conceduntur in causa panis. Iul. 3. const. 1. Bull. p. 185. to. 2.

Dilationes petentes, biretum viride, sub pœna fustigationis gestare tenentur. Pius. 4. const. 39. §. 2 p. 40. to. 2.

Distributiones quotidianas esse voluit omnes fructus, redditus & emolumenta Ecclesiarum collegiatarum & capitulorum vrbis Pius 4. const. 41. p. 41. to. 2. & eas non residentes non percipiunt, etiamsi sint cubicularii Pontificis. Gregor. 15. const. 49. §. 7. p. 329. to. 3.

Seruitorum remuneratio non censetur diu dilata. *Vide Gloria Medii.* Remuneratio ministri.

POTESTAS GLORIÆ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAXIMA VIS HONORIS, ET FAMÆ.

VT lux est forma colorum, sic honor virtutum. *Vide supra Cognitio Virtutis.* Et *Voluntas Gloriæ* Appetitus honoris bonus. A

Sylvius Italicus, vocat honorem facem honestæ mentis. Sic Ouid laudataque virtus crescit, & immensum gloria calcar habet.

Xenophon dicebat non esse æquales militis & ducis labores, propterea quod honor leuiores efficeret imperatorios.

Vt vera laus ornat, sic falsa castigat.

Humana gloria vento comparatur, at ventus habet maximas vires, quippe accedens ad naturam spiritualem. *Vide Potestas Cognitionis.* ex Albert. Magn. de meteoris. B

Spiritus in plantis & animalibus inclusi, & hyemis frigore externo ad ima retrusi & concentrati excitantur tempore verno calore solis, vt se proferant: sic laus externa virtutem latentem euocat.

Vbicumque aqua odorem acquirit, mox quoque in eo ipso fermentum atque deinde semen, in materię dispositæ per fermentum inccepta dispositione concipit. Ex arena, seu terra simplici & aqua crescit nil, nisi situm prius, fraxedinem siue odores contrahant. Aqua omnis odoris expers, nisi fermentum odoris conceperit, in pristina simplicitate sine fructu permanet. In profundis terræ stratis aquæ occulto loci odore impraegnantur, & in fructus extra prorumpunt. Van Helmont. tractatu magnum oportet. Sic virtus ex fama velut ex odore fit fœcunda. C

Fama quocumque modo proueniat, siue verè, siue falsè, beneficium Dei est; & ob hoc omnes viri famosi tenentur Deo ad magnas gratiarum actiones. Tostat. Paralip. fo. 197. Fama est donum Dei quo potentes sumus ad ædificandos proximos. Id. Matth. 2. fo. 247. prodest homini propter se bona fama, prohibet enim ne labatur in peccata: prodest ratione proximi, quem ad se vocat à longè & bonis consiliis dat efficaciam, vt illa magis sequatur. Vnde non licet famam auferre ab aliquo, nisi cum in secreto admonitus non se corrigit. Id. Matth. to. 5. fo. 52. & vtilius est Reipublicæ famam alicuius conseruari, quam delinquentem puniri. Ib. D

Omnis homo laudatus placabilis fit laudanti & benignior. Id.

Præconiis suis plurimum delectantur magnates, quod officiorum assiduitati, periculis etiam sæpius negant, laudibus dabunt, ea capiuntur arte, quę tunc omni piscatione, aucupio, venatione subtilior est.

Odor bonus myrrhæ, thurisque nihil aliud est, quam sacrificium spirituum, quo possumus eos ad nos trahere. Paracelsus lib. de occulta Philosophia. cap. 10.

Sancti & amici Dei famam suam impollutam laudabiliter conuersando custodire nituntur, non pro seipsis, sed pro honore Dei, proximorumque salute; qui ædificantur in bono, diuinamque laudant bonitatem, quę præstat homini vnde ipsa laudetur; luceant, inquit Christus, opera vestra coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum qui in cœlis est: & Paulus, conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, &c. fulgeat etiam laudabili conuersatione ob decorem & sublimitatem regalis sacerdotii, cum competit sapientię & bonitatis habere amictum, postremo propter salutem suam, bonis fulgeat moribus quos bona fama consequetur. Laurent. Iustinian. lib. de instit. Prælator. cap. 11. & 13.

Ideo sacerdotum peccata debent occultari. *Vide Cognitio Minoritatis. Repugn. Occultare peccata.*

D. Hieronym. Heliodoro Monacho suadet ne maneat in patria, quia nemo Propheta in patria sua honorem habet. Non quæro, inquies honorem, sufficit mihi conscientia mea. Sed vbi honor non est, ibi contemptus est, vbi contemptus, ibi frequens iniuria, vbi autem iniuria, ibi & indignatio. Vbi indignatio, ibi quies nulla, vbi quies non est, ibi mens à proposito sępè deducitur: vbi autem per inquietudinem aliquid aufertur ex studio, minus fit ab eo quod tollitur, & vbi minus est, perfectum non potest dici. D. Hieron. epist. Heliodoro Monacho.

Fama bellum constat, & is qui recedit, fugere creditur. Q. Curt. lib. 3. apud eundem lib. 8. Alexander excusans in concione quod voluerit dici Iouis filius. Obtulit, inquit Iupiter filii nomen recipere, ipsis rebus quas agimus haud alienum fuit, vtinam Indi quoque Deum esse me credant. Fama enim bella constant, & sæpè etiam quod falsò creditum est, veri vicem obtinuit.

Alexandri milites in Indiæ monte in quo dicitur olim liberum Patrem consedisse, epulantes & sopitos mero, hostis non est ausus aggredi, haud secus bacchantium vlulantiumque fremitu perterritus, quam si prælantium clamor esset auditus. quis neget eximiam quoque gloriam sæpius fortunæ quam virtutis esse beneficium? Ibid.

Digitized by Google

COGNITIO GLORIÆ.

FOELICITAS QVÆ SE PROFERT.

VIDE Cognitio Virtutis. Virtus. quæ se profert ad extra.

L. Domitio rure reuertenti, Iuuenes Gemini imperarunt, nuntiaret Senatui ac populo victoriam; de qua incertum adhuc erat, & in fidem maiestatis adeo permulserunt malas, vt è nigro rutilum ærique assimilem capillum redderent, quod insigne mansit in posteris. Sueton. in Nerone.

In incarnatione, in passione Deus glorificatus est, dicit Christus, Pater clarifica filium tuum, Ioã. 12. sed humiliter non gloriose glorificatus est, vt dicitur in Cantico Mariæ Exod. 15. & sic Christus glorificabitur in secundo aduentu, cum fulgebit in maiestate Patris sui. Origen. Homil. 6. in Exod.

In natiuitate Christi Angeli nuntiant gaudium pastoribus.

Vide Cognitio Potestatis. Videri potens.

Ciconia acerrime pro nido & pullis decertat contra rapaces aues cum victoriam obtinuerit rostri percussione alacritatem ostendit. Olaus Magnus lib. 19. cap. 13.

Vide Duratio Gloria. de triumphis, titulis, trophæis, nominibus ex deuictis gentibus sumptis. Hercules spolio leonis à se occisi indutus, &c. Fœlicitas est loquax. *Vide Cognitio Virtutis.* Iactantia,

PRÆSAGIA GLORIÆ & prauisio.

DE libro vitæ, D. Tho. q. 7. de veritate.

Magnis animis, inest præsagium quoddam fœlicitatis quam ope sua cœlum vult implere, contra spem humanæ rationis. *Vide Cognitio Virtutis.* Confidentia sui.

Romæ 1. Paulus segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos. Etenim quoties Deus magna quædam moliturus est, ea multo antè tempore denuntiat, hominum aures præparans, ad ea, cum aduenerint, accipienda. D. Chrysost. hom. 1.

A

Midæ puero dormienti formicæ in os grana tritici congesserunt: responderunt Augures futurum eum omnium mortalium ditissimum. August. Nimphus de Auguriis lib. 1. cap. 10.

Moyses ascendit montem Nebo, vnde vidit terram Chanaam suis promissam, Deuter.

Vide Cognitio Maioritatis. Vbi de parte dextra.

Columna marmorea posita est in quadam parua insula in medio Nili ante ciuitatem quæ nunc dicitur Chairum: in ea columna sunt signa ad quæ prout peruenit incrementum Nili, si altum fuerit prędicunt agricolæ terræ magnam fertilitatem, nec vnquam fallit iudicium. Tostat. Matth. to. 1. fo. 131.

B

Consultus Deus vel respondebat S. Pontifici in Sãctuario per vocem emissam è Propitiatorio inter Cherubim vel per lapides Rationalis, qui in signum futuræ quæsitæ prosperitatis fulgebant insolito splendore. Idem. 1. Reg. fo. 129.

Israelitis captiuis Deus dedit signa & spem liberationis. *Vide Finis Minoritatis.* sub finem ex Iustino Martyre.

Non flectere genua in Dominica significat nunc resurrectionem à peccatis, & aliquando totalem à corruptione. *Vide Cognitio Minoritatis pœnitentia publica.*

Cygnus in auspiciis semper lætissimus ales.
Hunc optant nautæ, quia non se mergit in vndis.

C

De his qui nomen acceperunt priusquam nascerentur, propter futura merita. *Vide Potestas Cognitionis.* Vis nominum.

De quibusdam fœlicitatis præsagiis post cladem. *Vide Finis Minoritatis.*

Albedo vnde procedit. *Vide Cognitio Virtutis* iactantia vitanda & latens virtus sub finem ex Cardano.

Angeli & dæmones nesciunt qui homines sint damnandi aut saluandi. Tostat. Matth. tom. 5. 83. c. 2. b.

De albo colore multa. *Vide Differentia Cognitionis.*

VOLVNTAS

VOLVNTAS GLORIÆ.

APPETITVS QVIETIS ET PACIS.

VIDE Bonitas Gloriæ. Quietis.

Axa petit à patre Caleb terram irriguam, quia habebat tantum arentem, & dedit ei pater terram irriguam superius & inferius. Iudic. 4. Duo sunt compunctionis genera, inferius cum anima inferni supplicia flendo pertimescit; irriguum superius, cum sese in lachrymis, cœlestis regni desiderio affligit. Rupert. in iudic. lib. 1. c. 3.

Mouentur omnia corpora ad loca in quibus quiescunt naturaliter & sine violentia.

Est in corporibus motus naturalis indigentiæ, quo se ab heterogeneis, recipiunt ad minus inimica, ita metallum foliatum, cum non delectetur aëre circumfuso, adhæret cuilibet corpori tangibili, maximè vero crasso, nec facilè diuellitur: etiam papyrus & pannus, non se bene habent cum aere, qui inseritur & commixtus est cum ipsorum poris, itaque aquam aut liquorem libenter imbibunt, & aërem exterminant, hinc fit attractio aquæ à spongia. Bacon. in nouo organo.

Motus semper ab immobili procedit, & ad aliquid quietum terminatur, per tot discrimina rerum, tendimus in latium, sedes vbi fata quietas, ostendunt. Virgil.

Qui sunt sanguinei temperamenti, delectantur conuiuiis, societate, musica totus hic naturę habitus ad pacem vergit, turbulentos motus auersatur.

Motus naturalis perficitur quiete naturali, & est corporis existentis extra vbi naturale, quæ omnia à corpore cœlesti aliena sunt. Vnde concludunt motum corporis cœlestis esse ab aliquo intellectu & voluntate, non immediate à Deo. D. Thom. in 2. sentent. dist. 14.

Natura appetit motum propter aliud, & propter quietem in alio. *Vide Voluntas Differentiæ.*

D. Thom. in quæst. disput. q. 5. a. 5. c. dicit finem motus cœli non esse assimilari Deo in causando; quia operari non potest esse finis, quia est propter aliud, & operatum melius est, & operata non sunt fines, quia sunt quid ignobilius cœlo, sed finis eius est, completus numerus electorum.

DELECTATIONIS.

MOtus ad formam delectabilis, est causa motus localis, qui fit propter ipsam. *Vide Bonitas Gloriæ.* Delectationis & voluptatis.

Omnes ferè flores sunt concaui, non pleni & solidi.

Apes non insident locis fœtidis, sed fugiunt, & diligunt dulce, & odoriferum; fumo autem rei

A corruptæ necantur.

Narratio quanquam debeat esse breuis, non tamen inornata, nam fallit voluptas, & minus longa, quæ delectant videntur, vt amœnum ac molle iter, etiamsi est spatii amplioris, minus fatigat, quam durum, arduumque compendium, Quintil. Inst. orator. lib 4. c. 2. Ostia, rotæ, & cætera non strident si leniantur.

Placet & rapit sensuum voluptas quia illi primum assueuimus; torpentes spiritus excitat. Huic addicti sunt iuuenes, quia dum augescit corpus, maiori hac indigent medicina laboris dolorem obscurante. Melancholici etiam ad voluptatem velut ad mali sui remedium currunt. Rhodigin. lib. 9. cap. 14.

B D. Gregor. Taumaturgus Neocæsareæ Episcopus videns populos inuitari ad cultum simulachrorum; spectaculorum & conuiuiorum voluptate, permisit Christianis in memoriis martyrum honesta lætitia exultare. D. Gregor. Nyssen. in eius vita.

Vide Principium Gloriæ. Delectationis.

Qui iocis etiam obscœnis delectant, officiosi dicuntur. Seneca lib. 4. contro. 1.

APPETITVS HONORIS.

APpetitus honoris & gloriæ, etiam solitarios pulsat, & eorum menti se subtiliori ingerit nequitia, itaut qui non potuerint vitiis carnalibus decipi, successibus spiritualibus acrius sauciantur, tantoque est perniciosior ad conflictum, quanto obscurior ad cauendum; omnia vitia, aperto marte superantur; & semel postrata, languidius conflictum retentant, at vana gloria, vt quædam multiformis nequitia, priore persona mutata, ex ipsa victoria, victorem petimit, & iugulat. Cassian. lib. 11 cap. 2 Cæteræ perturbationes, ex aperto tanquam die claro bellantes, & superantur facilius & cauentur; at vana gloria virtutibus inserta, & aciei permixta, velut in nocte cæca dimicans, atrocius inopinatos decipit & incautos. Id. c. 9. vt cepæ vno decorticata tegmine, alio iterum atque iterum reperitur induta. Ib. cap. 5. Cætera vitia, eos tantum impugnare solent, quos in certamine superarint, hoc verò suos victores acrius insectatur; quantoque fuerit validius elisum, tanto vehementius victorię ipsius elatione congreditur; & hæc est subtilis inimici versutia, vt militem Christi propriis faciat telis occumbere; quem hostilibus armis superare non potuit. Ibid. cap. 7. Vnde dicitur Galat. 5. Nolite fieri inanis glorię cupidi; & Dominus

(C and D margin letters appear beside "pulsat" and "ne, alio iterum" lines.)

Phariſæos caſtigans. Ioan. 5. quomodo, inquit, vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis; de his dicit Dauid Pſal. 52. quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent. Ib. cap. 11.

Sapientibus, cupido gloriæ, nouiſſima exuitur Tacit. 4. hiſtoriæ.

Pueri honoris ſtimulis ad diſciplinas prouocandi. *Vide infra Virtus Principii.* Initii. educatio puerorum. In publicis gymnaſiis audiet adoleſcens multa quotidie probari, multa corrigi, proderit alicuius obiurgata deſidia, proderit laudata induſtria, excitabitur laude æmulatio, turpe ducet cedere pari, pulchrum ſuperaſſe maiores, accendunt omnia hæc animos, & licet ipſa vitium ſit ambitio, frequenter tamen cauſa virtutum eſt. Quintil. Inſt. orator. lib. 1. c. 3. vbi refert victo poſt trigeſimum diem, reddi certaminis poteſtatem, ſic vtriuſque cura intendebatur vnius ad repellendam ignominiam, alterius ad palmam ſibi ſeruandam. Eſt quędam tacita in oratore dedignatio, vim dicendi tantis comparatam laboribus, ad vnum auditorem demittere; pudet ſupra modum ſermones attollere; furor quidem eſſet tanto corporis motu, & cum ſudore coram vno declamare. Non eſſet in rebus humanis eloquentia, ſi tantum cum ſingulis loqueremur. Ib. in fine. *Vide Cognitio Virtutis.* Virtus quæ ſe profert.

Mihi ille detur puer quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui victus fleat, hunc mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit, in hoc deſidiam nunquam verebor. Id. cap. 4.

Ibid. lib. 2. cap. 8. etſi pueri debeant pronuntiare quædam ex probatis authoribus. *Vide Concordantia Virtutis.* Imitatio bonorum, aliquando tamen permittendum, quod ipſi ſcripſerint dicere, vt laboris ſui fructum, ex illa quæ petitur laude, capiant, ac ſe meruiſſe vt diceret, gaudeant.

Honor cunctis rebus pręferendus. l. Iulianus ff. ſi quis omiſſ. cau. teſtam. verecundum eſt honorem ſuum multum relinquere l. miles §. ſocer ff. de adult. Crudelis eſt qui famam ſuam negligit. can. nolo. 12. q. 2. honor pari paſſu cum vita ambulat. l. iuſta ff. de man. vind. vnde quod non poteſt fieri non ſeruato honore fieri nō poteſt, l. in eadem cauſa ff. ex quib. cauſ. maior. D. Aug. in ſermone de die ſuæ conſecrationis dicit; à male viuentibus nolo & deteſtor laudari; laudari autem à benè viuentibus, ſi dicam nolo, mentior, ſi dicam volo, timeo, ne ſim humanitatis appetentior, quam ſoliditatis. Quid ergo dicam? nec plenè nolo, nec volo; non plene nolo, in laude humana periclitari, non plenè volo, ne ingrati ſint, quibus prædico.

Gloria eſt ſolida quædam res, & expreſſa, non adumbrata; ea eſt conſentiens laus bonorum incorrupta, vox benè iudicantium de excellente virtute, ipſi tanquam imago repoſita, rectè factorum comes bonis viris non repudianda. Cic. 3. Tuſculan. quæſtion. E

Magnanimus vtitur moderatè vt honore, ſic gloria. D. Thom. 2. 2. q. 132. a. 1.

De Romanis dicit Saluſtius, laudis auidi, pecuniæ liberales erant, gloriam ingentem, diuitias honeſtas volebant, & de illis ait D. Auguſtinus cæteras omnes cupiditates, huius vnius cupiditate preſſerunt, pro hac mori parati.

Placet vnicuique gloria, quia talem ſe credit A eſſe, qualem alii prędicant & ſic imprimitur phantaſia, vt dicit Ariſt. 3. Rheto.

Etiam Philoſophi de gloriæ contemptu ſcribentes, operibus ſuis nomen ſuum præfigunt.

Leges debent damnum ex dedecore potius, & ignominia, quam pecuniæ iactura metiri, Plato.

Per bonam famam homo viuit in æternum. §. filii autem. Inſt. de excuſat. tutor. Eccleſ. 30. lux oculorum lętificat animam, bona fama impinguat oſſa. & Eccl. 41. Curam habe de bono nomine, bonum autem nomen permanebit in æuum magis quam theſauri pretioſi. Vide Chaſſeneum in Catal. glorię mundi parte 11. conſ. 28.

B Etiam viles de plebe artifices contendunt inter ſe de artis ſuæ excellentia, vid. ib. conſi. 40. & ſeq.

Ampliſſimum rectè factorum præmium eſt gloria. Hæc vna eſt quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoria conſolatur; quæ efficit, vt abſentes adſimus, mortui viuamus, his tantum gradibus, licet hominibus in cœlum aſcendere. Cicero pro Milone.

D. Thom. in Opuſc. 20. de regimine principis cap. 7. dicit appetitum gloriæ non quidem eſſe legitimum principis finem, ſed minus malum, & magis tolerabilem; quia ſectatur virtutem, aut vera via, aut apparenti, & abſtinet à malis vnde poſſet vituperari. Nam inglorius tyrannus, vt fuit Nero, ruit in omnia vitia.

C Qualiter honor à viro bono expetendus. *Vide Gloria Virtutis.*

Moyſes volens ad Deum conuertere Obab cognatum ſuum. Num. 12. vtitur argumentis ductis ab vtili & honeſto, dicit enim; benefaciemus tibi, quia Dominus bona promiſit Iſrael, & poſtea ſubiungit, eris ductor noſter per deſertum. Vir prouidus ab elato auditore ſolatium petiit vt daret; ducem requirebat in via, vt dux eſt fieret ad vitam; non enim indigebat conductore, quem columna diuinitus conceſſa præibat. Rupert in Num. lib. 1. c. 28.

D Ioannes PP. 23. cum plus ęquo laudaretur, Scio, inquit, me ludi ſed falſa quoque laus me delectat; laudari falsò, quam vero vituperari melius eſt. Æneus Syluius epiſt. 401.

Bonum ſpirituale eſt maius quam bonum corporale, cuius ſignum eſt, quod homines etiam à maximis corporalibus voluptatibus abſtinent, vt nō perdant honorem, qui eſt bonum intelligibile.

Non licet ſeipſum infamare. *Vide Cognitio Minoritatis.* Latens defectus. Et *Voluntas Minoritatis. Mala.*

Quilibet habet ius & vult eſſe in bona opinione proximi, vnde qui abſque ſufficienti fundamento iudicat de illo malum in re graui, & quam proximus multum ęſtimat. peccat mortaliter Bonac. de iudicio temerario.

Qui iniuſtè lædit honorem, poteſt occidi, ac ſi vellet auferre vitam. Melius eſt enim bonum nomen quam diuitiæ. Prouerb. 22. Id. de reſtit. q. vlt. propoſ. 2.

Remus & Romulus certabant vrbem Romamne, Remamne vocarent, pro Romulo fuit augurium. Vide Petrum Crinitum de honeſta diſciplina lib. 10. cap. 9.

Omnis aqua mali odoris aut ſaporis, aut turbulenta quæ non clareſcit, exitialis & peſſima eſt. Cardan. de rer. varietate lib. 1. c. 6.

Indus quidam ſagittandi peritus vt per annulum diceretur ſagittam tranſmittere ductus ca-

Digitized by Google

ptiuus & iussus coram Rege artem suam proferre, noluit, iratus Alexander iussit obstinatum capite plecti, cum ad supplicium duceretur, dixit se à pluribus diebus inexercitatum non ausum fuisse periculum suæ industriæ facere coram Imperatore, ne res illi fœliciter non succederet, maluit vitam quam famam suam periclitari. Rodig. lib. 23. cap. 9.

Honore inuicem præuenientes. Roman. 12. Nihil enim ita facit amicos vt studium illud proximum honorando vincendi. Non autem dilectio solum hinc nascitur, sed & maior honor. D. Chrysost. hom. 21. in epist. ad Roman.

Appetitus excellentiæ secundum rectam regulam rationis, est rectus & ad magnanimitatem pertinet, secundum illud Apostoli 2. Cor. 10. Nos autem non in immensum gloriamur quasi in aliena gloria. Sed secundum regulam qua mensus est nobis Deus. Si autem aliquis ab hac regula deficiat, incurret pusillanimitatis vitium; si verò excedat, erit vitium superbiæ excedens propriam mensuram in excellentiæ appetitu. D. Thom. in quæst. disput. de peccatis q. 8. a. 2. o.

Primos accubitus appetere in conuiuiis secundum gradum suæ dignitatis non est peccatum. Tostat. in Matth. to. 6. 180. c. 3. f.

Ira maximè exacerbatur ratione contemptus. Arist. 2. Rhetoric. Scientiæ speculatiuæ honorabiles sunt, sed non sic vtiles vt practicę.

Licet nihil agendum sit vt videaris, fama tamen est integra conseruanda, quod interdum ea cura à multis nos turpibus cohibet, sed præcipuè in exemplum cæterorum. Si hominum prauitate lædatur, sufficiat sapienti, Dei & conscientiæ testimonium. Lud. Viues in introduct. sapientiæ.

Honore & fama qualiter benè vtendum. Vide quæ scripsi moral. Christian. to 4. parte 1. cap. 28.

Causa honoris non est tam grauis, quam vitæ. *Vide Voluntas Durationis.* ex Cuiac.

Si quis testamento fit adoptatus & scriptus hæres, ea lege vt ferat nomen testatoris, ad id non tenetur, si nomen sit famosum. l. facta, §. sed si nominis ff. ad Trebellian.

Vide supra Potestas Gloriæ. Magna vis honoris.

Famæ post mortem cupido. *Vide Voluntas Durationis.* Et *Duratio Gloriæ.*

Vide supra Potestas Gloriæ Vis honoris & famæ.

Adulatoribus nostris libenter fauemus, & quanquam nos respondeamus indignos, & calidus rubor ora profundat, attamen ad laudem suam intrinsecus anima lætatur. D. Hieron. ad Eustochium. *Vide Concordan. Potestatis.* Adulatio.

Pater & filius fortiter fecerunt, petit pater à filio vt in obtinendo præmio sibi cederet. Ille non vult, iudicio contendit, vicit patrem, petit pro præmio statuam patri, abdicat pater. Pro filio. Volui cedere concurrerunt iuuenes, ætatis causa agebatur, vici non filius patrem, sed iuuenia senem. Ego vici, sed omnes patri gratulati sunt, cuius & exemplo vici. Auidus sum gloriæ. Hoc si vitium est, paternum est. Si iussisses hyberno tempore nauigare, peregrinari, nihil fuisset iubente te durum. Hanc rem imperabas, difficilem forti viro, vinci. Si non cedere hac in causa crimen est, multiplicabo crimina, nunquam patri, quoties rectè faciendum fuit cessi, semper volui videri frugalior, videri laboriosior, cum ad vires ventum erat, etiam ipse cedebat, non illum ego vincebam, sed ætas. Vocibus hominum missus sum in certamen, dicentibus. Non licet inter se cedere fortibus; non ipsorum tantum causa agitur, sed publica, omnium interest scire, quis sit fortissimus. Seneca lib. 10. Controu. 2. Vide quid simile. *Contrarietas Principii.* Actio licita in parentes.

Ad comitatem amicitias conciliantem pertinet, æquales velut digniores excipere, & honore illos afficere. Cardan.

Quemadmodum reprehensio inimicitiarum est principium, ita laus amicitiæ. Virtus laudata crescit, & erubescit si delatis sibi laudibus non respondeat; sic etiam adulatione proficit; adulantur serui dominis, aulici principibus, oratores auditoribus, amasii puellis. si non lingua saltem oculis, nutu, gestu, ciuiliter alteri quisque adulatur, vt placeat, at contra Sophistæ qui ad singula verba contradicunt, odio habentur. Vt veritas odium parit, sic adulatio amorem.

REPVGNATIO.

HONORIS MVNDANI contemptus.

Honor mundanus non facit humanam fœlicitatem, quia est res caduca, intra breue sæculum flacescens, & aliunde pendens. Magis enim est in laudantibus, quam in laudato ex Aristotele, quia nihil aliud est, quam opinatio de aliena virtute benè sentientium. Hæc cupiditas seruitutem maximam exigit; inimicitias & prælia inter sanguine & genio coniunctissimos excitat: clades priuatas, publicasque efficit. In exiguo tempore & loco, magna non potest esse gloria. Homines agit in transuersum, dum relinquunt ea ad quæ nati sunt, vt inferiora spe maioris laudis sectentur, vt Quintus Fabius, nobilissimæ familiæ decus spernens, factus est pictor Alii diuinitatem ambierunt; & diuina famæ suę seruire volunt, vt Phidias qui Mineruę statuæ nomen suum sic insculpsit vt eo deleto, tota rueret statua. Alii sacrilegiis & parricidiis sibi nomen quæsierunt. Vt qui incendit templum Dianæ Herostratus, & Pausanias qui occidit Philippum patrem Alexandri Magni.

Theodoretus in Genesim quęst. 4. dicit Angelos Dei laudatores non fuisse ab æterno, sed cum mundo creatos, quia Deus laudatoribus non indiget, sed sola bonitate sua ductus, Angelis, vt cęteris creaturis concessit vt essent.

D. Thom. Opusc. 20. de regimine principis cap. 7. probat gloriam non esse assignandam principi pro præmio, quia res est incerta, pendens ab hominum opinione. Talis cupiditas faueret adulatoribus, efficeret hypocritas, mouendis bellis esset occasio.

Moyses noluit sepulchrum suum cognosci, ne Iudæi cum pro Deo haberent, & ideo de eius corpore altercatus est diabolus vt Iudæos ad idololatriam prouocaret, quod nolebat Michael, qui & præualuit. D. Thom. in Iudæ can. c. 9. Theod. q. 43. in Deut.

Licitum est ex causa rationabili manifestare sua peccata, & famam suam prodigere, quia hoc factum est à sacris viris, vt à S. Augustino in confessionibus, sancto Anselmo, & ab aliis. Vide Bonacin. de restitut. disp. 2. q. 4 p. 9.

Sunt filiæ quia non nobis extrinsecus superueniunt, sed de nobis & de actuum nostrorum quadam integritate procedunt Origen. Homil. 5. in Genes.

De præsumptione & superbia. *Vide Cognitio Virtutis propria Mala. Et Voluntas Maioritatis mala.*

Dicit Christus Ioan. 5. quomodo potestis credere qui gloriam à vobis inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis. Carè emitur vt patet in his qui propter illam superbas habent domos, familias, mensas, vnde tales oportet esse rapaces, & vt venatorem alant, in aliorum substantiam manus iniiciunt. Aliæ passiones morte finiuntur, ista post mortem violenter instat, naturaque suam etiam in emortuo iam corpore ostendere contendit; cum impendit magnam substantiam in splendidis sepulchris, pauperes viuentes contumelia afficiunt vt superbam mensam præparent vermibus.

Vana gloria quosdam pellit ad adulterium, quasi præclarum sit id præ aliis obtinuisse: hinc inuidia, auaritia quæ tantæ profusioni sufficiat: hinc turpis iactantia meritum diuturni laboris amittens, qui te in puncto temporis admirantur, mox obliuiscuntur, inuidēt, lacerant: ita fit vt à Deo tibi datam coronam eripiant, & eam quam ab ipsis expectabas, non conseruant: flagitiosis hominibus, etiam si nihil præstiterint, seruimus miseri, iustè aliorum commendationem mereberis, si commendari negligas Grauior hæc culpa si fuerit in spiritualibus & cum seruus domino, discipulus præceptori velit placere, tu non Deo sed hominibus, seruis, sæpè reis complaceas, cum in superioribus certes; in inferioribus coronari vis, vt pueri coronas ex paleis contexunt, at à tergo coronatum irrident qui te in faciem prædicant; apud seipsos clanculum subsanant dicit Paulus hæc considerans, absit mihi gloriari nisi in cruce domini. Omnib. necesse est aduletur, qui ab omnibus gloriam quærit, nisi morbum hunc superaueris, nulla frueris animi libertate. D. Chrysost. homil. 17. in epist. ad Rom.

Hic iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. 1. Cor. 4. ad magnam euectus es dignitatem, eam tu non acquisiuisti, sed ea te Deus induit, ne ingentes ergo sumas spiritus ne intumescas, sed memento ea esse Domini quæ conseruis debes dispensare, &c. Ib. hom. 10. in 1. ad Corinth.

Qui decertant in oculis Dei & angelorum & postea quærunt gloriam ab hominibus, sunt vt hi qui pro magno ad ostentationem suæ virtutis theatro, quærunt paruum, vt hominibus vanis placeamus. Deum despicimus futurum iudicem, nec ipsum reueremur. Ib. ho 11.

Ideo sapiens, fortiter permanet in virtute etiam inter malos à quibus contemnitur. *Vide Duratio Virtutis.* inter malos, bonus

Gloria inanis, est vitium periculosissimum, non quidem propter grauitatem suam, sed propter dispositionem, quia est dispositio ad multa vitia Tostat. Matth. 10. 3. fo. 6.

Præterit figura huius mundi. 1. Cor 7. cum lux diuina falsas rerum species, laruas, somnia discusserit, præsente vultu pictura relinquitur.

Sacrificium est Deo gratissimum si in nobis & nobis pereunt omnia propter ipsum in cuius comparatione nihil sunt humana, hæc idola confringantur & in cineres redigantur.

Honor si ex virtute non oritur prauus est; si ex virtute, hoc præstat virtus vt negligatur; aliter vera non erit virtus si quod honoris facit gratia, sequi enim debet honor, non expeti. Lud. Viues.

Fama nec profutura malo, nec læsura bonum mortuo non sentienti nihil prodest & viuo ignoranti, si nouit, nihil adfert aliud nisi vt sapiens contemnat, insipiens sibi magis placeat.

Externa non faciunt homines beatos Vide quæ scripsi moralis Christian to. 1. parte 1 cap. 4. 5 6 14.

Nihil habent externa magnificum quo mentes nostras ad se trahant, præter hoc quod admirari illa consueuimus non enim quia concupiscenda sunt laudantur, sed concupiscuntur quia laudata sunt. Laurent. Iustinian. lib de humilitate cap. 5.

Mundus suis spondet amatoribus quod non habet, atque his blanditiis ad interitum eos trahit æternum cunctos decipit & perimit. ebrios vno promissionis calice, eodem omnes vno infidelitatis mucrone confodit; quotidie deiicit & eleuat, ditat & spoliat blanditur & iniuriatur, milleque modis mortalium genus, ludificando percutit, occidit. Id. lib de monastica conuersati. cap. 2.

In miseriis versatur homo gaudens, & quid patiatur ignorat, more eorum qui transeuntes per nundinas, plateas & ioca, ad extremum lætantes supplicium pergunt. nihil cogitantes, neque formidantes, quam durus eas post paululum maneat cruciatus. Idem opusculo de humilitate c. 5.

Pro vanissima vanitate militant aulici in magnis vitæ laboribus & discriminibus, in quibus gloriam martyrij mererentur si hæc pro Christi nomine sustinerent Nunc autem sunt martyres sæculi, mundi professores, discipuli curiæ, qui per multas tribulationes promerentur infernum; vę qui trahitis iugum iniquitatis, in funiculo vanitatis. Isay. 5. 18. Petr Blesens. ep. 14.

Ideo sapiens aulam fugiat. *Vide Gloria Virtutis.* quieta virtus

DESIDERIVM ET SPES beatitudinis.

Contra desperationem Chrysost. hom. 77. & *Vide Cognit. Minoritatis Mala.* De spe. D. Thom q. 3. de virtute Agobard. bibl pat. to. 9.

Oras pater noster qui es in cœlis sustine donec illud peruenias spe saluus, vt dicitur Rom. 8 quare tu fatigaris spe Dei, cum genus omne hominum, subsistat spe; fide viuat. Agricola nunquam sereret anhelus, si fructum laboris sui de tempore non speraret: viator laborem prolixi itineris non subiret, nisi se ad destinatum crederet peruenire: nauta mare non intraret incertus, si se lucris sequentibus compensaturum viarum discrimina non speraret: miles tota iuuentutis tempora non ageret in periculis, si senectutis honores copiosissimos non speraret: filius paternæ dominationis tempora non duraret, si se substantiæ paternæ non speraret hæredem & tu te filium Dei credens iuxta Prophetam Ps. 26. Expecta Dominum viriliter age, & confortetur cor tuum. Audi Apostolum Ioa. 3. filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus, &c. & Col 3. Beati sunt filij Dei quia & hæreditatem rerum omnium pos-

Digitized by Google

fidebunt, & de excessu patris luctus temporum non videbunt. Chrysolog. serm. 71 in fine.

Spes est virtus Theologica & supernaturalis, qua speramus beatitudinem, diuino auxilio obtinendam, dicitur enim Roman. 8. quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus, & 1. Petri 1. Regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis D. Tho. 22. q. 17. a. 5. tenemur aliquando elicere actus spei, præceptum autem spei negatiuum, idest non desperandum obligat semper & pro semper. Bonacina.

Dicit Petrus Iesu, Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? probat petitionem Iesus & dicit: Amen dico vobis &c.

Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Roma. 5. gloriatur quasi de his quæ iam in manu habet. Chrysost. ho. 9.

Vide *Gloria Virtutis*. Remuneratio virtutum in cœlo.

In hoc tabernaculo ingemiscimus habitationem nostram, quæ de cœlo est superindui cupientes. 2. Cor. 5. scientes quod dum versamur in corpore peregrinamur à Domino. Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse apud dominum. Id.

Licet virtutes delectent sui possessores, sincera & sancta delectatione & in eis pariant gaudium spirituale, hic non est consistendum, sed vltra gradiendum, & virtutibus non fruendum, sed vtendum, vt scilicet per eas frui possimus summo bono. Magister sententiar. dist. 1. q. 4.

Anima quodam æternitatis odore experimentaliter allecta, in Deum & ad æterna non ambulat tantum, sed currit. In odorem inquit sponsa, curremus vnguentorum tuorum: hæc intentio tendit in dominum solum immediatè quantum potest, & propter ipsum, sed vt pluries, non totaliter propter ipsum solum, sed etiam quærit propter se delectari & consolari, retinens adhuc aliquid de proprio, & ideo talis intentio diuisa est. Talis clamat cum Petro, Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? & cum psalmista. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem. Hanc tamen intentionem dominus non reprehendit, quia non principaliter quærebat mercedē, sed domini voluntatem, cum multi tales sint in æterna domo patris D. Bonauent. de 7. itinerib. æternit. dist. 3.

Datur alia intentio, immediata, simplificata, & deificata, nihil in Deo quærens præter Deum, taliter affectis in patria necesse est humanam affectionem ineffabili quodam modo quiescere & à semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transformari voluntatem, alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus, si in homine aliquid de homine supererit, manebit quidem substantia, sed in alia forma, in alia gloria, aliaque potentia, quod non continget nisi post resurrectionem resumptis corporibus quæ adhuc animæ desiderant. Ibid.

Christum sequebantur multi, propter curationes infirmitatum, propter doctrinam. Tostat. Matth. to. 4. fo. 11.

Non est malum petere, quod Deus nobis promittit. Id Matth. to. 5 fo. 191

Inter legem nouam & veterem hoc interest uod in lege veteri expressè promittuntur bona mporalia, & subticentur æterna, in noua vero ressè æterna, & subticentur temporalia. Id-

A dem. Deut. fol. 50.

In lymbo Abrahæ, animæ sanctorum patrum cruciabantur ex desiderio gloriæ quam non habebant, sicut amantes, qui amatum longè esse considerant, sed expectatione torquentur. Idem, deut. fo. 17.

Certa beatitudinis spes lætificat animas existentes in purgatorio. Idem, paradox. fo. 84.

Deus dat spem vt temperet huius vitæ aduersa Vide *Finis Minoritatis*. sub finem ex Iust. Mart.

Spes gloriæ magnas dat consolationes & vires. Vide quæ scripsi moralis Christiana to. 1 parte. 2. cap. 5. Homo creatus est ad finem supernaturalem lib. de misericordia Dei, parte 1. cap. 9.

B *Spes dat animos. Ib cap. 23. Nosse & appetere debet Christianus summum suum bonum. lib. de triumpho & fælici successu vitæ Religiosæ cap. 1. appetit gloriæ fruitionem. lib. de amore Dei nascente c 8. De maximo in dolorem vsque gloriæ desiderio libello de amore Dei patiente cap. 19.*

Iusti dicunt cum Propheta, inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem Non in hac vita peregrini, sed in futura expectant mercedem laborum.

Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis veniens ex Dei gratia. & ex præcedentibus meritis datur à Deo ne deficiat animus inter vitæ labores; proclamat enim Christus: venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam vos, spei scilicet dulcedine quæ parit securitatem, fortitudi-C nem, spes est columna fulciens spirituale ædificium, anchora contra tentationum tempestates, mittit iam animum in possessionem regni cœlestis Innocentem fortuna deserit sæpè, at nunquam bona spes. Laurent. Iustinian. 1. de spe. c. 1. & 2.

Quam dilecta tabernacula tua. Domine Deus virtutum. Domine dilexi decorem domus tuæ. & locum habitationis gloriæ tuæ. Psal. domus illius decorem nullus agnoscit & negligit, nullus possidet, & amittet Id.

Sitiuit anima mea ad fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini. Psal. portio mea in terra viuentium.

Sabbathum apud Iudæos, sanctorum cum Deo D regnantium æternam requiem præmonstrabat. Laur Iust. Iterata solemnitas spem gloriæ fouebat & accendebat.

Sæculi huius incolæ terrenarum rerum lucra sectantes, marinis se exponunt fluctibus, alienas perlustrant vrbes, &c. hæc sunt testimonia quæ in extremo iudicio aduersus Christi milites conclamabunt: accusabunt teporem promissam fœlicitatem negligentium, &c. Id. lib. de interiori conflictu cap. 11.

Christus B Stephano dum lapidaretur non dedit temporalia præsidia, sed ostendit cœlos apertos, vt de ingressu eius perciperet fiduciam, vidit Iesum stantem, paratum videlicet ad sibi impendendum suffragium, hinc martyris sancti soli-E data mens mundum vniuersum desiderio transcendebat Id serm. de S. Stephano

Quis præsentem contemneret vitam; si non aliam beatiorem esse certissima definitione sentiret: Sic Apostolus, non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.

Vide Cognitio Durationis. æternitatis pia meditatio.

Digitized by Google

SPES HVMANA.

EST spes præsumptuosa cum quis sperat in futurum quod vult, cum vires eius excedat. *de qua Vide Cognitio Virtutis.* Nimia de suis viribus confidentia. Est spes lubrica cum quis spem ponit in creatura mutabili, hic super arundineum baculum innititur, qui confractus grauiter lędit, dicit enim Hieremias maledictus qui spem suam ponit in homine. Est spes falsa, cum quis sperat quod futurum non est, sicut ille cui dictum est, Stulte repetent hodie animam tuam à te, de his dicitur, posuimus in mendacio spem nostram, dum non considerant humanæ vitæ fragilitatem & pericula. Est Spes vera, si in solo Deo ponatur de qua dicitur, quis sperauit in Domino & confusus est, Laurent. Iustinian. lib. de spe. cap. 3.

In Deo solo sperandum. *Vide Principium Gloria.*

Superuacuus omnis censetur labor, cum futuræ mercedis abigitur spes, qui arat in spe colligendarum segetum serit, qui certat in stadio, in spe brauii obtinendi dimicat cum fiducia, sed & qui nauigat, cum spe perueniendi ad lucrum, marinis se fluctibus exponit, sic Psalmista, inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes propter retributionem Id. de triumphali Christi agone, cap. 23.

Spes est vigilantis somnium, refrigerium laboris, Alcuin.

Ducuntur omnes & animantur spe propositi præmii, mercenarius lacessitudinem, algorem, calorem tolerat, vt opere perfecto, promissam mercedem assequatur. Serui retributio est remissio supplicii, Remuneratio vero filii paternæ charitatis custodita dulcedo, spem si abstuleris non erit qui colat agrum, qui nauiget, negotietur, militet, Deus dicit Abrahæ, egredere de terra tua, benedicam tibi faciam te in gentem magnam, Moysi dixit Educam te de Ægypto & induram in terram fluentem lac & mel. Christus dicit si vis perfectus esse, veni sequere me, vende omnia & habebis thesaurum in cœlo, &c. Laur. Iustin. de contemptu mundi cap. 7.

Olim dictum est dii laboribus omnia vendunt, sic velut conuentione facta quilibet operas suas præstat in humanis officiis, vt eo soluto pretio, quod optat bonum consequatur. Egeni sumus
A plus opinione quam natura, nostrum itaque non non est gratis operari, quisque mercenarius est, si non pecuniæ, saltem honoris, honesti beatique status, in quo vota nostra conquiescant. Sic omnes tendimus in futurū, cuius cū incerti sint euentus, in dubio sibi conciliatus sapiens, non se torquebit possibilis aduersitatis anticipato dolore, sed spe gaudens, alacrior in opere iam fœlix, ampliori bono præparatur. Sacrificium quoddam laudis offert Deo quem concipit vt parentem benignum humanos conatus gratia sua iuuantem, & in defectibus misericordem, hinc audet fortia, maximè si res iam votis suis fœliciter successerint. Rebus lætis, difficiles & mœstæ se ferè semper interserunt, & quis agendorum tolerantiæ sufficeret animus, quem de futuris congesti metus &
B dolores opprimunt quem desperatio prosternit, dum inuito maligno suo fato nihil se credit proficere. Si res alicui fœliciter successerint, cur expertam toties diuinam clementiam iterum non speret, si diuturnis pressus fuerit aduersis, est etiam spei locus, cum enim res humanæ stare nequeant, post asperam hanc sortem, fæliciora restituet rota versatilis, vt ver post hyemem, serenum post pluuias. Sufficit diei malitia sua, & si nobis plusquam cæteris animantibus, licet coniectare de futuro, id non in pœnam animi prouidentia concessit, sed in laboris stipendium & solatium. Cur non sperem bona toties expertus; cur non sperem, his tandiu priuatus; cum nulla sit assidua tem-
C pestas. Tolle spem, humanos omnes extinguis affectus, cum impossibilium nulla sit cupiditas, iacebit virtus omnis; si nulla sit spes obtinendi quem sibi proponit finem. Proponuntur certaturis præmia, militibus prædæ, imperatoribus triumphi, Religiosis & martyribus cœlestes coronæ, vt dum hæc obtineri posse credunt, totis in illa nitantur viribus, & sit semper virtutis exercitę, si non brauii præ cæteris reportati, suum præmiū, sine spe non intenditur finis, non eliguntur media, cessat omnis motus, generationis, societatis, fortitudinis, & omnia velut in chao, iacebunt inertia. *Ex principiis.*

Vtendum animis dum spe calent. Q. Curtius.

Maximis vrgentibus aduersis proxima est spes liberationis sic in crisi. Ideo semper sperandum. *Vide Contrarietas Finis.*

Spes est inconstantis voluntatis stimulus quique spe seruiunt, & variè præstant officia.

Digitized by Google

VERITAS GLORIÆ.

VERA QVIES ET PAX.

NON est somno', sed impotentia sensuum in defectionibus, & deliquiis animæ in amentibus & melancholicis, qui neque audiunt, neque vident, naturalis somnus, vim nullam facet in organo, sed sensim feriante sensu communi, spiritus contrahuntur, etiam cum voluptate vt viribus quiete reparatis, iterum ad actionem prodeant. Albert. Mag. tract. 2. de somno & vigilia. A

In homine sunt spiritus, anima & corpus, sicut in mundo, elementalia, vitalia & intellectualia, & quoniam necesse est, si pax debet seruari, quod quodlibet membrum seruet officium suum, tunc est vnitas in corpore, sicut concordantia in organo, & harmonia in canto. Card. Cusa. Excitatio. lib. 5. cap. 12. B

Pax est nexus per quem centraliter omnia nectuntur ne deffluant, pacificator mediator dicitur, nam in motu non reperitur nisi quies, sic in tempore non nisi nunc. Pax autem non potest esse pura nisi vt est ipsa per se & diuina. Et non potest esse quicquam expers pacis, & res in quantum subsistit, in tantum de pace participat. Pax videtur vnio circumferentiæ ad centrum, & locus pacis & quietis est centrum. Non potest pax videri nisi in coincidentia extremorum, & locus pacis est medium. Ibid. cap. 52.

De ratione quietis est, quod quiescens non aliter se habeat nunc & prius, & ideo in quolibet nunc temporis mensurantis quietem, quiescens est in eodem vbi, in primo, & in medio, & in vltimo. C

Vera gloria est per propinquitatem ad Deum. *Vide Concordantia Principii.*

Deus est summum hominis bonum. *Vide Veritas Finis.*

Virtus & sapientia spiritualem efficiunt solitudinem quæ in lumine sapientiæ mentis est tranquilla possessio. Propter hanc vtique consequendam corporalis est instituta solitudo, & cœnobia remota constructa; quid enim prodest corporalem tenere solitudinem, si in turbarum tumultibus, in agibilibus sæculi, in obscenisque cogitationibus mens versetur humana? Non minus cordis, quam corporis coërcendi sunt gressus, ne terreni pulueris contagione fœdentur, &c. Laurent. Iustin. de vita solitaria cap. 13. *Vide Gloria Virtutis.* Pax & tranquillitas virtutis. D

Quis non interpellatur extrinsecus, sed otium est iuge, perpetuum, molestia carens, quod in statu suo maneat. Cæterum si inquietudo se misceat, otii & naturam & nomen amisit. D. Hilar. in Psal. 41.

De vero gaudio Seneca ep. 23.

Veritatis fastigium est, id quod nulla molestia permixta est.

Vera censetur esse voluptas quam naturaliter omnes appetant.

VERVS HONOR.

HOnor est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis Ar. 1. Ethic.

* De his quæ requiruntur ad canonizationem sanctorum. Vide Chasseneum in Catalogo gloriæ mundi, parte 3. consideratione vltima.

Malo te sapiens hostis metuat, quam stulti ciues laudent Liuius.

Apud Persas neque aureo annulo, nec zona aut monili, vel ornamento alio insigniore, nisi ex regis munere aut gratia vti licuit. Rhodig. lib. 18. cap. 18.

Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, tunc laus erit vniuscuiusque à Deo. 1. Cor. 4. Nam laus quæ est apud homines diffluit, & sæpè non à bono animo proficiscitur; quæ autem est à Deo, perpetuo manet, & manifestè resplendet. D. Chrysost. hom. 11. in 1. ad Corinth.

Si ij pereunt à quibus habetur honor, multo magis honor; honorem quærimus ab infamibus, vilibus, abiectis, ignominiosis. Idem hom. 12. in epist. ad Ephes.

Vide Veritas Virtutis. Vera virtutis gloria, omni carens suspicione.

Defunctorum cum fama sanctitatis, gesta & miracula non possunt imprimi sine licentia ordinarii qui expectabit responsum à Papa, libri aliter impressi non habentur approbati. Et in prædictorum defunctorum sepulchris, lumina accendi, vota appendi non debent. Vrban. VIII. const. 37. § 5. Bull. p. 55. to. 5.

Reliquiæ sanctorum recipiendæ non sunt, antequam ab Episcopis recognitæ & approbatę fuerint. Sixt. V. const 88. §. 3 p. 489. to. 2.

Gloria est admirandæ virtutis celebris fama; gloriam sequitur dilectio multitudinis, vnde est fructus insignis virtutis optimus, & summum quod hic homo possit consequi. Cardan. de arcan. prudentiæ cap. 133. in fine. Honor propriè est viuentis, gloria mortui.

GLORIÆ ET FOELI- *citatis humanæ vanitas.*

CLaudius Cæsar, è Græcia Romam veniens, eo quod cantando in Olympicis victor fuisset, vrbem ingressus est eo curru, quo Augustus olim triumphauerat, in veste purpurea, aureis stellis distincta, coronamque capite gerens, præeunte, & sequente turba plaudentium. Sueton. in Claudio.

Omnes ferè flores sunt concaui, non pleni & solidi.

Circa loca in quibus sepeliuntur corpora, vtpote viscosa, nocte emicat ignis. Ita lucent vermes, & ligna putrida.

Articularis morbis non leuatur calceo quamuis pretioso, nec dolor capitis diademate, sic nec æger animus diuitiis, &c. Plutarch. lib. de tranquillitate animi.

Galli Asiam occupantes bello contra Sybaritas suscepto, fugam simulantes, castra deseruerunt plena gratissimis epulis, sed, veneno infectis, hi se cibis voluptatibus dediti Sybaritę, ingurgitantes, & paulo post, veneni malitia, prostrati, à Gallis penitus deleti sunt. Athenæ. lib. 10. cap. 14.

De duodecim mundi abusionibus. D. August. to. 9. Cyprian. to. 3.

De vana gloria. Basil. conc. 20. to. 3. D. Tho. q. 9. de malo;

De mundi gloria despicienda. liber Petri Damiani.

De mundi contemptu. liber Laurent. Iustin. D. August. to. 9. Greg. Nyssen. Isaac. Bibl. Patr. tom. 5. Bernardin. quadr. 1. serm. 49.

De sæculi miseriis Aluarez tom. 1.

De rebus sæcularibus. Basil. hom. 23.

Persarum Reges sphæras cœlorum ingentibus machinis imitati, radiis caput ornabant vt viderentur esse soles, sic alios planetas imitabantur; hos irridet Chrysol. serm. 120.

Vide Media Gloria. Non est vera gloria magnis dispendiis in bello vincentium. *Vide Minoritas Contrarietatis.* Non bellandum.

Dum mundani sibi regna fingunt & laureas, sunt vt pueri constituentes imperatorem. *Vide Virt. Minoritatis.*

Honor potius est in honorante, quam in honorato. Arist. 1. Ethic. cap. 5. quia qui honorem recipit, non habet potestatem patiendi vel non patiendi, cum hoc sit in agente, non in patiente; non est ergo in honorato inhæsiuè, sed obiectiuè tantum, & terminatiuè.

Aladin Princeps Syriæ hominem vino aut medicamento sopitum, sicque raptum, in loco voluptatis inter epulas, pulchrasque mulieres superbè vestitum constituebat, quibus cum per vnum diem potitus fuisset, iterum medicamento sopitum pristinæ restituebat conditioni; illique dicebat gaudia paradisi degustasse, quę si mandatis obediens esset, iterum posset adipisci; sic plures dementatos ad omnia paratos habebat. Da uity in Syria.

Vide Veritas Bonitatis. Repug.

In somnis visæ margaritæ significant lachrymarum flumen. Suidas in voce margaritæ.

Sirenas mulieres quasdam canoras in insula se- A dentes, & nauigantes in naufragium inuitantes Græca fabula celebrat. Narrationis veritas est loca esse quædam maxima montibus angustata, quibus allisi fluctus, argutum sonum edunt; quo audito prætereuntes, fluctui vitam suam committant, ipsique vna cum nauibus pereant. Suidas in voce Syrenas.

Corpora cœlestia dum citissimè mouentur, videntur quiescere.

Solet Hippocrates iocos & nugas vocare insaniam mediocrem quasi festiuam non mordacem nec seriò vsurpatam. Rodig. lib 17. c. 4.

B Ex humanarum rerum contemptu, & cœlestium desiderio constat vera humilitas. *Vide Virtus Minoritatis.*

Sta in foco, interroga abeuntes, & redeútes neminé videbis festinare pro re spirituali, sed omne pro carnalibus; quousque deprimetur in somnum profundum; nos malorum non cæpit satietas; talia spreuerunt Philosophi, velut internæ perfectioni mentis contraria, quid cum ad ipsum verbo & exemplo docuit Christus, & abdicationem temporalium sectãtibus, centuplum in hoc & alio sæculo repromittat. D. Chrys Hom. 8. in 1. ad Cor.

Vide Maioritas Voluntatis. Nimius amor rerum minimarum.

Sensuum voluptas fallax est; nam non contingit in principio, in medio nec in fine; amantes in prosecutione ardor supplicium est; hebescit in C fruitione, & post eam sequitur extinctio desiderii. Ib. Hom. 22. Contraria est voluptas virtutis. *Vide Gloria Virtutis.*

Quum à superna gloriæ exciderint, & ab amore cœlorum, præsentem appetunt gloriam, fiuntque serui & captiui; præsentibus rebus affixi rerum naturã accuratè non examinant. Ib Hom. 29.

Peccator ponit finem vltimum in quo non est, vnde cum verum finem non habeat, non verè fruitur. D. Thom. in magist. sentent. dist. 1. q. 4. 1.

Pretium rebus dat non veritas sed opinio, falsam à vera gemmam vix discernunt periti, cum vtraque similiter placeat oculis. Non sunt veræ quas mundus sectatur voluptates, peruersæ consuetudinis vitio fit vt amara pro dulcibus amplectantur, sic grauidæ appetunt vitiosa, vt aliarum rerum, Sic voluptatis mutare naturam volunt. Thomas Morus in Vtopię Republica lib. 2.

Vana gloria dicitur cum aliquis gloriatur aut de falso, aut de re temporali, aut cum aliquis gloriam suam non refert in debitum finem. D. Thom. in quæst. disput. de peccatis q. 9. a 2. o.

In Lybia quidam Psaphon auidus diuinæ glorię, cœpit aues ex vocalium numero complures, quas edocuit hæc verba conari. Magnus Deus Psaphon atque ita edoctas demisit in mõtes, quarum vocibus cum aliæ permultæ assueuissent prius dimissarum discipulæ, Psaphonis diuinitatem celebrabant communi voce, quam cum diuinam existimarent Lybici, Psaphon comitiis auium crea- E tus est Lybicus Deus. Maxim. Tyrius serm. 19.

Sapiens mortales, eorumque inanitatem haud aliter irridet, quam pueros quosdam in talorum ludum vehementer intentos, cuius gratia se inuicem cędant & spolient. Id serm. 20.

Cum omnes rerum diuersarum amoribus deseruiant, maxima pars hebetibus oculis aduersam ingrediens viam, aduersum consequitur votum, idcirco optatorum adeptio, fortunæ magis est quam vel mentis, iudicii, vel artis, omnesque calamitatem aliquam incurrunt. Ibid,

In

In hoc mundo sunt omnia vitiosa, lubrica, operta tenebris, obsessa laqueis, ibi periclitantur animæ & affliguntur corpora; vbi omnia vanitas & afflictio spiritus, vbi finis dubius, & exitus est horribilis. Laurenti. Iustin. lib de fide cap. 5.

Fallax suauitas in temporalibus bonis, infructuosus labor, vana spes, perpetuus timor, periculosa iucunditas cui initium sine prudentia, progressus absque rubore, & finis cum pœna. Idem de continentia cap. 3.

Propter læsionem in honore non licet lædentem occidere. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege 15 §. 2.

Sapienti licet interdum oculos conuertere in mundana vt eorum deprehendat, lugeat, vel rideat vanitatem, moralis Christia. tom. 2. parte 2. cap. 9. & 10.

Summum hominis bonum non est positum in bonis externis moral. Christ. to. 1. par. 1. c. & seq. & lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ. parte. 1. cap.

Vana sunt & fallacia mundi gaudia. lib. de institutione & officiis religiosi. parte 1. cap. 2. 3. libello de amore Dei nascente. cap. 5. Aulicus pœnitens. Ib. cap 14. & 15.

Virtuosa actio commendat hominem Deo, non scientia, non opinio, non popularis aura, non generosa prosapia, non propria æstimatio sui, omnia ista sole apparente iustitiæ liquefiunt, & tanquam glacies æstiuis reuerberata caloribus, nusquam sui vestigia relinquunt. Non enim in ore hominum sed in conscientiis, spirituales sunt condendi thesauri qualisque fuerit apud se, talis à Domino iudicabitur Laurent. Iustin. lib. de casto verbi & animæ connubio. cap. 18.

Vide Infra Finis Gloriæ

Paraclitus Spiritus Sanctus, dicitur Spiritus veritatis, quia vera bona æterna & inuisibilia, vt concupiscantur efficit, libertate donati, vanis & mendacibus sæculi voluptatibus abdicatis transferamur in regnum filii Dei. Vnde propheta filii hominum vsquequo graui corde vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Id. in fasciculo amoris. cap. 6.

O quam detestandum est, & ab humano sensu alienum fluctibus superædificare velle labentibus, & per momenta singula inhærere cadentibus. Id. in complanctu Christianæ perfectionis.

Dum viuere cupis vel melius vel gloriosius ipsum iam quod viuis amittis. Insidiis plena sunt quæ offeruntur bona; quæ quæruntur impedimentis, difficultatibus & laboribus. Similitud[illegible] vitæ caret iucunditate, noua est incerta & periculosa; magna difficulter habentur, parua no[illegible] Sine malorum experientia nihil est dulce homini: gloria tempus eripit, seruos reddit; abiectum autem viuere, & in contemptu, nec tutum nec suaue. Amicitiæ potentiorum graues sunt, pauperum damnosæ. Fidem hominibus si serues decipieris, si frangas, infamiæ & legibus obnoxius es, &c. Cardan. de arcanis prudentiæ cap. 6.

DIFFERENTIA GLORIÆ.

DIVERSA DIVERSIS PRÆMIA, diuersusque honor.

ECCLESIA filiis suis tria tantum permittit genera honorum Religiosorum. Prior est summa adoratio quæ soli Deo debetur, & dicitur latria, propter supereminentem diuinam excellentiam. 2. Excellentia maior quam humana, & minor quam diuina, consistit circa dona supernaturalia gratiæ & gloriæ quæ sanctorum sunt propria, ac isti respondet cultus Duliæ, nempe honor magis quam politicus, & summè inferior quam latria. Tertia excellentia, similiter nec comparabilis cum diuina, sed eminentior satis communi sanctorum, propterea talis cultus hyperdulia nominatur; talè supra commune obsequium humanitati filii Dei deberetur, si hæc separatim ab hypostasi consideraretur, eo honore veneramur S. Virginem Mariam propter priuilegia & præeminentias supra ceteras creaturas.

Politicus honor diuersus exhibetur pro ratione meriti & virtutis, de quo *Vide Gloria Virtutis. Differentia Bonitatis.* Etiam ratione publicæ dignitatis, de quo *Vide Gloria Potestatis,* Et *Gloria Principii.* Et ne quis huic officio desit in dignitatibus constituti, quas obtinent præferunt veste, nominibus, insignibus. *Vide Cognitio Virtutis.*

Duplex est quies, *Vide Media Gloria.* Media quies.

Cambiorum iustitia requirit, vt ratio habeatur longinquitatis & vicinitatis locorum. Pius V. const. 118. §. 2. Bull. p. 246. to. 2.

Digitized by Google

cubiculum suum; Respondet chorus iuuencularum. Exultabimus & lætabimur in te. Pro sponsæ perfectione lætantur. Non est æmulatio in virtutibus. Amor iste mundus & sine vitio est. Origen. hom. 1. in Cant.

Roman. 1. Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis, quod fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo. Non solum pro propriis, sed & pro alienis successibus, & rectè factis gratię sunt agendæ Deo; id animam ab inuidentiæ malo liberat, ac Deum magis allicit ad eos amandos quos erga se grato esse animo cognouerit. D. Chrysost. hom. 1. ad Rom.

Gaudere cum gaudentibus. Rom. 12. quod addit flere cum flentibus naturale est, nam nisi quis B sit lapideus in alienis calamitatibus compassione tangitur, at generosam mentem requirit, vt non modo non inuideat ei qui clarus & celebris est, sed & congaudeat; id mutuam accendit dilectionem. Communica igitur plorantibus vt tristitiam illorum alleues; communica gaudentibus, vt & lætitiam illorum adiuues, & dilectionem consolides, & ante illos teipsum iuues. Dum à liuore te liberas. Si prosperitatem illius augere non vales, congaude, & multum augmenti attulisti. Id. hom. 22.

Vide Magnitudo Concordantia. Omnibus consentire.

Vtinam regnetis, vt nos quoque vobiscum C regnemus. 1. Cor. 4.

Amicorum est congaudere, nam ipsorum est anima vna, idem ergo debet esse vt doloris sic lætitiæ sensus. In vtrisque accrescit, & multiplicatur complacentia, vt in radiorum Solis reflectione calor. Nam gaudeo videns lætum amicum, & ipse gaudet, percipiens me de gaudio suo gaudentem in testimonium amicitiæ, qualibet inuidia defæcatæ; sic redit reditque in authores suos reduplicatus amor, infinita quadam circulatione. In indiga conditione nostra, quidquid dicatur nullus ab interesse proprio vacat amor. Vt mihi sic amico D contingenti fœlicitati, arridet animus spe vtendi fruendi, in amico fœlici fœlix sum, nam in aduersa fortuna languentis dolor non me lancinabit; si meipsum premat hostilitas video mihi paratum auxilium. Ita mihi gratissima fit illa prosperitas, cum sit liberatio debiti, accessio possessionis, certum in aduersis præsidium, & quidem gratuitum, nam onera, sollicitudines possessionis sunt in amico, pura & integra veniunt ad me commoda, & me quiescente solus amici mei potentioris splendor frangit hostium alioquin sæuientium audaciam. Si quis esset in tam multiplici lætitia permixtus dolor, procederet ex eo quod fœlicius est dare quam accipere, & inferior mea sors est, quod possim accipere non dare, votis tantum E beneficus, actu debitor. At inæqualitatem tollere censetur amor, & hic non esset in me satis sincerus, si amico inuideret excellentiam hanc qua gaudet, qua fruitur, qua me vult collatis beneficiis superare. *Ex Principiis.*

A

CONVIVIVM.

V*Ide Magnitudo Concordantia.* Omnibus salua virtute conformari vbi de cõpotatione.

Amphisbena serpens biceps, ligno vitis facilius quam alio interimitur. Rodig. lib. 26. cap. vlt. vino simultates pelluntur, & intereunt amicitia conciliata.

Mensam M. Cato maximè amicorum parentem atque procreatricem existimauit. Id. lib. 28. cap. 8. Inter epulas enim quisque liberius mentem suam aperit, & qualis sit agnoscitur. *Vide Medium Veritatis.* Ebrietas.

Helisæus deserens sæculum conuiuium fecit omni populo. 3. Reg. 19.

Summus sacerdos eo die quo intrauerat in sancta sanctorum & liber exierat, tanquam à morte liberatus faciebat magnum conuiuium amicis suis. Tostat. Exod. 10. 2. fol. 10.

Olaus Magn. rer. septentrio. lib. 16. cap 16. refert in septemtrione morem esse, per tres dies post Pentecostem & ante quadragesimam celebrari publica conuiuia in domibus iuxta Ecclesias ad id dispositis, vt discordiæ si quæ sint sopiantur, reconcilientur animi, inter omnes firmetur amicitia, de iuuenum connubiis, familiarum fœderibus agatur, rebus sacris prius à Parocho coram omnibus ritè peractis.

In duorum genituris commutatio Veneris, facit amicitiam ob voluptates. Cardan. Aphor. sect. 3. Aph. 83.

De nimio luxu in conuiuiis vitando. *Vide Maioritas Gloria.*

De ebrietate vitanda. *Vide Contrarietas Cognitionis.* Ebrietas.

Ad mensam sint casta omnia, pura, cordata; sancta, qualis ille est, inter cuius munera tunc versaris. Omnis detractio, virulentia, atrocitas, crudelitas à mensa arceatur, in qua tu sentis incredibilem Dei erga te suauitatem & clementiam. Quo intolerabilius est, eum te locum asperitate, aut odio in fratrem contaminare, vbi tu benignam & largam in te leuitatem percipis. Quod nec gentiles ignorarunt, qui ob hanc caussam mensæ sacra nominabant læta & festa, ad quam triste aliquid aut atrox dici, fieriue nefas erat. Stultissimum est alimenti causa prauum vllum facinus admittere, & illum offendere, à quo solo alimenta veniunt, vt eum tibi iratum facias, à quo aliquid intendis impetrare. Habe gratiam ei qui non tantum tibi cibos concessit, sed & condidit viribus tuis seruandis, & vt in substantiam tuam conuerterentur, idoneos. Lud. Viues in introd. sapientiæ.

Christus adest publicanorum conuiuiis vt eos conuertat. *Vide Minoritas Medii.* Vti debili medio.

Quamuis generaliter prohibitum sit conuiuari cum infidelibus & Iudęis can. constit. 17. q. 2. can. omnes 28. q. 1. Id tamen licet cum spes est sic illos ad fidem conuertendi. cap. cum sit de Iudęis.

Nomen Monophagi probrosum est, & ab humana conuersatione alienum vt antrophagi. Cœna dicitur à κοινὰ, quod significat communionem vt refert Isidorus.

Digitized by Google

Luc. 22. Christus dicit discipulis, non bibam de hoc genimine vitis, donec illud bibam vobiscum in regno Patris mei Loquitur de ebrietate & raptu spiritualique lętitia qua tunc profundebātur, ut cum multis in hac vita periculis implicemur, nobis compatitur Christus, nec verè lætatur nisi salui simus in gloriam recepti. Non vult solus in regno Dei bibere vinum, nos expectat. Origen. homil. 7. in Leuit.

INNOCENS ET LÆTA conuiuiorum festiuitas.

LEones decet solitaria visceratio, homines autem ad societatem natos oportet cōuiuere, in amicitiæ fœdus, & solatium escis vti propter quas animalia licet gregalia decertant. Dubium esse posset cui maior in excipiente vel recepto gratia, hinc gratitudinis, illi largitionis, & munificentiæ sed vtrosque sublata distinctione nectit & confundit amor; Mensa fit communis occasio amicitiæ testandæ conuiuis omnibus opportuna. Reuocatur aurei sæculi fœlicitas, cum in summa rerum abundantia, indistinctis dominiis habendi cupiditate nondum exorta in se mutuo sympathici propendebant affectus. Communionem hanc æmulantur in conuiuiis dapes omnibus expositæ, quas tamen amicorum officiosæ manus afferunt, & affectus suos hisce mutuis prouocant munusculis. Viget tunc potissimum pristinæ fœlicitatis indoles, quod in hac rerum superesfluēte copia inter moderatos calices vacat de præsentibus & futuris sollicitudo, mensque fortunæ vinculis soluta, liberè se tota diffundit in proprios affectus. Hic nautis, militibus meminisse pericula sua dulce est, supra spem & fidem humanam sibi fœliciter occurrentia cælo data subsidia; hic de regum consiliis, bello, pace, fœderibus, censent politici, & nouis legibus, antiquis medentur Reipublicæ morbis. Gratissimum est fida reperire pectora, in quæ se cuiusque conscientia liberius exoneret, ambigua mentis alieno probet iudicio, A ora soluat, corde simplici & in labris posito, quasi cum amicis eadem quia secum securitate liceat ratiocinari. Cum res vino paululum incaluerit, artifices æmulatione prouocati, quæ diu tenuerant artis suæ secreta proferunt, & collatis aliorum inuentis, vetera perficiunt, noua rimantur. Sublimior ex sapientum symposio mētis voluptas, siue naturalium, siue diuinorum inquisitioni incumbere placuerit, seriaque, quasi per ludum agitare. Velitationes sunt, non acerrimæ sicut in scholis, ad dialecticæ rigorem concertationes; aperitur florido potius, quam galeato sermone veritas, quæ sic vrbaniter & amicè tum exposita tum recep- B ta intimis in posterum hæret pectoribus, Iucundior quæ nascitur ex tempore, & quæ rerum oculis manibusque præsentium occultas proprietates curiosis exponit, vt videre licet apud Platonem, Plutarchum, Marsilium Ficinum, & alios. Consummatam nostram beatitudinem antiqui posuerunt in optimo statu vtriusque partis quæ nos homines constituit; huius autem beatitudinis delibatio nulla maior hic apparet quam in conuiuiis, quibus simul escis corpus, animus veritate saginatur, Ideo habebantur olim in templis, velut illic sub speciali numinis præsentia prælibarent homines, quam sperant in cœlo geminam perfectamque fœlicitatem. Non sine mysterio Christus Dominus vitam summa flagrantem charitate, ad diuina nos ducen- C tem imminente passione finire voluit celebrato cum discipulis conuiuio, quod & perenne nobis in Sacramento reliquit, ad magnificentius in regno Patris nos conuocans. Conuiuiis igitur recreantur corpora simul & animi, firmantur amicitiæ, se diffundit charitas; artes & scientiæ proficiunt, & his olim creditum est nos ad diuina disponi. Dum ab hac festiuitate redit sapiens ad consuetos labores, vota sua mittat in cœlum, vbi cessabit hæc onerosa vicissitudo; quas corpori concessit inducias, referat in bonum animi, qui his velut stipendiis & muneribus recreatus, ad vitæ militiam fortiter obeundam surgat animosior. *Ex Principijs.*

CONTRARIETAS GLORIÆ.

CONTRARIA QVIETI.

ETIAM in mari tranquillo illi non assueti, nauseam patiuntur.

Fortunæ vita implicata similis est torrenti, est enim turbida & violenta.

Eum quem in pœnam volebant somno abstinere subiiciebant elephanti vt metuens ne à bestia conculcaretur semper vigilaret. Suidas in verbo hallones.

Qui rigent minus dormire queunt. Id vero in- D de fieri putandum est quoniam qui riget spiritum magis retinet quam laxat: at qui dormit magis reddit quam attrahit, sic affectionem sopori diuersam inducit rigor. Rodigin. lib. 25, cap. 8.

Paracelsus dicit febrim esse terræ motum microcosmi.

Quicumque Saturnum in Iouis opposito habent, nunquam quiescunt. Cardan. Aphor. sectio. 2. Aphor. 3.

Digitized by Google

DELECTATIONI tristitia.

DE Tristitia Basil. concil, 12,to.3.
Vnicus est dolor vtilis scilicet pœnitentiæ. *Vide Finis Minoritatis.* pœnitentia.

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Ephes. 4. sicut enim prauus odor, & fœtor fugat apes ex alueo, sic tales impuræ cogitationes fugant ex anima Spiritum sanctum pacis & consolationis datorem. D. Chrysost. hom. 25. in epist. ad Ephes.

Cui Venus pessimè posita est, is voluptatem in vita nunquam sentiet. Cardan. Aphor. sect. 2. Aphor. 87.

HONORI.

INter æquales, viget inuidia, itaut se mutuò obscurent. *Vide Contrarietas Æqualitatis.* De Inuidia *Vide Contrarietas virtutis.*

Id astrum est inferius, quod alterum nobis occultat. Inferioris est genij, qui non potest eminere, nisi alteri gloriam præripiat.

Venenosa animalia fugiunt odorem vitis & olei quia tales odores ex subtili & calido sunt contrarij animalibus frigidis & palustribus. Albert. Mag. lib. 2. de vegetabilib. tract. 2. c. 5.

Eclypsis Lunæ non contingit nisi nocte. quando scilicet potest lucere fit enim per interpositionem terræ sole ex diametro existente.

Post diluuiũ Deus permisit hominibus edere carnes animalium, vt auerteret ab eorum cultu, immunda exhorrentes, munda contemnentes, quia sunt in escam. Theodoret in. Genesim quæst. 55.

Frigore, geluque, tam sapores, quam odores hebetiores fiunt, ob densationem. Nil enim concreta exprimere possunt; sensus etiam tunc fit hebetior, Theophr. de caus. plantar. lib. 6. cap. 25.

Quæ reddant principem contemptibilem. *Vide Gloria Potestatis Repug.*

Zeno Imperator Orientis, damnauit memoriam Basilisci qui Consul fuerat, ideo nomen eius in cõstitutionibus eo tempore editis non habetur: Id etiam accidit Eutropio sub Arcadio & Honorio. l. 17. Cod. Theodos. de pœn. & Heracliano sub Honorio & Theodosio l. 2. eod.

Spuere in faciem significat magnum contemptum, quia sputa mitti solent in loca vilia, & sic mulier spuebat in faciem viri qui nolebat suscitare semen fratri suo. Tostat. nu. to. 1. fo. 174.

Infœlicem fortunam sortiuntur quibus à 23. ad 2.. tauri ortus est, Nam delphin cor cœli occupat Cardan. aphor. sect. 5. Aphor 127.

Contemptus consistit in iudicio quo res aliqua vel persona in minori æstimatione habetur, quam par sit, ac dignitati eius debeatur.

Contemptus rei per legem præceptæ vel prohibitæ tam grauis est vt reddat mortale peccatum quod erat leue, quia procedit ex superbia & ex voluntate se non subiiciendi alteri. Suarez de legib. lib. 3. cap. 28.

Rixam, contentionem aut litem nullo modo

A suscipias, cum luna fuerit mali esse, nam si taliter contingat, sine dubio eris superatus Hermes centiloq. nu. 72.

Sponsiones factæ super electionibus summi Pontificis aut Cardinalis prohibentur sub pœna excommunicationis, quia qui futuras negant, eas malis modis omnibus impedire conantur. Bulla Grego. 14. an 1591. Summa bullarij. verbo, electio.

CALVMNIA MALEDIcentia murmuratio,

B

VIde *Minoritas Principij.* Initii, in reb. malis de rumore.

Pessimum humanarum mentiũ malum est, quod semper audius nefanda finguntur & incredibilia quasi deprehensa narrantur, Quintil. declam. 18

In montibus feræ bestiæ sunt, vrsi, leones, lupi in vrbibus, publicani & calumniatores.

Calumnia est malum latens, & insidiosissimum. *Vide Cognitio Contrarietatis. Repug.* In ea duo iniuriam faciunt, vnus afficitur iniuriam facit is qui accusat, & qui accusanti fidem habet.

De detractione Bernard. quadrag. 1. serm. 23. & quadr. 2. ser. 29. 30.

De linguæ vitio. Albert. to. 18. Gerson. to. 4. Petrus Damian Ephrem. tom. 1. 2.

C Fulmen aliquando alterat colorem hominis, vel alterius, percutit & nihil amplius facit. Quando scilicet sic est debile vt non possit intima penetrare. Alb. Mag. meteor. lib. 3. tr. 3. c. 22.

Detractio est occulta & iniusta denigratio seu læsio famæ alterius, fit quatuor modis, directè & indirectè; directè fit imponendo alteri crimen falsum 2. reuelando crimen occultum quamuis verũ 3. augendo & amplificando verũ crimen. 4. explicando factum honestum in sinistram partem. Indirectè 1. negando rectè facta & bona alterius; 2. diminuẽdo rectè facta vel laudes alterius. 3. reticendo bona, cum alij licentiam accipiant vituperandi 4. frigidè laudando, vt hæc cedat in vituperium laudati. Hæc exponit Bonacin. de restitut.

D disput. 2. q. 4.

Peccat mortaliter qui libellum famosum, vel scribit, vel inuentum nõ statim dilacerat, & Alex. IV. constitutione quæ incipit ex alto tulit excommunicationẽ Papæ reseruatã in eos qui libellos famosos faciunt contra Ordines Prædicatorum & Mendicantium. Vide Bonacin. Ibidem. puncto. 8.

Vt ignis in aquam mersus statim extinguitur, sic calumnia, in castissimam vitam irruens.

Nihil tam volucre quam maledictum; nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, latius dissipatur. Cicero pro Plantio.

Infirmi sumus, deficimus quia verborum sagittas contra fratres dirigimus. Cogita, quod fratri tuo, dum obtrectas cœnum ab ore tuo profundis;

E dum Christi membrum calumniaris, carnem propriam deuoras, iudicium tibi seuerius reddis; telum, non eum qui ictus est, sed te qui eiaculatus es, occidit. At inquis, iniuria me affecit, suspira ne maledixeris, lachrymare non ob tuam iniuriam, sed ob illius exitium, Deum obsecra vt illi propitius fiat, plagam illi intulit diabolus internam, ne externam super addas, nam iniuriam iniuria retalians teipsum deiicis, & quis ambos

Digitized by Google

Detractionis malum ita fuge, vt non modo ipse non detrahas, sed ne alteri quidẽ detrahenti aliquando credas. Nec obtrectatoribus autoritatẽ de consensu tribuas, ne eorum vitium nutrias annuẽdo, dicit scriptura sepi aures tuas spinis & noli audire linguã nequam, vnde Dauid de iusto dicit, qui nõ accepit opprobriũ aduersus proximos suos detrahentem, inquit, proximo suo hunc persequebar. Nihil tam inquietat mentem, quam obtrectatorum verba recipere hinc enim crebrę dissensiones, hinc odia iniusta nascuntur, concordes quidem, sed credulas anima maliloqua lingua dissociat. At contra magna quies animi, magnaque est morum grauitas non temerè de quoquam sinistri quid audire; iam omnes timerent detrahere si quisque detractores, viles & fide indignos crederet. D. Hieron. ep. ad Celantiam.

Qui facile calumnias audiunt, ipsimet auribus calumniantur.

PRINCIPIVM GLORIÆ.

BONA FORTVNA.

SPLENDIDE viuet qui eundem habet. Dominum primæ & decimæ. Almansor propositione 20. in natiuitate Luna in tauro exaltatione sua sol in leone ad magnam exaltationem perueniet Ib. propos. 59.

Cum fuerit ascendens alicuius natiuitatis medium cœli mundi, isque gradus fuerit exaltatio Solis vel Iouis, expandetur nomen eius per vniuersam terram, & diuulgabitur eius fama. Id. propos. 72. item si Dominus vndecimæ vel lunæ aut partis fortunæ fuerit circumuentus à fortunis. Ib. prop. 120.

Dicebant olim vrbem Atheniensem temeritate præditam esse, sed Mineruam sub cuius erant tutela, eorum mala consilia in fœlicem exitum perducere. Suidas in verbo.

Virtuti se comitem coniungit, ineuitabile fatum.

Vide Minoritas Cognitionis. De his quæ casu benè cesserunt.

Ea quæ in bellis præter animi sententiam eueniunt, non res gestæ, sed casus atque euentus dicenda sunt.

Timotheus dux Atheniensis fœlix in expeditionibus pingebatur dormiens cum interim fortuna vrbes in eius retia immitteret. Ob id indignabatur, superbiens & dicens hæc opera sua potius industriæ quam fortunæ adscribenda, quapropter postea calamitosus factus est, fortuna illi succensente. Suidas in voce Timotheus.

Secunda fortuna dicitur, quod secundum nos est, idest propè nos, inde & res secundæ idest prosperæ. Isidor. Orig. lib. 10. littera S.

Quid bona fortuna conferat ad virtutem & victoriam. *Vide Concordantia Principii.* Concursus causarum.

Vt in nauigatione in mari, nauem vnus moderatur gubernator, tanquã corpus animus moderatur; nauis eius imperio paret, vt animo corpus; venti nauem impellunt, quemadmodum virtutes fortuna, nihil potest gubernator sine naui, nauis sine gubernatore, vterque sine ventis. Maximus Tyrius, serm. 24.

Alexander Macedo cum ad templum Iouis Ammonis peruenisset non eum interrogauit, de exitu pugnæ, de fuga Darii, nec de cæteris quæ ad bellicam expeditionem pertinebant, sed de origine Nili, & vnde fluendi exordium capiens in Ægyptum influeret, quasi non ab oraculo, sed à virtute penderet exitus belli. Ib. serm. 25.

In Noruergia tanta vis est ventorum, vt pisces diuitum siccationi solique expositos sæpe transferant in agros pauperum, nec datur actio ad restitutionem, quasi id singulari Dei prouidentia contigerit. Olaus Magnus. lib 1. cap. 18.

Quidam præter suam fortunam nihil habent quo distinguantur à cęteris.

Cum in exitu principis ad bellum, ascendens & dominus, cum luminaria rectè se habent ad regni radicem, non succumbet. & si ad regis genituram, sospes erit, & si ad initium regni illius regis, pauca recipiet detrimenta, si per se ascendenti luminaria & Dominus configurantur, prudenter & fortiter se geret. Cardan. Apho. sect. 7. aph. 111.

Vide Principium Virtutis. Bona indoles.

Multitudo dat honorem. *Vide Potestas Magnitudinis.*

An sit bona quædam fortuna. Vide quæ scripsi. theol. naturalis to. 3. parte. 2. cap. 20. Fœlicitate in familia & susceptis negotiis quomodo bene vtendum. Moralis Christiana. to. 4. parte. 1. cap. 29. 30.

Dum Alexander Indiam, ignotas gentes, nouum orbem peruadit, vnicum exercitui suo solatium fuit, perpetua fœlicitas. Q. Curtius. lib. 9.

Vide Finis Potestatis. De Dionysio filio. *Et Potestas Principii initii.* de imperio Romano,

Quidam fortunæ beneficio, fauentisque genii industria exornant, quidquid quasi rude Dii obtulerint. Cardan.

SANITAS ET PAX à Deo; & in eota tum ſperandum.

TEmperantia aëris fit ex coniunctione Iouis & ſolis, maximè in ſignis aëris. Hermes in centiloquio.n. 34.

Deus habitare facit vnius moris in domo, eſt pax Dei, in loco ſancto ſuo, eſt enim prima vnitas vniens. *Vide Differentia Magnitudinis. Vnitas,*

Vide Principium Concordantia.

Sunt multi langores animæ, auaritia, super- B
bia, ira, puſillanimitas, horum omnium ſedatio à Deo eſt expectanda, & quando me Domine Ieſu ab omnibus langoribus curabis, quando ſanabis vt cum Pſal. 103. dicam. Benedic anima mea Dominum, qui ſanat omnes langores tuos, qui redimit de interitu vitam tuam. Origen. Homil 27. ſuper numer.

Homines non ſunt beati per eſſentiam, ſed per participationem, quia à Deo perficiuntur ſicut potentia ab obiecto, nihil de ſubſtantia obiecti recipiendo. Toſtat. Math. to. 2. fol. 15. c. 4.

Solius Dei eſt varia hominum corda in vnionem redigere, quia ſolus habet poteſtatem ſu-
per cor hominum potiſſimè, magnorum virorum, C
ſic enim ait Salomon Prou. 21. Cor regis in manu Dei eſt, & quocumque voluerit vertet illud. Id. Leuit. fol. 310.

Deo gratiſſimum eſt illi confidere, id enim ſupponit eius prouidentiam, amorem, omnipotentiam, ita dicitur Iacob. 1. poſtulet autem in fide nihil hæſitans, qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris qui à vento mouetur. Id. 1. reg. to. 1. fol. 54.

Chriſtus dicitur pax noſtra qui facit vtraque vnum, concilians ima ſummis in ſe, vt contrariis affectibus in nobis ſedatis, quia caro concupiſcit
aduerſus ſpiritum efficiamur, vnus, nouus, & D
pacificus homo. D. Greg. Nyſſen. lib de perfecta Chriſtiani forma.

Chriſtianus bonum omne ſperat à Deo. Vide quæ ſcripſi moralis Chriſtiana to. 1. parte 1. cap. 19. Deus vult preces noſtras ad ipſum dirigi. Vide Principium Virtutis. Spes omnis in Deo conſtituenda. libello. de amore Dei agente cap. 11.

Dicitur in Oſee perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum. De vanitate humanæ ſpei. *Vide Voluntas Gloria.* Spes humana.

Nouella 84. ſcriptum eſt, Non deeſſe auxilium his quibus vis infertur, cum poſſint inuocare
principem. Multo magis cum poſſint inuocare E
Deum. *Vide Bonitas Principii.* Dei bonitas & miſericordia.

Vide Principium Durationis. Conſtantia & permanentia à Deo.

Vide ſupra bona fortuna de Timotheo quem deſeruit fortuna, quia dicebat ſe ab ea nihil habere. Sic Deus deſerit eos qui in ipſo non confidunt.

VICTORIA A DEO.

PHiliſtim poſuerunt arma Saülis interfecti in templo Aſtaroth.

Lacedemonii cum expeditionem parant in externam regionem, is qui ignifer appellatur, ignem ab Ara Iouis ducis, accenſum, apud Regem inextinctum ſeruat. Stobæus ſerm. 41.

Mathathias pro lege pugnaturus pro belli teſſera habuit illud Exod. 15. Quis ſicut tu in Diis, vel fortibus Domine; & quia capitales litteras vexillis inſcribi fecit, quæ efficiunt Macabai. dicti ſunt Macabai. Geneb. an. m. 3923.

Antiqui ſolebant arma hoſtilia in templis ſuſpe ndere. Suidas in voce. ἱμοί.

Scipio & habitu & aſpectu ſic conformato quaſi numine afflatus eſſet, genium ſibi familia rem adeſſe dixit, à quo incitaretur in hoſtem Suidas in voce ἴρθει.

Grammatici in oratione volentes ſignificar rem magnam anchoræ ſignum exprimebant vnci partibus in altum ſublatis. Iſidor. Origin. lib 1 cap. 20. Quaſi firma ſpes ſit in Deo ponenda Anchora autem erat in contrarium ideſt in terram verſa cum aliquid vile & inconueniens demonſtrabant.

Hoſtiæ apud veteres dicebantur ſacrificia quæ fiebant antequam ad hoſtem pergerent. Victimæ verò ſacrificia quæ poſt victoriam deuictis hoſtibus immolabantur. Iſidor. Origin. lib. 6. cap. 19.

Hebræi non ibant ad bellum, priuſquam offerrent Deo ſacrificium & hoc ex conſuetudine. Toſtat. Iud. fo. 60. c. 3. K. ſic Saül 1. reg. 13. Gedeon. Iud. 6.

Deus dicitur Deus exercituum, ideſt Angelorum qui faciunt magnum exercitum, vel quia habet poteſtatem, ſuper omnes exercitus. Idem 1. paral. fol. 195. cap. 4. K. Superat aliquas gentes, duplici modo ſcilicet ſubtrahendo virtutem, vel opponendo contrariam. 2. paral. fol. 305. cap. 1. e.

Ideo milites ſpolia & throphæa de hoſte reportata appendunt in templis. Id. 1. reg. tom. 2. fol. 90.

Deus adiuuat ſuos in bellis, & illis concedit victoriam pluribus modis ſcilicet augendo vires eorum, hoſtium minuendo, terrorem incutiendo hoſtibus tanquam ſi viderent, aut audirent magnos exercitus contra ſe venientes; terræ motu, fulminibus, protentis, prodigiis animos deiiciendo quorum exempla vide apud Toſtat. 1. paralip. fol. 158.

Vnde bella Iſraëlitarum dicebantur bella Domini, quia pro illis pugnabat ſupra dictis modis, Id. reg. to. 2 fol. 51.

Ezechias agit pœnitentiam, & centum octoginta quinque millia Aſſyriorum ab vno Angelo vna nocte deleta ſunt. Ioſaphat laudes Domini concinebat, & Dominus pro laudante ſuperabat. Moyſes contra Amalech, non gladio ſed oratione pugnauit. D. Hieron. in epitaphio Nepotiani.

GRA-

Digitized by Google

GRATIÆ DIVINÆ necessitas.

HOmo creatus extra paradisum, & postea positus in paradiso, sic Angeli extra paradisum creati, & in cœlum translati, non natura, sed gratia cœlum inhabitant. Rupert lib. 1. in Gen. cap. 11.

Spes est virtus Theologica & supernaturalis, qua speramus beatitudinem diuino auxilio obtinendam; nam committeret peccatum præsumptionis qui sine conuenienti hoc medio speraret obtinere, viribus naturæ, vt Pelagiani; sola Dei misericordia sine operibus, vt Lutherani.

B Vide *Principium Virtutis*. Virtus à Deo. De spe beatitudinis. *Vide Voluntas Gloriæ*.

CAVSÆ VOLVPTATIS & delectationis.

DElectationem dat Venus bene disposita; gemmarum cum in loco Solis aut Iouis; vestium, cum in loco proprio: sed & Iupiter in ascendente facit hominem delectari gemmis, & Saturnus in trino domini ascendentis, lapidibus sculptis. Cardan. Aphoris. sect. 1. Aph. 79.

C Vide *Voluntas Gloriæ*. Et *Maioritas Gloriæ*. Delectationis.

Causa delectationis est in conuenientia obiecti cum potentia. *Vide Concordantia Æqualitatis.* & Marsil. Ficinum. lib. de voluptate.

Pax habetur ex humilitate. *Vide Virtus Minoritatis*. Humilitas.

CHRISTVS SALVATOR.

VIde *Principium Virtutis*. De diuina gratia.

D Ioan. 12. Christus dicit, cum exaltatus fuero omnia traham ad meipsum. & Coloss. 2. dicitur, cum essetis mortui peccato viuificauit vos, &c. Iesus lignum vitæ. Bonauentura.

De Redemptore Christo. Greg. Valent. controu. sect. 6.

Christus à chrismate. *Vide Bonitas Principii*. Dei bonitas.

Ab vnctione Christus, Iesus vocatus est à salute, quia & vnctio, quæ per Reges, Prophetas, & sacerdotes olim cucurrerat in figuram, in hunc regem regum, sacerdotem sacerdotum, Prophetarum Prophetam, tota se plenitudine spiritus diuinitatis effudit. Vt regnum & sacerdotium, quod per alios præmiserat temporaliter, in auctorem ipsum refunderet, & redderet sempiternum. Et

E Iesus quidem, idest Saluator, rectè dicitur salus, qui & dedit rebus esse, & idem pereuntibus dat salutem. Chrysolog. serm. 59.

Christus tertia die resurrexit à mortuis, vt per triduanum tempus, humana trium temporum generatio saluaretur, idest ante legem, in lege, & in gratia. Ibid.

Testatur Apostolus. Heb. 4. quod Christus

C aduocatus noster sit apud Patrem; quando sedet coniudicat patri, quando stat officio fungitur aduocati. Id. serm. 65.

Quodlibet vult perfici in sua specie, homo itaque habens vitam, intellectum, voluntatem, appetit vitam sine corruptione, veritatem sine falsitate, bonum sine omni malo, & hoc est Deus, cum tamen hæc bona debeant homini contingere intra speciem suam, merito Christus fuit finis & consummatio, Saluator, qui fuit Deus homo, &c. Card. Cusa excitat. lib. 4. cap. 10. Potuit naturaliter miracula facere. *Vide Maioritas Potestatis*. Miracula.

Amemus Christum, quia nobis natus, nobis datus, & ipse dicit Samaritanę si scires donum Dei. Ioan. 4. Eamus ad illum, quia verba vitæ æternæ habet; adhæreamus illi quia verbum quod ex nostro assumpsit, nunquam dimisit. Est via, veritas & vita, &c.

Omnis ferè hostia quæ offerebatur, habebat aliquid formæ & imaginis Christi, in ipsum namque omnis hostia recapitulatur, in tantum vt postquam ipse oblatus est, omnes hostiæ cessauerint, quæ eum in typo & vmbra præcesserunt. Origen. hom. 3. in Leuit.

Induimini Dominum nostrum Iesum Christum. Rom. 13. In interiori nostro homine habitet Christus. Eph. 3. implet nos & circumdat, est enim plenitudo omnia adimplentis; est via, est vir, est sponsus, despondi enim, inquit, vos, vni viro virginem castam. 2. Cor. 11. est radix, potus, cibus, & vita. Viuo enim, inquit, iam non ego, sed viuit in me Christus Galat. 2. Est Apostolus, summus sacerdos, præceptor, pater, frater, coheres, sepultura nobiscum & cruce communicans. Consepulti siquidem, inquit, illi sumus & insititii facti sumus cum illo per similitudinem morti eius. Est etiam supplex nobis factus, pro Christo enim legatione, inquit, fungimur, tanquam Deo vos obsecrante per nos; rogamus pro Christo, reconciliemini Deo. Ad patrem aduocatus noster est, interpellans pro nobis. Domus etiam simul & hospes. Ille enim, inquit, in me manet, & ego in eo; & amicus, vos, inquit, amici mei estis, Ioan. 6. fundamentum est, & lapis angularis & nos ipsius sumus & membra, & agricultura, & ædificatio, & palmites, & cooperarii. Quid enim nobis esse non vult, omnibus modis nos sibi conglutinans & coniungens, id quid vehementer amantis est. D. Chrysost. hom. 24. in epist. ad Roman.

Post hominis peccatum, is per quem facta sunt omnia, se vadem oppignorauit coram eo qui fecit omnia, se in temporum plenitudine oppetiturum pro homine, vt sui iustitiam amor oscularetur vnde pax, magnus nimirum ille sacerdos & agnus, hostia immaculata immolatus ab origine suæ sponsionis amorosæ; in mysteriū duos sin labe agnos patri æterno immolauit coram homine; vnum quidem in holocaustum suæ passionis futuræ, alterum quoque sine ossium comminutione, partim sacrificandum, partimque edendum in hostiam pacis, vtrique dedit homini, vt à condito mundo agnus in iuge sacrificium hostia, atque ferculum foret, vnus & idem; horum agnorum pellibus induti sunt parentes. Van Helmont. in tractatu natura contrariorum nescia.

Christus & membra eius sunt vna persona mystica, vnde opera capitis, sunt aliquo modo

Digitized by Google

membrorum: & sic non fit contra id quod dicitur in Psalmo, tu reddes vnicuique iuxta opera sua. D. Thom. in quæst disput. de gratia a. 7. ad 11.

Hoc nomen Iesus est nobis magis honorabile quam nomen Deus, aperimus caput, flectimus genua ad nomen Iesu non Dei, quia Iesus significat Deum, suppositum scilicet diuinum à quo habemus esse & insuper redemptionem. Tostat. exo to. 1. 168.

Maiores nostros in spinæ naturam ad peccatum conuersos Christus sibi ipse ex mortis dispositione coronam fecit, & spinā in honorem & gloriam patiendo commutauit, gloria & honore coronatus, post hæc caueamus ne spinæ deprehendamur &c. S. Gregor. Nyssen. lib. de perfecta Christiani forma.

Vide Concordantia Minoritatis. Verbi diuini incarnatio.

Christus est fons gratiarum. Vide quæ scripsi theologiǽ natur. to. 4. parte 3. cap. 12.

In bello Rex non semper diademate insignitus procedit, sed assumit militis habitum ne cognitus hostes in se conuertat; Deus autem sub humana specie mortaliū exercitui se miscet, ne agnitus ante congressū in fugam vertat hostem, suosque maiestatis fulgur conturbet, nos enim non terrere studuit, ideo vocatur Iesus. id est Hebraicè saluator, salutem enim populo præstaturus aduenerat. D. Chrysost. Homil. 2. in Matthæ, videtur alludere ad historiam Codri regis pro patria sub militis veste ab hostibus confossi.

Christus vt nostram operaretur salutem multis functus est officiis. *Vide Magnitudo Potestatis*, plura simul officia.

Christus non est passus naturam humanam in suorum perire sordibus peccatorum, se pro illa exposuit, se humiliando subiecit, atque vibrantis gladii ictus, & diuinæ iustitiæ validam manum, ne illa feriretur, super se suscipere non expauit maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat pro amicis suis. Laurent. Iustin. fasciculus amoris cap. 10.

Vide infra Medium Gloriæ. de his qui se pro aliis substituerunt.

Gen. 2. relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Hæc conueniunt Christo; Reliquit patrem, quia non in ea forma apparuit hominibus qua æqualis est Patri; reliquit matrem dum synagogam deseruit Iudæorum, de qua secundum carnem natus est, vt adhæreret Ecclesiæ, quam ex gentibus congregauit. Alcuin. in Genes. inter. 58.

In calice vinum significat Christum, aqua populum, vtrumque miscentur simul, vt intelligatur passione Christi saluatum populum & sine ea non potuisse saluari. Ib. de diuinis officiis. cap. 40.

PRINCEPS DAT HO-norem.

HOnorem conferre principis est l. 3. C. de consulib. & non spargendis lib. 12 Ideo honorandus est quem Princeps honorat. l. restituendæ in f. Cod. de aduoc. diuers. ind. & l. 1. ff. de albo scribendo, vbi nomina albo inscribi debent

A eorum, qui dignitatem Principis Iudicio sunt consequuti. Ita quem Papa approbat, nemo improbare potest can. hæc est fides 23. q. 1. Nam nemo debet esse tantæ superbiæ fastigio tumidus, vt regalem sensum contemnat. l. si imperialis c. de legib. & sacrilegij instar est, diuinis in talibus obuiare beneficiis. l. sacrilegij c. diuers. rescrip. l. lege repetita cap. de erogat. milit. annonæ.

Vide Esther. 8. quomodo Rex Assuerus iubet Mardochæum Iudæum ab Aman hoste suo, honorari.

Inter eiusdem qualitatis pares, semper præfertur qui à Principe honoratus est, seu aliquo munere donatus est, l. restituendæ in f. Cod. de ad-B uocat. diuers. iudicior.

Vnde illi officium præstare & famulari dignitas est. *Vide supra Gloria Potestatis.*

Solius Papæ est, canonizare sanctum. Vide Casseneum in catalog gloriæ mundi parte 3. considerat. 47. & 48

Solus Princeps dat magnas dignitatates l. probatorias Cod. de diuers. offic. & cum dignitatis donatione omnem maculam abstergit. l. imperialis §. si miles. Cod. de nuptiis. Et potest in suo territorio creare nouam dignitatem. l. vnic Cod. de metropoli Berita.

A principe tanquam à capite, in omnes infe-C riores, honorum & potestatum munera diffunduntur. can. ita dominus dist. 19. cap. fundamenta §. 1. de electionib.

Materiæ combustæ admistus humor, vaporem quendam, odoremque excitat; sic cum tempore æstiuo solo adusto, imbres accesserint; sic arcus cœlestis dicitur ea in quibus sederit, reddere odorata; si modo sicca sint, est enim toridus. Theophr. lib. 6. de caus. plantar. c. 21. sic vbi honoris auido, contingit gratia Principis.

Refert Tertullianus in Apologetico vetus decretum Romæ fuisse, ne quis Deus ab Imperatore D possfet consecrari, nisi à senatu etiam probaretur.

Apud Gothos, militarium virorum sanctione receptum erat, vt Rex militem equestris ordinis, id est equitatus dignitatis, creare possit, qui ante suam coronationem in eo ordine assumptus non fuisset; quia sub authoritate regij culminis hoc includitur, velut sertum ex rosis super aureum diadema. Olaus Magnus de reb. septentrio. lib. 8. cap. 6.

Vide Maioritas Voluntatis. famor principum.

Tyro, munere aliquo à Rege donatus, ense, clypeo, balista, maior annis censebatur, & à E tutela liber, bonorum suorum habebat ex tunc administrationem. Ibid. cap. 9.

Diuitias regias non solus dabit Iupiter, nisi alterius luminarium testimonium accesserit. Cardan. aphor. sect. 5. aph. 18.

Rex nominat ad magna beneficia Episcopatum & Cardinalatum. Hæc regum conditio est, fœlices facere, non esse fœlices.

Assistentes Papæ in capella præferuntur cæteris in assecutione beneficiorum; nobilitantur valdè & æquiparantur ortis ex sanguine comitum. Iulius 3. const. 12 Bull. p. 576. to. 1. magnis gaudent priuilegiis. Ibid.

Beneficia Curialivm sequentium Papam dum iter facit, si vacent collatio pertinet ad ipsum, Clem. 8. const 4. 1. p. 32. to. 3.

Principum creatio, eisque nouorum titulorum concessio ad solum Romanum Pontificem spe- A ctet. Pius V. const. 88. p. 217. to. 2.

MEDIVM GLORIÆ.

MEDIA ET PRÆSIDIA SALVTIS.

PODAGRA non sanatur calceo, chiragra annulo, dolor capitis, diademate, animi ægritudo diuitiis, sed rerum contingentium rectus vsus & absentium patientia; vt enim ferocissimi canes ad vocem domini mitescunt, sic vnusquisque ex familiari sibi philosophiæ præcepto sedat passiones suas. Non sufficit sola solitudo. *Vide Minoritas Concordantia.* Mala.

Clunes & nates sunt quasi cognatum puluinar vt etiam in duris possis sedere & quiescere. Vide infra hoc titulo. *Asylum.*

Funiculus coccineus quo Radhab meretrix cum tota familia saluat. Iosue. 2. sanguis agni postibus Hebræorum impositus quo saluantur à delectione primogenitorum.

Qui hostes adire volebant, securitatis causa caduceum gerebant, eos enim talia ferentes lædere B nefarium & impium habebatur. Suidas in verbo

In Samothracia fiebant Corybantum mysteria in Hecatis antro in quo canes immolabant, quibus illis initiati erant se ex ærumnis & è tempestatibus euasuros putabant. Idem.

Apud Græcos homo singulis annis lustralibus hostia designabatur eique dicebāt purgamentum nostrum esto, aut salus & redemptio, & sic eum in mare coniiciebant, quasi Nptuno hostiam immolantes. Idem. in voce *περίψημα*.

Athenis in festo Targeliorum duos viros immolabant ad expiandam ciuitatem, vnum pro viris, alterum pro mulieribus; publice alebantur qui ciuitates expiare debebant suo interitu & dicebantur pharmacos. Id. in voce *φαρμακός*.

Cardan. lib. de rerum varietate. cap. 87. dicit pium librum, vt vitam Patrum capiti suppositum conciliare quieta & pia somnia.

Mens per diem veris auocatur visionibus ne obdormiat, noctu verò falsis, ne excitari celerius queat. Rodig. lib. 27. cap. 7.

Nisi vitia exulent à ciuitate, centuplex murus rebus seruandis parum est.

Si non est resurrectio quid faciunt qui baptisantur pro mortuis 1. Corinth. 15. idest pro corporibus: propter hoc enim baptisaris mortui corporis credens resurrectionem, nempe quod non maneat mortuum; hæc Apostoli verba malè interpretantes Marcionitæ si cathecumenus apud eos mortuus fuerit sub lecto mortui absconso aliquo qui viuit, accedunt ad mortuum, rogant velit ne accipere baptismum, eo tacente qui absconsus erat dicit se velle pro ipso baptisari sic eum baptizant pro eo qui excessit. D. Chrysost. homil. 40. in 1. A ad Corinth.

S. Satyrus D. Ambrosii frater Eucharistiam habens inuolutam & è collo pendentem naufragus in occeano enatauit vt refert. D. Ambros. in eius funere. S. Berinus Episcopus ab Honorio Papa missus in Angliam prædicandi Euangelii causa, ferebat in mari suspensam ad collum pallam sibi à Pontifice traditam, in qua sanctissimi Christi Corpus erat inuolutum. Surius 3. Decemb.

Achates gemma venas habet albas, fulminibus resistit, tempestatem sedat, contra venenum prodest, pericula vincit. Tostat. Exod. to. 2. fol. 65. c. 1 b.

Æqualitas pacem conciliat. *Vide Bonitas Æqualitatis.*

Sardanapalus Rex Assyriorum, fuit primus qui plumaria inuenit ad molliter cubandum. Id. Genes. fo. 198.

De Angelorum auxilio. *Vide Supra Medium Virtutis.*

Paracelsus lib. de occulta philosophia. cap. 10. quasdam herbas opportuno tempore & influentia vera collectas plurimum posse contra fulgura; tales sunt artemisia, hypericon, clematis, chelidonia, ruta, morsus diaboli, &c.

Persicaria solo attactu dolores atroces confestim tollit.

PVRGATORIVM.

Datur status quidam medius inter vitam hanc C & beatitudinem in quo expiatur animæ tum propriis pœnis, tum viuentium suffragiis vt disponantur ad beatitudinem. In ciuitatem sanctam non intrabit aliquod coinquinatum Apol. 21. D. August in illud Psal. 37. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, in hac, inquit, vita purges me, talem me reddas, cui emendatorio igne opus non sit.

Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium, psal. 65. super quo sic D. Ambros. hic per aquam, illic per ignem, per aquam vt abluantur peccata, per ignem vt exurantur. Isay. . . Si abluerit Deus sordes filiarum Sion, &c. D. August. lib. 20. de ciuit. c. 25. interpretatur de Purgatorio. & 2. Machab. c. 12. sancta & salubris cogitatio pro defunctis orare. & D. Aug. lib. 1. de cura pro mortuis. c. 1. & libro de hæres. c. 53. & lib cōtra Gaudentiū c. 23 vbi Ariū. habet velut hæreticū quod purgatorium negaret & 1. Corinth. 4. si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse

autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem. A Locum hunc Origenes SS. Cyprianus, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alii Patres interpretantur de purgatorio.

De orationibus pro mortuis. *Vide supra Duratio Voluntatis.* Continuatio affectus in pia defunctorum commemoratione.

Dicitur in canone Missæ. Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Sunt in pace, quia liberati à tumultu sæculi & passionum, sed nondum sunt in vera & consummata pace gloriæ.

Sedet Dominus & conflat & purgat filios Iuda. Malach. 3. Sed & illuc cum venitur, si quis mul- B ta opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam igni resoluitur & purgatur, & totum remanet aurum purum. Et si quis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, vt amplius decoquatur, vt etsi parum aliquid sit auri, purgatum tamen resideat. Quod si aliquis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc quod scriptum est, demergetur in profundum, tanquam plumbum in aqua validissima. Origen. Homil. 6. in Exod.

Leuit. 25. Si mulier peperit masculum immunda est per 7. dies, & octaua die circumciditur puer. Septimana præsentis vitæ tempus significat, nam tot diebus consummatus est mundus, in C quo donec sumus in carne positi ad liquidum puri esse non possumus, nisi octaua venerit dies, idest nisi futuri sæculi tempus aduenerit In quo tamen die, si masculus est, & viriliter egerit, statim in ipso aduentu futuri sæculi purgatur. Idem Homil. 8. in Leuit.

Num. 31. Israëlitæ exeuntes de prælio in quo secundum Dei voluntatem vicerant Madianitas, censentur immundi, metallica sua purgant igne, vestes aqua, & per 7. dies sunt extra castra, sic purificatione indiget omnis, qui exierit de prælio vitæ huius. Id. Hom. 27. super numer.

Populus Israël egrediens ex Ægypto prius transit per desertum quam perueniat ad terram pro- D missionis. Anima ex hoc mundo egrediens, si non statim ad mittatur in paradisum vt latro, transit per media quædam loca Deo nota, antequam veniat in sanctorum hæreditatem. Ibidem Homil. 26.

Ad quædam purganda peccata quæ ignoranter committimus, vt erant ciuitates refugii, sic credo decernitur nobis ex præcepto Dei aliquis locus, vbi ad certum tempus habitare debeamus. Videtur quibusdam quod singulorum quoque sydetum positio & cœtus ciuitas dici possit in cœlo, quod ego definere non audeo. Ib. Hom. vlt.

Math. 3. dicitur, ipse vos baptisabit in Spiritu sancto & igne, dicit glossa; spiritus in præsenti abluit, post si qua macula surrexerit, igne purga- E to io ad purum exurit, quod de leuioribus credendum est peccatis quæ etiam in mentis oculo impedirent claram Dei visionem, nam peccatum mortale, quasi inimicus effectus meretur pœnam exterminantem, & venialis pœnam corrigentem. D. Thom. in quæst. disp. de peccato veniali. q. a. 11. o.

Sanctitas Dei videtur seuera quæ iustos ob leues defectus grauiter punit in purgatorio, cum iustitia puniat tantum reos in inferno.

Olim seruorum manumissio fiebat, manucapiti imposita, totum corpus circumuertendo, genis colapho percussis, & dorso virga à lictore percussa. de quib Cuiac. Obseru lib. 5. cap. 3. Leui pœna, quia non sine delictis, in perpetuam libertatem asserebantur.

Purgatorium verè esse & reperiri contra hæreticos probat. Innoc. 4. const. 14. p. 103. to 1 Bull.

ADVOCATVS intercessor.

DE aduocationis officio, plura vide apud Chasseneum in catalogo gloriæ mundi, parte 7. consideratione 28 & seqq.

Leuit 13. Leprosus si forte mundatus fuerit, sponte quidem à semetipso non venit ad sacerdotem, sed offertur ab alio, nec intrat in castra.

Vide Medium Bonitatis.

De licito aduocatorum salario. *Vide Æqualitas Bonitatis*, Gratitudo.

Aduocatus debet abstinere à verbis contumeliosis. *Vide Minoritas Contrarietatis.* Nulli nocere.

MEDICINA.

MEdicina est quæ corporis vel tuetur vel restaurat sanitatem; dicitur à modo, idest temperamento, nam natura gaudet mediocri. Isidor Origin. lib. 4 cap. 1.

Medicinam iumentorum primus inuenit Chiron Græcus, inde pingitur dimidia parte homo, dimidia equus. Ibid. cap. 9.

Medicina inter cæteras artes liberales non continetur, quia illæ singulares continent causas, ista verò omnium. Nam & Rhetoricam in suadendo, Arithmeticam in horarum occasionibus & periodis, Geometriam propter locorum situs, Astronomiam propter varios influxus syderum scire debet. Ibid. cap. vlt.

Olim Reges medicinam exercuerunt vnde Isay 3. qui se excusat à regimine dicit, non sum medicus. Salomon habuit herbarum & plantarum notitiam à Cedro Libani, ad Hysopum in pariete crescentem, refert Iosephus eum plantarum omnium historiam scripsisse & vsum in medicinis in templo repositam, sed eam metu idololatriæ è templo Ezechias sustulit. Multi Reges plantas quarum maximè vim experti fuerant, suis nominibus vocari voluerunt, vt hinc ipsi immortalitatem sibi pararent. Sic ab Illyricorum rege Gentio Gentiana, Lysimachia, à Lysimacho Macedoniæ; Telephium à Telepho Mysiæ, sic denominatæ sunt Heraclea, Achillea, Helenium, Artemesia.

Sanationes contingunt auferendo noxium, vel addendo defectuosum. Nam alioqui quæ impediunt incrementa, vel appropriationes spectant potius ad præcautionem quam ipsam sanationem. Noxia vero tolluntur resoluendo, abstergendo, exalando, vel expellendo, quæ proprietes salibus sunt congruę Non autem debitæ fiunt nocui ablationes, per venenosa, liquantia, & putrefactiua, vt neque per cruoris & vitæ subductiones. Natura spontè velut resurgit, & aliquos sibi defectus reparat, si à iacente sedens facta fuerit. Van Helmont. *Vide* Dif-

Ieremia Contrarietatis. Diuersitas remediorum.

Morbus dum te viderit, æger erit.

Magnates Hyberniæ dant agrum domestico medenti, non quidem qui ab Academiis institutus rediisset, sed sanaret ægros. Habet is librum ab atauis relictum sibi, remediis refertum adeoque libri hæres, semper agri illius hæres est. Codex iste signa morborum depingit, ac remedia vernacula, fœliciusque sanantur infirmi Hyberni, ac longè fortiores sunt, quam Itali qui plagis singulis suos habent medicastros è cruore miserorum viuentes. Van Helmont in sua confessione.

Apud Persas celebris est memoria cuiusdam medici nomine. Locman, qui cum interrogaretur quomodo in talem peritiam peruenisset. Respondit. Cæterorum ignorantia, meæ fuit occasio sciētiæ, Nam illis semper contraria methodo fœliciter vsus sum

Multa passim de medicina. *Vide Medium Durationis.*

De falsis medicinæ prognosticis. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Nimius futuri mali metus.

SACERDOS ORAT PRO populo.

DIcit Apostolus ad Hebræos omnis Pontifex, ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum vt offerat sacrificia & dona pro peccatis. Sacerdotes sunt quasi os commune populi; quo plures Deo loquuntur; & ideo semper in suis publicis orationibus, dicunt quæsumus, non quæso; oremus non oro. Dicitur sacerdos quasi sacra dans, vel quasi dux sacer, inter Deum & homines velut angelus, nam vt dicit Apostolus, est assumptus ex hominibus.

Omnes Dæmones conantur cælum homini claudere, præualet illis omnibus vnus sacerdos, qui homini cælum aperit per pœnitentiam vnde illi in persona Petri, à Christo dictum est, tibi dabo claues regni cælorum & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

Dicit Paulus. 2. Corinth. 12. ergo libenter impendar pro animabus vestris, & 2. Tim. 4. ego enim immolor. Hostia autem immolatur pro peccatis eorum pro quibus offertur. Sacerdotis officium est supplicare pro peccatis populi; vereor ne permanentibus in nobis peccatis nostris accidat nobis quod Iudæis, quorum peccata non remittuntur, quia non habent altare, victimas, nec sacerdotium, quia nec templum. Origen. homil. 10 in Numer.

Stat Deo sacerdos omnium offerens precationem: tremens pro te offert preces, & tu despicis Id. hom. 15. in epist. ad Hebræos.

Sacerdotum est soluere, sanare. *Vide Maioritas Potestatis.* Potestas sacerdotalis. Non destruere & occidere Nam causa sanguinis est probibita sacerdotibus. *Vide Bonitas Potestatis* Sacerdotum clementia.

Sacer locus positus inter duo prædia, impedit seruitutem lib. seruientes, §. vltim. ff. de seruitut.

Missa dicitur quasi transmissa, vel quasi transmissio, eo quod populus fidelis de suis meritis non præsumens, preces & oblationes quas Deo

A omnipotenti offerre desiderat, per ministerium & orationem sacerdotis ad Deum transmittat, quem mediatorem inter se & illum esse cognoscit, confidens per eius orationem atque intercessionem à malis omnibus liberari, atque creatori suo reconciliari, & in omnibus corroborari Alcuin. lib. de diuin. officiis cap. 40.

Ideo sacerdos debet esse vitæ integerrimæ, *Vide Virtus Potestatis.* Integritas sacerdotum.

Sacerdos conuersus ad populum dicit Dominus vobiscum. Hac salutatione vsus est angelus ad Gedeonem, dominus tecum, virorum fortissime. Booz. in lib. Ruth. sic salutauit messores & Propheta, Regem Iuda *Vide Concordantia Virtutis* Ecclesiæ vnitas ex Petro Damiani tandem

B angelus Gabriel virginem Mariam Alcuin. Ib.

Legimus Aaron Pontificem isse obuiam furentibus flammis, & accenso thuribulo Dei iram cohibuisse. Stetit inter mortem & vitam sacerdos magnus, nec vltra vestigia eius, ignis procedere ausus est. Moysi loquitur Deus. Dimitte me & delebo populum istum. quando dicit, dimitte me, ostendit se teneri posse ne faciat quod minatus est, Dei enim potentiam serui preces impediebant. Quis putas ille sub cælo est, qui nunc iræ Dei possit occurere? &c. D. Hieron. epist. ad Gaudentium.

Vide Potestas Virtutis. Vis orationis apud Deum.

C Sacerdos orat pro omnibus. *Vide Gloria Concordantia.* publica priuatis præferenda ex D. Chrysost.

ORNADVM PRO INVICEM.

NVm. 14. Moyses orat pro Maria sorore quæ propter murmurationem lepra infecta fuerat, & sanitatem eius obtinet à Deo.

Iob. 1. offert sacrificium pro filiis ne fortè peccauerint contra Deum.

D Orandum pro defunctis. *Vide Duratio Voluntatis.* Pia defunctorum commemoratio. Solet enim Deus etiam aliis, pro aliis gratificari, & hoc ostendebat Paulus, dicens 2. Corint. 1. vt ex multis personis eius quæ in nobis est donationis per multos gratiæ agantur pro nobis D. Chrysost. homil. 41. in 1. ad Corinth.

Tu dicis, quid mihi opus est precibus? Petrus hoc nō dixit, oratio enim fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Propterea tibi opus est precibus, quoniam existimas te opus non habere. Audi Paulum dicentem scio quod hoc mihi proueniet ad salutem per vestram oratio-

E nem. Phil. 1. & rursus 1. Cor. 1. adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis. Valdè prosunt preces, quum nos quoque à nobis quæ sunt nostra attulerimus. Iob. 41. de eius amicis dicitur, orabit pro vobis, & dimittetur vobis peccatum, &c. Id. hom 1 in epist. ad Thessalonic

Oramus, pater noster, vt sic doceamur etiam pro aliis orare. *Vide Æqualitas Voluntatis.* communis ad omnes amor.

Sunt altare inensi quicumque orationibus & ieiuniis die ac nocte vacant in templo Dei, orantes non solum pro semetipsis, sed & pro vniuerso populo. Qui cum omni fiducia per hostias pre-

Digitized by Google

-um, supplicationumque victimas Deum hominibus repropitiant, & pro delictis populi interueniunt, propitiatorium nominentur. Origen. homil. 5. super numer.

PATI PRO ALIO.

DIVINA PROVIDENTIA.

Sic decernente.

IVre communi noxa caput sequitur vt *Vide Duratio Contrarietatis. Rep.* interdum tamen reis pœnę obnoxiis alii substituuntur vel sic decernente Deo, vel patientis affectu, vel imperio rei alium loco sui addicentis.

Iusto Dei iudicio interdum posteri pro defunctis temporaliter patiuntur. *Vide Duratio Contrarietatis.* Vindicta in posteros,

Populi, bello, peste, fame cæterisque Dei flagellis puniuntur pro peccatis Principum, quidquid delirant Reges plectuntur Achiui. *Vide Medium Contrarietatis.* Diuersa pœnarum instrumenta, *& Æqualitas contrarietatis.* Æqualis pœna.

Deus punit vnum amicum pro alio. Vide Tostat. 4. Reg. 109. c. 4. 1.

Mare soluit didragma pro Christo Matth. 18. *Vide Magnitudo Contrarietatis.* Populi pro suis regibus puniti.

LIBERA PATIENtis electione.

CHristus pro mundi salute passus est, quia ipse voluit. *Vide Supra Principium Gloria.* Christus saluator. *& Gloria Contrar.* Crux Christi sic fideiussor pro alio obligatur. Inst. de fideiuss.

De his qui se pro patria deuouerunt. *Vide Voluntas Principii.* Amor patriæ. *Et Potestas Voluntatis.* Vis amoris.

Orestes & Peliades cum ad aram sisterentur, vt vnus ex iis Dianæ Tauricæ immolaretur, vter pro altero moreretur certabant.

Lucian. dialogo Toxaris seu de amicitia plura refert exemplo amicorum qui se morti obtulerunt vt ab ea periclitantem amicum eriperent vt Euthydicus qui Damonem amicum nocte orta tempestate, in mare lapsum audiens ipse se in mare præcipitem dedit. & eripuit è periculo iam aquis penè suffocatum.

Daudamis & Amyzoca amicitiam mutuo epoto sanguine iurauerant à Sauraumatum irruptione captus Amizoca, Daudamis vadit ad hostes, petit amicum, petunt redemptionem, dicit bona sua ab ipsis esse direpta, offert seipsum pro amico, petunt oculos, concedit, eruuntur & amico innixus regenti redit ad suos Scythia postea non patiens amicum sui causa excæcatum, pariter erui sibi facit oculos & ambo publicis impensis nutriuntur.

Alium refert qui cum vellet amicum à leone vindicare, leo in nouum aggressorem insurgit, & dum discepit, qui prior fuerat vulneratus acinace leonem confodit, tribus ibi mortuis tria posita sunt sepulchra. Luciam ibid.

Pars vna corporis ignobilior exponitur pro nobiliori brachium pro capite, patitur sanguinis mis-

A sionem pro totius corporis salute.

Filius se pro patre captiuum substituit apud Quintil. declam. 6.

Est iusta causa exhæredationis si filius noluerit pro patre fideiubere, cum ad solutionem probetur idoneus. Nou. 115. cap. 3. §. 8. si captiuum distulerit liberare cum posset & in captiuitate decesserit, exhæres est filius, & hæreditas Ecclesiæ loci defertur. §. 13.

Zalencus apud Locrenses statuit adulteros excæcandos, vnde cum eius filius esset in adulterio deprehensus, sibi vnum oculum erui, & filio alterum voluit. Rodigin. lib. 21. cap. 45.

B Famam suam tenetur quis aliquando perdere vt restituat famam alterius. Tost 2. Reg. fo. 173.

Non licet pro amico, potissimum reo, certam mortem subire. *Vide Voluntas Minoritatis.* Non licet velle sibi malum.

De quodam qui pro amico volens mortem subire. *Vide Veritas Bonitatis.*

Vera dilectio inter bonos tantum oriri solet inter meliores proficere, inter optimos ad perfectionem duci, cuius perfectioné aperuit Dominus dicens, maiorem charitatem nemo habet vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Laurent. Iustinian. de charitate cap. vlt.

C D. Ambrosius epist. 29. Theodosio, refert incensa à Christianis Iudæorum synagoga; Episcopum dixisse se hanc incendisse vt liberaretur populus qui hanc incenderat

S. Bonauen. lib. 7. de itinerib. æternit. dicit perfectæ charitatis signum esse, mori libenter pro gloria Dei & salute proximi secundum illud maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat pro amicis suis.

Quando quis non potest impendi pro alio. *Vide Minoritas Differentiæ.* illicita mutatio in alterius præiudicium.

OPERA PRO ALIIS satisfactoria.

D VIde *Voluntas Contrarietatis.* de castigatione voluntaria ad imitationem Christi pro aliis suscepta. *Vide supra proximè hoc tit. sacerdos orat pro populo, & orandum pro inuicem.*

Vide Duratio Voluntatis. Pia defunctorum commemoratio vbi de orationibus & satisfactione pro ipsis.

Vir bonus est cæterorum redemptor. *Vide Potestas Virtutis.* Vis pietatis apud Deum.

Qui habet curam proximi tenetur pro eius salute corpus suum exponere, si aliter saluari non potest, vt sunt Prælati, & Rectores populorum, sed si alius quicumque homo id faciat, facit opus perfectæ charitatis, & supererogationis. Tostat. Matth. to. 6. fo. 146. c4.

E Eleemosynæ possunt fieri pro alio & sunt satisfactoriæ. Id. Matth. to. 3. fol. 17.

Vnus non potest satisfacere pro alio, in quantum sunt vnum in charitate. D. Thom. 3. q 14. a. 1. q. 48. a 2. 1. opera autem satisfactoria sunt, eleemosyna, ieiunium & oratio. Suplem. q. 15. a. 3. & satisfactio præ se aut pro alio, dicitur pretium quoddam. d. q. 48.

Indulgentiæ ad pœnarum remissionem, conceduntur ex operibus Christi pœnalibus, & ex supererogationibus sanctorú. Tost. Matth. to. 3. f. 181.

In operibus charitatis est pœnalitas & labor, qui quia charitati iunctus est, efficitur satisfactorius pœnæ debitæ in Purgatorio, quod si non peccans, non mereatur tales pœnas, seruantur in thesauris Ecclesiæ ad distribuendum aliis indigentibus, & sic intelligendum quod dicitur, merita vnius esse satisfactoria pro altero. Idem. Genes. fol. 10.

De operibus satisfactoriis quæ redeunt ad satisfacientem. *Vide Gloria Bonitatis.* commodum ex collato beneficio.

VI, COACTIONE ET alterius imperio.

SIc fiebant sacrificia. *Vide Gloria Principii.* expiationes *Vide Finis Minoritatis.*

Esto pomum transcissum, cuius pulpa interna sit affricta verrucis, donec intepuerit, & religatis medietatibus per filum donec pomum putruerit, tunc attactæ verrucæ disparebunt, cum vita vltima pomi corruptione perierit. Pulpa pomi quæ vestit nucleum, est vt fungus & veruca in carne. Impressio veró verrucarum translata & sigillata in comsymbolizantem fructum, cum vitæ pomij vltima morte, moritur vna sigillum, & id cuius est sigillum. Van Helmont in lib. magnum oportet.

Innocentes pro reis substituti, ignobiles pro ignobilibus, vt fato fiat satis *Vide supra Medium Potestatis*, de eo quod subit in alterius locum.

Sub Nerone stella crinita quæ summis potestatibus exitum portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri cœperat; anxius ea re, vt ex Babylo astrologo didicit, solere reges talia ostenta cæde aliqua illustri expiare, atque à semet in capita procerum depellere: nobilissimo cuique exitium destinauit, quasi per iustam causam duabus coniurationibus promulgatis Sueton. in Nero.

Moribus nostris hoc iure vtimur, non in nostrates, sed in exteros, nec nisi permissu principis, vt si negotiatori Gallo merces diripuerint Hispani idem quem primum offenderit Hispanum pari iure diripiet, quod ius Marquiæ vel repressaliorum appellatur. Cuiac in Nouell. 5.

In ciuitate grassante peste quidam ignobiles & inutiles immolabātur, vt si quid in numen esset offensæ, tali piaculo paria facerent, ob id catharmata dicebantur græco verbo, expiationem significante Rodig. l. 6. c. 12. Suidas in verbo. καθάρματα.

Imperatores ad bellum profecturi solebant edere munus gladiatorium vt eo fuso sanguine Nemesis idest fortunæ vis placaretur. Id. lib. 11. cap. 16.

Licet ciuitati vt liberetur ab obsidione, tradere innocentem hosti obsidenti & aliter desistere nolenti *Vide Gloria Concordantiæ.* Publica priuatis præferenda.

Vindicta publica quæ sumitur de reis, est quædam numinis placatio, ne Reipublicæ propter tale crimen fiat infensum. Vnde Delphis mos erat, vt eodem ense quo diis hostias immolabant, de reis supplicium sumerent Alexand. lib. 4. c. 17.

Cum homo Atheniēsis extra terram Atticā perierat, incolæ loci in quo occisus fuerat, tenebantur aut occisorem producere, aut tres eius vrbis ciues rei loco plectendos refert, Suidas in verbo. ἀνδροληψία.

Achillis mortui animam placauerunt Græci sanguine Polixenæ Priami filiæ, ne ei & toti classi terribilis appareret De hoc in 12. Metaph. Tostat. exo. to. 1. fo. 106. c. 1. c.

Leuit. 16. 22. Sacerdos offert hircum viuentem, tum posita vtraque manu super caput eius, confitetur omnes iniquitates filiorum Israël & imprecans capiti eius, emittit illum per hominem paratum in desertum, bestiis scilicet dilacerandum.

Leo quidam Atheniensis fame sæuiente propriū filium deuouit pro patria. Rodig. lib. 13. cap. 7.

Iudæi in die expiationis fundebant sanguinem, alicuius animalis super capita filiorum suorum. Tostat. paralip fo. 17.

Impositio manuum super caput animalis immolandi, erat quasi quædam imprecatio quod Deus pœnam debitā peccatis immolantiū trāsferret in caput illius animalis immolādi. Id. exo. to. 2. f. 76.

De hominibus occisis & immolatis pro expiatione ciuitatis. *Vide supra proximè hoc titulo Media & præsidia salutis ex Suida.*

Quædam feuda dantur sub ea conditione, vt si dominus captus sit ab hostibus, vasallus pro eo obses detur Cuiac obser. lib 8. c. 14.

Hebræi sapientes crediderunt in mactandis animalibus, rebusque nostris sacrificio dissipandis, mala cœlitus imminentia, à nobis ad nostra deflecti Mars. Ficin. lib de vita cœl. comp. cap. 22.

Vide Gloria Minor. ex alieno malo profectus.

B. MARIÆ AVXILIVM.

D*E deuotione Religiosi ad B Virginem Mariam vide quæ scripsi lib. de institutione & officiis Religiosi parte. 2. cap. 21.*

Nihil Maria splendidius, quam splendor gloriæ elegit, vt ex ipsa naturam nostram assumeret, ipsa est thronus gratiæ de cuius plenitudine accipiunt vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angeli lætitiam, filij persona, humanæ carnis substantiam, denique tota Trinitas gloriam, itaut non sit qui se abscondat à calore eius; stella quæ per mare sæculi dirigit peccatores ad portum salutis. Laurent. Iustinian. lib. de spe cap. vlt.

Vt Christus est inter Deum & hominem, sic Maria inter Christum & cæteros homines.

Vide Gloria Principij. priuilegia Virgini Matri à Christo concessa.

SACRAMENTA.

CVm dicitur quod per sacramenta nouæ legis omnia peccata delentur, sensus est, quod sacramenta sunt instrumenta quibus merita passionis Christi nobis communicarentur Tost. para. 14.

Iubebatur offerri agniculus, quia tunc cum esset vilis pretij poterat à quocumque offerri. Id. Exo. f. 73. sic sacramēta sunt in cōmuni & vili materia.

De sacramentis. Vide quæ scripsi Theol Natur. to. 4 parte 3. cap 14. & 15. De gratia baptismi lib. de misericordia Dei. part 1. cap 6.

Sacramenta societatem Christiani populi sub vno Deo continent: constituta sunt septem à Christo pro diuersitate saluandorum. Primum est intrantium, vt est baptismus: secundum est pugnantium vt est confirmatio: tertium, vires

vires resumentium, vt est Eucharistia; quartum est resurgentium vt est pœnitentia; quintum exeuntium, vt est extrema vnctio. Sextum ministrantium vt est ordo. Septimum nouos milites introducentium, vt est matrimonium, &c. Laurent. Iustinian. lib. de spe. cap. 5.

SANCTORVM intercessio.

Hæretici negant intercessionem sanctorum, quasi sit contraria textui, 1. Cor. 2. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum Christus Iesus. Respondetur Apostolum loqui de mediatore redemptionis & propitiationis; non vero intercessionis, vnde addit Apostolus qui dedit redemptionem, semetipsum pro omnibus. Verus est mediator Christus, qui est homo Deus. *Vide Veritas Medii.* Deus concedit Christo concedens sanctis Christi conformibus; & si vult orari & intercedi à viuentibus, cur non à beatis, charitate & gloria illi magis acceptis. Moyses dicitur mediator. Gal. 3 cap. 19. lex ordinata per Angelos in manu mediatoris.

Obiiciunt 2. Illud Ioa. 1. c. 2. Si quis peccauerit habemus aduocatum apud Deum Iesum Christum. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, non excludit alios, vt quia Christus est bonus, non sequitur quod alii non sint boni. Authoritates omnes in quibus habetur Deum esse inuocandum vt Isay. 58. Hierem. 11. Rom. 10. & Math. 6. Orantes dicite Pater noster qui est in cœlis non excludunt intercessionem sanctorum, quia Deus inuocatur per ipsos & si hoc non impedit quin inuocentur viuentes, quanto magis sancti, tunc in charitate perfecta existentes. Licet autem inuocare. sanctos viuentes. Iob. vlt. V. 8. Iob seruus meus orabit pro vobis, &c. Rom. 15. v. 30. Obsecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationib. pro me ad Deum. & 1. Thessal. 5. v. 25. fratres orate pro nobis.

Si viuentes sancti pro aliis intercesserunt, quanto magis post mortem in charitate magis perfecti, & Christo magis coniuncti.

Tandem obiiciunt sanctos non audire preces nostras, quia nec sensu quo carent, nec penetratione cordis soli Deo seruata. Sed si Angeli preces nostras intelligunt, qui dicuntur illas offerre Deo vt habetur Apocal. 8. v. 3. 4. Id conceditur beatis qui erunt similes Angelis in cœlo; & qui regnabunt in perpetuum cum Christo Apoc. 20. Denique beati vident omnia in christò vt D. Greg. moral. lib. 12. c. 14. Intelligunt etiam beati omnia quæ pertinent ad eorum beatitudinem. Fatentur Caluinistæ sanctos orare pro nobis. Vnde sequitur quod norunt nostras necessitates, pro quibus intercedunt; & curam nostri agere; Est communio Sanctorum etiam beatorum, non est communio & societas sine intelligentia. Talis honor debetur sanctis, nec debet illis in totum negari, licet mortalium aliqui ea intercessione malè vtantur. Sanctorum intercessio & inuocatio necessaria est vnde orationes omnes sic concluduntur, Per Christum Dominum nostrum.

In Concilio Calcedonensi. act. 11. publicè inuocatur Fauianus Martyr; & Proterius Martyr. in epistola ad Martianum Imperatorem.

Verum est quod in tribus primis sæculis patres A rarò faciunt mentionem de inuocatione sanctorum, quia timebant ne ea videretur accedere ad idololatriam, quę homines pro diis colebat, tum quia multi credebant piorum animas non frui Deo nisi post resurrectionem generalem. Hæc fusius habentur apud Card. de Richelieu controuers. lib. 3. c. 4.

Lapsis pœnæ Ecclesiasticæ solebant aut temperari, aut in totum remitti, intercessione Martyrum qui in carcere à tyrannis detinebantur; id testatur Tertullian. lib. ad Martyres. c. 1. Cyprian. ep 10. 11. 12. 13. 14. & ser. de lapsis.

B Omnes sancti qui de hac vita discesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & iuuare eos precibus suis, atque interuentu suo apud Deum non erit inconueniens. Scriptum est enim. 2. Machab. 15. hic est Hieremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo. Origen. Homil. 3. in cant.

Vide Duratio Concordantia. Partes post separationem toti suo concordes.

In sepulchris reconditi thesauri necessitatibus publicis seruati. *Vide Gloria Finis.* De Salomone.

Si adhuc dum hic viuerent, miserti sunt peccatorum, & orauerunt pro eis, nunc tanto amplius, quanto verius agnoscunt miserias, orant patrem in cœlis, vbi non minuta sed aucta est C eorum charitas, & misericordia, cum fonti misericordiæ sunt proximiores. Laurent. Iustinian. de spe cap. vlt.

Habent enim vim pro nobis & quidem maximam orationes supplicationesque sanctorum, sed tunc profecto cum nosque idipsum per pœnitentiam postulamus, & ad studia meliora confugimus. Ita nec Moyses sororem ab ira Dei liberauit. D. Chrys. Hom. 5. in Math. Si negligentes fuerimus per alios non saluabimur, si verò mente vigilemus, magis nostro, quam alieno tuti esse possumus suffragio, sic pepercit Chananeæ, latroni, dixit facite vobis amicos de mammona, vt intelligas id tuum esse & proprium. Non hoc dicimus vt supplicandum esse sanctis negemus, sed ne nos in ocium & desidiam resoluamus, &c. Ibidem.

Celebratur in festo Portiunculæ S. Francisci charitas, qui vocatus ad tribunal Christi, electione sibi data petendi quod voluisset, non petiit vt Salomon sapientiam, non raptus in cœlum & cæteras personæ suæ dotes, sed petiit misericordiam pro peccatoribus, quam & obtinuit. Ita Christum in multis imitatus, vt patet in libro conformitatum ipsum etiam sequutus est in affectu redemptionis humanæ vt sic secundarius quidem redemptor, propterea insignitus redemptoris Christi caracteribus. De salute proximi procuranda. *Vide Medium Veritatis. Predicator.*

E Si quis conuentus abominatur, qui fiunt ad memorias martyrum Anathema sit. Concil. Gangrense. can. 10.

Si Apostoli & martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quanto magis post coronas & victorias. Hieron. contra Vigil. cap. 3. Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum, impetrat à Deo veniam. Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas, & postquam fuit cum Christo, non orabit? Ibid.

TEMPLI ASYLVM.

EOs qui ad Ecclesiam confugerint, tradi non oportet, sed loci reuerentia & intercessione defendi. Conc. Arausica. can. 5. habetur dist. 87. can. eos qui & Concil. Arelatense 2. can. 30. qui ab Ecclesia exeuntes læserint, excommunicentur. Ibid. Qui ad Ecclesiam confugerit, non possit ab ea nec vi nec dolo abstrahi, & qui id fecerit vt inimicus Ecclesiæ habeatur, nec prius reconcilietur quam abstractum Ecclesiæ restituerit. Conc. Aurelia. IV. can. 21.

Serui qui ad Ecclesiam confugerint, domini veniam promittát & seruent. Conc. Aurel. V. c. 22.

Sex erant vrbes refugii, & iterum quadraginta duæ Leuitis assignatæ quæ eo fere gaudebant priuilegio. Discrimen tamen hoc erat quod in sex vrbibus specialiter assignatis recipiebantur homicidæ inuoluntarii, siue vellent siue nollent incolæ. at in 42. duabus pro incolarum arbitrio; mercesque Domino ædium soluenda erat. Seldenus de iure naturali. lib. 4. c. 2.

Est in Arcadia locus nomine Aula, vbi fuit olim Panos templum, omnibus illuc confugientibus animalibus præstatur salus, quippe si ea insequantur lupi subsistunt protinus, vbi ad eam partem ventum est, nec ingrediuntur omnino; quasi supplices Deus excipiat. Rodig. lib. 23. c. 30.

Ninus patri suo Belo fecit imaginem quę fuit asylum. *Vide Medium Cognitionis.* Imagines.

Pertinet ad loci reuerentiam in eo reperire securitatem vitæ, quæ est præcipuum bonum inter externa; & iste fuit modus introducendi idolorum cultum. Vt notat Fulgentius lib. 1. Mytho. Tostat. Iosue to. 2. 137. conuenit & mansuetudini Ecclesiæ, quæ non fundit sanguinem *Vide Bonitas Potestatis.* Sacerdotum clementia.

Vita Monastica est Asylum contra tempestates. *Vide Gloria Virtutis.* Quieta & solitaria virtus.

Septentrionalibus populis mos est arma quæ ferunt in via pro necessaria sui defensione contra bestias & hostes, deponere in atrio Ecclesiæ, quasi certa sit intra Ecclęsiam pax & securitas. Olaus Magnus rer. Septent. lib. 16. cap. 21.

De criminibus quæ non gaudent priuilegio asyli. *Vide Minoritas Contrarietatis,* Defectus securitatis malus.

ASYLVM DOMVS.

CVm repetes à proximo tuo rem aliquam, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas, sed foris stabis. Deut. 24.

Viennæ in Austria, nobilium prælatorumque domus liberæ sunt, nec ciuitatis magistratus in his ius habent. Æneas Syluius epist. 165.

Nemo de domo sua extrahi debet. l. 103. ff. de reg. iur.

Germani nullum mortalium à propriis laribus arcent, quia aliquem arcere maximè inhumanum habetur. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 12. c. 8.

Non trades seruum Domino suo, qui apud te ecipi cupit à Domino suo: tecum manebit in medio tui vbicumque elegerit locum in vna ciuitatum tuarum vt sibi placuerit; nec contristabis eum. Deut. 23. 15.

Domus protegit nos ab iniuriis tempestatum anni, hominum, bestiarum, & abscondit quæ volumus non videri.

Is plenius coërcendus est, qui stabulo abegit pecus, quam qui à sylua aut grege. l. vlt. ff. de abigæis. Asylum enim violat.

MEDIA DELECTATIO, & fœlicitas.

AGriculturæ suauitas non nihil habet amari. *Vide Media Bonitatis.*

Amorem qui pingunt ei dant faces. Nam delectat & torquet. Sicut ignis pars splendida, suauissima est; vrens verò molestissima. Placet pulchritudo, torquet amor. Contrarii simul sunt amantium affectus, amant, oderunt, absentem desiderant, præsentem metuunt; adulantur, conuicia dicunt: pro amata moriuntur, occidunt. Optant non amare, abstinere amore nolunt; imperare volunt & seruitutem tolerant. Vnde hic affectus pro insania reputatur. Plutarch. lib. quod in amore non sit iudicium.

Appetitus, qui est motus animæ ad prosequendum non habitum, ex gaudio & tristitia quadam compositus est; quatenus enim bonum percipitur, eatenus gaudium fit, tristitia verò, quatenus non habetur, aut non commodè habetur, fit enim motus ad id quod non habetur. Fracastor. lib. de sympathia cap. 17.

Vide Veritas Gloriæ. Repug. Et *Media Virtus.*

Delectatio potest esse simul cum dolore. *Vide Concordantia Contrarietatis.* Contrariorum vnio bona. & ibid. Contrarii affectus ex eadem causa.

Pueri morientes sine baptismo, habent pœnam damni non sensus, non enim dolent de hoc. Sunt sapientes spiritus, ideo non dolent, quod gloriam non habent, quia sciunt se nunquam habiles, per gratiam gratum facientem fuisse, sicut nec quisquam sapiens dolet, de hoc quod volare nescit, quia alas non habet. Cardin. Cusa. excitat. lib. 2. cap. 24.

Temporalia nunquam totaliter haberi possunt, quia sunt in fluxu, ideo pars post partem appetitur, quia pars non satiat nisi partialiter, & temporaliter. Spiritualia autem impartibilia sunt, & non nisi totaliter, & perfectè habentur; iustitia enim apud quemlibet iustum est ex integro non diuisa per iustos; vna iustitia, iusti sunt Petrus & Paulus. Ideo iustus Petrus non desiderat iustitiam Pauli. Id. lib. 10. cap. 1.

Pulchrum, vel stupidum reddit animum, vel comitatum, voluptatemque cum dolore commiscet. Plot. enn. 5. lib. 5. c. 12.

Origen. hom. 11. super numer. dicit eos qui in iudicio extremo non inueniuntur esse ita mundi corde, vt ipsum videant Dominum, & esse portio Domini, sicut fuit Israel, videbunt sanctos Angelos, & erũt secundum numerum Angelorum Dei, vt dicitur Deut. 32. hęc opinio Origeni singularis est, & conuenit cum ea quæ fuit Platonis, animas post mortem pro meritorum suorum ratione redire ad compares stellas. Vide supra hoc tit. purgatorium, asserunt Catholici beatos omnes Deum videre.

Dicit Paulus Colos. 2. Nemo vos iudicet in cibo,

Digitized by Google

aut in potu, aut in parte diei festi. Non dicit in die festo, sed in parte diei festi, ex parte enim & non ex integro diem festum in hoc mundo positi celebramus; Interpellamur enim etiamsi nolumus ab onere carnis, pulsamur à concupiscentiis eius, curisque & sollicitudinibus. Ibi. homil. 13. in fine.

Vide Duratio Gloria. Repug. Accessus & discessus sponsi. Et *Gloria Voluntatis.* Extasis.

Magni honores magnis oneribus alligantur. Tostat. Gen. 376.

Nihil ad homines purum & sanum peruenit, vbicumque molesta iucundis natura permiscet, alterum cum altero confundit, vsque adeò vt necessarium sit, eum qui alterum eligat, alterius statim participem fieri, tanquam enim natura cognata sint, alterum ad alterum vergit, reciprocosque ortus mutuatur, ac vicissim vitam permutant, & cum huiusmodi fluxus vitam verset, quis potest indolentiam assequi, cum prius fuerit bonus versatus? Maxim. Tyrius. serm. 31. in fine.

De choreis Septentrionalium lætitiæ luctum miscentibus. Vide supra *Concordantia Virtutis.* Imitatio bonorum.

Salmo gaudet alternatim salsis & dulcibus aquis, quas vicissim petit. Olaus Magnus lib. 20. cap. 3.

Temperantia voluptatibus imperat, alias odit atque abigit, alias dispensat, & ad sanum modum redigit, nec vnquam ad illas propter ipsas venit. Scit optimum esse modum cupitorum, non quantum velis, sed quantum debeas sumere. Seneca ep. 88. *Vide Virtus Medii. Mediocr.*

In remissionibus animi absit omnis turpitudo, adsit semper virtutis memoria. *Vide Virtus Medii,* Mediocritas.

Deus donis suis flagella permiscet. *Vide Virtus Contrarietatis.* Aduersitas purgationis causa.

In mediatore nostro idem spiritus simul miser & beatus erat, passibilis & gloriosus, viator & comprehensor, missus & mittens; passibilis in carne, gloriosus in verbo, viator propter corporis mortalitatem, comprehensor propter filii personalem vnionem; missus à patre, mittens paraclitum cum patre. Accedens ad patrem per carnem, & in sinu patris requiescens. Laurent. Iustin. fasciculi amoris cap. 13.

Pascha Christi, cum amaritudinibus manducatur, sic dulcibus amara miscentur. D. Hieron. ad Eustoch.

Maledicentia grata est, quia nos cæteris præfert, & simul est odiosa, quia tantundem nobis minatur.

Scabie laboranti, gratum simul & ingratum est, scalpi.

MEDIA QVIES.

GEn. 1. dicitur, factum est vespere & mane dies vnus.

Nihil quidquam tam prosperum hominibus datum, quin ei admixtum sit aliquid difficultatis, coniugatione quadam, mellis ac fellis, vbi ver, ibi tuber. Apulei. Florido. 4.

Quidam dormiendo faciunt opera vigilantium, quia accidentalis calor, ex passione, aut cibo, aut morbo, soluit externa membra ad motum; sic febricitantes, amantes, iracundi, inter dormien-

A dum magis mouentur. Albert. Magn. tract. 2. de somno & vigilia cap. 5.

Mediam quietem habent Rectores in suo ad tempus recessu. *Vide Gloria Potestatis.* Secessus Rectorum. Et *Media Differentia.*

In pulsu spiritus interioris, quando in bona valetudine perseuerat animal spiritum habens, tanta est attractio, quanta est expulsio, & tanta quies est, quæ est inter expulsionem & attractionem, quanta est illa quæ est inter attractionem & expulsionem: sed in respirationis motibus, plus frequenter de spiritu attrahunt, quam emittant, & etiam diutius. Albert. Magn. 2. de inspirantibus. De inconstantia rerum. *Vide Minoritas Durationis.*

B Iudæis Deus præcepit quietem die Sabbati, non tamen cursum naturæ sistere voluit; oritur enim Sol & Luna, nubes pluuiam fundunt, flant venti, mulieres & animalia pariunt. Theodoret. in Exod. quæst. 31.

De vita mixta. *Vide Media Concordantia.* Aluarez. tom. 1.

Inter Regem Hungariæ, & Turcas, sunt semper actus hostilitatis, quia non censetur pax rupta, nisi cum magnis instrumētis bellicis vtuntur.

C Horis matutinis interrumpitur noctis quies, secundum illud Dauidis, media nocte surgebam, clericus qui talibus non adest, si non ęgritudine detineatur, communione priuatur per 7. dies. Concil. Veneticum Galliæ. can. 14.

Die Dominico licet asportare etiam in vehiculis victui necessaria, nam ab omni opere abstinere potius ad Iudaïcam, quam ad Christianam obseruationem pertinet, abstineant tamen ab aratro vel vinea. Conc. Aurelia. III. c 28.

Esay. 26. de nocte vigilat spiritus meus ad te deus. Hoc tempore vastator Angelus transiens, primogenita Ægyptiorum percussit: iisdem horis venturum se esse in Euangelio, saluator asseruit. Matth. 24 Luc. 12. & Luc. 6. dicitur quod Iesus erat pernoctans in oratione Dei. Act. 16. 15. Pau-

D lus & Silas in custodia publica circa medium noctis orantes hymnum audientibus cunctis dixisse memorantur, cum miraculo liberati sunt; media nocte Christus natus est. Hęc refert Concil. Aquisgranense cap. 129. & 130. *Vide infra Maioritas Gloria.* Quietis.

Animæ in purgatorio habent mediam quietem. Vide infra hoc titulo, purgatorium.

Iulianus dictus Apostata in tres maximè partes noctem diuidebat sic vt quieti, Reipublicæ & musis iustum pensum rependeret. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 19. c. 1.

E Omnis motus fit super immobili. *Vide Medium Differentia.* Et à dextra in sinistram, quoniam in singulis animalibus pars vna est calidior & robustior & mobilior, alia verò quieti & firmitati destinata, vnde videmus gerulos pondus sinistra spatula ferentes facilius moueri quam dextra, quę est ad motum disposita. Cardan. lib. de rer. varietate cap. 27.

Aristot. lib. 5. de generat. animal. Somnus, inquit, natura sua talis est, vt viuendi & non viuendi interliminium sit.

Est duplex quies, scilicet quies desiderii, & quies motus; quies desiderii est, quando desiderium sistit in aliquo propter quod omnia facit, & quærit, & non desiderat aliquid vlterius, & hoc modo voluntas iusti, quiescit in via in Deo: quies autem motus est, quando peruenitur ad

terminum quæsitum, & ista quies voluntatis erit in patria; hic autem prima quies facit imperfectam fruitioné. D. Th. in magist. sent. dist. q. 4. ad 5.

Terram alternis annis quiescere sinimus, quia ex diuturnitate culturæ infœcundior fit, exhaustis eius viribus, ideo facimus noualia vt abundantiores fructus ferat. Tostat. Gen. fol. 114.

Omnia constant motu & quiete. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 2 lege 5. § 1 Quiete motus temperatur. Ib. § 2. Plus est motus quam quietis. Ib § 3.

MEDIVS SPLENDOR.

SOl quam à Deo accepit lucem nunquam deponit, Luna verò semper mutatur.

In sphæra obliqua, quædam sydera, nunquam oriuntur, quædam nunquam occidunt.

Vt in alea, sic in mundo varia contingit sors, nunc fœlix, mox infelix: harmonia constat sonis acutis & grauibus: grammatica litteris vocalibus & mutis: pictura vmbris, fuscis, & claris coloribus, dies & nox, hyems & ęstas partiuntur tempus. Empedocles dixit nobis natis, statim adesse duos dæmones sibi contrarios, vnum bonum, alterum malum, qui nos in diuersa trahant; & viam vitæ non æquabilem, planamque sed salebrosam efficiant, &c. Plutarch. lib. de tranquillitate animi.

Vide Media Bonitas. Quod mala sint bonis permixta.

Vita instar organi musici, dum intentione & remissione, sibi concinna redditur, suauior fit. *Vide Bonitas Contrarietatis.* Vtilis aduersitas.

Antiqui semones dicebant Deos quos nec cœlo dignos adscribebant ob meriti paupertatem, sicut Priapus, vertumnus, nec terrenos eos deputare volebant, pro gratiæ veneratione. Varro lib. 4. de lingua Latina.

Viri licet illustris nomen ad paucas gentes peruenit, non vltra Caucasum & Gangem, nec ad vltimas partes Aquilonis & Austri.

In homine pręclarum est quod sit à Deo factus, & ab eo acceperit spiraculum vitæ scilicet animam rationalem ad eius imaginem; humilitatis argumentum est ne superbiat, quod sit de limo terræ.

VITA MIXTA.

COntemplatio simpliciter actione melior est, quia immediatè & directè respicit dilectionem Dei, actiua autem proximi, bonitas autem penes charitatem attenditur. Vt vinum ex se melius est aqua, in casu tamen aqua est præeligenda, sic sæpè agibilitas propter necessitatem præsentis vitæ est præeligenda. Card. Cusa. excitat. lib. 5 cap. 2.

Cæteræ digestiones quietem exigunt, quarta quæ fit in sinistro cordis sinu indesinenti motu continuitate perficitur, quo sanguis in spiritum vitalem transmutatur.

Angelus custodiendo nos & Deum contemplando, habet se sicut Luna, quæ simul illuminatur à Sole, & receptum lumen mittit ad nos, illuminando inferiora. Tostat. Matth. to. 4. fo. 35. c. 4. K.

Vita ex negotiatione & contemplatione mixta, aliud est à singulis illis ex quibus componitur, ac perinde ac si quis hominis corpus aut ignem, aut terram, aut aërem, aut aquam esse contendat. Maxim. Tyr. serm. 17. Vide *Veritas Medii.*

De vita, contemplatione & actione mixta. Vide quæ scripsi lib. de fælici successu & triumphis vitæ C *religiosæ p. 3. cap. 7. & de institut. & officiis Religiosi parte 4. in proœmio.*

Vir bonus magni æstimat si pro Dei honore prosit proximo, non autem minoris, si se illibatum custodiat verbo; propterea laudabili discretionis moderamine sic secum agit, vt nec pro commodis proximorum contemplationem deserat, neque pro amore contemplationis, aliorum curam penitus derelinquat, in vtriusque se constituit medio Nam cum licet vacat sibi, cum charitas vrget, se exponit proximo, sic tamen vt continuè anhelet ad cubile sponsi secreti reditum sine macula, vt inde fœcundior ad proximos redeat, &c. Laurent. Iustin. lib. de connubio verbi & animæ cap. 12. sub fin. *Vide Gloria Potestatis.* Quies & recollectio regentium.

Angeli nunquam desistunt à visione verbi propter ministerium, nec à ministerio propter visionem. Ib. cap. 16.

D Agitato aëre lumen minimè mouetur; inter humana negotia potest esse stabilis contemplatio. *Vide Virtus Bonitatis.* Etiam qui mundo renuntiarunt, exhibent proximis charitatis officia.

Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem. Psal. 120. non nocebit tibi actio vel solitudo nimia, in illa beata temperie sub sole iustitiæ, munera variè distribuente. D. Hilar. in d. Psal.

Vide Duratio Virtutis. Inter malos bonus.

Donum consilii ducit nos ad introuersionem, vt rebus externis mortui soli Deo viuamus. Hoc est enim consilium Domini, Audi filia & vide obliuiscere populum tuum, &c. Psal. 44. Vt vende omnia quę habes, da pauperibus & sequere me. Scientiæ autem donum ad extrouersionem nobis conceditur, ad creaturas omnes gratia & pietate, etenim inter Dei & proximi charitatem commorari debemus. Sicque iuxta charitatis instinctum ac motionem amanter nos intro & foras recipere valebimus. Rusbroc. de tabernaculo fœderis, c, 19.

Charitate prædíti, sentientes diuinam in nobis liberalitatem semper intro influimus in vnitatem, & per misericordiam foras promanemus. Est in exemplum Christus, qui seipsum totum dedit Patri in simplici vnitate, itemque se nobis totum dedit viuens & moriens & in Eucharistiæ sacramento, Ibid.

Digitized by Goo

FINIS GLORIÆ.

QVÆ FINEM IMPONVNT GLORIÆ.

A FLORES consumpto subtili humido calido quo constant, cadunt & locum cedunt nascentibus fructibus ad quorum formationem affluit calidum magis terrestre. Albert. Mag. lib. 2. vegetabilium tract. 2. cap. 4.

Folium quod fuerat in summitate arboris nascentis, solis radiis illustratum, rore cœlesti præ cæteris nutritum, tandem cadit, conculcatur, putrescit, ad nihilum redigitur.

Additamenta seu tymbria armorum quæ accedunt propter nouam adeptam dignitatem, vt corona Ducalis, signum equitum, S. spiritus, & similia sunt accidentia armis, non essentialia, & mortua persona desinunt.

B Pulchritudo vt flos marcescit; possessorem suum viuentem destituit, itaut eum qui vident, quærant.

Solis simulachrum decies septenum cubitorum ex ære, Rhodi terræ motu concidit.

Secundo marito copulata mulier, amittit prioris viri dignitatem & priuilegia, & secundi fortunam amplectitur, quę enim priorum oblita est, non rursus ex prioribus adiuuabitur. Nou. 22. cap. 36.

Illustrium etiam virorum fama perit deletis populis à quibus celebratur, conflagratione, inundatione, bellis, & longa sæculorum series de hominibus sermo cingitur angustiis regionum, nec vnquam de vllo perennis fuit; & obruitur hominum interitu, & obliuione posteritatis extinguitur. Cicero in somno Scipionis. *Vide Minoritas Durationis.* C

Alexandro mortuo inter seruos quatuor diuisum est imperium tanti ne fuerat, ignota bella scrutari ignorante victore cui vinceret.

Vide Finis Potestatis. Finis Maioritatis &c. Duratio Glorię Repug.

De casu Angelorum. Vide quæ scripsi. theol. natur. to. 4. parte. 1. cap. 7. De casu aulicorum. moral. Christ. to. 4. parte. 2. cap. 14.

Spiritus in corporibus nostris est illuminatus lumine vitali specifico & indiuiduante; sic vermes nitedulæ, lucem in ventre sub noctem habent, vt & maris belluæ nocturnum nitorem, atque plurima quæ per putredinem in vltimam pergunt salium materiam vitalem tamen, & quæ cum vita D illarum extinguitur, ita spiritus vitæ quoad viuit lucet, dumque morientis oculos deserit carnei apparent. Van Helmont. gloria mundana cum vita desinit, nec transit ad posteros vt gloria scientiæ, probitatis.

De vanitate gloriæ mundi. *Vide Veritas Gloriæ. Repug.*

Tanquam naues in mari, aues in aëre, sic plerique superbientes homines dum viuerent, mortui non relinquunt vestigium post se.

Erit opus vestrum vt fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla. Isay. 1.

QVIETIS.

ANimalia quædam latent & sopita manent hyeme propter abundantiam humoris phlegmatici quo caput prægrauatur, postquam autem eius facta est digestio, & fames calorem consopitum excitauerit, tunc expergiscuntur. Albert. Mag. lib. 7. de animalib. tract. 3. cap. 3.

Quieti populorum finem imponunt bella, de quibus *Vide Bonitas Contrarietatis. Et Principium Contrarietatis.*

DELECTATIONIS.

DElectatio perficit operationem, sed desinit, cum desinit nouitas, aut cum accedit fatigatio. *Vide Minoritas Finis.*

Sodoma & Gomorrha olim velut paradisus, ideo terram hanc loth elegit.

Quondam Æthna mons Siciliæ adeo floribus perpetuo vernabat, vt venationi locus non daretur, quia florum fragrantia præpediebat canes. Hinc eruperunt flammæ, vnde finxerunt Poëtæ Proserpinam à Plutone fuisse raptam. Cardan. de rer. varietate. lib. 1. cap. 4.

Qui reliquerunt Dominum confundentur, erubescitis super hortis quos elegeratis. Erunt enim quasi terebinthus defluentibus foliis, & velut hortus sine aqua. Isay. 1.

Digitized by Google

MAIORITAS GLORIÆ.

NIMIA QVIES OTIVM.

SANCTISSIMVM consilium Areopagus, quid quisque Atheniensium ageret, aut quonam quæstu sustentaretur, diligentissimè inquirere solebat, vt homines honestatem vitæ, rationem memores reddendam esse sequerentur. Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1.

Sicut organum sensus languet ex nimio spirituum sensibilium, in ipso discursu & frequentia, ita etiam obstruuntur pori eius, & implentur humoribus grossis & frigidis ex nimio somno. Albert. Magn. tract. 1. de somno & viglia. cap. 5.

Ager qui post vnius anni fructus, pluribus vult annis quiescere, malus est cultori, nec præstat mercedem laboris. Id.

Quædam animalia per totam hyemem latent somno sopita propter phlegmaticum cibum quo implentur, phlegma enim frigiditate sua grauat caput, claudit visum, & immobilitat organa sensus donec abstinentia & fames accendant calorem hebetatum. Albert. Magn. lib. 7. de animalib. tract. 3. cap. 3.

In aqua fluente ranæ sunt in littore, in stagnante, sunt etiam in medio, qui diu remanserunt quieti, vt captiui, non sine labore postea ambulant.

Nihil damnabilius est in militi, quam ocium, per quem vsus armorum dediscitur, nutritur pusillanimitas, vires fatiscunt, obrepit inertia, & ad immundiciæ actus animus occupatur. Petrus Blesensis in epistolis.

Solo ocio non habetur tranquillitas animi. *Vide Virtus Differentia.* Virtus in secessu.

Somnus tanquam publicanus, dimidium temporis nostri ad se rapit. Plutarch.

Somnus multus nec corporibus, nec animis, nec rebus gerendis natura conducit. Nemo quidem dum dormit alicuius precii est, non magis quam si non viueret; quare quicumque viuere & sapere cupit, vigilet sola sanitatis commoditate seruata, ad hanc verò non multo opus est somno. Plato. 7. de legib.

Perit natura, vbi quisque à dulcedine voluptatis vincitur. Viuens mortuus est, quæsita cito consumuntur si illis labor nihil addiderit. Mirum quod se beatos putent, faciendo sibi animum, pedes, manus inutiles. Sunt vt qui magnam pecuniæ summam mutuo & cum vsuris accipiunt, ad breue tempus abundant, damnum postea passuri.

Ægritudinem ego præ mollitie deligerem. Morbus enim corpori solum nocet, at mollities vtrumque corrumpit & animam & corpus, huic imbecillitatem, illi luxuriam, & mulierosum habitum ducens.

Plus vigilare, plus viuere est, nam quid tam mortis simile, quam dormientis aspectus? quid tam vita plenum, quam forma vegilantis? Chrysolog. serm. 24.

De somno. Clemens Alexandr. pædag. lib. 2. cap. 9.

Nauis plus deperit in portu, quam in nauigatione.

Colophonii olim voluptatibus & somno sic dediti, vt multi apud eos nunquam dicebantur vidisse solem nec orientem nec occidentem. Athen. lib. 2. cap. 10.

In Hollandia nulli mendicantes, quia nullius otio indulgetur, verè miseris, vt pupillis, ægris, senibus, prouident Magistratus.

Petrus Damiani lib. 6. epist. 5. laudat Cluniacenses monachos quod die nocteque diuinorum officiorum pensis intenti, nequidem semihoram in die liberam haberent ad miscendum in claustro colloquium, itaut præter cogitationem vix peccare possint, sic Exod. 26. Deus tot cæremonias instituit in castris & in sacris, vt his intentus populus otio non vacaret. Id ipsum tentauit Pharao Exod. 5. vacatis, inquit, otio, idcirco dicitis, eamus & sacrificemus Domino.

Idem. opus. 39. arguit clericos qui sedent tempore diuini officii, quia vita hæc tempus est standi, est enim militia, in alia vita sedebimus, stant aulici coram principe, aduocati causam agentes, coram iudice Millia millium Deo ministrare describuntur Daniel. 7. & Apoc. , nullus sedere. In conspectu Angelorum psallam tibi. Ps. 137 stant autem Angeli. Isay. 6. Angeli stant in conspectu throni, & Luc. 1. Apocal. 7. quære sto. in concord.

Spiritus malignus est Aquinolaris inimicus vitæ congelans, & constringens motum vitæ, sed defenditur anima Christiformis contra ipsum gratiæ vnguento cui proprium est, diffundi. Card. Cusa. Excit. lib. 5. cap. vltimo.

Eunuchus non intrabit in Ecclesiam, & maledictus qui non facit semen in Israel. Deut. 20. tales sunt qui cum possint verbo & exemplo alios ædificare, otio torpescunt, & receptam gratiam indignè negligunt. Rupert. in Deuter. lib. 1. c. 22.

Lucernā sub modio ponunt, qui ea quæ sunt corporis, superiora faciunt, & desistunt à prædicatione veritatis, ne aliquid molestiæ patiantur in rebus corporalibus & temporalibus. D. August. lib. 1. de serm. Dom. in monte, cap. 12.

Ocio qui nescit vti, plus negotii habet, nesciens quid velit, nulla re delectatus, nec domi, nec militiæ existens; at cui quod agat, institutum est, animum delectat suum, Petrus Crinitus de honesta discip. l. 2. c. 22. ex Ennio.

In Alexandria Ægypti nemo viuit ociosus; habent podagrici, habent cæci quid agant. Ib. lib. 22. cap. 20.

Digitized by Google

ocii tabe confectum, concupiscentiarum parit & fouet insaniam. Id. opusc. de perfectio. gradib. cap. 9.

In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia. Psal. 71.

Interdum continuatus labor firmiores facit, sæpè quos labor roborauerat, desidia consumpsit. Seneca. lib. 1. controu. 8.

Perpetuo dormienti quid interest, seu post diem, seu post mille annos pereas.

NIMIA DELECTATIO & voluptas.

LVcian. dial. 3. irridet intemperantes voluptates, quæ seipsas obruunt, nec rebus vt fert natura, vtuntur, quales sunt eorum qui vini & ciborum copia distenduntur, & eorum qui florum coronas capitibus imponunt, debuerant enim infra nares & oculos poni, vnde tales voluptates vocat solecysmos.

Omnes ferè flores habent in medio sui quædam granula quæ videntur esse semina, licet non sint. Vacant quidam voluptatibus sub falsa specie boni inde nascentis, sed ad instar florum cito marcescunt.

Nimia lætitia citius interimit, quia effundit omnem sanguinem & spiritum cordis; quam tristitia.

Quintilian. Inst. orator. lib. 5. cap. 12. improbat luxuriosam illam eloquentiam, quæ plus studet ornatui quam probationi, non alio vitio quam quo mancipiorum negotiatores, formę puerorum virilitate excisa lenocinantur, & quæ natura propria maribus dedit, robur, lacertos, barbam, parū existimant decora, debilitatem inter optima numerant, & speciosissimum putant, quod si nasceretur esset monstrum. Pictores & statuarum artifices, non effœminatum iuuenem, sed bellicosum exprimunt, sic orator effingendus, habens arma non tympana eloquentiæ; etiam in schola victoriam spectet, sciat ferire vitalia, in dicendo sit inter bona, vtilitas.

Vbi atrocitate, inuidia, miseratione pugnandum est, quis ferat contrapositis, & pariter cadentibus & consimilibus irascentem, flentem, rogantem; cū in his rebus, cura verborum deroget affectibus fidem, & vbicumque ars ostentatur, veritas abesse videtur. Id. lib. 7. cap. 2. in fine. *Vide Veritas Virtutis.* Affectatio mala.

Nimia pedum obseruatio nocet in contextu orationis, sic enim refrigeratur calor, & impetus perit; equorum cursum qui dirigit, minuit, & passus qui ęquat, cursum frangit. Id. c. 3.

Leprosi fiunt qui per roscidas herbas nudi incedunt. Plutar. lib. de causis naturalib. cap. 6.

Num. 31. scandalum populo Israëlitico Balaam diuinator obiecit quando bellatoribus, non cum ferratis viris, sed cum puellis toto lenocinio fucatis occurrit, vt arma verteret in luxum, & summam prophanaret sanctitatem. D. Chrysolog. serm. 27 *Vide Potestas Voluntatis.* Vis amoris.

De pompis & vanitate, Bernard. quadrag. ser. 44. 46 & seq.

De sensualitate, D. Thom q. 25 de veritate.

Vtrumque ex æquo auersandum est, tam facere sumptus quos non oportet, quam quos oportet non facere, quoniam hoc sordidum est, illud luxus. Suidas.

Nunc patimur longæ pacis mala: sæuior armis
Luxuria incubuit, victumque vlciscitur orbem
Iuuenal. sary. 6.

Molli animo & effœminato Artemon fuit, propterea dictus Periphoretus, quod nunquam incederet suis pedibus sed lectica circumgestaretur. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 15. cap. 11.

Aquæ gratum odorem aut saporem habentes, sunt vtiles, sed non in cibo. Cardan. de rer. varietate lib. 1. cap. 6.

Xerxes bello captos Babylonios semperque à iurata fide deficientes prohibuit arma tractare, sed inductis scortis, choreis, epulis imbelles effecit. Rodig. lib 8. cap. 11.

Si nimio cultu carnem foueas, molliorem efficies & bonam eius valetudinem corrumpes. Vt itaque illam loco boni vehiculi spiritus habeas, vt gubernator securus nauigii clauos teneas; vt miles arma bellica facilè tractes, fac omnia ista instituas vt opportuna fini & accommoda. Non enim qui multa habet, sed qui modicis eget, inexpugnabilis est, nihil vltra necessarium rerum vsum concupiscens. D. Chrysost. homil. 25. in epist. ad Roman.

Prudentia & cogitatio carnis sunt delitiæ, indulgere voluptatibus diuitias inexplebiliter congerere, &c. Id. homil. 5 in epist. ad Ephes.

Vt si quis infundat in dolium perforatum, vanè laborat, ita etiam qui degit in deliciis infundit in dolium perforatum. Id. homil. 12.

Ratio est hominis natura, vnde quidquid est contra rationem, est contra hominis naturam, sic ergo effluere voluptatibus est contra naturam hominis, in quantum transcendit regulam rationis, vel tollendo ordinem finis, quod est simpliciter esse contra rationem, vel tollendo ordinem eorum quæ sunt ad finem, quod est contra rationem secundum quid. Abutuntur rebus creatis qui in eis finem constituunt, non referendo eas in finem vltimum, & hoc meretur damnationem, tam in gula, quam in aliis peccatis. D. Thom. in quæst. disput. de peccatis q. 14. a. 2. ad 8. & 10.

Etiam culpatur nimia spiritualis delectationis auiditas. Vnde Deus vetuit, ne in aliquo sacrificio poneretur mel. Leuit. 2.

Non est quærenda virtus propter comitem eius voluptatem. *Vide Gloria Virtutis.* Pax & voluptas virtutis.

Si concessæ naturalis voluptatis modum excedas, impotens & in omnia excurrens desiderium virtutes omnes obligabit; hinc oportebit ad vnius viri voluptates alendas totius mundi partes symbolum conferre, quid hac egentius cupiditate, cui prior & habita voluptas fastidit, dum nouarum & absentium cupiditate detinetur, & hoc est quod Tantali significat ænigma, in fluentibus continua sitis ex inueterata voluptate fit dolor, vt ex non habita; Centauris similes, vt homines loquuntur, vt bruta viuunt, & à dominante cupiditate transferuntur. Maximus Tyrius serm. 14.

Indignam homini sensuum voluptatem probant leges, quæ circulatores & in theatris comœdos declarant infames.

Delectatio corporis vilis & pecudina est, qua

sæpius, vehementius, diutius pecora quam homines perfruuntur. Ex hac morbi plerique in corpus redundant, & ad rem familiarem permagna damna, tum ad animum certa pœnitentia; & hebetudo ingenii, quod delitiis corporis extenuatur ac frangitur denique odium virtutum omnium: latebras quærunt, quia pudet generosum animum sic demitti. Ludo. Viues introd. sap.

Falsa debet haberi deuotio quæ nimium sensibus indulget. Vide quæ scripsi moral. Christia. to. 1. parte 2. cap. 27. & to 2. parte 1. cap. 22. 23. Fieri debent leges sumptuariæ quæ luxum in omnibus cohibeant. lib. de agente Dei in humanis. parte 2. cap. 18 19 ludos & recreationes omnes modestia temperet. Ib. parte 3. cap. 17.

Præoccupatum animum temporalium desideriis, declinat delectatio sancta, nec misceri potesunt vana veris, æterna caducis, spiritualia corporalibus. Laurentius Iustin. lib. de paupertate,

Nequeunt in vnum & confessionis lachrymæ, & corporis conuenire voluptas, hæc nos docet Ioannes in Eremo. D. Chrysost. homil. 10. in Matth.

Vide *Maioritas Potestatis.* Nimia potestas mala.

Cum Alexander victo Dario Persarum delitiis in veste, conuiuiis, libidine difflueret, totis castris vnus omnium sensus & sermo erat plus amissum victoria, quam bello esse quæsitum. Q. Curt. lib. 6.

Mel cum digiti summitate est degustandum. Philippus Alexandrum filium reprehendit, quod nimis benè caneret & saltaret.

LVXVS IN VESTE.

CVlta vestimenta, quid aliud sunt quam superbiæ instrumenta: vtile indumentum excogitauit necessitas, pretiosum luxus, elegans vanitas: suborta est in vestitu contentio: hæc multa docuit superuacanea & damnosa, dum homines etiam ex eo quod infirmitatem nostram arguit, honorem captant. Lud. Viues.

Vide *Cognitio Virtutis.* Vestis distinguit dignitates.

Delectationem in veste facit Venus in loco proprio. Cardan. Aphoris. sect. 1. apho. 79.

De nimio vestium luxu Christianis vitando. Vide quæ scripsi Moral. Christia to 2. parte 1. cap. 31. Religiosæ vestis humilitas. lib. de fœlici successu & triumphis vitæ religiosæ parte 3. cap. 3.

Si qua ornatur vt in se oculos omnium conuertat, etiam si nullum vulneret, dabit tamen extrema supplicia, parauit quippe virus, temperauit venenum, porrexit poculum, etiamsi nullus qui biberet inuentus est. D. Chrys. homil. 17. in Matth.

Non possumus corpus & animam simul exornare, non possumus mammonæ seruire, & Christo vt oportet parere. Nam si quis aureis tapetis domum tuam velit dependsis ornare, te verò nudum in ciliciis sedere cogeret, non æquo animo id ferre posses; corpus animæ tuæ domicilium ornas, anima turpiter neglecta, contra qui Eremum habitant monachi neglecto corpore, animam virtutibus ornant, vt dignè Deum possint excipere. Ibid. hom. 70.

In purpura & superba veste Christus mysticè illuditur.

A Barba demissa & inculta est mœroris indicium, sicut vestis squalida. Vide ex Cuiacio *Contrarietas Gloriæ.* Calumnia.

Pretiosus indumentorum apparatus ad hoc repertus est, vt ad concupiscentiam, seu ad humanam alliciat gloriam, tam deferentium quam intuentium animas quæ creaturarum decore, atque sensuum carnalium voluptate pascuntur. Laurent. Iustin. in opusc. de humilitate cap. 14.

D. Hieron. lib. de vitando suspecto contubernio vocat fugiendos, dicit virgini comatos, linteatosque iuuenes.

Contra ornatum mulierum. Gregor. Nazia. homil. 21. Tertul. lib. de cultu fœminarum, B Basil. conc. 9. to 3. Clemens Alexandrin. pædag. lib. 2. cap. 3. & lib. 8. cap. 12. De ornatu virorum Id. l. 3. c. 3.

De vestibus, seu de corporis cultu. Drexell. in Trismeg.

Petrus Damiani opus. 19. suadet vilem vestem monachis & clericis, quia mundo mortui sunt, sufficiat habere quibus tegantur. vt 1. Timoth. 6. & Gen. 28. Christus infans describitur vilibus panniculis obuolutus. Exeamus ad eum extra castra improperium eius portantes. Heb. 13. Erubescat terrena superbia, &c. Langor est animæ de corporis ornatu gaudere, ostendit sibi non sufficere internam Spiritus sancti gratiam. In vestitu ne C glorieris vnquam Eccl. 11.

Vide Cognitio Virtutis Repug. Nimius vestium ornatus. *Et Cognitio Virtutis Repug.* Vestis humilitas.

Luxus ille minus quam media sui parte videtur ab eo, qui pro illo laborat. Vide *Voluntas Bonitatis Mala.* Inordinatus sui amor quale diuitiarum genus, quod dum nullum vsum præter solam habeat pulchritudinem, specie tamen sua nequeat pascere possidentem. Petrus Damiani.

Lex fuit Athenis vt meretrices vestes ferrent floridas, varias, ornatas, nitidas. Suidas in voce ἑταῖρα vt à similibus abstinerent honestæ mulie-D res. Similiter Syracusis lex fuit, ne mulier vlla pretiosius ornaretur, nisi se constupratam prius esse confessa. Rodigin. lib. 7. cap. 9.

Sunt, inquit Seneca, quidam sollicitiores de capitis sui decore, quam de salute, qui inter speculum pectinemque occupati sunt, qui ve concinniores esse malunt, quam honestiores, qui Rempublicam turbari suam minus curant, quam comam. Id. lib. 18. cap. 10.

Refert Galenus plures mulieres mortuas eo quod capillos infecissent medicamento sua frigiditate lethifero, & caput tentante, cum voluissent capillis gratum colorem indere. Ibid.

Non est vestibus ornanda caro, ne ornatu illam perdas, nam & molliorem inde facies, & bonam illius valetudinem corrumpes, dum nimia illam mollitie dissoluis D. Chrysost. homil. 25. in E epist. ad Roman.

Vix fieri potest vt impensius ornato corpore non negligatur anima, non enim est eorum natura vt simul ornentur. Id. hom. 18. in 1. ad Corinth.

Ex auro tibi facis in capite, collo, manibus, toto corpore vincula, cum auro vincta Dei membra scilicet pauperes deberes absoluere: vt alius oblectetur aspectu teipsam vinculis, curis, periculis & angoribus te subiicis. Id. homil. 7. in 1. ad Timoth. & homil. 8. Quid hęc ornamenta circumfers, an saltatura ad Ecclesiam pergis. Accessisti vt Deum pro peccatis tuis suppliciter depreceris

Digitized by Google

suppliciter depreceris. Non iste suppliciis habitus, si lachrymas sic composita fuderis, risum cernentibus mouebunt. Amputa hanc simulationem & scenæ gestum, Deus non irridetur. Tibi cæterisque nociturus est ornatus, nec vacat mali suspicione, tùm alienos in te conuertit oculos. Non est satis pudica quæ præfert impudicitiæ notas Cogita quantum curæ superfluæ assumis, &c.

Vt vermes bombices quandiu sunt in serico non edunt; sic quidam miserè abstinent vt superbè vestiantur, sibi patientiam imperant, vt cæteris exhibeant decentius spectaculum.

LVXVS IN ÆDIFICIIS.

Beneficiis ciuitatem obstringes, non tectis in sublime structis, sed animis promotis. Præstat enim in paruis domiciliis magnos animos habitare, quam in magnis ædibus humilia mancipia latere, ceu feras in suis lustris.

De ædificiorum dispositione Christiana. Iauellus.

Posteri Noë turrim Babel ædificârunt altissimam, vt nomen suum transmitterent ad posteros. Gen. 11.

Cur tibi rebus etiam inanimatis vilior es, qui animam desolatam cum habeas, aliud nihil quam domus tuæ pulchritudinem ostentes, stultus haberetur qui vxore pudica spreta & laceris indutam, ancillas pretiosis vestiret; carnem seruire natam diligenter curas, animam negligis, &c. D. Chrysost. hom. 11. in epist. ad Roman.

Ex equis, curribus, amplis ędibus, picturis parietum opinantur se esse meliores; quia enim quod erant homines perdiderunt, sollicitè huc illucque circum eunt, aliunde sibi gloriam colligentes, omni irrisione dignissimam. Id. hom. 4. in Matth.

Militia est vita hominis, at in castris milites non ædificant domos cito discessuri, sed habent tentoria, fossam & vallum ducunt. Scythæ, absque certo vagantur domicilio. Cur magnificas ędes, struis, an vt teipsum magis vincias, & carceres construas ad orbis totius lustrationem nato, &c. Ibid. hom. 70.

Ad quid latę porticus? aurata laquearia? domus miserorum pœnis, & damnatorum labore vestitę? instar palatii priuatorum extructæ basilicæ, vt vile corpusculum homines preciosius inambulet, & quasi mundo quicquam possit esse ornatius, tecta sua magis velint aspicere quam cœlum. D. Hieron. ad Marcellam.

Communitates non possunt suas pecunias expendere pro construendis & ornandis, portis, arcubus aliisue ędificiis. Clem. 8. const. 10. §. 14. Bull. p. 8. to. 3.

LVXVS IN CONVIVIIS, & Gula.

Bestiæ sola satietate contentæ sunt, nos in cibis voluptatem inquietè, magnis impensis, magna sollicitudine quęrimus. Vt musicæ & medicinæ, sic culinæ sunt commentarii. Ex epulis lautioribus fastidium, morbi. Tales se præstant homines, quales nec habere vellent seruos, delicatos. Philosophis pro obsonio erat cupiditas comedendi.

A Superflua seruitutem exigunt, Et pessimis dominis, scilicet cupiditatibus subiiciunt. In frugalitate maior & libertas & voluptas.

Vide Minoritas Gloriæ. Mortificatio Gustus.

O prodigiosa rerum luxuries, nunquam paruo contenta paratis; & quæsitorum terra pelagoque ciborum; ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ; discite quam paruo liceat producere vitam, non auro, myrrhaque bibunt, sed gurgite paruo; vita redit, satis est populis, fluuiusque Ceresque. Luc 4. Phal.

B De Heliogabalo traditum est eum versatilia triclinia habuisse in quibus quandoque amicos suos ponere consueuit, eosque violis & floribus obrutos opprimere, sic vt aliqui animam efflauerint Petr Crinit. honest. discipl. lib. 14. cap. vlt.

Democritus dicebat, ambitiosam mensam fortunæ; parcam virtus apponit Rodig. lib. 7. c. 11.

Eorum corpora in sagina, animi in macie & veneno sunt. Seneca. Tales molestiorem sibi carcerem construunt, velut pecora sunt in terram proni: anima voluptatum congerie remollita fatiscit. Corpus nimis vegetum animi pondus ac pœna est.

Diabolus primum hominem tribus modis tentauit, scilicet gula in persuasione cibi. Inani gloria in promissione deitatis, cum dixit, eritis sicut Dii; auaritia in promissione scientiæ & eius immoderata
C cupiditate. Magister Sentent. lib. 2. dist. 21. q. 2. In conuiuiis splendidis. Viget gula, vanitas. & rapina quæ tantæ profusioni sufficiat.

Tanta leporum, perdicum & cæterorum auium strages & aceruí in conuiuiis vt timendum sit, ne totæ species earum intereant. Et vnius luxuria famem publicam vrbibus indicat.

Est de ratione gulæ inordinatio concupiscentiæ, non tamen est de ratione eius inordinatio tollens ordinem finis vltimi, & ideo gula secundum rationem suæ speciei non habet quod sit peccatum mortale nisi quis taliter sit ad eam affectus vt relinquat charitatem Dei, & proximi. D. Thom. in quæst. disput. de peccat. q. 14. a. 2. o.

D. Greg 30. moral. c. 17. quinque modis, inquit, nos gulæ vitium afficit. Si indigentiæ tempora præuenit, si cibos lautiores quærit, si accuratius pręparatos, si mensuram refectionis excedit, ipso
D etiam æstu immensi desiderii, aliquis peccat. Et hæc isto versu continentur.

Properè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Gulæ filię seu effectus sunt. 1. hebetudo rationis. 2. inordinata lætitia 3. inordinatio loquutionis. 4. inordinatio operis & iocularitas in externis gestibus cum amplius non regantur à ratione, Hinc immunditia verborum & operis. D. Thom. Ibid. a. 4.

Mortales carnibus ante diluuium vti solitos constat, ex sacrificiis, quorum partem edebant sacrificantes; alioquin Abel frustra gregem & armenta duxisset, nec cecidisset alter in venatione ferarum, & Nembroth nomen vanum haberet.
E Bestiis itaque tam feris quam domesticis vtebantur ante diluuium, vix tamen piscibus. Van helmont tractatu natura contrariorum nescia. *Vide Principium Gloriæ.* Christus Saluator ex eod.

Initio partem orbis obtinebat mare, alteram terra, nondum erant scaphæ sic piscatio in mari insueta, nec etiam habitatio hominum litora colebat, nam agricolis vnicum terrarum vastumque continens sat voluptatum dabat, vt sterile pelagus mille tempestatibus horridum detestarentur,

cibos pisces non numerantur, nec pisces ad Adamum translati vt sua sortirentur nomina. Id. Ibid.

Caius, Cæsar vna cœna consumpsit tributa triũ prouinciarum in exquisitissimis cibariis, ex Seneca. Tostat. Genes. prolo. fo. 32. c. 2. c.

Mithecus quidam in condiendis & construendis dapibus clarus profectus est ad Lacedemonios sperans artis suæ præmium ibi consecuturũ, at Censores talem voluptatis ministrum statim extra ciuitatem eiecerunt, dicentes se simplici cibo, vt leones, vti melius esse ad sanitatem & fortitudinem, duas sic artes sibi fore inutiles coquorum & Hypocratis. Maxim. Tyrius serm. 7.

De conuiuio. *Vide Gloria Concordantia.*

In conuiuio truncatur caput Ioannis; truncantur capita pauperum.

Seruum vino deditum, inspetato dominus adueniens grauiter punit. Matth. 14. Tu magnifica conuiuia excogitas, modo tu alios vocas, modo vocaris ab illis; ita nunc tu consumis, nunc alios consumere cogis, & duplicem tibi præparas cruciatum; sic erant in diebus Noë edentes & bibentes, &c. D. Chrysost. hom. 78. in Math.

Principes sæpius prohibuerunt artificum collegia, propter nimias commessationes & compotationes illic fieri solitas. Cuiac. obser. lib. 7. c. 30. *Vide Minoritas Gloria.* mortificatio gustus.

Vna sylua pluribus sufficit alendis elephantis, homini vix multarum prouinciarum, & aquarum tractus.

Citò morimur, quia mortibus viuimus. *Vide Potestas Medij.* alimenti in fine.

EXCELLENTIA ET augmentum Gloria.

NObiles ad maiores dignitates euecti, possunt familiæ suæ arma tymbrare cũ aliqua diferentia quæ nouã dignitatẽ ostendat, vt comites effecti, corona comitum. Vide Chassanæ. catalogi gloriæ mundi. 1. parte. conclus. 49.

In stadio omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. 1. Cor. 9.

Num. 26. non omnis terra sorte distribuitur, vt in diuisione hæreditatis Ruben & Gad Iesu Naue extra ordinem dat hæreditatem tribui Iuda, Effrem & Caleb. Vnde puto quod in illa regni cœlorum beata æternitate erunt aliqui qui non veniant ad sortem cum cæteris, sed erit egregia quædam & eximia eorum hæreditas, sicut fuit Caleb, ex tribu Iuda, sic post prælium non æqualiter diuiduntur spolia, sed eximiis bellatoribus dantur maiora. Ita dicit, Christus Pater volo vt vbi ego sum, & isti sint mecum. Sedebitis, inquit Apostolis, super sedes duodecim: sicut tu in me Pater, & ego in te, ita & isti in nobis vnum sint Origen. homil. 21. super numer.

Vide Maioritas Bonitatis; Maioritas Voluntatis.

Honor exhibitus tantus est, quanta est persona exhibens honorem. Tost. exo. to. 1. fo. 122.

Honor magnus non potest exhiberi nisi à multitudine. Id. Matth. 1. 6. 2.

Boni erunt in resurrectione indolentes, quoniam ab eo quod erimus secundum naturam non conuertemur, neque in opposita secundum ens & nonens, neque in contraria, secundum magis & A minus, vt ex gaudio non vertemur in mœrorem, neque eodem bono gaudebimus modo magis, modo minus; etiam si de maiore bono magis gaudebimus, de minore autem minus: sed sic quoque pro bonorum proportione manebit immutabilis quantitas gaudij. Iustinus Martyr quæ 6. ad orthodoxos.

FACILIVS SECVNDIS rebus quam aduersis, voluptate quam dolore mens corrumpitur.

B
DEMONSTRATIO.

BONITAS. Ex sensibili simul & rationali parte componimur non satis fida societate, cum non sit æqua bonorum communio, sed harum quælibet suis intenta commodis, ex sociæ dispendio: proficiat, & deiiciatur ratio, cum sensus eminet. Inde fit vt viri boni quibus propositum est ad rationem viuere, voluptatem quæ fauet sensibus suspectam habeant, & variis modis, ne noceat, proscribant. *Vide Minoritas Gloriæ.* mortificatio.

C MAGNITVDO. Temporalis fœlicitas totum hominem occupat, sensus addicit præsentibus, mentem longè mittit in futura, vnde sperat impleri, at aduersa non sic animum deiiciunt vt à proposito deterreant; plurimos hæc tempestas perduxit in portum sacræ philosophiæ, & à sensibilium fœlicitate proscriptos, totos conuertit in animum.

DVRATIO. Res aduersas spectat sapiens vt subitam vim turbinis, qui non ipsum à proposito reuocat sed tardat, hac pulsatus vela quidem contrahit, sed liberius postmodum ventis secundis explicanda; intermittit iter, paulo post celeritate moras compensante, prosequendum: flexu non fuga sibi consulit, nec ob virtuti contrarios casus, statim fit ad partes vitiorum transfu-
D ga. Non sic prosperitas ad tempus afficit; quisque sibi præsentem ardenter complectitur, continuam sperat, & tentat efficere, sic in eam toto propensus animo, facilè declinat, à virtutis, contraria suadentis, legibus.

POTESTAS. Allicit voluptas, & cum naturalis in eam feratur appetitus, non censetur libertatem coërcere sed coronare. Verè tamen falsi nocentisque suggestione liberum corrumpit arbitrium, ne meliora seligat, sic incidit in crimen raptus, vt is qui virginem ad inhonesta blando sermone perduxerit.

COGNITIO. Afflictio dat intellectum, tollit secundis in rebus voluptas, inducit enim in
E peccati cæcitatem, & qua ratione cæcutiens, emerget è labyrintho.

VOLVNTAS. Nitimur in vetitum. Ideo libera voluptas aduersis pulsata, fit pertinax in boni proposito, & à malis ad quæ videtur cogi, saltem suos auertit affectus, velut captiua fugæ meditatur occasiones, aliud quam quæ vis extorquet cupiens, fœlicitas autem, cum appetitui hanc sitienti videatur opportuna contingere, dulcius mentem illigat, totos in se trahit animi motus, velut sit à Deo concessum beneficium quod auersari nec natura nec pietas patiatur.

Digitized by Google

VIRTVS. Virtutibus consentire videtur fœlicitas quæ cedit ipsis in præmium, præclaris enim & aurei generis hominibus, secundum Platonem, publicæ dignitates conceduntur, dignitatibus ampliora stipendia, mensa, cultus, apparatus omnis ornatior, & publicos labores abundè reficiens indulgentior voluptas; quis hanc ream putet, quis et illustrem non ambiat, quam non vulgi tantum sed sapientum turba suspicit in Dei vicariis potestatibus. Sic imponit nobis, sic sub titulo virtutis ad se rapit affectus, quos citò facit à virtutibus alienos.

VERITAS. Potentioribus in magna rerum abundantia, quod præcipuum est, scilicet veritas, deficit; sunt enim & sui & rerum, iniquissimi iudices; existimant se supra cæterorum sortem, & fortunæ casus positos; proprium sibi putant, quod precarium est, adscribunt suæ nobilitati vel industriæ, quod ægræ menti dura non patienti, misericors Deus in solatium concessit, superflua vsu sibi fecere necessaria, fortuita credunt sola fœlicitatis humanæ presidia, sic illis totaliter adhærent, contempta probitate, religione, & ad hoc velut summum vitæ bonum per calcatas diuinas humanasque leges anhelant.

GLORIA. Falsum de se, rebusque iudicium hoc, fouetis qui diuitiis, potentiæ voluptati publicè datur applausus, ad hec enim vltro ruit impetus naturæ, trahit turba similium, vox suspicientis populi concitat. Vnde per fas & nefas, per scelera, per pauperum oppressiones, per humanum sanguinem, hic gloriæ titulus quæritur & seruatur; quanto melius est ad hec impia, priuato publicoque bono nocua, per aduersitates impotentem fieri?

DIFFERENTIA. Is quem sic humana fœlicitas extulit, amplius non potest latere; omnium oculis placere debet, omnium suffragia promereri; sic illum obsidet ad prædam occurrentium turba, & nullus sit fugæ locus. Solitudinem in qua nobis & Deo vacare licet, sola præstat aduersitas.

CONCORDANTIA. Parum est inter opinionis mundanæ tenebras mentem luce propria destitui, etiam aliorum salutari caret consilio. Fœlix ille multos habet qui blandiantur, qui vitia pro virtutibus extollant, qui concitent ad extrema, vnde sperent commodum; at de prosperis insolescenti, quis dabit, de temperantia, moderatione, de velis vento nimium fecundo contrahendis, consilium? Id præstare nullus satis securum putat, ne ad vlteriora properantis iras & indignationem pro gratia reportet. Optima quæque consilia quærit & excipit aduersitas, hæc autem auersatur is, cui fœliciter ex votis succedunt omnia, quid mirum si malis permixtus corrumpatur, si procul à bonorum auxilio, mens cupiditatibus suis relicta, pereat.

CONTRARIETAS. Plus nocet occultus ex insidiis, veneno potius quam gladio sæuiens hostis. *Vide Cognitio Contrarietatis. Rep.* Sic hominibus plus infert damni, sensibus blandiens fortuna quã illos oppugnans aduersitas. Caro cõcupiscit aduersus spiritum, igitur spiritui maximè contraius est is vitæ status, qui carni nobis hostili, fœdere iungitur, qui sensibus vltra modum indulget. Nam eos in seruitutem redigere, tam expedit virtuti, vt si desit externa necessitas, eam sibi libera rerum abdicatione fortiter imposuerit, prophana sacraque philosophia.

PRINCIPIVM. A voluptate vita ducit originem, suos habet ætatis profectus, sua laborum stipendia, fortiter gestorum præmia, pueros nutrit, adolescentes excitat, viros reficit, senes fouet & coronat voluptas, vt merito censeatur, principium, medium, finis humanæ vitę. Tot titulis, & præscriptione quadam ius in nos sibi vindicat summum, vt nisi carentiæ necessitatem, virtus vel fortuna fecerit, vix ratio valeat in libertatem restitui.

C

MEDIVM. Diuitiæ, dignitates, amicorum copia, sperati rerum successus, sunt vitæ naturalis subsidia, spiritualis impedimenta. Ex ægritudine periculosa fractis adhuc viribus resurgenti dapes parcissimè conceduntur, nec præscriptæ diætæ lex hunc sedere permittit in conuiuiis; in quibus facilis est ad prohibita lapsus, abstinentia, obiectis irritata, difficilior. Fauet prosperitas cupiditatibus, quas coërcet aduersitatis fœlix necessitas.

FINIS. quem intendimus spiritualis est, & per sanctitatem à sensibilibus defæcatam obtinetur, auertit igitur ab ea temporalis fœlicitas, vnde dixit Christus difficilè diuitem intrare in regnum cœlorum; arcta quidem, sed compendiosa, securior, minus periculis infesta via quæ ducit ad vitam.

D

MAIORITAS. Vires animi non partiuntur tantum sed opprimunt, maximæ rerum temporalium administrationes. In his sæpius ad crimina propellit, præsumpta iustæ defensionis necessitas: trahit auida nouitatis ambitio, vnde rara fit in dominantibus probitas. *Vide Virtus Potestatis. Repug.* Plurima moliuntur, in pluribus etiam aberrant, qui plura possunt.

ÆQVALITAS. Mundana nesciunt in æquali gradu consistere siue spes accendat, siue casus minetur fortuna, vocat ad certamen, & ad vim, vt plurimum iustitiæ contrariam: quo plus igitur mundanæ fœlicitatis est, plus est contentionis, plus passionum & vitiorum.

MINORITAS. Humiles non inflatos excipit angusta cœli via, hanc docuit Christus abdicata fœlicitate temporali sequendam: cur fides non habetur primæ veritati, & quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

ÆQVALITAS GLORIÆ.

ÆQVALIS REMVNERATIO ET HONOR.

INSIGNIA quibusdam dignitatibus propria quæ ferunt eadem præditi dignitate. Vt plures serui ferunt eadem insignia, sibi à domino suo concessa. *Vide Æqualitas Maioritatis.* A

Vna persona Trinitatis non potest adorari aliis seclusis, quia vna est essentia, & vnus Deus. Bonac. ins. præcept. decalogi. Tres personæ debent adorari vna adoratione secundum illud quod dicitur in symbolo. qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, quia in tribus personis est eadem essentia & maiestas Dei. Vnus creator, vna latria adorandus & licet vt in Litaniis oratio dirigatur ad vnam personam, non debet tamen aliam excludere, sed includere sub diuersis conceptibus celebratur diuina bonitas. Perbartus in rosario theologico, verbo adorare.

Qui alium ad virtutem promouet particeps est gloriæ virtutis. *Vide Medium Virtutis.* Admonitio.

HONOR MVTVVS.

INuicem honore præuenientes. Roman. 12.10. cui honorem honorem.

Episcopi sacerdotes se esse nouerint, non dominos; honorent clericos quasi clericos, vt & ipsis à clericis, quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitij Cur ergo te inquit, habeam vt principem, cum tu me non habeas vt senatorem. Non dominantes in clerum, inquit Petrus, sed facti forma gregis ex animo. D. Hieron. ad Nepotian.

Vide Magnitudo Concord. humaniter cum omnibus conuersari.

MINORITAS GLORIÆ.

MORTIFICATIO SENSVALIS DELECTATIONIS.

CERTIS gradibus ad Deum ascenditur. *Vide Duratio Virtutis. mora.* Frustra igitur ad conspectum Dei tendit, qui vitiorum contagia non declinat. Spiritus namque Dei effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Cassian. collat. 14. cap. 2.

Confitemini domino in cythara, in psalterio decem chordarum psallite illi. psal. 32. Idest corpore & mente: primum corpore propter quod peccauimus id significat cythara quæ ab infernis partibus incipit tangi & resonare, tum in dechordo, quod incipit à superioribus, ita per ascensum & descensum laudamus Deum. D. Basil. in psal. 32.

Inuicem sibi aduersantur velut acie composita, & æquis viribus caro, & spiritus, ex duobus præualebit cui feres auxilium proinde si mentem cupis reddere validam, fac carnem domes ieiunio, ita dicit Apostolus, quantum externus homo corrumpitur, tantum internus renouatur. Id. homil. de ieiunio.

B Hostiarum quæ pro peccato fiebant, sanguis quidem altaribus inferebatur; corpora autem extra castra comburebantur, quia nemo intra mundi huius vitia positus, peccatum deponit; nec sanguis eius acceptus est Deo, nisi de corporis eius exeat inquinamento. D. Ambros. epistol. lib. 3. epist. vlt.

Scipio in Hispaniam missus, eodem temporis momento, quo castra intrauit, edixit, vt omnia quæ voluptatis causa comparata erant summouerentur; sic abierunt institores, lixæ, scorta, hac turpi sentina vacuatus exercitus, erecta virtute, vires resumpsit. Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1.

C Sapiens dominabitur astris. Idest sapiens homo, qui secundum diuinam sapientiam in imagine viuit, is dominatur astrali, & elementari corpori. Paracelsus lib. 1. philosophiæ sagacis.

Motor cœlestis est separatus à materia. *Vide Virtus Differentia.*

Platonici formas omnino separatas asseruerunt, aliæ quo magis sunt coniunctæ materiæ, eo minus dicebantur formæ, sed materiæ immersas, imagines appellauerunt. Albert. Mag.

Digitized by Google

tract. 1. de intellectu & intelligibili. cap. 8.

Vt arbor redeat in iuuentutem debent abscindi veteres eius rami *Vide Finis Minoritatis.* De continua mortificatione. *Vide Duratio Contrarietatis.*

In agris noualibus idest, qui primum ad culturam reducuntur, magnum debet esse studium extirpandi stirpes syluestres, quarum radices omnem sugerent humorem agri.

Voluptas mentem auocat. *Vide Virtus Differentia.* virtus in secessu.

Nullum animal à natura creatum est ad voluptatem. equus non fungeretur officio suo, nec laudaretur quod benè ederet, biberet, pinguesceret in ocio; multò minus laudari debet homo ex voluptate.

Mel ideo in sacrificiis non adhibetur quia pietati non conuenit sensuum voluptas. Theodoret. in Leuit. quæst. 1.

Artifices qui versantur circa artes necessarias, magis laudandi sunt quam qui circa voluptuarias. Vide Chasseneum in catalogo gloriæ mundi parte 11. considerat. 38.

De omni mortificatione Aluarez. tom. 2.

Apostolus Romanorum 12. Obsecro, inquit, vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam. Oinauditum Christiani Pontificatus officium, quando homo sibi ipse est & hostia & sacerdos; quando homo non extrinsecus, quod Deo est immolaturus inquirit, sed quod in se & pro se est, Deo sacrificaturus appareat. Hoc sacrificiū fit ad imitationem Christi, qui corpus suum pro vita sæculi vitaliter immolauit; & verè corpus suum fecit hostiam viuam, quia viuit occisus.

In tali ergo victima mors expenditur, hostia permanet, viuit hostia, mors punitur. Hinc Martyres morte nascuntur, fine inchoant, occisione viuunt; Immola ieiunium, vt voracitas cesset, &c. viuit corpus tuum, quoties à te Deo virtutum vita, vitiorum mortibus immolatur. Chrysolog. serm. 108.

Pithyrion Abbas Thebaïdis dicebat, quodcumque vitium propriæ passionis abieceris, huius vitij Dæmonem poteris etiam de obsessis corporibus effugare. De vitis Patrum lib. 2. & lib. 8. cap. 74.

Vt in mundi creatione factus est dies secundus diuidens aquas ab aquis, superiores ab inferioribus, sic in hominis renatione, primo fit lux fidei, deinde separantur spiritualia à temporalibus, habens rerum discretionem. Petrus Damiani lib. 2. ep. 5.

Idem lib. 4. epist. 15. Pentapolim, idest quinque ciuitates igne cœlesti exustas dicit esse quinque sensus; & contra eos pugnandum, sicut contra 5 reges Madianitarum. de quib. nu. 31.

Non relinquit omnia vt sequatur Christum, nisi qui seipsum relinquit, nullum enim homini onus grauius est, homine ipso, propria voluntas sæuissimus tyrannus. Idem serm. 9.

Debet spiritus in cuius medio Christus, qui lux mundi est, portatur, sacer esse, vti sacerdos gestans signum victoriæ militiæ Christi, quæ est victoria fidei, mundum vincens, debetque lucere, vt ardentes candelæ, in amore puro, & lætitia spirituali. Card. Cusa excitat lib. 4. cap. 4.

Vis vegetatiua vitæ quæ in grano abscondita est, per mortem grani non moritur, sed magis expanditur, sic mors Christi produxit vitam, & similiter in nobis mors sensualitatis. Id. lib. 6. c. 7.

Amor diuinus eleuat nos à terrenis. *Vide*

A *Potestas Voluntatis.* Vis amoris diuini.

Sicut speculans claudit oculos, vt videat intellectu, sic delectationem intellectualis vitæ quærens; fugit mundanam, quam nisi mortificet, non assequitur intellectualem seu cœlestem quam mundus capere nequit, quia eam nec scit, nec cognoscit, neque scire potest. Idem. lib. 7. c. 23.

Deus dicitur ignis deuorans, atque consumens vt enim ignis tollit à ligno humiditatem, quæ est sedes vitæ vegetatiuæ, deinde separat terreno fœculentiam, & demum elicit aëreum vaporem, in quem immittit spiritum suum lucidum & calidum. Sic spiritus Iesu cœlestis purgat animas à terrenis concupiscentiis. Ibid. cap. 33.

Per gaudia mundi inficitur organum mentis, vt

B cœlestia non gustet.

Quicumque in seipso superbiam mactat, vitulum occidit, qui iram sternit, arietem necat, qui libidinem hircum, qui vanas cogitationes, aues, corpus sic mortificatum est hostia viuens, & dicere possit, semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes. Ibid. lib. 9. c. 15.

Christo confixus sum cruci, inquit Apostolus, qui crucifixus est, non cogitat amplius de rebus & concupiscentiis mundanis, sed de alia vita ad quam moriturus est. Ib. lib. 10. cap. 4.

Non oritur flamma in lignis viridibus; nisi eiectis contrariis humoribus & ipsis intensè calefactis, tunc enim superuenit flamma illuminans. Ibid. cap. 9.

C Dicit Christus confidite, quia ego vici mundum, qui vult ergo habere pacem & à pressura mundi liberari, necesse est quod ad Christum confugiat victorem mundi, & ille ad Christum recurrit, qui mundum derelinquit, mundus est sensibilis vita in sensu est aduersitas & pressura, in veritate pax Ibid. cap. 10

In eodem monte Moria in quem perrexit Abraham vt immolaret filium, postea ædificatum est templum Salomonis. Mortificatio gratum Deo sacrificium.

Angelus vi retentus donec benediceret Iacob, tetigit neruum femoris eius, qui emarcuit, itaut

D claudicaret Gen. 32. Non amplius rectò ambulant in via mundana, qui cœlestia degustarunt.

Moyses iubetur de pedibus soluere calceamentum, de pelle mortui animalis factum, alioquin videbatur comburendus ab igne. Rupert.

Alimenta omnia debent priuari propria vita qua sibi viuunt & augentur, antequam alteri viuenti sint in vsum Moriuntur plantæ & animalia antequam in nostram transeant substantiam.

Omnibus fidelibus dicitur. 1. Pet. 2. vos genus electum, regale sacerdotium, & Apoc. 5. quoniam fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes; altare illorum fides est, sanguis quem fun-

E dunt, est voluntas carnis pro Christo trucidata, vt in tabernaculo eius ritè possint consistere Rupert. in leuit. lib. 1. c. 5.

Gedeoni frumenta purganti, apparuit Angelus, qui dixit illi, salue virorum fortissime. Iudicum, 6. frumentum virga cædete, est rectitudine iudicij, à vitiorum paleis, virtutum grana separare, Rupert in iudic. lib. 1. c. 9. meretur domini visitationem, & fortitudinis laudem, vnde ex ingenti militum multitudine eos tantum trecentos probauit non qui genu flexo, idest commodé aquam fluminis bibebant, sed qui manu acceptam, instar canum prætereundo lingebant.

Vaccæ fœtæ quæ deferunt arcam domini, mu-

giunt quidem propter vitulos domi relictos, tamen non deflectunt à via. 1. Reg. 5. sentiuntur quidem affectus naturales, sed superantur. Rupert.

Ex doctrina Platonis 7. de Republ. ens immateriale est verè ens.

Ad pulchrum requiritur recessus à materia, nam materia est informis, tenebrosa, vnde plus est infamiæ in peccatis quæ deprimunt magis ad materiam; vt turpior est incontinens concupiscentiæ, quam iræ. Arist. 7. ethicor. c. 6.

Ne quis in Ecclesia votum suum cantando, bibendo vel lasciuiendo soluat; quia Deus talibus votis, irritatur potius, quam placetur. Concil. Aurelian. II. can. 11. an. 533.

Concil. Aruernense can 7. prohibet ne supellex Ecclesiæ sacra, ad nuptiarum ornatum vsurpetur; nam pompa sæcularis luxuriæ, hæc sacris deputata, polluitur, habetur de consecr. dist. 1. can. ad nuptiarum.

Vt corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur. Concil. Turon. II. can. 3.

Vide Æqualitas Contrarietatis. Vim vi repellere.

In homine quodammodo sunt omnia, & ideò secundum modum quo dominatur his quæ in ipso sunt, secundum hunc modum competit ei dominari aliis.

Albert. Mag. de mineralib. lib. 3. cap. 9. dicit veram metallorum transmutationem non posse fieri nisi corrumpatur forma imperfecti metalli, expurgetur sulphur & argentum viuum in eo existens, & tunc in materia conuenienti ministerio artis inducitur forma auri. Sic operante gratia cœlesti virtus. Alchimia per hunc modum procedit, scilicet corrumpens vnum à specie sua remouendo & cum iuuamine eorum quæ in materia sunt, alterius speciem inducendo.

In sacrificiis offerebatur thus, cuius terra materia consumpta, vapor & id quod erat in eo magis subtile sursum eleuatur, vt consumptis sensuum cupiditatibus, mens eleuatur in cœlum.

Omnia penè in sanguine secundum legem, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Heb. 9. v. 22.

Monachi nominantur, quorum occupatio est, vt ante obitum migrent è corporibus, & viuentes sint mortui, & sobrio quodam furore transeant ad præstantiora idest ad res diuinas ex D. Dyonisio Suidas in voce μοναχός

Vide Bonitas & Potestas Contrarietatis, vis quid efficiat, sic peccata voluptate contracta, dolore sanantur.

Vide Veritas Virtutis. Puritas in oratione.

Herculis statuam Græci effingebant sinistra manu tria mala gestatem quæ claua conquisiuisset dracone interempto idest sedationem iræ, auaritiæ, venereæ libidinis: ita per Herculem, sapientem designant. Rhodigin. lib. 6. cap. 7. Suidas in voce ...

Qui corpus tantum curant, animum negligunt, similes sunt alicui qui optima sibi compararet organa neglecta arte his vtendi, nam vt ait Plato, tantum corpori indulgendum, vt philosophiæ ministerium præstare possit, Id. lib. 21. cap. 10. Rhodigin.

Narcissus amore formæ suæ in fonte lucido captus, & sic desiderio mortuus significat mentis suæ amore captum, vitam corpoream relinquen-

A tem. Id. lib. 26. cap. 21.

Pœnitentia dicitur quasi punientia eo quod homo in se puniat, quod malè admisit, eo quippe modo sibi non parcentibus ille parcit, cuius altum iustumque iudicium nullus contemptor euadet. Isidor. Origin. lib. 6. cap. vlt.

Sanctus veteri consuetudine appellatus, eo quod hi qui purificari volebant sanguine hostiæ tangebantur, & ex hoc sancti nomen acceperunt. Id. lib. 10. littera S.

Extrema vnctione inunguntur ægroti in partibus sensualibus ex quibus origo peccati, vt oculi pro peccato visus, aures propter auditum, nares ob odoratum; os propter gustum; manus propter tactum, pectus propter appetitum, pedes propter motum.

B In suprema ac cœlo proximiori sede, Deus caput hominis, cerebri arcem, ac rationis regiam constituit, vt hoc modo regina anima passionibus humiliori loco constitutis dominaretur, & facilius illæ eius imperata capesserent, & rationis clauo ducerentur.

Bion omnes delitiis deditos, vt ad scientias inhabiles repudiabat. Laert. lib. 6. cap. 7.

Terra non apparet nec fructificat nisi cum congregantur aquæ in locum vnum, idest cum relinquuntur carnalia carnalibus & vitia corporis quæ sunt materia peccatorum. Orig. hom. 1. in Gen.

C Quid mihi prodest si vniuersum mundum sibi Christus subiecit, & potestatis tenebrarum ciuitates possedit, si non & in me aduersarios suos vincat si non destruat legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ sic enim de parte eius efficimur. Idem. homil. 9. in fine.

In vtero Rebeccæ dissident Esaü & Iacob duæ gentes, maior seruiat minori, sensus rationi & religioni. hom. 12.

Ligna imputribilia quæ offeruntur ad constructionem tabernaculi, significabant puritatem virginitatis. Id. homil. vlt. in Exod.

Idem. homil. 3. in Leuit. 5. illud quod de iuramento seruando quod factum est de malo faciendo, interpretatur de voto emisso ad castigationem carnis cui id malum est, sed spiritui bonum, qui

D id promisit & non facit, peccati reus est. Ego occidam carnem scilicet, & viuere faciam, percutiam & ego sanabo.

Qui de rebus sacrorum ministerio deputatis aliquid surripuerit reddet quintuplũ & immolabit arietẽ Leuit. 5. Qui quinq; sensibus abusus fuerit, duplicata pœnitentia satisfaciat, & illos Religioni primũ dicando, tum superaddẽdo alios quinq; scilicet internos sensus, per quos mũdi corde effecti Deum videmus, aures quæ vocem Dei percipiant, oculos ipsum videntes, odoratum quo post ipsum currimus, &c. Ibid. Immolatur aries cum etiam innocens carnem suam castigat.

Leuit. 7. in eodem loco iugulatur holocaustũ & hostia pro peccato, vt intelligas mortificationẽ & pœnitentiam sanctam esse. Idem homil. 5 in Leuit.

E In sacrificio quod offerebatur pro peccato, nec oleum lætitiæ ei, nec thus Suauitatis imponitur. Leuit. 7.

Si renuntiem omnibus quæ possideo vt sequar Christum, si tradidero corpus meum & assequar gloriam martyrii; si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificauero, si mihi crucifixus sum & mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei, & ipse meæ hostiæ sacerdos efficior. Origen. homil. 9. in Leuit.

Leuit. 16. obseruantibus legem Dei promittitur: persequimini inimicos vestros, & cadent in conspectu vestro in morte: Cuius morte, ergo arbitror quod nostra, si enim mortificauerimus membra nostra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, si iustus sis, cadit iniustitia, &c. Ibid. homil. vlt.

Octaua festiuitas Iudæorum erat expiationis seu cenophegia nona, tunc in tabernaculis habitabant & affligebant animas suas, quasi essent incolæ & peregrini in hoc mundo.

Dixit Christus pacem meam do vobis, & non vos deffendentes charissimi 1. Corinth. 6. Itaque non legerentur in Ecclesia libri de bellis filiorum Israël, nisi significarent animæ certamina contra spirituales nequitias. Induite vos arma Dei, vt possitis stare aduersus astutias diaboli. Eph. 6. Origen. homil. 15. in Iosue, citatur à Gratiano ex D. Gregorio. 23. q. 1. can. 1.

Mortificatio est quædam pœna talionis: sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, &c. Roman. 6.

Iudic. 7. Gedeonis milites probantur tantum qui aquam fluminis manu haustam lambunt, non qui vt bibant genu flectunt per transennam fruendum terrenis, sic transeundum per temporalia vt non amittamus æterna.

Deus charitas est. Ioa. 16. & hæc charitas quæ Deus est, cum in aliquo fuerit, nihil terrenum, nihil corruptibile diligit, contra namque naturam est ei, corruptibile aliquid diligere, cum ipsa sit incorruptionis fons, ipsa est enim sola quæ habet immortalitatem D. Hieron. prologo in cantica.

Cum caro sequitur legem spiritus, duo consentiunt super terram & quod petitur concedit Deus Origen. tract. 6. in Mathæ.

Corpus ex se malum non est, sed aptum à Deo factum animæ instrumentuum quod temperari debet ad rationem, quæ est ars veræ vitæ. *Vide Principium Minoritatis.* origo peccati.

Sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Roman. 8. idest quandiu manet sapientia carnis, ac si diceret malitia non potest esse modestia, neque scelus virtus. D. Chrysost. homil 13. in epist. ad Roman. qui in carne sunt Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Rom. 8. non permanebit spiritus meus in hominibus, quia caro sunt.

Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, acceptam Deo. romanio. quomodo inquies corpus hostia fiet? Nihil mali respiciat oculus, & factus est hostia; nihil turpe loquatur lingua, & facta est oblatio; nihil iniqui committat manus, & facta est holocaustoma, ab immundis munda membra etiam ad opera bona procedant, manus det eleemosynam, os pronuntiet benedictionem &c. Ibid. homil. 20.

Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. 1. Cor. 9. eos enim qui decertant non licet inebriari, scortari, ne vires dissoluant. Id.

Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Coloss. 3. Id. fit cum auris nihil audit ex his quæ hic dicuntur, sed ex iis quæ sunt in cœlis, quando oculus nihil videt ex iis quæ sunt hic, sed quæ supra, quando terrena os non loquitur, manus non operatur, &c. D. Chrysost. hom. in epist. ad Coloss.

Potest offerre Deo sacrificium martyrio simile, si cum posset, dilicatè viuere laboriosam & acerbam vitam eligis, igne voluntariæ paupertatis cupiditatem pecuniæ consumendo, olim ignis de cœlo descendens victimas consumebat, hic longè admirabilior, proposita non consumit, sed in cœlum tollit, sic orationes Cornelij dicuntur ascendisse in conspectu Dei. Id homil. 11. in epist. ad Hebræos.

Plutarchus in problematibus dicit auguria quæ occurrunt nobis à dextris esse infœlicia, quia mittuntur à sinistris cœli. Sapientia mundi est stultitia apud Deum.

Dum è semine res prodit, non præcedit aut comitatur vlla seminum corruptio. Solecismus enim est, in verbo & re, seminum promotiones, perfectiones & maturitates, corruptionem æstimasse. Van Helmont tractatu magnum oportet. Sic non est mors cum ex ratione incipit vita.

Abbas Moyses dicebat, ieiunia, vigilias, nuditates & similia non esse perfectionem, sed perfectionis instrumenta. Tostat. in Mathæ. to. 5. 135.

Postes Hebræorum agni sanguine linitæ, eos ab Angelo percutiente immunes effecerunt: externa mortificatio confert ad salutem.

Beatitudines, de quibus Matth. 5, scilicet paupertas spiritus, mititas, & luctus militant contra vitam voluptuosam. Tost. Matth. to. 2. f. 65.

Chrystus & Ioannes inceperunt prædicationem suam a pœnitentia Id. Math. to. 1. 260.

Quilibet homo est quodammodo duo, quia ratio frænat sensum. *Vide contr. Conc.* Bellum ciuile.

Artis philosophicæ negotium est, vt reddat corpus animi versatile vehiculum, validumque ad eius obeunda præcepta, & ad id vtitur gymnastica. Maximus Tyrius serm. 21.

Templi restauratio, quasi cum lachrymis fiebat & dolore magno, quia vna manu ædificabant & altera tenebant lanceam contra hostes. Tostat. gen. fo. 24.

Vt se Christus effecit hostiam Patri æterno; sic in eandem sortem nos vocat, vt simus vnum cum ipso interno spiritu & externa rerum omnium concupiscentiæ & vitæ mortalis abdicatione.

Mortificationem & crucem Christi in corpore suo circumferunt Religiosi; sepulturam per solitudines vt mereantur cum eo resuscitari; vt quèadmodum Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus Rom. 6. vita humana Christi absorpita erat in gloria, vt ferrum in igne. Sic intimus Dei sensus nos euocet à corporeis ad diuina, & in illa nos transformet. In nobis autem vt in Christo, mortificatio præcedat resurrectionem. Per mortem veniendum est ad vitam.

Quæstio. Piscatores piscantur pisces ad mortem & corruptionem. Cur ergo Dominus illis Apostolos comparat? Respondetur qui ab Apostolis capiuntur, mori debent ab anteacta in peccatis vita, addidit autem eos capi ad vitam, vt quod deerat exemplo, suppleret. Iustinus Martyr. quæst. 20. ad orthodoxos.

Mortificatio prodest ad adipiscendas scientias. *Vide Virtus Cognitionis.* Scientia cum pietate.

De mortificatione ad imitationem Christi. *Vide Concordantia Principij.* Christi imitatio.

In valle miseriarum positi sumus vbi eo magis flendum est, quo minus flemus, vndique sunt pericula quibus nos exponit voluptas

voluptas; ab ea itaque diligenter caueamus: nec enim Deus hominem eiecit de paradiso, vt hic alium faceret paradisum, sed vt operaretur in sudore. Tempus præsens, est quædam solemnitatis æternæ vigilia; quæ non est tempus deliciarum; fallax suauitas in temporalibus. *Vide Veritas Gloria Repug.* Christus contempsit voluptates & contemnendas docuit quisquis aliud suadet, ab eo tanquam à seductore cauendum est. Laurent. Iustin. tract. lignum vitæ.

Sex potissimum sunt, quæ incorruptam castimoniam custodiunt, 1. sobrius victus, ne augeantur vires hostis nostri 2. labor moderatus. 3. habitus asper & vilis. 4. custodia sensuum. 5. charitas sermonis cum honestate. 6. euitatio opportunitatis peccandi scilicet personæ, loci & temporis. Ibid. de continentia cap. 5.

Quo curatius est corpus, hoc animus negligentior; quo mollius fuerit habitum, animo magis reluctatur.

Angeli non habent corpus. Vide quæ scripsi theolo. natura to. 2. parte 2. cap. 5. Sensuum mortificatio est necessaria Christiano. Moralis Christiana. to. 2. parte 1. cap. 28. Mortificatio est necessaria etiam iis qui secularibus implicantur negotiis l. de agente Dei in humanis. parte 3. cap. 21. Religiosis est necessaria lib. de fœlici successu & triumphis vitæ religiosæ parte 3. cap. 5. perfecta multum iuuat ad contemplationem. lib. de institutione & officiis religiosi. parte 1. cap. 20. 21. 22. 23.

Amor Dei mortem infert sensibus libello de amore Dei patiente c. 3. breuis & facilis est hæc mortificationis methodus. Ibid. cap. 6.

Magi vt stella duce peruenirent ad Christum, reliquerunt Persidem terram propriam; & nos recedamus à terrenis negotiis & curis. D. Chrys. hom. 7. in Matth.

Opera mortificationis sunt vera miracula. *Vide Bonitas Virtutis.*

Externa voluptas, nocet animæ. *Vide Maioritas Gloria Mala.*

Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur animæ verò suæ detrimentum patiatur. Matth. 18. quid lucraberis, si dum seruos tuos magnificis dapibus deliciosè viuere doceas, tu extremo inediæ malo, debilitatus iaceas. Id ipsum ad animam tuam transfer, cum deliciaris corpore, & magna rerum affluentia ditaris, esuriente anima, & extremam expectante perditionem. Quid autem dabit homo in permutationem pro anima sua? Matth. 18. vt enim Rex ægro corpore, morbum suum, non leuabit & sanabit aliis corporibus quæ sunt sub ditione sua; multo minus animam suam ægram & peccatis perditam aliam pro ea dare non poterit. Noli igitur de alienis curare, & tua negligere, quod multi faciunt. Nihil ancillæ voluptas mœrenti dominæ aliquid confert, nec vestis magnificentia imbecillitati corporis, &c. D. Chrysost. homil. 56. in Matth.

Repudiatur in contemplatione anima, quę adhuc in animali statu posita est, dicente Domino ad Mosen, bestia quæ tetigerit montem lapidabitur. Deus nempe spiritus est, qui non ambulat in spiritu, spiritualia non discernit, neque de spirituali alimento. Laur. Iustin. lib. de casto connubio verbi & animæ cap. 19.

Perseus filius Iouis occidit Gorgonem terrenum gigantem, sic translatus est in cœlum: virtus Religiosa seu sanctitas terrena superat. Leo Hebræus dial. 2. de amore.

A Audi Apostolum, Caput, inquit, mulieris vir, caput viri Christus, mulier hæc sensualitas tua; quæ rationis regimine indiget, quoniam non valet per se, huius tu constitutus es caput vt per te instruatur, per te ducatur, per te cohibeatur ab iis quæ non licent sibi, & Domini lege prohibentur; hæc habet appetitus suos qui diuinæ legi aduersantur hos comprimere debes, ne abutens dignitate tua spolieris; ascende igitur super tribunal tuum rationale, &c. Laurent. Iustin. de interiori conflictu. cap. 7. caput tuum Christus te doceat, te dirigentem sensus dirigat, &c.

Lauabo per singulas noctes, lectum meum; Lectum delectationem corporis intellige. Alcuin.

B Deus iussit Israëlitas debellare gentes quæ terram promissam occupabant, antequam in illam eos introduceret, alioquin nulla illis erat speranda requies: nullus potest esse spiritualis profectus, nisi sensibus mortificatis, &c. Laurent. Iustin. de vita solitaria. cap. 7.

Rex est qui corpori dominatur. *Vide Veritas Potestatis & Potestas Virtutis.*

Confige timore tuo carnes meas. Psal. 118. Omnia carnis nostræ vitia, sunt configenda cruci Domini. D. Hilar.

Difficile, imo impossibile est, delitiis & voluptatibus affluentes non ea cogitare quæ gerimus; frustraque quidam simulant, salua fide, pudicitia & integritate mentis, se abuti voluptatibus cum contra naturam sit, copiis voluptatum sine

C voluptate perfrui, ita dicit Apostolus quæ in delitiis est, vidua viuens mortua est. D. Hieron. lib. 2. aduersus Iouinianum.

Non videbit me homo & viuet; vita scilicet sensuali, sed illi moriendum est. D. Bonauent.

Per omnes sensus homo potest venenis infici oculis lipitudine, auditu per fascinationes, Odoratu, vt fumo carbonum, Tactu applicatis nociuis. Tandem tangere gustu quod facilè fit. Vide Zachiam medic. lib. 2. tit. q. 12. Intrat mors in animam per fenestras idest quinque sensus.

Oportet mundo & sibi mori vt Christum imitemur. Vide quæ scripsi moralis Christiana, to. 1. parte 1. cap. 15.

Constitues eos principes super omnem terram, dominando passionibus quæ diuersis populis do-

D minantur.

D. Hieron. ad Pammachium de erroribus eorum qui credebant in resurrectione corpora futura tantum aërea, non carnea. Non contemno inquit, carnem in qua Christus natus est & resurrexit, non despicio lutum quod excoctum in testam purissimam, regnat in cœlo & tamen miror, cur carni detrahentes viuant carnaliter, & inimicam suam foueant, & nutriant delicatè, nisi fortè implere volunt scripturam dicentem, diligite inimicos vestros. Amo carnem castam virginem, ieiunantem, Amo carnis non opera sed substantiam, Amo carnem quæ iudicandam se esse nouit. Amo illam quæ pro Christo in martyrio cæditur, laniatur, exuritur.

E Supremum operimentum tabernaculi erat ex pellibus hyacinthinis seu cæruleis, quia sensus debent in rationabilem & cœlestem quendam modum subleuari. Rusbroch. de tabernaculo fœderis cap. 14.

Mortificatio

MORTIFICATIO VISVS.

QVintil. declam. 1. de filio cæco qui accusatur patrem occidisse, dicit amissam cum oculis cogitationum omnium temeritatem, temeritas omnis animorum calamitate corporum frangitur. *Vide Minoritas Cognitionis.* Cæcitatis consolatio.

Vide Potestas Cognitionis. Fascinatio oculorum.

Amictus quem imponit suo capiti sacerdos, repræsentat velamen quo Christi oculi fuerunt tecti, & illud auerte oculos meos ne videant vanitatem. Bonac. de ordine. *Vide Cognitio Virtutis. Rep.* Velata pulchritudine.

De humili veste. *Vide Maioritas Gloriæ.* Et *Cognitio Virtutis. Rep.*

Vide Bonitas Cognitionis. De legitimo vsu oculorum.

Ex occursu placens pulchritudo in oculis velut in foribus animi consedeat, vlterius non penetrans. Maxim. Tyrius serm. 9. in fine.

Lasciuiunt oculi, nisi licentiam illis adimas, & subacta ratione insolescit amorum impudentissima tyrannis. Ibid. serm. 10.

E Christiana domo proiiciendæ lasciuæ imagines. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in humanis, parte 3. cap. 18.

Optimam esse mortificationem oculorum docet natura per verecundiam. *Vide Cognitio Minoritatis.* Verecundia.

Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Matth. 5. idest qui concupiscentiam, videndi curiositate sibi ipsi collegerit, quique nullo omnino cogente quiescenti animæ feram citò immiserit; cohibuit aspectum, ne huiusmodi licentia fidens, in peccatum quandoque corrueres; sic minamur pœnas puero gladium tenenti, ne seipsum lædat. D. Chrysost. hom. 17. in Matth. Quid igitur respondebimus de his qui ausi sunt cohabitare virginibus? Huius sanctione legis mille sunt adulteriorum rei, quotidie illas ad concupiscendum videntes. Ideo Iob 13. pactum pepigit cum oculis suis vt non cogitaret de virgine; nam videndo, hostem facimus contra nos fortiorem. Ita ne forniceris oculis, ne per hoc animo forniceris. Ibid.

Neque oculi tui, neque cor bonum est. Hier. 22.

O quantis concupiscentiarum sagittis ex inordinato oculorum aspectu, imprudentis transfigitur cor, transmittunt enim effrænati intuitus ad animum corporearum formas rerum, atque concupiscibilium qualitatum imagines, suaque importunitate, internam diuidunt vnitatem, sanctos dissipant cogitatus, animi rigorem debilitant, tepefaciunt caritatem, compunctionem minuunt, deuotionem fœdant, pacis tranquillitatem turbant. Hinc cogitationum inordinatio, phantasmatum numerositas, polluta oratio, dormitans intentio, proficiendi defectus, mentis euagatio, libidinis spurcitiæ. Vnde Propheta, auerte oculos meos ne videant vanitatem, &c. Laurent. Iustin. de vita solitaria cap. 7.

Aspexit Eua vetitam arborem, & fructum eius concupiuit. Vidit Dauid mulierem lauantem se, & concupiuit. Membrum est oculus lubricum, instabile, semper noua inspicere cupiens, A & inspecta repetere; huc illuc reflectitur curiositatem suam implere volens, nec valens: vacantis animi sibi connectit ignauiam, in propatulo rerum expositus mentis intentionem rapit, dissipat prudentiam, cogitationes sine intellectu reddit, nisi subiiciatur sapientiæ iugo. Id. opusc. de perfect. gradib. c. 4.

Quosdam legimus effodisse sibi oculos, ne per eorum visum à contemplatione philosophiæ auocarentur. D. Hieron. lib. 2. aduers. Iouinia.

B

THEATRI VANITAS & pericula.

QVotidie nobis dæmon insidiatur, peccamus cum periculo æternæ salutis, quia mors incerta semper imminet, lachrymis tantum pœnitentię promittitur remissio, inter hęc ridemus, theatra sectamur, in quibus impia, inhonesta quæ exprimuntur risu & applausu fouemus quorum sic estis causa, si enim nullus esset talium spectator & fautor, nec essent qui ea dicere aut agere curarent, &c. D. Chrysost. hom. 6. in Matth.

Simulatio hæc adulterii plurimos adulteros fecit, & multas domos subuertit. tamen tam graue malum cum gaudio videtur, risu & applausu C excipitur; morte digni qui quod fugere leges imperant, imitantur. Si adulterium malum est, malum est & eius imitatio, quæ prouocat, impudentes efficit spectatores.

Ibid. hom 7. inuehitur in eos qui in theatro spectabant mulieres nudas natantes.

Si oculus tuus dexter scandalizat te erue eum. Matth. 5. idest si amicus qui tibi oculi dextri loco est, animam tuam lædat abscide eum, & si familiaritate deuinctum abiici lex iubet; qua ratione deffendi possunt qui theatra frequentant, vnde sibi comparant mille perditionis occasiones. Id. hom. 17.

A theatris abstinere est miraculum. *Vide Bonitas Virtutis.*

Perinde est ac si turpia proferres qui his lætaris & gratularis, quomodo virtutem colis, qui hæc audiendo enutriris. Si qui à talibus absunt vix castimoniam seruant, quomodo continenter viuere poterit, qui in his viuit. An ignoratis procliuiores nos esse ad vitia. Cur igitur etiam arte & studio adeo curramus? Non audistis Paulum dicentem Phil. 3. gaudete in Domino; fœculentissimum limum qui in animas vestras risu & auditu infusus fuit, à theatris in domos vestras conducitis, mente seruatis, abominanda admiramini & amatis. His carent barbari, dicentes, Romanos quasi liberis, vxoribus, amicis carerent, tales sibi excogitasse. Id maximè nocet, quod frustra & in cassum tempus consumit, & scandalum aliis offert. Ibidem hom. 39.

E *Quibus theatris & spectaculis interesse potest sapiens. Vide quæ scripsi moral. Christ. tom. 2. parte 2. cap. 8. à theatris & Romantiis abstinendum, lib. de agente Dei in humanis parte 3. cap. 19. & lib. de fœlici successu & triumphis vitæ religiosæ. parte 3. cap. 11.*

Abstinendum à spectaculo credulitatis. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Spectaculum cruoris.

Qui spectaculis adest, idem videtur agere. *Vide Concordantia Minoritatis.*

Digitized by Google

A

AVDITVS MORTIFICATIO.

VT Lacedemonii coquos & ciborum construendorum peritos artifices è ciuitate sua eiecerunt, sic Plato Poëtas, qui vanis & fabulosis animum implent, concentu quodam verborum aures demulcendo; instituit enim Rempublicam honestate & ratione tantum constantem; alia enim voluptas aliam inuitat, quæ vbi semel fluere cœperint, negotium efficiunt, quod nec diuidi potest propter cognationem, nec inhiberi, nec extingui, in quo vnum duntaxat salutis modū inuenias, si voluptatem fonte siccato earum ortum obstruxeris; ratio prior est, qua poëtica aut eloquẽtia & sic antiquiores Respublicas optimis formauit moribus. Maximus Tyrius serm. 7. optima diætę ratio inutilem efficit sibi medicinam, & honesti sensus voluptatem.

De contemptu eloquentiæ. *Vide Maioritas Cognitionis. Mala.*

In Æthiopia sunt multæ barbaræ gentes, inter quas sunt Sanabaræ, apud quos nullum animal quadrupes aures habet. Tostat. Gen. fo. 17.

Musicæ nimius amor veram & perfectam animæ harmoniam disturbat, deiecto penitus ad sensibilia tono. Max. Tyrius serm. 21.

OLFACTVS MORTIFICATIO.

VEspasianus adolescentulum fragrantem vnguento, cum sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam grauissima increpauit; mallem allium oboluisses, litterasque reuocauit. Sueton. in Vespasiano.

Spiritus odoramentis gaudent, & fragrans halitus, nihil est aliud, quam spirituum sacrificium. Paracelsi. lib. de philosophia occulta.

Quia homo cæteris animalibus, habet cerebrum amplius & humidius; ideo solus gaudet odoribus, qui sunt in calido, & sicco, vel humido enchymiali. Albertus Magnus tract. 2. de sensu & sensato.

Anachoreta, audiens mortem cuiusdam mulieris quam existens in sæculo adamauerat, & cuius memoria ipsi negotium faciebat, in cadauer eius corruptum, linteum immisit, & inde fœtida sanie infectum sibi seruauit, in remedium impuræ cogitationis. In vita Patrum.

Omnium animalium homo habet obtusiorem, & minus acutum odoratum, solus tamen est qui odores persequitur voluptatis causa; nam quod dicitur de pardo, illum cætera animalia sequi propter gratum odorem non constat, quia nobis nihil olet; bruta ergo habent odorem quo discernunt vtilia & nociua. Theophr. de caus. plantar. lib. 6. cap. 5.

Ex sacrificiis combustis non exhalabat aliquis fœtor, vel malus odor. Tostat. Exod. to. 2. fo. 93. deuotio obscurabat sensum olfactus.

Odores dicuntur res mortuæ quia cito vanescunt. *Vide Minoritas Durationis.* Inconstantia.

MORTIFICATIO TACTUS. Virginitas.

INitio licuit plures habere vxores vt humanum genus multiplicaretur, id etiam Iudæis permissum fuit, quia lex Moysis non erat vniuersalis, sed data vni populo qui debebat crescere, vt cresceret electorum in ea proficientium multitudo. At lex Christiana est data vniuerso mundo, & longè magis multiplicantur fideles, per cœlibum ministrorum prędicationes, quam per nubentium generationes. Tostat. Matth. tom. 7. fo. 21.

B Quod Christum è Virgine natum credimus, idem apud gentiles fertur de Persæo, qui caput Medusæ abstulit. Iustinus Martyr in apologia ad Antonium Pium Imperat. sic Mineruam a Ioue natam sine concubitu refert.

Ibidem refert multos abstinentes à complexibus in perpetua continentia vitam agere; & extitit, inquit, inter nos, qui vt vobis persuaderet falsum esse quod fertur de promiscua Venere in nostris mysteriis, per libellum oblatum Fœlici Alexandriæ Præsidi, postulauit execari sibi chirurgi opera testiculos, negabant enim eius vrbis medici licere hoc sine permissu Præsidis, cumque Felix noluisset subscribere, iuuenis integritati suæ relictus, contentus fuit sua suorumque conscientia.

C Peccatum originale sublatum est per virginitatem. *Vide Principium Minoritatis.* Origo peccati.

D. Gregor. Nyssenus lib. de virginitate, cum multa, inquit, sint quæ cum virtute gerantur, sola virginitas obtinuit nomen integritatis & incorruptionis. Bonum est incorporeæ, diuinæque naturæ proprium, iis etiam qui cum carne & sanguine viuunt, tributum; ex virgine natus est Christus docens castitatem Dei aduentum demonstrare, in mentibus, quia non amplius venturus est in carne, animi tranquillitatem concedit abstinentia à nuptiis, vnde oriuntur omnes perturbationes. *Vide Gloria Concordantia. Repug.* Onera matrimonii. *Et Differentia Minoritatis.* Fuga

D mali.

Virginitas ars qua subleuantur ad sortem cœlestium & omnem vim amoris, à rebus corporeis transfert ad spiritualis pulchritudinis contemplationem Hanc ideo virtutem diligenter coluerunt, Elias & qui venit in virtute Eliæ Ioannes Baptista; mira præstiterunt, quia omnis expertem materialis affectionis suam cupiditatem in Deo posuerunt. Neque liberorum amoribus, neque coniugum curis, neque cæteris vllis rebus humanis intenti soli Deo vacabant. Continentiam faciliorem efficiet ipsa continentiæ consuetudo; vt non diuisi nec distracti rebus externis Deum vt præceptum est, ex toto corde, ex tota anima diligamus Vir-

E ginitas meritò dicitur incorrupta, & morte potentior quæ caducæ vitæ muneri neque operam præstat, neque fit mortalis posteritatis instrumentum. Sed est illius futuri æui beatitudinis imago quædam, qui vnus cum Deo spiritus effectus est pertimescit cum inferioribus contaminari Nullus potest simul duas artes exercere; vni vacans alteram deserat necesse est ita cum binæ nobis propositæ sunt

nuptiæ, quarum vnæ carnis ope perficiuntur, alteræ verò in spiritu consistunt; studium quod in vnis ponitur, ab alteris nos necessario separat; oculus cœlum & terram simul non videt, lingua simul Græcas & Hebręas litteras non exprimit. Ita spirituales simul & corporeas voluptates assequi nullus potest; Auriga celerem equum non vrget flagello, nec tardum continet fræno, nec ratio pronam ad voluptates carnem excitat, addita etiam eius quadam necessitate.

Maior est in aliquo victoria continentium quam Angelorum; Angeli enim sine carne viuunt, continentes autem in carne triumphant; differuntque in hoc homo pudicus & Angelus; quod Angeli virginitas fœlicior, hominis verò continentia fortior, brutum à concupiscentia rapitur; illi homo resistit vt fiat proximior Deo; nam continentia est amor, ab amore inferioris pulchritudinis nos remouens, & eleuans ad superiorem. Cogitet amator pudicitiæ, quale corpus quod amat, futurum sit in sepulchro? Continentiam qui possidet, habebit pacem in conscientia, lumen in mente, hilaritatem in facie, gaudium in anima, securitatem in morte, & partem in æternitate. Laurent. Iustin. lib. de continentia. cap. 2.

Castitas est à Venere cum Ioue, duobus fœlicibus planetis. Iupiter, Sol & Mercurius sunt castitatis & pudoris authores, Venus & Mars impudentiæ & libidinis. Cardan. Apho. sect. 6. Aph. 74.

Castitas fit vel ex sola stella regia naturæ Iouis & Veneris in ascendente existente. Ibidem Aph. 113.

De castitate Christiana. Vide quę scripsi moralis Christianę tom. 2. parte 1. cap. 29. de planta sensitiua qua non vult tangi ideo dicitur casta. Ibid. parte 2. cap. 4. De voto Religiosæ castitatis lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ, parte 2. cap. 9. & 10. & lib. de institutione & officiis religiosi parte 1. cap. 21.

Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia. Cant.

D. Hieron. epist. ad Demetriadem virginem dicit hanc occasionem scribendi contigisse dum interpretaretur mysteria templi Ezechielis, & sancta sanctorum, ita factum vt de altari transirem ad altare, & hostiam viuam, placentem Deo, ac sine vlla macula æternæ pudicitiæ consecrarem.

Habet & pudicitia seruata martyrium suum. Ibid.

Matronarum maritis ac sæculo seruientium tibi consortia declinentur ne sollicitetur animus, & audias, quid vel maritus vxori, vel vxor loquuta sit viro, venenatæ sunt huiuscemodi confabulationes, corrumpunt enim bonos mores confabulationes pessimæ. Ib.

Euæ dictum est, & ad virum conuersio tua, sit conuersio illius ad maritum, quæ virum non habet Christum. Habeant nuptiæ suum tempus & titulum, mihi virginitas in Maria dedicatur & Christo. Dictum est crescite & multiplicamini, & replete terram, crescat & multiplicetur ille qui repleturus est terram, tuum agmen in cœlis est, tua regio paradisus est, serua quod nacta es, & dic. Reuertere anima mea in requiem tuam; & vt scias virginitatem esse naturæ, nuptias post delictum, virgo nascitur caro de nuptiis, in fructu reddens, quod in radice perdiderat. Sic Eua in paradiso virgo fuit. Laudo nuptias, laudo coniugium, sed quia mihi virgines generant, lego de spinis rosam, de terra aurum, de concha margaritum. Plus honorantur nuptiæ, quando quod de illis nascitur, plus amatur? quid inuides mater filiæ? tuo lacte nutrita est, tuis educata visceribus, in tuo adoleuit sinu. Indignaris quod noluit militis esse vxor, sed regis. Grande tibi beneficium præstitit, Socrus Dei esse cœpisti. Quare non est Domini præceptum de virginitate, quia maioris est mercedis quod non cogitur & offertur; quia si fuisset virginitas imperata, nuptię videbantur ablatæ. Virgo Helias, Heliseus virgo, virgines multi filii Prophetarum; Hieremiæ dicitur, Et tu ne accipias vxorem, sanctificatus in vtero, captiuitate propinqua vxorem prohibetur accipere, ita dicit Apostolus, tempus breue est, &c. Sterilitatis maledicto soluta est per Mariam, & virginitatis donum fluxit in fœminas, quia cœpit à fœmina. Statim vt filius Dei ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet Angelos & in terris; nemo miles cum vxore pergit ad prælium, qui cum vxore est, sollicitus est, &c. Apostolus coniugibus abstinentiam præcipit vt vacent orationi, semper igitur est abstinendum, quibus semper orandum. D. Hieron. ad Eustochium virg.

Idem ad Nepotianum. Sic in fine epistolæ monet eum. Prædicator continentiæ nuptias ne conciliet, cum in Apostolo legat, qui habent vxores, tanquam non habentes sint, cur virginem cogit vt nubat, qui de monogamia sacerdos est, quare viduam hortatur, vt digama sit.

Dicit Apostolus, bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere, nihil enim bono contrarium est nisi malum; si autem malum est & ignoscitur, ideo conceditur, ne malo quid deterius contingat. Quale autem illud bonum est, quod conditione deterioris conceditur. Tolle fornicationes, & non dicet vnusquisque vxorem suam habeat. Veluti si quis definiat. Bonum est triticeo pane & purissima simila vesci. Tamen ne quis compulsus fame comedat stercus bubulum, concedo ei vt vescatur & hordeo: num idcirco frumentum non habebit puritatem suam, si fimo hordeum preferatur. Idem lib. 1. aduersus Iouinianum.

Si virginitatem Dominus imperasset, videbatur nuptias condemnare, & hominum auferre seminarium, vnde & ipsa virginitas nascitur: si præcidisset radicem, quomodo fruges quęreret. Multo labore aurum quæritur, purgatur, in monile conflatur; non ille beatus vocatur qui de luto excreuit aurum, sed qui auri vtitur pulchritudine. Si mors finis est nuptiarum, cur necessitatem non in voluntatem vertimus, & quod inuitis extorquendum est, cur non spe præmiorum offerimus Deo. Adam & Eua ante offensam in paradiso virgines fuerunt, post peccatum autem & extra paradisum statim nuptiæ. Dictum est crescite & multiplicamini & replete terram, necesse prius fuit plantare syluam & crescere, vt esset quod postea posset excidi. Nuptiæ terram replent, virginitas paradisum. At dices si omnes virgines fuerint, quomodo stabit humanum genus? Par pari referam. Si cuncti philosophi sint, agricolæ non erunt, non oratores, non Iurisconsulti, non milites, si omnes caput, vbi membra,

& nequidem caput, cum cætera membra defuerint. Nolite metuere ne omnes virgines fiant, difficilis res est virginitas, & ideo rara quia difficilis. Multi vocati, pauci electi, dicit Christus, qui potest capere capiat. Cur, inquit, si nati sumus in diuerso sexu vt in mutuam ardeamus copulam? sexum probauit Christus circumcisione, similiter & Ioannes, & tamen virgo, in Christum credentes, Christi sequamur vestigia; in resurrectione eadem erit corporum substantia, & tamen tunc nobis Angelorum similitudo promittitur. Virgines qui cum mulieribus non sunt coinquinati, sequuntur Agnum. Apocal. Ibid. multa recencet exempla virginitatis ab antiquis non Christianis excultæ. Dianæ, Vestæ, decem Sybillarum, Vestalium, & inter duodecim signa cœli, quibus mundũ volui putant, virginem collocarunt, magna iniuria nuptiarum, vt ne inter Scorpiones & Centauros vxorem & maritum, non contruserint.

Vt scias semper virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis, & superat voluptates, gentilis quoque error Deas virgines finxit armatas. D. Hieron. ad principiam virginem in expos. Psal. 44. lib. 3. epistol.

Olea plantari & coli debet à virginibus. *Vide Virtus Medii.* Probi ministri.

Specialiter castitatis virtus ab Apostolo, sanctimonia, sanctificatio nominatur. 1. Thessal. 4. hæc est, inquit, voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore, &c.

Arbores altissimæ non generant pullos seu surculos, quia generatio fit ex superfluo alimenti, nihil autem superflui alimenti in prealtis arboribus, sed totum à tanta mole consumitur. Albert. Mag. tract. 1. de vegetabilib. Totus sibi vacat sapiens, non generationi & familiæ.

Virginitas nuptiis præfertur, quia bonum animæ præfertur bono corporis, & bonum diuinum bono humano, & bonum contemplatiuæ vitæ, bono vitæ actiuæ. Dignior est ille status, ex quo Christus nasci voluit. Angeli virgines. Adam positus est virgo in paradiso, & de terra virgine creatus; vnde virginitas est consilii Euangelici, & maioris perfectionis. Plura de virginit. Vide apud Chassaneum. Catalogi gloriæ mundi, parte 3. cons. 39.

Castra dicuntur à castrando, quia milites velut castrati, abstinere debent à venereis. Quę vires debilitant, animos deiiciunt, Ita Valer. Maxi, lib. 2. tit. de militari disciplina, Scipionem, exercitum Romanum penè deletum restituisse, ejiciendo scorta duo mille quæ in ipso erant. Intrare castra fœminis non licet. Deut. 23. Chassen. Ibid. parte 9. consid. 33.

Deus pullos columbarum, scilicet castos sibi offerri præcipit. *Vide Duratio Virtutis.* Sine mora virtuti incumbendum.

Tertulliani exhortatio ad castitatem. De castitate Gerson. to. 4. & Petrus Damianus, & Aluares to. 2. Sixtus Biblioth. Patr. tom. 5. contra nuptias. Hugo. tom. 2.

De virginibus. D. Ambros. tom. 4. D. Hieron. epist 8. tom. 1. & 1. to. 9. August. to. 6. Basil. Gregor. Nyssen. Ephrem. to. 1.

Angelicam gloriam acquirere, maius est, quam habere, esse Angelum fœlicitatis est, virginem esse, virtutis; virginitas enim hoc obtinet viribus,

A quod habet Angelus ex natura. Sic in incarnatione: Angelus & virgo, diuinum agunt officium, non humanum. Chrysolog. ser. 141.

Iudęi prophanum existimant esse sine cingulo, quia diuidit cor à partibus verendis.

D. Athanasius ad sponsas Christi, sic loquitur. Possidet virginitas quod alii habent, communes scilicet sacramentorum gratias, & quod alii non habent, dum proprio consecrationis priuilegio gaudet. Nam & Christi sponsas virgines dicere, Ecclesiastica nobis permittit autoritas, quia tanto magis Deo spiritualiter copulantur, quanto maiori dilectione humana connubia spreuerunt.

Abbas Dioscorus dicebat, si mundani abstinent à voluptatibus propter sanitatem corporis, B quanto magis seruus Dei pro sanitate animæ? vitæ Patrum lib. 8. c. 68.

Smaragdo motus obscœnæ voluptatis valdè est pernitiosus, siue enim, mas, siue fœmina dum commiscent corpora, si eum gestent, & contingat cutem, disrumpitur. Georg. Agricola. lib. 5. de nat. fossilium.

Hesiodus in Theogonia, è congressu Martis & Veneris asserit pallorem & timorem natos esse. Venerea debilitant corpus & animam, nam ait Vegetius lib. 1. c. 3. minus mortem timet, qui minus deliciarum nouit in vita.

De Rebeca dicitur Gen. virgo erat, & vir non cognouerat eam, idest erat casta mente & corpore. Origen. hom. 10. in Genes.

C Arbitror rationi consentaneum esse virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Christum, muliebris vero Mariam; non enim plausibile est, alii pręter hanc virginitatis primitias adscribere. Origen. in Matth. 13.

Dicit Deus, faciamus hominem ad similitudinem nostram, & præsit piscibus maris. Cum ipse viuat in alio elemento, non piscis; pisces sunt maximè prolifici. Huic concupiscentiæ homo debet frænum iniicere.

Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo, 2. Cor. 11. vita præsens est tempus sponsalium, alterum erit nuptiarum. O rem nouam in mundo virgines ante matrimonium manent, post matrimonium non item, hic autem non D sic, nam etsi virgines ante hoc matrimonium non sint, post initum matrimonium virgines efficiuntur. Ad hunc modum tota Ecclesia virgo est. D. Chrysost. hom. 23. in 2. Cor.

Non habet firmamentum virtutem productiuam plantarum. Vnde scriptura non dicit, producat firmamentum luminaria. D. Thom. in quæst. disputatis q. 4. a. 2. ad 30.

In arca Noë erant tres combinationes mundorum animalium, maris scilicet & fœminæ, & vnus masculus sine combinatione ad sacrificium reseruatus, post diluuium faciendum. Tostat. in Genes. fol. 41. c. 2. c. quarta pars hominum Deo dicanda.

Virgines liberantur à maledictione Euæ, quod E in dolore pariet.

Maria Virgo fuit prima quę emisit votum virginitatis. Tost. 4. Reg. fo. 179.

by Google

CONTINENTIA PERpetua vel temporalis in coniugio.

TAlis fuit Virginis Mariæ & sancti Ioseph continentia.

Godofredus Dux Tusciæ, sic vixit cum Beatrice vxore, cui scribit & gratulatur Petrus Damiani. lib. 7. epist. 14.

Si duo vestrum conuenerint, idest vir & vxor ex consensu semetipsos ab inuicem separantes à corporali coniunctione, vt vacent orationi, tunc orantes de omni re quamcumque petierint, consequentur præstante Deo per talem castitatis consensum. Origen. tract. 6. in Matthæ.

Licet essent animalium paria in arca Noë, illic tamen non genuerunt. Tostat. in Genes. fo. 40. co. 2. a. metus imminentis periculi, ardorem Veneris extinguit.

Quando Noë intrauit arcam, viri separatim à mulieribus introierunt, quia in arca abstinere debebant à coïtu, propter mundi vniuersalem tribulationem. Dicitur enim Gen. 7. ingressus est Noë & Sem, & Cham & Iaphet, filii eius, & vxor eius, & vxores filiorũ eius cũ eo. Id. Gen. fo. 46.

Præceptum de crescendo & multiplicando Gen. 1. non obligat quemlibet particulariter sed totam multitudinem. Id. Matth. to. 7. fo. 21.

Quando Prophetæ vacabant actui coniugali, non recipiebant reuelationes à Spiritu sancto, vt dicit Hieronymus. 32. q. 2. ca. coniugia.

Sacerdotes veteris legis eo tempore quo ministrabant in templo, non egrediebantur de circuitu templi, nec miscebantur suis vxoribus. Tostat. Matth. to. 3. fo. 211.

Canalibus ad irrigationem compositis tantum aquæ permittunt effluere quantum sat est, ne nimietas vim seminum, diluuio quodam perimat. Sic temperans vtitur matrimonio, vt tamen sibi seruet munditiam animi & orationis studium, timet enim ne ex sordida affectione totus efficiatur caro & sanguis in quibus non permanet spiritus Dei, & ne, vt ait Propheta, in limo profundi infigatur. D. Gregor. Nyssen. lib. de virginitate. c. 8.

Tam pertinax est aquilonaribus fœminis suæ pudicitiæ custodia vt etiam admisso honesto coniugio certis temporibus refrenent amplexus, ea constantia, vt in toro districti gladii interpositione, mutuum sibi coarctent congressum. Olaus Magnus rer. Septent. lib. 14. cap. 4.

Sponsæ Mariæ contubernio, sponsi Ioseph virginitas geminatur, nouoque miraculo forma pudicitiæ suffragatur, sic palmæ nubunt.

D. Hieron ad Celantiam de institutione matris familias, laudat eam quod vouerit continentiam in coniugio; Magni, inquit, hoc animi signum, & perfectæ virtutis indicium est, renuntiare subito expertæ voluptati, fugere notas carnis illecebras, & calentis adhuc ætatis flammas fidei amore restinguere. Sed hoc me non mediocriter angit, quod bonum hoc absque consensu viri tu serues, cum dicat Apostolus, mulier sui corporis potestatem non habeat, sed vir. Periculosè promittitur quod in alterius potestate est, nec potest esse grata donatio, si vnus offerat rem duorum. Multa per huiusmodi ignorantiam audiuimus, & vidimus scissa coniugia, & occasione castitatis adulterium perpetratum; nam dum vna pars se etiam à licitis abstinet, altera ad illicita delapsa est: & nes-
A cio in tali causa, quis magis accusari, quis amplius culpari debeat, vtrum ille qui repulsus à coniuge fornicatur, an illa quæ repellendo à se virum, cum fornicationi quodammodo obiicit.

Vide quæ scripsi de hac materia lib. de agente Deo in humanis, parte 3 cap. 2.

Subiungit Apostolus. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus vt vacetis orationi. Docet meditationem fieri debere castitatis, vt per certa interualla temporum, quasi exploratis continentiæ suæ viribus, sine periculo vtrique promittant, quod semper est ab vtroque seruandum. D. Hieron. Ibid.

Idem. epist. ad Theodoram de obitu Licinii mariti; hic, inquit, in cœlo locum tibi præparat eadem charitate, qua oblitus officii coniugalis, in
B terra quoque sororem te habere cœperat, imo tu illum fratrem. quia casta coniunctio sexum non habet nuptialem. In Christo enim non est seruus & liber, masculus & fœmina.

Nolite fraudare inuicem nisi fortè ad tempus vt vacetis orationi. Oro te quale illud bonum est, quod orare prohibet? quod corpus Christi accipi non permittit; quando impleo mariti officium, non impleo Christiani; cui semper orandum est, &c. Idem. lib. 1. aduersus Iouinianum. Discant prius ferias nuptiarum, vacent ad tempus orationi, vt accepto gustu pudicitiæ, id semper habere desiderent, quo ad modicum delectati sunt. Ib.

C ABSTINENDUM À fornicatione & adulterio.

PLura seruatæ pudicitiæ exempla. Vide apud Valer. Maxim. lib. 6. cap. 1.

Exod. 9. pro peccato Principis offerebatur hircus, quia solent peccare per lasciuiam cui deditum est hoc animal.

De fornicatione. Gregor. Nyssenus.

De luxuria. Gerson. to. 4. D. Tho. q. 15. de malo. Chrysost. hom. 55. Adulterii pœnam capitalem. *Vide Contrarietas Æqualitatis.* Scilicet inflictam à propinquis.

Maximè puniuntur adulteria in fœminis propter prolis impedimentum & confusionem, &
D quia terra velut fœmina est immobilis cum cœlum velut masculus calidior, indignantem illam vndique ambiat, & diuersis fœtibus hinc inde prægnantem efficiat.

Nescitis quod corpora vestra membra sunt Christi, tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis, absit. 1. Corinth. 4. homicidæ & auari manus polluunt, In fornicatione totum corpus fit infatuatum & execrandum, tanquam incideret in lebetem immunditiæ plenum sic polluitur. D. Chrysost. homil. 18. in 1. ad Corinth. addit hoc argumentum Apostolus. An nescitis quod corpora vestra templum sunt Spiritus sancti qui est in vobis? empti enim estis pretio magno, igitur
E glorificate Deum, & portate in corpore vestro.

Matrimonio coërcita cupiditas, veluti in dolio vinum efferuens, tumultuatur & latius quærit effundi.

Si quilibet posset indifferenter ad quamlibet accedere. quæ non esset sibi determinata, tolleretur certitudo prolis, & per consequens sollicitudo patris circa educationem filiorum, & hoc est contra id quod conuenit humanæ naturæ; matris enim

est lactare infantis, patris instituere iam adultos. D. Thom. in quæst. disput. de peccatis q. 15. a. 1.

De matrimonio. *Vide Bonitas Principij.* ex matrimonio prolem suscipere.

Agar & Cetura cum verè essent vxores Abrahæ, dictæ sunt concubinæ, vel respectu Saræ, quæ principalis vxor Abrahæ, vel quia non fuerunt acceptæ cum ea solemnitate in matrimonium, qua accepta est Sara. Tostat. in Genes. fo. 294. c. 4. 1.

Contra adulteros est lex in regno Castellæ, quod vir accipiens vxorem & aliquem inueniens cum ea fornicantem, possit vtrumque occidere vel si postea probatum fuerit traduntur in potestatem eius, vt iuguler eos, vel faciat quod voluerit Ibid. 355. c. 2. d. quæ ex adulterio sequantur incommoda. Vide apud eund. in Leuit. fo. 183. c. 1. 2.

Quod ægra consentiente vxore non potest alia duci. Vide can. quod proposuisti. 32. q. 7. & Tost. Matth. to. 5. fo. 112.

Illibata debet esse coniugij fides. Vide quæ scripsi de iure naturali lege 15. §. 6. Extra matrimonium actus generationis est prohibitus moralis Christ. to 2. parte 1. cap. 26 27. De amore & fidelitate coniugali. Ib. to. 3. parte 2. cap. 4.

In 3. synodo Apostolo. an. Christi. 51. præcipitur fidelibus abstineant à fornicatione, quia plerique gentilium existimabant simplicem fornicationem non esse per se malam, neque illicitam. D. August. lib 32. cap. 13. contra Faustum.

Non delumbem matronarum lasciui delicata secteris, quę nunc strictis dentibus nunc labiis dissolutis balbutientem linguam in dimidiata verba moderantur; adeò illis adulterium etiam linguæ placet. D. Hieron. ad Eustochium.

Non timuisti in illa domo adulterium facere, in qua sine iudice Iesus vir se poterat vlcisci. Idem ad Sabinianum.

Mulieris virtus propriè pudicitia est; hæc pauperem commendat, diuitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram; benè meretur de maioribus quorum sanguinem furtiua sobole non viciat, benè de liberis quibus nec de matre erubescendum, nec de patre dubitandum est. Idem. lib. 1. aduersus Iouinianum, in fine.

Ex adulterio nascitur series malorum. *Vide Duratio Minoritatis.* Crimen crimine tegitur.

Romæ monasterium S. Catharinę de Rosa institutum fuit, ad recipiendas ibi & educandas virgines miserabiles in periculo amittendæ pudicitiæ existentes. Pius V. const. 54. Bull. p. 188. to. 2.

Maritus propriam vxorem prostituens Romæ quas pœnas incurrat. Six. V. const. 46 §. 7. p. 422.

Apud Lituanos mos est vt nuptę nobiles vnum aut plures concubinos habeant, qui vices agant mariti, non valentis vxori debitum reddere. Æneas Syluius coment. lib. 4. cap. 8.

Viennę in Austria, cum nobiles ad ciues veniunt, vxores eorum ad secretum colloquium trahunt; viri allato vino, domo abeunt, ceduntque nobilibus. Raro mulier est vno contenta viro. Æneas Syluius. epist. 165.

ABSTINENDVM A secundis nuptiis.

MIserrimus est maritus, quisquis inducit filio nouercam, quod vxor non videtur vtrumque posse amare. Quintil. decl. 1. Vulgare facinus est, quod plerumque contra liberos amantur vxores, & sequentium matrimoniorum non aliunde, quam de damno pietatis affectus est genus infirmissimæ seruituris est senex maritus, & vxoriæ charitatis ardorem flagrantius frigidis concipimus affectibus.

Carondas lege sanciuit, vt qui liberis suis nouercam superinduxerit, infamis esset, vtpote dissensionis autor domesticæ.

Continentiam turturum offerunt in sacrificium Deo, qui perinde fugiunt secundatum nuptiarum copulam. Theodoret. in Leuit. 4.

De monogamia. D. Hieron. ep. 11.

De viduitate. D. Bonauent. epist. 2. Bernard. to. 3. serm, extr. 8.

Secundæ nuptiæ inducunt irregularitatem, cum in illis non significetur perfectè coniunctio vnius Christi, cum vna Ecclesia. Bonacin. de matrim. puncto. 10.

Partes corporis abcissæ, non restituuntur, separata parte, quidquid aliud subingreditur, & tangit, inimicissimum aduenit, vir & mulier vnum corpus sunt.

Vidua censetur nupta semper memoriæ mariti, qui necdum illi mortuus est.

In insula Chio, licebat viduis iterum nubere, soluto tamen Reip. pretio, quod dicebatur Argominiaticum, idest sterilis naturæ.

Inter Abyssinos Christianos sacerdotes ducunt vxores, sed non iterant nuptias. Dauity. Similiter in Malabar viro mortuo vxores cum eo comburuntur, & si nolint fiunt infames, & generaliter tum viris, tum mulieribus prohibitum est, secundò nubere. Idem.

In Hungria, infausta putant euenire omnia ei qui secundas inierit nuptias, vnde mos est ab illis abstinere. Id.

Iudith vidua vacans orationib. & de qua non erat qui loqueretur verbum malum. Iudith. 8.

Transmigratio animarum quam asserebant Pythagorici non est possibilis, quia vna anima sic ad suum corpus proportionata, quod impossibile sit illam aliud corpus animare. Card. Cusa. Excit. lib. 7. cap. 9.

Sex annis seres agrum tuum, & putabis vineam tuam, septimo autem anno erit sabbathum requietionis Domini Leuit. 25. postquam dederis operam liberis gignendis tandem vaca castitati, bonisque operibus. Rupert. in Leuit. lib. 2. cap. 40.

Vxores Subdiaconorum, Exorcistarum, Acolythorum, mortuis illis, secundo se non audeant sociare matrimonio, quod si fecerint in monasterium detrudantur. Concil. Matisconense II can. 16.

Charondas Turiensium legislator senatu pellebat eum qui habens liberos ex primo coniugio, secundum contraheret, quasi non valeret Remp. administrare, qui domui suæ non benè præesset.

Mira fuit Noë cótinentia, quia cú táta frueretur vbertate, & prosperitate, superuiueretque táto annorú numero post egresśú ab arca, noluit vltra indulgere liberorú procreationi, nó enim cómemorat scriptura illú alios præter tres ante diluuiú natos habuisse liberos. D. Chrys. hom. 24. in Genes.

Non est inferendum bonas esse secundas nuptias ex eo quod dicitur melius est nubere quam vri. *Vide Gloria Contrariet.* Opposita magis elucescunt.

Si melius est, non nubere, quam nubere, pari ratione melius est id semel tantum facere, quam sæpius. Id. homil. 7. in 2. ad Timoth.

Cur ad sacerdotium bigami non admittantur rationem reddit. Id. hom. 2. in epist. ad Titum. Nam, inquit, qui defunctæ vxori beneuolentiam nullam seruasse deprehenditur, quo pacto hic Ecclesiæ præceptor optimus esse poterit. Nostis enim profectò omnes, quod & si per leges secundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet, nullam ergo accusationem præbere subiectis præsulem vult Apostolus. *Vide Concordan. Virtutis* Vnitas Ecclesiæ.

Coluit nascens Ecclesia viduas, secundas nuptias permisit potius quam probauit; & inde tot Christianorum Imperatorum de coërcendis secundis nuptiis constitutiones, & quia prioris mariti memoria obliteratur, & liberis prioris matrimonii debita non seruatur affectio Legislatores autem non Christiani pœnas viduitati indixerunt. Cuiac. in exposit. nou. 2.

B

Mater quæ donauit filio, non potest reuocare sub prętextu ingratitudinis, si secundo nupserit, præsumitur enim ad hanc cogitationem venisse propter secundas nuptias; nisi apertè constet filiũ impias ei manus iniecisse. nou. 22. cap. 35.

Anima rationalis non potest informare aliud corpus, nisi illud in quo fuit semel, quia alterum non esset sibi proportionabile, Tostat. in Genes. fo. 136. c. 2. d.

De viduitate, & non iterandis nuptiis. Vide quæ scripsi moralis Christiana. to. 3. parte 2. cap. 1.

C

Dagobertus Galliæ Rex ambiebat nuptias Rictrudis viduę pulcherrimæ quæ viro Adalbaldo mortuo se Deo dicare statuerat; vrgentem & repulsam diutius non patientem Regem ad conuiuium domi suę inuitat inter epularum accubationem, assurgẽs regem sciscitatur, an illi liceat quod volet in domo sua agere, concessit Rex putans quod vellet ipsum & conuiuas læto poculo salutare, tum ipsa, velum imposuit capiti suo quod acceperat à S. Amando consecratum, sic sæculo nuntium remisit. Iod. Coccius in vita Dagob. c. 14.

Ex persona viduæ dicit Poëta. Ille meos primus, qui me sibi iunxit, amores, abstulit, ille habeat secum, seruetque sepulchro. Si communi lege naturę damnat omnes gentilis vidua voluptates, quid expectanda est à vidua Christiana, quæ pudicitiam suam non solum ei debet qui defunctus est, sed & ei cum quo regnatura est. &c. D. Hieron. ad Saluinam de viduitate seruanda.

D

Apostolus fornicationis metu, secundas nuptias indulgere compellitur. Volo, inquit ad Timotheum, adolescentulas nubere. &c. & subiicit, iam quædam declinauerunt post Sathanam. Ex quo intelligimus illum non stantibus coronam, sed iacentibus manum porrigere. Vide qualia sint secunda matrimonia quæ lupanaribus præferuntur, quia declinauerunt quædam post Sathanam. Ideo adolescentula vidua, quæ se non potest continere, vel non vult, maritum accipiat potius quam diabolum. Pulchra nimirum & appetenda res quæ Satanæ comparatione suscipitur. Ibid. in fine. Habes quas sequaris, de Hebræa historia Iudith, & Annam filiam Phanuelis de Euangelii charitate, quæ diebus ac noctibus versabantur in templo & orationibus atque ieiuniis thesaurum pudicitię conseruabant.

E

Idem ad Furiam de viduitate seruanda. Quid angustiarum habeant nuptiæ didicisti in ipsis nuptiis, cur reuerteris ad vomitum. Bruta in easdem pedicas non incidunt. Cui dimittes tantas diuitias? Christo qui mori non potest? quem habebis hæredem, ipsum quem & Dominum. Constristabitur pater, sed lætabitur Christus: lugebit familia, sed Angeli gratulabuntur; non es eius cui nata es, sed eius cui es nata, & qui te grandi precio redemit sanguine suo. Caue nutrices & gerulas quæ de corio tuo saturari ventrem suum cupiunt, non suadent quod tibi, sed quod sibi prosit. Tandem ridiculum est sperare pro certò quod multos & non habere videas, & cum habuerint perdidisse.

Solent adolescentulæ viduæ, patrimonii sine viro allegare periclitationem, &c. Confitere turpitudinem; nulla idcirco maritum ducit, vt cum marito non dormiat. Aut si certè libido non stimulat, quæ tanta insania est, in morem scortorum prostituere castitatem, vt augeantur diuitiæ, & propter rem vilem atque perituram, pudicitia, quæ & preciosa & æterna est, polluatur. Si habes liberos nuptias quid requiris, si non habes, quare expertam non metuis sterilitatem, & rem incertam, certo præfers pudori. Cogita quotidie te esse morituram, & de secundis nuptiis non cogitabis. Ib. in fine.

Legimus in veteri testamento, semel maritatas filias sacerdotum, si viduæ fuerint vesci debere de sacerdotalibus cibis; si alios viros acceperint, alienas à patre & sacrificiis fieri. Id. ad Gerontiã.

Secunda matrimonia non damnamus, sed prima laudamus. In arca Noë fuerunt non tantum munda, sed & immunda animalia, habuit homines, habuit & serpentes. In domo sunt vasa, alia in honorem, alia in contumeliam. Ib.

Quædam maritos ita plangunt, vt tandem dominatu eorum se caruisse lætentur, quærantque alios, non quibus iuxta Dei sententiam seruiant, sed quibus imperent; vnde & pauperes eligunt, vt nomen tantum virorum habere videantur, qui patienter riuales sustineant, si mussitauerint, illico proiiciendi. Id. ad principiam in Epitaphio Marcellæ.

Idem lib. 1. aduersus Iouinianum multa refert exempla prophana vxorum quæ mortuo marito elegerunt potius mori quam nubere.

In Moscouia licet secundo & tertio nubere non quarto, & sacerdos qui has excepisset nuptias suspenditur.

Nuptias secundas contrahentes, benedicendi non sunt. Innocent. IV. const. 14. nu. 21. p. 104. to. 1 Bull.

COELIBATVS.

IN matrimonio, te pluribus negotiis auctum obiicis fortunæ. Bini sunt cum vxore iucundissimi dies, alter quo ducitur; alter quo mortua effertur. Oporteret multas habere vxores, vt malis expulsis melior retineretur, at nunc inexperti vni se addicunt, quæ forte honestissimo futura est dedecori, & semper oneri, cum hominem solum, etiam angusta fortuna alat, astrictus nuptiis non amplius liber est. Similes sunt res, senectus & nuptiæ, vtramque enim consequi desideramus; postquam verò nacti fuerimus, tristamur. Hanc vnam actionum humanarum, maximè pœnitentia sequitur. Innuptus non dubitat mori pro patria, vna dies, noui genii, nouæ sortis principium affert. Si tibi nõ gratã retines, cruciorisintimo do

Digitized by Google

sta disciplina lib. 9. cap. 10. ignis est sterilis. *Vide Gloria Virtutis*. Solitaria. A

Castra dicta sunt quasi casta. eo quod illic castraretur libido, nam nunquam iis intererat mulier. Isidor. Origin. lib. 9. cap. 3.

Deut. 5. iubetur offerri sacrificium iuge & indesinens at si dicit Apostolus, 1. Corinth. 7. abstinendum à coniugio vt vacetur orationi. Illius est solius offerre sacrificium indesinens qui perpetuæ se deuouerit castitati. Cęteri festos alios dies habent. Origen. homil. 23. super numer.

Abimelech sacerdos noluit dare sociis Dauidis panes sanctos, nisi mundi essent à mulieribus 1. Reg. 21. Tito Paulus præcipit sobrietatem, quod verbum in Græco significat castitatem. Id. Apostol. 2. Timoth. 2. nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus; tale est matrimonium, quod patit tribulationes carnis 1. Corinth. 7. *Vide Gloria Concordantiæ, Repug.* Onera matrimonij. B

Episcopo nullam mulierem, secum habere permittitur, sed si habere probetur, ab Episcopatu deiiciatur quo se fecit indignum. Auth Episcopo. Cod. de Episcop. & Cler. non possent exhortari ad castitatem, quam ipsi non seruarent.

In religione vbi sacerdotes carent vxoribus, necessario sacerdotum initium habet Saturnum potentem, & Venerem debilem, Cardan. Aphor. sect. 7. Aphor. 129.

Vide supra hoc titulo, Virginitas.

GVSTVS MORTIFICATIO. C

QVantum noceat ciborum nimietas. *Vide Maioritas Medii*.

De ebrietate in quantum perturbat rationem. *Vide Contrarietas Cognitionis*. In quantum aperit secreta. *Vide Medium Veritatis*.

Abstinentia est vel à copia, vel à delitioso ciborum delectu de quib vide 1. tomo hoc tit.

Nero initio imperii laudabilis, adhibuit modum cœnæ sumptibus, interdictumque est ab eo ne quid in popinis cocti præter legumina, aut olera veniret, cum antea nullum non obsonii genus proponeretur. Sueton. in Nerone.

D. Gregor. PP. in Regist. lib. 2. epist. 37. Conuiuia communia quę ex intentione impendendæ charitatis fiunt, nō improbat, si modo ab obscœnis, & calumnia abstineatur, si non plus quam necesse est seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, vt ad vsum exercendæ virtutis habeatur. D

De luxu in conuiuiis. *Vide Maioritas Gloria*.

Cibos à Deo datos ad vitæ necessariam sustentationem, non ad delectationem apparet ex eo quod voluptas tantum percipitur cum sumuntur, & hæc breuis est, non vero cum digeruntur & aluntur. Magno pretio cōportantur alimenta, plus in coquis, quam in agricolis impenditur, & tamen nihil vtilitatis corpori accedit ex tam sumptuosa dapium structura: nam sunt robustissimi qui communibus cibis vtunur, serui Dominis, agrestes vrbanis, pauperes diuitibus sunt validiores, & laborum magis patientes. E

De ieiunio liber Petri Damiani. Chrysost. hom. 71. 72. Bernardin. quadrag. 1. serm. 5.

Macarioni quidam vuam detulit, ille alteri fratri detulit, & hic alteri, quasi opus haberet per omnes cellulas longe à se distantes hæc vna circumlata est, donec ad ipsum Macarium peruenit: in vitis Patrum. lib. 3.

Abbas Elias, monacho cuidam corpulento dixit, verè frater erubesco pro te, quia sic enutristi corpus tuum; pallor enim & macies cum humilitate decus est monachi, Ib.

Quasi obsidione & fame superandus hostis.

Pior monachus ambulans edebat. Nolo, inquit, cibo tanquam re necessaria vti, sed tanquam superuacanea, & ne edendo voluptatem corporis sentiat animus. Suidas in voce Pior.

Animalia os habent pronum in terram, nam expletio ventris & voluptas, eorum fœlicitas; homini vero caput est sublime, vt genus suum cœleste suspiciat Oculi non tendunt in terram, ne igitur vim inferant naturæ suæ, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terrā. D. Greg. Nyssen. orat. 2.

Ideo Deus cerebrum à stomacho & ventre secreuit, ne qua ex his partibus inferioribus pernicies emanaret, si nocet extrinsecus fœtor, quantò magis internus: quę in delitiis viuit vidua, mortua est. D. Chrysost. homil. 14. in 1. ad Timoth.

Temperantia Christiano necessaria. Vide quæ scripsi Moralis Christiana. to. 2. parte 1. cap. 24.

Intemperantibus ex consuetudine superflua fiunt necessaria, sic voluptatibus seruiunt, non fruuntur, hinc mentis hebetudo, rationis amissio, & mortis formidolosa expectatio, & quis hostis ita contumeliosus fuit sicut in quosdam voluptates suæ, & his variæ infirmitates, è contrario abstinentia dat sanitatem mentis & corporis. Abstinentia Danielis clausa tenuit ora leonum vt ei non nocerent, & similiter continet ora inuidiæ & calumniæ, luxuria sobrietate superatur. Vt sis sobrius cogita quæ mala corpori simul & animæ veniant ex intemperantia, &c. Laurent Iustiniani, lib. de sobrietate.

Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Psal. 22. non errabit qui hoc eloquium ad mensam sobriam conferat monachorū vbi magna tranquillitas, ingens quies versatur, visque ad virtutes, non ad vitia, &c. D. Chrys. hom. 71. in Matth.

Quare tempore ieiunii pisces sunt in escam. *Vide Virtus Medii*. Iustum medium ex Alcuin.

D. Hieron. ep. ad lætam de institutione filiæ. Sic inquit comedat, vt semper esuriat, vt statim post cibum possit legere & psallere.

Procul sint à conuiuiis tuis Phasides aues, & aliæ, quibus amplissima patrimonia auolant, &c. D. Hieron ad Saluinam.

Cum variis nidoribus fumant patinæ, ad esum sui, expleta esurie quasi captiuos trahunt, vnde & morbi ex saturitate nimia concitantur, multique impatientia gulæ vomitu remediantur, & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt, Idem, lib. 2. aduersus Iouinianum.

Citò expletur naturæ necessitas, habentes, inquit Apostolus, victum & vestitum, his contenti sumus Delitię & epularum varietates, fomenta auaritiæ sunt. Grandis exultatio animæ est, cum paruo contentus fueris, mundum habere sub pedibus & omnem eius potentiam, epulas, libidines propter quæ diuitiæ comparantur, vilibus mutare cibis Qui ęgrotat non aliter recipit sanitatem nisi tenui cibo & castigato victu vtatur.

IEIVNIVM.

CAusa instituti ieiunii quadragesimalis vna est, vt Christum qui est caput nostrum, quadraginta diebus ieiunantem, nostri causa patientē, nos etiam quantum possumus, quadraginta diebus ieiunando, corpus nostrum affligendo imitemur. Basil. orat. 1. de ieiunio. Altera est vt Christiani omnes, pro negligentiis toto anno commissis, quasi communem & publicam pœnitentiam agant. Tertia vt ad sacram communionem ab omnibus in Paschate sumendam, præparemur. Chrys. hom. 1. in Genes.

Telesphorus statuit ieiunium quadragesimæ à clericis per 7. hebdomadas plenas ante sanctum Pascha obseruetur, quia discreta debet esse vita clericorum à laïcis. cap. statuimus. dist. 4.

Multo melius est stomachum dolere, quam mentem, imperare corpori, quam seruire, gressu vacillare, quam pudicitia. D. Hieron.

Melius est quotidie parum, quam raro satis sumere; pluuia illa optima est quæ sensim descendit in terram, subitus & nimius imber in præceps arua subuertit. Id. epist. ad Furiam.

Ieiunium non facit sanctos nisi accedant aliæ virtutes animi. *Vide Veritat Virtutis.*

D. Hieronymus refert longa inductione Græcorum, Lacedemoniorum, Stoïcorum, Pythagoreorum, Essæorum perpetuam à carnibus abstinentiam. lib. 2. aduersus Iouinianum.

Adamo præceptum fuit; vt cætera poma comedens ab vna arbore ieiunaret. Beatitudo paradisi absque abstinentia cibi non potuit dedicari. Noë post diluuium data est licentia comedendi carnes, ne mandatum in causam verterent præuaricationis, ex parte tamen imperatum est ieiunium, in quorundam scilicet immundorum recisione. Iesus filius Naue obtinet victoriam de hostibus ieiunio.

A Maledictus, inquit, qui ederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar me de inimicis meis. Niniue imminentem iram Domini ieiuniorum miseratione detorsit, &c. Ibid. Ioel clamitat sanctificate ieiunium, &c.

Spiritus ieiunus est promptior, dicitur tamen prouerbialiter, consilium de ventre pleno melius, nam ira, inuidia & ægræ reliquę passiones à mensa fiunt mitiores. Vnde Germanis mos est ante contractus compotare, quasi post potum mens sit candidior.

Olim etiam in Ecclesia solebat obseruari ieiunium feriæ quartæ & sextæ, ad commemorandum Christum Dominum feria quarta venditum, & sexta feria crucifixum. Tert. lib. de ieiunio. Ori- B gen. homil. 10. in Leuit.

De ieiunio Sabbathi. *Vide Differentia Minoritatis.* Distingui à malis.

ABSTINENTIA VINI.

DE ebrietatis turpitudine. *Vide Contrarietas Cognitionis.*

Vinum & adolescentia duplex incendium voluptatis; quid oleum flammę adiicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? Paulus Timotheo concedit vti modico vino propter stomachum & frequentes suas necessitates. C Noë bibit vinum & inebriatus est, fortè vim eius nesciens. Loth inebriatus nesciens quid faceret, genuit ex filiabus Moabitas & Ammonitas inimicos Israël. Heliæ dum fugeret Iesabel, panis & aqua ministratur ab Angelo, &c. D. Hieron. ad Eustochium

Qui Saturnum habebat in signo aqueo, monitus ab Astrologo vt sibi caueret ab aquis, postea vinum merum, nec aqua temperatum bibit.

DIGESTI

Digitized by Google

12-34.H.6
752

DIGESTI SAPIENTIÆ SVPPLEMENTVM,

IN QVO HABETVR SCIENTIARVM OMNIVM,

Rerum diuinarum atque humanarum nexus, & ad Prima Principia reductio.

Autore P. YVONE *Parisino Capucino.*

TOMI TERTII.

PARS SECVNDA.

PARISIIS,

M. DC. LXI.

itized by Google

DIFFERENTIA BONITAS

DIFFERENTIÆ.

BONA RERVM DIVERSITAS ET DISTINCTIO.

ARMA & insignia nobilium sunt diuersa, ne vnus pro alio iniurietur aut occidatur Chassanæ. in Cathal. gloriæ mundi. pa. 1. Conc. 22.

Non essent omnia, si omnia essent æqualia. D. Aug. lib. 83. q. q. 43.

Numerus & diuersitas supplet defectum. *Vide Potestas Magnitudinis.*

Etiamsi sacer ignis qui Romæ à Vestalibus perpetuus seruabatur nullo casu extinctus esset, tamen singulis annis mense martio nouus aris imponebatur a sole accensus. Macrob. satur. l. 1. c. 12. Sic Ægyptij apim bouem suum sacrum, non permittebant senio interire, sed nouum substituebant post aliquod tempus. *Vide differentia potestatis.*

Differentia est nobilior genere, sicut determinatum indeterminato, & proprium communi. Differentia constituens speciem se habet ad genus vt actus ad potentiam.

Albert. Mag. lib. 3. de minerali. cap. 7. improbat opinionem Callisthenis dicentis vnam tantum esse formam perfectam metallorum scilicet auri, cætera esse quid incompletum. Improbat autem quia materia nulla ratione est in aliqua rerum naturalium permanente in natura, nisi sit completa per substantialem formam. Videmus autem argentum permanere, & stanum, & similiter alia metalla, sunt ergo completa per substantiales formas. *Vide Bonitas Minoritatis.*

De Deo cognito per diuersa attributa. *Vide Potestas Magnitudinis.*

Ne aqua putealis corrumpatur opus est, frequenti haustu, sic enim noua efficitur, nam è venis perpetuo confluit. Cardan.

Masculina virtus & fœminina, id est, generandi & concipiendi, quæ in animalibus sunt discretæ, sunt coniunctæ, & in eodem corpore in plantis, quia vna ad aliam non potest accedere, coeundi gratia. Cœlum dicitur quia sit tanquam vas cælatum, impressas habens figuras stellarum. Isidor. origin. lib. 3. cap. 30.

Crustas dedit caneris natura, sed vt moueantur

A iuncturas addidit non dedit homini vt in omnem partem moueatur, loricas tamen instar cancrorum cum articulis fabricamus.

Si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? nunc autem multa quidem membra, vnum vero corpus. 1. Corinth. 12. Si non esset in vobis multa differentia non essetis corpus; si non essetis corpus non essetis vnum, & communi spiritu viuentes. D. Chrisosth.

Regiones antiquæ Romæ 14. fuisse indicat lex 3. in princ. ff de off. præf. vigil totidem nouæ Romæ id est Constantinopoleos. Nou. 43. Cuiac. obseruat. lib. 2. cap. 14.

Secantur scientiæ, quemadmodum ea de quibus sunt. Arist. 3. de ani.

B Post resurrectionem sua cuique forma manebit, licet ea non indigeant ad se cognoscendum qui resurrexerint, quia tanta vultuum & figurarum diuersitas innumerabilis ostendet diuinam sapientiam talium conditricem. Iustinus Martyr. qu. 60. ad orthodoxos.

Multitudinis complementum est differentia. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 2. §. 2. Oportuit mundum constare diuersis. Ibid. & Theologiæ naturalis. tq. 1. parte 2. cap. 18.

Sunt quædam res quæ seruando seruari non possunt, sed intra triennium vel aliud tempus deteriorantur & illæ si sint Ecclesiasticæ sine decreto possunt alienari, dum prætium cedat in vtilitatem Ecclesiæ. l. fin. C. quando decr. opus non est.

Principium tractationis atque cognitionis est C ordo, ordo autem ex separatione oritur. Separatio igitur principium est operationis, cognitionis atque scientiæ. Cardan. de arcanis prudentiæ ciuilis.

VTILITAS MOTVS & separationis.

VT terra sit fertilis, debet proscindi, quia soliditas superficiei superioris per pondus ipsium

terræ, & conculcationem hominum & bestiarum, A adhuc autem per imbrium ictus & fluxum durior facta impedit ne aliquid aut in se ab exteriori recipiat, aut etiam aliquid ab interioribus suis emittat. Albert. Mag. lib. 7. de vegetabilib. c. 4.

Aquas viuas dicimus quæ fluunt. Loci editi sunt salubriores, cum idem aër in ipsis non maneat, sed vndique circumfundatur, & à ventis subinde repellatur. Itaque bene perspirales sunt & commodi omnibus circa thoracem obortis affectibus, & capiti laboranti, cunctisque sensuum organis.

Plato in Timæo dicit corpus futurum sanum, si ad instar vniuersi nihil permittamus torpere, sed iugi motione, moderata tamen, amica amicis adhæreant, & inimica non permittantur congregari. Omnium verò motuum optimus ille est qui in B semet, ex seipso fit; nam & mentis & totius ipsius motioni cognatissimus est: qui verò ab alio deterior, deterrimus autem motus quando iacens & quietem agens corpus ab aliis secundum partes mouetur.

Maximum pestis remedium est, soli, cælique mutatio, citò, longè, tardè.

Lycurgus Lacedemoniis leges dedit, & peregrinationis causa discedens, voluit eos adhibito iuramento promittere se leges datas obseruaturos, donec rediret, non rediit, sed moriens, cineres suos voluit in mare proiici, vt daret æternitatem suis legibus refert D. Tho. de regimine princip. lib. 4. c. 18.

Commoueatur mare, & plenitudo eius. Psal. 92. commoueatur nunc ventorum impulsu, nunc ac- C cessu & recessu, ne putrescant aquæ, & non sint aptæ alendis piscibus, vnde viuunt homines. Rupert. lib. 1. in Genes. cap. 33.

Omnis aëris mutatio, refrigerationem aliquam adiunctam habet. Arist. in problem. quia aër, licet calidus, nobis est frigidior, incalescit autem ex corporis & respirationis halitu, frigesit mutatione.

Reges Persiæ sedes mutabant secundum quatuor anni tempestates magis accommodas. Danisy. in Persia.

Si Sol staret, non possemus sustinere virtutem eius, ideoque est semper transiens, vt vitam sensibilem influat & ministret. Cusa.

Per motum omnia habent aliquam vmbram & simulachrum vitæ vt dixit Plotinus. Nam vita est in D motu. *Vide potest. & vol. differè.*

Motus progressiuus in animali excitat calorem, quia natura ad membra motus dirigit Spiritus & sanguinem, & cum his venit calor naturalis & multiplicatur illic, quia spiritus calidi sunt, & sanguis subiectum est caloris. Albert. Mag. meteor. lib. 1. tr. 2. c. 11.

Fossio & agitatio terræ multum prodest ad fertilitatem, permiscet enim aërem, vnde terra fit leuior, penetrabilior à radicibus, sic etiam tolluntur quæ succum auferunt. Theophr. de caus. plantar. lib. 3. cap. 14.

Flatus eruginem excutit à segete. Ib. cap. 27. E

Lapides cum non sint fusibiles, propter abundans in illis terrestre, tribuuntur stellis fixis, quæ semper sunt in eadem à se mutuo distantia. At metalla tribuuntur planetis, quia erraticum habent motum, modo liquida & modo coagulata, & cum liquidum sit materia eorum, & liquidum sit errantis motus, optimè referuntur ad planetas. Albert. Magn. de mineralib lib. 3. c. 6.

Pythagoras dicebat aërem qui ambit terram esse stabilem & morbidum, & quæ in eo degant mortalia esse omnia; summum verò perpetuo moueri & purum & salubrem, & quæ in eo sint immortalia esse omnia, propterea que diuina. Suidas in voce Pythagoras.

Asclepiades medicus primus excogitauit lectulos suspensiles, quorum molli facilique iactatione, aut alliceretur somnus, aut morbi ipsi magis extenuari possent. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 14. c. vlt.

Cardan. de rer. varietate lib. 1. c. 9. Refert arcam per 30. annos pannis linteisque plenam metu bellorum terræ infossam, repertam esse, rebus omnibus integris, sed qui aperturæ interfuerunt omnes intra triduum mortui sunt: ex aëre situ longissimo corrupto.

Succus lapidescens in aquis cum cietur & agitatur motu non facilè compingitur & coagmentatur, nisi admodum crassus fuerit, sed simul ac in meatus ligni, aut alterius rei receptus ac dispersus quieuit, frigore cogitur & concrescit, atque ea res mutat in lapides Georgius Agricola lib. 4. de causis subterraneorum.

Philistim arcam Dei bello captam circumferunt per ciuitates, vt illis minus noceat. 1. Reg. 5.

Sata & arbores ad maturitatem adducit ventorum iactatio, cibum attrahens, & ne torpeant, permouens. Senec. natur. quæst.

Interdum etiam legitimè citatus comparere non tenetur, vt si spoliatus nec restitutus. can. prius 3. q. 2. si facto aduersarij impediatur; ad maius tribunal vocatus, vinculis aut infirmitate detentus, aut aliis similibus causis implicatus. cap. quoniam vt lite non contest.

Remedium contra aërem pestilentem est, ipsum bombardis explosis, aut sonitu campanarum attenuare fumigationibus rerũ odoriferarũ expurgare, tandem cœlum mutare. Campan. Phys. lib. 1. c. 9.

Pastoribus proprium est, de loco ad locum pro pascuis mutare, & habitare in tentoriis vel tabernaculis. Tost. Gen. fo. 74.

Pascha Hebraïcè significat transitum, & celebratur in memoriam exitus Hebræorum de captiuitate Ægypti, & Angeli percutientis & transeuntes de domo vnius Ægyptij in aliam: sic occidentis primogenitos. Id. Math. to. 7. 283.

Visus non fit nisi in debita obiecti distantia: Geographi dum montes & excelsa loca describere & delineare cupiunt in humilibus profundisque vallibus subsident, dum verò ima atque demissa lustrare desiderant, illa ex sublimibus montibus despiciunt.

Operatio & motus differunt; operatio enim est actus perfecti, vt lucidi lucere, & intellectus in actu, intelligere; sed motus est actus imperfecti tendentis in perfectionem, & ideo id quod est in sua vltima perfectione habet operationem sine motu, sicut Deus. Quod autem distat ab vltima perfectione habet operationem coniunctam motui, & quia proficere in beatudine est quidam motus naturæ tendentis in perfectionem; ideo quandocumque Angelus vel homo ponitur in sua vltima perfectione, operatio eius non est meritoria, nec proficiens. D. Thom. in 2. sentent. dist. 11. a. 1.

Cum per alios motus varietur aliquid quod est intrinsecum rei, puta qualitas aut quantitas, aut etiam forma substantialis; per motum localem variatur corpus solum secundum aliquid extrinsecum, scilicet secundum locum, ideo talis motus facilius potest fieri à substantiis spiritualibus, & eo mediante fiunt alij. D. Th. in quæst. disput. de peccatis q. 16. a. 10.

Cæteræ digestiones quietem exigunt, quarta quæ fit in sinistro cordis sinu, motu continuo perficitur

quia illic abundat Spiritus vitalis qui concurrit ad A hunc effectum, cum motu pulsatili, assimilatus motui quo lac acidulum vera transmutatione in butyrum mutatur. per motum nempe fit sanguinis non quidem acidi, sed salsi extenuatio, ita mutatur in Spiritum vitalem, in æthercam sobolem luminis vitalis hospitium immediatum. Van helmont. blas humanum. Etsi multa hyemis spatio sub luto absque respiratione victitent non tamen sine motu ad continuat onem spiritus & lucis vitalis necessario. Ib. *Vide Duratio Cognitionis* assidua rerum diui. meditatio.

Motu cuncta seruantur & proficiunt. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege. 5. Plus est motus quam quietis. Ib. §. 3. Motu res seruantur, situ & torpore dcperennt. Ib. §. 4. B

Fluctuatio nobis aërem recentat vnde fames, quæ maior est in nauigantibus.

TRANSMIGRATIO BONA.

TRansposita de locis frigidis in calido, tempore quo frigidus est aër & de locis calidis in frigido, tempore quo aër est calidus, vt sic fiat contemperatio aëris, sunt in viuendo pluris temporis. Albert. Magn. tract. 2. de morte & vita.

Vide Differentia Contrarietatis. fuga aduersi.

Quod in arboribus facit insitio quo ad domesticationem plantarum, hoc facit in herbis & oleribus transplantatio: cum enim primò seminantur quædam olera, extraneos habent sapores, & non proueniunt ad debitam quantitatem, eo quod vna præripit alteri nutrimentum, propter spissam eorum seminationem, at transplantata abundantius trahunt, & melius digerunt; tales sunt cauli, pori, lactucæ. &c. Albert. Magn. lib. 7. de vegetabil. c. 10.

De migratione gentium. Lazius.

Semen; continens spiritus actiuos, debet in vterum fœminæ infundi, vt è potentia educatur in actum.

Palmæ cum sunt annuæ transferuntur, sed binæ semper, etenim mutatione sedis vehementissimè gaudent. Theoph. hist. plant. lib. 2. c. 8.

Rosam sæpius transferre satius est, sic enim florem pulchriorem effundit Id. lib. 6. c. 2.

Abraham signaculum fidei accepit circumcisionem, quam non potuit accipere dum esset in domo patris, & in consanguinitate carnali. Origen. homil. 3. in Genes.

Abraham & Loth non emerunt domos à Chananæis, quia cum essent pastores, non poterant in eodem loco manere, sed de loco in locum transmigrabant, prout pascua reperiebant meliora, sic habitabant in tabernaculis. Tostat. Gen. fol. 73.

Fœlices sunt extra patriam, qui planetas, alioquin bene configuratos non habent in propriis suis domibus. Cardan. de iudiciis geniturar. cap. 14. Planetæ peregrini homini præstant, si benè dispositi fuerint, melius extra patriam quam in patria; si malè, nullibi. Ibid. cap. 28.

Cuicumque cor cœli est septimus locus suæ ciuitatis, natus illi oppugnabitur in ea, & si fuerit oppositum loci Saturni vel martis vituperabitur, & si ascendens sit locus iste male morietur. Id. aphor. sect. 5. aph. 159. similiter si ascendens habuerit oppositum loci lunæ vrbis illius. aph. 179. tunc igitur transmigratio est optima. *Vide Medium Durationis.* Locus.

Quod vni loco deest, motus quærit in aliis. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege 5. §. 5.

C Ad Papatum promoti mutant nomen, quia obseruatum eos qui non mutauerant, diu non vixisse. Vt Adrianus VI. Marcellus Ceruinus.

Admissi nouitij ad professionem si ibi præfinito numero ali non possint, alio transferantur Vrban. 8. const. 47. declarat. 8.

Tribus in casibus patriam deserere licet, primo vbi honestius alibi viuere possis, vel ob honorem apud alios, vel ob nouitiam apud tuos. 2. cum iniustitia in patriam dominatur, seu ob tyrannidem principis & magistratuum, seu ob insolentiam peregrinæ gentis, seu ob bella ciuilia, vel quia non possumus aliis opitulari quorum nos mouet calamitas. Tertio cum vrget ipsa necessitas velut exilij, D timor potentioris, pestis, fames. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 87.

MAGNITVDO DIFFERENTIÆ.

MAGNA DIFFVSIO.

CORPORA cœlestia cum sint incorruptibilia, propriè non debetur eis locus, qui in cæteris est locati conseruatiuus, ideo non tam locum habent, quam sunt locus aliorum corporum. Albert. Magn. tract. 1. de natura locorum. cap. 2. de loco. *Vide Medium Durationis.*

Scythæ nunc dicti Tartari perpetuò vagantur & mutant sedes, prout opportunè se offert locus pascendis armentis aptus.

Dictum Hesiodi & Ouidij, quod aqua aliquan- E do occupauerit totam superficiem terræ, intelligi debet vaporabiliter circa terram expansa, & non in vnda circumfluente vndique terram. Id. meteor. lib. 2. tr. 3. c. 2.

Vide Magnitudo Bonitatis.

Barbari circa polos & versus septentrionem, mutant sedes prout venationis & piscationis occasio se obtulerit.

Aëris & viuarum aquarum fluxus est perpetuus; spirituum & sanguinis in corpore; torrentium in maris quibusdam partibus.

Digitized by Google

MAGNA DIVERSITAS & distinctio.

PLato dicit septem esse differentias motus localis; scilicet antè & retro; destrorsum & sinistrorsum; deorsum & sursum, & in gyrum. Albert. Mag. lib. 2. de motib. animal. cap. 2.

Motus progressiui quatuor sunt genera, quædam enim animalia sunt gressibilia, quædam volatilia, quædam natantia, & quædam reptilia. Ibid. tract. 2. gressibilium super terram, triplex est motus, scilicet ambulatio, vno pede fixo, dum alter ad motum extenditur; saltatio, vtroque simul pede in aërem, per multum spiritus emissionem in organa motus, sicut mouetur id quod est proiectum. Denique cursus qui fit sicut ambulatio, sed est celerior Ibid.

Nobiliores formæ, habent multiplices potentias. *Vide concordantia differentiæ.*

In plantis vis mascula & fœminina commixta est in semine: at animalia perfecta habent diuersitatem sexus, quia humidum & frigidum fœmininum, impedirent, actionem & constantiam virtutis necessariam ad operationes nobiles masculorum. Albert. Mag. tract. 1. de vegetabilibus.

Diuisio generis in species per differentias proprias est tantum vna, sed diuisio subiecti in accidentia potest esse multiplex.

Ab infinito, finitum quod libet, infinitis gradibus distat.

In motu naturali secundum locum est, contrarietas secundum longitudinem tantum; sed in motu animalium est secundum omnes differentias loci.

In plantis maior est diuersitas quam in arboribus. Planta res varia est atque multiplex, inque vniuersum de ea referre difficile. Neque enim radicem, neque caulem, neque ramum, neque germen, neque folium, neque florem, neque fructum plantæ omnes habere videntur. Theoph. histo. plantar. lib. 1. c. 2.

Folia in cæteris omnibus arboribus sibi ipsa simi-
A lia sunt: populi autem atque hederæ, eiusque qui croton vocatur, dissimilia, figuraq; diuersa habentur; noua enim orbiculantur; veterata in angulum exeunt. at hederæ contra, dum enim noua est, angulatiora folia gerit, cum autem ætate prouecta fuerit, rotunda. Sic apta est foliis immutari. Ibid. c. 16.

Fractio differt à comminutione, quia fractio est separatio seu diuisio in magnas partes: comminutio est separatio in quaslibet partes plurimas plures duabus, & præcipuè secundum vsitatum modum, comminutio est separatio continui corporis in particulas minimas, signum quod est lentum frangitur
B & non comminuitur, glacies & lapides comminibilia sunt & frangibilia: & Later. Nullo autem modo. frangitur vel comminuitur nisi sectum coagulatum. Quæcumque sic sunt coagulata, vt multos habeant poros alternatim siue subalternatim positos quasi in eadem linea, & plurimæ tales lineæ vadant per corporis omnes dimensiones se vbique intersecantes, illa comminuibilia sunt; quæcumque autem habent multos poros non hoc modo alternatos, illa sunt frangibilia. Albert. Magn. meteor. lib. 4. t. 3. c. 6.

Pergæa Diana, Dea quæ semper vagari & errare
C creditur. Suidas Diana significat lunam cursu velocem.

In corporibus cœlestibus non inuenitur ordo per accidens qualis est inter indiuidua vnius speciei, sed solum est ordo per se, cum omnia corpora cœlestia ab inuicem specie differant, nec sint in eis plura indiuidua vnius speciei, sed vnus tantum Sol, vna Luna & sic de cæteris, multo magis Angeli qui sunt in suprema parte vniuersi non debent esse ordinati per accidens, sed per se, & differre non numero sed specie. D. Thom. in quæst. disput. q. vn. de spirit. creat. a. 8. o.

De populis qui habitant in tentoriis & certas non habent sedes ad habitandum. *Vide concordantia*
D *principij.* In malo.

Mirum est in causarum identitate æquiuoca, manum vnam, eandemque, nunquam caracterem eundem verbi gratia. A eodem modo efformare posse.

DVRATIO DIFFERENTIÆ.

PERPETVA SEPARATIO DIVISIO, DIVERSITAS.

DIVITI epuloni refrigerium petenti, dicit Abrahaam, inter nos & vos chaos magnũ firmatum est, vt qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde hinc transmigare Luc. 16.

Quidam Anachoretæ in eremo, nullo vnquam certo loco consistunt ne ab hominibus visitentur. Vitæ patr. lib. 4.

Metallum potest fluere, potest consistere, similiter vitrum, etiam aqua cum conglaciatur, at impossibile est vt aër vnquam consistat aut exuat fluorem. Bacon.

E In se sua per vestigia voluitur annus. Inquit Virgilius, sic apud Ægyptios indicabatur antè inuentas litteras picto dracone caudam suam mordente, quia in se redit. Isidor. origin. lib. 5. cap. 35.

Prælatus qui ab vna Ecclesia recedit, eam postea repetere non potest, nec quid cum ea post translationem commune habet. can. eos. 7. q. 1. cap. quod in dubiis de renuntiat. can. si quis iam translatus 21. q. 2. Renuntiatio in manibus Laici facta in præiudicium superioris non valet, valet in præiudicium renuntiantis, vt iure suo qua sito priuetur, nec ad id redire possit. cap. quod in dubiis 8. de renunt. can.

Digitized by Google

non oportet. 7. q. 1. & prælatus ad dignitatem cui A renuntiauit regressum non habet, nisi ob restitutionem, vel nouam concessionem. c. 2. 3. 6. de renunt. & clem. nt. vnic. eod?

Nullus planeta in æternum redibit ad pristinum locum, nec etiam in longissimis temporum spatijs. Cardan. aphorism. sectio. 1. aphor. 27.

Qui sunt in conclaui ad electionem S. Pontificis, ex quacumq; causa egredientes, ad illud amplius non reuertuntur. Pius. 4. const. 63. §. 14. Bull. p. 68. to. 2.

Eremitæ montis Senarij ab eremo nulla ex causa diuertere possunt. Clem. 8. const. 80. §. 18. p. 91. to. 3. *Vide Minoritas Differentiæ.*

B Perpetua & æterna malorum à Deo separatio. *Vide Duratio Contrarietatis.* Deportatio est perpetuum exilium.

Repudiatam vxorem non licebat amplius recipere. Deut. 24.

Continuũ est quod diuiditur in semper recipientia diuisionem, quoniam diuisio continui formam continui non tollit à diuisis. Non enim diuiditur aliquid nisi in partes constituentes ipsum, at nulla pars continui est indiuisibilis. Albert. Magn. de cœlo & mundo. tr. 1. cap. 2.

MORA.

MVTATIO SENSIM facienda.

C DEciduntur tam oleæ quam pino frondes, licet sensim, occulteque adeo folia permutent, & alternent, vt haud vnquam denudari coma propria videantur, sed palma semper à prima germinatione ad finem vsque ijsdem folijs frondet. D. Basil. in hexam homil. 5.

Initio folia tum arborum, herbarum, florum sunt in gemma complicata, tempore ipso crescentia explicantur, propriumque locum occupant.

Res plures & innumerabiles vicissitudine quadam in eundem locum admittuntur; plures statuæ & figuræ ex eadem cera confinguntur.

D *Vide Minoritas Medij.* transitus ab extremo in aliud sine medio malus.

Deus volens educere populum Israël à cultu Idolorum cui assueuerat in Ægypto, permisit illis sacrificia, sed eorum animalium quæ pro dijs habebantur in Ægypto. Theodoret. in leuit. q. 1.

Verno tempore suum incrementum paulatim recipit dies, vt corpora paulatim etiam assuescant maioribus laboribus suscipiendis, tunc in agricultura, in nauigatione & cæteris. Nimius enim, & maior solito labor, si subitus incidat, corporibus non mediocriter nocet. Idem orat. 1. de prouidentia.

Si quid necessario reformandum, fiat leniter, gradatim, & lentè, vt minimo sonitu orbis ille in Republica conuertatur,

Post emensum occeanum, antequam ad terram continentem perueniatur, occurrunt multæ insulæ. *Vide Duratio Concordantiæ. Mora.*

Vsus cæremoniarum veteris testamenti, non subito sed paulatim debuit aboleri & Synagoga cum honore sepeliri; sic Christus à parentibus est circumcisus. Leprosum mittit ad sacerdotem. Math. 8. act. 16. Paulus Timothæum circumcidit, propter Iudæos qui erant in illis locis; Christus ascendit ad diem festum. Glossa. in 4. Syno. an. Chri. 58.

Omnis motus & mutatio habet prius & posterius, quia habet duos terminos, quorum vnus consequitur alium. Sed numerus prioris & posterioris in motu est tempus, vt habetur 4. Physicor. Ergo omnis motus mensuratur tempore, ergo & motus Angeli. D. Thom. in mag. sentent. dist. 27. q. 4.

Saul non fuit priuatus regno immediatè post peccatum, ita vt illico succederet alius loco eius. Tostat. 1. Reg. to. 2. fo. 11,

Christus voluit paulatim desuefacere discipulos suos ab aspectu præsentiaque sui corporis, ideo nec semper post resurrectionem conspiciebatur, nec omnino in conspectum se præbebat. Sed per vices cernebatur, & non cernebatur. Iustinus Martyr. q. 48. ad orthodoxos.

Apostoli inter initia prædicationis Euangelicæ, non continuo annuntiabant mirabilem Christi natiuitatem, sed inculcabant fidem resurrectionis, cuius in prioribus temporibus præcesserant exempla. D. Chrysost. hom. 3. in Math.

Vide Duratio Virtutis. Mora in acquirenda virtute. *Duratio Maioritatis.* Profectus fit sensim.

POTESTAS DIFFERENTIÆ.

VIS MOTVS.

SYDERA agunt motu, tanquam E operatione delatiua ipsius causæ ad efficiendas res; aspectu modificatiuè, in alio enim situ aliter agunt in eandem rem ipsæ stellæ, vt sol in zenith plus calefacit; minus in mane; mediocriter in vespere. Campanella in præfatione Astrologiæ.

Plato in sua Republica, vult mulieres in gymnastica & bello instar virorum exerceri, quia cum in illis abundet humidum, motu temperatur, vnde videmus rusticas mulieres, vrbanis esse saniores & fortiores.

Nullum corporeum est causa alicuius rei, nisi in quantum mouetur, quia nullum corpus agit, nisi per motum,

Punctus fluens causat lineam, illa superficiem, hæc corpus.

Referunt Babylonios venatibus assuetos vbi in

solitudine deprehenderentur, nec cibaria percoquendi esset occasio, cruda oua fundæ imposita, vertigine assidua tandiu rotare consueuisse, donec coquerentur Rhodigin. lib. 8 cap. 12.

Præcipui scopi pulsuum cordis, sunt primò traductus cruoris à sinu venæ cauæ, ad cordis sinistrum vterum, 2. caloris augmentum, 3. fabrica sanguinis arterialis. 4. spiritus vitalis productio, 5. vt vita participetur primordialis, residens in spiritu cordis insito. Van helmont. blas humanum.

VIS DIVERSITATIS.

Moses quò sibi in posterum gentem firmaret, nouos ritus, contrariosque cæteris mortalibus indidit, prophana illic omnia quæ apud nos sacra. Tacitus hist. l. 5.

B Seditiones firmantur religionis diuersitate, & vsurpationes, vt à Turcis.

Manum efficiunt paratum ad omnia instrumentum, diuisi in ea digiti.

A Horologia cœli motum non annuntiant, nisi distinctis rotarum gradibus, qui pondus in ima tendens, ad certum tempus coërcent, & moderantur ne ruat impetu.

VIS SEPARATIONIS.

Argumenta aduersarij quæ turba valent separatim dissoluenda sunt; flamma quæ magna congerie conualuerat, diductis, quibus alebatur, concidet, vt si vel maxima flumina in riuos diducantur, qualibet transitum præbent. Quint. Inst. ora. l. 5. c. 13.

Ita crimen per partes dissoluitur, quod faciendum est, si sit incredibilis rei ordo, & ipsa expositione fidem perditurus. Ib. c. 13.

Quæcumque explicari coaceruatione non possunt, per partes vicesque leuantur, & facilius est diuisa subtrahere, quorum magnitudo laborat in solido. Id. declam. 5.

(.·.) (.·.) (.·.)

COGNITIO DIFFERENTIÆ.

NOSSE RERVM DIFFERENTIAS.

Vrtica maior, canabus, linum, linaria, & multæ aliæ plantæ, quæ vias venales habent multum fortes, & viscosas & directas, quādo in aqua computruerit caro earum materialis, & postea fuerit exsiccata, comminuitur, & remanent venæ plantarum illarum ad modum longæ lanæ, candidæ mollis, propter viscosum substantiale quod est in eis. & fiunt ex eis panni. Et hic est modus quem habebant Philosophi ad faciendam anatomiam auium; & aliorum animalium, quibus abstrahebant pelles, & postea corpora ligabant contra ictum aquæ vehementis, & tunc abluta carne materiali nutrimentali, tanquam molliori, remansit reticulatum ex venis & neruis animalium, & demonstrabatur modus diuisionis earum in corpore animalium. Albert. Mag. l. 2. de vegetabil. c. 4.

Casu accidit vt exposita auicula mortua aëri ad terrendum alias quæ cancellos perforant, vermes in ea generati sunt, qui totam carnem absumpserunt, relictis ossibus subtilissima anatomia, quam chirurgia non potuisset perficere.

Multorum corporum qualitates lingua non potest penetrare, nisi conterantur, simile est de odoratu.

Difficile est nosse differentias temperamentorum. Vide *differ. virtutis & veritas bonit. Rep.*

Nox diebus media intercedens, temporis mensuras constituit. Nam si lux quædam perpetua, nullo alio intercedente medio permansisset certè nec annorum orbes, nec mensium numerum discere potuissemus; sed vnica illa dies indiscreta fuisset, qualis erit in æternitate. Theodoret. orat. 1. de prouidentia.

Mutuas in eisdem generibus differentias contem-

C plari oportet, veluti quid intersit inter iustitiam & fortitudinem in genere virtutis, Item in diuersis generibus, inter quæ non est magna differentia, vt quid intersit, inter sensum & scientiam. Arist. 1. topicor. c. 16. Propriam cuiusque rei definitionem propriis cuiusque rei differentiis secernere solemus. cap. 18. Si rem aliquam negamus, diuidenda est, & ostendendum nulli parti conuenire, vt animam non esse numerum, quia nec est par, nec impar. lib. 5. c. 4.

De partitione oratoria. Cicero. Quintilian.

In arbore consanguinitatis, gradus sunt, distantia seu mensura, qua cognoscitur quanta sit distantia inter consanguineos habita ratione stirpis.

Acus magnetica, & tabulæ nauticæ designant varias mundi partes ad directionem nauigationis.

Æolus habitus est ventorum Deus, quia ventorum rationem inuenit. Geneb. a. m. 2653.

Stella polaris licet 4. ferè gradibus integris distet à polo arctico, tamen propter maximam à nobis distantiam videtur immobilis. Hinc aliqui asserunt stellas fixas cæteras, habere motus à nobis non perceptos.

D Distinctio aliquorum maximè manifestatur per motum localem, quo ab inuicem separantur.

Grammatica pocula dicebantur, vt scribit Athenæus, quæ litteris forent insignia; cuiusmodi illud in cuius ambitu verba legebantur hæc Διὸς σωτῆρος, id est, Iouis seruatoris. Rhodig. l. 7. c. 31.

Geometria disciplina primum ab Ægyptiis reperta dicitur, quia inundante nilo & omnibus possessionibus limo obductis initium terræ diuidendæ per lineas & mensuras nomen arti dedit. Isidor. origin. l. 3. c. 10.

Dissol-

Digitized by Google

Dissoluendæ sunt partes horologij aut alterius machinæ, vt earum vsus possit deprehendi; sic per anatomiam singulę corporis humani partes examinantur.

Solus Deus cognoscit differentias Angelorum. *Vide differentia virtutis.*

Iabel filius Lamech primus inuenit tentorium portatile. Primus ordinauit greges, & characteribus distinxit. Tostat. Gen. fo. 28.

Sol Orientem, Luna Occidentem, Venus austrum; Mars Septentrionem, Mercurius multiformé mutationé ostendunt. Card. Aphor. sect. 3 apho 87.

Cancer significat aquas pluuias & currentes; Scorpius lacunas & stagna; pisces autem maria. Ib. sect. 5. aph. 64.

Naturam corporumque differentias nouisse impossibile est, sine pyrothecnia.

MVTATIONES ET MOTVM NOSSE.

CVm cœlum colores omnes contineat, nullus in eo color apparet qui non suam habeat significationem. Nubes atra pluuiam indicat, iris imbrem largum ac latè diffusum, rubor serotinus serenum; ita tempestates, aëriſque mutationes omnes prædicet, qui sciuerit colorum naturam, originem, differentias. Paracels. l. de imagin. Vide 2. tomo. *Cognitio contrarietatis*, de phœnomenis.

Tractant physici de passionibus aëris, de generatione & corruptione, & de variis corporis naturalis alterationibus. Medici de morbis, politici de Reip. vario statu; cumque inferiora omnia sint in motu, debent considerari vt mutabilia.

Dicunt Ptolomæus & Rabbi Moyses, quod multi, & quasi innumerabiles sunt motus in superioribus, qui vsque hodie à consideratoribus astrorum non sunt deprehensi.

Non cognoscitur motus, nisi collatis locis, quæ successiuè post se relinquit id quod mouetur, in propinquis auté facilè est loca conferre, & distinguere, quanquam minimũ etiam distent, at in longinquis non facilè, quoniam quod inter vnũ & alium locum est interuallum, è longinquo basim non facit, nec in oculo angulum, si parum sit, propter quod nec moueri apparent. quæ valdè distant, nisi loca multi intersticij compar auerimus; vnde constat stellas fixas magis à nobis distare quã planetas, quorum motum facilè deprehẽdimus. Fracast. l. de homocẽtricis, c. 4.

Fluxus maris in alto & procul à terris vix percipitur.

Probatur contra Copernicum terram non moueri, quia syluæ, mõtes, palatia motu citissimo rapta strepitum continuum & maximum ederent qui non apparet.

Apud Græcos primus Eudymion variam illam atque instabilem Lunæ naturam primus deprehendit, & ideo dicitur captus eius amore. Ludou. Viues de initiis & sectis Philosophiæ.

Tyresias, quem vatem celebrauit antiquitas, Astrologus insignis fuit, ob hocq; dictus sexum mutasse, quod stellarum quasdam masculinas, quasdam dixerit fœmininas. Cardan. in encomio Astrologiæ.

A leguntur; oportet ergo non vni loco hærere, sed diuagari per omnia genera creaturarum vt eadẽquam optimè à principio ad finem cognoscas. Paracels. l. 1. sagacis Philosophiæ in fine. *Vide magnitudo cognitionis.* Scientia Vniuersalis

Plus est nosse naturã quæ est ars diuina, in diuersis mundi partibus & gentium moribus, quã singularem aliquam artem inuenisse & fœlicius videtur seculum nouæ terræ, quam nouæ artis inuentione.

Statim ac aër producitur ex euaporatione corporum, fugit locum in quo natus est, & vult diffundi.

Vide Voluntas differentia, & Virtus differentia, de missione Apostolica.

Aristeas apud Proconenses Philosophus. Animũ suum aiebat relicto corpore sublatum confestim in B aërem, vniuersam tam Græciam, quam barbarã terram peragrasse, insulas præterea cunctas, amnes, montes, nequ alicubi peregrinationem ante cohibitam, quam hyperboreos fines incurrisset. Interea vbiq; gentiũ leges & politicos mores incurrisse, naturas itidem cunctas regionum, mutationes aëris, alluuiones, fluminum emissiones, quin etiam cęlum suspexisse cuius spectaculum propter sublimitatem volatus clarius longè quam qui spectant è terra cõsequi posset: Ita docuit animum omnino oportere peregrinationem aliquam suscipere, si velit assequi rerũ singularum notitiam. Maximus Tyrius ser. 22.

Democritus vltra octoginta annos continuos a-C more philosophandi peregrinatus est, vbicumque gentium se aliquid discere posse putaret Osyris Rex Ægyptiorum orbé magna ex parte lustrauit, & hinc sic gloriabatur vt sepulchri sui columnæ inscribi voluerit. Osiris Rex, nullum orbis locum reliqui ad quem non penetrauerim docens ea omnia quæ pro humani generis vtilitate inueni. Diod. siculus l. 1.

Apud Gothos mos erat, vt regis cũ patre filius non pranderet, nisi prius à rege gentis exterę arma suscepisset. Olaus magn. rer. Septent. l. 8. c. 6.

Ne militaris experientia aliarum gentium ignoretur, mittuntur nobiliores adolescentes in longinquas principum curias, vt addiscant mores, linguã, discrimina personarum, ingenij regionum, pugnarum, acierumq; ordinem, ne rudes ad gubernacula D surgant, aliquibus non contingit, prius in patriam redire, quam regnare. Ib. c. 8.

Sapientes ad ludos olympicos veniebant, nõ lucrum aut gloriam quærentes, sed vt contemplarentur quid fieret in tanto hominum cœtu, cæterum inania mortalium desideria miserti. Ludou. Viues l. de sectis Philosoph.

Pythagoras Memphiticos vates, Plato Ægyptum, Italiam peragrauit, litteras quasi toto fugiẽtes orbe prosequutus est, captus à piratis atque venundatus, quia Philosophus, maior emente se fuit. Sic Apollonius Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, Indiam penetrauit vt perueniret ad Hiarcham Brachmanorum Philosophorum principem. D. Hieron. E Paulino l. vlt. epist.

Eremitarum Camaldulensium duo, singulis triennijs peregrinari tenentur & ad quæ loca. Leo X. const. 2. §. 118. p. 402. to. 1. Bull.

Peregrinatio lustrans exteras Prouincias.

QVo longius te pedes tui in exteras terras proferũt, eo plus oculi tui vident, & aures tuæ audiũt, quia in toto orbe nihil vacuum: vbiuis locorũ in Dei opera, & miracula incides quorum inspectio te politiorem & illustrioré faciet. Debent ergo oculi, aureſq; per omnium scientiarum & artiũ, sapientiæq; angulos peruagari: nec enim in vno cãpo omnes feræ, ac in vno horto omnes fructus visuntur &

Repug. non peregrinandum.

VIde minoritas differentia. Bona. Locũm non mutare.

Iudęis pluribus de causis incõueniens erat peregrinari per terras gentilium; qu a e ant inclinati ad colendum idola; periclitabantur comedere cibos idolis oblatos; sic distantes non poterant venire ad celebritatem Paschæ & cæterorum festorum; tandem non obseruando cæremonias suæ legis, eas possent

obliuisci. Tostat. 4. reg. fol. 86.

D. Gregor. de affectu quorundam peregrinandi Hierosolymam ad videndum loca sancta, dicit hanc peregrinationem non contineri in præceptis, aut consiliis quæ Dominus dedit ad perfectionem consequendam, imo videri contrariã quia certum vitæ tenorem, quem sibi proponit sapiens interrumpit; miscet in via viros mulierum, mulieres virorũ periculosis conuersationibus, & occasionibus in hospitiorum summa licentia; difficile est vt eius, qui per fumũ ambulat, non exasperentur oculi. Quasi vero Dominus corporaliter in illis locis degat, atque à nobis abierit; si Hierosolymis plus inesset diuinæ gratiæ, illic peccatum minus esset frequens & consuetũ, at nullibi malitia plus abundat, quod Christus Deus sit, & ex Virgine natus scimus antequã intueremur Bethleem. Itineris fructus fuit, quod ex collatione cognouimus, nostra externis esse longè sanctiora. Localis mutatio, vt Deus propior sit, non efficit, sed vbi fueris, ad te Deus veniet, si animæ tuæ diuersorium tale inueniatur, vt in te Dominus inhabitet; ergo à corpore peregrinandum ad Dominum, non à Capadocia in Palæstinam. D. Gregor. Nyssen. tract. de euntibus Hierosolymam.

Cum quis summam vitæ puritatem profitetur, habet in animo Bethleem, Golgotham, oliuetum, & in eo magis quam in locis materialibus apparet benignitas Domini nostri erga humanum genus.

A Idem Epistol. Eustachiæ & Ambrosiæ.

Planetæ in domibus suis significant eum, qui à suis magni æstimabitur, amatorem quietis in patria, & fœlicem. Cardan. l. de iudiciis genitura, c. 18.

Auaritia nos velut seruos venales per totum orbem circumfert, quo quid indigemus. D. Chrys. ho. 9. in Math.

Plinius author est Indos propè gentium solos finibus suis nunquam migrasse, cum ad eos omnes gentes accedant, aromatum & rerum pretiosarum causa. *Vide minoritas principij.* Independentia.

Qui dicunt, templum Domini, templum Domini, audiant ab Apostolo, vos estis templum Domini & Spiritus S. habitat in vobis, & de Hierosolymis & de Britannia æqualiter patet aula cœlestis. Antonius & cuncta Ægypti & Mesopotamiæ, Ponti, Cappadociæ & Armeniæ examina Monachorum non viderunt Hierosolymam, & patet illis absque hac vrbe, paradisi ianua. Beatus Hilarion, cum Palæstinus esset & in Palæstina viueret, vno tantum die vidit Hierosolymam, vt nec contemnere loca sancta, propter viciniam, nec rursus Dominum loco claudere videretur. D. Hier. epist. ad Paulinum. B

In ritualibus libris Etruscorum soli muri ciuitatis dicuntur sancti, non portæ, quia scilicet maior & antiquior murorum sanctitas est. Cujac. in notis ad §. sanctæ quoque. Inst. de diuis. rerum. postea etiam portæ ciuitatis habitæ sunt sanctæ. Ibid.

VOLVNTAS DIFFERENTIÆ.

APPETITVS DIVERSITATIS ET NOVITATIS.

IDEO effectus suis causis penitus similes non generantur, vt sit maior in natura diuersitas. *Vide concordantia principij.* Rep.

Luna maximè regit & promouet inferiora, tum propter vicinitatem, tum quia fauet appetitui diuersitatis; facit enim in mense, quod Sol facit in anno; id est ver, æstatem, autumnum, hyemem, & per idem tempus decurrit omnes aspectus cum cæteris planetis. Albert. Mag. l. 7. de vegetabil. cap. 9.

Motus localis non appetitur per se, sed propter apprehensionem delectabilis aut tristis. *Vide differentia contrarietatis.* Fuga mali.

Peripatetici probant cœlum non moueri à natura, quia natura seu forma corporis, non est nisi ad vnum, in quod cum peruenit quiescit in illo, & non mouetur ab ipsa: motus autem cœli ad nullum vbi est determinatum. Debet ergo moueri ab intelligentia, vel ab anima, sic eligente. Albert. Magn. l. de processu vniuers. c. 7.

Appetitur diuersitas, quia delectat, *Vide gloria differentia.*

Omnia naturalia vel in motu sunt, vel ad motum referuntur. Idem.

Natura est principium motus & quietis eius in quo est, per se & non secundum accidens. Cum ergo quodlibet corporum sit alicuius naturæ formalis, oportet quod quodlibet corpus physicum, habeat motum naturalem suam formam consequentem. Id. de cœlo & mundo tract. 1. c. 3. E

Plotin. lib. de generatione, c. 23. Est, inquit, motus qui circa sensibilia, stimulus quidam vel impetus ab alio in aliud vergens & excitans & impellens participem motionis, ne torpeat neque maneat in eodem; verum aliquadam inquietudine, ac velut distracta circa multa sollicitudine quandam vitæ imaginem consequantur. C

Anima non operatur tantùm vnum, sed multa. *Vide principium differentia. ex Alberto.*

Vide cognitio differentia de peregrinatione, & proximè hoc titulo de desiderio Missionis Apostolicæ. *Virtus differentia.*

Cœlum circulariter mouetur, quia non poterat rectè moueri, cum non possit esse extra locum suum, neque potuerint partes inuicem separari. Cardan. l. de rer. varietate, c. 47.

Inter animantia solus homo ciborum expetit diuersitatẽ, tum quia producta & destinata sunt omnia suis vsibus, tum quia in vna specie maxima est temperamenti diuersitas; adde quod necessitati & voluptati opinio multum adiicit. Rodig. l. 7. c. 11. D

Nemo Propheta in patria sua.

Omne corpus de loco in locum mouetur, quoniam quærit simile, aut fugit, persequitur contrarium corpus.

Ipsæmet deliciæ sæpius productæ sapidæ non sunt, nec nisi recentes æstimatorẽ iouent, delicata res est homo, qui consuetis irasci potest voluptatibus.

Portenta licet terreant, sua nouitate placent; solẽ non solito splendore radiantem, sed deficientem, omnes conspiciũt. In humana specie, omnes videre volunt, etiam soluta prætoria, si aliter non detur aditus. Emit vnusquisque hominem suum.

Liber mollitiis debet custodiri ad motum in diuersa inclinantibus *Vide gloria differ. et gloria medij.*

Mens hominis tanta cum auiditate inferiora perlustrat, vt si quod in illis summi boni vestigium est, [illegible]

Arguitur Ouidius, quod non sine fastidio, id quod benè [illegible] Seneca l. 9. contro. 5.

REPVGNAT.

CVm natura semper in vnum tendat, determinatè non se habens ad multa, impossibile est quod aliqua natura inclinet ad motum secundum seipsum, eo quod in quolibet motu deformitas quædam est, in quantum non eodem modo se habet quod mouetur. Vniformitas verò mobilis est contra motus rationem. Vnde natura nunquam inclinat ad motum propter mouere, sed propter aliquid determinatum quod ex motu consequitur; sicut natura grauis inclinat ad quietem in medio, & per consequens inclinat ad motum qui est deorsum, secundum quod tali motu in talem locum perueni- B tur. Cœlum autem non peruenit suo motu in aliquod vbi ad quod per suam naturam inclinetur quia quodlibet vbi est principium & finis motus, vnde non potest esse suus motus naturalis quasi sequens aliquam inclinationem naturalis virtutis inhærentis, sicut sursum ferri, est motus naturalis ignis. Dicitur autem motus circularis naturalis cœlo, quia habet aptitudinem ad eum patiendum & recipiendum ab intelligentia. D. Thom. in quæst. disput. q. 5. a. 5.

Motus ex ipsa sui ratione repugnat ne possit poni finis, eo quod motus est in aliud tendens, vnde non habet rationem finis, sed magis eius quod est ad finem, est enim secundum Philosophum actus imperfecti, finis autem est vltima perfectio. Ibidem. *Vide voluntas gloria quietis.*

VIRTVS DIFFERENTIÆ.

MISSIO SACERDOTALIS ET APOSTOLICA.

VIDE *Bonitas Differ.* Vtilitas motus. C Christus quod transfretat maria, quod loca circuit, non est res humani desiderij, sed causa est salutis humanæ. Ambulat Christus, non vt videret loca, sed vt homines qui variis casibus perierant, inueniret. Ibat diuina remedia largiturus; ibat ad eorum curam, quibus humana iam defecerat cura, &c. D. Chrysol. serm. 16.

Iupiter & Iuno seu Isis & osiris dicuntur mundum peragrasse, vt homines docerent agriculturam & cæteras artes; similiter Hercules populos à tyrannis liberans.

Peregrinus Monachus inter locales Monachos, debet excellere virtute, sicut Monachus inter sæculares. Vitæ Patrum. lib. 5. D

Quidam Serapion Ægyptius se in seruum histrionibus vendidit, vt eos in conuictu ad meliorem frugem adduceret, quod perfecit itaut eos fecerit Christianos; tum redditâ quam ab illis acceperat pecuniâ migrauit in Græciam, & se Manichæis quibusdam vendidit quos & ad Christum conuertit. Is cum esset Monachus non potuit in cella quiescere, non quod traheretur à terrena materia, sed orbem terræ obiens, se rectè & ex virtute gerebat; natus enim erat hac natura, sunt enim naturarum, non substantiatum differentiæ, Vitæ Patrum. lib. 8. c. 82. Sic corpora terrea in vaporem & aërem subtiliata, Ampliorem decuplo locum appetunt. E *Vide Voluntas Maioritatis.* Amplitudinis. Mustum feruens dolio non potest contineri. Caliditas est causa motus. *Vide Contrarietas Differentia*; charitas vrget ad missiones.

Vide Medium Veritatis prædicator & ibidem demonstratio pro missione Euangelica.

Sicut sagittæ potentis, ita filij excussorum. Psal. 126.

In superioribus non est potentia ad omne, sicut in inferioribus, sed ad vbi tantum. D. Thom votis Deo consecrati, mouentur tantum ratione missionis, in cæteris immobiles. Sic secundum Prophetam cœli enarrant gloriam Dei.

VIRTVS IN SECESSV.

LAtet in terra plantarum & arborum radix, vnde pendet earum pulchritudo & fœcunditas. Nam læsâ vel exsiccatâ radice depereunt. Latitant in sua solitudine Monachi sæculo ignoti, mundi tamen intercessores placant Deum, existunt speculum sanctitatis, religionis norma, fidei disciplina, Angelorum socij.

Incipientes in suæ conuersionis exordio ab omnium pariter conuiuentium sunt consortio segregandi, his exceptis quos concedendos præceptor duxerit: nam facillimè labitur, difficulter informatur animus varia hinc inde percipiens documenta. Laurent. Iustinia. lib. de obedientia cap. 20.

Vide S. Gloria Virtutis. Quieta Virtus.

Motor cœlestis, est separatus à materia; & aliæ substantiæ formales, eo magis sunt mouentes, quo fuerint magis separatæ, & ideo intellectus qui separatus est, magis mouet, quam phantasia, & sicut motus sui, magis diuersi: huius rei signum est, quod homo est multorum motuum, & multarum operationum, plusquam cætera animalia. Albert. Magn. tract. 1. de motib. animal. c. 4. Est opinio Auicennæ quod si quis haberet animam agenti intellectui multum similem & eleuatam, quod ille moueret materiam non tantum sui corporis, sed etiam mundi. Faceret miracula. Ibid. cap. 5.

Terra quæ est centrum mundi, cùm sit immobilis ratione motus localis, est tamen maxiè mobiles in centro ratione motus alterationis. Quia virtutes omnes cœlestes confluunt in centrum. Id. 1. Physicor. tt. 2. c. 1.

Locorum amœnitas, dum delectat, auocat ab

intentione operis destinati; neque enim e bona fide in multa simul intendere animus totum potest, & quocumque respexerit, desinit intueri quod propositum erat. Demosthenes melius, qui se in locum ex quo nulla exaudiri vox, & ex quo nihil prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ideoque lucubrantes, silentium noctis, & clausum cubiculum, & lumen vnum velut tectos, maximè teneat. Quintilian. Institut. orator. lib. 10. cap. 3.

Plutarch. lib. de tranquillitate animi, asserit eam non haberi solo secessu à rebus priuatis & publicis & inertia, quæ est animi robigo. Mulierum vita procul à negotiis non est tranquillior, sed laborat propriis malis. Ex perturbationibus Zelotypiæ, inuidiæ superstitionis, & cæteris: videas inquietos homines & seipsos torquentes in lare domestico. Honesta omittere, non minus quam turpia agere molestum est. Vt morbosi homines, nec æstum ferunt nec frigus.

Idem lib. de industria animalium refert alcyonem sic nidum contexere ex spinis piscium, vt tempestate non possit frangi, & aditu sic occulto, sic sibi commensurato, vt nullum aliud animal admittat.

Eremitæ regimen. Gerson. to. 4.

Zachæus præ turba non potest videre Iesum. Ideo ascendit in sicomorum.

Duplici modo possumus hominibus prodesse, aut negotia tractando quorum præsens est vtilitas & gloria, aut in secessu scribendo quod magis communem, perpetuamque habet vtilitatem & gloriam: sic artes, scientiæ, historiæ ad posteros perueniunt, de laude scriptorum. Vide supra *Duratio Cognitionis.*

Moyses cum diuino fruebatur colloquio, montis residebat in vertice, nec cœlestium sacramentorum rudimenta percepit, nisi post solitudinis ingressum. Laurent. Iustin. ser. de Penteco.

Etiam cœlum empyreum influit in inferiora Nec enim hæc nobilissima mundi pars debet esse sine actione.

Qui Domino Deo immolare cupit victimas institiæ, non sequatur viam ... itam, sed imitetur Israël, qui iuit in terram promissionis, per desertum. Rupert. in exod. lib. 1. c. 15.

Differentia importat distinctionem formæ. Differentia specifica vltima est nobilissima, in quantum est maximè determinata per modum quo actus est nobilior potentia.

Id quod est commixtum, nulli miscibilium est idem specie. Religiosus in sæculari commercio, nec est Religiosus, nec sæcularis.

Arbores quæ locis opacis & afflatu silentibus sunt, proceræ, lenes, atque excellentiores exurgunt, nec non si breui sitæ sunt interuallo, modo eodem adolescunt; contra quæ locis, flatibus ac vento expositis atque apricis, vel ... taris, solutisque exeunt, minus tales euadunt concussæ enim à flatibus fiunt nodosæ, retortæ. At his liberæ, longitudinis incrementum perficiunt. Theoph. de causis plantar. lib. 2. c. 11. *Vide Medium Maioritatis.*

Plato dicit inferiora esse ligata à superioribus ideis, quas separatas & miræ potentiæ esse dicebat. Illæ enim sunt quæ generant quidquid generatur, vt asserit. Dicit autem quod ea, quæ separatorum maiorem acciperent similitudinem, & in quibus separata minus immerguntur materiæ, esse virtutes mirabiles in operatione simili operationi ideæ separatæ. Et sic dicit esse mirabiles virtutes in lapidibus pretiosis. Albert. Magn. de mineral. lib. 2. c. 1.

Ridicula sunt Epicuri opinio dicentis solem quoties occidit, extingui, orientem reaccendi. Rodigin. lib. 24. cap. 13. non perit solitarius.

Antiqui in locis agrestibus & pagis lucos idolaque statuerunt; & à tali initio vocabulum pagani sortiti sunt. Isidor. orig. lib. 8. cap. 10.

Ecclesiastici dicuntur clerici, eo quod in sortem Domini sunt delecti, seque continere debent ab omni rerum temporalium turba, vt intentiùs vacent orationi & contemplationi. C sunt duo 12. q. 1.

Semina in superficie terræ facile arescunt defectu humidi ex calore cœli, & siccitate terræ cui adhærent. Secreta virtus proficit.

Non habetur sui cognitio nisi in secessu. Vt non videtur fundus aquæ rapidè fluentis: in calore conflictus, miles plagas non sentit, negotiator ignorat an lucretur, an perdat, nisi adhibito calculo.

Periti nautæ post aliquam nauigationem petunt portum, vt nauem, si fracta aut debilis sit, resarciant, Petr. Dami. de vir. solit. cap. 3.

Isay. 42. & 52. separant se & exeunt de medio peccatorum qui portant vasa Domini; passim in scriptura, commune dicitur quod immundum est. Vt act. 10. Quod Deus mundauit, tu ne commune dixeris, vt igitur immundum dicitur commune, quod sanctum est, nominatur separatum. Si quis Dei solius seruus est, communis non potest dici. Si quis autem communis est, multorum communis est, multi dæmones possident eum, & ab eorum legione possidetur vt Marc. 5. Origen. homil. 3. in fine. in Leuit.

Sancti estote, dicit Dominus, quia & ego sanctus sum. Sanctus Græcè dicitur ἅγιος. Quasi extra terram, quicumque enim se consecrauerit Deo, meritò extra terram, extra mundum videbitur, potest enim & ipse dicere; supra terram ambulantes, conuersationem in cœlis habemus. Ibid. homil. 11. Segrega te, esto semotus intra templum Dei, tanquam sancta indumenta Pontificis, tanquam phialæ sacræ, & sancta thuribula solius templi vsibus, & Dei ministerio vacans. Ibid.

Vide differentia contrarietatis, & differentia minoritatis. Separari à malo & nocino.

Corpora elementaria non mouentur naturaliter nisi cum sunt extra situm, vbi cœlum autem mouetur etiam in suo vbi existens. D. Thom. in quæst. disput. quæst. 5. a. 5. Sic sancti vt beati coniuncti Deo non sunt sine actione.

In deserto omnia præcepta obligabant, & seruabantur, præter illa quæ ibidem seruari non poterant. Tostat. Iosue. to. 1. fo. 84. c. 1. C.

Virtus debet esse precipuum solitarij exercitium. Vide quæ scripsi moral. Christia. to. 2. parte. 1. cap. 11. & 12. & libello de amore Dei agente. cap. 1. 2. 3.

Vita contemplatiua in multis eminet actiuæ; nam 1. intendit, meliori scilicet Deo, calcatis omnibus terrenis contemplando, & amando, actiua autem vita intendit proximum spiritualibus & corporalibus charitatis officiis iuuare. Contemplatiua, mundior est, clarius videt, securior extra pericula posita; quietior, iucundior, habens gaudium sempiternum. Sedebit, inquit Propheta, populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ; & in requie opulenta; est etiam permanentior, hic enim incipiens consumabit in patria; est preciosior quia rarior, nam actiua vita multorum est, contemplatiua paucorum; sic arca Noe inferius erat lata, in summitate constricta, vbi ipse habitabat, denique cum contemplatiua exerceatur in sola cognitione &

laude conditoris, exhibet imaginem æternæ patriæ. Laurent. Iustinia. de oratione. cap. 8.

D. Chryso. hom. 40. in Math. loquens de Apostolis qui sabbatho vellebant spicas. Cur sabbatho illi opus est qui per totam vitam suam agit solemnitatem, qui cœlesti viuit disciplina; qui peccatorum immunis, virtutes obseruat & colit, &c. Solitariis continua quies.

Qui habitare facit in domo, matrem filiorum lætantem.

Hortus conclusus, fons signatus soror mea sponsa. Cant.

Ne propter obstrepentes exteriores tumultus aliquid patiaris detrimenti, habens Christum pro te mortuum in mentis tuæ monumento; aduolue magnum saxum ad ostium monumenti. Diligentem ac perseuerantem adijce menti tuæ custodiam, vt securus valeas possidere thesaurum. Laurent. Iustin. de triumphali Christi agone. cap. 21.

Magis hierosolymam venientibus stella non amplius lucet. Illustratione cœlesti priuantur qui hominum quærunt frequentiam.

Est eorum fuga commendabilis qui declinant noxia, pericula præuident, delictorum euitant causas, æterna desiderant, Deoque inseparabiliter adhærere concupiscunt. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Id. de vita solitaria in prologo.

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, volabo & requiescam. hæ duæ pennæ spirituales sunt ratio & affectio, quibus peruenitur ad requiem, & ad Dei delectabilem gustum. Ib.

In vrbibus regnant passiones ambitionis, auaritiæ, concupiscentiæ, & delicta omnia. His caret solitudo, quia sanctitate affluit, & donis cœlestibus exuberat. Monasteria sunt castra Dei & refugia munitissima, ab incursibus spiritualium bestiarum valdè secura. Ibi custoditur cœlestis margarita; Moyses non nisi in eremo audit loquentem Deum. Helias miraculosè vixit in eremo. Et ibi translatus est, non in vrbibus. Facilis ex eremo in cœlum transitus. Ita Ioannes quo nullus surrexit maior. Per sanctos Anachoretas impletum est, quod prædixerat Propheta. Pinguescent speciosa deserti. Ib. cap. 2.

Solitarius mundo mortuus est, viuus Deo, dicit Apostolus, mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Ib. cap. 11.

Est cella sponsi reclinatorium, virtutum custos, tranquillitatis portus, additamentum pacis, medela vitiorum, contemplationis locus, tabernaculum fœderis, nuptialis thalamus, hortus irriguus, paradisus deliciarum, cœli ianua, schola scientiæ, conscientiæ cathedra, Magistra silentij, spiritualis scala vsque ad polorum alta contingens. In ea si quis sine torpore persistit, fugit lites, nescit odia, detractioni non vacat, temeraria iudicia minimè facit, abhorret otium, nec veretur mortem. Ib. cap. 12.

(∴) (∴) (∴)

VERITAS DIFFERENTIÆ.

QVÆ SIT VERA DIVERSITAS, DIVISIO, SEPARATIO.

VIDE *Differentia Principij.* Diuersitas causarum.

Etsi arma videantur penitus similia, sufficit nominis diuersitas, vt si in vtrisque sit caput bouis, & in vno vocetur caput vaccæ vide Chassanæum in Cathalogo gloriæ mund. 1. parte. concl. 48.

Non sunt tot distincta peccata, quot sunt obiecta, circa quæ vnus & idem actus eodem tempore versatur, vt quot sunt personæ quæ vno actu iniuriis afficiuntur per contumeliam aut detractionem; sed si plures sint actus morales diuerso tempore, & diuersa intentione facti: quamuis grauius sit peccatum, plures, quam vnum offendens. Bonacina de peccatis, quæst, 4. p. 1. Tot sunt numero peccata, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti. Ib. Censentur peccata numero diuersa quando sunt prohibita pluribus præceptis ex diuerso motiuo conditis; vt qui sacerdotem occidit, facit simul plura peccata, homicidij scilicet, & contra reuerentiam sacerdoti debitam. Ib. Generaliter peccata distinguuntur specie per ordinem ad diuersas specie perfectiones, quibus priuant. Ib.

Non potest aliquid dici de altero potius nisi secundum id in quod ab eo differt.

Aliud, alius, alter sunt tres termini habentes idem principium sed diuersos fines diuersa significantes. Aliud significat propriè diuersitatem essentiæ, vnde pater non est aliud à filio in diuinis.

Alius significat distinctionem personæ, vnde alius est pater, alius filius. Alter vel alterum ex vi nominis significat distinctionem solum in superadditis vel in accidentalibus, quia denotat alteritatem, at alteratio est motus ad qualitates tantum vt dicit Philosophus. Sic idem homo, aliter est domi, in foro, in templo. Perbartus in rosario Theologico. Voce aliud.

Cocus mentitur carnes venati as, domesticis et arte dispositis. Rodigin. lib. 25. cap. 25.

Quæ sit vera rei mutatio qua perimitur pignus vel legatum. *Vide duratio æqualitatis.* Repugn.

Fuga aduersi in animalib. fit per constrictionem, vt boni prosequutio per dilationem.

Circa statuas & columnas in foro qui se occultant, vt occursum creditorum effugiant, videntur latitare. l. eum qui. ff. de reb. author. iudic. possidend. Cuiac. obseruat. lib. 1. cap. 13.

Deportati in insulam, intelliguntur in insulam quæ distet quadringentis millibus à continenti. Id. lib. 6 cap. 32.

Absens Reipublicæ causa intelligitur & is qui ab vrbe profectus est, licet nondum in Prouinciam accesserit, & is qui excessit, donec in vrbem reuertatur. l. abesse. ff. ex quib. caus. maio. Id. lib. 12. c. 33.

GLORIA DIFFERENTIÆ.

LÆTA DIVERSITAS.

ALTIORA loca sunt salubriora, A quia perflantur. *Vide Bonitas Maioritatis.* Altitudinis.

De area cœlesti, *Vide Concordantia Differentiæ.*

Quintilian. lib. 1. Institutio. oratoriar cap. 10. quærit an diuersæ scientiæ, quas dixit orationi necessarias. *Vide Magnitudo Cognitionis. Scientia vniuersalis*; possint eodem tempore disci. Fieri posse sic affirmat. Non satis perspiciunt quantum natura humani ingenij valeat, quæ ita est agilis & velox; sic in omnem partem, vt ita dixerim, spectat, vt ne possit quidem aliquid agere tantum vnum; in plura verò, non eodem die modo, sed eodem temporis momento vim suam impendat. An verò citharœdi B non simul & memoriæ, & sono vocis & pluribus flexibus seruiunt; cum interim alios neruos dextra percutiunt: alios læua trahunt; continent; probant: ne pes quidem ociosus certam legem temporum seruat & hæc pariter omnia. Quid nos agendi subita necessitate deprehensi Nonne alia dicim⁹ alia prouidemus? Quæ si velut vno conatu tam diuersa parent simul, cur non plurimis curis horas partiamur; cum præsertim reficiat animos ac reparet varietas, ipsa, contraque sit aliquando difficilius in labore vno perseuerare: ideoque & stylus lectione requiescit, & ipsius lectionis tædium vicibus læuatur; sic quodammodo recentes sumus ad id quod incipimus? Quis non obtundi possit, si per totum diem cuiuscumque artis vnum Magistrum ferat? C Mutatione recreabitur; sicut in cibis quorum diuersitate reficitur stomachus; & pluribus minore fastidio alitur. Idem suademus agricolis, vt arua simul & vineta & oleas, & arbustum colant; pratis & pecoribus, & hortis, & aluearibus, accommodent curam. Ipsi quotidie aliquid forensibus negotiis; aliquid desideriis amicorum, aliquid rationibus domesticis, aliquid curæ corporis, non nihil voluptatibus aliquid damus; quarum nos vna res quælibet, nihil intermittentes fatigaret. Adeo facilius est multa facere, quamdiu. Intra biennium pueri omnia loquuntur verba, quamuis nullo instante; at nouitiis quot annis noua lingua repugnat. D Quod theatro, commessationibus, otiosis sermonibus & cæteris vanis, det Geometriæ, Musicę, & talibus eruditis voluptatibus. Dedit enim hoc prouidentia hominibus munus, vt honesta magis iuuarent.

Idem lib. 2. cap 14. monet non vtendum semper eadem arte in dicendo; sed expedit & decet multa sæpè ex tradito ordine variare, vt in statuis ac picturis videmus, variari habitus, vultus, status: nam recti quidem corporis, vel minima gratia est, nec ad vnum modum formatæ manus; flexus ille corporis, & vt sic dixerim, motus dat actum quendam & factum. Cursum habent quædam & impetum; sedent alia, vel incumbunt; nuda hæc illa velata sunt. quædam mixta ex vtroque. Non decet igitur alligari præceptis vniuersalibus.

In narratione partitio tædium leuat, vt dicam quæ ante rei contractum, quæ in re ipsa, quæ postea gesta sunt. Id. l. 4. c. 2.

Animalia alium habent situm, dum quiescunt, quamdum operantur; aues, alis volantes, quiescunt innixæ pedibus; animalia terrestria quiescendo in latus decumbunt.

Delectat oratio, quæ non fluit vno semper tenore. Sed liberius. *Vide Bonitas Potestatis.* Libertatis.

In Psalmis & orationibus, aliqua debet esse diuersitas, atque varietas, ob eam causam, quod in perpetua similitudine & æqualitate rerum, animo nescio quo modo torpedo quædam, plerumque oboritur atque tædium, eaque re aliud agens ad futiles & vagas cogitationes aberrat. In vicissitudine autem varietateque studium renouatur, & attentio instauratur. D. Basil. lib. regularum fusius disputatarum. cap. 37.

In oratione verba verbis, nomina nominibus iungi non debent, cum virtutes etiam ipsæ tædium pariant, nisi gratiâ varietatis adiutæ. Ita nec vocales vocalibus. Quintil. inst. orat. lib. 9. c. 3.

In cœnis grandibus, cum optimis satiati sumus, varietas tamen nobis ex vilioribus grata est. Ibid. lib. 10. cap. 1. Sic oratores lectione Poetarum & elegiarum reficientur.

Pronuntiatio varia debet esse pro varietate rerum quæ dicuntur, sic enim gratiam præbet, renouat aures, dicentem ipsa laboris mutatione reficit, nihil enim pati vnum diu possumus. Ib. lib. 11. c. 3.

Hinc fit vt ea quæ sunt præter naturam, & monstra carè emantur.

Quidam à Patre agriculturę addictus, laqueo se suspendit. Cum in tabula scripsisset; agriculturam esse rem infinitam & nunquam absolui, serendum enim vt metamus, & metendum vt seramus absurdo rei circuitu.

Tenebrarum, lucisque varietas vitam nobis iucundiorem reddit. Vnde aurora meridie multo desiderabilior est, vbi enim nos lucis satietas interdiu cepit, nocturnâ quiete nobis opus est, & denuo lux nobis grata oritur. Theodoret. orat. 1. de proud. *Vide Gloria Principij.* Initij.

Ex agro vrbi vicino hoc habetur, vt te nunquam neque agri, neque vrbis odium capiat

Sicut Deus voluit corpus ex diuersis constare membris, ita varietatis dapib⁹ voluit, & iussit enutriri.

Digitized by Google

Inopinatus casus, si non sit grauis, risum mouet, vt cum quis ad sua negotia properans, cadit; insperata frustratio intentionis placet aliis. Fracastor.

Sol optimo telescopio 15. pedum, inspectus, apparet instar continuo ebullientis & feruentissimi æris, flammæque liuidissimæ, continuè sese in gyrum reciprocantis.

De lectis pensilibus. *Vide Bonitas Differentiæ*, vtilitas motus.

Pronomen in Grammatica dictum est, quia pro vice nominis ponitur, ne fastidium faciat nomen ipsum dum iteratur. Nam cum dicimus Virgilius scripsit Bucolica, addimus pronomen ipse scripsit & Georgica, sic varietas significationis, & fastidium tollit, & ornatum inducit. Isidor. origin. lib. 1. cap. 7.

Affectati dicuntur capilli, cum anxia cura franguntur in gradus voluunturque studiosius à cincinnatulis. Rodig. l. 18. c. 10.

Viatoribus multa ex improuiso occurrunt, quæ non ingratè morantur properantes.

In domibus maiorum consueuerunt disponi loca pro omnibus quatuor temporibus anni, potissimè hibernalia & æstiua. Tostat. Indic. fol. 310. c.

Homines diuersitate & mutatione delectantur, quia naturæ humanæ consona videtur mutatio, cum hominis natura non sit vnica & simplex. Ar. 7. ethic. Tost. 2. Paral. f. 120.

Grata & vtilis diuersitas. Vide quæ scripsi de iure naturali l. 1. lege 2. §. 3. Sapienti vtilis & delectabilis est deambulatio. Moral. Christia. tom. 2. parte 2. cap. 1. & 2.

SECVRITAS EX DIVISIONE *& separatione.*

FRuges diuersis temporibus producuntur, ne simul lædantur. *Vide duratio bonitatis mora.*

In eo quod est omnino abstractum à loco & tempore, nihil operatur neque temporis diuersitas, neque loci distantia. *Vide gloria virtutis*, quieta & solitaria virtus.

Romani à barbaris circundati, quadrangulari forma interrupta, & in manipulos dissoluta, circumuenerunt eos à quibus circumuenti fuerant. Suidas in voce *πλαισίον*.

Rei obtinere nituntur à principe euocationes, vt in alio loco iudicentur, quam eo vbi crimen commisit, sic enim actori maior esset probandi difficultas. Hoc tamen prohibet Iustin. Nou. 69.

Fascinatio non fit nisi de propè, & in teneros homines. Tost. Gen. 278. & parad. f. 57.

Vide differentia contrarietatis & differentia minoritatis. Fuga mali.

Sanctus Hilarion habitans eremum latrociniis famosum, nunquam in eodem loco manebat. D. Hier. in eius vita.

Diogenes pauperrimus habuit pro domo dolium, in quo cum se contegeret, volubilem se habere domum iocabatur, & se cum temporibus immutantem. Frigore enim os dolij vertebat in meridiem, æstate ad Septentrionem, & vtrumque Sol se inclinauerat Diogenis simul prætorium vertebatur. Idem l. 2. adu. Iouin.

In Babylone ædificia non sunt continua, sed ferè spatium iugeri vnius absunt, & ipsa non sunt continua, credo, quia tutius visum est pluribus locis spargi. Q. Curtius, lib. 5.

Fures & latrones iter agunt, fermè perpetuum, sic enim decipiendi & furandi & occidendi occasiones nunquam desunt illis, & tutiores sunt à publicis ministris. Cardan. de arcan. prudentiæ, cap. 86.

Aduersarius noster diabolus circuit tanquam leo rugiens, quærit quem deuoret.

Qui sub potenti inimico plures habet filios, diuersis in locis & regionibus constituantur, ne simul pereant. Id. c. 130.

VIÆ LIBERTAS *& securitas.*

MAth. 8. possessi à dæmone habitant in monumentis, sæui nimis, itaut nemo posset transire per viam illam. Ita dæmones venientibus ad Christum, præcludunt viam; transitum denegant; ne ad Deum homines possint reditum inuenire; at Christus factus est via, quia ad Deum, nisi per Deum non possumus peruenire. D. Chrysolog. ser. 26.

Laquei pœna præpostera incluso spiritu, cui quæritur exitus. Plin. sic obsessi coguntur ad deditionem. *Vide contrarietas differentia.*

Multi principes alueos & fossas nauigabiles duxerunt à fluuiis in alios fluuios, vt difficultatibus itinerum mederentur, fauerentque commerciis. Vide Georg. agricol. m. l. 3. de his quæ fluunt ex terra.

Aquilo dicitur à S. Hieronymo scopa viarum quod lutum detergat.

Præsidibus præcipitur constituant in suis prouinciis latronum persecutores. Nou. 8.

In Septentrionalibus regionibus, cum publicæ viæ tempestatibus lignorum syluarumque casu obstructæ sunt, communi sumptu & labore penes littora marina, ac ipsum mare congelatum signis in glacie constitutis vias generales deducunt, lignea constituunt hospitia, foco carbonario abundanti vt fieri solet ad læta conuiuia. Olaus magnus, lib. 1. cap. 16.

Doffrini montes altissimi inter Suetiam & Noruegiam, cum ob casus repentinos niuium viam itinerantibus non præberent, nisi illam aliqui indicarent, circa illam ex altissimis & durissimis saxis positæ sunt statuæ à piis Noruegiæ regibus. Id. l. 2. cap. 15.

In corpore spiritus qui calidus est, siccitate actuali indurat interiorem tunicam arteriarum, vt emollita non concidat, & tunc spiritus transire non possit; humida enim mollia conciduntur, incuruantur, claudunt vias & poros. Albert. Magn. l. de spiritu & respirat. c. 4.

In omni quod nutritur debet esse spongiositas & porositas corporis, quia aliter calore diuidente, corpus nutriendum non haberet nutrimentorum vias ad singulas partes, secundum speciem determinatas in corpore. Ibid. tract. 1. de nutrimento, cap. 2.

Ex terrestri plantæ expulso ad superficiem, fit cortex durus, asper, vt protegat succum inter ipsum & substantiam arboris à radicibus ascendentem. Id. l. 2. de vegetab. tract. 1.

Figura plantarum est vt plurimum rotunda columnaris, quia hæc figura competit motui nutrimenti quod in strictura angulorum retineretur, & retentum putresceret, quod non accidit in rotundo

non stringens nec impediens eleuationem alimenti. Ibid. c. 5.

Geographi mens securè, maria, syluas, hostium terras pertransit, sic mundum homo spiritualis.

Gregorius XIV. prohibet constitutione sua, ne insidiatores & latrones viarum fruantur immunitate Ecclesiarum, vt refert Bonacina in tractatu de immunitate Ecclesiarum.

Euphrates rumpit montem Taurum per latitudinem duodecim millium passuum, tantus est impetus aquarum eius. Tostat. in Gen. fol. 106.

Aër terræ visceribus inclusus, & ab igne subiecto rarefactus erumpit impetu maximo. *Vide voluntas differentiæ, & medium differentiæ.*

Qui conuertit mare in aridam in flumine pertransibunt pede. Ps. 65.

De duobus geminis fratribus qui sola approximatione aperiebant ostia clausa. *Vide minoritas medij*, non vti medio.

Bannitis & viarum grassatoribus, nullus saluus conductus aut litteræ remissionis suffragantur quo minus statim capi & incarcerari possint. Pius 4. const. 17. §. 3. Bul. p. 29 to. 2.

Romæ est congregatio quorundam Cardinalium, pro viis, Pontibus & aquis curandis. Paulus V. const. 75. p. 226. to. 3.

Deprædantes aut impedientes Romipetas excommunicantur. Vrban. VIII. const. 62. §. 9. p. 76. to. 4.

Magistri viarum officium est curare quæ pertinent ad viarum commoditatem, & vrbis decorem. Martin. V. const. 9. p. 246. t. 1.

SPLENDIDA ET HONORIFICA distinctio.

IN animalibus habentibus sanguinem, spiritus diuersam habent viam ab alimento. *Vide differentia medij.*

Non licet iuxta arma principis, arma ponere sordidorum hominum l. si qua, cod. de spectacul.

Rex non potest in totum dare alteri arma sua, vt habet plana. *Vide maioritas bonitatis*, prodigalitas.

Exo. 20. Deus præcipit altaria sibi ædificari ex lapidibus impolitis vt possint facilè extrui & destrui, ne gentes illis abuterentur. Theodoret. in Exod. q. 44.

Non conuenit statim post sumptionem Eucharistiæ, materialem cibum sumere; donec species alterentur. Bonacina, de Euch dist. 4. q. 3.

Nobilis quidam Ioanni Papæ Constantinopolim petenti, commodauit equum, quo mansueto vxor vtebatur; postea mulierem non est passus sibi insidere. Lectio Breuiarij 27. Maij.

Ordo S. Michaëlis in Gallia nobilissimus quippe referens militiam cœlestem, cui præsidet S. Michaël & initio illustrioribus tantum 36. viris. collatus, postea plusquam ducentis in illum admissis abijt in contemptum.

Reges Persarum thronum habebant aureum, in quo nullus alius poterat sedere sub pœna capitis. Curt. l. 8.

In Regno Calecut, soli Regi licet habere elephantem. Dauity.

Apud Sinenses flauus color Regi proprius est, & nulli licet alteri deferre. Idem.

A Lex fuit Athenis, vt meretrices vestes ferrent horridas, varias, ornatas, nitidas. Suidas in voce ἑταιρῶν, vt honestæ fœminæ à similibus abstinerent.

Vestes quarum vsus est in sacris, distinctæ debent esse ab his quæ deferuntur extra templa, vt constat ex Plinio l. 9. cap. 1. & sic præcepit Deus per Moysem. Exod. 29. & Ezech. 44. & in lege noua Conc. Trident. sess. 22. cap. 5. indicant enim mysticè functiones quæ exercentur, & sanctos mores ministrorum, magis etiam assistentes excitant ad venerationem sacrorum rituum. D. Thom 3. q. 83. a. 3. his extra Ecclesiam non licet vti, vt sup. ex Ezech. 44. & can. vestimenta, de consec. dist. 1. Ideo Baltazar punitus; vsu consumptæ comburendæ potius,

B quam in prophanos vsus conuertendæ sacræ supellectiles. *Vide gloria medij.*

In auguriis vulture potissimum vtebantur Romani quia rarò conspicitur, non enim quispiam vulturis nidum offendit, de repente enim & inopinato aduolat, vt eorum aspectus semper aliquid significet. Romulus vulturibus 12. in condenda vrbe visis fratri prælatus est. Aug. Niphus l. 1 de auguriis cap. 10.

Thomas morus in sua Vtopiæ Republica lib. 2. refert reos annulis & cathenis aureis manibus & capiti impositis infames fieri, vt honesti ciues abstineant ab eorum gestatione; similiter pueros gemmis

C ornari solitos, vt pudeat viros effectos ea gestare, sed vt talia velut puppas abijciant.

Prohibitio sæpè non est nota indignitatis, sed excellentiæ, vt patet in arbore vitæ plantata in medio paradisi; in rebus sacris quas omnibus non licet attingere; in sacris scripturis quarum lectio omnibus promiscuè non conceditur.

Cum portabatur arca fœderis præcedens Israëlitas, ipsa sola portabatur absque aliis vasis, & cætera vasa portabantur in medio Israëlitarum; sacerdotes & Moyses comitabantur Arcam. Tostat. Num. to. 1. f. 124. c. 3. K.

Quia Deus sanguinem pro se elegerat ad expiandum, voluit vt Iudæi non comederent sanguinem. Idem in Gen. fo. 117.

D Apud Hebræos erant dies sancti & solemnes, vt Paschæ, Scenophegiæ in quibus fiebant specialia sacrificia, oblationes & alia pertinentia ad magnitudinem horum dierum quæ non fiebant in aliis. Id. Exo. to. 1. f. 80. c. 3. f.

Israëlitas voluit Deus distinctos esse ab aliis gentibus, in rebus & in signis. Idem num. tom. 1. fol. 217.

Thymiamate ex aromatibus composito quod Deo offerebatur & incendebatur, non licebat vti alicui homini priuato. Idem Exod. to 1. fol. 17. Vide Exod. 30. prohibitionem.

E Prohibuit Deus carnem manducari cum sanguine, vt nos separaret à similitudine bestiarum, quæ cum esu carnis lambunt etiam sanguinem eorum, quorum carnes comedunt. Iustinus mart. q. 145. ad Orthodoxos.

Subpolares populi sacrificia non incendebant per æstatem cis lucente Sole, ne Solis lumini vel ardori viderentur illudere. Olaus Magnus, lib. 3. cap. 2.

Diuites totam vitæ humanæ rationem mutarere, ne aliquid cum illis commune plebs habeat, alia hora petunt stratum, alia surgunt, alia cœnant, nocturnas agunt choreas, cum cessationem operum indicit Solis absentia; illis maxima voluptas, tunc loqui, tunc turbari, cum cæteri silent, & cum toto orbe quiescunt.

Petrus

by Google

Petrus à Nerone affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis, asserens se indignum crucifigi, vt Dominus suus. D. Hieron. de scriptorib. Ecclesiasticis.

D. Greg. PP. in Registro, l. 1. ep 41. non probat trinam in baptismate immersionem. Ne videamur consentire cum hæreticis qui illam seruabant, & ne videantur mores nostros vicisse.

Tot fuere quæstiones de celebratione Paschæ, ne consentiremus cum Iudæis.

Deus educens populum Israël ab Idololatria cui assueuerat in Ægypto, permittit quidem illis sacrificia, sed eorum animalium quæ sacra habebant apud Ægyptios, vt tauri.

B Iudæi adorant conuersi ad occidentem, ne consentiant cum gentibus quæ adorant ad Orientem. Tost. Exo. to. 1. f. 154.

Vide differentia minoritatis, distingui à malis.

Fideles non habeant nomina infidelium. *Vide cognitio virtutis*, præclara nomina.

A Apud Indos proceres & Dynastæ non habitant in vrbibus, sed extra illas domos habent muris & fossis munitas. Gotard. in India Orientali.

Hymnus Angelicus, Gloria in excelsis, &c. nunquam dicitur in missis defunctorum, in diebus luctus, jejuniorum ac ferialium, quia cum in eo commemoretur gloria cœlestis, in solemnitatibus, non communibus ferijs, ad ostendendam differentiam cultus diuini, cantatur. D. Thom. 4. senten. dist. 13.

Alexander equum Bucephalum, non eodem quo cæteras pecudes animo æstimabat; namque ille nec in dorso insidere suo alium patiebatur, & regem, cum vellet ascendere, sponte genua submittens excipiebat, credebaturque sentire quem veheret. Q. Curtius, l. 6.

Demetrius ferebat vestem, astrorum & mundi imaginem referentem, cum imperia exutus est Macedoniæ, nec vllus postea regum illa vti ausus est. Rodig. l. 16. c. 8.

CONCORDANTIA DIFFERENTIÆ.

DIVERSARVM RERVM CONCORDIA ET VNIO.

C DICTVM est ab antiquis eum qui scit rerum similitudines posse interpretari somnia, quia futuri scientiam velabant dij sub metaphora & deceptione, velut eam inuidentes hominibus.

In Deo vno est infinitas, & in creatis illi proximioribus magna diuersitas: Ita cœlum octauum, quantæ sit multiplicitatis, ostēdit multiplicitas suarum stellarum; quæ cum sit in eo quod mouetur oportet quod respondeat per congruentiam multiplicitati potentiarum quæ sunt in motore; sic intellectualis anima, multiplicior est, quam forma lapidum, vel mineralium; ita efficitur potens ad omnia D cognoscenda, & cum sit vicina causæ primæ multas habet cum ea similitudines, quæ sunt proprietates & potentiæ ipsius, diuersæ, quæ non sunt vnum cum ipsa, & inter se. Alb. Magn. trac 1. de intellectu & intelligibili, c. vlt.

Colores Iridis causantur ex eo quod nubes irradiata à Sole, partes quasdam habet altiores, & alias demissiores, & quasdam crassiores quam vt Solem transmittant, & alias subtiliores, quam vt Solem excludant: hæc inæqualitas alterutris, lucem, vmbramque permiscet & illam mirabilem arcus speciem repræsentat. Idem l. de passionibus aëris.

Viua corpora sunt magis heterogenea, id est, ex diuersis composita quam non viua; recedunt tamen magis ab excessu contrariorum per æquabilitatem E complexionis, sic cum sint cœlo similiora, habent maiorem potentiam in materiam. Idem l. 1. tit. 1. c. 1. de vegetab.

Possumus simul multa facere, diuersisque studijs intendere. *Vide gloria differentia*, diuersitatis.

Gratior est vnio diuersorum, quam similium. Vide ibid.

Alexander diuersos populos in vnum conciliauit. *Vide æqualitas voluntatis.* Æqualis ad omnes charitas.

Vide concordantia æqualitatis, mala.

In omni regione ciuitateque, plebs cum illis, qui extra plebem sunt per amicitiam coniungenda, vt maxima sit in omnibus his consensio. Plat. 6. de leg. *Vide concordantia maioritatis.*

De duabus naturis in Christo, l. 1. vnus ad Trasim, Fulgentij.

Vidimus frustum magnetis per vnam faciem, magnetem trahere, non ferrum; per aliam ferrum non magnetem, per aliam vtrumque, quod indicium est in vna parte plus esse magnetis, in alia plus ferri, in alia vtrumque æqualiter, vnde fiat diuersitas illa tractionis. Fracastor l. de sympathia, c. 5.

Ruffinus in proëmio l. 2. de vitis Patrum; Refert Anachoretas Thebaïdæ incolas cellulis separatos fuisse, sed charitate connexos.

Materia & forma sunt duo generationis principia in sublunaribus. Arist. 1. Phys. 7.

Quæ natura & substantia diuersa sunt, per artem fiunt vnum, vt ligna, lapides faciunt domum

Regina Saba, rediens à Salomone, duxit secum 12. Iudæorum millia, ex vnaquaque tribu mille, ibi magno numero propagatis, iam Æthyopes præsertim nobiles se è semine Israëlis esse gloriantur. Geneb. a. m. 3150.

Aggregatum per accidens est compositū constans vel partibus diuersi generis & naturæ vt domus; vel partibus eiusdem generis, sed quarum vna non sit actus seu forma respectu alterius, vt exercitus, aceruus lapidum, &c.

Stannum cum propter suam humiditatem non sit sonorum æquè ac æs & argentum, quæ acutè sonant, illis admixtum grauat sonos eorum, ideo admiscetur æri in infusione campanarum. Alb. Magn. de minera, l.4.c.4.

A

Mista libatio soli mercurio offerebatur, quod & viuentibus & defunctis præsit. Suidas.

Plantæ quædam habent familiaritatem cum lapidibus. Nam vrticæ, saxifraga, parietaria nascuntur in petrosis.

Diphyis lapis genitale vtriusque sexus, distinguente linea ostendit. Georg. agricola l.5. de natura fossilium.

Quibusdam gemmis tanta coloris varietas est, vt vno nomine diuersas gemmarum species videantur complecti, inter quas est Iaspis, Opalus, Achates, Panchros ferè ex omnibus coloribus constat, illi similes sunt vitrei globi, quibus includuntur varij colores, &c. Ib. l.6. in fine. Differunt marmora coloribus & maculis ex qua varietate multa oriuntur genera. Ib. l.7.

B

Cum vrbs Corinthiorum conflagrasset, incendio perustis plurimis statuis atque simulachris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxerunt, hinc celebratum vbique æs Corinthium. Rodig. l. 21. c.25.

Panegyrica dicuntur quæ ex pluribus aggregata sunt, sic vocantur nundinæ & conuentus omnes, hinc panegyricæ orationes quæ in talibus habebantur. Id. l.29. c.12.

Refert Diodorus Siculus statuarios Ægyptios tantum arte præcelluisse, vt ex variis lapidibus diuersis positi locis vnum simulachri corpus efficerēt conuentu partium ita præfinito, vt vno loco ab eodem artifice esse perfectum videretur. Idem lib. 29. c. 24.

C

Centones apud Grammaticos sunt opera composita ex versibus, versuumque partibus Homeri & Virgilij. Isidorus orig. l.1. c.28.

Cum Sabini & Romani simul ciuitatem vnam constituissent ne generis diuersitas esset seditionis occasio, omnes communi nomine Quirites dicti sunt.

Ex omnibus ordinibus Ecclesiasticis vnum constituitur Sacramentum, quod dicitur ordo.

Ioan. 10. dicit Iesus, habeo alias oues quæ non sunt ex hoc ouili & illas oportet me adducere, vt fiat vnus grex & vnus pastor.

D

Plantæ sunt analogicè animalia, radices sunt quasi bucca, caudex vt venter, rami vt brachia, frondes vt capilli; cortex vt corium, intus sunt fibræ, neruique plurimi pleni spiritu.

Imaginatio distita connectit, vt quia visus est mons, & visum aurum, sibi fingit montem aureum.

Sicut corpus vnum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa vnum tamen corpus, 1. Cor. 12. Si ergo multa sunt vnum, & vnum multa, vbi est differentia? nullū per se potest corpus efficere, sed similiter est mancum, & eget coniunctione, quod est oculus hoc est pes, quod attinet ad hoc quod sit membrum. D. Chrys. ho. 30. in 1. ad Cor.

E

Leu. 18. præcipitur, ne ducas vxorē sororem tuam, neque sororem patris, neque aliā puellam quæ tecū habet cognationem quæ prohibet matrimonium, &c. Cur in angustum redigis latitudinem charitatis, aliam habes occasionem amicitiæ fouendæ, externa & præter cognationē vxore ducta, & propter illā cognatorum seriem, & patrem, & matrem, & sorores & eorum necessarios. Ib. hom. 34.

Diuinæ bonitatis est omnes gradus creaturarum vniuersi complere, sed quædam creaturæ sunt purè corporales, quædam purè intellectuales ergo ad completionem vniuersi oportet esse creaturam ex corporali & intellectuali natura compositam. Ipsa coniunctio animæ & corporis est quædam similitudo diuinæ beatitudinis, qua coniungitur spiritus Deo; anima etiam per operationes quas exercet in corpore, ad diuinam beatitudinem accedit merendo. D. Th. in l.2. sent. dist. 1. a.4.

Angeli specie differunt quia vnus complectitur totam suæ speciei perfectionem; *vide magnitudo differentiæ*, & si affectio sequitur cognitionem, cum superiores Angeli intelligant per species magis vniuersales, ideo eorum dilectio magis respicit commune bonum. Magis ergo diligunt se inuicem si specie differunt, quod magis pertinet ad perfectionem vniuersi, quam si in specie conuenirent, quod pertineret ad bonum priuatum vnius speciei. Id. in q. disp. q. vn. de spir. creat. a. 8. ad 5.

Ad actionem duo requiruntur, scilicet distinctio agentis & passi, & contactus eorundem. Tostat.

Vellus vocatur lana ouium, quia pili propter suam longitudinem & teneritudinem, concatenantur & contexuntur, itaut vnum sint: pili vero caprarum non possunt facere vellus. Id.

Senes equi iuuenibus militibus, iuuenes equi veteranis. *Vide virtus medij*, mediocritatis.

Multarum personarum proprietates simul videmus in vno corpore, patris nasus, aui oculus, patrui incessus, matris sonus vocis & loquelæ; atque vnus homo spectatur tanquam planta quædam, quæ multarum arborum surculis insititiis in se receptis, innumera quoque fructuum genera decerpentibus & colligentibus præbet. S. Greg. Nyss. orat. 3. de resur. in fine.

Oportuit mundum constare multis & diuersis quæ venirent in vnionem. Vide quæ scripsi de iure naturali, l.1. lege 2. & de vniuersali mundi harmonia. Theologia naturalis, to. 1. parte 1. c.15.

Mel dicitur balsamum florum.

Verba Græca & Hebraïca miscentur officio diuino lingua Latina celebrato. *Vide minoritas cognitionis*, vsus ignotæ linguæ in sacris.

Qui ex diuersis vnum efficit censetur eius Dominus, *vide gloria cognitionis*. Scientiæ excellentia.

Ad euitandum scandalum possunt Religiosi diuersi habitus missi ad prædicandum de nouo conuersis, se in vnum superiorem habitū & propositum conformare, cap. Deut. 11. de vita & honest. cleric.

Virtus magnetica in multis elucet, in omnibus fortè reperitur.

Explicatio animalium Ezech. quadriformiū. *Vide finis minoritatis*. Cessatio mali & defectus.

OMNIA IN OMNIBVS.

V*Ide concordantia principij*, partes suo vniuerso conformes.

Vrgente necessitate potest puer baptizari in qualibet minima corporis parte. Sic enim dicitur ablutus, licet ordinariè ablutio & infusio fiat in capite. Bonac. de Sacr. disp. 2. q. 2.

In qualibet triplicitate signorum Zodiaci, est signum fixum, & mobile, & commune.

Quæcumque in omnibus, aut plurimis apparent, sumenda sunt quasi principia, & probabiles theses; hæc enim concedunt qui non vident aliqua in re, non ita habere. Arist. 1. topicor. 14.

Loci communes seu parallela, l.3. Ioan. Damasc.

Digitized by Google

Pater mutius ex latrone ad vitam Monasticam conuersus, cum peteret præcepta sibi dari quæ viam salutis ipsum docerent; traduntur ei tres primi versiu. primi psalmi, quibus attentè consideratis sufficere sibi ait eos ad viam salutis & pietatis. In vitis Patr. l. 2.

Ecclesia est tota in qualibet parte. *Vide concordantia virtutis*, Ecclesiæ vnitas. Ex Petro Damiani.

In montibus magnis, vt Parnasso, olympo & cæteris, nasci omnia certum est, scilicet ratione varietatis locorum. Habent enim stagnantia, madentia, sicca, crassa, saxosa, prataque, media omnia penè telluris discrimina. Ad hæc alia concaua atque trāquilla, alia sublimia, & ventis exposita, itaut permulta & varia gignere possint. Quæque planis proueniunt, isti quoque præstare valeant. Theoph. hist. plant. l. 3. c. 3.

Seminis animalium quælibet portio, totius vim habet, qua corpus vniuersum conformetur. Feru. Phycolog. l. 7. c. 2. & 3.

In fossilibus videre est rerum omnium species, Solis, Lunæ, Stellarum, fluminum, animantium, aut partium corporis. Georgius agricola l. 1. de natura fossilium. Vt sal pluribus locis generatur & foditur in montibus, sic & ibid. diuersis conchilia in locis formantur sicut in mari, à spiritu terreo lapidescente. Ibid. l. 5.

Mali Angeli non sunt dicendi creatores, quia per illos magi ranas & serpentes fecerunt, non enim ipsi eas creauerunt, omnium quippè rerum quæ corporaliter visibiliterque nascuntur occulta quædam semina in corporeis huius mundi elementis latent, quæ Deus orig naliter eis indidit. Magister sentent. l. 2. dist. 7. q. 3.

Media continent extrema sic corpus humanum, inter alia medium & temperatissimum est. *Vide veritas medij.*

Omnia sunt in omnibus. Vide quæ scripsi, de iure naturali l. 1 lege 4.

Pœcunia est prætium rerum omnium, sic quodammodo omnia. Arist. 5. ethic. c. 5.

Vide potestas minoritas. Vnum multis æquiualens.

MVSICA.

Albert. Mag l. 4. de animal. tract. 2. c. 1. Refert quosdam esse pisces qui delectantur sonis musicis, & sic à piscatoribus capiuntur; sic ferunt musicæ amatorem esse Delphinum. Vt testatur fabula Amphionis.

Natura ducimur ad modos. Pythagoreis motis fuit, & cum euigilassent, animos ad lyram excitare, quo essent ad agendum erectiores; & cum somnum peterent, ad eandem prius lenire mentes; vt si quid fuisset turbidiorum cogitationum, componerent. Quintil. institut. orator. lib. 9. capite 3.

Laudes musicæ & quod cum opus est, animos molliat, dolores mitiget, timidos accendat, &c. Vide apud Chasseneum, in catalogo gloriæ mundi, parte 10. consid. 51.

De musica. Aug. to. 1. Plutarch.

Dijs cœlestibus gratam esse musicam ex eo constat, quod ad eos placandos instituti fuerint ludi scenici ea maximè constantes, tibicen omnibus supplicationibus adhibitus, ille in triumphis Marti, Apollini cythara, Musis tibiæ tribuuntur. Tibicinibus per quos numina placantur, permissum ludos publicè facere; vesci in capitolió, personatos temulentosque vrbem peruagare; mentes per cantus diuinam suam naturam agnoscunt, &c. Censorinus de die natali, c. 12.

Remigem cantus hortatur, & singulorum fatigatio rudi licet modulatione solatur. Omnes demulcet quia mundus ipse musica quadam ratione compositus est; cum I eo mouente canamus & Deū canere nos oportet. Vix nati pueri musica demulcētur. Aëreus enim spiritus, aëre ordinatè moto delectatur; musicam docet amor, & si fuerit indoctus prius, industriam enim exacuit, & est artium inculpatus magister. Rodigin. lib. 9. cap. 1. & 2.

Musica est peritia modulationis sono cantuque consistens, huius artis inuentorem fuisse dicit Moyses Tubal qui fuit de genere Caïn, interponebatur olim non modo sacris, sed & omnibus solemnibus, omnibusque lætis vel tristioribus rebus. Vt enim in veneratione diuina hymni, ita in nuptiis hymenæi, & in funeribus threni & lamenta ad tibias canebantur. In conuiuiis vero lyra vel cythara circumferebatur, eratque tam turpe musicam nescire quam literas. Isidor. origin. lib. 3. capite 15.

Sine musica nulla disciplina potest esse perfecta, nihil enim est sine illa. Nam & ipse mundus quadam harmonia sonorum fertur esse compositus, & cœlum ipsum sub harmoniæ modulatione reuoluitur, musica mouet affectus ad diuersa; milites clangor, operarios & remiges excitat cantilena. Idem c. 16.

Distantiam cœlorum à se mutuo, seruare proportionem musicæ, & harmonicos tonos refert, ex D. August. Tostat. Gen. fol. 16. & Iosue tom. 3. fol. 180.

Tubal Caïn artem ferrariam inuenit, quo fabricante Tubal frater eius malleorum sono delectatus, ex ponderibus eorum proportiones, & consonantias, quæ ex his nascuntur, excogitauit. Idem Gen. 29.

Musica homines agens in iram & furorem. *Vide medium contrarietatis.* Dissidij seminatores.

Oues musicis sonis delectatæ melius pascuntur, & hinc est quod pastores sunt vt plurimum & depinguntur musici. Olaus magnus, lib. 17. cap. 2.

Cytharœdus agnorum visceribus ludit, aures sæpius afficit vt inficiat animos, & feroces hominum eneruet spiritus. Ridet interim furtiuè mors, quæ dulces inter modos, inauditum securius explicat pedem, & læta meditantes, letho præuenit.

Musica innocenter recreat sapientem in suo secessu. Vide quæ scripsi, moral. Christian. to. 2. parte 2. cap. 5.

MVSICA SACRA SEV *Psalmodia.*

Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis, in Psalmis, Hymnis & Canticis spiritualibus. Eph 5.

De Psalmis & Hymnis canendis ipsius Domini, & Apostolorum habemus documentum, exempla & præcepta; de hac re tam vtili, ad mouendum piè animum, & accendendum dilectionis affectum varia consuetudo est. D. August. Epist. 119. c. 18.

Si voluptas est audire cantus & carmina, Dei laudes canere & audire iucundum sit. Hæc est voluptas vera, quæ comes & socia virtutis est. Hæc est non caduca & breuis, vt illæ, quas appetunt, qui corpori vt pecudes seruiunt, sed perpetua, & sine vlla intermissione delectans. Lactant. diu. instit. l.6.c.21.

Damasus Papa, vt legitur in eius vita, decreuit vt per omnes Ecclesias canerentur psalmi die noctuque ab alternis.

D. Hieron. epist. 17. ad Marcellam. In Christi villula, inquit, præter psalmos silentium est; quocunque te vertis, arator stiuam tenens alleluia decantat; sudans messor, psalmis se euocat; & curua attollens vitem falce, vinitor, aliquid Dauidicum canit. Hæc sunt in prouincia nostra carmina; hæ, vt vulgò dicitur, amatoriæ cantiones, hic pastorum sibilus; hæc arma culturæ.

Vt in psalmodia confusio tolleretur, decreuit Laodicenum Concilium can. 15. non licere præter cantores regulariter constitutos, alium quemlibet in Ecclesia psallere. Populum ea de re objurgat S. Chrysost. hom. 1. in Isa. c.8. & Baron. ad an. 51. & 60.

Dicebant filij Israël, Psal. 136. quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena. Id faciunt qui verba sacra psalmi, modulis prophanis ita vestiunt, vt qui audiunt, non tam verba considerent, quam prophanam modulationem. Bellarm. in d. Psal. 136. Sic cantet seruus Christi, vt non vox canentis, sed verba placeant quæ leguntur; vt spiritus malus qui erat in Saule, eijciatur ab his, qui similiter ab eo possidentur, & non introducatur in eos, qui de domo Dei scenam fecere populorum. D. Hier. in ep. ad Eph. Mollis hæc musica, mores in mollitiem lapsos significat.

Horæ canonicæ laudes Deo deferunt pro magnis eius beneficiis, suntque quasi vectigales gratiarum actiones.

. Clement. graui. extra de celebratione missarum, diuinum officium vocat, fructum labiorum.

Non oramus vocaliter vt aliquid notificemus Deo, sed vt per vocalem orationem nobis ipsis proficiamus multis. Tostat. Mat. tom. 3. fol. 63.

Reg 4. cap. 3. Elisæus iussit citharistam duci coram eo ad prophetandum, & sic Ecclesia in diuinis officiis ordinauit cantus & instrumenta musica vt excitaret hominum corda ad deuotionem. Vt habetur, can. cleros, dist. 21. Tost. Reg. tom. 4. fol. . 6.

Cantus Ecclesiæ excitat animum ad ardentem cupiditatem eius quod in carminibus canitur: sopit insurgentes ex carne affectiones: cogitationes malas expellit, quæ nobis ab inuisibilibus inimicis inijciuntur, irrigat animam ad ferendos fructus diuinorum bonorum: generosos reddit ad rerum aduersarum tolerantiam; certatores pietatis, & rerum tristium quæ in vita accidunt remedium affert pijs. Iustinus Martyr. quæst. 107. ad Orthodoxos.

Est cultus Dei interior & exterior, exterior est oris & operis, oris est vocalis professio maiestatis diuinæ, quam fideles faciunt frequenter, Deum orando, laudando, benedicendo, gratias agendo. Laur. Iust. tract. de iustitia c.5.

De pia Sacerdotum psalmodia. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in humanis, p.1. c.16. De Religiosorum psalmodia, lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ, parte 3. cap. 15. de deuotione & attentione in diuinis officiis necessaria, lib. de institutione & officiis religiosi, parte 1. c. 24. & 25. Vide veritas virtutis, attentio in oratione.

In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. Indecorum est coram illis psallere negligenter quibus sociamur, & in hoc cœlestium choro dissonos fieri.

Rex Dauid primus delegauit qui psalmos in templo Domini modulata voce cantantes, animos populi sublimitate & suauitate vocis oblectarent, & ad amorem diuini cultus amplius accenderent. Alcui. l. de diu. officiis, c. 44.

Missa inchoatur non ab Apostolica vel Euangelica lectione, sed potius canendo & psallendo, quatenus dulcedo suauitatis corda audientium prius demulceat, & sic post modulationem suauis cantilenæ in spiritualibus rebus, populus per compunctionem mentis intentus, salutifera Euangelij verba ardenti affectu suscipiat. ib. c. 40.

Vide gloria principij. Suauitas spiritualis, incipientium.

Monet Apostolus. In hymnis & canticis spiritualibus cantantes & psallentes Domino Deo vestro. Sic leuatur tædium silentis solitudinis. Laur. Iust. de vita solitaria c. 8.

Psalmodia prodest etiam his qui sensum eius non percipiunt. *Vide potestas cognitionis.* Vis nominum.

ORDO.

Ordo vniuersi sic constituitur, vt secundum semper deficiat à primo, & sic in eius vmbra. *Vide differentia virtutis.*

Etiam in inferno est ordo. scilicet diuinæ iustitiæ, quia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, 2. culpæ. vt similiter rei, similiter damnentur. 3. pœnæ. alligate ea in fasciculos ad comburendum igni. Sic est ordinata confusio.

In oratoria compositione tria sunt, ordo, iunctura, numerus. Quint.

Quemadmodum lapides, lateres, ligna, & tegulæ, & cætera inordinatè proiecta ad nihil vtilia sunt, cum verò ordinantur sursum, & deorsum, tunc domus conseruatur. Sic in bello pereunt cum ignauis validi si non bene ordinentur.

De ordine. August. to. 1.

De ordine seruando, in conferendis beneficiis. *Vide duratio bonitatis.* Mora.

De ordine qui seruatur per vnitatem. *Vide media concordantia* ex Cusa.

Rerum pluralitas explicat quantum potest infinitatem primæ vnitatis, *vide principium differentiæ.* Ideo hæc pluralitas participat etiam quantum potest vnitatem, vnde cum ordo sit ipsa participatio vnitatis in pluralitate, tunc omnia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, imo & vnitas, est id quod ordinē infert in pluralitate. Card. Cusa excitat, l.3.c.28.

Multitudo cadit ab vno & ente, omne enim in tantum est, in quantum est vnum, subsistentia igitur multitudinis, non est nisi in vnione, sed quid vnit multa, nisi ordo, &c. Id l.8.c.8.

Rupert lib. 1. in Genes. cap. 15. asserit qui ceciderunt Angelos nondum fuisse in ordinem digestos, sed ex die septimo quo Deus requieuit ab operibus suis fuisse positos in ordine Angelorum, Archangelorum, Thronorum, Dominationum, &c. & tunc confirmatos in gloria.

Ordo est parium disparium que rerum sua cuique loca tribuens dispositio.

In rebus in quibus non est sola materialis distinctio, semper inuenitur in multitudine productorum aliquis ordo. Non autem inuenitur in his, quæ solum materialiter differunt. Nam vnus faber producit multos cultellos materialiter ab inuicem distinctos, nullum ordinem habentes ad inuicem.

Quorumcumque duorum est aliqua proportio, & aliquis ordo, ibi vnum eorum est ab altero, vel ambo à tertio. Oportet enim ordinem in vno constitui, respondendo ad aliud, alias ordo vel proportio esset à casu. Quando est à casu. *Vide minoritas cognitionis*, quæ casu benè cesserunt.

Quando aliqua numerositas ab aliquo vno procedit naturaliter, oportet quod ordinatè procedat, quia ab vno non producitur naturaliter nisi vnum.

Quarumdam arborum rami sunt inconditi, vt roboris, quibusdam ordinati, vt abieti, vtrinque miro ordine inuicem respondent, quibusdam etiam rami prægrandes ordinati, parique numero, vt trinodibus. Theophrast. histor. plantar. cap. 1. Sic quibusdam nodi sunt inordinati, vtque fortè euenit; quibusdam ordinati, tam interuallo, quam numero, ob id egregias vocant. Ibidem cap. 13.

Vox articulata scribi potest, inarticulata non potest. Isidorus.

Origenes periarchon lib. 2 capite 7. infert stellas esse animatas propter certum & inuariabilem ordinem quem seruant ab initio suæ creationis, quæ opinio damnata fuit in 6. Synodo Oecumen. sess. 2.

Validior est ratio iusta partium suarum collocatione in Scholastica Theologia, vt fortior est exercitus, vbi ad animos & vires ordo accedit; pretiosius est, & vtilius aurum signatum, quam infectum.

In disputatione seruatur ordo. *Vide differentia cognitionis* disputatio.

Creatura assimilatur Deo in vnitate in quantum vnaquæque in se vna est, & in quantum omnes vnum sunt vnitate ordinis. D. Thom. in q. disp. q. 3. a. 16. ad 2. Non tamen est adæquatio, quia vnitas Dei caret omni multitudine & compositione, quæ debuit esse in creatis.

In castrametatione filiorum Israël, quisque proficiscebatur secundum ordinem tribus & familiæ suæ, quia hæc erant distincta in locatione castrorum. num. c. 3.

Distinctio ordinum in Ecclesia sumpta est à gentilibus. *Vide differentia potestatis*, distincta iurisdictio.

Est sphæra sphæræ innexa, eandem habens substantiam, quam sphæra cui est innexa, oportet etiam æqualia sibi mutuo substerni propter necessitatem ordinis.

Sub polis vbi nox est per sex menses non habent horologia, nec solaria, nec ponderibus aut clepsydris horas distinguentia, sed temporis distinctionem colligunt ex animalium gestibus & vocibus. Nam domestica & syluestria ordinem temporum, naturæ instinctu seruant. Olaus magnus l. 1. c. 33.

Quando Dominus ascendentis fuerit in via combusta, natus confusus erit in negotiis. Cardan. aph. sect. 4. aph. 138.

Ordinata fœliciter procedunt. Vide quæ scripsi de iure naturali l. 2. lege 7. §. 3.

Opportunitas est quædam ordinatio. *Vide duratio benitatis*, mora opportuna.

Deus ab initio futuris sæculis ordinem dixit, & inter se illa mirè contemperauit. Vide quæ scripsi in Apologia fati mundani, c. 5. Ordo est effectus rationis & ordo vniuersi procedit à causa vniuersali. Theologia nat. to. 1. parte 1. c. 16. De ordine Angelorum. Ibid. to. 2. parte 2. c. 8.

Actiones suas Religiosus sic ordinet, vt quælibet hora proprium habeat opus, sciat quando orationi, lectioni, operi manuum incumbendum sit. Laurent. Iustinian. lib. de perfectione Monastica cap. 10. Cuncta proficiunt suis facta temporibus. Libra perfectionis est prudentia ordinans omnia.

Vt æterna sapientia vniuersos sibi famulantes sub humilitatis disciplina custodiret, atque à propriæ æstimationis veneno compesceret, omnem tam militantium quam triumphantium per ordines distinxit multitudinem, quatenus singuli aspicientes superiores se non intumescerent de ijs, quos esse vident sub se. Laurent. Iustin. lib. de casto connubio verbi & animæ, cap. 20. Habent omnes supra se positos quorum comparatione humilientur. Sancti, Apostolos; Ioannes Baptista, Angelos, Angeli Seraphim, Seraphim, beatam Virginem. Hæc Christum, Christus vt homo Deum, pater, inquit maior me est.

Ordo est semper aliqua ad vnitatem via. Multitudo enim confusionem generat.

Ad similitudinem Angelicæ hierarchiæ debemus ordinare operationes nostras, vt videlicet supremas operationes intellectus ad Deum, ferueamus amore cum Seraphim, luceat scientia cum Cherubim, spiritualis fastus iudicet omnia cum Thronis. In media hierarchia quæ ad nos refertur, sectemur virtutum opera, dominemur inordinatis motibus cum dominationibus. In vltima nostra hierarchia quæ externa respicit, oportet principemur cum principibus, scilicet media ad primum principium reducendo, vt reuelemus veritatem cum Archangelis, & piè assistamus indigenti cum Angelis. D. Bonauentur. libr. de 7. itinerib. æternit. itinere 7.

Exquisitus ordo est qui ad vnum omnia deducit, & in quo nec repetere, nec omittere quicquam cogimur; vnde summa breuitas, claritas, memoria. Cardan.

HOSPITALITAS.

Cassian. lib. 4. cap. 7. Susceptos ad vitæ monasticæ professionem non vult statim, aliorum fratrũ societati permisceri, donec extra in Xenodochio, charitatem suam in excipiendis peregrinis probauerint, & lib. 5. cap. 23. dicit aduentantibus fratribus, remittendum abstinentiæ rigorem, vt gratanter excipiantur; & cap. 24. cum à quodam sene ratio quæreretur, cur sic indifferenter soluerentur quotidiana ieiunia: Ieiunium, inquit, semper est mecum, vos autem iugiter tenere non possum. Ieiunium est oblatio voluntaria, opus charitatis qua Christum in vobis recipimus est ex præcepto; non possunt filij sponsi ieiunare, quandiu cum illis est sponsus, cum autem discesserit, tunc illi ieiunabunt; potestque quod remissum est de ieiunio compensari.

D. Hieronym. in vita S. Pauli Eremitæ refert Antonium eum visitasse, & inter eos obortam esse contentionem quis frangeret panem: Paulus more cogebat hospitij; Antonius iure refellebat ætatis.

Apud Celtas grauius crimen est hospitem, quam ciuem occidere. Oportet etiam peregrinum accommodare se ciuitati.

Sacra res est mensa hospitis, vt ait Seneca; ornamentum est Reipublicæ hæc liberalitas, vt illustres hospites, illustrium domibus excipiantur, sic etiam apud externos multum valebit gratia hospitum ope. Dominus non cognitus à peregrinis in via, cognoscitur, cum hospitio excipitur. Pro hospitio vidua remuneratur Eliæ præstito, 3. Reg. 17. Raab excipiens nuntios filiorum Israël. Iosue 6. Qui vos recipit, me recipit, inquit Christus. Math. 10. Vide dist 42.

Abraham qui semper hic suscepit peregrinos & pauperes, etiam in gloria sinu suo Lazarum excipit. Chrysolog. ser. 121.

Rhodi singulis annis quidam per domos stipem quærebant pro fœlici aduentu hirundinum primo vere. Athen. l. 8. dicebatur hoc festum Chelidonia, miscebant cantilenas per vicos.

Apud Germanos non repugnat nobilitati & honestati, exteros publico hospitio, datoque prætio excipere. Etiam hospites tales sunt vrbium, Senatores.

Viennæ in austria raræ familiæ vetustæ, aduenæ aut inquilini ferè omnes. Æneas Syluius epistol. 165.

Inquilini singuli cogebantur habere ciuem aliquem patronum, cum quo res suas administrarent. Suidas in voce [illegible].

Sal ante cibos omnes apponebatur hospitibus, quia velut ex aquis sal multis & fusilibus coit solidum quiddam & vnum, sic ex diuersis conuenientes coalescant animi. Rodigin. lib. 12. c. 11.

Dedit ventos parens Deus vt commoda cujusque regionis fierent communia, non vt perniciosa gentium arma veherent. Seneca.

Clerici si peregrinentur, in gradu suo suscipiuntur, ad verbum faciendum & oblationem consecrandi inuitantur. can. 38 epist. 7. q. 1.

D. Chrysost. homil. 21. in epist. ad Rom. probat charitatem hospitibus exhibendam non examinatis eorum meritis, quia iam non vt hospites reciperentur, & ne latens sub humilitate virtus, repulsam patiatur. Talis debet esse humanitas, vt etiam hostes & homicidas excipiat.

Diuites ignari qui magnam librorum copiam, ignotæ sibi linguæ comparant, dicuntur exteros hospitio recipere.

Apud Gothos lex erat vt regis cum patre filius non pranderet, nisi prius à rege gentis exteræ arma suscepisset. Ideo Regis Longobardorum filius profectus est ad regem Gepidarum cuius filium occiderat in bello, humaniter tamen excipitur, loco filij. Nobilibus id indignè ferentibus & ad vindictam propensis, dixit rex, impium esse hospitem in domo propria occidere. Sic honoribus & muneribus cumulatum remisit ad patrem cum eo deinceps in mensa sessurum. Olaus magnus, rer. Septent. l. 8. c. 6.

De hospitalitiis in vrbibus fundandis & dotandis ad excipiendos peregrinos. Vide quæ scripsi, l. de agente Dei in humanis, parte 2. c. 10. & l. de oper. Misp. 2. c. 10.

Sodomitæ domos suas claudebant hospitibus, & clausas ingressus est ignis. Alcuin. in Genes. inter. 182.

In omnibus ciuitatibus sit locus separatus, peregrinis, infirmis & pauperibus, qui vocetur Zenodochium, id est, hospitium peregrinorum, & eius administrationi Episcopus preficiat virum probum, A qui sit peregrinus & procul distet à patria. Concil. Nic. can 70.

Regni Benin incolæ, peregrinos omnes humanissimè excipiunt.

Abraham propriis manibus ministrat hospitibus. *Vide medium potestatis. Rep.* seipso agere.

Archihospitale S. Spiritus erexit Innoc. 3. const. 7. Bul. p. 73. t. 1. de eius priuilegiis. Sixtus 4. const. 14. p. 315. t. 1.

De publicis domibus ad excipiendos pauperes peregrinos. Vide quæ scripsi, l. de operibus misericordiæ, parte 2. c. 11.

B

EXTERI AD REGIMEN non videntur suscipiendi.

Loca aphetica sunt, domus prima, decima, vndecima, nona, & septima, subterranea enim, vt extera, in præclaro hoc imperij genere non adhibentur.

Prima causa senij & tandem mortis in corporibus, est quia quod ingeritur, extraneum est & dissimile; & per illam extraneitatem alterat virtutes membrorum, licet enim subigatur à calore naturali, tamen omne patiens reagit, alterationesque illæ sibi continuè succedentes, membrorum complexiones hebetant & confundunt; C vnde tandem fit putrefactio. Albert. mag. tr. 2. c. 2. de iuuentute & senectute.

Opus naturæ, quia habet motorem intra se, est nobilius, quam opus artis, quod habet motorem extra. *Vide minoritat. medij*, agere ex se, sine medio.

Apes vnius aluearis magno impetu eijciunt aduenas & extraneas.

Peregrinis in sparta vitam degere non licet, neque Spartanis in peregrina regione. Stobæus.

Frangis. Patricius de instit. Reip. lib. 3. tit. 2. laudat Venetorum Rempublicam in qua filij tantum eorum qui illam fundarunt, & qui dicuntur nobiles, admittuntur ad regimen, exteris non admissis; D nam indigenæ melius norunt patriæ mores, magis circa illam affecti: at de exteris dicitur Eccles. 8. coram extraneo ne facias consilium, quia alicui non conuenit scrutari arcana regni alieni, l. mercatores cod. de commerciis. Peregrini officium est, in aliena Republica non esse curiosũ, can. leges, 11. 76. Deuteron. 17. Moysi præcipitur regem constituere de numero fratrum, non exterum: etiam in beneficiis indigenæ exteris præferuntur, l. in Eccles. C. de episcop. & can. si proponente, de rescript. Vide Chassen. in catalogo gloriæ mundi, parte 11. consid. 22.

E Vsque ad Herodem mansit apud Iudæos sacerdotij, regni que integritas, sed Herodes veniens ex gente aliena, inuasit regnum, violauit sacerdotium, confudit ordinem, mutauit mores, spreuit senes, infecit iuuenes, tulit quidquid erat & diuinæ & humanæ funditus disciplinæ. Chrysolog. ser. 86.

Samaritani non edunt fructus ex insitione arborum natos.

Inter alia Aragoniæ priuilegia, illud est, quod non recipient gubernatorem exterum, & si detur poterunt ei resistere, sine nota & pœn. seditionis. Daury.

Apud Heluetios sunt 13. cantones, seu societates confœderatæ, quælibet habet suum concilium ad

quod non admittuntur nisi indigenæ, vt in Bern. inde nati. Idem tales esse debent in Geneua Republica & veneta Senatores.

In Geneua Republica exteri sunt semper suspecti, nocte non licet illis ire per vrbem sine lucerna, & cum ciue natiuo; orto incendio, aut hostis instan is signo, illis non licet egredi domo. Idem licet Heluetij confœderatos habeant, illos non nisi in extremo periculo aduocant. Electus Imperator iurat se non admissurum extraneos ad dignitates publicas. Id.

Duci Venetiarum, nec vlli ex suis liberis licet cum externa persona, aut alia quam indigena nuptias contrahere.

Prophetam de gente tua & de fratribus tuis suscitabo. Exo. 23.

Quæ magis distant à nobis, magis sunt efficacia. *Vide gloria virtutis*. Remuneratio virtutis seu laboris.

Deut. 28. inter maledictiones pronuntiatas contra eos qui legem non obseruauerint, dicitur. Aduena qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior, tu autem descendes, & eris inferior; erit tibi in caput, & tu eris in caudam.

Emeritis in suis Ecclesijs Clericis, peregrini & extranei & qui ante ignorati sint, ad exclusionem eorum, qui benè de suorum ciuium merentur testimonio, non præponantur: ne nouum quoddam, de quo Episcopi fiant, institutum videatur esse collegium. Cælestinus Papa ad Episc. Narbonensem, ep. 1. cap. 4 habetur dist. 61. can. nec emeritis, & c. 5. Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de ciuitatis ipsius clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod euenire non credimus, poterit reperiri. Habeat vnusquisque clericorum suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem: In aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alij debitam, sibi alter audeat vindicare mercedem. Habetur dist. 63. ca. cleri.

Decedente Episcopo, in locum eius non alius subrogetur, quam loci illius indigena. Concil. Remens. c. 25.

Surculus arbori insertus, nō induit naturam eius, sed suam seruat. Exterus in Republica susceptus eam immutat. Quæ enim inseruntur perinde vt terra subdito trunco vtuntur, inquit Theoph. l. 1. de causis plantar. c. 6.

Lycurgus peregrinos vrbe pepulit, corruptelam è commercijs veritus. Suidas in voce Lycurgus. Fidem potius habemus seruis domi natis & nobiscum educatis, quam emptitijs. Sic inquilini cogebantur habere ciuem, velut patronum & fideiussorem. Idem in voce μέτοικοι & νόθοι.

Vide contrarietas concordantia, quæ impediunt vnionem.

Pertinet prælati electio ad collegium cui pastor quæritur, c. vlt. 16 q. vlt.

Vt monastica disciplina inuiolabiliter custodiatur Abbas de congregatione Monachorum eligi debet, & non pluribus Monasterijs præesse. can. abbatem cum duob. seq. 18. q. 2. cap. fin. de relig. domib.

Cum populo Israël ex Ægypto egrediente, non numerantur illis permixti Ægyptij, vt alienigenæ & barbari. Origen. hom. 1. super numeros. Tost. ib. to. 1. fo. 5.

Moyses puer natura quadam insita, mamillam alienigenæ noluit sugere. Gregor. Nyssen. de vita Mosis.

A Illud quod ex alimento aggeneratur, est quasi extraneum respectu eius in quo prius fundabatur virtus speciei humanæ. Vnde sicut virtus vini per admistionem aquæ paulatim minoratur & tandem deficit, ita virtus speciei per admistionem nutrimentalis humidi paulatim diminuitur, & tandem deficit, vnde animal necesse est diminui & tandem mori, huic defectui in Adamo subueniebat lignum vitæ reparando virtutem speciei in pristinum vigorem, non tamen in perpetuum. D Thom. in quæst. disput. de pœna peccat. origin. quæstione 5. a. 5. ad 9.

Vitæ mediæ qualitates remanent in transmutatis. *Vide potestas medij*, vis alimenti. Sic exteri imprimunt gentis suæ qualitates Reipublicæ cui accedunt.

B Busiris tyrannus fuit crudelissimus in Ægypto, qui hospites suos occidebat, & dijs scelerum suorum fautoribus, sanguinem eorum offerebat, quem postea Hercules occidit. Tostat. Exod. to. 1. fol. 118 c. 31

Samaritani non erant de stirpe Iudæorum, sed Gentilium, translati de terra Medorum & Persarum in terram Israëlitarum; colebant Deum Hebræorum simul cum suis Idolis, illis non coutebantur Iudæi. Tost Math. t 6 f. 41.

Gentiles conuersi ad Iudaïsmum non gaudebant multis priuilegijs filiorum Israël, nec illis vnquam æquabantur; non dicebantur ciues; venditi semel semper remanebant serui, at Iudæus venditus in anno iubilæi fiebat liber, & soli Hebræi inter se vocantur fratres, &c. Idem, Deuteron. fol. 83.

C *Externa quæ assumuntur, etiam afficiunt. Vide quæ scripsi de iure naturali l. 2. lege 6. §. 2.*

In vulnere non solum fit continui solutio, sed simul introducitur exotica qualitas, vnde labra vulneris indignata, mox æstuant, apostemantur, & vario symptomate corpus affligitur; sic ouum cuius putamen vel tenuiter saltem læsum est, putrescit, vbi alias po. uisset conseruari. Sic admissi extranei nocent Reipublicæ, & in illam externa inducendo & occulta pandendo.

D Stupor oritur, quando membrum peregrino spiritu irroratur. Van helm.

Sacerdotes fœderatarum Græciæ ciuitatum, quæ Cereris sacra facerent, donabantur ciuitate, ne peregrina & externa sacra, etiam mente aut sacerdote externo, peragerentur. Exteri autem sunt, non tantum hostes, sed etiam fœderati amici. Cuiac. obseru. l. 11. c. 23.

Potest ferri lex in aliquo territorio quæ solos aduenas in illo existentes obliget, cum hoc ad bonum commune spectare possit. Suarez de legib. lib. 3. c. 33.

E Insita retinent naturam suam propriam. *Vide media concordantia*, ex Alberto Magno.

Exteri nunquam debent æquari indigenis. Vide Ibid. ex Tostato.

Beneficia Regni Valentiæ alienigenis Hispaniarum conferri non possunt, nisi in eorum regnis Valentini similia obtinere possint. Sixtus V. const. 64. §. 5. Bull. pag. 449. to. 2.

In collatione beneficiorum & dignitatum præferendi sunt collegiales. Vrb. 8. const. 67. §. 10. p. 84. to. 4.

Ciues Romani habent priuilegium priuatiuè quoad alios circa obtinenda beneficia Ecclesiarum Cathedralium vrbis. Leo. 10. constit. 1. §. 4. p. 395. to. 1.

Collegij Cardinalium Archiuij cura Clerico

GLORIA DIFFERENTIÆ.

LÆTA DIVERSITAS.

ALTIORA loca sunt salubriora, quia perflantur. *Vide Bonitas Maioritatis.* Altitudinis. A

De area cœlesti, *Vide Concordantia Differentia.*

Quintilian. lib. 1. Institutio. oratoriar. cap. 10. quærit an diuersæ scientiæ, quas dixit orationi necessarias. *Vide Magnitudo Cognitionis. Scientia vniuersalis*; possint eodem tempore disci. Fieri posse sic affirmat. Non satis perspiciunt quantum natura humani ingenij valeat, quæ ita est agilis & velox; sic in omnem partem, vt ita dixerim, spectat, vt ne possit quidem aliquid agere tantum vnum; in plura verò, non eodem die modo, sed eodem temporis momento vim suam impendat. An verò citharœdi non simul & memoriæ, & sono vocis & pluribus B flexibus seruiunt; cum interim alios neruos dextra percutiunt: alios læua trahunt; continent; probant: ne pes quidem otiosus certam legem temporum seruat & hæc pariter omnia. Quid nos agendi subita necessitate deprehensi Nonne alia dicim⁹ alia prouidemus? Quæ si velut vno conatu tam diuersa parent simul, cur non plurimis curis horas partiamur; cum præsertim reficiat animos ac reparet varietas, ipsa, contraque sit aliquando difficilius in labore vno perseu rare: ideoque & stylus lectione requiescit, & ipsius lectionis tædium vicibus lauatur; sic quodammodo rec. ntes sumus ad id quod incipimus? Quis non obtundi possit, si per totum diem cuiuscumque artis vnum Magistrum ferat? C Mutatione recreabitur; sicut in cibis quorum diuersitate reficitur stomachus; & pluribus minore fastidio alitur. Idem suademus agricolis, vt arua simul & vineta & oleas, & arbustum colant; pratis & pecoribus, & hortis, & aluearibus, accommodent curam. Ipsi quotidie aliquid forensibus negotiis; aliquid desideriis amicorum, aliquid rationibus domesticis, aliquid curæ corporis, non nihil voluptatibus aliquid damus; quarum nos vna res qualibet, nihil intermittentes fatigaret. Adeo facilius est multa facere, quamdiu. Intra biennium pueri omnia loquuntur verba, quamuis nullo in- D stante; at nouitiis quot annis noua lingua repugnat. Quod theatro, commessationibus, otiosis sermonibus & cæteris vanis, det Geometriæ, Musicę, & talibus eruditis voluptatibus. Dedit enim hoc prouidentia hominibus manus, vt honesta magis iuuarent.

Idem lib. 2. cap 14. monet non vtendum semper eadem arte in dicendo; sed expedit & decet multa sæpè ex tradito ordine variare, vt in statuis ac picturis videmus, variari habitus, vultus, status: nam recti quidem corporis, vel minima gratia est, nec ad vnum modum formatæ manus; flexus ille corporis, & vt sic dixerim, motus dat actum quendam & factum. Cursum habent quædam & impetum; sedent alia, vel incumbunt; nuda hæc illa velata sunt. quædam mixta ex vtroque. Non decet igitur alligari præceptis vniuersalibus.

In narratione partitio tædium leuat, vt dicam quæ ante rei contractum, quæ in re ipsa, quæ postea gesta sunt. Id. l. 4. c. 2.

Animalia alium habent situm, dum quiescunt, quamdum operantur; aues, alis volantes, quiescunt innixæ pedibus; animalia terrestria quiescendo in latus decumbunt.

Delectat oratio, quæ non fluit vno semper tenore. Sed liberius. *Vide Bonitas Potestatis.* Libertatis.

In Psalmis & orationibus, aliqua debet esse diuersitas, atque varietas, ob eam causam, quod in perpetua similitudine & æqualitate rerum, animo nescio quo modo torpedo quædam, plerumque oboritur atque tædium, eaque re aliud agens ad futiles & vagas cogitationes aberrat. In vicissitudine autem varietateque studium renouatur, & attentio instauratur. D. Basil. lib. regularum fusius disputatarum. cap. 37.

In oratione verba verbis, nomina nominibus iungi non debent, cum virtutes etiam ipsæ tædium pariant, nisi gratiâ varietatis adiutæ. Ita nec vocales vocalibus. Quintil. inst. orat. lib. 9. c. 3.

In cœnis grandibus, cum optimis satiati sumus, varietas tamen nobis ex vilioribus grata est. Ibid. lib. 10. cap. 1. Sic oratores lectione Poetarum & elegiarum reficientur.

Pronuntiatio varia debet esse pro varietate rerum quæ dicuntur, sic enim gratiam præbet, renouat aures, dicentem ipsa laboris mutatione reficit, nihil enim pati vnum diu possumus. Ib. lib. 11. c. 3.

Hinc fit vt ea quæ sunt præter naturam, & monstra carè emantur.

Quidam à Patre agriculturę addictus, laqueo se suspendit. Cum in tabula scripsisset; agriculturam esse rem infinitam & nunquam absolui, serendum enim vt metamus, & metendum vt seramus absurdo rei circuitu.

Tenebrarum, lucisque varietas vitam nobis iucundiorem reddit. Vnde aurora meridie multo desiderabilior est, vbi enim nos lucis satietas interdiu cepit, nocturnâ quiete nobis opus est, & denuo lux nobis grata oritur. Theodoret. orat. 1. de prouid. *Vide Gloria Principij.* Initij.

Ex agro vrbi vicino hoc habetur, vt te nunquam neque agri, neque vrbis odium capiat.

Sicut Deus voluit corpus ex diuersis constare membris, ita varietatis dapib⁹ voluit, & iussit enutriri.

Digitized by Google

Inopinatus casus, si non sit grauis, risum mouet, vt cum quis ad sua negotia properans, cadit, insperata frustratio intentionis placet aliis. Fracastor.

Sol optimo telescopio 15. pedum, inspectus, apparet instar continuo ebullientis & feruentissimi æris, flammæque liuidissimæ, continuè sese in gyrum reciprocantis.

De lectis pensilibus. *Vide Bonitas Differentia, vtilitas motus.*

Pronomen in Grammatica dictum est, quia pro vice nominis ponitur, ne fastidium faciat nomen ipsum dum iteratur. Nam cum dicimus Virgilius scripsit Bucolica, addimus pronomen ipse scripsit & Georgica, sic varietas significationis, & fastidium tollit, & ornatum inducit. Isidor. origin. lib. 1. cap. 7. B

Affectati dicuntur capilli, cum anxia cura franguntur in gradus coluntur que studiosius à cincinnatulis. Rodig. l. 18. c. 10.

Viatoribus multa ex improuiso occurrunt, quæ non ingratè morantur properantes.

In domibus maiorum consueuerant disponi loca pro omnibus quatuor temporibus anni, potissimè hibernalia & æstiua. Tostat. Iudic. fol. 31c.

Homines diuersitate & mutatione delectantur, quia naturæ humanæ consona videtur mutatio, cum hominis natura non sit vnica & simplex. Ar. 7. ethic. Tost. 2. Paral. f. 120. C

Grata & vtilis diuersitas. Vide quæ scripsi de iure naturali l. 1. lege 2. §. 8. Sapienti vtilis & delectabilis est deambulatio. Moral. Christia. tom. 2. parte 2. cap. 1. & 2.

SECVRITAS EX DIVISIONE *& separatione.*

FRuges diuersis temporibus producuntur, ne simul lædantur. *Vide duratio bonitatis. mora.*

In eo quod est omnino abstractum à loco & tempore, nihil operatur neque temporis diuersitas, neque loci distantia. *Vide gloria virtutis*, quieta & solitaria virtus. D

Romani à barbaris circundati, quadrangulari forma interrupta, & in manipulos dissoluta, circumuenerunt eos à quibus circumuenti fuerant. Suidas in voce περιαιρέω.

Rei obtinere nituntur à principe euocationes, vt in alio loco iudicentur, quam eo vbi crimen commissum, sic enim actori maior esset probandi difficultas. Hoc tamen prohibet Iustin. Nou. 69.

Fascinatio non fit nisi de propè, & in teneros homines. Tost. Gen. 278. & parad. f. 57.

Vide differentia contrarietatis & differentia minoritatis. Fuga mali.

Sanctus Hilarion habitans eremum latrociniis famosum, nunquam in eodem loco manebat. D. Hier. in eius vita. E

Diogenes pauperrimus habuit pro domo dolium, in quo cum se contorqueret volubilem se habere domum iocabatur, & se cum temporibus immutantem. Frigore enim os dolij vertebat in meridiem, æstate ad septentrionem, & vtcumque Sol se inclinauerat Diogenis simul prætorium vertebatur. Idem l. 2. adu. Iouin.

In Babylone ædificia inter se tanto interuallo sed ferè spatium iugeri vnius absunt, & ipsa non sunt continua, credo, quia tutius visum est pluribus locis spargi. Q. Curtius, lib. 5.

Fures & latrones iter agunt, fermè perpetuum, sic enim decipiendi & furandi & occidendi occasiones nunquam desunt illis, & tutiores sunt à publicis ministris. Cardan. de arcan. prudentiæ, cap. 86.

Aduersarius noster diabolus circuit tanquam leo rugiens, quærit quem deuoret.

Qui sub potenti inimico plures habet filios, diuersis in locis & regionibus constituantur, ne simul pereant. Id. c. 130.

VIÆ LIBERTAS *& securitas.*

MAth. 8. possessi à dæmone habitant in monumentis, sæui nimis, itaut nemo posset transire per viam illam. Ita dæmones venientibus ad Christum, præcludunt viam; transitum denegant; ne ad Deum homines possint reditum inuenire, at Christus factus est via, quia ad Deum, nisi per Deum non possumus peruenire. D. Chrysolog. ser. 16.

Laquei pœna præpostera incluso spiritu, cui quæritur exitus. Plin. sic obsessi coguntur ad deditionem. *Vide contrarietas differentia.*

Multi principes alueos & fossas nauigabiles duxerunt à fluuiis in alios fluuios, vt difficultatibus itinerum mederentur, fauerentque commerciis. Vide Georg. agricol. in l. 3. de his quæ fluunt ex terra.

Aquilo dicitur à S. Hieronymo scopa viarum quod lutum detergat.

Præsidibus præcipitur constituant in suis prouinciis latronum persecutores. Nou. 8.

In Septentrionalibus regionibus, cum publicæ viæ tempestatibus lignorum syluarumque casu obstructæ sunt, communi sumptu & labore penes littora marina, ac ipsum mare congelatum signis in glacie constitutis vias generales deducunt, lignea constituunt hospitia, foco carbonario abundanti vt fieri solet ad læta conuiuia. Olaus magnus, lib. 1. cap. 26.

Doffrini montes altissimi inter Suetiam & Noruegiam, cum ob casus repentinos niuium viam itinerantibus non præberent, nisi illam aliqui indicarent, circa illam ex altissimis & durissimis saxis positæ sunt statuæ à piis Noruegiæ regibus. Id. l. 2. cap. 15.

In corpore spiritus qui calidus est, siccitate actuali indurat interiorem tunicam arteriarum, vt emollita non concidat, & tunc spiritus transire non possit; humida enim mollia concidunt, incuruantur, claudunt vias & poros. Albert. Magn. l. de spiritu & respirat. c. 4.

In omni quod nutritur debet esse spongiositas & porositas corporis, quia aliter calore diuidente corpus nutriendum non haberet nutrimentorum vias ad singulas partes, secundum speciem determinatas in corpore. Ibid. tract. 1. de nutrimento, cap. 2.

Ex terrestri plantæ expulso ad superficiem, fit cortex, durus, asper, vt protegat succum, inter ipsum & substantiam arboris à radicibus ascendentem. Id. l. 2 de vegetab. tract. 1. c. 3.

Figura plantarum est vt plurimum rotunda columnaris, quia hæc figura competit motui nutrimenti quod in strictura angulorum retineretur, & retentum putresceret, quod non accidit in rotundo

Petrus à Nerone affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis, asserens se indignum crucifigi, vt Dominus suus. D. Hieron. de scriptorib. Ecclesiasticis.

D. Greg. PP. in Registro, l. 1. ep 41. non probat trinam in baptismate immersionem. Ne videamur consentire cum hæreticis qui illam seruabant, & ne videantur mores nostros vicisse.

Tot fuere quæstiones de celebratione Paschæ, ne consentiremus cum Iudæis.

Deus educens populum Israël ab Idololatria cui assueuerat in Ægypto, permittit quidem illis sacrificia, sed eorum animalium quæ sacra habebant apud Ægyptios, vt tauri.

Iudæi adorant conuersi ad occidentem, ne consentiant cum gentibus quæ adorant ad Orientem. Tost. Exo. to. 1. f. 154.

Vide differentia minoritatis, distingui à malis.

Fideles non habeant nomina infidelium. *Vide cognitio virtutis*, præclara nomina.

A Apud Indos proceres & Dynastæ non habitant in vrbibus, sed extra illas domos habent muris & fossis munitas. Gotard. in India Orientali.

Hymnus Angelicus, Gloria in excelsis, &c. nunquam dicitur in missis defunctorum, in diebus luctus, jejuniorum ac ferialium, quia cum in eo commemoretur gloria cœlestis, in solemnitatibus, non communibus ferijs, ad ostendendam differentiam cultus diuini, cantatur. D. Thom. 4. sent. dist. 23.

Alexander equum Bucephalum, non eodem quo cæteras pecudes animo æstimabat; namque ille nec in dorso insidere suo alium patiebatur, & regem, B cum vellet ascendere, sponte genua submittens excipiebat, credebaturque sentire quem veheret. Q. Curtius, l. 6.

Demetrius ferebat vestem, astrorum & mundi imaginem referentem, cum imperia exutus est Macedoniæ, nec vllus postea regum illa vti ausus est. Rodig. l. 16. c. 8.

CONCORDANTIA DIFFERENTIÆ.

DIVERSARVM RERVM CONCORDIA ET VNIO.

DICTVM est ab antiquis eum qui C scit rerum similitudines posse interpretari somnia, quia futuri scientiam velabant dij sub metaphora & deceptione, velut eam inuidentes hominibus.

In Deo vno est infinitas, & in creatis illi proximioribus magna diuersitas: Ita cœlum octauum, quantæ sit multiplicitatis, ostēdit multiplicitas suarum stellarum; quæ cum sit in eo quod mouetur oportet quod respondeat per congruentiam multiplicitati potentiarum quæ sunt in motore; sic intellectualis anima, multiplicior est, quam forma lapidum, vel mineralium; ita efficitur potens ad omnia D cognoscenda, & cum sit vicina causæ primæ multas habet cum ea similitudines, quæ sunt proprietates & potentiæ ipsius, diuersæ, quæ non sunt vnum cum ipsa, & inter se. Alb. Magn. trac 1. de intellectu & intelligibili, c. vlt.

Colores Iridis causantur ex eo quod nubes irradiata à Sole, partes quasdam habet altiores, & alias demissiores, & quasdam crassiores quam vt Solem transmittant, & alias subtiliores, quam vt Solem excludant: hæc inæqualitas alterutris, lucem, vmbramque permiscet & illam mirabilem arcus speciem repræsentat. Idem l. de passionibus aëris.

Viua corpora sunt magis heterogenea, id est, ex diuersis composita quam non viua; recedunt tamen magis ab excessu contrariorum per æquabilitatem E complexionis, sic cum sint cœlo similiora, habent maiorem potentiam in materiam. Idem l. 1. tit. 1. c. 1. de vegetab.

Possumus simul multa facere, diuersisque studijs intendere. *Vide gloria differentia*, diuersitatis.

Gratior est vnio diuersorum, quam similium. Vide ibid.

Alexander diuersos populos in vnum conciliauit. *Vide æqualitas voluntatis.* Æqualis ad omnes charitas.

Vide concordantia æqualitatis, mala.

In omni regione ciuitateque, plebs cum illis, qui extra plebem sunt per amicitiam coniungenda, vt maxima sit in omnibus his consensio. Plat. 6. de leg. *Vide concordantia maioritatis.*

De duabus naturis in Christo, l. 1. vnus ad Trasim, Fulgentij.

Vidimus frustum magnetis per vnam faciem, magnetem trahere, non ferrum; per aliam ferrum non magnetem, per aliam vtrumque, quod indicium est in vna parte plus esse magnetis, in alia plus ferri, in alia vtrumque æqualiter, vnde fiat diuersitas illa tractionis. Fracastor l. de sympathia, c. 5.

Ruffinus in proœmio l. 2. de vitis Patrum; Refert Anachoretas Thebaïdæ incolas cellulis separatos fuisse, sed charitate connexos.

Materia & forma sunt duo generationis principia in sublunaribus. Arist. 1. Phys. 7.

Quæ natura & substantia diuersa sunt, per artem fiunt vnum, vt ligna, lapides faciunt domum.

Regina Saba, rediens à Salomone, duxit secum 12. Iudæorum millia, ex vnaquaque tribu mille. ibi magno numero propagatis. iam Æthyopes præsertim nobiles se è semine Israëlis esse gloriantur. Geneb. a. m. 3150.

Aggregatum per accidens est compositū constans vel partibus diuersi generis & naturæ vt domus; vel partibus eiusdem generis, sed quarum vna non sit actus seu forma respectu alterius, vt exercitus, aceruus lapidum, &c.

Digitized by Google

Patermutius ex latrone ad vitam Monasticam conuersus, cum peteret præcepta sibi dari quæ viam salutis ipsum docerent, traduntur ei tres primi versiu. primi psalmi, quibus attentè consideratis sufficere sibi ait eos ad viam salutis & pietatis. In vitis Patr. l. 2.

Ecclesia est tota in qualibet parte. *Vide concordantia virtutis*, Ecclesiæ vnitas. Ex Petro Damiani.

In montibus magnis, vt Parnasso, olympo & cæteris, nasci omnia certum est, scilicet ratione varietatis locorum. Habent enim stagnantia, madentia, sicca, crassa, saxosa, prataque, media omnia penè telluris discrimina. Ad hæc alia concaua atque trãquilla, alia sublimia, & ventis exposita, itaut permulta & varia gignere possint. Quæque planis proueniunt, isti quoque præstare valeant. Theoph. hist. plant. l. 3. c. 3.

Seminis animalium quælibet portio, totius vim habet, qua corpus vniuersum conformetur. Feru. Phycolog. l. 7. c. 2. & 3.

In fossilibus videre est rerum omnium species, Solis, Lunæ, Stellarum, fluminum, animantium, aut partium corporis. Georgius agricola l. 1. de natura fossilium. Vt sal pluribus locis generatur & foditur in montibus, *sic* & ibid. diuersis conchilia in locis formantur sicut in mari, à spiritu terreo lapidescente. Ibid. l. 3.

Mali Angeli non sunt dicendi creatores, quia per illos magi ranas & serpentes fecerunt, non enim ipsi eas creauerunt, omnium quippe rerum quæ corporaliter visibiliterque nascuntur occulta quædam semina in corporeis huius mundi elementis latent, quæ Deus orig naliter eis indidit. Magister sentent. l. 2. dist. 7. q. 3.

Media continent extrema sic corpus humanum, inter alia medium & temperatissimum est. *Vide veritas medij.*

Omnia sunt in omnibus. Vide quæ scripsi, de iure naturali l. 1 lege 4.

Pœcunia est prætium rerum omnium, sic quodammodo omnia. Arist. 5. ethic. c. 5.

Vide potestas minoritas. Vnum multis æquiualens.

MVSICA.

Albert. Mag l. 4. de animal. tract. 2. c. 1. Refert quosdam esse pisces qui delectantur sonis musicis, & sic à piscatoribus capiuntur; sic ferunt musicæ amatorem esse Delphinum. Vt testatur fabula Amphionis.

Natura ducimur ad modos. Pythagoreis moris fuit, & cum euigilassent, animos ad lyram excitare, quo essent ad agendum erectiores; & cum somnum peterent, ad eandem prius lenite mentes, vt si quid fuisset turbidiorum cogitationum, componerent. Quintil. institut. orator. lib. 9. capite 3.

Laudes musicæ & quod cum opus est, animos molliat, dolores mitiget, timidos accendat, &c. Vide apud Chasseneum, in catalogo gloriæ mundi, parte 10. consid. 51.

De musica. Aug. to. 1. Plutarch.

Dijs cœlestibus gratam esse musicam ex eo constat, quod ad eos placandos instituti fuerint ludi scenici ea maximè constantes, tibicen omnibus supplicationibus adhibitus, ille in triumphis Marti, Apollini cythara, Musis tibiæ tribuuntur. Tibicinibus per quos numina placantur, permissum ludos publicè facere; vesci in capitolio, personatos temulentosque vrbem peruagare; mentes per cantus diuinam suam naturam agnoscunt, &c. Censorinus de die natali, c. 12.

Remigem cantus hortatur, & singulorum fatigatio rudi licet modulatione so'atur. Omnes demulcet quia mundus ipse musica quadam ratione compositus est; cum i eo mouente canamus & Deũ canere nos oportet. Vix nati pueri musica demulcētur. Aëreus enim spiritus, aëre ordinatè moto delectatur; musicam docet amor, & si fuerit indoctus prius, industriam enim exacuit, & est artium inculpatus magister. Rodigin. lib. 9. cap. 1. & 2.

Musica est peritia modulationis sono cantuque consistens, huius artis inuentorem fuisse dicit Moyses Tubal qui fuit de genere Caïn, interponebatur olim non modo sacris, sed & omnibus solemnibus, omnibusque lætis vel tristioribus rebus. Vt enim in veneratione diuina hymni, ita in nuptiis hymenæi, & in funeribus threni & lamenta ad tibias canebantur In conuiuiis vero lyra vel cythara circumferebatur, eratque tam turpe musicam nescire quam literas. Isidor. origin. lib. 3. capite 15.

Sine musica nulla disciplina potest esse perfecta, nihil enim est sine illa. Nam & ipse mundus quadam harmonia sonorum fertur esse compositus, & cœlum ipsum sub harmoniæ modulatione reuoluitur, musica mouet affectus ad diuersa; milites clangor, operarios & remiges excitat cantilena. Idem c. 16.

Distantiam cœlorum à se mutuo, seruare proportionem musicæ, & harmonicos tonos refert, ex D. August. Tostat. Gen. fol. 16. & Iosue tom. 3. fol. 180.

Tubal Caïn artem ferrariam inuenit, quo fabricante Tubal frater eius malleorum sono delectatus, ex ponderibus eorum proportiones, & consonantias, quæ ex his nascuntur, excogitauit. Idem Gen. 29.

Musica homines agens in iram & furorem. *Vide medium contrarietatis.* Dissidij seminatores.

Oues musicis sonis delectatæ melius pascuntur, & hinc est quod pastores sunt vt plurimum & depinguntur musici. Olaus magnus, lib. 17. cap. 2.

Cytharœdus agnorum visceribus ludit, aures sæpius afficit vt inficiat animos, & feroces hominum eneruet spiritus. Ridet interim furtiuè mors, quæ dulces inter modos, inauditum securius explicat pedem, & læta meditantes, letho prætienit.

Musica innocenter recreat sapientem in suo secessu. Vide quæ scripsi, moral. Christian. to. 1. parte 2. cap. 5.

MVSICA SACRA SEV *Psalmodia.*

Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis, in Psalmis, Hymnis & Canticis spiritualibus. Eph 5.

De Psalmis & Hymnis canendis ipsius Domini, & Apostolorum habemus documentum, exempla & præcepta; de hac re tam vtili, ad mouendum piè animum, & accendendum dilectionis affectum varia consuetudo est. D. August. Epist. 119. c. 18.

In rebus in quibus non est sola materialis distinctio, semper inuenitur in multitudine productorum aliquis ordo. Non autem inuenitur in his, quæ solum materialiter differunt. Nam vnus faber producit multos cultellos materialiter ab inuicem distinctos, nullum ordinem habentes ad inuicem.

Quorumcumque duorum est aliqua proportio, & aliquis ordo, ibi vnum eorum est ab altero, vel ambo à tertio. Oportet enim ordinem in vno constitui, respondendo ad aliud, alias ordo vel proportio esset à casu. Quando est à casu. *Vide minoritas cognitionis*, quæ casu benè cesserunt.

Quando aliqua numerositas ab aliquo vno procedit naturaliter, oportet quod ordinatè procedat, quia ab vno non producitur naturaliter nisi vnum.

Quarumdam arborum rami sunt inconditi, vt roboris, quibusdam ordinati, vt abieti, vtrinque miro ordine inuicem respondent, quibusdam etiam rami prægrandes ordinati, parique numero, vt trinodibus. Theophrast. histor. plantar. cap. 1. Sic quibusdam nodi sunt inordinati, vtque fortè euenit; quibusdam ordinati, tam interuallo, quam numero, ob id egregias vocant. Ibidem cap. 13.

Vox articulata scribi potest, inarticulata non potest Isidorus.

Origenes periarchon lib. 1 capite 7. infert stellas esse animatas propter certum & inuariabilem ordinem quem seruant ab initio suæ creationis, quæ opinio damnata fuit in 6. Synodo Oecumen. sess. 2.

Validior est ratio iusta partium suarum collocatione in Scholastica Theologia, vt fortior est exercitus, vbi ad animos & vires ordo accedit; pretiosius est, & vtilius aurum signatum, quam infectum.

In disputatione seruatur ordo. *Vide differentia cognitionis* disputatio.

Creatura assimilatur Deo in vnitate in quantum vnaquæque in se vna est, & in quantum omnes vnum sunt vnitate ordinis. D. Thom. in q. disp. q. 3. a. 16. ad 2. Non tamen est adæquatio, quia vnitas Dei caret omni multitudine & compositione, quæ debuit esse in creatis.

In castrametatione filiorum Israël, quisque proficiscebatur secundum ordinem tribus & familiæ suæ, quia hæc erant distincta in locatione castrorum. num. c. 3.

Distinctio ordinum in Ecclesia sumpta est à gentilibus. *Vide differentia potestatis*, distincta iurisdictio.

Est sphæra sphæræ innexa, eandem habens substantiam, quam sphæra cui est innexa, oportet etiam æqualia sibi mutuo substerni propter necessitatem ordinis.

Sub polis vbi nox est per sex menses non habent horologia, nec solaria, nec ponderibus aut clepsydris horas distinguentia, sed temporis distinctionem colligunt ex animalium gestibus & vocibus. Nam domestica & syluestria ordinem temporum, naturæ instinctu seruant. Olaus magnus l. 1. c. 33.

Quando Dominus ascendentis fuerit in via combusta, natus confusus erit in negotiis. Cardan. aph. sect. 4. aph. 138.

Ordinata fœliciter procedunt. Vide quæ scripsi de iure naturali l. 2. lege 7. §. 3.

Opportunitas est quædam ordinatio. *Vide duratio bonitatis*, mora opportuna.

Deus ab initio futuris sæculis ordinem dixit, & inter se illa mirè contemperauit. Vide quæ scripsi in Apologia fati mundani, c. 5. Ordo est effectus rationis & ordo vniuersi procedit à causa vniuersali. Theologia nat. to. 1. parte 1. c. 16. De ordine Angelorum. Ibid. to. 2. parte 2. c. 8.

Actiones suas Religiosus sic ordinet, vt quælibet hora proprium habeat opus, sciat quando orationi, lectioni, operi manuum incumbendum sit. Laurent. Iustinian. lib. de perfectione Monastica cap. 10. Cuncta proficiunt suis facta temporibus. Libra perfectionis est prudentia ordinans omnia.

Vt æterna sapientia vniuersos sibi famulantes sub humilitatis disciplina custodiret, atque à propriæ æstimationis veneno compesceret, omnem tam militantium quam triumphantium per ordines distinxit multitudinem, quatenus singuli aspicientes superiores se non intumescerent de iis, quos esse vident sub se. Laurent. Iustin. lib. de casto connubio verbi & animæ, cap. 20. Habent omnes supra se positos quorum comparatione humilientur. Sancti, Apostolos; Ioannes Baptista, Angelos, Angeli Seraphim, Seraphim, beatam Virginem. Hæc Christum, Christus vt homo Deum, pater, inquit maior me est.

Ordo est semper aliqua ad vnitatem via. Multitudo enim confusionem generat.

Ad similitudinem Angelicæ hierarchiæ debemus ordinare operationes nostras, vt videlicet supremas operationes intellectus ad Deum, ferueamus amore cum Seraphim, luceat scientia cum Cherubim, spiritualis fastus iudicet omnia cum Thronis. In media hierarchia quæ ad nos refertur, sectemur virtutum opera, dominemur inordinatis motibus cum dominationibus. In vltima nostra hierarchia quæ externa respicit, oportet principemur cum principibus, scilicet media ad primum principium reducendo, vt reuelemus veritatem cum Archangelis, & piè assistamus indigenti cum Angelis. D. Bonauentur. libr. de 7. itinerib. æternit. itinere 7.

Exquisitus ordo est qui ad vnum omnia deducit, & in quo nec repetere, nec omittere quicquam cogimur; vnde summa breuitas, claritas, memoria. Cardan.

HOSPITALITAS.

CAssian. lib. 4. cap. 7. Susceptos ad vitæ monasticæ professionem non vult statim, aliorum fratrũ societati permisceri, donec extra in Xenodochio, charitatem suam in excipiendis peregrinis probauerint, & lib. 5. cap. 23. dicit aduentantibus fratribus, remittendum abstinentiæ rigorem, vt gratanter excipiantur; & cap. 24. cum à quodam sene ratio quæreretur, cur sic indifferenter soluerentur quotidiana ieiunia: Ieiunium, inquit, semper est mecum, vos autem iugiter tenere non possum. Ieiunium est oblatio voluntaria, opus charitatis qua Christum in vobis recipimus est ex præcepto; non possunt filij sponsi ieiunare, quandiu cum illis est sponsus, cum autem discesserit, tunc illi ieiunabunt; potestque quod remissum est de ieiunio compensari.

D. Hieronym. in vita S. Pauli Eremitæ refert Antonium eum visitasse, & inter eos obortam esse contentionem quis frangeret panem: Paulus more cogebat hospitij; Antonius iure refellebat ætatis.

Digitized by Google

quod non admittuntur nisi indigenæ, vt in Bern. inde nati. Idem tales esse debent in Geneua Republica & veneta Senatores.

In Geneua Republica exteri sunt semper suspecti, nocte non licet illis ire per vrbem sine lucerna, & cum ciue natiuo; orto incendio, aut hostis instan is signo, illis non licet egredi domo. Idem licet Heluetij confœderatos habeant, illos non nisi in extremo periculo aduocant. Electus Imperator iurat se non admissurum extraneos ad dignitates publicas. Id.

Duci Venetiarum, nec vlli ex suis liberis licet cum externa persona, aut alia quam indigena nuptias contrahere.

Prophetam de gente tua & de fratribus tuis suscitabo. Exo.23.

Quæ magis distant à nobis, magis sunt efficacia. *Vide gloria virtutis*. Remuneratio virtutis seu laboris.

Deut.28. inter maledictiones pronuntiatas contra eos qui legem non obseruauerint, dicitur. Aduena qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior, tu autem descendes, & eris inferior; erit tibi in caput, & tu eris in caudam.

Emeritis in suis Ecclesijs Clericis, peregrini & extranei & qui ante ignorati sint, ad exclusionem eorum, qui benè de suorum ciuium merentur testimonio, non præponantur: ne nouum quoddam, de quo Episcopi fiant, institutum videatur esse collegium. Cælestinus Papa ad Episc. Narbonensem, ep. 1. cap.4 habetur dist.61. can. nec emeritis, & c. 5. Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de ciuitatis ipsius clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod euenire non credimus, poterit reperiri. Habeat vnusquisque clericorum suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem: In aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alij debitam, sibi alter audeat vindicare mercedem. Habetur dist. 65. ca. cleri.

Decedente Episcopo, in locum eius non alius subrogetur, quam loci illius indigena. Concil. Remens.c.25.

Surculus arbori insertus, nō induit naturam eius, sed suam seruat. Exterus in Republica susceptus eam immutat. Quæ enim inseruntur perinde vt terra subdito trunco vtuntur, inquit Theoph.l.1.de causis plantar.c.6.

Lycurgus peregrinos vrbe pepulit, corruptelam è commercijs veritus. Suidas in voce Lycurgus. Fidem potius habemus seruis domi natis & nobiscum educatis, quam emptitiis. Sic inquilini cogebantur habere ciuem, velut patronum & fideiussorem. Idem in voce *[illegible] & [illegible]*.

Vide contrarietas concordantia, quæ impediunt vnionem.

Pertinet prælati electio ad collegium cui pastor quæritur, c.vlt.16 q.vlt.

Vt monastica disciplina inuiolabiliter custodiatur Abbas de congregatione Monachorum eligi debet, & non pluribus Monasterijs præesse can. abbatem cum duob. seq. 18. q.2.cap. fin.de relig. domib.

Cum populo Israël ex Ægypto egrediente, non numerantur illis permixti Ægyptij, vt alienigenæ & barbari. Origen. hom.1. super numeros. Tost.ib. to.1.fo.5.

Moyses puer natura quadam insita, mamillam alienigenæ noluit sugere. Gregor. Nyssen. de vita Mosis.

A Illud quod ex alimento aggeneratur, est quasi extraneum respectu eius in quo prius fundabatur virtus speciei humanæ. Vnde sicut virtus vini per admistionem aquæ paulatim minoratur & tandem deficit, ita virtus speciei per admistionem nutrimentalis humidi paulatim diminuitur, & tandem deficit, vnde animal necesse est diminui & tandem mori, huic defectui in Adamo subueniebat lignum vitæ reparando virtutem speciei in pristinum vigorem, non tamen in perpetuum D Thom. in quæst. disput. de pœna peccat. origin. quæstione 5. a. 5. ad 9.

Vitæ mediæ qualitates remanent in transmutatis. *Vide potestas medij*, vis alimenti. Sic exteri imprimunt gentis suæ qualitates Reipublicæ cui accedunt.

B Busiris tyrannus fuit crudelissimus in Ægypto, qui hospites suos occidebat, & dijs scelerum suorum fautoribus, sanguinem eorum offerebat, quem postea Hercules occidit. Tostat. Exod.to.1. fol.118 c.3.1

Samaritani non erant de stirpe Iudæorum, sed Gentilium, translati de terra Medorum & Persarum in terram Israëlitarum; colebant Deum Hebræorum simul cum suis Idolis, illis non couteban-tur Iudæi Tost Math.t 6 f.41.

Gentiles conuersi ad Iudaïsmum non gaudebant multis priuilegijs filiorum Israël, nec illis vnquam æquabantur; non dicebantur ciues; venditi semel semper remanebant serui, at Iudæus venditus in anno iubilæi fiebat liber, & soli Hebræi inter se vocantur fratres, &c. Idem, Deuteron. fol. 83.

C *Externa quæ assumuntur, etiam afficiunt. Vide quæ scripsi de iure naturali l.2.lege 6.§.2.*

In vulnere non solum fit continui solutio, sed simul introducitur exotica qualitas, vnde labra vulneris indignata, mox æstuant, apostemantur, & vario symptomate corpus affligitur; sic ouum cuius putamen vel tenuiter saltem læsum est, putrescit, vbi alias potuisset conseruari. Sic admissi extranei nocent Reipublicæ, & in illam externa inducendo & occulta pandendo.

D Stupor oritur, quando membrum peregrino spiritu irroratur. Van helm.

Sacerdotes fœderatarum Græciæ ciuitatum, quæ Cereris sacra facerent, donabantur ciuitate, ne peregrina & externa sacra, etiam mente aut sacerdote externo, peragerentur. Exteri autem sunt, non tantum hostes, sed etiam fœderati amici. Cuiac. obseru.l.11.c.23.

Potest ferri lex in aliquo territorio quæ solos aduenas in illo existentes obliget, cum hoc ad bonum commune spectare possit. Suarez de legib. lib. 3. c.33.

E Insita retinent naturam suam propriam. *Vide media concordantia*, ex Alberto Magno.

Exteri nunquam debent æquari indigenis. Vide Ibid. ex Tostato.

Beneficia Regni Valentiæ alienigenis Hispaniarum conferri non possunt, nisi in eorum regnis Valentini similia obtinere possint. Sixtus V. const.64. §.5.Bull. pag.449.to.2.

In collatione beneficiorum & dignitatum præferendi sunt collegiales. Vrb. 8.coust.67.§.10.p.84. to. 4.

Ciues Romani habent priuilegium priuatiuè quoad alios circa obtinenda beneficia Ecclesiarum Cathedralium vrbis. Leo.10. constit. 1. §. 4. p. 395. to. 1.

Collegij Cardinalium Archiuij cura Clerico

Cum antea equites in suam quisque gentem describerentur, Alexander antiquam hanc mutauit disciplinam, seorsum à cæteris, exempto nationum discrimine, præfectos non vtique suarum gentium, sed delectos attribuit. Q. Curtius l.5.

Visio fit per concursum interni & externi luminis. *Vide principium cognitionis*, ex Rhodigino.

Quæ à longè petuntur, sunt maioris virtutis. *Vide gloria virtutis*, difficilia.

Hercules etiam peregrinus, sacris Athenensium initiatus. *Vide differentia veritatis*, legum opportuna mutatio.

Aduenæ & peregrini quomodo admittantur ad ingressum religionis. Sixtus V. const. 71.§.7.

Cardinales Apostolorum personas repræsentant, creantur ex omni natione, doctrina & moribus insignes. Sixt. V. const 50. Bull. p.426. to.2.

Monachi B. Mariæ montis Virginis, in propria patria dignitates & congregationis officia obtinere non possunt. Paul. V. const. 89.§ 17. pag. 241. tom.3.

AMOR ET CONIVGIVM diuersorum inæqualium.

MOyses ducens vxorem alienigenam, typus erat Christi, qui cum ex Iudæis secundum carnem natus esset, Ecclesiam gentium appellauit sponsam suam. Theod. in exo. q.4.

Vide concordantia æqualitatis, nuptiæ inter pares.

Romæ lex de connubio Patrum & plebejorum lata, Geneb. a. m. 3680.

Samson accepit filiam Philisthinam in vxorem, volente Deo, vt quæreret occasionem contra Philistum, primo renuit pater, tandem consensit. Iudicum 14.

Et varijs albæ, iunguntur sæpè columbæ.

Anima vnita corpori perfectior est quam separata, ideo etiam beata & Deo fruens illius consortium expetit.

Sic visum veneri, cui placet impares.
Formas atque animos sub iuga ahenea
Sæuo mittere cum joco.

Error in persona, non in qualitate personæ non vitiat matrimonium, vt si quis duxerit corruptam aut meretricem quam putabat Virginem, pauperē quam putabat diuitem. c.29. q.1. per totam. Quin imò facti meritum habebit qui publicam meretricem de lupanari extraxerit, & in vxorem duxerit. Inter opera enim charitatis non minimum est errantem ab erroris sui semita reuocare, cap. inter opera de sponsf.

Quod dicitur Gen. 6. 4. filios Dei videntes filias hominum pulchras, eas accepisse in vxores, quidam interpretantur quod proceres & magnates plebejorum filias sibi iunxerint Bolduc, de Ecclesia ante legem, l.1. c.6.

Num. 11. punitur Maria lepra, quia murmurabat contra Moysen qui Æthyopissam duxerat vxorem.

Cognitio supernaturalis potest esse cum naturali. *Vide concordantia cognitionis*, plurium consultatio.

Substantia spiritualis potest vniri corpori, anima scilicet rationalis humano corpori vt forma materiæ. Attingitur autem à materia corporali ea ratione, quod semper supremum infimi ordinis, attingit infimum supremi, vt patet per Dionysium, 7. cap. de
A diu. nominib. & ideo anima humana quæ est infima in ordine substantiarum spiritualium, potest vniri humano corpori dignissimo, vt ex duobus fiat vnum. D. Tho. in q. disp. de spirituali creatura a.2.

Vide concordantia minoritatis, descensus superiorum ad inferiora.

Gemelli diuersi sexus fiunt, cum in conceptione operatione naturæ materia separatur, cujus vna pars magis obedit virtuti agenti, quam altera propter alterius indigentiam; & ideò in vna parte generatur sexus masculinus, in altera fœmineus, quod sæpius accidit cum corpus cœleste disponit ad sexum fœmineum. D. Thom. Ibid. de prouid. q.5. a.9.
B ad 9.

Licet homini ancillam suam libertate donatam, vxorem ducere & prius ex ea suscepti liberi plenam libertatem cum matre consequentur. Nou. 78.

Angelos posse carnaliter cognoscere mulieres, tenent sarraceni in suo alcorano. Tost. 2. Par. f.147. c.3. K.

Fœmina est secundum naturam minoris perfectionis masculo; si enim ejusdem perfectionis in natura esset cum viro, impossibilis esset generatio per commixtionem eorum. Idem in Genes. fol. 132.

Qui ex incuborum & succuborum conceptu generantur, fortissimi homines & magna statura esse
C possunt. Tostat. Gen f.25. Ideo incœstus prohibetur quia ex sanguine diuersis major est fœcunditas. *Vide concordantia æqualitatis*, incœstus.

Iudæis non erat prohibitum accipere vxores ex Ægyptijs; etiamsi non conuerterentur ad legem Moysi. Id. 1. Par. f.64.

Sæuiens libidó jungit bruta diuersæ speciei, vnde muli; nec parcit humanæ naturæ. Cum per crimen bestialitatis, orti sint fauni, satyri. Olaus Magnus rer. Septentr. l. 18. c.30. Refert puellam pulcherrimam raptam ab vrso, qui ardorem gulæ veneris satietate pensauit. Vt nuptiarum deformitatem artifex natura coloraret, generationis monstrum vsitato partu edidit, syluestremque sanguinem, humani corporis lineamentis excepit, natoque filio paternum no-
D men imponitur, hic Vlsonem genuit, Danorum Regem, & hinc illis stemmata. Potest igitur libido vt specie sic fortuna diuersos jungere.

Terra cæli conjux est, illius concipit influxu, nec quicquam generat, nisi maritus ille superior, sordidam depressamque, matrem fecerit. Connubium tamen hoc, authore Deo sancitum, superna cum infimis connectens, nullus culpat.

Rex Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, Moabitidas, Ammonitidas, Sidonias & Hethæas, 3. Reg. 11. in hoc tamen peccauit.

Marti, amica venus est, & ex planetis sola cum eo concordat, licet amborum diuersi sint effectus, se namque complectuntur, vt materia formam passio actionem, & vt debile robur postulat. *Vide concordantia contrarietatis.*

E De carnali commixtione cum seruis. *Vide concordantia minor.* mala.

COMMERCIVM ET FOEDVS cum populis diuersæ Religionis.

FOedus est conuentio & pactum, inter diuersi generis homines, ad bonum commune institutum, & ad societatem seu commercij seu armorum. Naturalis nobis est, cum omnibus hominibus so-

CONTRARIETAS DIFFERENTIÆ.

QVÆ IMPEDIVNT DISTINCTIONEM, separationem, motum.

IN inceptione itinerum & reditu um, non sit Luna in ascendente; in exitu Regis, non sit cancer in ascendente. Herm. in centiloquio num. 19. & 22. Si tunc fuerit Luna in via combusta laborabit peregrinus, vel graues molestias patietur. Ib. n. 54.

Quintil. decl. 10. agit contra magum qui incantauit sepulchrum, & impediuit ne vmbra defuncti filij amplius, vt solebat, rediret ad matrem, & densioribus transfuga clauditur tenebris.

De his qui viam impediunt. *Vide gloria differentia*, viæ securitas.

Nembroth tyrannus gaudens imperare maximæ hominum multitudini, eos detinebat in ædificatione turris Babel, & impediebat ne ex præcepto Dei in diuersas terræ partes dispergerentur. Ioseph. antiq. Iudaic. l. 1. c. 5.

Spinam quandam enarrant, quæ aquam iniecta congelet. & radicem hibisci posse addensare aiunt, si tritam injeceris, sub diuoque humorem posueris. Theoph hist. plant. l. 9. c. 19.

Vide principium & medium concordantia.

Frigiditas in corpore est torporis, quietis & stupiditatis causa, caliditas verò quæ nullum in terra habet dominium, motum, sensum, & actionem omnibus rebus tribuit. Hinc inferunt contra Copernicum terram non moueri.

Obstructio in corpore plurimorum morborum causa. Obsessis ciuitatibus commercium interdicitur, ita deficiunt.

Romani contos aqua defixerunt, vt scaphæ barbarorum in eos impingerent.

Aquæ eiusdem fluminis grauiores sunt hyeme quam æstate, nam illas frigus cogit & densat. Sic clepsydra tardius hyeme aquam transfundit quam æstate, quod crassior fiat. Georgius agricola, l. 1. de his quæ ex terra fluunt.

Ancile è cælo lapsum discerni non potuit à cæteris quæ mamurij artificio ei similia facta fuerant.

Multi diuites & reges frustra tentarunt perfodere Isthmon, id est breue inter maria terræ spatium, vt dissita maria coniungerentur, ab hoc autem opere deterriti sunt pluribus prodigijs. Vide apud Rodig. l 21. c. 18.

In temperamentis aqua plus materiæ quam formæ suppeditare solet, ac proinde corporibus torporem & otium inducere, & sua grauitate & densitate aëri atque igni obsistere, & illa veluti quodam nexu colligare, ne proprio suo motu aut se conficiant, aut deserta statione in locum suum natiuum reuolant.

Terra mole sua in corporis constitutione superat cætera elementa, nec vllum magis illustre officium præstat, quam sua crassitie aliorum tenuitatem raritatemque compescere, & generationi tanquam materiam se prosternere.

Dorsum magnetis seu pars meridionalis, sicut ferrum, ita & intestinum pellit, curat herniam, omnemque catharrum de natura martis; omnes namque magnetismi ad vsum hominis ordinantur. Vis trahendi ferrum si mumiæ muliebri maritata fuerit, tunc dorsum magnetis in femore, & eius venter in lumbis emplastrata, abortum iam minitantē tuto præcauet: venter verò magnetis in femore, & dorsum lumbis appositum partum mirificè facilitat. Van helm. de magnetica vulnerum curatione.

Adonibezech regi amputauerunt Israëlitæ summitates manuum ac pedum ad illius diligentem custodiam. Tost. in Iud. f. 10. c 3. g.

Aquilo dicitur quasi aquas ligans, quia est ventus valdè frigidus. Id.

Longas peregrinationes maximè per Aquilonares regiones impediunt longissimum iter, ignorantia multorum idiomatum, defectus interpretum, principum & terrarum discordiæ, explorationis suspicio, elementorum insueta asperitas, ciborum sapor insolitus, latronum & viarum insidiæ, syluarum vastitas, ferarum immanitas, alta rupium præcipitia, præiecta aquarum obstacula, tempestuosa nauigatio, ac propriæ libertatis & quietis amissio. Olaus Magnus in præfatione.

Forti ferrea catena ducta, & mersis nauibus oneratis, palis infixis, impeditur & constringitur libertas vrbis maritimæ obsessæ. Vide apud eundem lib. 10. cap. 6.

Non incipias iter Domino ascendentis vel loci Lunæ, in sexta, vel octaua, vel duodecima existente, timetur enim carcer, morbus & est mortis suspicio. Card. aphor. sect. 5. aph. 85.

Paracelsus l. de cœlesti medicina, dicit serpentes in latebras suas non posse fugere, sed sisti, si homo inclamet illis hæc verba Græca, Osij, Osija, Osij. Id est superstitiosum.

Nix est aqua sicca. Gelu sistit fluxum aquæ.

CARCER.

CHristus nunquam fuit in carcere, nisi iuxta mortem eius. Tost. Math. to. 7. f. 114.

De carceris consolatione. *Vide duratio virtutis*. in carcere.

Carceres in terra Canaan erant extra domos habitationis hominum, & tales carceres vocabantur communiter tenebræ exteriores. Id. Mat. to. 6. fo. 9. c. 1. a.

Similia facere difficilius est, quam diuersa. Vide *5. duratio cognitionis.* Mora ex Quint. *& principium æqualitatis.*

Cœli elementa inuicem transmutant, in terra generant aquam, in terra mineralia.

Nisi variarentur causæ agentes aut patientes, non variarentur effectus & transmutationes, sed fierent semper eadem. Campanella.

Si variarentur circulariter, etiam effectus circulariter variarentur, ita sydera sunt causæ inferiorum varietatum, vel quia ipsa mouentur, vel tellus, vel vtraque. Variationes in cœlo, sunt à motu & statione, item à longitudine motus, & latitudine & eleuatione, & depressione, velocitate & tarditate; & quæ plus habet passionum harum stella, plus afficit, vel variabilius inferiora. Id.

Populi multiplicati se diffundunt in alias regiones, vt apum fœtus in noua aluearia, vt aër calore rarefactus.

Tropica signa, significant aëris mutationem, & in rebus publicis, morum & legum.

De indiuiduationis principio. D. Thom. opusc. 29.

Lapides omnis generis si colore conspicuo, ab alijs discernantur, acceptum debent sulphuri minerali vario in illis consperso & adunato, ita tamen vt crystalli splendor ex siccitate non obscuretur.

Fracastor de homocentricis, capite 2. probat vt stellas fixas, sic planetas non moueri per se, sed per orbes suos, quia in illis maxima diuersitas motuum, quia cum sint simplicia corpora, vnam tantũ habent naturam, vnius motus effectricem. *Vide concordantia potestatis*, obedientia.

Casus & fortuna non sunt in his quæ sunt vt in pluribus, neque semper, sed in his quæ sunt rarò. Arist. 2. physic. tex. 48.

Omnis distinctio seu generica, seu specifica, seu numerica desumitur à forma.

Spiritus influentialis solis omnia viuificat, homo vno spiritu varios sermones profert, variè per varios receptos, vitrificator spiritu oris sui varia vasa efficit, tybicen sonos. Cusa excitat. lib. 3. capite 28. quia est vna virtus absoluta, seu omnipotentia, tunc cum ipsa non sit multiplicabilis, vti est vna, pura & absoluta, hinc oriuntur plura creata ipsam participantia; pluralitas enim est explicatio vnitatis, cadens à virtute infinita vnitatis, sicut enim numerus explicat virtutem vnitatis, cadens ab interminabili virtute vnitatis, in terminatam numeralem, ita pluralitas rerum est exiens, ab vna virtute infinita, à qua cadit, in finitam pluralitatem. Ibidem Cusa.

Diluuium quatuor paradisi fluuios confudit, ruptis maris, terræ cataractis, & in dissitas regiones transtulit. Geneb. in chronicio.

Mercurius Trismegistus horas primus obseruauit ex vrina animalis cœnocephali quod duodecies diei & noctis vnius spatio vrinam emittit. Polyd. Virg. de inuentione rerum, l. 2. c. 5.

Diuersitas motorum cœlestium, est ex diuersitate ordinis, secundum distare plus vel minus à causa prima; & huic diuersitati respondet diuersitas motus in sphæris ipsis. Alb. Mag. de cælo & mundo, tr. 1. c. 3.

Fit perpetua rerum generatio, quia materia continuè passibilis est, qualitates quæ sunt formæ elementorum continuè agunt & patiuntur, ad inuicem, & motus cælorum perpetuus, adducit generans in tota materia. Nam quod est ens semper, perfectum & perpetuum, causa est eius quod non

A est semper. Idem de generat. & corrupt. lib. 2. tr. 3. c. 4. duo etiam motus scilicet primi mobilis ab Oriente in Occidentem, & planetarum ab Occidente in Orientem. Sole recedente ad signa meridionalia vincunt elementa inferiora & conuertunt in se superiora; recedente autem Sole ad Septentrionalia, vincunt elementa superiora, & conuertuntur inferiora in superiora.

Mobilia & variabilia, per immobilia & inuariabilia mouentur.

Fluuij & concursus, præruptionesque aquarum, multis de locis semina arborum herbarumque aduehunt. Itaque amnium digressione loca permulta syluis impleta sunt. Theoph. de causis plant. lib. 1.

B c. 5.

In arboribus duplex est mutationis ratio, scilicet quæ radicibus, quæque inoculatis, insitiue truncis tribuitur; altera per alterationem partis subditæ; altera per aliquorum adiectionem. lib. l. 2. c. 19.

Omnes plantæ in generandis saporibus transeũt per excoctionem ex alia in aliam qualitatem saporis; ex amaro in acerbum vt oliua, ex acerbo in dulcem vt pyra. lib. l. 6. c. 7.

Terra quomodo patiatur concauitates. *Vide finis concordantia.*

Albert. Magnus in lib. de anima & in principio Physicorum, & de mineralib. lib. 1. cap. 6. dicit quod anima non operatur vnum tantum, sed multa

C quidem per se, & non secundum accidens, natura autem lapidis non operatur nisi vnum, vnde probat non esse animatos.

Vide principium durationis, ex eodem de cœlo stellato.

Euripus est mare angustum intra duas terras, Atticam & Boëtiam, cuius loci aqua septies in die mutatur. Suidas in voce *[illegible]*.

Quæ tenuiora & subtiliora sunt, magis mouentur, vt aqua quam terra, aër quam aqua, & aër tenuior quam spissior; ideò cometa apparente fiunt pestes, sterilitates, mortes, quia aër per calorem factus subtilior magis alteratur. Card. de rer. varietate, l. 1. c. 1.

Tres magis mobiles planetæ si misceantur, imaginem vnius inordinati motus præbent. Ibi-

D dem.

Flores multum coloribus variantur, quoniam humidum in illis tenue est, atque in exiguo & perspicuo corpore. Habent etiam alia discrimina in truncis & folijs, quæ omnia propter causæ genus illis eueniunt, vt dictum est in libro de arcanis æternitatis, inquit Cardan. lib. de rer. varietate, capite 17.

Quoniam maris natura cum immobilis sit, non facilè plantas admittit, fluctus enim difficulter ferrent, earum loco plures sunt in mari animantium species, quam in terra. lib. c. 37.

Locus loco commutatur cùm in terræ motu solidam terram subterraneus aliquis turbo in contra-

E rias partes vertit, ac torquet, quòd accidisse scribit Plinius anno Neronis supremo pratis oleisque intercedente via publica in contrarias sedes transgressis. Noui fontes aperiuntur cum terræ motus veteres canales qui effundebant aquam obturat, tunc enim necesse est alio loco ex montibus erumpere aquam. Georg. agricola, l. 2. de causis subterraneorum.

Aquæ & venti montes eradunt & dissipant, & prout vis tulerit alibi accumulant, sæpè congestis arenis. Ibidem libro 3. & libro 4. de his quæ fluunt è terra refert sæpè antiquis fontibus & flu-

Digitized by Google

poris. Vide 5. *cognitio differentiæ*, & *medium cognitionis*.

In Cypro nascitur Amianthus lapis ex quo olim fiebat tela, qua inuoluta hominum cadauera, busto inferebantur, & sic eorum cinis, à lignorum cineribus discernebatur. Plin. l. 37. & Georg. agricola l. 5. de natura fossilium.

Cingulum diuidit cor, à partibus verecundis.

Quælibet natio, vt quilibet nobilis habet sua propria insignia, seu stemmata quibus ab alijs distinguitur, sicut nomine proprio, auditu. Num. 6. 2. & 11. 2. Singuli per turmas signa atque vexilla & domos cognationum suarum castrametabantur filij Israël per gyrum tabernaculi fœderis. *Vide cognitio potest.*

Abies facilè fissilis est, propter certam meatuum rectitudinem. Theophrast. hist. plantar. lib. 1. capite 8.

Sulphure ferrum liquatur. *Vide finis concordantia.*

Romæ consules curam habebant montium & syluarum, vt materia non deesset ædificandis nauibus: ad hoc etiam nunc in Veneta Republica sunt præfecti designati. Petrus Crinitus de honesta disciplina, l. 4. c. 5.

Quod substernitur gemmis, mutat earum colores.

Differentia est species definitionis quam scriptores artium de eodem & altero nominant. Hæc enim duo quædam inter se communione confusa, conjecta differentia secernuntur, per quam quid sit vtrumque cognoscitur, vt cum quæritur quid inter regem sit & tyrannum adiecta differentia, quid vterque sit definitur, vt Rex modestus & temperans, tyrannus verò crudelis. Isidorus. orig. lib. 1. c. 30.

De inuentione geometriæ qua discernuntur agrorum termini. *Vide cognitio magnitud.*

Dædalus fecit quasdam imagines ligneas, & artificiosè spiritu incluso faciebat eas per se moueri, Tost. exo. to. 2. f. 118. c. 3 h.

Danda est viæ facilitas & transitus, alioquin obtinetur vi. *Vide gloria differentia.* Viæ facilitas.

Funes ceciderunt mihi in præclaris. Ps. Fune prædia mensurantur & terminis suis clauditur.

In linguarum confusione prætendebat Deus, vt homines seipsos non intelligentes loqui ab inuicem recederent, non ædificarent, & in diuersas regiones dispergerentur, Tost. Gen. f. 56.

Signa mobilia itineribus valdè commoda, & celeritatem & reuersionem indicant; fixa autem pessima, Card. aph. sect. 5. aph. 65.

Annus cum quatuor suis tempestatibus est quadriga mundi, ducit diem & noctem, frigus & calorem; auriga sol. Alcuin.

Instrumenta motus.

Aues alis volant, terrestria pedibus ambulant, aut serpunt tractu partium corporis. Quidam pisces natant per motum capitis sui, sicut Malachiæ genera, & Karabo locusta maris; quædam licet aquatica non natant, sed ambulant pedibus in fundo maris. Vt sunt genera cancrorum multipedum. Albertus Magnus, libro primo de animalibus, capite 1.

Solutio vectigalium; sic alimentum aliquid de suo soluit partibus per quas transit.

Vide supra proxime hoc tit. de materia nauium.

Architas Tarentinus Philosophus tanta arte, certisque libramentis columbam ligneam confecit, vt instar viuentium volaret. Cassiodorus in libris A variarum scribit Boëtio arte factum vt æneus anguis exsibilaret, aues simulatæ vocem emitterent & cantilenam. Petrus Crinitus de honesta disciplina, l. 17. c. 12.

Aues aëre & ventis, pisces aquis feruntur, quadrupedia ferunt se. Omnia animalia quæ regionem ex ordine naturæ mutant gregalia sunt, quoniam aliter tuta ab infestis non essent, Card. l. de rer. varietate, c. 17.

Omnis motus in animalibus fit aliquo quiescente, nam cum omnis motus animalium comparatione corporis violentus sit, ob illius grauitatem, oportet vt fiat cum nixu, at nixus non fit, nisi aliquo quiescente, quia impulsus habet rationem, B quod verò impellitur ab aliquo tanquam firmo impellitur, ne sit progressus in infinitum. Ita videmus lapidibus contentis in manibus atque constrictis nos & velocius currere, & vehementius salire. Ib. c. 17.

Asterites in acetum positus vertitur non nihil in orbem, & mouetur de loco, stellæ enim eius sunt raræ, intermedium verò densum est, earum igitur meatus cum combiberint acetum, expellunt aërem qui lapidem commouet. Georgius agricola, l. 4. de causis subterraneorum.

Loca caua sunt obnoxia terræ motibus, at solida non quatiuntur quod ventum recipere non possint; nec arenosa quod facilè in ipsis dissipatur, nec quæ limo concreuerint, quod caruerint receC ptaculis venti capacibus sicut in Ægypto, similiter campestria quæ multum distant à mari rarò quatiuntur, quia minus sæpè cauernas solent habere. Id quod in Gallia & Germania est obseruatum. Id. l. 4. de his quæ effluunt ex terra.

Ex Aristotele argentum viuum cum plus aëris quam aquæ contineat, non concrescit nisi arte chymica. Idem libro 8. de natura fossilium.

Dati sunt venti ad vlteriora pernoscenda, nam homo fuisset imperitum animal si circumscriberetur natalis soli fine. Senec. natur. quæst.

Mare ab initio, ita cœpit & incedit incessanter eodem amplo intra molem tantam cohiberi ineptam, primæuo calore; indicat etiam musti æstus in dolijs copiam spiritus absque ardente calore elationes ac depressiones facere posse, nam etiam vasa D disrumpit per vim nostro tactui non satis patentem. Camp. physcol.

Motus fit à virtute mobilis, & diuisibilitate medij, vbi ergo mobile potest diuidere medium, mouetur, & magis in magis diuisibili, vt magis in aëre quam in aqua; sic metallorum laminæ planæ, quia multam aquam comprehendunt, non possunt illam diuidere, itaque natant, grana verò ferri rotunda modicam comprehendunt, idcirco non habent resistentiam in diuisione. Ib.

Cadi ad exportandum vinum apti. *Vide finis medij.*

Angeli corporibus assumptis vitam non influunt, sed tantum motum, & ideo considerandum E est, quod omnes operationes quæ sequuntur corpus viuum, in quantum viuum, non possunt Angelis in corporibus assumptis conuenire, vt manducare, sed tantum illæ quæ sequuntur corpus mobile in quantum huiusmodi, vt mouere, impellere, diuidere. D. Thom. in lib. 2. sentent. dist. 8. q. 1. a. 4. c.

Alueus dicitur locus per quem aqua fluit, scilicet, concauitas illa prona per quam aqua dilabitur inclusa vndique aliquibus tumoribus terræ. Tost in exo. f. 10. c. 2. c.

Aër cum sit ex se admodum mobilis, fluidus,

MEDIA DIVERSITAS & mutatio.

VVltus mutatio, oculorumque coniectus multum in actu orationis valet, sed si quis ducere os exquisitis modis, vt frontis ac luminum inconstantia trepidare non desinat, rideatur. Et oratio habeat rectam quandam faciem, quæ vt stupere immobili quodam rigore non debebit, ita sæpius in ea quam natura dedit, specie continenda est. Quintil.Inst.orat.l.9.c.2.in fin.

In eadem pronuntiatione sunt quædam non ita magnæ vocum declinationes, prout verborum, aut sententiarum dignitas postulabit, vt qui singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora alia reductiora fecerunt, sine quo ne membris quidem suas lineas dedissent, Ibidem libro 11. capite 3.

Immutare possumus elementa secundum minimas eorum partes, non secundum totam substantiam, & locum: non possumus expellere terram, äërem, aquam, è locis suis; sistere fluxum maris, motum cæli.

Cæli incorruptibiles, mutantur ratione vbi.

Generatio accidentalis, vt cum homo de nigro fit albus, &c. In generatione autem essentiali, quod A interit, interit in ratione entis perfecti, non verò in hoc sensu, quod intereat, secundum quodlibet sui. *Vide media minoritas, & media concordantia.*

In omni ente reperitur identitas & alteritas, reperiuntur enim illa tria, essentia, motus, & status, diuersa à se inuicem; licet in lapide sit grauitas, color, quantitas, qualitas, motus & alia quæ circumstant essentiam, non definit esse vnum ens.

Deus noluit omnium animantium species diluuio deleri, & per creationem nouas produci. Vt prisci operis prima iura cum dignitate retineantur; & dum res nouæ ex prioribus per generationem prodeunt, ex vtrisque laudetur creator & conseruator Deus. Sanctus Basilius. Seleuci, orat. 6.

Motus localis est minor inter cæteros vel quasi medius. *Vide bonitas differentia*, vtilitas motus.

Existentes in purgatorio sunt partim in via, & partim non, Tost.Math.c.7.f.56.

Prudens ita se accommodat tempori, vt non se in aliquibus mutet, sed aptet, it eadem via, licet non eodem passu. *Vide differentia cognitionis, & differentia voluntatis.*

Sunt quædam temporariæ & casuales iudicum permutationes, quæ veterem prouinciarum morem non innouant, l.123.ff.de reg.iur.l.quæro,ff.de visuf.leg.& Cujac.obs.l.24.c.2.

FINIS DIFFERENTIÆ.

DESINENS SEPARATIO, ET AD PROPRIA REDITVS.

PLATONICI dicunt post mortem corporis, animas quæ in hac vita, piè & iustè vixerint, redire ad compares stellas; comparem vocabant stellam eam, à cuius intellectuali motore, semen intelligentiæ, in animam hominis transfusum est; sicut in dissolutione mixti elementa redeunt ad suas regiones, Albertus Magnus, tract.2.de natura & origine animæ, capite 7.

Lumen primæ causæ tripliciter influit rebus, scilicet influentia constitutionis ad esse, influentia irradiationis, ad perfectionem virtutis & operis, & influentia reductionis, ad primum fontem, vt boni principium. Idem libro 2. de processu vnius, cap. 1.

Naturalia ad diuina reducuntur. *Vide virtus cognitionis.* Scientia cum pietate, ex diuo Dionysio.

In sacrificio res offeruntur Deo, vt creatura ad creatorem redeat, & hæc reditio maximè & propinquissimè est in diuinissimo sacrificio, D.Dion.c.3. cælestis Hierarchiæ.

Circulus projectus primo quidem rectam lineam in cursu suo facit; in fine autem cursus sui, motum circularem describit. Radius solis per foramen inæqualis figuræ transiens, certo dato spatio in orbem redit. *Vide bonitas finis.*

C Ventis inclinatæ arbores citò in statum suum redeunt, sic flamma diuisa, & aër diuisus facilè suæ restituuntur integritati.

Memoria vetera restituit, etiam animalia longo itinere deducta ad assuetas sibi sedes renertuntur. *Vide duratio cognitiones*, memoria.

Cur omnia ad idem redeant. *Vide principium æqualitatis.*

De reditu ad cælestem patriam, D. Aug. serm. de cantico nouo, to 9.

Si lapis magneticus per medium diuidatur, vtraque pars diuisa, magno conatu tendit ad priorem quam habebat vnionem.

Annus dicitur quasi annulus, quia vt annulus sibi cohæret, & in se redit, sic Ægyptij annum hieroglyphicè referebant per serpentem dentibus extremum caudæ suæ apprehendentem. Annus Græcè D dicitur, [illegible], quod in se recurrat, & redeat.

De recollectione regentium. *Vide gloria potestatis.*

Tenerum & molle in mulieris amorem hominis pectus, vnde originem cœpit facilè reditu rum.

Est lex naturæ vt abeant omnia, vnde orta sunt, ita quidquid è terra foditur, & in aquam resoluitur, id ex aqua creuisse, & ex aqua congelata ortum habuisse censendum est.

Digitized by Google

MAIORITAS DIFFERENTIÆ.

NIMIA DIVISIO ET DIVERSITAS MALA.

AGER vliginosus est is qui habet continuo siccitatem pulueruIentam sterilis est, quia non habet solidam continuationem, in qua planta radicetur; tota enim eius superficies porus & porus: & si quid est subtilis humoris in fundo, totum euaporat, nec retinetur aliquid in superficie, quod refluat in plantæ alimentum. Albertus Magnus, libro septimo, de vegetabilib. capite octauo, in fine.

A

Quintilian. Instit. orator. libro 4. capite vltimo, Improbat nimiam orationis articulosam partitionem, vt iam non sint membra, sed frusta superuacua assumunt, & quæ natura singularia sunt, secant, nec tam plura faciunt, quam minora.

B

Non licet consecrare in naui, quia est periculum effusionis sanguinis. Bonacina.

Vbi arenæ mobiles sunt, terra nullam herbam producit, & ingens sterilitas, quia opus naturæ incipiens, deletur, vitæ patr. libro quarto, capite 1.

Exacontalitus lapis est sexaginta coloribus distinctus, paruæ quantitatis valdè, in Lybia inuenitur, nocet neruis, & oculos hominis dicitur efficere tremulos. Albertus Magnus, de lapid. littera E.

Empusa erat spectrum diabolicum in varias se figuras transformans & multiforme; iam bos, iam mulus, alias formosissima fœmina. Suidas in voce empusa. *Vide minoritas verit. mal.*

C

Nimia aëris mutatio barbaros efficit. *Vide maioritas volunt.* passionum damna.

Habitatores Iceblandicæ insulæ viuacissimi sunt, robustissimi, pulcherrimi, curis enim vacant ob imperitiam & morum ingenuitatem, non spes illic, non metus, non lites. Adde quod erraticæ, quæ multum corpora nostra mutant, in illis ob distantiam, minimum possunt. Hos reor esse quos antiquitas hyperboreos appellauit Card. de rerum varietate, l.1.c.4.

Declarat nauigatio quod motus corpora turbat Hyppocrates, ep.21.

Delphino produnt naturæ periti adeo motum esse familiarem genuinumque, vt standi interquiescendique nescius eundem vitæ sortiatur finem quem & agitationis. Rodigin. libro 8. capite 6.

Ægri accubitum non perferentes figuras euariant, quia semper præsens eos aggrauat. Idem l. 11. c. 4.

Maxima maris agitatio Nauseabundos efficit. Id. l.16.c.13.

Nocet medicinam in tot professores diuidi quot sunt corporis partes. *Vide magnitudo potestatis.* Plura simul officia.

Vide minoritas durationis, inconstantiæ, *& durationis voluntatis, virtutis, gloriæ, & cæterorum principiorum.*

Bon. Intellectus plura potest secernere & abstrahere, quam natura.

Sunt animalia varia forma, discrimineque multiplici, magis quam plantæ, quoniam functiones habent plures, functio verò instrumentum requirit. Card de rer. variet l.6.c.17 Plantarum vnum videtur esse opus viuere, ob id plantæ omnes quasi vno modo sunt.

Vide magnitudo differentiæ, quod nobiliora sint in maiori differentia.

BIBLIOTECA BONA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INDISTINCTIO.

NObilis primogenitus familiæ portat arma eius plana & integra, sine aliquali distinctione vel additione; alij verò posteriores, cum aliquali discrepantia introducta per regni consuetudinem.

Videat orator, an simul plura aggredienda, an amolienda singula plura simul inuadet, si aut tam infirma sunt, vt pariter impelli possint; aut tam molesta, vt pedem conferre cum singulis non expediat. Quintilian. Instit. orator. libro 5. capite 13.

Metallorum natura facilè potest cognosci, quia corpora eorum non sunt diuersa, sed homogenea per totum, & non sicut alia corpora quæ propter sui diuersitatem per anatomiam non in toto possunt inuestigari & sciri. Alb. Magn. de mineral. l.3. c.1.

Via pro parte acquiri non potest, l. pro parte ff. de seruitut.

INDISTINCTIO MALA.

NVlla pars hostiæ esset consecrata, si Sacerdos intendat quartam, aut mediam partem hostiæ consecrare, non distinguens quam partem consecrare velit. Bonacina de Euchar. q.2.p.5. similiter si ex decem hostijs intendat tantum quatuor consecrare, & non eas determinet, non est enim ratio cur vna potius quam alia sit consecrata, Ibid. In æquali enim resistentia nihil fit. Vide *æqualitas contrarietatis*.

Paruorum conspectus, est ingratus, quia applicatione multa indiget, & indistinctus est. Fracastor.

Atlantes Africæ populos proprijs carere nominibus tradunt, quod illis inter cæteros homines proprium. Rodig. l.18. c.38.

Plantæ quia non habent motum localem, non generant in alio per coitum, sed in se confusa virtute masculina & fœminina. Idem lib. 21. capite 1.

In scientijs & artibus, indistinctio parit confusionem. *Vide bonitas differentiæ*.

Missas Latino ritu Græcis, & Græco ritu Latinis celebrare interdixit Pius V. constit. 12. p. 145. to. 2.

Doctor certam debet tenere sententiam, non habere indifferentem, vide quæ scripsi de l. de iure naturali, §. lege 7. §. 1.

NOVITAS FVGIENDA.

VIde *bonitas durationis*, continuationis.

Saliorum carmina, vix sunt à suis sacerdotibus intellecta, sed illa mutari vetat Religio, & consecratis vtendum est. Quint. Inst. orator. libro 1. c. 11.

Si de nouo ædificetur capella, arma primi fundatoris non debent tolli, sed simul poni cum armis noui fundatoris seu restitutoris. Vide Chassaneum in catalogo gloriæ mundi, 1. parte conclusione 21. & citat. Bartol. in l. qui liberalitate, §. nec eius nomine, ff. de oper. publ. quod non est licitum abradere antiqua, & ponere noua.

A Mos retinendus est fidelissimæ vetustatis, quem si quis immutare voluerit injuria prædecessoribus fieri videtur, l. testamenta Cod. dete stam.

Ab eo quod solitum est fieri, bonum est argumentum, l. quod si nolit, §. assidua, ff. de ædil. edi. Quod consuetudo dat, homo tollere non potest. Auth. quod locum, c. si mulier secundo nupserit. *Vide potestas durationis.*

Committitur peccatum, quoties in Sacramentis mutatur forma, etiamsi eadem significatio remaneat, quilibet enim tenetur se communi vsui Ecclesiæ accommodare, & videtur mortale, quia est contra reuerentiam Sacramentis debitam. Bonacina

B de pœnitentia, q.4. p.2. in fine.

Mala benè posita, & diuturno tempore iam roborata, facilius tolerantur quam mutantur: Continuæ seruientibus cum suo iugo rixæ, siue procliuitas naturæ in libertatem, siue imperantibus maligna vis & oblita humanæ conditionis, gloria; nutauere magna semper imperia, & optimum duxere nouitatis cupidi, quidquid posset mutari. Multi dum se per omnes gubernandi formas agitant, crebra mutandi libidine auxerunt fastidia, nec onera minuerunt. Benè monet Apostol. 1. Cor. 7. Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Hæc vexatio & jactatio est ægrotorum malum necessarium non ferentium.

C Super omnibus negotijs, ait Quintilianus, melius atque rectius olim prouisum, & quæ conuertuntur, in deterius mutantur. Periculosa sæpè mutatio, etiam in melius est, nam inde leuibus ingenijs potestas datur, etiam bona mutandi. Vt parui sumptus si sæpè fiant, magnas facultates exhauriunt, sic paruæ licet mutationes, Respublicas dissoluunt; & paulatim inducitur, legum violendarum consuetudo.

Spiritus terræ proprius, ipsique innatus, exsiccat, indurat, sistit alias facultates corporum, & spatijs coërcet definitis, vt non fluant, non vagentur, non abscedant in halitum, & sic formantur concretione halitus, metalla. Vnde extra non possunt generari.

D Cælestinus Papa an. 428. Epistola ad Episcopos Galliæ, arguit quosdam sacerdotes qui amicti pallio, & lumbos præcincti ministrabant in Ecclesia, vt fierent conformes his quæ dicuntur, Luc. 12. Si, inquit, studere incipiamus nouitati, traditum nobis à patribus ordinem calcabimus, vt locum superuacuis superstitionibus faciamus.

Nouitati doctrinæ opponant se Episcopi. *Vide cognitio virtutis*, fidei publica confessio, *&* *duratio virtutis*, Religionis permanentia.

Omnis mutatio est quædam mors.

De terris quæ non sunt obnoxiæ motibus. *Vide medium differentiæ*, ex Georgio agricola.

In diuinis & magicis vsurpantur verba antiqua, licet non intellecta & sensu nostro non nominum sint barbara, *vide potestas cognitionis*, vis nominum.

E Pluri Reges infœliciter tentarunt perfodere Isthmos, id est angustum inter maria spatium quo sublatæ coniungerentur. Vide apud Rodigin. lib. 21. c. 18.

Quicumque ad religionem conuerti voluerit, non nouam instituere, sed vnam ex institutis & ab Ecclesia receptis optare debet, cap. fin. de relig. os. domib.

Ezech. 17. parabola de Aquila prima & secunda. Significat Regem Babylonis, cujus imperium excutiens populus se transtulit ad Regem Ægypti, à

Solent homines quæ adsunt negligere, quæ absunt appetere, sic de loco in locum transire, vt nullibi minus esse velint, quam vbi sunt.

Ministri Ecclesiæ in quibuscumque locis ordinati fuerint, in ijsdem perseuerent. Conc. Arelatense Galliæ, 1 ca. 2 a. 314.

Ne pauperes per ciuitates vagentur, statutum vt vna quæque ciuitas suos pauperes alat. Conc. Turonense, II. c. 5.

Sunt pleræque in Ægypto arbores, vt morus & Persea, glans, spina & aliæ quædam quæ peregrinari omnino nequeunt. Theophrast. hist. plant. libro 4. c. 2.

Phydias venerem pinxit pede calcantem testudinem domiferam, quia mulier non debet egredi domo. Propterea mulieribus Ægyptijs mos fuit non vti calceis, vt ita domi se continere cogerentur. Rodig. l. 10. c. 3.

B

Interpretantur illud quod exploratores retulerunt, terra deuorat habitatores suos numer. 13. 33. Quod hæc terra tam esset fertilis, vt ab ea nullus habitatorum vellet discedere, sed ibi sepeliretur & consumeretur. Bolduc, de Eccles. ante leg. lib. 1. cap. 3.

D. Hier. ad Eustochium ep. 22. auertit illam à peregrinationibus etiam pijs. Martyres, inquit, tibi quærantur in cubiculo tuo, nunquam deerit causa procedendi, si semper quando necesse erit processura sis.

C

Breuissimus apud exteros rerum conspectus, longa peregrinatione multisque periculis emitur. Totum orbem Cosmographi nobis exhibent, quoties placet effusi in tabula orbis, diuersissimas regiones intueri, commodius libris, quam nauibus aut equis vehi conceditur; cum populis etiam feris innoxiè conuersari, cælo nec frigore, nec calore nociuo. Ad horam licet plura clymata decurrere, sine metu, & acerba suorum absentia.

Peregrinatio externas imprimit qualitates. *Vide potestas medij*, vis alimenti, non peregrinandum. *Vide cognitio differ. Repug.*

Agnus in ea domo in qua immolatus fuerat, comedebatur. Multi religiosi semper manent in eadem domo in qua vota sua emiserunt.

D

RESIDENTIA IN OFFICIIS *& beneficijs.*

MOnachus iugiter commoretur in cella, quoties enim post discessum reuertetur, velut nouus in ea, & incipiens habitator, titubabit, atque turbabitur, amissaque vix cum homine redibit, animi tranquillitas. Cassia. collat. 6. c. 15.

D. Basil. ita scribit ad Chilonem discipulum. Ne ob quamlibet affinium necessitatem, è loco tuo discedas. Loci enim tui semel desertor factus, idem & ab accepto vitæ instituto fortitan secedes transfuga.

E

Cœli non mutant locum, sed in eodem semper mouentur.

De Residentia Episcopi, Athan. const. bibl. Patr. tom. 3.

Non licet ex vno beneficio, in aliud transire vide can. sunt & ca. præcipimus 21. q. 2. Conc. Nic. c. 15. 16. 17. Arelatense, c. 2. & 21. Innoc. 3. cap. inter de translatione Episcopi, cap. admonet de renuntiationibus qui vnum beneficium relinquit propter aliud auaritiæ, aut ambitionis causa, vtroque priuandus est, can. si quis Episcopus, 7. quæstione prima, cap. bonæ, 1. de electionibus.

Asserunt quidam extra terram metalla non posse fieri, quia extra eam non viget spiritus terræ coagulatiuus, exsiccans, indurans, coërcens res ne diffluant. Ventus quidem borealis terreus, gelidus, aquam & terram, gelu indurat, aërem exsiccat, sed si fluere desinat, elementa redeunt ad ingenium, humescit aër, aqua soluitur, & fluit à siccitate libera; at in terra efficit concretionem metallorum perpetuam, quia in terra plenum suum exercet dominium, & materiam conuertit in naturam terræ; sic Episcopus residens, omnes continet in officio.

Licet Sinenses summa pietate defuncti parentis funus celebrent, eximuntur tamen officiarij militiæ, quia publicum munus, non debent deserere.

Petrus Damiani opusc. 13. cap. 15. de officio Abbatis; Non, inquit, hospitem te Monasterij frequens discursus exhibeat, sed habitatorem & domesticum diuturnitas morosæ grauitatis ostendat, vt semen verbi quod sparsisti, valeas excolere.

Dux Venetiarum non potest egredi ducatum sub pœna 1000. ducatorum, Exod. 26. Facies tabulas stantes tabernaculi, de lignis Sethim, imputribili. Significantur prælati residentes. Rupert.

Leuitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israël, & excubabunt in custodijs tabernaculi, testimonij. Num. 1.

Episcopus si infirmitate non fuerit impeditus; Ecclesiæ cui proximus fuerit, die Dominico deesse non liceat, Conc. Aurel. 1. c. vlt. de consec. dist. 3. can episcopus.

Vt nullus Episcoporum natalem Domini, aut Pascha, alibi, nisi ad Ecclesiam suam, præter infirmitatis incursum, aut ordinem regium, celebrare præsumat. Conc. Lugdunense III. can. 5.

Vt Episcopus non migret de ciuitate in ciuitatem, sed curam habeat Ecclesiæ suæ. Concil. Francofordiense, can. 7. a. 794. & can. 41. vt extra propriam sedem vltra tres hebdomadas non hæreat. Conc. Paris. VI. can. 29. Episcopis & Presbyteris hinc inde discurrentibus, & rebus sæcularibus, immiscentibus applicat illud Hier. thr. 4. quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus; dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium Planetarum; ex D. Gregor. in pastor. libro 2. capite 7. amittitur & obscuratur reuerentia personarum Deo sacratarum, dum sæcularibus, neglecto suo officio se immiscent.

Concil. Aquisgra. II. c. 12. vt Episcopi extra necessitatem remotiora loca relictis suis sedibus non frequentent.

Non potest eligi qui simul plura beneficia curata habet, c. dudum 54. de electionib.

Act. 20. dicit Paulus, intrabunt post discessum meum lupi rapaces non parcentes gregi.

Duces militum qui proximi sunt gentibus, debent in suis limitibus commorari, vt redigant milites ad munus suum & exercitationem suam, lib. 4. cod. de off. iud. milit.

Magister sentent. dist. 37. & cum eo D. Th. probant localitatem omni creaturæ conuenire, vel per circumscriptionem, & definitionem, sicut corpori, vel per definitionem tantum sicut spiritui, & ita concludunt vnum Angelum esse non posse simul in duobus locis extra sphæram suæ actiuitatis.

Digitized by Google

BONITAS CONCORDANTIÆ

VTILITAS VNIONIS, CONCORDIÆ, AMICITIÆ, PACIS.

APOLLONIVS Ephesios ad mutuam charitatem est cohortatus ex eo quod viditpassiterem, alijs in arbore existentibus annuntiantem, grana, non ab hinc longè esse dispersa, ducemque omnes sequuti sunt, Philost.in vita Apollonij,l.4.c.1.

Deus nihil creauit,quod geminum non sit,& nihil est sine alio perfectum; in compare omnia consistunt, & complentur; vir per se liberos non gignit sine fœmina, sic in homine corpus astrale, & elementare per vnum sunt, Parac.l.1.Sagacis Philosophiæ c.3.

Nihil in rebus humanis excogitauit natura præstantius amicitia, quid concordia contra fortunam majus auxilium; nam primum præter cætera animalia, induit nostris pectoribus quandam societatem quæ mutuo gaudere congressu;contrahere populos,condere vrbes edocuit,& cum mentibus nostris varios imposuerit motus, nullum meliorem beneuolentia tribuit affectum.Quid enim humano generi foret fœlicius, si omnes esse possent amici; non bella, seditiones, latrocinia, lites, cæteraque mala, quæ hominibus ex seipsis nata sunt, fortunæ accessissent. Non nisi optimis mentibus contingit, vt aut sic amare sciant, aut sic amari mereantur. Quint.declam.9.

Genus est, quod ad quæstionem quid est, rectè respondetur, vt si quæratur quid est homo, rectè respondetur est animal.Arist.1 topic.5.

De concordia fraterna. D. Augustin. homil. 40. to. 10.

De pace,Gregorius Nazianz.orat.12.13. 14.Gerson. tom. 1. 4 Gregor. Nyssen. Cyprian.epist. 5. 6. 56. Eligius, Bibl. Patr. tom. 2. *Vide bonitas gloria, pacis.*

Sicut in vno corpore multa mẽbra habemus,&c. Rom. 12. Sanctitatis membra, donis contenta sint largitoris, & credant suum esse membra omnia, quod vnum fecerit membrum, quia minorari nescit membrum vnum, quod totum honoratur in corpus,Chrysol.120.ser.

Etiam fluida & humida elementa habent suas concretiones, aquæ sunt in terra,metalla, vitriola, aluminosa, in fructibus maturis viciſſiditas, in animalibus, corium, cornua,auriculæ, vngues, calces pedum cartilagines. In aquis sunt ostrea, quæ omnes concretæ humiditates aceto soluuntur. Aërea concretio est oleum, quod in omnibus mixtis est præcipua pars essentiæ,concretio ignea est sulphur, bitumen. Sal est concretio spiritus cælestis in substantia corporea. Color est concretio lucis in corpore.

D.Aug.in manuali,c.17.In cęlo,inquit,agnoscemus amicos & parentes,& ep. 6. In cælo conjuges erunt sibi notiſſimi, & tunc nihil latebit proximum in proximo, & D. Cypr.serm.de mortalitate. Magnus, inquit, in cælo nos expectat charorum, fratrum numerus, ad horum complexum venire, quanta nobis & illis,lætitia.

Essentia non fit, Arist.7.metap.to.27 id est forma per se, & in abstracto non fit, sed simul cum composito.

Chinenses dicunt esse quinque concordantias quibus stat Reipublicæ fœlicitas;patris & natorum, viri & vxoris,superioris & inferioris,fratrum,denique ciuium & æqualium,Dauity.

Securitatem majorem habent omnia animalia gregalia, cum sunt simul, bucula in armento, oues in grege,columbæ in colombario,apes in alueario, nam ibi tantum mellificant.Miles in exercitu,Monachus in claustro. Fidelis in Ecclesia; gyrouagus, est quasi schismaticus, si non soluit fidem, soluit charitatem, Petrus Damiani opusc. 27. capite tertio.

Omnis subsistentia est vnio, & ob hoc regnum æternum est pax, quies vnio infinita; Vita est vnio, mors diuisio, Regnum vitæ est in charitate quæ est vnio; Regnum mortis in odio, quod est diuisio, Card. Cusa l.5.excit.c.39.

Vltimum Christi miraculum est vnionis. *Vide potestas medij*, de Euchar.

Non omne ens est simplex, quia entia materialia ex multis constituuntur, quorum vnum habet rationem potentiæ passiuæ,aliud formæ, vt patet in materia & forma, 2. quia multa circumstant essentiam illorum, itaut pertineant ad eorum perfectionem,vt sunt quantitas,qualitas,actio,seu motus.

Apud nos composita sunt meliora simplicibus, quia perfectio bonitatis creaturæ non inuenitur in vno simplici,sed in multis.Sed perfectio diuinitatis inueniтur in vno simplici.Vnde homo cum sit perfectior alijs animalibus, habet plures operationes intrinsecas quam alia animalia, quia eius perfectio est per modum compositionis.*Vide bonitas maioritatis*, numericæ.

Formæ dinumtur ex additione materiæ,& accidentia ex additione subjecti, sine quibus neutrum habet esse perfectum.

Vbi peccata sunt,ibi est multitudo,ibi schismata, ibi hæreses, ibi dissensiones; vbi autem virtus, ibi singularitas, ibi vnio, vt inter credentes, quorum erat cor vnum,& anima vna. Principium malorum omnium est multitudo, principiũ autem bonorum coangustatio,&à turbis in singularitatem fedactio, vt simus omnes perfecti in eodẽ sensu, & in eadem sententia, & simus vnum corpus, & vnus spiritus. Orig.ho.9.in Ezech.& infra,de nobis non dicatur, ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo; nam vt pater & filius vnum sunt,sic qui vnum spiritum habent in vnionem coarctantur,Ioa.17.pater rogo vt

Iosephus orig. Iudaicæ libro 4. capite 8. inter sacras Iudæorum leges hanc fuisse refert. Nemo blasphemet Deos, quos aliæ ciuitates Deos esse æstimant, nec spolianda fana peregrina, nec donarium Deo cuiquam dicatum auferendum, rationem reddit, libro 2. aduersus Apionem, eo quod Dei nomine indigitabantur, & Philo. libro 1. de Monarchia Moysen dicit vetuisse conuicium in Deos. quos alij existimauerint esse Deos, ne ipsi vicissim irritati prorumpant in voces nefarias in Deum optim. Max. qui verus est, & libro 3. de vita Mosis, blasphemia inquit, abstinendum, ne quis Mosis discipulus assuescat vllomodo appellationem Dei contemnere. Nomen enim illud & inuictissimum semper est, & summo amore prosequendum. Interpretabantur ad litteram illud, Exod. 22. Dijs non maledices.

Lex in conuiuijs hæc erat, aut bibat, aut abeat. Rodigin. libro septimo, capite 26. & capite 31. Refert craterem fuisse in cujus ambitu verba legebantur hæc Διὸς σωτῆρος: id est Iouis seruatoris, compotatione quasi fauente numine ciuilis amicitia continetur. *Vide concord gloria*, conuiuium.

Maximus Thrasea crebro dicere solebat, qui vitia odit, homines odit, quoniam sit omnibus error familiaris. Idem l.10.c.18.

Laudatus est Pythagoras, quod cum pueris oratione vteretur puerili, cum mulieribus muliebri, cum principibus illis congrua, ac fortunæ apta. Id. l.11 c.7.

Participium dictum quod nominis & verbi capiat partes, à nomine enim vindicat sibi genera & casus, à verbo tempora & significationes ab vtroque numerum & figuram. Isidorus, orig. libro 1. capite 10.

Vide concordantia gloria, congaudere.

Arrogantis est animi, alterius superbi fastum, ac tumorem ferre non posse. Paulus patientiam commendans dicit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit, &c. D. Chrysost. hom. 17. in 2. ad Cor.

Leguntur in scripturis absque necessitate & Angelos comedisse. & Christum post resurrectionem, comestio Angelorum fuit vera, veritate significationis, comedebant enim, sicut dicit Augustinus, vt hominibus quadam ministerij humanitate congruerent. Vera autem fuit Christi comestio, & veritate significationis, vt ostenderet se verè resurrexisse, & veritate naturalis speciei, habebat enim ad id organa, licet cibis non indigens efficeret eos in materiam primam resolui. D. Thom. quodlibet 3.a.5.

Sanguinem comedere vetuit Ecclesia à principio propter scandalum conuersationis noniter conuersorum ex Iudaïsmo, de quibus tunc erat major pars Ecclesiæ. Act.15. Tostat. Math. tom.7. 289.

In Septentrionalibus regionibus, lepores, perdices, plurimæque aues albæ latent, niuibus colore conformes. Olaus Magnus, l.18. c.38. morum conformitate tegitur infirmitas.

Multarum personarum proprietates simul in vno corpore videmus. *Vide concordantia differentia.*

Fortunæ in humanis signis, faciunt humanum & comitem; in feris autem, agrestem. Card. aph. sect. 2. aph. 176.

Cum fuerint planetæ sparsi, nec in vno trigono, homines erunt magis accommodati generaliter; cum in eodem trigono, plus valebunt in vitiis. Ib. sect. 3. aph. 166.

A Exiguæ res sunt, & nullius impendij, salutatio, affabilitas, comitas, honor; magnas amicitias conglutinant exhibitæ, dissoluunt prætermissæ. Vt quisque optimè est educatus, vrbanum & mitem omnibus se præbet, & multorum beneuolentiam tantulo redimit. Ludou. Viues.

De vrbanitate & complacentia in ciuili conuersatione. Vide quæ scripsi, moral. christia. to.3. parte 2. c. 22. Consuetudinem ciuilem sequi, videri non debet onerosum, libello de necessitate, c.13. Religiosus quantum potest conformetur cæteris sine priuilegio, l. de institutione & officiis religiosi parte 3. c.16. cum omnibus viuat pacificè, c.24.

B Christus manducat cum publicanis & peccatoribus vt eos lucretur.

Vide minoritas medij, vti debili medio. Dicit quidem Paulus, 1. Cor. 5. si quis sit fornicator aut rapax, cum eo non comedere, i. non apparet an magistris etiam hæc præcepta sint, an fratribus solum. Respondet Christus ob id ipsum calumniantibus, non indigent valentes medico, sed qui malè habent, Euntes discite, quid est, misericordiam volo & non sacrificium. D. Chrysost. hom. 31. in Math. tantum abest ne peccatores abominetur, vt eorum causa solum se aduenisse testetur. Ib.

Bonus si vitia redarguit, naturam amat, vnitatem non frangit, pacis non repellit bonum. Sic Christus cum hominibus conuersatus, omnem exhibuit patientiam, dilectionem, mansuetudinem, C &c. Laur. Iust. l. de casto verbi & animæ connubio, c.24.

Ossis fixitatem assumit chylus.

Quidam dicunt numina esse hermaphrodita, quia incorporea sunt, & quod volunt, assumunt corpus. Cujac. obs. l.11. c.30.

Leges territorij obligant aduenas & hospites quandiu ibi commorantur, in conscientia, & eo modo quo obligant incolas, quia lex generaliter fertur pro tali territorio, sic obligat omnes ibi existentes; nisi aduenæ conformarentur incolis, orirentur dissidia & scandala; desinit hospes obligari legibus sui territorij, ergo alienis obligatur, ne sit solutus. Suarez, de legib. l. 3. c.33.

D In 3. Synodo Apostolorum habita anno Christi 51. Cum decretum sit Christianos ad cæremonias legis Mosaïcæ non teneri, tamen positiua lege statutum est, vt conuersi abstinerent ab immolatis suffocato & sanguine; quia id incredibiliter auersabantur Iudæi. Id ergo factum est vt facilius Iudæi, Christiani, & Gentiles in vnum populum coalescerent. Glossa in d. Synod. & in 4. Synodo, quæ refertur Act. 21. Cum Apostoli haberentur vt destructores legis, statutum est vt quandiu starent templum & sacrificia, conuersi possent vti cæremonijs legis. Vt sic Synagoga cum honore sepeliretur.

Hispanæ consuetudinis mos fuit, ita viuere vt res tulisset. Seneca in præfatione controu.

Marsyas amnis vrbem Celenas placidus interE fluit, liquidus, & suas tantum trahens vndas, & quandiu labitur intra muros, nomen suum retinet, at cum extra munimenta se euoluit, majore vi, ac mole agentem vndas lycum appellant. Q. Curtius, libro 3. in principio, id est lupum rapacem.

Vide duratio virtutis, mansuetudo, lenitas.

Latinorum dies festos, Græci inter Latinos existentes seruare debent. Clem. 8. const. 34 § 6 p. 35. to. 3. Bull.

Vxor Græca ritum mariti Latini sequitur; Latinus maritus non sequitur ritum vxoris Græcæ,

Clement. VIII. constitut. 34. §. 4. p. 35. tomo 3.

Majori cedendum & illi se accommodandum, sic inquilini patriæ in qua sunt.

Optimum est comitatem in omnibus præferre, est autem comitas mansuetudo quædam compta atque iucunda exhibita secundum rationem personarum, loci, temporis, legum, consuetudinis atque cæterorum necessariorum ad quæ respicere oportet; sic parantur amici, discutiuntur injuriæ, ea opinione quod potens sis, Card. de arcan. prudentiæ, c. 24.

Non abstinent rustici à satione propter multitudinem auium, nec vir ciuilis à conuersatione, propter insipientium multitudinem; sciet malis sic cedere, vt ab his non afficiatur, ex bonis autem proficiat. Quod in malis ipsi displicet, diligentius in se vitabit, & à talibus abstinebit.

Fronte populo similes, corde dissimiles. Duplicem enim gerimus personam, vnam omnibus hominibus communem; alteram singularem, secundum quam eligimus amicos nobis similiores, cæteris tamen, ob similitudinem naturæ, consentiendum.

Partes agit fortiores, qui voluntati fratris sui, suam subijcit voluntatem, quam qui pertinax est in suis opinionibus; ille enim sustentat, quod fortioris est, hic sustentatur, & sic ægrotat vt palpare necesse sit, & de necessarijs, vt ei indulgeatur, relaxare. Sic, inquit Apostolus, vos qui fortes estis, imbecillitates infirmorum sustinete, Rom. 15. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, Gal 6. Non curat enim languentem, languens; non portat infirmum infirmus, Cassian. collat. 16. c. 23.

In omnibus omnia sunt permixta, atque adeò in terra aquam aërem & ignem inuenies; tam è silice quam è ferro, quæ suam originem è terra trahunt ignis exilit, & frictionibus copiosis emergens elucet, D. Basil. in hexam. hom. 1.

Ignis & si calidus & siccus sit, non tamen semper vrit, sed in communi natura est calidus & siccus, vt patet in omnibus mixtis.

Hæc cum omnibus conuenientia congrua & legitima, conciliat affectum & splendorem. *Vide gloria æqualitatis.*

Album non respectu vnius est album, sed comparatum ad omnes, ita lumen illuminans aërem, facit aërem luminosum respectu omnium.

Vide æqualitas voluntatis, de communi erga omnes affectu, *& concordantia minoritatis*, infirmis compatiendum.

Spiritus ad omnem partem corporis animati mouetur, sicut lumen cælestium in mundo. Radij solis accipiunt virtutem omnis stellæ, quam illuminant, & tangunt: ita faciunt spiritus procedentes à corde, ad alia membra principalia, reflexi enim ab ipsis spiritus, vehunt secum virtutes membrorum, in ea ad quæ reflectuntur, Alb. Mag. tract. 1. de spir. & respir. c. 4.

Vide potestas medij, dispositionis, quomodo lumen diuinum singulis rebus illud recipientibus, contemperetur.

Corpora simplicia rectum motum habentia, sunt rotunda per accidens, quia locantur in rotundo, Albertus Magnus, tract. 1. de natura locorum, cap. 1.

Omnes plantæ & arbores conueniunt in communi colore viridi; omnes ciues in vrbanitate quæ spem alit officiorum.

Fructus quidam sunt amari, eo quod calor digerens, & humor qui digeritur non sunt completa in digestione facienda. Vnde ad ignem dulcescunt; qui perficit incompletam digestionem, Albertus Magnus, libro quarto, vegetabil. tract. 4. capite 3. Charitas suauem efficit cum omnibus conuersationem.

Plantæ habent carnem mollem, cutem duriorem. Arbores contra habent substantiam duram corticem minus. Idem in quibusdam hominibus est tantum externa, non interna asperitas.

Sic animo versatili, cum omnibus seruata moderatione, conuersando, à nullis lædemur, omnes nobis, nos omnibus conciliabimus, Plutarc. l. de tranquillitate animi.

Nauis gubernator non sibi proponit vndas componere, aut quo optandum esset, portum occurrere: sed arte sua vtitur, vt quæ mutari non possunt, minus quantum fieri potest, lædant. Ibidem.

Pellis humectata in longum latumque distenditur sine strepitu, non sic sicca; ita mens cælesti rore humectata omnibus conformatur. Ostia, rotæ, & cætera non strident, si leniantur.

Vas aquam continet & figurat, itaut verum sit, quod aqua plus in vase, quam in se figuratur.

Victores in olympia cum primo quoque prodeunte committuntur.

Mores agrestes non sunt apti conuersationi vt vinum austerum potioni. Immaturi fructus ori.

Quisnam adeo, iuxta Simonidis verba, quadratus est, qui per omnem fortunæ & rerum immutationem firmiter consistat, accommodans se principibus simul & subditis, ac sibi ipsi concilians cunctos, & omnem vbique differentiam ad vnam recti rationem connectens.

Eadem est ratio rythmi ad motum, & harmoniæ ad vocem, quæ iustitiæ ad communionem, colligit enim, connectit, omnibus se accommodat.

Etiam feræ bestiæ in arca à feritate sua, & ab esu carnium abstinebant, Theodoret. in Genesim, quæstione 51.

Angeli apparentes Abrahamo, & non habentes corpora, visi sunt cum eo edere, Ibidem quæstione 69.

Exod 14. aquæ marra immisso ligno ex amaris dulces factæ sunt, crux Christi omnium tollit conuersationis amaritudinem.

Alimentum primo albescit in ventriculo, rubescit in jecore, sanguis effectus & per venas singulis partibus distributus illis assimilatur, iterumque albescit in cerebro, & in spina medullæ vnde nerui.

Galenus dicit, non oportere nos vni rei addicere, ne ab eo more discedentes, labamur in morbos.

Sacerdos Græcus in Ecclesia Latina, potest consecrare in azymis, & Latinus in Ecclesia Græca, in fermentato, quia quilibet potest legitimis locorum consuetudinibus se accommodare. Secundum illud, cum fueris Romæ, Romano viuito more, Bonac. de Euchar. disp. 4.

In fine sæculi, Angeli separabunt malos, de medio iustorum, Luc. 12.

Portate iusti, portate, inducias date; breuis ista mixtura, longa separatione pensabitur. Chrysolog. serm. 47.

Christus conuersatur cum peccatoribus, vt medicus cum ægris. Qui pretiosam perdit margari-

Digitized by Google

tam loca squallida non dedignatur intrare, vt inueniat. Inter peccata, quærit hominem Deus, qui propter eum, etiam tartari tenebras penetrat. Idem ser.54.

Pura sunt elementa in sui medio, ideo illic non fiunt generationes, sed tantum in extremitatibus, vbi fit ex diuersorum adjacentium concursu temperamentum. Apostolus omnibus conformatur, vt omnes lucrifaciat.

Aduena debet se conformare legibus loci ad quem venit, ad vitandum scandalum; ita contractus fieri debent ex consuetudine recepta in eo loco, & prætia statuta, & gabellæ illic institutæ, sequi debent, Bonacina de legib. disp. quæst. 1. puncto 6. Sic non licet vti priuilegio personali ob scandalum, Ib.

Celerrimè fit in aëre condensatio & rarefactio, in motu corporum, & in sonis, qui non nisi per densatum aërem sensum feriunt; sic in conuersatione mens se contrahit aut explicat.

Princeps qui omnibus cum decorè debet in sermonibus conformari, habita ratione personarum & officiorum, cum Ecclesiasticis de rebus sacris, & religiosis; cum nobilibus de venatione, bello, fortitudine; cum togatis de negotiatione ciuili, de litibus, &c. ideo scientia vniuersalis illi est necessaria; omnia tamen regiam spirent majestatem. Habeat se, cum Dei sacerdotibus piè, cum nobilibus splendidè, cum togatis ciuiliter, cum domesticis comiter, cum populo paternè; cum exteris pacatè gratus æquè omnibus ac verendus.

Sæpè euenit magna negotia corrumpi, dum malumus irasci, quam ingenijs negotiantium attemperari.

Sal si priuetur externa humiditate, siccum est, terra iudicatur; si resoluatur in aquam, liquidum est & limpidum, sine fecibus vt in mari cernitur; si exponatur subdio, humescit vt aër, & euanescit in auras tenues; si committatur igni valido liquatur, deinde exhalat fumum odore & colore sulphureum. Non mirum si referat omnia elementa omnium potestatem sibi vindicat, & vt cælum suo influxu concitat ad agendum omnes inferiores potentias.

Habemus terram communem habitationem cum animantibus.

Arbores quæ altas habent radices, cedunt ventis inflexione, nec rumpuntur.

Aër omnia penetrat, ima & suprema attingit, omnium species excipit.

Qui sunt duri carne, ij sunt inepti mente; qui verò sunt molles, ij sunt ingeniosi, menteque dextri. Aristotel. libro 2. de anima, text. 94. nam carnis durities & crassitudo, poros atque meatus occludit, estque impedimento ne puriores spiritus ad organa, sedesque potentiarum animæ transmittantur.

A

Lepores, perdrices, in niuosis montibus albescunt, si magis latent.

Ligna Arcæ Noë jubentur leuigari, alioquin inter se non cohærerent. Asperi mores charitati sunt contrarij. Intrinsecus & extrinsecus, debent bitumine liniri. Petrus Damiani opusc. 13. in fine.

Artifex omnipotens qui est omnia in omnibus, dat nobis imaginem suam viuam, secundum quam possumus, non formare omnia vt ipse, sed assimilare & conformare nos omnibus, Card. Cusa l.5. excit. c.15. Sed vis assimilatiua, non quiescit nisi in formatiua, Ib.

B

Aqua omnium nutrix, omnium induit qualitates, rubescit in rosis & rubinis, albescit in lilijs & adamante, &c.

Flexibilis tilia & quæcumque alia hujusmodi sunt, humoris sui lentitia vix franguntur, Theophr. hist. anim. l.1. c.8. Fragilis olea obliquitate meatuum, atque duritia.

Sapor dulcis est proprius effectus diuturnæ & conuenientis coctionis, aptior ad alendum propiusque ad naturam accedens, Id. de causis plant. l. 6. c.6. & 7.

Angeli qui apparent vt homines, sunt tamen Angeli. Sic Elisæus dicit vidi hominem, cum vidisset Angelum.

C

S. littera apud Grammaticos habetur pro monodica, ob facilem compositionem quam sustinet cum consonantibus, aliquando duplicibus, aliquando triplicibus, quod nulla alia littera facit. Bacon.

Acacius Patriarcha Constantinopolitanus, animaduersa leonis Imperatoris in eos, à quibus offensus esset, crudelitate, ejusque ingenio exquisitè deprehenso, quod id à solis laudantibus capi posset, operam dabat, vt omnia eius & dicta & facta miraretur, itaque eum facilè dicto obedientem habuit, atque eius iracundiam in plurimos repressit. Suidas in verbo Acacius. Cum insanis insanire pulchrum est, Id.

D

Contrarium est in Echino, qui omnibus est asper.

Erat vnum ex symbolis Pythagoræ, extra viam publicam ne ambulato, Id. in voce Pythagoras.

Cum Romulus Vulcani templum procul ab vrbe posuisset, gratiarum tamen templum in media vrbe posuit, quia ex mutua gratia & humanitate pendet ciuitatis fœlicitas. Petrus Crinitus de honesta disciplina, l.5. c.5.

Vide media voluntas, indifferentia.

Digitized by Google

QVÆDAM PARTES A SVO toto diuulsæ sensum retinent pristinæ vnionis.

DE reliquijs Sanctorum. Theop. bibl. Pat. to. 2. Bellarm. to. 2. contr. 4.

Elisæi corpus mortuum hominem à quo fortè tangebatur vitæ restituit. 4. Reg. 13.

Zischa homo Bohemus dux Hussitarum hæreticorum, non Boëmos tantum fideles, sed & Teutones magnis cladibus affecit. Moriturus mandauit suis, pellem meam mortuo demite relictoque feris cadauere, ex ea tympanum facite, quo in prælijs vtamini, nam vt hostes viuentis aspectum non ferebant, ita mortui sonitum non ferent. Æneas Syluius, comment. l. 3. *Vide principium contrarietatis*, Antipathia.

Cedri materies nata est humorem emittere, & sic omnes quibus oleosus est humor. Quamobrem Deorum statuæ visæ sunt aliquando sudasse, ex his enim condere eas consueuerant, Theop. hist. plant. l. 5. c. vlt.

Platonici vt Apuleius & quidam alij dicunt, quod subiecto mortalium rerum defuncto, hoc quod immortale est in rebus, mirabilia operari non cessat, Albertus Magnus de mineral. libro 2. c. 2.

Iachen vir Ægyptius insignis medicus & diuina potius quam humana virtute morbos, aëris pestilentiam & inclementiam profligabat. Si morbus publicus inualescebat, ex ara eius igne petito, & pyris in vrbe incensis, aër purgabatur, Suidas in voce Iachen, vide simile. *Virtus voluntatis, & finis minoritatis.*

In libello quodam qui tamen non est in canone refertur, quia duo Moyses videbantur, vnus viuus in spiritu, alius mortuus in corpore, de legis antiquæ spiritu & allegoria interpretatur, Origen. homil. 2. de Iesu Naue: alludit ad opinionem Platonicorum, nobis esse duo corpora vnum elementare quod moritur, aliud cœleste incorruptibile.

Vide medium gloriæ, intercessio Sanctorum.

Carnes ceruorum, damarum quamuis diligentissimè cum sale & oromatibus coctarum & conditarum, spirant aliquid acre, cum suæ speciei animalia feruent ad venerem, eo tempore peracto, redditur illis bonitas sua. Glandes, castaneæ, florum bulbæ, eo tempore germen emittunt, quo cæteræ suæ speciei in terra germinant.

Bruxellensis quidam in pugna nasum amisit, dato prætio superstes nasi pars in viuo bajuli brachio insita carnem assumpsit, post tredecim menses mortuo bajulo, etiam nasus computruit; Van helmon. de magnet. vulner. curatione. Nasus ille insititius semper relationem & sympathiam habuit cum corpore vnde sumptus fuerat. Id.

Thomas Morus Vtopiæ Reipublicæ, libro 2. refert eos populos credere mortuos versari inter viuentes, dictorum, factorumque spectatores, eoque res agendas fidentius aggrediuntur, talibus velut freti præsidibus, & ab inhonesto secreto deterret eos credita maiorum præsentia.

Thesauri in sepulchris depositi, & publicis necessitatibus seruati. *Vide gloria finis*, de Salomone, quasi defuncti prouideant viuentibus.

Vituli marini pellis in corio detracto, vbicum-
A que fuerit, pilorum erectione & compositione, indicat fluxum & refluxum maris, velut aliorum animalium maris quæ pilosa sunt. Nam si mare turbatum in fluctus surrexerit, & pilus similiter erectus exurgit: si verò mare pacificum fuerit, pilus in planum sternitur, sicque maris status in re insensata & mortua deprehenditur. Olaus Magnus rer. Septent. l. 20. c. 5.

Vide concordantia principij, partes suo vniuerso conformes.

Dissoluta quæ retinent vnionis præterita sensum. Vide quæ scripsi, de iure naturali, libro tertio, lege 18.

Pellis Halcyonis à suo cadauere separata, clauo
B suspensa & exsiccata, singulis annis plumas reijcit, aliæque renascuntur ei, duobus aut pluribus annis, vno post alium. Paracelsus, lib. de cælesti medicina.

Quicumque stragulis è pelle Gulonis, animal est in Suecia frequens & voracissimum, contegitur, somniare continuo cogitur de epulis voracitate, & insidiosa animalium venatione pro indole viuentis illius animalis, quæ videtur pellibus eius hospitata, & in phantasiam hominis traduci. Van helmont de magnetica vulnerum curatione.

Rabidus qui paulo ante mortem fuerit, suas etiam infestat carnes.

C
MATRIMONIVM INDISsolubile.

REprobatur in matrimonijs penitus Luna in cancero signo mobili, vel in virgine signo sterili & communi, præterquam in matrimonijs viduarum. Hermes centiloquij, n. 85.

De matrimonio indissolubili, liber Greg. Valent. controu. sect. 4.

Posita indissolubilitate matrimonij, conjuges mutuum fouent amorem, magisque sunt solliciti in rebus domesticis, & in fugiendis adulteriorum occasionibus, Mat. 19. 1. Cor. 7. Repræsentat vnionem hypostaticam verbi cum natura humana, verbum autem quod semel assumpsit nunquam
D dimisit. Bonacina de matrimon. quæstione 2. in fine.

Si seruus consentiente Domino nubat, non poterit Dominus eos ab inuicem separare & vendere, Ib. q. 3. prop. 2.

His qui in adulterio conjuges suas deprehenderint, placuit, vt in quantum possit, consilium eis detur, ne viuentibus vxoribus suis, licet adulteris; alias accipiant, Concil. Arelatense Galliæ 1. ca. 10.

An possit dissolui cum vxor non vult sequi maritum, in necessaria peregrinatione. *Vide concordantia minoritatis*, alienis malis compati.

Conjugia seruorum non dirimantur, etiamsi diuersos dominos, habeant. Concil. Cabilonen-
E se II. ca. 30. habet 29. quæstione 2. c. dictum est.

Fœminæ quædam filios suos in confirmatione tenebant, vt esset occasio se separandi à suis maritis; prohibetur eas ob id separari, tamen agant pœnitentiam, eod. ca. 31.

Nicolaus Papa ab officio deponit Episcopos qui Lothario consenserant & conspirauerant, vt rejecta legitima vxore Teutberga. Vvaldradam assumeret habetur eius Epistola in Conc. Galliæ a. 863. Ibidem Engeltrudis qui Besouium maritum com-

tem, reliquerat, & per 7. annos vagabunda discurrebat excommunicatur, cum his omnibus qui ad hoc ei consilium & auxilium præstiterint.

Connubium amore constans est veluti corpus vnitum congenitumque, Rodigin. libro 28. capite 23.

Conjuges dicuntur quia subijciuntur iugo propter futuram concordiam ne separentur, Isid orig. l.9. c 8.

Episcopi consecratio fœdus coniugij spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam, quod electione fuerat initiatum, confirmatione ratificatum, consummat. cap. licet de translat Episcop. cap. tua, de his quæ fiunt à Prælato sine consensu capit. Vnde Prælatus non potest transire de vna Ecclesia in aliam propria authoritate capite tertio, de translat. Episcop. sed cum authoritate S. Pontificis, cap. 2. eodem.

Quoniam ab initio videbantur esse duo quidam, eos Deus in vnum cogit per matrimonium, vt sint duo in carne vna, D. Chrysost. hom. 34. in 1. ad Cor.

Vt perit exercitus dissidio Ducum, sic domus viri & vxoris rixa; honoranda est vxor, ne ab alijs quærat honorem & amorem, &c. Idem hom. 20 in epist. ad Ephes. *vide æqualitas voluntatis*, mutuus amor conjugum.

Solers Dei artificium vnum in duo diuisit ab initio, & volens ostendere quod etiam postquam sit diuisus manet vnum, non sinit vnum sufficere ad generationem; non est enim vnus qui nondum est, sed dimidium vnius Idem hom. 12. in epist. ad Coloss.

Plus morum probitas, quam formæ decus vxores commendat maritis, nam vt forma nonnulli sola capiuntur; ita nemo nisi virtute atque obsequio retinetur. Thomas Morus Vtopiæ Reipublicæ, l. 2.

Liberta quam patronus duxit vxorem, non potest ab eo inuito discedere, & si eo consentiente sequatur diuortium, non poterit secundo nubere. Nou. 22. c. 37.

Per illa verba, erunt duo in carne vna. Significatur vnitas & inseparabilitas, vnum enim est indiuisum in se. Tostat. 1. Regum, tom. 1. fol. 144.

Perpetuum sit coniugij fœdus. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 1 lege 15. §. 7. & moral. Christiana, to. 3. parte 2. c. 3.

Laurent. Iust. l. de casto verbi & animæ connubio. Excellit, inquit hoc spirituale connubium, quia cum sacramentale dirimatur morte, spirituale post carnis defectionem perfectius consummatur.

REPVGNAT.

PAracelsus lib. de nymphis, dicit in omnibus elementis esse creaturas rationales, & quasi homines, qui cum hominibus in generatione commiscentur; aquaticos vocat, nymphas, terrestres pygmæos. &c. hi omnes peracta commixtione, disparent, & euanescunt. Quasi dissoluto statim matrimonio

In memoria quædam quæsita se occultant, & eadem fortè succurrunt, nec manet semper memoria, sed aliquando etiam redit. Quint. Instit. orator. l. 11. c. 2.

Accidens est quod cuiuis rei, vni & eidem, potest A inesse & non inesse, vt homini sedere. Aristot. 1. topic. cap. 5. quod potest adesse & abesse sine subiecti corruptione.

Molle cedit tangenti, sed citò in se redit.

Arctissima olim fuit amicitia inter S. Hieronymum & Rufinum, vt ipse Hieronym. testatur, ep. 5. ad Florentium. Postea inter eos infensissimum dissidium, quia Rufinus sequutus est partes originistarum. Vnde D. August. ep. 15. ad Hieron. sic exclamat, ô misera conditio amicorum præsentia, non futura cognoscentium, quis amicus non formidetur quasi non futurus inimicus, si potuit inter Rufinum & Hieronymum, id quod plangimus exoriri, &c.

B Terra habet continuationem per humidum aqueum, & sic arida consolidatur, humidum enim aëreum non est incorporabile, Alb. Mag. meteo l. 2. tr. 3. c. 2.

Vide finis concordantia.

Congelatum est cujus partes aqueæ constant per frigidum comprimens cum terrestribus, ita quod partes terrestres non apprehendunt aqueas, nec è conuerso, & ideo quando soluitur congelatum aqueæ partes fluunt extra terrestres, & terrestres non necessario sequuntur eas. Ibidem lib. 4. tract. 2. c. 5.

Coagulatio fit tum ex calido, tum ex frigido; quia in lacte fit per calidum, & in metallis per frigidum, sed quando fit per frigidum, humidum aquæ comprimitur ad centrum partium terrestriũ, & sic in eo eius partes terrestres vbique apprehendunt aqueas, & è conuerso, sed humectari possunt calido soluente humidum quod est in ipsis. Ibidem.

C Inquilini sunt qui non perpetuo permaneat; aduenæ autem vel incolæ sunt permanentes. Isid. orig. l. 9. c. 4.

Licet admistione sicci aqua videatur minui in luto, aqua tamen semper suam seruat intrinsecam humiditatem, vt & corpus siccũ suam pariter siccitatem; quippe illorum non est in radice commistio penetratiua, at sola partium appositio. Van helmont. tractatu natura contrariorum nescia.

Ad arcam Noë adducta sunt animalia ministerio Angelorum à diuersis partibus mundi; & ad illas postea reducta, vt ibi multiplicarentur; sic di-
D cit Augustin. 15. de ciuit. iuxta finem. Tostat. in Genes. fol. 38. cap. 4 x. Sic in Synodis & Concilijs congregantur, qui breui tempore redeunt ad propria.

Planetæ properant ad mutuam coniunctionem, à qua mox discedunt. Animalia gregalia hyemis tempore congregantur, cum verno tempore æstuant in libidinem, mas & fœmina separatas sedes eligunt ad futuri fœtus educationem. Officio durante conueniunt collegæ suis postea constitutis temporibus veniunt & discedunt. Sicut ad nos philomelæ, ciconiæ, & cæteræ aues peregrinæ. Cum annuis solemnitatibus concurrunt, ad sua postmodum remeantes, populi.

Vide duratio gloria, Repug. Accessus & discessus
E sponsi.

CONSVLTO NVBENDVM, *& ineunda quælibet societas.*

CAssian. libro 4 cap 7. Refert susceptos in Monasterio, ante susceptionem, varijs patientiæ experimentis probari; & tandem susceptos, non statim

statim congregationi fratrum commisceri, sed extra probari in loco suscipiendis peregrinis destinato.

Indi, mores futuræ vxoris ex physionomia iudicant, non ex genere & parentibus.

Captiua lugeat per 30. dies propinquos suos, tum licebit nubere cum eo qui illam subjugauit, Deut. 21. tum ne lachrymis lætitia misceatur, dolor amori, sic etiam lex viri libidinem reprimit. Theod. in Deut. q. 19.

Contracto matrimonio, & non consummato, Ecclesia concedit bimestre ad deliberandum de statu eligendo, & capessenda religione. Bonac. de sponsal. puncto 5.

De nuptiarum tempore. Liber Petri Damiani.

Ad vnitatem substantiæ diuersi sunt gradus, neque transmutatio fit sine successione; primum franguntur qualitates, fractæ contemperantur, temperatæ miscentur, mixtæ in vnam surgunt substantiam.

In contemperatione qualitatum fit similitudo, in quantitatis commensuratione fit æqualitas, ex similitudine & æqualitate nascitur identitas, vnitas, species.

De subita ad Deum conuersione. *Vide duratio virtutis, Rep.* moræ.

Mutatio sensim facienda. *Vide duratio differentiæ.*

S. Benedictus regulæ, c. 58. dicit, nouiter venientibus ad conuersionem, non tam facilis tribuatur ingressus, sed sicut ait Apostolus, probate spiritum si ex Deo est.

In hoc mundo boni aut mali dæmones inchoant societatem, quam in tota æternitate debent habere cum hominibus.

Insitio fit, quando arborum substantia turget, & vt dicitur sunt in amore.

Eorum quæ habent conuenientiam in aliqua qualitate, velox est ad inuicem transmutatio; quæcumque autem non habent ad inuicem symbolum, sed disconueniunt in vtraque qualitate, horum transmutatio ad inuicem tarda est, quia facilius est transmutare vnum quam duo; sic facilè ex aëre fit ignis, cum humidum superatur à sicco. Albertus Magnus tractat. de transmut. elementa.

Quoniam genus plantarum nullam vim excrementorum egerendorum obtineat, nihil attrahit cibi; quod minus alere possit. Theophrast. de caus. plant. libro sexto, capite 14. Non facilè debet admitti, quod si noceat, non potest eijci.

Apud Germanos sera iuuenum venus, & fœminæ ipsæ, in robusta iam ætate nubunt. Petrus Crinitus de honesta disc. l. 12. c. 8.

Multi amnes his in quos influunt, diu non permiscentur, nisi post longum spatium, itaut color aquarum diuersus appareat. Georgius agricola, libro primo, de his quæ effluunt ex terra.

Ferunt Mythridatem amplius ferre non valentem horrenda sua somnia sibi mortem consciuisse hausto taurino sanguine, qui quia in visceribus statim in grumos abit, non digeritur, sed enecat. Rod. l. 14. c. 12.

Alimentum in principio contrarium est, in fine simile; dum ab intimo calore transmutatur.

Tempus probationis religiosæ est anni spatium,

A vt prælatus possit mores nouitij spectare, is experiri an ea vita sibi placeat, & an eam possit tolerare, cap. consulto. de regularib. potest tamen prælatus ex causa ad biennium vel triennium producere.

Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio can. nostrates. 30. q. 5.

Auditus officina tortuosa est, & anfractui cochleæ persimilis, vt illabentis aut aquæ aut aëris frigiditas, aut vehementis fragoris tinnitus flexuum varietate sensim mitescat, angusta & viscosa ne quid noxium ingrediatur.

Qui in absentem Prætorem consentiunt, nihil ex eo obligantur, antequam eum adierint, l. si con-
B uenerit, ff. de iurisdict. at postquam eum adierunt, non habent amplius facultatem mutandæ voluntatis.

Olim Cathecumini non nisi post tres menses ad baptismum admittebantur, interim post missæ Euangelium Diaconus jubebat eos egredi his verbis. Ite Cathecumeni in pace; & illis non erat permissum, neque in publicis, neque in priuatis orationibus cum baptisatis conuenire. Conc. Arausic. c. 19.

Olim nullus de nuptijs cogitabat, nisi petito consilio, Episcopi, Presbyterorum viduarum, & conditiones futuri conjugij, persona, statum, religionem, sectam, patriam, ætatem, mores exposuis-
C set. Tert. l. 2. ad vxor.

Angelorum ministerio adducta sunt ad Adam omnia animantia, vt videret si in illis posset inuenire sibi consortem, & non inueniens Deus formauit mulierem. Tost. in Gen. f. 136. c. 2. a.

Necesse est iudicium præcedere, quam vsum incipere, alioquin prius accipiemus plagam, quam habeamus probationem. Maximius Tyrius, ser. 4.

Prudenter & circumspectè eligendus amicus. Vide quæ scripsi moral. Christian. to. 2. parte 1. cap. 34. Maturè sunt eligendi cum quibus frequens debet esse conuersatio. Ib. to. 3. parte 2. c. 21. quædam in contrahendo matrimonio consideranda, l. de agente Dei in humanis parte 3 c. 2.

D Cum planeta alteri proximus incipit retrogradari, nec conjungitur postmodum illi, nisi alio in signo, vel post alterius planetæ conjunctionem, frustrabuntur significata per illam conjunctionem. Card. aph. sect. 5. aph. 41. sic nimia dilatio, & deliberatio nocet.

Nisi res per odorem & saporem spiritui arriserint, non intro admittuntur, imo pharmaca prima sui facie insipida multo laruata saccharo, si tamen iterato sumantur horrorem atque abominationem faciunt, alius proinde gustus est linguæ, & alius in stomacho velut spiritus extremo, grati ergo sapores stomachici benignam vitam nostræ cognatam rei inesse denotant. Præsentimus sic nempe non raro occulta venena, propter saporem & odorem specificum nostris horridum præcordijs. Van hel-
E mon. de potestate medicaminum.

Vide cognitio bonitatis, discretio boni à malo.

Ad reges Ægypti non introducebantur, nouæ vxores nisi per sex menses varijs pigmentis præparatæ, vt patet Ester 2. sic Sara rapta à Pharaone potuit per id tempus intacta permansisse, & iussu Dei Abrahæ marito reddi. Alcui. in Genes. inter 156.

Iosue non statim credit Angelo, sed ab eo sciscitatur, suus sit, an aduersariorum. Iosue 5. 14.

Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in A testimonia tua. Ps. 118.

D Chrysost. hom. 74 in Math. inuehitur in eos qui respiciunt in vxoribus eligendis non bonam indolem, sed ampliores diuitias; Ita, inquit, Dei donum vituperant, cum quasi vendentes ac ementes, vxores viri ducant, & viris nubant mulieres. Stipulationes nuptiarum majore astutia componunt, quam eas quæ in vendendo & emendo confici solent; horum omnium loco antiquis sufficiebat sponsæ indoles optabilior sanè paupertas quam diuitiæ pendentes ab vxore, vnde insolescit, & virum sibi subjectum plaudente familia, putat.

Non conceditur vera vxoris electio. *Vide gloria concordantia. Rep.* onera matrimonij. B

NVPTIÆ IVVENVM.

IN capitularibus Herardi Archiepiscopi Turonensis, c. 89. præcipitur vt nuptiæ fiant certis & congruis temporibus, vt filios non spurios, sed hæreditarios Deo & sæculo generent.

Vir debet esse prouectioris ætatis quam fœmina. *Vide virtus duratio.* Tum quia eius est domum regere, iudicium autem ætate perficitur, vt major sit parentum in filios authoritas; ne minus libenter subsit vxor, ætate major; citius deflorescit in muliere pulchritudo, amoris incentiuum, C citius deficit fœcunditas. Viris ergo iam maturis accedere debent, ne citius quam par sit, illis deficiant.

Si sol fuerit in parte orientali à prima ad decimam, Luna autem in Occidentali in viri genitura, juuenis, seni vxori copulabitur. Cardan. aph. sect. 6. aph. 61.

NVPTIÆ SENVM.

GEnus infirmissimæ seruitutis est, senex mari- D tus, & vxoriæ charitatis ardorem flagrantius frigidis concipimus affectibus. Quintilian. declam. 2.

Vxor senis, sponsi domina est. Vir senex, est res inimica mulieri, non sufficit seni nupto, ætas ad educationem liberorum.

Senes, vt adolescentes generant fœminas propter imbecillitatem, vnde lege Papia cauebatur, ne sexagenario major vxorem duceret.

Ignis plus ardet in ligno arido, amor in sene.

Ceruus quo senior, eo magis ad venerem procliuior.

Inuenies aliquos amantes senes, amatum nullum.

Plantæ biferæ quædam bis in anno florem ferunt scilicet verè & autumno, quia duæ illæ anni tempestates sunt calidæ & humidæ *Vide minoritas finis defectus in fine.* Simile est in hominum ætatibus. Senectus quæ non est extrema habet aliquid adolescentiæ, & mitigatis alijs affectibus, indulget amori Postremum in omnibus plantis semen est.

Alectorius gemma, crystallo obscuro similis extrahitur ex ventriculo gallinacei decrepiti, inuenitur ad quantitatem fabæ; Virtus eius est excitare venerem Albertus Magn. de lapid. littera A.

In senibus calor non blandus vt in pueris, sed cum siccitate, quo major eo perniciosior, nam ad extra propellens molitur subiecti destructionem. Mirum quomodo diuina sapientia jocum sibi parauit in his, vt dum faciunt quod cupiunt, patiantur quod non cupiunt, & dum faciunt quod non cupiunt, habeant quod aliter cupiunt, obstupescite, & senium ex hac doctrina si potestis discite retardare. Campan physio. l 1. c. 17. a. 8.

Suspicantur Hebræi Cethuram, quàm Abraham accepit vxorem, post mortem Saræ, fuisse Agar, quæ ex concubina transijt in vxorem, ne senex nouis nuptijs arguatur lasciuisse. Alc in Gen. interrog. 219.

Origan. Astrolog. p. 3. c. 2. refert Genesim Augusti electoris Saxoniæ, qui ætatis ann. 59. post nuptias cum puella tredecim annorum, tertij Ianuarij, extinctus est apoplexia, 11. Februar. sequente.

Marcella, viro post nuptias septimo mense priuata est, cum vir consularis eam ambiret, suasque longæuus polliceretur diuitias, & non quasi in vxorem, sed quasi in filiam vellet donationem transfundere, respondit. Si vellem nubere, & non æternæ me cuperem pudicitiæ dedicare, vtique maritum quærerem, non hæreditatem. Illoque mandante posse & senes diu viuere, & juuenes cito mori eleganter lusit. Iuuenis quidem potest cito mori, sed senex diu viuere non potest; qua sententia repudiatus, exemplo cæteris fuit, vt eius nuptias desperarent D. Hier. ad Principiam in Marcellæ viduæ epitaphio.

Viennæ in Austria mercatores diuites senio confecti, puellas in matrimonium ducunt, easque breui dimittunt viduas, quæ postea domesticis juuenibus adulteris nubunt, sic hodie pauper, cras fit diues. Æneas Syluius ep. 165.

Digitized by Google

POTESTAS CONCORDANTIÆ.

VIS ET AVTHORITAS PVBLICI CONCILII Congregati.

NIHIL contra magnam Synodum, Metropolitani sibi æstiment vindicandum. Conc. Arelatense II. can. vlt.

Si quis Episcopi sui sententiæ non acquiescit, Synodi legibus audiendum, eod can 48.

Oppressi ab Episcopis suis clerici, recurrant ad Synodum. Conc. Aurel III c 20.

Si res Conciliorum solum humanitus ageretur, cum ibi sit tanta copia Patrum & virorum peritissimorum in omni disciplina, ex omni parte orbis collectorum, & priusquam aliquid definiatur, tot fiant discussiones, & in tanto tempore, difficile esset quod talis congregatio erraret; quanto magis assistente Spiritu sancto. Tostat. defens. fol. 41. n. 4 x

Vide concordantia cognitionis, consultatio plurium bona

Quando omnes planetæ sub sole fuerint, genitura illa vnum tantum habebit planetam; viribus omnium aliorum præditum. Cardan. aph. sect. 2. aph. 13.

Can. Apost. 38. bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur, vt inter se inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Ecclesiasticas contentiones amoueant. Tertull. lib de jejunio contra physicos dicit in annuis illis Concilijs, altiora quæque in communi tractari, & ipsa, inquit, repræsentatio nominis Christiani magna veneratione celebratur.

VIS VNIONIS ET concordiæ.

REfert Polybius Thessalicos equites conferto prælio insuperabiles esse, quos tamen si per partes attentaueris lacerare, carpereque facillimum sit Rodig. l. 9 c. 22.

Fuit Thebis sacra cohors ex electissimis viris amicis, hic enim nexus est ad robur præpotens Ibidem.

Ante congressum cum hoste Lacedæmonij sacra faciebant amori, ceu salutem demum ac victoriam vnus is pariat. Id. l. 16. c. 24.

Natura est facultas quæ ex quatuor primarum qualitatum mixtione exurgit, ex hac enim veluti immenso quodam naturæ thesauro non modo hominum & belluarum, sed etiam stirpium ingenia prodeunt, & tanta morum studiorumque varietas emergit quam in hoc mundi theatro intuemur.

Pyrrhus Epirotarum Rex, dentium vice vnicum os habebat, instar limæ deductum. Plutarch. in Pyr.

A sic Echinis marinis inest ad testacea & conchiliata conterenda.

Ossium structura consistere non posset nisi colligerentur, sed quasi lapidum aceruus, collaberentur, nec situm, nec formam seruando. *Vide medium concordantia.*

Durities ex materiæ vnione & densitate solidi fit, minus dura, sunt vnita minus, idcirco patiuntur ab illa disgregationem, vnde omne solidius disgregat minus solidum; aqua descendens frangit aërem, forat aquam lapillus, & tellus, & lignum, tellurem mollem, tellus durior, quoniam plures habet partes vnitas. Quando verò tenue & minus durum penetrat solidum, hoc non facit potestate, sed quia inuenit in illo foramina & inuisibilia, &

B sua exilitate potest in illa intrudi; sic aër penetrat parietes per rimas & lignum Acutum penetrat, Innititur enim alijs retro partibus & lateraliter simul sibi positis, & vna vi resistentibus, idcirco ouum intra manus cauitates & fastigijs compressum rumpi non potest, sed in lateribus potest. Propterea Deus in offensiuis partibus animalium acumina addidit, talia sunt corpora auium, proræ nauium.

Vis vnita fortior, quoniam tendit ad ens, dispersa languidior, quoniam tendit ad non ens, vnde omnis multitudo impotens est, nisi vniatur, & entificetur; vnitas enim dignitas entis est, diuisio verò non entis. Campanella physiol. capite 11. a. 8.

C Digitus est res necessaria, sed quando eum abduxeris à reliquis, non erit æquè vtilis. D. Chrysost.

Spiritus fluens à capite non peruenit ad membra, nisi sint vnita corpori, & si non fuerint in proprio suo situ, quod influit, acerbos dolores parit. D. Chrysostom. homil. 11. in epistol. ad Ephes.

In Scholastica D. Thomæ Theologia inuenies, vnita sic fortiora, quæ apud cæteros authores, vel nimis diducta euanescunt prolixitate sermonis, vel infinitis penè operibus sparsa, nisi in vnum corpus coëant, vix reperiuntur vrgente periculo sæuientis hæresis.

In compositione sæpius noua atque insolita qualitas emergit, quæ in singulis antea simplicibus

D latebat, nec vitriolus, nec galla habent nigredinem, juncta tamen atramentum efficiunt.

Solitarijs ouibus tonitrua abortum faciunt, non autem existentibus in coctu. Olaus Magnus l. 17. cap. 2.

Cardan. aph. sect. 7 aph 173 refert se reuixisse, paratis jam omnibus quæ ad funus pertinebant. Habebat in octaua in Ariete, Martem, Iouem, Saturnum, Venerem, & Lunam in 4. tauri. Refert Hali filium Regis in Africa, qui statim natus loquutus

Digitized by Google

est, & prædixit excidium regni, postea vixit 14. horis, habebat in ascendente 8. libræ & in eadem parte conjunctos planetas Mercurium, Martem, Venerem, Iouem.

Nihil agit seipso, sed indiget auxiliis. Vide quæ scripsi de iure naturali, libro secundo, lege 3. Insita sunt rebus ad sui perfectionem potentiæ, Ibidem §. 1.

Similia fiunt vnione fortiora seque protegunt. Ib. lege 9 § 5.

Prima vnitas est summe potens. Vide quæ scripsi Theologiæ naturalis, to 1. parte 1. cap. 25. Amicis quomodo benè vtendum, moral. Christian. to. 4. parte 1. c. 21.

B Quædam volatilia, sociata volatilibus, ob mutuam inuicem actionem, transmutantur in aliquod tertium. Volatilia à fixis fixantur & migrant in nouum ens. Van helmont.

Religiosi missionarij diuersi habitus, possunt assumere eundem, vt efficacior sit eorum prædicatio. cap. dens. 11. de vita & hon. cleric.

De clericorum in omnibus communione. *Vide concord potest.*

Flumen quo latius fusum est, hoc placidius stagnat. Quippe angustis ripis coërcita, & in arctiorem alueum elisa torrentes aquas inuehunt. Q. Curtius, l. 9.

De cœco qui humeris suis claudum, se dirigentem gestabat, dicitur,

Integrum ex medijs vnum fit ritè duobus
Si quando hic oculos mutuat, ille pedes.

C Plures planetæ humidi, causant sua conjunctione diluuium. *Vide concordantia principij*, concursus causarum in malo, & conjunctio calidorum planetarum facit diluuium ignis. *Vide maioritas voluntatis. Nimius zelus, & minoritas magnitud. vnitas.*

Terra est multarum rerum ferax, quia in illam vt in centrum mundi confluunt omnium stellarum radij, omniumque superiorum vires, & quia sola ex elementis, solida & immobilis reflectit hos radios, & multiplicat in sua superficie, recipit propter humidum sibi adjunctum, retinet propter siccitatem Alb. Mag. tr. 1. de proprietatib. elementor. c. vlt.

D Ignis commixtus acutior est igne simplici, sicut patet in herésipila, quæ est cholera incensa, quæ vix aut nunquam extingui potest, cum tamen ignis simplex facilè extinguatur: similiter est de aëre, qui digestus & alteratus in animali vehiculum vitæ efficitur, quod non potest efficere simplex aër & non digestus: similiter est de aqua, quæ humore digesto, est principium vitæ, & terra quæ efficitur substantia vitam participans. Id. l. 3. de vegetabil. cap. 1.

Multa in plantis & mineralibus, non nisi contrita manifestant suos sapores; dum autem sapores fortes inueniuntur in contritis, & puluerizatis, certissimè conuincitur quod res integra eosdem sapores habuit multo majores antequam contereretur, quoniam omnis rei vinctæ & integræ major est virtus complexionalis, quam diuisæ & contritæ; licet integram lingua non potuerit penetrare. Idem libro 3. de vegetabilib. tract. 2. capite primo.

E Elementa quosdam effectus melius operantur in mixto, quam simplicia, sic ignis in mixto, aliquando inuenitur vehementer actiuus, eo quod ex humido cui ligatur, habet adhærentiam ad illud quod exurit, quam non haberet per seipsum: & ex terra cum qua ligatur, habet motum deorsum continuè in id quod corrodit; & ex humido aëreo habet fomentum, quorum nullum haberet per seipsum, simplex ignis. Similiter est de frigiditate aquæ: hæc enim continetur sicco terreo, & locus ei aperitur vt intret spirituali aëreo; acuitur autem, sicut & terra, ad penetrandum acumine ignis: hanc connexionem Pythagoras vocat cathenam auream. Ibidem lib. 5. tract. 1. cap. 1. Ita plantarum actio constat ex quinque virtutibus, quarum vna est actio seu virtus elementi simplicis, quod essentialiter est in ipso. Secunda est virtus proportionis mixturæ. Tertia est virtus coadjuuans aliorum elementorum, quæ cum ipsis mixtum constituunt. Quarta est virtus cælestis, & quinta est virtus animæ vegetabilis, à qua virtutes elementorum digesta subtilius penetrant & formalius agunt. Ibidem.

Vide concordantia principij, concursus causarum.

Sex sunt humiditatis in mixto operationes; scilicet humefacere, vngere, lauare, sordidare, lubrifacere, lenire, inflare. Ib. c. 4.

In animalibus virtutes actiuæ sunt in membris dissimilibus, seu ex diuersis compositis. Talia sunt sensuum organa, excepto tactu, qui cum sit tantum virtus passiua, est in membro homogeneo & simili scilicet carne; vnde & dissimilia non patiuntur nisi per passiones similium, & animalia imperfecta, quorum corpus est vnius substantiæ, habent tantum. Albertus Magnus, libro 1. de animalib. capite 5.

In elephante natura confortauit sustentationem pedis, ex conjunctione digitorum. Ibidem libro 2. cap. 1.

Quædam argumenta turba valent, diducta leuiora sunt. Quint. Inst. orat. l. 4. c. 2. si non vt fulmen, tamen vt grando.

Vnum lignum difficilè accenditur, plura minuta, facilius.

Canes audientes post se voces hominum, ardentius venantur.

Animalia audaciora habent cor paruum in quo spiritus vniti sunt fortiores.

Quædam argumenta ponere satis non est, adjuuanda sunt, vt si cupiditas causa sceleris fuerit; quantum efficiat in animis hominum talis affectus; ita firmiora erunt ipsa & plus habebunt decoris, si non nudos, & velut carne spoliatos actus ostenderint. Quintilian. Instit. orator. libro quinto, capite 12.

Peroratio totam simul causam ponit ante oculos, & etiamsi per singula minus moueat orator, turba valet. Ib l. 6. c. 1.

D. Basil. l. regular fusius disputatarum, capite 39. præcipit religiosis, vt si ad opera sua vendenda peregrinandum sit, omnes simul procedant & habitent, vt minus eis mundanorum conuersatio noceat.

Vnus ex amplificationis modis, fit per congeriem. Quintil.

Ideo necessitas producit & seruat concordiam, inter eos qui diuisi essent infirmi, *vide principium concordantiæ.* Necessitas.

Elementum vnum solum non prodest, sed quatuor simul contemperata sunt causæ generationis, & conseruationis omnium.

In Sacramentis verba sic debent pronuntiari, vt componant vnam orationem, & vnum integrum sensum, id autem non esset si inter vnum, aut alterum esset interstitium vnius, verbi gratia horæ. Bonacina.

Digitized by Google

In construendis figuris & imaginibus, fit electio, & materiæ, & quantitatis & figuræ, quæ simul plus possunt, quam diuisim.

Gallorum antiquorum bellica disciplina jubebat vnicuique equiti duos habere seruos auxiliares, qui equo suo occiso, alium substituerent, lapsum, vulneratum eriperent.

De ciuitatis jure. Cicero pro Archia, & Cornelio Balbo.

Ex vno nihil facit natura, sed ex multis operatur vnum generando, & corrumpendo, vnum reducit ad multa.

Ignis & aër elementa non lucent, non sonant, nec calefaciunt, nec odorem aut saporem edunt, nisi addensentur, ita nec alias virtutes ostendunt, nisi cum sunt addensata per mistionem. Igitur communem vniuersi consensum loci, & nexus imprimis habent mista, tum verò & cum qui est partium in toto.

Tale additum tali, facit ipsum magis tale. Arist. 3. topic c. 4.

Virtus finita ob suam debilitatem exigit vt sit vnita, nam vnita fortior est dispersa, quanto autem magis vnita, tanto simplicior & acutior, sicut flamma ignis se vnit in angulo acuto, & vbi se magis vnit; est potentior ad calefaciendum. Card. Cusa. excitat l. 5. c. 59.

Sicut arbor in concussione venti per radices tenetur, ita homo in aduersitate per amicos qui eum consolantur. Ib. l. 6. c. 18.

Græciæ ciuitates dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt, & Philippi jugum subierunt. Geneb. a. m. 3730.

Gen. 11. desistunt ab ædificatione Babel, propter confusionem linguarum.

Vnum est conseruatiuum entis, quia nihil est quod destruat ens nisi diuisio; nam per diuisionem quodlibet discedit à seipso, & per vnionem in seipso continetur.

Dicitur Prouerb. 18. 19. frater fratrem adjuuans, exaltabitur. Ideo quicumque Episcoporum pro causa Dei fratri suo solatium commonitus dare distulerit, Domino reddet rationem. Conc. Turonense II. c. 11.

Vt Episcopi mutuo se adjuuent contra rebelles, & authoritatis suæ contemptores. Conc. Valentinum III. ca. 13. Conc. Tricasin II. c. 4.

Terra pura continuationem non habet, sed potius continuationem in puluerem, propter siccum naturale, indiget ergo aqua & eius humido.

Plures stellæ minimæ simul efficiunt galaxiam, seu viam lacteam, & nulla earum separatum videtur.

Omne paruum est magnum relatiuè.

Nomen compositum, vt familiare est apud Græcos, plus significat.

Vide bonitas magnitudinis, de totalitate & integritate.

Palmæ bina semina simul composita & conjuncta serunt, quoniam satio vnius infirma est. Horum radices amplexu mutuo connectuntur, atque illico primi ortus promiscui coalescunt, vt vnus ex cunctis caudex conficiatur.

Multum si sit continuum & homogeneum, minus putrescit, quam paruum, quia virtus naturalis, sicut est calidum, multiplicatur sua propria materia multiplicata, propterea in multo continuo homogeneo multum est calidum, quod præualet & non potest euocari à calido aëris circumstantis, & ideo non fit putrefactio. Est etiam in tali multo & magno plus de frigiditate essentiali; quæ partes materiæ plus potest continere quam calor aëris valeat dissoluere. Albertus Magnus, meteor. libro quarto, tract. 1. capite 9. *Vide concordantia virtutis*, quod virtus seruatur integra in bonorum societate.

Aquæ fluentes per loca mineralia & lapidea, imbibuntur vi lapidescente, guttæ autem juxta ripam effusæ lapidescunt, quia virtus illa citius vincit paruum & diuisum, quam multum indiuisum. Ibid. de mineral. l. 1. c. 8.

Quidam Philosophi existimarunt, quod licet elementa non agant nisi per primas qualitates, tamen cum sunt complexa mirabiliorum, & altissimarum dicunt esse operationum. Vnde virtutem quæ in mixto regit & dirigit qualitates elementales, non dicunt esse nisi complexionem consequentem, & hanc mirabilem asserunt esse, & probant per opera Alchymiæ, in quibus simplicia parum prosunt, & cum complexa fuerint admirabiles valdè reddunt effectus. Ibidem, libro 2. capite 2.

Terra est mirabilium & multarum rerum productiua, quia in ipsa immota vniuntur omnes radij cœlestis sphæræ. Ib. l. 3. c. 10.

Arcades cum essent bellicosissimi Græcorum, priuatim vicerunt neminem, aliorum verò socij, multos. Suidas in voce Arystilus.

Εἷς ἀνήρ, οὐδεὶς ἀνήρ. vnus vir, nullus vir. Id.

De consonantibus literis, quæ non nisi cum vocalibus sonant, *vide minoritas medij*, non vti medio, vbi de vocalibus.

Aduerbium sine verbo non habet plenam significationem, vt hodie: Adijcis illi verbum, hodie scribo, plenus est sensus. Isidorus origin. lib. 1. capite 9.

Omnia animalia quæ regionem ex ordine naturæ mutant gregalia sunt, quoniam aliter tuta ab infestis non essent. Cardan. lib. de rer. varietate, c. 27.

Quædam res fossiles in aquis integræ innatant, comminutæ merguntur, sicuti pumex & lapis Tyreus & lateres facti è terra pumicosa. Georgius agricola, l. 1. de natura fossilium.

Lucan pharsal 4. dicit de Sicori Hispaniæ fluuio, qui ne inundatione Cæsaris cœptis obstaret. Spargitur in sulcos & scisso gurgite riuis; dat pœnas majoris aquæ.

QVANTVM POSSIT CONuersatio cum bonis.

Si colori subjacenti alius color perspicuus superponatur, fit medius quidam color ex duobus; sic si commisceantur elementa. Vide minoritas concordantia, ex mixtione fit alteratio.

Quamuis in mixtis terra dominetur in materiæ quantitate, tamen quia terrestre à mixto digestum & subtiliatum est, & tractum ad actum spiritualium elementorum, magis in ea sunt in actu quam corporalia grossa; ideo ligna porosa aquis supernatant Albertus Magnus, libro 4. de vegetabil. tract. 1. cap. 2.

Omnis arbor pyrorum & malorum spinosa est, quandiu est syluestris; cum autem fuerit domestica spinas amittit, propter melius alimentum. Ib. tr. 3. cap. 3.

D. Dionysius cap. 2. vocat amorem diuinum, &

Digitized by Google

societatem cum diuina pulchritudine, formificam.

Iupiter configuratus maleuolis mutat eorum malitiam in bonum, venus id non potest facere nisi adjuuetur à Ioue. Hermes in centiloquio, num. 4. Iupiter soluit Saturni malitiam, quemadmodum Venus, Martis. Ib. n. 27. Euntes ad configurationem malorum beneuolæ, diminuunt aliquid eorum malitiæ & quacumque figura, magis tamen per bonam. Id. nu. 32.

Planeta infortuna, quando est in domo sua directus, & est cum planeta fortuna, conuertitur in fortunam. Bethem. cent. 11.

Arteriæ venis conjunctæ calorem illis communicant.

Licet aquæ congeries ex se tendat in centrum, tamen sursum eleuatur cum vna pars aliam pellit, vt fit in canalibus.

De his qui inter bonos fiunt pejores. *Vide bonitas potestatis*, nitimur in vetitum, *& gloria contrarietas*. opposita magis apparent, sic ligna in quibusdam fluentibus aquis lapidescunt.

Conuersatio cum quibus habenda. Clem. Alex. pædag. l. 3. c. 4.

De conuersatione Catholica. D. Augustin. tomo 9.

De conuersatione bona & mala. Bernardin. tom. 4.

Si artificiata, sub optimo cæli aspectu formata, putantur multum juuare, quanto magis naturalia, scilicet homines benè nati, & probi.

Generaliter in quolibet aspectu, si fortunæ infortunas aspexerint, minuent earum impedimentum; & cum infortunæ aspexerint fortunas minuent earum bonum, in quolibet signo, aut aspectu. Haly.

Liuius dicit de Gallo Græcis, planta facilè vertitur in id solum, in quo seritur.

Agens naturale per prius, & magis diffundit suam actionem ad ea, quæ sunt sibi magis propinqua, sicut ignis magis calefacit rem sibi propinquam.

Conuersatio assimilat minora majoribus, passiua actiuis. *Vide concordantia maioritatis*, bona. Cum potentioribus.

Lapides & metalla generantur per juxta positionem. *Vide concordantia principij, Rep. Vide concordantia virtutis*, congregatio bonorum.

Proclus dicebat de Athenodoro Philosopho eum similem esse igni, propinqua omnia incendenti. Suidas in verbo Athenodorus.

Omnibus quibus apes insedere, odorem mellis inspirant. Quint.

Vide potestas voluntatis, amor transformat. Amor autem procedit ex conuictu.

Scribit Plinius terram terra emendari, super tenuem pingui injecta, vt marga & creta sabulosis locis. Georgius agricola, libro 2. de natura fossilium.

Terra contingens arenam vitream, fit vitrea. *Vide medium durationis*, locus.

In Ægypto propter mistionem Nili solæ omnium palustres aquæ redduntur commodiores, nam æstate non computrescunt omnino, Rodig. l. 27. c. 6.

Tyrones cum probis veteranis mixti, euadent bellicosissimi.

Piscibus pluribus natura non dedit pulmonem, quoniam aqua caloré sepit, retinetque ne exhalet, branchiæ enim sunt ad exprimendum aquam ne simul cum haustu intra ipsam cibo in ventriculum subeat, etiam cessante electione boni, ipsa per se bonorum societas perficit.

In extremo Septentrionis versus polum reperiuntur magnetes tam vehementis operationis, vt certis lignis fagineis conjuncti, ea vertant in sui duritiem & naturam attractiuam. Olaus Mag. l. 2 c. 26.

In arca Noë feræ ipsæ humano ex commercio minus feræ.

Quæ assumuntur etiam afficiunt, vide quæ scripsi, de iure naturali, l. 2. lege 6. §. 2.

Ægyptus tactu ipso Domini ad eam confugientis gustum quendam sanctificationis adipiscitur, vt prædicatum ab Apostolis facilius susciperet, & cœtus Angelorum in mortalibus corporibus existentium, id est Monachorum & virginum aleret, &c. D. Chrysost. hom. 8. in Math.

Si quis ad aurifabrum aut rosetum venerit, recipit ab auro & rosis quendam splendorem; qui editum locum petit, etiamsi minimus sit, magnus tamen atque sublimis videtur, sic excellentiores apparent, qui cum Monachis conuersantur. Ibidem hom. 70.

Palpitationes cordis, dolor hemorrhoïdum, profluuia cruoris, epilepsias, vteri strangulatus, ipsæque febres sedantur per appensa. Vah helmont.

Fons initio turbidis & insalubribus, aliarum affluxu fit fluuius potui gratissimus. A costa hist. iud. l. 3. c. 17.

Carbo extinctus, si ardenti admoueatur, reuiuiscit.

CVM MALIS, CONVERSATIO plurimum nocet.

DEuteron. 20. si quis est homo formidolosus, & corde pauido, non egrediatur ad bellum, vadat & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse timore perterritus est.

Apostolus, 2. Thessal. 3. Rogamus vos fratres & denuntiamus in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. Rogat, & seuerè minatur, per denuntiationem assumpto nomine Christi. Cassian. libro 7. c. 12.

Circumstantes nos dæmones, animam, jam conditione sua labilem, in malum impellunt. Id. collat. 7. c. 7.

In mari mortuo propter nimiam salsedinem & amaritudinem nihil viuit, & circa illud littora sunt sterilia. Alb. Mag. tr. 2. de proprietat. elementorum, c. 8.

Maleuoli planetæ euntes ad configurationem bonorum ex quadrato vel opposito, diminuunt aliquid bonitatis earum, ex alijs verò aspectibus nihil. Hermes in centiloquio, n. 32.

Terribilia mala operatur, caput draconis cum malis, auget enim eorum malitiam; multa vero bona cum bonis, per ipsum enim augetur eorum benignitas. Cauda vero sicut in situ, Sic in significatio nibus objicitur capiti. Ib. n. 66.

Esto suspiciosus ac sollicitus, quando beneuolus est cum maleuolo, nec valdè confidas, quod mali malitia penitus auertatur. Ib. n. 78.

Planeta inter duas infortunas, obsessus, est vt homo timens inter duos hostes. Bethem, centiloquij, n. 7.

Digitized by Google

Planeta fortuna quando est retrogradus, & est cum infortuna conuertitur in naturam infortunæ. Ib.n.20.

Lutum lapidi adhærescens, lapidescit.

Anaximander dixit mare esse salsum, quia olim igni permixtum.

Boni, puniuntur cum malis, quibus permiscentur. *Vide æqualitas contrarietatis*, similis pœna.

Leu.11. si quidpiam immundum ceciderit in vas testaceum, confringetur; si in vas ligneum aut æneum, aut vestem aqua mundabitur.

Filij paganorum inuitis parentibus non sunt baptizandi, quia si non habentes vsum rationis abducantur, fit injuria parentibus; si illis relinquantur, non poterunt educari in fide. Bonac. de subjecto baptismi.

Aër corruptus, maximè inficit quia intima & corpetit.

Qui se commemorat, apud improbos educatum, videtur vereris, ne non putemus, eum natura tam improbum posse euadere, nisi accessisset etiam disciplina. Cicero Philip.2.

Si pars humani cadaueris, corpori humano viuenti applicetur per aliquot horas, homo cui applicatur, debilis & inualidus reddetur, propter contrarietatem, quæ est inter viuens & mortuum: Quia propter frigus mortificans, spiritus, à circumferentia in centrum refugiunt, vbi in quiete remanentes, reddunt corpus immobile. Sic hyeme plantarum calor concentratur.

Contagio est quædam ab vno in aliud transiens Infectio. Fit aut contactu, aut fomite, cum illa contagione incorrupta vt vestes, conseruant tamen contagionis seminaria, quædam etiam ad distans transferunt contagionem, vt pestilentes febres, phytisis, lippitudines. Præcipua autem fit contactu, vt vuæ ad vuam, pomi ad pomum.

Porus Rex Indiæ, venenis assuefactus, familiares sua consuetudine perimebat, suauissimis licet captos, illecebris. D. Cyprian. ad donat. dicit, Sæpè inter nocentes innoxium esse, crimen est, malos quisquis non imitatur offendit; consensere iura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est Ideo Deut. 7. Deus prohibet Israëlitis, fœdus cum gentibus, quia seducerent illos.

Vitanda Iudæorum, paganorum, hæreticorum conuersatio. In cohabitatione, balneis, operibus & industria, vt medicina, aduocatione, conuiuijs, ne Christiani, ad eorum nuptias & choreas accedant, can. ad hæc, can, nullus, can. omnes 28 q. 1.

Licet verum sit ex Mercurio & sulphure omnia generari metalla, & omnibus inesse metallis, vnde possunt extrahi, non tamen ea puritate quæ naturæ suæ conueniat, sed infecta qualitatibus metalli in cujus fuerant compositione, vnde ex illis non potest aurum fieri.

Vitriola quæ vitrum imitantur in colore viridi, soluuntur in aqua vulgari, quia ex pauco sicco & in multa humiditate aquea conformantur. Sic facilè cum malis deficiunt nouiter conuersi, quibus nondum inest solidus virtutis habitus.

Abyssi qui sunt in medio mari, sorbent transeuntes & attractas vi aquarum naues.

Circa lacum Asphaltitem, in loco in quo fuit olim Sodoma & Gomorrha, arbores eius venenosis vaporibus infectæ, fructus non producunt esculentos, sed vanos, Dauity in Syria. Si Iordanis fluuius inundans in eum lacum pisces aliquos deferat, statim moriuntur.

A In vrbe in qua erat Rex Persarum, nobiles habitatione secernebantur à populo & mercatoribus, ne eorum parum ciuili conuersatione inficerentur, omnes domos habebant circa palatium Regis ibique nullus mercator. Xenoph. Cyrop. l. 1.

Isa. 6. dicit, væ mihi quia vir pollutus labijs ego sum, quoniam in medio populi polluta labia habentis, habito.

Aër corruptus corrumpit corpus, aqua corrupta corrumpit vinum, poma corrupta corrumpunt alia sibi juncta, grex morbidus corrumpit ouem sanam. Sic mundanorum conuersatio corrumpit sanctos. Card Cusa excit.l.6.c.17.

B Clerici nuptiarum conuiuia deuitent, ne auditus & obtutus sacris mysterijs deputatus, turpium spectaculorum atque verborū contagione polluatur. Conc. Veneticum, Galliæ, can.11. & Agathense, c. 39. habetur dist 34.c. Presbyteri.

Omne bonum ex permistione mali, vel totaliter tollitur vel fit minus bonum.

De malorum congregatione, *Vide concordantia virtutis, Rep.*

Ligna arborum vicina sibi, seu alia ligna, seu lapides, & quicquid aliud, obducto cortice complectuntur; teste oleastro qui Megaris in foro stabat, quo succiso, ocreæ intus ferreæ repertæ sunt, & ex oraculo tunc vrbs direpta est. Theoph. hist. plant. l. 5. c.3.

C Vi solis & stellarum eleuantur vapores frigidi humidi, & frigidi sicci. Vapor aqueus subtilior eleuatur in aërem, terreus remanet in superficie maris, & illud efficit amarum, salsedo enim & amaritudo procedit à terreo adusto; sic in cibi digestione, pars subtilior ascendit ad nutrimentum, crassior subsidet salsa in sudore, vrinis, felle, conferunt etiam ad salsedinem partes terræ igne subterraneo adustæ, quas mare alluit. Alb. Mag. meteo. l.2.tr.3.c.15. ideo sol humido resoluitur calido sicco coagulatur. Res adustæ in quibus totum humidum est absumptum, sunt amarissimæ, vt cinis, lixiuium. Ibid.

Aqua juxta quam est camphora, tota sapit camphoram, etiamsi nihil de substantia camphoræ resoluatur in ipsam; & similiter de alijs odoriferis vel fœtidis iuxta aquam positis. Ibidem capite 19

D Aliter se habent principia mixti, & aliter principia simplicis, & hoc quod est aliquo modo actiuum in simplici, nullo modo est actiuum in mixto in quod est commixtum. Ibidem libro 4. tract. 2. c. 2.

Caliditas continentis loci trahit humidum mixti, & superans calorem naturalem, frigus etiam naturale quod partes continebat, causat corruptionem. Vnde res minus putrescunt in frigore quam in æstu. Ib.l.4.tr.1.c 9.

Ligna jacentia in quibusdam aquis conuertuntur in lapides, & retinent figuram lignorum. Idem, sic sunt quidam habitu religioso inter mundanos.

E Impudentibus natura mulieribus, nihil quicquam pejus ad omnia, nisi aliæ mulieres. Suidas.

Homines pestilentes, non semetipsos modo lædunt, sed pestem suam etiam in alios transfundunt.

Dijs nociuis templa ponebantur extra vrbem. *Vide media concord.*

Medicamenta omnia præsertim tenuium partium, per arteriarum & venarum ora, quæ ad sum-

mam cutim finiuntur, ingredientia, cum concaluerint, eadem possunt, quæ interius assumpta. Card. de rer. variet. l. 1. c. 1.

Calor non est proprius elementorum, sed vis quædam cælestis, ob id non adeo noxius sed salutaris, nisi quatenus miscetur siccitati, siccitas enim squaloris mater est, exacuit serpentum venena siccitas, sed serpentes ipsos non juuat. Omnia pusilla reddit, sed neque pulchra, neque fœcunda. Calidum verò si humido jungatur, omnia auget, fœcundat, perficit, solum vero denigrat corpora. ibidem c. 2.

Causa corruptionis celerioris in stagnis est terra Miscetur enim: ob id turbidæ aquæ celerius corrumpuntur, & quæ sunt claræ, antequam corrumpantur, conturbantur. Ib c. 6.

Descendens aqua in voraginem secum omnia rapit, sunt autem hæ voragines in quibusdam fluuijs & in oceano Nouergiæ Ib.

Aquam nigram esse videmus cum qua succus niger permiscetur, & flauam cum qua flauus, itemque alios aliarum colores, prout succi quibus inficiuntur sunt colorati, aut terræ aut ramenta saxorum, Georgius agricola, l. 1. de causis subterraneorum. Fiunt acerbæ per loca aluminosa permeantes, salsæ per salsa; amaræ per nitrosa, ferratæ per venas ferri: mali saporis, per loca sulphurosa & bituminosa. Ibidem in fine. Terra pariter cum sit natura sua sicca frigida à subjectis ignibus torretur vt carbo, ab aquis diluitur fit madida & lutosa, pinguis ex humore aëreo, temperato calore concocto; macra si vel calor multus eam exusserit, vel propter frigus cruda manserit. Ib. l. 3.

Frutices arbores, animantes, ossa & alia in lapides conuertuntur, quæ habent meatus capaces recipiendi succum lapidescentem, existentem in aquis quibus merguntur, Ib. l. 4.

Mala minima, bona majora inficiunt. *Vide potestas minoris.* mala.

De pluribus locis qui halitus pestiferos emittunt vt est exiguus, flexus à Puteolis Neapolim juxta lacum Aniani, in eo canis immissus paulo post exanimatur, nisi iam moriturus mergatur aquis proximi lacus. Vide Georgium agricolam, l. 4. de his quæ flu. ex terra.

Mandragora vitibus adnata transmittit in illas potestatem somnificam, vt vinum ex ijs bibentes facilius procliuiusque in soporem collabantur. Rodig. l. 7. c. 3.

Opilius Macrinus Mexentij supplicium restituit, viuosque alligauit mortuis. Idem libro 10. capite 5.

Iuxta mare habitantes fiunt infidi, voraces, latrocinijs dediti, vnde procul ædificandas ciuitates censuit Plato. Id. l. 16. c. 23.

Vinum fecis vicinia fit insyncerius & sapore deterius. Id. l. 28. c. 26.

Sumuntur à conuersantibus mores, & vt quædam in contactis corporibus vitia transiliunt, sic animus mala suis proximis tradit. Seneca lib. 3. de ira.

Sara non patitur filium suum Isaac, ludere cum filio ancillæ. Boni debent fugere malorum conuersationem, etiam blandientem. Origen. hom. 7. in Genesim.

Moyses cum venisset ad locum quem ostendit ei Deus, non permittitur ascendere, sed ante ei dicitur solue corrigiam calceamenti de pedibus tuis, veniebat enim de Ægypto, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus eius innexa. Id autem non est dictum Abrahæ montem ascendenti vt immo-

A laret filium. Idem homil. octaua.

Morticinia à bestia occisa qui tetigerit, immundus erit, id est, si quis in peccatum lapsis societur, vel eos imitetur. Id. hom. 3. in Leu.

Iosue 6. propter vnum qui de Iericho posito in anathemate furatus erat, lingulam auream, totus populus fit anathema, & vincitur ab hostibus.

Tantum nocet menti malorum conuersatio, quantum corpori corruptus aër. *Vide principium contrariet causa malorum.*

Constat experientia à centum annis, maritimas oras longè aliter quam prioribus sæculis insalubres esse humanis corporibus; prauitate aëris sæpè fauces corrumpi, cadere dentes, & vicinitate maris

B pejus affici terræ incolas, quam si tempestate sæuiente fluctus ipsos subirent, ortum ex Dania malum totum orbem infecit, syderum, vt putant ira. Æthnæ vicini & Vesuuio timent montis flagrantis æstus, igneos torrentes, &c.

Aër impletur qualitatibus corporum quæ continet, sic Londini in Anglia, cum defectu lignorum ignem alant terra quadam nigra, crassa, prius exsiccata & carbone qui dicitur terrestri, inficitur suppellex omnis domus nigra quadam fuligine, & hinc malè affectus pulmo laborat sæpius phytisi.

Est suus in homine magnes quo, tempore pestis per insensibilem transpiratum à contaminatis venenum forinsecus trahit; natura etenim quæ solet benignum succum dumtaxat admittere, eumque

C ab excrementis solerter secernere, suo magneti succumbens, nociuam auram allicit, mortemque intro vocat. Succurrit saphirus confricata in septem locis planetarum, scilicet in gutture, carpis manuum, propè pedum malleolos & ad cordis thronum; sic collo appensa certum est remedium. Van helm. de magnetica vulnerum curatione.

Si quis moriatur in peccato mortali & veniali, punitur in æternum non tantum pro mortali, sed etiam pro veniali quod non debet manere impunitum. D. Th. in 2. sent. dist. 42. a. 5. & in quæst. disp. q. 7. a. 10.

Cito candidissimos mores inficit aliena prauitas, initiumque morbi est, ægra sæuis mis-

D cere.

Anima rationalis non habet immunditiam peccati originalis, nec est à se, nec à Deo, sed ex vnione ad carnem; sic enim fit pars humanæ naturæ deriuatæ ab Adam. Id. in q. disp. q. 4. de peccato origin. a. 3. ad 1.

Basiliscus non visu, sed halitu pestifero necat hominem, & quidem de propinquo. Tostat. parad. f. 52.

Per diluuij aquas salsas fertilitas terræ diminuta est, nam sal reddit terram sterilem. Idem, Genes. fo. 85. c. 4. I. vnde dicitur Gen. 9. disperdam eos cum terra.

Ægyptij qui transierunt in desertum cum Israëlitis, sæpè prouocauerunt eos ad peccandum. Idem exo. to. 1. f. 127.

E Immunditiæ quæ apud Iudæos incurrebantur per contactum reptilis, cadaueris, menstruatæ, &c. significabant malorum conuersationem fugiendam. Id Math. to. 2 f. 302.

Terra quædam est, in qua non solum aqua in lapides conuertitur, sed etiam animalia. Idem Gen. f. 84.

Sanguine Agni Paschalis, non tingebantur domus Ægyptiorum, in quibus simul cum Hebræis morabantur Ægyptij. Id. exo. to. 1. f. 79.

Math.

Math.24. dicitur quod circa finem sæculi abundabit iniquitas & refrigescet charitas multorum, scilicet malorum contactu & contagione. Nam mediocriter boni qui cum melioribus humiliantur, & se malos iudicant, cum malis indulgent sibi quod in similem alijs malitiam non deuenerint, in quam tandem labuntur. Idem Math. to. 6. fol. 277.

Vitia nobis conciliat improborum hominum contubernium, & videndi consuetudo; primum illis irascimur, proximè succedit huic motui alter humanior, inter iram indulgentiamque medius; hunc excipit excusandæ nequitiæ facilitas, tandem conformitas affectuum, ac morum similitudo.

Planetæ mali domibus nocent in quibus sunt, & boni iuuant eas si in eis sint. Cardan. de reuolutio. c. 22.

Cum fuerit Iupiter, aut Venus in medio duarum infortunarum illis propinquus, dicentur tres infortunæ, hoc autem maximè in virgine, scorpione, aut capricorno. Idem aphor. sect. 5. aph. 159.

Ex mali consortio sani laborant, sanati recidiuam & interitum patiuntur. Vide quæ scripsi de iure naturali, l. 3 lege 10 § 1. Potentioris mali noxia destruensque magis est societas, § 2.

In India sub zona torrida vbi sunt summi calores, sunt etiam nocentissima frigora quæ intus penetrantia necant homines, quia corpora aëri calido assueta rara sunt, & poris apertis frigori peruia; procedunt à venis transeuntibus per montes niuosos.

In lege quisquis mortuum contrectat immundus est, sed absit istud vt quicquam horum in lege corporaliter intelligatur; Ioseph enim ossa, egrediens Ægyptum Moyses, ipse lator legis extulit. Helisæus mortuo vt eum viuificaret, incubuit. Dominus ipse mortuos manu apprehensos in vitam retraxit; cum ipsi non venerit, vt legem solueret, sed significatur nos in hoc terreni & morticini corporis habitaculo mundos esse non posse, nisi per emundationem cælestis misericordiæ. D. Hilar. in Psal. 118. gimel.

Virginibus nuptarum conuersatio fugienda. *Vide minoritas gloriæ*, virginitas, ex diuo Hieronymo.

Contagiũ est ab vno in aliud transiens infectio.

Necesse est eum qui cum canibus dormit, cum pulicibus surgere.

COGNITIO CONCORDANTIÆ.

QVOMODO COGNOSCITVR VNIO, SOCIETAS.

AGNOSCES si vinum sit aqua mixtum, si in eo imponas pyrum, nam si supernatauerit, merum est vinum, si fundum petat, mixtum est aqua.

Color cometarum significat cum quo planeta conuenit in qualitate, & affectione, vt si obscurus, dat effectus Saturni, si albus Iouis, si rutilus Martis, si flauus veneris; si varius, Mercurij.

Nullus potest applicare aliquid conuenienter ad alterum, nisi vtrumque præcognoscat.

Nomina relatiua sic dicta, eo quod ad aliam referantur personam, vt magister, pater, Dominus. Isidorus.

Aquæ cum vna aliqua re permistæ sensibus deprehenduntur, oculi percipiunt corruptum colorem, lingua malum saporem, nares tetrum odorem, at quæ cum pluribus temperatæ sunt, hæc cognitionem habent difficiliorem. Georgius agricola, l. 1. de his quæ fluunt ex terra.

De formatis litteris quibus vnitas Ecclesiæ cognoscebatur & fouebatur. *Vide concordantia virtutis*, Ecclesiæ vnitas.

Quibus modis cognoscitur amor, *vide cognitio voluntatis.*

REPVGNAT LATENS vnio.

SOli Angeli videbant in Christo, vnionem verbi cum natura humana, essentialem, perpetuam, nunquam dissolubilem; sed humanis oculis & mentibus imperuiam.

Vide supra proximè de aquis pluribus mixtis *Vide cognitio voluntatis*, Repug. latens amor.

VOLVNTAS CONCORDANTIÆ.

APPETITVS SOCIETATIS ET VNIONIS.

SVNT quædam animalia gregalia, in terrestribus vt oues, boues, in auibus, vt sturni, in piscibus vt aleces, &c.

Humanum ingenium apiculæ simillimum est, quæ sola viuere nequit, perit enim si relinquatur sola, sed ad vnum & commune opus, suarum congenerum tota inclinat.

Accessus est prior in intentione, & posterior in executione quam recessus. Accessus est prior recessu ex parte mouentis, sed est posterior ex parte mobilis.

Palmæ cum sunt anniculæ transferuntur, sed binas semper transferunt. Theophrast. hist. plantar. libro secundo, cap. 8. In Ægypto & Cypro bifidæ assurgunt. In Æthiopia non vno caudice, sed pluribus, & interdum aliquatenus conjunctis. Ibidem.

Nihil aliud medicina considerat quam quomodo quatuor humores corporis amici inuicem fiant atque permaneant; quos cibos & potus cæterosque viuendi ac medendi vsus amet natura. Agricultura solo conuenientia mandat semina; politica negotijs paria quærit ingenia. *Vide concordantia æqualitatis. vnio similium.*

Panniculus lineus semper trahit aquam; aqua enim ascendens non vult ab alia diuidi, sicut nec ab alia ipsa, idcirco sese insequuntur, sic eleuantur aquæ ad montium cacumina per filtrationem, aut per euaporationem.

Quidam equi & muli sarcinarij, vix adigi possunt ad iter, nisi socios & antesignanos dederis.

Aues ipsæ gregatim, quæ innoxia voluntate mitescunt, sicut turdi, sturni, palumbi, & quidquid ad simplicem pertinet vitam gaudet similium societate, at omnia rapacia, sunt soliuaga; timent enim socias quæ veniant in partem prædæ.

Omnia tendunt ad vnionem, vide quæ scripsi Theologiæ natur. tom. 1. parte 1. cap. 26. Homo natus est ad vitam ciuilem, moralis Christiana, tom 3 parte 1. cap. 1.

Acetum distillatum soluit lapidem cancrorum, limacum, coralia, &c. Acidus enim aceti spiritus sese agendo coagulat, quique alias penitus erat volatilis & liquidus, constringitur nedum, sed & saporem mutat, cogit namque & constringit se forma tangibili, quasi magis gauderet solidioris corporis, quam liquoris specie permanere. Van helm. ignota actio regiminis.

Olim existimatum est planetarum vnumquemA que in suo cælo solitarium esse, postea obseruati sunt duo alij Saturni comites quatuor Iouis, qui circa ipsos interdum errant, interdum conjunguntur, vt ouales faciant apparere. De his Argolus. Astron. l. 1.

Vide bonitas concordantiæ. Ideo vita Eremitica temperatur. *Vide media differentia.*

Verus & legitimus censetur appetitus, qui naturaliter omnibus inest, inest autem appetitus societatis, & ab ea non abhorrent nisi melancholici, deprauata imaginatione, in malum suum prona, dum suis se pascit cogitationibus, & fugit homines, à quibus posset iuuari.

B Philosophi qui fugiunt frequentiam populi, propter defectum similium, gaudent tamen aliorum Philosophorum consortio. Reis in pœnam carceres & exilia imponuntur.

APPETITVS CONIVGII, mutuusque consensus.

VTrique sexui non inutilis ad se mutuo inditus est amor; hæc est prima naturalis societas potentioris cum infirmiori, necessaria ad speciei conseruationem. Nam sine matrimonio Respublica non haberet ciues; Deus cultores, & deficeret fax C vitæ per manus tradenda, bono publico accedit singulare, scilicet cæteris perfectior, vnita magis societas, vxor enim partitur onus viri, domestica curans, fida vtriusque fortunæ comes, velut altera manus in laborantis auxilium parata. Si quæ contingat in conjugijs infœlicitas solet procedere ex eo quod dos, pulchritudo corporis cito deficiens, præfertur animæ virtutibus, & patrimonia potius, quam personæ vniuntur. De bono prolis. *Vide bonitas principij.*

Sponsalia sunt mutua promissio futuri matrimonij, vt si quis dicat promitto quod ducam te in vxorem, l. 1. ff. de sponsal hæc promissio vt sit valida debet esse voluntaria, mutuo accepta, & aliquo signo D externo sufficienter manifestata.

Apud Indos nati vtriusque sexus liberè, & non expectato patris consensu nubebant. Diodor. l. 19. *Vide concordantia voluntatis.*

Non est verum matrimonium nisi libero vtriusque partis consensu contractum, cap. cum locum, de sponsalibus.

Mutuus est inter vtrumque sexum amor. Vide quæ scripsi de iure naturali, parte 1. lege 15 § 3.

Digitized by Google

VIRTVS CONCORDANTIÆ

AMICITIA CONTINEATVR VIRTVTIS LEGIBVS.

VIDE *concordantia virtutis*, bonorum societas.

A Homines congregantur, vt simul benè viuant, quod consequi non posset vnusquisque singulariter viuens, bona autem vita est secundum virtutem, virtuosa igitur vita est congregationis humanæ finis, nam idem est iudicium, de fine totius multitudinis, & vnius. D. Thomas de regimine principum l.1.c.14 Vnde vltimus finis multitudinis congregatæ est per virtuosam vitam peruenire ad fruitionem diuinam Ib.

D. Hieron. discessit ab amicitia Rufini, quia sequebatur partes origenistarum. *Vide duratio concordantia, Rep.*

B Petrus Damianus libro quarto, epist. 10. dicit se fœlici infortunio à mali viri familiaritate liberatum.

Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, idcirco iram Domini mereberis, 4.Reg 3.2.Par.18.

Secretum detegendum est, quoties vergit in damnum communitatis vel innocentis, quia secretum non potest obligare contra charitatem alteri debitam. Sed ex charitate debemus cauere aliorum damna. Bonacin. de restitutio. disp. 2.q.2. Ita licet aperire crimen alterius ad consulendum bono illius, cujus crimen detegitur, vel alterius, vel ad impediendum damnum spirituale, vel temporale alicujus momenti, modo reuelatio criminis necessaria sit, ad impediendum illud damnum, ad consulendum bono, &c. Vt manifestare hypocrisim, ignorantiam, ad bonum commune pertinentem. Ib. p.8.

C Peccat mortaliter qui imponit sibi falsum crimen cum periculo vitæ propriæ, vt eripiat patrem, vel amicum à morte, aut à grauibus tormentis, quia per mendacium impedit executionem dignę mortis & deludit publicam potestatem, Ibid.

Indis Religio est non oppugnare eos quibus injuria fit, nec tunc etiam fœderatis auxilium ferre. Suidas in voce, Indi.

D Solœcismus est plurimorum verborum inter se inconueniens compositio, sicut barbarismus vnius verbi corruptio. Isid. orig. l.1.c.32.

Dilectio sine simulatione, odientes malum. Adhærentes bono. Roma 12. Ita prohibet amicitias quæ fiunt propter res turpes. Chrysost.

Oro vt charitas vestra adhuc magis, ac magis abundet in scientia, & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis sinceri & sine offensa in diem Christi. Philip.1. Periculum enim est, ne quis hæreticorum amore corrumpatur, & spurium dogma sub prætextu charitatis admittat; nec enim sic amandum, vt ex amicitia damnum reportetur. Nam si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Mat. 5. D. Chrysost hom. 2. in ep. ad Phil.

Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo vidit Deum. Heb. 12.

Qualis illa charitas quæ sontis amici crimen fouet & infamiam? quæ illi ad nocendum vires præbet, nec sinit fœliciter esse impotentem, vt etiam inuitus ad officium suum redeat. Arma ministrare furiosis, non amicitiæ testimonium, sed dementiæ pars est & crudelis miseratio, cui nulla debetur gratia, vbi remisso ardore jam sana mens sapienter iudicat de officijs; eorum lubricam fidem norunt hi quos sequuntur, & à se, vt à Rege, à fide & pietate aliquando recessuros merito suspicantur; eunt enim qua major prædæ spes affulget, sibi, non alteri laborant, ideo sibi relinquendi.

Christus discedit ab Eucharistia, corruptis speciebus, diu non vixit, postquam positus fuit inter latrones.

Malè Adam manducauit de fructu prohibito, ne contristaret vxorem, vt complaceret vxori, circa Deum ingratus extitit. Tostat. in Genes. fol. 219. c. 2. c.

Amicus de minoribus bonis plura procurat amico quam sibi, sed de majoribus bonis, scilicet salutis, plura procurat sibi quam amico. Id. Math. to. 6. f. 146. c. 1. a.

Nulla est peccati excusatio, si amici causa peccaueris, nam cum conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si virtute defeceris. Hæc igitur lex in fraterna charitate sanciatur, vt nec rogemus res turpes, nec rogati faciamus. Laur. Iust. de charitate, c. 17.

Amicis quomodo vtendum, vide quæ scripsi mor. Christ. to. 4. parte 1. c. 25.

Licet parentibus resistere pro implendis Euangelij consilijs, quanto magis, pro implendis præceptis. *Vide contrarietas potestatis*, dominantibus resistere, *& contrarietas principij*, actio in parentes, *& concordantia æqualitatis*, nimius parentum amor.

Si oculus tuus dexter scandalizat te, abscide eum. Math. 5. Id est, si tantum aliquem diligas, vt eo dextri oculi vtaris vice; aut ita tibi quempiam esse vtilem putes, vt eum dextræ manus ducas loco, & hi tamen fortè animæ tuæ incommodent, abscinde istos à te. Maximam separationem indicans. D. Chrysost. hom. 17. in Math.

Banitorum ac sicariorum receptatores non excusantur prætextu consanguinitatis, & non dolosæ receptationis. Sixtus V. const. 6 § 4. Bull. p. 375. to. 2.

Digitized by

REPVGNAT MALORVM *societas.*

NOn est perpetua inter malos consensio, nec potest in rebus indisciplinatis, disciplina, modusque seruari, tamen cum necessitas implendæ voluntatis & concupiscentiæ exigit, consentiunt vt dæmones in obsidendis quibusdam corporibus & locis, & in tentationibus inferendis. Cassian. collat. 7. capite 18. Vnde dicit Christus, si Sathanas in se diuisus est, regnum eius non stabit.

Dæmon interrogatus à Christo quod ei nomen esset, respondit, legio quia multi sumus. Math. 4.

Cometarum splendor multus significat efficaces actiones, quas plurimi sponte sequuntur, ideo hæresiarchæ, & inuasores alieni regni sequaces habent multos, qui minus splendent, minus sunt efficaces.

Marc. 3. Iudæi consilium ineunt cum Herodianis, vt Iesum perdant.

Vide concordantia virtutis, Rep.

Tertull. de præscript. cap. 41. loquens de hæreticis. Pacem, inquit, passim cum omnibus miscent; nihil enim interest illis, licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conspirent.

Vide contrarietas concordantiæ. Schisma, seditio.

VERITAS CONCORDANTIÆ.

QVÆ SIT VERA CONCORDIA, ET VNIO.

NOTABIS semper configurationem stellarum, non per signa, sed per radios. Hermes in centiloquio, n. 38.

Non est vera concordia, quæ est mediata. *Vide media concordia.*

Conjugata dicuntur omnia, quæ sunt in eadem conjugatione seu classe, vt iustitia, iustus, iustum, iustè, quod de vno probatur, similiter de alijs. Arist. 2. topic. 9.

De vera Christi carne. Tertull.

Secundum Augustinum 1. de ciuitate Dei, ciuitas est hominum multitudo, aliquo societatis vinculo colligata, vnde ciuitas, quasi ciuium vnitas. D. Thom libro 4. de regimine principum, capite 18.

Extraneus tunc censetur in aliquo loco habere domicilium, si ad illum accedat intentione ibi perpetuo manendi, l. domicilium, ff. ad municipalem.

Priuilegium concessum Episcopo, pro familiaribus, censetur tantum modo concessum pro ijs qui actu obsequium & famulatum illi præstant, non verò ijs qui per rescripta & priuilegia in numerum familiarium coaptati sunt. Bonac. de priuilegijs, puncto 7.

Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas. Math. 23. Non saxa & ædificia ciuitatis, sed habitatores vocat, quos patris plangit affectu. D. Hier. in 23. Math.

Pax est in coincidentia extremorum. *Vide veritas gloria.*

Matrimonium est magnum Sacramentum, quia conformitatem operatur voluntatum.

Mixtio est miscibilium alteratorum vnio in vnum actum mixti, qui nullius est miscibilium separatim acceptorum. Miscibilia enim sunt quasi ab inuicem passibilia, & benè determinabilia, & benè diuisibilia, quia illa necessarium est esse benè incorporata in mixtione. Albertus Magnus, de gener. & corrupt. tractat. 6. capite 11.

Vnicuique rei conueniens est illud quod competit sibi secundum rationem propriæ naturæ: Magis conuenit, quod conuenit per se & substantialiter, quam quod conuenit ei per aliud.

Quando fit vera mistio, nihil retinet propriam qualitatem, sed totum recipit formam mediam.

Minima congregata sunt efficacia. *Vide veritas minoritatis.*

Ciuitatem efficit non eadem habitatio, sed lex quæ est conuentum & stipulatio quædam inter ciues, vnde eadem esse censetur etiam inter loco distantes. Arist. 3. politico, t. 6.

Refert Appianus Romanos promisisse Carthaginensibus se ciuitatem illorum non deleturos, eam tamen paulo post Scipio penitus deleuit, quasi per ciuitatem non deberent intelligi muri & ædificia, sed hominum societas.

Matrimonium est conjunctio maris & fœminæ indiuiduam vitæ societatem continens; conjunctio quidem animorum, vt sit initiatum, & corporum vt sit perfectum, can. institutum 27. q. 1. cap. gaudemus, de diuort. Matrimonium ante copulam significat charitatem, quæ inter Deum & justam animam in spiritu consistit, post copulam designat conformationem quæ consistit in Christo, id est, diuinitate & carne humana quam in virginis vtero suscepit, cap. debitum, de bigam.

Vt sit vnus populus debet communicare in vnitate legis & loci. Arist. 3. polit. Tostat. 1. Paralip. fol. 204.

Assimilari planeta dicitur, quoties in alterius dignitatibus fuerit, & aspectu. Cardan. apho. sect. 4. aph. 10.

REPVGN. PRODITIO.
Perfidia.

MAlachiæ est piscis extramollis, & interius durus, totus compositus ex substantia, quæ media est inter carnem & cartilaginem. Alb. Mag. l.4. de animal.c. 1. Talis est sepia, polypus, calamare, &c.

Vide veritas bonitatis. Veritas voluntatis. Repug.

Congelatio quæ est vnio tantum superficie tenus, facile dissolubilis, quia siccum & humidum non se mutuo apprehendunt.

Homines qui primum insiderunt equis, vocati sunt centauri, quasi esset vnum animal, mixtum ex homine & equo. Tostat. nu. to.2. fol.36.c.4.f.

A Hostibus reconciliatis parcendum, sed non fidendum. *Vide duratio contrarietatis*, mala.

Apud Gothos, tyrones, majores censebantur, liberam bonorum suorum administrationem adepti traditione sagittæ à Regis ministro, cum his verbis. Dij te hac sagitta nobilitent, conficiantque, vbi patriæ & Principi fueris infidelis. Olaus Magnus, rerum Septentr. l.8.cap.10. Proceres etiam ad curiam accedentes solemniter fidelitatem jurabant principi strictum gladium per cuspidem ab eius manu suscipientes; vt intelligant in se conuersum si à fide defecerint. Ib.

De proditione, *vide cognitio contrarietatis, Rep. & minoritas veritatis.*

Turcas & alios Christianæ fidei hostes, de his quæ ad statum Christianæ Reip. pertinent, certiorans, excommunicatur à Gregor. 13. constit. 81. p. 349. tom.2. & Paul. V constit.63.§.7. p.185 tom.3.

GLORIA CONCORDANTIÆ.

DELECTATIO EX SOCIETATE.

CORPORA cælestia, quæ nec generantur, nec corrumpuntur, cum se tangunt, non contingunt se, nisi per modum Mathematicum, quo nec immutat vnum eorum alterum, nec immutatur ab ipso. Alb. Mag tract.1. de natura locorum, c.2.

Vide potestas concordantia, bonorum.

Planeta inter duas fortunas, est vt homo, comedens, bibens, securus ab omni malo & timore. Bethem centiloquij, n.8.

In Germania virgines, nouæ nuptæ sociæ, procedunt, vt ipsamet nupta floribus, auro, gemmisque coronatæ. Dauity.

Beati habent essentialem beatitudinem in Dei visione, vnione, fruitione, & accidentalem, quia gaudent de gloria singulorum tanquam propria, quia charitas perfecta ibi est. Card. Cusa. excit.l.2. c.18.

Similitudo quædam vnitas est, vnum enim in qualitate similitudinem causat, vnde id quod est simile, in quantum est vnum, est delectabile, sicut & amabile.

Saporem & odorem permistione quodammodo effici constat. Nihil enim simplicium numero saporem aut odorem habere videtur, nisi misturam recipiat, vt aër, vel ignis, vel aqua; nam & aqua per se insipida est, terra & lapis, nullius saporis sunt, nisi aliquam misturam capessant. Theoph. de caus. plant.l.6.c.3.

Et jam deficiens, sic ad tua verba reuixi
Vt solet infuso vena redire mero. Ouid. 1. de ponto.

Verno tempore liquor per venas plātæ solis calore extractus in molles conuertitur flores, qui itaque olent omnes, cum odor sit vapor benè digestus à natiuo calore, nostro spiritui similis. Campanella.

C Adam in bonorum omnium paradisi affluentia, carens voluptatis suæ consorte, imperfectiori lætitiæ sensu capiebatur. Vnde dicit Deus non est bonum hominem esse solum, faciamus adjutorium simile sibi. S. Basil. seleuciæ, orat.2.

Terris quibus dulcis humor non longè subest, vbertas quorundam germinum semper arridet. Vnde proceritas arborum insueta. Olaus Mag.l.2. cap. vlt.

De suauissima amicorum conuersatione. Vide quæ scripsi moralis Christ. to. 2. parte 2 cap 12. de Religiosa honesta, & interdum minus seria citra contumeliam conuersatione, l. de institutione & officiis religiosi, parte 9 c.30 31 32.

D De festiuitate conuiuiorum. *Vide concordantia gloria.*

Cum in itinere comes jungitur, via quidem non subtrahitur, sed de societate comitis labor itineris leuatur. Peregrini Emaus dicebant, numquid cor ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via. D. Greg. 2. moral. Iucundus comes in via pro vehiculo est. Seneca.

Vide concordantia gloria. Simul frui, delectari.

Ideo vita eremitica temperatur. *Vide media differentia.*

E

GRATA REI AMATÆ
præsentia.

ETiam ex longinquo amor fouetur, & excitatur. Vide *medium voluntatis blanditia.*

De matre quæ per somnium amissum filium videbat. Vide *voluntas principij*, amor matris.

Digitized by Google

Christus discessurus ex hoc mundo, præ nimio amore, nobis seipsum reliquit in Eucharistia; iuxta illud, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos: & vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.

Sponsalia dirimuntur propter longam absentiam, & in longinqua discessum, sine partis licentia. Vide Bonac. de sponsalib.

Ad præsentiam solis verno tempore redeuntis, tota inferior natura viuificatur.

Gaudium venit ex notitia præsentiæ amati, quasi dilatatio animæ fiat, ad melius tenendum amatum, jam comprehensum. Tristitia arctat, vt expellat disconueniens vitæ; gaudium verò extendit, vt conueniens vitæ suæ teneat. Est gaudium rationale tactus quidam, seu sensus spiritus, scientis vitam suam. Cardan. Cusa. excitat. libro octauo, c. 18.

Licet sancti spiritaliter & simul & vnum semper sint in Domino, verum tamen præsentias corporales quæsierunt etiam Apostoli. Pelagius Papa ep. 2. ad Episc. Antissiodorensem. initio. Habetur tom. 1. Conc. Gall. an. 581.

Principes & amici de nouo aduentantes solebant excipi magnifica cœna quæ dicebatur aduentitia, seu exceptitia. Rod. l. 28. c. 3.

In humano corpore, retentio fit solo amore conuenientis, & sic venæ metallorum aggenerant terram sibi conuenientem & indurant, sibi applicant, vt ab illis non possit elabi. Quod transit in rubiginem, non est aptum illi metallo, vt nutritioni apta non sunt excrementa quæ corpus egerit.

Ignis à longè conspectus, lucet nobis, tamen nos non calefacit.

Cujus absentia est causa destructionis, eius præsentia est causa conseruationis, ex 2. physic. Tost. 2. Reg. p. 53. c. 4. h.

Anima humana licet sit in vita æterna, non habet tamen gaudium suum perfectum, donec reassumat corpus suum. Id. Deut. f. 18. c. 1.

DVRA SEPARATIO.

REges quidam eos qui imperio suo insidiati sunt, in diuersis jubent exulare regionibus, in alia vxor, in alia liberi, vt ne in calamitatibus quidem suis fruantur rei dilectæ præsentis solatio, sic peccatores interdum à Deo disperguntur. Hier. 13. Origen. ho. 9. & dispergam illos, patrem & filios, & fratres.

Maria plorat ad monumentum, vbi posuerunt Dominum meum. Metuebat ne amor Magistri sui, in pectore suo frigesceret, si corpus eius non inueniret, quo viso recalesceret. Origen. ho. 10. de Maria Magdal.

Abraham jussus immolare primogenitum, dicere poterat, infœcunditatis malo solutus, rursus me improlem gemo. Non vsque adeo filij orbitas ante luctuosa fuit, quam nunc experto mihi. Partu me Deus delectari docuit, vt inde lugere doceret; amorem commutat, ex amore lamenta concinnans, sed nihil horum generosus dixit, &c. S. Basil. seleuciæ, orat. 7.

Rectè seruus venditur ea lege ne exportetur extra Italiam, propter se venditoris affectum l. si seruus ea lege ff. de ser. export. & si venditor pœnâ stipulatus sit, actio ex stipulatu competit, Cuja. obser. l. 2. c. 37.

Vir non potest accipere crucem, vt in longin-A qua pugnet contra barbaros, si vxor non consenserit, & si sit in ea periculum incontinentiæ. D. Thom. quodlib. 4. a. 11.

Cum Adam ejectus esset è paradiso, illius beatissimæ ciuitatis memoriam semper agens, caducam vrbem ædificare non curauit, sed primus Caïn ciuitatem ædificauit, Tostat. de optima polit. fol. 3.

Quod præter naturam innatum est naturæ, vt calli, verucæ, per quendam consensum affectionis adhæréscit subjecto, & alieni cum nostro fit quædam præter rationem contemperatio adeout molestia afficiatur & mordeatur status separatus ab eo quod est præter naturam; sic anima sine dolore
B non separatur à peccato cui assueuit. D. Greg. Nyss. orat. catechetic. c. 8.

In auctione fratres, quamuis hostilis hasta, non diuidit, Seneca l. 9. contro. 6.

Ardentius vrit quam ignis amor, ignis enim vicina tantum, at amor & vicina & dissita vrit.

FESTIVITAS NVPTIALIS.

MAjor pars arborum & plantarum, fructum in medio floris tenet, semenque est sub floribus, Theoph. hist. plant. l. 1. c. 22. singulis seminibus, singuli flores annexi.

C Epithalamia sunt carmina nubentium, quæ decantantur à Scholasticis in honorem sponsi & sponsæ. Vocatur autem epithalamium, eo quod super thalamum decantetur. Isidor. origin. libro 1. c. 38.

Fiebat conuiuium nuptiale, vt in illo vino, & epulis, & amicorum conuictu, vestium splendore, & cæteris excitata lætitia melius congratularetur nuptis, possidentibus quæ optauerant, Tost. Math. to. 6. f. 4.

Ad objecti diu concupiti præsentiam, cor in occursum exiliens dilatatur, profundit spiritus, qui micant in oculis, rident in vultus, oris, sermonis, totius corporis gratissima compositione; ita gestiens, exultans, loquax semper est lætitia. Solis naturæ motibus prouocata non expleta, gratias
D mutuatur ab artibus in nuptiarum solemnijs, vt magnifico domus, vestis, mensæ, musicorum apparatu, fœlicem, impletis suis votis amorem cuncta personent. Communis est amicorum sponsi lætitia, maximè consanguineorum, qui hac ciuili velut naturali societate, jus, nomenque cum adrogata familia sortiuntur. Multorum igitur concurrentia gaudia, ritè non exprimit, nisi singularis fortunæ modum excedens festiuitas; solito non decurrit alueo, sed latè superfunditur fluuius aliorum intumescens appulsur. Non vnius dici negotium hoc est, sed præteritum, futurumque respicit, amantium enim votis obstiterunt plurima, pigrè venientes ætatis anni; parentum consilia, facultates potius quam personas sociare destinantium; æmulorum,
E procorum sua ventilantium & licitantium turbas diu arte, si non ferro certatum est, vt tandem fusis hostibus, merito nunc hac solemnitate triumphum agat amor; Non sic tamen vt futuri præscius imminentia non videat onera matrimonij; ad hæc ideo læta supra solitum festiuitate præparatur, vt ante nauigationem, peregrinationem, conflictum vires conuiuis præmunire mos est. Valè dicitur, nec sine voluptate præteritis adolescentiæ voluptatibus solemnis quædam est inauguratio, qua nubens fit caput familiæ, spesque fœlicis propagationis hoc ap-

Digitized by Google

patatu lætiore, ve verno tempore floribus exultans natura testatur. Vxori, proli, toti familiæ deinceps ipsi laborandum est; at amorem inuictum, nihil graue formidantem, auidum etiam periculi probat, hæc in ipso limine laborum, exultatio Singulis ex eo conjugio natis erit sua lætitia, hic omnium genialis quodammodo dies est; nascituris omnibus plaudit, congratulatur nuptialis festiuitas effuso gaudio, quod respondeat, nunquam, vt speratur defuturæ posteritati. *Ex principiis.*

De festiuitate quæ nuptias præcedit. Vide quæ scripsi mor. Christ. to. 3 p 2. c. 1.

REPVGNAT LVCTVS IN funeribus.

AQuæ dulces per cinerem colatæ, faciunt amarum saporem, ipso cinere per quem colatæ sunt, amaro existente.

Ita justum videtur flere super mortuo, vt quasi propriæ non sufficiant lachrymæ, habentur mulieres & viri prætio conducti qui lugent, & id adhuc in Syria à Christianis seruatur.

In Perside si nobilis moriatur, amici funus comitantur cum maximo fletu, serui, ad pectus nudi, brachio dextro læso, sic vt è vulnere sanguis effluat. Dauity in Persia.

Sinenses mortuo per plures dies mensam apponunt dapibus opiparis refertam, velut viuenti; filij patrem & matrem lugent per tres annos, quia per idem tempus infantiam curauerant.

Elizæus videns raptum Eliam præ dolore scidit vestimenta sua, & eum amarè fleuit, 4. Regum 2.

D. Gregor. Nyssen. in oratione funebri Placillæ. Vidi, inquit, duplicem imbrem, vnum quidem ex aëre, alterum ex oculis lachrymantium ad terram defluentem, dum enim efferretur Imperatricis corpus, ex tot millibus nullus erat qui lachrymarum guttis terram non irrigaret; dum interim cœlum nubibus obsitum & velatum dolorem testaretur, pallio lugubri & caligine se induens, pluuiarumque guttis illachrymans.

Idem orat. in funere Miletij Episcopi Antiochiæ. Illi, inquit, melius erat per resolutionem esse cum Christo; at nobis acerbum & molestum paterno præsidio patrocinioque carere: Ecce tempus consilij, & tempus tacens non dat, laborat infirmitatibus commune corpus Ecclesiæ, & medicum non inuenimus, &c.

Missæ mortuorum celebrantur absque gloria & alleluia, seu pacis osculo quod est indicium lætitiæ, ad imitationem officiorum, quæ aguntur in morte Domini. Sic in sacrificio quod erat pro peccato, nec oleum lætitiæ, nec thus suauitatis imponebatur, vt notat Origen. in Leuit. Alcuin. de diuinis officijs, c. 10.

Olim hæc erat lex. Parentes, & filij majores sex annis, anno lugeri possunt, minores mense, maritus decem mensibus, & cognati proximiores gradus octo, qui contra fecerit, infamium numero habeatur, Cujac. obseru. l 11 c 12.

Iob luget filiorum mortem scissis vestibus. Iob. 1 Abraham mortuam Saram, Gen 23. Iacob Ioseph filium quem putat deuoratum à bestia, Gen. 37. Ioseph patrem mortuum. Gen. 50. Iosiam regem vniuersus populus, 2. Paralipomen. 35. Fili in mortuum produc lachrymas. Ecclesiast. 38. 16. Christus

A fleuit Lazarum mortuum. Ioann. 11.

Scimus Nepotianum esse cum Christo, sed desiderium eius ferre, non possumus, non illius, sed nostram vicem dolentes. Quanto ille fœlicior, tanto amplius in dolore, quod tali caremus bono; flebant & sorores Lazarum, quem resurrecturum nouerant; ipse Saluator plorauit, quem resuscitaturus erat; Apostolus gratias agit, quod Epaphras de mortis sibi vicinia redditus sit, ne haberet tristitiam super tristitiam, non incredulitatis metu, sed desiderio charitatis, D Hieron. in epitaphio Nepotiani.

Idem ad Eustochium in epitaphio Paulæ matris. Cum hæc, inquit, in ciborum contemptu
B maximam haberet pertinaciam, in luctu mitis erat, & suorum mortibus frangebatur, maxime liberorum, nam in viri & filiarum dormitione semper periclitata est. Credulam mentem parentis viscera consternabant, animoque vincens, fragilitate corporis vincebatur.

Sol in morte Christi obscuratur, & creaturas omnes atro induit colore, vt luctum agant.

Mosem, Samuëlem, & cæteros illustres mortuos planxit populus Israël; nunc morientibus sanctis exultamus; tristium namque post mortem Domini immutata est natura, vnde non amplius Sanctorum obitus lamentationibus prosequimur, sed choreas circum eorum sepulchra ducimus. Iustis enim mors
C est somnus, & ad meliorem vitam, transitus. D. Basil. ho. de Balaam martyr.

HONOR ET COMMODVM ex societate.

VIde *concordantia virtutis*, de profectu qui habetur ex societate bonorum virorum, *& concordantia maioritatis*, de societate cum potentioribus, *& gloria concordantiæ.*

In arboribus veteres rami, viuunt opera nouorum, qui singulis annis adnascuntur. *Vide medium durationis.*

Humidum menstrui non est formidabile, nisi
D misceatur humido seminali in animalibus, cui est humidum pluuiale in plantis proportionabile. Ita etiam humidum nutrimentale, non efficitur formabile & terminabile, nisi per assimilationem ad humidum radicale, & penetrationem in ipsum. Albertus Magnus tract. 2. de morte & vita, cap. vlt.

Cæsar animos reddidit perturbato in tempestate Nauclero: his verbis. Macte animo, Cæsarem, & simul fortunam eius vehis. Plutarch. l. de fortuna Romanorum.

Metalla fiunt magis sonora, si illis permisceatur argentum.

Lumen à remotioribus cernitur regionibus, su-
E per aquas repositum, quam in terra, quia major est refractio radiorum super aquas. Virtus magis splendet in societate.

Qui admittuntur ad latus principis, ab eo illustrantur, l. vn. cod. de præpositis laborum, his verbis, quos nostri lateris comitatus illustrat. *Vide concordantia maioritatis.*

Numa accepto è cœlo scuto, quo fœlicitas imperij promittebatur duodecim similia fecit fabricari, ne facilè posset surripi, & hæc pari honore colebantur.

Homo est dignior Angelis, propter assum-

ptam à verbo diuino humanitatem.

Signum in quo est sol, viuificatur ab eo, & habet majoritatem super alia signa, dat enim ei fortitudinem & calorem. Haly. 1. parte, cap. 4. de sole.

Vxor maritalibus radijs resplendet, l. fœminæ ff. de Senat. & Augusta habet eadem priuilegia ac Imperator. l. princeps ff. de legib. tamen vt fœmina. Vide limitationes apud Chassencum in catalogo gloriæ mundi, parte 5. consid. 39.

Bona ad nobiles quocumque modo deuenientia, censentur nobilia, & sunt exempta à talijs & subsidijs. Vide eundem parte octaua considerat. 48.

Consiliarius Parlamenti præcedit Præsidentem computorum, licet per se sit minoris dignitatis; quando congregantur curiæ, & tota curia Parlamenti debet præcedere. Similiter canonici Ecclesiæ Cathedralis, præcedunt Abbates, Ib. parte 7. consider. 13.

Quædam orationis clausulæ sunt claudæ atque pendentes, si relinquantur, sed sequentibus suscipi ac sustineri solent, eoque facto, vitium quod erat in fine, continuatio emendat. Quint. Inst. orator. l. 9. cap. 3.

Iacob, dicit ad Laban socerum suum. Benedixit te Dominus ob pedem meum. Id est, aduentum. Gen. 30.

Sanctorum satisfactiones superabundantes reponuntur in thesauris Ecclesiæ & à Prælatis distribuuntur fidelibus per indulgétias. Bonacina de indulgentijs. Sic Abbas Religiosorum potest alios efficere participes satisfactionum & orationum quæ fiunt in sua Religione. Ib.

Indulgentiæ pertinent ad articulum communionis Sanctorum, ideo pertinent ad baptisatos fideles qui sunt membra Ecclesiæ, earum autem non sunt capaces, hæretici & apostatæ. Prosunt autem Cathecumenis, & mortuis fidelib. per modum suffragij.

Opera facta in peccato mortali habent meritum, si conjungantur cum operibus factis in gratia. *Vide virtus finis*, perfectio in fine.

Si Parrocho non sufficiat oleum consecratum ad Extremam vnctionem, potest illi admiscere non consecratum, dummodo sit in minori quantitate, itaut censeatur in consecratum conuerti. Bonac. de extrema vnctione, p. 3.

Plutarchus in vita Alexandri refert, quod homines confortabantur in eius approximatione, quoniam carnes eius benè redolebant, & amplexus adolescentium boni halitus, est medicina temperata secundum medicos.

Martha dicit Christo, Domine, si fuisses hic, fratet meus non esset mortuus.

Episcopatus, fiunt Patriarchatus in vrbibus Imperialibus. *Vide principium maioritatis*.

Priuilegium alicui concessum, vt tempore interdicti, possit diuina audire, extenditur ad familiares & domesticos, cap. licet de priuileg. in 6. Bonac. de priuileg. p. 7. in fine.

Cum adoramus Christum adoratione latriæ, per se primo adoramus personam diuinam, concomitanter humanam naturam personæ diuinæ vnitam, sicut dum colitur sanctus homo propter sanctitatem animæ inhærentem, coadoratur simul ipsius corpus eadem adoratione. Idem in 1. præceptum decalogi.

Instrumenta passionis Christi, vt crux, adorantur adoratione latriæ ratione contactus, sed hæc adoratio est respectiua. Ib.

A

B

C

D

E

Aqua non consecrata mista aquæ benedictæ, fit benedicta, cap. quod in dubijs de consecrat.

Deus cum in seipso sit vita, nobis vita efficitur, cum ei assimilamur. *Vide concordantia principij*.

Gen. 30 Laban dicit Iacob, experimento didici, quod benedixit mihi Deus propter te.

Christo moriente monumenta aperta sunt, quia corporibus mortuorum hoc expediebat, vt conjungeretur cum eis in sepulchris, corpus hujus mortui quod afferebat resurrectionem mortuorum, & idcirco ad suscipiendum illud certatim & audè sese dilatauerunt, sicut anima ad inferos descendens, existentes illic animas liberauit. Rupert. in Deut. l. 1. c. 6.

Si quis clericorum pauper promotus in ordine, postea habuerit aliquid, Ecclesiæ potestati subijciat. Conc. Carthag 32 Aquisgran. 89. & in Conc. Paris. c 16. an 829.

Frumenta collecta & in massam composita multum proficiunt, & turgent mutuo excepto vapore; etiam terræ & aëris. Nam semina ipsa per se sine vllis radicibus nutrimenti aliquid possunt attrahere. Theophrast. de causis plantar. libro 4. c. 15.

Puluis pumicis descendit in aqua, licet lapis ipse integer & infractus supernatet. Albertus Magnus, de mineral. libro primo, capite 2. Sic Syrus lapis integer natat & comminutus mergitur, quia in poris integer aërem continet. Idem de lapid. littera S.

Omnes Apicius Romanus conuiuio excipiebat, opes suas in amicos & ignotos effundens. Licebat enim conuiuis, etiam alios tanquam vmbras adducere. Suidas in verbo Apicius.

Nisi ramus oleastri insertus fuerit oliuæ probatum fructum non afferet. Rom. 11.

Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem, non solum animas eorum educens, sed etiam corpora resuscitans, vt testatur Euangelium. Origen. ho 3. in cant. in f.

Materia nunc fit crassior, nunc subtilior, prout cælo propior, vel remotior. Id. Periarchon lib. 2. c. 2.

Vt ferri massa quamdiu est in ignis fornace, ab igne penetrata, ignis est, visu, tactu, nec enim nigrescere aut frigere potest, sic anima Christi vnita verbo erat impeccabilis & diuina; vas continens vnguentum, non habet odorem sibi proprium, sed odorem vnguenti. Ib. c 6.

Aliquando lentor supernatat liquori, vt planta aquæ, quoniam admixtam habet fumositatis, plusquam lentoris, qua extracta submergitur etiam palea, & omne lignum, pumex etiam natat, sed in puluerem acta expresso aëre submergitur: volat in aëre fumus, sed expressa tenuitate, cadit sub aërem.

Deus dignatus est loqui cum Caïn, propter Abel, cum diabolo propter Iob; cum Pharaone propter Ioseph, cum Nabuchodonozor propter Danielem, cum Baltazar propter eundem, prophetauit Caïphas propter dignitatem sacerdotij D. Chrysost. ho 3. in ep. ad Col.

De latere Christi exiuit sanguis & aqua; aqua quæ corporales tantum lauare poterat sordes, sanguini sociata est, & ex eius societate virtutem atque auctoritatem sumpsit, vt in baptismo ad abluendas inuisibiles peccatorum sordes digna sit sancto cooperari spiritui. Hinc hæc aqua comparatur rubro mari, per quod saluatus populus transiuit, Pha-

Digitized by Google

Pharaone submerso. Ruper. de diuin. officij, lib. 6. c. 16.

A

In calice dominico aqua sine vino deesse non debet, ne populus, qui per aquam juxta Apocalypsim significatur, à Christo separatus esse videatur. D. Cypr.

Nemo sibi potest mereri primam gratiam, potest autem mereri alijs ex congruo, vt asserit D. Aug. l. 1. de prædest. sanct. c. 8. & D. Tho. in 2. sent. dist. 27. a. 6.

In resurrectione anima rationalis ex perfecta vnione ad Deum, omnino super materiam victoriam habebit, & sic licet materia sibi relicta corruptibilis sit, tamen ex virtute animæ incorruptionem sortiretur. Idem in quæst. disput. quæst 5. a 10. ad 3.

Per iustitiam originalem conseruabatur debita habitudo corporis sub anima, quamuis ipsa in anima esset, & ideo conuenienter ad peccatum originale quo priuatur originalis iustitia, sequuntur defectus corporales Ib. de pœna peccati orig. q. 5. a. 4. ad 7.

Formæ proportionatur materia secundum naturam, sed anima intellectiua quæ est forma humani corporis est incorruptibilis, ergo & corpus humanum est naturaliter incorruptibile, sic mors & corruptio sunt contra naturam humani corporis. Ib a. 5. o

Laïci possunt indui veste alba linea, quando ob defectum accedunt ad cantandum cum ministris Ecclesiæ. Tost. 1. Par. f. 174.

Obededon benedictiones multiplices accepit propter arcam apud eum manentem, secundo Regum 3.

Oppidum dicitur, quasi opem dans; nam homines congregati se iuuant. *Vide potestas concordantiæ*, & l. pupillum ff de verbo. significatione,

Quia mens est imago Dei eius consortio & radijs illustrata vis imaginationis sensitiua, creat in fœtu cerasum extra lignum, nec cito corruptibile, sed quotannis colorem assumens, nec sensim per ætatem accrescens vt in arbore, est igitur creatio quædam transmutatiua vnius in aliud ac penè instantanea Vim hanc imaginatio non habet in brutis, quia nec eorum mens est imago Dei. Van helm. tract. de nexu sensitiuæ & mentis. De vi imaginationis, *vide potestas cognitionis.*

In rerum commercio dantur superflua pro necessariis, vide quæ scripsi de iure naturali, libro 2 lege 8. §. 2.

Omnia enim quærunt bonum suum. *Vide voluntas bonitatis.*

Dens lateraliter nutritur ex adjacentibus partibus sumens alimentum.

Benè simul conuersantur vitis & vlmus, nobilitas & diuitiæ, gloriosus & adulator, claudus & cœcus, doctus & sciendi cupidus.

REPVGNANT onera societatis.

PEr paucos mala ærumnæque ad vniuersum populum sæpè perueniunt; & ob vnius noxam tota quandoque gens euertitur. Achar sacrilegium admisit, ac totus afflictus est exercitus. Zambri cum Scorto Madianitide concubuit, & Israël pœnas dedit. D. Basilius, homilia de siccitate & fame.

Vide minoritas concordantiæ, solitudo bona.

B

Elementa alterantur à circumstantibus Ideo perfectio est in medio, *vide bonitas medij*, bonum in medio, *& potestas concordantiæ*, de contagiosa cum malis societate.

Anima in quantum corpori vnita subijcitur corporibus cælestibus, *vide maioritas cognitionis*, pro Astrologis.

Matrimonium contractum cum errore conditionis, est inualidum, quando conditio errantis fit deterior, vt quando liber contrahit cum serua, quam credebat liberam. Hoc introductum ab Ecclesia ne fieret injuria alteri contrahenti. Bonacin. de matrimon. quæstione 3. p. 3. prop. secunda.

C

Ignis adhærens ligno in tecto, cadit cum eo ad centrum terræ, & non fertur sursum secundum naturam suam.

Si cadauer hominis occisi inuentum sit, qui magis habitatione vicini sunt, debent facere expiationem. Deut. 21.

Anima impeditur à suo corpore in quantum habet aliquid ipsi repugnans.

Formæ coarctantur, limitantur, & finiuntur per materiam, & secundum quod sunt magis immateriales, secundum hoc magis accedunt ad quandam infinitatem.

Hedera necat arbores quas amplexatur, earum sugens alimentum. Theoph. hist. plant. lib. 3. capite 18.

D

Contraria vnita sibi mutuo nocent, *vide æqualitas contrarietatis, & principium minoritatis.* Etiam similia composita sibi nocent, *vide contrarietas æqualitatis*, vnde securitas est in secessu, *vide gloria virtutis*, solitaria virtus, *& virtus different.* Ita melius est seipso agere, quam mutuatis aliorum viribus, *vide medium potest Repug. & minoritas medij*, non vti medio.

Grana multa composita simul citius putrescunt quam rara, & ideo sæpè oportet reuertere frumenta ne putrescant. Similiter est de palea & de gramine quando in multitudine componuntur, quoniam hæc non sunt continua, & cum parua sint, in compositione ipsorum generatur calor, qui educit naturale, trahit humidum & facit corruptionem. Alb. Mag. meteo. l. 4. tr. 1. c. 9. Secus est de magnis

E

corporibus homogenijs continuis. Vide ex eodem, *potestas concordant.* Vis vnionis.

Innocentes cum malis simul puniti, *vide æqualitas contrarietatis*, æqualis pœna.

Omnis societas est velut corpus, quod per se graue est, à perito aliquo velut anima debet moueri. Cardan.

ONERA MATRIMONII.

Conjugio mancipatum, curarum agmen excipit: in orbitate desiderium prolis, in liberorum acquisitione, pro educatione sollicitudo, vxoris custodia, domestica procuratio, seruilium officiorum constitutio, damna ciuilibus in contractibus accepta, digladiationes cum vicinis, &c. vnaquæque dies, suam adfert animo caliginem. D. Basil. ep. 1 ad S. Greg. Theologum.

In Sacramento matrimonij non fit vnctio, vt in baptismo, confirmatione, ordine, extrema vnctione.

Abydeni populi, cum hospitem aut ciuem, conuiuio exceperint, post vnguentum & coronas, pueros osculandos circumferunt, quorum clamores, & nutricum strepitus conuiuas turbant. Suidas in verbo Abydinum.

Stulta maritali jam porrigit ora capistro. Iuuenalis. Sicut in ligno vermis, ita perdit virum suum vxor malefica.

Conjuges appellati propter jugum quod imponitur matrimonio conjungendis. Iugo enim nubentes subijci solent propter futuram concordiam ne separentur. Isidorus, origin. libro 11. capite 8.

Mulier comedit de fructu prohibito, & dedit viro suo, Gen. 3. quid agis mulier; iussa es virum fouere, & ad insidias peruenisti; formata es ad vitæ societatem, & mortis conciliatrix inuenta es, vt membrum sumpta es, & vt sagitta missa es. S. Basil. seleus. orat. 3.

Nullæ sunt curæ grauiores, quam eæ quæ à conjugio profectæ gregatim innumerabiles penè aduolant. D. Basil. 1. const. monach. Ideo de conjugatis dicit Apostolus, 1. Cor. 7. Tribulationem carnis habebunt hujusmodi, propterea cœlibatum seruant multi, ex præcepto sacerdotes, ex voto monachi; quia militans Deo, implicare se non debet negotijs sæcularibus, 2. Tim. 2. *Vide minoritas gloria*, cœlibatus.

De latere Adæ dormientis educta & formata est Eua, ne homo videret operantem Deum. Tostat. Gen. fol. 139. Amor raptus est, quo fit vt intellectu feriato, non intelligantur futura onera matrimonij.

D. Greg. Nyss. orat. de virgin. c. 3. Hæc refert onera matrimonij, quod licet in eo fœliciter omnia succedant, ex amore nascitur metus & dolor, quia charissimas personas mors aliquando, incertum qua die dissociabit, florem pulchritudinis cito periturum; mors prægnantis propter incertum partus exitum timetur; adde quod cubiculum à domesticis aliquando velut ab hostibus diripitur, cubiculique loco funeris exequiæ exornantur; tunc lamentationes, diræ detestationes eorum qui nuptias suaserunt, non impediciunt, &c. Sed fœlix sit partus, parentis imago, quot metus ne quid ei aduersi accidat; multiplicantur autem in liberorum multitudine; morbos, paupertatem, cæterosque vitæ casus longè difficilius fert, qui intelligit non ad se tantum, sed ad vxorem & liberos pertinere, quorum sensu, grauius quam suo, laborat: Luget hic carens liberis, hic quod plures habeat, nec suppetant ad eos promouendos facultates, denique tam viui quam mortui liberi varijs parentes cruciant doloribus.

A Spectandum hujus vitæ theatro tragœdias quas excitant nuptiæ, omissis quæ à Poëtis referuntur, virorum ac matrum trucidationes, liberorum cædes, comestiones. Veni ad leges & iudicia, inuenies res de nuptijs nefarias, vnde patebit earum sortem esse miseram, vt ex enumeratione morborum à medicis facta, lugendam intelligimus vitam nostram, auaritia, ambitio, ira, odium, & cæteræ animi ægritudines à nuptijs solent proficisci, & velut iustis, illis se concedit ratio.

Vt gladij capulus politus ille quidem, tactu facilis, & ornatu vndique cinctus apparet, reliquum verò ferrum mortis est instrumentum: hoc in genere nuptiæ sunt in speciem ornatæ, & voluptatem præ se ferentes, cæterum luctus & miseriarum effectrices. Ib. c. 13.

B Quædam sunt matrimonij onera necessaria & omnibus communia. Vt inire perpetuam nec dissolubilem vitæ societatem. *Vide duratio concordantia*, vnionem hanc initio esse voluntatis, ex post facto necessitatis, *vide concordantia voluntatis*, mutuus in nuptijs consensus; vniri infirmo sexui, cui compatiendum, *vide concordantia minoritatis*, non imperandum, *vide æqualitas voluntatis*, mutuus amor conjugum: Liberorum educatio, *vide duratio principij*, amor erga liberos nimius & torquens, *vide maioritas voluntatis*, pati vnius ex conjunctis mortem & viduitatem, *vide finis concordantiæ*. Sunt alia quædam onera singularia, & priuatam inferentia calamitatem; vt zelotypiæ suspiciones & furores,

C *vide contrarietas volunt.* zelotypiæ adulteria familiam infamantia, *vide minor. glor.* abstinendum ab adulterio, diuortium, *vide finis concord* ferre degeneres liberos, *vide concordantia princ. Rep.* degeneres, videre morientes, *vide duratio virtutis*, fortitudo in morte liberorum, tandem pro prole æternis curis torqueri, siue pauperes relinquat miseriæ expositos; siue diuites, in hostium prædam, &c.

De oneribus matrimonij patienter tolerandis, vide quæ scripsi, libello de necessitate, c. 5. & moral. Christ. to 4. parte 2. c. 12. & to 3. parte 2. c. 1.

Senatus censuit vt Proconsul quem vxor sequeretur, de delicto vxoris teneretur. l. 4. ff. de offic. proconsul.

D Dotis causa non est lucratiua, sed onerosa, cum, vt ait comicus, mactet malo & damno viros, vnde multi sine dote duxerunt vxores. Cujac. obseru. lib. 25. c. 15.

D. Hier. ep. ad Eustochium virginem. Non sum nunc enumeraturus molestias nuptiarum, quomodo vterus intumescat, infans vagiat, cruciet pellex, domus cura sollicitet, & omnia quæ putantur bona, mors extrema præcidat.

Vxorem pauperem alere difficile est; diuitem ferre, tormentum. Adde quod nulla est vxoris electio, sed qualiscumque obuenerit, habenda, si iracunda, si fatua, si fœtida, quodcumque vitij est post nuptias discimus, cætera prius probantur & emuntur, sola vxor non ostenditur, ne ante displiceat, quam ducatur, attendenda semper eius facies, ne si alteram respexeris, se existimet displicere, quoscumque amauerit, & te amare vult. Si totam domum ei regendam

E commiseris, seruiendum est; si aliquid tuo arbitrio reseruaueris, fidem sibi haberi non putabit, sed in odium vertetur ac jurgia, & nisi cito consulueris, parabit venena. Anus, aruspices, hariolos, institores gemmarum, sericarumque vestium si intromiseris periculum pudicitiæ est, si prohibueris suspicionis injuria. Verum quid prodest etiam diligens custodia, cum vxor seruari impudica non possit, pudica non debeat. Insida enim

custos est castitatis necessitas, & illa verè pudica dicenda est, cui licuit peccare si voluit. Pulchra cito adamatur, fœda facilè concupiscit. Difficilè custoditur, quod plures amant. Molestum est possidere quod nemo habere dignetur, minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa seruatur. Nihil tutum est in quod totius populi vota suspirant. Alius forma, alius ingenio, alius facetijs, alius liberalitate sollicitat. Aliquo modo, vel aliquando expugnatur, quod vndique incessitur. Fidelis seruus melius dispensabit quam vxor, quæ in eo se existimat dominam, si aduersum viri faciat voluntatem, id est quod placet, non quod jubetur. Assidere autem ægrotanti magis possunt amici, & vernulæ beneficijs obligati, quam illa quæ nobis imputat lachrymas suas, hæreditatis spe vendit illuuiem, & sollicitudinem jactans, languentis animum desperatione conturbat, quod si ipsa languerit coægrotandum est, & nunquam ab eius lectulo recedendum, &c ex Theoph. D. Hier. l. 1. aduers. Iouin.

Calceus nouus videtur elegans, sed is solus qui gerit scit vbi premat. Ib.

PUBLICA PRIVATIS præferenda.

IVstitia legalis est virtus qua intenditur bonum commune primo & per se, & talis dirigit actus habituum particularium ad bonum commune. Tost. Deut. f. 129.

Aliquando principes & rectores politiarum occidunt eos qui nondum peccauerunt, & rectè agunt, ne in futurum mala committant, vel ne magnum scandalum nascatur, quia bonum publicum præferendum bono priuato. Idem Deuteron. fol. 213. Id verum non videtur. *Vide cognitio minoritatis*, nimius futuri mali metus, quod pro rei incertæ timore, non sit committenda certa cædes.

Indignum facinus, priuatum malum publico resarcire.

Cardan. in præfatione centum geniturarum, dicit difficile esse iudicium in natiuitatibus principum, quia principes ex regnorum significatoribus maximam suæ fortunæ vicissitudinem habent.

Publica priuatis sunt præferenda. Vide quæ scripsi, de iure natur l. 1. lege 12.

Bono publico non potest derogari. Ib §. 3.

Quæ bono publico nocent, expelluntur, aut destruuntur, ib. §. 5.

In mundo singula vim vltro patiuntur pro bono vniuersi. Theologia naturalis, tom. 1. parte 1. capite 18.

Deus præcipue prouidet rebus publicis. Ib. to. 3. parte 2. c. 12 bonum publicum priuato præferendum, mor. Christ. to. 3. parte 2. c. 13. l. de agente Dei in humanis, parte 2. c. 16.

Oratio Dominica petit in communi da nobis. D. Chrysost. in Math. cap. 6. & hom. 26. in eundem Altari, inquit, assistens sacerdos, pro vniuerso orbe terrarum, pro absentibus atque præsentibus, pro his qui ante nos fuerunt, pro his qui postea futuri sunt per Eucharistiam jubet nos gratias offerre; pares nos facit Angelis qui pro collatis nobis bonis canebant, Gloria in excellis Deo, ita docemur conseruos vt nos ipsos diligere; sic per charitatem extinguitur inuidia, neque enim potes inuidere, de quorum bonis gratias Deo deferendo lætaris.

A Vide *æqualitas voluntatis*, æqualis ad omnes charitas, *& concordantia gloriæ*, congaudere.

Aristoteles dicit intelligentiam mouere cælum suum propter finem ipsa nobiliorem, scilicet propter bonum vniuersi, cujus ipsa intelligentia est pars. Leo Hebr. dial. 2 de amore.

Cajus Imperator luctus viduarum cohibuit publicæ lætitiæ causa, itaut possent secundo nubere ante annum luctus, nisi essent prægnantes. Cujac. obseru. l. 6. c. 32.

B Legatus Prouincialis Romam missus, ibi quandiu legatione fungitur, suos actiones mancipare & instituere non potest. Ib. l. 22. c. 22 ex. l. 8. §. vlt. l. 9. 10. 15 de leg.

Absentia Reip. causa quæ longa futura est, est iusta causa dissoluendæ societatis, etiam intempestiuè. l. 16. ff. pro soc.

Priuata domus cui paterfamilias præest, dici debet communitas imperfecta, quia finis est non commune bonum, sed singulare patrisfamilias. Suarez de legib. l. 1. c. 6. Nam de ratione legis est propter commune bonum ferri. Idem c. 7. est enim directiua communitatis. Priuilegia debent referri in bonum commune. *Vide maioritas potestatis.* Priuilegia.

C Talis est conditio rerum humanarum, vt non seruent vniformitatem in omnibus, ideo plerumque accidit, vt quod communitati expedit, vni vel alteri nocumentum afferat; tunc autem præfertur bonum publicum priuato; malum personæ permittitur, vt in præscriptione, propter pacem, & finiendas lites; aliquando intenditur, vt in legibus punitiuis, quæ sunt ad commune bonum necessariæ. Suarez de loco.

Cicero l. 1. officior. dicit, quod duo erant præcepta Platonis volentibus Reipublicæ prodesse, primum vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quæcumque agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum. Secundum præceptum fuit, vt totum corpus Reipublicæ curent principaliter, ne dum aliquam partem tuentur, reliquas deserant.

D In ciuitate ædificare tenentur Domini fundorum, aut ædificare volentibus locare. Pius 4. const. 101. §. 13.

Causæ ciuiles interesse fisci Cameræ Apostolicæ concernentes, in eadem camera sunt cognoscendæ in omnibus instantijs. Paulus 3. const. 9. Bull. p. 529. to. 1.

Omnes corporis partes sibi mutuo auxiliantur & agunt pro communi sui corporis bono. Vide quæ scripsi, lib. de operib misericordiæ, parte 1. cap. 8. Præclarum est pro bono publico, bona vitamque exponere. Ib. parte 2. c. 2.

E Dicit Apostolus, Roman. 8. Optarem ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c. Id est, vellem ego non solum temporalibus, verum etiam perpetuis addici pœnis, dummodo omnes si fieri posset homines Christi consortio fruerentur; certus enim sum, vtiliorem Christo & mihi omnium salutem esse, quam meam. Cassian. collat. 23. c. 6.

Inter animalia quæ in vnum conferunt operationes suas, sunt homo, apis, vespa, formica. Quæ in vnum conferunt operas & cibos, communi consulentia vtilitati: ita grues partiuntur ducatum volatus, & vigilias. Albertus Magnus, libro primo, de animalibus, capite tertio. Id agunt formicæ

Digitized by Google

ſine rege, ſolo naturæ impulſu.

Vidit Deus quæ fecerat, & erant valdè bona, ſuper quo dicit D. Auguſtinus, bona ſunt quæ condidit Deus etiam ſingula: ſimul verò valdè bona, quia ex eis conſiſtit admirabilis pulchritudo vniuerſitatis.

Quintil. Inſt. orator. l. 6. in Proëmio, hac ſe ratione conſolatur ſuper morte duorum quos habebat, filiorum; quod omnis laboris ſui cura non ad priuatam, ſed ad publicam vtilitatem ſpectet.

D. Aug. l. 5. de ciuitate Dei dicit Romanos pauperes fuiſſe in rebus priuatis, vt vtilitati publicę conſulerent.

Carondas eum ciuem voluit eſſe infamem, qui ædificium ſuum priuatum feciſſet publico ædificio prætioſius.

Aqua fluit in centrum mundi, non in centrum ſuæ magnitudinis ad quod vt perueniat, à ſe mutuo diuiditur, cum dantur hinc inde loca inferiora per quæ defluat.

Sub tyrannis, ſibi ſcilicet, non bono publico laborantibus, hoc eſt peſſimum, quod quilibet attendit ad bonum commune, quaſi ad id quod eſt alterius; quia eſt ſub vnius poteſtate, qui conceſſis abutitur.

Non ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.

Si publica grauis ſit neceſſitas, licet non extrema, teneor illi ſuccurrere, etiam cum famæ & vitæ periculo, quia bonum ſpirituale communitatis, præponderat bono priuato. Bonacina, de charitate proximi. Tenemur magis diligere perſonas, bono communitatis magis vtiles. Ibidem, etiamſi non ſint bona ſuperflua vitæ & ſtatui, tenemur tamen in neceſſitate publica, & publicis perſonis ſubuenire, quia publica priuatis ſunt præferenda; eadem ratione inimico Reipublicæ, extremam neceſſitatem patienti, non tenemur adeſſe. *Vide minoritas bonitatis*, defectus communicationis bonus.

Concionator vel publicus doctor, tenetur veritatem fateri, quamuis nonnullorum ruina inde timeatur, nam agit propter bonum publicum à quo non debet deterreri propter detrimentum priuatum. Id.

In cauſis, in quibus agitur de iure regis, partes non poſſunt paciſci, niſi interueniente procuratore regio, Suarez de legib. l. 8. c. 6. Abuſus perpetuo & continuo grauat, ideoque ab eo in perpetuum appellatur. Bald. in libro 2. c. de Epiſcop. aud. ſic in cauſis criminalibus deſertio non admittitur, quia verſatur intereſſe publicum. *Vide voluntas minoritas* mala.

Licet Sinenſes ducant funus parentum ſumma pietate, eximuntur tamen officiarij militiæ, quia non poſſunt deſerere publicum munus.

Omne totum, majus eſt ſua parte.

Quicumque clericorum, à maximo vſque ad infra contra ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem, agere, tractare, vel conari fuerit repertus, merito dejciatur, qui fidem minimè ſeruare dignoſcitur. Conc. Narbonenſe, c. 7. a. 589.

Quodcumque agens facit quod melius eſt in toto, ſed non quod melius eſt in vnaquaque parte, niſi in ordine ad totum. Tolleretur enim bonitas animalis, ſi quælibet pars eius, haberet oculi dignitatem.

Optimum in rebus exiſtens, eſt bonum ordinis vniuerſi, ideo omnia ſunt optima propter ordinē vniuerſi, ſemper enim totum eſt melius partibus.

A Quanto aliquid eſt communius, tanto eſt prius in via generationis, ſicut prius eſt animal, quam homo in generatione hominis.

Naturalis appetitus cujuſlibet partis ordinatur in bonum commune totius; ſicut imperfectum ad perfectum. Partes ſunt quaſi materia totius; & quia pars nobilior magis refert totum, ignobiliores ſunt propter illam, vt ſenſus propter intellectum, pulmo propter cor.

Singularia patiuntur defectus propter bonum vniuerſi. *Vide gloria minoritatis, & duratio voluntatis.* Fatum.

Intentio naturæ conſiſtit in ſpeciebus, nec producit particularia, niſi vt in eis ſpecies ſaluentur,
B quia forma eſt finis generationis, materia verò eſt propter formam.

Reges concedunt jus fodiendi metallorum & lapidum venas, vnicuique etiam in fundo alieno, dum tamen dominus fundi fiat indemnis. Idque fit etiam inuito domino propter vtilitatem publicam. Bonac. de reſtitutio.

Partes originaliter ſunt priores toto, quaſi conſtituentes ipſum; totum autem completiuè eſt prius partibus, quia ratio naturæ completæ, inuenitur prius in ipſo toto; & ad partes eius mediante toto peruenit, in quantum eius partes ſunt.

In prima plantarum generatione, prouenit quidem radix prius, quam germina, ſed non adeo vt ſpatium quoddam temporis amplum præcedat, ſed
C ita vt breue admodum intelligi poſſit, quemadmodum in animalium genere cor; natura enim nullam penitus rem particulatim, vt ars, facere ſolet, ſed omnia vniuerſa ſimulque procreat, quanquam alia prius, quam alia conficit. Theoph. de cauſis plant. l. 1. c. 13.

Licet ſibi amputare membrum pro ſanitate totius corporis, vt ſi læſum ſit à cancro vel vipera; vel vt quis ſe liberet à catena, qua colligatur igni aut beſtijs tradendus. Excipe ſi ſint ingentes dolores, quorum prætio nullus tenetur vitam redimere, niſi ſit Reip. maximè neceſſarius; tunc enim debet præferre bonum publicum priuato. Bonac. de reſtit. q. vlt.

Licet Reipublicæ ad ſe liberandam tradere innocentem tyranno, qui eum petet ad necandum, &
D non vult deſiſtere ab obſidione, niſi ei tradatur. Similiter licet virginem quam petit ſtuprandam excludere ciuitate, & non tueri; quia non tenetur eam deffendere cum tanto ſuo damno. Ibid. puncto 7.

In bello iuſto licet ſubuertere turrim, in qua multi innocentes opprimuntur, quando hoc eſt neceſſarium ad victoriam.

Partem eorum quæ è fodinis eruebantur, accipiebat Reſpublica, & vnicuique qui mercenario pars quædam tribuebatur. Suidas in voce ἀγοραῖος.

Erat feſtum Athenienſibus in honorem Iouis vrbani, ſeu vrbis cuſtodis. Id. in voce Διιπολεῖα.

E Sacrilegii loco cenſetur qui ſtruendæ cauſa domus, ciuitatis mœnia ſit demolitus. Rodigin. lib. 12. c. 12.

Refert Diodor. Sicul. apud Ægyptios hanc fuiſſe legem, vt eorum corpora qui ciuitatibus bellico vſu addicti forent è creditorum violentia libera eſſent, in bona tantum illi jus haberent. Idem capite 20.

Multi filios & filias pro patria deuouerunt, vt Leos Athenienſis filiam. Republica fame laborante. Id. l. 13. c. 7.

Mulier cui competit regni ſucceſſio præcedit

maritum in rebus publicis, ne regnum hæreditarium deferatur ad extraneos.

Filiæ Loth dicunt, pater noster senex est, & nemo est super terram qui intret ad nos, sicut conuenit omni terræ, ideo potemus patrem nostrum vino, & suscitemus ex ipso semen. Has excusat, quasi prolis tantum amore concepissent, nec copulam iterassent. Orig. hom 5 in Gen.

Cant. 1. dicit sponsa. Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui, aliorum vineas custodiens, propriam non custodiui. Ita Paulus 1. Cor. 9. damna vult sustinere, vt omnes lucrifaciat. Id. hom. 1 super cant.

D. Thom. in quæst. disp. q. 3. a. 19. Improbat eorum opinionem qui asserunt Angelos vt nobiliores, Deo magis similes creatos ante res corporeas. Nam, inquit, Angeli, vt sunt partes vniuersi, competit eis quod simul cum creatura corporali sint conditi; vnius enim totius vna videtur esse productio. Si autem seorsum essent Angeli creati viderentur omnino alieni ab ordine creaturæ corporalis, quasi aliud vniuersum per se constituentes. Sic oportet infirmis compati, *vide concordantia minoritatis*, & seruanda magna æqualitas, *vide magnitudo æqualitatis*.

Licet aqua videatur continere debere terram, si considerentur elementa in ordine ad mistorum generationem, ad quam etiam cælestia corpora mouent, naturale fuit aquæ in vnum congregari, vt terra fieret fertilis plantarum & animalium, & ipsam habere concauitates ad recipiendas aquas, & ad formationem metallorum. Ib. q 4 a. 11. ad 10. sic fluxus & refluxus est naturalis mari, in quantum A mouetur à cælo. *Vide concordantia potestatis*, obedire rectoribus.

In vniuerso illa propter se prouidentur, in quibus essentialiter consistit perfectio vniuersi, & hæc perpetuitatem habent; sicut & vniuersum perpetuum est; quæ verò perpetua non sunt, non prouidentur nisi propter alium, & ideo substantiæ spirituales & corpora cælestia sunt prouisa propter se, & propter vniuersum, corruptibilia non nisi propter speciem & vniuersum, & ad ea non se extendit diuina prouidentia, nisi secundum quod participant naturam speciei. Ib. de prouid. a. 3. o.

Mala singularia Deus permittit ex quibus sequitur majus bonum vniuersi, vt indiuiduorum corruptibilitatem Ib. a. 4. ad 4. B

Ad l. vlt. cod. de consulib. Iust addit Nou. 81. vt non solum patriciatus dignitas, sed illæ omnes quæ liberant à curiali potestate, à patria potestate liberent, etiam Episcopatus, qui enim sunt spirituales patres, quomodo sub aliena potestate consistent. Ita priuatum jus patris cedit publico.

Sine præuia admonitione, licet statim accusare crimina ex quibus imminet periculum multitudini. Tost. in Math to. 5. f. 51. c. 4 g.

Non est possibili. dispensatio in præceptis vniuersalibus positiuis concernentibus bonum commune, sed benè vbi ponuntur alij modi, siue determinationes particulares. Id. exo. to. 1. f. 187. C

Ad Ecclesiam, majorem amorem habuit Christus, quam ad matrem suam. Idem Math. tom. 1. f. 15.

Indiuidua non sunt de necessitate naturæ per se, sed vt per ea saluentur species quas intendit natura. Id. Math. t. 7. f. 201.

DIFFERENTIA CONCORDANTIÆ.

DIVERSÆ SOCIETATES.

TRES sunt modi ligationis fixæ, ossis cum osse in corporibus animalium, quædam enim ligantur, ita quod vtrumque, vbi conueniunt habent dentes qui se inuicem recipiunt, & sic se tenentia ligantur sicut ossa cranei in suturis. 2. quasi per incastrationem vnius cum alio, ita quod vnum dat locum per foramen quod est in ipso, & alterum infigitur illi, sicut dentes infiguntur in vtraque mandibula 3. per colligationem ligamentorum fortissimam, vel per longitudinem, sicut arundines brachij, aut secundum latitudinem, vt spondiles & vertebræ in dorso. Albertus Magnus, lib. 1. de animalib. tract. 2. c. 1.

De tribus mediis concordantiæ. *Vide medium concordantia.*

Est cognatio naturalis, spiritualis sicut in baptismo & confirmatione, tandem legalis, scilicet adoptio; & hæ impediunt matrimonium.

A Deo, vnico, æterno, simplicissimo, fluunt per creationé cuncta, in quadá diuersa, & variè distanti D imagine, itaut altissima prima creatura participet in alto signaculo cum primo, nó tamen in quadá concordantia essentiali infinita, vt filius est splédor patris, candor lucis æternæ; in creaturis autem gradatim hæc similitudo deficit, quoad vsque quiescat sine multiplicatione in vltimo puncto, ita parum habens virtutis, quod tantum sibi sufficit & non amplius communicare potest, & sic vltimum illius ordinis in vmbra terminatur, & hæc est graduatio ab infinito, vsque ad nihil. Sic ex D. Ambr. epist. 3. ad Sabinum, si magneti plures successiuè & ordine jungas annulos per primos in sequentes virtute sua se diffundente; priores tamen nexu vehementiori constringit, posteriores remotiore. Card. Cusa l. 1. de concordantia Catholica, c. 2. E

De quinque concordantijs quibus constat fœlicitas Reipublicæ, apud Chinenses. *Vide bonitas concordantia.*

Tres compositiones possunt fieri in aliquo, 1. ex partibus essentialibus, materia & forma. 2. ex partibus quantitatis. 3. ex substantia & accidente. Perbaltus in rosario Theologico, voce, compositio.

Quatuor modis dicuntur fratres in scripturis, scilicet natura, gente, cognatione, & affectu. Tostat. Math. to 4. f. 34.

Ex mistione partium fiunt quædam quæ à separatis, aut aliter mixtis non fierent, sic ex pane secali- A tio & melle generantur formicæ; ex melle & rore anguillæ; ex basilicone & fracedine lapidis, Scorpiones; ex vitulo strangulato & rore, apes. Van helmont. tract. potestas medicamium.

(∴) (∴) (∴)

CONTRARIETAS CONCORDANTIÆ.

QVÆ SVNT CONTRARIA VNIONI ET SOCIETATI.

CANCER injicit lapillum in apertas B ad solem ostreas, ne possint occludi, sic illas securè depascitur. D. Basil. in hexam. hom. 7.

Magnes in oleum laterinum conjectus, vim suam trahendi amittit, ferrum binis horis in oleo salis relictum, à magnete non amplius assumitur. Paracelf. l. 1. Sagacis Philosophiæ.

Vt ignis compositum, sic nimius zelus dissoluit societatem. *Vide maioritas voluntatis, nimius zelus.*

Impediuntur aliqui ne veniant in societatem si fiant suspecti. Sic vbi scitur aliquos ad hostes transituros, aliquis velut transfuga, moneat hostes quasi hi sint in eos irruptionem facturi.

De partialitatibus. Bernard. quadr. 1. ser. 25. 26. & quadrag. 2. ser. 25. 26.

C Sunt quædam impedimenta jure naturæ dirimentia matrimonium, qualis est defectus vsus rationis, error circa personam, impotentia perpetua ad cōitum, &c. de his Bonac. de matrim. q. 3. Ecclesia etiam potest statuere aliqua impedimenta, non solum impedientia, sed etiam dirimentia matrimonium, quæ sunt 14. his versibus.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.
Si Parrochi, & duplicis desit præsentia testis
Raptaue sit mulier, nec parti reddita tutæ
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

D Professio facta in approbata religione, dirimit præcedens matrimonium ratum non consummatum. Nemo potest duobus dominis seruire.

Isthmus impediens duorum marium conjunctionem.

Apud Hibernos consueta sunt diuortia, & maleficia, vt nouæ nuptæ res fœliciter non succedant. Dauity in Hybernia.

Adamas junctus magneti, tollit ab eo virtutem trahendi ferrum. Albertus Magnus, de mineral. l. 2. c. 1.

Licet vti susurratione ad dissoluendam societatem malorum. *Vide Virtus medij, Rep* quando licet vti malo medio.

De obstructionibus. *Vide contrarietas bonitatis.*

Veteribus tria fuere genera carceris, vnum quo immodesti & parum exculti compellebantur nocte à sapientibus commoniti, alterum quo detinebantur ære alieno impliciti. Tertium quo grauissimorum criminum rei propè diem plectendi coërcebantur, velut hominum cœtu indigni. Rodig. l. 17. c. 9. de carcere. *Vide contrarietas differentiæ.*

In Daulia Græciæ est mineruæ templum in quo aluntur canes, quibus insitum est, perinde ac ratione quadam aduentantibus sublandiri Græcis, barbaros autem vbi se ostentarint, latratu insectari. Id. lib 23. c. 31. *Vide concordantia differ.* exteri non recipiendi.

Thomas Morus in Vtopiæ Republica l. 2. refert indicto bello statim in hostili solo affixis clam scedulis magnam pœcuniæ summam promittere his qui caput Regis, vel regiminis administrorum eis attulissent, vel viuos adduxissent, sic de se mutuo diffidunt & soluitur concordia, id fecit Darius contra Alexandrum, sed frustra. Q. Curt.

Magna pars Africæ redditur inhabitabilis propter serpentes Tost in Deut f. 170. c. 2. b.

Viscosa pinguedo marinarum belluarum aquis superfusa impedit ne congelentur. Olaus Magnus l. 12. c. 11.

BELLVM CIVILE.

DE Angelorum pugna. Gerson. tom. 4. serm. de Angelis.

De regno diuiso in se. Gerson. tom. 4.

Discordia, est inordinata dissensio, voluntatis à voluntate alterius cui consentire deberet, in graui materia est peccatum mortale, quia opponitur charitati. Bonac. de charitate puncto vlt.

In tota Regione Malabar, & omnibus eius regnis, vt in Calecut, successor regni abesse debet à Curia Regis, ne moueat seditiones, & animos ad discordiam sollicitet, Dauity. Id etiam obseruatur apud Sinenses. Id.

Homo quilibet est quodammodo duo homines, ex quo habet partem rationalem secundum quam potest iudicare & velle, & partem sensitiuam, secundum quam potest apprehendere & appetere; secundum rationalem irascitur contra sensitiuam, affligendo illam in pœnitentia. Tost. Math. to. 2. f. 104. Sic quælibet ciuitas est quodammodo ex diuitibus & pauperibus, &c.

De passionibus internis. *Vide maioritas voluntatis.*

Respublica nauigium est, integrum natat, diuisum mergitur. Actum est de imperij salute cum intestina soluuntur. *Vide bonitas magnitud.*

Digitized by Google

Hostilia bella geruntur ad internecionem, ciuilia ad victoriam ab his qui Reip. principes esse cupiunt, & vt dicit Cicero pro ligario, non est hostile odium, sed ciuile dissidium vtrisque cupientibus Rempublicam saluam; nec hujusmodi dissensiones pertinent ad delendam, sed ad commutandam Rempublicam, vnde in his non sunt iura, captiuitatum nec postliminiorum, l. 21. §. pen. de capt. & postl. reuer. *Vide media contrarietas*, in bello temperata sæuitia.

SEDITIO.

QVid miramur in singulis hominibus ignobile corpus, imperanti animo non obsequi? datur etiam corporis politici quædam concupiscentia quæ Dominum nescit, & peccatorum veluti fomes est quo regna vitiantur.

Sæpè fit seditio ob principes viros carceri mancipatos, sicut tonat cælum & atrociora minatur, si exhalatio alta petens nube concludatur. Si illustrium pœna, peccato notior sit, primo miserationem mouet, deinde iram; motusque publicos.

Quomodo placanda. *Vide finis contrarietatis.*

Clerici seditiosi & conspirantes, grauiter puniri debent à Synodo. Conc. Aurel III. can. 1. habetur 11. q. 1. c. si quis clericorum.

Vide concordantia virtutis, R. de malorum societate, & hæreticorum.

Ex paupertate populi, nascitur seditio, *vide minoritas potestatis*, paupertas coacta.

Cum in alicujus ciuitatis initio, Mars in corde cæli fuerit, necesse est eam vrbem esse seditiosam. Card. aph. sect. 2. aph. 169.

Cometæ immobiles seditiones, mobiles autem bella significant ab externis. Ibidem sect. 3. aphor. 117.

Oculus tauri natum efficit, inquietum, turbulentum, seditione populari gaudentem Card. sect. 4. aph. 19.

Cum aliquo nascente sol geminatur, vt aliquando contingit ratione aspectus, ille seditionem mouebit aduersus principem, aut illustris erit, & hoc cum in eadem hora acciderit. Ibidem sect. 5. aph. 66.

Vrbs habens Lunam in Scorpione patietur ciues seditiosos & rebelles. Ib. aph. 167.

Solent excedere qua se restituunt in libertatem Vide qua scripsi, de iure naturali, lib. 2. lege 14 § 3. Caueat populus à seditione qua sibi semper grauis est, & damnosa, l. de agente Dei in humanis, parte 2 c. 14. & 17.

Pleyades ob stellarum confertam multitudinem, significant rebelliones, seditiones, conspirationes. *Vide contrarietas potestatis, contrarietas glor.* quieti & paci.

A Vt corpus non obtemperat rationi, & pars sensibilis, intellectuali, sic populus principi, *vide contrarietas virtutis*, naturæ infirmitas.

Tres soles in cælo apparentes, significant seditiones, *vide cognitio contrarietatis*, præsagia mali futuri.

Ciues seipsos vastant seditione, *vide principium minoritatis*, malum à seipso.

SCHISMA.

ADorate Dominum in aula sancta eius, Ps. 28. Eum decet adorare Dominum, non qui extra sanctam eius aulam, sed qui intra eam sit constitutus, non alienet se ab Ecclesiæ cœtu, ne sit author nouandæ vllius peruersæ congregationis, aut schismatis aduersus Ecclesiam concitandi. D. Basil. in d. Ps. 28.

Schismatis tempore quomodo sit agendum. Gers. to. 1. vbi plura de schismate, & to. 4.

Schisma est voluntaria & pertinax subtractio & separatio ab obedientia vniuersalis Ecclesiæ, vel summi Pontificis, qui principem in Ecclesia locum tenet. Bonac.

Morum corruptio in Ecclesia, est velut veruca in corporis superficie, schisma latum facit vulnus in fide, & hinc acuti dolores, graue mortis periculum.

C Similitudo & propinquitas, est causa deceptionis. Arist. 3. physic. tex. 15.

Ieroboam prohibet his quibus imperabat ire in Ierusalem ad sacrificandum; erexit altare contra altare, potius schismaticus quam hæreticus, loco Cherubim vitulos dedicauit; cæteros ritus legis Mosaïcæ seruans, Geneb. a. m. 3186.

Leu. 10. Nadab & Abiu, offerentes ignem alienum, consumpti sunt ab igne sacro.

Non habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligunt vnitatem D. Aug. l. 3 de bapt, c. 16. & tr 6. in Ioan. & lib. de vnitate Ecclesiæ, c. 23. & l. 2. contra Cresc. c. 13. & 14.

De vnitate Ecclesiæ, *vide concordantia virtutis.*

D Integrum quando fuerit in multa diuisum, non solum non multa fiunt, sed etiam vnum perit; talis est natura schismatum, vt non sit nec vna Ecclesia, nec multæ. D. Chrysost hom 3. in 1. ad Cor. super illud, & non sint in vobis schismata.

Ambitio, Ecclesiam diuidit, *vide voluntas potestatis*, mala, ambitio.

Dico & protestor, Ecclesiam scindere non minus esse malum, quam incidere in hæresim. D. Chrys. hom 11. in ep. ad Ephes.

De vana disputatione quæ mentes scindit, circa fidem, *vide minoritas concordant.* de Religione non disputandum.

E Cometes mutantes leges, si in nono vel vndecimo loco apparuerint, seditionem in lege, non legem ostendunt, nec erit in illa vnum caput. Card. aph. sect. 2. aph. 206.

Digitized by Google

PRINCIPIVM CONCORDANTIÆ.

CAVSÆ VNIONIS ET SOCIETATIS.

HVMIDVM in mixto lenit, quia A partem facit fluere ad partem, suam planam & lenem facit superficiem, & hæc est vna propriarum eius operationum. Albertus Magnus, l. 5. de vegetabil. tract. 2. cap. 4. Per tria maximè operatur. Subtilitas facit penetrationem ipsius; interminabilitas, dat ei motum in alterum, & ad alterum; vaporabilitas eleuat partes eius in quo est, vt effluere possit, & secum educere.

Terræ implantatus est spiritus, qui exsiccat, indurat, sistit alias facultates corporum, & spatijs coërcet definitis, vt non fluant, non vagentur, non abscedant in halitum, spiritus ille residet in terra, itaque nullus alius locus aptus est generandis metallis. Nulla concretio sine terra.

Plato in Philebo, dicit ex infinito & termino fieri mixtum, id est ens. Ens autem est vnum virtute vnius, quia est vnum per vnionem duorum principiorum, at duo illa principia non vniuntur, nisi in virtute vnius. Vnum enim & multa non possunt ex se vniri, nisi virtute ipsius vnius quod ipsam multitudinem antecedit, quia cum sint opposita, non ad se inuicem properant, sed necesse est ab alio congregentur. Hoc autem est vnum. Itaque vnum addit aliquid supra ens, quia vnum quod est in ente, non oritur ab essentia, sed ab vno, id est à miscente & vniente principia entis.

Elementa quædam feruntur sursum, quædam deorsum, cum igitur se fugiant, non miscerentur sine ascensu & descensu solis & planetarum per motum cælestem. Albertus Magnus, l. 1. meteo. tr. 1. c. 4.

Quæ sunt in seipsis diuersa, considerantur vt vnum, secundum quod ordinantur ad aliquod commune.

Concordantia est per ordinem, de quo, *vide concordantia differentia, & concordantia contrarietatis.*

Ita sunt contrariæ qualitates in corpore misto, sicut sunt contraria elementa in mundo, & sicut contraria elementa non se inuicem corrumpunt, quia conseruantur per virtutem corporis cœlestis à quo actiones eorum regulantur; ita contrariæ qualitates in corpore misto regulantur & conseruantur, ne se inuicem corrumpant per formam substantialem quæ est impressio quædam cælestis corporis; nihil enim in istis inferioribus agit ad speciem, nisi per virtutem cælestis corporis. D. Tho. in quæstione disput. quæst. 5. de pœna pecc. orig. a. 5. ad 6.

Primus populus hominum post diluuium fuit in Armenia, apud Taurum & Caucasum montem, quia super illis primum sedit Arca Noë, Tost. Gen. f 49. c. 4. f.

Reddunt hominem proximo amabilem, 1. modestia in sermone, procul à maledicentia, 2. virtus quæ amatur etiam in his quos nunquam vidimus, etiam in hoste, 3. mansuetudo de qua Eccles. 3. fili in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris, 4. obsequia & beneficia; nulla est enim major ad amorem inuitatio, quam præuenire amando, nimisque durus est animus qui dilectionem quam nolebat impendere, non rependit. Laurent. Iustinian. tract. de charitate, c. 16.

In duorum genituris solis commutatio facit amicitiam, propter honestum, decorum & gloriam. Iouis ob vtilitatem, veneris ob voluptatem; Lunæ ob naturæ conuenientiam, Card. aphor. sect. 3. aph. 83. *Vide concordantia & principium voluntatis.* B

Necesse est mundi partes sic à prima causa fuisse ordinatas. Vide quæ scripsi Theolog. natur. to. 1. parte 2. c. 12. & seq.

Decem notari possunt causæ humanæ congregationis, conuenientia in specie, *vide concordantia æqualitatis*, conjunctio sanguinis, Ibid. leges, Religio, virtus, *vide concordantia virtutis*, gloriæ studium, voluptas, vtilitas, conjuratio malorum, *vide concordantia virtutis, Rep* denique necessitas.

NECESSITAS ET INDIGENTIA. C

ANimalia prodeunt è latebris, vrgente fame; sic ea quæ per totam hyemem latent, vere expergiscuntur cum fames & inedia, consopitum ab humore phlegmatico calorem excitauerit. Albert. Mag. l. 7. de animal. tract. 3. c. 3.

Commune periculum conciliat dissidentes, vt vnione sint fortiores; ita canes in venatione, non certant in inuicem, sed concordes feram expectant, sic inter milites magna debet esse concordia, quia ex Christi sententia regnum diuisum desolabitur: & major debet esse dilectio inter milites quam inter parentes; nam l. militem cod. de procuratorib. miles admittitur ad comparendum tan- D quam procurator, pro commilitone, & tamen non admittitur pro parentibus. Præterea pactum de succedendo, velut mortis captandæ inductiuum non valet, l. fin. cod. de pact. & tamen inter milites valet, l. inter priuatos, c. eod. Nam abundantia dilectionis facit cessare præsumptionem captandæ mortis, cum non sit verisimile vnum militem alteri insidiaturum. Dæmones etiamsi se non diligunt, tamen mutuo se auxilio iuuant contra nos in prælio. Miles non cogitur esse tutor, nisi filij commilitonis,

Digitized by Google

militonis,l.sed miles, in princ.ff de excuſ.turor.

Poſt paſſionem Chriſti, diſcipuli congregantur foribus clauſis, propter metum Iudæorum. Ioh.20.

Eccleſiæ ſeu Parochiales, ſeu Epiſcopales vniuntur in cauſa neceſſitatis, quando ſcilicet vna non ſufficit,alendo Parocho aut Epiſcopo,can.vnio.10. q.3.cap.expoſuiſti de præbendis.

D.Th de regimine princ.l.1.c.1.&l.4.c.2 probat homines in ciuitatibus congregatos, vt ſibi mutuo darent auxilium contra vitæ neceſſitates, tum corporales, tum ſpirituales. Scilicet vt in ſcientijs & virtutibus inſtruantur, in ſpeculatiuis & practicis. Amicorum conſilium in bona fortuna neceſſarium,in aduerſa auxilium.

Elementum habet plures motus, vnum ad locum proprium, alium partium in toto, vt gutta aquæ in puluere, rotundatur, non valens fluere in centrum. Proprium frigoris eſt congregare heterogenea.

Congelatio quæ eſt vnio facta vi externa non eſt durabilis.*Vide duratio concord.Rep.*

Plura congregata ſunt potentiora, *vide poteſtas magnitudinis, & concord.* Clerici non gaudent perſonalibus ſuis priuilegijs in publica neceſſitate, vt in murorum cuſtodia, belli, tumultus, ſeditionis tempore, cap.peruenit de priuil.cleric. can.ſi nulla 23.q.8.

Populi ſanitatem optatam, & remedijs humanis impoſſibilem recipientes à Chriſto, ad eum conuerſi ſunt,ſic facta fuit Eccleſia.

Effecit Deus vt alter alterius indigeremus, vt ſic nos quoque conjungeret, quoniam amicitias maximè facit vſus & indigentia. Propterea nec omnia vbique gigni permiſit, vt inde etiam cogeret commiſceri, & hanc commiſtionem effecit facilem vrbibus conditis in quas confluunt diuerſarum artium periti; mare patet externis commercijs, non ſtaret ſine paupere diues,nec ſine diuite pauper. D. Chryſoſt.hom.34. in 1.ad Cor.*Vide poteſtas bonit.*

DEVS.

VOx Domini ſuper aquas,Pſ.28. ſcilicet ne nubes pariter ruant, vt dicit Iob, ne mare commotum in terras effundatur; præceptum Domini ſeruat congregatas aquas ne noceant,& ad vniuerſi temperiem adducit,ex D Baſil.in d.Pſ.28.

Princeps poteſt litigantes cogere ad concordiã, l.furti,§.qui iuſſu ff.de his qui notantur infamia, & Chaſſen.in catalogo gloriæ mundi,parte 5. conſid. 24. num. 95. Ita dicit mihi vindictam & ego retribuam.

Deus initio mundi non dicitur benedixiſſe plantis, quæ ex ſe generant, ſed animalibus quæ bina creauit;vnionem hanc ad multiplicationem neceſſariam,ſua benedictione firmauit. Theodor.in Geneſim, q 17.

Euchariſtia dicitur Synaxis, id eſt communio & ſocietas,quia Chriſti fideles per hoc Sacramentum, tanquam vnius corporis membra cum Chriſto capite vniuntur. D.Th.3.q.73.a.4.

Anima vnita Deo non poteſt non intelligere,*vide magnit.cognit.*ſcientia vniuerſalis,ex Cuſa.

A Omnes dignè corpus Chriſti ſumentes,vnus homo efficiuntur, quia omnes mutantur in Chriſtum. Multorum hominum multæ animæ & corda,ſi per fidem & dilectionem adhæreant Deo, fiunt vna anima,& vnum corpus.Id.excit.l.7.c.21.

Vide principium voluntatis, charitas à Deo.

Non Noë capiens animalia intromittebat in arcam, ſed nutu Dei ad ſe venientia recipiebat; ſic Gen. 2. Deus adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Alcu.in Geneſ.interrog. 113.Et ſicut Dei nutu adducebantur in arcam, ita & Dei nutu conſeruabantur in arca,ne ſibi mutuo nocerent. Ib.interr.119.

B Olim ritus nuptiarum à Pontificibus petebantur, qui & in earum dubijs conſulebantur. Cujac. obſeru.l.6.c.32.quaſi Deus ſit author conjugiorum, & à cælo, vt vulgo dicitur, pendeant. Merito apud Catholicos matrimonium Sacramentum eſt.

LEGISLATOR, ET PIÆ SOcietatis inſtitutor.

IGnis non poſſet ardere niſi proximum aërem attraheret.

Primi fundatores ſemper colendi.*Vide minoritas differ.* Nouitas fugienda.

Propenſius eſt populus ad cultum ſui legiſlatoris ideo.Deuter.32. Deus noluit Moyſem introducere
C populum in terram promiſſam,voluit etiam ſepulchrum eius ignorari,ne pro Deo haberetur.Theod, in Deut.q.43.

Idem ſer.9. de legib. enumerat multos gentium legiſlatores,vide.

Carthaginenſes Tyrios ſemper coluerunt vt parentes, quia Carthaginem ædificauerant, & ad eos quotannis legationem ſolemnem mittebant, ad ſacrificium faciendum more patrio.Q.Curt.l.4. Macrob.l. 1. Samuël inſtitutor collegij Prophetarum, *vide concord virtutis,*congregatio bonorum.

In creaturis non inuenitur vna forma in pluribus ſuppoſitis,niſi vnitate ordinis, vt forma multitudinis ordinatæ. Legiſlator eſt forma ciuilis corporis.

D In collectione fructuum, id eſt electorum in die iudicij offerent primitias ſuas Deo, id eſt, eos qui fuerunt primi & eximij, in aliqua Eccleſia illis commiſſa.Orig.ho.11.ſuper numer.

Vt Chriſtus viuit adhuc & patris æterni gloriam, hominumque ſalutem promouet in Apoſtolis & prædicatoribus, ſic religionis inſtitutores in filijs qui viuunt de ſpiritu ſuo, illumque proferunt operibus,dictis & ſcriptis.

Cometes in oriente maximè exortum ſignificat, viri magni legum latoris,& in cæli medio regi præpotentis.Card.aph.ſect.2.aph.206.

In conjunctione Saturni & Iouis, cum capite in nona, vel loco veneris, fiunt legiſlatores, ſi Iupiter præualeat boni,ſi Saturnus,mali.Ib.ſect.5.aph.50.

E Quanti ſit meriti qui alios promouet ad virtutem, *vide voluntas poteſtatis,* appetitus dominationis bonus.

*Vide gloria durationis,*antiquitas veneranda.

Digitized by Google

MEDIVM CONCORDANTIÆ.

MEDIA QVÆ CONFERVNT AD VNIONEM.

APVD Grammaticos conjunctio dicitur, quod sensus, sententiasque conjungat. Hæc enim per se nihil valet, sed in copulatione sermonum, quasi quoddam exhibet glutinum, aut enim nomina sociat, vt Augustinus & Hieron. aut verba, vt scribit & legit. Copulatiuæ conjunctiones dictæ, eo quod sensum vel personas conjungant; vt ego & tu eamus ad forum, disiunctiuæ quia disiungunt res vel personas, vt ego, aut tu faciamus, &c. Isidorus origin. libro 1. c. 11.

Qui remollire ferrum cupiunt, oleo tingunt, at qui obdurefacere, in aquam mersant. Rodig lib. 6. c. 6.

Carmanis mos est, vt in conuiuijs percussa faciei vena profluentem inde cruorem vino commisceant, atque propinent, amicitiæ finem statuentes, sanguinem gustasse mutuum. Id l. 18. c 32.

Admissionales appellat in Alexandro Cæsare Lampridius ministros, qui adire principem volentes, admittendos curant. Idem l. 29. c. 20. *Introductores.*

Vide concordantia gloria, conuiuium.

Parentum vincula filij sunt & nexus: quare celerius liberis qui carent disparantur: filij namque vtrisque commune bonum, ipsum autem commune continendi obtinet vim. Arist. 8. moral.

Ianuarius mensis dicitur quasi sit janua mensium, & à Iano qui bifrons pingebatur, vt exitus anni & introitus demonstretur. Isidorus origin. l. 5. c. 33.

Humiditas aquæ nimiam terræ siccitatem, & aëris frigiditatem, ignis caliditatem temperat & colligendis conglutinandisque corporibus vinculum quoddam excellens existit.

Instrumenta colligatiuæ potentiæ sunt viscositas, membranæ ambientes, musculi, tendones colligantes, aut nerui innodantes. Inter ossa adnata mediat vtrinque subtendo, viscosus, tenaxque, ex intima ossium medulla emissus ad seruandum situm colligationis, ne facilè luxentur, vt patet in articulis magnis. Articuli etiam ossium ambiuntur tenaci membrana, vt seruent configurationem, vt patet in brachiali; alij vero etiam subcinguntur intrinsecus, vt spinæ & costæ, & caluariæ ossa Cætera omnia continentur in inuicem finibus, processibus, & concatenationibus osseis, itemque suturis vt patet in caluariæ ossibus, ita commissis, vt alterius eminentiæ, in alterius cauitates contiguas immittantur.

Eucharistia dignè sumpta ex pluribus facit vnum *Vide concordantia virtutis*, congregatio bonorum.

Pons jungit duas partes ciuitatis fluuio diui-

A sas, sic pueri matris & patris jungunt affectus, vt tres sint vna caro D. Chrysost. ho 12. in ep. ad Col.

Numer. 10. tubis conuocatur populus ad sacra, postea ad id munus inuentæ campanæ in campania circa an. 600. apud Græcos incœperant tantum an. 865. Turcæ præconis tantum voce ad sacra conuocant.

Per filtrationem qualibet panni aquis mersi pars, impletur aqua, turget, sic sibi superiorem arctius premit, & in eam exundantem suam humiditatem exonerat; sic fit in sequentibus. Ita mercatores lucri cupiditate societates ineunt.

Frequens in Ecclesijs conuentus plurimum confert ad vnionem fidelium; vnde dissidia Christianorum ansam præbuerunt prohibitioni, ne domi

B fieret communio sacra, quod postea concessit Leo Imperator Nouel. 4. & 15. quod sua ætate Christiani benè conuenirent inter se. Cujac. in Nouell. Inst. 58.

Consonantiam efficit in musica chori magister manu voces temperans in triremi, comitis signum & sibilus, inter milites tessera. Tuba, tympanum.

Planetæ tribus modis amicitia junguntur, vel natura, vel radio, vel communibus dominijs. Card. aph. sect. 4. aph. 100.

Lapis cancrorum dicitur ossifragus, quia multum juuat vt coalescant ossa fracta.

Dos conuenta confert ad matrimoniũ, ambitio nimias effecit dotes; moderatas esse voluit & laxauit. Pius 5 const. 39. Bull. p. 170. to. 2. Sixt. 5. const 52.

C p. 170. to. 2.

Ossa sibi juncta quædam cum medio, quædam sine medio. *Vide differentia concordantia.*

Natura, extrema, per triplicia media connectit. *Vide minoritas medij.* Transitus ab extremo in aliud, sine medio, malus.

Animus cælestis per omne mundi corpus, intrinsecus diffusus, cuncta regit & componit, ignita & sempiterna agitatione perpetuat, diuinus ille animus, necessitate cujusdam legis infunditur terrenis corporibus; cui descensus per orbem solis, tribuitur, per orbem vero Lunæ præparatur ascensus. Iulius Firmicus, libro 1. c. 3.

Sol recipit planetarum virtutes, quando illis conjungitur in ascendente, vel in medio cæli. Similiter

D Luna in nocte. Hermes in centiloquio, nu. 26. potens debet esse medium.

Quintil. Instit. oratoria. libro primo, cap. 3. asserit melius esse adolescentes in publicis gymnasijs, quam domi instrui plurimis de causis quas, *vide cognitio virtutis*, virtus quæ se profert. Sed maximè quia sic inter pares initæ amicitiæ vsque ad senectutem firmissimè perdurant, religiosa quadam necessitudine imbutæ, neque enim

est sanctius sacris ijsdem, quam studijs initiari.

De ciuitatis Christi politia. Iauellus. De Concilio ciuili. Idem.

De conjugali regimine. Idem.

Causæ copulatiuæ solent exprimi per particulam *&*, disiunctiuæ per particulam, vel. Bonacin.

Per mercaturam & commercia, orbis vnitur orbi, & fit omnis natura communis, & mortalitatis nostræ damna pensantur.

Sal est mediæ naturæ inter aqueam & aëream, ideo ligat & conglutinat infirmiora metalla.

Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, vt duæ lineæ æquales vni tertiæ, sunt etiam æquales inter se.

Nunc, seu instans quod tantum habemus de tempore, non est pars temporis, sed momentum, seu terminus partes temporis præteriti, & futuri connectens. Sicut punctum linea non est, neque pars lineæ, nunc ergo est copula seu nexus partium temporis quæ sunt duæ, præteritum quod amplius non est, & futurum quod nondum aduenit. Ex quo fit, vt non tantum omnes partes temporis non sint actu, sed ne vna quidem.

Fretum Gaditanum, seu strictum Gibraltar, vniens mare mediterraneum oceano; ex his partibus, scilicet ex vicina insula majorca natus est Remundus Lullius, qui docuit hanc artem omnium vnitiuam.

Germani propter frigus regionis tota die in hospitijs commanent in eodem cubiculo, igne excalefacto, estuues. Thermæ.

Quemadmodum ex aqua & arena non fit cementum, sed calce glutinosa opus est, sic ex Mercurio volatili, & sale fixo, non fieret mixtum, nisi esset sulphur, oleosum, viscosum, sic temperans siccitatem salis, & fluiditatem Mercurij, sic tribus hisce principijs chymici dicunt constare mixtum.

Anima humana abundat diuersitate potentiarum, quia est in confinio spiritualium & corporalium creaturarum, & ideo concurrunt in ipsa virtutes vtrarumque creaturarum. *Vide veritas medij.*

Approximatio facit vnionem & transformationem. *Vide potestas concordantia*, de conuersatione.

Megarenses ferreas ocreas, in oleastro incluserant, fortassis cum obseruatione cælesti, vt vrbs ab hostium incursione foret immunis: oraculum pronuntiauit, tunc vrbem delendam cum oleaster ille excideretur, exciso eo, inuenta sunt bellica instrumenta, & vrbs deleta. Theoph. hist. plant. l. 5. c. 3.

Elementa quæ non sunt sympathica debent vniri per vnum quod sit sympathicum, vt terra & aër per aquam, Alb. Mag.

Numa alter à Romulo Rex Romanorum, primus ex ære & ferro fecit monetam, & nummos de suo nomine appellauit, Suidas.

Vnio est sejunctarum rerum sociabilis concursus, inde dicta quod res in vnum cogantur, fitque decem modis, authoritate sacrarum litterarum; essentia vt in animo & corpore; affectione vt in sententijs cum vna est voluntas, appositione vt in tabulis, coagmentatione vt in saxis, temperamento vt in liquidis vino & aqua: mistione seu subactione vt in siccis & liquidis velut in farina & aqua: confusione vt in ijs quæ liquescunt vt pice & cera;

A aceruo seu accumulatione scilicet in siccis frumento, hordeo: condeletione seu contactu vt in ijs quę auelluntur & restituuntur, vt in face quæ ex igni procedit, & igni restituitur. Suidas in voce ἕνωσις.

ARBITER, CONCILIATOR, pacis.

MOysi altercantibus pacem suadenti, stolidè dictum est, quis te constituit iudicem super nos; vt si medico rectè secanti aliquis diceret, quis te constituit vt secares; responderet ars ipsa & morbus tuus, ad rectum enim alios dirigere, non est tam opus imperij, quam artis. D. Chrysost. hom. 15. in 1. ad Cor.

B

Idem homil. 11. in epist. ad Ephes. de Episcopis loquens dicit, doctrinæ verbi præfecti sumus; non est autem nobis mandatus magistratus, nec data authoritas. Consiliariorum admonentium locum tenemus. Consiliarius dicit quæ à se procedunt, non necessitatem afferens auditori, sed in eius potestate dimittit, vt facienda eligat quæ dicta sunt.

Vide medium bonitatis, intercessor.

Summus Pontifex est inter principes, pacis conciliator, vide quæ scripsi libello de S Pontifice, c 4. Religiosi dissidia quantum fieri potest componunt, l. de institut. & officiis religiosi, parte 4. c. 12.

C

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Math. 5. Non tantum dissidere prohibet, sed vult etiam vt dissidentes studeant in sacram reuocare concordiam. Sic erunt filij Dei, siquidem vnigeniti hoc præcipuum fuit opus, distantia copulare, conciliare pugnantia. D. Chrysostom. homil. 15. in Math.

Vide concordantia differ. & concordantia contrar. vbi vide quibus medijs fiant.

Vides pugnantes & quietum astare te pateris, an aliorum dolore gaudens diabolicum tibi facis theatrum? Num leo qui pugnat, aut fera alia. Certè homo est, frater est, membrum est, noli spectare, sed dissolue pugnantes. Noli ex eis voluptatem capere, sed eorum corrige voluntatem, si quid inde patieris, incipiet tibi hoc opus pars quædam esse martyrij; siquidem propter Deum ista perpeteris, vterque eget auxilio, afflictus vt liberetur, alius vt cesset affligere; porrige manum temulento. Nautæ suis similibus in periculo existentibus statim auxiliantur; si inceperis, multos habebis manum porrigentes, super omnia opitulantem tibi pacis Deum. Samaritanum imitare qui vulnerato adfuit, quomodo pro fratre exponeres animam, qui parcis verbis, &c. D. Chrysost. hom. 15. in Math. *Vide gloria minoritatis*, auxiliari miseris.

D

Imp. Iustin. l. vlt. cod. de recep. arbit. prohibet ne fœminæ arbitrium suscipiant, & in illas compromittatur, cum tamen id prius fuerit factum à patrona in libertos vel feudatarios, cum sit hoc priuatum non publicum munus. Cujac. obseru. l. 13. c. 23. id Iustinia. fortè constituit, quia in dirimendis controuersijs etiam de rebus minimis, incidunt dubia mentem muliebrem excedentia. Non est paruum negotium sedare humanas passiones quibus maximè mulieres aguntur.

E

An auditor Rotæ ferrariensis in aliquo casu consilium alteri dare possit, Clem. 8. const. 59. §. 12 Bull. p. 56. t 3.

Digitized by Google

Dissidentes conciliare est opus misericord. spiritualis, vide quæ scripsi l. de operibus misericord. parte 2. c. 17. A

Quidam optimi temperamenti, & in quorum genitura omnia consentiebant, aptiores sunt ad lites componendas, sic Pomponatius lib. de incantationibus dicit campanas in recta cæli constitutione fusas, aptiores esse ad sedandas tempestates, imo & quosdam homines sic posse nasci, vt mari imperent. Vide *veritas medii*.

Controuersiæ inter Episcopos natæ dirimantur intra annum, Metropolitani aut Synodi arbitrio. Concil. Aurelianens. IV. c. 12. & V. c. 17. Concil. Lugdun. II. can. 1. *Vide finis contrarietatis.* B

Conc. Turon. II. c. 2. cum cæleste sit mandatum, Io. 14. pacem meam do vobis; si dissenserint Episcopi electis ab vtraque parte fratribus vota pacis acquirant. Quomodo enim pacem alios docebunt, qui in se neglexerint.

Corinthi tradunt fuisse familiam ex qua omnes oriundi ventos sopirent, Ventisopij dicti, Suidas in verbo ἀνεμοκοῖται.

Id Empedocles magus profitebatur ventos & sedare & excitare vt voluisset, idem in verbo ἄνεμος. cum Ethesiæ vehementius flarent, & fruges læderent, iussit asinos excoriari & vtres fieri, eosque in promontorio extendi vt ventum exciperent ita sedauit, Ib. C

Athenis arbitri quinquagenarijs majores, omnis criminis expertes, ex albo ciuitatis, ad transigendas ciuium controuersias eligebantur, si aduersarij acquiescerent lis finita erat, sin minus ad iudicem prouocabatur, Suidas in voce διαιτητὴ.

Caduceus, baculus habens vtrinque duos serpentes implexos, & inter sese aduersos, quem præcones seu caduceatores secum ferebant, nec eos violari fas erat quocumque venissent. Rectus autem baculus signum erat rectæ rationis: serpentes ex vtraque parte, aduersos exercitus significabant, quos ambos recta ratio persuaderet. Idem in voce κηρυκεῖον. D

Bias Philosophus dicebat malle se inter inimicos iudicare quorum aliquis futurus esset amicus, quam inter amicos quorum alter causa cadens futurus esset infensus, Pet. Crin. de honesta disciplina, l. 10. c. 13.

Mercurius virgam tenet qua serpentes diuidit, id est venena, nam bellantes & dissidentes interpretum oratione sedantur. Isidorus. origin. libro 8. c. 10.

Sequester dicitur, qui certantibus medius interuenit, quod vocabulum à sequendo factum est, quod eius qui electus sit, vtraque pars fidem sequatur, Id. l. 10. littera S.

Venimus ad vos legatione fungentes, rogantes vt bello finem imponatis pro conditione autem non vrbes, non annua vectigalia promittimus, sed regnum cælorum; cum Christo consuetudinem, & alia bona quæ nec exprimi, nec à vobis hic degentibus intelligi possunt. D. Chrysost. hom. 4. in ep. ad Coloss. E

Cum tempore Pauli Ecclesia, non haberet iurisdictionem coërcitiuam suadet ipse, 1. Cor. 6. vt arbitros constituant qui causas ciuiles dirimant, & quia nemo cogitur ad compromissum, optabiliorem dicit esse bonorum iacturam, quam contendere coram iudice infideli, Tost. Math. to. 5. f. 202.

MEDIA CONCORDIA.

Vitis folium, pluribus in partibus finditur, quo racemus partim incommoda cæli vitet, partim radios solis per raras illas & graciles diuisuras, vberem teporem suscipiat, D. Basil. in hexaemer. homil. 5. sic virtus partim appareat, partim lateat.

Alimenti in nutritum assimilatio, vna est completa, alia incompleta, alia media inter vtramque; quod enim mutatur de substantia ad substantiam debet habere tres status, quorum vnus est vicinus principio motus, alter secundum medium, & tertius secundum finem complementi, omnis enim mutatio ab extremo in extremum est per medium, Albertus Magnus. tract. 1. de nutrimento, c. 3.

Arabes Philosophi vnum dixerunt esse motorem orbium & elementorum, qui cælum mouet, motu perfectè circulari, aquam autem ad semicirculum, itaut recedat proprio pondere. Idem tract. secundo de proprietatibus elementorum, capite 7.

Quædam maria non sic conueniunt cum Luna, vt habeant fluxum & refluxum, sed tantum eius loco velut leui vento flante crispantur vndæ, tale est mare Pisanum. Vix etiam habent fluxum & refluxum maria quæ parum sunt profunda, & quæ constant potissimum aquis dulcibus in ea decurrentibus & stagnantibus, aquæ enim illorum sunt nimis subtiles, sic illas ex fundo emissus spiritus penetrat, non mouet, Albertus Magnus, tract. 2. de proprietatibus elementorum, capite octauo, à contrario mare mortuum, ita spissas habet aquas, vt lumen solis penetrare non possit, nec vapores eius subtilizare, itaut bulliant, in tali mari nihil viuit. Ibidem.

Plantæ habent carnem molliorem, corticem verò duriorem, at arbores in contrarium habent carnem seu interiorem substantiam duriorem, corticem verò minus duram. Id. vix in homine interna cum externis consentiunt; quidam externa vrbanitate, alij interna charitate cum proximo concordant.

Hædera infigit radices suas in arbore super quam repit, & tamen remanet diuersa specie & figura: Idem est de cucurbita, viticella & alijs. Alb. Mag. l. 5. de vegetab. c. 3.

Sic in insitionibus, planta insita, & ea cui fit insitio, proprias animas retinent, & virtutes & operationes inconfusas, & non vnitas. Ibidem, capite quarto. *Vide duratio virtutis, inter malos, bonus.*

Animalia licet instinctu gregalia, tamen tempore partus & pullorum ab inuicem separantur. Id. Quædam apud nos semper manent aues, aliæ statis anni temporibus, autumno discedunt, vere redeunt, vt turtures, coturnices, philomelæ, &c. quædam animalia hyeme non discedunt, sed absconduntur vt vrsus, glires, torpedines, limaces, &c. Quędam fera animalia nunquam perfectè domesticantur, vt turtur, lupus.

Auris constat cartilagine, quia si constaret osse, nimis repercuteret sonos; & si esset ex carne, nimis molliter recepti, in ea perirent soni, Albertus Magnus, libro primo, de animalibus tract. 2. c. 1.

D. Dionysius, cap. 2. de cælesti Hierarchia dicit

intelligentias, & Deum ipsum aptè significari per similitudines materialium rerum dissimiliter acceptas; quia non secundum vnam rationem diffinitam insunt vtrisque; vt amor inest animalibus & ira ex passione, cælestibus ex ratione, Alb. Mag. in comment. d. c.

Ratio circuli, & omnium figurarum Mathematicarum, non pendet à materia sensibili, licet non sit sine ea, nec fundantur in corpore sensibili etiam quando sunt in ipso. Idem, libro 1. physicor. capite 1.

Passeres, hirundines, ciconiæ in nostris domibus habitant, & tamen feram suam retinent naturam.

Dux generalis exercitus debet præsentia sua augere audaciam pugnantium, non tamen se certamini faciliter ingerat, nam in milite vnius sors est, in Imperatore, id est duce exercitus periculum vniuersorum.

Orator in ipsis quos vt probatissimos vult imitari, eligat quid imitetur, nam in magnis quoque autoribus, incidunt aliqua vitiosa, & à doctis inter ipsos reprehensa. Quintil. Inst. orat. l. 10. c. 1. & quia difficilius est imitari, quam superare. *Vide duratio cognit.* morat. ita bonum esse non putat vni imitando se totum addicere.

Angeli seu intelligentiæ, non animant, sed regunt cælum cum sýderibus & planetis ad Dei gloriosi voluntatem, Gerson. in trilogio Astrologiæ Theologisatæ, propos. 13.

Leuit. 11. pura & sacrificijs apta habentur animalia quæ ruminant & findunt vngulam. Significant eos qui perpetuam seruantes rerum cælestium meditationem, tum actioni, tum contemplationi inseruiunt. Theodoret. in Leuit. quæstione vndecima. De vita mixta, *Vide media gloria.*

Mare alluit terras, non inundat, velut equus fræno retractus collum reflectit, & velut pœniteat tetigisse arenam, retrocedit. Theodor. orat. 2. de prouid.

Licet vniuersitas hominum, non fuerit congregata in vnum corpus politicum, sed in varias communitates diuisa fuerit, tamen vt illæ communitates se possent in pace conseruare, & se iuuare habuerunt communia quædam iura, quæ dicuntur iura gentium. Suarez de legib. libro 3. capite 3.

Si princeps ferat legem de re iniqua, non debent subditi obedire tali præcepto, non tamen propterea possunt illi obedientiam absolutè negare in his quæ iusta fuerint. Ib. c. 10.

Existimationem retinebis si tuæ conditionis in conuersatione memineris, & seueritatis in comitate, & in grauitate facilitatis. Vnde illud de Attico qui ea ætate fuit exemplar ciuilis prudentiæ, vt difficile esset intellectu, vtrum eum amici magis verentur, an amarent. Cardan. de arcan. prudentiæ, c. 25.

Homo interdum conuersatur in solitudine, vt in bonorum cœtu à cæteris abstracto, *vide concordantia virtutis*, interdum in ipsa quoque conuersatione est solitarius; vt integritatem suam seruans in malorum societate, *vide duratio virtutis*, inter malos bonus.

Fabula nunquam secundum se totam applicatur ad id de quo agitur; sed satis est quod applicetur secundum aliquid. Tost. Iudic. f. 87.

Inimicis conciliatis parcere, sed eos in pristinam amicitiam non recipere. *Vide duratio contrarietatis, mala.*

A Iubilæi priuilegio non gaudebant conuersi ad Iudaismum, quo ad redemptionem. Id. Leu. f. 298. filij aduenarum semper vocabantur aduenæ & non filij Israël. Id. Math. to. 6. f. 194. Conuersos non vocabant, fratres, amicos, & proximos. Idem Deuter. f. 83.

Tribus Leui semper computabatur cum alijs, quando materia de qua agebatur erat spiritualis; sed non quando materia erat temporalis. Id. Math. to. 5. f. 165.

Christus in aliquibus seruabat veterem legem, & in aliquibus non. Nunquam ipse prædicauit aliquid pertinens ad legem Moysi, nec Apostoli eius, licet ipsam obseruau[e]rint. Id. Math. to. 3. fol. 136. & 236.

B Sic omnis mutatio sensim facienda vt initio partim concordet, partim dissentiat. *Vide duratio differentia.*

In numerum non sunt computati Ægyptij, cum filijs Israël, illi scilicet qui cum illis ascenderant Num. to. 1. f. 5 Tost.

Similitudo secundum proportionem magis confert ad effectus, quam similitudo secundum naturam. Vide *concordantia medij*, Congrua media.

C Iudæi poterant communicare cum Chananæis in quibusdam, vt in commercijs, transeundo per terras eorum & hospitando. Magnas tamen amicitias non poterant inter se contrahere, vt in conuiuando cum illis, quia idolis immolata possent apponi; non similiter in matrimonijs contrahendis ne vxor virum, vir mulierem blanditijs à le[g]e Dei dimoueret, non etiam in fœderibus, ne cum ipsis à Deo punirentur. Tost. Iud. f. 190.

Quæque genitura, cuique in aliquibus dissidet ac conuenit; oportet igitur cum hominibus conuenire, in his solum in quibus genituræ conueniunt, in cæteris ab illorum communicatione abstinere. Card aph. sect. 3 aph. 121.

In medio fit media quædam extremorum concordia, *vide veritas mea*.

D Gemmæ, silices, marmora, & quæcumque crystallinam habent duritiem ne quidquam agunt, aut patiuntur in nos, aut à nobis, nisi per modum appensi dum ab ore, per recreamenta transeunt. Vis eorum ideo languida, quia corpore nimis denso clausa latet. Perlæ verò & coralla quęcumque cõchyliorum saxatilem duritiem habent, gẽmis quidem in duritie cedunt, attamen proinde nondum conficiuntur in humano stomacho; vt benè in quibusdam auibus; lapides autem Bezoart, cancrorum, &c. adhuc perlis minus duri non sunt de natura saxatili, sed potius fiunt ex succo lacteo semicaseato, & semipetrificato; habentque tophi naturam inter cartilaginem & lapidem neutram; sic quanquam lapis Bezoar, cancrorum, &c. quoad solidam pulueris sui materiam, nullatenus digerantur à stomacho humano, attamen inest illis succus quidam lacteus & mucilagineus magnæ virtutis, exiguæ tamen quantitatis. Van helmont. de febribus.

E Licet stomacho insit vis fermentalis quæ sibi ingesta resoluat, ac deinde in alijs officinis transmutentur, non sic tamen perfectè quin supersint prioris concreti obtusiores vitæ mediæ quali[t]ates, & hinc diuersa alimonia, imprimit partibus solidis peregrina contagia proprietatum, & hæc morborum causa, medicinæ occasio. Nihil enim fœlicius operatur, ad sanandum, quam quod per sui transmutationem penitissimè intrauit; & proximè est vnitum illi quod sanari debet. Idem,

Digitized by Google

A

Dissidentes conciliare est opus misericord. spiritualis, vide quæ scripsi l. de operibus misericord. parte 2. c. 27.

Quidam optimi temperamenti, & in quorum genitura omnia consentiebant, aptiores sunt ad lites componendas, sic Pomponatius lib. de incantationibus dicit campanas in recta cæli constitutione fusas, aptiores esse ad sedandas tempestates, imo & quosdam homines sic posse nasci, vt mari imperent. Vide *veritas medii*.

Controuersiæ inter Episcopos natæ dirimantur intra annum, Metropolitani aut Synodi arbitrio. Concil. Aurelianens. IV. c. 12. & V. c. 17. Concil. Lugdun. II. can. 1. *Vide finis contrarietatis.*

B

Conc. Turon. II. c. 2. cum cæleste sit mandatum, Io. 14. pacem meam do vobis; si dissenserint Episcopi electis ab vtraque parte fratribus vota pacis acquirant. Quomodo enim pacem alios docebunt, qui in se neglexerint.

Corinthi tradunt fuisse familiam ex qua omnes oriundi ventos sopirent, Ventisopij dicti, Suidas in verbo ἀνεμοκοῖται.

Id Empedocles magus profitebatur ventos & sedare & excitare vt voluisset, idem in verbo ἄνεμος. cum Ethesiæ vehementius flarent, & fruges læderent, iussit asinos excoriari & vtres fieri, eosque in promontorio extendi vt ventum exciperent ita sedauit, Ib.

C

Athenis arbitri quinquagenarijs majores, omnis criminis expertes, ex albo ciuitatis, ad transigendas ciuium controuersias eligebantur, si aduersarij acquiescerent lis finita erat, sin minus ad iudicem prouocabatur, Suidas in voce διαιτηταί.

Caduceus, baculus habens vtrinque duos serpentes implexos, & inter sese aduersos, quem præcones seu caduceatores secum ferebant, nec eos violari fas erat quocumque venissent. Rectus autem baculus signum erat rectæ rationis: serpentes ex vtraque parte, aduersos exercitus significabant, quos ambos recta ratio peruaderet. Idem in voce κηρυκεῖον.

D

Bias Philosophus dicebat malle se inter inimicos iudicare quorum aliquis futurus esset amicus, quam inter amicos quorum alter causa cadens futurus esset infensus, Pet. Crin. de honesta disciplina, l. 10. c. 13.

Mercurius virgam tenet qua serpentes diuidit, id est venena, nam bellantes & dissidentes interpretum oratione sedantur. Isidorus. origin. libro 8. c. 10.

Sequester dicitur, qui certantibus medius interuenit, quod vocabulum à sequendo factum est, quod eius qui electus sit, vtraque pars fidem sequatur, Id. l. 10. littera S.

Venimus ad vos legatione fungentes, rogantes vt bello finem imponatis pro conditione autem non vrbes, non annua vectigalia promittimus, sed regnum cælorum; cum Christo consuetudinem, & alia bona quæ nec exprimi, nec à vobis hic degentibus intelligi possunt. D. Chrysost. hom. 4 in ep. ad Coloss.

E

Cum tempore Pauli Ecclesia, non haberet iurisdictionem coërcitiuam suadet ipse, 1. Cor. 6. vt arbitros constituant qui causas ciuiles dirimant, & quia nemo cogitur ad compromissum, optabiliorem dicit esse bonorum jacturam, quam contendere coram iudice infideli, Tost. Math. 10. 5. f. 102.

MEDIA CONCORDIA.

VItis folium, pluribus in partibus finditur, quo racemus partim incommoda cæli vitet, partim radios solis per raras illas & graciles diuisuras, vberem teporem suscipiat, D. Basil. in hexamer. homil. 5. sic virtus partim appareat, partim lateat.

Alimenti in nutritum assimilatio, vna est completa, alia incompleta, alia media inter vtramque; quod enim mutatur de substantia ad substantiam debet habere tres status, quorum vnus est vicinus principio motus, alter secundum medium, & tertius secundum finem complementi, omnis enim mutatio ab extremo in extremum est per medium, Albertus Magnus. tract. 1. de nutrimento, c. 3.

Arabes Philosophi vnum dixerunt esse motorem orbium & elementorum, qui cælum mouet, motu perfectè circulari, aquam autem ad semicirculum, itaut recedat proprio pondere. Idem tract. secundo de proprietatibus elementorum, capite 7.

Quædam maria non sic conueniunt cum Luna, vt habeant fluxum & refluxum, sed tantum eius loco velut leui vento flante crispantur vndæ, tale est mare Pisanum. Vix etiam habent fluxum & refluxum maria quæ parum sunt profunda, & quæ constant potissimum aquis dulcibus in ea decurrentibus & stagnantibus, aquæ enim illorum sunt nimis subtiles, sic illas ex fundo emissus spiritus penetrat, non mouet, Albertus Magnus, tract. 2. de proprietatibus elementorum, capite octauo, à contrario mare mortuum, ita spissas habet aquas, vt lumen solis penetrare non possit, nec vapores eius subtilizare, itaut bulliant, in tali mari nihil viuit. Ibidem.

Plantæ habent carnem molliorem, corticem verò duriorem, at arbores in contrarium habent carnem seu interiorem substantiam duriorem, corticem verò minus duram. Id. vix in homine interna cum externis consentiunt; quidam externa vrbanitate, alij interna charitate cum proximo concordant.

Hædera infigit radices suas in arbore super quam repit, & tamen remanet diuersa specie & figura: Idem est de cucurbita, viticella & alijs. Alb. Mag. l. 5. de vegetab. c. 3.

Sic in insitionibus, planta insita, & ea cui fit insitio, proprias animas retinent, & virtutes & operationes inconfusas, & non vnitas. Ibidem, capite quarto. *Vide duratio virtutis, inter malos, bonus.*

Animalia licet instinctu gregalia, tamen tempore partus & pullorum ab inuicem separantur. Id. Quædam apud nos semper manent aues, aliæ statis anni temporibus, autumno discedunt, vere redeunt, vt turtures, coturnices, philomelæ, &c. quædam animalia hyeme non discedunt, sed absconduntur vt vrsus, glires, torpedines, limaces, &c. Quędam fera animalia nunquam perfectè domesticantur, vt turtur, lupus.

Auris constat cartilagine, quia si constaret osse, nimis repercuteret sonos; & si esset ex carne, nimis molliter recepti, in ea perirent soni, Albertus Magnus, libro primo, de animalibus tract. 2 c. 1.

D. Dionysius, cap. 2. de cælesti Hierarchia dicit

intelligentias, & Deum ipsum aptè significari per similitudines materialium rerum dissimiliter acceptas; quia non secundum vnam rationem diffinitam insunt vtrisque; vt amor inest animalibus & ira ex passione, cælestibus ex ratione, Alb. Mag. in comment. d. c.

Ratio circuli, & omnium figurarum Mathematicarum, non pendet à materia sensibili, licet non sit sine ea, nec fundantur in corpore sensibili etiam quando sunt in ipso. Idem, libro 1. physicor. capite 1.

Passeres, hirundines, ciconiæ in nostris domibus habitant, & tamen feram suam retinent naturam.

Dux generalis exercitus debet præsentia sua augere audaciam pugnantium, non tamen se certamini faciliter ingerat, nam in milite vnius sors est, in Imperatore, id est duce exercitus periculum vniuersorum.

Orator in ipsis quos vt probatissimos vult imitari, eligat quid imitetur, nam in magnis quoque autoribus, incidunt aliqua vitiosa, & à doctis inter ipsos reprehensa. Quintil. Inst. orat. l. 10. c. 1. & quia difficilius est imitari, quam superare. *Vide duratio cegnit* morosa, ita bonum esse non putat vni imitando se totum addicere.

Angeli seu intelligentiæ, non animant, sed regunt cælum cum syderibus & planetis ad Dei gloriosi voluntatem, Gerson. in trilogio Astrologiæ Theologisatæ, propos 13.

Leuit. 11. pura & sacrificijs apta habentur animalia quæ ruminant & findunt vngulam. Significant eos qui perpetuam seruantes rerum cælestium meditationem, tum actioni, tum contemplationi inseruiunt. Theodoret. in Leuit. quæstione vndecima. De vita mixta, *Vide media gloria.*

Mare alluit terras, non inundat, velut equus fræno retractus collum reflectit, & velut pœniteat tetigisse arenam, retrocedit. Theodor. orat. 2. de prouid.

Licet vniuersitas hominum, non fuerit congregata in vnum corpus politicum, sed in varias communitates diuisa fuerit, tamen vt illæ communitates se possent in pace conseruare, & se iuuare habuerunt communia quædam iura, quæ dicuntur iura gentium. Suarez de legib. libro 3. capite 3.

Si princeps ferat legem de re iniqua, non debent subditi obedire tali præcepto, non tamen propterea possunt illi obedientiam absolutè negare in his quæ iusta fuerint. Ib. c. 10.

Existimationem retinebis si tuæ conditionis in conuersatione memineris, & seueritatis in comitate, & in grauitate facilitatis. Vnde illud de Attico qui ea ætate fuit exemplar ciuilis prudentiæ, vt difficile esset intellectu, vtrum eum amici magis vererentur, an amarent. Cardan. de arcan. prudentiæ, c. 25.

Homo interdum conuersatur in solitudine, vt in bonorum cœtu à cæteris abstracto, *vide concordantia virtutis*, interdum in ipsa quoque conuersatione est solitarius; vt integritatem suam seruans in malorum societate, *vide duratio virtutis*, inter malos bonus.

Fabula nunquam secundum se totam applicatur ad id de quo agitur; sed satis est quod applicetur secundum aliquid. Tost. Iudic f 87.

Inimicis conciliatis parcere, sed eos in pristinam amicitiam non recipere. *Vide duratio contrarietatis*, mala.

Iubilæi priuilegio non gaudebant conuersi ad Iudaïsmum, quo ad redemptionem. Id. Leu. f. 298. filij aduenarum semper vocabantur aduenæ, & non filij Israël. Id. Math. to. 6. f. 194. Conuersos non vocabant, fratres, amicos, & proximos. Idem Deuter. f. 83.

Tribus Leui semper computabatur cum alijs, quando materia de qua agebatur erat spiritualis; sed non quando materia erat temporalis. Id. Math. to. 5. f. 165.

Christus in aliquibus seruabat veterem legem, & in aliquibus non. Nunquam ipse prædicauit aliquid pertinens ad legem Moysi, nec Apostoli eius, licet ipsam obseruauerint. Id. Math. to. 3. fol. 136. & 236.

Sic omnis mutatio sensim facienda vt initio partim concordet, partim dissentiat. *Vide duratio differentiæ.*

In numerum non sunt computati Ægyptij, cum filijs Israël, illi scilicet qui cum illis ascenderant Num. to. 1. f 5 Tost.

Similitudo secundum proportionem magis confert ad effectus, quam similitudo secundum naturam. Vide *concordantia medij*, Congrua media.

Iudæi poterant communicare cum Chananæis in quibusdam, vt in commercijs, transeundo per terras eorum & hospitando. Magnas tamen amicitias non poterant inter se contrahere, vt in conuiuando cum illis, quia idolis immolata possent apponi; non similiter in matrimonijs contrahendis ne vxor virum, vir mulierem blanditijs à lege Dei dimoueret, non etiam in fœderibus, ne cum ipsis à Deo punirentur. Tost. Iud. f. 190.

Quæque genitura, cuique in aliquibus diffidet ac conuenit; oportet igitur cum hominibus conuenire, in his solum in quibus genituræ conueniunt, in cæteris ab illorum communicatione abstinere. Card aph. sect 3 aph. 121.

In medio fit media quædam extremorum concordia, *vide veritas medij*

Gemmæ, silices, marmora, & quæcumque crystallinam habent duritiem ne quidquam agunt, aut patiuntur in nos, aut à nobis, nisi per modum appensi dum ab ore, per recreamenta transeunt. Vis eorum ideo languida, quia corpore nimis denso clausa latet. Perlæ verò & coralla quæcumque cōchyliorum saxatilem duritiem habent; gēmis quidem in duritie cedunt, attamen proinde nondum conficiuntur in humano stomacho; vt benè in quibusdam auibus; lapides autem Bezoart, cancrorum, &c. adhuc perlis minus duri non sunt de natura saxatili, sed potius fiunt ex succo lacteo semicaseato, & semipetrificato; habentque tophi naturam inter cartilaginem & lapidem neutram; sic quanquam lapis Bezoar, cancrorum, &c. quoad solidam pulueris sui materiam, nullatenus digerantur à stomacho humano, attamen inest illis succus quidam lacteus & mucilagineus magnæ virtutis, exiguæ tamen quantitatis. Van helmont. de febribus.

Licet stomacho insit vis fermentalis quæ sibi ingesta resoluat, ac deinde in alijs officinis transmutentur, non sic tamen perfectè quin supersint prioris concreti obtusiores vitæ mediæ qualitates, & hinc diuersa alimonia, imprimit partibus solidis peregrina contagia proprietatum, & hæc morborum causa, medicinæ occasio. Nihil enim fœlicius operatur, ad sanandum, quam quod per sui transmutationem penitissimè intrauit, & proximè est vnitum illi quod sanari debet. Idem,

Tractatu magnum oportet.

Sunt rebus natales dotes quæ distant à simili. Ibid.

Non mirum si lumen vna cum sole circumfertur, ac recedente sole nullum sui vestigium relinquat, non enim aëri tanquam subjecto inest, ab eo duntaxat sustinetur, principio autem suo adhærescit, à quo diuelli non potest.

Imitatio non est in totum similis, *Vide duratio cognit.* mora, ex Quint.

Non sicut in compositis physicis, sic in sacramentis, requiritur vt forma & materia sint simul, physicè & entitatiuè, sed sufficit simul esse moraliter, & consecutiuè, vt vnum sit moraliter post aliud. Major distantia toleratur in pœnitentia, quæ administratur per modum iudicij; & in matrimonio quod consistit in contractu, in his parua mora & distinctio non est impedimentum. Bonac.

Quando species vini in Eucharistia, miscentur cum vino non consecrato, non miscetur sanguis Christi, quia non est ibi modo quantitatiuo. Id. de Euchar. disp. 4. q. 4.

Prælati Religiosorum admittunt bene meritos participes satisfactionum & orationum suæ Religionis. Bonac. de Indulg. 3. propos.

Mulier sanguiniflua, latet in turba comprimentium Iesum. Mar. 5.

Vnio Christi cum Ecclesia, quam repræsentat matrimonium ratum, est inseparabilis respectu totius Ecclesiæ, respectu vero singulorum hominum est separabilis, nam de facto separatur à multis, amissa charitate per peccatum mortale.

Potest lex acceptari pro vna parte, & non pro alia. Bonac. de legib.

Liquida quæ miscentur si forma differant & terminis, vt vinum & aqua, non faciunt continuum, sed contiguum licet in partes minimas diuidantur, quæ sic sibi fiunt proximiores, per interpositionem vnius minimi. Fracastor. l. de sympathia, c. 11.

Molle, est quod pressum in superficie cedit tangenti, sed redit in sese suopte ingenio, talis est pasta ex farina tritici & aqua subacta, & probè fermentata.

Palmæ diuersi sexus, gaudent approximatione non complexu; Astra lumine tantum, & aspectu junguntur; duo Cherubim ante arcam, se aspiciunt, non contingunt, nisi alarum extremitatibus.

Homo est ancipitis naturæ societatis ac solitudinis. Aristot. 1. de generat. animalibus, capite secundo.

Indi Gymnosophistæ montem incolebant, quem ad libitum nubibus obsitum arte magica faciebant, sic erant modo visibiles, modo inuisibiles. Philost. in vita Apoll.

De his quæ generantur ex vnione diuersarum specierum, vt mulus ex equa & asino; Indi qui vocantur medij, ex indica fœmina, & Europæo nati.

Qui considerat omnem vnitatem, habere aliquam sibi conjunctam multitudinem, nam vnitas est multitudinis causa, & quod omnis multitudo ab aliqua sibi conuenienti vnitate continetur, videt vnum simul & multa entia, in vnitate multa, & in multitudine vnum, sine quo nec esset ordo, nec species, nec quicquam, sed confusio & deformitas. Sic dualitas est vnitas tanquam vno participans, & multitudo, tanquam causa & principium multitudinis. Card. Cusa excit. l. 1. c. 1.

Licet mens nostra non sit ad locum & tempus contracta, non est tamen penitus à quantitate loci & temporis per infinitum absoluta, sed est quasi in horizonte, vbi incipit contractio, & desinit absolutio. Ib. l. 5. c. 57.

Perfectiones rerum omnium sunt in Deo, & omnis creatura secundum aliquid habet similitudinem creatoris; vnde Deum diuersis nominibus vocamus.

Deus sic est in mundo, vt sit extra, sic extra, vt non sit ab eo exclusus, est in rebus sic vt eas contineat, & non contineatur; infinitus, immensus, incomprehensibilis. In ipso viuimus, mouemur, & sumus inquit Apostolus. Act. 17.

Deut. 23 si intraueris messem amici tui, franges spicas, & manu conteres, falce autem non metes. Sic majorum exempla pro parte imitanda cum distinctione temporum, vt non sunt imitandi Patriarchæ, in multitudine vxorum, &c. Rupert. in Deuteronom. lib. 1. cap. 27. sic ex spolijs Ægyptiorum ditescere. *Vide magnitudo cognitionis*, scientia vniuersalis.

Vide media æqualitas.

Apes, non omnes flores adeunt, nec si quos adeunt, totos absumunt, sed eo ablato, quod operi suo sit aptum, reliquum omne valere sinunt. D. Basil. sic cum Poëtis, sic cum mundanis conuersandum.

Anima prout secundum se consideratur, pertinet ad Metaphysicam, prout vnitur corpori ad Physicam.

Oportet differentia esse composita, cum in aliquo differant, & in aliquo conueniant.

Effectus habent mediam conuenientiam cum suis principijs, quia non possunt in totum eos æquare. *Vide maioritas principij.*

Exemplata oportet conformari exemplari, secundum rationem formæ, non autem secundum modum essendi, nam alterius modi esse habet forma quandoque in exemplari & in exemplato. Sicut forma domus in mente artificis, habet esse immateriale & intelligibile, in domo autem quæ est extra animam, habet esse materiale & sensibile.

In omnibus naturis ordinatis inuenitur, quod ad perfectionem naturæ inferioris duo concurrunt, vnum quidem quod est secundum proprium motum; aliud autem quod est secundum motum superioris naturæ, sicut aqua secundum motum proprium mouetur ad centrum, secundum autem motum Lunæ, mouetur circa centrum secundum fluxum & refluxum.

Vbicumque est similitudo, oportet quod ibi sit aliqua distinctio, quia similitudo est rerum differentium, & eadem qualitas, alias non esset similitudo, sed identitas.

Est media quædam non integra conuenientia inter plantas & arbores. *Vide maioritas concordant.* multorum amicitia non probanda.

In vna spica multa grana, distinctis sunt ordinata cellulis, sic in granata & cæteris fructibus, quædam communi tegmine teguntur alia non vt frumenta, pendent, tamen ab vna radice, ab vno caule, radicis influxum per incisuras continuante. Theophrast. de causis plantar. libro quarto, capite 8.

Terra non est penitus solida, sed sunt in ea concauitates. *Vide finis concordantiæ*, dissolutio societatis.

Plantæ partim in terra, partim in aëre, aliquando partim in aqua sunt, vbi enim planta trahit nutri-

mentum, est in terra, quia ibi indiget frigido & humido quod influit in radices: in stipite autem & ramis est in aëre, quia ibi indiget calido dirigente, & eleuante nutrimentum à radice in ramos. Alb. Magnus meteor. l. 1. tr. 3. c. 2.

Ferrum differt in hoc ab alijs metallis, quod ipsum est mollificabile solum, & non liquabile. Ib. l. 4. t. 2. c. 9.

Argentum viuum non adhæret tangenti, quia in eo proportionale est humidum sicco, quia siccum tenet humidum ne adhæreat, & quia humidum vndique tangit siccum, ideo motum habet velocem, sicut si à se moueatur, propter quod etiam argentum viuum nominatur. Ibidem, libro 4. tract. 3. c. 2.

Aliqua sunt in quibus optimi regulæ Catholicæ defensores, salua fidei compage non consonant; quia Ecclesiæ sententia definitiua suspenditur. D. Aug l. 2. de pecc orig. c. 25. & l. 1. contra Iul. Pelag. c. 6.

Antiqui plures quidem Deos coluerunt, sed non omnibus templa intra vrbis mœnia posuerunt, sed excluserunt eos qui habere videbantur aliquid bono publico nocitu. Vt Ægyptij Saturnum & Serapidem, quia his solis humanas hostias immolabant. Romæ templa Æsculapij & Vulcani erant extra vrbem quem optabant à peste & incendijs immunem. Petrus Crinitus de honesta disciplina, l. 5. c. 5.

Nomina quædam dicuntur media, quia ex parte Græca sunt, & ex parte Latina, eadem & notha, quia corrumpunt vltimas syllabas manentibus prioribus, vt apud Græcos, Alexandros, Menandros, apud Latinos vero Alexander, Menander. Dicta autem Notha quemadmodum Nothus dicitur quisquis de dispari genere nascitur. Isidorus origin l. 1. c. 6.

Vide concordantia differentia.

Grammatica habet genus commune, quod duobus generibus communicat, vt hic & hæc canis. Idem.

Murium genus cum in domibus habitet, agreste tamen est, nec mansuescit. Cardan. l. de rer. variet. c. 32.

Pingues & bituminosæ aquæ dulcibus innatant, sic Peneus accipit Eurotam fluuium, nec recipit, sed olei modo supernatantem, breui spatio portatum abdicat, pœnales aquas, dirisque genitas argenteis suis misceri recusans. Georgius agricola l. 1. de his quæ effluunt è terra.

In Gadibus fons est qui modo cum oceani motibus consentit, modo dissentit. Ib. l. 3.

Olim apud Iudæos, nunc apud Indos & Mahumetanos, peregrinus nunquam sic donatur ciuitate quin peregrinitatis occasione à pluribus dignitatibus arceatur, ad quas soli indigenæ admittuntur, Escobar. tract. de nobilitate p. 1. quæstione 1. & 2.

Libera custodia dicebatur cum viri magnæ existimationis non erant in vincula conjecti, sed domi apud ciues custodiebantur. Talis etiam est conditio obsidum apud hostes, & eorum quibus vrbe vel Prouincia egredi prohibitum est. Rodig. l. 17. c. 9.

Participium dictum quod nominis & verbi capiat partes; à nomine enim vindicat sibi genera & casus, à verbo tempora & significationes ab vtroque numerum & figuram. Isidorus origin. libro 1. c. 10.

Parabolæ & similitudines non in omnibus respondent. Origen. in Math 13.

Locus subest omnibus corporibus, tanquam prima substantia immobilis, inalterabilis & incorruptibilis; quæ tamen rerum compositionem non ingreditur, cum eis subsistendo, sed cum eis existendo, & sub eis intrinsecè. Campanella in epilogo physiologiæ, c 1.

Sensus percipit rerum formas sine materia. *Vide veritas cognitionis*, sic iustitia sine acceptione personarum.

D. Chrysost hom. 16. in epist ad Rom. explicans illud figulus habet potestatem fingendi vas aliud, in honorem, aliud in contumeliam. Obseruandum, inquit, quod ipsa exempla, non omnia oporteat in vniuersum assumere, sed selecto eo quod in illis vtile est, ac cujus gratia vsurpata ea sunt, quod reliquum fuerit, id totum missum facere nos oportet, vt cum dicit Osee 13. occurram illis tanquam vrsa aporiata, quoad vltionem pertinet; Deus noster ignis consumens est, supplicio absumit, sic quod dicit. Rom. 9. figulus habet potestatem facere vas aliud ad honorem, aliud ad contumeliam, non debet intelligi Deus bonorum & malorum artifex, vt homo sit extra culpam, sed persuadet auditori à Deo rationem factorum non exigendam.

Magister sentent. dist. 3. q. 4. multis rationibus probat esse in mente nostra imaginem Trinitatis, sed exiguam, & qualemcumque, vt ex maxima parte sit dissimilis.

Angeli in corporibus assumptis dant motum non vitam. *Vide medium differentia*, instrumenta motus.

Substantia spiritualis quæ mouet cælum est altioris dignitatis, quam vt corpori vniatur. D. Th. in q disp. q. 6. a. 6. ad 13.

Non sic Angelus vnitur corpori, vt viuificet, sed vt moueat. Tost. Iudic 17. c. 4 x.

In hominum conuersatione latet mens, corporis etiam sensuum statutis suis horis nox veniens, obscurat, & hominum societates conuentusque dissoluit, vt singulos suis restituat cogitationibus.

NEVTRALITAS BONA.

SPecies particeps duorum generum contrariorum. *Vide concordantia contrarietatis, contrariorum vnio bona, & media voluntas, indifferentia*

Multi fluuij per hostium terras fluunt, eadem perennitate, & vtilitate, vt Garomna nascens ex pyreneis transit per Hispanos & Gallos, sic sol & sydera motu primi mobilis, lustrant æqualiter terras hostiles.

Britanni habent pro insigni pellem mustellæ seu muris pontici *Hermines*, amphibij generis, viuens in terra & in aquis, refert mores populi qui habitans regionem in modum peninsulæ, viuit ex terræ suæ fructibus, & maris commercio.

Ecclesiæ non debent muniri modo castrorum, ne hostibus dent occasionem illas destruendi, can. sanctorum Patrum, 11. q. 1.

Prothagoras Abderita dicitur discipulos docuisse artem, eundem & laudare & vituperare. Suidas in verbo, Abdera.

Succus balsami sincerus in laneam vestem fusus, neque maculam facit, neque si eluatur notam relinquit, vitiatus autem inhæret. Dioscorid.

Altare portatile, ad modum arcæ Moysis de quo Nicephor. l. 7. c. 46.

Materia indifferens ad omnes formas non corrumpitur.

Diogenes bellis ardente Græcia, velut cum ipso solo essent induciæ inter armatos erat inermis; inter pugnantes quasi fœderatus versabatur, à nullis injuriam perpessus, quamuis nihil antiquius haberet quam facinorosos homines corripere, id autem præstabat non sophisticis verbis molestissimis, sed quotidianarum exemplo actionum, quæ maximè salubris, quietaque reprehensio est. Maxim. Tyrius, ser. 20.

Inter planetas medij sunt, Sol, Luna, Mercurius. Card. de jud. genitur. c. 14.

Ambitiosi duo Rempublicam diuidunt, & eorum quilibet nititur quamplurimos in partes suas trahere. Vterque peccat in patriam, & quæ viro bono potest imponi necessitas parricidam, consilijs, opibus, armis juuandi? optaret publicæ quietis amantissimus, has discordiæ flammas extinguere proprij sanguinis vnda, sed cum inutilem videat vnius contra tot conjuratos conatum, quod vnum licet, secedit, incendium quod non potest sistere, vitat; ex Apostoli consilio dat locum iræ, si non totam Rempublicam, partem tamen eius saluam efficit. Non est quod objicias bonum publicum priuato præferendum; hic enim cessat esse publicum, quia diuisum & in æquali resistentia perit jus & actio, *vide æqualitas contrariet.*

Hæc vnicuique competit naturalis libertas non nisi bonum apparens amplectendi, at cuius ignorat quale sit jus vtriusque partis, nec ambigua dirimit inconsultus arbiter. Virtuti licet rebus etiam secundis à publicis se subtrahere muneribus, cur non & rebus turbatis, & sæuiente bello ciuili. Incurret fortassis odia partis vtriusque, at gloriæ pars est, dura pro virtute fortiter pati, *ex principiis*

Factum est silentium in cælo, dum Draco committeret bellum cum Michaële Archangelo. Hi qui ex officio non debebant pugnare, silebant.

Vide veritas medij, de eo quod est inter extrema medium.

Impar numerus est quem nullus in æqualia diuidit, quin in medio vnus intercidat. Boëtius arithm. c. 3. Impar autem numerus est Deo sacer.

MALA NEVTRALITAS.

Polydamas volens sistere ruentem ex alto molem, ab ea oppressus est, sic indifferentes ab his quos volunt conciliare franguntur.

Linea non componitur ex indiuisibilibus, nec humana societas ex indifferentiam affectantibus, qui scilicet in vnitate sua collecti nullis adhærent.

Plus interdum nocet maris vicinitas, quam nauigatio. *Vide potestas concordantiæ,* conuersatio malorum.

Acus contactu magnetis accepto in polum amore, si circumstante ferro trahatur, tremit incerta, & quam cæli partem respiciat, inuenire non potest.

Qui dubitat, infidelis est, cap. dubius, de hæreticis.

Partes octaui orbis inanes, partim ex natura signorum, partim ex natura circumjacentium syderum Constant. Cardan. aphoris. sect. 1. aph. 11.

A Planetæ in nodis significant ambiguitatem & ancipites. Ib. sect. 2. aph. 90.

De sacrilega libertinorum inter omnes religiones indifferentia. Vide quæ scripsi libello de indifferentia, c. 1.

Peccat problematicus homo qui hæreticorum simul & sanctorum Patrum, libros asseruat in Bibliotheca, hircos cum ouibus, an ambigit de Religione, & fluctuanti visum est arma tenere quibus posset Ecclesiam ad arbitrium oppugnare vel tueri. Quis huic potestatem fecit recipiendi veritatis inimicos? licet vita jam careant, nocent tamen; & quid frequentius quam putridis cæsorum cadaueribus, cum timeri desierunt, & solo aëris vitio pugnant, victores interire; vt venena sic scripta periculosè tenentur quæ sollicitant innocentiam; ad

B quæ securus accedat qui se vel alium opera sua perire voluerit, adsunt quidem antidota, sed quale beneficium, vt prosis, nocere, vt ægrum sanes, morbum efficere.

Vide concordantia contrarietatis contrariorum vnio mala.

Aliorum dissidia non sunt indifferenter spectanda, sed pro viribus componenda, vide supra hoc titulo, arbiter, conciliator.

Iud. 19. filij Israël delent habitatores Iabes Galaad, quia simul cum eis non pugnauerant contra Gabaonitas & tribum Benjamin.

C De virginibus non se benè gerentibus, dicendum est, vt aut nubant si se non possunt continere, aut contineant, si nolunt nubere. D. Hier. ep. ad Demetriadem.

Hæretici dolosè neutralitatem affectant. *Vide contrarietas veritatis,* ex eodem.

VITA RVSTICA, *Agricultura.*

Vitæ hominum duæ sunt, rustica & vrbana. Rustica prior & antiquior, quippe à Deo instituta, qui dedit homini agros colendos: ars autem humana ædificauit vrbes. Rustica pellit desidiam, corpus exercet labore, animum contempla-

D tione naturæ, ornat simplicitate & cæteris virtutibus, procul ab ambitu, inuidia, &c. Vnde Imperatores Romani pulchrum ducebant terram colere triumphalibus manibus, vnde illustres familiæ Fabij, Lentuli, Ciceronis. Firmiora, salubriora illic fiunt corpora procul à luxu, vnde ex agris sumpti milites, cæteris præstant, hinc quæstus honestus & stabilissimus, hinc pecunia, à pecoribus fœcundis. Cæteræ artes vtiles & commodæ, hæc necessaria, ideo non debent eius instrumenta propter bella aut debita capi, leg. prima, Cod. de agricol. & censit.

Plura de agricolarum vtilitate & priuilegijs. Vide Chasseneum, in catalogo gloriæ mundi, parte 11. consid. 37.

E Ad agricolas. D. Chrysost. hom. 19. ad popul. Antiochen.

De agricultura, Saluian. De agrestis vitæ laude. Maiolus dier. canicular. to. 2.

Hæc vita à tempestatibus ciuilis insaniæ remotissima, velut è specula videt curiales negotijs implicitos; hic quisque potest sibi vacare, se frui; hic modestè viuitur, seruatur integritas, somnum non adimunt curæ, inuidiæ, fraudes; dum quisque sic agrum colat, vt se magis. Æneas Syluius, libro 1. ep. 5.

Sunt

Sunt qui ægrè ferunt inter rusticos vitam agere, ex quibus nihil queant discere, nobis autem molestum est, inter eos versari, quos nihil docere possumus. Idem 293.

Theseus apud Athenienses nummis impressit bouis imaginem, vt ad agriculturam ciues pelliceret, Rodig. l.10.cap.2. sic facer apud Ægyptios bos apis.

Deus posuit hominem in paradiso vt custodiret illum, vitam illic agens conuenientissimam ad trahendum ad se influxum diuinum, & vt totus esset Deo sacrificium, Doctores Hebræi

D.Chrysost. hom.15. in 2. ad Corinth. dicit agriculturam primam esse artem, & omnium maximè necessariam, illi soli antiquos Indiæ Philosophos gymnosophistas vacasse; pudeat Christianos vanas ad luxum artes induxisse, imperium quoddam exercet agricola velut plantarum præfectus, quædam cohibet & amputat, quædam auget & excolit, obeundo iustitiæ munera. Ferarum velut hostium incursus reprimit.

Reges olim tenuit stirpium colendarum curiositas, id in regno postea vtiliter obseruaturos, quod in hortis didicissent; vbi nihil respondet labori, nisi temporis exactissima ratio habeatur, siue iuuanda sit sterilium arborum paupertas, siue diuitum inutili lignorum copia lascinientium castiganda luxuries

Thomas Morus in sua Vtopiæ Republica, dicit ciues omnes à pueritia in tractanda agricultura diligenter exerceri.

Adam filijque sui vt vitæ necessitatibus prouiderent, cœperunt terram colere, greges ducere, vnde prima Philosophia agricultura fuit. Hinc decreta syderum cum priorum obseruationibus nectentes, Astrologiæ dederunt initia. Van helmont. tractatu natura contrariorum nescia.

Iustinianus ait mancipia rustica esse veluti membra rerum immobilium, Nou.7.

Bellum injustitiæ magister, &c. apud agricolas æqua accipientis, ac dantis conditio est, justum commercium. Plantis inseruis, recipis fructus; segetes aras, alimoniam metis; excolis vitem, vberem vindemiam agis, &c. Maximus Tyrius, serm. 14.

Adam positus fuit in paradiso vt operaretur, & custodiret illum, non ex necessitate ad victum comparandum quem sponte dabat terra, sed ad delitias, vt in operibus terræ Dei prouidentiam magis agnosceret, & ei cooperaretur, Tost. Genes. fol. 107.

Rustici ouium collactanei, alimento similes mores trahunt, candidos non cruentos.

Vita quieta & solitaria plus habet securitatis & innocentis voluptatis, ruri, quam in vrbe. Vide quæ scripsi mor Christ. to 2 parte 1. c.8 & 9. hortorum cultura delectabilis & gratissima est sapienti in suo secessu. Ib parte 2. c 9.

Diuus Hieronymus epist. ad Rusticum exhortatur Monachos ad vitandum otium, hortos colere; olerum semina jacere, plantas per ordinem ponere, &c.

Agriculturæ laus & priuilegia, Clem.7. const. 5. Pius V. const. 16.

Agriculturam clerici in terris proprijs exercere possunt licitè, Clemens 8 const.72.§.5.

Agriculturæ fauore tertiam partem vitulorum nascentium mensis Martij, Aprilis & Maij, seruari & nutriri mandauit Clem.8.const.72.§.6.

AGRICVLTVRÆ GRATA simul & vtilis exercitatio.

DEMONSTRATIO.

BONITAS, patet in cœlis, elementis, ordinatissima tempestatum anni serie, totius naturæ commercium dando & accipiendo perfici. In hac communi permutatione præcipuas partes agit homo, & omnium indigus, cum multa naturæ debeat, ipsi plura quam acceperit, arte sua securus confert. Primos quidem suos fructus terra produxit ad vocem Dei, pulchritudinem & fœcunditatem præcipientis; sed senium effœta spinas tantum & tribulos proferret, indigna nociuaque fœcunditate luxurians, non esset nobis amplius optimæ parentis loco; si non illi manus agricolæ subuenirent.

MAGNITVDO, vix vnicum in orbe toto solum inuenies, quod sibi relictum, vltro suis alendis sufficiat incolis; quod enim sponte sua frumentum, alias tritici species vnde fit panis, fructusque gustui gratos profert, vt humanæ vitæ necessitatibus prouideatur? Etiam sub fœliciori climate terra nulla, est sic ferax est omnium, ad habet ab agricultura vt omnia sint in omnibus; frumentum enim excultæ regiones ferunt, etiam sub cælo, æstu, frigore, niuibus aspero; oleo vinoque supereffluentes cæteras, vtiliter in indigas se nauigijs exonerant.

DVRATIO, soli cujusque vim propriam vsu deprehendunt incolæ, & longo sæculorum experimento per manus artem majores tradiderunt, quam ad perfectum adduxerunt posteri. Nunquam hic vacat industria, per autumnum & hyemem sulcos parat, his semen committit, ligna cedit, in frugiferis luxuriem castigat, donec vere redeunte, ex gemmis floribus arborum, ex camporum læta, cumulata viriditate, bonas hujus anni spes concipit. Has confirmat sub ardentiori sole proficiens maturitas, quæ messis tempore præteritis laboribus, interdum ampliora, quam quæ promissa fuerant, præmia decernit. Sic semper in procinctu, languoris impatiens agrestis vita fluit, & operum occurrente varietate reparatis viribus, successiuas anni tempestates officiosa sequitur.

POTESTAS, hinc apud antiquos fuit agricultura regiminis tyrocinium. Hic enim discit sapiens, singula suis operari temporibus, occasionem obseruare venientem, ne frustra diffluat, cœlo, varijsque rerum conditionibus consentire. Imperat agricola naturæ, solum de sterili fœcundum efficiens, & sic princeps populo, quem ignauum, artibus, commercijs, tandem bellis exercitatum, in diuitem victoremque fœliciter transformat.

COGNITIO, vilescit agricultura, quod ab hominibus, jumentorum instar labori corporeo tantum addictis, nihil præter consuetos agendi modos, capientibus exerceatur. Melius de illa censuere Romani Senatores, qui quas didicerant naturæ leges in agri cultura, in album transferebant, ijsdem latè populos recturi. Hic vniuersalis Philosophiæ citra sectarum controuersias patet schola; hic veritas non intelligitur tantum, sed vi-

detur & sensibili demonstratione mentes cognitionis auidas à minimis ad maxima manu ducit. Salomonis fuit sapientia de cælis, elementis, plantis, animalibus disserere, quod nullus nisi rebus ipsis in agro præsens potest assequi. Sublimior planetarum Saturnus, ad abstractas sublimesque scientias, simul & agriculturam inclinat, harum quippe magistram.

Volvntas; Arbores, animalia, segetes, sterile solum fertilitati redditum agri cultor videt & amat vt aliquid sui, fallit tutelæ laborem, auget possessionis delicias amor proprius, vixque se continet dum læta camporum & hortorum facies suo blanditur cultori.

Virtvs, vt omnimodæ speculationi sic virtuti locus est, hic iustitia vnicuique suum reddit. Nouellis indulget, sitientibus stillat aquas; armenta, greges suis excipit pascuis. Prudentia præteriti memor, præsentia futuraque captatis temporum occasionibus ritè disponit. Ignoratur hic luxus qui familiarum splendorem, corpora, mentesque debilitat, & viget florida, laboribus exercita sub temperantiæ legibus sanitas, nec vacat fortitudo patienter ferens cæli sæuientis interdum iras, & malis vrgentibus inconcussa mens, qua fieri potest industria remedia conquirens.

Veritas, simplex hic vita, nullis nisi contra feras dolis vtitur, naturam vimque nocentem arte superans. Sæpe videt spes de floribus & herbis conceptas, ærugine, pruina, vento discuti, & hinc discit hac in sublunari statione multa licere casibus, fidem humanam sæpius falli, factaque non semper promissis respondere.

Gloria, status perfectaque quies hic nulli conceditur, vita tamen agrestis vrbanæ tumultibus comparata cœlum est, in quod negotiorum pondere pressi velut raptu ad tempus confugientes recreantur, naturæ diuino radio splendentis, & sua tranquillè perficientis vultu.

Differentia, ad rus, vt in portum se recipiunt mundana tempestate vexati. Hic Ioannis Baptistæ seruata fuit integritas, hic sanctitatis & diuinorum auidæ Monachorum turmæ, florentem, lætam, fœcundam effecere solitudinem, elementum est innocentiæ, in quo procul à ciuilium tumultu posita mens spectare non potest statas periodos syderum, ordinatissimas tempestatum anni varietates, naturæ se modo proferentis, mox

A in se redeuntis alternos vultus, sine numinis talibus præsidentis intimo sensu, cultuque profundissimo.

Concordantia, hominem agricultura non efficit ab humana societate penitus alienum, non extorrem, exulem, mysantropum; habebit fidos amicos pari genio innocenter voluptuoso labori studioque deditos.

Contrarietas, languescit, facileque corrumpitur inter vrbium delitias fœlix etiam indoles, at in agris exercetur, perficitur otij nescia, vnde fortiores ex pagis quam ex vrbibus eliguntur milites.

B Principivm, primum hominem Deus, fœlicem & solitarium posuit in paradiso voluptatis vt custodiret illum. Ad culpam vel vnius vxoris pellexit societas. Vitam quam creator velut optimam homini præscripsit, quis non credat innocentiæ & fœlicitati congruentissimam. Vt prior cæterarum parens est, earum etiam prouida nutrix, quidquid insolescat tumens ciuilis vanitas.

Medivm, hinc enim vrbici quotidie mutuantur alimenta, lassi, territi confugiunt in sinum maternum, narraturi quas extra passi sunt calamitates.

Finis, circularem cælorum naturæque motum sequitur agricultura, in eadem statis redit temporibus. Agit vnum & multa, vnius artis, vnius pruden-
C tiæ regulis, innumeris casibus occurrens, & congrua præbens subsidia.

Maioritas, cum res externæ hic ordine suo naturali veniant, impressus animis excellentiæ sensus, totus in virtutum profectibus impenditur. Generalia veritatis axiomata nouis in dies illustrantur experimentis, quæ posteris relinquere gratissimum est.

Æqvalitas, cum plures naufragia sorbeant, bella regnantium vanitati immolent; aula conterat, elatos agat præcipites, sibi plaudit in recessu positus agricola, sic tranquillè suis fungitur muneribus, vt semper sibi Deoque vacet.

Minoritas, censeatur licet in vltimo Reipu-
D blicæ gradu fœlix est humilitas quæ minimis agitatur casibus; diues proprijs naturæ potius quam fortunæ donis; sic terra elementorum dejectior, cælo sibi fauente, cæteris quietior, pulchrior, fœcundior existit.

Digitized by

FINIS CONCORDANTIÆ.

DISSOLVTIO SOCIETATIS.

ABRAHAM & Loth, propter gregum abundantiam ab inuicem separantur. Societate crescunt opes, sed opibus decrescit societas; creuere cum prædijs famuli, cum famulis rixæ, terram itaque partiri maluerunt quam corda. Hæc est humanarum rerum necessitas, sociata augeri, aucta diuidi, diuisa perire. A

De anima separata, vide quæ scripsi Theol. natur. to. 2. parte 1. c. 46.

Cætera quæ sunt accidentia in subjecto quiddam imprimunt, quod non statim extinguitur, sed lumen adeo leniter aërem afficit, vt subducto corpore lucido, nullum sui vestigium relinquat.

Absentia Reipublicæ causa, quæ diuturna futura est, est justa causa dissoluendæ societatis, etiam intempestiuè, l. 16. ff. pro socie. B

Allegatio nouę causæ in casu fractę pacta, vel treugæ quænam sit, declarat Pius V. const. 9. §. 3.

Piscis in aquis vulneratus ad littus appellit, relinquens similium gregem, & proprium elementum. *Vide duratio virt. R.* apostasia.

Princeps potest facere de ciue forensem propter suum delictum, l. si quis filium, c. de l. præterit. Baldus.

Ptolomæo proximæ mortis indicium fuit, quod crocodylus sacer à sacerdotibus euocatus coram ipso non venerit. Plutarch. l. de industria animalium. Pediculi deserunt morituros, mures domos ruinæ proximas, pisces & mergi præuisa tempestate, ad littora properant, sic amicos periclitantes, deserunt amici fortunæ. *Vide cognitio contrarietatis,* præuisio mali. C

Christus desinit esse sub speciebus in Eucharistia, per eam alterationem, per quam desineret substantia panis & vini; quæ debet esse maxima, vt non per quamlibet aspersionem aquæ, calorem, &c. desinit esse panis.

Sponsalia dissoluuntur voto Religionis aut castitatis, reclamatione puberum, si facta sint ab impuberibus; lapsu termini præscripti, discessu in longinquum sine licentia partis, denique, dolo, metu fornicatione, mutuo consensu; de his singulatim. Vide Bonac. de sponsalibus, per subsequens matrimonium legitimum, per impedimentum dirimens, vt error personæ; affinitas superueniens per fornicationem, cum ea etiam dissolueret contractum matrimonium quoad thorum. D

De anima soluta corpore. D. Aug. epist. 100. & 101.

De mundi consummatione. Hipolit. Bibl. Patr. to. 12.

Vnio beneficiorum facta causa necessitatis. cessat, cessante necessitate. Feuret. de abusu l. 2. c. 3. argto l. 1. l. si senatus ff. de ferijs, can. de Syracusanæ d. 28. can. quoniam multa, d. 48.

In statu Venetiarum est ciuitas Concordia, olim florentissima, nunc penitus deleta.

Melchisedech sacerdos dicitur esse sine patre & matre, & eius genealogia non recensetur, quod ex dignitate Pontificia fuerit supra omnem statum humanum subuectus. Geneb. a. m. 1949. sic patriciatus dignitas liberat à patria potestate.

Apud Chymicos mixti dissolutio fit calcinatione, cum scilicet ignis consumit humidum accidentale, quo mixti partes connectebantur, fit etiam corrosione, vt addito Mercurio, qui igne supposito euanescit & metallum cui junctum erat, relinquit dissolutum in modum calcis, idem fit per aquas fortes, & succos acidos.

Ea sola nata sunt misceri, quæ possunt separatim existere.

Singulæ corruptiones fiunt, aut rei alienæ admistione, aut propriæ defectu. Pereunt vero permistiones, alias externis aliquibus immistis, alias parte alia vitiata, aut interno modum excedente, etiam corrupta vna parte totum perit, sic enim fructus corrumpitur & lac & vinum, & reliqua generis ejusdem. In contrarium omnia transeunt, Theophrast. de causis plantar. libro sexto, capite 10.

Vide principium minoritatis, causæ corruptionis.

Terra quantum ad naturam suam particularem attinet, est solida quia stringitur sicco & frigido, & quia æqualiter partes eius omnes festinant ad centrum, & vna in circuitu comprimitur circa aliam. Continuo tamen calore solis & stellarum agente in humidum, quod erat in poris eius exhalauit, & factæ sunt concauitates, in quas aquæ se recipiunt. Albertus Magnus, meteor. libro 2. tract. 2. c. 10.

Ossa mons aliquando continuus fuit monti qui vocatur olympus, & per terræ motum per longum spatium est ab eo diuisus: & aliquando Sicilia hæsit Apuliæ, & ex ea diuisa est per terræ motum, & mare fluxit in medium; & sic Hispania aliquando hæsit Africæ, & simili modo ab ea interjecto mari diuisa. Seneca, libro sexto, natur. quæstion.

Liquefactio soluit partes mixti, & tunc diffluunt & non constant.

Si limetur ferrum & projiciatur desuper puluis sulphuris & auri pigmenti, & benè temperetur cum limatura ferri, & postea sit in forti igne, cito liquescit, quia sulphur juuat adurendo, & soluendo grossum terrestre ab humido apprehenso in ipso. Idem l. 4. t. 2. c. 9. *Vide medium differentia.*

Quædam franguntur, quædam comminuuntur. *Vide magnitudo differentia.*

Animalia mansueta, quæ facta sunt fera & amise-

runt consuetudinem redeundi ad Dominum, censentur recuperasse pristinam libertatem, & fiunt primo occupantis, §. feræ. Inst. de acq. rer. dom.

Finitur & desinere debet societas cum his qui fiunt mali. *Vide potestas concordantiæ*, malorum, & *virtus concordantia*, amicitia contineatur virtutis legibus.

Captis vrbibus perhibebantur dij excedere, quia tunc templa prophanantur; excessere omnes adytis, arisque relictis, dij quibus imperium hoc stetit. *Vide duratio concordantiæ. Rep.*

Stygis aquæ sunt accerrimæ, vasa ex metallis confecta quibus continentur, perfringunt, vt fortes factitiæ. Georgius agricola, l. 1. de causis subterraneorum.

Terræ partes vetustate soluuntur, *vide minoritas finis*, senectutis incommoda

Corruptis Eucharistiæ speciebus statim ab ea Christus discedit, sic ab anima & à gente corrupta. Non diu vixit postquam positus fuit inter latrones.

DIVORTIVM.

De diuortio Lotharij, & Tetbergæ, Hincmarus. Bibl. Patr. to. 16.

De vxoris dimissione, homil. aster. Bibl. Patr. tom. 13.

In Concil. Aquisgranensi III. Lothario Regi permissum est diuortium cum Teutberga prius vt vxore, quia ante matrimonium erat incœstuosa, incœstuosum autem conjugium est interdictum. Concil. Galliæ, ann. 862. *Vide duratio concordantia.*

Vide duratio virtutis, Rep. apostasia.

Vide supra proximè, *media concordantia*, de Erota fluuio.

Successionis gradus septem constituti sunt, quia vlterius per rerum naturam, nec nomina inueniri, nec vita succedentibus prorogari potest, Paulus l. 10 ff. de gradib. affinit.

Indorum Philosophi asserebant mundum habere tempus initiale tendereque in interitum, Rodig. l. 18. c. 31.

Semina heterogenea scilicet ex diuersis constantia Iudæis non licebat serere, neque conseruare, sed licebat comedere. Voisin. de lege diuina, cap. 15. sic muli ex adulterio naturæ nati non generant.

Sponsalia dissoluuntur mutuo consensu, etiamsi sint iurata. capite 2. & cap. præterea de sponsalibus.

Fit vnio Ecclesiarum vel ad tempus, vel in perpetuum, c. 2. de vnione Ecclesiar. dissolutione concessa omnia in antiquum statum redeunt.

Soluit societatem cum sanctis qui malis impenditur operibus, *vide concordantia virtutis*, congregatio bonorum.

Thomas Morus in sua Vtopiæ Republica lib. 2. refert, cum non satis inter se coniugum mores conueniunt, repertisque aliis cum quibus sperent se suauius victuros, Senatus authoritate matrimonia dirimi. Id tamen non facilè, quod rem minimè vtilem sciunt firmandę conjugum charitati, facilem nouarum nuptiarum spem esse propositam.

Olim nudo consensu matrimonia dissoluebantur, l. si constante c. de repud. Id prohibuit Iustin. Nou. 117. & iterum Iustinus permisit dissolui bona gratia, id est dulciter sine quærela, & sine libello repudij. Causæ autem sunt sterilitas, l. & ideo ff. de donat. inter vir. & vxor. debilitas mariti qui per biennium nihil potuit cum vxore, l. pen. c. de repud. captiuitas & patientia quinquennij excepta liberta quæ propter captiuitatem patroni, non dissoluit matrimonium, l. eo iure, §. vlt. ff. de rit. nupt. Addit Iustin. Monachismum ex mutuo consensu, Nou. 22. super qua fusè Cujacius. Causæ repudij, tum ex parte viri, tum ex parte vxoris enumerantur, Nou. 117. c. 8.

Diuortium fit inter eos conjuges, quorum alter in mortem alterius machinatur, cap. si qua mulier de diuort.

Repudium est præter naturam, & præter legem, præter naturam quidem, quia vna caro diuiditur; præter legem vero, quia diuiditur quod Deus conjunxit, & jussit non diuidi. Tostat. Math. tom. 5. 81.

Lege Iulia nullum diuortium ratum est, nisi 7. ciuibus Romanis, puberibus adhibitis præter libertum eius qui diuortium faciet, l. 9. ff. de diuort. Collige sarcinulas, clamat libertus, & exi, Cujac. obseru. l. 8. c. 26.

(∴) (∴) (∴)

MAIORITAS CONCORDANTIÆ.

NIMIA ADHÆSIO ET FAMILIARITAS.

Masculinum quia est formans, & quasi sigillans in generatione est siccius & durius, & per consequens asperius in tactu. Fœmininum autem eo quod formatur & sigillatur, habet proprietates his oppositas, sicut mollitiem, humorem, lenitatem, quia ista bene faciunt suscipere formationem, Albertus Magn. tract. 1. de vegetabil. c. 7. Rectores non sint nimium familiares, sed habeant aliquid seueritatis.

Loca arenosa sunt sterilia, quia vapor è terra eleuatus expirat inter arenas per diuersas partes, & non est satis solidæ essentiæ & cohærentiæ, vt formetur in plantam, Ib. l. 4. c. 3.

Animalia quadrupedia ferè omnia habent in pedibus calcaneum, & talum, ad impediendam nimiam pedis acuti profundationem, quia illa im-

pediret motum voluntarium animalis, Idem libro secundo, de animalibus c.1. Occurrentibus negotijs non est nimis inhærendum, sed ad vlteriora properandum.

Corpora humida vt aër & mare plures patiuntur alterationes.

Plures Reges Indiæ raro visibiles se ostendunt suis populis, bis tantum in anno se profert Rex Sian juxta Sian, præcedente magno numero elephantorum, auro gemmisque ornatorum, vni insidet rex manu propria magnam pœcuniæ vim in populum spargens, Dauity.

Quædam picturæ non nisi ex distanti pulchræ apparent. Herodes cupiebat Christum videre, quia multa de eo audierat, visum spreuit, Luc. 23. Apostolus dicit, 2. Cor. 10. Epistolæ graues sunt, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis. Minuit præsentia famam.

Musici & saltatores qui prætio conducti omnium adsunt festiuitatibus, *vide concordantia potestatis mala*, de adulatione.

Ne duo clerici aut Monachi in vno stratu recumbant, Conc. Turo. II. ca. 14.

Phœnicem nullus vidit vnquam vescentem. Plin. l. 10. c. 2. D. Ambrosius & plures alij sancti fugiebant sæcularia conuiuia.

Nulli te facias nimis sodalem
Gaudebis minus: at minus dolebis.

Leu. 16. præcipitur Aaroni ne intret omni hora in sancta interiora, quod est intra velum ante conspectum propitiatorij, quod est super arcam testimonij, & non morietur.

S. Gregorius Nyssenus nimis familiariter egit cum homine sibi infenso, *Vide duratio contrarietatis*, hostibus non fidendum.

Etiam in spiritualibus, nimietas est vitanda. Vide *virtus medij*, discretio, *& duratio gloria*, *Rep.* accessus, & discessus sponsi.

Nimia familiaritas repugnat majestati principis, *vide gloria potestatis*, *Rep.*

AD PLVRES AMOR malus.

QVi omnibus blandiuntur & amicos se profitentur. Gratias, virgines, vt scorta prostituunt.

Proprium quarto modo, quod soli conuenit, cum re reciprocatur, vt proprium homini est esse Grammaticæ susceptiuum, & qui Grammaticæ susceptiuus est, homo est, Arist. 1. topic. 5. vera redamatio, est tantum inter duos.

Vide minoritas durationis, inconstantia, *minoritas æqualitatis*.

Barbari Canadæ, habent quædam vocabula plus 12. aut 16 syllabarum.

De dualitate quæ est particeps vnitatis, *vide media concordantia*, ex Cusa.

Videtur vis magnetis auferri, quando multum ferri venit in virtutis participationem.

Deus vnicum Christum habuit sibi dilectissimum, *vide maioritas voluntatis*, amor præ cæteris.

Clericus vxorem, nisi virginem non ducat, Leu. 21. 13. & Conc. Taurinens. sess. 2. c 4. & cap. seq. qui non virginem duxerit clericus non fiat, aut qui secundam habuerit vxorem, vide 1. Tim. 3 vnius vxoris virum.

Monet Theophrastus hist. plant. l. 1. c. 1. In anima-

A libus & plantis non omnia esse similia; quæ autem assimilari nequeant, assimilare velle, superuacuum esse, ne vel propriam ipsam rei speculationem amittamus.

Omnia auctu faciliora, grandioraque veniunt, seminibus depositis quam sparsis, Idem libro 7. capite 5.

De vago concubitu malo, *vide bonitas principij*, bona fœcunditas.

Charitas secundum Guillelmum Parisiensem, dicitur quasi chara vnitas.

Ex Trismegisto monas gignit monadem, & in se suum reflectit amorem. Id est, vnus Deus produxit vnum mundum, & fecit propter sui ipsius amorem.

Perspicuitas cum insit in aqua, obscuratur vbi multam patitur admixtionem: aufertur vbi atro succo perfunditur, Georgius agricola, l. 1. de causis subterraneorum.

In terra solida calor conclusus omnem vim & operam vndique conferens in materiam vnum parit lapidem, & eum quidem magnum, aut paruum pro materiæ magnitudine vel exiguitate. Frigus etiam lapides prætiosos efficit plerumque singulares, quod puri succi ex quibus constant gemmæ perraro multi numero & magni in vnum locum congregentur. Plures verò lapides gignuntur, si locus non fuerit omnino solidus, sed meatus ha-
C buerit, per quos calor se emittere possit. Ibidem l. 4.

Plures vxores aut viros habere non licet, can. nemo 32. q. 2. cap. licet, cap. tuas de spons. duor. can. quidam 24. q. 3.

De eo qui solius Dei seruus est, nemo potest duobus dominis seruire, *vide virtus differentia*, virtus in secessu.

Cant. 1. dicitur. Introduxit me rex in cubiculum suum, non ait introduxit nos plures; plures foris remanent, in cubiculum sola ingreditur sponsa, vt videat thesauros absconditos, Orig. hom. 1. in can.

Math. 16. vbi sunt duo aut tres congregati in no-
D mine meo, ibi sum in medio eorum, sicut Petrus, Iacobus, & Ioannes quibus Christus ostendit gloriam suam. Difficilè autem videtur hic consensus in multis, vt sint per omnia vnum sentientes, & non sit modica dissentio inter eos, arcta est enim via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ingrediuntur per eam; tamen credentium fuit cor vnum, Act. 4. Separat autem Iesum dissensus, Idem tract. 6. in Math.

Meretrices non gignunt, quia in vno eodem tempore vicino cum pluribus coeunt, Idem Gen. f. 319.

Canes venatici aberrant in vere, quia ferarum odorem confundunt, odores multi qui tunc exhalant è plantis & arboribus, sic amicorum multitudo confundit affectus.

E Vestrogothorum equi sunt generosissimi, sed eorum primi sessores signis secretis, in voce, sono, tactu instruunt, vt hilariter ruant ad imperata; alios autem sessores qui hæc ignorant signa, dorso excutiunt, anteriores, vel posteriores pedes in altum immodicè subleuando, ita multi periere, Olaus Magn. l. 8. c. 17.

Caritas dicitur quasi cara vnitas, quia vera est ad vnum, Laurent. Iustin. tract. de caritate, capite 13.

Cum inter duos planetas alius medius intercesserit, priorum nulla fit virtutis mixtio, nisi per medium ex altero in alterum deferatur. Car-

Digitized by Google

dan. aphor. sectio. 3. aphor. 32.

Cum plurimi planetæ in eodem signo, non in eadem parte fuerint, temperaturam ad vnum genus, & actiones, inclinabunt, dabuntque succedentia sibi in annis plurima, sed nihil egregium promittunt, Idem sect. 4. aph. 2.

Sapienti secessum amanti non conuenit multorum amicorum copia, vide quæ scripsi, moral Christ. to. 2. parte 1. c 33.

Felix qui crudis simplicibus morbos tuto, atque promptè tollere nouit, est enim antiquior medendi methodus in sacris notata, quod de terra medicinam creauerit altissimus, siquidem ens specificum non potest non per ignem alterari, ideo non infrequenter extracta atque magisteria debilitantur. Spargyria quidem multa deducit ad gradum majoris energiæ quia ens nouum suscitat, sed alias multa clam suffurando debilitat per ignem, sint rerum semina horum testes, quædam namque sponte propria pullulant, aliqua egent paucissima per artem præparatione, nulla tamen ignem admittunt aut analysim, potestates enim quæ immediatè in natura hærent gremio agunt more influentiali, nec igni submitti libenter volunt. Van helmont. tract. natura contrariorum nescia.

Nouitius vnicum tantum habeat præceptorem, *Vide virtus differentia*, virtus in secessu, & *medium cognitionis*, director spiritualis.

Duo non possunt ejusdem rei esse possessores in solidum, sed pro parte, l. si vt certo, §. si duobus, ff. comm. l. duo, ff. de precar. Vide Cujac. obseruat. l. 9. cap. 32. Nemo potest duobus dominis seruire.

Materia prima cupida est omnium formarum, ideo omnium expers.

Multum cauendum est ne ager seratur, diuerso simul semine, vnum enim semen magis contrahet, quam alterum, & tunc vnum adurit alterum, & interdum vtrumque impeditur à germine si sint contraria, Albertus Magnus, libro 7. de vegetabil. cap. 9.

Aduocati non debent suscipere multitudinem causarum vltra quam intendere possint. Paulus V. const. 71.

Aggregare confraternitatem sæcularium permittitur, vnam tantum in singulis locis, Clement. 8. const. 115.

In pluribus amicis dum vnus alterius officium expectat, nullus præstat; singuli languidè seruiunt, res autem efficacia indiget, si plures mutuam pœcuniam petant, omnibus negando, omnes perdes amicos, si des vni, pro vno, omnes facies inimicos.

Conuersatio fortuita quæ euitari nequit, ad plures extenditur, voluntaria autem quæ expetenda est, paucis est contenta. Omnibus subridere, vitij potius est indicium, quam lætitiæ.

POLYGAMIA.

IVstinian. l. nemo Iudæorum, cod. de Iudæis, prohibet Iudæos habere simul plures vxores.

Lamech fuit primus, qui induxit polygamiam simultaneam, Tost. Gen. f. 28.

Salomon ex tot vxoribus quas habuit, non habuit nisi vnicum filium, scilicet Roboam, & illum habuit, priusquam multiplicaret sibi mulieres. Idem Math. tom. 5. fol. 86. Vnde patet pluralitate vxorum, vim generatricem debilitari & extingui.

De prohibenda polygamia, vide quæ scripsi moral. Christ. to. 3. parte 2. c 1.

Bigamus est irregularis, can. 17. Apostol. Est autem bigamia triplex, vna vera, cum aliquis duas vxores habuit, & cum vtraque copula intercessit; altera interpretatiua, quando non verè sed virtualiter duplex matrimonium intercessit, vt si duo illicita contraxerit, vel vnum licitum, alterum illicitum, aut si viduam, aut ab alio corruptam duxerit, 3. est similitudinaria, qua solemni voto castitatem professus, irregularis fit, si vxorem etiam virginem ducere tentauerit, eamque cognouerit de qua, can. quotquot 27. q. 1. glossa, in d. can. 17.

Adam vnam vxorem habuit. Primus Lamech maledictus, & sanguinarius, & de Caïn stirpe descendens, vnam costam diuisit in duas, & plantarium bigamiæ protinus diluuij pœna subuertit, D. Hier. ad Saluinam in fine.

Noë introduxit in arcam cum tribus filijs, singulas, non binas vxores, etiam de immundis animalibus bina sumuntur, masculus & fœmina, vt ne in bestijs quidem, serpentibus, crocodilis, ac lacertis bigamia habeat locum. Idem ad Geróntiam.

QVÆ CONGREGATIONES prohibendæ.

MAre rubrum, in transitu filiorum Israël, non fuit diuisum in 12. diuisiones quot erant tribus, sed bifariam tantum, lata via omnibus simul aperta, Theodoret. in exod. q. 25.

Plures planetæ Australes aut Septentrionales, maximè si sint conjuncti denotant in ea parte magnas alterationes, & sunt signa pestis, Fracastor l. 1. de contagione, c. 13.

In natura est motus congregationis, quo partes homogeneæ in corpore aliquo separant se ab heterogeneis, & coeunt inter se, vnde fit corruptio prioris formæ; ligatur autem hic motus torpore corporum, fræno dominantis virtutis, scilicet formæ, & motu externo qui impedit putrefactionem, vt in aëre, aqua, &c. Bacon. in nouo organo.

Virgilius 2. Georgic. sceleratum vocat frigus, at sceleratum exquirere frigus, difficile est, frigus congregat heterogenea, cupiditas quoslibet etiam diuersi genij.

Vide concordantia æqualitatis, mala similium, Monopolia.

Caueat Religiosus à singulari quorundam affectu, à factionibus & coniurationibus. Vide quæ scripsi, l. de institutione & officiis religiosi, parte 3. c. 23.

Principes sæpe prohibuerunt quædam collegia propter commessationes, & compotationes intemperanter in illis fieri solitas, aliquando ne seditiones mouerent, Cujac. obseru. l. 7. c. 30.

Consanguinei non debent esse in eodem concilio, *vide concordantia potestatis*, concordia rectorum.

Cardinalis non debet esse nepos ex fratre, vel sorore summi Pontificis, vel Cardinalis secundum Synodum Basilensem, §. final. de numero & qualitate Cardinalium, in pragm. sanct.

Affines consiliarij, quia conjurati, fiunt nimis potentes, ita suspecti.

Digitized by Google

MAIORITAS CONCORDANTIÆ bona.

MAjor debet esse concordia cum consanguineis. *Vide concordantia æqualitatis.*

A Majorem habet concordantiam, aër cum igne quam cum aqua, quia proximior est cælo continuo, Albertus Magnus, libro primo, meteor. tr. 1. c. 3.

Fratres ex eodem patre eademque matre præferuntur cæteris in successione. Vide *æqualitas principij.*

(:.) (:.) (:.)

MINORITAS CONCORDANTIÆ.

MONODICA SEV CVM ALIIS CONVENIENTIAM non habentia.

VOLVCRVM solus vespertilio carnem gignit, cum reliquæ oua pariant, sicut vicissim quadrupedum, sola testudo oua parit, Suidas in voce νυκτερις ex serpentibus sola vipera viuum animal parit.

Camelus inter bisulca, & quæ ruminant, solus cornibus caret, Cardan. lib. de rerum varietate, c. 23.

Turingijs in puteo altissimè effosso inuentus est lapis qui solidi pectoris humani speciem præ se ferebat, hunc natura singularem procreauerat, Georgius agricola l. 5. de nat. fossilium.

Sunt quædam genituræ monstrosæ quas fugere oportet quia artem euertunt, sicut in dissectionibus corpora monstrosa, Cardan. aph. sect. 3. aph. 11. non respondent enim significatis.

Vide magnitudo differentia.

ESSE SINE SOCIO ET amico quando bonum.

MIxtio facit alterationem, sic si supposito colori alter supponatur, ex duobus fit medius color, si commiscantur elementa, ita quod plurimum & minimum eius, sit cum minimo & plurimo alterius, conuenit omnibus habere partes perspicuas cum partibus operis, Alb. Mag. tr. 2. de sensu & sensato.

Societatis onera. Vide *gloria concordantia, Regg.*

Quæcumque commixta sunt, prius fuere separata, & iterum post mixtionem separabilia. Albertus Mag.

D. Hieronym in vita S. Pauli Eremitæ, refert in antro pulcherrimo quod incoluit, fuisse lucidissimum fontem, cujus riuum vix foras erumpentem, statim modico foramine, eadem quæ genuerat aquas terra sorbebat. Videbatur significare solitarium sibi, non alijs vacantem.

Silet in nemore concentus auium, si quis repentè adueniat.

Animalia castrata citius impinguantur, quia vis seminaria vertitur in propriam substantiam.

Firmissimis argumentorum singulis instandum,

B infirmiora congreganda sunt, quia illa per se fortia non oportet circumstantibus obscurare, vt qualia sunt appareant; hæc imbecillia natura mutuo auxilio sustinentur, Quintil. Inst. orator. libro 5. c. 12.

Arma seu insigniora nobilia, sunt magis simplicia, sine additamento vt Regis Galliæ tria lilia aurea, in campo azuro.

Nobilium est, extra magnum vrbium commercium ruri degere.

Apud oratores, epitheton, nisi aliquid efficiat, redundat, efficit autem, si sine illo, quod dicitur, minus est. Quintil.

De vita Rustica. *Vide media concordantia* De vita solitaria, *vide gloria virtutis, & virtus differentiæ.*

C Bonacina in fine vlt. disput. de sacrificio Missæ, excusat puellas, à præcepto audiendi missam, si talis sit consuetudo patriæ suæ, vt domo, ex quacumque causa non egrediantur.

De cœlibatu. Greg. Valent. contr. sect. 6. *Vide virtus potestatis*, integritas sacerdotum.

Summus gradus qualitatis elementaris, qui dicitur vt octo, cum nullo alio stat & miscetur, vt calidum in summo Fracastor.

Oleum cum aqua non potest misceri, quia igneum & aëreum cum sit, supernatat, & pingue, non patitur partes à se inuicem diuelli. Idem.

Feræ fugiunt ciuitates, vitia solitudinem; itaque vita corporea securior in vrbibus, spiritualis in solitudine.

D Solitarijs defectus vrbanitatis prodest ad integritatis suæ conseruationem, vt mari sua salsedo ne corrumpatur.

Abstrahentium non est mendacium. Aristot. 2. physic. tex. 18. Id est, res per se considerata, non cum alijs quibus conjuncta est, rectè cognoscitur, verus homo, solitarius.

Accidens est, quod adest & abest, præter subjecti corruptionem. Porph. cap. de accidente. Amicus est vitæ accidens.

Quod verè est, nulli accidit, Aristot. 1. physic. tex. 25.

Incolæ insularum Maldiuæ, cum ad peregrinationem, venationem, piscationem procedunt, volunt esse soli, & si quid illis aduersi

Digitized by Google

eueniat, imputant his quos in via offenderint, Dauity.

Iudæi legis diuinæ dono & prærogatiua tumentes, reliquos pro canibus ducebant, Geneb. an. m. 2670.

Vide potestas virtutis, sapiens seipso contentus.

Quanto aliquid est simplicius & abstractius, tantò secundum se est nobilius & altius. Et ideo objectum intellectus est altius quam objectum voluntatis, nempe ratio boni appetibilis, quam bonum appetibile.

In eo quod est omnino abstractum à loco & tempore, nihil operatur neque temporis diuersitas, neque loci distantia. Abstracta non suscipiunt magis & minus & imitantur substantiam.

In insignibus in quibus depinguntur bestiæ, feræ domesticis habentur nobiliores.

Formæ rerum sunt sicut numeri, in quibus species variantur per additionem vel substractionem vnitatis.

Id quod est simpliciter, est principalissimum, & maximum respectu aliorum.

Non omnis vnio perficit naturam boni, sed solum illa à qua dependet esse perfectum rei, sic bona est sanctorum congregatio. *Vide concordantia virtutis.*

Vnicuique ad seipsum est vnitas, quæ est potior vnione ad alium, ideoque amicabilia quæ sunt ad alterum, veniunt ex his quæ sunt ad seipsum. *Vide voluntas bonitatis*, amor sui bonus.

Omnes arbores teredinem sentire affirmant, præter oleastrum, atque oleam, quas amaritudinis causa, neque teredo, neque tinea, rodit Theophrast. histor. plant. libro 5. c. 5. Quidam moribus austeris, & parum vrbanis pacem sibi seruant. Robur, terra obrutum durat, nec putrescit. Ib. c. 8.

Arbores omnes mutuo sua sibi nocent societate, tum propter vmbram, tum quia radicibus alteri debitum capiunt alimentum. Id. de caus. plant. l. 3. c. 15.

Lycurgus peregrinos vrbe pepulit, corruptelam è commercijs veritus. Suidas in voce Lycurgus.

Homo Deo sacer nullis alligari debet singularibus affectibus. *Vide æqualitas voluntatis*, æqualis ad omnes charitas.

In omni composito secundum Philosophiam, vnum se habet ratione potentiæ subjectiuæ quæ dicit imperfectionem, & ambo componentia se habent per modum partis, pars verò dicit imperfectionem, quia limitationem & potentiam respectu totius. Propterea in Deo non est compositio. Perbaltus in rosario Theologico, voce compositio.

Similiter Deus non est anima mundi, quia esset pars, sic aliquid imperfectum. *Vide minoritas principij*, independentia.

Res inclusæ in succino pellucido conspici possunt, cujusmodi sunt culices, muscæ, formicæ, aranei, oua piscium, folia arborum, herbarum stipites. Georg. agricola l. 1. de natura fossilium.

Non licebat peregrinis omni tempore Spartam adire, sed præstitutis tantum diebus ne peregrinis moribus inficerentur. Rodig. l. 18. c. 5. *Vide potestas concordantia*, cum malis.

Si vitare velis acerba quædam
Si tristes animi cauere morsus
Nulli te facias nimis sodalem
Gaudebis minus, & minus dolebis. Mart. l. 12.

A Campestre linum quo debebat indui sacerdos significat castitatem, quia editur è terra sine semine, & ex nulla admixtione concipitur. Origen. ho. 4. in Leu.

Ex bonorum societate multa habentur ad virtutem commoda. *Vide concordantia virtutis*, si tamen desit, piæ animæ sufficit secum & cum Deo conuersari, sic tempore persecutionis, cum fidelibus non liceret ad Synaxim accedere. Eucharistiam asseruabant domi. Baron. an. 57. sic Monachi in desertis, vbi non erant sacerdotes, acceptam à sacerdote hostiam sibi asseruabant, vt eam opportunè sumerent. Anastasius Nicænus quæst. 7. in scripturam.

B De populis qui cum alijs non ineunt fœdera. *Vide æqualitas voluntatis*, æqualis ad omnes charitas.

Aliqui liquores ita naturaliter diffident, vt cum illos vnum vas capiat, nunquam tamen in vnum corpus coalescant.

Semper vbi inuenitur aliquid alicui conjunctum, non secundum propriam rationem, sed secundum aliquid aliud, sine illo inuenitur, vt ignis inuenitur sine permistione aliorum elementorum quæ non pertinent ad propriam eius rationem; hinc probat dari substantias intellectuales, separatas à corporibus quia dantur vnitæ, scilicet animæ rationales. D. Thom in q. disp. de peccatis, q. 16. a. 10. sic debent esse solitarij, si dentur homines ciuili

C amicitia conjuncti.

Quod conuenit alicui per participationem, prius est in aliquo substantialiter, sicut si ferrum est ignitum, oportet esse in rebus aliquid quod sit ignis, secundum suam substantiam & naturam. Ib. q. vn. de spirit, creat. a. 10.

Sapiens potest esse sine amico, vide quæ scripsi moralis Christ. tom. 2 parte 1. cap. 32. De planta sensitiua quæ non vult tangi, & ideo dicitur casta. Ibid parte 2. c. 4.

Leo Hebræus dial. 3. de amore probat pulchritudinem non consistere, in partium diuersarum concinna proportione, cum sol, ignis, aurum adamas & multa simplicia habeant suam pulchritudinem, & Deus qui est simplicissima vnitas & summa pulchritudo seipso beatus. Vnde diuersa censentur

D pulchriora quo plus per proportiones & conuenientias accedunt ad vnitatem.

Vino legato non continetur, vinum conditum sacharo, aut alijs quibuscunque rebus mistum. l. 9. ff. de trit. vin. lega. Cuiac. obseruat. lib. 24. cap. penult.

Proculus in l. 7. de cap. & postl. reuer. separat fœderatas ciuitates aut populos à liberis. Vide eundem, libro 26. capite 33. liber est, carens amico.

SOLITVDINIS MALA.

E Quæcumque vitia incurata in Eremum detulerimus, operta in nobis non abolita sentiemus. Solitudo namque sicut nouit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare, ita eorum qui minus emendati sunt vitia, non solum seruare, verum etiam exagerare consueuit; nam exercitio humano cessante, magis efferantur in nobis vitia, & vel ipsam patientiæ vmbram, quam inter fratres præferebamus, desidia securitatis amittimus. Cassian. l. 8. c. 17.

D. Basilius scribens Gregorio Theologo; quamuis

tis, inquit, vrbicas occupationes, pro derelicto habui, vt sexcentorum malorum causas me tamen nondum ipsum, etiam habere pro derelicto potui.

Interdum si mulieribus desit mas, seipsas proprio semine impraegnant, fitque mola, scilicet massa carnea, inanimata, monstrum denique, quo intumescit venter, ac si verè praegnantes essent. Ita solitarij se proprijs imaginationibus pascentes, sibi blandiuntur quasi habeant virtutes, quas verè non habent.

Sub polo maria non sunt nauigabilia, quia hyeme sunt congelata; aestate, fluunt glacies nauibus infensae, & quia sol illic infirmus eleuat non dissipat vapores, ex quibus fiunt magnae tempestates & caligines. Alb. Magn. tract. 1. de natura locorum, c. 8.

Omnis arbor pomi & pyri, quandiu est syluestris, est spinosa propter ignobilitatem alimenti, amittunt autem spinas cum fiunt domesticae. Id. l. 4. de vegetab tract 3. c 3.

In mixto communes siccitatis operationes sunt septem, desiccatio, diuisio, retentio figurarum, durities lignorum & aliorum, acuitas spinarum & hujusmodi Id. l. 5. tr. 2 c. 5.

In animalibus membra quae non sunt composita, sunt tantum passiua. *Vide supra potestas concordantiae*, & in illis non datur membrum, quod sit nec dans, nec suscipiens, quia omnia membra vnum componentia debent habere respectum ad inuicem. Id. l. 1. de animal. c. 5.

Carnes piscium qui semper sunt in profundo, sunt humidae & molliores, littoralium autem sunt meliores, quia loca circa ripam existentia magis sunt temperata, & abundant alimento herbarum, radicum, fructuum illic cadentium. Ibidem lib. 7. c. 7.

Plutarchus lib. de tranquillitate animi probat hanc non pendere à solo secessu à turba & negotijs, vt nec corporis sanitas, à torpescente desidia; sic enim mulieres ab officijs ciuilibus exclusae, alta magis quam viri fruerentur quiete, cum tamen varijs saeuisque agantur passionibus geniceis claustris inclusae; zelotypia, superstitione, vana gloria, & caeteris. Ipsum nihil agere, animum à sua deturbat constitutione; tunc enim ad agendum nati sibimet taedio sunt. Honesta enim omittere, non minus quam turpia agere molestum est. Ita multi relicto foro diu non ferunt vitam in vmbra. Ægris omnia displicent, tam amicorum & domesticorum frequentia, quam absentia, ratio, vt sanitas completa omnia in bonum vertit; immutabilis in quouis vitae instituto. Plutarch. libr. de tranquillitate animi.

Fenestras quae raro aperiuntur, araneae telis suis occupant.

Tineam non excludunt claustra, sed claudunt, & generant, non repellunt; rubiginem nutriunt seruata, non vitant, quia quod de re nascitur, non vitatur. Chrysolog. ser. 7. in fine.

Math. 8. habentes daemonia, de monumentis exeunt saeui nimis, &c. daemones contenti non sunt mori homines, sed viuos gestiunt sepelire. D. Chrysolog. ser. 16. Author mortis, mortis incubat mansiones, & humanae necis auidus, quos crudelitate sua occidere non potest, viuos gestit feraliter funerare. Id. ser. 17.

Vide minoritas differentia, mala.

Vt quidam aedulia omnia abominantur, quia eorum lingua & stomachus prauam habent constitutionem à naturali longè diuersam, sic aliqui talis sunt complexionis, vt caeteros oderint. Fracastor. l. de sympathia, c. 18. in fine.

Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. Ps.

Abbas castigat Monachum, cui Satanas sub specie Angeli suaserat, vt colloquio dignatus Angelico, abstineret à colloquijs hominum; ideirco, inquit, antiquus aduersarius, bonorum operum semper inimicus silentium tibi tentauit imponere, vt & tu fructum fraternae aedificationis amitteres, & illi qui à te subleuandi erant, tuae consolationis auxilium non haberent. Petrus Damiani, opusc. 47. c. 5.

Abbas Lucius cuidam dicenti quod appeteret solitudinem, dixit, nisi prius correxeris vitam tuam inter alios conuersando, neque solus habitans corrigere te praeualebis. Vitae patrum l. 5. c 10.

Monachi prohibentur ad solitarias cellas secedere, sine Abbatis licentia. Conc. Veneticum Galliae, can. 7. a. 465. *Vannes* armoricae.

In vmbrosis locis quos nunquam Sol attingit, nascuntur abietes praestantissimae altitudinis, sed non tam validae quam illae quae Soli sunt expositae, licet breuiores. Theophrast. hist. plant. libro 4. c. 1. sic eminet quidem virtus in solitudine, si tranquilla maneat, sed in aduersis inexperta deficiens.

In plantis putrescunt inferiora potissimum, quia terrae & humiditati proximiora minus perflantur. Id. de caus. plant. l. 4. c 15. *Vide bonitas differ.* vtilitas motus.

Ptolomaeus Monachus, secessit in solitudinem, aspernatus, seniorum consilium, sic in eam deuenit opinionem, vt diceret omnia casu fieri, sic inutilem existimans poenitentiam suam in saeculum est reuersus, vitae patr. l. 8 c. 45.

Quidam corrupta imaginatione existimant se esse vas figulinum, vitant itaque caeterorum hominum approximationem ne comminuantur. Galen l. 3. de locis affectis.

Raro tyranni consenescunt non auri, sed amicorum inopia. Rodig. l 10. c. 22.

Tetricus mons in Sabinis asperrimus, vnde & tristes homines tetricos appellamus. Isid orig. l. 10. littera S.

Iob. 1. ventus veniens ab Eremo subuertit domum, in quo manducabant filij Iob, & oppressit eos.

In deserto sunt aquae amarae, igniti serpentes, & caetera mala.

D. Chrysostomus non probat solitudinem, quae penitus deserit curam proximi. *Vide virtus bonitatis*, charitatis officia etiam à religiosis exhibita.

Hinc excommunicati à communi Sacramentorum perceptione, & caeterorum fidelium commercio in poenam pulsi. *Vide differentia minor.*

Gutta fluuio admixta, nihil à feruentiori sole metuit, sola siccatur.

Noctua & bubo pessimum praebent augurium in rebus publicis, nam deserta incolunt, nec tantum desolata, sed dira etiam & inaccessa, nec cantu aliquo vocali, sed gemitu canunt. Aug. Nymphus de augurijs l. 1. cap. 10. Capitolij cellam bubo intrauit Sex. Papellio & I. Pediano cons. propter quod nonis Martijs, vt Plinius meminit, vrbs lustrata est. Ibid.

Diabolus solitariam foeminam exploratuit, vt in ea primū omnem suae tentationis vim experiretur.

Digitized by Google

Mag sentent. l. 2. d. 21. Tost. in Gen f. 166.

Falso quidam rerum corruptionem assignant aëri. Nam plura sub aëre siccantur, quæ sub terra vel aqua putrent illico, vitrum putrefactibilium vltimum in aëre manet velut æternum, sepultum post annos fracedinem admittit, crusta obuoluitur, sal eius dissolutum fatiscit, & arena sui constitutiua permanet. Van helmon. in tractatu magnum oportet.

Immundus erat qui portabat caprum emissarium in desertum, vt discerperetur à feris. Leu. 16. aliquibus non benè suadetur solitudo.

Mali non ferunt solitudinem, quia nec seipsos. *Vide gloria virtutis, Repugn.* malæ conscientiæ stimuli.

Antiqui patres Ægypti nulli permittebant vitam eremiticam, nisi ei cujus virtus diu probata fuisset in cœnobijs. Propter solitudinis pericula, solitarius enim si tentetur, non habet à quo consilium petat, vt & resistat, & lapsus resurgat. Væ soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem. 2. solet affligi tristitia quia homo est animal sociale, huic inclinationi resistens solitudo est violenta, sic dolorem & tristitiam infert. 3. vacans ab omnibus negotijs, inutiles & nunquam in actum reductæ potentiæ marcescunt; subitque quædam tabes animi ipsum tacito dolore consumens; nec in se facilè recedit animus, qui se tantum per reflexionem cognoscit, at nulla

A reflexio, vbi nulla actio nec spes actionis. Tostat. Math. to. 3. f. 218.

Cum in signo planeta est solus, vbi nec radij aliorum sunt, incontinnitatem declarat. Card. aph. sect. 3. aph. 36.

Planeta Syluester prædominans, facit desiderare solitudinem, præcipuè Saturnus. Ibidem sect. 4. aph. 14.

Solitarios obsidere solet tristitia, & de eius remediis, vide quæ scripsi, mor, Christ. to. 2 parte 1. c. 43.

Solitudo si non sit voluntaria, carcer est horridus, ignauiæ volutabrum, noxiarum cogitationum sentina, impatientiæ domus, ferarum spiritualium habitaculum, & præsentis vitæ dissipatrix maxima, stat qui localis incola est solitudinis, & ipsius delectabili caret gustu, inclusus corpore, sed mente vagus, profugus super terram, extraneus, sibi viuus &

B mortuus; mortuus esse censetur mundo & viuit illi, illum quippe concupiscit, de ipso cogitat, ipsum inhianti sectatur affectu. Laurent. Iustin. de vita solitaria, c. 2.

Nimium solitarij fiunt melancholici, timidi, falsis imaginationibus se cruciantes. Non habentes cum alijs conuersationem, & se illis non cõparantes, non intelligunt quid in semetipsis, aut deficiat, aut excellat. In conuersatione ab alijs aut exemplo, aut dicto instruimur, à prudentibus quisq; discet, quomodo melior euadat, à stultis quomodo cautior.

BONITAS CONTRARIETATIS.

VTILIS ADVERSITAS.

EVNVCHI, qui securos se existimant contra tentationem carnis, ad perfectionem non perueniunt. *Vide supra magnitudo virtutis.*

Spiritus quando venit ad extrema animati, quæ aëre frigido conclusa sunt, reuoluntur in seipsum & inspissatur, & tunc inspissatus poterit complere, quæ ante non potuit. Albert. Mag. tract. 1. de spiritu & respiratione, c. 10.

Quidam fructus, vt acacia, quædam pyra, mala syluestria non maturescunt, nisi adueniente externo frigore, quo calor naturalis ad interiora reflexus perficiat digestionem, quam calor æstiuus inceperat. Id. l. 3. de vegetabil. c. 6.

Fructus amari sunt propter incompletam digestionem, ad ignem positi dulcescunt, quia perficitur digestio. Id.

Ex prosperis & aduersis, fit humanæ vitæ conueniens temperamentum, *vide minoritas durationis*, rerum inconstantia, *vide maioritas bonitatis.*

Theophrastus author est, in Thracia non longè à Pangeo fontem esse qui hyeme æquali scaturigine plenus, pondus duplo majus, quam æstate ferre potest, quia frigus densat aquas. Plutarch. l. de causis naturalib. c. 7. sic fluuij hyeme onera ferunt grauiora Ibidem.

C Mare est amarum propter vapores in eo à sole excoctos, vnde hyeme est dulcius. Ib. c. 9. *Vide media gloria bona.*

Deus creauit feras bestias & serpentes, vt nos tanquam pueros his territamentis in officio contineret. Theodoret. in Genesim q. 18.

Morbo continuit Pharaonem ne abuteretur Sara vxore Abrahæ. Id. q. 63.

Deus permisit populum Israël, tanta pati in Ægypto vt Ægyptiorum mores odisset, & hinc libenter discederet, si enim post tot labores, adhuc redire volebat, quid si non fuisset afflictus. Id. in exod. q. 23

Exercitatio ad sanitatem optima, nam prohibet ne repletionis materia congregetur, & corpori le-

D uitatem præbet, innatum calorem seruat, excitat, amplificat, superfluitates quæ paulatim congeruntur, quaque die dissoluit, & ad loca vnde egredi solent, educit; membra ad suscipiendum alimentum aptiora reddit, quia excrementitias materias ab illis expellit, meatus aperit, in quibus receptus sanguis in alimentum conuertitur, cum superfluos humores prohibeat, non indiget pharmacis, quæ juuando nocent, quia conturbant humores, &c.

De afflictionis vtilitate. D. Chrysost. hom. 66. & seq. ad popul. Antio.

De tentationis vtilitate. Idem homilia 62. & seq.

De tribulatione. Pintus tom. 4.

Aduersitas dat intellectum. *Vide principium cognitionis.*

Si in rerum natura sit vnum contrarium, necesse est, esse alterum. Arist. 2. de cælo, tex. 18. de contrarijs positiuis intelligendum, & sic colligit numerum elementorum.

Vtilis aduersitas ne torpore deijciantur corda, ideo medicinalis pœna homini fuit imposita, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, sic Virg. libro septimo, Georg. Pater ipse colendi, haud facilem esse viam voluit, primusque per artem, mouit agros, curis acuens mortalia corda, nec torpore graui passus sua regna veterno. Rupert. in Genes. l. 3. c. 24.

Petra non fundit aquas, nisi bis percussa virga Mosis, Exod. 17.

Vide virtus contrarietatis, ad purgationem & perfectionem.

Corpora inferiora non perficiuntur in suis naturis, nisi cum aliqua contrarietate; cælestia verò corpora sunt in suis naturis, absque omni contrarietate perfecta.

Semper ex recisione vitis quærendum, id est, vt vitis conualescat, & fructus copia consequatur. Theophrast. de causis plantarum, libro 3. capite 19.

Frigora sementem aut plantationem subsequuta, omnibus in locis vtilia sunt, sic enim sata plenius radicantur, vt ineunte vere conuenientem habeant magnitudinem. Ibidem cap. 26. sic arbores detruncatæ copioso collecto alimento celerius augescunt & consummantur, c. 29. & l. 5. cap. 9. in fine.

Vt sunt multa gustu suauia & tamen mortifera. *Vide veritas bonitatis. Rep.* sic pleraque insuauia & amara iuuant, vt absynthium, & quorum sapor, cum per se sit minimè idoneus, pro condimento cæteris additur, vt salsus atque acutus. Idem lib. 6. c. 4.

Fuit Salomonis liber remediorum cujusuis morbi vestibulo templi incisus, eum reuellit Ezechias, quod populus neglecto Deo, nec inuocato sanationem malorum inde peteret. Suidas in voce Ezechias. *Vide potestas veritatis,* veritas liberè dicenda.

Scipio Nasica negabat Carthaginem subuertendam ne vrbis æmulæ metu ablato, luxuriari Romana fœlicitas inciperet. Rodig. l. 27. cap. 1. *vide gloria contrarietatis,* salus ex inimicis.

Oportuit mundum constare contrariis, vide quæ scripsi, de iure naturali. l. 1. lege 1. & Theolog. natural. to. 1. parte 2. c. 10. Mala quæ videntur in natura bona sunt, moral Christ. to. 4. parte 2. c. 1. Oportet hæreses esse, *vide contrarietas veritatis.*

VIS QVANDO NECESSaria.

Silent leges inter arma, gladius tamen nobis ab ipsis porrigitur legibus. Cicero.

Alexander, cum se diuinitus missum, communem vniuersorum disceptatorem existimaret, constituendisque mundi rebus arbitrum, quos verbis inter se conciliare non poterat, armorum vi subigens, in vnum omnia composuit, &c. Plutarch. l. de vita Alexandri.

Moysi excusanti se & nolenti ire ad Pharaonem Angelus minatur stricto gladio. Exod. 4. similiter eo quod Sephora non circumcidisset puerum.

Petrus Damianus scripsit librum, de Ægypti plagis *Vide infra magnitudo contrarietatis.*

Non est hodie cum priscæ ætatis viris commercium in qua mores fingebant amore virtutis, vel pudore flagitij; sæpè colluctandum est, cum gentibus asperis & indomitis, quibus ad audendum projecta vis, & nulla ad resipiscendum conscientia, si quis omnia miti brachio in istis tractare velit necesse est, vt bonos quosque direptioni, & ludibrijs objiciat, atque dum clementiæ studet, crudelissimus euadat, sit disciplina miti seueritate, in qua nihil sit asperum aut sæuum, nihil solutum aut luxurians, astricta, tenaxque iustitiæ, multi enim declamant de clementia, qui res hominesque nesciunt.

Qui vi conseruandum regimen asserunt, dicunt, longè efficaciores esse metus, quam amoris causas, quia magis timemus atrocia, quam concupiscimus blanda; fermè omnes in eo naturam belluarum sequimur, quæ plagis ac verberibus abactæ à dulcissimis quibusque abstinent. Metum cum volet vis extorquebit; amorem lenitas non semper, quia ex dilectu amamus, ex necessitate metuimus.

Episcopi bonos vultu & sermone demulceant; malis autem sint terrori, juxta illud quod in tabernaculo Dei, boum & leonum effigies expressæ fuerant, 3. Reg 7. Conc. Cabilonense II. c. 5.

Irascibilis est propter concupiscibilem. *Vide voluntas bonitatis.*

Aquæ quæ fluunt per mineras ferri, sunt bonæ, & confortant interiora. Alb. Magn. mineral. libro 2. in fine.

Anguillæ in tonitru à fundo aquæ ad superficiem eius ascendunt, sic maximè capiuntur. Cardan. l. de rer. variet. c. 38. initio.

Febris excitatur ad curam morbi frigidi. *Vide medium contrarietatis.*

Sapientum proprium est posse prodesse, Regum autem obesse, atque his maximè discriminibus sejunguntur. Id. l. c. 46. in fine.

Eorum quæ terra in intimo sinu & gremio gignit, quædam erumpunt in aërem, vt humor, aër, vapor, ignis sua vi; partim effodiuntur, vt terra insignis, succus concretus, lapis, metallum, id quod mistum est, Georgius agricola, l. 1. de ortu subterraneorum.

Vide media bonitas, media largitio.

Censetur homo dominari omnibus animantibus secundum Dei præceptum, quia ex arte vim habet vt renitentia sibi subijciat.

Post celebrem vindictam de murmuratoribus Datan, Chore & socijs, virga Aaron germinauit, floruit, fructum attulit. Numer. 18. ex seueriori primum disciplina sequitur major rectoris authoritas.

Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant, 1. Tim. 5. aufert malum ex vobis ipsis, 1 Cor. 5. tradit Apostolus hominem Satanæ, vt spiritus saluus fiat, & Math. 8. post secretam commonitionem peccatum dicendum Ecclesiæ. Qui id non præstant, dum vni parcunt, vniuersæ Ecclesiæ moliuntur interitum; quæ est ista bonitas, quæ misericordia vni parcere, & omnes in discrimen adducere, polluitur enim ex vno peccatore populus, sicut ex vna oue morbida, grex vniuersus inficitur, &c. Origen. hom. 7. in Iosue.

Hier. 1. dicit Deus, constitui te hodie super gen-

res & regnare, eradicare, suffodere, & disperdere, & ædificare & plantare; destruit regnans in nobis peccatum, vt in eius locum substituat virtutes, ideo enim sæuitiam exercet vt sanet, occidam & ego viuere faciam. Id. hom. 1. in Hierem.

Omne durius & vnitius continet intra se minus vnitum ne dissiliat, sic nerui spiritum è cerebro spiritus sede deducto, quo enim tenuior est res eo acutior ad penetrandum, & agilior ad fugacitatem, tenuiora ergo tenacioribus & vnitioribus vasis tenentur, sanguis, cæterique humores venis & visceribus, arteriæ sunt densiores, quoniam sanguis arterialis spiritalior.

Serpens dicit mulieri Gen. 3. nequaquam morte moriemini. Furtim demit mortis terrorem, vt legis munimenta deprædetur: pœnam adulterat, quo ad legem perfringendam propellat. S. Basil. seleuciæ orat. 3.

De ira in quantum est bona, vel culpabilis. *Vide magnitudo voluntatis bona*, passionum vtilitas.

In necessariis, imperium natura merum est. Vide quæ scripsi de iure naturali, libro primo, lege 11. §. 1.

Dolor & vis exigit, quod alias sponte non fieret Ib. §. 3. ideo leges Christi & Ecclesiæ obligant sub pœna peccati mortalis. Theolog. natural. tom. 4. parte 3. c. 29.

Bombarda fortius sphæram explodit, si à tergo immo ile corpus resistens habeat.

Vide veritas bonitatis, inuitis benefacere.

Nimbi tonitrui fraccedine decussi sunt fertiles.

Legis coactio quando fuit necessaria, *vide principium veritatis*, leges à Deo, ex Alcuin.

Legis & politiæ proprium est cogere. Vide *potestas veritatis*, imperium legis.

Vide *minoritas contrarietatis*, *defectus seueritatis malus*, *& potestas contrarietatis*, *& cognitio contrarietatis timor seruilis*

BELLORVM NECESSITAS & vtilitas.

Miles præfertur Doctori, dicit noster Iustin. in procemio Institut. Imperatoriam majestatem non solum armis, sed etiam legibus debere esse armatam; sic arma legibus præferuntur ordine litteræ, vt in l. 1. in princip. c. de Iust. cod. compon. l. 1. c. de veteri jure enuclea. l his honorib. ff. de vacat. Milites sunt quasi manus Reipublicæ ad attrahenda necessaria, & repellenda nociua; sic fundata fuit Respublica Romana, & sic stat imperium omne. Arma pacem tuentur, l. mulierem, ff. de accusation. Ciues alios ab hostibus deffendunt milites, vitamque suam pro patria exponunt; ideo vt facta dictis sic militia litteris debet præferri. Ipsa Religio habet milites suos Melitenses, vt pugnent contra infideles, de quibus, *vide contrarietas veritatis, bellum pro Religione.*

Cum justa in publicos hostes grassandi materia consumpta est, in facinus necesse est otiosus ardor erumpat. Quint. decla. 4.

Bellum honestum, turpi paci præferendum. Cretensium legislator præcipuas de bello tulit leges, quasi hinc pendeat tota Reipublicæ vtilitas, omnia enim bona illorum qui victi sunt, victoribus accedunt. Plato 1. de legib. Hinc tot laudibus bellica fortitudo ornatur, siue in viuente, siue in mortuo. *vide gloria contrarietatis.*

Mors omnibus, vi fatorum incumbit, honestè verò mori fortibus tantummodo proprium est, hæc enim mors vita est præstantior,

Post bellum pax fit constantior, nec vacat periculo pax in qua non vis bellum mouere.

Antiquis Gallis postquam etiam sub ditionem Romanorum venerũt S. C. permissum fuit, Martem Deum omnium bonorum hæredem scribere. Cæsar. l. 6. de bello Gallico, & Vlpian. tit. qui hæredes institui possunt, § 6.

Milites assimilantur manui quæ est organum organorum, nam bello omnia obtinentur, seruatur, & augetur Respublica.

Sapientissimi reges per tumultus armorum eunt ad iustitiam, ad concordiam, atque ipsi quidem paci litant armati, de hoste cogitant, quasi de ægro acrioribus remedijs persanando, *vide magnitudo contrariet.*

Stat Turcarum imperium, quia apud ipsos prima militiæ cura, & armorum exercitatio continua, exercitus semper ad manum, quos ingentium prædiorum reditus alunt.

Vide potestas contrarietatis.

Reges Persarum coronabantur in templo cuiusdam Deæ bellicæ, velut Palladis, degustabant terebynthum, & lac acidum, quæ bellica onera significabant In inauguratione Regis Galliæ, ensis illi nudus ex altari sumptus porrigitur, ab Episcopo eum consecrante.

Malè cessit Sinensibus, *Chinois*, quod in regno suo primas partes dederint litteratis, non militibus, sic enim effecti sunt imbelles, timidi, & à Tartaris occupati, indigebant non muro 150. leucarum, sed militibus validis qui hosti resisterent.

Antiqui Reges Gallorum fiebant sine vlla inauguratione & consecratione, sed in clypeo sedentes per exercitum circumducebantur cum publica acclamatione. Gontran Rex, filio suo dedit jaculum vt regem eum designaret. Iulianus postea apostata exsistens Parisijs designatus fuit Imperator Romanorum à militibus, impositus clypeo & per exercitum circumductus.

Thronus Salomonis sex gradus habebat, in singulis leones, 3. Reg 10.

Nemini bellum est vtile, nisi cui status præsens, grauis est.

Prælati temporalem jurisdictionem habentes, possunt indicere bellum sine vllo priuilegio, si non habent superiorem sæcularem. Propterea Episcopi ex vi potestatis spiritualis quam habent, habent ius & authoritatem indicendi bellum hæreticis, Sarracenis, Turcis, hostibus fidei, & Religionis Christianæ, & excommunicatis parere nolentibus. Bonac. de restitut. q vlt.

Finis belli vel est recuperatio rei ablatæ, & illius compensatio, vel vindicta justa, vel pax; ergo illa omnia licitè fiunt in bello, quæ accommodata sunt ad hujusmodi fines consequendos. Ibid. de bello.

Epaminondas vulnere in pugna accepto, vicit & mortuus est, in loco pugnæ sepultus. Monumento statua est imposita cum clypeo cui draco inerat, qui significaret eum ex genere Spartorum esse qui è satis à Cadmo draconis dentibus orti perhibentur. Suidas in voce Epaminondas.

Græci Deos fingunt armatos, quod armis subigantur homines. Id. in voce ἰσμὴν.

Germani publica omnia & priuata armati agunt. Petrus Crinitus de honesta disciplina l. 12. c. 8. A

In ciuitatum & domorum januis solebant antiqui depingere Palladem, in suburbijs verò Martem, quoniam domi necessaria est prudentia, foris vero vis bellica ad arcendos hostes. Rodig. l. 14. c. 18.

Mars dicitur quasi mas, quia proprium virorum sit pugnare. Isidorus orig. libro octauo, capite 11.

Plures ferro quam auro fiunt diuites.

Thomas Morus Vtopiæ Reipublicæ, libro secundo, has legitimi belli causas recenset, vt suos fines tueantur populi, aut amicorum terris infusos hostes propulsent, aut populum quempiam tyrannide pressum miserati, suis viribus liberent. B

Benjamin dicitur lupus rapax. Gen. 49. quia in tribu Benjamin erant viri bellicosi & rapaces sicut lupi. Tostat. in Gen. f. 412. & hæc tribus fuit Deo amantissima, in Deut. f. 180. c.

Dauid non fuit prohibitus ædificare templum, quia multum sanguinis fudisset, sed quia intentus bellis non poterat vacare ædificationi templi. Id. 3. Reg. f. 45 c. 4. h.

Hercules & Theseus validi fuere morum emendatores. Max Tyrius ser. 9. scilicet malos homines armata manu superando.

Homerus solos laudat viros bellatores, vt heroas, Deo genitos, patriæ protectores genios, Lacedæmones ex instituto Lycurgi bellicis tantum rebus & disciplinis ad id conducentibus vt venationi vacabant, agriculturam hilotibus seruis mandabant, sic enim imbelles sunt mancipia victorum; tandiu liberi fuere populi, quandiu bellicosi, ab armatis præclara facinora eduntur, pugna victoriam, victoria parit libertatem. Populus Atheniensis in vrbe oppressus ab hostibus naues conscendit; C nauigans naualem edidit pugnam, pugnans vicit, victor & terras obtinuit & mare. Armis vindicatur libertas; manente libertate, manet & ager, manent arbores & segetes; at non est secura agricultura vbi cuncta ardent bellis. Maximius Tyrius, sermon. 13.

Apud Iudæos principes descenderunt de tribu Iuda propter fortitudinem. Tostat. 1. Paral. fol 5, & 77.

Angeli dicuntur exercitus Dei, & sæpè mittuntur ad actiones hominum bellicas, vt Iob. 25. 4. Reg. 6. & 19 Isa. 38 Gen. 32. Math. 26.

Morituros in otio, bella præcipitant.

Suadetur bellum inter vicinos, vt in proprijs spes habeatur.

Scelerati grauantes Rempublicam sunt ad bella mittendi, vt terræ purgentur.

In alijs regionibus parentes explorant genium liberorum quo ferat, in Septentrionalibus præcipuum juuenum exercitium est in armis, in sagittando, equitando, etiam choreas agunt armati. Olaus Mag. rer. Septentrionalium l. 15.

Genes. 49. Iacob Patriarcha moriens, sic benedicit filium suum, Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum. Catulus Leonis Iuda, &c. ad prædam fili mi ascendisti.

Reges antiqui Mexico statim post electionem, antequam inaugurarentur & coronarentur expeditionem militarem mouebant, ex qua necesse erat victores redire cum hostibus captiuis multis qui in die coronationis dijs immolabantur, Acosta in historia indica.

Armatorum manum cogere in statu Ecclesiastico licet contra bannitos & grassatores, & ad capiendos delinquentes, & littora maris tuenda. Sixt. 5. const. 75. §. 1. Bull. p. 269. to. 2.

Satius est se dubiæ fortiter opponere morti, quam per segnitiem semper mori ac torqueri.

MAGNITVDO CONTRARIETATIS.

MAGNA SEVERITAS QVANDO BONA.

NVNQVAM actiones pœnales de eadem re vel pecunia concurrentes, alia aliam consumit, vt si quis eundem hominem subripuerit & occiderit, actio furti, actionem injuriarum non consumit. Non tamen omnibus actionibus vti licet, si grauiori prius egeris, vt si prius egeris bonis raptis, consumitur actio furti. Cujac. obseruat. libro 8. c. 24. D

Aqua suffocat, non refrigerat ignem, in quo est essentialis calor.

Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Psal. 2 sic petitas atque obtentas hæreditatis suæ gentes Deus confringet & conteret, vt reformet; confringet enim in omnibus omnes inexplebiles cupiditates, & illecebrosas lascitias, & feruentes iras, & inanes superstitiones, & tumentes fastus, & impias opiniones; Reformat autem nos ad rationabilem vitæ vsum, contemptu pecuniæ, luxus pudore, iræ moderatione, veri scientia, communione viuendi, religionis officijs, cum per doctrinæ regimen terroremque judicij in has virtutes per vitia illa reuiuiscimus, loquitur de vase fictili, vt ostendatur prompta ejusdem vasis confracti ex artificis voluntate reparatio. D. Hilar. in Psal. 2.

Ananias & Saphyra, futuram metuentes necessitatem, præsentem meruerunt vindictam, non crudelitate sententiæ, sed correptionis exemplo; neque Petrus imprecatur eis mortem, vt calumniatur Porphyrius, sed Dei judicium prophetico spiritu annuntiat, vt pœna duorũ hominum, sit doctrina multorum. D. Hier. ep. ad Demetriadem.

by Google

quibus rectè dici potest. Ezech.13.18.19. Mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas quæ non viuebant, quidam pro peccatis grauibus lenes quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt puluillos, secundum Propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas. Ibid. can.38. & Conc. Parif. 6. c.32.

In Concilio Nannetensi Galliæ a. 20. an.900. præcipitur Episcopis radicitus extirpare arbores quasdam dæmonibus consecratas quas vulgus colebat, vt ex illis ne ramulum quidem audeat decerpere.

B Romæ triumphus Victori Duci non decernebatur nisi 5000 aut 6000. hostium occidisset, Gell.l.5. c.6.

Plura requiruntur dispositiuè ad remotionem formæ contrariæ, & ad introductionem formæ simul, quam ad solam formæ introductionem.

Arbor nouella purgatur, at cum est annosa, eam totam decidunt, germinare namque denuo incipit. Theoph.hist.plant l.2 c.8.

Vide differentia contrarietatis, diuersitas pœnarum.

C Lentus ignis aperit quidem & dissoluit, sed non satis sufficienter superfluendo de partibus dissolutis congregat homogenia, & segregat heterogenea, hoc enim facit calidum vehemens; illud enim soluit humidum & adurit terreum, & segregat ea ab inuicem. Alb.Mag. meteo. l.4.tr 2.c.9. sic vehementi tantum igne ex cineribus vitrum educitur. Id.de mineralib l 1.c.3.

Hostes injustè pugnantes possunt aliquando post partam victoriam ijsdem pœnis affici, quibus affici poterant in ipso conflictu, si hoc conducat ad finem belli, vt pax melius conseruetur. Bonacina de bello.

Vide gloria contrarietatis, militum stipendia & præmia.

D Non nisi multa aqua ignem suffocat, & corrupto alimento extinguit, nam pauca accendit, flatu genito, motuque ob id concitato, & calore contracto. Cardan l.de rer. varietate, cap.49. in fine.

Ex occasione singulari fieri solet lex generalis, cum Dionysius moto contra Carthaginenses bello eorum omnia consilia proditorie cognouisset, legem tulerunt Carthaginenses ne cui liceret Græcas litteras discere. Rodig.l.22.c.17.

Serui non ita monendi sunt, vt liberi ne molliores fiant; cum illis alloquutio sit imperium, absit jocus qui difficiliorem viam efficit illis ad obediendum, dominis ad imperandum. Id.l.25 cap.21. Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem. Prou.29.21.

E Mos fuit Ægypti regibus ferre diadema distinctum imaginibus aspidis, cujus veneno homines percussi intra quatuor horas moriuntur, vt significarent vim imperantis inuictam. Rodig. libro 25. c.31.

Tria fulminum genera à Ioue mitti dicebant alba innoxia à solo Ioue sine planetarum cæterorum consilio, id est, aspectu. Secundum rubrum cum aspectu inferiorum planetarum, discutit sed non occidit. Tertium, cum aspectu superiorum planetarum & stellarum, atrum, quia discutit & enecat.

Plus resistitur his ad quæ major est inclinatio, sic cum erubescerent conuersi hominem crucifixum

A adorare, crucem auro gemmisque ornabant, vnde cantatur, ô crux splendidior cunctis astris. *Vide differentia immoritatis*, distingui à malis.

Seuerior fuit contra peccantes in suis primordijs Ecclesia, vt vindicaretur à gentilium calumnijs; ne tam facilè dum viget pœnarum metus ad inanes Deos redirent; exercebatur ad martyrium & dura pati tam gloriosum erat, pœnas enim non tantum expectabant, sed & prouocabant, vt projectorum sub initijs violentior est impetus, ita & pietatis.

Ratio diuersis speciè virtutibus assignauit diuersa media excessui, vel defectui proximiora, prout ad illas vel tepescit, vel ardet natura. *Vide differentia medy*, ex D. Thoma.

Filij & filiæ Achan occisi sunt cum patre, non quia conscij fuerint criminis paterni, vel fautores, sed Deus voluit vt occiderentur, ad terrorem, & ad ostendendam criminis magnitudinem. Iosue c. 1. f. 142.col.1. f.

Iudæi reliquerunt multos ex Chananæis in terram Chanaan, & tributarios illos effecerunt, contra præceptum Domini, postea fuerunt Iudæis in pœnam. Id num.to.2 f.183.c.1.e.

Initio positæ legis qui peccat in eam, seuerius puniendus est vt notat Arist. 2.ethic in princ. sic probatur austeritas sub initijs, *vide contrariet. s principy*, Deus primam ætatem peccantem contra legem naturæ, deleuit diluuio; quod postea promittit se non amplius missurum. In principio legis Moysis duo filij Aaron offerentes ignem communem ab eo deuorantur: In principio legis Euangelicæ Anania & Zaphira morte subita concidunt, quia fraudauerant aliquid de prætio agri. Tost 4. Reg. f. 59. sic Ecclesiæ primitiuæ austerior erat disciplina.

Septentrionales vtuntur sagittis triscupidibus & venenatis, cum exploratam habent hostis sui crudelitatem quæ nemini parcit. Olaus Magnus libro 7. cap. 2.

POENA CAPITIS.

D Persæ non solebant reum morti addicere pro primo & vnico delicto, sed tantum cum vitia vitæ virtutes superarent. Herodot.

Apud Sinenses pœna capitis non imponitur pro furto, sed fures stigmatibus primo in brachio, tandem in fronte notantur. Dauity.

Licitum est publica authoritate occidere malefactores. D.Th.2.2.q.64.a.2;

Licet non deceat clericos immiscere se in causis sanguinis, cum deputati sint ministerio altaris, in quo offertur agnus qui cum percuteretur non repercussit, vt ait D. Thom.2.2. q 64. a 4. tamen jure naturæ & diuino id permissum est clericis cum reus meretur talem pœnam, vnde antiqui sacerdotes se immiscebant causis sanguinis, Exod.22 & 1. Reg. Hinc patet Summum Pontificem posse dispensare cum quibusdam clericis, vt sententiam ferant in causa sanguinis absque peccato & irregularitate. Bonacina de restitutionibus, quæstione vlt.

Leu. 24. qui maledixerit Deum peccatum accipiet, qui autem nominat nomen Domini, scilicet in vanum, morte morietur. Mors quæ pœnæ causa infertur pro peccato, purgatio est peccati ipsius pro quo jubetur inferri; absoluitur ergo peccatum per pœnam mortis, nec superest aliquid quod pro

hoc crimine judicij dies, & pœna æterni ignis inueniat. Vbi vero quis accipit peccatum, habet illud secum, ac permanet cum ipso etiam post mortem, & quia temporalia hic non persoluit, ibi expendit æterna supplicia, sic grauius est accipere peccatum, quam morte mulctari, Origen. in Leuit. c. 14.

Deus non vindicat bis in idipsum in judicio, Exod. 14.

Vindicauit semel in iudicio per diluuium, vindicauit semel in iudicio super Sodomam & Gomorrham, super Ægyptum & sexaginta millia Israëlitarum, noli existimare quod hæc vltio pœna B tantum fuerit peccatoribus, quasi post mortem & supplicia iterum à supplicio excipiendi sint: puniti sunt in præsenti, ne in futuro jugiter punirentur, Lazarus qui recipit mala in vita sua, requiescit in sinu Abrahæ. Id. hom. 1. in Ezech.

Stipendia peccati mors, Rom. 7. mors sæpè temporalis, aut æterna.

Nemini apud Iudæos dabatur pœna mortis pro simplici furto, Exod. 22.

Pœna capitis publici iuris est, vide quæ scripsi, de iure naturali l. 1 lege 12.

Hæmorrhagiam internam sistit sectio venæ.

Lex erat duodecim tabularum, de capite ciuis nisi per maximum comitatum, illosque quos censores in partibus populi locassent, ne ferunto, Cujac. obs. l. 15. c. 8.

Sententia capitalis, dicitur tristis sententia. Id. l. C 25. cap. 6.

MVLTORVM SIMVL OPpugnatio. Mala.

Vide *concordantia virtutis, Rep* cœtus malorum, *& concordantia principij*, concursus causarum in malo.

Pluuia tempestuosa fit semper cum vento præcedente & inuoluente, plures interdum venti contrarij simul spirant, cum grandine & fulgure; his exposita est nauis in medio mari, vndis etiam concitatis verberata.

Omnes aues inuolant in noctuam, omnes canes in lupum.

Ferrumque armare veneno, Virg.

Vnum, vni tantum est contrarium, Aristot. 10. metaph. cap. 6. id est secundum totam suæ contrarietatis latitudinem. Nam in remisso gradu plura possunt esse contraria, vt albedini plures alij colores quam nigri, cuilibet virtuti, duo vitia extrema.

Terram habitabilem maria vndique cingunt, velut insulam.

Cum halo, seu corona circa Solem, Lunam, aut Stellas ab vna parte intercisa est, apparet inde aëra incumbere, & ideo illa regio ventum dabit; at E cum vndique concerpta & lacerata est, manifestum est à pluribus partibus in illam impetum fieri.

Vide medium contrarietatis, varia instrumenta sæuitiæ.

In bellis habebant antiqui currus falcatos, qui habebant gladios acutos in rotis, vt in circuitu quidquid obuium haberent scinderent atque secum traherent; erant etiam in quolibet curru quatuor equi armati, quorum duo priores habebant in frontibus gladios, & super quolibet curru erant A tres aut quatuor pugnatores armati, Tost. exo. to. 1. f. 111. c. 2. a.

Si familia furtum fecerit, sufficit tantum præstare, ac si vnus fecisset, at in injurijs & vindicandi honoris causa, plura censentur facta, & seuerius vindicantur, Cujac. obseruat. libro octauo, capite 20.

BONA.

Apud Gallos antiquos primum dignitatis locum habebant Druidæ sapientes, secundum bellatores, apud quos præclarum erat, & insignis potentiæ argumentum, multos secum seruos & subditos ad bellum ducere, Cæsar. l. 6. de bello Gallico, de militum apud eos societate. *Vide duratio concordantia.*

Publica authoritate datur jus omnibus occidendi proscriptos, *vide magnitudo medij*, multitudo mediorum.

Bessus Darium regem suum bis victum ab Alexandro, occidit vt crimen hoc vindicet Alexander, auertit milites à reditu in patriam quem postulabant. Hunc, inquit, vos regnare patiemini, quem equidem cruci affixum videre festino, omnibus regibus gentibusque, & fidei quam violauit debitas pœnas soluentem, Q. Curtius l. 6.

Milites ratione periculi debent esse concordes inter se. *Vide principium concordantia*, necessitas.

Bannitos ac facinorosos comprehendere tenentur communitates congregato populo ad sonum campanæ, Pius V. const. 10. Bull. pag. 142. tom. 2. & Sixtus V. const. 6 § 3. p. 374. to. 3.

Vide contrarietas minoritatis, pœna publica reorum.

MAGNÆ CLADES.

De causis diluuij. *Vide concordantia princ.* concursus causarum in malo, & *æqualitas contra-D rietatis, æqualitas finis.*

De mortalitate. Cypr. t. 2.

Multarum in Græcia vrbium & oppidorum si mœnia quæras, vix ruinas inuenies; Græciam, in ipsa Græcia quærimus, ex tot cadaueribus ciuitatum Constantinopolis superest. Æneas Syluius.

Sub Heracleo Romanorum Imperatore 200000. virorum bello Isaurico perierunt; hic enim cum Sergio Patriarchæ, maximam pœcuniam & aurum, argentum, gemmas prætiosas mitteret, illa omnia submersa sunt, Suidas in voce Heraclius.

Septem sunt calamitatum humanarum genera communia, à causis vt plurimum vniuersalibus, cælo scilicet & elementis, nempe terræ motus, inundatio, ventus, animalia, pestis, bellum, fames, addi potest incendium, vel ab hominibus, casu aut consulto vt in vastatione hostili; etiam à montibus Æthna & vesuuio, quanquam hæc calamitas non videatur dicenda vniuersalis, quia non potest tot maria sic totum orbem absumere, Card. l. de rerum variet. c. 45.

In agro Mutinensi, L. Martio. Sex. Iulio coss. duo montes inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes, recedentesque, villas interjectas, eliserunt, animalia intercepta occiderunt, Georgius agri-

agricola, libro quarto, de his quæ fluunt ex A terra.

Ioseph. antiquit. libro 20. cap. 8. Refert cladem populi Iudaici accidisse in pœnam Iacobi fratris Christi immaniter occisi, refert, Origen. in cap. 13. Math.

Conditio anathematis in vrbibus anathematizatis erat, quod prius occiderentur gladio omnia viuentia, quæ cum ipsa vrbe incendebantur, Tost. in 13. Iosue, f. 115. c. 4. x.

Diluuium vniuersale posse fieri negat Aristoteles, concedit tamen quod possit fieri particulare, & bene negat quia illud non naturaliter, sed miraculosè contigit, Idem Deut. fol. 168. 3. Reg. f. 166.

B Fulgura vocantur trifida propter horum tres proprietates, quia lucent, comburunt, diuidunt, vel diruunt, Id. exo. 10. 1. f. 59.

Magnæ fiunt clades, cum mala malis immediatè succedunt, *Vide duratio contrarietatis*, series malorum.

Si mors hominum omnibus ex genitura decerneretur, impossibile esset clades magnas, aut pestilentias aduenire, Cardan. aphor. sect. 3. aph. 57.

Cometæ in octauo vel duodecimo loco significant pestilentiam, iacturam segetum, Ibidem aph. 117.

Qui natus fuerit hora eclypsis, maximè si potentis viri filius fuerit, multitudinis hominum causa erit mortis, Id. sect. 4. aph 97.

C *Rapit singulos etiam immeritos vniuersaliter indicta calamitas, vide quæ scripsi, de iure naturali, l. 3. lege 12.*

Interdum publicæ calamitates bonos cum malis inuoluunt, aliquando bonos Deus eximit à communi miseria, vide quæ scripsi in fati vniuersi apologia, c. 8.

Gen. 18. quod dicit Deus se non deleturum Sodomam, si decem in ea iusti fuissent, non est trahendum ad consequentiam, sed hoc dictum est ad exa*g*erationem malignæ ciuitatis, in qua nequidem iusti decem reperiebantur. Infantes etiam cum parentibus cremati sunt pœna peccati vsque ad filios peruenit, ne de origine illorum aliquid remaneret, prouisum est illis, ne diu viuentes sequerentur exempla patrum, & leuius vel omnino non in futuro crucientur, parentes tam pro se, quam pro his rei sunt. Ergo mors filiorum, crimen est parentum, & ideo futuri accusatores sunt parentum. Est qualecumque beneficium reum non esse, qui gloriosus non est, prodest enim pauperem non esse, qui rex esse non potest, Alcuin. in Genes. interrog. 181. 183.

MAGNA SEVERITAS VBI magna in contrarium inclinatio.

LEx Hebræa propinquo occisi permittit, vt extra asyli loca homicidam interficiat, recteque notant Interpretes Hebræi talionem pro mortuo exigi posse; pro se, vt puta in vulnere, non nisi per iudicem, quia scilicet difficilior est moderatio, vbi proprius dolor accedit, Grotius de iure belli & pacis l. 2. c. 20. §. 8.

Apud Hebræos mulieri licitum non erat emere sibi seruum, siue Hebræum, siue Cananæum, suspicionis causa. Seldenus de iure naturali, Hebr. l. 6. c. 7.

Vinum res est bona, sed quoniam immodicè eo vsi sunt Iudæi, Deus sacerdotibus omnino prohibuit vsum eius, Deuter. 28. hæc est ratio voluntariæ paupertatis, *Vide minoritas potestatis*, & virginitatis, *vide minoritas gloriæ*, de mortificatione tactus.

Iudæi poterant habere inter se gentes non conuersas, non tamen Chananæos, propter periculum ex habitationis vicinitate, Tostat. Leuit. fol. 207.

Merito leges lapidibus insculptæ, vt lapidem rogent, qui lapidem violant, id est, legem nihil de pœna remittentem, & nec præces audientem.

Maior debet esse mortificatio cupiditatum ad quas magis inclinamur. Vide quæ scripsi, l. de institutione & officiis religiosi, parte 1. c. 23.

Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam, Psal. 118. Non est periculoso nocturnarum vigiliarum otio animus relaxandus, sed cum maximè corporis vitijs opportunitas datur, tum præcipuè, eadem vitia diuinæ legis recordatione, deprecationibus, orationibus, confessionibus frangantur, Diuus Hilarius, in d. Psalm. Zain.

Media nocte f[illegible]gebam ad confitendum tibi, hoc fuit tempus quo primogeniti Ægyptiorum percussi sunt, quo sapientes virgines in nuptias introductæ; quo psallente Paulo & Sila, catenæ & vincula resoluuntur, Id. Ib.

De psalmodia & oratione nocturna Religiosorum. Vide quæ scripsi l. de institutione & officiis religiosi, parte 2. c. 24.

Vide contrarietas voluntatis.

POENA PVBLICA OB PECcatum regentium.

VIde *æqualitas contrarietatis.*

Ob peccatum Ionathæ, qui contra iuramentum mel gustauerat punitur populus, & propter peccata Dauid pestis absumit magnam populi partem. Nam quemadmodum constat homo ex D anima & corpore, sic regnum ex rege & subditis, punitur autem corpus pro peccatis animæ, & vt si manu peccauit homo, non est iniustum si pœnas det dorso, sic non injustè facit Deus, si propter Regum lapsus populum vlciscitur, nam regis pœna est clades populi. Iustinus Martyr, q. 138. ad Orthodoxos.

Quare Deus permittit ob vnius peccatum multos puniri, vide quæ scripsi. Theolog. natural. to. 3. parte 3. c. 11.

Pro peccato principis; non tantum ipse, sed & populi, maximè familiares sui puniuntur aliquando, quia peccatum principis est aliquomodo subditorum, si sit publicum, & quia populus est aliquid principis, Tost. Gen. f. 275.

E Reg. 2. c. 22. Dauid insolescens numerat populum, ob id peste pereunt Septuaginta millia virorum. Propter peccatum Adæ punitur tota eius posteritas, Gen. 3. *Vide duratio contrarietatis*, pœna in posteros.

Rex habetur vt regni caput, populi sunt vt reliquæ corporis partes, quæ capite non sano quidem, tamen acriter non dolente, malis humoribus ab eo fluentibus infestantur; hæc est inferiorum sors vt luant pœnas defectus causæ superioris, hinc nihil patientis, nihil minutæ. Lunæ recta conjunctio, parit eclypsim Solis, non ipsi sed inferiori mundo

Digitized by Google

A grauem. Cum cæteri planetæ perueniunt ad infœlices aspectus Saturni vel Martis, vim hanc malignam in nos illæsi proijciunt, & suis nos onerant debilitatibus. Vt ex bonis principibus commoda percipiunt populi, sic æquissimum est malorum, occulto prouidentiæ iudicio venientium onera sustinere. *Vide media bonitas*, ne principis peccatum vt alienum æstiment, cum enim per præcedentia sua delicta malum rectorem à Deo promeruerint, cum eius insolentiam, lasciuiam, cæteros excessus adulatione fouerint, moribus sint imitati, his pœnas debitas merito suas effecere, fortè durius esset peccantem regem morte puniri, quam maximam populi partem interire, quia sublato rege totus posset populus in immanis hostis deuenire B seruitutem, vel Anarchia laborans proprijs manibus, belloque ciuili se conficeret; interire potest in vno peccans, in cæteris bono publico, profuturus Rex, sic in vno tota concideret spes regni, ac quacumque calamitate totus non potest interire populus, vnde quod pars eius aliqua cadat in expiationem delicti, opus est diuinæ iustitiæ misericorditer castigantis. Ex peste sedes vacuas cito replebit hæreditatibus, & in rerum abundantia lasciuiens quæ sequetur generatio; vnius aut alterius anni sterilitatem compensabit feriatæ terræ major fœcunditas. Vices has seruat orbis etiam innocens, statis temporibus sic expurgatur, exoneratur, restituitur, C cur hoc non patiatur reus, cum clades illas ad regni lustrationem diuina iustitia differre vel anticipare voluerit. Adolescentis principis peruicacia, sæpius emendatur, dum punitur in Ephæbo quem amat, ita reges se continent ab excessibus quos vident in populis suis à Deo vindicatos. Studiosius etiam supplicabunt populi pro Regibus quorum vitam intelligunt ad se pertinere, bonam benedictiones, malam pœnas, nunquam nisi graues, quia publicas promereri. Certum est argumentum regnis & personis dominantis prouidentiæ, quæ sic de regum peccatis velut publicis, publicam exigit pœnitentiam, non in interitum regni, sed in correptionem. Huic pœnæ publicæ peccantis regis persona non sufficit, si morbo carpitur vacans à regimine insufficiens erit, & hæc etiam reflectetur in populum, similiter si morte puniatur, eritque pœna capitis, vitijs tantum non sanabilibus debita: vt igitur sit emendationi locus, optimum est reges qui possunt in meliorem frugem ad populi totius commodum & exemplum venire, etiam in populo suo castigari. Si pro priuati hominis peccato sæpè punitus est populus, vt pro furto Acham. Iosue 7. pro peccato quorundam in Gabaa contra vxorem leuitæ Iudic. 19. quanto magis pro peccato Regis. *Ex principijs*.

Vicissim reges puniuntur pro populis, *vide minoritas contrarietatis*, defectus seueritatis malus.

Viuente Ozia leproso rege, & sacerdotium quantum in se est dissipante, Esayas visionem videre non potuit, & in exodo, dum Pharao vixit populus Israël opere pressus non suspirauit ad Dominum, eo mortuo suspirauerunt. Post Phaltiæ pessimi ducis interitum, Ezechiel obtinet misericordiam à Deo, sic in nobis regnante peccato nihil accidit prosperi. D. Hieron. Damaso l. 3. epist. filij & filiæ Achan occiduntur cum eo.

Vide supra hoc tit. magna clades, & duratio contrarietatis.

DVRATIO CONTRARIETATIS.

CONTINVATA SEVERITAS BONA.

SANGVIS grossus, turbidus, distemperatus in calore, aptat cor tristitiæ & iracundiæ pertinaci; tristitia fit propter spiritum turbidum, pertinacia autem ex eo quod est spissus, spissum enim calefactum non cito frigescit. Idem præstat consuetudo, facitque succedere in corde similes passiones, iramque ira sequitur, vindictam, vindicta. Albertus Magnus, tractat. 2. de motibus animalium, cap. 6. & 7.

Pertinax resistentia coronatur. *Vide gloria contrarietatis*, salus ab inimicis, quod terra solidæ superficiei non cedens terræ motui, eleuatur in montes.

D. Dionys. de cælesti hierarchia, cap. 2. dicit animalium furorem ad vindictam applicari spiritualibus substantijs, quia furor in eis significat virilem quandam fortitudinem, ad vindictam non præcipitem, sed immutabilem, quippe regulatam à diuina sententia, & innixam fundamento immutabili, ita non quiescens ad vindictam motus,

D Hominibus quotidianus est reditus ad peccatum, nec propter hoc desinunt confiteri, numquid sentinam nauis exhauriens, idcirco deserit opus, quia redit tantumdem aquæ, quantum expulerit? Pugnamus contra vitia, ait Seneca, non vt vincamus, sed ne vincant, si quotidie manus sordidantur; non minus abluimus illas, quia & si redeant sordes, non ea tenacitate cohærescunt. Gerson tractatu de paruulis ad Christum trahendis.

Oratoris in materia flebili, ab exordio vsque ad vltimam vocem continuus quidam debet esse gemitus, & idem tristitiæ vultus seruabitur, siquidem volet dolorem suum, etiam in audientes transfundere, quem si vsquam remiserit, in animum iudicantium non reducet. Nam qui intermittere in agendo dolorem potest, videtur posse etiam deponere. Quint. Inst. orat. l. 11. c. 1.

Periander interrogatus quare imperium non deponeret, quoniam, inquit, per vim imperanti, etiam vltro desistere periculosum est.

Serui non sunt tantum monendi vt liberi, sed durius castigandi ne molliores fiant, alloquutio ad

Digitized by Google

eos sit imperium, & sine joco, nam qui eos delicatè nutrit, difficiles ad obedientiam experietur. Plat. 6. de legibus.

Mors præcibus, donis, minis, & humana potentia non flectitur.

Scythæ victis hostibus dextras amputabant, ne deinceps possent pugnare. Lucian. dialogo Toxaris.

Diebus Enos oceani exundatio tertiam mundi partem perdidit, nec tamen sequentes ætates resipuerunt, sibi metuendo à copiosiore diluuio, cujus præcedens erat præludium. Genebr.

De perpetua nigredine Æthyopum. *Vide cognitio contrarietatis*

Danieli reuelatur quod Iudæorum desolatio vsque ad finem perseuerabit, Dan. 9.

Duo Episcopi qui alium consecrarant, inscio Metropolitano, ab Episcopali dignitate in perpetuum excluduntur in Concilio Regensi Galliæ, c. 1.

Flammam omnium acutissimam humilis reddit materia, sed carbones nullos relinquit, eo quod corpulentia caret. Carbones autem optimos spississimæ materies faciunt, solidissimos, diuturniores, efficaciores, optimos, quos ætate vigens materies fecerit. Theoph. histor. plant. l. 5. c. vlt. Viri boni ira grauis est.

Cogitur homo tolerare, etiam peccatis remissis, &c. Productior est enim pœna quam culpa, ne parua videretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. ac per hoc temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa. D. Aug. tract. 124. in Ioan. sic remisso per baptismum peccato originali, eius quotidianas luimus pœnas per corporis infirmitates & mortem.

Pater vnum ex filijs suis quamuis incorrigibilem, castigat semper vt alios hac saltem pœna contineat, & ne impunita delicta videatur approbare.

Vide gloria virtutis, Repugnat, conscientiæ stimuli.

Archimedes instrumenta fabrefecit ad omne telorum spatium, *vide duratio medij*, moderata durant.

Referunt bidente cupreo, extincto in sanguine hirci, gramen erutum non amplius repullulare. Card. l. de rer. variet. c. 23.

Dura & difficilia quæuis superat assiduus labor, *vide potestas durationis.*

Quod sentit patitur à sensibili, estque illi dissimile in principio, in fine vero simile. Arist. 2. de anim. tex. 62.

Quinque millia annorum & plura præterierunt, & mors nondum est soluta propter vnum Adæ peccatum. Quater millia annorum præterierunt & Sodomitarum adhuc manet & viget supplicium, &c. grauior nunc manet pœna peccantes post iustitiæ diuinæ minas & pœnas, &c. D. Chrysost. ho. 9. in 1. ad Cor.

Nec leuiter in vincula conjiciendi Principes, nec libertate donandi, cum ferè æqualis momenti sit, & eos injuria tenere, & læsos memoresque fortunæ reddere, qua abuti maximè solent, qui ea vti aliquando prohibiti sunt.

Frangendus est obsidione, qui annonæ copia caret.

Serpentibus sunt adunci dentes ne ab ipsis elabatur præda, leones, lupi, etiam catti prædæ suæ vulnus inferunt lethale in prima congressu ne diffugiat. Hoc anno 1658. mense Octob. vidimus Parisijs pellem balenæ, & separatim eius scheletum 54. pedum: intra labia pendent radij barbati à latere, ne dum lata sua lingua glomerantes pisciculos sardinias, aut aleces in os vastissimum infundit, antequam claudatur, patentibus lateribus emergant.

Nullus planeta deterius afficitur in retrocessu, quam Mars, Cardan. aphor. sect. 5 aphor. 186. ab incœpto bello non facilè desistendum. Lunaris eclypsis per tot menses, Solaris per tot annos, quotus fuerit horarum numerus, extenditur. Ibid. sect. 7. aph. 75.

Pertinax oppugnatio valida quæque destruit, vide quæ scripsi de iure natur. l. 3. lege 11. §. 1.

Quod ab aliquo pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur, lib. 46. ff. de reg. jur.

Iulianus apostata, vt Iudæos contra Christianos incitaret, & collatis beneficijs deuinceret, templum quondam magnificentissimum restaurare conatus fuit, sed mirabili Dei potentia impeditus, signo crucis in aëre ostenso, vestibus aspectantium impresso quæ ædificata fuerant, terræ motu destructa. Greg. Naz. orat. 2. in Iulian.

Iosue maledicit reædificare volentibus Iericho.

Alexander post bis victum Darium, reditum in patriam optantibus militibus, sic orationem habuit: Putatis gentes nullo nobis, sacrorum, morum, linguæ commercio cohærentes, eodem prælio domitas esse, quo victæ sunt. Vestris armis continentur, non suis moribus, & qui præsentes metuunt, in absentia hostes erunt. Cum feris bestijs res est, quas captas & inclusas, quia ipsarum natura non potest, longior dies mitigat; & adhuc sic ago, tanquam omnia subacta sint armis, quæ fuerunt in ditione Darij, omnes hi, simul terga nostra viderint, sequentur, proinde aut quæ cepimus amittenda sunt, aut quæ non habemus occupanda. In corporibus ægris, nihil quod nociturum est, medici relinquunt, sic nos quidquid obstat imperio, rescindamus; parua sæpè scintilla magnum incendium excitauit, nihil tuto in hoste despicitur, quem spreueris, potentiorem negligentia facies. Q. Curtius l. 6.

In morbis profligandis si à maximis orsus es auxilijs, in illis persistes, nam in talibus morbis acutis tempore parum differt status ab initio, Card. meth. medendi, c. 16.

VINDICTA IN MORTVOS.

Nihil est crudelius morte hominum, quos populus occidit, solus hic exitus est, à quo non est, nec cadaueribus salua reuerentia, Quintilia. declam. 10.

Antiqui Galli hostium à se occisorum capita domi condita asseruabant ostentationis causa. Pompo. Mela l. 3. c. 2.

Ecclesiastica sepultura priuantur aliqui; nam quibus non communicauimus viuis, nec defunctis communicare debemus, cap. de sepultur. tales sunt excommunicati, interdicti, vsurarij manifesti, Iudæi, pagani, hæretici; qui decimas Ecclesiæ possidens non restituit, qui noua vectigalia sine principis consensu imposuit, Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, in die Paschatis non recepit, fures, latrones, raptores, qui in torneamentis pugnandi animo accedunt, & decedunt, seipsum interimens;

Digitized by Google

propter sua scelera & delicta morte affectus, qui Presbyterum contra Ecclesiæ prohibitionem tutorem reliquit, in Deum & sanctos blasphemus, hi omnes si non pœnituerint, tot. tit. de sepultur. & in 6.

In Septentrionalibus regionibus decretum fuit, ne maligni principes & tyranni honesta potirentur sepultura, & sic S.C. contra Commodum decretum fuit, vt refert Lampridius hosti patriæ honores detrahantur, parricidæ honores detrahantur, statuæ & nomen eius ab omnibus publicis & priuatis locis abolendæ sunt, ac eradendæ. Olaus Magnus, l.1. c.3.

Quibus infortunæ in octaua, cum fixis malis fuerint, vel oppositum significatoris locum aspexerint, illudetur eius cadaueri. Card. de judicijs geniturar. c.11.

Quidam occidebant pueros, immolabant, & putabant eorum animas in dæmones conuersas, ipsis toto vitæ tempore seruire, de hac opinione. D. Chrysost hom.19. in Math.

Sepultura Ecclesiastica hæreticis denegatur. Nicol.3. const. 2.§.18. p 141. to. 1. Mortuis in duello. Clem.8. const. 11.§.7. p.10. to 3. Congredientes ad certamen cum tauris & feris in spectaculis, Pius V. const.48 p.18. t.2.

Contra cineribus mortuorum parcendum. *Vide gloria finis.*

VINDICTA IN POSTEROS.

Filius non ferat dedecus & pœnam patris, nisi ordine habuerit simul patrem, auumque & proauum morte damnatos. Plat.8. de legib.

Qui per rigorem ingenij, actusque turbulentos, administrant regna, timentur viui; in diris habentur mortui, cruciantur in statuis, cruciantur in liberis.

Archimedes instrumenta fabrefecit ad omne telorum spatium, vt etiam distantes attingeret. Suidas in voce ἀμβων.

Cicero sic scribit ad Brutum. Nec me fugit, quam sit acerbum parentum scelera, filiorum pœnis lui, sed hoc præclare legibus comparatum est, vt charitas liberorum amiciores parentes Reipublicæ redderet.

Damnatorum filij non sunt ad dignitates euehendi. Nam timeri debent ne parentum flagitia sequantur merito damnatorum, si injusté, ne se vindicent. Card. l. de rer. variet. c.46.

Crœsus ditissimus Rex Lydorum factus fuit Cyri seruus, conquerenti de mala sua sorte responsum est ab oraculo ipsum luere pœnas Ataui, qui occiso Domino regnum occupasset, credebant antiqui defunctorum ter animas reuolui in corpora vt prioris vitæ criminibus expiatis tandem in æternum fierent beatæ. Rodig. l.6. c.13. Epilepticorum filijs exhibetur medicina ne in parentum morbum incidant, illæ pœnæ sunt cæteris ad exemplum Ib. c.14. Vide D. Th 12 q.87. a. vlt.

Quod canes siluerint dum Galli capitolium obsederunt, annua pendebant supplicia, viui enim singulis annis in furca figebantur. Rodig. l.17. cap. 280.

Noë maledicit Cham in filio suo Canaam, *vide contrar. princ.* maledictio.

Turpissimis clericorum filijs ex fœdo concubitu prognatis dedecus merito impingitur & à sacris canonibus can. proposuisti, dist. 82. & à Conc. Trid. A sess. 25. c.15. ab omni Ecclesiastico officio & beneficio quod flagitiosus parens possidebat, arceantur, sic crimen læsæ majestatis liberis probrosum est l. si quis 14. ff. de jurisd. om judic.

Hugo Linscotanus in historia jndica p.4 c.17. refert in Goa insula occisorum animalium cornua si terram contingant radices agere & in plantam brasicæ similem euadere; his gentibus probrosum est ostendere cornu, quasi sit exprobratio adulterij hæreditarij.

Iudæi postulantes Iesum crucifigi dixerunt, sanguis eius super nos, & super filios nostros, Math.25. Propterea sanguis Iesu, non solum super eos factus est, qui tunc fuerunt, verum etiam super omnes generationes Iudæorum vsque ad consummationem. B Origen. tr.35. in Math.

Auari sæpè puniuntur in posteris ad quos injustè quæsita peruenerunt, nam Dominus rem suam vindicat à quocumque possessam, D. Chrysost. hom.15. in 1. ad Cor.

In Palæstina supra Ascalonem & Gazam, vbi desinit Iordanis fluuius, & vbi erat olim Sodoma, terræ fructus sunt iræ Dei monimentum, stant enim mala punica quæ pulchram habent exteriorem speciem, sed intus, repositum habent cinerem, omnia infrugifera, omnia non genitalia, omnia ad supplicium, iræ quæ præcessit, imagines, futuræ indicia, & hoc est indicium, quod æternus sit gehennæ cruciatus. Idem homil. 8. in epist. 1. ad Thessa- C lon.

Ecclesia punit interdum aliquos absque illorum culpa vt filios Presbyterorum. Tostat. Leu fol 320. c. 2. 2.

Pœna peccati Dauid propter confessionem transfertur in posteros, *vide cognitio minorit.* confessio culpam minuit.

Quare filij puniuntur pro peccatis parentum. Vide quæ scripsi Theol. natur. to. 3 parte 8. c.13.

Propter peccata Sodomitarum infantes cum illis combusti sunt, *vide magnitudo contrariet.* magnæ clades.

Hierusalem vnde fit, vt post tanta spatia temporum Deus non soluat captiuitatem tuam? Memento vocis parentum tuorum, sanguis eius super nos, & super filios nostros, & non habemus regem, nisi D Cæsarem, habete quod elegistis vsque in finem mundi terreno principi seruituri. D. Hier. ep. Dardano, in fine.

REPVG. NOXA CAPVT sequitur.

Theodoret. in Exod. q.40. existimat quod dicit Deus Exod. 20. Reddam peccata parentum in filios vsque ad tertiam & quartam generationem, esse comminatorium, quia contrarium dicitur Ezech. 18. nec enim filij Israël qui ascenderunt de Ægypto, non luerunt pœnas parentum qui adora- E uerant Deos Ægyptiorum.

Vide differentia minoritatis, diuersa infirmitas.

Nullus homo si secundum se spectetur potest pro peccato alterius puniri pœna propriè dicta. Gal. 6. dicitur vnusquisque onus suum portabit, & Ezech.18. anima quæ peccauerit ipsa morietur. Ita filij non possunt pro delictis parentum corporaliter puniri, possunt tamen alij pro alijs puniri si non considerentur vt aliquid distinctum, sic totum regnũ punitur pro rege, vt in Dauid; tota familia pro

ized by Google

parte, vt in Hely, Bonacina de peccatis, q.7. potest A etiam vnus pro alio satisfacere, liberè & renuntians juri suo, Ib.

Crudelitas summa fuit in Aman, cui parum fuit de solo Mardochæo se vindicare, nisi & in omnes Judæos mitteret manus, Esther 3.

Quando quis peccauerat & offerebat sacrificium, misericordiæ diuinæ erat quod acceptaretur eius oblatio; justitiæ enim decretum est, anima quæ peccauerit ipsa morietur, Ezech. 18. 4. at sacrificium Messiæ fuit sacrificium justitiæ, cum scilicet homo pro homine moritur. Doctores Hebræi quos citat Voisin. de lege diuina c.8.

Vide supra proximè, *magnitudo contrarietatis*, B de vindicta publica ob crimen vnius, & principis.

Prius discuti debet principalis debitor, quam fidejussor. Nou.4.

Nouella 52. prohibet alium pro alio pignorari, & supplicio affici, vt nullus ex vicanis, pro alienis vicanorum debitis teneatur, c.11.t.57. sic Cassiod. 4. variar. diuiduntur causæ germanis, filius obligationibus paternis, si non sit hæres, eximitur; vxor maritalibus debitis nisi per successionis vincula non tenetur, & audacia ad solutionem trahit extraneos, cum absoluant jura conjunctos.

Portare iniquitatem suam in sacris litteris, est habere pœnam pro iniquitate sua. Tostat. Leu. fol. C 187.

Iustinus martyr in apologia ad Antonium Pium Imp. Rogamus, vt qui criminis conuictus fuerit, pro scelesto puniatur non pro Christiano.

Propter culpam personalem, eius tota non debet puniri societas, vide quæ scripsi lib. de fœlici successu & triumphis vitæ religiosæ parte 1. c. 21.

Ius vetus est, vt de se quis non de alio promittens obligetur, & ex eo contractu nulla nascitur obligatio, Cujac. obser. l.12. c.36.

Duo tutores, vel duo magistratus non sunt omnimodo conrei, nam agi non potest in eum qui non gessit, nisi excussis facultatibus eius qui gessit, deinde fidejussoris eius, post nominatoris, ad extremum collegæ, l. si pupillus, ff. de adm. tut. & Cu- D jac. obser. l. 13. c. 14.

In eo Sarcophago vel solo vbi corpus jam depositum est, aliud corpus inferri non potest, & qui intulerit, reus sepulchri violati postulari potest. Idem libro 21. capite 13. sufficit vnicuique sua putredo, aliena non debent infici cineres jam deputati.

Diuus Ambrosius epist. 31. Respondens Symmacho, qui dicebat Deos orbem fame castigasse in odium Christianorum, qui sacerdotibus alimenta negabant; quæ inquit æquitas, vt paucis sacerdotibus dolentes victum negatum, ipsi omnibus denegarent, cum inclementior esset vindicta quam culpa.

Magna Herodis crudelitas in innocentium oc- E cisione; si inquit, nulli puerorum illic vitam concesseritis, ille vnde mihi periculum est, in communi jacebit excidio, Christus in omnium sanguine quæritur. D. Basil. seleusiæ, orat. 37.

Vide medium virtutis, media, propter aliquos in societate malos, cæteri tales non sunt habendi & puniendi.

Communitates pro alia communitate, aliaue persona priuata obligari vetuit Sixt. V. const. 42. §. 6. Bull. p. 414. to. 2.

PECCATVM ORIGINALE.

PAtre damnato de crimine læsæ majestatis, non potest eius filius ad honores & dignitates aspirare, l. quisquis §. 1. ff. ad l. Iul. majestat. quæ lex est canonizata in can. pen. 6. q. 1.

De originali peccato. Aug. to 7. D. Tho. q. 4. 5. de malo. Bouer. to. 1. l. 2. demonst. 1.

Dum non videatur per vnum hominem nocentes fieri, qui per vnum hominem sumus iustificati. Nunquid in semine tota arbor, vitium ergo seminis, vitium est totius arboris. Chrysolog. serm. 111.

Cum Adam concidit cunctum humanum genus, quod illi vi quadam productiua, vel seminali ratione latitabat. Card. Cusa, excit. l. 2. c. 20.

Licet sint baptisati parentes, generant tamen filios in originali peccato existentes, sicut granum mundum à palea, generat granum in spica, & circumcisus, incircumcisum generat, contrahit anima pueri à carne concupiscentiam & culpam originalem, sicut optimum vinum in putrido vase inficitur, & pulcher homo in lutum cadens maculatur. Idem c. 24.

Propterea Hierem. 20. & Iob. 3. execrantur diem natiuitatis suæ, & Dauid Ps. 51. In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea, & ideo dicitur Ioan. 14. Nemo mundus à sorde, nec si vnius diei sit vita eius; vnde etiam paruulis datur baptisma & olim mulier post partum solemniter à sacerdote purificabatur, immunda erat in masculo 7. diebus & octauo die circumcidebatur puer. Origen. hom 8. in Leu.

Pelagiani dicebant peccatum primi hominis intrasse in mundum non traductione originis, sed similitudine præuaricationis, omnesque illo vno peccato peccasse dicebant, quia omnibus ille vnus peccandi exemplum extitit. Contra D. Aug. l. de baptismo paruulorum & magist. sent. l. 2. d. 30. q. 1. Id enim tolleret necessitatem redemptionis & Sacramentorum. Omnes in Adam peccauerunt, quasi in massa; ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit omnes nati sunt sub peccato, à cujus reatu non absoluuntur nisi post Christum.

Anima rationalis non habet immunditiam peccati originalis, nec est à se, nec à Deo, sed ex vnione ad carnem, sic enim fit pars humanæ naturæ deriuatæ ab Adam. Verbū Dei non maculatur ex vnione seu adjunctione ad carnem, nam illi non vnitur vt forma, & ita se habet sicut lux non immista corpori, sicut radij non miscentur fæcibus, sed anima vnitur corpori vt forma, & ideo comparatur luci incorporatæ quæ inquinatur ex admistione, sicut patet de radio transeunte per aërem nebulosum, qui obscuratur. D. Thom. in q. disp. q. 4. de peccato orig. a. 3. ad 5.

Breuis fuit Adæ consensus, sed calamitas diuturna, hinc enim lachrymæ, gemitus, contentiones, auaritiæ, & quidquid Deo aduersatur, effluxit est. Laurent. Iust. arbor vitæ.

De peccato originali, vide quæ scripsi Theol. natur. to. 4. parte 3. c. 8.

Objiciunt præceptum sub mortali culpa, non obligare nisi in re graui. Respondet Suarez de legibus, l. 3. c. 25. n. 5. præceptum Adæ impositum fuisse de re graui, quia illa abstinentia à cibo vetito imposita fuit in recognitionem obedientiæ Deo debitæ, & quasi in tributū humanæ subjectionis ad Deum,

& ad reprimendam hominis elationem, subijciendo illum inferiori creaturæ, in obsequium Dei. A

CONTINVA SENSVVM mortificatio.

CAssianus l.1.c.2. refert Monachos cingulo fuisse præcinctos ad instar Eliæ & Ioannis Baptistæ, quasi milites Christi, in procinctu belli semper positos.

Idem significat cingulum quo vtitur sacerdos in altari, Bonacina de ordine. B

Idem c.9. refert eosdem Monachos solitos in via ferre præ manibus baculum, cujus gestatio spiritualiter monet, nunquam debere eos, inter tot oblatrantes vitiorum canes, & inuisibiles nequitiarum spiritualium bestias, inermes incedere, & cap.11. de cingulo pelliceo loquens; accinctio, inquit, lumborum, & ambitus pellis emortuæ, significat eum mortificationem circumferre membrorum, in quibus libidinis seminaria continentur, secundum illud Euangelij, sint lumbi vestri præcincti.

De mortificatione sensus, *vide minor gloriæ*.

Nisi passionibus ratio adhibeat cultum, efferuntur, fiunt petulantes & vt plantæ satiuæ & bonæ, negligente agricola, degenerant. Stobæus.

Opus est vi continua, vt grauia sursum ascendant. C

Fasciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera mea commorabitur, cant. non dicitur ramus, sed fasciculus propter multitudinem & coaceruationem mortificationum. Petrus Dam. ser.35.

Apud Monachos solitum erat jejunium Sabbati, quia tota vita est velut vigilia futuræ resurrectionis in alia vita. Id. opusc.54.

Propter veterem hominem qui nobis adhæret oportet sæpè super excrescentes fœditates purgare & abjicere Sicut arbor semel plantata in terra bona quotannis purgatur & putatur, & de agro nostro qui de sua natura producit tribulos & spinas; oportet malas herbas eradicare, vt faciat fructum bonum & multum Card. Cusa, excit. l.5.c.60. D

Crematur victima tota nocte, Leu. 6. mortificatio vsque ad extremum vitæ. Rupert.

Dauid agnoscens peccatum suum pœnitens exclamat, peccaui Domino, respondet Nathan, Dominus transtulit peccatum tuum, at ipse medicamentum nequidem post curationem abjecit, sed flens per omnem vitam clamabat intentus in cælum. Lauabo per singulas noctes lectum meum, peccatum enim lachrymis curatur, illuuies animæ his fontibus expurgatur, S. Basil. seleuc. orat. 17.

Vos in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Rom. 8. non dicit habitauit, sed habitat, vt continuationem ostendat. D. Chrysost.

Vide finis minoritatis, pœnitentia & iustificatio peccatoris. E

Ideo tunsio sacerdotalis fit in modum coronæ, & sphæræ, cui non potest assignari finis.

In altari thymiamatis semel in anno, id est in die purificationis apponebatur sanguis. Exod. 30. etiam contemplatiui indigent mortificatione.

Sicut lima operatur in ferro, & qualibet confricatione aliquid rubiginis aufert; ita quodlibet affectuosum cordis suspirium purgat animam, & excitat ad contemptum sui, & ad amorem Dei. Harphius. Theolog. myst. libro secundo, capite 15.

In hac mortificationis cruce, per totam istam vitam, quæ in medijs tentationibus posita est, pendere debet Christianus perpetuo, nec enim nunc tempus est euellendi clauos, de quibus Psalmus, confige timore tuo carnes meas, quare si terreno limo gressus nolumus immergere nostros, de hac cruce minime descendamus. Laurent. Iust. l. de sobrietate, c.2.

Cauendum à nimia præsumptione. *Vide cognitio virtutis, Rep.*

Tria munera magorum aurum, thus, myrrha, significant, puritatem cordis, charitatem seu zelum; & myrrha mortificationem amaram, quæ vtrumque seruare debet incorruptum munus. Laur. Iust. serm. in Epiphan.

In Symbolo Apostolorum de Christo dicitur, conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, sepultus; non fit mentio de vitæ suæ miraculis, sed tantum de humiliationibus & passionibus, in quibus esse debet tota vita nostra.

Exod. 27. Deus præcipit in altari tabernaculi esse forcipes & fuscinulas æreas, ad ignis materiam aptè disponendam, charitas debet externos sensus componere vt virtuti seruiant, non obstent. Rusbroch de tabernaculo fœderis, cap. 7. Singulis septem lucernis in candelabro appensæ erant forcipes aureæ quibus adusta ellychnia repurgarentur ac resecarentur quo lucernæ clarius lucerent, Ibid. cap. 31.

ÆTERNA POENA DAMnatorum.

VItæ præsentis miserijs, adijcitur timor pœnæ post mortem.

Pluet super peccatores laqueos ignis, vnde non poterunt se expedire.

De inferno, demonstrat. Bouerij, libro primo, demonstr. 3. Bernardin. quod 2. sermon. 12. 22.

Deus lucem vocauit diem, & tenebras noctem, id est perpetuam bonorum Angelorum fœlicitatem, & contra malorum æternam damnationem, nec enim semel expulsi, redire possunt inconuertibiles apostatæ. Rupert. in Genesim, libro primo, c. 19.

Vbicumque ceciderit lignum, siue ad austrum, siue ad Aquilonem, ibi erit, Apoc. 11.

Abbas Macarius, dicebat, ploremus hic fratres, vbi lachrymæ nos leuant & lauant, at post vitam adurunt, vitæ Patr. l. 5.

Configurabimur omnes in resurrectione Christo, alij vt triumphatori mortis, alij vt ad mortem condemnato, cui non sunt compassi, & per quam non erunt redempti. Anima enim quæ non est Christiformis est in corpore, sicut in densis tenebris, incæsta. Card. excit. l.7.c.23.

Pœnæ damnatorum dicuntur abyssus, qui est immeabilis; vnde dicitur abyssus abyssum inuocat, id est, de iudicio conscientiæ itur ad iudicium damnationis perpetuæ, in voce cataractarum tuarum, id est iustitiæ diuinæ dicentis, Ite maledicti in ignem æternum, &c.

Stoici dixerunt animas licet natura sua immortales cruciatibus tamen obnoxias fieri ob terrenam quam sibi affricuerunt labem, æternitatem pœnarum Poëtæ per Titi jecur vulturi æterna suggerens

Digitized by Google

alimenta. Deus qui pauonis dedit carni vt non corrumpatur, & similiter carbonibus, dat vim damnatorum corporibus vt in igne non absumantur, cessante etiam cæli motu, nulla erit actio, nulla in corporibus affectio tendens in naturæ transmutationem. Rodig. l. 10 c. 10.

Lux erit illis in pœnam, *vide gloria virtut. Rep.* conscientiæ stimuli.

De verme qui non moritur. Vide Ib.

Sanctus Basilius seleuciæ orat. 18. loquens de Herodiade quæ obtinuit ab Herode caput Ioannis Baptistæ, abscissum quidem est caput, inquit, nec tamen Ioannis vox tacet, æternum loquetur post funera, accusatorem in te, mulier, armasti; linguam vnam sustulisti, sed vice linguæ Ioannis, totus est mundus, ad te accusandum creatura plena vocis est; nondum loquor immortale tribunal, quod falli, quod vitari non potest.

Excutiamus vitæ mortalis somnum, si enim dormientes nos dies extrema deprehenderit, mors simul excipiet immortalis. D. Chryso. hom. 24. in ep. ad Rom.

Quomodo, inquies, æternum puniemur, cum hic breui tantum tempore delinquamus? quo pacto qui breui temporis momento vnicam cædem tantummodo committit, continuæ ac perpetuæ metallorum condemnationi adjudicatur, vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur, inquit Christus Math. 9. Ibunt illi in vitam æternam, & isti in supplicium æternum, Math. 25. Idem homil. 25. Idem habet hom. 9. in 1. ad Corinth.

Si non puniuntur scortatores, adulteri, homicidæ, si mali eadem consequantur cum bonis, si nulla sit nec pœna nec retributio, nullum erit iudicium; nequidem hoc dæmones asseruerunt, dicentes Christo. Math. 25. quare venisti ante tempus torquere nos, & non times negare quod confitentur; si injustus est Deus, non est Deus, injustus autem esset pari conditione habere bonos & malos, quod ne in barbaris quidem dominis & judicibus tolceraretur. Ib.

Vide hoc tit sera Dei vindicta, & cognitio contrarietatis, Dei timor.

Locus inferni est extra mundum, *vide differentia minoritatis*, mali expulsio.

Respondet perpetua pœna peccato mortali secundum ordinem diuinæ iustitiæ, & ex ipsa specie peccati, & ex inhærentia ipsius ad subjectum, ex specie quidem peccati, quia peccatum mortale est directè contra charitatem Dei, & proximi per quam peccati pœna remittitur; qui autem contra aliquid peccat, ex hoc ipso meretur eius beneficio priuari, vt qui contra Rempublicam peccant ab ea excluduntur perpetuo exilio vel etiam morte, quamuis culpa commissa fuerit momentanea. Ex parte autem inhærentiæ meretur pœnam æternam, quia priuat hominem gratia, per quam potest peccatum remitti, peccato autem remanente non soluitur pœna quia in operibus Dei nihil potest esse inordinatum, vt qui in puteum se proijcit vnde non potest per se exire, quantum est in ipso facit vt in perpetuum sit ibi. D. Th. in q. disp. de peccato veniali q. 7. a 11.

Corpora damnatorum erunt incorruptibilia, quamuis sint passibilia, sic enim conseruabuntur à iustitia diuina in perpetuis pœnis: confert ad hoc cessatio motus cæli, qui erat causa generationis & corruptionis. Id. quodl. a. 11. & Tost. in Gen. f. 188. c. 2. g.

Erit ibi miseris mors sine morte, defectus sine defectu, quia mors ibi semper incipit, & deficere nescit. Laurent. Iustin. tract. lignum vitæ, capite 4. minimè vltra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus iustitia iudicantis damnat.

Quare pœna damnatorum sunt æterna, vide quæ scripsi, Theolog. natural. tom. 3. parte tertia, capite 15.

Damnati quid patiuntur ab igne, *vide media bonitas*, bonum malo mixtum.

CONTINVATA SEVERITAS mala.

Ira non placabilis, siue odium.

IN mixtis corruptio procedit ex mixtione contrariorum, quamuis enim eorum excellentiæ in medio actu mixtionis fractæ sint, tamen adhuc manent essentiæ contrariorum in ipsis; & ideo cum nihil ad æqualitatem Arithmeticam misceri possit, contingit aliquando vincere aliquod contrariorum, & inducere corruptionem in commixtis. Albertus Magnus, tract. 2. cap. 2. de morte & vita.

Naphta est species bituminis, maximè viscosæ pinguedinis, ideo aqua non extinguitur, quia aqua non intrat ipsum, nec adhæret ei propter pinguedinem; talis est materia per quam transit aqua calida thermarum. Idem l. 2. de proprietatibus elementorum, tract. 2 c. 2. Ira ferox incendit ipsosmet, à quibus deberet placari & extingui. Montes igne suis visceribus incluso semper ardent, quia continuo generatur sulphur & bitumen vnde pascitur: Ira nouis quotidie alitur suspicionibus.

Medici eas febres quæ ab incertis causis paulatim collectis eueniunt, magis suspectas habent & timent, quam quæ manifestas, magnasque causas habent, sic frequentes offensæ generant odium implacabile.

Morti nullum dicatum templum, nullum oblatum sacrificium, quia est implacabilis, sic quidam frustra fatigantur præcibus.

Nulla pestis, vltra triennium durat, aëre tandem purgato ventis, ita Deus modum imponit pœnis.

Contra iram Seneca in libris de ira. Basil. ho. 10. Chrysost hom. 29. 30. 31. liber Petri Damiani de ira frænanda. Plutarch.

Crescunt vbi semel cœpere, discordiæ, & viuaces nutriunt flammas.

In Scotia olim generosum habebatur odia esse hæreditaria, Dauity.

Plaga Ægyptiorum secunda fuit aquarum, quæ versæ sunt in sanguinem, bibunt continuo sanguinem, qui vindictam meditantur, sic dicitur Apoc. 16. iustus es qui sanguinem dedisti bibere his qui sanguinem sanctorum fuderunt.

Hi qui publicis inter se odijs exardescunt, ab Ecclesiasticis conuentibus remouendi, donec ad pacem recurrant. Conc. Arel. II. ca. 50. & Agathense, can. 31. d. 90. ca. placuit etiam.

Ciuis ipse sepulti in genus hoc pugnat.

Teucer cadaueri Ajacis dicit, vides vt te Hector tandem etiam mortuus fuerit interfecturus. Suidas in voce ἀπεθίωσεν.

Cæsorum cadauera pugnant aëre vitiato, & victores suos necant.

Animas post mortem petere vindictam existimauerunt aliqui Gentiles, propter quod & mortuis faciebant sacrificia prima die Februarij, vt non vexarent viuentes. Tostat. exod. tom. 1. f. 218. c. 4. g.

Ideo putant occisorum cadauera coram occisore, sanguinem mittere residuis in corpore spiritibus ad hostis præsentiam ira satis incalescentibus, vt sanguinem prius concretum, fluidum efficiant.

Ira non appetit pœnam infinitam, sed determinatam, odium vero vult malum alicui in infinitum, Tost. Math. to. 2. f. 117.

Odia quæ procedunt ex antipathia, perpetua sunt. *Vide principium contrarietatis*, antipathia.

Terrea signa æternas seruant iras, non tamen ab his facilè corripiuntur: celerrimè aërea irascuntur, sed euanescit ira breui, ignea non tamdiu, vt terrea iram seruant, sed ad vltionem properant, aqueæ nec subeunt, nec seruant, Cardan. aphor. sect. 2. aph. 82.

Luna juncta Saturno plena luminibus, facit prudentes, tenaces, memores injuriarum. Ib. sect. 4. aph. 151.

Res omnis quæ celeriter fit, ac destruitur & redit, est de natura martis; quæ autem destructa celeriter nunquam redit est de natura ambarum infortunarum. Ib. sect. 5. aph. 68.

Mars in octauo loco, in signo igneo vel humano, facit insanam vindictæ cupiditatem, Idem aph. 164.

Malefacta in saxo, benefactu in aquis scalpuntur.

Sunt odia quædam inter familias hæreditaria, Pater filijs velut per manus tradit simultates; nascuntur hostes, non fiunt.

Quotquot liuoris, odij, aut nocendi veneno referti sunt, in arundine & spongia fel Domino porrigunt sitienti, de his Propheta fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Laurent. Iustin. de triumphali Christi agone, capite 19.

Defigere sortilegorum verbum est, vt notat Cujac. obs. l. 27. c. 17.

Non vindicabis bis in idipsum, Nah. 1. vnde qui à dignitate deponuntur, non excommunicantur, vide gloss. in can. 24. Apost.

Dicit Apostolus, Sol non occidat super iracundiam vestram. Quid agemus nos in die iudicij, super quorum iram, non vnius diei, sed tantorum annorum Sol testis occubuit, si offers munus tuum ad altare, &c. D. Hieronym. ad Castorinam.

Venenum in ipso corpore genitum semper fundatur in aliquo humore, vt puta bilioso, pituitoso, melancholico, sic motum habet ad motum humoris sui, & patitur intermissiones, at venenum externum æqualiter semper affligit, nec quietem concedit nisi ex toto, & enim per seipsum operatur, neque vnquam desinit operari, nisi è corpore expellatur.

HOSTIBVS RECONCILIATIS non fidendum.

INimicis veniam petentibus tenemur parcere, non tamen tenemur illis credere, nec redire in pristinam amicitiam, etiamsi ipsi petant, Tostat. 1. Reg. to. 2. f. 132.

Vide duratio minoritatis, semel malus talis semper præsumitur: Referunt id Astrologi ad antipathiam, scilicet ad contrariam signorum & planetarum in vtriusque figuris positionem.

Mos est apud Tartaros, vt legati, antequam eorum Imperatori commissa proponant, inter duos ignes ire cogantur, ea potissimum causa, vt si venenum portauerint pro intoxicando principe, ardore ignis in portitorum necem prius dissoluatur. Olaus Mag. ter. Septent. l. 11 c. 10.

Leones, lupi, cicurati, facilè ad feram suam naturam redeunt.

S. Gregor Nyssen. epist. ad Flauianum grauiter conqueritur, quod cum accepisset Halladium Episcopum infenso erga se esse animo, ipsum duorum dierũ itinere distantem adijt, vt falsos discuteret rumores, & ægrum animum leniret; at ipse hospitem primo fecit diu ante fores in ardentissimo sole consistere; tandem in domum admissum, sine salutatione, alto silentio, tristi vultu, nullo præstito ministerio omnibus aliud agentibus exceptus est, donec hora prandij instanti coactus est incibatus egredi domo, & ea qua venerat via regredi. Nimia fiducia opportunum se fecit injuriæ.

Alexander Darium aggressus, cumque copiæ secundis etiam rebus attererentur, Macedonas milites conscribere curabat, deuictarum enim gentium militi, minus quam domestico fides habenda. Q. Curtius, l. 4.

Apud eundem l. 7. Scytha dicit Alexandro, quos viceris, amicos tibi esse caue credas, inter Dominum & seruum nulla amicitia, etiam in pace, belli tamen jura seruantur.

Cautionem præstare tenentur fautores hæreticorum, ad fidem reuertentes, Innocent 4. constit. 10. Bull. p. 99. tom. 1. similiter hæretici, Ibidem.

SERIES MALORVM mala.

VAna gloria, vt cepæ, vno decorticata tegmine, alio iterum atque iterum reperitur induta. *Vide voluntas gloria.*

Vide duratio minorit. series peccatorum, seu peccatum pœna peccati.

Fœnoris malum, est infinitè in dantis & accipientis perniciem fœcundum, dum soluuntur vsuræ vsurarum, *vide voluntas maioritatis*, mala, vsura rapax.

Omnia animalia latent in homine, non tamen omnia simul sentiuntur, & manifestantur: homo quidem alit astutiam vulpinam; somnolentiam leporinam, inuidentiam lupinam, sed tamen successiuè non simul; sicut enim in species diuidunt, sic seorsim etiam in homine locum habent. Paracelsus l. de fundamento scientiarum.

Consuetudo circa passiones, idem solet efficere ac

at temperamentum similesque facit succedere in eodē passiones, ita quod tristitia sequitur tristitiam, timor timorem, vt sciphonibus aquam attractam aqua sequitur, Alb. Mag. tr. 2. de motibus animal. c. 6.

De consuetudine, *Vide potestas durationis*.

Malum quod accidit in signo bicorporeo, duplicatur, Hermes in centiloq. n. 15.

Fiunt in mundo multa incommoda, quando erit in vno mense vtriusque luminaris eclypsis, & præcipuè in his locis, in quibus est significatio eorum specialis, Ib. n. 53.

Saturnus in signis fixis facit caristiam & mortalitatem, Almansor. propos. 42.

Quædam nocent non forti percussione vt fulminis, sed iterata vt grandinis.

In armis seu insignibus apponuntur interdum cruces cruciatæ, Gallicè, *croisees*.

Infans nascendo flet quia multum patitur. Sub vinculis & doloribus agit pueritiam, adolescentiam sub magistrorum seuera disciplina, virilem ætatem exercent externa mala, sed multo magis torquent internæ passiones amoris odij, &c. tunc fortunam experitur variam, & malignè concedentem quæ durius, cum illis hæremus, auferat, denique debilis senectus & mors. Sic artium laboribus exactam vitam, tot pulsatam calamitatibus, præmium est, desinere.

Luc. 15. postquam prodigus consumpsit omnia, facta est fames valida in regione illa.

Non ex intacto corpore sanguis hic fluxit, per ipsas cicatrices percussum est, Seneca in consolatione ad Heluiam, c. 15. in fine.

Locustarum multitudo viua agros depascitur, mortua aërem inficit, & contagionem inducit, vide Fracastor. de contagione, libro primo, in fine.

Fiunt superstitiosæ obseruationes, sequentium malorum, ex primo occursu, rei, bestiæ, personæ infauspicatæ.

Ideo cauendum à minimis etiam peccatis; *vide magnit. virtutis*.

Dato vno absurdo, vel inconuenienti, multa contingunt. Arist. 1. physic. tex. 10. qui via aberrat, quo plus progreditur, plus aberrat.

Sodomitæ primo cæcitate perculsi, deinde ignē cælesti absumpti, Gen 19.

Æneas Syluius ep. 103. ex magna aquarum inundatione, auguratur graue aliquod malum, nunquā enim res insolitæ, absque magni alicujus mali significatione proueniunt, *Vide cognitio contrariet.* præsagia mali futuri.

Hydra Lernea centum habebat capita, cum aliqua Hercules claua excidisset, alia renascebantur, donec jussit jolaum ignem admouere. Suidas in voce ὑδραν τεμνειν.

In Italia cum libertate deficiunt bonæ artes, *vide contrarietas cognitionis*.

Tyberis fluuius inundans raptos ex solitudine dracones in vrbem deuexit, & aërem inficiens pestem effecit, Petrus Crinitus de honesta disciplina, l. 20. cap. 3 ea contigit sub Mauritio Imperatore.

Post bella fames agris vastatis, occisis cultoribus, post famem, pestis propter vitium alimenti, vnde humores, spiritus & membra perficiuntur. Card. l. de rer. variet. c. 45.

Vt fluuij sub mari labuntur in canalibus subterraneis, ita sub eodem bitumen & sulphur in cauernis flagrant, sic ignes ex Campania per longissimas eorundem venas pertinere verisimile est, vsque ad insulas Ænariam, Vulcanias, Siciliam, quare scitè Pindarus finxit Typhonem gigantem fulmine ictum, sub his locis humatum jacere, Georg agricola, l. 4. in fine de his quæ fluunt ex terra. Hinc maris salsedo.

Ferunt morsu à vipera petitos à nullo Venatorum attingi. Rodig. l. 6 c. 16 contra sæpe euenit in hominibus, vt in canibus, qui persequuntur jam afflictum.

Scorpius primo chelis cutem diuidit, tum infundit venenum.

Scythæ, Indi, Arabes sagittarum aciem veneno inficiebant. Rodig. l. 23 c. 10.

Ex ancillis serui nascebantur, & vernæ,
Damnosa quid non imminuit dies
Ætas parentum pejor auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem. Horat. l. 3.

Numer. 22. Magi vertunt virgam in serpentem, aquas in sanguinem, sed ex serpente virgam, aquam ex sanguine non possunt efficere, faciunt sciniphes, sed non possunt repellere, Deus autem delere facit & iterum restituit, at virtus dæmonis ex bono potest malum facere, sed non potest in integrum restituere, Origen. hom. 13. super numeros.

Et dolor meus renouatus est, Psal. 38. cum peccato peccatum adijcitur, sicut vulnus vulneri quod nondum peruenit ad cicatricem, Id. hom. 1. super de Psalm.

Vide cognitio contrarietatis, præuisio mali, ex Origene.

Quia cælum & terra transibunt, necesse est ante corruptionem, vt langueant, vt terra motibus conquassetur, aër autem vim quandam mortiferam concipiens, pestilens fiat; vitalis virtus terræ deficiens suffocet fructus, Orig. tr. 28. in Math.

Post sextum mensem mouetur puer in vtero ad partum, in octauo lassum est, ac proinde tunc nascens sæpè moritur, at in nono reuificatum vires resumit, causam afferunt Astrologi à redeunte Saturno, qui primo mensi dominatus fuerat, sed est incerta, Campan. physiolog libro primo, cap 17. a. 1.

Fluctus succedentes fluctibus in malorum pelagus nos abducunt.

Vipera fœtum vnum singulis diebus parit numero plusquam viginti, Arist. de hist. animal. l. 5. cap. vlt.

Charybdis est mare vertiginosum contorquens, tandem sorbens nauigia, dicitur charybdis, quasi carinas abdens, id est abscondens, Tost. 1. Par. fo. 18. c. 3. K.

Damnatis accrescit quotidie pœna per accidens propter eos quos ad damnationem perduxerunt, sicut beati lætantur de beatificatione multorum, Id. Math. to. 7. f. 184.

Pœna temporalis quandoque datur, vt principium pœnæ æternæ, Id. exo. to. 2. f. 147.

Vt omnes cathenæ circuli, simul annexi præcedentis motum sequuntur, ita humani affectus implicitii inter se, atque connexi sunt, & per vnum reliqua morborum turba animum inuadit, ex ambitione concitatur in æquales ira, in superiores inuidia, in inferiores superbia, auaritia, simulatio, fraus, postremū damnatio in gehennam, tenebras, atque ignem desinens, D Greg Nyss. de virginit c. 4. vt in tranquillas stagni aquas cælum instar speculi referentes lapis immissus, exiguam aquæ partem tangit vt fundum petat, totam tamen accrescentibus vndarum circulis commouet, sic ex vna passione turbatur tranquillitas animi tota, pluresque ex vno

Digitized by Google

subnascuntur affectus. Idem capite 14.

In Anglia circa ann. 1300. tempore impij regis Guillelmi diluuium fuit ex aquarum abundantia; mox accedente hyeme, fluuij congelati sunt, vt peruij essent equis, qr.drigis & plaustris; gelu resoluto ex impetu gla..alium frustrorum pontes effracti sunt, ideo, importabili tributo regi dando agricultura defecit, qua deficiente fames secuta est, qua crescente mortalitas hominum surrexit adeo crebra, vt deesset morituris cura, & mortuis sepultura. Olaus Mag. l. 1. c. 26.

In Islandia circa montes sulphureos ardentes sunt torridæ voragines cinere montium combustorum, & vallium, quæ iterum tacitis incrementis sulphuris succrescentibus, quasi circulari temporum spatio disponuntur ad combustionem. Idem l. 2. c. 2.

Sensim malorum conuersatio nos corrumpit. *Vide potestas concordantia*, malorum conuersatio.

Saturnus longos morbos facit; Venus mediocres, Mercurius varios, Luna reuertentes, vt vertigines, comitiales, podagras. Iupiter breues, tum Sol, breuissimos Mars. Cardan. aphor. sect. 3. aphoris. 93.

Saturnus in sexto loco morbum significat perpetuum. Ib. sect. 5. aph. 111. Ibidem Luna cum infortunæ aspectu, maximè si fuerit domina ascendentis. Ib. sect. 7. aph. 2.

Eclypses Solis mundum refrigerant, ideo generales orbi esse non debuerunt, si multiplicentur sequentibus annis, sterilitas inducitur, refrigeratur enim t:rra & exsiccatur, Ib. aph. 52.

Vide maioritas contrariet. afflicto non est danda afflictio.

Iudæi jejunabant in certis mensibus, eo quod in illis acciderint eis aduersa, Tost. Math. tom. 6. fo. 4. pollicetur Deus quod illa jejunia conuertet in gaudium, Zach. 4. cum dicitur jejunium quarti, &c. Ibidem.

Artifex, ferrum igne domitum malleo cruciat, & ferrum ferro flagellat.

Alteratio præcedit corruptionem, vide quæ scripsi de iure natur. l. 3 lege 4. Solet esse nexus quidam malorum, ib. § 2. Malum malo superueniens grauius est. ib. lege 11. § 1.

Succedentibus sæculis noui insurgunt morbi, ab antiquis diuersi nouis nominibus indicandi, nouis curandi remedijs.

Omnes exorbitationes perturbationum, si subitæ, fortes, crebræ, aut diuturnæ cudunt ideas, & infirmitates sibi pares in vitam durabiles. Sunt nimirum qui rectè sapiunt, in materiam autem, cujus idæa illos dementauit, si inciderint, confestim occultatam produnt amentiam. Van helm. de conceptis.

Pleuritis nisi stato dierum numero sanetur, expectanda est phtisis, inquit Galenus.

Iob sicut cythara percutiebatur, id est cita iteratione dolor dolorem sequebatur, vulnus, vulnus. Alcuin.

Corpus est animæ domus, quæ quotidie consumitur, *vide minoritas finis*, senectutis incommoda.

D. Hieron. ad Iulianum. Audio, inquit, te in breui tempore duas virgunculas filias junctis penè extulisse funeribus, & paulo post fidissimam conjugem tuam; quasi si naufragus in littore latrones reperiat, & juxta eloquia Prophetarum fugiens vrsum, incidat in leonem, extendensque manum ad parietem, à colubro mordeatur, *vide veritas bonitatis*, *Rep.* læsio sub specie auxilij.

Dum Alexander vrbem obsideret coruus in caput eius demisit glebam terræ quæ dissoluta est, & ipse coruus hærens bitumini turris in qua consederat, cecidit & captus est. Consultus vates respondit futurum vrbis excidium, sed periculum esse ne Rex vulnus acciperet, itaque monuit ne quid ea die inciperet, sed vrgentibus hostibus immemor periculi, occurrit ei miles quasi transfuga qui genibus eius obuolutus vmbone tegebat gladium, quo ad dextram translato percussit leniter Alexandrum, qui securus quasi transacto periculo, iterum grauiter sagitta ictus est. Q. Curtius l. 4.

POENA LENTA, ET protracta.

De regione, aquæ salsæ inundationibus adducta ad sterilitatem, quoties flat Aquilo. *Vide contrarietas bonitatis.*

Venena quæ nascuntur è terra, vt cicuta, occidunt hominem, id non faciunt Astra licet infœlicia, & Chronicum tantum maniacum, non mortuum efficiunt.

Licet calor in mixtis continuè consumat, & desiccet de humido, & tandem in toto finiat ipsum, tamen non statim consumit, sed paulatim.

D. Hier. in vita S. Pauli Eremitæ, loquens de persecutione sub Decio & Valeriano; voti, inquit, tunc Christianis erat, pro Christi nomine gladio percuti; verum hostis callidus, tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare non corpora, & vt ait Cyprianus, volentibus mori, non permittebat occidi.

Nobiles rei capitalis criminis, puniuntur pœna celeriori, scilicet decapitatione.

Antarchiatæ milites, imbecillos in itineribus, nunquam viuos relinquunt, ne ludibrio sint hostibus, & ab illis torqueantur. Stobæ.

Artes exercere hoc est longam vitæ miseriam, & laborem protrahere, quæ aut inopia aut fortuna cito erat finienda.

Nimius metus, est diuturnum supplicium, *vide cognitio contrariet.* nimius futuri mali metus.

Exo. 22. prohibetur esus carnium à bestijs captarum, vt doceantur à feritate abstinere, siquidem bestiæ antequam comedant non interficiunt, sed morsibus lacerant. Theodor. in exo. q. 52.

In mercenarijs locatione diurna seruitus innouatur, die toto in opere suspirat miseræ verna mercedis, vt sit semper venditor sui, nec vnquam negare valeat suam seruitutem. Chrysol. ser. 2.

Pendente diu lite, vita supplicium est, nec grata, quæ exhaustis venit victoria.

Tyranni qui cædes, ignes exercent in subditos, belluinam imitantur feritatem, non omnium maximam, plus habent crudelitatis qui frigidè sæuiút; qui in longum nocendi artes ordinant, qui proscribunt, qui exhauriunt, qui carceris squallore macerant, qui prouincias & gentes, inopia fame, nuditate, miseria conficiunt.

Sublatis partibus, totum etiam aufertur. Id verum est in toto essentiali & numerico.

Apud Indos nascitur herba quædam malefica, quæ eum, qui gustauerit, tabe lenta & paulatina conficit. Theoph. hist. plant l. 9. c. 15.

Contra Thrasyas Mautinensis gloriabatur se comperisse medicamentum, quo facilè & sine vllo sensu doloris mortem inferret, hoc autem ex cicuta & papauere & similibus. Ib. c. 17.

Planta non simul cunctis suis partibus occidit, sed

particulatim, tam corruptio, quam senecta occurrit. Idem de causis plantarum, libro secundo, capite 16.

Vide magnitudo virtutis, à minimis peccatis abstinendum. Nam omnia paulatim sensimque alterantur, à suaque natura discedunt. Ibidem, c. 18.

Si ventus qui causat terræ motum est in materia calida & acuta cito transit, & fortius mouet, si est frigida & lenta diutius moratur & mouet post aliquot dies, & iterum quiescit sicut febris quartana, diutius durat, quo magis cauerna est profunda; quia non ita cito contentus aër potest euaporare; etiamsi sit in loco compacto, non arenoso & raro. Albertus Magnus, meteor. libro 3. tract. 2. c. 15.

Carbones prius extincti & postea accensi ficciorem & magis nociuum vaporem habent, quam ligna ardentia, quia humidum ex lignis euaporatis, temperat ignis ficcitatem. Ibidem, lib. 4. tr. 3. c. 18.

Monumenta fieri solita erant ex Sarcophago lapide qui intra 30. dies corpus absumit. Id. l. de lapidib. littera S.

Ipse quotidianus defectus corporis, quid est aliud quam quædam prolixitas mortis. D. Greg in Euangelia.

Nihil habet quod speret quem senectus ducit ad mortem, huic vni intercedi non potest; nullo genere homines mollius moriuntur, sed nec diutius. Seneca ep. 30.

Aquæ noxijs qualitatibus infectæ, etiamsi necem statim non afferant animantibus, tamen ea lædunt, & postea si tempus & spatium datum fuerit, necant. Georgius agricola, libro 2. de his quæ fluunt ex terra.

Noë moriturus filijs dedit præcepta, quæ & gentiles ad Iudaïsmum, conuersi primum obseruare promittebant, inter quæ erat illud non tollere membrum animalis viuentis Genebr. Chrolog. a. 1656.

Auidius Cassius Imperator Reis aliquibus manus præscidit, vel crura aut poplites, majus astruens viuentis exemplum criminosi, miserabilis quam occisi semel. Rodig. l. 10. c. 5.

Apud Massagetas morbis tabescentem interisse, calamitatis censetur genus, talesque velut sepultura indigni abijciuntur feris. Idem libro 18. c. 28.

Morbus dicitur quasi bis mors & iterata. Isidor. orig. l. 4. c. 5. sunt acuti morbi qui cito aut vincunt aut vincuntur, sunt Chronici qui vexant per longum tempus vt podagra, phthisis, Cephalea, Epilepsia, Melancholia, Catarri, Hydrops, Nephritis, atrophia, sarcoma, &c. Ib.

Cete & magni pisces sic capiuntur, hami cum esca magnitudini piscium proportionata mittuntur in mare cum funibus, qui alligantur vtribus vento plenis, cete hamos deglutiunt, cum suo defixa nutrimento tumultuantur, jactataque obstupescunt & ab vtribus fatigata sursum ad superficiem aquæ trahuntur, & piscantium fiunt præda, ex D. Gregor. Nyss. orat. 1. faciamus hominem.

De pœna seruitutis diuturna, *vide minoritas potestatis*, seruitus.

Ideo non licet aliquem fame necare, *vide minoritas medij*, fames.

Philistini captum Sansonem & excæcatum non occiderunt, vt illuderent ei, lentaque pœna & seruitute cruciarent. Iudic. 16. sic Sedeciam non occidit Nabuchodonosor, sed excæcauit, Reg. 4.

A Frangendus est obsidione, qui annonæ copia caret.

Abraham jussus immolare filium, distrahitur infœlix pater inter filij vel fidei jacturam, aut incredulus futurus aut fidelis, atque vt totas ærumnas secum tractet, ad ignotam procul aram peregrinatur, vt singula per vestigia gladium parans, locum omnem horreat, dum locum ignorat, toties enectus antequam necet eadem habet Alcuin. in Gen. interrog. 204.

Christus semel prætio traditus est in carne, sed millies in Sacramento; die vna suæ pertulit ludibria passionis, quotidie vero ab infidelibus ministris super mensam altaris, semel in cruce pendens expirauit; quotidie autem quoties per myste-B rium immolatur. Laurent. Iust. l. de casto verbi & animæ connubio, c. 24.

Amentia causatur à lenta & continuata tristitia.

Actiones pœnales concurrentes se perimunt, nisi primum inceperis à leuiori *Vide magnitudo contrariet* magna seueritas.

Illegitima est pœna inedia necari, l. 10. ff. de interd. & relegat. carcere perpetuo pœnæ causa detineri, l. 8. §. solent, de pœn. & ad vincula perpetua damnari, l. mandatis eod.

Statim vt remissio naturæ conceditur in pristinum se statum sensim restituit, hostili qualitate quantum licet exclusa; iterum si torqueas frustratis C innocentes illos naturæ conatus & vertis in pœnam suam, dum fit vegetior vt acutius & diutius tormenta patiatur. Vnam vitam pluribus vis interire mortibus, cum vnam prouidentia constituerit: inuides misero vltimum in extremis malis solatium, mori, & ipsis quibus exagitatur pœnis, subtrahi. Inuenit quomodo detur à priuatione regressus, non amore sed odio; vt affectibus in contrario conuersis, mors optetur, vita timeatur. *Ex principiis.*

Confessores sæpè martyres sunt appellati, qui fidei causa diuturnam persecutionem sustinuerunt, vt probat Baronius in notis pluribus ad Martyrologium.

Balæna dum in aquis prominet sagitta læditur ferrea, corpori se magis infigente, donec effuso D multo sanguine debilitata, fune qui sagittę alligatus est trahitur in terram, & conficitur.

Caïn post fratricidium, dicit Deo, ecce eijcis me à facie tua, & quicumque me inuenerit, occidet me. Respondit Deus, non sic, id est, vt existimas morieris, & mortem pro remedio accipies, verum viues vsque ad septimam generationem, & conscientiæ tuæ igne torqueberis, & tam infœliciter viues in hac luce, vt quicumque te occiderit, beneficium præstet occiso; dum te à multis liberet cruciatibus. D. Hier. Damaso, q. 1.

Apud Turcas Magistratus cum sunt proximi loco iudiciorum, quem vocant Diuan, accedunt ad eum equis currentibus, velut celeres esse debent in E obsequio principis, & iustitiæ administratione, ita causæ etiam grauissimæ spatio octo dierum iudicio dirimuntur.

Nihil est miserius, quam incertum inter vitam mortemque destrui, crudelius est quam mori semper timere mortem. Seneca libro tertio, contro. quinta.

Vt semper crescere debet oratio, sic actio & seueritas. *Vide magnit. contrariet.* senex paulatim moritur.

Chirurgi, plagas, fori rabulæ, lites in longum protrahunt. Iudicia & causarum discussiones, sio-

ized by Google

bant antiquitas in portis ciuitatum, hæc fuit consuetudo apud Iudæos & alias gentes, Tostat. Gen. 338. vt fine mota lites dirimerentur, sic fiet indicium particulare in porta cœlestis Ierusalem, antequam detur ingressus. *Vide finis contrariet.* litis placatio.

Alexander temulentus incendit Persipolim, Regum Persarum sedem, cum grauatam ebrietate mentem quies reddidisset, pœnituit, dixitque, majores pœnas Græcis Persas daturos fuisse, si ipsum in solio, regiaque Xerxis conspicere coacti essent. Q.Curt.l.5.

Fames est lentum supplicium. *Vide minor. medij*, fames.

Quædam venena lente hominem conficiunt, alia putrefaciendo, alia erodendo, strangulando, stupefaciendo ac sanguinem congelando, animalem facultatem & vitales spiritus deuastando & obsumendo; quædam insaniam inferunt de quibus vide Zachiam medicinæ, libro secundo, tit. 2. q. 3.

Amatæ crudeles habentur, quod amatores suos lento torquent supplicio.

MORA.

Optima dilatio vindictæ.

INter pisces, solus scarus ruminat, cæteri alimentum suum cito conficiunt. D. Basil. in hexamer. hom. 7.

Saturnus infert mala cum tarditate, Mars vero subito, & ideo Mars reputatur Saturno in nocendo deterior. Hermes centiloquij n.90.

Matutina fulmina, sunt magis timenda, grauiusque feriunt, quia tota nocte in nube fuerunt reseruata, nec defectu caloris, externi eruperint. Arist. 3. meteor.

Lapis funda rotatus longius emittitur.

Sententia criminalis dicta à Principe non debet executioni mandari, nisi post 30 dies, ne ex passione processerit, l.cum reis, cod de pœnis, & hanc legem D.Ambr. obtinuit ab Imperatoribus, & can.sicut 11. q. 1.

Incertum vulnus est, cujus impetum non regunt oculi, nec custodiunt, destinatum ferro locum. Quint. declam.2.

Ardea non valens ostreum aperire, illud ore continet donec calore vexatum aperiatur, & ex hiante, iterum reddito, quod esui est, extrahat. Plutarch.l. de industria animalium.

Non licet propter suspicionem, quæ potest esse vana, se vindicare. *Vide veritas contrarietatis, Repug.*

Homicidæ inuoluntarij ibant ad ciuitates refugij, donec mitesceret ira cognatorum occisi, num. 35.

In instrumentis mechanicis quæ constant pluribus rotis, multiplicatus per alias motus, fit major.

Deus expectat conuersionem hominum, & differt vindictam. *Vide duratio virtutis*, sera pœnitentia valida.

Ideo hæretici non occidendi, sed admonendi, *vide contrarietas virtutis*.

Correctio differri potest in opportunum tempus in quo emendatio speratur. Bonac. de correctione.

A Ante Ducem Venetiarum defertur ensis in vagina aurea, vt appareat eum non debere sua authoritate in vindictam ferri, sed adhibito consilio senatus, Dauity.

Leuit. 8. Aaron consecratur, prius vnctus oleo, deinde sanguine, & c. 15. per 7. dies obseruatur lepra domus antequam talis judicetur. *Vide duratio cognit* mora in judicijs.

Teste Octauiano Cæsare, qui prælium sine certa prærogatiua committit, similis est ei qui hamo piscatur aureo, facile namque plus amittere quam lucrari potest.

B Episcopi non debent statim & pro leui causa sacerdotes excommunicare, vide 11.q.3.can. Episcopi si sacerd vbi dicitur Episcopi, si sacerdotali moderatione postposita innocentes, aut minimis causis culpabiles excommunicare præsumpserint, à vicinis Episcopis litteris moneantur, &c.

Arbores non debent purgari nisi post fructuum decerptionem, cum scilicet humorem ad fructum consumpserint, & nondum alium sumpserint. Theoph de causis plant.l.3.c.10.

Quod lento igne soluitur, est ejusdem naturæ cum eo quod violento igne liquatur. Albertus Mag.

Princeps posita justa causa, non statim potest bellum indicere, sed prius petenda est ab aduersario condigna satisfactio, qua oblata non licet indicere bellum. Bonac. de bello.

C Tamburlanus Scytharum Imperator, triplici tentorio in exercitu vti solebat, prima die albo, quo significabat si se dederent, nullam offensam illaturum. Secunda die coloris rubri, quasi ad cædem & sanguinem, tertia die ater erat color, extremam cunctis internecionem prænuntians. Petrus Crinitus de honesta disciplina, c.1.

Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem, si receperit, cunctus populus saluabitur, si noluerit percuties eam in ore gladij, &c. Deut.c.20.10.

Clearchus Lacedæmonius præcepit militibus, primum quidem pedetentim progredi, vbi vero intra teli jactum ad hostes accessissent, currere, vt integris corporibus dimicarent. Suidas in voce ἀφόρμησις.

D Pœna prægnantium differtur & ipsæ torqueri non possunt l.prægnantis ff. de pœnis.

In riuulis videmus aquam ferri majori impetu & cum strepitu, magis quam fontibus, ac fontibus quam fluminibus. Vnde Poëta quod flumen est placidum, forsan latet altius vnda, Card. de rerum varietate l.1. c.6.

Quod ratio nequit, sæpè sanauit mora. Senec. Trag. in Agameno.

Deus tandiu solet peccantium vindictam differre, vt dubium sit an prouideat rebus mundanis; docet homines animo tumescente, & ira excæcato in vindictam non debere ruere. Rodig. libro 6. c.14.

Sicut grauida mulier rea non punitur antequam pepererit, sic Deus differt vindictam quorundam

E qui edere debent bona aliqua opera. Id.

Calorem cordis temperat humiditas cerebri, vnde qui paruo sunt capite impetuosi sunt ac violento, cordis calore non satis temperato. Id. l 20 c. 13.

Obligati substrictique securibus Romanorum Magistratuum fasces præmonebant, lentè ad irrogandam pœnam pergendum. Idem, libro 23. capite 21.

Leu.24. Moyses non statim condemnat hominem

qui maledixerat, sed jubet mancipari carceri donec A super eo consuluerit Dominum.

Admonitio humaniter non ægrè & simul tota facienda est. *Vide media contrarietas, lenis admonitio.*

Magna non possunt simul & semel superari, resistunt enim vt aqua laminis metallorum quas sustinet, *vide medium differentia.* Instrumenta motus.

Deus constituit Noëmum lentum Arcæ ædificatorem, vt vel ex visis concepta formidine intuentes ad pœnitentiam attraherentur. S. Basil. seleuciæ, orat. 5.

Non statim vt filius patri suo molestus est, ab illo abdicatur, multis lacessitur injurijs, antequam odio B cedat charitas.

Solent in Gallia rescripto Principis petentibus egenis debitoribus induciæ tribui, anni, aut biennij, aut quinquennij, quod videtur originem habuisse ex l. vniuersa, cod. de præcib. Imperat. offerend. & lib. vlt. Cod. de cessio. bonor. & ex Cassiod. libro 2. variar. Cujac. obseruat. libro 2. capite 10.

Olim intra duos dies fieri debebat appellatio, Iustinianus concessit decem, ne timore instante opus appellatorium frequentetur, sed sit omnibus inspectionis copia, quæ indiscussos hominum calores potest refrænare. Nouell. 23. capite 1.

Reis in judicium vocatis viginti dies dantur ad deliberandum vtrum cedere, aut contendere debeant, Nou. 53. C

Chrysolithus lapis colorem habet aureum per diem, sed nocte igneus apparet, vt ait Isidor. etym. libro 16. allicere beneficijs priusquam inardescat vindicta.

Correctionis tempora debent expectare Prælati, & omnes majores exemplo Moysi audientis pacificè verba præpositorum filiorum Israël, Exod. 5. scilicet quando is qui corrigi debet, habeat animũ pacatum, nam passio impedit correctionem; nisi in mora sit magnum periculum, Tost. exo. to. 1. f. 34. c. 2. C.

Ecclesia ante excommunicationem adhibet trinam monitionem Id. Math. to. 5. f. 56.

Non debet merus executor partes audire, vt ferat sententiam, debet tamen penes se iudicare de D negotio sibi injuncto, an debeat illud exequi; nam si mandatum contineat errorem intolerabilem non debet obedire, Id. 1. Reg. to. 1. f. 63.

Aristotel. 7. ethic. comparat iram ministris velocibus, qui priusquam audiant totum, quod eis Dominus jubet, currunt ad actionem, & postea peccant in actione, nescientes qualiter procedendum erat.

Infirmitatis est cito irasci, vnde senes & ægri sunt alijs iracundiores.

Amori circa rerum initia magis ardenti est aliquid indulgendum, sic Leu. 22. primogenita de bobus & auibus debent esse septem diebus, cum matre & octauo die immolantur Deo, qui emit juga E boum, qui duxit vxorem, excusatur à conuiuio, qui plantat vineam, à bello.

Impatientes prius benè gesta conturbant, amittunt mansuetudinem bonorum omnium ornamentum, Laurent. Iust.

Herodes volebat quidem statim natum Christum occidere, distulit tamen post biennium, siquidem conueniens in eundem tyrannum pauor & furor, pro abundantia cautionis, & licentia persecutionis, majus etiam tempus includit. D. Chrysost. hom. 7. in Math.

Leuiora primum tentanda remedia, sic Math. 18. si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum, si te non audierit adhibe vnum aut duos, tandem dic Ecclesiæ.

Si princeps jusserit aliquem affici vltimo supplicio, pœna debet differri in 30. diem, l. 20. Cod. de pœn. quia princeps sententiam suam quam fortè præcipitanter tulit, solus potest reuocare, & ad clementiam flecti, vt sæpè accidit Theodosio. Da tempus ac spatium tibi, quod ratio nequit, sæpè sanauit mora, Senec. in agamn. at Iudices cum latam à se sententiam non possint reuocare, statim illam debent mandare executioni, ne inter moras impetretur venia à principe, Cujac. obseruat. libro 20. c. 32.

Quidam venena sic temperant, vt non cito, sed intra certum tempus exerant vires suas, & mors alijs causis imputetur, & scelus lateat, sic rabies canis diu celatur, sic Claudium lento veneno tollere Agripina determinabat. Tacit. ann. libro 12. & Drusum tali veneno sublatum dicit, libro quarto, in princ.

ADMONITIO PRÆCEDAT vindictam.

OMnis peccans est ignarus, excæcat enim mentem cupiditas, vt in malum sub falsa boni specie, sub iustitiæ legisque naturalis prætextu temerè prosiliat. Primum igitur quod in morbi causam perueniat remedium est, ægræ menti salutari consilio subuenire, vt caligine discussa clare videat, quantum ab honesto, vtili, jucundo delusa falsis rerum imaginibus, aberret; quantum famæ suæ, familiæ, votis amicorum noceat; vltro venienti fœlicitati, sinum manusque neget improuidus peccator. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum, inquit Christus Dominus. Lucrum enim maximum est, paucis, tanta comparare; animam Christi Domini prætioso sanguine redemptam, iterum peccatis mancipatã, in libertatem filiorum Dei verbo restituere, æmula quadam potentia Dei, qui lucem & cuncta verbo produxit. Si te audierit, intima cordis peruadet salutaris admonitio, fiet non vultu, non specie tenus, sed liberè, sincerè, nouus homo secundum Deum creatus. Te velut salutis suæ benignum promotorem, suspiciet, amabit, venerabitur, & in posterum sua, tuis expertis diriget oraculis. At si statim in peccantem statutæ legibus pœnæ desæuiant, fratrem non emendas sed opprimis; jacenti vel naufrago non porrigitur officiosa manus, sed ictu grauis imprimitur, quo fortassis non surrecturus pereat. Voluntas enim naturalis suæ libertatis vindex nititur in vetitum, dolebit de pœna, non pœnitebit de delicto, damnatorum instar, erit infensa iustitiæ; nec vis vlla coget ad innocentiam in libero sinceroque tantum mentis affectu, positam, & quæ potest suaderi non imperari. Fortè metus cæteris incutietur, ne similia perpetrent, sed tunc non priuatum, sed publicum agitur negotium, fratris, cui debebatur auxilium, damno, & detrimento; perit ille ne cæteri pereant, deuouetur bono publico victima, ob incertum bonum, certa, duratura percutitur seueritate. Inuriæ enim infamiam vix delebilem semel irrogata pu-

blicè pro delictis pœna; quippe denuntiat hominem malis infectum habitibus, à quo cauere debent cæteri, ipso suspicacis naturæ ductu faciles, vt malum semper credant in eodem mali genere. Sic extinguitur communis in eum charitas, odijs inuidiæ, detractioni æterna præsens est materia. Timendum ne fama desperata, penitus excusso verecundiæ sensu, fiat præceps in omne vitium lapsus. Non lucratur ergo fratrem nisi pœnas præcedat, fortis, opportuna, importuna, obsecrans, increpans, admonitio, vt ait Apostolus. *Ex principiis.*

Vide veritas contrarietatis, minari pœnas, *&* *duratio contrarietatis*, optima dilatio vindictæ, *&* *duratio virtutis*, constans admonitio.

Antequam excommunicationes publicentur, monentur generaliter malefactores & scientes, vt infra certum terminum satisfaciant vel reuelent.

SERA DEI VINDICTA.

DEus Iudex justus, fortis & patiens, numquid irascitur per singulos dies, Ps. 7.

De secundo aduentu Christi, Ephrem. tom. secundo.

Aperuit Dominus thesaurum suum & protulit vasa iræ suæ, quoniam venerunt tempora eius. Hierem 50.

Iuxta duritiam tuam & impœnitens cor colligis tibi iram in die iræ, & justi iudicij Dei, &c. Roman. 2.

In antiquo testamento homines delinquentes statim vt serui pœnis subjiciebantur, non sic in nouo. *Vide cognitio contrarietatis*, timor Dei filialis.

Dic qua ratione cum pecces supplicio dignus non sis? An non omnia tibi prædixit? nonne minatus est? nonne terruit? non innumera salutis tuæ gratia fecit? quoties tibi post pœnitentiam dedit auxilium; monuit peccata tua eleemosynis redime, quæ difficultas? dixerat publicanus, propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus, quis labor vt eum imiteris, & post tanta, supplicium & pœnam esse non credis, &c. D. Chrysost. hom 25. in ep. ad Rom.

In antiquo testamento præsens sæpè pœna irrogabatur vt seruis, in nouo peccantes pœnitentes restituuntur vt filij, quanquam & in veteri seruatus fuit Dauid per pœnitentiam; Anania & Saphira cito mentientes perierunt, id efficit differentia personarum, quas Deus variè regit, Id. hom. 16. in 1. ad Cor.

Cur, inquis, Deus sinit malos ditescere, quoniam est lenis & patiens, quoniam vult nos adducere ad pœnitentiam, quoniam parauit gehennam, quoniam diem statuit in quo est iudicaturus orbem terræ. Si statim autem punisset eos qui malè ditantur, non habuisset Zachæus constitutum tempus pœnitentiæ, vt redderet quadruplum eorum quæ rapuerat. Non Mathæus, vt mutaretur & fieret Apostolus conuenienti tempore præreptus, propterea sustinet omnes vocans ad pœnitentiam, si autem nolint, thesaurizant sibi iram in die iræ, & reuelationis justi iudicij Dei. Idem hom. 34. in fine.

Deus justus fortis & patiens, expectat te patienter vt ad pœnitentiam attrahat, sin vero peccare persistas, secundum duritiam tuam & cor impœni- A tens thesaurisas tibi iram. Si statim malos supplicijs afficeret, jamdudum deletum esset humanum genus, cum vix vlla dies transeat sceleribus vacua. Id. hom. 3. in 2. ad Tim.

Si dum Principi causam appellationis audire non vacat, legitimum tempus decurrat, nullum hinc liti præjudicium gignitur, quis enim est tantæ authoritatis vt principem ad judicium coarctet. Nouell. 23. c. 2.

Prophetarum dicta malum prænuntiantia, potius tenere debemus esse dicta comminatoriè, quam definitiuè. Tost. 1. Reg. f. 72.

B Deus suum de malis differt iudicium in gratiam humani generis, preuidet enim quosdam seruandos per pœnitentiam, & in his fortasse nondum natos nonnullos. Iustinus martyr. apolog. 2. pro Christianis.

Sectæ Mahumetanæ fundamentum est, Deum misisse primum humano generi Moysem, hinc Christum Iesum, instructos facultate prodigiorum, homines illis se non præbuisse obsequentes, statuisse Mahumetem mittere sine miraculis, armatum, vt quos non mouissent miracula, cogerent arma Lud. viues, de veritate fidei, l. 4.

Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat. Laurent. Iust. arbor vitæ, c. 4.

C Enoch monet homines de agenda pœnitentia ne diluuio pereant, sed non mouet; nimirum præcipites lentam vltionem non timent, ignari grauissima quæque lentè fieri.

Diu grauida nubes damnosius parit.

De Christo dicitur, Isay. 42. Non contendet neque clamabit, arundinem quassatam non confringet, &c. donec emittat in victoriam iudicium. Id est, cum iustificationes suæ victoriam nactæ fuerint, cum clarum trophæum posuerit, cum etiam impudentissimis, nulla fuerit responsio relicta. D. Chrysost. hom. 41. in Math.

Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, &c. Psal. 7. Sagittas suas arsuris operatus est; operatus est autem non ad motum repentinæ iræ quæ D per cupiditatem vlciscendi subito accensa fit, sed operatus arsuris est, qui per impœnitentem voluntatem ipsi se constituunt vrendos, quia iudicium decreuit, gladius eius ex pœnę constitutione promptus est. S. Hilarius, in Ps. 2.

Isa. 1. Deus abominatur oblationes peccantium, conuersis promittit veniam. Vide.

Si statim Deus esset scelerum vltor, Paulum Apostolum Ecclesiæ non haberent. D. Hieron.

IVDICIVM EXTREMVM.

E DE iudicio extremo. Bonau. in quarta parte breuiloquij, & dietæ salutis. Basil. Conc. 14. D. Chrysost. hom. 48.

Basil. in procemio ethicorum. Drexellius in tribunali. Bernard. quad. 1. serm. 11. & quadrag. 2. serm. 11. Ephrem. to. 1.

Causa cur sit generale iudicium est, quia Deus omnipotens & sapiens atque misericors, justus est. Iustus Dominus & iustitiam dilexit, ostendit se omnipotentem in creatione, sapientem in ornatu, ex ordine pium, misericordem in redemptione, restat vt ostendat se justum. Cardan. Cusa excit. l. 5. c. 61.

Dies iudicij futurus est in fine mundi. Nam mul-

Digitized by Google

ti ex hac vita abeuntes vel bonorum, vel malorum semina post se relinquunt, ex quibus qui supersunt homines occasiones, vel salutis, vel perditionis accipiunt, quorum omnium causæ non nisi cum ipsius mundi fine claudentur, ideo non esset justum iudicium Dei, donec de his singulis vel profectus, vel impedimenta penderet, de malis dicitur Rom. 2. Thesaurizant sibi iram in die iræ. Origen. in ep. ad Rom. l. 2. c. 2.

Iudicium particulare statim fit in egressu vitæ. Vide S. hoc tito. pœna lenta & protracta, in fine.

Non flectetur timore qui potentissimus est, non muneribus qui ditissimus; non amore qui justissimus, non errore qui sapientissimus. Tres erunt accusatores, dæmon cui peccator fidem dedit ab eo stipendia recipiens, conscientia, Deus. Tres testes habebimus vnum supra nos Deum, intra nos conscientiam, juxta nos Angelum custodem, plura de extremo iudicio. Vide apud Laur. Iust. tract. arbor vitæ, c. 4.

De extremo iudicio, vide quæ scripsi Theol. natur. to. 4. parte 3. c. 22.

Propriè iudicabuntur, qui sunt mediæ & imperfectæ virtutis. *Vide media virtus*, imperfecta.

Mouere nos debet quod tunc nullum bonum irremuneratum, nullum malum manebit impunitum. D. Bonau.

INDVCIÆ.

IN tot vitæ malis, vnius diei indolentia magnum lucrum est, noctem dies, hyemem æstas, morbum sanitas temperat.

Deus fecit lucem & tenebras, lucem vt necessariam hominum operibus, vt omnia faciat apparere, etiam ipsum sui largitorem, tenebras vero vt per quietem consumptæ laboribus vires reparentur, & vt homines domum se recipientes, bestijs præberent securitatem pabuli: posuisti tenebras, & facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Psalm. 103. Theodoret. in Genesim, quæstione 7.

Insulæ sunt in medio mari, velut in itinere hospitia, vt fluctibus vexati, terrena habitatione reficiantur. Id. orat. 2. de prouidentia.

Sequestratio est rei controuersæ, vel fructuum eius apud sequestrem, contendentium consensu, vel iudiciaria authoritate facta depositio, vt ab eo custodiatur & lite finita victori restituatur, l. sequester 110. ff. de verb sign.

QVOD DVRVM ET LABORIOsum est, per interualla sustinetur.

GRues excubias nocturnis temporibus vicissim habere solent, vnaque vigilante per successiuum ordinem, cæteris secura est quies. D. Basil. in hexam hom. 8.

Quia cantantibus, si saltent, deficit anhelitus, consultius visum est, vt vno cantante, cæteri saltent. Lucian. dialogo de saltatione.

Asserunt aliqui mare transmutari de loco in locum, post multa sæcula, itaut consumptis ab inuicem gentibus, librisque & historijs combustis memoria non extet, ita dicunt montes factos, & lapides ex congestione materiæ viscosæ, quæ postea exsiccata est, signum hujus rei afferunt quod in montibus, & intra lapides ipsos inueniuntur conchylia, & aliquando in puteo, inuenta est pars nauis. Id tamen improbat Alb. Mag. tr. 2. de proprieta. element. c. 2.

Ideo debet fieri mutatio ministrorum. *Vide differentia medij.*

Si lebes aqua plenus igni superponatur, feruet aqua lebetis fundo frigido, quia partes aquæ quæ sursum sunt frigidæ, deorsum feruntur in subsidium calore laborantium quæ & leuiores effectæ, sursum feruntur. Fracastor. l. de sympathia, cap. vlt.

B Angari fuerunt Persarum Regis nuntij, quorum subinde alij, alij in itinere succedebant. Suidas in verbo angari, ἀθάνατοι immortales dicebantur decem millia Persarum, in custodia Darij. Idem in verbo ἀθάνατοι. *Vide minoritas duratio*, celeritas.

Periodicos morbos vocant medici, qui certo tempore remittunt, & redeunt, vt tertiana, quartana & similes; his enim diebus ægrotantes videntur non ægrotare sed valere. Idem in voce *menoδιῶ*.

De lacu qui septimo quoque anno necat pisces suos. *Vide contrarietas principij*, seueritas parentum.

C Sunt in mense quolibet dies bini quos cauere debet quisque mortalium Ianuario 2. & 14. Februario 2. & 26. Martio 4. & 20. Aprili 3. & 10. Majo 7. & 22. Iunio 3. & 12. Iulio 2. & 6. Augusto 4. & 15. Septemb. 3. & 14 Octobri 3. & 28. Nouemb 5. & 11. Decembri 3. & 24. Seldenus de jure naturali lib. 3. c. 17.

T. Lucretius amatorio poculo in delirium abijt, ita tamen vt dilucida haberet interualla, carminibus librisque componendis. Rodigin. libro 17. c. 2.

Efficit diuina prouidentia vt malis regibus & dominantibus boni succedant; sic M. Antonio Augustus, Neroni, Galba, Vitellio, Vespasianus, Heliogabalo Alexander seuerus; timent infœlicem tyrannorum exitum, sed non perseuerat in successore boni propositum.

D Omnes sacerdotes veteris legis distinxit Dauid, in viginti quatuor sortes & quælibet earum seruiebat tempore suo, 1. Paral. 24. & cum alicui diuisioni veniebat sors, etiam mittebatur sors vt constaret quis ex omnibus esset ministraturus. Tost. Luc. 1. f. 11. vices autem mutabant à Sabbato in Sabbatum. Ib.

Plat. & Arist 2. politic. cap. vlt volunt ciues exercitatione fieri ambi dextros; tales erant Israëlitarum fortissimi, in tribu Benjamin, & in Gabaan, nam in bellis vti vtraque manu prodest ad releuationem laborum, & sic diutius durat robur bellicum, sinistra non minus quam dextra sagittante, Id. 1. Par. f. 132.

E Ideo quædam officia non debent esse perpetua, *vide duratio potestatis, Repug.* & Deus justos interdum non permittit esse longæuos, vt in hoc templo mundano sacerdotes per vices suo fungantur officio.

Philistini captam arcam non ferentes, quia percutiebat plaga grauissima habitatores apud quos residebat, circumducebant eam per suas ciuitates, vt onus hoc partitione fieret tolerabilius, nam æqualitas miseriæ solatium est, *vide æqualitas minoritatis.*

Sic quoque mutatis requiescunt fœtibus arua.
Virg.1.Georg.

Aries dimidio anno, super vnum latus, dimidioque super alterum dormire dicitur, Olaus Magn. l. 17. c. 1.

Ob hoc diuisa est signorum Zodiaci series in duodecim, alternata illorum natura, ne tamdiu perseuerans Sol in quadrante vno, nimis vrgeat terram, & sterilem efficiat calore suo, Card. aph. sect. 4. aph. 142.

Ad tempus concessa sunt hic omnes potentia, illaque vel alternant, vel concidunt, Vide qua scripsi de iure natur. l. 1. lege 7. §. 4.

REPVGNAT,

Celeritas in vindicta & remediis, aggressio, bona.

TVrpe est seipsos decipere, ac omnia quæ difficilia fuerint, differendo in rebus omnibus nimis esse tardos, qui bellum rectè gerunt, non debent sequi res & occasiones à tergo, sed ipsas antecedere. Imperatoris enim est, non sequi sed præesse & imperare. Demosthen. contra Philippens.

Alexander dixit se nihil cunctando, orbis imperium cito acquisiuisse, hostes enim sæpius lacessiti, tandem fiunt bellicosi.

Cætera peccata possunt vtiliter redargui, amor cum adoleuit, non audit monita, sed illi vt phreneticis assentiendum. Ideo expelle feram abs te, priusquam vngues & dentes producat, lethalem hanc plantam, elide in semine.

Si impubes sponsalia contraxerit, statim vt pubes factus est debet ab illis resilire, statim autem dicitur fieri, quod intra triduum fit, l. final. cod. de iudicijs, quod si statim non resiliat, non poterit postea resilire. Bonacina de sponsalibus puncto 6.

Vide contrarietas princ. Initijs obstare, & bona sub initijs austeritas.

Citissime inuadunt illæ contagiones, quæ analogiam habent cum spiritibus, tardius, quorum materia densior est, vt rabies, momento afficiunt quæ cum consistant in subtili, cor per anhelitum petunt. Fracastor. libro primo, de contagione, c. 12.

Rabies fit incurabilis, nisi cito remedium adhibeatur, pars demorsa scarificanda, deinde apposita cucurbitula virus extrahendum, denique pars eadem cauterio actuali aut potentiali perurenda. Ib l. 3 c. 9.

In Cypro insula, ex aëris corruptione nascitur ingens multitudo locustarum, quæ fructus omnes terræ depascuntur, & deinde defectu alimenti morientes, rursus aërem inficiunt, incolæ earum oua, & fœtus conquirunt vere, & conterunt.

Olim in Scotia si quis lepra, morbo regio, aut insania laboraret, castrabatur, ne prolem sibi similem gigneret, si quæ mulier ex illis concepisset viua cum fœtu infodiebatur, Dauity in Scotia

Si Episcopi lites inter se habeant, finiantur, quocumque modo, intra annum, quia injustum est, vt qui cunctis præsunt, inter se quacumque causatione dissentiant, Conc. Aurel. IV. c. 12. & Conc. Aurel. V. can. 17.

A *Vide finis contrarietatis, & duratio boni Rep cum veneno remed.*

Mala consuetudo non minus quam perniciosa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus euellatur, in priuilegiorum jus ab improbis assumitur, & incipiunt præuaricationes & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuo celebrari, d 8. c mala consuetudo.

Capita malorum, rebus sese insinuantium, resecanda sunt, Teres in Tenedo legem tulit, vt homo securim tenens, à tergo judicis staret, & eum qui mendacij conuinceretur, feriret, Suidas in voce Tenedius.

B In aëris putredine sic interdum viget pestis, vt benè valentes intra quinque, aut sex horas moriantur. Cardan. libr. de rerum varietate, capite 45.

Ostentabat Africano juniori adolescens quidam affabre compactum scutum, & exquisitius expictum; at is, decet inquit, Romanum virum in dextra magis, quam in sinistra sitam spem putare. Rodigin. libro 21. cap. 14. in fine, & libro 10. cap. quarto.

Acutus morbus est, qui aut cito transit, aut celeriter interficit.

Mars apud Græcos gradiuus dicitur, quod in bello impigrè gradiendum sit. Isidorus origin. l. 8. c. 10.

C Ad te post paulo ventura pericula sentis
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
Et neglecta solent incendia sumere vires. Horat.
1. epist.

In bellis præuentio sæpè vtilis, turbat enim hostis consilia, supponit vires & animos in agressore; cauendum si confœderatis nostris vis inferatur Non tempore tali.

Cogere consilium, cum muros obsidet hostis.

Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas, cant. 2. priusquam adolescant, majus enim inferrent damnum Origen.

Aduersarius domo expellendus, cum facilè extrudi potest, antequam vires capiat; quid enim juuat sibi mora negotium facessere, & in abyssum mergi, vnde vix datur exitus; ideo Christus non

D cædem modo prohibet, sed & iram, non modo adulterium, sed & aspectus intemperantiam, non pejurium, sed & iusiurandum omne, &c. D Chrys. hom. 12. in ep. ad Rom.

Sol non occidat super iracundiam vestram. Ephes. Ira si non statim extinguatur, per noctes & sequens tempus causas meditatur vnde sibi accrescit, vt si Sol ante occasum nubes non dissipauerit, congregantur per noctem majores à quibus oriens obscuratur. Idem homilia 14. ad Ephes.

Alexandrum Macedonem vt Pardum volucrem vidit Propheta, significans quod repentè totum orbem terræ peruolarit cum trophæis & victoria. Id.

E hom. 2 in ep. 1. ad Thessal.

Nulla fulmini sedes est in qua quiescat, nam si quiescit, jam non est fulmen, caret enim illo ardore & motu, sine quo nec concipitur.

Nisi aries cum celeritate ad murum, vel malleus ad clauum concutiatur, licet vis impressiua sit robusta, tepescit tamen & fit ignauior. Van helmon. tract. ignota actio regiminis.

Statum & sine præuia admonitione licet denuntiare & accusare crimina, ex quibus imminet periculum multitudini, quia vtilitas publica præfertur priuatæ. Tost. in Math. to. 5. f. 51. col 4 g.

Irruere

Irruere repentè in hostes, exemplo Iosue, bellica eruditio est. Id. Iosue to. 1. 178.

Delectatio morosa, in tentatione carnis peccatum est. Id. Math. to. 1. f. 251.

Expertum est in bellis, quod qui non aggreditur, cum sit ei occasio, dat alteri animositatem ad aggrediendum, quia videtur ex timore expectare, & id obseruatum est ab antiquis velut augurium, sic 1. Machabæor. 5. Timotheus Dux exhortatur milites suos ad aggrediendum Israëlitas, & 1. Regum 14. Ionathas cum armigero sperat se deleturum hostes qui illi dicebant, ascendite ad nos. Idem 2. Paral. f. 173.

Cassiodor. l. 5. variar. sic loquitur de certantibus in amphitheatro contra bestias. Primus fragili ligno confisus currit ad ora bestiarum, & illud quod cupit euadere, magno impetu videtur appetere, pari in se cursu festinat, & prædator & præda, nec aliter tutus esse potest, nisi huic, quem vitare cupit, occurrerit.

In negotijs bellicis Mercurius sit in summo parui circuli, facit enim impigros, Cardan. aph. sect. 4. aph. 147.

Vide minoritas durationis, celeritas bona.

Mars celeres facit ad iram, potissimum in cancro, Ib. sect. 5. aph. 110.

Malis vrgentibus occurrendum citissimo remedio. Vide quæ scripsi de iure naturali, libro 2. lege 15. § 2.

Mortuo Fabiano Papa, cum propter horrendam Decij persecutionem alius non posset eligi, Clerus Romanus conuocatis, quot potuit, Episcopis celebrauit Conc. Roman. an. 253. in quo mota controuersia, de lapsis sacrificatis aut libellarijs, an essent in Ecclesia recipiendi, decretum est vt infirmi de vita periclitantes, præuia confessione & pœnitentia recipiantur, aliorum reconciliatio suspendatur ad electionem noui Romani Pontificis.

Leo X. in Concilio generali Lateranensi, statuit Magistros Philosophiæ, qui referunt opiniones antiquorum contrarias fidei Christianæ, statim illas impugnare debere validis rationibus, nec indecisas relinquere.

Administratores rerum Camerarium singulis annis rationem reddere tenentur, Pius 4 const. 87. § 45.

Baptismus non est differendus in pueris, ob periculum mortis, Eugen. 4. const. 23. § 13. Bull. p. 275. tom. 1.

Sero aquam cineribus infundit, qui prius non effudit in domus incendium; sic qui vino nimio incalescentes, sumunt refrigerantia.

MALVM SVBITO ingruens.

AD Egnatiam oppidum Salentinorum est saxum, in quod si lignum fuerit impositum, protinus emicat flamma, Georgius agricola, l. 4. de his quæ fluunt ex terra.

Contingit nauigia quandoque dum cursum agunt hebescente motu maris vniuerso repente absorberi, totaque ita perire, vt ne naufragium quidem fluitans visatur vsquam. Id euenit secundum Aristotelem prærupta terra cauernosa, hianteque inanitate mari subjecta, sic enim subsidunt aquæ, &

A nauigia sorbentur. Rodig. lib 26. cap. 12.

Calicem Babylonis biberunt gentes, propterea commotæ sunt, & subito cecidit Babylon & contrita est. Hierem. 15. quomodo in diebus diluuij comedebant & bibebant, & subito venit inundatio, similiter in diebus Loth, sic consummatio mundi non per partes fiet, sed repentè, sic subuersi sunt muri Iericho. Origen hom. 2. in Hierem.

Longa fœlicitas excipi solet ab ingruentibus malis. Ideo Solon. Crœsum minimè fœlicem indicauit, sapiens enim erat, Maxim. Tyrius, sermon 35.

Cito nascentia cito dissoluuntur Vide quæ scripsi, de iure naturali, lib 3. lege 2 § 1 Repentinus aliquando
B *contingit interitus Ib. lege 4. § 3 quare Deus permittit peccatores aliquando morte subita rapi. Theol. nat. to 3 parte 3 c 11. Repentinus casus aulicorum, moralis Christ. to. 4 parte 2 c. 14. De incendiis & ruinis, ibid. c. 23.*

Morbus caducus si subito casu & nullis præcedentibus indicijs accidat, minus periculosus est, ostendit enim quod nullam habet cum natura conuenientiam, at cum ante casum aliquantulum vacillant & percipiunt, phrenesim, maniam inferet & tandem mortalis est, Paracell. l. de cælesti medicina, c. 2.

Vide magnitudo contrariet magnæ clades, quæ vt plurimum subito accidunt.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur
C Dominus, & pereatis de via justa. cum exarserit in breui ira eius, Psal. 2. peccatores statim excipit vltor infernus; testis est diues cum minus id cogitabat sepultus in inferno; testis is cui horrea ædificanti dicitur stulte hodie repetent animam tuam à te. D. Hil. in d. Psal.

Venenum aspidum intra tres horas hominem necat, vnde dicitur insanabile. Deuteronom. 32. v. 33.

Ob mali suspicionem malum non est inferendum.

Vide cognitio contrarietatis, nimius futuri mali metus.

Malis proprium est malitiam cujus se sentiunt reos alijs pariter adscribere, velut excusationem mereantur, communis effecta; vt ergo se norunt, sic cæteros putāt paratos ad nocendum, & ad vtile sibi,
D aliorum damnis consequendum: æquissimum enim existimant ictus in caput suum ruituros, non solum auertere, sed retorquere, etiam præuenire, cum aliter contra sæuientem ex insidijs prauitatem, nulla sit fortunæ vitæque securitas. Hoc falso posito fundamento sub justæ defensionis prætextu, quibuscumque perpetrandis sceleribus lata panditur via, quo plus enim sæuierint plus timent, & à læsis imminentes injurias conantur præuenire, inquietudinis, metus & criminum nunquam deficiente circulo. Hujus præcocis crudelitatis iniquitas patet ex eo quod vani sunt vt plurimum tales metus nullo nixi fundamento, sunt malæ conscientiæ se torquentis conuulsiones, & tamen vt maris in se con-
E citati fluctus, in vicinorum pernitiem exundant. Incertum est an læsi sumpturi sint vindictam, certum tamen & præmaturum de his sumitur supplicium; inter certantes pro varijs suis cupiditatibus homines, si propter læsionis futuræ metum, liceat insidiari, procorum, æmulorum vitæ, fortunisque; peribit sanctus injuriam patiens, quia putabitur in vindictam pronus; peribit non suo, sed lædentis vitio, vim illi jam factam cæde cumulantis; peribit humana societas, si tot fuerint homicidia licita, quot fuerint in malorum mentibus suspiciones &

Digitized by Google

metus: quisque judex erit in causa propria, timor passionum ignobilissima de viri fortis capite decernet, frustra sunt leges & Magistratus, frustra princeps à Deo constitutus gladium portat, si pri- A uatis licet in hostes non tantum veros, sed & falso præsumptos fuso sanguine deseuire. *Ex principiis.*

Vide veritas contrarietatis, Rep. vanus timor.

POTESTAS CONTRARIETATIS.

VIS QVANTVM POSSIT.

PRINCIPIVM motus animalis, est in posteriori parte capitis, quæ est siccior, producitque neruos duriores, sicco enim magis perficitur motus quam humido, Albertus Magnus, tract. 2. de motibus animalium, capite 1.

In statu naturæ integræ regimen politicum fuisset conueniens, at in natura corrupta, regimen regale & coactiuum est fructuosius, quia labentem naturam oportet refrænare per regale fastigium. Vnde scriptum est, Prouerb. 20. Rex qui sedet in solio, intuitu suo dissipat omne malum, & dicitur Rom. 13. quod rectores non sine causa gladium portant, pœnæ legibus instrutæ sunt medicinæ quædam.

Luc. 11. cum fortis armatus, custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Non aliter, iustitia suum imperium exercet, cui si gladium eripueris, restat inutile pondus, libra, frustra decernens innocentibus, quæ nocentes rapiant, Dei arma describuntur. Iob. 38. Sapient. quinto.

Optimum est Regibus paratos semper habere exercitus, & commeatum bellicum, vt instanti necessitati occurrat, sic continet suos & exteros in officio. Regem inualidum & inermem, omnium insidiæ, omnium impetus premunt, nihil timenti cuncta sunt infesta. Veterani milites non tyrones parabunt victorias, sine armis, omnes regni opes, omnia decora in prædam abeunt, dominos mutatura, quoties dominos inuenerint, de belli & armorum necessitate. *Vide bonitas contrariet.*

Non inuenitur corruptio, nisi vbi inuenitur con- A trarietas. Generationes enim & corruptiones, ex contrarijs in contraria sunt.

Quod est contra inclinationem alicujus, nunquam aduenit ei nisi per actionem alicujus fortioris, & ideo potestas major dicitur esse causa doloris.

In canalibus aqua non ascendit ad altitudinem sui principij, nisi marginibus contineatur, alias effluit, *vide concordantia principij*, effectus suæ causæ similes.

Lapides quos aqua humectando dissoluit, eos calorem exsiccando compegisse intelligimus; contra verò qui calore ignis liquescunt, vt silices, eos frigore concreuisse; concretio enim, & ei aduersæ affectiones resolutio, atque liquefactio oriuntur de B causis inter se contrarijs, Georg. agric. l. 4. de causis subterraneorum.

Terræ motu sæpè factum est, vt flumina in contrariam partem fluerent, eorum refert exempla. Id. l. 4. de his quæ fluunt ex terra.

Operationes planetarum nunquam cessant, donec à contrario planeta, aut fixa stella, aut signi parte contrariæ qualitatis impediantur, vel in solis radios incidant. Card. aph. sect. 5. aph. 63.

Regum ducumque clementia, non in ipsorum modo, sed etiam in illorum qui parent, ingenijs sita est, obsequio mitigantur imperia, vbi verò reuerentia excessit animis, & summa imis confundimus, vi C opus est, vt vim repellamus, hæc dicit Alexander excusans, quod reos majestatis jusserit occidi apud Q. Curtium, l. 8.

Cum homini alia omnia adsint, diuitiæ, amici, &c. hostis potens omnia euertit.

Digitized by Google

COGNITIO CONTRARIETATIS.

SPECTACVLVM CRVORIS.

CELEBRAVIT Titus natalem patris, multa Iudæorum millia feris objiciens, ad saginam crudelium oculorum. Mahumetes secundus post captam Constantinopolim, duces ad lautissimam cœnam inuitauit, in cujus fine multa Christianorum capita fuerunt exsecta.

Deut. 21. jubetur sepeliri eadem die corpus eius, qui suspensus fuerit in patibulo.

Presbyteri & Diaconi, reorum supplicia non spectent, Conc. Antisiodorense, can. 33. & Matisconense II. ca. 19.

Die natali non fundebatur sanguis. *Vide gloria principij*, dies natalis, contra crudelitatem Herodis qui die natali sui occidit Ioannem Baptistam.

Antonius delitiarum caussa homines jubebat loris cedi in conuiuio à seruis publicis, Cicero. Philip. 3.

Rubra veste in bellis vtebantur Lacedæmonij, eo quod vestis sanguineus color ad fluxum sanguinis contemnendum assuefaceret, Suidas in voce φοινικίς.

Pugnæ ferarum docent assiduè habere populum, immisericordem, sæuum, inhumanum, & exercent ad videndum homines discerpi ac dilaniari, effluere sanguinem, ferarum crudelitatem omnia confundere, &c. D. Chrysost. hom. 12. in 1. ad Cor.

Pauperes vlceribus plenos ad portas Ecclesiæ sedentes, qui respicit, ab his instruitur, de rerum humanarum inconstantia. *Vide minor. durationis*, rerum inconstantia bona.

Maximus Tyrius ser. 12. refert olim in conuiuijs edi solere imagines, & expressas similitudines pugnæ, vulnerum, cicatricum.

Tragœdiæ tractant de calamitatibus magnorum principum, vel populorum debellatorum.

Cassiodor. l. 5. variarum, loquens de cruentis hominum cum feris decertantium spectaculis. Itur, inquit, ad talia quæ refugere deberet humanitas. Heu mundi error dolendus, si esset vllus æquitatis intuitus, tantæ diuitiæ pro vita mortalium deberent dari, quantæ in mortes hominum videntur effundi.

Crudelis ludus vbi homo occiditur, in hominis voluptatem.

Vniuersales & singulares conjuratæ causæ in vitam nostram sæuiunt, omni loco, omni tempore genus humanum varijs concutitur calamitatibus, suique reatus publicè pœnas luit in mundano theatro. Si lustres vnius ciuitatis domos, quot videbis podagra, calculo, dolore colico miserè tortos, exesos vlceribus, paralysi, cæcitate, epilepsia, phrenesi, pleuritide damnatos, hectica sensim deficientes; quot vna die ducuntur etiam immatura, suis semper acerba funera; hæc in plateis & templis læta tantum spirantibus occurrunt; hinc flagellis laniari, suspensi, membris confractis, igni traditi rei, quos publicæ quieti judex immolat, nullus sine secreto misericordiæ sensu videt, quid cum fames, pestis, incendium vrbes integras depopulatur, euertit & sorbet diluuium; quid cum campos bellum implet cadaueribus, humano sanguine fluuios infuit. Cur hoc non sufficit satis amplum humanæ calamitatis spectaculum? alia quærere quæ fundant sanguinem, & eum sitienti priuatæ cupiditati offerant, summa crudelitas est, excedens immanitatem ferarum, quæ licet ad infirmiorum strages natæ, suæ tamen speciei cadaueribus non gaudent, sed horrore concutiuntur. Cum nihil tale ferat natura, à dæmone nobis infensissimo prodire debet hic proximi sanguine se pascens genius. Ad hostis quidem prostrati conspectum exultat Victor, quia metu liber, & misericordiæ sensum tunc obscurat illustrior gloriæ cupiditas, redit tamen naturæ compatientis affectus, qui sæpè duxit ex Heroum oculis inter triumphos lachrymas, & reuocato milite, exhibita mortuis sepultura, statim eos à conflictu fecit misericordes. *Vide media contrarietas in bellis*. At ad humanum sanguinem propter ipsum venire, hoc gaudere, hoc pasci spectaculo, furiarum æstus est, si huic furenti genio ciuilis potestas accesserit, quis sæuienti modum & legem dicet? quis in rapinas & cædes ruentem continebit, si ad illas propendat inclinatio, trahat voluptas, inuitet malè felix rerum euentus? O miser, & in certam direptionem seruatus grex, lupis commissus. *Ex principiis*.

Vide concordantia minoritatis, de compassione & misericordia huic sæuitiæ contraria.

Adeo nec luxuriæ quicquam crudelitas, nec crudelitati luxuria obstat. Q. Curtius.

Magis delectat iratum cædes hostis, propria manu facta. *Vide minor. medij*, non vti medio, ex Quintil. perdit.

Duellum permittentibus ac spectantibus in statu Ecclesiastico quæ pœnæ immineant. Leo. X. const. 31 Bull. p. 441. to. 1.

Feudatarij S. R. E. non prohibentes agitationes, siue spectacula taurorum feudis priuantur. Pius V. const. 48. p. 184. to. 2. sic decertantes sepultura Ecclesiastica priuantur. *Vide durat. contrar.* vindicta in mortuos.

Digitized by Google

REORVM POENA publica.

SÆuissima est omnis publica mors. 1. quia diu meditatione miseros affligit, vt vna dies, anni centum videantur mœroris, centiesque ac millies prius moriatur, quam moriatur, quid cum accedunt carceris sordes, vincula, tormenta; deinde pudor, & anteactæ vitæ recordatio; durum est, quod integer & sanus moritur, quod infamiæ recordatio transit ad posteros, mors etiam tanto difficilior, quanto crudelior. Cardan. de rer. varietate, c. 40.

Mare eijcit in littus cadauera & naufraga omnia, vt sic exposita deterreant homines à tanta temeritate.

Ex thuribulis eorum qui murmurauerant contra Moysen, & igne consumpti sunt, factæ sunt laminæ & altari applicatæ in memoriam talis vindictæ. Num. 17.

De pœna capitis. *Vide magnitudo contrariet.* ad exemplum.

Arca Noë requieuit in summis montium à diluuio, veteris supplicij monumentum, Dei vindictam ob oculos posteritati relinquens, locus hic apud Armenos inaccessis custoditur montibus, oculis spectabile ad eum ob difficultates accessu negato. S. Basil. seleuciæ, orat. 6.

Prouincia in qua reus deliquit, est ei pro foro competenti, & ne rescripto quidem principis potest euocari, libro 2. ff. vbi de crim. agi opor. libro 7. §. penult. l. vlt. ff. de accus. Tostat. Iosue to. 2. fo. 141.

Vide cognitio minoritatis, delicti pœnalis manifestatio.

Animæ separatæ possunt pati in locis in quibus peccauerunt, & interdum hominibus apparent, vt testatur Greg. 4. dial.

Tost. Math. to. 3. f. 172. c. 4. g. & id ita fit ad correctionem viuorum. Idem de statu animarum, fol. 9. c.

Cadauera reorum suspensorum debebant manere in patibulo, vsque ad vesperam. Deuteron. 32.

Malum culpæ in bonum ordinatur per pœnam. Tost. nu. to. 1. f. 71.

Apud Iudæos grauis alicujus criminis rei lapidabantur, toto ad id concurrente populo, Leu. 24. num 15. sic lapidatus est Achan, Iosue 7. vt omnes videntes pœnam abstinerent à tali delicto, quod se abominari testabantur, dum de illo proprijs manibus pœnas sumebant, omnium est enim vindicare injuriam Deo factam quæ in damnum totius Reipublicæ vertitur. Idem, Iosue tom. 1. fol. 140.

Infortunæ in angulis mortes publicas decernunt. Card aph. sect. 3. aph. 103.

Vxor Loth in statuam salis versa est, ad condimentum fidelium, quia punitio impij, eruditio est justi, Alcuin. in Gen. inter. 188.

Dicit Plato, nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Reuocari enim præterita non possunt, futura prohibentur, & quos volet nequitiæ malè cedentis exempla fieri, palam recidet, non tantum vt pereant ipsi, sed vt alios pereundo deterreant. Seneca de ira, libro primo, capite vltimo.

Hyberno tempore cum cælum solet esse nebulis obsitum, fit serenum tempore eclypsis, vt videant mortales defectus in cælo, in suorum solatium, ea de causa, & vt cogitemus nos esse mortales. Petrus Damiani dicit, breuem esse Summorum Pontificum vitam, *vide cognitio finis*, mortis meditatio.

Alexander habens in potestate sua Bessum Darij perfidum interfectorem, supplicium eius distulit, vt eo loco in quo Darium ipse occiderat, necaretur. Q. Curtius, libro 7. Est quædam pœna talionis ratione loci, *vide æqualitas contrarietatis*, pœna talionis.

PRÆSAGIA MALI futuri.

REgionum, vrbium, Principum auguria, sunt magis illustria quam priuatorum. *Vide gloria medij*, illustre medium.

Si natura futuri alicujus euentus præsagium molitur, sui ipsius ideam more pictorum & statuariorum sibi proponit, formatque monstrum, cui opus illud simile futurum sit; quod industriè adeo & ad viuum exprimit, vt nihil melius possit fingi; callet enim artem genuinam effigiandi, vltra omnes artes & acumina, Paracelsus lib. 1. Sagacis Philosophiæ.

Simonides monitu Deorum, domus ruinam vitat. *Vide differentia contrariet.* fuga in aduersitate.

Ex fulgore aut obscuritate lapillorum, qui erant in rationali summi Sacerdotis belli tempore cognoscebatur, victoria & an clades immineret, exo. 28. Theodor. in exod. q 60.

Sic ante febris inuasionem præcedunt lassitudines, oscitationes.

De signis bonis & malis. Gerson. to. 4.

Camerarius centuria prima, genitura. 38. refert figuras infantium, qui paucis ante natiuitatem diebus & mensibus, ejulatus emiserunt, quod pueri, matris, etiam patriæ malum præsagire putarunt.

Scythæ omnium crudelissimi, qui humana carne vescebantur, procedebant induti nigro colore, ideo dicti Melanchlenes, Dauity.

Æthyopes nigri sunt non ex climate, cum in illo plures sint, albo aut cinericio colore, sed quia procedunt à Chus filio Noë maledicto: alij autem in ea regione albi procedunt ab albo parente Cham, Sem, & Iaphet. Geneb. a. m. 1657.

Elias translatus in cælum misit cœlitus litteras ad Ioram regem Iuda filium Iosaphat, in quibus fata eius explicabat, 2. Par. 1.

Palma tempestatibus prostrata, eodem loco ficus enata est. M. Messalæ, & C. Cassij lustro, à quo tempore pudicitiam subuersam Piso tradit Plin. l. 17. Geneb. a. m 3948.

Turbinis vi in campo Romæ columna ante Iouis ædem decussa cum signo aureo, responderunt Aruspices, Magistratum & Sacerdotum interitum fore, tum omnes Magistratus se protinus abdicarunt. Ib.

Saül consulit Pythonissam de euentu belli, & Samuël apparens, dicit ei, Crâs tu & filius tuus, mecum eritis, 1. Reg. 28.

Vide duratio contrarietatis, series malorum.

Eadem est potentia cognoscitiua oppositorum,

Digitized by Google

vnde visus qui cognoscit lucem, cognoscit & tenebras.

Inglans frangi se sonitu prænuntiat: est enim vel eius materies ampla, vsque ad opus tectorium, itavt præsentire homines possint, quod & in Antandro accidisse, omnesque è balneis terrefactos profugisse traditum est. Theophrast. hist plant. l. 5. c. 7.

Sunt multa signa terræ motum præcedentia, vt tranquillitas aëris superni, solis à nubibus caliginosis obsessio; eclypsis ejusdem, vicinarum vrbium subuersio, fragor infra auditus, &c. quæ enumerat, Albertus Magnus, meteor. libro 3. capite 13.

Ephod erat pectorale sacerdotis ex aureis filis arte mira confectum, habebat vtrinque binos smaragdos, quorum vterque senas tribus Israëliticas insculptas gerebat, adamante inter vtrumque interjecto. Sacerdos de re aliqua interrogatus colligebat Ephod in pallio, impositis manibus, tum reseratis, si Deo interrogatio placuisset statim fulgurabat adamas emissisque radijs fulgebat, si affligendus esset populus, niger fiebat. Suidas in voce Ephod.

Oua & tenere & edere significat molestias. Id. in voce *ωὰ*.

Columbas videre in somnis denuntiat damnum. Id in voce *περιστεραί*.

θ apud Græcos mortem significat, nam Iudices eandem litteram apponebant ad eorum nomina quos supplicio afficiebant, & dicitur theta *ἀπὸ τοῦ θανάτου* id est à morte, vnde habet per medium telum, id est mortis signum, Isidorus origin. libro 1. c. 3.

Hyacinthus humidum habet densum quod facilè patitur, in tempestate obscurior: super laborantes graui morbo, maximè pestilenti colorem amittit, Card. de rer variet c. 19.

De varijs prodigijs populorum clades publicas præcedentibus, vide ib. c. 78.

In Græcia, tyrannidem præsignauit ouis quæ leonem peperit. Rodig. libro 13. c. 14. Idem l. 17 c. 11. Italiæ vastationem prænuntiatam à cornice albicantibus pennis quæ per annum visa est juxta Rhodiginum.

Hæc præsagia sunt velut quædam in jus vocatio.

Auctor offerre debet libellum qui suam intentionem breuiter contineat, vt reus deliberare possit, contendere an cedere debeat, & vt judex sciat quomodo formare debeat sententiam, ea enim secundum petitionis formam ferenda est, cap. qualiter de appellat. & tot. tit. de libelli oblatione.

D. Greg. Naz. refert se præuidisse Iuliani apostasiam, ex corporis & gestus compositione, & sic Martialis.

> Crine ruber, niger ore, lumine luscus
> Rem magnam præstas Zoïle si bonus es.

Vide cognitio virtutis, de physionomia infausta.

Tres soles significant seditionem. *V. contrar. concordantia*, seditio.

Anno vrbis conditæ 623. sol geminatus est, quo quidem anno P. Africanus sol alter extinctus est. Cicero de natura Deorum, Geneb. Paulò ante bellum Antonij & Augusti Romæ tres soles apparuere, qui in eundem orbem coïerunt.

Anno Christi 51. & postea magna fames Romæ, inquit Lycosthenes, & videtur hunc esse annum, in quo Plinius libro 2. cap. 31. refert sua ætate sub

A Claudio tres soles apparuisse, pluresque quam tres visos ab hoc æui nunquam prodi, tamen Conimbricenses refutant Plinium, & dicunt plures esse visos.

Anno Christi 1107. tres soles in oriente visi sunt, & à Christianis Palestina recuperata est, Godefrido in Hierosolymorum Regem electo.

Anno 1156. in Anglia duo soles calendis Octob. apparentes, S. Thomæ Catuariensis & Regis dissidium portenderunt.

Anno 1157. mense Septembris, tres soles apparuerunt, & paulo post quatuor Antipapas contra Alexandrum III. erexit Fredericus Oenobarbus.

B Anno 1469. Romæ Trigeminus visus est, & eodem anno duce Mediolanensi mortuo, bellum ciuile excitatum est in Italia.

Anno 1492. in Polonia tres soles apparuerunt, & hoc anno Rex Poloniæ mortuus est, magna pars Gracouiæ vrbis conflagrauit, & dira lues pecorum Poloniam peruasit.

Anno 1514. mense Ianuario & Martio in Germania tres soles apparuerunt, & eodem anno Saxonum 40. millia à Polonis cæsa sunt, & Suevica factio excitata est.

Anno 1520. mense Septembri Viennæ Austriæ, tres soles visi sunt, & tunc Lutherana hæresis propagata est.

Anno 1523. 6. Non. Maij, idem accidit Tiguri, & eo anno Tigurini Lutheranismum susceperunt.

C Anno 1525. idem in Hungaria conspectum est, & postea mortuo Rege Ludouico, bellum ingens exortum est.

Anno 1528. 17. Kal. Iunij, in Heluetia multi simul soles apparuerunt, & carnium penuriam, bellumque intestinum portenderunt, & 1513. Mediolani sæuum in orbe triumuiratum significarunt Caroli 5. Imper. Henrici Gallorum Regis & Solimani Turcarum Imperatoris, Cardan. l. de rerum varietate, c. 70.

Anno 1551. Magdeburgi die 21. Martij, tres soles apparuerunt, & anno sequente exortum est bellum ciuile in Germania.

Anno 1557. 5. Kal. Aug. in Germania, tres simul soles conspecti sunt, & anno sequenti mortuus est Imper. Carolus 5.

D Puer sine capite natus augurium fuit Cambisi, ipsum non habiturum regni successorem.

Cum vniuersi ordo censeatur auguria mouere propter hominis bonum, potissimum eius qui cæteris antestat, cum sit magis ab ipsa natura intentus, ex eius etiam bono aut malo, multorum bona aut mala pendent, Aug. Niphus de augur. libro 1. cap. 4.

Communis hominum opinio est vultures in exercitibus gregatim volantes esse futuri excidij præsagium, altius enim volantes quæ multa montium obscuritate celantur ex alto conspiciunt, & non modo præsentia, verum etiam, vt inquit Plinius, biduo aut triduo futuro. Ibid. c. 10. sic de coruis.

E Xerxi cum ingenti exercitu Græciam inuadenti turpis fugæ præsagium fuit equa quæ peperit leporem, ib.

Ad Apim taurum Deum Ægyptiorum consulendum iuit Cæsar Germanicus, eique panem porrexit, cujus manum auersatus infaustum omen ostendit, nam in anno sequenti occisus est. Tostat. exo. to. 1. 74 c. 4. g.

Nilus cũ soleat crescere vsque ad quindecim, aut

Digitized by Google

21. cubitos, non crevit nisi ad quinq; anno illo quo contigit Pharsalicum bellum, inter Iulium Cæsarem & Pompejum in campis Thessaliæ, quod fuit magnæ rei portentum. Idem, Genesi fol. 299.

Methodius martyr, prædixit vastationem Hispaniæ ab Arabibus. Vide Tostat. Genesi fol. 258.

Obseruatum est in Noruegico oceano, quoties à piscatoribus capiuntur pisces, humana aut leonina facie, toties discordias & bella portendi. Olaus Mag. l. 1 c. 1.

Idem l. 21. cap. 43. refert patriæ clades significari cum serpens 300 pedum long. in mari Nrouegico apparet, & è naui rapit homines.

Malum imminens diuersis notibus prauidentia significat, vide quæ scripsi de iure naturali, libro 3. lege 3. §. 1.

PRÆVISIO IVSTVSQVE metus mali futuri.

NOn firmos satis oculos lædit, assiduus rei splendentis conspectus, sic leues animos decipit spes nimia futuri, ad obscuriora, quæ metum incutiant, optimum est aliquando diuertere.

Tonitrua nocent ouibus & auibus, humores in illis confundunt, vnde corui, & aues quæ dicuntur Diomedis, fœtificant maturè, ita vt mense Martio pulli sint educti, ante tonitrua, Alb. Mag. l. 6. de animal. c 3.

Carneades in prospera fortuna, secundisque rebus, præcipiebat, de aduersis cogitari, quia improuisum cum ægritudine, & quasi deliquio animi excipitur, Plutarch. lib. de tranquillitate animi, dicit eam haberi, cum infidam rerum humanarum sortem cogitatione, & animi præparatione perpendimus; quasi non quæsito nobis jure, sed præcario talia possideantur, humanum est quod accidit, quod patimur.

Astrologus non potest facere commixtionem stellarum, antequam cognoscat amicitias & inimicitias earum, Hermes in centilo. 5.

Bonus eloquentiæ præceptor, non minus discipulum laudare debet, si quid pro diuersa, quam si quid pro sua parte acriter excogitauit. Quint. Inst. orat. l. 5. c. 13.

Pugnaturi debent mittere exploratores, vt cognoscant vires aduersariorum, vt fecit Moyses pro terra Chanaam, numer. 12. & Iosue 2. & 1. Regum 26.

Apes non vt præsentis tantum cibi memores in diem viuunt, duraturus hyemi reponitur victus, & repletis verè cellis, tutus annus est. Quintilian. declam. 13.

Præcepta quædam ad sedandas passiones in mente recondita, & parata habere oportet, sic feri canes mitescunt audita sibi cognita voce. Plutar. l. de tranquillitate animi.

Quæ opus est, præsens dispice, ne præsens, absis.

Etiam secundo vento nauigantes habent parata instrumenta contra tempestatem, sic in prosperitate præuidenda aduersitas.

Isocrates scribit ad Nicoclem. Metuendus appareas, dum omnia quæ fiunt, explorata habes. Grauiora, quæ insperata proueniunt.

Pindarus dicit spes esse vigilantium somnia; multa cadunt inter calicem supremaque labra.

Gallinaceus pullus, vix natus equum, elephantemque nihil reformidat, miluum, vel longè conspectum, adeo expauescit, vt ad matrem statim confugiat, eadem agno & lupo, & multis inimicitia est.

Apparatus belli etiam in pace Regi necessarius. *Vide potestas contrariet.*

Contrariorum eadem est disciplina, 9. meta. tex. 3. arl. sic scientia moralis est virtutum & vitiorum, scientia medicinæ, ægri & sani, jurisprudentia, justi & injusti.

In summo nauis est specula, *la hune*, vnde scopuli, terræ, naues hostiles præuidentur.

Nocte percutiuntur primogenita Ægypti, exod. 12. dies Domini aduenit tanquam fur.

Dixit Abbas Macarius, si recordamur mala quæ inferuntur nobis ab hominibus, amputamus menti nostræ virtutem recordandi Deum, si autem recordamur malorum quæ dæmones excitant, erimus imperforabiles. Vitæ Patrum, libro quinto, cap. 10.

Animal percussum fulmine inuenitur verso capite versus fulmen, quia naturaliter vertit faciem ad malum veniens, & in ipso actu visionis occiditur. Albertus Magnus, meteor, libro 3. trac. 3. c. 21.

Ceraurum est lapis crystallo similis infecto colore cæruleo, qui dicitur cadere aliquando de nube cum tonitruo, prouocat dulces somnos. Id. de lapidib. littera C. ex metu securitas.

Ad præcauendum malum licet petita negare, & jam habita surripere ei qui talibus abuteretur. *Vide minoritas bonitatis*, defectus communicationis bonus.

Exploratorum munus est, rerum statum omnem, & consilia hostium, locorumque situm & conditionem & itinera indagare.

Exercitui aptiora sunt loca edita, & plana syluosis, vt longè prospici possint omnes hostis insidiæ. In plerisque autem locis multa sunt quæ visum impediant, vt collis, calami, filices, &c. Suidas in voce [illegible].

Perseus Macedo pyris per totam Macedoniam paratis, celeriter quia vbique fieret, cognoscebat. Ita nunc laternæ barbarorum aduentum indicant. Id. in voce [illegible].

Sunt quædam nomina quæ dicuntur ad aliquid aliter se habens, vt dexter, dici enim dexter non poterit, nisi sinister fuerit. Isidorus origin. l. 1. c. 6.

Et calor & frigus nigrum colorem efficiunt in succis, nam extincto animantis calore vrina interdum exit viridis vel nigra, sed calor partus olentes facit, frigus sine odore, sic odor aperit notionem quam habere possumus de causa colores efficiente. Georgius agricola l. 1. de causis subterraneorum.

In Lycia juxta Pataras oppidum aqua Telephi fontis semper turbida, & cum cruore mista videtur. Idem libro primo, de his quæ fluunt è terra, sic aquæ omnes odore, colore produnt qualitates suas, & in Æthyopia plures aquæ sunt rubræ, quas qui bibunt in furorem incidunt. Ibidem.

Oculis, gustu, tactu, odore deprehendimus aquas succis nociuis infectas, & ignem subterraneum passas, sunt enim calentes, insuaues tetrum odorem nares percipiunt. Georgius agricola, libro primo,

Digitized by Google

de his quæ ex terra fluunt.

Spuma generatur ex mixtione spirituosi & humidi; maiorem habet consistentiam cum humor tenax est, qui violento motu exprimitur vt in mari, in currentibus equis, apris ira percitis, in comitiali morbo. Rod. l. 6. c. 9.

Hyppocrates morbos videri grauissimos scribit, in quibus sibi longè dissimilis ægrotantis facies euadit. Id. l. 23. c. 20.

Columba circa riuos aquarum commorans videt in aquis vmbram accipitris, sic euolat. Offert sacrificium columbæ qui præuidet peccati periculum. Origen. hom. 3 in Lu.

Vide magnitudo virtutis, Rep. diffidentia.

Math. 24. Erunt fames, & pestilentiæ, & terræ motus per loca, initium dolorum. Nec enim Deus vult perdere humanum genus, sed judicans per partes, paulatim in eo dum fiunt fames, & cætera, dat pœnitentiæ locum hi qui ex modicis castigationibus emendantur & conuertuntur ad Deum; incipientibus enim morbis potest adhiberi medicina, si autem incipientibus talis non fuerit facta pia conuersio, proficient in ejus fames, bella, terræ motus. Orig. tr. 28 in Math.

Antequam oriatur tempestas, intumescant flumina, ædificemus domum nostram firmis lapidibus præceptorum Dei Id.

Animalia sponte & arcano diuinoque quodam impetu concurrebant ad arcam Noe, qui constitutus erat, vt accurentia exciperet hospitio. S. Basil. seleuciæ, orat. 6.

Cur altum dormientes stertimus, cum tamen hostem vsque adeo improbum habeamus. Si serpentem ad lectum nostrum latitare sciremus, magno studio ad illum perimendum ferremur, diabolus hostis est qui non videtur, ideo magis cauendus, quia minus vitari potest. D. Chrysost. hom. 10. in ep. ad Roman. amicitiæ specie crudelitatis venenum ejaculatur, insidiosæ sunt illius viæ, bellum multiforme Ib.

Verè dormiunt qui non aduertunt domos suas, id est conscientias perfodi à fure diabolo, qui rapit fidem, spem, charitatem, Dei timorem, amorem, receptorum ab eo beneficiorum memoriam, &c. D. Chrys. hom. 25. in ep. ad Rom.

Quis velut Archimides Syracusius inter armorum strepitus quietè suis vacet speculationibus, nec circa videt orbis laborantis publica mala.

Iuuat venena prodere ne incautis noceant. Non minus naufragium patitur, qui claudit oculos ne videat maris irati minas.

Apostolis denuntiauit Christus mala quæ passuri erant.

Ira non est insidiatrix sicut concupiscentia, quia magna signa sui ostendit.

In lege veteri soli leprosi manebant extra castra, & ponebatur eis signum, vt à longè cognoscerentur. Tost. Math. to. 7 302.

Socrates per artem speculorum vidit draconem existentem in monte, qui deuorabat homines, & tamen eum nemo videre poterat. Idem Math. to. 1. f. 238.

Vestes leprosorum erant dissutæ, vt distinguerentur à cæteris, & maximè circa cor, in signum magni doloris. Id. Leu. f. 131.

Idem Gen. f. 92 infert Adam non præsciuisse casum suum, quia si præuidisset, non cecidisset, & sibi melius consuluisset.

Christus denuntiauit Apostolis mala, quæ passuri erant 1. vt scirent eum futuri præscium, 2. vt nullus suspicaretur, hæc euenire propter imbecillitatem magistri, quæ vt nouerat sic vitare poterat si voluisset, 3. vt sustinentes non stupescerent si præter spem, hæc illis contigissent, 4 vt hæc audientes non turbarentur in tempore crucis, quam præscij & volentes suscepissent, Tostat. Math. tom. 3. fol. 247.

Cum Christus dixit, Math. 7. Nolite solliciti esse, intelligendum de nimia sollicitudine; est enim quædam sollicitudo de futuro necessaria, vt actiones opportuno tempore fiant, oportet seminare vt crescens herba veniat ad messem, quæ tempore suo est colligenda; non suppetunt vna die omnia ad victum necessaria, nisi congruo tempore prouisum, laborat juuenilis & virilis ætas, pro quiete senectutis, &c. Id. Math. to. 3. f. 113. 114.

In regionibus Septentrionalibus sunt lapides littorales satis sublimes sine scripturis, majorum industria versus infidos portus reflexi notabili signo nautas informantes vt naufragia euitent. Olaus. Mag. l. 1. c. 31.

In eadem plaga est Prouincia Augermannia appellata, in qua sunt excelsissimi montes cujus cacumina niue perpetua candent, in eorum radicibus sunt voragines stupendæ in quas magnis fragoribus mare se immittit; itaque & horrendus ille sonitus, & visa montium cacumina monent à longè nauigantes, vt ab his se periculis eripiant, Ibidem l. 2. c. 4.

Igne fumoque à speculatoribus è montibus denuntiantur hostium irruptiones.

Solatium est calamitosis præcognoscere fatum.

Sibimet ipsi non hosti nocet, qui struit insidias in loco ignoto.

Picis auibus parcitur, quia noxias bestias, lupos, vulpeculas, lutras domesticis animalibus insidiantes plurimo garritu produnt.

In ægrotantibus erectæ figuræ primam domum dabis ægro, septimam morbo, luminaria viribus laborantis, infortunas verò viribus morbi. Card. aph. sect. 1. aph. 80.

Superiores planetæ cum radios solis illico sunt subituri, mentes efficiunt agrestes, timidas, auaras. Id. sect. 4. aph. 6. cum retrogradari volunt, tristes & ancipites. Ib.

Nemo melius prospicit malis, quam qui prospicit mala.

Quod in hoste validum aut infirmum est, animalia decertantia percipiunt. Vide quæ scripsi de iure natur. l. 1. lege 11 §. 3.

Præuisa mala modis opportunis vitantur. Ibid. leg. 15. §. 4.

Præsagia naturæ sunt mali iam incipientis effectus Ib. l. 3 lege 3. §. 2.

Ideo debemus nosse naturæ nostræ infirmitates, vt ab his caueamus. *Vide cognitio minoritatis.*

Oblato lædente occasionali statim pars læsa, velut per crampum contracta, corrugataque dolorem manifestat suum.

Math. 20. Christus prædicit Apostolis suis passionem suam, vt illam facilius ferrent expectatione exercitati; alioquin vehementi turbatione quassati, jacuissent, D. Chrysostom. homil. 66. in Math.

Dolor est sensus tactus pathema, in quo anima sensitiua exprimit objecti displicentiam juxta injuriæ acceptæ differentias, partibus illatæ. Van helmont.

Deus dedit homini duplicem oculum, carnis & rationis, vt deprehenderet hostes visibiles & in-

Digitized by Google

uisibiles. Laurent. Iustin. de interiori conflictu, c. 3. A

Arcus cælestis habet colorem aquæ & ignis, est enim ex parte cæruleus, & ex parte rubicundus, vtriusque judicij testis, vnius videlicet facti, per aquam, & alterius faciendi per ignem, Alcuin. in Gen. inter. 134.

Ex omnibus mundi partibus solebant martyrum gesta ad Romanum Pontificem scribi. Glossa in vita Eleutherij.

Cum vltimi discriminis tempus aduentat, in sollicitudinem fiducia vertitur, fortunaque timetur mutabilis, cum vnica nox rei maximæ moratur euentum. Q. Curtius l. 3. B

Verè non amant, qui alteri non metuunt. *Vide veritas voluntatis.*

ACCVSATOR ET CRIMInis delator.

Lege Iulia de ambitu damnatus, si alium ejusdem criminis reum conuicerit, in integrum restituitur, l. 1 ff. ad l Iul. de ambitu. Idem fuit delatoris præmium ex lege Calphurnia. Transfugæ alios transfugas indicanti parcitur, aut restitutio in integrum datur ex rescripto Adriani, l. non omnes ff. de re mil.

De exploratoribus per quos mala publica præuidentur *Vide cognitio potestatis.*

De socijs criminum qui se mutuo accusant. *Vide contrarietas aequal.* pugna similium.

Delatoribus qui caduca bona ad fiscum deferunt, præmium constituitur, interdum quartæ partis, l 13. ff. de jur. fisc. & Cujac. obseruat libro 19. c 3.

Vide infra hoc tit. nimius futuri mali metus. Prosagogidæ.

Accusatio non est res honesta. *Vide minor contrarietatis, nulli nocere, & eod tit.* à litibus abstinendum in fine.

Accusatores sunt in Republica necessarij. *Vide contrarietas minoritatis,* vindicta publica ex Quintiliano.

Chirurgi & Barbitonsores delictorum notitiam habentes, ea ad judices deferre tenentur, Pius 5. const. 34. §. 2. Bul. p. 37. t. 2.

Confessarij tenentur monere mulieres deuntient confessarios, à quibus sollicitatæ fuerint ad res inhonestas. Gregor. 15. const. 34. §. 7. p. 319. tom. 3.

TIMOR DEI SERVILIS.

Turbatus est à furore oculus meus, Ps. 6 propter iram Domini oculum suum dicit esse turbatum, Alcuin. E

Sic cruciatus futuros iudicij timebat Propheta, vt dicat. Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum.

Tanquam vas figuli confringes eos, & nunc Reges intelligit, seruite Domino in timore, Psal. 2. Addit & exultate ei cum tremore, vt metum seruitutis, gaudij exultatio temperet, cum ipse timor causam lætitiæ per conscientiam seruitij fidelis afferat, ita seruitutem timor detinet, timorem exultatio moderatur, D. Hilar. in Ps. 2.

Initium timoris Domini est internus quidam horror, immissus & incussus nobis à Deo, dum peccata nostra ante oculos nostros statuens, nos facit intelligere quam exigui sumus ad immensam illam majestatem, cui nihil potest resistere, & quæ nos in æternum damnabit, nisi subditi & obtemperantes fuerimus. Bonitas eius nostram arguit infidelitatem. Rusbroch. de tabernaculo fœderis, cap. 31.

Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas, vox Domini in virtute, Psal. 28. cum terret peccatores. Vox tonitrui tui in rota, cum incipiunt peccatores, sic exterriti, minime sui parte tangere terram D. Basil. in d. Ps. 28.

De timore Domini, Ephrem to. 3. Bernard. quadrag. 1. ser 30.

Apud Hebræos sunt decem Dei nomina, primum est *El*, id est fortis, secundum *Eloe*, id est timor. Isidor. orig. l. 7. c 1.

Multos hic punit Deus, vt cum minarum verbis non credunt, vel supplicie bus credant; & quoniam vetera nos non vsque adeo territant, per ea quæ cuique generationi accidunt, tunc pro tempore socordes corrigit. Diabolus autem qui primo homini dixit, nequaquam moriemini, etiam Dei timorem conatur excutere; vt securos in gehennam perducat, &c. D. Chrysost. hom. 15. in ep. ad Roman. C

Vide durati contrariet. æterna pœna damnatorum, vt Niniuitæ timentes quod Propheta minabatur supplicium, veniam obtinuerunt, à contrario tu minas spernens, in pœnam incides, Ibidem.

Cum timore & tremore vestram salutem operamini, Ph. 2.

Ideo incertus est dies mortis & extremi iudicij, ne homines scientes certo dilationem eius, mediū tempus vitijs & voluptatibus impenderent, pœnitentia in calcem vitæ remissa, D. Chrys. ho. 9. in ep. 1. ad Thessal.

Nullus ex ijs qui gehennam habent ante oculos, incidet in gehennam, nullus ex ijs qui gehennam despiciunt, effugiet gehennam, vt qui non timent iudicia, in illa incidunt. Si non euersionem timuissent Niniuitæ fuissent euersi, si temporibus Noë timuissent diluuium, non fuissent obruti diluuio, si timuissent Sodomitæ, non fuissent euersi. Malum est malorum minas negligere: Iudicia tua coram me sunt semper, inquit Propheta, Ps. 17. Id. ho. 3. in 2. ad Thess. D

Inter legem Mosis & Christi differentia breuis est, amor & timor, Tost. exo. to. 1 f. 161.

Dicit Isayas, à timore tuo Domine concepimus, & peperimus spiritum salutis. Initium enim sapientiæ timor Domini.

Timor est amor fugiens malum quod ei aduersatur, ne perdat quod amat, scilicet gloriam; beati itaque timentes Deum, quoniam oculi Domini super eos, vt eruat à morte animas eorum, Laurent. Iustin. tract. arbor vitæ, cap. 1. hic timor animam à vitijs purgat, virtutibus, gratiæ, Deo sedem relinquit malis vacuam, ideo dicitur principium sapientiæ.

De timore Domini compunctio nascitur salutaris, de compunctione cordis nuditas, & contemptus omnium facultatum, de nuditate humilitas, de humilitate mortificatio voluntatū, extirpantur vitia, succrescunt virtutes, puritas cordis & charitatis perfectio acquiritur. Nam priusquam animæ Deus sapiat, eam afficit ad timendum, & eam instruit ad sciendum, hominem timor Dei fortem facit; sicut enim in via sæculi audacia fortitudinem, ita in via Dei

Digitized by

Dei audacia debilitatem parit, & timor fortitudinem gignit, vincula cupiditatis dirumpit, nam timor hominis peccandi differt facultatem & operationem, timor Dei tollit, &c. Ib. *Vide gloria minorit. fortis humilitas.*

Iusti timoris causæ sunt 1. grauitas peccati quod morte Christi expiandum fuit. 2. iteratio peccatorum. 3. exacta omnium etiam minimarum culparum iudicis discussio. 4. seueritas iræ Dei post longam dilationem. 5. consideratio diuinæ iustitiæ in alijs vt diluuio, Sodoma, &c. 6. cōsideratio facilitatis pereundi spiritualiter & corporaliter. 7. omnipotentia Dei, cui resistere nemo potest. 8. sapientia Dei quæ omnia scrutatur, & quam nihil latet. 9. diuina iustitia cui vt fieret satis Christus mortuus est, si proprio filio non pepercit, quomodo parcet seruo nequam 10. diuini iudicij seueritas. Laurent. Iustin. Ibid.

Inaniter putat se esse victorem peccati, qui timore pœnæ non peccat, superest enim in mente mala cupiditas, quæ rueret in culpam, si pœnam non metueret. Timor enim initialis timet Dei offensam & pœnam; vnde quasi habet duos oculos, vnum ad pœnam, & alterum ad Dei offensam. Ibidem.

Non debet esse nimia in Dei bonitate confidentia, sed fouendus Dei timor. Vide quæ scripsi mor. Christo 1 parte 2. c. 6. & 7 timor gehennæ, l. de misericordia Dei, c 7.

De his qui conuertuntur ad Deum metu iudicij, l. de institutione & officiis relig. parte 1. c. 11. libello de amore Dei nascente, c 8.

Nolite timere eos qui corpus possunt occidere, animam autem non possunt, Math. 10. Nos contrarium facimus, homines timentes, non Deum, qui potest corpus & animam perdere, &c. D. Chrysost. hom. 35. in Math.

Minatur scriptura peccantibus & præsentia & futura mala; rudiores præsentibus magis afficiuntur, cæteri gehennæ metu, vtrisque non est paruum patrocinium, atque tutela formidinis incremētum. sæpè conquæruntur homines, mille cædes scœlestus ille commisit, & vna plectitur morte, cur indignum putant si iustitia Dei, toties & tam variè peccantes temporali & æterna pœna plectat. Ibid. hom. 37.

TIMOR DEI FILIALIS.

LVc. 12. dicit Christus. Facite vobis sacculos, thesauros non deficientes in cœlo? quid ibi claustra, vbi custos est innocentia? ibi quid signaculum vbi fraudis suspicio non habetur? si & in cœlo sacculis opus est, cura non amittitur, sed mutatur. D. Chrysol. ser. 25.

Non enim accepistis spiritū seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus, Abba Pater. Rom. 8. hi qui fuerunt sub lege serui erant, nam malè agentes supplicia è vestigio excipiebant, aut mandata seruantibus merces statim sequebatur ad mensuram, apud nos verò non ita, neque enim dicit Deus, ne occidas tantum, sed ne aspicias lasciuè, vt ne amplius ob præstantaneæ pœnæ timorem, sed ob ipsius amorem, tum virtutis habitus, tum reliqua officia ac rectè facta in nobis existant; nec promittit terram lacte & melle affluentem, sed vnigenito cohæredes efficit, à rebus nos præsentibus modis omnibus arcens. D. Chrysost. hom. 14. in ep. ad Rom. antiquis verba per alios facit, nobis per seipsum; illi etiam inter mercedes & prospera murmurabant, nos autem etiam inter ipsa pericula gratias agimus Ib.

Major Dei metus, tollit hominum metum, quanti enim pretij habetur id cui creditur, tantum amatur; & quantum amatur, tantum metuit amator ne ab eo excidat, quandiu est in certamine pro amato, finito certamine, finitur vna cum illo etiam metus excidendi ab amatis. Itaque illuc vsque necessarius est Dei metus. Non enim sicut odium tollit amorem, (eundem enim & amare & odisse non possis) sic & metus, potest enim idem & amari & metui. Iustinus martyr, quæstione 98. ad Orthodoxos.

Laurent. Iustin. tract. arbor vitæ dicit Ecclesiam esse paradisum à Deo plantatum, ex vtraque parte fluminis lignum vitæ per singulos menses duodecim fructus afferens vt habetur. Apocal. vlt. dicit esse timorem Domini sanctum, qui permanet in sæculum sæculi. Hujus 12. fructus sunt virtutes quæ ex ipso crescunt, scilicet continentia, prudentia, iustitia, charitas, patientia, obedientia, spes, perseuerantia, paupertas, sobrietas, humilitas, & oratio siue contemplatio; diuidit Ecclesiam in tres ordines scilicet præsidentium, obedientium, & quiescentium, & singulis quatuor virtutes ex supradictis, assignat.

Corona sapientiæ timor Domini, replens pace & salutis dono. Sap.

Timere Deum nihil aliud est, quam nulla quę facienda sunt bona prætenire; sicut enim securitas est ad lapsum facilis, ita timor à lapsu protegit, cor seruans à noxijs sedula vigilantia

Timor filialis est quo quis timet offensam Dei, quia non vult separari à Deo, timor hominum tollit peccandi facultatem non voluntatem, solus timor Dei filialis, mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam seruat, & perpetuam tribuit fœlicitatem, tandem succedit timor reuerentiæ qui solus erit in patria, cum beati spiritus Dei infinitatem contemplantes, præ admiratione ac veneratione in suam paruitatem redeuntes, tremunt, & adorant. Hic est finis sine fine, & terminus quo gradatim ascendit timor Domini immaculatus, procedens à virtute fidei tanquam à trunco. Ibidem c. 5.

Timor filialis timet Deum offendere, aut ingratus esse.

Consummatum virtutibus virum Propheta describit dicens Psalm. 1. sed in lege Domini voluntas eius, plures intra legem metus cohibet, paucos voluntas constituit in lege; beatus cujus in Dei lege non timor est, sed voluntas. D. Hilar in d. Ps. 1.

Quomodo dilexi legem tuam Domine. Psal. 118. Non dicit seruaui legem tuam, sed dilexi, quod majus est, differt enim longè obsequium à timoris officio, nec habet gratiam voluntatis, necessitatis operatio; nam coacta indigent merito plenæ gratiæ. D. Hilar. in d. Ps. mem. *Vide magnitudo voluntat. amor Dei integer, & veritas virtutis.*

Cum amore & reuerentia conjunctus timor, permanet in sæculum sæculi, hoc donum timoris propria nos voluntate dispoliat, & efficit vt sentiamus non nostri juris, sed Dei proprios nos esse. Rusbroch. de tabernaculo fœderis, c. 31.

NIMIVS FVTVRI MALI *metus.*

SVnt quædam Narcotica remedia, quæ somnum prouocant, tolluntque doloris sensum Vt Mandragora, papauer; sed præcipuè Marogus in somnum adeò profundum inducit, vt non sentiantur vel grauissima tormenta quibus torquetur, nec ipsa mors. Paracelsf. tractatu S. Philosophiæ, in fine.

Est vitium oratoris nimium solliciti, & circa omnia momenta luctantis: suspectam enim facit iudici causam: fiduciam igitur præ se ferat, semperque ita dicat, tanquam de sua causa optimè sentiat. Quint. Inst. orat. l. 5. c. 13. Tanta in oratione authoritas probationis locum obtinet, dubitare nobis non audentibus. Ib.

Sic apud Salustium Catilina suos milites exhortatur, his est maximum periculum, qui maximè timent, audacia pro muro habetur.

Meticulosi similes sunt cæcis timidis. *Vide maioritas magnit mal.*

Quint. declam. 8. loquens de medicina, quæ fere tota est in prognosticis mali futuri. Quo, inquit, vultis animo feram, quod ars, quantum dicitis, inuenta pro vita, si Dijs placet, authoritatem famamque captat, vt longe ventura suprema prospiciat, vt adesse fata denuntiet quæ nec timentur, & maxima scientiæ pars esse cœpit sanare non posse. (Iden dici potest de Astrologia) & addit vidimus frequenter ad vitam post conclamata suprema redeuntes, plerique conualuerunt negligentiæ bono, quosdam explicuit, quidquid alios fortè occideret.

Metus tam improbus est, vt multi rem quam metuunt, ipsimet anticipent, vt qui in naui tempestate periclitantur, non expectata subuersione nauis manum sibi prius inferunt.

Timidos, vt ægrotantes à bello exemit Machabæus. Timiditas est corruptio iudicij de rebus metuendis, sic qui nimias congregant diuitias sunt pusillanimes, nimium timentes aduersam fortunam.

Metus nimius insania est, sibi fingens & patiens malum quod verè non est: quod futurum est quotidianos metus mouet, plus inest mali expectando, quam patiendo; malum examinat & intelligendo auget quod ignorantia leuius effecisset. Non debemus imitari pueros qui si offenderint ad lapidem ejulantes circa illum jacent: exurgendum & aut de remediis, aut de patientia cogitandum.

Dicitur Gen. 3. in quacumque die comederis de ligno, morte morieris, id est fies mortalis, & quotidie mortem timens, expectabis. Theodor. in Gen. q. 37. Multi tuta timent.

Suffragia quæ applicantur alicui, tunc temporis quo non indiget illi non prosunt, non solum pro eo tempore, sed nec pro tempore sequenti, quia nec sic satisfactio præstita à justo, illi à Deo reseruatur in subsequentem necessitatem, ne detur aliquibus occasio peccandi, credentibus se liberos fore à pœna, si peccent Bonac. de suffragijs in fine. Sic in politia antiqua merita, non eximunt à pœna nouæ culpæ. Politici dum ambiunt, dum timent, dum cauent, ipsa sæpe sedulitate & cautione, non timenda prouocant, faciunt non toleranda.

Etiam boni fructus immaturi, sunt asperi; quales

A possunt esse mali citius quam par est, collecti per metum. Si nos aduersitas lædat longè positos, debiliores efficiet in ipso conflictu.

Qui obseruat ventum nunquam seminat, & qui considerat nubes, nunquam metit. Eccl. 11. Timidi capiuntur ante pugnam.

Quidam Pisander ita timidus erat, vt ne animam suam videret, timuerit, quæ & ipsum reliquit. Suidas in voce *Πείσανδρος*.

Erat vnum ex symbolis Pythagoræ, cor non edito. Id est animum curis & molestijs non esse conficiendum. Id in voce Pythagoras.

Apud Iudæos habiti sunt hæretici Hemero Baptistæ, qui quotidie seipsos ac sua etiam vestimenta abluere consueuerant Petrus Crinitus de honesta B disciplina l. 6. c. 6. *Vide veritas contrar. Rep.* superstitio, & vanus timor.

Nati tempore terræ motus aut tonitrui, sunt timidi, *vide potestas principij*, initij.

Orpheus furias esse dicit tres, ex quibus Tesiphone animam infestet ex corpore: Megæra lancinet ex odio, imaginarijque mali conflictatione formidolosa. Alecto perurat propter imaginarij mali boni cupiditatem Rodig. l. 10. c. 9.

Dolor est sensus nocumenti, seu læsionis, sic falsus mali metus, verum parit dolorem.

Multi ad fatum venere suum, dum fata timent.

Deus vetat nimiam sollicitudinem futuri, quia C supponit ingens desiderium rerum externarum, vilibus mentem subijcit, euocat à diuinis, videtur sic sollicitus male sentire de diuina prouidentia. Tost. Math. to. 3. f. 111.

Caïno datus est timor in pœnam peccati, vt de omnibus timeret, sicut Hebræis dabatur cum peccarent contra Deum: sic scribitur Deuter. 28. dabit Dominus tibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit vita tua quasi pendens ante te, timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ; manè dices, quis mihi det vesperum, & vespere quis mihi det mane propter cordis tui formidinem qua terreberis.

Tyranni sunt maximè meticulosi, & vt sues statim vt tenentur clamant, quia sentiunt se non capi proD pter vellera quæ non habent, sed tantum propter carnes, ita tyranni vndique timent structas in vitam suã insidias. Melius esset pati, quam exercere tyrannidem, quia qui patitur, vnum tantum timet, qui exercet, timet innumeros, etiam eos à quibus custoditur. Latent domi, vt feræ venatoribus cinctę in sua se cubilia recipiunt. Nec immerito timent, nã ciues se mutuo protegunt, ne cuiquã vis inferatur, at omnes conspirant in tyrannum, homicidis statuuntur pœnæ, tyrannicidis præmia. Iob. 15 de tyranno, sonitus terroris semper in auribus eius, cum pax sit, semper insidias suspicatur.

Mollis & animo perpauido fuit Artemon, duos namque seruulos semper apud se continere solitus E est, qui scutum æneum supra suum caput sublatum gestarent, ne quid desuper posset in eum excidere. Petrus Crinitus de honesta disciplina. l. 15. c. 11.

Prosagogidæ dicebantur impij quidam homines, quorum opera emissitia captabat Dionysius, quid quisque de tyranno, vel sentiret, vel loqueretur. Rodig. l. 22. c. 17. in fine.

Dionysius Siciliæ tyrannus Marsiam quendam ab ipso magna donatum potestate, ea tantum causa interemit, quod is per quietem jugulare se Dionysium existimarat. Ib. c. 20.

De timidis, periculum omne fugientibus. *Vide differentia contrarietatis*, mala.

Digitized by Google

A Ancer est animal pauidum, & auditu acerrimo, quod ipsa natura præscribit, vt quo timidiora animalia sunt, eo diligentiora ad custodiam habeantur, metus enim optimus custodiendi artifex, Olaus Mag.l.19.c.11.

Quid prodest mala timere & accrescere, præsens tempus metu futuri perdere stultum est; quidquid vereris, ô formidolose ne veniat, id euenisse vtique tibi propono, & quidquid illud est, tecum ipse metire, ac timorem tuum taxa, intelliges nec magnum, nec longum esse quod metuis, præuisa tela minus ferient, vt perniciosior est hostis fugientibus, sic aduersitas timidis; timens Deum, externa non timet. Laurent. Iustinian. tract. arbor vitæ, B cap. 3.

Metus est à marte debili afflicto per Saturnum.

De diffidentia & suspicione, *vide magnit. virtutis, Rep.*

Cain qui timenda non timuit, timet non timenda.

Hæc tyrannorum natura, diuitias rapere quas donent, timere quas dederint, ac ditatos calcare, ne calcitrent. Sanguinem sitit, quem timet, perituri argumentum est, in securis metus, in metuendis securitas.

Ob suspicionem malum quod times, non est proximo inferendum, vide quæ scripsi de iure naturali, lib. 2. lege 15. §. 4. De nimio metu compescendo, moralis C *Christian to. 2. p. 1. cap. 42. Præsentibus fruendum, sine nimia de futuris sollicitudine. Ibidem parte 2. c. 14.*

Nimius mali metus, malum ipsum trahit. *Vide potestas cognitionis,* vis imaginationis.

Fugit impius nemine persequente, Prouerb. 28. Mali quippe homines etiam vmbras timent, etiam amicos suspectos habent, hostes, seruos, conscios, ignaros; & ante supplicium extremum, jam sibi tormenta multiplicant, D. Chrysostom. hom. 25. in Math.

Quo sunt ægrotorũ magis infirma corpora, plus præsentiunt futuras tempestates, & ab astris afficiuntur, vnde dicuntur in se habere Ephemerides. D

Idem metus qui cogit fugere, fugientes moratur. Q. Curt.l.3.

Futuri mentes anxiæ, ante miserias miseræ, præsentium amittunt fruitionem.

Samaritæ peccauerunt occidendo filios Achab, timentes ne ab ipsis occiderentur, 4. Regum 10 debebant enim potius periculum subire, quam tot innocentium cædes perpetrare, Tostat. 4 Regum, fol. 108. Contrarium videtur asserere sed falso, *gloria concordantia*, publica priuatis præferenda.

Ob suspicionem mali, malum non est inferendum, *vide duratio contrarietas Rep* moræ, celeritas in vindicta.

Leo X. in Concilio Lateranensi prohibet præ- E dicatoribus prædicere ad certum tempus aduentum Antichristi, cum veritas dicat, non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ pater posuit in sua potestate.

Caue ne dum nimium times, inimico aperias nocendi modum, aut in quo maximè vel animos illi addas. Cardan. de arcanis prudentiæ, c. 26.

REPVGN. BONA,

Aduersa dissimulanda.

ORator aliquando probationes partitioni & propositioni præponet, nam est nonnunquam dura propositio, quam Iudex si prouidet, non aliter præformidat, quam qui ferrum medici, antequam curetur, aspexit. Quintil. Inst. orator. libro 4. c. 5.

Miser cum loqui non posset, tacere non poterat. Idem.

Nimia pedum obseruatio in oratione nocet. *Vide minoritas gloria.* Histriones & tragœdi imitantur vultus irati; vir bonus etiam commotus, vultu tamen, gestu, verbis irati abstinet, & compositus apparet.

Sapientes sua celant mala, ne gaudium & risum moueant hostibus, non oportet te conqueri, quia nescis an bonum, an malum futurum sit, pusillanimis est qui in gymnico certamine prostratus multum conuiciatur, sic congredimur cum fortuna.

Nisi Ioseph dissimulasset seruitutem suam patri, ab eo redemptus, non habuisset occasionem obtinendi dominationem Ægypti, & familiæ suæ auxilium præstandi.

Quæ hominis sensum in tormentis auferunt præter stupefacientia, sunt veluti succus appij, chelidoniæ, crocus, fuligo, medulla & pinguedo humana, & hæc arterijs illita, vt etiam oleum lacertarum ebibitum quoque vinum in quo octo diebus infusum fuerit semen portulacæ marinę, prohibet ne tortus confiteatur, Cardan. l. de rerum varietate c. 44.

Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, Psalm 37. Ne me ad vindictam, alios ad nouas injurias prouocem.

Nunquam determinate Deus reuelat alicui viuenti quod debeat damnari, post hanc vitam, ne videatur obstare libero arbitrio, & contritioni semper in hac vita possibili; ne etiam hac facta denuntiatione homo labatur in desperationem. Vnde Deus præcepit annuntiet verba sua populis, si fortè intelligant & conuertantur, Ezech. 3. sciebat Deus non esse conuertendos, id tamen non præcipit denuntiari, Tost Iosue to. 1. f. 140. *Vide cognitio minoritatis, Rep.*

In Principe & Duce magnæ constantiæ est, aduersis nuntijs non commoueri, & animi affectum subitumque motum vultu non prodere juxta illud Virgilij. Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Cauendum vt cum omnia minima sint ab initio, ne perturbatione aliqua majora fiant, quin imo melius est aliquando cedere, aut dissimulare, aut diluere. Hoc solo præcepto maxima pars infortuniorum & contentionum exitialium dirimitur, vt contemptu omnia, Cardan. de arcanis prudentiæ, capite 26.

Quædam cedendo vincunt, *vide gloria minoritatis.*

PRÆSENTIS MALI QVErela, dolor, lachrymæ.

VIde *gloria virtutis, Repugn.* amoris læsi dolores, *& gloria concordantia, dura rei amata priuatio.*

Talis est amantium & indignantium ardor, vt si homines absint, saxa potius ipsa suis questibus oneret, quam silentium custodiat.

Lachryma est indicium inoptatæ rei. Lachrymæ pignora sunt nolentium, & repugnantis animi vultus index. Lachrymæ coacti doloris intra præcordia, & intolerabilis silentij eruptio, sic ille qui super cinerem deflet patrimonium, odit incendium, sic qui naufragium deflet, maria detestatur, fletus humanarum necessitatum verecunda execratio est, Seneca l. 8 contr 6.

Clamor & gemitus sunt signa natura dolentis & auxilia postulantis, vide quæ scripsi de iure natur, l. 2. lege 17. §. 2. & 3.

LATENS INIVRIA deterior.

VAna gloria spirituales tanto grauius lædit, quanto occultius irrepit, *vide voluntas gloria.*

In igne duplex est vis, vstiua & illustratiua; Deus diuidit vires illas in damnatis, itaut patiantur obscurum ignem, secundum illud Psal. 28. Vox Domini intercidentis flammam ignis. D. Basil. in d. Psal. 28.

Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum, Psal. 33. Dolus est maleficium occultum, proximo oblatum sub prætextu rei melioris, Id in d. Ps. 33.

Vide veritas bonitatis, Rep. lædere sub specie beneficij.

Fera animalia pleraque prædantur de nocte, aut quia non ferunt solem, & timent incursum aliorum, vt noctuæ, bubo, &c aut quia timent hominem, in locis habitatis.

Fulmen interdum hominem occidit, nullo exterioris plagæ indicio.

Orator quod refutat dictum aduersarij, non referet cum sua confirmatione, Quintil. Inst. orator. l. 3. c. 13.

Aiunt Accium interrogatum cur causas non ageret; cum apud eum in tragœdijs tanta vis esset optimè respondendi, optimè hanc reddidisse rationem, quod illic ea dicerentur quæ ipse vellet, in foro essent dicturi aduersarij, quæ minimè vellet. Ibid.

Veteribus moris fuit eloquentiam dissimulare, quo minus suspectæ aduocatorum insidiæ forent, majorque dicentibus fides haberetur, Ibid. l. 12. cap. 9.

Principes hoc habent mali, vt plures ex inimicis suis, nisi postquam nocuerint, nesciunt, & tunc omnibus patent insidijs, quoties eos odit inferior. Id. declam. 11.

Qui ea quibus ego capiar, & agit & apparat, is mecum bellum gerit, etiamsi nondum telis vel arcu vtatur. Demosthenes.

Voluptas dupliciter auersanda, & quod nocet, & quod fallit.

A Magia maximè prohibetur, quia nocet occultè & insensibiliter.

Dæmon, mala quæ facit hominibus, imputat astris. *Vide contrarietas virtutis*, dæmonum tentatio.

Deus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Iob. 34. magis nocet malus princeps, simulans probitatem.

Febres acutæ non sunt contagiosæ, quia quod exhalat, minus habet putredinis; leues autem apparent contagiosi morbi, præcipuè febres contagiosæ, quia profunda fit putrefactio, in qua multum humidi euaporat quod lentorem inducit. Fracastor de contagione l. 1. c. 10. in quibus autem acumen & ardor multus sentitur, in ijs superficiales magis particulæ euaporant calidæ & siccæ, propter quod nec contagiosæ sunt. Ib.

B Custodes vinearum peccant, si se abscondant, vt liberius viatores vineam ingrediantur, & deprehensi subijciantur pœnæ. Bonacina, de peccatis q. 4.

Durum est iniquitatem pati, sed multo durius, cum per æquitatis speciem, & sacrum legis nomen nos inuadit, transit hoc mortalium forum, & nos in aliud euocat, in quo res discutiuntur à supremo iudice, quem nec vlla vis cogit, nec fauor allicit.

Vinum, amor, tyrannus, latenter inira voluptate se insinuant, tum postea imperium exercent, sequamque dominationem.

C Latrones, insidiatores viarum, & qui proditoriè hominem occiderunt, non gaudent immunitate Ecclesiarum, ex constitutione Greg. 14. quam refert Bonac. de immunitate Ecclesiarum.

Anaxilaus dicit arborem Asbesto circundatam, surdis, & qui non exaudiantur ictibus, cædi.

In Insula Coo sacerdos Herculis, sacra faciebat indutus veste muliebri. Plutarc. in quæst. Græcor. bellica fortitudo latens.

Nihil formidabilius est, quam homo bilinguis, nihil terribilius quam hostis familiaris. Æneas Syluius.

D Triticum sic aliquando rubigine deletur, vt quanquam spica exinanita sit, visu tamen percipi minimè possit. Theophrast. histor. plantar. l. 8. c. 10.

Majorum arborum vmbra debilioribus non tam nocet, quam radix rapit enim alimentum suo amplo discursu, implexuque enecat. Id. de causis plant. l. 3. c. 15.

Quædam aquæ mortiferæ sunt, nec odore notabiles nec sapore. In Arcadia Styx appellata ab incolis aduenas fallit, quia non facie, non odore suspecta est, qualia sunt magnorum artificum venena, quæ deprehendi nisi morte non possunt. Hæc aqua summa celeritate corrumpit; quia protinus hausta duratur, nec aliter quam gypsum sub humore constringitur & alligat viscera. Seneca libro 3. natur. quæst.

E Inimicitia quæ diu latuit, dum incipit exalare est mortifera. *Vide minoritas cognit.* mala.

Vapor fulmineus cum est subtilis, animalis interiora penetrat, illudque occidit, nullo exterius relicto vulnere. Albertus Magnus, met. lib. 3. trac. 3. c. 22.

Detractio est occulta & injusta denigratio seu læsio famæ alienæ, *vide contrarietas gloria*, honori.

Iracundus facilius vitari potest, quam taciturnus hostis.

Digitized by Google

Harmodius & Aristogiton Athenienses, tyrannos agressi occiderunt, cum gladios myrti ramis inuoluissent? Suidas in voce Harmodius.

In Mileto fons est cujus aquæ superiores sunt dulcissimæ, inferiores salsæ, Georg. agricola l. 1. de his quæ fluunt ex terra.

Fons emanans ex antro quod propè Corycium est, in Cilicia amaras effundit aquas quanquam puras & claras. Ib.

Corruptio cerebri fit à pituita & bile, qui à pituita insaniunt, quieti sunt & non vociferantur, neque tumultuantur; qui verò à bile percussores sunt, & malefici nec quieti, Hyppocrat. epistola 19.

Gyges annuli sui pala ad palmã manus conuersa fiebat inuisibilis, sic Regis vxorem stuprauit, Regem occidit, regnũ obtinuit. Perseus quoque ad Gorgonas profecturus ab Mineruа clypeum accepit vitreum, per quem videre nec videri posset. Rodigin. libro 1. capite 11. *Vide cognitio voluntat. Repugn* secretum.

Multis simulationum inuolucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur vniuscujusque natura, frons, oculi, vultus persæpè mentiuntur, oratio verò sæpissimè. Cicero ep. ad Quintum fratrem, habent plerique, hominum effigies, ferarum animos, inquit Seneca.

Vbi filios Saturno immolabant in statuæ ambitu incinentium tibijs & tympana pulsantium modulis opplebantur omnia, ne qua exaudiri vox posset, Rodig. l. 13. c. 5.

Ibid. l. 17. c. 11. refert cornicem albicantibus pennis juxta Rhodiginum visam prænuntiasse imminentia Italiæ mala, tunc grauius lædunt mali cum innocentiam simulant.

Canes timidi vehementius latrant, generosi minus, alta flumina minimo sono labuntur.

Dionysius Siciliæ tyrannus cum Dei statua induta esset aureo panno magni valoris, eum detraxit, quasi nimis ponderosum, ac hyeme frigidum, illamque laneo induit, asserens hunc omnibus anni temporibus commodiorem.

Boni duces, inquit Vegetius, non aperto prælio, in quo est commune periculum, sed occulto semper attentant, vt integris suis quantum possunt hostes interimant, aut terreant.

Grauius est illicitas nuptias contrahere, quam palam, l. vlt. ff. de ritu nuptiar. laudantur quædam facta palam, vt in acie patratæ cædes, quæ clam commissa capite puniuntur. Senec. ep. 15.

Dæmonem mutum eijcere reputabant maximum miraculum apud Iudæos, Tostat. Math. to. 4. f. 171. c. 4. g.

Detractio est occulta famæ alterius læsio, maledictio est publica, Idem exod. tom. 1. fol. 241. c. 3. f.

Errores introducti sunt à principio nemine aduertente Id. Math. to. 4. f. 57.

Qui mendacia sua vult reddere probabilia, non omnia simul exponit, sed vnum pluribus veritatibus conjungit, vt ex eis fucum veritatis trahat, Idem Gen. 373.

Septentrionales sic vrsos venantur dum æstate fructus arborum velut racemos auidè comedunt. Venator statuam hominis disponit, tum ipse lata sagitta ferit bestiam, rupe absconsus, vrsus ex læsione furens discerpit statuam & alteri vulneri præbet locum. Olaus Magnus rerum Septentr. l. 18. c. 25.

Vulpes, vrsi, lupi, corui, sunt albi in Septentrionalibus regionibus, sic latent, & occultè prædantur colore niuibus similes, Ibidem cap. 38.

A

Luna sub radijs Solis, significat magna detrimenta, calamitates, insidias inferentem alijs, ac sibi quæ parentur. Cardan. aphoris. sect. 4. aphoris. 7.

Ridet interim furtiua mors, quæ dulces inter musicæ modos inauditum securius explicat pedem, & læta meditantes letho præuenit.

Certum est à syderibus pro majori parte morbos in homines immitti, non tamen ita repentè, vt statim percipiantur verberum instar, aut vt ex pauore morbus acutus, at lentè successuque temporis præter omnem perceptionem accumulantur tamdiu, donec stillatim, vt oleum in aquam cadens, eam impinguescit. Paracelsus, lib. de cœlesti medicina.

B

Aqua fortis mentitur phlegmatis speciem.

Dum dormirent homines inimicus homo superseminauit zizania, Math. 13. Id certè moris est apud hæreticos, vt obumbrent seipsos, atque occulrent in principijs quousque majorem fiduciam capiant, & quodam fauore multitudinis juuentur. D. Chrysost. hom. 47. in Math.

Math. 18. refert Euangelista multos lunaticos à Christo sanatos, sic eos ex consuetudine nominans, vt enim elemento illi ac luminari dæmones detrahant, secundum lunares cursus aggrediuntur, & remittunt homines, Ib. hom. 58.

Venenum non desinit esse, aromate saturatum, & intrat penitus comite grati odoris, & ipsa aromata contagio sunt obnoxia: Arsenicum, Napellusue, ambari griseo maritata non cessant nocere, sic hæretici grassantur sub probitatis larua. *Vide veritas virtutis, Repug.* insidiosa virtus hæreticorum.

C

Impugnamur ab hostibus visibilibus & inuisibilibus.

Atrociores sunt nocturni quam diurni fures, nec enim multum absunt à proditoribus, vnde deprehensi possunt occidi, diurni autem non aliter quam si se telo defendant, lege quarto, ff. ad l. Aquil.

Nulla pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris & domesticus inimicus; hic est ignis in gremio, serpens in sinu, hæc est vxor hominis litigiosa, pessima caro nostra, &c. Petrus Blesens. ep. 11.

D

Licet in modum stagni fusum æquor arrideat: licet vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur, magnos hic campus montes habet, intus inclusum est periculum, intus est hostis, tranquillitas ista, tempestas est. D. Hieron ad Heliod.

VENENVM.

HOmo ad interfectionem proximi, serpentum se armat venenis, & quod non habet natura virus, acquirit pertinacia, comparat pœcunia; sic homines ipsi quodammodo serpentes sunt. Rupert. in Gen. l. 3. c. 20. in fine.

E

Fabricio duce belli aduersus Pyrrhum designato, cum è regione castra haberent exercitus, quidam noctu per occasionem eum adijt se veneno Pyrrhum necaturum pollicens, si pœcunia daretur, quem Fabricius ob id facinus perosus vinctum Pyrrho remisit. Suidas in voce ἀπηνῶς.

Insusta fuit labes suspicionis Liuiæ, ficus adhuc in arbore propendentes veneno ab ea fuisse litas, c

soleret Augustus, ficus manu propria præcerpere, ex Dione. Rodig.l 18.c 9.

Scythæ, Indi, Arabes sagittarum aciem veneno inficiebant. Id.l.23.c.10.

Sub venenis latent magna remedia. *Vide gloria contrarietatis*, ex malis commodum percipere.

Hostes veneno prostrati. *Vide veritas gloria, Rep.*

Honestum est occultè beneficia conferre, quia tunc procul excluso spe laudis & paria recipiendi, vnicum accipientis commodum intenditur; at injurias clam inferre turpissimum est, cum id arguat impotentiam paribus armis certare non valentem; metum, fugam, vilem animum, qui nec iram, nec hostem fortiter possit superare. Latentis autem injuriæ pessimum mali genus est venenum, quod omnes execrantur, velut scorpiones, viperas, pestiferos halitus terræ, sub quibus indistinctè cadit prudentia, fortitudo, cæterique præstantiores habitus ad humanæ vitæ præsidium cœlo dati. Iniquissimum est debilia sic fortioribus prævalere, & contra naturæ legem læsos, sic ligari, sic momento percuti, vt vim illatam nec præuidere, nec repellere concedatur. Quæ fronti fides? humaniter latens hostis conuersatur, periturum, vt amicum excipit festiuo conuiuio, & toxico potui vel escis gratioribus insidiosè permixto, fallit visus, gustus, odoratus, fidas à natura positas excubias, vt mortiferæ qualitati liber detur aditus in præcordia. Solet autem venenum sic temperari, vt sensim sine sensu spiritus, vitalesque partes inficiat, carpat, absumat, alterius mali mentito symptomate, ne sit remedio vel suspicioni locus. Horrenda pernicies quæ sensibus, medicinæ, iustitiæ serpens illudit, vix aliter quam ex cadaueris dissectione percipi facilis. Hinc quæ suspicionem non mouit, suspectos nobis efficit omnes cum quibus nobis negotium est, vnum necans, omnibus metum incutit, pendet enim è domesticorum fide venali potentioris cujusque vita, sic nulla nec foris, nec domi securitas; nisi malum hoc leges seuerius vindicent. *Ex principiis.*

Cum venena sint vt plurimum visu, odore, sapore horribilia, vt ab his abstineamus, quædam tamen talibus carent indicijs, vt inter simplicia Colchicum Ephemerum, de quo Dioscorides, l.4.c.89. id enim saporis suauitate mirum in modum imperitos allicit. Cardanus dicit Aconitum esse gustu dulce.

Maximum malorum est ea agere non cautissimè, quibus detectis, fias inuisus omnibus & inutilis, itaut viuere pigeat, talia sunt scelera metum significantia, vt venenum propinare. Card. de arcanis prudentiæ, c.26. in fine.

VENEFICIVM.

De veneficijs Cicero pro Cluentio, & Cœlio.

Gregor. Turonensis l.9. hist. c.37. refert de Droctigisilo, Episcopo Suessionensi, qui ab Archidiacono, quem dignitate priuauerat tali maleficio affectus fuerit, vt cum in vrbe esset, insaniret, extra melius haberet.

Cardan. l. de rerum variet. cap. 79. Refert plura exempla quorundam maleficorum qui Cassali, Mediolani, genuæ, vnguento malefico, quo portarum

A vestes, etiam ciuium vestes vngebant, & sic peste inficiebant, deprehensi, grauissimis supplicijs sunt affecti.

Rectè magia vti prohibemur, quia Magorum ministri, Angeli sunt refugæ, & spiritus maligni, & dæmonia immunda; nullus enim sanctorum spirituum obtemperat mago, non potest inuocare magus Michaëlem, Raphaëlem, Iesum Christum, & Sanctum spiritum. Origen. hom. 13. super num. Nos soli habemus potestatem inuocandi Deum, & qui hanc habent potestatem, non possunt iterum dæmones inuocare, & qui sancti Spiritus particeps factus est, ad immundos vltra spiritus accedere non debet. Ib.

B Excitatis imaginibus infligunt magi vulnera, vt exemplaria pereant, & lateat manus quæ intulit injuriam. *Vide medium cognitionis.* Imagines magicæ.

Improbitate desperata ferrum per propria sua viscera transmittit, vt perueniat in hostem, qui tentat illi per veneficia nocere. Occidit enim animam suam, qui hanc à Deo transfugam addicit dæmoni, qui jam facta rei tam prætiosæ jactura de altero vindictam mille modis fallente dæmone Deo protegente v[illegible]dam, paciscitur. Et si res ex votis succederet quæ potest superesse voluptas ei qui se sentit alienum à Deo, extorrem à cœlo, à dæmone prætario vitam habere omni momento reuocandam, & æternis torquendam ignibus; nusquam major in decipiendis hominibus, fallacia,

C dæmonum.

Qui veneficio damnum intulit frugibus vel animalibus, perpetuo carceri mancipatur, si mortem homini intulerit, traditur puniendus sæculari potestati. Gregor. XV. constit. 46. §. 2. Bull. p. 317. tom. 3.

PRODITIO.

Proditio regna Heroum labore parta subuertit, Vide *potestas minor.* minima ad nocendum valida, & *cognitio voluntas, R.* secretum.

D Regiminis potissima difficultas est in eo, quod vnus cum grauissimam negotiorum molem solus mouere non possit, pluribus indiget ministris quorum fidem variam incertamque plures efficiunt causæ, si sint sine speratis illustribus præmijs quæruntur indignabundi, & quidquid apud suos non inuenerint, ab externis obtinere tentant, quo plus congesseris, plura sitient, semel venalis, prætioque parata, vincetur prætio fides. Irritat illos collegarum æqualis, vel splendidior fortuna, volunt eminere, & quo via regia non ducit, obliqua perueniunt: Præclarum illis videtur magnum aliquid, & si non justum moliri; quod spes metusque præueniat, quod suspensi mirentur populi, quod sæculi prodigium sit, eius fortunæ relicto iudicio; sic occultas texunt in principem aut Rempublicam conjurationes, hostibus, stipulato prætio, consi-

E liorum aperiunt mysteria, tradunt arces munitissimas, vi bellica non expugnabiles; & quæ sæculorum omnium experimentis, instructa ciuilis prudentia, perfidos illos omnes ministrorum motus præuidere potest futuros, & ex improuiso sæuientibus opportunè mederi? Horrendum malitiæ genus, priuatum hominem Reipublicæ beneficio illustribus exornatum titulis, stipendijs ditatum, cui tanta debet, ingratum, & parricidam fieri? Pereat

inquit; patria, vastentur agri, ferro, fame, peste deleatur populus, dum res mea familiaris salua sit, & concidant rebus tranquillis me fœlicius vsuri. O detestanda ministrorum perfidia, belli tempestates excitant, vix longo bonorum ciuium & nobilium iactu sedandas. Sicne perit Respublica ijsdem quibus iuuari debuerat manibus prætio suo conductis? Quid iuuant tot prudentium consilio, tanto sanguinis prætio partæ victoriæ, si publicam fœlicitatem irritam efficit vnius infida mens, hostium empta stipendijs. Hæc est rerum maximarum sors vt minus externis, quam proprijs in se conuersis viribus

A corruant. Fortassis Respublica sibi primum non seruauit fidem cum indignos fauore non ex meritis ad dignitates euexit, vt merito videatur iniquitatis suæ pœnas luere, & his ex intemperantia sua, nascentibus morbis vexari. *Ex principijs.*

Etiam hostes proditione superare iniquum est. *Vide virtus medij*, vti justo medio, ex D. Hieron.

De proditione & perfidia, *vide veritas concordantie. Rep.*

Apud Turcas nunquam inuenies, qui arcem vel vrbem alienigeno hosti prodiderit.

VOLVNTAS CONTRARIETATIS.

VELLE ET OPTARE ADVERSA.

TRISTIVM, post crucem Domini, immutata est natura, vnde non dolemus, sed lætamur in morte justorum. *Vide gloria concordantiæ*, luctus in funeribus.

Myrica æstatis tempore arescit, in hyeme verò virescit & floret, helleborum album floret hyeme.

Plato eas tantum concedit venationes in quibus plurimum est industriæ aut fortitudinis, vnde honestius est leporem venari, quam vendere. Plutarch. l. de industria animalium.

De magnanimitate. Philo Iudæus.

Sicca, natura sua fugiunt humidum, nec admittunt poris constrictis, vt sunt lapides, crystallum: at quæ per accidens sicca sunt dum in naturam suam humido mixtam volunt restitui, humidum admittunt forma superstite & se restituente, sic calx. sic spongiæ, & terræ genera. Fracastor de sympathia. c. 10. Optent aduersa, hi quibus necessaria sunt, ad deperditæ humilitatis restitutionem.

Probitas & sapientia lenissimo cursu fluunt: animus grandis, est torrens agitatione magna, plausuque per horrentes scopulos, per ignes & ferrum, raptus. Stupens hunc miratur natura, euntem in tot sæua pericula, pœnè supra tonantem cœli portam. Vmbram fortitudinis in tot temerarijs gladiatoribus, etiam qui damnant, suspiciunt: bellica fortitudo operosa lectio, quæ non nisi per plagas & mortes edisceitur.

De militari virtute periculorum auida, *vide virtus contrarietatis.*

De amantibus qui seipsos adurunt, *vide gloria voluntatis, Repugnat*, Amoris dolores & vulnera.

Accipiter vbi nidificat, non exercet rapinam, facilia pertransit, & quærit ea in quibus major est victoriæ laus. Petrus Dam. l. 1 ep. 15. Mortales imitantur Israëlitas quibus manna, quia facile, fastidio erat, volunt implicari negotijs, litibus, quibus ipsa difficultas prætium facit.

Idem l. 6. ep. 27. de flagellatione voluntaria sic loquitur. Christus & Apostoli, sanctique martyres flagellati sunt à tortoribus, & hinc illis gloria; non

B est absurdum, si nunc sancta Ecclesia in pacis otio vtitur, quo dudum vtebatur in bello, quod fecit Apostolus, castigo, inquit corpus meum & in seruitutem redigo, 1. Cor. 9. cum sponte me proprijs manibus ante conspectum Dei verbero, deuotionis ingenue desiderium, si carnifex occurreret, promptus ostendo; & si adesset persecutor, ipse me verberarem, quia verberandum me vltroneus exhiberem, Rex martyrum Christus, non solum à Iuda, sed & à Patre, & à seipso traditus est; se sic ad eius imitationem cædere, hoc est in tympano laudare Deum. Psal. 150. Reis Ecclesia ad pœnitentiam indicit flagella; cur non liceat conscientiæ suæ iudicio, eandem sibi pœnam imponere, vsitata ab omni æuo fuit in Monasterijs, vnde & dicitur disciplina, quasi hac castigatione constet regularis disci-

C plina.

De eadem materia scribit opusc. 43. Reus, inquit, ipse in pectoris sui tribunalibus præsidens, trifarium tenet officium; in corde se constituit iudicem, reum in corpore, manibus se gaudet exhibere tortorem; huic spectaculo assistunt Angeli, qui gaudent de peccatore conuerso; hæc est hostia quæ viua mactatur, & permiscebitur illi sacrificio, quod pro omnibus oblatum est, gloriosum erit cum Christo & martyribus, non esse sine voluntarijs, splendidis in gloria vulneribus.

Cum Paulus Petrum objurgauit, fuit ministerium obedientiæ, non objurgatio disciplinæ, non temeritas inuectionis, sed vnanimis concordia voluntatis. Idem opusc. 46 cap. 6. & vlt. & opusc. 50. cap. 14 dicit esse purgatorij genus, & opusc. 51. di-

D cit nonnullos post culpam in extasi raptos ad iudicium, hanc exoluisse vindictam, hanc ergo pœnam Deus probat in voluntariè suscipientibus, cum illam exigat à nolentibus.

Vt exod 12. sanguine linitos postes, transit Angelus percussor.

Abbas Ioseph dicebat, aliquibus expedit intrare tentationes, & cum illis pugnando victores existere, quod perfectos tantum decet. V. Patrum, l. 5.

Licet Deus non delectetur in pœnis nostris, delectatur tamen in his, vt sunt justæ. D. Th. supplem.

q.15.a.1. patet exemplo Ninivitarum, Dauidis, Manassis, & aliorum.

Quædam plantæ non nisi in mari nascuntur, majores in mari rubro. Theophrast. hist. plantarum l.1.c.7 sicut animalia quædam. Idem de caus. plant. l.2.7.

Quamuis aër qui media constat temperie omnibus penè arboribus percommodus sit, sunt tamen quæ excessu lætantur aëris, & aliæ caloris auidæ sunt, vt palma; aliæ frigus potius adamant, vt hedera, pinus non enim proueniunt in locis feruidis. Id. de caus. plant l.2.c.4.

Christus corpus suum sumpsit in Eucharistia, sub speciebus panis & vini, vt ostenderet quod traditus est, quia ipse voluit. Card. de Richel.

Ludus est contractus quo ludentes res suas periculo exponunt, propter spem acquirendi rem alterius.

De voluntate martyrij *Vide duratio virtus*. martyrum constantia.

Magnes trahens ferrum, dicitur lapis Herculeus.

Olim in Creta Curetæ saltabant armati, numerosè gladios cum scutis collidentes. Rodig. libro 5. c.3.

Idem l. 11. c.15. refert hominem fuisse miræ salacitatis, qui ad sanguinem vsque gaudebat flagellari hinc ad venerem pronior effectus vnus mortalium inuentus, qui eodem impetu in supplicium ferretur ac delitias, quique inter tormenta sensuum titillationes ac æstuantem pruritum, vel expleret, vel incenderet.

Mancipiorum nostrorum vrbanitas in dominos contumeliosa delectat, quorum audacia ita demum sibi in conuiuijs jus facit, si cœpit à Domino, pueros quidem in hoc mercamur procaces, & eorum impudentiam acuunt, ac sub magistro habent qui proba meditate effundunt, nec has contumelias vocamus, sed argutias. Seneca l. in sapientem non cadere injuriam.

Iob acceptis tot funestibus nuntijs de bonorum suorum jactura, & filiorum morte, scidit vestimenta sua, sine mora ad ipsas se præparans plagas, ego in flagella paratus, cædite, tolerabo, &c. Origen. l.1. in Iob.

Iob vt extergeret saniem vulnerum suorum non accepit aliquid molle sed testam, quæ sua duritie dolores augeret, quasi ceteras plagas ad nihil reputans, & infirmitatem diabolo exprobrans. Idem l.2.

Optantur potius aduersa in hoc sæculo, quam puniri à Deo in alio. *Vide minoritas contrariet.* non castigari à Deo.

Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus. Rom.5.

Cogita quanta ea sint quæ nos futura expectamus, quam vel in ijs quæ molesta esse videntur animo attollamur. Tale est Dei donum cujus quidem particula nulla insuauis, alijs in rebus certamina laboriosa esse solent, pariuntque tum dolorem, tum afflictionem, corollæ autem ac præmia voluptatem afferunt, at hic expectationis & spei suauitas regit aduersitatis sensum, ipsæ etiam afflictiones, bona quædam res est, quod ad patientiam accingunt, atque exercent, scientes, inquit Apostolus, quod afflictio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio autem spem, spes vero non confundit, &c. D. Chrysostom. hom.9. in ep. ad Roman.

Hic jam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur 1. Cor. 4. hoc est ne sibi vsurpet quæ

A sunt Domini, nec sibi vindicet, sed administret tanquam dispensator. Quid enim habes quod non accepisti, non pecunias, non orationem, non ipsam animam, quando igitur opus fuerit & vocarit necessitas eum depone. Potest Deus à te vel inuito auferre, at non vult te inuito, vt etiam mercedem habeas; potest animam te inuito accipere, sed vult te volente, vt dicas cum Paulo, quotidie morior. Potest gloriam tuam te inuito auferre, & te reddere humilem & abjectum, sed vult à te volente vt habeas remunerationem, potest te etiam nolentem facere pauperem, sed vult te tua sponte fieri talem, vt tibi contexat coronas. D. Chrysost. hom.10. in 1. ad Cor.

B Quando mala patimur, lætemur, ea enim res est peccatorum exolutio; hujus vitæ tempus certamini dicatum est, cui respondebunt coronæ. Id. hom.4. in ep. ad Hebr.

Olim in primitiua Ecclesia effigiabant crucem, vna cum columba in summitate, quæ est symbolum Spiritus sancti, quo mouente suscepta est à Christo & sanctis. Baron. an.57.

Ecclesia nascente tantus erat pœnarum & suppliciorum ardor, vt ex dolore æstimaretur fœlicitas.

Hi quos sæua bilis acerrimè vrit suo sæpè impares incendio, nisi partem excutiant, indomitum ignem ferre non possunt, similes sunt Æthnæ & Vesuuio quibus diductus est vertex, vt liberior ignis extra custodiam suam minus noceat.

C Milites hanc vnam vitæ artem nouerunt, qua mors quæritur; ejusdem licet patriæ à diuersis principibus conducti in se mutuo pugnant.

Aqua marina si ponatur in vasis cereis, fit dulcis, quia cera totam salsuginem imbibit. Tost exo. to.1 f.44.c.1.2.

Horrentesque rubos, & amantes ardua dumos.
Virg.3. Georg.

Quando aliquid desideratur, quod solum est onus & non honor, non est peccatum. Tost. exo. tom.1. f. 211.c.2.e.

Ambitiosi ad honores per confragosa nituntur. *Vide voluntas maioritatis*, ambitio.

D Existentes in purgatorio voluntariè sustinent pœnas, sine quibus sciunt se non posse peruenire ad beatitudinem. Tostat. Math. tom. 7. fol. 241. vnde sponte vadunt animæ ad purgatorium. Ibid fo. 279.

Christus prædicit Apostolis, mala quæ ipsis ventura erant, vt ea volentes susciperent. *Vide cognitio contrariet.* præuisio mali.

Optantur aduersa, vt postea dulcior sit tranquillitas. *Vide virtus contrariet.* aduersitas exercitationis causa.

Vituli marini adeo sunt animosi, vt audito tonitru, visoque fulmine ac coruscatione gaudentes ascendant planos monticulos, sicuti ranæ exultant accessu pluuiarum. Olaus Magn. rer. Septentr. l. 20. c.6.

E S. Basilius optabat martyrium. *Vide voluntas durat. Rep.* fortis vitæ contemptus, *& voluntas finis*, mortem optare.

Planetæ superiores retrogradi faciunt pertinaces, si locus Lunæ & ascendens sit Capricornus & Aquarius, tresque superiores retrogradi, facient nunquam à contentionibus explicitum, cum difficultate maxima, negotia ad finem perducentem, tandem desperantem. Card. l. de iudicijs geniturarum, c.28.

Audacia est à Marte bene posito.

Si mali quotidianis laboribus & cruciatibus, cruciatum

ciatum merentur æternum, quanto magis boni, hic & in æternitate profutura pati debent.

Venationis labor cedit in delectationem sapienti, & hinc multa discit ad morum disciplinam. Vide quæ scripsi moral. Christ to 2. parte 2. c 8. Aduersa an sint optanda. Ib. to. 4. parte 2. c 6. pœnitentiæ voluntariæ sunt meritoriæ, l de misericordia Dei, p. 2. c. 21. ei qui ad Deum conuertitur non sunt timendæ, sed fortiter optandæ religiosæ austeritates, l. de institutione religiosi, parte 1 c 15.

De voluntaria pœna, libello de amore Dei patiente, c. 13.

Stomachus gaudet acido quod cæteris partibus est hostile. *Vide medium durat. locus.*

Petrus Alexandrinus, in suis canonibus qui habentur to 1. Conc. sub finem, probat eorum feruorem qui videntes multos in tormentis deficere, alios fortiter tolerantes, prosiliunt ad confessionem fidei honesta æmulatione prouocati, ne se de lapsis efferat aduersarius.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta, Psal. 2. Significat impatientem & præproperum ardorem spiritus in apprehendenda auidè disciplina, sic delectatur Dominus raptore regni cælorũ, sic B. Paulus currit non segniter vt apprehendat; Sequor autem, inquit, vt apprehendam, in quo & apprehensus sum. Deus apprehendit naturam nostram factus ipse quod sumus, sic apprehendenda disciplina & inuadenda est quodam amplexu & vinculo corporali, ne elabatur aut excidat. D. Hil. in Ps. 2.

Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine, secundum verbum tuum, bonitatem & disciplinam doce me, quia mandatis tui credidi priusquam humiliarer ego deliqui, &c. Gratias agit, non de prosperis, sed de aduersis Meminit piam esse parentum in filios seueritatem, indulgentem esse medicum putridis vlcerum finibus non parcentem. Ideo orat disciplinam doce me. Id. in Ps. 118 Theth. Nam disciplina est seueritatis officium, peccata arguentis, & vitia corrigentis. Ib.

Ezech. 1. animalia vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum ambularent.

Seneca l. 1. contro. 10. 8. lex erat, qui ter fortiter fecerit militia vacet; tentat pater ter fortem filium retinere, volentem ad bellum procedere, abdicat dicit filius. Ille in nos dominatur affectus, qui animum primus intrauit, non sum mei iuris, cum ille prælij clamor exortus est, inuadere hostem libet, &c. otium imperas animo non otioso, pugnabo & abdicatus, nec verebor ne vilis sit opera mea Reipublicæ.

Vide voluntas minoritatis, renuntiare beneficio pro se introducto.

NON OPTARE ADVERSA, sed tolerare.

PLato in Alcibiade 2. in fine, dicit magnanimitatem pulcherrimum habere nomen, inter imprudentiæ nomina, contra flagellantium sectam. Gerson. tom. 1.

Quidam regnorum administri bella concupiscunt, & res amant turbulentas è quibus & clarius sibi imperium, & numerosiores pœcunias, & hærentem altius ipsa necessitate ministerij authoritatem sperent.

Mala vota sunt optare habere quem oderis, vel

A quem timeas, vt possit esse quem vincas D. Aug l. 4. de ciu. c. 15.

Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Psal. 36. Quoniam genus humanum procliue est ad zelotypiam, obserua ne id agas quod malos homines in æmulationem tui irritet, & ad insidiandum tibi concitet, vel ad odium tui concitet, aliena igitur malitia non est nec prouocanda, nec imitanda. Origen. hom 1. in Psal. 36. Ideo virtus est abscondenda ne prouocet inuidiam alienam. *Vide cognitio virtut. Rep* & acceptæ à potentioribus injuriæ sunt dissimulandæ, *vide cognitio contrarietat. Rep.* aduersa dissimulanda, *& cognitio minorit. Rep.*

B Tres pueri non insilierunt in fornacem, sed Christi præceptum multis ante sæculis seruabant, dicentis: Orate ne intretis in tentationem. D. Chrysost hom. 18. in 1. ad Cor.

Ib. hom. 26. non probat eius Philosophi factum qui contumacem duxerat vxorem, vt haberet quotidianum domi Philosophiæ exercitium. Suadeo, inquit, vt vxorem omni virtute plenam seligant; si contingat eos aberrasse, æmulentur Philosophi constantiam, res componere, nihil obijcere.

Idem hom 4. in 2. Thess. In majori, inquit, fidelium multitudine, major est Episcopi sollicitudo, majus ex ignoratione periculum hoc tamen labore delector, & rogo vt vos multiplicet Dominus, nam & patres, etsi numerosa soboles eos sæpè cruciet, C nullum tamen volunt amittere.

Si inducti fuerimus in tentationem fortiter feramus, in eam tamen nos non proijciamus, est enim audaciæ & temeritatis, ostentationis & superuacanea honoris appetitio. Igitur ne prouoces tentationes, si ex voto tibi procedat pietas, cur superuacanea attrahis pericula quæ lucri nihil afferunt, cum lex Christi jubeat nos orare ne intremus in tentationem Id. hom. 5 in ep ad Hebr.

Ob inanem virtutis vmbram absurdum videtur se torquere, vel quo aduersa ferre minus molestè quis possit, nunquam fortasse ventura. Hoc sapientes putant dementissimum animique & in se crudelis, & erga naturam ingratissimi, cui tanquam debere quicquam dedignetur, omnibus eius benefi-D cijs renuntiat. Thomas Morus in Vtopiæ Republica, l. 2.

Quod debemus orare, debemus desiderare, sed Dominus Math. 6. docet nos orare ne intremus in tentationem, ergo debemus desiderare, vt à nobis remoueatur; vt voluntas nostra debet diuinæ conformari, ita debet esse discordans à voluntate hostis, qui vult & petit nos tentare. Tentatio per se ordinata est ad hominis perditionem, ad salutem vero non ordinatur nisi per accidens, scilicet ex hoc quod vincitur per auxilium gratiæ diuinæ, & ideo tentari simpliciter non est appetendum, sed tentare & vincere simul acceptum appetendũ est, sed quia propter nostram fragilitatem victoria nimis dubia est, ideo tentatio securius fugitur, quam quæritur.
E D. Th. in l. 2. sent. d. 21. a. 3.

Christus nos docens orare, sic concludit orationem, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.

Conc. Eliberitin. ca 60. a. c. 305. sic statuit, si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus; quatenus in Euangelio scriptum non est, neque inuenitur sub Apostolis vnquam factum, placuit in numero eum non recipi martyrum.

Google

VIRTVS CONTRARIETATIS.

VIRTVS IN ADVERSITATE PVRGATIONIS CAVSA.

MONACHVS ex destinato pulsatur calumnia, vt liberetur ab obscœnis cogitationibus. *Vide minor. veritatis,* bona.

Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum, post hæc vocaberis ciuitas iusti, &c. Isa. 1.

Vt Iudic. 3. Aod, vtraque manu vtebatur pro dextera, sic in spiritualibus ambidexter est, qui dextra, sinistraue, id est prospera & aduersa, facit sibi arma iustitiæ. Cassian. collat. sexta, capite 10.

Virga directionis, virga regni tui. Ps. 44.

Da nobis auxilium de tribulatione. Psalm. 59. Nam quando infirmor, inquit Apostolus, tunc fortior, & tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Amaris liquoribus abluuntur immunditiæ.

Somnus est ligamentum virtutum sensibilium, & motiuarum cum augmento & confortatione earum. *Vide bonitas gloria*; Deus retrahit nos ab actione in bonum nostrum.

Tolluntur diuitiæ & cætera fortunæ bona, quæ solent esse vitiorum incitamenta, *vide duratio virtutis* in consolatione paupertatis.

Christus tenet manum socrus Simonis, & dimittit illam febris. Math. 8. continet opera, & æstuans sanatur cupiditas, ex Chrysolog. sermone 18.

Discipuli non nisi orta tempestate suscitant dormientem Iesum in naui. Math. 8. In fœlicium cordibus Christus dormit, non agit, orta tempestate ad eum recurritur.

Vbinam deserta gens, quæ prius Deum non deseruit, percurrantur historiæ, numerentur ætates, inueniemus non prius bellis laborasse populos, quam criminibus. Sic Iudæi à Deo auersi, bellis & seruitute ad officium suum sunt reuocati, non defuerunt vltores, vbi non defuerunt crimina. Miramur Turcicum imperium quod ipsi fecimus, libet exclamare cum Saluiano, lib. 7. de gubern. Dei. Miramur, si miseri, qui tam impuri sumus; si bona nostra possident, qui mala nostra execrantur, nil est in nos crudelius nobis, quibus ipsa pœna criminum, fit mater vitiorum, *vide supra bonitas contrar.* vtilis aduersitas.

Ægrotanti Monacho alius consolationis causa dicebat, summa religio est, si in infirmitate Deo agas gratias, si ferrum es, per ignem æruginem amittis, si vero aurum, per ignem probatus à magnis ad majora procedis.

Bis quisque non iudicatur à Domino, parcit in futuro, qui castigat in præsenti. Non iudicat Dominus bis in idipsum. Nahum. 1. Metallum malleus tundit, vt scoriam eijciat, lima tradit, vt magis fulgeat, hinc dicitur Iacob 1. omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, fœlix commercium hic breuissimo tempore quædam pati, vt in æternum glorieris; suos Deus secat, vt sanet, deprimit, vt eleuet; arbores & vites fœcundæ putantur, sterilibus, rami omnes relinquuntur, erit tempus cum absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum. Apoc. 7. & 21. Petrus Dam. l. 8. ep. 6.

Optandum vt talis vnusquisque sit, qualem se futurum vouit, cum esset in periculo carceris, naufragij, hostium.

Mundas habere debet manus, qui aduersarios habet.

Ex asbeto lapide fit tela textilis, quæ vbi maculas contraxit, in ignem immissa purgatur, sicut aliæ in aqua.

Quæ dicitur ira Dei, est necessaria dispensatio. Audi quod sit opus iræ Dei, vt arguat, vt corrigat, vt emendet. Domine ne ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me, Ps. 6. qui hæc loquitur scit furorem Dei non esse inutilem ad sanitatem, sed ad hoc adhiberi, vt curet ægrotantes, vt emendet eos, qui sermonem eius audire contempserunt, quasi seruus inter verbera promittit se imperata facturum. Orig. hom. 1. in Ezech.

Luc. 3. Dominus Iesus dicitur habere ventilabrum in manu sua, absque vento triticum non potest à paleis separari. Tentationes pro vento debent intelligi, quæ confuso credentium aceruo, alios paleas, alios triticum esse demonstrant; si te tentatio superat, palea eras, sed talis non apparebas. Id. hom. 26. in Lucam.

Ex aduersis licet luctum multiplex reportare, vt habeamus plurima Philosophiæ argumenta, vt simus temperantes, compositi, sedati, in afflictionum schola eruditi, vt apti efficiamur ad futurorum bonorum perceptionem, sanctos Martyres imitati. D. Chrysost. hom. 10. ad Rom.

Afflictio fastum amputat, segnitiem omnem exscindit, atque ad patientiam instruit, ac velut inungit. Rerum humanarum vanitatem detegit, atq; agentem Philosophiam inducit, omnes turbulenti animorum motus ipsi cedunt, inuidia, æmulatio, libido, arrogantia, fastus, ira, amor corporum, & cætera animi mala, quod auro ignis, hoc animis est afflictio, &c. Idem homil. 26. in 2. ad Cor.

Succinum succus est abietis aut pini, qui expurgatus non splendet, nisi in mare lapsus, & diuturnis agitatus procellis tandem in littora Septentrionalia proijciatur. Olaus Magnus rerum Septen. cap. 20.

Digitized by Google

Sæpè etiam steriles incendere profuit agros
Atque leuem stipulam crepitantibus vrere flammis.
Siue inde occultas vires, & pabula terræ
Pinguia concipiunt, siue illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor
Seu plures calor ille vias & cæca relaxat
Spiramenta nouas veniat qua succus in herbas
Seu durat magis, & venas adstringit hiantes,
Ne tenues pluuiæ, rapidiue potentia solis
Acrior, aut boreæ penetrabile frigus adurat.
Virg. 1. Georg.

A

In igne ferrum & cætera metalla scoriam amittunt.

B

Vide bonitas minoritatis.

Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem non ad pœnam: clamantem sub aspero remedio ægrum, medicus non audit ad voluntatem, sed ad salutem. Laur. Iust. de patientia c. 2.

Donis suis Deus flagella permiscet, vt omne quod nos in hoc sæculo delectabat, amarescat, & illud incendium surgat in animo, quod nos semper ad cæleste desiderium inquietet, & excitet quod, vt ita dicam, delectabiliter mordeat, suauiter cruciet, humiliter contristet; exhibeamus igitur nos, sicut Dei ministros in multa patientia. Ib. *Vide media bonitas, media gloria.*

Ibid. cap. 3. refert has tribulationis vtilitates. 1. illuminat, vnde dicitur. Ierem. Thr. 3. Ego vir videns paupertatem meam, & Tobiæ, fel piscis restituit visum. 2. emollit cor impressas in eo imagines delens, sicut cum cera igni apponitur, aut cum ferrum plurimum ignitum, malleo tunditur 3. mentem amplificat, vt flatus ignem, & sic euolat in altum. 4. mundi amaritudines efficiunt, vt cælestis dulcedo desideretur. 5. homines quales sint probat, vt infra dicitur. Quod flagellum grano, quod lima ferro, quod fornax auro, hoc agit tribulatio homini justo.

C

Optimæ tribulationes quæ glorificant creatorem, compellunt ad Deum accedere nolentem, erudiunt ignorantem, custodiunt virtutes, protegunt infirmantem, excitant torpentem, humiliant superbientem, purgant pœnitentem; cum Deo sociant laborantem; debilitant impugnantem, coronant innocentem, majori tribulationi, respondebit major gloria. Id. lb. in fine.

D

Sæpè contraria dum impugnant perficiunt. Vide quæ scripsi de iure natur. l. 2. lege 13. &

Quare viris bonis non semper prospera, sed sæpius aduersa eueniant Theol. natur. to 3 parte 2 c 21. 22.

Aduersa quædam nobis eueniunt, vt peccata, vel præpediant, vel expient, mor. Christ. to. 4. parte 2. c. 3. & l. de misericordia Dei, parte 2. c. 6.

Trituratur terra & vomere scinditur vt germinet, putantur arbores ad majorem fœcunditatem, sic ad lucrum boni à malis opprimuntur. Laur. Iustin.

O quam salubre animæ medicamentum est, inopia rerum temporalium, cum patientia. Ib.

E

Ecclesia vexatur & militat, vt singulis sit in exemplum. *Vide contrarietas veris* Ecclesia militans.

Priusquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum custodiui. Ps. 118.

VIRTVS IN ADVERSITATE *probationis & exercitationis causa.*

Periculosa otiosæ fidei pax est, & faciles securis excubijs insidiæ sunt; bellis autem exercitatum virum non cito doli capient, & glorioso certamine opus est, vt corona victoriæ deferatur. Ob hoc Propheta non orat sibi adimi causam certandi, sed tribui auxilium vincendi. Iniqui persecuti sunt me, adjuua me. D. Hil. in Ps. 118. Caph.

Aues excitant pullos ad volandum; leones, pullos ad prædam, illis cibaria non amplius ministrando.

Arbores multum ventis exagitatæ fiunt eo anno magis fertiles.

Si boni tantum haberent diuitias, idem Deo dicerent, quod demon de Iob. 1. quia tu circumuallasti interiora & exteriora domus eius, frumentum & vinum multiplicasti, sed mitte manum tuam, & tange quæcumque habet, nisi in faciem benedixerit.

Omnis tentatio non est culpanda, sed gratulanda si sit probatio, & plerumque humanus animus sibi ipsi innotescere non potest, nisi vires suas sibi, non verbo sed experimento, tentatione quodammodo interrogante, respondeat. Vbi si Dei munus agnouerit, tunc pius est, tunc solidatur firmitate gratiæ, non inflatur in nouitate jactantiæ. D. Aug. de ciu. Dei l. 16. c. 32.

Math. 8. Centurio dicit Christo, puer meus jacet in domo, & malè torquetur, si tuus esset, Domine, non jaceret. Ita dicit Propheta. Psal. 133. Ecce nunc benedicite Dominum, omnes serui Domini, qui statis in domo Domini. Domine tuos seruos, non decet malis subjacere; & si patiuntur mala, non patiuntur ad pœnam, sed subeunt ad coronas, aduersa illis non sunt necessitatum causæ, sed sunt causa victoriæ: serui hominum sunt, qui mala patiuntur inuiti. D. Chrysol. serm. 15. D. August. tom. 3. de agone Christiano, & de afflictione piorum, ep. 122.

Ignis non valens vltra progredi, vt in fornace, reflectitur in seipsum, & mouetur circulariter, Platonici & Ægyptij sic existimarunt, cælum esse igneum, & sic moueri, de quibus Albertus Magnus de cælo, & mundo, tr. 1. cap. 4. aduersitas efficit vt homo redeat in seipsum.

Turbines in mari, ignes excitant, quia ex vapore sulphureo vi per aquas erumpente.

Syluæ pars ad Septentrionem spectans, ligna fert spissiora, pulchriora meliora, robustiora. Theophrast. hist. plant. l. 4. c. 1. Quæ humidis, tranquillis, vmbrosis, contectisque locis assurgunt, deteriora sunt tam ad fabrilem, quam ad lignarium vsum. Id. l. 5. c. 3.

Vide contrarietas principij, bona sub initijs austeritas.

Aquæ frigidæ plantis meliores sunt, melius enim possunt percoqui. *Vide gloria contrarietat.* opposita magis elucescunt.

Quos tuba non circumsonuit, sunt rudes & indocti.

Aqua fontis Tungrorum igni admota fit turbida, quod eadem vis partes terræ in aqua latentes excitet. Georgius agricola l. 1. de his quæ fluunt ex terra.

Thomas Morus in Vtopia refert de Ioanne Mor-

tono Cantuariensi Episcopo, & Angliæ Cancellario, solitum asperius compellando supplicantes experiri, sed sine noxa, quid ingenij, quam animi præsentiam quisque præ se ferret, qua velut cognata sibi virtute, modo abesset impudentia, delectabatur, & vt idoneam ad res gerendas amplectebatur.

Imperatori minimè credo bellorum omnium perpetuo victori, qualis apud Athenienses Nicias, si ex Sicilia incolumis redijsset. Ego eam vitam probauerim quæ degustauit malum, dum tamen id tantummodo delibauit; virtute quidem instructam, sed ea contra aduersam fortunam vtentem, si ad fœlicitatem aliquantulus accesserit dolor is faciet, vt magis sentias virtutem, & fœlicitates ipsas agnoscas; sitis est quæ jucunditatem astruat bibendi, esuries edendi, nox facit oculis gratissimum solem, post solem oritur desiderium noctis, post saturitatem quæritur fames, sitis post ebrietatem, quod si hanc vicissitudinem tollas, ex voluptate efficies dolorem, ob eam causam ferunt Artaxerxem Persarum regem, cum in diuturna sensuum voluptate & fœlicitate vitam transegisset, fœlicitatis nullum sensum habuisse, inuicti diu fuere Lacedæmones, quod laborem, plagas, consuetudinem malorum ipsis virtutibus permiscerent. Maximus Tyrius sermon. 35.

In Septentrione sunt montes feraces metallorum, hi fulmine tacti per fissuras elucentes argenti venas fundunt, & lucri cupidos in se trahunt, Olaus Mag. rer. Sept. l. 6. c. 1.

De profectu virtutum post expertam vtramque fortunam dici potest illud Virgilij, Georg 2.

Illa seges demum votis respondet auari
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit.

Sicut aromata dum incenduntur, odorem suum expandunt, sic virtus in tribulatione per patientiam innotescit. Laur. Iust de patientia, c. 2. in fine. Vasa figuli fornax probat, & homines iustos tentatio tribulationis.

Dicitur Deut. 14. Tentat vos Deus, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non.

Viris bonis quare mala accidant, vide quæ scripsi mor. Christ. to. 4. parte 2. c. 4. virtus in infirmitate perficitur Ib. c. 5. Deus dum castigat, instruit, l. de misericordia Dei, p. 2. c. 4.

Ad magnam vtilitatem nostram exercitatio tentationum nobis impensa est, vt non superbiat sanctitas, non tepescat virtus, non desit profectus, non diminuatur meritum, non amittatur gloriæ corona. Laur. Iust. l. de spe, c. 4.

Vide maioritas virtutis. perfectio Euangelica, ex D. Chrysost.

Vide cognitio voluntatis, amor qui se profert.

Ideo primus homo tentatus est, *vide potestas volunt.* liberum arbitr. ex Alcuin.

VIRTVS IN MILITE.

IMperatores vocant milites fortes & deuotissimos, l. tam collatores. Cod. de re militari, & l. fortissimi ac deuotissimi milites, Cod. de erogatione militaris annonæ, l. 12. Nam de cœlo est fortitudo, Machab. 3. & 11. *Vide principium gloria*, victoriæ à Deo.

Liuius l. 40. Strab. l. 4. Valer. Max. l. 2. c. 1. referunt Celtiberos, id est Gallos Hispanos gloriosum duxisse in bello mori, non morbo in lecto.

Centurio cujus puerum sanauit Christus. Luc. 7. fructu centesimo Christianus erat, Deo magis militabat, quam sæculo, & in humano bello fortis, fortior in diuinæ pacis custodia permanebat. Chrysolog. serm. 102.

Quid habemus præter ancipitem vitam, quam si non impendimus gloriæ, rapit necessitas. Contemnere oportet quod possis perdere; non sunt humana tanti vt pro ijs miseri velimus viuere, & indecores mori; timidis & fugacibus sua instant fata, *vide voluntas contraries* amare pericula.

Victoria videtur pendere ex integritate militum. Vnde Iosue 7 dicitur non poterit Israël stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate.

Vulcanus fuit Rex Ægypti, qui primus docuit artem arma ferrea fabricandi, arcanorum & Religionis peritus Deus creditus est. Suidas in voce *[illegible]*.

Alexander Seuerus bellum Parthis illaturus, castra tanta continuit modestia, vt non milites sed Senatores transire dicerentur. Centuriones verecundi, milites amabiles erant, nunc autem hospitibus tantum sunt metuendi.

Hæc sunt verba Aureliani Imperatoris de disciplina militari ad Tribunum, si vis Tribunus esse, imo si vis viuere, manus militum contine, nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat: annona sua contentus sit; de præda hostis, non de lachrymis Prouinciæ commodum habeant, arma tersa sint, calceamenta fortia, vestis noua, stipendium in baltheo non in pompa habeat, alter alteri quasi seruus obsequatur, à medicis gratis curetur; Aruspicibus nihil det, in hospitijs castè se agant, qui litem fecerit, vapulet. Petrus Crinitus de honesta disciplina, l. 11. c. 2.

Nobiles debent educari in scientiis & virtutibus. Vide quæ scripsi l. de agente Dei in humanis, parte 2. c. 6.

Deus dicitur Deus exercituum, sic eum milites habent Imperatorem, cui debent obtemperare sicut inuicta fortitudine, sic integritate vitæ, est enim immutabilis & sanctus.

D. Hier. ep. ad Saluinam de viduitate seruanda, laudans defunctum virum suum Nebridium. Nihil, inquit, nocuit militanti paludamentum & baltheus, quia sub habitu alterius, alteri militabat, sic legimus de Centurione primum à Paulo baptisato fuisse Religiosum, & alium fide præcellentem cujus puerum Christus sanauit.

Idem ep. ad Exuperantium, laudat eum quod sub paludamento, & habitu militari agat opera Prophetarum, & exteriorem hominem aliud promittentem vincat interiori homine, qui formatus est ad imaginem creatoris.

Quidam sub habitu militari munus Apostolicum securius obierunt, dum lateret humilitas, sic sanctus fidelis martyr. *Vide minorit. veritat.* bona veritatis dissimulatio.

Admittendi ad habitum militiæ Christianæ soluunt communi ærario scuta 200. debent esse nobiles, ingenui probè examinati. Vrb. 8. const 11.

Digitized by

VERITAS CONTRARIETATIS.

QVÆ SIT VERA CONTRARIETAS.

SIGNA Zodiaci, sibi inuicem inimica sunt, quæ se quadrato, vel opposito radio aspiciunt. A

Aduertat potissimum orator in quo consistit rei summa, nam ferè accidit vt in causis, multa dicantur, de paucis iudicetur. Quint. inst. orator. libro 5. c. 13.

Violentum est quod fit ab extrinseco, passo non conferente vim. Arist. 3. ethic.

Contrarietas non potest esse, nisi oppositio attendatur in eodem & secundum idem. Contrarietas est ex differentijs determinantibus, & contrahentibus genus.

Censetur homicidium voluntarium, si quis occidat eum quem odio habet Deuter. 19. 11. & frustra confugiebat ad ciuitates refugij. Is autem odio habuisse eum dicebatur, qui inimicitiæ causa per triduum cum eo colloquium non habere. Seldenus de iure naturali, l. 4 c. 2.

Ima præaltorum fluminum gelu non contrahuntur, nam superficie concreta, exhalationibus meandi in superna libertas intercipitur, at illæ rejectæ inclusæque inferiora calefaciunt. Rodig. l. 25. c. 16. Specie tenus irascuntur boni Rectores, minas subditis intentant vt corrigantur, amore & misericordia intus latente. Irascimini, inquit Propheta, & nolite peccare.

Spoliatio fit vel per vim expulsiuam, vel ablatiuam, vel compulsiuam, tot. tit. de restit. spoliator.

Dissimilitudinis extremum est contrarietas. Vide quæ scripsi de iure natur. l. 1 lege 2 § 4.

Aqua calida quia essentiale habet frigus, extinguit ignem.

Cum Alexander vrbem Tyrum obsideret, milites panem frangendo obseruarunt guttas sanguinis, territo Rege Aristander peritissimus vatum, respondit, si extrinsecus cruor fluxisset Macedonibus id triste futurum, contra cum interiore parte manauerit, vrbi quam obsidere destinassent, exitium portendere. Q. Curtius l. 4.

REPVGN.

Non vera contrarietas.

PIsistratus sibi ipsi vulnera inflixit, & in publicum progressus, ac vociferans ea se ab hostibus accepisse, quadringentos sibi custodes dari exorauit, quibus stipatus, Atheniensium tyrannidem occupauit Petrus Crinitus de honesta disciplina, l. 4 c. 1.

De his qui se debilitant, vt à bello fiant immunes, *vide differ. contrarietat.* mala.

Persæ credunt ignita meteora esse stellas, quas Deus iaculatur contra dæmones, quibus tunc vltimum excidium imprecantur.

Dæmones non coguntur, nec alligantur statuis aut annulis per artem magicam, sed ita fingunt se cogi, vt homines fallacia multiplici decipiant. Gerson in Trilogio Astrologiæ Theologisatæ, propos. 14.

MINARI POENAS.

ROmæ Elephantus à pueris lacessitus, vnum proboscide, sursum eleuauit, quasi confracturus, orto circumstantium ingenti clamore placidè deposuit, quasi satis fuisset in pœnam, timor. Plutarch l. de industria animalium. B

In India occidentali iuxta Mexicum specus est Mascua, qui neque cinerem, neque lapides eructat, sed solum fumum & flammam, existimant metallum esse quod ferueat, Cardan. de rerum var. l. 1. c. 5.

Fulgura & ignis quæ apparuerunt in monte Sinaï, non erant vera fulgura, nec verus ignis, sed solum secundum apparentiam. Tost. exod. to. 1. fol. 162.

Vide duratio contrarietatis mora. mina.

Minas intentant, parentes, Reges, Magistri, Deumque in Prophetis durissima prædicentem imitantur, vt peccatores ad meliorem adducant frugem, & quos virtutis amor, præmij propositi spes, inculcata per tot admonitiones veritas non mouit, indictæ saltem pœnæ metus ab illiciti coërceat. *Vide duratio virtutis*, constans admonitio præcedat vindictam. Longè melius est morbis ne procreentur occurrere salutaribus antidotis, quam vitæ sedes jam occupantibus remedia conquirere. Hos sæpè prognostico denuntiat medicus, vt æger austerioris necessariæ dietæ leges subeat, fingit iras & indignationem rector misericors, pœnas vt vitentur intentat, ne per imminentes subditorum lapsus, ipse gemino percutiatur, propter peccatum & supplicium dolore. C

Prosunt igitur tales minæ, ad aliorum cautelam & salutem, at plurimum nocent ei, qui in hostis vindictam serio propensus, quidquid passio sæua diuque meditata suggesserit, palam profert, & improuidus denuntiat, hæc enim tela facilè vitabit, qui videt à longè venientia, & sæpius doloris aut vanitatis æstu dicta temerè, nunquam in exitum ventura, festinatæ cædes præueniunt. *Ex principiis.* D

Nobilis equus vmbra quoque virgæ regitur, ignauus, ne calcari quidem concitari potest. Q. Curtius l. 7.

itized by Google

Minis vtuntur qui potentia vel iure præcellunt, A ne sæuire velle videantur. Cæteris minæ plurimum obstant, quoniam inimicum monent. Card. de arcanis prudentiæ, c.55.

VANVS TIMOR, VANA mali æstimatio.

VIde *cognitio contrariet.* nimius futuri mali metus.

Si digito comprimatur oculus, vnum objectum videtur duo, quia compressione diuisus spiritus visualis, duplicem refert speciem ad sensum communem sic animo metuentis res apparent majores, B quam sint.

Tonitrua pueros, minæ stultos territant.

Medici dicunt morbos grauiores quam sint, vt seipsos extollant.

Tyrannicum est ex suspicione pœnas infligere. Deus non solet ex præscientia peccati pœnam infligere, & si certa sit eius cognitio, vnde dicit Gen. 15. Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque nunc Theodor. in Genesim quæst. 65. Ita exod. 3. dicit Deus Moysi, scio quod non dimittet vos Pharao; & tamen eum ex hac præscientia non punit, sed induratum, & flecti nolentem.

Gratianopoli fons est qui cum non habeat calentes aquas, tamen sæpè cum illis flammas emittit, duobus simul manentibus contrariis elementis; C tales sunt motus oratoris, tales eorum qui ad correptionem iras simulant, de quibus dici potest, illud Psalmi. Irascimini & nolite peccare.

Picti, sculpti, arborum ramis expressi homines armati in hortis regum, sunt ad delitias, similiter feræ.

Num. 13. exploratores missi in terram Chanaan, falso referunt ibi terram deuorare habitatores suos, & populum esse proceræ staturæ, itaut deficerent animi ad illam expugnandam.

Non est licitum præuenire aggressorem propriæ vitæ, antequam inceperit moraliter aggressionis actum, quia sæpè vano timore conturbantur D homines. Bonacina de rest. quæstione vlt. sic adultera non potest occidere maritum, quem scit habere notitiam sui adulterij, si non aggrediatur vltionem vi armata. Ibidem. *Vide duratio contrar.* celeritas mala.

Tauri & elephantes viso colore rubro efferantur, quia sanguinem esse putant, à quo irritantur. Card. de rer var. c.14.

Aquæ sinus Arabici, rubræ apparent ob arenas aluei rubras, & quæ circumstant saxa rubra. Georgius agricola, l.3. de his quæ fluunt ex terra. Sunt, inquit, fontes in Germania dicti insani, quod aqua ebullire videatur, cum sit frigida; intumescunt & cum frigidi sint more aquæ feruentis in lebete ebulliunt, nec tamen aquas effundunt, sed mox eas E resorbent.

Quod accidere vides animalibus mutis, idem in homine deprehendes, friuolis turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat, ad vmbram aspis exurgit, vrsos, leonesque mappa prontat, omnia quæ natura fera ac rabida sunt, consternantur ad minima. Seneca l.3. de ira.

Quidam imaginatione corrupta se putant figlinum vas, quamobrem contactum hominum & omnino propinquitatem expauescunt, ne comminuantur & decurtentur. Galen. l.3. de locis affectis.

Fiunt meticulosi si hora conceptionis vel natiuitatis contingat terræ motus, fulgurum vis, hostis irruptio. Fiunt meticulosi à melancholia, nam vt tenebricosa loca plerumque timore perfundunt, sic & bilis atra mentis loco se circumfundens, pauorem inducit. Rodig. l.17. c.2.

Pisander timore maximo perfundebatur, ne animæ suæ occurreret à qua viuus esset destitutus. Ibid.

Medicis graues sunt morbi cancer, lupus, Scorpius: Astrologis sunt constellationes, sic quæ mundanis sunt mala, sapientibus sunt Astra & cœlestia decreta, abutuntur homines rerum vocabulis.

Faculæ quæ apparent super sepulchra mortuorum, terrent, sed non comburunt. Tost. Leu. fol. 173.

Iudæi habent illam maledictionem, quæ habetur Deut. 28. dabit tibi Dominus cor pauidum. Id. f. 153.

Per tres dies Ægyptus afflicta est plaga tenebrarum, in quibus multis terribilibus visionibus imaginariis vexabantur Ægyptij, itaut non auderent moueri de loco suo. Idem exod. tom. 1. f. 65.

Timentibus omnia videntur pejora, atque majora quam sint; tales arguunt contra se, & concludunt id quod deterius est, audaces vero contra. Id. 1. Par. f. 119.

Est propè Viburgum & terras Moscouitarum specus subterranea, in quam si immittatur animal viuum, tantus & horrendus oritur fragor, vt hostes territos sternat & ad se redeuntes fuget. Olaus Magnus rer. Sept. l.11. c.4.

Vide veritas minoritatis. Rep.

Thales Milesius primus futuram eclypsim prædixit, quam visam postea multorum metu in castris edocuit Palamedes portentum non esse, vt milites arbitrabantur, sed naturali lege prodeuntem.

Præuaricator est is, qui dum fingit se accusare, id agit potius vt reus absoluatur. Is in publicis iudicijs, pœna calumniæ, id est talione coërcetur, *l. pen.* ff. de præuaric.

Terrentur milites Alexandri ob defectionem Lunæ, donec pluribus exemplis probatum est illis, Solem ad Græcos, Lunam ad Persas pertinere. Nulla res multitudinem efficacius mouet quam superstitio, alioquin impotens, sæua, mutabilis, vbi vana religione capta est, melius vatibus, quam ducibus suis paret. Q. Curtius l.4.

Vbi intrauit animos pauor, id solum metuunt, quod primum formidare cœperunt, Ib.

SCRVPVLVS.

NOn quiuis timor bonus est, aut salutaris, est enim quidam hostilis timor, quem deprecatur Propheta, ne suæ inferatur animæ, dicens, à timore inimici, eripe animam meam. D. Basil. in Psal. 193.

Magnus calor in Ægypto dissipat vapores, vnde fiunt nubes & tonitrua; magna flamma non habet fumum, magna charitas, foras mittit timorem, nec patitur scrupulos.

Plato in Protagora, iustitiam dicit esse sanctam, & sanctitatem iustam.

Digitized by Google

. Contra scrupulositatem & pusillanimitatem. A Gerson to.3.4.

Scrupulus est suspicio quædam læuis, orta ex leuibus fundamentis & rationibus, qua quis putat aliquid esse peccatum, quod re ipsa non est. Bonacina. Scrupulus procedit vel ex melancholia, quæ timidos efficit, ex ignorantia, ex nimia corporis maceratione, qua cerebrum debilitatur, ex frequenti consuetudine cum scrupulosis, ex tentatione diaboli, ex superbia. Id. de

Vide maioritas virtutis, mala, superstitio.

Cedri materies nata est humorem emittere; quamobrem Deorum statuæ visæ sunt aliquando sudasse. Theophrast. histor. plantarum libro 5. cap. vlt.

Vide cognitio contrariet. mala, nimius futuri mali metus.

Qui superstitione tenetur, adulator est Dei, at sobrius cultor, Dei amicus & beatus efficitur, superstitiosus autem penitus miser. Maximus Tyrius, ser. 4.

Harphius Theolog. myst. l.2 c.10. notat scrupulos procedere ex amore proprio eorum, qui Deo seruiunt timore seruili ad vitandas inferni pœnas, & quia conscij sunt se non vt oportet seruire Deo interna penetranti, sibi semper timent.

De excutiendis scrupulis, vide quæ scripsi, moralis Christ to.1. parte 2. c. 25. Superstitiones in Republica non toleranda. Ib. c. 26. non est abstinendum ab Eucharistia propter scrupulos, l. de Dei misericordia parte 2. c. 4.

Caueat religiosus à scrupulis tanquam scopulis, l. de institutione & officiis religiosi, parte 2. c. 15. libello de amore Dei patiente, c. 10.

Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum. Ps. 118.

GLORIA CONTRARIETATIS.

GLORIA CRVCIS CHRISTI.

PAssio Domini, nostræ beatitudinis caput est, atque origo; veluti coronam, sic læto animo crucem Christi circumferamus; omnia enim quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur. Nam cum regeneramur crux Domini adest, cum sacratissimo alimur cibo; cum in ordine consecrandi statuimur, vbique ac semper id victoriæ insigne nobis assistit, quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in fenestris & in fronte quoque ac mente magno studio crucem inferamus. Id enim salutis nostræ, id communis libertatis, id mansuetudinis atque humilitatis Domini signum est. Cum illud faciei tuæ impresseris nullus scelestorum dæmonum, cum hastam videat, qua lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit. Signum hoc super radios solis corruscans, ante Christum videbis, hoc signum & priscis & nostris temporibus clausas januas reserauit, venenorum vires extinxit; cicutæ vim dissoluit, feroces bestias repressit, lethales serpentum morsus curauit, etenim si portas inferni perfregit, si diaboli neruos præscidit, quid mirum est, si terrena noxia superauit. Hæc crux terrarum orbem conuertit atque sanauit, errorem abegit, dæmones hominibus non terribiles, sed despicabiles effecit. Cælestis regis milites sumus, eius arma induimur, cur ad vilia deijcimur, &c D. Chrys. hom. 55. in Math.

Crux est signum potentiæ. *Vide cognitio potestat.* videri potens.

Corona circumposita capiti sacerdotis significat regale Christi sacerdotium, coronæ spineæ præmium. Refert etiam imaginem venerandi capitis Apostoli Petri, qui cùm missus esset ad prædicationem Domini, vt illuderetur tonsus est ab his qui ei non credebant, ei Christus magister benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam conuertit, & posuit super caput eius coronam de lapide pretioso. Vide Baron.

Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem. D. Hieronym. ad Eustochium.

Arcadio Imperatore contra Persas pugnante in eius militum vestibus cruces aureæ in signum victoriæ apparuerunt, cudi fecit auream monetam cum signo crucis. Sixt. V. const. 73. §. 3. Bull. p. 462. tom. 2.

De gloria crucis Christi vide multa præclarè collecta apud Chassanæum in catalogo gloriæ mundi 1. p. concl. 98 & seq.

Vt in cælo corpus Christi, seruat stygmata suæ passionis, sic etiam Martyres sua seruabunt post resurrectionem secundum D. Augustin. vlt. de ciuit. Dei.

De triumphali Christi agone. Liber Laur. Iustin. & Gretserus.

De crucis adoratione D. Chrysost. sermones plures, tom. 1. & 2. Ioan. Picus Mirandulan. in dispu.

De S. Crucis laude, & mysterio ligni Domini. Berengos. bibl. Patr. to. 2.

In crucis caractere tota vitæ Christianæ perfectio designatur, quæ constat fide, spe, charitate; fidem denotat inferior pars crucis, terræ fixa, nam fides fundamentum est, & vt dicit Apostolus, fide stamus, superior pars spem denotat, qua ad capessenda cælestia prouocamur, duo denique crucis brachia, designant latitudinem geminæ charitatis. Petrus Dam. l. 6. ep 21.

Posse mori, nunquam tollitur nisi morte, quare Christus per mortem tulit posse mori, vt per resurrectionem natura perueniret ad immortalitatem. Card. Cusa excit. l. 7. c. 23.

Arca Dei capta fuit à Philisteis, cæsis etiam sacerdotibus, sed in ipsa sua captiuitate, destruxit Dagon,

Digitized by Google

victores percussit in posteriora, 1. Reg. 5 sic persecutionibus creuit Ecclesia.

Vt corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur. Concil. Turon. II can. 3.

Iosue 8. Rex ciuitatis Haï suspenditur in gemina cruce. Christus visibiliter crucifixus est, & inuisibiliter diabolus, chirographum quod contra nos habebat, affixum fuit cruci, vt dicitur Coloss. 2. & Gal. 6. geminam crucem facit Paulus, dicens mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Origen. hom. 8. super Iosue.

Ad mensam accedentes nos cibum & potum signo crucis signamus, inquit, idem in Iob. libro 3.

B Vbi abundauit delictum, superabundauit gratia. Roman. 5. non solum Christus condonauit peccata, sed vitam nobiliorem largitus est, vt si medicus non solum à febre liberaret, sed & corpori pulchritudinem conferret. D. Chrysostom. homil. 10. in epist. ad Roman. aut si esurientem quis non solum alat, sed efficiat multarum possessionum Dominum.

Romanorum Senatus potestatem habebat, vt Deos crearet atque conscriberet, is itaque qui Iudæorum nationi præerat, res à Christo gestas misit Rom... [illegible] num eum Deum creare placeret, id verò illi facere recusarunt, quod iniquo atque infenso animo ferrent, ante decretum suum atque sententiam, crucifixi potentiam effulgentem vniuersum orbem ad sui cultum & venerationem attraxisse. Hoc diuinitus factum est, vt non humanis suffragijs Christi diuinitas promulgaretur. D. Chrysost. hom. 26. in 2. ad Cor.

Impleo quæ desunt passioni Christi, inquit Apostolus, adhuc igitur pro nobis patitur in membris suis. Idem, qui etiam interpellat pro nobis. Rom. 8.

D. Ambros. serm. 55. dicit crucem in medio Ecclesiæ erectam esse velut malum in naui, vt inter tempestates sæculi seruetur incolumis.

Idem sermon. 56. homo cum manus leuauerit crucem pingit, atque adeo eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso membrorum gestu passionem Domini fateamur.

Cicatrices Christi & martyrum apparebunt in iudicio. Tost. Math. to. 7 f 94. c. 2. e.

Ecclesia militans dicitur regnum cœlorum, quia per eam peruenitur ad regnum cœlorum. Idem.

Per mortem summi sacerdotis expiata credebantur omnia delicta. *Vide finis minoritatis*, Christi resurrectio.

Quod dicitur de Christo non longè diuersum est, ab his quæ scribuntur de Æsculapio Iouis filio, ferunt enim eum curatorem valetudinis, prius de cælo tactum, quam raptum in cælum. Iustinus Martyr. in apologia, ad Antoninum Pium Imperat.

Ibidem: Nihil, inquit, in toto mundo geritur sine figura crucis, per quam saluatus est mundus. Mare non sulcatur nisi hoc trophæum, quod vocatur velum in naui maneat incolumi; fossores non operantur, sicut nec opifices, nisi instrumentis hanc formam habentibus: hominis figura non aliter à brutis differt, quam quod erecta est, & manus expandit, & in facie à fronte expansum nasum præfert, per quem fit respiratio, vt plane forma crucis videatur, &c.

Math. 24. dicitur quod in die iudicij, apparebit signum filij hominis. Considera peccator quanta

A sit virtus crucis, tunc enim Sol obscurabitur & Luna non dabit lumen suum, vt discas quantum crux Luna lucidior, & Sole splendidior sit, apparebit autem crux vt, ostendatur Domini nostri Iesu plena & gloriosa victoria, & vt quam misericorditer etiam electi saluati sunt clareat. Laur. Iustin. tract. lignum vitæ, c. 4.

De passione Christi quæ mundum reparauit. Vide quæ scripsi Theol. nat. to. 4. parte 3. c. 11.

PVLCHRITVDO CVM fortitudine.

Egregij, fortesque milites, habent arma splendentia, solidæ doctrinæ fœliciter accedit eloquentia ad destructionem mendacij.

Pastor simul cum fistula qua cogit & demulcet oues, habet etiam baculum pastoralem, quo feras arcet. S. Basil. seleuc. orat. 26.

Arma minutissimus puluis detergit, vt speculum quoddam virorum faciat ferream lucem. Cassiodor.

Vide gloria veritatis, sacra eloquentia.

Naues cum tanto apparatu bellicarum bombardarum, vexillorum, velorum, mittunt alijs terrorem, pariter & decorem.

C Quod nitidum est, etiam est incolume. *Vide virtus principij*, parentes sint exemplar virtutis.

Alcibiades & alij plurimi duces fuerunt pulcherrimi simul & fortissimi, propter conuenientiam duorum planetarum Martis & Veneris.

OPPOSITA MAGIS elucescunt.

Assidua fruitio parit fastidium, & dilata delectationem, ita Deus sapienter procurauit, vt quæ nobis ad vsum vitæ largitus est, gratiam apud
D nos obtineant ipsa vicissitudine, Sol lætior post noctem, jucundior vigilia post somnum, cibus post jejunium, sanitas post morbum, &c. D Basil. hom. de jejunio.

Calida nata in frigidis locis sunt maximè calida, *vide maioritas principij, Repug* effectus suis causis præstantiores, & frigida nata in locis calidis, sunt maximè frigida propter antiperistasim, *vide duratio virtutis, Rep.* apostatæ pessimi.

Quando Sol reuerberatur super aquam maris latam & expansam multiplicatur calor ex reflexione radiorum, & hic calor aquæ frigiditate ad littora propellitur, ideo littora calefiunt. Sic immissa aqua
E frigida in vase vitreo rotundo, & obijciatur directè radio Solis, multiplicatur calor ex reflexione radij super vitrum, & multum ille calor repellitur ab aquæ frigiditate post vitrum, vbi si fuerit materia facilè combustibilis, incenditur. Albertus Magnus, tract. 1. in fine, de proprietatibus elementorum.

Calor impressus terræ à radijs Solis, comprimitur ad vnum locum per circunstans frigus, & tunc inflammat mineras sulphuris, & calefacit aquas per eas transeuntes. Idem lib. 2. de proprietat. element.

Montes ardentes plurimi sunt juxta mare, quia calidus vapor non valens penetrare profunditatem

tem aquæ, repercutitur ad vicina loca, & conuertitur in bitumen & Naptham ignis alimentum. Ibidem.

Dum inerudití sine arte dicunt, sententiæ quas solas petunt, magis eminent, cum omnia circa illas sordida & abiecta sunt, vt lumina in tenebris sunt clariora. Quintilian. Inst. orator libro secundo c. 13.

Omnis suasoria nihil ferè aliud est quam comparatio, Id.

In nube frigida ignis & vapor, validius accenduntur.

Post amarum liquorem degustatum, dulcia apparent magis dulcia.

Ciuitates quæ iuxta aquas sitæ sunt, æstatis tempore validè inflammantur.

Terra ex aëris, propriaque siccitate fissa, fit aptior ad humiditatem, per poros & fissuras recipiendam

Quidam mirantur vitiosum dicendi genus, quod verborum licentia resultat, turgescit, flosculis nitescit; nulli non agentium parata vulgi corona est, sed euanescunt hæc atque moriuntur comparatione meliorum, vt lana tincta succo, citra purpuras placet, conspectu melioris obruitur; succinis comparata sulphura quadam vix enarrabili fœditate flauescunt. Lucent hæc citra solem, vt quædam exigua animalia, igniculi videntur in tenebris, Quint. l. 12. c. 10.

Vtramque partem audiat judex, sermones enim, quemadmodum purpura & aurum, melius dijudicantur, si conferas inuicem.

Ideo grata nobis est rerum diuersitas. *Vide gloria differentiæ.*

Ligna in quibusdam fluentibus aquis mersa, lapidescunt.

Vide *bonitas potestatis, libertatis,* nitimur in vetitum.

Nullus verè scit, nisi prius dubitauerit, *vide differ. cognit.* disputatio.

Accidens per relationem ad aliquid potest esse proprium, vt cum quis sedet, alijs non sedentibus, Arist. 1. topic. c. 5.

Christus mortuus in cruce omnibus spectabili, sepultus, vt hinc constaret verè mortuum, verè & non apparenter resurrexisse, Chrysolog serm. 58. in fine.

Diuina obscurè tradita, & studio intellecta, magis afficiunt, *vide minoris cognit* Religionis mysteria.

Turcis fœminis seruiunt Eunuchi Æthyopes nigri, vt nullos alios videntes viros, magis gratus illis sit Imperator, albi coloris.

Astronomia in eo maximè vtilis est, quod paruitatem nostram, & vitæ nostræ, non aliter magis cognoscimus, quam eorum immortalium corporum magnitudinem & perpetuitatem admirantes; sic animum à terrenis attollimus, & diuinorum commercijs assuescimus, Fracastor in homocentricis, c. 1.

Motus cognoscitur per comparationem loci qui deseritur, & in quem peruenit. *V. cognit. diff.*

Nullum penè scelus quod non aliquo gentium instituto sancitum fuerit, vorare parentes mortuos, necare filios, sorores constuprare multis non pudor, sed lex fuit. Iuuat aliquando spectare tot facies imperiorum, tot regendi modos, & nostra cum externis componere; inde apparet quantum lucis, tam caliginoso mundo Christus profuderit.

Inuidi tristantur de alterius bono, cujus compa-

A ratione minus apparent excellentes, *vide contrariet. virt. inuidia.*

Apud Ruthenos in Gallia, *en Rouergue*, mons est Cransac, qui cum pluit ignescit, & flammas emittit, Dauity.

Aristoteles obscurè scripsit, vt ingenuos animos excitaret, ignauos deterreret, *vide bonitas potestatis,* nitimur in vetitum.

Britanni Armorici habent pro insigni pellem muris Pontici, dicti *hermine*, summæ albedinis, quæ vt magis appareat habet in cauda maculam nigerrimam, & hæc macula in insignibus disseminatur.

Tractus frigidi pariunt odorata propter calorem in terra conclusum; calor est enim qui excoquit. Theophrast. de causis plantarum, libro 6. c. 28.

B Motus qui est ab extrinseco intenditur ex ipsa contrarietate, quia vnumquodque suo modo nititur ad resistendum contrario, sicut ad conseruationem sui ipsius.

Tanto aliquid magis à ratione suscipitur, quanto contrarium est grauius, & magis repugnans rationi.

Vide duratio virtut. inter malos bonus ex Theophrasto.

Aquæ frigidæ sunt vtiliores plantis, facilius enim possunt percoqui, propter caloris circumobsistentiam, atque refrigerationem radicum, quam desiderant arbores; sic inter aquas cælestes, nocturnæ, & Aquilonię præstant, sicut & afflatus Aquilonij. Theoph. de causis plant l. 2. c. 8.

C Corruscatio magis apparet nocte quam die; sic splendor corruscationis magis videtur in tenebris, & quia frigus noctis adjuuat condensationem nubis, vapor autem siccus in ea compressus, magis inflammatur, Albertus Magnus meteor. l. 3. tract. 3. c. 8.

Vide concordantia virtutis, Rep. malorum congregatio, quæ ex bonorum resistentia vires accipit.

Ferrum aquæ immersum induratur, *vide medium durationis.*

Lapides generantur in ripis fluminum, eo quod calor ex reflexione sui luminis super aquas excitatus frigiditate aquæ repellitur ad littus, & in partibus terræ inuiscatus terram aquæ commixtam decoquit & indurat. Albertus Magn. de mineral. l. 1. c. 8.

D Apud Garamantas fontem esse dicunt ita frigidum die, vt non bibatur; ita ardentem nocte vt non tangatur. Isidor. origin. l. 13 c. 13.

Genes. 1. In aquis Deus producit reptile & volatile, sensuales & spirituales, vidit quod esset bonum, quia ex malorum consideratione decus bonorum dilucidius iudicatur, Origen hom. 2. in c. 1. Gen.

Ex thuribulis sectariorum Core & Abiron, abysso terræ, & igne consumptorum fiunt laminæ quæ altari applicantur, Num 16. seruatur memoria hæreticorum ab Ecclesia deletorum, vt per comparationem vera fides magis fulgeat. Idem hom. 9 super

E num.

Luc. 18. Publicanus misericordiam Dei poscens, dicitur iustificatus à Pharisæo qui sibi confidebat. Non fuit simpliciter iustificatus, sed iustificatus cóparatione Pharisæi. Sic Sodoma & Gomorrha iustificatæ sunt in cóparatione Hierusalem. Cum igitur fuerimus iustificati ex alio, iustitia illa non tam laudis, quam criminis loco ponitur, sic Ezech 16. dicitur. Iustificasti sorores tuas in omnibus iniquitatibus tuis quas fecisti. Laudat autem scriptura eos qui

Digitized by Google

bonis sunt meliores, vt 2. Paralipom 25. Nullus sic fecit rectum coram Domino. Origen. hom. 9. in Ezech.

Sic Tertullianus infert bonas non esse nuptias secundas, ex eo quod dicit Apostolus, melius est nubere quam vri; quale inquit bonum, quod tale est malo comparatum. *Vide minor. gloria*, de mortificatione tactus & secundis nuptijs. Ita iustus dici non debet comparatus magis iusto. *Vide maioritas virtutis.*

Luc. 8 permisit dæmonibus intrare in porcos, vt discamus hominum ab eorum injurijs vindicatorum commoda. S. Basil seleuc. orat. 23. nostrasque vexationes illis esse delitias.

B Si aduersa ingruant, cogita quæ sunt his pejora, & sufficientem habebis consolationem, & eos qui grauiora passi sunt considerare debemus, ita dicit Paulus Heb. 12. nondum vsque ad sanguinem restitistis, &c.

D Chrysost hom. 8 in ep. ad Coloss.

Mulierum facies sub colore nigro, decentior & gratior apparet. Idem homil. 8. in 1. ad Timothæ.

Matronæ nobiles formosas nolunt habere pedissequas, ne suæ pulchritudinis opinionem deleat vultus præstantior.

Cremat ignis fortius sub flatu & frigore boreæ, quam austri, folliumque frigidissimus flatus ignem magis accendit.

C Amantium conditio est, tunc fortius amare, quando habent competitorem in amato. Tost. in 2. Reg. f. 18. c. 2. d.

Damnati cognoscent aliquid de gloria Sanctorum in pœnam suam. Id. Math to. 7. f. 219. c. 2. d. Pœnas autem damnatorum cognoscent beati in verbo, Ib f. 221.

Arca Israël capta à Philistæis plura fecit apud eos miracula, quam apud suos, velut virtute sua per oppositionem & captiuitatem irritata.

In Gothia, Islandia & Scotia terris frigidissimis venæ sulphureæ erumpunt, cum incendio è medijs aquis, & in Gothia meridionali non procul à ciuitate Vexionensi est locus limosus, in quem coctile immissum breui tempore coctum & adustum extrahitur. Olaus Magnus, libro secundo, c. 1.

D Ligna quercina in aquis non putrescunt, sed indurantur vnde apud Heluetios asseruantur in aquis, velut hæreditarius & dotalitius thesaurus, sic vt extracta ad vsum, absque infusione aquarum non possint dolari & terebrari, Idem l. 12. c. 12. Emittunt in aquas, omnem quem habebant aqueum humorem, sic indurantur, nec subjacent corruptioni.

Aberrationes insolitæ, probant consuetum vsum, vide quæ scripsi de iure nat. l. 1. lege 6. §. 1.

Contraria iuxta se posita magis apparent. Ib l. 2 lege 13 §. 1. quare Deus permittit monstra in mundo, Theol. natur. to 3. pa. 2. c. 10.

Citius sub frigore ligna consumuntur igne.

E Homo intelligit suam perfectionem se comparando alijs animantibus, *vide cognit. virt.* propriæ, ex Alcuin.

Dicebat Apostolus se in infirmitatibus gloriari, non quod gloriam ex infirmitate speraret adipisci, sed vt infirmitatis comparatione manifestaret quantum in se Dei illucesceret gratia, Laurent. Iust. ser. de S. Math.

Quid boni habeat sanitas languor ostendit, plus sensimus quod habuimus, postquam habere desinimus. D. Hier. ad Pammachium.

A Naues in fluminibus magnæ, apparent in mari paruæ, sic parum docti, inter idiotas videntur excellere, cum inter sapientes, contemnantur.

EX MALIS COMMODVM percipere.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, Rom. 8. Latro in crucem sublatus, conuitijs afflictus, hinc non solum nullum nocumentum accepit, sed lucrum maximum. Propterea Deus permisit pueros in fornacem Babylonis incidere, & cæteros sanctos in diuersas tentationes, at contra malis ipsamet bona nocent, vt Iudæis ostensio signorum, & rectitudo doctrinæ, hinc enim acceperunt occasionem Christum persequendi, &c. D. Chrysost. hom. 15. super epist. ad Roman. quemadmodum aduersa quæ passus est, vertit in naturę totius libertatem & salutem, sic ijs quibus exerceris afflictionibus vtitur ad tuam iustitiam & gloriã, Ib.

Sculptor humana corpora, licet sine anima & sensu educit è lapide, sic superflua materiæ resecat, vt componendo operi partes relictæ veritatem adumbrent.

Deus creauit omnes Angelos bonos, licet præsciret aliquos libera sua voluntate futuros malos, prouidens quanta de illis sua bonitate esset facturus Illusit dæmoni efficiens, vt eius tentatio bonis prosit, Magister sent l. 2 d. 3. q. 2.

D. Aug. in Enchyrid. c. 1 dicit quod Deus est adeo bonus quod nunquam aliquod malum esse permitteret, nisi esset adeo potens quod de quolibet malo posset eligere bonum, vnde nec propter impotentiam, nec propter ignorantiam Dei est, quod mala in mundo proueniunt, sed est ex ordine sapientiæ suæ, & magnitudine bonitatis ex qua prouenit quod multiplicantur diuersi gradus bonitatis in rebus, quarum multi deficerent, si nullum malũ esse permitteret; non enim esset bonum patientiæ, nisi accedente malo persecutionis; non esset bonum conseruationis vitæ in leone, nisi esset malum corruptionis in animalibus ex quibus viuit. D. Tho in q. disp q 3. a. 6. ad 4.

Non est impossibile aliquod malum ordinari à bono in malum, sed est impossibile aliquid à bono ordinari in malum; sicut enim bonitas producentis inducit formam bonitatis in productis, ita bonitas prouidentis inducit ordinem ad bonum in prouisis. Ib. de prouid. q 5 a. 4. ad 6.

Altiori modo diuina prouidentia gubernat bonos quam malos; mali enim dum ab vno ordine prouidentiæ exeunt, vt scilicet Dei voluntatem non faciant, in alium ordinem delabuntur, vt scilicet de eis diuina voluntas fiat, sed boni quantum ad vtrumque sunt in recto ordine prouidentiæ, Ib. a. 7. o.

Actum bonum non potest Deus malum facere, benè tamen malum facere bonum. Tost. in exo. to. 1. f. 190. c. 1. a.

Christus quando ægrum aliquem sanabat, perfectiorem eum reddebat quam erat priusquam esset æger. Ib. f. 54. c 3. 1.

Deus fecit duo, quæ in eo non iudicantur mala, quæ apud nos mala iudicarentur. Primum est quod non impedit mala fieri, quæ potest vitare. Secundum est, quod facit aliquid ex quo scit sequi malum, vel pro certo sequuturum. Idem Gen. fol. 127. quia ex talibus bonum elicit, quod homini non licet.

Digitized by

Deus ex natura rei bono benè vtitur, & ex altissima plenitudine potestatis atque bonitatis, mala vertit in bona, sic ex qualibet culpa quæ mala est, aliquod bonum elicit, & quod ab assignata ordinis ratione discedit, hoc idem in alium ordinem relabitur, ne quid in regno prouidentiæ, temeritati liceat, ex obstinatione Pharaonis manifestatur vbique gloria Dei. Id. exod. 1. f. 58.

Qui sunt sub 38. parallelo Septentrionales populi habent semestrem noctem niuesque altissimas, nec enim interim vacant ab omni opere, nam lumen lunæ, stellarum, & niuis satis affert lucis ad opera. Interlunio vtuntur tedis piceis & lampadibus oleo belluarum marinarum enutritis. Cæterum nix illa prodest ad itinerandum, nam valles tortuosæ, obliqui colles, rupes præcipites æstiuo tempore impermeabiles sunt, ac hyemali tempore omnia quasi plana & apta sunt, plusque tunc oneris duo jumenta super lubrica glacie trahunt, quam decem equi in campestribus per æstatem. Olaus Magnus rerum Septent. l. 4. c. 9.

Sæpius ex damnis corporis, vel externorum, magnæ sunt accessiones virtutibus natæ.

Christianus magnam percipit vtilitatem ex prophanorum lectione. *Vide magnitud. [illegible]gnit.* scientia vniuersalis.

Niues suo tempore mediocres, frugum indicant abundantiam, occidunt enim vermiculos, & terram calefaciunt. Cardan. aphor. sect. 7. aphor. 113.

Patienti seruiunt æstas & hyems, & omnia aduersa mundi: sterilitas agrorum implet eius horrea, fures, hostes, omnia seruiunt ei; ignis domos aliorum exurens ædificat patienti domum in cælis, tanto enim spes in Deum validior surgit, quanto quis pro illo grauiora pertulerit. Laur. Iust. de patientia, c. 2.

Nunquam Dominus permitteret malos aduersus bonos sæuire, nisi quantum proficerent videret, nam dum injusti injurias inferunt, justi purgantur, & vtilitati innocentium, militat vita prauorum. Ibidem, cap. 3. *Vide virtus contrarietatis.*

Anguis ex angustijs exit nitidior.

Mala bonus in bonum vertit, vide quæ scripsi, de iure naturali, l. 4. lege 10. § 4. A contrarijs vexata plus viri um concipiunt & explicant, ib. l. 2. lege 13. § 2. Tentata libertas nititur in vetitum, ibidem lege 14. § 2.

Non Iudæ traditio, sed sapientia Christi atque potentia salutem peperit vniuersis. Christus enim improbitate aliorum ad vtilitatem nostram vsus est. D. Chrysost. hom. 82. in Math.

Quoties in veneno eminet gustus placidus, existimandum sub eodem simplici latere ingens arcanum, quod depulso veneno ad effectus arduos natum & ordinatum est. Van helmon. de potestate medicaminum.

Idem in dispensatorio moderno, dicit sibi visum aliquando venena non produci melius fuisse; at per chymiam instructus pœnituit temeritatis & ignorantiæ, data sunt venena con[illegible] futurorum morborum sæuitiam, in illis quippe latitat subsidium quod benigniora, & familiaria simplicia recusant. Ad majores & Heroïcos medentum vsus venena tam horrida seruantur, bruta enim artis expertia nociuum odore percipientia his non vtuntur, velut horum rector spiritus aliquis, seruet ista venena in majores vsus nostros, ex mandato altissimi, cui plus curæ est de nobis, quam de belluis. Id.

A Pauor subitus mortis, sæpe quartanam aut podagram excussit.

De petra sugit mel, oleumque de saxo durissimo.

In horologijs notatur tantum Solis vmbra, quæ prodest ad temporis, & motus cœlestis discretionem.

Vide virtus medij, Repugn. quando licet vti malo medio.

Vide gloria finis, honor sepulturæ, initio.

Dicitur terra fundata super aquas, quia sine aquis sibi humiditate contrarijs, nimia siccitate dissolueretur, nec in vnum coïret.

B Vox Domini intercidentis flammam ignis. Psal. 28. Vt in fornace Babylonica, facta est flamma, veluti spiritus roris, suaui spirans sibilo. D. Basil. in d. Psal. 28.

Ex morbis fieri potest iudicium de Lunæ, & cæterorum planetarum statu; nam id præsentiunt ægri.

Quædam ægritudines sunt purgatiuæ complexionum, & consumentes humores superfluos aptos putrefactioni, qui si non consumerentur, mortem inducerent in breui. Albertus Mag. tract. 2. de morte & vita, cap. 1. *Vide bonitas & virtus contrarietatis.*

In arboribus ex excremento terreo fit cortex durus ad protectionem arboris, & succi, & ex purgamento humidi aquosi fiunt folia ad tegendos fructus. Idem libro secundo, de vegetabilibus tract. 2. C cap. 1.

Ex thimo sicco & amaro, apes mel humidum & dulcissimum eliciunt. Diogenes in exilium pulsus hinc accepit occasionem, vt se totum Philosophiæ dederet. Zeno, amissa in naui omni sua substantia. Benè, inquit, mecum agis fortuna, quæ me ad Philosophiæ portum impellis. Plutarch. l. de tranquillitate animi, *vide veritas virtutis,* etiam cogente necessitate

In argumentis, nulla sunt firmiora, quam quæ ex dubijs facta sunt certa. Quintilian. Inst. orator. l. 5. c. 13.

In armis nobilium ponuntur interdum cruces potenciatæ, *potencees*, in modum baculi quo sustentamur, quibusdam enim crux pro præsidio D est.

Galterus Yuetotus Aulicus insignis Clotarij Regis Francorum, in eius odium incidit, inuidorum conjuratione, vnde & ab eo in Ecclesia occisus die passionis Domini; Rex facti pœnitens concessit vt terra Yuetoti, libera esset in posterum à ditione Regis Franciæ, & Dominus eius Rex Yuetoti diceretur. Gaguinus.

Vide minoritas medij, vti debili medio.

Cum aliquæ partes aquæ quantitate majores tendunt infra magno impetu, alias resistere non valentes loco pellunt, & sursum ascendere cogunt, sic ascendit aqua in canalibus, & in fontibus.

Occasione dierum canicularium sapientes conuenere, & de Philosophia multa disseruere, vt refert Fracastor l. de Poëtica & intellectione & Ma- E jolus.

Vectigal Deo gratissimum, Regi honestissimum, subditis vtilissimum, quod ijs rebus imponitur, quæ ad mores corrumpendos faciunt. Bod. l. 6. Reip. c. 2.

Meteora, vt lapides & metalla in terra, & alia in singulis elementis, casu & fortuito generantur, ex concursu elementorum, inter se pugnantium, &

Digitized by Google

fractione virium contemperata, & in vnam formam concreta.

Rex Insularum Maldiuarum ditescit, ex naufragijs fieri solitis in rupibus, quibus illæ insulæ cinguntur. *Vide gloria minoris.* ex alienis malis commodum percipere.

Omnis harundo viuax est, atque adusta melius resurgit. Theophrast. histor. plantarum, libro 4. c. 11.

Palma prævalida est, & in diuersum quam cæteræ incuruatur, quippe cum reliquæ omnes in inferiora flectantur, palma è contrario fornicatim se flectit. Id l. 5. c. 7.

Ferrum candens in aquam mersum induratur, eo quod calidum frigiditatem aquæ fugiens ad interiora ferri, comburit in ipso materiale humidum, & hujusmodi consumptione magis ac magis induratur. Albertus Magnus de mineralibus l. 4. in fine.

Niuosa hyems locum præbet frugiferæ æstati.

Hyacinthus super ignem positus rubescit, vt carbunculus, fitque pulcherrimus. Card. de rer. var. c. 19. & c. 22. ex Auerroë refert esse plantam, quæ non nisi facto terræ motu nascitur ex abundantia vaporum.

Georgius agricola libro 4. de his quæ fluunt ex terra, refert plura exempla fontium & fluminum qui è montibus terræ motu concussis fluxerunt.

Montium incendia cum agros cineribus repleuerint, fertilitas solet subsequi, tales enim cineres sunt ex glebis pinguibus & bituminosis; sic accidit in Campania post enatum modernum montem, sic Æthnæ montis cineres Catanæ solum, lætum vinetis fecerunt. Ib. in fine.

Quidam podagra laborantes proscriptione bonorum ad simplicem mensam & pauperes cibos redacti conualuerunt.

Ex bonis damnatorum fiebant sacrificia. *Vide virtus medij, Rep.* vti malo medio.

Chronicon Alexandri dicit, Noë cum imprudens nolensque in ebrietatem incidisset, arcana quædam mysteria in ea spectauit.

Hyberno tempore semina altiores in terra agunt radices, & sic postea melius fructificant.

SALVS AB INIMICIS.

IN locis, in quibus magis sæuiunt & territant dæmones, thesauri effodiuntur, *vide cognitio voluntatis, Rep.* secretum.

Causa vniuersalis & essentialis montium est, quod montes nascuntur ex terræ motu, vbi superficies terræ solida est, & compacta & scindi non potest, tunc enim ventus fortiter multiplicatus eleuat locum illum in sublime, & facit montes, in quorum concauo aquæ congregatæ, faciunt fontes, & metalla. Alb. Magn. l. 2. de proprietat. elem. tract. 2. c. 5.

Planta quæ multis alijs vndique cincta est, multum crescit in altum eo quod vmbra quæ est ex alijs, ad interiora reprimit calorem frigiditate sua, & tunc indurato cortice, tam calor quam humor, feruntur in longitudinem. Id. l. 4. de vegetab. tr. 4. cap. 2.

Plutarch. l. de fortuna Alexandri gentes ab eo deuictas dicit fuisse fœlices, quia ad fœliciorem vitam, vel inuitos perduxit. Hyrcanos connubia docuit, Sogdianos parentes alere, nec in posterum interimere. Persas matres reuereri, earumque connubijs abstinere. Possunt dicere perieramus, nisi perijssemus, non enim nisi victi, mansueti euasissent; ita præstantissimi Philosophi partes egit, mores in melius commutando. Omnes homines velut vnius mundanæ ciuitatis municipes legibus instituens.

Darius dicebat se in aduersis & in bellis fieri prudentiorem.

Israëlitæ demersorum Ægyptiorum arma habuerunt, vt pugnarent contra Amalech. Theodor. in exod. q. 33.

Iudæorum incredulitas, credibilem fecit fidem Christianorum, per impletionem prophetiarum. Id fusius prosequitur, Theod. oratione de prouidentia, 10. & vlt. in fine.

Quomodo frigus adjuuet calorem naturalem, *vide medium potestatis*, media & limitata potestas.

In regno Guienche Persiæ, turris est ex capitibus, plus 50. millium Turcarum cum lapidibus & cæmento mixtorum confecta, post victoriam super eos à Persis reportatam, Dauity.

Æger dum illius sanguinem sugit hirudo, sanatur, hirudo moritur.

Sicut candelæ & lustrationes fiebant in honorem dæmoniorum, sic nunc cerei in honorem Christi consecrantur ad expellendos dæmones, sic princeps tenebrarum captus est ingenio illo quo decipiebat, Cusa Card. exc. l. 10. 7.

Vide principium minoris. malum à seipso, *& æqualitas minoris.* pœna talionis.

Christus sua morte vitam peperit, & in sepulchro accepit vitam immortalem.

Da nobis auxilium de tribulatione, Ps. 59.

Inter maris vortices sæpius natæ insulæ, vt an. Chr. 51. Inter Therasiam & Theram, orta est insula triginta duorum stadiorum. Ecclesia creuit persecutionibus, & sanguis martyrum factus est semen Christianorum.

Anno mundi 3905. Vulcani insula quæ ante non fuerat, repentè mari edita, cum miraculo omnium vsque hodie manet. Orosius, l. 4 c. 19.

Hiera insula admiratione nauigantium è profundo cum aquis calidis de repentè emergit. Genebr. an. m. 3924. non sic ex terra, terræ emergunt.

Imperatores nomen perpetuum gloriæ sumpserunt, ex hostibus deuictis vt P. Cor. Scipio dictus est Africanus.

Quanto magis Rex Ægypti, affligebat populum Israël, tanto magis crescebat & multiplicabatur. Exod. 1.

Omne agens intendit remouere contrarium.

Multæ propositiones affirmantur, dum negantur, sic qui negat veritatem esse, ponit veritatem esse.

De Cumino hoc peculiare affirmant, imprecationibus, & maledictis dum seritur magis proficere. Theoph. hist. plant. l. 7. c. 3.

Multum est vel inimico iudice comprobari.

Ab inimicis multa discunt sapientes quæ non discunt ab amicis, nam dum hostes timemus, ab eis iuuamur, & ab inimicis multa edocemur vtilia ad custodiam & prouidentiam, vrbes ab inimicis non ab amicis didicerunt, & alta mœnia extruere, & naues parare longas, quæ disciplina conseruat liberos, familiam, pœcuniam. Suidas in verbo ἀπ' ἐχθρῶν.

Quidam domo sua ab hostibus incensa plura dona recepit ab amicis, itaut videretur consulto sibi damnum hoc intulisse, de quo Iuuenalis

Digitized by Google

—— meliora & plura reponit
Percieus orborum lautissimus, & merito jam
Suspectus quasi ipse suas incenderit ædes.

Canes rixantes viso lupo vnanimes in eum insiliunt, sic bellum externum, sæpè restinguit intestinum, Rodig l.17.c.25.

Fratres Iosephi inuisis somnijs per imprudentiam subseruiunt, inuiti Iosephi somnijs operam commodant viam, qua vera euadant somnia, venditionem moliuntur; concedit Deus hominibus libidini obsequantur suæ, sed seruos intentionis suæ vel inuitos facit, vt quæ impedire voluerint, palam faciant. S. Basil. seleuciæ orat. 8.

Inter Aquilonares pugiles Biarcho floruit, qui occiso vrso jussit socium suum adhuc spirantis fluentem è vulnere sanguinem potare, quo viribus major euaderet. Olaus Mag. l.5.c.16.

A vento Circio violento fiunt montes ex arenis è mari emissis steriles, & qui tantum prosunt nauigantibus in signum ad vitanda pericula, vulgo dicuntur *dunes*. Idem l. 12. c. 17. Tales sunt ex hostibus dedititij exploratores, *vide cognitio potestatis*, exploratores.

Cum fuerit Luna à planeta impedita, & cogeris electionem ea die facere, pone ascendens signum ex domo vel exaltatione impedientis, Card. aph. sect.5. aph.61.

Patiens sapienter agit, vt debita sua soluat; nihil enim de suo in soluendo expendit, sed facit vt hostes sui pro se soluant, illatas quippe ab eis injurias sustinens, ditatur abundè. Laur. Iust. de patientia, c.2.

Neemias ex aqua ignem ad sacrificium elicit, limpha ignis filia inimicum patrem genuit, in bellicæ præsagium gloriæ ex aduersario clarescentis.

Ecclesia creuit inter persecutiones, vide quæ scripsi Theol. nat. to. 4 parte 2. c. 11.

In Concil. Nicæno 318. Episcoporum plurimi erant, oculo suffoso, manibus, naribus, genitalibus truncati propter fidei confessionem, de impietate prostrata trophæum secum portabant.

Multa in nosmetipsos recidunt, quibus vicimus: fortuna belli artem victos quoque docet, vtribus amnem trajciendi exemplum nuper fecimus. Q. Curt. l.7. inducens loquentem Alexandrum.

MILITVM PRÆMIA ET stipendia.

ANtisthenes dicebat optandum vt bona omnia citra fortitudinem hostibus contingerent, sic enim ea non possidentium, sed vincentium fore.

Perseus Rex Macedoniæ promissa Gallis auxiliaribus stipendia & præmia non exoluens, superatur à Paulo Æmilio Consule Romano, & in triumphum captiuus ducitur, Eutrop. l. 4.

De corona militis, liber Tertull.

De militaribus dignitatibus, Chassanæ. parte 9. Cathal. gloriæ mundi.

Proposuit Dauid præmium ei qui percussisset Iebuzeum, 2. Reg. 5.

Abrahamo reuertenti à cæde hostium, Melchisedech offert panem & vinum, it in occursum. Gen. 16. sic Sauli & Dauidi, occurrunt filiæ Hierusalem psallentes. Nota illic Abraham non vult aliquid de spolijs accipere, sola rectè facti gloria contentus.

In insignibus & stemmatibus exprimuntur ictus hostium, vmbone excepti & repulsi.

Signa militaria peditum, vocantur, *drapeaux*, gallicè, quia eo magis sunt gloriosa, quo fuerint ab hostibus in partes scissa.

Hannibal simul ac prima pugna vicerat, statim Romanorum armis suas copias exornauit. Suidas in verbo ἀποδιῳκάμενος. Dauid vtitur gladio. Goliath. *Vide gloria minoritatis.*

Vide potestas bonitatis, vis beneficiorum.

Olim in victores pugiles & milites, circumstans populus flores, & folia gratulabundus projiciebat. Suidas in voce περιηγήσεις.

Apud Scythas in conuiuijs, hi tantum circumlatam pateram accipiebant, qui ex hostibus aliquot occidissent. Apud Iberos tot erigebant obeliscos circa sepulchrum, quot hostes necassent. Carthaginenses pro expeditionum numero, in quibus meruissent, annulorum ornatum retinebant. Scipio Africanus apud Ennium gloriatur per sanguinem hostium & cædes, viam sibi ad cœlum aperuisse, Petrus Crinitus de honesta disciplina, l. 4. c. 12.

Apud Carmaniæ populos nemo potest vxorem ducere, nisi caput occisi hostis ad regem detulerit. Præclarior rex habetur ad quem plura capita deferuntur. Ib. l.6. c.13.

Henricus primus Turingiæ & Misenæ princeps, cum ei frigebergi argenti metalla essent fructuosissima, curauit ex argento fieri justæ magnitudinis arborem, cujus folijs, quæ partim erant argentea, prout quisque meruisset in equestri certamine, victores donauit. Georg. agricola l. 8. de nat. fossilium.

Quis militat suis stipendijs vnquam, 1. Cor. 9.

Plures ferro, quam auro fiunt diuites.

Fiebat olim illustrium virorum à regibus adoptio per arma, sic Theodoricus adoptat Regem Herulorum per Epistolam, quam vide apud Cassiod. l.4. eam refert Olaus Mag. l. 8. c. 5.

De alendis publicè militibus in bello debilitatis, vide quæ scripsi l. de agente Dei in humanis, parte 2. c. 20.

Prædæ loco victoribus militibus, cedunt liberi homines quos bello cœperunt jure gentium, itemque homines serui, pecudes, res omnes mobiles, vel animales quas occupauerunt ex hostibus, non tamen res immobiles vt agros qui publicantur, aut reducuntur in publicum, vnde milites stipendia & annonas ferant. Cujac. obser. l. 19. c. 7.

Olim cingulum militiæ fuit magni honoris propter priuilegia quæ militibus concedebantur, vnde eo priuantur Christiani, qui nolebant fidem abjurare, exautorati sæpè honoris mundani ambitu fidem abjurabant vt cingulum reciperent, id prohibet Conc. Nic. can. 12.

Ars sola militaris, Reges è priuatis facit; nostra tamen tempestate propter tormenta & machinas igneas, quanto plus in fortuna, tanto minus in virtute repositum est, Card. de arcanis prudentiæ, c. 15.

DIFFERENTIA CONTRARIETATIS.

DIVERSITAS CALAMITATVM.

SINGVLI dæmones, non vniuersas hominibus ingerunt passiones, sed vnicuique vitio, certi spiritus incubant, alij libidinem, blasphemiam, furorem, tristitiam ingerunt. Cassian. coll. 7. c. 17.

Sunt quatuor genera motus violenti, ad quæ omnes alij reducuntur, scilicet pulsus, tractus, vectio, & vertigo, quæ fit ex pulsu & tractu, eo quod primus tractus expellitur, & secundus retrahitur ad mouentem. Albert. Magn. l. 2. de motibus animal. c. 4.

Astrologus non potest facere commixtionem stellarum, nisi sciat amicitias, & inimicitias earum; est autem triplex, vna secundum naturam, alia secundum domos, tertia secundum aspectus, vt Venus opponitur Mercurio, Iupiter Marti, Hermes in centiloq. 5.

Serpentum quot genera, tot venena, quot species, tot pernities, quot colores, tot habentur & dolores, Rupert. in Gen. l. 3. c. 20.

Noua bella elegit Dominus, vt dicitur Iudicum 5.

*Numerosissimas & portentosas hæreses ex luxuriantibus ingenijs natas, descripsit D. Augustinus, Epiphanius, Philastrius & alij.

Omnis corporis læsio est, aut perforatio qua sanguini & spiritui continentia rumpitur, aut incisio qua etiam plus continuitatis soluitur, aut contusio, qua fabrica & eius materia quassatur, aut intemperies qua symmetria & forma gradus existentiæ tollitur, aut fractio qua substentatiuum afficitur.

Tribus modis virtus patientiæ exerceri solet, alia namque sunt quæ à Deo, alia quæ ab antiquo aduersario, alia quæ à proximo sustinemus, à proximo persecutiones, damna, contumelias; ab antiquo aduersario tentamenta, à Deo flagella toleramus. Laurentius Iustinianus de patientia, capite 4.*

Vide principium contrarietatis, & differentia minoritatis.

Impugnamur ab hostibus visibilibus & inuisibilibus.

Singula venena habent sua singularia symptomata & signa.

Æquali pœna, diuersa peccata non sunt punienda, *vide maioritas contrarietatis*, sed delictis pœna debet commensurari, *vide æqualitas contrariet.* pœna talionis.

Recisio ramorum in arboribus, non pari mensura omnibus fieri solet, sed plus illis reciditur, quæ plus curam istam desiderent, id est oleæ, punicæ, myrtho, quo enim his pauciora reliqueris, eo melius germinant, fructusque melius ferunt. Theophr. de causis plant. l. 3. c. 10. *

Ambulate, inquit Isayas, in lumine ignis vestri, & in flamma quam accendistis. Hinc infert origines damnatos, ignis proprij flamma torqueri; sic ab excessu in corporibus propria excitantur febrium incendia. Rodig. l. 10. c. 12. quisque suos patitur manes.

Tria genera carceris, *vide contrarietas concord.* contraria societati.

Ne quis indignetur quod propter vnum peccatum aliquis excluditur à gehenna. Nam in gehenna non omnes easdem dabunt pœnas, sed pro ratione delicti, hic majores, ille minores. &c. D. Chrysost. ho. 5. in ep. ad Ephes.

Diuersæ Tarentulæ in regno Neapolitano diuersas inferunt conuulsiones, diuersaque curantur musica, vnicuique congrua.

Adæ nulla data est maledictio, nisi de difficultate cibi acquirendi; sed Euæ datæ sunt maledictiones in eo quod ad eam pertinebat, quatenus erat mulier, id est secundum sexum. Tostat. in Genes. f. 255. e.

Damnatorum pœnæ non erunt æquales, sed inæquales juxta conditionem peccatorum, Apoc. 18. quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Id. Math. to. 7. fo. 223. Ignis inferni non aget in eos æqualiter vt agens naturale, sed potius vt instrumentum diuinæ iustitiæ, dantis vnicuique pro meritis, & ille ignis quasi intelligens diuinam voluntatem obediet ei, fol. 226.

De criminum diuersa punitione, secundum leges veteris testamenti, vide Tostat. Deuteron fol. 132.

Animæ eorum qui in peccato actuali, vel originali solo decedunt, in infernum descendunt pœnis tamen disparibus puniendæ, Eugenius 4. const. 17. §. 7.

DIVERSITAS POENARVM & suppliciorum.

IVxta mensuram peccati, datur mensura supplicij. Deut. 25. can. penul. 11. q. 3. c. fratet 17. q. 4. can. si quis 1. q. 1.

(.:) (.:) (.:)

FVGA IN ADVERSITATE.

ANimalia omnia fugiunt sibi contrarium per constrictionem, vt bonum sibi conueniens prosequuntur per dilatationem Hi duo motus sunt omnibus communes & horum principiū notatur in in cordis systole, & diastole; constringitur metu & tristitia, dilatatur lætitia, & spe. Motus constrictionis est à circumferentia ad centrum; dilatationis autem à centro ad circumferentiam. Cum autem mouetur animal motu constrictionis, retrahitur tota eius superficies versus vnum punctum in medio & figuratur concauum dimidiæ sphæræ; causa est, quod motor non est aliqua forma elementaris, sic enim motus esset rectus; sed est aliqua resultatio & vestigium motoris cælestis, cujus motus est in gyro, & circularis; deficit autem in animali, quod describit tantum semicirculum, Alb. Magn. l. 2. de motibus animal. c. 1.

Vide *differ. minoris* fuga mali, & *bonitas differentiæ*. transmutationis.

Contraria se fugiunt & expellunt. *Vide gloria contrarietatis*, opposita magis elucescunt.

Operationes frequentiores amari saporis sunt abstersio & exasperatio, & fugit ipsum natura, nec nutritur nisi per aliquas partes non amaras quæ sunt in ipso, Albertus Magnus l. 5. de vegetab. c. 2. c. 4.

Animalia non habent motum localem, nisi per sensum, quia non mouentur nisi quando fit apprehensio delectabilis, vel tristis alicujus, vnde animalia imperfecta quæ non habent ex sensibus nisi tactum, non mouentur nisi motu dilatationis, & constrictionis, in eodem loco manentia. Idem l. de motu progressiuo, c. 1.

Aqua super ignem infusa, aut ignis aquis mersus strepitum edit, sic aliqui putauerunt tonitruum fieri.

Perpetuitas & æternitas ex eo sunt, quia ipsa entia perpetua, nulla contraria recipiunt, *vide princip. durationis*.

Venenum frigidum in ignem missum resilit propter contrarietatem.

Simonides pacta mercede in honorem victorum pugilum simul in cœna discumbentium recitauit, & quia multa dixit in honorem Castoris & Pollucis, pars ei mercedis negata est, ab his quos laudauerat, recipienda; nuntiatum est Simonidi quod duo equites juuenes eum vellent alloqui, eo è conuiuio foras discedente, ruina domus conuiuæ oppressi sunt, & inuenti vultu ita deformato, vt tantum memoria ordinis quem quisque tenuerat, fuerint à Simonide recogniti. Quint. Inst. orator. l. 10. c. 2.

Pisces molles vt Lolygo & Polypus è fundo exiliunt, cum præsentiunt tempestatem, eamque, dum apparent, nobis indicant. Plutarch. l. de causis natural. c. 18.

Fuga nobis consulimus, aduersus incendium, maris & fluminum inundationem.

Antigonus olim hostibus ingruentibus cedens, dixit se non fugere, sed vtilitatem retro sitam persequi.

Exod. 21. Qui homicidium imprudens commisit, debet fugere vt vitet iram cognatorum occisi.

Rus opportunum est ad fugienda odia ciuitatis. Non possumus interdicere vim suam magnis corporibus, vt soli ardores suos æstate, frigus hyeme, mari fluxus, &c. sed habemus autem qua v. s illa major, nobis non noceat.

A

Argentum viuum non corrumpitur fugiendo in modum vaporis, aurum vero, æqualiter persistendo.

Refert Laërtius, quod Aristoteles apud Atheniensium Magistratum accusatus, quod de Dijs malè sentiret, in Calcydem se contulit, dicens, Nolo Athenienses bis in Philosophiam peccare, nam & ante Socratem interemerant.

De fuga sua in persecutione. Athanas. tom. secundo.

De tonitru & grandine. Agobard. Bibl. Patr. to. 9.

B

Ioannis 11. cum Iudæi vellent lapides jacere in Iesum, Iesus abscondit se, non timens, sed ignoscens. Deus peccatorem cum fugit, parcit, Deus rebellem non vult perdere, cum declinat. Chrysolog. ser. 131. in fine.

Idem serm. 150. In fine de fuga Christi in Ægyptum. In persecutione, inquit, melius est fugere quam negare; Petrus quia fugere renuit, abnegauit, Ioannes ne abnegaret, aufugit, & serm. 151. Martyr comprehensus, debet tenere constantiam, non comprehensus, debet fugere persequentem, vt & persecutori indulgeat resipiscendi tempus, & sibi tempus non auferat supplicandi, dicente Domino, si vos persecuti sunt de vna ciuitate, fugite in aliam: persecutorem qui prouocat, facit; corrigit, qui declinat. Fugere ergo debemus, si saluare persecutores nostros, volumus, pro quibus præceptum est nos orare, Math. Fugit Christus, vt seruatus in virilem ætatem nobis daret exemplum voluntariæ mortificationis & passionis, & vt fugiente Domino fugere non putet indignum seruus. Herodis sæuitiam Christus fugit, non vt euaderet, sed ne videret. O Sion fuge, &c. Zach. 2.

C

Vide æqualitas minoris Rep. non pati communem miseriam.

Cerui fugientes sequuntur ventum, nam si fugerent contra ventum odor ad canes deferretur.

Helias fugit, cum Iesabel minatur ei mortem. 3. Reg. 19.

D

Pars corporis læsa contrahitur & corrugatur fugiens, & in se recedens vt potest.

Sicut sese similia trahunt propter conseruationem, ita dissimilia & contraria propter eundem finem sese mutuo pellunt & fugant; sic candelæ flamma juxta posito aliquo valdè frigido, vt ferro, & similibus, in latus abscedit, cucumis cum sit aqueæ constitutionis præsertim dum est in incremento, recuruatur oleo supposito, aqua super sicco & in puluere rotundatur, quia non valens moueri ad centrum deorsum, propter contrarium circumstans, partes in toto se constituunt eo melius quo fieri potest sic enim tangunt contrarium secundum minimum, quo possint, & quo magis vnitæ sunt, & propinquæ inuicem; hæc præstat orbicularis figura, quæ & in puncto tangit; & breuissimas habet ad centrum lineas. Fracastor. lib. de sympathia, c. 9.

E

Si aëris vitio pestilentia contigerit, nullum est salutarius remedium quam fuga, & inquisitio salubrioris aëris. Id l. 3 c. 7.

Dixit Abbas Pastor, non habites in loco, vbi vides aliquos habentes aduersum te zelum, quia ibi non proficies, vitæ Patrum, l. 5. c. 10.

Romani foris quam domi pugnare malebant. Nam foris si qua fuerit accepta calamitas emenda-

A ri potest, quæ domi excipiuntur clades exitiales habentur, Æneas Sylu. ep.131. Ideo socijs auxiliandum.

Motus omnis naturalis incipit à loco non naturali, & tendit in locum naturalem.

Atheniensibus Siciliam inuadere paratis infœlicem futuram expeditionem Astrologiæ beneficio præuidit Meton miles, & cum à ducibus honestam missionem non posset obtinere; insaniam simulauit etiam incensa domo, & sic absolutus est à militia, Rodig.l.21.c.43.

Orate vt fuga vestra non fiat hyeme vel sabbatho, id est, tunc cum commodè non potest fieri. Est enim quædam fuga hominum secundum præceptum verbi, vt qui fugit, quæ fugere oportet, melior sit eo B qui non fugit, sed semetipsum subditum facit perdentibus animam malis; de hac fuga dicit Apostolus, 1. Cor 6. fugite fornicationem, &c. Origen. trac. 29 in Math.

Hymnus gloria Patri, &c. non dicitur à Dominica Passionis, & sequenti hebdomada luctus, quia tunc Pontifices mandatum dederant apprehendi Iesum, & ipse jam in palam non ambulabat apud Iudæos, ita nos quoque vocem laudis continemus.

Piscis est, sepiam vocant, qui effusione atramenti se tutatur, nec aliter lædit, aut nocet.

Zeno Imperator fugiens persecutionem Basilisci, qui imperium orientis occupauerat, se recepit in C Isauriam, de hac dicessione loquens dicit, ante profectionem nostræ mansuetudinis, l. decernimus, cod. de Sacros. Eccl.

Athenienses à pluribus simul hostibus obsessi, consuluerunt oraculum quid illis facto opus esset, responsum est, solum illis præsidium superesse in muris ligneis, sic relicta hostibus vrbe naues conscenderunt, vt vel fugiendo salutem, vel pugnando victoriam quærerent, Maximus Tyrius, orat. 5.

Homo & quodlibet animal magis inclinatur ad timorem quo mala fugit, quam ad audaciam, qua mala inuadit. Tostat. Mathæ. tomo quinto, f. 7.

Latini dicti sunt à latendo, quia in illa terra latuit Saturnus fugiens & regno spoliatus à Ioue filio D suo. Id. in def. f. 49.

Moyses licet iustè occidisset Ægyptium, & ex potestate sibi collata à Deo, fugit tamen à facie Pharaonis, Id. exo to. 1. f. 11.

Nubes tenebrosa quæ posita est inter Ægyptios & Hebræos, juxta mare rubrum, impediebat Ægyptios ne accederent ad Hebræos timentes ne caderent in periculosa loca, Ib. f. 113.

Ardea quæ paludibus inhæret, notas sedes deserit, imbresque formidans supra nubes volat, vt procellas imbrium non sentiat.

Iacob fratris iras fugiens patriam fugit, & sollicitudines per solitudines mulcens, exitium declinat E exilio.

Infirma fugiunt à nocentibus & latent. Vide quæ scripsi, de iure naturali, libro secundo, lege 18. § 1.

Terra non germinat hyemis tempore, sed recondit in se fruges ne lædantur à frigore.

Audiens Iesus quod traditus esset Ioannes, secessit in Galilæam, Math. 4. docens nos non vltro in tribulationes irruere, sed secedere potius atque discedere. Neque enim crimen est non semetipsum in pericula sponte proijcere, sed non fortiter cum incideris permanere, D. Chrysostom. hom. 14. in Math.

Hirudines tota hyeme sub limo conduntur & viuunt.

Lumen etsi videatur ad spiritualium naturam accedere, resilit tamen ex occursu corporis & refringitur non secus ac globus impactus.

Africanus maluit patria cedere, quam cum Tribuno plebis humillimo contendere de innocentia sua. Rutilius reuocante illum Sylla manere in exilio maluit. Quint. Inst. orat. l. 11. c. 1.

Quando prælatis non est fugiendum, vide proximè hoc, tit *differ. contrariet. mala, & minor differ. Residentia.*

Eos fuge, qui quod in te præcipuum est spernunt, hinc enim nihil vtilitatis, gloriæ, spei que. Cardan.

Q. Curtius l. 7. loquens de Septentrionali regione Persidis: Ad montis, inquit, medium, furit vites & arbores quæ penitus hyeme defossæ latent, cum hyems discussa aperire humum cœpit, cælo solique redduntur.

Tempore pestis præseruantur qui loca seligunt habitationi pura, procul à cloacis, aquis, fenestris ad austrum occlusis, foco assiduo, qui perenni fulgeat igne, sic enim Athenis pestem abegit Hyppocrates.

DIVERSITAS REMEDIORVM.

QVoniam peccati diuersæ & variæ qualitates fuerunt, diuersorum animalium mandantur hostiæ, Origen. hom 14. super nume.

Numer. 31. reportata ex Madianitis spolia purificantur; igne quæ ex metallis constant, aqua, quæ sunt fragiliora, & ignem non ferunt.

Malis singulis, singula promissa sunt remedia. Vide quæ scripsi de iure natur. l. 2. lege 17. § 1.

Vide differ. bonitatis, differentia medij.

In morborum vt corporalium curatione, primum nosse oportet ægrotantis & morbi naturam, nec enim omnes vno curantur remedio. Hæc fuse. Laurent. Iustin. l. b de perfectione Monastica, c. 9.

Vide medium gloriæ medicinæ.

Medicamen propriè, immediatè atque efficienter consistit in competenti siue appropriato, per quod natura à suo casu resurgat, & in quo spiritus rector suas reperiat delitias, sicut cibus sedat famem, nec quatenus stomacho contrarius, nec quatenus similis eidem, sed quia remedium appropriatum, sic requiritur remedij appropriata conuenientia & proportio tam in gradu, quantitate, adaptatione, applicatione, specifica conformitatis adæquatione. Van helm. *Vide concordantia æqualitatis.*

Arma quædam sunt deffensiua, alia offensiua.

Flammeus gladius & versatilis impedit aditum paradisi, Gen. 3.

Præstat in magnis morbis à magnis auxilijs, in maximis à maximis; in leuibus à leuibus, in mediocribus à mediocribus initium medendi sumere, & hoc est ab æqualibus inchoare, Card. methodi medendi, c. 16.

Est quidam purgandi modus vnicuique morbo familiaris, pleuritidi sputum aut vrina; ardenti febri sudor; phlegmoni jecoris, sanguinis profluuium; tertianis vomitus, spleni varices & vlcera in cruribus, morbillis alui profluuium.

Natura diuersis animalibus triplex dedit præsidium, vim & arma vt leoni, dolos vt serpen-

ri & infirmis quibusque, fugam, vt ceruo, lepori. A

FVGA CONTRARIORVM mala.

VIde *duratio virtutis*, *Rep.* de desertoribus & apostatis.

Cn. Vatienus qui finistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, sibi absciderat, bonis publicatis æternis supplicijs est addictus. Rodig. lib 10. c. 4.

De meticulosis, *vide cogn. contrariet.* nimius mali metus. B

Rex quidam Ægypti nomine Sisach, fecit statuas quasdam Iudæorum, quas reliquit in terra Israël habentes genitalia fœminea, cum reliqua effigies esset viri; id fecit ad exprobrandum fœmineum animum in virili corpore. Tostat. 3. Regum f. 134.

Fuga & latebræ sunt vltimum infirmitatis præsidium, vide quæ scripsi, de iure natur. l 2 lege 18 infirma fugiunt a nocentibus & latent. Ib. § 3.

Numquid amicus censendus est verus, qui cum opem posset impendere fugit, diuina vltione percutitur populus, peste, bello, fame, prælati primi sunt qui recedunt de loco, & in redeundo vltimi; non sic Dauid qui orans pro populo dicebat, ego sum qui peccaui, isti oues sunt; non sic Moyses qui stetit in confractione; non sic Christus qui Iudæis in se sæuientibus dixit, ego sum, sinite hos abire, &c. Laur Iust in complanctu Christianæ perfectionis. Instituti sunt in acie exercitus Domini ad cæterorum confirmationem & robur, & ipsi sunt primi qui fugiunt; sunt in excelso vt luceant cæteris, at procedunt tenebræ, vnde lux oriri debuerat. Ib. C

Refugarum pœnæ augentur. Refugæ ex opere metalli, in metallum dantur; ex metallo vel deportatione, extrema pœna adficiuntur; ex relegatione temporaria in perpetuum; ex opere publico temperario, duplicato tempore damnantur, &c. l. 4. ff. de pœn. & Cujac. obs l. 6 c 36.

Reus qui fugit damnato comparatur, ejusque bona publicantur l. si in libertinum, ff. de bon. l. Sui propemodum ipsius accusator est qui est in fuga. Nou. 53. & sua sententia suspectus. Cujac. Ib. l. 7 cap. fatetur facinus, qui iudicium fugit

Constantinus Imperator eos, qui resectis digitis se sua sponte ad militiam fecissent inutiles, curijs ciuitatum addixit, libro 1. Cod. Theod de filijs milit. app. & si militum nomen non ferrent, non euitabant tamen onera laboresque militiæ, murci jocaliter dicebantur. Cujac. obseru. l. 15. cap. vlt.

Lex humana tunc maximè obligat cum periculo vitæ, quando illud periculum per se est annexum actui præcepto, vt in bello periculoso, pro defensione R ip At quando mortis periculum non est per se conjunctum actui præcepto, sed contingenter adjungitur, lex humana per se non obligat ad sui obseruationem cum tanto periculo vitæ, nec alterius grauissimi nocumenti; vt præceptum de integritate confessionis, de jejunio, de non communicando cum excommunicatis, non obligat cum periculo vitæ. Suarez de legibus, libro tertio, capite 3.

Nulli licet eximere se à pœnis, quas leges imponunt delinquentibus ipso facto, si non sint acerbæ & inhumanæ, & potissimum si sint priuatinæ siue vitæ & honoris damno. Ibidem libro 5. cap. 5.

Quibusdam veloces pedes, lentæ manus. Seneca.

(··) (··) (··)

CONCORDANTIA CONTRARIETATIS.

CONTRARIORVM VNIO BONA.

OPORTVIT *mundum constare contrariis, quæ venirent in vnionem, vide quæ scripsi de iure naturali, l 1. lege 2.* D

Contrariorum vnione stat vniuersum Ib § 7.

Vrgente communi periculo, diuersa etiam contraria sociantur Ibid. lib 2 lege 17 § 3.

Vnio contrariorum in mundo probat illi dominantem diuinam potentiam. Vide quæ scripsi Theol nat. parte 1. cap. 8. & 9. De elementorum vnione in mixtis Ibid cap 11

Hyppocrates lib. 1. de natura hominis & de diæta ponit tantum duo rerum principia, ignem & aquam, vnde constant mixta omnia, motum habent ab igne, nutritionem ab aqua. Gallia nata est in cancro signo aqueo, Hispania in leone signo igneo, vt patet in l. de fato vniuersi, è duorum istorum regnorum concordia, pendet totius orbis habitabilis fœlicitas.

Dicunt Platonici stellas factas fuisse ex igne propter splendorem, cæteras cæli partes ex aqua propter transparentiam & diaphanitatem, ideo cælum Hebraïcè dicitur Schamaijn, quasi Eschmaijn, id est, ignis & aqua. Leo Hebræus dialog. 2. de amore.

De vnione ignis & aquæ, *vide gloria voluntat. R.* amoris lachrymæ.

In Christo contraria vniuntur, *vide media gloria,* sub finem,

Numerus par & impar, cum disparia sint, contrariaque, tamen ex vna genitura profluunt, & in

Digitized by Google

vnam compositionem modulationemque junguntur. Boetius Arithmeticæ,c.2.

Vt omnia ignis & aquæ concordia constant. Ita si potes principes aduersarum factionum amicos habere,omnia obtinebis, sed si etiam conciliare, & in amicitiam redigere, maxima quoque, sic Cæsar Pompejum & Crassum. Lepidus Antonium & Octauium. Cardan. de arcanis prudentiæ,cap.91.in fine

Scorpius signum Zodiaci trigoni aquei, est domus,exaltatio,trigonus Martis ignei planetæ.

Contraria se quærunt in remedium, sic homo qui habet cerebrum amplius & humidius, quam cætera animalia,gaudet odoribus qui sunt in calido & humido euchymio. Albert. Mag.tr.2. de sensu & sensato,c.13.

Animalia complexione sua frigida, melius degunt & proficiunt in locis calidis,sic sub Zona torrida, crocodylus qui est species lacerti, excrescit in magnam corporis molem, serpentes ibidem immensæ magnitudinis inueniuntur. Id.tr.2. de morte & vita,c.9

Similiter in maribus Septentrionalibus, inueniuntur balenæ maximæ molis, & alij pisces & serpentes maximæ quantitatis, quia ipsa animalia habent sanguinem, & calidum in pingui humiditate retentum, quorum neutrum facilè consumitur, sed temperatur, & facilè extenditur sub cælo frigido. Signum caloris in eis est, quod coëunt vt terrestria animalia, non ouant,sed pariunt,suos fœtus viuos, habent magna ossa,pilos in cute; & ex illis extrahitur multum olei. Ib

In ouo & semine plantarum sunt simul agens & patiens. *Vide duratio virt.* mora.

Sol & Luna, duo luminaria facta ab initio, quasi mas & fœmina, habent qualitates sibi maximè contrarias, nam Sol est calidus siccus, Luna humida, frigida. Sic matrimonia inter personas diuersi genij temperamentum sibi mutuo sunt.

Quando duæ conjunguntur infortunæ, fit ex eis fortuna, perfecta, sicut ex duarum fortunarum conjunctione, & hoc secundum dicta Ptolomæi. Almansor centiloq.n.7.

Orientalis & Occidentalis ventus constantes, impediunt tempestatem, Orientalis propter suam frigiditatem, Occidentalis propter suam humiditatem. Arist.in problem.

Frigidæ complexionis serpentes amant solem, vt remedium Anates,corui, veniunt ad nos hyeme, quo temperatur nimius eorum calor.

Instructura saxorum rudium, etiam ipsa enormitas inuenit, cui applicari, & in quo possit insistere. Quint Inst.orat.l.9.c.3.

Pes Iambicus in versibus & oratione, est ex breui & longa.

Collegæ licet contrarij genij consentire debent in publico regimine, *vide concord. potest.* concordia Rectorum.

Bonis hominibus mali serui contingere solent, malis verò boni.

In cælo tot ignes, cum aquis sunt concordes.

Aqua fluida humida, commune habet centrum cum terra sicca & solida.

De fonte qui simul emittit flammas & aquas frigidas, *vide veritas contrariet. Rep.*

Mercurius in domo Saturni in bono esse, dat intelligentiam rerum medullitus. Hermes, senes cum junioribus laudent nomen Domini, Psalm. 148.

A In syllogismis conficiendis, considerandum est, an id quod in genere positum est, alicujus generis contrarij particeps sit, vel particeps esse possit, idem enim contrariorum simul particeps erit, quia nunquam species deserit genus, & particeps quoque est, vel particeps esse potest contrarij. Arist. 4. topicor. 3.

De elementorum mixtione, D. Thom. opuscul. 33. Sub litteris Alphabeti contraria vniuntur.

Dentur duo lapides magnetici, vnius polus Septentrionalis, adhærebit alterius polo Meridionali, non Septentrionali, similes se fugiunt, contrarij adhærescunt.

Contraria tantum quæ sunt in summo, & vt octo non miscentur, nec se patiuntur, quasi caliditas specie tota & natura contraria non sit frigiditati, sed certis gradibus solum. Fracastor.

Qui protestatur actum facere sine præjudicio sui priuilegij, non amittit priuilegium, nam actus agentium non operantur vltra intentionem eorum. Bonacina de priuilegijs in fine.

Non est possibile ligare contraria, nisi per medium particeps vtriusque extremi.

Mus ponticus *hermine*, paruum animal instar mustellæ, toto corpore perfectum habet album colorem, extremitatem caudæ perfectè nigram.

Animus humanus à contrarijs simul passionibus afficitur propter diuersos respectus, sitiens qui bibit, habet simul dolorem quia nondum satiatus est
C appetitus, & voluptatem,quia actu satiatur. Hæres in morte parentis simul dolet & gaudet propter adeptam libertatem, & hæreditatem; Christus in passione simul habuit dolorem de tormentis, & gaudium de salute humani generis.

In rebus permanentibus quæ per motum fiunt quæ generantur, quod fit, non est, at fallit in rebus successiuis, cum earum esse sit in fieri, fallit etiam in permanentibus quæ vno momento fiunt.

Petrus Damiani opusc.52.c.2.Illud Isa 11. habitabit lupus cum agno,interpretatur de Monachis qui cum essent in mundo contrarijs moribus,simul viuunt pacificè in claustris.

Si vnitatem numeri, à numero separatam consi-
D deras, monas est,& non est numerus, sed principiũ numeri,si multitudinem ab vnitate desertam consideras,infinitas quædam est. Numerus igitur ex vnitate & multitudine, tanquam ex finito & infinito constitui videtur,sic de omni ente. Card. Cusa. excitat l.1. capite primo.1. *Vide media concordantia*, exdem.

Nidus Phœnicis est simul cuna & sepulchrum in quo nascitur,moritur

Res habent contrarietatem ad inuicem, quantum ad proximos effectus, sed tamen concordant etiam contraria in vltimo fine ad quem ordinantur, secundum harmoniam quam constituunt, concluduntur enim sub vno ordine vniuersi, sicut
E patet in mixto quod componitur ex contrarijs.

Sicut contraria elementa non se inuicem corrumpunt, quia conseruantur per virtutem corporis cœlestis, à quo actiones eorum regulantur, ita contrariæ qualitates in corpore mixto regulantur & confortantur, ne se inuicem corrumpant, per formam substantialem, quæ est impressio quædam corporis cœlestis.

Cahida nascuntur in locis frigidis, & virtute præstantes,inter mores corruptos, *vide donatio virtutis inter malos,bonis.*

Flatus hyeme calidi, æstate frigidi vtiles sunt, hoc enim modo contra temporis injuriam subueniuntur. Nocent vero si temporum qualitati similes sint, excessum enim sic sequi necesse est, Theoph de causis plant l.2.c.4.

Terram aduersi habitus intermisceri præcipiunt, ponderosæ leuem, leui ponderosam, macram pingui & contra, hac enim admistione, quod deest, repletur. Ib.l.3.c.25.

Aberrauit qui ex Corintho Syracusas profectus, culturam Corinthij agri in Syracusano seruauit. Cum enim lapides è segete frugali legisset, reddidit multo deteriorem, frumentum enim exarescebat, cum exemptis lapidibus, nihil haberet quo se posset protegere, Ib

Deus posuit Iridem in cælo in signum fœderis, quia apparet in eo color rubeus qui est ex humido inflammato, & viridis ex aqueo indigesto, quod significat quod omnino non præualet ignis super aquam, nec aqua super ignem, cum vtrumque habeat aliquid suæ operationis, ad ostendendum quod non inundabit diluuium, nec aquæ, nec ignis quia neutrum præualet alteri. Apparet etiam Iris in tempore quod in parte est serenum & in parte humidum, serenũ ex calido sicco, quod conuenit cum virtutibus ignis: humidum autem ex frigido & humido, quod conuenit cum potentijs aquæ. Albertus Magnus, meteor. libro tertio, tractat. 4. capite 6.

In Iride post rubeum colorem est ceruleus qui ita incipit, vt non possit distingui per lineam inter ipsum & rubeum, & similiter ad viridem ita determinatur, quod linea non potest imaginari inter eum & viridem, & hoc est vnum de miris naturæ, quod incipit à tam similibus, quod quasi indistincta videntur, & in tam diuersa terminatur opus eius: id pictores vix possunt imitari, quia eorum colores sunt in materia magis terrestri & minus peruia. Ib. cap.7.

Heraclides Philosophus Platonis discipulus, Draconem aluit, mansuefecit, contubernalem ac concubinum habuit. Suidas in voce Heraclides.

Thetys mare & terra dicitur, hoc est natura humida & sicca, Id. in voce Thetys.

Ex æquali mixtione albi nigrique fit rubeus, si enim lacti fuliginem miscueris, rubeus fit color. Card. de rer. var. l.3.c.14.

Lacerti natura sua sicci & frigidi, apud nos hyeme conduntur, at benè se habent & in prodigiosam excrescunt magnitudinem in regionibus calidis & juxta aquas, temperatur enim frigida, & sicca eorum natura ab vtroque contrario quod vitæ amicum est. Id.c.27.

Sapiens est vnus in se, multiplex in alijs per vrbanitatem & charitatem. *Vide magnitudo concordantia.*

Hyppocrates l.1. de nat. humana com. 11. Nisi calidum frigido & siccum humido, modo & æquabilitate respondeat, nihil potest generari, quocirca viri ac mulieres quæ impari gradu, & per consequens in dispari qualitate existunt, tuto inuicem nubere possunt.

Vnio animæ Christi ad corpus in passione erat causa doloris, vnio autem eius ad diuinitatem erat causa gaudij, hæ autem duæ vniones non se impediunt, ergo in Christo fuit simul dolor passionis, & gaudium fruitionis. D. Th. in. q. disp. de passionibus animæ, a. 10.

Anguli platearum de quibus, Math. 6. dicuntur
A concursus viarum, vbi viæ se intersecant per transuersum, & efficitur quadriuium. Tost.

In beatorum corporibus manet compositio ex contrarijs, & tamen ista quæ sunt contraria, non habebunt actus corruptiuos, Id. Math. to. 4. f. 236. c. 3. h

Simul videmus album & nigrum.

Aquæ per venas sulphuris transeuntes fiunt calidæ, & per canales deriuantur in thermas ad voluptatem, ægrisque corporibus remedium præstant sine horrore, sine tormento, sanitasque sic acquiritur impunita. Olaus Magnus, libro secundo, cap. 1.

B In Islandia sunt montes, in quorum vertice nix est perpetua, & in base ignis sulphureus, sine sui consumptione inardescens Ib.c.2.

Ascendens libra facit hominem varium; in eo enim dominantur duo planetæ contrariæ naturæ, Saturnus & Venus; nunc serijs, nunc jocis incumbet, Card de judicijs genitur. c.15.

INIMICORVM DILECTIO.

NOn vlcisci; *Vide minoritas contrarietatis.*

C Hæc est celebranda virtus; hæc animi suspicienda moderatio, vincere iram, & inter simultates quoque meminisse hominis. Fabio Maximo immortalem attulit gloriam, ereptus ex hostium manibus inimicus, Quint declam. 9.

De Agripino qui encomium scribebat mali quo vexabatur. *Vide duratio virtutis*, fortitudo in aduersis.

Celtæ, id est Galli in Iberos bellum mouentes, tandem simul pacem & matrimonia inierunt, & ex hac mixtione dicti sunt Celtiberi. Cœl. Rodig. l. 18. c. 22.

Mat. 5. dicitur, tollenti tunicam dimitte pallium, angarianti mille passus, vade cum illo, & alia duo, vt vincat necessitatem voluntas & hoc sit patientis
D virtus, quod imperat vis cogentis Chrysolog. serm. 38. Christiana virtus, non est tantum passiua, vult esse actiua, in nolentes recipere, excutit etiam puluerem pedum.

De inimicorum dilectione, homil. D. Chrysostom. tom. 5. D. August. tom. 10. libro 3 Cypr. tom. 3. Bernardin. quadr. 1. serm. 28. & quadr. 2 ser. 50.

Non resalutans salutantem inimicum, peccat grauiter, quia dat scandalum; & hinc accenditur contristatio & odium, Bonacin. de charitate proximi.

Itane Dominicum corpus factum contemnis & auersaris; non sentis quid temerè audeas, caput habet ipsum Christum, & mensam, & vestimentum, & vitam, & lumen, & sponsum; nam omnia illi Chri-
E stus est, & audes dicere, auersor illum, si diligis diligentem etiam Ethnicus & bestia id facit; ama igitur etiam non amantem & lædentem & dic, etiamsi me millies fuerit auersatus, non tamen deficiam.

D. Chrysostom. homil. 27. in epistol. ad Roman.

Inimici si sint hæretici, oportet odisse non illos, sed eorum dogma, non hominem, sed prauam actionem, & mentem corruptam. Nam homo est opus Dei; error est opus diaboli, ne ergo misceas quæ sunt Dei, & quæ sunt diaboli. Iudæi erant

Digitized by Google

Christo contumeliosi, tot tamen non oderat Paulus, qui maximè Christum diligebat, & omnia pro eis agebat: non oportet igitur odisse, sed misereri, nam si odio habueris quomodo facilè conuertes errantem, quomodo orabis pro infideli. Si oportet odisse peccatores, oportebit nos inflatos insolentia & arrogantia omnes homines auersari, Id.ho.33.in 1. Cor.

Moses, Paulus, Dauid dilexerunt inimicos. Cum diligis inimicum, non illum beneficio afficis, sed teipsum, par enim Deo efficeris. Inimicus si à te fuerit dilectus, non multum lucrifecit, fuit enim dilectus à conseruo, tu autem si conseruum dilexeris, magnum fecisti lucrum, efficeris Deo similis, si sit malus est causa diligendi. Tolle aduersarium, nempe antagonistam, & coronarum tollis occasionem. Id.hom.19.in ep.ad Hebr.

Deus facit miracula etiam apud hæreticos. *Vide maiorem at potest.* miracula.

Princeps conciliat authoritate sua priuatos inter se hostes, idem iubet potentior Deus; sic sagittarij cum piscibus occultior est inimicitia, quia ambo sunt domus Iouis, Cardan. de iudicijs genitur cap. 28. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, si bene conuenis cum Deo, etiam cum proximo conueni.

Non licet aliquem odisse, cum nobis Deus omnes homines commendarit, si dignus est proximus, ama quia dignus est quem ames; sin indignus, ama quia Deus dignus cui pareas. Ne sit tibi turpe fratrem illum habere, quem Deus non dedignatur filium; Deus qui vult nos saluos spargit in mundo beneuolentiam, diabolus quia vult perditos, inimicitias. Lud. Viues.

Patientiæ virtus est coram hominibus persecutores tolerare, sed coram Deo, est ipsos diligere; nam tolerasse & odisse non est virtus patientiæ, sed velamen furoris, ita dæmonem vincit & seipsum, assimilatur Christo, principis sui gloriosè fert stigmata & insignia. Laurent. Iustinian. de patientia cap. 2.

Patiens efficit sapienter vt hostes sui, debita sua soluant, illatas namque ab eis iniurias sustinens ditatur abundè à Deo, sic sibi vtiles, non potest non diligere, Ib.

Inimicorum dilectio Christianis præcepta. Vide quæ scripsi moralis. Christiana, tom. 4. parte 1. c. 21.

Dicit Christus, diligite inimicos vestros, vt sitis filij patris vestri, id est, vt tales omnibus appareatis; Deus autem apparet lux primæua Angelis qui volunt illuminari, hominibus autem infirmis misericordia, quæ parcat & iuuet. Deus meus misericordia mea, Psalm. Igitur si filij Dei sint, operibus eum imitentur, degeneres enim solent abdicari, quasi non sint filij, inimicos igitur dilige propter imitationem, propter obedientiam quia id præcipit, propter amorem Dei, qui amoris proprij sensum obscurat.

Malè quidam dicunt implere se præceptum diligendi inimicos dum blandiuntur suæ carni, *vide minoritas gloriæ*, mortificatio sensualis delectationis.

Etiam bannitis potest fieri eleemosyna ad finem eos conuertendi, *vide minoritas bonitatis.*

Diligite inimicos vestros, &c. Math. 5. Obserua quibus gradibus ascendat ad perfectionem. Primus gradus, ne prior iniuriã ordinare; secundus vbi est iniuria coepta, ne tu illam, eodem pacto propulses;

A tertius ne par pari referas, sed quiescas; quartus vt etiam præbeas teipsum ad iniuriam sustinendam; quintus vt etiam ad maiora te præbeas, quam ille qui facit; sextus non odisse à quo ista pateris, septimus etiam diligere lædentem; octauus beneficijs etiam afficere, nonus, etiam Deum pro aduersario deprecari. Ob id non proponit præmium, sed vt sitis similes patris vestri, qui solem suum facit oriri super iustos & iniustos. Ama malum tibi inferentem, vt malorum bonorum conciliatorem, & ad amplissimum honorem te lædendo ducentem.

Exod. 27. columnarum 60 quæ sustinent tentoria tabernaculi viginti sunt ad meridiem, totidem ad Septentrionem, significabant affectus charitatis exercendos ad dextram atque lęuam, ad malos atque bonos, ad amicos & inimicos extendi debere, vt nunquam cessent rebus aduersis vel prosperis. Rusbroch. de tabernaculo fœderis, c. 5.

SIMILES EFFECTVS EX *diuersis & contrariis causis.*

Flores non generant, sed immediatè producunt fructus suos, & arbores quarum fructus est admodum dulcis, vt ficulnea propter dulce humidum diu decoctum viscosum, & arbores quæ multum amarum habent succum, cum multa terreistrate vt quercus, nux, &c. Alb. Magn. l. 2. de veget. tr. 2. cap 4.

C

Omnis intemperies magis cessat in meridie & media nocte, quia corpus tunc magis quiescat, cum vincit, aut vincitur; intemperies autem vincitur in meridie, vincit in media nocte.

Chymica extrahit qualitates ex mixto, duabus vijs sibi contrarijs scilicet per ascensionem, & per descensum.

Duo inæqualia possunt fieri æqualia, per additionem minimi, aut detractionem excedentis.

Festinatio ex fortitudine & debilitate, *vide minor. durat.* celeritas.

D Vermes in plantis gignuntur, vel ex humido calido, vt austrino flatu, vel cum humor effundi nequit conclusus siccitate aëris circumfusi. Theop. de caus. plant. l. 5. c. 27.

Coagulatio tum ex calido, tum ex frigido, quia in lacte fit per calidum, & in metallis per frigidum, sed quando fit per frigidum non est durabilis. *Vide duratio concord. Rep.*

Synonima hoc est plurinomina, eo quod fit in pluribus nominibus significatio eadem, vt terra, humus, tellus. Isidor.

Pestis sedatur magnis caloribus, dum teterrimus vapor prius dissoluitur, quam arteriæ illum hauriant, sedatur etiam à magnis frigoribus, quoniam arterijs occlusis non attrahitur, nisi postquam vires amisit. Cardan. l. de rerum varietate, cap. 45. in

E fine.

Terræmotus fit & ex siccitate, nam arescens rumpitur, & cum madefit, his enim abruptis iugis, simul ac incidant, quatitur. Georg. agricola, l. 2. de causis subterraneorum.

Terræ fiunt macræ, si vel calor multas eas exusserit, vel si propter frigus crudæ manserint. Ib. l. 5. Similiter fiunt lapides & à calore & à frigore, calor enim ex materia extrahens humorem eam effi-

cit duram, ut frigus tandem, aëre maxime ex parte exclusso, arctissime constringit. Ibidem, libro quarto.

Lachrymæ fluunt, ex dolore qui meatus coarctando humorem exprimit, & ex lætitia quæ meatus aperiendo humori vt fluat, viam aperit. Rod. l. 22. c. 4.

Et frigus & calor adurit, vtis calor gluten humiditatem eliciendo, frigus vrit eandem exsiccando & destruendo, vstio enim humiditatis extinctio, vel eductio est.

Ignis & aqua habent vim purgandi. Ignis non lucet propter nimiam raritatem, vel opacitatem.

Quibus ex tranquillitate & conticentia obrepserit, vel somnus, vel stupor, hi sonitu aliquo solent expergefieri, quibus ex strepitu ac murmure, expergiscuntur, si strepitus ille conquieuerit.

Illud animaduerte, nonam cæli domum cum tertia, sextam cum duodecima, quintam cum vndecima semper sic conuenire, vt quæcumque in vno loco planeta decreuit, licet minus, in opposito etiam positus pollicetur. Cardan. de iudicijs geniturarum, cap. 1.

Calidissimis ac frigidissimis temporibus venti tari ac lenes, sic & meridie & nocte media. Ib aphor. sect. 7. aph. 107.

Sudores argumentum sunt naturæ, & infirmioris & potentioris, infirmioris quidem, quia si potentissima foret, non in sudorem, sed halitum materiam com mutauisset; potentioris autem, quia in hoc saltem vis naturæ patet quod affatim calidus sudor excernitur.

D. Chrysost. hom. 62. in Math. dicit auaritiam non sentiri & à Monachis procul ab ea in deserto educatis, & ab his quibus ita facta est familiaris, vt omni virtute expulsa crimen esse non videatur.

Frigus excellens mortificat, tanquam si vreret.

Aliter Adam, aliter Eua, aliter Abel, aliter homo Iesus Christus, & in omnibus diuersis exordijs vna hominis natura non differt, sic in resurrectione, eius potentia qui cuncta fecit ex nihilo, reddentur quæ fuerunt. D. Hier. ad Pammach aduers. errores Ioan. Hierosol.

CONTRARII EFFECTVS ex eadem causa.

IN terræ visceribus contenti vapores vi erumpunt, & faciunt apparere fontes & flumina. Interdum etiam apertis abyssis ea absorbent. Albertus Magnus, libro quarto, de vegetab. tractat. 2. cap. 2.

Mare propter reuerberationem vaporum salsitudine infectorum sua littora efficit sterilia, postea fœcunda aluuione scilicet terræ fœcundæ quam E accipit à decursu fluminum. Ibidem libro 7, capite 6.

Vide duratio contrariet. Rep. Ibi antidotum vbi venenum.

Tempus memoriam & firmat, & delet. *V. durat. cogn. memoria.*

Vt Sol indurat lutum, ceram liquefacit, sic Dei longanimitas quosdam indurat, quosdam emollit.

A Dicit Christus, Ioann. 9. In judicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. Iudas excæcatus, excæcati Iudæi, illustratus Paulus, illustrati Gentiles. Luc. 2. dicit Simeon. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum, In eodem alij victi, alij victores. Theod. in exo. q. 12.

Mare gentes ab inuicem diuidit, si separatim voluerint manere, fossa & munimentum est; si voluerint commercium & fœdus inire, vtile est vt breui temporis spatio, longum iter possit absolui. Theod. orat. 2. de prouidentia.

Nihil nascitur, vel operatur in mundo, quod Deus Monas radicalis non perficit; mediantibus B suis duabus proprietatibus, contractione scilicet & emissione, nolitate & voluntate. Harum proprietatum effectus sunt, rarum & densum, calidum & frigidum, lucidum & opacum actio & passio, mas & fœmina, denique omnia quæ mundus habet, vnde dicit Apostolus, Deum omnia operari in omnibus, & quod ex eo, per eum, & in eo sint omnia. Flud. to. 1. c. 8.

Numerus septenarius conflatur à numero formali, qui est ternarius, & materiali, qui est quaternarius; qui simul juncti in compositione faciunt septem, quare omnis compositio est à numero septenario, atque etiam illius destructio seu dissolutio, per eandem metam retrogradiendo perficitur. Idem.

Sal petræ, igni appositum, accenditur; si misceatur C aquæ, eam reddit frigidissimam, quia superatur ab aqua, & fit antiperistasis.

Ex eodem rore apes mel conficiunt, & araneæ venenum; sub eodem sole, lilia accipiunt albedinem, & fructus mori nigredinem.

Ignis quos adussit lapides, albos facit, ligna efficit nigra, aqua calcem accendit, cætera ignita extinguit. Christus in resurrectionem & perditionem multorum; Eucharistia vita est dignè sumentibus, mors indignè; eadem medicina, est vni mors, alteri salus, hoc procedit ex varia dispositione. *V. potestas medij dispositionis.*

Dicitur, nisi credideritis, non intelligetis. Sicut autem nec veritas attingi potest nisi per fidem, sic nec falsitas, nam solum credens decipitur. Cardan. D Cusa.

Esau & Iacob pugnantes in vtero Rebeccæ, duo populi, quorum vnus alterum superabit. Genesi 25.

Vide media gloria, media delectatio.

Longum est innumerabile tempus, tam obscura illustrat, quam illustria obscurat. Suidas ex Sophocle.

Hoc agit Iupiter, aut nubibus pulsis cælum serenat, aut idem nubibus obducit.

Nomina Homonima, hoc est Vninomina, eo quod sit in vno nomine significatio plurima, vt tumulus nunc mons breuis est, nunc tumens tellus, nunc sepulchrum, est enim in vno nomine significatio diuersa. Isidorus, origin. libro 1. c. 6.

Quæ putrescunt aut viuens generant, aut corrumpunt quæ viuunt, Cardan. de rerum var. l. 1. c. 8.

Ex terra fluunt fontes aquæ dulcis, pinguis, salsæ, amaræ, acidæ, acerbæ, & illic nascuntur sapores omnes. Georg. agricola l. 1. de causis subterraneorum.

Bilis atra, ferri instar, quando multum ad frigus intenditur friget ad summum; quando contra ad

calidum valde reclinatus decumbitque calet ad summum. Rod l.17.c.1.

Syracusis mos erat vt distributis sorte litteris quilibet ordine suo potestatem haberet loqui populo in comitijs. Dionysio tunc priuato contigit littera M. irrisus est quasi *μωκ* id est ineptum significaret, at ille quidni *μοναρχήσω*, id est Monarchicam adepturum potentiam significet, Id. l. 22.c.17.

Iud.6. Vellus Gedeonis rore madefit terra sicca; postea in secundo signo quod petit à Deo, terra madefit rore, & vellus siccum manet.

Lamech effœminatus ac ferus pater, titulum diuisit hæredibus, hinc Iubal effœminatur ad cantum, Tubal efferatur ad arma.

Eadem auaritia terra marique, alium mercatorem, alium facit prædonem & homicidam. D. Chrys. ho. 9 in Math.

Ferrum laxat & restringit, sumptum enim cum aquis putà Spadanis, illud vt ad alimoniam ineptũ à commisto natura separat, & per intestina amandat, vt videre est in stercorum Spadanorum nigrore, in qua ferri sequestratione, confestim salium mineralium confluxus spontaneus fit. Liberat itaque ferrum sumptum ab obstructione, & aperit per accidens ablato scilicet secum obstruente victo, licet sit per se constrictiuum. Van helmont. parado 5.

De peccato quod silentium, & loquelam parit. *Vide magnitudo virtutis*, confessio sit omnium peccatorum.

Idem nomen contraria significans. *Vide ver. virt. Rep* falsum virtutis nomen.

Amor parit delectationem & lachrymas. *Vide gloria voluntat. Rep.*

CONTRARIORVM VNIO mala.

VNio contrariorum non perseuerat. *Vide duratio contrarietatis mala.* Ira non placabilis.

Diues auarus est simul pauper & diues, pauper quia non vtitur, & non dat, semperque quæritur, diues quia superbit, & possidet.

Amans simul contrarios habet affectus. *V. media gloria, media delectatio.*

Fames est appetitus calidi & sicci. Sitis autem humidi & frigidi. Aristot. 2. de anima tex. 28 sæpè concurrunt.

Genus non videtur esse particeps differentiarum, si enim actu contineret species & differentias, cum differentiæ fiat contrariæ oppositione Metaphysica, in genere duo essent actu contraria, vt in animali rationale & irrationale.

Politici duas religiones in Iudæa volentes conseruare scilicet Saducæorum & Pharisæorum, interitum regno attulerunt, nam in idem jus admissi Saducæi cum Catholicis, summam rei ad Herodem erexerunt, indeque in sempiternam captiuitatem perduxerunt. Geneb. 2. m. 4054.

Vide concordantia virtutis, Repug. Societas malorum, *&* *concordantia principu.* concursus consarum in malo, *&* *magnitudo contrariet.* multorum oppugnatio.

Scythæ sagittas inficiunt viperina sanie & humano sanguine irremediabili scelere, nam illico mortem afferunt, etiam leui ictu. Rod l.13.c.10.

Autumnus abundat morbis propter conflictum caloris & frigoris, & pugnantiam contrariorum juxta se positorum. Isidorus origin. libro quinto, c.35.

Ira habet necessario tres passiones concurrentes ad suam generationem scilicet tristitiam, desiderium, & spem. Tostat. Matth. tom. secundo, fol. 117.

In malis sunt duo contraria, scilicet natura bona quam Deus fecit, & malitia quam fecit homo per arbitrium defectibile, Idem exod. to. 1. fol. 268.

Mercurius cum Ioue facit aduocatos & patronos, exterius quidem authoritate & moribus graues, ambitione atque auaritia vsque ad injustitiam intus laborantes, & hoc est quia ambo planetæ duplicatorum sunt corporum, & inimici. Cardan. in supplemento Almanach, c 18.

Saturni & Martis conjunctio facit casum aut ruinam. *Vide finis maioritatis.*

Absurdæ copulationes sunt Saturni, Martis, & Solis; itemque Saturni, Veneris & Lunæ. Id. aphor. sect. 5 aph. 11.

Planetarum hostilium conjunctio facit magnas mutationes. *Vide princ. differ.*

In Venere ignis & aqua conueniunt. *Vide gloria voluntatis, Rep.* amoris lachrymæ.

Neutralitas, & hostes æqualiter complectens affectus improbatur, *vide media contrarietas*, neutralitas mala.

Humana potentia non benè conuenit cum pietate Christiana, *vide maior. gloria*, nimia quies sub finem, de Constantino.

Signum manifestum est sumpti veneni, cum conjunguntur accidentia non conjungibilia, vt est dyssenteria cum spirandi difficultate, vomitus cum liuore vnguium, tumor linguæ cum vrinæ vrigine. Zach. medic. l. 2. tit. 2. q. 6.

CONIVGIVM CVM infideli.

FIlij Dei, seu Seth. peccauerunt accipientes filias hominum, id est de genere Caïn, in vxores; licet id nulla lege scripta fuisset prohibitum, quia ratione & lege naturali insculpta cordibus, satis docebantur id esse illicitum. Cassian. collat. 8. cap. 21 & 23.

Sic cum filij Israël Madianitis vxoribus permixti sunt, infœlicitatem omnem sunt experti. Num. 25.

Leu. 18. prohibet Deus Israëlitis, ne dent pueros suos alienigenis principibus, vt fint illorum serui, vel armigeri, ne participes fiant impietatis eorum.

Murena viperæ venenato serpenti conjungitur, dum prius euomuerit venenum. Rupe. l. 1. in Gen. vbi Alciat. emblem.

Definitur matrimonium legitima maris & fœminæ conjunctio indiuiduam vitæ consuetudinem, & diuini humanique juris communicationem continens, quia contrahentes debent esse ejusdem religionis; propterea Christiani cum Paganis, Iudæis, vel Turcis nuptias contrahere non possunt, can. caueant, can. si quis Iudaica 28. q. 1. sub pœna excommunicationis, d. c. si quis.

Leu. 24. Is qui natus erat ex Patre Ægyptio, & matre Israëlitida maledicitur, extra castra ejicitur, &

lapidatur, tales sunt qui ex matrimonio cum infideli nascuntur, partim credunt, partim non credunt, & aduersus veros Israëlitas rixantur.

Qui se jungit Domino vnus spiritus est, & qui se jungit meretrici, vnum corpus est, 1. Cor 6.

Achab Rex Israël, peccauit ducens in vxorem Iezabel filiam regis Sidoniorum. Tostat. 3 Reg. fa.51. co.3. h.

Achaz Rex Iudà peccauit petens auxilium à rege Assyriorum, & tradens ei thesauros Domini, vt patet 4. Reg.

A *De vitando matrimonio cum hæreticis. Vide quæ scripsi, lib. de agente Dei in humanis, parte 5. capite 10.*

Ignoscit Apostolus infidelium conjunctioni, quæ habentes maritos in Christum postea crediderunt, non his, quæ cum Christianæ essent, nupserunt gentilibus, ad quas alibi loquitur, nolite jugum ducere cum infidelibus, &c. D. Hier. l.1. aduer. Iouinianum. Facilius enim retentio quam actio conceditur. *Vide bonitas durat.*

PRINCIPIVM CONTRARIETATIS.

CAVSÆ MALORVM, ET ADVERSITATVM.

À Deo iusto, mala temporalia.

CVM ingruunt aduersa, dicamus cum Iob, manus Domini tetigit me. His externis malis, siccitatibus, fame, bello, incendijs, naufragijs Deus medetur vero malo, scilicet peccato. D. Basil. hom. quod Deus non est autor mali.

Deus mortem non fecit, sed à Deo discedendo Adam in se attraxit, ecce omnes qui elongant se à te peribunt, Psal. 77. Mortem tamen Deus minimè prohibuit, ne immortalem in nobis morbum conseruaret, Ib.

Deus immittit aduersa hominibus, sed causæ naturales sunt iustitiæ suæ instrumenta. *Vide concord. principij*, concursus causarum in malo.

C Dicitur Iob 5 6. Nihil in terra sine causa fit, & de humo non egredietur dolor, de humo quippe dolor non egreditur, quia vt beatus Gregorius dicit, nequaquam pœna de ea nascitur creatura quæ percutit, sed de ea quæ peccando vim percussionis extorsit.

Tota irrationalis creatura comparatur ad Deum, sicut instrumentum ad agens principale.

Ex eclypsi Solis sæpè producitur terræ motus, quia defectu radiorum non educitur aër in cauernis terræ conclusus, sic multiplicatus terram concutit. Ita Deus justè subtrahendo gratiam suam, tradit malos passionibus suis concutiendos. Alb. Mag. meteo. l.3. tr.2. c.14.

Vt à Sole lucido non procedunt tenebræ, sic à Deo summe bono, mala non proueniunt, non sunt autem mala quæ decernuntur in pœnam peccati. sed bona ducentia ad pœnitentiam, omnis disciplina & scientia bona est, licet ab irrationabilibus insanibus malum æstimetur, eius enim vtilitatem in fine cognoscunt. Origenes libro 2. in Iob, in fine.

Admirabile creatricis sapientiæ monumentum Inundatio diluuij cœpit æstate, & elata montium vertices demersit; hyeme adulta aquarum abundantia remisit, contrarium naturæ legi secuta ordinem, ne quis id temporum tempestati, non justè punienti Deo adscriberet, id sapienter Moyses ad-

B miratus, menses & dies numerat. S. Basil. seleuciæ, orat. 6.

Licet diabolus abstulisset bona Iob; ipse tamen dicit, Dominus dedit, Dominus abstulit.

Ego creaui interfectorem ad perdendum. Isa 54. *Vide duratio virt.* fortitudo in aduersis, *& virtus contrarietatis.* Virtus in aduersis, purgationis & exercitationis causa.

VARIÆ CAVSÆ MALORVM & morborum.

PAracelsus lib. de virtute imaginatiua, dicit eam vim esse imaginationis, vt homo fit, quidquid imaginatur se esse: & hanc vim etiam ad exteriora proferri. Vt maledictio vniuersalis, & parentum in liberos, similiaque vota vim habeant, mulieremque cum menstruo morientem, si optet vniuersos homines secum commori, hinc oriri pestilentiam in illa regione, quandiu menstruum in illo corpore jacebit, siue id adhuc viuum sit siue mortuum.

Vide principium minoritatis, Ibidem, malum à seipso.

Morborum omnium ortus duplex, vel ex astris, vel ex elementis, id nosse debet medicus, ne sydereos morbos, elementaribus remedijs tractet, aut contra, hinc enim error suo damno non caret. lib. l.

D 1. Sagacis Philosophiæ.

In turba qui premitur, id proximiori tribuit, licet malum à longè veniat.

Quando accedit hominibus calamitas, multi dicunt eam esse à Deo, in punitionem peccatorum; contra sic scribit Auerroës Moderni ponunt vnum agens omnia entia sine medio operari, & contingit istis, vt nullum ens habeat actionem propriam naturaliter, & cum entia non habuerint actiones proprias, non habebunt essentias proprias, actiones enim non diuersificantur, nisi per essentias diuer-

fas, & ista opinio est valdè extranea, nec hominis ratione procedentis, & hæc Auerroës, sic Deus agit per stellas, eclypses, magnas coniunctiones tanquam per instrumenta.

Quidquid corrumpitur, à suo contrario corrumpitur. Aristot. 1. de cælo, text. 20. Id verum est in ijs quæ per se corrumpuntur, non autem si corrumpantur per accidens, vt ad corruptionem subjecti inhæsionis.

Crimine perpetrato ad restitutionem tenetur primo imperans. 2. exequens. 3. consulens & mandans. 4. comes & receptator. 5. non impediens si tenebatur ex officio impedire. Bonacin. de restitut.

Pestis sunt quatuor causæ, contingit enim, aquæ, aëris, cibi, & contagio, fit autem contagiosa ob attractionem vaporum ab arterijs vnde sanguis inficitur; vt in corruptione aëris spiritus, in aquæ corruptione humores, in ciborum putredine, humores spiritus, pariterque membra inficiantur. Card l. de rer. var. c. 45.

Pagani sterilitates, fames, terræ motus imputabant Christianis, & hinc in illos desæuiebant maximæ persecutiones. Origenes, tractat. 28. in Math.

Non modo nutritur spiritus ex vapore sanguinis arterialis, & ex vaporibus cibi ex ventriculo per interiores nares sursum elatis, sed etiam ex aëre per nasum in cerebrum ingrediente, quapropter salubris aër tenuis ac ventilatus, animalia seruat sana, robusta, ingeniosaque, crassus vero, impurus ac piger stupida reddit, grauia, somnolenta & ægra. Hinc est quod odores ex terra arefacta in caput obeuntes, occidunt, spiritus enim inuertere in sui substantiam illos non valet, cum sint valdè dissimiles sibi grauesque, cumque copiosi fuerint suffocant spiritum animalem, aut meatus in quibus mouetur, intercludunt, & replent cauitates in quibus ipse moratur, veluti accidit ad antrum Acherusiæ, & in ædibus obseratis, in quibus accensi carbones adsint non benè ab igne deuicti, aut elycnij non benè extincti, qui faciant non tenues vapores, sed crassos, fuliginosos, impurosque; sic etiam aër palustris, aut vbi post bellum multa remanent cadauera, grauem emittentia odorem, inficit, infestat, pesteque perimit spiritum, quoniam sua fuligine tingit lucem spiritus, sua craticie aggrauat illius tenuitatem, & motu priuat, & calore improportionato calorem spiritus exuperat. Campa. physio l. 1 c 9.

Magister sententiarum libro 2. dist. 15. dicit serpentia creata fuisse innoxia, sed puniendorum vitiorum, vel probandæ & perficiendæ virtutis causa nocere cœperunt.

Elementa sunt corruptilia non per se, quia non componuntur ex contrarijs, sed per motuum extrinsecum scilicet cæli motum, quo cessante non corrumpentur. D. Thom. in quæst. disput. q. 5. a. 7. ad 16.

Incendia plurimorum montium non generantur vbi erumpunt, locustæ quæ vastauerunt terram Ægypti, fuerant productæ in aliquo deserto, inquit Tostatus, educens Deus nubes ab extremo terræ, nubes scilicet grandine & fulgure terram percutientes.

Quibus planetæ omnes in virgine, scorpione capricorno, multa mala adesse necesse est. Card. aph. sect 2. aph 21.

Cui ascendit aries ei sponte occasiones tristitiæ euenient Ibid. aphor. 92. Cui Mars est in ascendente multis exponetur periculis, & in facie cicatricem tandem habebit. Ibidem aphor. 181.

Alterationis causæ sunt interna vel externa, vide quæ scripsi de iure natur l 3 lege 5.

CAVSÆ BELLORVM, ET dissidiorum.

IN reuolutione annorum mundi multæ difficultates erunt & prælia, cum in exaltationibus suis fuerint Iupiter & Saturnus, Hermes in centiloq. n. 77.

Fallitur quisquis vllum facinus in rebus humanis publicum putat, persuadentium vites sunt, quidquid ciuitas facit, & quodcumque facit populus, secundum quod exasperatur, irascitur. Sic corpora nostra, motum nisi de mente non sumunt, & otiosa sunt membra, donec illis animus vtatur. Nihil est facilius, quam in quemlibet affectum mouere populum, nulli cum coimus sua cogitatio, sua mens, vlla ratio præsto est, nec habet vlla turba prudentiam singulorum, negligentior habetur, qui rationem tantum vult sequi, rapit, & fiduciam dat, consensus omnium Quint. declam. 11. Vis scire tuum esse quod ciuitas fecit, gloriateris si benè fecisset.

Venti mouent mare, vel ex fundo sublati vapores, sic latens malitia potentiorum commouet populum.

Prima origo dissidiorum est initio mundi, spiritus Dei, & materia, densum & rarum, frigus & calor. Vnde dissentiunt, & vix conciliantur qui habent signa duplici qualitate contraria in horoscopo, vnus signum terreum alter aëreum Si diuidas magnetem per medium inter polum Septentrionalem & Meridionalem, & vnius partis polus Septentrionalis applicetur polo Meridionali non se compatientur, sed fugient ab inuicem, quia vnus est frigidæ & densæ naturæ, alter calidæ & dilatantis.

Innocentia pacem conciliat, scriptum est enim Ps 118 pax multa diligentibus legem tuā, Domine, & hominibus bonæ voluntatis Luc. 2 14. at propter peccata scriptum est. Isay. 1. 7 Terram vestram in conspectu vestro alieni deuorabunt, & erit in vastitate hostili; sic iustitiam Dei statuendo, poterimus misericordiam eius inuenire. Conc. Metense, c. 1.

Cometæ significant bella, quia tales inflammationes vaporum, procedunt à dominio Martis, qui etiam bilem accendit, rixas & bella mouet. Albertus Magnus, meteor. libro 1. tractat. 3. capite vlt.

Ens, in quantum ens non habet rationem repugnantis, sed magis conuenientis, quia omnia conueniunt in ente, sed ens in quantum est hoc ens determinatum habet rationem repugnantis ad aliquod ens determinatum.

Seditiones inter ciues oriuntur ex diuerso situ partium vrbis quas habitant, *vide medium differ ratione loci.*

Petunt proceres à Rege, quod salua maiestate concedi non potest, hinc ob repulsam, motus excitant, velut subiti periculi metus, ab aula recedunt.

Cum omnes bonum appetant, in illud vario & cæco impetu concurrunt, *vide differentia voluntatis.*

Ninus fuit primus qui alijs bella indixit. Tostat. Gen. f. 56.

Digitized by Google

Vulgatum est à senibus, quos principes in Conciliis habent, bello quæri gloriam, amplitudinem imperij conseruari & augeri. Iubentur principes respicere majores suos, quam magni sint nominis, viles & ignobiles esse qui minora præstiterint. Principi ad otium vitandum, bellum esse præclarum, sic à senibus egressa est iniquitas, non tam quærunt quomodo parta benè regant, quam quemadmodum parentur noua, pluribus quæstui est bellum, quisque veteres titulos juris allegat, sed vanos, cum bello parta bello fuerint amissa, lusu velut alea momentanea fit juris translatio, &c. *Vide minoritas contrar.* à bello abstinendum.

Nil ante peccatum homini repugnabat, illi famulabantur cuncta, secum habebat pacem, Dei B fruebatur amicitia, atque animantium terræ possidebat imperium: at vbi peccatum viguit, postquam peccati inoleuit lex, facta est manifesta in vniuerso mundo dissensio, quæ de peccato ad peccati pœnam euenisse cognoscitur. Laurent Iustin. fasciculi amoris, c. 11.

Inuidia bella suscitat. *Vide contrarietas virtutis.* Inuidia, & eodem titulo, de dæmonum tentatione.

Nostris peccatis barbari fortes sunt, nostris vitijs Romanus superatur exercitus, & quasi non hæc sufficerent cladibus, plus penè bella ciuilia, quam hostilis mucro consumpsit. D. Hieronym. in epita. Nepotiani.

C

ANTIPATHIA.

Vide *duratio concordantia*, partes pristinæ vnionis sensum retinent, de eo ex cujus mortui pelle factum est tympanum terrens hostes.

Deus in principio fecit cœlum & terram, cœlum vt calidum vnde dicitur empyreum, id est igneum, & terram frigidam & hæc sunt duo primaria omnis contrarietatis principia. Campanella in epilogo physiol.

In libello repudij non exprimebatur causa, sufficiebat omnium, quod ex occulta causa potest procedere. Tost. Math. c. 5. f 100.

Vrus bos syluestris, ne paruulus quidem captus potest vnquam domesticari. Olaus Magnus rer. Septent. l. 18. c. 35.

Cum Homerus & Virgilius introducunt Deos altercantes, aut pugnantes, hos quidem pro Græcis aut Trojanis; illos pro Turno Æneaque, significare voluerunt stellas quæ huic parti, alias quæ alteri fauerent, inde tot concursus conciliaque Deorum. Card. in encomio Astrologiæ.

Qui fortunam habet in loco infortunæ alterius, infortunabit illum, & non recipiet malum ab illo. Id in supplemento Almanach. c. 23.

Fuge illius societatem cujus Dominus ascendentis est infortuna cum nodo, aut mala fixa, nec tua genitura, cum illius genitura concors est, nam etiam nolens te offendet. Idem aphor. sect. 2. aphor. 146.

Saturni detrimentum maius est in aquis, Martis autem in terra. lb. sect. 5. aph. 61.

Iacob & Esau in vtero luctantur, sic præmaturè se produnt pupillorum ingenia.

Plures caseum horrent, vinum, lac vel alia spernunt, quia non conficiunt, nec valent digerere propter spificam quandam in stomacho contrariam qualitatem, falco enim ante moritur, quam panem esitauerit. Van helm.

Sunt quidam qui ad conspectum, muris, scarabæi, erinacei, & similium, animi deliquium patiuntur, occulta antypathiæ causa, vide Zachiam. Medicæ libro secundo, titul. 2. quæstione 2. de venenis.

MEDIVM CONTRARIETATIS.

DISCORDIARVM SEMINATORES.

SERVI solent inter dominos suos D jurgia concitare, vt serui Abrahami & Loth. Mat. 9. discipuli Ioannis dicunt Christo, quare nos & Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant, se jungunt Pharisæis simul inuidis, vt hac vnione fortiores, audacius insurgerent in Christi discipulos. Chrysol. serm. 31. *Vide medium minorit.* malum consilium.

Contentiosos atque atroces animos Nemesis sequitur, nec patitur quietos, qui omnium otia in turbas sollicitauere.

Ardentibus sermonibus incendunt aliorum iras, vt Archimedes incendebat hostium classem, ardentibus speculis, à longè.

Tanquam mare de teipso tempestatem generans, nec ipse quiescis, nec alios viuere in tranquillitate permittis. Petrus Dam. opusc. 51.

Cecidit de cælo accusator fratrum, qui accusabat eos ante conspectum agni Apoc. 12. 10.

Vapor è terra subtilis eleuatus transcendit aërem, & concutit ipsum, aliquando autem extrahitur de profundo terræ & est crassus, non potens expirare propter terræ profunditatem & soliditatem, & coarctatus in concauitatibus terræ, copia simili ad ipsum venienti, concutit terram, & vocatur terræ motus Alb. Mag. meteo. l. 3 tr 2. c. 5. seminant discordias, qui non possunt ad dignitates conscendere.

Onix gemma est nigri coloris, emittit ex se vapores qui mouent melancholiam, vnde tristitiæ, phantasmata, timores. Idem lib. de lapidibus littera O.

Digitized by Google

Diabolus à criminando dicitur, quod amicos etiam in odium adducere possit. Suidas in verbo *διαβάλλω*.

Capellæ Astro Oriente, vehementes venti flant.

Quidam tantum suscitant incendium, vt eius fumo ab omnium oculis lachrymas excusserint.

A Sole qui vaporem excitat, fit ventus, & ab illius immenso calore, qui eosdem absumit, finitur. Ob id calidissimis & frigidissimis regionibus, minores venti ac rariores, quam à medijs. Cardanus de rer. variet. l. 1. c. 1. discordias suscitat, aut extinguit princeps.

Refert Olaus Magiam adeo viguisse, apud Boreales Dacos, vt nodos tres venderent nauigantibus, quorum primo soluto ventus suauis, secundo ingens, tertio perniciosissima tempestas insurgeret. l. 3. c. 89.

Quidam motus terram perfringens vnam eius partem projecit super alteram, atque ita loca euertit, montes duos horrenda collisione confregit. Georgius agricola libro 4. de his quæ effluunt ex terra.

Ore emissus lentè spiritus calidus est, caloris enim intimi profert qualitatem, at compressis labijs fortiter emissus frigidior est, quia agitat circumstantem aërem ipso suo fluxu & alternantibus partibus ad sensum frigidiorem. Rodigin. libro 25. cap. 15. Motum hunc imitantur qui concitant plebem.

Tale bonum est pax, vt filij Dei vocentur eius effectores & opifices, & merito, nam Dei filius, ideo quoque venit in terram, pacificaturus, quæ in terra & quæ in cælis. Si autem pacifici sunt filij Dei, qui res nouas student facere, sunt filij diaboli Christi corpus magis discerpentes, quam milites lancea, &c. D. Chrysostom. homil. 3. in Epistol. ad Coloss.

Venti mare conturbant & populos mouent ad seditionem, arte non visibili, proceres, quidam rectoribus infensi.

Rex Gothiæ Erricus natura clementissimus, qui & ideo bonus dicebatur. Musica vehementi sic actus est in furorem, vt quatuor milites eum cohibere volentes occiderit, & à reliquis vix retentus & suæ menti restitutus est. Olaus Magnus, libro 15. c. 28.

Luna in Solis opposito perpetuas declarat contentiones, claraque facta. Cardan. aphor. sect. 4. aph. 7.

Qui pacem & concordiam inter homines student conciliare, vel conseruare, ij filij Dei vocabuntur teste Christo, beati pacifici, &c. qui vero discordias serere, charitatem hominum inter se rescindere, ij filij diaboli. Ludo. Viues.

Anhelantes folles, toties animari & exanimes, alternum spiritum flammis inspirant, sic artifex ferrum flammis domitum malleo cruciat, & ferro ferrum flagellat.

Vide supra *principium contrarietatis*, causæ bellorum, quod mala publica pendeant ab vno suggerente, *& princip. & medium minoritas*. malum consilium.

Qui arma vel materiam eorum ad hostes Catholicorum deferunt excommunicantur. Vrb. 8. const. 62. §. 7. Bull. p. 76. to. 4.

Duellorum patrini efficiuntur infames, bonis omnibus spoliantur, ac veluti homicidæ puniuntur. Clem. 8. const. 21. §. 7. p. 11. to. 3.

A

SÆVITIÆ MINISTRI.

IN Syria iuxta Tyr & Sidon erat secta quorundam, ita Principi deditorum, vt quemcunque voluisset, aut aperta vi, aut dolo necarent, hi dicebantur, *Chassions*, vel *Assassins*, Deuity.

In aliquibus locis ignes erumpunt, qui in illis non alimentum habent sed viam, vt in Lycia, cujus ignis emicans innoxius est cum sit regio læta & herbida. Senec. ep. 79.

Græci habebant signa quædam, quibus erectis pugnam incipiebant, detractis desinebant. Suidas in voce *σημεῖον*.

Vedius Pollio ciuis Romanus tantæ fuit feritatis, vt seruos suos objiceret deuorandos Murænis, quas erat esurus. Petrus Crinitus de honesta disciplina, l. 6. c. 10. sic auari principes populi substantiam per publicanos exugunt, eosque postea velut spongiam exprimunt.

Quædam pestilentes aquæ alunt pisces, qui etiam ipsi mortem afferunt in cibis, sicut Stix arcadiæ, stagnum Nympharum in Lydia, in Armenia fons. Georgius agricola, libro secundo, de his quæ fluunt ex terra.

In Caria cum nouus exilisset amnis, pisces lethales
C simul effudit, vt scribit Seneca, natur. quæstion.

Vide cognitio potest. delatores, de accusatoribus *vide medium veritatis.*

Apparitor citans reos ad iudicium. Portenta quæ mala futura denuntiant hominibus, *vide cogn. contrarietatis.*

Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum. Ps. 36.

Omnes peccatores in quibus diabolus loquitur, sagittæ diaboli dici possunt, vt erit Antichristus. Origen. hom. 3. in Ps. 36.

Publicani quales sint, *vide voluntas maioritatis*, auaritia insatiabilis. Spongiæ sunt exprimendæ postmodum.

Diabolus non petijt vt vxor Iob, cum filijs inter-
D iret, quoniam sperabat illam multum conferre ad struendas sancto insidias, sicut vsus fuerat Eua ad seducendum primum hominem. D. Chrysost. ho. 28. in 1. Cor.

Præco vox legis dicitur, eadem forma, qua Synesio, carnifex manus legum, dicitur & vox iudicis, solet enim præco verba iudicis pronuntiare. Cujac. in Nou. 69.

Dæmones sunt executores iræ Dei penes genus humanum, Tost. Math. to. 7. f. 161. h.

Portans caprum emissarium in desertum, & hic erat immundus.

Quando lex permittebat alicui hostem occidere, aut occisorem casualem proximi, priusquam ad vr-
E bem refugij se recepisset, in hoc constituebat eum ministrum inflictionis talis pœnæ. Tost. Math. to. 7. f. 43.

Non licet cuilibet ferrum facere, & arma fabricare sine iussu principis, l. vlt. §. magnus de publ. & vect.

VARIA INSTRVMENTA *sæuitiæ*.

PLuuia tempestuosa fit semper vento præcedente, inuoluente, & inspissante.

Vbi summa exercenda est vindicta, Deus vtitur irrationabilibus, quæ modum non capiunt, vt in plagis Ægypti.

Quidam ad arculas sedent, & tela agentibus subministrant. Quint.

Paulus seruans vestimenta lapidantium Stephanum, erat in omnium manibus lapidabat.

B Pisciculus quidam gobij magnitudine balenam ducit ad aliorum piscium prædam. Plutarch. lib. de industria animalium.

Per quæ quis peccat, punitur. *Vide æqual. contrar. pœna talionis.*

De Magistris qui docent exercitium armorum, artem gladiatoriam & bellicam, eos Reipublicæ necessarios dicit Chassen. in catalogo gloriæ mundi, parte 11. consider. vlt.

De flagellis Dei. Gregor. Naz. orat. 15. Bernardin. quadr. 2. serm. 18. & seq.

Vt Deus vtitur dæmonibus, sic malis principibus vt suorum, vel virtutem exerceat, vel puniat malitiam.

C Animalia proprijs suis à natura datis armis se tuentur, cornu, vngue, dentes homo solus vt noceat, omnem naturam nocentem facit; vndique arma vndique mutuatur tela, nec vni omnium animalium venena sufficiunt.

Maleficium est ars nocendi alijs, ope, & potestate dæmonis.

Priuatur immunitate Ecclesiarum ex constitutione Gregor. 14. non mandans homicidium, sed exequens, qui ideo censetur grauius peccare. Bonacina de immunitate Ecclesiarum.

Phrygij olim colebant mures, quia cordas arcuum hostium semel roserunt.

D Apud Turcas moderata sunt tributa, sed Rectores multa exigunt à populo, & ab illis postea Princeps extorquet malè parta.

Differentiæ contrariæ, contrarias constituunt species. Arist. 10. metap. 23.

Vulpes Samsonis, quibus incendit messem Philisthinorum. Iud. 15.

Non licet Presbytero, vel Diacono accusare, sed in vice sua, si causam habuerit, aut fratrem, aut quemcumque secularem, roget. Conc. Antisiodorense, can. 41.

Tota irrationalis natura comparatur ad Deum, sicut instrumentum ad agens principale.

Quod Moyses figuras & sculpturas fecerit ad educendum filios Israël ex Ægypto, neque annuo, neque abnuo, scio enim quod lego quod fecerit anulos obliuionis & memoriæ, & dedit vxori suæ recedenti; & quod scientia talium primum fuit in Ægypto, Albert. Magnus de mineralibus, l. 2. tr. 3. c. 4.

Cum vrbs aut princeps aliquem alienæ ditionis sublatum volebat, interfectori aut ei qui viuum eum adduxisset pœcuniam promittebat publico præconio; ad hunc modum Græci ei qui Xerxem vel viuum, vel mortuum Athenas perduxisset centum talenta promiserunt. Id. in voce ἐπικηρυχθέντα. *vide potestas bonitatis.*

Febris accenditur si cornuti scarabei in oleo de-

A coquuntur, neque ex eo phthisis immoderatæ, confert enim non parum quandoque ijs febris supernomens, vt in conuulsione & arthritide, cum ex materia frigida fuerint, non tam quam etiam in resolutione. Cardan. l. de rerum var. c. 44.

Quædam sunt iudicij præparatoria scilicet in jus vocatio, libelli oblatio, reconuentio, & mutua petitio tot. tit. de in jus vocando.

Forum est locus velut sedes in qua lites & controuersiæ iudiciales exercentur, cap. forum 10. de verb. signif.

Instrumenta agunt sine modo prout pelluntur ab artifice & dicit Aristotel. 2. de anima, ignis comburit in infinitum, calor autem corporis animalis ad mensuram. At à motu cæli in circulo obliquo fit generatio & corruptio, regulatis calore & frigore, accessu & recessu. Modum hunc non seruant adulantes potestatibus, sed sæpè transeunt in excessus, ipsismet potestatibus non gratos.

Aër existimatus est pyxis pandoræ, malorum omnium corporis origo.

Ideo sæuiunt tempestates & fulmina, vt esset quod supra se timerent nocentes, & quo fœlix nimis fortuna admoneretur è cælo grauia quandoque imminere pericula, cum ab hominibus terraue nihil censetur timendum. Ferens incendia ventus.

Altaris proprius vsus est, vt in eo immolentur victimæ. Tost.

Vide magnitudo contrariet. multorum simul oppugnatio.

Forcipes erant in altari quibus sacerdotes transferebant carbones quo volebant.

Populi Septentrionales bellicosi habent montes metallorum æris & ferri feraces, in cæteris steriles; hujus regionis incolę habent vim acquirendi, quod illis solum patrium negat. Olaus Magn. l. 6. rerum Septentr. in præfati.

Infantulus dentiens febricitat, & laborat tyr... mus in præparandis sæuitiæ suæ ministris.

VIS ARMATA PROHIBITA *personis priuatis*.

NEgantes debitores non oportet armata vi terreri, sed juris remedijs ad solutionem vrgeri, l. 9. Cod. de oblig. & actio. Hoc jure vtimur, vt quid omnino per vim fiat, in vis publicæ aut in vis priuatæ crimen incidat, l. 152. ff. de reg. Iur. Non enim est singulis cõcedendum, quod per Magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi, l. 176. eod. vnde priuati carceres prohibiti sub pœna capitali, toto tit. cod. de priuatis carceribus, & nemo ius sibi potest dicere. *Vide tom. 1. voluntas bonitatis*, inordinatus sui amor, & supra, eod. tit.

E In Concil. Arelat. Galliæ anno 445. & iudicio Leonis Papæ, Hilarius Episcopus Metropolitani dignitate priuatus fuit, quod vi armata, quæ ei placita erant in electionibus & depositionibus vtebatur, contra ipsum Imp. Theodosius & Valentinianus, Nouel. de ordinatione Episcoporum, eo quod manum sibi contrahebat armatam, & claustra murorum in hostilem morem vel obsidione cingebat, vel aggressione reserabat, & ad sedem quietis, pacem prædicaturus, per bella ducebat: prohibetur ipsi cæterisque Episcopis simile quid tentare, ne minuatur Religionis disciplina, sed omnibus pro

lege fit, quidquid sanxerit Romani antistitis authoritas.

Episcopus pro re sua non potest excommunicare. *Vide minor. contrariet.* injurias non vlcisci, ex 2. q. 7. ca. si quis.

Si quis seruum proprium, sine iudice occiderit, excommunicatione biennij, effusionem sanguinis expiabit. Conc. Epaonense Galliæ, can 34 anno 517. De seueritate nimia dominis in seruos non licita. *Vide maioritas contrar. mala.*

Conc. Aruernensi Galliæ, ca. 4. a. 535. prohibetur, ne à potentibus seculi, clerici contra Episcopos suos vllo modo erigantur.

Ideo duellum prohibitum, quia vsurpat jus gladij, soli Regi à Deo concessum, *vide æqualitas contrariet.* duellum.

B In possessione fundi si creditor per vim ingrediatur, Iuliæ legis vi priuatæ reus deferri potest, l. 5. cod. ad l. Iuliam de vi publica & priuata.

Qui dolo aliquid est passus, hoc habet solatium, quod ille qui injuria affecit, timuit; at durius est apertam vim pati, & despectui haberi, sic enim irridetur, sic qui vidente marito committit adulterium grauius lædit, & qui pœcunias rapit, &c. D. Chrys. hom. 10 in 1. ad Thessal.

Qui ægrotante & animam agente debitore, domum eius ingrediuntur, & signa bonis imponunt sine authoritate, incidunt in crimen l. Iuliæ de vi priuata, tertia bonorum parte mulctantur, & fiunt infames l. pen. ff. ad l. Iul. creditum amittunt, & tantundem hæredibus præstant, Nou. 60.

C Priuatis non licet arma vendere à fabricensibus in fabricis publicis arma fabricantibus, Nou. 85. & vlt. § magnus ff de public.

Circumcelliones Donatistæ, præfectis prouinciarum resistebant, per nundinas, villas vicosque circumuagantes, sese publicæ iustitiæ vindices dicebant, eoque prætextu seruos ad pileum vocabant, oppressis ære alieno liberationem à creditoribus exigebant, alioquin minacibus litteris mortem denuntiantes, &c. Bar. an. 348.

Armatorum manum nulli colligere licet, quouis prætextu. Sixt. V. const. 75. Buil. p. 468. 469. tom. 2.

D Banniti qui per literas aut nuntium minantur consanguineis occisorum vel offensorum, vt pacem extorqueant, pœnam criminis læsæ majestatis ac rebellionis incurrunt. Innocent. 8. const. 14. p. 341. tom. 1.

MALEDICTIONES.

De maledictionibus, liber Philon. Iudæi.

Num. 22. Balac conducit mercede Balaam vt maledicat Israël, & sic superetur. Elizæus maledicit pueris & deuorantur à bestia, 4 Reg. 2.

Vide supra hoc titulo, *varia causæ malorum.*

E Abbas Innocentius videns filium suum, quem in sæculo genuerat peccantem cum muliere, imprecatus est ei dicens Deo, Domine da ei spiritum, ne eius caro inueniat tempus peccandi, statim correptus est à dæmone, & cathenis vinctus. Vitæ Patrum l. 8 c. 103. melius arbitratus eum pugnare cum dæmone, quam cum intemperantia.

Nihil sceleratius est anima malum imprecante, nec impurius lingua hujusmodi sacrificia offerente, homo es, ne aspidum virus euomas, homo es, ne in belluam degeneres, ob eam causam os tibi datum est, non vt mordeas, sed vt aliorum vulneribus medearis, &c. D. Chrysost. hom. 6 in 1. ad Corinth.

In obsidionibus pestis plerumque comes incedit, quia in desperationem acti, multa ditioribus imprecantur infortunia, moriuntur cum ingenti vindictæ sensu, conturbatis propterea humoribus, quæ solitam augent cadauerum corruptionem, si maleficæ spiritus emissus, lædet tenellos infantis spiritus, tot morientium iras, dirasque concipientium spiritus simul vniti valdè aërem inficiunt. Van helmont de magnetica vulner. curatione.

Execrabile dicitur, id quod non solum abominamur, & detestamur, sed etiam fugiendo maledicimus. Tost. in Leu. p. 97. c. 4. K.

Iosue posuit maledictiones contra eum qui reædificaret Ierichо, & eas expertus & passus est Ahiel qui eam reædificarat. 3. Reg. 16.

Vltima excommunicatio est, cum excommunicati solemniter maledicuntur, sicut Dathan & Abiron, & vocatur anathema. Idem Iosue, tom. 1. f. 122.

Maledictiones in laudes conuersæ, *vide æqualit. contrariet.* talio.

Imprecari pertinet ad eos qui mala volunt & inferre non possunt, & ideo petunt inferri ab eo qui potest. Id. Math to. 6. f. 189.

Debora maledicit terram Meroz. Iud 5.

Per imprecationes Episcopi exercitus hostium deletur à culicibus, *vide potestas minor.* minima potentia.

In die iudicij, dicitur damnatis, ite maledicti in ignem æternum.

Turcæ serui fugitiui imaginem cum nomine, clauo affigunt parieti, & maledictionibus in illam prolatis, credunt fugam fœlicem impediri varijs casibus, nec peruenturos in patriam. Irremiscibilem, & nullis abluendam pœnitentijs, maledictionem parentum. *Vide contrar. princ.*

MEDIA SEV TEMPERATA seueritas.

Irascimini & nolite peccare, Sol non occidat super iracundiam vestram, id est, non sic turbetur ratio, vt excæcata mens sit in tenebris Cassian. l. 8. c. 9.

Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, deducet te mirabiliter dextera tua. Psalm. 44.

In animalibus est duplex motus, vnus qui fit secundum formam, alter secundum materiam, ita se mutuo temperant, *vide potestas contrarietatis,* dissidia regentium.

Si aliquis cadat, & ei alius obuiet per tres cubitos antequam ad terram descendat, & eum manu extra lineam ex tranuerso eijciat, non colliditur cadens, nisi quantum potuit collidi, ex casu trium cubitorum, Alb. Magn. tract. 1. de proprietat. element. c. 2.

Non collidetur, quoniam Dominus supponit manum suam, Ps. 36.

Quando impetus maris est confractus à scirtibus, insulis, & collibus qui sunt intra mare, modesta & contracta effusione effunditur super littus & recedit. Similiter quando retinetur locis latis, & diffunditur dilatatum in illis, minus impetuosè, & minori quantitate effunditur super littus. Alb. Magn. tract. 2. de proprietatibus elementor. cap. 6. Vis

minuitur per diuersionem, in morbis, bellis, litibus, & similibus contrariantibus. Impeditur etiam, id est temperatur fluxus maris, quando in medio mari est planum, & littus conuexum. Ibidem.

Fiunt minus vniuersalia, aut particularia diluuia, quando causæ cœlestes non omnino, aut non penitus conueniunt cum causis terrestribus. Albertus Magnus, tract. 2. de proprietatibus elementorum, c. 9.

Spinæ quæ plantis innascuntur non penetrant vsque ad medullam, sed sunt tantum cortice tenus ex succo terrestri & calido valdè. Id. l. 4. de vegetab.

Irascimini & nolite peccare.

Inter pisces qui non habent sanguinem, qui sunt exterius duri & dura testa inclusi, sunt intus molles, vt omnia conchiliorum & ostreorum genera: qui autem exterius sunt molles, interius sunt duri, vt sæpia. Sic in fructibus nux extra dura, castanea spinosa, intus mollem habent fructum, at contra cerasa, pruna exteriorem habent mollitiem, internam duritiem.

Licet omnia animalia ista fulmine intereant, non tamen semper homo, sed percussus sæpè euadit, vt de Anchise apud Virgilium legitur.

In exercitu seueritas non est in tantũ exercenda, vt animum militum ab Imperatore auertat, quia tempore belli rigor non debet omnino seruari, cap. fin. de transact. & can. sciendum distinction. 29.

Vis consilij expers mole ruit sua.

Vim temperatam Dij quoque prouehunt.

In majus ijdem odere vires. Horat. libro tertio, ode. 4.

Temperetur oratio cum in genus aliquod dicendum est, vt in totos ordines, aut populos, vt in libertinos, milites, publicanos, vt ea quæ lædunt non libenter tractare videatur orator, & id ipsum, quod arguit, laude aliqua compenset. Si milites cupidos dicat esse, non mirum, cum periculis suis majora deberi præmia putent, eos petulantes, quod bello potius quam paci assueuerunt, &c. Cicero Græcis testibus detracturus fidem, laudat eos de doctrina. Quint. hist. Inst. orat. l. 11. c. 1.

Oratorem decet actio paulo agitatior, ita tamen temperanda, ne dum actoris captat elegantiam, perdat viri boni, & grauis authoritatem, Ib. in fine libri.

Præcedentem seueritatem temperat sequens immediatè beneuolentia, fulgura in pluuiam fecit, inquit Psalmista, pluuiæ autem post fulgurationem, majorem dant terræ fœcunditatem. Plutarch. l. de causis naturalibus c. 4.

Ira interdum pectus, vt mare tempestate agitur & turbatur. Mores violenti & aggresses cum leuibus, vna conjuncti, vtrumque temperant excessum.

Imperandi modum singulorum moribus decenter accommodato, cum probis moderatè, cum supinis vehementius, cum audacibus acerbè, cum cautioribus denique leniter agens. Quæ arceta peccatis necessitas suadelæ sit conjuncta, parua peccata dissimulentur; nam congenitum est homini peccatum, vnde qui punit homines tanquam impeccabiles modum transgreditur rectæ, & secundum naturam castigationis.

Bias hominem damnaturus fleuit, quia necessarium erat, naturæ affectum, legi obtemperare.

Nihil iratus feceris, sed alijs videaris tantum cum opportunum erit, metuendus appareas, dum

A omnia quæ fiunt explorata habes. Benignus autem esto, delictorum pœnas minuendo. Isocrates ad Nicoclem.

Per quietem sabbati Deus populum ad humanitatem instruxit, exod. 20. Vt, inquit, requiescat seruus tuus, & ancilla tua, bos tuus omne jumentum, & aduena. Theodoret. in exod. quæstione 41.

Leu. 14. ex duobus passeribus qui offerebantur pro purificatione leprosi, vnus mactabatur, alter sanguine mactati tinctus, dimittebatur, & 22. Deut. Non licet pullos auium simul & matrem capere, sic enim periret genus auium.

De fonte qui simul emittit flammas, & aquas frigidas. *Vide veritas contrariet. Rep.*

Virgilius 6. Æneidos de ramo aureo, sic

Ergo altè vestiga oculis, & ritè repertum
Carpe manu, namque ipse volens, facilisque sequetur
Si te fata vocant, aliter non viribus vllis
Vincere, nec duro poteris conuellere ferro.

Vide *media bonitas*, media largitio, de remissione pœnæ æternæ, non temporalis, in Sacramento pœnitentiæ.

Magnitudo deliquij luminarium, indicat effectus magnitudinem, nam si tota Luna eclypsatur, totum genus afficitur, si dimidia, dimidium.

C Orat Propheta Ps. 6. Domine ne, in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Argue me vt pater, non vt judex, non vt perdas sed vt corripias, non vt interimas, sed vt emendes, quoniam infirmus sum. Chrysolog. serm. 45.

Oportet legem ad formam chordæ, sub arcu tensæ esse; non nimium ne rumpatur arcus, nec minus, ne quum laxata sit, ferire per sagittam nequeat. Card. Cusa, l. 3. de concordantia Catholica in fine.

Deus cum dixit fiat lux, sic fugauit tenebras, vt redirent, & mediam temporis partem occuparent. Rupert. l. 1. in Gen. c. 10.

Cum tonat & fulgurat, pauidum vulgus, firmamentum confringi, vel cælum ruere arbitratur, at D illud firmamentum secundum nomen suum firmiter stat, nec infimum cæli circulum iste tumultus excedit, Ib. c. 27.

Prima regendi ars, est nosse quod regas. Sæpè cum jumentis rixantur imperiti sessores, & equos qui sola, vt aiunt vmbra virgæ, in omnem partem flectuntur, verberibus vrgent. Castigari culpas oportet, sed amanter, vt errata desinant, non errantes. Zach. 11. 7 dicitur, assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum.

Non omnes fructus simul terra producit, ne simul omnes orta aliqua tempestate lædantur. *Vide durat boni* mora.

Gladius positus à Deo ante aditum paradisi ver- E satilis, significat sententiam diuini iudicij quæ talis est vt possit versari, id est non semper eadem districtione claudat hominibus aditum paradisi. Rup. in Gen. l. 3. c. 32.

In mundo nunquam malum est vniuersale, nam quod vni nocet, alteri prodest. Æneas Syluius, ep. 103.

Innocentius Papa epist. 3. ad Episcopos Synodi Toletani, c. 4. vitia plurima in ordinationibus hactenus contracta, dicit esse dissimulanda, ne si corrigerentur perturbationes in Ecclesijs mouerent, sed præcipit ne similia deinceps committantur. & Zozimus ep. 5. ad Episcopum Arelatensem. Neophitos

ordinatos volens, sed in postorum dignitate spoliandos decernit.

Dicitur Eccl. 7. 17. Noli esse nimium iustus: Mitius agas cum eis qui zelo pudicitiæ videntur modum excessisse vindictæ, ne diabolus qui decepit adulteros, de adulterij exultet vltoribus. Leo Papa, Epistol. 92. *Vide maioritas contrarietatis*, malitia.

In agro Syracusano, si lapides omnes tollantur frumentum exarescit, nihil habens quo radices suas protegat. In Syria solum aratro altè proscissum penitus exsiccatum est, cum solis intuitu adeo percaluerit, vt propè vratur; vnde fit vt aratris pusillis Syri vtantur. Theoph. de causis plantarum, libro 3. c. 25.

Sunt quædam quorum sapor, cum sit per se minimè idoneus, pro condimento cæteris additur, vt salsus atque acutus, hos enim nisi temperemus, extiperare non possumus. Ibidem libro sexto, capite 4.

Iris significat temperatam clementia vindictam. *V. concord. contrariet.* vbi de iride.

Deus misericordiam suam iustitia temperat, puniendo temporaliter eos quibus peccatum remissum est. *Vide finis minor. indulgentia.*

Abusus corrigendi, res autem, in quibus contingunt non sunt tollendæ. *Vide maioritas contrariet.* mala.

Episcopi dum alios corrigunt lenitatem cum seueritate misceant, dist. 36.

Caïn offert Deo primitias fructuum terræ, Abel de primogenitis gregis sui; sic initio mundi sacrificium fuit partim incruentum, partim cruentum.

Hodie in Gallijs hæres occisi concludit tantum ad interesse ciuile. Rei vita penes regem est.

Seueritas amittit assiduitate authoritatem, & videmus ea sæpe committi quæ sæpe vindicantur, Temperatus enim timor est qui cohibet, assiduus & acer in vindictam excitat. Senec. primo de clement.

Benignus & seuerus est Deus, si benignus esset tantummodo, bonitatem eius contemneremus, si seuerus tantum, desperatio nos salutis, propter peccata quæ fecimus præcipitaret in vitia. Orig. ho. 13. in Hierem.

Iusti qui erant inter Iudæos, non propter culpam suam sustinuerunt captiuitatem, sed ne peccatores captiui omni carerent subsidio, Deus flagellat quasi pater, parcit autem non solum Israel, sed & Ægyptijs cum alieni sint ab eo, propter propriam mansuetudinem, sic illis dedit Ioseph, qui famem præuideret. Id. hom. 1. in Ezech.

In malo inimico, hominem amare, factum odisse. *Vide concordantia contrarietatis*, inimicorum dilectio.

Dominus cum multa placidè mansuetèque loquutus sit discipulis, nonnunquam tamen austeriorem adhibuit orationem. Matth. 16. dicit Petro, Beatus es Simon Barjona, &c. postea cum dissuaderet passionem. Vade post me Satana, scandalum es mihi. Sic Paulus variè sermonem ad discipulorum vtilitatem attemperat, nunc vrens & secans, nunc mitiora admouens remedia, &c. D. Chrysost. c. 1. ad Gal.

Angelica natura quoniam non tota perierat, sed ex parte persliterat, non est redempta, humana vero tota perierat, & ideo ne penitus perderetur ex parte est redempta, vt inde ruina suppleretur angelica. Magister. sentent. libro secundo, distinct. 21. q. 2.

A Naturaliter non potuit fieri dissuasum vniuersale. *Vide magnitudo contrarietatis*; magine eiusdem.

Multitudini delinquenti parcitur. *vide æqualitas minoritatis.*

Homo est naturaliter animal temperatissimum, ideo medius esse debet inter iram & mansuetudinem. Tost. Math. 10. q. 105.

Non potest esse malum vniuersale toti mundo naturaliter. Id. Gen. f. 392.

Deus in aduersis dat spes in consolationem. *Vide finis minoritatis*, sub finem, ex Iustino Martyre.

B Magna aduersitas, non est durabilis, *V. finis contrarietatis.*

In Noruegia & Septentrionalibus regionibus à mense Octobri lacus & flumina congelantur eo magis, quo plus hyeme procellosis, tantum tamen ventis & exhalationibus subterraneis locis æstuantibus, glacies lides valida & spissa sine hac longissimo tractu; prodest id piscatoribus, qui aliqui in sub concreta penitus glacie suffocarentur, fiunt autem tales fissuræ magno cum fragore, velut tonitrua. Olaus Magist.

Apud antiquos Gothos, vt apud Ægyptios hyeroglyphica erant in vsu, & sic apis regem significabat, quia moderatorem populorum oportet, cum iustitiæ aculeo, clementiæ mel habere commixtum. Id. lib. c. vlt.

C Bella, fames, terræ motus, incendia, partes tantum aliquas terræ infestant, cum cæteris pax est.

Non ama tanquam osurus, sed odi tanquam amaturus.

Dæmones missi in porcos gregem in mare præcipitant, vt discamus quod peiora facerent in homines quos magis oderunt, nisi continerentur à Deo. D. Chrys. ho. 29. in Math.

Christus hortatur omnia relinqui propter conuenientia tamen promittit his qui relinquunt; Apostolis piscatoribus dicit: faciam vos fieri piscatores hominum, adolescenti diuiti, vende omnia

D quæ habes, da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.

Saturnus dictus cæli & terræ filius, proprios filios absumens, quia tempus absumit indiuidua, saluâ specie, herbas salua radice quæ iterum pullulant. Leo Hebr. dial. 2. de amore.

Deus saluauit rerum omnium species in arca Noë.

Vulnerat quis alias vt occidat, alias vt non occidat l. 1. § penul. ff. ad l. Corn. de sicar. vt pater qui leuiter vulnerat filiam in adulterio deprehensam occiso adultero; quod ex præscripto legis debebat vtrumque occidere; l. 23. ff. ad l. Iul. de adulter. vide Cujac. obseru. l. 6. c. 15.

Legislator potest etiam in materia graui ferre legem, quæ non obliget sub pœna peccati mortalis, si sufficienter id declaret, & sic legis obligationem

E limitet; hoc enim pendet ex libera voluntate præcipientis, tales sunt quarundam Religionum constitutiones. Suarez de legib. l. 3. c. 27.

Reges vti solent, non imperio, sed precibus. *Vide concord. potest.* obedire rectoribus.

Altera manu lapidem tenere, panem ostentare altera. Plautus.

De frigore temperato *V. ide minoritas beatitudo.* Alber.

In magnis morbis magnis remedijs, in maximis maximis, in temperatis, temperatis vtendum, quando si dubitatio accidat, ne ingeniasse [illegible] Vi-

lium incidas, rutius à leuioribus, partibus causis, quam à fortioribus initium sumes, melius est enim infra subsistere, quam exquisitissimè euacuare. Card. meth medendi c. 16.

Leo X. in Concilio generali Lateranensi statuit, vt Magistri Philosophiæ qui referunt opiniones antiquorum fidei Christianæ contrarias statim illas validis rationibus impugnent, nec indecisas relinquant. *Vide duratio bonitatis*, cum veneno nascens antidotum.

BLANDA ET LENIS admonitio.

EX insito mentibus honesti rectique sensu fit, vt quilibet ambiat talis apparere, qualis esse debet ex conscientiæ præcipientis & internis externa decenter conformantis legibus. Placet itaque sermo qui nos dicit optimos, & cum in se descendens multa censor videat quæ secreto suo non probet indicio, gratissimum est, saltem alieno commendari. Hæc bona cæterorum de nobis opinio cordis intima cælesti quadam dulcedine perfundit, conscientiam stimulis interdum asperam, sibi conciliat; famæ, fortunæque fauentis in posterum fit prænuntia, & hic splendor virtutis, vt lux ignis argumentum est. Sicut ergo nos delectat sermo laudis, ita lædunt verba quæ defectum apparentem denuntiant & corrigendum monent, ex improuiso venientia vix placidè possunt excipi, maximè cum naturam suo alienoque iudicio sibi de perfectione complacentem dicant imperfectam, & ad alta nitentem, velut impressa grauiter manu deijciant. Auget inuidiam quod accedens monitor, videtur ei cui dat consilium ambitiosè præferri, inserit se rebus alienis non vocatus, se profert velut sapientia, virtute superior, & ab his defectibus quos arguit, in totum liber, ad has igitur ingratas menti qualitates diluendas, opus est insinuatione prudentissima, verbis ad humanitatem, humilitatem, affectum, recipientis indolem sic aptè compositis & temperatis, vt acerbitatem remedij longè superet consulentis simplex, nec affectata suauitas. In his à longè petitum exordium terret auditorem, vt ægrum scindendum, magnus apparatus chirurgi. Captetur occasio quæ diuersa cogitantem animum, & per lætiora vagantem, sensim in rem deducat. Quidam Abbas in vitis patrum, tentationes suas, etiam reatus, alteri refert, & daturus consilium videtur petere, vt morbi conformitas excuteret nouitij malam verecundiam, secreta, ne curentur, tegentem vulnera. Detur liber excusationibus locus, humaniter audiantur, malis ex peccato nascentibus compatiatur charitas, & inito cum ipsomet, laborante consilio, remedia conquirat; tollat, virtuti, famæ, fortunæ magnis profectibus vnicum curatu facilem, obstantem defectum. Absit à monitore quælibet verborum acerbitas & contumelia; cum agitur de vno compescendo vitio, cessent in totam vitam animaduersiones odiosæ, nam ex vna parte lædendus animus, in cæteris debet confoueri. Non omnia quæ sunt incidenda simul & semel peragit medicus, parcit viribus, quibus dolore nimio consumptis frustra deficienti naturæ præstaret subsidium. Denique quidquid agitur verbis, gestu, vultu, consilio, probet totum hoc ex affectu sincero procedere, munus esse compatientis & in officia paratæ charitatis. *Ex principiis.*

Vt oratores & Philosophi describentes qualem A velint esse oratorem & Philosophum, non faciunt injuriam Demostheni vel Platoni, sed res ipsas absque personis definiunt, sic in descriptione Episcopi quasi speculum sacerdotij proponitur. Iam in potestate singulorum est, quales se ibi aspiciant, vt vel dolere ad deformitatem, vel gaudere ad pulchritudinem possint. D. Hieron. Oceano.

Cum morbi finis ambiguus est, cura blandiente bonum est vti, victum talem instituendo qui virtutem non minuat, morbo suppetias non ferat, dolores symptomataque sedanda, corpus moliendum, itaut causæ virtuti obnoxiæ, aut morbo suppetias ferentes non augeantur Cardan. meth. medendi, c. 1.

B Vt instrumenta si tumultuariè corrigere properes, franges, ita & hominum errata. Idem de arcanis prudentiæ, c. 91.

Cassian. 2. collat. cap. 13. Refert de sene quodam Monacho, quem cum conuenisset quidam iuuenis, conquestus de spiritu luxuriæ, quo vexabatur, eum acriter redarguit, quasi suæ sanctæ professionis oblitum, ita emisit non tantum sine consolatione, sed etiam cum noua, majorique quam prius mentis conturbatione: Dei prouidentia factum est vt idem senex, eandem, quam nunquam senserat, libidinis tentationem passus extra cellam velut amens vagaretur; cui pœnas suas aperienti, dixit Moses Abbas, qui noluisti compati infirmitatibus alienis, expertus disce, quanta sit vis tentationis, & ea vexatos C non asperè habendos.

De nimio zelo. *Vide maioritas voluntatis.*

Infirmis compatiendum. *Vide concordantia minoritatis.*

Vt subleuem jacentem, altior debeo deprimi. Non benè conueniunt, nec in vna sede morantur, majestas & amor; vbi autem deest amor, non prodest instructio; homo naturaliter contumax animal, magis ducitur, quam trahitur; beneuolo, & amanti, secretum cordis libentius aperiet. Sic Apostolus omnia omnibus factus est, vt omnes lucrifaceret; monet Patres ne filios ad iracundiam prouocent, vt non fiant pusillo animo; & alibi, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. S. Ioannes, latronis & homicidæ perditissimi manum osculatus est, vt eum lucraretur. D Diuus Augustinus, dicit de S. Ambrosio, cœpi amare hominem, non vt doctorem veritatis, sed vt hominem beneuolum in me. Non dixit Augustino, peccator es, recede à me, &c. Gerson tractatu de paruulis ad Christum trahendis.

Ferrum extinctum in melle, mollificatur valdè, & citius liquescit in igne. Auerroës.

Sanis nocet exhibita fortis medicina, sic in Trapezunte Ponti fit ex buxo mel grauis odoris, quo sanos quidem ajunt alienari mente, comitiali autem laborantes, omnino sanari. Stobæ, sermon. 98.

Minor calor junctus majori infrigidat *Vide concordantia maioritatis*, societas cum majoribus, blandus calor emolliens, dat exitum robusto indu- E ranti, seque sic irretienti; inflammationes aqua tepida curantur, non frigida quæ plus inflammat per antiperistasim. Campanella in proœmio Astrologiæ.

Apostolus Rom. 12. sic Christianos exhortatur ad pietatem, obsecro vos per misericordiam Dei. Medicus austera remedia, dum recipere persuadet ægrotos, agit præcibus, non compellit imperio, sciens infirmitatis, non voluntatis esse, quod salutaria respuit, quoties profutura repellit infirmus; & filium pater, non potestate, sed amore ad rigorem

pertrahit disciplinæ, non ignorans, quam sit aspera immaturis sensibus disciplina. Chrysolog. ser. 108. Rogat Paulus, imo per Paulum rogat Deus, quia plus amari vult, quam timeri. Rogat Deus, quia non tam Dominus esse vult, quam pater. Rogat Deus per misericordiam, ne vindicet per rigorem. Audi rogantem Dominum Is. 65. Tota die expandi manus meas,&c.& Mich 6. Ib.

Præceptum correctionis, est affirmatiuum, ideo non obligat semper & pro semper, sed pro aliquo tempore, scilicet eo modo & tempore quo potest esse spes correctionis, quia nemo obligatur ad opus inutile.

Abb. s Macarius dicebat, sermo superbus & malus, etiam bonos viros conuertit ad malum; sermo vero humilis & bonus, etiam malos mutat in melius, vitæ patr l. 2. fulgur venenata purgat, pura inficit.

In fabula Eurus tempestate sua non potuit hominem veste sua spoliare, quod fecit sol, blando calore.

Petrus Damiani opusc. 13. c. 15. monet Abbatem ne seuerius agat in subditos, taciteque in se oculos conuertat; videatque se correptionem mereri si censor adesset, & si à membris suis omnimodam non potest exigere obedientiam, quomodo obtinebit à fratribus.

Aqua omnium nutrix, omnium colores & qualitates induit, albescit in lilijs, rubet in rosis, dulcescit in fructibus, exasperatur in corpis.

Vide magnitudo concordantiæ, omnibus conformari, similiter fulget in adamante, rubet in rubinis,&c.

Chymici separant à medicamentis, gustui, odoratui, oculis odiosas qualitates, remanente eadem quæ prodesse & morbum expugnare potest, qualitate, tam non ingrata.

Natura non mittit ad nutriendas partes corporis alimentum, tale, quale recipitur in stomacho, sed consumptum, digestum; sic ægris non exhibentur carnes, gallinarum, sed ex illis jus elixum, *consommees*, purgantur pueri, medicamento nutrici dato, & lac eius, parum efficiente.

Perithe, siue Peridonius lapis, est fului coloris, si fortius constringatur manu, adurit manum, vult ergo leniter & pauidè tangi. Alb. Mag. de lapidibus litera P.

Orat Dauid, Psal. 37. Domine ne, in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Si sol summum effundere voluerit calorem subito partes nimis resistentes conuertet in tenuitatem, quæ sursum ascendent, incrustata scindetur, & per rimas euolabit calor internus, fient eius interiora frigidiora, veluti ostendunt aquæ & antra eo tempore frigida magis quam in alio, & omnis materia foris assata, intus vero cruda, fit à calore præpotente, at vbi sol languidiorem calorem impresserit, intus remanebit, eo quod nequeat celeriter attenuare, & cum præda reuerti, ideoque hic occlusus disponit terram in entia multa, quæ pulcherrimum ordinem ad distinctionem faciunt in mundo, variasque delitias. Campan. physiol. c. 5. *V. durat. contrar* mora.

D. Paul Roman 14. probat cibos natura immundos non esse, sed ex voluntate & conscientia vtentis, qui si non ab opinione tua discedere, & inquit, si propter cibum frater tuus contristatur, ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus est mortuus. Non amplius contendere, ne vestrum bonum blasphemetur, non est enim regnum Dei esca & potus. Itaque quæ pacis, ædificationisque mutuæ sunt,

A sectemur; ne cibi causa destruas opus Dei.

Medici eos qui laborant petentes frigidam, consolantur, dicentes se præbituros, non dandi autem prætextum & excusationem afferunt & fontem & vas, & tempus, & multa hujusmodi, nam si repentè à furore retraxerint, efficiunt vt ipsi sint efferati. Sic faciendum erga pecuniæ auidos, ductis ex Philosophia rationibus dicamus licitum ditari, non male ditari, id est absque alterius damno, absque rapina, violentia, vnde in ipsum conuerterentur omnium criminationes nondum loquamur de gehenna. Referamus exempla diuitum quibus res ma è cessit; pauperum, dum alij superfluunt, dura patientium, & hæc dicamus non tanquam consulentes & suadentes, ne molesta sit oratio, sed tanquam narrationem, quomodo illius domus, cum esset clara, corruerit; quam multi ex eius familia, in miseriam inciderint, & hæc dicamus tanquam miserantes, tandem dicemus, tales æternas manere pœnas, &c. D. Chrysostom. homil. 11. in 1. ad Cor.

B Vniuersum malum simul non poteris corrigere, sed paulatim & sensim, multa lenitate opus est in eo qui arguit, vt qui arguitur patienter ferat incisionem. Idem homil. 30. in epistol. ad Hebr. fac vt te priorem arguat, vt tibi sit pariter correctioni locus. Ib.

Si vitijs mederi non vales ex animi tui sententia, non ideo tamen deserenda Respublica est, & in tempestate nauis destituenda, quoniam ventos inhibere non possis. At neque insuetus & insolens

C sermo inculcandus, quem scias apud diuersa persuasos pondus non habiturum, sed obliquo ductu conandum est, atque adnitendum tibi, vti pro tua virili omnia tractes commodè, & quod in bonum nequis vertere, efficias saltem vt sit minimè malum; nam vt omnia benè sint, fieri non potest, nisi omnes boni sint Thomas Morus, libro 1. Eutopiæ.

Aquæ lustrationis mundabant per aspersionem, non per confricationem. Tostat. Leuit. fol. 172. c. 1. b.

Qui admonet non iracundè id faciat, sed familiariter, oportet enim vt ambo accommodentur sibi inuicem, & ad pacem contendant pariter,

D quandoquidem etiam patrem illum videmus occurisse pœnitenti filio, & non expectato aduentu, obuiam excepisse eius pœnitentiam Iustinus Martyr. ad serenum fratrem. Qui proximum admonet, perturbat, & cum ira seipsum condemnat.

Sicut palpebræ prominentibus pilis franguntur radiorum solis vehementiam, vt cum vmbra fiant contemperati; ita morum grauitas, atque majestas cum moderata animi demissione non auertat oculos intuentium, sed jucundum efficiat obtutum, vt sit cum celsitudine comitas, cum humanitate seueritas. S. Gregor. Nyssen. de his qui præmaturè abripiuntur.

E Charitas cum te arguit mitis est, cum blanditur simplex est, piè solet sæuire; patienter nouit irasci, humiliter indignari; ex Apostolo fructus spiritus est charitas, vtique gratus. Laurent Iustin. de charitate, c. 3.

Alium reprehendens ne vteris acerbitate verborum, sed dulcedine quæ plagam leniat, speratum curationis effectum non amittat.

Pluuiæ rore grandæ sunt fertiles, ros autem est dulcissimus.

Ista duo humilitas & authoritas, in eo qui curam habet animarum, optime conueniunt. Nam humilitas

litas fine authoritate, præsulem contemptibilem A reddit, authoritas vero absque humilitate, ipsum efficit subditis intolerabilem: ita Christus magister, discite inquit à me, quia mitis sum & humilis corde. Id. l. de inst. præla. c. 14.

Spiritus Domini non est in igne, nec in commotione quæ subuertit montes, sed in spiritu auræ lenis, 3 Reg. 19. 11.

Iustum describens Propheta Psal. 14. qui opprobrium non accepit aduersus proximos suos, hoc humilitas, hoc super metum diffidentia, quæ validissima fiduciæ custos est, curat. Ne sit admonitio contumelia, ne sit emendatio opprobrium, ne sit doctrina conuitium. D. Hilar in Ps. 14.

NON GRAVIS IN CONfessione sati factio.

GErson. tractatu de paruulis ad Christum trahendis sub finem. Extimescet inquit, aliquis pœnitentiæ austeritatem, Vanè hoc, quia nullam non vltro sustinendam impono; malo enim, exemplo Guillelmi Parisiensis, cum parua pœnitentia voluntariè complenda, mittere homines ad purgatorium, quam cum inuita non facienda præcipitare in infernum. Quisquis aderit peccatorum suorum quanquam grauissimorum conscius, dicat cum Dauid nihil omittens, Peccaui; mox subjungam, peccatum tuum transtulit à te Deus.

Ægri corpore sentiunt ægritudinem suam, & asperiora timentes, pro sanitate recuperanda dura quæque tolerant; at spirituali morbo laborantes, non sentiunt malum suum, & medicinam velut ægritudinem refugiunt. Ideo arte & solertia fallendi, tolerandi, sensim, ad id quod melius est adducendi. Theodor. ser. de fide.

Omne alimentum dulce est, inquit Hyppocrates, dulcedo est sapor temperatissimus ab aëre qui medius est elementorum. Nutritio est ab oleo, & concretione aërea, sanguis optimè elaboratus fit dulcis. Lac primum alimentum est dulcissimum aëreum & spumosum.

Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum, sed quasi mercenarius, aut colonus erit; liberabitur anno jubilæi; mei enim serui sunt, & ego eduxi eos de terra Ægypti. Leu. 25. Non opprimes eum qui compunctus semetipsum iudicio Dei, per ministrum Dei subijcit. Non opprimes, quia non tibi se subijcit, sed mihi, non tuo sed meo timore confessus est quod fecit, & ego inspiratione occulta vocaui illum de peccatorum suorum tenebris, vt veniret ad lucem consilij tui. Non agas cum eo, sicut cum his qui in seruili nequitia perseuerant, vel à judicibus conuicti sunt, &c. Rupert. in Leu. libro secundo c. 43.

Pastor Abbas, cuidam Monacho dicenti, peccaui, & volo triennio pœnitere, respondit multum est; per annum, multum est, per 40. dies, multum est, tandem conclusit. Ego puto quia si ex toto corde homo pœnituerit, & non apposuerit facere iterum vnde pœnitentiam agat, etiam triduadanam pœnitentiam suscipiat Deus, vitæ Patrum libro 5. c. 10.

Boues duodecim portabant mare Æneum in quo lauabantur; significabant mansuetudinem sacerdotum populum à peccatis lauantium. Rupert. in L. Reg. l. 3. c. 24. Helias contrahitur super puerum quem vult suscitare. 3. Reg 17. Sacerdos debet condescendere peccatori pœnitenti. Rup. Non in commotione & igne Dominus, sed in spiritu auræ tenuis. 3. Reg. 19.

Pœnitentes restituuntur ad pristinas dignitates. *Vide magnitudo bonitatis.* integrum beneficium.

In dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se gemitus lachrymasque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo. 2. Tim. 2. Ne fortè det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quibus capti tenentur ad ipsius voluntatem Leo. ep 91.

Non est pensanda pœnitentia quantitate tempo- B ris, sed ardore mentis & mortificatione corporis. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Conc. Cabilonense II. c. 34. a. 813.

Ecclesia est locus misericordiæ. Vnde in Concil. Suessionensi II. can. 10. an. 853 In locis sacris judicia publica non exerceantur, neque enim fas est, ibi reos puniri, vbi respectu diuinæ reuerentiæ misericordiam consensu fidelium consequuntur.

Ioannes IX. Papa scribit ad Herineum Episcopum Remensem; de quibusdam gentilibus, qui post conuersionem & baptismum, ad idololatriam relapsi multa mala Christianis intulerant. Quia, inquit, in fide rudes sunt, mitius cum eis agendum quam sacri censeant canones, ne fortè insueta onera portantes, importabilia illis videantur, & ad ve- C terem vitam relabantur, habetur in Conc. Galliæ. a. 902.

Ex duobus passeribus Deo oblatis, vnus immolatur, alter liber emittitur. Leu. 14. similiter ex duobus hircis. Leu. 16.

Dicit Apostolus Heb. 9. v. 22. omnia penè in sanguine secundum legem, quia in antiqua lege aliquæ purificationes fiebant sine sanguine. Leu. 13. & 25. & num. 5.

Quædam tantum olent exusta vt thus; alia cum olent, admota igni non olent, vt rosæ & flores vniuersi. Cardan. de rerum varietate, libro 3. capite 14.

Non est ea sæculi nostri pietas vt culparum con- D donationem per longa supplicia quærat, aut probrosam sub plebis aspectu, & in templorum vestibulis pœnitenciam: vehementi flatu sæpè extinguitur, non incitatur ignis, sic deuotionem suffocat rigor nimius. Ex temporum opportunitate & ægrotantis viribus remedia sua medicus temperat.

Multi antiqui canones qui taxabant pœnas certas pro singulis peccatis, jam reuocati sunt; nam Ecclesia reduxit omnia hæc ad arbitrium confessorum, cap. mensura, de pœn. d. 1. & cap. Deus qui Ecclesiam, de pœn. & remissio.

Sacerdotales vestes in veteri testamento, aspergebantur, sanguine & oleo sancto. Exod. 29. pœnitentiam significant lenem & temperatam. Christus sine satisfactione remittebat peccata. Tost. Math. to. E 3. f 182.

D. August. ad januarium improbat eos qui legem Christi in paucis Sacramentis institutam magnis premunt oneribus, & de libera seruilem efficiunt, simile sit judicium in imponenda pœnitencia confitentibus, vt vbi restitutio non est necessaria, vel debitum speciale alicui, nemo se graue debet ostendere, sed sequi conditionem pœnitentis, & si ille vult pro magnis peccatis, paruam sibi imponi pœnitentiam, parua imponenda est, ne vt dicit Chrysost. super Math. metu pœnæ temporalis contemnant æternam, melius propter misericordiam red-

dere rationem, quam propter crudelitatem. Tost. Math.to.6.f.173.

Vide bonitas potest. sacerdotum clementia.

Sacerdotis est judicare de peccatis, non pœnitentis. *Vide cogn. minor.* difficilis propriæ infirmitatis cognitio.

Væ vobis quoniam clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec intrantes dimittitis intrare, Math.23.

Quidam magnum dolorem & immoderatam tristitiam, quasi vtilem post peccata laudant, atque admirantur, quod diabolico artificio fieri Iudas patefecit, qui ex dolore nimio se suspendit. Propterea Paulus, pro eo qui fornicatus fuit, formidauit ne quid tale pateretur, & admonuit Corinth. 2. Citius eum liberare, ne nimio absorberetur dolore; ne nos circumueniamur à Satana. D. Chrys. ho. 87. in Math.

Vide veritas medii, mediocritas, discretio.

Remedia non consistunt in contrarietate, sed in conuenientia *Vide diff. contrar.* diuersitas remediorum.

Licet Episcopi possint quosdam graues casus reseruare, vt peccantibus metum incutiant, tamen prælatus se facilem præstare debet in concedenda facultate confessarijs absoluendi à casibus reseruatis, alias si sine causa negaret, peccaret vt ait Nauar. in c. placuit de pœn. d.6. Nam si Deus benignus, vt quid sacerdos eius austerus vult apparere? can. alligant onera grauia 26 q.7. Summa Bullar. in verbo. casus reseruati.

Baptizatis nulla est pro peccatis præteritis injungenda satisfactio. Eugen. 4. const 19. §. 10. Bull. p. 269. tom 1.

LIS ET DISPVTATIO, SALVA charitate.

FAlsum est quod quidam asserunt ex confrictione orbium cælestium ignem generari, quia cælum non est susceptabile peregrinarum & extranearum impressionum, nec in eo generantur qualitates quæ in aliis corporibus generantur; illic etiam non ascendit aër, vt fiat inflammatio. Alb. Mag. tr.1. de propriet. elem. c.1. Inter bonos jus suum ex conscientia defendentes non nascitur ira, nec datur locus calumniæ.

Inter litigandum partes & aduocati non se debent contumelijs afficere. *Vide minor contrar.* nulli nocere

De disputationis moderatione. Oratio Gregor. Nazianz.

Grauiter peccat contra charitatem, qui actiones injuriarum in judicio prosequitur contra suos inimicos ex prauo affectu, vt illi malum eueniat, Bonac. de charitate puncto vlt.

Duo Cherubim quos fecit Salomon ad operiendam arcam, erant de lignis oliuarum, 2. Paral. oliua pacem significat & dulcedinem.

In Paralip. libro legimus, quod filij Israël ad pugnandum processerint mente pacifica, inter ipsos quoque gladios & effusiones sanguinis & cadauera prostratorum, non suam, sed pacis victoriam cogitantes, D. Hier. Aug.

Rotæ quo sunt deteriores, majorem edunt strepitum, plus vociferantur indocti; at flumina profunda, minori cum strepitu currunt, mitior est sapientum disputatio.

IN BELLO TEMPERATA sæuitia.

APud Romanos, gentem imperandi callentissimam, ij duces qui nationem aliquam aut populum imperio subegissent, in clientelam illum suam ac patrocinium recipiebant, nec alios, nec beneuolos æquè, vel beneficos populus ille experiebatur, quam cum quo Imperatore arma contulisset. Lud. Viues in epist ad Henr. 8. regem Angliæ.

Rex Persarum, Turcarum, & Mogor, etiam moto inter se bello, non impediunt commercium.

In Cannensi clade, audita vox Hannibalis; parce ferro miles; Syracusarum ardentium flammas Marcellus lachrymis concupiuit extinguere, ad prostrata Iudæorum cadauera Titus cælum intuens, ingemuit. Belluæ generosiores parcunt prostratis; Regias mentes non decent vastæ, & inexorabiles iræ; multa sunt humanæ imbecillitati condonanda, ignorantiæ multa, quædam etiam affectui, pœnitentiæ omnia; multos seruare oportet etiam inuitos, quibusdam error imposuit, opinio fucū fecit, alios maligna consilia pessum dederunt, sunt etiam quibus sola fortuna pro culpa est, multos absoluet, qui se à Deo cupit absolui.

Paulus Æmilius totam Græciam circumiuit, Græcos & Macedones, liberos esse jussit, habentes vrbes easdem, agrosque, vtentes legibus suis; creantes magistratus, tributum dimidium eius, quod pependissent regibus, populo Romano pendentes. Leges Macedoniæ dans, vt non hostibus victis, sed socijs benè meritis dare videretur. Geneb. a.m.3914.

Quid faciet in suos ciues, cum etiam in hostes pius sit.

Gloria longè major est, seruati, quam cæsi hostis, tantoque triumphus illustrior, quanto plures relicti sunt, de quibus triumphetur.

Quibusdam vtile videtur hostem occidere, mortuus enim bellum non mouet. At melius hostem occidit, qui parcit, & amicum facit dum extollit. Æneas Sylu. coment. lib 3. latis vicit, qui hostes fugauit.

In Sicilia insula Strongoli, ex vna parte fertilis est, ex alia ignes jaculatur. Dauity.

Ventus turbinis ex alto emissus non vexat, magnum tractum terræ, nec regionem integram, sed tantum paruam partem agri. Mutat locum, & non durat nisi per paruam horam. Alb. Mag. meteor. l 3. tr.3. c.16.

Non omnia licent militibus etiam in bello justo; non licet illis prædas & vastationes exercere vltra limites à duce præscriptos, in pugna aut post pugnam non licet occidere eos, qui sunt aut præsumi debent innocentes, juxta illud exod. 23. Insontem & justum non occides, quales sunt infantes, mulieres; Clerici, Religiosi, legati, oratores, mercatores, licet tamen eos spoliare opibus quibus hosti ferunt auxilium.

Antigonus appellatus fuit Euergetes, id est benefactor, nam Cleomene rege Lacedæmoniorum pugna victo, etiam sparta potitus, cum suo arbitratu & de vrbe, & ciuibus statuere posset, tantū abfuit, vt in victos sæuiret, vt patriæ Reipublicæ forma & libertate restituta, maxima beneficia, publicé contulerit.

Caduceus vna cum hasta, minas precibus junctas significat.

Belizarius dux Romanus; Totylæ vrbem

Romanam obsidenti & diruere conanti scripsit, si tibi victoria cesserit, non rem alienam, sed tuam propriam perdis. Si victus sis, victores habebunt tibi gratiam de seruata vrbe, at si destruxeris nulla humanitate contra te agetur. Sic Totylas destitit, à diruendæ vrbis consilio. Fusius hæc apud Petrum Crinitum de honesta disciplina, libro 6. c. 1.

Athenienses rebellibus manus dextræ pollicem abscindebant, vt in bellis non possent vti gladio, possent autem in triremibus seruire Rodig. lib. 15. c. 27.

Cum Romæ controuerteretur, an esset delenda Carthago, quæ Romanæ fortitudini erat velut cotis, obtinuit media senatus sententia, vt vrbs tantum loco moueretur, & superesset Carthago sed non formidabilis. Id. l. 27. c. 1.

Mithridates pepercit Duci hostium ad se captiuo ducto, non æquum est, inquiebat, virtutem à fœlicitate destitutam, despicere. Idem libro 29. capite 17.

Populis deuictis diuidebantur agri militibus potissimum veteranis, parte aliqua veteribus possessoribus relicta, his qui dignitate aut gratia præstabant. Cujac. obseru. l. 2. c. 9.

Arbores pomiferæ in terra Canaam non debebant detruncari ab Israëlitis, ne quando eam ipsi possiderent terram, illis ex eo inutilem. Tost. 2. Reg. f. 61 c 4 f & vide Deut. 21.

Media seueritas contra Gabaonitas. *Vide media contrarietas.*

Israëlitæ peccauerunt occidendo paruulos & vxores Benjamin. Iudic. 20. Tostat. Iudic. fol. 213.

Pompejus superato templo Ierusalem intrauit in illud, sed nihil de vasis eius abstulit. Idem 3. Regum fol. 135. & de thesauris Iosephus 14. antiq.

Generosi animi est, post victoriam non sæuire.

In conjunctione superiorum in aqueis signis bella magna exoriuntur propter scorpium, quæ tamen in pacem, non internitionem plerumque rediguntur propter cancrum & pisces Cardan. apho. sect. 5. aph. 48.

In bello potissimum ciuili debet esse temperata sæuitia. *Vide contrarietas concordantia*, bellum ciuile.

ÆQVITAS.

Etiam si qua sunt jura quæ obstent, si tamen angustus saltem detur accessus, per quem intrare humanitas possit, vera clementia, occasione contenta est, Quint. declam. 6.

Iudicia quæ occupantur circa contractus, non agnoscunt gratiarum genus, quæ autem circa delicta versantur, mansuetam & humanam gratiarum faciem non recusant.

Æquitas supplet in casu singulari, quod lex non expressit propter vniuersalitatem. Rodig. libro 7. c. 22.

De æquitate quæ legis rigorem temperat. Vide quæ scripsi, mor. Christ to 3 parte 1 c 22.

Seneca lib. 9. controu. 4. In lege, inquis, nihil excipitur, sed multa quamuis non excipiantur, intelliguntur: & scriptum legis angustum est, interpretatio vero diffusa, quædam tam manifesta sunt, vt nullam cautionem desiderent.

FINIS CONTRARIETATIS.

CESSATIO ADVERSITATIS, ET DOLORIS.

Immoderatio, vt in voluptatibus, sic in dolore culpanda est, fletus enim & lamentatio magis pugnat contra naturam. Plutarch. in consolatione ad vxorem de morte filiæ. *Vide duratio virtutis*, de constantia.

Obliuio malorum miseris optanda.

Dicit Apulejus se à numine edoctum multa herbarum & lapidum genera esse, quibus homines perpetuam sibi vitam contribuere possunt, sed fas non esse id cognoscere, eos qui cum paruum tempus viuentes, malis auidè studeant, & nullum non scelus audeant, si prolixitatem temporis accipiant, ne Dijs ipsis remissuros.

Persæ ab anno 20. militiæ adscribebantur, ab anno 50. honestam merebantur missionem, tanquam emeriti veterani Strabo l. 15.

Terræ motus aliquando subuertit vrbes, aliquando prouincias, dicit tamen Seneca, quod vltra ducenta milliaria non inuenitur terræ motus aliquis occupasse spatium loci. Alb. Magn meteor. libro 3. c. 15.

Ira non sæuit contra mortuos. *Vide gloria finis.*

De tempore luctus.

Lapis qui dicitur fulminis est instar ferri & calibis, fit enim ex vapore terrestri, in quo erat lutulentum & viscosum, quod ita decoquitur & exsiccatur ab igne nubis, vt tamen non liquescat & fabricabile sit, sicut aliud ferrum, sed in igne positum euaporatur in cineres. Albertus Magnus meteor. libro 3. tract. 3. c. 23. Fauores ampliandi, sed odiosa sunt restringenda, & rei pœna non debet ei vlterius nocere, sicut non fiunt arma ex calybe fulguris.

Chrysolitus in auro gestatus dicitur fugare terrores & melancholicas passiones. Id. de lapidib. litera C

Nihil est desperandum, nam & sanctum jusjurandum expugnatur, & durus animus, *vide minor. duras.* inconstantia. Semper rusticus in sequentem

Digitized by Google

annum est diues. *Vide medium concordantia*, arbiter.

Videre in somnis tunicam ruptam, significat rumpi curarum onus, Suidas in voce χιτών.

Cessabat luctus publicus his potissimum tribus de causis. In dedicatione ædis, in condendo lustro, quod ad censorum officia pertinebat, tertio cum votum publicè susceptum ritè solueretur. In familijs autem priuatus luctus cessabat, cum liberi nascebantur, cum nouis honoribus honestabatur familia; cum pater, aut filius, aut vir, aut frater ab hoste captus domum redibat; cum puella desponsabatur; cum propiore cognatione aliquis nascebatur, quam ille cujus nomine luctus fuisset. Petrus Crinitus de honesta disciplina, libro 19. capite 12.

B

Quidam in tetrum carcerem à tyranno conjectus noluit sibi mortem consciscere dicens; omnia homini dum viuit speranda sunt.

Quando discipuli Christi ejiciebant dæmones, dicebant, præcipio tibi in nomine Iesu, vt exeas de homine isto, & amplius non introeas, sic Paulus Act. 16.

Lactucæ agrestes quas manducare jubebantur filij Israël, Exod. 12. significabant amaritudinem seruitutis Ægypti, de qua exierant. Tost. exod. tom. 1. 75.

Tempestatum procellæ quanto plus habent virium, tanto minus temporis, ventique cum ad summum veniunt, omni violentia remittuntur, & ista concitatione necesse est, vt ad sui exitum tendant. Nemo itaque turbinem toto die vidit, sed nec hora quidem, mira eius velocitas est, & mira breuitas.

Septentrionales populi à principio Octobris, ad finem Aprilis asperrimam hyemem, tristissimam noctem experti, redeuntem solis splendorem singulari lætitia, tripudio, & solemnibus conuiuijs excipiunt. Olaus Mag. rerum Septen. l. 15. c 8. Ex duabus turmis vna referente hyemem, altera æstatem duo eliguntur Athletæ certaturi, sic tamen vt æstas victrix existat. Ib.

Cum luna in morbis, ad planetas morbo contrarios; maximè ad fortunas accesserit, morbus in melius mutatur. Cardan. aphoris. sectiõ. 1. aphoris. 52.

Experientia ipsa docet, humanam nequitiam non esse infinitam, sed retundi ætate, casibus, pugna ipsa; vnde post tot scelera durat adhuc humanum genus, lenitur etiam asperitas morum naturali ad similes affectu. Idem de arcanis prudentiæ, capite 68.

Croci potus leuat curas. Alij vtuntur vino, Turcæ opio; plus prodest Philosophia. *Vide dur. virt.* fortitudo in aduersis.

LITIS ET IRÆ placatio.

IRæ pertinaciam facit spiritus spissus, spissum enim calefactum non cito frigescit: spiritus autem ex flauo & tenui sanguine, cito accenduntur, & cito extinguuntur. Alb. Ma. tr. 2. de motibus animalium, c. 7.

Ignis dura mollificat; amor corda, & amici oratio.

Semper odiorum honestus occasus est, & dum simultates nihil aliud habent, quam nocendi cupiditatem, speciosa in melius animi mutatio est. Quint. decl. 9.

Ira, remedium est malo pejus, excæcat animum. Non decet virum bonum crudelem esse: etiam misescit Deus. Animus videtur esse in auribus, nam quibusdam auditus exasperatur aut mitescit; affectus iræ nisi cito curetur, in naturalem morbum abit, loco iræ Heraclitus lachrymabatur. Democritus ridebat, optima nauis quæ tempestatibus resistit, optima mens quæ iræ. Serui nolunt seruire iracundo Domino. Ignobilis facilè putat se contemni, te pœnitebit si quid immane commiseris. Mitigat iram, dilatio, *vide duratio contrarietatis*, mora.

Cum aquæ totam terram operirent, sol calore suo, multas eius partes subtiliores effectas eleuauit in aërem, sic libera ab aquis terra multis in partibus remansit. Sedantur seditiones præcipuis ad dignitates & altiora euectis.

Peccata ita delentur per pœnitentiam, vt de lege ordinaria non redeant, nec etiam redire possint, de potentia Dei absoluta, etiamsi noua peccata multiplicentur. D. Thom. 3. q. 88. a. 1. *Vide finis minoritatis.*

De reconciliatione. Bernardin. quadr. 2. sermon. 50.

C

Tanta rerum & fortunarum in vita humana confusio, vt si de iure regnorum, ciuitatum, familiarum certandum sit, & ex rigore iustitiæ transigendum, æternas lites esse oporteat. Christus inter fratres litigantes noluit esse diuisor, implacabilem hominum ratus auaritiam, qui elementis modum imposuit, superest vt quisque aliquid de suo remittat.

Rhodi festum quoddam singulis annis celebrabatur, nomine Alia pro sedandis tempestatibus, Athen. l. 13.

Petrus Damiani opusc. 40. fatetur se iræ motibus concuti, sed nec manus vt percutiat, nec os vt calumnietur ministrat, ex consilio Apostoli. Rom. 6. Nolite exhibere membra vestra arma iniquitatis peccato, sic defectu materiæ flamma desinit, sic ventus leniter per eam præterfluit, nisi reperiens quod obstet. Sic dicit libidini, age quod vis, nihil de meo conferam.

D

Iacob accedens ad Esau placatum, dicit se videre faciem eius, tanquam faciem Dei. Gen 32

Chymica facit ex corporibus duris & solidis liquores, naturæ nostræ & digestioni proximiores.

Vt res armis dirimatur, multum effunditur sanguinis, & diuturno, incertoque marti, vix vnius hominis vita sufficit, facilius beneficio quam gladio vincitur inimicus, non injuriæ adjiciendæ sunt injurijs, neque mala, malis cumulanda, sed purganda primo contumacia est, post damna resarcienda, exinde beneficia subjungenda; sic socium, ex aduersario, amicum ex inimico, fratrem ex hoste faciet. Æneas Syluius ep. 101.

E

De lite inter Episcopos cito & intra annum dirimenda, *vide durat. contrar. mala*, lenta & protracta sententia.

Lacus Auerni quem ex Virgilio, aues impunè non transuolabant, nunc abundat piscibus, nec amplius miscetur sulphuri. Similiter in regno Neapolitano est insula salini, quæ non amplius, vt olim emittit flammas, sed rerum omnium ad vitam vtilium, ferax est. Dauity.

Ira non sæuit in mortuos, *Vide gloria finis.*

Solet omnis offensa prior, apud placabiles ani-

Digitized by Google

mos, nouis officijs, non mitigari modo, sed prorsus etiam aboleri.

Antiqui canes immolabant, vt placarent canis syderei nimios ardores, vnde Ouid. 4. fasto.

Pro cane sydereo canis hic imponitur aræ
Et quare fiat, nil nisi nomen habet.

Transactio est rei dubiæ & litis incertæ, neque finitæ, aliquo dato vel remisso, conuenta decisio.

Exod. 15. Moyses mittit lignum in aquas mara amaras, & fiunt dulces.

Sol non occidat super iracundiam vestram. Nam quomodo placabit patrem, iratus in fratrem, cum omnis ira ab initio interdicta sit nobis, quàm autem temerarium est, aut diem sine oratione transigere dum cessas fratri tuo satisfacere, aut perseuerante iracundia orationem perdere. Tertul. de orat. num. 10.

Nouell. 18. præcipit iudicibus vt leniores & vilium personarum lites, ex non scripto definiant, minuendorum sumptuum causa, & omnino gratuito.

Dissidia regentium placantur congestis in vnum caput pluribus officijs, nequidem seruatis rerum diuersarum nominibus, *vide magnus potest.* Monarchia.

Intra biennium finiri appellationem, alioquin validam esse eam de qua appellatur sententiam præcipit Imp. Iust Nou 49.

Propter pacem conciliandam & vitandas discordias conceduntur dispensationes matrimonij in gradu prohibito. Tostat. Mathæ. tom. 6. fol. 37.

Vt cito lites finirentur, mos erat Israëlitis in terra Chanaan, vt judices sederent in porta ciuitatis Gen. 23. dicit 17. & 22. Ruth 4. Amos 4. &c. Tost. exo. to. 1. f. 208.

Ira cessat aut minuitur, si injuria non sit voluntaria, nec ad contemptum. 2. si mutata sit lædentis voluntas in contrarium 3 si talis existit erga se, & propinquos qualis erga læsum 4 si confiteatur peccatum suum. 5. si deprecetur. 6. si humilietur, 8 non contradicat. 7. si offerat retributionem. 8. diuturnitate temporis. 9. obliuione. 10 si alia superueniat ira, maximè si fuerit major. 11. si ob id lædens punitus fit. 12. tandem morte. Tostat. Mathæ. tom. 2. fol. 121.

Odiumque perit, cum jussit amor
Veteresque cedunt ignibus iræ. Senec. trag.

Quandiu est memoria injuriæ, tandiu est desiderium vindictæ; memoria autem tempore minuitur; quia species reseruatæ in organis acceperunt esse ab objectis exterioribus, quanto ergo fuerint magis elongatæ ab illis, tanto magis debilitatur virtus eorum. Tost. Math. to. 2. f. 107.

Mars in cancro subitam facit iram, sed minime tenacem, Card. aph. sect. 3. aph. 51.

Si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te, & ipsum solum, &c. Math. 18. Factus hæc eorum quæ passus sis expositio citra verecundiam lædentis, si rectè fit, est quædam pars defensionis, quæ vehementer ad reconciliationem impellit. eum qui rectè valet mittit ad ægrotum. Nam verè passus injuriam is certè est, qui passione victus, succubuit &c. D. Chrysost. ho. 61. in Math.

Math. 18. seruus cui Dominus debitum dimiserat, traditur tortoribus, quia pariter non dimisit conseruo. Qui sua cogitat peccata, ad dandam conseruo veniam, non ore tantum, sed corde facilior est; non impellamus aduersus pectora nostra mucronem, nunquam enim tantum tibi doloris afferre alius poterit, quantum ipse tibi, si recordatus iræ vindictam quæras, & aduersus teipsum sententiam judicis attrahas, quanto plura dices ab alio illata tibi incommoda, tanto reipsa, benefactorem ostendis, qui causam tibi præbuit, vt tuorum possis peccatorum sordes detergere; ira de inimicis, [illegible]am de diabolo lucra referre possumus. ib. ho. 61

Vide temeritas contrarietatis Injuriarum patientia.

Vituperando quis te persequitur, crucis signo statim pectus signato. Cogita si quid boni vnquam ab illo in te profectum est, Deum cogita, & te hæc cogitatio modestum efficiet; sume documentum à tuis famulis, qui sæpius te vituperante siluerunt, vt hinc intelligas, non esse hanc Philosophiam difficilem. Cogitat quod non est in se qui vituperat, sed insanit; flemus furentes & dæmoniacos qui nos verberant; nec in illos commouemur: si vis honorari, honora te prius & non descendas ad pares quas tu cum cæteris improbas, contumelias. ib. 88.

Vide duratio virt. de patientia in calumnia & rumore.

Christo moriente petræ scissæ sunt, id est corda saxea fracta sunt, vt fiant apti lapides ad ædificationem Ecclesiæ, & cœlestis Hierusalem. Laur. Iust. de triumphali Christi agone, c. 20.

Leo. 1. Papa Valentin Imperatoris precibus immanissimum Attilam placauit. Sixt. V. const. 73. §. 4. p. 463. to. 2.

Mala verbis mollienda, sententijs sententiæ inserendæ, vt res nouum recipiat sensum nitescatque velut in olere transplantato acerbitas facti aut dicti, quæ vitiosa sunt breuiter transeantur, Card. de arcanis prudentiæ, c. 28.

MAIORITAS CONTRARIETATIS.

IRA SÆVIENS.

IRA perturbationum omnium atrocissima, hominem in truculentam mutat feram, tenebras densissimas offundit intellectui, vt nec verum nec vtile, nec decorum cernat; arrodit cor, & valetudinem affligit; id cogit facere, quod illico pœnitentia consequatur? In facie quam turpis mutatio, ob hanc toruitatem vultus, atrocitatem dictorum, crudelitatem factorum, adimitur viro omnis authoritas, omnis beneuolentia, diffugiunt amici, recedunt obuij, solitudo vndique, omnes oderunt, omnes detestantur, eum qui pariter potest in ipsos, leui de causa sæuire; quam ridiculum est, imbecillum animalculum sic ferocire, sic furere, tantas excitare tragœdias pro re sæpius leuissima; semetipsum lædit, qui injuriam in pectus introducit, ex se illuc penetrare non valentem. Lud. Viues in introductione sapientiæ.

Cum luna fuerit combusta, ob iracundiam multa mala natus patietur. Cardan. aphoris. section. 3. aph. 6.

Præcipites in iram facit luna marti configurata

Ira furor breuis freno continenda. Vide quæ scripsi moralis Christ. tom. 2. parte 1. c. 38. & tom. 4. parte 2. c. 17.

Qui irasci tur fratri suo, reus erit iudicio. Mat. 5. Radix enim homicidij iracundia est, radicem Christus abscindit, vt pereant rami. D. Chrys. hom. 16. in Math.

Ira quando sit bona *Vide magnis volunt.* passionum vtilitas.

Ira est motus animi concitatus ad pœnam, atque vlciscendi libido. Hæc turbulenta commotio Deo displicet, cum ab eadem nascantur odia, rixæ, contumeliæ, clamores, blasphemiæ; pacem dirimit, vnitatis bono aduersatur, mentis oculum obnubilat, à cordis hospitio paraclitum fugat, perceptæ deuotionis dulcedinem spargit, atque sui juris hominem, esse facit alieni. Ignis est vrens qui repentino suo impulsu, erectam supra se subruit mentem. Laurentin. Iustin. lib. de spirituali animæ interitu.

Iræ motus conuulsiui ad vindictam & proximi destructionem toti propendent; sic humanæ naturæ ad tranquillam societatem ordinatæ sunt penitus contrarij. Furor breuis est, sed breui tempore strages edit maximas, dum commissa prius amico secreta, contumeliosè profundit, vt famæ sic fortunæ noceat; inurit atque turpes notas vir ex audientium suspiciosis mentibus delendas, euolat irreuocabile verbum, & motu citissimo vulnus infligitur nullis postmodum medicamentis sanabile, actu momentaneo antiqua soluitur amicitia, putatur enim tunc

A cordis secretum eructari, intimus eius prodire sensus, quem officiosa diu texerat vrbanitas. Omnibus hæc feritas est timenda, sed his potissimum qui publicis funguntur muneribus. In priuato feruens ira, licet injurias, læsiones, sanguinem spiret, contrariæ sibi partis certamine continetur, ne liberius sæuiat, & hæ sæpius coruscationes cum aliquo mugitu sine fulgure vanescunt. At ira principis nullo contra nitente, multis etiam applaudentibus, vt incendium vento concitatum latius exundat, & regiones integras depascitur. In irato nullus est amoris, iudicij, virtutis sensus; cæca mens ruit, quo fert vindictæ furens cupiditas, veri nescia, delusa falsis injuriæ simul & æquitatis coloribus, nescit modum,
B ad extrema præceps, malum omne, dum inferat non cauet, in hoc tantum justa quod sibimet ipsi temeritatis suæ pœnas luit, & cito perpetrat, diu pœnitenda. *Ex principiis.*

Ira comparatur Naphtæ semper ardenti. *Vide duras contrar.* mala.

NIMIA SEVERITAS ET crudelitas.

EVidens indicium est animæ, nec dum vitiorum fæcibus eliquatæ in criminibus alienis, non affectu misericordiæ condolere, sed rigidam judi-
C cantis tenere censuram; nam quomodo perfectionem cordis obtinebitis, qui non habetis illud, quod Apostolus plenitudinem legis consummatæ significauit. Gal. 6. Alter utrum onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi, & 1. Cor. 13. charitas non irritatur, non inflatur, non cogitat malum, omnia suffert, omnia sustinet, &c. Iustus miseretur animas pecorum suorum, viscera autem impiorum sine misericordia. Prou. 12. Rex rigidus incurrit mala, &c qui obturat aures suas ne audiat infirmum, & ipse inuocabit, & non erit qui exaudiat eum. Ibid. Cassianus, collat. 11. c. 10.

Quando fiat nimia seueritas ex comparatione maris in suo fluxu. *Vide medium maioritatis.*
D

In locis perpetuo niuosis nihil generatur, propter frigus glaciale quod est mortificatiuum, & contrarium complexioni plantæ: licet in locis temperatis, hyeme multa nix det terræ fœcunditatem, quia continet terræ calorem & spiritus, & dum cohibet ne exhalent reflectuntur humidiores in alimentum plantarum. Alb. Mag. l. 4. de vegetab. tr. 2.

Est quidam piscis dictus balæ, qui non appareret nisi in principio veris, vsque ad tonitrua, & tunc moritur. Idem libro primo, de animalibus,

cap. 3. quidam non ferunt seueritatem.

Carbo accensus, aqua extinctus difficilè reaccenditur.

Ideo non licet vnicuique se vindicare. *Vide vol. boni*. nimius sui amor.

Demosthenes dixit, quod cum sæpè ad exitium malis imprecandum incitaretur, timeret interim, ne planè desolandam hac imprecatione ciuitatem efficeret.

Crebra remedia aut destruunt, aut indurant naturam, hostes sæpius lacessiti fiunt bellicosi.

Mundus nimio Dei timore, lapsus est in idololatriam. *Vide concordantia minoritat.* de verbi Incarnatione.

Non facilè veniendum ad sententiam excommunicationis, maximè si sit publica, quia implicat innocentes, non prodest obstinatis, c. const. de sei. t. excom. in 6. can. constitueretur, d. 50. & 23. q. 4. per totum.

Vide maioritas medij, multitudo legum noxia.

Leo rugiens, & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem Prou. 28. 15.

Rex iratus exundat in perniciem regionum sicut Æthna & Vesuuius.

In Euangelio qui sæuè exigit debitum, æquè punitur ac si indebitum exegisset.

Petrus Dam. l. 1. epist 12. conqueritur apud Alexandrum II. S. Pontificem, quod omnibus decretis anathematis pœna apponitur, itaut sæpè leui de causa sine personæ, & circumstantiarum examine, velut si esset & omnium criminum reus, anathematis sententia damnatur, & non vt in foro pœcunia, sed Deo omnium bonorum authore priuatur, æqua cunctis indifferens pœna, id etiam Deus ipse non præsumit. Math. 10. olim dictum est dentem pro dente exod 21. par erat pœna delictis, nunc autem omnibus delictis par est pœna, velut apud Stoïcos, qui paria existimant omnia peccata. Diuus Gregorius hanc clausulam suis decretis non apposuit, nisi cum Catholicæ fidei clausula terminatur.

Idem opusc. 11. cap. 10. Non est illa recta justitia, quæ in desperationis foueam, mentes pertrahit alienas. Non est medicina laudabilis, quæ sic putrida resecat, vt simul etiam sana corrumpat. Noxius ignis est, qui sic nititur vepres exurere, vt etiam domos incendat, nisi multum nostra nobis vita splendesceret Non tantopere nostris oculis aliena conuersatio displiceret.

Prohibet Deus Gen. 9. & postea in primitiua Ecclesia ne quis edat sanguinem in cæremoniam & signum prohibitæ crudelitatis in proximum, & cædis humanæ. Geneb. a m. 1656.

Iacob lentè procedit, ne paruulis tum hominibus, tum gregibus noceat. Gen. 32. Idem moriturus, Simeonem & Leui, qui percusserant Sichymitas, sic auersatur; Simeon & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia, in Concilio eorum non veniat anima mea. Maledictus furor eorum, diuidam eos in Iacob, & disperdam eos in Israël. Genesis 49. tribus enim Leui non habuit hæreditatem propriam, & Simeon omnium minimam, itaut in deserto coactus sit habitare. Iosue 14. 1. Paralipom. 4.

Secunda plaga Ægyptiorum cum aquæ versæ sunt in sanguinem, itaut cogerentur sanguinem bibere; qui vindictam meditantur, bibunt sanguinem.

Deuteronom. 24. rei non debent virgis cædi, vltra quadraginta plagas, ne fœdé laceratus fra-

A ter tuus ante oculos tuos habeatur.

Harpiæ plures fuere quam describit Poëta, nam nulla curia his vacua. Æneas Syluius.

Facies hominis, facies leonis.

Alexander Ægeus Philosophus, Neronem vocabat, lutum sanguine maceratum Suidas in verbo Alexander.

Vis armata prohibita. *Vide medium contrarietat.* mal.

Timidi crudeliores, quem habere metum nolunt, omnibus faciunt.

Leo Papa scribit ad Episcopos Viennensis Prouinciæ. Nulli Christianorum facilè communio denegetur, nec ad indignantis hoc fiat arbitrium sacerdotis, quod in magni reatus vltionem, inuitus & dolens quodammodo debet inferre animus vindicantis, sic anima exuta omni munimine, diabolicis incursionibus, vt facilè caperetur, objecta est, cum tamen pro ea Christi sanguis effusus sit, &c. habetur in Concil. Arelat. Galliæ, ann. 445.

Nullus sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro paruis & leuibus causis à communione suspendat, præter eas culpas pro quibus antiqui Patres ab Ecclesia arceri jusserunt committentes. Conc. Aurel. V. can. 5.

Abbati non licet propter quamlibet culpam, Monachos excare, aut debilitatem membrorum ingerere. Conc. Francofordiense ca. 18.

C Si quis arborum superna semper diminuere velit, cibus ad radices totus feretur, easque adeo augebit, vt loca radicibus impleantur ac perhorrescant, demumque parte superiore arbores augeri nullatenus valeant, cum ima totum alimentum assiduè petat, fit enim ex diutina prauitate, vt talis auctio quasi in naturam vertatur Theoph. de causis plantarum l. 3. c. 9. Sic Apostolus monet Patres ne nimis seueri sint in filios, vt non pusillo animo fiant. 3. Col. 21.

Res bonæ non sunt penitus tollendæ, vt impediatur earum abusus.

Vide medium cognitionis. Imagines piæ, sic D. Cypr. epist. 10. 11. & seq. & serm. de lapsis testatur fuisse abusum in concedenda lapsis indulgentia facili per intercessionem Martyrum; non tamen id

D penitus dicit interdicendum, 1. Cor. 10. Apostolus arguit Corinthiorum abusum in communione, non tamen præcipit ab Ecclesia ob id separari. D. August. lib. de opere Monach. c. 28. inuehitur in vagos Monachos qui lucri causa falsas martyrum reliquias circumferebant, nec ideo vetat Reliquiarum cultum quem commendat ep. 103. & l. 9. conf. c. 7. & libro 22. de ciu. cap. 8. libro 20. contra Faust. c. 21.

D. Gregor. Nazianz. in funebri oratione sancti Basilij, dicit si de medio tollendæ sunt res omnes quorum sit abusus, cælum, elementa & quidquid natura & Ecclesia habet boni tollendum

E est.

Rumpitur nimium tensus funis.

Draco legislator Atheniensis, cujus leges dicuntur sanguine scriptæ cum in theatro propter illas lætis acclamationibus celebraretur, tapetis & vestibus capiti injectis suffocatus est, & in ipso theatro sepultus, Suidas in voce Dracon.

Antiqua lex erat, Ioue tonante, fulgurante, ne comitia sunt, tunc electi magistratus vitiosi dicebantur Petrus Crinitus de honesta disciplina, l. 20. c. 2. tunc enim influunt violentæ stellæ, seu errantes, seu fixæ.

Veratrum sanis datum menti tenebras offundit,

Digitized by Google

insanis autem valdè prodesse consueuit, Hyppocr. ep. 18.

Quo quis hominem sapit minus, eo est immitior, tales dicuntur feri & inhumani quibus inducta videtur humana pellis, Rod. libro 11. cap. 13. in fine.

Si feras lineis & picina conclusas contineas, iubeasque telis incessi tentabunt fugam per ipsa quæ fugerant, proculcabuntque formidinem, Seneca l. 1. de clementia.

Principum, qui non palam deliquere, animaduersio publica candam habet velut cometes, trahit namque sæpissimè, longiorem se calamitatum seriem, si pœna peccato notior est, tanquam sit calamitosæ virtutis, primò miserationem mouet, deinde iram, in mobili plebe seditionem. Conslet de scelere pauci erunt quos moueat merita captiuitas, nec ipsum natalium decus ad misericordiam flectet.

Seueri nimis magistratus sunt vt mali præceptores, qui discipulos verberant libentius quam docent. Thomas Morus in Europia.

Arbores quasdam licet infrugiferas præscindere, vt lauros, nefas putauit antiquitas, Tost. Math. to. 6. f. 83. c. 3. g.

Ira dum animum nimis commouet, rationem confundit.

Ad fertilitatem confert vepres, & à messe superflua comburere, fit enim ager cinericius, fertilior, sed cauendum ne ventus incendia in syluas, arbores. & domos deferat.

Quidam accipitres naturali superbia & tyrannide, magis quandoque quam necessitate stimulantur ad raptum, & delectantur in illo, Olaus Mag. libro 19 c. 4.

Cum sol miscetur Mercurio facit crudeles, cor enim eorum est siccum, Cardan. aphor. sectione 3. aph 9.

Maximi omnium sanguinis effusores sunt, cum Mars, Solis radijs roboratur, & in Solis dignitatibus potens. Ib aph. 82. vel si Mars præsit ascendenti, & sit cum stella regia, aph. 128.

Frigus insuetum, tanquam mortis satelles, sic partes afficit nobiles aut seruiles, vt vltimam earum digestionem turbet, vnde excrementa, dolores, apostemata diuersimodè sequuntur.

Non est diuturna possessio in quam gladio inducimur, beneficiorum gratia sempiterna est, Q. Curtius, l. 8.

Succus lactucæ in quantitate nimia sumptus, occidit vt cicuta & opium nimia frigiditate, Galen. 3. de simpl. medic. c. 18 sic nimia coactio & seueritas extinguit vim animi.

AFFLICTO NON EST danda afflictio.

DOmine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, Psalm. 37. Cum jam sagittas Dei sit expertus, petit ne alteram experiatur indignationem.

Gallina dum incubat ouis infirmatur ex nimio affectu pullorum, sed tamen sanatur per restitutionem humidi vitalis in ipsa, ex eo quod interim non ouat, Albertus Magnus, libro 6. de animalibus, cap. 3.

Ægrum castigare, reprehendere nefas, eius auribus parcunt seueriora verba, si quid neget, videris occidere, Quintil. declam. 8.

Ex duobus filijs captiuis pater non valens duos redimere, redimit ægrum. *Vide æqual volunt* æqualis parentum amor.

Aspice solum egentem omnibus præsidijs destitutum, nonne contumeliam fortunæ tuæ facis, si hunc odisti, & adhuc tua putas interesse ne viuat. Nulla tibi contingere major vltio potest, quam si talis est, vt illius etiam nos misereamur; quid grauissimæ per se fortunæ manum imponimus, feræ generosiores jacentes transeunt, & victis etiam gladiatores parcunt, etiam post grauissimas injurias accipienda est talis à fortuna satisfactio. Nescio quomodo omnis pro laborante fauor est, nec vllam perpetuam gratiam seruat, nisi modesta victoria, nostra clementia sustineatur, ne illius alij misereantur, Id. declam. 9.

Fortunæ casus omnibus sunt communes, ita ex aduersis nullus propriam habet gaudendi causam, & alterius malam fortunam exprobrandi, *V. concord, minor.* compassio.

Locus fulmine ictus religione sacer habitus est apud Romanos, cautumque fuit, vt cadauera fulmine icta, humo injecta conderentur quod cacremari nefas haberetur, Petrus Crinitus, de honesta discipl. l. 8. c. 12. Cæco non est ponendum offendiculum, naturaliter corpore vitiatus, non est subsannandus.

Creditor qui ægrotantis debitoris domum ingreditur signa bonis imponit sine iudicis authoritate, amittit debitum, tantundem hæredibus præstat, & fit infamis, Nou. 60.

In Septentrionalibus regionibus frigidissimis venti sunt ita vehementes, vt nulla crescere possit arbor, ita loco lignorum vtuntur ad fouendum ignem ossibus magnorum piscium, Olaus Magnus, libro primo, capite 10. sic miseris prouisum est.

Iniquissimi sunt fures & raptores in incendijs & naufragijs, commodum ex alterius calamitate percipientes, cui debebant auxilium, *vide gloria contrariet.* ex alienis malis profectus malus, *gloria minorit. mal.*

Mala sibi succedentia, destruunt, *vide durat. contrar.* series malorum.

Effunde super eos iram tuam, &c. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt, Ps. 68.

Bulla in cœna Domini excommunicantur raptores bonorum naufragantium, scilicet Christianorum, Quaranta in summa Bullarij, verbo bona naufragantium.

Habenti dabitur, & ab eo qui non habet, etiam quod habet auferetur.

NIMIA TRIBVTORVM exactio.

CAlor Solis adurens cum est in signis australibus, & ex perpendiculo cadit in terras, consumit omnes vapores, & nihil spirat in locis illis de terra, sed totum aduritur, antequam eleuetur, sic nimia tributorum exactio absumit omnes populi facultates, itaut in totum cessent reditus.

Per nimias tributorum exactiones Princeps factus potentior, bella mouet, quibus afflicto jam populo, noua superuenit afflictio, cui, cum sit infirmus non valet resistere, inferunt malū sublato remedio.

Theo-

by Google

Theodor. orat. 4. & 5. de prouidentia dicit apes A mel & ceram, oues lanas, arbores fructus suos homini velut regi suo tributum soluere, sed sic exigit illud, vt non destruat naturam.

Præbent populum vorandum publicanis, quos ipsi postea deuorant. *Vide meatum contrarietatis.*

Tributis nimijs vexati clamant cum Isay. 38. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Bello sæuior.

De tributorum exactionibus Aug ep. 211.

Qui tondit ouem, iterum lanam renascentem, tondebit, at si pellem tollat vitam aufert, & spem amittit. Pessimi Senatores qui stipendia occultè accipiunt, vt nouis tributis imponendis faueant.

Si qui vnum hominem spoliat, maximam pœnam meretur. quid de totius populi præda & sanguine B saginato, quando restituet omnia, quæ præter iustitiam debitum abstulit, licet ad restitutionem teneatur, quantos ministros, talibus implicuit rapinis, de spoliatis & spoliantibus reus; majus crimen in eo, cui majorem fidem Deus habuit, faciens eum bonorum suorum dispensatorem. D. Th. de regimine Principis, l. 1. c. 11.

Idem opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ, dicit Principi non licere tributa exigere vltra stipendij sibi debiti, & necessitatis publicæ rationem, vt habendi libidine; vel propter inordinatas impensas.

Nulla vis ærarij par est auiditati omnia depopulanti, paucorum diuitiæ, cunctorum inopiam C faciunt; & de prouinciarum lachrymis funesta Improborum gaudia saginantur. Membra deuorant sua vt quærant aliena, infœlices victim æaut hostiū furori parent, aut ab exactoribus depasti, vix suspirant; quibus pepercit gladius, hos pestilentes mortes egestas depopulatur fames enecat, obruit calamitas, ut. ent rem bonam fœcunditatem, non habituri filios bonorum fort n. hæredes, spoliari semel omnibus cupiunt, ne quotidie spolientur, oderunt vitam sibi calamitosam, Reipublicæ inutilem, fiunt ex hominibus spectra sibimet ipsis formidanda, dum census deperit perit erga Principem amor qui coronas illi texuerat, quid prodest seruari desolatos, & ab hoste per direptiones defendi? non er D est pastor cujus oues, plus canes, quam lupi diripiunt.

Opes nullæ regum impensis sufficiunt, nisi crescant de publico, inde nata tributa, iusta, si moderatè à populis exigantur, at nihil durius, quam opprimi à Principe qui debuerat protegere, vox sanguinis populi guttatim exhausti, clamat ad Deum de terra. Ecclet. 35. quale facinus, si sint peremptores mortalium, quos Deus voluit esse parentes, nunquam pauperes erunt regnantes, si nullos pauperes fecerint. Tributa omnia moderata durant, si adijciantur insolita, & jam consueta cessabunt. Quid aliud faciunt dum subditos premunt, nisi sua lacerant membra, tinctam populorum sanguine gestant purpuram.

Constantius Constantini magni pater, diuitias E habere gloriabatur in ædibus & marsupijs subditorum, gaudebat eos videre opulentos, quia nouerat esse suos.

Habitatores insularum Iauan se dicunt oriundos ex Chinensibus, à quibus sunt separati ad vitanda nimia tributa, quibus premebantur.

Extrema Cyrenensium ora est, deserto illi contigua, quod inter Ægyptum & Africam interjacet, ibi mobiles & steriles arenæ; consistere autem ibi homines non alia ratio facit, quam quod omnes tributo liberi sunt. Vitæ Patrum, libro quarto, capite 1.

Rex pacem debet dare, non vendere.

Regnum possessio est Reipublicæ & non Respublica regni possessio, ergo violentæ & contra ethicæ exactiones, et tyrannicæ præstationes odio dignæ sunt. Tributorum verò postulatio quæ oratione fit & humaniter magnifacienda est, tanquam curatio & tutela. Suidas in verbo ...

Census debet esse moderatus, vt quod in pensionem detrahitur tertiæ partis redditus beneficij onerati sumam non excedat, & supersit beneficiato, vnde commodè possit viuere, & beneficij onera ferre. cap. d. Monachis. c. vacante, c. cum de causa, de præbend. c. 1. de censib.

Exactio vocatur grauamen quod extra ordinem, ratione personæ facultatum, negotij ex justa causa imponitur; modum si exactores excedant officio priuantur, nisi desistant excommunicantur, cap. ea quæ cap. innouamus de exactionib.

Iustè vectigal exigitur. *Vide gloria potest.*

Qui violenta tributorum exactione populum reducit ad mendicitatem, quanquam imperij nomen retineat, amittit majestatem. Neque enim regiæ dignitatis est, imperium in mendicos exercere, sed in opulentos potius atque fœlices. Thom. Morus l. 1. Vtopiæ Voluptatibus cæteris circumfluentibus hoc non est regni, sed carceris esse custodem, imperitus medicus qui morbum non nisi morbo curat.

Panis egentium vita pauperis, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Eccl. 34.

Principes dicuntur quasi prima capientes. Test. Math. to. 6. f. 180.

Draco vorax pro Deo cultus. *Vide bonitas potest. Rep.* sæuitia rectorum.

Ex nimia tributorum exactione, deficit agricultura; fit fames & mortalitas. *V durante contrat* series malorum.

Circa Septentrionem sunt syluestres incolæ propter vim ventorum in antris & terræ cauernis degentes, piscatione & venatione viuentes, hanc cæli, soli, antrorum duritiem non grauati sufferunt, vt liberi sint ab importabili, insatiabilique tributo crudelium tyrannorum, quibus immensurabilis oceanus videtur exilis vena Olaus Magn. l. 4. rerum Septent. c. 2.

Alexander Magnus interrogatus vbinam thesauros haberet, respondit apud amicos, cautè libi seruari; & rectè, beneuolentia enim & sui & alieni æris est domina. Id. l. 8 c. 17.

In Septentrionalibus regnis quoties rustici premuntur nimio tributorum onere, conueniunt vnanimiter omnes, se ad vindicandam libertatem concitant, & comportatis fasciculis & in miram altitudinem congestis arces præpositorum, & eos in illis, fumo & igne conficiunt & necant. Idem libro 11. c. 16.

Luxuriem sequitur feritas, nam nimia liberalitas alitur rapinis, sic Salomon regni opibus in gynæceo profligatis eas per grauissima tributa reparauit, populum nudat, vt amicas ornet.

Melius è cultura terræ quam ex oppressis hominibus expectare prouentus, veræ fodinæ sunt sulci, hinc vni fœnerabantur antiqui reges; nunc autem principum lubricæ opes, quia sine radice.

Abstineat princeps à nimia tributorum exactione. Vide quæ scripsi, lib. de agente Dei in humanis, parte 2 c 8.

D. Chrysost hom. 29. in Math. refert quorundam

Digitized by Google

crudelem opinionem qui pueros mactabant, & animas eorum in dæmones conuersas addicere sibi in perpetuum toto vitæ tempore ministerium. Exactores tyranni mactant populum, funduntque opes, velut vitæ ciuilis sanguinem, vt habeant sibi magis subditos.

Romæ est congregatio quorundam Cardinalium pro subleuandis grauaminibus status Ecclesiastici, erecta à Sixto V. constit. 74. Bull. pag. 466. tom. 2.

Nouas gabellas imponentes, augentes, vel exigentes excommunicantur, in Bulla Cœnæ Domini, Gregor. 13 const. 81. p. 350. t. 1. & Paul. V. const. 63. p. 183. tom. 3. Vrban. 8. const. 62. §. 5. p. 76. tom. 4.

Pauperes à tributis & capitationibus cæterisque oneribus eximendi, vide quæ scripsi, l. de operibus misericordiæ, parte 2. c. 6. & 7.

NON EST IN DESPERATIONEM hostis adducendus.

ISraëlitæ obsidentes vrbem regis Moabitarum Messa, & videntes eum immolasse filium suum super muros, recesserunt, 4. Reg. 3.

Sæpè minores bestiæ angustijs constrictæ, rabie contracta majores superant; vtpote quod vna vulpes, plures canes robustos lacerat, & euadit.

Facilè assumit pugnandi necessitatem, qui fugiendi non inuenit locum, sic fortius bombarda sphæram explodit, si à tergo immobile resistens corpus habeat.

Inter gladiatores victoris conditio pessima est, cum moriente pugnantis, nullum magis aduersarium timeas, quam qui viuere non potest, occidere potest. Concitatissima in mortem rabies est, desperatione vltima in furorem animus impellitur, quædam ferè tela omnia commordent, & ad mortis authorem per vulnera sua ruunt. Præcipitati, non quod impulit tantum trahunt, sed quod occurrit, & naturali quodam deploratæ mentis affectu, morientibus gratissimum est commori. Seneca lib. 9. cont. 6. gladiator quem armatus fugerat, nudus insequitur; Nouerca veneficij conuicta innocentem puellam accusat, ne in tormentis quidem cessat occidere, Ib. in excerptis.

Vide æqualitas minoritatis, solatium ex pari miseria.

Vespasianus suis prohibuit, ne cum hominibus mortem appetentibus congrederentur, nihil enim esse desperatione fortius. Suidas in voce *Σαρανε*.

Ignauiam quoque necessitas acuit, & sæpè desperatio spei causa est, Q. Curtius l. 5. *Vide contrarietas volunt* necessitas.

Deus nemini reuelat suam damnationem, ne desperet, *vide cognitio contrarietatis*, aduersa dissimulanda.

Magni infortunij est pugnare cum prodigis vitæ, & contendere cum his, qui vt te euertant, seipsos negligunt.

ÆQVALITAS CONTRARIETATIS.

ÆQVALIS POENA.

QVINTIL. declam. 5. loquens de specu in quo pyratæ captiuos detinent. Spiritus solus intus, quem vinctorum trahunt, redduntque, gemitus quem tot contulere languentes, vndique pares similesque miseri, & veteribus captiuis, adjectus quotidie nouus aliquis impatiens.

Duo gemini eodem laborant morbo, patre consentiente, medicus vnum secat, vt respiciat vitalia, sic alium sanat. Ib. decl. 8.

Antiquis mos erat in morte charæ alicujus personæ ex familia seruos affligere, inedia, verberibus, vt colligitur ex Plutarcho in consolatione ad vxorem, eam laudans, quod hæc non fecisset.

Voluit Deus diluuio delere sobolem Caïn, & quia piorum tribus illi permixta erat, ob id supplicij particeps fuit Theod. in Genes. q. 50. *vide æqual. minorit* eadem infirmitas.

Ezech. 21. egressus gladius de vagina sua occidit iustum & impium.

In bello Mars communis est, *vide magnit. contrariet.* magnæ clades,

Propter Ionam excitatur maris tempestas, & aliæ naues eam æqualiter patiuntur.

In supplicio damnatorum est aliquid commune omnibus, quod respondet contemptui Dei puta carentia visionis diuinæ, & perpetuitas pœnæ, & quantum ad hoc dicitur Isay. 24. congregabuntur congregatione vnius fascis, & claudentur in carcere. Est etiam aliquid in quo differunt, secundum quod quidem magis torquentur quam alij, & quantum ad hoc Math. 13. dicuntur colligari, sicut zizaniorum fasciculi ad comburendum. D. Tho in q. disp. q. 2. de peccatis a. 9. ad 3.

Potest puniri communitas peccantium, & etiam non peccantes existentes inter eos, sicut fit in sententia interdicti, quæ ponitur super locum vel communitatem, etiamsi pauci de communitate peccauerint. Tostat. in Math. tom. 2. fol. 240. c. 4. f.

Vide gloria concordant. Rep. onera societatis.

Pro principis peccato, non solum ipse, sed & populus & maximè familiares sui puniuntur aliquando, quia peccatum principis, est aliquomodo subditorum, si sit publicum, & quia populus aliqualiter est res principis. Tost Gen f. 275.

Hoc obseruat Ecclesia, vt pro peccato dominorum, terras eorum subijciat interdicto, cap. non est Vobis, de sponsal. & matrim.

Digitized by Google

Pater deprehendens filiam in adulterio, potest vtrumque occidere, non vnum, altero saluo, vel leuiter vulnerato, l. 25. ff. ad l. Iul. de adulterijs, vide Cujac. obseru. l. 6. c. 15.

Vide magnit. contrar. pœna publica ob peccata regentium.

POENA TALIONIS.

SVperior qui non honorat subditum, non honoratur ab eo. *Vide contrar. potest.*

Superiora vsurpans, ad infima deijcitur, *V. vol. maior superbia.*

B Grassatus est aliquis ferro, præbeat & ipse ceruices; miscuit noxium virus, refundatur in suum facinus, autorem; oculos rapuit, effodit, reddat de sua cæcitate solatium, breuissima est iustitia vindictæ, cum facinus mensura pœnæ est. Quintilian. declam. 11.

Aquæ Ægyptiorum vertuntur in sanguinem, quia nimis gloriabantur de fluuio suo, qui erat illis loco cæli pluuiæ & nubium, & quia hæc mutatio arguebat cædem commissam in pueros Hebræorum, Theodor. in exo. q. 19. Pharao submersus est aquis, quibus occiderat filios Hebræorum, Vide Apoc. 16. Iustus es qui sanguinem, &c.

C Diues siti grauissima torquetur in lingua, quæ insultauit pauperi, quæ interdixit misericordiam, cum ei datum fuerat, vt iuberet, Chrysolog. serm. 124.

Diffluentes delitijs populi, in pœnam occupati sunt à Septentrionalibus feris, duratis ad labores militiæ, paratis omnia audere & pati.

In Ægypto vbi abundauit idololatria, abundauit multitudo Monachorum, secundum illud Pauli, Rom. 5.

Qui profitentur Alchymiam nimia auri cupidine, auro spoliantur, & consumptis inaniter bonis, fiunt pauperes.

Astures *Biscains*, olim reos præcipitabant velut pœna talionis, quia peccatum, est casus animæ.

D Abbas Macarius inuitatus ab hospitibus, vt cum eis biberet vinum, bibebat, sed postea se cruciabat longa abstinentia, quod cognoscentes fratres, vltra ei vinum non dederunt, vitæ Patrum libro 5.

Vt homo primum peccatum commisit adhærendo vxori, permittit Deus viros bonos vxorum contumelijs exerceri & purgari, vt Iob, Tob. 2. & 4. cap. Petrus Dam. ser 4.

Phalaris sæuus Tyrannus jussit artificem, qui primus confecit taurum æneum, vt in eo rei torquerentur, ipsum primum eo supplicio affici. Refert id. Petrus Dam. opusc. 33. c. 1.

E Philistini propter arcam Domini captam, passi plagam murium, & in ano, mures & anos aureos obtulerunt. 1. Reg. 5.

Propriæ potentiæ animæ nostræ contra nos militant, velut in pœnam & vindictam turbationis, quam in illis vitia nostra excitarunt.

Exuperantius Presbyter, qui Episcopo suo contumeliosus extiterat ad eius arbitrium communioni restituitur in Concilio Taurinensi Galliæ, can. 5.

Iren. libro 1. c. 3. & D. Aug. lib. de hæref. cap. 46. Asserunt hæreticos inter se diuisos esse, & diuisione perituros, qui se ab vnitate Ecclesiæ diuiserunt, destrue Domine, diuide linguas eorum, Psal. 54. v. 10. Concurrere faciam Ægyptios contra Ægyptios, Is. 19. Cor eorum diuisum est, nunc peribunt, Ose 10. si morderis inuicem, consumemini, Gal 5.

A Mos fuit Athenis, vt cognati eorum qui violenta morte perijssent in efferendo funere hastam adhiberent, aut in tumulo defigerent, eaque ratione interfectoribus vltionem denuntiarent, Suidas in voce ἐπενεγκεῖν.

Gemmarius quidam vitreas gemmas vxori Galeni Imperatoris magno prætio vendiderat, vt legitimas, comperta fraude poscitur ad supplicium, quod erat bestijs obijci; conuocato populo non homo, sed capo obijcitur leonibus, præcone proclamante, imposturam fecit, imposturam est passus, Rodig. l. 11. c. 7.

Patricidæ culeo inclusi suffocantur, cælo, sole, aqua, terra vnde cuncta gignuntur, priuati, qui necarunt eum à quo vitam habebant, Idem capite 21.

Qui scienter inidoneum elegit, ipse per triennium non potest eligi, cap. cum in cunctis § fin. c. per inquisitionem, de electión.

Conditio facti deficit, si is qui pactum petit impleri, ex sua parte non impleuerit, cap. peruenit de jurejurando.

Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc præbete membra vestra seruire iustitiæ ad sanctificationem, Rom. 6.

Notat Diuus Augustinus pœnam talionis legibus statutam, non vt animos ad vindictam prouocaret, sed vt contineret, ne transiret in excessum.

Occisorum cadauera infecto pugnant aëre, & victores suos necant,

Dicitur Apoc. 18. quantum glorificauit se in delitijs suis, tantum date ei tormentum & luctū. Hinc qui cum solo peccato originali decedunt, & qui per voluptatem non peccauerunt, non patientur pœnam sensus, nec vllam interiorem doloris afflictionem, vt concludit D. Thom. in q. disp. de pœna peccati, q. 5. a. 2.

Nouella 29. capite 4. Imperator Iustinianus jubet titulos falso prædijs appositos auferri, & in caput eius qui posuerat confringi, nouum pœnæ genus.

Damnati dæmonem quem sequuti sunt tentantem, habebunt in inferno punientem, Tost. Mat. to. 5. f. 29 c. 1 d. qui malos eligunt superiores, ab ijsdem torquentur.

In festo azymorum Iudæi crucifixerunt Christum, in quo etiam die collectos omnes Iudæos occiderunt Romani, Idem Mathæ. tomo sexto, fol. 287.

Crassus Romæ consul 50. annis ante Christum natum expilauit templum Hierosolymitanum vnde abstulit auri octo millia talentorum; captus à Persis, sic interfectus est, aurum liquefactum in os eius infuderunt, dicentes, Crasse aurum sitisti, aurum bibe, Tostat. Mathæ. tom. 1. fo. 151. c. 4. h.

Fidem frangenti, fides frangatur eidem, vt habetur, c. peruenit de jurejur.

Mater Cleobuij eum infantem vlnis gerens durè transeuntem Anacreontem poëtam propulit, maledixit ille matri & infanti, cui mater, faxit Deus vt aliquando tantum des laudis puero, quantum nunc contumeliæ. Annuit Deus; infans namque succrescens venustissimus Cleobulus efficitur, cui pro mini-

Digitized by Google

ma Anacreon maledicentia, pœnâ multarum laudum satisfecit, Maximus Tyr. ser. 21.

Vt homo non obediuit Deo, sic ei non obtemperant animalia, & pugnat orbis terrarum contra insensatos, Tost. Gen. f. 8.

Peccantes in sola priuatione, solum priuatiuè puniuntur, & peccantes positiuè & priuatiuè vtroque modo puniuntur. Idem Iosue, tomo primo, 112.

Cæcitas mentis obtenebratio & obstinatio Ægyptiorum fuit punita sensibilibus trium dierum tenebris. Id. exo. 10. 1. f. 65.

Sæpe nos Deus priuat bonis, quibus eum priuare voluimus, vt Philosophos qui negabant prouidentiam & sapientiam diuinam, tradidit in reprobum sensum, superbos humiliat, &c. Idem 4. Reg. f. 76.

Destructio Ierusalem fuit pœna pro sanguine omnium justorum. Idem Mathæ. tomo sexto, fol. 250.

Artifex ferrum igne domitum, malleo cruciat, & ferro ferrum flagellat, quæris cur tam ferum sit ferrum, suas in nobis vindicat plagas, & vulneribus eruditur, vt vulneret.

Ebrietas punit hominem pœna quadam talionis. *Vide contrarietas cognit.* ebrietas.

Fugitiui qui latere volebant stygmatibus in fronte inscribebantur; interdum illis pes amputabatur, vt ea parte qua peccassent punirentur, falsarijs amputabantur digitorum nerui, vel tota manus præscindebatur & hanc pœnam Nouel. 42. imponit scriptori librorum hæreticorum. Constantinus lenoni & persuasori jubet liquido plumbo meatus oris claudi libro primo, cod. Theod. de rapt. virgin. & ejusdem constitutione, perjuro lingua præscinditur, Cujac. obseruat. libro 7. capite 13.

Alexander Seuerus Turinum adulatorem & calumniatorem necari fumo jussit, præcone dicente, fumo punitur, qui vendidit fumum. Idem libro 8. capite 7. *Vide concordantia potestatis, mala,* adulatio.

Prætoris edictum est quod quisque juris in alterum statuerit, vt ipse eodem jure vtatur; hac pœna non tenetur qui postulauit, sed qui postulauit & obtinuit secundum illud Virgilij, ausi omnes immane nefas, ausoque potiti. Ib. c. 22.

Sunt Dij immortales lenti quidem, sed certi vindices generis humani, & magna exempla in caput inuenientium regerunt, vt justissima patiendi vice quod quisque alieno excogitauit supplicio, sæpè excipiat suo, sic eius qui Labeonis oratoris scripta jussit comburi, etiam ipso viuente scripta combusta sunt, jam non malo exemplo, quia suo. Seneca libro 10. controuer. in præfatione.

Qui Parmenionem occiderant, ipsi ob grauia scelera accusati lætos fecere plurimos, iram in iræ ministros recidisse, nec vllam potentiam scelere quæsitam cuiquam esse diuturnam. Q. Curtius libro 10.

RECRIMINATIO.

EI qui prior aduersarium retulit inter reos, par aut minus crimen objici non potest l. 19. cod. qui accus. non poss. at majus crimen ei objici potest, & causa majoris criminis præfertur minori quod prius delatum est, l. 1. cod. eod. Potest etiam crimen retorqueri quo accusatus releuetur, & accusans oneretur; vt calumniosam accusationem esse l. 1. cod. de calumn. vel si quis se dicat jure occidisse, quod alios ante se injuria lacessierit, & appetierit l. qui cum natu, §. si libert. ff. de bon lib. si vxor quam maritus ream facit adulterij, dicat se peccasse lenocinio mariti, quia etsi vxor se non releuet, tamen maritum onerat & pœnæ subijcit, l. §. si publico, ff ad l. Iul. de adulter. plura, apud Cujac. obser. l. 10. c. 7.

VIM VI REPELLERE.

VIrtutes vti nubes, collisæ fulgurant.

Læsa Religio armis se vindicat. *Vide contrarietas veritatis*, actiua, hæretici profligandi.

Vim illatam vnumquodque repellit quia vult conseruari. *Vide vol. durat.*

Illata vi æqua potest esse deffensio, vide quæ scripsi de iure natur l 2 lege 15 § 1.

D. Chrysostom. homil. 29. in Math. refert opinionem sui sæculi, dicentis incantatores mactare pueros, & eorum animas in dæmones conuertas sibi addicere in perpetuum ministerium toto vitæ tempore. Negat primo animas in dæmones conuerti, maximè innocentium puerorum justorum animæ in manu Dei sunt, tum quæ ratio, inquit, inducet nos, vt credamus animam cui illata injuria est, illi ipsi patrocinari, qui sibi injuriam intulit.

Vim vi repellere licet, cum modo tantum æquo & pari, & vt est scriptum in l. 1. cod. vnde vi, cum moderatione inculpatæ tutelæ, id est cum defensione æquabili & remota ab omni culpa; vim manu & viribus defendere licet, non vlcisci, nisi legitimis actionibus, l. scientiam, §. qui cum aliter, ff. ad l. aquil. Itaque rem ereptam mihi, possum vi repetere, confestim, & in ipso congressu, nam quæ ex interuallo vis infertur, cogitatè infertur, nec tam ad defensionem, quam ad vltionem spectat, quod & lege Atheniensium cautum fuit. Cujac. obseru. l. 5 c. 18.

Legatus Prouincialis Romam missus, durante legatione sua non potest actionem instituere, potest tamen si reus est, se deffendere & excipere. Id. l. 22. c. 22.

Ab vniuersalium & singularium causarum concursu habemus esse, cujus nobis commissa fuit conseruatio cum ingenti ad illam inclinatione, cum certo jure cui nihil præscribit, cum modis, ne frustra sit, innumeris, quibus vti, prout occasio postulat, ex lege necessitas est. Cum enim vita mortalis sit à multis hostibus oppugnata cito consumeretur militiæ nomen amitteret exposita, patiens tantum & inermis, nisi liceret vim illatam, vi contraria repellere. Qui sic decertat intendit primario justissimam sui conseruationem, quæ si tunc contingit

cum alterius damno, aggressoris, in id se periculum præcipitem agentis, vitium est. Vnicuique suum esse indiuiduale, cæteris ratione sui pretiosius & antiquius est, denique summum suum temporale bonum, cujus cæteræ sunt accessiones, & quo sublato ipsi cuncta deficiunt. Itaque merito se quilibet alteri, potissimum vim inferenti, præfert, alieno se tuetur periculo, & ad id non minus fortiter quàm justè vires à natura sibi datas impendit. Vnum se præ cæteris amat, vnum seruat, non sensibus tantum, sed virtuti, veritati, gloriæ comparandæ, & communi bono, si sic prouidentia tulerit. Aequo jure nascimur seruata seruitutis & ingenuitatis, diuitiarum & paupertatis distinctione. Ita sibi priuato jus non conceditur in vitam meam, at mihi competit vt hanc seruem, sic iniquè vim illatam iuste retorquebo, æquitate gemina, quæ caput innocens tuetur, noxium ne crimen impleat, pœna præuenit. *Ex principiis.*

Vindicta publica vim vi repellit, *Vide potest contrar.* Vulpinari cum alia vulpe.

Cardan de arcanis prudentiæ, capite 127. axiom. 2. Auxilia paria debent esse malis, vt nec pro leui re magnis exclamationibus, aut actionibus, aut defensionibus vtaris, aut in magna re, leuibus.

Augustus, cum extraneum quendam sibi obuium factum, qui faciei ipsum referebat, interrogasset, num mater ipsius vnquam fuisset Romæ, jocando significare volens, potuisse ipsum patris sui filium esse. Extraneus iste non minus audacter quam apposite respondit. Mater quidem mea nunquam, at pater meus sæpius hic fuit, ita verum est eum qui dicit quæ vult, oportere audire quæ non vult.

Anaxagoras, Parmenides, Melissus, nihil aliud tonitruum esse existimant, quam ignem in nube suffocatum & extinctum, vt ad sensum cernitur, dum aquam super ignem funditur.

Canis leporarius, *leurier*, prædam pedibus petit, ille salutem, id est lepus, Ouid.

Plat. 2. de Republica dicit adolescentem similem esse debere cani qui suis blanditur, hostibus adlatrat & infestus est.

De jure licet omnibus venari feras bestias, nociuas, lupos, vrsos, leones l. vnico, cod de venatione ferar. l. 11.

Appellationes ab abusu, quibus, officiarij Regij se dicunt tueri jura regia contra abusus & vsurpationes potestatis Ecclesiasticæ, de quibus vide Feuret de abusibus.

Omne agens agendo repatitur. Aristot. 1. de gener. tex. 53 si fit corporeum, agens & patiens, ejusdem materiæ, in debita distantia, debita quantitate.

In monte Canigo, comitatus Rossilion, Cataloniæ, est locus in quem si projiciatur lapis, erumpunt statim vapores, qui excitant ventos, grandines, tonitrua. Idem fit apud Heluetios in lacu Pilati, dicto prope lucernam, & apud eosdem in monte Appensel antrum est, in quod immissus lapis excitat tempestates Idem fit in Aruernia Galliæ, juxta burgum, dictum Besse.

Deus fecit vnum contra vnum. *Vide duratio bonitatis, Repugn.* vbi venenum, ibi antidotum.

Dorotheus Thebanus senex Anachoreta dicebat asperrimè viuens, corpus meum me occidit, & ego illud occido, vitæ Patr. lib. 8. *Vide minoritas gloriæ*, mortificatio

In rebus naturalibus corruptibilibus, non solum oportet esse inclinationem ad consequendum conuenientia & refugiendum nociua, sed etiam ad resistendum corrumpentibus & contrarijs, quæ conuenientibus impedimentum præbent, & ingerunt nocumenta.

Non tenetur ad famæ restitutionem, qui alterius latens crimen manifestat, nisi fides habeatur in calumnia quam de se propalauit, sic licet testes recusare, quia tunc vtitur jure suo, nec tenetur proximi famam seruare cum tanto suo incommodo. Bonacina de restitution. disputat. 2. q 4. p. vltimo.

Licitè possumus occidere injustum aggressorem ad defensionem vitæ, & membrorum nostrorum, dum tamen id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, id est, si ea adhibeatur moderatio & cautio, sine qua injuria depelli non potest, ita vt defensor credat se occisum iri nisi occidat; id autem fieri debet in ipso actu dum vis infertur; nam non licet occidere hominem, de quo est vehemens suspicio quod nos velit occidere. Ibid. q. vlt Hinc sequitur jure naturæ licitum esse filijs contra parentes, Monachis contra Abbates, seruis contra Dominum, vasallis contra Principem, vim vi repellere; modo vis injustè inferatur. Sic non teneor ad restitutionem damni, aut ad tradendum meum animal, quod cum inuasum fuisset ab animali Titij, illud occidit, libro 1. §. cum arietes, ff. si quadrup.

Piratas licet occidere, quia sunt injusti aggressores. Id de bello.

Frangenti fidem, fides non est seruanda. *Vide minor. veris bona.*

Possunt clerici pugnare in bello ad defensionem sui vel sociorum, quando mors aliter non potest vitari, sic pro defendendo principe & ciuitate. Ibidem.

Arietes vocantur reciprocicornes, Petrus Crin de hon. disc. l. 2. c. 13.

Abari exercitum ducentes contra Romanos, motu confuso eos conati sunt terrere; Id præsentientes Romani par aut majus bellicum murmur excitarunt, & clamorem clamore eluserunt, Suidas in voce ἀνθηχήσαντες.

Nicon pugil qui varijs in certaminibus meruerat coronas mille quadringentas, mortuus habuit honoris gratia statuam; quam cum quidam inuidus flagellis cæderet, in illum illa collapsa cecidit, & occidit, eam cum Thasei vt ream in mare projecissent oraculo jussi sunt eam restituere. Idem in voce Νίκων.

Cos dum acuit ferrum ab eo consumitur; Creta res tingens, aliquid de suo deperdit.

Reconuentio est mutua petitio contra conuenientem vel agentem in eodem iudicio constituta Prohibetur in criminalibus, can. neganda 3. quæst. 11. Cum spoliatus agit reconueniendo, vtraque quæstio debet simul tractari, c. 2. de restit. spoliator.

In ardentem focum aquam injice, crepitabit iratus ignis, & perfusus insultabit vndæ victrici. Sic hæretici Scholasticæ Theologiæ irascuntur.

Si saga maleficio equum occiderit, & cordi equino clauus infigatur, torquebitur saga, prodetur & iudicij subijcietur. Van helm. de magnetica vulnerum curatione, §. 171.

Si potens se deffendere nulla mala meritus permitt. t se mori. peccat, quia ipse est sibi hostis & homicida. Tostat. Iosue tom. 2. fol. 9. 6. Non est par obligatio pro defensione rerum suarum. Ibid.

De lege naturæ est dare copiam defensionis, A etiam damnatissimis omnium hominum, & in crimine etiam notorio. Id.def f.1.

Hæc inclinatio animantibus communis debet esse major in homine nobilissimo. Idem Math.tom. 2. fol. 91.

IN ÆQVALI RESISTENTIA nihil aut parum fit.

Averroës & alij existimant terram in medio aëre pendere, quia à firmamento & stellis B hinc inde æqualiter trahatur. *V media volunt.* de indifferentia. Ideo indeterminata non valent. *Vide minor. differ.*

Hermaphroditus in quo sexus masculinus est æqualis fœmineo & non præualet, non potest ordinari quia non censetur vir. Bonac. de Sacramento ordinis.

Nihil summum, in mundo summus fecit, omnis potestas, cum libramento est. *Vide media potestas.*

Acrius irritat congestus in vnam mulierem affectus, multarum assiduus aspectus, & sparsa in omnes beneuolentia, lentius stimulat, & sæpè quis dubius, quo caderet, stetit.

Motus corporum compositorum, diuersificantur secundum diuersitatem compositionis; & tamen C secundum naturam mouentem quæ vincit in composito. Si enim esset compositio ad æqualitatem omnimodam, tunc compositum nec locum, nec motum haberet, sed in omni loco in quo poneretur, ibi & maneret fixum, quia componentia æqualiter mouerent ipsum, sursum & deorsum. Alb. M. de mundo & cælo, tr. 1. c. 3.

Vt in iudicio forensi juramentum juramento legitimè facto non opponatur. *Vide dur. volunt.* juramentum.

Qui valuas ex ligno faciunt, ex diuersis tabulis, ligna permutant, quod radicem versus, quodque in cacumine fuit, sic enim inter se coarctata, vtrum- D que impetum alterius prohibet, cum suapte natura aduersetur, nam si alterum per naturam eodem tendat, contorquebuntur. Theoph. hist. plant. l. 5. c 4.

Vide concordantia contrarietatis.

Sub contrarijs ventis procellæ non habentes liberum effluxum in mari, colliduntur, & subuertunt naues.

Propter dissidia patronorum Ecclesia clauditur, *vide contrarietas potestatis*, dissidia regentium.

Si ex pluribus arbitris pares numero diuersas dicant sententias, eorum sententijs non est necesse stare, cap. fin. §. fin. de re iudic. capite primo, de arbitr.

Deus mundum sic instruxit, vt dum contraria in E inuicem agunt, vsquequaque effusis viribus, non tamen se destruant, sed secunda entia producant, eaque tandiu seruent, perficiantque, ac minuant, quandiu conditori Deo ad vniuersi perfectionem seruiunt. Campan.

Fœmina est secundum naturam minoris perfectionis quam vir, si enim esset æqualis non fieret generatio ex eorum commixtione. Tost. in Gen. f. 132.

Mali nauium plurimis vndique funibus distenduntur, vt firmi stabilesque permaneant, æquilibribus tractibus obnoxij.

Ex æquali principiorum resistentia nihil fieret, ex inæquali procedit actio temperata, vide quæ scripsi de iure natur. l. 1. lege 2. §. 6.

In fastis nullus consulatus Maxentij scriptus propter bellum ciuile inter tres Imperatores, qui pro suis partibus consules nominabant, alijs non consentientibus. Glossa in Epistola Marcelli Pap.

Parricida æquis sententijs absoluitur apud Senec. l. 3. contro. 2.

In incendio filij pietas quem de patre aut matre eligat. *Vide gloria principij*, honorare parentes.

Animus continetur humilitate & magnanimitate. *Vide virtus media*, mediocritas ex Tostat. sub finem.

DVELLVM.

De duellis ad Imperatorem. Agobard. bibl. Pat. tom. 9.

In Conc. Parisiensi VI. libro 3. c. 17. Episcopi supplicant Regi, vt impediat effusionem sanguinis quæ fit ab his qui propter odia vsurpant vindictæ ministerium & jus gladij, soli principi à Deo concessum.

Qui alium in singulari certamine vel vulnerauerit, vel occiderit, tanquam homicida habeatur, qui autem occisus fuerit, tanquam sui homicida & propriæ mortis spontaneus appetitor à Dominica oblatione habeatur alienus, & insepultus abjiciatur, in Conc. Valent. III. c. 12.

Causam ambiguam Monomachiæ subijcere, illicitum, hoc est enim Deum tentare. Nicol. Papa epistol. 66. habetur, 2. quæstione 5. c. Monomachiam.

Apud Gothos nullum certaminis genus existimatum est aptius ad capessendam fortitudinis palmam, quam duellum, propria enim virtute subnixum, alienæ manus opem excludebat. Receptumque ab omnibus ordinibus erat, vt pro victo haberetur, quicumque eam pugnæ fortem recusabat. Olaus Magnus de rebus Septentr. libro quinto, c. 25.

Regibus & principibus opprobrio sempiterno dabatur, si duellum abnuissent, etiam ab infimæ sortis hominibus prouocati, sic pulcherrimarum virginum ambiebant nuptias, &c. Ib.

Duellum priuata iniuria causa prohibitum. Vide quæ scripsi de iure natur. l. 2. lege 15 § 2. & moralis Christ. tom. 4. parte 2. cap 19. & libello de necessitate, cap. 19. libro de agente Dei in humanis, parte 2. capite 11.

Iustin. in 2. const. de pandectis, iuris auditoribus interdicit Palæstram. Cujac. obseruat. libro sexto, c. 13.

Serui pœnæ habentur non tantum qui damnantur ad gladium, aut ad bestias, qui statim consumuntur, aut saltem intra annum, sed etiam qui damnantur in ludum siue venatorium cum bestijs decertando in theatro, siue gladiatorium, reseruati populi voluptatibus; licet post quinquennium pileari, ac deinde post triennium rudem accipere, atque ita liberari soleant. Idem libro 13. capite 10.

Non licet cuilibet ferrum facere, & arma fabricare, sine iussu principis l. vltim. §. magnus de publ. & vectig. multo minus vti gladio ad vindictam.

Digitized by Google

Vide supra *medium contrarietatis*, vis armata A prohibita.

Prohibitiones & pœnas duelli vide Conc. Trid. sess.25 c.19 de reform. & Bullam Gregor.13.an.1582. Duella vbique prohibuit sub multis pœnis, Pius 4. const. 21. Bull. p.24. tom. 2. duelli pœnas incurrunt qui paciscuntur de dirimendo certamine, cum alteruter vulneratus fuerit, Clem.8. const. 11.§ 5. p. 10.to.3.

Sepultura Ecclesiastica priuantur, *Vide dur. contrar* vindicta in mortuos.

RESTITVTIO, SATISfactio.

B

Vide *concordantia contrar.* contrarij effectus ex eadem causa.

Pœnitentia specialis est virtus supernaturalis inclinans hominem ad satisfaciendum Deo pro injuria & offensa illi facta, & ad conseruandum jus diuinum illæsum. D.Th.3.q.85.a.2.

Satisfactio est actio, qua quis facit, quantum debet, vt cum debitum soluitur debitori, vel est compensatio injuriæ, vel pœnæ temporalis debitæ, ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus & laboriosis taxatis à confessario, Bonac. de satisfactione.

Ex Trid. sess.14. c.3. sacerdotes Domini debent, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares satisfactiones injungere. C

De Repræsalijs, Æneas Syluius epistol. 7. libro primo.

De Repetundis, Cicero in verrem & pro Flacco & Rabirio.

De Restitutione, Bernardin. quadr.1. serm. 33. & seq.

De Satisfactione liber Gregorij Valent. contro. sect.4.

Contractus non debet claudicare, id est vnum obligare, & non alium, vnde in contractibus, princeps tenetur quasi priuatus.

Tantùm restituendum est, quantum sufficit ad faciendam æqualitatem debiti, vel damni illati, ita vt si quantitas debiti, vel damni sit certa, tantundem restituatur, si vero sit incerta, tantum restituatur, D quantum vir prudens iudicauerit, consideratis circumstantijs, loci, temporis & personæ, habitaque ratione, lucri cessantis, & damni emergentis, Bonacina de restitut. propos.2.

Regulariter restitutio rei facienda est ei à quo accepta est, modò ad eam jus habeat, at si non habeat jus, vt si illam furto abstulerit, vel apud se depositam inficietur, restitutio facienda est verò Domino cum de illo constiterit, hoc enim modo seruatur æqualitas, nec communicatur peccatis alienis. Ib.

Fama priuatim læsa debet priuatim restitui, publicè læsa, publicè restitui, vt seruetur æqualitas Id, dist.2.q.4.p.16.

Quædam fontium & fluminum aquæ injectum pondus sorbent, & illud ipsum alibi reddunt. Geor. agricola l.3. de his quæ fluunt ex terra.

Numen placatur immolatione, *Vide passim medium potest.* vicaria potestas, & *medium gloriæ*, pari pro alio.

Non licet sacerdotibus dimittere peccata, non imposita aliqua pœnitentia, licet hoc Christus non fecerit. Tost. Math.10.4 f.180.

Vulpes captæ pellium lucro restaurant, quod intulerunt damnum.

De operibus pœnitentiæ satisfactoriis, vide quæ scripsi, mor. Christ. to.1 parte 2.c. 12. De satisfactione quæ est pars pœnitentiæ, l. de misericordia Dei, parte 2. c. 20.

Prædicabat Ioannes, facite fructus dignos pœnitentiæ, vt non solum pœnitens à malis prioribus desistat, sed bonis operibus impleatur, injuriam vel opere cuiquam, vel sermone fecisti; refer benedictionis verba conuitijs; & percutientes te, nunc officijs, nunc etiam beneficijs, placare contende fornicationem continentia; mensæ delitias abstinentia, sanare debes; neque enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodo spicula de corpore euellere sed etiam remedia adhibere vulneribus. D. Chrys. hom.10 in Math.

De satisfactione Deo debita in hoc sæculo pro peccatis, *vide voluntas contrariet.* velle aduersa, fit enim castigatione voluntaria, vide ib. *& minoritas glor* mortificatio, vel eleemosynis, *vide virtus bonitatis*, vide Conc. Trident.

Id quod interest, dicitur vtilitas, quæ mihi abest, quam adipisci potui; vel jurejurando actoris æstimatur, vel officio iudicis, l.15.§ in hoc interdicto, ff. quod vi aut clam.

Non esse nouum vt pars bonorum eius qui cædem fecerit, addicatur occisi liberis, vel parentibus vel vxori, Cujac. obser. l.14 c.4.

Thesauros quos deuorauit, euomet, & de ventre eius extrahet illos Deus, Iob.20.15.

Baptizatis, nulla est pro peccatis præteritis injungenda satisfactio, Eugen. 4.const.19. §.10. Bull. p. 269.to.1.

Eleemosyna fit in satisfactionem commissi peccati, vide quæ scripsi l. de operibus misericor. p.1.c.15 & 16.

Digitized by Google

MINORITAS CONTRARIETATIS

NON COGERE.

FRACASTOR lib. de homocentricis c. 5. probat vnum orbem cælorum nonnisi vnum proprium habere motum, quia simplex est corpus, & si ab intelligentia imprimatur, vim non inferet, & non erit pugnantia inter mouentem intelligentiam, & motum orbem. A

Si Rex ab Episcoporum communione se suspenderit, locum ei dantes ad sacræ matris gremium veniendi, sancti Antistites in Monasterijs se absque vlla dilatione, prout cuique fuerit opportunum recipiant, donec pacem integram, sanctorum flexus præcibus, restituere dignetur, Conc. Lugdunense I. can. 3.

Quædam plantæ syluestres cultura deteriores euadunt. *Vide veritas virtutis, Repugn.* affectatio mala. B

Olea infirmissima & fragilissima est, & decussa perticis, aut præcisa vehementer laborat, qui enim oliuas non ita legunt, sed aut sponte decidentes, aut manu concussas, propius ad fructificandum annuatim, oleas accedere ajunt. Theophrast. de causis plant l. 1. c 24.

In agro humecto atque frugali rescindendi palmites vitis qui non sunt recti, alios enim rectos facilè producet, at si ager sit siccus & jejunus, palmites qui optimè prosiluerint reliquisse necessarium, cum enim siccus, jejunusque sit, nunquam alios facilè proferet, quapropter factum impetum conspectari satius est, Ibidem libro tertio, capite 18. in fine.

Frigore comprimente humidum non potest fieri arefactio, licet congelatio & coagulatio fieri possint: quia cum humidum comprimitur ad centrum, res remanet essentialiter humida, sicut glacies vel metallum, licet sit actualiter siccum. Nihil autem facit verè siccum nisi calidum, quod facit humidum euaporare. Albertus Magnus, meteor. libro quarto, tract. 2. cap. 5. Ita vis & coactio non placat sed tegit iras, & quoscumque alios affectus. C

Vnio facta vi externa non est durabilis. *V. duratio concord Rep.*

Aquæ quæ cælo silente defluunt magis commendantur, quam quæ impetu, cum procella, tonitru, fulgure decidunt.

Iosue 9. altare ædificatur ex lapidibus integris quibus ferrum non est injectum. D

Cum ædificaretur templum in Ierusalem, non sunt audita in eo securis & malleus. 3. Regum sexto.

Nemo in Deum culpam conferat, nam quod aliqui non crediderint, non fit ex eo qui vocauit, sed ex ijs qui resiliunt: At oportebat, inquies, vel inuitos reducere; absit, non enim vim affert, nec cogit; quis enim ad honores & coronas & conuiuia, & dierum festorum cœtus vocat inuitos, & trahit vinctos, hoc est eius qui facit injuriam, in gehennam mittit inuitos, ad regnum autem vocat volentes & lubentes; ad ignem ducit vinctos & ejulantes, ad bonum autem non ita, sic enim vocaret illud in inuidiam, quasi tale non esset quod mereretur à volentibus appeti; inuitauit per Angelos, per Prophetas, per filium, per miracula, per aduersa & prospera, quid vineæ oportuit facere & non fecit, cujus operis accepturus fuisset mercedem, si totum erat Dei futurum; habes infiram mali cognitionem, cur illud non fugis; habes boni, cur illud non consequeris; à malis abstineres vrgente necessitate, potes ergo, & cur id non facis liberè; abstineres metu regis terreni pœnas minitantis, cur, &c. D. Chrys. ho. 2. in 1. ad Cor.

Vide potestas volunt liberum arbitrium, *& contrarietas ver. R.* Religio non cogenda, *& maioritas contrar* mala.

Perimit semina, qui vim illorum igne putat educere, potestates enim quæ immediatè in naturæ hærent gremio, agunt more influentiali, nec igni submitti libenter volunt, imagini semper facienda destinatio creatoris in dote simplicium. Van helmont. in tractatu natura contrariorum nescia.

Brachmanæ populi ad partem Meridionalem Indiæ, sola viuunt alimonia, quam tellus sine cultura producit. Tost. in Gen. prolo. f. 5. co 4. K Gotardus de India Orientali, c. 2.

Prima myrrha quæ sponte fluit per modum emanationis, est longè pretiosior, quam ea quæ fluit per corticis arboris incisionem. Idem exod. to. 2. 99.

Phareon dicitur Cades locus in quo est fons erumpens de petra, quæ vocatur aquæ contradictionis, quia ibi Moyses & Aaron contradixerunt voluntati Dei, non obseruando modum præcepti eius, dixerat enim loquere ad petram, & ipsi eam percusserunt virga. Idem, Gene. 259.

Finni, & aliæ gentes ferocissimæ sunt subditione Regis Suetiæ, quanto autem sunt ferociores illi populi, tanto prudentioribus viris opus est, qui magis suadeant, quam rigidè cogant, spolient, vel tormentent; sic habent illos ad omnia subeunda pericula paratissimos. Olaus Magn. rerum Septentr. libro 11. c 15.

Cum equo magnanimo nil per vim agendum, nimiam enim ferocitatem, non violentia, sed mansuetudine placita mitigare oportet. Idem libro 17. c. 14.

Deus non est causa mali, cum illud non impedit, & licet concurrat ad actionem physicam, vide quæ scripsi, Theol. natur. to. 3. parte 8. c. 7 8.

Deus

Deus Israëlitis legem dedit in monte Sina, fumo, igne ascendente, tuba terribiliter insonante, tonitruo comminante, coruscante fulgere, ferocibus terrore opus erat, at lex noua non sic data est docilibus & corporalia vsu virtutis excedentibus. Sonus autem qui adueniente Spiritu sancto auditus est, venit non propter ipsos, sed propter Iudæos. D. Chrys. hom. 1. in Math.

Habet Deus imperium in ea quæ creauit, cælos, elementa, vegetantia, sensibilia quæ legem illis ab initio positam necessario sequuntur; ac proprium & peculiare sibi seruat in hominem ratione præditum, liberum, cæteris imperantem, velut Regi imperet, & amore libero sibi seruientem habeat.

Psal. 1. Propheta virum beatum comparat ligno quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet. Merito folia eius non defluunt, cujus fructus dabuntur potius quam decident, non maturitate depulsi, non vi exteriore decussi, sed rationalis officij dispensatione dimensi. D. Hil. in Ps. 1.

D. Hier. in ep. ad lætam de institutione filiæ. Syllabas, inquit, jungat ad præmium, & quibus illa ætas deliniri potest munusculis inuitetur; habeat & in discendo socias, quibus inuideat, quarum laudibus mordeatur. Non objurganda est si tardior sit, sed laudibus excitandum est ingenium, vt & vicisse gaudeat, & victa doleat. Cauendum in primis ne oderit studia; ne amaritudo eorum percepta in infantia, vltra rudes annos transeat, &c. Vide similia ex Quint. *Virtus principij*, educatio liberorum.

Vide maioritas contrarietatis, nimia seueritas mala, *media contrarietas*, lenis & blanda admonitio, *& gloria principij*, Indulgendum debilibus rerum initijs.

Cito indignatur libertas, si opprimitur. Nemo plus impetrat à libero, quam qui seruire non cogit. D. Hier. ad Theophilum, qui scorpiones minatus est, regnum Dauid dissipauit. Romanus populus ne in rege quidem superbiam tulit.

Episcopi sunt quasi arbitri & consiliarij sine coactione. *Vide medium concord.* arbiter, & tit. cod. de Episcopali audientia.

De ramo aureo qui sponte decerpentis manum sequitur, vide ex Virg. *media contrar.*

Vide maioritas medij, multitudo legum noxia.

Mundus metu & timore non est conuersus ad Deum, *vide concord. minoris.* descensus Dei ad homines, ex Chrysol.

Medicus non cogit naturam, sed quæ videtur moliri in excretionibus, eaque parte qua tentat educere, adjuuat.

NON LITIGARE.

Lites cito dirimendæ, *vide durat. contrar. Repug.* celeritas in vindicta & remedio. Ideo clerici à publicis negotijs, & tutelis debent abstinere, quæ vix possunt sine litibus transigi. Conc. Aurel. IV. ca 13.

In substantia & numeris non est contrarietas, quia in eis non est maxima distantia, neque continuitas, nec est in quantitate, nec in loco secundum se.

Cleon homo inquietus & sycophanta obseruabat quis ciuis esset ouillis moribus, sunt enim qui ex ignauia & probitate morum, mulctari malint,

A quam jus suum persequi, tales Cleon perterritos metu negotiorum facilè exagitabat. Suida.

Anus quædam Ptolomaïs subinde quæsitis dilationibus, vsque ad obitum in judicio litigauit. Id. in voce Ptolomaïs.

Proceditur in causis quorumcumque beneficiorum simpliciter & de plano, sine strepitu & figura judicij. Clem. dispendiosum de jud.

Feriæ sunt dies ab actibus judicialibus vacui, cap. conquestus de ferijs, omnes hebdomadæ dies feriæ vocantur, quia à litibus abstinendum.

Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos? quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudé patimini. 1. Cor.

B 6. Qui non fert injuria affici, si lædentem in judiciũ traxerit, & cum superauerit, tunc est maximè victus, nam quod nolebat passus est, cum enim coëgit aduersarius, & dolere & judicio contendere. D Chrys. ho. 16. in 1. ad Cor sic Iob multa passus à diabolo, tamen illum vicit; si non liberis, saltē virtutis exemplo & tibimet ipsi opem tulisti; qui fecit injuriam abibit habens pecunias, sed habens malam conscientiam; & tu habens fiduciam in Deum & eum possidens, qui est thesauris omnibus pretiosior; sic te fortiorem fecit, qui fecit injuriam, te liberauit à rerum quas abstulit, cura tumultuosa, accepit pecunias tuas, sed etiam peccata tua; sic pro ipso orandum, nam nulla re es priuatus sed aliquid accepisti, non fuisti injuria affectus, sed fuisti coronatus, effectus anima magis Philosophus. Ib.

C An non est ridiculum immortalitatem expectantes, & bona quæ neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, de his quæ hic manent contendere, & ea ducere æmulatione digna; si non æstimas res præsentes fluxas, vanidas vt vmbra & somniũ, non es dignus Christiana Philosophia; si tales æstimas absurdum est de his inquietari & curiosè quærere cur ille diues, ille pauper, vt cur vnus albus, alter niger, naso Aquilino, talia sunt aliena & indifferentia, tantum quæ sunt virtutis nostra reputemus, &c. Ibidem hom. 29.

D Ioseph accusatus à domina vt se purgaret, eam non accusauit, nec se vindicauit cum postea factus esset potens in Ægypto. Gen 39.

Charitas non quærit quæ sua sunt. 1. Cor. 13. & nemo quærat quod suum est, sed quod proximi. Vt ergo inuenias tuum, ne quæras tuum, vt habeas te diligentem & vnum tecum effectum, ne quæras paruum aliquod interesse. D. Chrys. ho. 33. in 1. ad Cor.

Redimentes tempus quoniã dies mali sunt. Eph. 5. tanquam peregrini & hospites, properare in cælestem patriam, & si diuitias, famam in transitu exactores auferunt, nolite pro talibus moras trahere, concedite potius malitiæ quod exigit, redimentes, & tempus & animam. Idem hom. 19. in epist. ad Eph.

E Lutum est aurum, in aula jacens, non in cælo domo tua. Igitur si propter id litem moueas, & judicio contendas, an non te condemnabunt superni ciues, non te ejicient è sua patria, qui es adeo humilis, vilis & abjectus vt pro rebus minimis velis pugnare. Id ho. 15. in ep. ad Hebr.

Lites vocantur negotia, quasi negantes otium, ca. forus, extra de verbor. sign.

Quando tenemur litigare, *vide minor. contrar* defectus seueritatis, malus.

Magnanimus non est contentiosus quia nihil magnum existimat. Tostat. Mathæ. tomo secundo, fo. 5.

Mansuetudo est suauitas malo cedens; subesse A sciens, superiori non resistens, & bonis consentiens, pia quærit; honorat sancta, non reprehendit, non resistit; propter quod suum dilectum exhibet possessorem. Laur. Iust. de char. c. 16.

A litibus abstinendum, vide quæ scripsi, mor Christ. to. 4 p. 2. c. 18 & l. de agente Dei in humanis, parte 3. c. 16.

Et si pauper sis sed certè liber; & si opifex, sed Christianus; propter hoc ipsum quod pauper es, magis necessariam habes quietem, diuitum est litigare non pauperum; tu vero cum diuitiarum non habeas voluptatem, mala tamen diuitiarum requiris, non habens materiam quæ te excitet ad jurgia. D. Chrys. ho. 15. in Math.

Et qui duos reos habet, non licet tertium accusare, cum rationib. cod. qui accus. non poss. ita coërcetur delatorum auaritia affectantium præmia non valde honesta l. 8. ff. de accus. excipiuntur qui suam suorumque injuriam persequuntur, l. 11. ff. eodem. Cujac. obs. l. 6. c. 12. B

NVLLI NOCERE.

Officium dicitur quasi efficium, propter decorem sermonis vna mutata littera; vel certè vt quisque illa agat, quæ nulli officiant, sed prosint omnibus. Isidor. orig. l. 7. c. 19.

Priuilegia ita sunt interpretanda, ne cui jus C suum, & potissimum Ecclesiæ auferatur, can. 1. 21. q. 1.

Vulturum apud antiquos fœlix erat augurium, quia vultur nulli nocet animali, nec nisi cadauera comedit. August. Niphus. libro 1. de augurijs capite 10.

Thomas Morus in sua Vtopia Republ. l. 2. seruis refert mandari lanienam pecudum, nam ex ea ciues fieri possent crudeles, & humanum sanguinem discerent fundere. Ib. venationem seruis efficit propriam, humanitati scilicet contrariam; videre lepusculum à cane, imbecillum à validiore, fugacem ac timidum à feroce; innoxium denique à crudeli discerptum.

Censetur beneficus qui non nocet. *Vide veritas virt.* quæ sit vera virtus. D

Nullus obligatur ad faciendum quod aliquis lucretur, obligatur tamen ad faciendum, quod causa sui non perdat, Tost. Ruth. 2. 66.

Non licet plures simul accusare. Vide supra proximé non litigare.

Constitutione Iustin. omnes etiam inuiti obligantur ad testimonium ferendum exceptis affinibus vsque ad 7. gradum, & viris illustribus, qui neque in judicio, neque ex scripto testimonium dicere coguntur, sine jussione sacra. Cujac. obs. l. 8. c. 13. Ita præclarum est illustres nulli nocere.

Proximis consilio, vel opibus adesse paucorum est, quibus mens illustris, res domestica ditior à Deo conceditur, vt in ciuili societate causæ superioris semper beneficæ vices agant. At omnibus licet E etiam in humili fortuna, satis amplum cunctis conferre beneficium, si nulli noceant. Relinquant singulis liberam sui tutelam à natura commissam; liberum ab ira, metu, curis animum, & à cæteris passionibus quæ maximam efficiunt injuriarum partem. Magni est æmulationis, inuidiæ naturales motus, in alterius fauorem coërcere, ad altiora properanti liberum dare per se transitum, non obstare, cum possis, proficientibus, sed his vltro submitti, cum fœlices effecerit prouidentia. Prodest igitur qui non nocet, & tale beneficium etiam potentiores optare debent ab infirmis, cum hæc sit humanæ vitæ misera conditio, vt in illam ad nocendum, arte, dolis, desperata malignitate debiliora satis valida sint. *Ex print. Vide potestas minuit mala.*

Maximam partem æquitatis impleuit, qui nulli nocuit, itaque malitiam, odium atque inuidiam, quæ semina sunt nocendi, Christiana a se propulsat anima, nec manu tantum aut lingua, sed corde quoque custodit innocentiam, quantum enim ad peccati rationem pertinet, fecisti & qui nocere disposuit; Innocentem nulli definiunt, qui ne in eo quidem vlli noceat, quo prodesse debuit. D. Hier. ep. ad Celantiam.

Apud Senecam l. 2. controu. 1. filius non vult tradi in adoptionem diuiti qui jam tres naturales & legitimos suos filios abdicauerat. Turpem dicebat adoptionem, aliena bona inuadere, & trium filiorum sub se sortem esse, & liberis spem patriæ reconciliationis eripere, quam inhumanum esset. Periculosam sibi dixit adoptionem in domo suos dominos desiderante, & tota familia instituum hæredem expellere cupiente.

In omnibus statim accusationib. hoc agendum est, ne ad eas libenter descendisse videamur. Quint. Inst. orat. l. 11. cap. 1. Omnia nos passuros, nihil asperè dicturos, testandum, vt etiam si non possimus conuitiari, nolle videamur. Inuiti & fide cogente id facere. Ib.

Ib. l. 12. cap. 7. oratorem in forum descendentem, eligere vult causas in quibus defendat potius reos, quam faciat.

Ib. cap. 9. Improbat aduocatos petulantes & contumeliosos ad litigantium arbitrium, perit oratoris authoritas & fides, si in rabulam latratoremque conuertitur. Pericles solebat optare, ne quod sibi verbum in mentem veniret quo populus offenderetur. Nam quisque tantundem potest nocere, & quæ fortia dum dicuntur, videbantur, stulta cum læserunt vocantur.

Pythagoras commodum ex animalibus accipi, citra injuriam posse docuit; vt si quis amica homini, familiaria sibi reddat, equis, asinis, tauris ad nutum, & quasi mancipia habeat, nociua autem castiget. Plutarch. l. de industria animalium canibus ad gregis custodiam, &c. Non qui vtuntur animalibus injustè faciunt, sed qui perniciosè, contemptim, & crudeliter, &c. Ib.

Aristides justum dicebat esse, aliena non concupiscere.

Exod. 21. taurus cornupeta jubetur occidi.

Indi Brachmanæ nulli nocent animali, ne quidem nociuo vt pulici.

Priuilegium quod est alteri onerosum, debet strictè interpretari; nam censetur concessum, saluo alterius jure Bonac. de priu. p. 7. §. 1. l. nec auus eod. emanc. liber.

Macarius Abbas Ægyptius, precibus obtinuit à Deo, vt accusatus innocens de homicidio, liberaretur, interrogato occiso, qui respondit eum esse innocentem, & cum quærerent à Macario, vt sciret ab eo quis occidisset, respondit, sufficit mihi vt innocens liberetur, non est autem meum, vt reus prodatur. In vitis Patrum l. 2.

Paulus, postea dictus simplex, cum vxorem in adulterio deprehendisset nulli quidquam dicens egressus est domum, & secessit in eremum factusque est, discipulus B. Antonij. Ib.

In India & præcipuè in Malabar sacerdotes Idololatræ, abstinent ab esu omnium rerum vitam ha-

bentium, quia credunt transmigrationem animorum, sic timent hominis animam lædere in animali. Dauity.

Abbas Pœmenis arguit Monachos, qui latrones deprehensos tradiderant iudici, effecitque vt liberarentur, vitæ Patrum libro secundo. Abbas Macarius videns furem sua jumento imponentem, tanquam ipse esset peregrinus adueniens, juuit latronem.

Olim Hyberni præces faciebant Lunæ, in conjunctione sua, ne eis noceret, sed in eodem quo reperrerat statu, seruaret. Dauity.

Iustus Lugdunensis Episcopus, furiosum qui occisis aliquibus propinquis, ad se velut ad asylum confugerat, tandem cum parentibus pœnæ immunitatem promittentibus, tradidit, à quibus audiens trucidatum, se Episcopatu abdicauit, & in Ægypti partibus Eremiticam vitam duxit. Petrus Dam. opusc.19.c.2.

Episcopus si quem velit accusare, acquiescat rogantibus fratribus vt correptione & comminatione contentus sit Conc. Valense. G.c.7.

Episcopi, quibus proprium est omnes humaniter excipere, nullis injuriam inferre, non alant canes latrantes ad custodiam domus, nec accipitres ad venationem, quæ vim profitentur Conc. Matiscon. II. can.13.

Antiqui capillum verticis non tondebant Dijs consecratum. Suidas, quilibet Christianus Deo sacer, intactus esse debet.

Pythagoras nullum animal mactabat in sacrificijs. Incruentas volebat esse aras. Idem in voce Pythagoras. Ea ratione in vitæ consuetudine vtendum, vt non ex amicis inimicos, sed etiam ex inimicis amicos faciamus, stirpem mansuetam non excidendam, neque lædendam, ac ne animal quidem quod homini non noceret. Ib.

Tyberius saltatorem qui se libertate donari petebat, voti compotem non fecit, priusquam Dominus eius prætio accepto consensisset. Idem in voce Tyberius.

Apis nullius opus, vellicans, facit deterius. Innoxiè flores carpit.

Nequidem licuit Deos alienos blasphemare. *Vide magnus concordant.* omnibus humaniter conformari.

Vultur animal innocentissimum, quia nihil prorsus attingit eorum quæ ferant homines, plantent, alant; animantium præterea nullum interimit, volucribus quoque vel mortuis abstinet quodam cognationis intellectu. Rodig. libro octauo, c. 18.

Quod vides omne quo cælestia & humana conclusa sunt, vnum est, membra sumus corporis magni; natura nos cognatos edidit, hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit; ex illius constitutione miserius est nocere quam lædi. Idem l. 9. c. 19.

Monumentis proditum est ab Indis exteras gentes nunquam bello appetitas, ne quid parum justi committerent. Id.l.18.c.31.

Pythagoras jactum retis emit à piscatoribus, tum irretitos pisces liberos emisit, in mansuetudinis exemplum. Id.l.19 c.7.

Cum cæteri pisces sint carniuori & debiliores vorent, solus thynnus nulli nocet, vnde & justus dicitur, Id.l.27.c 4.

A BELLIS, QVANTVM FIERI *potest, abstinendum.*

DVlce bellum inexpertis. Temerarij & repentini sunt bella catus.

Milites quemadmodum victimæ pascuntur, vt cum tempus fuerit, immolentur. Mercenarius mortis est, qui gratia viuendi accedit moriturus. Vita hæc in diem, & temeraria, animi studia obtenebrans. Illis aut augendæ essent vires, aut minuenda audacia, quæ virium mensuram excedit. Multum interest magni facere virtutem, & vitam nihili facere, excolunt vires corporis ad certamen necessarias, in quibus tamen superantur à bestijs, & negligunt animum.

Qui bellum inferunt, non cogitant mortem sibi imminere, sed hoc infortunium, quisque in alium rejicit.

Romanorum SC. gentibus omnibus Reipubl. subditis prohibitum est homines immolare. Plin. libro 30. c. 1. In bellis est quædam militum immolatio.

Vide bonitas gloria, de bono pacis, & malo belli.

Non extenditur jus gladij, cum ad vnum deuoluitur, sed restringitur; vna exercitur manus, vt omnes vinciantur; defertur res ad sapientiam paucorum, ne cunctorum temeritas promiscua cæde desæuiat, laudanda est parsimonia etiam vilissimi sanguinis, leuibus de causis & iniquissimo fine decertatur, in bello Trojano vt nobile scortum repetatur eius extincto pudori tot Heroum vitæ parentabant, tot pudicæ hostium libidini patebant, vt redderetur impudica. Caussin. Angelus pacis.

Ingressus bellorum turbidi, progressus dubij, exitus crebro miserandi: exhauriuntur pœcuniæ ad emenda regna suffecturæ, amissi lugentur Duces, quibus nihil deerat præter immortalitatem, obrepunt lauro cupressi, & palmis funera distinguuntur, stant victores super oppressorum ruinas, ipsi exhausti sanguine & viribus, tumulo propiores quam triumpho, perditum crederes regnum, nisi crederet hostes perdidisse, quanto satius esset pacificis, vti indulgentia fortunæ, nec toties in se prouocare fata cessantia. Quid prosunt ægris & inter rapinas bonorum mœrentibus populis, steriles laureæ? Quid defecto corpori, & tot febribus æstuanti, in missi naribus flores. Malignum certè solatij genus, ex aliorum doloribus, suam computare fœlicitatem. Id.

Magni momenti res est, de fortuna & vita tot mortalium armis decernere ad vnius arbitrium, si vnius vita apud Deum tanti est; quid fieri putamus cum tot homines, vrbes, prouinciæ, nationes exscinduntur. Incendiarios imitantur montes, qui dum nocent sua ipsorum viscera depascuntur.

Petrus Damianus lib.4. ep.9. pluribus probat authoritatibus & exemplis, Episcopis non licere quæ sua sunt vi armata, vindicare; jus gladij dicit solis regibus à Deo concessum, duas gemmas inter alias magis fulgentes Christus nobis attulit de cælo, charitatem & patientiam, vtramque prædicant populis sacerdotes, & vtramque operibus debent implere; vt ex Euangelio, quæ sua sunt non repetant, Mathæ. 5. Ib. dem Scholiastes controuersiam dirimit.

Octauianus dicebat eum qui sine maximo victoriæ præjudicio bellum mouet, similem esse illi qui

piscatur hamo aureo, vnde sæpe contingit plus damni, quam commodi.

Si quis post baptismum & remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet. Conc. Taurinense, sess. 2. c. 2.

Clerici qui tradendis vel capiendis ciuitatibus interfuerint, non solum à communione habeantur alieni, sed ne conuiuiorum quidem admittantur esse participes, Concil. Andegauense, Galliæ, can. 4.

Conc. Aurel. III. prohibet audire missas cum armis bellicis, c. 29.

Dissipa gentes quæ bella volunt, Ps. 67. 31.

Bellum sic dictum à belluis quibus proprium est vi corporea decertare.

Eadem die incensum est Dianæ Ephesinæ templum, qua natus est Alexander, Petrus Crinitus de honesta discipl. l. 1. cap 5. Sub eodem infœlici marte fit incendium, & nascitur bellator, vtrumque mundo infortunium.

Indis Religio est non oppugnare eos quibus injuria fuit, nec tunc fœderatis auxiliari. Suidas in voce Indi.

Mars Deus in Arabia petrea maximè colitur; simulachrum eius lapide nigro quadrato constat, nulla figura inciso, basi aureæ innititur. Id. in voce Θεὸς ἄρης. In bello omnia funesta & confusa, fit magna pœcuniarum vi.

Apud Indos est maxima ferri inopia, & ne aliundè inferatur sub pœna capitis prohibitum est. Rod. l. 18. c. 31.

Iob. c. 19. dicit amicis, fugite à facie gladij, quia vltor iniquitatum gladius est, & scitote esse iudicium.

Math. 24. audietis prælia & opiniones præliorum. Nolite terreri, oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Bella sunt initia consummationis sæculi.

Christus dicit Petro, mitte gladium in locum suum. Pacificos vult esse Iesus discipulos suos, vt bellicum gladium hunc deponentes, alterum pacificum accipiant gladium, quem dicit scriptura gladium spiritus. Orig. tract. 35 in Math.

Ne homines contra inuicem pugnent nisi rationibus, arma Deus negauit innata. At quidem quærunt bellum ne imperitos habeant milites, & homines gratis videntur jugulandi ne manus, aut animus incipiat per otium torpescere.

Thomas Morus Vtopiæ Reipublicæ l. 2. piget & pudet inquit, cruentæ victoriæ, reputantes inicitiam esse, prætiosas merces nimio emisse, gloriosa victoria, quoties ita vicerunt, quomodo nullum animal præter hominem potuit, id est ingentj viribus.

Imperator Iustin. Nou. 28. regionem Polemonium dictam, præcipit deinceps vocari Helenopontum, pulchrius enim est inquit regiones Christianorum regum nominibus designare, quam his quæ Polemi, hoc est belli & tumultus præ se notionem ferunt. Hanc autem Prouinciam Constantinus vocauit Helenopolim ad Helena pijssima sua matre.

Festa propitiationis vel expiationis non celebrauerunt Iudæi tempore, quo durauerunt bella contra Christianos. Tostat. num. tom. 2. fol. 99. quasi noua quotidie surgeret in bellis occasio peccandi.

Bellum inexplebile, multiplex, incertum, quid enim eius fortuna magis varium, bellum ex secunda fortuna sumit audaciam, ad omne nefas, ad injurias, cædes, voluptates illicitas, quam absurdum decimis, & spolijs rapinæ quæsitis Deum placare. Maximus Tyr. ser. 14.

Mars seu Mauors, sic dictus quod majora quæque vertat. Ludou. Viues in somnium Scipionis.

Summum insipientiarum quo belluarum feritatem omnium homo superat, bellum; adeo rem esse non hominum, sed quod verbum ipsum loquitur, belluarum. Id detestatur natura quæ hominem inermem genuit, ad mansuetudinem & communionem vitæ; auersatur Deus, qui penitus vult & imperat mutuam inter omnes homines charitatem, nec quicquam homo homini vel bellum facere vel nocere potest sine scelere. Idem in inerodi sapientiæ.

A bellis quantum fieri potest abstinendum. Vide quæ scripsi moral Christ tom 3 parte 1 c. 27 & l. de agente Deo in humanis in prœmio part. 1. & parte 2 capite 9.

Qui ad se Martem, canem rabidam accersit, non potest fieri quin mordeat, & sunt qui ad mala sua cursim contendant. De duodecim passuum millibus, ducentis, tercentum annis inter se digladiantur, dant damna atrocissima & accipiunt, vexati, perditi veniunt ad pacem.

Gen. 49. Iacob Patriarcha, sic maledicit duobus filijs suis. Simeon & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia, maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum quia dura, &c.

Quæ causa hominem aduersus hominem in facinus coëgit? Nam neque feris inter se bella sunt, nec si forent, eadem hominem decerent, placidum proximumque diuino genus? Quæ tanta vos fert ira, cum vna stirps, idemque sanguis sitis, vel quæ furiæ in mutuum sanguinem egere? Quod tantum malum humano generi, vel forte, vel fato inuectum? An vt poculis extruantur conuiuia, vt auro lacunaria fulgeant, parricidium tanti fuit, &c. Seneca l. 1. contr. 1.

Contra inexpletam Alexandri ambitionem. *V. finis volunt.* finita desideria.

ACCEPTAS INIVRIAS NON *vlciscit.*

APum Rex est sine acumine, cæteræ ipsum non imitantes, statim vt aliquem læsere moriuntur, sic peccato moritur anima Christiani, qui in vindictam pronus, Christi mansuetudinem non imitatur. D. Basil in hexam ho. 8.

Consummetur nequitia peccatorum, Psal. 7. his verbis orans, verum se præcepti Euangelici discipulum palam ostendit, orat enim pro persequentibus se, & ita orat, vt sine ac termino quodam, eorum circumscribatur iniquitas, cessetque hic morbus animi, & cancer depascens. Idem in Psalmo 7.

Infrigidati, aut jam læsi, magis sentimus dolorem. Mala conscientia ad vitionem est pronior.

Mali quidam à Rhetoribus læsi, filios suos volunt fieri Rhetores, vt pariter referant injuriam; nullus autem qui injuriam à lupo accepit, ipse lupus fit, vt remordeat. Plato in Timæo.

De Agrippino qui encomium scribebat mali quod illi eueniebat. *V. dur. virtus* fortitudo in aduersis, & ib non moueri calumnia.

In hoc certamine qui vincitur, ipso victore melior est; cuilibet mali est maledicere, sapientis non moueri & vlcisci. Venia vltione melior est, illa namque mitis est ingenij, hæc autem feri. Possessio atque fama tua lædimur, cogita tanti redimi patientiam, tanti emi imperturbationem, nihil gratis fit. Mitia & humana ingenia, non efferata sunt & dura, tuos qui peccarunt, vt quos meliores sperent; si alij cum malignitate agant, tu vt sapiens abjecto dolore partem feras, mansuetudo ingenium det, mitemque tamen, stabilis. Non homini, sed humanitati parcendum.

Satisfactio est pars integralis Sacramenti pœnitentiæ, non tamen essentialis, ita validum erit Sacramentum in quo sacerdos nullam injungit satisfactionem. Bonac de satisfactione.

De Indulgentijs *Vide bonitas principij*, Dei misericordia.

Vsus armorum clericis prohibetur, cap. clerici, & Clement. prima, de vita & honestate clericorum.

Censura fragilitatis humanæ & mundanæ districtior disciplinæ, & populorum sanguinem semper fudit, & tamen nec hostes abolere, nec ciuium bella compescere, nec criminum potuit dementiam delere. Chrysolog. hom. 36. Mulier sanguinifluxa quæ totam substantiam suam erogauerat in medicis, à Christo sanatur, politia consumpta omni sua industria à Deo salutem expectet. Ibidem.

Math. 5. dictum est antiquis, dentem pro dente, &c. ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit, &c. vult nos Christus vitia non repensare vitijs, sed superare virtutibus, & in ipsis scintillis adhuc extinguere iram, quæ in furoris incendio, non sine sanguine sedatur. Ira vincitur lenitate, mansuetudine extinguitur furor, malitia bonitate palpatur, impatientia, patientia punitur, superbiam humilitas sternit; sic injurijs instituuntur primordia Christiana, cælestis enim est Philosophiæ non resistere malo, sed vincere in bono malum. Ib. hom. 38. Patiamur iratos vt medicus phrænecticos, quibus interim prouidet, serui non dedignemur imitari Domini nostri patientiam.

In oratione Dominica, petis; dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, homo intellige, quia remittendo alijs, tu tibi veniam dedisti. Chrysolog. serm. 67. qui sic petit, & debita non relaxat; iste se etiam, per quod orat, accusat; videns peccatis suis petit veniam, qui peccanti libenter ignoscit. Idem & serm. 71. homo petitere est potestas veniæ, in te est indulgentiæ jus, tu tibi remissionis author es constitutus; gratis petis veniam, qui tibi in alio indulgere contemnis, tu tibi misericordiæ factus es mensura, quantum quæris misericordiæ, fac tantum.

Furit frater, adscribe, quod sic geritur ægritudini & febri, & fratri non poteris imputare commissum; dabisque tu prudenter infirmitati culpam, fratri veniam. Se peccatorem, peccaturum se homo cogitet, & tunc incipit amare veniam, non amare vindictam; peccabis & tu illi eras, qui tibi hodie peccauit, & erit tibi judex, qui erat reus, reddet veniam si dedisti. Id. ser. 139.

In suis longe exorabilior debet esse qui imperat, quam in alienis; si solatium in vindicando quærit, natura ferus est, si securitatem, infirmus.

Quæ dura sunt acutius tinniunt, & soliditatem habent densissimam, sine meatibus; quæ vilia sunt duri.

Philemon homo vitæ dissolutæ, multis injurijs & conuitijs affecit Apollonium Monachum, vocans seductorem, &c. cui Apollonius, misereatur Deus tibi fili mi, & nihil tibi horum, quæ loquutus es reputet ad peccatum. Ita Philemon compunctus fit Christianus & Martyr. in vitis PP. libro secundo.

Tres gradus hominum sunt in passione iræ, nam cui voluntariè nocetur & injuriatur, & parcit proximo suo, hic secundum naturam Christi est, qui autem non lædit, nec lædi vult, hic secundum naturam Adam est; qui autem injuriam infert, hic secundum diabolum est. Non est necessarium nobis, vt pro nobis Deus sollicitus sit, si volumus nos vindicare, & totum quod ad nos pertinet peragere. Ib.

Abbas Pœmen dicebat, iste animam suam ponit pro fratre, qui cum possit dura respondere, se continet. Ib. l. 3.

Vitis non fert spinas, nec vir bonus infert injurias,

Hi qui publicis inter se odijs exardescunt, ab Ecclesiasticis conuentibus remouendi, donec ad pacem recurrant. Conc. Arelat. II. can. 5.

Si quis ab Episcopo, vel de Ecclesiæ, vel de proprio jure crediderit aliquid repetendum, si nihil conuitij, aut criminationis objecerit, eum pro sola contentione à communione Ecclesiæ non liceat submoueri. Conc. Aurel. I. ca. 6. habetur 2. q. 7. ca. si quis.

Ferrum duram materiam facilius scindit, in molli obtunditur, vt in tilia. Theophrast. hist. plantarum, libro 5. cap. 6. patientia facit irritos, hostium ictus.

Corallus rubeus sistit quemlibet fluxum sanguinis. Alb. Mag.

De Ecclesiasticis Indulgentijs, quibus pœna temporalis peccato debita, remittitur. *Vide finis, minoritatis.*

Peccat mortaliter qui refert injuriam sibi factam, animo detrahendi ad vindictam, hæc enim est detractio formalis. Si autem referat paucis amicis, animo capiendi consilium vel consolationem, non peccat, dum tamen id non fiat omnibus & communiter. Bonacina de restitut. disputat. 2. q. 4.

A judicibus rei absoluuntur, cum paria sunt suffragia. Suidas.

Erat vnum ex symbolis Pythagoræ; ignem gladio ne fodica, id est potentum iram, & iratorum animos non esse commouendos. Id. in voce Pythagoras. Aurum percussum magnum sonum non reddit, vt alia metalla.

Spiridio Cypri Episcopus, fures qui gregem ouium noctu furare conati fuerant comprehensos & vinctos, illæsos dimisit, hortatus vt justis laboribus, non per injuriam victum quærerent, arieteque donatos dimisit, festiuo dicto addito, ne frustra inquit, vigilasse videamini. Idem in voce Spiridio.

Canis mordens projectum in se lapidem, dentes suos obtundit, sibi nocet qui vindictam persequitur.

Dauid non occidens Saulem, quem habebat in sua potestate; quæ dextras in cædem ruentes, vna humanior sententia prohibuit, elegantem potestatem quæ etiam gratiæ consecratus est, feritatemque mansuetudo deuicit. S. Basil. seleuc. orat. 16. in fine.

Injuriæ non sunt calumnijs vlciscendæ. *Vide contrarietas gloria*, calumnia, maledicentia.

Si patienter feras illatam injuriam, calumniæ

multa ex ea bona consequeris *V. dur. virt.* constantia in calumnia & rumore.

Nemini malum pro malo reddentes. Roma. 12. Christi lex est vincere in bono malum; diaboli autem malefaciendo vincere, sic vincitur in olympicis certaminibus quibus ipse præsidet, at in stadio Christiano contrarium seruatur, & non qui percutit, sed qui patienter percutitur, corona donatur, tales enim sunt vt Angeli qui non possunt à corporeis & fortuitis lædi. Si in foro injuriam passi splendidi, fidentes apparent, qui autem intulerunt, cum pudore & timore demisso capite, quid coram Deo,
B
qui patitur injuriam non habet stabile domi suæ malum, non enim ipse malum peperit, sed aliunde acceptum in bonum patientia sua mutauit, malum vero faciens in seipso malitiæ plagam habet. D. Chrys. hom. 22. in ep. ad Rom.

Gerulæ & nutrices patienter ferunt se in genis percuti ab iratis infantibus donec quiescant, infirma & puerilis est eius ratio qui pro nugis, & negotijs hujus mundi fratri suo irascitur. Id. hom. 4. in 1. Cor.

Cogita quotnã in lege sacrificia sint, sacrificium laudis, sacrificiũ confessionis, sacrificiũ salutaris, sacrificiũ purgationum & sexcẽta alia, atque interim nullũ est aduersus inimicos, sed pro proprijs peccatis, aut etiã rectè factis. Nemo supplicat vt alius pereat, sed vt ipse salutẽ consequatur. An non ad illum
C
accedis, qui dixit orate pro inimicis vestris. Math. 5. quonam modo Deum, vt legem suam infringat, rogas, & non supplicis, sed accusatoris verba habes. Id. hom. 5 in 2. ad Cor. faues diabolo qui vult pernicem hominum, & propria tua membra discerpis. Abstulit inquis pœcuniam, sed plus perdidit qui à Dei beneuolentia excidit.

Si velis vlcisci, mala repende bonis, vt & eum reddas debitorem, & admirabili vincas victoria. Hinc tibi omnes applaudent; & illum accusabunt. Id. hom 16. in ep. ad Eph.

De fortitudine in tolerandis aduersis vt calumnia. *V. dur virt.*

Quomodo candens ferrum aqua tinctum ignem perdit, sic ira, si in lenem & patientem inciderit, patientem nihil lædit, sed magis juuat, & ipse euadit magis continens. Idem homil. 22. in ep. ad Hebr.

Qualiter ira rationem præueniens sit peccatum. *Vide magnitudo voluntatis*, passionum vtilitas.

Prouerb. 29. dicitur, vir iracundus prouocat rixas; est vitium capitale nam ad vindictam sumendam multa inordinatè fiunt. D. Greg. 13. mor. c. 13. sex ejus numerat filias, quæ sunt rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ, est enim in corde, in opere, in procedendi modo, vt sunt vulnerationes, homicidia, &c. opponitur diuersis virtutibus secundum diuersas rationes, nam quantum ad inordinationem passionis opponitur mansuetudini, quantum ad nocumentum quod intentat inferre, opponitur charitati, quantum ad rationem apparentis justitiæ, opponitur veræ justitiæ. D. Tho. in quæst. disput. de peccat. quæst. 12. a. 4.

Ab obligatione qua quis tenetur Deo, nunquam absoluitur propter illa quæ faciunt proximi sui contra ipsum: quare alter conjugum qui non est fornicatus, licet non teneatur reddere debitum fornicanti, tamen non potest licitè commisceri alteri. Tostat. in Mathæ. p. 103. capite 5. 1.

Christus conuenientius vocatur agnus, quam
A
aries aut taurus, propter castitatem & patientiam.

Si licet injurias vlcisci, nullus erit injuriarum finis, sed vtroque acceptam læsionem vlciscente perennis erit fons iniquitatis, potissimum cum injurias præuenire justum habeatur, immortalis vtrinque sibi semper accrescens. O perpetuum morbum qui permultis temporum spatijs, familias, ciuitates, regna contriuit; viri justi vnicum bonum est virtus, quæ non potest ab externis, nec lædi, nec auferri; cum non lædatur, cur lædet, cur non potius irrideat frustrato conatu lædere volentem. Maximus Tyr. ser. 2.

De clementia sacerdotum. *Vide bonitas potestatis.*

Multitudini parcitur. *Vide æqualitas minoritatis.*

Sicut nihil est deformius, quam respondere furiosis, ita nihil est vtilius quam tacere dum prouocamur, quia nullus est finis inimicitijs, nisi ad tempus obtemperetur iratis. Laur. Iust. tract. arbor vitæ, c. 3.

Aliena mala nobis videntur leuissima, nostra intoleranda, semper queruli, nec aliena desideria ferimus, nec nostra. Nec jam nobis placemus ipsi, nec hic mundus cum sua lege nobis satisfacit, immutatas vellemus rerum naturas, tanta est ex delitijs impatientia.

Conuitium conuitio regerere, est lutum luto purgare.

Memineris humanæ imbecillitatis esse, falli, errare. Ignoscere generosi pectoris; iram retinere atrocis, sæui degeneris, vilis, quod & natura in mutis animantibus ostendit, cum quotidie Deus in se peccantibus ignoscat, præclarum est, ad naturam ejus accedere, da hominibus veniam, quam tu speras à Deo, de longè majoribus delictis; quanto excelsior est homine Deus, tunc apud eum oratio tua erit efficax. Injuriam Domino facis, si non illi cognitionem relinquis de conseruo tuo, ideo dicit,
D
mihi vindictam, & ego retribuam. Nam cum in animo sit injuria, non in facto, solus Deus scit, qui fuerit animus, & quod ei debetur supplicium: plerumque putamus eam esse injuriam quæ non sit, vt sunt nobis affectus nostri nimis chari, qui non sinunt nos singula ritè examinare, sed ad judicandum transuersos vi sua rapiunt. Lud. Viues in introduct. sapientiæ.

De patientia, lenitate, mititate, mansuetudine. *Vide duratio virtutis*, fortitudo in aduersis.

De iniuriarum patientia, vide quæ scripsi moral. Christ tom. 4. parte 2. c. 15. & 20. & l. de agente Dei in humanis p. 5 c 15.

Quidquid à quolibet hominum passi fuerimus
E
injustè, aut remissione peccatorum Deus, aut amplioris mercedis retributione compensat, vt si quod furto ablatum est à seruo procuratore, ei Dominus in solutum computaret; & plura superadderet, ita Dauid de Semeï, dimitte vt maledicat, vt videat Dominus humilitatem meam, & reddat mihi bonum pro maledicto hoc. D. Chrysost. hom. 9. in Math.

Vide gloria minoritatis, cedendo quædam superant.

Sibi nocet qui acceptæ injuriæ vindictam quærit. *Vide finis contrarietat.* litis & iræ placatio, ex D. Chrys.

Cantharis vesicat in viuo corpore non autem in mortuo, nam cantharis quandiu sicca manet non agit, sed insensibili roris nostri effluuio humectatur,

prurit & spiritus sub Epidermide furiose accenditur. Vide homi. ſic moventur ad noxiam injurias, quæ vim tantum habent ab imaginatione læſi.

Inter parentes ſententias prævalet ea quæ reum abſolvit. l. inter eas ff. de re jud.

Turcæ cum qualibet die Veneris conveniunt ad preces publicas coram omnibus proteſtantur ſe nullam ab inimicis vindictam expecturos, acceptas injurias condonare, credunt enim aliter irritas eſſe, quas fundunt preces.

Sis memor injuriarum quas accipis à dæmonibus in illum de bonis operibus vindica.

Cavendum eſt ne injuriæ creſcant, ſi non diſſimulentur. *Vide cognit. contrarietat. Rep.* adverſa diſſimulanda.

Expecta paucos annos & inimicus tuus torrhet, nullo tuo crimine, quod ſi vindicaveris ferro vel veneno, perpetuo ſollicitus & anxius vives; inter oceli propinquorum inſidias, & juſtitiæ crimen perſequentis metum.

DEFECTVS SEVERITATIS

malus.

SI collega, collegam aliquid contra Remp. molientem, non prohibuerit, tenetur. l. ult. ff. de adminiſtr. ad civ. pertin. quia qui non vetat peccare cum poſſit, jubet, & magiſtratus omni diligentia curare debent quæ ad Remp. pertinent. l. 6. eod Cujac. obſ. l. 26. c. 8.

Frequenter culpa populi redundat in principem, quaſi de majorum negligentia, obveniant errata minorum, fornicante populo Iſrael cum Madianitis. Numer. 25. fit ſermo Domini ad Moyſen, tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, principes non peccaverant, ſed populus, principes tamen pro peccato populi puniuntur. Heli pro peccato filiorum ſuorum punitus eſt, primo Regum quarto. Petrus Dam. l. 4. ep. 15.

De rhamno ignis egreditur, & cedri Libani devorantur. Iud. 9. frequenter propter membrorum immoderantiam caput affligitur, & propter iniquitatem plebis, pœna principibus irrogatur, Idem ep. 108. viciſſim reges pro peccatis populi puniuntur. *V magnit. contrar.* pœna publica ob peccata regentium.

Qui non admonet peccantem, fit reus. *V. mediium virt.* admonitio.

Bandıtorum perſecutioni & capturæ obſtantes, quas pœnas incurrant Sixtus V. conſt. 65. 6. Bull. p. 374. tom. 2. & Gregor. 13. conſt. 65. ſ. 34. p. 336. tomo 2.

Bannitos gubernatores ſtatus Eccleſiaſtici remittere, vel eis pœnas condonare non poſſunt. Paul. 2. conſt. 4. p. 198. to. 1.

Communitates ac terræ quæ homicidas comprehendi non curant interdicto Eccleſiaſtico ſubjiciuntur. Pius 4. conſtit. 27. §. 2. p. 29. tomo ſecundo.

Duella pro eorum facultate non impedientes, duelli pœnas incurrunt. Clem. 8. conſt. 11. .. p to. 3.

Veterem ferendo invitas injuriam novam.

Salus nulla vbi potior pars alteri paret, nec ad dignitatem ſuam compellitur atrocitate injuriæ, proceras riparum arbores fallax vnda niciſas in-

verſaſque ſpectantibus oſtendit: ſed hoc ipſum quod inter undas aliquis potius ſpectandum ſe exhibet, regiæ celſitudinis deprecationem nequaquam certeam culpa eſt, ſed eo quo in ruinam ſui ſubjectus ... rum ... ; locatque ... reddit vero in regnum ...

Viri propugnationis habuit ... coniuncta, & ... oppoſitus ...

Patientia irrationalis vitia ſeminat, negligentiam nutrit, & non ſolum malos, ſed etiam bonos invitat ad malum. D. Chryſoſtom. homil. 12. in Math.

Viri Religioſi & perfecti dupliciter impugnari poſſunt, vno modo, quantum ad perſonas proprias, & has injurias perſonales patienter ferre debent, parati plura perferre vt dicitur Math. 5. & ita Christus patienter tulit quæ contra humanitatem ſuam dicebantur, ecce homo vorax & potator vini, at cum impugnantur ratione ſtatus non debent pati, ſed reſiſtere quantum licet, ſiue cum vergeret in injuriam Dei, vnde contra male patientes dicitur Ezech. 14. non aſcendiſtis ex adverſo, canes muti non valentes latrare, ita Chriſtus cum Phariſæos redarguit dicentes eum in Beelzebub ejicere dæmonia, & diabolum increpat invitantem vt eum adoraret. Vnde dicit Chryſoſt. Math. 4. iſtud diſcamus exemplo noſtras quidem injurias magnanimiter ſuſtinere, Dei autem injurias, nec vſque ad auditum ſufferre, quoniam in proprijs injurijs eſſe quemlibet patientem laudabile eſt, injurias autem Dei diſſimulare nimis eſt impium. D. Thom. quodl. 5. a. 26.

Ius Aſyli non ſervatur in judicio criminali, exempli gratia ſiccarijs, adulteris, raptoribus virginum, innocentes enim aſyla tuentur, non nocentes. No. 17. 37 & 117.

Tyberius capite damnatum propinquos lugere vetuit, Sueton. Quaſi noluiſſent vindicari.

Si quis gravium criminum reis auſus fuerit patrocinium præbere quacunque potentia fretus, ſimilem cum delinquente pœnam & ipſe ſuſtinebit, idem cum ſit, ipſum aliquem delinquere, & eum qui talia peccavit & deliquit, velle de manu legis eripere Nov. 9 c. 11.

Saul reprobatus quia pepercit Agag regi Amalech, licet ex pietate. Toſtat. 1. Regum tom. 2. fo. 6. c. 3. K.

Ahiel reædificans Iericho paſſus eſt maledictiones quas poſuerat Ioſue contra eum, qui eam reædificaret, 3. Reg. 16.

Angeli cuſtodes non dolent propriè de perditione ſuorum cuſtoditorum quando damnantur. Toſt. Math. to. 1. f. 34. c. 2. c.

Beati nullo modo compatiuntur de pœna damnatorum, ſiue ante judicium, ſiue poſt. Id. Mat. to. 7. f. 22. a. 1.

Qui orat pro eo quem ſcit æternaliter damnatum, graviter peccat. Idem. quarto Regum, q. 1. tul. 47.

Res Eccleſiæ non debent relinqui indefenſæ, propter vitandum ſcandalum. Idem Math. to. 5. f. 25.

Ante Auguſtini tempora erant nulli hæreſes, quia Eccleſia tunc non habebat potentiam coercitivam. Ib. f. 25.

Vide contrarietas veritatis an hæreticis ſit cogendi.

Qui manifesto facinori desunt obuiare, non carent scrupulo societatis occultæ, cap. sicut dignum, de homic.

Iræ defectus est aliquando peccatum, quando quis non irascitur cùm causa, vt dicit Chrysost. super Math. Tost. Mat. to. 2. f. 111. hunc defectum Arist. 4. ethic. vocat insensibilitatem, vide *Mag. voluntatis* passionum vtilitas.

Sunt casus in quibus non litigare malum esset, 1. in casu fidei, 2. in rebus spiritualibus, quando necesse est incidere in peccatum mortale, si permittamus quæ contra nos aguntur, 3. pro defensione vitæ & famæ, 4. in procuratione rerum alienarum quarum negotium nobis incumbit; & tunc licet litigare etiam coram judice infideli, Tost. Math. t. 2. f. 246. 234.

Moyses peccasset, si non iratus fuisset valdè, videns vitulum, Id. ex. to. 2. f. 130.

Pastor seu rector animarum peccat, quando scelera non objurgat, vt ait Greg. in Pastorali & habetur c. in Ephes. d. 43.

Potest tamen non impedire malum, si ex illo multa bona debeant euenire. *V. virtus medij. Repug.* quando licet vti malo medio.

Non licet semper carceratos liberare, nec id aut judici, aut custodi licet, Tostat. Math. tomo 7. fol. 212.

Væ mihi, inquit Hieremias, quia tacui; loquitur in persona prælatorum animas regentium; quibus Dominus dicit per Isayam, clama ne cesses, &c. nam graui crimine tenentur, si subjectorum peccata corrigere dissimulent, canes muti non valentes latrare; sic enim lupus dispergit gregem. Laur. Iust. l. de perfect. Monast. c. 15.

Vide potestas verit. veritas liberè & cum debita increpatione dicenda.

Præuaricator est is, qui dum fingit se accusare, id agit potius vt reus absoluatur. In publicis judicijs punitur pœna calumniæ, id est talionis l. pen. ff. de præuaric. Cujac. obseruat libro nono, cap. vlt.

Vide titulos, ff. ne quis eum qui in jus vocabitur vi eximat, & tit.

De eo per quem factum erit, quo minus quis in iudicio sistat.

Declinantes in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, Psalm. 124. de judicibus qui declinant judicium ferre de amicis.

Discipuli, recta esse credunt, quæ præceptor non emendauerit, Quint.

De non parcendo in Deum delinquentibus, Lucifer. bibl. Patr. to 9.

Saul à Deo reprobatur, quod pepercisset Agag. 1. Regum 15. & Achab regi Syriæ, 3. Regum 20. quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua, pro anima illius. Non paruæ fuit audaciæ quod non parcente Deo, ipse parcere voluerit, Rupert. sæpe nocentium absolutio, innocentium condemnatio est, & calamitas. Nihil imbecillius imperio, in quo armata audacia est, jura ferè semper exarmata. Fouet & auget crimina, qui non coërcet, qui malis indulget, in omnes bonos sæuit.

Tanta apud Græcos fuit asylorum multitudo, vt inde fieret impunitas criminum, vnde Senatusconsulto asylis modus dictus est, Tacit. 3. annal.

Apud Sinenses magistratus, qui ex rigore legum non puniunt reos, deponuntur, & coguntur ad vitam priuatam redire, tamen retinent insignia & priuilegia dignitatis. Dauity.

Virga Moysis projecta in terram fit coluber, resumpta redit in virgam, neglecta disciplina & authoritas nocet, Rup. in exod.

Homicida voluntarius, si confugerit ad altare, auellitur, & occiditur, exo. 21.

Qui alterius excommunicatum receperit, reus est fraternitatis, & causam in Concil. dicet. Conc. Arelat II. Gall. can. 8.

Si in alicujus Episcopi territorio, infideles, arbores, fontes, vel saxa venerantur, si hoc eruere neglexerit, sacrilegij reus est, eod. vn. 23.

Si clericus relicto officio suo propter districtionem, ad sæcularem fortè confugerit, & is ad quem recurrit, solatium ei defensionis impenderit, cum eodem de Ecclesiæ communione pellatur, Conc. Agathense, can. octauo, habet. 11. quæstione 5. c. placuit.

Hi quibus cum periculosa & falsa misericordia indulgere videmur cum ante tribunal Christi, pro tantis peccatis damnandi aduenerint contra nos ipsos causas dicturi sunt, dicentes; quod dum aut asperitatem linguæ eorum expauimus, aut falsa blandimenta ipsorum libenter accepimus, & in peccatis permanere, illaque etiam augere permisimus, non recordantes, illud num. 16 22 quia vno peccante contra omnes Dei ira desæuit. O pietas, ô misericordia, vni parcere, & omnes per exemplum malum in discrimen adducere, non ita suadet S. Cyprianus l. de lapsis: Qui inquit, peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec reprimit delicta illius, sed fouet: & iterum, imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & absconditum in profundis recessibus virus, dum seruat, exagerat, &c. dist. 50. can. si quis Diaconus 1. Regum 4. Heli filios peccantes, quibus nimium indulserat justo Dei iudicio amisit, & triginta millia de populo; & contra Phinees, num. 25. quia duos adulteros occidit, totum populum de Dei iracundia liberauit. Melius est hic confundi, quam in æternum puniri. Ib.

Excommunicatum ab vno Episcopo, nemo alius suscipiat. Concil. Parisiense III. can. septim Concil Lugdunense II. ca 4 habetur 11. quæstione 3. can. si quis à proprio. Turonense II. c. 8. Romano c. 14.

Vide minoritas bonit. defectus communicationis bonus.

Reus est qui non admonet cum possit & debeat, *vide durat. virt.* constans admonitio, & *minor. bonit.* defectus communicationis malus.

Vt disciplina Ecclesiastica noxios, nemo audeat tueri. Conc. Suessionense II. ca 11.

Expulsi Laïci, vel quilibet de Clero pro quibusdam facinoribus à proprijs Episcopis, ab alijs juxta canonum statuta non suscipiantur, vt igne pœnitudinis decocti, misericordiam Domini, prout poterunt, lachrymis fletibusque sibimet ante mortis obitum acquirant. Conc. Ticass. II. ca 5.

In nobilium stemmatibus animalia inermia, id est sine rostro & vnguibus sunt vt plurimum signa turpia & pœnalia, Aquilæ sine rostro & vnguibus significant victos Imperiales.

Abusus indulgentiarum coërcetur, *vide finis minor* Indulgentiæ.

Qui audit detrahentem, nec corripit, peccat mortaliter contra charitatem, & contra iustitiam, si assensu prouocat ad detractionem, Bonacina de restit.

restituit. dist 2. quæstione quarta, p. 11.

Bestias exungues & excornes vocat Tertullianus, quæ sunt sine vnguibus & cornibus, lib de pallio.

In somnis columbas videre significat malum, Suidas in voce περιστερά, columba est innoxium, nec se vindicans animal.

Qui à publico supplicio rei seruantur, aut ensis ictu frustrato, aut laquei fractione, præsagiunt impotentiam principum, Card. l. de rerum var. c. 76.

Homicida voluntarius ad altare confugiens inde trahitur & occiditur, exod. 21. 14 & primo Regum 2.

DEVS MAXIME IRASCITVR, cum non vlciscitur.

EZech. 16. Propterea auferetur zelus meus à te. Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, Roman. 1. Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, Osee 4.

Grauius est incurrere peccatum quam corporali A morte puniri. *Vide magnitudo contrarietatis*, pœna capitis.

Dauid Psal. 37. post peccatum dicit, quoniam ego in flagella paratus sum; noli me reseruare igni æterno, dum in hac vita sum, redde mihi peccata mea. Quoniam flagellas omnem filium quem recipis, Heb. 12. si volueris inducere persecutiones, paupertatem, ægritudines, &c. paratus sum, Orig. hom. 2. in d. Psal.

Curauimus Babylonem & non est sanata, relinquamus eam, Hier. 51.

Caue homo ne derelinquat te Deus, vel Angelus, vel homo, cui commissa fuerat cura tuæ salutis, cum enim te deseruerint, similis eris desperato à medicis, vtentes voluntate morbi sui vt ad pejora demergantur, Id. hom. 2. in Hier.

B Magna ira est quando peccantibus non irascitur Deus, quem enim diligit Dominus corripit, & castigat omnem filium quem recipit; non erudit pater, nisi quem amat, non corripit magister discipulum, nisi eum quem ardentioris cernit ingenij; medicus si cessauerit curare, desperat, D. Hier. ad Castrutiũ.

Isay. 4 Iratus Dominus contra vineam, quod fecisset labruscas, non vuas; Ponam, inquit, eam desertam, non putabitur, & non fodietur.

PRINCIPIVM.

BONITAS PRINCIPII.

BONA FOECVNDITAS MATRIMONII.

PARACELS. lib. de morbis mulierum, dicit mulierem esse tantum propter generationem; centrum eius esse matricem, nec mirum si ex hac parte multi nascantur morbi, cum scilicet peccat in eo, propter quod est.

Plantæ quæ non generant, vt fungi, sunt imperfectæ, eo quod vltima virtus vegetabilis, est generatiua, tales etiam sunt plantæ, quæ in alijs nascuntur, ex putrefactione, vt viscum. Alb. Mag. l. 5. de veg. c. 2.

Multitudo prolis optanda, sunt enim parentibus auxiliatores, senectæ nutritores, omnis fortunæ & casus participes; si parentes deficiant illi substituuntur, vt auo præstent officia pietatis, gaudent tali in generationes & generationes propagatione, sic firmatur vita inter gentiles ac necessarios, sicut nauis in mari quæ multis anchoris fundatur; sic etiã continuatur ciuitas relictis successoribus qui defunctos ciues repræsentent. Ideo interdictum mulieribus ne abortum faciant, aut medicamentis sibi sterilitatem indicant. Multitudini liberorum præmia præposita, vt quisquis potentior sit amicorũ, multo magis liberorum copia. De bono conjugij ad prolem generandam. *Vide voluntas concord.*

Sicut sumptio cibi est necessaria sub præcepto naturali ad conseruationem indiuidui; ita in articulo necessitatis, ex præcepto contrahendum est matrimonium ad conseruandã debito modo speciem C humanam, & hoc maximè prouidere debent rectores ciuitatum. Itavt in hoc articulo necessitatis, vt deletis hominibus, bello, fame, peste, Religiosus, vel alius habens votum castitatis, teneretur contrahere matrimonium; quia votum quod vim habet à propria voluntate, non potest prejudicare præcepto naturali de conseruanda specie. Bon. de matrimon.

D. August. l. de conjugali bono. to 6. & de concupiscentia & nuptijs, to. 7. De conjugio, bibl. Patr. to. 4. De conjugij statu Bern. quadr. 1. serm. 17. 18.

De liberorum procreatione, Clem. Alex. pædag. l. 2. c. 10.

Honor conjugij, matrimonij dignitas, est procreatio dulcium liberorum, satis enim graue est, & satis triste, & virginitatis carere præmio, & filiorum solatia non habere, sustinere onera matrimonij, & D ad fructum matrimonij non venire, Chrysol. ser 92.

Ex duris lapidibus, & perlucidis fit in fornacibus, vitrũ, in pulchritudine & ornamentis crystallo par, sed illud artificiale sterile est, nec generat, at in concretionibus naturalibus est prima dispositio ad generationem perfectam, habent enim humidũ, quod vna cum sicco permiscetur, augetur, multiplicatur.

Quod fit ex prima naturæ intentione, habet in se vim seminalem, est determinatæ formæ & speciei, at quæ sunt ex secunda naturæ operatione ex occasione fortuita, vitã non habent, nec semen ad propagationem speciei, qualis est fuligo in caminis, ex ligni adustione, sic fiunt lapides & metalla ex fu-

Digitized by Google

mositate ab inferiori parte, & partium corruptione emissa, & hæc figuram certam quantitatem determinatam non habent, sed pro natura loci recipientis. A

Non valet pactum hoc matrimonio appositum, contraho tecum, si venenum sterilitatis biberis. Bonac. quia est contra finem matrimonij. *vide contrarietas principij abortus.*

Apud Indos arbor Kasta habetur sacra, quia sic mirè propagatur vt ramus terram contingens statim agat radices, & duplici alimento cito euadat in magnam arborem, iterum similiter fœcundam.

Matrimonium est officina generis humani.

Ex consilio naturæ in lucem edita, quia ad perpetuitatem generant sibi simile ex semine in propria substantia concreto, vt patet in plantis & animalibus. B

Omnis qualitatis proprietas est, vt propagetur & multiplicetur in apto subiecto, odorum corpus perfundit aërem, ibi propagatur & multiplicatur, aër fit odorus: calor calefacit & augetur in patiente corpore, quod patiendo fit simile suo agenti, ita in cæteris omnibus, lux participata differentiam facit colorum. Vbi est plurima dicitur albedo, vbi minima, nigredo.

Apud Scythas sub graui pœna interdictum est venari à mense Martio vsque ad mensem Octobris, vt animalia possint vacare generationi, & multiplicari. Dauity. C

Si homo non peccasset, non sensisset motum libidinis quo æstuant animalia, sed sciens prudensque carnis suæ ministerium, ad hoc opus eadem pietate impendisset, qua nunc linguam vel vocem suam ad hoc impendit sacerdos, vel Pontifex, vt male natos huic mundo Deo per Christi gratiam regeneret, ita non per peccatum, sed per Dei benedictionem generandi vsus homini datus est, non more iumentorum ruendo in libidinem, sed rationis imperio per mundam carnis naturam ædificando prædestinatam cæli progeniem. Rupert. l. 2. in Gen c 9.

Quæ calida sunt, etiam sunt fructifera, vt in animalium genere licet intelligi. Theophr. de causis plant. l 1. c. 27. D

Alios docere, est quodammodo scientiam producere. *Vide principium cognit.*

In omnibus completum dicimus illud, quod tale alterum perficere potest, quale est ipsum: cum enim inter vegetabiles potentias vltima sit generatiua, necesse est quod ipsa sit complementum ipsius eo quod à fine & vltimo fit rei completio; vt cum planta semine suo potest producere plantam similem in specie. Alb. Mag. meteo. l. 4. c. 17.

Propagationis desiderium efficit vt superiora descendant ad inferiora. *Vide concord. minoris.* descensus superiorum ad inferiora.

Quadrupedes castratas antiqui sacrificabant ob defunctos, vt steriles, mares verò dijs. Suidas in voce *ἐντομίδες.* E

Liberi mares sunt columnæ familiarum.

Diuinum quiddam est in legitimis natalibus hominum, quo qui caret nothus dicitur, quasi numine priuatus, vel à diuinitate alienus. Id. in voce *νόθος*, de illegitimis, *vide minor principij.*

Cecrops ex Ægypto profectus regnauit in Græcia, primum illic instituit matrimonium vnius maris & fœminæ, cum ante homines vt pecora vago vterentur concubitu. Vnde bicorpor dictus est, Id. in voce Prometheus.

Fœlices arbores Plato dixit quæ ferunt fructum, & infœlices quæ non ferunt. Rod. l. 10. c. 7.

Lex Iulia priori ex Consulibus fasces sumendi potestatem faciebat, cui plures forent liberi, Id. l. 12. c. 8. quod si par vtrique numerus esset, præferebatur maritus. Ib.

Olim apud Massilienses Senatorum dignitas erat perpetua, sed ad illam non admittebatur nisi cui liberi fuissent, Id l. 16. c. 8.

Plato 12. de legibus, nullum in loco fœcundo & agro ad cultum parato fieri struiue sepulchrum iubet, verù is, inquit, locus corpora defunctorum recipiat, qui ad cætera inutilis, & ad id tantum commodus, viuentibus nihil prorsus inferat detrimenti. Neque enim à viuis, minus item à mortuis terræ matris fœcunditas præpediri debet.

Apud Lacedæmonios si vir senior habebat floridam vxorem aptam ferendæ proli, poterat eius causa, admittere probis moribus iuuenem citra ignominiam, prolem autem maritus vt suam educabat. Rod. l. 18. c 1.

In fauorem matrimonij conditio vel improba, vel impossibilis pro nulla habetur, cap. 1. & vlt. de nupt. Verba si sunt ambigua pro matrimonio fit interpretatio. cap. tuæ 26. de sponsal, cap. continebatur, de despons. impub.

Romanis legibus puniuntur qui Eunuchos faciunt, vt qui communi generi interitum afferant, & ipsi insultent naturæ. D. Chrys. hom. 31. in 1. ad Cor. De malo sterilitatis. *Vide minor principij.*

Coniugium ex se ferax propagatio quædam est operum Dei, fulcimentum nostri generis, funeris solatium, prima lex mundi.

Aristot. 4. Metheororum dicit quod perfectum est vnumquodque, quando potest facere alterum quale ipsum est, quia multiplicatio creaturarum per generationem est ad hoc vt diuinum esse quantum possunt, participent, & sic vniuersum perficitur in ordine ad finem, D Thom. in libro 2. sentent. d. 15. q. 3.

Primi parentes emissi de paradiso conuenerunt & genuerunt: sed potuerunt in paradiso eis esse nuptiæ honorabiles, & thorus immaculatus sine ardore libidinis, sine dolore pariendi. Ib. d. 20.

De stupro vitando. *vide minoritas gloriæ*, mortificatio tactus.

Melius est in qualibet specie esse corruptibilia indiuidua, quam tantum incorruptibilia, quia corruptibilium successione bonum naturæ per generationes magis communicatur, & multitudo generabilium habet perfectionem, quam singula non possunt æquare. D. Th. in q. disp. de prouid. q. 5. a. 3. ad 2.

Res creatæ habent à diuina bonitate non tantum quod sint, sed quod alijs possint esse, & vim communicandi se largiri, sicut Sol per diffusionem radiorum suorum, non solum facit corpora illuminata, sed etiam illuminantia, Ib. a 8. o.

Deus vult creaturas propter suam bonitatem, vt Aug. dicit, vt videlicet sua bonitas quæ per essentiam multiplicari non potest, saltem per quandam similitudinis participationem diffundatur ad multa Ib. de voluntate Dei, a. 4.

Tabulæ matrimoniales continebant matrimonium contrahi liberorum procreandorum causa, l. liberorum ff. de verbo. signif.

Ne pereant ventura carentia semine secla.

Nomen Dei tetragrammaton à nemine proferebatur, nisi à Sacerdote magno in benedictionibus nubentium, Tost. exo. to. 1. f. 85.

Agnus masculus offerebatur, tum quia masculus fœmina dignior est, tum vt fœminæ seruarentur ad prolem, pluribus enim mas vnus sufficit Id.

Digitized by Google

Lappones Septentrionales populi in celebratione nuptiarum ignem è silice excutiunt, vt enim silex latentem in se ignem continet, qui concussione emicat, sic in vtroque sexu est recondita vis quæ profertur mutua copula in prolem viuentem. Olaus Mag. l. 4. c. 7.

Quidquid existit agit, & vult esse causa. Vide quæ scripsi de iure naturali libro 1 lege 5. legitima mundoque necessaria matrimonij fœcunditas, Ib lege 15. § 2 3 6. & moral. Christian. tom 3 parte 2. c. 1. & 2.

In nullo natura plus sollicita fuit, quam in sexuum discrimine, adeoque ab initio adumbrationis fœtus confestim occupatur in organis veneris, ipsaque Venus in cælo, maximum est post Solem astrum.

Patronus amittit jus in libertum, à quo juramentum exegit, vt vxorem non duceret, l. qui contra ff. de jure patron.

In Conc. Gangren. si damnatus fuit Eustochius, qui nuptias damnabat, & virum qui cum vxore dormisset execrabatur. Bar 361 an de talibus dicit Apostolus, 1. Timoth. 4. In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, prohibentes nubere, &c.

Mulieres nascuntur vultu in cælum verso, mares contra, seruant situm in concubitu solitum quasi ad hunc natæ.

Romæ recens nuptæ præferebant coronã ex spicis frumenti, & ingredientibus in domum mariti, grana frumenti in caput spargebantur in spem futuræ fœcunditatis. Polid. Virg. l. 1

Natura sic est auida partus, vt præcoci conatu lac interdum in mamillis virginum efformet. Vnde Hyppoc. sect. 5. aph 39 si mulier lac in mammis habet, neque grauida est neque peperit, huic menstrua defecerunt, refert Zachias medicæ libro 1. tit. 3. q. 1.

Prægnantibus nullus est in ventre grauitatis sensus, nam conceptus naturalis est, quasi pars ipsius matris, & dicitur portio viscerum matris, l. temporibus §. ex hoc ff de vent. inspic. sicut fructus pendentes faciunt partem fundi.

Sic etiam natura conceptionis auida, cum non licet illi verum conceptum ex vtroque semine progignere; ex solo muliebri semine & sanguine molam conficit, Id Zach q. 6.

Proletarij qui curam impendunt rei vxoriæ, & propagandis liberis sunt à tributis immunes, Nou. 43. c. 1 § 2.

DEI BONITAS ET MISERICORDIA.

BOnum simplex tres habet conditiones, quod videlicet est æternum & verax, & primum: & quia est æternum, non quandoque mouet, & quandoque non, sed semper: & quia est verax non mouet per accidens, sed per seipsum, & quia est primum, mouet ita quod ante ipsum, nihil est sibi causa mouendi, & ideo est mouens immobile. Albertus Magnus, lib de motu progressiuo, tract. 2. c. 2.

Vbi Deus Dominum mutauit in patrem, voluit charitate magis quam potestate regnare, & amari maluit, quam timeri Chrysol ser. 7.

Vide voluntas principij, amor Dei.

A Misericordiæ Domini super omnia opera eius Ps. 33. & re vera perisset totum quod Deus fecerat, nisi misericordia subuenisset. Chrysol.

De voluntate Dei, Alb. tom. 19.

Dicitur Psal. 50. Auerte faciem tuam à peccatis meis, hoc est ab operibus meis. & Psalm. 137. Opera manuum tuarum ne despicias, Iudex cum vult ignoscere, hominem respicit non culpam: Pater cum misereri vult filio, affectum cogitat non delictum, sic in homine Deus sui memor est operis, vt operis obliuiscatur humani. Chrysol. ser. 54.

Deus qui potuit omnes homines è terra producere, voluit te filiorum esse genitorem vt ex amore tuo erga prolem suum erga te possis æstimare, Id. ser. 55.

B Antiqui Deos sibi fingebant tam crudeles & improbos, vt ne quidem seruos vellent habere tales, at Christiani orant, Pater noster, &c. eo nomine suam in nos bonitatem significante; sicut reges triumphorum suorum titulis nuncupantur; & subjectarum gentium nominibus conquirunt numerosissima cognomenta, ita Christus bonorum suorum titulis nuncupatur: à chrismate enim vocatus est Christus, qui diuinitatis vnguentum, aridis jam mortalium membris, pius medicator infudit, & vt à chrismate Christus, sic Iesus vocatus est à salute, vt perditis perpetuam redderet sanitatem, Id. ser. 57.

Vide principium gloriæ, Christus Saluator.

C Christus sic nos docet orare, Pater noster qui es in cælis. Docet quomodo ipsum oremus, it. Rex fungitur officio aduocati, vt præces quibus responsurus erat, ipse dictaret, magna fiducia promerendi, quando ipsum se legit in præcibus, qui rogatur, Id. ser. 70. in fine.

Scriptum est, quod pater non judicat quemquam, quoniam patris officium est, semper cum filijs benignè agere.

Deus de nostro justus, de suo bonus est, Tert. de resur car

Persæ ignem velut Deum colebant, ideo non comburebant mortuorum corpora, quia Dei sui bonitate indignum putabant vesci humanis corporibus.

D Deus diligit nos vt bonum nobis influat; Bonum enim est communicatiuum sui ipsius: Omnes res naturales, quæ excellunt in aliquo, influunt in alia, vt Sol influit lumen illuminatis, & ignis calidis, Cardan. Cuia. libro quinto, excitat. capite 41.

Dicitur in oratione Dominica, Pater noster, quia pater nihil negat Id

Gen. 32. Iacob accedens ad Esaü placatum, dicit se videre faciem eius, tanquam vultum Dei.

Phœnices fingunt Deos suos saccu os pœcuniarum ferentes, Suidas in voce *ἐρμαι* beneficos exprimebant.

Vide principium virtutis, Dei gratia ad virtutes.

E Niniue ciuitas erat inter Assyrios hominibus refertissima, peccatis naturæ terminos supergressa, non tamen diuinæ clementiæ metas exsuperabat, febriebat illa quidem impietatis ardore, sed pœnitentiæ medicamento curata est. S. Basil. seleuciæ, orat. 12. & infra. Et si animam oderit improbè viuentem, naturam tamen morbo aliam factam miseratur, & suæ manus figmentum recognoscit, Ibidem.

D Chrysost. hom. 12. in epist. ad Ephes. probat Solem non esse Deum, quia per se depascitur om-

Digitized by Google

nia quæ peruadit, & cæteras mundi partes conflagraret nisi radium eius temperarent emissi ex terra & aquis vapores, Ib. Deus in cor ipsum exceptus fœlicitatem & beatitudinem importat.

Misereris omnium Domine, Sap.11.misericordia Dei super omnem carnem, super justos, peccatores, super conditum misericordia mundum; sic Reges & Sacerdotes oleo inuncti, vt in potentia diuinam imitarentur misericordiam, Id hom.4. in epist. ad Phil.

Omnes egemus Dei misericordia, ea gehennam minatus est, vt regnum assequamur, nec aliude consequimur regnum, quam ex misericordia; cur enim cum solus esset Deus, tot Deos fecit, nonne propter bonitatem, Ib.

B Maximus Tyrius orat.21. probat scientias & virtutes esse à Deo, cum eas per sufficientiam summè possideat, per bonitatem velit conferre, per omnipotentiam id possit; natos ad improbitatem reprimit, natos ad virtutem conseruat & promouet.

Socoth Benoth, est nomen Dei Babyloniorum, qui erat in modum gallinæ habentis sub se pullos, Tost. 4. Regum f.170 quoties volui congregare filios tuos sicut gallina Math.23.

Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimissis, concessa homini existenti in gratia à Prælato, per applicationem thesauri Ecclesiastici, Bonac.

C Inter Dei misereri & punire hoc interest, quod Deus vsque in mille generationes miseretur, & punit solum vsque ad quartam generationem, Tostat. Deut.f.26.c.1.b

De Dei bonitate, vide quæ scripsi Theol.natu. to.3. p.1.c.14 & p.3 c.16.

De indulgentiis in fideles à S. Pontifice dispensatis. Ib. to 4. p 3.c.19.

Bona omnia sunt à Deo, moralis Christ.tom. 4 p.1. c.1.

D Miserator & misericors Dominus, misericors est cum creat, quia nullis beneficijs prouocatur vt præstet, miserator autem cum res cadentes sua pietate restaurat, Laur Iust l.de spe.c.5.

Nouell. 84. scriptum est non deesse auxilium his quibus vis infertur, cum possint inuocare principem.

Vide principium gloriæ, in Deo sperandum.

Firmissime creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, D. Aug.l.de natu. & grat. c.36.

BONVM INITIVM.

QVædam arbores non ferunt fructus, nisi postquam steterit eorum augmentum. *V. dur bon.* tr ora, quædã autem è contrario melius fructificant in juuentute, quam in senectute, sicut amygdali, piri, quia earum natura est calida & humida in juuentute, è quibus qualitatibus post juuentutem mutan-

A tur in frigidum & siccum, vnde steriles efficiuntur, Albertus Magnus, libro 1. de vegetab. cap. penult. tr. 2.

Vide durat. virt. & fine mora virtuti incumbendum.

Lignum abietis est odoriferum, quandiu fuerit viride, propter vaporationem resinæ multæ quæ est in ipso, cessat autem hæc euaporatio cum arescit, Ib l.6 c.1.

Satio debet fieri crescente Luna, cum nondum peruenit ad primum quadratum, tunc enim est humida calida, sic habet qualitates congruas educationi plantarum; ab hac prima quadratura vsque ad oppositionem est calida sicca, tunc plantata aut seminata arescent; ab oppositione ad aliam quadraturam est frigida sicca, nec mouebitur calor seminum, nec juuabitur humidum, deinceps est frigida humida inducens putredinem seminibus, Ibid. l.7. c.9.

Cujusque diei mane refert tempus veris, nempe humidum calidum, ideo tunc corpora melius se habent, fluuiorum auræ spirant, ros defluit, flores emergunt, & quidquid ex tellure nascitur, prodit. Meridies refert æstatem, vesper autumnum, mœdia nox hyemem.

Bona sunt, quorum initia & ortus, inter bona numerantur, & quorum finis seu corruptio, in malis est, Arist.2 topic.c.9.

Math.13. Inimicus homo superseminauit zizania. Præcedunt creatoris bona, mala diaboli post sequuntur, vt malum quod est ex diabolo sit accidens, non natura, Chrysol.ser.96.in fine

Prouidendum vt fœlicibus auspicijs, ingrediatur principatum, quisquis recturus sedet, non turbidè non impetuosè, sed leniter; imitetur animam corpori molliter affusam, venientem placidè, non strepitu irrumpentem.

Posterius est, quod est præter naturam, eo quod est secundum naturam, quia id quod est præter naturam, est quędam excisio ab eo quod est secundum naturam.

Affirmatio naturaliter prior est negatione, quia simplicior, & significat compositionem priorem diuisione, & esse quod est priusquam non esse.

Quædam plantæ dum adolescunt, leniori sunt cortice, cum senescunt crassiori scabriorique, vt robur, suber, palmæ, Theoph.

Triticum hordeum & similia, sunt statim ab initio dulcia & saporis habent perfectionem, antequam plures fiant mutationes vt in fructibus, qui ex amaris fiunt acerbi, ex acerbis dulces coctione, Id.de caus.plant. l.6.c.8.

Liberalitas & indulgentia principum sub initijs, *vide potestas bonis.*

In tota prima ætate quæ fluxit ab orbe condito vsque ad diluuium fuit major temperies temporum, quam fuit vnquam postea, Tosta. exod.tom.1. f.38.

E Meliores sunt metallorum venæ, & melius decoctæ quæ spectant ad orientem & meridiem. Olaus Mag.rer. Septentr.l.6.c.2.

Digitized by Google

MAGNITVDO PRINCIPII.

DEI IMMENSITAS.

SIc exeunt Angeli ad diuina implenda mysteria, vt Dei visione non priuentur, quoniam & si beati spiritus circumscribantur loco, ipse Deus qui illorum beatitudo est, circumscriptus non est, vbique etenim cum praesens sit, & vbique totus, ibi se offert, vbi rationalis spiritus illum videre dignus efficitur. Nam & latroni secum pendenti, inquit, hodie mecum eris in paradiso. Impleuit autem quod spopondit, quia diuinitatis suae essentiam ei fecit esse visibilem. Laurent. Iustinian. serm. de S. Michaële.

Vide quae scripsi de immensitate Dei. Theol. natur. to. 3 p. 1 c. 11.

MAGNA FOECVNDITAS.

NOë viuente multiplicati sunt filij eius vsque ad numerum viginti quinque millium virorum fortium, praeter paruulos & mulieres, Tostat. Gen. f. 51.

Mulieres Hebreae in Ægypto pariebant interdum geminos, interdum tres, interdum quatuor, & vsque ad sex; nec hoc absurdum est, cum August. libro 18. de ciu. cap. 6. dicat istam multiplicationem fuisse supernaturalem. Idem, exod. tomo 1. f. 5.

Ludouicus Viues, in cap. 8. libro 15. de ciu. Dei August. fuisse in Hispania memoria patrum suorum vicum penè centum domorum cujus incolae omnes à quodam sene, qui adhuc viuebat, progenerati erant itavt propinquitatis nomen desiset, quo ille à minimis natu appellaretur.

Mors Abel, circa trigesimum & centesimum annum Adami euenit, & per illos centum & triginta annos humanum genus jam numerosissimè multiplicatum & latissimè dispersum cum fuerit, non sine causa timebat Cain, ne quocumque iret, aliquem inueniret qui ipsum occideret, Pererius in Gen. l. 7. v. 14.

Dohanas vrbis non soluunt hi, quibus exemptio ob numerum duodecim filiorum conceditur, si hi superstites sint, & in vrbe degentes viuant in communi, Pius 4. constit. 72. §. 1. Bull. p. 77 to. 2. Nou. Iustin. 43. c. 1. §. 2.

Quaedam animalia sunt multi coïtus, & assiduae pullificationis vt gallinae, columbae, cunniculi, lepores. Mira in piscibus foecunditas vt videre licet ex eorum ouis: arbores syluestres plurimos edunt fructus, licet non tam magnos ac domesticos exculte, & alimenti copia saginatae.

Ex vno ouo, interdum educuntur pulli gemelli, sed saepè contingit vt ex duobus, vnus sit imA perfectus & monstruosus, Albertus Mag.

Multitudo liberorum sui uma erat olim benedictio. Vnde Patriarchae plures accipiebant vxores, & Abrahae promittit Deus, multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, Theodoret. in Genesim q. 81.

Deus praecipit numerari populum, num. 1. vt appareat impletam esse promissionem, quam fecerat Abrahamo de multiplicatione sui generis, cum ex Septuaginta qui descenderant in Ægyptum, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta viri intra paucos annos numerati sint bello apti, exceptis paruulis, senibus, mulieribus & leuitis, Idem in num. q. 1.

B Tribus Iuda, regia, numero vincebat omnes, tum ob benedictionem Christi Domini, qui carnem ex ea tribu sumpturus erat, tum vt hi qui Reges crearentur, sufficienti suorum tribulium praesidio munirentur. Ib. q. 3.

Anno 1276. Margarita Comitissa Holandiae vno partu edidit 364. pueros minutissimos omnes viuentes baptizati, postea mortui & cum matre etiam mortua ex partu nimio, sepulti, Dauity in Hollandia.

Noë benedicens Iaphet, dicit, dilatet Dominus Iaphet, propter multitudinem prolis, primis 300. annis post diluuium magis multiplicatum est genus humanum, quàm per 1655. à creatione ad diluuium, quia initio rara erat polygamia, at post diluC uium communiter recepta, vt patet in Abraham & Iacob, ex quo intra 430. annos exierunt ex Ægypto sexcenta hominum millia praeter paruulos & foeminas qui non erant pauciores; sic Ecclesia per 300. primos annos inter persecutiones etiam plus creuit, quam vetus Synagoga bis millenis, Geneb. a. m. 1694.

Arborum quarundam radices vim obtinent prolis sursum rursus procreandae, vt vitis, vt punicae; quaedam nullam prorsus proferre sobolem possunt, vt abietes, cupressi, pini, Theoph. hist. plantarum l. 2. c. 9.

Magna foecunditas mortem accelerat, V. media dura mors juuenis.

D Circa Adriam vrbem Italiae & Adriaticum Pelagus est regio pecudibus bona, itavt caprae bis in anno pariant & gemellos saepè etiam ternos & quaternos interdum & quinos haedos & plures, ferunt & gallinas bis in die oua ponere, caeteris tamen sunt minores, Suidas in verbo Adria.

Sub Ptolomaeo bos peperit buculas sex; id bonum omen ratus esse Rex, eas in regia ali diligentissimè jussit. Idem in voce π βασιλικη βοίδιον.

Artaxerxes Persarum Rex 115. filios habuit ex quibus quinquaginta in eius necem conspirarunt, caeteris non contra nitentibus.

Digitized by Google

Eutychi 30. peperit filios, & à 20 est in rogum illata, Petrus Crinitus de honesta disciplina, libro 8. c. 7.

Animalia timidissima sunt etiam fœcundissima, velut lepores & cuniculi, quod in hominibus etiam obseruatur, Cardan. de rerum varietate, libro 1. capite 2.

Ibid. cap. 19. Refert se in Scotia habuisse lapidem é mari sumptum, qui in vmbra positus virentia folia produxit; tantum vitæ, inquit, inest omnibus maritimis.

Scropha tot parit catulos, quot habet mammas communiter, si pauciores habetur infœcunda, si plures prodigiosa, quoniam alere nequit, Ibidem c 33.

Post diluuium Noë progenies sic multiplicata est, perpetuo enim geminos edebant marem & fœminam, vt è locis quæ primum cœperunt habitare, necesse fuerit vt hinc multi recederent, Berosus.

Gramen à gradiendo dicitur, quod geniculatis ramulis serpat, vel à gignendi fœcunditate, cum crebro à se radices nouas spargat, dicitur dens caninus, quia pertinaciter adhæret.

Aculeus desinens in punctum, tangendo corpus super quo fertur, puncta generat incessanter, ex quibus tandem est linea, si nunc vnum fluat, fluit seipsum multiplicando, sicut calor seipsum effundendo, calorem generat.

Bonum est diffusiuum sui, summè autem bonum est summè diffusiuum sui, summa autem diffusio non potest esse nisi sit actualis & intrinseca, substantialis & hypostatica, naturalis & voluntaria, libera & necessaria, indeficiens & perfecta, D. Bonau. itinerarij mentis in Deum, c. 5.

Abraham significat patrem multarum gentium secundum compositionem Hebraïcam, & hoc nomen imposuit illi Deus postquam circumcisus est, Tost. 1. Par p. 35. c. 1. K.

In insula Crise & argiria fructificant arbores bis in anno, similiter & segetes, Idem exod. to. 2. f. 112. c. 2. b. c.

Ficus in Ægypto, septies in anno fructum fert, Id. ex. to 1. f. 295.

Antiquitus creditum est fœlicitatem consistere in multitudine prolis, Idem Mathæ. tomo 6. fol. 290.

Sexcentos filios genuit quidam Rex vt refert Petrarcha, Idem Gen f. 320. Gedeon habuit 70. filios viros 8. & 9. num.

INITIA A MAGNIS.

IN omnibus animalibus perfectis, nisi per accidens fiat contrarium, ambulando præponunt dextrum, & trahunt sinistrum, Albertus Magnus, l. 2. de motibus animal. cap. 2. ideo dextra pars nobilior.

Cum semen germinare & pullulare incipit, primo format vnum ex quo formantur omnia alia, & hæc est radix quæ est vice oris & cordis. Idem sic in animalibus primo formantur, cor, cerebrum, hepar.

Vide durat. virt. R. mora, & minorit. finis, defectus in fine.

Plantæ quia multum initio trahunt humorem aqueum, & sic non possunt habere sustentationem, non statim emittunt stipitem. At arbor in genere suo est calida & humida, & calor quidem aperit

A meatum, & impellit humidum; humidum autem abundans sufficienter ministrat materiam; ideo statim exurgit in stipitem, & auget illum & roborat, & emittit in eo ramos multos, & in ramis plurimas virgas, Albert. Magnus, l. 5. de vegetabil. capite 2.

Ex Seruij adhuc pueri, postea Regis Romanorum capite, fulgor emicabat.

Quintil. Instit. orat. libro 2. capite 3. vult pueris etiam in primis elementis instituendis dari optimos & doctos magistros, quia ab illis optima discendorum jaciuntur fundamenta, at indocti fortè vitiosa probabunt, *Vide potestas princip. initij,* docebunt dediscenda. Vnde Timotheus citharædus du-

B plicem mercedem exigebat, ab his qui prius fuerant ab alijs edocti.

Optimum est juuenum orationem esse plusquam decet florentem & exundantem, etiam lasciuientem, *V. bonitas maior.*

Sub initijs Orator maximè laboret in scribendo, nam primum hoc constituendum, hoc obtinendum est, vt quam optimè scribamus; celeritatem dabit consuetudo, paulatim se res facilius ostendent, verba respondebunt, compositio sequetur, cuncta denique vt in familia benè instituta in officio erunt. Quintilian. libro 10. Inst. orator. capite 3.

Ibidem libro 12. capite 6 dicit non esse differendum eloquentiæ tyrocinium in senectutem; nam

C quotidie metus crescit, majusque fit semper quod ausuri sumus, & dum deliberamus quando incipiendum sit, incipere jam serum est, quare fructum studiorum viridem, & adhuc dulcem promi decet, dum & venia, & spes est, & paratus fauor, & audere non dedecet, & si quid desit operi, suppleat ætas.

Rupert. libro 1. in Genesim, capite 10. dicit non esse probabile prima die qua dictum est, fiat lux, accidens tantum in aëre factum, cum in cæteris diebus substantialia, & in æternum duratura sint creata, sed per lucem intelligendi sunt tunc creati Angeli.

Arangij, limones, & multæ aliæ arbores in oriente, habent vere fructus maturos, & tales fuerunt quæ vere mundo creato, fructus habuerunt.

D Abbas Agathon, vitam Monasticam ingredientibus hoc dabat præceptum, obseruarent, vt quales prima die existerent, tales in posterum permanerent, vitæ Patrum l. 5.

Propè Aureliam est fontis scaturigo sic valida, vt statim fiat ab ipsa origine fluuius, nauium ferendarum capax, qui post aliquot leucas, ligeri conjungitur, idem dictus *Loiret.*

In Diuona Carducorum *Cahors*, in Gallia fons est qui statim ab origine sufficit agitandis quatuor molendinis, Dauity.

Angeli primi omnium à Deo creantur, & non habentur in opere sex dierum, Geneb. initio Chronologiæ.

E Singula Deus fecit valdè bona, Gen. 1. id est perfecta in suo genere, nempe in suo statu, integritate, perfectione, vigore, non enim creauit, v. g. hominem in cunis, infantem, vel puerum, vel decrepitum, rudem, & indoctum, sed ætate, sapientia, virtute, scientia perfectum; non arbores in semine virga, sed cum frondibus, fructus, &c. pulchro in se & in mundo. Ib. vide supra proximè hoc tit. magna fœcunditas initio Ecclesiæ.

Primum sæculum dicitur aureum, eius enim comparatione nostra ætas dici potest lutea, corpora tunc erant grandiora.

Digitized by Google

A Gedeon incœpit à destructione aræ Baal, & lucum succendendo, Iud 6.

Antequam Dominus appareat Heliæ in statu auræ tennis, præcedit spiritus conterens montes & petras, 3. Reg. 19.

Eadem est aqua maris in ripa, ac in alto.

Arbores distant in fructificando; namque aliæ fructum ex nouellis surculis gignunt, aliæ ex annotinis, aliæ de vtrisque. Ex nouellis ficus & vitis. Ex annotinis, olea, punica, malus, amygdala, pyrus, myrthus, omnésque ferè similes. Theop. hist. plant. libro 1. capite 13. *Vide duratio cognit.* iuuenum promotio.

B Quanto ventus proximior est initio, tanto validior, ob id validissimi apud nos Boreas, Circios & Corus. Card. de rer. var. l. 1. c. 2.

Nilus in Æthyopia, Euphrates in Tauro monte, & alij passim fluuij magno fragore & impetu è montibus deijciuntur in valles, vt astantium aures hebetes reddant. Georgius agricola, l. 3. de his quæ fluunt ex terra, sic celebrantur natales principum.

Leo est solare animal, catulos videntes sola parit leæna. Rod. l. 13. c. 19.

Tyberio Cæsari ea fuit oculorum natura vt expergefactus noctu paulisper haud alio modo quam luce clara contueretur omnia paulatim tenebris sese obducentibus, Id. l. 15. c. 2.

Saul 1. Reg. 17. dicit Dauidi. Non vales resistere Philisthæo illi, quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua; præualuit tamen Dauid & hoc primo suo certamine abstulit opprobrium à populo Dei.

Aug. super Genesim dicit, quod Adam in ætate virili continuo factus est, ex Dei voluntate & potentia quam naturæ generibus non alligauit. Magister sent. l. 2. d. 17 q 1.

Ante peccatum licet propter vteri augustias necesse erat paruulos nasci, poterat tamen omnipotentia creatoris mox natos grandes facere, & eis præstare, quod multis animalibus præstitit, quorum pulli quamuis sint paruuli, tamen mox vt nascuntur, currunt; & matres sequuntur habentes liberum vsum suarum partium. Ib. d. 20 q. 2.

D Boetius l. 10. de consolat. dicit. Natura à perfectis principium sumit, quod in operibus diuinis considerare oportet, in quolibet enim eius opere, quæ prima sunt perfectionem habent, sic Adam, in statu innocentiæ, duplicem habuit perfectionem à natura, & à gratia; sic perfectè quantum hic licet, vidit Deum in creaturis, quem nos velut addiscentes nouiter quærimus. D. Th. in q. disp. de cognitione primi hominis.

Adam fuit creatus in ætate perfecta, qua posset generare, scilicet in ætate 30. annorum, Tostat. in Gen. f. 12. c. 3. F. & 147. c. 4. K. fuit melius complexionatus quam cæteri hominum, dempto Christo, Ib. f. 6. c. 4. h.

E Dona comparantur incipiendo à perfectioribus, beatitudines vero è contra. Id. Mat. c. 4. f. 68.

Abel obtulit Deo de primogenitis gregis sui; & deinceps Deus præcepit per Moysem sibi offerri primogenita, quia censentur meliora, & magis à nobis dilecta, Id. Gen. f. 26.

Cum cæteri Euangelistæ in hominis Christi Sacramento morarentur & de ipsa Deitate dogmate periclitaretur, Ioannes statim ad superiora, ad quæ Deo inspirante, vrgebatur, ascendit, &c. D. Chrysostom. in Math.

Infanti ante omnia caput incipit, in quo est principale; & vnde cognoscimur, ex Censorino. Cujac. obs. l. 21. c. 4.

Prius necessariis prouidetur, vide quæ scripsi de iure natur. l. 2. lege 2. §. 5.

Sapiens natura nunquam præceps, prius intimæ virtutis ponit fundamenta, quam ad externos actus se proferat, & in speciei concessam altitudinem nitatur, hinc ex magnis initijs augurari licet magnam intus vim regnantem, & ex abundantia largè sic effusam. Diu se continet in obscuro præclara quorundam indoles, donec erumpat prodigio quodam omnium spes & vota superante, vt fœtus in vtero, speciei congruis temporibus, conformatur, perficitur, donec augustias loci non patiens prodit in lucem ampliora facturus & recepturus. In stupendam corporis molem surrecturus Elephas, nascens adhuc sanguinolentus superat adulti molossi magnitudinem; & inde quid illi tempus adijciet facilis conjectura; sic illustrium ingeniorum primi partus magni fuere, sunt enim non artis, non disciplinæ sensim se sub magistro perficientis opera, sed naturæ, sed genij spiritusque principalis, splendentis luce propria; hic artis vel scientiæ quam profitetur, fuisset author, si priorem mundus non agnouisset. Æmulari volunt hoc naturæ priuilegium rectores qui sub initijs eximia, clementiæ, largitionis, prudentiæ, fortitudinis signa præmittunt; auram inde popularem & fœlix de sequentibus iudicium aucupaturi. Sed in naturam suam ficta cito redeunt, etiam turpior apparet post humanitatem sæuiens crudelitas, post mores primum ad virtutis legem compositos, rapax auaritia, furens libido, popularibus damnis se pascens cupiditas; qui proficere debuerat, labitur; spes delusæ, frustra conceptæ transeunt in indignationem, & sequens iniquitas opposita prioribus virtutum indicijs, horrenda magis apparet, odijs dirisque publicis excepta. *Ex principiis, V. potestas principij, initij, & duratio cognit. mora Rep.* Iuuenum promotio.

Salomon cum esset duodecim tantum annorum, in iudicio duarum meretricum, de intimo humanæ naturæ iudicauit affectu. Vnde admiratus est, & pertimuit illum omnis Israël, quod scilicet eum manifesta non fugerent, qui tam prudenter abscondita deprehendisset D. Hier. Rufino, l. 3, ep.

Salomon & Achaz, cum essent duodecim annorum filios genuisse referuntur, Salomon Roboam. Achaz Ezechiam, idem fecit decennis puer à nutrice cum qua cubabat, sollicitatus. Id. vitali.

Digitized by Google

DVRATIO PRINCIPII.

DEI ÆTERNITAS, IMMVTABILITAS, INFINITAS.

LICET homo suffuratus sit à Deo titulos majestatis, celsitudinis excellentiæ, clementiæ & dominationis, vnicum saltem sibi perpetuum reseruauit, quod est æternitatis, cujus respectu homo est fungus vnius noctis, cras putridus.

Substantia mea tanquam nihilum ante te. Ps. 38: quia substantia nostra ex nihilo creata; Tu autem in æternum Domine.

Deus quia actualissimus, & immutabilissimus, stabilis manens dat cuncta moueri: quia perfectissimus & immensus, ideo est intra omnia non inclusus; extra omnia non exclusus, supra omnia non elatus; infra omnia non prostratus, summè vnus & omnimodus est, omnia in omnibus. D. Bonau. itinerarij mentis in Deum, c. 5.

Vt nihil confert ad vnum, quod sit principium numeri, cum enim non esset principium numeri perfectum erat, & factum principium numeri non auctum est; sic & Deus ante creationem erat perfectus, & post creationem non est auctus, sed tantum multiplex est eius ad creaturas relatio, si Deus non faciendo plures mundos non est diminutus, nec vno faciendo auctus est. Iust. Mart. q. 113 ad Orthodoxos.

Solus Deus habet immortalitatem, quoniam ex propria natura, non ex alterius consilio, hæc insunt ei. Id. q. ad Græcos.

Deus est virtus inexplicabilis, pietas incomprehensibilis, sapientia ineffabilis, est principium & finis In mundo sicut author & rector: in Angelis sicut sapor & decor: in Ecclesia sicut paterfamilias in domo: in anima sicut sponsus in thalamo: in justis sicut adjutor & protector; in reprobis sicut pauor & horror. Laurent. Iustinian. lib. de fide, c. 6.

Deus est infinitus, immensus, æternus. Vide quæ scripsi, Teolog. natural. tom. 3. parte 1. capite 10, 11 12. & libr. de amore Dei fruitiuo capite 11. 12. 13.

Vna est Dei & sola natura quæ verè est. Id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est. Cætera quæ creata sunt, etiam si videntur esse, non sunt, quia aliquando non fuerunt, & possunt rursum non esse, quæ non fuerunt. Deus solus qui æternus est, hoc est qui exordium non habet, essentiæ nomen verè tenet; idcirco ad Moysen de rubo loquitur. Ego sum qui sum, & rursum qui est, me misit. D. Hier. Damaso.

Dei verbum omnia complens, dum incarnatur, cælesti adoratione non caret, vt enim verbum chartæ inscriptum in charta totum inest, & totum in mente generante, & totum in legentibus; sic Deus verbum, totus in Deo, totus in proprio corpore; implens cælum, terram ambiens & creata contrectans omnia. S. Basil. seleuciæ, orat. 39.

DEI PROVIDENTIA ET concursus.

LIcet virtutes quædam sint in organis, & partibus animatorum fixæ, non separabiles ab ipsis quandiu sustinet animal, sicut visus in oculo tamen illæ virtutes sunt ligatæ & immobiles, quando continuè non influitur virtus alia, perficiens eas, à principio & fonte vitæ, quod est ipsa anima secundum substantiam suam; & ideo spiritus est necessarius, qui aduehat hanc virtutem. Alb. Mag. tr. de spiritu & respirat. c. 8.

Vita desinit, non defectu animæ, sed defectu corporis, *vide finis durat.*

Vide æqualitas voluntatis, Deus vult omnes saluos fieri.

Vide supra, bonitas principij, Dei bonitas.

Causa prima, plus influit quam causa secunda, *vide maioritas princ.* vnum ex principijs plus conferens.

D. Dio c. 2. de cælesti Hierarchia, dicit, quod interdum Theologi Deum laudant, vt lumen incircuuolutè resplendens, id est non motu circulari vt Sol, itavt fiat aliquando dies, aliquando nox, sed immobiliter cuncta suo lumine replet. *V. dur. bonit.* continuatio beneficentiæ.

Ibidem dicit Deum aliquando dici, aquam vitalis plenitudinis datricem, in ventrem subeuntem, fluminaque redundantem immensurabiliter refluentia, dicitur immensurabiliter, quia ex se non cessat.

Theodoret orat. 1. de prouidentia absurdissimum dicit, si Deus qui mundum velut nauem instructissimam condidit, illam exponat ventis & fluctibus sine rectore, & orat. 2. tam accuratam esse dicit rerum omnium gubernationem vt antiquitas finxerit, illi plures Deos singulis partibus intentos.

Homerus inducit solum Iouem ex Dijs semper vigilem, & nunquam somno indulgentem.

De conseruatione rerum D. Th. q. 5. de potentia Dei. Quomodo Deus inest rebus. Albert. tomo 17. tr. 18.

De Prouidentia Dei. Bernardin quadr. 2. sermon 8

Vidit Deus res singulas priusquam fierent, quidni videat eas postquam factæ sunt.

Causa prima plus influit in effectum, quam causa

causa secunda, quia est causa, cur causa secunda agat. Vnde dicitur quod est causa causæ, est causa causati, & plus res quælibet singularis pendet à Deo, quam radius à Sole suo, sine quo ne ad momentum quidem subsistit;ideo dicitur Deus, *qui est* exo. 3.

Vnitas est rerum omnium principium, omnemque continet numerum à nullo genita, à nullo comprehensa.

Nihil sine prouidentia Dei geritur, neque in cælo, neque in terris, licet multa fiant sine eius voluntate. Prouidentia namque est qua procurat & dispensat & prouidet quæ geruntur, voluntas vero est qua vult aliquid aut non vult. Origen. hom. 3. in Gen.

Veritas tua vsq; ad nubes, Ps. 53. quæ videntur fortuita prouidentiæ sunt effectus, vnde dicitur Isa. 5. B mandabo nubibus meis desuper, ne pluant super eam.

De Dei prædestinatione ex præuisis meritis. *Vide potestas voluntatis*, libertas, & liberum arbitrium.

Dicitur Isay 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine, sicut enim ars præsupponit naturam, ita natura præsupponit Deum, sed in operatione artis operatur natura, vt igne emollitur ferrum; ergo, &c. Nullum esset ens, ita non ageret, nisi conseruaretur à Deo; sed in nihilum recideret. Deus igitur est causa actionis cujuslibet in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conseruat eam, & in quantum applicat actioni, & in C quantum eius virtute omnis alia virtus agit, est enim intra rem quamlibet, non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sic operatur non exclusa operatione voluntatis & naturæ, D. Thom. in quæstion. disputat. quæstione 3. a. 7. Ipsa naturæ operatio est etiam operatio virtutis diuinæ, sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis; nec impeditur quin natura & Deus ad idem operentur propter ordinem qui est inter Deum & naturam. Agit Deus vt causa prima, natura vt causa secunda, & quod posset Deus per se facere, facit mediante natura, vt seruetur ordo in rebus. Ibidem.

Vide concordantia principij, concursus causarum.

D Portans omnia verbo virtutis suæ, Hebr. 1. vbi dicit glossa, sicut ab eo creata sunt, ita per eum immutabilia conseruantur, cum sint ex nihilo redigerentur in nihilum, si Deus non conseruaret, non quod nihilum aliquid ageret ad corruptionem, sed non ageret ad conseruationem; effectum enim à sua causa dependere oportet quod in causis formalibus & materialibus apparet: effectus autem non dependet ab efficiente proximo cum eundem gradum in natura obtinet, vt ignis ab igne generante, qui cum à se non moueatur, à superiori principio moueri necesse est, hæc fusè D. Tho. Ib. q. 5. a. 1. & Deus non potest alicui creaturæ concedere quod conseruetur sine ipso. *Vide voluntas minorit.* mala.

E Sicut accidentia se habent ad substantias, ita res omnes ad Deum quo ad conseruari, Tost. in exo. p. 191. col. 2. c.

Qui videt Solis radios ex tanta altitudine ad nos peruenire, vt Sol fruentibus seipsum impertiens, totus vnicuique & indiuisus adsit; congruum indicet prouidentiam ab altitudine Deitatis ad vnumquemque nostrum descendere; luminis fabricatorem esse omnia in omnibus, vt ait A Apostolus, vnicuique adesse, vt tantum sese exhibeat, quantum subjectum capit, Sanctus Gregorius Nyssenus, lib. de ijs qui præmaturè abripiuntur.

Vt nihil est homini gratius quam fidi sibi, ita nec Deo, nec quisquam benè de illo cogitat, qui timidè seipsum illi credit.

Oportuit diuinam prouidentiam adesse rebus omnibus etiam minimis, vide quæ scripsi, Theol. nat to. 3. p. 2 c. 1. ad 7

Dicitur Genes. 1. Requieuit Deus die septimo ab omnibus operibus suis, & in Euangelio dicitur, Pater meus vsque modo operatur, hæc non pugnant; requieuit enim nouarum conditione & creatione creaturarum, non à conditarum gubernatione. Creator per sex dies, gubernator per omne tempus, Alcuin. in Gen. interrog. 1.

Corpus etiam post 70. annos ætatis semper indiget animæ præsentia vt viuat, aër præsentia solis vt luceat, &c.

Deus concurrit ad omnes actus liberi arbitrij *V. principium virt.* gratiæ diuinæ necessitas, *& potestas volunt.* liberum arbitrium.

CAVSA QVÆ PRODVXIT, conseruat.

OMne quod nutritur, ex ijsdem nutritur, ex quibus constat. Cum causa sit, quam de necessitate sequitur aliud, vt dicit Boëtius, non habet perfectam rationem causæ, quod aliquando causat, aliquando non, sicut cælum & elementum: cælum quia per aliud, & per accidens materiæ conjungitur, non de necessitate efficit, quod potentia est in ipso. Elementum propter inæqualitatem materiæ non necessitate suscipit, id ad quod mouetur motu cæli, sed prima causa & intelligentia, & anima nobilis, nulli ex parte sui, subjacent varietati, & ideo formas suas vno ordine influunt sibi subjectis mobilibus. Albertus Magnus, lib. de processu vnius, c. 4.

Vide *duratio bonitatis*, continuatio beneficij.

Deus mundum quem produxit, conseruat, anima primo corpus informat, deinde regit, & mouet. Nonnulli ciuitates instituerunt in quibus regnarent, vt Ninus Niniuem; Romulus Romam. D. Th. de regimine principum, l. 1. c. 13.

Calore, volucris ouum animatur, & pullum producit. Ita spiritus Domini ferebatur super aquas.

Ars imitatur naturam, ita tamen, vt semper agat per naturam applicando actiua passiuis.

Idem agens quod disponit materiam, introducit etiam formam, & id verum est in formis naturalibus, non vero in supernaturalibus.

Petrus Dam. l. 4. ep. 12. arguit quendam Episcopum bona Ecclesiæ dissipantem, & sibi dicit esse jus redarguendi eum, quem suo fauore ad talem dignitatem euexerat.

Vnumquodque ex eodem natum est augeri, ex quo causatur.

Impressio agentis non remanet in effectu, cessante actione agentis, nisi vertatur in naturam effectus. Formæ enim generatorum, & proprietates ipsorum, remanent in eis post generationem, quia efficiuntur eis naturales, & similiter habitus sunt diffi-

Digitized by Google

cile mobiles, quia vertuntur in naturam; dispositiones autem & passiones siue corporales, siue animales, manent aliquantulum post actionem agentis, sed non semper, quia insunt vt in via ad naturam. A

Primum in constitutione, est vltimum in resolutione.

Semper primum saluatur in secundo, vt genus in specie, & natura in beatitudine; quia beatitudo naturæ additur.

Arborum nullæ semine nudo, sed aut carne obducto, aut cute, aut crusta, ceu glans; aut ligno seu amygdala & nux. Theoph.

Plantæ suis seminibus, quo conseruetur alimentum prouident. *Vide princ. medij.* B

Amor sui nimius impedit fœcunditatem, & nepotum curam, *vide voluntas bonitatis*, amor sui malus.

Thales Milesius, dixit aquam esse omnium principium, quia vidit ex eius vapore aërem, ex illius subtilitate ignem, ex aquæ grossitie terram fieri, cunctaque viuentia ex ipsa nutriri, ideo & fieri, ex ijs enim ex quibus sunt viuentia, ex illis nutriuntur. Card. Cusa. l. de venat sapien.

Ius patronatus est quod quis Clericus, siue Laïcus habet in Ecclesia quam ædificauit, vel dotauit, vel fundauit, cap. nobis sunt 25. de iure patronat. patronus habet jus præsentandi instituendũ ad beneficium vacãs, ca. piæ mentis 16. q. 7. Laïcus intra quatuor menses, Ecclesiasticus intra sex. cap. vn. §. verum, de iure patron. in 6. Potest & debet sollicitudinem Ecclesiæ gerere, & si rector aliquid ex Ecclesiæ collatis defraudet eum honesta conuentione compescere, aut Episcopo vel iudici competenti denuntiare, can. filijs 31. & seqq. 16. q. 7. C

Est silex qui soli expositus ad spatium trium, vel quatuor paularum, & postea in obscurum locum delatus retinet lucem, sed ad breue tempus, nisi iterum soli exponatur. Van helm. in tractat. magnum oportet.

Principia sunt immutabilia. *Vide duratio potestatis.*

Superiora semper adsunt inferioribus, vide quæ scripsi, de iure natur. l. 1 lege 8 §. 6. D

Parentes infirmos suos fœtus, amant, fouent, educant. Ib lege 17.

In l. si vnquam. Cod. de reuoc. donation. proponitur, patronum orbum liberto donasse omnia bona sua vel partem, & susceptis postea liberis, totam donationem reuocare posse, quasi tacitè donationi hæc inesset conditio, si liberos non habuerit, & consequenter natis liberis quasi conditione defecta, patri competere condictionem ob causam. Cujac. obs. l. 20. c. 5.

Spurij succedunt matri ab intestato, etiam auiæ maternæ, l. 8. ff. vnde cog.

Mundus est artefactum, ideo naturam ars seruat, perficit, superat.

Motus innititur immobili, lex actionum directiua non facilè mutatur. *V. durat. verit.* Nautas non dirigunt stellæ mobiles sed fixæ. Deus immotus dat cuncta moueri, etiam causæ mutabiles habent aliquid immobile, vt parentes per benedictiones, bona hæreditaria. E

Legitima debetur Iudæis ad fidem conuersis ab eorum patribus, Paul. 5. const. 32. p. 548. t. 1.

BENEDICTIO PARENTVM.

De benedictione & maledictione parentum. Vide supra *principium contrariet.* variæ causæ malorum.

Dicitur Genes. 1. compleuit Deus die septimo, benedixit, & sanctificauit illum, etiam dum quiescit ab opere dicitur complesse, opus enim est benedictio & sanctificatio, sicut Salomon aliquid operis fecit cum templum dedicauit, Magister sent. l. 2. d. 15.

Sanctorum Patrum consuetudo fuit benedicere filios suos, & admonere cum essent morte propinqui, vt patet de Iacob. Gen. 49. de Isaac, Gen. 27. de Moyse Deut. 31. de Samuele, 1. Reg. 12. vide Tostat. Gen 410.

Filius est aliquid patris, 5. Ethic. Vnde patris benedictiones, aut maledictiones solent effectum habere, juxta illud Eccl. 3. benedictio patris firmat domos filiorum, & maledictio matris eradicat fundamenta, Tost. jud. f. 50.

Olaus Magnus rerum Septentr. l. 16. c. 3. Refert hunc esse morem apud Septentrionales populos, vt puellæ puerique lectum petituri, post recitatam orationem Dominicam, genibus flexis paternam benedictionem accipiant; & propter vitium aliquod ab ea benedictione exclusis, dicit infœliciter omnia successisse.

MATRES NVTRICES filiorum.

NVtritio, parit amorem & delectationem, in exodo, filia Pharaonis Moysem nutriri fecit, & postea eum adoptauit in filium. Ita Dominus dicit Osee 11. ego quasi nutritius Ephraim, insinuans suum affectum ad populum.

In insula Maldiues, omnes matres nutriunt liberos suos, proprijs vberibus, nec committunt alijs alendos, Dauity, sic olim in Scotia probrosum erat matri non lactare natos, & in illis defectus lactis erat argumentum incontinentiæ. Id.

Vulpem marinam dissecuisse se Rondeletius refert in cujus ventriculo catuli viui inuenti sunt, quos illa præ metu deuorauerat, Card. l. de rer. var. c. 37.

Qui à capra lactantur stulti ac salaces euadunt, talis enim est hircus, Ib. c. 40. *V. potest. medij.* alimenti.

Prodigium fuit, quod mulier quædam in Vormatia, Vangionum vrbe fuit virilibus mammis, quæ tamen adeo prolifica erat, vt etiam quandoque vno partu geminos ederet, Ib. c. 43.

In Mexico infantes ad annum vsque quartum exactum lactantur interimque mulier non commiscetur, Ib c. 94.

Materno sanguine nutrimur dũ sumus in vtero; ex sanguine concinnatur lac modicam in vberibus mutationem adeptum, quo argumento matris lac alimoniæ in primis censetur accommodum, quia consuetum, & proprium, similibus enim seruatur vnumquodque, contrarijs vero ad intemperaturam recidit, Rodig. l. 9. c. 12.

Thomas Morus in sua Vtopia Republica l. 2. Mater, inquit, suæ quæque soboli nutrix est, nisi aut mors, aut morbus impediat.

Matres nutrices filiorum, vide quæ scripsi, de iur natur. l. 1 lege 17 § 3. & potest medij, vis alimenti.

CAVSÆ VNIVERSALES
supplent defectum singularium.

PLantis terra est pro ventre & stomacho, non enim habent organa digestionis, sed per poros in eis fit digestio iuuante solis calore. *Vide differ. minoritatis.* expellere nociua.

Post diluuium, deletas animalium species, stellæ reparant. *Vide finis minoritatis.*

In terra immobili nullum est animal, quod non moueatur localiter vt quærat alimentum. At in mari multa sunt rupibus adhærentia quæ localiter non mouentur, quia motus aquæ offert eis nutrimentum. Albertus Magnus, libro primo, de animalibus.

Minister habens intentionem conficiendi Sacramentum, secundum quod intendit sancta mater Ecclesia, si omittat verbum quod credit esse de essentia, validum est Sacramentum, quia priuatus error corrigitur per intentionem faciendi quod Ecclesia intendit, Bonacina de sacram. disp. 1. quæst. 1. punct. 1. Eadem ratione validè conficit Sacramentum, & si non habeat fidem, sed tantum intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Ibidem §. 2. quando infantes ratione carentes baptizantur Christus & Ecclesia supplet intentionem, & dispositionem. Idem de subjecto baptismi, & D. Thom. 3. quæst. 68. a. 12.

Generaliter promissio, vt sit valida, debet acceptari, si tamen facta sit ei qui non potest acceptare, vt infanti, jus positiuum supplet defectum acceptationis, l. jubemus, C. de emancip. liberor.

Christus iterum apparet discipulis, ad conuincendam incredulitatem Thomæ, Mat. 26.

Oportet vniuersaliores effectus, in vniuersaliores & priores causas reducere.

Lex tanta æquitate & humanitate referta est, vt calamitosis vtilior sit, quam cognati, & affectis injuria robustior proprijs ipsorum viribus, patribus beneuolentior quam filij, &c. multi enim à propinquis & amicis læsi ad eam confugiunt. Suidas in voce ...

Proselytus infans baptizatur ex intentione consistorij, id enim illi ad iustificationem imputatur. Rabi Moyses de prohibito congressu, c. 13.

Si capitulum vel priuatus cui competit collatio præbendæ intra sex menses non conferat, confertur ab Episcopo, & si is negligens fuerit à Metropolitano, cap. ex parte de collation. vel legatus à latere conferet, cap. dilectus de off. legat.

Pluribus patronis dissidentibus, Episcopus, pro suo arbitrio aliquem potest ordinare cap. quoniam, de jure patronat.

Deficientibus modis naturalibus, Deus succurrit per supernaturalia, *vide maioritas potest. miracula:* adest in extrema necessitate, *vide finis minorit.* sub finem ex Iustino Martyr.

Causa particulari deficiente, succurrit vniuersalis. Vide quæ scripsi, de iure naturali, libro 1. lege 13. § 1.

Vera liberatio & restitutio procedit à causa vniuersali. Ib. l. 2. lege 20 §. 4.

Defunctorum fidelium cõmemorationem instituit Ecclesia, vt quibus ista per parẽtes & amicos desunt, eis exhibeantur ab vna matre communi, Alcui. de diu. offic. c. 50. sic de solemnitate omnium Sanctorum, *vide gloria virt.* cultus Sanctorum.

Seruus qui credebatur liber, præturam obtinuit & diu gessit, postea apparuit seruus; ita verus non erat prætor, quæ tamen egit in prætura legitima habentur, quia quod eius iudicio deest, suppletur authoritate publica quæ ipsum ad præturam euexit, & propter vtilitatem eorum qui apud eum egerunt. Non valent autem ea quæ seruus pro libero se gerens authoritate propria fecit, vt si manumisit, si testamentum obsignauit, si litigauit, lib. 3. ff. de off. prætor. & Cujac. obs. l. 18. c. 33.

Mare supplet defectum motus in suis animalibus. *V. minoritas differ.* ex Alb. Mag.

Furta si committantur in confinibus aliquarum ciuitatum, damnum passi, contra communitates & dominos agere possunt, Leo X. const. 28. p. 440. to. 1. Pius 4. const. 27. p. 29. to. 2.

POTESTAS PRINCIPII.

DEI OMNIPOTENTIA.

DEvs mundum creando, non euacuauit suam potentiam, sed infinita illi superest ad infinitos alios creandos, vt figulo postquam formauit vas, ars illi & potentia superest, ad alia fabricanda. D. Basil. in hexamer. hom. prima.

De omnipotentia Dei, Ruper. tom. 2.

Plus potest Deus facere, quam intellectus noster cogitare; quia apud ipsum, non est impossibile omne verbum.

Dei omnipotentia in eo quod agat seipso sine medijs, *vide minoritas medij.*

Deus sibi sufficiens, ante rerum creationem erat in seipso, *vide potestas virtutis,* sapiens sibi sufficit.

Virtus vnitatis in numeris non euacuatur, potest enim multiplicatum per vnitatis additionem iterum augeri, ita diuina virtus non terminatur in creaturis.

Deo nihil impossibile, nam vbi opus molitur, impossibile demolitur. Sanctus Basilius, seleuc. orat. 39.

Omne agens agit secundum id quod est in actu, sed quod est secundum aliquid sui in actu, & secundum aliquid in potentia, efficit rem secundum

aliquid sui, scilicet inducendo formam in materiam, ergo cum primum ens scilicet Deus, sit actus sine permistione potentiæ, videtur quod totam rem efficere possit secundum totam substantiam eius, scilicet creare, sicut dicitur Gen.1. In principio creauit Deus cælum & terram, D.Th.in magist. sent.l.1. d.1.

Potentia dicitur propriè actus primus qui est forma; Deo autem conuenit esse actum purum & primum, vnde ipsi maximè conuenit agere, & suam similitudinem in alia diffundere, & ideo ei maximè conuenit potentia actiua, est autem semper in eo, licet effectus sequantur secundum ordinem suæ voluntatis & sapientiæ, vnde non oportet quod creaturæ sint ab æterno. Idem in quæst. disput. q.1. a.1.

Sapientes mundi propter hoc stulti vocantur, quia quæ secundum causas inferiores, sunt impossibilia, simpliciter & absolute, impossibilia iudicant, etiam Deo, Ib.a.4. ad 1.

Deus est omnipotens quia potest omnia quæ sunt possibilia secundum se, quæ scilicet non implicant contradictionem, Ib.a.7.

Aristoteles 8.physic. agnoscit æternitatem primi motoris, sed non omnipotentiam, ne si tollatur necessitas in natura, vt in motu cæli & actionibus formalibus inferiorum, tollatur scientia quæ est tantum de rebus necessarijs. At Christiani dicunt dari necessitatem in rebus posita scilicet generali lege naturæ, licet illi derogare possit omnipotentia Dei, miraculis velut priuilegio singulari & raro, Tostat. Iosue, to.1 f.48.

Vide maioritas potestatis, miracula.

De omnipotentia Dei, vide quæ scripsi. Theol. nat. tom.3. parte 1. c.19. & libello de amore Dei fruente, c.14.

Sapientia dominatur, *vide potestas cognit.* hinc Deus cum sapientiam habeat absolutam & infinitam, mundi regnum obtinet, nam ei à bonis defertur, quia est optimus; à malis vero quia est potentissimus, ita omnia regnum illius in se experiuntur, quæ volentia libentiaque, mite & mansuetum, nempe probissimi: quæ irata & repugnantia, graue & durum, nempe potentissimi atque æquissimi, potentiæ tamen semper admixta bonitas, Lud. Viues, de passione Christi.

PATRIA POTESTAS

Summa.

SOl qui est spiritus cæli magnus quo omnia viuificantur, est significator Patrum, Haly.1. parte c.4. de sole.

Posterius abstrahi non potest à suo priori, vt species à genere, homo ab animali; nam posteriora non possunt esse sine prioribus, Arist. 5. metaph. cap. de priori.

Apud Sinenses, parentes ad pauperiem redacti, filios Eunuchos efficiunt, & vendunt Regi qui in ministerio habet plus 16. millia Eunuchorum, Danity.

Iaponenses in magna vrbe Sacay, liberi viuunt, & quisque in domo sua dicitur Rex; liberi, principes nuncupantur, Id.

In Conc. Toletano sic habetur. Monachum, paterna deuotio, aut propria professio faciat, itaque si liberi vtriusque sexus in minori ætate, seu nolentes, seu nescientes ex voto parentum Religionis habi-

A tum susceperint, non liceat ad sæcularem vitam reuerti, citat Petrus Dam. opusc 16. cap.5. hoc intelligendum de reuerentia, nam cum filij ad annos discretionis peruenerint, possunt redire ad sæculum, 10.q 1. can cap. finius, de regular. D. Thom. quodlib. 3.q.5. & 22.quæst.189. Conc. Trident. sess. 25. capite 15. Vide D. Bernard. ep. 1. ad Robertum nepotem.

Reges dicti sunt patres & Domini, quia primus apud homines fuit status œconomicus & paterna authoritas, Geneb.a.m.1709.

Iepthe ex voto filiam non mactauit, vt dicunt quidam Rabini, sed perpetuæ duntaxat virginitati consecrauit, Id a.m.2981.

B Gregorius II. Papa scribit ad Bonifacium Episcopum, infantes à parentibus traditos sub regulari disciplina, cum peruenerint ad annos pubertatis libertati suæ non relinquendos, vt matrimonio copulentur, quia nefas est vt oblatis à parentibus Deo filijs, voluptatis fræna laxentur, Conc. Galliæ, to.1. an.738.

Metus in filio non censetur, si sit reuerentialis dd in c.1. de desponsat. impuber.

Filij Iudæorum non sunt inuitis parentibus baptizandi, quia sunt in dominio parentum, *vide virtus medij*, iustum medium.

Apud Persas principatus patris ad filium, est sicut principatus Domini ad seruum, Tost. Math. tom.2. f.79.

C *De patria potestate, vide quæ scripsi, mor. Christ t.3. p.2. c.6.*

LIMITATA PATRIA potestas.

MVcius quidam post diuturnæ patientiæ testimonia, exceptus fuit in Monasterio cum filio 8. circiter annorum, hunc paruulum ex industria Monachi durissimè habuerunt, vt patris in puero patientiam probarent, tandem iussit Abbas patrem, proteruum hunc filium in flumen proijcere, quod pater statim implere paratus fuit vlnis suis ferens filium, cui ne noceret missi fratres impedierunt

D Cassian. l. 4. cap 27. Ita parentes non debent filios à Religiosa professione diuertere, imo Deo petenti concedere.

Psal. 81. dicitur: Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum. Abraham erat aries maturus ad innocentiam, grandæuus ad fidem, perfectus ad hostiam, paratus ad holocaustum; afferebat filium suum, filium arietis, imo se immolabat in filio: sanctificabat mentem suam, lætificabat fidem suam, vt esset idem victima & Pontifex, Sacerdos & sacrificium, patris erat passio ibi tota, vbi filius immolabatur; nescius filius aptabatur vinctus vt tolleret de passione martyrium; præmium de pœna patris & coronam. Denique patris suspensa est dextera & gladius remotus, quia non quærebatur mors filij,

E sed patris charitas probabatur. Totaque victima in patris dilectione constabat, dicente scriptura, quia non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, Gen. 22. D. Chrysol. ser.10.

A Religionis ingressu retrahentes, D. Thom. opusc 17.

Pater filium contumacem, non ipse iudicat, sed ducit ad seniores ciuitatis iudicandum, Deuteron.21.

Filius non tenetur obedire parentibus quantum ad omnia, sed in his quæ pertinent ad domesticam

conuersationem,& ad morum disciplinam; sic spiritualibus parentibus Religiosi obediunt tantum secundum regulam; populi suis regibus secundum leges. D. Th. quodl. 2. a 9.

Filias exonerandæ familiæ causa parentes cogunt religionem profiteri; nulla putant esse vota sua coacta, lugent se natas ad captiuitatem, & negatæ sibi voluptatis & libertatis saltem desideria concipiunt, cæteris infœliciores peccantibus, quæ via saltem libera sibique grata, ad suam properant damnationem; victimarum effundebatur olim sanguis in quo putantur consistere passiones, vt purius esset sacrificium: at virgines cum integris suis passionibus immolantur, iteratur Herodis crudelitas in innocentium occisione; hi post mortem in sepulchris quiescebant, virgines viuę nec vnquam quiescentes claustro velut sepulchro includuntur, cum ob castitatem seruandam potissimum recludantur, de illa velut de hoste suo præcipuo, se vindicant modis omnibus licet illicitis.

Inuito patre, potest filius adolescens baptisari, si id velit, Tost. 1 Reg. to. 1. f. 102 c.

Non est dubitandum quod vsque ad adultam ætatem sufficit consensus geniturarum filiorum ad eorum ingentia significata per genituras parentum, Card. aph. sect. 6. aph. 108.

Parentes non debent filios à professione religiosa diuertere, vide quæ scripsi, lib. de agente Dei in humanis, parte 3. capite 7. filii possunt ingredi religionem inuitis parentibus, vide contrarietas principij, nec possunt à parentibus inuiti claustris addici. Vide ibidem.

Vide contrarietas principij, actio licita in parentes.

De filio qui se pro patre captiuum substituit, dicit Quint. decl. 6. fas est mihi etiam inuitis parentib. piè facere.

Leo & Majorianus constituunt Nouella de sanctimonial. & viduis de ea quæ inuita à parentibus in Monasterium perducta est, vt mortuo patre, si necdum peruenit ad annum 40. in qua ętate secundum imperatores, debet velari, possit jungi matrimonio, hæreditatem vt præterita petere; Cujac. obs. l. 8. c 18.

Honora patrem tuum, sed si te à vero patre non separat; tandiu scito sanguinis copulam, quandiu ille suum nouerit creatorem, alioqui Dauid protinus tibi canit, audi filia & vide, obliuiscere domum patris tui, grande præmium parentis obliti, concupiscet Rex decorem tuum, & dicet tibi tota pulchra es, D. Hieronym. ad Furiam de viduitate seruanda.

INITIVM MVLTVM POTEST in subsequentia.

ROma quæ fraterna discordia initiata est, insitum dissentionis venenum, huc vsque tenere non cessat. Alcuin. epistol. 13. ad Carol. Magnum.

Editi partu Cæsareo, id est cæso matris vtero sæpè pereunt morte violenta.

D. Hieron. ad Lætam de institutione filiæ. Magister, inquit, probæ vitæ & eruditionis est eligendus, nec erubescet vir doctus id facere, in propinqua & nobili virgine, quod Aristoteles fecit in Philippi filio. Non sunt contemnenda quasi parua, sine quibus magna constare non possunt. Ipse elementorū sonus, & prima institutio præceptorum, aliter de erudito, aliter de rustico ore profertur. Gracchorū eloquentiæ multum ab infantia sermo matris contulisse scribitur, Hortensij oratio inter paternos sinus coaluit, difficulter eraditur quod rudes animi perbiberunt, &c.

Plutarch. lib. de fortuna Romanorum, dicit ad id imperium plus contulisse fortunam quam virtutem, quia fortuna dedit initium tantæ fœlicitati, seruando expositum Romulum. Virtus, inquit, Romulum magnum fecit, at fortuna, quo ad fieret, seruauit.

Si Astrologus interrogetur de ægro, nullum alium locum quam ascendens aspiciat, Hermes in centil. n. 17.

Sol oriens maximè viuificat, vnde ad ipsum omnia conuertuntur; Omnis rebellis incipiens rebellare in principio anni, obtinebit sine difficultate dominium, Hermes centiloq. n. 73.

Duodecim signa ab ascendente dependent, & ascendens quidem significat esse corporis, Dominus vero esse eius animæ. Studeas igitur omni modo, vt non sint ascendens & eius Dominus impediti, ib. n. 79.

Luna mane impedita facit diem infœlicem in omnibus Bethen cent. 41.

Quintil. libro 1. Inst. orator. c. 1. Infanti ad eloquentiam formando, dandam dicit nutricem quæ benè viuat, & benè loquatur, eius enim verba effingere imitando conabitur; natura tenacissimi sumus, eorum quæ rudibus annis percipimus; vt sapor, quo noua imbuas, durat, puer igitur non assuescat sermoni qui dediscendus sit. Minora etiam minores facilius percipiunt, & vt corpora ad quoddam membrorum flexus, formari nisi tenera non possunt, sic animos quoque ad pleraque duriores robur ipsum facit. Philippus voluit Alexandrum filium à doctissimo omnium Aristotele in primis doctrinæ elementis instrui quia ad rei summam pertinet, initia à peritissimo tractari, Ibidem capite secundo.

Vide magnit. princip Initia à magnis.

Quidquid circa tenerum fœtum acciderit, semper durat.

Doctor primo licentiatus præfertur ei qui postremo licentiatus, prior tamen doctoratum obtinuit, habetur enim ratio licentiæ ad doctoratum primo concessæ Vide Chassan in catal. glor. mundi. parte 10. consid. 34.

Qui recipiendo Sacramentum, non habet debitam intentionem, postea si intentionem habet, non valet Sacramentum, absente scilicet tunc materia & forma, quod autem ab initio non valet, ex post facto non potest conualescere, Bonac. de sacram. disp. 1. q 6. p. 2.

Similiter qui sumendo primam partem hostiæ, est in peccato mortali, si eliciat actum contritionis sumendo cæteras non suscipit dignè. Id. de Euchar. q 4 in fine.

Magnes vergit ad polum terræ, prout fuit in minera, cadauer natat vultu ad cælum verso, sicut in matrice dispositum fuit, Campanella in præfatione Astrologiæ.

Primus Psalmus Dauid est Psalmorum præfatio, imo est Psalmorum Psalmus, titulorum titulus, argumentum generans argumenta, est tota causa sequentium Canticorum, sicut clauis aulæ regalis, patefacit intimas multiplices mansiones, Chrysolog. serm. 44.

Digitized by Google

Quando stellæ rem aliquam in capite anni ligant, remanebit illud ligamentum firmum, per totum illum annum, nisi acciderit eclypsis, vel magna conjunctio quæ soluat illud ligamentum, Haly.

Vide infra, *virtus principij*, bona liberorum educatio.

De peccato originali. *Vide duratio contrarietatis.*

Error admissus in principio litis, vt si alia actione, quam oporteat, actum sit, totam actionem vitiat. Principijs obsta, &c.

Monet Liuius ne primam belli fortunam aduersam experiamur, nam ex initio fit præsagium finis.

Vide potestas minoris minima in bonum, vel in malum valida.

Rabini Hebræorum docent, quæ facta sunt in 6. diebus à Deo, signa esse euentuum sex mille annorum, quibus est mundus duraturus; nam mille anni, teste Dauide & Petro Apostolo, sunt sicut vnus dies ante Deum. Ita currente quarto millenario natus Christus, vt quarta die creatus Sol, sic singulis millenarijs applicanda sunt, quæ singulis illis primis diebus facta sunt.

Mos fuit antiquis jurandi super capita ferarum aut pecudum, colere capita fontium, *V. magnit. virt. integra virtus.*

Multa significantur per capitales litteras, vt C. centum, Arcades pro insigni in vexillis habebant A. Messenij. M.

θ Apud Græcos erat signum mortis. Dicitur enim ἀπὸ τοῦ θανάτου, id est à morte. Isido. orig. libro 1. capite 3.

Domus primo jacitur fundamentum, & sine eo non stant parietes, sine gradu sensibili non est rationalis, sine vegetatiuo sensibilis; tactus primus est sensuum, & organa aliorum omniū sensuum, etiam retinent sensum tactus, vt visus sentit calidum & frigidum, & ab eorum excessu læditur.

Primum in quolibet genere, est mensura & ratio eorum quæ consequuntur, seu omnium quæ sunt illius generis *Vide concordantia potest.* populus principem imitatur.

Principium est virtute totum. Substantia solet dici prima inchoatio cujusque rei, & maximè quando tota res sequens continetur virtute in primo principio. A conceptione fœtus æstimatur, *vide veritas principij.*

Repugnantiam, *vide minoritas finis*, defectus in fine.

Quia principium & initium multum potest in sequentia, ideo indulgendum debilibus rerum initijs, *vide gloria princ. initij.*

Quidquid primum in egressu ædium antiquis occurrisset, id omen atque augurium putabant, Suidas in voce ξύμβολον.

Quæritur an ex consuetudine possit introduci, vt exigatur aliquid pro spirituali sine Simonia. Respondet Panormitanus, quod sic, quando non præcessit exactio, sed ex mera liberalitate & deuotione populi à decem annis talis consuetudo est introducta. Dicitur enim cap. ad Apostolicam, de Simonia, compellendos populos ad laudabilem consuetudinem seruandam. Si verò exactio præcedens dedit locum consuetudini, tunc non valet, cum habeat initium vitiosum. Perbaltus in rosario Theologico, voce, bonitas 3.

Nascentes in terræ motus momento semper pauent, alij in tonitru pauidi & languidi, Cardan.

A lib. de rerum varietate, capite 40.

Ab hora reuolutionis numera 52. horas, quidquid in singulis euenerit, simile quid & maius continget in 52. anni hebdomadibus.

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
Longaque per certos signantur tempora cursus:
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.
Manlius 4. Astrolog.

Indi Lunæ cursu omnia metiuntur, incipiuntque ea crescente. Rodig. l. 18. c. 31.

In Philagro Sophista periti reprehendebant, quod Prœmio malè vteretur, nesciebat enim auditorem conciliare cum tamen inde pendeat vis orationis. Id. l. 21. c. 7.

B Iob aduersis oppressus maledicit diei suæ, Iob. 3. vt dies suæ natiuitatis in posterum non celebretur vt solebat fieri, quasi mala hæc futura portendisset. Est enim omnium miseriarum introitus, atque peccatorum initium, juuenis celebrauerat diem natiuitatis suæ, nunc autem negat celebrandum, dies mortis potius celebrandus, qui nos transfert ad vitam meliorem, &c. Origen. libro 3. in fine in Iob.

A meridie incipientes pluuiæ grauiores sunt, quia tempus hoc est initium diei Astrologici.

D. Chrysost hom. 12. in 1. ad Cor. arguit magna seueritate, petulantias & inuerecundas lasciuias, quæ fieri solebant prima die nuptiarum, ritu Paganorum, hinc enim mulieres volent omnes dies ha-
C bere his similes, hinc sunt in posterum profusæ & sumptuosæ, & impudentes, hincque mala innumerabilia. Certamen tunc est in probrosa verborum prolatione.

In Epistolis & vbique vbi præpositum fuerit nomen Domini, omnia sunt fausta & felicia. Nam si Consulum nomina efficiunt, vt firmæ & validæ sint litteræ, multo magis nomen Christi. Id. ho. 9. in ep. ad Coloss.

Mandatum mandantis morte non finitur, nisi rebus integris, & si causa Domino viuente fuerit inchoata, Cujac. obseruat. libro secundo, capite 31.

Acus ex intentione dum fabricatur versa in Se-
D ptentrionem eum respicit sine magnete, *V. potestas volunt.* vis humanæ voluntatis.

Vtopienses primos cujusque mensis & anni dies sacros habent, Thomas Morus Vtopiæ Reipubl. libro 1.

Aaron qui primus fuit summus Sacerdos, in sacris litteris aliquando sumitur pro persona, & nonnunquam pro dignitate, seu ordine Pontificali. Tost in num.

Hebræi omnes libros nominant à principio, sicut nos Psalmos, nam dicitur in Psalmo, Beatus vir. Idem Genes. fol. 18. sic canones & leges citantur.

Nati in seruitute sunt pusillanimes, *vide maiori-*
E *tas principij*, *R.* effectus suis causis præstantiores, de Hebræis.

Iacob & Esau pugnantes in vtero Rebeccæ significarunt duas gentes, Ib f. 197.

Masculi nascuntur oculis pronis in terram, fœminæ contra oculis suspicientibus in altum, sic se habent in coitu. Id. exo. to. 1. f. 5.

Dicebant Iudæi quod in die festi purificationis, Deus sedebat ad iudicandum fatalia, distribuendo vnicuique homini, quod ei deberet euenire illo anno, Id. Leu fo. 151. hæc inferunt Astrologi ex figura reuolutionis.

In fauorabilibus annus inceptus habetur pro

completo. *Vide differentia magnitudinis*. Numerus, A de 10.

Aduenæ qui ex gentibus veniebant ad legem Moysi, & filij eorum nunquam dicebantur filij Israël. Tost. Math. to. 6. f. 194.

Incomposita regnandi initia, surreptionis opportunitatem promittunt.

Exorientia sydera plus mouent tempestates, inde quæ in corde cæli sunt, vltimo quæ occidunt, Card. aph. sect. 2. aph. 185.

Quibuscumque Dominus ascendentis est infortunatus cum cauda, & fuerit infortuna in angulo, violenta mors accidet, Ibidem sect. 3. aphoris. 1.

Ascendens significat corpus, & Dominus illius animum, Ib. sect. 4. aph. 112.

Quæcumque in ascendente sunt, referuntur, ad animi vires; cum Luna, ad sensus & rationem; cum Mercurio ad intellectum. Ibidem aph. 149.

Ab initiis pendent sequentia. Vide quæ scripsi de iure natur. l. 1 lege 16. §. 5. Vide magnit princ. ex initio de sequentib. indicium.

Quid elementorum doctrina humilius, hinc tamen Rhetores, hinc eloquentes, hinc Philosophi eruuntur, & qui elementa ignorant majora percipere nequeunt, D. Chrysostom. homil. 50. in Math.

Puer statim vt sublatus erat ab obstetrice, dicebatur statiuæ Deæ sacrari, quia statuebatur in terra, vt ex qua parte inclinaret, sumeretur augurium. Cujac. obs. l. 11. c. 30.

COGNITIO PRINCIPII.

SCIENTIA DEI.

DEus quomodo se cognoscat. Albert. tom. 21. & tom. 17. de scientia Dei. B

De intelligentia Dei, disputat. Ioan. Pici mirandul.

De præscientia Dei Lessius.

Multi Mathæo videbantur esse meliores, sed arcanorum scrutator jacentem in cœno margaritam nouit, omissisque alijs, admiratus hujus pulchritudinem, illum elegit, voluntatisque nobilitati suam cum adjunxisset gratiam, probatum illum esse pronuntiauit, si enim periti artifices conuenientia sibi eligunt, ignoto cæteris calculo, & probant quod alij improbant; multo magis æterna sapientia, exacta atque incorrupta, præter hominum opinionem de omnibus iudicium feret; publicanum, latronem, meretricem elegit. Iacob dilexi, Esau vero odio C habui, Mal. 1. justè ac merito, tu quidem ab ipso exitu nouisti, ille autem & ante exitum apertè nouerat; neque enim operum probationem quærit solum Deus, sed & voluntatis nobilitatem, ac probam, gratamque mentem, quisquis enim talis fuerit, quamuis casu, circumuentuque aliquo peccauerit, non negligetur, sed illum ad se reuocabit, qui omnia nouit Deus. Quemadmodum qui mente corrupta præditus est, vt etiam visus sit bonum aliquod facere, in ipso opere, cum mala sua mente peribit; ita post peccatum saluatus Dauid, post optima opera reprobatus Pharisæus, D. Chrys. ho. 16. in ep ad Rom.

Dei cognitio est eleuata supra totum ordinem temporis, ita quod nulla pars temporis comparatur ad operationem diuinam sub ratione præteriti D vel futuri, sed totus decursus temporis, & ea quæ per totum tempus aguntur, præsentialiter, & conformiter eius aspectui subduntur, & eius simplex intuitus super omnia simul fertur, provt vnumquodque est in suo tempore; vt qui est in alta specula videt simul omnes transeuntes per viam; non sub ratione præcedentis, & subsequentis quoad ipsum, quamuis videat quosdam alios præcedere, &c. D. Thom. in quæst. disput. de peccatis, q. 16. a. 7. o.

De scientia & sapientia Dei, vide quæ scripsi. Theol. natur. to. 4. p. 1. c. 15. & libello de amore Dei fruente, c. 13.

Præscientia Dei non efficit vt res sint, sed futuras ex maligna voluntate hominum, prædicit, *vide potestas voluntat.* liberum hominis arbitrium, ex D. Chrysost.

Cognoscit Deus temporalia æternaliter, commutabilia immutabiliter, contingentia infallibiliter, futura præsentialiter, dependentia independenter; creata increatè, nec hoc per alia, sed à se, in se, & per se. Laurent. Iustin. lib. de casto connubio verbi & animæ, c. 8.

PRÆSENTIA DEI OMNIA videntis.

PLantæ melius proueniunt in locis, positis ad directum Solis respectum, Orientem, vel Meridiem, sic enim fortius manat, & digeritur humidum.

Nunquam cælum ita nebulum est, vt Rhodus insula ea die, Solem non videat.

Mulier sanguiniflua, vt sanaretur accessit retro & tetigit fimbriam vestimenti Christi. Retro, faciem quam declinabat inuenit. Erat in Christo corpus multiplex, sed erat deitas simplex, erat totus oculus, qui post se supplicem sic videbat. Chrysolog. ser. 34.

Est magis rebus intimus, quam lumen in corpore diaphano, quam anima in corpore quod informat, vnde antiqui Philosophi vocabant eum animam mundi; sic est vbique vt contineat, non contineatur, *vide media concordantia.*

Digitized by Google

Ascensio mentis ab vnitate corporea ad diuinam. Vide quæ scripsi, de iure naturali, libro 1. lege prima, §5.

Insitus est homini Dei sensus, qui procedit à Deo, non à populorum opinione, nec ab imperantium legibus. Possumus etiam discursu rationis peruenire ad cognitionem primi principij Theol. natur. p. 1. à c 1. ad 7. & 16. 3. p. 1. cap 1 2. 3 4. Hic nobis conceditur imperfecta Dei cognitio, mor. Christ. to. 1. p 1. c. 12 l. de agente Dei humanis, parte 1. c. 1. 2. 3. libello de amore Dei nascente, c. 4 & de amore fruitiuo, c 3.

Qui Deum nescit, ignorat quoque aliarum rerum causam & finem, vniuersorum quippe causa & finis Deus est, immediata tamen hic nobis non conceditur; caligat quippe oculus mentis, vt oculus corporis ad Solem, nisi videatur per illustrata ab ipso.

A

Tot audit anima Deum laudantium voces, quot creaturarum intuetur species; quandam quoque spiritualem sentit in corde harmoniam, quæ interiora omnia complet jubilatione, nec enim se continet à laude conditoris, cum vniuersa in diuinis præconijs occupata intelligit opera, hunc habebat sensum Dauid, delectasti me Domine in factura tua. Laurent. Iust. lib. de connubio casto verbi & animę, c. 19.

In cantico trium puerorum prouocantur cæli & elementa ad laudandum Deum, non quod habeant sensum laudandi, sed quod cuncta benè cogitata laudem creatoris pariant in nobis. Alcuin. de diu. offic. c. 40.

Deus magis dicitur esse in cælo quam in terra, quia magis intelligitur ab Angelis, quam ab hominibus. Idem in quæst. de S. Trinitat. interrogat. 23.

Duos nobis Deus dedit oculos corporales & spirituales, vt per corporeas & intellectuales creaturas in ipsum eleuaremur. Laur. Iust. serm. de S. Michaël.

Omnia subjecisti sub pedibus eius, &c. subjecit non vt inhæreat illi, fruitionemque captaret, sed vt per hæc eruditus, ascenderet ad notitiam eius qui fecit omnia, illum diligeret, illi inhæreret Id. ser. de S. Tho. Apost.

Sensibilia omnia, aut speculum sunt, aut instrumentum quo mediante animalis homo, vtens bono naturalis ingenij proficit, crescensque in virum perfectum, rationalis efficitur; his bene vtentes assurgunt in Deum cum Propheta. Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Ideo facta sunt bona omnia, non vt mortis & peccatorum materia exponeretur; non est malum aurum, & tamen eo prodigus aut auarus malè vtitur, vir bonus à corporalibus ascendit ad spiritualia. Beatus cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, &c. Laur. Iust. l. de spirit. animæ resurrectio.

Venite, & videte opera Dei. Ps. 65.

Lamina aurea rutilat in fronte S. Sacerdotis, in qua scriptum est nomen Dei, nihil enim nobis prodest omnium rerum eruditio, nisi Dei scientia coronemur. D. Hieron. ad Fabiolam de veste sacerdot.

Moyses Religionem docturus incipit à physicis, *vide princ. verit.* leges à Deo.

Omne scire, ordinatur ad scire diuinum. *V. gloria cognit.* voluptas contemplationis.

Moyses nullo facto de diuinitate sermone, quia nos latet, statim enumerat res omnes ab eo creatas, quia hic nobis suppetit modus veniendi ad Dei cognitionem. Theodor. in Gen. interr. 1.

Deus dicit Moysi quod non videbit faciem eius, sed tantum posteriora; id est non essentiam inuisibilem, sed diuinos effectus. Id. in exo. q. 68.

De cognoscibilitate Dei. Alb. tom. 17. Cognitio Dei de se. Id. t. 12.

De Dei existentia necessaria, Bouer demonst. t. 1.

Signata est in animis nostris, primæ mentis effigies, quæ licet luto, & sordibus aspersa, radios vibrat.

B

Oculus qui non potest secundum suam naturam videre in superficie maris ad viginti milliaria, in luce astrorum, quam in se recipit, videt ipsa astra, per centum millia milliarium & vltra, & non potest videre astra, nisi radio luminis astrorum, sic diuina non nisi in diuino lumine, quod est fides viua. Cardin. Cusa l. 5. excit. c. 58.

Omnis creatura secundum aliquid habet similitudinem creatoris, & ideo cum simile cognoscatur in simili, Deum diuersis nominibus nominamus, dicitur petra ratione firmitatis, aqua ratione communicabilitatis, aër ratione viuificationis, ignis ratione charitatis, leo ratione fortitudinis, cælum ratione perfectibilitatis & puritatis, &c Id. l. 7. c. 11.

Eudoxus Philosophus dicebat se natum ad videndum Solem, Apostolus 1. Cor. profitetur se scire Christum & hunc crucifixum.

Omnes gentes in hoc conueniunt, quod Deus est in cælo, videntes illic majores effectus eius apparere. Alb Mag. in 8. phys c. 6 tr 4.

C

Dei cognitio tribus perficitur: sensu, quo manu ducimur, ratione, qua indagamus, intellectu, quo conspicimus inuentum. Id l. de cælo, & mundo.

D. Aug. in illud Apostoli, 1. Cor. 12. alij per spiritum datur sermo scientiæ, alij sermo sapientiæ; scientia inquit, est in cognitione temporalium, sapientia in contemplatione æternorum.

Aliquid asseritur de Deo. 1. per naturalem rationem, quæ dictat quod vnus est Deus remunerator bonorum & punitor malorum. 2 per fidem qua dicimus Deum esse vnum in substantia, & trinum in personis 3. per sacram scripturam. 4. per rationes probabiles. 5. per exteriorem prædicationem. Perbartus in rosario Theologico, voce asserere.

D

Cognoscimus Deum per creaturas. 1. tribuendo illi quod in ipsis est perfectum & auferendo quod est imperfectum. 2. per causalitatem, creatorem, conseruatorem, directorem in finem, justum remuneratorem, &c. 3. cognoscimus eum per supereminentiam conditionum perfectarum. Id in voce cognitio Dei, §. 7.

Cognoscitur etiam Deus per internam inspirationem, vt Paulus qui raptus est in cælum, 1. Cor. 3. & per internum gustum de quo dicitur in Ps. gustate & videte quoniam suauis est Dominus.

Demonstratur Deum esse, quia in entibus deueniendum est ad id quod est summum & eminens. Nihil est à se, ergo deueniendũ est ad primam omnium causam, quia in causis efficientibus non datur progressus in infinitum. Appetimus verum & bonum, at in nullo creato quiescit noster intellectus & appetitus, qui tamen non est inditus frustra, ideo dari debet summum verum & bonum, in quo quiescat, sic ex motu naturali conijcimus centra. Deus est, quo nihil majus cogitari potest, &c. Id. in voce Deus, § 11.

E

D. August l. 8. de Genesi ad litteram cap. 10. dicit Adamum positum fuisse in paradiso, vt custodiret & operaretur, & in seipso custodiret per disciplinam, quod operabatur per agriculturam, & sicut ager obtemperat colenti se, ita ipse Deo obediret.

Posuit oculum suum super corda illorum osten- A dere illis magnalia operum suorum, vt nomen sanctificationis collaudent, Eccl. 17.

Leu. 8. postquam inferiora membra S. Sacerdotis fuerunt pretiosis & mysticis vestibus ornata, imponitur capiti eius mythra cum lamina aurea in qua scriptum erat Dei nomen. Id indicat, quod super omnia quæ de mundo vel de cæteris creaturis sentiri, aut intelligi possunt, eminentior scientia Dei sit omnium authoris, & quia ipse caput est omnium, ideo & ornatus iste super omnia capiti superponitur. Orig. hom. 6. in Leu.

Leu. 23 populus confert oleum oliuarum purum & sacerdos accendit lucernas in templo. Creaturæ conferunt rerum species, & mens humana hinc sibi parat lucem ad cognitionem & gloriam Dei. Ib. hom. 13.

B Solem quem immediatè non possumus intueri, videmus in radio per aërem diffuso, & hinc conijcimus qualis sit ipse Sol; sic iudicamus de Dei perfectionibus per res ab ipso creatas. Id. Periarchon, l. 1. c. 1.

Neque est corpus, neque in corpore, sed ex omni parte monas, & vt ita dicam totus mens ac fons ex quo initium totius intellectualis naturæ, vel mentis. Ib.

Rerum vniuersitas ejusque partes, sunt codex statuæque Dei; creaturæ rationales, imagines, irrationales vestigia ex D. Aug. de Trin. homo cum sit viua Dei imago, in seipso factorem admiratur, & à semetipso in illum erigitur, Campanella.

C Quod de Deo cognosci potest, gentibus Deus manifestauit, Roman. 1. non voce missa de cælo, sed mundi creatione & ordinatione in medium proposita, vnde potest quilibet rudis & barbarus ad Deum conscendere, D. Chrysost. hom. 3. in cap. 1. ad Rom.

Habet Deus testimonia totum hoc quod sumus & in quo sumus, Tertull. l. 1. contra Marcion. capite 10.

Quemadmodum in patria Deus est speculum, in quo relucent creaturæ, ita in via creaturæ sunt speculum, in quo creator videtur. Ideo Apostolus dicit, inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, conspiciuntur, Laur. Iust. l. de casto verbi & animæ connubio, cap. 18.

CAVSARVM COGNITIO *difficilis.*

D Principium motus animalis, est in posteriori parte capitis, quæ non se profert.

Dicunt Ptolomæus & Rabbi Moyses, quod multi, & quasi innumerabiles sunt motus in superioribus, qui vsque hodie à consideratoribus astrorum non sunt deprehensi.

Quædam non cognoscuntur propter excellentiam sui esse, sicut causa prima, & intelligentia, & anima orbis. Quædam propter sui imperfectionem intelligentiam effugiunt, sicut materia prima, motus, & tempus, Alb. Magn. l. 2. de processu vnius, c. 7.

E Operum fastigia spectantur, latent fundamenta, Quint. in præfatione Inst. orat.

Theodoretus in Gen. q. 29. dicit rectè Moysem asserere, Tygrim & Euphratem è paradiso fluere, licet aliqui dicant è montibus Armeniæ scaturire, quia possunt per subterraneos meatus transire, & hic aliam originem sumere, & ita permittit Deus, ne eorum ripas sequentes perueniant ad locum paradisi.

Primi populi qui Gallias habitarunt post diluuium, dicti sunt aborigenes, quia eorum origo non erat nota. Duplex, hist. Galliæ, l. 1. c. 1.

De creatione, Philo, Iudæus.

Visibile agens agit per virtutem inuisibilem, vt ignis per calorem, & nix per frigiditatem, & ita generans & agens est inuisibile. C. Cusa excit. 1.

Ignoratur adhuc origo Ambari cinericij, Gallicè *ambre gris*, illud ad nos defert mare, sed quid sit, & quomodo producatur, nescitur.

Nulla forma substantialis est sensu perceptibilis sed intellectu, nam quidquid est, est objectum intellectus.

Principium non cadit sub quæstione, sed principia oportet supponere in omni inquisitione.

Videmus numeros omnes ab vnitate procedentes; difficile tamen dictu est, qua emerserit latebra, vnitas; nulla enim eius est origo, ipsa sibi fons est, in æternum existens ante dualitatem.

Mercurius refert Mercurium Trismegistum scripsisse triginta sex millia & quingenta volumina de rerum principijs, Cardan. lib. de rerum varietate, c. 98.

Terræ filij dicebantur quorum genus aboleuit vetustas sic Ouidius, Metamorph. 1.

Iupiter è terra genitam mentitur vt author desinat inquiri.

Orig. l. 1. Periarchon, in Proœmio non satis clarè definitum dicit an anima humana sit ex traduce, an dum creatur corpori infusa.

Titulus dicitur à Titane, quia velut præmisso lumine libri sequentis introitus aperitur, Ruper. l. 1. in Gen. c. 2.

Abyssus de quo Gen. 7. dicitur locus absconditus in visceribus terræ, in quo latent aquæ, & de quo manant fontes & lacus, Tost. in Gen. p. 410. c. 3 K.

Scire oportet elementorum naturas, vt habeatur cognitio mixtorum, quia eorum sunt principia, Alb. Mag.

Cælum empyreum ratione inuestigari nō potest, quia quidquid de cælis cognoscimus, hoc est aut per visum aut per motum, cælum autem empyreum nec motui subjacet nec visui, sed per authoritatem creditur vt sit sedes corporum beatorum. D. Th. in l. 2. sentent. d. 2. q. 2. a. 1.

Soluto matrimonio mulieri luctus per annum indicitur, propter incertum vteri, confusionemue sanguinis; prægnanti secundo nubere statim, nunquam vel à principe conceditur, vide Cujac. in Nouell. 22.

Primi Italiæ populi dicti sunt Aborigenes, quod eorum nota non esset origo, Tost. in Gen. p. 51 c. 3. I.

Numa Pompilius aquam vocauit Nympham Egeriam, eo quod de secretis terræ visceribus, egeritur, id est emittitur, Id.

Nero aperuit ventrem matris suæ, vt videret locum in quo fuit in vtero, Id. Math. to. 2. f. 167. Boëtius l. 2. consol. metro. 6.

Argonautica expeditio nihil aliud significat aurei velleris habendi causa, quam multorum regum certamen in exquirendo æquinoctij momento, cum sol arietem ingreditur, Carda. in encomio Astrologiæ.

Non solum sapientis est ex genitura euentum, sed ex euentu diuinare genituram, Idem aph. sect. 6. aph. 158.

Interrogabis quare lux luceat? aqua sit humida? cedat intranti digito, &c. ac reperies quod quo res

Digitized by Google

quæque clarior est, eo eius ratio sit stupidior, remotior, ac hebetior, vbi nullæ præmissæ, nullus discursus, nulla ratio, nulla conclusio.

Fœminalia tegebant pudenda Sacerdotis, significabant causas seminum & generationis, quomodo de paruulo semine & fœdissimis initijs tanta vel hominum, vel cæterarum rerum pulchritudo nascatur, esse obuolutas & humanis oculis non patere, D Hier. ad Fabiolam de veste Sacerdotali. *V. modica cognitio*, mala, exod.

DEVS INEFFABILIS.

CEltiberi, adorabant Deum ignotum, Diod. Sicul. l. 6. c. 9. sicut Athenienses.

De ignorantia diuina, Dionys. ep. 1.

Qui credit in Deum, Deum discutere non præsumat: Deus quod sit, sufficit scire, qui requirit vnde sit, quantus sit Deus, Deus quid sit, hic nescit. Sol importunum tenebrat aspectum, ad Deum inconcessus cæcatur accessus. Deum qui vult videre, visionis eius, discat tenere mensuram. Chrysolog. serm. 61.

Cabalistæ Deum in se ante omnem creaturarum productionem, existentem, Aleph tenebrosum vocant, id est vnitatem tenebrosam, radios suos in se contrahendo.

Cælestes motus non possumus comprehendere, sine excentricis & figuris minimè cælo conuenientibus, sic diuina, sine aliqua imperfectione saltem respectu nostræ intellectionis. Multo plures partes superiores mundi, quam inferioris nobis sunt ignotæ.

Dicit Paulus, quod Deus non longè abest ab vno quoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur & sumus; ipse super omnes, & in omnibus est, nullum tamen horum est, quæ attingi aut nominari possunt, licet sit omnia in omnibus, sicut humanitas non est aliquis hominum, & tamen omnes homines ex ipsa, per ipsam, & in ipsa sunt, id quod sunt, Card. Cusa, excit. l. 4 c. 2.

Puer agnoscit, diligit matrem, & ad eam fertur, licet ignoret eius nomen, Ib.

Cum pictura corporum omnium quantitatem, figuras, colores exprimat, non potest tamen splendorem Solis exprimere, quia non est color, sed colorum anima.

Posuit tenebras latibulum suum, Ps. 17.

Iouis simulachrum effingebant nudum supernè, infernè tectum, quod conspicuus sit intelligentibus & cœlestibus mundi partibus, cætera teguntur, quod Deus humi repentibus est ignotus, Suidas in voce ζεύς.

Deus est tantæ excellentiæ, vt nihil dignè & propriè, & sufficienter possit de eo dici vel effari, dicit Bonauen. verius est Deus quam cogitatur, & verius cogitatur, quam dicitur, de Deo scire possumus quod est, sed non quid est, quia non habet quid primum per quod definiri possit, nec genus, nec differentiam, cum sit transcendens omnia. Inaccessibilis & inuisibilis in se, in suis spectabilis & summè mirabilis, &c. Perbaltus in rosario Theologico, voce cognoscere Deum, § 6

Summatem Deum silentio adorandum prisca censuit Theologia, Rod. l. 12. c. 1.

Prohibet Pythagoras figuram Dei ne sculpas in annulo. Id est familiariter non est habenda, Id. l. 16. c. 18.

Summum genus scientiæ, inquit Cassiodorus, scire Deum sic omnibus præstare, vt ad id humana mens non valeat pertingere.

Apud Hebræos decem sunt Dei nomina, primum *El*, id est fortis; secundum *Eloi*; tertium Eloe, id est timor; quartum Sabaoth, id est exercituum cœlestium; quintum Elion, id est excelsus; 6 Eje e, qui est; 7. Adonaï Dominus; 8. Ia. 9 Tetragrammaton leoua. Ineffabilis dicitur, quia nihil de eo dignè dici potest, Isid. orig. l. 7. c. 1.

De Deo dicere etiam vera periculosum, si opportunè non dicantur, Orig. hom. 1. in Ezech.

Diuersi oculi prout valent viribus diuersè recipiunt Solis lumen, quod tamen ineffabiliter & inæstimabiliter præstantius est, sic Deus melior est his omnibus quæ de ipso boni concipimus. Id. l. 1. Periarchon. c. 1.

Regula erat inter Hebræos, quod quando aliquis loquebatur & simul apparebat, talis vocaretur Angelus & non Deus; si autem loqueretur & non appareret, vocabatur Deus, Tost. 2. Paralipom. fol. 11.

Vt in Solis radijs inanis est, atque minimè vtilis de his sermonis explicatio ei, qui lumen ab ortu non aspexit, quoniam luminis radios auribus percipere non potest; ita in vero lumine quod mente cernitur suis cuique oculis opus est, vt illam pulchritudinem aspiciat munere Dei, nos propria verba non habemus, quæ illam significent, nec vllum eius extat exemplum; quis enim paruæ scintillæ Solem comparat, aut paruam stillam cum immensa aquarum voragine confert, &c. Greg. Nyssē. lib. de virginit. c. 10

Quoties nominari audis Deum, majus quiddam & admirabilius occurrat, quam quod possit humana mens capere.

Quæ habetur hic de Deo cognitio est confusa, quia est incomprehensibilis. Vide quæ scripsi, Theol. natur. to. 3. p. 1. c. 5. 6.

VOLVNTAS PRINCIPII.

AMOR DEI ERGA HOMINES.

AMAT nos Deus vt opus suum, habens aliquam similitudinem boni diuini. Amor transformat amantem in amatum; Deus autem nequit transformari, cum sit inalterabilis, sed diligendo hominem ad se transformat, de carnali faciens spiritualem, de terreno cœlestem, & ob hoc diligentes Deum, filij Dei vocantur, filius habet formam Patris, Cardan. Cusa libro 5. excitat capite 41. *Vide finis minoritatis*, iustificatio, *& concordantia minoritatis*, Incarnatio, *& bonitas principij*, Dei bonitas & misericordia. A

Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Ioa. 3. B

Amor qualiter competat Deo. *Vide veritas voluntatis.*

Si Deus de non amante fieret amans, mutaretur sicut si de non potente fieret potens, de non sapiente sapiens. Ideo dicit D. August 6. de Trin. absit vt Deus aliquid temporaliter diligat, elegit enim nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati, Eph. 1.

Vide Deum magnifica cum hominibus liberalitate certantem, Abraham mortalem filium non moriturum obtulit Deo, à quo sperabat in vitam restituendum; Deus immortalem filium pro omnibus tradidit morti. Quid retribuemus Domino, pro omnibus quæ retribuit nobis, Origen. homil. 8. in Gen. C

De Dei bonitate & amore erga homines, vide quæ scripsi. Theol. natur. tom. 3. parte 1. cap. 14. & 16. & libello de amore Dei fruente, cap. 15. l. de misericordia, c 17.

Ait Dominus Deuteronom. decimo. Et nunc Israël quid Dominus Deus tuus poscit à te, nisi vt ambules in omnibus vijs eius, vt bene sit tibi, &c. Nullum à nobis nisi innocentiæ & religionis, & fidei obsequium Deus postulat. Amari se à nobis exigit, non vtique amoris in se nostri fructum aliquem sui causa ipse percipiens, sed amore ipso, nobis potius, qui eum amabimus profuturo, vt beatitudinis suæ munere, per meritum amoris sui & obsequij digni iudicemur. Bonitatis autem vsus, vt splendor Solis, vt lumen ignis, vt odor succi, non præbenti proficit, sed vtenti, &c. D. Hilarius, in Psal. 2. D

AMARE DEVM.

VIde *æqualitas voluntatis*, de mutuo Dei & hominum amore.

De dilectionis diuinæ mandato. Bernard. quadr. 1. ser. 48.

Charitas est virtus supernaturalis, omnium virtutum excellentissima, qua Deus super omnia diligitur; tenemur amare Deum super omnia appretiatiuè, & hoc est diligere ex toto corde, cum cæteris rebus præfertur, & diligitur tanquam finis vltimus; non tenemur autem amare intensiuè, id est intensiori affectu, qui facilè non potest discerni, & sic semper esset inquieta mens.

Anima quæ in Deum fertur, imitatur planetas qui motu suo naturali, & primo mobili contrario, feruntur ab Occidente in Orientem, id est, in suum principium, contra inclinationem carnis quæ vergit in Occidentem, ex Petro Dam. Cardan. opusc. 23.

Ignis circumposita corripiens, sursum semper attollitur, sic charitas de proximo tendit ad Deum. Idem libro 2. ep 12. Magdalena prius pedes Domini vnxit, deinde pretiosum vnguentum in caput eius effudit, per charitatem proximi, ad diuinitatem peruenit. Ib.

Homo habet naturaliter vitam, cognitionem, amorem, & cum vnumquodque velit perfici in specie sua, sic vt quiescat, appetit homo vitam sine corruptione, veritatem sine fallacia, bonum sine omni malo, & hoc est Deus, solus in quo terminatur, & quiescere potest motus spiritus intellectualis. Card Cusa excit. l. 4. c. 10.

Voluntas humana potest tantum quiescere in Deo. *V. diff volunt* inconstantia.

Amor est causa donationis, qui vult habere diuina dona, debet ab eo amari, qui amari vult, debet ei assimilari, qui vult ei assimilari, debet ad vnitatem studere, hanc autem vnitatem facit amor, Idem l 5. c. 41.

Magnes est mater ferri, ideo ferrum ad illud currit. Id. l. 7. c. 9.

Amor Dei non tollit, sed perficit voluntatem, *V. ex eodem potestas voluntatis.*

Puer amat matrem, cujus nomen ignorat, naturaliter recognoscit anima nostra grauata infirmitatibus, suum alleuiatorem, sicut quædam animalia læsa, ad hominem dicuntur confugisse, sic in omni angustia ad Deum confugit homo. Idem libro 10. c. 5.

Copernicus constituit Solem immobilem in medio mundi, & dicit circa illum moueri Astra

Digitized by Google

& terram ad recipiendum lumen & influxum, A Deus immotus dat cuncta moueri,& circa ipsum, ad ipsum & propter ipsum omnis creatura mouetur.

Amemus Christum, quia nobis natus, nobis datus,& ipse dicit Samaritanæ, Ioan.4 si scires donum Dei. Eamus ad ipsum, quia verba æternæ vitæ habet, est via, veritas,& vita,&c.

Omnia appetendo proprias perfectiones, appetunt ipsum Deum, in quantum perfectiones omnium rerum, sunt quædam similitudines diuini esse.

Charitas dicitur quasi chara vnitas, eo quod vnit animam Deo, hanc sic definit D. Augustin. lib. de moribus Ecclesiæ. Charitas est rectissima animi af- B fectio qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum,& in Deum. *Vide virtus voluntatis,* charitas.

Omne eligibile sub ratione boni est eligibile, terminus igitur eligibilis & desiderabilis cum sit bonum, erit bonum omnium causa, cum omnia ad suam causam conuersa, ipsam appetant à qua habent quidquid habent. Card. Cusa l. de venatio. sapientiæ.

Deus semper à nobis amandus est,& hic actus amoris non est consulto remittendus in certa quadam tempora. Vide quæ scripsi, de iure natur.l 3 lege 8. Amor Dei miros in homine parit effectus, moralis Christian. tom 1 parte 2 c. 8. Naturaliter cor humanum tendit in Deum, libello de amore Dei nascente, c.1. De complacentia animæ in Dei gloria, libello de amore fruitiuo, c. 8.

Deus hominem naturaliter fecit concupiscibilem, quatenus suum naturali impulsu semper cuperet conditorem, in quo concupiscibilium omnium sciret esse dulcedinem, æternum quærit fontem quo perfectè satietur. Laurent. Iust. fasciculus amoris, c.c.

Deus non potest sic cedere iuri suo, vt ab homine non ametur, *Vide voluntas minoritatis,* mala.

Amor Dei sine modo, *vide magnitudo voluntatis,* amare Deum purè & propter seipsum, *vide veritas voluntatis, & cognitio contrarietatis,* amor filialis.

AMOR PATRIÆ.

OMnia redeunt ad sua principia, *vide finis differentia.*

Pisces naturaliter contra aquas sursum tendunt, appetentes dulcedinem aquæ, quæ est major in origine.

Mortui morbo vel senio, verè mortui sunt mundo, nec computantur in numero liberorum viuentium, sed qui in acie principis pro Republica ceciderunt, adhuc post per gloriam viuere dicuntur, § 1. Instit. de excusat. tutor. Vide Valer. Max. libro 2. de Instit.

Hoc exuli durissimum est, quod non habeat dicendi libertatem.

Patria est velut quidam Deus, & primus, maximusque parens; ideo sic dicta vocabulo quidem à patre ducto, pronuntiato tamen fœminina terminatione, vt ex vtroque parente mixtum esset, & hæc ratio insinuat patriam vnam ex æquo duobus parentibus colendam esse.

Apud Sinenses nulli licet iudiciariam dignitatem gerere in natali solo, sed tantum militarem, ardentius enim pugnant pro patria.

In Hispania qui dicuntur Magnates, *les grands,* tenentur sine stipendijs militare, sed tantum pro defensione Hispaniæ.

Vide voluntas bonitatis, sibi primum prouidere.

Nume. 10. Hobab non vult ire cum Moyse etiam fœlicia promittente, sed dicit, reuertar in terram meam, in qua natus sum.

Habentes officium publicum tenentur etiam cum vitæ periculo reticere ea quæ in consistorio aguntur pertinentia ad commune bonum, nisi fortè sint leuis momenti. Bonacina de restitut. disput. 2.

Vide gloria concordans. publica priuatis præferenda.

Tribunus è partibus Romanorum egregius medicus aduocatur ab ægro Chosroë, tunc cum Romanis bello certante, sanat ægrum, pro præmio petijt captiuos libertate donari. Chosroës concessit 3000. Suidas in voce Tribunus.

Iustinianus Illyrici ciuitatem & patriam suam in Pannonia, donauit Archiepiscopatu, Nou.11.

Exilij pœna grauis est. *V. differ princ.* separari à suo principio, malum.

Poëtæ vocant Deos indigetes, genitos vel morantes in terra in qua coluntur, Tostat. exod. tom.1. f. 87.

Iudæi existentes in terra aliena orabant conuersi C ad Ierusalem,& sic faciebat Daniel. 6. Idem 2. Par. f. 93.

Ciuis patitur pro patria, vt membrum pro totius corporis sanitate, *vide duratio virt.* Martyrum constantia.

Pars exponitur & patitur pro salute totius. Vide quæ scripsi de iure natur. l.1. lege 12. §. 4. pro amore patriæ fortiter agendum, mor. Christ to.3 p 2 c. 12.13. De complacentia Christiani in triumphis Ecclesiæ, & beatorum, libello de amore fruitiuo, c.5.6 7.

Donabantur olim à Senatu, vel Imperatore clarissimi viri honorario titulo liberæ legationis, etiãsi suorum, non publicorum negotiorum causa in Prouinciam proficiscerentur, veluti delatarum sibi hæreditatum adeundarum causa; libera dicebatur legatio, quia nullo erat definita tempore, sed ad recipientis arbitrium remittebatur, Cujac. obs. l.9. cap. D 19. videbantur Reipublicæ operas suas præstare; cum tamen eius causa verè non abessent.

Romani tributorum & munerum omnium immunitatem tribuerunt Iliensibus, quia ab illis originem ducebant. Id. l.10. c.5.

Propter vtilitatem publicam potest aliquis aggredi opus, cum magno periculo vitæ, etiamsi non sit tanta necessitas boni communis in qua posset obligari, Suarez de legib. l.3 c.30.

Transfuga est qui patriam oppugnat, estque hostis manifestus. Cujac. obseruat libro 6. capite 26. grauiter punitur, *vide duratio virt. Rep. & differ. contrar.* mala.

E

AMOR PARENTVM IN liberos.

PAter filium instituendo & hæredem scribendo, fungitur duplici officio, quod tendit in fauorem & honorem filij, libro primo, in f. C. de his qui sibi in testam. adscrib. *Vide duratio principij.*

A Mathematico natus filius prædicitur fortis futurus, sed parricida: extitit fortis, vt autem vitet parricidium, optat voluntariam mortem, sed hæret, ne dum moritur, patrem occidat. Quintilian. decla. 4.

Liberorum amor cœlitus naturæ alligatus est, & planè ab aurea illa infractaque catena pendet, quam natura perpetuo contexens, & obeuntibus nascentia conjungens, ne in nihilum relabatur, sibi cauet.

Luc. 15. prodigus filius dicit, surgam, & ibo ad patrem meum; qua spe? qua fiducia? illa qua pater est: ergo perdidi quod erat filij, ille quod patris est, non amisit. Apud patrem non intercedit extraneus, intus est in patris pectore, ipse qui interuenit, & exorat affectus, vrgentur patris viscera, iterum filium genitura per veniam. Chrysol. ser. 2.

Multa pro filiorum educatione parentes passi sunt; ista non sentiunt, non reputant filij, & tamen parentum pietas perseuerat, quia quidquid filijs parentes impenderint, repensabit parentibus, parens omnium Deus, Id ser. 33.

Hadrianus Imperator jussit reum quendam torqueri, vt conscios indicaret, cum nollet confiteri, filius eius teneræ ætatis tortus est coram patre, cujus gemitibus commotus aperuit quæ prius tacuerat, plus in filij corpore, quam in proprio patiens.

Habitatores insulæ Abydos, olim cum aliquem conuiuio excipiebant post epulas, musicam & odores, circumferebant simul eius qui conuiuio exceperat pueros, vt à conuiuis oscularentur.

Amor parentum erga liberos est verus, & sine spe remunerationis, *vide veritas voluntatis*, verus amor.

Noë maledicit Cham, in filio suo Chanaam.

Amor parentum non sit nimius in congerendis diuitijs, *vide maioritas voluntatis*.

Est infans instar ponti, quamobrem tres fiunt vna caro, infante vtrinque, vtrosque conjungente. D. Chrysost. hom. 12. in ep. ad Col.

Deus punit filios pro parentibus, vt parentes abstineant à peccato, saltem amore filiorum. *V. durat. contrariet.* vindicta in posteros.

Insignis est parentum amor, pro fœtus sui tutela, vide quæ scripsi de iure natur. l. 1. lege 17. §. 1.

Patri datur jus occidendi filiam in adulterio deprehensam dum vtrumque occidat, quia pietas paterna consilium pro liberis capit, id autem non licet marito, l. 22. ff. ad l. Iul. de adult. sic satisfit iræ mariti, & tamen clementiæ cum jus illud defertur ei qui parcat. Nam pater jus illud occidendi non habet in filiam viduam, aut virginem in reatu deprehensam d. l. 22. §. 1.

AMOR MATRIS.

IN omnibus auibus fœminæ semper magis inueniuntur circa ouorum custodiam, quam mares. Alb. Mag.

Si fas est æstimare, veri plus parenti debeatur ex liberis, non improbè totam potestatem sibi vindicabit affectus, qui decem mensibus ante vestram incipit diligere notitiam, & cum vos patres gaudium primum faciat oculorum, ante sunt conscientia matres, vrgent patres filios ad pericula, in eorum funeribus non habent lachrymas, captantque in magna calamitate laudari. Mali tantum patris interest, vt matri minus liceat. Quint. decla. 8.

Mater, amissum filium nocte videbat in somnis, indicauit marito, ille adhibito Mago, incantauit sepulchrum, mater desijt videre filium, accusat maritum, malæ tractationis. Idem declam. 10. In vno, inquit, filio, jam alteram patiebatur orbitatem; non putabat perijsse, quem poterat videre, & quo tota nocte viuebat.

Quis non formosus filius matri, amant debilitates, amplectuntur illum morborum, suppliciorum pallorem, & in vires charitatis accrescit ipsa miseratio. Ib. declam. 18. Liberi non amantur oculis, non complectitur mater ore, non vultu, sed est in filio matri, nescio quid homine formosius. Ib.

Antiqui Palladem armatam fecere, quia in singulis animalium gregibus mas, fœminaque communiter decertant, potissimum pro prole. Plato in Critia.

Mater magis amat liberos quam pater, suum enim ipsa filium certo cognoscit, ille putat.

De compassione B. Mariæ. Clictouæus.

Matres innocentum, passæ sunt cum filijs. *Vide infra virtus princ.* Innocentes Martyres.

Matres, honorum, quos non licet gerere, per filios ambitiosę sunt. Seneca in consolatione ad Heluiam. c. 14.

Matrimonium sic dicitur à matre, vel quasi matris munium sit educare prolem.

In insula Coo, vnde Hyppocrates, solis matribus licebat filios mortuos lugere, & vestem lugubrem per annum deferre, cæteris luctus omnis erat interdictus. Heraclides in polit.

Vbi Saturno infantes immolabant, mater adesse debebat sacrificio, sine gemitu & lachrymis; si suspiria deprehendebantur honore censebatur indigna. Rod. l. 13. c. 23.

Abraham jussus immolare filium, facinus tam audax Saram celat, neque ad matrem effert mandata, Dei amantem nouit mulierem, sed matrem, veretur ne pueri furto, materiam subtrahat obsequendi Deo jubenti; ne lachrymis sacra fœdet; ne puero complorato, injuriam imperanti arroget. S. Basil. seleuciæ, orat. 7.

De matre Machabæa, quæ septem filios genuit cælo & præmisit ad coronam vna die septies Martyr; planetarum numero addidit firmamentum.

Matris tenerior & intimior est affectus, vide quæ scripsi de iure natur. l. 1. lege 17. §. 2. & l. de agente Dei in humanis, p. 3. c. 4.

Matri debita reuerentia, *vide gloria princ.*

Matres nutrices filiorum, *vide durat. princ.*

Digitized by Google

VIRTVS PRINCIPII.

DEI PERFECTIO ET SANCTITAS.

DEvs cum dicitur infinitus, dicitur à negatione finientis ipsum, & mensurantis extra infinitum, quia impossibile est ipsum finiri loco & tempore, & intellectu capienti ipsum, propter quod est plenè inenarrabilis; est tamē ipse finiens se, quia tātus est, quantus ipse se intelligit. Si enim Deus diceretur esse infinitus, sicut infinitum dicitur quantum ad discretum vel continuum; sequeretur Deum esse semper imperfectissimum, quia infinitum hoc modo imperfectissimum est, cum semper aliquid eius, quod ipsum perficere debet, sit extra ipsum. Albert. Mag 1. phy t 3. c. 4.

De Dei perfectionibus scripsi, tom. 3. Theol natur. Vide supra durat. princ. æternitas Dei.

Bonum est ante malum, *vide contrarietas verit.* hæresis.

PARENTES SINT EXEMplar virtutis.

DEmonstratio est, cum ex veris & primis syllogismus constat: sunt autem vera & prima, ea quæ non ab alijs, sed à seipsis fidem habent, non debet enim de principijs scientiarum quæri, quamobrem sint, sed vnumquodque principium per se ipsum debet esse fide dignum. Arist. Topico. libro 1. c. 1.

Math. 9. patri, surdi & muti filij sanitatem petenti dicit Christus, si potes credere omnia possibilia sunt. Patris liberatur fide, qui Patris fuerat infidelitate damnatus, Chrysol. serm. 51. prius sit bonus pater, qui vult habere bonos filios.

Semina ab arboribus nouis, aut certè vigentibus petere decet, & omnino danda opera est, vt nitidissima, rectissima atque laudatissima sint, sic enim cum sint corpore pleno melius germinant, quod enim nitidum est, etiam est incolume. Contra scabrum atque nodatum, præsertim cæcis & euanidis nodis, quasi incolumitate orbatum est. Theophr. de causis plant. l. 3 c. 6.

Apud Iudæos baptismus erat Sacramentum, quo gentes in Iudaismum coaptabantur, nunquam iterabatur nequidem in posteris, vnde si grauida mulier proselyta fiat, & baptizetur, proles eius non eget baptismo, Voisin de lege diuina capite 7.

Gratia recipitur in essentia animæ velut eius vita, non in potentijs quia non determinatur ad aliquem specialem actum, sed ab essentia animæ diffunditur in potentias. D. Tho in libro 2. sentent. d. 26 a. 3.

A Filij Iudæorum non sunt inuitis parentibus baptizandi propter periculum, ne cito reuertantur ad imitationem parentum, *vide virtus medij*, Iustum debet esse medium.

Imitantur filij parentes, vt populi suum principem, *vide concordantia potestatis.*

Paruulos iacere in eodem lecto cum parentibus vetuerunt iura vt habetur can. consulit, 2. quæstione 5.

De Adamo peccante dicit Laur. Iust. in arbore vitæ. Multum tibi debemus, quod occasione tui conditi sumus; sed proh dolor, plus est, quod per te perditi sumus.

Ad patrem pertinet præcipua liberorum institutio, vide quæ scripsi de iure naturali, libro primo, lege 17. § 4 & lib. de agente Dei in humanis, parte 3. c. 5.

B D. Hier. ad Lætam. de inst. filiæ. Nihil, inquit, in te & in patre suo videat, quod si fecerit peccet. mementote vos parentes virginis, magis eam exemplis doceri posse, quam voce.

BONA LIBERORVM educatio.

NOn est primum tempus perdendum, licet in teneris annis paruus sit profectus, prorogatus in summam proficiet. Teneris tamen non est acerbè instandum, ne studia, puer, quæ amare non-C dum potest, oderit, & amaritudinem semel perceptam, etiam vltra rudes annos reformidet. Lusus hic sit, & rogetur & laudetur, & nunquam non fecisse gaudeat. Aliquando ipso nolente doceatur alius cui inuideat, contendat interim, & sæpius vincere se putet, præmijs etiam quæ capit illa ætas, euocetur, &c. Quint. Inst. orator. l. 1. c 2 Vide similia, ex D. Hieron. *minor. contrar.* non cogere, *& potestas principij, initij, & voluntas gloria honoris.*

Omnium parentum votum est, vt honestiores quam sint ipsi liberos habeant; mater meretrix, filiam vult esse pudicam, Ibidem, libro vndecimo, c. 1.

De adolescentum disciplina, D. Ambros. 1. de officijs.

D De educatione liberorum, Plutarch. Æneas Syluius Iauellus, D. Thom opusc. 4 l. 5.

Nouitiorum speculum & institutio, Bonauent. Hugo à S. Victore, t. 2.

Ad Neophytos, homilia Chrysostom. Tractatus Gaudentij, Bibl. Patr. tom. 2. Zeno Veronensis, Ibid.

De paruulis trahendis ad Christum, Gerson, tomo 2.

Digitized by Google

Oleum recens nullius est odoris, idcirco omnes assumit odores, ab vnguentarijs. Caput serpentis calcandum.

Dextrum est, à quo incipit motus localis, Aristotel. 2. de cælo, capite secundo, id maximè verum est in animalibus perfectis, in quibus etiam caput præcedit.

Paruus error in principio, fit maximus in fine; ia principium virtute majus est, quam magnitune, vnde quod in principio modicum est, in fine .t perquam magnum. Arist. 1. de cæl. text. 33. ita dicitur 5. de generat. animal. mutationes paruas cauam adferre magnarum mutationum, non sui ratone, sed cum euenit vt in ejusmodi mutationibus incipia quoque mutentur, principia enim quams magnitudine parua sint, tamen facultate sunt magna.

Nimis serum est canes vetulos loris assuefacere, aut annosas arbores transplantare.

Primus actus animæ Christi fuit adoratio Dei, vt dicitur Hebr. decimo, ingrediens mundum dixit, hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.

Tempus veris accommodatum est sationi, nam plantæ ipsæ concitatæ jam sunt, & aër benignus, & germen ad eliciendum idoneus: tempus fœcundissimum est, & dies tepidiores, prolixioresque faciunt vt celerius germinentur. Radicatio tunc valenter fit, tum propter impetum naturalem plantarum, tum propter humi turgorem, atque etiam aërem juuantem ad educandum. Theophr. de causis plant. lib. 3. cap. 4. Simile fiat judicium de adolescentia ac de vere.

Apud Norimbergium marmor est in lapidicinis molle, ideo quam primum fuerit extractum figurandum est, etenim vbi aliquo temporis interuallo id aër ambit, mirum in modum duratur. Georgius agricola, libro septimo, de natura fossilium. *Vide duratio virtut.* sine mora virtuti incumbendum.

Arbores ab initio neglectæ, licet ex stirpe nobili, fiunt syluestres & steriles.

D. Chrysost. hom. 21. in ep. ad Eph. suadet adolescentes erudiendos tradi, non tantum Monachis res humanas non expertis, & velut in portu semper degentibus, sed viris probis tempestatem, & vtriusque fortunæ fortem expertis.

Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegauit, & est infideli deterior, 1. Tim. 5.

Moysi multum profuit educari in aula Pharaonis apud eius filiam, 1. ad euadendum mortem, quia nullus Ægyptius ausus fuisset eum educare, 2. vt vrbanior atque audacior esset, quoniam homines qui in loco humili nutriuntur, fracti animi sunt nihil audentes, qui autem cognoscunt se in magno & honorabili loco genitos, acquirunt vires magna audendi, Tost. exo. to 1. f. 10.

Ideo Moyses, nobiles potius quam plebejos constituit principes populi, sunt enim magis strenui, & illis libentius paret populus, Deut. 1. & ibi Tost. propter bonam educationem.

Ab ortu tenera formanda sunt. Vide quæ scripsi de iure natur l 1 lege 16 §. 4. diligens debet esse liberorum educatio, mor. Christ. tom 3. p. 2. cap. 5. Nobiles debent educari in scientijs & virtutibus, l. de agente Dei in humanis, p. 2. c 6. De bona ad pietatem cæterasque virtutes liberorum educatione, l. de agente Dei in humanis, p 3. c. 5.

Quemadmodum ager diu non proscissus, sic juuentus neglecta sylueicit, ac passim innumeras vepres producit. Ignis ergo sancti Spiritus immittendus est, quo improbis cupiditatibus concrematis, noualia excolamus quæ spiritalia semina possint suscipere. Mirum est vt pueros in fornace, sic juuenes in cupiditatum æstu permanere illæsos, D. Chrysost hom 50. in Math.

Ne putes Christianorum filios, si baptisma non receperint, ipsos tantum reos esse peccati, & non etiam scelus referri ad eos qui dare noluerint, maximè eo tempore quo contradicere non poterant, qui accepturi erant. Vt oblatam Deo filiam non negligas, ad periculum tuum pertinet, qui claudam & mutilam, & qualibet sorde maculatam obtulerit hostiam, sacrilegij reus est, quanto magis qui partem corporis sui, & illibatæ animæ puritatem regis amplexibus parat, si negligens fuerit, punietur. D. Hieronym. epist. ad lætam. de inst. filiæ.

Vt aqua in areola digitum sequitur præcedentem, sic ætas mollis & tenera in vtramque partem flexibilis est, & quocumque duxeris, trahitur. Idem ad Gaudentium, *vide concordant. virt.* imitatio bonorum.

Sophites Indiæ populi, genitos liberos non parentum arbitrio tollunt, aluntque, sed eorum quibus spectandi infantum habitum cura mandata est. Q Curt. l. 9.

Doctrinæ Christianæ confraternitatem ab ordinarijs locorum ad pueros in Christiana fide erudiendos erigi jussit Pius V. const. 137. Bull. p. 261. tomo 2.

Magistri Scholarum non solum in Grammatica, Rhetorica adolescentes instruere debent, sed etiam in his quæ ad Religionem pertinent, & nihil aliud doceant, diebus festis; nec vnquam doceant quæ possint inducere ad impietatem aut malos mores. Leo. X const. 7. p. 406. to. 1.

De publica educatione pauperrimæ iuuentutis, vide quæ scripsi, lib. de operibus misericordiæ, parte 2. c. 15. & 16.

Ætatem vitijs anteuertunt homines, nondum adulti, jam adulteri; argumentum deformitatis est pudicitia.

IMMACVLATA VIRGINIS conceptio.

De Immaculata Virginis conceptione. Salazar, Bernardin. quæstione 2. ser. 51. Gerson, to. 2. 4.

Virgo gloriosa quum esset prædestinata ante sæcula, vt ex ipsa filius Dei indueret humanitatem, humanitas Virginis digna facta est ab initio, dum eius anima creata fuit sancta, sic vt nulla duratione fuit verum dicere, Virginem fuisse sub peccato, gratia affuit ei in creatione ante vnionem corporis, & priusquam Ioannes & Hieremias, qui sanctificati fuerunt in vtero, &c. Card. Cusa excitat. libro 5. c. 49. Cæteri homines contraxerunt culpam quam deleuit gratia Christi, ideo retinent aliquid prioris status, scilicet fomitem peccati, at in Virgine sanctitas præordinata fuit, quia ex ea nasci debebat is per quem debebamus sanctificari, gratia simul infusa cum anima creata vt penitus non admittatur fomes concupiscentiæ. In alijs in vtero sanctificatis, est sicut si vino in vas fœtidum infuso, statim superueniret fragrans odor, omnem vasis fœtorem expellens Id.

Hoc cedit ad laudem Virginis Mariæ, quod nunquam

Digitized by Google

quam fuit sub principatu authoris mortis, cum ex ea vita debuerit incarnari, non indiguit liberatore, quæ nunquam fuit captiua, præuenit succurrere misericordia electæ matri misericordiæ, præliberatorem habuit, alij liberatorem, &c. Idem libro 8. c. 16.

De Natiuitate Virg. Gerson. orat. 3. 4. orationes tres Ioa Damasc.

Christus nascitur ex Virgine, vide quæ scripsi. Theol nat to. 4 p 3. c 10.

Priuilegia à Christo Virgini matri concessa, *vide gloria principij.*

INNOCENTES MARtyres.

APud Herodem, solum quod nati sunt, hoc fuit crimen; Christus non deseruit innocentiæ suæ coætaneos milites, quibus dedit ante triumphare, quam viuere; prouexit, quos fecit capere sine concertatione victoriā, quos donauit coronis, antequam membris, ante cælum possidere, quam terram; beati qui labores in requiem commutarunt, diuerso modo, dono vno, in lachrymis suis matres, & sui filij suo sanguine baptisantur, in martyrio filiorum passæ sunt matres; nam gladius filiorum pertransiens membra, ad matrum corda peruenit: & necesse est, vt sint præmij consortes, quæ fuerunt sociæ passionis. Chrysolog. serm. 152. in fine Ardentes animæ moras corporis non tulerunt: isti sunt gratiæ martyres, confitentur tacentes, nescientes pugnant, vincunt inscij, ignari tollunt palmas, &c.

Ignorantibus & inuitis innocentibus Deus contulit gloriam martyrij, *vide veritas bonitatis,* inuitis benefacere.

Cogebantur mori qui nondum viuere cœperant, & nescientes malum suum, inter hostium manus ac tela ridebant. D. Hieronym. ad Oceanum.

Quare sublati de mundo, vbi poterant multa bona facere, *vide media duratio,* mors juuenis, ex D. Chrysost.

SANCTITAS AB INITIO.

HIer. 1 dicitur, priusquam exires de vulua sanctificaui te.

Videt Deus quæ fecerat, & erant valdè bona. Naturam igitur Angelorum bonam fecit, & quia A injustum est vt nullo merito hoc in aliquo Deus damnet, quod creauit, non naturam, sed voluntatem malam puniendam esse credendum est. Magister sentent l. 2. d. 3. q 2.

Angeli potuerunt creari à Deo ante mundum visibilem, quia ab eo non pendent, & hoc non implicat contradictionem. D. Th in quæst. disput. q. 3 a. 19.

Grande fuit diuinæ miserationis indicium, vt infans Ioannes ex matris vtero suum cognosceret Dominum, solemque videret in nubilo. Laur. Iust. ser. de S. Ioan. fuit sanctificatus in vtero.

Christus à tempore suæ conceptionis mereri inchoauit per habitum perfectissimæ charitatis, & per exercitium omnium virtutum, quod quidem meritum non tantum sibi, sed etiam impertitus est nobis. B Id. de perfectio. gradibus. c 14.

Statim vt puer ab obstetrice susceptus erat, rectus statuebatur in terra vt auguraretur rectus esse, Cujac. obs. l. 11. c. 30.

Sic ex repromissione & ante votis quam vtero concepti, ante consecrati, quam geniti, Samuel & Samson, sic Ioannes Baptista ad introitum Mariæ exultauit, lusit, audiebat enim verba Domini per os Virginis pertonantis, & de vtero matris in occursum eius gestiebat erumpere. Igitur quæ de repromissione filia nata est, dignam habeat ortu suo institutionem parentum. Samuel nutritur in templo, Ioannes in solitudine præparatur, & fugit vrbes; sic erudienda est anima quæ futura est templum Dei, nihil aliud discat audire, nihil loqui nisi quod ad C timorem Dei pertinet, turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, ludat in litteris, vt & ludus ipse eruditio sit, &c. D. Hier. ad Lætam. de institut. filiæ.

Vide duratio virtutis, prompta ad Deum conuersio.

Licet quidam putent majoris esse virtutis, præsentem contemnere voluptatem, tamen ego arbitror securioris continentiæ esse, nescire quod quæras. Ib.

Temporibus Apostolorum, Domini nostri adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides. Ib.

Mosaïci Cherubini in interiori sacrario formam habebant juuenum alatorum, 3. Reg. 6. in fine.

D Planetæ qui primo radios Solis exeunt, & nulli applicant, purissimos effectus promittunt, animam nobilem, alacrem, splendidamque efficiunt. Card. aph sect. 3. aph 35. & sect. 4. aph. 6.

Ezechias primo anno regni sui, destruxit idololatriam.

Vide magnitudo principij. Initij.

Digitized by

VERITAS PRINCIPII.

QVÆ SIT VERA RERVM CAVSA.

DE primarijs rerum causis, *V. concord.princ.* concursus causarum.

Non censetur quis eius loci esse indigena, in quo natus est parentibus illic existentibus fortuito, itineris, vel negotij causa l. filius C.mancipium, l. 10.

Habentur vt adulteri, qui viduam intra 30. dies vxorem ducunt, cap. Heraldi Archiep. Turo. c. 41.

Principium ordinem quendam importat, causa vero importat influxum quendam ad esse causati.

Semper id quod pertinet ad prius, habet rationem principij. *V. gloria durat.*

Apud Iurisconsultos parentes accipimus eos, qui ad quintum vsque cognationis gradum deueniunt, sicuti etiam liberos. Nam pater, auus, proauus, atauus, tritauus parentum nomine censentur; liberos vero dicimus filios, nepotes, pronepotes, abnepotes, trinepotes; vltra hos parentum gradus majores appellantur, liberorum, posteriores. Petrus Crin. de honesta discipl. l. 15. c. 8.

Elementum est ex quo aliquid componitur primo, & de specie mutatur in aliam speciem. Causa semper distinguitur essentialiter à causato, non vero principium à principiato, sic in diuinis pater est principium filij, non causa.

Defectus prouenien ex causa secunda, non imputatur primæ in illis, quæ causa secunda non habet ex prima, sicut tibia non habet curuitatem ex virtute motiua D.Th in q. disp. de peccatis q. 16. à 4. ad 6. *V. princ. minorit.*

Si velis noscere an conceperit mulier, cum dormitura est, ei aquam mulsam potandam da, & si alui tormina patietur, concepit, sin minus non concepit Hyppoc. sect. 5. aph. 41.

VERVM REI INITIVM.

SI Horoscopus, vel planeta fuerit in 30. gradu signi, eius significatio est in signo sequenti. Hermes centil. n. 50.

A Luna initium omnis rei accipitur, omnis finis vero à Domino domus suæ. Ibidem, numer. 69.

Planeta à primo gradu signi ad 15. est quasi accedens, à 15. ad 25. est completus. Bethen. centiloq. n. 24.

In suasorijs semper de eo prius loquemur, de quo deliberari etiam detractis sequentibus posset. Quintil. inst. orat. l. 3 c. 10.

Doctrina non semper incipit à priori secundum rem & naturam, sed ab eo à quo facilior A est doctrina. Aristotel. 5. Metaph. 1.

Rei initium, est quid impartibile, *vide durat. bonit.* Rep. celeritas in dando.

Annus incipiendus à prima die Ianuar. *V. bonitas æqualitatis.*

Primum dicitur per priuationem anterioris. Prius autem per comparationem ad posterius.

A in omnibus gentibus ideo prior est littera, quod ipsa prior nascentibus vocem aperiat. Isidor. orig. l. 1. c. 4.

Cum antiqui pueritiam significare volebant, apponebant hanc litteram A Ib c. 23.

S. Hieron. existimat à natiuitate vnicuique Angelum custodem deputari, non ergo à conceptione, Tost. Math. 10. 5 f. 32.

B Ingredi significat incipere, vt ingredi in officia sua. Id.

Puer tunc nasci dicitur, cum aërem primum per os inspirat, extra matris vterum. Cardan. aph. sect. 1. aph. 26.

Luminare temporis Sol est in die, & crepusculo matutino. Ib. aph. 41.

Vlpianus in l. qui vas 5. si ancilla de furt. apertè definit partum conceptum apud furem, & editum apud bonæ fidei emptorem furtiuum esse, & vsucapi non posse; & idem dicit esse in fœtibus, vide Cujac obser. l. 15. c. 20.

ACTIO IMPVTATVR PRINcipali agenti.

C VIta quæ est in fluxu ab ipsa anima, magis est animæ quam corporis, sicut fluxus luminis, plus est solis, quam aëris recipientis. Alb. Mag. tr. 1. de vita & morte.

Lumen & illuminans semper sunt simul, & nullatenus separantur. Caueat minister ab inuidia si quid velit agere, sine principe.

In opere publico nulli iudicum licet sua arma apponere inconsulto principe, alias reus majestatis efficeretur, l. si quis iudices, cod. de operibus public.

D In baptismo conferendo non est necesse exprimere personam baptisantis, nam validus est baptismus Græcorum, qui dicunt. Hic baptizetur, in nomine; &c. ne quis putet baptismum conferri in virtute administrantis, Bonac.

In Eucharistia, species consecratæ non habent perfectum nomen Sacramenti, nisi quatenus continent Christum Id. disp. 4. Non valeret consecratio, si quis diceret, hoc est corpus Christi; quia hæc verba non proferuntur in persona Christi, Ib. q. 3. & D. Th. in 4. d. 8.

Digitized by Google

De Assur principe qui fuit Virga furoris Domini, qui sibi ideo plaudebat, dicitur Isay. quomodo si eleuetur virga contra leuantem eam, numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea.

In principio Genesis, fit tantum mentio de terra & aqua, quia ex illis omnia sunt producta, & licet ignis gignentibus terræ & aquis cooperetur, nihil tamen ex ipso gignitur. Rupert. in libro 1. Gen. c 8.

Princeps pugnat manibus omnium, qui manus omnium mouet, vincit omnibus, qui suis consilijs, suis imperijs creat victorias. Canalibus, non defertur gloria scaturiginis.

Initium idololatria cœpit ex eo quod astris, diuinæ prouidentiæ ministris, quasi Deo sacrificarent.

Deutero. 34 ignoratur sepulchrum Moysis, ne ei Deo debitos honores populus deferret. Petrus Dam. ser. 2.

Deus principaliter consecrat, licet Sacerdos ministret. *Vide virtus medij, Rep.* quando licet vti malo medio.

Seruus meus es tu Israël, quia in te gloriabor.

Sara partum ex ancilla sua suum reputat. Gen 16.

Seruis Ecclesiæ vel Sacerdotum prædas & captiuitates exercere non liceat, quia iniquum est, vt quorum Domini redemptionis solent præstare suffragium, per seruorum excessum disciplina Ecclesiastica maculetur, Conc Aurel. IV. c. 23.

Quod agit in virtute alterius, vt instrumentum, non assimilat sibi patiens sed principali agenti; non enim domus assimilatur instrumentis, quibus artifex vtitur, sed arti ipsius.

Romani victores auxiliaribus copijs non decernebant coronas capiti imponendas, sed torques, annulos, alia ornamenta, etiam equorum ex auro. Modest de voca. rei milit.

Effectus causæ mediæ procedens ab ea, secundum quod subditur ordini causæ primæ, reducitur etiam in causam primam, sed si procedat à causa media secundum quod exit ordinem causæ primæ, non reducitur in causam primam Sicut si minister faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum sicut in causam.

Nullum instrumentum secundum virtutem propriæ formæ potest ad vltimam perducere perfectionem, sed solum secundum virtutem principalis agentis.

Operationes partium, attribuuntur toti per partes, dicimus enim quod homo videt per oculum, & palpat per manum.

Si qui debet restituere nominauerit eū per quem debet fieri restitutio, & ipse officio suo non sit functus, debet alio modo & iterum restituere. quod si mediator nominatus sit ab eo cui debet fieri restitutio, & defecerit, censetur facta restitutio. Bonac. de restit d. 1. q 3. p. 8.

Qui præcipit delictum, se habet vt causa principalis, ideo potissimum tenetur ad restitutionem, exequens verò se habet vt instrumentum. *V. medium minoritatis.*

Delegatus Papæ potestatem habet non solum in partes, sed etiam in alios qui jurisdictionem suam impediunt, etiamsi sint multo superiores, c. 1 de off. deleg. in 6.

D. Chrys. hom. 17 in 1. ad Cor. dicit vitia non esse imputanda corpori, quod sæpè doloribus & laboribus à vitijs auertit, sed incontinentiæ animi, vt sæpius est aurigæ vitium, non equorum, non fræni, si currus sursdeque vertatur. Nam ea quæ sunt corporis sunt perpetua & necessaria, vt objecti conuenienter dispositi sensus, at non est communis omnibus fornicatio, &c.

Honor ministro delatus refunditur in Dominum. *Vide gloria medij*, honor ministri.

Angelus inferior lumen per superiorem acceptum non reflectat in ipsum, sed in Deum primario illustrantem. *V princ. cognit.* scientia à Deo.

Dicitur aliquis agere, quod fit ex eius mandato, Tost 1. Par. f. 212. c. 3. h.

Magna in scripturis dicuntur à Deo fieri, licet fiant per Angelum. Idem Math. tom. 4. fol. 222. c. 2. 2.

Aqua pluuia nocere censetur quæ mixta fontium & fluuiorum aquis altiores & vehementiores efficit, l. 1. §. in summa de aqua & aq pluu.

Si riuus tenuiter fluit, non est aluei culpa, sed fontis. D. Hier. Marco Presbytero.

REPVGNAT.

Non verum principium.

INcubi dæmones humano semine suffurato, videri volunt genitores & parentes hominum.

Abbas Serapion, infectus hæresi Antropomorphitarum, qui asserebant Deum esse corporeum, homini similem; ad veritatem conuersus, aliorum eremi patrum colloquio, tamen exclamauit, heu me miserum, tulerunt à me Deum meum, & quem nunc teneam non habeo; quem adorem, & interpellem jam nescio. Cassian. coll. 10. c. 2.

Sunt animalia exanguia, quæ quia sanguine viuant, sanguinea videntur, cujusmodi sunt hirudines, pediculi, cimices, pulices, cyniphes. Card. de rer. variet c. 28.

Si Mars Lunam de nocte, vel venerem in die pulsauerit, matrem significat impudicam, & partum non legitimum. Idem de iudicij genitur. c. 13.

Syluani & aliæ monstrorum figuræ, vnde manant aquæ de quibus, Cujac. obs. l. 11 c 2.

Alienas sententias qui surripiunt similes sunt furibus alienis poculis ansas mutantibus, detracto verbo. aut mutato, aut adjecto, putant se alienas sententias lucrifecisse. Senec controuers. libro 10. co. c

Simile quid dici potest de concionatore sacrilego qui alterius labores suffuratus, nihil suum proponit auditoribus præter vocem & audaciam; auis misera plumis nō suis recta, sed inconcinnè, vt propria tamen nuditas inter colores appareat. Infœlix nunc sæculum in quo Salomon nullus, qui jus veræ parentis discutiat, dicatque da huic infantem. Vespæ sunt quæ nunquam mel conficientes semper comedunt, laborant furto, ne laborent studio, arescunt mentes, vt vbera quæ non suguntur; sic Deorum statuis olim inserunt Claudij, Neronis, immerita principum capita artifex adulatio. Hac in materia ludit Firmianus in genio sæculi, jucunda dissertatione.

Musca curriculo insidens, si excitare diceretur puluerem; formica aratro hærens, terram arare, falsissima esset assertio, vt eorum qui se venditant authores rerum ab alijs rectè factarum.

Digitized by Google

GLORIA PRINCIPII.

GLORIA DEI, IN OMNIBVS QVÆRENDA.

IN templo eius omnes dicent gloriam, Psal. 28. In templo mundi in quo cæli enarrant gloriam Dei: Angelis maxime cura, omnia referre ad gloriam creatoris; id præstant cæteræ creaturæ, siue mutæ, siue loquaces.id potissimum expectatur ab homine, rationis & Religionis capace, vt & in templo mundano, & in manufacto, Deoque consecrato, dicat Deo gloriam, non vanos sermones, non seruiat oculorum concupiscentiæ,non animum illic mundanis curis impleat,& cogitationibus,sicque Deum & Angelos, etiam homines, indeuota compositione offendat. D. Basil.in d.Ps 28.

Prostratio repræsentat defectum nostrum, ex eo quod ex nihilo sumus, vnde ex toto prosternimur, & surgendo ostendimus, nos ab alio esse erectos, vnde debetur creatori secundum Damascenum. Alb Mag. in c.1. D.Dionys.de cælesti Hierarchia. Genuflexio autem debetur Redemptori. *Vide media minoritas.*

Laus Dei in eo maximè consistit,vt omnia reducantur ad ipsum, *vide finis differ.* Reditus ad propria.

Serui pugnant pro dominis, ciues pro suo principe, & pro sua patria, filij pro parentibus, amoris & gratitudinis causa Sic homines pro gloria Dei, Domini,& parentis contra eos qui illam impugnāt, non quod nostra opera indigeat, sed vt grati officium nostrum in eius honorem & aliorum ædificationem exhibeamus.

De Dei cultu. Bernard. quadrages. prima, sermon.9.

In oratione Dominica, petimus sanctificetur nomen tuum, id est,nomen quod per se sanctum est, sanctificetur in nobis., id est.per nostros actus bonos,vt per malos blasphematur,Roman.2. Chrysol. serm 67.

Vide potestas voluntatis, de libero arbitrio nobis dato,vt omnia referamus ad Dei gloriam.

Quærat quisque vnum, verum, bonum, id est Patrem, Filium, & Spiritum sanctum,Deo gloriam referet,sibi salutem. Cusa Card. excitat.libro 3. capite 16.

Vide quomodo Deus est finis omnium suorum operum, sanctificat vt sanctificetur,instruit vt intelligatur, iustificat vt iustificetur, clarificat vt clarificetur, amat vt ametur, & sic de singulis. Ideo amantes Deum, amantur, scientes sciuntur, nescientes nesciuntur. Ibidem, libro decimo, capite 15.

Creata omnia adorant perfectionem Dei, cujus singulariter præferunt imaginem, vt Seraphim æternum amorem, Cherubim sapientiam, throni

A firmitatem & æternitatem immutabilem, &c

Cum Moyses eleuat manus vincitur Amalech. Eleuare manus, hoc est, opera & actus eleuare ad Deum, & non habere actus deorsum dejectos, & humi jacentes, sed Deo placitos, & ad cælum erectos Eleuat manus ille qui dicit,eleuatio manuum mearum,sacrificium vespertinum. Origen. hom 11. in exod.

De omni verbo otioso reddenda est ratio. In hac autem vita homines, totum pœnè otiosum & inane est,quod loquūntur,quod agunt:inanis enim dicitur omnis actus,& omnis sermo,in quo non est aliquid intrinsecum pro Deo, vel pro mandato Dei,Id.hom 25 super num.

B Absurdum est vt cæli enarrent gloriam Dei, tu cujus gratia cæli Deum laudantes facti sunt, talia facis vnde blasphemetur propter te, qui fecit te Deus:dicuntur cæli laudare Deum,etiam tacentes, quia suo aspectu, alios ad laudandum prouocant. Sic qui vitam exhibent suspiciendam, etiamsi taceant, Deum glorificant, dum propter eos alij ipsum glorificant; non enim tantum habent, vnde admiratione digni sint cæli, quantum vita pura ac munda.D.Chrysostom. homilia 18. in epist.ad Roman.

Iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur, 1. Corinth 4. Id est quæ sunt Domini non sibi vindicet: vis videre fideles dispensatores,
C audi Petrum, Act. 3. quid nos respicitis quasi hunc nostra virtute fecerimus ambulare,& Cornelio,nos similibus subjecti passionibus sumus. Id.hom. 10. in 1 ad Cor.

Vt glorificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis, & vos in illo,2. Thessal. 1 Glorificatur in nobis, quoniam nihil ei præferimus; glorificamur in ipso, quoniam ab ipso accepimus virtutem, vt non cedamus malis quæ inferuntur. Id.hom.3. in 2, Thess.

Siue manducatis, siue bibitis omnia ad Dei gloriam facite, Cor. 10. Sicut Deus est perfectæ potentiæ, ita est perfectæ bonitatis, sed ad perfectionem potentiæ eius pertinet, quod nihil habeat esse nisi
D productum ab ipso, ergo & ad perfectionem diuinæ bonitatis pertinet,quod ametur nihil, nisi quod est in ordine ad ipsum.D Thom.in Mag. sentent.d. 1. q. 3.

Vide veritas finis, Deus summum bonis bonum, & in eum resolui debet omne bonum.

D.Basilius super illud Lucæ, porro vnum est necessarium, dicit, vniformis est vita Christiana ad vnam tendens intentionem, scilicet gloriam Dei, multiformis vero & varia est vita eorum qui externis pro libitu suo varijs adhærent.

Digitized by Google

A cultu Dei interiori qui consistit in fide, spe & charitate, nemo potest eximi, Tostat. 4. Regum f. 53. c. 4. g.

Holocaustum erat sacrificium quod fiebat solum ad laudandum Deum, & detracta pelle totum animal comburebatur, Leu. 1. Tota rerum gloria Deo deferatur, eius nobis nulla parte seruata.

Ad Dei gloriam omnia refert homo qui cognoscit nihilum suum essentiale, *V. cognitio minor.* nosse proprios defectus.

Christus factus est nobis redemptio, qui seipsum vt nos redimeret pretium dedit, nosque propriam sibi possessionem effecit. Dominum itaque sequamur omnino, vt non amplius nobis viuamus, sed illi qui nos vitæ suæ prætio comparauit. Illius ergo voluntas nobis pro lege viuendi proposita sit, D. Greg. Nyss. l. de perfecta Christiani forma.

Sic luceant opera vestra bona coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Math. 5. hic est finis vt ad Deum omnis actionum gloria referatur, à quo habemus vt fiant. Ita dicit Dauid, Psal. 21. apud te laus mea, & Psal. 33. In Domino laudabitur anima mea, Idem lib. de scopo Christiani.

S. Ephrem mulierem petulanter in eum oculos figentem sic arguit; cur me sic intueris mulier, cui illa promptè, quoniam ex te viro ego sum, profuit illi hæc responsio eum ad Deum eleuans parentem, D. Greg. Nyss. in eius vita.

Triplex est cultus Deo debitus, scilicet cordis, oris, & operis. Cultus cordis in cognitione & affectione, cum debita subjectione, scilicet fides, spes, charitas. Laurent. Iust. tract. de iustitia, tr. 5.

Partium virtus, in totius gloriam refunditur. Vide quæ scripsi de iure naturali, libro primo, lege duodecima, § secundo. De gloria Dei, Theolog. natur. to. 3 parte 1. c. 21. De puritate intentionis, & quod omnia sint ad laudem Dei referenda, moral. Christ. to. 1. p. 2. c. 10.

Externis bonis & internis, scientia, pulchritudine, sanitate, nobilitate & cæteris vtendum ad Dei gloriam. Ibidem tomo 4 parte prima, capite 3. & sequentibus. Principium pietatis est sublimem habere sensum de Dei maiestate, lib. de institutione & officiis religiosi, parte secunda, capite 18. Religiosus agat in omnibus ad maiorem Dei gloriam. Ibidem parte 4. c. 4.

Qui totum quod habet in Deum refundit, immensum lucratur, *vide virtus minor.* humilitas, ex Laur. Iust.

Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, Ps. scilicet gratiarum actiones, cantica laudis, amoris carmina, jubilationis vota, præconia majestatis. Id.

Seruus tuus sum ego, Ps. 118. In omni vitæ genere famulatu conditionis suæ fungebatur Propheta, ambulans, residens, vigilans, dormiens, edens, Domino, non voluptati, luxuriæ, &c. D. Hilar.

A

GRATIARVM ACTIO Deo.

Xenophon monebat Deos maximè colendos rebus prosperis, vt eosdem habeamus prosperos in aduersis. Plutarch. l. de tranquill. animi.

Deus nullius rei indigus non victimas & donaria à nobis postulat, sed gratitudinem. Vnde paupe- res pro ouibus par turturum offerebant, & thure rem diuinam faciebant. Non donorum quantitatem, sed animi qualitatem respicit, etiam illi pij sermonis placet oblatio.

B Sacrificium in quo conficitur corpus Christi, dicitur à Latinis Missa, quia per consecrationem, Christus ad nos mittitur à Patre, & per oblationem ac sumptionem à nobis remittitur ad Patrem. Bellar. l. 1. de Missa c. 1.

Qui pecuniam mutuo dat ad nauem vel domum ædificandam, habet in illa hypothecam præ cæteris creditoribus etiam prioribus, lege 5 ff. qui potior. in pignore. Deus dedit bonum omne temporale & spirituale, scilicet gratiam qua operamur, ideo præferendus est, *V. principium virtutis*, Dei gratia.

Cuncta, inquit Proclus, præcantur, hymnosque concinunt ad ordinis sui duces, sed alia modo rationali, alia naturali, alia vero sensibili, hinc Heliotropia mouentur ad Solem, Selinotropia ad Lunam, vir tantum bonus ad Deum, Rod. l. 7. lect. antiq. c. 26.

C

Deus enim est dator victoriæ. *Vide principium gloriæ*, ideo offerebantur hostiæ & victimæ.

Masculus quilibet fidelis ter quotannis tenebatur Hierosolymis, se coram Deo sistere in festo Paschatis, Pentecostes, & tabernaculorum Doctores Hebræi.

Iudæi ex traditione, antequam ederent in conuiuio præmittebant benedictionem hanc. Benedictus sit, cujus sunt quæ comedimus, & cujus gratia viuimus. Benedictus es Domine Deus noster Rex mundi, qui nutris mundum vniuersum bonis tuis, &c. Voisin l. de lege diuina c. 15.

D Animalium antiqua sacrificia sunt abolita, & pro eis est introductus cultus rationalis, qui per animũ & spiritum offertur. Spiritus enim est Deus, & eos qui ipsum adorant, in spiritu & veritate oportet adorare. Hujus sacrificij victimę sũt, modestia, temperantia, eleemosyna, tolerantia, lenitas & patientia. Sacrificate sacrificium iustitiæ, Ps. 4 Sacrificium laudis honorificabit me, Ps. 49. &c. D. Chrysost. ho. 11. ad Hebr.

Horæ canonicæ quæ decantantur in Ecclesia, sunt vectigales gratiarum actiones Deo, *Vide concord. differ.* psalmodia.

Cognitio Dei & cultus religionis probat immortalitatem animæ. Vide quæ scripsi. Theol. natur. to. 2 p. 1. c. 32.

E *Homo tenetur ad cultum Dei, sensus & cultus Dei, est maximum naturæ suæ priuilegium, nullaque solida sine religione virtus. Ib. to. 4 p. 1. c. 2. 3. 4. Est quædam religio naturalis. Ib. c. 7. præcipuũ hominis officium est seruire Deo, mor. Christ. to. 1. p. 2. c. 1. Deus nobis concedit rerum vsum sub certis quibusdam conditionibus. Ib. to. 4 p. 1. c. 2. De conuersis ad Deum propter accepta beneficia, ib. c. 17.*

De ingratitudine erga Deum, *vide æqualitas bonitatis, Rep.*

Digitized by Google

SACRIFICIVM, decimæ.

DE sacrificijs ex Porphyrio, Ficin. tom. 2.
Vide potestas bonitatis.

D. August contra Faustum, capite 21. loquens de Eucharistia dicit, huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per victimarum similitudines promittebatur. In passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per Sacramentum memoriæ celebratur, Malach. 1. v. 10. In omni loco sanctificatur & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus. Christus dicitur Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, Psalm. 109. v. 4. & Heb. 5. v. 6. & c. 6. v. 20. Melchisedech obtulit sacrificium incruentum quale fit in Eucharistia. Offertur Deo, quæ est prima conditio sacrificij, & victima velut mortua offertur, quia in Eucharistia, Christus est velut in cruce mortuus, & licet viuens, mortui figuram præfert per separationem sanguinis à corpore, & quia illic videtur priuatus, omni sensu & motu: destruitur in hoc sacrificio præsentia, & remanet substantia, & sic in eo sacrificio magis effulget Dei omnipotentia. Hæc fusius habentur apud Card. de Richel. controuers. libro 4 c. 5. in eo sacrificio non est tantum destructio per transsubstantiationem, sed & productio.

Decimæ vt offeruntur Deo, sic apud Persas offerebantur Regi, itavt singulis diebus aliquid offerebatur eorum omnium quorum regio ferax erat, Dauity in Perside.

Christus primogenitus in æternitate, de quo *vide gloria durat* prioritatis, etiam se obtulit patri, velut primitias.

Indignum existimo & impium decimas & primitias non offerre sacerdotibus; non videtur mihi hæc anima habere memoriam Dei, nec cogitare, nec credere, quia Deus dederit fructus quos cœpit, quos ita recondidit, velut alienos à Deo, vt non muneret Sacerdotes, propterea ipsum honorantes, Orig. hom 11. super num.

Vult à nobis aliquid accipere Deus, & ita nobis aliquid ipse largiri, vt dona sua & munera, merentibus, & non immeritis largiri videatur, Ibidem hom 14.

D. Chrysost. ho. 43. in 1 ad Cor. suadet ex omni prouentu legitimo, seu fructuum terræ, commercij, industriæ congregare decimas quæ postea in pauperes distribuantur.

Terra prius protulit herbas quam animalia, vnde Deo rerum omnium primo parenti antiqui offerebant herbas. Rod. l. 12. c. 1.

Vtopienses nullum animal in sacrificijs mactant, nec putant cædibus placari Deum, qui vitam animantibus dedit, vt viuerent. Thus incendunt vt innoxium colendi genus. sic accensis luminibus. Th. Morus Vtopiæ Reipubl. l. 2.

Sacrificij ab origine mundi institutio, *Vide principium gloriæ*, Christus saluator, fuit vel ab exordio mundi sacrificandi ritus, vt de immolato ederent sacrificantes. Van helmont. tract. natura contrariorum nescia.

Ex agno Paschali quædam ad Deum pertinebant, scilicet sanguis & adeps.

Pauca erant animalia in arca, necessaria ad reparationem orbis, scilicet paria septena munda, & tamen ex omnibus illis Noë obtulit sacrificium Deo, Gen. 8.

De sacrificiis, primitiis, decimis, vide quæ scripsi Theologiæ naturalis, tomo quarto, parte prima, capite 8. & 9.

TEMPLVM.

DE templo diuino, Simeon Thessal. bibl. Patr. to. 15.

De templis Bellarm. to. 2. contr. 4.

B In vrbe Ratisbone imperiali Germaniæ tot sunt templa, quot anni dies 365.

Si exod. 31. Deus tanti facit ædificationem tabernaculi, quod nouerat in proximo euacuandum, quanto magis sibi vult Ecclesiam construi, vsque ad finem sæculi duraturam. Petrus Dam. l. 8. ep. 5.

Templa restaurentur ab his qui beneficia percipiunt, Conc. Francoford. can. 26.

Deus vbique potens, certis tamen in locis vult manifestare potentiam suam, vt in arca, in monte Sinaï, in templo Salomonis, in Hierusalem; sanabantur à serpentibus tantum qui erant in conspectu serpentis ænei, sanabatur qui primus descen-
C debat in piscinam. D. Augustin. epistol. 137. ad clerum & populum Hipponensem, dicit inscrutabile esse iudicium Dei, quo fit, vt existens vbique in aliquibus locis & in certis memorijs martyrum, non in alijs, nec in omnibus miracula operetur.

Mundus est maximum Dei templum, *vide virtus potestatis*, integritas Sacerdotum. Alterum templum manufactum fuit Hierosolymis, non enim erat reprimendus impetus hominum ad pietatem properantium, aut pacem veniamque petentium, Philo l. 2. de Monarchia.

Templorum dedicatio est maximum opus, *V. dur. princ.* benedictio parentum.

D Abraham vbicumque volebat faciebat altare ad immolandum; tempore tamen legis Mosaicæ, non vbicumque, sed in certo loco, videlicet intra atrium tabernaculi fieri debebat, Tostat. in Gen. p. 67. c. 1. c.

His qui non reparant templa diruta minatur Deus sterilitatem terræ. Idem Math. tomo quarto, f. 128.

Templa debent esse pulchra & prætiosa, *Vide cognit virt* cæremoniæ Ecclesiasticæ, præstant asylum, *vide medium gloriæ.*

In mundo celebria fuere templa, ad quæ conueniebant populi ex omnibus partibus. Apollinis Delphici propter oracula; Ephesinæ Dianæ. Iouis olympici in monte olympo ad cujus radices singu-
E lis quatuor annis completis fiebant certamina. Templum Ierosolymitanum, nunc apud Turcas est Mecha, vbi dicitur Mahomet sepultus, Tost. Iosue, to 1. f. 114.

De pia templorum ædificatione. Vide quæ scripsi, lib. de agente Dei in humanis, parte prima, capite 18.

Templum ædificatum est in eo monte, in quo accessit Abraham, sacrificaturus filium, Alcuin. in Genes. interr. 202. locus sanctificatus obedientia.

Si quis docet domum Dei contemptibilem esse, & conuentus qui in ea celebrantur, anathema sit.

Concil. Gangrense can. 5. Templa & loca deputata ad sacrificandum & orandum, nullius vtilitatis esse docuerat Eustathius eo Concilio damnatus, postea idem docuerunt Massaliani, Fratricelli, Vuiclefus, Valdenses, Anabaptistæ. Tempore Apostolorum ædificatas Ecclesias constat, ex 1. Cor. 11. & 14. Conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse, vide Bar. an. 57. nu. 98. 99.

IN TEMPLIS REVERENTIA.

AGnes Imperatrix consuluit Petrum Dam. opusc. 56. cap. 5. an liceret in locis egestionis & inhonestis aliquid ruminare Psalmorum, respondet illud, 1. Timoth. 2. volo vos orare in omni loco. Agnes orauit & Angelum inuenit in lupanari. Iob Deus visitauit in sterquilinio, quid dicent qui de Ecclesia locutorium & conciliabulum faciunt, &c. Cum in Ecclesiam intratur, credere debemus, nos de hoc mundo ad cælum, seu Dei habitaculum Sanctum, plenum odoribus sanctarum orationum cum lætitia intraturos vsque ad altare Dei; & ibi nos oblaturos Deo Patri Christum qui in nobis est, & nos ipsos in illo, & quod Deus Pater hanc oblationem recipiet, & nos ipsius in Christo Iesu suæ communionis participes faciet, & æterna vita reficiet, Card. Cusa excit. l. 4. c. 4.

Iacob post visionem scalæ dicit, terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli: vbi enim Sanctum celebratur baptisterium, & corporis & sanguinis Domini conficitur Sacramentum, vnde animæ fideles cælo renascuntur, & Angelorum manibus feruntur in cælum, quid nisi porta cæli, &c. Rupert. in Genes. libro septimo, capite 24.

Vt in Ecclesijs conuiuia non celebrentur, Conc. Afric. c. 9. Aquisgran. c. 59 & 80. habetur d. 42. c. non oportet.

Melius esset in Ecclesiam non venire, quam ibi verbum Dei non audire, & alios impedire ne audiant; augere delicta, pro quorum remissione orare debuerant. Si Dominus ejecit è templo vendentes ea quæ pertinebant ad sacrificium, quanto magis, &c.

Deus plus reuerentiæ petit à Moyse, dum accedit ad Rubum, quam in alio loco.

Cærimoniæ dictæ sunt quasi carimoniæ, eo quod ex rebus caris & pretiosis fiebant, Isidor. orig. l. 6. c. 19.

Olim sacrificantes Dijs omnibus capita velabant, ob hoc, ne se inter religionem vagis offerret aliquid obtutibus, excepto tantum Saturno, quia tempus occulta tandem aperit, Seruius in illud 3. Æneid. purpureo velare comas adopertus amictu.

Conqueritur Dominus Hier. 12. Conuerterunt ad me dorsa, & non facies suas. Non enim conuersi sunt ad Deum, qui existentes in templis corpore, mente negotijs, jurgijs, voluptatibus, suis denique passionibus intenti sunt. Orig. ho. 12. in exod.

Venientes ad Ecclesiam non veniunt, qui non verbo Dei, sed fabulis vacant, Idem hom. 1. de Iesu Naue.

Coram Rege potissimum in cæremonijs cũ inauguratur, continemus vocem, & in ea quæ fiunt dirigimus oculos; etiam in theatris meretricis spectaculo totaliter sumus intenti. Deo autem è cælis

A loquente de rebus adeo stupendis ac reuerendis, canibus sumus impudentiores, ne Deo quidem tantã exhibentes reuerentiam quantam meretricibus, dicebat Paulus, an non habetis domos ad comedendum; & ego, an non habetis domos ad nugandum, & Ecclesiam Dei contemnitis, vt in ea velut in foro & in balneis de rebus ciuilibus, domesticis, etiam impudicis habeatur sermo, vt alijs quoque diuinis attendere volentibus damnum afferas. In Ecclesia vnam semper oportet esse vocem, tanquam vnũ sit corpus, propterea qui legit solus loquitur, qui psallit solus psallit, & si omnes respondendo resonent vox fertur tanquam ex vno corpore, &c. D. Chrys. hom. 36. in 1. ad Cor.

B Hinc omnia perjerunt, quia quo tempore Deum reconciliare debemus, iram eius prouocamus, pro populis, pro Regibus, pro terra, mari, aëre benignum Dominum adire jubemur, nec tamen pro nobis attento & vigilanti animo precamur, in Ecclesijs non orantes sed confabulantes, Id. hom. 2. in 2. ad Cor.

Fana dicebantur templa idolorum, à Phanome, quod est apparere, quia ibi fiebant dæmonum apparitiones, Tost. 2. Par. f. 186.

Apud Iudæos cauebantur immunditiæ quæ non erant peccata, vt tangere mortuum, sepelire, tangere reptile, &c. & tales impediebant ab accessu sanctuarij propter eius reuerentiam; nunc Iudæi qui non habent sanctuarium cauent tantum ab immunditijs quæ sunt peccata, vt accedere ad mulierem menstruatam, Id. Leu. f. 148.

C Templa Iudæorum non debent prophanari. l. in Synagoga, C. de Iudæis, similiter & Mesquitæ Sarracenorum, Tost. 1. Reg. to. 1. f. 141.

Propter reuerentiam in templis constituitur asylum, *V. medium glor.* templi asylum.

Ad debitam templis reuerentiam pertinet munditia & ornatus, *vide cognitio viri.* cæremoniæ Ecclesiasticæ.

Ad radices Atlantis montis est per breuis planities ferax & Deo sacra, cum adjacentes campos oceanus æstu suo aspergat, ad Atlantem accedens in speciem erigitur montis; videre est aquam vi propria stantem instar muri, quæ neque vallem influat,

D neque soli attactu fulciatur, Maximus Tyr. ser. 38. sic describuntur aquæ maris rubri & Iordanis instar muri stantes, vt Israëlitis liberum præberent transitum. Arcam Dei portantibus.

Templum Dei sanctum est, quod estis vos, inquit Paulus; tantus hospes conseruandus est, nec tetro peccatorum fœtore expellendus.

De templis debita reuerentia Vide quæ scripsi, mor. Christ. to. 1. p. 2. c. 14. & 15. & l. de agente Dei in humanis p. 1. c. 8.

Domus priscis temporibus Ecclesiæ erant, nunc ipsa Ecclesia in domum redacta est, nil autem in priuata domo carnale loquebantur, nihil nunc in Ecclesia spirituale memoratur, sed huc etiam fori & iudicij negotia introducitis, &c. D. Chrysost. ho. 33. in Math.

E Quid facis homo, mulierum speciem curiosius in Ecclesia perscrutaris, nec horrescis tanta templum Dei afficiens contumelia? prostibulum tibi videtur Ecclesia? Deum eo ipso tempore quo tibi loquitur, quo à te alloquendus est, offendis, &c. D. Chrys. ho. 74. in Math.

D. Hier. ad Sabinianum Diaconum, qui in præsepe Domini Virginem Deo sacram sollicitauerat, recensitis prioris vitæ criminibus; quantum, inquit, crimen est, vbi stuprum & adulterium parum est.

Infœlicissime mortalium, tu speluncam illam in A
qua Dei filius natus est, & veritas de terra orta est, de stupro conditurus ingrederis. Non times ne de præsepi infans vagiat, Virgo puerpera videat. Angeli clamant, pastores currunt, stella desuper rutilat, Magi adorant, & tu cubiculum Virginis, decepturus Virginem irrepis. Tota Ecclesia nocturnis vigilijs Christum Dominum personabat, & tu amatorias condebas Epistolas, quas illa miserabilis, quasi flexo adoratura genu, inueniret & legeret, &c.

Constitutio Pij V. an. 1566 carcere & pœna pecuniaria punit eos qui irreuerenter se habent in Ecclesijs, prophana etiam turpia loquuntur, signis, vel voce. Summar. bulla. voce reuerentia.

Eleemosynas peti per Ecclesias, dum diuina ce- B
lebrantur officia prohibuit Pius V. const. 5. §. 5. p. 135. tomo 2.

QVÆ REPVGNANT GLORIÆ Dei.

Falsum iuramentum.

IVramentum seruandum. *Vide duratio voluntatis.*

Periurium coram iudice licet in graui bonorum causa nunquam permissum. Vide quæ scripsi de iure natur. l. 2 lege 16. 3 3. Abstinendum à iuramento, & nomen Dei in vanum non sumendum, l. de agente Dei in rebus. p 1. c 10.

Olim nudis verbis habebatur fides, & inter duos inita stipulatio fatum erat irreuocabile, tandem inter cupiditates nutans, infirmiorque facta veritas, inniti cœpit scriptis authenticè contractibus sigillo vel nota publica munitis. Cum hujus autem solemnitatis moras, vrgens rerum occasio non semper pateretur, & vel in bonæ fidei, vel in stricti juris contractibus facilè dolus subrepat, vtrique malo prouisum, adjecta juramenti religione; cum enim contrahentium conscientia mutuis non subjaceat aspectibus, aduocatur Deus cordium scruta- D
tor, velut testis, cautio, fidejussor, & per primam essentialem veritatem quæ fallere, nec vult, nec potest, dictis vel promissis fidem astruunt; rem tam veram & certo factam vel faciendã, affirmant, quã verũ est Deum esse secretorum cordis falli nescium judicem. Itaque jurans oppignoratur Deo, quem profert hoc in negotio fidejussorem, si non stet promissis sub hac solemnitate factis, ipsi priusquam homini fidem violat, opere blasphemo asserit Deũ non esse verum, corda scrutantem, veri vindicem. Iuramento firmatur ministrorum omnium, ærarij, belli, justitiæ, regiminis fides, & ipsa quæ Religioni, quæ populo promittitur à Regibus, cura, protectioque. Si tollas sacrum hoc fidei vinculum, fluxas, ex se voluntates, numinis reuerentia continens; si qua- E
cumque de causa pejerare liceat, læditur religio, qua sic impiè mala fides abutitur; læditur Respublica spoliata subsidio cælestis fœderis, quo legem in externa tantum regnantem, vultum, non affectum exigentem, mittit in interiora cordis, & efficit velle, quod præcipitur. *Ex principijs.*

BLASPHEMIA, IMPIETAS.

NImius *amor sui parit impietatem, vide voluntas bonitat. inordinatus sui amor.*

Ad Dei laudem & amorem nos prouocant omnes creaturæ, immensa, tum naturæ, tum gratiæ dona corporis, mentisque necessitatibus ad delitias vsque prouida. Miserum est quod à veris bonis auersa cupiditas, ex opinione falsa sectatur, & in his excellere sibi putat optimum. Hinc rapit auaritia, anhelat ambitio, furit ira, fordet luxuria, quæsita profundit, quæ turpius reparet, vanitas. Cum autem his acti perturbationibus audiunt esse Deum omnipotentem, vellent eum habere suarum cupiditatum ministrum, id negantem, quibus possunt verbis contumeliosis, execranda cunctis blasphemia non timent infamare. Horrendum dictu, vellent veritatem falsi, justitiam iniquitatis, sanctitatem omnis immunditiæ terrenæ, turpiter incentricem fieri, & ipsum peccati, quod probibet authorem; quis furor in Deo ponere contradictoria, ipsum confiteri simul & negare, vellent tantum potentem, ad iniquitates, malis tantum cupiditatibus propitium, aliorum justissimis etiam votis aduersum; causam vniuersalem, singularem fieri, iniquæ personæ turpiter acceptricem. Surgit iterum quæ mortua credebatur idololatria, non agnoscitur nisi criminum author & protector Deus; si defecerit, vt deficere necesse est, ab iniquissimis postulatis officijs, si non fauerit aleæ, rapinis, libidini; durior contumelia furit impietas in eum, plusquam ira præceps in seruum delinquentem, ipsum, quantum potest impius, impotentiâ damnat, & è throno deijcit. Eminet illæsa diuinitas, & ad illam cum hæc tela non perueniant, in caput noxium, hoc vel alio sæculo retorquentur; in hominum tamen societate tot diuinis beneficijs ad gratitudinem & amorem prouocata, quis ferat impium ipsi Reipublicæ omni portento magis exitiosum? quis ferat pejorem dæmonibus qui Deum confitentur & contremiscunt? Omnes afficit, in omnium creatorem inardescens blasphemia, fidem omnium execrando percutit scandalo, seuerioribus iustitiæ pœnis compescendo, *ex principijs*

Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum. Ps. 1. Sunt impij qui cognitionē Dei expetere fastidiunt, nullam esse dicunt creationem, mundum fortuitis motibus consistere, & ne creatori relinquant judicium malè actæ vitæ, volunt ex necessitate naturæ se nasci, & ex eadem necessitate dissolui, &c. D. Hilar. in d. Psal.

Blasphemorum, ac maledicentium Deo verbis obscœnis pœnæ. Leo 10 const. 7. §. 33. Bulla. p. 408. to. 1 Iul. 3. cons. 23. p. 584. t. 1. Pius 5. const. 5. §. 10. p. 136. tom. 2. Confraternitas Sanctissimi nominis Dei erecta fuit in Hispania, ad cauendum blasphemias & perjuria. Pius 4. const. 78. p. 81. to. 2.

Fugimus conuersationem eorum qui de nobis, de amicis, de principe maledicunt, non fugimus blasphemos, quia minus amamus Deum, quam creaturam, scientes Christum crucifigunt, cum Iudæi ignorantes crucifixerint.

Diagoras Philosophus dictus impius scripsit orationes quæ ἀποπυργίζοντες vocantur, quasi turrium & munitionum destructrices, in quibus opinionem de Dijs refutat. Suidas in verbo Diagoras.

Nequi-

Nequidem licuit Iudæis Deos alienos blasphemare propter honorem nominis Dei. *Vide magnitudo concordantiæ*, omnibus humaniter conformari.

Ego puto quod non ille solum maledicat Christo, qui sermonem aduersum eum maledicum profert, sed & ille qui sub nomine Christiani male agit, & turpiter conuersatur, & inhonestis verbis vel actibus suis, facit nomen eius blasphemari inter gentes. Origen. hom. 17. super numer. *Vide cognitio minoritatis*, scandalum, *& supra hoc titulo gloria Dei*.

Blasphemia est quando aliquid impiè vel in honestè dicitur contra honorem Dei, ei tribuendo quod alienum est à perfectione naturæ suæ, est idioma infernalis inimici & damnatorum; est magna causa pestilentiarum, bellorum, cæterarum calamitatum in regnis, in quibus non coërcetur; non excusat consuetudo vel publica vel priuata, quia si mox punirentur, cauerent à tali excessu; peccatum illud cadit in eos qui libenter audiunt, nec impediunt cum possint. Non patiuntur Principes & Ecclesiasti in aliquo honorem, aut dominium suum lædi, cur ergo suos subditos & patresfamilias suos domesticos non coërcent ne Deus offendatur, nulli propterea parcendo; ad tam graue peccatum tollendum consentire debent prædicatores & scriptores in monendo, potestates sæculares & Ecclesiasticæ in coërcendo. Gerson. tomo 4. de peccato blasphemiæ.

Blasphemus à toto populo lapidabatur. Leu.

Infortunæ conjunctæ in nona, vel ibidem cum Mercurio, eos efficiunt qui Deum non reuerebuntur, atque hoc magis si vim habeant in ascendente. Cardan aph sect 4. aph. 134. Mars in nona facit impium & Dei contemptorem, Saturnus hæreticum. Ib. sect. 5. aph. 38. erit impius si Luna fuerit inter infortunas, hæreticus, si Luna & Mercurius, & Dominus ascendentis fuerint in bicorporeis, tunc erit alienæ legis particeps. Ib. aph. 183.

IDOLOLATRIA.

DE Idololatria. Gregor. Valent. controu. sect. 5. Bernard. quad. 1. ser. 10.

Idololatria est peccatum, quo honos seu cultus Deo tribuitur creaturæ, est grauissimum peccatum, quia tollit honorem Deo, & transfert illum in creaturam.

Si facit homo Deos, & non sunt Dij. Hier. 16. Non solum de corporeis simulachris faciunt sibi homines Deos, sed & de corde confingunt, quales sunt Philosophi, vel hæretici per falsa dogmata, & qui voluptates illicitas sectantur. Origen. hom. 12. in Hierem.

Varij sunt idololatriæ modi, hic Bacchum, Venerem, Martem adorat cui esca, potus, luxuria, ira, vindicta Deus est, non boues, sed suam animam sacrificāt, genua non flectūt, sed his passionibus dicto obedientes sunt: in hoc gentiles fuerunt execrabiles, quod hominum affectus Deos effecerunt, sic Paulus auaritiam vocat idolorum seruitutem, &c. D. Chrys hom. 6. in fine, in c. 3. ad Rom.

De origine idololatriæ, & quomodo ab illa ratione se vindicantes Philosophi, multitudinē Deorū in naturā, naturam in Deum retulerunt, vide quæ scripsi Theat. natur. p. 1. cap. 7. quomodo in idololatriam lapsa fuerit antiquitas, & de vana illius excusatione, ib. to. 4. p. 1. c. 10. & 11.

SACRILEGIVM.

SAcrilegium est sacræ rei violatio, vt in schismate si nulla sit causa separationis; in blasphemo sermone, in qualibet actione contra diuinam legem vsurpata; aliquid Ecclesiæ donatum vel consecratū tollere, & rapere Anacletus Pap. ep. 1. scribit, qui abstulerit aliquid patri, vel matri homicidæ particeps est. Pater noster, sine dubio Deus est qui nos creauit, mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter regenerauit, ergo qui Christi pœcunias & Ecclesiæ rapit, homicida est, & Vrban. Papa ep. vnica. Res, inquit, & facultates Ecclesiæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & sunt vota fidelium & prætia peccatorum atque patrimonia pauperum. Contra talium raptores dicit Dominus Iosue 7. Non ero vobiscum, donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est, &c. Vide Conc. Troslejanum Galliæ, c. 4. a. 909.

Sacrilegium Crassi pœna talionis punitum, *vide æqual. contrar.* pœna talionis.

Cassiodor. l. 12. variar. sic loquitur de sacrilegis. Quid adhuc minimè audacia humana tentabis, sic & ibi furta ac sacrilegia porrigis, vbi te minime latere cognoscis; vt illudas oculis fortasse mortalibus, quamuis iniqua, tamen aliqua videtur præsumptio, quanta vero cæcitate damnatur, qui se æstimat perpetrare, quod diuinitas non possit aduertere, grauiore pœna plectendus, qui vsque ad injuriam diuinam proruit, &c.

Alaricus Rex Gothorum post deprędationē vrbis Romæ jussit vasa sacra manibus deprædantium, Ecclesijs, vnde ablata fuerant, restitui; & ad templa cōfugientes saluos existere. Olaus Mag rer. Septent. l. 16. c. 24. & c. 26. refert sacrilegia etiam in idolorum templis cœlitus vindicata, quia fiebant ad injuriam numinis. Ib c. 31. Refert votum Dagoberti Regis frācorum qui in satisfactionem Ecclesiarum expilatarum, vnam in honorem Apostolorum Petri & Pauli ædificandam curat, & magnis dotat reditibus.

Olim visum est eum qui priuatam pecuniam in templo depositam abstulisset sacrilegium committere, quia pecunia sequitur conditionem loci, quippe præstantioris; & quia fur eo animo fuit, etiam rem sacram auferendi, tamen Constitutione Seueri & Antonini l. 5. ff. ad l. Iul. pecula. definitum est esse furti, non sacrilegij actionem, cum propriè sacrilegium sit subripere aliquid sacri; etiamsi ex priuato loco subripiatur. Cujac. obs l. 13. c. 19.

Oza fuit percussus à Domino, eo quod in arcam Domini manus deuotè quidem, sed indignè porrexit. 2 Reg. 6. Translatum est regnum Baltazar, quia vasa Domini prophanauit. Dan. 5. *V. maioris medij*, abuti digniori medio.

HONORARE PARENTES.

QVint. decl. 2. de filio qui dum vult eripere parentes ex incendio oculos amisit, dum inquit diu multumq; attonitus hęsit, dum ad vtrumque respicit, ad vtrumque discurrit, penè infœlicissimos parentes perdidit pietatis æqualitas, patrem juuenis elegit, charior est pater, cum in locum successit ocu-

lorum, & tunc est infinita pietas, cum in illa debeas amare quod feceras.

A Filius optat potius mortem, quam fieri parricidam, vt fata prænuntiarant. *V. voluntas finis.* Parricidium, inquit, dictus sum facturus, si possum post hoc viuere, non sum innocens, etiamsi non fecero.

Cum adoleuit apum juuentus, & ad laborem roborata conualuit, relinquitur liber parentibus locus. Quint. decl. 13.

Pisidæ populi conuiuantes parentibus primitias libant, vt cæteri Dijs.

Plato 11. de legib. dicit parentes esse velut visibiles quosdam Deos, qui multo magis debent coli, quam muta simulachra. Sunt velut terrestres, & domestici Dij, beneficiorum authores, creditores, Domini, amici constantissimi. Cultus ille duplex est,

B animi in veneratione, corporis in rebus necessarijs exhibendis. Quæ sunt gratiora officia cum per manus charissimas præstantur. Matri amorem, patri vero honorem amplius debemus tribuere.

Multa de honore parentibus exhibendo, vide collecta apud Chassan. in catalogo gloriæ mundi, parte 11. consid. 16.

Luc. 15. filius prodigus rediens ad patrem, dicit, Pater, peccaui in cælum, & coram te. Deus enim honoratur & contemnitur in parente.

Antiqui Galli sacrum habebant quercum, propter viscum illis venerandum quod producit.

Qui dubitat an oporteat Deos colere & parentes diligere, pœna indiget, an nix sit alba, sensu. Arist. 1. top. 11.

C De parentib. honorandis Basil. conc. 24. to. 3. Bern. quadr. 1 ser. 29. & quadr. 2. ser. 17.

Per doctrinam instructæ mentes, ipsam postea multiplici fœtu fœcundant.

Apud Persas, nati parentes colebant summo honore, nulla apud eos lex de parricidio, quia crimen tale raro visum, quod si contingeret credebatur filius non legitimus.

Sinenses patris defuncti luctum agunt per tres annos, quia per id tempus infirmam infantiam curauit. Dauity.

Filius parentibus contumax & ab illis traditus Iudici, lapidatur Deut. c 21.

D Ideo colendi parentes, quia fœcunditas & cura familiæ detrahit de vita, *vide media durat.* mors juuenis.

Non licet filio occidere patrem bannitum & proscriptum, nam ob id filius non desinit esse filius, & jura naturæ nullo jure ciuili dirimi possunt. Bonac. de restit, propter homicidium.

Oceanum parentem antiqui vocarunt, vnde habendum ei honorem existimabant, itaque Tyridates Rex Armeniæ magus, veniens ad Neronem, nauigare noluit, quoniam expuere in maria, alijsque mortalium necessitatibus violare naturam eam fas non putabant. Plin. Ita Heliodus dicit in fontes & flumina non mejendum.

Cum Æthnæ incendium late vastaret vicinas terras maximè Catanam, in eo periculo pietas enituit singularis, & eximia fratrum Catinensium Amphinomi & Anapiæ, qui neglectis rebus omnibus,

E etiam sua salute, parentes senio confectos humeris suis exportarunt. Georg. agric. l. 4. de his quæ fluunt ex terra.

Quantumcumque parentibus detulerimus obsequij, nondum reddimus vicem gratiæ qua geniti sumus, qua portati, qua hausimus lucem, qua nutriti sumus, eruditi, qua Deum agnouimus, venimus ad Ecclesiam & salutem. Orig. hom. 11. in Leu.

Pater ex legitimo matrimonio habens filios, mortua vxore, aliam ducit incestuosam, ob crimen patris filij sunt extra eius potestatem, egentem tamen debent alere: nam licet legum contemptor & impius sit, tamen pater est. Nou. 12 c. 2.

A parentibus tria recipimus, scilicet esse per generationem, & huic respondere debemus per honorem & gratiarum actiones. Secundo accipimus eruditionem in moribus, & huic respondere debemus per obedientiam in mandatis. Tertio accipimus necessaria ad vitam cum ea per nos acquirere non poteramus, retribuamus & nos eadem illis, cum ipsi acquirere & laborare non possunt. Tostat. exod. to. 1. f. 175.

Nata causis suis beneficiis gratitudinem exhibent, vide quæ scripsi de iure natur. l. 1 lege 18 § 2. honorandi parentes, mor. Christ. to. 3 p. 2. c. 7. & l. de agente Dei in humanis, p. 3. c. 8.

Senec. 3. contro. dicit nullum patri curatorem dari, quia iniquus pater sit, aut impius, sed quia furiosus.

HONORARE MATREM.

ABbas Archebius diuites parentes pro Christo reliquit, de ipsis amplius nihil cogitans, at cum intellexisset matrem viduam, grauiter à creditoribus vexari, opus manuum triplicauit, & inde creditoribus satisfecit; ita quam Christi charitate prius despexerat pro eius rursus pietate cognouit. Cassian. l. 5. c. 38.

Florum peramœni colores, odores quoque suauissimè fragrantes, cæteraque id genus omnia, quæ è terra Dei præcepto exorta sunt, suam condecorarunt parentem. D. Basil. in hexam. hom 1.

Iulius Cæsar Iuliam Amitam, vxoremque Corneliam defunctas publicè laudauit pro rostris. Suet. in Iulio.

Oct. Augustus 12. annum agens, Auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit. Id in Augusto.

Habetur 3 Reg. 2 quod Salomon Rex iuit in occursum matris suæ, adorauit eam, & fecit ei poni thronum à dextris suis. Ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo. Prou. 1.

Matri Imperatoris, vt ipsi & vxori licet aurum spargere. Nou. 105.

Lycij populi, nomina à matribus accipiunt, partus ventrem sequitur, Ioan. Damasc. scripsit orat. 2. de Assumpt. B. Mariæ.

Terra vt mater colitur, *vide aqual bonit.*

Attalus Asiæ Rex matrem suam Apolloniadem defunctam in maximo Pergami templo condidit, quod ipse extruxerat, vicinumque lacum, illius nomine appellauit. Suidas in verbo Apollonius.

Mater & filia nomina pietatis, officiorum vocabula, vincula naturæ, secunda post Deum fœderatio. Non est laus, si vos diligitis, scelus est quod odistis. Dominus Iesus subjectus erat parentibus suis, venerabatur matrem, cujus ipse erat pater, vnde & in cruce pendens, commendat discipulo, quam nunquam ante crucem dimiserat. D. Hier. de vitando contubernio.

Imperator vrbem vocat de matris nomine, *vide minor. contrariis* à bellis abstinendum.

PRIVILEGIA VIRGINI Matri à Christo concessa.

CHristus plus habuit à Maria matre sua, quam cæteri filij à suis matribus, ideo plus illi debuit conferre. Card Cusa excit. l. 2. c. 14.

Si sanctis concessum est vt solo tactu, vmbra, etiam tumuli sui lapidibus ęgros sanarent, quid non poterit Deipara per quam mirabile mysterium peractum est S. Basil. seleuc. orat. 39.

B Alij sancti certis locis, personis, temporibus sua præstant auxilia, Maria Virgo, semper, cunctis & vbique Homo consideratur in triplici statu, Monastico, Oeconomico, Politico; vbique Maria Mater Iesu. Singulare præstat auxilium in visitatione S. Elizabeth, Oeconomicum in nuptijs Cana aquam in vinum conuertendo; politicum cum adest die Pentecostes, & in primo Apostolorum Concilio de fide disseminanda.

Quomodo sancta Maria sit Mater & Virgo, vide quæ scripsi. Theolog. natural. tomo 4. parte 8. c. 10.

De Virginis immaculata conceptione, *V. virtus principij* Initij.

C Vt speculum non alteratur ex venientibus & abeuntibus, quorum recipit, aut amittit species, sic B. Virgo integra permansit dum concepit Christum de Spiritu S. & edidit in mundum, ex D. Aug. citat Alcuin. l de diu. offic. c. 41.

Quamuis Maria Virgo jucundissimis quotidie spiritualibus delitijs pasceretur, donis cælestibus incomparabiliter ditaretur, his supereminet quod sua in cælum Assumptione accepit, nam quæ ambulabat per fidem meruit speciem, ex peregrinatione venit in requiem, ex conflictu in triumphum; detinebatur tantum in sæculo corpore, mente commorabatur in cælo, vbi dilectus filius, à cælesti curia laudatur. Laur. Iust. de Assumpt. B. M. prima post D Christum corpore penetrauit cælos, vnde mirantur Angeli, quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi, &c. Ib. Omnium referta cumulo gratiarum, cunctis in se Deum fecit esse laudabilem, &c. Idem serm. de Natiu.

Assumptio B. Mariæ Virg. est priuilegiorum ipsi à Christo filio concessorum corona, quæ sua præcedentia merita connotat. Tria possunt obseruari quæ hanc matris corpoream resurrectionem, vniuersali non expectata, promeruerunt. 1. quod fuerit sine peccato concepta. 2. verbi incarnati mater & virgo. 3. passionum Christi socia. Quo ad primum, ex Apostolo. Rom. 6. Mors stipendia peccati. Mors enim & omnes defectus corporales sunt pœna peccati primorum parentum, consequens pœnam principalem scilicet substractionem originalis iusti-
E tiæ, vt fusè probat D. Th. 12. q. 85. a. 5. & passim. Cum igitur Virgo Mater non incurrerit reatum peccati, *vide virtus princ.* Conceptio immaculata pœnam eius, scilicet mortem pati non debuit, sed originalis iustitiæ donis præmunita, post diuturnam in terris vitam fœlicem, poterat, vt voluisset, in cælum transferri, sicut de primis parentibus, si non peccassent, asserit idem Doctor. Moritur tamen vt conformis fieret Christo filio, qui cum esset essentialis vita & iustitia, pro salute generis humani mori voluit; huic redemptioni cooperata Virgo, sortem etiam redemptionis sequuta est; moritur, sed eo

A quod immerita, resurgit, scandit cælos, propria gloriosi sui corporis dote, & nobis cum filio certam dedit futuræ resurrectionis spem, fidei nostræ fundamentum. 2. Assumptionis gloriosæ causa sumi potest, ex eo quod Virgo Maria fuit mater Christi Verbi incarnati, & eo titulo meruit anticipatam resurrectionem, sic enim lege ciuili Consulum & Imperatorum matres splendent radijs filiorum. Caro Christi formata fuit de carne Virginis, quæ sic illius non pars tantum, sed fons & causa potest haberi; vnde completa, totalis, satis pia Christi resurrectio non fuisset, nisi sociam habuisset matrem: In eius etiam visceribus existens his impressit diuinam resurrectionis effectiuam qualitatem; sic tota species humana in duplici suo sexu cælum tenet, & vt Adam & Eua originali iustitia decorati, terrestre paradisum incoluerunt, ita cæleste Christus & Maria, futuri gratiarum & beatitudinis parentes, sicut illi fuere perditionis. Tandem assumptionis causa tertia duci potest, ex eo quod gloriam hanc promeruit Virgo Mater, per effusam suam in Christi passione, compassionem & charitatem. Ex quo denuntiatum est ei à Simeone, tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit, mysteriorum conscia, voluntate, diuinis jam immolata decretis, longum duxit per totam vitam martyrium, Regina martyrum, sed potissimum in passione assistens cruci, tormenta crucis passa fuit in dilecto filio, eadem offerens Patri pro generis humani redemptione; consors passionis, debet esse particeps gloriæ, cooperata pari dolore, pari charitate, pari donatur præmio. Restituit igitur terra, beatum illud corpus, velut conuenta condictione indebiti; cælum excepit, velut sui partem incorruptibilitate donatam, Dei non tantum sedem, sed parentem. *Ex principijs.*

HONOR MAGISTRI.

CHinenses asserunt se habere Philosophiæ cognitionem à quodam nomine Confutio: in præcipuis ciuitatibus vnum est templum, in quo est eius statua, cui singulis nouilunijs & plenilunijs, omnes qui scientias profitentur magnam exhibent venerationem, inclinationibus, genuflexionibus, etiam incensis. Dauity, maximè in die eius natali.

Sic Pythagorici, Pythagoræ diem natalem celebrabant, Platonici Platonis, vt refert & se celebrasse dicit Marsilius Ficinus, commentario in conuiuium Platonis, c. 1. vitam hanc sua chariorem habebant, vnde sua contingebat lux & fœlicitas, ideo suo & Magistri genio dupliciter in anno solebant vina fundere, vt refert Censorinus, de die natali, c. 2.

Imperator Theodosius Arcadio filio dedit Arsenium Magistrum, quem videns coram sedente discipulo stantem, indignatus jussit deinceps Magistrum sedere, discipulum stare.

Vide gloria cognitionis.

Repugnat. Hercules puer adhuc Magistrum Linum, ob acceptas inter docendum plagas iratus, impatiens imperij lapide occidit, Suidas in voce ἰμβαλόντα.

Cassianus martyr vinctis post terga manibus puerorum quos erudiebat ferreis stylis configendus excarnificandusque traditur, quorum quanto erat vis infirmior, etiam pœna martyrij grauior ac diuturnior Martyrol. 13. Augusti.

Digitized by Google

Alexander Callisthenem præceptorem lancea A transfixit, propter intempestiuè liberos sales, Seneca, Suasoria 1.

HONOR NVTRICIS ET *nutritij*.

Gen. 35. celebris sepultura Debboræ, nutricis Rachel.

Ex Alcorano Azoar. 33. par nutricibus ac matribus defertur reuerentia, & vt matrem, ita nec nutricem licet ducere in vxorem, nec collactaneas vt so- B rores.

Ioseph in generatione Christi, nihil præter ministerium & affectum præstitit, vnde pro fideli ministerio, patris ei vocabulum scriptura concessit. Orig. in Leu hom. 12.

Thomas Morus in sua Vtopia Republ. l. 2. refert matres omnes existere nutrices sui partus, nisi morbus aut mors impedierit, tunc alia quæritur nutrix, nec id difficile est, nam quæ id præstare possunt, nulli officio sese offerunt libentius, quoniam & eam misericordiam laude prosequuntur, & qui educatur nutricem parentis agnoscit loco.

Apud Ægyptios penes mulierem Ægyptiam crocodili catulus educabatur; hanc Ægyptij putabant C beatam, quæ scilicet Deum nutriret, eorum aliqui & nutricem & alumnum demulcebant. Mulieris hujus ephebus filius erat, Deique hujus æqualis, quo cum educaretur ac luderet. Deus vero ille, interea dum infirmis viribus esset, cicur admodum erat, at aucto corpore, ingenium detexit, puerumque æqualem occidit, mater autem fœliciter actum cum filio putabat. Maximus Tyr. ser. 38. plus dilexit nutritium quam filium.

Ne sis sicut ignis alumnus nequam, qui alentem perdit materiam.

Ioseph Christo, vitam si non dedit, seruauit; Deumque oculis genuit, custodiendo, toties pater.

Etiam animantia si nutriant animal alterius spe- D ciei, & lac illi præbeant, intercedit mutuus amor.

Romæ institutum est Monasterium S. Catharinę de Rosa, ad educandas pauperes virgines existentes in periculo amittendæ castitatis, si ibi decedant Monasterium illis succedit, si fuerint dotatæ à Monasterio, vltra dotem, quartam aliorum bonorum partem illi debent relinquere. Pius 5. const. 54. Bull. p. 183. to. 2.

HONOR PATRONI.

Ecclesiæ patrono debetur præcessionis honor; primus enim & eximius in ordine locus in E confessu vel processu, patrono inter clericos ejusdem Ecclesiæ debetur, si egeat vel eius liberi, debent alimentari ab Ecclesia, cap. nobis, de jure patronat.

Qui Ecclesiam ædificauit, vel de suo clericis præbet annonas, jus habet substituendi in ea clericos, si modo velut dignos Episcopus approbauerit & hoc est jus patronatus. Cuja. in Nou. 57.

Vide gloria bonitatis.

Libertini patrono suo debitum obsequium non exhibentes in pristinam rediguntur seruitutem. Nou. 78. c. 2.

Patroni per libertum mittebant libellum repudij; per libertum principi libellum dabant, per libertum hæredes recitabant testamenta, per libertū rei defensionem mittebant aut recitabant. Cujac. obs. l. 8 c. 18. sic liberti ad omnia patronis se præbebant officiosos.

Occiso Domino. S. C. Silauiano torquebantur serui, postea S. C. Neroniano etiam liberti, qui sub eodem tecto fuissent. Id. l. 10. c. 33.

Feuda reuoluuntur ad Cameram Apostolicam eorum, qui illi jura debita non soluunt. Gregor. 13. const. 63 p. 332. to. 2. Bull.

ALIMENTA PARENTIBVS *debita*.

Antiqua lex erat, liberi parentes aut alant, aut vinciantur. Communis inter homines misericordia, *vide virtus boni*. parentibus vero liberi, non præstant alimenta, sed reddunt, quam breuiora, quam minora pro tot educationis curis & impendijs; benè pro deficientibus aliquid & vita vestra deperderet, iterumque ex illa quam traxistis anima portio breuis in suum rediret authorem. Non est beneficium quod præstatis, sed est facinus, si negatis, debes aut affectu aut necessitate legis. Non tanquam pater alitur, qui tanquam bonus amatur, nulli malus est pater, cum esse cœpit infœlix. Quint. decl. 5.

Vide supra proximè, de pietate & honore erga matrem.

Addit. dicto loco. Quint. Lex quæ patrem nominare contenta est, filium non remisit ad causas.

Isaac amabat Esau, eo quod de venatione eius vesceretur. Gen. 25.

Ioseph factus dispensator Ægypti, euocat patrem, & totam suam familiam, vt eum pascat tempore famis. Gen. 44.

Si patronus vel eius liberi ad inopiam redigantur, competens vitæ subsidium ab Ecclesia ipsis debetur, cap. nobis fuit in f. de jure patronat. can quicumque fidelium 16. q. 7.

LAVDARI EX EFFECTIS.

Vide *gloria cognitionis*, artium præmia.

Artifices qui tractant nobiliores materias, cæteris præferuntur, vt aurifabri. Vide Chassen. catal. gloriæ mundi parte 11 consid. 38.

Filius sapiens lætificat patrem. Prou. 10.

Quod conuenit toti secundum partem principalem, dicitur etiam de toto Arist. 5. phys.

Numa Rex Romanorum primus cudi fecit monetam ex ære & ferro, & eam Numos de suo nomine appellauit. Suidas.

Ideo parentes filijs virtute præstantioribus plura quam cæteris debent largiri. *V. gloria virtutis*, sicut ex D. Chrysost.

Angeli lætantur de nostris virtutibus quas promouerunt, *vide medium virtutis*, Angelorum auxilium.

Deus & principes honorantur in suis ministris, *vide gloria medij*, honor ministris deferendus.

Digitized by Google

PRINCIPII ET CAVSÆ *præstantia.*

DOctor creatus à summo Pontifice, vel Imperatore præferendus est, doctori ab alio inferiori creato; etiamsi talis ab inferiori creatus, fuerit antiquior. Chassanæ. in catalogo gloriæ mundi, 10. parte conside. 31. Doctor in præstantiori vniuersitate, alteri inferioris vniuersitatis præferendus est. Ibid.

Datur hæc venia antiquitati, vt miscendo humana diuinis, primordia vrbium, augustiora faciat. Tit. Liu. l. 4. dec. 11.

Thales aquam posuit rerum omnium principium, vnde quædam animalia sine cæteris elementis, nullum sine aqua & humore, magnorum fluminum capita veneramur, inquit Seneca. Subita & ex abdito vasti amnis eruptio aras habet. Coluntur aquarum calentium fontes & stagna, quæ vel opacitas vel immensa altitudo sacrauit. Rodig. lib. 7. c. 5.

Vide maioritas princ. causa nobilior.

Gloriosum est Americo, quartam orbis partem inuenisse, & ignotam prius posteris demonstrasse, vt ex fœlici solo colligerent ingentes diuitias, sic dulcius est scientias inuenisse, quam ab alijs accepisse; arborum quas seueris ipse, poma gratiora sunt; gustum quem fecit, quilibet amat.

Dan est vnum caput fontale Iordanis apud montem Libanum, & in isto loco posuit Ieroboam, vnum de vitulis aureis, Regum 12. Tost. in Genes. f. 251.

Oramus conuersi ad orientem, & ad hanc partem capita Ecclesiarum conuertuntur, quia inde incipit motus cæli, vnde nobis est maxima diuinæ prouidentiæ manifestatio; & vt testemur à Deo bonum omne procedere, sicut à sole lumen, Tost. Mat. to. 3. f. 60.

Cui Sol cum capite in angulo fuerit, maximè in prima, vel corde cæli, pater eius ingenti fœlicitate fruetur, oportet autem non plus parte vna distare. Card. aph. sect. 3. aph. 44.

In India Peruana fodinæ auri & argenti feraces sunt tantum versus orientem, nam versus occidentem nullæ sunt.

DIES NATALIS.

PErsæ Regum suorum natalem diem solemniter celebrabant. Plato in Alcibi.

Vide supra hoc titulo, honor Magistri.

Die natali Genio vinum libabant, & fundebant, hostiam verò non mactabant, vt manum à cæde & sanguine abstinerent, & die qua ipsi lucem accepissent, alijs non demerent. Censorinus de die natali, c. 1.

Sex diebus fecit Deus cælum & terram, requieuit die septima, quæ fuit velut festum natalibus mundi sacratum. Philo. libr. de mundi opificio.

Solemnitates consecrationum Ecclesiarum singulis annis debent celebrari, can. solemnitates, de consec. d. 1.

Adam duas habuit solemnitates, primam Sabbati, quæ erat festiuitas natalis mundi, vt notat Philo l. de hominis opificio. 2. solemnitas erat dies natalis Abel & Caïn, & tunc offerebat pro eis sacrificium, vt Iob pro filijs suis. Iob. 1. Bold. de Ecclesia ante legem, l. 1 c. 2.

Iob malis oppressus maledicit diei natiuitatis suæ, scilicet vt in posterum non celebraretur, quasi ab eo, tam infœlix euentus profectus esset. Idem l. 2. c. 3.

Gen. 40. Pharao diem suam natalem celebrat, & Herod. Marc 6.

Neomenia apud Iudæos erat festum nouæ Lunæ. Cum innouatur discedens à conjunctione Solis & incipiens augeri lumine. Pentecostes autem solemnitas cum primitiæ de nouis fructibus offeruntur.

Romanæ vrbis diem natalem celebrabant. 11. Kalend. Maij, quolibet anno centesimo decimo, ludis sæcularibus ingenti pompa, magnoque sumptu & apparatu institutis; si fuissent omissi, magnas vrbi clades imminere credebant, vt eo tempore quo Alaricus Romam deuastauit, vide Baron. ann. 249.

Carnium esus permittitur in die natalis Domini, quando sexta feria accidit. Tost. Math to 5 f. 101. col. 2. b.

Dies natales Sanctorum, non nisi tres celebrat Ecclesia, scilicet Christi, matris eius, & Ioannis Baptistæ, & hos non quia nati sunt, sed quia diuinitus nati sunt, Idem Math. tomo quarto, fo. 74. c. 4. b.

Vide concord. gloria, congaudere.

Cæterorum Sanctorum obitus vt natalitia celebrantur, quia tunc moriuntur sæculo, & viuere incipiunt Deo, alio excellentioris vitæ genere. Licet ergo diem natalem celebrare Ecclesia non prohibeat, non tamen approbat, id enim proprium est hominum qui terrenis delectantur, cum verè nascantur ad miseriam. Ib.

Iudæi Neomenias, id est diem nouæ Lunæ celebrabant, quasi gratias agentes Deo de sua gubernatione, qui per motus Solis & Lunæ temperat inferiora. Ib.

Pharao & Herodes, dies natiuitatis suæ honoribus festiuos habuerunt, eo quod putauerunt quod hora natiuitatis eorum eos ordinasset in regnum. Alcuin. in Gen. interr. 263.

Antiquis mos fuit diem suum natalem propositis certaminibus & præmijs celebrare, singulis in certamen venientibus sportulæ distribuebantur, quod etiam ab hæredibus homine defuncto, fiebat, vt colligitur ex l. liberto, §. Lucius, & . pen. ff. de ann. lega. & Cujac. obs. l. 23. c 7.

Cum cæteris anni temporibus non liceat celebrare Missam ante Auroram, in die natalis Domini licet à media nocte, quia propter Christi fulgorem & claritatem, dies potius quam nox ab Ecclesia reputata sit. Eodem priuilegio nox resurrectionis fuit olim donata. Nunc illa consuetudo cessat. Gloss. in ep. Telespho. to. 1. Conc.

Diem natalis mundi mense Martio antiqui celebrabant, tunc omnia renouando, *vide concordantia princ* partes suo vniuerso conformes.

SPLENDOR ORIGINIS, nobilitas.

PRo patribus tuis nati sunt tibi filij; constitues eos principes super omnem terram. Ps 44.

Moris fuit, vt in triumphantium curru sederent eorum filij, sic Emilus Paulus filium duxit.

Domus antiquorum in quibus sunt arma prædecessorum, imagines seu stemmata de jure prohibentur vendi per tutorem & curatorem, l. lex quæ tutores §. nec vero domum, cod de admin. tutor. sic enim prouocantur ad imitationem majorum, vt audire videantur, illud Poëticum dictum. Te pater Æneas, & auunculus excitat Hector.

Qui eligitur in Sacerdotem debet esse natus optimis parentibus. *Vide virtus potest.* Integritas Sacerdotis.

De nobilitate Gerson. tom. 2. Philo.

Ignobiles oportet malignitatem suæ sortis, ingenti rerum gestarum gloria opprimere; at Regum filij in immensum statim honoris patrimonium intrant, sequitur illos nascentes majorum gloria, cunasque eorum reddit venerabiles.

Olim in Insula Co, & Rhodi, nobiles habebant regimen populi, vt nunc apud Venetos. Strab. libro 10.

Olim Persæ ignem habebant sacrum vt vestales, & æternum, inextinguibilem, eumque dicebant é cælo acceptum. Ammia Marcel l. 23.

Moyses & Aaron fuerunt de tribu Leui, qui cum eduxerint filios Israël de seruitute Ægyptiaca, dignum erat, vt in ea tribu deinceps maneret sacerdotium, vt ex qua fuit salus temporalis, ex eadem tribu ministros haberent sacrificij temporalis. Rupert. in num. l. 1 c 6.

Facilius alta conscendit, qui majorum nobilitatem habet pro basi. Fundamenta eius in montibus Sanctis.

Mox caulem agunt, quæ ex vetustioribus prodierint seminibus, nam ijs quoque velut sincerior quędam vis, atque largior inest. Theoph. de caus. plant. l 4. c. 3.

Vide gloria durat. & infra proxime hoc tit. prioritatis prærogatiua.

Est peccatum mortale detractionis dicere de aliquo in absentia, ipsum ortum esse ex Iudęis, vel Saracenis, vel hæreticis, vel ex adulterio, vel incestu, vel sacrilegio, si defectus ille qui manifestatur non sit publicus. Bonacina de restitut. disput. 2 quæstione 4.

Corinthi ferunt fuisse familiam ex qua oriundi omnes ventos sopirent, dicebantur ventisopij. Suidas in verbo ἀνεμοκοῖται.

Olim apud Indos in honore non erant defunctorum sepulchra, quasi virtus & vitæ integritas in posteris propagandæ memoriæ sufficeret. Rod l. 18. c. 31.

Vide maioritas principij, à nobiliori causa produci.

Dicitur Genes. 5. 3. vixit Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem & similitudinem suam, vocauitque nomen eius Seth; scilicet ad similitudinem virtutum quibus primus homo creatus fuit ad imaginem Dei.

Fructus nati in montibus sunt salubriores, fructibus natis in vallibus, licet non sint ita pingues.

A Tost. Gen. f. 101. *V. bonitas & gloria maioris* altitudinis.

Propter Messiam voluit Deus, vt cum magna diligentia seruarentur genealogiæ, & stirpis ordo, & propterea non seruatur in nouo testamento. Id. nu. to 2. fo. 86.

Deus propter Dauid miseretur toti eius posteritati. Id. exo. to. 2. 169.

Moyses non plebejos, sed nobiles constituit principes populi, Deuteronom. primo, quia sunt magis strenui, & illis libentius paret populus, & cum minori periculo rebellionis. Idem Deuteron. f. 5.

B Laudamus plantas etiamsi earum consenuerint trunci, semina vero permaneant; sic majorum virtus, viuit in sobole. Maximus Tyrius, sermone 24.

Non perueniet ad bonum finem, vixque fieri potest, vt perseueret in magno gradu, cui nulla ex primogenitorum figura genituræ propriæ auxiliatur. Card aph. sect. 3 aph 134.

Nobilitate quomodo bene vtendum, vide quæ scripsi, moralis Christian. tomo quarto, parte prima, capite 17. consolatio eorum, qui natales habent obscuros. Ibidem parte 2. capite 11. & infra minoritas principij.

Nobiles pueri instruuntur ad diuinationem, *vide maior. cognit.* ex P. Crinito.

C

PRIORITATIS PRÆROGATIUA.

VIde *gloria durat.* de primogenitura, *& supra proxime, nobilitas.*

Primogenitus nobilis fert arma familiæ suæ indistincta, & simplicia.

Vide minoritas differ. Indiuisa.

Iacobo petenti Rachel in vxorem, respondet Laban. Non est in loco nostro consuetudo, vt minores ante tradantur ad nuptias. Gen. 29.

D Homo duas habens vxores, non potest filium dilectæ primogenitum facere. Deuter. 21. Gentilitas prior est, ideo eam Christus prætulit Synagogæ. Ruper. in Deut. l. 1. c. 10.

Primogenitus in linea recta descendente refert patrem, & in illius jus omne succedit, vicem eius gerens; quemadmodum in magnete, si ex parte quæ respicit Septentrionem aliquid auferatur, sequens pars substituitur. Vno auulso nondeficit alter, Aureus & simili frondescit virga metallo.

Ordo prioris & posterioris in motu continuo, est secundum ordinem prioris & posterioris in magnitudine.

E Spiritus Domini sanctus, primo die super aquas processit ab oriente in occidentem. Oriens nomen eius Zachar. 6. orbem judicaturus veniet, tanquam fulgur ab oriente in occidentem. Math. 24. hinc incipit motus diurnus cæli, cæteros rapiens, tanquam potentior, ideo nomen orientis tanquam terminus à quo, semper in sacris litteris præponitur. Gen. 13. 14. Ps. 10. &c. Adoratio fit versus illam partem, templa quoque nostra illam respiciunt, & Astrologorum directio quæ fit contra ordinem signorum certior visa est.

Fera animalia & ea quæ in nullius dominio sunt, fiunt primo occupantis, §. feræ. Instit. de rer. diuis.

Digitized by Google

Lactantius diuinarum institutionum l.1. dicit orbem terrarum, sic initio inter duos fratres partitum, vt orientis imperium Ioui cederet, Plutoni pars occidentis, eo quod plaga orientis, ex qua lux mortalibus datur superior, occidentis vero inferior esse videatur. Rod.l.10.c.18.

Si duo sponsalia sint contracta, priora præferuntur, etiamsi secunda sint iurata, cap. sicut de sponsal. non si copula carnali confirmata, cap. is qui fidem, eod.

Prior impetrans præbendam, posteriori præfertur, cap. cum 7. cap. quia sæpe 15. de præbend. nisi posterioris conditio prior extiterit, cap. susceptum 6. §. fin. de rescript.

B Alectryomantia est species diuinationis, quando definitus locus in partes æquales describitur, & vnicuique singulæ Alphabeti litteræ inscribuntur, & singulis litteris frumenti granum imponitur, notanturque characteres quorum prima grana Gallus depascitur; qua magia deceptus valens Imperator, omnes quorum nomina per T inchoabant occidi iussit, & tamen illi magnus Theodosius in imperio successit. Anto. Zara epis. in anatomia ingeniorum, sect. 2. membro 2.

Secunda primis prælata, *vide minor. princ.* Initia à paruis.

Tribus Iuda regalis, vnde ortus est Dominus noster Iesus Christus, posita fuit ad orientem, Orig. ho. 1. super num.

C Conc. Later. sess. 11. to. 5. Conc. prohibet Ecclesijs pulsare campanas, die Sabbati sancti, priusquam suas Ecclesia Cathedralis, seu matrix pulsauerit sub pœna centum ducatorum.

Plurimum antiquis defertur, & ideo sapientiores existimantur quia priores nati sunt.

In Genesi prius facta describuntur quæ sunt perfectiora, cæli sub quibus intelliguntur Angeli, & cæli materiales inter corpora eminentiam loci & virtutis habentes. D. Th. in quæst. disp. quæst. 4. a. 1. ad 1.

Animalia ante hominem creata, citius sentiunt cæli influxus, & tempestatum mutationes. Van helmont.

D Insinuationes, seu donationes quasdam quas pro introitu, noui clerici dabant veteribus, in maiori tantum Ecclesia Constantinopolitana fieri Iustinianus permittit, Nou. 56.

Inter eos qui consulatum gesserunt, is præfertur qui prior gessit, l. 1. cod. de consul.

Senatores in ingressu dignitatis dabant antiquis sportulas; id est tertiam partem sportularum, qui vetus mos est omnium promotionum, dant curiales, dant clerici & sacerdotes, dant memoriales, dant consules, Cujac. in Nou. 62.

Si duæ sint mulieres quæ de dote sua agant, antiquior causa dotis præfertur, l. vlt. cod. qui potio. in pigno. extantes autem dotes quælibet vindicat, l. in reb. cod. de iure dot.

E Aaron frater Moysi fuit eo maior tribus annis, & ideo summum Sacerdotium fuit illi datum, Tost. in Leu. f. 152. col. 4 K.

Magis quisque seipsum diligit quam alium, quia sibi prior est in cognitione, Id. Math. to. 6. f. 144. c. 1. d.

Apostolorum nomina scribuntur secundum ordinem vocationis, vel aduentus eorum ad Christum, Id. Math. 3. f. 190 b.

¶ In castrametatione filiorum Israël, nunquam maiores natu, ponebantur sub vexillo minorum natu. Id. num. to. 1. f. 16. c. 2 c.

A Apud Iudæos primogeniti erant ditiores, eo quod ipsis dabantur duplicia, quam cuilibet aliorum fratrum, tam in bonis mobilibus, quam immobilibus. Deut. 21. & Tost. Leu 292.

Bulla Leonis X. prohibet sub pœna pœcuniaria die Sabbati sancti, alias quascumque campanas pulsari ante campanam Cathedralis Ecclesiæ.

INDVLGENDVM DEBILIBVS *rerum initiis.*

B Sic natura prouidit pueris qui multum dormiunt, ad quod confert humiditas, quæ in ipsis abundat, sic pietatis nouitijs quies est necessaria.

Plantæ & animalia habent plurimum humidi initio, & sic magnam mollitiem, quia debent augeri, molle autem & humidum facilius extenditur, quam siccius & durius. Alb. Mag.

Siliquæ operiunt nascentes arborum gemmas & flores, ne facilè à frigore lædantur, Id.

Plantæ tenellæ ex semine ortæ, teguntur vmbraculis, vt calore solis non euanescant.

Aquila nascitur sereno tempore. Christus nocte silente mundo, & alta pace, Rex pacificus.

C Pueri per lusum, voluptates & præmia, adolescunt & educantur, *vide virtus princ.* educatio liberorum.

Verni imbres, cum æstatem anticipant, seminibus vtiliores multo, magisque necessarij sunt: quamobrem regiones in quibus frequentes imbres, per veris tempestates existunt, quemadmodum est Sicilia, numerosos & generosos fructus producere solent, Plutarch. l. de causis natural c. 4.

Pisces dum fœtificant, quærunt aquas dulces, aut minus amaras, minus agitatas, in quibus etiam non sint nociuæ bestiæ, & illic oua sua deponūt, Id. l. de industria animalium. Aues nidi sui interiora plumis, aut simili aliqua materia leuissima sternunt, in D quib. quiescant oua, & pulli.

Nato paruulo, mox coæuum præparat succum natura, escam commutat in potum, & stupentes adhuc fauces, torpentesque internorum meatus, ad vsum solidioris cibi, longa lactis infusione componit, sic nos Dominus ad capienda diuina familiaribus instruit exemplis, Chrysol. hom. 39.

Controuertitur an mundus fuerit creatus vere, æstate, vel autumno, sed nullus asseruit creatum esse hyeme.

Semen cucumeris melius proficit, si lacte maceratum feratur, Theophr. hist. plantar. libro 7. c. 3. in fine.

Ver est tempus omnium viuacissimum fœcundissimumque, vtpote quod humidum, calidumque E natura sit, propterea fiunt in eo germinationes, sicut in autumno qui similiter habet aliquid caloris & humiditatis, Idem de causis plantarum, libro 1. c. 14.

Semina imbres æstiuos requirunt, quia infirma sunt, per summamque telluris adhærent. Hac de causa mox siccari, moxque madescere queunt, Ib. l. 2. c. 1.

Apud nos si non tempestiuè germina exeant, sed copia alimenti, cœlique indulgentia præcurrant, frigus subsequutum officit atque adurit, quamobrem hyemes posteriores arbores vehementer infestant; fructus enim recens editi, aërem mitem at-

Digitized by Google

que benignum desiderant, quo adolescere possint, maximeque inter sua initia, tunc enim infirmissimi sunt, quod autem est infirmum, tutelam, & quasi officium nutricis desiderat. Ib. c. 2.

Plantæ nascentes licet validæ, si debilitentur fiunt inualidæ, & ex dulcibus amaræ, quod enim prouenit ex semine degenerat, si eius impetus naturalis motu aliquo immutatus sit, quippe alius quasi, atque imbecillior redditur. Nam & quæ in aqua coquuntur, si importunè moueantur, quo minus percoqui possint, impediuntur. Quod enim inter initia agitur, summum & ad rei perfectionem spectatissimum est. Ib. c. 20.

Vide potestas princ initij deterioratio hæc procedit ex eo quod facultate germinandi læsa humores permiscentur, & ritè non concocti, amaros fructus edunt, Ib.

Plantam vnamquamque dum prima fundit germina, patere intactam manere, vt radicem liberè capiat, nec quicquam mouere velis, vt in viribus obseruatur, cum vero tenuerit, conualueritque amputabis superiora, & quæ optima & aptissima sunt, tantum relinques Ib. l. 3 c 9.

Omnia quæ cælum, velut potissima externorum morborum causa injecerit, vehementius imbecilliora infestant, vtpote quæ minus tolerare excessum valeant. Infirmissimo vero habitu sunt plantæ primum cum turgescunt, atque germinare occipiunt, deinde cum fructum crearunt, quasi humor deficeret, tunc enim summa mutatio est. Ibidem libro 5. c. 9.

In rerum naturalium inquisitione proceditur à notis ad ignota, à facilibus ad difficiliora.

Abbas Ammonius venientes ad se, vt vitam Anachoreticam profiterentur cellis omnium fratrum labore vna die, ædificatis, excipiebat, & ipsis inscijs, omnia ad victum necessaria præcipiebat in eorum cellas inferri, vitæ Patrum l 8 c 70.

Mos fuit Athenis cum nouitius seruus in ædes introducebatur, vt Dominus aut domina, ficubus, palmulis, nucibus & alijs bellarijs eum perfunderent. Idem fiebat nouis legatis, sacrorum curatoribus, sponsis Suidas in voce *καταχύσματα*.

Ægritudines primæ ætatis magis nocent, quia consumunt partes spermaticas. Tostat. Math. to. 6. f. 110.

Vide contrarietas principij. Initij.

Fœtus in vtero matris habet angelicam custodiam. Tost. Mat. to. 5. f. 31.

Amori erga res nascentes majori, quædam fruitio indulgetur, *vide duratio contrarietas* dilatio vindictæ.

Imperator Valens legem per orientem dedit, ne quis vitulorum carnibus vesceretur, vtilitati agriculturæ prouidens, Hieronym. libro 2. aduers. Iouinian.

Deteriora impedimenta accidunt, cum infortunæ fuerint in ascendente, & fortunæ in occidente, quam cum contrario modo, Cardan. aphor. sect. 3. aph. 59.

Arbores cum florent maximè afficiuntur cæli injurijs, similes enim sunt parientibus mulieribus; cum autem fructum edunt, lactantibus ac nutrientibus. Ib. sect 7 aph. 109.

Indulgendum debilibus rerum initiis, vide quæ scripsi de iure natur. l. 1. l. 16. §. 3.

Nouelli fœtus vita à suctu & somno incipit atque aliquandiu perseuerat, quæ ambo contingunt in stomacho. Van helm.

Oui potestas seminis, actuatur per fotum.

Nouitijs solitudo necessaria ne conuersatione conceptus spiritus dissipetur, & externorum mixtione alteretur, *vide gloria virtutis*, solitaria virtus. Oua destituta seminis tegmine nunquam fiunt vitalia.

Inest homini diuinæ bonitatis & prouidentiæ quædam imitatrix idæa, qua fertur in infirmitatis auxilium, raptu quodam nihil præter patientis leuamem intendente. Motum hunc licet inconsultum ratio dirigit, vt quo major vrget necessitas, plus impendatur anxiæ sollicitæque tutelæ; hanc potissimum exigunt infirmæ res sub originis suæ primordijs, lucem, aërem, tot contrariorum occursus ægrè ferentes, & sub vi minima collapsæ, si non eas pia manus confoueat. Quod tunc illis præstatur semen est in magnos surrecturum prouentus; paucis multa promouentur, studij laborem leuat læta facies rei beneficio nostro accrescentis, vnde spes, breui temporis cura, diuturnos fructus numerans. Florum prolem exiguam diligens curiosi manus cribratæ terræ committit, & noualem aream, à sole nimio vindicatam pascit leui rore, donec intra paucos dies, adolescentes, fixis nixæ saturæque radicibus, sibi solæ prouident, externis fortiores. Quid iuuat è semine prodiens germen, si neglectum externis exponatur injurijs; igitur quod glans à bestijs non depascatur, quod surgat in arborem trecentis viuacem annis, altam, patulam, morte sua varijs in operibus vtiliorem, totum id debet ei qui ipsam excoluit. Mille quæ pueritiam sequuntur infirmitates, statim vitam nostram cum morte commutassent, si hanc non vindicasset pia parentum cura, hanc autem quam recipimus gratiam, alijs etiam inanimis nascentibus præstare justum censemus intimo quodam misericordiæ sensu, sic agricola præstat naturæ obstetrices manus; virtutem quam non infudit, adjuuat, si non generantis, saltem nutricis titulo, parentis vices agit. Sub hac conditione videmur in vitam admitti naturæ tutores, vt illius inuigilemus conseruationi, & ab eius operibus vim hostilem propulsemus. Quamuis infirmæ nascenti rei præstitum officium gratuitum videatur, suo tamen non caret præmio; quod enim quisque coluit, & à debilibus initijs ad perfectum adduxit, videt vt opus suum, intimaque perfunditur consolatione, quæ se non continens, etiam in modestissimis, voce jactabunda se profert. *Ex principiis.*

Folia fructibus ad eorum custodiam sunt circumjecta, vt illos vallo quodam communiant. D. Hila. in Ps. 1 & folium eius non defluet.

Bona indoles non est cogenda, sed excitanda. *vide minoritas contrariet.* non cogere.

Dele-

DELECTATIO QVÆ EST *in rerum initijs.*

OMnia flumina sunt in origine sua dulciora, vnde pisces dulcedinem illam appetentes contra aquas sursum tendunt.

Fit celebritas cum Magistratus ingrediuntur nouum officium, & Proconsules ingredientes suam Prouinciam, debent patienter audire laudes suas, l. si in aliquam, ff. de off. Proconf.

B Cum Princeps ingreditur ciuitatem debet illi obuiam iri cum lætitia, & apparatu ad eum honorandum, Chassen. in catalogo gloriæ mundi, parte 5. consid. 24. num. 116. sic scribitur de Saul, 1. Regum 10. de Iepthe, de Christo in die palmarum, Math. 21.

Valent gratiæ concessæ à Rege, aut à Regina pro jocundo suo ad coronam aduentu, vide Chass. de consid. 40.

Vt grata debet esse orationis clausula, *vide magnit. & gloria finis*, sic gratum debet esse eius initium, nam oratio quantumlibet sit composita, ipsam gratiam perdit, si ad eam rupta via veniamus. Quint. Inst. orat. l. 9. c. 3. vnde captanda beneuolentia, &c.

C Cibus delectat, cum sumitur, non cum nutrit, & hæc est breuissima voluptas.

Aurora meridie gratior est, quia dat lucem post tenebras, at in meridie est quædam lucis satietas. *V. gloria diff* diuersitatis, *& gloria contrariet.* opposita magis elucescunt.

Deus plantauit paradisum, locum voluptatis, ad orientem, & in eo posuit hominem quem formauerat.

Agresta Gallicè *Verjus*, non est vinum aptaque materia ad consecrationem, quia vinum est dulce, cum exprimitur.

Festiuitates pueri Iesu, liber Bonauenturæ.

D Calendis cujusque mensis, quæ apud Hebræos Neomeniæ dicebantur in populo Dei sunt celebrata sacrificia, nu. 10. v. 20. & c. 28. v. 11. Isa. 1. v. 13. & 14. Ezech. 46. v. 3. & agitata conuiuia, 1. Reg 20. v. 5. & 18.

Consulibus in Prouincias aduenientibus dabatur aduentitium donum, quod honorarium dicebatur, l. solet §. quantum, ad Xenia de offic. qu. ita Rex Franciæ confert primas vacantes præbendas in Ecclesijs, collegiatis & cathedralibus, *par droit de ioyeux aduenement à la couronne.*

In dysenteria, si primo melancholia fluat, est signum mortis quia lædit intestina, & cancrum producit insanabile.

E Zoroaster statim natus risit, signum dans alacris ingenij.

Oriens fert gemmas, vniones, aromata, & omnia pulchriora, quam in cæteris mundi partibus.

Odores plurimi sinceriores que mane sentiuntur, die crescente minus, meridie minimè, quod sol omnia siccat, & quemadmodum horis diei, ita etiam anni temporibus pro ratione mutantur, Theoph. de causis plant. l. 6. c. 21.

Chrysolitus gemma est coloris aurei, in horis matutinis visu pulcherrimus est, in alijs autem horis dissimilis; ab igne autem corrumpitur, Id. de lapidibus littera C.

A Christus bis venisse dicitur in Cana Galileæ primo cum aquam conuertit in vinum, 2. curaturus filium Reguli. Sunt duo Filij Dei aduentus in anima, prior quidem vinum suppeditans ex aqua factum ad jucunditatem conuiuantium; alter omnem relictam infirmitatem, & quidquid mortem minatur, auferens, Orig. hom in Ioan.

Plaudit sibi, magnasque spes concipit ætas nondum calamitatibus instructa.

Septentrionales populi Solis ad se reditum festiuè celebrant, *vide finis contrariet.* cessatio doloris, sic Iudæi Nouilunia.

Planetæ orientales candorem significant, occidentales obscuritatem, Cardan. aphor. sectione 2. aph. 89.

Planetæ orientales non solum celeriter, sed & faciliter dona sua largiuntur. Ibidem sectione 4. aph. 117.

SVAVITAS VITAM SPIRItualem incipientium.

VOx Domini in magnificentia, Psal. 28 Domine in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem, Ib.

Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus, Ps. 33. donec ipsa experientia, vos ad insatiabile prouocet desiderium. Beatus vir qui sperat in eo, omne suum desiderium in eum refundens, D. Basil. in Ps. 33. Ros cadit mane.

Contrarium est de peccatore, cui vt Euæ post peccatum dicitur, in dolore paries filios; qualis futura est vita, si sumit exordium à mœrore, Chrysol. ser. 44.

Gen. 1. Abraham solemne facit conuiuium, dum ablactatur Isaac, & 1 Reg. 1. Anna ablactatum Samuëlem, Deo offert læta, cum solemni sacrificio, sic Monasticam professionem facientes post nouitiatum, vt non amplius pendeant ab vbere, &c. laudis immolant sacrificium

Ioannes exultat in vtero matris, ad præsentiam Christi adhuc in vtero existentis, Apoc. 14 vox prima quam audiui, tanquam citharedorum citharizantium in citharis suis.

Tres sunt gradus amandi Deum, qui debent ordine percurri; amandus enim est Deus, dulciter, sapienter, fortiter, Petrus Dam. ser. 26.

Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, Psal.

Iridis radix est odorata, Theoph.

Sicut mustum plus feruet quam vetus vinum, non tamen propterea sequitur, quod sit vel erit melius vinum, quam hoc vetus: Amor Ioannis erga Christum erat dulcior, Petri fortior. Perbattus in rosario Theol. voce affectus.

Baptizatis post trinam immersionem dabatur lac & mel, vt ea dulcedine tanquam modo geniti infantes crescerent in salutem, 1. Petri 2. Clem. Alex. pædag. l. 1. c. 6.

De mira Dei suauitate qua mundanos allicit ad religiosam professionem, vide quæ scripsi, lib. de fælici successu & triumphis vitæ religiosæ, p. 1. c. 13. libello de amore Dei nascente, c. 11.

Israëlitis in deserto Deus dedit cœlestia cibaria, postquam consumpserunt terrena; sic carentes pro Christo temporalibus delicijs, misericors pater reficit spiritualibus; id etiam præstare debent pijs exhortationibus hi quibus tyronum cura fuit com-

missa; nouitius enim nondum fulgorem spiritualis vitæ ferens, manuducendus est & lacte pascendus, &c. Laur. Iust. lib. de perfectione Monastica, c. 8.

Christus baptizatus à Ioanne ascendit ex aqua, & statim aperti sunt cæli. Semper inter initia spiritualium cæli aperiuntur per consolationes, visiones & intellectiones prius ignotas, D. Chrysost. ho. 13. in Math.

Miracula fiunt in legum initijs; *vide maioritas potest* miracula.

In missa præcedit suauitas cantus. *V. concord. diff.* A musica sacra. Introibo ad altare Dei; ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.

Legimus in veteri testamento, quod semper Dominus Moysi & Aaron, ad ostium tabernaculi fit loquutus.

Surge amica mea, jam hyems transijt, flores apparuerunt in terra nostra, &c. Cant. 4. Ipso sole iustitiæ oriente hyems transijt, & ver fidei calore Spiritus sancti terram soluit, & flores virtutum producit; Orig. in cant. quis non ambulet per illud iter floridæ contemplationis.

DIFFERENTIA PRINCIPII.

DIVERSITAS CAVSARVM.

DIVERSÆ sunt causæ quia diuersis diuersa conueniunt, *vide diff. bonitatis.*

Populi inter se bellantes proprios sibi finxere Deos tutelares: Babylonij Beel, Ægyptij Isidem & Osiridem, Africani Neptunum, Rhodij Solem, Lemnij Vulcanum, Paphij Venerem, Athenæ Mineruam, &c. Paracelsus l. de imaginibus.

Pro numero planetarum septem primarij colores recensentur, ex quibus pictores plusquam triginta conficiunt, quorum nullus alteri similis est. Saturno & plumbo tribuitur niger; soli & auro luteus; Lunæ & argento cæsius; Mercurio & Hydrargyro cianeus: Veneri cuproque viridis. Marti & ferro ruber; Ioui & stanno candidus, Ib.

De dæmone nos sortito, Ficin. in l. 22. Plotini. De dæmone Socratis, Plutarch.

De formarum pluralitate, D. Th. opusc. 45.

In regno Sian Indiæ juxta Chinam, incolæ idololatræ adorant separatim quatuor elementa, qui adorauerunt ignem mortui comburuntur, qui aquam, merguntur; qui terram, humantur; qui aërem, auibus exponuntur, Dauity.

Vnus diuinus spiritus variè participatur, siquidem omnia regna certis subsunt spiritibus, vt de regno Persarum legitur in Daniele. Ecclesia igitur D vniuersalis rectori subest, sic quælibet congregatio, siue Religiosorum, siue ciuium. Sicut diuinus spiritus, est amor, siue charitas, siue connexio; ita omnes virtutes seu spiritus tales, vnionum sunt conseruatores & pacis, Card. Cusa excit. l. 3. c. 16.

Philosophi dixerunt tot esse intelligentias in cælo, quot orbes, & tot orbes, quot varietates orbium in cælestibus, sic in singulis speciebus regnat vnus spiritus, quem participant plura indiuidua, Id. l. 3. in fine.

Romani duodecim anni menses suis proprijs numinibus tutelaribus assignabant. Ianuarium Iunoni, Februarium, Neptuno; Martium Mineruæ, &c. Petrus Crinitus de honesta discipl. l. 8. c. 8.

Singulis etiam regionibus, singuli tutelares Dij assignati sunt, Id. l. 9. c. 3.

B Elementum, causa & principium differunt. Nam omne elementum est causa, sed non è conuerso. Finis est causa, sed non elementum, quia elementum solum est in causa intrinseca, iterum, omnis causa est principium, sed non è conuerso, quia locus vnde exit motus est ipsius principium, non tamen causa. Perbartus in rosario Theologico, voce elementum.

Tria sunt quæ oriuntur ex animalibus, animal; ouum, vermis. Solus vermis communis est generationi quæ ob putredinem fit. Card. l. de rer. variet. c. 27. de productione ex vermibus, *vide minor. princ. initij.*

C Ius patronatus transit ad hæredes; potest etiam titulo donationis, permutationis, venditionis in alium transferri, tot. tit. de jure patron.

Origenes hom. 2. super numeros, dicit in resurrectione omnes orbis populos reducendos ad 12. tribus Israël, provt cuique tribui moribus conuenerit: Alios in tribu Iuda, qui regio fuerint spiritu; alios in tribu Leui, qui in sacris bene ministrauerint, alios in tribu Simeon pro obedientia, sic de cæteris quibus vnusquisque sociabitur, provt cum illis in actibus & moribus cognationem habuerit. Dicit enim Paulus, 1. Cor. 15. quod vnusquisque resurget in suo ordine.

Ex initio sæculi cum dispergeret Dominus filios Adam, statuit fines gentium, secundum numerum filiorum Dei, Deut. 32.

Sex sunt genera causarum, à tribus primitiuis principijs potestate, cognitione, amore seu voluntate, duæ à potestatiuo, agens & materia, duæ à cognoscitiuo, idea & forma, duæ à volitiuo, finis & perfectio. Campanella in physiol. epilogo.

Duplex est mouens vt dicitur 8. physicor. scilicet mouens per se, & mouens per accidens, quod est remouens prohibens, vt qui remouet columnam, remouet lapidem qui est super ea, D. Th. in q. de causa peccati, q. 3. a. 6. o.

Prima causa subordinantur inferiores, vide quæ scripsi de iure mutat. l. a. lege 3.

A

DIVERSITAS INITII ET originis.

PRincipes faciunt aliquando inchoare annos à subditis suis ab illo tempore, quo fecerunt aliqua magnifica, vt patet de omnibus ponentibus aras, vt de Nabuchodonosor; de Philippo patre Alexandri, de Alexandro, de Octauiano, de Diocletiano, de Mahumeto, Tost. defens. f. 19. c. 3 f.

Hebræi computant annos ab exitu de Ægypto; Græci per olympiades, postea ab Alexandro, Romani ab vrbe condita; Christiani à Christi natiuitate. Idem exod to. 1. f. 71. c. 2. a.

B

Arabes & Sarraceni computant menses ab apparitione nouæ Lunæ, vsque ad sequentem apparitionem, & constituunt in quolibet anno duodecim lunationes, & duodecim menses, & ob hoc habent annum mutabilem, quo ad principium anni. Idem def f. 50 c. 4. h.

Fiunt quædam transfiguratione vt statua ænea; quædam additione, vt ea quæ incrementum capiunt; quædam ablatione, vt marmorea statua; quædam compositione, vt domus; quædam alteratione, vt ea quæ vertunt suam materiam, & hæc omnia ex subjectis fiunt. Arist. 1. physic.

C

Animæ rationales non fuerunt omnes simul creatæ à Deo initio mundi. Vide quæ scripsi, Theol. natur. to. 2. p. 1 c. 39.

Est triplex patria, originis, domicilij, & communis, vt olim Roma: domicilij autem potius, quam originis spectatur patria, in condendis testamentis, Cujac obs. l. 14. c. 12.

EXILIVM.

IN Babylone & apud Assyrios Iudæi non erant serui, colebant enim terram, & laborabant sibi, sed tantum prohibebantur regredi in patriam suam. Tost. 4 Reg 257. col. 1. b.

D

Iudæi non obseruabant multa legis præcepta extra patriam suam, velut extra non essent Iudæi. *Vide medium durationis*, locus. Ideo non imponebant exilium pro pœna, ne viderentur dispensare de lege. Tost Leu. f. 93.

Exilium jura dant pro pœna, quia pœna est manere extra natale solum, & suorum conuersationem. Idem, Mathæ. tomo septimo, fol. 283.

Iudæos euomuit terra sua, juxta illud Leuit. 18. Cauete ne vos similiter euomat. Idem Leuit. fol. 185.

Planetæ cadentes à domo, significant peregrinationes, exilia & inconstantiam. Carda. l. de iudicijs genitur. c. 28.

E

Primus homo propter peccatum exul eijcitur è paradiso, sic Caïn post fratricidium.

DIVERSITAS FORI.

PErtractio personarum Deo sacratarum ad tribunal sæculare, est species sacrilegij, quia Ecclesia voluit Ecclesiasticos, immunes esse à Laïca potestate in honorem status Ecclesiastici Bonac. de sacrilegio, sic enim res sacra violatur.

Petrus Dam. Cardinalis, missus à sede Apostolica in Galliam legatus acceptissimus fuit Monachis Cluniacensibus, eo quod eos liberasset à cupiditate cujusdam Episcopi jurisdictionem in eos vsurpare conantis, vt testatur ep. 5. l. 6.

Si causa inter clericos orta fuerit, qui eam relicta Synodo ad sæcularia patrocinia transire præsumpserit, excommunicatione omnium ac detestatione dignus habeatur Conc. Arelat. 2. can. 31.

Si quis sæcularium amore religionis se ad quemcumque sacerdotem crediderit conferendum, ipse sibi eum, quem erudiendi gratia susceperit, vindicabit, eod can 35.

Laïca omnis Monasterij congregatio ad solam ac liberam Abbatis proprij, ordinationem, dispositionemque pertinet. Conc. Arelat. 3.

Clericus inconsulto Episcopo ad iudicem sæcularem non pergat 11. q. 1. can. clericum, & 5. quæst. 6. ca. si quis vero, Concil. Aurelian. IV. can. 20. Matisconense I. ca. 8. habetur 11. q. 1. ca. nullus clericus.

Zacharias Papa Monasterio in Germania, qui vocatur Buconia, priuilegium concedit vt in illo nullus Episcopus jus habeat, nequidem missas celebrandi, Conc. Gall. tom. 1. a. 751. similiter de priuilegijs concessis Monasterijs sancti Dionysij, & Corbiensi, vide

D. August. lib. de Ecclesiasticis gradibus docet Monachos, sub quiete regulariter viuentes, sua singulari lege debere quiescere procul ab infestatione clericorum, ne sæcularis strepitus eos lædat, quos districta regula seruitutis Domini moderatur.

De simili priuilegio concesso Fulrado Abbati, à Papa Stephano, 2. to. Conc. Gall. an. 757. Monast. S. Karilefi. Ib. a. 863.

Vide differ potestatis, distincta jurisdictione. Monasterio Solleniacensi, in Synodo Suessionica, a. 866.

In arboribus interdum palmes de caudice, prouenit, qui si cum vires ceperit, fructum præstat, nihil temerè faciet, Theophr. de causis plantarum l. 5. cap. 2. Tales sunt Religiosi, S. Pontifici immediatè subjecti.

Clerici circa actiones personales, vel criminales non possunt conueniri coram iudice sæculari, cap. at si clerici de iud. & tot. tit. de foro compet. quamuis consentiant, cap. si diligenti, cap. si clerici, de foro comp.

Forum quis sortitur vel ratione domicilij, vel priuilegij, vel rei controuersæ, vel delicti, vel contractus, vel causæ, vel continentiæ & affinitatis causarum, tot. tit. de foro competenti.

Ab Apostolis & successoribus eorum facta est distinctio jurisdictionum dictante Spiritu sancto, vt Ecclesia ordinatius & melius regeretur, Tostat. Math to. 4. f. 185 c. 3 f.

Israëlitæ in Ægypto tempore prosperitatis erant sub dominio Ioseph, & tandem Pharaonis, habebantque suos Iudices ex seipsis, quos desierunt habere tempore aduersitatis.

REPVGNAT.

CAusa spiritualis potest commiti à Principi per summum Pontificem, licet Princeps sit Laïcus, cap. præter, §. rerum dist. 32. Vide Chassenæum in catalogo gloriæ mundi, parte 5. consid. nu. 143. & num. 191. dicit quod pro re Ecclesiastica potest cognoscere Princeps, quia peculiari studio Principis debet deffendi, arg. l. vniuersi 11. C. de fundis rei priuatæ.

Clerici iudicantur à Iudice Laïco si fuerint assasini, aut eorum fautores, submissores, capite primo, B de homic. in 6. Si in habitu sæculari sint inuenti delinquentes, capite primo, de apostat. si sint degradati, capite 2. de pœnis, in 6. Circa actiones reales debent conueniri coram judice loci vbi res sunt sitæ, cap. ex transmissa 6. & seq. de foro compet.

Olim Monachi & Clerici in forum venire compellebantur apud iudices ordinarios, l. omnes qui vbicumque, C. de episc. & cler. Nunc remittuntur iudicandi ab Episcopo; ita tamen vt secundum leges imperiales & sacratissimas regulas iudicet. Nouell. 79. Cujac. Ibidem, si capitale fuerit crimen à reo supplicium non sumitur, nisi fuerit degradatus C ab Episcopo, vt adulterij, homicidij; si fuerit crimen Ecclesiasticum, vt sacrilegij, iudex erit Episcopus. Ib.

Idem erat forum Laïcorum & Sacerdotum in veteri testamento, cędem pœnæ, & idem iudex. Iosue to. 2 f. 238. 4. Reg. f. 125. & 1. Par 234. vbi probatur quod rex habebat jurisdictionem super Sacerdotes, sicut super Laïcos.

SEPARARI A SVO PRINCIPIO, *malum.*

COrrumpuntur, diu à suis locis separata, *vide* D *minoritas differ.* locum non mutare, *& durat. virt, R.* apostasia.

Quando Sol exit de signo in quo est, remanet illud signum in similitudine corporis defuncti, quoniam spiritum & motum non habet. Haly. 1. p. c. 4 de sole.

Partes vim mutuantur à toto, à quo diuulsæ dotes suas deperdunt, & inertes otiantur, *vide medium durationis*, locus, à quo mutantur separata.

Prodigus accepta portione substantiæ peregrè profectus, consumpsit substantiam suam viuendo luxuriosè, Luc. 15. Ecce quemadmodum sine patre census nudauit filium, non ditauit, locupletem fecit egenum, ex libero seruum, vt seruiret cœnoso pecori, E qui pietati sanctæ parere contempsit. Est penes patrem, dulcis conditio, libera seruitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda vltio, paupertas diues, secura possessio. Namque ad patrem labor respicit, fructus redundat in filios. Chrysologus sermone 1. filium data facit egere substantia, quæ diutem negata seruabat, vt penes se deficeret habendo, qui penes patrem abundauerat non habendo, Ib.

Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum. Psal. 1. Abijt, abijt à se, à Deo impius cum recessit, nec stat in consilio, impijs cogitationibus qui vagatur. Modo fertur ad cælum, modo refertur ad terras, jactatur per maria, leuatur fluctibus, mergitur in profundum, Idem hom. 44.

Est pretiosus oculus, sed si perseuerat in corpore, nam auulsum, nec sibi, nec corpori lucet, debent quidem illi membra suæ lucis obsequium, sed & ipse oculus sentit corpori se debere quod lux est. Id. hom. 132. quisquis se putat esse aliquid, maneat in Ecclesia, alioquin vbi defuerit illi, sibi esse mox desinit. Ibidem. De apostasia. *Vide duratio virtutis, Repug.*

Lumen ex sola absentia causæ ipsum producentis, seu conseruantis, corrumpitur.

Ignis corporeus quo in corporalibus administrationibus vtimur, quod quartum mundi elementum dicimus, res ipsas comburit quibus continetur procul autem positis innoxius est; Deus autem noster verus & perpetuus ignis, suam è contrario naturam & potentiam exerit, nam illis intra quos est, non solum innoxius, verum etiam salutaris, & clementissimus est; longè autem positis, & dignè appropinquare nolentibus nimium damnosus existit, de quibus dicitur, Ps. 47. sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei; sic ignis in rubo Moysis, non consumpsit, sic Christus in vtero Virginis, illam non læsit, sed illustrauit. Rupert. l. 1. in exod. c. 12.

Quanto aliqua sunt propinquiora mouenti, tanto efficacius impressionem mouentis assequuntur.

Quocumque materiali vel formali principio subtracto, res statim esse desinit, cum hujusmodi principia intrent essentiam rei. Defectus quo subtrahitur principium, est irreparabilis.

Plantæ semper terræ adhærent, & nunquam ea absolui, vt animalia possunt. Theoph. hist. plant. l. 4. c. 7.

Fructus melius maturescunt in arbore, quia debito accepto alimento, quod est superfluum à sole digeritur, at collectus in fructu calor debilis id nequit præstare Idem de causis plantarum, libro 2. c. 10.

Quisque juxta Principem, sed multo magis juxta Deum securus est.

Domine omnes qui te derelinquunt cōfundentur, discedentes à te in terra scribentur. Hierem. 2. Reliquerunt me fontem vitæ. Vide malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.

Non crescit lapis in pariete, eo quod res tunc modo crescunt, cum suæ matri adnatæ conjunctæque manent, at ab illa cum separantur perduntur venæ, vnde succum, quo nutriuntur, attrahunt, idcirco erutus dens non crescit, neque os, neque ipsæ arbores; at dum terræ matri colligatæ sunt, nutriuntur, augenturque, nec de foris tantum, sed accepta ab intus nutritione; additio enim diuersam consistentiæ speciem facit, at lapides similares sunt, & maximæ magnitudinis, terram adnatam in se conuertunt Campanella physiol. c 7 a. 6.

Idem dicit solem terris fieri proximiorem quam olim, & inde factum vt in Italia palmæ ferant dactylos, Gallia, & Germaniæ pars vites Arangias, sole propinquiore facto Ib. q. 33. a. 2.

Desertam à gratia, nec habitatam Saulis animam nactus dæmon proprium sibi effecit domicilium, prudentia de mentis acie deturbatur, dæmoniacis motibus obturbatur, &c. S Basil. seleuc or 14.

Qui se elongant à te peribunt. Psal. 72. fugimus à Deo, non loco quia vbique est, sed affectibus &

operibus. Cum peccamus à Deo fugimus, fugitiuorum more erramus, ad alienam abscedimus terram vt prodigus. Luc. 15. D. Chrysost. hom. 11. in epist. ad Philipp.

Imp. Iustin Nou. 65. permittit prædia Ecclesiastica alienari, si multum distent ab Ecclesia, & sint exposita incursionibus barbarorum, à quibus sic distantia deffendi non possunt.

Nihil præstant corpora quibus ossa sunt subtracta.

In formidine belli præsentia regis, sortitur spem meliorem.

Christus relicturus discipulos, sic eos consolatur, Accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum & vos sitis; quæramus ab eo Domine vbi es, & vbi futuri sumus; Respondet per Prophetam, cælum mihi sedes est, & quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra. Laur. Iust in fasciculo amoris.

Planetæ in Apogæo minores, in Perigæo majores apparent, ex perspectiuæ ratione, quæ enim longiora, sunt minora, quæ viciniora majora apparent. Aulicus si non assideat principi minor eius virtus apparet.

Peccatum est mors animæ, quia separat à Deo. *V. minor. virt*, peccatum mors animæ.

Per annum à diluuio sol non effulsit super terram, partim ab aëris turbatione coërcitus, partim quia terra erat aquis cooperta, ideo illo anno fructus non produxit. Origen. l. 1 in Iob.

Horrenda supremi iudicis sententia. Discedite à me maledicti in ignem æternum.

REPVGNAT, SEPARARI à suo principio, bonum.

FRuctus licet in planta completionem accipiat, tamen separatur incorruptus, & non agit operationem suam, nisi postquam à planta separatus est,

A aliquid habens ouis animalium ouantium, quæ licet intra animal complantantur, tamen ex ipsis non producitur animal, nisi postquam ab animalibus separata sunt. Alb. Mag. l. 3. de vegetab. cap. 1. Sic de fœtu animalium, de gemmis, & metallis quæ omnia debent esse extra suas matrices, vt virtutes suas explicent. Talis est emancipatio in ciuilibus.

Numquid potest quis in ventrem matris suæ iterato redire, & renasci. Ioa. 3. Non expedit expurgatos vniones in conchas suas matrices redire; purgata à terræ fœcibus metalla in mineras proijci.

Sybilla Cumæa fatidica, vt seruaret vim hanc quæ à cælo est, in antro degebat sub terra, ne nimium pateret cælestibus motibus contrarijs.

Succi omnes sinceriores efficiuntur suis pulpis
B expressi, multoque magis qui expressi diu immoti manserunt; sic enim diluta pars exhalatur, & terrena subsidet, in totumque calor intestinus corroboratur. Theoph. de causis plantarum, l. 6 c. 9.

Fontes & flumina procedunt de mari, licet mare sit proprius locus aquarum. Alb Magn. meteor. l. 2. tr. 3. c. 10.

Motus passiuarum qualitatum sicci & humidi, seu aquæ & terræ, est ad centrum, caloris autem est à centro. Ib. l. 4. tr. 2. c 1.

Damnati sunt Manichæi, qui vinum expressum abhorrebant dicentes esse fel principis tenebrarum, cum tamen vuas venerarentur, vt in communione discernerentur à Christianis Leo Papa de-
C creuit communionem fieri sub vtraque specie, epist. ad Thuribium.

Quanto remotior est rotæ circumferentia à suo centro, tanto facilius & velocius mouetur.

Filij tenentur recedere à parentibus ipsos sollicitantibus ad hæresim. Tost. Mat. 10. 5. f. 168.

Pueri non debent cum suis parentibus jacere in eodem lecto, ca. consuluit 2. q. 5.

Filij non debent educari à proprijs parentibus *Vide virtus principij, initij*, educatio liberorum.

Digitized by Google

CONCORDANTIA PRINCIPII.

EFFECTVS SVIS CAVSIS SIMILES.

HOMO, vltimus creatus, & accipiens à Deo, cæterarum creaturarum dotes; habet totam hanc naturam corpoream, velut parentem, & ideo animalia æmulatur, non eum ipsa. Paracelſ. l. de fundamento ſcientiæ.

Omne mouens per ſe mouet ad formam aliquam, quæ eſt per aliquem modum in ſeipſo mouente; ſic generans mouet ad formam ſuam; ſic eſt in omni arte, quæ mouet ſecundum formam exiſtentem in mente artificis. Alb. Mag.

Riuus eſt ejuſdem formæ, cum fonte à quo eſt fluxus.

Quidquid agit, ſui, in re patiente, molitur ſimilitudinem.

Ariſt 1. politic. 4. dicit quod ſicut ex homine homo, ex beſtia, beſtia, ſic ex bono parente bonus generatur filius. Vnde Quintil. in genere demonſtratiuo, dicit à majoribus argumenta eſſe ducenda præſumitur filius eſſe ejuſdem voluntatis cum patre, l. ſi operarum iudicio, ff. de operis libert. plura ad hæc collecta. Vide apud Chaſſen. in catalogo gloriæ mundi p. 11. conſid. 25.

Impar numerus ſacer habetur, & pari præſtantior, quia magis accedit ad monadem numerorum principium & fontem.

Vitrum quod fit in fornacibus ex ciniribus herbarum purgatis à ſalſedine non eſt ita durum, nec ad cryſtalli naturam accedens, ac illud quod fit ex lapidibus duris, & pellucidis.

Agens agit, vt aſſimilet ſibi paſſum. Formam quæ eſt in materia nihil efficere poteſt, niſi forma quæ fit in materia. Ariſtotel. 7. metaphyſ. text. 28. ſolus Deus poteſt efficere per ſe, quod efficiunt cauſæ ſecundæ.

Qui viret in folijs, venit à radicibus humor.

Et patrum in natos abeunt cum ſemine mores.

Genita frequenter aſſimilantur gignentibus, vnde refert Ariſtot. 2. polit. cap. 2. quod cum quibuſdam Lydiæ populis vxores eſſent communes, filias partiebantur ſecundum ſimilitudinem natorum ad parentes.

Similes actus, ſimiles generant habitus. Ariſto. 2. ethic. c. 1. habitus etiam non inclinant niſi ad ſimiles actus.

In regno Cochin filij ſequuntur artem & profeſſionem patris, nubuntque mulieribus ejuſdem conditionis, Dauity. Idem fit in regno Sinæ *La Chine*.

Quod maximè eſt tale, cæteris cauſa eſt, vt talia ſint. Ariſt. 2. metap. 2.

Potentia agentis vniuoci tota manifeſtatur in ſuo effectu, potentia enim generatiua hominis nihil poteſt plus, quam generare hominem; ſed potentia agentis non vniuoci non tota manifeſtatur in ſui effectus productione Sicut potentia ſolis non tota manifeſtatur in productione alicujus animalis ex putrefactione generati.

Omne procedens ab aliquo naturaliter, eſt ei ſimile & æquale in natura, niſi ſit defectus agentis, vel materiæ, vel vniuocæ cauſalitatis.

Radices ſunt elementa quædam arborum, elementorum autem conditionem ſectari cætera omnia neceſſarium eſt, ideo cucumeres dulciores fiunt, ſeminibus in lacte maceratis; ſic mutatis radicibus tota arbos mutatur. Theoph de cauſis plantar. l. 2. c. 19.

Semina & germina eodem conſtituantur ſitu, ad auſtrum, ortum vel occaſum quo fuerunt in parente, vt nihil naturæ moriſque ſoliti immutetur, quaſi mutationem pati minimè valeant. Ibidem libro 3. cap. 6. ſic olim filij jubebantur ſequi conditionem patris. *Vide duratio poteſtatis, duratio virtutis exercitatio*

Pulli Aquilarum, id eſt filij regum.

De roſa dicit Poëta

Ros vnus, color vnus, & vnum mane duorum
Sideris & floris.

Romæ gens Curionum continua ſerie tres optimos oratores habuit, in Fabiorum familia tres fuerunt continui principes, &c. Petrus Crinitus de honeſta diſcipl. l. 21. c. 13.

Aqua aſcendit eo vſque quo principium ſui ortus æquauerit, modo marginibus contineatur, differt autem quæ fiſtulis defertur, ab ea quæ canalibus, quod quæ fiſtulis delata eſt, tantum aſcendit, quantum deſcenderat, quæ vero canalibus, non niſi cum altiores margines fuerint. Card. de rer. variet. l. 1. c. 6.

Antiquis velut parentibus conformari. *V. concord virtut* imitatio bonorum.

Impar numerus imparem ſemper producit, par parem. Rodig l. 22 c. 6.

Partus ventrem ſequitur, partus apud Iudæos, cenſebatur baptiſatus in matre proſelyta, *Vide virtus princ.* parentes ſint exemplo, &c.

Naturali jure partus ventrem ſequitur; cum agitur de illegitimis. Sata ſolo cedunt, olim ex S. C. orphitiano illegitimi cum legitimis matri ſuccedebant, hanc legem amore caſtitatis abrogauit Iuſtinianus.

Agens principale inducit in effectum ſimilitudinem ſuam, non tamen agens inſtrumentale. Toſtat. in Mathæ. tomo quarto, fol. 183. capite 2. b.

Non perueniet ad finem bonum, vixque fieri poteſt vt perſeueret in magno gradu, cui nulla ex pri-

mogenitorum figura, genituræ propriæ auxiliatur, Card.aph sect.3.aph.13. A

Quintum signum ab ascendente filios significat, quia ejusdem naturæ est cum signo ascendentis, & si fuerint duo signa in ascendente, erunt nati diuersorum morum, & nona significat eadem causa filios filiorum, Card.aph.sect.3.aph 159

Non potest arbor mala bonos fructus facere, &c. Math.12.

Accessorium sequitur naturam principalis, nurus familiæ appellatione continetur, Cujac obs.l.28. c. vlt.

D. Hieronym. ad Saluinam viduam Nebridij. Nebridius, inquit, pusio patrem quærentibus exhibet; sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat. Scintilla vigoris paterni lucet in filio, & similitudo morum, per speculum carnis erumpens; ingentes animos angusto in pectore versat. B

Partus fiunt parentibus similes, vel ex abundantia materiæ ex omnibus corporis partibus copiosè decidentis, vel potissimum ex imaginatione viri in coitu, mulieris multo tempore post conceptionem, nam per id spatium nouas figuras imprimit, prout ipsa objecti alicujus nouitate fuerit affecta; etiam procedit hæc similitudo à temperamento vtriusque parentis, & hæc qualitas latet interdum diu, & auum refert in nepote, & hæc causa plurimum potest ad conformitatem morum, cum imaginatio sit tantum respectu exterioris figuræ, est duplex similitudo essentialis ratione speciei & sexus, & hæc pendet à virtute formatiua quæ est in semine; alia est accidentalis interna vel externa quæ est in lineamentis & coloribus, & in ea plurimum potest imaginatio, laudantur simili prole puerperæ. C

PARTES SVO VNIVERSO conformes.

QVemadmodum vita hæc temporaria, cognatam obtinuit, & huic mundo conformem naturam; sic futuræ vitæ ratio, & conditio, statui animarum, commodissimè respondebit, D. Basil. in hexamer. hom.1.

Platonici dicunt animalium animas per se moueri, quia sunt partes animæ mundi quæ per se mouetur, vnde per mortem non corrumpuntur cum corpore, sed redeunt ad eam. Alb. Magn. tract 1 de motu animalium. Sicut motor se habet ad mobile, ita partes motoris se habent ad partes mobilis, siue eius quod mouetur. Dicit autem idem Plato, animam orbis ideo se mouere, quia habet conceptum & desiderium primi boni, seu Dei patris orbis, cui sic se putat conformare, vnde quę non habent conceptum, & desiderium boni, vt plantæ & elementa, non se mouent, Ib.

Principium motus est in cerebro; caput autem propter hoc est sphæricum, vt organum motus in animalibus, etiam in figura videretur congruere corporibus, quæ primo in cælestibus mouentur & sunt causa motus inferiorum, Ibidem, tractatu 2. c. 1. E

Calor naturalis, intus mouetur cum Sol occidit, at extra cum Sol oritur, aliquando ad superiora, & illic ducit spiritus & humorem, quando Sol medium cæli ascendit, Alb. Mag. tr.1. de nutrimento & nutribili, c.3.

In animalibus, quæ valde similia sunt in corporibus, vt pisces & serpentes, virtus assimilatiua alimenti, habet virtutem formatiuam, de animalibus quorum partes sunt similes toto, *vide differ. modij*.

Formæ materiales & immersæ materiæ, quæ ad vltimam distantiam recedunt ab intellectu puro & immixto; hanc tamen habent cum illo conuenientiam, quod sicut ipse est vbique & semper, sic ipsæ habent totam potentiam suam, in tota materia, & omnibus partibus eius, quælibet enim pars lapidis, lapis est, & quælibet pars auri est aurum, Alb. Mag. tr.1. de natura animæ, c.3.

De reditu animæ separatæ ad comparem stellam, *Vide finis differentia*. Reditus ad principia.

Simplicia corpora habentia motum rectum, sunt rotunda per accidens, eo quod locantur in rotundo, Alb. Mag.

Plantæ habent vt plurimum figuram pyramidalem, quia fit motus à centro æqualis ad superficiem, & vt facilius sine angulis dispertiatur alimentum, denique ob conformitatem cum cælo, cujus virtus descendit ad inferiora per modum pyramidis, & hæc figura in omnibus eius partibus diuisim inuenitur, in stipite & ramis, itavt pars superior magis semper acuatur, inferior dilatetur in circulum, Id. l. 2. de vegetab. tr 1. c.5.

Vt cælum & figura & motu circulare, vt ex æquo materiam sibi subjectam impleat formis, & det singulis viuentibus vim generandi, ita figuram circularem aut columnarem indidit, omnibus ferè seminibus plantarum, & in animalibus vim generandi posuit in globulis testiculorum. Columna autem generatur ex circulo supra lineam rectam, moto, has autem figuras habent semina, nisi per accidens impediantur per mutuam compressionem, Ibid l.3 c.3.

Aues in infima aëris regione volant in rectum, in suprema vero, cælo viciniore in obliquum.

Fama eius erit celebris per vniuersum mundum, qui habet idem medium cæli cum mundo, vel horoscopum mundi in medio cæli, id est cancrum exaltationem Iouis, vel arietem. Almansor. prop.72. D

Victor erit Princeps eo anno quo prima, aut decima concordabit cum reuolutione anni mundi: ciuitas non poterit expugnari cujus Dominus, erit Dominus ascendentis anni mundi, Idem propos.84.

Oportet in omni inceptione aptare circulum, ad naturam eius quod quis incepturus est, Ibidem prop.85.

In hominis laude consideratur tempus præteritum, vt auguria, parentes, patria. Pręsens, & futurum in libris, liberis, legibus, Quint. Inst. orat. l.3. c.9 Sic hominis vita, licet breuis, pertinet ad omnes temporis differentias.

Termini sunt partes signorum, & sunt quinque termini in quolibet signo, & eorum quatuor sunt conuenientes quatuor qualitatibus, quæ sunt caliditas & siccitas, frigiditas & siccitas, caliditas & humiditas, frigiditas & humiditas, & natura quinta est commixta ex quatuor naturis, secundum commixtionem complexionis Mercurij, qui est vna vice siccus, alia calidus, alia frigidus, alia humidus, Haly, 1. parte, c.2.

Partes mundi non sunt verè vnum, quia sunt

Digitized by Google

compositæ; vt totum, *vide minoritas magnitudinis, vnitas.*

Thales dicebat aquam esse rerum omnium principium, & id conijciebat ex eo quod animantium omnium principium sit humidum. Plutarch. lib. de placitis Philosophorum.

Ciuitas ex multis diuersisque concinnata mundi structuram, & harmoniam imitatur, in ea Rex vices agit Dei.

Verno tempore mundus creatus: annunciatio Incarnationis facta & passio Christi, & prima die primi mensis erigere tabernaculum, vt hæc mundo fierent conformia. Theodoret. in exod. quæstione vlt.

Innumeri possunt esse aspectus planetarum inter se, hi tamen soli considerantur ab Astrologis, qui vim quandam totius circuli in se habent. Ita sextilis continet 60. gradus, sexies autem 60. faciunt 360. quadratus continet 90. partes, qui in quater deductus facit 360. trigonus continet 120. qui in tria deductus facit 360. oppositio continet medium circulum, id est 180. qui duplicatus facit 360.

Math. 9. mulier sanguiniflua tetigit fimbriam vestimenti Christi, & sanata est, O quid ista mulier vidit habitare in interioribus Christi, quæ in Christi fimbria, diuinitatis totam vidit inhabitare virtutem; docuit quantum sit corpus Christi, quæ in Christi fimbria tantum esse demonstrauit. Chrysol. serm 34 Ideo dicitur Ps. 132. sicut vnguentum, quod descendit in oram vestimenti eius.

D. Thom. lib. de regimine principum, vult regimen principis imitari regimen Dei in mundo, c. 14.

In vitro quod dicitur calendario, aër rarefit, aut condensatur eadem ratione & proportione, qua in toto aëre libero totius orbis, itavt aqua in eo ascendat, aut descendat prout aër habita ratione tempestatis anni rarescit aut condensatur.

Vt Luna crescente, crescunt maria, sic caro in cancris, cerebrum & medullæ in animalibus. Similiter pituita, in fœminis menstrua sequuntur eius motum.

Vna magnetis portio ab integro diuisa, in se omnes totius magni mundi proportiones habet, nempe polorum, æquinoctij, &c. Spiritus homini à quatuor ventis, Ezech. 37.

Eadem adoratio tribui potest reliquijs, quæ tribuitur personæ, cujus sunt reliquiæ, quia possunt apprehendi vt conjunctæ illi personæ, habent etiam respectum ad illam, Bonacina in 1. præcept. decalogi.

D. August. lib. de spiritu & anima, capite 5. vocat animam, cælestem Hierusalem, paradisum, in quo Deus habitat, cum ipsa in paradiso debeat esse.

Ex vngue leonem, gutta maris, ostendit totum esse salsum.

Eandem proportionem habet totum elementum ad totum, quam habet vna pars ad partem, Arist. 2. de gener. tex. 37.

Persæ ad bellum procedentes, habebant juxta Regem, ignem sacrum quem Magi comitabantur cum 365. juuenibus purpuratis, qui designabant totidem anni dies; sequebatur currus Iouis in quadrigis albis, & equus insitatæ magnitudinis, qui dicebatur equus solis. Curtius, l. 3. Dauity in Perside, hic exercitus videbatur quoddam compendium totius naturæ.

Mensæ Regum Persarum, apponebatur aliquid rerum omnium quarum hæc regio ferax erat, velut decimæ re[...] omnium, Ib.

In Ang[...] comitatu Eaërmarden, fons est qui bis in die ad [...]star maris habet fluxum & refluxum, Ibid.

Potentioribus, velut principijs assimilari. *V. concord. maioris.*

Germani initio belli aliquem ex hostibus captiuum cogebant cum vno ex suis militibus certare, & ex euentu singularis certaminis ferebant iudicium de totius belli successu, Id.

Apud Petrogoros, *enperigeux*, in Gallia, fluuius est, circa Marsan, qui patitur fluxum & refluxum, sicut mare. Id.

Sunt hebdomades dierum, sicut mensium, annorum, sæculorum.

Saluatur species in vno indiuiduo. Ecclesia est tota in singulis, *vide concordantia virtutis.* Ecclesiæ vnitas, *& concordantia different.* omnia in omnibus.

In Insula Ilua, *Delbe*, Toscaniæ, fons est, cujus aquæ ad mensuram dierum anni crescunt, itavt cum dies sunt longiores, sic exundant aquæ vt sufficiant pluribus molendinis mouendis, Dauity.

Mare est alter mundus, omnia complectens, quæ sunt in alijs elementis.

De intelligentijs quæ sunt omnes in vna. *V. concordantia virt.*

Vt datur totum constans ex suis partibus, sic etiam est totum in parte, sunt enim quædam partes in quibus est tota ratio & essentia totius, vt in indiuiduo, scilicet Socrate est tota ratio speciei, partialiter tamen. Idem dici potest de specie respectu generis, vt homo habet quidquid pertinet ad rationem animalis, *vide potestas minoritat.* vnum multis æquiualens.

In corpore omni simplici, idem locus est ad quem mouetur pars, & ad quem mouetur totum, quia in simplicibus, totum & pars est ejusdem rationis, sic tota terra & gleba mouetur deorsum, Alb. Mag.

Primi dies creationis referunt totum mundum. *V. potestas princ.* initij.

Causa agens particularis, in agendo, similitudinem gerit causæ agentis vniuersalis, & est exemplum eius.

Apollonius, Tyaneus dicitur produxisse vitam vltra centum annos singulis hebdomadæ diebus, assumendo annulos planetarum, illis diebus præsidentium. Sic qui de stemmatibus scribunt, referunt, olim in Græcia & in aula & in bello singulis diebus vestem sumpsisse colore, suo planetæ dominanti conuenientem, flauam, aut auream soli, argenteam aut albam lunæ, rubram Marti, nigram Saturno, viridem Mercurio; azurum Veneri, & Ioui Quod obseruatum est in ludis Circensibus, teste Diodoro Siculo.

Luna vetus vetulas, juuenes noua Luna repurgat.

Luna plena conchilia plena sunt, ossa medullis, mare intumescit, &c. *Vide concordantia minoritat.*

Sicut pars & totum quodammodo sunt idem, ita quod est totius quodammodo est partis.

In quolibet toto homogeneo totum constituitur ex partibus habentibus formā totius, sicut quælibet pars aquæ, est aqua In quolibet autem toto heterogeneo quælibet pars caret forma totius; nulla enim pars domus est domus, nec aliqua pars hominis est homo.

Illud

Digitized by Google

Illud peculiare, quod oleæ, tiliæ, vlmo populo euenire videtur, vertunt enim partes supinas mox post solstitium æstiuum: eoque argumento rustici solstitium confectum intelligunt. Teophr. histor. plantar. lib. 1. cap. 16.

In autumno alimenta plantarum de partibus superis ad ima vertuntur, regressu, vt fit, modo teneris cancri. Idem. de causis plantar. lib. 1. cap. 13.

Quidam nomine Vlpianus hoc habebat peculiare, vt de nullo ferculo ederet, quam dixisset appositum est: sic de cæteris rebus loquens, quasi fato morem gerens. Suidas in voce Dipnosophistæ.

D. Augustinus libro de quantitate animæ miratur vermem multipedem in plures partes diuisum, vnaquaque separata discurrere ac si esset totum animal, refert integrum textum hunc elegantem Petrus Crinitus lib 17. de honesta disciplina cap. 4. Sic in qualibet seminis parte totum inest, vnde formetur animal. In sambuci ramo inest vis producendi perfectam eandem plantam.

Ægypti volentes exprimere Deum rebus inferioribus prouidētem effingebant eum insidentem in aquatali arbore quæ dicitur lothus, in qua omnia sunt orbiculata & rotunda & poma & folia, quæ figura vniuerso conuenit, & mentis actionem denotat. Id l. 20. cap. 4.

Linum Ægyptium filis tot numero constat, quot sunt dies anni, id est 360. Cardan. lib de rerum varietate. cap. 22. in fine.

Vt vrbis conditæ præsagium haberetur, obseruabatur natus eadem die qua vrbs ædificata est, qui ad perfectam perueniret ætatem, qua fortuna vsurus esset, & qualis ille inter homines fuerit, talis vrbs inter vrbes. Sic Numa Pompilius decimo tertio Kalendas maii ortus & qua die Roma ædificata est, regnauit, atque Roma regina vrbium facta est. Ibid. cap. 78.

Apud Ægyptios depicta palma annum indicabat, quoniam hæc arborum sola per singulos lunæ exortus vnam producit Bain vt anni fine duodecim fiant. Rhodig. lib. 5. cap. 6.

Dyonisius iunior Siciliæ tyrannus in Prytaneo candelabrum dicauit in quo totidem succenderentur lygni, quot in anno numerantur dies. Idem. l. 6. cap. 18.

Scarabæus Ægyptiis sacer erat, quia pilulam excrementitiam sensim in aduersum protrudit, sicuti contrarium mundo sol cursum agit, dum ab occasu in ortum fertur Id. lib. 8. cap. 5.

Delphinum ferunt esse musicum & musicæ amatorem quod in cœlo constet nouem stellis quę significant nouem Musas id est nouem cœlos. Ibid. cap. 6.

In spectaculis Circensibus cœli motum inuitabantur vt fierent à meta in metam recursus. 24. secundum horas diei. Circus 12. habebat ostia pro numero domiciliorum cœli, sicut metæ septem vt septem planetæ. Certantium classes quatuor fuere suis distinctæ coloribus; nam viridis herbidam verni temporis indicabat lætitiam, roseus æstiuam flagrantiam; albus pallescentem autumnum; fuscus hyemis nebulosam tristitiam. Ibid. cap. 7.

Omnes delectat musica, quia mundus ipse harmonicè compositus est. *Vide Concordantia Differentia.* musica.

Zoroastris magia qua imbuebantur Persarum regum filij hæc erat vt ad mundanæ Reipublicæ imaginem, suam & ipsi Rempublicam administrare discerent. Ibid. lib. 9. cap. 13.

A Si vna Ecclesia alteri tanquam accessoria vniatur, illius cui annectitur naturam, priuilegia, consuetudines assumit, propria iura amittit ca. & temporis 16 q. 1.

Nescio quæ sympathia nobis cum tota naturæ serie inest. Nam cum vna calcatur, solent grassari prælia, & sanguis humanus effundi plerumque. Cum putantur vineæ, capita truncari humana, & suffocationi catharri grassari cōsueuerūt. Cō florent arbores, semina corporis, & ingenii turgent florentque, & ad quāsdam incitant fructificationes, cum colliguntur sterelissimus, vnde signum Virginis sterile vocatur.

B Cum venti plurimi diu flant, colligimur in penetralia domorum, & tunc consilia pessima ineuntur Vnde fœminæ solent insidiosa molimina procognosticari. Campanella astrologicorum lib. 6.

Aër nostrum tangens spiritum, suis ipsum passionibus afficit, maximè si accedat amor vel metus, sic sæpe cogitamus & somniamus de amico ea die venturo, spiritus ille mundanus nouas nobis indit passiones, nam quando calidus est, ira hos afficit, quando serenus lucidusque, lætitia, quando nebulosus mœstitia, quando agitatus, furiæ, quando crassus, somno; & hoc passiones penetrant vsque ad mentem immortalem. Id. lib. 1. physiolog. cap. 3. a. 8.

C Magis de pane est in parte aquilonari mundi, quam in meridiana, ideo mensa propositionis ponebatur in parte aquilonari tabernaculi. Tost. exo. to. 2. fo. 3.

Si prægnans cerasium aspiciat cirato desiderio, frontemque attigerit, fœtus confestim cerasum suscipit, non quidem nudam cerasi maculam, sed cerasum quod viridescit, albescit, flauescit, & rutilo colore rubescit quot annis vna cum fructibus arboreis, sequitur rationem soli, & citius rubescit in Hispania, quam in Flandria. Vanhelmont. in tractatu ignota actio regiminis & tit. de mag. vulner. curatione.

D Dionysius tres ordines Angelorum esse tradit, ternos in singulis ponens; sunt enim tres ordines superiores, tres inferiores, tres medii Superiores Seraphim, Cherubim & Throni. Medii Dominationes, Principatus, potestates. Inferiores Virtutes Archangeli; vt Trinitatis imago in toto & partibus insinuetur impressa. Magister sentent. lib 2. dist. 9.

Prætores in prouinciis cum summa authoritate, exprimebant summum imperii ius. *Vide Magnit. Potestatis* Monarchia.

Ætates sæculi comparantur ætatibus hominis. Tost. Math. to. 6. fo. 8.

E Oratio Dominica non fit ab aliquo tanquam à persona priuata, sed tanquam à tota Ecclesia, cum omnes clausulæ ponantur in plurali. Id. Math. to. 1. fo. 76.

Mari turbato in horrescunt pelles detractæ marinarum belluarum.

Vide Duratio Concordantia. partes societatem cum suo toto retinentes.

Apocal. vlt. ex vtraque parte fluminis est lignum vitæ afferens fructus duodecim per singulos menses. Sunt autem menses duodecim. Ita quilibet, omnes suis fructibus imprimit. Ita tres Hierarchiæ sunt Angelorum, & vnaquæque tribus constat ordinibus.

Natiuitas patris significat super filios, & non super alios. Cardan. Aphor. sect. 3. Aphor. 40.

ed by Google

Rex ille firmiter regnum administrabit, cuius genitura cum regni initio consentit. Ib. Aph. 119.

Quatuor cardines singularis genituræ, sic quatuor elementis assimilantur, vt cui taurus ascendit, plus terra, post aër dominetur cui leo, plus ignis post terra, sic de aliis. Ib Aphor. 120

Vnitati diuinæ & mundanæ cætera nituntur conformari. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 1. § 4.

In cœlestibus partes referunt totum. Ibid. lege 4.

Pars vniuerso suo debet congruere Ib. lege. 5. 1.

Singulorum Genesis pendet plurimum ab ea constitutione quam cœlum habuit, dum creatum est à Deo. Vide fatum vniuersi c. 2. & in apologia quam scripsi cap 2.

Homo habet conuenientiam cum omnibus mundi partibus & motibus. Iuris naturalis cap. vlt.

Mundum creatum in æquinoctio vernali probatissimi autores asserunt quos vide in fato vniuersi. cap. 1. sub eo tempore liberatur Israël à seruitute Ægyptiaca. Gabriel Angelus nuntiat Virgini Mariæ mirabilem partum Christi, qui postea eodem tempore pro redemptione mundi passus est. Vt notat Theodoret. in Exod q. vlt. Verno tempore renouatur terra, ab ingressu solis in primum punctum arietis Astrologi erigunt figuram reuolutionis illius anni. Cœlo, mundoque conformes Romani mense Martio in aris Vestalibus nouum ignem accendebant, laureas virides, tam in Consularibus fascibus, quam ædibus Regis, sacrorum flaminum, Vestalium atque Curiæ veteribus mutabant, mercedem magistris soluebant, vectigalia locabant, matronæ munera mittebant, seruis cœnas apponebant, denique renouabant omnia eo tempore quo cœpit mundus. Tunc etiam olim apud Persas licitum erat nuptias contrahere, vt refert Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 24.

COELO ASSIMILARI.

Cœlum referunt fontes, specula, gemmæ; motus cœli mare imitatur. Luna plena augentur conchilia, in ossibus medullæ. Vide Ptolomæum in præfatione quadripartiti.

In sandastri gemmæ corpore, fulgent aureæ guttæ, velut in translucido stellantes, quę & numero & dispositione referunt stellas pleyades, ob id à Chaldæis in cæremoniis habitæ. Georgius Agricola lib. 6. de natura fossilium.

Romanorum fuit institutum adorantes circumagi cœlestis virtiginis quadam imagine. Rodig. lib. 11. cap. 8.

Radios solis imitatur iuba sua Leo. Id. lib. 13. cap. 8.

Scribunt Platonici Deum capitis figuram ad mundanæ rotunditatis figuram compegisse, in eoque duos illos animæ diuinos circuitus locasse, cui velut Deo partes omnes parere iussum est. Id. lib. 2. cap. 12.

Timæus dicit, temperatos animos nostros ab opifice Deo in eodem cratere ex eisdemque elementis cum cœlestibus animis. Id. lib. 21. cap. 2.

Pelusiotę cepis abstinent, quia solę ex cunctis oleribus in oppositum lunæ augentur & minuuntur. Id. lib. 24. cap. 2.

Cynocephalos simiæ genus capite canino in lunæ coniunctione cum sole, petit latebras, lugensque cibum non capit. In ęquinoctii die duodecim idest per singulas horas vrinam mittit, propterea in hydrologiis sedentem insculpunt Cynocephalum Ægyptii. Idem. lib. 25. cap. 28.

Cum effectus corporales in inferioribus maximè dependeant à cœlestibus corporibus, tunc præcipuè ars potest sortiri effectum, quando virtus corporis cœlestis ad hoc cooperatur. Vnde in operibus agriculturæ & medicinæ valet consideratio motus & situs solis & lunæ & aliarum stellarum, quorum virtutes, situs & motus multo certius cognoscunt Angeli naturali cognitione quam homines. Vnde horas eligere possumus melius in quibus virtus cœlestis corporis ad effectus intentos magis cooperetur, & hæc videtur esse ratio quare Nigromantici in inuocationibus Dæmonum situs stellarum obseruant; cœlestes enim virtutes Angeli boni & mali melius norunt, celerius & opportunius applicant, &c. D. Tho. in quæst. disp. q. 6. a. 3.

Per candelabrum positum in parte meridiana tabernaculi, habens septem lucernas designantur septem planetæ, quorum motus sunt nobis meridiani. Tostat. Matth. 10. fo. 4. c. 4. f.

Habent veteres agricolę certa cœli signa in obseruatione seminum emittendorũ, vtpote crispatas & raras nubes, tanquam aratro diuisas. Olaus Magnus rerum Septentrion. lib. 15. cap. 3.

Dani sub arcto habent vrsam pro insigni & primum suum regem habuerunt ex vrso natum *Vide Concordantia Differentię*. Coniugium inter diuersa.

Non viuunt gemini, nisi fuerit in Horoscopo signum bicorporeum Cardan. Aphoris. sect. 2. Aphor. 26.

Pereunt insitiones arborum factæ decrescente luna, si quis diu obseruet, vt decrescente luna tondeat capillos caluus fiet, ideo ea crescente melius oues tondentur. Ib. Aphor. 157. ea decrescente ligna ad ædificationem cariem non sentiunt; ad ignis autem materiam, ea crescente vt repullulent Ib.

Melius efficitur quod natura duce astra habet propitia, quam quod humana industria. Ibid. Aphor. 164.

DEO ET CHRISTO assimilari.

Vt beati simus & ęterni, æternum imitabimur in æternum, & magna nobis est æternitas imitatio æternitatis, nec expertes sumus reiquam imitari possumus. D. Greg lib. 14. moral.

Clara de monte falco habet in visceribus mysteria passionis D. N. Iesu Christi, illaque ab incolis magna deuotione venerantur Vrban. 8. const. 23. § 2. Bull. p. 38 to. 4.

S. Franciscus stygmata D. N. I. Christi in suo corpore portauit. Greg. 9 const. 12. p. 89. to. 1. Alexan. 4. const. 4. §. 3 p. 110. to. 1.

Vbi per amorem subleuati sumus, & mens nostra nuda & imaginum expers est, quemadmodum à Deo creata est, iam nunc agimur à spiritu Dei, & sumus filii Dei, Christum imitantes qui vt impleret voluntatem patris passioni & morti semetipsum obtulit.

Rusbroch, cap. 3. propriam suam voluntatem in

Digitized by Google

patris resignauit voluntatem. Cum propriæ morimur voluntati & nihil possumus velle, nisi quod Deus vult, Deique voluntas nostra effecta est, est hoc radix veræ charitatis. Ib.

Creati sumus ad imaginem, Dei idest vt Dei imaginem suscipiamus ipsa autem imago increata & æterna est, & filius Dei omnipotentis

Diuinæ in nos æternæque charitatis argumenta sicut quæ nos ad deiformitatem prouocant. 1. quod nos ad similitudinem suam fecerit; quod Filius Dei factus est filius hominis, vt fieremus filii Dei, se pro nobis substituit vt iustitiæ diuinæ satisfaceret. 4. carnem suam & sanguinem suum dedit nobis in cibum potionemque, vt ipse in nobis esset, & nos in ipso essemus. Supernaturalem Dei similitudinem habemus, si memoria nostra, in imaginibus vacuam nuditatem, intellectus in simplicem veritatem, & voluntas in diuinam sustollitur libertatem. Aqua vino consecrando vnita, Christi populum ipsi vnitum & in ipsius viuentem sanguine significat. Ibid. cap. 9. hæc est vita moriens, & mors viuens.

Homo factus est, vt per ipsum Deus ageret. *Vide Bonitas Medij. infra.*

Ex quo Luna separatur à Sole vadit crescendo & accedendo donec se faciat vnum corpus rotundum completum. Haly.

Dicit Eudoxus, perfectionem, nobilitatem, bonitatemque omnis rei consistere in accessu eius, ad actum primum, & ad bonitatem primam.

Arma nobilium sunt digniora, quæ magis accedunt ad arma Principis. Chassanæus in catalogo gloriæ mundi. 1. parte concl. 56.

Vt Reipublicæ, sic animæ tres sunt regiminis species. Democratica seu populi gubernatio, cõstãs ratione, opinione, consuetudine, fortuna, consilium ex rebus capiens. Aristocratia, seu optimorum gubernatio, cum ex humana ratione, & ex Philsophiæ præcepto constat regimen. Denique monarchia cum præualet diuina voluntas instar legis imperantis.

Plato sæpius loquitur de mundo architypo ad cuius exemplum omnia sunt creata; de quo Boët. 3. de consolat. Tu cuncta superno ducis ab exemplo, pulchrum, pulcherrimus ipse, mundum mente gerens, similique in imagine formans.

Christi vitæ meditationes. D. Bonauenturę.

De Christi operibus cardinalibus. D. Cyprian. tom. 3.

De homine creato ad imaginem Dei liber. Ioan. Damasceni.

De nuptiis Christi & Ecclesiæ. Gerson. tom. 1. Laurentius Iustinian. de nuptiis verbi & animæ. Idem.

De voluntate Dei. D. Thom. q. 23. de veritate.

Petimus in oratione dominica. Adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Hoc est regnum Dei, quando & in cœlo, & in terra, Dei voluntas est sola, quando in omnibus hominibus Deus mens est, Deus viuit, Deus agit; Deus regnat, Deus est totum, iuxta illud Apostoli. 1. Cor. 15. Sit Deus omnia in omnibus vobis, &c. Chrysolog serm. 67.

Rex Mogor nouis quotidie induitur vestibus, & quas deponit aulicis suis pro singulari beneficio largitur, qui honorificum putant illis ornatos incedere.

Christi membrum est, qui in vnitate spiritus est cum Christo Deus cum in seipso sit vita, nobis vita efficitur, cum eius, vtcumque, efficimur

A participes, & cum in ipso sit iustitia, etiam nobis fit iustitia, cum ei cohærendo iustè viuimus; & tanto magis, minus-ue iusti sumus quanto magis, minus-ue illi cohæremus. Card. Cusa. cap. 1. de concord Catholica. Sic Ecclesia per vnionem ad Christum constituitur.

Licet finiti ad infinitum non sit proportio, vt dupla, quadrupla, &c. tamen est quædam proportio similitudinis, aut imitationis, qualis est inter causam & effectum.

In Eucharistia accidentia non subsistunt virtute naturalis subiecti sed diuina voluntate, ex quo elicias tuam voluntatem in omnibus dependere debere à voluntate diuina per quam tantum subsistat sicut accidentia panis sunt indicia, & tamen non est, quia substantia transubstantiata.

B Ita per vehementiam amoris affectus transformatur, itaut sola sit apparentia hominis cum existentia deitatis. Idem. Excitation. lib 3. cap. 3. in fine.

Qui conformatur Christo habet artem qua scientia & potestas coincidat cum scientia & potentia, itaut sciat & possit quod velit, participare hanc scientiam est delectatio immortalis. est fœlicitas & quies beata. Idem. lib. 9. cap. vlt.

Ex quo verbum est incarnatum, primum mobile est in terra.

Solem corporeum miramur, sed non possumus in eum transformari, & eum imitari. At possumus Christum solem iustitiæ imitari, sequi & cum sua gratia in eum transformari.

C Arca Noë erat sine remis, velis & cæteris instrumentis nauticis, diuina prouidentia huc illuc fluctuans. Genebr. an. m. 1656.

Sexta die pro complemento operis, dixit Deus faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, pater crearet, filius redimeret, Spiritus sanctus igne sacro perficeret in plenitudine temporis. Rupert. lib. 2. in Genes. cap. 1. idest viuentem, rationalem, Deo similem, vt attingat hanc similitudinem, habet rationem velut oculum & aptum instrumentum. Cecidit sed facultas rationalis in eo remansit, qua ducem & præceptorem suum valet sequi. Ibid.

Cum ablata fuisset nubes quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israel, & in loco vbi stetisset nubes, ibi castra metabantur num. 9. sic ad imperium domini proficiscebantur, & figebant tabernaculum.

D Effectus extra ordinem causæ vniuersalis, nullo modo potest exire, sed causæ particularis potest. Aliquid enim potest esse quod non est homo vel vinum, non autem potest esse aliquid quod non sit ens, & sic licet aliquid possit deficere ab aliqua forma particulari, tamen à forma vniuersali nihil deficere potest Sic mirum est quod homo non deificetur.

Perfecta assimilatio effectus ad causam, est quando effectus imitatur causam, secundum illud per quod causa producit effectum, sicut calidum facit calidum Christum imitari in passione. *Vide Minoritas Gloria.* Mortificatio.

E Summum malum est separari à principio, *Vide Differentia Principii.*

Saphirus cœli sereni speciem refert. Cardan. de rer. varietate. cap. 18.

In tantum vnum quodque perfectum est, in quantum ad suum principium attingit, eique coniungitur. Vnde vltima hominis beatitudo quę in operatione intellectus, velut in altissima eius operatione cõsistit est in visione Dei, & motus circu-

Digitized by Google

laris est perfectissimus quia finè cōiūgit principio. A

Quælibet res perficitur per hoc quod subditur superiori, sicut corpus per hoc quod viuificatur ab anima, & aër per hoc quod illuminatur à sole, & appetitus sensitiuus per hoc quod subditur rationi. Quisque iuxta Principem securus est.

D Augustin. lib. 14. de Trinit. c. 8. dicit quod anima facta est ad imaginem Dei, eo quod capax est Dei, eiusque potest esse particeps.

Per intellectum & voluntatem, conuertendo se ad Deum supra se, aut ad se & ad Angelum. Denique anima est imago Dei, quo magis Deo conformis est, & quantum à Deo auertitur, tantum deformis imago efficitur. Perbartus in rosario Theologico, voce anima. B

Magis assimilamur per voluntatem quam per intellectum. *Vide Virtus Voluntatis.*

Cum mens ardens fuerit in Deo; tunc nostra natura supra seipsam effertur, miraculaque contingunt, videas ex timidis fortes, ex miseris beatos, ex ignaris sapientes, ex imbecillibus robustos fieri. Traducitur enim humana mens ad altiora. Hic feruor facit obliuisci miseriarum, laborum, mortisque, vnde semper hilares in Deo militant. Non facilè autem est animam quasi facem Dei, sic ardere, sed à Deo datur hoc his qui omnia exteriora perfectè reliquerunt. Cardan. lib. de varietate. cap. 41.

Verumtamen in imagine pertransit homo. Psal. 38. duplicem facit imaginem Apostolus. 1. Cor. 15. terreni & cœlestis hominis, & in singulis pro ratione demeritorum, aut meritorum diuersa est. Origen. hom. 2. in d. Psal. C

Imperatoris imago ex artis præceptis conuenienter efformata & prototypo suo similis dicitur Rex; sic homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, dicitur Deus, & hęc similitudo maximè consistit in beatificatione secundū virtutes. Sunt enim veri colores qui natiuam viuamque Dei formam exprimunt; scilicet puritas, immunitas à perturbationibus, condicio mali expers, charitas omnes complectens, scientia scrutans omnia. Gregor. Nyssen. de homil. opific. cap. 5.

Christus factus est nobis sapientia. 1. Cor. 1.

Eius exemplo licet aduersa vltrò subire. *Vide Voluntas Contrarietatis.*

Omnes Angeli ab inuicem specie differunt, secundum maiorem & minorem perfectionem formarum simplicium, ex maiori vel minori propinquitate ad Deum qui est actus purus & infinitæ perfectionis. D. Thom. in quæst. disp. q. vn. de spirit. creat. a. 8. c. D

Christianismus est imitatio Dei *Vide Magnitudo Virtutis.*

Christi perfectiones quę in naturam nostram cadunt imitari debemus, quæ non cadunt, venerari. Christus vocatur ab Apostolo, Dei virtus & sapientia, quæ sapientiæ virtutisque coniunctione vitæ perfectio constituitur; est pax nostra, occisa inimica iniquitate quam non debemus in nobis exsuscitare; pax erit. Si ordinis ratione mens sensibus dominetur. Dicitur lux, vt abiiciamus opera tenebrarum: dicitur sanctificatio, vt ab impuris factis & cogitationibus abstineamus. Dicitur redemptio, vt sciamus nos ad ipsum pertinere. Dicitur sacerdos & Pascha nostrum qui se pro nobis tradidit, vt Deo offeramus corpus nostrum hostiam viuentem mortificatis membris carnis. Dicitur propitiatio, vt nobis ipsis simus propitiatio, per mortificationem gloriam animæ E nobis comparantes, &c. quot sunt nomina tot sunt virtutum incentiua. S. Gregor. Nyssen. lib. de perfecta Christiani forma. Cum dicitur lapis significat firmitatem, Agnus mansuetudinem, Leo fortitudinem, &c. Ibid.

Idem lib. de iis qui præmaturè accipiuntur, dicit hominem ideo factum à creatore, vt esset diuinę atque superæ virtutis animatum quoddam simulachrum.

Vita Christi testatur humanam eius probitatem, miracula omnipotentiam diuinam, lex cœlestem sapientiam; vt ex probitate accedat exemplum ad imitandum; ex autoritate vis ad obediendum, ex sapientia fides ad credendum; probitas amorem eliciat; maiestas cultum, sapientiā fidem. Lud. Viues in introductione ad sapientiā.

Mundus est imago Dei. Vide quæ scripsi Theologia naturalis to. 1. parte 2. cap. 21. Imitatio Christi est vera via perfectionis & gloriæ. moralis Christianæ to. 1. parte 1. cap. 13. Oportet mundo & sibi mori vt Christum imitemur. Ibid. cap. 15. Christus est verus magister vitæ, verbo & exemplo. lib. de fœlici successu & triumphis vitæ religiosæ. parte 1. cap. 7 8. 9. Vita Religiosa est ad imitationem Christi. Ibid. cap. 10. De Christi stigmatibus miraculosè S. Francisco impressis, eiusdem operis to. 2. cap. 16. Christus Religioso debet esse continua meditationis materia. lib. de institutione & officiis religiosi parte 2. cap. 20.

Vide Potestas Voluntatis. Amor transformat.

Moysi dictum est, omnia facito secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.

Vt quædam metalla atque gemmæ fulgorem suum in vicina sibi refundunt. Sic orat Propheta, faciem tuam illumina super seruum tuum; & doce me iustificationes tuas, vt sicut Moyses per consortium Dei lumen accipiat. D. Hilar. in Psal. 118. Phe.

Si periculosum est imitari illos, de quibus dubitas an imitandi sint, hunc certè imitari tutissimum est; atque eius vestigia sequi, qui dixit ego sum via, veritas & vita. D. Hieron ad Celantiam de institutione matris familias.

REPVGNAT.

EFFECTVS SVIS CAVSIS dissimiles & degeneres.

SEmen terræ mandatum, vt coalescat, pendet à terra, calore, frigore, ventis, ita & homo ferre cogitur, quæ circa ipsius semen eueniunt, à cœlo, matre, aëre, locis & aquis, mille accidētibus.

Imaginatio & luxus, sunt causæ monstrorum. Paracelsus.

Multa trahunt originem ex aqua, vt sulphur, salia, saturnina, Martialia, quæ omnia, aquę contrariam complexionem obtinent, etsi ex illius matricibus orta processerint; sequuntur enim potius firmamenti, quam matricis conditionem, vult natura aliud in fœtu habere, quam in parente, omniaque in aliam proprietatem à natura patris & matris genita decidunt. Ex eadem terra nascuntur, quæ complexione inter se contraria sunt per diuersas huiusmodi proprietates, tempus naturæ consumi oportet; & maxime in hominibus, qui acceptam à cœlo differentiam in aliam possunt commutare vi liberi arbitrij. Id.

Digitized by Google

lib. 1. sagacis philosophiæ. Ex igne nasci possunt res diuersæ & contrariæ vt nix, pruina, grando, pluuia, &c. Stellæ aliter sunt, quam calidæ & siccæ, & tamen in calore & siccitate constitutæ. Frigiditatem enim habent Luna & Saturnus.

Ex dulcibus saporibus, fiunt acuti & peramari: quando enim calidum agit in dulce, paulatim extrahit humidum subtile aëreum, & quando remanet terreum in humido, incensum fit acutum; quando autem in toto aduritur humidum, tunc efficitur sapor peramarus. Ita naturaliter ex ebullitione sanguinis spumosum subtile terreum euolat, & in saporem amarum conuertitur per adustionem. Alb. Magn. tract. 2. de sensu & sensato.

B Vegetabile & intelligibile imperfectum, fluunt ab intellectiuo primo & perfecto, quod quidem prius influit, quod secundum ordinem intelligendi est generalius & prius, at prius est vegetabile, quam sensibile, & sensibile, quam intellectuale. Id tract. 1. de intellectu & intelligibili. cap. 3.

Sub polo arctico, vbi excedit frigus, si seminetur triticum, degenerat in granum alterius naturæ. Id. tract. 1. de natura locorum cap. 8.

Lapides & metalla quædam aliquando generantur in nubibus tamen recipiendo formam mixtam mixti, statim tendit ad locum terræ & ibi saluatur & manet. Id tract. 2. de natura locorum. cap 1 orti ex illustri familia sequuntur tamen vilem suam inclinationem.

De apostatis pessimis. *Vide Duratio Virtutis. Rep.* Sunt degeneres à Religione matre sua.

C Arena licet fiat torrore solis, nihil tamen habet virtutis aquæ, aut aëris, vnde mergitur, sic in mediis aquis, & regno humidi nascitur magna siccitas. Aqua salsa, est ex aquis dulcibus torrore solis sicut elementatum ex elemento; sicut sudor salsus qui fluit à corporibus terrestribus adustis, est salsus ex commixtione aquæ, cum terreo combusto. Albert. Magn. lib. 4. de vegetabil. in fine.

Planta quæ nascitur sine radice in alio, non est eiusdem naturæ vt apparet in visco, & in excrescentiis rubi, nascuntur enim ex putredine vi solis exterius attracta.

Ab vnitate simplici, indiuisibili, procedit immediate binarius diuisibilis.

D Inter Romanorum Reges, ne vnus quidem moriens, filio regnum reliquit. Plutarch. lib de tranquillitate animi.

Quosdam claritas ipsa generis, notiores circa vitia, & inuisos magis facit. Quintil. Inst. orat. lib. 3. c. 9.

Lentulorum liberi assiduè nascebantur parentibus minores. Id. lib. 6. cap. 4.

Dicitur communiter quod sunt tres bonæ matres quæ generant tres pessimos filios; veritas scilicet quæ odium parit, nimia familiaritas contemptum, & pax otium vitiaque omnia.

E Reges fundatores imperii ferè optimi & clarissimi à quibus posteri degenerarunt, sic Cyrus & Alexander sic Augustus Cæsar, sic apud nos Clodouæus, res enim humanæ cum non consistant, feruntur in deterius, & ex auis ad patres, à patribus ad filios & nepotes nequitia transit cum fœnore.

Caligulam Germanico patre, omnium præstantissimo natum, vecors ingenium, in omnia dedecora traxit. Manasses non est sequutus Ezechiæ parentis laudatissimi mores.

Licet colantur reliquiæ sanctorum, non tamen vermes ex eorum carne scaturientes, quia sunt animati, nec censentur esse & aliquid prioris corporis. Bon. in 1. preceptum decalogi. Bonac. de adoratione. Viderentur propter se adorari.

Arbor etiam optima fert aliquos fructus à verme læsos.

Agens non agit sibi simile, cum impeditur, vel ob defectum virtutis vel ob indispositionem materiæ & interdum ex aliquo accidenti extrinseco.

Nobiles genere, ignobiles moribus, sunt quasi gemma adulterina in auro benè composita.

Multæ & penè omnes arbores ex semine natæ degenerant, vt vitis, malus, ficus, pruna, pirus, quippe cum ex grano ficario, nullum penitus genus procreetur, sed caprificus tantum; aut ficus syluestris erumpit, colore etiam sæpe numero discrepans, ex nigra enim candida, & ex candida nigra gignitur: ex vite quoque nobili, ignobilis, & sæpè diuersa genere exit. Nonnunquam nihil penitus vrbanum, sed planè syl. stre prouenit. Nascitur ex nucleo quoque oleæ syluestris olea, ex acinis mali punici glaucis, vilia exeunt; ex piro, vitiatum pirastrum, ex malo, tum deterius genere, tum accida ex dulci. Amygdala quoque degenerat, tum sapore, tum quod dura ex molli gignitur. &c. Teophrast. hist. plant. lib. 2. c. 3.

Aruspices ostentum putant in arboribus, si ex dulcibus fiant amaræ Ibid. cap 4.

Lolium ex tritico & hordeo corruptis enascitur. Id. lib 8. c. 8.

Illud commune animalia cum seminibus habent, vt non protinus, sed tertio partu mutentur: etenim omnia paulatim sensimque alterantur, à suaque natura discedunt. Idem de caus. plant. l. 2. c. 18.

Genus & similitudinem fructuum seruare arborum semina nequeunt, quia plus temporis terræ immersa debilitantur, & quia ingens arborum moles largam nutrimenti copiam attrahit annua contra parum temporis in terra tenentur, & paruum attrahunt alimentum, qua propter non primo satu degenerāt, sed tertio Ibid. lib. 4. cap. 1. degenerāt maximè fruges quę viribus præstant, triticū atque hordeum: hæc enim sola in lolium transeunt, sed magis triticum, quia validius est. Id autem non alia de causa euenit, quā quod plus alimenti trahatur.

Etiam vini vis existit in aceto. Nulla res est, quæ non eius à quo nascitur notas reddat. Seneca. lib. 3. natur. quæstio.

In omni generatione lapidum & metallorum, neque lapis ex lapide, neque metallum ex metallo vnquam generatur: & si dicitur quod vnus lapis concipit alium, non intelligitur quod de parte sui seminis generatur, sed potius de alia materia quæcumque sit illa. Albert. Magn. de mineral. lib. 3 c. 60.

Ex patre fideli, nascuntur infideles filij, propter adæ peccatum.

Ab vnitate pares & impares numeri proficiscuntur, à Deo spiritualia & corporalia, corruptibilia & incorruptibilia.

Aristarcus vir singularis duos tantum habuit filios, eosque dementes & stolidos sic aut nullos aut degeneres habuere Numa Pompilius, Camillus Scipio, Cato, Homerus, Demosthenes, Virgilius, Augustus nequidem bonum filium habuit, cum ei eligendi potestas fuisset ex omnibus. Petrus Crinitus de honesta discipl. lib. 21. c. 9.

In Græcia proximam tyrannidē præsignauit ouis quæ Leonem peperit. Rodigin. lib. 13. c. 14.

Digitized by Google

Origenes & Ammonius interpretantur allegoricè quæ de Adam & Eua scriptura refert, Adam dicunt esse rationalem animam quæ quasi degenerat in Euam, idest vim animalem, cum vacans à diuinis labitur in sensibilia, tunc dormit & somniat vitam infundendo corpori, cuius errore corrumpitur. Idem. lib. 21. cap. 13.

In America est arbor succo venenato, radice esculenta, ex escarificata succus mortifer emanat, post ex radice farinam ex qua vescuntur conficiunt. Theuet. Panem ex ea farina confectum & in ferrea ignita sartagine coctum vocant, Cassane.

Non omnes qui sunt ex Israël sunt Israëlitæ, nec quia sunt semen Abrahæ, sunt omnes & filii. Rom. 9.

Vis actiua quæ est in semine maris, intendit educere conceptum masculinum, qui perfectior, deficit autem in fœmininum propter cœlestem dispositionem, & indispositionem materiæ. D. Tho. in quæst. disput. de prouid. q. 5. a. 9. ad 9 Vnde sexus fœmininus accidit præter intentionem particularis agentis, non causæ vniuersalis.

Masculus erit natus si locus Solis & Lunæ & Horoscopi & domini eorum sunt masculini: si fœminini fœmina, vel mollis & effœminatus. Masculinitas à planetę natura scitur, & ab orientalitate à sole & mundo, quoniam ibi masculescunt masculini. Campanella astrol. lib. 4. cap. 3.

Iudicibus electis in populo Israël, non succedebant filii, sed per electionem constituebantur, quia poterant esse degeneres. Tost. Exod. to. 1. fo. 149.

Ideo status Ecclesiasticus abhorret successionem. *Vide Virtus Potestatis*. Integritas sacerdotum.

De leone mala consuetudine degeneri. *Vide Duratio Minoritatis* è gradu non cadere.

Apud Gothos mos non erat, vt Regis cum patre filius pranderet nisi prius à Rege gentis externæ arma suscepisset. Olaus Magnus rer. Septentrion. lib. 8. cap. 6. quasi Rex de fortitudine filii, proprio non fidens iudicio, vt probetur non degener.

Aries albus fœtum generat alterius coloris; fuscus verò nunquam generat album. Ibid. lib. 17. cap. 1.

Sanguis corruptus venenoso aut peregrino fermento imbutus, in varias stercorum proles degenerat, sine vlla posthumi status memoria.

Non omne producitur simile ei à quo procedit, sed alteratur. *Vide Duratio Virtutis Repug.* Apostatæ pessimi.

Effectus degeneres non lædunt causę sua nobilitatem. Vide quę scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 19.

Ideo sapiens viuit cœlebs. *Vide Minoritas Glorię*. Cœlibatus.

Quid filios Samuelis & Moysis iuuit virtus paterna, cuius non fuerunt hæredes, vitia siquidem voluntaris vicerunt priuilegia naturę, vt in Esaü, qui erat sancti Isaac filius. Iudæi quondam honore filiorum Dei gaudebant, sed decoloratos viciis nihil iuuit tanta nobilitas. D. Chrysost. hom. 9 in Matth.

Eminentissimi & perfectissimi, eorumque liberi vsque ad tertium gradum, non adficiuntur pœnis, vel quæstionibus plebeiorum, si modo omnes illæsam suam existimationem conseruauerint, nam si vnus ex liberis notatus sit infamia, ex-

A tinguitur priuilegium, nec transit ad eius liberos Non sic in decurionibus, quorum filii aui dignitatem retinent, licet pater deliquerit, ita maior integritas desideratur in eminentiori dignitate. l. 11. Cod. de quæstio. Cui negationem addendam probat Cuiac. obser. lib. 10. cap. 29.

Si celebrem tuorum memoriam de bono statu, quid iam abolitæ generationis stipitem laudas; solet equidem ramus radicem, & fructus stipitem commendare, & quæ vtilitas in veteri trunco.

Filius Ciceronis, nihil ex paterno ingenio habuit, præter vrbanitatem. Seneca suasoria vlt.

Cœlum nihil facit hæreditarium. *Vide Finis Bonitatis.*

B Parentes à peccato originali per baptismum immunes generant filios illi peccato obnoxios. *Vide Duratio Contrarietatis*. Peccatum originale.

Non homines tantum, sed & ipsę nobiles familię consenescunt, sublimitas ingeniorum crassescit & in stupiditatem conuertitur, propagines & alta nutant stemmata, fit vicissitudo, ignobiles fiunt nobiles, & contra. Tales non habentes nobilitatem à moribus suis sed tantum à maioribus, dant suspicionem se non esse legitimos, genus suum antiquum in ipsis desinit, incipit, in virtute præstantibus.

Ex pingui oliua asper oleaster, ex ficu caprificus oritur. Ex nobis prodiit, sed non erat ex nobis. 1. Ioan. 2.

C

CONFORMITAS HVmanæ voluntatis cum diuina.

CVm Angeli beati sint in diuinæ voluntatis continua contemplatione cui perfectissimè conformantur. nihil potest esse contra voluntatem eorum, sicut nec contra voluntatem Dei, potest tamen esse aliquid præter voluntatem eorum, sed hoc ipsum, in quantum est promissum à Deo, est volitum ab eis, sicut à Deo, & ideo nihil potest accidere de quo doleant Angeli, sicut nihil de quo doleat Deus, & ideo simpliciter dicendum est quod neque de peccatis hominum tristantur, neque de damnatione, sed vtrobique lætantur de iusta permissione & punitione. D. Thom. in 2. sentent. dist. 11. q. 1. a. 5.

D Nihil prohibet aliquem actum sic se esse peccatum mortale, aliqua circumstantia addita fieri virtuosum. Occidere enim hominem absolutè peccatum mortale est, sed ministro iudicis occidere hominem propter iustitiam ex præcepto iudicis, non est peccatum, sed actus iustitiæ. Sicut autem princeps ciuitatis habet disponere de hominibus quantum ad vitam & mortem, & alia quæcumque pertinent ad finem sui regiminis quod est iustitia, ita Deus habet omnia in sui dispositione dirigere ad finem sui regiminis quod est eius bonitas. Et ideo licet occidere filium innocentem de se possit esse peccatum mortale, tamen si hoc fiat ex præcepto Dei propter finem

E quem Deus præuidit & ordinauit, licet etiam si homini ignotus, non est peccatum, sed meritum, & similiter etiam dicendum est de fornicatione Osee, cum constet Deum esse ordinatorem totius humanę generationis. Id. in quęst. disputatis, q. 1. a. 6. ad 4.

Vnumquodque debet suæ regulæ conformari, sed voluntas diuina nostræ voluntatis est regula

Digitized by Google

in Deo primo rectitudo voluntatis inueniatur, & A vt in quolibet genere est vnum primum quod est regula cæterorum quæ sunt in illo genere. Ibid. de voluntate Dei a. 7. Rectos decet collaudatio. Recti sunt, qui dirigunt cor suum, secundum voluntatem Dei Glossa ordin.

Natura est iussus ille Dei, quo res est id quod est, & agit quod agere iussa est. Van Helmont, tract. natura contrariorum nescia.

Nos pueri & meliorum rerum inscii, quæ sunt nobis bona nescimus, vtilissima horremus tanquam aduersa, cæterum quæ de nobis Deus statuerit, impedire non possumus, cur igitur malle cum lachrymis detrectantes & reluctantes trahi quam hilariter & vltro duci. Amicus Dei amici sui obtemperat legibus. Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.

Per abnegationem propriæ voluptatis, habet B voluntas Dei plenum dominium in nobis, & voluntas hominis adeò in voluntatem Dei attrahitur, vel transfunditur, vt contrarium velle, vel optare nequeat, itaut ex ipsa profluat voluntaria tolerantia omnium pœnarum quæ homini possunt accidere. Harph. theol. myst. lib. 2. cap. 21.

Perfecta debet esse humana voluntatis cum diuina voluntate conformatio. Vide quæ scripsi moralis Christiana to. 1. parte 2. cap. 11. & to. 4. parte 2. cap. 2. Indifferentia est perfectior resignatione. Vide libello de indifferentia cap. 4. Amor Dei humanam exturgit voluntatem. libello de amore Dei patiente cap. 5. & libello de amore Dei agente cap. 9.

Cum decti specialis spiritus infusio, omnium nostrarum hæc sit conclusio petitionum, *Fiat voluntas tua*. Huiusmodi oratio paucis comprehenditur syllabis, & multis est decorata sententiis: honoratur enim Dei bonitas, iustificatur eius voluntas; charitas prædicatur, aduocatur sapientia, & potestas extollitur, nostrum quodque subiicitur velle, illuminatur ignorantia, roboratur fides, spes non confunditur; prudenter quippe iudicio se committit alieno, qui nouit se sibi non sufficere. Laurent. Iustin. lib. de casto connubio verbi & animæ cap. 17.

Hoc vnum ambiunt aulici vt suis placeant principibus, eorumque sibi concilient amorem, hinc enim spectant cætera, quia vbi est verus amor nihil negari potest. Et hoc vnum optant Deo servientes vt ipsi placeant, & adscribantur in fidelium numero Ib. cap. 18.

Lętamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Psal. 31. Recti corde dicuntur quibus omnia Dei iudicia placent & se accusant de suis peccatis, & Deum siue in prosperis, siue in aduersis semper laudant. Alcuin.

Recta conscientia Deo conformatur. *Vide Veritas Cognitionis.*

Gloriam meremur obediendo Deo. *Vide Concordantia Potestatis.* Obedire rectoribus, ex Laurent. Iustiniano.

Deus dedit homini liberum arbitrium vt esset aliquomodo suę fœlicitatis principium. *Vide Potestas Voluntatis.* liberum arbitrium; dedit autem sub conditione sicut Dominus feudum vasallo, vt ipsi obsequeretur, nihil contra conscientiam & legem. Abusus est homo hac potestate qua refert ad se quod debetur Deo & proximo propter Deum. *Vide Voluntas Bonitatis.* Inordinatus sui amor vnicum remedium est abnegare hanc propriam voluntatem vt subiiciatur diuinæ.

Amor ignis est, animam liquefacit, vt ignis materialis ceram vel metallum cui postea artifex formam quam voluerit imprimit: sic voluntas humanæ diuinæ conformatur, ad exemplum Christi vsque ad mortem. D. Bonauent. de 7. itiner. æternit. dist. 5.

ASSIMILARI SVIS causis in malo & deffectu.

LÆso sensu communi, deficiunt cæteri sensus; particulari autem sensu deficiente non læditur sensus communis

Vide Concordantia Potestatis in malo.

Ex malis potius mali nascuntur, quam ex fortibus fortes, tenacius hærent in sanguine vitia, quam virtutes. Domitius & Agrippina Neronis parentes, perditis moribus, portentum hoc imperio dederunt.

Cuius causa corruptibilis est, ipsum quoque corruptibile est. Arist. 1. de generat. Ita corruptibiles arbores, fructus corruptibiles producunt, & ipse Arist. lib. de longitudine & breuitate vitæ, dicit, corruptis animalibus, corrumpi animam, scientiam, sanitatem quæ est in eis. At Sol cum sit incorruptibilis, etiam emittit radios incorruptibiles. Accidentia corrumpuntur cum suo subiecto inhæsionis. Quando destruitur antecedens, destruitur etiam consequens.

Olim in Scotia si quis lepra, morbo regio, aut C insania laboraret, castrabatur, ne prolem sibi similem gigneret. Dauity in Scotia.

Antiqui Germani infaustum existimabant aliquid aggredi luna decrescente. Id. quasi sortem planetæ tunc infirmi, sequerentur. Sua autem comitia habebant Luna Soli coniuncta, aut ad oppositionem & luminis plenitudinem accedente.

In Aquitania & in Bearn est quædam hominum generatio vultu & corpore decenti, sed ita fœtido, vt sint intolerabiles, existimantur leprosi & habitatione à cæteris separantur, vocantur, cagots capots, hæreditaria putantur, maledictione laborare, Ibid.

Dicitur Deut. 24. non occidentur filii pro parentibus, & Exod. 34. reddes iniquitatem patrum in filios, vsque ad tertiam & quartam generatio- D nem; hęc sibi contraria non sunt, si sibi non sequantur iniquitatem patrum. Rupert. *Vide Duratio Contrarietatis.*

Colores qui extrahuntur ex floribus, sunt quidem splendidi, sed non durabiles, procedunt enim ex spiritibus qui citò dissoluuntur.

Quo tempore Deucalion, vacuum lapides iactauit in orbem vnde homines nati durum genus. Censorinus.

Mali corui, malum ouum. Suidas.

Lapides qui ex fontibus generantur propter succum lapidescentem sunt molles & fragiles. Georgius Agricola. lib. 7. sub finem de natura fossilium.

Conuersi sunt ad iniquitates patrum suorum E priorum. Hier. 11.

Matth. 23. Pharisæi non intrantes in regnum cælorum, non sinunt alios introire.

Aëris regio suprema feruens ad terrorem nutrit cometas, ostentatque mortalibus, media turbulentior mittit grandines & fulgura, infima mitioribus, flammis infesta est, quæ nullius sint calamitatis vel causæ vel prænuntiæ.

Iumenti vngulæ fragmenta frixa & sumpta sanant dysenteriam, sed si bestia lasciuiat, tunc eius vngula est dysentericis lethalis. Saliua canis vulnera lambendo curat; si rabie verò sit correptus lethale amentiæ suæ venenum in alias species & genera propagat. Van Helmont. tractatu. ignota actio regiminis.

Elementa, non sunt corruptibilia per se quia non constant ex contrariis sed per motum cœli, quo cessante; etiam ipsa non corrumpentur. D. Thom. in quæst. disput. q. 5. a. 7. ad 16. ita plerique peccant imperio dominorum & aliena mouente malitia.

Agar & Cethura erant vxores Abrahæ, velut ad tempus, & cum quibus ad nutum mariti erat diuortium, sic enim eiecta est Agar Sara domina conquerente. Hinc filii Agar & Cethuræ, pro maiori parte non habitabant in ciuitatibus & domibus, sed in tentoriis portatilibus, & sic sunt multæ gentes in Africa, quas Lucanus vocat Numidas, & nos Alarabes. Tostat. 1. Paral. fo. 72. c. 2. c.

Imagines omnes cœlestes de sui proprietate indicant, vt draco, serpens & scorpio venenum; canis & leo crudelitatem, Cassiopæa & Andromeda, carceres, &c. Cardan. in suplemento Almanach. cap. 20.

Nasus formatus ex alieno brachio, cadit moriente eo, cuius erat brachium. Van Helmont.

Enoch tanto tempore seruatus est à morte, vt ostendatur quid omnes homines potuissent, si non peccassent, tamen est moriturus, vt debitum soluat humanæ naturæ, & quod Christus voluit, nullus posset, idest non mori, Alcuin. Genes. interrog. 18.

CONCVRSVS causarum.

Communicare dicuntur planetæ, cum ambo, communiter vni loco dominantur, vel cum qui dominatur respicit alium. Cardan. Aphor. sect. 4. aph. 19.

Prima causę subordinantur inferiores. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 1. lege 3.

Non est vnicum solum agens in mundo. Ib. lege 3. §. 1.

Agunt cuncta formę suę, & causarum superiorum innixis viribus. Ibid. §. 2. Qualiter voluntas hominis, cum Dei gratia concurrat. lib. de misericordia Dei. parte. 1 cap. 18.

In gemmarum generatione terra confert suam soliditatem, aqua suā claritatem, aër perspicuitatem, ignis suum fulgorem: & sic diuersa porportione in generatione metallorum & animantium, quo perfectius concordant & vniuntur elementa, formę perfectiores producuntur.

Gen. 1. dicit Deus, faciamus hominem in plurali numero, vt ostenderetur trium vna operatio personarum. Alcuin. in Genes. interrog. 37.

In Phœnicia sunt duo fontes vnus vocatur Dan alter Ior; in vnum confluunt & Iordanem fluuium efficiunt, sumpto ex duobus, vt fluente sic nomine Id. interr. 162.

Cum luminaria vitam gubernent, conueniens est solem calori natiuo, lunam humiditate primigeniæ dominari.

Quatuor hæc faciunt hominem scilicet, pa- A ter, mater, elementa & astra. Paracelf. lib. 1. philosophię Sagacis.

Qualem massam Deus manu sua apprehendit, omnibus maioris mundi proprietatibus donatam ex qua hominem condidit, talis massa est quodlibet sperma, ex quo infans gignitur. Ib.

De concursu causarum in largitionib. *Vide Concordantia Bonitatis & Medium Bonitatis.* Sic *Vide Concordantiam & Medium cæterorum principiorum.*

Plantæ quatuor habent virtutes à quatuor elementis, à terra fixionem, & primum subiectum, velut aliorum basim; ab aqua conglutinationem, siue continuationem, quia sine aqua, terra sua siccitate comminuitur in puluerem. Ab igne congruam partium compositionem, quia congregat B homogenea, purgat superflua, & vires ad actionem inspirat. Denique ab aere raritatem ad emissionem superflui necessariam, & ad receptionem alimenti ab externo aduenientis. Albert. Magn. lib. 4. de vegetabil. cap. 1.

De virtutibus quas elementa accipiunt à se mutuo, à cœlo, & à forma mixti. *Vide Potestas Concordantia.*

In quolibet cœlo sunt duo motores. *Vide Medium Potestatis.* Vicaria potestas

Quatuor sunt causæ primariæ; scilicet causa prima intelligentia; anima nobilis scilicet orbium cœlestium, & natura prout est natura forma diffusa in primis naturalib. principiis omnia constituentibus, in inchoatione, & motu, & perfecto esse naturali. Albert. Mag. lib. 2. de processu vnius cap 20.

Quintilian. Inst. oratoriar. lib 2. cap. 10. quærit an ad eloquentiam natura plus conferat, an ars. Respondet naturam esse posse sine arte, non artem sine natura, in mediocribus etiam naturam plus conferre, consummatos ante plus doctrinæ debere quam naturæ; vt terræ nullam fertilitatem habenti, nihil optimus agricola profuerit at in solo fœcundo, plus cultor, quam ipsa per se bonitas soli efficiet. Denique natura materiæ, ars doctrinæ est: hæc fingit, illa fingitur; nihil ars sine materia, materiæ etiam sine arte pretium est, ars summa, materia optima melior.

D Plures sacerdotes possunt simul eandem hostiam consecrare, modo eodem tempore proferant formam, vt patet in ordinatione sacerdotali. D. Thom. 3. q. 82. a. 2. & Bonacin.

Gutta vltima cauat lapidem, sed præcedentes disposuerunt, emollierunt. Arist. 8. phyf. tex. 23.

Pater & filius producunt simul spiritum sanctum, non in diuersitate, & pluralitate, sed in vnitate originis, concurrentes simul per modum vnius.

Effectus non consequitur, nisi concurrentibus omnibus causis, nam ex defectu vnius consequitur negatio effectus.

Cum vnius effectus vna sit causa, si ex aliquibus pluribus causis vnus effectus procedat oportet E quod illæ causæ sint aliquo modo factæ vnum ad inuicem. *Vide Concordantia Potestatis.* Concordia Rectorum. Quando aliquis effectus procedit ex multis causis simul aggregatis, tunc nulla earum est causa per se, sed omnes sunt vna causa, sicut patet de trahentibus nauem.

Agendi principia in nobis sunt vis cognoscitiua dirigens, appetitiua imperans, motiua exequens.

Ars omnis supponit naturam & ei præstat auxilium, vt in agricultura, in medicina.

Digitized by Google

In eodem corpore simul sunt, anima formaliter A dans esse, & operans operationes naturales, & Angelus operans operationes supernaturales. D. Tho. a q. 51. a. 3.

Participium in grammatica dictum est quod nominis & verbi capiat partes, à nomine enim vindicat sibi genera & casus, à verbo tempora & significationes, ab vtroque numerum & figuram. Isidorus Origin. lib. 1 cap. 10.

Opali fiunt ex succis mixti coloris. Georgius Agricola.

Si plures sint Ecclesiæ patroni, possunt conneuire vt singuli alterius vicibus præsentent. Clement. plures de iure patronat.

Vnusquisque ex populo Israël iubetur pro viri- B bus conferre ad opus tabernaculi, vt omnes velut vnum sint tabernaculum. Origen. homil. 9. in Exod.

Vide Duratio Principij Dei concursus.

Vt virtus diuina scilicet primum agens non excludit actionem virtutis naturalis, ita nec prima exemplaris forma quæ est Deus, excludit deriuationem formarum ab aliis inferioribus formis, quę ad sibi similes formas agunt. D. Thom. in quæst. disput. q. 5, a. 8. ad 17.

Vita hominis haud aliud censenda est, quam vitalis quidam decursus, ex anima, corpore, fortunaque permixtus, quarum rerum ex proportione complexus, fœlicitas nuncupatur. Quod fit cum imperium animus instar ducis exercet, obsequitur corpus militis more, coaptatur fortuna C quasi instrumentum quoddam armorum & ex his oritur victoria. Quod si de complexu deduxeris fortunam, idem erit quod militem armis spoliare, & si militem abduxeris, videberis exauthorare imperatorem, si voces omnes ad æqualitatem, quomodo milite & fortuna vtetur imperator. Maximus Tyrius serm. 24.

Vide Principium Glorię. Bona fortuna.

CAVSÆ CONCVRRENtes ad malum.

CAusa vniuersalis diluuii est, in qua conueniunt omnia, simul & cælestia & terrestria causantia inundationem aquæ. Causa minus vniuersalis est, in qua quædam cœlestium, quædam terrestrium conueniunt. Albert. Mag tract. 2. de proprietatib. element. cap. 9

Ideo Poetæ dixerunt Neptunũ esse fratrem Iouis, eo quod ab eadem constellatione innascitur vis superior quæ in aquas conuertit vapores & aërem, & vis inferior de terra ebullire facit aquas ad terræ superficiem. Ibidem. Vbi asserit diluuia quidem procedere à voluntate Dei sic hominum peccata punientis, naturales autem causas esse instrumenta voluntatis suæ, quas licet inquirere, licet non inquiramus de sua voluntate. Dicit ergo causam naturalem diluuiorum esse coniunctionem planetarum maximè superiorum, in signo aqueo, mutatio fuit triplicitatis aëreæ in aqueam, idque contigit die & hora Lunæ, ipsa ascendente; è terra autem grossi vapores emissi faciè in aquas conuersi sunt. Ibid. Vbi plura. Coniunctio calidorum planetarum facit diluuium ignis.

Vide Concordantia Virtutis Rep. congregatio malorum & *Maioritas Voluntatis* zelus nimius, *Magnitudo Contrarietatis*, multorum simul oppugnatio.

Guillelmus Parisiensis loquens de cataractis cœli quas Moyses dicit apertas fuisse tempore diluuii dicit per eas intelligi partes cœli quæ sunt generatiuæ pluuiarum, quales sunt signa aquatica plyades, Orion, Mars, Venus, Luna, potuit etiam præcedere magna coniunctio in signis aqueis. Card. de aliaco Cameras. in præfat. astrologiæ theologisatæ.

CONTRARIETAS PRINCIPII.

IVSTA DEI VINDICTA.

ADRASTIA dicitur Nemesis seu vindicta diuina quam nemo potest effugere, Suidas in verbo Adrastia.

Antiquis mos fuit Deorum simulachris hastas affingere. Rodig. lib. 21. cap. 16.

Deus punit peccantes diuersis malis temporalibus. *Vide Principium Contrarietatis.* mala temporalia à Deo.

Vindictam exercet in posteros. *Vide Duratio Contrarietatis.*

De sera Dei vindicta. *Vide Duratio Contrarietatis.* mora.

Tantus est zelus diuinæ iustitiæ, vt Deus Pater potius voluerit, vt vnigenitus suus pœnam, quam D debebat humanum genus, solueret, quam ipse eam dimitteret, quod si non pepercit proprio filio, numquid parcet figmento; numquid parcet seruo nequam Laurent. Iustinian. tract. arbor vitæ cap. 4.

Vide Contrarietas Minoritatis. Vindicta publica criminum.

Exempla Iustitiæ diuinæ sunt; in ejectione Adami de paradiso; in diluuio vniuersali; in delectione Sodomæ & Gomorræ, in morte subita Israëlitarum peccantium in deserto, in eorum postea seruitute, quoties peccauerant.

Ab his quibus constamus destruimur. Vide quæ scripsi de iure Naturali. lib. 8. lege 5. & 6.

Vide Finis Bonitatis. & Differentia. Principii.

Digitized by Google

CONCORDANTIA PRINCIPII.

EFFECTVS SVIS CAVSIS SIMILES.

HOMO, vltimus creatus, & accipiens à Deo, cæterarum creaturarum dotes; habet totam hanc naturam corpoream, velut parentem, & ideo animalia æmulatur, non eum ipsa. Paracelſ. l. de fundamento ſcientiæ.

Omne mouens per ſe mouet ad formam aliquam, quæ eſt per aliquem modum in ſeipſo mouente; ſic generans mouet ad formam ſuam; ſic eſt in omni arte, quæ mouet ſecundum formam exiſtentem in mente artificis. Alb. Mag.

Riuus eſt ejuſdem formæ, cum fonte à quo eſt fluxus.

Quidquid agit, ſui, in re patiente, molitur ſimilitudinem.

B Ariſt 1. politic. 4. dicit quod ſicut ex homine homo, ex beſtia, beſtia, ſic ex bono parente bonus generatur filius. Vnde Quintil. in genere demonſtratiuo, dicit à majoribus argumenta eſſe ducenda præſumitur filius eſſe ejuſdem voluntatis cum patre, l. ſi operarum iudicio, ff. de operis libert. plura ad hæc collecta. Vide apud Chaſſen. in catalogo gloriæ mundi p. 11. conſid. 25.

Impar numerus ſacer habetur, & pari præſtantior, quia magis accedit ad monadem numerorum principium & fontem.

C Vitrum quod fit in fornacibus ex ciniribus herbarum purgatis à ſalſedine non eſt ita durum, nec ad cryſtalli naturam accedens, ac illud quod fit ex lapidibus duris, & pellucidis.

Agens agit, vt aſſimilet ſibi paſſum. Formam quæ eſt in materia nihil efficere poteſt, niſi forma quæ fit in materia. Ariſtotel. 7. metaphyſ. text. 28. ſolus Deus poteſt efficere per ſe, quod efficiunt cauſæ ſecundæ.

Qui viret in folijs, venit à radicibus humor.

Et patrum in natos abeunt cum ſemine mores.

Genita frequenter aſſimilantur gignentibus, vnde refert Ariſtot. 2. polit. cap. 2. quod cum quibuſdam Lydiæ populis vxores eſſent communes, filias partiebantur ſecundum ſimilitudinem natorum ad parentes.

D Similes actus, ſimiles generant habitus. Ariſto. 2. ethic. c. 1. habitus etiam non inclinant niſi ad ſimiles actus.

In regno Cochin filij ſequuntur artem & profeſſionem patris, nubuntque mulieribus ejuſdem conditionis, Dauity. Idem fit in regno Sinæ *La Chine*.

Quod maximè eſt tale, cæteris cauſa eſt, vt talia ſint. Ariſt. 2. metap. 2.

Potentia agentis vniuoci tota manifeſtatur in ſuo effectu, potentia enim generatiua hominis nihil poteſt plus, quam generare hominem; ſed potentia agentis non vniuoci non tota manifeſtatur in ſui effectus productione Sicut potentia ſolis non tota manifeſtatur in productione alicujus animalis ex putrefactione generati.

Omne procedens ab aliquo naturaliter, eſt ei ſimile & æquale in natura, niſi ſit defectus agentis, vel materiæ, vel vniuocæ cauſalitatis.

Radices ſunt elementa quædam arborum, elementorum autem conditionem ſectari cætera omnia neceſſarium eſt, ideo cucumeres dulciores fiunt, ſeminibus in lacte maceratis; ſic mutatis radicibus tota arbos mutatur. Theoph de cauſis plantar. l. 2. c. 19.

Semina & germina eodem conſtituantur ſitu, ad auſtrum, ortum vel occaſum quo fuerunt in parente, vt nihil naturæ moriſque ſoliti immutetur, quaſi mutationem pati minimè valeant. Ibidem libro 3. cap. 6. ſic olim filij jubebantur ſequi conditionem patris. *Vide duratio poteſtatis, duratio virtutis exercitatio*

Pulli Aquilarum, id eſt filij regum.

De roſa dicit Poëta

Ros vnus, color vnus, & vnum mane duorum
Sideris & floris.

Romæ gens Curionum continua ſerie tres optimos oratores habuit, in Fabiorum familia tres fuerunt continui principes, &c. Petrus Crinitus de honeſta diſcipl. l. 21. c. 13.

Aqua aſcendit eo vſque quo principium ſui ortus æquauerit, modo marginibus contineatur, differt autem quæ fiſtulis defertur, ab ea quæ canalibus, quod quæ fiſtulis delata eſt, tantum aſcendit, quantum deſcenderat, quæ vero canalibus, non niſi cum altiores margines fuerint. Card. de rer. variet. l. 1. c. 6.

Antiquis velut parentibus conformari. *V. concord virtut* imitatio bonorum.

Impar numerus imparem ſemper producit, par parem Rodig l. 22 c. 6.

Partus ventrem ſequitur, partus apud Iudæos, cenſebatur baptiſatus in matre proſelyta, *Vide virtus princ* parentes ſint exemplo, &c.

Naturali jure partus ventrem ſequitur; cum agitur de illegitimis. Sata ſolo cedunt, olim ex S. C. orphitiano illegitimi cum legitimis matri ſuccedebant, hanc legem amore caſtitatis abrogauit Iuſtinianus.

Agens principale inducit in effectum ſimilitudinem ſuam, non tamen agens inſtrumentale. Toſtat. in Mathæ. tomo quarto, fol. 183. capite 2. b.

Non perueniet ad finem bonum, vixque fieri poteſt vt perſeueret in magno gradu, cui nulla ex pri-

Digitized by Google

mogenitorum figura, geniturae propriae auxiliatur, Card.aph sect.3.aph.13. A

Quintum signum ab ascendente filios significat, quia ejusdem naturae est cum signo ascendentis, & si fuerint duo signa in ascendente, erunt nati diuersorum morum, & nona significat eadem causa filios filiorum, Card.aph.sect 3.aph 1

Non potest arbor mala bonos fructus facere, &c. Math.12.

Accessorium sequitur naturam principalis, aurus familiae appellatione continetur, Cujac obs.l.28. c. vlt.

D. Hieronym. ad Saluinam viduam Nebridij. Nebridius, inquit, pusio patrem quaerentibus exhibet; sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat. Scintilla vigoris paterni lucet in filio, & similitudo morum, per speculum carnis erumpens; ingentes animos angusto in pectore versat. B

Partus fiunt parentibus similes, vel ex abundantia materiae ex omnibus corporis partibus copiosè decidentis, vel potissimum ex imaginatione viri in coitu, mulieris multo tempore post conceptionem, nam per id spatium nouas figuras imprimit, prout ipsa objecti alicujus nouitate fuerit affecta; etiam procedit haec similitudo à temperamento vtriusque parentis, & haec qualitas latet interdum diu, & auum refert in nepote, & haec causa plurimum potest ad conformitatem morum, cum imaginatio sit tantum respectu exterioris figurae, est duplex similitudo essentialis ratione speciei & sexus, & haec pendet à virtute formatiua quae est in semine; alia est accidentalis interna vel externa quae est in lineamentis & coloribus, & in ea plurimum potest imaginatio, laudantur simili prole puerperae. C

PARTES SVO VNIVERSO conformes.

QVemadmodum vita haec temporaria, cognatam obtinuit, & huic mundo conformem naturam; sic futurae vitae ratio, & conditio, statui animarum, commodissimè respondebit, D. Basil. in hexamer.hom.1. D

Platonici dicunt animalium animas per se moueri, quia sunt partes animae mundi quae per se mouetur, vnde per mortem non corrumpuntur cum corpore, sed redeunt ad eam. Alb. Magn. tract 1 de motu animalium. Sicut motor se habet ad mobile, ita partes motoris se habent ad partes mobilis, siue eius quod mouetur. Dicit autem idem Plato, animam orbis ideo se mouere, quia habet conceptum & desiderium primi boni, seu Dei patris orbis, cui sic se putat conformare, vnde quę non habent conceptum, & desiderium boni, vt plantae & elementa, non se mouent, Ib.

Principium motus est in cerebro; caput autem propter hoc est sphaericum, vt organum motus in animalibus, etiam in figura videretur congruere corporibus, quae primo in caelestibus mouentur & sunt causa motus inferiorum, Ibidem, tractatu 2. c. 1. E

Calor naturalis, intus mouetur cum Sol occidit, at extra cum Sol oritur, aliquando ad superiora, & illic ducit spiritus & humorem, quando Sol medium caeli ascendit, Alb.Mag.tr.1.de nutrimento & nutribili, c.3.

In animalibus, quae valde similia sunt in corporibus, vt pisces & serpentes, virtus assimilatiua alimenti, habet virtutem formatiuam, de animalibus quorum partes sunt similes toto, *vide differ. medij*.

Formae materiales & immersae materiae, quae ad vltimam distantiam recedunt ab intellectu puro & immixto; hanc tamen habent cum illo conuenientiam, quod sicut ipse est vbique & semper, sic ipsae habent totam potentiam suam, in tota materia, & omnibus partibus eius, quaelibet enim pars lapidis, lapis est, & quaelibet pars auri est aurum, Alb. Mag. tr.1.de natura animae, c.3.

De reditu animae separatae ad comparem stellam, *Vide finis differentia*. Reditus ad principia.

Simplicia corpora habentia motum rectum, sunt rotunda per accidens, eo quod locantur in rotundo, Alb.Mag.

Plantae habent vt plurimum figuram pyramidalem, quia fit motus à centro aequalis ad superficiem, & vt facilius sine angulis dispertiatur alimentum, denique ob conformitatem cum caelo, cujus virtus descendit ad inferiora per modum pyramidis, & haec figura in omnibus eius partibus diuisim inuenitur, in stipite & ramis, itavt pars superior magis semper acuatur, inferior dilatetur in circulum, Id. l. 2.de vegetab.tr 1.c.5.

Vt caelum & figura & motu circulare, vt ex aequo materiam sibi subjectam impleat formis, & det singulis viuentibus vim generandi, ita figuram circularem aut columnarem indidit, omnibus ferè seminibus plantarum, & in animalibus vim generandi posuit in globulis testiculorum. Columna autem generatur ex circulo supra lineam rectam, moto, has autem figuras habent semina, nisi per accidens impediantur per mutuam compressionem, Ibid l.3 c.3.

Aues in infima aëris regione volant in rectum, in suprema vero, caelo viciniore in obliquum.

Fama eius erit celebris per vniuersum mundum, qui habet idem medium caeli cum mundo, vel horoscopum mundi in medio caeli, id est cancrum exaltationem Iouis, vel arietem. Almansor. prop.72.

Victor erit Princeps eo anno quo prima, aut decima concordabit cum reuolutione anni mundi: ciuitas non poterit expugnari cujus Dominus, erit Dominus ascendentis anni mundi, Idem propos.84.

Oportet in omni inceptione aptare circulum, ad naturam eius quod quis incepturus est, Ibidem prop.85.

In hominis laude consideratur tempus praeteritum, vt auguria, parentes, patria. Pręsens, & futurum in libris, liberis, legibus, Quint. Inst orat.l.3.c.9 Sic hominis vita, licet breuis, pertinet ad omnes temporis differentias.

Termini sunt partes signorum, & sunt quinque termini in quolibet signo, & eorum quatuor sunt conuenientes quatuor qualitatibus, quae sunt caliditas & siccitas, frigiditas & siccitas, caliditas & humiditas, frigiditas & humiditas, & natura quinta est commixta ex quatuor naturis, secundum commixtionem complexionis Mercurij, qui est vna vice siccus, alia calidus, alia frigidus, alia humidus, Haly, 1. parte, c.2.

Partes mundi non sunt verè vnum, quia sunt

Digitized by Google

compositæ; vt totum, *vide minoritas magnitudinis, vnitas.*

Thales dicebat aquam esse rerum omnium principium, & id conijciebat ex eo quod animantium omnium principium sit humidum. Plutarch. lib. de placitis Philosophorum.

Ciuitas ex multis diuersisque concinnata mundi structuram, & harmoniam imitatur, in ea Rex vices agit Dei.

Verno tempore mundus creatus: annunciatio Incarnationis facta & passio Christi, & prima die primi mensis erigere tabernaculum, vt hæc mundo fierent conformia. Theodoret. in exod. quæstione vlt.

Innumeri possunt esse aspectus planetarum inter se, hi tamen soli considerantur ab Astrologis, qui vim quandam totius circuli in se habent. Ita sextilis continet 60. gradus, sexies autem 60. faciunt 360. quadratus continet 90. partes, qui in quater deductus facit 360. trigonus continet 120. qui in tria deductus facit 360. oppositio continet medium circulum, id est 180. qui duplicatus facit 360.

Math. 9. mulier sanguiniflua tetigit fimbriam vestimenti Christi, & sanata est, O quid ista mulier vidit habitare in interioribus Christi, quæ in Christi fimbria, diuinitatis totam vidit inhabitare virtutem; docuit quantum sit corpus Christi, quæ in Christi fimbria tantum esse demonstrauit. Chrysol. serm 34 Ideo dicitur Ps. 132. sicut vnguentum, quod descendit in oram vestimenti eius.

D. Thom. lib. de regimine principum, vult regimen principis imitari regimen Dei in mundo, c. 14.

In vitro quod dicitur calendario, aër rarefit, aut condensatur eadem ratione & proportione, qua in toto aëre libero totius orbis, itavt aqua in eo ascendat, aut descendat prout aër habita ratione tempestatis anni rarefcit aut condensatur.

Vt Luna crescente, crescunt maria, sic caro in canceris, cerebrum & medullæ in animalibus. Similiter pituita, in fœminis menstrua sequuntur eius motum.

Vna magnetis portio ab integro diuisa, in se omnes totius magni mundi proportiones habet, nempe polorum, æquinoctij, &c. Spiritus homini à quatuor ventis, Ezech. 37.

Eadem adoratio tribui potest reliquijs, quæ tribuitur personæ, cujus sunt reliquiæ, quia possunt apprehendi vt conjunctæ illi personæ, habent etiam respectum ad illam, Bonacina in 1. præcept. decalogi.

D. August. lib. de spiritu & anima, capite 3. vocat animam, cælestem Hierusalem, paradisum, in quo Deus habitat, cum ipsa in paradiso debeat esse.

Ex vngue leonem, gutta maris, ostendit totum esse salsum.

Eandem proportionem habet totum elementum ad totum, quam habet vna pars ad partem, Arist. 2. de gener. tex. 37.

Persæ ad bellum procedentes, habebant juxta Regem, ignem sacrum quem Magi comitabantur cum 365. juuenibus purpuratis, qui designabant totidem anni dies; sequebatur currus Iouis in quadrigis albis, & equus insolitæ magnitudinis, qui dicebatur equus solis. Curtius, l. 3. Dauity in Perside, hic exercitus videbatur quoddam compendium totius naturæ.

Mensæ Regum Persarum, apponebatur aliquid rerum omnium quarum hæc regio ferax erat, velut decimæ re[illegible] omnium, Ib.

In Ang[illegible] comitatu Caërmarden, fons est qui bis in die ad [illegible]star maris habet fluxum & refluxum, Ibid.

Potentioribus, velut principijs assimilari. *V. concord maioris.*

Germani initio belli aliquem ex hostibus captiuum cogebant cum vno ex suis militibus certare, & ex euentu singularis certaminis ferebant iudicium de totius belli successu, Id.

Apud Petrogoros, *experigeux*, in Gallia, fluuius est, circa Marlan, qui patitur fluxum & refluxum, sicut mare. Id.

Sunt hebdomades dierum, sicut mensium, annorum, sæculorum.

Saluatur species in vno indiuiduo. Ecclesia est tota in singulis, *vide concordantia virtutis.* Ecclesiæ vnitas, *& concordantia different.* omnia in omnibus.

In Insula Ilua, *Delbe*, Toscaniæ, fons est, cujus aquæ ad mensuram dierum anni crescunt, itavt cum dies sunt longiores, sic exundant aquæ vt sufficiant pluribus molendinis mouendis, Dauity.

Mare est alter mundus, omnia complectens, quæ sunt in alijs elementis.

De intelligentijs quæ sunt omnes in vna. *V. concordantia virt.*

Vt datur totum constans ex suis partibus, sic etiam est totum in parte, sunt enim quædam partes in quibus est tota ratio & essentia totius, vt in indiuiduo, scilicet Socrate est tota ratio speciei, partialiter tamen. Idem dici potest de specie respectu generis, vt homo habet quidquid pertinet ad rationem animalis, *vide potestas minoritas.* vnum multis æquiualens.

In corpore omni simplici, idem locus est ad quem mouetur pars, & ad quem mouetur totum, quia in simplicibus, totum & pars est ejusdem rationis, sic tota terra & gleba mouetur deorsum, Alb. Mag.

Primi dies creationis referunt totum mundum. *V. potestas princ. initij.*

Causa agens particularis, in agendo, similitudinem gerit causæ agentis vniuersalis, & est exemplum eius.

Apollonius, Tyaneus dicitur produxisse vitam vltra centum annos singulis hebdomadæ diebus, assumendo annulos planetarum, illis diebus præsidentium. Sic qui de stemmatibus scribunt, referunt, olim in Græcia & in aula & in bello singulis diebus vestem sumpsisse colore, suo planetæ dominanti conuenientem, flauam, aut auream soli, argenteam aut albam lunæ, rubram Marti, nigram Saturno, viridem Mercurio, azurum Veneri, & Ioui Quod obseruatum est in ludis Circensibus, teste Diodoro Siculo.

Luna vetus veulas, juuenes noua Luna repurgat.

Luna plena conchilia plena sunt, ossa medullis, mare intumescit, &c. *Vide concordantia minoritat.*

Sicut pars & totum quodammodo sunt idem, ita quod est totius quodammodo est partis.

In quolibet toto homogeneo totum constituitur ex partibus habentibus formã totius, sicut qualibet pars aquæ, est aqua In quolibet autem toto heterogeneo qualibet pars caret forma totius; nulla enim pars domus est domus, nec aliqua pars hominis est homo.

Illud

Illud peculiare, quod oleæ, tiliæ, vlmo populo euenire videtur, vertunt enim partes supinas mox post solstitium æstiuum: eoque argumento rustici solstitium confectum intelligunt. Teophr. histor. plantar. lib. 1. cap. 16.

In autumno alimenta plantarum de partibus superis ad ima vertuntur, regressusque fit, modo itenetis cancri. Idem. de causis plantar. lib. 1. cap. 13.

Quidam nomine Vlpianus hoc habebat peculiare, vt de nullo ferculo ederet, quam dixisset appositum est: sic de cæteris rebus loquens, quasi fato morem gerens. Suidas in voce Dipnosophistæ.

B D. Augustinus libro de quantitate animæ miratur vermem multipedem in plures partes diuisum, vnaquaque separata discurrere ac si esset totum animal, refert integrum textum hunc elegantem Petrus Crinitus lib 17. de honesta disciplina cap. 4. Sic in qualibet seminis parte totum inest, vnde formetur animal. In sambuci ramo inest vis producendi perfectam eandem plantam.

Ægypti volentes exprimere Deum rebus inferioribus prouidétem effingebant eum insidentem in aquatali arbore quæ dicitur lothus, in qua omnia sunt orbiculata & rotunda & poma & folia, quæ figura vniuerso conuenit, & mentis actionem denotat. Id l. 20. cap. 4.

C Linum Ægyptium filis tot numero constat, quot sunt dies anni, idest 360. Cardan. lib de rerum varietate. cap. 22. in fine.

Vt vrbis conditæ præsagium haberetur, obseruabatur natus eadem die qua vrbs ædificata est, qui ad perfectam peruenit et ætatem, qua fortuna vsurus esset, & qualis ille inter homines fuerit; talis vrbs inter vrbes. Sic Numa Pompilius decimo tertio Kalendas maii ortus & qua die Roma ædificata est, regnauit, atque Roma regina vrbium facta est. Ibid. cap. 78.

D Apud Ægyptios depicta palma annum indicabat, quoniam hæc arborum sola per singulos lunæ exortus vnam producit Bain vt anni fine duodecim fiant. Rhodig. lib. 5. cap. 6.

Dyonisius iunior Siciliæ tyrannus in Prytaneo candelabrum dicauit in quo totidem succenderentur lygni, quot in anno numerantur dies. Idem l. 6. cap. 18.

Scarabæus Ægyptiis sacer erat, quia pilulam excrementitiam, sensim in aduersum protrudit, sicuti contrarium mundo sol cursum agit, dum ab occasu in ortum fertur Id. lib. 8. cap. 5.

Delphinum ferunt esse musicum & musicæ amatorem quod in cœlo constet nouem stellis quę significant nouem Musas idest nouem cœlos. Ibid. cap. 6.

E In spectaculis Circensibus cœli motum inuitabantur vt fierent à meta in metam recursus. 24. secundum horas diei. Circus 12. habebat ostia pro numero domiciliorum cœli, sicut metæ septem vt septem planetæ. Certantium classes quatuor fuere suis distinctæ coloribus; nam viridis herbidam verni temporis indicabat lætitiam, roseus æstiuam flagrantiam; albus pallescentem autumnum; fuscus hyemis nebulosam tristitiam. Ibid. cap. 7.

Omnes delectat musica, quia mundus ipse harmonicè compositus est. *Vide Concordantia Differentia.* musica.

Zoroastris magia qua imbuebantur Persarum regum filij hæc erat vt ad mundanæ Reipublicæ imaginem, suam & ipsi Rempublicam administrare discerent. Ibid. lib. 9. cap. 23.

Si vna Ecclesia alteri tanquam accessoria vniatur, illius cui annectitur naturam, priuilegia, consuetudines assumit, propria iura amittit ea. & temporis 16 q. 1.

Nescio quæ sympathia nobis cum tota naturæ serie inest. Nam cum vna calcatur, solent grassari prælia, & sanguis humanus effundi plerumque. Cum putantur vineæ, capita truncari humana, & suffocationi catharri grassari cõsueuerũt. Cũ florent arbores, semina corporis, & ingenii turgent florentque. & ad quásdam incitant fructificationes, cum colliguntur sterelescimus, vnde signum Virginis sterile vocatur.

Cum venti plurimi diu flant, colligimur in penetralia domorum, & tunc consilia pessima ineuntur Vnde fœminæ solent insidiosa molimina procognosticari. Campanella astrologicorum lib. 6.

Aër nostrum tangens spiritum, suis ipsum passionibus afficit, maximè si accedat amor vel metus, sic sæpe cogitamus & somniamus de amico ea die venturo, spiritus ille mundanus nouas nobis indit passiones, nam quando calidus est, ira hos afficit, quando serenus lucidusque, lætitia, quando nebulosus mœstitia, quando agitatus, furiæ, quando crassus, somno; & hoc passiones penetrant vsque ad mentem immortalem. Id. lib. 1. physiolig. cap. 3. a. 8.

Magis de pane est in parte aquilonari mundi, quam in meridiana, ideo mensa propositionis ponebatur in parte aquilonari tabernaculi. Tost. exo. to. 2. fo. 3.

Si prægnans cerasium aspiciat citato desiderio, frontemque attigerit, fœtus confestim cerasum suscipit, non quidem nudam cerasi maculam, sed cerasum quod viridescit, albescit, flauescit, & rutilo colore rubescit quot annis vna cum fructibus arboreis, sequitur rationem soli, & citius rubescit in Hispania, quam in Flandria. Vanhelmont. in tractatu ignota actio regiminis & tit. de mag. vulner. curatione.

Dionysius tres ordines Angelorum esse tradit, ternos in singulis ponens; sunt enim tres ordines superiores, tres inferiores, tres medii Superiores Seraphim, Cherubim & Throni. Medii Dominationes, Principatus, potestates. Inferiores Virtutes Archangeli; vt Trinitatis imago in toto & partibus insinuetur impressa. Magister sentent. lib 2. dist. 9.

Prætores in prouinciis cum summa authoritate, exprimebant summum imperii ius. *Vide Magnit. Potestatis* Monarchia.

Ætates sæculi comparantur ætatibus hominis. Tost. Math. to. 6. fo. 8.

Oratio Dominica non fit ab aliquo tanquam à persona priuata, sed tanquam à tota Ecclesia, cum omnes clausulæ ponantur in plurali. Id. Matth. to. 1. fo. 76.

Mari turbato in horrescunt pelles detractæ marinarum belluarum.

Vide Duratio Concordantia. partes societatem cum suo toto retinentes.

Apocal. vlt. ex vtraque parte fluminis est lignum vitæ afferens fructus duodecim per singulos menses. Sunt autem menses duodecim. Ita quilibet, omnes suis fructibus imprimit. Ita tres Hierarchiæ sunt Angelorum, & vnaquæque tribus constat ordinibus.

Natiuitas patris significat super filios, & non super alios. Cardan. Aphor. sect. 3. Aphor 40.

Rex ille firmiter regnum administrabit, cuius genitura cum regni initio consentit. Ib. Aph. 119.

Quatuor cardines singularis genituræ, sic quatuor elementis assimilantur, vt cui taurus ascendit, plus terra, post aër dominetur cui leo, plus ignis post terra, sic de aliis. Ib Aphor. 120

Vnitati diuinæ & mundanæ cętera nituntur conformari. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 1. § 8.

In cœlestibus partes referunt totum. Ibid. lege 4.

Pars vniuerso suo debet congruere Ib. lege. § 1.

Singulorum Genesis pendet plurimum ab ea constitutione quam cœlum habuit, dum creatum est à Deo. Vide fatum vniuersi c. 8. & in apologia quam scripsi cap 2.

Homo habet conuenientiam cum omnibus mundi partibus & motibus. Iuris naturalis cap. vlt.

Mundum creatum in æquinoctio vernali probatissimi autores asserunt quos vide in fato vniuersi. cap. 1. sub eo tempore liberatur Israël à seruitute Ægyptiaca. Gabriel Angelus nuntiat Virgini Mariæ mirabilem partum Christi, qui postea eodem tempore pro redemptione mundi passus est Vt notat Theodoret. in Exod q. vlt. Verno tempore renouatur terra; ab ingressu solis in primum punctum arietis Astrologi erigunt figuram reuolutionis illius anni. Cœlo, mundoque conformes Romani mense Martio in aris Vestalibus nouum ignem accendebant, laureas virides, tam in Consularibus fascibus, quam ædibus Regis, sacrorum flaminum, Vestalium atque Curiæ veteribus mutabant, mercedem magistris soluebant, vectigalia locabant, matronæ munera mittebant, seruis cœnas apponebant, denique renouabant omnia eo tempore quo cœpit mundus. Tunc etiam olim apud Persas licitum erat nuptias contrahere, vt refert Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 24.

COELO ASSIMILARI.

Cœlum referunt fontes, specula, gemmæ; motus cœli mare imitatur. Luna plena augentur conchilia, in ossibus medullæ. Vide Ptolomæum in præfatione quadripartiti.

In sandastri gemmæ corpore, fulgent aureæ guttæ, velut in transllucido stellantes, quę & numero & dispositione referunt stellas pleyades, ob id à Chaldæis in cæremoniis habitæ. Georgius Agricola lib. 6. de natura fossilium.

Romanorum fuit institutum adorantes circumagi cœlestis virtiginis quadam imagine. Rodig. lib. 11. cap. 8.

Radios solis imitatur iuba sua Leo. Id. lib. 13. cap. 8.

Scribunt Platonici Deum capitis figuram ad mundanæ rotunditatis figuram compegisse, in eoque duos illos animæ diuinos circuitus locasse, cui velut Deo partes omnes parere iussum est. Id. lib. 2. cap. 12.

Timæus dicit, temperatos animos nostros ab opifice Deo in eodem cratere ex eisdemque elementis cum cœlestibus animis. Id. lib. 22. cap. 2.

Pelusiotę cepis abstinent, quia solę ex cunctis oleribus in oppositum lunæ augentur & minuuntur. Id. lib. 24. cap. 2.

Cynocephalos simiæ genus capite canino in A lunæ coniunctione cum sole, petit latebras, lugensque cibum non capit. In ęquinoctii die duodecim idest per singulas horas vrinam mittit, propterea in hydrologiis sedentem insculpunt Cynocephalum Ægyptii. Idem. lib. 25. cap. 28.

Cum effectus corporales in inferioribus maximè dependeant à cœlestibus corporibus, tunc præcipuè ars potest fortiri effectum, quando virtus corporis cœlestis ad hoc cooperatur. Vnde in operibus agriculturæ & medicinæ valet consideratio motus & situs solis & lunæ & aliarum stellarum, quorum virtutes, situs & motus multo certius cognoscunt Angeli naturali cognitione quam homines. Vnde horas eligere possumus melius in B quibus virtus cœlestis corporis ad effectus intentos magis cooperetur, & hæc videtur esse ratio quare Nigromantici in inuocationibus Dæmonum situs stellarum obseruant; cœlestes enim virtutes Angeli boni & mali melius norunt, celerius & opportunius applicant, &c. D Tho. in quæst. disp. q. 6. a. 3.

Per candelabrum positum in parte meridiana tabernaculi, habens septem lucernas designantur septem planetæ, quorum motus sunt nobis meridiani. Tostat. Matth. 10. fo. 4. c. 4. f.

Habent veteres agricolę certa cœli signa in obseruatione seminum emittendorũ, vtpote crispatas & raras nubes, tanquam aratro diuisas. Olaus Magnus rerum Septentrion. lib. 15. cap. 3.

Dani sub arcto habent vrsam pro insigni & C primum suum regem habuerunt ex vrso natum *Vide Concordantia Differentię*. Coniugium inter diuersa.

Non viuunt gemini, nisi fuerit in Horoscopo signum bicorporeum Cardan. Aphoris. sect. 2. Aphor. 26.

Pereunt insitiones arborum factæ decrescente luna, si quis diu obseruet, vt decrescente luna tondeat capillos caluus fiet, ideo ea crescente melius oues tondentur. Ib. Aphor. 157. ea decrescente ligna ad ædificationem cariem non sentiunt; ad ignis autem materiam, ea crescente vt repullulent Ib.

Melius efficitur quod natura duce astra habet propitia, quam quod humana industria. Ibid. Aphor. 164.

D

DEO ET CHRISTO assimilari.

VT beati simus & ęterni, æternum imitabimur in æternum, & magna nobis est æternitas imitatio æternitatis, nec expertes sumus reiquam imitari possumus. D. Greg lib. 14. moral.

Clara de monte falco habet in visceribus mysteria passionis D. N. Iesu Christi, illaque ab incolis magna deuotione venerantur Vrban. 8. const. 23. § 1. Bull. p. 38 to. 2.

E S. Franciscus stygmata D. N. I. Christi in suo corpore portauit. Greg. 9 const. 12. p. 89. to. 1. Alexan. 4. const. 4. § 3 p. 110. to. 1.

Vbi per amorem subleuati sumus, & mens nostra nuda & imaginum expers est, quemadmodum à Deo creata est, iam nunc agimur à spiritu Dei, & sumus filii Dei, Christum imitantes qui vt impleret voluntatem patris passioni & morti semetipsum obtulit.

Rusbroch, cap. 3. propriam suam voluntatem in

Digitized by Google

patris resignauit voluntatem. Cum propriæ morimur voluntati & nihil possumus velle, nisi quod Deus vult, Deique voluntas nostra effecta est, est hoc radix veræ charitatis. Ib.

Creati sumus ad imaginem, Dei idest vt Dei imaginem suscipiamus ipsa autem imago increata & æterna est, & filius Dei omnipotentis

Diuinæ in nos æternæque charitatis argumenta sicut quæ nos ad deiformitatem prouocant. 1. quod nos ad similitudinem suam fecerit; quod Filius Dei factus est filius hominis, vt fieremus filii Dei, se pro nobis substituit vt iustitiæ diuinæ satisfaceret. 4. carnem suam & sanguinem suum dedit nobis in cibum potionemque, vt ipse in nobis esset, & nos in ipso essemus. Supernaturalem Dei similitudinem habemus, si memoria nostra, in imaginibus vacuam nuditatem, intellectus in simplicem veritatem, & voluntas in diuinam sustollitur libertatem. Aqua vino consecrando vnita, Christi populum ipsi vnitum & in ipsius viuentem sanguine significat. Ibid. cap. 9. hæc est vita moriens, & mors viuens.

Homo factus est, vt per ipsum Deus ageret. *Vide Bonitas Medij. infra.*

Ex quo Luna separatur à Sole vadit crescendo & accedendo donec se faciat vnum corpus rotundum completum. Haly.

Dicit Eudoxus, perfectionem, nobilitatem, bonitatemque omnis rei consistere in accessu eius, ad actum primum, & ad bonitatem primam.

Arma nobilium sunt digniora, quæ magis accedunt ad arma Principis. Chassançus in catalogo gloriæ mundi. 1. parte concl. 56.

Vt Reipublicæ, sic animæ tres sunt regiminis species. Democratica seu populi gubernatio, cōstās ratione, opinione, consuetudine, fortuna, consilium ex rebus capiens. Aristocratia, seu optimorum gubernatio, cum ex humana ratione, & ex Philsophiæ præcepto constat regimen. Denique monarchia cum præualet diuina voluntas instar legis imperantis.

Plato sæpius loquitur de mundo architypo ad cuius exemplum omnia sunt creata; de quo Boët. 3. de consolat. Tu cuncta superno ducis ab exemplo, pulchrum, pulcherrimus ipse, mundum mente gerens, similique in imagine formans.

Christi vitæ meditationes. D. Bonauenturę.

De Christi operibus cardinalibus. D. Cyprian. tom. 3.

De homine creato ad imaginem Dei liber. Ioan. Damasceni.

De nuptiis Christi & Ecclesiæ. Gerson. tom. 1. Laurentius Iustinian. de nuptiis verbi & animæ. Idem.

De voluntate Dei. D. Thom. q. 23. de veritate.

Petimus in oratione dominica. Adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Hoc est regnum Dei, quando & in cœlo, & in terra, Dei voluntas est sola, quando in omnibus hominibus Deus mens est, Deus viuit, Deus agit; Deus regnat, Deus est totum, iuxta illud Apostoli. 1. Cor. 15. Sit Deus omnia in omnibus vobis, &c. Chrysolog. serm. 67.

Rex Mogor nouis quotidie induitur vestibus, & quas deponit aulicis suis pro singulari beneficio largitur, qui honorificum putant illis ornatos incedere.

Christi membrum est, qui in vnitate spiritus est cum Christo Deus cum in seipso sit vita, nobis vita efficitur, cum eius, vtcumque, efficimur participes, & cum in ipso sit iustitia, etiam nobis fit iustitia, cum ei cohærendo iustè viuimus; & tanto magis, minus-ue iusti sumus quanto magis, minus-ue illi cohæremus. Card. Cusa. cap. 1. de concord Catholica. Sic Ecclesia per vnionem ad Christum constituitur.

Licet finiti ad infinitum non sit proportio, vt dupla, quadrupla, &c. tamen est quædam proportio similitudinis, aut imitationis, qualis est inter causam & effectum.

In Eucharistia accidentia non subsistunt virtute naturalis subiecti sed diuina voluntate, ex quo elicias tuam voluntatem in omnibus dependere debere à voluntate diuina per quam tantum subsistat sicut accidentia panis sunt indicia, & tamen non est, quia substantia transubstantiata. Ita per vehementiam amoris affectus transformatur, itaut sola sit apparentia hominis cum existentia deitatis. Idem. Excitation. lib 3. cap. 5. in fine.

Qui conformatur Christo habet artem qua scientia & potestas coincidat cum scientia & potentia, itaut sciat & possit quod velit, participare hanc scientiam est delectatio immortalis. est fœlicitas & quies beata. Idem. lib. 9. cap. vlt.

Ex quo verbum est incarnatum, primum mobile est in terra.

Solem corporeum miramur, sed non possumus in eum transformari, & eum imitari. At possumus Christum solem iustitiæ imitari, sequi & cum sua gratia in eum transformari.

Arca Noë erat sine remis, velis & cæteris instrumentis nauticis, diuina prouidentia huc illuc fluctuans. Genebr. an. m. 1656.

Sexta die pro complemento operis, dixit Deus faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, pater crearet, filius redimeret, Spiritus sanctus igne sacro perficeret in plenitudine temporis. Rupert. lib. 2. in Genes. cap. 7. idest viuentem, rationalem, Deo similem, vt attingat hanc similitudinem, habet rationem velut oculum & aptum instrumentum. Cecidit, sed facultas rationalis in eo remansit, qua ducem & præceptorem suum valet sequi. Ibid.

Cum ablata fuisset nubes quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israel, & in loco vbi stetisset nubes, ibi castra metabantur num. 9. sic ad imperium domini proficiscebantur, & figebant tabernaculum.

Effectus extra ordinem causæ vniuersalis, nullo modo potest exire, sed causæ particularis potest. Aliquid enim potest esse quod non est homo vel vinum, non autem potest esse aliquid quod non sit ens, & sic licet aliquid possit deficere ab aliqua forma particulari, tamen à forma vniuersali nihil deficere potest Sic mirum est quod homo non deificetur.

Perfecta assimilatio effectus ad causam, est quando effectus imitatur causam, secundum illud per quod causa producit effectum, sicut calidum facit calidum Christum imitari in passione. *Vide Minoritas Gloria.* Mortificatio.

Summum malum est separari à principio, *Vide Differentia Principii.*

Saphirus cœli sereni speciem refert. Cardan. de rer. varietate. cap. 18.

In tantum vnum quodque perfectum est, in quantum ad suum principium attingit, eique coniungitur. Vnde vltima hominis beatitudo quę in operatione intellectus, velut in altissima eius operatione cōsistit est in visione Dei, & motus circu-

Digitized by Google

laris est perfectissimus quia finé coniugit principio. A

Quęlibet res perficitur per hoc quod subditur superiori, sicut corpus per hoc quod viuificatur ab anima, & aër per hoc quod illuminatur à sole, & appetitus sensitiuus per hoc quod subditur rationi. Quisque iuxta Principem securus est.

D Augustin. lib. 14. de Trinit. c. 8. dicit quod anima facta est ad imaginem Dei, eo quod capax est Dei, eiusque potest esse particeps.

Per intellectum & voluntatem, conuertendo se ad Deum supra se, aut ad se & ad Angelum. Denique anima est imago Dei, quo magis Deo conformis est, & quantum à Deo auertitur, tantum deformis imago efficitur. Perbartus in rosario Theologico, voce anima. B

Magis assimilamur per voluntatem quam per intellectum. *Vide Virtus Voluntatis.*

Cum mens ardens fuerit in Deo; tunc nostra natura supra seipsam effertur, miraculaque contingunt, videas ex timidis fortes, ex miseris beatos, ex ignaris sapientes, ex imbecillibus robustos fieri. Traducitur enim humana mens ad altiora. Hic feruor facit obliuisci miseriarum, laborum, mortisque, vnde semper hilares in Deo militant. Non facilè autem est animam quasi facem Dei, sic ardere, sed à Deo datur hoc his qui omnia exteriora perfectè reliquerunt. Cardan. lib. de varietate. cap. 42.

Verumtamen in imagine pertransit homo. Psal. 38. duplicem facit imaginem Apostolus. 1. Cor. 15. terreni & cœlestis hominis, & in singulis pro ratione demeritorum, aut meritorum diuersa est. Origen. hom. 2. in d. Psal. C

Imperatoris imago ex artis præceptis conuenienter efformata & prototypo suo similis dicitur Rex; sic homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, dicitur Deus, & hęc similitudo maximè consistit in beatificatione secundū virtutes. Sunt enim veri colores qui natiuam viuamque Dei formam exprimunt; scilicet puritas, immunitas à perturbationibus, condicio mali expers, charitas omnes complectens, scientia scrutans omnia. Gregor. Nyssen. de homil. opific. cap. 5.

Christus factus est nobis sapientia. 1. Cor. 1.

Eius exemplo licet aduersa vltrò subire. *Vide Voluntatis Contrarietatis.*

Omnes Angeli ab inuicem specie differunt, secundum maiorem & minorem perfectionem formarum simplicium, ex maiori vel minori propinquitate ad Deum qui est actus purus & infinitæ perfectionis. D. Thom. in quæst. disp. q. vn. de spirit. creat. a. 8. c. D

Christianismus est imitatio Dei *Vide Magnitudo Virtutis.*

Christi perfectiones quę in naturam nostram cadunt imitari debemus, quæ non cadunt, venerari. Christus vocatur ab Apostolo, Dei virtus & sapientia, quæ sapientiæ virtutisque coniunctione vitæ perfectio constituitur; est pax nostra, occisa inimica iniquitate quam non debemus in nobis exsuscitare; pax erit. Si ordinis ratione mens sensibus dominetur. Dicitur lux, vt abiiciamus operà tenebrarum: dicitur sanctificatio, vt ab impuris factis & cogitationibus abstineamus. Dicitur redemptio, vt sciamus nos ad ipsum pertinere. Dicitur sacerdos & Pascha nostrum qui se pro nobis tradidit, vt Deo offeramus corpus nostrum hostiam viuentem mortificatis membris carnis. Dicitur propitiatio, vt nobis ipsis simus propitiatio, per mortificationem gloriam animæ nobis comparantes, &c. quot sunt nomina tot sunt virtutum incentiua. S. Gregor. Nyssen. lib. de perfecta Christiani forma. Cum dicitur lapis significat firmitatem, Agnus mansuetudinem, Leo fortitudinem, &c. Ibid.

Idem lib. de iis qui præmaturè accipiuntur, dicit hominem ideo factum à creatore, vt esset diuinę atque superæ virtutis animatum quoddam simulachrum.

Vita Christi testatur humanam eius probitatem, miracula omnipotentiam diuinam, lex cœlestem sapientiam; vt ex probitate accedat exemplum ad imitandum; ex autoritate vis ad obediendum, ex sapientia fides ad credendum; probitas amorem eliciat; maiestas cultum, sapientia fidem. Lud. Viues in introductione ad sapientiā.

Mundus est imago Dei. Vide quæ scripsi Theologiæ naturalis to. 1. parte 2. cap. 21. Imitatio Christi est vera via perfectionis & gloria. moralis Christiana to. 1. parte 1. cap. 13. Oportet mundo & sibi mori vt Christum imitemur. Ibid. cap. 15. Christus est verus magister vitæ, verbo & exemplo. lib. de fœlici successu & triumphis vitæ religiosæ. parte 1. cap. 7 & 9. Vita Religiosa est ad imitationem Christi. Ibid. cap. 10. De Christi stygmatibus miraculosè S. Francisco impressis, eiusdem operis to. 2. cap. 16. Christus Religioso debet esse continua meditationis materia. lib. de institutione & officiis religiosi parte 2. cap. 20.

Vide Potestas Voluntatis. Amor transformat.

Moysi dictum est, omnia facito secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.

Vt quædam metalla atque gemmæ fulgorem suum in vicina sibi refundunt. Sic orat Propheta, faciem tuam illumina super seruum tuum; & doce me iustificationes tuas, vt sicut Moyses per consortium Dei lumen accipiat. D. Hilar. in Psal. 118. Phe.

Si periculosum est imitari illos, de quibus dubitas an imitandi sint, hunc certè imitari tutissimum est; atque eius vestigia sequi, qui dixit ego sum via, veritas & vita. D. Hieron ad Celantiam de institutione matris familias.

REPVGNAT.

EFFECTVS SVIS CAVSIS dissimiles & degeneres.

Semen terræ mandatum, vt coalescat, pendet à terra, calore, frigore, ventis, ita & homo ferre cogitur, quæ circa ipsius semen eueniunt, à cœlo, matre, aëre, locis & aquis, mille accidētibus.

Imaginatio & luxus, sunt causæ monstrorum. Paracelsus.

Multa trahunt originem ex aqua, vt sulphur, salia, saturnina, Martialia, quæ omnia, aquę contrariam complexionem obtinent, etsi ex illius matricibus orta processerint; sequuntur enim potius firmamenti, quam matricis conditionem, vult natura aliud in fœtu habere, quam in parente, omniaque in aliam proprietatem à natura patris & matris genita decidunt. Ex eadem terra nascuntur, quæ complexione inter se contraria sunt per diuersas huiusmodi proprietates, tempus naturæ consumi oportet; & maxime in hominibus, qui acceptam à cœlo differentiam in aliam possunt commutare vi liberi arbitrij. Id. E

Digitized by Google

lib. 1. sagacis philosophiæ. Ex igne nasci possunt res diuersæ & contrariæ vt nix, pruina, grando, pluuia, &c. Stellæ aliter sunt, quam calidæ & siccæ, & tamen in calore & siccitate constitutæ. Frigiditatem enim habent Luna & Saturnus.

Ex dulcibus saporibus, fiunt acuti & peramari: quando enim calidum agit in dulce, paulatim extrahit humidum subtile aëreum, & quando remanet terreum in humido, incensum fit acutum; quando autem in toto aduritur humidum, tunc efficitur sapor peramarus. Ita naturaliter ex ebullitione sanguinis spumosum subtile terreum euolat, & in saporem amarum conuertitur per adustionem. Alb. Magn. tract. 1. de sensu & sensato.

Vegetabile & intelligibile imperfectum, fluunt ab intellectiuo primo & perfecto, quod quidem prius influit, quod secundum ordinem intelligendi est generalius & prius, at prius est vegetabile, quam sensibile, & sensibile, quam intellectuale. Id tract. 1. de intellectu & intelligibili. cap. 3.

Sub polo arctico, vbi excedit frigus, si seminetur triticum, degenerat in granum alterius naturæ. Id. tract. 1. de natura locorum cap. 8.

Lapides & metalla quædam aliquando generantur in nubibus tamen recipiendo formam mixtam mixti, statim tendit ad locum terræ & ibi saluatur & manet. Id tract. 2. de natura locorum. cap 1 orti ex illustri familia sequuntur tamen vilem suam inclinationem.

De apostatis pessimis. *Vide Durantiæ Virtutis. Rep.* Sunt degeneres à Religione matre sua.

Arena licet fiat torrore solis, nihil tamen habet virtutis aquæ, aut aëris, vnde mergitur, sic in mediis aquis, & regno humidi nascitur magna siccitas. Aqua salsa, est ex aquis dulcibus torrore solis sicut elementatum ex elemento; sicut sudor salsus qui fluit à corporibus terrestribus adustis, est salsus ex commixtione aquæ, cum terreo combusto. Albert. Magn. lib. 4. de vegetabil. in fine.

Planta quæ nascitur sine radice in alio, non est eiusdem naturæ vt apparet in visco, & in excrescentiis rubi, nascuntur enim ex putredine vi solis exterius attracta.

Ab vnitate simplici, indiuisibili, procedit immediate binarius diuisibilis.

Inter Romanorum Reges, ne vnus quidem moriens, filio regnum reliquit. Plutarch. lib de tranquillitate animi.

Quoddam claritas ipsa generis, notiores circa vitia, & inuisos magis facit. Quintil. Inst. orat. lib. 3. c. 9.

Lentulorum liberi assiduè nascebantur parentibus minores. Id. lib. 6. cap. 4.

Dicitur communiter quod sunt tres bonæ matres quæ generant tres pessimos filios; veritas scilicet quæ odium parit, nimia familiaritas contemtum, & pax otium vitiaque omnia.

Reges fundatores imperii ferè optimi & clarissimi à quibus posteri degenerarunt, sic Cyrus & Alexander sic Augustus Cæsar, sic apud nos Clodouæus, res enim humanæ cum non consistant, feruntur in deterius, & ex auis ad patres, à patribus ad filios & nepotes nequitia transit cum fœnore.

Caligulam Germanico patre, omnium præstantissimo natum, vecors ingenium, in omnia dedecora traxit: Manasses non est sequutus Ezechiæ parentis laudatissimi mores.

Licet colantur reliquiæ sanctorum, non tamen vermes ex eorum carne scaturientes, quia sunt ani-

A mati, nec censentur esse & aliquid prioris corporis. Bon. in 1. præceptum decalogi. Bonac. de adoratione. Viderentur propter se adorari.

Arbor etiam optima fert aliquos fructus à verme læsos.

Agens non agit sibi simile, cum impeditur, vel ob defectum virtutis vel ob indispositionem materiæ & interdum ex aliquo accidenti extrinseco.

Nobiles genere, ignobiles moribus, sunt quasi gemma adulterina in auro benè composita.

Multæ & penè omnes arbores ex semine natæ degenerant, vt vitis, malus, ficus, pruna, pirus, quippe cum ex grano ficario, nullum penitus genus procreetur, sed caprificus tantum, aut ficus syluestris erumpit, colore etiam sæpe numero discrepans, ex nigra enim candida, & ex candida nigra gignitur: ex vite quoque nobili, ignobilis, & sæpè diuersa genere exit. Nonnunquam nihil penitus vrbanum, sed planè sylu. tre prouenit. Nascitur ex nucleo quoque oleæ syluestris olea, ex acinis mali punici glaucis, vilia exeunt; ex piro, vitiatum pirastrum, ex malo, tum deterius genere, tum accida ex dulci. Amygdala quoque degenerat, tum sapore, tum quod dura ex molli gignitur. &c. Teophrast. hist. plant. lib. 2. c. 3.

Aruspices ostentum putant in arboribus, si ex dulcibus fiant amaræ Ibid. cap 4

Lolium ex tritico & hordeo corruptis enascitur, Id. lib 8. c. 8.

Illud commune animalia cum seminibus habent, vt non protinus, sed tertio partu mutentur: etenim omnia paulatim sensimque alterantur, à suaque natura discedunt. Idem de caus. plant. l. 2. c. 18.

Genus & similitudinem fructuum seruare arborum semina nequeunt, quia plus temporis terræ immersa debilitantur, & quia ingens arborum moles largam nutrimenti copiam attrahit annua contra parum temporis in terra tenentur, & paruum attrahunt alimentum, qua propter non primo satu degenerãt, sed tertio Ibid. lib. 4. cap. 1. degenerãt maximè fruges quę viribus præstant, triticũ atque hordeum: hæc enim sola in lolium transeunt, sed magis triticum, quia validius est. Id autem non alia de causa euenit, quã quod plus alimenti trahatur,

Etiam vini vis existit in aceto. Nulla res est, quæ non eius à quo nascitur notas reddat. Seneca. lib. 3. natur. quæstio.

In omni generatione lapidum & metallorum, neque lapis ex lapide, neque metallum ex metallo vnquam generatur: & si dicitur quod vnus lapis concipit alium, non intelligitur quod de parte sui seminis generatur, sed potius de alia materia quæcumque sit illa. Albert. Magn. de mineral. lib. 3 c. 6o.

Ex patre fideli, nascuntur infideles filij, propter adæ peccatum.

Ab vnitate pares & impares numeri proficiscuntur, à Deo spiritualia & corporalia, corruptibilia & incorruptibilia.

Aristarcus vir singularis duos tantum habuit filios, eosque dementes & stolidos sic aut nullos aut degeneres habuere Numa Pompilius, Camillus Scipio, Cato, Homerus, Demosthenes, Virgilius. Augustus nequidem bonum filium habuit, cum ei eligendi potestas fuisset ex omnibus. Petrus Crinitus de honesta discipl. lib. 21. c. 9.

In Græcia proximam tyrannidẽ præsignauit ouis quæ Leonem peperit. Rodigin. lib. 13. c. 2.

Digitized by Google

Origenes & Ammonius interpretantur allegoricè quæ de Adam & Eua scriptura refert. Adam dicunt esse rationalem animam quæ quasi degenerat in Euam, idest vim animalem, cum vacans à diuinis labitur in sensibilia, tunc dormit & somniat vitam infundendo corpori, cuius errore corrumpitur. Idem. lib. 21. cap. 13.

In America est arbor succo venenato, radice esculenta, ex eascarificata succus mortifer emanat, post ex radice farinam ex qua vescuntur conficiunt. Theuet. Panem ex ea farina confectum & in ferrea ignita sartagine coctum vocant, Cassane.

Non omnes qui sunt ex Israël sunt Israëlitæ, nec quia sunt semen Abrahæ, sunt omnes & filii. Rom. 9.

Vis actiua quæ est in semine maris, intendit educere conceptum masculinum, qui perfectior, deficit autem in fœmininum propter cœlestem dispositionem, & indispositionem materiæ. D. Tho. in quæst. disput. de prouid. q. 5. a. 9. ad 9 Vnde sexus fœmininus accidit præter intentionem particularis agentis, non causæ vniuersalis.

Masculus erit natus si locus Solis & Lunæ & Horoscopi & domini eorum sunt masculini: si fœminini fœmina, vel mollis & effœminatus. Masculinitas à planetę natura scitur, & ab orientalitate à sole & mundo, quoniam ibi masculescunt masculini. Campanella astrol. lib. 4. cap. 3.

Iudicibus electis in populo Israël, non succedebant filii, sed per electionem constituebantur, quia poterant esse degeneres. Tost. Exod. to. 1. fo. 149.

Ideo status Ecclesiasticus abhorret successionem. *Vide Virtus Potestatis.* Integritas sacerdotum.

De leone mala consuetudine degeneri. *Vide Duratio Minoritatis* è gradu non cadere.

Apud Gothos mos non erat, vt Regis cum patre filius pranderet nisi prius à Rege gentis exteræ arma suscepisset. Olaus Magnus rer. Septentrion. lib. 8. cap. 6. quasi Rex de fortitudine filii, proprio non fidens iudicio, vt probetur non degener.

Aries albus fœtum generat alterius coloris; fuscus verò nunquam generat album. Ibid. lib. 17. cap. 1.

Sanguis corruptus venenoso aut peregrino fermento imbutus, in varias stercorum proles degenerat, sine vlla posthumi status memoria.

Non omne producitur simile ei à quo procedit, sed alteratur. *Vide Duratio Virtutis Repug.* Apostatæ pessimi.

Effectus degeneres non lædunt causę suæ nobilitatem. Vide quę scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 19.

Ideo sapiens viuit cœlebs. *Vide Minoritas Gloriæ.* Cœlibatus.

Quid filios Samuelis & Moysis iuuit virtus paterna, cuius non fuerunt hæredes, vitia siquidem voluntatis vicerunt priuilegia naturę, vt in Esaü, qui erat sancti Isaac filius. Iudæi quondam honore filiorum Dei gaudebant, sed decoloratos viciis nihil iuuit tanta nobilitas. D. Chrysost. hom. 9 in Matth.

Eminentissimi & perfectissimi, eorumque liberi vsque ad tertium gradum, non adficiuntur pœnis, vel quæstionibus plebeiorum, si modo omnes illæsam suam existimationem conseruauerint, namsi vnus ex liberis notatus sit infamia, ex-A tinguitur priuilegium, nec transit ad eius liberos Non sic in decurionibus, quorum filii aui dignitatem retinent, licet pater deliquerit, ita maior integritas desideratur in eminentiori dignitate. l. 11. Cod. de quæstio. Cui negationem addendam probat Cuiac. obser. lib. 20. cap. 29.

Si celebrem tuorum memoriam de bono statu, quid iam abolitæ generationis stipitem laudas; solet equidem ramus radicem, & fructus stipitem commendare, & quæ vtilitas in veteri trunco.

Filius Ciceronis, nihil ex paterno ingenio habuit, præter vrbanitatem. Seneca suasoria vlt.

Cœlum nihil facit hæreditarium. *Vide Finis Bonitatis.*

B Parentes à peccato originali per baptismum immunes generant filios illi peccato obnoxios. *Vide Duratio Contrarietatis.* Peccatum originale.

Non homines tantum, sed & ipsę nobiles familię consenescunt, sublimitas ingeniorum crassescit & in stupiditatem conuertitur, propagines & alta nutant stemmata, fit vicissitudo, ignobiles fiunt nobiles, & contra. Tales non habentes nobilitatem à moribus suis sed tantum à maioribus, dant suspicionem se non esse legitimos, genus suum antiquum in ipsis desinit, incipit, in virtute præstantibus.

Ex pingui oliua asper oleaster, ex ficu caprificus oritur. Ex nobis prodiit, sed non erat ex nobis. 1. Ioan. 2.

C

CONFORMITAS HVmanæ voluntatis cum diuina.

CVm Angeli beati sint in diuinæ voluntatis continua contemplatione cui perfectissimè conformantur, nihil potest esse contra voluntatem eorum, sicut nec contra voluntatem Dei, potest tamen esse aliquid præter voluntatem eorum, sed hoc ipsum, in quantum est promissum à Deo, est volitum ab eis, sicut à Deo, & ideo nihil potest accidere de quo doleant Angeli, sicut nihil de quo doleat Deus, & ideo simpliciter dicendum est quod neque de peccatis hominum tristantur, neque de damnatione, sed vtrobique
D lætantur de iusta permissione & punitione. D. Thom. in 2. sentent. dist. 11. q. 1. a. 5.

Nihil prohibet aliquem actum sic se esse peccatum mortale, aliqua circumstantia addita fieri virtuosum. Occidere enim hominem absolutè peccatum mortale est, sed ministro iudicis occidere hominem propter iustitiam ex præcepto iudicis, non est peccatum, sed actus iustitiæ. Sicut autem princeps ciuitatis habet disponere de hominibus quantum ad vitam & mortem, & alia quæcumque pertinent ad finem sui regiminis quod est iustitia, ita Deus habet omnia in sui dispositione dirigere ad finem sui regiminis quod est eius bonitas. Et ideo licet occidere filium in-
E nocentem de se possit esse peccatum mortale, tamen si hoc fiat ex præcepto Dei propter finem quem Deus præuidit & ordinauit, licet etiam si homini ignotus, non est peccatum, sed meritum, & similiter etiam dicendum est de fornicatione Oseę, cum constet Deum esse ordinatorem totius humanę generationis. Id. in quęst. disputatis. q. 1. a 6. ad 4.

Vnumquodque debet suæ regulæ conformari, sed voluntas diuina nostræ voluntatis est regula

in Deo primo rectitudo voluntatis inueniatur, & A vt in quolibet genere est vnum primum quod est regula cæterorum quæ sunt in illo genere. Ibid. de voluntate Dei a. 7. Rectos decet collaudatio. Recti sunt, qui dirigunt cor suum, secundum voluntatem Dei Glossa ordin.

Natura est iussus ille Dei, quo res est id quod est, & agit quod agere iussa est. Van Helmont, tract. natura contrariorum nescia.

Nos pueri & meliorum rerum inscii, quæ sunt nobis bona nescimus, vtilissima horremus tanquam aduersa, cæterum quæ de nobis Deus statuerit, impedire non possumus, cur igitur malle cum lachrymis detrectantes & reluctantes trahi quam hilariter & vltro duci. Amicus Dei amici sui obtemperat legibus. Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.

Per abnegationem propriæ voluptatis, habet B voluntas Dei plenum dominium in nobis, & voluntas hominis adeò in voluntatem Dei attrahitur, vel transfunditur, vt contrarium velle, vel optare nequeat, itaut ex ipsa profluat voluntaria tolerantia omnium pœnarum quæ homini possunt accidere. Harp. h. theol. myst. lib. 2. cap. 21.

Perfecta debet esse humana voluntatis cum diuina voluntate conformatio. Vide quæ scripsi moralis Christiana to. 1. parte 2. cap 11. & to. 4. parte 2. cap. 2. Indifferentia est perfectior resignatione. Vide libello de indifferentia cap. 4. Amor Dei humanam extinguit voluntatem. libello de amore Dei patiente cap. 5. & libello de amore Dei agente cap. 9.

Cum decti specialis spiritus infusio, omnium nostrarum hæc sit conclusio petitionum, *Fiat voluntas tua*. Huiusmodi oratio paucis comprehenditur syllabis, & multis est decorata sententiis: honoratur enim Dei bonitas, iustificatur eius voluntas; charitas prædicatur, aduocatur sapientia, & potestas extollitur, nostrum quodque subiicitur velle, illuminatur ignorantia, roboratur fides, spes non confunditur; prudenter quippe iudicio se committit alieno, qui nouit se sibi non sufficere. Laurent. Iustin. lib. de casto connubio verbi & animæ cap. 17.

C Hoc vnum ambiunt aulici vt suis placeant principibus, eorumque sibi concilient amorem, hinc enim sperant cætera, quia vbi est verus amor nihil negari potest. Et hoc vnum optant Deo seruientes vt ipsi placeant, & adscribantur in fidelium numero Ib. cap. 18.

Lętamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Psal. 31. Recti corde dicuntur quibus omnia Dei iudicia placent & se accusant de suis peccatis, & Deum siue in prosperis, siue in aduersis semper laudant. Alcuin.

D Recta conscientia Deo conformatur. *Vide Veritas Cognitionis.*

Gloriam meremur obediendo Deo. *Vide Concordantia Potestatis.* Obedire rectoribus, ex Laurent. Iustiniano.

Deus dedit homini liberum arbitrium vt esset aliquomodo suę fœlicitatis principium. *Vide Potestas Voluntatis.* liberum arbitrium; dedit autem sub conditione sicut Dominus feudum vasallo, vt ipsi obtemperetur, nihil contra conscientiam & legem. Abusus est homo hac potestate qua refert ad se quod debetur Deo & proximo propter Deum. *Vide Voluntas Bonitatis.* Inordinatus sui amor vnicum remedium est abnegare hanc propriam voluntatem vt subiiciatur diuinæ.

E Amor ignis est, animam liquefacit, vt ignis materialis ceram vel metallum cui postea artifex formam quam voluerit imprimit: sic voluntas humanæ diuinæ conformatur, ad exemplum Christi vsque ad mortem. D. Bonauent. de 7. itiner. æternit. dist. 5.

ASSIMILARI SVIS *causis in malo & deffectu.*

LÆso sensu communi, deficiunt cæteri sensus, particulari autem sensu deficiente non læditur sensus communis

Vide Concordantia Potestatis in malo.

Ex malis potius mali nascuntur, quam ex fortibus fortes, tenacius hærent in sanguine vitia, quam virtutes. Domitius & Agrippina Neronis parentes, perditis moribus, portentum hoc imperio dederunt.

Cuius causa corruptibilis est, ipsum quoque corruptibile est. Arist. 1. de generat. Ita corruptibiles arbores, fructus corruptibiles producunt. & ipse Arist. lib. de longitudine & breuitate vitæ, dicit, corruptis animalibus, corrumpi animam, scientiam, sanitatem quæ est in eis. At Sol cum sit incorruptibilis, etiam emittit radios incorruptibiles. Accidentia corrumpuntur cum suo subiecto inhæsionis. Quando destruitur antecedens, destruitur etiam consequens.

Olim in Scotia si quis lepra, morbo regio, aut insania laboraret, castrabatur, ne prolem sibi similem gigneret. Dauity in Scotia.

Antiqui Germani infaustum existimabant aliquid aggredi luna decrescente. Id. quasi sortem planetæ tunc infirmi, sequerentur. Sua autem comitia habebant Luna Soli coniuncta, aut ad oppositionem & luminis plenitudinem accedente.

In Aquitania & in Bearn est quædam hominum generatio vultu & corpore decenti, sed ita fœtido, vt sint intolerabiles, existimantur leprosi & habitatione à cæteris separantur, vocantur, cagots capots, hæreditaria putantur, maledictione laborare, Ibid.

Dicitur Deut. 24. non occidentur filii pro parentibus, & Exod. 34. reddes iniquitatem patrum in filios, vsque ad tertiam & quartam generationem; hęc sibi contraria non sunt, si filii non sequantur iniquitatem patrum. Rupert. *Vide Duratio Contrarietatis.*

Colores qui extrahuntur ex floribus, sunt quidem splendidi, sed non durabiles, procedunt enim ex spiritibus qui citò dissoluuntur.

Quo tempore Deucalion, vacuum lapides iactauit in orbem vnde homines nati durum genus; Censorinus.

Mali corui, malum ouum. Suidas.

Lapides qui ex fontibus generantur propter succum lapidescentem sunt molles & fragiles: Georgius Agricola. lib. 7. sub finem de natura fossilium.

Conuersi sunt ad iniquitates patrum suorum priorum. Hier. 11.

Matth. 23. Pharisæi non intrantes in regnum cælorum, non sinunt alios introire.

Aëris regio suprema feruens ad terrorem nutris cometas, ostentatque mortalibus, media turbulentior mittit grandines & fulgura, infima mitioribus, flammis infesta est, quæ nullius sint calamitatis vel causæ vel prænuntiæ.

Digitized by Google

In eodem corpore simul sunt, anima formaliter dans esse, & operans operationes naturales, & Angelus operans operationes supernaturales. D. Tho. a q. 51. a. 3. A

Participium in grammatica dictum est quod nominis & verbi capiat partes; à nomine enim vindicat sibi genera & casus, à verbo tempora & significationes, ab vtroque numerum & figuram. Isidorus Origin. lib. 1 cap. 10.

Opali fiunt ex succis mixti coloris. Georgius Agricola.

Si plures sint Ecclesiæ patroni, possunt conueuire vt singuli alterius vicibus præsentent. Clement. plures de iure patronat.

Vnusquisque ex populo Israël iubetur pro viribus conferre ad opus tabernaculi, vt omnes velut vnum sint tabernaculum. Origen. homil. 9. in Exod. B

Vide Duratio Principij Dei concursus.

Vt virtus diuina scilicet primum agens non excludit actionem virtutis naturalis, ita nec prima exemplaris forma quæ est Deus, excludit deriuationem formarum ab aliis inferioribus formis, quę ad sibi similes formas agunt. D. Thom. in quæst. disput. q. 3. a. 8. ad 17.

Vita hominis haud aliud censenda est, quam vitalis quidam decursus, ex anima, corpore, fortunaque permixtus, quarum rerum ex proportione complexus, fœlicitas nuncupatur. Quod fit cum imperium animus instar ducis exercet, obsequitur corpus militis more, coaptatur fortuna quasi instrumentum quoddam armorum & ex his oritur victoria. Quod si de complexu deduxeris fortunam, idem erit quod militem armis spoliare, & si militem abduxeris, videberis exauthorare imperatorem, si voces omnes ad æqualitatem, quomodo milite & fortuna vtetur imperator. Maximus Tyrius serm. 24. C

Vide Principium Gloriæ. Bona fortuna.

CAVSÆ CONCVRRENTES ad malum.

CAusa vniuersalis diluuii est, in qua conueniunt omnia, simul & cælestia & terrestria causantia inundationem aquæ. Causa minus vniuersalis est, in qua quædam cœlestium, quædam terrestrium conueniunt. Albert. Mag tract. 2. de proprietatib. element. cap. 9

Ideo Poëtæ dixerunt Neptunū esse fratrem Iouis, eo quod ab eadem constellatione innascitur vis superior quæ in aquas conuertit vapores & aërem, & vis inferior de terra ebullire facit aquas ad terræ superficiem. Ibidem. Vbi asserit diluuia quidem procedere à voluntate Dei sic hominum peccata punientis, naturales autem causas esse instrumenta voluntatis suæ, quas licet inquirere, licet non inquiramus de sua voluntate. Dicit ergo causam naturalem diluuiorum esse coniunctionem planetarum maximè superiorum, in signo aqueo; mutatio fuit triplicitatis aëreæ in aqueam, idque contigit die & hora Lunæ, ipsa ascendente; è terra autem grossi vapores emissi facti è in aquas conuersi sunt. Ibid. Vbi plura. Coniunctio calidorum planetarum facit diluuium ignis.

Vide Concordantia Virtutis Rep. congregatio malorum & *Maioritas Voluntatis* zelus nimius, *Magnitudo Contrarietatis*, multorum simul oppugnatio.

Guillelmus Parisiensis loquens de cataractis cœli quas Moyses dicit apertas fuisse tempore diluuii dicit per eas intelligi partes cœli quæ sunt generatiuæ pluuiarum, quales sunt signa aquatica plyades, Orion, Mars, Venus, Luna, potuit etiam præcedere magna coniunctio in signis aqueis. Card. de aliaco Cameras. in præfat. astrologiæ theologisatæ.

CONTRARIETAS PRINCIPII.

IVSTA DEI VINDICTA.

ADRASTIA dicitur Nemesis seu vindicta diuina quam nemo potest effugere, Suidas in verbo Adrastia.

Antiquis mos fuit Deorum simulachris hastas affingere. Rodig. lib. 21. cap. 16.

Deus punit peccantes diuersis malis temporalibus. *Vide Principium Contrarietatis.* mala temporalia à Deo.

Vindictam exercet in posteros. *Vide Duratio Contrarietatis.*

De sera Dei vindicta. *Vide Duratio Contrarietatis.* mora.

Tantus est zelus diuinæ iustitiæ, vt Deus Pater potius voluerit, vt vnigenitus suus pœnam, quam D debebat humanum genus, solueret, quam ipse eam dimitteret, quod si non pepercit proprio filio, numquid parcet figmento; numquid parcet seruo nequam Laurent. Iustinian. tract. arbor vitæ cap. 4.

Vide Contrarietas Minoritatis. Vindicta publica criminum.

Exempla Iustitiæ diuinæ sunt; In ejectione Adami de paradiso; in diluuio vniuersali; in deletione Sodomæ & Gomorræ, in morte subita Israëlitarum peccantium in deserto, in eorum postea seruitute, quoties peccauerant.

Ab his quibus constamus destruimur. Vide quæ scripsi de iure Naturali. lib. 3. lege 3. & 6.

Vide Finis Bonitatis. & Differentia. Principii.

Digitized by Google

separari à suo principio malum.

Vt in alia vita Deus virtutes remunerat, sic punit vitia. Vide quæ scripsi theolo. Natur. to. 3. cap. 6. & 14.

Bonus princeps dolet reos in crimen cecidisse, & vellet eos adiuuare, sed non potest, contradicente iustitia, sicut enim iustitia sine misericordia, non est iustitia sed crudelitas; ita misericordia sine iustitia, non est misericordia sed fatuitas. Laurentius Iustinian. lib. de spe cap. 5. De temperata Dei iustitia. Vide passim *Media Contrarietas.*

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur Luc. 3.

B Si patienter non feras castigantem Deum, audi Prophetam; omnia quæcumque fecisti nobis, Domine, in vero iudicio fecisti peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus; Laudamus legem & iudicem delinquentes punientem, & iustitiæ Dei detrahimus. Laurent. Iustin. lib. de spirituali animæ resurrectione. Omnes, inquit Apostolus, peccauerunt & egent gratia Dei. Si peccauerunt omnes, nullus euadere potest iustitiam Dei peccata punientis, Nec valet esse iustus qui iustitiæ aduersatur. Merendi facultatem amittit, & pœnas præsentes futurasque exagerat.

His quibus ex voluntate liberta magis placuit, vltio constituta, ira Dei esse creditur, non

C quia inde mutabilis illa Dei & quieta natura, motu impetus turbidi incalescat, sed quod ille, quem per constitutionem pœna maneat, in pœna sentiat sibi auctorem huius constitutionis creatum. Pœna enim patientis, ira esse creditur decernentis. D. Hilarius in psal. 2.

SEVERITAS PARENTUM exhæredatio abdicatio.

AQuilæ dicuntur degeneres fœtus qui solis radios, fixis oculis non sustinent, nido pellere, abdicare, exponere.

Etiam sputum ex nobis genitum, quia superfluum & nociuum, eiicimus.

D Filius non punitur, nisi patre & matre simul cum accusantibus, deut. 21.

Pater filium contumacem ducit ad seniores ciuitatis iudicandum, deut. 21. teneros falsæ pietatis affectus à cordibus patrum erga filios lex excludit; nam in causa Dei, nec filium pater sapiens agnoscit, exemplo Dei, qui inobedientes filios primos homines, de paradiso expulit. Rupert. in deutero. lib. 1. cap. 11.

Nicolaus Papa epist. 5. ad Riuoladrum Episcopum, pœnitentiam 12. annorum imponit cuidam Vvimaro qui tres suos proprios filios occiderat. Conc. Franciæ a 862.

E Hadrianus Papa II. monet Carolum Caluum Regem ne Carlomanum filium durius habeat, ne sit vt struthio, quæ obduratur ad partū suum quasi non sit suus. Iob. 39. & quod prohibet Apostolus Ephes. 6. filium ad iracundiam prouocet. Ibid. a. 871.

Amor sui nimius impedit prolis curam. *Vide Voluntas Bonitas.* amor sui nimius, *Et Maioritas Bonitatis.*

Licet locus sit, saluatiuus locati, per hoc quod locus est, tamen per hoc quod excellit in qualitatibus actiuis, & præcipuè in calido, nihil prohibet fieri causam corruptionis, quæ est putrefactio. Albert. Magn. meteor. lib. 4. tr. 1 c. 7.

Soranus Batanus miles sub Adriano Augusto, emissam surſum sagittam, & cadentem alia trans figebat. Suidas in verbo Adrianus Augustus; parentes non patiuntur in liberis cadentem, quam impresserant virtutem. *Vide Finis Bonitatis.*

In animalibus, mares ob libidinem, si paucæ sint femellæ aliquando occidunt fœtus, cum fœminæ illis educandis intentæ, illos refugiunt. Cardan. lib. de rer. variet. cap. 27.

Iuxta Seburgum in Germania lacus est exhalationibus venenatis imbutus qui septimo quoque anno, omnes suos pisces necat. Georgius Agricola. lib. 1. de his quæ fluunt ex terra.

Sæpè parentes filios & filias deuouerūt pro patria, vt Leo quidam Atheniensis fame sæuiente, Rodig lib. 13. c. 7. *Vide Medium Gloriæ.* pati pro alio.

Diuersos matris motus quæ fame cogente Hierosolymis filium occidit, vide apud eundem lib. 13. cap. 21. in fine.

Cœlum aliquando fulgurat, terra tremit & dehiscit: maria & flumina, quas diu aluerunt commercio vrbes & prouincias diluuio vastant, & sorbent.

Causæ legitimæ exhæredationis habentur & enumerantur Nou. 115. cap. 3.

Achaz Rex Iuda consecrauit filium suum transferens per ignem & comburendo ad reuerentiam Idoli 4. Reg.

Quando filius meretur exhæredari non exhæredat eum iudex, sed pater, Tostat. 1. paralip. fo. 76. ad misericordiam enim magis inclinat pater.

Messa Rex Moab immolauit filium suum vnigenitum super muros suæ ciuitatis, cum obsideretur ab Israëlitis ad flectendum eos ad misericordiam, quod factum est 4. Reg. 3.

De maledictionibus parentum. *Vide Medium Contrarietatis.* maledictio de benedictione. *Vide Duratio Principii*

Mater exponit filium crocodylo. *Vide Gloria Principii.* cultus nutricis.

Qualiter liceat patri occidere filiam in adulterio deprehensam. *Vide Voluntas Principii.* amor parentum.

Parentes filiorum legitimam in causis criminalibus, condemnatorum; soluere fisco tenentur in statu Ecclesiastico. Six 4. const. 24. p. 219. to. 1. Bull. quasi sua culpa deliquerint.

Iudæa peperit & occidit Christum Saluatorem. *De liberis expositis misericorditer suscipiendis. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ. parte 2. cap. 14.*

ABORTVS.

CIcero pro Cluentio refert Milesiam quandam à secundis hęredibus pro abortu pecuniam accepisse.

Si scropha porcellum suum deuoret, aut canis suum catulum, confestim homines animo concidunt, tremunt, perturbantur, monstrum putant, deos auerroncatores hostiis sibi placare student. Plutarch. lib. de amore parentum erga liberos.

Non est validum matrimonium sub hac conditione initū, si venenū sterilitatis sumpseris, quia est

substantiam matrimonii cuius finis est proles legitima. Bonac. de matrim. q. 1. p. 10. prop. 2. & 3.

Fœminæ abortum sibi procurantes animati fœtus, excommunicantur, simul & ii qui ad hoc consilium & opem contulerunt. Id. lib. de peccato originali pa. 4.

Quidquid impedit causam de sui natura, impedit similiter effectum.

Ne semen fœtificum sit, efficit fructus hederæ candidæ Theoph. hist. plant. lib. 9. c. 19. fortè semen est *guy* viscum, quod non germinat.

Filix fœmina si mulieribus grauidis datur abortum facit, si cæteris steriles in totum reddit; Ibid. cap. 20. Quia ipsa non fert semen. Differt fœmina filix à mascula quod folium vnico artu porrectum hæc habet radicem crassam, longam nigram. Id.

Vide infra hoc tit. de his quæ contrariantur rebus nascentibus.

Nymphææ radicem obesse coïtui plures existimant, idem efficit flos eius cum sit imbecillior: idem facit vitex, & caphura. Cardan lib. de rer. varietate. cap. 44. *Vide Contrarietas Bonitatis.*

Moses vniuersis mulieribus interdixit, vel celare quod natum est vel alia machinatione corrumpere filios. Infanticida enim esset animas demoliens & genus imminuens. Ioseph. aduers. Appion lib. 2.

Abortu cælantur stupra & adulteria. *Vide Duratio Maternitatis.* crimen crimine tegitur.

Pauperes defectu eleemosynarum proprios filios excæcant vel necant. *Vide Minoritas Veritatis.* dolus bonus.

Qui causat abortum fœtus animati punitur vt homicida. l. si quis ff. de pœn. & cum fœtus non est formatus, licet non teneatur lege Mosaica & canonica, tenetur tamen lege Cornelia de sicariis. l. si mulierem l. si seruus. §. si mulier ad l. Aquil. Tostat. in exod. p. 210. c. 1. c.

Setæ equinæ frustulum vel exiguum intra testam oui intrusum spem pulli extinguit. Vanhelmont.

Prægnās nunquam potest nubere siue diuortio facto, siue mortuo marito qui lugeri non debeat vt perduellionis reo. Cuiac. obser. lib. 6. cap. 32. idque ne partui damnum inferatur.

Lex Cicero ff. de pœnis, mulieri abortum sibi procuranti capitalem indicit pœnam, & in posteriori parte exilium temporarium; quod intelligendum de fœtu animato, vel non animato, dicit Cuiac. obseruat. lib. 19. cap. 9.

Nonnullæ cum se senserint concepisse de scelere abortii venena meditantur, & frequenter etiam ipsæ commortuæ, trium criminum reæ ad inferos perducuntur, homicidæ sui, Christi adulteræ nec dum nati filii parricidæ. D. Hieron. ad Eustochium.

Bulla Sixti V. an. 1588. pœnis temporalibus & spiritualibus scilicet excommunicationi subiicit procurantes vel suadentes abortum animati fœtus scilicet post quadragesimum diem, pœnam impositam huic crimini habes exod. 21. & can. Moyses 32. q. 2.

A

QVÆ CONTRA PARENTES, impiè committuntur.

CVm in silice, ferro, lauro lateat ignis innoxius, idem cum egressus fuerit, ipsa quoque absumit; à quibus catenus seruatus est. D. Basil. in hexam. hom. 1. sic è Monasteriis egressi solent esse Monachorum persecutores.

Fructus obest, peperisse nocet, nocet esse feracem. Ouid. de nuce.

Cassianus Martyr nolens idolis sacrificare, traditus est pueris quos erudiebat, lacerandus, vide Martyrol. 13. Augusti. Sic Rex Martyrum Christus, à Iudæis quos erudiebat occisus, sic in Eliseum Prophetam, insurgunt pueri postea ab vrsis dilaniati, 4 Reg. 2. Petrus Damiani serm. 39.

B

Plantæ quæ in lacubus oriuntur, aquas eorum inficiunt, quomodo lacum Sinnaum in Asia circumnascente absynthio infici autor est Plinius. Georgius Agricola lib. 3. de his quæ fluunt ex terra.

Cuculus inter aues, hædera inter arbores educatores suos enecant, sic Marius Sullam in perniciem suam euexit. *Vide Æqualitas Bonitatis. ingratitudo. Rep.*

De parricidio. Cicero pro Roscio.

Astures, *Biscains* Hispaniæ populi, olim parricidas lapidabant, idest omnium manibus occidebant.

C

Matrem suam occidit Publicius Malleolus, insutus est in culeo vt habetur l. 1. ff. de parricidi Matrem suam occidit Orestes, & Alcmeon Atheniensis, & Ninia Rex Babylonis. Sic Nero. Tostat. exo. to. 1. fo. 115.

Contra parentum occisionem, nec Solon legislator Atheniensium, nec Romani postea quam Solonis legibus duas tabulas addiderunt, non tulerunt legem, putantes quod nunquam tale fieri contingerit. Id exo. to. 1. fo. 115.

Hoc ænigma Alcuin proponit Pepino adolescenti: Vidi mortuos generare viuum, & aura viui consumpti sunt mortui. Significat ex fricatione siccarum arborum, natum esse ignem, qui eas consumpsit. Alcuin. in quæstionibus.

D

Die 16. Septemb. Ecclesia celebrat commemorationem S. Luciæ viduæ Romanæ, quę à filio Eutropio accusata, quod Christum coleret, abscisso capite martyrium impleuit.

Parricidium etiam iustus filius non potest committere. Vide infra proximè titulo sequenti.

ACTIO LICITA IN PArentes.

ANtocides orator falsò accusatus læsæ Religionis, sceleris authores prodidit, inter quos erat pater, cum tamen liberauit cæteris vltimo supplicio affectis. Plutarch. in vita decem oratorum in vita Antocidis.

Quando licet parenti iubenti non obedire. *Vide Contrarietas Bonitatis.*

Filius præferendus est Patri, quando pater est irrationabilis, Vt in can. quæritur 11. q 7. vbi est textus. Seruamus honorificentiam patri, quæ debetur à filio, non æquamus filium patri in honore

Digitized by Google

sed proponimus filium Patri in veritate & sic tribuimus honorem debitum, vt non perdat æquitas meritum. *Vide Voluntas Gloria.* Honoris in fine.

Filius habens vsum rationis potest inuito patre baptizari, quia non tenetur illi obedire in his quæ sunt contra salutem animæ suæ, & contra Deum, Bonacina. de subiecto baptismi; etiam si non habeant vsum rationis possunt inuitis parentib. baptizari in articulo mortis, quia non est periculum peruersionis & si parentes sunt serui; si aliquando fuerint Ecclesiæ subiecti. Si habeant vnum ex parentib. Christianum. Ib.

Si S. Pontifex vt homo particularis, iniustè sæuiat in Reges, possunt pii filii sæuientem parentem ne vlterius lædat, coërcere; hæc est communis Doctorum sententia, de qua vide Bellar. contra 7. doctores prop. 16. to. 7.

Patrem iniustè vim inferentem, licet vi repellere. *Vide Æqual Contrarietatis* Vim vi repellere.

Proselyti, idest exteri excipientes Religionem Iudæorum, primum docentur contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, vilia habere. Tacit. histo. lib. 1.

Asa Rex Iuda matrem suam abstulit ne esset princeps in sacris Priapi, &c. 3. Reg. 15 Vide Tostat. Ibid.

Parentes hæreticos aut Idololatras non licet filio accusare, licet tamen ea de causa ab ipsis recedere. Tostat. Deut. fo. 75.

Filio licet ingredi religionem inuitis parentibus. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in humanis parte 3. cap. 7. & lib. de fælici successu & triumphis vitæ religiosę. parte 2. cap. 5.

Filii abstineant à nimio parentum amore. *Vide Concordantia Æqualitatis Repug.*

Qui amat patrem suum & matrem suam plusquam me, non est me dignus, Matth. 10. qui patrem, fratres, filios non cognouit is custodiuit eloquia tua. Deut. 33.

Vide Minoritas Principij. Independentia sub finem.

In magistro. *Vide Supra Gloria Principij.* Magistri Repugnat.

In iudicio, filii propter peccata parentum mortui agent contra illos. *Vide Magnitudo Contrarietatis.* Magnæ clades.

Si quis venit ad me, & non odit patrem suum &c. non potest meus esse discipulus Luc. 14 Tunc odio habendi sunt parentes, cum portare nos martyrii crucem nolunt, cum sequi Deum exemplo passionis dehortantur; honestum hoc odium & vtile est, eos qui ab amore Christi abducere conantur odisse. D. Hilar. super illud, Iniquos odio habui. Psal. 118. Samech.

Gladium tenet hostis vt me perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo? propter patrem militiam Christi deseram, cui sepulturam Christi causa non debeo, quam etiam omnibus eius causa debeo. Domino passuro timidè Petrus consulens scandalum fuit. Mater mea & fratres mei hi sunt qui faciunt voluntatem patris mei qui in cœlis est. Si credunt in Christum, faueant mihi pro eius nomine pugnaturo. D. Hieronymus ad Heliodorum.

Diues qui tres filios abdicauit, petit à patre vnicum filium in adoptionem, pater dare vult, nolentem ire, abdicat; contradicitur quia filius patrem magis amat quam diuitem, paupertatem quam diuitias, quæ tot abdicationes peperere, cæ-

A rum incertas, &c. Seneca lib. 1. contro. 1. In omnia, inquit, patri pareo, dum sit, etiam si in omnia, ibi non parendum, quo efficitur ne pater sit. Volens adoptionem, turpem, inutilé, periculosam.

Idem. lib 1. controuer. 4. pater sine manibus iubet filium occidere matrem deprehensam in adulterio Id non præstat filius; pater, inquit, occidere iussit, lex vetat. Alterum putaui parricidium, matrem coram patre occidere. O misera pietas, inter quæ parentum vota constitisti. Non semper scelera nostri iuris sunt; atroces quoque animos misericors natura debilitat. Pater tibi manus defuerunt, mihi omnia, antequam ab animi defectione redirem, exierunt.

B

QVÆ REBVS NASCENTIBUS aduersantur.

Medullam quidam vocant arboris matricem, eo quod in ipsa videtur concipi & formari semen; cuius signum est, quod vitis & quædam aliæ plantæ euacuatæ medullis, non concipiunt semen sed faciunt vuas sine acillis. Albert. Magnus. tract. 2. de vegetabilib.

Ouum fit sterile. 1. ex corrupto humore albuginis, propter quod non obedit virtuti formatiuæ C deducenti ad speciem. 2. corruptus humor citrinus, itaut pullus non possit ex eo trahere alimentum. 3. si secundinæ quæ separant vitellum ab albugine corrumpantur, tunc enim humorum confusione, impeditur oui fœcunditas. 4. antiquitas oui propter quam euaporat spiritus in quo est virtus formatiua, & vitellus pondere suo penetrat albuginem. Id. lib. 6. de animalib. cap. 3.

Tonitrua & fulmina in aurora sunt magis periculosa, quia nubes sunt magis tunc frigidæ, & in illis ignis magis inardescit.

Panis calidus, grauior est frigido, quia remanent in eo humiditates quæ paulatim euaporantur per externas partes quæ inde fiunt minus duræ;

Infortunæ in ascendente, turpem efficiunt in D facie notam. Almansor. in propositio. 14.

Inachus fluuius est Argiuæ regionis in quo herba nomine Cyura nascitur rutæ similis. Hanc mulieres, cum sine periculo abortire volunt, in vino maceratam, vmbilicis imponunt. Stobæus serm. 98.

Diabolus semper primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum; sancta in ipso ortu festinat extinguere, sciens quod ea subuertere, fundata non possit. D. Chrysolog. serm. 11.

Rebus malis sine mora & in origine resistendum. *Vide Duratio Contrarietatis Repug.* Sine mora.

Antiquorum Gallorum sacerdotes & magistratus Druidæ, pro insignis habebant oua serpentum, E & ea deferre secum, putabant omnium malorum esse antidotum, Strabo lib. 4. Cœl. Rhodigin. lib. 18. c. 21. Vide Chassanæ. in catal. gloriç mundi de stemmatibus.

Crebra sub Romulo bella, vt fert imperiorum natura, quę initio ambigua & turbida: adde quod gens prædæ nata, necessario multos habuit reluctantes.

Ad ortum constellationis coronæ flant vehementes venti; sic nascentia imperia, nondum satis firmata, rebelles conantur euertere.

Qui ignem accendere volunt, prius fumantur, &

ex fumi molestia lachrymantur.

Pharao iubet occidi mares pueros recens natos Hebræorum. Ex. 1.

Taxum asserunt non debere domum inferri, quippe mortiferam esse, & partus quacumque fuerit, difficiles reddere. Theoph. hist. plantar. lib. 3. cap. 10.

Morbi, vt vermiculatio, syderatio, facilius nouellis plantis accidunt, quã vigentibus. Ib. l. 4. c. 16.

Oleum infusum arboribus eas necat, sed maximè nouellas, quapropter & tangi eas agricolæ prohibent; sunt namque debiliores. Ibid cap. vltimo.

Seminum interitus maximè ex bestiolis fieri solet; nascuntur enim in omnibus, etiam acribus atque acerbis. Ibid. lib. 7. c. 6.

Depastio animalium nascentibus plantis damnosa admodum est quod dum germen cædit ac detrahit, simul quoque adurit, palma sic læsa, si non interit, saltē sterilescit. Id de caus. plant. l. 5. c. 25.

Sarmius lapis, à Sarmia insula in qua inuenitur dictus, alligatus manui parturientis, impedit partum, & continet ipsum in matrice. Albert. Mag. lib. de lapidibus littera S.

Qui conculcauit segetes antequam ad maturitatem peruenirent, aut arbores adhuc teneras incidit, tenetur ad restitutionem quanti valuissent tempore messis, facta deductione casus fortuiti arbitrio prudentis. Sic qui occidit pullum equinum qui secundo anno plus valuisset, tenetur id restituere, quia dominus debet esse indemnis. Bonac. de Restitutio. propos. 2.

Vide Contrarietas Principij. Abortus.

Cant. 2. capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas, vinea enim nostra floruit. Dæmones tentant in anima virtutum flores perimere. Eos exterminant Angeli. Origen. hom. 4. in Cant.

Contra fascinationes pueri gestabant bullas. *Vide Contrarietas Virtutis.* Inuidia.

Accedentes ad laudandū Deū, Dæmon tentat, vnde initio horarū canonicarū dicitur Deus in adiutoriū meū intende. Tost. nu. to 1. fo 237. c. 2. a.

Animalia tenera & paruæ ætatis fascinantur, non adulta & dura. Id. parad. fo. 57. num. to. 2. fol. 21.

Libræ turbulentum ac malum est initium. Card. Aphor. sect. 5. aph. 56.

Tardum progressum ex vtero, luna in aspectu infortunatum significat, & in signo obliquo, & planeta retrogradus aut stans lenti motus in ascendente. Id. sect. 6. Aphor. 152.

Eclipses cum in florentem arborem inciderint, eius fructus eo anno inferunt penuriam. Ib. sect. 7. Aphor. 110.

Diu in exordio laborat virtus, sæpè ad fundamenta redeundum.

INITIA DIFFICILIA.

ACtus per quos acquiritur habitus, sunt similes actibus, quos habitus causant, quantum ad speciem actus, non autem quantum ad modum agendi, nam operari iusta, sed non iustè, idest delectabiliter, causat habitum iustitiæ politicæ, per quam delectabiliter operamur.

Quædam plantæ radicem sortiuntur amaram, quanquam fructus perdulces habeant. Theoph. hist. plantar. lib. 1. cap. 11. in fine.

Simia desistit ad esu nucis propter amaritudi-

A nem corticis, sic multi à scientiis propter difficultatem principiorum.

Vide Contrarietas Minoritatis. Debilia oppugnantur.

Omnis quidem correptio ad pręsens non videtur esse gaudii sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum his qui per eam exercitati sunt reddet iustitię. Hebrę. 12.

Vide Minoritas Principij. Initia à paruis.

Artes omnes habent initium labore plenum, finem autem quæstuosum, puerorum est inertem vitam ludis & ocio deditam præferre vitæ laboriosæ quidem initio, sed tandem industriæ & fructuosę; potius sequenda est via angusta quæ ducit ad cœlum, quam lata quæ ducit ad fornacem: cupiditates nostræ difficultatem efficiunt, nam re
B vera fur, fœnerator plus laborant, quam homo suis contentus quiètam vitam agens, &c. D. Chrysost. Homil. 14. in 1. ad Corinth. Nullus vellet ad supplicium duci etiam cum voluptate Ibid.

Pueritia magnis est exposita periculis. Ideo Iudæi in ablactatione puerorum magnum faciebant amicis suis conuiuium, quasi de transacto infantię periculo congaudentes; ita fecit Abraham in ablactatione Isaac. Gen. 21. & pater & mater Samuelis 1. Reg. 1. Tunc gaudium habendum est de vno viro spirituali, quando solido veritatis cibo, non lacte carnalis intelligentię pascitur. Alcuin. in Genes. interrog. 195.

C
BONA SVB INITII austeritas.

CAssian. collat. 5, cap. 14. Refert sic certandum cum vitiis, vt arenæ magistri cum bestiis, obiiciunt enim decertaturos, primò sæuissimis, vt facilior sit de aliis victoria; & coll. 7. cap 23. asserit contra primos Anachoretas deserti incolas Dei permissione seueriores fuisse Dæmonum impetus, itaut pauci, ætate & prouecti ferre possent frequentes & visibiles eorum aggressus, postea imminuta fuit hæc potestas.

Qui ambit vitam monasticam, non admittatur, priusquam diebus decem vel amplius, pro foribus
D excubans, perseuerantię & humilitatis argumenta dederit, cum omnium prætereuntium fratrum genibus prouolutus, & ab vniuersis de industria refutatus, despectus, probris affectus, experimentum dederit futuræ suæ fortitudinis, in tentationibus superandis. Id. lib. 4. cap. 3.

Principiū veris opportunū est transplantationi plantarum. *Vide Duratio Virtutis Repug. Mora.*

Facta est insitio hyeme, quę melius conualuit quam vere: in hyeme enim calidum naturale clausum est in visceribus plantæ, & calidum quod est in visceribus terræ conclusum facit euaporare subtile humidum ad radicem, quæ in locum calidum
E terræ infigitur, & ex his planta conualescit. Alb. Magn. lib 1. de vegetabilib. tit. 1. c. 10 Cum viscera plantarum sic humido euaporante implentur, & impręgnantur, sole appropinquante emittunt, & conualescunt. Ib.

In quibus multum redolet flos, quasi nihil redolet fructus, sicut est in rosa & in vite. Ib. lib. 3. tract. 2. cap. 6.

Generaliter necessaria est quædam contrarietas

Digitized by Google

Vide Bonitas, Potestas, Virtus Contrarietatis Supra. Si non est initio, erit postea.

In insitione debet fieri, fortis alligatio, ne quid se interserat, & vnionem impediat, vnde molles plantæ non possunt inseri. Idem.

Quintilian Instit. orator. lib. 1. cap. 2. in fine, dicit optimum esse si pueri assuescant bene & celeriter pronuntiare quædam difficilia & confragrosa, sic enim lingua fit liberior, & multa eius vitia corriguntur, & cap. 3. suadet pueros extra domum educandos, nam domi mollis nimium educatio neruos omnes mentis & corporis frangit, quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit; in lecticis crescunt, si terram attigerint, è manibus vtriusque sustinentium pendent. Fit ex illis consuetudo, deinde natura, discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse.

Idem. Ibid. cap. 10. Asserit adolescentes simul ad diuersa studia instigandos, de quo *Vide Gloria Differentia.* Etsi multum in eo sit laboris eius multum sunt patientes, minimeque fatigantur, nam & dociliora sunt ingenia priusquam obduruerint, patientior est laboris natura pueris; quam iuuenibus; videlicet vt corpora infantium, nec casus quo in terram toties deferuntur, tam grauiter affligit; nec illa per manus & genua reptatio, nec post breue tempus continui lusus, & totius diei discursus, quia pondus illius abest, nec seipsi grauant, sic animi quoque credo, quia minore conatu mouentur, nec suo nisu studiis insistunt, sed formandos se tantummodo præstant, non similiter fatigantur. Abest etiam illis adhuc laboris iudicium, porrò vt frequenter experti sumus, minus afficit sensus fatigatio, quam cogitatio.

Id. lib. 1. cap 8. suadet iuuenibus elegantissimos oratorum locos memoria tenere, sic postea quæ composuerint, facilius addiscent.

Montium habitatores sunt alacriores & celeriores, quia à pueritia assueuerunt aspera conscendere.

Si rumpantur pelles quæ vocantur secundinæ, quę continent partum, materia diffluit, & fit monstrum varium, partibus grandioribus, incuruatis, &c. Albert. Mag 2. Phys. tr. 3. cap. 3.

Difficiliora debent esse quæ exercent, quo sit leuius ipsum illud in quod exercent, vt athletæ ponderibus plumbeis assuefaciunt manus, quibus vacuis & nudis in certamine vtendum est. Quintilian. Instit. orator. lib. 11. cap. 2.

Plutarch. lib. de fortuna Romanorum dicit Romanam Rempublicam fuisse victricem, quia ab initio multis hostibus vexata, robur inuictum contraxit.

Vt domus & nauigii & aliorum eiusmodi partes inferiores firmissimas, oportet esse, sic & actionum initia, fundamentaque vera, & iusta conuenit esse. Demosthenes.

Xenophon. lib. de venatione dicit iuuenes venationi assuescendos, quasi sit quoddam belli tyrocinium; labore enim, patientia, audacia opus est, corpus autem laboribus assuetum, fit validius.

Idem. lib. 13. Cyropediæ, dicit meliusesse equites & equos exerceri in locis in quibus bella fieri solent, quam in arena.

Initium sumente hyeme semina terræ mandamus, quæ tunc germinant, & externo frigore coërcita, altius agũt radices. Theod. or. 1. de prou.

Inter minores ordines est officium Exorcistę, qui debet impositione manus, & exorcismorum lectione eiicere Dæmones ab energumenis

A Instituuntur iniuriis primordia Christiana, sic enim ad virtutem milites sui roborantur. Chrysolog. hom. 38.

Luc. 16. dicit Christus ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur. in agro sentis & spinis obsito ignis immittitur, vt purgetur, & vomeri pateat. Idem serm. 1.6.

Tyrannice regnant orientales domini, Syriæ, Iapones, Turcæ, quasi fatalia sint ad ortum, mancipia.

Incipientibus regnis, non est studiis vacandum, sed armis. At parta victoria mentes sunt excolendæ bonis artibus, naturæ rationali, paci regnorum decori congruis, quibus feri mores, componantur.

Circasiæ populi, infantem natum statim fluuialibus aquis, licet frigidissimis lauant, & cum mater non parit, nisi extra lectum & super paleas. Dauity in Circasia.

Olim Hyberni primas escas infantium ori ense apponebant, optantes vt ab ense vitam auspicati. fortiter agendo, finirent. Id. in Hybernia. Petrus Damiani. lib 6. epist. 22. excusat in tyrone monacho, feruorem etiam indiscretum, facilius est enim refluo vasi, quod superexuberat demere, quam quod in eo vacat, implere; laboriosius est trunco ramos, qui non habentur, inserere, quam arbori superfluos amputare; melior est fræno cohibendus equus, quam calcaribus ad iter adigendus. *Vide Bonitas Maioritatis.* Excessus melior defectu.

C Israël multa passus est in deserto, antequam intraret in terram promissam.

Iacob prius ducit Liam lippiam, quam pulchramRachel. Actiua vita debet præcedere & promereri pulchram contemplationem Prius vacandum externis charitatis operibus de quibus, Matth. 25. esuriui & dedistis mihi manducare, &c. Sic propheta bonum erit homini cum portauerit iugum ab adolescentia sedebit solitarius, & leuabit se supra se. Rachel pulchra sed sterilis vt contemplatio. Sex diebus Deus operatus est, postea requieuit. Rupert. in Genes. lib. 7. cap. 31.

Ideo asperis probantur Nouitii, quia melius est eos initio deficere, quam longo post interuallo, in multorum perniciem & scandalum.

D Christus dicit Apostolis, vos estis sal terræ, sal adurens initio cibis integris & nondum corruptis adhibetur; mirum quod Apostoli, non adulantes, sed instar salis adurentes, ferè omnibus se tam desiderabiles reddiderunt. D. Chrysost. Hom. 15. in Matthæ.

De plantis quæ nouellæ nolunt coli. *Vide Veritas Virtutis. Repug.* Affectatio nimia.

Ficus abundãtia humidi, nondũ maturæ decidũt ex arboribus, pro remedio sunt culices nascentes ex caprificis, seu agrestibus ficubus qui corrodunt ex parte ficus & superfluum vacuant aut exsugunt humorem. Theoph. hist. planta. lib. . cap. 9.

Cuminum asserunt imprecationibus & maledictis satum melius proficere. Idem. lib. 7. cap. 3.

E Omnium medicamentorum præstantiora sunt quæ locis gelidis aquilonis, siccisque proueniunt Id. lib. 9. cap. vlt. in fine.

Arbores sępius melius proueniunt in solo non pingui & arenoso, quia radices altius demittunt, quæ sic perpetuo gaudent humido, nec superfluit, vt his quæ in superficie mittentes radices copiosis imbribus inebriantur, aut siccitate depereunt. Id. de causis plantar. l. 1. cap. 22.

importuni qui circa floris exortum accesserint, omnia namque imbecillia redduntur, & omnia fermè aut certè plurima pereunt, deciduntque partim rubigine, partim nimio humore. Ibid. lib. 2. cap. 1.

Palmæ salso humore proficiunt, siquidem his sal aggregatus vnicè prodest, quod aliæ plantas exsiccaret & adureret. Ib. cap. 7.

Niuosa hyems locum præbet frugiferę æstati.

Caput hominis robustum est in sole versatum, imbecille in vmbra enutritum. Suidas in voce *γυλιοί*.

Galenus & alii corpus infantis nuper nati dicunt sale aspergendum, tunc enim illud propter nimiam teneritatem omnia infestant, solis autem potestate callus quidam cuti obducitur, vt denſior solidiorque iis quæ intus sunt partibus, reddatur. Rhodigin. lib 6. cap. 2.

Libidinosa & intemperata adolescentia effœtum corpus trahit senectuti. Ib.

Antequam ædificetur noua Ecclesia debet Episcopus ad locum accedere & ibi crucem figere, can. nemo de consecr. dist. 1.

Exod. 15. populus Israël prius ducitur ad aquas Mara amaras, quam ad Helim vbi erant duodecim fontes aquarum & palmæ 70.

Act. 12. dum Paulus esset in carcere fit terræ motus, vincula soluuntur, portæ aperiuntur, custos carceris conuertitur. Habent aliquid amplius qui nati sunt in vinculis Pauli; non dico in gratia, est enim eadem gratia, non in remissione, est enim eadem omnium remissio, sed quod à proœmiis doceretur eiusmodi rebus lætari & exultare. D. Chrysost. homil. 8. in epist. ad Ephes.

Cathecumeni priusquam admitterentur ad baptismum, extra Ecclesiam renuntiabant diabolo & pompis eius, tum exuti toga, pallium induebant. D. Dionys. de Eccles. hierar. de baptismo.

Cathecumeni qui fidei sunt candidati, ne vxores ducant ante baptisma, nec honesta iungant matrimonia. D. Hieron. epist. 83. ad Occeanum.

Sicut proiectorum sub initiis violentior est impetus, sic & pietatis, diuturnitate ipsa hebescit & in suo cursu frangitur hinc nascentis Ecclesiæ fuit austerior disciplina.

In stomacho in quo fit prima alimenti digestio, est acor gratus & ordinarius sapor, at extra stomachum omnis aciditas est præter naturam & hostilis, hinc tormina intestinorum, in lotio stranguria, in vlceribus corrasio, in pelle scabies, in artubus podagra, &c. Van. Helmont. pleura furens.

In monasteriorum ędificatione Episcopus primum in eo loco crucem figat, hoc decens Fundamentum ponens. Nouę. 5 de monach. cap. 1.

Noui clerici pro suo introitu magnam dabant pecuniæ summam veteribus, hoc licere tantum voluit in magna Ecclesia Constantinopolitana Iustin. Nou. 56. *Vide Gloria Principij.* Antiquitatis ius.

Emancipationes fieri solebant iniuriosa frontis pulsatione & alapa. l. vlt. C. de emancip. liber erat enim emancipatio legis actio, idest actus legitimus, & in omni ferè actu legitimo adhibebatur symbolum. Cuiac. in Nou. 81.

In ablactatione filiorum fiebat magnum festum apud Iudæos. Tost. in Genes. p. 277. c. 3. f. gaudeat quasi prouectus qui iam valet dura sustinere.

Angeli boni apparentes hominibus, primo eos terrent, sed postea consolantur. Id. Exo. to. 1. fol. 23. c. 3. ...

Sub legis latæ initiis delicta sunt seuerius vindicanda. *Vide Magnitudo Contrarietas.* Magna seueritas quando bona sub finem.

Proles Hebræorum in deserto asperè enutrita, fuit ad bella aptior. *Vide Maioritas Principij. Repug.* Effectus suis causis præstantiores.

Ad templi Salomonis constructionem, magis laborauerunt Proselyti, quam Israëlitæ ad cædendos lapides, & ad portationem lignorum. Tostat. 2. Parali. fo. 36.

Maximus Tyrius oratione 31. elegantem facit descriptionem maximæ nauis ad ornatum & delitias compositę, voluptatis etiam amatoribus ignauis refertæ, quæ orta tempestate destituta propriis contra vim ventorum armamentis & peritis naucleris triste naufragium passa est.

Olim apud Gothos pueri recenter cunas egressi, virgas experiebantur primum in balneis calidissimis grauiter ad sanguinis effusionem cędebantur, deinde in gelidissimam aquam ferè ad periculum mortis detrudebantur, vnde compactiora membra referrent. Olaus Magn. rer. septentr. lib. 8. cap. 7.

Equi Suetici & Gothici cæteris preferuntur & exportãtur quia ad trimatum fere hyeme & æstate, etiam in asperrimo gelu in syluestribus pabulis cum matribus sunt educati, ramis, foliis, fruticibus & vili cibo viuentes, ad laborem & tolerantiam sunt aptiores. Ibid. lib. 17. cap. 16.

Homo à gemitu vitam inchoat, lachrymas naturæ, muneris vice impendit, primitias vitæ soluit, & libamina facit de fletu priusquam alicuius rei in vita iucundę sit particeps. S. Gregor. Nyssen. lib. de iis qui prematurè abripiuntur.

Vide Virtus Principij. Initii & Gloria Virtutis. Quies post labores.

Quare Ecclesia multas initio passa est persecutiones Vide quæ scripsi theologię naturalis, to. 4. parte 2. cap. 11. Cur nascentis Ecclesię disciplina fuit austerior, Vide libellum supplicem quem obtuli Reginæ contra sectarios circa medium. Nouitiorum religiosorum aspere mortificationes. lib. de fœlici successu & triumphis vitæ religiosæ. parte 3 cap. 1. & 2. & lib. de institut. & officiis religiosi. parte 1. cap. 19.

Indulgendum quidem fuit debilibus rerum initiis, ne rem nascentem nondum suis indutam qualitatibus, inualidam, inermem turba contrariorum opprimeret; ab externis enim causis hostilibus impugnata, debuit ab aliis prouidentiæ ministris officiosè protegi, ne frustra suum opus, tot artibus perfectioni iam proximum tentasset natura, vtque malo bonum, morti vita, prolis debilitati parentum pietas præualeret. At emensis iam temporibus quæ vires adultas effecerint, & de tot contrariis victrices; cum nihil aut parum ab externis causis timendum est, multum à semetipsis timere debent homines; Ne scilicet ocio diffluant, situ collabantur, ne sub aduersis ingruentibus subita tẽpestate tẽperati deficiant. Duris itaq; statim vt id ætas tulerit exercendi sunt, tunc enim in contrariũ nitens natura vires omnes suas audacius explicat, nec minus torporẽ suũ, quã oppugnantia vincit, sic contractis patientia, fortitudinis habitibus deinceps leue fit, quod cæteris esset intolerãdũ, nullaque malorũ noua facies occurrit. Similiter cõditoris arte nunquã satis miranda, naturæ prę-stantissimũ opus vbique stat ex cõtrapositis, iisdẽque firmatur, quibus videtur impelli, vtq; maiore deiici. *Vide Gloria Contrar.* Ipsa compositionis nostræ principia cõtraria sunt & ex ipsis actiones

Digitized by Google

primogenitæ purius originis suæ naturam sapiunt, & vt perficiantur, à contrariis volunt excitari: quo ferent illa fortius, argumentum erit genij præstantioris, spesque dabit amplioris profectus. Nunquam clarius quam sub initiis se profert natura, statim res extra suas procedens causas videri vult certis insignita caracteribus, vnde qualis futura sit, licet augurari. Prima quidem laborum facies non arridet naturæ quietem delitiasque præmatura fœlicitate quærenti; sed præcoces illos fructus negat necessitas bestiis, quæ cum adoleuerint, à parentibus sibi relictę, victum, astu, vi, labore sibi comparant, vitamque suam tuentur. Id in homine iustum probat ratio asperioribus exerceri, vt vsu fiant facilia, & ad perfectionis apicem ordinatis virtutum gradibus, excussa tepiditate, quæsitis laborum & fortitudinis habitibus perue-

B niatur. Dulcius possidetur, diligentius seruatur quæsita laboribus virtus. Maturè probantur qui futuri sunt illa digni, ne cœlestem conditionem postmodum infament turpi sua defectione, præclarum est dura passis possidere bonum à quo primus ineundi certaminis occursus, deterruit ignauos. *Ex principiis.*

Arbores citius crescunt in parte montis Aquilonaria. *Vide Medium Maioritatis.*

Prima nascentis Christi & Ecclesiæ tempora fuerunt aspera.

Cardan. meth. medendi cap. 16. notat maximum in medicis errorem, quod nunquam à principio purgant eradicatiuè. Vnde sæpius contingit melius pauperes medicatos esse, quam diuites ob errandi metum. *Vide Duratio Contrarietatis. Resp.* celeritas in remediis bona.

MEDIVM PRINCIPII.

CAVSÆ INTERMEDIÆ.

VIDE Principium & Medium Bonitatis.

Causa contractus duplex est, finalis & impulsiua; finalis est illa quæ mouet disponentem ad agendum sine qua non disposuisset, impulsiua est illa, quæ impellit ad disponendum, ea tamen non subsistente adhuc facta fuisset dispositio, sed non ita facilè. Bonacin. de contract. in genere.

De pluribus quæ partiuntur inter se causalitatem. *Vide Concordantia Principij.*

De dispositione & quantum valeat, *Vide Potestas Medij.* Dispositionis.

Calor euocat alimentum ad extra, sic de die, & ad solem flores aperiuntur, ita ver, quod est calidum & humidum spiritus plantarum & animalium euocat; tunc efficiuntur omnia tumescentia, & quasi pubescentia, & turgentibus gemmis in plantis, & animalia impletis vasis seminariis, erumpunt in fœtus & fœcunditatem. Albert. Magn. tract. 1. de spiritu & respirat. cap. 7.

Aqua Nili epota fœcundas efficit fœminas licet antea steriles. Rodigin. lib. 17. cap. 6.

FINIS PRINCIPII.

QVANDO DESINIT INFLVXVS PRINCIPII.

VIDE Finis Bonitatis. Cessatio beneficij.

Omnibus animalibus tandiu est naturale, manere in educatione filiorum, quandiu possint per seipsos educari. Tost. Matth. to. 5. fo. 93.

Vide Differentia Principij. Separati à suo principio malum. *Et Contrarietas Principij.* Cum non solum reuocat suos influxus, sed etiam pœnas infligit.

Inferiora deficiunt deficiente principiorum influxu. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 3. lege. 8.

MAIORITAS

Digitized by Google

MAIORITAS PRINCIPII.

CAVSÆ SVIS EFFECTIBVS PRÆSTANTIORES.

IN Christo sunt dotes excellentius, quam in cæteris hominibus. Tostat. Math. to. 4. fo. 231.

Quis dicat defluentem à sole lucem, solem esse, diuersa à sole est, opus solis non ipse sol.

Prouidentiæ regula est, vt mortalia & variabilia, per immortalia & inuariabilia regulentur, sicut omnia corpora per substantias spirituales. Tostat. Math. to. 5. fo 267.

Apud Iudæos sacerdotum minorum consecratio fiebat, per maiores. Idem. Exo. to. 2. fo. 54.

Nomen Dei tetragammaton significiat, diuinam essentiam sub quadam maxima excellentia, prout est. Pelagus omnium perfectionum. Id. Exod. to. 1. fo. 36.

De non adorandis artificum operibus, Menander Comicus admonet, cum liqueat opere suo potiorem esse opificem. Iustinus Martyr in apologia, ad Antoninum pium Impera.

Planetæ non debent esse melius dispositi in reuolutione, quam in genitura, alioquin periculum significant. *Vide Potestas Durationis.* iteratio potens.

Prima causa proximiores sunt perfectiores. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege. 3. §. 1.

Causa suis effectibus sunt præstantiores, antiquitate, virtute, beneficio. Ibid lege. 13.

Mundus corporeus procedit ab incorporeo & tamen non æquat eius perfectiones.

Ex cõparatione perfectionis Christi, sanctorum qui prius in Ecclesiæ cœlo fulgebant, virtus est decolorata. Vnde dicit spõsa in cãticis, nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me sol, erat enim Christus candor lucis æternæ, speculum sine macula, splendor diuinæ maiestatis, & imago bonitatis eius, de cuius plenitudine omnes accepimus. Laurent. Iustia. fasciculi amoris. cap. 12.

Causæ sunt vt plurimum suis effectibus præstantiores pluribus titulis, quos nunquam æquare possunt effectus, licet cœlesti priuilegio postmodum in maiorem surrexerint altitudinem, habet enim res semper esse suum acceptum à sua causa, illi debet quod sit, quod digne operetur insitis temperamento suo qualitatibus congruis, salua fuit ab immuneris primam ætatem obsidentibus malis, creuit, adoleuit eius beneficio, & hanc dependentiam quidquid eminentiæ fuerit adiectum, nunquam exuet. Non generat natura nisi quæsita, tam congrua speciei perfectione. Ita videtur ex superfluo tantum ad prolem largiri, sibi seruata parte meliori, imo toto suis partibus absoluto, cum aliquid excedens velut iam exter-

A num inde decidat, at arbor melior suo fructu, fons purior ab eo fluentibus riuulis. Simul & abundantior, tam iustum est causam effectui suo præferri, vt id necessarium effecerit prouidentia. Nec enim amore prolis animali licet vitam suam ad libitum profundere, nam excessum statim impotentia sequitur, & cum ardeat affectus, friget exhausta libido, viresque deficiunt. Sic decretum ne causæ fierint proli suæ deteriores; Negato fœtu consulitur parenti, arbor nihil remittit de sua altitudine, vt parcat proli sub vmbrosis suis frondibus in mortem languescenti, sic in partus summa difficultate, cum fœtus matrisque versatur periculum, fœtus excinditur vt salua fiat matris vita quippe certior, perfectior, nobilior. *Ex principiis.*

B Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Ps. 44. Idest pro Apostolis filij & successores Episcopi; non succedunt autem Apostolis, sicut Episcopus Episcopo, Rex Regi, sed duplici alia ratione. 1. ratione sacri Episcopalis ordinis. 2. per quandam similitudinem & proportionem, vt sicut sub Christo viuenti erant duodecim Apostoli deinde. 72. discipuli. Ita nũc sub Romano Põtifice primi sunt Episcopi, post eos Presbyteri, licet non habeant veram Apostolicam authoritatem. Apostoli enim vt constat. Math. & Marci cap. vlt. toto terrarum orbe prædicare, alias atque alias Ecclesias fundare, canonicos libros scribere poterant, nihil horum Episcopi potuerunt; præterea donum lin-
C guæ & miraculorum habuerunt Apostoli, non autem omnes Episcopi. Apostolis omnibus immediate à Christo vniuersalem Ecclesiam gubernandi potestas ac iurisdictio collata est. Ioa. 20. Sicut misit me viuens pater & ego mitto vos, omnes Episcopi autem à Petri successore Romano Pontifice, cui dictum est pasce oues meas, pasce agnos, immediate suam iurisdictionem certis limitibus definitam consequuntur. Glossa in epist. 2. Anacleti. & Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 23. 24. 25.

Virgo Maria benedicta supra omnes mulieres,
D nata est ex parentib. peccato subiectis.

De Immensitate Dei. D. August. epist. 37. Plotin. lib. 4. 5. Æneadis.

A Deo omnia sunt ordinata. Virtus igitur & mirabilis operatio est in vna quaque herba & lapide, sed maior in stella, vltra quam etiam ab intelligentiis præsidentibus, vna quæque res multa sibi comparat, potissimè autem à suprema causa, cui omnia mutua & consummata respondent, consonantia suo harmonico consentui.

Arist. 1. de cœlo, cœlum dicit esse quintam essentiam, aliam, & nobiliorem quam quatuor elementa quia est incorruptibilis.

Digitized by Google

Priora secundum naturam ea sunt, quæ possunt esse sine aliis, alia verò non sine ipsis. Id. 5. metaph. cap. de priori.

Causa, semper nobilior est suo effectu, in genere causæ, cum præstantius sit dare esse, quam accipere, & non pendere ab alio, quam pendere: vt plurimum etiam id verum est in genere causæ efficientis, vt fons non potest esse riuulo deterior, nec sol, radiis, quos spargit.

Nihil dat, quod non habet; habere autem censetur seu formaliter, seu virtualiter, vt medicina dat sanitatem quam non habet, sol calorem. Item instrumentaliter, vi scilicet causæ superioris.

Quamuis actio immanens, quatenus actio nullum post se permanentem relinquat terminum, producere tamen potest quatenus qualitas est, habitum, si potentia eo indigeat.

Propter quod vnum quodque tale, & illud magis. 1. poster. c. 2.

Olim apud Ibernos filius patris nomen non assumebat, nisi post eius mortem. Dauity. in Ibernia. ne videretur fieri par.

Dotes quæ sunt in inferioribus distributæ, sunt in superioribus collectæ, sic astronomi calorem, humoremque per Martem seorsum dispersum agnoscunt in Ioue coniunctum. Mars. Ficin. in Plotinum.

Deus super omnia. *Vide Cognitio Principii. Resp.* Deus ineffabilis.

Plotin. lib. 8. ene. 5. c. 1. probat pulchritudinem artis, quæ est in mente artificis, esse maiorem sine vlla comparatione, quam quæ est in materia in quam impressit formam quam mente conceperat, tum quia est abstracta à materia, tum quia est causa illius. Nam primum omne efficiens secundum seipsum, præstantius est ipso facto.

Vt laïci non sint præpositi monachorum, nec archidiaconi sint laïci. cap. Car. M. lib. 1. c. 116.

Omnes causæ mediæ non adæquant virtutem causæ primæ.

Sunt quædam stemmata honorifica quæ transeunt ad posteros, alia non, vt insignia Marescalli, Equitis torquati; Præsidum infulatorum.

Quidquid perfectionis est in effectu, oportet inueniri in causa effectiua, vel secundum eandem rationem, si sit agens vniuocum, vel eminentiori modo, si sit agens æquiuocum; sicut in sole est similitudo eorum quæ generantur per virtutem solis.

Omnis effectus non adæquans virtutem causæ agentis, recipit similitudinem agentis non secundum eandem rationem, sed deficienter, itaut quod diuisim & multipliciter est in effectibus, in causa sit simpliciter, & eodem modo, sicut sol secundum vnam virtutem multiformes, & varias formas in istis inferioribus producit.

Virtus non recipitur secundum eandem perfectionem in instrumento secundum quam est in principali agente. Ideo melius est seipso agere, quam per alium.

Simplex non potest procedere à diuersis, secundum essentiam & operationem.

Superiora nobiliori modo sunt in seipsis, quam in inferioribus: inferiora vero nobiliori modo in superioribus quam in seipsis.

Licet ars imitetur naturam, tamen ad plenum opus naturæ peruenire non potest vt cum per vitra imitatur gemmas. Albert. Mag. de miner. l. 1. c. 3.

A Ex fideli patre nascuntur infideles filij propter peccatum Adæ.

Deus est, inquit Anselmus, quo nihil maius cogitari potest, & vt concipitur ens entium & prima causa, sic virtute eminens

Ex Platone superiora sunt in inferioribus participatiuè, inferiora in superioribus excellenter, sic Aristoteles multa participatione calida videns, deuenit ad per se calidū, quod sit maximè tale, & causa caloris in omnibus, vt est ignis, sic peruenit ad ens entium, & primam causam. Cardin. Cusa. lib. de venatione sapientiæ.

Ideo fœminæ non docent in Ecclesia. *Vide Principium Cognitionis.* alios docere, in fine.

B Causæ suis effectibus sunt præstantiores. *Vide Veritas Principij.* vnus Deus

In mundi consummatione non cessabunt omnia mista, quia corpora humana remanebunt; vnde decens est si partes eorum remanent in corpore hominis, qui est minor mundus, quod ipsa tota remaneant in mundo maiori. D. Thom. in quæst. disput. q. 5. a. 7. ad 10.

Angelus inferior, nunquam purgat, perficit, aut illuminat superiores & sic in Ecclesiastica Hierachia nunquam inferior vtitur claue sacramentali in superiores nisi habeat vices superioris. Tostat. Math. to. 4 fo. 187. c. 1. a.

C Animalia quæ sunt ex putredine Deus produxit in suis causis. Id. Genes. fol. 10. c. 4. g.

Cœlum est nobilioris quam elementa substantiæ, vnde non fertur, vt ipsa, motu ad certum terminum limitato, sed circulari perpetuo, & indefesso. D. Basil. in hexam. hom. 1.

A natura didicimus artes omnes, & hæc etiam in artium exercitatione nos superat. Vt magister discipulum; quis lac præparare ex gramine potest? Nemo nisi vacca? &c. quis lac ex carne; Nemo nisi mammæ fœminæ, id præstat animalis natura, ita semper, magister inuisibilis, superior est visibili. Paracels. lib. de fundamento scientiarum.

D Motum circularem cœlorum imitantur animalia motu semicirculari, cor & maria, constrictione & dilatatione. *Vide Differentia Contrariet.* fuga aduersi.

Sol ex se lucens & aliis stellis lucem communicans, est nobilioris substantiæ. *Vide Minoritas Principij.* independentia.

Principia perfectiora, virtutes & operationes inferiorum participant excellentius, eminentius & nobilius quam ipsa inferiora; Ideo enim sunt superiora, quia pluribus nobilitatibus accedunt ad primam vniuersi causam; ab ea immediatius exeuntia, minus inuoluuntur vmbris & priuationibus materiæ, minus sunt ei obligata, & maiorem in eam habent potestatem sicut autem in

E cœlis, virtus inferioris est, non per modum inferioris, sed per modum superiori cœlo congruentem; ita virtus vegetabilis est in sensibili, non operans ad vegetandum tantum, sed per modum sensibilis. ideo digerens, conuertit digestum in organi sensibilis formam; similiter se habet sensibile ad rationale. Albert. Mag. cap. 1. de vegetabilibus.

Quidquid mouetur, mouetur ab immobili, vt patet in motibus animalium in quibus mota pars, innititur non motæ; debet etiam esse immobile exterius, super quo fiat motus, vt terra, terrestribus animalib. aër auib aqua piscib. hæc enim duo elementa licet sint facilè mobilia, sunt tamen im

Digitized by Google

mobilia respectu motus, quem facit in illis animal. Sic mouetur nauis à ventis qui sunt extra aut à nauta, qui vt illam moueat de littore in terram prosilit aut immittit perticam. Id lib. de motu progressiuo. cap. 3.

Dicit Homerus. Non retrahetis à cœlo ad terram Iouem magnum neque si multum fatigabimini; omnes autem trahentes & Dij & deæ. Id. lib. de motu progressiuo cap 4 Mouens enim omne necesse est habere aliquam fortitudinem & virtutem, qua vincat & excellat mobile, & non extrudatur ab ipso extra locum, & materiam suæ firmitatis, & immobilitatis. Ib. tract. 2. cap. 7.

In fluentibus à primo principio, est ordo secundi ad primum, & tertij ad secundum, & sic deinceps secundum omne genus causæ, & semper posterius oritur in vmbra præcedentis. Vmbram autem vocamus differentiam, per quam coarctatur, & obumbratur, amplitudo luminis à priori procedentis. Id. lib. de processu vnius tract. 4 cap. 5. Sic intellectus illustratus à primo intellectu, cadit ab eo, quia non est per se intelligens, sed est possibilis & recipiens; sic constituitur ordo vniuersi. *Vide Differentia Virtutis.*

Boëtius de consolatione philosophiæ dicit de Deo creatore.

Mundum mente gerens pulchrum, pulcherrimus ipse.

Omnia elementa ab aliquo philosopho principia dicta sunt, excepta terra, quia est omnium infima, eam tamen cum alijs tribus principium materiale dixit Empedocles. Alber. Mag. 2. phy. tr. 1. c. 1.

Similitudo debet esse clarior ipsa re, quam probat. *Vide Concord. Medij.* ex Quintiliano.

Effectus causam suam non æquant. *Vide Duratio Cognitionis.* mora ex Quintiliano.

Sol non facit solem sed lucem, fons non produxit fontem sed riuum.

Dyonisius Æsculapio barbam auream detraxit, dicens incongruum esse, cum barbam habere, cum Apollo eius pater non haberet.

Possumus imitari lucem, & motum astrorum, per operationes chimicas, facere, aërem, aquam, terram, sed tantum in parua materia.

Is qui non est sacerdos, etiam Episcopus, non potest ordines conferre. Nam collatio ordinis, est actus ordinis, qui non potest conferri ab eo qui caret ordine. Bonacina de sacramento ordinis.

Quæcumque generi insunt, non insunt speciei, vt animal est alatum & quadrupes, non homo, at quæ insunt speciei, insunt generi. Arist. 2. topicor. cap. 4.

Omnis concretio est ex elementis, idcirco nulla est quæ ad gradū excellentiæ elementi perueniat. Non est siccitas in concreto, quanta est in terra simplici, pura & sincera, est enim concretum minutum habens participationem qualitatis elementi.

Si quis ingens speculum in multas comminuat partes, omnes imaginem reddent, sed diminutam, nec æqualem suo principio.

Durum est sæculares Abbates præfici regularibus, tam disparia capita discrepantibus membris imponi, durum tam florentes olim Abbatias, quas spectatissimi senes tenuerunt in vnius sæpe iuuenis imperiti & petulantis luxuriam cedere; his manes, his mortuorum cineres ingemiscunt.

B

C

D

E

REPVGNAT.

EFFECTVS SVIS CAVSIS præstantiores.

TAm è silice, quam è ferro, quæ suam originem è terra trahunt, exilit ignis.

Sol est planeta magni dominij, & potentiæ: fortunat aspectu suo, & coniunctione corporali infortunium adfert, coniunctum enim sibi planetam comburit, & extinguit lucem eius. Haly. 1. parte. cap. 4. similiter corpora Saturni & Martis, directa ad horoscopum, aut medium cœli, malum portendunt, eorum autem aspectus sextiles aut trini aliquid boni promittunt. Origan.

Posteriora sæcula in scientiis & artibus sunt præstantiora, suntque nouissimi primi. *Vide Duratio Cognitionis Mora.*

Corporalia omnia creata sunt ante hominem, vt illorum omnium dotes compendio, & perfectiori modo darentur homini, itaque hæc corpora sunt illi parentis loco, cuius longè superat virtutes. Paracels. lib. de fundamento scientiarum.

Ex terra sicca, frigida, fructus nascuntur humidi, calidi.

Spoliatum corpus, tantò imbecillius est, quantò efficatius est quintum esse, cuius quo plus extractum est, eo minus in corpore relinquitur. Sic plantæ quædam vires omnes suas effundunt ad perfectionem sui seminis, quo maturo, ipsæ marcescunt. Sic quidam parentes præmaturis largitionibus, ditant filios, dum ipsi sic spoliati fiunt pauperes.

Corpora tersa, polita, & solida, radios reflectunt, & refulgerant ad maiorem quantitatem luminis, quam sit incidens in ipsa, multiplicant enim lumen in oppositum.

Videre possumus speciem obiecti in alterius oculo, quam ipse non videt, quia hæc figura non est vt in vidente & sentiente, sed sicut in polito determinato. Albert. Mag. Sic commentatores vident in præclaris authoribus, quædam quæ nunquam venerunt illis in mentem.

Malleus facit ensem & alia pulchra artificiata, quorum formam nunquam habebit.

Si contingat in loco frigido caliditatem expelli & in vnum congregari, tunc generatum in illo loco in quem expellitur dicta caliditas, calidissimum erit, & calidius eo, quod generatur in climate calido eo quod frigus expansam omnem in circuitu caliditatem, in loco caliditatis eius expellit. Alb. Mag. tract. 1. de natura locorum, in fine.

Aliquando ex malis seminibus, bonæ arbores proueniunt, vt ab amygdalis amaris, & acidis, interdum fiunt dulcia, quod fit ex bonitate, loci, aëris, & à cœlo. Id. lib. 1. de vegetabilib. tract. 2. cap. 9. Id maximè contingit in animalibus.

Sponsa inuenit sponsum, cum pertransisset custodes ciuitatis Aliquid audeat animus, supra solitum docendi morem. Nihil enim rectè operatur nisi cum extra sua principia positum, sui iuris efficitur *Vide Differentia Principij.* separari à suo principio bonum.

Multa semina habent figuram aut orbicularem

Digitized by Google

aut colomnarem, columnarem quidem conuenienter ea quæ ex vno semine multas producunt plantas vt triticum. Columna enim fit per motum circuli super lineam rectam, sic eleuatur virtus producti, super virtutem producentis. Albert. Mag. lib. 3. de vegetab. cap. 3.

Flores plus redolent quam sua semina, quæ vt plurimum non habent odorem. Id.

Vapor eleuatus ex aqua salsa, resoluitur in aquam dulcem.

In terra immobili, omnia animalia habent motum localem. *Vide Duratio Principii.* Causa vniuersalis supplet defectum particularis.

Achilem ex Tetide natum, maiorem Patre suo futurum, cecinerunt oracula. Quintil. Inst. orato. lib. 3. cap. 9.

Vapores è terra se subleuantes & impedimentum reperientes, efficiunt magnos montes solidos, cum ipsi facilè dissipentur.

Malè existimauit Anaxagoras omnia fieri ex similibus secundum speciem; nam ex aqua & terra, fit aër & ignis.

Filius Episcopus in Ecclesia præcedit patrem, licet in cæteris, & extra officium debeat Patri honorem reuerentialem. cap. indecorum de ætate & qualitate.

Filia Regina quæ maritalibus radiis resplendet, præcedit matrem non Reginam. Vide Chasseneum catal. gloriæ mundi. p. 5. consid. 39.

Vide *Duratio Cognitionis*, rebus ab antiquis inuentis multum adiecimus.

Parentes volunt filios se meliores. *Vide Virtus Principii. Educatio.*

Sic oportet facta maiorum mirari & æmulari, vt tamen velut quodam numinis afflatu, rudimento in paruis posito, maiora audeamus. Plutarch. lib. de tranq. animi. & *Vide Concordantia Virtutis.* Imitatio bonorum.

Oratores quidam Rhetoricam docent, non tamen possunt orare, vt cotis ferrum acuit, nec tamen ipsa potest scindere.

Peste laborans vnde sanatur, alium potest inficere qui moriatur quia potest minus resistere morbo.

Aqua frigida generat stellam piscem ita calidum, vt adurat omne quod tangit. Pomponat. de incantationibus. Initio mundi ex aquis aues.

Druidæ sacrum habebant viscum ex quercu nascens, & ipsa vnde procedit arbore multo sanctius. Plin. 16. c. vltimo.

De animalibus ex putri materia. Cardan. de subtilitate.

Inuidi Iudæi dicunt de Christo. Math. 13. Numquid is est fabri filius&c. ?Ne sentiatur diuinitas carnalium parentum nomina commonent & diuulgant. Chrysolog. serm. 48.

Vespera mater noctis, parturit diem. Id.

Aues ex aquis productæ, in aquis viuere non possunt, nec vitam retinent, vnde sumpserunt; probabile est tamen ex nubeculis volantis aquæ productos. Rupert. lib. 1. in Genes. cap. 50.

Emergunt ex spinis rosæ, cum ex fœda origine viri magni surgunt. Sic ex Ammone pessimo, Iosias innocentissimus.

Sesostris Rex Ægypti malè edixit, vt nullam nisi parentum artem filij profiterentur; optimis enim ingenijs, iter ad libertatem & gloriam præclusit, aduersus virtutem & naturam, contumacia pari

Eucharistia non dat immunitatem, quam dat

A Ecclesia, licet sit introitus Eucharistiæ *Vide Gloria Medij loci.*

Ex mari salso, prodeunt vapores dulces, vnde pluuiæ.

Nihil agit quidem vltra suam speciem in virtute, potest tamen aliquid producere, quod excedat in quantitate, vt semen, arborem. D. T. 12. q. 114. a 8.

Non vbique verum est, causam esse præstantiorem suis effectibus Non causa materialis quæ est potentia, quæ à forma perficitur, aquæ è mari prodeuntes fontium & fluminum sunt marinis præstantiores De formali natura, dicitur quod ignobilior est composita, forma enim est quid incompletum, & eius perfectiones compositum B complectitur. Est enim velut totum respectu suarum partium. Causa efficiens totalis efficit sibi simile in specie, at potest esse filius præstantior patre propter influxum cœli; Causæ instrumentales & partiales sunt deterioris conditionis, vt patet in semine respectu prolis, & calore respectu ignis. Interdum etiam causa finalis est deterior suo effectu, vt qui docet philosophiam mercedis gratia, cum melius sit philosophari, quam ditari.

Differentiæ, & species quas constituunt, in genere *Vide Concordantia Contrarietatis Contrariorum vnio mala.*

C In regno Delly Imperij Magni Mogol est arbor nomine Baxana, cuius radix est præsens venenum, sed fructus est eiusdem veneni certum remedium & antidotum. Dauity.

In Prouincia & Italia sunt mori albi, *meuriers blancs* ex quarum foliis nutriuntur vermes qui sericum texunt, in illis folia fructui præstant.

Ab vnitate procedit multitudo, quæ est multiplex vnitas Elisæus petit ab Elia magistro vt fiat in eo duplex eius spiritus. 4. Reg. 2.

Ex adulterino coniugio, & fœda parentum libidine sæpe nascitur pulchra soboles. Salomon D natus est ex ea quæ fuit Vriæ. Raab meretrix genuit Boos, qui in regali Domini genealogia numeratur, Dei mediator & hominũ sic de peccatoribus originem duxit, & de fermentata massa synceritatis azyma oritur. Petrus Damia. op. 6. *Vide Virtus Medij Repug.* quando licet vti malo medio, vnde procedunt boni effectus.

Iepthe filius meretricis, infamis natalibus, rebus bellicis fide & pietate nobilis sanctisque veteris testamenti adscriptus. Heb. 11.

Leuit 6. ignis de cœlo non descendit super holocaustum oblatum à Moyse, sed super holocaustum oblatum ab Aaron, postquam consecratus fuit in S. Sacerdotem.

E Iosue introductus est in terram promissionis, quod non est concessum Moysi. Iosue. 1.

Supeficies habet duas dimensiones, vnam quidem sui principij à quo fluit, & hæc est linea, alteram habet propriam, in quantum est quantitas producta. Alb. Mag. de cœlo & mundo.

Alexander occidit Clitonem sua manu charum ante & suæ nutricis filium, quia illum Patri Philippo comparasset, volebat videri præstantior.

Pater ritè filios instituens, in de fœlicior est, si ab illis vincatur. Sydon

Terra dicta Cybele habita est ab antiquis mater Deorum etiam superum.

Ignobiles genere, nobiles virtute. *Vide Gloria Minoritatis.* Humilitas exaltata.

Quando ex ignobiliori generatur nobilius, est

Digitized by Google

generatio simpliciter, & corruptio secundum quid; è contrario autem quando ex nobiliori ignobilius generatur.

Motus non accipit speciem à termino à quo, sed à termino ad quem: Nihil enim refert, quantum ad rationem albedinis, vtrum ille qui dealbatur fuerit niger, aut pallidus, aut rubeus. Sic vera nobilitas sumitur non à maiorum genere, sed à propria virtute.

Cum mutatio in partem deteriorem numerosa & vbique gentium perspicua sit, & seu arbores seu animalia tertia generatione, vt plurimum degenerent; mirum est quod in Cilicia & Ægypto, in arboribus mutatio fiat in melius. Theophr. de caus. plant. lib. 2. c. 18.

Aliquando platanus laurum produxit, quia scilicet semen lauri exceptum in cauitate platani, putredine aliqua subiacente terrena, coaluit Ibid. lib. 5. cap 4. filij aliquando parentibus præstantiores apparent, quia ab alio præstantiori geniti.

Ex terra obscura & immobili oriuntur vapores, vnde fiunt meteora ignita, instar syderum micantia & venti quorum maximus est impetus, summaque celeritas.

Ezechias filius impij Achaz, cum esset Rex, tamen pius fuit. 4 Reg 16. v. 20. Abraham habuit patrem impium.

Non est peccatum mortale ex leuibus indiciis iudicare de aliquo quod sit spurius; vel natus ex adulterio, vel incestu, vel sacrilegio, vel ortum habuisse à Iudæis, vel Sarracenis, vel esse filium clerici. &c. Nam apud homines prudentes non adscribitur opprobrio & dedecori ortum habuisse ex huiusmodi parentibus, cum hoc non eueniat ex culpa, imo imputetur in laudem nascentis si virtutem colat, & in ea superet parentes; dū tamen hic non sequatur contemptus & impedimentum in consequedis officiis. Bonacina de restitutionib. disp. 2. q. 7. pr. 2. Citat opinionem Nauarri, cum sua sit contraria.

Isocrates orator ob vocis imbecillitatem & verecundiam causas non egit, sed plures erudiit. Suidas in voce Isocrates.

Aquæ dant plantis viriditatem, floribus pulchritudinem quam non habent.

Melchisedec non fuit ex Abrahami semine, sed genere Chananæus, & ex detestabili satu oriundus Itaque eum sine patre & matre dicunt. Idem in voce Melchisedec.

Taurus mons, tauri imaginem scitè exprimit, salientis & iactantis posteriores pedes. Id. in voce taurus.

Macrobus de Virgilio dicit Huic gratia hoc nomine habenda quod nonnulla ab antiquis, in opus suum quod æterno mansurum est, transferendo, fecit ne omnino memoria veterum deleretur. Et, inquit Scaliger, Virgilius non alio animo ab Homero quædam accepit, quam vt meliora faceret.

Videmus arbores quarum radix est amara, frondes amœni fructus sapidissimi.

Gignuntu gemmæ magis pretiosæ, in aliis minus pretiosis vt berillus in orphite. smaragdus in Iaspide. Cardan. de rer. vari. c. 18. Gemmæ mollioribus semper atque impurioribus lapidibus nascuntur. Id. cap. 19.

Pericles ex scelesta prodiit domo; Strabonem Magni Pompeii patrem eiecit exculcauitque defunctum ex odio populus Romanus. Rodigin. lib. 6. cap. 14.

Miramur Poëtam licet exilia optimè describentem, sicut laudamus lacertam aut simiam alprimè pictam, non ex pulchritudine quæ nulla est in talibus animalibus, sed ob similitudinem; Sic & suis vocem auersamur, at si quis imitetur aptè, lætamur, applaudimusque Id lib 7. cap. 3.

Ficus arbor amarissima fructum producit prædulcem, ac pinguedinis multæ, nam tota arboris dulcedo secernitur in fructum, proinde quidquid reliquum fit in ligno succi, in amaritudinem degenerat. Id lib. 18. cap. 9.

In India sunt plures arbores anatiferæ ex quarum vel putredine, vel foliis in aquam delabentibus nascuntur anates, & in nostris partibus experimur ex corruptione nauibus adhærente nasci B primo vermes, deinde nigras anates quas vocant *bernaches*.

Punctum fluens in plano facit incessanter puncta ex quibus tandem linea. Sic ex fluxu nunc præsentis fit tempus diuisibile.

E grano procedit spica longe amplior.

Quamuis exigua corporis pars sit costa, non tamen propter hoc paruulam viro coniugem fecit. D August.

Iob fuit ex genere Esaü, tamen vir bonus & timens Deum.

Ex peccato capitali quod non est mortale possunt oriri plura peccata mortalia Vt ex gula, rapinæ, homicidia, &c Si modo non intendantur, gula C tunc fit peccatum mortale D. Thom. in quæst. disp. de peccatis. q. 9. a 2. ad 5.

Quælibet virtus superioris ordinis, licet sit finita in se, & respectu sui superioris, est tamen infinita respectu suorum inferiorum, sicut virtus solis est infinita respectu generabilium & corruptibilium, per quorum productionem, etiam si infinita esset, non minoraretur. Ibid. de spirituali creatura quæst. vn. a. 6. ad 8.

Mulieres communis staturæ produxerunt gigantes, cum id vix videretur esse credibile, ideo dicebant eos terra genitos. Tost. Gen. fo. 36.

Deus tenuit Hebræos per quadraginta annos in D deserto, vt ibi morarentur in seruitute nati, pauidi, & ad bella Chananæorum inepti, surgeretque proles noua nullo iugo domita, inter asperitates enutrita sic bellicis laboribus aptior. Id. Exod. to. 1. fo. 111.

Plura miracula fecit Hælisæus quam Helias. Id. 4. Reg. fo. 11.

Sal quamuis de aqua fiat, est tamen naturæ igneæ. Id. Iudic. fo. 91.

Cæremonias à gentilibus acceptas sanctificauit Ecclesia. *Vide virtus Medij Repug* quando licet vti malo medio.

Contenta sunt minora quantitate continentibus, sed vt plurimum virtute maiora, vt Ange- E lus respectu cœli & mundi, anima respectu corporis; continentia enim sunt propter contenta. Iustinus Martyr. quæ. 11. ad orthodoxos.

Subditi charitate feruidi sub frigidis Præpositis, assimilantur montibus Noruegiæ, quorum infima pars ardet sulphureis ignibus perpetuis, suprema vero riget æternis niuibus, de his Olaus Magnus. lib. 2. cap. 2.

Vadit ebrius instabili mente & pede, in fluctuante naui, & appendit pondus horologio regulariter procedenti & horas notanti.

Vitrum in cuius centrum radij solares conueniunt ac stipantur, stupam vrit, licet flammam cuius causa est, ipsum non sentiat. Ita sæpe fit vt

Qui friget comœdus, simulatione tamen amoris veros ignes in altero creet.

Fides obscura velut radix in arbore, producit omnium virtutum in anima pulchritudinem. *Vide Media Cognitio.* fides.

Hæc regum conditio est, fœlices facere, non esse fœlices.

Nebula est nubes fœtida nondum depurata, aqua verò pluuia inde collecta, suauis est, insipida, penè incorruptibilis.

Extincto corpore morte violenta superest quædam sensatio, & quidam motus in musculis, vnde insecta auulso capite adhuc mouentur, & muliere dudum mortua non raro vterus profligauit suum fœtum. Van Helmont.

Passio non ens, producit ens reale. *Vide Potestas Cognitionis.* vis Imaginationis.

Semen pyri, gustum fructus non exhibet,

Dixit Christus, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet & maiora horum faciet; nusquam de Domino legitur, quod ægrotos sua liberauerit vmbra, prout de ipsius Apostolo comprobatur. Lauren. Iustin. fasciculus amoris cap. 5.

Ex siccatis lignis fricatis, nascitur ignis qui ea consumit.

Si totaliter effectus penderet à sua singulari causa, eius non attingeret perfectionem, quæ semper in origine maior est, quam in riuulo, & eo quod causa sibi potius quam fœtui consulens, non dat nisi quod habet & minus dat, quam quod habet. Ita per generationũ series multiplicati defectus, breui totam absorberent speciei perfectionem, nisi singulares illos accrescentes sibi defectus, sisteret & interdum in melius restitueret causa vniuersalis. Nam filio nascente tam potest esse fœlix cœli constitutio, vt corporis animique dotes ratione temperamenti longè superent parentum sortem. Sic optimè nati si Dei gratiæ gratis datæ largius accesserint, fiunt artiũ, scientiarũ, legũ, Reipublicæ periti restitutores, & hi quos in sæculi sui fœlicitatẽ, in posteritatis exemplũ, diu speratos prouidentia concedit. Qui minus illustri fulgent genio, si non præsident regnis, dominantur familiis, & fiunt nobilitatis, dignitatis, fortunæ longam decoraturæ prosapiam, capita. Sic fortunam velut cæcam, instabilem, iniquam falsò mortales calumniantur in regnorum vel familiarum illustrium ortu & occasu. Patiuntur sui progressus, alterationis, interitus positos limites; fœlicitatem illis variè prouidentia dispensat certis, licet ignotis rationibus. Nec enim æquum est aliqua semper deprimi, aliis semper altum tenentibus. Agunt ista vices suas in mundo, sicut dies & nox, vt de splendore temporaneo, velut perpetuo non insolescant aliqui, cæteri non desperent. *Ex Principiis.*

Nuptæ pariunt virgines, ipsis nobiliores. *Vide Minoritas Gloria*, virginitas ex D. Hieronymo.

Filius superat patrem in fortitudine. *Vide Voluntas Gloria. ex Seneca.*

Quandiu non sumus, natura nos regit, nobis sortem facit nascendi, & in quemcumque vult casum nos mittit. Hinc sumus æstimandi cum sumus nostri, & cum ignobiles nati facimus posteris genus. Quid fuit Marius si illum in suis inspexerimus maioribus? humilis. In tot consulatibus nihil habet clarius quam se autorem. Pompeium si hæreditariæ extulissent imagines nemo magnum dixisset. Seruium regem tulit Roma, cuius virtutibus humilitate nominis nihil est clarius. Quid censeo singulos, cum hanc vrbem tibi possim ostendere nudi steterе colles. Inter hæc tam effusa mœnia, nihil est humili casa nobilius. Fastigiatis supra tectis auro puro fulgens prælucet capitolium. Potes obiurgare Romanos, quod tum humilitatem suam obscurare possint; ostendunt, sed hæc non putant magna, nisi apparuerit ex paruis surrexisse. Seneca lib. 1. contro. 6.

Philippo patre vult haberi rebus bellicis Alexander præstantior, & huic suæ laudi non assentientem Clitum, occidit. Q. Curtius lib. 8

Augustus gloriari solebat se Romanam ciuitatem latericiam inuenisse, marmoream relinquere, sic illi maioribus suis præstantiores familias suas exornant.

VNVM EX PRINCIPIIS plus conferens.

Semen decidit ex toto corpore, quod sit potentia totum, & quodlibet membrum, à capite autem plus descendit, quam ab aliquo vno & singulari membro, quia in capite virtutes sunt quibus animatum differt ab inanimato, hoc est motus & sensus, signum est, quod operationes cerebri maximè debilitantur ex nimio coïtu. Albert. Mag. tract. 2 de Nutrimento. cap vlt.

Ad diluuium vniuersale concurrunt tum cœlestes tum inferiores causæ. *Vide Concordantia Principij*, concursus causarum in malo dicitur tamen à Poëtis in decernendo diluuio Iouem cæteros Deos conuocasse, & inter eos locum tenuisse digniorem, quia cœlestia corpora superiora sunt in causando talia prodigia, & eorum virtus quasi sententia prima, & inferiores causæ faciunt, quod attribuitur eis à cœlestibus. Idem tract. 2. de proprietatib. Elementorum. cap. 9.

Terra dicitur magna mater, propter abundantiam terrenæ materiæ in omni composito. Id.

Causa primaria vniuersalis, plus influit super causatum suum, quam causa secundaria, 1. quia non influente secunda, influit prima. 2. quia secunda non substantificatur nisi ex prima, nec virtutẽ influendi accipit nisi à prima. Tertio, quia quidquid facit secunda, eminẽtius & nobilius facit prima, & non conuertitur. 4. quia secunda est in prima virtualiter & processiuè: procedit enim ab ipsa, secundum totum esse suum. Albert. Mag. lib. 2. de processu vnius. cap. 5.

An natura plus conferat ad eloquentiam quam ars. *Vide Concord. Principii.* concursus causarum.

Non consideratur aduentus principis in vnam prouinciam, nisi cum venerit in principalem & capitalem eius vrbem. Baptismus fit in capite.

Puer habens vnum parentem Iudæum aut paganum, alium Christianum potest inuito alio baptizari; quia præfertur Christianus, & in fauorem salutis animæ. Bonacina de subiecto baptismi.

Sarcophagus iuxta Troadem repertus cum humanum corpus breui exedat, ex eo terræ modicum relinquit: indicio certo, humanum corpus humidiorum elementorum plus satis quam terræ possidere. Cardan. lib. de rer. variet. c. 13.

In morborum crisi Luna plus cæteris planetis confert, primò quod omnium citissima 2. quod nobis proximior 3. quod humiditatum motrix & comitatrix. August. Niphus de dieb. criticis. lib. 2. c. 14.

Causa prima magis influit in effectum quam causa vltima, , & in causarum concatenatione, quælibet superior, operatur plusquam inferior. Tostat. 4. Reg. fo. 180. c. 3. f.

Tribus constat vita, ratione seu animo imperante, corpore vt milite obsequente, fortuna vt instrumento, cum partium illarum concursus, sit necessarius, plus tamen ad fœlicitatem confert ratio. Maxim. Tyrius. ser. 14. *Vide Concordantia Principij.* concursus causarum

In omni planetarum coniunctione, eum planetam dominatorem constitue, qui sublimior fuerit in excentrico, & paruo circulo, & qui in loco plures habuerit dignitates, & qui plures stellas suæ naturæ similes habuerit. Cardan. aphor. sect. 2. aph. 189.

Locus significatoris materiam præstat, significator autem formam, promissor efficientem: respicientes planetæ auxilia & impedimenta rei futuræ. Id. sect 3 aph. 16

Terra & aqua plus conferunt, & abundant in mixtis. *Vide Principium Durationis.* causæ naturales conseruationis.

Si duo eodem die præbendam impetrauerint, vnus ab ordinario, alter à legato aut Pontifice, nec appareat vter impetrauerit, possidens præfertur: si nullus possidet, actio competit ei qui à legato aut Pontifice impetrauit. cap. si à duob. 31. de præb. in 6.

Si plures patroni dissentiant, is præfertur qui maioribus meritis, & plurium consensu adiuuatur. cap. quoniam de iure patronat.

Dotes in corporibus beatorum resurgentium, non sunt aliqua gloria data à Deo corporibus ipsorum, sed sunt quidam refluxus gloriæ animæ in corpus. Tostat. Math. to. 7. fo. 274.

Filij sequuntur conditionem & splendorem parentum. *Vide Gloria Principij Nobilitas.* Vxores maritalibus radiis resplendent. *Vide Gloria Concordantia.* honor ex societate.

Vt sanguis differt à chylo, sic sanguis arterialis à venali, est enim amborum specifica differentia, quod sanguis ab anima immortali informetur in sinistro sinu, cruor verò minimè, solaque luce formæ sensituæ participatiuè, non autem informatiuè illustretur. Van Helmont. blas humanum.

HONOR A NOBILIORI causa.

ORdinatus à superiore, inter alios eiusdem ordinis magis est honorandus. can. per tuas. de maior. & obedient.

ÆQVALITAS PRINCIPII.

ÆQVALIS ORIGO.

SAPIENTIÆ & scientiarum omnium, vnum est principium. *Vide Æqualitas Medij.* Vt multi riui ex vno fonte, multi fructus ex vna radice.

Quæ sunt sub eodem genere, sunt simul, nec vnum prius altero vt homo non est prius animal, quam equus.

In generatione plantarum & animalium, natura intendit omnia simul facere. *Vide Gloria Concord.* publica priuatis præferenda. ex Theophrast.

Æqualis amor causæ circa suos effectus, Dei erga omnes, parentum erga liberos. *Vide Æqualitas Voluntatis.*

Fratrum alij sunt ex eodem patre, eademque matre, alij ex eodem patre tantum, vtrique germani dicuntur & consanguinei: alij ex eadem matre tantum, qui vterini vocantur, & agnatij si quis sine liberis decedat potiores in successione sunt fratres ex eodem patre, eademque matre, ipsis deficientibus germani ex eodem patre. Cuiac. in Nouell. 84.

Omnium animalium, siue aquatilium, siue aëreorum, siue terrestrium, materia fuit humus, idest terra admixta aqua. Tosta. in Genes. f. 4. c. k

Aues & pisces producuntur ex aquis, sed aues ex subtiliori part. pisces ex grossiori. Id. lb. f. 135. e.

Euphrates & Tygris communem fontem habent in Armenia, vbi incipientes fluere, statim diuiduntur. Ibid. fo. 87.

Omnes homines quare ex vno. *Vide Minoritas Magnitudinis.* vnitas.

Natiuitates fratrum plerumque habent ascendens vnum, quia locus filiorum in parentibus vnus sæpè existit. Cardan. apho. sect. 5. aph. 2.

Van Helmont tract. de tartaro refert duos fuisse fratres gemellos eadem nutrice lactatos, quorum vnus calculo laborauit alter non.

Fernel. de procreatione hominis. cap. 10. dicit ex semine in vtero statim primis diebus conflari tres bullas in medio seminis, plenas triplici tum spiritu, tum facultate, in his enim separatim conformatur, sed simul tempore, iecur, cor, cerebrum à septima die sedes proprias hæc viscera incipiunt nancisci.

Probatus fuit ab Ecclesia mos conferendi baptismum per aspersionem, vt testatur. Cyprian. lib. 4. ep. 7. & testatur. Act. 2. baptismus vno die tribus millibus hominum collato. Tot vno sunt renati.

MINORITAS PRINCIPII.

INDEPENDENTIA.

Vide *Minoritas Medii seipso agere & Minoritas Differentiæ* locum non mutare.

Subuentanea vulturum oua, fœcunda esse dicuntur, sine masculo, aues illæ fœminæ dicuntur parere. D. Basil. in Examer. hom. 8.

Mandatum à Salomone accepimus, vt aquam bibamus ex vasis nostris, & ex fonte puteorum nostrorum; saluator ad puteum cum Samaritana, de diuinis mysteriis est loquutus. In scripturis passim lacus ad peiora, puteus verò ad meliora vsurpatur, quod aqua in lacu extranea, cadensque è cœlo est; in puteis verò aquarum venæ sunt, quæ sublata terra apparent. Id. in psal. 14.

Paracelsus lib. de imaginibus sub finem, dicit nullis obseruatis cœli influentiis, nullo inuocato dæmone, nullis factis cæremoniis hominem ex seipso posse Imagines miræ virtutis efficere, seu ad bonum, seu ad malum prout affectus fuerit. Erunt, influentiæ, sed procedentes ex interno homine seu natura ad naturā externā hoc est ex homine, in imaginem hominis; Nam homo in se continet astra, cœlumque non minus ac firmamentum superius, astra ea abscondita latent in mente hoc est in hominis animo, qui cum fide & imaginatione, diuinam quandam, & omnipotentem Trinitatem constituit.

Auicenna & Algazel dicunt dari animas quasdam, ita sublimes & super alias eleuatas, vt cum sint proximiores separatis substantiis omnia sciant à seipsis. Illas sequuntur quæ discunt ab aliis, denique in vltimo gradu sunt, quæ nec à se, nec ab aliis discunt. Albert. Mag. lib. 3. de somnio & vigilia. tr. 1. c. 6.

Platonici dicunt omnem animalis animam per se moueri, quia est pars animæ mundi & orbis, quæ per se mouetur, vnde per mortem non corrumpitur cum corpore, sed ad suum redit principium. Id. tract. 1. de motib. animalium.

Vide Potestas Virtutis. Sapiens seipso contentus.

Vt in ouo & semine, sic in homine solitario est simul virtus actiua & passiua, quibus potest seipsum perficere. *Vide Duratio Virtutis.* Mora.

Plato in phædone probat immortalitatem animæ rationalis, quia à se mouetur, scilicet libere & sui causa, sic enim non dependet ab alio, & non habet contrarium, nec intra, nec extra, & sic est primus motor in paruo mundo, simplex, incompositus, incorruptibilis perpetuus, ad similitudinem primi motoris qui est in magno mundo has rationes fusius explicat. Albert. Mag. tract. 2 de natura & origine animæ. cap. 1.

Cœlum non est propriè in loco, sed est locus omnium, & ab ipso, vt à primo, ratio locationis est in omnibus. Id tract. 1. de natura locorum. cap. 4.

A Cœlum non est homogeneum, nec vnius naturæ sed diuersæ, quoniam sunt in eo partes diuersæ aliæ stellatæ, aliæ non: sustantia autem per se lucens, alia est secundum formam, ab illa quæ non per se, sed per aliud lucens efficitur, & vtraque differt ab ea quæ nullomodo illuminatur: ad hoc quod luceat. Id. lib. 2. de proprietatibus elementorum. tract. 1. cap. 1. vnde sequitur, quod substantia corporis solis est alia à substantia corporis stellarum & lunæ secundum formam & dispositionem, sol enim dictus est, quod solus luceat; quia habet lucem ex se. Ibid.

Genita omnia non existentia extra sua principia, velut emancipata & sui iuris effecta non . . . nt. *Vide Differentia Principij.* separari à suo principio. bonum.

B Formicæ laborant in commune bonum solo naturæ instinctu sine principe. Albert Mag. lib. 1. de animalib. cap. 4.

Plato in legibus aquam alienam vicinis haurire non permittit, nisi suis in fundis, terram effoderint, & aqua carentem inuenerint

Quintilian. Inst. orator. lib. 2. c. 7. dicit discipulis primo assignandam materiam, & exemplum quod imitentur; tandem credi eos sibi oportebit, ne mala consuetudine semper alienum laborem sequendi, nihil per se conari & quærere sciant, sicaues teneros fœtus primo in nidis alunt, tum expertas vires libero cœlo, suæque ipsorum fiduciæ permittunt.

Principia non sunt ex aliis: neque ex se mutuo sed omnia ex ipsis.

C Infinitas vt intelligitur in quantitate dicit imperfectionem, Ideo Deus non sic est infinitus. *Vide Virtus Principii.* Dei perfectio.

In Eucharistia, accidentia sunt sine subiecto. De cordis motu. D. Thom. opus. 35.

Ciuitas habere potest alimenta vel ex soli sui fœcunditate, vel ex commercio, Melius est habere ex proprio territorio, sibique sufficere; Id etiam est securius, quia transportatio potest facile impediri belli tempore, & ciues commerciis assueti, induunt peregrinos mores, vnde ciuilis conuersatio perturbatur, inflamatur auaritia tepescit ars militaris. & agricolarum labor, & populus totus intra vrbem congregatus, & in otio E mercatorum viuens, magis subiacet seditionibus. D. Tom. opus. de regimine principum. lib. 2. cap. 3.

Ibid. cap. 5 optat principem habere naturales diuitias, idest hortos, vinea, armenta ad victum necessaria, vt non sit necesse emere aliud, rei enim propriæ iucundior possessio. *Vide Differentia Potestatis.* distincta dominia; vsus melior citra fraudem emptionib. permixam & populi querelas, si nimia in vsus suos ex publico commercio princeps

ceps accipiat. Ita Salomon habebat hortos, piscinas, armenta, & Prouerb. 5. monet, bibe aquam de cisterna tua. In possessione armentorum, habet similitudinem primi dominij homini concessi super bestias.

Luna quæ recipit à sole lumen non habet illud continuum.

Sola per se, necessaria sunt Arist. 1. poster. cap. 6 Nam pendere ab alio, hoc est casibus subiici.

Priora secundum naturam sunt, quæcumque possunt esse sine aliis, alia autem non sine ipsis. Id 5. Metap. cap. de priori. Priori non repugnat esse sine suo posteriori.

Hebr. 7. Melchisedech Rex Salem dicitur sine patre, sine matre, sine genealogia.

Israël spoliat Ægyptios, pro mercede operum illis præstitorum.

Num 17. virga Aaron sine trunco, & radicibus floruit.

Natura est principium motus & quietis eius in quo est, per se, & non secundum accidens.

Plotin. Enn. 2. lib. 5. c. 3. Omnia prima, inquit actus existunt, habent enim quidquid oportet habere, atque id quidem & à seipsis & semper.

Agens independens est quod in sua actione nihil præsupponit, & sic solus Deus est agens independens.

Herbæ sponte sua producuntur sine semine, quæ sunt minores annuæ & herbaceæ naturæ; post pluuias, & inundationes sole materiã humidam excoquente. sic producuntur parua animalia. Theop. de causis plantar. lib. 1. cap. 5.

De his quæ non nisi in alio proficiunt. *Vide Bonitas Medij*. quædam melius fiunt per medium.

Absolutum dicitur quasi ab alio solutum, liberum non relatum nec ad alium habens respectum. Abstractum dicit solam formam in se; sicut castitas, veritas; sed concretum dicit duo, scilicet formam cum subiecto simul, vt castum, verum. Vnde August. lib 1. soliloquior. dicit. Aliud est castitas, aliud castum, aliud veritas, aliud verum; Non enim casto castitas, sed castitate fit castum, & cum castus quis moritur, non moritur castitas.

Pater in diuinis à nullo est, etiam à nullo mittitur.

Math. 16 dicitur, Nemo bonus nisi solus Deus, scilicet per essentiam, cætera autem sunt bona à Deo per participationem. Sic omnes numeri participant vnitatem, & ipsa est per se non participans numerum. Perbaltus in rosario Theologico. Voce bonitas diuina.

Corpus non est nobilissimum in entibus, quia viuit per animam propterea Deus non est anima mundi quia esset pars compositi. *Vide Minoritas Concordantia*. esse sine amico.

Trans Euphratem colitur religiosissimè Diana Persica cui sacræ pascuntur boues custode nullo, Deæ caractere insignes, quæ lampas est. Rodigi. lib. 7. c. 31. in fine.

Amphistides ita stolidus, vt se parentes habuisse negaret. Zara.

Hedera variat, cultu enim arborescit, & cum ad eam ætatem peruenit in qua fructum ferre potest totam faciem mutat, nam per se erigitur, nullum adminiculum quærens, folia mutat vt quæ prius in plures angulos desinebant, excepto eo qui in summo est, rotodantur. Honores mutant mores. Augustus. primo signauit aliena imagine, vt Alexandri, tandem sua. *Vide Minoritas Principij*. initia à paruis.

D. Chrisost. homil. 16. in 2. ad Corinth. dicit stultas esse preces eorum qui Deum rogant, vt hominum ope & auxilio non egeant, nam in omni re, in omni tempore aliis indigemus, artes & scientiæ auxilium sibi mutuò præstant, quo quis est potentior pluribus indiget ministris, vt magna nauis pluribus indiget armamentis, quam schafa.

Qui sunt frugi vitæ vt qui sibi sufficere possunt, facultatem habent transigendi de alimentis, non verò qui sunt vitæ segnioris quæ pendet ab alimentis. l. cum hi. §. sed & personarum. ff. de transactio, & Cuiac. obseruat. lib. 1, cap. 3.

Vix datur independentia, sed vnus pendet ab alio. *Vide Media Potestas*.

Nemo potest seipsum absoluere & alia sacramenta conferre nouæ legis, etiam si sit Papa; secus tamen erat in veteri lege, vbi quis poterat seipsum circumcidere. Tostat. in Iosue. 28. c. 4. 1. & in Math. 187. c. 1. a.

Fœlix qui à suis opibus opem quærit. Age quod potes, quod agis, poteris: adiuuat facientẽ Deus.

Matathias sine populo princeps, Pontifex sine templo, se, filios, familiam, in sacram militiam contra tyrannum conscribit.

Christus cum duodecim annorum esset quærenti matri dixit, nesciebatis quod in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Et Mat. 12. quasi gloriarentur de authoritate quam in eum habebant iure sanguinis Indepentem se ab illis ostendit, dicens, quæ est mater mea, qui sunt fratres mei &c. D. Chrys. hom. 45. in Math.

Vide Contrarietas Principij. actio licita in parentes.

Occeanus non recipit aquas à mediterraneo.

De præclaris hominibus qui gloriã suã habent à se, non à maioribus. *Vide Maioritas Principii Reipug*. effectus suis causis præstantiores.

Quod est per se, est præstantius. *Vide Veritas Maioritatis*.

Quæcumque natura priora sunt, his sublatis posteriora tolluntur, quod si posteriora pereunt, nihil de statu prioris substantiæ permutatur, vt animal prius est homine, &c. stat sine homine. Boëtius de Arithmetica. c. 1.

INITIA A PARVIS, Bona

Stellæ quæ in oriente ob vapores, aciem tremulam quatiebant, eædem ad cœli verticem progressæ, minus id agunt.

Vide Duratio Virtutis. Mora in acquirenda virtute.

Quatuor sunt præcipui colores, niger, albus, luteus, & ruber. Nigredo autem cæterorum colorum radix & origo est; quæuis enim materia nigra, ad suum tempus reuerberari potest, vt etiam tres cæteros colores suo ordine producat. Nigredinem sequitur candor, candorem flauedo, flauedinem rubedo; ita hyeme herba nigrescit in radice, albescit in gemma, & multæ in flores luteos rubeosque desinunt. Paracelsus lib. de imaginib.

Fœtus omnes animalium iuuenum sunt minus perfecti, & oua gallinarum iuuenum sunt cæteris minora, propter nutrimentum, quod in iu-

Digitized by Google

uenibus maximè transit in substantiam corporis. Albert. Mag. lib. 6. de animalib. cap. 3.

Pictores tabellas primum liniunt fuscis coloribus. *Vide Contrarietas sub initiis.*

Arist. in mirabilib. miratur præcelsas arbores nasci, sine semine ex rupibus, mœnibus, turribus. Caparis in mœnibus, & inculto solo nascitur.

Quando planeta est in primo gradu signi, est debilis virtutis in quæstionibus & iudiciis. Bethen. centiloquij. n. 23.

Metallum quodlibet in terra generatum, non splendet, sed videtur lapis nisi igne purgetur.

Qui vult salire prius genua inflectit, & ad terram inclinatur.

B Ex tempore loquentes, tarda primum pronuntiatione sibi moras faciunt, vt tamen deliberare non hæsitare videntur; sic è portu soluens nauis nondum aptatis armamentis leuè prouehitur. Quintil. Inst. orat. lib. 10. cap. 7.

Idem lib. 12. cap. Iuuenem in forum ad agendas causas ductum vult incipere à facili & laudabili, vt catuli ferarum molliore præda saginantur; donec sciant quid sit pugna, & in qua re studendum, reficiatur, renouetur, & quasi recoquatur.

Oliua primum quidem amarum saporem profert, vna acidum, quibus commutatis, illa quidem pinguem, hæc verò vinosum suppeditat. In palmæ fructu sapor acerbus; in punico malo austerus, in dulcem commutantur. Plutarchus. lib. de causis naturalib. cap. 5.

C Pretium arram, multoties excedit. Cibi concoctu faciliores prius sunt sumendi, ne diutius hæreant in stomacho, via ab alijs occupata.

Matrimonium infidelium, fit sacramentum post susceptionem pabtismi, quando scilicet per baptismum, interueniunt noui consensus, vel prioris ratihabitio.

Luc. 12. dicit Christus Apostolis. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Designat infantiam nascentis Ecclesiæ, quam venire ad regni sui insulas, incrementis cœlestibus mox promittit. D. Chrysolog. serm. 22.

D Historiæ nationum sub initiis sunt incertæ, licet in progressu certa proferant.

In semine omnia sunt dissimilia ab eo quod debet generari, perficiuntur autem perseuerantia insiti caloris.

Quando licet vti malo medio. *Vide Virtus Medij. Repugn.*

Flores ante fructus, pueritia ante virilitatem.

Sol meridianus dissipat nebulas, quas oriens congregauerat.

Argumentum habemus mundum incœpisse, quia authores omnes referunt primos homines glande vixisse, cauernas habuisse pro domibus, tandem pro sui tutela pagos & ciuitates condidisse; Sic artes omnes paulatim adultæ, probant initium à paruis habuisse. Ita Diodor. Sicu. lib 1. Vitru. Arch. lib. 2. c. 1. *Vide Duratio Cognitio Mora.* Nunquam mundus apparuisset sic infans & rerum ignarus, si fuisset ab æterno.

E Homo primum viuit vita plantæ, deinde vita animalis, postea verò vita hominis. Arist. 2. de gener. anim. cap. 23.

Basis columnæ non habet ornamenta partis superioris.

Ignorans non credit ex spina hyeme ostensa, nasci paulo post rosam, pulchram, odoratam. sic vix creditur nascendus fructus ex spiritu Christi; formi., qui latet Cusar. excitat. lib. 5. cap 6.

De postremo natis, prælatis primogenitis. *Vide Gloria Durationis Repugn. Vide Gloria Finis.* difficili initio lætus finis.

Initio Ecclesiæ fides multis paganorum superstitionib. erat mixta. *Vide Magnitudo Virtutis.* integra debet esse virtus.

Natura sumit principium à perfectis secundum causam agentem, formalem; non autem secundum causam materialem, sed ab imperfectis.

Principia sunt parua quantitate & maxima virtute, & simplicia ad plurima se extendunt.

Quarumdam plantarum folia initio rotunda, in angulum deinde se colligunt, quasi formam istam suæ perfectioni congruam assumere debeant, quod ita fit, quia res simplex facilior est, quam multiformis, & principium rem difficilem peragere nequit, quia debile est. Theophrast. de causis plantar. lib. 2. c. 22.

Exceptis frumentis fructus omnes sunt amari & acerbi, priusquam coctione fiant dulces. Ibid. lib. 6. c. 8.

Iambus ex breui & longa constat.

De litera Pytagoræ cuius dextra pars est initij angusti. *Vide Volun. Virtus.*

Quæcumque ob putredinem generantur, è vermibus generantur; animalium enim origo per hoc tanquam per medium transit omnia animalia, sic generari potuisse videntur: artificis enim exemplo statua primum informis dolatur, inde per singula membra distinguitur. Sic calor naturalis primum formam vermis effingit inde ex illo animal quodcumque; sed & fœtus perfectorum animalium in vtero fermè hac via procedunt. Cardan. lib. de rerum varietate. cap. 27.

Fluuij qui non cadunt ex altis montibus, sed humilem habent originem, placidè fluunt in campestribus. Ignobiles sunt magis pacifici quam nobiles.

Terra prius protulit herbas quam arbores & animalia, proterea Deo velut primo parente herbas & earum fumigationes antiqui offerebant. Rodigin. lib. 12 c 1.

Multis visum est sonum in orbicularem figuram multis gradatim amplificatam circulis ad aures peruenire, non aliter quam in stagno ex iactu lapidis ab alto circuli multiplicantur ad littus. Idem lib. 19. cap. 14.

Independentia sensim acquiritur. *Vide Minoritas Principij* independentia, de hedera.

Primas tabulas legis in litera confregit Moyses & abiecit; secundam legem in spiritu suscepit, & sunt firmiora secunda quam prima.

Rursus idem ipse cum omnem legem in quatuor libris comprehendisset, deuteronomium scribit, quod secunda lex dicitur. Hismael primus est, secundus Isaac, & similis in secundo prælationis forma seruatur, hoc in Esaü & in Iacob; in Effrem & Manasse, in mille alliis similiter inuenies adumbratum. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis 1. Cor. 15. Origen. homi. 9. in Gen.

Elcana duas habuit vxores, vni nomen Fennena de qua prius habuit liberos non celebres, alia dicebatur Anna, vnde Samuel.

Multæ sanctæ mulieres in scriptutis referuntur initio steriles, vt Sara, Rebecca, Rachel, Anna mater Samuelis, & in Euangelio Elizabet, omnes autem illæ post sterelitatem, sanctum ediderunt partum. Id. hom. 12.

D. Augustin. exponens hæc verba Genes. In principio Deus creauit cœlum & terram. Per cœlum dicit intelligi informem naturam spiritualis vitæ sicut in se potest existere non conuersa ad creatorem in quo formatur: per terram corporalem materiam sine omni qualitate quæ apparet in materia formata. Magist. sentent. lib. 2. dist. 2. q. 2.

Gen. dicit, posuit Deus hominem in paradiso voluptatis quem fecerat, his verbis apertè Moyses insinuat, quod homo extra paradisum creatus est, postmodum in paradiso positus, vt non naturæ, sed vt gratiæ hoc assignaretur. Ibid. dist. 17. q. 2. & Tostat. Gen. fo. 92.

Lux quæ legitur prima die facta erat lux solis quæ simul cum substantia luminarium quæ est subiectum eius, fuit prima die producta: quarta autem die attributa est luminaribus determinata virtus ad determinatos effectus & ideo D. Dionys. 5. de nominib. diuin. quod lux illa fuit lux solis, sed adhuc informis, quia nondum erat illi collata virtus ad speciales effectus solis. D. Tho. quæst. disputat. q. 4. a. 2. ad 6.

Apud Iudæos dies incipit ab occasu solis, vt patet leuit. 23. cum dicitur à vespera in vesperam, celebrabitis sabbatha vestra. Tostat. Exo. to. 1. fo. 74. c. 3. h.

Manichæi irrident Deum veteris testamenti, quod fecerit tenebras ante lucem. Id. Genes. fo. 4.

Nox secundum Hebræos præcedit diem. Id. Exo. to. 1. fo. 95.

Fuit aliquid admirabile in omnibus qui nati sunt ex matre prius sterili. Sic Samson. Iudic. 13. Isaac Gen. 18. Samuel. 1. Reg. Iacob & Esaü. Ioseph. Gen. 30. Ioannes Baptista, Math. 11. Id. Iudic. fo. 150.

Initia generabilium sunt mole parua, virtute maxima. Vide quæ scripsi, de iure naturali. lib. 1. lege 16. § 1.

Math. 13. Ecclesia per totum orbem diffundenda comparatur grano synapis. quod surgit in olus maximum; & pauco fermento quod totam farinæ massam in se conuertit, quod semel fermentatum est, fermentum rursus ad reliqua efficitur; & quemadmodum fauilla cum in arida ligna inuertit, quæ vi sua deinde vel viridia ligna facilè incendit; eodem modo prædicatio. &c. D. Chryso. hom. 47. in Math.

Forma in puncto generationis adueniens, omnes caracteres sui seminis non habet. Oua auium fœtent ante pulli constitutionem.

Athenienses numerabant diem ab occasu in occasum, & hinc dicimus æquinoctium non æquidiale. Cuiac. obser. lib. 15. cap. 12.

Arbores, plantæ, animalia, in semine suo sunt exigua, nec enim possunt esse magna in parua qua continentur quantitate, aliter non possent vtero gestari, edi, nutriri, sensim incrementum accipiunt, quod actiuæ potentiæ fructus est, & stipendium, donec pro corona perueniant ad vltimam speciei concessam amplitudinem, hinc docemur actionibus impetu se proferentibus modum dicere, ne turpiter deficiant, & præcipitem audaciam diuturna sequatur pœnitentia. Vis paulatim se proferens perficitur exercitatione, certos sibi comparat habitus, nouas illustrationes quibus agenda videt, aliis quam prius oculis, castigata præcedenti mentis præsumptione. A magnis incipiẽtes indignata deiicere conatur inuidia, at filet successiuis profectibus sensim effecta familiaris, & si quando velit in istos inquirere, velut naturæ consentaneos & æquissima laborum præmia minus improbat.

Bonus pannus, pulchrum non habet limbum.

MALORVM PARVA initia.

Vide Potestas Minoritas. Minima ad malum valida.

Famam primum facit vnius hominis audacia, de nulla re loquutus est continuo populus; nihil statim totum est, vt in illo pariter, omnium fermo consentiat; malus de fabula crimen facit. Quintil. decl. 11.

Paruo initio lites magnas, hominis lingua producit.

Vide Duratio Minoritatis. continuatio defectus.

In magnis ignibus succendi incipientibus, tenebræ ex fumo plurimo videntur extolli, sic in consommatione mundi per ignem obscurabuntur luminaria & stellæ. Origen. tract. 30. in Math.

Extremi defectus solent à paruis incipere. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 3. lege. 4. § 1

Magna vitia a minimis, incipiunt. *Vide Magnitudo Virtutis,* à minimis etiam peccatis cauendum.

Hæresis incipit à paruis. *Vide Cognitio contrarietatis. Rep.* latens iniuria.

Serpens in ouo.

ILLEGITIMI. SPVRII seu bastardi.

A Quibus excludantur Illegitimi. Vide plura apud Chassen. in catalogo gloriæ mundi 11. consider. parte 15.

Diuinum quiddam est in legitimis natalitiis hominum, quo qui caret nothus dicitur, quasi numine priuatus, vel à diuinitate alienus. Suidas in voce νόθος.

Olim designabantur per has duas litteras. S P. quasi sine patre. dicebantur etiam terræ filij. Plutarch. in quæstio. Romanor.

In arcam Noë non intrauerunt animalia quæ ex putrefactione generantur. Tostat. in Genes. fol. 34. c. 4. g. sic illegitimi à multis dignitatibus excluduntur.

In religione quæ sacerdotes à coniugio prohibet, & à filiorum generatione, significatores vxorum, declarant concubinas, & filiarum, filios illegitimos, vel adoptiuos Cardan. aphor. sect. 2. aphor. 207. Luna cum cauda adulterinum significat, & Ib. sect. 3. aph. 143.

Consolatio in origine ignobili. Vide quæ scripsi, moral. Christ. to. 4. parte. cap. 11.

Cum Poëtæ loquuntur de Deorum adulteriis intelligunt de coniunctionibus planetarum & stellarum extraordinariis, & quæ non sunt eiusdem naturæ. Leo Hebræus. dial. 2. de amore.

De herbis non quæritur, in qua terra, vel cuius hortulani cura cultura vel adoleuerint, dummodo vim habeant sanatiuam. Petrus Blesens. ep. 8.

Id. epist 21. de quodam superbo dicis, publicè

Digitized by Google

scitur quod non sis filius regis, licet is qui te genuit, fuerit coronatus. Erat filius sacerdotis.

Nasci de adulterio, non eius culpa est, qui nascitur, sed illius qui generat. Inter secretas ventris angustias, eadem Dei manus semper operatur, idemque est corporis & animæ creator. Iepthe inter viros sanctos Apostoli voce laudatus meretricis est filius. D. Hieronym. ad Pammach. aduers. errores Ioan Hierosolym.

Bulla Sixti V. an. 1587. prohibet illegitimos admitti ad religionem, ne malos parentum mores quos solent imitari, in illam inferant, & homines à carnis flagitiis abstineant, præcluso hoc suis liberis aditu.

ORIGINIS VILITAS non contemnenda.

CHristus in genealogia sua voluit nominari Thamar fornicariam, Salomonem ex adulterio natum. Nihil ob nostra mala erubescens, docensque vt non erubescamus de vitiis parentum, sed virtutem quæramus quæ ab origine sordida non polluitur; & vt confunderet Iudæos ostendens eorum progenitores subditos fuisse peccatis. D. Chrysosth. hom. 3. in Mathæ.

Petrus Blesensis epist. 3. grauiter increpat virum genere nobilem qui sacellano suo vilitatem familiæ exprobrarat, ab vno patre discendimus vniuersi, Christus vnicus nostræ generositatis autor, de iustis, de magnis & humilibus carnem traxit; apud eum omnis conditio, omnis fortuna acceptatur, qui gloriatur in Domino glorietur; quid iactas genus tuum? vaga & incerta est hominum generatio, qui putatur principis filius, fortè est culinarii, histrionis. &c.

Simile prosequitur argumentum D. Chrysosth. & probat si diuitum & principium altius inquirantur origines, auos abauos reperiri vilis conditionis homines, forte agazones.

Vide Duratio Virtutis. consolatio in humilitate generis.

Vlpho Rex Daniæ ex vrso genitus. *Vide Concord. Different.* amor & coniugium diuersorum.

STERILITAS.

V*Ide Minorit. Bonitatis.* defectus largitionis.

Qui frigore pereunt, mortis initium à genitalibus suscipiunt, mortuis ideo genitalia inuoluta & corrupta inueniuntur. Cardan. lib. de rer. varietate. cap. 44.

In arcam Noë non intrauerunt animalia, quæ sexum habent, sed non gignunt, vt mulus. Tostat. in Genes. fol. 57. c. 4. h.

Quando fit in scripturis mentio de bouis immolatione, intelligendum est de tauro, nam nullum animal castrari debet in Israël. Idem. Leuit. 22. Tostat. num. to. 1. fo. 83. co. 3. l.

Iustinus Martyr refert de iuuene qui se voluit castrari. *Vide Minoritas Gloria.* virginitas

Spadones non corripiuntur Elephantia, ideo non remouentur à clero, qui vt morbum hunc vitarent, consilio medici virum sibi executerunt. Vide c. 5. de corpo. vit. & Cuiac. obser. lib. c. 17. c. 24.

Maximum beneficium & ceterorum fundamentum fuit nasci & ex rerum possibilium abyssis A in existentiam venire, nunquam satis æstimando ab extremis transitu: de non ente fit ens, homo mundi compendium, Imago Dei, ratione cuncta cõplectens & regens, temporis proles, æternitati nascitur. Singularis hæc gratia publicum munus est, dum decedentibus indiuiduis, noua substituuntur tali multitudine, quæ variis ea depascentibus casibus sufficiat, saluamque semper præstet nobilioris creaturæ speciem. Nostrum est ex legitima sexus commixtione materiam offerre Deo qui hanc in corpus organicum, mira partium proportione conformat, rectè disposito rationalem animam, creat, infundit, fœtum fo- B uet, educit, per ætatum gradus congruis illustratum, & excitatum gratiis promouet ad perfectionem cœlo dignam Recenseantur heroum præclara facinora quibus bello, paceque publicæ libertatis fuere vindices, Enumera sanctorum inuictam fortitudinem, quæ deuictis primum suis cupiditatibus, cæteros mortales à feris moribus, ad ciuiles diuinasque virtutes conuerterunt; Videas licet illos emeritæ charitatis coronas in cœlo consequutos, pares Angelis in æterna Dei fruitione fœlices, totum hoc quod miraris, quod suspicis, quod recta ratio conceptis votis sibi proponit consequendum, incœpit à generatione, boni sic eminentis, sic diuini, tam humile, etiam C turpe fuit initium. Facile tamen, amoris raptu, voluptatis illecebris, ad id proritante natura, ne cœlestium auida mens, hoc brutis commune corporis ministerium aduersaretur. Raptus est feriata ratione, quia quod publicum est, priuatorum arbitrio totaliter non debuit relinqui.

A parentibus accepimus vitæ facem, sub ea tacita conditione vt similiter filiis nostris traderetur, ab his ad posteros per manus transiret, generationum serie, nullum, nisi cum mundo finem habitura. Reddit ergo depositum naturæ, qui sibi successorem generat, at inficiatur & huic publico deficit officio cœlibem vitam agens; Olim creditum est, id fieri mala fide, si quis conditio- D nem hanc eligat, ocio suo nimium indulgens. Apud Iudæos: infamis, lugenda, maledictione digna visa fuit sterilitas, siue casu, siue mala genesi velut irato semper cœlo contingeret hæc impotentia; Turpis censetur non seruans generaliter à Deo dictam legem, Crescite & multiplicamini; turpis aliorum sortem non sequens, naturæ debitum, velut decoctis facultatibus imparata soluere. Cum omnia sibi simile producant, verus non censetur homo, qui hominem non producit, sed instar monstri habentis exoticas, malignasque qualitates, vlterius non propagandas, damnatur. *Ex Principiis.*

E De bono prolis. *Vide Bonitas Principij.*

D. Hieron. ad Lætam de institu. filiæ, prohibet Virginem lauari cum Eunuchis, quia non deponunt animos virorum & Epist. ad Demetriadem. In Eunuchorum, inquit, & truncatorũ corporum violenta pudicitia, animi considerandi sunt, qui, amputari nisi Christi amore non possunt. De Leontio quodam qui se castrauit vt abuteretur Virgine. *Vide Veritas Virtutis Rep.* falsa virtus hæreticorum.

Causas sterilitatis in terra. *Vide Minoritas Bonitatis.* mala ex Alberto.

Eunuchorum & spadonum vtroque teste carentium coniugium damnauit, prohibuitque, & contracta separauit Sixt. V. const. 59 p. 452. to. 2. Bull.

Digitized by Google

MEDIVM BONITAS MEDII.

VSVS MEDIORVM NECESSARIVS ET OPTIMVS.

ALBERT. Mag. tract. 1. de motib. animal. cap. 3. Non existimat motricem intelligentiam, aliquid inducere in materiam generabilium nisi per motum orbis. Vnde prodigia quæ ab ipsa fiunt ex astris præuidentur. Ita cœlum mouet per lumen aërem, & per ignem, & per aërem mouet terram, & vniuersaliter loquendo primus motor in ordine naturæ & artis, mouet tertium per secundum, & quartum per tertium & secundum, & sic venit virtus primi mouentis vsque ad vltimum quod mouetur.

Anima cum sit vna, indiget instrumento vt faciat multa. Vide *Minoritas Medii.* non vti medio.

Sicut humidum radicale seu seminale per nutrimentum multiplicatum, præstat nutrimentum & augmentum membris; Ita etiam vapor alimenti in corporibus animatorum, adiunctus spiritui seminali restaurat eum & auget, vt fortis sit ad vehendum virtutes animæ in corpus. Albert. Mag. tract. 1. de spiritu & respir. c. 5.

Vegetatiuum potest esse sine sensitiuo; sed sensitiuum non potest esse sine vegetatiuo, quod quidem est in ipso sicut potentia; non sicut perfectio, aut terminus. Id. tract. 1. de natura animæ. c. 4.

Homo cibatus leuior est homine ieiuno, quia per cibum excitatur calor naturalis qui prius torpescebat. Arist. in proel. alæ licet pondus suum habeant, auem subleuant. Sic de rotis in curru.

Cassius militi sine gladio discurenti dixit, heus tu, commilito pugno benè vteris. Quintil. lib. 6. c. 4.

Deus producere solet tum ex nihilo, tum ex his quæ sunt: terram quæ prius non erat produxit; genera verò arborum & plantarum ex illa germinare iussit, fecit lucem, & ex luce luminaria. Theodoretus in Genesim. quæst. 14.

In statu naturæ fuerunt quædam sacramenta, quia non est credibile Deum qui vult omnes saluos fieri, reliquisse homines sine remediis quibus possent saluari: hæc autem erant, protestatio fidei à parentibus pro paruulis facta; Sacrificium quale quod Iob offerebat pro liberis. In

A lege scripta erat circumcisio, sacrificium, Agnus Paschalis, &c.

In lege Euagelica sacramenta sunt necessaria necessitate medii ad salutem, & præcepti supposita Christi institutione Bonac. disp. 1. q. 1. de sacramentis. Materia autem sacramentorum est determinata, quo ad illa accidentia cum quibus inseruire potest confectioni sacramenti. Vt in baptismo aqua debet esse fluxibilis ad ablutionem, in Eucharistia vinum debet esse extra racemos aptum ad potum.

Ad sacramenta conficienda duplex ritus consideratur; vnus essentialis seu de necessitate sacramenti, qui consistit in materia, forma & intentione ministri. Alter accidentalis, quæ est actio externa

B religiosa, qua decorè & ornatè sacramenta administrantur; sine hoc ritu validè quidem, sed non licitè & cum peccato mortali ministrantur, si materia sit grauis. Ib. in fine disputat. 1.

De cæremoniis Ecclesiæ. Durandus, Hugo à S. Victore, to. 3. Biblioth. Patrum. to. 10. Isidor. Hisp.

Qui dat formam, dat etiam ea omnia quæ consequuntur formam.

Nulli liceat oratorium in agro constituere, nisi dotetur & clerici ei deputentur, qui ibidem sua officia impleant, vt sacris locis, reuerentia condigna tribuatur. Conc. Aurel. IV. can. 33.

Cuilibet habenti aliquam naturam, conueniunt ea quæ sunt propria illi naturæ.

C Omnia semina prius radicem mittunt, quam caulem. Theoph.

Ex septem sacramentis quinque sunt necessaria, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, & extrema Vnctio. Voluntaria duo Ordo sacer, & matrimonium cap. veniens. 8. de transactio. can. remissionem. in f. 1. q. 1. Baptismus sacramentum intrantium, can. nulla præter de consecr. dist. 4. Confirmatio ad robur pugnantium; Eucharistia ad viaticum saluberrimum progredientiũ; Pœnitentia redeuntium & resipiscentium; extrema Vnctio ex hoc seculo exeuntium, Ordo diuinis deseruientium; Matrimonium, generantium.

Seipsum nemo baptisare potest. cap. debitum de baptis.

A Sicut anima in corpore quendam effectum inducit immediate in omnibus membris, vt esse in quantum est forma corporis; alium autem inducit in vno membro mediante alio, vt motum; Ita etiã Deus in omnibus ordinibus cœlestis hierarchiæ immediatè inducit vitam naturæ, gratiæ & gloriæ, sed ad executionem officiorum diuinorum, mouet eos ordinatè, per primos medios, & per medios vltimos, & ideo non ponitur natura vel gratia vel gloria in definitione hierarchiæ, sed scientia velut dirigens actionem in diuersis officiis. D. Thom. in lib 2. Sentent. dist. 9. a. 1.

Diuinæ prouidentiæ & bonitatis magnitudo magis manifestatur in hoc quod inferiora per superiora gubernat, quam si omnia gubernaret immediatè, quia secundum hoc quantum ad plura diuinæ bonitatis perfectio creaturis communicatur. Id. in quæst. disp. de prouidentia q. 5. a. 8 ad 11.

Numquam Deus agit sine ministro, nisi id quod fit excedat potentiam creatam. Tostat. Exod. 10. 1. fol. 59. co. 2. c.

Ezechias sanatus est posita massa ficuum super vlcere suo & id factum fuit iuxta morem patrum veteris testamenti, qui quando faciebant miracula præmittebant aliquas cæremonias, quæ licet viderentur conferre, non conferebant Id. 4. Reg. 202. vt patet de Elia. *Vide Cognitio Virtutis. Cæremoniæ.*

Si Deus prouidentiæ executionem exequeretur per se, multa superuacua essent in vniuerso, nec posset tam abundanter eius bonitas ostendi. Idem. Math. 10. 5. fo. 26.

Semen masculinum potest seipsum organisare, sed non per se, nisi coniungatur semini fœminino. Idem. parad. fo. 9.

Tentat Deum qui ab eo solo expectat quod per industriam humanam potest acquirere. Id. Exo. 10. 1. fo. 9. nisi eius rei fuerit consilium, vt nolite portare sacculum; nolite præmeditari quid loquamini coram iudicib. &c. Ib.

Decima domus artem significat, & secunda diuitias quæ arte parantur, est enim in signo eiusdem naturæ, & sexta labores, bestias, & seruos ad artem & diuitias comparandas necessaria. Cardan apho. sect. 3. aph. 140.

Nihil agit seipso, sed indiget auxiliis. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege. 3.

Agens congruis instructum esse debet mediis & instrumentis. Ib. lege 4. Nihil rectè fit, fine congruis organis Ib. § 1.

Qui dat rem, dat & apta ad illam media. Ib. § 2.

Genes. 2. posuit Deus hominem in paradiso, vt operaretur & custodiret illum. Non labor, sed exhilaratio hominis fuit, operatione sua quæ Deus creauerat, feraciora efficere & lætiora. Alcuin. in Genes. interroga 51.

PRÆPARATIO mediorum.

HOmo nobilior creaturis inferioribus sexto tantum die creatus est, vt creator, mundum quasi domum præpararet, & post introduceret habitatorem. Alcuin. in Genes. interrog. 9.

Semen cuiusque plantæ primum mittit radices, sic fœtus animalis venam vmbelicalem. Pacis vel hyemis tempore, parantur commeatus necessarius ad bellum.

Cum ambitus vrbis Babylonis sit 368. stadiorum, tectis tantum occupatur per 80. stadia. Cætera serunt coluntque, vt si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius vrbis solo ministrent. Q. Curtius l. 5.

Præmuniri debent qui contraria & aduersa sibi ventura præuident. *Vide Cognitio Contrarietatis.*

Præuisio mali futuri. Sic muniuntur vrbes tempore pacis; instruuntur naues contra tempestatem, antequam soluant è portu; per æstatem apes, formicæ, mures syluestres alimenta congregant, &c.

De lacte in mammis virginum. *Vide Bonitas Principij.* in fine præcoci naturæ cura.

B

QVÆDAM MELIVS fiunt per media.

MElius est interdum, vti intermedio, quam immediatè agere; quia virtus immediata est nimis potens, & minus proportionata vtentibus. *Vide Maioritas Medij Repug.* Effectus suis causis præstantiores. *& Maioritas Medij.* Medium potentius. Sic dicunt Israëlitæ, voce diuina territi. Moyses loquere tu nobis, non Deus.

C Si quis incantatus fuerit, per magicas imagines, remedia non debent adhiberi ipsi patienti corpori; sed fingenda est absque cæremoniis, imago cærea, laboranti quantum fieri potest similis, & parti, simili parti dolenti, applicanda remedia. Paracels. lib. de Philosophia occulta.

Manus Dei primum creauit plantas omnes & animalia, deinde indidit illis vim generatiuam, vt sibi simile generarent. Ita Deus non producit nunc immediatè. Sic homo factus, vt naturam, idest artem Dei imitaretur. Et esset ipse syderum manus & instrumentum, per ipsum enim sydera

D operantur, & eorum vires in corporalitatem perducuntur. Id. lib. 1. sagacis Philosophiæ cap. 3.

Deus qui poterat nos creare sine generatione, seruare sine cibo & potu, voluit tamen nos conuenientibus vti mediis, scientiis, artibus, operationibus, quas ideo concessit, ne desides expectaremus, assatam per ventos allatam columbam. Sic vrgente fame, imus ad pistorem; peccato detenti, imus ad sacerdotem, cui data est potestas peccata dimittendi. Dictum enim est homini, in sudore vultus tui comedes panem tuum. Ib.

Sol in terra stare & defigi non potest, nec tamen terra sole carere potest, solem ergo adipis-

E citur per ipsius radios. Vliginosa & infertilis fieret terra, si omnis humiditas in ipsa stagnaret, melius ergo est per nubes desursum irrigari. Ibidem.

Media in visione necessaria. *Vide Voluntas Bonitatis. Mala.* nimius sui amor.

Est quoddam elementum primum corporum efficiens, & non ingrediens compositionem per substantiam & esse, sed influens omnibus tam simplicibus quam compositis suas virtutes, & hoc dicitur quintum elementum, diuisum ab omnibus aliis, habens cum elemento similitudinem, quia ipsum est faciens compositionem, & immixtum composito per virtutem. Scilicet cœlum. Albert. Mag. tract. 2. de propriet. elementorum. cap. 1.

Animalium corpora, maximè recedunt ab elementis, & sunt nobiliora, ideo non generantur ex elementis proximè, sed oportet elementa commisceri in humores, & ex humoribus in quibus sunt virtutes elementorum; fieri animalium corpora, vt in bile ignis, in phlegmate aqua&c. Id. c. 2.

Plantis ita fimus debet adhiberi, vt non ad radicem stillet nisi rigatione pluniæ, aut aquæ desuper fusæ. Idem lib. 7 de vegetabil. cap. 1.

Luna quæ terræ vicina est, regit omnia terrea ad pullulationem & præcipuè propter hoc quod ipsa mouet lumine solis temperato, quod in ipso sole aliquantulum intemperatum est; In sole enim est coniunctum sicco, & ideo est adustiuum humidi seminum, vnde reguntur nouellæ plantæ. Ib c. 9.

B Ideo in quolibet cœlo duo sunt motores. *Vide Medium Potestatis, vicaria potestas.*

Verum est quod causa prima, intensius influit, & in pluribus eminentius & potentius quam causa secunda: sed verum est quod determinatius influit secunda quam prima, magis enim ad formam determinat id quod influit causa secunda, quam id quod influit causa primaria. Albert. Mag. lib. 2. de processu vnius. cap. 5.

Certius fit iudicium de homine ex stellis secundis, idest physionomiæ accidentibus, quam ex stellis primis. *Vide Potestas Medii.* vis alimenti.

Res melius fit per illustre medium quam seipsa. *Vide Gloria Medii.* Illustre medium.

C Sol est fortuna per aspectum, infortuna per coniunctionem corporalem, nam comburit extinguitque planetam qui coniungitur ei. Haly. 1. parte. cap. 4. de sole.

Medicus, agricola, faber, & alii artifices melius quæ ad suas artes pertinent, per oratorem, quam per se exponent. Quintilia. Instit. orator. lib. 2. cap. vlt.

Solitarii debent externa negotia per alios exequi. *Vide Gloria Virtutis.* solitaria virtus. Sic D. Gregor. PP. in Registro. lib. 1. epist. 10. dicit Ecclesiam non solere dare reliquias Martyrum, sed tantum lintea quædam quæ illas tetigerint.

Qui offerebat victimam manum ei imponebat. Exod. 19 vt significaretur pro eo sufficì & occidi. Theod. in Exod. quæst. 61.

D Nemo potest seipsum baptisare baptismo fluminis vt nec sanguinis. Bonac.

Aristoteles. 8. Physicor. 2. de cælo, & 2. Metaph. asserit Deum immediatè non agere, quoniam immutaretur, & ita Deus non esset.

Qui vtuntur vnguento sympathico seu armario vulnus illatum melius curant vnguentum suum adhibendo gladio, aut panno sanguine vulnerati infecto; quam ipsimet vulneri.

Plato opiniones suas sub nomine Socratis & aliorum Philosophorum exposuit, ne teneretur de his rationem reddere.

E In montibus Aluerniæ, Alpium, Heluetiorum, Pyreneorum, cum terra propter rupes non sit disposita ad aratrum, est tamen ad nutritionem armentorum vnde viuunt homines, lacte, caseo, butyro, carnibus.

Principis persona, sine magna causa non debet periculis obiici, quia in eius vita, plurium vita consistit.

Non licet Presbytero, nec Diacono quemquam inscribere, sed in vice sua si causam habuerit, aut fratrem, aut quemcumque sæcularem, roget. Concil. Antissiodorense. can. 41.

Viscum, licet ferat semen, tamen non nascitur in terra, sed in arbore, itaut sit alieni inristid datum est ei à natura vt non nisi *in aliis* valeat prouenire, sicut & animalia quædam; non nisi in animalibus possunt creari, cocoys in alieno nido oua supponit, Theophr. de causis plantar. lib. 2. cap. 24.

Contraria est independentia; de qua *Vide Minoritas Principii.*

Plantæ sibi mutuo ad generationem auxiliantur. Infirmæ fortioribus incumbunt, & vitam apud alium agunt, vt hædera, smilax, cucumis, vitis cum suis claniculis apprehendit. Ibid. apud Theophr. & *Vide Concordantia Maioritatis.* Societas cum excellentioribus.

Prælati Ecclesiastici habentes iurisdictionem temporalem possunt absque vllo priuilegio constituere iudices sæculares, in causis sanguinis licet eas per se non possint exercere. Bonacina de restitutionibus. q. vlt.

Princeps aut Iudex qui alios punit propter patrata delicta, non potest sibi mortem infligere, si commisit graue delictum morte dignum, quia respectu sui non habet publicam potestatem, sed eam habet Respublica, cui vt alteri poterit seipsum tradere iudicandum.

Tyranno Rempublicam obsidente, & nolente desistere nisi occidatur innocens; Non potest hunc innocentem Respublica occidere, sed tyranno tradere. *Vide Gloria Concordantia.* publica priuatis præferenda. Id enim non potest per se exequi quod est intrinsecè malum.

Quidam senex dicebat se semper orare, quia manibus laborans, partem pretij dabat pauperibus qui pro ipso orabant, cum & ipse laborando, corde aut ore semper oraret. Vitæ patr. lib. 5 c. 22.

Ordinariè Deus infundit charitatem creatam in anima. *Vide Princip. Voluntatis.* Charitas à Deo.

Accommodat mater Ecclesia infantibus, aliorum pedes vt veniant, aliorum cor vt credant, aliorum linguam vt confiteantur. D. August. serm. 10. de verb. Apost.

Deus non efficit rem omnem, sed dantur entia secunda *Vide Potestas Medii.* vis instrumenti.

Deus cum sit essentia immutabilis nunquam per se apparuit hominibus, Deum nemo vidit vnquam. Ioa. 1. sed tantum apparuit per Angelos. D. Thom. in lib. 2. sentent. dist. 8. q. 1.

Cum motus naturalis sit corporis existentis extra vbi naturale, & id non conueniat cœlo, inferunt cœlum moueri ab aliquo intellectu non immediatè ab ipso Deo, hoc enim non congruit ordini sapientiæ suæ, cuius effectus ad vltima per media deueniunt, vt Dionysius ait. Ib. dist 14. a. 3.

In imperfectorum animalium generatione efficit vis cœlestis, inferiori materiæ impressa, quod in generatione animalium perfectorum facit eadem vis cœlestis cum virtute seminis. D. Tho. in quæst. disput. q. 3. a. 8. ad 15.

Illustres personæ in causis siue ciuilibus siue criminalibus cōuenientius agunt per procuratorem, ne cogatur aut sedere cum iudicibus qui eos iudicant, stare, cum dignitate sint maiores. Nou 71.

Nemo potest seipsum absoluere. *Vide Minoritas Principii.* independentia potest tamen alteri conferre potestatem vt ab ipso absoluatur. Tost. in Mat. c. 2. a.

Non legimus Christum aliquem baptisasse. Id. Math. fo. 1. fo. 195.

Corpus non peruenit ad interiora sed species corporis. Id.

Irregularitatem non incurrit legis lator dando legem quod homicidæ & alij criminosi occidantur.

Id. Math. to. 2. f. 98. punit per alios, cum id non possit per se. Ecclesia non fundit sanguinem, sed reos tradit brachio sæculari.

Nemo potest sibi ipsi conferre sacramenta nouæ legis, sicut nec seipsum absoluere, etiam si sit Papa, secus tamen erat in veteri lege vbi quis poterat seipsum circumcidere. Id. Iosue to. 1. fo. 88.

Expedit aliquando vim superiorē per media dispensari. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 2. l. 4. §. 9.

Non possumus fulgentem solem videre per seipsum, sed per illustrata ab ipso, sic Deum cognoscimus per creaturas.

Aurum non potest concoqui à stomacho, quod nec potest igne violento superari, expertum tamen est aurum ignitum sæpius extinctum in vino albo, saporis illi gratiam conferre quæ pendet ex auri substantia, non ex igne. Cardan. Meth. medendi. cap. 58.

Irregularitatem non incurrunt personæ, reos existentes in Ecclesiis tradentes Curiæ sæculari. Greg. 14. const. 7. §. 3. p. 331. to. 2. Bulla.

Ignis nihil nisi seipsum propagat & gignit vt cætera elementa, sed dat omnibus vim vt generent.

BONVM QVOD EST IN MEDIO.

QVi asserunt visionem fieri per emissionem radiorum, radium medium, quem vocant sagittam omnium dicunt esse efficaciorem, ad visionem. Albert. Magn. tract. 1. de sensu & sensato.

Spiritus visiuus est in centro humoris crystallini.

Animal dum in præsentia aduersi constringitur, adducit partes suas, motu semicirculari, ad medium in quo est quid nobilius scilicet cor, vel aliquid loco cordis. *V. Differ. Centr.* fuga aduersi.

Ætas virilis inter pueritiam & senectutem valida, & statiua.

Principium caloris in semine, est medium eius, quod est ei loco centri & cordis. Albert. Magn. tract. 1. de spiritu & respiratione. cap. 5.

Quædam plantæ habent poros transuersos, ex medulla ad superficiem venientes, & hæc diuisa sunt radiosa sicut stella, quia viæ nutrimenti per circuitum veniunt ex medulla ad superficiem, sicut ex quodam centro; & talia sunt frequenter, quorum medulla est multa, & hæc sunt magis frangibilia, quam scissibilia, vt vitis, sambucus & alia. Idem tract. 1. de nutrimento. cap. 2.

Elementa proprias suas qualitates non obtinent nisi in medio sui loci. Nam alterantur à circumstantibus, vt aër vicinus igni fit æstuosus & siccus, vicinus aquæ fit nebulosus. Similiter aqua in summo sui repletur vaporibus vt aër; vicina terræ est turbulenta. Id. tract. 1. de natura locorum. c. 3.

Quorūdam arborum fructus est in medio earum inter corticem inclusus, sicut est canna quæ fert saccarum. Id.

In plerisque plantis & arboribus fructus formatur in medio floris. id. lib. . de vegetab. tr. 2. c. 3.

Salustius in Iugurtino, refert apud Numidas, locum digniorem esse in medio. Ita Dux Venetorum stat in medio sex Consiliariorum.

Locus solis est in quarto cœlo, scilicet medius septem planetarum, sicut Rex sapiens qui ponit sedem suam in medio regni sui vt per omnia latera attingat. Haly. 1. parte. cap. 4 de sole.

Episcopus semper stat in medio Clericorum & Laicorum, exemplo Christi qui stabat in medio Doctorum. Luc 2 Est honor sedere in medio, quoniam locatus in medio, cunctorum ad se trahit aspectum. Vt dicit Cassiodor. lib. 3. variar.

Initia clausulæque orationis plurimum mo- A menti habent, media tamen periodi debent esse sic composita & contexta vt respirationem grato interstitio, & latente gradu leuent. Nam vt currentium pes, etiam si non moretur, vestigium facit. Quint. Inst. orat. lib. 9. c. 3.

Vide Voluntas Medij. Velle mediocria.

Vna quæque pars anni tres habet differentias videlicet primam, mediam & vltimam. Media quidem portio sincerissimam sui temperiem obtinet, prima vero, & postrema temporibus sibi vicinis similiores fiunt. Vt veris prima pars magis humida, media calida & humida ex æquo, postrema calidior quam humidior; eadem est ratio de aliis anni tempestatibus.

B Mare est in medio terrarum, velut emporium quoddam, ad omnium mercium, & commoditatum vitæ aduectionē. Theod. or. 2. de prouide.

Numerus impar, pari præstantior est, quia omne medium extremis probatur nobilius: Impar autem paris est medium, par vero imparis extremum; Ratio quippe medij, ratio est vnitatis, & extremi nomen dualitatis est nomen, quia vnum est medium, duo sunt extrema. Carolus Bouillus in epist.

Historia medij temporis gratior est, nam antiquissima origini mundi proxima videtur fabulosa; recentior scitur ab omnibus. Arist. problem. C sect. 16.

Iulius Firmicus lib. 3. cap. 1. mundi nascentis thema proponit, & in eo omnes planetas in propriis domibus, tamen in signorū talium 15. gradu, vt sol in 15. Leonis, quasi sic eorum vis sit maior.

Cum sol sit corpus sphæricum, præditus est puncto suo centrali, in quo consistit virtus illuminans, & ad circumferentiam diffunditur. Etiam Platonici solarem orbem, esse animæ mundi sedem, quippe in medio aliorum sex planetarum. Ita cor est in medio animali, scilicet inter caput & ventrem inferiorem. Sic tutius est procul ab extremitatibus quæ patent iniuriis, & facilius virtus eius vbique diffunditur.

D Apud Persas in conniuiis & alibi, locus medius erat honoratior, & eum Rex occupabat. Plut. in Alex. Apud eosdem cingulum prout magis est pretiosum, ex argento, auro, lapillis est nota honoris.

Sinenses, fœlix se habere regnum existimant, quod sint in medio terræ. Dauity. Venetia inexpugnabilis quia nec est in terra, vt ad eam possit accedere exercitus terrestris, nec in mari, vt naualis oppugnet; nam aquæ non sufficiunt ferendis magnis nauibus.

Verbum diuinum est velut centrum vnitatis inter duas alias personas Trinitatis, in Incarnatione est medium inter ens creatum & increatum.

E Sunt tria puncta hemispherij, oriens, meridies, occasus, præualet meridies.

Mediū per quod sol, luna cæteræque, erraticæ stellę ferūtur inter duos tropicos, optimū est: ideo circulus à viuentium figuris Zodiacus dictus est.

Sub torrida zona plurima & perfectiora generantur, velut enim animæ vis in corde, ita in medio circulo, & velut in cerebro sapientia, ita in astro. Cardan. de rer. variet. lib. 2. cap. 1.

Ex collectis in terræ mundique centro cœlestiū viribus accenditur ignis vnde contingit terræ sua fœcunditas in rerum omnium productione hic ignis cultus fuit sub nomine Vestæ, cui templum in mediis erat vrbibus & in cuiusque medio ignis sacer. Rodigin. lib. 15. cap. 16.

In fornice lapis qui medius est, cæteros continet. in ordine debito.

Medio

Medio tempore fructus arbori, fœtus vtero fortius adhærent, & difficilius soluuntur, initio debiles, paruo motu in fine maturi sponte sua excidunt. Ibid. c. 12.

Vinum à fœce infestatur, in meditullio autem optimum censetur, cum vis eius sit calida, ad medium coït & aggregatur, ne & à fæce & ab aëre alteretur. Idem lib. 28. cap 25.

Cum tres sint cerebri partes ad diuersas mentis operationes sic constitutæ, phantasiam in anteriori, rationem omnium diuinissimam in medio, memoriam in posteriori sede statuunt.

Fructus in centro suo optimam sui portionem habet, vbi reperies natiuus calor & entitas & idea plantæ seruantur, hæc adiacens duricies tegit ab iniuriis.

D. Ambrosius serm. 55. dicit erectam esse crucem in medio Ecclesiæ; velut malum in media naui, vt inter tempestates sæculi seruetur incolumis.

In minore propositione est tota vis argumenti seu syllogismi.

Asserunt multi paradisum terrestrem esse sub æquinoctiali, in præaltissimis montibus in quib. solis ardor temperatur. Tostat gen. fo. 12.

In exercitu Israëlitarum, tabernaculum Domini erat sicut centrum totius castrametationis. Id. itu. to. 1. fo. 110.

Omnis terra quæ colitur, angusta verticibus, lateribus latior, parua quædam est insula, circumfusa occeano. Cic. in som Scipion.

Rerum præcipua vis, est in medio. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 2. lege 15. 3. Homo est rerum medius. theologia naturalis tom. 2. parte. 1. c. 19.

Media tantum ætas pollet corporis & animi viribus integris, & valet in prælio.

Cantabi qui venatur Balenas in Groelandia, habebant vina cocta, frigore summo vina congelata sunt. Circulis à cado ademptis nudam vini glaciem, forma vasi pristini sub dio exposuerunt, vt vna nocte residuum penitus congelaretur, quo facto glaciem terebrarunt, ac circa glaciei centrum occurrit liquor colore amethysti, vini merus spiritus, & igneus vitalisque liquor glaciari nescius, qui frigus fugiens in centrum vini sensim se recepit. Vanhelmont.

Diodorus Siculus lib. 4. cap. 1. populos sub linea æquinoctiali existentes primos hominum fuisse existimat, quippe soli viciniores.

REPVGNAT.

MALVM IN MEDIO

Linum, vrtica, & quædam aliæ herbæ, indurantur, & liquescunt in medio stipitis sui. Albert. Mag.

Funis extenti medium semper inclinatur in terram, quantumcumque extrema fuerint tensa.

Arist. 3. meteor. existimat tonitruum fieri, ex eo quod sint tres nubes, superior & inferior, quæ mediam comprimant, & eiaculare cogant.

Tonitrua fiunt vere & autumno propter temperiei inæqualitatem Plutarch. lib. de causis naturalib. cap. 4.

In ædificij medio ligna putrefactioni magis obnoxia cōstituũtur. In bello illos primos & vltimo ordinare, oportet, qui fortitudine excellant: in medio verò peiores, vt à primis ducantur, ab

A vltimis verò impellantur. Xenophon. lib. 3. de doctrina Socratis.

Malum à meridie *Vide Maioritas Voluntatis*, nimius zelus.

Ea est sphæræ ratio, vt quæ in medio circulo partes sunt, ea sphæra commota, maximum, velocissimum, & circa centrum describant circulum, reliquæ vero à medio, quantò absunt magis, tantò minores, tardiores, & à centro remotiores circulos ducunt vsque ad polos, vbi minimi, tardissimi, & à centro remotissimi circuli fiunt. Fracasta de homocentricis. cap. 2.

Qui sunt sub linea æquinoctiali non vident duos simul polos, vt falsò dictum est à quibusdam, imò

B nullum vident nisi post duos circiter gradus ante aut retro, qui visus non protenditur nisi ad 7. circiter leucas, inter quas curuitas aquæ aut terræ eleuatur ad 250. pedum, & sic visui obstat.

Terra omnium elementorum grauissima est in medio.

Christus tertia die resurrexit, prima dies est æterna non habens principium, secunda habet principium & finem, & in ea fit mors tertia non habet finem reducens corruptibile ad incorruptibile. Card. Cusa excitation. lib. 5. cap. 23.

Vide Media Cognitio mala.

Media aëris regio ideo frigida est, quia ad eam non peruenit calor ætheris, nec is qui circa terram ex reflexione radiorum solis.

C Natura medii est imperfecta *Vide Veritas Med.* de bono extremorum. *Vide Bonitas Maioritatis.* & omnes eius combinationes cum aliis principiis bonos.

Θ. apud Græcos significabat mortem, qui habet telum in medio, *Vide Cognitio Contrarietatis.*

A sole qui vapores excitat, fit ventus, & ab illius immenso colore qui eosdem absumit, finitur, Ob id calidissimis & frigidissimis regionibus minores venti ac rariores, quam à mediis. Cardan. lib. de rer. varietate 1. cap. 4. *Vide Maioritas Differentiæ*, nimia diuisio.

Inter fortunatas Insulas est Tenerifa in qua mons effertur in cœlum altissimus, in imo virescit propter defluentem humorem, in medio est

D niuosus: in cacumine fumum emittit, quia exhalatio ad superiora fertur, negato ad latera aditu. Ibid. cap. 4.

Inter manus digitos, Saturno male fortunato medius tribuitur.

Aqua purissima, quanquam omni inquinamento libera, nihilominus sub linea æquinoctiali mucida fit, fœtet, liuescit, viridescit, atque vltimo rubescit horrore insigni, hæc tamen ex se sponte restituitur. Vanhelmont.

Maculæ quæ videntur in sole in medio disci apparent densiores & maiores, cum in principio apparitionis essent tenuiores, paruæque sicut post medium iter, mouentur velociori motu circa medium disci, quam in principio & circa finem. Ar-

E golus Astrolog. lib. 1. c. 8.

Taurus mons altissimus, rupibus asper, Asiam instar cuiusdam cinguli quasi mediam diuidit ab occidente in orientem.

In Guinea cum sol est in æquinoctiali linea, perpendicularis, aër fit insalubris, & multi moriuntur. Gotard. hist. Ind. c. 11.

MAGNITVDO MEDII.

MVLTITVDO INSTRVMENTORVM ET ministrorum.

NVMERVS Cardinalium non est definitus, sed summi Pontificis arbitrio à quo eliguntur, augetur vel minuitur.

Ad rectam puerorum educationem, in fide vltra patrem & matrem addit Ecclesia in baptismo patrinos. Virum & mulierem qui propterea ineunt cognationem spiritualem. Concil. Trident. 8. sess. cap. 2. de reformat.

Episcopus debet celebrare duobus præsentibus & sibi respondentibus can. hoc quoque 61. dist. 1.

In arcam Noë inducuntur ex immundis animalibus bina & bina ex mundis septena & septena gen. 6. plena ne deficeret proles,

Odore & gustu velut duobus testibus seriatim examinatis probantur alimenta. *Vide Duratio Cognitionis Mora.*

Non tantum os, sed & manum ad sermonem aptè proferendum habet homo, vt notat Grego. Nyssen. lib. de hominis opificio. c. 8.

Præstantiora pluribus indigent mediis, sic homo indiget vestibus, paratis arte alimentis, domibus famulatu quibus vilia quædam animalia non indigent D. Chrysost. hom. 31. in 1. ad Corinth.

Cum licuisset olim paruulos parentum manibus ad gratiam sancti baptismi deportari. 30. q. 4. can. quod autem postea Concilio Moguntino cap 55. statutum. Nullus proprium filium vel filiam, de sacro fonte suscipiat. Vt plures essent qui curam agerent educationis pueri.

Annonæ publicæ præficiebatur curator cui ad eam comparandam pecunia numerabatur, & ædilis qui pro rata pecuniæ tenebatur eam præstare. Cuiac. obseruat. lib. 1. cap. 23.

Deus vel homo artifex potest idem facere diuersis artis suæ modis *Vide Maioritas Potestatis*, miracula, quorum hæc est ratio.

Sunt plura indiuidua vnius speciei, vt species quæ non potest conseruari in vno, conseruetur in pluribus, sed Angeli sunt incorruptibiles, ergo non sunt plures Angeli vnius speciei D. Tho. in quæst. disp. q. vnic. de spirituali creatur a 8 o.

Idem pluribus modis simul potest cognosci, sic Adam Deum vidit & per lumen contemplationis, per considerationem creaturarum & non solum gratuitam, sed naturalem habens cognitionem. Ibid. de cognit primi hominis, a. 1. ad 8

Animalia perfectiora viuunt simul herbis & carne, vt canis, simia, homo: sic illis magis prouisum est. Tostat. in Genes. 122.

Homines ante diluuium audientes ab Adam seculi excidium futurum esse per ignem & aquam, consignabant labores inuentionum suarum co-

A lumnis latericiis & marmoreis vt Tubal. fecisse legimus gen. fol. 29.

In eadem diuitum domo sunt multæ mansiones, diuersis anni tempestatibus opportunæ, sicut & vestes.

Quilibet homo in prælatione constitutus habet duos Angelos directores, Id Matthto. 5. fo. 28.

Deus quædam prædixit & per vates alienos à religione, vt per Sybillas. Iustinus Martyr. qu. 2 à ad orthodoxos.

Aquilonares populi vtuntur sagita tricuspide, Olaus Magn. lib. 7. c. 2.

Vnitas diuina multis exprimitur nominibus. Vide *quæ scripsi de iure naturali lib. 1. lege 1. §. 5.*

B *Mediorum & instrumentorum multitudo securior. Ibid. lib. 2. lege 4. §. 3. frequentatio pœnitentiæ & Eucharistia optima. Vide Duratio Bonitatis frequens communio, & lib. de misericordia Dei parte 2. cap. 15, & 23.*

Legem naturalem iam insculptam hominum cordibus Deus voluit iterum scribi in decalogo, vt cessaret omnis excusationis materia. Laurent. Iustin. lib. de monastica conuersatione cap. 1. & *Vide Principium Veritatis.* leges à Deo,

Quisque litigans habebat olim duos aduocatos, vnum pro oratore alterum pro Iurisconsulto, hæc enim in litibus interuenire solent, l. pen. Cod. de postul, Nouell. Valentinia. de episco. au. Cuiac. obs. lib. 13.

C Episcopus à duobus aut tribus Episcopis ordinetur; presbyter ab vno Episcopo ordinetur, & diaconus & reliqui clerici, can. 1. & 2. Apostol. digniora pluribus perficiuntur.

Valet baptismus vel per vnam mersionem, ad confitendam diuinitatis vnitatem, vel per trinam mersionem ad significandam Trinitatem personarum. D. Gregor. lib. 1. registri ep. 41.

Cum tempore Eleutherii magna per Gallias vigeret multitudo hæreticorum ipse scribit fidelibus omnibus. Negligere, cum possis deturbare peruersos, nihil aliud est quam fouere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, huius rei gratia vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, frater enim fratrem adiuuans

D exaltabitur; qua propter releuate oppressos, corripite inquietos, vt zizania non possit messem Dominicam suffocare. tom. 1. Concil. Anodom. 179.

Crimina lezæ maiestatis, peculatus, parricidii venefícii publica sunt, ita vt cuilibet de populo liceat agere l. 1. ff. de publi. iud. & l. 4. Cod. de hær. & Manich. sic Impp. hæresim volumus esse publicum crimen, quia quod in religionem committitur in omnium fertur iniuriam a priuatus

agens pro Religione, hierarchiæ non facit præiudicium vt ex S. C. Sillaniano seruus tenetur dominum ab hostibus obsessum, defendere, aut saltem conclamare, vt vnicuique licet regia incensa.

Potiori gradui ab inferioribus competens reuerentia tribuatur, sed vbi publica tractatur vtilitas, si minor iudex veritatem inuestigauerit, nulla maiori irrogatur iniuria. l. 5 Cod de off. rect. Prouin.

Sæpe visi sunt viri lac in mammis habentes; quod in hircis Boëmicis solet obseruari. Refert. Zachæ. medicinæ. lib. 1. tit. 3. q. 1. duplici præsidio, fœtui natura sic prouidet.

Aromatarii seu pharmacopolæ res omnes necessarias arti habere tenentur, quarum indicem faciunt Prothomedicus, collegium medicorum & artis Consules. Greg. 13. const. 29. §. 10. Bulla. pag. 298. to. 2.

Quod in multitudinem diuiditur, onus insensibile propemodum facit eis qui hoc sustinent. Nouella 38. de decurionib. contra eos qui se subtrahebant curiæ.

Apes, vespæ, & cætera animalcula vocantur insecta, quia vndique scissuras quasdam ostendant, cum enim careant pulmone ad respirationem, toti sui corporis partibus attrahunt aërem, eoque nutriuntur. D. Basil. in hexamer. hom. 8.

Nullum animal motum processiuum perficit vno tantum organo, motus, quia cum habeant dextrum & sinistrum, vtrumque confert; & ideo quæcumque mouentur duobus mouentur instrumentis ad minus, vnde falsum est quod refert Solinus esse homines vnipedes, quia vno pede saltare tanti laboris est, vt id diu natura non ferat; ita nihil volat vna tantum alat, neque natat vna pinna, neque reptat vno tantum annulo corporis sui; sed cum plura sint motus instrumenta, tot sunt fixa quæ sustentant & impellunt quot sunt quæ se extendunt ad motum; bipedia vno sustentant quadrupedia duobus, & hoc verum est in ambulatione quæ fit in terra fixa; at alæ & pinnæ duæ debent simul moueri, quia non sunt bases corporis grauis. Quæ sunt multarum alarum, sicut vermes volantes, quia non sunt plumosa, vt pennis portentur; quando duæ alæ extenduntur; aliæ duæ retrahuntur. In scarabeis duæ alæ superiores sunt ad custodiam aliarum. Albert. Mag. lib. 2. de motibus animal. tract. 2. cap. 1. & lib. de animalib. cap. 7.

Spiritus animales multiplices sunt, quia multiplicibus deseruiunt virtutibus animalibus. Idem.

Si intendatur calor cordis, aliqua causa motus, vel febris calidæ statim multiplicatur anhelitus expirando & inspirando. Idem.

In animalibus omne nutrimentum necesse est variari secundum diuersitatem partium nutritarum. Propter quod omnia similia animalia in corpore nulla habent viscera velut lumbrici terræ: in aliis autem secundum quod sunt maioris diuersitatis in compositione corporis, sunt etiam maioris varietatis in alteratione & digestione alimenti, vnde oportet in eorum corporibus plurima esse vasa, in quibus nutrimentum per digestiones diuersas, ad plurimas formas alteretur Albert. Magn. tract. 1. de nutrimento. cap. 2.

Viua corpora sunt magis heterogenea, idest ex diuersis composita quam non viua, licet propter æquabilitatem complexionis magis re-

A cedant ab excessu contrariorum, vnde operantur in materia, non vnum tantum, sed multa valdè, quæ natura corporalis facere non potest. Idem cap. 1. de Vegetabilibus. Hæc tamen diuersitas debet esse concordans *Vide Concordantia Potestatis.*

Dilatantur radices plantæ, vt vndique nutrimentum accipiant, ob id animalia perfectiora habent motum localem; quo omnia habent sibi velut tributo obligata.

Oua animalium sunt maiora quam arborum semina quia continent amplum vitellium ad nutritionem diuturnam animalis contenti, at germen plantæ paruam tantum habet pulpam, cuius humore seruatur à nimia siccitate, at terræ commissum habet illam pro stomacho, ex ea trahens alimentum. Albert. Magn. lib. de Vegetabilib.

B cap. 4. & 7.

Animalia sub terra; sub luto, & sub aquis accipientes cibum, habent longa colla & rostra; Elephas, longam habet proboscidem, vt possit ex arboribus fructum carpere.

Vt bina sunt organa sensuum magis necessariorum; sic in cœlo sunt Antiscia. Radiationes scilicet planetæ æquam vim habentes in æqua à solestiis 69. & Capricorno distantia.

Certa manus vno telo posset esse contenta, incertæ plura spargenda sunt, vt sit & fortunæ locus. Quintil. Inst. Orig l. 4. c. vlt.

Homo hoc habet inter cætera animantia præstantissimum, quod omnia in vsus suos conuertat.

C Elephantus vno dente vtitur ad radices fodiendas, alterius mucrone seruato ad pugnam, ne hebetetur, ita Leo vngues, vagina condit ambulando ne atterantur, exerit vbi pugnandum. Plutarch lib. de industria animalium.

Neque nauim vna solum anchora, neque vitam vna spe munire oportet.

Moyses facit prodigia in Ægypto in omnibus elementis, vt probet Deum esse non aquarum, aëris, terræ. Sed totius vniuersi. Theodoret. in Exod. q. 11.

Arteriæ constant duplici tunica vt melius contineant sublimiorem sanguinem & spiritus qui facilè possent elabi.

D In mechanicis plures rotæ vim mirum in modum multiplicant, vt in eo instrumento quo currus onerati sursum leuantur.

Cum baptismus sit Sacramentum maximæ necessitatis, quilibet vrgente necessitate potest illum conferre, etiam mulier. Minister autem solemnitatis, est solus sacerdos. Bonacina.

Confirmatio non est Sacramentum necessarium necessitate, nec medii nec præcepti; quia vires quas confert, possunt conferri per alia media, scilicet orationibus, confessione, Eucharistia. Id.

In celebratione Missæ solent duæ candelæ adhiberi licet vna sufficiat. Id.

E Pœnitentia est secunda post naufragium tabula, baptismus autem prima.

Idem peccatum possumus multoties confiteri, & de eo absolutionem recipere; quia noua semper est materia proxima scilicet contritio, & inde maior habetur conscientiæ securitas. Bonacina de pœnitent. quæst. 4. & in extrauaganti inter cunctas.

Quia obturatis diuitis auribus nihil proficiebat vnius Lazari vox, Deus ad aperiẽdum cor diuitis

totum corpus pauperis, vulneribus operit, vt in admonendo diuite, tot essent pauperis ora, quot vulnera; & tota pauperis caro componitur in scenam pietatis. Chrysolog. serm. 121.

Res corruptibiles, quo sunt perfectiores, eo pluribus indigent ad finem suum consequendum secus autem se habent incorruptibiles. Arist. lib. de causis cap. 10.

De pluribus officiis quæ ab vno exercentur, Vide *Magnitudo Potestatis* Cyclopes monoculi, pro monstris habentur.

Multiplicatio indiuiduorũ sub eadem specie, fit propter speciei conseruationem. Indiuidua autem sunt infinita, idest certo numero non sunt determinata.

Ab Adam & Seth duæ factæ sunt columnæ in quibus artium & scientiarum principia erant descripta, vna erat lapidea cõtra aquarũ inundationes alia latericia contra ignem, Genebr. in Chronica.

Templum Salomonis, diuersos habebat porticus, ad meridiem aut Septentrionem vt vel imber, vel æstus vitari posset. Idem a. m. 3150.

Dæmon seminat varia malitiæ semina in anima, detractionis, fornicationis &c. quia nescit certò ad quæ habeat inclinationem. Vitæ Patrum.

Orbis primus habet stellas multas, quia per illum à motore primo infunditur causalitas vniuersalis, omni rei quæ est & viuit secundum naturam, alij autem orbes sunt causæ magis determinatæ, & ideo habent stellas determinatas, ita quod quilibet habet vnam. Albert. Magn. lib. de cœlo & mundo tract. 3. in fine.

Anima quanto nobilior est, tanto plures potentias, operationes & organa habet. Anima autem abundat diuersitate potentiarum, quia est in confinio spiritualium & corporalium creaturarum; & ideo concurrunt in ipsa virtutes vtrarumque creaturarum.

Tanto aliquis modus conuenientior est ad assequendum finem, quanto per ipsum plura concurrunt, quæ sunt expedientia fini.

Formæ rerum inanimatarum propter sui imperfectionem sunt principia paucarum operationum, vnde non exigunt diuersitatem organorum in suis operationibus.

In speculatiuis medium demonstrationis, quod perfectè demonstrat conclusionem, est vnum tantum, sed media probabilia sunt multa.

Sicut natura non facit per multa, quod potest facere per vnum, ita etiam, non coarctat in vnum, id ad quod multa requiruntur.

A Quantò aliquid est imperfectius, tanto eius constitutionem pauciora requiruntur.

Plantæ pluribus modis multiplicantur ex semine, ex ramo, insitione, propagatione, &c. sic animalia quædã ex corruptione & ex coitu nascũtur.

Omnis arundo viuax est, stirpe crassa, numerosaque, ob id mori peruicax. Theoph. hist plant. lib. 4. c. 11.

Argus pastor dicitur habuisse centum oculos, vt aliquibus deficientibus, alij vigilarent. Animalia Ezechielis plena oculis.

In canonib. Apostolorum habetur, Episcopus à duobus aut tribus Episcopis ordinetur. Presbyter ab vno Episcopo ordinetur.

B Multa & diuersa sunt media salutis nostræ, in quibus magis manifestatur diuina bonitas & sapientia.

Omnibus datur ius publica authoritate occidendi proscriptos.

In vna occasione spem omnem suam figere, non est vtile.

Sunt scorpii duplici aculeo in cauda præditi, quasi non vnus sufficeret ad nocendum, Cardan. lib de rer variet. cap. 28.

Repugnantiam. *Vide Maioritas Medij. Mala.*

Piscibus magnum est caput & multiplicia ossa præcipuè lucijs inter incolas aquæ dulcis, quia

C cum manibus pedidusque careant, omnes functiones, atque adeò varios ac multiplices motus, vno capite perficere conantur: ideo magnum & in plures partes diuisum caput habent quicumque ex his sunt nobiliores. Id. c. 37.

Vide Differentia Medij.

Natura piscibus plurima dedit oua, quia multa peritura erant. Ibid. cap. 38.

Somniculosi sunt quibus angustæ sunt venæ. Angustia meatuum quibus à capite refluit spiritus nullo negotio præsepitur, occluditurque minuta siquidem & propè nulla, quidquid accesserit, quantumuis modicum pusillumque obstipat, præfarcitque. Rhodig. lib. 6. c. 3. sic tubulo angustio-

D ri infusus liquor, tardius lentiusque profluit quod si fuerit is laxior capaciorque contentum momento transmittitur.

Cum decem sint Dei nomina apud Hebræos quartum est Sabaoth idest exercituum seu virtutum. Sunt autem virtutes multæ scilicet, Angeli, Archangeli Principatus, Potestates, cunctique cœlestis militiæ ordines quorum omnium Deus Dominus est. Isidorus Origin. lib. 7. cap. 1.

Digitized by Google

DVRATIO MEDII.

VSVS EORVNDEM MEDIORVM.

TOTVM tempus constat diei A noctisque perpetua reuolutione & solis ad eosdem zodiaci gradus reditu. D. Basil. in hexa. homil. 1.

Decidunt tam oleæ, quam pino frondes, licet sensim, occulteque adeo folia permutent, vt nunquam denudari propria coma videantur, sed palma semper à prima germinatione, vsque ad finem eisdem foliis frondet. Ibid. homil. 5.

Siliqua quæ nascentes flores tegit, ne lædantur à frigore, postea aperto flore illis est pro sustentaculo, vt in rosa.

Quædam animalia habent habitacula, in quibus non solū pullificant, sed etiam continuum habent commodum vitę, post laborem venationis, sicut talpa, mus, formica, vulpes, apis, &c. Albert. Magn. lib. 1. de animalib. cap. 5. Alia non sunt sollicita de habitatione, sicut musca, & multa de genere rugosorum animaliū quæ imitantur Arabes, & Canadæ habitatores sine domibus, & ciuitatibus, vagi, & sub tentoriis tantum, quæ secum deferunt, degentes, etiam hyemis tempore.

Hierarchis & sanctorū perfectoribus fas non est operari omnino, præter propria hostiarum mysteria, aut sacras ordinationes, sed neque subsistere aliter. D. Dyonis. de cœlesti hierarchia c. 1.

In oratione id in primis est custodiendum, vt quo ex genere cœperis translationis, hoc desinas; multi autem cum initium à tempestate sumpserunt, incendio aut ruina finiunt, quæ est inconsequentia rerum fœdissima. Quintilian. Instit. oratoria. lib. 8 cap. 6.

In sacramentis debet seruari eadem forma & materia quæ fuit, instituta à Christo; forma censetur eadem, si sit eadem significatio, etiam si versa sint diuersi idiomatis, Latini, Gręci, &c. Bonacina.

Tota forma proferenda est ab eodem ministro, nam si quis dicat ego te baptizo, & alter subiungat in nomine Patris, neuter baptizat & falsum asserit. Id. de sacram. disp. 1. q. 3. a. 4.

Vide Duratio Potestatis. Continua potestas.

Character est qualitas spiritualis, animæ diuinitus infusa ad diuinū cultum ritè peragendum, imprimitur in tribus sacramentis, baptismo, confirmatione, ordine, est indelebilis, ideo non reiteratur etiam in resuscitato. Ib. q 5.

Simplex & idem cibus, sanitati conuenientissimus est, at pestifera sunt varia diuersaque ciborum genera. Hinc sani viuunt rustici, plurimum enim laborat stomachus dum varię naturæ cibaria coquenda occurrunt.

Exod. 25. iubetur Moyses Arcam compingere de lignis Sethim, imputribilibus. Dauid fœlicius pugnat cōtra Goliath armatus baculo, quem semper habebat in manu, quam tectus armis Saül quorum consuetudinem non habebat. 1. Reg. 16.

Si possit inueniri medium, cuius perpetuus possit esse vsus, maximè vtilis, quia facilis ex habitu, nec ad tyrocinium, nouaque experimenta, semper periculosa deueniendum.

Ministri, in quibuscumque locis ordinati fuerint, in ipsis locis perseuerent. Conc. Arelatense 1. Galliæ. a. 3 4. can. 2. Africanum. c. 57 Aquisgranense. can. 56.

Magna mutatio ministrorum arguit tyrannidem, vt in vnico anno sub Imp. Commodo creati fuerunt 25. Consules. Lamprid. in Commodo. *Vide Differentia Medii.* Mutatio mediorum.

B Pellis & in æstate & in hyeme bona est.

Litteræ dicuntur quasi legiteræ quod iter legentibus præstent, vel quod in legendo iterentur. Isidor. Origin. lib. 1. cap. 3.

Mandatum communiter finitur morte domini, quod in mandato venditarum, donatarum, aut in solutum datarum actionum non obtinet. Cuiac. obseruat. lib 2. cap. 31.

Vino legato aut vendito, veniunt cadi & amphoræ debentur, dolia, cuppæ prædio inhærentes ad perpetuum vsum non debentur. Ib. cap. 36.

Perpetua docet esse media quæ vsu non atteruntur sed perficiuntur. Vide quę scripsi de iure naturali, lib. 2. lege 4. § 6.

C In Ægypto dentes hominum cariem aut mucilaginem non contrahunt. & in millibus mandibulis hominum nulla inuenta est cui dens deficeret. Vanhelmont.

Astra non mouentur in subiecto mobili, vt est aër, sed in expanso stabili *Vide Medium Differentię.* Instrumenta motus.

Calices sacri vitrei olim in Ecclesia vsitati, postea interdicti propter fragilitatem. Baron.

Pharmacopolæ non possunt parare medicinas nisi ex simplicibus approbatis à Prothomedico aut aliis ab eo deputatis, Gregor. 13. const. 29. § 5. Bull. p. 198. to. 2.

MODERATA DVRANT.

D Terra nulla sui parte excidit, quia mediū occupat vniuersi locum naturæ suę accommodatissimum, vnde vt nec à propria sua sede dimoueatur. D. Basil. in hexamer. hom 1.

Equorum incessus diuturnior est cursu, cursus enim etiamsi coneris diutius perseuerare nequit. Sic in iram præcipites citius deficiunt. *Vide Duratio Contrarietatis.*

Quæ modum excedunt, proprio ruunt pondere. *Vide Finis Potestatis.*

Digitized by Google

POTESTAS MEDII.

VIS ET POTESTAS INSTRVMENTI, MINISTRI.

SOL magis adurit per speculum. Sic quædam melius fiunt per medium, quam immediatè. *Vide supra Bonitas Medii.*

Est vna necessitas absoluta, vt calefieri quæ sunt in igne. Alia necessitas conditionis, scilicet vti conuenientibus mediis ad finis consequutionem, vt animal vti alimento, somno & vigilia ad sanitatem. Albert. Mag. tract. 2. de somno & vigilia. cap. 2.

Ptolomæus in Almagesto. dicit quod stellæ mouent per aliud & per accidens, scilicet per media alia corpora, in quibus multum mutantur virtutes eorum. Ib. lib. 3. cap. 11.

Vita continuatur, cum corporis organa seruant debitam proportionem, cum anima mouente, causæque vitę longioris & breuioris, non ex parte corporis sunt inquirendę. Id. tract. 1. in fine de morte & vita. *Vide Finis Durationis. Et Medium Finis.* Finis mediatus.

Intestina & venæ, succum trahunt & deponunt venarum & cordis dilatatio & constrictio fit, animali ipso nihil sentiente; illi motus, sunt simpliciores, & natura priores. Sic multa fiunt à ministris inscio rege, & in familia, inscio patrefamilias.

Accidens non habet esse extra proprium subiectum, nec etiam habet virtutem agendi, nisi secundum conditionem sui subiecti.

Quamuis figuræ omnino non sunt causa motus, tamen faciunt ad facilitatem motus, acutum enim facilius penetrat, quam latum. Albert. Magnus.

Licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens, propter causam proximam contingentem, sicut plantæ germinatio est contingens propter causam proximam contingentem, quamuis motus solis, qui est causa proxima sit necessarius.

Effectus respondens rationi propriæ instrumenti, est prior via generationis effectu respondente principali agenti, prius est enim sectio ligni, quam forma scamni, & digestio cibi, quam generatio carnis.

Motus qui fiunt per diuersa organa differunt specie, vt ambulare & volare. Intellige si comparentur ad instrumenta per quæ fiunt, vt ad principia actiua, non autem vt ad subiecta.

Ioan. 14. dicit Christus Apostolis, si credideritis, maiora quam quæ ego feci, facietis. Ego feci resurgere ex mortuis corporaliter, vos resurgere facietis spiritualiter, cæcis sensibilem dedi visum, vos spiritualem lucem dabitis, sic per ministros Christi, cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, &c. Origen. in Isay. homil. 7.

A Corpora intra aquam se tangendo, quantumuis strictè, post amotionem apparet humiditas inter ea, eo quod partes se tangentes, non sunt satis leuigatę, vt se perfectè tangant. Campan.

Potest Papa committere collationem Sacramenti confirmationis etiam simplici sacerdoti, quia quædam quæ sunt superioris ordinis potest communicare inferioribus de plenitudine potestatis vt refert Gregorius magnus in epist. ad Ianuarium & probat D. Tho. 3. q. 72. a. 11.

Idem lib. 2. in magist. sentent. dist. 1. quærit vtrum aliquid aliud à Deo efficiat aliquam rem, & respondet. Cuiuslibet rei est propria operatio sed omnis res quæ habet propriam operationem actiuam, sua operatione est causa alicuius: ergo videtur quod ignis calefaciendo sit causa caloris & sic de aliis. Si Deus immediatè causaret omnia, vna res, non dependeret ab alia, sicut causatum à causa, & sic res non magis fieret ab vno quam ab alio, sicut causatum à causa, & sic res non magis fieret ab vno quam ab alio, sed videmus ad sensum quod non fit quodlibet ex quolibet, sed ex semine hominis semper generatur homo, ergo semper pater est causa effectiua filii. *Vide Bonitas Potestatis.* Vis actiua.

Licet causa prima maximè influat in effectum, tamen eius influentia per causam proximam determinatur & specificatur, & ideo eius similitudinem imitatur effectus. Id. in quæst. disp. q. 1. a. 4. ad 3.

C Deus vtitur interdum sanctis vt instrumentis ad faciendum mirabiles effectus in natura corporali, cum etiam corporali creatura vtatur instrumentaliter ad spirituum iustificationem, vt in sacramentis patet. Ibid. q. 6. a. 4. a. *Vide Principium Medii.*

Terra est sterilis sine agricolis. *Vide Media Concordantia.* Agricultura.

In omni actione in qua interuenit instrumentum, vel aliquid ministeriale, instrumentum immediatius attingit id in quo fit operatio, quam principale agens. Tostat. defen. fo. 36. c. 1. e.

Dominus tangit leprosum quem sanat, frangit panem, quem ad satiandum turbas multiplicat; vides quomodo diuinitas vtrique parti coniuncta,

D per vtramque declaratur, cum & corpus agat, & animus velit. S. Greg. Nyssen. orat. 1. de resur. Christi.

Imago solis quæ videtur in speculo, tam lædit oculos quam ipse sol.

Clauium traditio, translatio possessionis est. l. clauibus. ff. de contrah. empt.

Falsò dixit Origenes, Adam perdidisse imaginem Dei, nam si ita esset quæ in mundo sunt non seruirent semini Adam idest humano generi. Hieron. in epistola Epiphanii, quam latinè reddidit.

Digitized by Google

VIS ALIMENTI.

ET alimentum, & medicamentum ex corpore, morbo consumpto perniciosum est; nec ex talibus, licet conditis, debet sumi mumia, sed ex corporibus morte violenta sublatis. Paracelsus philosophiæ, tractatu. 3.

Senium & mors procedunt ab extraneis, & corpori non similibus alimentis. *Vide Concordantia Differentia*. Extranei non suscipiendi.

Animal quodcumque mobilem aërem spirat, loco mouetur. *Vide Principium Differentia*.

B Aliquando propter nutrimenti complexionem, vna planta transit in aliam sibi affinem speciem; sicut silligo mutatur in frumentum in quibusdam terris, propter nutrimentum calidum & humidum benè digestum; & è conuerso frumentum mutatur in silaginem ex malitia nutrimenti, frigidi, ventosi, terrestris. Albert. Magnus. lib. 2. de vegetabil. tract. 1 cap 1.

Omnis arbor pomi & pyri habet spinas quandiu est syluestris, propter ignobilitatem alimenti; amittunt autem illas cum fiunt domesticæ. Ib. lib. 4. tract. 3. cap. 3.

Qualis est sanguis, tales sunt spiritus qui in eo recipiuntur & cum membra generentur & nutriantur ex sanguine, ex habitudine membrorum, cognoscuntur inclinationes, passionum quarum C iudicium dicit Ptolomæus, certius peti à stellis secundis idest à materia quam determinarunt sydera, quam ab ipsis syderibus, quæ fortassis nullam fecere in membris impressionem. Id. lib. 1. de animalib. tract. 2. cap. 2.

Homo cibatus leuior est ieiuno, propter abundantiam caloris & spirituum.

De abstinentia animalium. Porphyrius.

Longæua animalia conferunt ad vitam longæuam, vt ceruus.

Pisces sunt maximè fœcundi, propter abundantiam humidi in quo viuunt.

In Perside iuxta Lara, frequens est in campis herba similis petrosillo, oues eam depascentes formant in se lapidem bezoart veneni antidotum.

D Arbor radicitus eruta, & in alio posita, priusquam coaluerit, prioris domini est; vbi coaluit, agro cedit, & si rursus eruta sit, non ad priorem dominum reuertitur, nam credibile est, alio terræ alimento, aliam factam, l. 26. §. 2. ff. de acquir. rer. dom.

In Creta Insula in agro Cortinensi est platanus apud fontem quendam qui nunquam folia dimittit, similiter est quercus in agro Turio, vbi Sybaris, similiter in Memphi & Cypro. Theoph. hist. plantar. lib. 1. cap. 15.

Bonum alimentum, efficit vt nodi prius existentes in lignis, non appareant. *Vide Finis Minoritatis*. Cessatio defectus.

E Quod legumina quædam fiant alia coctilia, quę facilè dissoluuntur, alia quæ difficilè & incoctilia, procedit à qualitate soli & alimenti. Nam solum frigidum, humidum palustre & quasi fictile, facit dura & incoctilia, frigus enim inspissat & indurat, at solum leue, tenue, stercoratum, calidum, coctilia. Id. de causis plantar. l. 4. cap. 12.

Lectio est alimentum vitæ spiritualis *Vide Duratio Cognitionis*. Assiduarerum diuinarum meditatio.

A Græci dicunt Herculem in immortalitatis participatum ab Ioue admissum, quod dormientis Iunonis lac suxisset, cumque huius diuini liquoris aliquid in terris effluxisset, natum inde bilii florem qui colore, sua præferat primordia. Rodig. lib 6. cap. 7.

Coturnices quidam vetant apponi mensis, quia comitiali morbo ipsæ sæpius corripiuntur, & huic obnoxios edentes faciant. Ibid. cap. 9. sic à porcis abstinent Iudæi propter lepram.

Puella paulatim venenis enutrita, paulatim ipsa sic euasit venenata vt tactu & sputo perimeret appropinquantes maximè, eos qui cum ea coïrent. Id. lib. 11. cap. 13.

In Arabia viperæ balsamo enutritæ amittunt vim lethalem, & si mordeant fit vulnus non secus ac ferro illatum. Ib. lib. cap. 31.

Noë iubetur inducere in arcam alimenta vndè ipse & animalia viuant. Gen. 6.

Omnes plantæ cum sint porosæ supernatant excepta Ilice, Ebeno & aliis quæ ex minerali terra nutriuntur. Campan. Alimentum est medicamentum mortalitatis.

Quamuis cibus omnimoda transmutatione formam sanguinis acquirat, hic tamen conseruat non obscura accidentia cibi prioris quæ ideo ambulant de vna materia in aliam, in regione maritima porcus recedente mari, squillis, conchilibus vescens carnem habet quæ sapit axungiam piscis, est tamen porcina Hebræis vetita sic vnica animalis caro, sapores alienos, pro ciborum varietate suscipit. Van Helmont. in tractatu magnum oportet. Igitur post multas digestionum transmutationes, supersunt prioris concreti obtusiores vitæ mediæ qualitates. Sic alimonia diuersorum climatum imprimit in partes solidas peregrina contagia proprietatum. Sic vitæ mediæ qualitates remanent in transmutatis. Hinc tot vnius naturæ humana difformitatem dissimilitudines contingunt quæ qualitatum complexionibus non possunt adscribi. Idem.

Deficiente lacte ouino, agnos capris supponunt nutriendos; sed lanæ duritiem inde excipiunt, pauco vsui aptam. Olaus Magnus rer. Septent. lib. 7. cap. 3. Agni etiam qui casu aliquo non à matre, sed ab alia, aliqua oue aluntur, similitudinem aliquam à nutrice trahunt. Ibid.

Ibid. lib. 18. cap. 10. Vidi, inquit, ego, mures candidum saccharum continuè concedentes album induisse colorem, atque eundem exuisse sacchari comestione substracta. Nam ex diuerso cibo superfluitas diuersorum humorum generatur, ex quibus & cutis, pili, cortex, pluma, & pennæ in auibus proueniunt.

Vires consumpta reparantur alimentis. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege 6.

Van Helmon. tract. de tartaro, refert se vidisse puerum qui cum haberet quatuor fratres & tres sorores perfecta sanitate, trimestri lactatus à nutrice calculosa, ipse calculo laborans septennis decennis, ter deinde monacula expertus tandem sub illis expirauit.

Lac bestiarum siccis pascuis pastarum est optimum, tam in medendo, quam edendo, minimeque serosum; sic hircum cuius sanguinem officinis schola præscribunt, iubent prius diureticis alendum. Ergo vires lactis sunt metiendæ, ex sanitate bestiæ, vita, & cibis nequaquam vero ex crassitudine aut pinguedine eius. Id. de alimento humano.

d by Google

Obseruatum est nutricem salacem, furtiuam, auaram, iracundam suam fragilitatem transtulisse in pueros, sic insolita in familias stupiditas, ira, dementia aliaque pathemata transfunduntur. In horas lac varias impressiones subit ex omnibus animi perturbationibus, vnde grumescit, putret, & nociuas induit qualitates, quas infans bibit, ac expiare tenetur. Id.

Oua referunt sapores qui gallinas saginarunt.

Vrina lactantis, olet oleum anisi, quod nutrix sumpsit. Id.

In Æthiopia sub ditione Petro Ioannis gens est Acridophages dicta, defectu animalium & cum longè distent à mari, deest illis & venatio & piscatio, pro cibis habent locustas sale conditas; quæ cum nascantur ex corruptione, corruptionem corporibus inducunt, itaut non viuant vltra annum 40. innascuntur enim ex carne pediculi, à quibus corrosi miserè pereunt.

Vitam parcam & modestam & terræ frugibus contentam, & ab animalium cædibus abstinentem, prisci illi homines, qui propius ab orbis natiuitate abfuerunt, procul dubio coluere, quibus olim ea & iucunda & diuturna erat. Vnde quæso tot morbi, tot stomachi languores, tot capitis dolores, nisi ex dapum affluentia, ac varietate. Vox olim Philosophi fuit, quidquid auium volitat, quidquid piscium natat, quidquid ferarum discurrit, nostris sepeliri ventribus. Quære nunc cur subito moriamur, quia nimirū mortibus viuimus.

EVCHARISTIA Validissimus animæ cibus.

MVmia ex hominis viui corpore desumpta, mirabilis est virtutis ad conciliandos animos. *Vide Medium Voluntatis.* Philtrum amoris.

Vt terrena animalia ex terra viuunt; pisces in aquis geniti, viuunt ex aquis, sic in Christo regenerati, viuunt ex carne & sanguine Christi, maximè quia corpus vnum, cum illo efficiunt.

In plantarum radice, est virtus nutritiua formatorum, & virtus formatiua, & reformatiua abscissorum. Albert. Magn. lib. 5. de vegetabilib. cap. 6. Sic Eucharista est cibus perfectorum & nondum perfectorum.

Eucharistia repræsentat participationem beatitudinis. D. Dionys. cap. 1. cœlest. hyerarc.

Per hoc sacrificium creatura redit ad creatorem. *Vide Finis Differentia.* Vt nutrimentum medicum, ægros sanat, sanos conseruat.

Exod. 12. Licet in paschate manducare vel agnum vel hœdum, quia diuinorum mysteriorum sunt participes. Nonnulli perfecti, alii vero tanquam hœdum, qui per pœnitentiam peccatorum maculas delent, hœdus enim offerebatur pro peccato. Theodoret. in Exod. q. 24. Sic saluator noster, non triticeis tantum panibus, sed & ordeaceis pauit eos qui conuenerant. Ib. victima pro peccato, offertur in eodem loco quo holocaustum. *Vide Finis Maioritatis.* Pœnitentia.

Eucharistia est simul sacrificium Dei excellentiam indicans & Sacramentum hominem sanctificans. Dicitur Eucharistia quia præ cæteris sacramentis vberiorem confert gratiam, & ipsum gratiarum fontem. Est sacramentum vnionis. *Vide Principium Concordantia.* Deus.

Eucharistia, quia verè est cibus, confert animæ A augmentum virium, idest gratiarum; præseruat à peccatis mortalibus, hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur; dat auxilium ad rectè operandum, & temperandum fomitem peccati: 4. vnit spiritualiter cum Christo, & fidelibus, ita dicitur. 1 Cor. 10. Vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus. Remittit pœnam vt sacrificium, etiam vt Sacramentum, in quantum auget charitatem. Bonacina de Eucharista q. 4.

Mulier sanguiniflua, tetigit Christi vestimentum & curata est: Miseri qui quotidie corpus Domini tractamus, & sumimus, & à nostris vulneribus non curamur. Chrysolog. serm. 33. in fine.

In cœna Domini, sermones Eligii. Bibl. Patr. to. 2. Gerson. to. 4.

De Eucharistiæ sacramento. multa. Bibl. Patr. B tom. 6. & 12.

De Eucharistia, vt est signum, donum, cibus, communio, sacrificium, sacramentum. Alber. to. 21.

Licet quotidie manducetur, non tamen minuitur, quia glorificatum incorruptibile. Non corrumpitur, quia non conuertitur in naturam aliti, sed cibum spiritualem sumens, in ipsum vertitur, per mentis excessum & amorem. Card. Cusa excitatio. lib. 2. cap. 20. in fine.

In Eucharistia docemur conformari diuinæ voluntati. *Vide Concordantia Principii.* Deo & Christo assimulari. *Vide Concordantia Maioritatis.* Societas cum excellentioribus.

Vitam suam liberam & nondum passioni addictam Christus conclusit per mysterium vnionis C in institutione Eucharistiæ; vnde dicit Paulus 1. Cor. 10. vnus panis, & vnum corpus. Vt simus omnes in vnitate spiritus cum eo; cum vnum & idem corpus in pluribus locis à pluribus participetur; vt simus vnum cum ipso, sicut est vnus cum Patre. Ioan. 17.

Ritum legitimum manducandi corpus, & bibendi sanguinem Domini nostri Iesu Christi, metimur de ritu Agni paschalis; cuius sanguine postea linitos, transit percussor Angelus. Rupert. l. 2. in Exod. c. 6.

Eucharistia est sacrificium. *Vide Gloria Principii.* Sacrificium.

Cicadæ rore cœlesti pascuntur.

Persarum Reges mittebant ad sibi charissimos D partem aliquam de mensa sua. Rhodig. lib. 28. ca. 1.

Venite mittamus lignum in panem eius. Hier. 11. hoc dicunt hæretici veneno doctrinæ suæ inficere conantes panem cœlestem.

Eucharistia ex pluribus facit vnum. *Vide Concordantia Virtutis.* Congregatio bonorum.

Quando videris corpus Christi propositum dic, propter hoc corpus, non sum amplius ego terra & cinis, non sum amplius captiuus, sed liber; per hoc spero vitam æternam, Angelorum conditionem, cum Christo consuetudinem, ex hoc corpore fluxerunt fontes toto orbe salutiferi; huic se subtrauit mare, eo tacto mulier à fluxu E sanguinis liberata; per hoc fractæ sunt vires dæmonis; hoc corpus iacens in præsepe, reueriti sunt Magi, & Angeli. Quanta dignum est reuerentia postquam tanto pro te patrauit vt testatur sacerdos in altari. Regiam non efficit ornatus sed principis inhabitatio, sic Eucharistia cœlum est, in quo est Deus, hæc temporalis Dei cœlique fruitio ad æternā disponit, &c. D. Chrys. ho. 24. in 1. ad Cor.

Omnia penè in sanguine secundum legē mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Hebr. 9.

Hebr. 9. Olim ipsam aspergebant superficiē & qui aspergebatur rursus abluebatur, nō enim semper obibat cruentatus. In anima autem non sic, sed ipsi essentiæ admiscetur sanguis Christi ipsam reddens robustam & castam, & deducens ad ipsam, quæ explicari non potest pulchritudinem. Idem. homil. 16. in epist. ad Hebræos.

Eucharistiam prohibitum cum mortuis sepelire, quod est cibus quo vti non possunt mortua corpora. Vide *Gloria Finis.* honor sepulturæ. De Eucharistia collo nauigantium appensa. Vide *Medium Gloria.* de communione sub sola specie panis. Vide *Differentia Veritatis.*

Per Eucharistiam Christo, tanquam capiti cuncta corporis mystici membra annectuntur. Caro namque Christi quæ ante passionem solius erat verbi Dei caro, per passionem ita creuit, adeo dilatata est, ita mundum vniuersum impleuit, vt omnes electos qui futuri sunt noua conspersione huius sacramenti, in vnam Ecclesiam faciat, & in vnum Deum & hominem æternaliter copulari. Caro illa vnum erat granum frumenti quod antequam cadens in terram mortuum fuisset, nunc postquam mortuum est crescit in altari, fructificat in manibus & corporibus nostris, & ascendente in cœlum magno & diuite Domino messis, terram fructiferam in qua creuit, secum vehit in horrea cœli. Casallius de sacris Ecclesiæ ritibus cap. 8.

Si per errorem Cathecumenus ad vocem Diaconi non egressus fuisset Ecclesiam, & cum fidelibus recepisset communionem, erat incontinenter solutus à pœnis cathecumenatus, statim baptizabatur, confirmabatur & illuminabatur per Eucharistiam, quasi specialiter à Deo vocatus & Spiritus S. descendisset super eum Id. cap. 20.

Oleum sanctum non potest perfici nisi in altari vbi est Eucharistia, vnde non potest fieri apud hæreticos, apud quos non est Eucharistia. D. Cyprian. epist. 12. lib. 1.

Eucharistia est miraculum licet frequentetur quotidie Vide *Maioritas Potestatis.* miracula.

Eucharistiæ ab origine mundi mysterium. Vide *Principium Gloriç.* Christus Saluator.

Expressus est textus. Iustini. Martyris apologia 22. in fine

Poterat verbum diuinum vt in creatione, sic in redemptione, per vnum *fiat* hominem integritati suæ restituere, sed carnem assumpsit ampliori misericordia, vt ex ea fieret iuge sacrificium Deo Patri, & animabus cibus spiritualis. D. Gregor. Nyssenus oratione catechetica

Verbum propterea se immiscuit, interitui obnoxiæ hominum naturæ vt communione diuinitatis simul etiam deificetur humanitas: ea de causa per suæ gratiæ dispensationem se per carnem inserit omnibus credentibus; commistus & contemperatus corporibus credentium, quibus substantia est ex pane & vino, vt vnione cum eo quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis Id. cap. 37.

In institutione Eucharistiæ verè corpus Christi à Christo summo sacerdote immolatum est. Vide *Virtus Voluntatis.* Voluntas pro facto.

De sacramento Eucharistia. Vide quæ scripsi Theol. natura.tom. 4. parte 3. cap. 16. & de institutione Religiosi parte. 2. cap. 27. 26.

Poculum sanguinis Christi, si cum fiducia sumatur, remedium est contra vitiorum omnium morbos D. Chrysosth. homil. 4. in Mathæ.

Eucharistia quare sic vocatur. Vide *Æqualitas Bonitatis.* gratitudo.

Non vides eos qui in hoc sæculo sibi filios adoptāt, quomodo nullo pacto rem seruis cōmittunt, sed ipsi præsentes in iudicio cuncta peragunt: sic Deus non Angelis hoc munus commisit, sed seipsum pro te posuit, & non dedignatur suum tibi tradere corpus. Ib. hom. 51.

Christus per Eucharistiam vult omnibus vniri. Vide *Æqualitas Voluntatis.* Deus vult omnes saluos fieri.

In Eucharistia hoc est mirabile; quod cum ibi non sit panis & vinum, possint tamen accidentia illa pascere, satiare, inebriare. Quanto magis substantia corporis Christi nutriet animam.

Manumissiones olim fiebat interdum in conuiuio inter amicos, & tum initio sic manumissi precariam & ad dominiarbitrium reuocabilem libertatem haberent, postea perfectam sic concedi voluit Iustinianus. Cuiac. obser. lib. 18. c. 20.

Psal. 64. flumen Dei repletum est aquis (idest Spiritus sancti muneribus inundamur;) parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius; Et quis est ille nobis paratus cibus. Ille scilicet à quo ad Dei consortium præparamur, per communionem sancti corporis, in communionem deinceps sancti corporis collocandi, quia illo quamuis in præsens saluemur, tamen in posterum præparamur. D. Hilar. in psal. 64.

Eucharistia collo appensa saluat à naufragio. Vide *Medium Gloria*

Festum corporis Christi celebratur per totā octauam apertis Ecclesiis tempore interdicti. Mart. V. const. 12. Bull. p. 241. t. 1. quare sacramentum hoc in vltima cœna constitutum. Vrba. 4. const. 1. p. 118. t. 1. Paul. 3. const. 10. p. 531. to. 1.

Missam audientes in Ecclesiis fratrum Mendicantium in Dominicis & festis diebus præcepto Ecclesiæ de audienda missa satisfaciunt. Leo. const. 15. p. 439. to 1. Paul. V. const. 11 §. 2. n. 8. p. 173. to. 2.

In Missæ sacrificio offertur Deo verum, proprium & propitiatorium sacrificium. Greg. 13. const. 33. § 12. pag. 302. to. 2.

Si videremus corpus Christi in sacramento, vt est in cœlo, impossibile & inhumanum esset eum manducare.

VIS MEDII PER QVOD fit transitus.

Aqua talem habet saporem, qualem habet terra per quam transit, similiter aquæ per cinerem colatæ, faciunt amarum saporem, ipso cinere per quem colatæ sunt amaro existente. Albert. Mag. tract. 2. de sensu & sensato. Sic aquæ thermarum sunt calidæ, quia transeunt per mineras sulphuris incensas. Id. tract. 3. de proprietatib. elementor. lib. cap. 2.

Grando non cadit sicca, sed liquescens, quia transit per inferiorem aërem, moderatè calidum.

Si iuxta ramusculos vnde dependent fructus, fiant foramina & insertis intus aromatibus, bene cera obturentur, per euaporem, & transeuntem succum, fructus erunt aromatici. Albert. Mag. lib. 7. de vegetabil. cap. 2.

Sol de die, Luna de nocte accipiunt planetarum vires, cum quibus coniunguntur in prima & decima, locis validis. Hermes in centilo, nu. 26.

Google

Quando Planeta aspicit alium planetam de domo sui casus, inimicatur ei & abhorret eum, verbi gratia si fuerit Saturnus in casu exaltationis aut domus Veneris, & si tunc aspexerit Saturnus Venerem, ille aspectus est inimicitiæ. Haly parte 1. cap. 4.

In Scotia in castello de Fast inuenitur lapis, in modum spongiæ peruius, per eum aqua maris transiens dulcescit. Dauity.

Medium pro sua ratione fallit visum. *Vide Veritas Magnitudo Repug.*

Auster in origine sua frigidus est, at quia transit per torridam zonam incalescit & qui incœpit frigidus, peruenit calidus. Rodigin. lib. 15. cap. 7. Sic omnes venti minutissimas quasdam partes secum transferunt ex locis per quæ transeunt, calidi ex meridie, ex septentrione frigidi, si solum ex terra sicci; ex mari humidi; ex locis odoriferis, odoriferi, vt sunt hi qui veniunt ex Arabia fœlici & ex montibus Hispaniæ rosmarini, tymi, lauri feracibus. Vt fœtidi sunt qui veniunt ex Vesuuio. Radii solis qui ab eo missi calorem hic intensissimum generant etiam incendia, à luna recepti, & excepti aliqua pelui, in humidum frigidum, aqueum vaporem conuertuntur.

Homerus dicit duas esse portas per quas somnia ad nos veniunt, vnam eburneam per quam vana & nihil significantia, corneam alteram per quam fatidica & vera; id ita confictum quia corneæ laminæ sunt transparentes & diaphanæ, eburneæ verò obscuræ.

In regione septentrionali nascitur Gulo voracissimum animal magni canis altitudine. Si dormierit quis super eius pelles, tota nocte somniabit de inexplebili edacitate. Olaus Magnus lib. 18. cap. 8.

Aquæ petrosæ sunt agrestis indolis, conditionis mineralis, factrices indigestionum, & calculi in humano corpore eo quod aliena contineant. Van Helmont. de tartaro.

QVANTVM VALET dispositio in recipiente.

LVmen afficit perspicuum, secundum posse perspicui, & non secundum posse luminis. Albert. Mag. tract. 2. de sensu & sensato.

Contrarietas colorum non est ex lumine, sed ex contrariis dispositionibus perspicui, quæ sunt opacitas & transparentia partium determinati corporis in superficie continente. lb.

Vt primus motor vtitur lumine, vt materiam impleat diuersis formis secundum quod vnaquæque pars materiæ est susceptibilis earum; sic anima mediante spiritu implet corpus suum viribus, pro diuersitate organorum susceptibilium; vnde vnus & idem spiritus operatur visum in oculo, auditum in aure, & sic de aliis, motusque eius est, multiplex in virtute. Id. tractat. 1. de spiritu & respiratione cap. vlt.

Intelligentia separata, lumen diffundit & ingerit per totum orbem sibi subiectum, sicut anima per corpus suum, & hoc lumen vbique præsens proportionaliter efficitur in his quæ se extendunt ad ipsum: & hoc est quod dicit magnus Dyonisius, quod lumen extendit se per omnes vultus, & fit in intellectu intellectualiter, in omnia animaliter,

A in corpore naturaliter, secundū virtus cuiusq; propriam analogiam, sicut lumen animæ differenter participatur à membris secundū propriā singulorum analogiam. Eo informati excellentes viri mira operantur & prædicunt, & si quādo quod prædixere non euenit, id fit non ex defectu ordinis qui est in lumine mouente & agente, sed ex contraria dispositione materiæ. Albert. Mag. tract. 3. de intellectu & intelligibili. cap. 11. & lib. 2. de cœlo tr. 3. cap. 14.

In insitionibus digeritur succus ad naturam & modum inserti rami, & non eius cui inseritur. Id. lib. 5. de vegetabil. cap. 3.

Iusquiamus confortat passerem, occidit hominem, propter dissimilitudinem complexionis. Ib. tract. 2. cap. 1.

B Anima dicta est, esse in sanguine, non secundum essentiam, sed secundum inclinationem affectus eius tales enim sunt spiritus qualis est sanguis qui illos recipit & vehit; ita melancholici patiuntur terribiles imagines, quia receptæ in horrido efficiuntur horribiles. Id. lib. 1. de animalib. tract. 1. cap. 2.

Theodorus vulgo dictus Atheus, dicebat, verba se auditoribus dextera porrigere, sed illos sinistra accipere. Plutarch. lib. de tranquillitate animi.

C Actus actiuorum sunt in patiente bene disposito. Arist. 2. de ani.

Dicunt Magi in materiam ritè dispositam, cœlum nobiliorem formam influere hominibus malè dispositis, cœlestes influxus, alias de se boni, redduntur nociui, quemadmodum lux solis, oculis malè dispositis.

Vide Concordantia Contrarietatis. Contrarii effectus ex eadem causa propter varias dispositiones.

Lumen solis in stellis receptum, induit illarum virtutem, & sic in luna est frigidum & humidum. Albert. Mag. tr. 1. da cœlo & mun. cap. 10. & de gener. & corr. l. 2. t. 3. c. 5.

D Lex diuinitatis est per prima media, & per media vltima reducere decrescendo, quia non recipitur æqualiter in natura inferiori, vt est in superiori; & pro tanto dicuntur dona, tam naturalia, quam supernaturalia descendere. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum. D. Thom. opusculo de homi. Christ. post initium.

Nulla forma potest esse, nisi in materia disposita.

Magnitudo passionis, non solum dependet ex virtute agentis, sed etiam ex passibilitate patientis; quia quæ sunt bene passibilia, multum patiuntur etiam à paruis actiuis.

E Hermes & omnes Indi Philosophi dicunt omnium inferiorum virtutes infundi à cœlo, & ignobiliter aut nobiliter recipi pro ratione dispositionis quæ est in materia. Nobiliter quando materiæ recipientes has virtutes fuerint superiorib. magis similes in lumine & perspicuitate, vt sunt lapides pretiosi & cōtra. Alb. Mag. de mineralib. lib. 2. c. 2.

Videmus solem luminis sui actu subtiliores terræ partes sursū quotidie eleuare, cōtra vero densiores, saxa videlicet & id genus alia, in vanum, & absque vllo motu sensibili, aut partiū subtiliatione ferire.

Aër in vase rarefactus per calorem, exiens inde per fistulam musicè præparatam, edet sonum musicum & harmonicum.

Vim omnem atque virtutem ad nos demanantē à superioribus in bonū tēdere astruunt eruditi,

Digitized by Google

verum complexionis & educationis vitio corrumpi, hinc Saturni grauitatem in tristitiam, parsimoniam, rigiditatemque labi; Martis magnanimitatem in audaciam temerè se periculis obiectantem; Mercurialem industriam in dolos, Veneris charitatem in fœdam libidinem. Rodigin. lib. 10. cap. 20.

Iamblicus arbitratur Deum, non quia inuocatur moueri ad impetranda hominibus bona, sed sponte nos ad bonum prouocare, nobisque inuocando conuersis occurrere: supplicationem animum diuino aptum influxui efficere. Idem. lib. 12. cap. 2.

Manna contra præceptum Dei collectum, non nutriebat, sed ebulliebat in vermes, dicit Christus ad hoc veni in mundum vt qui non vident videant; & videntes cœci fiant, scilicet qui dignè non recipiunt verbum Dei. Origen. Homil. 3 super numer.

Matth. 13. Iesus in patria sua non potuit vllam virtutem facere. Non dicit noluit, sed non potuit, propter incredulitatem eorum Origen.

Matth 22. eiicitur in tenebras exteriores ingrediens nuptias non habens vestem nuptialem.

Eadem portio terræ quæ prorsus plana apparet, distincta tamen est in monticulos penè inuisibiles, minus lucis, & in fossiculas plurimas, plus lucis accipientes, ex diuersimodè calore recepto, multiplex varietas.

Eiusdem rei sensus varius est, pro varia sentientis dispositione. *Vide Differentia Cognitionis.*

Virtutes cœlestes non semper inducunt effectus suos in istis inferioribus propter contrarias dispositiones impedientes, vnde sæpe fiunt signa imbrium & ventorum, quæ tamen non eueniunt propter contrarias dispositiones fortiores D. Thom. in quest. disp. de prouid. q. 5. a. 9. ad 1.

Actio caloris est vbique simplex, vniuoca, & homogenea ex se, differés effectu ratione materiæ.

Absolutio sacramentalis non potest fieri supra excommunicatum, nisi prius ab excommunicatione liberetur. Tost. defens. 5. c. 4. k.

Anima operatur secundum dispositiones corporis. *Vide Principium Virtutis.* bona indoles.

Animam humanam esse harmoniam quandam dixit Aristoxenes qui fuit Philosophus, Poëta, & musicus, vt refert Tullius. 1. Tusculan. quæstion.

Naturale influens tantum simul influit, quantum passum capere potest. Tostat. Matth. to. 7. fo. 203.

Lex in ciuitate scripta inanis est, nisi prius populus excipiédis seruandisque legibus docibilis sit; sic nisi legi anima consenserit, non fiet in ea optima hæc politia quam philosophiam appellant, Maximus Tyrius sermo 21.

Causa superiores suos habent effectus pro diuersa recipientium dispositione. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 10.

Vis eadem in diuersa materia transit in varios vel contrarios effectus Ibid. §. 1. Vis superior aptè recepta surgere potest in effectum naturæ singulari superiorem. Ib. §. 2.

Matth. 12. maior pars seminis amissa est; non seminantis causa, sed suscipientis culpa terræ, hoc est propter non attendentem, aut repugnantem animam. D. Chrysost. homil. 45.

Maius speculum, maiorem recipit & reddit rei speciem; quidquid enim recipitur, per modum recipientis recipitur.

Deus dat omnibus æquales gratias, quæ fiunt A diuersæ pro diuersa recipientium dispositione. *Vide Æqualitas Voluntatis.* Deus vult omnes saluos fieri.

Solus humilis est dispositus ad omnem Dei voluntatem. *Vide Virt. Minoris.* humilitas subfinem.

DIGNA AD EVCHARISTIAM, præparatio.

ORdines in Ecclesia significant dispositionem participantium Eucharistiam. Alb. Mag. in cap. 1. D. Dionysij de cœlesti hierarchia.

Si in balsamo corpora putrida condiantur, penitus corumpûtur; corpora autem recentia ipso linita à corruptione & putredine totaliter conser-

B uantur. Plin. Eucharistia est sacramentũ viuorum.

Non debet nouus cibus sumi, nisi prior sumptus fuerit digestus.

Vide supra hoc tit. de Eucharistia, & esu tum agni, tum hœdi. Oportet pascha manducare in habitu peregrini, quasi ex hac vita in aliam transituri. Festinanter & in azymis, assum igni, cibi significat tumultuarium apparatum. Theodoret. in exod. q. 12. Non debet tardari quis à sumptione Eucharistiæ propter scrupulos, & nimiam vitæ suæ pœnitentiam. *Vide Duratio Bonitatis* frequens communio.

Recipientes sacramenta eiusdem rationis, cum inæquali dispositione inequalem gratiã recipiunt;

C vt agés naturale inæqualiter operatur in subiecto inæqualiter di posito; id etiam spectat ad sapientiam & prouidentiam diuinam, vt homines se melius disponant ad sacramentorum susceptionem. Concil. Trident sess. 7 Bonacina de sacram. disp. 1. q. 4. Si ista dispositio sufficiat extra sacramentum vt contritio, & amor Dei super omnia; si extra sacramentum non sufficiat vt est attritio, recipitur æqualis gratia. Ibid & *Vide Æqualitas Veritatis.* Deus vult omnes saluos fieri.

Recipientes sacramenta debent esse rectè dispositi ad principalem eius effectum recipiendum, scilicet gratiam, quia sancta sunt sanctè tractanda, alioqui committitur sacrilegium, & sumens, quia sacramentum illi magis adhæret, si in-

D dignè sumet, magis peccat, quam indignè administrans. Baptismus pueris confert æqualem gratiam, adultis inæqualem pro modo dispositionis. Id. disp. 2. q. 2.

Sacramentum Eucharistiæ fuit institutum in loco decenti, idest in cœnaculo parato in Hierusalem, vt patet ex Euangelio.

In suscipiente Eucharistiam triplex dispositio requiritur. 1. vt sit baptizatus, vt habeat intentionem, aut actualem, aut virtualem, aut habitualem, qualis est in amentibus qui ante amentiam habuerunt voluntatem recipiendi 3. vt non habeat conscientiam peccati mortalis, sed sit in gratia, &

E si dubitet an sit in peccato, debet confiteri, nec se exponere periculo. Bonacina de Euchar. q. 6

Apostolus 1 Corint. 11. loquens de indignè sumentibus Eucharistiam dicit, propterea inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi; dormientes mortuos dicit, quos luget in viuo corpore iam sepultos. Chrysolog. serm. 3.

Missæ præparatio, & expositio. lib. D. Bonauen, De sacramentorum sumptione indigna. D. Chri. hom. 60.

Daturus legem Deus, iussit vt populi lauarent vestes, lauarent corpora sua, totosque se ab omni carnis contagione mundarent, quia appropinquare Deo homo non potest fæce corporali, mundano squallore pollutus. Chrysolog. serm. 59.

Sol lippientibus oculis, non lucem tribuit, sed tenebras, vinum vires febrientium, non reparat, sed eneruat; sine medico vitæ poculum fit lethale, sic perfidis perniciosum est, sine fide, fidei sacramentum. Id. serm. 60. in fine.

Abbas Muthues inuitus ab Episcopo ordinatus Presbyter, oblationem non obtulit toto vitæ tempore, indignum se existimans. Vitæ Patr. lib. 3.

Qui Regi in reddendis rationibus obnoxius est, pecunia redimitur, sed si in personam Regis peccauerit læsæ maiestatis reus corporaliter punitur. Nunquam Iudæi grauius peccarunt, quam cum Dominum crucifixerunt, sic qui indignè sumunt Christum; ex Petro Damiani opusc. 26. cap. 2. In reliquis Deum offendimus in rebus suis, hic autem in persona sua Ibid.

In perceptione corporis & sanguinis Dominici, magna discretio adhibenda est, cauendum est enim ne si nimium in longum differat ad perniciem animę pertineat, dicēte Domino; nisi manducaueritis carnem filij hominis &c si vero indiscrete accipiatur, timendum quod ait Apostolus, qui manducat indignè, iudicium sibi manducat: prius ergo per aliquot dies abstineat ab operib. carnis, sicut Dauid cum panes propositionis comedit. Concil. Cabilon. II. c. 46.

Lotharius Romam veniens & falsò præstito iuramento se adulterium deinceps relicturum, communionem accepit ab Hadriano Papa, sed eodem anno mortuus est. Vide hist. in Conc. Galliæ. a. 869.

Gelfredus Monachus falsò accusatus quod Episcopum veneno occidisset, cum nulla tanti facinoris esset probatio, rumor tamen increbuisset, purgatus est per corpus Domini, illud accipiendo cum publica protestatione, quod illi esset ad interitum, si reus esset. Id habetur in Con. Galliæ. a. 894.

Num. 11. dicitur sanctificamini in crastinum vt manducetis carnes. Vide expositionem. Supra *Virtus Cognitionis*, ex Origene.

Leuit 16. præcipitur Aaron ne omni hora intret in sanctuarium, sed prius rebus rite dispositis.

Qui ante Eucharistiæ sumptionem seipsos non diiudicant, patiuntur quod febricitantes pati solent, cum sanorum cibos præsumunt, sibimet ipsis inferentes exitum. Origen. homil. 2. in psal. 37.

Oportet te esse sobrium antequam Eucharistiam accipias, vt sis dignus accipere; postea autem ne appareas indignus eorum quæ accepisti, & pane vitæ accepto, facias rem mortis. Castiga linguam & labra, quæ ingressui Christi fuere vestibula. D. Chrysost. hom. 27. in 1. ad Corinth. *Vide Gloria Virtutis.* dies festus.

Neque segniter & miserè affectus, necesse habet propter diem festum accedere; neque compunctus & paratus debet prohiberi propterea quod non sit dies festus. Dies enim festus est bonorum operum ostensio, & pietas animæ, & vita rectè instituta, si hæc habeas poteris semper diem festum agere & semper accedere, propterea dicit, probet seipsum homo, faciens iudicium ad quod populo non pateat aditus, & probationem quæ careat testibus, Ibid. homil. 28.

A In missa post Euangelium proclamabat diaconus Sancta sanctis. Cathecumeni, Ite in pace, Apud Clement lib. 8. constit. cap. 13.

Agnus Paschalis non debebat immolari, quandiu panis fermentatus esset in domibus, expellebatur itaque ante immolationem. exod. 34.

Fermentum est quædam corruptio, & panis Eucharistiæ non fermentatus significat, magnam in eius receptione puritatem. Tostat Leuit. fol. 20.

Manna Iudæi peccatores fastidiebant, vt patet nu, 11. & 21. bonis autem vertebatur in omnem iucunditatem saporis, vt patet sap. 16.

De conuenientia sumptionis Eucharistię cum comestione agni Paschalis. Vide Tostat. Matth. 10. 7. fol. 284. & seq.

B Indignè mysteria tractauit Alcibiades temulentus ex conuiuio sacerdos, ludibundusque sacrificator. Maxim. Tyrius. serm. 23.

Corpus Domini positum fuit in syndone munda, vt doceamur Domini corpus pura conscientia suscipere. S. Greg. Nyssen. lib. de perfecta Christiani forma.

Quæ sit necessaria ad Eucharistiam præparatio. Vide quæ scripsi lib. de misericordia Dei, parte 2. cap. 22. 24.

Vis hoc sacrificium honorare: animam tuam offeras, propter quam Christus immolatus est, eam auream facito. Quod si anima tua plumbo aut testa deterior est, quid tibi proderunt aurea vasa. Angelorum celebritas Ecclesia est, animarum ergo mundicia opus est propter quas etiam vasa hęc

C Deus recipit. Vis Christi Corpus honorare, non induas sericis in Ecclesia, & foris nudum relinquas in paupere, &c. D. Chrysost. homil. 51. in Matth.

Præparate, inquit Dominus per Prophetam, mihi templum, & habitabo in medio vestri. Templum vtique non lapidum structura compositum, non auro tectum, non gemmis ornatum, sed virtutibus, sed morum probitate, sed spirituali exercitatione fabricatum, de quo Apostolus. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Qualis inhabitator, tale sit receptaculum. &c. Laurent. Iustin. l. de connubio Verbi & animæ cap. 13.

Iteratur passio Christi, quoties Eucharistia sumitur indignè. *Vide ex eod. Duratio (contrarietatis.*

D pœna lenta & protracta.

Sunt qui non manducantes manducant, & sunt qui manducantes non manducant, aliqui qui manducantes manducant. Non manducantes manducant fideles omnes qui laudabilibus actibus insistentes corpori Ecclesiæ mystico vniuntur, per vnitatem charitatis spiritualiter manducant; manducantes non manducant indignè sumentes, nec enim aluntur, sed se destruunt; manducantes manducant qui dignè suscipiunt. &c. Id. Ibid. cap. 24.

Ioseph ab Arimathia syndone munda, cum aromatibus inuoluit corpus Iesu, purgata conscientia virtutum odoribus excipe corpus Dominicum;

E monumento in petra exciso, idest iugi & non labili memoria, recondi debet. Idem. de triumphali Christi agone. cap. 20. Ne quid propter exteriores tumultus patiaris incommodi, magnum saxum ad tui aduolue ostium monumenti diligentem ac perseuerantem adiice menti tuæ custodiam. Ibidem.

Si reus est homo qui creaturis materialibus rectè non vtitur ad Dei gloriam, quantò magis qui.

maximo donorum, Eucharistia scilicet abutitur. Si lex antiqua excludebat ab esu agni incircumcisos, alienigenas, atque immundos, neque enim corpore vel mente laborans, regio debet ministrare conuiuio; Laurent. Iustin. serm. de Christi corpore.

Ad dignam Eucharistiæ sumptionem pertinet, vt non statim, qui sumpsit, ad vana conuertatur. *Vide Duratio Virtutis.* perseuerantia in virtute, Non statim à sacris ad prophana.

Qui iniunctam pœnitentiam peregerant, ad publicas quidem preces, non autem ad corporis A & sanguinis Domini sumptionem admittebantur, donec reliquum tempus pœnitentiæ absoluissent; hoc dicebant communicare in e ratione, vel communicare sine oblatione. Glossa in Conc. Ancyra. cap. 4.

Exod. 30 Aaron & filii eius lauare debent manus & pedes antequam intrent sancta sanctorum ad incendendum thymiama, ne fortè moriantur. Manus significant inordinatas actiones, pedes verò affectiones, quas emundare debet pœnitentia, priusquam ad sacram synaxim accedamus. Rusbroch. de tabernac. fœderis. cap. 35.

COGNITIO MEDII.

ELECTIO MEDIORVM.

CONSILIVM non est de fine, sed de his quæ sunt ad finem. Arist. 3. ethic. cap. 3. B

Principis est virtus maximè nosse suos. Martialis.

Gen. 4. Tubalcain artem ferrariam inuenit, quo fabricante Tubal frater eius, malleorum sono delectatus ex ponderibus eorum proportiones & consonantias, quæ ex his nascuntur, excogitauit. Tostat. Gen. fo. 19. aptos ad officia nosse licet, ex maiori ad illa propensione & affectu.

Tenetur quilibet apprimè tenere quæ pertinent ad promouendam suam salutem. Vide quæ scripsi *moralis Christia. to. 1. parte 1. cap. 11.*

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Psal. 31. Idest dirigam in te lumen intelligentiæ meæ; ne sis in electione varius. Alcuin. in d. Psal.

Priora quæ antecesserunt, futura etiam non cognoscuntur, sed tantum præsentia quæ sunt media. *Vide Maioritas cognitionis.* Diuinatio prohibita.

VOLVNTAS MEDII.

APPETITVS CONVENIENTIS MEDII.

VT plantæ molles infixæ terræ facilè trahunt alimentum, & coalescunt, velut salix, sic quæ sunt calidæ quia potenter trahunt alimentum, infixis ramis in terram conualescunt, vt buxus. Albert. Magnus. lib. 2. de vegetabilib. tract. 1. cap. 3. C

Ignis descendit, vt sequatur suum alimentum: animalia mutant sedes, vt deficientem in vno loco cibum, in alio inueniant; & inter se decertant pro cibo, siue sint eiusdem speciei, seu diuersæ.

Desiderium sequitur amorem finis, & præcedit amorem eorum quæ sunt ad finem.

Sensibilis vita quærit suum pastum rationabiliter. Card. Cusa lib. de venatione sapientiæ.

Ignis alitur aëre, hunc itaque quantum potest etiam ex longinquo trahit, & calida omnia siccaque velut excessus sui temperamentum. Similiter trahit oleum, ceram, adipem vnde alitur.

Cuiuslibet voluntatis est duplex volitum, vnum principale, in quod voluntas fertur secundum se vt ratione nostri beatitudo; secundaria verò volita sunt quæ ad hoc principale ordinantur sicut in finem. D. Thom. in quæst. disput. de voluntate Dei. art. 4.

Vide Bonitas Medii. Concordantia Medii. Propria & congrua media. Nam eorum defectus malus est. *Vide Minoritas Medii.*

VIRTVS MEDII.

PROBI MINISTRI.

VIDE *Virtus Potestatis*. Sanctitas sacerdotum.

Tales debent esse ministri sub principe, quales spiritus in corpore, parati ad omnes operationes animæ & puri, de his; *Vide Gloria Medii*. Illustre medium.

Viro malo etiam vera dicenti fides non habetur talisque aduocatus videtur malæ causæ argumentum. Quint. Instit. orat. lib. 12. cap. 1.

In gubernando noli vti mali viri opera, illius enim vitia in te reflectentur. Isocrates.

Non est credibile Deum constituere Dæmonem ministrum sacramenti, quia Dæmon intendit hominis perditionem, non salutem. D. Thom. 3. q. q. 94. a. 7. quanquam de potentia absoluta possit baptizare, quia Dæmon est creatura Deo subiecta. Bonacina.

Licet regulariter valeat sacramentum à malo ministro administratum. D. Thom. 3. q. 64. a. 5. interdum tamen non validè administratur, si pœnitens nulla cogente necessitate, eligat eum quem sciat administraturum in peccato mortali, vel ab excommunicato vitando. Bonaci.

Ratio essentialis quare aliquis peccat mortaliter administrans sacramentum existens in peccato, est, quia est specialiter deputatus & consecratus ad tale officium; quod pro dignitate exercendum est. D. Thom. q. 64. a. 3. Idem q. 82. a. 6. testatur magis fructuosam esse missam dictam à meliori sacerdote, non quod conferat maiorem gratiam habitualem, sed maius auxilium per modum suffragii. Bonacin. de sacram. disp. 4. q. 4.

Cap. 1. §. fin. de cohabit. clericor. prohibetur ne fœminæ ad altaris ministerium adhibeantur, meliusque esset celebrare sine ministro, quod tamen non fit sine peccato mortali. Id. de sacrificio Missę. q. vltima. Similiter fœminæ non possunt administrare sacramenta, nec prædicare verbum Dei. *Vide Principium Cognitionis*. Alios docere in fine.

Pœnitens debet pœnitentiam adimplere in statu gratię, non verò in statu peccati, alioquin peccat, quia ponit obicem effectui satisfactionis, illamque indignè tractat. Non tamen peccat mortaliter: hæc satisfactio est opus mortificatum, & non valet ad remissionem pœnæ, nisi adueniente gratia. Idem de satisfactione.

Sacerdos administrans sacramentum pœnitentiæ debet esse in gratia, aut ad illam se disponere per contritionem, alioquin peccat mortaliter quia sancta sunt sanctè administranda. Id. de ministro pœnitentiæ.

De sacramentorum administratione & receptione cum congrua dispositione. *Vide Potestas Medij*. Quantum valeat dispositio.

Dicit Lampridius infœliciorem esse Rempublicam sub malis administris, quam sub malo principe, cuius vitia vt plurimum latent in aula, nec exundant in publicum nitentibus in contrarium ministrantibus si boni sint, at si mali, etiam sub bono principe fit labes vniuersalis, & deprædatio populi.

A

Quæ circa solem apparent maculæ, longè sunt ab ipso, & nihil aliud perhibentur esse, præter opaca quædam syderum corpora, quæ circa ipsum non æquali motu circumuoluuntur. Vitia quæ principibus imputantur, sunt sæpius in ministris.

Iudæi non debent admitti ad publica officia inter Christianos can. nullus, can. omnes. 22. q. 1. & idem statuunt Theodosius & Valentinian. l. 64. Cod. Theod. de hæret. ne occasione dominii sectam venerandæ religionis immutent. Id similiter prohibitum. Conc. Matisconensi. I. cap. 13. ne Iudæis Christiani videantur esse subiecti. Generaliter hæretici ad Rempublicam non accedant. Nouella 37. & l. 14. Cod. de hæret.

B

Pœnitentes clerici non debent ordinari. Concil. Agatense. cap. 43. & Carthag. IV. can. 68. Sic Arrepticii & Energumeni. Conc. Arelatense. II. can. 41.

Oliua cum meretrice in tantum dissentit, vt ab ea plantata fiat infructuosa, vel penitus arescat.

Ex accidentibus fit iudicium de substantia, & ex ministris de rege.

C

Gregorius 13. an. 1581. bulla lata prohibuit, medicos hæreticos aut infideles ad curam fidelium Christianorum admitti.

Delinquentes in camera Apostolica sunt Papæ denuntiandi Pius 4. const. 87. Bull. p. 95. to. 2.

Cardinales debent familiis suis inuigilare, & illas reformare. Leo. 10. const. 7. p. 406. to. 1.

Missam celebrantes ad ordinem Presbyteratus non promoti, ab inquisitoribus hæreticæ prauitatis puniuntur. Greg. 13. const. 21. p. 292. to. 2. & Clem. 8. const. 81. p. 93. to. 3.

Leges & constitutiones ab ethnicis Imperatoribus latas, nomine Iustiniani consecrauit & repurgauit. Tribonianus.

Probi debent esse ministri, quia eorum culpa in dominum refunditur. *Vide Veritas Principii*. Actio imputatur principali agenti.

D

Non possunt esse patrini neque in baptismate, neque in confirmatione, qui pœnitentiam agunt publicam, donec dignam perceperint reconciliationem. Concil. Paris. VI c. 54.

Quia substantiales differentię nobis notæ non sunt vel etiam nomina, cogimur interdum vti differentiis accidentalibus loco substantialium; accidentia enim propria sunt effectus formarum substantialium, & manifestant eas. Sic ex seruis fit iudicium de dominis.

Digitized by Google

A Ecclesiastici propriè dicuntur illi qui Ecclesiæ ipsius ritibus, & solemnibus quibusdam seruatis ab Episcopo vt illi famulentur sunt adscripti. Clerici dicuntur, eo quod in sortem domini sunt electi. can. duo sunt genera. 12. quæst. 1.

Oleam puram à puris oliuantibus, plantari debet, etiam iuramento addictis se aliam præter vxorem non attigisse. Sic lætior fit prouentus. Rhodigin. lib. 12. cap. 19. In Cilicia est feracissima, à puris enim pueris colitur, nam huic arbori præsulem dicunt esse castitatem. Ibid.

B Act. 16. dolet Paulus testimonium sibi reddi à muliere Pythonissa, dicente quod essent serui summi Dei.

In Olympicis certaminibus præco magna & alta voce clamabat, dicens nunquid aliquis hunc certaturum accusat, sit ne seruus, aut fur, aut malis moribus? D. Chrysost. hom. 17. in epist ad Hebræ.

D. August. lib. 83. quæst. dicit quod Deus quædam facit per seipsum sicut illuminare animas & beatificare eas, alia per seruientem sibi creaturam integerrimis legibus pro meritis ordinatam, scilicet per Angelos.

C Hæreticis militiâ qualibet & curatione publica interdicitur. Nou. Leon. l. 6. Cod. diuers. offic.

Angeli mali interdum mittuntur ad puniendum, nunquam tamen ad liberandum; quia hoc est Angelorum bonorum officium. Tostat. Exod. to. 1. fo. 89. c. 2. e.

Aquas lustrationis, solus qui mundus erat poterat aspergere, super immundum. num. 19.

Carnis & vestimentorum lotio fiebat in lege Moysis.

In locis in quibus aliqua crimina sunt commissa, non sunt exercenda sacra, nisi prius purgentur. Id. Matth. to 7. fo. 123. c. 5. f.

Melius esset Eucharistiam nunquam sumere, quam de manu infidelium sumere. Id. fo. 199.

D Infidelibus non licet colligere publicos reditus inter Christianos. cap. ex speciali de Iudæ. & Saracen.

Mali sacerdotes habent vsum clauium, alioquin nullus esset tutus in conscientia; tamen in peccato mortali existens si ministret sacramentum pœnitentiæ & alia sacramenta, peccat mortaliter excepto baptismo in casu necessitatis, nam debent esse iusti per quos alii iustificantur. Tost. Matth. to. 4. fo. 184.

Qui sacerdotem publicum concubinarium aliter nonce lebraturum facit celebrare, peccat mortaliter, ipsi enim benedicunt & Deus maledicit. Mala 2. maledicam benedictionibus vestris. Id. contra cleric. concubina. fo. 8.

E Licet totus populus præferendus sit vni sacerdoti, tamen Aaron prius obtulit sacrificium pro se, quam pro populo, vt purgatus & Deo sic acceptus efficacius oraret pro populo. Id. Leuit. fo. 75.

Cum infortuna fuerit iuncta soli in eadem parte, vel lunæ infortunatæ, nato, etiamsi rex fuerit magna inconuenientia contingent. Cardan. Aphor. sect. 2. aphor. 52.

Deuenimus ad cognoscendos Angelos qui sunt puri spiritus a materia segregati, mundi, hominum & regnorum sub Deo administri. *Vide quæ scripsi theol. natur. to. 2. parte 2. cap. 3. 4.*

Religiosus fidelis esse debet in iniunctis sibi officiis exequendis lib. de institutione & officiis religiosi. parte 3. cap. 12.

Clerici semel lapsi, à clericali munere debent abstinere, etiamsi deinceps in persecutione fidem professi fuerint. Concil. Ancyran. cap. 1. sic Cyprian. de lapsis. Vbi dicit Ecclesiam tanto candore conspicuos ministros suos esse voluisse, vbi licet hostem priore victoria elatum, secundo certamine superassent, ac proinde labe negationis se emaculassent, non tamen idoneos amplius existimauerit, qui sacris functionibus ministrarent. Vide Baron. an. 314. nu. 81.

Vide Duratio Minoritatis. Semel malus semper talis præsumitur.

D. Hieron. epist. ad Demetriadem de virginitate seruanda, monet eam habeat in ministerio tantum modestas. Mores enim, inquit, & studia dominarum, plerumque ex ancillarum & comitum moribus iudicantur.

Ancillę ex lupanaribus sacerdoti non emuntur. Senec. lib. 1. contr. 2.

Moscouitæ, à fide Catholica Romana dissidentes, colunt imagines cultu nimio & superstitioso, nec vllas recipiunt nisi fuerint factæ à Moscouita eiusdem sectæ.

RECTA DISPENSATIO PER MALOS ETIAM MINISTROS.

DEus per os Asinæ, per Balaam scelestum hominem populi causa loquutus est, per Iudam est operatus, non igitur inquiramus in sacerdotum vitam, de qua reddent ipsi rationem, cæterum excipiamus quæ ministrant mysteria. Sacerdotis tantum munus est aperire os, at cuncta Deus operatur. Ioanne Christum baptizante descendit spiritus quem non habebat Ioannes, vt scias sacerdotem symbolum implere tantum, Deum omnia operari, Deum omnia facere, sacram oblationem non sanctificant sacerdotes, sed Christus qui illam ante sacrauerat. Verba quæ loquutus est Christus eadem sunt, quæ sacerdos nunc pronuntiat, &c. D. Chrysost. homil. 2. in 2. ad Timoth.

Vide Minorans Medij. Deus seipso agit ex C. Cusa, & infra hoc titulo quando, licet vti malo medio.

MEDIVM QVO vtimur debet esse iustum & legitimum.

QVi detraxit de alio, aperiens crimen eius verum quidem sed occultum, non potest famam restituere negando factum, quia hoc esset mendacium, sed debet ipsum ex aliis sæpè laudare apud eos apud quos detraxit. Bonacina de restitutionibus disput. 2. q. 4. p. 15.

Vt liberetur Respublica absidione tyranni, non potest ei tradere res sacras, quas petit vt illudat. Ib. q. vltima.

Si in matrimonio apposita sit conditio impro-

Digitized by Google

ba, vt si hominem occideris, vel impossibilis, vt si A manibus cœlum attigeris, fauore matrimonii pro non adiecta habetur. cap. 1. & vlt. de nupt.

Iustos & iniustos necesse est laborare in quærendis ad vitæ sustentationem necessariis, sed iniusti modis quibuslibet etiam iniustis acquirunt bona. Iusti autem non nisi iusto labore & tunc licet minus sint diuites. Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas; quoniam brachia peccatoris conterentur. Psal. 36. Origen. homil. 3. in d. Psal.

Filius ægrotat, non facit pater amuletum, reputatur ei martyrium; mente enim sacrificauit filium, licet illa sint imposturę & ludibria, sunt ta- B men qui suadent ea prodesse, & maluit infantem videre mortuum, quam pati idololatriam. D. Chr. homil. 8. in epist. ad Coloss. eadem refert. homil. 3. in epist. ad Thessalon.

Olim in primitiua Ecclesia more à paganis accepto, in natalitiis martyrum fiebant conuiuia & lasciuæ saltationes per vicos & plateas, quia pudor venientium ad sacratissimum diem offendebatur: hęc reuocanda decreuerunt Patres in Concilio Africano. can. 27.

Quædam mulieres famæ & castitatis suæ pretio habere volunt amasios, vt videantur non contemptę & abiectæ pulchritudinis: sic ingenia quædam C turbida, famam per praua dogmata quærunt maluntque apparere noxii, quam ignobiles.

Ea quæ sunt supra facultatem humanam, à Deo petenda sunt, non à dæmonibus quibus in hoc subiici est species idololatriæ, etiam sine sacrificiis sed per pacta tacita, Paulus quidem & alii sancti leguntur aliqua per dæmones fecisse, non pacto cũ eis inito, sed sicut virtutem diuinam in eos exercentes, sicut etiam potestatum cœlestium officium dicitur dæmones arcere. D. Thom. in lib. 2. sentent. dist. 7. q. 3. a. 2.

Nullum peccatum mortale conceditur alicui ratione cuiuscumque infirmitatis, sed comedere D carnes conceditur monacho ratione infirmitatis ergo non est peccatum mortale. Id. quod lib. 1. a. 10.

Pueri Iudæorum non sunt baptisandi inuitis parentibus, quia liberi pertinent ad parentes, suntque sub illorum dominio, at res aliena inuito domino non est auferenda, tum propter periculum ne pueri adulti facti reuertantur ad legem parentum in scandalum Christianę religionis. Ib. quodlib. 2. a. 7.

Sacerdos non debet dare hostiam non consecratam occulto peccatori nec ipse peccare, vt alterius impediat peccatum. *Vide Minoritas Veritatis.* mendacium malum, & eo non licet se deffendere. E

Qui non intrat per ostium in ouile ille fur est & latro. Ego sum ostium, si quis per me introierit, saluabitur. Ioan. 10.

Deus nullum peccare facit, vt in eo fortitudinem suam ostendat, imo nec ad hoc aliquem peccare permittit. Tostat. Exo. to. 1. fo. 57. c. 5. f.

Iudęis prohibitum erat edere captum à bestia, ideo non venabantur feras canibus ad esum, nec aues aliis auibus rapacibus. Id. Leuit. fo. 176.

Maleficia quæ non possunt tolli nisi per dęmones, dicuntur perpetua, quia nunquam debent taliter tolli, licet graue malum sequat. Id. Matth. to. 5. fo. 120.

Morbos corporis, morbis animi ne curaueris.

Bona bonis mediis quærenda sunt. Vide quę scripsi de iure naturali lib. 2. lege 4. §. 4. Non licet vti magicis caracteribus, theolo. natur. to. 2. parte 2. cap. 15. 16. Ad bonum finem obtinendum oportet vti mediis legitimis. moral. Christia. to. 3. parte 1. cap. 15. etiam publicæ res iustis tantum mediis promouendæ sunt lib. de agente Dei in humanis, parte 2. cap. 12.

Terrestria animalia, plus maledictionis habent quam aquatilia, quia plus de maledicta terra viuunt, quam aquatilia, & ideo Christus post resurrectionem de pisce manducare voluit, non de aliquo animali terrestri. Alcuin. in Genes. interrog. 11. Luc. 24.

Cum in l. 4. Cod. de malef. & mathem. probentur amuleta & carmina, contra grandines & calamitates frugum, & morbos humanos, id fuit abrogatum. Leon. Nou. 65. Vide Cuiac. obser. lib. 27. cap. 17.

Ideo non licet orare cum excommunicato, quia peteretur auxilium ab eo. *Vide Differentia Minoratis.* Excommunicatio.

D. Hieronym. epist. ad Nepotianum. Monet ne superbo conuiuio magnates excipiat, eo prætextu vt roget pro miseris atque subiectis. Nam iudex sæculi plus deferet cleri cocontinenti, quam diuiti, & magis sanctitatem tuam venerabitur, quam opes.

Legimus in veteribus historiis ludi magistrum qui faliscorum liberos prodiderat, vinctum pueris traditum; & ad eos quos prodebat remissum, nec sceleratam populum Romanum suscepisse victoriam. Pyrrhum Epirotarum Regem, cum in castris ex vulnere curaretur, medici sui proditione interfici nefas duxit Fabritius, quin potius vinctum remisit ad dominũ, vt scelus, nec in aduersario comprobaret. Idem ad Pammachium de optimo genere interpretandi. Et addit, fecit quod sibi profuit. Mira sceleris defensio, quasi & non latrones & fures, & pyratæ faciant quod sibi prodest. Certè Annas & Caiphas seducentes infœlicem Iudam, fecerunt quod sibi vtile existimabant. Ibid.

Lapides altaris à gentibus prophanati extra proiiciuntur. 1. Machab. 4.

Basilicas hæreticorum quas tanta execratione habemus exosas, vt pollutionem earum purgabilem non putemus, sanctis vsibus applicare despicimus, sanè quas per violentiam nostris tulerant, possumus reuocare. Concil. Epoanense Galliæ can. 33. ann. 517.

Excommunicantur qui res Ecclesiasticas à regibus obtinent. Conc. Aruernense Galliæ. can. 5.

Nadab igne prophano vtentes in thuribulis, ab eo consumuntur. Leuit. 9.

Fideles nomina gentilium filiis suis non imponant, sed potius omnis natio Christianorum suis vtatur nominibus. Concil. Nicæn. can. 30.

Venenum veneno, calidum frigido sanare periculosissimum est, hic & immediatus ab extremo in aliud transitus solet mortem accelerare, vide Zacchiam Medi. lib. 2. tit. 2. q. 9. sic infortunatarum Saturni scilicet & Martis coniunctio mala est. *Vide Concordantia Virtutis. Repug.* Societas malorum.

Responsa à Dæmonibus, & auxilia ab eis postulantes, librosque de similibus tractantes, apud se retinentes, vt puniendi. Ioan. 2. const. 13. p. 177. to. 1. Bullarii.

Angelorum

d by Google

Angelorum malorum consultatio & inuocatio prohibetur, quoniam non est licitum participare cum eis tamquam excommunicatis à Deo, & fallere cupientibus. Gerson in trilogio Astrologiæ Theologisatæ, prop 18. A

Qui malo medio aliquid consequitur, lucrum facit damnosum.

Deus vult tantum ea sibi offerri quæ dedit, dedit autem omne bonum, siue temporale, siue temporale, non autem peccata, per quæ ideo non vult sibi famulari.

Non te ad jejunij mysteria introducat ebrietas; non est per temulantiam aditus ad jejunium, vt nec ad iustitiam, iter est per fraudationem, nec per malitiam ad virtutem; aliud ostium est ad jejunium, ebrietas ad lasciuiam inducit, ad jejunium frugalitas; Athleta ante certamen exercetur, jejunator ad jejunandum temperantia præparatur. Frustra putas vires ex crapula tibi seruare, in pertusum dolium infundis; infida penus est, effluunt cibi, remanet peccatum, ejusque pessimus habitus. D. Basil. homil. de jejunio. B

Veniemus, inquit Christus, & apud eum mansionem faciemus, dum autem hospitio recipis temulentiam, Domino ingressum præcludis, tur permittis vt hostis munimenta tua prior occupet. Ebrietas Spiritum sanctum propellit, fumus abigit apes, dona spiritualia fugat luxus. Ib. Nemo pudicam vxorem legitimè ducturus, ante scorta, & concubinas inducit in ædes? quid misces ea, quæ misceri non possunt? quod consortium temulentiæ cum jejunio; hodiernus dies vestibulum est jejunij, qui autem in vestibulo prophanatur, indignus est, qui ad sancta introeat, nullus seruus cupiens hero suo reconciliari, hostem illius patronum adhibet, ebrietas inimica est Deo. Ib. C

Ludos dicis esse, at nemo cum serpente ludit securus, nemo cum diabolo jocatur impunè. Chrysol. serm. 155.

Idem hom. in Martyrem Iulitam grauiter improbat eorum consuetudinem, qui si qua incidisset occasio tristitiæ, hujus prætextu totos se ad crapulam conuertebant, abutentes sententia Salomonis Prou. 31. Date vinũ his qui in tristitia sunt, loquitur enim de consolatione spirituali; nam vino plus iusto amentiores & temulenti, non sedant animo conceptum mœrorem; sed malum permutant malo, & pro morbo corporis, morbum in se recipiunt animi, vnde rursus exurgit tristitia, ex conscientiæ stimulis. D

Non licet alteri malum desiderare, aut inferre, vt nobis melius sit. *V. gloria minoritat.* ex alienis malis profectus malus.

Iustè, quod iustum est persequeris, vt viuas & possideas terram quam Dominus Deus dederit tibi. Deut. 16. 20.

Theodor ser. 10. refert ex Plutarch. l. cui titulus, de oraculis quæ defecerunt, dæmonas in solatium cædis hominum quæ in eorum honorem, olim fieri solebat, introduxisse ludos in quibus homines indecora, & quasi furibunda jactione & agitatione, obscœnis gestibus, actibusque rationi moriebantur. E

Peccat qui in Sacramentis vtitur materia aut forma dubia, cum possit habere certam, quia exponit se periculo. Bonac. Peccat & sacrilegium committit, qui in baptismo sine necessitate vtitur aqua alterata & fœtida. Ib.

Vt infans baptizetur, non licet occidere matrem, licet in partu morituram. Bonacina de subjecto baptismi. Filij paganorum non habentes vsum rationis non sunt baptizandi inuitis parentibus, quia si abducantur fit injuria parentibus; si relinquantur, non educabuntur in fide. Ibidem.

Impotentia coëundi censetur perpetua, si non possit tolli sine peccato, vt maleficium sine maleficio, vel sine copula cum alio, quæ esset adulterium. Bonacina de matrim. quæstione tertia, punct. 13. Illud enim non possumus, quod jure non possumus.

Non licet fornicari ad faciendam eleemosynam hæc tamen circumstantia & boni intentio minuit peccatum. Idem de peccatis, quæstione quarta, p. 1.

Non licet marito pacisci cum vxore, vt fictè consentiat cum adultero, vt deprehendatur, quia censetur inductio & cooperatio ad peccatum amasij. Ib. Quando simul concurrit præceptum affirmatiuum, & negatiuum, seruandum est negatiuum, quia præponderat affirmatiuo, nec sunt facienda mala, vt eueniant bona. Id.

Nullus potest, non solum mortale peccatum, verum etiam neque veniale committere ad tuendam vitam, vel ad totius orbis conseruationem, vt tradit D. Augustin. 1. de ciuit. cap. 18. & habetur can. itane 32. quæstione 5. sic eleemosyna facienda est ex proprijs bonis, non ex alienis, quia fieret injuria Domino, rationabiliter inuito. Bonac.

Non est licitum petere, vt maleficus, aut alius, vno maleficio dissoluat aliud, potest tamen rogari vt dissoluat, si id fieri possit, sine alio maleficio.

Sanctus Bonitus Episcopus Arternorum, quoniam de manu Regis, Laïci videlicet ministri, traditionem Ecclesiæ susceperat, cathedram contempsit, & ad remotiorem vitam se contulit. Petrus Dam. opusc. 19. c. 1.

Non licet minus malum facere ad vitandum majus. *Vide contrar. verit. heretici non occidendi*, exemplo S. Martini.

Vide medium contrar. non vti vi armata.

REPVGNAT SIMONIA.

Contra Simoniacos. Agobard. bibl. patr. tom. 9. Gerson to. 2.

Simoniam committit qui aulam sequitur vt obtineat beneficia. Petrus Damiani opusc. 22. *vide gloria virtutis, sapiens aulam fugiat, & voluntas bonitat. Rep.*

Idem l. 1. ep. 13. Inuehitur in eos qui se dicunt emere temporales reditus beneficij, non ipsum beneficium, asserit esse indiuisa, vt corpus ab anima vt sit homo; consecrata Deo, sancta sunt. Leuit. 29. Vnde habetur in jure canonico, Sacrilegus, qui bona Ecclesiæ diripit, non datur manus impositio, nisi in consequentiam tituli, &c.

Idem libro quinto, Epistol. 13. Idem prosequitur argumentum, & addit temporalia spiritualibus vniri, sicut in Christo duæ naturæ in vno supposito diuino, Christi Ecclesiam vt tunicam non esse diuidendam. Sanctuarium Domini volunt hæreditate possidere.

Duo sunt authores hæresis Simoniacæ. Giezi in antiqua lege, & Simon in noua, quarto Regum quinto, & Act. octauo. Balaam etiam Simoniacus, qui pretium accepit vt prophetaret contra Israël, num. 22.

Digitized by Google

Miseri sunt Simoniaci, quibus benedictio & consecratio in maledictionem vertitur, Sacramentum in sacrilegium, prouectio in ruinam. A

Antiochus dictus Epiphanes, primus apud Iudæos sacerdotium summum vendidit, & contra morem viuos viuis in eo substituit. Genebr. a. m. 3954.

Nullus præmijs ad honorem Ecclesiasticum accedat, nam si hic excessus in Laica conuersatione culpatur, quantum erit opprobrium Deo seruientibus. Epistol. Symmachi Papæ cap. 2. & 6. ad Cæsarium Arelatensem Episcopum, an. 513. tom1. Conc. Galliæ, Conc. Aurelianense V can 10. Aquisgran II. c. 1.

Ne de ordinationibus clericorum præmia exigant Episcopi. Concil. Turon. II. c. 27. Nullus pro munere recipiatur in Monasterio. Ludo. pij capit. c. 75. B

Per Simoniacam hæresim nemo regimen obtineat, nam vt ait Diuus Gregorius, libro 4 epist 110. Illi benedictio in maledictionem conuertitur, qui ad hoc vt fiat hæreticus, promouetur, & ibidem epistol. 9. dicit, sacerdotium quod apud vos intus cecidit, foris stare diu non poterit, scriptum est. Prouerb 21. 27. hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere. Concil. Meldense, c 43. a. 845.

Vide maioritas medij. Repug. abuti digniori medio.

Baptizatis Pontifex dabat decem siliquas, quæ erat moneta minimi valoris, vt tolleretur ea macula quod Christiani res diuinas prætio venales habebant, ob id nihil accipiebant, imo dabant Pontifices. Cassalius de ritibus Ecclesiæ, c. 5. C

Vide potestas bonit. munera excæcant, sic indignis beneficia conferrentur.

De pœcunia per Simoniam acquisita non potest fieri eleemosyna, sed restituenda est Ecclesiæ in cujus præjudicium commissa est Tost. Math. tom. 3. f. 23.

Giezi accipiens pœcuniam à Naaman, quia Elizæus eum sanauerat, vendidit rem spiritualem, & fuit princeps Simoniacorum. Idem quarto Regum, f. 60.

Abstinendum à Simonia in obtinendis beneficiis, vide quæ scripsi, lib. de agente Dei in rebus, parte 1. capite 14. D

Pro introeuntibus in Monasterium pœcunia non requiratur, Concil. Francofordiense, can. 16. a. 794.

QVANDO LICET VTI MALO medio.

CAssian. collation. 2. Refert Monachos in deserto, deficientibus cibarijs, incidisse in prædones feros, & ad effusionem sanguinis semper paratos, qui panes obtulerunt; quidam cum gratiarum actione, tanquam à Deo oblatos susceperunt, quod à senioribus comprobatum est, alij à malis nolentes quidquam accipere, inedia consumpti sunt, & mortem defectu discretionis sibi consciuerunt. E

Qui abstinent à fornicatione, ne labem inferant famæ, & existimationi suæ, minore malo id quod majus est, retundunt. Idem collatione quinta, capite 12.

Ficus in succo summè amara, in fructu summè dulcis.

Siccitas & frigus sunt per se qualitates vitæ contrariæ, tamen necessariæ ad constituendum temperamentum. *Vide contrarietas maioris.* Resecatio excessus.

De vsu debilis medij, *vide minor. medij.*

Fimo & putredine coalescunt etiam nobiles plantæ.

Albertus Magnus, libro 7. de animalibus, tract. 2. capite 5. Refert quandam fuisse puellam, quæ araneas, per angulos domus, auidè venabatur & comedebat, & ex hoc cibo, ipsi gratissimo multum proficiebat.

Caput draconis ex se malus & de natura Saturni, cum bonis bona operatur, *vide supra potest. concord malorum.*

Maleuolus cum erit orientalis in domo propria, vel exaltatione, melior est, retrogrado & impedito beneuolo Hermes centil n. 86.

Ambitio prodest ad quærendas virtutes, *vide voluntas gloria,* bonus honoris appetitus.

Quintilian. Instit. orator. libro 1. cap. 19. Vult oratorem multum discere à Comœdo, qui decentiam pronuntiationis seruat & ornatum, vt placeat, etiam à Palæstricis, ne motus corporis sint indecori, & quod faciendum est, à quouis discere indignandum non est, ab illis enim Chironomia, id est lex gestus, & à palæstra motus decens & generosus.

Fœmina est de intentione naturæ vniuersalis non particularis, quæ semper intendit facere opus perfectum, est tamen de intentione naturæ vniuersalis propter generationem, similiter mors non est de intentione naturæ particularis, sed vniuersalis quæ vitæ periodos mensurauit & successionem in indiuiduis instituit. Albertus Magn. 2. physic. tr. 1. c. 5.

Spina rosam producit, malus sacerdos bonum Sacramenti & verbi Dei.

Fabricius, Cornelium Rufinum malum ciuem & sibi inimicum, tamen quia vtilem sciebat ducem imminente bello, palam Consulem suffragio suo fecit, atque id admirantibus quibusdam respondit, à ciue spoliari se malle, quam ab hoste venire. Id l. 12. c. 1.

Quando liceat vti mendacio, *vide minoritas veritatis.*

De fame quæ ciues coegit vesci humana carne, *vide minoritas medij.* fames.

Filiæ Loth patrem ebrium fecere, vt illi possent conjungi, quia videntes Sodomam, Gomorrham, igne cæli absumptas, Segor hiatu terræ, timebant ne totum genus humanum deperiret, sic ad eius reparationem & ebrietate & incæstu vsæ sunt. Theodor. in Gen. q. 70.

Spiritus qui ex interioribus effertur, ex cordis adustione fumosus & excrementitius, est tamen vehiculum sermonis, humana diuinaque exponentis. Id. orat. de prouidentia.

Sacerdos in peccato potest induci ad celebrandā Missam in die festo, si populus aliam non habeat. Bonac. de sacram. disp. 1 q. 6. & vrgente necessitate, vel ob aliam rationabilem causam possumus petere & recipere Sacramenta à sacerdote, quem scimus administraturum in peccato, vt in necessitate possumus accipere mutuum ab vsurario Ib. & D. Th. 3. q. 64. a 6 Id. Bonac. de Euchar. q. 6. qui sic vrgente sua vel alterius necessitate, celebrat, aut communicat, non confessus, eliciat actum contritionis.

E duobus malis, minus eligendum. *Vide media minoritas.*

In suffragijs opus valet & prodest, si præcipiens sit in gratia, exequens vero, seu adimplens opus sit in peccato mortali, quia principale agens habet conditiones requisitas. Bonacina de suffragijs, q.2. dum tamen qui alterius mandato agit, sit tanquam instrumentum vt in distributione eleemosynæ, non tanquam agens principale, vt in jejunio & oratione. Ib.

De Sacramentorum administratione ab impiis, liber Petri Dam.

Num. 23 & 24. Balaam maledico benedicit ore, & conductus ad nequitiam tota loquitur mysteria diuinitatis; & sicut in spinis rosa, hoc est in frutice horrenti, miri odoris flosculi generantur, ita sensus aliquoties pessimorum, ad bona, diuinitatis impulsu aguntur inuiti, vt non sit meriti, sed mysterij quod loquuntur. Chrysol. ser. 49.

Quando valida sunt ea quæ fiunt à Iudice, qui vere non est judex. *V. veritas potest.*

Tyrannus potest punire reos secundum leges, & in hoc non peccat, quia Respublica intendit in hoc vti sua opera quandiu tenet dominium. Bonac. de legib. d. 1. q. 1 p. 7. §. 3. in fine.

Potest præceptum adimpleri per actum ex aliqua circunstantia malum, vt si quis vadat in Ecclesiam, audiatque missam cum ea etiam intentione, vt videat fœminas, &c. Id. puncto 9.

Si conscientia erronea iudicet vtendum malo medio ad bonum finem, vt mentiendum vel furandum ad alicujus defensionem, tenetur id facere, sub peccato Ib. pun. 6.

Quando nulla est spes de salute infirmi, medicus potest vti remedio de quo dubitatur, an sit profuturum aut nociturum. Ib.

Non sunt optanda mala vt fiant bona. *V. volunt. contrarietatis.*

In bello iusto, licet vti militibus infidelibus, *vide concord. differ.* fœdus cum populis diuersæ religionis.

Si vrgeat necessitas possumus vti medico, & aduocato Iudæo, quanquam communiter non liceat vti, quia lex humana non obligat cum tanto periculo. Bonacin. de fide, puncto quinto, conuiuari cum Iudæis, si sic spes sit eos ad fidem conuertendi.

Si non habeam vnde feram auxilium, extremam necessitatem patienti, possum aliena capere, & ei dare, tum quia Dominus non censetur rationabiliter inuitus, tum quia per me vtitur jure suo, quo in extrema necessitate omnia sunt communia.

In ea etiam necessitate potest fieri eleemosyna, de injustè acquisitis, extra hanc necessitatem, potest fieri eleemosyna, de acquisitis meretricio quæstu; quia meretrix sibi data iustè possidet. Idem de charitate.

Licet vti scientia acquisita ope dæmonis, modo conseruatio, & vsus illius scientiæ non pendeat à dæmone. Nam cognitio seu scientia ex se bona est, & peccatum quo acquisita est, pertransijt. Idem de superstitione, pun. 4.

Dæmones Christum confessi sunt, & sæpè veritatem dicunt.

Aristoteles dicit bonum, id est vtile esse adulterari cum vxore tyranni tempore belli, quia sic discuntur secreta tyranni à loquaci muliere.

Petrus Dam opusc. 6. probat ordinatos à Simoniacis Episcopis, non esse iterum ordinandos, quia Christus est Sacerdos in æternum, & in ipso est omnis plenitudo gratiæ. Vnde licet Sacerdos exterius ministret, Deus inuisibiliter consecrat, ideo dicitur, Ioan. 1. hic est qui baptisat, &c. licet discipuli baptisarent; baptisant etiam, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, vnde reatus Sacerdotis non impedit vim Sacramenti, nec baptisatus ab hæretico, iterum baptizatur; sicut Christus totam suam habuit virtutem, captus à Iudæis cum auriculam Malcho restituit, & in cruce pendens, cum terra tremuit, sol obscuratus, monumenta aperta. Sic quodammodo venditus à Simoniacis. Balaam Simoniacus fuit, & tamen spiritum prophetiæ non amisit, num. 22. reprobum Saulem propheticus spiritus occupauit. 1. Regum 19. Caïphas prophetauit, cum esset Pontifex anni illius. Io. 11 Reges & Sacerdotes licet reprobi, dicuntur tamen Dij & Christi, & à Deo specialiter illustrantur, vt Daniel. 3. Regi Nabuchodonozor fames futura in Ægypto, in somnis reuelatur; Idem solus videt in fornace similem filio hominis. Gen. 20. & 41. Abimelech monet Deus, vt Saram reddat Abrahæ; non est mirum si Spiritus S. ab indignis accipitur, cum & Dei filius sit ab impijs comprehensus, vt solis radius non inficitur à cloacis, sic donum Dei non polluitur ministrorum contagione; aqua nihil generat in canalibus lapideis per quos transit, fœcundat tamen hortos quos irrigat; Ecclesia hortus est, semen fructificat, etiam à fure seminatum, licet sordida sit, aut leprosa manus quę plantat, arbor mundum fructum producet, ex adulterino sæpe conjugio, & fœda parentum libidine, pulchra soboles nascitur, *vide maioritas principij, Repug.* effectus causa præstantiores; fruar luce candelæ, quæ dum lucet consumitur, ardeat licet Simoniacus, vtilitatem ex suo ministerio percipiam.

Idem probat opusc. 30.

Elizæus Propheta indulget Naaman Syro, quod principis sui fauorem, & affectum colat, etiam illi ministrando, dum idolum suum adoraret. quarto Regum quinto. Exploratores Iosue diuertunt apud meretricem Raab, vt explorent ciuitatem Iericho. Iosue 2.

Gedeon obtulit holocaustum, & ignem excitauit ex lignis luci Idolis antea sacrati. Iud. 6. facite vobis amicos de mamona iniquitatis.

Sæpè interrogantibus dæmonia in statuis, & augurijs, & aruspicina respondit Deus ipsemet, cum sic necesse foret ad mutanda & conseruanda regna & magna negotia disponenda, sicut affirmat D. Th. 2 2 qu. 140. & ita respondit ad Balaam Ariolum, & suscitauit Samuëlem Sauli per Pythonissam. Campanella.

Non iterandum esse baptismum, quem imperitus Sacerdos infractis verbis administrarat, dicens baptizo te, In nomine Patria, & Filia & Spiritu S. de consecr. d. 4 can retulerunt.

Corruptio non intenditur à natura, nisi per accidens

Fur facit suum lucrum acquisitum ex negotiatione rei furtiuæ; sic meretrix non restituit, quod accepit pro mercede.

Si thesaurus inuentus sit arte magica in fundo alterius post sententiam Iudicis, pars quæ cedebat inuentori applicabitur fisco, alia pars Domino quæ non est deterioris conditionis propter culpam inuentoris Bonac.

Dominus rei, vindicat à malæ fidei possessore fructus etiam inhonestè perceptos, vt si locauerit domum meretrici ad meretricandum; quia malæ fidei

possessor non debet ex delicto suo meliorem suam conditionem facere Id.

Ludens aliena pœcunia, facit lucrum suum quod lucrando acquirit vt quando fur, vel vsurarius, vel famulus, vel depositarius, pœcuniam alienam suo nomine ludo exponit Ib.

Susurratio est peccatum linguæ, quo quis manifestat alterius defectum ad seminandas discordias inter amicos; licet tamen ea vti, secluso mendacio ad dissoluendam perniciosam & periculosam amicitiam, vt ad dissoluendam amicitiam concubinariorum, recensere aliqua ipsorum vitia, v. g. concubinam alijs commisceri, si verè ita sit. Id. de restit. q. 6. p. vlt.

B Proscripti possunt vti perfidia contra socios. *Vide contrarietas æqualitatis*, pugna similium bona.

Indirectè potest tradi Tyranno innocens occidendus, & virgo stupranda, vt Respublica ab eius obsidione liberetur. *V. gloria concord.* publica priuatis præferenda, vbi de alijs malis quæ pro salute boni publici committuntur.

Possum occidere innocentem, quo se velut clypeo protegit hostis, qui tentat vitam meam auferre, si aliter non possum eum occidere, vt me saluem. Id. de restit. q. vlt.

Injustum inuasorem occidimus, vt vitam nostram ab eo saluemus, *vide æqualitas contrar.* vim vi repellere.

C Potest aliquis sumere magnam vini generosi quantitatem ad curandum stomachum, licet ex sumptione sequatur ebrietas, quę non intenditur vt finis, sed medium ad curandum stomachum. Bona. Ib. puncto 8.

Licet vendere venena personis, quas constat vsuras ad humanos vsus l. qui sæpè ff. de contrah. emptio.

Apud Bactrianos, Ægyptios & Lacedæmonios furta fuerunt permissa, quoniam sedulitas illa & solertia furandi, ingenia & animos juuenum acueret, ad insidias & vigilantiam excitaret. Petrus Crin. de honesta disc. l. 3. c 13.

D Cum bellum esset inter Athenienses & Megarenses, Euclydes tamen Megara profectus est Athenas veste muliebri, vt Socratem audiret, sic cum Iudæi ex veteri lege neminem possint Christianum edocere; tamen D. Hieronymus habuit quendam Barbanum Iudæum nocturnum præceptorem, vt ipse refert in epistola ad Pammachium. Idem l. 6. c. 6.

Hyenæ fel & phocarum coagulum, & pleraque ex feris sæuissimis sumpta, vim habent medicam, sic Deus malis vtitur ad exercitium bonorum. Rod. l. 6. c. 14.

E Accusatus crimine capitali, quod pœnam sanguinis infligit, si corrumpat accusantem, non punitur propter hoc, l. 1. ff. de bonis cor. qui ante sentent.

Dionysius junior impunitos voluit esse fures vestium, non vt impunitate cresceret audacia, sed vt Syracusani à balneis & commessationibus temperarent. Rod. l. 21. c 17.

Supplicationes apud antiquos erant, aut legitimæ, aut indictæ, indictæ autem quia paupertas antiqua Romanorum ex collatione sacrificabat, aut certè de bonis damnatorum. Vnde supplicationes dicuntur à supplicijs, quia fiebant de bonis passorum supplicia, sacræ enim res de rebus execrandorum fiebant. Isidor. l. 6. in fine.

Dispensatione & sapientia Dei, sic omnia sunt in mundo disposita, vt nihil prorsus otiosum sit apud Deum, etiamsi malum illud sit. Malitiam Deus non fecit, tamen cum ab alijs inuentam possit impedire, non prohibet, sed cum ipsis à quibus habetur, vtitur ea ad necessarias causas, per ipsos enim in quibus est malitia, claros & probatos efficit eos, qui ad virtutum gloriam tendunt; virtus non habens contrarium splendidior, & examinatior non fieret, nec esset virtus. Origen. homil. 14. in num. si non fuisset Ioseph venditus in Ægyptum, perijsset populus Dei fame, &c. si non fuisset induratus Pharao tot prodigia non fuissent facta in legis testimonium; si non fuisset Iudæ & Iudæorum perfidia, non fuisset mors & resurrectio Christi. Deus peccatores non facit, sed illis malis in bonum vtitur, vt in ciuitate malis hominibus vtuntur ad opera vilia & seruilia, necessaria. Ideo in sacris libris scripta, vt bonorum sic malorum gesta, quæ non sunt otiosa apud Deum. Ibid.

Coguntur pauperes vti mendacio & malis artibus ad extorquendas diuitum eleemosynas. *V. min veritatis*, dolus bonus.

Quæ mortem afferunt venena lædunt, & nullo indigent, quando autem prosunt, indigent multis; sic Sol omnia combureret, nisi radium eius temperarent emissi vapores ex terra & aquis. D. Chrysost. hom. 12. in ep. ad Eph.

Quid enim, dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur. Philip. 1.

Fit recta diuinorum dispensatio etiam per malos ministros. Vide supra hoc titulo.

Homini licet vti peccato alterius in bonum, & hoc patet per Augustinum ep. 154. Nam Publicolæ quærenti vtrum liceret vti juramento eius qui per falsos Deos jurat, in quo manifestè peccat, respondit, quod qui vtitur fide illius, quem constat jurasse per Deos falsos, & hoc non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se associat, quo per dæmonia jurauit; sed pacto bono eius quo fidem seruauit, si cui tamen placeret, quod alius per falsos Deos juraret, & ad hoc eum induceret, peccaret. D. Tho. in quæstio. disput. de peccatis, quæstione 13. a. 4. ad 17.

Christus permisit dæmones loqui suam potestatem, & hoc erat vtile. Mathæ. octauo. Marc. 5. Lucæ octauo.

Ex muribus aureis quos ad expiationem Philistini posuerunt in arca potuerunt fieri vasa ad diuinum ministerium. Idem 1. Regum, tom. primo, f. 70.

Quando malum quod est peccatum, conjunctum est bono, non licet bonum illud à malo non separabile, amplecti, nam magis nocet paruum malum, quam prosit quodlibet bonum, imo quam omnia bona, & si esset possibile, quod quis haberet minimum peccatum mortale, cum omnibus virtutibus & bonis operibus, non posset saluari; & hoc verum est de malo quod est peccatum. Secus autem est de malo, quod dicit priuationem bonitatum aliarum, tunc enim bonum eligendum, & malum illi conjunctum abijciendum; sic de Pharisæis dicit Christus, quæ dixerint vobis facite, secundum tamen opera eorum nolite facere. Nam, inquit Chrysostomus, sicut aurum de terra eligitur, & terra relinquitur, sic auditores doctrinam accipiant, & mores relinquant. Tostat. Mathæ, tomo sexto, pagin. 171

Idem 1 Reg. to. 2. f. 43. dicit Regem aut judicem non posse decernere duellum inter duos, licet indè

multa bona deberent euenire: potest tamen permittere, id est non impedire, sicut non impediuntur exactè meretrices in ciuitate, ne grauiora mala contingant.

Distinctio ordinum in Ecclesia sumpta est à paganis, *vide diff. potest* sic templa, incensa, pompam vestium sacerdotalium, & cæteras cæremonias, prius in malum vsurpatas, vertit in bonum, & sanctificauit Ecclesia.

Dauid ex corona Melchon aurea & gemmis ornata fecit sibi diadema, erat autem Melchon idolum Ammonitarum, 1 Par. c. 20.

S Gregor. Nyssen. in vita S. Gregorij Thaumaturgi refert eum hospitij defectu noctem in templo Idolorum pernoctasse, & orasse; mane dæmones sacerdoti sua amplius responsa non dedisse, iratus sacerdos dixit sancto Gregorio, se vt libuerit dæmonibus potes imperare: iube, inquit, vt redeant in templum, hanc scedam deferendam dedit Gregorius satanæ. Intra, vim hanc mirabilem admiratus sacerdos ad fidem conuersus est. Malum poterat vide. i permittere satanæ in templum ingredi, sed vt de sacerdotis sui anima eijceretur.

Christus, vt conuerteret publicanos, vtitur cibis sibi ab ipsis appositis & injustè acquisitis. *V. min. medij*, vti debili medio.

Lumen solis transit per foramen quadratum, sed figuræ suæ tenax, circularem in charta opposita delineat parum distanti.

Si mala intentione nocendi alicui singulari personæ legislator ferat legem, bono publico profuturam, iniquitas intentionis non nocebit ipsi legi, nec iustitiæ eius, si alias ipsa sit necessaria ad commune bonum. Suarez de legibus, libro primo, capite 7. in fine.

Propter necessitatem famis licet communicare cum excommunicato procurando subsidium, ca. quoniam multos 11. quæst. 3. cap. inter de sent. excom.

Num 16. 29. Hobab gentilem, optat habere ducem itineris Moyses.

Cum Concil Nicæn. can 30. prohibet Christianis imponi nomina gentilium. Aduertendum, quod cum illa imponuntur in baptismo, non imponuntur vt gentilium, sed vt nostra, quia plures Sancti & Martyres, his nominibus fuerunt vocati.

Senec. libro 4. contro. 4. bellum cum esset in quadam ciuitate vir fortis in acie amissis armis, de sepulchro viri fortis arma sustulit, fortiter pugnauit & reposuit; præmio accepto accusatur sepulchri violati, pro eo dicitur, hæc si summo arma sunt, si relinquo spolia. Vidisses verè violari sepulchrum, si illo venisset hostis, vterque quod alteri deerat commodauimus. Ille viro arma. ego armis virum. Respublica multum consecuta est, vir fortis nihil perdidit. Necessitas est quæ nauigia iactu exonerat; necessitas est quæ ruinis incendia opprimit; necessitas est lex temporis, quicquam non fit legitimè pro legibus! Melius cum ipso sepulchro actum est, in quo notiora sunt arma iterum victricia. Pro Republica plerumque templa nudantur, & in vsum stipendij dona conflamus.

Quidam cum diuitem postulasset proditionis, noctu parietem domus eius perfodit, & scrinium in quo missæ erant ab hostibus litteræ, sustulit, damnatus est diues, alter accusatur furti, pro ipso furtum non est, quod qui perdidit, negat, proditoris vigilantissimum pectus publica fata sopierant, vt mihi liceret eligere quod tollerem, diruere mihi videbar hostium muros; si benè furto euertuntur vrbes, quanto melius seruantur: furtum vocas quo nihil melius hoc anno factum est. Nemo fur Rempublicam cogitat; nihil non licet pro Republica facere. Id. l. 10. contr. 6.

Vide gloria contrarietatis, ex malis bonum elicere.

Baptismus non refert vtrum in calida, vel frigida aqua fiat. Innoc. 4. const. 14 §. 3. Bull. p. 104 to 1. In periculo mortis deficiente sacerdote, potest conferri etiam à Laico, hæretico, pagano, dum intendat facere quod facit Ecclesia. Eugen. 4. const. 19. p. 268. tom. 1.

Cum necessitas cogit principem agendis aliquid injusti permiscere, ornetur liberalitate, &c. *V. cognit. minor, R.* occultare defectus.

MEDIOCRITAS, *discretio.*

CVnctam disciplinam regularis ordinis, moderatur æqualitas discretionis & prudentiæ, ne nimia remissio nutritiua sit criminum, vel impia discretio parricida virtutum. Laur. Iust. de prudentia, c. 4.

Natura necessaria docuit, quæ sunt pauca & parabilia, stultitia superflua excogitauit, quæ sunt infinita & difficilia. Naturæ si des necessaria, delectatur, & roboratur, tanquam proprijs, sin superflua debilitatur & affligitur tanquam alienis. Lud. Viues.

Qui cumque natus fuerit æquinoctij meridie, vel hoc solo magnus euadet. Cardan. aphor. sect. 5. aph. 10.

Nouiter conuersi solent laborare nimio zelo, *V. maioritas volunt* nimius zelus.

Pietatis exercitia sint discretè & prudenter ordinata & temperata, vide quæ scripsi moralis Christiana, tomo 1. part 2. cap. 17. & tomo 2. parte 1. capite 25. & lib. de institutione & officijs religiosi, parte secunda, c. 14.

Corporibus nostris intemperantia à superfluitate oritur, cumque fines proprios certamque mensuram ipsa elementa excesserint, nec temperiem seruarint, tunc mille morbi, tunc funera acerba consurgunt, quod in anima quoque inuenimus accidere. D. Chrysostomus, homilia 10. in Mathæ. in fine.

Cauendus excessus in pœnitentijs, *vide media contrarietas*, non grauis in confessione pœnitentiæ.

Sol semper sequitur lineam mediam Zodiaci, quam vocant eclypticam, cum cæteri planetæ, nunc ad Septentrionem, nunc ad Meridiem deflectant.

Prudentia est armatura ferrea totum hominem circumplectens, ne possit lædi ab hostibus, considerat enim tempus præteritum, præsens & futurum; metitur vires cum operis difficultate, præuidet tempestates, & donec quiescant, portum tenet; virtuti paratas insidias detegit, &c. Laur. Iust. de interiori conflictu, c. 6.

Zona seu cingulum quo præcingitur sacerdos ne alba laxè per pedes diffluat, significat discretionem, sine qua virtutes sunt vitia. Alcuin. l. de diu. officijs, c. 39.

Ad mediocritatem pertinet, opportunè cuncta

peragere, *vide durat. bonis.* opportunum tempus seligendum.

Qui citato cursu vellet montem ascendere cito deficeret, scalæ gradibus distinctæ disponuntur vt ad alta perueniamus, sic nemo repente fit summus. In spiritualibus gradus sunt virtutes quæ in mediocritate consistunt, & quas ordinat & moderatur prudentia. Laur. Iust. opusc. de perfectio. gradibus. c. 11.

Hoc in perpetuo jejunio sit præceptum, vt longo itineri vires suppetant, ne in prima mansione currentes, in medijs corruamus. D. Hiero. ep. ad lætam, de inst. filiæ.

Cassianus libro primo, capite 3. non probat in Monacho vestem ciliciinam, quia inhabilem B reddit ad opera, ad quæ semper debet esse expeditus.

Idem libro 2. cap. 5. improbat eos Monachos, qui ex animi sui sententia, & ex æmulatione, enormem Psalmorum numerum quotidie recitandum sibi imponebant.

Idem libro quinto, capite 9. Melior est, inquit, rationabilis cum moderatione quotidiana refectio, quam per interualla, arduum, longumque jejunium; nouit immoderata inedia, non modo mentis labefactare constantiam, sed etiam orationum efficaciam reddere lassitudine corporis, eneruatam. Et capite 23. quidquid, inquit, extra consuetudinem præsumitur, vsumque communem C à Monacho, vt vanæ gloriæ, atque ostentationis morbo pollutum, antiquissima patrum traditio notat.

Idem collat. 1. refert Ioannem Abbatem sero nimis agnouisse dolum diaboli, qui ipsum excitauit ad nimia jejunia, quibus ad cætera inhabilis effectus est, illusus numinate, dum in illo veri Regis imaginem veneratur, parum discutiens, an esset legitimè figuratum.

Idem collatione secunda, citat Apostolum 1. Corinth. 12. qui enumeratis donis Spiritus concludit Alij discretio spirituum; tam est necessaria Monacho, vt sine illa, non in præruptis tantum, sed in planis concidat; nam absque discretione, non durant virtutum opera; via regia ambulandum: & ca- D pite 16. Vigiliæ, inquit, & pernoctationes dejecerunt, quos somnus superare non potuit. Ideo secundum Apostolum, per arma iustitiæ, quæ à dextris & à sinistris, recto moderamine inter vtraque transeundum est. Rationabile sit obsequium vestrum, inquit Apostolus. Roman. duodecimo. Sic legislator, Leuitic. 19. Statera justa, & æqua sint pondera, & Prouerb. 20. pondus magnum & pusillum, & mensuræ duplices immunda sunt apud Dominum.

Qui saluos facit rectos corde. Psalm. septimo. Rectus corde is est, qui animum retinet neutrobi vergentem, sic vt nec excedat, nec desit sibi, sed ad E medium dirigitur virtutis. D. Basilius, in Psalm. septimo.

Licet viua corpora, sint magis heterogenea, quam non viua, tam in compositione, quam in complexione, tamen per æqualitatem complexionis magis recedunt à contrariorum excessu, & accedunt ad similitudinem cæli, & materiam ideo habent magis in sua potestate. Albertus Mag. tract. 1. de vegetabil. c. 1.

In oratore copia habere debet modum, sine quo nihil est laudabile, salutare & cultum. Sic erunt magna non nimia, sublimia non abrupta, fortia non temeraria, seuera non tristia, grauia non tarda, læta non luxuriosa, jucunda non luxu dissoluta, plena non tumida. Similis in cæteris ratio, tutissima ferè per medium via, quia vtriusque vltimum, vitium est. Quintilian. instit. orator. libro 12. capite 10. in f.

Decorum est quod decet fieri, id autem nec ablatione, nec adjectione indiget, ipsum enim est quod decet fieri. Indecori autem duæ sunt species, altera quidem excessus, altera vero defectus, excessus plus est, quam sat sit; defectus verò minus. Stobæus serm. 1.

Corporis eminens perfectio, roboris, pulchritudinis, inflatos & audaces reddit; talium defectus, abjectos & illiberales reddit, moderatior melior censendus est. Sic excedens opum possessio & priuatim, & in ciuitatibus inimicitias seditionesque parit, deficiens verò vt plurimum seruitutem. Plato. 5. de legib.

Quando musicus vocis suæ proprium tenorem obseruauit, ita demum mediam instituit vocem, quæ & acui possit, cum opus est, & grauari; qualis nec abrumpitur, nec citra relinquitur.

Præcipitur sacrificia sale conspergi. Iudicium & discretionem id significat. Theodoret. in Leu. q. 1. & Leu. 2.

De vitæ ordine Bernard. Vitæ honestæ formula. Id. De viuendi modo, idem.

Sal sine modo & ipsum, & ea quibus inspergitur perdit.

Omne quod nimium est, quod sincerum & non mistum, aduersatur naturæ.

Tunc dimidium plus est toto, quando totum est immoderatum, & ideo noxium; dimidium vero moderatum & salutare. Plato. tertio de legibus.

Vide maioritas magnitudinis, mala.

Abbas Agathon in omnibus discretus, talibus vestibus vtebatur, vt nec satis bonæ, nec satis malæ cuiquam apparerent. Vitæ Patr. l. 2.

Vide duratio virtutis, mora in acquirenda virtute.

Zelus aliquando fœliciter transgreditur mediocritatem, *vide magnitudo voluntatis, zelus* bonus, & infra *minoritas medij, transgredi medium.*

Medium respectu appetitus habet rationem regulæ & mensuræ.

Formale cujuslibet virtutis moralis, est medium.

Locus plantis commodus mediocrem debet habere flatum, qui enim aut nullum sentit afflatum, aut injuriæ ventorum expositus est, hic incrementi laudem non potest assequi, sic aër qui media constat temperie omnibus propè arboribus commodus est, nam ad germinandum & ad fructificandum plurimum juuat. Theophrast. de causis plantarum. l. 2. c. 4.

Quod odorem debet recipere, non oportet esse, nec præaridum vt cinerem, aut arenam, neque præhumidum. Alterum enim nullo odoris transitu affici potest, alterum diffundit ac diluit omnem odorem, hinc enim & vestigia leporum leuiter irrorato solo certius redolent. Ibidem lib. 6. & vlt. c. vlt. Hæc neque æstate redolent, neque hyeme, neque vere, sed autumno præcipue: quippe in hyeme nimis humida, in æstate sicca immodicè sunt, quam ob rem meridie hebetissima.

Difficilis mediocritas, quidam fructus sunt aut acerbi, aut nimis maturi vix opportunè colliguntur.

Sensus deficit in extremis; scilicet tam maximè sensibilibus, quam minimè, vt patet de visu ad solem, & ad atomum. Deficit etiam intellectus noster circa maxima, vt circa trinitatem diuinarum personarum in vna essentia.

Rubeus color fit ex æquali mixtione albi & nigri, nam si lacti fuliginem miscueris rubeus fit color. Hi tres colores albus, niger, & rubeus gratia & venustate carent, quoniam extra proportiones primas constituuntur, aut omnino simplices sunt, & alijs mixti gratiam eorum minuunt, quia proportiones vitiant. Primus post album viridis est, constatque triplo albi, & dimidio nigri. Cardan. de rer. variet l.3 c.14.

Pepones seu Melones sunt distincti zonis, quasi natura docente non totum fructum vt in alijs, sed partem quam quisque edere debeat. Ibidem capite 10.

Inter philosophica ea maximè expetimus, quæ minus Philosophiam sapere videntur; sicuti Poëta Philoxenus dicere solebat, ex carnibus eas esse jucundiores quæ carnes non essent, & ex piscibus qui non pisces. Rodigin libro septimo capite tertio.

Laborant oratores interdum batalogia vt Montanus declamator, qui sententias suas repetendo corrumpebat non contentus rem vnam semel bene dicere, nesciunt quod benè cessit relinquere, cum non minoris virtutis sit scire desinere, quam scire dicere. Id l.13. c.1.

Populo Israël mare rubrum transeunte, aquæ murus fiunt dextra læuaque, ipse autem media via incedit per siccum; non declinat ad dextram, neque ad sinistram qui sequitur Christum. Vsquequó exeat ad libertatem & hymnum victoriæ Domino concinat. Orig hom.6 in exod.

A Domino gressus hominis dirigentur. Psalm. 36 ne in virtutis via torpescat, excedat, aut deuiet. Ideo Christus humana diuinis temperans dicitur via, veritas, & vita. Hanc viam non tenent Philosophi & hæretici. Idem homil. quarta, in Psal.36.

Passiones, malæ tantum sunt, cum modum excedunt. *Vide maioritas voluntatis*; passionum damna.

Vt spiritus fluens à capite perueniat ad membrum, debet esse non modo vnitum corpori, sed decenter suo loco positum, nam hinc si luxatum sit, & excedat, est acerbi doloris causa. Sic elementa, quando sua relicta symmetria plusquam decet abundauerint, vniuersitati perniciem afferunt, &c. D. Chrysostomus, homil. vndecim. in epistol ad Eph.

Corpus cæleste est nobilius quia caret contrarijs, magis ad illud accedit, non quod à contrarijs est penitus absolutum, nam id non datur, sed id in quo contraria conueniunt ad medium, quia medium neutrum extremorum est actu, vnde corpus quod venit ad maximam æqualitatem mistionis est simillimum cælo, & tale corpus debet esse corpus humanum, inter cætera temperatissimum & animæ, formæque nobiliori magis conueniens. D. Tho. in l.2. sent d.1.a.4.

Apostolus Roman. 12. dicit, exhibete corpora vestra hostiam viuentem, rationabile obsequium vestrum, peccat ergo qui per immoderatam abstinentiam inhabilem se facit ad officij sui executionem. Vnde Hieron. dicit; de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel somni penuria immoderatè corpus affligit: rationalis hominis dignitatem amittit, qui jejunium charitati, vigilias sensus integritati præfert. Idem quod lib. 5. a.18.

Humilitas refrænat animum ne nimis feratur in bonum arduum, magnanimitas autem confortat, ne deficiat propter difficultatem prosequutionis, hi contrarij motus continent animum in mediocritate Tost. Math.to.5.f.7.

Generaliter in omni sacrificio jussum est apponi oleum, vt patet n.15. vestes sacerdotis aspergebantur sanguine & oleo sacro. *V. media contrar.* sic austeritas vitæ debet esse temperata.

Deus jussit sal apponi in omni sacrificio, sal autem significat prudentiam & discretionem. Tostat. Leu.f.17. & 20.

Apud Gothos mos erat præcipites & juuenes equos dare veteranis militibus, vt eorum ferocitatem moderarentur, seniores autem equos juuenibus, tanquam eo temperantiæ genere fœlicius inirent certamina Olaus Mag. rer. Septentrional. l.8. c.11.

Prudens virtutibus modum imponit ne fiant vitia, imprudenti vero si adsit timor transit in desperationem, si spes in præsumptionem, si lætitia in dissolutionem, si zelus in furorem. Laur. Iustin. de prudentia, c.3.

Discretio est in dijudicandis rerum causis, actibusque virtutum prouida humanarum mentium ratio & moderatrix: ipsius est ostendere, quid, quando & quomodo sit agendum. Id. c.4.

Digitized by Google

VERITAS MEDII.

IN QVO CONSISTAT NATVRA MEDII.

Et quæ sint vera media.

CONVEXVM brachiorum, crurum, & aliarum partium inseruntur concauis, & in orbem figuratis pixidibus, vt motus animalis imitetur circularem motum cæli, & hæc figura sit ad omnes motus parata. Alb. Mag. libro 2. de motib. animal. c. 2. A

Gradus conjunctionis luminarium, est media mora eclypsis Hermes centil. n. 76.

Natura medij est vt seruiat ad finem, non intendat. *Vide minoritas cognit.* de his quæ casu benè cesserunt.

Astrologi punctum orientis & occidentis in cælo, notant in eo gradu ad quem peruenit Sol in Æquinoctijs, qui est medius inter ortum & occasum æstiualem & hyemalem. B

Medij natura est vt conjungat extrema, *vide medium concord.*

Omne mouens motum, est instrumentum. Sic omnis causa inferior est agens instrumentale, respectu causarum superiorum.

Medium in aliquo sensu, debet esse denudatum à qualitatibus sensibilibus secundum illum sensum. Sicut diaphanum nullum habet colorem.

De medijs coloribus in Iride, quibus ferè non sensibilis transitus fit ab vno colore in alium, *vide concordantia contrarietatis*, contrariorum vnio bona. C

Medium in motu, comparatum extremo, est extremum. Alb. Mag. 5. phys.

Medium propriè dictum habet informem naturam, quam formatam distinctam extrema retinent. In medio aliquo modo secundum formas confusas sunt extrema. Propter quod extrema per ingenium & naturam de medijs reducuntur, quando vnitur virtus vnius extremi super alterum. Id. de mineral. l. 5. c. 1.

Christus mediator vsus est circumcisione antiquæ legis, & baptismo nouæ; in cœna manducauit agnum Paschalem, ex antiquo ritu, & Euangelicum, corpus suum sumendo.

Non est nasus instrumentum olfactus, sed cerebri recessus mammæ similis.

Locus est substantia prima, aut sedes, aut capacitas immobilis & incorporea, apta ad receptandum omne corpus. Campanella.

Frui est amore inhærere alicui rei propter seipsam; vti vero, id quod in vsum venerit, referre ad obtinendum illud quo fruendum est, alias abuti est, non vti; nam vsus illicitus abusus vel abusio debet nominari. Magister sent. d. 1.

Medium consistit in extremorum temperamento; tale est corpus humanum, nec propter magnitudinem terribile, nec propter feras formidabile, nec tardum ex grauitate, nec leuitate lubricum, nec propter duritiem tactui molestum, nec propter frigiditatem humi serpens, nec propter caliditatem petulcum; nec propter raritatem compagis ad natationem factum, non propter immanitatem, crudas carnes, nec propter debilitatem radices depascens, verum in operibus suis musicè compositum; formidabile prauis, placidum probis, natura gressibile, alatum ratione, arte compos natationis, frugibus vescens, coloris honesti, decenti præditum statura, bene oculatum, barba decorum. Ideo per hujus corporis formam sanxerunt Græci Deos celebrari oportere. Maximus Tyr. ser. 38.

Cum inter duos planetas alius medius intercesserit, priorum nulla sit virtutis mixtio nisi per medium ex altero in alterum deferatur. Card. aph. sect. 3. aph. 32.

Christus baptisma tale suscepit, quod haberet aliquid veteris in eo quod à Propheta baptizatur, & aliquid noui, quod descendit Spiritus sanctus. D. Chrys. hom 2 in Math.

Vide media concordantia. Neutralitas.

GLORIA

Digitized by Google

GLORIA MEDII.

ILLVSTRE MEDIVM.

A LEXANDER Macedo præcepit vt imaginem suam tantum Polycletus ære duceret, Appelles coloribus delinearet: Pyrgoteles celamine exculperet, ne à multis passim artificibus contaminaretur. Petrus Crinitus de honesta disciplina libro 16. capite 7.

Argesilaus Lacedæmoniorum princeps edicto cauit, ne quis eius imaginem vllo modo exprimeret, quia existimaret à nullo prorsus opifice, singularem eius formam posse absolui. Id.

M. Antonius primus, vt inquit Plinius, jugatos Leones ad currum junxit ciuili bello post pugnam Pharsalicam. Iunxit & Tygres Heliogabalus, liberum patrem se dicens. Id. c. 10.

B Smaragdi tamquam specula rerum imagines reddunt; quare Nero Princeps gladiatorum pugnas spectabat Smaragdo. Georgius agric. l. 6. de natura fossilium.

In naturali historia queri non cessat Plinius agrorum cultus ad damnatas manus, & inscriptos recidisse vultus, id est, ad seruos ad ascriptitios, colendis agris destinatos, Rodig. lect. antiq. libro 7. capite 3.

Delphis in templo Apollinis Crœsus dicauit centum & viginti lateres aureos visitari solitos. Id. l. 12. c. 13.

C Cum in Thessalia tumultuarentur aliquando milites, qui eos sedaret à Claudio missus est libertus Narcissus potentia tunc formidolosus, quumque suggestum velut concionaturus conscendisset, hominis indignitatem non ferentes milites exclamarunt, saturnalicius dies, quoniam dominorum habitu tunc prodeant serui Idem libro 13. cap. 23. in fine.

Homo quoniam cæleste atque immortale animal est, igne solus vtitur, hic nobis in immortalitatis argumentum datus est, quia ignis è cælo est, cujus natura, quoniam mobilis est, & sursum nititur, vitæ continet rationem. Cætera animalia cum tota sint mortalia, tantummodo aqua vtuntur, quod est elementum corporale atque terrenum, cujus natura, quia item mobilis est, sed deorsum vergit, figuram mortis ostendit. Idem libro 15. capite 15.

D Sapor Persarum Rex Valerianum Romanorum Imperatorem bello captum habuit pro subsellio, ceruicem eius calcans dum equum ascendebat. Id. l. 18. c. 18.

Cato per se filium suum litteris imbuit, etiamsi seruum haberet Chilonem peritissimum Grammaticum. Indignum ratus eum à seruo reprehendi & castigari Id. l. 25. c. 21.

A Archangeli dicuntur qui summa nuntiant, Isidor l. 7. c. 5.

Consecratio Ecclesiæ debet fieri ab Episcopo, non ab inferiore ab eo delegato, quoniam ea quæ ordinis sunt vt consecratio, alteri mandari non possunt, can. Pontifices 7. q. 1. c. penult. de consecr. Eccles.

Poppea Neronis vxor, jumentis suis aureas soleas supponebat.

Dinocrates ex Athos monte Alexandri statuam se facturum pollicebatur, in cujus manu ciuitas decem millium hominum capax assideret,

De Regibus qui medicinam exercuerunt; *vide medium gloria*, medicina.

B Numer. 4. quæ sancta sunt non imponuntur portanda animalibus mutis, sed rationabiles debent esse homines, & in humeris suis portare vasa quibus ministrantur Sancta Sanctorum. Quæ vero sunt duriora vehuntur animalium plaustris, Orig homi. 4. super num.

Math. 22. ejicitur qui sine veste nuptiali ingreditur nuptias.

Qui missi fuerant ad Ioannem, vt interrogarent eum quis esset, erant ex Pharisæis, duplici de causa, tum propter dignitatem quæstionis, tum quia ipse Ioannes erat ex tribu Leuitica, Idem homil. in Ioan.

C Deus antiquis loquutus est per Prophetas & Angelos, nobiscum per vnigenitum, ad Hebræ. primo.

In Nycena Synodo prohibitum, ne Diaconi communicarent Presbyteros, cum ipsi non habeant potestatem offerendi sacrificij, sed vt Presbyteri Presbyteros communicarent. Prohibitum etiam sacerdotibus tradere corpus dominicum Laico vel fœminæ ad deferendum infirmis, sed Presbyter jubetur per seipsum communicare infirmum, can. peruenit, de consecr. d 2.

Christi sanguine infuso in atramentum scribitur excommunicatio, *vide differentia minoritatis.*

D Si in extrema victus necessitate sint pauperes, præferendi sunt diuiti supellectili Ecclesiæ, sic D. Bern. ô vanitas vanitatum; fulget Ecclesia in parietibus & eget in pauperibus, suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit. Idem dicit D. Hieronym. epist. 8. ad Demetriadem, & 12. ad Gaudentium. Pauper est templum Dei viuens, & membrum Christi, at si non vrgeat extrema necessitas, & pauperes sufficienter secundum suam ipsorum conditionem viuant, licet splendidam in Ecclesijs habere supellectilem. Bellar. de cultu Sanctorum l. 5. & sic Theophylactus interpretatur illud, Marc 14. Quod Christus approbauit profusionem pretiosi vnguen-

ti super se, quod Iudas dicebat distribuendum pauperibus. Viles & desertæ remanerent Ecclesiæ si illis contemptis, pauperibus exhaustis à fisco semper subueniendum esset, & hoc paratum remedium audaciorem ad prædas efficeret exactorem,

De magnificentia templorum & suppellectilis, vide plura apud Cassalium, lib de ritibus Ecclesiæ, c. 34.

De splendidis & ab alijs distinctis Religiosis & Sacerdotalibus vestibus, *vide diff. medij*, honorifica distinctio.

Romæ minores magistratus minoribus, majores majoribus auspicijs creabantur, vt exponit Gellius, l.13. c.14.

In altari holocaustorum erant vasa aurea & argentea, ad administrationem mundam, cætera ænea. Tost. in exod.

B Cum Angelus instruit hominem de propria virtute, tunc assumit corpus quod illam exprimit, at cum vult instruere hominem de virtute diuina, vel superioris Angeli per quam operatur, tunc format corpus assumptum ad exprimendam eminentiam diuinæ majestatis, vel proprietates superioris Angeli, & tunc vocatur Dominus, & D. Gregorius, in Exod. 3. hanc assignat causam quare Angelus qui loquebatur Moysi, quandoque vocatur Angelus, quandoque Dominus. D. Tho in l.2. sent d 8. q.1. a 6.

Dicitur Isa. 6. volauit ad me vnus de Seraphim, qui ordo excellentior est, & dicit Apostolus, Hebr. 11. omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi Non debet indignum videri, si etiam superiores mittantur, cum & ille qui creator est omnium ad hæc inferiora descenderit. Magister. sent. l.2. d.10. q.1.

C Filij Aminadab ponentes arcam Domini super plaustrum, peccauerunt, quia lex jubebat quod portaretur super humeros. Tostat in 1. Paral. fol. 147. c. 3. f.

Quanto res inferiores sunt nobiliores & vniuersaliores, tanto superior & nobilior est custos Angelus: nam custodia totius humanæ naturæ pertinet ad ordinem principatus. Idem Math. tomo quinto, f. 17.

D Arcam portauerunt tantum sacerdotes in transitu Iordanis, & in destructione murorum Iericho, post hoc non legitur quod sacerdotes portarent eam, sed Leuitæ. Idem, num. tomo primo, fol. 113. c. 1. a.

In Confirmatione & Extrema vnctione oleum debet esse consecratum, alioquin non confertur Sacramentum. Id. 4 Reg f 88. c. 4. h.

Honor exhibitus tantus est, quanta est persona exhibens honorem, Id. exo. to. 1. 222.

In fine sæculi augebitur lux corporum cælestiũ, mundusque innouabitur in statu, homine propter quem est glorificato, Tost. Mat. to. 7 f. 141.

E Ius sacrificandi non pertinebat ab antiquo ad solos primogenitos, sed etiam ad minores, quia quicumque volebat offerebat Domino holocaustum, & ipse erat minister, quia nulli erat hoc interdictum, & quamuis hoc liceret omnibus apud antiquos, tamen quando communitas offerebat, eligebantur primogeniti, quasi digniores, Idem. 1. Paral. f. 75.

Totum propitiatorium erat de auro purissimo absque ligno, propter excellentiam Dei sedentis, 2. Reg. 6. Id. to. 2. f. 24.

Nulli vsui secundum naturam conuenientius aurum & argentum, & lapides pretiosi applicari possunt, quam in ministerium Dei qui est summum bonum, summaque pulchritudo Erubescendum est homini Christiano, vt ipse bibat in poculis aureis, & sanguis Christi conficiatur in calicibus plumbeis. Idem, exod. to. 2. f. 54.

Actiones sacræ quæ pendent ex charactere non possunt fieri, nisi ab eo qui habet characterem, & ad illas determinatus est, vt Eucharistia non potest confici nisi à sacerdote, & absolutio dari nisi ab eo qui habet clauem, & potius obmittuntur actiones, quam fiant à non digno & conuenienti ministro, Id. 1. Par. f. 150.

Illustria, mediis illustribus perficiuntur, vide quæ scripsi de iure natur. l 2 lege 4. §. 5.

In atrio patresfamilias supellectilem suam expositam habebant, veluti escaria & potoria vasa, & inde seruis atriensibus nomen, qui supellectilem emundant ædium aut villæ, & disponunt in atrio, simulque atrium omni ex parte mundum & nitidum vt sit, accurant, Cujac obseruat libro decimo, c. 34.

Olim Romani principes aureis tantum nummis facies suas imprimebant. Id. l. 19. c. 25.

Prouinciarum aliæ erant Proconsulares scilicet nobiliores, aliæ præsidales, quod si in Prouinciam præsidalem mittatur aliquis proconsulari imperio ad tempus, non ideo jus prouinciæ innouatur, Ib. l. 24. c. 1 mittuntur iudices extraordinarij ad tempus, l. 1. ff de tutor. & curat. da.

Ad Eucharistiæ materiam adhibetur materia panis ex tritico, frugum, vino liquorum simplicium optimo, licet illa materia transsubstantietur in corpus & sanguinem Christi; sic prosunt Ecclesię nobiles ad Euangelicam professionem vocati, in qua desinunt illustres familiæ & diuitiarum tituli.

Multitudo mediorum est illustrior, *vide magnis medij.*

Motecuma vltimus Rex Mexicanæ regionis, nullos admisit in suum ministerium plebejos, sed tantum nobiles.

Cauterium ex auro innoxium magis est, quam ex ferro, Card. meth. medendi, c. 58.

Clericos Regulares ministrantes infirmis, etiam sacerdotes, à ministerio infirmorum dispensari prohibuit Clement. 8. const 75. Bull. p. 81. tomo 3. §. 56.

Amicus prudens, probus, potensque, magis quam humilis fortunæ vir aptus est ad persuadendum.

Conturbati sunt montes, à fortitudine eius, Psal. 45. Id est potentes sæculi qui prius Christum superbè spreuerant, fiunt eius prædicatores, D. Basil. in d. Psalm.

Hoc inter Sanctum & Magum discrimen est, quod sanctus ex Deo, Magus autem ex natura operatur, Paracelsus.

Nihil homini euenit quin aliquo prænuntietur augurio, & quo quid excellentius homo designaturus est, eo illustriora præsagia sunt. Si exempli causa, designatura sit aliquid ciuitas, augurium clarius erit, quam si faciat pagus. Idem respectus est regionis ad vrbem; magnatum & Principum ad populum, denique Regum ac Cæsarum ad inferiores, Idem libro 1. Sagacis Philosophiæ; ita Natiuitas Christi per tot prophetias, per Angelos, per stellam prænuntiata, & eius mors per eclypsim solis contra naturam.

Strutiones, testitudines, pisces, bombices, etiam vilia insecta vtuntur sole ad excludenda sua oua.

Visus non recipit visibile, nisi secundum esse spirituale, *vide voluntas bonitat.* mala. Inordinatus sui amor.

Spiritus in corpore, est euaporatio quædam ab humiditate cibi, quæ fit per calorem naturalem, cujus fons est cor. Hoc igitur corpus lucidum est, quia est diaphanum spissum, & est subtile, quia ab animali calore digestum & depuratum; ita fit aptum instrumentum ad omnes operationes animæ, & ideo mouetur sursum & deorsum, & ad latera, & est vehiculum vitæ, & omnium eius operationum. Albertus Magnus, tractatu 1. de somno & vigilia, c. 7.

Priuationes cognoscuntur per habitus, qui sunt ad illarum cognitionem illustre medium.

In animato corpore quando spiritus est nimis grossus, impedit operationes virtutum vitalium, & naturalium, præcipue tamen animalium. Albertus Magnus, tractatu secundo, de morte & vita, c. 7.

Quædam plantæ habent semen suum, in fructu, pulchro ad visum, dulci suauique ad gustum, grato ad odoratum, vt sunt poma, pyra, arangiæ, citrina, flores, &c. Idem libro 3. de vegetabilibus, capite 1.

Dulcis liquor, magis dulcescit in vase aureo & argenteo, quia hæc metalla sunt dulcia, cætera amara. Arist. in problem.

Vis eloquentiæ, *vide potestas cognit.*

Personæ magnæ fingentibus placent, Regum, Principum, populi, senatus, & res ampliores, ita cum verba rebus aptentur, ipso materiæ nitore clarescunt. Quintilian. Institut. orator. libro 3. capite 10.

Luc. 22. Christus ministrat discipulis, & Mat. 20. præcipit vt qui inter discipulos major est, ille ministret.

Parum fuit triumphantes vehi equis albis lauro coronatis, etiam Pompejus, Cæsar, Gordianus vecti sunt elephantis.

Nobiles in suis armis seu stemmatibus, vtuntur tantum duobus metallis nobilioribus, scilicet auro & argento, quæ splendorem & lucem significant.

Alexander fœlicem dicebat Achillem, qui suæ virtutis præconem habuisset Homerum. Sic apud Sylnium Italicum, fœlix Æacida, cui talis contigit ore, gentibus ostendi, creuit tua carmine virtus.

Seraphim ex supremo ordine Angelorum purgat labia Isayæ.

Licet Imperator aut alius Princeps, non recognoscens superiorem non habeat ordinem, potest tamen Episcopo ministrare in officio Subdiaconatus. Vide Chassen. in catal. gloriæ mundi, p. 5. consid. 24. n. 105.

Circa legationes nobilium major est authoritas, lib. penult. ff. de legat, ad Imperatoris, Principum & dominorum latus, nobiles stare debent, non autem plebei, l. omnium in princ. Cod. de testament.

In oratione similitudines longius petitæ & inexpectatæ, & si non probent, ornant tamen orationem, faciunt sublimem, floridam jucundam, mirabilem. Quintilian. Instit. orator. libro octauo, capite 3.

Cum in mari non sint trita vestigijs itinera, vt ad certos portus perueniatur, stellas habent nautæ pro itineribus, & viæ carpendæ indicijs. Theodor. orat. 1 de prouidentia, in fine.

A Esset verum Sacramentum, quod constaret ab aliquo beato, vel Angelo fuisse administratum verbis per assumptum corpus prolatis. D. Tho. 3. q. 94. a. 1.

In conferendo baptismo, hic debet ordo seruari vt præsente viro fœmina non baptizet, Laïcus præsente Clerico, Clericus præsente sacerdote, sacerdos præsente proprio parrocho. Bonac. de ministro baptismi.

Melius est sacerdotem non consecrare, & etiam morientem non communicare, quam consecrare sine sacris vestibus, & præscriptis ab Ecclesia cæremonijs. Id. de Eucha. disp. 4. Ita non debet communicare moriturum, nisi cum decenti habitu, id est

B cum superpellicio, stola, præcedente lumine, can. sanè, de celeb. Miss.

Grauiter peccat qui adhibet in altari corporalia notabiliter immunda, quia facit contra reuerentiam debitam Sacramento Bonac.

Pomponatius lib. de incantationibus, & alij Aristotelis sectatores non admittunt alias intelligentias in inferiorum & hominum tutela, quam eas quæ mouent cælos.

Populus facit vitulum aureum, quo magis prouocetur ad Idololatriam, sic Ieroboam, 3. Regum 12.

Tabernaculi expositio. Petr. Cel. bibl. patr. tomo 9.

De vita cœlitus comparanda. Marsilius Ficinus.

C Leuit. 10. filij Aaron, dum præsumunt terrenos ignes, diuinis ignibus admouere, flammam sacrificij salutaris in pœnale sibi incendium commutarunt, 1 Regum 15. Saul tumens regali vertice, dum putat sibi, & de sacerdotio quid licere, regnum quod acceperat, altaris temerator amisit. Chrysolo. serm. 109.

In libro Esther dicitur, quod Assuerus in conuiuio quod fecit, ministrabantur cibi & potus, prout exigebat magnificentia regis.

Vide bonitas maioritatis, & gloria maioritatis.

Si commissio seu dispensatio concredita fuerit Vicario, seu officiali Episcopi, expedienda erit per

D officialem principaliorem, si Episcopus duos habeat, quia nomen dignitatis absolutè prolatum, accipitur pro principali Bonac. de priuilegijs, puncto 8. §. 1.

Magnopere timendum, ne contempti & irrisi ministri, labefactent majestatem dominorum.

Deut. 17. Rex iubetur, Deuteronomium propria manu describere.

Lactantius in Epitome ducit argumentum nostræ immortalitatis, ex eo quod in artibus præstantissimo omnium elemento vtimur. Cælesti, inquit, elemento, quod est ignis, homo solus vtitur, si lux per ignem, vita per lucem, apparet eum, qui vsum ignis

E habet, non esse mortalem.

Quis miretur, si Sol & Astra omnia, huic mundo militent, cui Christus ministrauit.

Olim in sacrificijs vtebantur tantum igne ex reuerberatione radiorum solis collecto.

Angeli homine sublimiores sunt tamen in ministerium missi ad eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Heb 1.

Olim Trojani vtebantur tantum lignis cedri in sacrificijs. Plin. l. 13.

Apud Æoles, nobiles tantum juuenes ministrabant in sacrificijs. Athe l. 10.

Digitized by Google

Apud Persas, reis in pœnam injungebatur vti vasis fictilibus.

. Idem libro 11. Apud Regem vasa omnia erant aurea, & è curru descendenti aderat semper, qui ex officio sellam auream porrigeret cui pes innitere-tur. Dauity. Apud eosdem rerum bene gestarum præmium erat, ensem aureum deferre, aurea equorum fræna, calcaria aurea, aureas torques, &c. Ibidem.

Chinenses credunt vnum Deum creatorem cæli & terræ, soli Regi credunt licitum ei sacrificium offerre, ideo in duabus tantum præcipuis regni sui vrbibus, Paquin, & Nanquin, habet duo templa, vnum pro cælo, alterum pro terra vtriusque Deo sacrum, & in illis per se, vel per præcipuos Magistratus, vices suas agentes sacrificium offert. Idem.

In Hispania cubicularij Regis ferunt pro insigni clauem auream.

Vtimur terrenis, & rebus infra nos positis, ad offendendum Deum, & Deus nostram malitiam sua bonitate superans, vtitur ministerio Angelorum, supra nos positorum, vt nos in se conuertat, ex Petro Dam. Card. opus. 23.

Idem l. 1. ep. 19. Refert olim Romanum Pontificem jus habuisse colligendi tantum balsami in Iudæa, quantum sufficeret lampadi perpetuæ ante altare Apostolorum, quidam Pontifex auarus hoc jus distraxit, & miserè perijt.

Ante mysterium Incarnationis, erat quidem Deus adoratus, & chorus Angelorum adorans, sed non erat Deus adorans.

Antiqui Philosophi dicebant, quod si Deus haberet corpus, haberet solem pro corpore, quo nihil in mundo splendidius & nobilius.

Salomon vasa sancta & instrumenta templi omnia ex puro auro, aliaue prætiosa materia multiplicauit. Gen a m. 3150.

Aquilæ, falcones, accipitres omnes viua tantum præda vescuntur, sic apes non insident floribus mortuis.

Multum profecit verbum Dei & Religio tempore Dauidis, quod prædicaretur ore regio. *V. virtus potest.* pietas Regentis.

Episcopus infirmus, non per Presbyteros, sed per alium Episcopum agenda curet, quæ propria sunt Episcopi. Concil. Arausicanen. canon. vltimo.

Chrisma singulis annis à proprio Episcopo petatur, nec per quemcumque Ecclesiasticum, sed per Subdiaconum, quia inhonorum est inferioribus summa committi; optimum autem est vt ipse suscipiat qui in tradendo vsurus est. Conc. Vasense Galli. can. 3.

Vt missæ in Ecclesia tantum Deo consecrata, non in vilibus locis celebrentur. Capitulare. Theodulphi. Episc. Aurel. Conc. Gall. a 797. Conc. Parisiense VI. c. 47. a 829. dicitur enim, Deuter. 12. Non offeres holocaustum tuum in omni loco, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, & Conc. Laodicense, c. 58.

Accidens quod causatur ex principijs subjecti, est indignius subjecto, sicut effectus causa; accidens autem quod causatur ex participatione alicujus superioris naturæ, est dignius subjecto, in quantum est similitudo superioris naturæ, sicut lux diaphano, & charitas dignior est anima in quantum est participatio quædam Spiritus sancti.

Multi nobiles in insignibus & stemmatibus suis vtuntur Sole, Luna, Stellis, etiam Angelis.

Quanto potior est operatio, tanto principale agens potioribus indiget instrumentis.

Principum filij addiscebant hetruscam & diuinatricem disciplinam, ne vilesceret à plebeis hominibus professa. *V. maioritas cognit.* prophetia & diuinatio.

HONOR MINISTRIS DEferendus.

IN somnis hæc est deceptio, quod forma sensum internum afficiens accipitur, vt res ipsa. Albert. Mag. Non est ita honorandus minister, ac Rex ipsemet.

Ægritudines auium cognoscuntur ex dependentia alarum, quas non possunt in situ solito continere. Sanitatis Reipublicæ judicium est honor ministris delatus, & ex eorum contemptu ægritudo.

Sancti honorantur propter inhabitantem in eis Spiritum sanctum, vt capsula propter reliquias. Apost. Philippens. secundo, loquens de Epaphrodito à se misso dicit. Eum cum omni honore habetote.

Nabuchodonozor iratus est contra Hierusalem, quia missos à se recepisset sine honore. Iudith primo, & Paralipomen. 36. Ira Dei ascendit super eos, qui parui faciebant Prophetas, & ab eo missos.

Vide gloria potestatis, & gloria viri. cultus Sanctorum.

Rebelles qui non valent aggredi personam Regentis, insectantur eius ministros, vt canes projectum in se lapidem, mordent. Plutarch.

Homini ad imaginem Dei condito, vicesque eius gerenti, cætera omnia inferiora seruiunt, Theod. in Gen. q 20.

Genes. 31. dicit Deus Iacob, Ego sum Deus qui apparui tibi in via, apparuerant autem Angeli. Ita ministri pro Deo sumuntur. Ibid. quæstione 89. Similiter Iacob postquam luctauit cum Angelo, audit, quia inualuisti cum Deo, cum hominibus potens eris, Gen. 32.

Ministri, publicis negotijs præfecti, sunt manus principis, & Regiæ dignitatis radij in quibus longius & temperantius fulget, & in illis obscuratur ex contemptu.

Calix non adoratur, nisi ratione contenti. Bonacina.

De Ecclesiasticis honorandis. Bernard. quadr. 1. serm. 20.

De Heraldis Æneas Syluius, ep. 126.

Deus dicit ad Samuëlem spretum à populo, non te, sed me spreuerunt, & Christus ad discipulos, qui vos spernit, me spernit.

Committit crimen læsæ majestatis, qui lædit ministros Regios, quia sunt pars corporis principis, l. quisquis. Cod. ad l. Iul. majest. vt Papa non potest excommunicare principem, ita nec eius ministros, in ministerij sui executione, liber. *de l'Eglise Gallic.* art. 16. extra. meminit. distinctione 89. ca. iudicatum.

Fugat tenebrosos dæmones lucidus ignis, ideoque sacris adhibetur, quia habet signaculum & vehiculum lucis superioris, illius, qui dixit, ego sum lux mundi.

Persæ non solum ignem sacrum habebant, sed

Digitized by Google

id omne quod ignem refert, vt rubinus, quia flammas ignis videntur in se habere. Strabo, libro 15.

Athenienses læta nuntiantibus, & aduocatis suis coronas honoris ergo decernebant, Suidas in voce εὐφ...

Albo gallo vescendum non esse dixit Pythagoras, quod soli sit sacer, propter albi cum luce conuenientiam. Id. in voce Pythagoras.

Socium laboris & agriculturæ habemus bouem, tantæ apud priores curæ vt sit inter exempla damnatus à populo Romano die dicta qui bouem aratorem, tanquam colonum suum occidisset. Plin. l. 8. cap. 45. Refert Plutarchus Athenienses ad bouis immolationem coactos, relictam à mactante securim in iudicium vocatam fuisse.

De honore clericis Dei ministris deferendo, *vide potestas virt* imperium religionis.

Sicut ad dignitatem filij nouos honores adepti pater ministros eius magis exornat, sic post iudicium animabus & corporibus hominum glorificatis, etiam cæli & elementa in statum splendidiorem conformabuntur. D. Chrysostom. hom. 14. in ep. ad Rom.

Manus Principis existimari debent, quicumque illo jubente publicis negotijs præficiuntur, neque fas est in illis extensum regem violare, qui velut majestatis quidam radij, solem suum illustrant. Regia dignitas solio suo non est affixa, etiam in ministris est reuerenda, in quibus temperantius fulget, defectionis causam rejicit in ministros ambitio.

Dolor qui est in orificio stomachi, cordis dolor vocatur.

Angeli præpositi prouinciarum dicuntur reges & principes illarum.

Tostat. Reg. tom. 1. f. 198. b. In veteri testamento Angeli sæpius nuncupantur nomine Dei, in nouo tantum quando veniunt ad repræsentandum Deum. Id. in Math. f. 108. c. 2. b.

Blasphemia committitur etiam contra sanctos vt habetur, cap. statuimus ext. de maledic; quia in eis relucet veritas Dei infallibilis, cui inseparabiliter sunt vniti. Idem tomo secundo, Math. fo. 217. c. 4. K.

In scripturis aër vocatur cælum, vt cum dicitur aues cæli, quia aër est medium per quod cælum influit, Idem.

Deus rectè dicitur qui vices Dei gerit in aliquo, cujusmodi sunt Iudices, sic habetur exo. 21. 22. Idem exo. to. 1. f. 232. c. 2. a.

Quia fœcunditas Ægypti tota pendebat ab inundatione nili, colebant Isidem, id est Lunam quæ præsidet aquis, & quia Luna habet exaltationem suam in tauro colebant bouem Apim album & habentem in femore notam albam in formam crescentis Lunæ.

Ægyptij abstinuerunt à quorundam animalium esu, cum non illa, vt vulgus existimabat, sed stellas sub ea figura venerarentur, Card. in encomio Astrologiæ.

De honore ministris Ecclesiæ debito. Vide quæ scripsi, moralis Christiana, tomo primo, parte 2. capite 16. Honor Principi debitus extendi debet ad præcipuos eius ministros, lib. de agente Dei in humanis, parte 2, c. 15.

Christus dicit Apostolis, Math. 10. Qui recipit vos me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit mercedem in nomine Prophetæ mercedem Prophetæ accipiet, & iterum qui

A credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet; non legitur enim vmbra sua ægros sanasse, sicut Petrus. Nihil in hoc sibi derogauit Dominus, nam discipulorum commendatio, laus magistri est, de eorum gloria dicit vates, nimis honorati sunt amici tui Deus, velut Aulici Regis Regum Christi, &c. Laurent. Iust. fasciculus amoris, c. 5.

Sanctis creaturæ obediunt. *Vide demonstrationem, potestas virt* vis virtutis apud Deum.

Qui legatum pulsat contra jus gentium facit, quod sancti habeantur legati, libro vlt. ff. de legat.

B Imago Imperatoris ferebatur ab eo qui timebat sibi ab alio vim inferri, idque præsidij & tuitionis causa, quasi violaretur Imperator in imagine. Vnde grauiter puniebantur qui imaginem hanc deferebant, vt concitarent inuidiam in aliquem, quasi ab eo vim timerent, l. 5. cod. de injur. Cujac. obseruat. l. 12. cap. 39 quanto magis læditur Rex in ministro.

Vide maioritas potest. potestas & gloria sacerdotis.

Olim in Ecclesia majore obsequio Diaconi, quam sacerdotes frequentabantur, propter bonorum quam habebant administrationem, ea occasione aduersus Presbyteros ceruicem erigebant, contra hanc procaciam decernit Conc. Nicæn. can. 18.

C

HONOR INSTRVMENTI.

Diues qui pauperis inimici statuam flagellis cecidit, reus fuit injuriarum. Quintil. Inst. orat. l. 4. c. 2.

In tantum consistit honor, in statua alicujus, quod si ipsa statua rumpatur, datur actio injuriarum, l. si statua ff. de injurijs.

De gloria crucis Christi, *vide gloria contrarietatis.*

Iacob, vngit oleo lapidem quem supposuerat capiti suo, dum vidit Angelos ascendentes & descen-

D dentes per scalam, Gen. 28.

Christus non indiget baptismo, sed illud suscipiendo sanctificauit, Math. nono. Transfretaturus ascendit in nauiculam, qua non indigebat, cum super fluctus ambulasset, & id etiam Petro concessisset, sed nauis Ecclesiæ indiget Christo, vt possit ad cælestem portum peruenire, Chrysolog. sermone 50.

Indi sacram habent arborem quæ Kasta dicitur, quia sic est fœcunda, vt rami eius terram contingentes radicem accipiant, & in aliam euadant arborem, sic densa ramis vt eos à pluuia & sole tegat. Q. Curt. l. 8. & 9.

E Adoratio alia absoluta quæ conuenit rei intellectuali, alia relatiua, *vide medium cognit.* imaginum cultus.

Committitur sacrilegium in abusu rerum diuino ministerio sacratarum, *vide maior. medij*, abuti digniori medio.

Geographi qui respiciunt polum, vt inde conijciant altitudinem suam, faciunt orientem dextram partem cæli, quia sic est à dextris.

Vlyssipone ad longæuam rei memoriam asseruatur nauis Magellanica, dicta victoria, quæ globum vniuersæ terræ circumambijsse dicitur.

Nauis qua Theseus in Getham fuit delatus per nongentos sexaginta annos durauit, tignis om-

Digitized by Google

nibus per interualla temporum mutatis eadem censebatur nauis, quia forma nauis eadem semper mansit.

Parthi & Medi, bellicosi, equos magni faciebant, mortuos lugebant, & sepeliebant.

Scythæ bellicosi colebant Martem, nullo tamen ei templo ędificato, sed ensem nudum exponebant, & coram illo, velut coram ipso Marte, orabant, & sacrificabant, Herodot. l. 4.

Antiqui fœlicem existimarunt platanum, & in spectabilem elatam altitudinem in qua pependit Marsia victus ab Apolline, Rodigin. libro decimo, c. 7.

Ideo mortuis corporibus justa solemniter præstantur, *vide gloria finis*, honor sepulturæ.

Phæreus Alexander immanis tyrannus ac sanguinarius quum auunculum Polyphrona peremisset, hastam qua facinus obierat coronatam sacrauit, eique vt Deo rem facere diuinam perrexit, τυχῶνα appellans quasi in inferendo vulnere fœlicem, Rodig. l. 21 c. 16.

Corpus humanum est instrumentum animæ, ideo cum ea resurget ad gloriam. *V. finis minor.* resurrectio corporum.

Nescitis quod corpora vestra membra sunt Christi, &c. *V. minoritas gloria*, de mortificatione tactus.

Corpora beatorum in die iudicij erunt fulgida, Tost. Math. 7. f. 89.

Claritas corporis Christi transfigurati, in vestes eius refluebat. Idem Mathæ. tomo quarto, fol. 213.

Post Adæ peccatum Deus maledixit terræ, vnde fructum comedit contra legem, aquæ vero non maledixit eo quod prædestinauit Deus in aquis abluere peccatum, quod de fructu terræ contraxit homo, Alcuin. in Gen. interrog 11

Si numer. 4. filijs Caath non licebat portare vasa tabernaculi nisi velata, quanto minus nunc licebit Laicis contingere vasa consecrata, cap. in sacra. de consec. d. 1.

HONOR LOCI.

QVamuis multa priuilegia concedantur locis sacris intuitu Eucharistiæ, tamen sacerdos ferens Eucharistiam, non potest in rigore juris dare reis ad se confugientibus, immunitatem quæ est in Ecclesia. Bonac. de immunitate Ecclesiarum.

Manumissi in Ecclesia, defenduntur ab Ecclesia, si quis voluerit eos iterum in seruitutem redigere. Conc. Aurel. V. can. 7.

Templis debita reuerentia, *vide gloria principij*.

Electio fieri debet in Ecclesia Cathedrali c. 28. quod sicut de elect.

Religiosæ domus dicuntur pijs vsibus destinatæ, vt Zenodochia, Orphanotrophia, can. in qualibet 23. q 8. Hæc loca gaudent multis priuilegijs, vide tit. de religiosis domibus.

D Thom. in quæst. disput. quæst. 5. a. 5. ad 17. dicit consummato numero electorum motum cæli cessaturum, & sic erit tantum in vno hemisphęrio; aliud tamen non penitus erit obscuratum propter lumen lunæ, stellarum, & elementorum quod illis Deus tradet; si tamen sit amplior claritas ex illa parte terræ quæ fuit inhabitata à sanctis, nullum inconueniens sequitur.

A Quando Angelus Israëlitis apparebat, nuntians eis aliquid ex parte Dei, licitum erat in loco talis apparitionis, Deo sacrificia immolari, Tost. Iud. f. 19. c 4. l & 137. c 4. g.

Quando arca Domini diuisa fuit à sanctuario, nulla fiebant sacrificia coram ea, sed in sanctuario. Idem primo Regum, tomo primo, fol. 77. cap. 3. g.

In Babylone nulla sacrificia obtulerunt Iudæi, quia non habebant ibi templum, nec licebat illis fabricare. Id 4. Reg. 261. d.

Vide medium durat. locus.

In locis in quibus aliqua crimina sunt commissa, non sunt exercenda sacra, nisi prius purgentur Id.

B Mat. to. 7. f. 113 c. 3. f.

Deus dicitur habitare in aliquo loco propter aliquem specialem effectum, quem ibi magis quam alibi ostendit. Idem exod. tomo primo, fol. 122. c. 1. a.

Mons Moria seu Sion, in quo ædificatum fuit templum Ierusalem, idem locus est in quo Abraham voluit immolare filium suum. Idem Genes. f. 67.

Quia caput & manus abscissæ Dagon, inuentæ sunt super limen templi, in reuerentiam loci in quo jacuerat Deus, Philistini non calcant pedibus super limen, 1. Reg. c. 5.

C

REMVNERATIO ministri.

IVdæis sabbatum erat partim traditum, vt quiescerent jumenta, & famuli, exod. 20.

Sacerdos celebrans habet specialissimum fructum sacrificij, quem non debet, & secundum aliquos non potest alteri cedere, cum sit minister ex officio, & physicè concurrat ad partes essentiales sacrificij, vnde sacrificium ei specialius debet applicari. Bon. de sacrif. Missæ.

Viennæ in Austria, furta quæ apud furem inueniuntur, judici cedunt. Æneas Syluius, epistol. 165.

D Qui rem incerto Domino, inuenit potest illam sibi vindicare jure naturæ, vt ea quæ sunt primo occupantis. Secundum Nauarrum, vel secundum Bonacinam, potest eam distribuere pauperibus eius parte aliqua sibi seruata secundum loci consuetudinem, vt thesauri in alieno agro inuenti, media pars cedit inuentori, §. thesauros. Instit. de rer. diuis.

Vrbes possunt dari militibus in prædam in causis grauissimis, lb. de bello.

In transfiguratione Christi, vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.

Montes etiam nullo terræ corio tecti, nullis vestiti herbis, habent in saxis venas, fibras & commissuras

E quibus aquas pluuiales plurimas imbibunt, & in interiorem sinum recipiunt, vnde postea fluunt fontes. Georgius agricola lib. 1. de causis subterraneorum.

Athenienses equos qui egregiam nauassent operam, vinclis solutos liberè pasci permittebant, etiam suppeditatis alimentis. Rodig. l. 25. c. 21. *vide gloria virt.* quies post labores.

Qui inducit aliquem ad offerendum pro peccato, partem sibi sacrificij vindicat, Leuit. septimo, sic Apostolus 1. Corinth. 3. qui superædificauit,

Digitized by Google

quam mercedem accipiet, vide Origen. hom. 5. in Leu. A

Gabaonitis portantibus aquas, & cædentibus ligna, prouidebatur ex expensis sanctuarij, Tost. Leu. f. 317.

Beatorum corpora habebunt quatuor dotes gloriæ, Id. Mat to. 7. f. 94.

In holocaustis pellis animalis pertinebat ad sacerdotem qui offerebat, Leu. 6. & in quolibet sacrificio prouentebat aliquid sacerdoti immolanti, Id. nu to. 1 f. 247.

Christus domos totius orbis Apostolis aperit, significans ipsis vniuersos homines debitores futuros, D Chrys. hom. 36. in Math.

Angeli nobis ministrantes semper fruuntur visione Dei, *vide magnitudo principij*, Dei immensitas. B

Accusatores & delatores remunerantur, *vide cognitio contrarietatis*, accusator & criminis delator.

Pro mercede qui fodiendo vel colligendo auro student in India Peruana, dimidium semper à fodinarum possessoribus accipiunt, si quidem id præstant cum maximo vitæ periculo, cum vel æstu nimio, terrarum mole suffocantur, vel fame pereunt, Gotard. histor. Indicæ, capite decimo.

De gratuito officio, *vide veritas boni*.

Administratores magni concursus Ecclesiarum, non possunt missam celebrandam cum certa eleemosyna susceptam committere alteri dempta etiam minima parte dictæ eleemosynæ, Vrba. 8. const 41. declar. 7.

Familiares & seruitores Prælatorum Romanæ Curiæ salarium &, stipendium pro biennio tantum, & infra annum à die obitus illorum petere possunt, Paulus 3. constit. 43. p. 559. tomo primo, *vide duratio gloria*, *Repugn.* dilatio remunerationis.

REPVGNAT.

Tyranni solent delere sæuitiæ suæ ministros & testes, metum enim illis incutiunt.

Idololatræ vt simulachris Deorum maximus honor haberetur, illa dicebant è cœlo lapsa; artificibus occisis vel relegatis ne manu facta dicerent, sic Ptolomæus artifices qui Dianæ statuam fecerant in spelunca oppressit. Suidas in voce *Δεσπτις*.

Oderunt scelerum authores ministros, ministri, authores.

DIFFERENTIA MEDII.

DIVERSITAS INSTRVMENTORVM, & ministrorum.

In perfectis animalibus, in quibus est sanguis, binæ viæ inueniuntur, venæ scilicet quæ sunt viæ nutrimenti, & arteriæ quæ sunt viæ spiritus. In his autem quæ sanguinem non habent, eadem est via alimenti & spiritus, Alb Mag. tr. 1. de spiritu & respiratione, c. 7.

Omnis decoctio alimenti est à calido, sed illa quæ assimilat nutrimentum mollibus, vt carni, similis est elixationi, quæ duris vt ossibus assationi; medius modus est in medijs, sicut in chordis & cartilagine. Idem tractatu primo, de nutrimento, capite 3.

In animalibus quorum valdè similia sunt corpora, vt pisces & serpentes, virtus assimilatiua nutrimenti habet virtutem formatiuam, & ideo talia non habent testiculos attrahentes semen, nec oportet ipsum à toto corpore descendere, quia in illis, quod simile est parti, simile est toti, eo quod totum & pars, sunt ejusdem substantiæ & naturæ. Ib. tr. 2. c. vlt.

Diuersa organa sunt propter diuersitatem operationum in diuersis artibus; vt alia sunt organa artis ædificatoriæ, alia musicæ, hinc contra Pythagoram probatur animas omnes non esse ejusdem rationis, & diuersitatem operationum non pendere tantum à diuersitate organorum, quia singulis agentibus,

C natura dat conuenientia organa, quæ sunt propter agentia. Idem tract. 2. de natura & origine animæ, c. 8.

Vide concord. medij, propria & accommoda media.

Triplex est medium conjunctionis, vnum quod extremo superiori, aliud quod inferiori proximius est, & quod vtriusque vires æqualiter in se contemperat, Albertus Magnus, libro 7. de animal. tract. 3. c. 1.

Natura quæ non deficit in necessarijs dedit animalibus organa aptissima ad capiendum quem appetunt cibum. His quæ circa aquas venantur dedit longa crura & rostra. His quæ in aquis longè à terra venantur dedit latos pedes ad remigandum & rostrum latum, ad capiendum ea quæ sunt in aquæ

D superficie, ea quorum cibus est multum dispersus, habent longa crura posteriora aptata ad cursus velocitatem, quorum cibus indiget laceratione, habent serratos dentes, & magnum oris rictum; quorum cibus durus debet comminui, habent dentes anteriores aptatos ad incidendum, & posteriores ad comminuendum. Ib. c. 2.

Imperator non vno semper modo aciem dirigit, sed ex opportunitate, loci, temporis, hostium. Iter militari labore stratum sæpè deserimus, compendio ducti, & si rectum limitem rupti torrentibus pontes inciderint, circuire cogemur, & si janua

tenebitur incendio, per parietem exibimus, sic orator variat dicendi modos. Quintil.Inst.orat.libro 2. c. 14.

Per diuersa Sacramenta confertur eadem gratia habitualis, quia augetur per ipsa, diuersa tamen est accidentalis, quæ consistit in diuersis auxilijs ad obtinendam gratiam talis Sacramenti, vt in Sacramento Confirmationis,ad constanter confitendam fidem,&c. Bonacina de Sacrament. disput. 1. q 4.

Characteres Baptismi, Confirmationis, Ordinis differunt specie, quia sunt potentiæ seu habitus ordinati ad diuersos actus, Ib.

Varij dandi sunt cibi pro corporum varietate, quibus enim sanguis est admodum melancholicus, humidi calidique cibi sunt dandi, quibus biliosior, frigidi & humidi. Pituitosis,cibis opus est, qui calefaciendi, siccandique vires obtineant.

Pendent ab humeris brachia & manus,& in omnem partem possunt inflecti,vt corpori variè necessaria ministrent.

Optimum est singula regna proprias & distinctas habere monetas, id enim pertinet ad splendorem regis,cujus numismata ferunt imaginem, quasi omnibus beneficio suo præsens,rebus omnibus pretium dicens D.Th de regimine principum, libro 2. c. 13.

Medium est neutrum contrariorum, non est autem tantum æqui distans,& vnius proportionis,sed diuersæ,& multiplicis,in vna proportione calidi & frigidi fit os,in alia caro, &c. Alb.Mag.de gener. & corr.l.2.tr.2.c.15.

Potest instrumentum conjunctum,quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere,sicut manus baculo.

In aliqua actione potest aliquid esse medium dupliciter,quantum ad perfectionem scilicet,& quantum ad dispositionem.

Diuersa diuersis mensurantur, non enim eodem modo mensuratur panis & vinum.

Instrumentum est,aut conjunctum vt manus,aut separatum vt securis.

Plantæ & arbores obliquas mittunt radices,quædam natura,aliæ cum ob loci & terræ difficultatem recto tramite non possunt progredi, Theophr. hist. plant.l.1.c 9.

Theodoretus inuisit Marim Anachoretam in deserto, qui cupiens videre offerri sacrum mysterium, & ibi non esset altare, Theodoretus Cyri Episcopus, obtulit illud in manibus Diaconorum loco altaris,vitæ patr.l.9.c.20.

Vide magnit.medij Nam in multitudine est differentia.

Nullus credat, quod non nisi in tribus linguis Deus adorandus sit,quia in omni lingua Deus adoratur, & homo exauditur si justa petierit, Concil. Francoford.ca.52.

Faber malleo non potest dolare, securi perforare,sed terebra,sic intelligibilia non possumus intelligere per phantasmata,vt res sensibiles,sed opus est cognitione supernaturali.

Agris colendis adhibebantur serui velut instrumenta vocalia, boues vt semiuocalia, muta vero plaustra,Rod.l.7.c 31.

Apud Iurisconsultos demonstratio in præsens, conditio in futurum tempus confertur, Cujac obs. l. 2.c. 39

Cum specie diuersæ sint virtutes circa diuersas materias,in illis ratio diuersimodè adinuenit medium. Sicut in concupiscentijs adinuenit medium

A refrænando, vnde virtus in eis constituta propinquior est defectui quam superabundantiæ, vt ipsum temperantiæ nomen ostendit. In audacijs autem & timoribus non retrahendo, sed magis impellendo ratio adinuenit medium, vnde virtus in his constituta propior est superabundantiæ quam defectui, vt ipsum fortitudinis nomen ostendit,sic in cæteris. D. Thom. in quæstionib. disputat. de peccatis, q. 2. a.6. o.

In extremo iudicio obscuritates luminarium, non fient per eclypses,quia erunt signa rei supernaturalis, sed erunt quædam obscurationes miraculosæ,Tost.in Mat.to 7.f 84.c.1.c.

B *Cælum est officina diuersis etiam contrariis instructa stellarum qualitatibus tanquam instrumentis quibus vtitur Deus vt variet & formet inferiora, vide quæ scripsi in Apologia fati vniuersi, c.7.*

Meretrix illa in Euangelio baptizata lachrymis suis,& crine,quo multos ante deceperat,pedes Domini tergens saluata est, D.Hieron. ad Furiam.

MVTATIO OPPORTVNA instrumentorum, ministrorum, mediorum.

C Sanguinem non habentia, non respirant exterius,talia enim frigida sunt in corde, & officeret eis ablatus spiritus, & extingueret modicum igniculum,qui commouet corda ipsorum,Alb.Mag. tr. 2.de spiritu & respirat.c.1. Timidorum & impotentium est,non mutare ministros.

Si intendatur calor cordis aliqua causa motus vel febris ardentis statim multiplicatur anhelitus expirando,& inspirando,Ib.

Diutius viuunt arbores, quam animalia,quia singulis annis reparantur per productionem nouarum radicum, & ramorum quibus validè magis fugitur alimentum,*vide medium durat.*

Nutrimentum est ad deperditi restaurationem: nec deperditio tantum est necessaria in partibus

D propter calidi consumentis virtutem, sed etiam est vtilis, quoniam sicut in respirantibus diu retentus aër non efficitur vtilis ad operationem respirationis, ita etiam in animatis materia diu retenta duratur,& efficitur inhabilis ad vitæ organicæ operationes propter quod restaurari, & innouari oportet, testantur hoc animalia duræ testę,quę per abjectionem testæ renouantur, & aues quæ singulis annis mutant pennas,Alb.Mag.tract.1.de nutrimento, & nutribili,c.4.

Vide duratio potestatis, Rep.

Terræ soliditas suo pondere, & imbrium ictibus aucta, impedit fœcunditatem, vnde debet fodi, & adæquari, itavt quod erat in imo ponatur in superficie & contra, quia est magis pinguis ad duos vel

E tres pedes,superficies etiam radijs cælestibus impregnata,debet recondi,ne vis euanescat,Id.l.7. de vegetab. c 4. est etiam necessaria commixtio, & comminutio,vt terra subtilietur.

Continuo generatur à corde alius, & alius spiritus, & ideo mouetur secundum diastolem & systolem cor in animalibus,Id.l.de motu progressiuo, tr. 1.c. 7.

Cerui singulis annis mutant cornua, quia cum crescant ex superfluo alimenti terrestris,semperque crescant, eorum capita nimium grauarent. Idem. *vide maioritas medij*, mutantur ministri, ne fiant nimis

Digitized by Google

nimis potentes. *Vide bonitas differentia.*

Omnia ferè animalia singulis annis vetustatem abijciunt per pellis vetustæ, pennarum, pilorum, depositionem, & renouationem ad instar arborum, quæ mutant folia.

Solus Princeps remouet ab officio ministrum, quem antea probauit, l.11.cod. de agentib. in rebus, l. 12.

Quæ nunc vetera sunt, fuerunt olim noua. Quintil.

Validum est Sacramentum, si verba sint synonima aut etiam æquiuoca, dummodo eadem sit significatio & intentio. Bonac.

Si deficia: baptismus fluminis, sufficit baptismus flaminis, vel sanguinis. Qui sunt in partibus remotis B cum inuincibili ignorantia baptismi, si naturæ legem seruauerint, Deus dabit illis speciale auxilium quo se possint ad ipsum conuertere. D.Th.2.2.q 10. a.4. Bonac. de sacram disp.2.

Vide *maior. durat.* nimia permanentia.

Satisfacit præcepto audiendi missam diebus festis, qui vnam mediatatem audit ab vno sacerdote, aliam ab alio. Bonacina de sacrificio Missæ, qu. vlt.

Oleum benedictum ad Extremam vnctionem, debet esse benedictum eo anno non vetus, & sacerdos qui citra necessitatem vetere vteretur, peccaret mortaliter, can. litteris, de consecr. d.3.

Cæli elementa inuicem permutant, in terra generant aquam, in aqua lapides, in centro ignem & mineralia. C

De monetarum mutatione. Oresm. bibl. patr. tomo 9.

Vestimenta nouitate splendent, vetustate sordescunt.

Rhenus fluuius olim transiens per vrbem Vtrecht, se mittebat in mare, sed facto arenarum aggere an. 1170. ob maris tempestates mutauit cursum suum. Dauity.

Sicut in resurrectione homo transibit de mortalitate ad immortalitatem, sic erit cælum nouum & terra noua; dominis ad nouam dignitatem assumptis, eleuantur ministri, &c. Card. Cusa. excitat. l.5. c. 49. D

Dauid ædificauit sibi domum, aliam æstiuam, aliam hybernam.

Quod propter se est, semper est; vnde quod est propter aliud, non est semper.

Virtus principalis agentis habet permanens & completum esse in natura; virtus autem instrumentalis habet esse fluens, transiens ex vno in aliud, & incompletum.

Quibus modis accidens corrumpitur, *vide princ. minorit.* causæ defectus.

Singulis annis animalia terrestria mutant pilos, serpentes pellem, aues pennas, arbores folia. Plantis quædam quasi annuæ partes accedunt, quæ partui fructuum accommodantur, vt folium, flos, pediculus, id est quo folium & fructus dependet. Theoph. E hist. plant. l.1.c.3.

Olim in scenis erant machinæ versatiles; facies enim theatri mutabatur pro ratione fabulæ, aduentantis Dei, aut tonitrui, &c. Rodi. l.8.c.8.

A Licet Deus præceperit vt tabernaculum fieret in quo sibi sacrificaretur, tamen sæpe probauit alijs in locis & in excelsis sibi sacrificari, vt 3.Reg.3. propter necessitatem tyrannidis D. August. super Iudices l. 7.c.7.

Cum Græcia ab hostibus multum esset passa præcepit oraculum ignes omnes sacros extingui, velut ab hostibus pollutos, nouumque delphis ex communi vesta sumi, Rodig. l.15.c.17.

Non filij Israël, sed filij filiorum Israël ad terram sanctam peruenire potuerunt, & omnis ille vetus populus cecidit, quibus habitatio & conuersatio fuerat cum Ægyptijs, solus autem nouus peruenit ad regnum qui ignorabat Ægyptios, exceptis Sacerdotibus & Leuitis, quibus Dominus erat sors & portio. Orig. hom.27. super num.

Refert Metaphrastes, Iulianum Martyrem, in carcere angusto existentem, cum turba fidelium qui petebant ab eo communionem, loco altaris consecrasse super proprium pectus, quod inquit erit loco altaris, & vos circumstantes velut templum. Vide supra de Theodor. diuersitas instrumentorum.

Sacrum chrisma per singulos annos in cœna Domini conficitur, per Episcopos; sed vetus chrisma debet incendi, & non amplius quam vno anno vti permissum, atque deinceps nouo frui, vt in Epist. S. Fabiani Papæ ad orientales Episcopos.

Antiquæ legis ceremoniæ non debent seruari in nouo testamento, quia significabant Messiam venturum, qui iam venit, Tost. exo. c.1.f.79.

Post diluuium debuerunt homines manducare carnes, quia terra propter aquas maris vitiata, non producebat herbas & fructus, sufficientes ad nutritionem. Id. Gen. f.144.c.4.1.

Extra sanctuarium aliqui viri sancti sacrificauerunt, ex hoc tamen non increpantur, quia Deo inspirante fecerunt, vt Dauid, Manue pater Samsonis, Elias, & Samuel. Id. Leu. f.124.

Aquis Ægyptiorum mutatis in sanguinem à Moyse, Ægyptij foderunt puteos, vt ex eorum aqua ipsi & pecora biberent, & de hac aqua propositam Magi verterunt in sanguinem apparentem. Iustinus mart. q.26. ad orthodoxos.

Apud Septentrionales pontes sunt vt plurimum lignei, non inopia lapidum, sed vt præuidentes hostium irruptionem possint pontes diruendo, eorum accessum impedire. Olaus Magnus rer. Sept. l. 9 c.7.

Mutantur aut repudiantur media, cum esse desierint vtilia. Vide quæ scripsi, de iure natur. l.2 lege 4. §. 7.

Qui procurator datus est ad litem agendam, sententia dicta & interposita appellatione, causam appellationis prosequi non potest in majori auditorio, sed proprius procurator constituendus est. Cujac. obs. l.13 c.5.

Aduocatorum olim in foro erat certus numerus, & qui ex eo erant numero, temporarij non perpetui l. cum aduocato, ff. de aduocat. diuerso. iudiciorum, deinde penuria & paucitas jurisperitorum fecit vt perpetuarentur. Nouel. Valent de cont. his qui adm. publ cur ger. Vide Cujac obs. l.16.c.21.

Digitized by Google

CONCORDANTIA MEDII.

BIBL... ROMA VITTORIO EMANUELE

CONCORDIA ORGANORVM ET MINISTRORVM.

VIDE *concordantia potest. Concordia ministrorum.*

Varijs instrumentis quæ inter se consentiunt, deprehenderunt Astronomi veros motus cælorum.

Quando opus perficitur pluribus instrumentis, virtus instrumentalis, non est completè in vno instrumento.

Pluribus inter se concordantibus instrumentis & accidentibus res perficiuntur, *vide medium maioris vide magnit. medij*, multitudo.

Olim Romæ notarum vsus erat, vt quidquid pro concione & in iudicijs diceretur, librarij scriberent complures simul astantes, diuisis inter se partibus, quot quisque verba, & quo ordine exciperet. Isidor. l 1. c. 21.

PROPRIA ET CONVENIENTIA media.

ACtus facti, contra leges instituentes substantialem solemnitatem tãquam simpliciter necessariam ad eorum valorem, sunt nulli ex defectu talis solemnitatis, etiamsi in re fiant ex vero consensu, & sine vllo defectu contra legem naturalem; quia pendent à lege humana quæ iusta est. Suarez de legib. l. 5 c. 24. n. 4.

Periti tantum Musicæ, possunt psallere in Ecclesia. *V. concord. diff.* psalmodia.

Nihil magis ægris prodest, quam ab eo curari, à quo volunt. Senec. libro quarto, controuers. quinta.

Verba rerum naturas imitantur, *vide medium cognit.* ex Campanella.

Monachi fulienses albo vestiti, curam habent Agnus Dei, in cera alba nullis coloribus infecta signandi, Paulus V. constit. 43. pag. 170. to. 3. Bullarij.

Res inferiores fluxæ natura sua, conuenienter existunt in tempore fluxo, *vide minoritas durat.* inconstantia.

Manu libera duci potest linea, & circulus, sed non probè sine regula & circino, cum quibus concordat manus.

Corpus hominis non seminatur in externo elemento, sed in fœmina vt melius coalescat. Idem fit in cæteris animalib. non in plantis quæ sunt imperfectioris naturæ.

Illustria, illustribus medijs debent perfici, *vide gloria medij*, illustre medium.

Tres sensus, odoratus, visus, auditus qui fiunt per

A media exteriora necessarij sunt his animantibus quæ habent motum progressiuum de loco in locũ, vt scilicet vbique deprehendant, sibi vtilia aut nociua, Albert. Magnus, tract. 1. de sensu & sensato, capite 1.

Ideo sunt diuersa instrumenta, vt sint accommodata diuersis operationibus, *vide different. medij, & differ. contrar.*

Locus omnium compositorum, commixtus & compositus est, neque est aliquid compositorum quod habitet in omnino simplici, & ideo in loco generationis eorum tria se contingunt elementa, aër scilicet, aqua & terra, Alber. Mag. tr. 1. de natura locorum, c. 5.

B Animalia, quorum substantia est aquea, constans ex terrestri aquoso pinguescente, nutriuntur talibus, vt pisces & herbæ aquosæ. Quorum substantia est aërea, leuis, permixta cum terrestri, nutriuntur seminibus, quæ pinguedinem olei infusam habent, sicut multa genera auium. Quorum complexio, calida humida, aut calida sicca carnem appetunt, & omnia simile sibi nisi in remedium turbati temperamenti. Id. l. 7. de animal. tr. 3. c. 2. *V. concord. aequal.* vnio similium.

Dulces humores, magis fiunt dulces in vase aureo aut argenteo, quia hæc metalla sunt dulcia, cætera amara, Arist. in probl.

C Fortunæ in proprijs domibus, dant ingentem fœlicitatem, infortunæ vero minus nocent, Hermes centil. n. 59.

Noli festinare in iudicando cum planetæ ad inuicem conjungentur, nisi prius signi naturam consideres in quo conjuncti fuerint, vtrum sit de eorum similitudine, nam si talis fuerit, confortabit eorum significationem, Almans. propos. 119.

Armoriæ sic debent constitui, vt quæ in illis figurantur, sint conformia naturæ, alioquin dicuntur falsæ, vt si pingeretur piscis in arbore; aquila super flore, bos volans, &c.

Rebus asperis verba etiam ipso auditu aspera magis conueniunt, Quintilian. Inst. orator. libro 8. c. 3.

D In oratione vitium est, si quod similitudinis gratia assumimus, aut obscurum sit, aut ignotum, debet enim quod illustrandæ alterius gratia assumitur, ipsum esse clarius eo quod illuminat, nec licet occultis aperta demonstrare. Ib.

Cyclopis gigantis, trunca manum pinus regit, Virgil.

Orationem grauem faciunt verba plurium syllabarum & longa, breuia celerem ac mobilem. Ib l. 9. c. 3.

Non omni causæ, nec auditori, nec personæ, nec tempori, congruit vnum orationis genus, Idem l. 11. initio.

Digitized by Google

Sacramentum debet esse signum, similitudine A repræsentans id quod significat, cum conuenientibus accidentibus, vt aqua fluxibilis in baptismo ad ablutionem.

Homo, non Angelus minister Sacramentorum, *vide concordantia æqualitatis*, amor similium.

Diuinationes vt plurimum fiebant ex antris, velût rei reconditæ.

Reges Persarum mandata sua scribebant lingua, apud eos populos quibus scribebant, vsitata.

Hoc est commune sed mirabile cunctis quæ de terra nascuntur, paratum à Deo conuiuium vt maternum terrę succum radicibus combiberet. Rupert. B in Gen. l.2. c. 10.

Æolus dictus est ventorum Deus, quia scientia naturali illorum mutationes præuidens, & illis opportunè vtens, credebatur imperare.

Circumcisio fuit signum promissæ benedictionis ex semine Abrahæ, ideo facta in parte corporis, qua semen emittitur. Rupert. in Genes. libro 5. c. 31.

Deus splendida prodigia facturus, apparet Moysi in flamma ignis, postea Iosue cruenta bella facturo, apparet euaginatum tenens gladium, Id. in Iosue l. 1. c. 19.

Ab omnibus sapientibus & populis Deus creditus est esse in cælo, quia cum ipse ingenerabilis C sit prima causa generationum, eti... sedem dederunt in corpore supremo inalterabili, quo etiam vt instrumento vtitur. Albert. Magn. tr. 1. de cælo & mu. c. 9.

Quia instrumentum non propter se quæritur sed propter finem, non tanto aliquid fit melius, quanto majus est instrumentum, sed quanto est magis fini proportionatum.

Naui congruunt vela, homini vestis.

In oratione id maximè commendatur, vt verba rebus conueniant & res geri potius, quam componi videatur; iucunda verbis suauibus, atrocibus aspera, quieta sedatis, grandibus ardua proferantur, inde sit orationis honestas & decus. Petrus Crinitus de D hon. disc. l. 10. c. 9.

Asperior lingua ferocioribus gentibus conuenit, & minus ordinata rudioribus. Card. l. de rer. variet. c. 95.

Antiqui Dijs cælestibus templa excitabant & aras, terrestribus focos, subterraneis potestatibus fossas deprimebant; mu... lo & nymphis atra dicabant, mundum enim ipsum, antrum vocabat Pythagoras. Rodigin. libro 12. capite 1. Ioui Deorum eminentissimo in superciliis montium diuina res fiebat. Ib.

Scribit Mercurius in Asclepio Deum adorantes, si medius affulserit dies, debere in austrum conuerti, si vero dies sit occiduus, in occasum, si oriatur sol, E in orientem. Ib. c. 2.

Magnis telis magna portenta feriuntur, subula leonem non excipit ex Seneca.

Deus Angelos mittit digniores pro ratione rerum in mundo gerendarum. Gabriel qui interpretatur fortitudo Dei, vbi se exerit potentia diuina: mittitur Michaël quis vt Deus, quando aliquid in mundo miræ virtutis fit: Raphaël medicina Dei, cum medendi opus necessarium est. Isidor. origin. libro 7. c. 4.

Esse debet lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporique conueniens. Idem libro 5. c. 21.

Tres sunt cerebri partes efformatę, prima ad imaginandum, 2. ad discurrendum, 3. ad memorandum, vna facultate læsa, altera incolumis permanet, vnde apparet non vnum, sed distinctum esse harum partium officium. Anto. Zara in anatomia ingenio. sect. 1 memb. 5.

Odores, pœnè spirituales reficiunt spiritus, *vide duratio bonitatis, Rep.* celeritas in dando.

Cum aër possit omnifariam sonare, verba rerum naturam & passiones explicant, *vide medium cognitionis*, sermo.

Ad nutriendum ossa, pinguedo est idonea, quoniam penetrat facilè duritiem ipsorum, & secum particulas ducit indiuisibiles, duras, & puluerulentas, quæ ossa, dum illis appinguntur, consolidant. Ad nutriendum neruos idoneæ sunt res albæ & viscosæ vt lac, & oui albumen, & nerui brutorum; ad carnes res rubræ, vt carnes animalium; ad spiritum, vinum & res spirituosæ. Campan. physiol. l. 1. c. 17. a. 2.

Aulis principum non congruit Philosophia Scholastica, quæ quiduis putat, vbiuis conuenire; est alia Philosophia ciuilior, quæ in ea quam peragit scena, suas partes concinnè, & cum decoro tuetur. Thomas Morus, libro primo, Vtopiæ.

Angeli nihil possunt in rebus naturalibus sine natura sicut instrumento, non enim possunt calefacere sine calore. Tost. in Gen. f. 150.

Licet Angeli non habeant figuras, nec qualitates corporeas, sunt tamē aliquæ figuræ quæ competunt eis secundum qualitates proprias intrinsecas, vt lux competit Angelis bonis, & Angelis malis tenebræ. Id. in Gen. f. 157. c 2. c.

Anima humana requirit corpus determinatæ quantitatis & figuræ, itavt non possit aliud informare. Tostat. Math. tomo quarto, fol. 203. c. 4. h.

Vt habeantur commoda & opportuna, habentur multa, *vide magnit. medij*, multitudo instrumentorum.

Formæ substantiales exigunt varias dispositiones in materia, itaque impossibile est vnam formam substantialem manere sub dispositionibus quæ alteri formæ conueniunt, sed tanta est diuersitas dispositionum, quanta est diuersitas formarum substantialium. Idem Mathæi, tomo sexto, fol. 90.

Ad intercedendum non debet mitti ille qui displicet, ca. in grauibus 3. q 7.

Inter instrumenta & effectus debet esse similitudo non naturæ, sed proportionis, vt scilicet tale sit, quod eo mediante possit produci forma effectus; & hæc similitudo magis prodest ad actionem, quam similitudo secundum formam, vt aër, cibus, locus magis conseruant hominem, quam alter homo. Id. Math. to. 4. f. 185.

Inuiti adolescentes curatorem non accipiunt, §. secundo, Instit. de curatoribus.

Nullus inuitis detur Episcopus, cleri, plebis, & ordinis, consensus, ac desiderium requiratur, dist. 61. can. nullus inuitis, Conc. Aurelian. V. can. 11. Ideo Christianis non dantur Præsules hæretici, *vide virtus medij*, probi ministri.

In electione Episcoporum vota ciuium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum requiritur, dist 63. ca. vota ciuium Qui non intrat in ouile per januam, sed aliunde, hic fur est, & latro, qui profuturus est omnibus, ab omnibus eligatur. &c.

Nullus nisi sacerdos potest consecrare & absol-

uere,& eo deficiente tales actiones funt omittendæ, *vide gloria medij*. Illuftre medium.

Humana mens cujus virtus in mediocritate confiftit, habet corpus omnium temperatiffimum, *vide veritas medij*.

Homo corporalis & fpiritualis naturæ, integritati fuæ reftituitur per baptifmum, in aqua & fpiritu. Diuus Gregorius Nyffen. fermon. in baptifm. Chrifti.

Opticus fpiritus, fi per errorem in linguam ducatur, guftatui eft inutilis.

Perfpicilia, oculis quibus feruiunt, debent effe proportionata.

De Senario numero loquens beatus Auguftinus,

A & de eius perfectione in quodam loco dicit, quod non ideo fenarius eft perfectus, quia in eo perfecit Deus omnia opera fua, fed quia fenarius numerus erat perfectus, ideo in eo Deus opera fua perficere dignatus eft. Alcuin. de diuinis officijs, capite 10.

Ad Virginem Mariam, miffus eft Gabriël Angelus, quoniam Angelis femper eft cognata virginitas. Laur. Iuft. ferm. de annuntiat.

Aurum infectum eft quo non poffis vti in re aliqua, fine noua refectione; vt maffa auri. Cujac. obferuat. libro decimo, cap. 18. aptari debet rebus agendis.

(∴) (∴) (∴)

CONTRARIETAS MEDII.

IMPEDIRE VSVM MEDIORVM.

OBSTRVCTIO in venis & meatibus, fpirituum in corpore, canalium in fontibus, commercij in vrbibus, *vide contrarietas differens. contrarietas honitat.*

Sic faciunt canes, qui lapides quibus petuntur mordicus arripiunt, fic fæuit in miniftros, qui non audet in principem, vnde princeps in illis offenditur, *vide gloria medij*.

In Germania maritimo tractu fons fuit aquæ dulcis, qua vt Plinius inquit, pota, intra biennium dentes deciderent, compagefque in genibus foluerentur, nec diffimilis Sufis quæ vrbs eft Metropolis Perfiæ, fonticulus, ex quo qui bibebant, amittebant dentes, vt Vitruuius fcriptum reliquit. Gorg. agricola, l. 2. de his quæ fluunt ex terra.

Iofue 11. omnes equos deuictorum hoftium fubneruauit, & currus igne fuccendit.

Radicitus euellendæ effent fyluæ, vt fugarentur beftiæ feroces, & delenda hominum focietas, vt definerent qui ex aliis prædas agunt.

Thomas Morus Vtopiæ Reipubl. libro 2: refert gentem hanc hoftilem terram non depopulari, neque fegetes exurere, aut calcare, rati in ipforum vfus crefcere.

Pontes lignei comburuntur paratis magnis trabibus junctis in fuperiori fluminis fitu; & ipfis impofita magna lignorum ftrue accenfa, quæ rapido curfu fluminis ad pontem comburendum deferD tur. Olaus Magnus rerum Septentrional. libro 9. c. 6.

Diabolus tam infeftus eft hominum faluti, propter odium in creatorem. Alcuin. in Genef. interrog 13.

Coërcentur tanquam latrones qui arborem furtim, cædunt, cingunt, id eft, per circuitum decorticant, tot. tit. arbo. furt. cæfar. ff. dicitur apud Prophetam, ficum meam decorticauit.

S. Hilarion fanauit Camelum à dæmone poffef-

B fum & furentem. Docebat fenex hominum caufa diabolum etiam jumenta corripere, & tanto eorum ardere odio, vt non folum ipfos, fed & ea quæ ipforum effent, cuperet interire; fic tentarunt Iob, fic petierunt mitti in gregem porcorum. D. Hiero. in vita S. Hilarion.

Squalidæ regionis itinera arenæ vento conuolutæ tegunt & obftruunt, *vide contrar. cognit.* ex Q. Curtio.

Barones in ftatu Ecclefiaftico non poffunt facere banimenta & edicta circa annonam, illi & communitates non poffunt etiam impedire fubditos & vafallos, quominus aliorum agros colant & conducant. Clement. 8. conftit. 72. §. 4. Bullarij, p. 75.
C tomo 3.

INSTRVMENTA DELICTI cum reis deleta.

VIde *concordantia poteftatis*; conformari in malo.

Serpens qui diabolo miniftrauit, ad fallendos primos parentes à Deo pœnam accipit.

Pefte graffante ex corruptione aëris. Proderit & latos ftipularum incendere campos; & nemora intacta, & fanctos exurere, lucos. Si ex conforttio procedat, fomes omnis cauendus erit, ligna vefte, & omnia quæ peftilentes tractauere, qua de caufa fapientiffime agunt Refpubl. quæ prouident vt fuppellex omnis domus affectæ comburatur, & hæredibus è publico fatisfiat, ex vna vefte pelliцea, quæ pefte laboranti feruierat, 25. homines fucceffiuè obierunt, Veronæ Fracaftor. de contagione, libro 3. c. 7.

Iofias vafa Idolis confecrata cremauit, facerdotes eorum interfecit, ne quidem aliorum impiè mortuorum fepulchris & offibus parcens, 3. Reg. 23.

Digitized by Google

Titus capta Hierosolyma, in sacerdotes maximè A sæuijt, nam eos, cum misericordiam peterent, iussit occidi, dicens, decere sacerdotes cum templo interire. Ioseph l.7. belli.c 10.

Iob maledicit diei natiuitatis suæ, 1. Reg. 31. Dauid flens mortuum Saul & Ionatham dicit, montes Gelboë, nec ros, nec pluuia veniat super vos, quoniam ibi ceciderunt fortes Israël.

Licet bellum mouere contra eos qui ferunt opem & auxilium hostibus, sic contra rebellium fautores, qui etiam malefactores receptant, & tuentur, Bonacina de bello.

Moris antiqui fuit apud Athenienses ignoto cædis authore in iudicium adducere res etiam inanimas, & iudicare an exterminandæ essent, Suidas in B voce ἐπὶ πρυτανείῳ.

Lex Draconis Atheniensis, etiam inanima ob cædem factam in exilium agit. Idem in voce πινακ.

Vide supra *gloria medij; honor ministri*, ex Plutarcho.

Qui concubuit cum bestia interficiatur, bestiam quoque occidetis. Leuit. 20: 15. & c. 18. 23. vrbis apostatæ homines simul & jumenta gladio feriuntur. Deuter. 13. 15. & 16. Luci Dijs dicati comburuntur, Deuter. 7. 5. & 25. & 12. 3. Ea verè non est pœna bestiæ quæ non deliquit, sed vsus dominij humani in bestiam, inquit Grotius de jure belli & pacis, l. 2. C c. 21.

Apud Græcos Oxythimia erant ligna quibus strangulabantur aliqui; ea vero excidentes exterminabant, comburebantque. Rodigin. libro sexto, c. 12.

Si quis mortem sibi admouisset moris Atheniensium fuit, manum qua hoc peregisset abscindere, ac sejunctim à corpore humo contegere. Idem libro 10. c. 5 in fine.

Israëlitæ cum aliquis in domo moritur, habent consuetudinem effundere totam aquam quæ erat in vasis, quia iudicant illam esse immundam, Tost. in to. 1 f. 171.

Reus læsæ majestatis capite punitur secundum leges, & domus eius solo æquatur, vt in æternum non possit habitari. Id. Gen. f 36.

In Sacramento Extremæ vnctionis tanguntur omnia organa quinque sensuum per quæ peccatum est, velut in illis destrueretur peccatum, Id. 4. Reg. f. 51.

Dixit Deus de hominibus peccantibus ante diluuium, disperdam illos cum terra, cujus virtus germinatiua est multum diminuta per salsas aquas oceani. Id. Gen. f. 37.

Ab alitibus quæ offerebantur in holocaustum non scindebantur alæ, sed confringebantur, & in contrariam partem contertebantur, sicut cum parantur ad torrendum; quia inquit Rab. Salo. plumæ quæ auferebantur, & alæ quæ sic confringebantur fuerant auibus instrumenta ad alienas fruges rapiendas. Id. Leu. f. 15.

In diluuio pisces non sunt deleti, quia nondum inuenta nauigatione homines non peccauerant in aquis, Id. in Gen.

D. Gregorius Taumaturgus non valens ad pacem adducere duos fratres, de lacu hæreditario disceptantes, & ad pugnam paratos, nocte precibus ad Deum factis, lacum ex siccauit, D. Greg. Nyss. in eius vita.

Saluis in arca Noë animantium speciebus, in paucis indiuiduis, reliquæ cum hominibus pereunt feræ, in quarum ingenia transierant homines. Ne quid inultum viuat, aquæ plectuntur quæ plectunt, nam maria ipsa in diluuio pereunt, dum sua nomina amittunt.

Post Adæ peccatum Deus terræ maledixit, non aquis, quia de terræ fructu contra interdictum manducauit homo, non de aquis bibit. Alcuin. in Gen. Interrog. 10.

Baronum ac feudatariorum receptantium bannitos, domus destruuntur, Pius V. const. 10. Bulla. p. 143. to. 2.

Domus eorum demoliendæ sunt qui in vrbe ejusque districtu armatos colligunt & vindictam faciunt transuersalem, Paul. 2. constit. 4. 3. 5. p. 299. tomo 1.

Digitized by Google

PRINCIPIVM MEDII

A QVO FIANT ET DISPONANTVR instrumenta.

FORMATIVA virtus in semine A existens, primo format cor sibi in sedem & domicilium, & ex illo porrectis lacertis, & venis & arterijs superiora fabricat & inferiora. Albertus Magnus, tract. 2. de motibus animalium, capite 2. Id operatur ex humido sub pelle contento. *Vide cognitio virtutis, Rep.* latens virtus. Pulsat fortiter, & sic facit plura foramina in humido, arteriasque vnde arteriatur totum corpus. Idem tract. 1. de spiritu & respiratione c. 5.

Calor naturalis assimilat nutrimentum nutrito, & hinc fouetur.

Præcipua virtus assimilatiua nutrimenti est ab anima cujus est nutrimentum; sicut enim virtus artificis communiter est artis, & instrumenti, ita etiam virtus animæ & sua est, & instrumenti sui, & per hanc virtutem imprimit substantiæ nutrimenti speciem vitæ, vt in ipso, sicut in proprio subjecto operationes vitæ exerceantur, Alb. Magn. tr. 1. de nutrimento & nutribili, c. 3.

Sol per caloris sui subtilitatem & fortitudinem transmittit terræ subtile ad summitatem arboris & ramorum, Haly. 1. parte, c. 4.

Logica potius docet modum sciendi, quam scientiam, quæ sit pars essentialis Philosophiæ, Albertus Mag.

Mensuræ locorum debent signari armis dominorum, l. 11. Cod. de frumento Alexandrino, libro 11.

Gen. 8. post diluuium Deus recordatus est jumentorum, & aliorum animantium propter vsum hominis, vnde dicitur, Ps. 36. qui producit fœnum jumentis & herbam seruituti hominum, & iterum homines & jumenta seruabis Domine, Theodoret. in Gen q. 52.

De materiæ creatione, D. Thom. quæstione 4. disp.

Intellectus est forma formarum, sicut manus est organum organorum, Arist. 3. de anima tex. 39. sicut manus est instrumentum quo cætera efformantur, sic anima format ratiocinationes.

Deus volens incarnari, in mundo qui tale mysterium non merebatur, virginem præmittit ab omni macula immunem, ex qua carnem assumeret, *vide virtus princ. initu*, immaculata conceptio.

Quidquid est in aliquo quod est præter essentiam eius, oportet esse causatum vel à principijs essentiæ, sicut accidentia propria consequentia speciem, vt risibile consequitur hominem, & causatur ex principijs essentialibus speciei; vel ab aliquo exteriori, sicut calor in aqua, causatur ab igne.

Vnum accidens prius recipitur in substantia quam aliud, sicut quantitas quam qualitas, & hoc modo vnum accidens dicitur esse subjectum alterius, vt superficies coloris, in quantum substantia vno accidente mediante recipit aliud.

Olim equitibus Censor dabat equum, publicis impensis, vnicuique suum, Cicero Phil. 6.

Ab eodem agente inducitur vltima dispositio & forma, ignis siccat, calefacit materiam, & in ea producit alium ignem.

Tanto major virtus requiritur in agente, quanto potentia est magis remota ab actu.

Plantarum semen, ouis simile est, habet enim vnumquodque alimentum in se, quo & durare temporis aliquantulum valet, nec quemadmodum anima- B lium semen, exceptis, quæ oua pariunt, protinus perit, vbi seorsum fuerit; hæc enim alimento fulcita, munitaque, ad suum conseruandum principium, durare nimium valent, Theophr. de causis plantarum, libro primo, cap. 7. *Vide duratio princ.* c: sæ quæ produxere, conseruant. Confessum hoc idem ferè, & in animalium genere est, neque enim quod ab his emittitur, totum semen purum, sincerumque arbitrandum, Ib.

Idem est calefaciens & inflammans, quia calefaciens in vltimo caliditatis suæ, inflammat & ignit. Alb. Mag.

S. Pontifex eligit Cardinales, qui sunt eius quasi Senatores, can. Ecclesia 16. q. 1.

C Deus hominem facit propria sua manu, & inspirat spiraculum vitæ, nec id mandat Angelis: Christus constituit Petrum Ecclesiæ suæ Vicarium præsidentem.

Paulus initio Epistol. ad Roman. Paulus, inquit, seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, à Deo vocatus præsto fuit.

Dauid propter continuas occupationes belli, non potuit ędificare templum, sed congregauit materias, aurum, argentum, æs, & hortatus est Salomonem ad opus, Tost. 1. Par. f. 258.

Dæmon potest formare vocem causando organa, vbi non sunt organa, & vbi sunt imperfecta, perfecta reddere, Id. Gen. f. 163.

D Lex non est de finibus, sed de his quæ sunt ad finem, Id. nu. to. 1. f. 246.

Nauta seu magister nauis, nauem præstare debet suis omnibus armamentis instructam, & si nauigando deterior facta est, illius solius est periculum, l. 2. ff. ad l. Rhod. sic si faber malleum aut incudem frangat, in perficiendo quod locauit opere, Cujac. obs. l. 23. cap. 35. nisi nimio metu naufragij qui vehuntur, nauis arborem scindi voluerint.

Digitized by Google

Pictor temperat colores quibus pingit, faber aptat sua instrumenta operationi congrua.

Propè Babylonem est cauerna ex qua fons ingentem vim bituminis effundit, vt sufficerit ad liniendos vrbis tantum diffusæ muros, Q. Curtius, libro 5.

Instrumentum agit non solum in virtute sua, sed in virtute mouentis. Inde corpus cæleste aliquem A effectum habet ex virtute spiritualis substantiæ mouentis, sicut quando est causa vitæ, vt patet in animalibus ex putrefactione generatis; & calor naturalis in quantum est instrumentum animæ vegetabilis, agit ad speciem carnis. Sic corpora naturalia in quantum sunt mota à spirituali substantia sortiuntur majorem effectum in mirabilibus præstandis, D. Th. in q. disp. q 6. a. 3. in c.

FINIS MEDII.

QVANDO DESINIT VSVS MEDIORVM.

SOL auget vim & lucem Lunæ, donec veniat in eius oppositionem; tunc enim minuit illam, & per gradus ad obscuritatem adducit, vt Rex qui ministri sui auget splendorem, donec potentior fiat illi contrarius, seque pro Rege vindicet, Haly 1. parte, capite 4.

Quædam plantæ cùm efficiuntur majores, desinunt habere medullam, quia radices tunc fortiores satis attrahunt alimenti; medulla enim est quasi vicaria radicum, Albertus Magnus, libro 2. de vegeta. c. 3.

Siliquæ quæ operiunt arborum gemmas, & nascentes flores ne à frigore lædantur, ipsis adultis, plerumque cadunt, Ib c. 4.

Quædam plantæ semina sua proferunt in testis quibusdam quæ maturato semine arescunt, & aperiuntur emisso semine; talia sunt omnia legumina, cicer, faba, pisa, lens, cassia, peonia, &c. Ibidem l. 3. c. 1.

Similiter caro pomi, pyri, & fructuum similium est procreata à natura, vt vas & instrumentum à quo fit digestio conueniens talium seminum, & cum digestio perfecta est, labitur vt non necessaria generationi & nutritioni talium seminum, educta enim ex illa carne, melius fructificant, quam in ea. Ib. c. 2.

Consummato matrimonio desinit proxeneta, fides, spes, desinunt in cælo consummata charitate, desinit motus in centro.

Quæ cum corpore passa est aliquando anima, eadem in seipsa sine corpore resumens animaduertit, & tunc meminisse dicimus, Plato.

Pomponatius l. de incantationibus dicit oracula cessasse adueniente Christo, sicut antiquæ legis miracula, adueniente noua; cælo, Deoque sic disponente, vim omnem amittunt. Translato sacerdotio, necesse est & legis translatio fiat, inquit Apostolus Hebr. 7. 12.

Delegatio non finitur morte delegantis, nisi delegans sic concesserit, concedo vsque ad beneplacitum nostrum; vel donec voluero, vel ad arbitrium nostrum, nam morte, talis voluntas cessat, Bonac. de priuilegijs pu. 8. §. 1.

Signum pacti, quod ex semine Abrahæ esset benedictio, fuit circumcisio, & quidem in ea corporis B parte, vnde semen emittitur; obtenta autem benedictione per Natiuitatem Christi, rectè cessat circumcisio, si enim adhuc esset in vsu, expectaremus venturam, non crederemus datam benedictionem, Rupert in Gen. l. 5. c. 31.

Filijs Israël terram promissionis ingressis, manna deficit, Iosue 5.

Ezechias confregit serpentem æneum, cum amplius non esset vtilis ad sanandum læsos à serpentibus, & cum eo Israëlitæ abuterentur, 4. Regum 18. 4.

Quomodo confractus & contritus est malleus C vniuersæ terræ, quomodo facta est in exterminium Babylon. Isa. 51.

Omnes in vniuersum veteris testamenti ceremoniæ ita sublatæ sunt, vt earum vsus, reuelato jam nouo testamento, non sit necessarius ad salutem, ita D. August. epist 19. & lib contra mendacium, capite 12. Gal. 5. si circumcidamini Christus nihil vobis proderit.

Vino legato aut vendito debentur amphoræ aut cadi, vtres aut cullei non debentur, quia non condendo, sed deferendo vino parati sunt, nec sunt vasa vinaria. Dolia quoque non debentur, quoniam ad perpetuum vsum in cella defodiuntur & deprimuntur, nec vt cadi & amphoræ, ideo habentur, vt C exportentur, lib. penult. ff. de trit. vino & oleo legat.

In cognitionem principiorum, venit quis per principiata, quibus tamen habitis, magis ipsa cognoscit quam principiata, nec amplius indiget principiatis ad cognitionem principiorum, quæ jam per se cognoscit, sic homo per creaturas venit in Deum; quo habito creaturis non indiget ad ipsum habendum; sed per ipsum venit in perfectum vsum aliorum, sic in processu naturæ per dispositiones acquiritur forma, quæ habita est principium omnium accidentium, D. Tho. in magist. sent. d. 1 q. 4. a. 2 ad 1.

D Cruor muliebris non antè conditionem habet menstrui, quam dum nutritioni ineptus, vita effetus, vinctusque ducitur in cloacam; neque enim qui vinum potat, bibit acetum, licet hoc ex illo fiat. Van helmont.

Ad vltimam mundi perfectionem quæ erit ex consummatione ordinis beatorum, Deus ordinauit diuersos motus, & operationes creaturarum, quos-

Digitized by Google

dam quidem naturales, sicut motum cæli & operationes elementorum per quas materia præparatur ad susceptionem animæ rationalis, quosdam vero voluntarios, sicut Angelorum ministeria, qui mittuntur propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Vnde hac consummatione habita, & immutabiliter permanente, quæ ad eam ordinabantur in perpetuum cessabunt, D.Thom. in q. disp. q. 5.a.5. ad 13.

Idem ibid. art.9. dicit plantas, bruta animalia, & mineralia non remanere post finem mundi, quia sunt ordinata ad vsum corporis, quod tunc resurget spiritale vt ait Apostolus, ita talibus non indigebit.

Anima sine corpore non potest accipere esse, esse tamen acceptum in corpore, sine corpore conseruat Tost exo.to.1.f.281.c.3.g.

Quæ propter se appetuntur & quæruntur, in infinitum appetuntur & quæruntur, non vero quæ propter aliud, vt dicitur 1.politic.

Ignis consumpta quæ apposita fuit materia, non ascendit in suam sphæram, sed extinguitur.

Consummato templo Salomonis cessauit vsus tabernaculi Moysi, 2 Par.f.8. Tostat. & ipsum reseruatum est honorificè, in vna parte templi.

Reg. 1. c.19. Deus fecit nuntios Saul prophetare, sed officio impleto, cessauit in eis spiritus prophetiæ qui erat miraculosus, Tost.Ib.

Iuuentus, adolescentia, vitæ omnia munia, omnesque gradus non habent permanentiam, sed sunt media transitoria per quæ tendimus ad beatitudinem, *vide voluntas durationis, R.* fortis vitæ contemptus.

Desinit vsus medij, cum res cui seruit, in eum peruenit statum, in quo illud ipsi, nec necessarium est, nec vtile, nec etiam commodum, si sic creuerit, & indurauerit, vt facilè non possit, nec flecti nec moue-

A ri, vt cum virgultæ quibus ludebat hortulanus surrexerunt in arborem. Matronis conceduntur in ministerium pueri, quos puberes effectos veretur castitas. Tyranni timent eosdem ministros quibus potentiam adepti sunt, maximè cum eos in inuidiā fortuna sublimior adduxerit. Frustra mitterem oculos in res aut personas quæ me circūstant, & earum expenderem conditiones, nisi liceret occasioni magis congruas præ cæteris eligere. Agens enim quærit suum, non mediorum commodum, illis non addicitur, sed vtitur, animo semper ad aptioris occurrentis electionem parato, hinc ministri docentur æmulis præcellere, scientia, modestia, fidelitate, virtutibus, quibus se faciant principi suo necessarios,

B vt aliter non possint, quam in deterius mutari. Optandum esset longo consiliorum vsu sic formari principem, vt seipso majoribus negotijs posset prouidere, peritusque Magistris non indigeret. Consultat vt artis & scientiæ, sic virtutum tyro, donec certos fixosque contraxerit habitus, quos facilis & voluptate plena sequatur actio. Ludit prius inspectis suis musicæ notis citharœdus, postmodum his abjectis videtur de suo concinere, sic Grammaticæ regulas orator, dialecticæ Philosophus non aduertens certo sequitur; easdem si non essent, experimento suo daturus. Hæc mortalis vita, futuræ pueritia quædam est, vanis & nugis vt plurimum implicata, prosunt hæc ad aliquod vitæ solatium, & ne

C otio torpescant, menti corporique concessæ vires, tempori succedit fœlix æternitas, quæ relictis fortuitis omnibus, quibus hic deludimur, nos in veri boni nunquam desituram possessionem mittet. *Ex principiis.*

Derelinquetur filia Sion, sicut vmbraculum in vinea, sicut tugurium in cucumerario, Isa.1. desertæ manent ad conseruationem fructuum extructæ casulæ, collectis fructibus.D.Hier.

MAIORITAS MEDII.

MVLTITVDO MEDIORVM NOXIA.

ARTABAZVS dixit Xerxi de multitudine sui exercitus; hostiles habebis aquas & terras, nam orta tempestate, totam classem tuam vnus aut alter portus non capiet, continentem opus est esse totum portum; at cum opportuni portus tibi desint, intellige homines in arbitrio fortuitorum, non fortuita in arbitrio hominum. Terra autem est hostilis, eo hostilior, si nihil obstiterit, quo longius processeris vlteriora diripiens; cum nulla sit hominibus rei benè gerendæ satietas. Herodot.l.7.

In facti expositione vitiosum est, omnes circumstantias speciem actus non mutantes, aut aggrauantes, recensere, vt de confessione Bonac.

Quando datur priuilegium ad minuendum numerum ministrorum ob defectum facultatum Ecclesiæ, non censetur concessa facultas augendi nu-

D merum, crescentibus facultatibus, nam verborum proprietas hanc extensionem non admittit. Id. de priuilegijs, pu.7 §.1.

Vide concord differ. omnia in omnibus, *& potestas minor.* vnum quod præualet.

Iacobitæ simul baptizantur & circunciduntur, & quia dictum est, baptizabit in Spiritu sancto & igne, crucis figuram ferro candenti puerorum frontibus inscribunt.

Quot sunt guttæ in nube roscida tot sunt solis repræsentatiuæ, sed ob paruitatem & multitudinem singularum speculum fit velut fractum repræsentans solem confusè. Alb M.met.l 3.tr.4 c 9.

Si fieret speculum cujus superficies esset quasi ex granulis rotundis composita, in granulis illis nihil distinctum & clarum appareret Ib c.12.

Aliquando Ecclesia decreuit Eucharistiam sumendam sub vtraque specie. *V. diff princ* separatā suo

suo principio bonum, in primitiua tamen Ecclesia fiebat ordinariè sub specie tantum panis qui poterat diu domi asseruari tempore persecutionis. Vinũ autem species facilè possunt corrumpi, non vbique habetur in ea quantitate, quidam illud abhorrent, & ne in turba communicantium calix effundatur, ideo Apostolus 1. Cor. 11. Quicumque manducauerit panem hunc vel biberit calicem, &c. vtitur particula disiunctiua.

Pedes ad perfectionem animalis attinent, ideo quanto pauciores, eo absolutiores & firmiores, ob id homini duo tantum, quadrupedibus quatuor, asellis qui sub vrnis aquæ inueniri solent, costis, scarabæis, scorpionibus, erucis plures. Iulis seu scolopendris 44. has centipedas vocamus. Card. l. de rer. variet. c. 28. Iulis, inquit, tot pedes habuit, quia proxima est naturæ vermium, atque media inter pedestria & vermes.

Repugnantiam, *vide magnit. medij bona*, multitudo medicorum.

Plures Angeli non possunt esse in eodem loco, non quidem ratione loci quem non implent, & ei non commensurantur, sed quia non potest esse, vt circa idem operatum conueniant immediatè operationes duorum Angelorum, & ideo non possunt esse in eodem loco, quia alter eorum superflueret, vnde etiam Philosophi vni orbi non attribuerunt, nisi vnum motorem Magister sent. d. 37.

Vide magnit. potestatis, Monarchia.

Præscribitur certus numerus clericorum in Constantina Ecclesia habita ratione facultatum; nec licet numerum augere, eo prætextu, quod qui excedunt, reditus non percipient, quia alias sibi inuenirent vias auaritiæ pro expensis. Nou. 3.

Referendarij, qui recitabant Principi supplicum desideria, reducuntur ad certum numerum. Multitudo enim numerosa, nihil habet honesti, quoniam in paucis, ex multis, quæ secundum virtutem est, vita saluatur Nou. 10.

Simplicia medicamenta sunt præferenda compositis. *V. maioritas concord.* multitudo amicorum noxia.

Paralysin afferunt nouæ fibræ musculis subortæ. Van helm.

Seruientes de quorum numerosa multitudine magnates plurimum gloriantur, suorum venatores sunt, & aucupes dominorum, prędam enim sequuntur non homines. Petrus Blesensis ep. 14. vt Actæon deuorantur à suis canibus.

Ex omnibus armis miles sumit tantum ea quæ ferre potest.

Diogenes vas ligneum habebat ad potandum, vidit puerum manu concaua bibere, tunc elisit vas suum; nesciebam, inquit, quod natura habuisset poculum. D. Hier. l. 2. adu. Iouin.

Omnium miserrimi sunt subditi, qui plures habent dominos, difficilius enim plures implentur sacci, quam vnicus tantum.

MVLTITVDO LEGVM noxia.

Petrus dicit, Act. 15. quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruicem discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt. Id deplorat Augustinus ad Ianuariũ, ipsam Religionem nostram, quam paucissimis celebrationum Sacramentis, misericordia Dei voluit esse liberã, seruilibus premunt oneribus, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus Sacramentis, non humanis præsumptionibus subijciuntur. Tot leges & constitutiones, sunt velut laquei pedibus positi. Vide D. Bernard. lib. de præcepto & dispensatione, & Gerson. lib. de vita spirituali animæ, lectione 2.

Multitudo legum supponit multa regnantia vitia, & multitudo medicorum, plures morbos.

Medici austeras dietæ leges & obseruatu vix possibiles constituunt, vt morbus omnis transgressioni imputetur.

Vna cunctis legislatoribus ambitio fuit, sua venditare pro veris, persequi homines documentis, & reluctantes subigere, tot medici circa laborantem naturam, morbos & dolores non sanant, sed augent. *V. maior. contrar.*

Respublicæ multitudine legum, dum libertatem artius osculantur, elidunt. Timenda ingeniorum asperitas, & quidam horror imperij, omnia sunt prudenter à majoribus nostris instituta, non tam egemus præceptis, quam exemplis, non tã substantia quam modo, hic autem modus moribus gentium, hominumque ingenijs sagaci prudentia temperandus, ne dum lætam indolem à se detorquere conamur naturam vexare, & cum Deo bellare videamur. Primum criminibus, deinde etiam legibus omnes ferè populi laborarunt, fecit hoc legislatorum multiplicium nimis sagax cura, & quædam ardoris intemperies; omnia suo voluerunt imperio fieri, parum abfuit, quin singulos hominum passus numerarent, & quæ naturæ exigit necessitas, ex pręscripto fieri imperarent; inde tanta præceptorum moles, tot laquei. Indoluit se tam importunis remedijs natura curari, & nodos quos dissoluere non poterat, abrupit. In artibus & scientijs necessaria pauca sunt, quæ superinductis superfluis obscurantur, sic in tantis præceptis latent quæ salutaria sunt, & optima; magna sunt laborantis Republicæ indicia, multæ leges, magistratus nulli, præsertim cum illæ sine obsequio, & hi sine honore sunt, diminutio majestatis est, sancire non seruanda, aut mutanda facere, constituenda sunt solida potius, quam ambitiosa, quæ ætatem ferant, & ab omni ferri possint ætate, *vide minor. contrar.* non cogere.

Persæ Regum filijs, tot penè præceptores adhibebant, quot sunt virtutes, importuna tot hominum in vno pectore formando congeries, nec tenerę ætati toleranda; adde quod multorum capitum discordes sententiæ dubiam indolem trahunt in diuersa, & quasi ægrum corpus plures medici remedijs nocentibus fatigant.

Benè Tacitus notat, corruptissima Republica plurimas leges fieri, nam emoriente in pectoribus lege æterna, infinita emergunt vitia, quæ minutis statutis expurgare tam infinitum & vanum est, quam vermes ex cadauere, leges turbant etiam bonæ, dum animos multitudine confundunt. Nihil æquè prodit imbecillitatem imperij, quam legum multiplicitas, & raritas obseruantium.

De bona legum multitudine ad vitandum otium, *vide maior. gloria*, nimium otium.

NIMIS POTENS medium.

DEus nulli creaturæ communicat potentiam creandi, quia creare est infinitæ virtutis; ens enim & non ens in infinitum distant. D. Th. in quæ. disp. q. 3 a. 4.

Vide medium potest media & limitata potestas.

Diuina essentia quantum in se est, expressius repræsentat res quaslibet, quam qualibet species vel figura, sed ex hoc quod aspectus intuentis vincitur ab eminentia illius essentiæ, contingit quod essentiā videns, non omnia videt quæ repræsentat. Species vero in imaginatione impressæ sunt nobis proportionatæ; vnde ex eis in rerum cognitionem possumus peruenire. D. Thom. Ibid. de prophetia, a. 7. ad 4.

Machinæ belli tales esse debent, vt facilè possint moueri & transferri.

Ezechias fregit serpentem æneum, quem Moyses fecerat in deserto, quia populus eum colebat. Tost. 4. Reg. f. 177. sic principes deijciunt nimis potentes ministros.

Angeli comparantur in scripturis igni, non soli, ne putaretur nullam esse naturam intellectualem ipsis superiorem. Id. Mat. to. 4. f. 19.

Deut. 34 non cognouit homo sepulchrū Moysis; & fuit magna altercatio inter Michaëlem Archangelum & diabolum, qui volebat corpus eius manifestari Iudæis, vt colerent eum tanquam Deum: Michaël autem prohibuit ne laberentur in idololatriam. Id Deut. f. 183.

D. Greg. Nyss. in orat. funebri Placillæ, refert ipsam non minus abominabilem existimasse Arianam infidelitatem, quam simulachrorum cultum. Nam eos qui in creatura numen diuinum esse existimarent, nihilo minor a colere atque venerari putabat, quam qui ex materia simulachra efficiunt, simulachrorum cultor est, qui creaturam adorat.

In reuolutione non debent esse planetæ meliùs dispositi, quam in genitura, *vide potestas durat.* iteratio potens.

Hæc tyrannorum natura, diuitias rapere quas donent, timere quas dederint, ac ditatos calcare ne calcitrent.

Senatoribus non licuit res suas in prouincijs cum comitatu visitare; nec admissi sunt ad regimen Ægypti, sed ad illud equites admissi, suspecta enim fuit principibus Ægyptus, propter opulentiam, & rerum nouarum studia. Cujac. obseruat. libro 6. c. 35.

Inter nobiles fœlicis fortunæ maximum beneficium habetur admitti in fauorem & consiliū principis; nec immerito, nam affectum sequuntur dignitates, diuitiæ, summum quoddam in omnia ius, cum illud in dominantis animum amor concesserit, ideo Ioseph dictus fuit Deus Pharaonis, quia vt in Dei, sic in dilecti manu cor regis est. Summum hoc infra jacentibus videtur, at illuc euecti, majora discunt concupiscere: Inter omnium applausus, ægrè superiorem agnoscunt à quo pendeant, libertatem à splendida seruitute, independentiam, absolutum imperium sitit ambitio, ita periculosum est ministrum sic fieri potentem, vt solum illi desit regni titulus. Nescit aulici sors consistere, aut ascendit, aut labitur; lapsum horret natura, ardet ad ascensum, per fas & nefas, si aliter non conceditur. Vt ergo ministrum sibi louet rex non procedat ad extremum munificentiæ suæ potentiæ; habeat semper apud se plurima fidelitatis præmia, quæ promitti, sperari, promereri possint, longius extra sibi timendos excessus. Licet ad perfidiam vsque non procedat insolentior ministri fortuna, nouet quod tantum mali suspicionem inducit, quod quietum non patitur principis animum, quod denominationes, splendore & famæ maiestatem detrahit, dum rerum fœliciter gestarum gloriam sibi vindicat, suis quodam defectus populis semper ominosi. Potentior minister ad manum non est, nutum regentis non expectat, sed sumit à semetipso; hic alienus omnes custos bis mulget in hora, exhaurit populos, minimos officiales, ærarium publicum, quidquid rapit, non sufficit implendis suis thesauris, ædificiorum, comitatus, magnificentiæ, euehendis consanguineis quasi sint fortunæ suæ partes integrantes. Tandem maxima pars impenditur in stipendijs exploratorum qui curiosius semper inquirant, non de hoste, sed de populorum, nobilium, famulantibus quandoque diripiendis, de secretis colloquijs, actibus, affectibus ipsiusmet principis, quem sic proprijs constringit vinculis, vt curas, æmulationes quibus torquetur, famæ, quietis suæ dispendia, ære suo turpiter emat. *Ex principijs.*

Elephantes in acie, anceps genus auxilij est, & in suos acrius furit, in hostem enim imperio, in suos pauore agitur. Q. Curtius. libro octauo, vbi refert Porum regem Indiæ, sic deletum fuisse ab Alexandro.

Si quis per medium solem, videre cuperet, ab eo excæcaretur.

Vnde quædam, melius mediatè, quam immediatè perficiuntur, *vide bonitas medij.*

Nimio lumine excæcatur, aut impeditur visio; vnde cilijs muniti sunt oculi, ne lumen fortius in ipsos incumbat, & manu vmbram facimus ante oculos, vt objectum melius percipiamus, & spiritus sit vnitior non diuisus.

Licet spiritus in corpore, sit virtutis animæ per omnia membra portitor, quando tamen est multus, tunc exsufflando extinguit calorem, sicut ventus extinguit lampadem, vt quando est nimis exilis inducit debilitatem, & de facili expirat. Albertus Magnus, tractatu 2. de morte & vita, capite 7.

Lapides & metalla non nutriunt, quia accedunt ad naturam elementorum, in quibus semper excellit vna qualitas, & quia non habent humidum facilè conuertibile in naturam eius quod nutritur. Id. tr. 1. de nutrimento.

Nullum animal viuit sine aëre, per quem diffunduntur & restituuntur spiritus, vnde pisces habent organa in quibus continetur aër, tamen animal moreretur, si ipsum occuparet aër, qui non esset omnino commixtus; ita videmus quod ea quæ cadunt ab altissimo, vbi plurimus est aër, inueniuntur mortua, non ex casu, sed potius antequam perueniant ad terram. Idem tractatu primo, de propriet. element. c. 2. Sic in montibus altissimis deficit respiratio propter aërem nimis purum, qui statim facilè ad calorem aut frigus immutatur, ideo statim calescit in corpore à calore & motu pulmonis, aër autem grossior magis retinet frigus extrinsecum. Ita pisces qui aliquid habent in se, & spirant aëris, extra aquam in amplo aëre moriuntur. Ibidem.

Princeps deponit, nimis potentes ministros. *V.* A *finis medij.*

Vide maioritas magnitudinis.

Cerui quotannis mutant cornua, quia crescunt de superfluo alimenti terrestris, & ideo crescunt continuè, & nisi mutarentur eorum capita nimium grauarentur.

Quint. Inst. orat l. 3. cap. 2. reprehendit eos qui in narratione vocem inflectunt, brachia contorquent, & lasciuiunt, tandem quod est monstro simile, placet actio, causa non intelligitur.

Cum pes detur ad portandum corpus, debet esse fortis, & leuis respectu totius corporis, quia si grauaretur duplici onere proprio scilicet & totius corporis, non continuè sustineret portationem, vnde B falsum est quod scribitur in mappa mundi, esse quosdam homines magnipedes, qui se pede operiunt à sole & imbribus. Idem libro 1. de animalib. c. 7.

Cutis capitis rugosa, & vltra quam decet laxa, indicat animum resolutum & mollem. Ibidem tractatu 2. capite 2. de nimia ministro. multitudine.

Arma simpliciora sunt nobiliora, quæ habent caput, bendas, bordaturas, dentaturas, lambentia, lambeaux non sunt primogenitorum, sed aliorum minus nobilium.

Eloquentiæ talis habendus est modus, vt sit ornatui, non impedimento, Quintil. libro quinto, in fine. C

In oratione sententiarum densitas obstat inuicem, vt in satis omnibus fructibusque aruorum, quorum nihil ad iustam magnitudinem adolescere potest, quod loco in quem crescat caret; nec pictura, in qua nihil circumlitum est, eminet. Ideoque artifices etiam cum plura in vnam tabellam opera cõtulerunt, spatijs distinguunt, ne vmbræ in corpora cadant. Facit res eadem conscissam quoque orationem: subsistit enim omnis sententia; ideoque post eam vtique aliud est initium; vnde soluta ferè oratio, & è singulis non membris, sed frustis collata, structura caret, cum illa rotunda, & vndique circumcisa, insistere inuicem nequeant, Ibid. l. 8. cap. 5. Multas etiam captanti sententias, necesse est multas dicere leues, vnde non sunt lumina, sed scintillæ inter fumum emicantes. Hæc dum se crebris paruisque conatibus attollunt, inæqualia tantum, & velut confragosa, nec admirationem consequuntur eminentium, & planorum gratiam perdunt. Ibidem. D

Sententiæ, sunt velut oculi orationis, sed neque oculos esse toto corpore orationis velim, ne cætera membra suum officium perdant, Ib.

Oratio nimijs abundans epithetis, similis est agmini tot lixas habenti quot milites, in quo & numerus est duplex, nec duplum virium. Ibidem capite 6.

De nimio militum ornatu, *vide cognitio virtutis, Rep.*

Quod ex pluribus est, eo minus est, quia longius E distat ab vnitate entitatis fonte.

Sapiens nihil assumit supra vires. Molis commoditas tutior est, quam eius magnitudo.

Dionysius tyrannus pallium aureum Iouis simulachro detraxit, dicens hyeme nimis esse frigidum, æstate onerosum.

Minister regni sub principe, non debet esse nimium potens, *vide maior. volunt.* fauor principum nimius.

Aquæ minerales quæ nitrum alumen, vel quid simile sapiunt; plantas non generant nec nutriunt, Theoph de caus. plant. l. 2. c. 7.

Prouidendum ne socialis miles, domesticis copijs robustior sit; nam prætio parata vincitur prætio fides ab hoste, vel de ipso victoria reportata sibi proprium efficiet, quod præsidij causa concessum fuerat. Vbi cautus Princeps priuatorum fortuna aut omnino non insolescit, aut cito ruina premitur, velut quoddam Reipublicæ incendium.

NIMIVM ALIMENTVM.

NAuis nimium onusta facilius mergitur, quia non potest sequi fluctus illam leuantes, sic opprimitur sanitas nimio cibo, & vbique excessus medij, vt ponderosioris instrumenti nocet, ex D. Basilio, hom. de jejunio. Militibus commeatus suppeditatur, non ad delitias sed ad necessitatem, ne deficiant, aut lasciuiant.

Non debemus præparari ad jejunium per crapulam, *vide virtus med.* supra.

Ex nimio influxu syderum fit ebrietas quædam, *vide maioritas volunt.* zelus nimius, *& maioritas bonitatis.*

Alimentum seruata proportione Geometrica datur singulis membris, *vide differ. bonitatis, diuersa dona.*

Cum ros cadit super herbas, ex nimia dulcedine tantum comedunt animalia, oues & boues, vt doleant & moriantur, felle nimia cholera repleto, Albertus Magnus, lib. de passionibus aëris.

Amygdali, Cerasi & similes arbores, quando superabundant humido, perforantur, vt distillet superfluum, & ita proficiunt. Id.

Plantæ cum habeant raras, porosas, calidas radices, plus interdum attrahunt alimenti, quam conuerti possit, & terminari à natura arboris, & tunc arbor generabit fructus vermiculosos, & putrescentes, si non exudet, vel aliter emittat superfluum humidum. Albertus Mag. libro 2. de vegetabil. tr. 1. c. 3.

In arboribus nascuntur lanugines, & excrescentiæ propter abundantiam humidi. Vnde magis sunt in inferiori arborum quam in sublimi, in parte Aquilonari, quam Meridionali; in vetulis quam juuenibus arboribus. Idem libro quinto, capite 3.

Nisi fimus fuerit benè corruptus incendit vitales radices plantæ, & illam facit arescere exsiccatam, nisi continuo humido, & assidua irrigatione temperetur. Ib. l. 6. c. 1.

Mare magnum, siue Indicum, fert genus quoddam cancrorum velocissimum in cujus corpore non inuenitur aliqua superflua humiditas, neque vas ad illam excipiendam, eo quod non pascit, nisi sugendo sicut planta. Albertus Magn. de animalib. l. 4.

Triticum proficit in agro pingui, non vero hordeum, cui tenue & aridum solum, magis conuenit. Plutarch. l. de causis natural. c. 15. & 16.

Vites cum nimia vbertate lasciuiunt, minus sunt feraces & aliquando exarescunt, sic hœdi pinguedine fiunt steriles, tali temperamento vt in se absumant, quod debebat effluere. Ib. c. 30.

Mensam pretiosam fortuna apponit, frugalem &

Digitized by Google

contentam temperantia. Indignum est musicos vocis gratia seruare temperantiam, nos vero non seruare temperantiæ gratia. A

Alij viuunt vt edant; sapiens edit vt viuat. Socrates monebat abstinendum à cibis qui non esurientes prouocant ad edendum.

De frugalitate. Clemens Alexandr. pædag. lib. 3. c. 7.

De sobrietate, liber Laurentij Iustiniani. Chrysostom. homilia prima & 54. ad populum Antiochen. Clemens Alexandrin. pædag. libro secundo, capite 1. 2. Plato in Carmenide. Cicero 1. officior.

Post diluuium esus carnium ante non vsitatus permissus est, quia diluuium corrupit bonitatem terræ, & debilitauit naturam humanam. Genebr. a. m. 1657. B

Melampus medicus primus apud Græcos vinum aqua diluere præcepit. Id a. m. 1887.

Quælibet proportio corrumpitur per superabundantiam.

Pinis hic morbus accidit, cum non solum cor, sed etiam pars externa caudicis in tedam transiuerit, tunc largissima vbertate dicitur strangulari, teda enim totum efficitur. Theophr. hist. plant. libro 3. c. 10.

In Tylo insula quæ in sinu Arabico est, pluit quidem, sed aqua pluuia nociua est arboribus, plantis segeti, vnde cessante pluuia, aqua fontium plantas perfundunt quasi abluere & abstergere velint. Id. l. 4. c. 9.

Oleæ & viti deflorescentibus pessimus imber, simul enim decidit fructus propter exilitatem. Ibid. c. 16. C

Omnia semina siccata, fiunt fœcundiora. Id. l. 7. c. 3.

Amygdalæ, Persicæ, cerasa vitis, ficus, & aliæ permultæ arbores, humore nimio turgentes perforatu castigantur, sic aut ex sterilibus fiunt fructiferæ, aut meliorem afferunt fructum. Id. de causis plant. l. 1. c. 21.

Altilia propriè sunt aues saginatæ, quæ studiosè cibantur, vt impenguentur. Tost.

Podagra quæ voluptuosos afficit in senectute procedit ex indigestione superfluitatum. Idem, non quod nimium sit sanguinis, sed quod minus digeratur. D

In aquarum ductu non possint seruitutes constitui, vltra quam opus sit ad prædia, l. ergo in fin. ff. de seruit. rust. *vide maior. cogn.* hebetudo mentis ex nimia lectione.

Non nimium implent vtres, ne distenti rumpantur, implent tamen ventrem vltra modum, vt si quis cytharam quam concinnè pulsare deberet cœno inficeret, sic corpus nimijs refertum cibis, ineptum est ad mentis opera. D Chrys. ho. 45. in Mat. *V. contrar. cogn. ebrietas* Plus fert ense gula.

Cruor etsi humanæ vitæ thesaurus, supra iustum terminum detentus, degenerat in menstruum, hemorrhoides, &c.

Inter Tigrim & Euphratem, tam pingue est solum, vt à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat, Q. Curtius l. 5. E

De abstinentia, *vide minorit. gloria*, mortificatio gustus. De ebrietate, *vide contrar. cognit.*

Mulier habens gallinam quæ quotidie ouum pariebat, ei plus dedit alimenti existimans quod plus esset paritura, sed pinguior effecta, parere oua desijt.

ABVTI DIGNIORI medio.

VAna gloria abutitur virtutibus, vt hominem perdat, *vide voluntas gloria.*

Quidam ira aut tristitia commoti, abstinent à cibo per biduum, cum alias vix abstinentiam patiantur, vsque ad horam sextam, in quo sacrilegij crimen incurrunt, jejunia scilicet, quæ soli Deo pro humiliatione cordis, & purgatione vitiorum, sunt specialiter offerenda, pro tumore diabolico tolerantes; quod tale est, ac si orationes ac sacrificia, non Deo, sed Dæmonijs offerrent. Cassian. collat. 16. c. 19.

Abutuntur digniori medio, qui misericordiam, patientiam, charitatem seruant propter jejunium, *V. maioritas finis.*

Vide veritas gloria, R. supra, vanitas humanæ gloriæ, initio.

Falsum est quod dixit Pythagoras, animalia quædam vesci odoribus, quia corporale debet nutriri à corporali, odor autem spiritualis est, Albertus Magnus, tractatu 2. de sensu & sensato, in fine.

Quintilian. Instit. orator. libro 2. capite 17. probat non ideo abijciendam artem Rhetoricæ, quod illa aliqui male vtantur; sic enim nec duces erunt vtiles, nec magistratus, nec medicina, nec denique ipsa sapientia: nam in rebellibus & pyratis sunt duces, in medicinis venena, & in ijs qui Philosophorum nomine male vtuntur, grauissima nonnunquam flagitia deprehensa sunt: cibos aspernemur, attulerunt sæpè valetudinis causas: nunquam tecta subeamus, super habitantes aliquando procumbunt: non fabricetur militi gladius, potest vti eodem ferro latro; quis nescit ignes, aquas, sine quibus nulla sit vita, solem, lunamque præcipua syderum, aliquando etiam nocere.

Idem fere refert Ptolomæus in Procemio, vt probet non minus sectandam esse Astrologiam, quia aliqui illa malè vtuntur.

Aëre ex se leuissimo & mollissimo, tum infœlix constitutio cæli, tum è terra subleuatus vapor, vtitur ad tempestates faciendas.

Serui non debent vti delicatis cibis ac Domini, nec etiam rustici, l. seruis ff. de leg. 3.

In paruis litibus si magnos motus excitet orator, perinde est ac si personam Herculis & cothurnos aptare infantibus velit. Quintilian. Inst. orat. libro 6. c. 2.

Indignum est Deo militantem implicare se negotijs temporalibus, vt dicit Apostolus, & Isay. 41. vos sacerdotes Domini vocabimini ministri Domini Dei nostri, *vide maioritas cognit.* alienis se immiscere.

Clara atque sublimia verba; plerumque materiæ modo cernenda sunt, quod enim alibi magnificum, tumidum alibi, & quæ humilia circa res magnas, apta circa res minores; & sicut in oratione nitida notabile est humilius verbum, & velut macula, ita à sermone tenui, sublime nitidumque discordat, fitque corruptum, quia in plano tumet. Quintilian. Instit. oratoria. libro 8. cap 3. Non est augenda semper oratio, sed submittenda nonnunquam est; vim enim rebus aliquando ipsa verborum

Digitized by Google

humilitas affert, Ibid. Vitium est vbique, quod nimium est Ib.

Christiani abutuntur festis Sanctorum ad nundinas & commessationes, contra præceptum Domini, qui ementes & vendentes ejecit è templo. D. Basil. l. regular. fusius disputatarum, c. 40. prohibet talibus religiosos suos adesse, & exemplo suo confirmare.

Serpens decepit Euam vt comederet de fructu prohibito; dicens, eritis sicut Dij, vanitas mundana vult imitari gloriam Dei, ambitio, & auaritia omnipotentiam; sic peruersè Deum imitantur qui longè fiunt ab ipso, Vide D. August. libro 2. confessio. c. 6.

Habitus triumphalis quo nihil cogitari potest augustius, fœminas non decet. Quintil. libro 11. initio.

M. Cato definit oratorem, virum bonum dicendi peritum, nam si vis dicendi malitiam instruxerit, nihil publicis priuatisque rebus pernitiosius eloquentia, & ipsa latroni comparentur hæc arma, non militi. Ipsa rerum natura quæ nobis præ cæteris animantibus dedit facultatem dicendi, non parens sed nouerca foret, si facultatem hanc sociam scelerum, aduersam innocentiæ, hostem veritatis inuenit. Mutos enim nasci, & egere omni ratione satius fuisset, quam prouidentiæ munera in mutuam perniciem conuertere. Ibidem libro 12. c. 1.

Ex omnium scelerum comparatione, nihil est detestabilius hominibus, qui leges ipsas faciunt nocentes. Id. declam. 11.

Nimia liberalitas producit auaritiam & rapinam, *vide maior. bon.*

Calceus ad vari pedis figuram contorquetur, pes vero non item ad obtortu calcei. Plutarch. *vide concord. potestatis in malo.* Mali Principes abutuntur bonis ministris. Sinistra sumunt, quod offertur dextra.

Obseruationes magicæ eo sunt deteriores, quo fiunt miscendo pia quædam & bona, quoniam vnde deberet honorari Deus, honoratur diabolus. Gerson in trilogio Astrologiæ Theologisatæ.

Alexander noluit ex Ato monte statuam suam confici, ne sic naturæ jura violarentur. Plutarch. l. 2. de virtute & fortuna Alexandri.

Demosthenes conquerebatur sacra Atheniensium triremi, ligna & commeatum conuehi. Plutar. l. an seni gerenda Respublica.

Achillis arma non conueniunt Thersiti.

Musici seruant temperantiam, vocis gratiæ mulieres pulchritudinis.

Lex Moysis prohibet agnum coquere in lacte matris, ne quod fuit vitæ alimentum, seruiat consumptioni, in hanc legem peccant perfidæ mulieres quæ vtuntur amore sexus, ad necem inferendam.

Exod. 20. dicitur, non assumes nomen Dei tui in vanum. Hoc est extra occasionem orandi aut docendi, nomen Dei non pronuntiabis, vt ludendo & in vanis, si enim consueuerunt multi pretiosiorem vestem diebus festis reseruare, multo magis diuinum nomen æquum est precibus & docendi officio consecrare. Theodor in exod. q. 41.

Luce, ferro, vino, sanitate, sic diuitijs mali abutuntur. Id orat. 6. de prouidentia. Aër ita benignus & necessarius ad respirationem, sæuit interdum in tempestates; contagione infectus pestilentes morbos inuehit, terra omnium mater, etiam venena producit, semina ariditate suffocat.

A Non licet dare Eucharistiam suspecto de graui crimine, ad probationem criminis vel innocentiæ, quia hoc esset tentare Deum, cap. dilecti, de purgat. vulgari, & cap. ex tuarum, de purgat. canoni.

Qui vtitur forma Sacramenti ad alium finem, quam ad Sacramentum conficiendum peccat.

Detrahit amicitiæ majestatem suam qui illam parat ad bonos casus. Seneca ep 9.

Balthazar occiditur, dum abutitur in conuiuio, vasis templi Domini. Daniel.

Omnia regnorum portenta, ex præstantibus animis, per auia sine consilio ruentibus; sic ad regimen aptius est, mediocre ingenium, ad institutionem docile.

B Manum cum hostibus conferere, Rex nunquam nisi in extremis debet. Nimis in vnius anima, tot millium periclitantur animæ, inde vno momento afflictę opes & versa regna. Non sunt giganteæ principibus vires, parum rem inter gregarios promouent, inter captiuos totam euertunt. Sufficit adesse bellis, omnium mouere manus, & creare victorias suis imperijs.

Hæretici sacras scripturas in suum sensum detorquent, *vide contrar. verit.*

Qui asserunt plures esse mundos, singulos in singulis stellis, terra plus 66. majoribus, dicunt in opinionis suæ probationem; hæc non tantum eo fine condita, vt terram illustrent? quis pater familias

C facem tota domo majorem in domesticorum vsum accendit? nimis arrogantes sumus, si putamus tanti esse hoc, quod incolimus punctum, vt tot illi stellarum millia, quarum magna pars toto orbe major est, seruire debeant.

Sacrilegium committitur violando ea, quæ vel significant sacra, vt sunt verba sacra, vel repræsentant sacra, vt sunt imagines Christi & Sanctorum, vel adhibentur tanquam instrumenta in sacris administrandis; sic committit sacrilegium qui verbis ac sententijs S. Scripturæ vtitur ad superstitiones, ad ridicula, qui rebus diuinis miscet lasciuam musicam; qui pingit imagines sacras indecorè, vt B. Virginem ad modum mulieris vanæ, qui vasis sacris

D vtitur ad bibendum, & vestibus sacris vestitur, qui vtitur Sacramentis ad superstitiosa, Bonac de sacrilegio.

Aureis vasis onus ventris excepit Heliogabalus, omnium hominum turpissimus.

Ciuis non benè sibi proponit Principem pro exemplari imitando.

Si beneficia naturæ vtentium prauitate perpendimus, nihil non nostro malo accepimus. Senec. l. 5. natur. q.

Cyrillus Hierosolymorum Episcopus vrgente fame publica vt pauperibus subueniret, sacras pretiosas vestes vendidit, eas emit saltator, qui cum illis saltans, diuina vltione percussus, spiritum exhalauit. Petrus Dam. ep. 8.

E Si res consecratæ, ad aliud quam proprium vsum applicentur, est superstitio; vt aqua benedicta quæ bibitur contra infirmitatem, vel spargitur ad fertilitatem, & datur aliquando brutis; non comedere carnes in die natalis Domini contra febres, &c. Card. Cusa exc. l. 2 c. 16.

Filij Iacob vtuntur Religione, inducentes scilicet Sichymitas ad circumcisionem, vt vindicarent in ægrotos & debiles, stuprum illatum Dinæ sorori suæ. Gen. 34.

Si pollutus in anima, tetigerit sanctum, contaminabitur. Leu. 6.

Vas fictile, in quo carnes sanctæ coctæ ser-

rint, confringetur. Ib. ne post sancta ad communes culinæ vsus reducantur. Rupert. *V. dur. maiori.* è gradu non cadere.

Iezabel, Naboth falsis testibus oppressura, prædicari jubet jejunium, 3. Regum 21. quasi magnum nefas fuerit admissum, sic abutitur religione; quod politicis familiare est, vt plebem vel sedent, vel commoueant.

Solent tyranni vti bonis viris prætextu iustitiæ & pietatis.

Concilio Venetico Gall. can. 16. prohibetur clericis exercere diuinationes quas vocant sortes Sanctorum, sub prætextu religionis, & per inspectionem sacrarum scripturarum.

Concil. Aruernense. ca 3. & 7 prohibet cadauera mortuorum obuolui pallis sacris; ne sacro velamine vsibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluantur.

In Ecclesia præter res sacras, aliæ vsibus communibus aptæ, vt triticum & cæteræ non recondantur, quia scriptum est, domus mea, domus orationis. Capitulare Theodulph. Episc. Aurel. in Conc. Gall. a. 797.

Vasa sacra nemo ad alios vsus detorqueat, ne puniatur vt Baltazar Dan. 5.

In Ecclesijs conuiuia non celebranda, *vide gloria princ.* in templis reuerentia.

Princeps non tenetur vt particularis vitam exponere, pro saluanda vita personæ priuatæ, sed solum ob commune bonum, quod concreditum & commissum est ipsius custodiæ, vitam debet ponere, Bonacina de restitution. quæst. vltima, p. 11. propos. 2.

Ecclesia tempore belli non potest more castri muniri ad oppugnandos hostes, can. Sanctorum, 10. quæstione 1. est occasio vt destruatur ab hostibus.

Pericles accusauit Megarenses quod terram sacram coluissent, ideo Athenienses Megarensibus bellum intulerunt. Suidas in voce ὀργάς.

Vide virtus medij, R. simonia.

Malus princeps diuinæ bonitatis radium vertit in cruorem, *vide bonitas potest. Rep.* sæuitia principum.

Omnes qui ex direpti Delphici templi spolijs ditati sunt, miserè perierunt, enumerantur à Rodig. l. 12. c. 13.

Athenienses decreto statuerunt, ne liceret seruis indere nomina Harmodij & Aristogitonis tyrannicidarum. Id. l. 17. c. 17.

Leuit. 23. Summo Sacerdoti prohibetur meretricem accipere in vxorem, & polluere semen suum in populo suo. Qui seminat verbum seminat semen est verbum Dei, quod in prophanis non debet contaminari. Origen. in Leuit. homilia 12.

Terra venientem supra se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam, accipiet benedictionem à Deo, quæ autem producit spinas & tribulos, maledicto proxima est, Heb. 6.

Vt maximè reus est, qui regias pœcunias in Regis honorem impendendas dat scortis, etiam hostibus; sic veritatem Dei in iniustitia detinent, qui quæ de Deo ratione naturali cognouerunt, tribuunt idolis. D. Chrysost. homil. 3. in cap. 1. ad Roman.

Sicut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, sic ijs qui illum non amant, vel ea nocent quæ auxilium afferunt. Iudæis damno erant signorum ostensio, doctrinæ rectitudo. Ib. hom. 15.

A Idem homil. 7. in epistol. ad Coloss. inuehitur in mulieres quæ matulas faciebant argenteas, alius perit frigore qui factus est ad Dei imaginem, tu autem hæc fabricaris O fastum & arrogantiam', excrementa tanti facis, vt ea argento excipias, &c.

De commessationibus & ebrietatibus quæ putabantur esse licitæ in memorijs & solemnitatibus martyrum, Diuus Augustinus, Epistola 64.

In primitiua Ecclesia, cum osculi sancti esset vsus, eo tamen aliqui abutebantur ad lasciuiam, sic de virgine Tertull. l. de veland. virginib. c. 14. dum inter amplexus & oscula assidua incalescit, sic frons duratur, sic pudor teritur, sic soluitur, &c. loco osculi oris, prouidè introduxit Ecclesia vsum piæ tabellæ deosculandæ.

B Prohibitum erat, carnes quæ coquebantur in atrio templi ad vescendum, coqui igne sacro ex altari, sed tantum alieno. Tostat. Leuit. fol. 69. c. 4. h.

Gentibus non erat licitum comedere de Agno Paschali. Idem Math to. 7. f. 246.

Sacerdotes non induebantur vestimentis sacris ad omnia ministeria, nec portabant vestes sacras extra sanctuarium, etiamsi aliqua ministeria ad solos sacerdotes pertinentia foris exercere deberent. Id. exod. to. 2. f. 59 & 60.

C Olaus Magnus, libro duodecimo, capite 16. conqueritur campanas diuino obsequio solemniter dicatas, contemptibiliter in bombardas conuerti.

Bona, malus vertit in malum, vide quæ scripsi, de iure naturali, libro primo, lege decima, §. 3. Bonis à Deo datis bene vtendum est, moral. Christ. to. 4. par. 1. c. 8.

Grauiter puniuntur qui præferunt imagines Imperatoris velut in præsidium, ne ab aliquo offendantur in quem volunt inuidiam concitare, l. 5. Cod. de injur. Nec enim hoc præsidio ad flagitia abuti licet. Cujac. obseruat. libro duodecimo, capite 29.

D Inter calamitates segetum numeratur rubigo quæ fit ex rore putrefacto, & vredo, ex rore concreto. Id. l. 15. c. 28. *Vide maioritas minoris* corruptio optimi pessima.

Synagoga Iudæorum à Christianis incensa, jubet Theodosius Imperator eam Christianorum impensis restitui; contra ad eum scribit D. Ambros. Epist. 29. Erit, inquit, locus Iudæorum perfidiæ, factus de eximijs Ecclesiæ, & patrimonium quod fauore Christi acquisitum est Christianis, hoc transferetur ad donaria perfidorum, quomodo poterit nos Christus juuare, qui pro Iudæis aduersus Christum militamus, dabis triumphum Iudæis de Christi populo; erit luctus Ecclesiæ, celebritas Synagogæ, inter festa sua numeranda.

E Clerici aulam sequentes abutuntur gratia Dei. *V. gloria Virt* sapiens aulam fugiat.

Vide gloria differ. distinctio honorifica.

Prohibitæ sunt obseruationes magicæ, licet illis admisceantur piæ orationes, vt pater noster, Psalmi; quia superstitio tanto pejor est, quanto plura miscentur bona, quoniam vnde deberet honorari Deus, honoratur diabolus. Gerso in trilogio Astrologiæ Theologisatæ prop. 21.

Deus rebus etiam minimis prouidet immediato concursu, sol steriles arenas, vt ferax solum, ranas vt homines illustrat, & ad rerum etiam contemptibilium generationem, vitales suos influxus

largitur; viles iustitiæ ministri quos horret humanitas, suis funguntur officijs sub augusto regis nomine. Ita res in vltimos entis gradus dejectæ non abutuntur causis vniuersalibus, cum earum in commune diffusa colligunt beneficia, suisque applicant necessitatibus, nam & ideo ad illas hæc perueniunt publica largitiones, vt his vtatur. Cedit in superioris causæ gloriam, quod ad exemplum diuinæ prouidentiæ ad extrema perueniat. Sic in priuatis publicisque rebus licet vti religione quæ tunc imperat, cum iustitiam, quam vis legum extorquet, intimis mentibus imprimit, fidem humanam in contractibus seruat illæsam, passiones sub iugo contineret, ne quid audeant contra rationem, nulla domi forisque singularis actio, quam non dirigat pietas, omnia sincero corde ad Dei gloriam referens; hic in omnibus rebus humanis optimus religionis vsus. At iniquissimus est abusus, si hanc seruire cogant politiæ, id est si reuelatas veritates, si à Deo constituta mysteria, mutant, inflectunt, etiam superstitiose fingunt, prout exigere videtur rerum publicè gerendarum occasio. Malum hoc non vna terminatur nequitia, sed trahit mentes in abyssum impietatis. Nam vbi Religio fit palliata, fic fucata, tandem falsitas deprehensa fuerit, amittit apud homines legis à Deo datæ fidem, & rectricis authoritatem. Semel deceptus in vno sibi cauebit in cæteris, quæ probitas sperari potest à superstitionis authoribus, qui postquam multa circa religionem finxerint, fictum similiter putant omne quod colitur. Abutuntur ergo religione qui hanc ferulam in modum habent, cum dominari debeat, qui quasi nulla sit, vt serui nullum est caput, illam ad libitum protendunt, coërcent, ornant, spoliant, & pro bono publico quasi pro Domino periculis omnibus, licet perituram objiciunt. Tandem abutuntur digniori medio, qui rationem addicunt passionibus, scientiam improbitati, *vide virtus cognitionis Rip.* qui gratias à Deo gratis datas in ædificationem Ecclesiæ, conuertunt ad vanam gloriam & propria commoda, qui reditus Ecclesiasticos pauperibus dicatos in delitijs & criminibus absumunt. *Ex principijs.*

Vide potestas virtutis, bonorum Ecclesiæ recta dispensatio, qui Sacramentis & juramento malæ fidei perfidiæque conatus adjuuant, *vide gloria princ. Ap.* falsum juramentum.

MAIORA MEDIA BONA.

DIgniora pluribus indigent medijs ad sui conseruationem, vt nobiliores formæ pluribus formis, cor & cerebrum vallantur multiplici custodia, sicut principes, & arces majoris momenti. Majora regna, majores ciuitates pluribus distinctis indigent ministris, *vide differ potest.* Principibus in tutelam dantur Archangeli, *vide medium gloriæ,* Angelorum auxilium.

Sanctificati in vtero, quia ipsis magis inuident dæmones, etiam indigent magnis Angelis ad custodiam. Tost. Math. to. 5. f. 29. *Vide gloria medij*, illustre medium.

Area altaris quod fecit Salomon, erat major quam in altari Moysi, decem & sex vicibus; tum quia altare Moysis cum esset portatile non debebat fieri majus; tum quia crescente populo Dei & Religionis celebritate, altare debebat fieri majus, ad majora & ampliora sacrificia sustinenda. Id. 2 Par. f. 50. sic creuit Ecclesia potestate & diuitijs, *vide potestas virtutis.*

Apparitiones visibiles Angelorum fiunt ad confirmationem fidei, stuporem tamen inducunt quia fiunt contra cursum naturalem naturæ, & quodammodo violenter inducunt ad consensum eorum quæ suadent, in quo perit aliquod bonum hominis cujus proprium est inquirere per rationem. Idem Math. tom. 5. f. 27. De miraculis quæ fiunt eadem de causa, *vide maioritas potestatis.*

Vide magnitudo medij, plura simul media.

ÆQVALITAS MEDII.

COMMVNE MEDIVM.

SICVT vniuersi homines, resque adeo omnes, numero numerantur vno; vt omnes artifices in suis operibus proportionem seruantes, vtuntur regula, circino; sic sapientiæ vnicus est numerus, nec extra illum, alius sumendus est, Paracelsus lib. de fundamento scientiæ.

Vide æqualitas princ. vnius structuræ vnum est fundamentum.

Quatuor elementa sunt matrices, ex quibus homini proueniunt vniuersa, & quibus vti possit, operibus manuum suarum. Id.

Vt faber habet malleum, velut commune instrumentũ, quo omnia fabricat sua artificiata; sic vna est anima & vnum instrumentum, scilicet spiritus, multæque perfectiones organorum constitutæ ex illis, vt visus in oculo, digestio in stomacho & hepate. Albertus Magnus, tractatu 1. de spiritu & respiratione, cap. 4. Hic spiritus est viuificus, quod habet à summo motore scilicet anima; est calefactiuus, quod habet à corde qui est fons caloris, pulsuque suo separat congruum alimentum à corruptibili; denique expedit omnem virtutem animæ ad operationes essentiales, & sibi proprias. Ibidem c. 6.

In non habentibus sanguinem, communis est via, alimenti & spirituum, *vide differentia medij.*

Plantis terra est pro ventre & stomacho, *vide differ. minor.*

In tanta per omnes gentes, nationesque linguæ diuersitate, manus gestibus omnium hominum communis sermo videtur. Quintil. Inst. orator. l. 11. c. 3.

Sacra scriptura varios habet intellectus & vsus, *vide diff. cognit.*

Plutarch. libro, an aqua, aut ignis sit vtilior, concludit, aquam esse vtiliorem quia videtur omnium origo, omnium, & omni tempore alimentum. At ignis dicitur à Prometheo inuentus, multa sine igne viuunt. Dicit autem pro igne quod est commune artium omnium instrumentum.

Eadem numero aqua potest adhiberi in administratione plurium baptismatum; & idem peccatum potest esse materia remota iterati Sacramenti pœnitentiæ, potestque illud pœnitens sæpius confiteri, & absolutionem accipere, quia sæpius de illo potest dolere, quod est materia proxima. Bonac. de Sacramento pœnitentiæ.

Ad delenda singula peccata, non requiruntur singulæ contritiones, sed sufficit vnus contritionis actus respiciens omnia peccata, alioquin sequeretur singulos actus non esse actus contritionis; vna aspersione possunt plures baptizari; vna absolutionis forma possunt omnia, & singula peccata deleri. Id. Ib q. 5.

Valida est ordinatio, quando plures initiantur ordine Sacerdotali, & Episcopus prolata semel vnica forma in plurali, præbet materiam, pluribus successiuè tangendam, non repetita forma. Id. de sacr. ordinis.

Dialectica, cum sit indagatrix, ad omnium scientiarum principia viam continet. Aristot. 1. topicor. c. 2.

Idem 5. ethicorum, dicit quod numisma est quasi fidejussor futuræ necessitatis, quia continet omnia opera, sicut ipsorum pretium.

Omnia animalia non habent omnes sensus, sed quædam tantum tactum, vt Ostreæ.

Hyberni maximum testantur affectum fratribus collactaneis. Daly.

Persarum Regibus partem conuiuij ad amicos mittere, & aliquid de mensa mos est, quasi pares efficeret ciborum paritas. Rodiginus, libro 28. capite 1.

Pagus dicitur ex *ἀπὸ τῆς πηγῆς*, id est à communi fonte, eo quod congregatæ simul familiæ ex eodem fonte hauriebant, vt ait Festus & Bodin. Reipub. l. 3. c. 7.

Manus dicta, quod sit totius corporis munus, ipsa enim cibum ori ministrat, ipsa operatur omnia atque dispensat, per eam accipimus & damus. Isido. orig. l. 11 c. 1.

Ex omnibus ordinibus Ecclesiasticis vnum tantum sacramentum constituitur, nam singuli ordines non sunt sacramentum.

Rerum quas Propheta vidit aliquando non oportet vt nouæ species ad prophetandum infundantur, sed ex speciebus reseruatis in thesauro virtutis imaginatiuæ fiat quædam aggregatio ordinata, conueniens designationi rei prophetandæ. D. Thom. in quæst. disputat. de prophetia. a. 7. ad 3.

Vide magnit. potestas, plura simul officia.

Aquilonares tecta domorum componunt ex fortibus trabibus abjetinis, illa deinde contegunt terra herbifera, quam & deficiente pluuia fouent irrigatione, sic vrbe obsessa pecora in tectis domorum pascuntur, nec extra vrbem exponuntur prædæ, Olaus Magnus, rerum Septentrional. libro 9. c. 38.

Dicunt arcana quædam esse chymica, quæ per omnimodam depurationem omnem tollunt morbum.

Vide æqualitas virtutis, Idem ritus religiosus.

Insula S. Helenæ, grad. 16. versus austrum fructuum,

ctuum, aurium, ferarum, pisc: cm fertilissima existit. Hanc Rex Lusitaniæ prohibuit à quoquam hominum habitari, vt nauibus omnibus à capite bonæ spei venientibus esset commune diuersorium. Gotardus, in historia Indiæ orient.

Vide equalitas voluntatis, ad omnes charitas.

A qua quæ nullum habet saporem, est subjectum in quo fiunt, & recipiuntur omnes sapores. Albert. Mag. tr. 2. de sensu & sensato.

Pes quo corpus portatur debet esse leuis respectu corporis, *vide maioritas medij*.

Neruus per quem diffunditur sensus & motus, A debuit esse flexibilis vt facilius incuruetur, & extendatur. Id.

Vide veritas medij.

Litteræ Alphabeti 24. diuersè collocatæ exprimunt voces omnes, principia Lullij conferunt ad demonstrationes faciendas in qualibet propositione, Logica est scientiarum commune instrumentum.

Gens Mardorum apud Persas bellicosissima, fœminis etiam mollhora non sunt ingenia, Funda vinciunt frontem, hoc & ornamentum capitis & telum est Q. Curt. l. 5.

Iuramento & iusta & iniqua confirmari solent.

MINORITAS MEDII

TRANSITVS AB EXTREMO IN ALIVD SINE medio, Bonus.

SÆCVLARIBVS vitijs dediti, citius assequuntur perfectionem, quam tepidi Monachi, quia experti vitam spiritualem, in ea non quærunt, quam non inuenerunt consolationem. Cassian. collatione quarta, capite 19. Vtinam aut calidus, aut frigidus esses, sed quia tepidus es, incipiam te euomere. Apocal. 3.

Fulmen pecuniam consumit in bursa, illæsa bursa.

Ad majora citius peruenitur quam ad æquale. Vide S. *duratio cognitionis*, Mora, ex Quintiliano.

Interdum in memoria excidunt proxima, vetera C inhærent, hesternorum immemores, acta pueritiæ recordamur. Idem instit. orat. libro 11. capite secundo.

Vide maior potest. qui potest plus, potest minus. Rep.

Qui majores habet virtutes, non operabitur principaliter secundum inferiores, sed quantum vitæ præsentis necessitas requirit. Porphyr.

Pulchritudo sine tactu vulnerat, *vide potestas cognit.* fascinatio.

Absentes se intelligunt, in maxima distantia per nuntios & Epistolas.

Ordines tenent, si per saltum conferantur, cap. vnic. de cler. per salt prom.

Scientia Geographiæ efficit vt momento mens ab vna mundi parte, in alias se transferat, maria, globi cognitione sine tempestatis periculo, syluas, hostilesque & barbaras regiones securè pertranseat.

Qui cito credit leuis est corde, tamen vera fides præuenit rationem, *V dur. virt. R.* sine mora virtuti incumbendum.

Virtus magnetica penetrat durissima quæque corpora, ligna, lapides, vitrum, vt virtus cælorum penetrat soliditatem terræ, in qua generat metalla.

B Ad consequendam hæreditatem testamento relictam, sufficit hæredem capacem illius esse tempore conditi testamenti & aditionis hereditatis, non habita ratione medij temporis. l. si alienum 40. 5. in extraneis ff. de hæredib. instituend. Sic dispensatio concessa valet si causa propter quam concessa est, incipiat existere. Bonac. de dispensat.

Imposito oleo in charta ita aptata, vt contineat, subjectus ignis, oleum quidem calefacit, chartam autem non, sic in lebete igni superposito, aqua calefit, fundo lebetis frigido, quia aquæ pars calida tollitur, frigida succedit & refrigerat fundum, simile fit in oleo. Fracast. l. de sympathia c. vlt.

Arist. 1. de gener. animal. c. 18. refert in Elide fœminam cum Æthiope concubuisse, nec tamen filiã forma Æthiopis peperit, sed ex filia postmodum natus est Æthiops; vis enim seminis transit vsque in quartam generationem, & aliquando in prima & secunda non operatur propter varias cæli & temperamenti dispositiones; patrem expressit luna existens in signo masculino & suo sympathico in hac generatione.

Linearum in circulo ductarum, longissima est, quæ transit per centrum, sic zelus ad extrema interdum optimè fertur. *V maguit vel* zelus bonus, *minor durat.* celeritas bona.

Romanis in templo Dianæ licitum erat orare pro nepotibus, non pro filijs. Plutarch. quæst. Rom. q. 18.

Potest haberi vltima perfectio, sine præcedenti. D *V. veritas maioris.*

Mixtorum corruptio in hoc differt à simplicium corruptione, quia mixta corrumpuntur in simplicia præjacentia ex quibus componuntur. Simplicia autem, quia nihil habet præjacens ex quo componantur, corrumpuntur in contrarium, quod corrumpit ea. Albert. Magn. meteor. lib. 4. c. 7. Sic in sæculo vitam libertinam agentes, momento conuertuntur ad Deum.

Sic ferrum induratur, *vide medium durat.*

Digitized by Google

S. Pontifex appellationes ad se, medijs omissis interpositas admittit, de ijs cognoscit, can. mandastis 2.q.5.

Angelus in suo motu de necessitate non transit medium, quia non definitur ad locum nisi per operationem, quæ potest egredi statim ad locum proximum vel remotum, nec operatio ad distans dependet ab operatione ad propinquum. D.Thom. in magist. sent. d. 37 q.3.

Virtus magnetis defertur ad ferrum per medium, aërem quem non attrahit, virtus piscis stupefacientis, fertur ad piscantis manum mediante reti quod non stupefacit; influxus corporum cælestium, non afficiunt medios orbes, vt inferiora. Idem in quæst. disputat. de prouidentia, quæstione quinta, art. 9. ad 17.

Angelus si vult, potest moueri de vno extremo ad aliud absque hoc, quod pertranseat medium, & si vult, potest pertransire omnia media, quia corpus est in loco, sicut contentum ab eo; & ideo oportet quod in mouendo sequatur loci conditionem, vt scilicet pertranseat media priusquam perueniat ad extrema; sed cum Angelus sit in loco per contactum virtutis, non subditur loco vt contentus ab eo, sed magis continet locum sua virtute, & potest applicare se per contactum virtutis huic loco, & illi absque medio, sicut etiam intellectus potest applicari intelligendo vni extremo, puta albo, postea nigro, non cogitando de medijs coloribus. Id. quodlibet. 1.a.5.

In sero nepote, sæpè resurgunt mores, gestus & inclinationes aui.

Tentationum liberationem immediatè præcedunt mala acerbissima, & sic fit transitus ab extremo in aliud, *vide contrarietas finis*, labor in fine.

Terræ immobili planetæ viciniores, citius mouentur, Sol, Venus, Mercurius, Luna; ossibus insensibilibus immediatè jungitur membrana periost, eximij sensus.

Pœnitentia jungit extrema, mortem & vitam. *Vide finis minoritatis*, pœnitentia ex Diuo Hieronymo.

In Liuonia & Moscouia, tum viri, tum mulieres è balneo calido egredientes immediatè aquis se frigidis immergunt, & in niue volutant, sic se putant fortiores fieri ad tolerantiam caloris & frigoris.

Grauissimis malis vrgentibus proxima est liberatio. *Vide contrarietas finis*, labor in fine.

MALVS.

CONtra eos qui se præparant ad jejunium per ebrietatem. Vide supra, *virtus medij*.

Natura quæ per gradus procedit ab vno ad alterum, nullum relinquit mediorum possibilium, quod non producat ad esse, & ad speciem; aliter enim non compleretur omnis potentia materiæ, nec virtus vniuersalis efficientis res naturales in natura. Triplex autem est medium, vnum quod propinquius est extremo superiori; aliud extremo inferiori; aliud quod vtriusque qualitates media ratione æqualiter in se contemperat. Albertus Magnus, libro septimo, de animalibus, tractatu 5. capite 1.

Nemo repente fit summus, & ad dignitates per gradus ascendendum, *vide duratio maioritatis*.

A Deus paulatim nos deducit ex hyeme ad vehementes æstus tolerandos, similiter ex æstu in hyemem vehementem. Sic assuefacti toleramus & progredimur. Nam mutatio quæ fit paulatim, efficit vt omnis natura mutationes ferat, *vide dur diff* mutatio sensim facienda. Itaque ver & autumnus, quibus medium quoddam temperamentum inest, inter frigus & æstum media intercedunt. Theodor. orat. 1. de prouidentia.

Excalefacto corpori, frigus superueniens, maximè nociuum.

Ignorantes Geographiam jungunt dissita longo spatio, & peccant grauiter in vera rerum historia.

B Non licet Archiepiscopo, aut Patriarchæ clericos subditi sibi Episcopi, eo inaudito, iudicare, *vide maior potestas*, non posse majora. & 9.q.3. c. conquestus.

Plantæ quædam in alias transmutantur, sed in similes sibi, non in penitus remotas, vt sisymbrium in mentham. Theophr. de causis plantarum, libro 2. c. 21.

Portius Latro grauis orator fuit in omni re nimius, vt scribit Seneca, quippe nec remittere studia sciebat, nec repetere; vbi se ad scribendum concitasset, jungebantur noctibus dies, nec desinebat nisi deficeret, rursus cum se remiserat, in omnes lusus & jocos resoluebatur, in montibus & syluis rusticos
C labore superabat, post tantis viribus incumbebat in studium, vt nihil perdidisse, sed multum acquisiuisse desidia videretur. Rodigin. libro vndecimo, c. 13.

Animæ ab egressu corporis dicuntur transire in locum inter vitam hanc & beatam medium, *vide dur. cognit.* mora ex Origene.

Extrema regni tranquillitas, extremam cladem minatur.

Extrema mediis interiectis in mundo connectuntur. Vide quæ scripsi de iure naturali, libro 1 lege 3 §.3. & Theol natur. tom 1. p.1. c.17.

Transitus ab extremo in aliud sine medio periculosus, ibid l 3 lege 7. §.2.

D Æger, quo tempore cibi tædio caret, eo cibandus est, ita vt continuè victum exiliorem facere possis. Card. meth. med. c. 2.

VTI DEBILI MEDIO.

CHristus vtitur muliere Samaritana velut Apostola ad conuersionem eorum qui erant in vrbe. Venite, inquiebat, & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci, numquid ipse est Christus. Origen. in Ioan.

E Ionas Propheta exceptus à balena, impactam lethi gurgitibus sedem habitat, commune mortuorum receptaculum, aluum mortis matrem. S. Basil. seleuciæ, orat. 12.

Ioannes cum esset lucerna ardens & lucens, solem tamen ostendit.

Iudæi manentes in terra Iuda, post destructionem Ierusalem & templi à Chaldæis, poterant licitè seruare ceremonias legis, & facere ceremonias in templo combusto & destructo, imo de facto fecerunt, vt patet Ierem. 41. Tostat. quarto Regum, fol. 262.

Nobiles mundi non elegit Christus in Apostolos, ne suspecta fieret prædicatio, sed elegit piscatores illiteratos, imperitos, indoctos, vt aperta

Digitized by Google

esset gloria saluatoris. Laurentius Iustinian. de fide. A c. 4.

Quod eminet potest agere vel nullis, vel paucis adhibitis mediis, vide quæ scripsi de iure natur. l. 2. lege 4. §. 8.

Christus omne genus curationis animorum exhibuit, nec differendo solum aut ægrotos curando, aut inimicos redarguendo, verum etiam comedendo, atque bibendo multos à vitijs ad virtutem reduxit, vt nos doctiores his omnibus efficeret, non esse tempus nec opus, ex quo non possimus vtilitatem percipere. Et quamuis quæ tunc apposita erant injustè atque rapaciter fuerint acquisita, non repellit tamen ea Dominus, sed assumpsit ex illis. Magnum enim inde lucrum oriebatur; quin imo eodem tecto, eademque mensa cum peccatoribus vtitur: hæc certè bonum medicum decent, qui nisi laborantium putredinem ferat, non potest eos doloribus liberare. D Chrys. hom. 31. in Math. B

Valent acta serui, ignoranter in dignitate constituti, *vide durat. princ.* causa vniuersalis supplet defectum singularis.

Quandoque reuelat Dominus paruulis, quæ sapientibus absconduntur. Leprosi nuntiauerunt salutem Samariæ, & subjugalis num 22. Balaam Dominum suum à via illicita reuocauit. Petrus Blesensis. Epist. 1. *Vide virtus medii. R.* vti malo medio.

In causa Religionis possunt etiam Laïci & personæ non in dignitatibus constitutæ agere, *vide magnitudo medii*, multitudo mediorum & instrumentorum. Presbyteros Daniel puer iudicat. C

Apud Iudæos cantorum filiabus licitum erat cantare coram Domino in templo, vt patet de tribus filiabus Eman. Tostat. 1. Paralipomen. fol. 290.

An me non timebitis, dicit Dominus Hier. 5. qui posui arenam terminum mari? En mare sua vi res intoleranda, re tamen omnium inualidissima, nempe arena frænatur, ac coërcetur D. Bas. in hexam. ho. 4. *vide potestas minorit.*

Vox Domini super aquas Ps. 28. magnos strepitus tonitru faciens, in molli aëris natura, tantam vocis magnitudinem parit. Id. in Ps. 28. præest procellis sonantib. vt ait Iob.

Vmbrarum ratio trium præstantissimorum, & maximorum in natura corporum, scilicet Solis, D Lunæ, & terræ magnitudinem patefecit. Ex eo axiomate, quod corpus lucidum, quo est à terra remotius, vmbras facit minores; hinc Lunam infra Solem esse perspicuum est. Ex vmbris solent agricolæ; diei partes ac tempora discernere.

Sertorius dicebat se de agendis instrui à Ioue, per ceruam albam quam domi habebat. Gellius, libro 15. capite 22. sic de augurijs à pullis gallinæ, edentibus, aut non edentibus. Sic ex minimis decernebatur de conflictu cum hoste, & salute Reipublicæ.

Vt lux lucet per cornu, sed obscurè, vt ad splendorem eius, nemo opus suum perficere queat; sic stulti conditum in se lumen habent, per fatuum ipsorum caput translucens, quod viro sapienti ludibrio esse non debet. Nam etsi corpus animale fatuum sit, anima tamen & spiritus minimè stultescit; E vnde opportuno cæli influxu, aget & loquetur, non vt stultus, sed vt sapiens. Paracelf. l. de generatione stultorum. Vide supra *durat. cognit. R.* cognitio sine mora.

Medici in incantationũ cura, multa discere debent, à Nigromanticis, medicis circumforaneis, à vetulis, sagis, & à veteribus agricolis. Id. l. de occulta Philosophia.

Augurium propriè est diuinatio sumpta ex animalibus, dum aliquid agunt præter solitum naturæ suæ, ad id enim à vi cælesti trahuntur; id etiam colligitur ex plantis, etiam elementis, si quid in illis fiat, præter solitum naturæ ordinem. Id. l. 1. de sagacis Philosophiæ.

Vide gloria contrarietatis, ex malis bonum percipere.

Spiritus seminalis in formato corpore, habet à virtute formatiua quod alimentum extraneum sumptum, formet ad potentiam vitæ. Albertus Magnus, tractatu primo, de spiritu & respiratione, c. 6.

Aër, licet ex se valde tenuis, & cedens omnibus; tamen validum fit instrumentum irati cæli, in fulgure & tempestatibus.

Nobiliora simplicioribus motibus assequuntur bonum, *vide dur. æqual.*

Homo infans, aut debilis vtitur quatuor membris ad motum, at sanus & fortis duobus tantum pedibus.

Diuus Dionysius, capite secundo, cælestis Hierarchiæ, dicit Angelos melius, & conuenientius in sacra scriptura figurari, non tantum per corporeas figuras, sed etiam per viles, scilicet per animalium; quia si per nobiles, tales esse putarentur. Ita Deus per negationes describitur, & priuationes. Denique id non est inconueniens; quia nihil eorum quæ sunt; est vniuersaliter boni participatione priuatum.

Interdum minor intelligit, quod major nescit. l. 1. 5. sed neque C. de veteri jure enuclea. cap. ad audientiam, de consuetudine.

In armorijs designantur hominum virtutes, per animalium proprietates, aut arborum & similium.

Principis præsentia supplet omnem defectum solemnitatis. l. omnium in princ. Cod. de testament.

Debile medium aliquando conueniens, *vide maioritas medii*, mala, abuti digniori medio.

Dum terrena opera ad cælestem vtilitatem pertrahimus, in vsum dextræ vertimus sinistram, vt habetur de quodam 1. Par. 12. D. Greg. PP. in Registro. l. 5. ep. 37.

Apes ex thymo aridissima, asperrimique succi herba, mel suauissimum conficiunt. Plutarch. *vide gloria contrarietatis.*

Plutarchus libr. de fortuna Romanorum miratur, vt maximum fortunæ bonum, capitolium & ipsum imperium saluum extitisse clangore anserum timidorum animalium, & tunc maximè vigilum, quia cum negligerentur, cibi laborabant inopia.

Dextera Moysis quæ tot miracula perpetrauit, fuit leprosa. Exod. 4.

Veritas simplici & non elaborato sermone exposita, *vide maior. cognit. mala*, contemptus eloquentiæ. & prædicat. curiositas.

Sæpe corium, Imperatoris figura signatum, fuit pro pœcunia.

Causa principalis Sacramentorum auctoritatiuè est solus Deus, quia solus potest eleuare creaturam ad faciendum, id quod superat eius naturam. Bonacina. D. Thom. 3. quæstione 64. art. 1. Vnde malus

Digitized by Google

minister confert tantam gratiam, quantam bonus, quia gratia non confertur ob meritum ministri, sed Christi; sic sigillum ferreum, eandem figuram imprimit ac aureum, vt ait Nazian. orat. 4. de baptismo.

Sacramenta producunt gratiam non tantum moraliter, sed etiam physicè, quia operantur quod significant, & Deus ad hunc effectum illa eleuat, vt animam ad actus supernaturales. Bonacina.

Si sacerdos moriatur incepto, & nondum perfecto sacrificio, debet perfici ab alio sacerdote, jejuno si adsit, aut si desit, etiam non jejuno. Id. de sacrificio Missæ, q vlt.

Sæpè Deus loquentia fecit animalia vt panderet futura, quæ nec ab ipsis hominibus sciri possunt. Ita pueri, mente capti sæpe prophetauerunt, *vide cognitio contrarietatis*, prodigia bella præcedentia.

Magi non ducuntur ad Christum. Solis luce, sed per noctem stellæ debiliori lumine. Chrysolog. ser. 64.

Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu; mulieres primum nuntiant Apostolis resurrectionem Christi.

Cæcus potest accendere facem qua alij vident, non ipse.

Aër ex se debilis, & omnibus cedens, fit tempestatum instrumentum, quo arbores eradicantur, naues feruntur, &c.

Vt à magistro, sic à discipulo, paratus sum erudiri. Petrus Bles. ep. 19.

Petrus Damiani, libro 8. epist. 1. laudat quendam Cinthium vrbis Præfectum, qui vtiles ad populum exhortationes faciebat, existens iudex & prædicator ex illis de quo 1. Petr. 2. gens sancta, regale sacerdotium.

Prouisiones officiorum & beneficiorum scribuntur in papyro, ex vetustis camisijs confecto, aut in pergameno ex corijs mortuorum animalium, & cum cera carè venduntur, de his facetè Æneas Syl. ep 104.

Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate & benedictione consignari placuit. Conc. Arauf. 1. can. 1. a. 441.

Quanto agens potest ex paucioribus & propinquioribus ad suum intentum peruenire, tanto videtur esse majoris virtutis. Sicut medicus magis laudatur qui per pauciora & tenuiora potest sanare infirmum.

Quæ sunt infra animam vt virtutes corporales, nobiliori modo sunt in anima quam in seipsis, quia vnumquodque est in aliquo per modum eius in quo est.

Ad valorem testamenti causa pietatis facti, non requiritur solemnitas juris ciuilis, sed sufficit solemnitas juris gentium. cap relatum. 1. de testam. & cap. cum esses. eod.

Quando lex præscribit aliquid vt actus benè fiat, non irritando actum aliter factum, actus validus est, etiamsi non obseruentur præscripta in lege, vt patet in matrimonio, in quo celebrando præscribuntur denuntiationes, quibus omissis matrimonium adhuc est validum. Bonac. de contractib. in genere pun. 3.

Calor ignis si benè sit temperatus & aliquo humido mixtus, potest habere effectus solis, maturare vegetabilia, oua excludere, sartago acriter calefacta & capiti apoplectici circundata expandit spiritus animales ab humoribus & obstructionibus cerebri compressos, id inuenit & expertus est Fracastor. Bacon.

Omnia sunt esculenta in obsidione.

Accipimus in testimonium fidei quæ Philosophi, & Sybillę dixerunt, vt quod Balaam, quod Caïphas non intelligentes prædixerunt, vt expedit vnum hominem mori pro populo, sic habemus testimonium ab his qui foris sunt.

In tutela & in legibus condendis potest interuenire consilium mulieris, *vide potestas minoritatis*, vbi de mulieribus. Sic in criminali, defectu aliorum testium audiuntur mulieres & plures defectum supplent cum ex se mulier non sit testis omni exceptione major. Vide Decium in l. 2. ff de reg. jur.

Ferrum chalybe quamuis sit ignobilius, multum tamen præstat illi in frangenda glacie, tum quod neque sponte frangitur, nec ex allisione, at vtrumque horum chalybi aduenit. Card. de rer. var. l. 5. c. 16. in fine.

In Borealibus regionibus arces è niuibus erigunt, aqua durant illas, intus propugnatores, extra oppugnatores adsunt, cuniculos defodiunt, scalas admouent, &c. Ib. c. 94.

Traditio est, si gentilis Dominum benedixerit, respondendum esse à Iudæo, Amen, ex Rabinis, exteræ gentes veniebant adorare in Ierusalem Vide 1. Regum 8. 41. Ioseph. libro 8. capite 2. Sic Æthiops Eunuchus. Act. 8. 27. à gentili recipiebantur holocausta licet non renuntiasset cultui extraneo seu idololatriæ Leu. 22. 25.

Viuentes viuis non alimur, sed animalia perimimus, vt illis vescamur.

In Gallia fuit homo qui mira ingenij sagacitate rationem excogitauit qua ex metallo quolibet aurum secerneret, aquæ vi quam chrysulcam nuncupabat Rodig l. 11. c. 13.

Galli calore ventris feruentissimo, cuncta quæ vorauerint, conficiunt.

Bello Persico post Cannensem cladem & in bello sociali, Romani seruos milites conscripserunt. Id. lib. 25. c. 23.

In casu necessitatis & morte vrgente, si Presbyter haberi non possit, alteri etiam Laïco & socio confiteri licet. can. qui vult confiteri de pœnitent. d. 6.

Moyses licet cum Deo loquutus accipit consilium à socero suo gentili, & non quis dicat, sed quid dicat, auscultat, & nos si fortè aliquando inuenimus aliquid sapienter à gentilibus dictum, non continuo cum authoris nomine spernere debemus & dicta; nec cum superbia spernimus verba sapientum. Origen. homil. 11 in exod. *Vide magnit. cognit. scientia vniuersalis, & virtus medij. R.* vti malo medio.

Digitized by Google

NON VTI MEDIO, *sed seipso agere quando bonum.*

VOcauit Deus aridam, terram, non terram aridam, vt essentialem ei esse, propriam, & à nulla creatura acceptam ariditatem significaret. D. Basil. in hexam. hom. 4.

Vide minorit. princ. independentia.

Diuus Basilius, homilia de siccitate & fame. Inuehitur in parentes, qui tunc suis vacantes temporalibus negotijs, pueros suos mittebant in templum, Deum deprecaturos: quomodo, inquit, te liberare poterunt, qui nullam habent notitiam orãdi: Tu in medium prodi, tu, inquam, peccatis oneratus, humi procidens, clama, suspira, quare accusatus ac reus absconderis, & eum qui culpa vacat, in iudicium pro te statuis? Num illuditur Iudex, non sic Niniuitæ pœnitentes fuere, vt alios pro se substituerent, &c.

De laude sui ipsius, non expectata alterius commendatione. *Vide cogn. virt. propria.* laus sui ipsius licita.

Iussit nos Deus orare de pane quotidiano, non de semine, de pane qui jam euaserit manus agricolæ, molitoris, pistoris; ita prætermissis medijs, vult nos desiderare perfectum, & alibi dicit, nolite solliciti esse, quid manducabitis & bibetis, &c. quid loquamini coram principib. *V. minor. potest.* Voluntaria paupertas.

Visus est nobilior auditu, quamuis ambo multum conferant ad scientias, quia majores rerum differentias percipit, & ita magis confert ad inuentionem quam quis facit per seipsum, auditus autem ad disciplinam ab alio. Albert. Mag. tr. 1. de sensu & sensato. c. 2.

Auicenna, Algazel & alij dicunt, quod ab intellectu separatarum substantiarum, multa fiunt in inferioribus per solum imperium, & non per motum cæli; hæc sunt quæ monstra, prodigia, mirabilia vocantur, quæ per nullum contactum fiunt, sed solo imperio. Idem tractatu 1. de motibus animalium.

In Germania nati sunt duo gemini, quorum vnus dum ferretur iuxta ostia, sine pulsu, & claue omnia ostia versus latus suum sinistrum aperiebantur, quantumcumque serrata fuissent, & hanc virtutem quam ille habuit in sinistro, habuit frater eius in dextro, breui spatio ambo defuncti sunt. Ibidem.

Vita superiorum, est sine vegetatione, sensu, & motiuo secundum locum, ideo est nobilior quam vita inferiorum, est perfecta & perpetua, nullo indigens omnino eorum quæ sunt extra se. Id. tr. 1. de respiratione.

Natura jungitur materiæ sine medio, & perficit in ea suas operationes sine medio, eo quod ipsa non operatur essentialiter, & per se nisi vnum, propter quod instrumento non indiget. Ibidem, capite quarto. At anima cum sit vna & indiuisibilis, per se solam plurima operari non potest, & ideo spiritum habet vt instrumentum, ex cujus formali diuersitate plurima potest operari. Ib.

Anima vnitur corpori sine medio, sicut omnis perfectio, suo perfectibili vnitur, sine omni medio. Ib. c. 8.

Animalia quæ multum habent frigidi & humidi, viscosæ & spissæ substantiæ, per tempus sunt sine cibo, vt digerantur humiditates quæ sunt in ipsis, vt limaces, torpedines, glyres, vrsi, &c. Albertus Magnus, tractatu 2. de morte & vita, capite 10.

Viuentia indigent alimento, quo reparatur id quod calor naturalis consumit. In mineralibus autem & lapidibus, non dominatur calidum, sed potius frigidum coagulans & terminans siccum, cum autem motus frigiditatis sit constrictio partium rei ad interiora, non fit aliqua in eis deperditio, propter quod nutrimento non indigent. Id. tr. 1. de nutrimento & nutribil. c. 4.

Cælum ingreditur tantum compositionem inferiorum per virtutem, vnde dicitur quintum elementum; alia autem ingrediuntur materialiter & per se. Idem tractatu primo, de proprietat. elementorum.

Semen habet animam in se, non vt informantem tunc, sed vt artificem mouentem & disponentem ad conueniens; in quo perfectius est opus naturæ quam artis; quia opus naturæ habet motorem intra se mouentem: opus autem artis, suum extra se habet motorem. Alb Magn. l. 3. de vegetabilibus cap. 7. in fine.

Plantarum qualitates certius deprehenduntur per gustum, quam per odoratum; nam odoratus falli potest ex eo quod percipiet tantum vnam quæ tunc euaporat, ex multis mixtum componentibus; at gustabile per sui substantiam venit ad gustum, & contritum cum humido saliuali, quale fit in omnibus suis partibus facilè percipitur, tactus autem decipi potest, quia tantum iudicat de exterioribus. Ib. tr. 2. c. 1.

Omnis primi motoris virtus, in quocumque ordine major est immediatè conjuncta mobili, quam in eo quod conjungitur sibi per medium. Albertus Magnus, lib. de processu vnius, capite septimo.

Quando seruitium debet fieri personæ Principis, non debet fieri per substitutum, capite 1. §. mutus, in tit. Episcopum vel Abbatem in vsibus feudorum.

Quando non est vtendum ornatu, *vide maiorit. gloria mala.*

Perdit plurimam de sceleribus voluptatem, qui mandat, & minus gratiæ rebus ex nuntio venit. Occidit alius te jubente, sed vulneribus illis non fruentur oculi, sed plus est vt singultibus abeuntis animę, vt cruore satieris, vt collapsum, palpitantemque videas. Quint decl 7.

Angeli seu intelligentiæ, per imperium & voluntatem influunt, in sphæram corruptibilium, frequenter cum cælo, & aliquando sine cæli adminiculo. Gerson. in trilogio Astrologiæ Theologisatę. prop. 14.

Angeli seu intelligentiæ ad creationem animæ rationalis nequaquam attingunt, sed nec eidem possunt illabi. Ib prop. 15.

Plutarch. li. an aqua, an ignis sit vtilior, pro aqua dicit quod seipsa æqualiter omnibus se offert, & nullo vtens instrumento; at ignem oportet impensis alere, vnde major eius copia apud diuites, quam apud pauperes. At contra pro igne dicit, quod est vtilior, quia vtilis est sine aqua, at aqua nocet, corruptionem inducit, si careat ignis calore. Ita concludit id esse præstantius quod seipso agit. Vt præstantior est Respublica, quæ non indiget externo auxilio.

Vita agrestis sibi de omnibus prouidens, præstat vitæ vrbanæ.

Parentibus gratiora sunt officia quæ filij proprijs, & charis manibus exhibent.

Cum motus sit ad sanitatem necessarius, optimus ille est qui à seipso fit, *vide bonitas diff.* motus vtilitas

Moyses in descriptione creationis mundi non est loquutus de Angelis, ne eos velut collegas diuinæ potestatis, naturæque spiritualis coleret populus ad idololatriam procliuis. Theodoret. in Genes. q. 2.

Moyses postquam populus adorauit vitulum aureum, orat ne demandaretur Angelo regimen populi, obsecrat ne conseruus daretur illis pro duce; sed Dominus ipse dux eorum esset. Exod. 32.

In statu innocentiæ non extiterunt Sacramenta, fuissent enim superuacua, cum iustitia originalis sufficienter præstaret, quod Sacramenta præstitissent. D Th 3. q. 61. a 2.

In circumcisione non erat determinatus minister, vnde aliquis poterat seipsum circumcidere. Bonacina de Sacrament. disputat. 1. quæstione 1. pun. 3.

Sacramenta non sunt absolutè, & ex natura rei necessaria ad salutem, quia virtus infinita Dei non est alligata Sacramentis. Ib.

Etiamsi Christus potuisset conferre Apostolis potestatem conficiendi Sacramenta; tamen ipsemet illa instituit, ne viderentur plura esse capita in Ecclesia. Id.

Baptismus flaminis est verus dolor de peccato ob amorem Dei, cum proposito suscipiendi baptismum, & si desit occasio supplet eius vices, ad remissionem omnis peccati, & pœnæ. Idem disp. 2. de his quos Deus saluat sine baptismo, *vide diff. medij*, mutatio mediorum.

In baptismo non sufficit aquam vestes attingere, nisi & contingat carnem. Id. Duo non possunt sibi mutuo famulari in administrando baptismo, *V. minor magnit.* vnitas.

Chrisma confirmationis debet consecrari ab Episcopo, non à sacerdote eius, aut etiam S. Pontificis vices agente, Bonacina de confirmatione, & D. Thom. 3. quæstione 72. a. 4. & vnctio non debet fieri penicillo, aut alio instrumento, sed ipsa manu, Ibid.

Vrgente necessitate, extra sacrificium Missæ, potest seipsum communicare, aliqui etiam Doctores asserunt id vrgente necessitate, vt periculo mortis, licitum esse Laicis, qui olim Eucharistiam domi asseruabant & sumebant. Bonacina de Eucharistia, q. 5.

Absolutio collata pœnitenti absenti non est valida, quamuis pœnitens in articulo mortis existat, & ex decreto Clementis 8 qui absenti pœnitenti dat absolutionem, excommunicatur. Idem de pœnitentia, quæstione quarta, p. 5. Sic absolutio non potest dari in scriptis, sed necessario voce proferenda est.

Satisfactio injuncta à confessario, non potest per alium adimpleri, sed per ipsummet pœnitentem implenda est, nisi confessarius aliud expresserit, quia est obligatio personalis Id. de satisfactione.

Bonacina tract. de Indulgentijs, asserit quod si indulgentia concedatur sub conditione eleemosynæ, eam non lucrari, eum qui dedit seruo vt erogaret, & non erogauit, nam serui defectus redit in male eligentem, qui seipso debuerat hoc opus misericordiæ exequi.

A Math. 4. Christo in deserto esurienti, dicit diabolus tentator, dic vt lapides isti panes fiant. Diabole, fallit te prouisio tua, potest famem vertere in saturitatem, qui potest in panem lapides immutare quid illi consilium tuum, cui sufficit virtus sua. D. Chrysol. ser. 11.

Antigonus præsens exercitui suo natiuali non timuit aduersarios numero fortiores aggredi, quasi ipsi esset loco multarum nauium.

De principijs demonstrationis per se notis, *vide virtus principii*, parentes sint filijs in exemplum.

Genes. 14. Abraham suscepto hospiti astitit, non assedit, & fuit iste non conuiua hospitis, sed minister, viso peregrino, Dominum se esse nesciuit, ipse allator prandij, & coquinam vix probatæ licet vxori, audet committere; humanitas sic sancta, sanctis est semper manibus præparata, vt inuitaret Deum, ipsummet. Chrysol. ser 121.

B

Christus habuit excellentem potestatem quam non contulit Petro, vt posse saluari sine baptismo, quia vt dicit Hieronymus super Mathæum, nullum sanauit in corpore, quem non sanauerit in mente, & quidem sine baptismo; at Petrus nullum saluauit nisi per baptismum, vt Cornelium Centurionem. D. Thom. de regimine princip. libro 3. capite 10.

Pontifex potest sibimet indulgentias conferre. *V. vol. bonit.* amor sui bonus.

C

Cum expulsio variolæ sit quædam crisis, hæc vna sit intentio non impediendi naturam, quæ sibi relinqui debet abstinendo ab omnibus medicamentis. Fracastor. de contagione. libro 3. capite quarto.

Quoties negotium arduum alicui committitur, censetur electa personæ industria, cap. is cui. de off. deleg. in 6.

Sub dominio Mercurij hermaphroditi, dicitur esse piscis trochus, qui seipsum init, quocirca masculofœminam vocant.

Quidquid potest facere Deus, cum causa secunda, potest facere se solo.

D

Forma simplex scilicet Deus, non potest esse subiectum accidentium.

Deus seipso omnia intelligit, *vide medium cognitionis.*

Hierapoli in Syria celebre templum Iunoni sacrum, in eo Solis & Lunæ, nullum erat simulachrum, quia seipsos nobis quotidie ostendunt.

Terra producit plures plantas miræ virtutis in sanandis corporibus, sed seipsa in Persia ex rupe fluere facit pretiosum liquorem dictum Monmaki Koni, id est momia pretiosa, quotannis tantum 5. vncias Regi tantum seruatas, balsamo Iudaico, longè pretiosius medicamentum & Alixipharmacum, quod terra seipsa fundit, non per plantas aut mineralia. Dauity in Persia.

E

In India arbor est dicta Ambar, quæ deponit folia, cum illi aqua infunditur; cæteræ tamen arbores humiditate virescunt.

Minister non debet dare, quod à principe ipso debet procedere, *vide minoritas bonitatis*, de Ibernis.

Geneuensis Respublica exteris multis confœderata, eos in auxilium non vocat, nisi in extrema necessitate. Id.

Deo nihil est difficile, nam ipse qui est pura necessitas, non adstringitur ad modum, vt sic aut sic agat. C. Cusa dialogo de annuntiatione, super hoc, quomodo fiet istud.

Digitized by Google

A Christus est verus Pontifex, quoniam omnia quę sunt Pontificalis officij consummatè perfecit, absoluit enim & dimittit culpam sine satisfactione, infundit gratiã sine instrumentis, impetrat veniã sine impedimento. Papa non potest originale peccatum sine baptismate dimittere, nec mortale sine pœnitentiæ Sacramento, ars enim sine adjutorio naturæ nihil potest sicut faber non potest facere cultellum sine ferro quod à natura producitur, nec natura aliquid potest sine adjutorio Dei qui creauit materiam, & præbet operandi efficaciam; sic Papa nihil potest sine Sacramentis, & Sacramenta nihil sine Deo, Deus autem potest sine omnibus alijs. Id. excit. l.6.c.2.

B Deus solus seipso transformat animam in suam similitudinem, *V. princ. virt.* Dei gratia, sic sol seipsum exprimit in speculo.

Arca Noë erat sine remis, velis, & cæteris instrumentis nauticis, sed diuinâ prouidentiâ huc illuc fluctuans. Geneb a.m 1656.

Aristoteles primus Philosophiam à figuris & numeris vindicauit, quibus eam Platonici & Pythagorici verius velabant, quam docebant, ita instituta & in artem reducta Logica, vt ad disciplinas clarius & aptius esset organum. Ib a.3791.

Corpus animalium de se non est susceptibile motus processiui, & ideo natura fecit ei fila & chordas, per quæ trahit membra ad motum & fecit ei musculos qui mouent ad imperium intellectus C mouentis. Corpus autem cæli de se susceptibile est, motus influxi ei per suum motorem separatum, propter quod non indiget fibris & organis, & ideo motor nihil accipit à corpore. Alb. Mag. de cælo & mundo. tr.1.c.3.

Quidam optant Regem, aut per se sapere, aut sic insanire, vt omnia permittat consiliariorum arbitrio. Æneas Syluius.

Agens per medium est minus efficax in agendo, si vtatur medio propter suam necessitatem.

Virtus non recipitur secundum eandem perfectionem in instrumento, secundum quam est in principali agente, *vide maior princ.*

D Agens enim instrumentale exequitur actionem principalis agentis per aliquam actionem propriam & connaturalem sibi.

In omnibus potestatibus, & artibus ordinatis, illa quæ est superior principalem & perfectum actum operatur per seipsam, ea vero quæ disponunt ad perfectionem vltimam, operatur per suos ministros, sicut nauifactor compaginat nauem per seipsum, sed præparat materiam per artifices subministrantes.

Semina ipsa per se, sine vllis radicibus nutrimenti aliquid possunt attrahere, vnde fit vt & à flatibus, & ab aëre vegetari possint. Theophrast. de causis plantar. l 4. c.15. Sic oua animalium ab aëre circumfuso E aluntur, perficiunturque, omnino grauida fœtu redduntur. b c.16.

Missio ad euangelizandum est à Deo, vel immediata, vt cum mittebat Prophetas, & cum Christus misit Apostolos. Ecce ego mitto vos. & hæc est extraordinaria, ordinaria autem est quæ fit per præpositos à Deo, scilicet per Episcopos

Opinio asserentium pueros qui moriuntur sine baptismo, saluari posse in voto parentum qui illis applicant meritum Christi, non potest dici hæretica, sed temeraria, quia scriptura expresse nihil habet contrarium. Vasq.3.p.disp.151.c.2,nu.20. Suar.3. p.to.3.disp 27.sect.3.

Aiunt Empedoclem Pausanię tradidisse apnum, hoc est spiritu carens medicamentum, quod sit hujusmodi, vt per triginta dies conseruet sine potu, spiritu, & cibo corpus. Suidas in verbo *ἄπνους*.

Ægyptij serpentem diuinum animal calore & spiritibus præ cæteris refertum existimarunt, quod celeri sit gressu, sine vllis pedibus manibusque vel alijs instrumentis, tum quia ætatem exuuias deponendo renouat. Petrus Crin. de honesta discip. l.16. c.2.

Quando legitur Deum apparuisse patribus & Prophetis, non per seipsum apparuit, sed per Angelos in figuris & creaturis, vt probat D. August 3. de Trinit. & dicitur Galat 3. & Hebr. 2. quod lex ordinata est per Angelos. Noui testamenti priuilegium quod verbum diuinum seipso in carne apparuerit.

Deus potest seipso animam gratam efficere sine charitate creata, *vide principium volunt.* charitas à Deo.

Vocales litteræ sunt quæ directo hiatu faucium sine vlla collisione variè emittuntur, & dictæ vocales quod per se vocem impleant, & per se syllabam faciant nulla adhærente consonante. Consonantes sunt quæ diuerso motu linguæ vel impressione labiorum efficiuntur, & dictæ consonantes, quia per se non sonant, sed junctis vocalibus consonant. Isidor. orig. l 1.c.4.

In lacu Scotiæ bituminoso, dicto Loumond, pisces carent pinnis, quia sine illis sustineri possunt leues, ab aqua crassa. Cardan. de rerum variet. libro 1. c. 7.

Automata apud mechanicos dicuntur artificiata quæ per se videntur moueri. Rodig, l.7.c.16

Nabathæi in Arabia raro nisi ex infirmitate seruis & ministris vtuntur, sed sibi quisque etiam diues & Rex seruit. Id. l 18.c 36.

Diabolus calumniatur S. Scripturam, quasi de Christo dixerit. Angelis suis mandauit de te, vt non offendas ad lapidem pedem tuum, saluator enim Angelis non indigebat ad hoc. Origen. hom. 5. super num.

Cantic. 1. collum tuum sicut monilia, habet ex se pulchritudinem suam sine monilibus. Id.

Chirurgus leuia vulnera curat per discipulos, grauia autem & periculosa propria manu, sic calix aureus Babylonis in manu Dei. Hier 15.

Nutritio speciale non habet organum, quoniam vbique fit.

Propterea nobis Deus dedit manus & pedes, vt non egeremus famulis. Necessitatibus meis, & ijs qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ, inquit Paulus, Act 20 si fuisset famulus homini necessarius, cum Adamo creatus fuisset. D. Chrys. ho. 40. in 1. ad Cor.

Licet Deus impendat ministrorum ora manusque, veri è tamen ipse mysteria operatur, *vide virtus medii probi ministri R.*

Omnis actus denominatur à potentia cujus est, sicut intelligere ab intellectu, sed frui non denominatur ab aliqua potentia, ergo videtur quod nullius potentiæ sit, sed pertineat ad essentiam animæ. Diu. Thom in Mag sententiarum, distinctione 1.

Omne agens agit secundum quod est actu; Rei autem particularis tota substantia non est actus, quia componitur ex materia & forma, ideo non agit se tota, sed per formam suam per quam est in actu, ideo non producit simpliciter ens, sed ens

præexistens determinat ad hoc vel illud, vt puta ad speciem ignis, agit igitur mouendo, & requirit materiam quæ sit subjectum mutationis vel motus, & propter hoc non potest aliquid ex nihilo facere. At Deus est totaliter actus, nullam habens potentiam admistam, vnde per suam actionem producit totum ens subsistens, nullo præsupposito, vtpote qui est totius esse principium & secundum se totum. Id. in q. disp. q. 3. a. 1.

Inferiora nunquam attingunt ad gradum perfectionis superiorum, hoc autem est de ratione perfectionis supremi agentis, quod sua perfectio sibi sufficiat ad agendum alio agente remoto, hoc autem agentibus inferioribus attribui non potest. Ib. q. 5. a. 8. ad 4.

Episcopi solebant peste laborantibus personaliter adesse, vnde ferunt saphyrum. *V. dur. bonit.* mora in dando.

Anima post mortem & separationem à corpore potest intelligere, nam nulla substantia destituitur propria operatione; at propria operatio animæ rationalis est intelligere. Sicut aliquid ex conjunctione ad corpus materiale redditur passiuum, ita per separationem ab eodem, redditur actiuum, vt si calidum esset à materia separatum, ageret & non pateretur, sic anima post separationem à corpore, intelligit independenter à corpore, siue innata vi, siue per species à Deo infusas, &c. D. Th. Ib. de cognitione animæ post mortem, a. 1.

Humiditas radicalis non satis reparatur per cibos.

Propheta propriè dictus nunquam consulebat alium Prophetam in re dubia, sed ipsemet quærebat à Domino. Tost. 1. Par. f. 192.

Crocodyli à bruma per quatuor hyemis menses latent, & non vtuntur cibo; sic glires, mures montani, testudines, limaces, muscarum & insectorum plura genera per hyemem proprio spisso quodam victitant humore.

In extremis Septentrionis regionibus rarus est ferri vsus, ita domos optimè construunt & compagin ant sine ferro. Olaus Magnus, libro 12. capite 13.

Arca Noë, nec velo acta, nec remige, semel omnes mortales in orbem nouum trajecit.

Quod eminet potest agere, vel nullis, vel paucis adhibitis mediis. vide quæ scripsi de iure natur. l. 2. lege 4. § 8.

Christus seipsum sumendum tradit in Eucharistia, *vide potestas medii*, Eucharistia.

Creator hominis peccatum per seipsum expiare voluit, & non per Angelum, quia non sufficiebat vnius Angeli meritum ad redemptionem totius generis humani. Alcuin. in Genes. interrogat 12.

Hæ creaturæ ex nihilo creatæ sunt; cælum, terra, Angeli, lux aër, aqua, anima hominis. Ibid. interrogat. 20.

Imperator. Iustinian. in lib. primo, cod. de off. præf. Præt. Afr. non auditione accepisse, sed vidisse se ait venerabiles viros, quibus Vandali in Africa linguas exciderant, nec tamen ademerant loquendi facultatem, quod & in alijs plerisque in Arianorum persecutione refert, Cujac. obseruat. libro 19. c. 6.

Quanquam omnem censum tuum in pauperes distribuas, nihil apud Christum erit pretiosius, nisi quod manibus tuis ipsa confeceris, vel in vsus proprios, vel in exemplum virginum cæterarum, vel quod auiæ matrique offeras, majora ab eis in refectionem pauperum pretia receptura. D. Hier. ep. ad Demetriadem.

In Cantico Canticorum, dicit sponsa, osculetur me osculo oris sui, id est, quousque sponsus meus mittit oscula per Moysem, & per Prophetas? Iam ipsius cupio ora contingere; ipse veniat, ipse descendat. Orig. in Cant.

Alexander raro admodum admonitu amicorum, cum metus discriminis erat, vti solebat. Q. Curtius, l. 4.

In generali congregatione habita Romæ, a. 1602. damnata fuit propositio dicentium confessionem absentis fieri posse per internuntium, aut litteris, & sic absolutionem dari posse. Quaranta in summa bullar verbo confessio.

Causæ ciuiles concernentes interesse fisci. Cameræ Apostolicæ, in eadem Camera sunt cognoscendæ in omnibus instantijs. Paulus 3. const. 9. Bull. p. 521. tom. 1.

DEFECTVS MEDIORVM *bonus.*

HEluetij Gallias inuasuri domos suas combusserunt, vt illis ex desperatione reditus, cresceret audacia.

Populi regiones exteras inuadentes naues combusserunt eadem ratione, vt omni refugio sublato terram occuparent. Suidas ex Thucidide, id efficit necessitas, *V. contrar. volunt.*

Apud Indos est maxima ferri inopia, & inferri aliunde sub pœna capitis prohibetur. Rodig. l. 18. c. 31.

Vide bonitas minoritatis.

De paupertate voluntaria, *vide minor. potest.* De priuatione rerum quæ ad peccata propellunt, *vide minor. gloria* mortificatio.

Guineæ populi bello inito contra hostes quos penitus volunt delere, incendunt ædificia & oppida sua, ne vel hostes fortè superiores facti, ijs potiantur, vel ipsi desiderio aliquo teneantur reuertendi domum; procedunt itaque cum vxoribus & liberis. Gotardus, hist. Indicæ, c. 11.

Pauper elinguis & mutus, ne hoc quidem habens vnde roget, magis rogat, dum rogare non potest. D. Hier. ad Pammachium.

De muliere quæ linguam morsu præscidit, ne posset in tormentis tyrannicidas confiteri, *vide minor. potestas*, paupertas voluntaria, quæ appetitur ne possimus diuitijs abuti.

DEFECTVS MEDIORVM *malus.*

VIta non deficit, nisi defectu organorum, *vide finis durationis.*

Pythagoras dixit omnes animas esse ejusdem rationis & naturæ, sed impediri à quibusdam operationibus, in aliquibus corporibus propter defectum organorum, vt in homine ratiocinatur propter conuenientem cerebri dispositionem, non in brutis. Alb. Magn. tract. 2. de natura & origine animæ, c. 8.

Quantum noceat defectus mediorum conjice per rationem contrariorum ex his quæ dicta sunt de

Digitized by Google

d e eorum necessitate, & *vide bonitas & potestas medij*. A

Planta quæ super solidos nascitur lapides, propter carentiam humoris, vix longo durat tempore, nam obstante loci soliditate vapor terræ à sole eleuatus, non potest ad plantam peruenire. Albertus Mag.

Omnis planta domestica defectu culturæ fit syluestris, sicut syluestris, si benè colatur fit domestica.

Habeo quem fugiam, quem sequar non habeo. Quint.

Infirmæ anchoræ nauem committere.

Qui projicit breuiarium in mare, vt non possit recitare officium, est causa omissionis, cum sic auferatur facultas recitandi diuinum officium. Bonac. de peccato, q 4 p 4. B

Sæpè valentissimos milites, rerum inopia, potius quam ferrum domuit.

Si senex haberet oculum vt juuenis, videret vt juuenis. Arist. 1 de anima, tex. 65.

Deus dicit serpenti in pœnam, super pectus tuum gradieris, vtique sine pedibus.

Res naturalis, non amittit formam, nisi solutis dispositionibus quibus forma in materia retinebatur.

Habent in se rami tam parui, quam grandes, principia quædam vitalia, quæ tepefacta temporis indulgentia germina pariunt, etiam à trunco separata & terræ infixa, sed quia deest radix & alimentum, cito exsiccantur, & pereunt Theoph. de caus. plant. l. 1. c. 13. C

Contractus omnes in quibus deficiunt formalitates à iure præscriptæ, sunt nulli in foro externo & conscientiæ. Vide Bonacina. de contract in genere, puncto 3. Quando lex præscribit certam solemnitatem ad aliquem actum, & irritet aliter factum, actus est inualidus, quia censetur deesse forma. Ibidem.

In somnis videre mortuos boues, significat famis tempus.

E pilo pendet, qui est in magno periculo, leui fretus remedio.

In Scotia vix proueniunt arbores, quia ibi terra bitumen est, qua vtuntur ad alendos ignes, sic non habet humorem alendis arboribus aptum. Card. de rer var. l. 1. c. 4. D

Flamma ignis, est accensus vapor qui sursum euolat, ita nouus aër debet aduenire, qui consumpti vices subeat, ne detur vacuum, ita vi per rimulas intromittitur: quod si obturata sint omnia, vapor qui sursum ferri debuerat, diffunditur per cubiculum, & tandem ignis aëris defectu extinguitur.

Peccatum in Spiritum sanctum consistit in hoc, quod voluntas rejicit id per quod à peccato retrahi deberet. D. Th in 2. sent d. 43.

Quanto magis medium accedit ad vnum extremorum, tanto magis recedit ab altero. Tost. Math. to. 7. f. 191. E

Perit actio vitaque, mediis ad conseruationem necessariis destituta, vide quæ scripsi de iure natur. l. 3. lege 9.

Macies nascitur ex alimento subtracto.

Exauctoratio infamiam irrogans fiebat, detractis armis, cingulo, cæterisque insignibus militaribus, l. 2. §. sed si eum, de his qui notant. infam. Cujac. obs. l. 15. c. 8.

Luna decrescente, nihil benè fit, *vide minoritas maioritatis*.

DEFECTUS ALIMENTI, *fames*.

SI per somnum spiritus animalis ad interiora recurrentes, non inueniunt materiam ex qua reparetur deperditum ipsorum, tunc calor interior excitatus, & multiplicatus, consumit humidum ex quo reparari debuit spiritus, & homo tunc excitatur, & debilitatur; calor attrahit malas materias ad stomachum, quas incendit, & loco cibi mittit ad partes corporis. Albert Magn. tract. 1. de somno & vigilia, c. 8.

Fames est desiderium restaurantis deperditum, Idem.

De fame in qua humana carne vescebantur homines, dicit Quint. decl. 12. Æstuant adhuc intra pectus sepulta ventribus nostris cognata viscera, & tumescere intus atque indignari videntur, ô fames inaudita, in qua leuius est quod esurimus. Pauci sceleribus pasti, alienis mortibus salui, sic habuimus vt nec viuos habeamus, nec mortuos. Quod miseris vltimũ est, miserationem quoq; perdidimus; os insolitis cibis stupebat, feris inuidere cœpimus. Nemo tã affinis fuit, quo pietas abstineret, nostros comedimus. Nam si alienos nemo audebat, nemo cedebat, planè immanis bellua, & per nefas pastus, qui comederit hominem non irascitur. Non ignis defunctos cremauit, non feræ lacerauerunt, & tamen cadauera mortibus annumerare possumus, mors placet, etiam cibis nostris inuideo, fœlix pestilentia, fœlix præliorum strages, denique omnis mors facilis; fames aspera vitalia haurit, præcordia carpit, animi tormentum, corporis tabes, magistra peccandi, durissima necessitatum, deformissima malorũ; hæc ad humile opus nobiles manus mittit; sociorum fidem fregit, in parricidium pios egit; mondum editi conceptus intra vterum famem sentiunt; jam nemo diues est, populus corporibus suis vias strauit, mendicus quem rogaret, non habuit; feræ mutuo laniatu abstinent, nec vlla tam rabiosa bellua, cui non imago sua sancta sit. Mater sibi parit, redit in vterum laceratus infans.

Aues & cætera animalia famem patiuntur terra niuibus obsita.

Fames omnia reddit dulcia, propter seipsam.

Luc. 15 postquam prodigus consumpsit omnia, facta est fames valida in regione illa.

Cessatio nutritionis, mors est, quia semper calor natiuus aliquas partes absumit.

In pœnam fratricidij Caïn sequuta est fames in terra, vt colligitur ex his verbis. Genes. 4. Maledicta terra, cum illam operatus fueris, non dabit tibi fructus suos. Genebr in Chron.

Decem sunt fames validæ, quas Dominus immisit ad castigandum mundum; prima contingit Adamo viuente. Gen. 3. altera viuente Lamech. Gen. 5. tertia Abrahamo, Gen. 12. quarta Isaaco, Gen. 16. quinta Iacobo, Gen. 42. sexta Booz, Ruth, 1. septima Dauide, 2. Reg. 22. octaua Elia Propheta, 3 Reg. 17. nona Elizæo in Samaria. 4. Reg. 6. decima quæ expectabatur sub Messia, de qua Ioannes in Apocal. & quæ contigit sub Claudio, hanc prædixerat Agabus Propheta. Act. 11. lb.

Refert Auenzoar quandoque in regionibus suis eo ventum, horribile vel solo auditu, vt propter famem cadauera mortuorum è sepulchris eruerent

homines. Cardan. lib. de rerum variet. c. 45.

Difficile est verba dare ventri qui aures non habet, inquiebat Cato.

Omnem affectum excludit fames in primis vero verecundiam.

Cum infans in vtero molem habet corporis plus cibi requirentem, quam illud quod adest, palpitat, & membranas interscindit, ac initium partus matri affert. Rod. l.15. c.22. Sic populi Septentrionales prolifici cum multum excreuerint, sedibus suis rejectis exteras occupant.

Impium olim censebatur fame necare, quo nomine in vincula conjectis vt morerentur, cibi aliquantulum apponebatur, & in vestalium pœna. Id. l.26. c.1. (*V. duratio contrar.* pœna lenta & protracta.

A De sæuissima fame in Longobardia, Italia, Hispania, Gothis eas prouincias inuadentibus, quia nec serebantur agri. Vide Olaum Mag rer. Septentr. l.9. in fine.

Illegitima pœna est inedia necari l. 10. ff. de interd. & releg. vnde quos ablegabant tyranni in specus aut loca sola, his solebant cibi aliquid apponere. Cujac. obs. l.14. c.34.

D. Hier. ad Principiam in Epitaphio Marcellæ, de Roma ab hostibus capta differens; Capitur, inquit, vrbs, quæ totum cepit orbem, imo fame perit, antequam gladio, & vix pauci qui caperentur inuenti sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies, & sua inuicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactenti infantiæ, & recipit vtero, quem paulo antè effuderat.

BONITAS FINIS.

BONÆ RERVM EXTREMITATES.

De piscibus & fructibus, qui faciem externam habent asperam, interiorem vero mollitiem, *vide media contrarietas.*

Mare cum in terras effunditur simul euomit multas fœces, vnde qui tunc in eo natant homines fœda scabie corripiuntur, at recedens sanum est, & in eo lauari optimum.

Vide duratio bonit. mora in dando.

Vide finis differ. ad propria reditus.

Ex malo bonum, *V. maioris. princ. R.* effectus sua causa præstantiores, *& virtus medii. R.* quando liceat vti malo medio.

Peccant qui consuetudinem contra legem inducunt, donec elapsum sit tempus requisitum ad consuetudinem inducendam; postea tamen inducta consuetudo legis habet vigorem. Bonac. de legib. q. 1. in fine.

Iacob rediens à Laban, dicit Deo, in baculo meo transiui Iordanem, & nunc regredior cum duabus turmis, Genes. 32. *Vide gloria virtutis.* Remuneratio.

Effectus causæ non est nisi in termino actionis.

Arbores multæ cacuminibus fructum ferunt, sic frumenta quę spicam pariunt, & olera quibus radix capitata. Palma quoque fructum quodammodo cacumine gignit, folia & germina cacumine gerit, quippe vis eius genitalis parte superiore tota consistit. Theoph. hist. plant. l.1. c.23. *V. bonitas maiorit.* altitudinis, *vide finis minoritas.* cessatio defectus, *& virtus finis.*

Generatio est completio, vltimum & melius rei naturalis, *vide bonitas princ.* fœcunditatis.

In peruana regione quidquid occidentem respicit, argento auroque abundat, orientalior pars minimè, causa est aquæ natura. Nam & mare ex parte illa conchas facit quæ margaritas ferant, & orientale nequaquam. Card. de rer. var. l.1. c.3.

B Mosa fluuius ab ortu suo, margine longe lateque lapidescentem succum imbibente, colles sternit, hinc inde viscetum vsque, quo succo iam absumpto, suamque destinationem permenso, Mosa deinceps rupes non aspicit. Van helm. parad 3.

Hoc distat fons à puteo, fons est in summo, puteus in imo.

Messis sera fœcunditas est, vindemia fit in anni occasu, oliua postremus est fructus. D. Ambros. epist. 31.

C *POSITI REBVS TERMINI, NEC valet quod est indeterminatum.*

Res sunt vnum & multa, quatenus vnum, sunt terminatæ, quatenus multa, habent aliquid infiniti, constat materia quæ est infinita, & forma quæ est finita, sic infinitum & terminus sunt principia entis inter se contraria, *vide finis magnitud. finis volunt.* limitata desideria, *virtus medii, mediocritas, & minor. finis,* indeterminata non valent.

Euclydes definit lineam, longitudo terminata ad duo puncta.

Esse cujuslibet creaturæ est determinatum ad vnum, secundum genus & speciem.

Circumscribi terminis localibus est proprium D corporum, sed terminis essentialibus circumscribi est commune cuilibet creaturæ, tam corporali quam spiritali.

Quicumque intendit aliquam determinatā mensuram in suo effectu, excogitat aliquem numerum in partibus essentialibus eius, quę per se requiruntur ad perfectionem totius. Sicut ædificator excogitat mensuram determinatam domus, & determinatum numerum mensurarum parietis & tecti, quia omne agens naturale intendit facere aliquid finitum.

Digitized by Google

A Sicut qualibet res naturalis habet determinatam mensuram naturalis magnitudinis secũdum quantitatem continuam; ita etiam qualibet res habet determinatam quantitatem suæ virtutis naturalis.

Natura ex determinatis principijs per determinata media procedit in suos effectus.

Pluralitas materialis à nullo agente est intenta, vt finis, quia tendit in infinitum, quod repugnat fini.

Vox dicitur terminus, quia terminat, id est claudit sub se naturam rei. Tostat. Math. tomo secundo, f. 59.

MAGNITVDO FINIS

TERMINATIONIS.

FINIS est melior ijs quæ sunt ad finem, vt sanitas melior medicina, & corpus indumento, & gratia pœnitentia. Card. Cusa. excit. l. 7. c. 6.

In peroratione potissimum explicandæ vires, & crescere debet oratio, quia quidquid non adjicit prioribus, detrahere videtur; & facilè deficit affectus qui descendit. Quint. Instit. or. l. 6. c. 1.

In periodo texenda, verbum quod est vehemens obscurari circumjacentibus solet, in clausula positum assignatur auditori, & infigitur. Idem libro nono, capite 3. ita semper crescere debet oratio, vt semper aliud majus alio superueniat. Ibidem. Aures continuam vocem sequutæ, ductæque velut decurrentis orationis flumine, tunc magis indi-B cant, cum ille impetus stetit, & intuendi tempus dedit. Non igitur durum sit, neque abruptum quo animi velut respirant, & reficiuntur; hæc est sedes orationis, hoc auditor expectat, hic laus omnis declamat. Ib.

Inferior pars ventriculi est potentior superiore & media in concoquendi munere.

Ambros. ep. 20 ad Herennium, scribit, sicut inter animalia creata, homo merito postremus, quasi finis naturæ formatus ad iustitiam; sic inter omnes fines legis Christus, ad iustitiam omni credenti; vnde ipse pastor bonus, & nos oues pascuæ eius.

In Turquia, Perside, India, oues habent caudam sic latam, pinguedine refertam, vt superet quartam reliqui corporis partem.

Vide gloria finis.

DVRATIO FINIS.

DVRATIO FINIS.

VIRTVS primæ intentionis, quæ est respectu vltimi finis, manet in quolibet appetitu cujuscumque rei, etiamsi de vltimo fine actu non cogi- A tet, sicut non oportet, quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine.

(.·.) (.·.) (.·.)

POTESTAS FINIS.

VLTIMA VALIDIORA.

IN omnibus animalibus multipedibus natura ordinauit pedes posteriores, fortiores quam anteriores, quia his incumbit pôdus corporis, & per illos impingitur ad motum. Albertus Magnus, libro 2. de motibus animal. tract. 2. capite 3. *Vide gloria finis, & virtus finis.*

In Sacramento Eucharistiæ, incipit esse corpus Christi, in vltima prolatione verborum, & in eo instanti in quo completur eorum significatio.

Duodecim vrbes Ioniæ in consilio conueniebant de rebus communibus deliberaturæ, quod si quando pares erant calculi, imparem Colophonij, victoremque adijciebant. Suidas in voce τὸν κολοφῶνα.

In ducendis aquis plurimum interest, quomodo calix ponatur, inferior enim plus trahit, superior minus ducit, quia cursus aquæ ab inferiore rapitur; & sic baculus immersus aquæ currenti, sentitur abduci magis in imo. Cardan. de rerum variet. libro 1. cap. 6.

QVID POSSIT finis.

IN auibus & piscibus, cauda habet vicem gubernaculi dirigentis & sistentis motum volationis, & natationis. Alb. Mag.

Si quis furetur gladium ad occidendum hominem, vel pœcuniam ad adulterandum, duo peccata committit, cum finis diuersam speciei malitiam ha- B beat, ab ea quam habet actus furti ex sua natura. Bonac. de sacram. pœnitentiæ.

De finali causa. Gerson. to. 4.

Actus inefficax, vt desiderium, bonitatem aut malitiam suam sumit à motiuo, cujus intuitu elicitur; ita licet optare mortem vt fruamur beatitudine, non tamen licet sibi violentas manus inferre; hic enim est actus efficax, qui non sumit specificationem à motiuo, sed ab actu & objecto externo. Bonac. de charitate pun vlt.

Aquæ fontium egrediuntur è canali, secundum figuram quam habet extremitas canalis, *vide supra magnit. finis.*

Ex Aristotele, finis est causa causarum, quia mo- C uet efficientem, & est optimum cujusque rei, id est, quod maximè est illi desiderabile. Vnde dicit secundo Physic text. 89. Sicut se habent principia in speculatiuis, sic se habet finis in rebus agendis.

Finis se habet vt bonum, & quædam sunt tantum bona, quia ad bonum ordinantur, vt potio amara ad sanitatem.

Finis est qui distinguit opera, medici secant carnem, frangunt ossa vt latrones, sed diuerso fine; homicidæ torquentur vt martyres, multum tamen interest, inter vtrósque. D. Chrysost. in cap. 1. ad Galat.

Aliquando per circumstantiam constituitur dis- D parata species peccati, sicut si ego furer rem alienam vt possim homicidium facere, vel simoniam committere, trahitur ad speciem peccati penitus disparatam. D. Thom. in qu. disp. quæst. 2. de peccatis a. 6. o.

Vide virtus voluntatis, & virtus finis.

Peccatum veniale fit mortale quando placet, non quocumque modo, sed sicut finis. Ibidem,

Digitized by Google

quæstione septima, de peccato veniali, art. primo, ad 6.

A

Definitio maximè debet accipere causam finalem, eo quod per causam finalem res valdè innotescit. Tostat. Indic. fol. 122.

Gen. 1. factum est vespere & mane dies vnus, id est, finis operis perfecti, & initium operis incœpti. Alcuin.in Gen.interr.34.

COGNITIO FINIS.

MORTIS COGITATIO ET PRÆVISIO.

INTER funerum solemnia numeratur silicernium, conuiuium in quo nullo lumine accenso silentes tantum vmbræ cernebantur, & pransi decedentes, vnus alteri dicebat. Vale. Cujac.obser.l.11 c.21.

B

Sepulchra plerumque fuisse secundum viam publicam Varro scribit, quo prætereuntes admonerent & se fuisse, & illos esse mortales, l.si mercedem, §. 1.ff. de act.sap.

Propheta dicit, Psal.38. Domine notum fac mihi finem meum, & Salomon, Eccles. 7. Fili recordare nouissima tua, & non peccabis. Ierem. Thre. 1. Deplorans animam peccatricem, sui finis immemorem; sordes, inquit, in pedibus eius nec recordata est finis sui.

C

Nescitur quis futurus sit rerum exitus, *vide media cognitio mala* ex D.Hier.

Quidam sibi sepulchrum posuerunt, vt essent mortis imminentis semper memores. Vide *infra gloria finis*, de his qui sibi sepulchra posuerunt.

Obrepit, non intellecta senectus.

Singulare S. Francisci in Comitum montis Acuti familiam beneficium, vt si quis è Castro, vel è familia alibi etiam existens moriturus sit, appareat super castrum, globulus igneus in faculæ modum, & tunc omnes rebus suis, potissimum conscientiæ maturè prouident. Bouer.annal. minor. Capuc.an. 1567.

D

Qui intendit in finem, illum, mediaque necessaria semper respicit.

Abbas Macarius dicebat Monachum, sic se habere debere in jejunijs, quasi centum annis esset victurus; & sic in remittendis injurijs, affectibusque terrenorum, quasi quotidie esset moriturus. Cassian. l.3 c.vlt.

Christus quos sanauit, admonuit de emendatione vitæ, noli amplius peccare, non sic autem admonuit eos quos ex mortuis suscitauit, quia ipsum mortis experimentum maximum est integritatis incentiuum.

E

Oportet Pascha manducare cinctis renibus, & in habitu peregrini, tanquam ex hac vita in aliam transituri.

Ægyptiorũ Rex primus pro sepulchro ædificari sibi fecit labyrinthũ, cujus aditus facilis erat ingredientibus, exitus difficilis. Perplexa est mortis cogitatio. Reuocare gradum superasque euadere ad oras, hoc opus, hic labor est.

Antiqui Galli hominem Saturno, vt placaretur, immolantes, illato vulnere, ex cadentis forma & sanguinis fusione futura conjectabant. Diodor.sicul. l.6.c.9.

De morte Christi, & propria cogitanda, l.3. Franc. Pici mirandul.

De mortis meditatione. Rupert. tomo secundo. Simeon. bibliot. Patrum, libro 2. Pintus tomo 4. diæ.

Mortuum quoties quis viderit, toties se morti ejulat destinatum. Sic de morte, non potest non dolere mortalis. Chrysol.ser.64.

Angelus qui reuoluit lapidem monumenti Christi sedet super eum; vt doctor, quia ex mortis & resurrectionis fide pendet omnis Christianæ Religionis disciplina, rerum terrenarum contemptus, & diuinarum amor. Id s.75.

Milesij mortuorum sepulchra constituebant circa vias publicas Athenæ.

In regno Malabar idololatræ ingredientibus templum Sacerdotes offerunt cineres, vt nos aquam benedictam. Dauity.

Rei sollicití sunt de die in qua interrogari debent à judice.

Alexandro S.Pontifici sciscitanti, quare vita summorum Pontificum Romanorum breuis sit, itavt dicatur illis, non videbis annos Petri, id est 25 Respondet ei Petrus Damiani opusc. 23. id contingere certa Dei prouidentia, vt mors hominis in toto orbe Christiano summi, moneat cæteros de talis exitus necessitate, à qua dignitas neminem eximit, hæc Solis eclypsis ab omnibus videtur; quantum populo prodesse debet Pontificis vita, cum ipsi etiam mors sine profectu non contingat.

In inauguratione Græcorum Imperatorum aderat minister qui vasculum cinere & ossibus mortuorum plenum offerret; alter stupæ lini ignem admoueret, subitoque combureret, vt mortalis, & tot casibus obnoxiæ conditionis suæ, memor esset, ex eod.Ib.in fine.

Omnibus incerta mortis dies, de ea tamen maximè cogitandum senibus, qui vident cæteros homines intra ætatem suam.

Matutinum dicitur nocte quia Math. 25. media nocte sponsus venit, & tanquam sapientes virgines debemus ire illi obuiam, & laudes dicere. Id opusc. 10. c 2.

Mortuus de sepulchro dicit, fui quod estis, eritis quod sum. Si te ira, gula, superbia, auaritia, vana gloria premit, cogita sepulchrum, & euanescent illæ tentationes. Id. opusc. 15. c. 23.

Papa nouiter electus ducitur ad capellam S. Gregorij apud S. Petrum, vbi sunt monumenta summorum Pontificum, & stupa coram illo incensa, dicitur illi, sic transit gloria mundi; ad eum etiam defertur sepulchrum plumbeum, & cypressinum, quod in conclaui asseruat: hic mos à Ioanne dicto Eleemosynario processit; nam ad se volebat sæpè venire artifices ostendentes diuersa genera lapidum & dicentes, ex quo vis tibi fieri sepulchrum, in vita Patrum.

De die vltimo iudicij conjecturæ, *vide finis durationis.*

Mos fuit antiquis in summa afflictione caput cinere aspergere, quasi naturale sit morituro, sic affligi, casuro sic concuti: Abraham memor erat mortalis suæ conditionis, cum dicit, loquar ad Dominum cum sim puluis & cinis.

Ex cineribus herbarum & arborum agri fœcundantur; fimus animalium ideo terram fœcundat, quia in eo est sal.

In conditionis humanæ memoriam sepulchra strui cœpta, vnde dicuntur monumenta. Rodi. l. 17. c. 19.

Romæ in templo Libitinæ Veneris vendebantur quæ pertinebant ad pompam funebrem, vt nupturi de morte simul, vt de conjunctione cogitarent. Id. l. 29. c. 19.

Luna crescens orientem cornibus spectat, decrescens occidentem, merito quia occasura & amissura est lumen. Isidor. origin. libro 3. capite 55.

Mens in interiori suo est quasi S. Pontifex ingrediens in Sancta Sanctorum, habeat nomen Dei in capite per iugem eius memoriam, habeat tintinnabula in extremitate sui vestimenti, id est, vt semper apud se personet recordatio nouissimorum quæ auertit à peccatis, iuxta illud Eccl 7. memorare nouissima tua & in æternum non peccabis. Orig. hom. 9. in Exod.

Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium, Ps. 36. id est, frequenter loquetur de iudicio futuro, de præmijs bonorum, & supplicijs malorum. Idem homilia quinta, super Ps. 36.

Sumpsit Deus puluerem è terra & hominem formauit, decretumque fuit, terra es, & in terram reuerteris. Si à terra discederes, fortè conditionis tuæ posses obliuisci; nunc autem ab ea nunquam discedis, sed cum illa naturaliter conjunctus es; incedis in terra, in terra conquiescis, in terra litigas & negotiaris; vbique abjectæ tuæ conditionis habes monumentum. D. Greg. Nyss. orat. 1.

Timetur in ægrotantibus, cum Luna & Dominus ascendentis, fuerint ab octaui loci Domino impediti. Hermes centil. n. 71.

Partitio reficit auditorem, vt iter facientibus, multum detrahunt fatigationis, notata in scriptis lapidibus spatia: Nam & exhaustis laboribus nosse mensuram voluptati est, & hortatur ad reliqua fortius exequenda, scire quantum supersit. Nihil enim longum videri necesse est, in quo, quid vltimum sit, certum est. Quintilian. Instit. oratoriar. libro 4. cap. vlt.

Adam qui peccauerat, & ætate prouectior erat, non prior moritur, sed Abel iustus, vt hominibus appareret incertam esse horam mortis. Theodoret. in Genesim, quæstione 46.

De mortis contemptu. Senec. epist. 24. 26. Cicer. Tusculan. 1. Chrysost. ho. 5. ad popul. *De martyrib. vide dur virt.*

Abbas Isidorus habebat sub se mille Monachos, claustro nunquam egredientes, ex quo illud ingressi fuissent. Nemo ante decessum in morbum incidebat, sed quando vniuscujusque venisset translatio, id omnibus significans, & se reclinans, dormiebat. Vitæ Patr. l. 8. c. 71.

D. Thom. 2. 2. quæst. 2. a. 7. docet hominem ante statum peccati habuisse explicitam fidem de Christi incarnatione, quatenus ordinabatur ad consummationem gloriæ.

Mundum animal quod ruminat & findit vngulam, est qui habet discretionem vitę præsentis & futuræ, per intellectum & operationem. Origen. hom. 7. in Leu.

Festum tabernaculorum significabat discessum ex hac vita. Vide *mauritas virtutis*, profectus virtutis.

Vitæ cujusque dies & annos sæculorum Deus habet in numerato. Origenes, libro tertio, in Iob.

Ideo incertus est dies mortis, & tanquam fur cum non putatur, irruit, vt ad illam simus semper parati, & pœnitentiam in calcem vitæ non rejiciamus. D. Chrysostom. homilia nona, in 1. ad Thessalonicens.

Cogitat quisque die noctuque de lite iudicis sententiâ dirimenda, multo magis desistendo coram diuino tribunali debet cogitare; de tota vita rationem redditurus, rogandus iudex vt nos non rapiat in medijs peccatis, &c. Idem hom. 3. in 2. ad Thessalon.

Mortis cogitatio confert ad bonos mores, *vide voluntas durationis, Rep.* fortis mortis contemptus.

Daniel non regressus est in Iudæam sed præpositus regno Medorum in ciuitate Ecbatanis fecit sibi ædificari pulcherrimum sepulchrum, in quo postea reges Medorum sepulti sunt. Ioseph. 10. antiquit.

Helisæus deserens sæculum toti populo conuiuium fecit. 3. Reg. 19.

Methodius martyr, dum esset in carcere, orauit Deum, vt reuelaret ei aliqua de principio & fine mundi, quod obtinuit, & scripsit ea verbis impolitis. Tost. Gen. f. 15.

In Finlandia arx est Regis Sueciæ iuxta flumen, in quo videtur & auditur fatalis citharœdus quoties arcis custodibus aliquid aduersi, morsque naturalis, aut violenta contingit. Olaus Mag. libro 20. c. 19.

Olim habitatores insulæ Chio, mortuorum corpora igne exsiccata, in puluerem redacta spargebant in mare, vt nulla deinceps eorum superesset memoria. Stobæ ser. 122.

De die consummationis sæculi nemo scit, nisi Pater, inquit Christus. Math. 11. hæc dicit contra quosdam Iudæos, qui se profitebantur tempus illud nosse, tum ex scripturis, tum ex secretis. Orig. tr. 30. in Math.

Damnati ad metalla in terræ cauernis tenebricosis laborantes, nesciunt finem diei, nisi spelunca supernè valde percussa; sic immersi humanis negotijs, non intelligunt finem vitæ nisi cum instat ex graui morbo vel senectute. D. Chrys. ho. 23. in 1. ad Corint.

Digitized by Google

Ætas ſenij non habet certam periodum, ſed aliæ ætates, ſic eſt de ætate ſenij hujus mundi. Toſt Mat. to. 7. f. 88.

Ananias & Saphira ad ſolam Petri denuntiationem proximæ mortis, mortui ſunt. Idem 4. Regum f. 7.

Præſentiunt pleraque ſui diſſolutionem. Vide quæ ſcripſi de iure natur libro 3. lege 13. homini naturalis eſt mortis ſuæ præuiſio & meditatio, ibidem §. 1. de pia mortis meditatione & præuiſione moral. Chriſtian. to. 2. parte 2. cap. 15. & 16. & l. de agente Dei in humanis. parte 3 cap. 22. libello de amore Dei naſcente, capite 7.

Multi iraſcuntur Aſtrologiæ, quia morbos & mortem denuntiat.

B Qui pœnitentiam differunt ſæuiente morbo, vix de ſalute ſua, ſed tantum de remedijs corporalibus cogitant, merito peccator moriens obliuiſcitur ſui, qui viuens oblitus eſt Dei. Ad correctionem delinquentium vnicuique Dominus horam mortis voluit eſſe ignotam, quatenus impudentiæ ſecuri-

A tate rejecta, quiſque ſe benè viuendo componat, ne imparatus & nudus veniat ante iudicem. Laurentin. Iuſtinianus. de contemptu mundi, capite 15.

¶ Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, inquit Iob. Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent, ſcilicet peccatoribus reſeruata ſupplicia. Ib.

Lugenda mortalium conditio, diſſimulat enim homo intelligere qualis ſit, quo peregrinetur, quid patiatur incommodi, non minus in ſe, quam extra ſe, quo tendat, quidue de illo futurum ſit, vt valeat in hac vita abſque contradictione lætari, vt qui per nundinas, plateas, & loca duceretur ignorans ad ſupplicium, aut qui nauigans nollet moneri de futuris tempeſtatibus, Syrtibus, piratis; aut vt rei qui de cauſa ſua capitali nollent cogitare, ne anxia ſibi foret hæc cogitatio, & interim certus eſt vniuſcujuſque finis, incertus terminus, ſententia dubia, &c. Idem opuſc. de humilitate, capite 13. in fine.

VOLVNTAS FINIS

OPTARE MORTEM.

Q VINTILIAN. declamat. quarta, Refert naſcentem puerum à Mathematico prædictum, virum fortem, ſed parricidam, extitit in bello vir fortis, & præmio quod petierit dignus, ne ex lege inſepultus abjiciatur, petit voluntariam mortem, ne patrem occidendo incidat in aliam fati partem. Titulos, inquit, imagines, honores ſeruate victuris, mihi preſtate ſalutem patris, innocentiam meam, temporum pudorem.

Homini qui ſemel renuntiauit rebus humanis, non redditur vita, ſed tempus, & ipſa cupiditas, ratioque pereundi, hoc ipſo, quo vetantur, accreſcit. Quid iuuat per tot annos animam triſtiſſimo corporis retinere complexu; tota vita hominis vnus eſt dies. Humiles prorſus, abjectæque mentes, quas non implent hæc eadem ſemper redeuntia, lucis cauſas ad mentem referentium neminem cotidie vita non ſatiat; non pudet propter vana, ferre debilitates, luctus, ſpatia morborum, & cum liceat euadere, malle pati; præclamat natura; receptus es in viuentium conſortium, bona noſtra vidiſti, admitte poſteros, quantumcumque prorogentur; miſer moritur, qui moritur inuitus, quotidie per exigua feſtinantis æui momenta præmoriuntur. Faciamus potius de fine remedium, de neceſſitate ſolatium, exeamus ſponte, conſilio, pleni ſecuritatis, gratias agentes. Solus vixit quoad voluit, qui mori mauult, deſinat vita quæ nihil gloriæ, nihil fœlicitati poteſt adjicere, cum fortuna ruere dementia eſt; nullos ego ſenes degere tur-

C pius puto, quam qui fortiſſimi fuerunt. Vultis expectem vt ſanguine membra vacuata vix nitantur ad greſſus, vt hæ laudatæ manus, nec ad quotidianæ vitæ miniſteria ſufficiant, quam miſerum eſt meminiſſe quod fueris, referre frigidam præteritorum memoriam, cum jam fidem membra non habeant, ſupra facta ſua rideri. Feſtinandum exire de ſæculo, dum ſpiritus viget, dum teneor, dum deſideror.

Occidi, non eſt pœna, ſed exitus. Idem declamat 11.

Diſcedendum è vita tanquam è conuiuio expleto, tanquam è domo non ſarta tecta. Relinquimus inſtrumenta quibus non licet vti, vt lyram, manu vulnerata, ſic vitam infeſta fortuna. Stulti cum vitam oderint, viuere tamen volunt, mortis metu.

D Optamus mortem vt finem malorum, *vide dur. contrarietatis*, ſeries malorum. Mors eſt omnium mortalium portus. Sola medetur malis incurabilibus, quis nouit, an viuere ſit, quod nos vocamus mori, mors autem vita; ſane hic ægrotamus viuentes, gratulandum eſt mortuo, quod vitæ malis ſubductus eſt. Mortem ideo vocamus ſolutionem, & tranſitum. Vita peregrinatio eſt, qua finita læti petamus locum fatalem. Eundum quo vel inuiti trahimur.

Satius eſt cito mori, quam vitam inter hoſtes & morbos agere miſeram, aut inter malos contagione vitioſam. Deus Pluto mortis & inferorum, eſt etiam Deus diuitiarum; homini fortunato breuis eſt vita, infortunato longa.

Digitized by Google

Qui ægrè ferunt hujus vitæ sortem inæqualem, optant mortem, parem omnibus corporibus conditionem afferentem.

Non peccat qui alicui vult mortem, eamque à Deo petit, ne peruertatur, non enim cupit illi malum ex displicentia personæ, sed potius ex affectu erga eum, Bonacina de charitate, puncto vltimo.

In insula Co, qui aut non facile curabili morbo laborabant, aut senectutis proximæ incommoda timebant, mortem sibi consciscebant.

Reges Persarum vitam quam in delitiis duxerant, volentes sine dolore finire, potionem sumebant infectam excremento cujusdam auiculæ Indicæ, nomine Dicorde. sic paulo post sine vllo dolore expirabant. Ælian variar.

Indiæ populi idololatræ, idola sua certis per annum solemnitatibus circumferunt per vrbem in curribus, quorum rotis se aliqui conterendos exponunt, sic in alia vita se beatos fore existimant.

Habitatores Insulæ Taprobane, nunc Ceylan, ante decrepitam senectutem stratis herbis quibusdam incubantes moriebantur, sine dolore velut somno oppressi. Diodor l. 8.

Cantabri, Astures, *Biscains*, Hispaniæ populi vrgente aliqua magna calamitate, vt hostium incursione, seipsos, parentes & filios perimunt ne veniant in captiuitatem. Flo hist. l. 4.

Sancta Ecclesia dies migrationis Sanctorum, natales vocare consueuit, quia in cælo incipiunt viuere, cum hic vitam videntur finire. Petrus Damiani ser. 16. fœtus autem ex vtero matris conatur egredi.

Q. Marcius Sarnos Gallos Alpinos expugnauit, sibi regem statuentes, qui occisis liberis & conjugibus in flammas se projecerunt; nullus vel paruulus superfuit, qui non mallet mori, quam viuere. Gene. a.m 3983.

Miseris non expedit semper viuere, *vide voluntas durationis, R.*

Thrasyas Mautinensis gloriabatur se comperisse medicamentum, quo facile & absque vllo dolore inferre obitum posset; nec alio quam succo cicutæ & papaueris & aliorum hujusmodi. Theophr. hist. plant. l. 9. c. 17.

Diem hominis non concupiui. Hier. 1.

Damnati optarent non esse, vt euitent pœnam, & tamen non est in potestate eorum non esse. Tostat. Math. to. 7. f. 188 c. 4. g.

Samson motis triclinij columnis se cum hostibus ruina interemit, Iud. 16. sic Eleazar Elephantum confodit cujus ruina oppressus est, 1. Machab. 6. 43.

Imponere sibi falsum crimen ad euitanda grauia tormenta, non est peccatum mortale, etiamsi mors inde sequatur, secluso perjurio, quia qui sibi falsum crimen imponit, non tenetur cum tanto cruciatu vitam custodire; id tamen non licet ob leuia tormenta, nam quilibet tenetur cum leui incommodo vitam propriam custodire. Bonac. de restitut. disp. 2. q. 4. p. 11.

Non potest aliquis seipsum directe occidere, potest tamen cooperari ad suam mortem tripliciter. 1. exponendo vitam periculo ob rationabilem causam, vt pro patria, pro Principe, pro homine publico bono necessario, pro amico; potest nolle exire de carcere, vt sit salua authoritas publica, potest hostes opprimere, etiamsi cum illis moriatur, vt Elezarus sub Elephanto in libris Machab. Samson de quo supra, sic nautæ incendunt nauem, ne cum ipsa veniant in potestatem hostium. Ibidem quæst. vlt.

Apud Indos quibus segnis ætas, aut incommoda valetudo est, expectatam mortem pro dedecore habent, nec vllus corporibus, quæ senectus soluit, honos redditur. Rod. l. 17. c. 21.

Desiderium habeo dissolui & esse cum Christo, Phil. 1. quis mercator naui vectus innumerabilium thesaurorum plena, si liceat subire portum ac requiescere, mari adhuc jactari malit? quis Athleta cum liceat corona potiri, adhuc certare postulet, &c. D. Chrysostom. homilia 4. in epistol. ad Philipp.

Olim mors timebatur ab hominibus, vt à reis, quos interim impinguant delitijs. At nunc vita proponitur vt certamen quo fortiter finito, fit transitus ad coronas, Id. hom. 4 in Hebr. c. 2. Ideo in funeribus mortuorum præferuntur lampades & cerei, quod eos tanquam Athletas deducimus, & quasi sint gloria coronisque donati, in gratiarum actionem hymnos psalmosque Deo persoluimus. Ibidem.

Dæmon qui Socratem ab innumeris eripuerat periculis, in moriendi sententia persistentem, non prohibuit. Maximus Tyr. ser. 25.

S. Basilius optabat martyrium, *vide vol. durat R.* fortis vitæ contemptus, *& voluntas contrarietatis*, optare aduersa.

Hoc more mors est, cita inuitis, sera optantibus. Tantis malis hominum vita repleta est, vt comparatione eius, mors remedium putetur esse, non pœna.

Digitized by Google

INTENTIONIS.

INtentio est actus liber voluntatis in finem, seu quo se determinat ad aliquid faciendum. Attentio verò est actus intellectus considerantis ea quæ homo agit. Bonacina. *Vide Voluntas Bonitatis.*

Omne agens agit propter finem. Alia ex intentione superioris agentis, vt naturalia, alia ex motu phantasiæ, seu æstimatiuæ, vt animalia, alia denique ex intellectu seu ratione, vt homines. Vide infra *Minoritas Finis.* Indeterminata non valent.

Agens per intellectum & voluntatem est prius agente per naturam, quia necesse est vt agenti per naturam prædeterminetur finis, & media necessaria ad finem ab aliquo superiori intellectu, sicut sagittæ prædeterminatur finis & certus modus à sagittante. *Vide Principium Finis.*

Effectus cuiuslibet actionis ex fine eius pensari potest, nam per operationem efficitur, vt pertingatur ad finem.

Omne agens quod non agit propter finem aliquem, opus eius est vanum sed Dei opera non sunt huiusmodi, omne etiam agens per intellectum, agit propter finem. Ergo Deus agit propter finem, seu finem operis, is scilicet ad quem opus ordinatur ab agente; seu finis operantis qui est semper in ipso, & sic Deus agit propter bonitatem cui nihil potest addi vt in creatis. D. Thom. in lib. 1. sentent. dist. 1.

In agibilibus præsupponitur finis, sicut in speculatiuis præsupponuntur principia.

Agit natura propter finem. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 1. lege 6. & quis sit finis mundi intentus à prima causa. Theologiæ naturalis to. 1. parte 1. cap. 23. & parte 2. cap. 14.

Cum vniuersa tendant ad constitutum sibi à Deo finem, vtilior nulla scientia, quam ea per quam cognoscitur vniuscuiusque rei finis, alioquin mutatur lex naturæ. Laurent. Iustin tracta. de sancto connubio verbi & animæ cap. 1.

Omnia licet ratione carentia diriguntur in fines suos à natura vel anima mundi. Leo Hebræus Dial. 2. de amore.

Semper illud in mente versato. Cui bono? Cardan.

MORS SIBI NON INferenda.

SI seruus quasi ad exacerbandam Domini districtionem se diabolico repletus furore percusserit, ipse tantum sanguinis sui reus erit, neque ad Dominum sceleris alieni pertinebit inuidia. Concil. Arelat. 11. Can. 53.

Ecclesia non recipit oblationes eius, qui præcipitio, naufragio, laqueo, aut alio quocumque modo sibi voluntariè mortem intulit. Concil. Antisiodorense. Can. 17.

Non licet seipsum occidere vt vitentur huius vitæ mala, etiam peccatum. Quia seipsum occidere est contra legem naturæ, & est ex se malum; non sunt autem facienda mala vt eueniant bona. Nec potest princeps qui alios propter delicta occidit, seipsum occidere. *Vide Bonitas Medii,*

A Quædam melius fiunt per media. Qui seipsum occidit dupliciter peccat. Primo contra propriam charitatem, qua tenetur seipsum diligere & conseruare. 2. Contra iustitiam. Facit enim iniuriam Deo, qui habet altissimum dominium supra vitam hominum. Præterea facit iniuriam Reipublicæ, quæ habet ius vt suorum ciuium vitam custodiat, illisque vtatur in rebus necessariis. Bonacina de restitutionibus q. vlt.

Clausit Dominus à foris ostium arcæ, ne liceret egredi. Gen. 6. Iob vxori suadenti vt blasphemias in Deum proferret, & sibi mortem inferret, dixit vt vna de insipientibus mulieribus loquuta es,
B nulli enim licet vel mortem optare multo minus sibi inferre. Origen. *Vide Voluntas Durationis.* Amor vitæ legitimus.

Nulla res habet potestatem supra suum esse; omnis enim rei virtus ab essentia eius fluit, vel essentiam præsupponit, & quia anima per suum esse vnitur corpori vt forma, non est in potestate eius vt ab vnione corporis se absoluat, & similiter non est in potestate Angeli quod se vniat corpori, secundum esse vt formam, sed potest assumere vt motor. D. Thom. in quæstio. disputat. q. 6. a. 6. ad 4.

Pater Silani, funeri eius, cum suspendio vitam finisset, non interfuit. Sueton.

C *In aduersis mors sibi non est inferenda. Vide quæ scripsi moral. Christ. to. 4. parte 2. cap. 27.*

DE HIS QVI SIBI mortem consciuerunt.

EMpedocles, cum senuisset se in craterem Æthnę coniecit, ne suum cadauer conspiceretur itaque periit. Suidas in voce Empedocles.

Heraclides ob immortalitatis opinionem fertur in puteum se præcipitasse. Id. in voce Heraclides. *Vide Gloria Finis.* Honesto fine concludi.

D Hegesiam Cyrenaïcum, quod nimia eloquentia in huius vitæ calamitates inuectus, plurimos ex auditoribus suis spontaneo fato è viuis exire fecisset, silentio mulctauit Ptolomæus Rex.

Thomas Morus in Vtopiæ Republica lib. 2. refert immedicabili morbo laborantes sibi cæterisque futuros oneri, conuocare sacerdotum concilium & causa cognita, illis permitti è vita discedere leniori quo fieri potest modo, vt sopore. At qui mortem sibi consciuerit causa non probata Sacerdotibus & Senatui, hunc neque terra neque igne dignantur, sed in paludem aliquam turpiter insepultus abiicitur.

Achitophel videns consilium suum non esse sequutum suspendio vitam finiuit. 2. Reg.

E Samson excusatur ab homicidio quod se simul cum Philistinis ruina oppressit. Tostat. Matth. to. 2. fo. 94.

Labienus orator quia scripta sua combusta fuerant, voluit viuus in sepulchro parentum includi. *Vide Contrarietas Cognitionis.*

Indi sapientes occupare fati diem pulchrum putant, cum aut segnis ætas, aut incommoda valetudo est, expectatam mortem pro dedecore habent, nec vllus corporibus quæ senectus soluit, honos redditur. Q. Curtius lib. 8.

Digitized by Google

VIRTVS FINIS.

VIRTVS ET PERFECTIO RECTE INTENTIONIS.

VIDE *Virtus Voluntatis. Potestas Finis. Veritas Voluntatis.*

Vt vilis pannus auro & gemmis ornatus pretiosor est, panno holoserico, sic minima actio, cum recta intentione præstat ex se maximis.

Ex fine specificantur actus morales & peccata. *Vide Veritas Mineruatis.*

Recta intentio operibus nostris quasi fundamentum finale præstituitur. Sicut fabrica columnis, columnæ basibus fulciuntur, ita vita nostra virtutibus, virtutes verò intima intentione subsistunt ex D. Gregorio. D. Bonau. de septem gradib. æternit. dist. 1. vbi fusius dicit rectam intentionem esse primum passum in itinere ad æternitatem. Esse fundamentum extra quod si operis fabrica ponatur, tota concidit. Si autem rectè intendimus, bonum opus efficitur, etiamsi minus bonum extra videatur. Et dist. 22. dicit rectam intentionem esse instrumentum se & alia interna vel externa mouẽs, mouet in finem dedesiratum & facit voluntarios motus, dum principaliter procedit à voluntate, sed intellectu dirigente; quo vehementior est amor finis, tanto maior est motus in eum; sic charitas ordinatum facit actum ex fine & ex circumstantia vt indifferens ex se sic ordinatus sit meritorius; est lucerna per quam totum corpus actionis illustratur.

Recta & simplex intentio est quædam tendentia recta sine obliquitate & simplex sine admixtione in æternitatem à voluntate desideratam & à ratione dictatam. Hunc finem nisi aliqualiter homo desideraret & inueniret, nunquam quærere curaret, sed vagus & profugus super terram, vt alter Caïn à facie Domini profectus nunquam stabilis permaneret. Ib.

Aristoteles dicit intelligentiam orbem suum mouere propter finem ipsa nobiliorem, scilicet propter bonum vniuersi, cuius ipsa intelligentia est pars Leo. Hebræus dialo. 2. de amore.

Vt enim sunt subordinata sic eorum fines, materia prima est proximè propter elementa, hæc propter mixta, vegetantia propter sensibilia, hoc propter hominem, cuius finis & simul vniuersi est coniungi & frui Deo. Ib. dial. 3. sub finem.

Vt arbor non vegetat, nisi sana sit radix, sic opus quodlibet non proficit nisi sit informatum, intentione, cogitatione, & affectione laudabili. Laurent. Iustin. opusc. de gradib. perfectionis in preomio.

Sic currite vt comprehendatis. 1. Corinth. 9. Spiritualiter curramus per amorem, vt possimus Deum consequi qui est vltimus finis noster & summum bonum. *Vide Veritas Finis.*

A

REPVGNAT.

MALA INTENTIO.

SI propter vitium capitale quod ex se non est mortale, intendatur aliud quod mortale, etiam in primo peccato mortaliter peccatur, sicut si quis in tantum afficitur ad delectationem gustus quod propter hoc velit mortaliter peccare, ipsa etiam gula erit peccatum mortale, sic si quis propter inanem gloriam aliud peccatum mortale committit. D Thom. in quæst. disput q. 9. de peccatis. a. 2. ad 5.

B

Est intentio peruersa & iniqua obstinatorum in suis peccatis, est ficta & falsa hypocritis propria, tendens apparenter in Deum, sed non propter Deum, sed propter fauorem hominum, & hoc exterminat totum decorem animæ; est alia obliqua & mercenaria, quæ fit propter præsentis vitæ necessaria, & est pusillanimitati propria hæc tria itinera sunt obliqua, non æterna. D Bonauent. de 7. itinerib. æternitatis. dist. 5.

C

PERFECTIO QVÆ EST *in fine rerum.*

FErtur Cato ad senem quendam improbum dixisse, Cur homo senectuti tot malis ac incommodis degrauatæ, scelerum quoque turpitudinem imponis. Plutarch. lib de cauenda vsura.

Sufficit vt quis sit in gratia dum facit vltimum opus quo posito conceditur indulgentia. Bonacina de indulgentiis. Licet enim opera facta in peccato mortali ex se non sufficiant ad applicanda merita, & satisfactiones Christi, tamen sufficiunt quatenus coniunguntur cum vltimo opere præstito in statu gratiæ. Id.

D

In Circassia populi sunt Christiani schismatici. Nobiles latrociniis dediti, non intrant in Ecclesiam nisi iam senes, & cum inualidi, à latrociniis abstinent. Dauity in Circassia.

Petrus Damiani de se humiliter dicit, virtus corporis in me per senectutem deficit, heu, proh dolor, sola in me vitiorum radix, ignorat penitus senectututem opus. 20.

Idem opus. 6. refert de Anatholio & Polichronio Episcopis, qui cum simoniacè & ab hæreticis fuissent ordinati, postea benè conuersi, dignos se suis ordinibus ostenderunt.

Idem opus. 13. cap. 23. senes ad perfectionem excitat, quia si occasio victorię amittitur, de cętero

Digitized by Google

nor poterit recuperari. Rimator auri quo profundius terræ venas effodit, fortius laborat thesauro proximus. Properent, dicitur illis Matth. 22. Ecce parata sunt omnia venite ad nuptias; quis à longe veniens vt regem videat: in atrio palatii deses manet; Berzelai senex refutat oblatas regiæ mensæ delitias 2 reg. 19. qui manentem hic non habemus ciuitatem, ne in senectute quidem debemus quiescere. Igitur senex crucifixus huic mundo, iam penè quæ sunt humana non sentiat, sed totus azymus, totus syncerus, viuat vt Angelus.

De natu minoribus, prælatis primogenitis. *Vide Gloria Durationis.* primogenitura. *Repug.*

B Quando aliquid est fini propinquius, ex maiori desiderio tendit in finem. *Vide supra Potest. Finis.*

De hedera quæ ætate prouecta fert folia rotunda. V*ide Magnitudo Differentia. Vide Bonitas Finis & Finis Minoritatis.*

Thus recentium arborum candidius est, minusque odoratum; veterum flauius, & odoratius. Theoph. hist. plant. lib. 9. c. 4.

Animalia quæ cauda carebant, non poterant immolari. Suidas in voce. κόλουρος.

Vespasianus etiam æger ab Imperatoriis negotiis non abstinens, medicis ob id eum increpantibus dicebat Imperatorem stantem mori oportere Rodig. lib. 11. c. 1.

C Quomodo fabula sic vita, non quandiu, sed quam benè acta sit refert; nihil ad rem pertinet quo loco desinas, quocumque voles desine, tantum bonam clausulam impone. Seneca.

In vespera Christus tradidit maximum sacramentorum.

Orator studet orationis finem habere præclariorem exordio, vt cum plausu recedat. Parum est athletæ decertasse, nisi & in fine vincat, gubernatori nauem per maria duxisse, nisi saluam in portu perducat: sic in virtute, initia feruida sequi debet finis excellentior, &c. D. Chrysost. homil. 24. in epist. ad Hebræ.

D Manasses habuit finem laudabilem, exordia pessima. Tostat. 4. reg. fo. 215.

Medullæ plus habent ossa veterum animalium quam iuniorum; sic validiorum senum sententia sermo plus habet sensus.

Quædam maculæ in corpore solis apparentes & in parte orientali circa occidentalem euanescunt. Argolus. Astrolog. lib. 1. cap. 8. Iuuenum vitia in senectute deficiunt.

Præclara mors totam facit vitam inclytam.

E VALIDA VIRIDISQVE senectus.

PArmenion Dux Alexandri præstantissimus, septuaginta annos natus, iuuenis ducis, & strenui militis munera sæpè implebat. Simile de Agesilao refert Plutarchus lib. an seni gerenda sit Respublica. Sic Sophoclem, Philemonem & alios in senectute eximios Poëtas ex titisse refert. Valentes ingenio à Republica ad otium & aratrū ablegare indignum est; pereuntibus voluptatib. corporis, sola illis superest voluptas diis propria; beneficia probè & in publicum proferre. Propensus ad omnes iuuandos amor. Non contentus rerum benè gestarum recordatione, noua & præclariora pro fulcimento vel restauratione adducit,

A illis vt in dignitate consuetis, non ad latrat inuidia quæ fumo similis igne bene accenso, dissipatur. Vt æs & ferrum, ipso vsu magis fulgent. Salua futura est Respublica in qua senum consilium, iuuenum hastæ primas obtinent. Vt lex diadema atque coronam, ita natura honorabile & dignum magistratus symbolum caniciem esse voluit. Senatus dictus à senio. Nobiliores plantæ fructum serotinum ferunt; Vnum senis consilium plures armat manus. Senilis reuerentia, admixta iuuenum ambitioni eam mitigat, vt aqua vinum. Mercurii statuas, senii habitu, manibus, pedibusque truncatas, arrectis tamen corpore & capite fabricant, quo commento, in senibus eas corporis partes, quæ virium instrumenta sunt, modo ratione efficaci & fœcunda senes polleant, minime necessarias esse, significatur; ex Plutarch. dicto loco.

Quid si agricola post multos labores sementis, deses esset tempore messis & fructus non colligeret. Mali non desistunt etiam senes à prauis cupiditatibus; boni non desistant à virtute.

Lycurgus apud Lacedemonios instituit certamina inter Iuuenes, at inter senes erat certamen animorum cæteris longe præstantius: eo senilis enim virtutis exemplo cæteri ad virtutem excitabantur. Xenophon lib de Republica Lacedemoniorum.

Nunquam ex apicula vllus fucum esse factum vidit, nec æquum est quod vir bonus, postquam declinare cœpit ætas ab officiis pulsus domi deses permaneat.

Vide Duratio Virtutis. sera & in senectute pœnitentia valida.

Caleph dicit Iosue 14. octoginta quinque annorum sum. Sic ad omnia validus, vt cum ad explorandum missus sum. Ita deuto. 14. Moysi cum 120. annorum esset, ne vnus quidem motus est dens. In benedictone Aser dicitur deut. 33. sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua.

Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum & senectus mea in misericordia vberi, psal 91.

Inter conuiuas Apicii fuit quidam Isidorus annos 81. natus sed firmus, membris integris, robustis lateribus, torosis brachiis, forti manu, qui acutum cerneret & audiret, etiam edacitate & bibacitate certaret cum adolescentibus. Seruilius etiam Consul cum ad annos 110 vixisset, toto corpore fuit incolumis, & omnes sensus integros singulari quadam fœlicitate conseruauit. Suidas in verbo Apicius.

Hiero Syracusorum tyrannus modestissimus annos amplius 90. vixit omnibus sensibus integris, & partibus corporis saluis Id. in voce Hiero.

Masinissa Rex Numidarum, fuit robusto corpore in longa senectute vsque ad mortem, vt equū sine adiutore conscenderet, puerum quadrimum nonagenarius reliquit, ac ista ætate, & hoc habitu corporis obiit. Id in voce Masinissa.

Cyrus, Lucius Metellus, Gorgias Leontius, post adolescentiam temperatè exactam, asserebant senectutem suam non esse imbecilliorem factam. Rodigin. lib. 19. cap. 20.

Cur in senectute virtutis cursum minuis. Nunc te præbe iuuenem florentem & vegetum. Anima enim hic opus est, anima excitata & erecta; anima autem roboratur in senectute, tunc maximè viget, tunc exultat, cum febricitet in iuuentute, amore gloriæ, deliciarum venerearum exagitata &c. D. Chrysost. homil. 7. in epist ad Hebræ.

D. Hieron. epist. ad Paulum Concordiensem, qui annū centensimū ætatis agens, nulla premebatur,

corporis aut animi infirmitate; futuræ, inquit, nobis resurrectionis vitorem in te Dominus ostẽdit, vt peccati sciamus esse, quod cæteri adhuc viuentes præmoriuntur in carne; Iustitiæ, quod tu adolescentiam in aliena ætate mentiris.

SENVM ET MORIENTIUM pietas.

VErsutus serpens insidiatur calcaneo nostro, idest fini vitæ, ne simus perseuerantes in bono, & nos caput eius, idest primos tentationis conatus conterere debemus. Cassian. lib. 4. c. 37.

Bonus tragœdus benè officio suo fungitur, in principio, medio & fine tragœdiæ. Apud Lacedæmonios senibus in conuenticulis sub finem vitæ actio proponitur, quinam benè aut malè vixerint. Stobæus ser. 41.

Tenentur fideles communicare in articulo mortis, ad corroborationem virium spiritualium, & ad perseuerandum in gratia, quod maximè tunc est necessarium; idque sub præcepto, diuino. Nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c. Bonacin. de Eucharistia q. 7.

Ad mortem præparatio libellus Tauleri, Senec. ep. 4. 24.

De septem verbis Domini in cruce. Carmina. D. Bonauent. Arnolpus Carnotensis. Bibl. Patr. tom. 1.

Dauid in extremo morbo, aulicos suos limine exclusit, Prophetam Nathan & similes intromisit. 3. Reg. 1. Deo benedicens animam reddidit. 3. Reg. 2. Salomon sub finem ætatis amissum per idololatriam Spiritum sanctum recepit & prouerbia scripsit, vbi sanctæ vitæ precepta dat. Ecclesiasten de mundi contemptu, dicit enim in prouerbiis, nouissimè ego egi pœnitentiam, & respexi vt eligerem disciplinam. Geneb. a. 3146. *Vide Duratio Virtutis.* Sera pœnitentia valida.

Solemnitas in fine anni, quando collecti sunt fructus. Leuit. 18.

Seni iucundum fit, quod eos annos attigit, quos optabat iuuenis, & quod expeditus sit à passionibus, quæ mentes iuuenum à Deo alienant, appropinquat mortis dies, cogitandum est iam, non quomodo viuamus, sed quomodo moriamur; cogitandum post hoc sæculum, quid in alio sit, tandem, vel serò pœnitendum.

Pietas Alberti Magni antequam moreretur. *Vide Minoritas Cognitionis.* Ignorantia bona.

Si is qui videtur noster homo corrumpitur, sed qui intra est renouatur. 1. Cor. 15.

Quatuor cornua altaris hostię sanguine liniebantur, sed reliquus sanguis ad basim altaris effundebatur de consummatione sæculorum interpretatur Origen. homil. 3. in Leuit. tunc enim abundantior erit participatio sanguinis Christi, Dici potest 4. altaris cornua significare quatuor hominis ætates, at in extrema amplior debet esse pietas.

Num. 27. Iubetur Moyses conscendere montem Oreb, vt inde prospiciens terram promissam, ibi moriatur, non in plano, aut in colle, sed in excelsa vitę ratione. Id. hom. 22. super numer.

In deserto sex diebus colligebant manna, in sexta autem die, non vnius diei modium, sed quantum sufficeret in crastinum, colligebant, & vnusquisque edebat in die Sabbati, quæ collegerat in die sexta ita etiam nunc, dum in die sexta sumus & fine hebdomadæ colligamus manna dupliciter, vt sufficere nobis possit, ad verum Sabbatum in alia vita. Id. hom. 3. super Psal. 30.

A Dicit verbum seni morituro, quod animæ in Cant. 2. Veni dilecta mea iam hyems transiit, idest huius vitæ procella. Iam apparent repromissionum futurarum flores. Id hom. 4. in Cant.

Senes dum sentiunt corporeæ suæ virtutis diminutionem, aliquid magni ante præscitam imminentem mortem, in memoriam hospitii sui transitusque per hunc mundum facere cupiunt, dictis B factisque contendunt. Campan.

Paulus ad Roman. 13. & 1. Cor. 7. eos velut dormientes excitat ad bona opera ostendens in propinquo esse diem iudicii. Nun enim, inquit, propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis, &c. Dicat hoc senex ad iudicium particulare propinquans. Sic viatores hospitio proximi gradum accelerant; ad primos auroræ splendores dicimus diem esse, ne non paratos orta dies inueniat. Exuamus ergo phantasias, liberemur C ab huius vitæ somniis, &c. D. Chrysost. hom. 24. in epist. ad Roman.

Christus circa mortem suam omnia egit clariora, tam in dictis, quam in factis. Tost. Math. to. 5.

Agnus Paschalis immolabatur ad vesperam & occasum solis.

De morituris qui consolationes expetunt à religiosis. Vide quæ scripsi lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ parte 3. cap. 18. De pia Religiosorum senectute. lib. de institutione & officiis religiosi parte 4. cap. 23.

Abraham plenus dierum mortuus est; idest lucis & diei operibus plenus occubuit. Alcuin. in Genes. interrog. 221.

D Apud Iudæos quotidie ad vesperam immolabatur Agnus. Vnde Dauid, dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Eleuatio manuũ mearum sacrificium vespertinum; hoc tempore vesperas & completorium celebrat Ecclesia. Talis est senum pietas.

S. Hilarion à sexagesimo quarto anno vsque ad octuagesimum pane abstinuit, incredibili feruore mentis, vt eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem Domini, quo cæteri solent remissius viuere. D. Hieron. ad eius vita.

In fine redeunt omnia ad suum principium. *Vide Finis Differentia.*

Senex inclinata iam ætate reputet se, tanquam candidatum & nouitium æternitatis.

E Infirmos non confessos post tertium diem medici visitare prohibentur. Pius V. const. 3. p. 224. to. 2. Greg. XIII. const. 68. p. 338. to. 2. Bulla. Vnguentum quo vngitur Aaron fluit à capite ad oram vestimenti eius. Cum essem paruulus loquebar vt paruulus, quando autem factus sum vir, exui quæ erant paruuli. 1. Cor. 13. & ad Tit. 2. Senes vt sobrii sint, casti, prudentes, sani in fide, dilectione, patientia.

PIA LEGATA.

TEcum aufer omnia, ne alienis opes relinquas, etiam hæredes de necessariis sepulturæ sumptibus detrahent. Itaque ista præueniens teipsum sepelito. Bonum sepulchrum est pie,

pietas. Omnibus vitiis ornatus hinc discede, fac A ornent te tuæ diuitiæ. Crede consulenti Christo, præmitte tua in cœlestes thesauros, &c. D. Basil. homil. in ditescentes.

De testamento condendo. Gerson to. 2.

Qui oblationes Ecclesiæ testamentis relictas retinent, tanquam necatores pauperum ab Ecclesiis excludantur. 13. q. 2. c clericis.

Carolus Magnus, triennio antequam moreretur, thesauros suos, & omnem supellectilem suam, partim in piis legatis, partim hæredibus diuisit, qui præstito iuramento promiserunt hæc se rata habituros. Vide. to. 2 Concil Galliæ. a. 811.

In testamento facto ad causas pias non requiruntur solemnitates iuris ciuilis. *Vide Minoritas Medij.* Vti debili medio.

B

Vide Duratio Bonitatis Repug. celeritas in dando, & in piis legatis.

Parentes non debent abstinere ab eleemosynis & piis legatis propter nimium in liberos amorem. *Vide Maioris. Voluntatis.* Nimius parentum amor

De vltima voluntate defunctorum. Vide Finis Voluntatis.

Si non pauisti Christum dum viueres, saltem abiturus hinc, & eorum quæ possidebas vsum non amplius habiturus, tu illi contribue: maioris quidem amoris signum fuerit, maioreque dignum mercede, si Christum dum viuis, paueris, si verò istud non fecisti, vel quod secundo loco licet, aggredere, nimirum relinque illum cum tuis cohæredem qui te cœlorum consortem reddidit. Hoc fecit per gratiam, tu nequidem debitor post acceptum, & nouum accipiendum beneficium, scilicet regnum eo vili pretio emendum; factus filiorum tuorum cohæres orphaniam illorum alleuiabit

C

violentias illatas dissoluet, insidias repellet, in cæteris iuuabit. Relinque igitur hæredem eum, ad quem abiturus es, saltem numera Dominum cum seruis tuis. Libera seruos, libera Christum, fame, necessitate, carceribus, nuditate. Eum qui solus chirographum tuum delere, æternamque flammam extinguere potest, suppliciter venerare & obsecra, propitiumque tibi redde. D. Chrysost. homil. 18. in epist. ad Roman.

Idem. homil. 13. in fine vocat testamenta non atramento, sed sanguine scripta quæ pauperibus præteritis solos diuites scribunt hæredes.

De piis legatis & fideli eorum executione. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in rebus. parte 1. cap. 11.

Si multæ barbaræ gentes res defunctorum vna cum ipsis cremare solent, quanto æquius defunctis præstare oportet, quæ non in cinerem redigantur, sed illos magis gloriosos reddant. Putas aliquem maculis inquinatum abisse, da ipsi sua vt illis se à maculis detergat; putas in iniustitia eum decessisse, præbe ipsi tua ad mercedis & retributionis adiectionem. D. Chrysost. homil. 32. in Matth. sub fin.

Piis legatis non satisfacientes excommunicantur. 13. q. 2. c. obligationes ex Concilio Vasensi. *Vide Contrarietas Bonitatis.*

Romæ meretrices nisi quartam partem suorum bonorum Conuertitarum monasterio reliquerint, testari validè non posse voluit Clem. 7. const. 14. §. 13. p. 448. to. 1. Bull.

Melior est, magisque meritaria eleemosyna facta à viuente; vltimum est in piis legatis subsidium, vt fiat satis diuinæ iustitiæ. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ, parte 1. cap. 27. & 28.

VERITAS FINIS.

DEVS EST SVMMVM NOSTRVM BONVM.

VIDE Plotinum lib. 7. æneadis 6. De D summo bono, Cicero de finibus, Iacellus.

Homo creatus est die sexto, & est complexio creaturarum, & vt omnia sunt creata propter hominem, sic homo propter diem septimum vt scilicet in sanctificatione & benedictione Dei quiesceret, in apprehensione vitę, & lucis æternæ, quæ est supra omnem creaturam, dies enim septimus non dicitur creatus; igitur homo creatus est, vt de sexta & actiua d. : transferretur in requiem. Card. Cusa. Excitat. lib. 3 cap. 21.

Non quiescit intellectus nisi in Deo, qui est prima causa, & causa ipsius intellectus, quam quidem delibat & assequitur imperfectè cum reflectit se supra se. Maior enim est reflectio quæ peruenit non solum vsque ad principium intellectionis, sed ipsius intellectus. Id. lib. 7. cap. 29.

Vide Magnitudo Voluntatis. De perfecto Dei amore.

Deus est summum bonum per excessum quia est infinitum & extra omnem comparationem, habens omnium entium perfectiones per seipsum & à seipso. 2. quia ab ipso effluunt sicut à fonte, quod in aliis autem est per accidens. Lux solis lucet per seipsam, sed colores fulgent participando lucem. Perbaltus in rosario theologicæ; voce bonitas diuina.

Sicut Deus propter hoc, quod est primum efficiens agit in omni agente, ita propter hoc quod est vltimus finis appetitur in omni fine, sed hoc est appetere ipsum Deum implicitè, sic enim virtus primæ causæ est in secunda, vt principia in conclusionibus; resoluere autem conclusiones in principia, vel secundas causas in primas est tantum virtutis rationalis. Vnde sola rationalis natura potest secundarios fines in ipsum Deum per quandam viam resolutionis inducere, vt sic ipsum Deum explicitè appetat. Et sicut in demonstratiuis scientiis non rectè sumitur conclusio

nisi per resolutionem in prima principia, ita appetitus creaturæ rationalis, non est rectus nisi per appetitum explicitum ipsius Dei, actu vel habitu D. Thom. in quæst. disput. de voluntate. a. 2. o. Sicut nihil habet rationem appetibilis nisi per similitudinem primę bonitatis, ita nihil est cognoscibile, nisi per similitudinem primæ veritatis. bid.

Hominis anima Deo simillima, habens imaginem creatoris sui cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest, capacem Dei, quidquid Deo minus est, non implebit. Laurent. Iustinian. lib. de fide cap. 6.

Deus est principium, medium, finis omnium. Vide quæ scripsi theol. natural. to. 1. parte 1. cap. 17. summum hominis bonum moral. Christiana to. 1. parte 1. cap 11. & lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ parte 1. cap. 5.

O cæca mortalium mens, bibis de riuulo, & viuum prætermittis fontem; lucernæ lumen magnificas, & solis claritatem non attendis: micas mensæ comedis, et ipsum conuiuium pingue non degustas. Si sanum esset cordis palatum, si recte saperes per ea quæ facta sunt, illorum intelligeres autorem, intelligendo diligeres. Laurent. Iustin. lib. de connubio verbi & animæ. cap. 13.

Creatura rationalis in solo Deo requiescito. *Vide Potestas Virtutis*. Sapiens seipso contentus ex Alcuin.

Quidquid Deus non est, quoniam imperfectum, dilectori suo consummatam lætitiam præbere non valet. Nam humanus affectus naturaliter potiora se appetit, cupitque semper ad altiora eousque conscendere quousque pertingat ad id quo nihil est melius. Nemo mortalium qui diuino caret gustu cupiditatibus suis terminum posuit, &c. Laurent. Iustin. de vita solitaria. cap. 17. vasculum eum tantum quem continet liquorem effundit; annis autem creatura siue terrestris siue cœlestis in eo quod creatura est sibimetipsi omnino non sufficit, verum si don sibi, cæteris qua ratione sufficiet.

QVIS SIT VERVS rerum terminus.

MEnsura vnicuique formæ præfigitur, per comparationem ad suum finem sicut non

A est maior grauitas, quam grauitas terræ, quia non potest esse inferior locus loco terræ.

In omnibus appetibilibus & agibilibus mensura est finis, quia eorum quę appetimus & agimus, oportet propriam rationem ex fine accipere.

In fine non adhibetur aliqua mensura, sed solum in his quæ sunt ad finem. Sicut medicus non adhibet mensuram quantum sanet, sed quanta medicina vel diæta vtatur ad sanandum.

Modus essendi cuiuslibet rei, determinatur secundum id, quod est ei per se, non autem secundum id, quod est ei per accidens.

Sacri erant termini, idcirco rectè terminorum finiumque iurgiis finiendis sacerdotes interueniebant fratres aruales. Cuiac. obseru. lib. 10. cap. 34.

B Finis est quo concludimus omnia, cuius causa cætera sunt, ad quem vniuersa spei, rerum, negotiorum opera festinant. D. Hilar. in psal. 50.

VERITAS IN morientibus.

DEscriptio bonorum, à defuncto facta interposito iuramento, obstringit hæredes, non creditores, quibus licet alia defuncti bona perquirere, & hypothecæ nomine vindicare. Nouel. 48. & in eam Cuiac.

Admonitiones quas faciunt homines morti iam propinqui magis recipiuntur, quia tunc maioris

C sunt autoritatis. Tostat. 1. paral. fo. 326. c. 2. b magis amantur morituri & discessuri, sic eorum dicta magis recipiuntur, supponuntur tunc nihil dicere contra conscientiam, proferuntur efficacius ab his qui amplius non poterunt monere. Ibidem.

Consuetudo erat antiqua, vt parentes in morte benedicerent filios vt fecit Iacob. Id. Gen. fo. 396. benedicendo admonebant vt patet de Iacob. Gen. 49. & de Isaac. Gen. 27. de Moyse Deut. 31. & 32. 33. de Samuele. 1. Reg. 12. de his benedictionibus. *Vide Duratio Principis*.

Priusquam Christus cœlum ascenderet Marcus Euangelista refert eum de cordis atque infidelitatis duritia increpasse discipulos, vt verba quę recedens diceret, in cordibus audientium arctius impressa remanerent. D. Gregor. PP. homil. 29. in Euang.

Morientes rei tria poterent dicere. *Vide Gloria Finis.*

GLORIA FINIS.

QVIES IN FINE.

MORS misera non est, aditus ad mortem miser est. Quintil.

Mors senis est iucunda, quippe secundum naturam, velut è conuiuio descendit ad quietem, post longam nauigationem, expleta curiositate in portum, tanquam post diuturnam satis moram, è diuersorio in patriam. Mors autem iuuenis contrarios affectus habens, & nondum expletos, dicitur violenta. Poma immatura difficilius ex arbore carpuntur, matura facilè & vltro manum sequuntur.

Vide Finis Minoritatis Resurectio mortuorum.

Mors homini minus molesta est ex senio, vt Aristoteles inquit, hoc solo deterior, quod ante multa profert incommoda Proxima quæ ex viperę cuiusdam morsu contingit. Succedit huic quæ ex potu meconii: nam dormientes pereunt; quarta fit potu cicutæ; quinta fit accensis carbonibus in cubiculo in quo quis dormit, nam qui tale periculum euaserant, retulerunt se nihil mali sensisse, quæ ex sanguinis profluuio accidit iuxta finem laboriosa est. Cardan. lib. de rer. varietate. c.40.

QVIES SENECTVTIS.

QVintil. Instit. orat lib. 11. cap. vlt. oratori muneribus suis, diu laudabiliter functo, tandem suadet secessum, quia non tantum constat scientia quæ augetur annis, sed etiam actione quæ minuitur, prouideat igitur ne peius quod fecerit, faciat, ne quod dicit, parum audiri sentiat, ne se quærat priorem. Domitius Afer olim fori princeps, dum senex perorarer aliquid quotidie de sua authoritate deperdebat omnibus aut ridentib. aut erubescentibus, vnde occasio fuit dicendi, malle eum deficere quam desinere. Quare antequam in has ætatis veniat insidias, receptui canet, & in portum integra naue perueniet. Illic docebit iuuenes tunc fortè beatior, cum iam secretus & consecratus liber inuidia, procul à contentionibus, famam in tuto collocauit, & sentiat viuus eam, quæ post fata præstari magis solet, venerationem, & quid apud posteros futurus sit, videbit.

Refert Xenophon, olim senes oleæ gestasse ramos, in honorem Mineruæ.

An senex debeat à regimine cessare. Plutarch.

Simeon senex vlnis suis gestans Christum, dicit, nunc dimittis seruum tuum Domine in pace quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Petrus Damiani Card. & Episcopus scribit ad Nicolaum secūdum librum vt illi liceat onus Episcopatus deponere, quia senior sit, & ideo quieti potius quam laboribus idoneus, vt veterano & emerito honesta missio concedatur. opus. 19.

Leuitæ ab anno 50. qui est iubilei, non amplius ministrant, sed custodiunt vasa sibi commissa. Num. 9.

Gregorius Nazianzenus, superstes adhuc, alio Ecclesiæ suæ Episcopo designato, ipse in agro vitam solitariam exegit, annos amplius 90. natus, 13. Theodosii Imperatoris anno. Suidas in voce Gregorius.

Prytaneum erat Curia apud Athenienses in qua publicè victus præbebatur iis qui honorem illum rebus præclarè gestis, qui quidē maximus habebatur, consequuti erant. Ibidem seruabatur ignis æternus. Id. in voce prytaneum, *Vide Gloria Durationis. Et Duratio Glorię.* Honor post depositam dignitatem.

DELECTATIO IN fine & honor.

NVces, castaneæ, & multi alii fructus teguntur duris, asperis, amaris Ficus est in succo summè amara, in fructu summè dulcis.

Christus nascens & viuens incognitus hominibus in passione & in fine sæculorum iudex aduenìens cognoscetur.

Multi genere ignobiles. Illustrem vitam, vitæque finem habuerunt *Vide Gloria Minoritatis.* Humilitas exaltata.

Vide Magnitudo Finis. De grata in periodi orationis clausula.

Vis summa dicendi non esset admiratione digna, si infœlix vsque ad vltimum solicitudo persequitur, ac oratorem macerat & coquit, ægrè verba vertentem, & perpendendis coagmentandisque eis intabescentem. Nitidus ille & sublimis & locuples, circumfluentibus vndique eloquentię copiis imperat; desinit enim in aduersa niti qui peruenit in summum; scandenti circa ima labor est, cæterum quantum processeris mollitur dìues & lætius solum; inde fructus illaborati offerunt sese, & omnia spontè proueniunt, quæ tamen quotidie nisi decerpantur arescunt. Quintil. Instit. orat. lib. 12. c. 10.

Vide Duratio Cognitionis. Experientia; exercitatio.

Melius est mori fœlicem. *Vide Voluntas Finis.*

Christus non timuit mori, quia resurgentis gloria, sepeliuit morientis iniuriam. Chrysol. serm. 75.

Ioseph venditus à fratribus, postea toti Ægypto dominatur, Iepthe eiectus à fratribus, postea fit princeps in Israël Iudicum 11. *Vide Minoritas Principii.*

Digitized by Google

Plantæ vetustæ sunt odoratiores quam nouellæ; minus enim humoris in his est, itaque magis valent exuperare, sicut etiam quæ solo gracili posita sunt. Licet tamen illud simpliciter asserere omnia quæ vigent, præstantiora tum sapore, tum odore intelligi modo finem hunc natura illis statuerit. Theophr. de causis plantar. lib. 6. cap. 25. Odor non nisi maturescentibus fructibus consistit. Ib.

Prætexta vestis cuius extremitas erat decorata.

Qui ad capitale supplicium abducebantur iis licebat potu & cibo plenis, tria quæ voluissent habere dicere, deinde ore obturato ad necem ducebantur. Suidas in voce *λιπαις τα τρια*.

Arundines in Indiæ orientalis syluis nascuntur crassitudine cruris humani, quæ adeo teneræ vt singulæ stantes vno ictu gladii secentur; aridæ vero tanta duritie, vt fissis illis & in modum chirurgicorum scalprorum efformatis sagittas suas ita armont Barbari in Brasilia.

Nisi granum frumenti terra conditum & mortuum fuerit, fructum non affert. Viuente Ioseph non dicitur quod multiplicatus fuerit populus Israel, sed tantum eo mortuo. Post mortem Christi in omnem terram exiuit Euangelii prædicatio. hom. 1. in Exod.

Vide Durabis Concordantia. Partes dissolutæ, cum suo toto seruantes sympathiam, & de his qui fuerunt post mortem formidolosi.

Fauilla de fornace Moysis sumpta & in aërem proiecta causat vlcera & vesicas feruentes in hominibus Ægyptiis & fit sexta plaga Exod. 7.

Qui ab initio leui fortuna humilique diu agitantur, demum vsque ad mortem perseuerant fœlices, hi sunt quibus genituræ fœlices quidem sunt, sed à significatoribus promissores plurimum absunt, vt Agathoclis. Cardan. de iudiciis geniturarum. cap. 6.

Cum multi Imperatores vestis purpureæ vsu interdixissent, tam viris, quam fœminis, Leo Philosophus nouel. 18. permisit purpureorum segmentorum vsum, vt in limbo & ora vestimentorum ponerentur ornatus causa. Cuia. obs. l. 12. c. 24.

HONESTO FINE CONSUMMARI.

Timanthes Cleonæus quinquies victor, solebat quotidie magnum arcum intendere ad explorandas suas vires: cum autem aliquando peregrè reuersus eundem intendere non potuisset, igne incenso, viuens in rogum insiliit. Id. in voce Thimantes. *Vide Voluntas Finis.* De his qui sibi mortem vanitate.

Sol à nobis recedens in autũno relinquit fruges.

De Polixena proximè immolanda dicitur

Ipsa deiectos gerit
Vultus pudore: sed tamen fulgent genæ
At agisque solito splendet extremus decor
Vt esse Phœbi dulcius lumen solet
Iam iam cadentis.

Nisæus Syracusarum tyrannus in conuiuiis profusus apparuit, vbi ab aruspicibus didicit se breui periturum.

Pueri in parẽtum senectute procreati frigido & sicco cerebro communiti extemplo sapientes existunt, & rationis vsum citius obtinent Ant. Zara in anatomia ingeniorum. sect. 1. memb. 4. in fine.

A *Consumpta virtutis residuum emicat in fine. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 3. lege 14. §. 1.*

Ambit natura honesto fine concludi. Ibid. lege 15.

SECVRA ET LÆTA mors iusti.

De morte iustorum. D. Chrysost. hom. 70.

De bono mortis. liber D. Ambros. to. 1.

De Mariæ virginis transitu. Melito. Bibl. Patr. tom. 7.

Mirandum fuit in Monasterio Abbatis Isidori in Thebaïde quod nullus fratrum ægritudine laboraret, sed præsentiens & prædicens exitum B suum moriturus, spiritum lætus emittebat. In vitis PP. lib. 2.

Monachus quidam moriturus, cæteris flentibus ridebat, interrogatus quare rideret, quia, inquit, timetis mortem, & quia de labore vado ad requiem. Ibid.

Dulcia, defecta, modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipse sui. Mat. l. 13. ep. 77.

D. Chrysost. hom. 14. in 1. ad Timoth. loquens de Monachis. Vbi quisquam nuntiatus fuerit mortuus, magna omnium exultatio mortuum nemo dicit, sed consummatum, inde gratiarum actio C sequitur, & gloria, ingensque lætitia, singulis orantibus se hoc fine donari, sic à laboribus quiescere, & Christumque videre.

Lauda Ierusalem Dominum, &c. qui posuit fines tuos pacem. Ps. 47. cum in limitrofis soleant esse hostium irruptiones & pugnæ.

De pia & secura morte religiosi. Vide quæ scripsi lib. de institutione & officiis religiosi. cap. vltimo.

Nihil iucundius est quam conscientia proba, & spes futurorum certior, ita moriturus dolet de præteritæ vitæ delitiis & luxu solum lætatur de rectè factis. Sic Ezechias 4. Reg. 20. cum ægrotaret, non commemorat regni sui splendorem, sed tantum iustitiam & rectam conscientiam. Memento, inquit, Domine qualiter ambulauerim in D conspectu tuo in via recta. Et Paulus 2. Timoth. 4. bonum certamen certaui, cursum consummaui, &c. temporalia cum vita finiuntur, & illorum rationes exiguntur, virtutis autem actiones nos comitantur, iucunda bene actæ vitæ memoria quasi tranquillitas post tempestatem veniens, conturbatam facilè animam consolatur, &c. D. Chrysost. hom. 54. in Matth.

Arbor proxima cubiculo S. Theresiæ in eius obitu calce, & materia obstructa, & iam dudum arida, repentè onusta floribus apparuit, ipsa sui transitus hora. Gregor. XV. const. 20. §. 20. Bull. p. 307. to. 3.

E

ORATIO FVNEBRIS. Epitaphium.

Funebres orationes plures in Gregor. Nanzia. Gregor. Nyssen. & apud D. Hieron.

Quoties magni alicuius mors ab historicis narrata est, toties ferè totius consummatio vitæ, & quasi funebris laudatio redditur, id vsurpatum à Thucidide, Sallustio, Liuio, & qui Ciceronis scripsit Epitaphium, Seneca Suasoria 6.

Adulatori

Digitized by Google

Adulatori qui habita oratione suadebat diuinos honores offerendos Alexandro, Calisthenes vir grauis respondit. Nullum esse eundem & diuturnum & præcoquem fructum; Cœlestes honores eum tunc non dare regi, sed auferre. Interuallo enim opus est vt credatur Deus, semperque hanc gratiam magnis viris posteri reddunt. Ego autem seram immortalitatem precor regi, vt & vita diutina sit, & æterna maiestas. Hominem consequitur aliquando, nunquam comitatur diuinitas. Prius ab oculis mortalium amolita natura est, quam in cœlum Herculem fama perueheret: facilius erit cœlum dare, quam imperium, &c. Q. Curtius lib. 8.

Plato 7. de legibus dicit securum non esse aliquem hymnis laudare, antequam optimum vitæ finem fecerit. Propter hominis inconstantiam. *Vide Duratio Virtutis. Repug.*

HONOR SEPULTURÆ.

IN Ægypto corpora mortuorum pigmentis condita redolentibus, in editioribus cellulis reconduntur; Nam madens ebrietate continua, terræ illius solum, humandi arcet officium, si qua enim cadauera defossa susceperit, euomere ad superficiem suam, inundationum nimietate compellitur Cassian. collat. 15. c. 3.

Macab. lib. 1. c. 13. Symon ædificat patri suo sepulchrum cum columnis, pyramidibus, armis, quod videbatur à nauigantibus.

Licet Christus humilem & afflictam vitam voluerit ducere, tamen sepulchrum eius fuit gloriosum. Vt dicitur. Isay. 11.

Multa de honore sepulturæ. Vide apud Chasseneum in Cathalogo gloriæ mundi parte 2. cōsideratione. 5. Vbi refert inter cętera, Ægyptios in domorum ædificatione negligentes, mortuis superba extruxisse sepulchra in modum pyramidis, Velut domos ęternas defunctorum,

Rerum natura vt in generandis alendisque hominibus, quæ necessaria erant, ex seipsa prospexit, ita cum rursus opus suum resoluit, corpora nostra quam primum reducere ad principia sua festinat, vt desertis etiam locis circa cadauer tracta imbribus terra concrescit, aggerent puluerem venti, & liquefacta multa die membra paulatim humus bibit, etiamsi nullus operit. Nobis vero aduersus exanimes; genuit non solum miserationem, sed etiam Religionem. Inde ignotis quoque corporibus transeuntium victorum collatitia sepultura inde iniecta ab alienis humus. Quintil. declar. 6. In honorem pietatis, etiam damnati sepeliuntur.

Corpus mortuum mandatur terrę, vt in principium suum redeat, & illi misceatur quę pulchra omnia, bona omnia, & gignit, & nutrit, sic eius rei particeps, quę benefica est in homines.

Indi Idololatrę mortuorum corpora comburunt, pulchrum existimantes à nobilissimo, purissimoque elemento consumi, & insphærā transferri cœlo viciniorem in quod animę recipiuntur

Calamus Aromaticus nascens in India, nullius est odoris antequam auellatur: lauda post mortem.

Apud Sinenses magnificum funus est, numero sacerdotum; sed res quas viuens defunctus amauit non veras; sed pictas tantum comburunt. Idem

A fit apud Scythas in regno Tanguth., & apud eos defunctus sepulturæ non traditur, nisi cum planeta dominus natiuitatis fuerit in sua exaltatione, quod obseruant periti, consultique apud eos astrologi.

Valentiæ in Hispania, singulis annis in festo S. Mathæi, cadauera & ossa reorum in patibulo existentium, processionaliter colligunt & Ecclesiastica donant sepultura Dauity.

Iudæis non liceat mortuos suos psallendo deducere. Concil. Narbon. can. 9. an 589.

Magis gloriosum, mereri splendidum sepulchrum, quam habuisse cunas pretiosas.

B Sepulchra martyrum vocantur memoriæ, quia reuocant in memoriam nostram, quæ pro Christo passi sunt.

Corpus humanum mortuum sepeliendum, & spectaculum soli minimè gratum occultandum, ita Romani hostes suos insepultos non patiebantur. Suidas.

Honor sepulturæ tegit cadaueris ignominiam, *Vide Cognitio Minoritatis. Repug.*

Quidam aurum in zona ferens, ab hospite occisus est qui corpus curru fimo contectum efferre statuit. At mortui anima apparet Megarensi cuidam, facinus aperit, deprehensus & punitus homicida corpusque sepulturæ traditum. Id. in voce *ἔκειτο τὰ τεῖα.*

C Primi omnium Ægyptii cadauera piorum, quatenus hominibus fas est, immortalitate donarunt, exemptis enim visceribus, superfusoque nitro, post aromata indita seruabantur magnificis sepulchris. Cardan. lib. de rerum varietate cap 46.

Ægyptii in ædificandis domibus fuerunt incuriosi, eas enim habebant velut diuersoria propter breuitatem vitæ, at quia post hanc superest sempiterna, sepulchra magnificè extruebant velut domos sempiternas, Rodig lib. 17. cap. 20.

De his qui sepultura priuantur. *Vide Duratio Contrarietatis.* vindicta in mortuos.

Ex Amphilochio in vita. S. Basilii discimus B. Præsulem hostiam consecratam, eleuatamque diuisisse in tres partes; vnam quam suscipit in timore multo, alteram seruauit ad consepeliendum sibi; tertiam positam super columbam auream suspendit in altari Id. refert D. Gregor. lib. 2. dial. c. 24. hanc fuisse tunc temporis fidelium consuetudinem quam tamen Concilia improbarunt. Carthaginense 3. c. 6. Hipponense can. 5. Constantinopolitanum. 3. siue Trullianum quia Matth. 26. dicitur, accipite & manducate. Cadauera autem nec accipere possunt, nec edere.

D Multis accensis luminibus ducebantur funera, vt ostendatur defunctos mediante fide & obseruantia Euangelica quæ est vera lux, peruenisse ad æternum splendorem gloriæ.

E Quamuis inuito fructuario proprietarius, vel inuito socio, socius locum Religiosum facere non possit, si tamen agatur de mortuo inferendo datur ei interdictum, ne insepulta iaceant corpora Nam summa ratio est, quæ pro religione facit. l. sicut personæ. ff. de religios. & sump. funer.

Iustinian. Imp. Nouella 43. Ecclesiæ Constantinopolitanæ concessit mille & centum tabernas seu officinas, in pulcherrimis foris vrbis, vt ex earum reditu facerent sumptus funerum, & hæ liberæ erant ab omnibus muneribus & collationibus ciuilibus Idem Leo nou. 12. Si quis autem maiore pompa & nobilioribus & magis pretiosis ferculis siue lectis defuncto funus aducere

ducere voluerit, id suis sumptibus faciebat Iustin. nou. 19.

Abdiæ qui fuit vnus ex duodecim Prophetis minoribus sepulchrum cum Mausoleo Elisæi & Ioannis Baptistæ in Sebaste ciuitate quæ olim Samaria dicebatur, venerationi habetur. Tostat in Genes. pag 23. co. 2. b.

Hieremiæ ossa transtulit honorificè in Alexandriam, Alexander Rex Macedo. Id. Matth. 10. 1. fo. 144.

Inter Israëlitas non erat idem modus quantum ad cadauera omnium; nam cadauera popularium simpliciter sepeliebantur, & nihil comburebatur de eis, nec fiebant cæremoniæ combustionis. In cadaueribus autem regum secus erat, quia ibi fiebant cæremoniæ combustionis vt patet 2. paralip. c. 21. Ierem. 34. interdum aromata sola comburebantur, interdum cum eis carnes cadauerum ossibus seruatis ad sepeliendum, quia non corrumpuntur. Id. 1. reg. 10. 2. fo. 191.

Apud Iudæos corpora mortuorum censebantur immūda & qui ea tetigisset mundari debebat aqua lustrationis antequam posset accedere ad sanctuarium Num. 19. multo minus poterant ea cadauera in sanctuarium inferi: Etiam extra castra sepeliebantur sumpta ab gentibus, consuetudine qui extra vrbes sepeliebant, quia ex cadaueribus exhalat pestifer halitus. Vnde pestis, vt ipsi mortui viuos occidant; & eo quod communium actionum vsu, iumentorum via, & excrementis violantur quodammodo sepulchra. At inter Christianos inualuit contraria consuetudo sepeliendi in cœmeteriis intra vrbem, etiam in templis, vt visis frequenter sepulchris, sit nobis mortis assidua memoria ab illicitis auocans, & orandi pro defunctis pietas. Tostat. Leuit. fol. 84.

Gothi, Sueui, septentrionales populi in locis in quibus decertauerunt erigebant magnos lapides seu obeliscos, facti memoriam inscriptione breui testantes; Indi autem sepulchrales pyramides excelsissimas erigebant, & vanæ ostentationis gratia, & ne pecunia successoribus & insidiantibus æmulis relinqueretur. Olaus Mag. lib. 1. cap. 29.

Salomon fecit patri suo Dauid sepulchrum honorificum, & circa illud constituit septem loculos thesaurorum, vnde dicit Iosephus 7. antiquit. quod post tempus annorum mille trecentorum, Hircanus Pontifex Machabæus, dum ciuitas obsideretur ab Antiocho rege, vt ab obsidione se redimeret, aperuit vnum loculum sepulchri Dauid, & sublatis inde tribus millibus talentorum partem dedit Antiocho. Post hoc multo tempore transacto rursus Herodes Rex, alium loculum aperiens plurimas exinde pecunias tulit postea eos nullus regum inuenit ita sunt arte mira reconditi. Soliman Turca circa annum Domini, 1510. cum cœpit Ierosolymam diligenter quæsiuit hos thesauros & non inuenit. Tostat. 3. reg. fol. 20.

Hostes victis hostibus præstant sepulturam honestam. *Vide Gloria Virtutis.* virtus ab hostibus honorata.

Olaus Magnus lib. 16. cap. 47. refert Nobilium virorum sepulturam apud Septentrionales sic fieri, vt cum magno Ecclesiasticorum comitatu, præcedat corpus eques insidens equo cataphracto, manu præfert nudum ensem, capulo versus cœlum elato; à ergo pendet clypeus defuncti, cum suis insignibus, qui custodiæ Ecclesiæ committitur, vt inde stirpi petat claritudinis testimonium.

Funus & sepulchrum honorabitur, cum octauo loco nobiles planetæ præfuerint. Cardan. de iudiciis geniturar. cap. 11. si fuerit ibi Iupiter, maximè Venus, cum præclaris sydetibus, corpora illorum, vt diuorum colentur. Ib.

Plures planetæ in septimo loco significant famosum obitum, in quarto gloriam, aut cadaueris absque corruptione permanentiam. Ibid. sect. 5. Aphor. 59.

Matris vterum agricola tandiu secuit, donec eum vtero recipiat.

Christo moriente, testantur dolorem etiam insensibiles creaturæ terra mota est, petræ scissæ. Sol obscuratus.

De luctu in funeribus. *Vide Gloria Concordantia Repug.*

Vanitas viget etiam post mortem. *Vide Voluntas Gloria. Repug.* humanæ gloriæ contemptus.

CINERIBVS MORTVISque parcendum.

CIcero à crudelissimo Syciliæ tyranno hoc exposcebat Mors sit extrema malorum. Extremum malorum naturæ passi sunt mortui, afflicto autem non est danda afflictio. *Vide Maioritas Contrarietatis.* passi sunt, eadem quæ patiemur, ideo illis debetur non inuidia, sed compassio; hæc iniuria timida quæ lædit vindicare se non valentem; vana quæ non tangit, non sentientem si lædit famam defuncti obest non tam illi, quam posteris, de virtute defunctorum vtilitatem capientibus: Mortui sunt alterius iurisdictionis, & expiatis prioris vitæ delectis, forte iam beati.

De mortuo detrahere, & illi imputare graue aliquod delictum, est peccatum mortale, quia aufertur bona opinio, quam defunctus habet apud homines, in qua viuit, tum quia huiusmodi detractio potest nocere consanguineis defuncti, vel amicis. Bonaci de restitution. disp. 2. q. 4.

Si quis defunctis per iniuriam maledicebat, poterat à quouis accusari. Suidas in verbo *εὔφημε*.

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.

Leones mortuorum corpora nunquam degustant, furorem eorum superant qui mortuis etiam insultant D. Chrysost. hom 21. in epist ad Roman.

Nullam esse ex magnis diuitiis securitatem patet ex eo quod illas è viuentibus omnes eripere conantur, vi, vel fraude: mortuis etiam capiunt sepulchrorum effractores, licet multa sint quæ mouere possent misericordiam, quod corpus sit mortuum, quod immobile, quod ad terram tendat & interitum, quod nemo adsit opem laturus, sed nihil horum sistit tyrannicam habendi cupiditatem. Id. hom. 35. in 1. ad Cor.

Creditores qui corpora defunctorum detinent ac si vellent eorum corio satisfieri, nec sepeliri, debitum amittunt, tantundem præstant hæredibus & fiunt infames. Nou. 60. l. vlt. c. de sepu. viol. de hac crudelitate quæritur D. Amb. lib. de Tobia cap. 10. l. 3. ff. de sepul. viol. causa. enim funeris est publica l sicut persona. ff. de relig. & sumpt. funer.

Actiones personales puræ, quæ competunt contra aliquem, morte illius extinguntur. Tostat. in 1. Reg. 104. c. 1. d.

Defunctis non potest obesse excommunicatio. Id. Matth. to. 4. f. 187. c. 4. Non irascimur mortuis vt nec rebus non sentientibus. Id.

Iudæi honorabant Prophetas mortuos, & viuos persequebantur & occidebant, quia mortui non increpabant eos, sed viuentes. Tostat. Math. to. 6. fo. 241.

Peius malum videtur maledicere de mortuo quam de viuente, quia carent defensione, ac carentes defensione offendere grauius est, vt pupillos, orphanos, aduenas; Tollitur ab illis vita ciuilis propter quam vixerunt & hæc consistit in bona opinione; nocetur propinquis, & toti populo. Læsa illustris viri fama, vnde si bona permansisset, poterat esse magnum ad virtutes incentiuum. Leges humanæ dicunt crimina morte extingui, iam enim pertinent ad alium forum, scilicet diuinum. Id. Matth. to. 554.

Olaus Magnus rer. septentrion. lib. 16. cap. 45. refert plura exempla Principum qui hostes mortuos honesta sepultura prosequuti sunt, & sepulchrorum violatores vltimo damnarunt supplicio in criminis publici expiationem. Ibidem luget rabidam crudelitatem apud suos qui sepulchra non verentur effodere, vt hinc educant sal nitrum ad pulueris pyrrici confectionem & explodendas bombardas.

Qui monumento inscriptos titulos eraserit, vel statuam euerterit, vel quod ex eodem traxerit, lapidem columnamue sustulerit, sepulchrum violasse videtur. Cuiac. obser. l. 21. c. 11. Qui corpus perpetuæ sepulturæ traditum, vel ad tempus alicui loco commendatum nudauerit, & Solis radiis ostenderit, piaculum committit, atque ideo si honestior sit, in insulam, si humilior in metallum dari solet. Id. Famæ mortuorum parcat inuidia. Neque iuxta monumentum, neque supra monumentum habitandi ius est, adtactu enim conuersationis humanæ piaculum admittitur, & qui contra ea fecerit, pro qualitate personæ, vel opere publico, vel exilio multatur. Ibid. ex Pauli sententiis. Vbi notandum apud Iudæos viuentes à mortuis pollui; hic mortuos à viuentibus.

Vide Gloria Virtutis. Virtus ab hostibus honorata.

Solon, vt refert Plutarchus in eius vita, prohibuit in defunctos conuitia conjici, & iussit sacros ducere, qui è vita decessertint.

Iure communi mortui non possunt accusari. Can. admonere 33. q. 2. can. quorundam 35. dist. quia crimina reorum morte extinguntur l. 1. 2. & fin. si reus vel accus. mortuus fuerit. Omnium enim delictorum quasi meta est obitus. Exceptis grauioribus criminibus, vt læsæ maiestatis, repetundarum & similibus in quibus iudicium exercetur in mortuos. l. ex iudiciorum 20. de accusat.

Vide Duratio Contrarietatis. Vindicta in mortuos.

Si defunctus, dum fuit in viuis, reus erat illatæ tibi grauioris iniuriæ, nunc vltimum passus est supplicium, mortem, forsitan diuinæ iustitiæ decreto, causam tuam iudicantis & vindicantis; crudelitas est extra pœnam capitalem desæuire. Temerarium & impium, aliter quam Deo visum est, decernere, prouocare à diuino iudicio ad suum proprium, quasi mitius, quam deceat, actum sit cum defuncto. Sæuiunt canes in hostem viuum & certantem, mortuum non attingunt, eo quod iras non meretur, qui non prouocat, qui non prouocat, qui inferre, qui sentire non potest, inglorium nimis insultare prostrato, & vt fert apologus leporum timidorum instar, leoni mortuo barbam vellere. Extrema censetur vindicta quæ hostem sic percutit, vt in posterum inermis & impotens non valeat nocere. Hoc in statu defunctus positus est, etiam in meliori, nam fortè priusquam moreretur pœnitens, meruit à Deo veniam quam negas, beatitudinem, quam maledictis infestas. Extra mortalis vitæ militiam, inter amicos cœlestes positus, & in communione sanctorum, etiam esse debet extra decertantium hic pro terrenis, iniurias & tela. Offenditur in ipso beatorum charitas, non ferens asylum cœleste violari. Da defunctis, quam optares requiem; ibis quo peruenere, & eadem qua mensus fueris mensura, remetietur tibi. *Ex Principiis.*

Ignauum est lingua incessere eum, qui respondere non possit.

RELIQVIIS SANCTORVM *honor exhibitus.*

Cineribus mortuorum parcit hostilitas, honorem exhibet amicitia, vt proximè probatum est; sed illis cultum Religiosum persoluit pietas, cum ad hoc officium, miraculis à Deo prouocatur. Sanctus corpus suum viuentem hostiam obtulit Deo, siue breui martyrio sub persecutore, siue longo sub austerioris vitæ regulis, in ædificationem Ecclesiæ, litauerit. Priuatum publicumque beneficium hoc gratitudinem exigit loco personæ reliquiis suis exhibendam; pars hæc totius locum teneat vt fit in plerisque sacramentis; nam quod diuinum est non obligatur, quantitatis & materiæ legibus. Humanæ vitæ peracta militia, superatis hostibus, fidelem animam aula cœlestis excepit triumpho; hinc tot sanitates restitutæ, tot concessæ liberationes, tot vota fœliciter impleta, sunt in nos velut in infimam plebem effusæ largitiones, quæ publicam cœli lætitiam testentur, & nostram prouocent. Corpori, sanctitatis ministro, suas in resurrectione coronas seruat iustus iudex, his interim præludit honore, qui suis exhibetur reliquiis. Adhuc cooperatus sanctitati, si nostram in Deum gratię largitorem, & in sanctum fidelem ministrum, deuotionem excitauerit. Nunc etiam morti soluto debito, videtur immortalis vitæ particeps, & aliquam cum anima sua beata retinere societatem, cum eius attactu cæteris corporibus sanitas, mentibus deuotio pro supplicantium fide restituitur; etiam mortuum de morte refert spolia; in vita mortuum vitiis, in morte resurrectionis, beatitudinis, gloriæ signa quædam demonstrat. *Ex principiis.*

Cultum qui reliquiis sanctorum exhibetur à fidelibus, impugnarunt Eunomius, Vigilantius, postea Lutherus & Caluinus, sed in hoc antiquo cultu firma permansit Ecclesia. Nam Exod. 13 ossa Ioseph transferuntur ex Ægypto ne prophanentur. Deut. vlt. corpus Moysi celatur, ne illud tunc in idololatriam proni Iudæi adorarent. 4. Reg 23. Helisæi ossa cum tetigissent mortuũ hominem in vitam reuocarunt, Isay. 11. legitur de Christo, & erit sepulchrum eius gloriosum

Digitized by Google

CONCORDANTIA FINIS.

CONVENIENTIA FINIS CVM INITIO.

MVLTÆ plantæ à nigra hyemis tempore radice, post gemmas, flores & fructus, desinunt in semen nigrescens.

De reditu ad principia. *Vide Finis Differentia.*

Romulus conceptus fuit & postea mortuus est in solis deliquio Plutarch. lib. de fortuna Romanorum.

Canes applaudunt & blandiuntur, capite & cauda.

Magnus dolor, vt nullus lachrymas non habet.

Astra in oriente & occidente, maiorem, latioremque circulum ostendunt.

Extrema sibi similia *Vide Concordantia Contrarietatis.* Idem effectus ex contrariis causis. In sphæra mundi centrum & vterque polus sunt fine motu. Terra immota sicut cœlum Empyreum.

Orationis initia & clausula, tum in totius contextu, tum in singulis periodis plurimum momenti habent. Quintil. Inst. orat. l. 9. c. 3.

Erat apud Iudæos sacrificium matutinum & vespertinum; erat etiam festum messis primarum frugum scilicet Pentecostes, & festum consummationis in exitu anni, scilicet festum Scenopegiæ. Exod. 23.

Nudi & indigentes tum diuites tum pauperes æqualem habent vitæ introitum & exitum.

Eadem via est accessionis & recessus, concretionis & solutionis; abeunt tandem omnia vnde orta sunt.

Initio & in fine æstatis fit æquinoctium sole perueniente ad opposita signa arietis & libræ.

Ætas nouella & senectus magis, quam florens, fœminas generat. Arist. 4. de gener. animal. cap. 2. in vtraque enim infirmitas.

Quæ non habent principium carent fine, quæ verò principium habent, ea perpetua esse non possunt, sed aliquando finem habitura sunt. Arist. 1. de cœlo cap. vlt. Intellige de his quæ cœperunt esse per generationem ex materia præiacente, non verò de creatis quæ possunt esse æuiterna, vt Angeli, animæ rationales, errauit in hoc Aristoteles, quia existimauit mundum esse ab æterno.

Omnis scienta est à priori, vel à posteriori.

Mare circundat terram velut insulam, & in eius medio in mari mediterraneo & Caspio, sic erat ante diluuium.

Beatus Anastasius martyr aquis necatus, vt eodem elemento vitam cœlestem adipisceretur, quò inceperat per baptismum. Petrus Damiani ser. 1.

Deus primò creat lumen sensibile, fiat lux; vltimò creat hominem ad imaginem & similitudinem suam, luce scilicet intellectuali præditum.

Initio patres erant incirconcisi, vt nunc, vt iam nobis Deus ostenderet, nos sine illo onere posse

A placere, inquit Tertullian. contra Iudæos.

Contraria conueniunt in genere, & in vltimo fine. *Vide Veritas Contrarietatis, & Concordantia Contrarietatis.*

Motus semper ab immobili procedit, & ad aliquid quietum terminatur. Motus autem circularis est perfectissimus, quia finem coniungit principio. *Vide Concordantia Principii.*

Abieti & pino vna data est radix prægrandis quæ in ima descendit, paruæ autem complures ab ea exeunt. Theoph. hist. plant. lib. cap. 9. parti eminenti, conformis est radix in ima descendens. Similiter in arundinibus radices sunt geniculatæ, & his quæ supra terram eminent, similes formari

B cernuntur. Ibid.

Quibusdam in locis arborum pars ima optimè constat, superna vitiosa est, quod fieri solet cum solum arenosum, vel tofosum vel aduentiuo quoddam subditum est, inde enim radices nullum alimentum ad superiora possunt transmittere. Id de causis plantar. l. 2. cap. 5.

Vis in machinis est, vel in principio, hoc est à centro, vel in fine, nempe à superficie.

Vide Potestas Minoritatis. Vnum multis æquiualens.

Fœtus statim post conceptionem facili motu excutitur, & cum plenitudinem suam quæsierit, sicut fructus cum statim à flore coalescit & cum maturus efficitur. Rodigin. lib. 25. cap. 21.

Vt obseruatum est multos die natalis sui obiisse

C vide to. 2. hoc titulo. Sic imperium orientis Constantinopoli à Constantino inceptum desiit in Constantino Imperatore Paleologo, cum à Turcis occupatum fuit anno 1453. in oppositione vrbis Romæ in figura vniuersi.

Appion Alexandrinus dixit Homerum artificiosè à syllaba incepisse quod 48. contineret vt illos 48. libros Iliadis & Odissex amplecteretur.

Quidam affirmarunt eorum, quorum in altera vita expectamus fruitionem, non nisi in cibo & potu fore, propterea quod sacris sit litteris proditum, initio mundi hominem rebus iisdem in paradiso vitam suam conseruasse; contra hos scribit D. Gregor. Nyssen. de hominis opificio. cap. 19.

Ipse Dominus in Apocalypsi exprimitur per α & ω cum sit principium & finis.

D Cassiodorus dicit quod hora resurrectionis generalis, erat mediæ noctis fortè propter natiuitatem Christi. Tostatus dicit quod erit in crepusculo matutino in Matth. to. 6 fol. 85. videtur fieri in meridie sicut in eo fuit creatus mundus vt habetur in libello cui titulus fatum vniuersi. Ibidem probatur quod initio mundi luna erat in oppositione solis vt vtrumque hemispherium illustraretur, & sic erit in cœli statu in fine mundi. Id. Matth. to. 7. fo. 178. c. 3. h.

Cœlum perfectissimum corporum mouetur in eodem semper loco: animalia imperfecta, quæ ex sensibus non habent nisi tactum, non mouentur nisi motu constrictionis & dilatationis in eodem loco.

Euphrates & Tygris duo fluuii oriuntur ab eodem fonte in Armenia & statim diuiduntur, & post longum decursum iuncti simul intrant mare rubrum in sinu Persico, Tostat. in Gen. fo. 106.

Homo non fuit formatus in paradiso, quia ibi non debebat permanere. Id. Gen. fo. 92.

D. Augustin. lib. 15. de ciuit. c. 5. notat, quemadmodum primæ omnium mundi ciuitatis conditor fratricida fuit, ita fuisse fratricidam fundatorem eius ciuitatis quæ terreni imperii caput fuit, Romulus enim vrbis Romæ conditor, Remum fratrem occidit. Fraterno primi maduerunt sanguine muri. Lucan.

In eis sæpè regna deficiunt, à quorum nominibus inchoarunt.

Vitam truculentam, sæuissima mors imitatur.

Salmo piscis licet sit corpore ponderoso, sentiens se retibus pressum omnibus viribus se liberare tentat, caudam ori applicando, vt circulari saltu exiliat. Olaus Magnus lib. 20. cap. 3. Memoria propositi sibi finis ab initio, prodest plurimum ad virtutis profectum.

Terra circumfusa occeano in extremitatibus suis angusta, in lateribus est latior.

Vt in principio vitæ, sic in fine contingit infirmitas. Vide quæ scripsi de iure naturali, lib. 3. lege 14.

Saturnus superior planetarum conuenit cum terra vltima elementorum in colore fusco & plumbeo; qualitate sicca & frigida, tarditate motus, & influxu celeritatem castigante. Leo Hebr. dial. 1. de amore.

Conueniens fuit vt Christus circa illam horam noctis nasceretur, qua à mortuis resurrexit. Vnde Salomon, dum medium silentium tenerent omnia. Alcuin. de diuinis officiis cap. 1.

Ianum Regem Italiæ mortuum populi vt Deum coluerunt, ei duas appingebant facies propter orientem & occidentem vbi se Sol permittit videri. Primum anni mensem illi sacrauit Romulus, tanquam conueniat bicipiti Deo, prospicientem scilicet anni transacti finem, & initium sequentis; limes & ianua anni. Ib. cap. 4.

Nilus fluuius in Ægypto per 40. dies crescit, per totidē decrescet à 17. scilicet Iunii ad 6. Octob.

Quidam dicunt, vxorem non nisi duos dies marito gratos afferre, alterum cum desponderur, alterum cum sepelitur.

Dignitas Dominici diei notatur in hoc quod fuit prima dierum, item vt dicitur, erit vltima dies; Item nox illam non præcessit, & nox non succedet illi. D. Bonau. de operib. conditorio c. 10.

S. Ludouicus Tholosæ Episcopus Roma rediens, in eodem oppido in quo natus fuerat; Bricolo nomine, iuxta Massiliam, incidit in morbum, & obiit, a. 1299. Chro. min. to. 1. lib. 6. c. 12.

SEPELIRI IN PATRIA cum amicis & parentibus.

NAturaliter insitus est nobis amor patriæ. *Vide Voluntas Principis.* Ibi viuere, senescere dulcissimum, mori & sepeliri solatium. Quod si negotiorum necessitas vel fortunæ casus nos in exteras deferant regiones. Idem omnibus votum est quod olim Iosepho, qui filiis suis ex Ægypto discessuris iussit secum asportare ossa sua. Id optant omnes instinctu quodam, cui accedit ratio. Nam cum in omnibus circulationem natura perficiat, & in sua principia, suamque originem cuncta refluant *Vide Finis Differentia.* Æquum est corpus patriæ vnde sumpsit originem, restitui, velut commodatum, depositum, precarium. Cerui, lepores vrgente maxima canum vi, in hoc saltem sibi prouident per multos circuitus vt circa cubilia sua moriantur, & eidem elementorum parti, quas debent, reddant suas animas. In hominibus prouinciarum custodes, quidam asserunt curare ne corpus mortuum extra sedes proprias abeat, itaut nauigio momias Ægypti transferentibus obsteut, quantum possunt prodigiorum & tempestatum crebra vexatione, cuius nullam in natura causam obseruant periti. An sit animabus separatis aliqua corporis relicti cura, dubium, saltem coniunctæ mortem corporis præuidentes, ossium & cinerum quieti prouident, & patriam eligunt sepulturæ, non terram alienam in qua facilius sepulchrum posset violari, nullis ad eius vindicationem existentibus proximis. Quod autem sepulchra fuerint familiis propria, in quæ consanguinei inferri desiderent, fit hoc instinctu naturæ quæ gaudet vnione similium. *Vide Concordantia Æqualitatis.* Vt arboris præcisi rami circum radicem omnium matrem concidunt, ibi vitam deponentes vnde receperant. Sic ex eodem nobili trunco qui processerunt homines, ambiunt consepeliri quodam in principium suum reditu. Idem inter amicos votum, vt quorum vna fuit anima, vna sit cinerum commixtio; eos ad eandem duobus præsidentem stellam redire dicunt Platonici sympathiæ scilicet principium & finem. Ita nihil deperit mundo, cum hac iustitiæ lege ius suum vnicuique redditur. *Ex Principiis.*

Apud Sinenses quilibet in sepulchro familiæ suæ proprio mortuus sepelitur. Extra patriam mortuum curant in sepulchrum familiare deferri. Dauity,

Patriarchæ sepeliri voluerunt in terra Chananæorum Gen. 47. 49. 50. vt illic eorum corpora suam expectarent resurrectionem, vbi resurrecturum esse cognoscebant, ipsum beatæ resurrectionis authorem. Petrus Damianus serm. 2. cap. 17.

Exhęredato relinquitur ius, vt possit in hereditario sepulchro sepeliri, & suam pesteritatem inferre. l. 6. §. 1. ff. de relig. & sumpt.

Scribit Appianus, inter pręcipua, cur legem agrariam recusarint diuites, fuisse, quod impium ducerent monumenta maiorum ad alienos transire. Rodig. lib. 17. cap. 19.

Optant multi sepeliri in sepulchris paternis, nec nisi propter quasdam calamitates in peregrinis. Origen. hom. 35. in Matth.

Sic Thysbe super Pyrami cadauere semetipsam gladio confodiens orat suos & Pyrami parentes.

Vt quos certus amor, quos hora nouissima iūxit,
Componi tumulo, non inuideatis eodem.

In sepulchris Iudæorum tota progenies simul sepeliebatur, eo quod essent sepulchra illa sicut domus magna, & aduoluto saxo ad ostium claudebantur interius corpora mortuorum. Tostat. Matth. to. 6. fo. 139.

Apud Hebræos reputabatur magnum infortunium, quod aliquis sepeliretur extra terram suam, & sepulchrum patrum suorum vt patet Berzelai Galaditæ, & Architophel & 3. Reg. 14. propheta qui non obseruauerat pręceptum Domini manducando in Bethel prędicitur in pœnam, non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum. Tostat. ibid.

Hebron vocata est etiam Arbè, idest quatuor, quia in ea sepulti sunt quatuor Patriarchæ scilicet A Adam, Abraham, Isaac, Iacob. Alcuin. in Genes. interrog. 211.

Moysis ossa sita sunt in terra aliena, sicut Aaronis, Danielis, Hieremiæ Apostolorum multorum nescimus vbi sita sint. Nam Petri, Pauli, Ioannis, Thomæ manifesta sunt sepulchra, aliorum autem non sunt nota, vbicumque fuerimus sepulti, Domini est terra, & plenitudo eius. D. Chrysost. homil. 16. in epist. ad Hebræ.

CONTRARIETAS FINIS.

LABOR IN FINE.

VIDE Minoritas Finis.

In mineris auri & aliorum metallorum, nunc plus impenditur laboris quam olim, quia ex profundo debent erui.

Cum mare procellis agitatur, minus est periculi in alto, quam in littore, nam illic magis fluctus intumescunt, & appellentes naues frangunt. In fine mundi, grauissima omnium futura est persecutio.

Posteriores hyemes arbores maximè infestant. *Vide Glorię Principii, Initii.* Indulgendum debilibus rerum initiis.

Mare infensum quod habet magis exhalat circa littora quam in alto: hinc enim morbus scorbut dictus, quo fauces laborant, dentes cadunt.

Circa finem sęculi habebunt Dæmones maiorem nocendi potestatem quam nunc. Tostat. Matth. 20. 4. fo. 18. quia erunt dies illi quales non fuerunt à principio creaturæ.

Cum in extremis signorum accidunt planetis impedimenta, in extremis corporis timendi sunt morbi, vt chiragra, podagra; tum etiam vitia, vt claudicationes. Cardan. Aphor. sect. 1. aph. 58.

Maximus in fine labor. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 3. lege 15 §. 1.

Matth. 14. Apostolis in mari periclitantibus B Christus apparet ambulans supra mare. Putantes autem esse phantasma, exclamant prę timore qui calamitatem auget. Hoc semper facit, vt quando vrgentia expulsurus sit, tunc grauiora & terribilia inducat. Ad tempestatis enim terrorem, non minor à visu terror, accessit. Hoc in Iob factum est nam cum tentationi finem allaturus esset, tunc molestiora fieri permisit, non dico de liberorum morte, non de verbis vxoris, sed de seruorum atque amicorum opprobriis. Similiter quando de peregrinationis afflictione Iacob illum liberaturus erat, maior turbatio accidit, socer enim eum persecutus mortem minabatur, & paulo post frater C successit qui maiorem illi timorem incussit. Nam quoniam ferre iusti homines non possent, si longo tempore atque acerrime tentarentur, cum pericula euasuri sint, tunc vt maiora mercantur, maiora inferri permittit certamina. Vltima Abrahę tentatio terribilis fuit, de filii immolatione. Gen. 22. sic enim quæ intolerabilia sunt, tolerari poterunt, si iuxta tentationum finem illata velociter dissoluantur. D. Chrysost. hom. 51. in Matth.

Serpens calcaneo mulieris insidiatur Gen. 3. idest, dæmon insidiatur potissimum, animæ in vitæ extremis. Alcuin. in Genes. interrog. 76.

corporis aut animi infirmitate; futuræ, inquit, nobis resurrectionis vigorem in te Dominus ostẽdit, vt peccati sciamus esse, quod cæteri adhuc viuentes præmoriuntur in carne; Iustitiæ, quod tu adolescentiam in aliena ætate mentiris.

SENVM ET MORIENtium pietas.

VErsutus serpens insidiatur calcaneo nostro, idest fini vitæ, ne simus perseuerantes in bono, & nos caput eius, idest primos tentationis conatus conterere debemus. Cassian. lib. 4. c. 37.

Bonus tragœdus benè officio suo fungitur, in principio, medio & fine tragœdiæ. Apud Lacedæmonios senibus in conuenticulis sub finem vitæ actio proponitur, quinam benè aut malè vixerint. Stobæus ser. 42.

Tenentur fideles communicare in articulo mortis, ad corroborationem virium spiritualium, & ad perseuerandum in gratia, quod maximè tunc est necessarium; idque sub præcepto, diuino. Nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c. Bonacin. de Eucharistia q. 7.

Ad mortem præparatio libellus Tauleri. Senec. ep. 4. 24.

De septem verbis Domini in cruce. Carmina. D. Bonauent. Arnolpus Carnotensis. Bibl. Patr. tom. 1.

Dauid in extremo morbo, aulicos suos limine exclusit, Prophetam Nathan & similes intromisit. 3. Reg. 1. Deo benedicens animam reddidit. 3. Reg. 2. Salomon sub finem ætatis amissum per idololatriam Spiritum sanctum recepit & prouerbia scripsit, vbi sanctæ vitæ precepta dat. Ecclesiasten de mundi contemptu, dicit enim in prouerbiis, nouissimè ego egi pœnitentiam, & respexi vt eligerem disciplinam. Geneb. a. 3146. *Vide Duratio Virtutis.* Sera pœnitentia valida.

Solemnitas in fine anni, quando collecti sunt fructus. Leuit. 18.

Seni iucundum sit, quod eos annos attigit, quos optabat iuuenis, & quod expeditus sit à passionibus, quæ mentes iuuenum à Deo alienant, appropinquat mortis dies, cogitandum est iam, non quomodo viuamus, sed quomodo moriamur; cogitandum post hoc sæculum, quid in alio sit, tandem, vel serò pœnitendum.

Pietas Alberti Magni antequam moreretur. *Vide Minoritas Cognitionis.* Ignorantia bona.

Si is qui videtur noster homo corrumpitur, sed qui intra est renouatur. 1. Cor. 15.

Quatuor cornua altaris hostię sanguine liniebantur, sed reliquus sanguis ad basim altaris effundebatur de consummatione sæculorum interpretatur Origen. homil. 3. in Leuit. tunc enim abundantior erit participatio sanguinis Christi. Dici potest 4. altaris cornua significare quatuor hominis ætates, at in extrema amplior debet esse pietas.

Num. 27. Iubetur Moyses conscendere montem Oreb, vt inde prospiciens terram promissam, ibi moriatur, non in plano, aut in colle, sed in excelsa vitę ratione. Id. hom. 22. super numer.

In deserto sex diebus colligebant manna, in sexta autem die, non vnius diei modium, sed quantum sufficeret in crastinum, colligebant, & vnusquisque edebat in die Sabbati, quæ collegerat in die sexta ita etiam nunc, dum in die sexta sumus & fine hebdomadæ colligamus manna dupliciter, vt sufficere nobis possit, ad verum Sabbatum in alia vita. Id. hom. 3. super Psal. 30.

A

Dicit verbum seni morituro, quod animæ in Cant. 2. Veni dilecta mea iam hyems transiit, idest huius vitæ procella. Iam apparent repromissionum futurarum flores. Id hom. 4. in Cant.

Senes dum sentiunt corporeæ suæ virtutis diminutionem, aliquid magni ante præscitam imminentem mortem, in memoriam hospitii sui transitusque per hunc mundum facere cupiunt, dictis factisque contendunt. Campan.

B

Paulus ad Roman. 13. & 1. Cor. 7. eos velut dormientes excitat ad bona opera ostendens in propinquo esse diem iudicii. Nun enim, inquit, propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis, &c. Dicat hoc senex ad iudicium particulare propinquans. Sic viatores hospitio proximi gradum accelerant; ad primos auroræ splendores dicimus diem esse, ne non paratos orta dies inueniat. Exuamus ergo phantasias, liberemur ab huius vitæ somniis, &c. D. Chrysost. hom. 24. in epist. ad Roman.

C

Christus circa mortem suam omnia egit clariora, tam in dictis, quam in factis. Tost. Math. to. 5.

Agnus Paschalis immolabatur ad vesperam & occasum solis.

De morituris qui consolationes expetunt à religiosis. Vide quæ scripsi lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ parte 3. cap. 18. De pia Religiosorum senectute. lib. de institutione & officiis religiosi parte 4. cap. 23.

Abraham plenus dierum mortuus est; idest lucis & diei operibus plenus occubuit. Alcuin. in Genes. interrog. 221.

Apud Iudæos quotidie ad vesperam immolabatur Agnus. Vnde Dauid, dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Eleuatio manuũ mearum sacrificium vespertinum; hoc tempore vesperas & completorium celebrat Ecclesia. Talis est senum pietas.

D

S. Hilarion à sexagesimo quarto anno vsque ad octuagesimum pane abstinuit, incredibili feruore mentis, vt eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem Domini, quo cæteri solent remissius viuere. D. Hieron. ad eius vita.

In fine redeunt omnia ad suum principium. *Vide Finis Differentia.*

Senex inclinata iam ætate reputet se, tanquam candidatum & nouitium æternitatis.

E

Infirmos non confessos post tertium diem medici visitare prohibentur. Pius V. const. 3. p. 114. to. 2. Greg. XIII. const. 68. p. 338. to. 2. Bulla. Vnguentum quo vngitur Aaron fluit à capite ad oram vestimenti eius. Cum essem paruulus loquebar vt paruulus, quando autem factus sum vir, exui quæ erant paruuli. 1. Cor. 13. & ad Tit. 2. Senes vt sobrii sint, casti, prudentes, sani in fide, dilectione, patientia.

PIA LEGATA.

TEcum aufer omnia, ne alienis opes relinquas; etiam hæredes de necessariis sepulturæ sumptibus detrahent. Itaque ista præueniens teipsum sepelito. Bonum sepulchrum est pie-

ized by Google

pietas. Omnibus tuis ornatus hinc discede, fac A ornent te tuæ diuitiæ. Crede consulenti Christo, præmitte tua in cœlestes thesauros, &c. D. Basil. homil. in ditescentes.

De testamento condendo. Gerson to. 2.

Qui oblationes Ecclesiæ testamentis relictas retinent, tanquam necatores pauperum ab Ecclesiis excludantur. 13. q. 2. c clericis.

Carolus Magnus, triennio antequam moreretur, thesauros suos, & omnem suppellectilem suam, partim in piis legatis, partim hæredibus diuisit, qui præstito iuramento promiserunt hæc se rata habituros. Vide. to. 2 Concil Galliæ. a. 811.

In testamento facto ad causas pias non requiruntur solemnitates iuris ciuilis. *Vide Minoritas Medij*. Vti debili medio.

B *Vide Duratio Bonitatis Repug.* celeritas in dando, & in piis legatis.

Parentes non debent abstinere ab eleemosynis & piis legatis propter nimium in liberos amorem. *Vide Maioris. Voluntatis.* Nimius parentum amor *De vltima voluntate defunctorum. Vide Finis Voluntatis.*

Si non pauisti Christum dum viueres, saltem abiturus hinc, & eorum quæ possidebas vsum non amplius habiturus, tu illi contribue: maioris quidem amoris signum fuerit, maioreque dignum mercede, si Christum dum viuis, paueris, si verò istud non fecisti, vel quod secundo loco licet, aggredere, nimirum relinque illum cum tuis cohæredem qui te cœlorum consortem reddidit. Hoc fecit per gratiam, tu nequidem debitor post acceptum, & nouum accipiendum beneficium, scilicet regnum eo vili pretio emendum; factus filiorum, tuorum cohæres orphaniam illorum alleuiabit

violentias illatas dissoluet, insidias repellet, in cæteris iuuabit. Relinque igitur hæredem eum, ad quem abiturus es, saltem numera Dominum cum seruis tuis. Libera seruos, libera Christum, fame, necessitate, carceribus, nuditate. Eum qui solus chirographum tuum delere, æternamque flammam extinguere potest, suppliciter venerare & obsecra, propitiumque tibi redde. D. Chrysost. homil. 18. in epist. ad Roman.

Idem. homil. 13. in fine vocat testamenta non atramento, sed sanguine scripta quæ pauperibus præteritis solos diuites scribunt hæredes.

De piis legatis & fideli eorum executione. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in rebus. parte 1. cap. 11.

Si multæ barbaræ gentes res defunctorum vna cum ipsis cremare solent, quanto æquius defunctis præstare oportet, quæ non in cinerem redigantur, sed illos magis gloriosos reddant. Putas aliquem maculis inquinatum abisse, da ipsi sua vt illis se à maculis detergat; putas in iniustitia eum decessisse, præbe ipsi tua ad mercedis & retributionis adiectionem. D. Chrysost. homil. 32. in Matth. sub fin.

Piis legatis non satisfacientes excommunicantur. 25. q. 2. c. obligationes ex Concilio Vasensi. *Vide Contrarietas Bonitatis.*

Romæ meretrices nisi quartam partem suorum bonorum Conuertitarum monasterio reliquerint, testari validè non posse voluit Clem. 7. const. 14. §. 13. p. 448. to. 1. Bull.

C *Melior est, magisque meritoria eleemosyna facta à viuente; vltimum est in piis legatis subsidium, vt fiat satis diuinæ iustitiæ. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordiæ, parte 1. cap. 27. & 28.*

VERITAS FINIS.

DEVS EST SVMMVM NOSTRVM BONVM.

VIDE Plotinum lib. 7. æneadis 6. De D summo bono, Cicero de finibus, Iauellus.

Homo creatus est die sexto, & est complexio creaturarum, & vt omnia sunt creata propter hominem, sic homo propter diem septimum vt scilicet in sanctificatione & benedictione Dei quiesceret, in apprehensione vitę, & lucis æternæ, quæ est supra omnem creaturam, dies enim septimus non dicitur creatus; igitur homo creatus est, vt de sexta & actiua &c. transferretur in requiem. Card. Cusa. Excitat. lib. 5 cap. 21.

Non quiescit intellectus nisi in Deo, qui est prima causa, & causa ipsius intellectus, quam quidem delibat & assequitur imperfectè cum reflectit se supra se. Maior enim est reflectio quæ peruenit non solum vsque ad principium intellectionis, sed ipsius intellectus. Id. lib. 7. cap. 29.

Vide Magnitudo Voluntatis. De perfecto Dei amore.

Deus est summum bonum per excessum quia est infinitum & extra omnem comparationem, habens omnium entium perfectiones per seipsum & à seipso. 2. quia ab ipso effluunt sicut à Fonte, quod in aliis autem est per accidens. Lux solis lucet per seipsam, sed colores fulgent participando lucem. Perbaltus in rosario theologicæ, voce bonitas diuina.

Sicut Deus propter hoc, quod est primum efficiens agit in omni agente, ita propter hoc quod est vltimus finis appetitur in omni fine, sed hoc est appetere ipsum Deum implicitè, sic enim virtus primæ causæ est in secunda, vt principia in conclusionibus; resoluere autem conclusiones in principia, vel secundas causas in primas est tantum virtutis rationalis. Vnde sola rationalis natura potest secundarios fines in ipsum Deum per quandam viam resolutionis inducere, vt sic ipsum Deum explicitè appetat. Et sicut in demonstratiuis scientiis non rectè sumitur conclusio

Digitized by Google

nisi per resolutionem in prima principia, ita appetitus creaturæ rationalis, non est rectus nisi per appetitum explicitum ipsius Dei, actu vel habitu D. Thom. in quæst. disput. de voluntate. a. 2. o. Sicut nihil habet rationem appetibilis nisi per similitudinem primę bonitatis, ita nihil est cognoscibile, nisi per similitudinem primæ veritatis. bid.

Hominis anima Deo simillima, habens imaginem creatoris sui cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest, capacem Dei, quidquid Deo minus est, non implebit. Laurent. Iustinian. lib. de fide cap. 6.

Deus est principium, medium, finis omnium. Vide quæ scripsi theol. natural. to. 1. parte 1. cap. 17. summum hominis bonum moral. Christiana to. 1. parte 1. cap 11. & lib. de fœlici successu & triumphis vitæ Religiosæ parte 1. cap. 5.

O cæca mortalium mens, bibis de riuulo, & viuum prætermittis fontem; lucernæ lumen magnificas, & solis claritatem non attendis: micas mensæ comedis, et ipsum conuiuium pingue non degustas. Si sanum esset cordis palatum, si recte saperes per ea quæ facta sunt, illorum intelligeres autorem, intelligendo diligeres. Laurent. Iustin. lib. de connubio verbi & animæ. cap. 13.

Creatura rationalis in solo Deo requiescit. *Vide Potestas Virtutis.* Sapiens seipso contentus ex Alcuin.

Quidquid Deus non est, quoniam imperfectum, dilectori suo consummatam lætitiam præbere non valet. Nam humanus affectus naturaliter potiora se appetit, cupitque semper ad altiora eousque conscendere quousque pertingat ad id quo nihil est melius. Nemo mortalium qui diuino caret gustu cupiditatibus suis terminum posuit, &c. Laurent. Iustin. de vita solitaria. cap. 17. vasculum eum tantum quem continet liquorem effundit; annis autem creatura siue terrestris siue cœlestis in eo quod creatura est sibimetipsi omnino non sufficit, verum si non sibi, cæteris qua ratione sufficiet.

QVIS SIT VERVS rerum terminus.

MEnsura vnicuique formæ præfigitur, per comparationem ad suum finem sicut non A est maior grauitas, quam grauitas terræ, quia non potest esse inferior locus loco terræ.

In omnibus appetibilibus & agibilibus mensura est finis, quia eorum quę appetimus & agimus, oportet propriam rationem ex fine accipere.

In fine non adhibetur aliqua mensura, sed solum in his quæ sunt ad finem. Sicut medicus non adhibet mensuram quantum sanet, sed quanta medicina vel diæta vtatur ad sanandum.

Modus essendi cuiuslibet rei, determinatur secundum id, quod est ei per se, non autem secundum id, quod est ei per accidens.

Sacri erant termini, idcirco rectè terminorum finiumque iurgiis finiendis sacerdotes interueniebant fratres aruales. Cuiac. obseru. lib. 10. cap. 34.

B Finis est quo concludimus omnia, cuius causa cætera sunt, ad quem vniuersa spei, rerum, negotiorum opera festinant. D. Hilar. in psal. 50.

VERITAS IN morientibus.

DEscriptio bonorum, à defuncto facta interposito iuramento, obstringit hæredes, non creditores, quibus licet alia defuncti bona perquirere, & hypothecæ nomine vindicare. Nouel. 48. & in eam Cuiac.

Admonitiones quas faciunt homines morti iam propinqui magis recipiuntur, quia tunc maioris C sunt autoritatis. Tostat. 1. paral. fo. 326. c. 2. b magis amantur morituri & discessuri, sic eorum dicta magis recipiuntur; supponuntur tunc nihil dicere contra conscientiam, proferuntur efficacius ab his qui amplius non poterunt monere. Ibidem.

Consuetudo erat antiqua, vt parentes in morte benedicerent filios vt fecit Iacob. Id. Gen. fo. 396. benedicendo admonebant vt patet de Iacob. Gen. 49. & de Isaac. Gen. 27. de Moyse Deut. 31. & 32. 33. de Samuele. 1. Reg. 12. de his benedictionibus. *Vide Duratio Principis.*

Priusquam Christus cœlum ascenderet Marcus Euangelista refert eum de cordis atque infidelitatis duritia increpasse discipulos, vt verba quę recedens diceret, in cordibus audientium arctius impressa remanerent. D. Gregor. P P. homil. 29. in Euang.

Morientes rei tria poterant dicere. *Vide Gloria Finis.*

Digitized by Google

GLORIA FINIS.

QVIES IN FINE.

MORS misera non est, aditus ad mortem miser est. Quintil.

Mors senis est iucunda, quippe secundum naturam, velut è conuiuio descendit ad quietem, post longam nauigationem, expleta curiositate in portum, tanquam post diuturnam satis moram, è diuersorio in patriam. Mors autem iuuenis contrarios affectus habens, & nondum expletos, dicitur violenta. Poma immatura difficilius ex arbore carpuntur, matura facilè & vltro manum sequuntur.

Vide Finis Minoritatis Resurectio mortuorum.

Mors homini minus molesta est ex senio, vt Aristoteles inquit, hoc solo deterior, quod ante multa profert incommoda Proxima quæ ex viperę cuiusdam morsu contingit. Succedit huic quæ ex potu meconii: nam dormientes pereunt; quarta fit potu cicutæ; quinta fit accensis carbonibus in cubiculo in quo quis dormit, nam qui tale periculum euaserant, retulerunt se nihil mali sensisse, quæ ex sanguinis profluuio accidit iuxta finem laboriosa est. Cardan. lib. de rer. varietate. c.40.

QVIES SENECTVTIS.

QVintil. Instit. orat lib. 11. cap. vlt. oratori muneribus suis, diu laudabiliter functo, tandem suadet secessum, quia non tantum constat scientia quæ augetur annis, sed etiam actione quæ minuitur, prouideat igitur ne peius quod fecerit, faciat, ne quod dicit, parum audiri sentiat, ne se quærat priorem. Domitius Afer olim fori princeps, dum senex perorarct aliquid quotidie de sua authoritate deperdebat omnibus aut ridentib. aut erubescentibus, vnde occasio fuit dicendi, malle eum deficere quam desinere. Quare antequam in has ætatis veniat insidias, receptui canet, & in portum integra naue perueniet. Illic docebit iuuenes tunc fortè beatior, cum iam secretus & consecratus liber inuidia, procul à contentionibus, famam in tuto collocauit, & sentiat viuus eam, quæ post fata præstari magis solet, venerationem, & quid apud posteros futurus sit, videbit.

Refert Xenophon, olim senes oleæ gestasse ramos, in honorem Mineruæ.

An senex debeat à regimine cessare. Plutarch.

Simeon senex vlnis suis gestans Christum, dicit, nunc dimittis seruum tuum Domine in pace quia viderunt oculi mei salutare tuum,

Petrus Damiani Card. & Episcopus scribit ad Nicolaum secūdum librum vt illi liceat onus Episcopatus deponere, quia senior sit, & ideo quieti potius quam laboribus idoneus, vt veterano & emerito honesta missio concedatur. opusc. 19.

Leuitæ ab anno 50. qui est iubilei, non amplius ministrant, sed custodiunt vasa sibi commissa. Num. 9.

Gregorius Nazianzenus. superstes adhuc, alio Ecclesiæ suæ Episcopo designato, ipse in agro vitam solitariam exegit, annos amplius 90. natus, 13. Theodosii Imperatoris anno. Suidas in voce Gregorius.

Prytaneum erat Curia apud Athenienses in qua publicè victus præbebatur iis qui honorem illum rebus præclarè gestis, qui quidē maximus habebatur, consequuti erant. Ibidem seruabatur ignis æternus. Id. in voce prytaneum, *Vide Gloria Durationis. Et Duratio Gloriæ.* Honor post depositam dignitatem.

DELECTATIO IN *fine & honor.*

NVces, castaneæ, & multi alii fructus teguntur duris, asperis, amaris Ficus est in succo summè amara, in fructu summè dulcis.

Christus nascens & viuens incognitus hominibus in passione & in fine sæculorum iudex adueniens cognoscetur,

Multi genere ignobiles. Illustrem vitam, vitæque finem habuerunt *Vide Gloria Minoritatis.* Humilitas exaltata.

Vide Magnitudo Finis. De grata in periodi orationis clausula.

Vis summa dicendi non esset admiratione digna, si infœlix vsque ad vltimum solicitudo persequitur, ac oratorem macerat & coquit, ægrè verba vertentem, & perpendendis coagmentandisque eis intabescentem. Nitidus ille & sublimis & locuples, circumfluentibus vndique eloquentię copiis imperat; desinit enim in aduersa niti qui peruenit in summum; scandenti circa ima labor est, cæterum quantum processeris mollitur diues & lætius solum; inde fructus illaborati offerunt sese, & omnia spontè proueniunt, quæ tamen quotidie nisi decerpantur arescunt. Quintil. Instit. orat. lib. 12. c. 10.

Vide Duratio Cognitionis. Experientia; exercitatio.

Melius est mori fœlicem. *Vide Voluntas Finis.*

Christus non timuit mori, quia resurgentis gloria, sepeliuit morientis iniuriam. Chrysol. serm. 75.

Ioseph venditus à fratribus, postea toti Ægypto dominatur, Iepthe eiectus à fratribus, postea fit princeps in Israël Iudicum 11. *Vide Minoritas Principii.*

Digitized by Google

Plantæ vetustæ sunt odoratiores quam nouellæ; minus enim humoris in his est, itaque magis valent exuperare, sicut etiam quæ solo gracili posita sunt. Licet tamen illud simpliciter asserere omnia quæ vigent, prestantiora tum sapore, tum odore intelligi modo finem hunc natura illis statuerit. Theophr. de causis plantar. lib. 6. cap. 25. Odor non nisi maturescentibus fructibus consistit. Ib.

Prætexta vestis cuius extremitas erat decorata.

Qui ad capitale supplicium abducebantur iis licebat potu & cibo plenis, tria quæ voluissent habere dicere, deinde ore obturato ad necem ducebantur. Suidas in voce *ἔμπλεως τὰ τρία*.

Arundines in Indiæ orientalis syluis nascuntur crassitudine cruris humani, quæ adeo teneræ vt singulæ stantes vno ictu gladii secentur; aridæ vero tanta duritie, vt fissis illis & in modum chirurgicorum scalprorum efformatis sagittas suas ita arment Barbari in Brasilia.

Nisi granum frumenti terra conditum & mortuum fuerit, fructum non affert. Viuente Ioseph non dicitur quod multiplicatus fuerit populus Israel; sed tantum eo mortuo. Post mortem Christi in omnem terram exiuit Euangelii prædicatio. hom. 1. in Exod.

Vide Duratio Concordantia. Partes dissolutæ, cum suo toto seruantes sympathiam, & de his qui fuerunt post mortem formidolosi.

Fauilla de fornace Moysis sumpta & in aërem proiecta causat vlcera & vesicas feruentes in hominibus Ægyptiis & fit sexta plaga Exod. 7.

Qui ab initio leui fortuna humilique diu agitantur, demum vsque ad mortem perseuerant fœlices, hi sunt quibus genituræ fœlices quidem sunt, sed à significatoribus promissores plurimum absunt, vt Agathocli. Cardan. de iudiciis geniturarum. cap. 6.

Cum multi Imperatores vestis purpureæ vsu interdixissent, tam viris, quam fœminis, Leo Philosophus nouel. 18. permisit purpureorum segmentorum vsum, vt in limbo & ora vestimentorum ponerentur ornatus causa. Cuia. obs. l. 12. c. 24

HONESTO FINE CONsummari.

TImanthes Cleonæus quinquies victor, solebat quotidie magnum arcum intendere ad explorandas suas vires: cum autem aliquando peregrè reuersus eundem intendere non potuisset, igne incenso, viuens in rogum insiliit. Id. in voce Thimantes. *Vide Voluntas Finis.* De his qui sibi mortem vanitate.

Sol à nobis recedens in autũno relinquit fruges.

De Polixena proximè immolanda dicitur

Ipsa deiectus gerit
Vultus pudore: sed tamen fulgent genæ
Magisque solito splendet extremus decor
Vt esse Phœbi dulcius lumen solet
Iam iam cadentis.

Nisæus Syracusarum tyrannus in conuiuiis profusus apparuit, vbi ab aruspicibus didicit se breui periturum.

Pueri in parẽtum senectute procreati frigido & sicco cerebro communiti extemplo sapientes existunt, & rationis vsum citius obtinent Ant. Zara in anatomia ingeniorum. sect. 1. memb. 4. in fine.

A *Consumpta virtutis residuum emicat in fine. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 3. lege 14. §. 1.*

Ambit natura honesto fine concludi. Ibid. lege 15.

SECVRA ET LÆTA mors iusti.

DE morte iustorum. D. Chrysost. hom. 70. De bono mortis. liber D. Ambros. to. 1. De Mariæ virginis transitu. Melito. Bibl. Patr. tom. 7.

Mirandum fuit in Monasterio Abbatis Isidori in Thebaïde quod nullus fratrum ægritudine laboraret, sed præsentiens & prædicens exitum B suum moriturus, spiritum lætus emittebat. In vitis PP. lib. 2.

Monachus quidam moriturus, cæteris flentibus ridebat, interrogatus quare rideret, quia, inquit, timetis mortem, & quia de labore vado ad requiem. Ibid.

Dulcia, defecta, modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipse sui. Mar. l. 13. ep. 77

D. Chrysost. hom. 14. in 1. ad Timoth. loquens de Monachis. Vbi quisquam nuntiatus fuerit mortuus, magna omnium exultatio mortuum nemo dicit, sed consummatum, inde gratiarum actio C sequitur, & gloria, ingensque lætitia, singulis orantibus se hoc fine donari, sic à laboribus quiescere, Christumque videre.

Lauda Ierusalem Dominum, &c. qui posuit fines tuos pacem. Ps. 47. cum in limitrofis soleant esse hostium irruptiones & pugnæ.

De pia & secura morte religiosi. Vide quæ scripsi lib. de institutione & officiis religiosi. cap. vltimo.

Nihil iucundius est quam conscientia proba, & spes futurorum certior, ita moriturus dolet de præteritæ vitæ delitiis & luxu solum lætatur de rectè factis. Sic Ezechias 4. Reg. 20. cum ægrotaret, non commemorat regni sui splendorem, sed tantum iustitiam & rectam conscientiam. Memento, inquit, Domine qualiter ambulauerim in D conspectu tuo in via recta. Et Paulus 2. Timoth. 4. bonum certamen certaui, cursum consummaui, &c. temporalia cum vita finiuntur, & illorum rationes exiguntur, virtutis autem actiones nos comitantur, iucunda bene actæ vitæ memoria quasi tranquillitas post tempestatem veniens, conturbatam facilè animam consolatur, &c. D. Chrysost. hom. 54. in Matth.

Arbor proxima cubiculo S. Theresiæ in eius obitu calce, & materia obstructa, & iam dudum arida, repentè onusta floribus apparuit, ipsa sui transitus hora. Gregor. XV. const. 20. §. 10. Bull. p. 307. to. 3.

E

ORATIO FVNEBRIS. Epitaphium.

FVnebres orationes plures in Gregor. Nanzia. Gregor. Nyssen. & apud D. Hieron.

Quoties magni alicuius mors ab historicis narrata est, toties ferè totius consummatio vitę, & quasi funebris laudatio redditur, id vsurpatum à Thucidide, Sallustio, Liuio, & qui Ciceronis scripsit Epitaphium. Seneca Suasoria 6.

Adulatori

Digitized by Google

Adulatori qui habitâ oratione suadebat diuinos honores offerendos Alexandro, Calisthenes vir grauis respondit. Nullum esse eundem & diuturnum & præcoquem fructum; Cœlestes honores eum tunc non dare regi, sed auferre. Interuallo enim opus est vt credatur Deus, semperque hanc gratiam magnis viris posteri reddunt. Ego autem seram immortalitatem precor regi, vt & vita diutina sit, & æterna maiestas. Hominem consequitur aliquando, nunquam comitatur diuinitas. Prius ab oculis mortalium amolita natura est, quam in cœlum Herculem fama perueheret: facilius erit cœlum dare, quam imperium, &c. Q. Curtius lib. 8.

Plato 7. de legibus dicit securum non esse aliquem hymnis laudare, antequam optimum vitæ finem fecerit. Propter hominis inconstantiam. *Vide Duratio Virtutis. Repug.*

HONOR SEPVLTVRÆ.

IN Ægypto corpora mortuorum pigmentis condita redolentibus, in editioribus cellulis reconduntur; Nam madens ebrietate continua, terræ illius solum, humandi arcet officium, si qua enim cadauera defossa susceperit, euomere ad superficiem suam, inundationum nimietate compellitur Cassian. collat. 15. c. 3.

Macab. lib. 1. c. 13. Symon ædificat patri suo sepulchrum cum columnis, pyramidibus, armis, quod videbatur à nauigantibus.

Licet Christus humilem & afflictam vitam voluerit ducere, tamen sepulchrum eius fuit gloriosum. Vt dicitur. Isay. 11.

Multa de honore sepulturæ. Vide apud Chasseneum in Cathalogo gloriæ mundi parte 2. cõsideratione. 5. Vbi refert inter cętera, Ægyptios in domorum ædificatione negligentes, mortuis superba extruxisse sepulchra in modum pyramidis, Velut domos ęternas defunctorum.

Rerum natura vt in generandis alendisque hominibus, quæ necessaria erant, ex seipsa prospexit, ita cum rursus opus suum resoluit, corpora nostra quam primum reducere ad principia sua festinat, vt desertis etiam locis circa cadauer tracta imbribus terra concrescit, aggerent puluerem venti, & liquefacta multa die membra paulatim humus bibit, etiamsi nullus operit. Nobis vero aduersus exanimes; genuit non solum miserationem, sed etiam Religionem. Inde ignotis quoque corporibus transeuntium victorum collatitia sepultura inde iniecta ab alienis humus. Quintil. declar. 6. In honorem pietatis, etiam damnati sepeliuntur.

Corpus mortuum mandatur terrę, vt in principium suum redeat, & illi misceatur quę pulchra omnia, bona omnia, & gignit, & nutrit, sic eius rei particeps, quę benefica est in homines.

Indi Idololatrę mortuorum corpora comburunt, pulchrum existimantes à nobilissimo, purissimoque elemento consumi, & insphærâ transferri cœlo viciniorem in quod animę recipiuntur

Calamus Aromaticus nascens in India, nullius est odoris antequam auellatur: lauda post mortem.

Apud Sinenses magnificum funus est', numero sacerdotum; sed res quas viuens defunctus amauit non veras; sed pictas tantum comburunt. Idem fit apud Scythas in regno Tanguth., & apud eos defunctus sepulturæ non traditur, nisi cum planeta dominus natiuitatis fuerit in sua exaltatione, quod obseruant periti, consultique apud eos astrologi.

Valentiæ in Hispania, singulis annis in festo S. Mathæi, cadauera & ossa reorum in patibulo existentium, processionaliter colligunt & Ecclesiastica donant sepultura Dauity.

Iudæis non liceat mortuos suos psallendo deducere. Concil. Narbon. can. 9. an 589.

Magis gloriosum, mereri splendidum sepulchrum, quam habuisse cunas pretiosas.

Sepulchra martyrum vocantur memoriæ, quia reuocant in memoriam nostram, quæ pro Christo passi sunt.

Corpus humanum mortuum sepeliend um, & spectaculum soli minimè gratum occultandum, ita Romani hostes suos insepultos non patiebantur. Suidas.

Honor sepulturæ tegit cadaueris ignominiam. *Vide Cognitio Minoritatis. Repug.*

Quidam aurum in zona ferens, ab hospite occisus est qui corpus curru fimo contectum efferre statuit. At mortui anima apparet Megarensi cuidam, facinus aperit, deprehensus & punitus homicida corpusque sepulturæ traditum. Id. in voce *λοιπὸν τι τεία*.

Primi omnium Ægyptii cadauera piorum, quatenus hominibus fas est, immortalitate donarunt, exemptis enim visceribus, superfusoque nitro, post aromata indita seruabantur magnificis sepulchris. Cardan. lib. de rerum varietate cap 46.

Ægyptii in ædificandis domibus fuerunt incuriosi, eas enim habebant velut diuersoria propter breuitatem vitæ, at quia post hanc superest sempiterna, sepulchra magnificè extruebant velut domos sempiternas, Rodig lib. 17. cap. 20.

De his qui sepultura priuantur. *Vide Duratio Contrarietatis.* vindicta in mortuos.

Ex Amphilochio in vita. S. Basilii discimus B. Præsulem hostiam consecratam, eleuatamque diuisisse in tres partes; vnam quam suscipit in timore multo, alteram seruauit ad consepeliendum sibi; tertiam positam super columbam auream suspendit in altari Id. refert D. Gregor. lib. 2. dial. c. 24. hanc fuisse tunc temporis fidelium consuetudinem quam tamen Concilia improbarunt. Carthaginense 3. c. 6. Hipponense can. 5. Constantinopolitanum. 3. siue Trullianum quia Matth. 26. dicitur, accipite & manducate. Cadauera autem nec accipere possunt, nec edere.

Multis accensis luminibus ducebantur funera, vt ostendatur defunctos mediante fide & obseruantia Euangelica quæ est vera lux, peruenisse ad æternum splendorem gloriæ.

Quamuis inuito fructuario proprietarius, vel inuito socio, socius locum Religiosum facere non possit, si tamen agatur de mortuo inferendo datur ei interdictum, ne insepulta iaceant corpora Nam summa ratio est, quæ pro religione facit. l. sicut personæ ff. de religios. & sump. funer.

Instinian. Imp. Nouella 43. Ecclesiæ Constantinopolitanæ concessit mille & centum tabernas seu officinas, in pulcherrimis foris vrbis, vt ex earum reditu facerent sumptus funerum, & hæ liberæ erant ab omnibus muneribus & collationibus ciuilibus Idem Leo nou. 12. Si quis autem maiore pompa & nobilioribus & magis pretiosis ferculis siue lectis defuncto funus aducere

ducere voluerit, id suis sumptibus faciebat Iustin. A nou. 19.

Abdiæ qui fuit vnus ex duodecim Prophetis minoribus sepulchrum cum Mausoleo Elisæi & Ioannis Baptistæ in Sebaste ciuitate quæ olim Samaria dicebatur, venerationi habetur. Tostat in Genes. pag 23. co. 2. b.

Hieremiæ ossa transtulit honorificè in Alexandriam, Alexander Rex Macedo. Id. Matth. 10. 1. fo. 144.

Inter Israëlitas non erat idem modus quantum ad cadauera omnium; nam cadauera popularium simpliciter sepeliebantur, & nihil comburebatur de eis, nec fiebant cæremoniæ combustionis. In cadaueribus autem regum secus erat, quia ibi fiebant cæremoniæ combustionis vt patet 2. paralip. B c. 21. Ierem. 34. interdum aromata sola comburebantur, interdum cum eis carnes cadauerum ossibus seruatis ad sepeliendum, quia non corrumpuntur. Id. 1. reg. to. 2. fo. 191.

Apud Iudæos corpora mortuorum censebantur immũda & qui ea tetigisset mundari debebat aqua lustrationis antequam posset accedere ad sanctuarium Num. 19. multo minus poterant ea cadauera in sanctuarium inferri: Etiam extra castra sepelibantur sumpta ab gentibus, consuetudine qui extra vrbes sepeliebant, quia ex cadaueribus exhalat pestifer halitus. Vnde pestis, vt ipsi mortui viuos occidant; & eo quod communium actionum vsu, iumentorum via, & excrementis violantur quodammodo sepulchra. At inter C Christianos inualuit contraria consuetudo sepeliendi in cœmeteriis intra vrbem, etiam in templis, vt visis frequenter sepulchris, sit nobis mortis assidua memoria ab illicitis auocans, & orandi pro defunctis pietas. Tostat. Leuit. fol. 84.

Gothi, Sueui, septentrionales populi in locis in quibus decertauerunt erigebant magnos lapides seu obeliscos, facti memoriam inscriptione breui testantes; Indi autem sepulchrales pyramides excelsissimas erigebant, & vanæ ostentationis gratia, & ne pecunia successoribus & insidiantibus æmulis relinqueretur. Olaus Mag. lib. 1. cap. 29.

Salomon fecit patri suo Dauid sepulchrum honorificum, & circa illud constituit septem D loculos thesaurorum, vnde dicit Iosephus 7. antiquit. quod post tempus annorum mille trecentorum, Hircanus Pontifex Machabæus, dum ciuitas obsideretur ab Antiocho rege, vt ab obsidione se redimeret, aperuit vnum loculum sepulchri Dauid, & sublatis inde tribus millibus talentorum partem dedit Antiocho. Post hoc multo tempore transacto rursus Herodes Rex, alium loculum aperiens plurimas exinde pecunias tulit postea eos nullus regum inuenit ita sunt arte mira reconditi. Soliman Turca circa annum Domini 1510. cum cœpit Ierosolymam diligenter quæsiuit hos thesauros & non inuenit. Tostat. 3. reg. E fol. 10.

Hostes victis hostibus præstant sepulturam honestam. *Vide Gloria Virtutis.* virtus ab hostibus honorata.

Olaus Magnus lib. 16. cap. 47. refert Nobilium virorum sepulturam apud Septentrionales sic fieri, vt cum magno Ecclesiasticorum comitatu, præcedat corpus eques insidens equo cataphracto, manu præfert nudum ensem, capulo versus cœlum elato; à ergo pendet clypeus defuncti, cum suis insignibus, qui custodiæ Ecclesiæ committitur, vt inde stirpi petat claritudinis testimonium.

Funus & sepulchrum honorabitur, cum octauo loco nobiles planetæ præfuerint. Cardan. de iudiciis genitur. cap. 11. si fuerit ibi Iupiter, maximè Venus, cum preclaris syderibus, corpora illorum, vt diuorum colentur. Ib.

Plures planetæ in septimo loco significant famosum obitum, in quarto gloriam, aut cadaueris absque corruptione permanentiam. Ibid. sect. 5. Aphor. 39.

Matris vterum agricola tandiu secuit, donec eum vtero recipiat.

Christo moriente, testantur dolorem etiam insensibiles creaturæ terra mota est, petræ scissæ. Sol obscuratus.

De luctu in funeribus. *Vide Gloria Concordantiæ Repug.*

Vanitas viget etiam post mortem. *Vide Voluntas Gloriæ. Repug.* humanæ gloriæ contemptus.

CINERIBVS MORTVISque parcendum.

Cicero à crudelissimo Sycilıæ tyranno hoc exposcebat Mors sit extrema malorum. Extremum malorum naturæ passi sunt mortui, afflicto autem non est danda afflictio. *Vide Maioritas Contrarietatis.* passi sunt, eadem quæ patiemur, ideo illis debetur non inuidia, sed compassio; hæc iniuria timida quæ lædit vindicare se non valentem; vana quæ non tangit, non sentientem si lædit famam defuncti obest non tam illi, quam posteris, de virtute defunctorum vtilitatem capientibus: Mortui sunt alterius iurisdictionis, & expiatis prioris vitæ delictis, forte iam beati.

De mortuo detrahere, & illi imputare graue aliquod delictum, est peccatum mortale, quia aufertur bona opinio, quam defunctus habet apud homines, in qua viuit, tum quia huiusmodi detractio potest nocere consanguineis defuncti, vel amicis. Bonaci de restitution. disp. 2. q. 4.

Si quis defunctis per iniuriam maledicebat, poterat à quouis accusari. Suidas in verbo *ὕβρεως*.

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.

Leones mortuorum corpora nunquam degustant, furorem eorum superant qui mortuis etiam insultant D. Chrysost. hom 21. in epist ad Roman.

Nullam esse ex magnis diuitiis securitatem patet ex eo quod illas è viuentibus omnes eripere conantur, vi, vel fraude: mortuis etiam capiunt sepulchrorum effractores, licet multa sint quæ monere possent misericordiam, quod corpus sit mortuum, quod immobile, quod ad terram tendat & interitum, quod nemo adsit opem laturus, sed nihil horum sistit tyrannicam habendi cupiditatem. Id. hom. 35. in 1. ad Cor.

Creditores qui corpora defunctorum detinent ac si vellent eorum corio satisfieri, nec sepeliri, debitum amittunt, tantundem præstant hæredibus & fiunt infames. Nou. 60. l. vlt. c. de sepu. viol. de hac crudelitate quæritur D. Amb. lib. de Tobia cap. 10. l. 3. ff. de sepul. viol. causa. enim funeris est publica l sicut persona. ff. de relig. & sumpt. funer.

Actiones personales puræ, quæ competunt contra aliquem, morte illius extinguntur. Tostat. in 1. Reg. 104. c. 1. d.

Defunctis non potest obesse excommunicatio. Id. Math. to. 4. f. 187. c. 4. Non irascimur mortuis vt nec rebus non sentientibus. Id.

Iudæi honorabant Prophetas mortuos, & viuos persequebantur & occidebant, quia mortui non increpabant eos, sed viuentes. Tostat. Math. to. 6. fo. 241.

Peius malum videtur maledicere de mortuo quam de viuente, quia carent defensione, ac carentes defensione offendere grauius est, vt pupillos, orphanos, aduenas; Tollitur ab illis vita ciuilis propter quam vixerunt & hæc consistit in bona opinione; nocetur propinquis, & toti populo. Læsa illustris viri fama, vnde si bona permansisset, poterat esse magnum ad virtutes incentiuum. Leges humanæ dicunt crimina morte extingui, iam enim pertinent ad alium forum, scilicet diuinum. Id. Math. to. 5. 54.

Olaus Magnus rer. septentrion. lib. 16. cap. 45. refert plura exempla Principum qui hostes mortuos honesta sepultura prosequuti sunt, & sepulchrorum violatores vltimo damnarunt supplicio in criminis publici expiationem. Ibidem luget rabidam crudelitatem apud suos qui sepulchra non verentur effodere, vt hinc educant sal nitrum ad pulueris pyrrici confectionem & explodendas bombardas.

Qui monumento inscriptos titulos eraserit, vel statuam euerterit, vel quod ex eodem traxerit, lapidem columnamue sustulerit, sepulchrum violasse videtur. Cuiac. obser. l. 21. c. 13. Qui corpus perpetuæ sepulturæ traditum, vel ad tempus alicui loco commendatum nudauerit, & Solis radiis ostenderit, piaculum committit, atque ideo si honestior sit, in insulam, si humilior in metallum dari solet. Id. Famæ mortuorum parcat inuidia. Neque iuxta monumentum, neque supra monumentum habitandi ius est, adtactu enim conuersationis humanæ piaculum admittitur, & qui contra ea fecerit, pro qualitate personæ, vel opere publico, vel exilio multatur. Ibid. ex Pauli sententiis. Vbi notandum apud Iudæos viuentes à mortuis pollui; hic mortuos à viuentibus.

Vide Gloria Virtutis. Virtus ab hostibus honorata.

Solon, vt refert Plutarchus in eius vita, prohibuit in defunctos conuitia conijci, & iussit sacros ducere, qui è vita decesserint.

Iure communi mortui non possunt accusari. Can. admonere 33. q. 2. can. quorundam 35. dist. quia crimina reorum morte extinguntur l. 1. 2. & fin. si reus vel accus. mortuus fuerit. Omnium enim delictorum quasi meta est obitus. Exceptis grauioribus criminibus, vt læsæ maiestatis, repetundarum & similibus in quibus iudicium exercetur in mortuos. l. ex iudiciorum 20. de accusat.

Vide Duratio Contrarietatis. Vindicta in mortuos.

Si defunctus, dum fuit in viuis, reus erat illatæ tibi grauioris iniuriæ, nunc vltimum passus est supplicium, mortem, forsitan diuinæ iustitiæ decreto, causam tuam iudicantis & vindicantis, crudelitas est extra pœnam capitalem desæuire. Temerarium & impium, aliter quam Deo visum est, decernere, prouocare à diuino iudicio ad suum proprium, quasi mitius, quam deceat, actum sit cum defuncto. Sæuiunt canes in hostem viuum & certantem, mortuum non attingunt, eo quod iras non meretur, qui non prouocat, qui non prouocat, qui inferre, qui sentire non potest, inglorium mmis insultare prostrato, & vt fert apologus leporum timidorum instar, leoni mortuo barbam vellere. Extrema censetur vindicta quæ hostem sic percutit, vt in posterum inermis & impotens non valeat nocere. Hoc in statu defunctus positus est, etiam in meliori, nam fortè priusquam moreretur pœnitens, meruit à Deo veniam quam neges, beatitudinem, quam maledictis infestas. Extra mortalis vitæ militiam, inter amicos cœlestes positus, & in communione sanctorum, etiam esse debet extra decertantium hic pro terrenis, iniurias & tela. Offenditur in ipso beatorum charitas, non ferens asylum cœleste violari. Da defunctis, quam optares requiem; ibis quo peruenere, & eadem qua mensus fueris mensura, remetietur tibi. *Ex Principiis.*

Ignauum est lingua incessere eum, qui respondere non possit.

RELIQVIIS SANCTORVM honor exhibitus.

Cineribus mortuorum parcit hostilitas, honorem exhibet amicitia, vt proximè probatum est; sed illis cultum Religiosum persoluit pietas, cum ad hoc officium, miraculis à Deo prouocatur. Sanctus corpus suum viuentem hostiam obtulit Deo, siue breui martyrio sub persecutore, siue longo sub austerioris vitæ regulis, in ædificationem Ecclesiæ, litauerit. Priuatum publicumque beneficium hoc gratitudinem exigit loco personæ reliquiis suis exhibendam; pars hæc totius locum teneat vt fit in plerisque sacramentis; nam quod diuinum est non obligatur, quantitatis & materiæ legibus. Humanæ vitæ peracta militia, superatis hostibus, fidelem animam aula cœlestis excepit triumpho; hinc tot sanitates restitutæ, tot concessæ liberationes, tot vota fœliciter impleta, sunt in nos velut in infimam plebem effusæ largitiones, quæ publicam cœli lætitiam testentur, & nostram prouocent. Corpori, sanctitatis ministro, suas in resurrectione coronas seruat iustus iudex, his interim præludit honore, qui suis exhibetur reliquiis. Adhuc cooperatur sanctitati, si nostram in Deum gratiæ largitorem, & in sanctum fidelem ministrum, deuotionem excitauerit. Nunc etiam morti soluto debito, videtur immortalis vitæ particeps, & aliquam cum anima sua beata retinere societatem, cum eius attactu cæteris corporibus sanitas, mentibus deuotio pro supplicantium fide restituitur; etiam mortuum de morte refert spolia; in vita mortuum vitiis, in morte resurrectionis, beatitudinis, gloriæ signa quædam demonstrat. *Ex principiis.*

Cultum qui reliquiis sanctorum exhibetur à fidelibus, impugnarunt Eunomius, Vigilantius, postea Lutherus & Caluinus, sed in hoc antiquo cultu firma permansit Ecclesia. Nam Exod. 13. ossa Ioseph transferuntur ex Ægypto ne prophanentur. Deut. vlt. corpus Moysi celatur, ne illud tunc in idololatriam proni Iudæi adorarent. 4. Reg 13. Helisæi ossa cum tetigissent mortuũ hominem in vitam reuocarunt. Isay. 11. legitur de Christo, & erit sepulchrum eius gloriosum

Digitized by Google

CONCORDANTIA FINIS.

CONVENIENTIA FINIS CVM INITIO.

MVLTÆ plantæ à nigra hyemis tempore radice, post gemmas, flores & fructus, desinunt in semen nigrescens.

De reditu ad principia. *Vide Finis Differentia.*

Romulus conceptus fuit & postea mortuus est in solis deliquio Plutarch. lib. de fortuna Romanorum.

Canes applaudunt & blandiuntur, capite & cauda.

Magnus dolor, vt nullus lachrymas non habet.

Astra in oriente & occidente, maiorem, latioremque circulum ostendunt.

Extrema sibi similia *Vide Concordantia Contrarietatis.* Idem effectus ex contrariis causis. In sphæra mundi centrum & vterque polus sunt sine motu. Terra immota sicut cœlum Empyreum.

Orationis initia & clausula, tum in totius contextu, tum in singulis periodis plurimum momenti habent. Quintil. Inst. orat. l. 9. c. 3.

Erat apud Iudæos sacrificium matutinum & vespertinum; erat etiam festum messis primarum frugum scilicet Pentecostes, & festum consummationis in exitu anni, scilicet festum Scenopegiæ. Exod. 23.

Nudi & indigentes tum diuites tum pauperes æqualem habent vitæ introitum & exitum.

Eadem via est accessionis & recessus, concretionis & solutionis; abeunt tandem omnia vnde orta sunt.

Initio & in fine æstatis fit æquinoctium sole perueniente ad opposita signa arietis & libræ.

Ætas nouella & senectus magis, quam florens, fœminas generat. Arist. 4. de gener. animal. cap. 2. in vtraque enim infirmitas.

Quæ non habent principium carent fine, quæ verò principium habent, ea perpetua esse non possunt, sed aliquando finem habitura sunt. Arist. 1. de cœlo cap. vlt. Intellige de his quæ cœperunt esse per generationem ex materia præiacente, non verò de creatis quæ possunt esse æuiterna, vt Angeli, animæ rationales, errauit in hoc Aristoteles, quia existimauit mundum esse ab æterno.

Omnis scienta est à priori, vel à posteriori.

Mare circundat terram velut insulam, & in eius medio in mari mediterraneo & Caspio, sic erat ante diluuium.

Beatus Anastasius martyr aquis necatus, vt eodem elemento vitam cœlestem adipisceretur, quo inceperat per baptismum. Petrus Damiani ser. 3.

Deus primò creat lumen sensibile, fiat lux; vltimò creat hominem ad imaginem & similitudinem suam, luce scilicet intellectuali præditum.

Initio patres erant incirconcisi, vt nunc, vt iam nobis Deus ostenderet, nos sine illo onere posse

A placere, inquit Tertullian. contra Iudæos.

Contraria conueniunt in genere, & in vltimo fine. *Vide Veritas Contrarietatis, & Concordantia Contrarietatis.*

Motus semper ab immobili procedit, & ad aliquid quietum terminatur. Motus autem circularis est perfectissimus, quia finem coniungit principio. *Vide Concordantia Principii.*

Abieti & pino vna data est radix prægrandis quæ in ima descendit, paruæ autem complures ab ea exeunt. Theoph. hist. plant. lib. cap. 9. parti eminenti, conformis est radix in ima descendens. Similiter in arundinibus radices sunt geniculatæ, & his quæ supra terram eminent, similes formari

B cernuntur. Ibid.

Quibusdam in locis arborum pars ima optimè constat, superna vitiosa est, quod fieri solet cum solum arenosum, vel tofosum vel aduétiuo quoddam subditum est, inde enim radices nullum alimentum ad superiora possunt transmittere. Id de causis plantar. l. 2. cap. 5.

Vis in machinis est, vel in principio, hoc est à centro, vel in fine, nempe à superficie.

Vide Potestas Minoritatis. Vnum multis æquiualens.

Fœtus statim post conceptionem facili motu excutitur, & cum plenitudinem suam quæsierit, sicut fructus cum statim à flore coalescit & cum maturus efficitur. Rodigin. lib. 15. cap. 21.

Vt obseruatum est multos die natalis sui obiisse

C vide to. 2. hoc titulo. Sic imperium orientis Constantinopoli à Constantino inceptum desiit in Constantino Imperatore Paleologo, cum à Turcis occupatum fuit anno 1453. in oppositione vrbis Romæ in figura vniuersi.

Appion Alexandrinus dixit Homerum artificiosè à syllaba incœpisse quod 48. contineret vt illos 48. libros Iliadis & Odisseæ amplecteretur.

Quidam affirmarunt eorum, quorum in altera vita expectamus fruitionem, non nisi in cibo & potu fore, propterea quod sacris sit litteris proditum, initio mundi hominem rebus iisdem in paradiso vitam suam conseruasse; contra hos scribit D. Gregor. Nyssen. de hominis opificio. cap. 19.

Ipse Dominus in Apocalypsi exprimitur per α & ω cum sit principium & finis.

D Cassiodorus dicit quod hora resurrectionis generalis, erat mediæ noctis fortè propter natiuitatem Christi. Tostatus dicit quod erit in crepusculo matutino in Matth. to. 6 fol. 85. videtur fieri in meridie sicut in eo fuit creatus mundus vt habetur in libello cui titulus fatum vniuersi. Ibidem probatur quod initio mundi luna erat in oppositione solis vt vtrumque hemispherium illustraretur, & sic erit in cœli statu in fine mundi. Id. Matth. to. 7. fo. 178. c. 3. h.

Digitized by Google

Apud Hebræos reputabatur magnum infortunium, quod aliquis sepeliretur extra terram suam, & sepulchrum patrum suorum vt patet Berzelai Galaditæ, & Architophel & 3. Reg. 14. propheta qui non obseruauerat præceptum Domini manducando in Bethel prædicitur in pœnam, non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum. Tostat. ibid.

Hebron vocata est etiam Arbè, idest quatuor, quia in ea sepulti sunt quatuor Patriarchæ scilicet A Adam, Abraham, Isaac, Iacob. Alcuin. in Genes. interrog. 211.

Moysis ossa sita sunt in terra aliena, sicut Aarouis, Danielis, Hieremiæ Apostolorum multorum nescimus vbi sita sint. Nam Petri, Pauli, Ioannis, Thomæ manifesta sunt sepulchra, aliorum autem non sunt nota, vbicumque fuerimus sepulti, Domini est terra, & plenitudo eius. D. Chrysost. homil. 26. in epist. ad Hebræ.

CONTRARIETAS FINIS.

LABOR IN FINE.

VIDE *Minoritas Finis.*

In mineris auri & aliorum metallorum, nunc plus impenditur laboris quam olim, quia ex profundo debent erui.

Cum mare procellis agitatur, minus est periculi in alto, quam in littore, nam illic magis fluctus intumescunt, & appellentes naues frangunt. In fine mundi, grauissima omnium futura est persecutio.

Posteriores hyemes arbores maximè infestant. *Vide Gloriæ Principii. Initii.* Indulgendum debilibus rerum initiis.

Mare infensum quod habet magis exhalat circa littora quam in alto: hinc enim morbus scorbut dictus, quo fauces laborant, dentes cadunt.

Circa finem sæculi habebunt Dæmones maiorem nocendi potestatem quam nunc. Tostat. Matth. 10. 4. fo. 18. quia erunt dies illi quales non fuerunt à principio creaturæ.

Cum in extremis signorum accidunt planetis impedimenta, in extremis corporis timendi sunt morbi, vt chiragra, podagra; tum etiam vitia, vt claudicationes. Cardan. Aphor. sect. 1. aph. 58.

Maximus in fine labor. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 3. lege 15 §. 1.

Matth. 14. Apostolis in mari periclitantibus B Christus apparet ambulans supra mare. Putantes autem esse phantasma, exclamant præ timore qui calamitatem auget. Hoc semper facit, vt quando vrgentia expulsurus sit, tunc grauiora & terribilia inducat. Ad tempestatis enim terrorem, non minor à visu terror, accessit. Hoc in Iob factum est nam cum tentationi finem allaturus esset, tunc molestiora fieri permisit, non dico de liberorum morte, non de verbis vxoris, sed de seruorum atque amicorum opprobriis. Similiter quando de peregrinationis afflictione Iacob illum liberaturus erat, maior turbatio accidit, socer enim eum persecutus mortem minabatur, & paulo post frater successit qui maiorem illi timorem incussit. Nam
C quoniam ferre iusti homines non possent, si longo tempore atque acerrime tentarentur, cum pericula euasuri sint, tunc vt maiora mereantur, maiora inferri permittit certamina. Vltima Abrahæ tentatio terribilis fuit, de filii immolatione. Gen. 22. sic enim quæ intolerabilia sunt, tolerari poterunt, si iuxta tentationum finem illata velociter dissoluantur. D. Chrysost. hom. 51. in Matth.

Serpens calcaneo mulieris insidiatur Gen. 3. idest, dæmon insidiatur potissimum, animæ in vitæ extremis. Alcuin. in Genes. interrog. 76.

MAIORITAS FINIS.

PRINCIPALIOR FINIS.

PRINCIPALE bonum non debet propter inferius bonum teneri sed contra, vt misericordia, patientia, charitas, & cæteræ principales virtutes, non debent propter ieiunia seruari, sed ieiunia propter ipsas. Cassian. collat. 21. cap. 15.

Finis nobilior est eo, quod ad ipsum est. *Vide Potestas Virtutis.* Sapiens seipso contentus.

Quod in antiqua lege præcessit, signum fuit eius quod in noua gestum est; & quod in nouo testamento dictum est, signum est futuri, vel in futuro sæculo vel in sequuturis ætatibus. Orig. In Math. cap. 16. Vltimum testamentum reuocat prius.

Homo vltimo creatus, quia vt rerum domino prius instruenda fuerat domus rebus necessariis & pulchris, splendidoque famulatu & præparanda A cœna magnifica, priusquam ad illam veniret. Gregor. Nyssen. lib. de hominis opificio. cap. 1.

Non debet poni motus cœli propter aliquid vilius; nam cum finis sit vnde ratio sumitur, oportet finem præeminere his quæ sunt ad finem. Potest autem contingere quod vilior sit terminus operationis rei nobilioris, non autem vt sit finis intentionis, sicut securitas rustici est terminus quidam ad quem operatio regis gubernantis terminatur, non tamen regimen regis est ordinatum ad huius rustici securitatem sicut in finem, sed in aliquid melius scilicet in bonum commune. Vnde non potest dici quod generatio istorum inferiorum sit finis motus cœli, & si sit effectus vel terminus, quia cœlum his inferioribus præeminet; & motus eius motibus & mutationibus horum. D. Tho. in quæst. disputat. q. 5. a. 5.

ÆQVALITAS FINIS.

THEODORET. orat. 6. de prouidentia B elegantur describit æqualem esse vt pauperibus, sic diuitibus & Principibus vitæ initium & finem; Mors enim penetrat arces, custodes, &c. Similis putredo sequitur.

Tendimus huc omnes, hæc est domus vltima cunctis. Ouidius.

Tota seges cadit tempore messis, sic magnæ clades homines demetunt. *Vide Magnitudo Contrarietatis.* Magnæ clades.

Quid est homo, mancipium mortis, transcens viator, loci hospes vt pomum certo tempore maturum, incerto casu cadit, lucerna vento exposita. *Vide Cognitio Finis.* Mortis meditatio.

Quis est, inquit Propheta, qui viuet, & non videbit mortem?

Sæpe gemelli, cum sint aliquo modo vnum, ab iisdem causis, patiuntur, vt Geruasius & Protasius, gemelli, item Cosmas & Damianus in vita, fortuna, morte fuerunt æquales.

Apud Indos mortuo marito vxores in bustum se proiiciebant, & hæc introducta consuetudo vt vxores adulteræ, nihil in vitam mariti molirentur. Rodig. lib. 18. c. 31.

Tiberius dicebat, me mortuo conflagret terra incendio. Priamum beatum prædicabat, quod cum patria & regno periisset. Suidas in voce Tiberius.

Thomas Morus hoc refert epitaphium duorum fratrum, qui & nati & mortui sunt vna die.

C Quatuor hic tumulus fratres complectitur, ex his

Lux simul vna duos & parit & perimit.

Armiger Saülis viso eo mortuo se interimit.

Saturnus præest plebi, senibus, infirmis, ob hoc cum vitæ inimicus sit, facile tales omnes perimit, ac gregatim. Cardan. Apho. sect. 2. Apho. 28.

Vide Magnitud. Contrarietatis. Magnæ clades.

Mortes vulgares fiunt, vel elementis affectis, & sunt consimiles, vel natura temporis, cum multis ac diuersis morimur morbis; vel casu; cum

COMMORI.

ATHENÆ. lib. 6. refert Gallorum Regem habuisse secum sexcentos nobiles commensales; maximæ post ipsum authoritatis qui etiam voto se obstringebant commori.

Digitized by Google

plurium anaretæ in idem tempus coincidunt, hoc A autem minus. Idem. sect. 5. aph. 177.

Enoch nunc translatus, cum iacebit, omnes iacebunt.

Mortis omnibus æqua necessitas. Vide quæ scripsi, libello de necessitate. cap. vlt.

Seneca lib. in sapientem non cadere iniuriam. c. 2. de Catone loquens Cadentem, inquit, Rempublicam quantum modo vna retineri manu poterat, retinuit; donec vel abreptus vel abstractus, comitem se diu substentatæ ruinæ dedit, simulque extincta sunt, quæ nefas erat diuidi. Neque enim Cato post libertatem vixit, nec libertas post Catonem.

Vide Æqualitas Minoritatis. paritas in miseriis solatium.

Vxor proscripti, ipsum sequitur, & cum biberet venenum, partem bibit, nolens esse sine ipso. Seneca lib. 6. contr. 4.

MINORITAS FINIS.

DEFECTVS IN FINE.

SATVRNVS in quarto loco in signo fixo maximè in tauro, vel aquario firmam significat fortunam, & tamen plerumque malum finem, quoniam malitia eius frangitur, sed non tollitur. Cardan. Apho. sect. 4. Apho. 136.

Iupiter cum in corde cœli fuerit, iuxta apicem in Capricorno multam dabit bonam fortunam ex violenta iustitia, quæ infœlicem habebit exitum. Ib. sect. 5. Aph. 13.

Moyses promissam terram, cum vidit, moriens amisit.

Omnis homo primum bonum vinum ponit, tum cum inebriati fuerint, deterius. Ioan. 2. 10.

In Guinea est præstans palma, ex qua perforata vinum colligunt palato dulcissimum & inebrians si statim bibatur, at asseruatum, fit acidum, & ad bibendum ineptum. Gotard hist. Indicæ. c. 10

Aspectus planetarum defluentes, vim seruant, sed lentiorem, non æquè fortem, & tardioris effectus.

Proscriptum vxor sequuta est; cum venenum biberet voluit ipsa partem bibere nolens esse sine ipso; statim vt bibit concidit, superuixit maritus & hæres, accusatur veneficij. Contra ipsum dicitur. Nolite mirari, si tam efficax venenum est, hæres est qui dicit, summis ferè partibus lenis & innoxius humor suspenditur, grauis illa & pestifera pars suo pondere subsidit, bibit iste vsque ad venenum, vxor venenum. Seneca. lib. 6. contro. 4.

Vitæ nostræ cursus feruenti in lebete aquæ assimilatur, quæ quantumuis intumescat, vbi magis processerit, semper minor fit, & siccatur. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 14.

Ætas parentum pejor auis, tulit,
Nos nequiores, mox daturos.
Progeniem vitiosiorem. Horat. lib. 3. Ode. 6.

Nuptiæ & senectus in eo conueniunt, quod cùm à plerisque appetantur, cum ad illas ventum est, tædium & dolorem afferunt.

Mutabilitas rerum mundanarum ostenditur in hoc, quod ea quæ precipuè mundus amplectitur, scilicet sapientia & potentia, in oriente inceperunt, & terrâ habitabilem percurrerunt, vsque in occidentem in signum quod omnia tendunt ad occasum; nam studium sapientiæ cœpit in Ægypto B postea fuit in Græcia, post hoc Romæ, in Francia, Anglia. Similiter regna, primo fuerunt in Oriente, post in Græciam, post apud Romanos, nunc potestas imperij residet in Germania. D. Bonauent. in compendio Theologiæ. lib. 2. cap. 10. *Vide Minoritas Durationis.* Rerum inconstantia.

Cæsar nunquam in bello vulneratus, viginti quinque vulneribus in Senatu à Cassio & cæteris est confossus. Geneb. a. m. 40. 43.

Filius vnius anni erat Saül cum regnare cœpisset. 1. Reg. 9. Sic erat innocens quasi filius anni. Rupert.

Horoscopus in vltima signorum parte solet efficere spurios Henricus. tract. 2. figura. 7.

Frustra quod ordinatur ad finem quem non C attingit.

Tilia hoc habet particulare, quod eius folia sint perdulcia, & plerisque animalium pabulo, fructus verò comedi à nullo potest. Theopr. histo. plantar. lib. 1. cap. 20.

Plures semper sunt flores, quam fructus

Sunt quædam plantæ biferæ quæ bis in anno florem aut fructum ferunt, vere scilicet & autumno, propter calorem & humiditatem, cæterum nihil ferè ex iis quæ secundo fructificant, simile primis perficitur, vt patet in rosis, myrto, & cæteris. Theophr. de causis plant. lib. 1. c. 17.; sic secundi animalium partus in anno, mellis in apibus, nidificationis in auibus, deteriores sunt, virtute iam exhausta, cœlo & tempore minus con- D gruo. Ibid. c. 16.

Euenit vt cum oleæ benè germinant, malè fructificent: cumque benè fructificant, malè germinent, tanquam natura vtrique satisfacere parti non valeat; sed necesse habeat absumere alteram, vt alteram faciat, fructum enim copiosa germinatio facile detrahere potest, quod ratione loci & arborum fieri solet. Ib. cap. 25.

Caprifici, seu ficus syluestres, fructus suos non perducunt ad maturitatem, id genus frugiperdæ quis nuncupauerit, vt salicem Homerus cognominat. Ibid. lib. 2. cap. 11.

Ab equis ad asinos. Perdunt vinum infusa aqua.

Cum aridæ arbores in somnis apparuerint, significant inanes labores Suidas.

Hermogenes Tarsensis sophista anno ætatis 15.

Digitized by Google

maximam in dicendo etiam ex tempore gloriam est adeptus, ad virilem autem cum venisset, nulla euidenti de causa vel morbo habitum illum & facultatem amisit; obiit senex despectus ob amissam artem; mortuum incisum esse ferunt, & cor eius pilosum, & magnitudine natura humana longè maius inuentum esse tradunt. Suidas in voce Hermogenes. Vide *Magnitudo Principii. Initii.*

De muliere olim pulchra, postmodum vetula deformi sic Horatius.

Cornicis vetulæ temporibus Lycen.
Possent vt iuuenes visere feruidi.
Multo non sine risu.
Dilapsam in cineres facem.

Iuliorum & Antoninorum familiæ cum insignes viros habuerint, desierunt tamen in flagitiosis hominibus. Iuliorum in Nerone; Antoninorum in Heliogabalo, prodigiosæ libidinis. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 25. c. 8.

Serpenti natura est siccissima propter defectum humidi non aquei sed oleosi, ob id iuniores sunt minus noxij, nocentiores senes. Cardan. lib. de rer. varietate. cap. 29.

Cypressus arbor pulchra sed sine fructu. Rodig. lib. 25. cap. 2.

Pyramis est figura quæ in modum ignis ab amplo in acumen consurgit. Ignis enim apud Græcos πῦρ appellatur. Isidor. origin. lib. 3. cap. 12.

Iosue 8. habitatores vrbis Hai primo vincunt Israël, postea ab eo delentur.

Infirmiora nunc sunt quam olim corpora ad ferendum studiorum laborem. *Vide Contrarietas Cognitionis.*

Mundus videtur similis ludis theatralibus qui destruuntur cum ad vltimam perfectionem ventum est. D. Thom.

Dicitur summis Pontificibus, non videbis annos Petri, idest florentem virtutibus Ecclesiam, vt fuit primis temporibus.

Ira in principio est cum ratione, sed in fine conturbat eam.

Terra in prima ætate fuit fertilissima, postea paulatim diminuta est, cum quotidie germinando exhauriatur eius virtus, & hoc maximè post diluuium permixtis in ea aquis occeani. Tostat. Gen. fo. 23.

Sub finem Decembris & anni, sunt stellæ nebulosæ, quæ nubilum efficiunt cœlum.

Luna sub solis radiis generaliter infœlicem exitum decernit. Cardan. Aphor. sect. 3. apho. 55.

Cum Iupiter potenti stellæ copulatur aut sol beneficæ, & luna fuerit in opposito vel quadrato, magna fortuna cum malo exitu plerumque decernitur. Ib. Aph. 95. *Vide Duratio Gloriæ. Repug.*

Folia ex arboribus decidentia, primo in aquis supernatant, propter multum aqueum humidum aëri permixtum, quod est in complexione eorum; quod cum euaporauerit, merguntur sub aqua propter terrestre feculentum, quod solum remanet in ipsis. Albert Mag. lib. 2. de vegetabilib. tract. 2. cap. 3.

Fundus aquarum est arena, nihil habens de natura aquæ.

Fructus Mirabolani, cum primum apparent formati in arbore, sunt fructus dulces, postea fiunt amari, quia hæc arbor est raræ admodum substantiæ habens meatus valdè amplos; & ideò in prima digestione, cum parum adhuc humoris attractum est, calor ipsum facilè digerit, & maturat in fructum, at aucto sole calor, efficitur fortis attractionis, & ideo attrahit siccitatem terrestrem, & tunc ex calore & siccitate incensa fit fructus amarus. Id. lib. 4. de vegetabil. tract. 4. in fine.

Prouerbialiter dicitur. Angelicus Iuuenis senibus sathanizat in annis. Refert Gerson. tractatu de paruulis ad Christum trahendis.

Planeta fortunatus cadens ab angulis, est vt vir sperans fortunam, & non inuenit. Bethem. centiloquij. n. 16.

Infortunæ in 8. malam mortem significant, fortunæ verò placidam in lecto. Almansor propositione. 19.

Fœtor extinctæ candelæ & lampadis, quo extinguitur in vtero partus.

Signa zodiaci mutant naturas suas secundum motus suos. nam taurus in oriente est tepidus, in occidente frigidus: Gemini in oriente est calidus & siccus, in occidente frigidus & humidus Virgo in oriente calidus tepidus, in occidente frigidus humidus. Haly. 1. parte. cap. 1.

Omnis quæstio in qua inueneris Lunam fortem, & dominum domus eius damnatum & debilem, ostendit fœlicitatem initio, debilitatem in fine. Contra verò si luna fuerit debilis, & dominus domus fortis. Ib. cap. 5.

De Principibus qui infœlicem exitum habuerunt. Vide Chassaneum in catalogo gloriæ mundi. parte. 5. consider. 1.

Superficies aquæ apparet alba, fundus niger, quia obtunduntur solis radii priusquam ad illum perueniant. Plutarch. fundus etiam sæpè est limosus.

Nemo ante obitum fœlix, quia inconstans est fortuna. *Vide Minoritas Durationis.* similiter & animus. *Vide Duratio Volunt. Rep & Differentia Voluntatis.* Melius est inæqualem fortunam nunc bonam nunc malam experiri, quam diu fœlicem quæ tandem ingenti obruat calamitate. Ab infortunis sub finem vitæ occurrentibus.

Mundus terminatur vacuo. Homo in eo instanti in quo desinit, non est homo, sed immediatè antè fuit, vt tradunt Philosophi agentes de inceptione, & desitione rerum.

Panis recentior, postquam calorem ab igne conceptum amisit, optimus est, quo magis induratur, tanto grauioris concoctionis efficitur. *Vide Finis Virtutis.*

Math. 13. non apparet zizania in medio tritici, nisi messis; latet in herba. D. August. ad Esitium de die nouissimo dicit, licet nunquam defecerunt mali, tamen quanto plures erunt mali, tanto plus appropinquatur ad finem. Card. de Cusa de concorda. catholica. lib. 1. c. 3.

Vide Concordantia Principij. Repug. degeneres.

Quæ magis distant à primo principio, minus habent de sua virtute. *Vide Differentia Concordantiæ.* Sicut supra sphæra est vmbra infimi Angeli; ita est terra vltima vmbra, & fæx elementorum. Id. Ib. sic Augustinus ad Elsicium, quod abundantiores erunt mali, quanto magis appropinquabitur ad finem.

Aqua fluit è fonte suo, algida & nitida; deriuans in fluuium fit calidior, & turbidior, tandem in mare, fit amara & agitata magis, sic mens pura creatus à Deo, in domesticis inficitur; sed multo magis in publicis & politicis. *Vide Duratio Contrarietatis.* Series malorum.

Les hermines mustellæ genus cum toto corpore

sint albæ, extremum caudæ habent nigerrimum.

In nouissimis temporibus, erunt homines seipsos amantes, cupidi blasphemi, &c. 2. Thimoth. 3.

Vide Veritas Bonitatis Repug. nocere sub specie beneficij.

Petrus Damiani opus. 45. cap. 6. refert de quodam philosopho in scientiis omnibus erudito, etiam longa totius orbis peregrinatione, qui morte immatura præuentus, non egit pœnitentiam, sed moriens semper, dixit heu quale damnum.

Idem opus. 59. cap. 7. refert exempla multorum regum qui miserè perierunt. & cap. 8.

Flores multi, animones, tulippæ, ranunculi, & innumeri quibus curiosorum oculi pascuntur, cito marcescunt, & non ferunt fructum.

De primogenitis exclusis a minoribus natu. *Vide Gloria durationis.* primogenitura. Repug.

Amalech, percutit extremos lassosque de filiis Israël, cum egrederentur ex Ægypto. Deut. 27.

SENECTVTIS INCOMmoda.

SI semina sint vltra annum vetusta, virtus formatiua erit in ipsis debilis, propter defectum humoris radicalis, Albert. Mag.

Antiquitas facit sterilitatem oui. *Vide Contrarietas Principij.* quæ rebus nascentibus aduersantur.

Senex debilis, nihil amplius est, quam vox & vmbra. Tunc incipit sapere, cum nihil potest & valet. Similis est vino, cum superest modicum, acescit. Senectus videtur malorum omnium officina. Noli interrogare quomodo se habeat, semper enim malè se habet. Mens vana, opera inutilia, curæ superuacuæ; flexit senem tempus, & in terram inclinat mox casurum; morosus, quærulus, aduersam valetudinem minus ferens, quia prosperam expertus est, nec vlla spes est illam recuperandi. Pessimum si senectuti multa mala habenti improbitatis dedecus adiiciat. Ætatis hyems, vere non rediturο, animo repuerescit, nam vt augescente corpore simul & mens augetur, illo senescente vna senescit. Senectus mortis præludium est.

Iuuentutis incontinentia, difficilem efficit senectutem.

De senectutis incommodis. Bernardin. to. 4.

In Insula Co, mos erat vt homines prouectæ iam ætatis, mortem sibi consciscerent, ne cogerentur pati senectutis incommoda.

Vetustioris arboris & potissimum annosæ carbones deteriores sunt quam nouellæ; summa etenim siccitate constant. Theoph. hist. plant. lib. 5. c. 10. carent humido oleoso. Rosæ senescentis flores, deteriores redduntur. Id. lib. 6. c. vlt.

Sicut virtutes naturales perdurant in quodam tempore & non vltra, ita est de virtutibus imaginum seu naturaliter seu arte lapidibus insculptarum: non enim influitur aliqua virtus de cœlo nisi in quadam temporis periodo; & postea cassa & inutilis remanet imago, frigida & mortua, & hæc est causa quare quædam imagines non operantur hoc tempore, quod fecerunt tempore antiquo. Albert. Magn. de Mineral. lib. 2. tr. 3. cap. 3. *Vide Finis Bonitatis.*

A Corrumpitur manna, sed & mel quod seruare omnia potest, sitque acre vetustate. Cardan. lib. de rer. variet. cap. 26.

Verum balsamum durescit dum senescit, tuncque debilium est virium. Ibid. cap. 97.

Senec quæst. natural loquens de terræ motu. Ex terra inquit, quædam partes decidunt, quas aut humor soluerit, aut ignis exederit, aut spiritus violẽtia excusserit. Omnia vetustate labuntur, nec quicquam tutum à senectute est. Hæc solida quoque & magni roboris carpit; itaque quemadmodũ in ædificiis veteribus quædam non percussa decidunt, cum plus ponderis habuere quam virium; ita in hoc vniuerso terræ corpore euenit, vt partes

B eius vestutate, soluantur, solutæ cadant, & tremorem superioribus afferant.

Asserit Plutarchus oracula vestutate defecisse, at quæ vetustas est quæ rem diuinam conficere possit.

Vt in vita principio, sic in fine contingit infirmitas. Vide quæ scripsi. de iure naturali. lib. 3. lege 14. De patientia in senectutis infirmitate. Moral. Christi. to. 4. parte. 2. cap. 28.

Corpus est animæ domus quæ quotidie consumitur, veterascit, casuique propinquat. Tot substrahuntur lapides, quot prætereunt dies; transimus ab infantia ad adolescentiam, ab adolescentia, in-

C uentute, virilitate ad senium, & ad ætatem decrepitam, ad quam pauci perueniunt, & qui peruenire mille langoribus atteruntur, vitam sibi tum aliis ducunt onerosam. &c. Laurent. Iustinian de contemptu mundi. cap. 17.

Omne quod antiquatur & senescit, propè interitum est. heb. 8.

Ægypeij non permittebant Apim bouem suum sacrum senio interire. *Vide Bonitas Differentiæ.*

Interogatus senex quid ageret, respondit paulatim morior.

Maximus medicorum error est in eo quod ministrant auxilia simplicia & composita per ætatem

D corrupta. Cardan. methodi medendi. cap. 11.

CASVS EMINENTIORIS fortunæ.

STella noua que apparuit in constellatione Cassiopeæ initio, & fulgore & magnitudine superabat stellas primæ magnitudinis, sed sensim diminuta, tandem euanuit.

Fœliciores in bonis temporalibus solent interire morte calamitosa, & sic ostendit Deus in talibus fœlicitatem nostram non consistere. Tostat.

E 2. Reg. fo. 111.

Vide Duratio Gloriæ. Repug. Duratio Maioritatis. Repug.

Casus aulicorum tam frequens est, & omni ferè lustro contingens, vt hunc exemplis probare superfluum sit, illius tantum causas inquirimus. Pendet talium fœlicitas à principis affectu natura sua vario, & quem plures externæ causæ mutabiliorem efficiunt. Difficillimum est tot oneratum beneficiis parem referre gratiam, quæ conceptæ spei respondeat; quo plus congeruntur munera, accrescit debitum cui soluendo non est etiam exacta fidelitas aliis iam titulis oppignorata. Tot patitur aulicus suis profectibus inuidos, quot habet spectatores; solo sustentatur principis affectu, quem innumeri tentant expugnare, tam lau-

Digitized by Google

dibus quæ concitent æmulationem, quam calumniis quæ pariant contemptum. Hæc sensu potius quam iudicio nascens beneuolentia, mutatur per ætatis gradus, vt qui placuit adolescenti principi, arte venatoria, ludicra, primis cupiditatibus lenocinante, desinit gratus esse viro, res maximas, bella, victorias, terminorum regni protensionem ambienti, seni, gazis implendis totaliter intento: fallitur qui putat se receptum in principis amicitiam mutuam, fidam & constantem. Inest dominanti sublimis de se, humilis de cæteris etiam nobilibus opinio; putat omnes sibi nasci, addici, totum quod sunt debere, cum illis nihil ipse debeat. Ita cum vsus diuturnior tædium fecerit, alium & alium assumit libero subitoque phantasiæ motu, vt in conuiuiis ab esca in aliam & per omnes quas delibat incō sulta manus circūfertur. Placet hæc nullis adstricta legibus libertas, velut absoluti dominii summum ius, omnipotentiæ diuinæ vicaria quædam auctoritas, cui licet res vt libuerit creare, vel annhihilare. Sic artifex instrumenta sua pro ratione operis, prout placuerit, aliis proiectis & tacentibus commutat. Prævident vices istas ad curiam accedentes, nec minus tamen dolent cum è sublimi momento præcipites aguntur in crimen, prius familiare, sed cui reatum tunc maleuola principis voluntas adscribit. Magna gerentibus, si fœliciter succedant, timenda principis æmulatio, sin minus ira; qui assident, si verum dicant incurrunt odium, si taceant, & occultè grassans, vt incendium emicet, proditionis accusantur. Inter tot vigiles æmulantium oculos, etiam leuissimi defectus grauissimam censuram patiuntur Ipsa fidelitas, collegas patitur hostes, velut eorum obstet profectibus & fucum negotiis apponi solitum, sincero suo procedendi modo reuelet, sic aula laborat complicatis affectibus, quorum finis est cadere virtute vel vitio, liberis, inconsultis, fortuitis, meditatis dominantium affectibus ad mutationem inclinatis. Tolerabilior casus qui substrahens officium, personam relinquit illæsa fama, & honesta missione seponit, ad eadem quæ gesserat vel subliminiora, cum tulerit occasio, promouendam. Sæpius mutationes quas fortunæ, dominantium A vitiis, inuidentium malignitati adscribit dolor, sunt effectus diuinæ prouidentiæ, sic fœlicitates humanas contrariorum mistione temperantis. In dies ardenti magis ambitioni, vastum incendium minanti, materiam subtrahit; Reuocat ad se mentem oblitam, feriatis negotiis; Cupiditati sicut mari ponit terminos, & dicit huc vsque non vltra progredieris, & confringes tumentes fluctus tuos: boni temporalis æstum vult esse reciprocum, vt ad diuersas perueniant familias, & in posteris maiorum virtus coronetur. *Ex principiis.*

INDETERMINATA non valent.

B Baptismus datus sub conditione de futuro, vt si dederis centum Caio, non valet; quia neutro tempore est validum, non in præsenti, cum pendeat, non in futuro, quia non est amplius nec materia nec forma. Bonacina de sacram. disp. 2. q. 3. propos. 4. Sic sacramentum pœnitentiæ non valet, si forma sit sub conditione de futuro. Id. pœnitentia. q. 4.

Sponsalia indeterminata non valent, vt si quis promittat alicui, quod ducet in vxorem, vnam ex tribus suis filiabus, quia vt matrimonium debet esse cum certa persona, sic sponsalia quæ sunt inchoatum matrimonium. Id. de sponsalib. puncto. 2.

Agens non mouet nisi ex intentione finis, si enim C agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc quam illud. *Vide Bonitas Differentiæ. & Bonitas Finis.*

Non peccat mortaliter qui temerè iudicat in re graui, de aliquo indeterminatè, quem non cognoscit, nec cogniturus est vt si de homine noctu in via inuento, iudicet latrocinium, vel aliud graue delictum. Quia talis opinio nullum ferit. Bonacina de restitutionib. q. 7. disp. 2.

Potest promitti generaliter Præbenda quæ vacabit, non hæc, aut illa. cap. 1. cap. nulla de concess. præb. cap. cum qui 7. q. 1.

MAIORITAS BONITAS MAIORITATIS.

ALTITVDINIS.

LOCVS altus, non ex montibus, sed ex terræ eleuatione, saluberrimus est homini ad habitandum, quia illic aër facilè perflatur & cito recipit temporis qualitatem, & in tali loco plura elementa mutantur secundum tempora. Albert. Magn. tract. 1. de natura locorum. cap. vltimo.

Locus excelsior est honoratior, vt est Empiræi inter cœlos, ignis inter elementa & in hierarchia Angelorum. Episcopus in Ecclesia in consessu Presbyterorum sublimior sedeat. can. Episcopos dist. 17. sic tribunalia ex quib. ius redditur, sunt sublimiora; sic altaria. B

Ponimus beatitudinem in cœlo supra; Infernum in terræ centro.

Rex solium, doctor cathedram, Iudexque tribunal.

Possidet, ac sedem Præsul, prætorque curule.

Quod dignitate excellentiores, in altiori loco debeant esse. Vide Chasseneum in catalogo gloriæ mundi. parte 5. consider. 31.

Episcoporum est vngere in fronte. *Vide Cognitio Virtutis.* fidei publica confessio.

Caput est arx coporis; arx potentiarum animæ.

Antiqui Galli quercus maximæ altitudinis venerabantur, quasi in illis numen aliquod lateret. C Arnob. lib. 8. aduers. gentes. & Seneca epist. 41.

Eminentia loci, ad aëris salubritatem conferre, quia locus eminens ventorum perflationibus patet, quibus redditur aër durus à vaporibus, quæ magis abundant in conuallibus. D. Tom. lib. 2. de regimine principum. cap. 2. vbi censet in eminentiori loco, ciuitatem esse ædificandam.

In India præclarum & honorificum est Elephantum conscendere & velut in triumpho sic vrbem lustrare.

Architectura ingeniosis lapidum structuris, infert cœlo terras, duratura ad posteros compage & æternitatis æmula.

Amor diuinus eleuat. *Vide Potestas Voluntatis.*

A Vis amoris diuini.

Israël vincit Amalech. cum Moyses leuat manus, si remittat vincitur. Exod. 17.

Superiora sunt nobiliora in elementis & cœlis, & inferior orbis sęper est ignobilior superiore, ideo dicit Aristoteles in libro de animalib. quod luna in cœlestibus, est de natura terræ in elementis, est enim terra quasi fæx in corporibus simplicibus. Alb. M. lib. de cœlo & mundo. tr. 1. c. 4. fine.

Noë primus omnium arca, quæ aquis superferebatur, à diluuio liberatus erexit altare in quo Deo sacrificauit. Abel enim & Caïn sine altari munera sua Deo obtulerunt.

Aquila in stemmatibus est illustris & Imperialis, quia cæteris auibus altius volat, & in altissimis nidificat.

De excellentia & rerum apice. *V. Veritas Maioritatis. & Maioritates Bonitatis, Magnitudinis, & cæterorum principiorum.*

Quanto aliquod corpus est superius loco, tanto inuenitur esse formalius, aqua enim est formalior terra, aër aqua, & ignis aëre; vnde corpora cœlestia sunt magis formalia omnibus aliis, ideoque magis actiua.

Vide Bonitas Finis. Bonæ rerum extremitates, de arborum cacumine.

Corsica fert arbores proceras, magnoque discrimine cæteras excedentes seu ratione laxationis, seu etiam telluris, cœlique virtute, locis plurimum cæteris præcellit. Theoph. hist. plant. lib. 5. cap. 9.

In plantis putrescunt inferiora potissimum, quoniam minus perflantur. Id. de causis plantar. lib. 4. c. 15.

Scribit Plinius in palmarum cacumine medullam haberi dulcem, quam cerebrum vocant. Rodig. lib. 5. cap. 6.

Ioui Deorum eminentissimo, diuina res in superciliis montium fiebat. Id. lib. 12. cap. 1.

In sepulchris columnarum ratio erat, inquit Plinius, attolli supra cæteros mortales. Id. lib. 17. c. 20.

Persæ editissimis quibusque conscensis montibus Ioui hostias immolabant. Id. lib. 18. cap. 18.

In Arcadia apud Psosphidem cupressi cernebantur tantæ proceritatis vt propinquus adumbraretur mons. Id. lib. 25. cap. 2.

Apud Hebræos decem sunt Dei nomina de quibu *Vide Cognitio Principij*. Quintum est *Elion* idest excelsus. Isidor Origin. lib. 7. cap. 1. De his quæ præstant altitudine. *Vide Maioritas Magnitudin.*

Oportuit esse montes altos è quibus fontes & flumina in inferiora decurrerent.

Præcipit Hippocrates montanas herbas altisque tumulis enatas potius colligendas, quam aquaticas, humilique loco procreatas, quod harum virtus magis efficax & proba existat.

In sacrificiis fœlix ex thure sumebatur augurium, si fumus rectà ascendisset sursum.

Simplex leuitas accidit à calore, cognata corpora cœlestia petente.

Altare dicitur quasi alta ara. Tost. in Exod. altaria faciebant gentiles in collibus. Id. 4 Reg. fol. 165.

Athlas mons altissimus, quia cacumen eius propter nubes non videtur, creditus est cœlum sustentare. Id. *Vide Gloria Maioritatis.*

AMPLITVDO NVMERI & quantitatis. Bona.

CVm nec ieiuna nec superflua debeat esse oratio, peius tamen in illa inopiæ vitium, & cum in pueris oratio perfecta non possit sperari; melior est indoles læta, generosique conatus, & vel plura iusto concipiens interim spiritus. Maciem & infirmitatem in posterum minari solet protinus omnibus membris expressus infans facile remedium est vbertatis, sterilia nullo labore vincuntur. Materiam primum volo abundantiorem atque vltra quam oporteat fusam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid velut vsu ipso deteretur. Sit modo vnde excidi possit & quod excalpi, erit autem, si non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, & quam cælatura altior rumpat. Volo, inquit Cicero, se efferat in adolescente fœcunditas; Vnde vitandus illis magister aridus, non minus quam teneris adhuc plantis, siccum & sine humore vllo, solum. Inde fiunt humiles statim, & velut ad terram spectantes qui supra quotidianum sermonem non attolluntur: Macies illis pro sanitate, & iudicij loco infirmitas est; vitium illis est virtutibus carere, quare mihi ne maturitas quidem ipsa festinet, nec musta in lacu, statim austera sint, sic & annos ferent, & vetustate proficient. Quintilian. Instit. oratori. lib. 2. cap. 4. *Vide Magnitudo Principij.*

Satius est aliquid narrationi superesse, quam deesse; Nam superuacua cum tædio dicuntur; necessaria cum periculo subtrahuntur. Id. lib. 4. c. 2.

Oratio debet esse abundans non ieiuna. *Vide ex eadem Bonitas Potestatis* libertatis.

Melius est orationem crescere per hyperbolem, quam deficere *Vide Medium Maioritatis*

Patronus litigatorem patienter audiat; non enim tam obest audire superuacua, quam ignorare necessaria, hinc insperatum habebit causæ subsidium. Ib. lib. 14. cap. 8.

Nullus tam grandis numerus qui additione vnitatis non crescat nouamque sumat essentiam.

Censetur eadem forma sacramenti, si fiat cum additione quæ non destruit significationem formæ, vt ego te baptiso in nomine Patris qui te creauit, filij qui te redmeit &c. Bonacina. & D. Thom. 3. q. 60. a. 16.

Inde putant meritorium esse lauari in Gange, quia cum fluuiorum omnium maior, etiam diuinitati proximior est.

Vide Gloria Medij & Potestas Magnitudinis, quantitas supplet defectum virtutis. & *Bonitas Concordantiæ* compositionis.

In quibusdam operationibus chimicis & distillationibus, vt antimonij & vitrioli, oportet vasa recipientia esse amplissima, alioquin vi spirituum confringerentur.

Quantò aliquod elementum est subtilius, tantò est maius in quantitate, & ideo aër est maior quam aqua, & aqua quam terra. Elementa subtiliora prædominantur in misto secundum virtutem, sed grossiora secundum quantitatem.

Quantitas non impedit actionem formæ, nisi per accidens, sed iuuat; nam quanto corpus ignis fuerit maius, supposita æquè intensa caliditate, tanto magis calefacit & supposita grauitate æquè intensa, quanto magis fuerit corpus graue, tanto velocius mouebitur motu naturali.

Natura videtur quædam facere superflua, vt pampinos in vite, mammas steriles in homine; oculorum speciem in talpa. In ceruis ramosam molem quæ ad pugnam est inutilis, ad fugam maximè in nemoribus grauis & impedita. In bomaso, qui est species bouis recurua ad anteriora cornua, & ad pugnam inutilia. Cardan. lib. de rer. varietate. cap. 27.

Prima materia quæ est pura potentia est vna, & quanto formæ sunt sibi propinquiores, inueniuntur pauciores numero, primò enim perficitur, per quatuor formas elementares, post plurimas formas mistorum corporum: ergo in vltimo remotionis à materia debet inueniri maxima pluralitas Sic sibi plures Deos finxerunt antiqui. D. Thom. in mag. sententia. dist. 2. a. 1.

Etiam inter atomos sunt quædam corpuscula cæteris maiora.

MAGNITVDO MAIORITATIS.

PALATIA Principum non parietibus priuatorum, coarctanda. Vide Chasseneum, in catalogo gloriæ mundi conf. 14. part. 5. n. 15. A

Metrodorus absurdum esse ait in latifundiis vnicam spicam nasci, vnumque in infinito mundum, causæ sunt infinitæ, mundus autem finitus. Plutarch. lib. de placitis Philosoph. cap. 5.

Vide Contrarietas Principii Bona. sub initiis austeritas, vbi de tyronis monachi indiscreto licet feruore, probato.

Infinitum est vnum ex principis entis, quia multitudo qua parte est multitudo habet infinitatem, ex se enim nullum habet terminum. Arist. 6. physic. 10.

Quamuis finitum finito additum non faciat maius, tamen facit plus, quia finitum & infinitum sunt duo, cum infinitum per se acceptum, sit vnum.

Quod est perfectum non potest fieri imperfectum per additionem.

Vide Maioritas Potestatis. Bona, qui potest plus, potest minus. In montibus gignuntur omnia quæ in cæteris terræ partibus. *Vide Concordantia Differentia.* Omnia in omnibus, & rursus quædam quæ nasci in planis nequeunt, vt abies. Theoph. hist. plant. l. 3. c. 4.

Arbores quæ natura sua folia dimittunt, seruant tamen in locis in quibus exuberat alimentum, vt quercus & platanus in Creta. Ibid.

Carne testitudinis aut non vescendum, aut plurimum vescendum, nam minor copia parit ventris tormina, que copia detergit & expurgat. Rodigin. lib. 10. cap. 3.

Excessum vsurpare solet natura post priuationem, sic post diluuium & continentiam filiorum Noë in arca, maxima fuit humani generis propagatio, perpetuo enim geminos edebant marem & fœminam, itant è locis in quæ primum consessetant oportuerit multos excedere. Berosus. Sic post famem auidius appetuntur epulæ, &c. à suo polo motus magnes vt in illum redeat, veloci motu excedit.

Ceibas seu Cerbàs arbor maxima in India occidentali quam homines quatuordecim simul complecti nequeunt, tantæ crassitiei, vt Indi ædiculas supra constituant.

In quibus virtutibus medium proximius est excessui. *Vide Differentia Medij.* cum in aliis sit proximus defectus.

Quorumdam excellentia prodest ad aliorum humilitationem. *Vide Concordantia Differentia* ordo.

EXCESSVS MALVS.

B ORator in pronuntiatione spiritum non eo vsque trahat, donec deficiat, nam & deformis est consumpti illius sonus, qui fiat, non vbi volumus, sed vbi necesse est. Quintil. lib. 11. c. 3.

Omnia fere quæ se in altum extollunt, compescenda agricolæ censent, præterquam illa quæ apta sunt excelsa consistere, ceu palma, pinus, cupressus. Minus enim fœcunda redduntur cum alimentum per longum transeat spacium, & priusquam ad fructificandi partem perueniat, absumatur; sed vt ramis & germinibus scateant opera danda est. Thophr. de causis plantar. lib. 3. cap. 6. sic demeti & purgari facilius possunt.

Vide Maioritas Magnitudinis Mala. altitudinis.

Edita montium olim falsorum Deorum fanis, sacrisque maculata sunt. Moraliter in excelsis dignitatibus rara virtus, etsi apparens. *Vide Virtus Potestatis. Repug.*

Vide Virtus Medij. Mediocritatis.

DVRATIO

Digitized by Google

DVRATIO MAIORITATIS

E GRADV NON CADERE.

VIR nobilis equum Ioanni Pontifici Corinthũ proficiscenti, cõmodauit, quo vxor eius mansueto vtebatur, postea domino remissus equus ita ferox euasit, vt dominam totius corporis agitatione expulerit, tanquam indignaretur mulierem suscipere, ex quo sedisset in eo Christi Vicarius. Vide Breuiarium, die 27. Maii.

Qui maiores adeptus est virtutes, non operabitur principaliter secundum inferiores, sed quantum vitæ præsentis necessitas requirit. Porphy. *Vide infra Concordantia Maioritatis.* de Archiepiscopatu non transferendo in Episcopatum *Vide Duratio Potestatis. & Duratio Virtutis.*

Si ascenderit super te, spiritus potestatem habens, locum tuum, ne dimiseris. Ecclesi. 10.

Si in aqua sit oleum, & si magna vis aquæ superfundatur, semper sursum ipse feretur; sic de ligno & de cæteris aëreis, quia sequuntur naturam sibi prædominantis elementi.

Vide Maioritas Medij. abuti digniori medio, vt cum sacra res ad prophanos vsus conuertitur.

Repugnantiam. *Vide Media Maioritas.*

Quæcumque materia se habent ad diuersa secundum ordinem non potest ex posteriori rediri in id, quod præcedit, secundum ordinem sicut in generatione animalis, ex cibo fit sanguinis, & ex sanguine semen vel menstruum, ex quibus generatur animal, non potest autem mutari ordo, scilicet vt ex semine fiat sanguis, aut ex sanguine cibus, nisi per resolutionem ad materiam primam.

Qui habet potestatem inuocandi Deum, ad immundos spiritus non debet iterum accedere. *Vide Cognitio Contrarietatis. Repug.* veneficium.

Homo natus vt præsit animantibus, non debet, ad animales passiones deiici. *Vide Maioritas Voluntatis.* passionum damna.

Vide Duratio Gloriæ. & Duratio Magnitudinis.

Cum oras, Pater noster qui es in cœlis Verbum te erexit, menti tuæ alas addidit, & ostendit te patrem habere in cœlis: in supernum Angelorum ordinem te retulit, cur te deorsum detrahis: cur os diuinis laudibus impendendum, detorques ad iras & contumelias. &c. D. Chrysost. homil. 14. in epist. ad Ephes.

Plin. in Tribunatu abstinuit causis agendis, quod deforme arbitraretur, cui cum loco cedere omnes oporteret, nunc omnibus sedentibus stare. Sic illustres personæ debent causas suas per procuratorem agere, non seipsis iudicio sistere. *Vide Bonitas Medij.* quædam melius fiunt per media.

Viuente Aaron consecratus est filius eius Eleazarus in summum sacerdotem, quo consecrato statim mortuus est Aaron, Tostat in Exod. ne superesset spoliatus dignitate.

Fertur Carthaginensis adolescens catulum Leo-
A nis paulo ante ab vberibus matris depulsum venatione cepisse, huncque haud legitima educatione cicurem fecisse, extinguens videlicet belluæ furorem degeneri quadam consuetudine viuendi, vsque adeo, vt sarcinis impositis aselli modo per vrbẽ ageret. At ipsum Carthaginenses necauerunt, legem videlicet indignantes ab eo violari, qui tyrannus natura, priuatum tamen se faceret fortuna. Maximus Tyrius. serm. 31.

Cordis sinister & nobilior sinus, accipit sanguinem à dextro, sed elaboratum in illum non refundit, ne vilescat. *Vide Minoritas Bonitatis.* defectus largitionis bonus.

Aucta nolunt minui, eleuata deprimi. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 2 lege 10. §. 6. Explosa est opinio de trasmigratione animæ rationalis in cor-
B *pora bestiarum. theolo. natural. 10. 2. parte. 1. cap. 40.*

Nihil magis quam æmulatio rudiores concitat, propterea Iesus crebro dicebat primi vltimi, & vltimi primi; propterea scorta & publicanos in mediũ producebat, vt Pharisæos commoneret. Non autẽ permanent meretrices postquam intrarunt in regnum Dei, sed obedientia & fide purgatæ; ac commutatæ interuenerunt. D. Chrys. 67. in Math.

REPVGNAT.

VIde *Voluntas & Virtus Minoritatis* humilitatis. *& Duratio Potestatis. Repugn & Dif-*
C *ferentia Medij.* mutatio ministrorum.

Plantæ quæ naturaliter gaudent montibus, vt tamarix, vlmus, robur & cæteræ, descendunt etiam in plana, & illic ampliores, visuque pulchriores proueniunt. Teoph. hist. plantar. lib. 1. c. 4.

Sol & cæteri planetæ ascendunt ad meridiem & descendunt ad occasum, circulum hunc sequuntur omnia. *Vide Bonitas Differentia.* patiuntur etiam inuiti mortales fortunæ rotam. *Vide Minoritas Durationis.* rerum inconstantia. *& Duratio Gloria Repugn.*

Qui acriores sapores gustauit, remissiores non
D percipit, qui solem intuitus est, legere non potest, mentis contraria est ratio, quo enim maiora intelligibilia comprehenderit, eo expeditior est ad minora comprehendenda.

Non quidem animæ è corporibus humanis transeunt in animalium corpora secundum differentiam vitiorum, sed affectus rationalis mutatus in brutum, tale quiddam patiens ex multa socordia, negligentiaque. Origen in Math. 15.

Quãdiu aqua est in albo sabulo quod Batatui vocãt quellẽ nos Galli *sable bouillonant*, Viua est, & spiritu vniuersi acta in differẽter ascẽdit in mõtes nullo retardata aut in præceps cadente pondere,

sic sanguis quandiu est in venis, tam facile ascendit ad caput, quam descendit ad pedes. Van Helmont paradoxo 1. Sic qui spiritu Dei aguntur indifferenter se habent ad dignitates suscipiendas vel deponendas.

Dantur ad tempus iudices extraordinarij, qui tamen non mutant statum prouinciæ. *Vide Gloria Medij*. Illustre medium ex Cuiac.

Subditi debẽt esse in manu Rectoris sicut calculi in manu mercatoris numerantis, qui, eodem vtitur nunc vt vnitatem, nunc centenarium significet.

Angeli licet sint nobiliores creaturæ, mouent cœlos, quia id agunt propter bonum vniuersi, cuius sunt partes. *Vide Gloria Concordantia.* publica priuatis præferenda. ex D.Thom. sub fin.

PERFECTIORA MINVS *durant.*

AEr qui sursum est, deorsum fertur, quia rarefactus, quærit ab ignis & cœli regione discedere; & qui est iuxta terram, sursum ascendit, vt in regionem suam pergat.

Mixta animata citius intereunt, quam inanimata, tum quia causam suæ corruptionis internæ gerunt; tum quia contrariis non ita fortiter resistunt, tum quia pluribus indigent ad sui conseruationem.

Quemadmodum in optimo corporis habitu, adfectionum periculum manifestum est, ita successuum fortunæ magnitudo periculosa est. Hip. epist. 17. *Vide Duratio Gloria Repug.*

Quibuscumque magnæ eueniunt repente fœlicitates his & detrimenta, repentè magna eueniunt. Cardan. Aphorism. sect. 1. Aph. 5.

Citò nascentia, citò dissoluuntur. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 3. lege. 2. §. 1. Magis aliena minus durant. Vide Ib. §. 2.

Fœcunda minus durant. *Vide Media Duratio. max iuuenis. ex Theop.*

MORA IN OBTINENDO *maiori gradu.*

HOnores sunt gradatim conferendi l. vt gradatim. ff. de muneribus & honoribus, & ad maiorem non peruenitur, nisi per minorem l. honor. §. gerendorum. ff. de munerib. & honor. & can. sicut dist. 48. Casum enim appetit, qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. Ideo in ordinibus conferendis interstitia sunt obseruanda. can. in singulis dist. 77. genus enim humanum non posset consistere, nisi quidam maiores, quidam minores existerent. can. ad hoc. dist. 89.

Res valdè detestabilis nũtiata est quod defunctis Episcopis, quidam Laïci subdicò fiunt sacerdotes; qui miles nunquam extitit, dux Religiosorum fieri non pertimescit, quam iste prædicationem habiturus est, qui fortassè nunquam audiuit alienam? aut quando aliena mala corrigat, qui nec dum sua fleuit? Ad sacros ordines Apostolus Neophytum, idest nouiter conuersum venire prohibet, Neophytum nos deputamus, qui nouus est in sancta conuersatione. Ædificati parietes nõ prius tignorũ onera sustinent, quã fuerint solidati; cũ ad ædificiũ arbusta succidimus, curuãtur impositis oneribus, nisi prius humiditatis humor exsiccetur &c. D. Gregor. PP. in Registro. lib. 4. ep. 50. Vbi monendum Childebertum præcipit, ne malum hoc in regno suo patiatur. Quem epist. 54. sic monet, de his qui cum essent Laïci saltu præcipiti, ad Episcopatum conscendunt. Qui discipulus non fuit inconsiderata ambitione magister efficitur, & quoniam quod possit docere non didicit, sacerdotium tantummodo regit in nomine, nam Laïcus in sermone pristino perseuerat & opere. Quomodo ergo pro aliorum peccatis intercessurus est, qui sua primitus non defleuit. Talis enim pastor non munit gregem, sed decipit, & plebem dominicam prædonib. exponit. exercitui non præponitur dux, nisi probatæ virtutis & fidei.

Idem lib. 7. epist. 11. confirmat Imperatoris statum, ne sæculi actionibus implicati, & militiæ in clero præproperè suscipiendi non sint, quia dum in Ecclesiastico habitu, non dissimiliter quam vixerant, viuunt, nequaquam student sæculum fugere, sed mutare. In monasteriis autem debent per triennium in suo habitu probari, antequam monasticum suscipiant habitum.

Idem ep. 112. Apost. 1. Tim. 5. Nemini inquit, citò manus imposueris. Medici medicamenta recens confecta ægrotantibus non offerũt, sed macerãda tẽpori derelinquunt. Ibid. epist. 116. Ducatũ, inquit, animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ignota ductoris est, & quo vel ipsi gradiantur, ignari sunt. Hinc maxima seminandi erroris occasio, quod quæ non didicerint, doceant. *Vide Duratio Virtutis.* Mora in acquirenda virtute.

Laïci per gradus ad sacerdotium promoueantur. Symnachi Papæ epist. 3. ad Episcopos Galliæ. cap. 3. Vide in concil. Galliæ a. 513.

Episcopi ex Laïcis assumi non debent, sed ex clericis probatis in infimis ordinibus, quis enim tyro statim fit Imperator, ita monet Apostolus 1. Timoth. 3. probandos priusquam ministrent & nulli citò manus imponendas, maximè Neophyto. Conc. Roma. c. 11. in fine to. 1. Concil. Galliæ.

Colles & montes terra per vapores tumescente adeò paulatim gignuntur, vt vulgus eos fieri non animaduertat. Georgius Agricola lib. 2. de causis subterraneorum.

Qui per saltum idest intermissis certis gradibus promotus est, si id factum per negligentiam, debet quamuis characterem recipiat tandiu à maioribus abstinere, quandiu congruo tempore omissos accipere distulit. can. 1. & 2. dist. 55. Si per superbiam, ab Ecclesia abiici, nec amplius ordinari potest. can. vnico. de cler. per salt. ordin.

Leuit. 13. Leprosus eadem die qua curatus est non potest venire in castra, nec accedere ad altare, sed ea die accipiuntur duæ gallinæ ad purificationem eius, vna occiditur & sanguis miscetur aquæ in vase vnde fit purificatio; & sic mundus erit, qui antea non satis videbatur mundatus. Origen. in Leuit. hom. 8.

Ante tempus prædator miles, fit præda hostibus. materia per calorem procedens ex denso in tenue, facit, lentorem, mollitiem, fluorem, tandem in vaporem, seu fumositatem, quæ amissa corpulentia, attollitur sursum. Campanella.

Infantiæ ad incrementum propter copiosum nec vehementer calorem aptæ dominatur Luna. Pueritiæ Mercurius, adolescentiæ ab anno 14. Venus virili ætati sol; tum Mars & Saturnus.

Christus circumcisionem abrogaturus etiam ipse circumcisus est, & dicitur minister circumcisionis. Rom 15. quia legem erat impleturus.

Per posse non peccare peruenitur ad non posse peccare. *Vide Duratio Voluntatis*. continuatio eiusdem voluntatis in bono.

Incrementum fit sensim & per gradus. Vide qua scripsi de iure naturali. lib. 2. lege 10. § 5.

Homo si non peccasset; de statu huius vitæ transisset cum vniuersa posteritate sua, ad meliorem, digniore que statum, vbi cœlesti & æterno bono in cœlis sibi parato frueretur. Sicut enim ex duplici natura compactus est, ita illi duo bona conditor à principio præparauit; vnum temporale, alterum æternum; vnum visibile, alterum inuisibile, vnum carni, alterum spiritui, & quia primum est quod est animale deinde quod est spirituale, visibile bonum prius dedit. Magist. Sentent. lib. 2 dist 20 q. 2.

Vide Duratio Bonitatis, & Duratio Gloria. Mora

Acacia planta primum à radice ramum fert vnius folij, secundum duplici folio, tertium tribus ornatum foliis sic deinceps; crescunt ordine seruato rami numero foliorum productionis gradibus respondente.

Christus ascendens in cœlum successiuis gressibus ferebatur, vt discipuli tum viderent ascendentem, & hoc tantum factum est quandiu oculi discipulorum intueri possent. Tost. parad. fo. 74. c.

Monachorum S. Hieronymi priores, vicarij prius esse debent alicuius Monasterij. Grego. 13. const. 17. §. 9. p. 187. to. 2. Bulla.

POTESTAS MAIORITATIS.

PRÆVALET MVLTITVDO.

Lacus & flumina, fontes, non habent ex luna fluxum & refluxum, sicut mare; Mare enim est sicut totum, & flumina, fontes, stagna sicut partes, non est autem eadem operatio in partibus, ac in toto; quoniam totum colligit virtutes plurimas, quas partes non habent ita mare colligit ampliorem virtutem lunæ, qua sic intumescit & diffonditur. Multa crescunt, & melius se habent luna procedente ad decimam à prima, vel à septima ad quartam; vel ea crescente amplissimum autem mare, vim hanc amplissimam recipit Albert. Magn. tract. 2. de proprietatib. elementor. cap. 7.

Ex aquis terræ visceribus contentis, dum multiplicatur vapor, & loci angustiis non potest contineri, violenter findit terram, & facit apparere fontes & flumina; eadem causa facit terræ motus Idem lib. 4. de vegetabilib. tract. 1. cap. 2.

Vide Potestas Magnitudinis & Magnitudo Medij, aliorumque principiorum.

Censetur aqua naturalis, apta materia; ad Baptismum & conficiendum panem vsualem qui sit materia Eucharistiæ, etiamsi illi admisceatur parum aquæ rosaceæ; quia modica quantitas trahitur ad naturam aliorum. Bonaci. & D. Thom. 3. q. 74. a. 3. & 7.

Magnitudo deliquij luminarium indicat effectus magnitudinem, nam si tota luna eclipsatur, totum genus afficitur; si dimidia, dimidium.

Tenetur quis legibus loci in quo statuit manere, maiori anni parte. Bonacina. de legib. disp. 1. q. 1. pa. 6.

Minor pars populi non potest consuetudinem inducere, maior verò pars potest. l. de quib. ff. de legib. duæ autem communitatis partes dicuntur maior pars Bonac.

Balena quam vidimus 50. pedum longitudinis nullos habet dentes, arma nulla, sola sua mole corporis tuta.

Intra tropicos per æstatem minus frequentiores sunt pluuiæ, quia sol quos extulit de terra vapores, consumit calore exsiccat aërem & terram, at sub zona torrida cum maxime illic ferueat, & latè diffusus sit oceanus, tantam eleuat vaporum copiam, vt ab his superetur & tunc ingentes fiunt pluuiæ. Acosta hist. Indicæ lib. 1. c. 7.

Non sunt irritandi crabrones, & quæuis potentia opprimitur, cum in se concitauit multitudinem.

Omnis virtus crescens, potentior est ad operandum, quam eadem in eadem quantitate decrescens, sic luna crescens in suo quadrato magis mouet mare, quam in eodem ad solem aspectu decrescens. Albert. Mag. tract de proprietatib. element. cap. 6.

Luna Saturno vel Ioui iuncta, lumine & numero aucta ad omnia erit bona. Si verò minuta erit mala. Contrarium est in Venere & Marte. Hermes in centiloquio. nu. 30. Plantationes melius fiunt Luna crescente.

Maiora cum sint astra quam luna, moueantur que, & radiis inferiora illustrent, necesse est etiam, vt maiores quandoque effectus in hæc inferiora producant. Cardan. Aphori. sect. 1. Aph. 54.

Æquum est debiliora pro natura sua modo subiici potentiorib. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege 12 § 1.

Vide infra Concordantia Maioritatis. Societas cum potentioribus de ære Corinthiaco.

COGNITIO MAIORITATIS.

PRÆSAGIA FOELICITATIS.

A MOYSES adhuc iuuenis, nondum accepta à Deo missione ad populi sui liberationem, illi præludit, occidendo Ægyptium, fratres concilĩãdo. Exod. 2. *Vide Cognitio gloria*. Cognitio virtutis. Ex bonis initiis fit coniectura de fœlici progressu. *Vide Potestas Principij. Initij.*

Nomen comparatiuum prælationem significat, vt doctior. Superlatiuum comparatiuo superfertur, vt doctissimus. Isidorus.

Sunt gradus superiores, ad instructionem & humiliationem superiorum. *Vide Concordantia Differentia*. ordo.

B Quoniam humana elatio cum labore vix se valet iudicare, quod est, ascensiones in corde suo disponendæ sunt, vt ad scalæ humilitatis pertingatur celsitudinem; sic sanctorum vitam qui contemplatur imparem se agnoscet, &c. Laurent. Iustin. lib. de casto connubio Verbi & animæ. cap. 20.

Ideam manus non æquat. Prodest altiora contemplari. *Vide Gloria Contrarietatis*. Opposita iuxta se posita magis apparent.

DEXTRA PARS.

MVlieres in monumento Christi, vident iuuenem sedentem à dextris. Math. 16. Quia resurrectio, nil recipit sinistrum. Chrysol.

Oriens habetur dextra pars à Geographis, quia est à dextris cum vertimur ad polum, vt eius altitudo deprehendatur.

Artaxerxes dictus longimanus, quod manuum altera, scilicet dextra foret ei oblongior. Rodig. lib. 22. cap. 20.

Dextera ad mouendum agilior est, sinistra verò ad deffendendum aptior. Tostat. Exo. to. 1. fo. 210. c. 4. f.

Quia potentiæ sunt propter actionem, & actio dextra perficitur ideo pars hæc habetur fœlicior.

VOLVNTAS MAIORITATIS.

APPETITVS INCREMENTI ET AMPLITVDINIS.

C ANGELI exultant de hominis redemptione, pœnitentia, conuersione, quia saluati implere debent sedes per desertionem dæmonum vacuas, vnde canitur in Missa Osanna in excelsis, id est salus in excelsis. Alcuin. lib. de diuinis officiis. cap. 40. optant Angeli numero amplificari.

Sordent prima, cum maiora sperantur.

Vt non solum intelligere sed & sperare hominibus liceat, aliquid edendum est quod absolutissimum sit vndequaque, argumento, multitudine sententiarum, grauitate, acumine, ordine, breuitate sermonis, denique non solum elegantia, sed & splendore. Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 26.

D. Basil. in Hexameron homilia 1. Probat mundum creatum ab aliquo, qui centro ipsum circumscripsit, simul & interstitio.

Nutrire, augeri, generare, sunt actus vegetabilis potentiæ, qui non inducunt lassitudinem, & ideo non indigent quiete, quæ tantum est necessaria, cum motus virtutis quæ mouet organum, non est naturalis motui organi. At cibus mouetur naturaliter ad membrum sicut ad suum locum, & ad suam speciem; per quantitatem eius fit augmentum; & per superfluum eius generatio; ideo tales motus non inducunt lassitudinem, sed perfectionem, propter quod ex illis non causatur somnus nec vigilia. Albert. Magn. tract. 1. de somno & vigilia.

Videmus formas corporum inanimatorum, siue

Digitized by Google

sint simplicia sine composita omnino esse in materiæ potestate, ad nihil agere, sed quasi quiescere in ipsis, tanquam satis sit ipsis esse ipsum, etiamsi nullam aliam acquirant perfectionem; quia sunt immersæ suæ materiæ, & sunt in nimia distantia à primo principio nullam habent operationem diuinam plurimum autem id habent intellectuales substantiæ à materia penitus separatæ. Et hæ per motum in materiam totius mundi, inducunt formas. Id. de motib. animal. cap. 2.

Et si quod summum est vix assequimur, altius tamen ibunt qui ad summa nitentur, quam præsumpta desperatione, quo veliut euadendi, protinus circa ima substiterint. Quintilian. in præfatio. Institution oratoriar.

Tonitruum aliqui nihil aliud esse existimant, quam ruptionem nubis humidum incalescens, & calore dilatatum continere non valentis.

Non pro instaurato, sed aucto duntaxat imperio triumphus concedebatur.

Sic debemus facta maiorum mirari, vt tamen velimus superare.

Vide Duratio Cognitionis. Mora. & Maioritas Principij. R. Effectus suis causis præstantiores.

Corpus viuum recepta rei ingratæ specie constringitur, ne amplius recipiat, recepta autem grati & conuenientis specie fit laxatio & dilatatio, vt amplius recipiat.

Magna res omnibus visa, intentatos transire fines, & nunquam, nisi cum sole & mundo desinere; sic Alexander nouum quærebat mundum, armis suis subigendum, vt Liberi patris & Herculis fabulosam gloriam imitaretur: optabilius est proferre fines Religionis, quam imperij. Secundum illud Isay 18. Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam. Hæc enim generositas nascitur ex zelo, & eminentissima erga Deum charitate. Per tot pericula quæritur gloria: animarum salus & æternitas. Sic egere Godefridus Bullonius, & S. Ludouicus. *Vide Medium Veritatis.* missio Euangelica.

Infantes concupiscunt id omne quod vident expansis manibus, & si des illis, statim ferunt ad os, quasi cedere debeat in alimentum vt crescant. Vnde finis nobilior est his quæ sunt ad finem.

Motus cuiuscumque remissio, fit per impotentiam.

Pluralitas materialis à nullo agente est intenta, vt finis, quia tendit in infinitum, quod repugnat fini.

De appetitu vltra medioctitatem. *Vide Voluntas Contrarietatis.*

Vapor terreus quando coërcetur in ventre terræ facit terræ motum, & quando coarctatur in ventre nubis, facit tonitruum & corruscationem. *Vide Bonitas & Voluntas Potestatis* libertatis.

Albert. Mag. de mineralib. 3. cap. 7. probat, aurum non esse vnicam & completam formam metallorum, cætera esse incompleta, quia natura in nulla re permanet nisi sit completa per substantialem formam, videmus autem argentum permanere & stannum, & similiter alia metalla.

Terra in aquam dissoluta, decuplo maiorem locum continentem requirit, quā ante factā dissolutionē & subtiliationē occupabat quemadmodum apparet in subtiliatione alicuius mineralis friabilis igne subitaneo facta, nā calore violento in tot spiritus aëreos & aqueos repente soluitur vitriolum aut antimonium quod retortæ corpus, quod placide antea massam retinebat, non possit illam rarefactam continere, sed disrumpitur maximo cum fragore spiritibus ampliorem locum quærentibus.

Apes onere nimio allidunt ad rupes: tantus amor florum & generandi gloria mellis.

Augustus apud Romanos nomen imperij fuit, eo quod olim augerent Rempublicam amplificando; quod nomen primo Senatus Octauiano Cæsari tradidit, vt quia auxerat terras, ipso nomine & titulo consecraretur. Isidor. lib. 6. cap. 3.

De motu ad perfectum *Vide Bonitas Differentia.* motus.

B Plantæ in apogæo excentrici vel epicicli significant ambitiosos & audaces, in perigæo timidos & viles. Cardan. lib de indiciis geniturarum. cap. 18.

Appetunt omnia non tantum conseruari, sed & augeri. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege 11. Intentio naturæ prima tendit in augmentum. Ib. §. 1. Appetitus augmenti, cæteris potentior est §. 2. Voluntatis inexpletus appetitus probat immortalitatem animæ. theol. natur 10. 2. parte. cap. 31.

A. materia prima quæ est opposita perfectioni diuinæ, eleuantur per gradus, elementa ad vegetans, illud ad sensibile, illud ad hominem qui manet inquietus donec coniungatur Deo.

C

ALTITVDINIS APPETITVS.

QVamuis spiritus in corpore moueantur, ad omnem situm & locum tamen cum sint naturæ aëreæ & multum in se habeant caloris, maximè sursum mouentur, vnde abundat in capitibus animalium, vbi plures etiam perficiunt operationes; In plantarum summitatibus, producuntur folia, fructus, flores. Albert. Mag. tract. 1. de spiritu & respirat. cap. 10.

Vapor vehementer calidus & siccus pertransit infimam & mediam aëris regionem, eo quod frigus illarum non potest conuertere ipsum, & transit vsque ad supremam aëris regionem, vbi facit D diuersas impressiones. Id lib. de passionib. aëris.

Plantæ aromaticæ melius proueniunt in montibus, in quibus non est nocens humiditas, aër autem perflatus, & à calore adiutus est purior. Id. Famæ auidi, amant eminentes dignitates.

Sunt quædam plantæ quæ sursum prodeunt, auctæ & enutritæ magis in superioribus, & ibi sunt magis ramosæ, vt abies & pinus: habent materiam nutrimenti calidam in medulla sua quam continuè attrahit sursum calor naturalis plantæ, & habent poros rectos ab inferiori sursum tendentes; strictos, tamen vt compressus humor non E diffundatur, sed sursum ascendat. Id lib. 4. de vegetabilib. tract 3 cap. 5.

Cum animal attigit statam suam altitudinem, postea crescit tantum in latitudinem; at plantā potest semper sursum ascendere, quia habet humorem aqueum qui à calore naturali potest facile sursum eleuari. Ibid.

Abies latino sermone dicitur, eo quod longissimo cremento, abit in excessum super alias arbores. Ib. lib. 9. cap. 1. Singulis annis producit quinque ramusculos, quorum medius directè ascendit super stipitem, & efficitur pars stipitis, & multo plus crescit, quam quatuor. Ib.

Luna est principium ascensus inferiorum ad superiora. *Vide Medium Concordantia.*

Digitized by Google

Ferrum trahitur à magnete, sursum, non deorsum, sic amici fortunæ; sequuntur amicum eleuantem se, non deprimentem. Sic appetitur maioritas, vt etiam falso affectetur. *Vide Virtus Maior. R.*

Vide Gloria Medij. Illustre medium, placent magna.

Pythagorici globosa elementorum quatuor corpora autumant, ignem autem supremum turbinatum. Plutarch. de Placitis Philosophorum. cap. 14.

Leuit. 11. immundi sunt pisces sine pinnis & squamis, quia hi luto semper adhærent, nec sursum ad superficiem aquæ feruntur, tales sunt, rebus terrenis impliciti. Theodoret. in Leuit. q. 11.

Fax accensa flammas suas sursum emittit, & impetit manum eius qui conatur illam deprimere.

Terra est quasi fæx in corporibus cœlestibus, & ignis qui superiorem tenet regionem, est nobilior & formalior in elementis, similiter in corporibus cœlestibus superiora sunt nobiliora, vnde Arist. lib. de animalib. dicit quod Luna in cœlestibus, est de natura terræ in elementis. Graue est descendens ad medium; & leue ascendens à medio sursum. Albert. Mag. lib. de cœlo & mundo. tr. 1. c. 5. & 6.

Quædam arbores ad longitudinem tantum aptæ potissimè augeri, vt abies, palma, cupressus. Theophr. nonnullæ in ramos illico sparguntur, vt malus. Ib.

Palma præualida est, & in diuersum quam cæteræ incuruatur, quippe cum reliquæ omnes in inferiora flectantur, palma è contrario fornicatim se flectit. Id. lib. 5. c. 7.

Bellerophontes equo alato Pegaso cupiit in cœlum ascendere.

Si attollatur visus etiam stellas contingimus, si in rectum prospectus petatur, vltra quadraginta millia passuum non fert, infra vero etiam minore multo mensura visus hebescit. Rodigin. lib. 15. cap. 4.

Noui multos viros à terra ferè pendentes, & vltra modum manus extendentes, ægrè ferentes quod non possit fieri, vt sint in aëre sublimes, & ita precantes cum magna animi alacritate. Sic orate, saltem mane & vesperi, extende simul liberam animi volutatem ad cœlum & Deum vsque. D. Chrysost. hom. 22. in epist. ad Hebræ.

Piscis quidam saxatilis, carniuorus, piscium-que facilè velocissimus truta dictus; prope riuolum qua Tiberis de excelsa rupe perpendiculariter cadit, cernitur recta scandere lineæ totam rupis altitudinem ad minimum quingentos pedes, triplo ergo celerius natat aduerso gurgite, quam præceps aqua deorsum decidat Van-Helmont.

Optat anima esse cum Christo in altis habitat. *Vide Concordantia Principij.*

ÆMVLATIO.

MAteria insignium, seu armorum, solet arma generare, quoniam vt dicit Ouidius Bella mouet clypeus, de armis, arma feruntur; de his enim solet esse grandis quæstio inter nobiles.

Antiquos facilius est superare, quam imitari. *Vide Duratio Cognitionis. Mora.* ex Quintiliano.

De affectu excellentiæ, innato. *Vide Contrarietas Virtutis Inuidia.*

A Ferrum tactum magnete aliud efficit & trahit, vt sequatur, non vt emineat Genes. 30. quatuor mulieres scilicet Lia, Rachel & duæ ancillæ Bala & Zelpha, de vno viro concertant propter desiderium prolis, tanta sit animabus auiditas de Christo parere; propter desiderium partus vtraque Iacobi vxor ancillā viro suo exponebat, vt suus partus, haberetur, quid interest siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur. Rupert in Genes. lib. 7. c. 34.

Ezech 31. describit æmulationem quandam adaduersus ea ligna quæ sunt in Libano.

Bona est virtute præstantioris æmulatio, vt sicut
B ille, in bona sis existimatione, non vt ipsum deprimas, sed vt ad idem peruenias fastigium, vt eandem ostendas virtutem. D. Chrysosth. hom. 31. in 1. ad Corinth.

Ob æmulationem pueri sunt in publico instituendi, & in plurium societate *Vide Cognitio Virtutis.* Virtus quæ se profert ex Quintil.

VOLVNTAS MELIORIS boni.

C PEccat mortaliter qui in sacramentis vtitur forma dubia, quia potest esse non sufficiens, & sic sacramentum nullum erit. Bonac. de pœnitentia q. 4. *Vide Magnitudo Virtutis.* perfecta virtus.

De materiæ primæ appetitu. liber. Francisc. Pici Mirand.

Non est Poëta qui mediocribus vsus fuerit; hac de causa solis. Poëtis effingere concessum est; adiicit enim ea quibus res appareant, maiores & pulchriores; animata multa faciunt, numen rebus addunt syluis & fontibus venerationem, quoniam hæc tum magnitudinem, tum admirationem afferre sermoni solent. Fracastor lib. de poëtica.

D Natura semper facit id quod melius est. Arist. 8. Physic. tex 48. scilicet si non impediatur, & habito respectu ad totum non ad partem, oportet enim creata esse in diuerso gradu & ordine.

Sensus immoderata sensibilia corumpunt, mentem autem maiorum intelligibilium apprehensio acutiorem facit.

Si plura beneficia in eadem Ecclesia simul vacant, & aliud alio sit maioris valoris hoc censetur collatum. cap. si plurib. de præb. in 6.

Cant. 1. dicit sponsa. Indica mihi quem diligit anima mea. Vbi pascis, vbi cubes in meridie. Non quæro alia tempora, quando vesperè, quando
E diluculo, quando in solis occubitu pascis. Illud tempus inquiro, quando in florente die, quando plena luce, in maiestatis tuæ splendore versaris Origen. humil. 1. in cat.

Vide Maioritas Virtutis. Virtus semper proficit: Qui quærit diuina, etiam humana consequitur. D. Chrysost.

De legitimo appetitu excellentiæ. *Vide Voluntas Gloria Bona.*

Sicut impossibile est quod sit aliquod ens, quod non habeat esse, ita necesse est, quod omne ens sit bonum, ex hoc ipso quod esse habet, quamuis in quibusdam entibus multæ rationes bonitatis superaddantur, supra suum esse quo subsistunt, D. Thom. in quæst. disput. de bono. a. 2.

A corporibus beatorum non excluditur omnis

Digitized by Google

passio, sed solum illa, per quam alteratur res præter dispositionem suam naturalem, non ea per quam perficitur. Tost. Math. to. 4. fo. 1:8.c. 3 h.

In natura vnum quodque semen semel loco debito conceptum, non cessat deinceps proprio motu substratam sibi molem agitare.

Lucrum est quod hominem nunquam facit lassum.

APPETITVS EXCELlentiæ.

Vide *Voluntas Gloriæ*. Bona. & hoc titu. Supra altitudinis

Homines vix agunt gratias Deo de communibus beneficiis, vt creatione, redemptione & cæteris. Sed de particularibus, quibus fiunt cæteris præstantiores, siue spectent, animam, corpus, aut fortunam. Tost. 1. paral. fo. 103. co. 3 k.

Locus ignis est suprema sphæra elementorum.

Christus imitatoribus suis magna promittit; thesauros in cœlo, thronos vnde cæteras gentes iudicabunt. Nam quæ parua sunt, & vilia parum mouent, quoniam naturali instinctu quilibet concupiscit magna, vtpote à Deo conditus magnus; ego dixi Dij estis, & magna fiducia vult omnes vocare Deum patrem, dum sic docet orare. Pater noster qui es in cœlis. &c. Laurent. Iustinian. de contemptu mundi. cap. 10. Propter hanc spiritualem generationem qua omnipotens pater voluntariè genuit nos verbo veritatis suæ, vt simus initium aliquod creaturæ ipsius, magni proculdubio sumus, ad alta tendimus, & dedignamur remunerari paruis, ne simus homines & quid peius, qui poteramus esse Dij. Ib.

AVARITIA INSATIAbilis.

Auaritia est vitium mortale, capitale, est idolorum seruitus, vt ait Apostolus, eo quod honorem debitum Deo, exhibet creaturæ, in quantum in temporalibus bonis finem constituit, quod soli Deo debetur; sic excluditur à regno Christi & Dei D. Thom. in quæst. disput. de peccatis. q. 13. a. 2 ad 1. extinguit enim charitatem.

D. Gregor. 31. moralium dicit septem esse auaritiæ filias, scilicet proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam induratio. Ibid.

Christus olim ex quinque panibus satiauit multa millia hominum, nunc ingentibus congestis diuitiis non potest satiare vnius hominis cupiditatem.

Auari volunt diuitias sine mensura, quia eas non ad vsum, sed propter seipsas volunt. Arist. 1. Politico.

Dipsas est serpens paruus, qui cum aliquem momorderit, siti facit eum deficere. Tostat. Deut. fo. 41. c. 4. f

Auaritia quam iniquè deiicit hominem ad effodienda metalla. Vide *Voluntas Minoritatis*, *mala*. sibi nocere.

Rectè Salomon vitam hanc vocat dolium perforatum, quod enim in illud semper immittitur, semper effluit, sunt enim inexplebiles & insatiabiles cupiditates. S. Greg. Nyssen in orat. funebri Placillæ.

Pœcunia est idolorum seruitus, cum ei reliqua post habentur nempe pietas & sanctum.

Auari quæ sit miseria. Vide quæ scripsi. Moralis Christiana to. 4. parte 1. cap. 19.

Auarus sibimet ipsi nocet. *Vide Voluntas Bonitatis. Rep.* Peccans sibi nocet.

Accessione pœcuniarum cupiditas habendi magis ac magis adeo inflammatur, vt rerum copia crescente, paupertas quoque augeatur, nam qui maiori desiderio ardent, egere se magis sentiunt. D. Chryso. hom. 64. in Math. difficile in regnum cœlorum diuites intrabunt; si diuites simpliciter difficilè saluantur, quid facient rapientes? Nam si sua non dare impedimento ad regnum est, quantum sibi accumulat ignem, qui aliena occupat. Ibid.

Pessima omnium hæc passio est; hinc sepulchrorum violatores, homicidæ, bella, pugnæ, & alia mala. Vbique auarus inutilis est, nec ad imperandum exercitui, nec vt præsit populo commodus. Si vxor ducẽda est non probã, sed impudentissimã omniũ pro pecunia eliget. Si domus emenda, non eam quæ conueniat homini libero emet, sed quæ pluris possit locari. &c. Si regnum orbis inuaserit, omnibus miserior & pauperior, terrarum pestis, vrbium pernicies, singulorum calamitas, fertilitatem temporum moleste, omnem fastidit causam vnde lucrum non colligit; omnes homines, tam pauperes quam diuites odio prosequitur, pauperes ne quid ab eo petant, diuites, quia quæ illorum sunt, non possidet, &c. Ibid. hom. 81.

Non potest diues esse qui animo pauper est. *Vide Minoritas Potestatis.* Voluntaria paupertas.

Quid laboriosius, quam sine laboris fine desudare. Laur. Iust.

Sitis in hydrope non est ex liquoris penuria, sed ex salsuginis confectione.

Auaritia semper hiatus aperit ampliores, tamen vt dicitur Eccles. 5. auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias fructum non capiet ex eis.

Giesi. 4. Reg. 6. lepra corporali infectus est, propter pœcuniæ cupiditatem, sic auari spirituali lepra immundi sunt apud Deum & in maledictione. Cassiod. lib. 6. cap. 29.

Vt apud pisces, sic apud homines, minor fit præda potentioris. *Vide Maioritas Potestatis. Mala.*

De auaris, qui expectant necessitates publicas, vt carius vendant. *Vide Gloria Minoritatis.* ex malis alienis profectus. Malus.

Non solum crescendo non expletur, sed ardentior redditur appetitus auari: velut ebriis occasio est sitiendi vini copia, & augmentum; non habita, sed habenda computant; inquieti donec æquent aut superent se ditiores, vt scalam conscendentes non consistunt, donec ad sublimiorem gradum peruenerint. Non expletur oculus videndo, neque auarus accipiendo satiatur vt infernus nunquam dicit satis est quando miser iam partis vteris? Væ qui domui vicinam domum, & agrum agro coniungatis, vt aliquid proximo auferatis. &c. D. Basilius. homilia in ditescentes.

Incurabili paupertate laborant, nempe animi morbo, non possessionis.

Auaritia neglecta consideratione iusti, quauis in re lucro seruit. Difficilis est amicis, & toti ciuitati. Iustum & paruum lucrum, præferri debet,

magno & iniusto. Malè parta, malè dilabuntur. Si viueres longum cerui tempus, aut cornicis, danda tibi venia foret, multas opes colligenti. At citò moriturus, cur tot molestiis animum conficis? eas aliis quæsiturus. Diuitias habes diuitis, sed animam pauperis; diues hæredibus, tibi pauper: vt mulus gestas aurum, & manducas fœnum; soluendus erat ære publico funis eius, qui quia carius constabat non emit, quo se suspenderet tædio illati damni. Alium quærens vilioris pretii. Confluentes diuitiæ non sistunt auaritiam, vt neque struem ardentem iniecta materia; omnium pauper, qui non potest satiari. Paupere quolibet est deterior, maior enim cupiditas, maiorem efficit indigentiam, sitis est Hydropici. Vt funebre conuiuium, cum habeat omnia, non exhilarat. Elementa malorum sunt auaritia & ambitio insatiabilis.

Plato 4. de legib. dicit ciuitatem iuxta mare positam fœlicem esse in eo quod externis omnibus rebus abundet, eam tamen salsam atque amaram fore moribus, propter nimiam auri cupiditatem ex commercio, & ob multorum populorum frequentiam.

Cum diuites multa concupiscant, magna necessitate vrgentur. Leuit. 11. aues rapaces sunt immundæ.

Sicut de vestimento tinea, rubigo de metallo, ita de diuitiis auaritia, cupiditas de quæstu, de habendo, habendi ardor acquiritur. Chrysolog. serm. 1. in fine.

Math. 1. Mathæus sedebat in telonio; quia stare non poterat pondere cupiditatum oppressus, & ipsa totus conscientia fraudis incuruus. Aurum natura graue, grauius fit auaritia, plusque habentem deprimit, quam ferentem & vehementius aggrauat corda, quam corpora. Nascitur in terra profunda, sic dum suam repetit naturam, cœlestes animos ad inferna deponit, obscurat sensus, & alta mergit caligine. D. Chrysololog. serm. 29.

Contra auaritiam scripsit. D. Basil. hom. 7. 8. Gerson. to. 4. Saluianus biblioth. patr. to. 5. & homilia Aster. biblioth. Patr. tom. 1.

De lucri cupiditate. Plato in Hyparco.

Auaritia, causa est, quod homo magna & multa recondit, non sibi sed aliis, ad suum præsentem, vel posterorum cruciatum. Chrysolog. serm. 23.

In mare Caspium multa intrant flumina, & licet nullam apparenter habeat communicationem cum alio mari, non tamen exundat, quia in medio est abyssus, sorbens aquas & naues si non sibi caueant.

Mali politici putant è re esse principum, dominium suum augere. *Vide Virtus Potestatis Repug.* vitia regentium

Irritatur per materiæ struem auaritiæ flamma, multi, ait Saluianus, vt diuitiis excellunt, sic vitiis, quib. pabula de pecuniis suggeruntur.

Ditissimi hominum Indi, omnium miserrimi sicut, inter immanes auri & gemmarum officinas vbique laceri, vbique nudi. Sic auari. &c. spolium alienis patria est, ipsis nouerca.

Qui aurum è minera extrahunt & purgant, multas sordes contrahunt, plures in animo qui congregant diuitias. Sufficit fons paruus ad sitim sedandam, noli ob id gurgitem aquarum & magnum fluuium optare. Pecunia cum labore acquiritur, acquisita cum timore seruatur. & cum dolore grauissimo amittitur. Sic ait Iuuenalis: Et ma-

A iore domus gemitu, maiore tumultu

Planguntur nummi quam funera.

Dicitur Abac. 2. Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat in die mali.

Auaritiæ remedium & malorum ex ea nascentium est paupertas voluntaria de qua *Vide Minoritas potestatis*

Auaro nihil est scelestius, Eccles. 10. Auaritia est idolorum seruitus. Colos. 3. Diuitiæ asseruatæ in malum Domini sui. Eccl. 5. Auaritia coluber biceps, vtroque solet ore mordere, seu dum alienas res quærit, seu dum proprias auidus possidet. Petrus Damia. Opus. 31. Amatur enim acquisita

B pecunia, amatur & acquirenda. Id.

De auaritia in quantum sua non largitur. *Vide Minoritas Bonitatis. Mala.*

In Ægypto cum Nilus ascendit vicus vicum inuadit, pugnant enim pro aquarum diuisione, adeout sequantur cædes. Vitæ patr. l. 8. c. 37.

Anastasius Romanorum Imperator mutatus in deterius, vniuersum imperium Aristocratiam effecit, magistratibus omnibus vendendis, & delinquentibus ignoscendo, inexplebili pecuniæ auiditate incensus. In bona defunctorum inquirebat, & omnes in paupertatem redegit. Iis tamen quorum rem familiarem abstulerat, aliquid

C postea pietatis nomine distribuebat, quarum vrbium incolas audabat, earum ædificia renouabat Suidas in verbo Anastasius.

Perfacetè Plotinus dixit, eos qui furiosè alendi facultates persequantur in periculo esse ne arborescant. Id. in voce ...; fiunt enim tantum vegetabiles.

Chrysocolla lapis auro similis quadrata figura inuenitur in India & dicitur trahere aurum, sicut magnes ferrum. Georgius Agricola. lib. 5. de natura fossilium.

Iudas initium mali habuit ab amore pecuniæ, & hæc fuit illi vulpes pusilla demoliens vineam suam. Cant. 2. Ab hac cum videret Dominus Iu-

D dæ animam quasi florentem vineam lædi, capere eam volens & abiicere ab eo, commisit ei pecuniæ loculos, vt possidens quod amabat, à cupiditate cessaret, sed ille, vtpote habens arbitrij sui libertatem non est amplexus medici sapientiam, sed indulsit magis consilio quo exterminabatur anima sua, quam quo sanabatur. Origen. homil. 4. super Cantica.

Publicanus profitetur plura concupiscendi licentiam, implacabilem rapacitatem, latrocinium legibus pro armis vtens, vim insidiantem terra marique soluentibus; eius fructus aliorum lachrymæ, thesaurus aliorum miseriæ. S. Basil. Seleuciæ. orat 35.

E Radix omnium malorum est auaritia. 1. Tim. 6. Hinc enim inimicitiæ, pugnæ, bella, contentiones, conuitia, suspiciones, contumeliæ, cædes, furta, sacrilegia hinc omnia cædis & sanguinis plena sunt, ciuitates furibus, maria pyratis, ne mortuis quidem parcunt effodientes sepulchra; leges etiam in talem malitiam latas, in suum aduocant patrocinium; addicunt pauperem esuriei, carceri, & diuturnis alios vexant insidiis & tormentis; vt domum exornent, canem & equum nutriant, hominem & in homine Christum fame torquent. Quid hac iniquitate lethalius? Diu. Chrysosth. homil. 11. in epist. ad Roman. Ebrij & auari in hoc conueniunt quod quo plus habent, eo amplius appetant, ebrius quidem

dem iuxta naturam. Vinum enim natura cum sit calidum, insitamque siccitatem intendit, facit vt eo poti sitiant adhuc; at auarus contra naturam plura semper concupiscit. Ib. homil. 13. risum mouet ebrius, fulmina, desolationes, lachrymas auarus, belli, mortis verba eructat, non liberatur vnius noctis somno, sed delictum suum perpetuum, mors est ad omne opus bonum. Ibid.

Vrsi & lupi vbi eos cœperit satietas, ab alimento recedunt, at auari nunquam satiantur. factum crudele vocamus inhumanum, quia homini propria est misericordia: tales ergo non homines sed feris ipsis peiores. Dæmones ad nocendum semper parati; bellum non gerit Dæmon cum suis similibus, vt auari cum hominibus. Id. hom. 9 in 1. ad Corinth.

Maior est auaritiæ, quam libidinis cæcitas, nam cum sit vna quæ amatur, & vno loco inclusa, non est morbus adeo vehemens, in pecuniis vero quæ vbique apparent, in aurificinis in diuitum ædibus &c. Spirat amor vehemens, vt amans afficitur videns alicubi eius quam amat imaginem, auarus vbique videns diuitias ipsas quas amat, omnium diuitum occursu torquetur grauissimo supplicio, etiamsi gehennam Deus non minaretur. Id. hom. 1.

Non sunt diuitiæ quæ paupertatem non adimūt sed augent; nam qui est diues, non quærit accipere ab aliis, sed aliis opem ferre, qui autem quærit ab aliis accipere non est amplius diues, sed ipse est pauper, ideo non sunt malę diuitiæ, sed pauper animus, qui diuitias deducit ad paupertatem. Pauperes accipiunt à volentibus & gratias agunt, diuites autem ab inuitis, quod est argumentum maioris paupertatis. Id. hom. 13.

Qui pecunias concupiscit, & permultas acquisiuit, is est affectus perinde, atque si nihil habeat. non videtur ea habere quæ tenet; dolet de non habitis, non delectatur de possessis: vt hydropici multam aquam ferentes in pectore, eo magis sitiunt; sic multas habentes pecunias plures concupiscunt & ea cupiditas iam est eis gehenna, pauper, timidus, simulator, crudelis etiam sibimetipsi. Ibid. homil. 14.

Auari miserabilior est conditio damnatorum ad metalla, quæ fodiunt, quamuis his non vtantur. Saltem in fine diei quiescunt, at auaris ne nocte quidem vlla contingit quies. Ib. homil. 23.

Adoras Mammonam si non humiliando corpus & procumbendo, sed per facta & res ipsas, vt magis Deum adorant qui id præstant corde, faciendo eius voluntatem, quam qui solum stant in precibus. Id. hom. 18. ad Ephes.

Amor filiorum non cogit ad auaritiam, cum hi qui non habent filios sæpe sint rapacissimi, & multi habentes sobolem, facultates despiciunt. Id. hom. 10. in 1. ad Thessalonic.

Falsa deluduntur voluptate qui aurum, quo nunquam sunt vsuri, fortasse nec visuri abscondant, solliciti ne perdant, iam perdunt; quid enim aliud est vsibus demptum tuis & omnium fortasse mortalium telluri reddere. Thomas Morus in Vtopiæ Republica lib. 2.

Inter vina vix abstinet ebriosus, & inter pecuniæ aceruos auarus animus, potissimum si furto spes sit impunitatis.

VSVRA PROHIBITA.

Libet ei qui pecuniam in fœnus acceperit, nec vsuram, nec sortem reddere. Plato. lib. 5. de legib.

D. Basilius in Psal. 14. in quo Psalmista inter cæteras viri iusti dotes, dicit pecuniam suam non dedit ad vsuram; Maxima, inquit, inhumanitas est si ex miseri calamitate, qui mutuum ad vitæ subsidium quærit, fœnerator ex eius calamitate prouentus & opes sibi excogitet. Iniquæ mercaturæ
B periurium addit, afferens se non habere pecunias, sed ad vsuram ab alio accipere, vt mutuas det petenti. Interim obnoxius fœnori, cui soluendo non est idoneus, voluntariam seruitutem per omne vitæ tempus suscipit, & cum quærat antidotum, porrigitur venenum: Reliquas ægro vires adimis, quas vt infortunii medicus debebas restituere. Exoptas hominum inopiam, vt fiat tibi lucrosior annus: cæterum congeris plus peccati, quam pecuniæ: Miser qui sic accipit ad vsuram, primo lætus ac splendidior postmodum noctes transigit insomnes: odit dies qui ad tempus solutioni constitutum tendunt: expauescit
C menses, tanquam vsurarum parentes Bibat potius ex propriis vasis aquam, vt consulit Salomon, & mobilia, immobiliaque vendat, quam huic se adstringat seruituti. Ne te in prædam exponas vocare volenti: breui tempore ex alienis honestatus, turpem experieris patrimonii euersionem, pauper es nunc, sed liber, & amissurus es, cum cætera substantia etiam libertatem. Canes accipientes mansuescunt, fœnerator verò accipiens irritatur. Tua omnia contumeliosè scrutatur, instat, cogit ad solutionem, vt vita tibi per ipsum non sit vitalis. Paupertas, vt velox cursor ad te citò, & immitior recurret, melius est nunc pati
D præsentem, quam nullus; vt pote in voluntariam vitio adscribet. Instar piscis, cum esca voras hamum: vt lepores sic pecuniæ datæ ad vsuram, simul gignunt, & superfœtant: certis pariunt animalia temporibus, & quæ citò pariunt, cito parere desistunt. Fœnus hodie nascitur, hodie parere incipit, infinitè mala fœcunditate. Cibum superingeris priore non cocto, cum addis fœnus fœnori & inde fiet totius substantiæ vomitus & perditio. Inhumanum est, ex calamitatibus pauperum quæstum facere: ægrum strangulas; iacentem famelicum cædis, & id sub specie mutui, & misericordiæ. Væ dicentibus amarum dulce: Non colligunt de spinis ficus; Non exit à come-
E dente cibus, & dulcedo, vt in ænigmate Samsonis, nec ab humano benignitas. Arbor mala, malos fructus facit: veluti Dæmones qui epilepticos faciunt, & ad Lunæ periodos inuadunt. Agricola accepta spica, semen rursus sub radice non scrutatur. tu vero fructus habes, nec deseris ipsam redituum sortem requirere. Sine terra plantas, sine satione metis; cum incertum sit, in cuius commodum congreges; certum tamen accipienti damnum temporale tibi æternum, propter animæ tuæ reatum.

Idem homilia de siccitate & fame, quasi ob vsuras hoc Dei flagello puniretur patria. Scinde, inquit, libellum æris alieni iniusti, vt sic peccatū soluatur; dele grauissimorum fœnorum nomina vt terra solitum tibi fœnus reddat. Ære namque & auro & similibus, infœcundis metallis

præter naturam fœtus edentibus, iure germina, A quæ naturaliter pariunt, sterilia fiunt, & ad habitantium mulctam, fructibus carent.

Contra fœneratores. D. Ambros. lib. de Tobia tom. 2.

De vsura Plutarch Grego. Nyssen Bernardin. quadrag. 2. serm. 31. & sequentibus. D. Thom. opusc. 73.

Fœneratores, etiam dormientes rem suam augent.

Clericus vsurarius aut negotiator, à communione alienus sit. Concil. Arelat. 2, can. 14. an. 452. Aurelianense. III. c. 27.

Tam Laicis quam clericis vsura prohibita. Co. Aquisgranense. c. 62. Leo ep. 1. habetur 14. q. 4. c. nec hoc prætereundum.

In Germania scribit Tacitus serram fuisse nummi notam. Rodig. lib. 10. cap. 2. vt serra materiam, sic fœnori data pecunia familias absumit. B

Olim viuente & vigente mundo in Patriarchis, diuitiæ constituebantur in fœtibus pecorum & fructibus terræ qui proueniunt sine peccato. Nunc quia in fine iam est hic mundus penè mortuus properat ad defectum, idcirco mens hominum inhiat in his quæ mortua sunt, quales sunt pecuniarum vsuræ & thesauri. Origen. lib. 1. in Iob. Vnde dicitur Eccles. 31. beatus qui non sperauit in pecuniæ thesauris.

Frustra per tot pelagi minas Argonautæ Colchos profecti sunt ad diripiendum vellus aureum, cum illud quisque per artes fœnoris in patria sua habeat. C

D. Thom. in quæst. disput. de peccatis q. 13. a. 4. dicit vsuram esse peccatum mortale quia lucrum extorquet ex pecunia quæ vsu non consumitur, estque, inquit, peccatum, non tantum quia prohibetur, sed prohibetur quia est peccatum.

Christianis prohibetur vsura, quia diuites efficit sine labore, sic diuertit à cultura agrorum, nutrit otium, accendit auaritiam, & egenos qui pręstant vsuras, citò deducunt ad extremam paupertatem. Tostat. Matth. to. 7. fo. 47.

Mutuo dandum sine vsuris. Vide quæ scripsi moralis Christiana to. 4. parte 1. cap. 24. D

Nihil præsenti vsura turpius, neque crudelius, siquidem fœnerator quæstus de alterius infœlicitate consequitur, prætextu miserendi, atque opem ferendi maiorem misero, in foueam crudelitatis deiiciens, quasi in portum ex tẽpestate suscipiens, sed improuiso turbine in multo magis crudele naufragium, velut inter scopulos & latentia saxa demergens commodatæ pecuniæ habe mercedem, non pecuniam, sed cœlum. Qui pecuniam cœlo præponit, neutrum habebit, vtrumque vero, qui cœlum pecuniæ. D. Chrysost. hom. 5. in Matth. in fine.

Vide Veritas Bonitatis. Repug. Lædens sub specie auxilii. Dicit Christus Luc. 6. mutuum date nihil inde sperantes. Scilicet ab hominibus; habes locupletissimum debitorem Deum, E cur illum relinquens, me exigis hominem pauperem prorsus ac tenuem? Deus vt pauperi tribueres imperauit, se igitur principalem debitorem tuum, seque vult esse vadem, præbens tibi occasiones innumeras exigendi. Qui miseretur pauperi fœneratur Deo. Prouerb. 19. Deo fœneratus es, ipsum reposce, sed non tibi in præsenti cuncta restituet. D. Chrysost. hom. 15. in Matth.

Quid irrationabilius inueniri potest, quam vt sine agro, pluuia, aratro seminare contendas? qui hanc pestiferam agriculturam adinuenerunt, zizania metunt, quæ igni æterno tradentur. An forsan viuendi iustè modi non inueniuntur? Num sunt agrorum cultus, gregis pabula, &c.

Multa quidem agriculturæ aduersantur, grando, rubigo, &c. sed hæc fructui tantum nocent, non agro; at in tua mercatura multi sortis naufragium pertulerunt. Nunquam iucundè rebus suis vtitur fœnerator, cura, metu, augmenti desiderio, conscientia mali sui vexatus. Hoc iniustitiæ vinculum. Do, concedoque, inquit, tibi non vt habeas, sed vt maiora restituas, & cum Deus nolit, quod dederis accipere; date, inquit, à quibus accipere non speratis. Luc. 6. tu etiam plusquam dederis flagitas, & quod nunquam dedisti, quasi debitum exigis. Quæ sint vera & magna lucra disce ab Apostolo. Magnus quæstus est, pietas cum sufficientia. Ib. hom. 57.

Propheta Ps. 14. iustum describens dicit. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Fallax hoc beneficium, & humanitas fraudulenta, & damnosa hæc beneuolentia docetur. Quid enim tam intolerabile, quam vt indigenti ita beneficium tribuas, vt magis egeat, & miseram inopis opem laturus accumules. Si Christianus es, quid ab eo præmium præmii expectas, ipse ab hominibus non beneficia expectando, sed damna? Si Christianus es, quid pecuniam tuam in reditum componis, & fratris tui inopiam, pro quo Christus mortuus est, thesaurum tuum efficis? Si Christianus es non quæro vt largiaris, saltem debitum sic reposce ne spolies, & memento eum à quo vsuram repetis esse inopem & pauperem propter quem Christus inops voluit esse & pauper, siue beneficium siue iniuriam præstas pauperi, Christo præstare te nosse; quia propter eum, cum Deus esset, indigentium eius est dignatus & nomen. D. Hilarius in Psal. 14.

Nullæ apud Turcas vsuræ, & vix etiam nauticum fœnus probatur. Bulla Sixti V. an. 1586. prohibet contractus ad caput saluum velut vsurarios per quos cauetur rem saluam fore & sortem principalem solui si perierit, sed data certa quantitate per singulos annos. Vide Bullam in summa Bullarum verbo contractus ad caput saluum.

Frumenta vltra vsum vnius anni pro sua familia emi prohibuit Pius V. const. 19. §. 23. p. 159. com. 2. Bull.

SVPERBIA. AMbitio.

Vide supra Voluntas Gloria. De vana gloria.

Omne vitium, suis est terminis, & fine contentum, & contra vnam virtutem specialiter tendit; at superbia omnes aggreditur & quanto fuerint excellentiores, tanto plus ex illis proficit; hæc sola pertingit ad Deum, cuius gloriam tollere nititur, vnde eum specialiter digna est habere contrarium; Ita Christus primi Angeli superbiam repressit primique hominis, humilitate sua sanauit, &c. Cassian. lib. 12. cap. 6. & seq.

Si inferior temerè intrudat se in loco maioris, maiorẽ honorẽ quam ei debeatur assumendo, seu

rando, debet suo honore priuari, & à loco proprio expelli, vltimusque post alios in opprobrium poni. Can. præcipimus dist. 93. l. neminem C. de officio magistr. officiorum.

Qui se pro milite gessit, & illicitis vsus est insignibus, falsi reus est. l. eos §. qui se pro milite ff. de falsis.

De Alexandro Magno dicit Seneca in controuersiis. Alexander orbi terrarum magnus est, orbis Alexandro angustus est.

Qui sua sorte non est contentus, noua inquietè molitur, supra vires, contra legem, aliisque debita vsurpat.

De superbia. D. Thom q. 8. de malo.

Superbia fuit in primo Angelo, & in primo homine; vnde patet esse plantam quæ non coalescit nisi in optimo solo.

Episcopus aut Presbyter non migret de titulo minori ad maiorem, sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est. Conc. Turo. III. c. 14.

Vide Duratio Medii. Vsus eorundem mediorum Concil. Meldense. can. 30. a. 845. habetur 7. q. 1. c. si quis de ordine.

Quando hæc mutatio sit licita. *Vide Differentia Potestatis.* Mutatio regiminis.

Superbia est origo vitiorum omnium. *Vide Cognitio Virtutis.* Nimia de suis viribus præsumptio. Est vitium capitale. *Vide Voluntas Bonitatis.* Inordinatus sui amor ex D. Thom.

Inuidia, inanis gloria, & ira non habent idem obiectum cum superbia, sed obiecta eorum ordinantur ad obiectum superbiæ, sicut ad finem. Ideo enim inuidia tristatur de bono proximi, & inanis gloria appetit laudem, & ira vindictam, vt per huiusmodi quædam excellentia habeatur. D. Thom. in quæst. disp. de peccatis. q. 8. a. 3. ad 7.

D. Grego. 23. moral. cap. 7. Quatuor, inquit, sunt species quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, cum bonum aut à semetipsis habere existimant, aut si sibi datum desuper credũt, pro suis se hoc accepisse meritis putant: aut certe cum iactant se habere quod non habent; aut despectis cęteris singulariter videri appetunt.

Abbatissa quædam præsumpsit audire confessiones monialium, & illas absoluere à peccatis, contra quam est textus extra de pœnit. & remiss. cap. noua quædam, vbi fit argumentum de Domina nostra cui Dominus non concessit claues ligandi & soluendi, sed Petro.

Inanis gloriæ 7. assignantur filiæ à Gregor. XIII. moral. scilicet inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, noui-

A tatum præsumptio. Tostat. Matth. to. 3. fo. 7.

Iudas Galilæus & Theodas diuersis temporibus se Messias esse voluerunt ostendere. Id. Math. to. 4. fo. 227.

Philippus indigena fœlicitate non contentus, eam peregre atque alibi vel ex Macedonia elapsam perquirebat. Alexandro filio, non satis fuit Darii fuga, non Ægyptus subacta, non Babylon capta, nisi cum exercitu in Indiam excurreret. Cæteros videas per confragrosa loca suspensos incedere, vt commiserationem intuentium maximè moueant Maxim. Tyrius serm. 19. *Vide Voluntas Contrarietatis.*

B Ordo in peccato Oziæ fuit, quod in solemnitate generali propinationis indutus est stola sacerdotali, & intrauit in templum volens offerre thymiama super altare aureum, quod erat in prima parte templi. Tostat. 4. Reg. fo. 148.

Petrus dicit Christo, si tu es iube me ad te venire super aquas, sed videns ventum validum timuit, & penè mersus est, vnde docemur non quærere maiora nobis. Id. Matth. to. 4. fo. 131.

Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Vide, frater, quale malum sit, quod aduersarium habet Deum. D. Hieronym. epist. ad Antonium de modestia.

C Dignitates & officia, iurisdictionis administrationem habentia, ambiens, & pretio procurans, vt puniatur. Pius V. const. 140. Bulla. pag. 262 to. 2.

Mediocres honores ipsum tempus auget, immodicos abolet.

AVDERE SVPRA vires.

IMprudens est quisquis præstantioribus certare vult, & victoria priuatur, & dedecore supra dolorem afficitur.

Sępè magna depereunt, dum supra modum maxima esse contendunt.

D Qui plus petit, quam ei debeatur, causa cadit. Vnde Paulus lib. 1. sententiar. Hæreditas, inquit, pro ea parte peti debet, pro qua ad nos pertinet, alioquin plus petendi periculum incurrimus, & causam perdimus. Eadem pœna plus petitionis, à Iustiniano, reducta est nouell. 15. Cuiac. obseruat. lib. 7. cap. 17.

Vide Finis Voluntatis. Limitata desideria.

Digitized by Google

VIRTVS MAIORITATIS

PERFECTIO QVÆ HABETVR EX MAIORITATE.

LEX non censetur mutari per additionem, si integra maneat, & accedat perfectio extensiua, conferens ad vtilitatem humanam, sic l. ius ciuile ff. de inst. & iur. ius ciuile constituitur addendo aliqua Iuri naturali, similiter illi multum addidit ius diuinum & canonicum. Suarez de legib. l. 1. c. 13.

A *Vide Maioritas Voluntatis.* Amor semper crescit, *Et Maioritas Virtutis. Et Maioritas Magnitudinis, Bonitatis, Durationis, Potestatis, Cognitionis.* &c. & sup.

Repug. Nembroth. gygas, tam corporis quam scelerum mole terram onerauit, membra leges excessere, vt animum caperent exlegem.

VERITAS MAIORITATIS.

QVÆ SIT VERA RERVM EXCELLENTIA VERVS excessus.

PLANETA à primo gradu signi ad 15. est quasi accedens, à 15. ad 25. est completus. Bethen centiloquii. num. 24.

Aristoteles lib. 3. topicor. refert plures locos vnde probetur rem vnam altera excellentiorem & magis eligibilem esse, vt quod est constantius, à sapientioribus magis eligendum, quod est in genere, vt iustitia, quam iustum, quod est à se quam quod alio; propter se, quam propter aliud, quod est per se, quam per accidens; quod est causa per se, quam per accidens, quod est simpliciter bonum, vt valere quam secari.

Perfectum est, cui nihil deest. Arist. 3. physico. tex. 63. In suo scilicet ordine, & in sua natura; & quod proprium sibi finem attingit.

Illud est melius, quod est optimo proximius, Id. 2. de cœlo tex. 66. siue proximitas illa, sit ratione loci, aut per incitationem.

In vnoquoque genere est aliquod summũ quod excedit alia; est etiam inuenire magis & minus secundum maiorem propinquitatem, vel distantiam ab ipso, sicut aliqua sunt magis & minus calida, secundum quod magis & minus appropinquant ad ignem, qui est summè calidus.

Virtutis maioris est facere vnum perfectum, quam multa imperfecta; quia nullum eorum comprehendit in se totum quod pertinet ad suam speciem.

In omnibus potentiis ordinatis, illa est principalior, quæ ad principaliorem actum ordinatur. D

Quando potentia passiua est perfectibilis pluribus perfectionibus ordinatis, si perfecta sit sua vl- B tima perfectione, non dicitur imperfecta, etiam si aliquæ dispositiones præcedentes ei desint.

Aliquid dicitur in re aliqua principalius altero, aut quia est essentialius, aut quia est dignius. Illud est principale in qualibet actione, à quo imponitur terminus, & ratio ei quod fit, sicut patet in artificialibus, quod terminus vel ratio domui non imponitur ab instrumentis, sed ab ista arte.

Vide Veritas Potestatis. Veritas Principij.

Ex hoc sunt in rebus aliqua superiora, quod sunt vni primo, quod est Deus, propinquiora & similiora.

Homo omnibus mortalibus rebus, tribus præcellere videtur, quod multa habeat solus; quod C quæ cum aliis communia habet, meliora sint, quodque omnium sit capax. Cardan. lib. de rer. varietate cap. 40.

Tenuitas continet pauciores partes in ampliori spatio, sicuti è contra densum, continet plures in angustiori.

Iussus superfluum hæreditatis distribuere, non potest profundere & dilapidare bona fideicommissi, sed diminutio ei viri boni arbitrio, & bona fide est permittenda. Nouella 39.

REPVGNAT.

SI digito comprimatur oculus, vnum obiectum videtur duo, quia compressione diuisus spiritus visualis, duas refert species, sic metu, aut alia passione pressus animus sibi fingit res maiores quam sint.

Digitized by Google

Prima eloquentiæ virtus est perspicuitas, & quo A quisque ingenio minus valet, hoc se magis attollere & dilatare conatur vt statura breues in digitos eriguntur, & plura infirmi minantur vt corpora non robore, sed valetudine inflantur. Quintilian. Instit. orat. lib. 2. cap. 3.

Sæpius animalia morientia, vi doloris fallunt. vt lampas extinctioni proxima insolitum splendorem emittit, ceruus quem venatores persequuntur, defectui proximus, salit, vt videatur fortius.

De nimium affectatis in oratione sententiis. *Vide Maioritas Medij.*

Hyperbole dat rebus magnitudinem, quæ verè non est. *Vide Medium Maioritatis.*

Omne magnum lumen videtur esse in excessu, licet diuersi sint eius gradus.

Poëtæ, res maiores quam sint, referunt, *Vide Voluntas Maioritatis.*

Crescunt cadaueribus pili & vngues; nauis post remigis impetum adhuc fertur, sic quædam externæ virtutis actiones perseuerant ex habitu.

Superflua sunt ea sine quibus possumus viuere, vt magnæ diuitiæ, seruorum numerus, &c. D. Chrysost. homil. 28. in epist. ad Hebræ.

Semen non transit in substantiam rei habentis illud, imo si non emittatur putresit, & gignit morbos. Tostat. Gen. fo. 16.

GLORIA MAIORITATIS.

QVIES ET SECVRITAS EX EMINENTIA.

ALTISSIMI montes, immunes B à diluuiis. *Vide Bonit. Maioritatis.*

Segetes in solo tractuque excelso & perflato, rubiginem nullam aut minimam sentiunt. Theoph hist. plant. l. 8. cap. 10. at concaui & flatibus nullis expositi frequentissimam habent.

Segor fuit vna ex quinque ciuitatibus Sodomorum & hæc existens in monte saluata fuit, quatuor autem in valle fuerunt subuersæ. Tostat. Genes. fo. 249.

Altiora sunt honorata magis. *Vide Bonitas Maioritatis.* Altitudinis. *Et Voluntas Maioritatis.* Altitudini

Vertex Caucasi montis tres horas ante ortum solis & tres horas post eius occasum illustratur eius C radiis. Albert. Mag. meteor 2. tr. 2. c. 7.

Equites Romani exornabantur crista plumea cubiti magnitudine qua maiores, & hostibus magis formidabiles apparebant. Suidas in voce

Grata est hyperbole quæ est excelsitas fidem excedens vltra quam credendum. Isidor. Orig. lib. 2 cap. 36.

Inferiores partes arcæ Noë deputatæ sunt pabulis & animalibus, superiores autem tenuit homo, loco vt natura celsior, & supra omnes animantes. Origen. homil. 2. in Gen.

Ezech. 31. Cypressus in Libano excedit magnitudinem cæterarum arborum.

Cineres Iulii Cæsaris vsque hodie manent Romæ in vrna quadam positi super lapidem altissimum qui nunc vocatur arcus sancti Petri. Tostat. 4. Reg. fo. 236. c. 2. q.

Deos suos colebant gentiles in excelsis & in nemorosis locis. Id. num. 10. 2. fo. 41.

Fructus nati in montibus sunt salubriores fructibus natis in vallibus licet non sint ita pingues. Tostat. Genes. 101.

Dum Moyses leuatas tenebat manus Israël vincebat. Id. Exo. to. 1. fo. 140.

Communis Doctorum opinio est paradisum terrestrem esse in loco excelsissimo, itaut ad illum aquę diluuii non potuerint peruenire. Id. Genes. fol. 85.

Nautæ in extanti aliquo scopulo, quod minimè tunderetur ab vndis, remonès mariniś diis dicauerunt Ioui, mortalium primi vertices montium sacrarunt, olympum atque Idam, vel alium quempiam qui præ cæteris cœlo proximus esse videretur. Maxim. Tyrius serm. 38.

Celtæ colunt Iouem, Celticum verò Iouis signum, altissima quercus. Ibid.

Apud septentrionales post solemnem processionē cum cereis in die purificationis pueri puellæque redeunt domum, & pater summam capillorum cuiusque partem incendit, si fumus recta ascendat bonum putatur omen rectæ indolis. si versus terram, pater monet talem de acurata morum correctione. Olaus Magnus rer. septent. lib. 16. cap. 7.

In summis rupibus longè à fæce inter saxa, sabulumque oriuntur optimi fontes, gratissimi, medicati semen esurini salis habentes. Vanhelmont. paradoxo. 3.

Cum in Arca Noë quinque essent distinctę mansiones, suprema vt nobilior seruata est hominibus. Alcuin. in Gen. inter. 105. Caput, est culmen corporis.

Tyrones ad militiam eligebantur proceri corpore, altitudinis sex pedum aut quinque & septem vnciis vsualibus, sic iubent Impp. Valent & Valens. l. 3. C. Th. de Tyron. Cuiac. obser. lib. 21. cap. 5. *Vide Bonitas Magnitudinis.*

REPVGN. Partes terræ septentrionales, eleuatiores sunt partibus meridionalibus generaliter. Tostat Gen. 352.

Vide Minoritas Magnitudinis, Bona.

DIFFERENTIA MAIORITATIS.

DE augmento secundum longitudinem aut latitudinem. *Vide Finis Maioritatis.*

Magis & minus trifariam dicuntur, primo secundum solam quantitatem rei participatę, vt cum nix dicitur magis alba, quam paries: secundo prout vnum participatur, aliud verò per essentiam dicitur, vt si dicas bonitas melior est bono; Tertio denique, quatenus aliquid eminentiori perfectiorique modo, vni competit quam alteri, vt forma dicitur magis natura, quam materia. Ex A his tribus modis, duo posteriores variant speciem, non autem primus. D. Thom. in quæstio. disputatis.

De diuersis generibus augmenti. *Vide Principium Maioritatis.*

In viatoribus duplex est perfectio charitatis. Vna est necessitatis & sufficientiæ, alia est priuilegiata sanctitatis & excellentiæ. D. Bonauen. de 7. itinerib. æternit.

Vide Differentia Potestatis. Nam dignitates sunt subordinatæ. *Vide Concordantia Differentia.* Ordo.

CONCORDANTIA MAIORITATIS.

SOCIETAS CVM EXCELLENTIORIBVS BONA.

IVXTA montem falconis in Italia est fons aquis calidis qui parem cum mari habet fluxum & refluxum. Vnde patet illi coniungi per occultos meatus.

Creatura appetebat vniri Verbo. *Vide Concordantia Minoritatis.* Incarnatio de mutua inter Deum & homines amicitia. *Vide Æqualitas Voluntatis.*

Cum inferius subiicitur superiori, & ei coniungitur, nobilitatur, sicut aër subiectus cœlo, nobilitatur radio Solis; tota perfectio materiæ est subiectio formæ; anima sensibilis in homine, nobilior est quam in bestia, quia subiicitur & coniungitur rationali. Card. Cusa. excitat. lib. 6. cap. 17.

Sicut ignis non mutatur in ferrum, sed ferrum in ignem, ita inferior natura mutatur in superiorem, mortalis in immortalem, visibilis in inuisibilem, terrena in cœlestem. Omnes dignè corpus Christi sumentes, vnus homo efficiuntur, quia omnes mutantur in Christum. Ibid. lib. 7. cap. 21.

Homines habent societatem cum Angelis, omnia enim in vniuerso sunt continua, aut saltem contigua, sic suprema pars aëris iungitur igni.

Beatitudo seu fœlicitas consistit in applicatione ad id quod superius est: vnde aliqualis ratio fœlicitatis esse potest homini si cognoscat potentias separatas, licet perfecta eius fœlicitas sit in cognoscendo primam substantiam scilicet Deum.

Aër magis continuatur cum igne quam cum aqua, quia proximior est cœlo magis continuo, minusque diuisibili.

A Ex his quæ plurimum distant non potest fieri commixtio, soluuntur enim species vnius eorum; puta si quis guttam aquæ, amphoræ vini opponat.

Supremum inferioris naturæ, attingit id quod est infimum superioris, sicut se habent corpora contiguata.

Omne imperfectum supponit aliquod perfectum à quo sustentetur. Inferius natum est recipere à superiori.

De planus infirmis, quæ in aliis viuunt. *Vide Bonitas Medii.* Quædam melius fiunt per media.

Licet humidum & siccum sint in mixtis qualitates patientes, calidum & frigidum agentes, tamen considerari debent, non tantum vt quædam in mixto non deputantur ad patiendum, sed ad C agendum; cum enim calidum agit coniunctum cum humido in corpore mixto, est illa coniunctio frequenter cum humido spirituali, sicut patet in omnibus spiritibus tam naturalibus quam vitalibus, quam etiam animalibus. Similiter cum agit cum sicco, oportet siccum illud esse spirituale, quia alioquin non esset subiectum caloris, nec penetraret cum ipso. Hoc autem patet ex hoc quod si calidum naturale coniungeretur cum humido & sicco incorporatis, destrueretur citò calidum propter operationem motus humidi & sicci incorporatorum, quia illorum motus est ad centrum, cum motus caloris sit à centro. Albertus Magnus meteor. lib. 4. tractatu 2. cap. 1.

Digitized by Google

Vide Potestas Concordantia. Vis vnionis.

Aduerbium dictum est, eo quod verbis accidat, vtputa benè legi, *benè* aduerbium est *legi* verbum, Inde ergo dictum aduerbium quod semper verbo iunctum adimpletur, verbum enim solum sensum implet, vt *scribo* Aduerbium autem sine verbo non habet significationem plenam, vt *hodie*. Adiicis illi verbum hodie scribo, & iuncto verbo implesti sensum. Isidor. Orig. lib. 1. cap. 9.

Ad vrbem quam princeps cum suis nobilibus habitat, confluunt omnes.

In Corintho fuit quoddam templum idolorum ex ære, auro & argento, quo exusto metalla simul confluentia effecerunt ęs excellens Corinthiacum sic dictũ quia æris pars maior erat. Tost. 2. Reg f 52.

A digniori fit denominatio, & tunc res minus digna, accedit digniori.

In antiqua lege immunditia incurrebatur tangendo reptilia siue viua, siue mortua. Id. Leu. f. 10.

Venus splendidissima stellarum, etiam lunæ coniuncta seruat splendorem suum, imo splendidior videtur. Cardan. in supplem. Almanach. sol in ortu admittit Venerem, vt videri possit donec eleuetur super terram aliqualiter, & quandoque Venus apparet in meridie, & quidam putant, rem magnam id fore. Ibid. cap. 12.

Planeta quilibet virtutem suam ad actum perducit per luminaria, non quod luminaria talia significent. Idem. Aphor. sect. 3. aph. 85.

Si Venus Marte potentior fuerit, natus sectabitur nobiles. Ib. sect. 6. aph. 7.

Vt infirma tuta sint, adhærent fortioribus. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib 2. lege 17. §. 4.

Compositi dissolutionem tardat aut impedit potentioris interuentio. Ibid. lib. 3. lege 1. §. . humilis fortuna homines, tenentur potentioribus seruire & obsequia deferre. Moralis Christiana. to 1. parte 2. c. 9.

Mensa communis simul cum sacra. *Vide Duratio Bonitatis*. Frequens communio.

Tutior habitatio vbi princeps sapiens & bonus habitat, non ibi plures tales erunt.

Corpora tersa, polita, & solida incidens in se lumen sic reflectunt & multiplicant, vt non videatur color eorum, sed tota videntur radiantia, quando sunt in lumine. *Vide Gloria Concordantię.*

Auicenna & Algazel dixerunt in supremo animorum gradu, esse eas, quæ cæteris præstantiores, sic congruere possunt intelligentiæ cœlesti, vt mutent materias corporum, sicut voluerint, futurique habeant cognitionem. Puris etiam, & ad id benè dispositis organis. Albert. Mag. lib. 3. de somno & vigilia tract. 1. cap. 6.

Democritus dixit à cœli corporibus luminosis defluere parua atomalia corpora, quæ per poros intrant corpora somniantium, & sunt pars animæ in eis, & tunc veritatis idola dormientibus apparent. Ibid.

Anima humana per intellectum applicabilis est lumini intelligentiorum, suaque perfectio est, formari & illustrari à superioribus. Intelligentia per substantiam separata, lumen diffundit & ingerit per totum orbem sibi subiectum, sicut anima per corpus suum. Intellectus autem extendens se inuenit lumen vbique præsens, informatur & imbuitur illo, & clarificatur ad pulchritudinem cœlestem; illud lumen cuiuscumque sit intelligentiæ, siue etiam sit diuinum est lumen actiuum & formatiuum omnium eorum quæ sunt ordinis inferioris, & ideo semper extendit se ad rerum naturas determinatas, sicut lumen artis se extendit ad materiam Hinc fit vt excellentes viri mirabilia prædicant & operentur. Albert. Mag. tract. 3. de intellectu & intelligibili. cap. 11.

Vide *Æqualitas Voluntatis*. mutuus Dei & hominum amor.

Elementa maiores habent virtutes permixta, in vegetabilibus, & sub eorũ forma, quam in simpliciter elementatis, cum forma sensitiua, quam vegetatiua; sub rationali, quam cum sensitiua. Albert. Mag. lib. 3. de vegetabilib. tit. cap. 17. aër aqua. terra, & omnia alimenta iuncta formę viuentis, fiunt viuentia. Vide *Potestas Concordantia*, vis vnionis.

Cum sole viuificantur signa; & quodlibet signum quando est in eo, habet maioritatem super alia signa, quoniam ipsum viuificat & illuminat & dat ei fortitudinem & calorem: & quando erit de signo in quo est, remanet illud signum in similitudine corporis defuncti, quoniam spiritum & motũ non habet. Haly 1. parte. cap. 4. de Sole.

Conchis maior est concordantia cum cœlo, quam cum mari in quo sunt: pisces omnes aëre viuunt & contento in vesica, & quem tum ore, tam branchiis spirant.

Vide *Gloria Concordantia* honor ex societate.

Bucephalus ornatus, à nullo se patiebatur conscendi, quam ab Alexandro, cæteros calcibus & morsibus arcebat Plutarch. lib. de industria animalium. V*ide Concordant. Differentię.*

In sacrificio parum aquæ vino miscetur ad significãdum diuinitatem humanitati coniunctam.

Vide *Concordantia Minoritatis*

Fragmenta quæ albæ benedictæ assumuntur, censentur benedicta, nec indigent benedictione, sed sequuntur naturam principalis. Bonacina.

Frigus à syderibus nullum venit, sed minor calor pro frigore reputantur, non quidem dum additur minori, tunc enim auget ipsum, sed dum additur materiæ in qua est maior calor; vt aqua tepida feruenti iniecta, feruorem minuit, dum calorem illum, in plus materiæ expandit. Campanella in præfatione Astrologiæ.

Optabilius est, quod est prestantiori similius. Arist. 2. top. c. 2.

De aulica vita. Maiolus. dier. canicular. t. 2. De conuersatione cum Principe. Plutarch.

Matrimonium contractum cum errore conditionis, non est inualidum quando persona, cum qua contrahitur, est ęqualis, aut melioris conditionis. Bonaci. de matrim. q. 3. pu. 3. prop. 1.

Iuo Carnotensis epist. 62 quos excommunicatorum Regia potestas in gratiam benignitatis recepit, aut mensæ suę participes effecit, hos etiam Sacerdotum & populorum conuentus suscipere in Ecclesiasticam communionem debent.

Absurdum est beneficium maius vniri minori, sic Innocent. 3. improbat translationem Archiepiscopatus in Episcopatum factum à Patriarcha Antiocheno, & quod nouo mutationis genere paruificauerat maiorem, & minorando magnum, Episcopare præsumpserat Archiepiscopum. cap 1. de transl. Episc. Ita ridiculum est rem pretiosam minori accedere, vt adamantem ferro, hominem rei quæ minoris esset l. 44. ff. de ædil. ed.

In regno Malabar mulieres nobiles similiter vt viri procedunt ornatæ itaut vix distinguas puellam ab adolescente.

Mare mediterraneum iungitur occeano in Gades. Ibidem duæ vicinę, Balcares insulæ quorum

vna maior dicta Maiorca, vnde Lullius, altera minor, dicta Minorca.

A Maiori, principio scilicet assimilari. *Vide Concordantia Principij*. Partes suo vniuerso conformes.

In vrbibus Imperialibus Germaniæ, vt in Hollandia, & in cæteris in quib. admittitur regimen democraticum, artifices cum nobilibus obtinent dignitates publicas.

SOCIETAS POTENTIORUM periculosa.

B Monachus debet vitare mulieres & Episcopos: neuter enim sinit eum quem semel suę familiaritati deuinxerit, vel quieti cellulæ vlterius operam dare; vel diuinæ theorię, per sanctarum rerum intuitum, purissimis oculis inhęrere. Cassian. lib. 11. cap. 17.

Oculus non fert assiduum conspectum rei multum splendentis.

C Vicinitas montium præaltorum non est salubris, qui si versus aquilonem emineant, excedit in conuallibus calor; si versus meridiem, frigus, & quia eorum capita niuibus obsita, frigus excitant, & in dissolutione niuium torrentes. In concauis etiam vallibus aër inclusus, spissus, & qui non potest perflari, malè sanus est. Albert. Mag. tract. 1. de natura locorum, cap. vlt. Similiter non est sana habitatio iuxta syluas, quia sub præaltis arboribus aër est suffocatus, & spissus, etiam infectus arborum amaritudine. Ib.

Sol factus terræ proximior, illam comburit. *Vide Maioritas Voluntatis Zelus nimius.*

A principis amicitia excidisti, tuto deinceps, nulloque tibi exhibito negotio viues. Plutarch.

D Sol est planeta magni dominii, potentiæ, nobilitatis, fortunat aspectu suo, & coniunctione corporali infortunium adfert, quia quando planeta aliquis cum eo coniungitur comburit eum, & extinguit lucem eius. Haly. 1. parte cap. 4. planeta distare debet ab eo 12. grad.

Dies est vituperanda in omni opere, quando luna est coniuncta vel opposita soli. Bethem, centil. n. 47.

Accedens ad Principem, luna existente in aquario, ab eo non benè recipietur, sed contemnetur, item in piscibus. Almansor. propos. 23.

E Antonius Iuuenis Cæsari familiaris semper ab eo in ludo superabatur, vnde ab amico augurandi perito monitus fuit, Cæsaris genium suo esse potentius, & fortunam suam ad eum penitus transituram, nisi ab eo discederet. Plutarch. lib. de fortuna Roman.

Romani templum ædificauerunt Fortunæ viscosæ, idest attrahenti quidquid illi hæsisset.

Vide Concordantia Æqualitatis. Societas inter æquales.

Ignis elementorum superior differt à cæteris, quod proxima sibique iuncta consumit.

De curialium miseriis. Æneas Syluius epist. 166. *Vide Duratio Gloriæ Rep.*

Vide Concordantia Minoritatis. Mala.

Abimelech dicit ad Iacob: Recede à nobis, quoniam potentior nostri factus es valdè. Genes. 32.

Abbas Zenon dicebat discipulo, ne maneas cum homine nominato, & habens magnum nomen; vitæ Patr. lib. 8.

A *Vide supra Gloria Virtutis.* Sapiens aulam fugiat vbi de curialium miseria.

Arbores quo sunt validiores, eo magis alimentum vicinis eripiunt maximè quæ sunt radice numerosa. Theoph. de caus. plant. l. 5, cap. 21.

Pyrausta musca est, quæ lucernis aduolitans comburitur. Suidas.

B Flumina quæ in occeanum influunt, vsque ad 25. millia passuum corruptam habent aquam. Quandoque vsque ad centum millia, quæ verò in alta maria non ita, sed ad quatuor duntaxat aut quinque millia: causa est quod occeanus refluit, & refluendo longius inficit aquam ab ostiis, quam maria reliqua. Cardan. de rer. variet. lib. 1. cap. 6. quo maior potentia eo vim maiorem infert integritati.

In sole faces minores, noctu autem maiores apparent. *Vide Cognitio Virtutis* Latens virtus quæ magis extra lucem fulget.

Non tenetur iudicio sistere ad maius tribunal vocatus, maius lumen obscurat minus.

C Nobilissimi amnes exeuntes in mare, vbi altitudinem pelagi incurrerint, fluentumque suum, vndæ, ventis, ęstui fluctibusque permiserint, ex eiusmodi permistione priorem comminuunt naturam. Maximos Tyrius serm. 11.

Summus sacerdos Iudæorum eo die quo intrauerat in sancta sanctorum & liber exiuerat, quasi liberaretur à morte, faciebat magnum conuiuium amicis suis. Tostat. Exod. to. 2. 10.

> Sicut pax homines inter, fuluosque leones,
> Non est fida lupis, neque pax est mollibus agnis. Maxi. Tyrius.

Crocodilus vorat puerum cum eo enutritum. *Vide Gloria Principij.* Cultus nutricis.

Nullus planeta, sole excepto, planetam alium omnino exterminat.

D Planetæ interdum obscurant fixas quæ sunt in signifero, & tunc habenda ratio, vt in eclipsibus luminarium. Cardan. Aphor. sect. 1. apho. 62.

Cum planeta applicat alteri in domo vel exaltatione existenti dat ei vim suam, & eo magis si fuerit peregrinus. Idem. sect. 3. Aphor. 31. sic cum planeta combustus non combusto proximus extiterit, quod virium ei est, illi tribuit. Ib. Aph. 35.

Potentioris mali noxia destruensque magis est societas. Vide quę scripsi de iure naturali. lib. 3. lege 10. §. 2. Sapiens vitat potentiorum amicitiam. moral. Christ. to. 3. parte 1. cap. 35. & de institutione Religiosi. parte 4. cap 7.

Gemmę intus sumptæ parum nobis prosunt, quia vis earum latet in densa nimis materia. *Vide Media Concordantia*, ex Van helmont.

E Aulici potentiores solent in principem conspirare, & eorum amicis reatus imputatur. *Vide Maioritas Voluntatis* Fauor principum.

Valde magnos euita, nec in illos beneficia conferas, sunt enim natura ingrati: Cardan. de arcanis prudentiæ. cap. 40. eorum conuersatio periculosa ob calumniam & inuidiam desperatorum qui vt gratiam hanc obtineant se periculis omnibus exponunt. Ib. cap. 81.

Principum beneuolentia ardens est, & repentina, inuidiæ & calumniæ vento facilè extinguitur, vt patet in plurimorum aulicorum ruina. Eorum itaque animus semper est inquietus non licet coram principe liberè suam sententiam dicere, nec contradicere, seruitus est, in aureis licet cathenis.

CONTRARIETAS MAIORITATIS.

RESECATIO EXCESSVS BONA.

SICCVM in viuentibus, non est nisi sicut materia tantum, qua non indigetur, nisi vt terminetur humidum, & figuram recipiat, & teneat, & statum fortitudinis habeat corpus. Frigidum autem per se qualitas mortificatiua est; iuuamen suum est in aliqua retentione humidi, ne nimis calefactum occurrat: & in aliquo temperamento calidi, ne feruidum existens nimis incenderet. Alb. Magn. tract. 2. de morte & vita. cap. 9.

In aheno igne supposito exundans saccarum ebulliens & erumpens, deponit eruptionem & tumorem omnem, imposito paucissimo butyro. Fracastor de contagione lib. 3. cap. 1.

Turca nihil patitur inter subditos eminere, aut regem oportet esse aut mancipium, nihil in hac gente medium est.

Sacra est biga charitas & humilitas, quippe illa exaltat, hæc exaltatos, ne vnquam decidant, tenet. Ioa. Climac. scalæ grad. 25.

Vide media Potestas. & Virtus Medij. mediocritatis.

Viris decacuminanda, cum fructus incipit prouenire. Theophr. de caus. plantar. lib. 3. cap. 21.

A tract. lignum vitæ. *Vide Finis Bonitatis*, reuocatio beneficus.

Frigida nubes impedit vaporem calidum siccum, ne superiorem aëris partem petat, & ibi faciat infœlices cometas; sed fit stella cadens. Albert. Mag. lib. de passionib. aëris.

Ducibus Sabaudiæ, & Armoricæ, volentibus dici Reges & haberi, cæteri reges obstiterunt, ne in æqualitatem deuenirent.

Nonus Rex Ægypti videns multiplicatum populum Israël, dicit venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur, & si ingruerit in nos bellum, addatur inimicis nostris. Exod. 1.

B Referunt squatinam piscem mammis mulierum superpositam, adeo illas constringere, vt virginum mammis assimilentur. Cardan. de rer. varietate. cap. 44.

Meniana seu proiectiones, *hant vents*, olim in vrbe ædificare prohibitum, in prouinciis licitum. Si distent à priuatis vicinorum ædificiis 10. pedum à publicis 15 pedum spatio, ne libertas aëris obstruatur. l. 11. Cod. de ædific. priuatis. Cuiac. obseruat. lib. 1. cap. 30.

Humilitas est ad reprimendum animum ne tendat immoderatè in ardua bona. Tostat. Math. to. 5. fo. 7.

Licet imprecari mala inimicis ea tantum ratione vt debiliores & humiliores effecti, cessent iniustè nocere, exactum tamen debet esse discretionis examen, ne cum exequimur nostra odia, fallamur sub specie vtilitatis alienæ. Id. Math. to. 2. fo. 2 o.

D. Gregor. Taumaturgus Lyci fluminis exundationes coërcuit, baculo quem manu gestabat, ad ripam fluminis infixo. D Greg. Nyss. in eius vita.

Vim potentiorum sauientem natura moderatum Vide *quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege 12. §. 2.*

Cum genus humanum contentiosum sit, nullum magis oppugnat quam elatos, arrogantes, ac inanis gloriæ seruos. D. Chrysost. hom. 64. in Math.

Math. 20. indignati sunt decem Apostoli de duobus fratribus qui præ cæteris petebant à Christo sedere vnus ad dexteram, alter ad sinistram suam:

D Excrecentiæ vitiosæ vt plurimum impediuntur à progressu suo ossalis materiæ inobsequentia.

Post maximum terræ motum, mare circa Epidaurum mirum in modum intumescente, & diluuium minitante, Incolæ S. Hilarionem tunc apud ipsos agentem duxerunt ad litus, qui cum tria crucis signa pinxisset in sabulo manusque contra mare tenderet, illud cohibuit. D. Hieron. in vita S. Hilarionis.

HVMILIATA SVPERBIA. C

VOx Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani. Psal. 28. Vidi impium exaltatum, transiui, & ecce non erat. Cedri Libani sunt, qui potentiorum fauore sublati, vt Cedri in montibus, dum insolescunt, à Deo deiiciuntur D. Basil. in Psal. 28.

De casu Angelorum. Albert. tom. 18 19.

In vitis patrum lib. 4 cap. 13. Monachacus celebris quia dæmonia è corporibus eiiciebat, inde superbiens ipsemet à dæmone possessus est, quinto mense liberatus est, non tantum dæmone, sed quod illi erat vtilius, vanitate.

Homo cecidit, quia nimis de se præsumpsit. *Vide Cognitio Virtutis.* nimia de suis viribus præsumptio. Ex magistro sententi.

Acroceraunia dicuntur montes fulminati, ab acros quod est mons, & ceranos quod est fulmen. Tostat 1. paral. f. 18. c. 3. f.

Adam volens fieri similis Deo è paradiso eiectus est, lumine mentis, creaturarum imperio. Sic iustum fuit, vt puniretur vana elatio, quæ dum metas naturæ suæ transcendere voluit, amisit concessa, & dum diuinis noluit subdi legibus, astricta est carnis passionibus. &c. Laurent. Iustiniani.

MALVM BONIS PROfectibus contrarium.

PLumæ, nullo humore vitiatæ, facilè in altum tolluntur, at vitiatæ subsident, sic humanæ mentes. Cassian collat. 9. cap. 5.

Inuidia deiicit, quos extulit fortuna. *Vide Contrarietas Virtutis.* Inuidia.

Circa littus maris nullæ sunt excelsæ arbores, ventus enim vrens illas demetit, & enascentes ramos tempestas frangit.

Hostis plus ducem, quam militem petit, nec obsidet mortuos, sed impugnat viuentes; sic diabolus maximè impugnat iustos. Chrysolog. serm. 96. in fine.

Terræmotu concidit Colossus Rhodius ex ære solido 70. cubitorum, vno & altero pede portum amplectens. an. 655. erat statua solis.

Montes aliquando cadunt in cauitates quæ sunt sub ipsis, seu terræmotu concussi, seu siccitate fissi admittunt aquas quæ fundamenta diruunt & deiiciũt & hoc modo cecidit mons qui est inter Tridentinum & Veronam & oppressit villas A & homines ad longitudinem trium vel quatuor leucarũ. Alb. Mag. meteor. lib. 3 tr. 2. c. 18. hi terræmotus sæpe montes deiiciunt & æquant campestri planitiei. Georgius Agricola lib. 4. de his quæ fluunt ex terra. Vbi plura refert exempla.

Aquila grandis cacumina excelsarum arborum rapit & transfert. Ezech. 17. idest Rex Babylonis principes Israel ducit captiuos.

Quidam accipitres inuadunt tantum minutas aues existentes in terra, alij etiam altum tenentes rapiunt vt falco. De his Tostat in Leuit 109 c. 1. c.

Nilus solet crescere ad 15. aut 22. cubitos, si deficit sterilitas est, aut imminentis mali portentum. B *Vide Cognitio Contrarietatis.*

Qui caudam Draconis habet cum Ioue, cum maxima sollicitudine pauca acquirit. Cardan. Aphor. sect. 2. Apho. 2. Nunquam ditatur.

Difficilia quæ pulchra. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege. 10. §. 3.

Apud Indos singuli in eo vitæ genere vitam consumunt, quam ab initio susceperunt à suis parentibus, itaut non possint ad altiorem gradum peruenire, semper abiecti nec ad homines altioris ordinis accedere. Gotardus de India Orientali. *Vide Duratio Minoritatis.*

PRINCIPIVM MAIORITATIS.

QVÆ SINT CAVSÆ AVGMENTI BONI.

INVNDATIO Nili aliquando est maior, aliquando minor, prout sunt plures, vel minus planetæ in meridie, maximè Luna & Venus humidi. Albert. Magn. tract. 2. de propriet. elem. c. 2. *Vide Principium Differentia. Mutationis*

Omnium animalium fœtus sunt magis vigorosi, luna crescente. *Vide Minoritas Maioritatis. Mala.*

In condensis nemoribus arbores crescunt potius in altitudinem quam in latitudinem, quia quoties motus caloris à centro expellit nutrimentum ad circumferentiam reflectitur à frigore loci vmbrosi & sursum ascendit. Albert. Mag. lib. 2. de vegetabil. cap. 5.

Magnorum Principum facias significatorem solem, aut aliquem de superioribus; scribarum vero & Rusticorum aliquem ex inferiorib. maximè Lunam. Hermes in centiloquio. num. 7.

Dicit Christus Ioan. 12. cum exaltatus fuero omnia traham ad me ipsum.

Augmentum fit ex contrarietate. *Vide Gloria Contrarietatis.* ex malis bonum elicere; & contraria sibi opposita magis fulgent.

D. Gregor. epist. 36. lib. 4. dicit in Concilio Calcedonensi Episcopo Romano titulum, vniuersalis tributum, quia Roma erat sedes imperij & Episcopus Constantinoplitanus post translationem Imperij Constantinopolim Patriarcha dictus, B etiam Alexandrino & Antiochensi prius fundat hic à S. Petro, ille à Sancto Marco. Vide can. prouinciæ, dist. 99. can. conquestus 9. quæ. 3. can. vrbes. dist 80.

Aquæ tendunt quantum possunt ad infima terræ, nec ad nos redeunt, nisi à calore subterraneo in vapores sublimentur.

Amor diuinus eleuat *Vide Potestas Voluntatis.* vis amoris diuini.

Augmentum fit tribus modis, quorum primus est verus, per cibum ad partes animati corporis, & hoc modo augmentantur animalia & plantæ. fit etiam sine additione alicuius extrinseci, per rarefactionem & inspissationem; & hoc modo præcipuè augentur & diminuuntur simplicia cor- C pora. Tertio modo fit per accumulationem, quando vnum additur alteri & continuatur cum illo, sicut ignis augetur per materiam combustibilem in hoc modo augentur metalla, quando vnum liquefactum funditur alij. Albert. Magn tr. 1. de cœlo & nu. c. 9.

Quod est superioris naturæ proprium, non potest consequi natura inferior, nisi per actionem superioris naturæ, cuius est proprium.

Fit augmentatio per iuxta positionem, vt in formatione lapidum; per intensionem in qualitatibus, sicut cum quatuor gradus caloris adduntur calori vt duo: Per rarefactionem, cum ex aqua fit aër maioris quantitatis, & est hæc augmentatio, extensiua, non intensiua. Per additio-

Digitized by Google

nem in quantitate discreta, sicut numerus augeretur per additionem vnitatis. Per intus susceptionem, cum alimentum in substantiam aliti conuertitur & dicitur aggeneratio. Est augmentatio pure intensiua formarum non corporalium vt caritatis, & conuersiua, cum res transfertur in perfectiorem, vt anima in Angelum.

Vide Differentia Maioritatis. & Maioritas Magnitudinis.

Maxima sunt distillationis commoda. Nam partes dissimiles parat, nobiliores ab impedimento liberat, imperfectas attenuando perficit, quæ diuisa sunt in vnum iungit, & facultates auget, res mortales cœlestibus æquat, infœlicissimasque regiones, fœlicissimis. Cardan. lib de rer. varietate. cap. 50.

Magnanimitas est ad confortandum animum vt prosequatur ardua, ne deficiat propter difficultatem prosequutionis & adeptionis Tostat. Math. 10. 5. fo. 7.

Iordanis fluuius crescit tempore messis propter resolutionem niuium in monte Libano. Id.

In mundi innouatione corpora cœlestia accipient augmentum lucis. Isay. 30. erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septupliciter.

Obesi sunt & præpingues, quibus planetæ in humidis, præcipuè Iupiter in libra, sol in cancro, eo verò magis, si Iupiter lunam Veneremque aspiciat. Mars & Saturnus Iouem aspicientes macilentum efficiunt. Card. de iudiciis genitura. c. 18.

Magni fiunt ascendentibus signis longæ ascensionis, maximè si planetæ sint in apogæo epicicli, potissimum dominus primæ. Ib.

Dixit Albumasar. Cometes supra Venerem visus est; non est igitur in regione elementari, contra philosophum; cui igitur in corde cœli, vel alio angulo, vel cum luminari, vel cum significatore aliquo, ei magnum aliquid natò de illius natura continget. Cardan. Aphoris. sect. 2. Aphor. 23.

Animæ per cancrum descendunt, per capricornum ascendunt, luna enim & cancer maximè vitales sunt. Ib. sect 4. Aph. 155.

Sol in leone erigit hominem, nec sinit mendicare. Ib. sect. 5. Aph. 33.

Vide Gloria Minoritatis humilitas exaltata.

Mare tumefacit luna, & facit fluminum exundationes.

Montes factos à mari, quod post longa sæcula mutat locum. *Vide Duratio Contrarietatis.* dura per interualla. Quidam asserunt initio terram fuisse æquabilis rotunditatis; inæqualitatem autem montium ac vallium factam à diluuiis aquarum; quæ quod ex vna parti abraserunt, alteri adiecerunt. Hanc tamen opinionem improbat Albert. Mag. lib 2. de proprietatib elementorum. tract. 2. cap. 4. fiunt generaliter à dura superficie terræ, quæ non cedens spiritui intus incluso & pulsanti, eleuatur: vel ab alluuione maris, vel à ventis qui arenas ex vno loco in alium proiiciunt, & superfusa aut aggenerata viscositate, induratur in lapides. Ibid.

Aer facit ascendere corpora rara super aquam; & vapor calidus in visceribus terræ facit ascendere aquas in montibus, vnde fon[tes i]n aquæ in suo ortu ebulliunt. Id. meteor lib. . tr. 2. cap. 12.

Montes erant ante diluuium, nam Gen 7 dicitur, quod aqua diluuij excessit montes altissimos terræ quindecim cubitis; & quod arca sedit in montibus Tostat. Gen. fo. 6.

Incrementa Maris Occeani & Adriatici, ac æstus fiunt maxima, cum luna soli opponitur, minima autem in diuiduis, mediocria in nouiluniis, temporibus mediis decrescunt ad diuiduas. Cardan. Aphor. sect. 7. Aph. 86.

MEDIVM MAIORITATIS.

QVIBVS MEDIIS FIT AVGMENTVM.

NASCENTIA omnia sunt humida & mollia, quia debent crescere. Molle autem & humidum facilius extenditur, quam siccius & durius. Albert. Mag. tract. de iuuentute & senectute.

In animali non est diuersa substantia sensitiui, & vegetatiui, sed sensitiuum se habet ad vegetatiuum, sicut actus ad potentiam, sicut informans mouens ad instrumentum, quod mouetur ab ipso. Id. tract. 1. de natura & origine animæ.

Dum luna mouetur à prima domo ad decimam, aut à septima ad quartam, in se intumescit, & effunditur super terras, hunc autem suum effluxum multæ accidentales causæ confortant, 1. quando luna augetur lumine. Aut quando sol est in signis æquinoctialibus. 2. quando luna fit vicinior mari, per perigæum deferentis, & Epicycli. 3. Quando est in zenith locorum, tunc enim radij eius directius veniunt ad fundum maris; & ideo fortius mouent. 4. quando dies sunt maiores, tunc enim Luna diutius est super terram. 5. Iuuatur accressio, si luna fit in signis aqueis, & coniuncta planetis humidis, vt Veneri & Mercurio, 6. denique venti si consentiant cum fluxu, augent illum, sin minus tardant; sinus etiam qui sunt in profundo augent aut minuunt prout sunt, aut ad rectitudinem aut sinuositatem magis inclinantes. Albert. Magn. tract. 2. de proprietatib. elementorum. cap. 6. Augetur etiam fluxus, cum medium maris est conuexum, & littus aut planum, aut concauum, tunc enim accedit mare cum duplici impetu. Ib.

Lapis proiectus in aquam, facit illam exilire, vel attolli.

Aues in sublimè volantes vt aquilæ, dum altum tenent, non volant in rectum, sed circulariter.

Ignis sursum attrahit corpora in suam regionem

Hyperbole rem exponit naturalem modum excedentem, conceditur enim amplius dicere, quia dici quantum est, non potest meliusque vltra quam citra constat oratio. Quintil. Inst. orat. lib. 8. in f.

Augemus calorem solis per speculum qui radios congregat. Ligna, lapides & cætera grauia in ædificijs sursum eleuantur machinis quas grues vocamus.

B

Excepto baptismo & pœnitentia, cætera sacramenta non sunt instituta ad producendam primam gratiam, sed ad eam augendam. Bonacina de sacram. 1. q 4.

Alchymia promittit ignobilius metallum, in nobilius transformare.

Cum res habeant finem suum extra se, duplices habere solent rectores, aliqui qui conseruationi, alii qui promotioni ad ampliora intendant, vt faber lignarius conseruat integram nauem, nauta ducit ad portum, medicina conseruat corpus, disciplina instruit animum.

Fontes & flumina crescunt plurium accessione.

C

Aaron & Hur sustentant manus Moysis, vt elatæ permanentes, darent victoriam Israëli contra Amalech. Exod. 17.

Vide supra proximè. *Principium Maioritatis.*

In rebus naturalibus non inuenitur tota plenitudo perfectionis, quæ debetur eis ex forma substantiali quæ dat speciem, sed multum superadditur ex superuenientibus accidentibus. Sicut in homine ex figura & calore.

Arbores arte fiunt excelsiores, si crebræ serantur: si confestim ramos succidas, purgesque. Omnia locis suis melius augescunt, & in parte montis Aquilonaria, quam Meridiana. hist. Theoph. plant. lib. 1. c. 14.

D

Palmæ nouellæ comas religant, vt procera assurgat, nec virgæ torqueantur. Ibid. lib. 2. c. 8.

Germinant augenturque facilius quæ plantata sunt satu, quam quæ semine, præsertim si radice aliqua fibrata petantur; sic enim partes pletasque adultas iam haberi continget, quæ tantummodo alimentum desiderant. At in seminis satu omnia generari necesse est, priusquam incrementa incipiant. Eadem ratione, & quæ radice proueniunt facilius augentur. Id. de causis plantar. lib. 1. c. 8.

Niues flumina quidem augent aquis, sed eorum perennitatis causa non sunt. Georgius Agricola de causis subterraneor. lib. 1.

E

Apud Rhetores gradatio est cum ab eo verbo quo sensus superior terminatur, inferior incipit, ac dehinc quasi per gradus dicendi ordo seruatur, vt est illud Affricani, ex innocentia nascitur dignitas, ex dignitate honor, ex honore Imperium, ex Imperio libertas. Isidor. Origin. lib. 2. cap. 21. *Vide Concordantia Virtutis* connexio virtutum. & *Potestas Durationis. Duratio Cognitionis, Duratio Virtutis, &c.* nam ad excellentiam & perfectionis apicem assidua exercitatione peruenitur.

Lapides, metalla, corallium, crystallum crescunt per intus susceptionem adnatam materiam in se conuertendo, vnde radices non penitus duras habent, sed lentas & molliores. Campanella Physiol. c. 7. a. 6.

Hyperbole est transcensus veri ad significandum magnitudinem. Rota, tympano, cochlea, aqua ex flumine in altum tollitur. l. 2. ff. comm. prædior & Vitruuius. lib. 10. cap. 9.

MEDIA MAIORITAS.

QVidam Philosophi dixerunt in mari multos esse spiritus ventosos, vt in humido & calido, qui illud tumescere, spirare faciunt & hinc esse eius fluxum & refluxum. Albert. Mag. tract. 2. de proprietatib. elementor. cap. 7.

Aues in quibus leuis substantia est pauca, & temperata terrestris multa, vt sunt gallinæ, sunt mali volatus, & cibum accipiunt in terra. Id. lib. 7. de animal tract. 3. cap. 1.

Oleum supernatat aquis, non aëri.

Angeli per scalam Iacob ascendentes & descendentes. Chymici habent vasa quæ dicuntur circulatoria, omni meatu hermeticè obturato, itaut spiritus non possint euolare, sic ascendunt & descendunt, & hoc in se reditu, hacque circulatione, perficiuntur.

Chorepiscopi medij sunt inter Episcopos & Presbyteros. *Vide Cognitio Minoritatis*, confessio culpam minuit.

Animæ substantia est eleuata supra materiam corporalem, non dependens ab ipsa, vnde eius actio secundum quam coniungitur superioribus, quæ sunt supra tempus, æternitatem participat, & eius actio secundum quam coniungitur inferioribus, quæ sunt in tempore, est temporalis. *Vide Media Virtus. & Virtus Medij.* Mediocritas.

Spicæ inclinatæ minus sentiunt ęruginem, sic enim imbres decidunt, nec ros excipitur. Inclinantur magis quæ longæ sunt, manent erectius latæ & breues vt hordei. Theoph. de causis plant. lib. 3. c. 5.

A Spiritu sancto præmunitur intelligentia nostra, vt ne ad alterum accedentes excidamus ab altero, & ne in Theologiam, idest in ea quæ diuinitatis propria sunt, intenti, assumpti hominis mysterium contemnamus. D. Basil. epist. 141.

FINIS MAIORITATIS.

QVANDO DESINIT ACCESSIO.

IN ætate virili, viget vis conseruatiua, sed deficit augmentatiua, propter duritiem inductam in membris, & siccitatem quæ non obedit extensioni: & etiam propter aliquem defectum calidi, causatus ex sumpto alimento extraneo, non sufficienter decocto per digestionem. Albert. Magn tract. 1. de iuuentute & senectute. cap. 4.

Augmentum animatorum secundum longitudinem determinatur, eo quod illud fit in partibus radicalibus proportionaliter. Augmentum autem secundum spissitudinem, & latitudinem, fit per totam vitam animalis, & fit magis in supplementis, quæ sunt caro, & adeps.

Radicales autem partes vt sunt ossa, arteriæ, hépar, cerebrum sic crescunt in latitudinem, vt semper seruetur proportio ad longitudinem, alioquin fieret partium compressio, & in eis anima non posset exercere vitæ operationes. Id. tract. de nutrimento. c. 1.

Calidum feruens continuè educit aliquid de humido, & indurat & siccat, & ideo tempore determinato efficitur humidum radicale partium non solubile per calidum, sed tantum stat in sicco continuando ipsum & cum diminuitur humidum, diminuitur etiam calidum, eo quod diminutum est proprium eius subiectum, & tunc stat augmentum; & cum diu steterit, veniet in siccitatem magnam, & tunc non extenduntur, sed contrahuntur, & incuruantur radicalia & ideo sunt incuruati senes Ibid.

Cuius animal nociuum, ex loco aliquo est eiiciendum per imaginem astronomicam; debet eius imago sculpi, capite deorsum, & sursum pedibus eleuatis. Albert Magn. in speculo astronomico.

Quidam existimant terram diluuio, & oceano exundanti perituram cum pluuiis & ventis abrasi montes in valles, & in maris, fluuiorumque alueos ceciderint. Cum transferentur montes in cor maris. ps. 45.

Stat augmentum, quia humidum seminale ex aliqua sui parte miscetur humido addito, at cum non sit in infinitum extensibile, tandem deficit. 2. calidum naturale quod est finitum, non potest facere plusquam est mensura suæ essentiæ. 3. extraneum humidum semper retinet aliquid de natura extranei; sanguis enim de lactuca generatus frigidus est, & caro erit frigida, ideò continuè debilitatur calidum, & tandem ita stat, quod non

A valet se extendere, & ita stat augmentum. Albert. Magn. de genera. & corrupt. tract. 3. cap. 15.

Vnum & idem numero manens; non potest transferri in aliam speciem.

Heliogabalus conuiuis substerni curabat reflatiles folles mirifica arte & ingenio, sic vt conuiuæ reflatis paulatim follibus infra cæteros sub mensis ridiculè subsiderent. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 19. cap. 10

Quæ modum excedunt proprio ruunt pondere. *Vide Finis Potestatis.*

Diabolus Hebraicè dicitur deorsum fluens, Isidor. Orig. lib. 8. c. 11.

S. Pontifex ex regularibus sæcularia facit. can.

B quæ semel. 9. q. 3. cum, aliter quam per subrogationem Clericorum secularium regularis Ecclesia reformari non potest. cap. inter quatuor. de religios. domib.

Beati non crescunt in meritis, quia in termino motus non contingit esse motum. *Vide Bonitas Differentia.* Motus.

Aqua tantum ascendit ad æquilibrium.

Euphrates concordat in tempore incrementi cum Nilo, incipit incrementum quando fuerit sol in gradu 10. cancri, quod est in principio mensis Iunij, & durat quandiu Sol est in Leone, decrescit quando Sol transit ad Virginem. Tostat. in Gene. fo. 101.

C *Augmentis positus est terminus Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 2. lege 10. §. 7.*

Vide Finis Magnitudinis. Finis Gloriæ.

Vir nobilis reliquens mundum & transiens ad religionem, non potest amplius gloriari de illustri sua prosapia. Tostat. Math. 10. 5. fo. 167.

Quibuscumque Saturnus & Mars in eadem sunt parte signiferi, necesse est eorum in vita magna infortunia accidere. Cuicumque Saturnus & Mars in tauro in quarta fuerint in eadem parte constituti, cum ascendens ad radios eorum peruenerit, vel casus ab alto, vel ruina continget. Cardan. Aphor. sect. 2. Aph. 6.

D Casum ab alto minatur Saturnus in decima corpore vel oppositione.

Vapor in superiori Alambici parte, præ frigore condensatur. *Vide Finis Differentia.* Reditus ad propria.

Si disloceтur manus, ea non solum crescere cessat, quin etiam decrescit, etiam in adultis Gibbosi quoque crescere sistunt, solius obliquitatis intuitu in medulla per quam rectus influxus cerebri lucisque est parum impeditus. Van Helmont,

ÆQVALITAS MAIORITATIS.

ÆQVALIS EMINENTIA.

PRIVILEGIVM ordinariè respicit personam, sunt tamen quædm priuilegia quæ dicuntur communia, quia respiciunt ordinem & communitatem, vt illud quo Ecclesiastici sunt immunes à tribunali A Laïcorum. Bonac. de priuilegiis. pag. 1. *Vide Æqualitas Gloriæ. Æqualitas Magnitudinis. Æqualitas Potestatis.*

MINORITAS MAIORITATIS.

PRIVATIO EMINENTIÆ. Bona.

VIDE *Voluntas Minoritatis bona.* & *Virtus Contrarietatis* de diuersis quibus homo purgatur, perficitur. & *Duratio Potestatis. Repug.* de dignitatibus quæ non sunt perpetuæ, sed per vices administrantur.

MALA.

IN virtute, qui non crescit deficit. *Vide Maioritas Virtutis.* Luna non crescens facit morbos insanabiles. *Vide Maioritas Minoritatis.* Quis sit maior defectus.

Ex minimo apostemate moritur animal, si iaceat nocte sub radiis lunæ decrescentis, quoniam B tunc luna non maturat, sed corrumpit & putrefacit. Albert. Magn. tract. 2. de propriet. elementorum, cap. 7. Luna decrescente omnium animalium fœtus sunt debiliores, vt crescente fortiores: Multa sunt animalia aquatica, quæ latent in latibulis, & sunt debilia luna decrescente, & non pascuuntur tunc, quoniam calor eorum est debilis; Luna autem crescente egrediuntur & pascuntur, quia tunc confortata, mouet ea; & pluta illorum non pascuntur nisi hora quando luna ab horizonte eleuatur ad medium cœli, & alio tempore redeunt ad latibula, & non quærunt pastum; cancri fluuiales marci sunt luna decrescēte; vix coalescunt & proficiunt plantæ, luna decrescente plantatæ; non sunt saporosi fructus tunc collecti; tunc infeliciter operatur alchymia, &c. Ibidem.

ÆQVALITAS BONITAS ÆQVALITATIS.

BONITAS ÆQVALITATIS.

VT serpens inæquali partium corporis tractu graditur; sic vir malus, obliquam & contrarietate refertam ducit vitam. In circuitu impij ambulant. Rectos autem decet collaudatio, recta sunt eius vestigia, quoniam rectus Dominus Deus noster & rectitudinem videt vultus eius. D. Basil. in Psal. 32.

Hoc obseruat natura quod in omni animali pedes pares constituit, vnum contra vnum in vtroque latere, vt æqualiter portetur pondus corporis. Albert. Mag.

Hebræi horas diei numerant, quasi essemus in æquinoctiali, & à sole Oriente ad Occidentem, essent tantum duodecim horæ, ab ortu solis numerant primam horam, itaut meridies sit semper hora. 6.

Olim in Galliis annus ciuilis incipiebat à Paschate in honorem resurrectionis Christi, sed quia Pascha est festum mobile, eiusque dies, non æquali semper tempore contingit, tempore Caroli 9. edicto sancitum est annum deinceps in omnibus actibus publicis incipiendum & numerandum à prima die Ianuarij.

A Æqualitas est de ratione quietis. *Vide Veritas Gloria.* Vera quies.

Vrbs Romana initio quadra constituta fuit. Petrus Crinit. de honesta discipl lib. 4. c 9. Varro tamen vrbem dicit dici ab orbe quia vrbis mœnia ducto aratro in orbem solebant describi, vt etiam figura sua æqualitatem inter ciues signarent.

De fœlicitate à Christo in mundum inducenda, dicit Ioannes omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa & aspera in vias planas. Hoc verè dicendum de statu Religioso.

B Deus per se moueri non potest, non propter defectum potentiæ, sed propter imperfectionem motus, quæ non potest cadere in Deum. Tosta. Exod. to. 1. fol. 274. c. 4. k.

Æqualitas est materia iustitiæ seu distributiuæ, seu commutatiuæ, sed diuersa. *Vide Differentia Æqualitatis.*

Panes 12. propositionis qui qualibet hebdomada offerebantur coram Domino, debebant esse æquales. Tost. 1. Paralip. fo. 21. referebant duodecim tribus, & amputata occasio, ne vna videretur cæteris magis pia, offerendo maiores panes esset que causa vanitatis & inuidiæ.

MAGNITVDO ÆQVALITATIS.

MAGNA ÆQVALITAS BONA.

SPHÆRA recta dicitur, illa in qua vterque polus inclinabit plano horizontis, hanc habent qui præcise habitant sub æquatore quorum scilicet zenith, seu punctum verticale est sub æquatore.

In hoc positu horizon & æquator, se intersecant ad angulos rectos sphærales. In hac sphæra, omnes stellæ oriuntur, & occidunt, æquales semper arcus æquatoris & zodiaci supra horizontem, discendunt; Vnde dies perpetuò noctibus sunt æquales, quia omnia sydera 12. horis in superiori, & 12. in inferiori hemisphærio permanent.

Motu primi mobilis æqualiter feruntur signa ac ignea aquea ;leo, pegasus, alatus, non citius fertur quam cancer.

Figura sphærica laude digna, quia vnica constat linea, cæteræ autem pluribus, proindeque simplicior & nobilior, ei additio nulla fieri potest. Arist. 2. de cœlo, tex. 25. ita nequit intendi aut remitti, est figurarum omnium ordine naturæ prima substantiæque maximè propria, vnde elementa & corpora cœlestia figuram habent sphæricã. Ad motum est maximè idonea. Vt patet in cœlis.

A Est omnium capacissima, vniuersa enim mundi moles, quæ continet omnia orbicularis est. Minimè passionem & læsionem recipit, ita turres rotundæ, gutta aquæ sic conseruatur, nam rotunditas non potest tangi nisi in puncto, & in minima sui parte.

Eadem est aqua maris in ripa & in alto.

Mens humana est imago sanctissimæ Trinitatis quia meminisse, intelligere, velle, habent inter se magnam æqualitatem. *Vide Voluntas bonitatis.* bonus sui amor.

Angeli sunt creati cum rebus corporeis propter bonum vniuersi. *Vide Gloria Concordantia.* publica priuatis præferenda.

Cœli figuram habent rotundam & sphæricam vt sibi maximè congruam; si quidem ea sola figuras omnes continet; nihil habet asperitatis, nihil offensionis, nihil inclusum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum Neque hanc æqualitatem motus constantiamque ordinum in alia forma facilè seruare potuisset. Ludo. Viues in somnium Scipionis.

DVRATIO ÆQVALITATIS.

CONTINVATIO ÆQVALITATIS.

PLATO habitum Iustitiæ per octonarium numerũ describit. Hic enim numerus primus est inter numeros solidos, primusque in numeros resoluitur pariter pares, idest in bis quaternos, & bis binos; nam bis duo sunt quatuor, & bis quatuor, octo. Deinde qua æqualitate resoluitur, eadem componitur, nam bini bis octonarium constituunt veluti æqualitatis exemplum. *Vide Differentia Magnitudinis.* de Numero octonario.

Cassian. lib. 2. cap. 17. refert eum, cuius officium erat, Monachos ad nocturnam orationem excitare, stellarum cursus obseruare vt eadem hora id semper fiat.

Stellæ vbique terrarum, æqualis apparent magnitudinis *Vide Cognitio Magnitudinis.*

C Motus cœlestium orbium circularis est, & perpetuus, non impingens, nec titubans, nec terminum suæ reuolutionis inueniens, quo velut repressus, & inhibitus consistat. Motus primi mobilis, semper est vnius modi, perpetuo enim & constanti ordine progreditur.

Vita & sanitas pendent ab æqualitate complexionis. *Vide Concordantia Potestatis.* obedire Rectoribus.

Opera naturæ, sunt semper vno modo, quia causa eorum vno modo se habet. Albert. Mag.

In cœlo omnia fiunt sub necessitatis ordine propter eam propinquitatem, quæ est ad primum, quod est necesse esse. In his autem quæ habent substantiam corporalem motam, & materiam alterabilem, & quæ sunt propinqua necessitati ordinis

ordinis, fiunt frequenter In vltimis verò, quæ multis subiacent variationibus ea sunt ab his, & fiunt rarò Secundum hunc ordinem, ea quæ sunt in primo ordine simplicioribus, & vniformioribus motibus consequuntur bonitatem primi: quæ autem in secundo ordine sunt, pluribus in genere motibus necesse est consequi, motu scilicet locali, & alterationis, & etiam generationis. Ea autem quæ in tertio ordine sunt multiformioribus valdè necesse est vti motibus ad bonitatis illius consecutionem. Albert. Magn. lib. de processu vnius tract. 4. cap. 6. sic qui mundum gubernant id efficiunt sub Dei motu, lege & ratione : Nec ira commouentur, nec flectuntur gratia, sed seruiunt necessitati rationis æternæ, quæ æternitas immobilis, & insolubilis est, Deus enim, est necesse esse; lumen suum intellectuale communicat primę Intelligentiæ: hæc alteri cœlos ordine immutabili, & motu circulari æquabiliter cœlos mouenti; hinc motus rectus elementorum; actus sibi similes specierum; artes & scientiæ certis præceptis. Ibid.

Esse superius est quod nec magnitudine distenditur, nec motu distrahitur; nec materia contrahitur, nec priuatione ad malitiam inclinatur; sed est esse primæ causæ, & esse intelligentiæ, & animæ mobilis, scilicet orbis, quæ secundum se ipsum, motum mouet localem circularem. Esse verò inferius est, quod quantitate distentum est, & propter hoc de vbi in vbi distractum. Infimum autem esse est, quod contractum est per materiam, & contrarietate determinatum, & motu ad formam & mutationes continuè distractum, aliter se habens in pręterito, aliter in futuro, & aliter in pręsenti: sub infimum verò est, quod propter priuationem sibi admixtam nunquam est plenum & perfectum; sicut est esse materiæ primę, & esse motus. Ibid.

Is cui non constat in mari sanitas, de minori naue in maiorem transfertur, & secum fert ægritudinis suæ causam. Æger omnia calumniatur, suorum & nimiam familiaritatem, & absentiam, & oblatos quoscumque cibos, quos sanus appetit. Ratio mentis sanitas est inter vitæ varietates, sibi semper æqualis; sibi negotia non se negotiis aptat, vt calceus accõmodatur pedi, non pes calceo, vt in alea operatur eadem industria, prout sors ceciderit æquo semper animo. Plutarch. lib. de tranquillitate animi.

Ex malis sapiens bonum elicit. *Vide Gloria Contrarietatis.*

Seruanda est mentis æqualitas dum cum omnibus conuersamur. *Vide Magnitudo Concordantia.* & cum infirmis compatimur. *Vide Concordantia Minoritatis.* compassio non sit nimia.

Si reuolutio similis fuerit radici, fœlix erit annus Almansor.

Generatio vadit, & generatio venit, & terra in æternum stat. Eccl. 1.

In orbe semel facto æqualiter secante diametro, idem ille semper manet, quoniam eadem natura semper perstat, & partes eædem semper sunt, quamuis orbis variè commutetur, & transferatur, & hæc æqualitas est illi essentialis, accidentale autem est quod in occasum, aut in ortum feratur. Fracastor de homocentricis cap. 8

Præsumptio desumitur ex communiter accidentibus l. certi §. quoniam ff si cert. petatur.

Actio naturæ semper fit eodem modo. Arist. 2. actio fortuita, non sic, nec etiam actio voluntaria. quæ se habet ad opposita, Natura enim semper determinata est ad vnum.

Æterna carent potentia Id. 9. metaph. tex. 17. idest ad corruptionem, possunt enim esse in potentia ad vbi, vt cœli.

Essentiæ rerum consistunt in indiuisibili, idest prędicatis essentialibus nihil potest addi, nihil minui. Et sunt æternę, quia non transeunt more accidentium, sed ab æterno fuit verum dicere, homo est animal.

Agens naturale idem manens, semper natum est facere idem. Arist. 2 de generat. tex. 56.

Naturale est quod vbique habet eandem potentiam vt homo vbique & semper est calidus.

Inter malos bonus. *Vide Duratio Virtutis. Et Media Concordantia.*

Corpora simplicia habent motum simplicem, quia in eis natura mouens non est nisi vna, quæ est principium motus naturalis, sicut ignis, terra. Albert. Mag. de cœlo tr. 1. c. 3.

In ente præter essentiam & motum, est status: quia omnis motus fundatur in statu aliquo, nam status dicit aliquid immobile; omnis vero motus fundatur in aliquo immobili, principium enim motus non est mobile vt sic, quia semper recurrendum esset ad immobile, hinc entia & materialia & immaterialia, seruant semper eundem tenorem & semper eodem modo mouentur. Plot. lib. 2. de gener. entis c. 5.

Platonicorum vulgare est axioma, regnare identitatem & statum in primis entibus; sicut in entibus materialibus, regnat alteritas & motus.

Quolibet solari anno consimilia tempora reuertuntur, ęstas, hyems, ver, autumnus, & in consimilibus temporibus consimiles fructus terra producit, vt flores vere, vuas autumno; similiter venti regnant certis anni temporibus. Sic in certis planetarum periodis, similia quædam contingunt regnis fausta in faustis aspectibus & contra. Campanella.

Substantiales formę talem habent situm in quanto, vt in maiori non sint maiores, in minori, minores, & hinc Albert. Mag. probat primas qualitates non esse formas elementorum, quia v. g. calor in magno igni maior est, quam in paruo.

Quod immobile est, vno modo se habet, quod verò mouetur, multiformiter.

Rerum etiam mutabilium sunt immobiles habitudines. Vnde nihil prohibet de rebus mobilibus immobilem scientiam habere.

Quod naturaliter alicui conuenit & immobiliter, est fundamentum & principium omnium aliorum, quia natura rei est primum in vnoquoque, & omnis motus procedit ab aliquo immobili.

Id per se videtur de intentione naturæ quod est semper & perpetuum, quod autem est solum secundum aliquod tempus non videtur esse principaliter de intentione naturę, sed quasi ad aliud ordinatum, alioquin eo corrupto naturæ intentio cassaretur. *Vide Duratio Potestatis.*

Metalla conseruant suam speciem siue liquida, siue coagulata, siue in calido siue in frigido alb. M.

Abraham videns cœlum nunc sudum, nunc nubilum cognouit non esse Deos, sed ad immutabilem Deum conuersus est Suidas in verbo Abrahã.

In Masinissa Numidarum Rege virium corporis maximum argumentum fuit, quod si standum esset, in iisdem vestigiis totum diem persisteret. Id. in voce Masenissa.

Apathiam vt vocant Stoici, & immotam animi

firmitatem, procul à perturbationibus seruauerunt, Socrates, Heraclius, Diogenes Cynicus, & Pyrhon, apud Romanos M. Crassus, qui semel in tota vita risit, ob id appellatus ἀγέλαστος. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 2. c. 1.

Gemmæ falsæ & vitreæ, interdum plus habent pulchritudinis quam veræ & naturales, sed discernuntur ex eo quod veræ, in vmbra, in loco lucido & sub sole vndique sunt sibi similes, adulterinæ hominum exemplo mutant faciem. Card. de rer. varietate c. 18.

Argenti nomine legati, intelligitur argentum & factum & infectum, quia eiusdem est pretij & in materiam suam potest facile reuerti. Rodigin. lib. 10. cap. 2.

B

Dicitur aqua quasi æqua, & hinc æquor, quod superficies eius æqualis sit. Isidor. Origin. lib. 13. cap. 12.

Natura est iussus ille Dei, quo res est id quod est & agit quod agere iussa est. Vanhelmont tract. natura contrariorum nescia.

Summa æqualitas est in Deo. *Vide Duratio Principij.* æternitas Dei.

Beatorum corpora, talia in perpetuum manebunt, qualia erunt cum resurgent. Tostat. exo. to. 2. fo. 184. c. 4. k.

C

Ignis manet idem per continuam appositionem materiæ, idem corpus per alimenta reparatum, eadem ciuitas ciuium, idem fluuius aquarum constans successione.

Beatus Isidorus fecit duas lucernas quæ manserunt post mortem eius, vna ad pedes, alia ad caput sepulchri eius, quasi per ducentos annos, itaut nihil de eis videretur consumptum; sed postea inde sublatæ sunt. Tostat nu. to. 2. fo. 24.

Columna nubis ducens & protegens Israëlitas, durauit 40. annis, licet ex se facilè mobilis. Idem. exod. fo. 13. & 16.

In tabernaculi ædificiis nō apponebatur ferrum,

A

quia facile contrahit æruginem. Id. exo. 2. to. f. 17.

D. August. de ciuit. Dei lib. 21. cap. 4. refert carnem Pauonis per mensem integrum asseruatam incorruptam permansisse.

Mare quod omnia vndique flumina excipit, in sua tamen mensura manet, fluctus suos littoribus terminat, & non vltra constitutos fines in continentem erumpit. S. Gregor. Nyssen. lib. de iis qui præmaturè abripiuntur.

Quum consecratur panis vel vinum, non augetur corpus ex multarum consecratione hostiarum nec ex sumptione minuitur.

Ætas virilis, dicitur ætas consistentiæ, quia nec crescit, nec definit.

REPVGNAT.

RES EADEM NON manens.

Vide *Minoritas Durationis.* Rerum inconstantia.

Mutatione rei pignoratæ, pignus finitur; distinguenda tamen sunt mutationum genera. Mutatio quæ parit nouam speciem & priorem perimit, pignus priori annexum perimit, vt si ex pinu vel cupresso fiat nauis, ex sylua nouale, ex lana vestimentum, ex marmore statua; simili mutatione desinit pignus. Non verò cum mutatio rem auget, vt si in loco puro ponatur ædificium, aut vinea, aut si mutatio rem minuat, vt si ex ædificio fiat area. remanet enim semper solum quod est rei præcipua pars; sic massa auri, argenti, vel æris legata vel pignorata si ex ea fiat vas, remanet semper pignus vel legatum, quia talia eius naturæ sunt vt possent sæpius in sua redire principia. Cuiac. obseruat. lib. 13 cap. 22. *Vide Veritas Differentia.*

VOLVNTAS ÆQVALITATIS.

AMOR SIMILIVM.

INTER omnia quæ tangere & contrectare possumus corpora, circulus magis est delectabiliter contrectabilis, manus enim concauum est orbiculariter conformatum.

De equis qui non patiuntur nouos dominos & sessores *Vide Maioritas Concordantia.* nimia cum multis amicitia.

Vide Concordantia Æqualitatis. amor similium.

Vide Concordantia Potestatis. adulari principibus

D

per conformitatem, de amore sympatico; *Vide Principium Voluntatis.*

Vide Contrarietas Æqualitatis. mala

Cuncta animalia in suo genere probè degunt, & congregari videmus, stareque contra dissimilia. Leonum feritas inter se non dimicat; serpentum morsus non petit serpentes, marinæ belluę ac pisces in aduersa tantum genera sæuiunt; at homini ex homine plura sunt mala. Laurent. Iustin. tract. de iustitia cap. 3.

VIRTVS ÆQVALITATIS.

IVSTITIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

STATERA iusta, & æqua sint pondera Leuit. 19. & Salomon Prouerb. 20. Pondus magnum & pusillum, & mensuræ duplices; immunda sunt apud Dominum. *Vide Æqual. Volun.*

Iustitia est virtus, reddens vnicuique quod suum est, superiori, æquali, inferiori. D. Bern. serm. 4. de aduentu.

De bono & necessitate iustitiæ, quæ est anima Reipublicæ, & de Iuris ciuilis præstantissima scientia. Vide plura apud Chassen. in catalogo gloriæ mundi, parte 10. consider. 20.

Cæteræ virtutes particularem sui vsum, & ad vnum quempiam præbent. Iustitia verò vtilitatem in multitudine, & vniuersas rerum comprehensiones præstat; sicut prouidentia, principatum obtinet in vniuerso; estque vniuersalis quædam harmonia. In ciuitate pax, in domo concordia, in corpore sanitas; in anima sapientia. Denique hæc virtus, totum simul, ac partes singulas moderatur, omnium mater & nutrix. Iudex est medicus morum.

Tot, tantorúmque bonorum & munerum quæ Deus largitur, nullus est fructus, aut vsus rectus, sine lege, iure, & principe. *Vide Bonitas Potestatis.* Regimen necessarium.

¶ De Iustitia. Gerson. to. 4. Laurent. Iustinian. Cic. 1. officior.

Iustitia dum ius vnicuique tribuit, totius mundi vices sacra moderatione dispensat; Is est vitalis spiritus quem rerum vniuersitas trahit, nihil aliud futura nisi onus & præda, & omnium confusio calamitatum, si de medio tollatur. Iustitia, lectio est, principi per omnem vitam repetenda; assuescat plures audire, vt illis ius reddat.

Præclarè Numenius Stoïcus dixit, Regem esse opus Dei, legem Regis, legis iustitiam, iustitiæ fœlicitatem. Vt ponderis æquabilitas, terram tam vasta mole, tot sæculis voluentibus, immotam tenet, sic regna, æquitas.

Apud Sinenses, singulis 5. annis fit inquisitio de vita & moribus Magistratuum. Dauity.

Petrus Damiani lib. 8. epist. 2. reprehendit quendam Cynthium iudicem, qui vt orationi vacaret, non implebat officium iudicis, cum quisque pro ratione suæ vocationis debeat operari, & suo fungi munere, sit orare, dicitur enim Eccles. 35. qui conseruat legem, multiplicat orationem, & sacrificium salutare, attendere mandatis.

Ratio iustitiæ consistit in ordine à diuina sapientia rebus indito.

De iniustitia quæ in ipsis etiam iudiciis committitur. *Vide Minoritas Æqualitatis.*

Iustitia præstantior est fortitudine, nam si omnes essent iusti, non esset opus fortitudine.

A Rodig. lib. 23. cap. 14. est quædam aggregatio virtutum, sic Ioseph dicitur iustus, idest perfectus.

Origen. periarchon lib. 2. cap. 5. refert hæreticos male dixisse alium esse Deum qui bonus est, & immeritis etiam bona confert, aliū qui iustus est, pro ratione culparū homines puniēs, vt mūdū diluuio Sodomā & Gomorrā incēdio. Bonus simul est & iustus quia bonitas sua iudicio procedit, fecit enim omnia in pōdere & numero. Ib. c. 9. existimat Esau odio habitum propter præcedentis vitæ demeritum supponens secundum Platonis opinionem animas ante corpora creatas, & in secunda vita, primæ pœnas luere.

Iustitia communis est virtus ius suum vnicuique reddens, vult nulli nocere, omnibus prodesse. B Diuiditur in religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, & veritatem Religio est quæ cuique superiori curam, ceremoniamque affert. Pietas est per quam coniunctis sanguine & beneuolentia, affectus, & diligens tribuitur cultus: gratia est, qua amicitiarum & officiorum alterius, memoria & remunerandi voluntas continetur. Vindicatio est, per quam ius & iniuria, & omne quod obscurum est, defendendo atque vlciscendo propulsamus. Obseruantia est per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam & honore dignamur: Veritas est per quam immutata ea, quæ sunt, aut fuerunt, vel futura sunt, dicuntur. Laurent. Iustin. tract. de iustitia cap. 1.

C Ad iustitiam nos excitat natura quæ corpori staturam rectam dedit, sic insinuans nihil indecentius fore, quam curuum recto corpore gerere animum; cum in eo quæ sunt iustitię naturaliter inscripta sint; illam etiam docet per animalia, quæ seruant innocentiam, concordiam, pietatem, ad ea quæ sunt sui generis. Ib.

Generalis iustitia comprehendit virtutes ordinantes ad proximum & ad Deum, sic totius animæ rectitudinem, ideo dicitur rectitudo voluntatis. Ibid.

Octonarius numerus exprimit iustitiam, estque eius symbolū. *Vide Differ. Magnitudin* Numerus.

Ne putes rem vllam esse tantam, vt à recto & vero propter eam deflectas, non hoc abs te opes, D non vllæ necessitudines non preces, non minæ, non mortis metus, & certum periculum extorqueant Lud. Viues.

Dan tribus habuit pro insigni libram, quæ noctem diemque, hoc est pœnas & præmia pari lance suspendit.

Foro præsidentibus tam leue sit aurum vt recti lances non flectat, tam graue ferrum, vt à recto deflectentes proterat; merito leges lapidibus insculptæ vt lapidem rogent qui lapidem violant.

Digitized by Google

Plato in Protagora Iustitiam dicit esse sanctam, & sanctitatem iustam.

Iustitia, tota plenitudo diuinitatis, inquit Tertulia. lib. 2. contra Marcionem.

Pontifices olim de iure respondebant, vt patet ex Liuio lib. 1. & Pomponio l. 2. § omnium ff. de Orig. Iur. docebant ius tam diuinum quam humanum, & officia tam erga numen quam erga homines.

Iupiter Planeta Religioni præsidet & Iustitiæ, Hebraïcè dicitur Sedech, idest iustitia. Leo Hebræus dial. 2. de amore.

Auditoribus Rotæ Romanæ multa iniungit pro iustitia seruanda, Paulus 4. const. 44. to. 2. & Paulus V. Const. 71. p. 196. t. 3.

Prohibitum tamen ne Iudicia publica habeantur in basilicis aut earum atriis. Concil. Arelat. VI. ca. 22.

Forum, Anacharsis Scytha, ad fallendum inuicem atque ad dandas auaritiæ manus destinatum locum esse dicebat. Rodig. lib. 28. cap. 9.

Princeps tollat abusus qui labem hanc & infamiam inurunt iustitiæ. Vide quæ scripsi lib. de agente Dei in humanis parte 2. cap. 13.

MORVM ÆQVALITAS.

D. Antonius nunquam hilaritate nimia, resolutus in risum est; nunquam recordatione peccati, tristitiâ ora contraxit, non magnis stupentium se elatus est laudibus; nihil in illo indecens solitudo, nihil asperum, quotidiana cum hostibus bella contulerant, sed temperata mens, æquali ad cunctos ferebatur examine. D. Athanasius in eius vita.

Tutius, rectiusque vehitur nauis plena, quam vacua.

Æquinoctialia signa, significationem habent, sacrorum & Religionis, per accidens, indirectè ex D. Thoma,

Ex motuum cœli æqualitate prima de Deo cognitio habita, hinc eius amor & veneratio, hinc prima æternitatis admiratio fuit. Fracastor lib. de homocentricis c. 2. vbi probat stellas tum fixas, tum errantes non moueri à se, sed ab orbibus quibus infixæ sunt, quia cum sint simplicia corpora, vnam tantum debent habere naturam, & vnum motum; & quia si in libero spatio mouerentur vt aues in aëre, corpus in quo feruntur, deberet pati raritatem & condensationem; illæ autem affectiones, quia fiunt cum violentia, sunt propriæ rebus corruptibilibus; cœlestia autem nec corruptibilia sunt, nec vlli violentiæ obnoxia.

Planetæ in cœlo liquido, & omnibus motibus peruio, eundem semper seruant motum. Sic eadem viuendi regula, in summa libertate.

Oleum non attollitur in ampullas, non deprimitur, non exilit, non subsilit, eodem tenore pergit quiescit, ideo pacis est symbolum.

Cœlum videtur stare & mouetur: Deus videtur moueri & stat.

Stat homo sapiens mente imperturbata, cœli ad instar empyrei, cuius serenitatem nulla tempestas obducit. *Vide Duratio Virtutis.*

Lapis bezoar verus dignoscitur à falso, si mersus aqua per sex horas, manet integer, non dissolutus & eiusdem ponderis. Dauiry.

Virtus est æqualitas quædam vitę, vndique consonans rationi. D. Aug. lib. de quantitate animæ.

Maximum smaragdi vitium est si non sit concolor, sed aliis partibus acciter vireat, aliis obscurus sit vel dilutus, aut eius viriditas non penetret per totum corpus, sed candor perspicientibus se offerat vel intus, vel in fine, aut si per totum non perluceat. Georgorius Agricola. lib. 6. de natura fossilium.

Vir bonus in vtraque fortuna sibi semper similis, dicitur & rotundus & quadratus. Rodigin. lib. 18. cap. 14.

Damocrates Athleta pedibus æger petiit tamen sacra certamina, in stadio lineam effecit sibi circumduci; aduersariis iussit, extraherent vi si possent, nequeuntibus verò, abiit domum coronatus Id. lib. 19 cap. 28.

Phocion Atheniensis nunquam visus est, nec flens, nec ridens. Id. lib. 25. c. 2.

Scipio Africanus intra 55. annos quibus vixit, nil emit, nil vendidit, nil ædificauit. Id l. 26. c 22.

Sextum Dei nomen apud Hebræos *Eieie*. dest, qui est, Deus enim quia æternus solus verè est. Isidor. Orig. lib. 7. cap. 1.

Appollo seu sol iuuenis pingitur eo quod quotidie oriatur, & noua luce nascatur. Idem. lib 8. cap. 11.

Quandiu aquæ in vino vitalique terræ fundo & sabulo oberrant & detinentur, æqualiter sursum & imum petunt, non secus ac sanguis dum in venis vita fouetur, tam est in fronte quam in pedibus, at extra venam defluit. Vanhelmont de terra; sic est vir bonus in vtraque fortuna.

Reg. 1. de Elchana dicitur, erat vir vnus; vix reperitur qui vnus sit, sedà semetipso diuersus per opiniones & passiones, iræ, tristitiæ, metus, &c. stultus vt luna mutatur. Eccl. 27. Origen. hom. vnica in lib. regum. Vt Deus vnus est qui non mutatur, sic Iustus imitator Dei, cum in virtutis summa constiterit, non mutatur, sed vnus permanet semper. Ib.

Stolam in vtroque humero fert sacerdos, cuius partes signum crucis efficiunt in corpore, eo quod imperturbatus præcipitur consistere inter prospera & aduersa can. Ecclesiast. dist. 23.

Arabes pro Dei sui signo habent tetragonum lapidem. Maximus Tyrius serm. 38.

Solitarius debet esse planeta, idest solus in vna domo, sine alterius corpore aut aspectu, vt solus præsit, alioquin si plures simul dominentur, etiam si non sint natura contrarii, erit homo dissimilis sibi, & incompositus. Cardan. Aphor. sect. 4. Aphor. 19.

Sol plurimum influit, quia motum habet æqualem sine retrogradatione. *Vide Maioritas Cognitionis* excellens cognitio.

Signa æquinoctia aries & libra faciunt moderatos, tropica Cancer & Capricornus, inæquales animo & corpore. Id sect. 5. ap. 77.

Vide Contrarietas Æqualitatis, Minoritas Æqualitatis Minoritas Durationis inconstantia.

Fons Iob in Idumæa quater in anno colorem mutare dicitur, idest pulueruIentum, sanguineum viridem & limpidum, trinis mensibus in anno tenens ex his vnum colorem. In Troglodytis lacus est qui ter in die fit amarus, & deinde toties dulcis. Fons Siloe ad radicem montis Sion, non iugibus aquis, sed incertis horis & diebus ebullit. Isidor. Orig. lib. 13. cap. 13.

Naues maximæ in medio pelago velut immotæ videntur, & nisi vrgeat dira tẽpestas, habent pódus

suum pro anchoris; non sic minuta nauigia, ad quemlibet enim vndarum impetum, deprimuntur aut saliunt, & modico vento scapha in periculum mittitur, quia deest illi quæ triremes fundat, grauitas. Sic quædam ingenia pondere carent, illis ideò qua spirat ventus, aut inclinat vnda cursus est, A exigua saxa, & in aquam decidentes herbas torrens abripit: rupes manent.

De assiduitate & circulo perpetuo exercitiorum religiosor. Vide quæ scripsi lib. de institutione & officiis religiosi. parte 2 cap. 32.

VERITAS ÆQVALITATIS.

VERA ÆQVALITAS ET EDENTITAS.

VT remanet idem animal, cum effluit ab eo semel genitale, aut cum morbo minuitur, sic planta manet eadem in fluxu foliorum, seminis, aut in defectu alimenti Identitas enim subiecti in organicis consistit, & illis manentibus dicitur planta manere secundum subiectum. Albert. Mag. lib. 1. de vegetabilib. cap. 6.

Manente forma, manet identitas rei, vt nauis Thesei eadem semper habita est, licet per nongentos sexaginta annos seruata, & successiuè tignis in veterum locum substitutis, quia semper mansit eadem forma nauis. Sic corpus quod alteratur per ætatem; censetur semper idem etiam in animalibus quorum formæ sunt materiales, quia semper remanent partes spermaticæ.

Vnum in substantia facit idem, vnum in quantitate facit æquale: vnum in qualitate facit simile. Arist. 5. metaph. tex. 20.

Motus æqualis dicitur, cuius mobile rectarũ & æqualiũ in partib. dimensionũ. Alb Mag. de cœlo.

B Æquale dicitur quasi per negationem minoris & maioris.

Quæ sit vera æqualitas in restitutionibus seruanda. *Vide Æqualitas contrarietatis.* Restitutio

Manet idem fluuius propter eandem originem, eundem alueum, licet alia & alia aqua diffluat, sic manet idem populus non per identitatem animæ aut hominum, sed per eãdem habitationẽ, vel magis propter easdem leges, & eundem modum viuendi, vt probat Arist. 3 poli. c. 2. & D. Tho. in quæst. disput. q. 1. de creat. spir. a. 9 ad 10.

Stellæ fixæ vbique terrarum & sub quocumque meridiano astronomicis instrumentis deprehenduntur æqualis magnitudinis. Vnde fatendum est terram æqualiter stare à qualibet parte firmamenti, & esse in vniuersi centro constitutam, Et sit C lunæ Eclipsis in occidente ceruitur sol in oriente; Vel contra si oculis tauri in oriente, eos scorpii erit in occidente cum diametraliter opponantur. Argolus astron. lib. 1. cap. 4.

GLORIA ÆQVALITATIS.

SPLENDOR EX ÆQVALITATE, PAX DELECTATIO.

OMNIA leuia habent aliquid lucis, licet non omnia faciant lucem, leue autem vocamus planum & politum, cuius vna pars non obumbrat aliquo modo aliam, neque impedit à lucis perceptione & lucis reflectione, quæ maximè fit super leue politum; tale autem leue maximè est humidum vel in humido terminatum: humidum enim talis naturæ est, quod eius vna pars fluit ad aliam, & nulla ei supereminet, ideo omne actu humidum & spissum politum est, similiter si sit ex humido sicut vitrum & metalla. Albert. Mag. tract. 1. de sensu & sensato. cap. 4.

Colores qui sunt compositi, in numeris propor- D tionalibus, sunt delectabilissimæ in visu species colorum. Sicut in consonantiis, delectabilissimæ symphoniæ sunt ad auditum, in quibus seruatur proportio numerorum, in vocibus & tonis. Ib. tract. 2. cap. 3.

In hostia pacifica quædam pars offerebatur Deo, quędam dabatur sacerdotibus, & quædam ipsis offerentibus; ideo non fiebat ex auibus qui non poterant in tot partes diuidi. Tostat, Leuit. fo. 13.

Digitized by Google

NON MOVERI gloriosum.

DEus immutabilis, immotus dat cuncta moueri. *Vide Duratio Principii.* Verbum in incarnatione non mutatum, sed ad illud accessit natura humana. Consule Theologiam.

Si quis alicui nobili tenetur reddere rationem, A debet accedere ad eum. l. pen. §. fin ff. de condition. & demonst. Ad nobiles mittitur tanquam ad nobiles personas. Vide Chassen. in catalogo gloriæ mundi parte 8. consid. 38.

Homo nobilius animal, non quęrit cibum ore vt cætera, sed cibum manu ori admouet. Centrum non quærit corpora, sed ad illud corpora feruntur. Vt ad mare flumina. Stabiles suas regiones habent elementa ad quas feruntur partes mixtorum dissolutorum. Ad tribunalia Principum, ad sedem Apostolicam accedunt dirimendæ controuersiæ.

DIFFERENTIA ÆQVALITATIS.

DIVERSITAS INTER ÆQVALIA.

QVINTIL. decl. 8. contra patrem qui permisit medico, vnum ex geminis secare, vt morbum ignotum quo ambo laborabant cognosceret, & alterum sanaret.

1 Quisquis, inquit, nescit, quod genus languoris sit, non potest scire an idem sit. Nihil in rebus humanis voluit esse rerum natura tam simile, quod non aliqua proprietate secerneret: quid refert an ex iisdem prima illa duorum corporum, animorumque compago seminibus oriatur? sibi quisque firmatur, sibi quisque componitur, & duo pluresue fratres nascuntur fato singulorum. Hanc ipsam indifferentiam quam mirantur occursus, stupent ciuitatis oculi, parentum tamen agnitio dignoscit, separat notitia nutricum, & fallentibus notis est rursus quod faciat ipsa similitudo dissimile; diuersa singulis mens, contrarii mores, vitę genera rixantia, fortuna dissimilis, hic pauper, alter diues, &c. simile forsitan accipiunt ab homine, dissimile à fato; sit alia cœli facies cursu præcipiti, dum vterus exoneratur, & multum est quod inter duas transcurrit animas; varium vtriusque fatum esse, B vel ex eo liquet, quod vnus sanatus, alter occisus.

De fratrum odiis. *Vide Contrarietas Æqualitatis.*

Quare Esaü & Iacob gemini fuerint diuersæ sortis. *Vide Principium Virtutis.* Bona indoles.

Eadem arbor varios produnt fructus, si quę eam pluribus surculis & variis generiis inserat, primordia enim, naturasque plures vnicæ substantiæ iniiciet. Theophr. de caus. plantar. lib. 5. cap. 5.

Duplex est æqualitas, vna commutatiua, quæ attentis rebus pondere numero constantibus & mensura, tantum vnicuique reddit. Altera dicitur distributiua, quæ maioribus & dignioribus maiora distribuit, & digniora pro merito personarum. C Nam inæqualibus æqualia inæqualia fiunt, nisi mensuram accipiant. Plato 6. de legib.

Idem tripliciter dicitur, scilicet idem genere, specie, numero. Arist. 1. topicor. 7. *Vide Veritas Æqualitatis.*

De æqualitate Arithmetica & Geometrica. *Vide Differentia Magnitudinis.*

Elementa sunt in composito, non æqualitate sed in proportione.

CONCORDANTIA ÆQVALITATIS.

AMOR ET VNIO SIMILIVM.

VIDE *Concordantia Principii.* Concordia partium cum vniuerso.

Quando planeta ingreditur aliquem terminum, fit se fortior, si fuerit conueniens naturæ & formæ suæ; at debilior ac peior, si fuerit diuersus, à natura & forma sua; vt si terminus fuerit frigidus & siccus, & D planeta similiter frigidus & siccus, crescit in frigiditate, & siccitate sua, &c Haly. 1. parte c. 2.

In artium inuentione, homines cognatas sibi elegerunt; similesque similibus se iunxerunt; Martii ferrum tractauere, & quæ per ignem fiunt; Saturnini agros coluerunt, ædificarunt domos, &c. Paracels. lib. de inuentione artium.

Digitized by Google

Duo sibi inuicem non similia, formas duas A dant aut conferunt corpori vni, talia sunt monstra: syrenes & alia in mari ex confusione seminum; minotauri, Centauri, Satyri, &c. in terra. At verò similia formam vnam proferunt, & corpus vnum.

Deus ex viro condidit fœminam, quadam intercedente concordantia vt quemadmodum vir ex magno mundo factus, ipsum deserere non potuit: sic nec fœmina ex viro facta, ipsum deserere possit, aut debeat, quia vna caro, & vnus sanguis est.

Duplex habemus corpus, elementare & sydereum; diuinatio fit per conuenientiam syderei corporis, cum astris. Paracelf. lib. 1. sagacis philosophiæ.

B Nutrimentum est potentia simile ei quod nutritur, idest quod vnico motore agente actu assimilari potest. Albert. Mag. tract. 1. de nutrimento. Quanto nutrimentum similius ei quod nutritur, tanto efficacius nutrit, & citius conuertitur; nam habentium symbolum facilior est transmutatio ad inuicem: hinc animatorum vnumquodque desiderat suæ complexioni simile; cholerici sicca, adusta, aliquid amaritudinis habentia; sanguinei calida & humida, sicut carnes leues: phlegmatici frigida humida vt pisces. Ibid.

Probatur animæ immortalitas, quia delectatur spiritualibus & diuinis velut sibi connaturalibus. *Vide Voluntas Virtutis.*

C Dicunt Platonici post mortem corporis animas separatas redire ad stellas compares, & quidem eas animas quę in vita iustitiam & pietatem coluerint. Albert. Mag. tract. 2. de natura & origine animæ. cap. 7.

Insitio arborum similium citius congalescit, propter similitudinem organorum & nutrimenti, & similem digestionem, & melius fructificat, & diutius durat, quam illa quæ est dissimilium & non proportionalium secundum genus proximum; similia sunt vt malus in malum, pyrus in pyrum, &c. Id. lib. 1. de vegetabilib. tract. 2. c. 9.

Animalia appetunt cibos suo temperamento conformes. *Vide Concordantia Medii.*

D Planeta qui est cum alio sibi amico & simili, est vir cui exhibetur hospitalitas & complexus. Bethem. centiloquil. n. 12.

Non nocet Mars in peregrinationibus aquarum, quia est dominus trigoni aquei, vt eadem ratione Saturnus in peregrinationib. terrarum. Almansor. propos. 46.

Humido cibali, occurrit humidum saliuale, vnde conspicientib. nobis cibum, ora humescunt.

De concordia inter milites, & omnes sibi similes, vt se contra alios tueantur. *Vide Principium Concordantiæ. Necessitas.*

E Anaxagoras, Clazomenius dixit rerum omnium principium esse partes similares quæ in sui similes conuertuntur, vt cibus apparenter vniformis habet partes similares quæ in carnes, ossa, capillos, &c. conuertuntur; & pereunte animali in similares resoluuntur vt in sua principia. Plutarch. de placitis philosoph. cap. 3.

Deus constituit potius homines, quam Angelos ministros sacramentorum, quia homo ad hominem maiorem habet conformitatem, sicut Deus vt saluaret hominem factus est homo. D. Thom. 3. q. 94. a. 7.

Partes aquæ se mutuò attrahunt vt filtratione & fontibus.

Iupiter calidus & humidus temperatè serpentibus est noxius, sicut Saturnus proficuus.

Si duorum lapidum magnetis poli septentrionales ad se mutuo dirigantur, vnientur, at polus septentrionalis, fugiet meridionalem.

Secundum Haly stella infortunata, non facit magnum damnum, seu malum in regionibus in quibus concordat, sed in quibus non concordat, facit magnum damnum.

Corpora ex quacumque distantia motu suo naturali feruntur in suum centrum, non sic autem similia se quærunt, sed cum intra debitam distantiam effluxum sibi similem percipientia, tendunt ad vnionem, velut si essent vnius totius partes.

Non possunt vniri beneficia Ecclesiastica, nisi cum beneficiis Ecclesiasticis; & ideo non cum commendis Equitum Maltæ quæ non sunt propriè beneficia, sed concessiones ad nutum reuocabiles.

Alimentum debet esse simile rei alitæ, 2. de ani. text. 44. tanto n. aliquid perfectius nutrit, quantò paucioribus eget mutationibus vt in viuentis substantiam conuertatur.

Apud Sinenses in vrbibus, singulę artes, suos distinctos habent vicos. Dauity.

Comparatio propriè fit inter ea quæ sunt eiusdem speciei, & propriè non accidit inter ea quæ sunt diuersorum generum. Arist. 7. physic. tex. 27.

In Persia in alicuius nuptiis, omnes amici conuenientes nupti coloribus vestiuntur.

Tale additum tali, facit ipsum magis tale. Arist. 3. topic. cap. 4.

Amant aues, hi quibus horoscopus est in signo aëreo.

Semper dispositio vltima ad formam, & forma vnius & eiusdem sunt ordinis. Nihil inclinatur nisi ad aliquid simile & conueniens.

Omne simile auget suum simile.

In nauibus fabricandis, vel cæteris ligneis operibus, nec pino & abieti quercus conglutinati valet, altera enim materies spissa, altera rara; affectus autem similis in his esse oportet quę sociari, conflarique debeant, non contrarii, ceu si ligno lapidem coniungere velis. Theoph. hist. plant. lib. 1. cap. 8.

Est regula sociandi colores, vt splendidi splendidis, obscuri obscuris foueantur, & proximi inuicem modo possint distingui. Itaque nec albus nigro, nec alteruter rubro, ob distantiam benè iungitur. Cardan. de rer. varietate. cap. 14.

Canis cani, sus sui, bos boui videtur animal pulcherrimum.

Ægypti genesim nascentium principum examinabant, ad imperium fœlicem habebant si Genesis eius benè consentiebat cum regni horoscopo, quod si dissentiebat, vt si habuisset in horoscopo, signum decidens ab horoscopo regni, procul pellebatur aut occidebatur. Rodig. lib. 8. cap. 1.

Vultur volucribus vel mortuis abstinet quodam cognationis intellectu. Id. cap. 18.

Scribit Auicenna æstimatio, humores permouet, quippe sanguinem agitat rubentium rerum intuitus: quare eum cui è naribus profluere sanguis assueuerit, vetamus rubens quippiam amplius inspectare. Eadem ratione scribit. Albertus ad prælium elephantes excitari, ab rubri conspectum furere tauros. Id. lib. 16. cap. 11.

Artes omnes conantur similia similibus iungere. *Vide Voluntatis Concordantia.*

Cum simile simili gaudeat & magnes atque ferrū qualitatib⁹ frigidis atque siccis imbuta admodū

sint, & colore etiam persimilia, hinc ille reciprocus amor & attractio hinc eadem de causa poli arctici plagam siccam frigidamque absque intermissione prospectat. Anto. Zara. in anatomia ingenior. sect. 1. memb. 4.

Vt in metallis, lapillis, aromatibus, ea sunt ad adulterandum aptissima, quæ veris ac natiuis propria sunt; ita primi conditores hæresum Platonica miscuerunt dogmata, quia Plato habet multa nobis similia.

Qui gluten forte conficiunt ad vasa fictilia vel vitrea confracta resarcienda, miscent ex eadem materia puluerem, vt simili medio, partes facilius in vnum coalescant; sic aurifices, vtuntur auro, medio coniunctionis mixto, ad auri partes vniendas, similiter argento, ad argenti partes consolidandas. Euocatur viperæ venenum, vipera vulneri apposita, recurrit enim venenum ad corpus sibi consimile; sic de Aranea, Scorpione, Bufone. Quorum puluis tempore pestis defertur, vt illi velut affini corruptus aër adhæreat.

Tonus vnius instrumenti musici, cum alio simili symbolisat. In vnisono nempe manifestè gestit & exultat, appenso ad fidem annulo, in cæteris autem tonis, etiam longè maioribus, & altioribus aliâs quiescit. Van Helmont. in tractatu magnnm oportet. Sic læsus à Tarentula non saltat nisi ad conuenientem sibi tonum; Amans præfert sympaticè amatam, diuiti & magis fortunatæ.

Id. tract. natura contrariorum nescia. Censeo, inquit, medicamen propriè, immediatè atque efficienter consistere in competenti, siue appropriato; per quod nempe natura à suo casu resurgit.

Omnis delectatio est ratione proportionalitatis in quinque sensibus. Cum quæritur ratio pulchri, suauis & salubris, inuenitur proportio æqualitatis. D. Bona. cap. 2. itiner. mentis in Deum.

In amicis tria requiruntur, scilicet similitudo, æqualitas & conuiuere. 8. Ethicor. Tostat. in 3. Reg. f. 39. c. 3. f.

Cinis retinet qualitates ignis, estque naturæ valdè calidæ & siccæ, ideo non potest comburi. Id.

Ex vno amico fit iudicium de alio, quia supponuntur similes; vt quando æquiuocum ponitur in contextu, debet accipi significatio eius, per ea quæ coniuncta sunt. Id. 4. Reg. fo. 89.

Vide Voluntas Æqualitatis. Amor similium.

Simile non agit in simile. Vide quæ scripsi de iure natural. lib. 2. lege 7. §. 4.

Similia se quærunt in amicè complectuntur. Ibid. lege 9. facilis est similium in se transitus. Ibid. §. 1. similior præfertur minus simili. §. 3. Iucundum est vniri similibus. §. 4 similia fiunt vnione fortiora se que protegunt. §. 5 similium vnio sola constans est §. 6.

Similia sibi mutuo præstant auxilium. *Vide Gloria Minoritatis.*

Liquor plantæ ad radicem sui consimilis effusus mira fœcunditate beat. Van Helmont.

Medicamentum proprie immediatè atque efficaciter cõsistit in competenti atque appropriato. *Vide Differen. Contrariet.* Diuersitas remediorum.

Appetitio similium est vnum ex principiis amoris. *Vide Principium Voluntatis.*

Hospitiis peregrinorum præfici debet peregrinus, & qui non sit de illa patria. *Vide Concordantia Differentia.* Hospitalis. Peregrinus enim peregrinos humanius excipiet.

Omnia feruntur ad sibi simile, terrea ad terram, aquea ad aquam, & aquæ in visceribus

A terræ ex vaporibus natæ fluunt ad mare, aër ibidem natus magna concussione frangit carcerem suum, vt veniat in liberam aëris regionem; ignis in terra natus tendit sursum, &c. Leo Hebr. dialo. 2. de amore.

Virtus magnetica in multis elucet, in omnibus forte reperitur. Virgines cum virginibus conuersantur. *Vide Maioritas Gloriæ.* Virginitas.

Quærunt omnia proprium sibi & similem locum. *Vide Medium Durationis.* Locus.

In Chymicis caput mortuum facile imbibit humorem ex se prius eductum, non alium.

B *Similia feruntur instincta ad auxilium præstandum suis similibus. Vide quæ scripsi lib. de operibus misericordia. parte 1. cap. 1.*

AMOR PROXIMI.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetę. Ex vno homine omnes producti sunt, vt omnes se tanquam fratres diligerent; non sic legitur factum in Angelis vel in brutis: vnde C dilectio est debitum naturale, à quo nullus absoluitur. Accedit spiritualis fraternitas, vnum patrem habentes Deum, vnam matrem Ecclesiam. Amandus est quem Christus amat, & pro cuius salute sanguinem suum fudit. Prouocat etiam ad amandum sollicitudo Angelicæ custodiæ. Videte, inquit Christus, ne contemnatis vnum de pusillis istis, &c. non est ab homine despiciendus homo; qui Angelo tam carus est. Excitat etiam dulcedo fraternæ dilectionis, quæ pacem in cor proximum diligentis diffundit. Bonum pacis quo nihil melius, nihil suauius ex fraterna oritur charitate. Multi vnum sumus in Christo, singuli alter D alterius membra. Dilectionis emolumenta sunt quinque, 1. Victoria quę ex ipsa oritur. De quo dicitur Eccle. 4. melius est duo esse simul, resistunt enim. 2. Bonorum abundantia, quod enim deest homini in se, habet in amico; secundas res splendidiores facit, & aduersas partiens communicansque leniores. 3. Plurium oratio, potentius impetrat à Deo; si duo ex vobis consenserint, &c. Mutua exhortatio, vnus enim quomodo calefiet? Eccles. 4. 5. Consolatio quæ ex mutua dilectione trahitur. Laurent. Iustinian tract. de charitate cap. 15. *Vide Concordantia Virtutis.* *Vide Virtus Voluntatis.* de charitate. De officiosa & liberali charitate. *Vide Virtus Bonitatis.* Et E *Gloria Minoritatis.* Auxilium.

Posita charitate nullis aliis opus est legibus. Nihil felicius quam amare, idcirco Deus & Angeli fœlicissimi qui amant omnia, miseri Dæmones qui oderunt. Vbi viget amor nemo alteri quærit præferri, nemo rapere, quæ putat in alio possidere, non inuidia, contentio, lis, sed congratulatio. *Vide Concordantia Gloria.*

Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege 20. § 2. De præcepto amandi proximum sicut seipsum. moral. Christian. to. 8 parte 2. cap. 14.

Sine martyrio, scientia, facundia, facultatibus possunt homines cœlorum adipisci regna, sine proximi vero dilectione nunquam. Disciplina incarnati Vrbi tota in proximi dilectione, tanquam in fundatissimis aureis basibus constructa est.

est. In hoc, inquit Christus, cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Laurent. Iustinian fasciculi amoris cap. 2.

Hæc mando vobis vt diligatis inuicem, inquit Christus, nempe vt illum diligeres arctius, tuum fidei suæ fecit esse consortem, per quam vnius corporis efficeremini membra, parium sacramentorum participes, & cœlestis regni conciues perpetui. An non diliges eum cum quo debes in cœlorum palatio sine fine lætari? Ipsum decet vt diligas sicut te, qui eundem habet patrem, quem tu, formam similem, non disparem imaginem, & gratiam æqualem: suadet quoque ratio, vt non minus diligas quem velis diligi, amari vis, ama & tu, cupis vt tibi impendantur humanitatis beneficia, eadem tu rependere stude, alioquin inhumanus eris, ingratitudinis reus, & diuinæ legis transgressor. Bruta speciem suam amant, &c. Odia inter homines orta sunt ex naturæ deordinatione, vt simul in Deum & naturam peccent, &c. Ib. cap. 11.

Amor Dei & proximi cohærent, nec valent ab inuicem separari, & quamuis Dei caritas proximi dilectione videatur esse dignior, non tamen est vtilior, quoniam pari cursu tendunt in Deum parique remuneratione clarescunt. Attestante veritate, venite benedicti Patris mei, esuriui & dedistis mihi manducare, &c. Id. opusc. de perfectio. grad. c. 13.

AMOR AFFINIVM ET consanguineorum.

CONiunctio fortior est aspectu, vnde diminuit significationem aspectus in centiloquio. nu. 8. affines præferuntur amicis.

Olim in Armenia qui vxores filios, filias, fratres, sorores occidissent, ne rei quidem postulabantur; Dauity in Armenia, quia supponebatur grauissima causa, vim inferens innato amori.

Indi Brachmanę sacerdotes dicunt primam causam, quam vocant Parabramma genuisse tres filios quibus suam diuinitatem communicauit, inter se sic concordes, vt sint velut vnus, ideo in capite ferunt tria filacteria pendentia, vno nodo capiti iuncta. Idem.

Num. 35. cognato conceditur occidere eum qui per odium cognatum suum occiderit.

Possumus vlcisci iniurias consanguineorum, vt proprias etiam ipsis inuitis. *Vide Veritas Bonitatis;* inuitis benefacere.

Quando restitutio facienda est propter homicidium, fieri tantum debet hæredibus necessariis, qui soli censentur coniuncti cum occiso. Bonaci. de bello.

De magna concordia inter milites propter commune periculum. *Vide Principium Concordantia necessitas.*

Quamuis anima separata maximo ardore feratur in Deum, vt de humanis non videatur curare, tamen & Philosophorum & Christianorum doctorum est sententia in anima separata remanere affectum pro his quibus fuit coniuncta, vnde sancti nobis auxiliantur. Vide D. August. lib. de cura pro mortuis & Rodig. lib. 10. cap. 21.

Horæ sorores sunt æquales, pari passu ambulantes, & locum sibi mutuo cedentes in temporis constitutione.

Virtute præstantiores sunt preferendi consanguineis *Vide Gloria Virtutis, Remuneratio Virtut.*

In ordine charitatis personæ præferendæ sunt quæ sunt nobis sanguinis cognatione proximiores Origen. hom. 3. in cant. super illud, ordinauit in me charitatem.

Paulus optat anathema esse à Christo pro fratribus suis, qui sunt cognati secundum carnem. Romā. 11. præfert illos gentibus.

Luna quæ nobis planetarum vicinior est, credita est inferiora potissimum mouere, nam dominatur humidis quibus omnia constant, & omnium celerior præsidet auguriis quæ confestim & ex improuiso fiunt. August. Niphus de auguriis. l. 1. c. 19.

De viro Deus creauit mulierem, vt sicut Deus omnibus rebus existit principium creationis, ita homo omnibus hominibus esset principium generationis. Ex vno homine omnes esse voluit, vt dum cognoscerent se ab vno esse, omnes se quasi vnum amarent. Magister sententiar. lib. 2. dist. 18. q. 1.

Quanto aliquid est propinquius primo principio, tanto nobilius sub ordine prouidentiæ collocatur, inter omnia verò alia spirituales substantiæ magis primo principio appropinquant, vnde & eius imagine insignitæ dicuntur, & ideo à diuina prouidentia nō solum consequuntur quod sint prouisa, sed etiam quod prouideant, & hæc est causa quare prædictę substantiæ habent suorum actuum electionem, non autem cæterę creaturę quæ sunt prouisę tantum, & non sunt prouidentes. D. Th. in quæst. disput. de prouidentia q. 5. a. 5. *Vide Maior. Volunt.* circa quos debet esse maior affectus.

Tempore Iacob libentius dabant homines filias suas affinibus suis in vxores, quam aliis. Tostat. in Genes. fo. 134. col. 4. E

Prælatus magis tenetur beneficium dare cognato quam extraneo cæteris paribus. Id. Matth. to. 6. fo. 34. c. 1. b

Quatuor modis dicuntur fratres in scripturis, scilicet, natura, gente, cognatione & affectu. Id. Matth to. 4. fo. 34.

Oramus Pater noster qui es in cœlis. Commendat Christus charitatem sub nomine fraternitatis. *Vide Æqualitas Voluntatis.* communis charitas.

Vindicatur iniuria suis similibus facta. *Vide Contrarietas Minoritatis.*

Partes octaui orbis inanes, partim ex natura signorum, partim ex natura circumiacentium syderum constant. Card. Aphoris. sectio. 1. Aphoris. 12.

Consanguinitas natura conciliat. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 2. lege. 9. §. 2. Similior præfertur minus simili. Ib. §. 3

Matth. 19. dicit Christus, finite paruulos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum, vole nos similes illis esse. Pueri matrem propriam, licet pauperem, & vilibus vestitam, reginæ præferrent, quod suum aut alienum est, non inopia aut copia rerum, sed amicitia & familiaritate discernunt. Diuus Chrysost. homil. 64. In Matth.

Constitutione Iustiniani coguntur omnes etiam inuiti ad testimonium dicendum exceptis viris illustribus, cognatis & affinibus vsque ad 7. gradum. Guiac. obseruat. lib. 8. cap. 13.

Diodorus Siculus lib. 4. cap. existimat populos sub linea æquinoctiali existentes, vt proximiores soli, primos fuisse homines.

Magnes annulo sibi proximiori maiorem vim communicat *Vide Differentia Concordantia.* ex Cusa.

Charitas est ordinata & in largitionibus, parentes A *prefert cęteris, vide quę scripsi lib. de operibus misericordię parte 2. cap. 3.*

REPVGNAT.

NIMIVS PARENTVM affectus.

VIde *Maioritas Voluntatis. mala.* nimius parentum amo.

Religiosus coerceat nimium pro parentibus affectum. Vide quę scripsi lib. de institutione & officiis religiosi. parte 2. cap. 7. 8. B

Christus dicit, qui non odit patrem suum & matrem, non potest meus esse discipulus. Vult præponi parentibus, nec quicquam de diuinis prætermitti præceptis, sub prætextu carnalis pietatis. Deo indignum se facit, qui æterno & spirituali carnalem præponit patrem. A Deo accepimus animæ decorem, & corporis formationem; parentes, nos prius fecerunt damnatos quam natos, ad laborem sæculi genuerunt, & nos secum trahere tentant ad æternum interitum, ô quot exorbitare fecerunt à via Dei parentum insidię. Laurent. Iustinian. lib. de perfectione monastica cap. 4.

In talibus filio licet parentibus resistere. *Vide Contrarietas Principij. actio in parentes licita.* C

Luna cęteris planetis minor, quia tamen nobis vicinior, eos obscurat, sic pileus oculis nostris vicinus, totum cœlum obscurat, cuius comparatione tamen minimum est, sic in præiudicium veritatis & virtutis præualet consanguineorum amor; etiam Luna cæteris planetis vicinior, his maiorem in terras vmbram iniicit. Et cæteri planetæ similiter quo sunt terræ viciniores.

Auditorum Rotæ Romanæ eorumque familiarium, nec non consanguineorum & affinium vsque ad 3. gradum causæ in tota non tractantur. Paulus 4. const. 4. §. 9. Bull. p. 44. to. 2. D

Vide Voluntas Bonitatis. inordinatus sui amor.

AMOR FRATRVM.

AGathyrsi, communiter vtuntur mulieribus vt fratres inter se nascantur, & cum omnes cognati sint, nec inuidia, nec odio inter se capiantur. Herodot. hist. lib. 4.

Qui spretis fratribus, alios colit amicos, similis est ei, qui deserto agro suo, alterius agrum coleret. Amat fratres, qui amat parentes communes generationis autores, & communi eos amore complectentes. Musæ dicuntur sorores simul inhabitantes, & concinentes; fratres cum sint eiusdem familiæ, sunt velut corporis partes, oculi, pedes, manus, quę sibi compatiuntur, seque mutuò iuuant. Tale auxilium terret hostes, cum pecunia prouocet. Vnusquisque nostrum vndique multis veluti circulis circumscriptus est, ipso velut centro existente. Primus est parentum, secundus fratrum, tertius consanguineorum, concliuium tandem totius humani generis.

Auxilium fratri exhibitum in te refundet mutuus amor, potentiorem enim habebit te tuaque curantem.

Voluit Deus ex vno viro & vna muliere subsistere vniuersas hominum gentes, vt in maiorem concordiam coïrent, tanquam qui ex vna radice effloruissent Theodoret. in Genesim. quæst. 43.

Matth. 11. Christus dicit Cananeæ, sine prius saturari filios, non est bonum tollere panem filiorum & dare canib. prius Iudęis, quam Cananæis vult auxiliari. *Vide Voluntas Bonitatis.* prius sibi prouidendum.

Geruasius & Protasius mortuo vtroque parente martyribus. S. Vitale & S. Valeria fratres se in vno cœnaculo concludentes per decem annos, lectioni & orationi vacauerunt. Petr. Dam. ser. 17.

Septem filij Iob & tres filiæ tanquam vna anima indiuisi conuixerunt in vnanimitate, quæ tanta fuit, vt malignus & inuidus Dæmon facilius omnes pariter indiuisos interficere, quam diuidere atque dissociare benignam atque veram eorum vnanimitatem posset; Cum essent vnanimes cuncta propria inuicem sibi æstimabant communia. Origen. lib. 1. in Iob. Ideo pro omnibus qui vnum erant, vnum vitulum offerebat. Ib.

Si extraneus contulerit alicui paruum beneficium, & frater suus nullum, magis tenebitur fratri quam extraneo. Tostat. Matth. 10. 6. fo. 148. cap. 4. g.

Natiuitates fratrum plerumque habent ascendens vnum, quia locus filiorum in parentibus vnus sæpè existit. Card. Apho. sect. 5. Aph. 2.

NVPTIÆ INTER pares.

VXorem duc ex æqualibus. Si enim ex superiori familia duxeris, non affines tibi, sed dominos comparabis

Vir notabiliter inæqualis nobilitatis & potentiæ non tenetur ducere filiam pauperem cui ad eam seducendan promiserat nuptias, quia est illi notabile detrimentum, & illa debebat intelligere se falli. Vide Bonac. de sponsalibus. Quod intelligit si promissio sit facta. Sed tenetur damnum resarcire.

In regno Malabar capitale est plebeiis nuptias nobilium pati; nobiles enim nequidem se patiuntur ab ignobilibus tangi. *Vide Concordantia Minoritatis. mala.* In regno Cochim filii sequuntur conditionem patris nec possunt nubere nisi mulieribus eiusdem conditionis. Dauity.

Ex nuptiis filiorum Dei, cum filiabus hominum nati sunt gygantes, viri potentes. Rabbi Abrahain intelligit de optimatibus & principibus qui plebeias duxerunt. Genebr. in Christo an. mu. 1656. E

Vide Concordantia Differentię. coniugium diuersorum.

Quia creatis cunctis animantibus Adæ non inueniebatur similis illi, creauit Deus Euam mulierem.

Mixtio non est nisi eorum quæ communicant in materia, & nata sunt agere & pati ad inuicem. Mistio enim non fit, quando vnum dominatur totaliter alteri.

Tempore Iacob libentius dabant homines filias suas in vxores affinibus quam aliis. Tostat. Gen. fol. 314.

Digitized by Google

MALA.

INCESTVS.

PErsæ non solum cum sororibus, sed etiam cum matribus nuptias ineunt. Hoc generaliter Israelitis prohibuit Deus Leuit. 18. non facietis secundum instituta regionum in quas vos introduxi. Theodoret. in Leuit. 24.

Berosus lib. 5. refert post diluuium diuina prouidentia factum vt mulieres simul parerent masculum & fœminam, vt fit in fœtibus turturum & columbarum & hinc Plato in symposio facit mentionem generis humani Androgini.

Matrimonium cum sanguineis etiam in primo gradu lineæ seu rectæ, seu collateralis, non est intrinsecè malum, vnde licitum est si vrgeat necessitas propagandi generis humani.

Apud Drusos Syriæ populos, incœstus non est prohibitus, mater nubit filio, frater sorori, dicunt parentes filios & filias sibi genuisse, potius quam aliis.

De incœstu spirituali prælatorum quos populi laudibus inebriant. *Vide Contrarietas Potestatis.* Potestatibus resistere.

Incœsti commissi reos à communione Ecclesię separat. Concil. Aruernense. can. 10. quia qui caritatis ac pii affectus solatio exhibere debuerat, suorum hostis & pudicitiæ expugnator, vim infert.

De incœstis coniunctionibus prohibitis, multa Conc. Turon. II. c. 21. & Concilio Matisconens. II. dicuntur incœstuosi, velut sues in merda sua volutari. can. 18.

Piasus Thessalus Larissam filiam suam incesto & infœlici amore deperiit. Suidas in verbo *ἀθέμιτα*.

Doctores Hebræi dicunt omnes partus Euæ gemellos fuisse, singulos ex masculo & fœmina; sed fratrem sorori vterinæ non fuisse matrimonio coniunctum sed alteri, nam ipsos natura ipsis natalibus disiunxit, inuicemque separauit, inquit Philo lib. de specialibus legibus. Nam qui gemelli vnius sunt sexus iisdem secundinis inuoluti simplici duntaxat membrana seiunguntur, qui vero diuersi sunt sexus diuersas quoq; secundinas acceperunt, easque prorsus diremptas. Vt refert Fernel. physiolog. lib. 7. cap. 12. in fine. De prohibito eorum coniugio vide Seldenum de iure naturali secundum Hebræos. lib. 5. cap. 8. vbi ex doctoribus Hebræis refert Caïnum gemellam Abelis accepisse in vxorem, & Abelem gemellam Caïni. Quomodo id necessitate generis humani exigente factum sit. Vide D. August. de ciuit. Dei. lib. 15. c. 16. & 35 q. 1. c. 1.

Adam carnem suam duxit vxorem, scilicet Euam de latere suo sumptam; ex vno Adamo fecit vt plantaretur vniuersum genus, vt non diuelleretur ac separaretur, postea factum vt sorores & filiæ non amplius ducerentur vxores, ne rursus dilectionem in vnum contraheremus & aliter separaremur à nobis ipsis, &c. D. Chrysost. hom. 20. ad Eph.

Incœstuosos Christianos infideles criminibantur propter osculum in missa dari solitum, ac etiam quod Christiani inuicem fratris ac sororis nomine in missa salutarentur.

Eua quolibet partu geminos pariebat, mascu- A lum & fœminam, & post illi duo erant vir & vxor. Vt dicunt Iudæi. Tostat. Gen. fo. 28. id autem nunc non expedit fieri. Id. Matth. to. 5. fo 80.

Nullos gradus consanguinitatis & affinitatis distinxit Christus. Id. 1. Reg. to. 1. fo. 129. Quod circa tales gradus determinatur. Leuit. 18. fuit cæremoniale, nec est de lege naturæ, alioquin id nunquam fuisset permissum. Id. fol. 131. vnde si frater & soror infideles coniuncti, conuerterentur ad fidem, non essent separandi, quia id non est contra legem naturæ, Ib. lib. 139.

Minor si adulterium commiserit non subuenitur. l. auxilium ff de minorib. 25. an. si incestum aliquando subuenitur quia iure naturali non est B prohibitum. Cuiac. in d. l. auxilium, sed iure gentium in linea recta & iure ciuili in quibusdam gradibus collaterialibus.

Incœstus prohibetur 1. quia debet homo quandam honorificentiā consanguineis 2. quia daretur hominibus nimia opportunitas ad venerea, propter magnam conuersationem cum consanguineis & affinibus 3. quia per talem commixtionem impediretur multiplicatio amicorum; 4. quia naturaliter diligit homo consanguineam suam, & ideo fieret nimius ardor amoris, nimium incentiuum libidinis. 5. propter paucam prolem; nam apud Romanos expertum fuit, quod ex coniunctione consanguineorum non multiplicabatur proles, sicut minor est in agris fœcunditas ex ipsismet orto semine. Ideo statuit Ecclesia quosdam gradus con- C sanguineorum. C. quædam lex. 35. q. 3. Tostat. Matth. to. 2. fo. 156.

Adde quod purus castusque consanguineorum laberetur in communem qui habetur inter personas diuersi sexus, si filius nuberet matri, iam maritus imperaret matri; & extingueretur honor ei naturaliter debitus.

Semiramis post mortem regis Nini viri sui sollicitauit filium, vt eam acciperet in vxorem, quo facto legem constituit, vt omnibus fœminis liceret filios suos accipere in viros & patres accipere filias, hæc postea iugulata est à filio suo, fastidiente tantum facinus. Tostat. 4. Reg. fo. 117.

Incœstus prohibitus ne amor consanguinitatis qui est rationalis & homini proprius, obscuretur à sensuali concupiscentia, quam habemus cum brutis communem.

D Iustinus Martyr. Apolog. 2. pro Christianis inuehitur contra solitas expositiones infantium qui à lenonibus colligebantur vt adultos prostituerent, qui sic nefariis complexibus polluebantur & incidebant in cognatos aut germanos.

Quicumque habent Venerem in ariete, in eadem parte in qua Saturnus vel Mars geminos possident, hi omni erga pueros & sacras virgines laborant incestu. Cardan. Aphor. sect. 5. aph. 9.

Si Saturnus aut Mars cum Venere conueniant, in signis communibus illis, vt libra & Capricornus natus consanguineam pro vxore habebit, quod si in ascendente fuerint significatiores, erit nouerca, vel soror. Ib sect. 6. aph. 70.

Incestas nuptias sub Constantino permissas, Constantinus & Constans filii prohibuerunt. l. 1. Cod. Theodos. de incest. nuptiis cum sorore defunctæ vxoris, & filia fratris & sororis. Cuiac. obseruat. lib. 8. cap. 28.

Filiam & matrem nefario coitu cognoscentes, vltimi supplicij pœna plectuntur. Sixt. V. Const. 54. p. 435. to. 2. Bull. vbi de diuersis incœstus speciebus.

NEFANDI CONCVbitus.

QVintilian. declam. 3. pro milite qui impurum Tribunum, vim sibi inferre volentem occidit. Cum virorum, inquit, fit, non corrumpere in tantum sæculi vitia regnant, vt obscænis cupiditatibus natura cesserit, vt pollutis in fœmineam vsque patientiam maribus, incurrat iam libido in sexum suum; Intrare castra fœminis non licet & erunt sub signis exoleti: quod tale crimen est nefandum *Vide Cognitio Contrarietatis. Repug.* quod merito impurus sic occisus. *Vide Magnitu. de Contrarietatis.*

Vitis vino rigata, arescit, quia illi præter naturam est vt quod ex ea manauerit, in ipsam rursus recipiatur; fit etiam tunc nimius calor. Plutarch. de causis naturalib. cap. 31. Antropophagi variis laborant morbis.

Bernardin. quadrag. 2. serm. 15.

Petrus Damiani opusculo 7. inuehitur in tale crimen quod à Deo destructa Gomorrhæ mœnia conatur cõstruere, perpetrant perditi in se mutuo quod nec equus in equum, aries in arietem, de his Rom. 1. masculi in masculos exarserunt, &c.

Libidinis gratia quidam fiunt eunuchi muliebria pati volentes cum viri sint, viro dignam figuram à Deo datam corrumpunt, pestes naturæ, labes Reipublicæ, vitæ probra, virorum mulieres mulierum viri, peccati Sodomitici illices, &c. Suidas in voce. *εὐνοῦχοι* Ita Sporus Neronis Amasius qui & Sabina vocatus fuit, non ob similitudinem mulieris tantum, quia castratus erat, sed quod etiam nupserat ei, quemadmodum illa. Idem in voce Sporus.

Plato 8. de legibus nefandam cum pueris Venerem prohibet, nam, inquit, qui illis vtuntur genus hominum data opera, interficiunt in lapidem feminantes, vbi radices agere quod seritur, nunquam poterit. Apud multos tamen populos libidinem hanc receptam. Vide apud Rodigin. lib. 15. cap. 9 & 10. Quamuis Spartæ licitum fuerit amare pueros quibus animus probus foret perinde atque non corpus sed animus amaretur, & qui ad dedecus congrediebatur, per omnem vitam censebatur infamis. Ibid.

Tales increpat Apostolus Roman. 1. quod mutauerunt naturalem vsum, in eum qui est præter naturam sicut qui ciborum optimorum appetentiam amittentes, terram & lapillos comedunt. D. Chrysost. hom. 4. in cap. 1. ad Roman. sed vnde tale desiderium, à Dei destitutione. Dei autem destitutio vnde, ab eorum improbitate, dixerat Deus, duo erunt in carne vna, dæmon autem vnam in duo diffecuit, & rursum ipsas duas partes & contra se, & inter seipsas infensas reddidit, contumelia affectas, mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Neque vir neque fœmina, sed vtriusque naturæ proditor dignus ab vtraque lapidibus obrui, leges puniunt eos qui se Eunuchos faciunt, licet ad plura sint vtiles, turpius hi naturam mutilant; quali pœna digni sint, recordentur ignem Sodomorum, sic Dei timorem qui excussit, fit brutis peior, & bonum omne amittit. Ibid.

Nou. 77. prohibet sub grauissimis tales nefandos concubitus ne iusto Dei iudicio ipsi & eorum ciuitates pereant.

A Facit Eunuchos & castos abominanda peccantium luxuria.

Diluuii vna causa fuit vitium Sodomiticum iuxta gen. 6. omnis caro corruperat viam suam. Tost. Gen. fo. 37. c. 1. 2.

Inuersis cupidinis ignibus resolutæ nubes, imbres in flammas verterunt, nam contra naturæ inimicos inimicæ fœderantur naturæ, ignis & imber; ignis ex aqua fluxit, mox aqua ex igne, ambustam quippe regionem, pigrum deleuit, mare, vrbes prophanę post incendium naufragę à Vulcano mortem, à Neptuno tumulum habuere. Nam cupidinis flammas lachrymarum sequuntur vndæ.

B Dicunt Poetę ex venere & Mercurio natum Hermaphroditum, quia dicit Ptolemęus, mutuam receptionem Veneris & Mercurii aut coniunctionem, efficere pedastros, Venerem masculam inferentes & patientes. Leo Hebræus. dial. 2. de amore.

De bestialitate. *Vide Concordantia Differentia. mala.*

Peccatum contra naturam grauius punitur. *Vide Maioritas Minoritatis.* in fine ex Alcuin.

Sodomitarum Laicorum & clericorum pœnas edixerunt. Leo. 10. const. 7. §. 35. p. 408. t. 1. Pius V. const. 5. p. 135. to. 2. & const. 72. p. 203. to. 2.

MONOPOLIA.

C IN conductione hortorum fit rerum æstimatio, vt in fine appareat quantum auctæ aut diminutæ, sed quia hęc æstimatio fieri solebat ab hortulanis vt peritis, qui tamen suis similibus fauentes, iniqui erant rerum æstimatores. Iustinianus constituit peritos alios quos vocat summarios. Nouella. 64.

Tabernariorum & indigenarum mercatorum inuidia exteros, Græcos, quos vocabant pentapolas vrbe excluserat, hos Nouella Valentiniani ad vrbem reuocauit, vt cura peruigili vbertas populo ministretur. Cuiac. obs. lib. 10. cap. 19.

D Est Nouella Zenonis de monopoliis, qua grauiter coërcentur, qui merces coemptas supprimunt, annonam congerunt, & minus vberes annos sperant, vt carius vendant. Cuiac. lb. De talibus. *Vide Voluntas Maioritatis.* vsura.

Aromatarii seu pharmacopolæ non possunt contrahere societatem cum physicis & chirurgis. Greg. 13. const. 29. Bull. p. 298. to. 2.

PVGNA SIMILIVM bona.

E IMpugnationem quam erga homines aëreæ potestates impendunt, etiam aduersum se commouent, diffident enim, & inter se bella mouent vt probatur Daniel. 10. Cassian. collat. 8. cap. 13.

Cum nubes aliqua fulmen impulerit in nubem sibi oppositam, illo anno erit magna fœcunditas & sanitas com. in 3. meteoro. optimum est lupos in lupos hæreticos in hæreticos insurgere, & vt ascendente Ionatha ad Philistæos, in se mutuo gladios verterunt.

Consanguinitas naturalis, spiritualis, legalis, impedit matrimonium societas vna, aliam impedit.

Licet in consanguineos de sæuire si à Deo deficiant vt Leuitæ in idololatras; tribus; Israël in Ben-

lamitas propter ftupratam mulierem Iudic. 20. Dauid in Abfalonem filium: Conftantius in Iulianum factum apoftatam. Serpens æneus fanat læfos à ferpentibus;num. 21.

In regno Pan Indiæ, vicino Chinæ, adulteræ à proprio patre, aut à proximiorib. eo deficiéte morti traduntur, & similiter adulteri electo à fe mortis genere, præfidentibus propinquis pereunt. Dauity.

Serpentes moriuntur ictu fcorpionum. Theoph. de cauf. plant l. 4. cap. 10.

Dyonyfia lapis niger vt ferrum, intermicans rubeis guttis, fpirat vinum & odore ipfius vini fugatur ebrietas. Albert. Mag. de lapidib. li. D.

Hæretici mutua diuifione fe perimunt. *Vide Æqualitas Contrarietatis.* Pœna talionis.

Profcripti poffunt feipfos inuicem, etiam proditoriè & per infidias occidere propter propofitum fibi præmium à principe, vel ob permiffam fibi libertatem: quia hoc fit publica authoritate & expedit communi bono. Bonacina de reftitutione propter homicidam.

Iachen fuit infignis in Ægypto medicus morbos diuina potius quam humana vi propellens cum vehementes erant caniculę calores, ignis ex eius ara fumebatur ex quo accendebantur in vrbe pyræ, & aër fiebat temperatus. Suidas in voce Iachen.

Defertores ab amicis lapidantur. *Vide Duratio Virtutis. Rep.* Apoftatæ.

Athenis athletarum ordine fuo decertantium nomina forte ducebantur, bini fub eadem alphabeti littera vt fub A. & hi eadem notati littera contra fe pugnabant, & par erat dimicantium. Rodigin. lib. 22. cap. 18.

Quomodo mors Domini, morte mortem affecit, fic act. 21. Pauli carcere terræ motu concuffo, vincto Paulo, funt omnium relaxata vincula; Pauli vincula vinctos foluerunt, carcerem concufferunt portas aperuerunt, &c. D. Chryfoft. homil. 8. in epift. ad Ephef.

Per peccatores Deus punit alios peccatores. Toftat. iudic. fo. 184.

In extrema neceffitate animalia manducant corpora fuæ fpeciei. *Vide Contrarietas Voluntatis.* Neceffitas.

Ferunt Virgilium poëtam fuiffe magum & feciffe Neapoli mufcam æneam quæ cæteras viuentes expelleret. Toftat. Genef. to. 1. f. 237.

Artifex, ferrum igne domitum, malleo cruciat, & ferrum ferro flagellat.

Qui poffunt refiftere parentibus. *Vide Contrarietas Principii.*

Mare quod fæpè furit, fanat tamen rabiem.

De fociis criminum qui fe mutuo accufant. *Vide Cognitio Contrarietatis.* Accufator.

Seruus qui aliorum coniurationem in domini necem indicauit, pro præmio confequitur libertatem. l. 3. ff. ad SC. Syllanian.

Proci amore pares, inter fe pugnant. *Vide Contrarietas Voluntatis.* Zelotypia.

MALA PVGNA fimilium.

Moyfes coactus eft fugere ex Ægypto, quia Ifraëlitæ exprobrabant ei necem Ægyptii, *Vide ingratitudo Æqualitatis Bonitatis. Rep.*

Ex Salomonis fententia, zelus hominis ex focio ipfius, nam Ægyptio non inuidebat Scytha, fed fuæ genti quilibet, & in eadé gente, maximè notis, coæuis fratribus, &c. D. Bafil. homilia de inuidia; viget enim inter fimiles. *Vide Contrarietas Virtutis*

Cœlum eft pellucidum, & per illud vifus tranfmittitur, alioquin non videremus ftellas 8. orbis. At ftellæ funt compactiores, & denfiores, itaut per vnam alię videri non poffint, fed fibimet mutuo, prout occurrit, Ecclypfim inferunt.

Homo vltimo creatus eft, vt compendio acciperet rerum omnium creatarum vires. Itaque infurgit homo in hominem, vt pifcis in pifcem, canis in canem & in lupum, prout abundat in quibufdam ferina natura. Paracelf. lib. de fundamento B fcientiarum.

Pythagoras prohibuit animalia occidere, & comedere, quia afferebat omnes animas effe eiufdem rationis, & differre tantum in fuis operationibus, propter diuerfitatem, & indifpofitionem organorum. Albert. Mag tract. 2. de natura & origine animæ c. 8.

Sagitta faliua homini ieiuni intoxicatur, itaut alium hominem læfum, non tam plaga quam veneno interficiat. Id. lib. 7. de animalib. tract. 2. cap. 5. in fine.

Vnum animal venatur aliud, eo quod eft cibus fibi magis conueniens. *Vide Concordantia Medii.*

C Animalia non venantur ea quæ funt fuæ fpeciei exceptis valdè paucis aquaticis, quæ comedunt indiuidua fuæ fpeciei ficut Lucius, dicitur etiam quod aquila poft longam pugnam cum altera pro præda, victrix victam comederit, ita ad id mouente. Albert. Mag. lib. 8. de animal. cap. 2.

D. Bafil. regular. fufius difputatorum cap. 39. improbat plura fratrum cœnobia effe in eadem vrbe aut eodem pago, quia inter illos fic habitatione difcretos, vt inter eiufdem artis opifices nafci poteft æmulatio, inuidia, & hofpitum cura animi ad quos potius diuertant. Concludit melius effe omnes fimul degere.

Qui propter philofophiam cognatos fanguine D aut profeffione infectantur fimiles funt nouiter emptis canibus, qui etiam domefticos allatrant. de vana difputatione. *Vide Differentia Cognitionis.*

Fœtor humanorum cadauerum, plus hominibus nocet, quam aliis animantibus.

Ioan. 1. Non eft propheta fine honore, nifi in patria fua, & in domo fua, inter proximos eminere, proximorum vrit gloriam, propinqui, propinquo, fi honorem debeant, computant feruitutem Chryfolog. ferm. 48.

E Dicunt mali politici, Reges fubditos habent, affines & confanguineos non habent. O vox crudelis & naturæ parricida.

Necant inuicem fe arbores alimenti rapina, & funt fibi cæteris in rebus impedimento. Theoph. hift. plant. lib. 4. cap. vlt.

Etiam in fegete quam fulcus tantum difperfit, oriuntur legumina quædam coctilia, quædam incoctilia, fiquidem folum diuerfum fit; vt enim in metallis, fic & in aruis putandum, venas fpaciari vicinas, diuerfas inter fefe, quæ fuis viribus differentias reddere poffunt, quamuis aëris idem ftatus feruetur; funt & femina eiufdem meffis inter fe diuerfa, quædam infirmiora quæ facilius afficiuntur. Idem. de caufis plantar,

Digitized by Google

lib. 4. cap. 13. simile fiat iudicium de animalibus, auibus, floribus variegatis; de fabis in eadem siliqua coloratis coctilibus & incoctilibus cap. 14.

Omnis antypathia in sympathia quadam constituta est, ob id sapientes è corporibus mortuorum multa desumpserunt, quę viuis aduersarentur, nã nihil est tam contrarium cuique, quam ipsum est, vel mortuum, vel corruptum, vel excrementum. Cardan. de rer. varietate. lib. 1. cap. 1. & cap. 22, dicit germina filicis excissa, dum putrescunt, radicem occidere.

Referunt decoctam vulpem & in frusta diuisam, & gallinis datam in cibo securas illas reddere à vulpibus per bimestre temporis spatium, idem fieri in anatibus & anseribus; carnes illorum retinent odorem cibi, quem vulpes sentiunt & auersantur. ib. cap. 35.

Referunt leprosos balneo eius aquæ in qua cadauer ablutum sit, sanari, nam materia quæ ad cu- A tim propelli solebat antipathia cadaueris non amplius à natura propellitur. Indita est enim hæc ratio contrarietatis etiam in insectis, & eo magis in perfectioribus animantibus vt in equis & canibus vt odorem mortuorum sui generis refugiant, quantò magis humana natura sensu exquisitissimo prædita. ib. cap. 44.

Inuidia non est nisi eorum qui in aliquo communicant, aut communicare possunt. Tost. fo. 159.

Sæpius cernere licet eodem in grege sub vno eodemque pastore contentiones permultas, cornibus & morsu se impetentium.

Tradet frater fratrem in mortem, & pater & filium, & insurgent filii in parentes, &c. Matth. 10. Inimici hominis domestici eius Matth. 7.

Malus à seipso dissidet. *Vide Voluntas Bonitatis.* Peccans sibi nocet.

Vide Contrarietas Concordantia. Seditio. Schisma.

Vrseus vrseo frangitur, nullo ei qui fregit, commodo.

CONTRARIETAS ÆQVALITATIS.

Duo tituli præcedentes, (PVGNA SIMILIVM BONA. PVGNA SIMILIVM MALA.) *pertinent ad hunc titulum.*

QVÆ ÆQVALITATEM IMPEDIVNT.

QVANTVMCVNQVE suauis sit ipse aër, tamen à currentibus ventus fieri existimatur. Mentis inconstantia facit motum in statu.

Vide Contrarietas Concordantia. vbi de bello ciuili, seditione, schismate. *Et Contrarietas Voluntatis, & Finis Voluntatis.* quæ sunt contraria amori, vt zelotypia.

HOMICIDIVM.

HOmines hominem falsis diis, idest dæmonib. immolantes, vide apud Theodoret. ser. 7. de sacrificiis. De duello. *Vide Æqualitas Contrarietatis.*

Deus prohibet Noëmo carnem animantium cum sanguine edere, vt sic multo magis abstineret à fundendo sanguine humano. Rupert. in Genes. lib. 4. c. 31. *Vide Magnitudo Contrarietatis.* Crudelitas.

Antropophagos fecit, & odium inimicorum & edulii humani voluptas cum in illis regionibus non essent pecora, oues, boues. Cardan. lib. de rer. varietate, cap. 94.

Ab electione Ecclesiastica repelli debet homicidii quamuis occulti reus, licet pœnitentiam subierit, cap. fin. de temp. ordinatio. Nec refert an propria manu, vt miles, an præcepto vt iudex, an consilio, vt dum fortè assessor esset. can. si quis viduam dist. 50. & per totum, casu dans operam rei B illicitæ, cap, continebatur de homicidio, aut licitæ si culpa casum præcesserit, eod.

Alienissimum est à natura & horrorem incutit pasci carnibus humanis id tamen licet in extrema necessitate vesci reorũ cadaueribus, aliis omnibus escis deficientibus. Tostat. 4. Reg. fol. 70. c. 2. q.

Multa peccata quæ sunt directè contra proximum, maiora sunt quam aliqua quæ sunt directè contra Deum Sicut homicidium est maius peccatum, quam non colere diem festum, vel interdum assumere nomen Dei in vanum. Id. Matth. to. 2. fo. 107.

Deus parcens humano generi voluit pro peccatis hominũ offerri, brutorum victimas in quibus respiciebat offerentium affectus, at mali dæmones C hominum osores instituerunt diis fieri hominum sacrificia vt genus hominum minuerent & abolerent. Iustinus Martyr. quæst. 59. ad orthodoxos.

Inter septentrionales populos mos est, vt quotiescumque ager, pratum, lacus, aut domus humani sanguinis effusione per homicidium polluitur, tunc illico fusa communi oratione gentis, & sacerdotali reconciliatione, vbertati pristinæ restituunt fertilitatem. Olaus Magnus rer. septentrio. lib. 13. cap. 4.

Homicidium graue crimen. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 2. lege 7. in fine. Propter suspicionem non licet hominem occidere. Ib. lege 15. §. 4. Nec propter læsionem in honore. Ib. §. 1.

Fames cogit ad homicidia. *Vide Minoritas Medii.* Fames vbi de matribus quæ filios comederunt.

Digitized by Google

CONSANGVINEORVM odia & cædes.

VEnti fratres spirant ex contrariis mundi partibus. Tanta est discordia, fratrum, inquit Ouid. 1. metamorph.

Accusatus Paulus Eremita iuuenis adhuc, ab eo qui sororem suam duxerat vxorem, vt eo damnato, ipse solus frueretur hæreditate paterna. D. Hyeron. in vita S. Pauli Eremitæ.

Plura exempla fratrum, qui fratres occiderunt regnandi cupiditate. Vide apud Chassanæum in catalogo gloriæ mundi. 1. parte consideratione 58.

De geminorum fato diuerso. *Vide Differentia Æqualitatis.*

De fame quæ coëgit edere cognatas carnes *Vide Minoritas Medii.* Fames.

Tyranni solent sæuire in propinquos vt affectati imperii sibi suspectos.

Cain fratricidio, mortis dignus extitit dedicator, sic ex discordia nata mors semper humanam scindit & separat charitatem. Chrysolog. ser. 96.

Hæreditas humana, ante diuidit corda, quam bona, vt diuidat facultates scindit hæredes. Ille ditat filios, qui relinquit filiis plenissimam charitatem. Id. serm. 161. auaritia germanos diuidit, amicitiam soluit, hanc qui intra se habuerit, erit nullius, suus non erit, radix est omnium malorum. Ib.

Apud Turcas dominantium sceptra, fraterno cruore sanciuntur.

Cum primus fratricida, vt mundi solus cum sua posteritate esset Dominus, sator & parens. Genebr. in Chronicis. Abimelech filius ancillæ.

S. Germanus Episcopus Parisiensis scribit ad Brunichildem Reginam vt Sigibertum Regem reuocet à consilio belli, quod fratri suo inferebat: Inhonesta, inquit, victoria est, fratrem vincere, domesticas domos humiliare, possessionem à parentibus constructam euertere. Contra semetipsos pugnant, suamque fœlicitatem exterminant. Habetur to. 1. Concil. Galliç an 577.

Contraria sunt, quæ maximè distant in eodem genere.

Theodosio Cæsare imperante in oppido Omaus natus est puer, qui vmbilico tenus inferiores partes integras habebat, superiores geminas duo pectora similiter & capita suis sensibus prædita, vna pars aliquando cibis, alia potione, vteretur, in somno, quiete & actione differenter se habebant,

A risu & lachrymis tenebantur, mutuis plagis se cædebant ac si diuersis animis ac ingenio forent, vixerunt annis duobus. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 11. cap. 8.

Filij Dauid Amon, Absalon, & Adonias pugnant in inuicem & boni patris adhuc viuentis regnum obtinere nituntur.

S. Basilius Seleuciæ, orat. 18. loquens de Herode qui abutebatur vxore fratris sui. Auget, inquit, iniuriam cognatio, nam apud eum a quo quem naturæ debito expectabatur beneuolentia, maiora sunt quæ accusantur crimina.

Altercantibus Iudæis in Ægypto dicebat Moyses: fratres estis, vt quid alter alteri iniuriam facitis? Exod. 2.

B Viri & mulieris quorum vna est caro, dissidia quam turpia. *Vide Æqualitas Voluntatis.* Mutuus amor coniugum.

Ex hoc ipso potentiæ animæ mutuo se in suis operationibus impediunt, quod in vna essentia animæ sunt fundatæ, vnde quanto aliquæ vires animæ sunt sibi magis propinquæ, tanto magis natæ sunt se impedire si ad diuersa ferantur. D. Tho. in quæst. disp. de Prophetia. Act. 9. ad 4.

Euphrates & Tigris communem fontem habent in Armenia, vbi incipientes fluere statim diuiduntur. Tostat. in Genes. fol. 85. sic genera diuiduntur in species contrarias.

Non mirum hominem dissidere cum propinquis qui secum ipsemet dissidet. *Vide Voluntas Bonitatis Rep.* Peccans sibi nocet.

C Fratres mutua cæde morientes, vt illis prædictum fuerat. *Vide Duratio Voluntatis.* Fatum.

Tyranni maiorem experiuntur fidem in externa quam in indigena custodia. Olaus Magnus lib. 1. cap. 20. Refert Principes filiæ charissimæ custodiam commisisse potius draconibus, quam hominibus.

Lucius seu lupus piscis cæteros vorans dicitur generi suo non parcere ob innatam crudelitatem, & propria semina persequi vbi induerint formam piscis. Olaus Magnus. lib. 20. cap. 8.

Cum fratricidium quis vlciscitur, bis lugendum parentibus facinus, cum committitur, & cum punitur. Sic 2. Reg. 14. Luget vidua quod fratricidam persequuntur: & volunt extinguere scintillam suam.

Numeri pares & impares, cum disparia sint contrariaque, tamen ex vna genitura profluunt; scilicet ex vnitate.

Afri fratres & filios vendunt, antropophagi verò & comedunt.

PRINCIPIVM ÆQVALITATIS.

QVÆ SVNT CAVSÆ ÆQVALITATIS.

HVMIDVM in mixto lenit, quia partem facit fluere ad partem, sic enim planam & leuem facit superficiem. Alb. Mag. lib. 5. de vegetabilib. tract. 2. cap. 4.

Vbi est dare maius & minus, ibi est dare æquale. Æqualitas est effectus vnitatis. 5. Metaph. tex. 20.

Si agens est idem, & materia eadem, & similiter potentia, eadem tunc effectus erit idem.

Primum quod procedit ab vnitate est æqualitas, & deinde procedit multiplicitas.

Ratio iustitiæ consistit in ordine à diuina sapientia rebus indito. *Vide Principium Veritatis.*

Vnius est tantum efficere vnum, & ab vnico est vnicum. Albert. Magn.

Fundamentum æqualitatis proprium est quantitas, sicut Philosophus lib. de prædicamentis dicit, quod proprium est quantitatis secundum eam æquale vel inæquale dici.

Nisi fixarum ortus & occasus aliquid acerent, A imbres non vno magis tempore, quam alio fierent, incertus est enim planetarum concursus. Cardan. Aph. sect. 7. Aph. 72.

CAVSÆ SIMILITVDINIS.

Similitudo est imago æqualitatis, procedit autem, vel ex eo quod cum rerum subiacentium multitudo terminata non sit, abundantem & facilem habet fortuna ad similitudines edendas materiam, siue quod ex quibusdam terminatis numeris, series rerum connexa existit, necessarium est, ex illarum decursu, sæpe eadem euenire. Pomponat. lib. de incantationibus: quidquid est fuit, vnde Aristoteles dixit infinities esse renatam philosophiam, & easdem opiniones non secundum indiuiduum, sed secundum speciem. Ib.

Vide Principium Concordantiæ.

MEDIVM ÆQVALITATIS.

MEDIA ET INSTRVMENTA QVIBVS *fit æqualitas.*

CALOR naturalis assimilat nutrimentum, nutrito.

Numisma, est mensura quædam, per quam superabundantia & defectus reducuntur ad medium, vt philosophus in 5. ethicorum dicit: est enim mensura in commutationibus, sicque tollitur litis materia. Idem iudicium de mensuris, quæ debent esse æquissimæ, has Moyses dedit populo, vt daret in Leuitico, & legislatorum est eas constituere. D. Th. de regimine principum. lib. 2. c. 14.

Numeri licet maiores sint aut minores, per resumptionem tamen vnitatis effici possunt æquales, æqualitas enim est effectus vnitatis ex 5. metaph. text 2.

Omnis mensura res inæquales ad æqualitatem reducit.

Æquinoctialis est linea diuidens totum zodiacum in duo æqualia; à primo gradu arietis, ad primum libræ.

B Exundantes aquæ & niues planam efficiunt in perficiem terræ & gelu superueniente in regionibus septentrionalibus, præstant iter facillimum & rectum vndequaque, trahendisque oneribus aptissimum.

Angustiæ loci redigunt inæqualia ad æqualitatem. *Vide Medium Durationis.* Locus.

ÆQVIVALENS.

Vide *Medium Potestatis.* de eo omni quod fit in alterius locum.

Videor vti frui homine, pro quo aliquam rem accepi. lib 35. ff. de vsuf. & quemadm.

In stipulationibus nihil refert res proprio nomine appelletur, an digito ostendatur an vocabulis quibusdam demonstretur, quatenus mutua vice fungantur, quæ tantundem præstent. l. 6. ff. de reb. cred.

Lactu

Digitized by Google

iactu naue exonerata, ad damnum domino resarciendum omnes pecuniam conferre debent. l. 4. §. 2. ff. de lege Rhodia de iactu.

Æstimatio non est eligenda à iudice, cum res quæ petitur præstari potest. l. 7 Cod. de fideicom liberta.

IN QVIBVS NON admittitur æquiualens.

Baptismus fieri debet per expressam inuocationem S. Trinitatis, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Ita baptismus datus in nomine Domini nullus est. can. si reuera. de consecr. dist. 4. & in nomine Christi. can. in Synodo. eod.

Reprehenditur qui non vtitur verbis Christi. Tolle grabatum tuum, sed tolle lectum tuum humilem. *Vide Maioritas Cognitionis.* nimia prædicatorum curiositas.

Quædam verba habent vim, ideo non sunt æquiualentibus mutanda. *Vide Potestas Cognitionis.* vis verborum.

MEDIATA ÆQVALITAS.

Linea recta est simplex, secundum formam & essentiam, quia ex vtraque parte, non habet nisi formam recti; circularis autem, non simpliciter simplex est, quia in vna parte habet formam concaui, & in altera conuexi; essentialiter tamen est simplex. Alb. Mag. lib. de cælo. *Vide Media Concordantia. Media differentia. Concordantia Differentia.*

In omni ente est identitas & alteritas. Nam ad entis perfectionem duo sunt necessaria; primum vt principia confluant ad vnum & idem nam alioquin non esset vnum ens; secundum est vt principia retineant suas rationes & differentias: nam alioquin non esset vnio principiorum sed confusio. Sic essentia vt sic est vnum, & vt conflatur ex multis potentiis, ex genere & differentiis etiam accidentibus est multa. Quælibet pars, est pars totius, sic ex duabus partibus constituitur. Vt ait Plato in Parmenide.

Corpus manet idem numero, licet fiat continua deperditio & restauratio virtualiter per alimentum.

Cum dicitur diliges proximum tuum sicut teipsum, non denotatur æqualitas, sed similitudo quædam. Tostat Leuit. fol. 191.

Vt fluuij Eadē manet origo, idem nomen, quamuis ex ipsa statim emissione, alia est vnda succedens, alia depulsa, quæ tamen continuationem cursus seruantes fallunt aspectum, continui speciem ferentes, sic vnam eandemque vitam appellamus, quæ tamen multiformis atque varia existit, multis postremo casibus, multis negotiis, multis etiam temporibus fit penitus altera; at huic præsidet ratio quæ præsentem semper exornet, vt ars medici corpus inter repletiones & euacuationes. Maximus Tyrius serm. 35.

Vide Æqualitas Magnitudinis.

FINIS ÆQVALITATIS.

QVANDO DESINIT ÆQVALITAS.

D. August. de genesi ad litteram lib. 1. cap 13 dicit concauitates in superficie terræ tunc factas, cum iussu Dei aquæ sunt in illis congregatæ. Et apparet arida in locis vnde humor recederet. *Vide Finis Concordantia. Finis Voluntatis*, amoris.

Digitized by Google

MINORITAS ÆQVALITATIS.

PSAL. 150. Ascendunt montes, & descendunt campi, sic prouidentia Dei factum est, ne si æqualis esset terra sicut mare, & venti non cohiberentur, easdem ac mare pateretur tempestates, quæ ideo magnæ sunt in Lybia plana. Rupert. lib. 1. in Genes. cap. 14.

Vide Bonitas Differentia, diuersitas & omnes combinationes Differentiæ & Maioritatis.

Lignorum materies nodosa, aut malè adulta, aut hyeme oppressa aut aliqua simili ratione efficitur. In totum enim nodositas probæ nutritionis indigentia est. Theoph. hist. plantar. lib. 5. cap. 2.

Tortuositas causatur à calido incuruante per siccitatem vnam partem super aliam, & per consequens intorquentem poros & claudentem. Alb. Magn. meteor. lib. 4. tr. 2. c. 16.

MALA INIVSTITIA.

VIde Maioritas Voluntatis. maior circa quosdam affectus. & contr. æqualis.

A Incisæ sunt leges duodecim tabulis, & publico ære præfixo iura præscripta sunt; inter leges ipsas delinquitur; inter iura peccatur. Sæuit inuicem discordantium rabies, & inter togas pace rupta, forum litibus mugit insanum. Quis interim hic subueniat? Patronus, sed præuaricatur & decipit. Iudex, sed sententiam vendit? qui sedet crimina iudicaturus admittit; flagrant vbique delicta, & passim multiformi genere peccandi per improbas mentes virus operatur. D. Cyprian. epist. lib. 2. 1.

Nemo fermè causa excidit, nisi qui minimum potest, omnia amicis constant; & flexibilitate obsequentium.

B D. Thom. 2. 2. q. 95. a. 1. præter iniquitatem ex parte materiæ, dicit posse legem tripliciter esse iniustam, scilicet vel ex fine priuati commodi, & non communis boni, vel ex parte agentis, ac defectu potestatis, vel defectu formæ seu iustæ distributionis quæ fieri debet seruata proportione, vt vnus præ alio non nimium oneretur. Suarez de legib. lib. 1. cap. 9.

De iniustitia muneribus corruptorum. *Vide Potestas Bonitatis.* munera excæcant.

De Virtute iustitiæ, quam impium est temerare. *Vide Virtus Æqualitatis.*

Digitized by Google

MINORITAS BONITAS MINORITATIS.

QVI DEFECTVS SINT BONI.

NEMO accuset tragœdum quod in Tragœdia non omnes sint heroës, sed aliqui serui, rustici. *Vide Minoritas Potestatis* bona; & *Bonitas Differentiæ* & *Concordantia Differentiæ*, de ordine, qui necessario constat rebus, vt supremis, sic infimis. & *Vide Minoritatem omnium Principiorum* bonam.

Fœmina non est tantum ex occasione, & præter intentionem naturæ quæ semper intendit quod perfectius est, quia per generationem intendit conseruationem speciei, ad quam necessaria est fœmina.

Vide Media Bonitas Media Virtus.

Est potentia passiua vna perfectiua, alia corruptiua. De perfectiua loquitur Arist. 3. de anima tex. 2. cum dicit, intelligere est quoddam pati.

Turcæ, Arabes, Persæ, non fidunt vxores, nisi Eunuchis, plus cautionis est in impotentia, quam in virtute.

In composito qualibet pars non debet esse eiusdem perfectionis. *Vide Differentia Bonitatis. Differentia Virtutis, & Gloria Concordantia.* publica priuatis præferenda.

Vide Media Bonitatis. de deficiente bonitate in singulis ratione totius.

In omni genere est perfectum & imperfectum, quia semper vnum contrarium est imperfectum respectu alterius.

Defectus in aliquibus sunt necessarij, quia ex illis elicitur bonum præstantioris, aut vniuersalis naturæ. *Vide Gloria Contrarietatis; Gloria Minoritatis, & Gloria Concordantia.* publica priuatis præferenda.

Si totum corpus oculus vbi auditus? si totum auditus vbi odoratus? 1. Corinth. 12.

Pauperes sunt in Ecclesia necessarij. *Vide Minoritas Potestatis.* paupertas coacta.

Cum in ciuitate oporteat esse pauperes qui præstent operas suas & ad vilia se demittant opera; & diuites qui laborantibus dent mercedem potius

A constare posset ciuitas ex solis pauperibus qui quadam permutatione artes pro se mutuo exercerent; quam ex solis diuitibus qui sunt inertes, nec volunt sibi mutuo cedere. D. Chrysost. hom. 34. in 1. Cor.

Fœminæ sunt secundum intentionem causæ vniuersalis. *Vide Concordantia Principij.* degeneres.

Data tota multitudine causarum quæ nunc sunt, necesse est eas interdum concurrere in actibus suis, & vnam per alteram impediri, cum maior impediat minorem quando datur oppositio, ideo necesse est sequi interdum exorbitantias & defectus in opere naturæ, quæ minora sunt mala, quam si tollerentur talium causarum actiones contrariæ.
B Melius est hominem esse claudum, quam vita priuari, ita melius est res in quibusdam deficere, quam penitus non esse. Tostat. Math. 10. 5. fo. 118.

Non ex defectu potestatis, aut ex inuidia fecit Deus res quasdam cæteris abiectiores, sed id exigebat rerum ordo ad mundi constitutionem vt quædam aliis substernerentur; Nobiliores sunt oculi cæteris corporis partibus, at si partes omnes essent oculi, non esset corpus. Iustinus Martyr. qu. 72. ad orthodoxos.

Cum ad vitam conseruandam animantium ac stirpium calore plurimo indigeremus, solus Saturnus frigidus inter erraticas creatus est, at verò eo non potente tot calidis planetis resistere ne
C per successum temporis mundus adureretur, eclipses Deus molitus est, quæ certis necessario temporum interuallis recurrentes mundum totum refrigerarent. Cardan. Aphor. sect. 7. Aph. 48. *Vide Virtus Contrarietatis.* aduersitas ad purgationem necessaria.

Aberrationes insolitæ probant consuetum vsum. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 6. § 3.

In mundo necessarias esse rerum alterationes & corruptiones, vide ibid. lib. 3. in præfatione. & lege 1.

Necesse fuit in mundo esse quædam imperfecta, Theologia naturalis. to. 1. parte. 2. cap. 20. quarè Deus permittit quosdam defectus in mundo. Ib. to.

by Google

3. parte. 2. cap. 8. quare permittit morbos, monstra, mortes. Ibid. cap. 9. & 10.

A D. Chrysost. homil. 35. in Math. probat conueniens esse corpora nostra post mortem putrefieri. Vt minus superbiamus; & discamus illa esse terrena. Vt minus diligantur, amantes amatis corporibus perpetuo adhærerẽt si possent integra cõseruari; cum sunt corruptibilia magis agnoscitur virtus animi; colerentur quorumdam corpora vt idola; multa dictu fœda possent fieri. Ita monemur curam præcipuam habere de anima. Ib.

Malorum defectus omnes boni sunt; vt defectus iræ, vindictæ, amoris insani. *Vide Minoritas Contrarietatis, Minoritas Voluntatis Minoritas Concordantia Bona & cæteras bonas Minoritates.* Defectus etiam quarundam perfectionum quæ contingunt animæ vel corpori, aliquibus boni sunt, quia talibus bonis abuterentur in damnum suum. *Vide quæ scripsi Moral. Christia. to. 4. parte 2. tota* de optimo vsu malorum, vt de deformitate corporis, ignobilitate generis, paupertate, casu aulicorum. &c. Vnde quidam semetipsos debilitant vt exima[illegible]r à bellis. *Vide Differentia Contrarietatis. fugæ [illegible]alorum, mala.*

MAGNITVDO MINORITATIS.

MAGNVS ET INTEGER DEFECTVS.

ASSERIT Galenus, morbis ex cœlesti influxu nascentib. mederi non posse.

Peccatum illud censetur esse mortale, quod à scriptura dicitur inferre mortem, quod tale dicitur à Doctorib. quib. fides habenda, quod est in graui materia præcepta sic à legislatore, denique quod charitati Dei & proximi valdè repugnat, grauitas autem oppositionis pensanda est, ex obiecto, ex circumstantiis, & qualitate præcepti. Bonacina de peccatis. q. 3. p. 3.

Non entis, nullæ sunt qualitates, Arist. 4. Physic. text. 67.

Vt bonus dicitur ambidexter, cui sincerè procedenti omnia cooperantur in bonum; sic Dæmon & eius sequaces, dici possunt ambisinistri, quia quidquid agunt sinistrum & peruersum est. Origen. homil. 3. in Iudic.

Dæmon percussit Iob plaga sæuissima, à pedibus vsque ad caput. Vna dicitur plaga, quia nulla pars corporis relicta est sana.

B Sicut non est inconueniens quod idem corpus sit album & dulce, quæ sunt diuersæ species qualitatis; & quod idem homo sit cæcus & surdus qui sunt diuersi defectus secundum speciẽ, ita non est inconueniens, quod idem actus sit in diuersis speciebus peccati. D. Thom. in quæst. disput. q. 2. de peccatis a. 6. ad 3.

PLVS MALI, QVAM boni.

VIde *Magnitudo Bonitatis. & Magnitudo Virtutis. Repugn.*

C Libratim vt aiunt morbi veniunt, vnciatim abeunt.

Omnis creatura plus habet de non esse, quam de esse, quia de non esse habet infinitè, de esse verò finitè.

Vide Maioritas Minoritatis.

Animalia imperfecta, muscæ, erucæ, vermes, & cætera ex corruptione facilè vbique generantur. Adeo fœcunda natura eorum quæ nos tantum odimus. Cardan. lib. de rer. variet. cap. 28.

Mala fiunt facilius quam bona. Vide ex eod. *Potestas Concordantia.* malorum sub finem.

Digitized by Google

DVRATIO MINORITATIS.

CONTINVATIO DEFECTVS ET VITII.

DE morbo insanabili à Luna *Vide Maioritas Minoritatis.* quis sit maior defectus.

Terra quæ iam longa siti destituta, combusta est, desperata est, & sine remedio, sterilis, raritas enim sua humorem inductum non retinet, sed absumit, & innata amaritudo, impedit alimentum plantarum; est itaque sicut corpus animalis mortuum & incineratum. Albert Mag. lib. 7. vegetabil. c. 6.

Innocentia, per gradus certos ab homine discedit, & ne in maximis trepidet audacia, diu vires in minoribus colligit. Nemo inde cœpit, quo incredibile est, peruenisse. Quintil. declam. 1.

Iteratio peccati post acceptam gratiam, est grauior. *Vide Æqualitas Bonitatis. Repug.* ingratitudo.

Peccatum habituale est quædam macula, quam post se relinquit peccatum actuale; Nam malitia actus præteriti moraliter perseuerat per modum habitus, donec deletum fuerit per pœnitentiam; & est etiam priuatio nitoris & pulchritudinis quæ habetur à gratia habituali.

Effectus peccati est diminutio naturalis inclinationis ad virtutem, quatenus voluntas, acquisito per peccatum habitu vitioso, facilius mouetur in malum, in quod prauus & vitiosus habitus inclinat. Peccatum potest dici eo sensu pœna peccati, & in quantum priuatus gratia in alia & alia labitur, non tamen propriè peccatũ est pœna peccati, quia pœna imponitur à iudice, at nemo iudex ad vindicandam iniuriam, aliam sibi vult iniuriam inferri; peccatum etiam non est contra voluntatem peccantis, cum pœna sit contra voluntatem patientis. Bonacina de peccatis q. 7 p. 2.

Lepra est ex omnium humorum corruptione proueniens, ideo per naturam non potest curari, oportet enim quod per humorem non corruptum operaretur, & corruptum expelleret, si enim ignis totaliter est extinctus, non potest recuperari, sed si modicum remanserit, per modicum augetur. Sic anima vadit in peccatum mortale, & non potest per se reuerti, vnde indiget adiutorio. Cusa Card. excitat lib. 10. cap. 5.

Causa mutabilis potest producere effectum immutabilem priuatiuè, non autem positiuè, vt patet de cæcitate ex vulnere inducta

Quamcumque partem caudicis aut rami in arbore incideris, vel deieceris, nodus ibidem nascitur. Theophr hist. plant. lib. 1. c. 13.

Pinus & abies præcisæ non recrescunt, sed radicitus anno eodem inarescunt. Id. lib. 3. c. 8.

Anselmus peccata vocat abyssum, quia malitiæ sunt non satis notæ & immeabilis, Nemo enim inde potest exire nisi per misericordiam Dei.

A Materia lapidum est primo lutum, deinde succus qui vehementi frigore congelascit, tum ramenta saxorum, & succus lapidescens, qui etiam cum effluxit in aërem, abit in lapidem, postremo id omne quod habet meatus succi lapidescentis capaces Georgius Agricola lib. 4. de causis subterraneorum. *Vide Minoritas Principij. Initij.* malorum parua initia.

A diluuio per annum sol non effulsit super terram, tum propter aërem nubibus obsitum, & eo quod terra erat aquis cooperta, vnde hoc anno fructum non produxit. Origen. lib. 1. in Iob.

De Iuda qui ex auaro fit traditor. *Vide Voluntas Maioritatis* auaritia.

B Origenes & alij cum eo æstimant Dæmonem semel victum ab hominibus qui piè & castè viuunt, non posse alios homines de eod. peccato tentare. Magister sententia. lib. 2. dist. 6. q. 2.

Vnum peccatum potest ex alio oriri quatuor modis, primo ex parte gratiæ substractæ, qua deficiente labitur quis in alia peccata. 2. per modum inclinationis, in quantum ex præcedenti peccato causatur dispositio vel habitus inclinans ad peccandum, 3. cum vnum peccatum præbet alteri materiam, vt gula luxuriæ, auaritia dissensioni, 4. vnum peccatũ causat aliud ex parte finis, in quantum propter finem vnius peccati committit homo aliud peccatum, sicut auaritia causat fraudem vt pecuniam lucretur, & secundum istum modum dicuntur septem vitia capitalia scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria. D. Thom. in quæst disput. de peccatis. q. 8. a. 1. o.

C Licet in morte regulariter extinguantur delicta, sunt tamen aliqua quæ in morte non extinguntur; sed post mortem proceditur ad punitionem eorum, quantum modo humano puniri possunt, vt si quis hæresim instituerit. Tostat. 4. Reg. fo. 236.

Ex vna passione plures oriuntur. *Vide Duratio Contrarietatis* series malorum. & *Magnitudo Virtutis.* abstinendum à minimis peccatis.

D Quidquid speciе aquæ, Mercurij, sudorisue instar, semel expulsioni dicatum est, quidquidue semel alendo censum fuit ineptum, vel præstitis iam semel alimoniæ muniis est difflationi deputatum; Id nunquam deinceps in nobis distillatur, sublimatur, calcinatur aut circulatur. Naturæ enim opera sunt nimis seria, nec excrementa semel à vitæ commercio auulsa, iterum in gratiam recipit, ideo mulier persoluit effœti cruoris vectigal. Van Helmon.

Luna ascendentis domina sub terra, Saturnus vel Mars ex septima lædens primam oppositione significant continuas infirmitates. Cardan. Apho. sect. 5. Apho. 1.

Digitized by Google

Semel victa solent suis victoribus in perpetuum subiici. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 2. lege 19. §. 1. A priuatione ad habitum non datur regressus. Ib. lib. 3 lege 20. aqua bullita cito putrescit.

Audenter loquar, Cum omnia possit Deus, suscitare Virginem non potest post ruinam; valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare ruptam. D. Hieron. ad Eustochium.

Alexander bis victo Dario, temulentus Persipolim, sedem Persarum Regum incendit, at ne tam longa quidem ætate, quæ excidium eius secuta est, resurrexit. Huius vestigium non inueniretur nisi Araxes amnis ostenderet, qui haud procul mœnibus fluxerat; inde vrbem fuisse viginti stadiis distantem, credunt magis, quam sciunt accolæ. Q. Curtius. lib. 5.

Non seruare tantum, sed & augere decet existimationem; quoniam decipi vel contemni damna affert quæ corrigi non possunt; quæ etsi vlciscaris non tamen adeo deterret vltionis exemplum, quantum audaciæ præbet aliorum temeritas, neque eorum damna iacturam tuam resarcire possunt. Cardan. de arcanis prudentiæ. c. 25.

Vbi fortuna te euexit, magis cauendum est quam antea, nam si cadas, ægrius releuaberis. Ib. cap. 26.

CRIMEN CRIMINE tegitur.

INternecina testamenta dicebantur, quæ quis falsa fecerat, & vt effectum haberent, hominem occiderat. l. qui vel internecini. Cod. Theod. de accusat. Vide Cuiaci. lib. 1. obseruat. cap. 1.

Dauid tegere conatur adulterium, homicidio.

Tyranni, quam per vim & iniustitiam dominationem obtinuere, per scelus etiam retinent.

Mali cœno lauantur vt sues.

In Herode non tantum fuit crimen præcipitasse iusiurandum, quantum erat crimen ob præcipitatum iusiurandum occidisse prophetam. Origen. in Math. 14.

Ex ebrietate scortatio, ex scortatione adulterium, ex adulterio cædes, & aliquid pejus, quod non tantum natum occidit, sed & ne nasceretur prohibet; generationis promptuarium, faciens occasionem occisionis, & mulierem quæ ad puerorum generationem data est, ad necis artificium instruis, quod audacia muliebri peragitur, tibi imputabitur. Hinc idololatria, philtra, incantationes, insidiæ, venena, bella, domorum subuersiones, natorum iniuria. D. Chrysost. homil. 24. in epist. ad Roman.

Homines solent esse deteriores bestiis quæ singula vnica aguntur violenta passione, at illi plura colligunt & cumulant in se vitia; diabolo peiores qui nec auaritiæ nec gulæ obsequuntur. Id. homil. 4. in Math.

Væ genti peccatrici, populi graui iniquitate. Isay. 1. pressi pondere peccatorum è luto non emergunt, sed magis infiguntur iuxta illud, infixus sum in limo profundi & non est substantia.

Fratres carcerari faciens, vt sororem eorum corrumpat, quas pœnas incurrat. Sixtus V. const. 46. p. 411. to. 2. Bull.

A

SEMEL MALVS, SEMper talis præsumitur.

TInctores super nigrum colorem, alium colorem tingere non possunt.

Cum in omnibus iudiciis semper præteritam vitam considerare oporteat, tum in illis causis maximè, in quibus ipsa vita accusatur.

Certius ex malis mali, quam ex fortibus fortes nascuntur, tenacius hærent in sanguine vitia,

B quam virtutes. Corruptissimus Neronis pater, & Agripina mater, portentum Imperio Romano dederunt.

Bonum facilius tollitur quam construitur, malum autem è conuerso.

In rebus corporalibus abeunte passione, remanet quædam habilitas ad hoc vt iterum patiatur. Sicut lignum semel inflammatum facilius iterum inflammatur.

Non est peccatum mortale contra iustitiam, infamatum in vno genere peccati, infamare in alio, habente connexionem necessariam, vel moralem cum priori peccato, de quo fuit diffamatus,

C quia hoc modo non læditur grauiter fama proximi, vt de publico adultero referre quod scripserit litteras amatorias, de hæretico publico, quod fregerit imagines Christi, de ebrio quod rixetur. Bonacina. de restitutio. disp. 2. q. 4. p. 7. Aliud est dicendum si crimina non sunt connexa, quia vt virtutum sic vitiorum diuersi sunt habitus. *Vide Media Virtus.* Imperfecta virtus.

Si aliquis solet committere aliquod peccatum, non tot iudicia requiruntur ad ferendum de eo iudicium, quot requiruntur ad iudicandum de alio, qui non solet huiusmodi peccata committere; sic iudicium non fit temerarium. Bonac. de restit. q 7.

Apud Indos Astrologus qui semel falsa prædixisset, perpetuò silebat. *Vide Maioritas Cognitionis* pro Astrologis.

D Claudius Imperator celebre proposuit conuiuium singulisque conuiuis vasa pretiosa præbebantur, factum est vt L. Iunius aureum scyphum egregij operis suffuratus sit. Re ab Imperatore comperta eosdem conuiuas ad aliud conuiuium inuitauit, & cum cæteris vasa pretiosa exhiberentur, Iunio fictile tantum datum est. Petrus Crinitus de honesta disciplina. lib. 1. cap. 9.

Semel docuit mulier dum persuasit Adamo & cuncta peruertit, idcirco vltra non doceat iuxta illud 1. Timoth. 2. Mulieri docere non permitto. D. Chrysost. hom. 9. in 1. ad Timoth. ideo non debet prædicare. V. *Princip. Cognit.* alios docere.

E Qui per contactum rei immundæ pollutus erat, remanebat immundus vsque ad vesperam, idest occasum solis. Qui peccat vel ex prauo habitu contracto; vel in hominum opinione, habetur eiusdem peccati reus vsque ad finem vitæ. Tostat. Leuit. fo. 239.

Etiam emendata per pœnitentiam vita. Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis. Virgil. Ecloga. 5.

Hostibus non fidendum. *Vide Dur. Contrariet.*

Dedisce mala culpare tempora, semper sibi orbis constitit; ter si diluuio mergatur, ter emerget impurior; ex arca prodit maledictus Cham; Vitia erunt, donec homines.

Vt stigma cerasi in fœtu quotannis viret, flauet,

rubetque, cum arborum fructibus; sic & ideæ maniacæ, perturbationibus ortæ habent in spiritu præcordiorum sua incentiua repetitionum, periodorum, accessuum, & exacerbationum interualla, vel etiam continuationum fomenta indesinentia. Van Helmont.

Epilepticus, maniacus, prodagricus, quartanarius præter & extra paroxismum, sunt morbosi, morbumque intus fouent. l. 53. ff. de ædil. edi.

Pinguedines etsi pluries distillentur, quouis gradu ignis, pinguia semper manent.

Lapsi clerici non restituuntur ad clericatum. *Vide Virtus Medij.* probi ministri.

Cum omnes amicitias tuendas semper putaui summa religione & fide, tum eas maximè quæ essent ex inimicitiis reuocatæ in gratiam, propterea quod integris amicitiis officium prætermissum imprudentiæ, vel negligentiæ excusatione deffenditur, post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum sed violatum putatur, nec imprudentiæ sed perfidiæ assignari solet. Cicero pro T. Gabiano.

Populus Romanus Cannensi prælio in summas reductus angustias cum seruorum desideraret auxilia, captiuorum contempsit, & credidit eos libertatem magis tueri posse, qui nunquam habuissent, quam qui perdidissent. Seneca lib. 5. controu. 7.

PECCATVM EST POENA peccati.

NVllus in graue peccatum labitur subita ruina sed aut prauæ institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam, paulatim virtute animi decidente, vitiisque sensim increscentibus; sic domus non subita concidit ruina, sed paulatim vitiatis tectis, parietibus, fundamentis, stillicidio. Cassian. collat. 5. cap. 16.

A Scortatione via munitur ad adulterium. D. Chrys. hom. 5. in 1. Thessa.

Vide Magnitudo Virtutis. Cauendum à minimis etiam peccatis; *& Duratio Contrarietatis.* series malorum.

D. Gregorius super Ezechielem ait, Contemnenti qui non vult pœnitere, ponit Deus offendiculum, vt scilicet grauius impingat. Peccatum enim quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est & pœna peccati, aut peccatum simul, & causa & pœna peccati, hinc ait David, Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & alius Propheta, sanguis sanguinem tetigit, idest peccatum peccato additum est: Paulus quoque ait, tradidit illos Deus in passiones ignominiæ; Ioanni quoque per Angelum dicitur, qui in B sordibus est, sordescat adhuc. Magister sentent. lib. 2. dist. 36. super quo sic D. Thom. Peccatum potest esse causa alterius peccati secundum triplex genus causæ, scilicet efficientis, finalis & materialis. Per modum causæ efficientis dupliciter per se vel per accidens; per accidens remouendo gratiã quæ impediebat ne laberemur in peccatũ; Per se, in quantũ ex actu peccati relinquitur quædam dispositio vel habitus in anima inclinans iterum in peccatum, simile in specie vt luxuria in luxuriam. Per modum causæ finalis in quantum vnum peccatum aduocat aliud in suum finem, vt quando fur occidit vt rapiat, sic ita parit homicidium, auaritia mendacium. Per modum causæ materialis, C cum vnum peccatum ministrat materiam alteri, vt dicit Hieronymus venter mero æstuans dispumat in libidines.

Adæ dictum est, terra germinabit tibi spinas & tribulos, non de elementari tantum terra, sed de humano etiam corpore est intelligendum, cui post peccatum dicitur, terra es, & in terram ibis: hæc terra quantum cumque virtutibus excolatur, in ea quod euellitur, exoritur; Labor est ante me, inquit Propheta. Laurent. Iustin. de interiori conflictu. cap. 3.

Vide supra hoc tit. *Continuatio defectus.*

POTESTAS MINORITATIS.

EXIGVA QVÆDAM IN BONVM VALIDA.

VIDE *Minoritas Medij.* vel debili medio.

Paruum quod inficit multum, debet esse maximæ & subtilis virtutis, & multum quod inficitur, paruæ virtutis & grossæ substantiæ, sic crocus inficit multam aquam. Albert. Mag. tracta. 1. de sensu & sensato cap. 7.

Actiones frigidi in complexione plantarum sunt septem, scilicet infrigidare, confortare, repercutere, ingrossare, crudum facere, stupefacere & retinere. Id lib. 5. de vegetab. tract. 2. cap. 1.

Vel minima differentia in armis & insignibus sufficit ad impediendum duellum inter nobiles, vt D si qui ferunt claues, vni sint perforatæ, alteri non, si leo, vni sit erecta cauda, alteri submissa. Vide Chassanæ. catal. gloriæ mundi. 1. parte concl. 8.

Minima possunt leuare tædium sua diuersitate. *Vide Gloria Differentia.* læta diuersitas.

Posse potius maiora quam minora. *Vide Maioritas Potestatis.* qui potest plus, potest minus. *Repugn.*

Pauper si iustam causam habet vincit apud æquos Iudices, diuitem & minor maiorem.

Lampas pauco oleo in pharo accensa maximum affert nauigantibus commodũ; sic in studio, & rationib. publicis examinandis: lux paruis sumptibus

by Google

maximam affert vtilitatem, vt verbi gratia, gemma maximi pretij inueniatur.

In vino etiamsi plurimum sit aquæ, vinum tamen esse dicimus; ita possessiones dicuntur viri, etiamsi veniant ex dote vxoris.

Apis dona in cera & melle, & vermiculi sericum nectentis, bombices.

Tenues ac tantillæ reliquiæ Martirum, totius corporis habent virtutem; quæ enim adstat gratia dona distribuit, & fide supplicantium liberalitatem metitur. Theodoret. serm. 8. de Martyribus.

Motu grauium ad terræ centrum tendentium vtimur ad alia corpora sursum eleuanda, & ad mensuram temporis in horologiis, & cæteris mechanicis.

Riui fontium, possunt molendina agitare, sicut magni fluuij.

Pauca aqua sufficit ad baptismum; vel minima pars hostiæ consecratæ ad gratiam Eucharistiæ recipiendam, quia eadem est forma, & hæc sumptio se habet per modum conuiuij completi. Bonacina de Eucharistia. quæst. 1. in fine.

Vt Deus per minimum contritionis actum æternam pœnam condonat, ita etiam condonare potest reatum pœnæ temporalis per quemcumque etiam minimum actum præscriptum ad consequendam indulgentiam; nam & frustra concederentur indulgentiæ, si ad ipsarum valorem necessarium esset opus æquiualens. Id. de indulgentiis. Sic feuda obtinentur minimis rebus in homagium oblatis.

De vi Imaginationis & verborum, *Vide Potestas Cognitionis.*

Gubernaculo secundum aliquid modicum transposito, magna fit nauis transportatio.

Luc. 12. dicit Christus discipulis: Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum. Acquisiuit humilitas, superbia quod amisit, & grex pusillus ac mitis, totas & varias edomuit, propria mansuetudine feritates: pusillus grex vicit ac fregit tot genera bestiarum, quot diuersitates subdidit iugo Christi nationum. Grex pusillus ac mitis, diu contentus occidi, diu deuorari passus est, donec gentilis sæuitia sanguine satiata in humanitatem rediret. &c. D. Chrysolog. serm. 23.

Ecclesia comparatur grano synapis, & pauco fermento. Luc. 13.

Exiguus circulus, tam est circulus, quam magnus, Episcopus paruæ diœcesis, tam est Episcopus, quam amplissimæ & ditissimæ.

Non est negligenda minimorum intermistorum actio; quis putaret in multo lacte, interposito pauco coagulo, aut tenui puluere plumæ floris cynaræ, coagulari lac totum? quis cederet in magno aheno ebulliens saccarum, ac præ feruore iam erumpens, sisti tamen, & constare, ac deponere eruptionem, & tumorem omnem, imposito paucissimo butyro; conseruantur vina in magnis doliis intermisto pauco alumine. Sic morbi contagiosi corruptiones prohibemus per interpositos pulueres quosdam. Fracastor de morbis contagiosis. lib. 3. cap. 3.

Partes vim & excellentiam sui totius habentes. *Vide Concordantia Principij.* partes suo vniuerso conformes.

Paruæ insulæ, firmæ inter allatrantes procellas.

Fons paruus sufficit ad sitim sedandam, non opus est fluuio.

Occultæ qualitates, quia multum formales sunt, A ideo cum minima materia multum possunt, elementalis autem virtus, quia materialis est vt multum agat, multam etiam desiderat materiam.

Terræ steriles sunt vtiles ad gregum pascua.

Cum Christus multiplicauit quinque panes itaut impleti sunt quinque millia hominum & ex fragmentis superessent duodecim sportæ, effecit vt pars esset longè maior suo toto; & id fecit ex panibus qui non sunt plures in potentia, sicut grana. Card. Cusa. excit. lib. 9. c. 1.

Tactus, licet sit inter sensus ignobilior, percipit tamen omnium principia, primasque qualitates, scilicet calidum, frigidum, humidum, siccũ.

Si semen diuidatur, tot fiunt animalia perfecta; quasi hæc vis tota sit in omnibus partibus. B Marsi. Ficin. Theol. Platon. lib. 11.

Manna qui parum collegerat, tantum habebat, ac qui plus collegisset. Exod. 16.

Essentiæ chymicæ plus valent, quam magna non expurgatæ materiæ quantitas.

Fortitudo Samson consistebat in capilis. Iudicum 16. Elisæus mittens sal in vas aqua plenum sanauit omnes aquas regionis, vt non essent nec steriles, nec mortiferæ. 4. Reg. 2.

Mortuorum animalium pelles sunt insignia Præsidum & Doctorum.

Multiplicatum omne mensuratur à sub multiplici, vt duplum à dimidio. Omnia mensurantur C primo, potissimo, simplicissimo & minimo sui generis, vnde omnes colores mensurantur albo. *Vide Minoritas Principij.* Initia à paruis.

Paruus adamas magnũ ligat magnetẽ. Alb. Mag.

Per secundum testamentum non solemne ad pias causas, reuocatur prius testamẽtum, quamuis solemne ad pias causas. Bonacina. de contractib. in genere. puncto. 3.

Iacobus Nisibis Episcopus, obtinuit precibus, à Deo, vt Persæ ciuitatem hanc obsidentes cyniphum agmine fugarentur: vitæ pattum. lib. 6. 1. Baron. An. Ch. 341.

D Tibiarum foramina angustiora sunt acutiora latioribus; itaque & puerorum voces, & mulierum sunt acutiores. Suidas in voce Rithmus.

Paucis verbis concipiuntur leges, Senatus & Principis decreta; quilibet dominus, seruo monosyllabus est. Breuitas integra.

Deum melius cognoscimus per negationes, quam per affirmationes, idest dicendo quod non est D. Dionys de Angelica Hierarch. c. 2. dicit negationes de Deo sunt veræ.

Leones vastarent totum orientem nisi illos per æstatem culices infestarent, à quibus coguntur aquis se mersare & in his sæpè pereunt, oculos etiam petunt & eos vnguium assultu labefactant. E Rodigin. lib. 11. cap. 8. in fine.

A plerisque Lacedemoniis, & Phocione probata fuit oratio breuis paucis multa complectens, & sermoni putant congruere quod nummis, qui eo præstantiores creduntur, quo materia pauciore pretij amplius complectuntur. Id. lib. 23. cap. 3. præuaricatio tamen est cursim transire dicenda, breuiter attingere quæ sunt inculcanda, infigenda, repetenda, nam plerisque longiore tractu vis quædam & pondus accedit. Ibid.

Oculi licet sint exigui, tamen cœli ambitum, ingentia maris & terrarum spatia, innumeram rerum varietatem momento vident.

De mundo ad fidem conuerso per duodecim Apostolos scientiarum ignaros. Plura vide apud D. Chrysosth. hom. 5. in 1. ad Corint.

Digitized by Google

A In scriptura sacra, singuli sermones, syllabæ, apices, puncta plena sunt sensibus & Sacramentis spiritualibus. D. Hieronym. in capite quinto. Math.

Spiritus seminales molem substractam pro facultate sibi collata & innata disponunt, & alterant insigni prærogatiua, & citra subjectæ molis reactionem. Van helm.

Minimum semper est mensura aliorum omnium. Arist 4. phys. & 10. Metaph. Tostat.num. tom. 1. f. 40.

Anseres vt timidæ, sic maximè vigiles. Ita D. Ambros. exame. libro quinto, cap. 13. Irridet Romanos seruatos ab anseribus dum Galli capitolium occuparent. Merito, inquit, illis debes Roma quod regnas. Dij tui dormiebant, & vigilabant anseres. Ideo illis diebus anseri sacrificas, non Ioui, cedunt enim Dij vestri anseribus, à quibus se sciunt esse defensos, ne & ipsi ab hoste caperentur.

B Luna minor planetarum, maximè mouet inferiora.

Athletæ suis incitatoribus fortiores sunt, & tamen monet debilior, vt pugnet ille qui fortior est. D. Hier in consolat ad Iulianum.

Nauigij parua materia, sejungit fato. Seneca l. 7. cont 1.

C *Potentiores indigent inferiorum auxiliis, vide quæ scripsi, lib. de operibus misericordiæ, parte 11. cap. 12.*

MVLIER FORTIS.

De muliere quæ sanata est tangendo fimbriam Christi, partes enim vel minimæ referunt totum. *V. concord. princ.* partes suo vniuerso conformes.

De mulierum quarumdam præstantia. Chassa in catalogo gloriæ mundi p. 2.

Mulierum facta virtuosa. Plutarch.

De puella Aurelia. Gerson. tom. 1.

D De muliere imperante, & nupta, *vide magnitudo potestatis*, qui potest plus, post minus. Repugnat.

Multa regna ope reginarum, ad Christum sunt conuersa. Cæsarea Persidem, Clotildis Franciam, Hispaniam Indegundis, Italiam Theodelinde, Germaniam Ethelberga; Olga Russiam, Dambruca Poloniam; totum denique imperium Helena ad Christianos ritus impulit.

Multæ sæpè per mulieres, multæ per seruos conjurationes.

Mulieres filiorum regum infantiam optimè rexerunt, amore sagaci sexus defectum fœliciter supplente.

E Germani fœminas interdum in exercitu habent, quæ inclinatam quandoque aciem feruntur restituisse Petrus Crinitus de honesta disciplina, lib. 12. c. 8.

In statutis condendis haberi potest mulieris consilium in auth. vt iud. sine quo & tutela administrari potest eius consilio, quia consilium non adstringit cap. cum olim de arbit. Vide Decium in l. 1. ff. de reg iur.

Isis Ægyptios docuit litteras. *vide princ. cognit.*

De præclaris mulieribus multa, vide apud Rodigin. libro 13. capite 33. de doctis libro 14. cap. 1. & de militaribus & amazonibus. Olaus Magnus. l. 5 c. 18.

Imper. Iustin. Nou. 8. c. 1. in legibus condendis dicit se consilium sumere ab ea quæ sibi à Deo data est reuerendissima conjuge.

Abrahæ dicitur omnia quæ dicit tibi Sara audi vocem eius.

Diuus Hieronymus ad Principiam Virginem in expositione, Ps 44. Plerique, inquit, reprehendunt, quod interdum scribam ad mulieres. Si viri de scripturis quærerent, mulieribus non loquerer; si Barach ire ad prælium voluisset, Debbora de victis hostibus non triumphasset. Hieremias carcere clauditur, & quia periturus Israël virum non receperat prophetantem, Olda eis mulier suscitatur. Fugientibus Apostolis, Maria plorat ad crucem.

Apud Persas Mardorum gens bellicosissima, mulieres habet non mitioris ingenij, vestis supra genua est, funda vinciunt frontem, hoc & ornamentum capitis, & telum est. Q. Curtius, libro quinto.

VNVM MVLTIS ÆQVIualens.

In manna erat delectatio omnium bonorum ciborum, & pro voluntate cujuslibet vertebatur ad saporem illius cibi, quem ipse concupisceret, vt patet Sap. 16. & Exod 18.

Gentes sub polo Arctico natæ, in cæteras orbis partes diffusæ imperium obtinuerunt, vnde Reges Gothorum habebant olim vrsam pro insigni, Olaus Mag. l. 2. c. 25.

Vt multorum opinio dat honorem, *vide potestas magnit.* ita princeps solus dat honorem, *vide principium gloria.*

Index est ex latiori scriptura breuis subnotatio quædam, & antequam causa ageretur, quasi per indicem rem exponebant Cujac. obseruat l. 5. c. 25.

Hebraica lingua, neque cælum, neque aquam, singulari numero nouit appellare. Ita Græci non vocant ciuitatem Athenam, sed pluraliter Athenas; non Delphum, sed Delphos. Theodor. in Genesim, q. 11.

In guttula aquæ, permixta vino in calice, saluatur significatio propter quam aqua adhibetur. D. Thom. 3. quæstione 74. a. 8. quælibet parua quantitas panis, dummodo sit sensibilis, potest esse materia Eucharistiæ. D. Thom. 3. q. 63. a. 1. & Bonacina.

Seneca epist. 9. loquens de Stilpone Philosopho, qui vastata sua vrbe à Demetrio liber discedens, dicebat se nihil perdidisse, & omnia sua, id est virtutes, secum portare; vides, inquit, quam facilius sit totam gentem, quam vnum virum vincere. *V. dur. virt.* inter malos, bonus.

Vide duratio honit. mora. de Ioanne Baptista ex Chrysol.

Vide concordantia differentia, omnia in omnibus.

Genus saluari potest in vna specie, sicut species in vno individuo totum enim animal est in homine, & tota natura hominis in Socrate.

Christus est totus sub qualibet parte hostiæ dum

Digitized by Google

diuiditur; sic fragmentum speculi totam figuram refert, quam integrum referebat; in homogeneis, quælibet pars, puta aquæ, est aqua, sicut tota; qui in deserto minus colligebat de manna, non minus habebat, quam is qui plus collegisset. Anima in paruo homine, est ita magna, sicut in magno, & est tota in toto, & tota in qualibet eius parte. Card. Cusa. excitat lib. 2 c. 10. sub finem. Memoria nostra si induerit montem, non est major quam quando induit granum millij, & est tota in quolibet de quo memoratur, & ipsum cujus memoratur, est in ipsa memoria. Id l. 6. c. 7. in fine.

In Hierarchia Angelorum, quilibet implet suam speciem; sic Christus Deus homo, solus suam, quæ consistit vt sint duæ naturæ in vno supposito diuino; opus Dei in medio annorum, inquit Propheta.

Dauid suo exemplo, triginta septem heroas reddidit, quorum minimus nullo comite poterat exercitum magnum vel fundere, vel sustinere. 2. Reg. 23. Ioseph. l. 7. antiq. c. 10.

Trianguli rectanguli subjectum latus, lateribus continentibus æquiualet; id cum repperisset Pythagoras musis Hecatomben fecit Laërt. l. 8.

Perfecto tabernaculo omnes tribus, æqualia offerunt munera, licet vna, aliam multitudine excederet. Nam verbi gratia de Iuda, numerus fuit duplex major tribus Manasse, non hic veniebant per capita, sed per stirpes. Vide numer. capite septimo.

Olim mos fuit vt qui scriberent, quamuis vnum alloquerentur, numero vterentur plurali, tanquam vnius persona, pluribus æquiualeret.

Vide concordant. princ. partes suo vniuerso conformes.

Effectus non consequitur, nisi concurrentibus omnibus causis, nam ex defectu vnius, consequitur negatio effectus.

Vnum ingenium quibusdam temporibus plus efficit, quam vniuersa multitudo, vt Archymedes Syracusis plus præstitit, quam multi Syracusani, *vide potestas cognit.*

Quorumdam populorum naues à puppi & à prora vtrinque gubernaculis exornatæ erant, vt non conuersi accederent & recederent. Suidas in voce *Δίκροτα* Ambidextri, Amphisbena serpens vtrinque capitatus; Ianus bifrons, exercitus initio & fine præstantioribus militibus & ducibus munitus, *vide concord finis.*

Romani Lucullo Duce fœliciter contra Tigranem Armeniæ regem dimicarunt, numero hostibus longè inferiores, refert enim Liuius, victores vigesimam fuisse partem eorum qui victi fuerant. Id. in voce Lucullus.

Per compromissum fit electio cum eligendi potestas vni vel aliquibus tribuitur, vice omnium, qui vacanti prospiciant. cap. causam 8. de electio.

Potest permutari vnum beneficium cum pluribus cap. cum venerabilis, de exceptionibus.

Dicit D. Greg lib. de hominis opificio, hominem à Deo post reliqua factum esse, vt Deus in ipso exprimeret sub breui compendio, quidquid diffusè antea fecerat, hinc Aristoteles affirmat hominem esse omnia potestate.

Antiquæ hostiæ diuersæ pro diuersitate peccatorum cessarunt, quia Christi hostia sufficiebat pro totius mundi salute, cæteri præcibus peccata dimittunt, hic potestate. Origen. homil. 24. super nu.

Testamentum militis notis seu Zifris, quæ sunt non litteræ, sed compendia quædam dictionum, valet. l. Lucius ff de mil. testam.

In inferioribus vna species habet plura indiuidua quæ in diuersis perfectionis gradibus sibi subordinantur; at in cælestibus tota natura speciei concluditur in vno indiuiduo, & sic in Angelis hæc perfectio inuenitur vt vni indiuiduo nihil desit eorum quæ ad totam speciem pertinent, & sic non sint plura indiuidua in vna specie. D. Th. in q. disp. q. vn. de spir. creat a. 8 o.

Nouella 69. prohibentur euocationes litis, vt alio loco terminentur, quam in quo crimen admissum, licet leue sit crimen, quamuis enim res de qua agitur minima videatur, tamen iustitiæ ratio, non ex quantitate, sed ex suis regulis debet æstimari.

Singulis hominibus assignantur Angeli custodes; singulis autem alijs rerum speciebus vnus tantum. Math. 5. f. 28.

VNVM QVOD MVLTIS *prævalet.*

VNa Aquila sexcentas fugat aues. Vnus leo sexcentas oues.

Consuetudo non completa, vno actu contrario interrumpitur, quia sic populus ostendit se nolle talem consuetudinem, simile est in præscriptionibus. Vnus actus in contrarium, plures alios in contrarium inefficaces efficit.

Vir bonus plebem in suam trahens sententiam, mouet montes, vt si elatos fortuna principes ad meliora deducat, & sic implet vim miraculosam, quam suis Deus promisit, *vide potestas cogn.* vis eloquentiæ.

Mercurius Argum centum oculis præditum, superans, significat solem luce sua immensa obscurantem stellas octauæ sphæræ, gubernaculum totam regit nauem

De Israële filio Agar ancillæ dictum est, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum. Genesis 16. De Sarracenis intelligit Alcuin.

Olim solus Tribunus plebis Senatorum sententiæ non consentiens, illam irritam faciebat. Polyb. l. 6.

Omne totum est majus sua parte, in quantitate dimensiua, non autem in quantitate virtuali; illa est respectu partium, hæc respectu objectorum, vt in potentijs animæ.

Vulpecula se præstantiorem dicit Leænæ quod multos pariat, cui Leæna, vnum quidem pario, sed Leonem, ex Æsopo Rodigin. libro 19. capite nono.

In electione facienda citari debent omnes qui habent jus eligendi, vt possint interesse si velint; alioquin electio non valet, nisi is qui non citatus adfuit, eam postea ratam habeat, cap. quod sicut 28. & cap. coram dilecto 35. de elect.

Dux fortis & prudens plus potest quam tota ciuitas, *vide concord. potest.* Regem populus imitatur, *& potestas cognit.*

Virga Pharaonis vertitur in serpentem & deuorat omnes serpentes, in quos versæ fuerant virgæ magorum, exod. 7.

Erat homo in terra hus, idololatriæ dedita, nomine Iob. Vnus pius inter impios, qui sic omnes regionis suæ ciues superauit, & vim omnem illatam sibi à diabolo, vt carnalis spiritualem, mortalis immortalem, terrenus naturæ nobilitate superiorem superarit, dæmones, amissiones bonorum, vulnera, conuitia vxoris, amicorum, &c. Origen. libro 1. in Iob.

Vide duratio virt. inter malos bonus.

Helisæus cum esset ab hominibus derelictus, & cælesti circumdabatur exercitu secundū quod scriptum est, 4. Regum 6. aperi oculos pueri hujus vt videat quia plures nobiscum sunt, quam cum illis, & vidit totum montem equitibus & curribus plenum. Nunquam enim solus est iustus, sed exercitus virtutum cælestium ei præsto est. Idem homilia 4. in Ps. 36.

Cum ipso sum in tribulatione, Psalm. Si autem Deus pro nobis, quis contra nos. Roman. 15.

Aptius refrigeramur magno haustu frigidæ affatim potæ, quam si eadem quantitas pluries pota sit: plus refocillamur vnico suspirio, quam plurimis paruis & crebris respirationibus. Follis magno & continuo flatu plus præstat, quam minoribus accuratis, licet pluribus.

Hoc nomen, Deus, plures perfectiones significat quam omnia simul attributa. Tosta. exod. to. 1 fol. 165.

Arca fœderis majoris erat reuerentiæ, quam totum tabernaculum. Idem exod. tomo primo, fol. 281.

Quemadmodum in Romana Republica, intercessione, & vnica Tribuni plebis voce, *veto*, antiquantur rogationes impediuntur leges, turbantur Senatus Consulta, tolluntur decreta, iam & constituta, sic in cælesti Republica, multorum astrorum certum propositum, consiliumque, vnius stellulæ interuentu, & tanquam intercessione euanescit. Dictator etiam princeps mundi, aliter fieri jubet, quam minores magistratus statuerant. Lud. Viues in som. scipion.

Multas genituras fœlices, infortunium magnum euertit, & tunc egregius astrorum consensus significat tantum mores & corporis dispositionem. Card. aph. sect. 6. aph. 105.

Vide magnitudo virtut. virtus debet esse perfecta quia minimus defectus totum destruit.

Detrimenta valida radiorum solis, à fortunarum aspectu non emendantur. Idem aphorism. 106.

Cum Marcellus Syracusam obsideret, Archimedes in extremo vrbis periculo, ex turri quadam distanti admodum à portu, Romanas classes, alias ope speculi incendio conflagrabat, alias ferreis instrumentis aduncis jactis, vi rotarum impetu maximo ex turri eodem subleuatas submergebat, quod adeo exterruit Marcellum, quod sæpè frustratus capprandæ ciuitatis portum pluries dereliquit; Resistebat Romano Imperio homuncio solus, cui terrarum orbis totus viribus magnis resistere non poterat.

MINIMA QVÆDAM AD nocendum valida.

EX leui causa, ira inardescit, supercecidit ignis, & non viderunt solem iustitiæ, lamina plumbea, sicut aurea impedit visum, differentiam cæcitatis, non facit prætiositas metallorum. Cassian. libro 8. c. 6.

Propter vnum peccantem sæpe tota gens punitur. *V. gloria concord. R.*

B Id astrum est inferius, quod alterum nobis occultat.

Luna obscurat solem licet eo longè sit minor, vt manus admota oculis, occultare potest res maximas.

Aër tam corrumpitur ab infimis, quam à superioribus, *vide princ. minorit.*

Vapor qui egreditur ex aqua & terra est causa omnium impressionum aëris, & omnium quæ in imo generantur.

D. Hier. in vita S. Pauli Eremitæ, initio refert in persecutione Decij & Valeriani, perseuerantem in fide quendam Martyrem, & inter eculeos, laminasque victorem, jussum melle perungi, & sub ardentissimo sole, religatis post tergum manibus, resupinari, scilicet vt muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset.

C Majus infortunium Saturni est, cum fuerit in signis fœmininis, sed Martis cum fuerit in masculinis. Saturnini enim & timidi vt mulieres sunt crudeles. Almans. prop 83.

Sæpè in imum summa decidunt, ego vidi pauperem auxilia diuiti ferentem. Idem declamat. nona.

Pauper diuitis inimicus sparsit rumorem, diuitem tunc Ducem exercitus Rempublicam prodidisse. Hinc concitatus populus & concione pauperis diuitem accusantis, eius liberos facta seditione necauit. Homo, inquit, qui omnem aduersus superiora, rabiem, de sui vilitate sumebat, qui genus libertatis putabat odisse majores: neque occidere contentus, & mori paratus. Idem declam. 11. Rumorem

D primum efficit, vnius hominis audacia, *vide minor. princ. initij.*

Vnus potest omnem commouere populum, *vide princ. contrar.* bellorum; paruo ferro securis, procumbit ilex, & abies.

Nonnulli vrbibus dominantur, vxoribus autem seruiunt. Iuncta est anima corpori, vt eius seruitio vteretur, at contra intemperantes animam corpori subjiciunt.

Improbi vtuntur plebe, & Democratiæ fauent, quia in ea melius latent quam in Monarchia, aut Aristocratia.

Apud Teocritum amor puer luget matri, quod eum apicula percusserit tumescente vulnere, cui

E mater. Hanc imitaris tu quoque, dixit, nate feram, qui das tot noxia vulnera paruus. Alciat. emble.

Theodoretus in Gen. q. 28. dixit fructum primis parentibus vetitum, fuisse ficus; non fructus alius eximius, quia non ex nouitate cibi peccata censentur, sed ex præcepto dato.

Araneę, telis suis pulchra quæque, nisi prouideas, obscurantes.

Digitized by Google

Medicamenta non tantum juuant in parua quantitate, quantum venena nocent; faciliusque est lædere, quam juuare, & Aristoteles 29. proble. 5.

Non sic sanamur per approximationem sani, vt lædimur per approximationem ægri; nam ad destruendum pauca sufficiunt, ad construendum multa requiruntur. In malum etiam & dissolutionem prona est natura. Pomponat. de incantationibus.

In non fauorabilibus & stricti juris vel minimus defectus actum infirmat, ita Religionem professus, vel vno die ante annum 16. inualidè censetur professus. Ita testamentum est irritum, si sit factum, nisi sit factum inchoato vltimo die anni 14. l. qua ætate. ff. qui testa. fac. poss. & Bonac. de sponsalibus puncto 4.

Post peccatum vilia animalia, fiunt nobis nociua.

Sunt quædam in quibus paruitas materiæ non excusat à mortali, vt in odio & contemptu Dei; in forma Sacramentorum, si quid essentiale prætermittitur, in juramento falso assertorio, vt si quis iuraret in domo sua non esse pulices, Deum testem falsi assumit, & peccat mortaliter, quamuis in re leui. Id. de pecc. q. 5. p. 3. Item qui negat articulũ fidei. Denique quando res ex se parua, est grauis ratione finis, vel circumstantiæ; vt si ex re leui furto ablata, Dominus graue damnum, aut magnam inquietudinem sentiat. Ib.

Peccatum veniale potest fieri mortale, ratione mortalis finis adjuncti, & fiat propter mortale peccatum, vt si quis leue mendacium proferat vt fornicetur; pompam vestium affectet, vt alium ad stuprum alliciat; vel huic pompæ sic assuescat, vt propterea nolit relinquere vsuras & concutiones, si quis alteri calamum subripiat, vt eum inducat in blasphemiam. Ibidem, puncto quinto. Si res parua contemnatur cum intentione injuriam inferendi legislatori.

Bella leuibus sæpè de causis orta, ludunt humano sanguine, principes ferrum rubigo consumit, culices vim leonum exercent: corpus quod corrumpitur aggrauat animam.

Furtum vel minimæ particulæ reliquiarum potest esse peccatum mortale, quando magna est eius dignitas & æstimatio. Bonacina in 1. præcept. decalogi.

Odium in Deum, non potest ob paruitatem materiæ, fieri peccatum veniale, quia repugnat summæ bonitati Dei, in quem nulla ratio mali odibilis cadere potest, & sicut mortaliter peccat qui Deo fidem non præstat in quolibet fidei articulo, etiam minimo, ita etiam qui vult aliquod malum Deo. Id. de charitate, puncto vlt.

Auguria maxima sumebantur à pullis gallinaceis, qui si non ederent oblata, sistebant consilia publica, conflictum exercitus, & cætera publica negotia.

In finibus, mare contractum, magis agitatur.

Parentes nostros de paradiso pomum projecit, non pigmentum. Gen. 3.

Anno mundi 3968. Serui simul coëuntes, iusti exercitus numerum impleuerunt, & graue bellum Romanis intulerunt. Genebr.

Somnium Pharaonis, in quo vidit septem boues macras deuorantes alias pingues & pulchras. Gen. 41. significarum vbertatem consumentem.

Minima res est, quæ nos vel tollit è vita, vel morbis deterrimis afficit.

A Æneas Syluius ep. 162. Refert quendam latronem, nomine Axamit, domo vilibusque parentibus ortum, congregasse ad 5000. hominum, quos alliciebat spe stipendiorum & prædæ inter omnes æqualiter diuidendæ; sic maximas etiam vrbes in Vngaria sibi tributarias effecit.

Maximus error oritur ex minimo principio, quia principium est multum, aut potentia, aut actu, aut magnitudine. Alb. Mag. tr. 2. de cælo & mu. c. 1. *V. potestas princ. initii.*

Hoc est solemne, peruersis, idiotis & hæreticis, alicujus capituli ancipitis occasione, aduersus exercitum sententiarum instrumenti totius, armari. Tertul. l. de pudicitia c. 17.

B Vapor è terra eleuatus concutit aërem, per ventos, turbines, fulgura, tonitrua, grandines, &c.

Minima congregata sunt valida. *V. potestas concord. & veritas minorit.* parum pro nihilo. Ideo à minimis etiam peccatis abstinendum, *vide magnit. virtutis.*

Qui furatur minima, animo furandi successiuè majora, peccat mortaliter, & qui sæpius minima furatur, successiuè, peccat mortaliter quando peruenit ad tantam quantitatem, quæ continuata cum præcedentibus est notabilis, & infert damnum notabile, vt qui in falsa mensura parum ab vno quoque ementium surripit. Bonacina de restitutione furti.

C Etiam seruus habet in te vitæ necisque arbitrium, quisquis vitam suam contempsit, tuæ Dominus est, pauciores non sunt qui domesticis insidijs & seruorum ira, quam regum perierunt. Senec. ep. 4.

Afrorum scaphæ paruæ, naues Romanas subeuntes, perforabant puppes, & gubernacula resecabant. Suidas in voce *δυπτῃ*.

Est & formicæ & culici sua bilis.

Animalia nobilissima à vilissimis non solum infestantur, sed occiduntur vt homines à scorpijs, Delphyn ab asylo.

D Riuulus perexigui fontis, cui Exampeo nomen, adeo amarus est, vt Hypanem ingens Ponti flumen amaritudine sua inficiat. Georg. agric. l. 1. de his quæ fluunt ex terra.

Vide veritas contrarietat. R. meticulosi exigua de causa.

Scripsit Heraclides librum cui titulus *πόνου ἐγκώμιον*, id est, laboris laus, primam litteram deleuit Ptolomæus, scilicet π & relictum est *ὄνου ἐγκώμιον*, id est, laus asini. Rodigin. libro 21. capite 27.

Talpa aggerem transfodiendo, inundationem magni tractus facit.

Heu, heu quam breuibus pereunt ingentia causis
E Imperium tanto quæsitum sanguine, tanto, &c.
Proditor vnus iners angusto tempore vertit. Claudian.

Mors iusti vindicatur in toto populo, *vide magnit. contrar.* magnæ clades.

In corpore ea quæ sunt parua, non parum nocent, si auferantur, vt pilos si tollas in supercilijs & cilijs, visus delebis speciem & dignitatem, peritque vultus decor, vt si summam nasi partem contriueris, vno sublato digito, cæteri minus suo munere funguntur, &c. D. Chrysosto. hom. 30. in 1. ad Corinth.

Busonibus, viperis inest mortifera quædam po-

Digitized by Google

A testas, & in exiguo corpore valida pestis, quæ nec regum purpuram, nec ipsam virtutem reuereatur.

Petrus Orosius, l. 4 de Ormesta mundi tractans de bello punico, quod fecit Atilius regulus contra Carthaginenses, refert apud Bagrada fluuium Africæ, serpentem nimiæ magnitudinis partem exercitus Romani destruxisse, & postea vix toto Romano exercitu confluente interfectum fuisse. Tost. exod. to. 1 f. 233.

Olaus Magnus, rerum Septentrion. libro 18 capite 2. refert mustellam ad guttur alcis insilire, sanguinem & spiritus exugere, sic vt tandem deficiat.

B Orca piscis non grandis, sed rostro instar nauis acuto, balenam CCC. pedum longitudine exagitat, & ad vada perituram agit. Idem libro 21. capite 9.

Potens est in alterum sexum, sexus ille qui infirmior dicitur. Quidquid enim turbidum magis vitam hominum exagitat, opus est mulierum, *V. potestas volunt* amoris.

Vide concordantia virtutis. R congregatio malorum.

Superiora obscurantur ab inferioribus, Sol à Luna, Luna ab vmbra terræ.

C Sydera pleraque quæ in signifero sunt, quandoque ab inferioribus planetis obscurantur, quod & contingat, proximis temporibus, vt in luminarium eclypsibus considerandum est. Cardan. aph. sect. 1. aph 62.

In Oasim insulam Ægypti rei mittebantur in exilium, non vltra annum, quia est infesta culicibus, qui sæpe mortem exulibus adferunt, libro vltimo. Cod. de pœn. Cujac. obseruat. libro octauo. c. 27.

Non potest ex taberna casearia fumus iure immitti in superius ædificium. l. 8. s. 5. ff si seruit. vindic.

D Vir infimæ conditionis se vindicat de Imperatore, *vide gloria minoris* insolescunt ex infima conditione elati.

Leo aliquando minimarum bestiarum pabulum fit, & ferrum rubigo consumit, nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab inualido. Q. Curtius l. 7.

Verbum vnum multa potest inferre mala, *vide contrarietas gloria*, maledicentia, ex Diuo Chrysost.

Quidam asserunt vel minimam veneni partem sumptam hominem occidere, quia tale venenum quamcumque corporis nostri humiditatem contingat, in sui naturam conuertit, ita se reduplicat & multiplicat, vt animal totum in sui naturam transformet. Zachias, medicinæ, libro secundo, tit. 2. quæst. 4.

MVLIER PLVRIMVM nocens.

NIcolaus Antiochenus omnium immundiciarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit mulierem quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philomenen suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam & Maximillam nobiles & opulentas fœminas primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Arius vt orbem deciperet, sororem principis ante decepit. Donatus per Africam vt infœlices quosque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adjutus est. In Hispania Agap. Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam, duplex sexus vtrumque supplantat, &c D. Hieron. ad Ctesiphontem, aduersus Pelagianos.

Vide potestas voluntat vis amoris, *& contrarietas voluntatis*, amoris remedia.

Mulieres non debent docere nec prædicare. *V. princ. cognit* alios docere, *& diff minoris* suspectum contubernium.

Sunt & fœminis ad scelera vires, cum habent causas virorum, quin imo, si interroges facilius hæc pectora, metus, odium, ira corrumpunt, & quoniam non habent roboris tantum, vnde vitia mentium vincant, plerumque facinus infirmitate fecerunt, licet non sufficiant sceleribus quæ magnum exigunt laborem. Quint. decl. 2.

Pronæ sunt ad venena & veneficia, *vide cognitio contrarietatis, R*

Semiramis obtinuit à Nino marito, vt vna die regia & absoluta dignitate fungeretur, experta mane obedientes subditorum animos, vespere jussit Ninum occidi, sic sola regno potita est. Rodig. l. 23. c. 5.

Quanquam mala quæ adscribuntur mulieribus, vt bellum Trojanum, ducilla, & similia, non tam procedant ab earum malitia, quam ab hominum incontinentia. Si illæ juuenes sint, vetularum cauenda magis vt nocentior malitia.

Digitized by Google

Prodest scire conuersationes à ratione alienas, ne quis improuiso studio in eas incidat. Iustinus Mart. ad Serenum fratrem.

Vt boni aut mali simus, id Deus non posuit in cognitione eorum quæ cognoscuntur, sed in eorum electione libera quæ eliguntur, vt qui videt & scit meretricem non est scortator, sed qui in illam fertur praua cupiditate Iusti. Martyr. q. 8 ad orthodoxos.

Quæ iuuant hominem ad habendam sui cognitionem, vide quæ scripsi moralis Christiana. tom. 1. parte 1. c. 1. De quotidiano examine conscientiæ, ibid p 2. c. 24. De continua in se conuersione, libello. de amore Dei agente, c. 4.

Deus animam rationalem sociauit carni passibili, vt assidua consideratione corporeæ fragilitatis, occasionem caperet conseruandi eximia dona spiritualis suæ naturæ, homo. Laur. Iust. l. de perfect. Monast. cap. 4 *Vide cognitio contrarietatis* præuisio mali.

De proprijs cognitis & occultis peccatis, de alienis etiam rationem redditurus, pœnasque daturus es, & risu vano dissolueris, &c. D. Chrysost. hom. 6. in Math

Beati qui lugent, scilicet propria peccata, quoniam ipsi consolabuntur; sicut enim qui sunt in vero luctu de rebus alijs non cogitant, vt in funere dilecti filij, sic qui lugent amissam per peccata Dei gratiam, ipsi consolabuntur in hoc sæculo per spem obtinendi gratiam, & in futuro multo plus. Nec tantum dolere oportet de proprijs, sed etiam de alienis peccatis, sic Moyses, Samuel, Paulus aliena peccata luxerunt. Ib. hom. 15.

Sicut aurora solem, ita sui ipsius possessio, Dei præcedit possessionem, ambo donum Dei, ambo interioris hominis exercitia sunt, quæ nemo segnis, sed perfectionis auidus adipiscitur, assuescat cor ab exterioribus amouere, & ad se redire, sic disponitur ad contemplationem Laur. Iust. de casto connubio verbi & animæ c. 22.

Angeli quo sunt perfectiores, magis cognoscunt defectus suos, & quantum distant à diuina perfectione, ideo magis conantur illi conformari, hic sensus non est in mundo materiali. Leo Hebræus, dialog 3. de amore. Sic nobilis magis obseruat quid desit sibi ad vestis honestatem quam rusticus. Ibidem,

Inter dona humanæ saluti necessaria, præcipuum existimo propriæ infirmitatis notitiam, hinc enim cordis compunctio, peccatorum confessio, effusio lachrymarum, delictorum emendatio, precum importunitas, mentis innocentia, alienæ vitæ commendatio extrinseca humiliatio, & cordis humilitas famulantur. Qui in lumine veritatis sui ipsius percipit notitiam, alieni cordis secreta curiosè non quærit, neminem iudicat, nullum condemnat, nulli iniuriam irrogat, non irascitur, non contradicit, non detrahit, nõ mentitur, honores non appetit, nescit inflari, nõ extollitur, neque in naturalibus neque in donis specialibus eleuatur, propriam non excedens mensuram, potioribus semper ditari meretur. D. Bonau fasciculi amoris. c. 16

Sic dicit Propheta. Ego vir videns paupertatem meam, & Psalmista, Domine non est exaltatum cor meum, &c.

Genes. 3. post peccatum Deus dicit Adam, vbi es; non ignorando quæsiuit, sed increpando admonuit, vt attenderet vbi esset, & vnde cecidisset. Alcuin. in Gen. Inter. 71.

Orat Deum Propheta. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte. Nempe vbi est peccati cognitio, ibi est spes veniæ, & compunctionis origo: tolle hanc ab homine, erit ignorantia crassa, dominans voluptas, cupiditas indomita, mentis hebetudo, Dei contemptus, sui odium, proximorum offensa, charitatis & timoris absentia Laur. Iust. opu. de gradib. perfect. c. 1.

Iuxta labium in quo lauabantur sacerdotes erant specula, in quibus viderent si quam in veste vel vultu haberent maculam. Exod. 30.

NOSSE PROPRIOS defectus.

VT oculus, ita mens se facilè non videt, sed ea quæ foris sunt.

Eris tibimet præceptor, si eadem quæ alijs obijcis, tibi obijcias. Sto.

Si cupis bonus fieri, primum crede quod malus sis.

Malorum suorum obliuio, gignit audaciam.

Rectè orat Propheta. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Psal. 6 Quid enim infirmius homine, quem sensus fallit, ignorantia decipit, circumuenit iudicium, pompa lædit, tempus deserit, mutat ætas, hebetat infantia, iuuentus præcipitat, senectus frangit Chrysol. ser 45.

Priuatio cognoscitur per habitum. Aristot. 3. de anima text. 35. Sic tenebræ comprehenduntur per absentiam luminis, & infirmitas per defectum sanitatis.

Persarum milites singuli ad bellum procedentes coram rege deponebant vnam sagittam, & post conflictum quilibet suam resumebat, sic deprehendebatur numerus occisorum.

Leu. 4 & passim, vbi agitur de peccante qui peccati sui petit remissionem à sacerdote, semper additur, si cognouerit peccatum suum.

Democritus effusi sui risus reddit rationem Hyppocrati, quod homines rerum vicissitudinem ignorantes, aliter alias ea quæ tristitiam inferunt cupientes, & quæ non conferunt, quærentes, multis calamitatibus inuoluuntur, si vero quis iuxta propriam facultatem omnia facere cogitaret, stabilem sanè vitam custodiret, seipsum cognoscens, & sui ipsius comparationem clarè considerans, & non cupiditatis studium in infinitum extendens, sed opulentem naturam, & omnium nutricem per sufficientiam intuens. Hyppocrat. epist. 17. *Vide differentia virtutis*

Vmbram suam metiri quisque debet, vmbra autem non est major post fœlicitatem quam erat ante.

Humilium proprietas est, vt non respiciant quantum proficiunt, sed quantum à perfectione deficiant, non quid merentur, sed quid demerentur considerent, Tost Iud. f 73.

Redi per considerationem ad cor tuum, quisquis es qui sapientiam & prudentiam cupis adipisci; discute assiduè teipsum, considera vnde venis, quo vadis, quomodo viuis, quantum quotidie proficis, quantum deficis, quibus cogitationibus magis incursaris, qualibus affectibus frequentius tangeris, quibus tentationum machinis impugnaris. Laurent. Iust. de pruden. c. 6.

DIFFICILIS PROPRIÆ INfirmitatis cognitio.

PEtrus Dam. opusc. 20. refert de quodam seruo Dei, qui ciuitati prænuntiauit conflagrationem nisi conuerterentur, contigit incendium, in quo & ipse consumptus est.

Si anima sentit in se claritatem lucis diuinæ gratiæ, quæ illuminet conscientiam, taliter quod possit videre peccata sua, quæ prius carens lumine non vidit, tunc adest Deus: quando enim incipit videre quam dissimilis est Deo suo, sponso suo, & lauatur, & emundantur maculæ, & ad hæc ministrat lachrymas contritionis, tunc sequitur gaudium & lætitia, & alleuiatio, quæ eueniunt ex Dei præsentia. Card. Cusa excit. l. 5. c. 57.

D. Greg in pastorali, parte 3 c. 12 comparat excusantes peccata sua, Ericio qui deprehensus abscondit caput & pedes.

Inter aquas stagnantes pessimæ sunt quæ pellem & viscositatem habent in superficie. *V. minor differ. mala*, defectus motionis.

Qui hectica febri laborant, hoc est, quorum solidæ partes febricitant, cum æqualis in eis sit intemperies, calorem suum nullo modo sentiunt, eo quod æquabilis sit calor in omnibus partibus, nec alia agat, alia patiatur. Suidas in voce *νοσ.*

Aristippus interroganti Dionysio, quid in causa foret vt Philosophi ac eruditi homines diuitum ædes accederent, diuites vero ad sapientes non accedant; quoniam, inquit, Philosophi probè intelligunt quæ desunt diuitibus, & quibus maximè egeant, diuites autem hoc nesciunt. Petrus Crinitus de honesta disciplina, libro septimo, capite vlt.

Anselmus lib. orationum, dicit abyssus sunt peccata mea. quia incomprehensibilia sunt pondere & profunditate; nec inde aliquis potest exire nisi per misericordiam Dei.

Veritas odium parit, *vide voluntas veritatis. Repug.*

Sicut non est possibile superfluitates corporibus innatas, sine magno dolore amputare, sic nec commissa carnalia ab eis qui animas suas carnes effecerunt, de quibus dicitur Genes. 6. Non permanebit spiritus meus in hominibus, quoniam carnes sunt, Orig. tr. 25. in Math.

Oculi videntes omnia, non se vident, nisi per reflexionem in speculo; sic animus non se cognoscit nisi reflexa cognitione suarum actionum, ex Greg. Nyss. hom. 1. faciam hominem.

Nathan exprobrat Dauidi peccatum suum per parabolam, nolens nisi proprio suo iudicio reum pronuntiari.

Ideo Dauid orat, Psal 18. ab occultis meis munda me.

Nouitii debent interiores omnes motus suos magistro suo discutiendos proponere, vide quæ scripsi de institutione & officiis religiosi, parte prima, capite 18.

Christus leproso sanato dixit, ostende te sacerdoti. Math. 8. erat quippe lex vetus Leuit. 14. ne leprosus emundatus, de emundatione sua ipse decerneret, sed vt conspectui sacerdotis se offerret, & probationem suam oculis eius exponeret, atque ex illius sententia in numerum mundorum rediret, nisi enim dixisset sacerdos leprosum esse mundatum, adhuc cum immundis erat extra castra mansurus D Chrys. hom. 26 in Math.

Ibid. hom. 62. dicit auaritiam non agnosci, & à Monachis procul ab ea in deserto educatis, & ab his quibus facta est ita familiaris, vt omni virtute expulsa, crimen & morbus non videatur, velut in naturam transierit.

Necotiana famem non tollit, sed sensum, vt ebrietas.

Sicut corpore sic animo grauiter ægrotantes morbum suum non sentiunt, alieno propterea debent committi regimini. Ne passiones per ignorantiam nutriantur, crescant, fructificent. Laur. Iust. fasciculi amoris c. 16.

Nouit quisque aliena prudentius iudicare quam sua. Nemo laudaret inutiliter pœcunias dispergentem, sed neque vltro properantem ad interitum, & tamen pœnè omnes hoc faciunt; nihil prætiosius tempore nobis ad æternitatem promerendam concesso, nihil magis nostrum est, & tamen nugis, nego ijs inutilibus teritur. Id. de complanctu Christianæ perfectionis.

Quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. D. Hieronym.

Solemus mala domus nostræ scire nouissimi, ac liberorum & conjugum vitia vicinis canentibus ignorare. Id. ad Sabinianum.

Venenum ad extra sumptum magna edit symptomata; non sic quod in nobis genitum est, illud enim habet natura quasi familiare. Vt notat Cardanus de venenis, eius enim generatio non est repentina.

CONFESSIO CVLPAM minuit.

MAria Magdalenæ in ciuitate peccatrix stans retro pedes Iesu, lachrymis suis rigauit. Ad pedes tendit semper citam veniam qui requirit. O quanta vis in lachrymis peccatorum; rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus, latam diuina promulgatione sententiam. Chrysol. ser 93.

Peccare humanum est, peccatum vero deffendere diabolicum est, hoc enim ex tumore & superbia procedit, neque vrgeat super me puteus os suum, inquit, Ps. 68. quia non datur egressus. Petrus Dam. serm. 18.

In chymicis operationibus essentiæ rerum extractæ purificantur, cum pluries super materiam vnde eductæ sunt refunduntur, & vocatur cohobatio, similiter spiritus rectificantur & perficiuntur cum in vase obturato hermeticè sursum & deorsum in se redeunt, vocatur circulatio, talis est super proprios defectus reflexio.

Iosue 6. Achar confitens anathema quod furatus erat, non meruit veniam, quia tarde confessus est, & cum iam aliorum indicijs proditus esset.

Quidam oleo pallium maculauerat, noti omnes ab eo quærebant, quid sic maculasset, vt idem semper dicendi laborem, tædiumque vitaret inscripsit in ea parte pergameno, oleum. Æneas Syluius. ep. 97.

Armentarius quidam irrepsit in Episcopatum, adsentatorum insolentia ante ad monitionem cessit

sit Episcopatui, priuatæ domui se reddidit, scripsit ad clerum vt nomen suum eraderetur de numero Episcoporum, ea confessione meruit, vt Concilium Regense in Gallia ann. 439. ei vnam Parochiam victui sufficientem assignarit, cum Chorepiscopi nomine, quod olim factum fuit in Concilio Nicæno, canon. octauo. Talis se inferiorem Episcopo, superiorem Presbytero agat; indignum se adultis, & negatis imparem fateatur.

Quanto nos memores sumus peccatorum nostrorum, tanto horum Dominus obliuiscitur, & è contrario, quanto nos horum obliuiscimur, tanto Dominus reminiscitur, dicente Propheta, Hier. 31. & peccatorum tuorum non memorabor. Capitulare Theodulphi Aurelian. Episcopi, c. 30. Conc Galliæ, a. 797.

Allogij crimen est cum rationem quispiam reddere neglexit in magistratu gestorum. Rodig. l. 8. c. 3. in fine.

Dicitur Leuit quarto. Pronuntiet peccatum suum qui peccauit, & offerat Domino, &c. Diabolus nos vt peccemus instigat, & cum peccauerimus accusat, idem peccati incentor & accusator. Si ergo in vita præueniamus eum, & ipsi nostri accusatores simus, nequitiam inimici nostri effugimus, sic dicitur Isay. 43. Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris, & Dauid, dixi iniquitatem meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Psalm. 31. 32. Origenes, homilia tertia, in Leuitic.

Orat Propheta Psalm. 37. Domine, ne in furore tuo arguas me, &c. Reddit rationem, quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & iniquitates meæ graue grauatæ sunt super me. Id est, quia verbi tui veritas confixit cor meum, & sentio turpitudinem & onus peccati mei. Idem homilia 1. in d. Psal.

Qui seipsum condemnat, duplici ratione Deum placat, & quod peccata agnouerit, & quod in futurum ad ea sit tardior. D. Chrysost. hom. 28 in 1. ad Cor.

Taciturnitas plus frangit iram, quam mollis & excusatoria responsio. Tostat. Iudicum, fol. 108.

Nathan increpat Dauid de peccato, illud confitens Dauid, dicit peccaui Domino, cui Nathan, transtulit Dominus peccatum tuum, nam qui occiderat vriam merebatur statim mori, sed pœnam hanc propter confessionem Deus transtulit ad posteros. Id. 2. Reg. f. 71.

Miserere mei Domine quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Psalm. Valida misericordiæ precatio, peccati confessio, misericordiam Dei inueniet, qui se miserum confitetur. Alcuin.

Caïn peccatum grauius factum est, ex eo quod negauit, dicens Deo quærenti, vbi est frater tuus. Nescio. numquid custos fratris mei sum. D. Hieron. Damaso, q. 1.

CONFESSIO SACRAmentalis.

CAssian. l. 4. c. 9. dicit Monachos iuniores, omnes suas cogitationes prurientes in corde, seniori suo statim debere patefacere, vt sic à callido inimico non possint circumueniri.

Vox Domini concutientis desertum, & reuelabit condensa. Ps. 28.

Pinguedo quæ est in manibus non cognoscitur, nisi cum manus abluuntur; quia aqua pinguedini contraria est, pœnitentia peccato.

Perfecta alicujus rei ablutio consistit in salsedine, in amaritudine & calore. Nam cinere abluuntur sordes; sale abluitur venenum, amaris liquoribus abluuntur immunditiæ, variæ & diuersæ, calor super omnia purgat, sic mundatur cor, contritione, correctione, charitate.

In magno æstu, terra fit porosa, sic corrupti humores euaporantur, & terra fit pluuiæ magis susceptiua. Sic amor Dei facit pœnitentes.

Confessio est legitima & Sacramentalis accusatio de proprijs peccatis facta sacerdoti, ad obtinendam remissionem peccatorum, per absolutionem. D. Thom. in quart. distinctione 17. quæstione 1. a. 2.

Sexdecim conditiones solent à Doctoribus enumerari ad confessionem his versibus,

Sit simplex humilis, confessio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda.
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Ex his conditionibus tres sunt necessariæ, scilicet vt sit integra, dolens seu lachrymabilis, & sit vera seu pura. De integritate. *V. magnit. virt.* pœnitentia sit omnium peccatorum.

Est nobis dura & deflenda conditio. peccare nos cogit fragilitas innata, & confiteri prohibet confusio cognata peccati. Malum enim facere pudor non est, & pudor est confiteri; timemus dicere, quod cõmittere non timemus; saltem vt mulier sanguiniflua, medicinam vulneri verecundo quæramus. Chrysol. ser. 34. Mulier accedendi ad Christum prima tradidit disciplinam: mulier prima dedit formam quomodo peccator tacita confessione, deleat sine confusione peccatum: quomodo delinquens soli Deo cognitus, detectum, nudare apud homines verecunda conscientiæ non cogatur: quomodo homo possit, venia iudicium præuenire. Ib.

De confessione. D. Tho. opusc. 64.

De confessionis necessitate. Greg. Valent. l. contr. sect. [illegible]

Confessiones audiendi ars. Gerson. to. 2. De confessione Bernard. quadr. i. ser. 15. & quadrag. 2. term. 27. 57.

Vide differ. minorit. expulsio nociui.

Leu. 8. Moyses Aaronem & filios eius, primo lauat, deinde induit vestibus sacerdotalibus. Nisi lotus fueris, non poteris induere Dominum Iesum Christum, sicut dicit Apostolus. Rom. 13.

Reuela Domino viam tuam, & ipse faciet. Ps. 36. Id est cum confessus fueris & reuelaueris ei delicta tua spero quod possis ab eo veniam promereri, & ipse faciet, scilicet te sanum. Orig. in Ps. 36. hom. 1

Quoniam iniquitatem meam ego pronuntio. Ps. 37. sicut ij qui habent intus inclusam escam indi-

Digitized by Google

Qui peccat moneri debet, nec tamen publicè, nisi hoc postulet eius contumacia, Iustin. martyr. ad Serenum fratrem.

Genuflexio significat casum in peccatis, & hanc per sex hebdomadæ dies obseruamus, die autem Dominica, tempore Paschali & Pentecostes, non flectimus genua, in signum resurrectionis per quam Christi beneficio nunc à peccatorum morte liberati sumus, & aliquando à corruptione penitus liberabimur. Idem, quæstione 115. ad Orthodoxos.

Publica pœnitentia fieri tantum debet de peccatis publicis, vide quæ scripsi in libello supplici quem obtuli Reginæ contra sectario, & l. de misericordia Dei, p. 2. c. 18.

Secreta & occulta pœnitentia melior est, *vide cognitio virtutis. Repugn.* latens virtus, ex D. Chrysost.

Hi qui pœnitentiam gerunt, capillos & barbam nutriunt, vnde monstrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris grauatur, cap. illi enim pro vitijs accipiuntur, vir enim si comam nutriat, inquit Apostolus, ignominia est illi, ipsam ignominiam suscipiunt pœnitentes pro merito peccatorum. Alcuin. l. de diu. offic. c. 35.

D. Hieron. ad Oceanum refert Fabiolam iustè à viro adultero diuertisse, sed ignoranter eo viuente, alteri nupsisse, ideo tota vrbe spectante Romana, ante diem Paschæ in basilica Lateranensi stetit in ordine pœnitentium; Episcopo, Presbyteris, & omni populo collachrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, & squalidas manus, sordida colla submittens.

MANIFESTATIO DELICTI pœnalis.

IN plantis & cæteris corporibus, quod corruptum est, fit fœtidum.

Infortunæ in ascendente turpem in facie notam efficiunt. Almansf. prop 14.

Triumphantis currum præcedebant, & sequebantur captiui hostium duces, ferebantur etiam simulachra vrbium, & artium captarum.

Iudex facit perforari scutum militis, qui se malè gessit in bello. lib. quod Republicæ. ff. de iniurijs.

Bona fortuna plura operit delicta, quæ aduersa detegit.

Math. 18. Dominus præcipit correctionem fieri primò inter te, & ipsum delinquentem solum; deinde coram testibus, vt pudore à peccato retrahatur, antequam denuntietur superiori.

Propter multitudinem iniquitatis tuæ, reuelata sunt verecundiora tua, &c. Hier 13.

Nobiles qui rem malè gesserant pro ratione delicti, notas infames cogebantur deferre in suis stemmatibus.

Non est peccatum mortale detractionis contra iustitiam, crimen alterius alicubi publicum, manifestare in loco vbi non erat cognitum, quia tunc reus amisit ius ad famam, & ideo criminum pœnæ sæpius historijs mandantur & promulgantur in pœnam & in exemplum. Bonac. de restit. disput. 2. q. 4.

Moris antiqui fuit, si quem per insidias occidissent, ac cædem expiaturi essent, vt extrema cadaueris amputarent, & torquem ex illis particulis confectum de collo suspenderent. Suidas in voce ἐμμηνίσ.

A Sol Rex Ægypti mulierem in adulterio deprehensam publicè traduxit. Vnde Homerus commentus est, Solem ostendisse Martem cum Venere concumbentem. Id. in voce ἥλιος.

Apud Syracusanos magistri equitum, eorum nomina qui disciplinam militarem violassent, in tabula descripta notabant. Idem in voce ἱππάρχων.

Pausanias reos quos crudeliter puniebat, alligabat anchoræ in medio foro, ac totum diem ludibrio stare cogebat. Rodigin. libro decimo, capite 5.

B Nihil absconsum quod non reuelabitur. Math. 10. In die iudicij videbuntur litteræ peccatorum quæ in stylo ferreo, & vngue adamantino sculptæ sunt. Hierem. 17. Videbuntur delicta in corde peccatoris expressa, vt resurgant iusti in gloriam, peccatores vero in opprobrium & confusionem æternam. Orig. hom. 13. in Hier.

Paulus ad Rom. 2. Iudicium extremum in quo patebunt omnium crimina, vocat, diem iræ, reuelationis & iusti iudicij Dei.

In die iudicij omnium peccata in publicum proferentur, malisque dicetur, esuriui & non dedistis mihi bibere, &c. Sic primo Regum 11. Nathan dicit Dauid, tu fecisti in occulto, homines magis reueritus est quam Deum, propterea peccatum tuum
C arguetur in omnium oculis. D. Chrys. hom. 31. in ep. ad Hebr.

Reorum pœna publica, *vide cognitio contrarietatis.*

In iudicio licitum est allegare tam crimina publica quam occulta aduersarij, dum tamen allegans probet. Tostat. Math. tomo quarto, fol. 128. c. 2.

Correctio iudicialis non est dimittenda propter scandalum, sicut correctio charitatiua, quæ aliquando propter scandalum differtur. Idem Math. c. 5. f. 48.

Malorum in die iudicij mala omnia erunt nota. Id Math. to. 7. f. 105.

D Moyses confringens vitulum & redigens in pulueres immisit in aquas, vt aqua aliquam vim assumeret ad differentiandum scelus populi in quolibet peccante in aliquo signo. Idem exod. tomo 2. f. 132.

Rex quidam Ægypti nomine Sisach fecit statuas quasdam Iudæorum, quas reliquit in terra Israël, habentes genitalia fœminea cum reliqua effigies esset virilis. Id fecit ad exprobrandum Hebræis fœmineum timidumque animum in virili corpore. Id. 3. Reg. f. 134.

Ideo post peccatum spinas & tribulos terra germinauit, vt semper homo habeat ante oculos originale peccatum. Alcuin. in Gen. interrog 78. fecit eis
E Deus tunicas pelliceas, vt se mortales cognoscerent. Ib.

Cum rei torquebantur, causa, delictumque per præconem publicabatur, præconis enim vox, legis vox est, vt dicitur Nou. 69. Cujac. obs. l. 8. c. 7. & l. 13. c. 3.

S. Hilarion, hanc habebat gratiam, vt ex odore corporum vestiumque, & omnium rerum quas quis tetigerat, sciret cui dæmoni vel cui vitio subjaceret, vnde Monachi auari primitias oblatas ex agri fructibus respuit, & eas ne boues quidem attingere voluerunt. D. Hier. in eius vita.

Digitized by Google

STYGMATA ET ALIÆ INfames notæ.

EXod. 21. auricula perforabatur serui, qui in perpetuum se tradebat seruituti.

Apud Sinenses, non imponitur pœna capitis pro furto, sed fures stygmatibus primum notantur in brachio, tandem in fronte. Dauity.

Quidam sapiens ministros forma præstantes quærebat, quoniam turpes animi, turpia corpora incolunt. Latentem infamiam prodit vt natura, sic iustitia. Quæ naturam deceperit, detegit.

Cum pars arboris ictu aliquo disiecta, ad vulnus consolidandum cutis vndique plagæ circumactis, callo cicatriceque tumuerit, fit nodus, cæcus dictus, quia inde nihil germinat. Theoph. hist. plant l. 1. c. 13.

Fuit tonsura quædam peculiaris seruorum, quam Athenis manumissi mutabant. Suidas in verbo ...

Ο῎ροι terminos seu limites vocarunt Attici, libellos oppignoratis ædibus & prædijs additos, qui significarent illa esse oppignorata creditori. Idem in voce

Nomina diminutiua quia minuuntur sensu vt græculus. Isidorus origin libro primo, capite sexto.

Rei si morte non plectebantur impressis corpori etiam fronti stygmatibus notabantur, vt cæteri ab illis cauerent. Vide plura apud Rodigin. libro 7. c. 31

Adam post peccatum induitur vestibus ex pelle animalium quæ erant mortalitatis, quam pro peccato acceperat, & fragilitatis eius, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium. Origen, homil. 6. in Leu.

In vulneribus corporum, posteaquam curata sunt, remanet interdum ipsius vulneris signum, sic in anima à peccato curata remanet aliquod eius vestigium. Id. hom 8.

Leu. 13. leprosi vestimenta dissuta sint, & caput eius reuelatum, & os opertum. Ita qui peccatis confixus est, non debet assuere sibi tegumenta, & turpitudinem suam operire, ne fiat sepulchrum dealbatum quod apparet speciosum, cum intus plenum sit immunditia. Ib.

Mulier habeat velamen super caput suum. 1. Cor. 11. Caput operire est subjectionis & potestatis, efficit enim vt deorsum aspiciamus, & pudore afficiamur, & propriam conseruemus virtutem. D. Chrys. hom. 26. in 1. ad Cor.

Corpora damnatorum resurgent cum deformitate quæ ostendit mentis & peccatorum deformitatem. D. Th. quodl 7. a. 12.

Ozias sacerdotis officium vsurpat, & subita lepræ illuuies regiam frontem populatur, & infulæ locum fœdat, decebat talem Pontificem, talis lamina.

Solebat tabulâ ædibus affixâ, indicari ædium hypotheca. Cujac. obseruat. libro 16. capite, duodecimo.

A Alexandro de Dario victori in Perside occurrit agmen miserabile Græcorum ad quatuor ferè millia quos prius belli captiuos Persæ vario suppliciorum modo affecerant, alios pedibus, quosdam manibus, auribusque amputatis, inustisque barbararum litterarum notis in longum sui ludibrium reseruauerant, hos omnes libertate maximisque muneribus donatos remisit in patriam, vtique sæuitia hostis, non natura calamitosos. Q. Curtius, libro quinto.

DARE SCANDALVM.

B Vide *infra gloria minoritatis*, gloriari de peccato.

Mulier in ciuitate peccatrix Math. 26. Ciuitate peccauerat, quia fama sua famam tetigerat totius ciuitatis, sicque jam non peccatrix solum, sed ipsius ciuitatis facta fuerat ipsa peccatum. Chrysol. serm. 93.

Qui pusillus est animo & paruus, occasiones quærit quomodo scandalizetur, quomodo in fide videatur offendi; fortis autem omnia tolerat, omnia suffert, & nunquam cadit; propterea nos oportet maximè his consulere qui parui sunt in fide, nec tantam curam erga magnos & fortes, quantam erga paruulos & infirmos debemus impendere. Origenes in Leu. hom. 12.

C *Vide gloria prim.* R. blasphemia quæ committitur ab his qui dant scandalum.

Qui dant scandalum & malum exemplum viuendi in populo sunt v. Pharisæi. Math. 23. Qui claudunt regnum cælorum, ipsi non intrant, nec alios sinunt intrare. Origenes, tractatu 25. in Mathæ.

De scandalis serm. S. Chrysost. 5. & D. August. ep 209.

Malum publicum est grauius malo occulto, in quantum est magis scandalosum, & cæteris incitatiuum ad peccandum. Tost. 4. Reg. f. 113.

Vide hunc eundem titulum, *medium minoritatis*.

D Scandalum cum vitari potest, & non vitatur, causat peccatum. Math. 18. Væ illi, per quem scandalum venit. Tostat. exod. tomo 1. fol. 254. quod vitari non potest, nisi faciendo contra legem Dei, vtilius est scandalum nasci, quam veritatem relinqui. cap. qui scandalizauerit de reg. iur. Idem Regum tomo 1. f. 125. Ne scandalum oriatur potest ad tempus relinqui veritas doctrinæ, nunquam tamen veritas vitæ, Id. Math. to. 3. f. 234. potest non puniri peccatum. Math. to 5. 22. & res Ecclesiæ indefensæ relinquuntur, fo. 23. *V. dur. boni* mora in capcanda occasione.

Interdum à bono abstinendum, ne inde ad malum detur occasio, vt licet possit prælatus conferre beneficium suo consanguineo æquè digno, tamen

E melius est alteri digno conferre, ne cæteri putent collationes fieri posse affecta cognationis. Id. Mat to. 6. f. 36.

Atrox habetur injuria tempore, si ludis, & in conspectu populi. l. 7. §. vlt. ff. de injurijs.

Digitized by Google

REPVGNAT,

Occultare proprios, aut alienos defectus quando bonum.

IN principio, terra nondum ornata, erat inuisibilis, & tenebris, velut velo obtita.

D. Basilius in Psal. 14. Vt auertat homines à juramentis; Turpe, inquit, & omnino stultum est, sese vt ni se indignum accusare, & juramenti confirmationem subinferre.

Prudenter occultantur defectus, quia non attentis virtutibus, quæ illos compensent, illos notant & propalant inuidi. Sic vultures prætereunt agros floribus & fructibus amœnos, vt cadaueri fœtulento insideant, sic muscæ sanis partibus relictis ad vlcera properant. Diuus Basilius, homilia de inuidia.

Mare monstra sua omnia non profert, pauca enim supernatant & à nobis visa sunt, cum tamen constet multa generari, ob facilem seminum commixtionem; vnde licet conjicere quod multa in distantissimis ab homine latebris sese occultant, vt ab ipso nunquam videantur; sic Minotaurus veneris monumentum nefandæ, erat in labyrintho, ne videretur.

Apelles imaginem Antigoni latere tantum altero ostendit, vt amissi oculi deformitas lateret; sic orator quædam ostendit, quædam occultat. Quintilian. Institut. orator. libro secundo, capite vltimo.

Occultantur defectus, quia naturalis est virtutum amor. *V. vol. virtutis.*

Membra læsa, & luxata, non patiuntur se tangi.

Quintilian. declam. 1. de adolescente cæco qui accusabatur occidisse patrem, in cujus vulnere suus gladius infixus est, notus, & prius in cubiculo suo suspensus. Habuit, inquit, adolescens gladium in cubiculo suo, quia cæcitatis miseræ solatium est habere rem valentium; in cæde nemo vtitur ferro nisi alieno. Omnia composita atque simulata sunt per otium & securitatem, tanquam scelus transferretur ingenio.

Idem declamat. 2. de filio cæco qui repertus in sinu habens venenum, patri quærenti causam, nihil respondit. Auferunt, inquit, nobis vocem, quas fieri posse non credimus, & silentium est admiratio subita miserorum. Nescit tacere deprehensorum scelerum trepidatio, & statim respondet illa cum suo scelere parata defensio; tacere facilius est decepus, quam deprehensis.

Turpe est non tantum facere, sed etiam loqui rem turpem, licet necessariam, speciem eius quantum licet ex animo delemus.

Peccator occultus, publicè petens Sacramenta, non est repellendus, si repelli non possit sine scandalo & infamia, secus si absque scandalo, Bonac. de sacram. disput. q. 6.

Sacerdos qui commisit essentialem aliquem defectum in forma, aut materia, in sacrificio Missæ, debet illum occultè quantum fieri potest corrigere, ita vt non aduertat populus, & vitetur scandalum. Similiter celebraturus, si hora vrgeat, & non possit peccatum quod habet, sine scandalo confiteri, cœptum sacrificium interrumpere, vt confiteatur, cum eius meminerit Id. de Euchar.

Rationi consentaneum est, vt confessio Sacramentalis sit secreta, vt ait Trident. sess. 14. c. 5. Nam publicare peccata sine justa causa, videtur juri naturæ aduersari, ideo cap. omnis vtriusque sexus, præcipitur confessio facienda soli Sacerdoti, confessio autem facta publicè non fit soli Sacerdoti. Vnde probabile est neminem teneri, confessionem facere per interpretem; quia præceptum confessionis non obligat cum tanto incommodo. Id tamen licitè fit in periculo mortis, vt in naufragio, Id. de Sacram. pœnit. q. 5.

Hinc confessarius tenetur reticere, & quasi sub sigillo tenere, quæ sibi per confessionem manifestata fuerunt; idque jure naturæ quo tenemur cauere injuriam proximi, & etiam jure diuino, quia vices agit Dei, qui tegit peccata & obliuiscitur, Psal. n. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & tecta sunt peccata, & Ezech. 18. Omnium iniquitatum eius non recordabor, & etiam jure Ecclesiastico cap. omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs, vbi sub pœna comminatoria depositionis, & perpetuæ pœnitentiæ in Monasterio id præcipitur. Idem peccat mortaliter contra iustitiam, & contra Religionem per sacrilegium, quia abutitur Sacramento, & reddit illud otiosum. Censetur frangi sigillum, quando ex dictis pœnitens cognoscitur magis peccator, quam ante; non debet etiam confessarius vti scientia ex confessione habita, nec ipsimet pœnitenti de his loqui, sine eius licentia; denique in his omnibus, vnde sequitur pudor aut damnum pœnitenti.

De secreto seruando, *vide cognitio voluntatis Repug.*

Mulier sanguinifluа, inter Iesum comprimentes accedit vt nesciretur, & pudore perfusa, pio latrocinio præsumpsit furari se posse curam fide sola. Chrysol. ser. 35.

Apud Sinenses lites omnes publicè sententia diffiniuntur, quia priuatim posset committi injustitia. Dauity.

Superba magnatum monumenta, absconden tia interiorem, omnibus que corporibus communem putredinem.

Ceruus mense Ianuario & Februario depositis cornibus absconditur in densis dumetis, verecundia quadam.

Ex Apostolo mulier debet velare caput suum, est enim minoris capitis quam vir, sic abscondet defectum suum. Rupert. in Genes. libro 3. capite nono.

Adam post peccatum abscondit se à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.

Fratres Iosephi eum in seruitutem datum, fingunt à fera deuoratum Gen. 36.

Beatus qui custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius, Ecclesiast. 9.

Filij Israel jubentur ire extra castra ad requisita naturæ, & egesta humo tegere. Deut. 23.

Debitor potest differre & etiam omittere restitutionem, multo magis occultè facere, si aliter non potest vitare infamia. Si tamen creditum sit publicum, restitutio publicè fieri debet vt præcaueatur scandalum, vt si vsurarius sit publicus. Bonac. de ordine restitutionis.

Manifestare peccatum mortale proximi, lædens grauiter eius famam, & sic ei graue damnum infe-

rem, est peccatum mortale. Non tamen si loquamur generaliter vt Titium esse auarum, superbum, ambitiosum, iracundum; id enim audientes debent in meliorem partem accipere, quasi sint inclinati ad vitia communia naturæ humanæ. Idem disp. 2. q. 4. de restitut. Simile est de manifestatione defectuum naturalium animi vel corporis, si impedit consecutionem magni boni, & afferat magnam contristationem. Ib. prop. 3.

Non licet seipsum infamare. *V. voluntas minor. mala.*

Lapsi resurgentes abstergunt puluerem, ne arguantur cecidisse.

B Homicidæ solent in eorum quos occiderunt capitibus abstergere gladios, quasi fuerint causæ facinoris, Suidas.

Empedocles cum sensisset se in craterem Æthnæ conjecit noctu, ne suum cadauer conspiceretur. Suidas in voce Empedocles, ideo pompa funebris, *vide gloria finis.*

In bellis Lacedæmonij vtebantur rubra veste, vt sanguis è vulneribus fluens non appareret, Suidas in voce [Greek].

Furtum olim infame non erat, nisi quis deprehensus esset. Id. in voce [Greek].

Erat vnum ex Symbolis Pythagoræ, ad solem conuersus ne meijto. Suidas in voce Pythagoras.

C Monstra plurima sunt in orientali parte Indici maris iuxta caput S. Augustini, quod ibi oceanus maximè pateat, rarique homines. Natura quippe ita comparatum est, vt monstra cujuscumque generis frequentiam hominum fugiant. Card. l. de rer. var. c. 38.

Romani Imperatore mortuo, imaginem defuncti quam simillimam imponebant eburneo lecto, assidebant à dextra matronæ, à læua senatus atris vestibus, inuisunt medici, tanquam medicamenta præbentes, sic per septem dies fingitur adhuc viuens. Ib. c. 94.

D Aliquando terra dehiscit tali motu, vt nulli remaneant hiatus, sicque cauernæ capiunt ruinas montis, agri, oppidi, vt nullum vspiam vestigium appareat, quod accidit cum cauernæ respondent in capacitate moli ruinarum. Georgius agricola. l. 2. de causis subterraneorum.

Lactantius, lib. 1. diuin. Instit. refert olim mortuis consecratis nomina immutari solita, ne quis putet eos homines fuisse, nam & Romulus post mortem, Quirinus dictus est.

Ceus quidam Lacon canescens caput colore inficiebat, & annos obscurabat. Rodig. l. 19. c. 26. Orator & in anima & in capite mendacium circumferebat. Id.

Eurydamas Athleta cum ei aduersarius fortis, dentes plagarum vi excussisset eos ipse vorauit, ne augeret animos aduersario. Idem libro 21. capite 41.

E Duces magni rebus afflictis hilaritatem de industria simulant, & aduersas res adumbrata lætitia abscondunt, Seneca.

In humano corpore posteriores partes retro sunt, ne dum aluum purgamus inquinaremus aspectum. Isidorus, origin. libro vndecimo, capite 1.

Multi malæ mentis impetus, vel fato, vel astris imputant, nolunt enim suum esse quia malum agnoscunt Tertull. in apolog.

Publica pœnitentia non iteratur, can. si quis post 52. §. potest distinct. 50 Ne recidiua turpis appareat.

Priuata pœnitentia imponitur à sacerdote pro grauioribus etiam peccatis sed occultis, cap. quæsitum, de pœnit. & remiss. occulta enim peccata publicè non sunt punienda, can. si peccauerit 2. q. 1. can. si quis potestatem 23. q. 4.

Adam post peccatum obtexit nuditatem suam vestibus pelliceis, id in honorem versum est apud antiquos Monachos qui melote vtebantur, & nunc ea veste insignes sunt Doctores, Canonici, Reges, præsides.

In ætate virili circa an. 28. cum dominatur Sol, mens sui compos absoluta organorum Architectura & roboratione ad proprias operationes melius erigitur, & in pudore natiuo ex quocumque defectu, animi, corporis, fortunæ pudorem habet, seque sentit natam ad æternos honores adipiscendos. Campanella.

Herminianus Cappadociæ proconsul, Christianos crudeliter insectatus quod ad eos transisset vxor sua; tandem vermibus ebullientibus grauiter laborans dixit; nemo sciat, ne gaudeant Christiani. Tertull. ad scapulam.

Ignominia crucis est in gloriam conuersa, *V. gloria contrar.* gloria crucis Christi; & ignominiosa tonsio in Sacerdotalem, *vide gloria minor.* humilitas exaltata.

Deformi, imago sua displicet.

Fati, parcarum, erynnis nomina confinxerunt homines, in dæmones, parcas, astra flagitiorum suorum causas referentes, ad honestandam improbitatem suam, cum hæc verè sint in animo. Maxim. Tyr orat 3. in fine.

Christus iussit primo fieri peccantibus secretam admonitionem, vt eorum famæ parceretur. Tost. Math. to 5 f. 53.

Media pars vitæ turpibus & verecundis impenditur, sic homo media & minima sui parte sensibus aliorum exponitur, latet mens vanis & sæpè sordidis infecta cogitationibus, externas etiam species & actiones statutis suis nox veniens obscurat.

Fucus non est illicitus ad tollendam aliquam turpitudinem. D. Th 2 2. q. 169. a. 2. sed non ad mentiendam pulchritudinem. Ib.

Peccatori licitum est tegere peccata, sed non prætendere sanctitatem. Tostat. Math. tomo 4. fol. 130.

Vestes vulgares sacerdotis ministrantis debebant tegi à vestibus sacris, ita vt nihil earum appareret. Id. exod. to. 2, f. 73.

Duodecim modis peccatur reuelando alterius turpitudinem. 1. detractione quæ minuit alterius famam dicens non tantam, referendo defectus. 2. maleuolentia, quæ tacet vt pejus quid suspicetur. 3. reprehensio mordax exagerans minima. 4. susurratione, quæ malum tacitè ad aurem dicit vt verius suspicetur. 5. bilinguis, qui id facit vt post probra, etiam laudanti fides non habeatur. 6. adulator vitia detegens alijs, dum laudat & blanditur potenti. 7. æmulator qui facta sua enumerat, vt eorum comparatione alterius facta vilia videantur. 8. mala aliorum disseminans. 9 diffamator ex apparentibus connexis malis obnubilat vera bona, tandem simulatione, mendacio, &c Tostat. Leuit. fol. 185.

Ideo, Paulus, 1. Corinth. 6. prohibet Christianis litigare coram iudice infideli, ne litigantium

mala fides appareat in opprobrium Christianæ A Relgionis, *vide differentia principij*, diuersitas fori.

Vtilius est communitati quod manente fama integra, emendetur peccans, quam postquam fuerit infamatus, nam sic contingeret infamari omnes de ciuitate, cum nemo sit qui non peccet. 3 Reg. 8. & infamatis omnibus esset ipsa ciuitas vilior effecta. Ideo tam ad bonum peccantis, quam publicum pertinet, quod correctio fiat præcedente admonitione secreta. Tostat Math. 10. 5 f 51.

Nemo potest alterius crimen detegere, nisi in tribus casibus, 1. si testis à iudice cogatur deponere. 2. si ex officio id debeat exequi, 3. si zelo post B priuatam correptionem, denuntiet Ecclesiæ ne malum impunitate augeatur. Idem 1. Paralipom. f. 14.

Vide cognitio contrarietatis. Rep. aduersa dissimulanda.

In sacrificio pro peccato, non debebat apponi thus Leu. 5. quia peccati memoria semper est ingrata, etiamsi de illo quis pœniteat,

Græci sacrificant optimis viris, quorum virtutes prosequuntur honoribus, calamitates autem obliuionibus delent, Maximus Tyr ser 38.

Natura genitum ex bruto & fœmina conformat in speciem humanam, vt abscondat actus deformitatem, *vide concordantia diff.* connubium inter diuersa C

Si balbutit princeps, si claudicat, si curuus graditur, hæc ne imiteris, ne quod ignorari maximè cupit, agnouisse te sentiat.

Nocte pios conuenire ad religionis opus vix fert Ecclesia, ideoque vigiliæ illæ per totum annum sublatæ sunt, quarum vius olim fuerat, & in Dominicæ natiuitatis honorem vna relicta est, quæ tamen à multis prophanatur.

Senatores olim vt liberius cœnarent, nec admonerentur quid peccaret in magistratu ebrietas, exuebant ornamenta dignitatum.

Licet contritio peccatorum debeat esse continua, caueat tamen homo ne carnalia peccata quotidie recolat, nisi in generali, ne talem rememorationem, hostis trahat in carnalem delectationem & tentationem. Harph. Theol. myst. libro secundo, c. 15 D

Melius est falsa dogmata tacere, quam promulgare & non impugnare. Vide quæ scripsi. de iure patur. l 3 lege 1 8 § 4. mala quædam latentia minus nocent. Publica tantum pœnitentia de publicis peccatis, vide supra hoc titulo.

Qui de alieno peccato murmurat, triplici crimine reum se facit; nam fratris æstimationem in corde perimit audientis, cum in odium concitat delinquentis, & propriam animam mucrone percutit detractionis. Non est hæc charitatis lex: nam charitas patiens est, benigna est, non æmulatur; præcipit E Dominus fratrem occultè prius moueri; non vindictæ zelo prædicari. Laur. Iust. l. de perfectio. Monast. c. 4.

Angelicum peccatum silentio in Genesi absconditum est, quia illud Deus non prædestinauerat curare; hominis vero patefactum, quia sanare illud prædestinabat. Alcuin in Gen. interr 3.

Initio cum terra erat inanis & vacua, etiam erat tenebris obsita.

Datur actio de seruo corrupto, quia minuitur sic Domini patrimonium; at non datur actio de filio corrupto, quia nemo sanus id manifestabit, cum vergat in infamiam familiæ, Cujac. obs. l. 17. c. 11.

Planetæ sub radijs inclinant ad illicita, nam quod illicitum esse putamus, tectum esse volumus.

Quædam beneficia odimus. Meruisse mortem confiteri pudet Q. Curtius l. 6.

Constantinus oblatos sibi libellos continentes accusationes contra Episcopos non legit sed combussit, quia Dei in terris vicarij à Deo tantum essent iudicandi. Sacerdotum etiam, inquit, vitia non sunt populo aperienda, ne ille inde causa offendiculi arrepta licenter peccare aggrediatur, & addidit. Si suis oculis videret Episcopum alienæ vxori stuprum inferentem, facinus illud suo pallio obtecturum, ne facinoris aspectus eos qui id ipsum cernerent, læderet. Baron. ann. Chr. 325. numer 42. Populus enim rectores suos imitatur, *vide concord potestatis*.

Plena sunt omnia diuinis testimonijs, & omne hoc vacuum quod putatur, plenum est Angelis Dei, nihilque est quod non hæc diuinorum ministeriorum frequentia incolat; ita nullus sine his testibus viuit; & cum natura procliuis sit ad vitia, refugit tamen sub teste peccare, quis enim ad scelus nisi secretum fertur? quis ad adulterium, non aut solitudinem, aut noctem optauit Furor insanientis voluntatis, occursu testis coërcetur; quid ergo Christianum hominem agere conuenit, cum sciat se tot spiritualium virtutum testimonijs obsessum, tot Angelis qui Deo assistunt. D. Hilarius, in Psalm 118. Aleph.

D. Augustinus sic scribit Onaso, eumque subsannat. Dabo consilium quibus absconditis possis pulchrior apparere. Nasus non videatur in facie, sermo non sonet ad loquendum, atque ita & formosus & disertus videri poteris.

Administratores bonorum pertinentium ad Monasteria Monialium possunt amoueri ab Episcopo loci, qui non tenetur notificare causam superioribus regularibus Greg 15 const. 18. § 5.

Cum necessitas cogit principem, rebus agendis aliquid injusti permiscere, ornetur liberalitate, magnifico apparatu, prudentia, fortitudine, exemploque virtutis, gloriæ imagine, pietate, gratia, vt adipiscatur securè & gloriosè: quanto magis legibus talia sunt obnoxia eo occultius tractanda, ac rarius: quo turpiora, gratiosius: quo difficiliora diligentius. Card de arcanis prudentiæ, c. 4.

Stultum est animi vel corporis occulta vitia, alijs aperire qui inde te refugient; majus malum est in contemptu, quam spes in misericordia; sic additur animus inimicis & æmulis Ostentare vitia, etiam flagitiosis odiosum est; tali exemplo offenditur Respublica, & qui publicè peccat, bis peccare videtur, & venia minus dignus, exigua merces detegenti proposita, plurima pericula atque damna. Vbi vero publica est calamitas, stultum est eam velle, vel occultare, vel eloqui, cum eam omnes norint. Ibidem, c. 27.

Caueas ne coram imperfecto, vitia naturæ, aut casus, aut fortunæ commemores vt apud Philippum si quis cyclopis, aut oculi mentionem fecisset, irascebatur; quod altero oculo careret, quamuis pugnando sagitta ictus illum amisisset Et apud Hermiam quod esset Eunuchus, si quis gladij aut excisionis meminisset. Ib. c 29.

In controuersijs amicorum communium, si cogeris aliquid dicere, imitare pictores, pulchra & iucunda explicant latè in pictura, turpia & abominanda inuoluunt. In rebus odiosis quanto plus, tanto dexterius inuolue, quæ tacere non potes. Ib. in fine.

In candelabro septifido singulis lucernis appensæ erant forcipes aureæ, cum vasis similiter aureis aquam continentibus in qua extinguerentur emuncta ellychnia, ne tetrum odorem emitterent. Exod. 25. proprij & alieni defectus sunt corrigendi, sed sine scandalo.

Mulieres in alienis negotijs loquaces, in proprijs quæ ad læsam pudicitiam pertinent, silentiosæ.

EXCVSATIO MALA.

PHarisæi auaritiam suam tegebant velo pietatis, accipientes à filijs dona, quæ in parentum subsidium debebant impendi Math. 15. à creditoribus debita sibi cessa exigebant à debitoribus velut corban, & Dei donum. *Vide veritas virtutis R.* hypocrisis.

Beelsephoth in lingua Hebræa interpretatur idolum absconditum, Tost. exod. tomo 1. fol. 110 co. 3. h.

Omnis peccans in aliquo actu detestabili vellet alios sibi similes esse, vt per eorum frequentationem sua inhonestas cæletur. Idem 2. Paralipom. fol. 195.

Vitia latebras quærunt, inferis propiores, vt peccent, se tumulant.

Excusatio delicti priorum parentum antiquatum est malum, ab ipsis sumpsit originem, & per totum orbem est diffusum.

Medici persuadent adstantibus ægrum vi morbi, non medici inscitia perijsse, fides enim illis est, eum qui moritur non accusaturum. Cardan. meth. med. c. 16.

Mahometus cadens Epilepticus, fingebat extasim, quasi non posset ferre illuminationem Angelorum. Gerson. in trilogio Astrologiæ Theologisatæ. prop. 16.

MALA SVI DEFECTVS *cognitio.*

Desperatio.

CAin post fratricidium dixit Deo; major est iniquitas mea, quam vt veniam merear Gen. 4. In hoc magis peccauit, quam in præcedentibus, quia peccatum præcedens erat ad nocumentum proximi, at desperatio est directè contra Deum, qui creditur vel minus bonus vt velit, vel minus potens, vt possit peccata dimittere. Tostat. Genes. f. 28.

Desperatio procedit ex vrgentibus malæ conscientiæ stimulis, de quibus, *vide gloria virtutis. R.*

Desperationi opponitur bona de se opinio, *vide cognitio virtutis*, confidentia sui, & spes. *Vide voluntas gloria, & principium gloria*, in Deo sperandum.

Desperatio recensetur, vt primum peccatum in Spiritum sanctum, quia toties restitit bonis inspirationibus, vt se gratia putet indignum. Tostat. Matho. 4. f 22.

Dæmon incitat ad peccatum, quasi sit aliquid leue, postquam commissum est, facit apparere tanquam grauissimum & seuerissimè à Deo vindicandum, de Iuda qui laqueo se suspendit. Laur. Iust. de triumphali Christi agone, c. 11.

Vt diu res prosperas experti, malè iudicant, si semper easdem, illæsamque fœlicitatem sibi spondent; sic iniquus est temporalium æstimator qui per plures ætatis annos pulsatus aduersis, in melius ea mutari desperat, miserumque se non aliter quam morte putat liberandum. Vterque fallitur sibi fingens permanentiam in temporis fluxu, & in cælorum inferiora moderantium iugi circulatione. Tolerabilius tamen est sperantis quam desperantis iudicium, hic enim præsentibus malis possibilia, licet non futura congerit, ita plus opinione, quam rerum veritate torquetur. Ille lætus sibi plaudit, à se longius pulsa malorum imagine, in quæ tamen incautus, nec præcauens tandem incidit. Quibusdam profuit de rerum mundanarum fœlicitate desperatio, & hæc nullis artibus tempestas superanda, plurimos fœlici necessitate duxit in portum religionis. At omnium timenda magis, sibi nociua, Deo injuriosa, malorum extremum desperatio contingit, cum quis peccatorum suorum pondere pressus, memor gratiarum Dei, quibus sciens volensque diu abusus est; immensos suos intelligens reatus, conscientia teste & iudice, se videt pœnis omnibus dignum, indignum diuina misericordia, quam credit se non obtenturum. Verum quidem est obstinatam in malo voluntatem, tot cælestibus beneficijs ingratam, veniam non mereri, pœnitenti tamen dabitur à Deo, cujus misericordia super excedit iudicium. Vult omnes saluos fieri, *vide æqualitas voluntat.* & huic diuinæ voluntati statim vt nostra consenserit, salutem consequetur; licet melancholia laborans in subterraneis tenebrosis locis diu habitauerit, inde tamen prodeunti sol non minus splendidus illucescet, quam si lucem suam nunquam fuisset auersatus. Amplior est Dei misericordia, non enim ad causæ necessariæ modum æqualiter se habet ad omnes, sed pœnitenti velut ægro plus indulget singulari gratiarum largitione; torpentem excitat, surgenti vires addit, exceptas fouet, amplificat, vt in sacris paginis nihil frequentius, quam inueteratos peccatores, Deo miserante, ad sublimiorem præ cæteris gratiæ & beatitudinis gradum euectos. *V. dur. virtutis*, sero pœnitentibus Deus parcit. Verum sit peccatorem obstinatum veniam non mereri, sed obstinatus esse desijt, cum pœnitet. Etsi vitæ præteritæ peccata fuerint instar arenæ maris innumerabilia, hæc infinitè superat infinita Dei bonitas, in ejusque majorem cedit gloriam quatriduanum mortuum jam fœtentem suscitasse. Prodigum deuorata sua substantia reuertentem benignè complectitur pater, nihil improperans, præteritorum oblitus, gaudet & exultat à morte rediuiuum excipere. Semper homines creaturas suas amat Deus vt aliquid sui, amanti vero gratissimum est prius auersos ad se redire, & hos prius altis mersos criminibus saluari, illustrior est diuinæ misericordiæ corona. Absit igitur ab humanis mentibus hic desperationis sensus quo dæmon mentes obcæcat, ne videant in extremo damnationis æternæ periculo sibi paratum asylum. Lugenda magis hæc insania, quam suspiciosi melancholici qui parentes & amicos reputat hostes, vitæ suæ gladio, vel veneno semper insidiantes. Igitur tot peccati cumulum non addat desperatio, quæ propter animam, Deum lædit, bonitatem & misericordiam, super omnia opera eius positam, quæ maxime cognosci voluit, inficiatur, *ex princip. us.*

Malum

MALVM QVOD DEBET latere.

PRætermissis nostris & alienis vitijs, quæ nec commemorare dignum est, virtutes sunt celebrandæ; secundum illud Psalm 16. Vt non loquatur os meum opera hominum, Cassian. libro 4. c. 15.

Perfectis vtilis est obliuio peccati, illisque flagitiorum recordatio vitanda, quia plurimum nocere potest, puritati cordis quod fœtore quodam vitiorum inficit, sopitas passiones exsuscitat, & saltem à contemplationis sublimitate dejicit in os cloacæ, vnde necesse est fœtorem sentiri. Idem collat. 20. c. 9.

D. Basil sic scribit ad Chilonem discipulum. Nihil curiosè inquiras de hominum sæculi vita, nihil enim hinc tibi emolumenti accrescit; ait siquidem Dauid, vt non loquatur os meum opera hominum, quisquis enim libenter deblaterat, quæ fiunt à peccatoribus, consopitas in se cupiditates reaccendit.

Corpus lucidum, quo altius, & remotius est à terra, eo vmbræ corporum opacorum minores apparent in plano horizontis, & quo propinquius est terræ corpus lucidum, eo longiores vmbras, corpora opaca projiciunt.

Quintilian declam. 3. loquens de milite qui occidit impurum tribunum, vim sibi inferre volentem. In alijs, inquit, causis permittitur indignitatem rei oratione exagerare, de injuria nostra Latinè queri non possumus, parcendum verbis est, inhibenda magna ex parte veritas, præuaricandum mihi est, si pudorem habeo.

Math. 11. pater videns reuertentem ad se filium prodigum, cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Delicta non videt vis amoris, & ideo pater peccata filij redemit osculo, clausit amplexu, ne nudaret pater filij crimina, pater filium ne fœdaret; sic curat filij vulnera, vt ne cicatricem relinquat; beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Chrysologus sermone 3.

De spectaculis improbandis. Tertullian. Cyprian.

Statim vt sol recedit à nobis, & dies incipiunt decrescere in cancro, non cognoscitur aliqua diminutio, sed tantum post 12. circiter dies.

In Anglia mos erat stupri reos, nudos cum femoralibus, & cereo in manibus, circuire Ecclesiam coram populo, cum quidam pluries pœnam hanc pecunia redemisset, tandem huic se pœnæ subjecit, sed sine femoralibus, licet juberetur sumere. Hæc, inquiebat, pudenda quæ peccauerunt, ea potissimum dare pœnas decet. Æneas Syluius commentarior. libro primo, capite 2. fuit hæc impudentia.

Bestia cum qua homo vel mulier concubuit, cum illis comburitur, ne cum bestia per plateas agitur, dici vulgo possit, hæc est bestia cujus causa lapidatus est talis, Leu. 20. 15 ita D. Augustinus in Leu. 19. q 74. & apud Gratianum 15 q 1. c. 4. dicit pecora tali flagitio contaminata occidi, ne refricent facti memoriam.

Iudæus ob extremam necessitatem se vendere

A coactus, transibat in seruitutem non publicè, sed occultè & priuatim, ita vt venditi seu addicti dignitas conseruaretur, Seldenus de iure naturali Hebræorum, l. 6. c. 7.

De sacrificio quod pro se sacerdos offert, nulli licet edere, sed igne absumitur holocaustum Domino, Leu. 6. peccatum sacerdotis secretum esse debet & ad nullos peruenire, vnde iure Canonico sacerdotes non admittuntur ad publicam pœnitentiam, vide supra, hoc tit. de publ pœnitentia.

Vtilius est communitati, quod peccans emendetur manente eius integra fama, quam si de eo pœna exigatur, Tost. Math. 10. 5. f. 52.

B Asa, Priapi sacerdotes comburi jussit, hac tantum luce dignos.

Mala quadam latentia minus nocent, vide quæ scripsi de iure naturali, libro secundo, lege 18. §. quarto.

Turcæ pugnando emittunt clamores & vlulatus, vt sic non percipiantur vulneratorum gemitus.

VERECVNDIA IN VERBIS & veste.

C DE vitando turpiloquio, Clemens Alex. pædag. l. 2. c. 6.

Contra Romantium de rosa, Gerson. tomo quarto.

Nefas apud veteres habitum, vti prætextati pueri verbis obscœnis vterentur; vnde prætextatum sermonem dixerunt, qui nihil obscœnitatis referret, Petrus Crinitus de honesta disciplina, libro 20. c. 6.

Heliogabalus gaudebat conuentus facere nudorum hominum, cum nudis mulieribus, sic intra triennium Roma facta est orbis terrarum prostibulum, Rodig. l. 11 c 13.

Ab Acropoli Palladis templo arcebantur canes ob coeundi in propatulo impudentem animalis naturam, Id. l. 14. c. 18.

D Apud Persas quæ fecisse turpe est, etiam dicere est inhonestum, Ib. l. 18. c. 18.

Circumcisus labijs dicitur, qui continet os suum ne loquatur peruersa, & disponit sermones suos in judicio, sed semper verbum Dei loquitur, & sanam doctrinam, Orig. hom 3. in Gen.

Ad facta via est sermo, primum cogitamus, deinde loquimur, deinde agimus Multi sæpè etiam frugi & moderati à turpibus verbis, venerunt ad turpes actiones, quod nauigijs sunt spirantes venti, hoc animis sunt verba, &c D. Chrys. ho. 3 in 2. ad Thessal.

Ex constit. Apostol. l. 3. cap. 16. olim non licebat viro mulierem & mulieri virum de fonte suscipere, quoniam adultorum baptismus frequens erat, ac nudi de sancto lauacro admouebantur, id etiam præcepit Nicænum Concilium, cap. 22. quod nunc baptismi ritu mutato non seruatur, cap de eo. 30. q. 1.

E Adam erubuit post peccatum, quia vidit quosdam motus membrorum non subditos rationi, Tost. in Gen. 187. c. 3. K.

In beatis nulla erit verecundia, de nuditate membrorum in vtroque sexu, Ibidem, fol. 237. cap. 4. I.

Digitized by Google

Quando dicitur, quod omne honestum debet manifestari, Tullius excipit concubitum conjugalem, Id. Gen. f. 187. A

Affricatur menti scabies, & multis malis humoribus repletur ex aliorum inuerecundis colloquijs. Iustin mart. ad Serenum fratrem.

In Prussia versus Aquilonem ciuitate Gedanensi septem Lutherani cum totidem meretricibus nudato sexu choreas & turpissimam saltationem agressi sunt sub nomine Adæ & Euæ, in ipso exordio jussu Magistratus, fustibus publicè cæsi, & proscripti sunt. Olaus Magnus, rerum Septentr. l. 15. c. 11.

Verecundia est à Ioue libero à Marte, inuerecundia à Mercurio, læso quadrato vel oppositione Martis.

Ab Ecclesia damnati sunt vt hæretici Adamiani, sic dicti quoniam exemplo Adam nudi, ac sine vllis vestibus degerent, eoque modo cum fœminis versari atque etiam orare consueuerunt; asserentes id melius esse, quod ad naturam magis accedit, cum in ea re nullam prorsus modestiæ ac verecundiæ rationem haberent, Petrus Crinitus de honesta disc. l. 16. c. 6.

Sanctus Cyrillus Hierosol. Cath. 2. myst. loquens de baptismo, qui nudis viris & mulieribus conferebatur dicit. Nudi fuistis in conspectu omnium imitantes nudum in cruce Christum, & non vos pudebat, reuera enim in hoc Adam ferebatis exemplum, qui nudus in paradiso fuit, & tamen nullo afficiebatur pudore. Propter varios abusus cessauit hæc consuetudo in oriente, an. 1140.

Præualuit honestas & publica indignatione ejecti sunt Cynici Philosophi, qui actus venereos velut honestos exercebant publicè, de his D. Aug l. 14. de ciu. c 19.

Dæmones dicuntur spiritus immundi.

Primi parentes non erubescebant ob nuditatem suam, quia propter originalem iustitiam membra non patiebantur motus inordinatos. Tost. Gen. fo. 18. & Alcuin. in Gen. inter. 59.

Verecundia timor est in turpi facto, in adolescente bonæ spei, bonæ indolis index, omnis turpitudinis fuga manifestum signum columbinæ simplicitatis, & interioris testis innocentiæ, gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes & primitiæ, naturæ laus, causa totius honesti, Laurentin. Iustinian. tract. arbor vitæ, capite 3.

Venus pudorem facit quendam, qui tamen venereis gratiam potius addat, quam à concubitu retrahat, itaque veneris pudor est leuis, Card. aph. sect. 5. aph. 176.

Imperfecta & indecora pudor tegit. Vide quæ scripsi, de iure natur. l. 2. lege 18 §. 2. De pudore & verecundia quæ decet Christianum, mor. Christ. tom. 2 p. 1. c. 30. B

D. Chrysostom. homilia 1. in Math. dicit leges Platonis inspiratas à dæmone cum communes faciant vxores, nudasque ad Palæstram virgines ducant, ad spectaculum hominum, & libidinis irritamentum, & homilia septima, inuehitur in eos qui in theatro spectabant nudas mulieres natantes.

Ex abundantia cordis os loquitur, Math 12. Malus enim homo, de malo thesauro profert mala, de omni verbo otioso reddent homines rationem in die iudicij.

Cum pleræque mulieres verecundia ductæ, dum mares medicos adhibere nollent, curandis partibus quibus mulieres sunt, interirent; permissum est C mulieribus in his medicinam facere, tales sunt obstetrices quæ manibus nascentes excipiunt, Cujac. obs. l. 17 c. 27.

Seneca libro 1. controu. 2. de virgine sacerdote quæ capta à pyratis lenoni vendita, prostituta, incorrupta permansit, non probat qui turpia hac in causa dixerint; longè, inquit, recedendum est ab omni obscœnitate verborum & sensuum, quædam satius est causæ detrimento tacere, quam verecundiæ dicere.

VOLVNTAS MINORITATIS.

APPETERE HVMILIA QVANDO BONVM.

QVÆDAM plantæ augentur inferius & ingrossantur, in superiori autem parte paruos habent ramos, quia strictos & transuersos habent poros, vnde alimentum vix potest à radice sursum ascendere, sed infra reflectitur, & resoluitur in humorem quo pars inferior magis alitur, Albert. Magn. l. 4. vegetabil. tr. 3. c. 5.

Exemptus est ab audienda Missa, qui est in interdicto locali, & non tenetur procurare priuilegium audiendi Missam; quia præceptum Ecclesiæ non obligat ad obtinendum priuilegium. Ita detentus in vinculis non tenetur quærere liberationem vt Missam audiat. Bonacina de sacrificio Missæ, q vlt. in f.

Motus deorsum, tam est rectus, quam qui sursum fertur, vterque naturalis est pro qualitate prædominantis elementi.

Si clericus pœnitentiam, scilicet publicam, sibi dari petierit, non est ei deneganda. Conc. Arelat. 2, can. 29.

Qui ancillam volens vxorem duxit, cum ea permaneat. Concil. Vermeriense Galliæ, can. 13. ann. 752.

Quædam syluestria nolunt coli, *V. veritas virtutis R.* affectatio mala.

Licet ignis naturaliter sursum feratur, tamen in materia terrea descendit, vt in fulgure, expulsus etiam à frigore quod excellit in sublimi, cum violentia magna & velocitate descendit, & ideo inferius potius quam superius, vel à latere findit nubem. Albertus Magnus, meteor. libro 3. tractatu 3. c. 11.

Vide voluntas potestatis. Repugn. dignitates auersari, *& minoritas potestatis, voluntaria paupertas.*

Quando res corporea condensatur, vt vapor terreus calidus in nube, non datur penetratio corporum, & vna pars non est in loco alterius, sed qualibet efficitur in loco minori Ib. c. 14.

Vide concordantia minor. humilibus conformari, *& magnis. concord* in conuersatione omnibus conformari.

Vitæ Patrum libro octauo, capite 41. fit mentio de quadam Virgine quæ simulans stultitiam, cum reliquis in mensa non sedebat, dispari induebatur amictu, sic humiliata omnibus seruiens vitam humilitate & charitate sublimem consummauit. *V. voluntas contrar* appetere aduersa.

Zopyrus Persa in regis sui gratiam flagris cæsus, nasoque & auribus à semetipso mutilatus, Babylonem est ingressus, fidemque nactus ob cladem cor-

A poris, vrbem prodidit. Suidas in voce Zopyrus.

Cardan. lib. de rerum variet. cap. 43. Refert de Presbytero quodam, Restituto nomine, qui quoties volebat, jacebat vt mortuus absque anhelitu, nec solum vellicantes, sed & pungentes non sentiebat, id dicit solitum esse apud Turcas, & idem sibi contingere, vt quoties voluerit extra sensum quasi in extasim transeat, vellicationes, etiam podagræ dolores non sentiens. De eodem Restituto. Rodig. l. 20. c. 16.

Religiosus ex officiis optet semper humiliora, vide quæ scripsi, lib. de instit. & officiis religios. parte 3. c. 12.

B Terra propter pondus suum quietem petens, fertur in centrum mundi, & quantum potest distat à cælo in perpetuo motu existente.

De Monacho qui se seruum vendidit hæreticis, vt in conuictu eos ad fidem converteret, *vide virtus differentia.*

IVRI SVO CEDERE.

POtest subditus parere legi injustæ quæ ex se non obligat, dummodo injustitiæ non cooperetur,
C quia potest cedere juri suo. Bonac. de legib. disp. 1. q. 1. p 7. §3.

Qui dispensationem obtinuit, antequam executioni mandetur, potest illi renuntiare, vt quilibet juri sibi quæsito, cap. ad Apostolicam, de regularibus, Bonac. de dispens. q. 3. 2. p. 3 & censetur amitti priuilegium per renuntiationem acceptatam à concedente, nam ante acceptationem potest, is cui concessum erat, mutare voluntatem, & iterum vti priuilegio.

Non committitur sacrilegium, nec violatur immunitas loci sacri, dum capitur reus seipsum voluntariè offerens, nolensque immunitate loci sacri frui; huic enim juri suo potest cedere. Id. de immunitate Ecclesiarum.

D Postulatio est concors capituli petitio, vt is in prælatum promoueatur, siue adsumatur, qui non propter animi vel corporis vitium, sed ob alium defectum, propter quem non est inhabilis ad prospiciendum Ecclesiæ, veluti quia est minor triginta annis, aut Laicus in minoribus ordinibus, illegitimus, eligi nequit, cap. cum sit §. deinceps de elect. in 6.

Singularia cedunt juri suo propter bonum vniuersi, *vide gloria concordant* publica priuatis præferenda.

Digitized by Google

Iuri suo cedere quando non licet, vide, *hoc tit. voluntas min mala*

Quando dictum est primo homini, de omni ligno quod est in paradiso comed, Deus non dedit præceptum, sed licentiam, licentia autem facit licere quod concessum est, sed non obligat ad id quod conceditur, & ideo si homo nunquam comederet non peccaret contra aliquid hic sibi dictum, sed contra legem menti suæ inditam quæ jubet comedere ne resolutio & mors sequatur. Tostat Gen. f. 109.

Renuntiari potest priuilegijs concessis intuitu priuati commodi cap. cum accessissent de probat & cap. quod ob gratiam, de reg. jur. in sexto.

Seneca controuers. libro 1. co 8. ter fortiter qui fecerit, militia vacet, ter fortem in acie, pater volentem extre retinet, nolentem abdicat. Pro filio, pudet me, ter victi militant. Senator post sexagesimum, & quintum annum in curiam venire non cogitur, nec vetatur. Prætorio licet prætexta toga vti festis, aut solemnibus diebus: numquid necesse est, quidquid aut præmij, aut honoris nomine datur in vtramque partem sumi liceat, alioquin desinit præmium esse, cui necessitas jungitur. *V. vol. contrariet.* velle aduersa.

VELLE SIBI MALVM non licet.

IVdex non habet jurisdictionem ad condemnandum seipsum, nam si par in parem non habet, à fortiore nec in seipsum, Tost. Math. tomo secundo, f. 93.

Diabolus non potest vincere nisi volentem, Mat. to. 5. f. 153.

Licet quidem homini se exponere periculis pro amico, quia tunc incerta est mors, & sic intelligendum illud Christi Domini, majorem charitatem nemo habet, quam vt ponat animam suam pro amicis suis; at certam mortem subire pro amico non licet maxime si reus sit, quia præuertitur ordo charitatis quia quisque plus se debet diligere quam alium, læditur iustitia quæ reum absoluit, innocentem damnat, & ita præ dolore non in veritate Dauid dixit, quod libenter moreretur pro Absalon, 2. Reg. 19. Tost. Ib.

De juuene qui se castrandum obtulit, vt dilueretur calumnia imposita Christianis de promiscua venere, *V. minor gloria*, virginitas.

Mirandum quæ necessitas hominem ad sydera erectum incuruauit, & in fundum telluris infimæ mersit, vt erueret aurum non minori periculo quærendum, quam possidendum: propter hoc cuniculos elegit, & circa prædam lutulentam inexemque reptauit, oblitus naturæ melioris à qua se conuertit. Super illos vrgens auaritia terrarum pondus injecit, quibus abstulit cælum, dum eos in imo, vbi malum illud latitat, infodit. Olaus Mag. rer. Septen. l. 6. c. 9.

Idem l. 18. c. vlt. refert verum esse & exemplo probatum homines magicis artibus in lupos conuerti, & prædas in gregibus agere, quod de Lycaone dicit Ouid. metam. l. 1.

Stellæ Saturni ac Veneris faciunt eos qui circa Venerem ea probent, quæ alij generaliter respuere solent, & in his nigras & nigros diligere, Card. aph. sect. 4. aph. 125.

Homo qui per concupiscentiam caro fit, & in animalem transit naturam, instar corporum, fato syderum subijcitur, vide quæ scripsi in fati vniuersi apologia c. 8.

Virgines naturali vteri exorbitantis œstro, celeriter impura quædam appetunt & digerunt. Non quidem ex ratione, nec consanguinitate naturæ humanæ id poscentis, sed exotica humorum phantasia, sic stultè imperante seductæ, quibus sordibus expulsis restituitur sanitas, vel etiam saturata eorundem humorum amente phantasia. Van helm. l. de magnetica vulnerum curatione.

Neque per caput tuum juraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum, Math. 5. Ostendit hominem sui non esse Dominum, si enim nemo filium suum dat alteri, multo magis Deus opus suum non permittet tibi, D. Chrysost. hom. 17. in Math.

Priuilegium concessum communitati, intuitu alicujus boni communis habet rationem legis, cui priuatus non potest renuntiare, cap. si diligenti, de foro compet. l. jus publicum ff. de pact. Suarez l. 1. de leg. c. 14.

Credibile est Deum non posse sic dispensare in primo præcepto Decalogi, vt homo per totam vitam nullum ei cultum exhibeat, hoc enim repugnat infinitæ sapientiæ & bonitati Dei, sic cedere juri suo, quia esset veluti prodigalitas quædam irrationalis, respectu creaturæ rationalis. Ibid. libro 2. c. 15.

Mulier regina nubens, non potest transferre jus regni in maritum, sed illud totum apud se retinet, quia esset mutatio magna in regno, & in modo Monarchiæ eius, quæ sine consensu regni fieri non potest, congruit commune Iurisperitorum axioma, quod suprema principis potestas, nec abdicari potest, nec minui: & si maritus dicatur Rex, est titulus honoris non Iurisdictionis, vnde præcedet mulier regina. Ibidem libro 3. capite nono, numer. vndecimo.

Si quis amputauerit sibi virilia, non fiat clericus, si sit clericus deponatur. Laicus tribus annis communione priuetur, quia suus est homicida, & Dei conditionis inimicus, can. apostol. 21. & seq. Exempla talis depositionis, vide apud Baron. ann. 230. nu. 5.

Sunt quidam timidi & formidolosi in quorum cordibus virtus & dignitas, non secus ac lapis in aqua submergitur.

Vultures præteruolant lætos, floribus & fructibus agros, vt insideant fœtido cadaueri; sic muscæ relictis sanis partibus corporis ad vlcera properant.

Rex non potest in totum cedere alteri arma sua, & regalia, itavt ipsis priuetur, *vide maior bonis prodigalitas.*

Non obtemperatur potestatibus aliquid in præjudicium debitæ sibi reuerentiæ decernentibus, *V. contrarietas potestatis.*

Sunt quidam ambitiosi in malis, & augere lachrymarum causas volunt, cum sit potius ratio minuendi. Quintilian. Institut. orator. lib. 6. in proœmio.

Dum timent ne aliquando cadant, semper jacent. Idem.

Nulli nocenti pœnæ præstari debet arbitrium, infinita sceleribus aperitur audacia, si pœnam licet

eligere cōdemnato, & si patitur deprehensus quod maluit; leuat omnem dolorem præparata patientia, nulla pœna est, nisi inuito; non habemus vllum, nisi ab impatientia dolorem, & vt aliquid crudele sæuum sit, metus facit. Illo trahantur damnati, quo non sequantur; tam iniquum est vt pœnam nocens contemnat quam vitet Id decl 11.

Plutarc. l. de tranquillitate animi inuehitur in eos qui aduersa, aut minus prospera sua memorant, non vero honesta & fœlicia, vt adulteri vxoris sui pulchritudine non contenti: vt ille mercator Ehius qui optimum vinum vendebat, pessimo sibi seruato; ideo fugit ab eo seruus, qui fugæ suæ causam quærentibus dixit, quia Dominus cum in manibus suis bona sint, mala tamen conquirit. Omnes habemus vnde lætemur, cur dolere de reb. abientib. non potius lætari de præsentibus, & de fortuna quærulos quod rem vnam non concedat, cæteras omnes, instar puerorum abijcere. Viuimus, valemus, liberi sumus, non bello, seditione, tempestate, &c. vexati.

Stoïcorum amor similis est affectui Scarabæorum, qui vnguentis non delectati & flosculentis, putida stercora consectantur. Id. l. de doctrina Stoïcorum.

Quidam pulchras auersati conjuges, turpium mulierum amore capiuntur, vt qui post epulas, vili cibo delectantur. Euripid.

C Corporeæ pestes inuitis nobis aduenjunt, animæ verò labes, à voluntate ipsa vt plurimum. Theodor. serm. de fide.

Math 5 cum diabolus Christum duxisset in montem excelsum, dixit ei; Si filius Dei es, mitte te deorsum; sic suos eleuat, vt præcipitet validius in ruinam. D. Chrysol. ser 13. Respondet Christus, non tentabis Dominum tuum.

Sunt quædam priuilegia priuata, alia communia quæ respiciunt ordinem & communitatem. In his persona priuata non potest cedere priuilegio in fauorem communis boni concesso, quoties cessio ipsius vergit in præjudicium boni communis, ita qui percutit clericum etiam consentientem, ligatur excommunicatione. Bonac. de priuilegijs Nemo enim potest mutare conditionem suam in alterius præjudicium, *vide min. diff*

D Etiam inuitis possunt priuilegia concedi *V. cogn. bonitatis. Rep* latens beneficium, *& veritas bonitatis*.

Priuatus non potest renuntiare beneficio in bonum communitatis concesso cap. si diligenti, & l. jus publicum ff. de pactis. Nam bonum commune non debet pendere ab arbitrio vnius personæ; ita clericus non potest renuntiare priuilegio fori Item si lex præscribat certam formam ad valorem actus in fauorem alicujus, non potest illi renuntiare, quia censetur lex, talem actum, sine tali forma, irritum facere. Bonac. de priuileg. p. 8. 5. 6.

Peccatum definitur auersio à Deo, & conuersio ad creaturam.

E Actus, quo quis sibi graue malum imprecatur, est mortaliter peccaminosum, quia grauiter lædit propriam charitatem. Id de peccatis, d. 3.

Qui consentit abusui, & litigat coram Iudice Ecclesiastico non legitimo, non toleratur etiam volens & cedens, sed mulctandus est Molinæus in regul. de infirmit. nu. 206. *vide gloria concord.* publica priuatis præferenda.

Etiam de consensu partium non possunt in beneficijs creari pensiones totius reditus beneficij, & non nisi intra tertiam partem.

A Vacuum in rerum natura non admittitur. Arist. 4 phys. tex 6 quia natura semper appetit quod melius est, plenum autem vacuo est melius, & quia res naturales debent esse contiguæ.

Peccans, quomodo cadat è gradu suo. *V. minor. virt* peccati turpitudo.

Caïn meditatus inuidiam & odium fratris sui Abel, concidit facies eius quasi trabali pondere depressa; terram namque aspiciunt qui crudelia meditantur. Vnde illud Ps. 16. projicientes me circumdederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram Rupert. in Gen l 4 c. 3.

B Qui sibi crimen imposuit, vt vitaret dignitates, à dignitatibus excludatur, vel reus veri confessione, vel mendacio falsitatis, neque enim absolui in his potest, quod dictum in alios puniretur, cum omnis qui sibi fuerit mortis causa, major homicida sit. Conc. Valent I. in Gallia can. vlt.

Qui carnali vitio repugnare nescientes, se abscindunt, ad clerum peruenire non possint. Conc. Arel. II Galliæ, can. 7.

Clerici prohibentur adesse conuiuijs Iudæorum ne videantur Iudæis inferiores, si his quæ ab illis apponuntur vtamur, illi autem à nobis oblata contemnant. Conc. Veneticum Galliæ, c. 12.

Prætextus Episcopus falsò accusatus à Rege Chilperico, coram Concilio Episcoporum, temerè se reum esse confessus est, nam ex tali confessione Rex audentior factus eum egit in exilium. Gregor. Turonens. l. 5. histor. c. 19. *vide voluntas contrariet. mala*.

Lotharius Rex volens diuortium facere cum Teutberga vxore illam metu coegit, vt fateretur se ante conjugium fuisse incœstam, cum fratre Lotharij, sed ante confessionem protestata est de vi sibi illata ad Nicolaum Papam qui hæc scribit, an. 863.

Eandem Teutbergam tædio vitæ separationem à viro, & æmulam suam veram vxorem agnoscentem Papa non audit, sed arguit, & ad constantiam excitat. ep 64 a 867.

Qui accipit aliquid vt faciat rem illicitam, non obligatur, quia pacta contra bonos mores non valent, §. vlt. inst. de inutilibus, stipulat. l. 26. de verb. oblig.

Multi Doctores quos citat Bonac. de restit. dis. 2. q. 4. p. 9 asserunt Infamare seipsum esse peccatum mortale, quia nullus est Dominus suæ famæ, sicut nec suæ vitæ. Omnes tamen fatentur tunc grauiter peccare, quando infamia ipsius redundat in infamiam filiorum, familiæ, Religionis, vel aliorum; aut quando est causa scandali, vel ruinæ, aut quando fama est illi necessaria, vt si infamans seipsum sit prælatus, cui necessaria est bona fama, vt ritè suo munere fungatur Bonac. de restit. d. 2. q. 4. p. 9. & si reus metu grauium tormentorum crimen sibi imposuerit quod vergat in infamiam aliorum, tenetur illud retractare ante executionem sententiæ Ib. Non licet imponere sibi crimen, vt saluetur amicus, *vide virtus concordant.* amicitia contineatur virtutis legibus.

Possumus inuitis benefacere, *vide ver bonit* inuitis benefacere.

Plutarchus l de iucunditate inuehitur in eos qui faciles voluptates auersantur, & ad tristia semper relabuntur quæ in memoria refricant, similes dicit esse muscis quæ speculorum leuore dilabentes scabris inhærent, & sano corpore relicto affiguntur vlceribus.

Ordinari non potest qui sibi volens vel virilia

Digitized by Google

veldigitum, vel pedem amputauit, oculum eruit, A can. pœnitentes, can si quis absciderit, can. qui partem c. lator. c. si Euangelica, d 55.

Omnes subsidentiæ sunt excrementitiæ, vt in vrina & in aquis perturbatis experimur; sic enim à superioribus excernuntur. Motus deorsum est casus & impotentia ad motum, vnde non ex innata virtute fit, sed imbecillitate. Campa. physio. q. 32. Simplex autem leuitas accidit à calore cognata corpora cælestia petente.

Non licet virum indui veste muliebri, quia subuertit ordinem positum à Deo, *vide bonitas potestat.* regimen necessarium.

Pactum etiam juramento confirmatum, ne quis agat, non valet, est enim contra bonos mores, l. juris gentium ff. de pact. Cujac. obs. l. 1. c 24.

Cygnus nautis bonum augurium, quia se non mergit in vndis. Aug Nymphus, de augurijs, libr. 1. c. 10.

Miraris non timeri morbum, emitur, & toxica quibus intereat animorum sanitas, libri venales in compitis exponunt.

Deus non potest alicui creaturæ communicare quod per se in esse conseruetur absque Deo; quia Deus non potest aliquid facere in diminutionem suæ authoritatis, hoc autem suo dominio præjudicaret, & implicaret contradictionem quod Deus esset, & non esset prima & vniuersalis causa. D. Th. in q disp. q. 5. a. 2.

Similiter non potest facere contra ordinem creaturæ ad seipsum, vt homo ad ipsum non sit ordinatus, ageret enim contra ordinem iustitiæ, potest autem facere contra ordinem naturæ, quo vna creatura ordinatur ad aliam. Ib. q 6. a 1 ad 3.

Non est in potestate Angeli, quod se vniat corpori secundum esse vt formam, sed potest corpus verum assumere vt motor, vel aëreum ad repræsentationẽ. Nullam enim habet potestatem supra suum esse, omnis enim rei virtus ab essentia eius fluit, vel essentiam præsupponit. Ib. q 6. a. 6. ad 4.

Potest Deus dispensare in præceptis secundæ tabulæ, per quæ homo immediatè ordinatur ad proximum, bonum enim proximi est bonum particulare; non autem potest dispensare in præceptis primæ tabulæ, per quæ homo ordinatur in Deum, qui à seipso non potest alios auertere, non enim potest negare seipsum, vt dicitur 2. Tim. 2. Ib. de peccatis, q. 3. a. 1 ad 17.

Nemini licet se mutilare nisi ad vitandam grauem ægritudinem habito medicorum consilio, cap. ex parte, de corp. vitiat. & d. 55. c. si quis à medicis. Tost. in Math. p 121. c. 1 a.

Nemo seipsum potest absoluere, *vide min. princ.* independentia, potest tamen alteri dare potestatem, vt ab eo absoluatur, non verò vt excommunicetur. Id in Math. co. 4. 87. c. 2. a.

Legi & priuilegio septimi anni remissionis nemo poterat renunciare. Id. Deuter. f. 82. c. 3. l. quia facta erat lex in fauorem pauperum. Ib.

In antiqua lege immunditia incurrebatur ex tactu reptilium viuorum, vel mortuorum. Idem. Leu. f. 102.

Iudæus non poterat vendere rem in perpetuum, & renuntiare priuilegio anni Iubilæi. Id. Iud. f. 15.

VELLE DEFECTVS, ALIquando bonum est.

IN antiqua lege immunditiæ incurrebantur aliquando per quædam quæ non erant peccata, B imo committeretur peccatum, si ea non fierent ne incurreretur immunditia; sicut si sacerdos nollet vitulam ruffam immolare ne illam contraheret contagionem de qua nu. 16. peccaret mortaliter agens contra præceptum. Similiter qui nollet patri, aut matri morienti exhibere opera pietatis in funere, ne incurreret immunditiam, istæ immunditiæ arcebant tantum hominem ab accessu tabernaculi, & non tangebant animam, & cum mundabantur sufficiebat lauare vestimenta, non carnem, vt cum fiebat expiatio à peccatis. Tost. exod tom. 1. f 60. vide Leu. 16. Sic non abstinendum penitus à regimine, à confessionum auditione, & cæteris charitatis officijs propter quasdam sordes & inquietudines quæ C sic incurruntur; de his dicebat Christus, qui mundus est, non indiget nisi vt pedes lauet. Taliter immundus erat qui portabat caprum emissarium in desertum.

Sic irregularitas est interdum sine peccato, vt bigamia. Id. 4 Reg. f. 237. etiam aliquando est meritoria, Math. to. 2 f. 90.

Iudex debet iudicare secundum allegata & probata, etiamsi oppositum ei constet aliunde, Tostat. Gen. f 206.

Moses asportat ossa Ioseph ex Ægypto, & tamen immundos dicit, qui cadauer & ossa mortuorum tetigerint, obstrictus erat publico Israëlitarum juramento hæc ossa asportanda; propterea soluendo legem quæ mortuum tangere vetat, seruauit jusiurandum inuiolatum majore jusiurandi custodia, soluit C minorem legis custodiam, semper enim minus malum magis eligendum est, quam majus. Iustin. mart. q. 27. ad orthodoxos.

Vide media minoritas. è duobus malis minus eligendum.

Non carent culpa qui incipiunt non obseruare leges Pontificias, licet contra illas postea supplicatum sit & à maiori parte non obseruatæ per contrariam consuetudinem desinant obligare. Suarez de legib. l. 4. c. 16. n. 4.

Digitized by Google

VIRTVS MINORITATIS

HVMILITAS.

CHRISTVS superbiam Diaboli, humilitate superauit, originem morborum tollens, contraria virtute; ascendere voluit Diabolus, descendit Christus, & exinaniuit semetipsum. Cassian l.12.c.8.

In istis cineribus, seruatur ignis diuini amoris.

Arbores in terram inclinantur, onustæ, aut niue, aut fructibus.

Qui vult salire, prius genua inflectit & ad terram inclinatur.

De humilitate. Nouatian. bibl. Patr. to.2. Gerson. tom.2.

Magna lumina, paruas efficiunt vmbras, magnæ virtutes sunt sine superbia *V. cogn. virt.* de indecora sui iactatione.

Exod. 20. Dominus præcipit altare sibi fieri de terra, id est de humilitate, Petrus Damiani, libro 2. ep.5.

Anima humilis secundum proportionem profundæ humilitatis capax est excelsi Dei, humilitas enim est profunditas & euacuitas, vt capiat pro modo suo immensum, Cardan. Cusa. excit. lib. 5. c. 57.

Deus cuncta fecit duplicia, vnum contra vnum, spiritum Iesu humilitatis contra spiritum diaboli superbiæ. Regnum Iesu est vitæ, lucis, sapientiæ, lætitiæ, alterius est mortis, tenebrarum, ignorantiæ, tristitiæ. Id. l.6.c.8.

Christus figulus est, qui efficit de obedienti anima vas pretiosum, in quo ponitur manna, id est verbum vitæ. Id. l.10. c.4. *V. gloria minor.* humilitas exaltata.

Virgo Maria dicitur alma, id est abscondita, suis & humanis oculis, cum tanti esset meriti & gratia plena, id non putat, sed dicit: Ecce ancilla Domini.

Diuus Antonius dicebat de quodam Monacho faciente miracula, nec satis humili; iste Monachus similis est naui magnas exportanti diuitias, sed de qua dubium est, an perueniat ad portum, in vitis Patr. l.5.

Agens naturale quod est maximæ virtutis non potest immediatè producere effectum aliquem paruum, sed producit effectum suæ virtuti proportionatum. Contra de agente intellectiuo, libero, diuino.

Fundus terræ pretiosus est, quia in illum confluunt omnes virtutes cælestes.

Planities ac valles colligunt calorem, roborantque, montes vero & altitudines accipiunt ac dispergunt, vnde languidiorem reddunt.

A Arrogantia vel leui aduersitate pulsata dejicitur, & rumpitur velut aquę bulla, at humilitas, adamante solidior, vt non læditur, ita non gemit, non patitur, non dejicitur, &c. D. Chrys. hom. 2. in epist. ad Rom.

Arrogantia & insolentia existit ex vili & abjecta mente, & ex animo ignauo & illiberali, modestia autem ex magno & excelso animo, qualis fuit Abrahami qui nepoti Loth cessit electionem terræ, & qui se dicit esse cinerem, aliud est in corpore habitudo vegeta & luculenta, aliud pituita inflari; non est altus qui talis est non à seipso, sed eo quod alta supposuit suis pedibus, vere est altus qui externis B non indigens à seipso habet altitudinem. Non potest fieri humilis, nisi per diuinarum rerum desiderium & præsentium despicientiam. Res humanæ imitantur pueros qui eligunt sibi imperatorem, mox desiturum & à magistro plectendum spreta sua vmbratili dignitate, Idem homilia 1. in 1. Corinth.

Quamuis spiritus Dei, & spiritus Christi vnum sint, diuersa tamen in nobis operatur, dicitur spiritus Dei cum ad fortia nos impellit, dicitur spiritus Christi, cum ad humilia.

Humilitas est profunda cordis in conspectu diuinæ majestatis inclinatio, secundum quod dicit Christus, discite à me quia mitis sum & humilis C corde; per istam humilitatem subjicit se perfectè Deo & præceptis eius, & omni creaturæ. propter ipsum. Harph. Theolog. myst. libro secundo, capite 21.

Humilitas se cæterasque virtutes regit. *V. cognit. virt. R* latens virtus.

Humilitas & modestia in regente, vide quæ scripsi, moral. Christ. to. 3. parte 1. cap. 29. vide plura bonitas potestatis, clementia regentis, humilitas est maxime necessaria in societate religiosa, vt soli Deo non hominibus cupias placere, l. de instit. & officiis religiosi, p. 8. 614. & 15.

Humilitas est virtus qua homo verissima sui cognitione sibimet ipsi vilescit; vel est ex intuitu pro-D priæ conditionis, voluntaria mentis inclinatio, non venit nisi ad humiles Deus, de Christo humiliato, & humilibus propitio dicitur, omnis vallis implebitur, &c. humilitas est inter virtutes, quod est viola inter flores, humilis sed medica & odorata. Qui humilitatem cum virtute retinet, hic geminum possidet decorem. Inferiori se subdere plena & perfecta est humilitas. 5. Sút gradus humilitatis. 1. agnoscere se contemptibilem, quod fit lumine gratiæ minimos defectus aperientis. 2. quod sibi notam alijs aperit & confitetur vilitatem suam. 3. gaudet vilis haberi, nec laudes patitur. 4. gaudet opprobrijs. 5. in occulto nititur ad ampliorem virtutem,

Digitized by Google

&c. Laurentius Iustinianus, tractatu de humilit.

Qui humiliatur corde, atque conteritur non effertur inani gloria, non inuidiæ liuore, non iracundiæ furore, non vllis alijs vitijs subiacebit, nam vt contritam manum in altum leuare non possumus, sic animam humiliatam & contritam ad passiones non efferimus, sed quidquid accidat, patienter ferimus. Dauid vrbe sua egredi coactus persequente Absalone filio tolerat maledictiones Semei. secundo Regum 16. D. Chrysostom. homilia 3. in Math.

Habent omnes aliquos supra se positos quorum comparatione humilientur. *V. concord. diff. ordo, & cognitio maior.*

In liquato argento minutulæ atomi auri, ad fundum labuntur.

Fortis & generosa humilitas, *vide gloria minoritatis.*

Solidum virtutis & spiritualis ædificij fundamentum est humilitas, sæuiat mundus, tentet aduersarius, humilitas semper secura est. Non habet quid amittat, neque quo doleat, in sui secreto cubiculi intrepida requiescens bono fruitur suo, habitans secum, non consueuit se cum alijs miscere, sed neque suos, nisi opportunè & temperanter patefacit thesauros. Nihil laude dignum habere se dicit vel arbitratur, quoniam diuino muneri totum adscribit quod est, proinde quod non est suum facit

A suum, dum purè simpliciterque in suo conditore lætatur, eoque efficitur locupletior, quo se nihil proprium habere fatetur. Laur. Iust. de triumphali Christi agone, c. 2.

Nihil habeas humilitate præstantius, nihil amabilius, hæc est enim præcipua conseruatrix, & quasi custos quædam virtutum omnium, nihilque est quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus, vnde dicit scriptura; quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. D Hier. ep. ad Celantiam.

Solus humilis stabili pace fruitur, & nullus vnquam dolorem, aut afflictionem ægrè pertulit, nisi

B qui veræ fuerit expers humilitatis. Rusbroch. in præfatione. In eo Deus nullum patitur impedimentum in suis donis ac gratijs. Vnde cum ad summam perfectionem euehit, cum sit Deum patiens, Deo morem gerens, obsequens, & velut instrumentum illius gratiæ cooperans.

Exod 27. columnæ 60. quæ sustinebant tentoria tabernaculi, habentes capita argentea, in immobili erant constitutæ fundamento, id est ipsa terra, sic virtutes omnes in humilitatis fundamento sunt stabiliendæ. Idem de tabernaculo fœderis, capite 5.

Qui fert odores bonos ex consuetudine ipse non sentit, alios tamen delectat, sic humilis gratas omnibus virtutes suas non agnoscit.

VERITAS MINORITATIS

QVÆ SIT VERA INFIRMITAS.

ALIQVID corrumpitur per hoc, quod forma eius à materia separatur.

Priuari aliqua re, vt aliquid dicatur, necesse est vt careat eo, quod natum est habere eo tempore, in ea parte, & eo modo. Subiectum priuationis est ens in potentia.

Omnis forma & perfectio, & bonum, per accessum ad terminum perfectum attenditur; priuatio autem & malum per recessum à termino.

Omnis diminutio & priuatio in quantum huiusmodi, habet rationem mali; sicut omnis forma, perfectio & complementum habet rationem boni.

Morbus est partim secundum naturam, quia solitus est, & sæpè numero accidit, & partim præter naturam; est enim discessus quidam atque perturbatio rei, quæ secundum naturam sit, eorum causæ sunt vel intrinsecæ, vel extrinsecæ, &c. Theoph. de caus. plant. lib 5. cap. 9. *Vide principium contrarietatis.*

Fumus, vmbra, nubes capiuntur pro re momenti nullius. Rodig. l. 16. c 21.

Vanum dicitur quod expectatum est, vt in honore esset & pretio, non fuit autem, vanum simpliciter

C dicitur, quod ad nihil est vtile, D. Chrys. hom. 12. in ep. ad Eph.

De rerum humanarum vanitate & inconstantia. *V. minor. dur. & ver. gloria. R.*

Malum & peccatum consistit in malo vsu liberi arbitrij, *vide potestas volunt.* liberum arbitrium, ex D. Chrysost.

Ex fine actus morales specificantur, finis autem est, quod primum cadit in voluntate, ex qua est origo peccati; vnde Philosophus dicit in 6. ethic. quod si aliquis mechatur vt accipiat lucrum, magis auarus & iniustus est, quam mechus. D Th. in l. 2. sent. d. 22. a. 1. vnde concludit superbiam fuisse primum peccatum hominis.

Non omnis potentiæ defectus facit rem imper-

D fectam. Non enim homo qui est in potentia, vt sit in India, imperfectus erit si ibi non fuerit, sed imperfectus dicitur, si scientia vel virtute careat, qua natus est perfici, D. Thom. in quæst. disput. q 5. a. 5. ad 7.

D. Aug 11. de ciu. Dei dicit; quod malum non est natura aliqua, sed defectus boni hoc nomen accepit. Simpliciter malum dicitur quod priuat aliquo particulari bono, quod est ex debito perfectionis subiecti; sicut ægritudo est malum animalis. Malum autem secundum quid est priuatio boni alteri debi-

ti, vt priuatio frigiditatis in igne D. Tho. Ib. q. 1. de malo.

Ex pœna conjicitur delictum, legati serui sub hac conditione, si te promeruerint dignos eos libertate existimes, censentur promeruisse si non offenderint, offendisse autem videntur, quos legatarius vinxit, aut torsit pœnæ causa, & quos administratione remouit, l. 51. ff de man. test.

Malè dispositus planeta dicitur in contrario suarum dignitatum ingrediens solis radios, retrogradus, pulsatus radijs infortunatum, occidentalis proximus soli per 30 partes; cadens ab angulo, malæ fixæ potenti copulatus, impeditus, stans, tardigradus, syluester, diurnus infra terram de die, vel de nocte supra terram, nocturnus contrario modo, orientalis vespertinus, occidentalis matutinus, vel lumine diminutus. Card. aph. sect. 4. aph. 18.

Podagricus extra dolorem siue paroxismum est quoque morbosus. *V. dur minor.*

Malum nihil est per se, nisi priuatio boni; sicut tenebræ nihil sunt, nisi absentia lucis. Alcui. in Gen. inter 93.

Paupertas est parui possessio, egestas nullius rei, pœcuniæue possessio. Cujac. obser. l 26 c. 3. vnde in condemnatione personarum, quæ in id quod facere possunt damnantur, habetur ratio ne egeant. l. in condemnatione de reg. jur. id est ne desit illis victus & vestitus. Ib.

PARVM PRO NIHILO.

Altitudo montium tam parua est respectu terræ, vt non impediat eius rotunditatem, vt nec pictura in globo, licet parum emineat.

Punctus additus lineæ non facit majus, nec remotus facit minus.

Punctus non est grauis nec leuis, nec rarus, nec densus, nec durus, nec mollis.

Furtum & alia peccata mortalia ex suo genere, possunt fieri venialia ob paruitatem materiæ; sunt tamen mortalia cum perueniunt ad eam quantitatem, quæ continuata cum præcedente fit notabilis & infert damnum notabile. Bonac. de restit. furtiua. *V potestas min & potestas concord.*

Decessisse putatur in Curia Romana, qui decedit in loco ab eo tantum distante itinere duorum dierum, cap. præsenti. de collat.

Ecclesia non exercet vltionem in malis leuibus. Tost. Math. to. 4 f. 62.

Moyses non descripsit omnia loca in quibus Israëlitæ ponebant castra, sed bene vbi figebant, & hoc fuit in quadraginta duobus locis, ab Ægypto vsque ad Iordanem. Id exo. to. 1 f. 125.

Pro non nato jura reputant eum, qui statim vt natus est, moritur, cap. nam & ego. extra de verbo. significat.

In aliquibus circumstantijs nec tamen minus ab omnibus populis recepti sunt eorum libri, velut ob id sibi non contradicentes qui in præcipuis consentiunt. Suadens Spiritus sanctus, vt erga principia illa magisque necessaria vacantes nihil ab his minutis læderentur D. Chrys. hom. 1. in Math.

Non licet purpurea vestimenta ferre, sed in ora & limbo vestis, purpurea segmenta; *vide gloria fins,* honor in fine.

Res censetur leuis, nec obligat sub mortali, si parum aut nullatenus obest fini à lege intento. Suarez de legib. l. 3. c. 15. n. 11.

Vide potestas minoritatis, præualet multitudo ex Bonac.

REPVGNAT,

Non vera infirmitas.

Circulus qui videtur circa Solem, Lunam, & Stellas, non longè fit à terra, licet visus noster imbecillitate deceptus, putet ipsum esse circa corpora cælestia.

Baculus in aquis mersus, videtur in medio fractus. Proceras riparum arbores, fallax vnda mersas, inuersasque spectantibus ostendit.

Stellæ non sunt quæ cadere videntur æstiuo tempore, verum flammæ ignobiles, quæ vix prius micant, quam extinguantur, & locum facilè mutant.

Simulata propter mutilationem inimicitia, *vide vel minor.* de Zopyro.

De validis mendicantibus.

Pisistratus vt occuparet dominationem Atheniensium, sibi ipse vulnera inflixit, & in publicum simul progressus atque vociferans ea se ab hostibus accepisse, quadringentos custodes sibi dari exorauit juuenes admodum acres ac robustos, quibus armatis stipatus, Regiam potestatem arripuit, Petr. Crin. de honesta disc. l. 4 c. 1.

In medio subtili res apparet minor quam sit, *vide veritas magnit. R.*

Miles fingit insaniam vt à periculosa expeditione sit liber. *V diff. contrar* fuga ab aduersis.

Vide veritas contrar. R. vanus timor.

Manichæus & Marcion, dixerunt Christum habuisse corpus phantasticum, Tostat. Math. tom. 4. f. 109.

Quoniam in gaudio semper esse vellemus, idcirco in doloribus semper esse putamus; secundarum etiam rerum obliuio cito irrepit, aduersarum vero memoria jugis atque stabilis est, idcirco in doloribus nos semper esse contendimus, cum impossibile sit hominem semper in doloribus esse, D. Chrys. ho. 55. in Math. *V. ver. contrar. R.*

Quidam morbos & infirmitates simulant, vel vt rei pœnas & tormenta vitent, furorem simulant, vel vt onera l. obseruare ff. de cur furios. Mendicantes simulant ægritudines, vt aliorum in se misericordiam excitent de quibus, *vide minor. veritat. bona,* ex D. Chrysost. Quidam adulatores sese interdum ægrotare eadem, qua Dominus, infirmitate fingunt; mulierculæ fingunt infirmitates, amore vel odio, vel vt iras mitigent excitata compassione, deprehenduntur autem morbum simulantes si auferentur remedia, quæ verè laborantes exquirunt; si subito desistant, vbi aliquid grauius imminet, podagram simulans, ad fugam concitat vrgens incendium. Vide Zachiam, medicinæ l. 3. tit. 2. q. 2. consideranda symptomata quæ morbum de quo quæritur, solent comitari. Febrem accendunt scarabæo in oleo decocto, quo pulsus inungatur, aut allio in anum indito. Ib.

Quidam melancholicus se putabat esse granum millij, nec audebat domo sua egredi, ne à gallinis deglutiretur.

Digitized by Google

GLORIA MINORITATIS.

EX ALIENIS MALIS PROFECTVS BONVS.

DOMINVS feudi propter feloniam serui, reuocat feudum in manus suas. Planetam soli nimis proximum sol comburit, & disponit eius loco, *vide finis bonitatis.*

Publicationes & confiscationes, de reorum spolijs ditant innocentes.

Spinas & tribulos post Adæ peccatum germinauit terra, & venenosas herbas, vel ad pœnam & exercitationem mortalium, vt homo semper habeat ante oculos originale crimen, & sic admonitus, se auertat à peccatis. Alcuin. in Genes. inter. 78.

Rei socios accusantes, absoluuntur, *vide cognitio contrar.* accusator.

Ex propinquorum & parentum morte proueniunt hæreditates, sicut ex pulpa fructuum corrupta contenta grana germinant, & magis proficiunt; ita rustici cum vites feraces volunt facere, fimant eas ex acinis, quæ colligunt ex ipsa eadem vinea; sic igitur per putridam carnem fructuum, fit fimatio terræ ad fœcunditatem seminis. Alb Mag l 3. de vegetab c. 6.

Hæreditates dat Saturnus bene fortunatus, amico radio respiciens horoscopum, maximè si fuerit quartæ Dominus. Hermes in centiloquio, nu. 56.

Exaltatio planetarum est in signo, in quo inimici eorum patiuntur, veluti solis in Ariete, qui Saturni casus est. Sol enim habet claritatem, Saturnus tenebrositatem; vt & Iouis in cancro in quo Mars cadit, quorum alter cupit iustitiam, alter vero significat injustitiam, & sic Mercurij in virgine qui casus est Veneris, alter namque significat scientiam & Philosophiam, altera vero alacritates. Almans. centil. n. 2.

Quando Mars debilitatur, Venus confortatur, sicut Iupiter, Saturno debili. Idem propositione 51.

Sæpè lapis è monte cadens, reliquit in suo loco fontem.

Seruos bello fecimus, equis fræna imponimus, in vsum vestium, lanæ pecoribus detrahuntur, taceo de sanguine & epulis, per mortem paratis. Quint. decl. 14.

Ideo est instituta vindicta publica, *vide contrar. minoritatis.*

Respublica commodum percipit ex exilio & vaticinio percitis, *vide maioritas, cognitionis*, diuinatio.

Ex elementorum alterationibus, fiunt fato generationes, *vide minor. cognit.* de his quæ casu bene cesserunt.

Antiqui Galli Saturno homines immolabant, & eum supplicabant pro salute Principum, quia malum hominibus imminens, non nisi humano sanguine auerti posse credebant. Dio. Halicar. libro primo.

Priuilegium est aut fauorabile, quod nullum grauat, vt manducandi carnes in quadragesima; aliud dicitur odiosum, quia dum vni fauet, alterum grauat, vt exemptio Iurisdictionis, soluendi decimas, & similia in quibus vnius onus, in alios rejicitur. Bonac. de priuil.

Conseruatiuum vnius contrarij, est destructiuum alterius. Generatio vnius est corruptio alterius, hoc etiam habet locum in accidentibus immediatè contrarijs.

Ea quæ pœcunijs incumbit violenta quædam est vita. Arist. 1. eth. c. 5.

Vniones nobis pretiosi, sunt conchiliorum morbi, & excrescentiæ quædam illis vitiosæ, vnde apparet earum caro vlcerata, ea parte qua nascuntur vniones.

In Anglia in comitatu Clamorgan, puteus est in quo aquæ deficiunt in fluxu, mare intumescente, & eo refluente accrescunt. Dauity.

Ex breui vita Pontificum Romanorum omnes discunt necessitatem mortis, *vide cognitio finis*, mortis cogitatio. Ex pellibus & velleribus mortuorum animalium induimur, carnibus vescimur, secundum illud Psalm. octauo. Omnia subjecisti sub pedibus eius, &c. Non videntur stellæ, nisi sole occidente.

Deus permisit Adam patrem nostrum peccare, & nos omnes peccato illo mori, sicut Christus dicit de cæco nato, vt ostenderetur gloria Dei. Deo non placuit peccatum quod prohibuit, tamen scit de malo elicere bonum, Cardan. Cusa. excit. libro sexto. cap. 9. & hoc potest dici de omnibus prædestinatis ad gloriam qui peccatores fuisse reperiuntur. Conclusit omnia sub peccato, inquit scriptura, vt promissio ex fide Iesu daretur credentibus, Ibidem.

Vxor Loth respiciens retro ad Sodomam, conuersa est in statuam salis, vt animalia lingentia petram salis proficiunt, sic ex alienis malis habetur profectus. Rupert. in Genes. libro sexto, capite 11.

Vt aurum est vltimus effectus solis, sic vitrum ignis, dissoluto mixto.

Nihil prohibet aliquid esse contra naturam, quantum ad primam intentionem ipsius, quod non est contra naturam, quantum ad secundam eius intentionem. Sicut omnis corruptio & defectus & senium est contra naturam, quia natura intendit esse & perfectionem; non tamen est contra secundam intentionem naturæ, quia ex quo natura

non potest conseruare esse in vno, conseruat in altero, quod generatur corruptione alterius.

Prouisor particularis excludit defectum ab eo, quod eius curæ subditur, quantum potest, sed prouisor vniuersalis vt Deus, permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidente, ne impediatur bonum totius: defectus enim vnius, cedit in bonum alterius, vel etiam totius vniuersi; cum corruptio vnius, fit generatio alterius per quam species conseruatur: sic non esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum, *vide bonitas minoritatis*.

Nascuntur fontes decisis plerumque syluis, quos arborum alimenta consumebant. Plin. libro 31. capite 4.

Diuites per æstatem niues potant, pœnasque montium in voluptatem vertunt Id.

Licitum est plantas secare in vsum hominum. Gen. 1. Ecce dedi vobis herbam afferentem semen super terram, sic & animalia occidere. Gen. 9. omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum. Contra existimauerunt Manichæi.

Quod vni nocet, prodest alteri, *vide media bonitas*.

Summus sacerdos orans pro terræ frugibus, Deo supplicabat, ne faueret votis peregrinantium serenum semper cælum optantium.

Aquæ decurrentes è montanis pinguedinem in campestria secum deferunt, vnde iuxta montium radices prata amœna visuntur. Cardan. l. de rer. var. c. 21. in fine.

Religio proficit ex delictis. Haliattes Rex Lydorum, vt Herodotus scribit, cum ex morbo conualuisset, Delphis donauit grandem argenteum craterem.

Pluribus iudicibus delegatis, valet clausula vt quibusdam absentibus, præsentes validè iudicent, cap. cum causa de off. deleg.

Transportantur ad nos partes quædam antiquæ sculpturæ ex ruinis Romanis, quas tamen artifices habent vt artis suæ exemplaria.

Populus Romanus Vejorum ciuitatem amplissimam destruxit: Tullus hostilius Albam potentissimam vrbem euertit; Tarquinius Priscus Corniculum ditissimam dejecit; Seruius Tullius Pomœriam post decennalem obsidionem à fundamentis conuulsit, vt ex harum vrbium ruinis & sedis mutatione, Roma in immensum cresceret, & fieret opulentissima.

Ioseph occasione famis redegit totam Ægyptum in potestatem Pharaonis, populus enim vendidit illi terras suas pro frumento. Gen. 47.

Isayas vidit Dominum eo anno quo mortuus est Osias Rex impius, Exod. 1. Mortuo rege Ægypti, suspirauerunt filij Israël.

Animalia in putrefactis fiunt, ex aucto calore genito spiritu, non ex educto ab ambiente, qui solum juuit, vt cresceret, generat calor quoniam est omnium quodammodo anima. Campanella.

Vt sol exoriens noctem repellit, & stellas obscurat; sic Dauidis exoriente principatu, Saulis regnum vrget ad occasum. Sanctus Basilius, seleuciæ orat 14.

Tumultuantibus Iudæis dicit Paulus. Act. 13. Vobis oportuit primum annuntiari regnum Dei, sed quia repellitis illud, conuertimur ad gentes Iudæorum, itaque incredulitas fuit occasio salutis gentium, & Rom. 11. dicitur, si rejectio illorum reconciliatio mundi est, quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis. Alij ex eorum peccatis lucrum tulerunt, ipsi vero neque ex aliorum benefactis adjuti sunt. D. Chrys. hom. 19. in ep. ad Rom.

Refert Paracelsus fieri magneticam curationem, si ægri calentem sanguinem misceas carnibus quas vorandas des cani vel sui, mox ægritudo abs te, in canem trahitur & abit. Van helm. de curatione magnetica.

Incredulitas discipulorum erga Christum, quandoque nobis ad credendum prodest. Tostat. Math. tom. 4. f. 151.

Licitum est vti alterius peccato, ad aliquod bonum. Id. Math. to 7. f. 83.

Romæ eodem tempore quo triumphatores ingrediebantur Capitolium, hostium reges qui viui capti fuerant, ibidem necabantur. Idem Iudicum 48.

Homicidæ casuales non reuocabantur ab exilio, & ex vrbe refugij ad suam, nisi mortuo summo sacerdote. Tostat. Iosue, tomo secundo, fol. 142.

Cum vniuersi conditor, vniuersi curam intendat, partes ipsas oportet pro vniuersi salute laborare; non aduertis corporum ac genituræ mutationem, vicissitudinem esse viarum sursum ac deorsum, & harum rerum alio tempore vitam ex alterius morte oriri, illarum alio mortem ex alterius vita: viuit ignis ex interitu terræ, viuit aër ex interitu ignis, terra autem ex interitu aquæ, hinc mutatio corporum & nouatio vniuersi. Maximus Tyrius serm. 25.

In Septentrione propter sæuas ventorum tempestates non crescunt in altum arbores, vt aptæ sint ædificijs. Vtuntur balenarum ossibus, & sub earum sceletis habitant & diuersas aptant mansiones, corio pro janius vtentes, oleo ad lucernas, &c. Olaus Magnus, l. 21. c. 14.

Ex qualibet planta vel semine, itemque ex trunco quarundam extrahitur liquor qui continet seminis potestatem: qui liquor licet non sit sationibus aptus, eo quod inclusum illi semen moram in terra trahere non valens, exhalet: attamen consimilem plantam mirifica fœcunditate beat, ad radicem affusus. Van helm.

Nimium præceps est, qui transire contendit, vbi conspexerit alium cecidisse; & vehementer effrenis est, cui non incutitur timor de alieno casu. Amator autem salutis suæ est, qui alienæ mortis incursu, & cladibus cæterorum, prouidus factus est vitæ suæ gubernator. Laurentius Iustinianus, tract. arbor vitæ, c. 4.

Considerare oportet tempore eclypsis vires planetæ dominantis, nam non eclypsis, sed illius significatio apparebit. Cardan. aphorism. sectione 2, aph. 17.

Cytharœdus agnorum visceribus ludit.

Vxor Loth in aliorum exemplum, insulsa, salsum migrauit in lapidem, in sale mortua quo viua carebat; sic solent fœminæ, sapiunt, cum pereunt.

Triumphus Ecclesia deleta idololatria, & Iudæorum Synagoga, vide quæ scripsi Theol. natur. to. 4. p. 2. c. 15. 16. 17.

Morientium sudor non est tam latex in sui natura, quantum ros alimentarius resolutus cui mors imperat, quod patet, nam statim corporis habitus sedit prout & in syncope. Habetque sudor ille mirificas vires mortificandi hemorrhoides &

excrescentias. Van helmont.

Oculorum vno clauso, alterius pupilla grandescit, iure quodam accretionis.

MALVS, EX ALIENIS MAlis profectus.

DIuus Basil. homil. de auaritia, inuehitur in annonæ flagellatores; Noli, inquit, solito grauius vendere, necessitatibus intentus: ad horrea tua aperienda, noli annonæ caritatem expectare; nam qui auget pretium annonæ, publicæ execrationi obnoxius redditur: famem ob aurum ne appetas, noli ob vtilitatem priuatam, communem inediam affectare; noli institor humanarum fieri calamitatum, ne molestiam generes vulneribus eorum, qui flagellis cæsi sunt, & in te prouoces iram Dei, &c.

Apes fumo necant, qui earum mella diripiunt.

Licet aduocati possint legitimum salarium accipere, *vide æqualitas bonis* tenendus est tamen modus. Paciscendi quidem ille pyraticus mos, & imponentium periculis prætia procul abominanda negotiatio, etiam à mediocriter improbis absit. Quint.Inst.orator.l.12.cap.17. *Vide veritas bonitat. Rep.*

Duo gemini eodem laborant morbo, medicis ignoto, patre permittente, medicus vnum secat, & inspicit vitalia, sic alium sanat, accusatur pater à matre. Id. decl.8. Occidam, inquit medicus, deinde sanabo Memineris pater in hac conditione prius esse vt occidas Non est tanta pietas seruare filiũ, quantum facinus, occidere; actum est velut de genere humano, si nobis pro salute ægri opus est morte hominis alterius, & pœnè ratio sanitatis intercidit, si consumit medicina tantundem; ægrum placuit occidere, vt inueniretur cur non debuisset occidi. Homo in quo sola quæritur causa languoris, propter medicum occiditur, quæsiuit medicus, quidquid nesciebat, & vsus occasione rarissima, in omnem voluit proficere nouitatem.

De prosperitate peccatorum. Bernard. quadr. 1. serm. 22.

Injustus est, qui de viui hæreditate sollicitus est, & qui in alienas mortes spes suas diffundit, l. quidam ff. de donatio.l.ex eo.cod. de inutilib. stipulat. tamen Ecclesia Romana dat gratias expectatiuas, & per mandatum dat jus super beneficia nondum vacantia.

Excommunicatur qui in locum viuentis Episcopi audet aspirare. Conc.Lugdun.I.can.5. Nisi tamen eius, quem capitalis culpa dejecerit. Conc.Aurel.V. c.12. vt refert Greg. Turon. l.5.hist.c.28. & l.9 c.14. Aut nisi certæ conditiones extiterint, vt Ecclesiam suam regere non possit. Conc Paris.V.c.2. Tostat.in Iosue, to.2.f.142.c.4.

Damnantur qui per discordias Regum res Ecclesiarum, aut Sacerdotũ impetunt. Conc.Tur.II.c.24.

Ne quis aliarum Ecclesiarum fideles, ad suam Ecclesiam pertrahere nitatur. Capitulare. Theodulphi Aurel.Episc.in Conc Galliæ, a.797.

Nullus alienum clericum sollicitare vel tenere præsumat, suo Episcopo non præbente consensum. Conc.Aquisgran.c.58. habetur 19. q. 2.c. alienum clericum.

Tyrannus est qui inter subditos discordias seminat dedita opera, vt eos bonis spoliet. Bonacina de restit.q.vlt.

Aues rapaces & quæ viuunt ex mortuorum cadaueribus, sunt immundæ. Leuit. 10. id est qui diripiunt aliena, vel suggerunt testamenta. Orig. hom. 7. in Leu.

Qui frumenti auget pretium est populo execrandus, Prouerb. 11. dolet auarus quod non perierint omnes vt aurum congreget; communis inimicus bonorum orbis terræ, & hostis liberalitati Domini totius mundi, quotidie optat esse famem, vt ei sit aurum. D. Chrysostom. hom. 39. in 1. ad Corinth.

Inuidia eleuari tentat, ex dejectione proximi, *vide contrar. virt.*

Filij non sunt exhæredandi, vt bona transeant ad Ecclesias. Id. Math.to.5.f.138.

Iustinus mart. in Apologia ad Antoninum Pium Imperatorem persequentem Christianos. Videmini, inquit, vereri, ne omnes colant iustitiam, atque ita desint in quos animaduertatis Verum hæc cura, carnificum fuerit magis, quam bonorum principum.

Raptores in incendijs & naufragijs sunt abominandi l. qui leuandæ ff. ad l.Rhod de iactu. *Vide maioritas contrarietas.* afflicto non est danda afflictio.

Ex alienis dissidijs non sibi faciendum spectaculum, *vide medium concordantia*, arbiter, conciliator.

Naaman lepra est traducta in Giesi, ideo non est paradoxum transplantare infirmitatem in canem. Van helm.

Coërcetur delatorum auaritia, vt non liceat tres simul reos habere, *vide minor, contrar.* non litigare, in fine.

Pupillus tenetur ex dolo tutoris, in quantum ex eo factus est locupletior l. 13. §. sed cum ff. de act. emp. Natura scilicet æquum est neminem cum alterius nocumento locupletari. l. nam hoc ff.de cond. indeb.

De vsura prohibita, *vide voluntas maioritatis, mala.*

HVMILITAS EXALTATA.

DE his qui ex humili loco ad magnas dignitates, seu ciuiles, seu Ecclesiasticas peruenerunt, vide multa exempla apud Chasseneum, in catalogo gloriæ mundi, prima parte, consider. 65.

Principibus famulatu & obsequio præstito, nobilitas acquiritur.

Ioannis Baptistæ manus quæ se dicit indignam soluere corrigiam calceamenti Christi, eleuatur super caput eius.

Passim primogenitis prælati sunt natu posteriores, vt Abel Cain, Sem Iaphet, Ioseph Ruben & Iudæ, Moyses Aaroni, Dauid fratribus suis; denique gentiles Iudæis, *vide gloria durat. R.*

Cum ex sulphure & argento viuo constent metalla, Alchymia profitetur ignobilius metallum, in nobilius transmutare quod optimum videtur si fiat, & dolo non simuletur. Vide Chassen. in catalogo gloriæ mundi, parte tertia, consideratione 40.

Vitrarij in Gallia habentur nobiles, quia ex cineribus & lapidibus, conficiunt vitrum vi ignis, opus mirabile. Ib. cons 43.

Digitized by Google

Rupes in apice montium supra mediam aëris regionem elatæ. A

In Eucharistiæ Sacramento, fit transsubstantiatio panis & vini, in corpus & sanguinem Christi. Aqua prius in vinum conuersa in Cana.

Peccator per pœnitentiam, resurgit melior quam erat ante peccatum, *vide finis minoritat.* iustificatio peccatoris.

Mulier sanguiniflua retro tangens fimbriam vestimenti Christi sanata est: per dorsum peruenit ad faciem, per vestimentum penetrauit interna, & per fimbriam, capitis tetigit summitatem, Chrysolog. serm. 35.

Zachæo qui arborem conscenderat, dicit Christus, festinans descende, quia in domo tua oportet me manere. B

Math. 11. Mulier quæ se comparat cani, exauditur à Christo.

Vnguentum Aaron descendit à vertice, vsque ad oram vestimenti eius.

Agens nobilius est patiente, inquit Aristotel. 3. de anima, text. 19. At D. Thom. 1. quæstione 79. art. 2. ad 3. dicit id verum esse, si ad idem actio & passio referantur, non autem semper si ad diuersa.

Artifex plus laudatur ex opere fictili recte fabricato, quam ex aureo, quia sola dignitas artis commendatur, ita Galen. 3. de vtilitate partium cap. 10. Idiotam sapere facit pulchritudo materię, artificem vero pulchritudo artis. C

Initio fecit Deus cælum & terram, sublimitatem cum humilitate in Christo & Maria. Card. Cusa l. 2. c. 19. *vide finis minor.*

Vide virtus minorit. virtus humilitatis.

Christus nascens, moriens, mortuus in sepulchro, Rex est, & omnium Dominus, sic enim se dicit Regem coram Pilato, testantur miracula in passione & resurrectione sua facta.

Qui agit ex recta intentione, & Dei voluntate minimis operibus, maximam impartitur dignitatem, vt dici possit illud Psalm. 38. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur. D

Vapor terrestris licet spissus, tamen magis eleuatur in aëre, & fit materia cometarum, quia corpus quo solidius est, eo fidelius seruat calorem acceptum; humidum vero aqueum, vt facilius incalescit, ita facilius dissoluitur; siccum etiam terrestre, habet majorem sympathiam cum inflammatione ignis. Albertus Magnus, libro primo, meteor. tractatu 4. c. 3.

Arbores altæ, etiam altas in imum agunt radices. *Vide concord finis cum principio.*

Herba cui nomen Hesperudi, nocte plus redolet quam interdiu, id enim tempus est illi magis accommodatum. Theoph. de causis plantarum lib. 6. c. 15.

Inferiora sunt magis susceptiua virtutis causæ superioris; plantæ plus habent virtutis quam arbores, lapides & gemmæ, quam metalla & animalia. Albertus Magnus, de mineralibus, libro secundo, capite 1. E

Honor fugientem sequitur, & de his quæ fulgent in tenebris, *vide cognitio virtutis*, *Rep.* latens virtus.

Amatores amicas suas diminutiuis nominibus appellant, vt amari magis gloriosum sit.

Cum vilia præter naturam in melius conuertuntur, vt si asinus humano capite nascatur; si dumus rosas emittat, prodigium est significans humilium hominum exaltationem Cardan. lib. de rer. variet. c. 78.

De pluribus ab infimo gradu, ad maximum dignitatis fastigium euectis. Vide Rodigin. libro 21. c. 38.

Omnis vallis implebitur, qui se humiliat exaltabitur. Luc 26.

De Chananæa se humiliante, & quod petebat obtinente, *vide voluntas veritat.* admonitiones patienter ferre.

Quo quis se humiliorem fecerit, eo magis extolletur; quomodo enim in aqua, quo magis eam infra detuleris, eo magis in altum effertur, & quo ex majori spatio fueris ejaculatus, eo magis assequeris; ita etiam in humilitate D. Chrysost. hom. 11. in epist. ad Ephes.

Vide maioritas volunt. fauor principum.

Sunt plura simplicia quæ fragrantiam quam ante in sua specie non habebant, inueniant in sinu putredinum, qualia sunt moschus, zibetta, ambarum, stercora quædam brutorum atque ligna putrentia. Van helm.

Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria Ecclesiastica sic ait; Tonsura capitis sacerdotis, & rotunda eius pilorum media sectio, vice coronæ est spineæ quam Christus gestauit, refert etiam imaginem venerandi capitis Petri Apostoli, qui cum missus esset ad prædicandum, caput ei fuit attonsum in derisionem ab infidelibus, ei Christus benedixit, infamiam in honorem, illusionem in gloriam conuertit, & posuit super caput eius coronam de lapide pretioso.

Sic homines naturæ infirmitates vertunt in gloriam, cum nuditati subueniunt superbo vestium & domorum apparatu, &c. *vide cognit. minor. R.* proprios defectus operire.

Humanitas Christi priuatur propria subsistentia, & accipit diuinam, ad nihilum redactus sum & nesciui. Psal.

Cum Iupiter in decimo loco fuerit, in trino Martis ac potens, & Sol cum capite draconis, & Luna cum corde leonis, etiam filius rustici si fuerit, exaltabitur. Card. aph sect. 3. aph. 89.

Vide princip. potest. & principium gloria, princeps dat honorem.

Exaltatio propter pulchritudinem, *vide cognitio virt.* pulchritudo.

Luna nocturna cæli lampas, tenuior quo propior soli, paria decrementis incrementa reorditur; nam primum crescendi auspicium, coram numine imminui.

Moyses dicens Deo, quid sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël, meruit audire, constitui te Dominum Pharaonis. Sicut natura non patitur vacuum quin illud repleat, sic nec gratia humilem, quin illi se infundat. Qui thesauros effodit, terram rejicit, foueam in altum facit, & sedulus insistit, donec inueniat quod quærit, sic qui thesauros sapientiæ reperire desiderat, omne pondus terrenum à se abjiciat, in se foueam humilitatis agat.

Ioannes dicit Iudæis, potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

Ante verecundiam gratia procedet. Eccl 32. formositatem enim efficiet, quam non præstabis, & si mille misceas colores.

Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

Quemadmodum ascendendo descenditur, ita descendendo ascenditur. Lucifer dejectus, è contra-

Digitized by Google

rio Dei & hominum mediator mitis & humilis corde sortitus est nomen quod est super omne nomen. Laurentius Iustinianus, in procemio fasciculi amoris.

In omni conditione fortunæ etiam humili, nasci possunt homines excellentis genij, & hi magna, ad quæ nati sunt, appetunt, & fœliciter implent, vt aër natus in visceribus terræ, vel ignis, sursum tendit & euolat.

Non est parum virum nobilem, disertum, locupletem, miscere se turbis, adhærere pauperibus; sed quanto humilior, tanto sublimior. Lucet margaritum in sordibus, & fulgor gemmæ purissimæ etiam in luto radiat, hoc est quod Dominus repromisit, glorificantes me glorificabo, etiam in hoc sæculo. D Hier. ad Pammachium.

Miratur orbis pauperem, quem huc vsque diuitem nesciebat; plus ergo accepimus quam dedimus, parua dimisimus & grandia possidemus, centuplicato fœnore Christi promissa redduntur. Ib.

Idem ad Eustochium in Epitaphio Paulę matris, de ea dicit, quanto se plus dejiciebat, tanto magis à Christo subleuabatur, latebat & non latebat; fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores.

Alexander Dario superato reperit Abdalonymum quendam longa cognatione stirpi regiæ annexum, sed ob inopiam suburbanum hortum exigua colentem stipe; cum purpura indui jussit & regionis illius dedit regimen. Q. Curtius, libro 4. Æneas Syluius ep. 105. vt sic Alexander ostenderet quantum posset.

Hæc apud Poëtas inualuit regula, vt quod vnus Deus fecerat, alter non destrueret, sed malum illatum in gloriam conuerteret vt Iuno æmula, pulchram Calisto mutauit in vrsam, Iupiter vrsam hanc posuit in cælo juxta polum Arcticum, &c. Innuebant Deum etiam infœlices syderum influxus liberos relinquere, sed illos virtutem posse in bonum conuertere, vt influxum Veneris non ad libidinem, sed in affabilitatem, Martis in fortitudinem pro iustitia; Saturni in solitudinem & contemplationem virtus commutabit, *vide maior. cogn.* pro Astrologis ex Rusbroche, *& gloria contrariet.* ex malo bonum elicere.

FORTIS ET GENEROSA humilitas.

MIhi pro minimo est vt à vobis iudicer, vel ab humano die 1. Corint. 4. Hic Apostolus non fastum docet, sed sanos indit spiritus, & rectam animi elationem, nam vt ab arrogantia remotū oportet esse Christianum, sic ab assentatione & illiberali animi dejectione, non est arrogantia pecunias & cætera mundana, vt vana sunt despicere, sed rectitudo & magnitudo animi, ad infra se posita nolentis dejici, seruorum etiam inimicorum bona, plusquam Domini sui æstimantis. Eam quæ verè est de rebus ferre sententiam, non est arrogantiæ, sed Philosophiæ, qualis fuit in Salomone cum diceret, vanitas & omnia vanitas. D. Chrysost. hom. 11. in 1. ad Cor.

Humilitas & timor Dei dat fortitudinem, *V. cognitio contrar* timor Dei.

Humilitas Christiana quomodo concordet cum fortitudine, vide quæ scripsi, mor. Christ. to. 1, p 1, c. 20. & libello, de amore Dei agente, c 13.

Quos replet charitas, erigit spe, roborat in fide, dirigit in naufragio hujus vitæ, accedit ad spiritualem certamen fidelium corda, aufert timorem, infundit amorem, vt delectabile fiat quidquid imperatur. Amanti quippe nihil difficile, nihil laboriosum est, præsentia deserit spe futurorum, temporalia damna lucrum existimat æternorum amore. Laur. Iust. l. de Monasticæ conuersatio. c. 1.

Crux docet nos cum humilitate fortitudinem & libertatem, *vide potestas virtutis*, sapiens verè liber.

Non oportet humilitatem carere constantia, & libertas Dei à nobis, in ea quam omnibus debemus seruitute retinenda est, ne ad potentium impetus terreamur, ne ad maleuolorum arbitria cedamus; oportet tunc homines apud nos nullius esse momenti Cælestia contuentem decet humanæ nequitiæ despicere momenta, & animo excelso & sublimi maleuolos tanquam nullos existimare, iuxta illud Psal. 14. ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus. D. Hilar. in Ps. 14. *V potestas verit.* veritas liberè dicenda.

Exod. 27. Tentorium tabernaculi, erat ex bysso lino candidissimo, & purpura, quæ est coloris rubri, dicitur etiam in canticis, byssus & purpura vestis illius; significabat innocentiam & humilitatem cum fortitudine. Rusbroc. de tabernaculo fœderis, c. 5.

Per donum fortitudinis, vitiosa, caduca & labentia omnia contemnimus, sic animo libero sublatis & erectis viribus, tendimus in Deum, viuidi, robusti, inuicti, insuperabiles, reges vncti. Ib. c. 30.

SALVS ET SECVRITAS EX humilitate.

CVstodiens paruulos Dominus, humiliatus sum, & liberauit me. Ps. 114.

Descendendo de monte in vallem, magis camporum & vinearum gratissimum odorem percipimus, quam ascendendo, quia ascendendo, labor efficit crebriorem respirationem, quæ impedit odorem, non relinquens odoratui tempus necessarium ad suam sensationem.

Orator vt conciliet auditoris beneuolentiam, imparem se dicat oneri suscepto, est enim naturalis fauor pro laborantibus. Quintil. Inst. orat. lib. 4. c. 1. Confundat quæ separatim non posset dissoluere; nec pertimescat breuem negligentiæ reprehensionem pro rei salute, l. 5. c 13.

Quare auxilium humilibus præstatur, *vide contrarietas virt.* inuidia.

Pater duobus filijs à pyratis captis, ægrum liberat cum non posset duos. Quint. decl. 5.

Idem decla. 6. de captiuo loquens dicit catenas macie miseri laxatas.

Filij debiles plus amantur à parentibus, *vide æqualitas volunt.* æqualis parentum amor, *& voluntas principij, amor matris.*

Plantæ minus discedunt à lege naturæ, vt naues anchoris fundatæ, & animalia vinculis constricta minus aberrant, at ipsa animalia passionibus suis relicta & homines suæ libertati, longius discedunt à lege naturali. Plutarch. l. de amore parentum erga liberos.

Vitat fulgura qui cauea & subterranea petit loca,

Digitized by Google

Vide maior. bonit. majus beneficium infirmis collatum.

Vindemiæ pedibus conculcatæ, & sub torculari, postea apponuntur mensæ regiæ.

Excellentes figuræ, non sunt semper in basi altiore positæ.

Christiani qui sunt in Insula Cypro, domos habent ex frondibus arborum contextas, ne ruina opprimantur, propter frequentes illic terræ motus, portas autem domorum exiguas, ne Turcæ equites, in illis possint hospitare.

S. Antonius videns laqueos super totam terram expansos, suspirans dixit, & quis poterit laqueos istos vitare; respondit vox de cælo, humilitas quæ non potest comprehendi. In vit. patr.

Ideo forte multi nobiles habent pro insignibus, vilia quædam, seu animata, seu inanimata, vt muscas, & cætera insecta, etiam serpentes, lacertos, stelliones, herbas, &c.

Paupertas voluntaria secura est. *V. minor. potestatis.*

Maxima est diuinarum scripturarum profunditas, in illis tamen inquit Gregorius ouis peditat non Camelus, id est plus proficiunt humiles quam elati, quia Prouerb. 11. vbi humilitas, ibi sapientia.

In Anglia cum arborum flores & fructus vi ventorum excutiantur, arbores humiles tum genere, tum arte nutriunt. Cardan. lib. de rerum varietate. c. 23.

Amara de cælo fulmine non tanguntur vt sunt ficus, vitulus marinus, hyæna. Rodigin. libro 17. c. 9.

In plerisque terrarum locis videntur spiracula, è quibus pestifer erumpit vapor, quo præfocantur despectantia omnia, præter eos quibus excisa sunt genitalia. Id. l. 19. c. 12.

Nymphis antra dicantur ob affatim distillantes aquas effluentesque. Idem, libro 28. capite 27.

In bruma cum dies sunt breuiores, mare est tranquillum, & tunc Alciones nidificant.

Actio juridica inanis dicitur, quam inopia debitoris excludit, vt habetur extra de restit. spoliat. cap. o. im.

Optima tellus obnoxia maxime est incolarum vicissitudinibus. Attica regio propter sterilitatem soli, immutabilis permanens, eosdem semper indigenas habuit. Maximus Tyrius, sermone 13. in fine.

Seruus emptitius vel vernaculus sacerdotis, poterat manducare de sanctificatis, non vero seruus mercenarius, quia non pertinet ad sacerdotem, sicut emptitius & verna, qui ideo de sua seruitute gloriam percipit, & in escis æquatur sacerdoti. Leuit. 22.

Cum Iudæi translati sunt in Babyloniam, ditiores tantum, & nobiliores translati sunt, pauperes autem & de fœce plebis relicti sunt in sua patria; sic indigentia sua, vnde nihil timebatur ab exilio immunes fuere. 4. Reg 25.

Syluestres in Septentrione homines versus polum in antris degentes ex piscatione & venatione, ab alijs non superantur in seruitutis jugum; nam fortuna parcit eis ob propriam pœnam. Olaus Mag. l. 4. c. 2.

Terræ Septentrionales securæ sunt à multis nauibus prædas agentibus, propter mare glaciale, Id. l. 11. c. 30. Sic in oriente & Perside, vrbes multæ protegunturr à desertis circumjacentibus.

A Habet hanc fœlicitatem nouissima calamitas, quod inuidiam extinguit, hoc vno inuidenda.

Nulla vita securior & tranquillior, quam quæ sub obedientia, vide quæ scripsi, l. de instit. & officiis religiosi p. 1. c. 24.

Aquila muscas non insectatur.

Mercurius minor planetarum minus quam cæteri læditur à sole, cum est sub eius radijs. Leo Hebræus, dial. 2. de amore.

A clero non remouetur is, qui imminente periculo Elephantiæ, consilio medici, execuit sibi virum, spadones enim non corripiuntur Elephantia, vide c. 5. de corpore vitiatis, & Cujac. obseru. l. 17. c. 24.

B Sæuiente maxima maris tempestate, nautæ vela contrahunt, submittunt antennas, malum nauis & funes omnes præscindunt, & se committunt irato mari, ne ipsos sorbeat. Sic hosti obsidenti qui cedit, cædem vitat.

Alexander superat Darium expectans eum in angusto loco, *vide medium dura. locus.*

CEDENDO QVÆDAM *superati.*

C SVperat vim ventorum flexilis arundo, & arborum longitudo, molli cedunt ictui ne lædantur; pili ex fuligine per poros transpirante facti sunt contra calorem & frigus externum, & ictus cæsiuos, foratiuos & contusiuos.

Athenienses vrbe hostibus tradita fugerunt ad naues, & nauali prælio maris & terræ extiterunt Domini. *Vide bonitas contrarietatis*, belli necessitas, *& bonitas contrarietatis*, fuga in aduersis.

Vide ius naturale l. 2 l. 1. § 3. Sæpe vis inim ea cedendo frangitur. Vide passim, minoritas contrarietat. injurias non vlcisci.

D Ego autem dico vobis non resistere malo. Math. 5. Nec enim ignis igne, sed aqua vtique ignis extinguitur. D. Chrysost. hom. 8. in Math.

Ecce ego mitto vos tanquam oues in medio luporum. Math. 10. Hinc maximè diuina virtus apparet, si oues luporum morsibus laceratæ, non modo non deficiant, sed lupi in naturam ouium transmutentur; plus est animum aduersariorum commutare, quam eos gladio superare. Ib. hom. 34. Cum sumus oues facilè hostes vincimus, si vero in naturam luporum transierimus, superamur, tunc enim nullum nobis à pastore patrocinium est, qui non lupos, sed oues pascit. Ib.

Deus eam tibi potestatem dedit, vt non consertione manuum, sed patientia vincas. Non exeas igitur in prælium, & vicisti; non colluseris, & coronatus es, præstantior & fortior aduersario, te dedecoras, si velut cum pari congrediaris. Ibidem hom. 85.

E Sabulum altum & vestigio cedens, vix pedes emetiuntur.

Validioris occupanda gratia, meliorem fortunam deditus, quam hostis habiturus est. Alienum habens regnum incipier, iussu ille rex, cum ipse fecerit, qui potest dare regnum & eripere. Q. Curt. l. 7.

Durum rectorum imperium cedendo vincitur, *vide minor. diff.* nouitas fugienda, *vide dura. virt.* patientia, mansuetudo.

Arbores quæ altas habent radices, cedunt ventis A inflexione, nec rumpuntur.

Vide cognitio contrarietatis. R. aduersa dissimulanda.

Illud cauendum in aduersa fortuna. Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Nam peccari potest, pertinacia, vel in virtutis certamine, vt in bello, vel in scientijs & ciuilibus contentionibus, vel contra principum odia certando. Sed imitare optimos naucleros qui in magnis procellis anchoras mittunt, aut etiam ferri se patiuntur, temporique cedunt. Cardan. de arcanis prudentiæ, capite quinto.

De pertinacia mala, *vide duratio voluntatis mala.* B

GLORIARI DE PECCATO.

DAuid agnoscens suum peccatum; dicit, Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem. Psalm. 37. Proprium est hominum prudentium ob sua peccata non se efferre, sed erubescere, stimulis conscientiam pertundere, se gerere submissius, atque humiliari. D. Basil. in d Ps. 37.

Crates, Phrynes meretriculæ effigiem Delphis positam cum vidisset, exclamauit, Græcorum id petulantiæ tropheum erectum esse. Plut. l. 2 de virtute C & fortuna Alexandri.

Refert Epictetus quod mulieres Romæ libros Platonis de Republica circumferebant, quia communes vult esse vxores, licet non id intendat, sed nouam matrimonij formam.

Impudentia, vt cæteræ res humanæ non senescit, sed tempore ipso augetur.

Quidam nomen sibi quærunt ex malè gestis. Alexander faber ærarius ex sua aduersus diuinum Paulum insania notus extitit 3. Reg. 2. Semei notus ex insolentia aduersus Dauid, dicunt hæresis Manichæorum inuentorem fuisse seruum, ad id gloriæ cupiditate adductum. Theodor. in præfatione Polyphormi.

Non valet eius confessio qui peccatum suum co- D fitetur, se iactando & gloriando de peccatis, deest enim dolor necessarius, & nouum peccatum committit. Bonac. de Pœnitentia q. 5.

Æthiopes sibi plaudunt & gloriantur de extrema sua nigredine, cum procedat ex stirpe maledicti Chus Geneb. an. m. 1657.

Tyberino Syluio Latinorum Rege submerso, ex Albula flumine Tyberis dici incipit. id. a. 3281.

Erostratus vt nobilitaretur aliquo facinore, incendit templum Dianæ Ephesiæ, qua nocte natus est Alexander. Id. a. 3785.

Si quis de populo peccauerit per ignorantiam, & agnouerit peccatum suum, offeret capram immaculatam, &c. Leu 4. Est quædam non tam ætatis, vel simplicitatis, quam infirmitatis ignorantia, E dum in hora tentationis, sic mens caligine inuoluitur, vt miro modo, id quod scit nesciat, & quod videt non videat, his remittitur peccatum; at his qui peccatis suis fauent etiam redarguti, & in eis sibi plaudunt, nullus propitiationis locus est. Vnde Psal. 56. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Rupert. in Leuit. libro 1. c. 19.

Vide duratio volunt. mala, obstinatio.

De eo qui gratulatur alienis peccatis, *vide æqualitas minor* idem reatus.

Rubigo æris est viridis & pulchra: homines gloriantur de amore impuro. Æs est metallum Veneris.

Olim conuiuis imponebantur coronæ, ad intemperantię gloriam & remedium, sic enim caluam refrigerabant contra vim vini. Suidas in voce *κατὰ κισσὸν* [illegible].

Fortuna conuitijs colitur. Plin. l. 1. c. & Martial. l. 12. ep 41.

Non est Tucca satis quod es gulosus
Et dici cupis, & cupis videri.

Cadauera aquis mersa & suffocata post tres dies enatant, quia ex pingui & aqueo mixto nascitur putredo, ex putredine calor, ex calore flatus qui inter peritoneum & omentum gignitur, vnde venter multum distentus est. Cardan. l. de rerum varietate, c. 44.

Romani retulerunt in Deos scelestissimos homines, Iulium Cæsarem qui patriam prodidit, Augustum qui proscriptiones fecit; impositos busto, fingebant in cælum euolare, dum interclusa aquila, libertati suæ relinquitur Id c. 94.

Gladium euaginauerunt peccatores, cum impudenter & absque vllo verecundiæ velamento iniquitates suas perpetrant, nec erubescunt, nec reuerentur, nec tanquam in vagina nequitiam suam abscondunt, sed superbo & elato spiritu, velut gladium denudant. Origenes, homilia secunda, in Psal. 36.

Paul. Rom. 1. enumerat gentium crimina, repletos ait homines, malitia, iniquitate, inuidia, homicidio, contentione, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, tum addit superbos, elatos, ijs qui talia agunt, assentientes.

Ars facta sunt peccata; non leuiter & temerè ea tractamus, sed adhibito studio & scientia. D. Chrys. hom. 12. in ep ad Coloss.

Non defuerunt, inquit Suetonius, qui Neronem mortuum laudarent, qui desiderarent, qui per longum tempus, vernis æstiuisque floribus tumulum eius ornarent.

Quis tam insanus, vt putet domum suam illustrari, eo quo perit incendio.

Qui gloriantur de peccato sunt omnium pessimi. *Vide infra proximè. diff. minor.*

Desperanda illius salus, quem desijt pudere malefacere.

Et mala mentis gaudia. Virgilius.

Non sic Deus auersatur peccantes, quam eos qui post peccatum securi sunt D. Chrys. ho. 6. in Math. Irascente Deo tu rides, & hinc illum magis quam peccando commoues. Ib.

Gloriari de peccato, apex malorum est, & morbus incurabilis. Nam qui lætatur rebus illicitis, non volet, nec poterit facilè liberari, cum hac voluptate viam remedij omnino absciderit. Non semper lætari bonum est; nam & fures furto lætantur, & adulter matrimonij sordibus, cæde homicida, auarus rapina; ergo si rectè lætantur, considerandum, &c. Ib. hom. 59.

Iudæi capto Christo crudelitatem suam impletur i, etiam illudunt, & velut vrbe capta solemnitatem habent. Voluptatem ex contumelia capiunt. Ibid. hom. 86.

Genes. 18. Videbo vtrum de Sodomis clamorem qui venit ad me opere compleuerint. Peccatum cum voce est culpa in actione; peccatum vero cum clamore, est culpa cum libertate & iactantia. Alcui. in Gen. inter. 79.

Tibi insanabilis animus est, & sceleribus scelera con-

contexens, & jam non causis, quæ nunquam malo defuturæ sunt, impelleris, sed satis tibi est, magna ad peccandum causa, peccare, Seneca, de ira, l.1.c.16.

Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate. Ps. 51.

Agnitio vultus eorum respondit eis, & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt, Is. 3.

CVLTVS REBVS MALIS exhibitus.

DE indignorum ad dignitates promotione, *vide virtus potest. R.*

In exemplum culpa vehementer extenditur, cum peccator honoratur, can. nemo. d 83.

In malis principibus consecrantur scelera, *vide concord potest* assimilari rectoribus in malo.

Inuidia vt excellentes deprimit, extollit minus peritos, *vide inuidia, contrar. virt.*

Ignaro apud ignaros, vt ait Plato, plus fidei habetur quam scienti.

Tertullianus in Apologetico, paganis objicit, quod Laurentiam publicum scortum colant, quod Simonem Magum, statua & inscriptione sancti Dei inaugurarint, refert Petrus Crinitus de honesta disciplina, l.8.c.1.

Amatorij libelli suauiter nocent, *V. medium minoris.* artes peccatorum ministræ.

Dij aliqui colebantur à gentilibus, quia boni erant, & alij colebantur ne nocerent. Tost Gen. fol. 57.c.2.e.

Corpus mortuum olim lauabatur, magnificè induebatur, condiebatur aromatibus.

T. Hostilius tertius Rex Romanorum, febrem, pallorem, atque timorem vt Deos coluit, ne illi nocerent in bello. Tost. exod to.1.f.158.

Iusti possunt malis hominibus dona conferre, vt redimant suam vexationem. Id. Gen.332. *V. potestas bonitatis.*

Priapus fuit vir in Hellesponto excedens cæteros magnitudine membri virilis, ob turpitudinem exilio pulsus est, processit in Greciam, vbi matronæ hac monstruositate delectatæ Deum communi consensu vocauerunt. Id. exod to 1.f.202.

Summo sacerdoti prohibitum erat vti vestibus sacerdotalibus extra sanctuarium, tamen cum illis exiuit extra vrbem obuiam Alexandro magno, qui veniebat ad destructionem Ierusalem. Id. nu. to. 2. f. 11.

Draco vorax pro Deo cultus, *Vide bonitas potest. R.* sæuitia regentium.

Lituani, sicut Ægyptij ignem colebant, eum dicebant esse animatam belluam, omnia quæ nascuntur deuorantem, & postquam deuorando fuerit expleta, vna cum ipsa re deuorata emori. Olaus Mag. l.3. c.1.

Septentrionales bibunt vasis ligneis ornatissimis quibus in superiori parte hiante magno spatio annexæ sunt coronæ quæ bibentis totum caput ambiunt & ornant. Idem lib 13.cap.27. sic coronantur ebrij.

Sunt in pretio margaritæ cum nihil aliud sint quam conchæ, interior dura & rotunda verruca, inquit Tertull. de habitu muliebri. Mari rubris grana vocat Hieronymus.

Malum est malos laudare. Deterior est malo qui

A malum laudat, quod malus solus peccat, & perturbationis causa, laudator autem nulla perturbatione, in exemplum omnium. Inde si peccet quis à te laudatus, non potes amplius citra vanitatis suspicionem illum accusare, & ille licenrior erga te, securitate fretus euadit. Cardan. de arcanis prudentiæ, c. 16.

INSOLESCIT EX PAVPERE diues.

B MVlus sæpe equis alioquin generosis gloriosior, neque enim meminit se asino patre natum. Fræno generosi equi obsequuntur, hic recalcitrat, & sessorem conatur excutere.

Nihil dissolutius seruo recens soluto, nam seruitutis impatiens, libertatis incapax est.

Insolescit ex humili loco ad dignitates & diuitias elatus, eo quod illas non debet majorum suorũ nobilitati vel laboribus, quorum fructus ad eum hæreditario jure peruenerint, sed totum quod obtinet propriæ suæ adscribit industriæ, & virtuti. Eminentem esse se iudicat & sibi plaudit ex eo quod multis illustribus origine, amicorum copia, forsitan ætate prælatus sit, itavt sola mentis suæ vi, multis æmulorum titulis præponderet. Æternum reputat

C nec obnoxium fortunæ quod possidet ex proprijs à sua non pendens familia, & ex his fœlicibus initijs auguratur se certa numinis prouidentia, ad ampliores profectus seruari. Sibi semper timet objici generis vilitatẽ, ideo ne modestior agendi modus, hanc redolere videatur, transit in excessum, & affectatam diu grauitatem, sibi naturam efficit. Ita procliues ad contemptum animos, continet vultu seueriore, moribus sepositis, ad communia non descendentibus, velut genio naturaliter supra cæterorum sortem plurimum elato. Non possessis tantum, sed possidendis amplioribus bonis, fœlici suæ fortunæ promissis intumescit, consequenda velut iam sibi quæsita numerat, nihil in posterum sibi putans impossi-

D bile; his se pascit, his impletur, & inflatur vanitatibus, sic leuia vel minimo flatu feruntur in altum. *Ex principijs.*

Apud Senec l.2.cont.1. filius pauperis non vult à diuite adoptari. Nescio, inquiebat diues esse, non est quod putes omnibus diuitias conuenire, nihil est insolentius nouitio diuite.

Timagenes sub Augusto homo fuit accidæ linguæ, & qui nimis liber erat, puto quia diu non fuerat ex captiuo cocus, ex coco lecticarius, ex lecticario vsque ad amicitiam Cæsaris fœlix, vsque eo vtramque fortunam contempsit, & in qua erat, & in qua fuerat, vt cum illi multis de causis iratus Cæsar interdixisset domo, combureret historias rerum ab illo gestarum, quasi & ipse illi ingenio suo inter-

E diceret. Id. con. r. vlt.

Caue ne fungorum quorundam instar, pediculum habeas tenuem & capitulum amplum, est enim indecens & non diuturnum, neque securum, sic qui tenuibus initijs volunt mirabiliter euchi. Card, de arcanis prudentiæ. c. 126.

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.

Digitized by Google

NEMO EX SVO DELICTO debet proficere.

NOn valet matrimonium cum ea quam quis polluit per adulterium tot.tit.de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, & Bonac de matrimonio q.3.puncto 6.

Homines in statu primo plus habuissent gratiæ, quam post peccatum, nullus enim ex peccato reportat commodum, at id contingeret si post peccatum majorem haberet gratiam. D.Th. in 2. sent.d. 29.a.3.

Hæretici non eximuntur à curialibus muneribus, indignum enim est, si propter nouissimam absurditatem putent se promereri præmia quæ solis maximis dignitatibus reseruantur, & quis non eorum erosam habeat inuerecundiam & stultitiam; si quid igitur scriptum est de curialibus, quod non confert priuilegium, hoc in his valeat & compleant corporalia & pœcuniaria munera, honore veró fruantur nullo, sed sint in turpitudine fortunæ, in qua & animam volunt esse. Iust. Imp. Nou. 45.

Serui qui sunt in fuga, nec vendi, nec donari possunt, vt à fuga serui deterreantur, cum à nullo possint celari aut recipi, nec vitare possint. l.6.c. de seruis fugit. Cujac. obs. l.17.c.10.

AVXILIVM AFFLICTIS præstitum.

M. Lepidum Romani in Ægyptum miserunt, qui tutorio nomine regnum pupilli Epiphanis administraret, quod facta pactione inter se diuisisse dicebantur. Philippus Rex Macedo, & Antiochus Syriæ. Geneb. a.m. 3905.

Vide virtus bonit. officiosa charitas.

Confirmatio fit dupliciter, vno modo per amotionem impedientium, alio modo per accumulationem adjuuantium, vel conferentium. Tostat. 3. Reg. f.15.

Apud Gothos mos erat, vt regis cum patre filius non pranderet, nisi prius à Rege gentis exteræ arma suscepisset. Olaus Mag. rer. Septent. l.8.c.6.

Similia dato signo mutuum implorant auxilium. Vide quæ scripsi, de iure natur. l.2. lege 17 § 2. Datis à patiente doloris signis auxiliantur similia. Ib. § 3. In

A *congregatione Religiosa infirmis magna charitate seruiendum, l. de institut. & officiis religiosi, p 3.c.21. Religiosus exhibeat omnibus æqualiter charitatis officia in visitandis ægrotis, pauperibus eleemosynas procurando, &c. Ib p.4.c.9.10.11.12. & libello de amore Dei agente, c 13.14.*

Manus sana languenti oculo satagit remedium adhibere, se totam exponit in ipsius obsequium, palpat, linit, medetur, & si quid aliud impertiri valet solatij, semper præsto est; nam oculi malum suum putat propter confœderationem naturæ. Hinc Christiane fratrem tuum, non carnis, non sanguinis, sed naturæ, sed communionis, sed gratiæ disce

B diligere. Laurent. Iust. l. de perfectione monastica, c. 4.

Omnibus de tuis facultatibus præsta si potes, humanitatis beneficium, si non vales saltem compassionem *V. concord. minor. compassio.*

Auxilium præstatur in procurandis auxilijs. *Vide medium bonitatis.* In componendis & sedandis dissidijs. *Vide medium concordantia*, arbiter conciliator.

Iusta est ira vt insolescentem in alium reprimamus. *Vide magn. volunt.* passionum vtilitas.

Deut 21. homicidio commisso in agro, vicina ciuitas crimen expiabit solemni sacrificio; quia potest in illam scelus transferri, quod non impediuit, &

C Ioseph. 2. de bello Iudaico, c. 20 refert Cumanum procuratorem Syriæ imputasse proximorum vicorum dominis, quod latrones persequuti, non comprehendissent. Vide Cujac. obs. l.19 c.11.

Apud Turcas ei qui vim ab altero patitur, debent omnes auxilium, vnde si quis occisus inueniatur, vicini pretium sanguinis, quod magnum est, coguntur soluere, quasi negligentes fuerint ad præstandum auxilium *V. minorit. contrar. mala. & minor. bonit.*

Corona ob ciuem seruatum. *Vide bonitas durat.* conseruationi.

Magis laborantibus, citius auxiliandum, *vide æqualitas voluntatis*, æqualis parentum amor.

Naufragantibus in locis maritimis S. R. E. auxi-

D lium præstanti præmium proposuit. Paulus 3. const. 42 §.3 p.559. to.1.

Homo præ cæteris animantibus magis afficitur misericordia, vide quæ scripsi, l. de operibus misericord p. 1. c.2.

Membra corporis Ecclesiæ mutuum sibi debent auxilium. Ib. c.8. Oppressæ innocentiæ succurrendum, p 2. c. 18.

DIFFERENTIA MINORITATIS

DIVERSA INFIRMITAS ET MALITIA.

VT stella differt à stella in claritate, sic scelus aliquod altero grauius est, & mors morte perniciosior. Sunt qui peccant in corde per consensum voluntatis, & resurgunt in corde per compunctionem facinoris, nondum isti elati sunt, nondum apparent mortui; hæc mors figurata fuit in Archisynagogi filia quam Deus suscitauit adhuc in domo iacentem. Est alia mors spiritualis, cum quis consentit in corde, & conceptum facinus consummat in opere. Hoc genus mortis filius viduæ designauit, qui extra ciuitatem elatus in feretro, à Christo est resuscitatus. Mors pessima est quæ delinquentem sub consuetudinis mole obrutum tenet, impius cum in profundum venerit, contemnit. Hanc significauit Lazarus quatriduanus in monumento, quem tamen Dominus suscitauit, vt nemo desperet venia, talis spiritualiter fuit famosa peccatrix in ciuitate. Laurent. Iustinianus, de contemptu mundi, capite 12.

De malis grauioribus, *vide maioritas minoritatis.*

Morbi sunt in triplici differentia, quidam ita parui comparatione virtutis, vt sponte sanentur; quidam ita magni, vt etiam medici auxilio iuuati ægri, tamen pereant. In his duobus medica arte opus non est. Alij autem ita modico à virtutis robore interstitio superantur, vt in his medici auxilium desideretur. Nam rectè curati sanantur, aliter aut pereunt, aut in prauas incidunt ægritudines. Cardan. meth. meden. c. 16.

Ex particulari non infertur vniuersale in dialecticis, & in moralibus vnius culpa non debet cæteris imputari. *V. durat. contrar. R.* noxa caput sequitur.

Dupliciter corrumpuntur & intereunt mista, vno modo per aduentum contrarij, sub quo consistere non potest eorum forma; alio modo per dissolutionem mistionis, vt in putrefactis contingit. Quædam pestis arbores inficit, alia animalia, illa boues, illa equos, illa homines quædam pueros, alia viros, alia senes. Quædam habent analogiam ad certa membra; lippitudo nulli nocet nisi oculis, phthisis, non oculis, quanquam delicatioribus sed pulmoni; alcopeciæ caput tantum tentant, aliæ contagiones sunt certis humoribus, aliæ spiritibus, ita vt omnia non agant in omnia, sed in certa tantum. Fracasto. l. 1. de contagione. c. 8.

Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei, peccamus enim corde, ore, opere.

Quando dicantur diuersa numero peccata, *V. veritas diff.*

Sunt aliqua peccata quæ dicuntur committi in patrem, quæ fiunt ex infirmitate, contra potentiam quæ attribuitur patri; aliqua contra filium, ex ignorantia, contra veritatem seu sapientiam, quæ attribuitur filio; aliqua contra bonitatem, quæ attribuitur Spiritui sancto, ea scilicet quæ fiunt ex malitia, vt impugnatio agnitæ veritatis, & inuidia, impediens ne gratia crescat in mundo. Card. Cusa. excit. l. 3. c. 15.

Defectus omnis est naturalis vel voluntarius.

Mali sapores & odores sunt diuersi, à sensibus percipiuntur, licet proprijs careant nominibus. Cardan. de rer. var. l. 3. c. 14.

Numer. 31. cum pugnandum fuit populo Israël contra Madianitas, multi inuenti sunt bellatores, plurimi imbelles, inter imbelles autem quidam perpetuo tales, vt senes, mulieres, pueritis vero ætas ita est imbellis, vt spem gerat aliquando fieri bellatrix. Orig. hom. 26. super num.

Quælibet ætas proprijs malis laborat, & veluti quędam Nili stagnantis & semina peruersè miscentis, exundatio, suis monstris signatur.

Diuus Augustinus lib. de fide ad Petrum dicit, geminum est creaturæ rationalis malum, vnum quod voluntariè deficit à summo bono, alterũ quo in vita punitur, ita malum diuiditur per culpam & pœnam, culpa est secundum voluntatem, pœna contra voluntatem; culpa est malum ipsius actionis, pœna autem est malum agentis. In naturalibus ex malo agentis sequitur malum actionis, sicut ex tibia curua sequitur claudicatio, in voluntarijs autem è conuerso ex malo actionis, quod est culpa sequitur malum agentis quod est pœna; sic ordinante diuina prouidentia, quærendo quod volumus, incurrimus in id quod nollemus, bonum vtile ordinatur in delectabile & honestum, sicut in finem, & sic sunt duo principalia bona, scilicet honestum & delectabile, quibus opponuntur duo mala, culpa quidem honesto, pœna vero delectabili. Diuus Thom. in quæstion. disputat. de malo, quæstione prima, a. 5.

A bono infinito aliquis auertitur actu finito, & ideo peccatum essentialiter finitum est, licet habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum. Ibidem, de peccatis, quæstione secunda, art. 9. ad 5.

Quod omnia peccata non sint æqualia, *vide medium minoritatis media, & maioritas minoritatis.*

De peccato in Patrem, in Filium, in Spiritum sanctum. *V. vol. virt. R.*

Apud Iudæos quædam immunditiæ non erant peccata, vt tangere morticina, reptilia, virum fluentem semine, leprosum, mortuum, res ad mortuum pertinentes, menstrua pati, lepram, fluere sanguine, & hujusmodi. Aliæ immunditiæ erant peccata, quia vetitæ à Deo, de quibus Leuit. 11. & Deuteronom. 14. Sicut manducare animal captum à bestia; manducare sanguinem, adipem, coire cum vxore menstruata; primo expiabantur lauando vestimenta quia externæ prohibebant ab ingressu tabernaculi, in aliarum expiatione caro lauabatur. Tost. Leuit fol. 234. Erant 45. immunditiæ quarum enumerationem, vide apud eundem, Math tom. 2. f. 302.

In peccatoribus est quadruplex gradus: nam quidam apertè peccant & de peccatis gloriantur, & isti sunt pessimi. 2. gradus est eorum qui publicè peccant, nec curant abscondere peccata, quia neminem timent, nec erubescunt, non tamen gloriantur de peccato suo. 3. est eorum qui peccant & abscondunt, vt non infamentur, & isti sunt in minimo gradu malitiæ. 4. est eorum qui peccant & abscondunt, & insuper boni haberi volunt, & sunt hypocritæ. Idem, Math. t. 4 f 130.

Homo dupliciter peccat, aut committendo mala, aut omittendo bona necessaria. Idem Math. to. 7. f. 40.

De diuersis infirmitatibus planetarum, *vide ver. minoritatis*.

Math. duodecimo. Semen perit nec fructificat seminatum iuxta viam, super lapides, inter spinas, &c. intelligamus quod non est vna perditionis via, sed multæ, inter se disiunctæ, &c. D. Chrys. hom. 45. in Math.

Vide contrarietas virtutis.

Obseruatæ sunt in corpore solari maculæ assiduo mobiles, modo plures, modo pauciores, densiores, rariores, & in diuersis disci solis partibus, aliquæ quæ à parte orientali incipientes circa occidentem euanescunt. Argolus Astrolog. libro primo. cap. 8.

SEPARARI A MALO, EIVS expulsione.

CVm initio aquæ terram operirent, eamque sterilem efficerent, dixit Deus, congregentur aquæ in locum vnum.

Canes erga dominos suos gratissimi, auersantur eorum læsores, & occisores sæpius prodiderunt. Minus grati sunt homines erga Deum, qui familiariter & amicè conuersantur, cum eius blasphematoribus. Diuus Basil. in hexamer. homilia 9.

Declina à malo, & fac bonum; fuga vitiorum, initium est bonorum Id in Ps. 1.

Saluasti me à descendentibus in lacum. Psalm. 92.

Omne quod nutritur, leue quidem & dulce trahit, sed grossum, graue, salsum, amarum rejicit. Albertus Magnus, de sensu & sensato, capite primo.

Quando dulce, cum aliter sapientibus commixtum est, natura trahit dulce, & rejicit amarum. Id. sic exterior calor in plantis & animalibus, eleuat, & attrahit subtile, & leue quod est dulce, & grossum terrestre relinquit incendendo ipsum. Ideo Poëtæ dixerunt Deos conuersantes inter duos tropicos potari nectare, quia ibi planetæ discurrentes, ex paludibus eleuant subtile, vnde dicebantur nutriri.

Spiritus in corpore, fortiter verberant, vt ingeminata percussione, diuidant alimentum viuis membris aptandum, & euentent à corruptis. Albertus Magnus, tractatu primo, de spiritu & respirat. c. 6.

De spiritu aspirato, vna pars impurior & fumosior repercutitur à corde in pulmonem, qui motu suo illam expellit in expiratione. Ib.

Plantis terra est pro ventre & stomacho, quia ex terra sugens radix, impurum dimittit, & purum attrahit, propter quod plantæ, nullum habent organum nisi poros, & sine stomacho & visceribus fit digestio in eis, juuante solis calore. Id. tr. 1. de nutrimento & nutribili.

Ad nociui expulsionem laborat sensuum mortificatio, *vide minor gloria*, & quidem continua, *vide dur. contrar.*

Omnia animalia habent aliquod membrum quo emittunt superfluitates alimenti. Id. l. 1. de animal. c. 5.

Persona ignominiosa non debet stare coram Principe. l. 4. §. ignominiæ. 2. ff. de his qui nota. inf.

Prima virtus oratoris est, vitio carere. Quint. declina à malo, & fac bonum.

Baptismus quo lauamur à peccatis, est janua Sacramentorum.

Licitum est omnibus venari nociuas bestias, lupos, apros, vrsos, leones. l. vnica cod. de venatione ferarum. l. 11.

In fine sæculi, Angeli segregant malos, de medio iustorum. Luc. 12.

Cælestis regio, cum sit latissima, non capit peccatorem, ideo prius haberi debet remissio peccatorum. Chrysol. f 83.

Aqua maris aut fluminum ventis exagitata, fit turbida arenarum & luti violenta commixtione, at reddita tranquillitate, terrea subsident quia non erant vnita, sed permixta, sic aqua ad puritatem suam redit.

Genes. primo, diuisit Deus lucem à tenebris, id est bonos Angelos à malis. Rupert. lib 1. in Genes. c. 13.

In regno Malabar, vicinisque & Sinensi, regni proximus successor debet abesse à curia, ne animos sollicitet ad seditionem. Dauity, nec ex assignatis sibi limitibus potest egredi.

Philippus 3. Rex Hispaniæ ann. 1609. exulare fecit omnes Iudæos, seu Arabes ex Hispania. *Valet illic inquisitio, vide contrar. veritatis.*

In Insulis Balearibus Majorca & Minorca, nullum nascitur animal venenatum; vt nec etiam in insulis Orcadibus Scotiæ, & in tota Ibernia. In illa natæ quercus fugant araneas.

Mens Christiani debet esse velut retiaculum, in quo vanæ cogitationes velut aqua, transeant, bonæ autem, velut pisces comprehendantur. Petrus Dam. l 4. ep. 15. in fine.

Alimentum non transit in nostram substantiam, nisi per varias digestiones separetur inutile ab vtili.

Tristitia arctat, vt expellat disconueniens vitæ, gaudium vero extendit, vt conueniens vitæ capiat. Cusa. excit. l. 8. c. 18.

A Chymica separat vtile à nociuo, quo remanente frustra quæretur temperamentum, vt vesica fellis effusa in pisce, amara semper erit esca, quidquid adjicias dulcedinis.

Hircus emissarius oneratus peccatis populi sollemni imprecatione mittitur in desertum Leuit. 16.

Quantò aliqua virtus intensius tendit in aliquid, fortius repellit omne contrarium vel repugnans.

In Calabria prope vrbem Ruscianum. Rossana est templum Virgini Mariæ dicatum, in quod si mulier intrauerit, subitò cælum micat ignibus, illa egressa, fit serenum. Dauity.

B Cum sit conueniens tempus arbores amputatione purgandi, omni tamen tempore aridæ partes detrahendæ sunt, quippe cum annexæ radicibus cæteris officiant, & vermes in arboribus creent. Theoph de causis plant. l. 6. c. 8.

Nuces & amygdalæ fiunt dulces excernendo vi naturæ in sua putamina, quidquid habent sordidi, omnemque terræ callum. Ibidem, libro sexto, capite 8.

Vide cogn bonit. discretio boni à malo.

Maris hæc est natura, vt omne immundum, stercorosumque littoribus impingat; quædam partes maris certis téporibus hoc faciunt, vt circa Massanã fimo quiddam simile profert, vnde illic stabulare solis equos fabula est. Omnis aquarum stantium

C clausarumque natura se purgat; nam in his quibus cursus est, non possunt vitia consistere, quæ secunda vis defert & exportat. Mare vero cadauera stramentaque & naufragorum reliquijs similia ex intimo trahit, nec tantum tempestate, fluctuque, sed tranquillum quoque, placidumque purgatur. Senec. l. 3. natur. quæst.

De confessione Sacramentali peccatorum, *vide cogn. minor.*

Quantum immunda diabolus in domum nostram effuderit, tantum projiciendum foris, alioquin domus sordibus replebitur.

Distillatio purgat & liberat ab imperfectis, *vide medium maior.*

D Sternutatio habita boni augurium, indicat enim vim cerebri nociua fortiter expellentis. Rodi. l. 24. c. 27.

Missa tempore sacrificij est, quando Cathecumeni foras mittuntur clamante Leuita, si quis Cathecumenus remansit, exeat foras. Isidor. origin. lib. 6. c. 19.

In domum desertam veniens plures habet sordes euerrendas.

Ostiarij sunt qui claues habent Ecclesiæ, fideles recipiunt, excommunicatos & infideles ingressu arcent, can. 1. §. ad ostiarium. d 25.

Exorcistæ sunt qui Cathecumenis & energumenis manus imponunt & solemnibus quibusdam imprecationibus & obsecrationibus dæmones fugant, à Salomone vna cum exorcizandi modo in-

E uenti. c 1 §. ad exorcistam. d 25. can cleros. §. exorcistæ d. 25. Alcuin. de diu. off. c. 34.

Math. 13. tempore messis separatur zizania à tritico, ex captis in sagena piscibus, boni separantur à malis, sic erit in consummatione sæculi, exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum.

D. Chrysost. hom. 31 in ep. ad Rom. quærentibus quis erit locus gehennæ, respondet, alicubi; quantum ego puto extra omnem hunc mundum, quemadmodum enim regum carceres & metalla porro distant, ita alicubi extra hunc orbem erit gehenna; ne quæramus vbi sit, sed quomodo eam fugiamus, &c.

Confestim concepto semine vterus claudit ostium infernum, ne quid irruat peregrini quod conceptum conturbet *V. virtus diff.*

Thomas Morus in sua Vtopia Republica dicit extra vrbem occidi debere pecora, vbi fluento sordes abluantur, ne pestem inferant ciuitati.

Scelerati grauantes Rempublicam sunt ad bellum mittendi vt terræ purgentur.

Littora ac portus maris solent arenis & sordibus sic lapsu temporis repleri, vt magno Reipublicæ damno, amplius non capiant magnas naues, expurgantur itaque rastro ferreo in aquas immisso, & vi extracto; & diuersis nauiculis id exequentibus machinam ad id exprimit Olaus Mag. ter. Septent. l. 12. c. 14.

Expelluntur intus nociua, vide quæ scripsi de iure natur l. 2. lege 15. § 3.

De reorum exilio & carcere. Ib. § 5.

Primum est declinare à malo quam facere bonum, agricola prius terram purgat sentibus, quam ei semen committat, ægrum medicus prius purgat, quam ei vires restauret, sic ad vitam spiritualem tendenti necesse est exui prauis affectibus. Laur Iust. de Monastica conuersatione c. 4.

Arcana quæ resoluendo & expellendo sanant, non nisi vires inditas in nobis expergefaciunt, quæ ablatis impedimentis quasi sub nouo vere regerminant. Van helm.

In paradiso terrestri non erant venena, quia non conueniebat, nec ad nocendum, nec ad remedium.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Ps. 6.

Vlpian. in l. quæsitum. § si domus ff. de inst. & inst. leg. instrumento domus annumerat spongias, quibus columnæ, pauimenta, podia extergun-tur.

Tempore pestis corpora mortuorum cito transferenda.

Iudæi in locis separatis à Christianorum domibus habitare debent in statu Ecclesiastico. Paul. 4. const. 3. § 1. p. 389. to. 1. prohibentur epulari, ludere, familiaritatem habere cum Christianis. Ib. § 7.

EX COMMVNICATIO.

De excommunicationis sententia. serm. Clictoueus. Greg Val. controu. sect. 6.

Math. 5. dicit, si manus tua dextera scandalizat te, abscinde eam.

Vide bonitas contrar. vis quando necessaria, ex Origene.

Math. 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines. Tales sunt qui sine iudicio, & sine ratione excommunicant quosdam, non propter peccata, sed propter aliquem zelum & contentionem prohibent intrare meliores quam sint ipsi. Origen. tract. 25. in Math.

Iesus in domo Iairi sacerdotis oraturus pro mortua filia eius, omnes ejecit foras, & tres tantum elegit secum qui fuerant testes transfigurationis, propter hoc in Ecclesijs Christi consuetudo tenuit, vt qui manifeste sunt in magnis delictis, ejiciantur ab

oratione communi, ne modicum fermentum, non A ex corde mundo orantium, totam vnitatis conspersionem corrumpat Ib. tr. 35.

Lex ciuilis dum reum addicit vltimo supplicio, non vitium de medio tollit, sed ægram animam abigit, at Ecclesia summo studio agit, non vt de nocente supplicium sumat, sed vt vitium euellat. Magistratus perinde facit, ac si morbo aliquo in capite enato, non morbum comprimat, sed caput amputet. At Ecclesia morbum truncat, atque peccantem à mysterijs sacrisque septis arcet, eundem postea excitatum, ac vitio liberatum, melioremque per pœnitentiam effectum, rursus assumit.

B Balneum est Ecclesia spirituale, non corporis spurcitiem, sed animi labes varijs pœnitentiæ modis abstergens. D. Chrysostom. hom. 15. in 2. ad Corinth.

Lucifer propriâ voluntate excæcatus, cum Angelis suis extra communionem paradisi positus, anathemate percussus est. Adam propter peccatum, extra deliciarum tranquillitatem ejectus est. Fratricida Caïn extra hominum commercium positus, profugus super terram anathematis argumentum extitit, dicit enim, Gen. 4. Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua. Hæc pœna perseuerauit apud Iudæos, vnde Ioan. 9. dicitur, condixerunt ab illa hora, vt qui confiteretur Christum, extra Synagogam fieret, & Math. 18. dicit Christus, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus; non est igitur excommunicatio nouum prælatorum inuentum vt dicunt hæretici. Etsi injustè aliquando hæc pœna decernatur, dicit Greg. hom. 26 in Euangelia, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subest, & cum injustè forsitan ligatur ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur Excommunicationis exempla passim habentur apud Baronium Horrendum fuit illud anathema, quod Theodorus Papa ad sepulchrum S. Petri accedens, de sanguine Christi ex calice distillato in atramentum, depositionem Pyrrhi, olim Monothelitarum Patriarchæ excommunicati conscripsit, ex Baron. an. 648. simile factum legimus apud Græcos in octaua Oecumenica Synodo, ad uersus Photium intrusum in Constantinopolitanam Ecclesiam Baron. a. 869 n. 5.

Si quis cum excommunicato saltem in domo simul orauerit, iste communione priuetur, can 11. Apost. Triplex est communicatio cum excommunicato, vna in crimine, altera in diuinis, tertia in humanis; prima prohibita est, quia ex se mala est, duæ posteriores malæ quia expresso iure prohibitæ. Simul autem orare prohibitum, quia simul orantes se ad inuicem in hoc officio juuant; sic bonus à malo petit auxilium. Gloss. in d. can. 11.

FVGA MALI.

Animal horret suæ speciei cadauer, vide quæ scripsi de iure naturali, l. 3 lege 17.

Macula fœtui impressa, admota manu cadaueris longa tabe extincti, omnique vitæ proprietate exuti, donec frigus partem maculatam penetrauerit, quod fit spatio vnius miserere, de cætero sponte euanescit. Van helmont. tractatu, demens idæa. Natura maculam odiosa qualitate affectam, excutit.

Sapiens fugit loca in quibus sunt prauæ consuetudines, nam eas nec valet tolerare, nec vincere.

Tres sunt hominum species, boni, quorum conuersatio semper optanda, mali semper fugiendi; alij medij, qui nec fugiendi nec sequendi.

Nulli licet orare cum illo, qui fuerit ab oratione suspensus, sic enim increpationem senioris non magni pendebit, vel dissimulanter de satisfactione & venia cogitabit. Cassian. libro secundo, capite 16.

Spiritus in corpore, cum habeat formam aëris, aliquam ex igne caliditatem, nullam tamen habet terræ proprietatem, quia terra frigida, grauis, & sicca est; per grauitatem autem repugnaret mobilitati; per frigiditatem repugnaret vitæ quam operatur, eo quod frigus cum sicco conjunctum, est mortificatiuum, per siccitatem repugnaret formarum receptioni, quas oportet spiritum vniuersaliter recipere. Albert. Mag. tract. 1. de spiritu & respiratione. c. 4.

D. Augustin. scripsit libros de ciuitate Dei, cujus ciues distinguit & separat à ciuibus ciuitatis mundi.

Primo tentamus nocens manu, pede, alio membro, vel instrumento à nobis propellere, & si non possumus, motu ab illo, & fuga nos eripimus.

Vide differentia contrar. fuga vel expulsio nociui.

C In mundi creatione, secunda die aquæ quæ sub cælos sunt congregantur in locum vnum & apparet terra fructificans, homines diuiduntur ab Angelis, sed amplior debet fieri distinctio aquarum maris à dulcibus bonorum à malis. Petrus Dam. l. 2. ep. 5. ita fiunt cæli luminaria.

Enoch translatus est à Deo, ne malitia sæculi mutaret intellectum eius. Sap. 4.

Vide gloria virtutis, & virtus diff d. solitudine, *& minor. concord.* abstractione perficitur cognitio intellectualis. *V. medium cogn.*

Quoniam genus plantarum nullam vim excrementorum egerendorum obtineat, nihil attrahit cibi, quod minus alere possit. Theophr. de causis plant. l 6. c. 14.

D Heraiscus cum impuram mulierem loquentem audiebat, statim dolebat caput, eoque argumento, eam menstruis laborare intelligebat. Suidas in verbo *ἀποδρίας*.

Orto graui periculo sanguis & spiritus confugiunt ad cor, & hinc fictum est, vt rei capite damnati partibus externis calore destitutis subito canescerent, quod multis euenit in maris & belli periculis.

Deus præcepit Noë faceret in arca diuersas mansiones & nidos, vt feris animalibus mansueta & ignaua possent sejungi. Origen. homilia secunda, in Gen.

Ideo malorum conuersatio fugienda, quia probos etiam mores inficit. *V. pot. concord.* malorum, E sicut Leu 7. qui tangit immundum, fit immundus, ita dicit Paulus, 1. Cor. 5. Non commisceamini fornicarijs, &c.

Vide virtus diff. & diff. virtutis.

Conuersatio hæreticorum fugienda vt dicitur 2. Cor. 6. Exite de medio eorum & separamini. 1. quia sunt excommunicati. 2 propter periculum, ne nos eorum conuersatio corrumpat 3 ne videamur eorũ peruersæ doctrinæ assensum aliquem præbere 4. ne ex nostra familiaritate alijs detur occasio erroris, illisque adhærendi velut nos imitantes D. Thom. quodl. 10. a. 15.

Filij tenentur recedere à parentibus ipsos sollicitantibus ad hæresim. Tostat. Math. tomo quinto, f. 168.

Vide gloria differentia, securitas ex separatione.

Paralipom. 2. cap. 18. Iosaphat jubetur recedere à societate Achab, ne cum eo pereat. Deus enim jubet seruis recedere de congregationibus malorum, ne sint participes malorum. Sic Loth cum sua familia jubetur recedere à Sodomis, Genes. 19. & viri boni admonentur fugere de Babylone, Apoc. 18. auditur vox dicens, exite de illa popule meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Tost. 2. Par. f. 137.

Fugiat Sodomam & Ægyptum qui vult saluari. Torrens rapidus periculum & calamitatem vicinis tantum affert, non his qui longe ab ipso distant; fugit laqueos auis altum tenens, vt est in Ps. 123. Cursum naturæ versatilis non possum sistere, possum autem ab illa me vindicare, libero secessu. D. Greg. Nyss. orat de virgin. c 4.

Ideo datur mali præcognitio vt fugiatur. *V. cogn. contrar.*

Luna separans se ab infortunæ corpore aut malis aspectibus, & accedens ad fortunam aut eius bonos aspectus, bona est, Cardan. aphor. sectione 2. aph. 53.

Cadauer humanum friget super omnem glaciem, non quod re vera frigidius sit cadauere vaccæ, quanquam id nostro attactu sic censeatur, contingit id solius Archæi pauore, qui contactu mortis in cadauere pauet, sentit mortem quam fortassis adhuc phantasia ignorat, pauet, retrocedit spiritus influus, insitus autem manu pauore turbatur & concidit, adeoque initium mortis sibi è pauore concipit, non inconcinne ideo sacra, vt qui mortuos tangeret, impurus & semimortuus censeatur, quandiu retinetur hæc pauoris idæa. Van helm. ortus imaginis morbosæ.

SVSPECTVM CONTVBERNIUM.

PAracelsus, lib. de Pigmeis & Salamandris, dicit, omnibus elementis inesse spiritus, qui instar hominum viuunt, aërei nobiscum, qui sumus etiam aërei, facilius conuersantur, & ejusdem habitationis occasione etiam in generationibus commiscentur, seu incubi, seu succubi. Sic aues, licet diuersæ speciei, si simul includantur, proritante venere, commiscentur, & monstra pariunt. Vnde patet cohabitationem magnum esse concupiscentiæ irritamentum, etiam inter personas, genio, & professione diuersas, *V concord diff.*

Ignem ventus, amorem consuetudo, accendit.

Per 7. dies ante Pascha, vt non licet edere, ita nec domi habere fermentatum, exod. 12. ne dum præsens est, facilius posset quis in præuaricationem labi. Rupert. l. 2. in exod. cap. 15. & Tostat. defens. f. 16.

Clericis omnis familiaritas cum mulieribus prohibetur, nisi cum matre, sorore, filia & nepte, de quibus nominibus nefas est aliud, quam natura constituit suspicari. Prohibetur etiam illis ancillas, aut libertas domi in ministerio habere. Conc. Agathense, c. 10 & Conc. Aruern. c. 16. Aurelian. III. c. 4. Aurel. V. can. 3. Turonense II. can 10 can 19 Nicæn. c. 3.

A

Ne mulier septa Monasterij introire permittatur. Conc. Tur. II c. 16.

Vt masculi in Monasterijs puellarum non nutriantur. Cap. Car M.

Maxima ruina populi in culpa sacerdotum est, vt habetur 3. Esdræ 9. Ideo sacerdotes nullam in domo sua fœminam habeant, nec matrem, nec sororem, sed auferentes omnem occasionem Satanæ Angelicam vitam ducant. Concil Metense, can. quinto.

B

Dorotheus Monachus agens curam Monasterij virginum, cellam in superiori parte conclauis fecit ædificari, vnde non erat scala qua ad ipsas descenderet. nec ipsæ ad eum ascenderet; sic muro inclusus, diu curam earum egit & rixantes admonitionibus compescuit, vitæ Patr. l. 8. c. 36.

Rarum est in homine, quod dicitur Galat 3. In Christo Iesu non est masculus & fœmina.

Clericis mulierum extranearum consortio interdicitur l. eum qui c. de Episc. & cler. quas solebant, matres, filias, sorores appellare, hæc vt Hieronymus ait, pietatis nomina, vitijs suis obtendentes; ita Diaconissis interdicitur consortio extraneorum virorum, quos sibi adoptauerint, fratrum, cognatorum loco. Cujac. in Nouel 6. de Episcop. & cler.

C

Sunt in littoribus Noruegicis voragines maris circulares & Charibdes, quæ sensim à longe aquarum fluxu nauigantes ad se trahunt, & absorbent; prudentissimi naucleri in contrarium cursu directo fuga sibi consulunt, Olaus Magnus, libro 2. c 7. trahit sexus & virtutem perimit, charibdi periculosior.

Nihil periculosius, quam cum hoste frequentia.

Occasio peccandi vitanda contempto omni temporali interesse, vide quæ scripsi de iure naturali l 3. lege 10. §. 1. Mulierum familiaritas Religioso vitanda, l. de instit & off Religiosi, p 4. c 21.

Mille ei in die peccat, qui versatur in suspecto contubernio, *vide minoritas gloriæ*, mortificatio, visus

D

Conc Trident. sess. 24 c. 1. de refor. Sancta Synodus hortatur, vt conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent.

D. Hieronym. epist. ad Nepotianum clericum, hæc ei dat præcepta, solus cum sola secreto, & absque arbitro vel teste ne sedeas. Caueto omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante deuita, crebra munuscula, blandas & dulces literulas sanctus amor non habet, mel meum, lumen meum, tales delitias & lepores, & cæteras ineptias amatorum, in sæculi hominibus ridiculas, oportet detestari in Monachis & clericis.

E

Viduæ sunt maturioris jam ætatis, quæ libertini generis adolescentibus delectantur, & filios quærunt spirituales, paulatimque pudore superato, ficta matrum nomina erumpere in licentiam maritalem.

Videas quosdam accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa à mulieribus non posse discedere, sub eodem manere tecto, ancillas juuenes habere in ministerio, & præter vocabulum nuptiarum omnia esse matrimonij. Id. ep ad Rusticum.

Digitized by Google

Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant; ancillas quæ illi in obsequio sunt tibi scias esse in insidijs, quia quanto vilior earum conditio, tanto facilior est ruina. S. Ioannes ne in domo parentum cum periculo viueret castitatis, viuebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere. Ib

Idem de suspecto contubernio. Hæc, inquit, scribo, non quod aliquid sinistri de vobis suspicer, sed ne cæteri suspicentur. Quid tibi necesse est in ea versari domo in qua necesse habes quotidie aut perire aut vincere? quis vnquam mortalium juxta viperam securos somnos capit, quæ etsi non percutiat, certè sollicitat; securius est perire non posse, quam juxta periculum non perisse, in altero tranquillitas est, in altero gubernatio, ibi gaudemus, hic euadimus. Inter illecebras voluptatum etiam ferreas mentes libido domat, quæ maiorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putat omne quod nescit. Ib.

DISTINGVI A MALIS.

CVm Manichæi, Priscillianistæ orantes ad solem orientem conuerterentur, vt ab illis fideles distinguerentur Leo 1. an. 443. prohibuit morem solitum ingredientibus basilicam B. Petri, se conuertendi ad solem orientem, cum in eodem ritu perseuerarent fideles, an. 1300. ex ea parte facta est opere musino nauis in qua videbatur Christus cum Apostolis, vt eam imaginem non ad solem viderentur orare fideles.

Olim baptismus conferebatur per trinam immersionem totius corporis, at cum inde quidam hæretici inferrent tres naturas diuinas in tribus personis, visum est D. Greg. Magno, quod in posterum vnica fieret mersio, epist. 41. ad Leandrum, talis erat Eunomius.

Can. 7. Apostolorum & alijs postea multis prohibitum est celebrare Pascha cum Iudæis, quia Ecclesia nouum Paschale festum ad leges ceremoniales paulatim abrogandas instituit, ne igitur fideles videantur participare cum Iudæis qui Dominum occiderunt, statutum vt Pascha celebretur prima Dominica post vernale æquinoctium. Gloss. in d. can. Apost.

Hæretici Saturninus, Basilides, Cherinthus, Marcion, & cæteri Deum creatorem carnis, propagationis authorem malum dicebant, ideo ne illum viderentur honorare die sabbati, in qua requieuit, carnes non edebant, & jejunabant: vt hanc per occidentales illatam injuriam vindicaret orientalis Ecclesia, prohibuit ne quis die sabbato jejunaret, sed potius illum magna cum hilaritate transigeret, ac instar diei Dominicæ celebraret. Occidentalis Ecclesia hæresi prædicta jam extincta & propulsata, non licitè tantum, sed etiam piè sabbato jejunat, vt longissimè quam potest à Iudæis sabbato epulantibus recederet: memoriam humilitatis Domini, qui die sabbati mortuus, & sepulchro inclusus jacuit, veneretur; & luctum Apostolorum ea die super Domino mortuo imitaretur. Vide Baron. ann. Chr. 57. n. 202.

Die autem Dominico, neque orientalis, neque occidentalis Ecclesia jejunat, vt hæreticos Christi resurrectionem negantes, ideoque in luctu & mœrore transigentes, retortis armis superaret. Bar. Ib. & Gloss. in can. 65. Apost.

Vide gloria diff. honorifica distinctio.

Quamuis clarus honor vilescit in turba, & apud viros bonos indignior fit ipsa dignitas, quam multi indignè possident. Vnde egregiè de Cæsare Tullius, cum quosdam, ait, ornare voluit, non illos honestauit, sed ornamenta ipsa turpauit. D. Hier. ad Pammachium.

Ecclesia tamen jejunia & virginitatem non abjicit, eo quod talia diabolus imitetur. *V. veritas virt.* ex eod.

Ritus in baptismo diuersus ab hæreticis seruandus. *V. diff. verit.*

Actiua virtus maris, non potuit esse in eodem animali cum virtute fœminis propria. *V. magnitudo diff.*

CONCOR-

CONCORDANTI MINORITATIS

ALIENIS MALIS COMPATI.

SPECTATOREM concertantium Athletarum, participem & ipsum alicujus esse contentionis oportet, vnde in studijs spectatores solebant esse nudo capite, ne viderentur desidere, sed aliqua in parte essent concertatores D. Basil. in hexam. hom. 6.

Compatimur luctu in funeribus *V. gloria concordant R.*

Aqua lapide in profundum projecto, plagam quam accepit vicinæ partes sentiunt, & exprimunt multipliciter per circulos.

Ezech. 9. signantur littera tau salutis qui gemunt super abominationes quæ fiunt in ciuitate.

Omnibus mortalibus majorem crediderim de languore venire reuerentiam, in carceribus & in illa profunda nocte pœnarum, ægris magis compatimur, inter tot destinatos, tot perituros omnium tamen in se oculos retorquet vnus æger. Quint. decla. 8.

Ideo afflicto non est danda afflictio. *V. maioritas contrar.*

Dicimus hominem dolere digito, quia totus huic parti condolet.

De carne Christi vera, liber Tertull. vera debet esse compassio.

Vnisonæ duæ si sint lyræ, vna mota, altera similiter mouebitur, quia habet eandem dispositionem, vt à similiter moto aëre moueatur. Fracasto. lib. de sympathia. c. 11.

In vigilijs Sanctorum fiunt jejunia & austeritates, quia compatimur velut ægris & laborantibus in hac vita, spe conglorificari in altera. Petrus Dam. ser. 8.

Per communicationem idiomatum seu proprietatum in Christo, immortalis dicitur mori, inuisibilis, in terris visus, impassibilis crucifixus, &c. Card. Cusa exc. l. 2. c. 14.

Concauum corporis superioris tantum est, quantum conuexum corporis contenti, & illi conformatur, vt aër & aqua corporibus in ipsis existentibus.

Optandum esset magnates omnes miseriam fuisse expertos, neque enim satis miseretur, qui nunquam fuit miser.

Cælestinus Papa ep. 1. ad Episcopos Galliæ, c. vlt. delegat Episcopis, causam Episcopi Massiliensis, qui de alterius Episcopi cæde, dicebatur gratulatus, & homicidam lætus exceperat, debuerat compati, non gaudere.

Quicumque Episcoporum tribulationem quamcumque, vel amaritudinem aut commotionem fortasse potestatis necesse habuerit tolerare, omnes

A vno cum eodem animo compatiantur, & quidquid vel dispendiorum obtentu causæ vnus susceperit, consolatio fraternæ anxietatis releuet tribulatos. Conc. Lugdun. I. 2. a. Chr. 517. Non debent tamen errantem juuare, sed admonere. *V. dur. contrar.* mora optima in vindicta.

Dicitur Prou. 18. 19. frater fratrem adjuuans exaltabitur. Vide Conc. Turo. II. c. 11. *& potest concord. vnionis.*

Si quis necessitate ineuitabili cogente in aliam prouinciam fugiat, & vxor eum sequi noluerit, ipsa eo absente alteri non poterit nubere 34 q. 1. c. si quis necessitate. At in Conc. Vermeriense Gall. c. 9. Sirmondus addit. Nam ille vir eius qui necessitate co-

B gente in alium locum fugit, si se abstinere non potest, aliam vxorem cum pœnitentia potest accipere. Contrarium videtur habere in Concil. Compendiensi can. vlt. & capitul. l. 5. c. 6. vt in absentia, nec viri, nec fœminæ accipiant conjugium.

Vide maior. contrar. afflicto non est danda afflictio.

In præsagijs natura videtur compati, *vide cognit. contrar.*

Passim in scripturis ebrietas & vini potatio sumitur pro magna delectatione. Ita Christus in vltima cœna dicit discipulis suis. Luc. 22. Non bibam de generatione vitis hujus, vsquequo bibam illud nouū vobiscum in regno patris mei, quia qui fleuit super

C Ierusalem, dolet, & timet de nobis quandiu sumus in peccato vel in eius periculis. Origen. hom. 7. in Leu. Sanctis in cælo non est perfecta lætitia, donec pro erroribus nostris dolent, & lugent nostra peccata. Ib.

Luctus mortui fiebat olim septem diebus, & septem noctibus, per tot dies & noctes amici Iob assiderunt illi.

Medici semper cum ægris querulis etiam contumeliosis conuersantur, nec curare desistunt; sic Prophetæ, sic prædicatores Orig. hom. 11 in Ezech.

Probus seruus miseretur videns inutilem filium familias malis suis moribus patri dolorem afferentem; sic populis peccantibus, & Deum in se prouocantibus compatiebantur Prophetæ. D. Chrys. hom.

D 14. in ep. ad Rom. *V. magn. vol.* zelus torquens, propter populi conuersionem, Prophetæ multa passi sunt. Heb. 11. Samuel luget Saulem. 1. Reg. 15. Moyses spernens regiam ad fratrum calamitates participandas & leuandas accurrit. Exod. 2. Daniel per dies 26. nullo cibo sumpto se macerat, vt Deum populo conciliet. Dan. 3. propter hoc Iosue vestimenta sua scidit. Iosue 7. Ezechiel lamentatur. Ezech. 26. Hieremias amare flet. Hier. 22. & Paulus dicit Coloss. 3. Induimini tanquam electi viscera misericordiæ. Duri & immisericordes, egentibus negant subsi-

Digitized by Google

m. *Vide minoritas bonitatis, mala.* A

...on te existimes dejici & decidere cum sis sum- ... propter fratrem sustinueris aliquid humile ...tum; non est enim hoc dejici & decidere, ...dere, nam qui cecidit & est dejectus, ja... resurgit, qui autem descendit, ascender... ...ulto lucro, vt Paulus qui omnibus omnia ... at. D. Chrysost. hom. 22. in 1. ad Corin...

Misereri omnibus à natura inditum est, quamuis crudelis quis sit, & sæuus, & quid mirum si erga homines hanc animi inductionem ostendamus; ferarum enim miseremur, adeo nobis redundanter indita est misericordia, vt leonis catulum aspicientes non nihil commouemur, &c. D. Chrysost. ho. 4. in ep. ad Phil. B

Olim figuræ crucis insculpebantur columbæ; quæ diu noctuque gemunt, hic enim semper circa crucem gemendum est. Casallius de ritibus Eccles.

Angeli boni tristantur de malo nostro. Isa. 33. Angeli pacis, amarè flebunt. Tostat. Math. tom. 3. fo. 56. c. 3. f.

Qui sunt in purgatorio dolent de malis proximorum suorum, si illud cognouerint. Id. nu. to. 1. fo. 203.

Math. 18. conserui videntes eum cui Dominus debitum remiserat, durè tractantem conseruum, tristantur & id deferunt Domino suo, nam charitas non gaudet super iniquitate, sed potius tristatur, quia læditur & gloria Dei, & salus proximi. Id Mat. to 5. f. 67. C

Crudelis animi est alienis malis gaudere, & non miserari communem naturam. Fortuna & casus humani sunt omnibus communes; vnicuique minantur, vnicuique impendent, esto hominibus misericors, & consequeris à Deo misericordiam. Ludi. Viues.

Efficaces lachrymæ, tacitæ oculorum voces, facundus & fœcundus humor, qui animum fortunamque, dum cadit, erigit.

Alienis malis compatiendum. Vide quæ scripsi, moral. Christ. tom. 2. p. 1. cap. 27. Sapienti licet aliquando oculos conuertere in ea quæ fiunt in mundo, tanquam in spectaculum compassionis. Ibid. par. 2. c. 9. Christo & proximo compati. l. de amore Dei patiente. c. 14. 15. D

Omnibus de tuis facultatibus præsta, si potes, humanitatis beneficium, si non vales, saltem omnibus compassionem & pietatem ostende. Hoc est sacrificium, hoc munus, quod diuitibus & pauperibus commune est. Laur. Iust. l. de perfectione Monastica. c. 4.

Ex vnico vulnere, febris totum hominem occupat.

Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Ps. 118. Pater à filio, medicus ab ægroto, sanctus ab alio passus injuriam, non tam sibi dolet, quam alteri væsano condolet, vt membrum membro. D Hilar. in d. Ps. Zain. E

Natura hominum prona est ad clementiam, & in alieno peccato sui quisque miseretur. D. Hieron. ad Pammachium de errorib. Ioan Hierosol.

Seneca l. 1. contr. 1. pro filio qui prohibente patre alium aluit, & propterea abdicato. Nulli potest interdici misericordia. Vide Senecam.

COMPASSIO NON SIT nimia.

NOn est bonus medicus, qui jacet dum ægris quos sanare debuerat; non bonus Nauclerus, qui orta tempestate, cum cæteris despondet animo, afflictis quidem compatiendum, vt affectuum similitudine promereamur eorum beneuolentiam, dolore tamen non debemus turbari, ne ad auxiliandum simus minus habiles, alteriusque mœstitiam nostra foueamus. D. Basil. hom. in martyrem Iulitam.

Primus motor est impassibilis & impartibilis, ita quidquid mouet localiter, ex hoc mouet, quod in separatione & vniuersalitate, accedit ad similitudinem primi motoris simplicis. Alb. Magn. tr. 1. de natura & origine animæ, c. 8. qui alienas passiones curat, fit ipse liber à passionibus, motus enim & fit ab immobili, & externo immobili innititur.

Anima rationalis descendit in corpus, & illud perficit per operationes vegetatiuas & sensitiuas, non tamen cum eo alteratur & corrumpitur, sed est vt nauta in naui, qui cum sit separatus à naui, & naturæ agit, & alias nobiliores habet operationes. Alb. M. lib. tr. 2. c. 2.

Quod alienum prouidentia, aut singularis error & animi ægritudo effecit, quare tuum efficis; deprimeris in profundum, si alienis malis te patiaris prægrauari. Ita multi Philosophorum, partes viri boni dicunt esse, opitulari propinquis afflictis, & jacentibus, non etiam condolescere, aut pari animi remissione fortunæ concedere; vt propria, sic aliena mala citra mentis dejectionem sunt curanda. Plutarch. l. de tranquillit. animi.

Licet radius diuinus materiali manuductione, nos ad cælestium contemplationem subleuet, manet tamen in propria singulari vnitate, cum ad vnificam contemperantiam optimè & pulchrè multiplicatur & prouenit. D. Dionys. Initio lib. de cælesti hierarchia.

Si incendium fit in ædibus, accurrunt vicini vt extinguant, in aduersis commiseratione dolorem exacuunt, & irritant ad magnam afflictionem. Plutarch. in consolatione ad vxorem.

Medici non accipiunt vulnera, nec sibi infligunt, dum illa in alio curant.

Displicet sed non torquet visio deformitatis, aut auditus inconcinnæ vocis, tactus qui est ignobilior sensuum, vt affectus est à primis qualitatibus, & immediatè maximè torquet.

Deus à foris occlusit fenestram arcæ Noë, ne nimia compassione tangeretur, videndo percuntes.

Angeli in assumptis corporibus non exercent actus vitales, ostendunt quod non faciunt, vt compatiantur hominibus.

Ignis in stipite accenso, descendit, quia sequitur materiam suam grauem, & prædominantem.

Leu. 21. Summus Sacerdos, vestimenta sua non disrumpit, scilicet in afflictione, qui mos erat apud Iudæos, & ad mortuam animam non intrabit.

Angeli non compatiuntur peccantibus & damnatis. *V. concord. princ.* conformitas humanæ voluntatis cum diuina.

Motus naturalis misericordia, non est sine aliqua compassione; vide quæ scripsi l. de misericordia operibus. p. 1. c. 5.

MALA CVM INFERIORIBVS societas.

SCio multas, clausis ad publicum foribus, non caruisse infamia seruulorum quos suspectos faciebat, aut cultus immoderatus, aut crassi corporis nitor, aut ætas apta libidini, aut ex conscientia amoris occulti, securus animi tumor, qui etiam benè dissimulatus frequenter erumpit in publicum, & conseruos, quasi seruos despicit. D.Hier. ad Saluinam de viduitate seruanda.

De conjugio cum inæqualibus & seruis. *V. concord. diff. mala.*

Nobiles fœminæ quæ nobiles habuere despectui procos, vilissimæ conditionis hominibus & seruulis copulantur, sub nomine religionis & sub vmbra continentiæ. Id. ad Gaudenti.

In regno Malabar Nobiles quos vocant Neros, per vicos incedentes non patiuntur se tangi à plebeis, sed voce & signo denuntiatur loco cedant, multo minus licet illis cum ignobilibus matrimonio jungi. Dauity in Malabar.

Sacra non patitur filium suum Isaac, ludere cum filio ancillæ.

INFIRMIS HVMANITER conformari, Et descensus superiorum ad inferiora.

CÆlum, Sol, ignis sursum sunt, & infra mittunt vires suas, terra autem, emittit semen in altum, hic enim est ordo naturæ, vt descendat quod in sublimi est, & ascendat quod in imo est. Paracels. l. 1. Sagacis Philosophiæ.

Motus animalium à sursum, deorsum & contra; ad instar cœli est motus motiuæ virtutis, quæ affixa est neruis & musculis quibus fit motus; hæc enim à sursum capitis est, exiens vsque ad vltima organa pedum deorsum, per quæ motus deambulationis perficitur. Albertus Mag. lib. 2. de motibus, animal. c. 2.

Ignis propriam sequens materiam, descendit, licet ascendat per seipsum. Ita spiritus in corpore. Idem.

In non habentibus sanguinem, eadem est via spiritus & alimenti, quia in talibus nutrimentum graue & viscosum est, ita non eleuaretur, nec in membra penetraret, nisi spiritum & calorem haberet conjuncta sibi, & interclusa in ipso In his autem quæ sanguinem habent, sunt distinctæ venæ & arteriæ, quia sanguis ex seipso calidus, aliquem etiam secum vehens spiritum satis juuatur à substrata sibi arteria Id tr. 1 de spiritu, & respirat. c. 7.

Lumen diuinum ad inferiora descendit. *V. concord. maioritatis*, societas cum excellentioribus; & vnicuique proportionatur, *vide potestas medij*, dispositionis.

Ignem inuenimus conualescere in visceribus terræ, in ventribus montium, & in terra contineri in materia cremabili, quod non conuenit alicui alij elemento: aqua enim in nulla materia nisi sit clausa in vase, extra locum suum continetur, sed neq; aër, neque terra, sed deferentes id quod conjunctum est

A eis, ruunt in præceps, & festinant ad loca sua. Ignis autem mouetur deorsum sequendo quasdam materias, donec illas cōsumpserit, habet enim vehementem actionem, qua adhæret cremabilibus inseparabiliter, & ex illis extrahit subtile homogeneum & in se conuertit; alia autem elementa non habent qualitates, per quas attrahant sibi corpora, & faciunt ea sibi homogenea, ideo fugiunt à contrarijs, ad loca sua naturalia. Alb Mag tr 2 de propriet. element. c. 11. Sic charitas compatitur infirmis, vt illos conuertat in se. Ideo sæpe inter malos boni remanent. *V. dur virt.* inter malos bonus.

Sol est medium descensus superiorum ad inferiora. *V supra medium concord.*

B Præceptor submittat se ad mensuram discentis. vt velocissimus quisque, si fortè iter cum paruulo faciat, dat manum, & gradum suum minuit, nec procedit vltra quam comes possit. Quintil Inst. orat l 2 c 3.

Trajanus Imperator dicebat, talem priuatis Imperatorem esse oportere quales priuatos sibi optat habere.

Quod nequaquam recusare inferiores debent, quo minus interdum sibi ab antistite ministretur ad exemplum Christi, qui lauit pedes discipulorum suorum. D. Basilius, regular. fusius disputatarum, c 31.

Theodoret. oration. 1. de prouidentia miratur quod Sol, Luna, cum toto illo Stellarum cœtu,
C cælo terga vertunt, & radios suos deorsum emittunt.

Math. 11. Pater videns reuertentem filium prodigum. Cecidit super collum eius, vt erigeret sic jacentem, vt amoris onere, onus tolleret peccatorum; Tollite jugum meum super vos, inquit Christus, & inuenietis requiem animabus vestris Ita filius juuatur patris onere, non grauatur, sic pater, peccanti filio, dat oscula, non flagella; delicta non videt vis amoris, & ideo pater, peccata filij, redemit osculo; clausit amplexu, ne nudaret filij crimina. Beati quorum tecta sunt peccata Chrysol. ser. 3.

Luc. 12. Christus dicit, facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesauros non deficientes in cælo. Sacculos imperat & thesauros, vt dum auarus consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à
D virtute capiatur. Verè pater es, qui cum tuis paruulis sic agis; namque & nos interdum nostris paruulis petentibus noxia, ingerimus salutaria sub specie noxiorum, fallentes insipientiam, non decipientes affectum. Id. ser. 25.

Pharisæi arguunt Christum, quod cum publicanis & peccatoribus manducaret. Venit ad conuiuium vita, vt faceret secum conuiuere morituros, ac resurrectio, vt de sepulchris surgerent, qui jacebant; venit ad humanitatem diuinitas, vt ad diuinitatem veniret humanitas: venit ad languentes medicus, inclinauit pastor bonus humeros suos, vt ouem perditam salutares reportaret ad caulas; quis communionem Dei, nisi sacrilegus spernit. Agnosce te
E peccatorem, vt tecum prandeat Christus. Intra cum peccatoribus conuiuium Domini tui, vt possis non esse peccator Id. ser. 30.

De animarum regressu. Hugo. biblioth patrum tom 9.

De conuersatione cum hæreticis, Biblioth. patr. tom. 9.

De pauperum amore, Greg. Naz. orat. 16. August. 16. ep. 138.

Nutritor pius, nisi totus fuerit redactus in partulum, nunquam paruulum perfectum, perducit in

virum, vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, gressum tardat, gestit non ambulare, sed repere, ridere simulat, timere fingit, flere mentitur, quia est in illo mendacium pietas, desipuisse prudentia est, est infirmitas virtus, sic Apost. 1. Thess. 2. factus sum paruulus in medio vestri, tanquam si nutrix foueat filios suos. Chrysol. ser 62.

Vide minor. verit. bona. hoc stultitiam non putat, qui pater est, & scit amare. Id.

Non deterretur Christus à suscitatione Lazari, quod dicatur ei, iam fœtet quatriduanus.

Luc. 15 Murmurant Iudæi, quod Christus cum publicanis & peccatoribus manducet, recipit peccatores, sed peccatores esse non sinit, quos recipit; peccator Deum non violat appropinquans, Deus peccatorem sanctificat, cum propinquat. Id. ser. 168.

Marci. 8. Venit ad cæcum Iesus, & imponit ei manus

Luc. 1. Maria pergit cum festinatione ad Elizabeth. Superior venit ad inferiorem, vt inferior adjuuetur; Maria ad Elizabeth, Christus ad Ioannem. D. Ambr.

Deus descendit ad nos, cum non possimus ad ipsum ascendere.

Reges Persarum mandata sua scribebant lingua apud tales populos quibus scribebant, recepta. Esth. 1. Dauity in Perside.

Apud nos duo elementa masculini generis ignis & aër præsident, duo fœminini generis aqua & terra subsident, & ex hoc bino conjugio, omnia generantur. Petrus Dam. Card. opusc. 23.

Olim in Creta singulis annis fiebant publica conuiuia in quibus nobiles & diuites cum plebeis indistinctè sedebant, vt sic restitueretur naturalis inter homines æqualitas. Strabo lib. 10. singulis etiam annis vna die seruis Domini ministrabant. Athe. l. 4. c. 5.

Verbum fuit vnitum carni in sepulchro, anima in inferno. Serui non sunt contemnendi, qualem cupis erga te Deum esse, talis esto ipse erga seruum tuum. Card. Cusa exc. l. 2. c 17.

Nemo debet alium spernere, quia potest ab eo & injuria & beneficio affici. *V. pot. minor. & æqualitas bonitatis.*

Vide maioritas cognitionis mala, de nimia prædicatorum curiositate, & quod debeant populo compati.

Ignis in materia terrea descendit; & sequitur motum eius, *vide voluntas minoritatis*, velle humilia.

Spiritus cælestis attrahitur à materia disposita, virtute quadam magnetica & se propagandi desiderio, vt in membris est virtus attrahendi spiritus ad inferiora, per quos tactus cum iudicio fieri solet.

Cælum quamuis immortale, contiguum tamen est mortalibus elementis.

Magni viri cum pueris lusserunt. *V. bonitas gloria*, delectationis.

Antiqui dixerunt cancrum & capricornum duas esse solis portas, per easdem animas è cælo labi & in cælum remeare, vnam dici hominum, alteram Deorum, hominibus dicari cancrum, quia per hunc fiat ad ima defluxus, Dijs vero capricornum, quia illuc postliminio cælestibus animæ restituantur sedibus. Rodig. l 15. c. 23.

Dixit Homerus in Odyssea non esse immortali Deo indecorum, mortalis hominis induere naturam, vt cæteros à malis euocet, quod & Aristo-

A teles comprobauit. Idem l 17. c. 36. in fine.

Vocalibus mutæ ad sermonem componendum, & doctis ignorantes in conuiuio iunguntur. Idem lib. 29 c. 14.

Nuptiæ cum meretrice sunt meritoriæ. *V. concor. diff.* conjugium inter diuersos.

Seruitus vnius ex contrahentibus, non impedit matrimonium, si alter eam non ignorat, cap. si quis. can. si fœminæ 29 q. 2.

Leu. 13. Sacerdos exit ad leprosum sanatum extra castra. Ita Christus dicit Ioan. 8 à Deo exiui & veni in hunc mundum. Origenes in Leuit. homilia octaua.

B Dicitur de Ioanne, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam, hinc quidam existimarunt Ioannem fuisse Angelum incarnatum, qui verbum Dominum in humanæ salutis opere præcessit. Origen in Ioan.

Sæpius videmus ignem, aërem, lucem, calorem deorsum tendere, quam terram sursum ferri.

In calice Dominico, aqua sine vino deesse non debet, ne populus qui per aquam juxta Apocalypsim significatur, à Christo separatus esse videatur. D. Cypr.

Cur anima rationalis juncta sit corpori. *V. concord. diff.*

Angeli sunt creati simul cum rebus corporeis, *vide gloria concordantia*, publica priuatis præferenda.

C Ægris quantum fieri potest indulgendum, ne repulsa pariat molestiam quæ morbum augeat, *vide magnitudo concordantia, omnibus humaniter conformari.*

Superiora plus amant inferiora vt dent, quia eorum amor fundatur in honesto; quam inferiora ament superiora vt ab illis accipiant, quia talis amor fundatur in vtili. Pater plus amat filios, quam filij patrem, vir mulierem, quam mulier virum. Leo Hebræus. dialog. 2. de amore. Cum inferiora debeant perfici à superioribus, si non perficiantur, eorum defectus imputatur aliquomodo superioribus non perficientibus, sic filiorum vitia reflectuntur in parentes, ignorantia discipulorum afficit magistrum.

D Sic anima rationalis vnitur corpori vt illud fiat, particeps rationis & diuinitatis. Ib.

DESCENSVS DEI AD HOMINES, in incarnatione Verbi.

De vnione verbi incarnati D. Thom q disput to 8.

Pro verbo incarnato. Hugo à S. Victore, tomo 3.

E Immensus rerum conditor, arctatur vtero, vlnis, gremio matris virginis, vt angustias tollat humanas humanis se dedit, atque aptauit angustijs. Chrysol. ser. 48.

De hypostatica vnione verbi, cum natura irrationali. Ioa. Picus Mirandulan. in disp Ib de descensu Christi ad inferos.

De incarnatione Verbi, in 4. parte breuiloq. Bonau. Ambros. tomo 4. Theodor. biblioth. patr. tomo 11.

Deus hominibus tantum timore notus, eos non continuit in officio, etiam tonitruis & fulguribus. Hæc enim corda mortalium quassabant, vt ruerent in idola minus seuera, amare non potest qui satis ti-

Digitized by Google

met, hinc est quod mundus perire maluit, quam timere, pauore mors ipsa leuior, videns ergo Deus mundum labefactari timore continuo, agit vt eum amore reuocet, inuitet gratia, charitate teneat, & constringat affectu, amanti autem, & desideranti, se visibilem exhibuit, nam absentia torquet amantes. Chrysol. 147 ser.

Amorem expostulat infantia; sic Christus nasci voluit, qui amari voluit, non timeri. Idem, serm. 158.

Deus tunc maximus, cum homini pusillus. Tert. adu. Marcio.

De conjunctione infiniti cum finito. *V. concord. contrar.* ex Cusa.

Incarnatio Verbi est complementum & quies creationis, nam quando creatura in ea est perfectione, quod in Deo suppositatur, completa est potentia creandi quæ est Deus, quoniam tunc non est medium inter creaturam & creatorem, & est vnio, qua nulla strictior esse potest, & hinc est quies potentiæ in seipsa; & cum sit finis est prior in intentione, & omnia facta sunt propter ipsum, licet ipse non sit prior tempore, est prior in æternitate, & etiam dignitate. Sicut cum enumeras quæ sunt in Curia Principis, post Principem filium quem habet, nominas, licet non sit natu major. Card. Cusa excit. l. 3. c. 23.

Amor diuinus, Deum in amatum transformauit, quia exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. Ib. l. 5. c. 41.

Pax est in coincidentia extremorum *Vide veritas gloria*.

Magnum pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. primo Timot. 3.

Nouus homo Christus homo Deus, noua creatura, nouum cælum, noua terra; de quo dictum, seruus meus es tu Israël, in te gloriabor. Noua Patri æterno acquisitio, vt in incarnatione exinaniuit seipsum per amorem, sic in Eucharistia.

Albertus Magnus, de lapidibus littera M. dicit à socijs suis visum apud Fridericum Imperatorem magnetem qui non traheret ferrum, sed traheretur à ferro.

Augustus Cæsar, re diuina facta percontabatur Pythiam, quis post se regnaturus esset, cui illa respondit. Puer Hebræus jubet me, Dijs beatis imperans, hanc ædem relinquere, & in orcum redire; jam abito tacitus ab aris nostris. Suidas in verbo Augustus. Ab oraculo reuersus in Capitolio Aram erexit, Romanisque litteris inscripsit, hæc ara est primogeniti Dei. Ib.

In calice altaris miscetur aqua vino, ita tamen vt plus vini sit, sic declaratur hypostasis duarum naturarum, diuinæ & humanæ in Christo. can. in calicem, de consec. d. 2.

Plurimorum Patrum est opinio Deum in creatione Adam finxisse corpus cum manibus, alijsque membris, quod filij Dei posterioribus sæculis incarnandi haberet similitudinem; ad cujus exemplar Adæ primum postea Christi formauit corpus eximium pulchritudine; sic Apostolus loquitur de primo & secundo per respectum ad illud prototypū. Bolduc de Ecclesia ante legem l. 1. c 4. & in Iob. c. 10. 8. Eugubin. in Cosmol. Ita Const. Imp. l. 1. cod. de pœn prohibet stygmata fronti inscribere, ne facies ad similitudinem cælestis pulchritudinis figurata, maculetur. Deus sub forma hominis ambulauit in paradiso. Tostat. Genes. fol. 20.

A

Paulus Ephes. 3. loquens de mysterio crucis ait, vt sciatis quæ sit longitudo, & altitudo & profundum; profundum & altitudo idem significant, nisi quod altitudo spatium de inferioribus videtur ad superiora metiri; profundum vero de superioribus incipere, & ad inferiora descendere, duplicem explicat charitatem Christi, quod ad humana descenderit & homines ad diuina sustulerit. Hoc est Ecclesiæ munus sic eleuari, vnde Moyses in descriptione arcæ quæ illam significabat loquitur tantum de eius altitudine. Orig. ho. 2. in Gen.

B

Christus verbum & homo significatur per Isaac, qui offertur non occidetur, & per arietem qui immolatur scilicet ratione carnis passibilis. Idem, hom. 8.

Anima Christi per vnionem verbi fuit beata *Vide gloria concordantia*, commodum ex societate.

Cum Deus imaginem suam repurgare statuisset, & carnem immortalitate donare, carnem induit, rem congenerem, medicamine congeneri curaturus, fit homo perfectissimus, vt homini quem confirmarat, plenam, perfectamque salutem afferret. S. Basil. seleuciæ, orat 39. Hoc modo Deus impatibilis demonstratur, quod & patibili celatus sit corpore, & quod diuinitatis impatibilitatem ostendat, vt sol fœda sine contagione contingit.

C

Ideo Dei simulachra humana efformantur effigie, *vide medium cogn* imagines piæ, *& virtus medij*, mediocritas.

De dilatione incarnationis, *vide dur. bonitas.* opportunum tempus.

In Co insula, sponsus prima die nuptiarum ducebatur in sponsæ cubiculum vestitus veste muliebri.

Vt quodlibet objectum generat sui speciem, quæ vnita sensui exteriori & interiori ducit nos ad cognitionem objecti. Sic verbum imago patris vnitū est indiuiduo rationalis naturæ, vt per illam vnionem nos reduceret ad patrem, sicut ad fontale principium & objectum. D. Bonau. itinerarij mentis in Deum. c. 2.

D

Beneuolentia causa fuit cur Deus veniret ad homines. Opus enim habebat medico natura nostra quæ laborabat; opus habebat eo qui erigeret, homo qui ceciderat; opus habebat eo qui viuificaret, qui à vita exciderat; opus habebat eo qui ad bonum reduceret, qui defluxerat à boni participatione. Egebat lucis præsentia qui in tenebris erat inclusus, quærebat redemptorem captiuus, adjutorem vinctus, liberatorem is qui jugo premebatur seruitutis; hæcne sunt parua & indigna quæ Deum moueant, vt descendat ad humanam naturam viuificandam, miserabiliter lapsam, &c. D. Greg. Nyssen. oratione catechetica, c. 15.

E

Quod magnum quidpiam & excelsum effectum sit à diuina virtute, est quodammodo secundum naturam & contentaneum, ad id autem quod est humile & abjectum descensus est quædam insignis & redundans copia potestatis. Non miramur ignem sursum ferri quod ei proprium est, sed si instar grauium corporum deorsum tendat. Ib c. 24.

Si in Deo sunt omnia, & ille est in omnibus qui naturam continet in essentia, cur mirum videtur Deum extitisse inter homines, qui ne nunc quidem creditur esse extra hominem, licet diuerso tunc modo fuerit nobis contemperatus. Ibidem, capite 25.

Vnigenitus Dei filius nostra accipiens, munificè

largitus est sua; humilitate sua immanissimi à nobis jugum excussit exactoris. Laurent. Iust. tract. arbor vitæ.

Deus verus, & verus homo in vnitate personæ temperatur, sicut nostris remedijs congruebat, vt vnus idemque Dei & hominum mediator; & posset mori ex vno, & resurgere posset ex altero. Id. l. de fide, c. 6.

Congruo sæculo facta est incarnatio verbi. Vide quæ scripsi in apologia fati vniversi, c. 6 & 9. Deus seipso mundum saluat per incarnationem verbi. Theologia natur. to. 4. p. 2 c. 2 & 3. Incarnationis conuenientias exposui. Ib. p. 3. cap. 3. Incarnatio verbi futuris potissimum sæculis prouidit. l. de misericordia Dei, parte 1. c. 4.

Miratur Propheta Baru 3. super terram visus est, & cum hominibus conuersatus. Id totius orbis nomine celebrant Angeli.

Duo in homine sunt sensus, vnus interior, & alius exterior, vterque bonum suum habet in quo reficitur. Sensus exterior reficitur in contemplatione humanitatis, sensus interior in contemplatione diuinitatis. Propterea Deus factus est homo, vt totum hominem beatificaret, & tota conuersio hominis esset ad ipsum, & tota dilectio esset in illo, cum à sensu carnis videretur per carnem, & à sensu mentis per diuinitatis contemplationem. Hoc erat totum bonum hominis, vt siue egrederetur, siue ingrederetur pascua in suo factore inueniret. D. Bonau. de 7 itinerib. ætern. itinere 6.

Infima superioribus sese accommodant. *V. magnit. concord.* omnibus conformari sub finem, hic autem contra.

FRVCTVS MORALIS EX natiuitate Christi.

Demonstratio.

BONITAS Verbum diuinum caro factum est, infans homo, & hic puer ab Angelis & Prophetis prædicatur nobis natus, non tantum quia sit pretiũ nostræ redemptionis, vt à durissima peccati seruitute liberati, nostris restitueremur natalibus, & in primam diuinæ perfectionis similitudinem, sed vt humanæ vitæ diuinis ex legibus instituendæ, fieret nobis magister & idæa principijs vt seminibus, licet exiguis quantitate, occulta virtus inest immensæ cujusdam extensionis, vnde pendet rerum, pro suæ speciei ratione conformatio congrua; facultatum, motus, actionis ad finem vsque vitæ, perennitas. Sic cum tota Christi Domini vita sit nobis propositum perfectionis exemplar; compendio tamen omnia mirabilis hæc natiuitas complectitur. Vnde velut opere suo hac in parte completo requieuit totis illis annis per obscurum elapsis ad vsque tres vltimos doctrinæ verbi, miraculis, passioni consecratos. Ex hac igitur natiuitate tentabimus, elicere quæ conferant ad totius vitæ nostræ institutionem.

MAGNITVDO. Quot sunt res creatæ, tot sunt diuinæ bonitatis in nos argumenta; laudant hæc suum creatorem, & quibus possunt nutibus prouocant gratitudinem nostram, sed per partes. At merito mysterium natiuitatis Christi sacræ scripturæ vocant magnum, quia ipsemet bonorum omnium conditor datus est humanæ naturæ, cui sic, singulisque hominibus contingit in integrum restitutio, dignitas eminentior, jus quo fiant diuinorum participes. Stupendum est quod donũ hoc immensum exiguis ad contemptum, vsque titulis & indicijs se profert. Ita generali documento carpit humanam vanitatem internis externa præferre solitam, dum apparatu splendido fucum facit oculis, minusque cupit esse quam videri, de hoc autem verbo incarnato dicitur, erit fructus terræ sublimis. Is. 4.

DVRATIO. Christus Dominus, corporis organis ab instanti conceptionis optimè conformatis, anima virtutibus, scientijs omnibus perfectissimè dotata, nascitur tamen puer, & crescit per solitos naturæ gradus ad ætatem vsque virilem; exemplo suo compescens præcoces, & immaturos ingeniorum fructus, suo publicoque periculo temerè se proferentes. *V. dur. cogn. & durat. virt.* Æternus factus est temporalis, primò cum æternas rerum idæas, eduxit in existentiam fluxui temporis expositam. 2. cum assumpsit naturam humanam, eamque voluit, prius esse passibilem, quam gloriæ dotibus insignem efficeret. In contrarium humana vanitas sæpius lingua mentem, actionibus consilia, præmijs labores præcurrit, nec tempori, nec iustitiæ seruiens, frustra suis operibus sperat æternitatem.

POTESTAS Christum regem efficit verbi diuini suppositum, singularis & primogenita naturæ suæ præcellentia. Nascenti rerum Domino, Reges, ipsique sapientes, dona ferunt, præstant homagium; in cæteris cum haberet omnem creaturam spiritualem & corpoream in procinctu positam, vt juri suo regio rebelles subjiceret aut contereret; nusquã tamen egit vt rex & Dominus, sed abjecta ciuili potestate, eã occupantibus cessit & humilis ipse paruit, & suos parere jussit. Hinc justè metuãt dominantes ne periclitentur extra viam, quam non tenuit Christus; dignitates autem exemplo suo repudiantibus magna securitas & consolatio. Nascitur Christus sole materiali foueam & imum cæli tenente, humanis oculis, sic tectam ostendens diuinitatem suam, sibi tamen & cælestibus infinite semper fulgentem cum ab ea nihil detraxerit nostris infirmitatibus compatiens humilitas.

COGNITIO. Christus æterna sapientia velut intelligendi, loquendique non haberet facultatem, cæterorum infantium more loquitur vagitibus, & iisdem nunc in infantibus expositis, vt ad eos colligendos humanam excitet misericordiam; puer humana diuinaque sæculorum ordinem mente versans, videtur ignarus rerum, quia nondum tempus eius aduenerat, commendauit opportunum silentium in juuenibus, quorum est discere non docere; in cæteris vbi nondum spes affulget optata consequendi, sermoque mentes intempestiue præmonitas efficere posset contumaces. Sapiens multa videt & audit, sed ex occasione tantum profutura loquitur. Magnum est inter mundanos tumultus, inter contraria rerum agendarum consilia mentem silentem, tranquillam, sibi conciliatam & gaudentem sedere mortalium arbitram.

VOLVNTAS. Tot amoris transformationes, & cælestium ad homines sub humana specie descensus, fuerunt hujus tanti mysterij quædam adumbrationes indigenæ quidem, quia furore Poëtico, & dæmonum illudentium inuidia, dolisque fabricatæ. Puer recens amoris diuini partus, amoris tantum capax, solo viuens amore, Deum tegit amantissimum nostri, conciliari facilem, à nobis tamen amore vigilantissimo colendum, ne sibimet æternus, nobis negligentibus deficiat.

VIRTVS. Non hic eminẽt actus prudentiæ, iustitiæ

temperantiæ, sola se profert in hyemis, in intépestæ noctis, in stabuli, fœni, præsepis, durè delicatum corpus excipientis, patientia, ne putes aduersitatum nos varijs ex causis exagitantium tolerantiam esse sine præmio. Patientia totam vitæ Christi seriem, humanæ redemptioni & instructioni fortiter impendendam, hac oblatione primitiua consecrauit.

Veritas. Nascens Christus diuinitatem suam, perfectionis omnimodæ dotes abscondit, humanitatis autem suæ palam protulit infirmitates; disciplina contraria moribus mundanorum, qui defectus suos varijs adhibitis artibus abscondunt, bonas si quæ sint qualitates, vt plus appareant splendidè vestiunt, & sæpè mutuatis virtutum coloribus mentiuntur. Vanitas hæc præstigiatrix dæmonem imitatur, hu... tas Christum. *V. cogn. virt. R.* latens virtus.

Gloria. Gloriam in excelsis, pacem hominibus hujus natiuitatis præcones Angeli denuntiant, velut cantico sublimem humilitatis sortem exponentes; nam si Christum factis & præceptis magistrum sequamur, efficiamurque sicut paruuli, id est vacui passionibus, diuino tantum amore pleni, fœlix ille status est in quo nobis Deus beatifica dulcedine blanditur, jacentes miraculis eleuat, opus suum perficit celebri magnificentia, vbi tota concidit humana præsumptio. *Vide gloria minoris* humilitas exaltata.

Differentia. Nascitur Christus procul à ciuitatis & hospitiorum tumultu, docetque solitudinem elementum esse formandæ virtuti vt quietum, ita propitium. Sic natura, in remotis secretisque locis pretiosa perficit & seruat.

Concordantia. Qui conceptus de Spiritu sancto, ingenti præ cæteris charitate flagrans, implere debebat opus redemptionis humanæ non est dedignatus onera naturæ communia, qui se grauioribus exponebat: pietati liceat ad sublimiores gradus contendere, dum tamen absit fastus qui communia cæteris contemnit. In Religiosa potissimum societate singulis lex est posita, cum reliquo corpore simul moueri, eadem ire via, passu, quantum fieri potest simili, virtus hæc, quia communis, citra præsumptionis periculum potest apparere, singularis lateat.

Contrarietas. Redemptoris natiuitatē hymnis cælestibus Angeli celebrant, pastores ab ipsis edocti, Reges cælo ducente humiliter adorant; Iudex tamen tyrannus timet, dolis primum, vt tandem immanique crudelitate furens insectatur, ita bonis quibuscumque nascentibus abortum inferre tentat malitia. Sed irrita manet contra Dei consilium iniquitas; fremant licet populi, magnates, conjuratæ sacerdotum turmæ, saluus Christus fulgebit miraculis, mundum sua purgabit, illuminabit doctrina, & cum ei placuerit, suo redimet sanguine; si diuinum, si profuturum est quod aggrederis opus, suos patietur hostes, sed eorum, Deo protegente vis irrita, in tuam cedet gloriam.

Principium. Ergo proponuntur nobis, infantia, paupertas, solitudo, nox, infirmitas, externis etiam hostibus pulsata, velut Christianæ perfectionis fundamentum; Radicis amaræ fructus sunt dulces, susceptos sub initijs labores, excipiet fortior in aduersis tolerandis habitus, & tolerantiam beata coronabit æternitas.

Medium. In præsepio jacet Christus inter duo animalia quorum vnum mundum, aliud immundum, vtriusque halitu calidiore, frigidum aërem temperante. Sic cruci fuit affixus inter duos latrones, quorum vnus pœnitens, alter blasphemus, talis est vitæ nostræ sors vt transigi debeat inter bonos & malos, quorum mixtione vix vlla vacat societas. Experitur etiam quilibet in se hanc indigestam boni malique mixturam in corporis & animæ, passionum & rationis, insidiantis & custodientis Angeli contrarijs inter se motibus; at gratiæ cælestis beneficio, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, fitque maximus ex ipsa tentatione prouentus.

Finis. Æterna futura est verbi diuini cum humanitate quam assumpsit conjunctio, vtinam talis esset cum mentibus nostris, quoties in illis per fidem & charitatem nascitur Christus. A supposito diuino, vnde splendet, nunquam diuortit assumpta semel humanitas, at oblita fœlicitatis suæ mens humana peruersis amoribus sacrum cum verbo connubium sæpè dissoluit, sed pœniteat, iterum restituetur.

Maioritas. Mirari licet puerum in summa paupertate nascentem, commouere cælestem militiam, in suas laudes effusam, & simul tyrannos & dæmones velut excidio sibi denuntiato conturbasse, hinc apparet res ex sensibus, & volgi opinione non æstimandas, contemptibilia elegit Deus, vt confundat fortia. Quis putasset à cunis pueri humiliter in stabulo nascentis pendere mundi totius in legibus, moribus, imperijs, religione mutationem Nulla, ne minima quidem res mihi videtur contemnenda, quæ potest esse in manu Dei ad maxima commouenda, validum instrumentum.

Æqualitas. Christus puer modo nobis æquali, vagit, lactatur, crescit, incipit viam ad cælum passu nobis simili, sequamur præcedentem in silentio, patientia, solitudine, donec diuina vis nos euocet ad externa charitatis officia.

Minoritas. Fœlix infantia cujus innocentiam, mentem [illegible] sanctum est. Sol mundanus [illegible] regitur, cum diuinus illuxerit, docens rationem humanam [illegible] veritati subjiciendam, Virgo mater Christum infantem lactabat & fouebat; & nos mater Ecclesia, cui subjici summa conscientiæ securitas. Hæc meditatus scripsi die natalis Domini, anno 1651.

CONTRARIETAS MINORITATIS.

VINDICTA PVBLICA MALORVM.

IN Islandia & terra glaciali Noruegiæ, lex est, vt quicumque noxiam bestiam occiderit, à fisco, vel regio præfecto, juxta crudelitatem occisi cadaueris, & præsentati, constitutum percipiat emolumentum. Olaus Mag. de reb. Sept. l. 4. c. 15.

In mari Noruegico sunt Nereides seu homines marini, si vnus ex illis à piscatoribus capiatur, & non subito liber emittatur, adeo sæua tempestas exurgit, cum horrido planctu eius generis hominum, & aliorum monstrorum, vt cælum ruere videatur, piscatoresque vix possint vitæ suæ consulere. Ib. l. 1. in præfatione, vindicant similibus illatam injuriam.

Post diluuium suffocatis flagitijs, orbis respirauit.

Iosaphat rex constituit optimos judices Æaco similes, peccanti attentos non peccanti, quibus tam leue aurum, vt recti lances non flectat; tam graue ferrum, vt à recto deflectentes proterat, ciuium quippe securitas est securis.

Non stabit Respublica, nisi crimina publicè vindicentur. Vide quæ scripsi, mor. Christ. to. 3 parte 1. cap. 26 & iuris naturalis, l. 1. lege 11. § 3. & lib. 2 lege 15. § 3.

Pœnas temporales meretur peccator. l. de miser. Dei p. 2. c. 3.

Gen. 49. sic Iacob benedicit filium Dan, fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, &c. vt scilicet malorum viam obstruat.

Tam interest Reip. mala puniri, vt quædam etiam inuoluntaria coërceantur: vt is qui per ignorantiam aut casum lapides finales, seu terminos agrorum abstulerit, verberibus coërcetur, est enim quædam culpa in ignorantia. l. 2. ff. de term. mot. qui ædes aut struem frumenti combussit casu quodam, non consulta opera, datur in eum actio in duplum, & si non sit soluendo extra ordinem coërcetur. l. qui ædes ff. de ince. & rui. Exod. 22. qui hominem casu occidit, impunè potest à propinquis eius occidi, nisi confugiat exilio voluntario ad ciuitates refugij. Exod. 22. & is etiam cui telum manu fugit, & hominem occidit, non manet impunitus sine gratia principis. Cujac. obs. l. 19. c. 10.

Non est quod existimes eum qui tantum ausus est, venia posse mutari. Scit eos qui misericordiam consumpserunt, amplius sperare non posse. Q. Curt. l. 6.

Vindicta publica, vim vi repellit. *V. pot. contrar. & æqualitas contr. r. & magnit. contrar.* multorum oppugnatio.

Contrariantur vitijs & peccatis, quæcumque promouent virtutes, *vide princip. & medium virtutis.*

Publicè interest malos puniri, quia ob vnius peccatum, sæpè tota gens à Deo castigatur. *V. gloria concord. R.* onera societatis.

Orator non exhorreat nomen accusatoris, nam & leges ipsæ nihil valent, nisi actoris idonea voce munitæ, & si pœnas scelerum expetere nefas est, propè est vt scelera ipsa permissa sint, & licentiam malis dare contra bonos est; quare neque sociorum querelas, nec amici, aut propinqui necem, nec erupturas in Rempublicam conspirationes inultas patietur orator, non pœnæ nocentium cupidus, sed emendandi vitia, corrigendique mores, nam qui traduci ad meliora non possunt, solo metu continentur. Itaque vt accusatoriam vitam viuere, & ad deferendos reos præmio duci, proximum latrocinio est, ita pestem intestinam propulsare, cum propugnatoribus patriæ, comparandum. Hoc officio functi sunt principes Reipublicæ viri, quia nec odisse improbos, nec simultates prouocare, nisi ex fiducia bonæ mentis videbantur. Quint. Inst. orat. l. 12. c. 7.

Vindicta publica necessaria, ne liceat vnicuique se vindicare, *vide voluntas bonit.* nimius sui amor.

Honorandus certe est qui nihil injuriatur. Qui vero nec alios id facere patitur, duplici honore, imò etiam magis est honorandus; ille enim vni, hic multis hominibus comparatur injuriam simul cum principibus & Magistrat. vlciscens Plat. 5. de legibus.

Qui punit injustos, reliquis fieri injuriam prohibet.

Decet magis vitia puniri, quam virtutes munerari, quia qui virtutem sequitur officio suo fungitur, facit quod debet, vt qui reddit depositum.

Qui cum ratione castigare vult, ille non præteriti causa criminis pœnam sumit, nec enim, quod factum est, infectum reddet: sed futuri gratia ne denuo delinquat, vel hic ipse, vel alius, qui castigari ipsum viderit. Plato in Protagora.

De coërcitione improborum. Petri Dam. libro 2.

De pœna peccati mortalis, disp. Ioa. Pici Mirandul.

Petrus Dam. hortatur Greg. VI. summum Pontificem, vt Pisaurensem Pseudoepiscopum abdicet. ep. 1.

Etiam subditi possunt agere contra superiores delinquentes, *vide contr. potest.*

Deut.

Deuter.28. pronuntiantur maledictiones contra eos qui legem non obseruauerint.

Accusator criminis etiam capitalis est immunis à sanguine, quia absolutio, aut condemnatio fit per Iudices, inquisitores, & legum authoritate 23. q. 4. can illud etiam sciendum.

Apud Delphos fuit vsurpatum, vt cultro quo Dijs immolabant, de nocentibus supplicium sumerent. Alex.ab Alexandro l.4 c.17.

Cum homo Atheniensis extra Atticam pejerat, & ij apud quos cædes perpetrata erat facinoris suspectum non dedebant, lege permissum erat, tres illius vrbis ciues perducere Athenas, cædis pœnas daturos. Demosthenes in oratione, contra Aristocratem. Citatur à Suida in verbo ἀνδρολη...

Pecunia promissa occisori alicujus proscripti in ara collocabatur. Id.

Inter Angelos, potestates sunt, quibus virtutes aduersæ subjectæ sunt, coërcent enim malos spiritus ne plurimum mundo noceant, Isidor. origin. lib 7. c. 5.

Terra diuinitus mouetur, vt oneri sibi existentes peccatores excutiat, & homines terreni, cœlestia monita non capientes, saltem terræ vocem audiant.

Factæ sunt leges vt earum metu humana coërceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur nocendi facultas. Isidor. orig. l. 5. c. 20.

Medicus vni membro non parcit, vt omnibus parcat, perit latro vt vniuerso populo prouideatur. Ignis æternus, gehenna, & tenebræ præparantur, non tam ob eum qui puniendus est, quam propter vniuersos homines. Orig. hom. 9. in Hierem.

Accusare vitia, officium est bonorum, & si hoc faciunt mali partes agunt bonorum. Tost. in Math. to. 5. f 43 c. 4. b.

Ciconiæ Ægyptiæ sacræ vocantur, quia in serpentes magnam faciunt stragem. Idem, in Gen. f. 40. c. 3 I.

Destructio Ierusalem fuit pœna pro sanguine omnium justorum. Idem, Math. tomo 6. fol. 250. c. 1. a.

Ira per zelum est licita & meritoria, & qui non irascitur peccanti, peccat, & non habet zelum animarum, neque fraternam charitatem, & ista ira est maximè necessaria in prælatis exemplo Christi,

A dum ejecit ementes & vendentes de templo. Idem, Math. to 2. f. 130.

Vide bonitas & potestas contrar. bona, minor. contrar. mala.

Si aliquis iudex occideretur, quia nollet absoluere impium, qui secundum legem impius est, esset martyr, Id. Math. to. 4. f. 80.

Parcere peccanti quoad rancorem semper fuit licitum, non tamen quantum ad pœnam taxatam à lege vel à Deo. Id. Math. to. 5. f. 98.

B
INFIRMA OPPVGNANTVR.

IN partem debiliorem peccantes humores confluunt, adolescentes, pupilli, mulieres, ætas omnis infirma est insidijs opportuna. Peccatores tetenderunt arcum suum, vt dejiciant inopem & pauperem, Ps. 36. pauper enim non potest sufferre minas, nec se redimere à vexatione. Origen. hom 2. in fine, in Psal. 36.

Iusta quia sunt debilia solent oppugnari. *V. contrar. prim. minor.* Absentes qui se non possunt deffendere, impetat calumnia.

C Infirma patiuntur à potentioribus, *Vide maioritas potestatis.*

Omni rei suum tempus est, Eccl. 3. Tempus proditorum veritatis proprium hoc est, quando non sunt circa Christum multi fideles. Iudas tradit Christum sine turbis. Origen. tr 35 in Math.

Vide minoritas potestatis. defectus potestatis malus.

Torua Leæna lupum sequitur, lupus ipse capellã,
Florentem Cythisum sequitur lasciua capella.
Virgil. Eglo. 2.

Diabolus tentat hominem per Euam, quam nouerat esse debiliorem, Tost Gen. f. 165.

D Res spirituales possunt agere in corporales, non contra, Idem Exod. tomo 1. fol. 285. V. *potestas cognitionis.*

Fortiora preualent infirmis, vide quæ scripsi de iure natur. l. 2 lege 12.

Ideo prohibita alienatio vel cessio nominum, iudicij mutandi causa facta; quia cujusque interest duriorem aduersarium non habere, tot. tit. ff. de alien. iud. mut ca facta, & Cujac. obs. l. 10. c. 3.

Digitized by Google

PRINCIPIVM MINORITATIS.

CAVSA MALI DEFECTVS ET CORRVPTIONIS.

VIDE *principium contrarietatis.*

Imaginatio & luxus, sunt causæ monstrorum, Paracelſ.

Causæ senij, corruptionis, & tandem mortis in corporibus, sunt 1. ex alimentis ingestis, quæ extraneis suis qualitatibus sensim & successiue confundunt & hebetant, complexionem membrorum, 2. quia constant ex contrarijs, quæ pugna sua soluunt temperamentum, 3. calor aëris circumdantis, quo educitur humidum, & cum ipso calidum, 4. quia si viuens quiescat, inualescit frigus, inspissatur humidum, & extinguitur vita cum calido; si mouetur ex motu frequenti accenditur calor, qui cum externo humidum educit, & consumit, 5. quia motus animales, sicut imaginari, sentire cogitare & hujusmodi, distrahunt spiritus & calorem, vnde fit senium, Alb. Mag. tract. 2. c. 2. de juuentute & senectute; denique quia motus cælorum, tempusque facit distare generatum à suis principijs, calido scilicet & humido. Ib.

Corruptio procedit à contrarijs, ex quibus aliquid componitur.

Vide dur. contrar. Ira non placabilis. Ideo anima humana est incorruptibilis, quia non componitur ex contrarijs, Albert. Mag. tract. 2. de morte & vita c. 3.

Aër corrumpitur aut ab inferioribus, vt à venenatis animalibus, cadauere, cloacis, stagnis, &c. aut à superiori aliquo corpore corrumpente ipsum, vt conjunctio Iouis & Martis in gemini signo aëreo facit ventos pestilentes: aër autem corruptus cum immediatè & non alteratus, transeat ad cor & pulmones, citius inficit, quam cibus, Id. l. 2. de propriet. elem. tr. 2. c. 2.

Cum duæ infortunæ conjunguntur & Luna Saturno in latitudine, erit fames & mortalitas. Si vero Marti, mutabuntur regna, & erit magna sanguinis effusio, & prælia in loco qui significabitur ab ipso signo, Almanſ. prop. 132.

De origine humanæ mortis, Iulian. l. procogn. bibl. patr. to. 9.

Luc. 11. Paterfamilias seminauit bonum semen, Inimicus homo, superseminauit zizania, ita sator mundi rerum principia bona seuit, nec vllum malum ab originis processit authore; vidit quæ fecerat, & erant valde bona, ab inimico superseminatum est malum, Chrysol. ser. 96.

Contagio procedit aut à contactu, qualis est in fructibus, aut à fomite, velut in vestibus, quæ inde non corruptæ, inficiunt tamen alios; denique ad distans etiam transfertur contagio, vt pestilentis febris, phtysis, &c. Vide Fracastor. de contagione, l. 1. c. 2.

Causa contagionis vt potest esse externa, sic & à

A nobis potest procedere, quia in nobis fiunt corruptiones vt patet in scabie, phthisi, febribus quæ vocantur pestilentes, procedunt ab obstructione, plenitudine, humorum prauitate.

Puniendus est vt homicida, qui seruos suos vendit idololatris ad immolandum. Gregor. III. Papæ, ad Bonifacium Episc. Concil. Galliæ, to. 1. an. 738.

Vide principium differ. causæ transmutationis rerum.

Corruptibile dicitur aliquid, per hoc quod inest ei potentia ad non esse.

Accidens corrumpitur per alterationem, vt contrarium à suo contrario vt frigus à calido: per absentiam agentis conseruatiui, vt lumen in aëre desinit

B recedente sole, denique per corruptionem subjecti, vt pulchritudo homine mortuo; aut termini, vt similitudo desinit perempto simili.

Vinum vetustate fit amarum, tandem acidum, quia circumfusus aër absumit, id quod erat tenue, & idoneum potui, Theophr. de causis plantarum, libro 6. cap. 10. *Vide finis concordantia, & minorit. finis.*

Vnde fit vt ejusdem speciei quædam indiuidua sint minoris virtutis. *V. diff. virt.*

Facilè putrescunt quæ abundant humido aqueo, aër etiam interius conjunctus externo, perpetuo mouetur, & mouendo diuidit, & diuidendo partes separat atque corrumpit, quod si aër calidus sit, eo

C tenuior est, majoreque copia & impetu ingreditur, & ob id corrumpit, Cardan. lib de rerum varietate, c. 16.

Deus malum non facit, sed illo vtitur in bonum, *Vide virtus medij, Rep.* quando licet vti malo medio.

Calor natiuus perditur, vel defectu alimenti vt ignis ipse, vel quia extinguitur à frigore, vel quia exhalat laxatis poris, vel quia extrorsum dum mouetur ab externis causis patitur, vel dum introrsum à copiosa materia in qua auctus putrescit, vel suffocato spiritu crassescit, vt in timoribus, & lætitia, & hicterico morbo, *V. contrar. volunt.*

Potest dici quod ea quæ de corporibus animalium maximè mortuorum nascuntur, cum animali-

D bus creata non fuerint, nisi potentialiter & materialiter, Magister sent. l. 2. d. 15.

Vt ex incude resilientes fauillæ, ex camino ipsa fuligo, aut alia alterius rei affectio, quæ necessario addicta est operæ; sic artem vitæ culpare non debemus quod in eam mala quædam incidant, materiæ, non animi vitio, &c. Maxi. Tyr. ser. 26. Malignitas igitur ipsa duplex est, aut enim est affectio materiæ, aut animi licenter, quo ad materiam aliud est quod ex igne ars intendit ex professo; aliud quod operæ negotio consequens est, vt scintillæ, fuligo, &c.

Digitized by Google

Cum Dominus geniturae retrogradus est in natiuitate, & vtroque modo cadens, natus erit dejecti animi, imbecillis ac nihil perficiens, Card. aph. sect. 5. aph. 30.

Luna praesidens humidis videtur corruptionis parens. Saepè modicum vulnus, fit immedicabile si fuerit inflictum Luna existente in signo illi dominanti. Sub linea aequinoctij cito putrent omnia, non quidem ob caloris excessum, qui alibi major & constantior est, at ob Lunae continuam propinquitatem & teretem globi figuram. Si cadauer, Luna plena sub eius radijs pernoctarit, sequenti mane putredine deffluit; si Luna super vulnus splenduerit, mox labra liuescunt ac sanitati resistunt; si rana sub plenilunio, vigente borea & atrocissimo frigore effodiatur, abluatur, & baculo alligetur in agro, sequenti mane reperitur alba quaedam, ac transparens mucilago, liquatum tragacantum referens & figuram ranae. Paracelsus vocat aenigmaticè gluten de aquatico & plurimum valet in cancri medela; igitur vt Sol prouocat fluxum seminum ad terminum vitae vltimae, sic Luna trahit in aduersum ad materiam rei primam. Van helm tract. ortus formarum.

Ordo supponit vt suprema, sic infima & deficientia. *V. bon minor. & concord. diff. ordo.*

ORIGO PECCATI.

A Libertate voluntatis, peccatum prorepsit, tam in Angelum quam in hominem. Vide D. Basil hom quod Deus non sit author mali.

Vbi magna siccitas est regionis, & aëris, vnctuosae arbores, vt pinus & abies in seipsas ventis exagitatae, concipiunt flammas, eo maximè tempore quo non abundant superfluo humido extinguente. Alb. M. tr. 1 de propriet. element. c. 2

De peccatorum radicibus Alb. tom. 18.

De peccati causa D Th. q 3 de malo.

Plures assignari possunt causae peccati 1. fomes concupiscentiae, de quo Iacob. 5. 2. malitia, certa scientia, & plena libertas, juxta illud Iob. 34. qui quasi de industria recesserunt à Deo. 3. daemonum suggestiones. 4. ob ecta sensibilia concupiscentiam irritantia. 5 ignorantia vincibilis. 6. peccatorum connexio, *vide durat. minor.* 7. superbia auaritia, & alia peccata quae dicuntur capitalia, *vide contrariet. virtutis.*

A Deo sunt omnes potestates, quāuis ab illo non sint omnium voluntates. Sicut omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum: malae quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quae ab illo est. D. Aug l. 5 de ciu. Dei, c. 8. 9 & l. de spir. & littera. c. 31. & in Ps. 104 probat Deum non esse authorem peccati. Vnde Ioa 1. ep. c. 4 charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.

Si, vt asserunt Caluinistae, Deus esset author peccati, & ad illud homines praedestinaret, impelleret, esset sibimet contrarius, qui praeciperet quod prohibuit, suam sibimet gloriam praeriperet; injustè puniret, quod praecepit; esset peccatum ratione legis prohibentis, & non esset ratione diuinae voluntatis, illud praecipientis. Haec ad malum praedestinatio imponeret hominibus necessitatem, cui cum non possent resistere, se totos concupiscentijs trahentibus, velut fatalibus, dederent.

A natura vitiata per peccatum originale. *V. contrar. virt.* infirmitas naturae.

A Est vnus princeps spiritus fornicationis, alius auaritiae, alius superbiae, & sub vnoquoque eorum, multi sunt ministrantes; omnibus autem praeficitur vnus eminentior in nequitia, & in scelere celsior. Origē. hom. 15 in Iosue.

Idem. l. 1. Periarchon, in prooemio dici: Ecclesiastica praedicatione definitum, diabolum qui erat excelsus Angelus multos alios in suas partes traxisse, & nunc etiam Angeli eius dicuntur.

Caïn nullum viderat hominem occisum, tamen sine exemplo ex passione commisit fratricidium.

Noui quod non inhabitat in me, hoc est in carne mea bonum. Roman. 7. non quod caro sit à malo principio, vt quidam calumniantur, sed ostendit

B Paulus carnem prudentia nudatam esse, vt percipiat agenda, sed est vt instrumentum musicum paratum quidem, sed iterum arte ad concentum adducendum. D. Chrysost. ho 13 in ep. ad Rom. nec in ipsa cythara, nec in ipsa naue ars residet, sed in gubernatore ac cythar edo. Ib.

Quod peccatum procedat non à corpore, sed ab animi incontinentia. *V. veritas princ.* actio imputatur principali agenti.

Deus non dicitur inclinare voluntates hominum in malum, immittendo malitiam, vel ad malitiam commouendo, sed permittendo & ordinando, vt videlicet qui crudelitatem exercere contendunt, in illos exerceant quos dignos Deus iudicat. Ibidem ad 6.

C Sicut motus tibiae causatur à virtute motiua animalis quae tibiam mouet, sed obliquitas ambulationis non prouenit à tibia secundum quod est mota à virtute motiua, sed secundum quod deficit à suscipiendo eius influxum, & ideo claudicatio non causatur à virtute motiua. Sic peccatum causatur à libero arbitrio, in quantum deficit à Deo, vnde non sequitur quod Deus sit causa peccati, licet sit causa liberi arbitrij. Ib de peccatis q. 3. a. 2. ad 4. & in q. disp. q. 1. a. 6. ad 5.

Sicut tenebrae sunt à sole, non ex hoc quod aliquid agat, sed ex hoc quod aliquid non emittit, ita corruptio, est à Deo, non quasi aliquid agente, sed non tribuente permanentiam. Ibid. de prouid. a. 3, ad 4.

D Quoniam prima natiuitas, nec scientibus, nec volentibus nobis obuenit ex complexu parentum humoreque genitali, inuocatur in baptismo Deus ingenitus, & Iesus ex Virgine natus. Iust. mart. apol. 2. pro Christianis.

Quaeritur. Deus conseruat vniuersum, igitur & malum quod vniuersi pars est. Respondetur, Deus conseruat opus suum, & quemadmodum non fecit Deus natura malum, sic neque seruat natura malum. Id q 12. ad orthodoxos.

Mors processit ab inobedientia, vt autem Deus non fecit inobedientiam, ita nec mortem. Id q 33 ad orthodoxos.

E Nullum malum per se situm est extra liberam arbitrij electionem, sed ita denominatur ex eo quod non sit bonum, quod autem non est, non consistit, eius autem quod non consistit opifex, non est is qui est opifex eorum quae consistunt; malorum ergo causa non est Deus, qui est creator & effector eorum quae sunt, non eorum quae non sunt, qui visum est fabricatus, non caecitatem; virtutem non eius priuationem, vt sol lucens non est causa eius qui non aspicit. Gregor Nyssenus. orat. catechetia. capite 7.

Deus non est causa peccati, etiamsi permittat illud, & concurrat ad actionem physicam, & licet virtus

difficilior videatur vitiis, vide quæ scripsi Theol. nat. to 3 p.3.c.7 8 9.

Peccatum non est à Deo, aut ab aliqua externa necessitate, sed à libera hominis voluntate. *V. potest. volunt.* liberum hominis arbitrium.

MALVM A SEIPSO.

HOmo sibi malum causat per passiones & falsas imaginationes, *vide pot. cogn.* vis imaginationis.

Summi Angeli peccatum insanabile fuit, & hominis sanabile, quia Angelus sui sceleris inuentor fuit, homo vero alterius fraude seductus. Alcuin. in Gen. interr. 4.

Creator, hominis peccatum per seipsum expiare voluit, non per Angelum, quia non fuisset sufficiens meritum Angeli ad redemptionem humani generis, & quia sibimet ipsi nocuit demon tradendo Christum. Ib. interr. 12.

Noë plantauit vineam qua inebriatus est.

Machab. l. 1. c. 1. de Iudæis qui transierunt ad disciplinam gentium, dicitur, venundati sunt, vt facerent malum.

Qui non rectè vitam suam disponit, materiam præbet detractioni. *V. magn. virt.* perfecta virtus, ex D. Hier.

Multa in nosmetipsos recident, quibus adhuc vicimus, fortuna belli artem victos quoque docet, vtribus amnem trajiciendo, hostibus exemplum dedimus. Q. Curt. l. 7.

Malum quod quis sua culpa sentit, sibi imputare debet, l. quod quis ex culpa ff de reg. jur.

In nostris corporibus humor ad summam putredinem perueniens extraneam omnino naturam induit, fit venenum insanabile, alijs etiam contagiosum, tales sunt febres pestilentes, hinc mortes subitæ.

Tacitus l. 3. annal. in principio. Refert famosissimam veneficijs Martinam subita morte Brundusij extinctam, ex veneno inter nodos crinium occultato, nec vlla in corpore signa sumpti exitij reperta.

Si Dominus ascendentis aspiciat Dominum substantiæ, vel suam domum, vel partem fortunæ aspectu inimicitiæ, destruet substantiam suam, manu sua propria, similiter si Dominus ascendentis fuerit in 2.

Interdum integros cordis nostri recessus, fel amaritudinis occupat, vt à nobis nulla reddatur grata responsio, vnde manifestè comprobatur, non semper in nobis aliorum vitio, commotionum stimulos excitari, sed potius nostro, qui recondita gerimus vitiorum seminaria, quæ cum mentē nostram tentationum imber alluerit, in germina confestim, fructusque prorumpunt. Cassian. l. 9. c. 5. Conspecta mulieris forma non inducit concupiscentiam, sed latentem medullitus morbum, occasione visus, in superficiem producit. Ib. c. 6.

Per vanam gloriam, miles Christi, proprijs armis superatur. *V. vol. gloriæ.*

Grauissimum sibi damnum inferunt, qui in fœnus accipiunt. Vide 2. tom. *vol. maioritat. mala*, vsura rapax.

Iratus se præcipitem agit in pericula, vt alteri noceat, sibi maximè nociuus. Ita sæpè euenit, vt quæ violenter alliduntur plus accipiant incommodi, quam inferant, dum à rebus renitentibus, con-A quassamur. D. Basil. hom. de ira.

Sicut viperas dicunt abrupto matris ventre nasci, sic inuidia concipientem se animam corrodere, ac tebefacere solet. Id hom. de inuidia.

Paracelsus in prologo lib. de mala & bona fortuna, dicit fortunæ nomen commentitium esse, hominesque malorum suorum, aut bonorum causas existere, provt prouidè aut improuidè ambulant, cadet qui per abrupta nimis festinat, pungetur qui spinetis sese implicat, &c. Vt sol, sic Deus omnibus æqualiter lucet, & prodesse vult, nos tamen amore consimili in ipsum non erigimur. Pater æqualem partem hæreditatis relinquet filijs, sed possunt aliqui, sibi relictum dilapidare.

B Tam deest auaro, quod habet, quam quod non habet. Quint.

Ex Galeni sententia possunt in humano corpore gigni humores lethalibus venenis, & malignis vaporibus, vnde pestis, similes.

Sicut de vestimento tinea, rubigo de metallo, ita de diuitijs auaritia, de habendo habendi ardor acquiritur, Chrysol. ser. 7 in fine.

Christus veniens ad Lazarum mortuum, dicit, vbi posuistis eum; quasi diceret, ego posueram eum in regione vitæ; Ecce vos vbi posuistis eum. Idem ser. 64.

Non licet sibi nocere. *V. vol. bonit.* amor sui bonus. Potest tamen reus à iudice condemnatus, venenum sumere, aut à cibis abstinere, quia non est nimis crudelis operatio. Bonac. de legib. disp. 1. q 1. p. 7. § 2. C

Bella & mala publica sunt ob peccata populorum, *vide virtus contrariet.* aduersitas purgationis causa.

Elephantes grauissimæ molis bestiæ, sæpius turbarunt ordines, & fuderunt exercitus pro quibus pugnabant.

In vitis Patrum l. 2. in fine, de periculis deserti refertur, in Thebaïdis quodam loco esse conuallem, quæ ex semetipso humorem gignit salsum, quem continuo calor solis, velut hyemalis pruina in glaciem, ita in salem stringit, & tanquam sudes acutas ex ipso sale efficit, atque omnia illa exasperantur D loca, itavt calceamenta terebret. Alias vallis humorem in se continet, itavt superficies sit ita lutosa, vt qui voluerit illas transire vsque ad latera mergatur. Hæ terræ seipsas faciunt inuias.

Fit ignis in aqua ardente seu vitæ, qui nihil consumit nisi seipsum.

Diuitiæ asseruatæ in malum Domini sui. Eccl. 5.

Dæmones intrant in porcos & totus grex se præcipitat in mare. Math. 8.

Eadem ferunt in se venenum & antidotum. *V. dur bon. R* vbi venenum ibi antidotum. Nota hinc petendum remedium, vnde ortum est malum, vt à plebe, contra seditionem.

E Christus post resurrectionem ostendens vulnera sua, probauit per mortem se vitam habere. Cusa.

Vide gloria contrar salus ab inimicis, *& æqualitas contrar* pœna talionis.

Noë inebriatus est ex vino vineæ quam plantauit. Scymithę patiuntur ab Abimelech, quem injustè regem constituerant, & secundum parabolam egressus ignis de rubo, deuorauit cedros libani. Iud 9.

Vrias ad Ioab cum epistolis mittitur, ex quibus debebat occidi: Iudaïcus populus legem portat, qua conuincente moritur. Ruper. in l. Reg c. 34

Muscæ & nocturni papiliones ad ignem candelæ aduruntur.

Digitized by Google

Plantis plus nocent animalia erodentia quæ in ipsis nascuntur, quam quæ veniunt ab extrinseco. Theoph.hist.plant.l 8.c 10.

Alb Mag.meteo.l.3.tr.2.c.16. probat ventum qui facit terræmotum non venire ab extrinseco, sed ab intrinseco; sicut corpus nostrum licet porosum, respuit aërem externum, sed calor natiuus digestiuus educit ventositatem in corpore non ab extrinseco ingressam, sic fit in terra.

Falsitas non sibi constat & hæresis ab Ecclesia diuisa seipsam diuisione destruit, *V. aequal.contrariet.* pœna talionis.

Leones, pantheræ & cæteræ feræ rapaces, præstant quidem cæteris viribus, sed illas omnes bestiæ fugiunt, homines persequuntur, sic in desertis demandatæ propria ventris esurie torquentur Tygris perijt eo quod non haberet prædam, & catuli leonis dissipati sunt, Iob 4 v.11. sic mali à proprijs cupiditatibus, & omnium odio dilaniantur.

Vide gloria virtutis. Rep. malæ conscientiæ stimuli.

In condensis syluis daphniticis, vltro exardescit flamma vehementi vento motis arboribus, & inter se collisis. Suidas.

Antiqui fingebant tellurem tympanum gestantem, quod ventos quibus perflatur in se concludat. Id.in voce ὄσα.

De Zophiro qui seipsum mutilauit, vt imponeret hostibus. *V. vol. minor.*

Tradidit illos Deus in reprobum sensum, inquit Apostolus, hoc est permisit illos peruersitati suæ.

Homerus dicit de Hectore. Tua te fortissimè virtus, conficiet. Id etiam dicitur de quodam Polydama omnium hominum corporis viribus præstantissimo qui leonem sine armis occidit, quadrigam currentibus equis manu prehensam sistit. Hic cum æstiuo tempore esset in spelunca, & cacumen rumperetur, cæteris fugientibus, ipse manibus extentis mansit, quasi ruinam speluncæ fulturus, ibique oppressus est. Suidas in voce Polydamas.

Improbi cum à se mutuo lædantur, nec propterea ab iniustitia abstinent. Id in voce ῥαδιουργός.

Mulieri propter fragilitatem sexus magis succurritur, quia mulier plerumque contra propria commoda laborat, l.111.c.de nupt.

In Scotia lacus est nomine Loumond, qui absque ventis adeo intumescit, vt naues mergat, est enim ibi terra fungi instar & bituminosa, vnde spiritus exhalat. Card.de rer.var.l.1.c 7.

Ferrum metallorum durissimum, facilius quam cætera rubiginem in humido contrahit, à qua conficitur. Id.l 4.c.6.

Per bella homines seipsos exterminant, *V. princ. contrariet.*

Vera terræmotus causa est ventus interior.

Adamas non nisi proprijs fragmentis potest sculpi. Georg.agricola.

Proditores se primum tradunt hostibus qui amant proditionem, proditorem oderunt, & breui conficiunt Rod l.8.c.3.

Interior pœna reorum & damnatorum dicitur vermis, qui vt procedit à corruptione corporis quod exedit, sic hæc pœna à delicto. Id.l.10.c.14. *V. gloria virt. R* conscientiæ stimuli.

Admirationem Græcis Romanisque, de se dedit Matreas, dicebat feram à se nutriri, quæ ipsa semet voraret. Id.l.11.c.13.

Pherecydes Poëta objit scatentibus vermibus & serpentibus è corpore ipsum consumentibus. Id. l. 19.c.30.

Polypus vorax piscis si defecerit venatio, suis ipsius vescitur cirrhis succrescentibus mox quæ fuerint absumpta. Id l.23.c.33.

Iud. 3. defuncto Gothomele, filij Israël faciunt malignum in conspectu Domini, & confortauit Dominus regem Moab aduersum Israël. Vides quia peccata vires hostibus præbent, sensibilibus & inuisibilibus, vnde monet Apostolus Ephes. 4. Nolite locum dare diabolo Origen.hom.3.super Iud.

Mali imp ent iusto Dei iudicio, quæ impedire nitebantur, *vide gloria contrar* salus ab inimicis.

Corruptio aliter accidit in corporibus mixtis & elementis, in corporibus enim mixtis inest corruptionis actiuum principium, propter hoc quod sunt ex contrarijs composita: in elementis vero, quia contrarium exterius habent, nec sunt ex contrarijs composita, non inest principium corruptionis actiuum, & ideo magis poterunt post consummationem mundi conseruari, cessante scilicet motu cæli primo generationis & corruptionis principio. D.Th.in q.disp.q.5 a.7.in c.

Quærendo quod volumus contra legem, incurrimus in id quod nolumus per pœnam. *V. diff. minoritatis.*

Perditio tua ex te Israël, tantummodo ex me auxilium tuum. Osee 13.

Qui dolent, pro modico faciunt propositiones vniuersales, si parum malum eis adsit, dicunt sibi omnia mala adesse; & si bona pauca deficiant, dicunt omnia sibi bona deficere Tost.Gen.f.374.

Mare Genesareth à Græco vocabulo sic dicitur, quasi generet sibi auras, vnde crispantur vndæ suæ. Id.Mat.to 4.f 118.

Peccans sibi nocet, & contrarijs semetipsum impugnat votis. *V. vol bonit. R.*

Filia Pharaonis educauit & adoptauit Moysem, à quo magnis plagis afflicta fuit Ægyptus

In nobis quandoque calor auctus insurgit, qui membra velut adurit, gangrenat, & instar ignis escharam facit; ista sunt opera salium corrosiuorum degenerantium à lege vitali, sic accendit vita ferrum, quo se multipliciter lædit. Van helm.

Pediculi, cimices, pulices, lumbrici nascuntur ex nostris penetralib & excrementis.

Premimur sæpius nostris erroribus, quam rebus ipsis, cum magna mala aut bona censemus quæ non sunt.

Magna concidunt suis in se conuersis viribus, vide quæ scripsi de iure natur.l.3 lege 7 § 3. Ecclesia orientalis diuisionibus laborans Turcico imperio dedit locum, Theol natur.tom.4 p 2 c.18 homo duriores sibimet necessitates imponit, libello de necessitate, c 17.

MEDIVM MINORITATIS

INSTRVMENTA ET MINISTRI MALORVM.

A Qvi alio vtitur ministro ad committendum crimen, vt ad corrumpendam pudicitiam, nouum committit crimen, cum sit causa ruinæ proximi. Bonac de pœnitentiæ Sacramento.

Luc. 15. prodigus mittitur à Domino ad pascendos porcos. Ita dæmonis insatiata crudelitas, contenta non est homines criminosos fieri, nisi eos vitiorum duces, criminum faciat & Magistros, dum pascunt eos, qui velut porci, proni semper in terram, ventri viuunt, & æstus carnis in volutabro carnis, temperant. Chrysol. ser. 2.

B Aurum animum deprimit. *V. vel maioris*. auaritia insatiabilis.

Vestes seruant fomitem contagionis, & cum illæ non corrumpantur, homines inficiunt. Sic quorundam mali sermones, & impij vanitate potius, quam prauo affectu prolati.

Vidit mulier fructum quod esset bonum ad vescendum, visuque delectabile, deinde serpens persuadet esse innoxium, sic duo concurrunt ad malum, objectum quod mouet potentiam, & suasio. Sic perceptam sensibus libidinem, lenones, comœdiæ, libri contra bonos mores, Romantij inflammant.

C Teutgaldus & Guntharius Episcopi fuerunt à Nicolao Papa ann. 867. depositi eo quod defenderent injustum repudium vxoris, quod fecerat Lotharius Rex, & Ingeltrudem Bosonis conjugem refugam à marito, & excommunicatam suscepissent, in Conc. Gall. a. 867.

Infideles Regi nemo celet, nec vllam eis sustentationem præbeat, Concil. Pontigonense, c. 15. an. 876.

Vide finis maioris. de Heliogabalo.

Ad malum alios introducentes, dicuntur portæ inferi. Tost.

Maleficæ ad malos vsus quandoque proficiunt. Card. aph sect. 2 aph. 128.

D Episcopus qui monitus non ejicit clericum è sua parochia in aliam transmigrantem, velut inquetudinis magister communione priuatur, can. 16. Apostolorum.

Lenones puellas nutrientes, & postea prostituentes, vltimo supplicio plectendi sunt, Paul. 4. const. 18. p. 602. tomo 1. Bull. de his, *vide veritas bonitatis, R.*

Locantes domos lenonibus, vel meretricibus grauiter puniuntur. Paul. 4. Ib.

SCANDALVM.

Scandalum actiuum, est dictum vel factum inordinatum, dans proximo sufficientem occasionem ruinæ, & qui ad peccatum aliud inducit verbo aut exemplo, reus est eius peccati. Vide plura apud Bonacinā, de peccatis quæst. 4. puncto secundo, tenetur enim dare bonum exemplum, *vide cognitio virt.* & proximum admonere, *vide medium virtutis*.

Dicitur 1. Regum 2. de filijs Heli, erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines à sacrificio Dei. Math. 18. Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Melius esset hominem in sæculari vita perire, quam in Ecclesiastica alijs scandalum dare, & impedire ne conuertantur. Petrus Dam. l. 6 ep. 32.

Non propriorum tantummodo malorum rationem dabimus, sed eorum quibus alijs scandalum præbemus; quod si etiam per seipsas graues sunt nostrorum delictorum pœnæ, vbi & istæ accedent, quando saluabimur, sociorum in delicto reatum portantes. D. Chrysostom. homil. 25. in epist. ad Rom.

Deus hominem posuit in paradiso voluptatis, vnde exclusit animantia, ne homo sexualem brutorum copulam cerneret, quem in puritatis innocentia viuere optabat. Van helm. tract. Natura contrariorum nescia.

Vide hunc eundem titulum, *cognit. minor*.

Qui dat scandalum vices agit dæmonis, alios in malum impellens.

MALVM CONSILIVM.

Vide *potestas cognitionis*, vis eloquentiæ.

Qui alium ad peccatum inducit, seu cooperatur peccato alterius, reus est illius peccati quod alter committit. Vide multa, apud Bonac. de peccatis, q. 4 pun. 2.

Aduocatus qui in causa non probabili dat clienti suo spem fauorabilis sententiæ peccat mortaliter contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem & reparationem damni, quod vtraque pars patietur. Ib. puncto 9.

Quidam sunt vagi & insinceri spiritus ad vindictam destinati, qui non desinunt perditi, perdere.

Digitized by Google

Pharao, id est dæmon habet magistros & compulsores suos, qui bonos adigant ad opera terrena. Orig hom 1. in exod.

Sicut ciuitatum portæ proprium quæque nomen habent, eodem modo portæ inferorum quæque nomen habent iuxta species peccatorum, vt vna porta vocetur scortatio, per quam ambulant scortatores, altera negatio per quam qui Deum abnegant descendunt ad inferos. Iam autem diuersa diuersa sentientium, quiq; genuerunt aliquam falsi nominis scientiam portam ædificāt inferorū, aliam Marcion, Basilides aliam, aliam Valentinus. Idem tractatu primo, in Mathæum. In Psalm. 207. Dauid gratias agit Deo, qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Tantum nocet moribus malum consilium, quantum corpori corruptus aër. *V princip. contrar. causa malorum.*

Serpens magis punitus est, quam mulier, mulier plusquam vir, Iezabel majores pœnas dedit quam Achab vineæ raptor, ipsa quippe vniuersum hoc negotium texuerat, regique lapsus occasionem dederat. Igitur & tu quoque si reliquis perditionis causa fueris, grauiora patieris, quam qui per te subuersi sunt. Neque enim peccare tantum in se perditionis habet, quantum quod reliqui ad peccandum inducuntur. D. Chrysostom. homil. 25. in epistol. ad Rom.

Apocal 12. draco de cælo cadens secum tertiam partem stellarum traxit.

Dæmones non illabuntur substantialiter animæ, nam illabi menti, illi soli possibile est qui creauit, quia natura subsistens incorporeus capibilis est suæ facturæ; dæmones autem per malitiæ suæ effectum dicuntur intrare, & pelli dicuntur, cum nocere desinunt. Magister sententiarum, libro secundo, distinctione 8. q. 1. De dæmonum tentatione, *vide contr. virtutis.*

Seducens alium magis peccat, *vide infra maior. minoritatis*

Qui consilio suo alios propellunt ad malum, interdum grauius puniuntur quam illud operantes, can. tanta nequitia, d 86.

Dæmones sunt bipartiti, qui sunt in aëre, tentant, qui in inferno, torquent. Tost. parad. fo. 98. co. 1. e.

Malè consulere simplici viro, significatur per illud Leu. 19 Ne coram cæco ponas offendiculum, Id. Iud. f. 172.

Sol omnibus planetis tribuit vires, Luna autem recipit, ob id decreta Lunæ non omnia, nec ex majore parte sua sunt, sed aliorum planetarum, Card. aph sect. 5 aph 171.

Nihil deterius fieri potest quam si alios malos effeceris, suasione, exemplo, vel alio quouis incitamento. Lu. Viues.

Dæmon ipsis hominibus vtitur contra homines, vt stantes perfidè dejiciat, sic lapsus est primus homo, Petrus, & infinitus aliorum numerus, caueamus ne nos ipsi efficiamur laquei proximorum, & geramus vicem dæmoniorum; detractione, murmuratione, contentiones malis consilijs fouendo. Laurent. Iust l de perfectione monastica, c. 3.

Qui assistunt theatris causæ sunt malorum, quæ illic committuntur, *vide minor gloria,* mortificatio visus.

Sunt fontes quibus succus petrescens commistus est, qui dilabente paulatim vnda, tam in fundo, quam in aluei parietibus, saxa & silices, perque cæcos venarum conductus rupes in ripis disseminant, tales sunt qui mala dant consilia.

Censetur aqua pluuiæ inundationes nociuas effecisse, si juncta fluuialibus aquis eas intumescentes effuderit, l. 15. in summa de aqua & aq. plu. definitur enim aqua pluuiæ quæ de cælo venit, & imbre exrescit. Cujac. obs. l. 17. cap. c. 14. censetur author mali qui stagnantes, aut suis limitibus contentas passiones malis suis consilijs auget, & effundit in aliorum perniciem.

D. Hier. ad Sabinianum Diaconum sollicitatorem virginis. Oza, inquit, Leuites, arcam Domini quam portare ipse debuerat, quasi ruentem sustentare voluit & percussus est; quid de te futurum putas, qui stantem arcam Domini præcipitare conatus es.

Qui inuenitur mortuus cum copia humorum laudabilium, & qui prius more sani victitauit, magnum argumentum est sumpti veneni. Sic prius innocentem alterius malo consilio corruptum.

Persuasio mali est dolus amicus. Vis incipit ab inuito, sed injuriam addit, dolus difficilius euitatur, sed vltioni locum relinquit, *vide min. verit.*

QVÆ CONFERVNT AD defectum.

Remissio & diminutio semper fit per admixtionem contrarij. Arist 5. phys text 45. De malorum conuersatione quæ inficit, *vide potestas concordantia mala, concordantia contrarietatis mala, concord. maior mala,* de nociua cum potentioribus societate.

Remissio exercitij soliti, *vide potestas duration. & princ. minoritatis.*

ARTES PECCATORVM ministræ.

Pingens, precibus adolescentis imaginem puellæ, peccat mortaliter, si credat adolescentem, imaginem adhibiturum ad libidinem, Bonacina, de peccatis, q 4 pu. 2.

Pasiphæ taurum adamanti Dædalus ligneam vaccam confecit, in qua ipsa delitescens ab illo inita est.

Martyrologium 6. Idus Nouembris, refert de gloriosis martyribus Claudio, Nicostrato Castorio, Simplicio, quod cum essent peritissimi sculptores mori maluerunt, & in flumen demergi, quam idolorum statuas facere.

Si quis Christianus oleum tulerit ad sacra gentilium, vel Synagogam Iudæorum festis ipsorum diebus, aut lucernas accenderit, de societate pellatur, in can. Apost can. 70.

Sic capitale est artes bellicas barbaros docere, *vide minor. bonitat.* defectus communicationis bonus.

Amatorij libelli, vrbanitate sermonis decorandis vitijs dicunt aptissima, suauiter nocent, & incogitantem pudicitiam gratissimis narrationibus fictisque variarum rerum euentis publicos mores inficiunt.

Sic peccant qui Athæorum & hæreticorum li-

bros congerunt, velut venena quibus corrumpatur fides, concipiatur impietas, mores ruant, quos prius continebat certa sui religio.

Nouella 14. de lenonibus, prohibet, vrbe pellit, pœnis subjicit lenones qui circumientes prouincias juuenculas miserandè deceptas spe vestium & alimentorum, in ciuitatem adductas prostituebant. Prohibet igitur lenones tanquam pestiferos, & communes castitatis vastatores, eosque nulli licet domi habere & receptare.

Aduocati grauiter peccant, dando patrocinium suum causis injustis. Tost. 1. Par. f. 221. c. 1. c.

Licet alea non sit semper peccatum, tamen quia ex ea solent euenire multa mala, taxillorum formatores tutius abstinerent ab hoc artificio. Idem in Math. to 3. f. 30. c. 4. f.

MEDIA MINORITAS.

E duobus malis minus eligendum.

QVando licet vti malo medio, *vide virtus medij. R.*

Sacerdos non jejunus potest sumere hostiam, si sit periculum ne incidat in manus hæreticorum; aut si post consecrationem aduertat species sumendo, se consecrasse aquam, debet iterum consecrare & sumere. 3. si alius sacerdos perfecta consecratione intereat, si non sit alius, nisi non jejunus, debet perficere sacrificium Bonac de Euchar q 6.

Metu facta ad euitandum grauius malum, non faciunt inuoluntarium, vt si corruptor puellæ, metu mortis, accipiat eam in vxorem. Id de matrim. q 3. pu. 8. prop. 2 *V. ver. volunt.*

Potest quis sententia Iudicis condemnatus venenum bibere, aut à cibis abstinere, quia hæc mortis species, non videtur tam crudelis Id. de legib. d. 1. q. 1. p. 7 §. 2.

Sic tyranni tolerantur. *V. contrar. potest. R.*

Ideo aqua in sicco rotundatur, *Vide diff. contrarietatis.*

Non peccat qui consulit facere minus malum, parato facere majus. Idem, de peccatis, quæst. 4. pun. 2.

Quando duo præcepta, simul concurrunt eodem tempore, itavt vnum nequeat adimpleri, nisi alterum omittatur, adimplendum est præceptum majus, & non violatur præceptum minus, cum tunc cesset obligatio minoris præcepti; sic possum non audire missam, ob necessitatem assistendi infirmo; quia hæc obligatio est juris naturæ, altera Ecclesiastica. Sic quando concurrit præceptum altioris virtutis, cum præcepto inferioris virtutis, seruandum est præceptum altioris virtutis, quia eius defectus, esset majus malum. Id. pun. 4.

Qui practicè dubitat in vtramque partem, & timet peccatum, siue agat, siue non agat, tenetur è duobus malis, minus eligere Ib. pu 7.

Ideo Monarchia hæreditaria, electiuæ præfertur. *V. durat. potest.*

Correctio leuioris peccati prætermitti potest, vt delinquens resipiscat à majori; quia sicut ex duobus malis, minus est eligendum, ita ex duobus bonis, majus est amplectendum. Id.

Aliquis potest sibi malum optare, ex bono motiuo, & ex honesto fine, quia desiderium est actus inA efficax qui sumit bonitatem, aut malitiam suam à motiuo, cujus intuitu elicitur. Id.

Petrus Dam. offert 4. Greg. 6. S. P. quendam Archipresbyterum in Episcopum consecrandum, non tanquam benè meritum, sed velut inter alios minus malum, ep. 2.

Mixta in toto, putrescunt etiam in toto, sed ea quæ in parte mixta sunt, in illis etiam secundum partem est putrefactio sicut in elementis, igne Excepto qui simplex est, & nihil habet alienum, Alb. M. meteo. l. 4. tr. 1. c. 7.

Vt liberetur ciuitas traditur tyranno innocens & virgo, *vide gloria concord.* publica priuatis præferenda.

B Pater filio in adulterium procliui, & ob id depereunte, furentem impetum scorto oblato delusit, & exhausta libido, in vetita grassandi deposuit conatum, Rodig. l. 11. c. 8.

Deus permittit in speciebus esse indiuidua corruptibilia, quia inde sequitur majus bonum vniuersi, scilicet in multiplicata communicatione naturarum per generationes, D. Th. in q. disp de prouid. q. 5. a. 4. ad 4.

Dæmones exeuntes ab homine petunt à Christo mitti in porcos, quia nocendi desiderio maluerunt tale damnum inferre, quam mitti in abyssum, Tost. in Math.

Melius est malis injusta præstare, quam bonis justa subtrahere. Id. Math to. 6. f. 171.

C E duabus opinionibus illa sequenda, ad quam nullum sequitur inconueniens. Id. Ruth f. 278.

Raab excusatur, quia cum non posset succurrere patriæ cadenti, succurrit sibi ipsi. Idem Iosue tom. 1. f. 47.

Melius est dare scandalum, quam legem Dei violare, V. *cogn. minorit.* dare scandalum. V. *vol. minoritatis*, velle defectus aliquando bonum est. V. *bonitas minoritatis.*

Suadetur bellum inter vicinos, vt in proprijs pax habeatur.

Melius est hostem præuenire muneribus quam sustinere obsidentem.

Melius est sponte & liberaliter elargiri partem, quam amittere totum.

D Melius est decertare cum periculo vulnerum & vitæ, quam vitam certæ morti, bona direptioni hostium dedere.

E duobus malis, minus eligitur. Vide quæ scripsi, de iure natur. l. 2. lege 19. & libello de necessitate, c. 18.

Ad duritiam cordis Moyses permisit dare libellum repudij, Math. ne scilicet mariti odiosas vxores non valentes ejicere occiderent, cum proni essent ad fundendum humanum sanguinem, etiam Prophetarum, D. Chrys. hom. 17. in Math.

Estote prudentes sicut serpentes, Math. 10. Hi quippe totum corpus exponunt, vt saluum sit caput, sic tu expone bona externa dum salua sit fides. Ibid. hom. 34.

E Filiæ Loth credentes totum genus humanũ cum Sodomis deletum, & se solum cum patre superstites, maluerunt incestum committere, quã humani generis propagationi deesse. Non dabitur vitio, quod non est iteratum in facto Alcuin. in Gen inter. 189.

De his qui se debilitant vt vitent militiam. *Vide differentia contrarietatis*, fuga contrariorum mala.

Alexander in conflictu contra Darium contempsit sarcinarum jacturam cum de summa rerum, videret esse discrimen. Q. Curt. l. 4.

Semper

by Google

Semper non agendo melius est peccare, quam perperam agendo, & in his quæ emendari possunt quauis via Et quæ minus ab honesto deuiant. Car.

A

MEDIA MINORITAS seu imperfectio.

PLantæ sunt quæ propter cibi & humoris viscositatem, non amittunt folia hyeme; earum tamen folia solitum suum non habent colorem & splendorem, quia propter frigus externum calor plantæ refluit ad interiora. Albert Mag. lib. 4. vegetab. tract 3. c. 6.

Vide Media Bonitas. Media Virtus & media. tes aliorum principiorum. Media Differentia. media mutatio.

Genuflexio repræsentat defectum peccati, vnde non ex toto prosternimur quia per peccatum non cecidimus à naturalibus, sed à gratuitis, vnde debetur redemptori. Albert. Magn. in cap. 1. D. Dionysij de cœlesti hierarchia.

Ibidem probat cap. 2. non incongruè cœlestes intelligentias figurari, per vilia quædam corporalia; quia nihil eorum quæ sunt est vniuersaliter boni participatione priuatum. Sicut per malum culpæ priuatur bonum gratiæ, relinquitur tamen capacitas gratiæ quæ est bonum naturę quę licet per quodlibet peccatum minuatur quia semper est minus habilis ad gratiam, non tamen potest tota tolli, cum sit infinita ex parte subiecti, sicut & qualibet alia potentia passiua, nam quantumcunque elongetur materia à forma auferendo dispositiones etiam in infinitum, manet tamen ordo ad formam. In damnatis etiam non tollitur ordo ad gratiam quod enim dicuntur non capaces gratiæ, hoc est propter confirmationem in malitia, ex immobilitate diuinæ sententiæ. Et ideo dicit August. quod in quantum Deus bonus est; sumus, & in quantum sumus, boni sumus; oportet enim in causato relinqui dispositionē causæ, in quantū eius causa est. Et ideo bonū necessario consequitur res.

Priuatio relinquit subiectum, cum aptitudine ad formam, quod non facit negatio. *Vide Finis Minor.*

In terra sunt aliqua loca plena aëre, igne, vaporibus, in altum ferri paratis. Fluctus maris parum sunt, respectu totius æqualitatem seruantis, & globum cum terra efficientis.

In sacrificio Missæ repræsentatur mors Christi, vnde debet fieri consumptio corporis, quod sufficit mutari secundum esse sacramentale cum desinat sub speciebus per ipsarum corruptionem. Bonacina de missæ sacrificio.

Opera facta in gratia, per subsequens peccatum, non quidem sunt mortua, sed mortificata, itaut illorum meritum redeat per subsequentem pœnitentiam D. Th. 3. q. 89 a. 5.

Non omnia peccata sunt inter se connexa quia experientia constat, violatione vnius præcepti non violari cætera. Id 12. q. 73. a.

Elementa per partes solummodo corrumpuntur, non autem secundum se tota.

Imperfectum est medium inter ens perfectum & non ens.

Actio accidentaria, vt acretio & decretio secundum quātitatem, alteratio secundum qualitatem, latio secundum locum.

Perit pars spicæ triticeæ, cum culmi partem vermis erosit. Theophr.

Licet aqua obediat pulsui, tamen non facit vt cedat secundum partem suæ superficiei in profundum, sed potius circa transponitur, & circumstat tangens siue impellens. Albert. Magn. meteo. lib. 4. tr. 3. c. 7.

Eorum quæcedunt pulsui, quædam receptam figuram retinent, quædam reuertuntur in priorem dispositionem Ib. c. 8.

E naue submergenda, quidquid eripueris, lucro deputandum.

Christus ratione supppositi impassibilis, ratione, carnis passibilis. *Vide Concor. Minor.* discensus Dei.

Quando dicitur initio Genesis, terra erat inanis & vacua, non sic intelligendum quasi penitus esset informis, sed respectu ordinis postea à Deo

B

dicti. D. Thom. in quæstio. disputat. q. 4. a. 11. ad 4. & 6.

Stoïci dicebant omnia peccata esse paria, quia peccatum dicit priuationem rectitudinis, priuatio autem non videtur recipere magis & minus, quasi peccare non sit aliud quam quasdam lineas transgredi vt fit in ludo, nec habetur ratio maioris aut minoris transgressionis. Respondet D. Thom. duplicem esse priuationem vna pura vt tenebra, quæ nihil lucis, mors quæ nihil vitæ relinquit; quædam verò priuatio est non pura, sed aliquid relinquens, vt ægritudo quæ non tollit totam sanitatē, prima priuatio est in corrupto esse, secunda

C

est quasi in via corruptionis in prima non opus est distinctione, nihil enim refert an quis vno vel pluribus vulneribus mortuus sit, nec minus est tenebrosa domus extincta candela vno digito an magna mole; secus est in aliis priuationibus quæ recipiunt maius & minus, & Ibidem de peccatis q. 2. a. 9. *Vide infra Maioritas Minoritatis.*

Quandiu manet voluntas, remanet habilitas ad bonum; sed peccatum non tollit voluntatem, quin imo in voluntate consistit, ergo videtur quod peccatum non possit tollere totum bonum naturæ, quod est habilitas. Ib. a. 12. o. Sicut tenebra excludit lucē, non autem aptitudinem ad lucem quæ est in aëre similiter per peccatum excluditur gratia, non autem aptitudo ad gratiam. Ibid. ad 4.

D

Infirmitas immutans naturalem complexionem cordis, aut aliquod ab eo abiiciens, semper est mortalis, sed infirmitas inducens inordinationem aliquam in motu eius, non semper est mortalis, & similiter peccatum auferens charitatem à superiori ratione est mortale, non autem peccatum quod facit inordinationem in aliquo actu. Ib. de peccato veniali q. 7. a. 5. ad. 11.

In ebriosis habitus sapientiæ non est extinctus, sed ligatus D. Tho.

Synderesis est lumen naturale quod semper inest habitualiter saltem in obstinatè peccantibus, ita nullum sine tali bono, malum. D. Tho. in quæst. disput. de synderes. a. 2.

E

Non soluitur matrimonium per impedimenta temporalia sed perpetua. Tostat. Matth. tom. 5. folio 117.

Non potest esse terræ motus vniuersalis naturaliter. Id. Matth. to. 6. fo. 272. Nec diluuium vniuersale. *Vide Media Contrarietas.*

Elementa secundum totum non possunt corrumpi, ab intrinseco, quia sunt simplicia & homogenea, ab extrinseco quia se non possunt attingere secundum omnes partes, & semper in extremitatibus suis agere possunt. Tostat Matth. to. 7. fo. 145.

Nullum sine quadam exceptione malum. Vide quæ scripsi de iure naturali lib 3. lege 12. §. 2.

Homo cum totali virium extinctione moriens relinquit suum cadauer generali tetano vtrimque tensum; at vbi violenta abripitur morte, est eius cadauer flaccidum. Vnde pendet vitam quandam sensationem, & motum esse in carne præter voluntarium, & superstes adhuc manet vita musculorum quæ insectis est potissima, adeoque & auulso capite muscæ adhuc auolant, & muliere du- A dum mortua, non raro vterum profligauit suum fœtum. Van helmont de flatibus.

Errat si quis putat, seruitutem in totum hominem descendere, pars enim melior excepta est; Corpora obnoxia sunt & adscripta dominis, mens sui iuris est. Seneca 3. de benef.

Vide Gloria Contrarietatis. ex hostibus commodum percipere.

FINIS MINORITATIS.

CESSATIO MALI ET DEFECTVS.

POSTQVAM senuit planta, durescit cortex eius, & ex frigiditate clauduntur pori radicis; iuuenescet si præscindantur arefacta superius, & findatur radix inferius; quando amputantur rami superiores plantæ, fit noua pullulatio de stipite. Ideo quia sibi maxime similia sunt plantarum organa; similiter animalia quorum partes sunt inter se maximè similes, redeunt ad iuuentutem secundum aliquid & eorum partes descissæ renascuntur, sicut in cancris, serpentibus, lacertis, vermibus, & similibus; sicut in cancris, astreis, limacib. testa, quæ est illis pro pelle, renascitur; præcipuè autem recrescunt ea, quæ longè distant à principio vitæ, sicut caudæ in quibusdam. In animalibus non fit renouatio nisi in minimis partibus, nam principalia membra, vt cor, & quæ conferunt ad nutritionem, remanent non renouata; quia ipsa sunt aliorum restauratiua. In animalibus autem heterogeneis, quæ multum dissimilia sunt in membris, vnum non formatur ex altero. Albert. Mag. tract. 2. de iuuentute & senectute.

Post diluuia aquæ & ignis quæ totam deuastant terram cum suis habitatoribus, dicunt Philosophi, quod restituuntur species virtute stellarum, quæ illas formant ex congruo terræ & elementorum temperamento, velut in matrice. Id facile fit in animalibus imperfectis quæ habent membra, maximè sibi similia; de perfectis autem animalibus maior difficultas. Id. tract. 2. de proprietatib. elemento. c. 13.

Planeta stans ad directionem, est vt æger postquam conualescit, & videt initium suæ sanitatis. Bethem centiloquij. num. 6.

Olim in Scotia si quis lepra, regio morbo, aut insania labor·at, castrabatur, ne prolem sibi similem gigneret. Dauity. Si quæ mulier ex illis concepisset viua cum fœtu infodiebatur.

Tota perfectio generationis & motus, est ex termino ad quem, & tota imperfectio eius est ex termino à quo.

Pro fœlici ostento fuit olim, quod olea penitus adusta, regerminauerit tota; & alia germinibus omnibus à locustis derosis, iterum germinauerit, Theophr. hist. plantar. lib. 2. c. 4.

Ex tinea eruca, ex eruca papilio gignitur Ibid. cap. 6.

B Platanus & salix securi luxatę, procumbentibus ramis noctu surrexerunt, & plagam cortex iterum obduxit; seruandas arbores vt faustas, augures responderunt. Theoph. hist. plant. l. 4. c. 19.

Materies arborum nodosa, aut male adulta, aut hyeme oppressa, aut aliqua simili ratione efficitur, in totum enim nodositas probæ nutritionis indigentia est. Sed postquam nutrita improbè fuit si commodo nutrimento potita se recreet, atque ita proficiat, fit vt nodi absorbeantur incremento obducto. Probè etenim coalescens gliscensque supernè obducitur, & sæpè quæ de foris leuis cerneretur, scissa nodatissima extitit; qua de causa medullas conspicari scissilium solent. Idem. lib. 5. cap. 3.

C Arbor nascens læsa & deterior effecta, fructu etiam amaro, vt pote humorem debilis permiscens & non valens decoquere, in naturam pristinam restituitur, si ætate iam confecta recidatur & apprimè colatur. Idem. de causis plantar. lib. 2. cap 20.

Agricultura in eo maximè consistit, vt ager siccus humectetur, humidus exsiccetur. Ibid. c. 18.

Legumina conculcata ab exercitu, itaut non appareant, postea restituuntur. Ib. lib. 4. cap. 9.

Ακή planities olim à mari occupata postmodum libera vt aratro proscindatur. Suidas in verbo ἀκή. dicitur & maricampus.

Peste corruptus aër, igne purgatur. *Vide Virtus Voluntatis.*

D Maurusij gens inuicta ob audaciam & celeritatem, nam & facile fugiunt magnos impetus & ex fuga denuo in vnum coëunt, & in insequentes irruunt. Id. in voce Maurusij.

Aqua in canalibus tantum ascendit, quantum descenderat, *Vide Concordantia Principij.* effectus suæ causæ similes.

Ex mortuis serpentibus nulli vermes generantur veneno eam generationem prohibente; si tamen fulgure intereant, vermes ex eis generantur, quoniam vis fulguris venenum extinxit. Cardan. lib. de rer. varietate cap. 29.

Mures alpinos Mathiolus refert se sæpius expertum, præcisis dentibus post integram diem illos ad pristinam magnitudinem restituere, incremento vix credibili. Ib. cap. 33.

Perit rei alicuius memoria, tum velut post liminio redit.

Digitized by Google

De anima alis prædita, his spoliata & iterum vestita. *Vide Duratio Gloria, Repugnat.* inconstans fœlicitas.

Aëris sonitu deficientem Lunam reuocare tentabant antiqui, quia æs sub dominio Veneris in cuius domo scilicet in tauro Luna suam habet exaltationem. Vide Rodig. lib 19. cap. 10.

Arena vitrea, eadem quantitate qua aufertur se restituens. *Vide Medium Durationis. locus.*

Hipocrates 6. Epidemior pa. 8. refert exempla mulierum quæ post nuptias in viros mutatæ sunt, tunc quæ intus erant vasa seminaria caloris naturalis impetu foris eruperunt, cum natura tendat semper in id quod melius est, monstrum est viros in mulieres conuerti.

A ferro rubiginem abstergere, & clarum vt argentum reddere.

B Pro expiatione vrbis olim occidebant quendam certo habitu ornatum qui περίψημα dicebatur. Suidas in voce περίψημα.

Vide Medium Potestatis. vicaria potestas. *Et Medium Gloriæ* pati pro alio.

Licet agentis physici virtus patiendo diminuatur, tamen potest reparari, vnde videmus in partibus vniuersi reparationem fieri virtutis actiuæ, per hoc quod elementa calida, quorum virtus diminitur in hyeme per solis absentiam, reparatur in æstate per solis propinquitatem, & hoc fit in quolibet corpore misto quandiu durat virtus formæ conseruantis elementorum mistionem. D. Tho. in quæst. disput. de pœna peccati. Orig. q. 5. a. 5. ad 7.

C Princeps potest libertinos ingenuitati restituere & natalibus, in quibus initio omnes homines fuerunt l. 2. ff. de natal. restit. l. imperator §. 1. Cod. de nuptiis.

Aqua & igne tollitur impurum, contritione & sacramento.

Aqua lustrationis erat aqua viua commixta cineribus vitulæ rufæ combustæ. de qua num. 19. & ea vtebatur pro qualibet immũditia per contactũ.

D Desertum per quod ambulauerunt Israëlitæ factum est habitabile, postquam in Raphidim factus est fons erumpens de petra percussa à Moyse Exod. 17. Nam ille fons irrigat totam terram illius vallis magnæ, in qua sunt plura oppida Arabum. Tostat. nu. to. 1. fo. 117.

Æsculapius apparebat & colebatur sub figura serpentis. Id. num. to. 2 fo. 42. quia serpens exuta veteri pelle renouatur, medicina restituit ægrum sanitati.

Annus Iubilæi apud Iudæos erat annus quinquagesimus post septem hebdomadas annorum, serui Iudæi fiebant liberi, & quisque nullo dato pretio redibat in antiquam possessionem immobilium, ne possessiones tribuum confunderentur. Idem. Leuit. fol. 190.

E Ossa arida quæ reuiuiscunt apud Ezechielem, significabant reditum Israëlitarum à seruitute in libertatem, præter spem ipsorum. Iustinus Martyr. q. 45. ad orthodoxos. Idem significabant animalia quadriformia, leonis, vituli, aquilæ, hominis, hæc enim mansueti cum immansuetis coniunctio, significabat regni ex feritate in mansuetudinem mutationem, & seruitutis in libertatem; ostendit & prophetæ rota in rota, indicans per eas Iudæorum abductionem in exilium, & abductionem in patriam. Id. quæst. 43. nam in cœlo sunt duo motus contrarij.

Oppressa se vindicant in libertatem. Vide quæ scripsi de iure naturali lib. 2 lege 14.

Plurima vim singularem passa restituuntur in integrum. Ibidem. lege 20. Forma læsas suas qualitates restituit Ib. §. 1. Vera liberatio & restitutio procedit à causa vniuersali. Ib. §. 4.

Malum initium bonus finis. *Vide Bonitas Finis, & Virtus Finis.*

Arcana quæ resoluendo & expellendo sanant, nõ nisi vires insitas in nobis expergefaciunt, quę ablatis impedimentis velut sub nouo verę regerminãt.

Metallum ignitum ablata ignis candescentis præsentia, redit semper in statum primum.

Radix floris anemones in rugas arefacta reuirescit.

Res à Deo sic ordinatæ sunt vt à suprema intelligentia per hominem sensibilia, vegetantia, elementatiua, elementa fiat descensus vsque ad materiam primam in semicirculo diametraliter oppositam diuinis perfectionibus, hinc res per gradus assurgunt & fit reditus in Deũ per elementa, mixta, vegetantia, sensitiua hominem & angelũ hęc prosequitur Leo Hebr. dial. 3 de amore & Card. Cusa. lib. de docta ignorantia.

Filij naturales fiunt legitimi, si præter concubinam ex qua nati sunt, ducat in vxorem confectis dotalibus instrumentis. §. vlt. const. de nupt. Nou. 12. & 18. Cuiac obser. lib. 13. cap. 4.

Græci captiui & à Persis mutilati ab Alexandro victore in patriam remissi. *Vide Cognitio Minoritatis.* stygmata.

Christiani seruientes in Triremibus Turcarum captiui, parta victoria libertate donantur. Pius V. const. 149. Bull. p. 270.

MALI MORES IN MElius mutati.

Fidem Christianam Apostolis prædicantibus apud gentes, commutantur in Ecclesias delubra, inuertuntur aræ, pecorum victimæ mortuorum, in viuam cordis hostiam transferuntur. Chrysol. ser. 51.

Sicut ab anima purgatur corpus, vt influxum vitæ animæ melius capiat, ita purganda est anima, vt influxum diuinæ vitæ, seu gratiæ in se capere queat, tunc sentiemus lætam vitam animæ vt lethargus sanatus Card. Cusa. excitatio l. 5. c. 54.

Quandiu viuit Pharao filij Israël seruitute durissima pressi, non audent ingemiscere, sed tantum eo mortuo. Quandiu regnat concupiscentia, præsentibus & imperantibus obiectis, non fit conuersio. Rupert. lib. 1. in Exod.

Lycurgus noluit ignominiam esse perpetuam, sed eam præclaro aliquo facinore posse aboleri. Suidas in voce Lycurgus.

Proselyti dicebantur qui à gentibus ad Iudæos se conferebant & vitam ex diuinis legibus instituebant. Ib. in voce Proselyti.

Quidam fontes stato tempore purgamenta egerunt vt Rhodiorum fons in Chersoneso nouo anno. Georgius Agricola. lib. 3. de his quæ fluunt ex terra.

Est species ieiunij abstinere ab iniquitate & voluptate illicita. can. ieiunium de consecr. dist. 5.

In agone sæpius euenit vt decertans cadat, & postea resurgens vincat, sic aliqui post peccatum resipiscunt, & satisfaciunt Deo per dignos fructus pœnitentiæ. Nunquid qui cadit, non adiicit.

resurgat: rarum est semper vincere, solitum nunc vincere, nũc vinci Orig. hom 4. in ps. 36 vbi dicitur cum ceciderit non collidetur, quoniam Dominus supponit manum suã, omni semper auxilio indigemus, primò ne cadamus, tum si ceciderimus, vt resurgamus Id.

Sicut Christus à mortuis resurrexit, ita nos in nouitate vitæ ambulemus. Rom. 6 hæc resurrectio vita pristina deleta, noua & angelica regnante alterius futuræ præmium est, vt prodigus reuertamur ad patrẽ, vt autem iter hoc conficias, prius sistito, peccare desine; tum incipies progredi, vt fit initium sanitatis, cum non ingrauescit morbus, duobus diebus tertium adde, tertio quartum sic deinceps donec peruenientes ad patrem ab illo sine contumelia excipiaris. D. Chrysost. hom. 10. in epist. ad Rom.

Eum qui vult esse bonus nihil est quod impediat, nec vlla fati necessitas quam non superet bona voluntas, etiamsi prius esset improbissimus ad hoc enim sumus aptiores: quatenus est etiam virtus secundum naturam & præter naturam vitium, sicut ægrotare & esse sanũ: nã oculos dedit nobis Deus, non vt impudicè aspiciamus, sed vt admirantes creaturas adoremus creatorem, Id. hom. 21. in 1. ad. Corint.

Nouale, est ager nunc primum præcisus cap. 1. de verb. signific.

Omnes antiquæ legis cæremoniæ significabant morum in melius mutationem. *Vide Magnitudo Virtutis.* magna & perfecta virtus.

De vita noua Christiani. Vide quæ scripsi. moralis Christiana to. 1 parte 1. cap. 17. & lib. de institutione & officiis religiosi parte. 1. cap. 5. 6. 13 & seq. De conuersione aulici, vani & dissoluti, libello de amore Dei nascente cap. 14 15. 16.

Ægyptus quæ fuit olim superstitionum mater ex contactu Christi ad eam confugientis, gustum quendam sanctificationis concepit, & postea choros monachorum velut angelorum habuit, abdicata superstitione cœlum effecta. D. Chrys. hom. 8. in Matth.

Prædicabat Ioannes; facite fructus dignos pœnitentię, vt non solum quis à malis prioribus desistat, sed bonorum operum fructibus impleatur &c. Ib. hom. 10. De institutione. *Vide Æqualitas Contrarietatis.*

Qui dicunt, vt Manichæi, animum semel maculatum non posse abstergi, & prauitatem non posse abiici, hi non solum vt futura perdamus efficiunt, sed præsentia quoque omnino perturbant, Nam si propositis pœnis & præmiis vix vitiuti homines incumbunt; qui si id impossibile dicatur obstante fato & necessitate aliqua. Non ergo tam delinquentem inspicias, quam delictorum maculas abluentem. Ita surrexit Dauid à grauissimo peccato adulterij & homicidij non desperans; & saucius non prostratus, surrexit. Non cecidisse diuinum est, surrexisse humanum; habes Dei sententiam qua prouocaris, si cecideris citò surgere. D. Chrysost. hom. 27. in fine in Matth.

Vide Duratio Virtutis. sera pœnitentia valida.

Lepra, arcana renouatiua poposcit.

Romæ est monasterium Conuertitarum erectum ad recipiendum mulieres inhonestas conuersas. Leo 10. const. 39. Bull. p. 449. to. 1.

INDVLGENTIÆ.

PEccatis per sacramenta deletis remanet exoluenda pro illis pœna temporalis; sic num 14. & 20. remisso peccato multi puniuntur morte, omnes homines licet in gratia & sancti, ferunt pœnas peccati originalis in infirmitatibus corporis. Dauidi remittitur peccatum adulterij & homicidij, filius tamen qui ei natus erat moritur 2. reg. 12. & 2. reg. 24.

Vniuersæ viæ domini misericordia & veritas, ps. 24. Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, Iustitia & pax osculatæ sunt ps. 84. seruatur misericordia quia homo liberatur, veritas, quia peccatum punitur. D. August. in psal. 50. & tract. 124. in Ioan. *Vide supra Duratio Contrarietatis.* continuata seueritas bona; has autem pœnas temporales remittendi Christus dedit potestatem. Petro. Matth. 16. tibi dabo claues regni cœlorum, quodcumque ligaueris, &c. & ibidem. 18. Sic Paulus Corinthium quendam incestuosum excommunicatum, & à Dæmone vexatum postea liberauit. 1. Corinth. 15. v. 13. & seq. Sic in Nicæno Concilio can 11. licet Episcopis relaxare pœnas pœnitentibus impositas prout viderint expedire. In Lordic. c. 2. Ancyrano c. 2. & 5. Carthaginensi. c. 75. & 76. Sic in primitiua Ecclesia lapsis remittebantur vel in totum, vel pro parte pœnę Ecclesiasticæ, per intercessionem Martyrum, in carceribus detentorum. *Vide Medium Gloria.* sanctorum intercessio. *Et Bonitas Principij* Dei misericordia.

Quod si in indulgentiarum distributione aliqui contingunt abusus, non ideo tollendus est indulgentiarum vsus. *Vide Maioritas Contrarietatis. mala.* Ita Concilio Lateranensi an. 1215. tales abusus reciduntur & c. romana de pœnit. & remiss. in 6. Clement. abusionibus de pœnit. & remisso.

De indulgentiis in fideles à S. Pontifice dispensatis. Vide quæ scripsi theol. natur. tom. 4. parte 3. cap. 19.

Anno Iubilæi videtur diuina misericordia diffundere omnes thesauros in Christi fideles. Vrban, 8. const. 16. anni Iubilæi spatia coarctata per summos Pontifices. Ibid. *Vide Magnitudo Bonitatis.*

Iubilæum ad diuinam opem implorandam pro felici vniuersalis Ecclesiæ regimine, initio Pontificatus indixerunt. Six. V. const. 1. p. 369. to. 2. Paul. V. const. 1. p. 127. to. 3. & const. 104. p. 261. tom. 3. Bull.

POENITENTIA ET IVSTIFICATIO PECCATORIS.

VOx Domini in magnificentia psal. 28. cum seruos peccati eleuat in adoptionem filiorum D. Basil. in d. psal. 28.

Posuit Deus signum in Caïn ne quis eum occideret, ipsum signum erat membrorum concussio ex dolore & pœnitentia. Theodor. in Gen. q. 42.

In holocaustorum loco victimæ quoque sacrificabantur, quę pro peccato solebant offerri. leui. 6 Idque ad consolationẽ offerentiũ, vt cognoscãt, se non esse alienos à sanctis, cum per pœnitentiam

Digitized by Google

ideo vocauit ea sancta sanctorum. Id in Leuit. q. 4. *Vide Potestas Medii.* de Eucharistia quæ sumitur etiam à pœnitentibus.

Baptismus remittit omne peccatum, tum originale, tum actuale, & omnem pœnam illis debitam. *Vide Finis Contrarietatis.* In placatio

Operum mortificatorum meritum redit per subsequentem pœnitentiam D. Th 3 q. 9. a. 5. Ita Ioelis 2. dicitur. Reddam vobis annos quos comedit locusta; & Ezech. Impietas impii, non nocebit ei in quacumque die conuersus fuerit. *Vide Gloria Minoritatis.*

Per pœnitentiam peccator resurgit melior quam erat ante peccatum, quia reuiuiscunt priora merita, quibus additur gratia sacramenti, & dispositionis. Bonacina de effectib pœnitentiæ.

De remissione peccatorum. lib. 2. Fulgentij.

Tolle de terra quantum volueris, per lotiones, sublimationes, ita ut alterata penitus videatur, si dimiseris aliquandiu sub dio, mox cœlestibus viribus fœcundata & prægnans, ex seipsa producet plantas, animalia, lapillos, metallorum scintillas.

Mahumetani credunt eum qui lauatur in Gange flumine obtinere remissionem omnium suorum peccatorum. Dauity.

Apud Iudæos erat festum Neomeniæ, idest nouę lunæ, illud modo nostro colimus, cum veterem deponimus hominem, & sanctæ conuersationis induimus nouitatem. Petrus Damian. lib. 4. ep. 16.

Idem creator est & iustificator Deus, in vtroque omnipotens, quodammodo enim mortuus seipsum ad vitam resuscitabit, quando virtus vitæ in ipso cessauit. Card. Cusa Excitat. lib. 5. cap. 18.

Sicut domus, quæ est locus habitationis creaturarum, transfertur à sua prophanatione, vt sit domus Dei, sic anima rationalis per sapientiam ędificata, transfertur vt sit domus sapientiæ. Ibid. lib. 5. cap. 27.

Spiritum filii Dei habemus qui nos purgat, vti spiritus musti facit ebullire mustum, & in feruore pugnat, eiiciendo omne id quod non est de natura vini, & hoc facit vt mustum vertatur in vinum, Ibid. cap. 54.

Sicut est contradictio quod quis seipsum creare possit, esset enim antequam esset, sic in iustificatione, qui enim seipsum iustificare posset, esset iustus antequam iustus; est ergo iustificatio ab vno iustificante Christo. Idem lib. 6. cap. 2.

Qui regem aliqua transgressione præcepti offendit, fidelitate gratiam recuperat. Ib.

Lepra est ex omnium humorum corruptione, propterea per naturam non potest curari *Vide Duratio Minoritatis.*

Pœnitentes restituuntur ad pristinas dignitates. *Vide Magnitudo Bonitatis.* Integrum beneficium.

Pœnitentia in fine vitæ non deneganda. *Vide Duratio Bonitatis Rep.*

Olim qui propter cædes lustrabantur, bis septem vndis vestes suas eluebant. Suidas in verbo *ἀπὸ δ' ἑπτά.*

Pœnitentia in peccatis retractandis est vindicta in se, quod dolet commisisse puniens. ca. 4. de pœnit. dist. 3.

Cito vulnus infertur, difficillime diuturnis remediis & doloribus sanatur, licet grauius sit in anima ex peccato vulnus, citò tamen per pœnitentiam sanatur, ex Origene homil. 8. supra numer.

Vt ęger currit ad medicum propterea à Deo institutum, sic anima peccato ægra recurrere debet ad pœnitentiam; sacerdotes sunt animarum medici sub Christo Archiatro. Ex eod. homil. 1. in Psal. 37.

Si conuersus fueris restituam te. Hier. 15. vt membrum luxatum, vt exulem, vt militem prius exautoratum. Origen.

Vide Bonit. Princ. Dei bonitas & misericordia.

S. Basil. Seleuciæ de Niniuitis loquens pœnitentibus. His, inquit expurgatur iniquitas; diuina sententia retrò cedere non erubescit & soluit decretum Deus, & abolet periculum; Dei namque B in homines procliuior aspectus accedentem suscipit pœnitentiam, supplicanti paret, sedat lachrymantem, lamentanti condolet, denique victoriam reportare iubet. S. Basil. Seleuciæ orat. 12.

Nolite conformari huic sæculo, sed renouamini spiritu mentis vestræ. Rom. 12. quemadmodum in ędibus facimus inueteratas perpetuò restituentes: peccasti hodie, inueterasti mentem tuam, ne desperes neque decidas, sed renoua ipsam resipiscentia, lachrymis, confessione, bonorum operum studio, hoc autem facere nunquam intermittas. D. Chrysost. hom. 20. in epist. ad Roman. *Vide Duratio Contrarietatis.* Continua mortificatio.

C Per dies & menses multos lugent homines amissionem, serui, equi, pecuniæ, &c. Animam autem quotidie perdentes de ea non cogitant, quomodo potest Deum placare, qui nequidem quod in ipsum peccet, nouit Vult nos à nobis exigere pœnas peccatorũ, vt ipse à nobis non amplius exigat, propterea nobis minatur supplicium, vt metũ tollat contemptum. Id. hom. 8. in 1. ad Corinth.

Qui de diuersis mundi casibus dolet, vt de bonorum amissione, de suorum funeribus, morbum non repellit, sed exasperat. At cui peccata mœrori sunt, is solus ex mœrore fructũ capit, peccata enim absumit & delet. Sic Dauid, sic Petrus & cæteri iusti pro suis, aut alienis peccatis dolentes misericordiam Dei consequuti sunt. Dolor igitur remedium est, huic malo specificum, in cæteris non iuuat, D imo nocet. D. Chrysost. hom. 15. in Corinth. huius doloris duplex est emolumentũ 1. quod qui dolet, minimè pœnitendum sibi putet quod doluerit, alterum quod quia huiusmodi mœror in salutem tandem desinit quorum, vtroque mundana mœstitia arbata est. Id.

Hîc doleamus animo, vt in alia vita non doleamus supplicio. Id.

Origenes existimauit aliquando Dæmones per liberum arbitrium posse redire ad bonum, & per diuinam misericordiã veniam cõsequi peccatorũ Refert. D. Th. in quæst. disp. de peccatis q. 16. a. 5. o.

Sanctificantur quæ è statu prophano ad Dei cultum applicantur. Tostat. Exo. to 2. fo. 83.

E Leuit. c. 12. qui immundum tetigit pollutus est vsque ad vesperam vespera est tempus Messiæ; quod Paulus Hebręo. 12. vocat finem sęculorum horam nouissimam per eum habetur vera remissio catorum. Id. Leuit. fo. 159.

Gratia Christi constituit in mundo probum peccatorum medicum, videlicet pœnitentiam quæ potest eis etiam qui septuagies septies deliquerint mederi, dummodo velint vti consilio pœnitentiæ Iustinus Martyr. q. 97. ad orthodoxos.

Hominem iustificare summa est Dei misericordia. Vide quæ scr psi lib. de misericordia. parte 1. cap. 25.

Frequens casus humilitatem generat, humilitas triumphum, quis sine peccato extitit? quis in sæculo enormius Paulo peccauit? quis in religione grauius Petro? Illi tamen per-

religionem & bonam spem meruerunt assequi A non solum ministerium, sed & ministerium sanctitatis. Merito post peccatum valdè sperandum est, fit enim plerumque gratior Deo, amore ardens, vita post culpam, quam securitate torpens innocentia; quia qui gaudet in bonis gratiæ & veniæ quam inuenit, & recordatur mala quæ euasit, difficile redit ad malum. Laurent. Iustin lib. de spe. cap. 4.

De sera pœnitentia valida. *Vide Duratio Virtutis.*

Beati quorum remissæ sunt iniquitates. O fœlix pœnitentia quæ Deum placas, hominem ad statum suum reparas; omnia ligata tu soluis, omnia clausa tu operis, omnia aduersata mitigas, om- B nia confusa tu lucidas; omnia desperata tu animas, & opprobria quæ peccantibus debentur, tu tegis. Laurent. Iustin. lib. de spe. cap. 5.

Veniam à Deo magis obtinemus pœnitentia, quam sanctorum intercessione. V*ide Medium Gloria.* Sanctorum intercessio.

Dolorem pœnitentiæ voluptas interna sequitur. V*ide Gloria Virtutis.* Quies virtutis post labores.

Matth. 5. Christus dicit Apostolis vos estis sal terræ, quæ iam corrupta sunt, salis perfricatione non reparantur, non hoc igitur fecerunt, sed ante renouata, & ab illa iam putredine liberata, serua- C bant in nouitate, quam à Domino acceperant. liberare quippe à putredine peccatorum Christi virtutis est, vt autem ad illa iterum non reuertantur, Apostolorum curæ ac laboris. D. Chrys. hom. 15. in Matth.

Deus peccatores vt figuli vas confringit, & reformat in melius. *Vide Magnitudo Contrarietatis.* Bona.

Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cœlorum. Nullum in medio spatium. Mors & vita sibi contraria sunt, & tamen pœnitentia copulantur, &c. D. Hieron. ad quendam Rusticum.

D

CHRISTI RESVRRECTIO.

Disceptationem Christi Domini pro resurrectione corporis sui quod nullomodo fuerat particeps peccati, vnde mors. Vide Theodoretum oratione 10. de prouidentia.

De cereo Paschali D. Hieron. epist. 29 & to. 9.

De resurrectione Christi. Gerson. to. 2. Greg. Nyssen. Bernardin. quad. 1. serm. 52. & quad. 2. serm. 58.

Christus crucifixus & sepultus, vt officia tota mortalitatis impleret, vt mors morte moreretur, vt ex illius semine corporis omnis humanorum corporum satio vitalem surgeret, & leuaretur in E messem. Chrysol. serm. 59.

Non timuit nasci Christus, quia resurrectionis gloria, sepeliuit morientis iniuriam. Id. serm. 75. in fine.

Humanitas vnita diuinitati in vna persona, per illam fuit mortalis sed per vnionem formalem, ad hominem Christum contractam fuit mortalis. Card. Cusa lib. 3. cap. 7.

Homicidę casuales non reuocabantur ab exilio, tuti, idest ab vrbe refugii in quam se receperant, nisi post mortem summi sacerdotis, quasi mors illa, omnium delicta expiasset, sic non nisi Christo mortuo & cœlos penetrante, nobis in cœlum patuit aditus. Tostat. Iosue, to. 2. fo. 142.

Ad imitationem Christi martyrum corpora perforata, contusa, ius habebunt ad gloriosam resurrectionem, cum semina naturaliter non nisi integra, & non vitiata germinent, ita similitudo resurrectionis, qua vtitur Apostolus ad Corinthios, non satis mysterium hoc explicat. Iustinus Martyr. quæst. 111. ad orthodoxos.

Hæc est vera dies in qua Deus requieuit ab operibus suis. Hæc dies quam fecit Dominus, longè diuersa à primis creationis mundi, fit enim cœlum nouum & terra noua. In hac creatione, sol est vita munda stellæ virtutes, aër præclara conuersatio, mare altitudo cœlestium diuitiarum sapientiæ & scientiæ; herbæ & germina, bona doctrina, diuinaque documenta, quæ grex Domini depascitur; arbores fructum ferentes, mandatorum obseruatio. In hac die verus homo procreatur ad imaginem & similitudinem Dei. S. Gregor. Nyss. ora. 1. in Christi resurrectionem.

Occidit ad tempus vitam mors, vt in perpetuum occideretur à vita mors. Laurent. Iustin.

De Christi Domini resurrectione. Vide quę scripsi theolog. natur. to. 4. parte 3. cap. 12.

Vrbes publicam agunt lætitiam, si quid fœliciter principi suo successit, sic Ecclesia quæ Christum sequuta est in præsepio, adorauit cum magis; condoluit circumciso, fugienti in Ægyptum, tanta pro generis humani redemptione patienti, nunc eo à mortuis resurgente læta proclamat, hæc dies quam fecit Dominus, &c. primum resurgamus spiritualiter, vt postmodum humanæ naturæ ignobilitas mutetur in gloriam. Prima resurrectio est peccatorum euasisse tenebras. Laur. Iustinian. serm. de resurrectione Domini.

ASCENSIO.

CHRISTI DOMINI corporalis in cœlum Ascensio sibi & hominibus gloriosa.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Angelorum chori, miro qui plus animos quam aures demulcebat concentu celebrarunt Christi Domini natalem, & tantæ festiuitatis causam esse dixerunt, quia natus est vobis hodie saluator. Militia cœlestis, ante prælium secura de triumpho laudis cantica personat hominum liberatori Prænuntiabat quam annua deuotione nunc Ecclesia celebrat eius post passionem & resurrectionem in cœlos ascensionem: ipsi de potestate tenebrarum victori, nobis quorum naturam assumpsit redemptis, in libertatem filiorum Dei vindicatis, gloriosam.

Magnitvdo. Nunquam satis mirandam diuinę charitatis in nos effusionem, qua naturam humanam Verbū assumpsit, concipimus vt à cœlis in infima descensum; at ingens ignis cœlo missus leuem paratamque materiam quam occupat secum in altam regionem suam rapit, nec splendidis suis qualitatibus donatam, patitur in infimis, diu consistere; sic ex immaculata Virgine carnem assumptam verbum ad cœlos hodie transtulit,

& consedere fecit in sede maiestatis suæ.

DVRATIO. Quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit, propterea naturam humanam indiuiduo sibi iunctam matrimonio, impletis patris æterni decretis sociam effecit gloriæ, quæ fuerat certaminum inuicta comes. Mysterium hoc temporis decurrentis lapsus, militiæ nobis impositæ labores, æternitati comparatos, demonstrat esse breues, leues, ferendos alacriter, cum immensum gloriæ pondus in nobis operentur. Annis triginta Christus duxit vitam obscuram, exhibita tantum parentibus obedientia cum paupertate notabilem. Tres reliquos annos assidua veritatis prædicatione, patrandis pro populorum tum spirituali tum corporali sanitate miraculis & sacramētorum institutione consecrauit, tandem in altari crucis, ipse simul sacerdos & hostia cruento consummauit sacrificio. Transierunt hæc nunquam reditura; at manet in humanitatis sic pro nobis impensæ præmium, æterna, nunquam desitura fœlicitas. Citò desinit quæ bonos & martyres exercet vitę mortalis pœna, sed eam excipit pacis & gloriæ perpetuum decus.

POTESTAS. Poterat anima Christi, verbi diuini consortio, meritisque propriis beata, corpus suum efficere statim gloriæ suæ particeps. At saluator mundo daturus exemplum non potentiæ sed humilitatis & charitatis ad proximi commodum inclinatæ citra peccatum communes pati voluit carnis infirmitates; impletis autem stipendiis: illud debita donauit gloria. Igitur caro Christi, quę deuicta morte resurrexit, quæ rursus temperato, velato suo splendore per 40. dies conuersata est cum discipulis, vi sua beatifica eleuatur in cœlum discipulis videntibus, mirantibus, suspirantibus.

COGNITIO. Habuerant tres discipuli talis glorię præludium aliquod in transfiguratione, sed nec ideò sic erant confirmati vt in multis non titubaret, & in crucis scandalo non conuelleretur eorum fides, at vbi viderunt Christum vi propria scandentem cœlum, dum vltra quam ferre possint oculi sensim elatus minor apparet, maiorem virtute Deumque confitentur & prædicant. Corporeis oculis deficientibus substituuntur mentales, certius intelligunt quem viderant ascendentem, qui vt sic intelligerent, viderant. Et quis miretur si debilis hic fides nostra pluribus fulciri debeat adminiculis?

VOLVNTAS. Verbum diuinum radiis suis splendere voluit assumptam à se humanitatem, cuius ope, cuius ministerio, cuius sacerdotio impleuit immensos quos pro generis nostri salute conceperat affectus, nec enim exemplis docere, pati, mori, diuinam ex æquo placare poterat iustitiam nisi homo; Carnem igitur amoris erga nos sui proxenetam meritis tandem donauit præmiis.

VIRTVS. Iustum est sacram hanc humanitatem, quæ de suo persoluit, pro destruenda corruptione, à corruptione immunem præstari, vt quæ meruit diuinatem ad nostra demittere, sustollatur ad diuina, vt prior intret quam cæteris promeruit gloriam, vt de cœlestis agri cultura prior laboris sui fructus carpat, tandem vt totus Christus anima & corpore, sit beatus.

VERITAS. Humanitatem Christi ab initio beatam, & à resurrectione spiritualem effectam contemplari debemus vt idæam ab inferioris materiæ conditionibus abstractam, superiora tenentem; sic

A erimus, sic resurgemus, sic quod nos grauat corpus, Christum velut ducem miles sequetur, si fideliter paruerit, fortiter decertauerit. Prostat igitur humanitas Christi sic elata, vt ei conformemur in virtutum integritate, si conformari voluerimus in gloria.

GLORIA. Caro Christi hac in cœlum eleuatione sequentibus multis corporibus quæ cum ea resurrexerant, deuicta morte, deletis potestatibus tenebrarum, occurrente, plaudente militia cœlesti triumphum agit, cuius dies à nobis anniuersaria solemnitate colitur, quia paratis ad hanc communem lætitiam animis, iterantur dona, quibus

B fortiores illustriorem de suis internis hostibus referunt victoriam & ad futuram gloriam, iam fœlices melius disponuntur.

DIFFERENTIA. Interim ascendentem Christum sequamur affectibus, si non licet effectu, animo si non licet corpore, menti nostræ libera patet ad cœlos via; nec frustra concipitur hoc glorię desiderium, hinc enim animus contemnit terrena, & de calcatis gradus sibi facit ad fœlicitatem.

CONCORDANTIA. Communis in Christi triumpho lætitia, concordes efficere debet omnium animos; splendor ille discutiat omnes mœrentis animi tenebras; cesset ira, lis, vindicta, bel-

C lum; & quia talis gloriæ Christi participatio fidelibus repromittitur, eius memoria in nobis debet esse continua, nec vna tantum anni die, sed per totum vitæ tempus esse nos oportet à perturbationibus immunes, hebdomadæ dies omnes dicuntur feriæ, velut ob Christi triumphum Ecclesia feriis indictis, iubeat nos à litibus vacare.

CONTRARIETAS. Ergo fertur in cœlum Christus, & sacra sua humanitas immortalis gloriæ sortem adepta, nos hic mortales tot aduersis expositos relinquit. Plaudimus, congratulamur triumphanti, sed ex suæ fœlicitatis comparatione, nostra grauior apparet infirmitas. Etiam inter hæc gaudia inuitæ fluunt lachrymæ, gemitus erumpunt: heu cur incolatus meus

D prolongatus est? quando licebit Christo frui?

PRINCIPIVM. Respondet miserorum consolator: Ero vobiscum vsque ad consummationem sæculi. Adest nobis per prouidentiæ suæ vigiles, nec vnquam vacantes curas, per continuos gratiarum influxus, ipsamet humnaitate glorificata fruimur per Eucharistiam. Dedit instituendę vitæ præceptum magister, imitemur operantem, vt consequi possimus operis gloriam, non licet ant euertere vel præuenire, ordinem dixit vt labor præsentis vitæ præcedat futuræ præmia.

E MEDIVM. Quid ingemiscimus inter ęrumnas, quæ sensibus videntur impedimenta, salutis nostræ media sunt si traditæ disciplinæ præceptis inhęreamus; oportuit pati Christum & sic intrare in gloriam suam, & putas te torpescentem otio, diffluentem voluptatibus, ad cœlestes coronas admitti?

FINIS. Fatigatum viatorem reficit hospitii visi proximitas; in breui vita, diuturnus non potest esse labor. Regnum cœlorum vim patitur, obsidione capitur, Christus prior murum scandit vt sequentibus manum porrigat, animis opus est, quid ni sequamur, cum innatum sit nobis vltimi nostri finis desiderium.

MAIORITAS. Quæcumque de Christi gloria humana mens cogitat, aut eloquitur, imperfe-

Digitized by Google

ctum & mancum est, cæci de coloribus, imperiti de scientiarum mysteriis indicant, qui triumphum hunc solitis inter nos metiuntur gaudiis, tunc implentur de generis humani salute decreta, tunc in terris propagandi regni diuini leges positæ, tunc apparet prædestinatorum numerus & hinc Angeli ob Christi triumphantis memoriam in vnius peccatoris conuersione gaudia celebrant in cœlo.

ÆQVALITAS. Infinitum est quod hinc hominibus quæritur bonum: illis deinceps charitate præditis aperiuntur cœli, & quot in æternitate laudes Deo debent post resurrectionem corpore simul & anima beati, tot sunt Ascensionis Christi mirabiles effectus, nullis gratiarum actionibus æquandi.

MINORITAS. Pudeat homines post insignem Christi de tenebrarum principe triumphum, adhuc tyranno colla submittere, duram pati seruitutem, Imperatori nostro, desertores & transfugas contumeliam infere? Conuenientissimum quidem fuit corporis Christi membra diuinitati iuncta corruptionem non pati, sed totum quod intendit ipse non obtinet, imperfecta quodommodo fit eius resurrectio, si corporis sui membra peccatis fœda, mutila corrupta, sic à cœlo immundum non patiente reiecta, in tenebras exteriores proiiciantur.

Cum Dominus Iesus naturam humanam syderibus importauit, credentibus & fidei veritatem, & cœlum posse patere monstrauit, & dum viuentem in cœlestibus eleuauit, victorem mortis, quo sequantur fideles ostendit. Laurent. Iustinia. de fide cap. 6.

RESVRECTIO mortuorum.

D. Basil. in hexameron. homil. 8. in fine ex transmutatione bombycum, argumentum trahit, futuræ corporum resurrectionis.

Theodoret. orat. 9. de prouidentia, probat corpus animæ officium exhibuisse per omnes suos sensus ad gloriæ adeptionem & ideo iustum esse vt resurgens fiat gloriæ particeps. In acie fortiter decertans contra hostes si quis moriatur, eius imago exprimitur insignita iisdem armis quibus pugnauit. Sic anima erit cũ suo cum quo decertauit.

De resurectione carnis. Grego. Nyssen. Tertulian. Origen. August. epist. 146. Bernardin. quad. 1. serm. 53. Ficin. to. 2. Ephrem to. 2. & 3. Hugo. bibl. patr. to. 9.

Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. 1. Cor. 15. Quos iudicabit, quibus regnabit Deus, si vitæ, si iudicio resurectio non reddiderit, quos sæculo mors ademit. Postea credimus vitam æternam, quæ ipsa morti morienti succedit. Chrysolog. serm. 57. in

In fidei symbolo dicitur. Credo, carnis resurectionem. Crede homo de morte resurgere te posse, quia antequam viueres nil fuisti: aut quare dubitas quod resurgeres, cũ tibi totum quod in rebus est quotidie sic resurgat. Sol occidit & resurgit: dies sepelitur & redit, menses, anni tempora fructus, semina, cum transeunt, ipsa moriuntur, cum redeunt, sua ipsa morte reuiuiscunt; & vt resurrecturum te iugi, & vernaculo instruatis exemplo, quoties dormis & vigilas, toties moreris &

A resurgis. Additur in symbolo *vitam æternam*. Nam necesse est, qui resurgit, viuat in æternum, quia si in æternum non viueret, non vitæ resurgeret sed morti. Id. serm. 59.

Resurget caro, resurget, vt ipsi sumus, vt agnitio maneat personarum vt & martyr de persecutoris pœna lætitiam sumat, & persecutor sumat de martyris honore supplicium. Id. serm. 60.

Vide Concordantia Finis. Idem sepulchrum.

Potest Deus de lapidibus mortuis suscitare filios Abrahæ, & corruptibilis induere corruptionem. Multa exempla habemus transitus corruptibilis in incorruptionem. Metalla habent eadem principia & trãseunt de maiori corruptione in minorem, per digestionem longiorem, vsque in vltimam perfectionem, quæ est auri; sic in cineres resoluuntur herbæ, & ex illis vi ignis, vitrum

B solidum & clarum, atque vix vnquam amplius in cineres resolubile excitatur. Card. Cusa excitatio, lib. 5. cap. 49.

Mortuus suscitatur tangendo corpus Elisæi. 4. Reg. 13.

Si primus homo non peccasset, mortuus non fuisset, Christus qui peccatum abstulit, naturam à peccati pœna liberat per resurrectionem. Suidas in verbo ἀνάστασις.

In monumentis defunctorum pingebantur ampullæ olei. Id. in voce ἐγερσις. quia oleum mersum aquis sursum redit.

Matreas, impostor populi bestiam alebat quæ ipsa se deuorabat & restituebat. Id. in voce ματρέας. talis est mundus ex corruptione se regenerans.

C Abrahaam credidit quod filium suum Isaac immolatum Deus suscitaret à mortuis *Vide Minoritas Veritatis.* Mendacium.

Paracelsus dixit, si lignum in carbonem & cinerem actum ponas in cucurbita vna cum resina & liquore & oleitate illius arboris eiusdem ponderis & misceas, ac lento calore liquefacias, fiet mucilaginosa materia in qua sunt flegma, pinguedo & cinis id est mercurius, sulphur & sal: quæ pones in ventre equino vt putrescant ad suum tempus. Tunc si in solo pingui sepelies, illam materiam videbis reuirescere, & arborem ex inde nasci nobiliorem priore. Id comprobat Campanella physiolog. q. 33. & similiter regenerari posse aues, columbas & omnia.

Creatio facit fidem resurectionis. Non sunt paria extinctam accendere lucernam, & qui minimè apparet ignem ostendere; domum dirutam

D erigere, & quæ omnino non consistit, producere, nam prius subiecta erat materia, ideo Deus quod difficilius erat, primo fecit. D. Chrys. hom. 17. in 1. ad Corinth.

Corpus nobis finxit Deus in terra, ipsum quoque subuehamus in cœlum, non vt per ipsum animã detrahamus in terram. Terrenũ illud est, sed si voluero cœleste fit. Id. hom. 15. in 1. ad Timoth.

In l. & si quis 5. funeris ff. de religios. & sumpt. funer. dicitur corpus sepulchro commendandum, velut ad tempus. Cuiac. obseru. lib. 2. cap. 17.

Nescio cur corporum resurectio incredibilis magis videatur, quam si quis nondum inditis

E corpori nobis polliceretur fore vt è parua seminis humani gutta, formentur ossa, carnes, neruique quales inde exortos videmus; quis visa genitura humana, non expertus crederet perfectum hominem suis partibus absolutum nasci quæ apud homines impossibilia, sunt possibilia sunt apud

apud Deum, &c. Iustinus Martyr. in Apologia ad Antoninum Pium.

Quotidie surgentes à somno expressam habemus imaginem vltimæ futuræ resurrectionis.

Alterationes, corruptiones, priuationes sublunarium, transeunt in statum meliorem. Vide quæ scripsi, de iure naturali. lib. 3. lege 20 §. 1. De corporum resurrectione. Theol natur. to. 4. parte 3. c. 21.

Apostoli initio prædicant resurrectionem corporum, cuius exempla præcesserant. *Vide Duratio Differentia*. Mutatio sensim facienda.

Paul. 1. Corint. 15. Seminatur corpus in corruptione, resurget in incorruptione, &c. fit demutatio, sed non affertur abolitio, & cum id quod fuit, in id quod non fuit, surgit. non amisit originem, sed profecit ad honorem. D. Hilar. in Psal. 2.

D. Hieron. ad Eustochium in Epitaphio Paulæ matris probat resurrectionem mortuorum in ea quæ viximus carne, testimonio Christi, qui post resurrectionem apparuit Discipulis in eodem quod habuerat corpore, membris suis instructo etiam plagis insigni, &c. aliis vtitur probatio-

A nibus ad confutationem Heretici qui asserebat corpus resurgere spirituale, sine sexus distinctione.

Idem ad Auitum de erroribus Origenis refert eum asserere perituram in fine mundi naturam corpoream, animas vt prius, sic postea futuras sine corporibus. Ita dixit Christus, vt quomodo ego & tu vnum sumus, sic & isti in nobis vnum sint; erunt ergo vt Deus sine corpore. Erit, inquit, Deus omnia in omnibus cum vniuersa creatura corporea redigetur in spiritualem Deo similem.

B Miraris si de infantibus & senibus in perfecti viri ætatem resurrectio fiat, cum de limo terræ, absque vllis ætatum incrementis, consummatus homo factus sit; Costa mutatur in fœminam Id. aduers. errores Ioa. Hierosol. & subiicit. Aliter Adam, aliter Eua, aliter Abel, aliter homo Iesus Christus & in omnibus diuersis exordiis vna hominis natura non differt; potest eadem potentia cuncta de nihilo creauit, reddere quæ fuerunt, quia multo minus est restituere quod fuerit, quam facere quod non fuit.

MAIORITAS MINORITATIS.

QVIS SIT MAIOR DEFECTVS.

MAGIS peccat, seueriusque puniendus est, qui peccat, cum maioribus virtutum auxiliis; vt inter liberalem educationem, doctores, monitores. Vide D. Basil. in Psal. 7. *Vide Maioritas Contrarietatis.*

Aliqui mortui sunt ex minima infirmitate, quia cœperunt infirmari luna decrescente, & non existente super terram, & præcipuè si luna recedens ab angulo mediæ terræ in hemisphærio inferiori. Albert. Magn. tract. 2. de proprietatib. elementor. cap. 7.

De peccatis capitalibus. Gerson tom. 2. compendij Theol. & tom 4. Iauellus.

De reseruatione casuum. Gerson tom. 1.

Non omnia peccata sunt æqualia & paria. D. Thom. 1. 2. q. 73. a. 1. Nam in quibusdam est maior voluntas & aduertentia; grauior materia; præstantior virtus cui opponitur. Christus dixit Pilato, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Peccatum autem in diuersa specie fit grauius eo quod est superioris speciei, propter quantitatem & circumstantias, vt furtum potest esse tale vt grauius sit, quam leuis hominis percussio; ita potest esse furtum tantæ quantitatis argenti, vt superet furtum auri. In eadem autem specie, peccatum fit grauius: ex maiori cognitione, ex maiori cognitione, ex maiori affectu, ex conditione personæ peccantis, vt fornicatio grauior est in eo qui vouit castitatem. Ex conditione personæ in quam peccatur, vt qui clericum, vel superiorem percutit; ex maiori damno quod infertur ex pe-

C iori fine; ratione scandali, denique ob circumstantias, quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur quomodo, quando, quædam mutant speciem vt furtum rei sacræ, percussio clerici. Bonacina de peccat. q. 4.

Sicut oppositum peioris est melius, ita oppositum melioris est peius. Arist. 2. topicor.

Vide infra proximè hoc titulo, dignitas auget peccatum.

Peius est quod nocet meliori, quam quod nocet peiori. Vnde maius malum est, quod est malum animæ, quam corporis.

Quamuis negatio per se non recipiat magis & minus, tamen per accidens intenditur & remittitur per intensionem & remissionem suæ causæ.

D Sicut dicuntur maiores tenebræ, quantò est maius obstaculum lucis.

Malum à causa interna grauius est. *Vide Principium Minoritatis*. malum à seipso

Per cœtus grandes intelligi possunt potentes homines in mundano occeano minores pisces vorantes. Origen. homil. 2. in c. 1. Genes.

Peccatum à diabolo peruenit in mulierem, & à muliere in virum, sed diabolus grauius peccauit quam mulier, ergo & mulier grauius quam vir. Simpliciter illud quod in pluribus siue potioribus præponderat. Mulier ex sola elatione mentis, vir ex amicabili benignitate peccauit. D. Tho. in lib. 2. sentent. dist. 22. a 3.

Peccatum nihil aliud est quam quædam obliquatio à rectitudine virtutis, sed contingit lineam vnam magis esse curuam quam aliam, ita

contingit vnum peccatum esse maius alio. Sicut falsitas est recessus ab æqualitate veritatis, ita peccatum est recessus ab æqualitate virtutis, sed contingit esse falsitatem magis & minus; sic peccatum vnum est alio grauius. Ibid. dist. 42. a. 5.

Priuatio non recipit magis & minus secundum se, potest tamen recipere secum causam, sicut aliquis dicitur magis cæcus qui habet oculum erutum, quam cuius visus impeditur, propter aliquem humorem impedientem; & similiter dicitur magis impossibile, quod est secundum seipsum impossibile, quam quod est simpliciter impossibile. Idem in quæst. disputatis. q. 1. a. 3. ad 4. Vide *supra media minoritas*.

Peccatum quod committitur in re maiori, est maius, vnde furtum maioris rei est grauius peccatum, quia magis opponitur æqualitati iustitiæ. Ibid de peccatis. q. 2. a. 9. ad 9.

Grauitas peccati quam habet ex specie sua attenditur ex parte obiecti seu materiæ, ita grauius est quod maiori bono virtutis opponitur & grauissima sunt quæ committuntur in Deum, vt blasphemia, idololatria. In proximum grauiora sunt, quæ maiori eius bono opponuntur, vt homicidium tollens vitam præcipuum bonum; ex circumstantiis etiam loci temporis augetur. Vt si sit determinata magis voluntas ad nocendum. Ibid. a. 10. in c.

Peccatum orbis, aqua, Sodomitarum, igne punitum est, quia naturalis libido cum fœminis leuiori elemento damnatur, at contra naturam cum viris, acriori elemento, illic terra aquis abluta reuirescit, hic flammis cremata, æterna sterilitate arescit. Alcuin. in Genes. interrog. 191.

De grauiori peccato. *Vide Differentia Minoritatis*, diuersa infirmitas.

CORRVPTIO OPTIMI pessima.

Apostatæ omnium pessimi. *Vide Duratio Virtutis Rep.*

Intellectus animalis apud hominem, multò maior est, quam apud alia animalia, habet enim iudicium & dexteritatem quod animaliter conceperit, dolo & prudentia exequi; sermone alios in suam sententiam trahere; Vanitate fœlicis successus animari ad vlteriora; sic furit homo, vt taurus saucius, dum animalis spiritus vincit intellectualem, vt obstinati, se periculis mortique vltrò obiiciant. Paracelsus lib. de lunaticis.

Præter hominem, nulla creatura fit fatua; licet is sit creatura nobilissima. Canes & cætera animalia rarò furore corripiuntur.

Fortius sommiamus per illos sensus, quos fortiores habemus, vt per visum, auditum, tactum, gustum, minus autem per odoratum, quia is sensus in nobis debilior est. Albert. Magn. lib. 2. de somno & vigilia. cap. 1.

Peccata sacerdotum sunt grauiora. *Vide* Virtus *Potestatis*. integritas sacerd.

Optimum & pessimum regimen consistit in monarchia, idest principatu vnius. *Vide Virtus Potestatis*, Repugn.

Maioresque cadunt altis de montibus vmbræ. Virgil.

Iacob de primogenito suo dicit: Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium A doloris mei, quia scilicet cubile patris ascenderat. Gen 49.

Homo vt animantium cunctarum optimus est, sic à lege & iustitia seiunctus, omnium efficitur pessimus.

Quotquot ex Philosophorum progressi scholis tyrannides arripuere, crudelius, auarius, immaniusque eas exercuisse comperiuntur, quam ignari prorsus literarum, vt apud Athenienses ex Epicureorum scholis Ariston, Critias, Lysias, &c. Rhodigin. lib. 22. cap. 21.

Vide Contrarietas Æqualitatis. consanguineorum odia sæuissima. Sic de zelotypia.

Optimi corruptio pessima. Vide quæ scripsi de iure B *naturali lib 3. lege 16.*

Carnes, oua, iuscula, & quæcumque sponte cadauerantur, fœtidissima dant excrementa vt & flatus; sic ambarum, muscus, Zibetta & aromata huiusmodi. Van Helmont de flatibus.

Vide Maioritas Medij, abuti digniori medio.

PLVS MALI, QVAM boni.

In omnibus compositis vincunt elementa infe-C riora scilicet terra, & aqua. Alber. Mag. *Vide Maioritas Bonitatis. Repug.*

Operatio pluribus modis impediri potest, quam perfici, quia non perficitur nisi omnibus eius causis concurrentibus, sed impeditur per defectum singularum causarum eius.

Quantitas continua est diuisibilis in infinitum, sed non augetur in infinitum; ideo quolibet continuo potest dari minus, non autem maius.

Semper id quod substernitur in rebus, inuenitur communius, quam id quod informat, & restringit ipsum, sicut esse quam viuere, & viuere quam intelligere, materia quam forma; tactus, D quam cæteri sensus. *Vide Magnitudo Minoritatis. & Magnitudo* Virtutis. *Rep*

Arbores syluestres plura ferunt, vt pyraster & oleaster, vrbanæ meliora, succos dulciores, suauiores, temperatiores præstant. Theophrast. hist. plantar. lib. 1. c. 7.

In omnibus plantarum generibus syluestre semper vrbano copiosius est. Id. lib. 6. c. 1.

Plebs dicta à pluritate, maior est enim numerus minorum, quam seniorum. Isidor. Origin. lib. 9. cap. 4.

DIGNITAS AVGET E peccatum.

Vide supra hoc titulo, proximè; quis maior defectus.

Phinees occidit ducem de tribu Simeonis fornicantem cum filia principis Madian. num. 25. quia vitium in eminentiorib. personis acrius vindicandum. Iratus Deus dicit ibidem, Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israël.

Qui communicauit, si Eucharistiam ebrietate vel voracitate euomat, si laïcus quadraginta diebus, si monachus, clericus, diaconus, presbyter 70. si episcopus 90. pœnitere iubetur. can. si quis per ebrietatem. deconsec. dist. 2.

Google

Maiorem pœnam habet, qui Ecclesiæ præsidet & delinquit; maiorem misericordiam pomeretur cathecumenus quam fidelis, Laïcus quam diaconus, diaconus quam presbyter. Origen. hom. 5. in Ezech.

Ezech. 17. populus Israël dicitur domus exasperans vel amaricans, quia fidem in Deum malis operibus, velut mel absinthia superiniecto corrupit. Nobis alia seruantur tormenta qui videmur credere, & in ipsa credulitate peccamus, ab eorum supplicio, qui ne initium quidem credulitatis habuerunt. Id. hom. 12.

Vide Contrarietas Æqualitatis. consanguineorum odia.

Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci. Roma. 2. Nam qui maiorem assequutus est doctrinam, is legem transgrediens, maiori supplicio dignus est. D. Chrysost. *Vide Virtus Cognitionis Repug.* scientia cum improbitate. Gentilis ab ipsius naturæ cogitationibus solum condemnatur, Iudæus autem cum ipsa natura & legem quoque acusantem habiturus est, tanto enim maiori cura à Deo dignatus est, tanto maiores pœnas dabit. Non enim auditores sed factores legis iusti sunt apud Deum.

Seruus voluntatem domini intelligens, nec parens verberibus multis vapulabit. luc. 12.

In actu peccati plus peccat Christianus quam infidelis cæteris paribus, vt patet per id quod Apostolus ad Hebr. 10. dicit, quanto putatis deteriora mereri supplicia eum qui Christum conculcauerit. D. Thom. in quæst. disput. q. 7. de peccato veniali. a. 8. o.

Tamen in exteriori, famæ regentium parcitur. *Vide Gloria Potestatis.* honor rectorum, de Aaron.

A Iudæi magis obligabantur Deo quam aliæ nationes propter recepta ab eo beneficia, & pactum cum eo initum, ideo in eodem genere delicti grauius peccabant, quam aliæ gentes. Tost. Leuit. fo. 177. c. 4. h. & seuerius puniebantur. Id. Exo. to. 2. fo. 110.

Obstreticum munus est iuuare matrem & fœtum, vnde fuisset maius peccatum in obstetricibus Ægyptiis si necassent mares Hebræorum. Id. Exo. to. 1. fo. 6.

In quocumque genere peccati, maximè concupiscentia, magis peccat vir quam fœmina cæteris paribus. Id. Math. to. 2. fo. 171.

Cæteris paribus peccatum principis magis punietur à Deo quam priuati. Idem. Math. to. 2. fo. 251.

Summi sacerdotis peccatum grauius erat & intensiuè & extensiuè peccato principis & populi, & particularium personarum, vnde sacrificio omnium maximo debebat expiari. Id. Leuit. fo. 33.
B super Leuit. cap. 4.

Aliæ fornicatrices necabantur, sacerdotum verò filiæ igne cremabantur, si legislator filiam eius atrocius puniri iussit, quid erit de ipso? D. Chrys. hom. 76. in Math.

Summi Angeli peccatum insanabile fuit & hominis sanabile, quia quantò sublimior Angelus in gloria, tanto maior in ruina, homo verò quanto fragilior in natura, tanto facilior ad veniam. Alcuinus in genesim Interrog. 4.

D. Hieron. ad Eustochium de virgine post votum prostituta; Rectius, inquit, fuerat hominis subiisse coniugium, ambulasse per plana, quam ad altiora tendentem in profundum inferni cadere.

ÆQVALITAS MINORITATIS.

IDEM REATVS.

IN inferno hic etiam diuinæ Iustitiæ viget ordo, vt eiusdem criminis rei, iisdem pœnis subiiciantur. De zizania Math. 13. dicitur. Alligate ea in fasciculos ab comburendum igni. *Vide Differentia Contrarietatis.*

De peccatorum æqualitate. Cicero parad. 3.

Cælestinus Papa scribit Episcopis per prouinciam Viennensem cap. 8. vt audiant causam Episcopi Massiliensis, qui homicidæ alterius Episcopi, sic gratulatus fuerat, vt sanguine cruentatum domo exciperet, postquam in via accurrisset. Vide de Receptatorib ff. 47. tit. 19. In maleficio ratihabitio mandato comparatur. l. 152. ff. de Reg. Iur.

De adulatoribus qui adulantur malis principibus *Vide Concord. Potestat.*

Omnia mala quæ permissa sunt Iudæis, erant
C apud gentes. Tostat. Math. to 5. fo. 95.

In aquilonaribus regionibus sunt vulpes albæ, nigræ, rubeæ, variæ, crucigeræ in dorso, omnes tamen in eadem malitia atque astutia participantes. Olaus Magnus. rer. septentrio. lib. 18. c. 37.

Senatus censuit, vt proconsul quem vxor comitaretur, ex delicto vxoris teneretur. l. 4. ff. de off. proconsl.

A

EADEM INFIRMITAS.

PRiuatio non suscipit magis & minus. Vt vnus cæcus non est magis cæcus quam alter, neque mortuus vnus, magis mortuus quam alter. De priuatione totali intelligendum, non verò de partiali. Illa enim est maior quæ plures gradus tollit formæ, intentionem & latitudinem habentis. *Vide Maioritas Minoritatis.*

Exodi 11. percussit Dominus omne primogenitum in Ægypto, à primogenito Pharaonis qui sedebat in solio eius, vsque ad primogenitum captiuæ, & animalis. *Vide Æqualitas Contrarietatis*, æqualis pœna. *Æqualitas Finis.*

Omnibus arboribus deciduos habentibus flores, autumno, & per autumnum folia decidunt; aliis tamen ocius, aliis tardius, vt quædam etiam ab hyeme occupentur. Theophrast.

Iniquus rei possessor non tenetur ad restitutionem, quando apud ipsum res perit, quæ certò apud dominum peritura erat, absque actione iniusta; vt nauta non tenetur ad restitutionem, quando transtulit merces ex vna naui ad aliam deteriorem inuito domino ipsarum mercium, in qua perierunt, prima pereunte in eadem tempestate. l. 10. ff. ad l. Rhod. de iactu. Ita non tenetur ad restitutionem qui rapit segetes, tunc eluuione, aut hostium incursione delendas, inquit Bonacina de restitutionib.

Placet Stoïcis paria esse peccata; nam sic nec verum vero, nec falsum falso magis est quicquam, ita neque fraus fraude neque peccatum peccato maius est. Tam non est ciuis qui ab vrbe decem stadiis quam qui millenis distat. Suidas. Heraclides autem & alij imparia esse peccata dixerunt.

Fiebat olim Romæ luctus publicus pro rerum fortuna & calamitate, veluti cum Vestalis ob noxam iussu Pontificum infoderetur, aut cum clades aliqua insignis fuisset denuntiata, cum cœlesti igne Capitolium tangebatur. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 19. cap. 12.

Boni qui in die iudicij inuenientur viui, insensibiliter exurentur. Tostat. Math. 10. 7. fo. 135. c. 2. c.

Boni & mali ardebunt in die iudicij, sed boni insensibiliter. Id. Ibid. fo. 1 7.

De magnis calamitatibus quæ omnes bonos cum malis inuoluunt. *Vide Magnitudo Contrarietatis.* magnæ clades.

Ignis vrit tam purum quam impurum.

Podagram patiuntur integræ familiæ; sunt & alij morbi hæreditarij à semine.

De eodem cuncti facti sumus luto, iisdem compacti exordiis, in serico & in pannis eadem libido dominatur, nec regum purpuras timet, nec mendicantium spernit squalorem. D. Hieron. ad Sabinam.

Mali æqualiter pereunt diluuio, Ægypti plagas patiuntur tenebræ Domino & seruo, nobili & ignobili, regi & rustico.

In finibus Sclauoniæ propè Venetias vrbs est Rouigno, cuius habitatores penè omnes vtriusque sexus claudi sunt ex nouem circiter millibus septem millia hac debilitantur infirmitate.

Maxima pars hominum morbo iactatur eodem. Iisdem aguntur passionibus, & falsa vt plurimum imaginatione.

REPVGNAT.

COMMVNEM NON pati miseriam.

VIde *Maioritas Potestatis.* priuilegium; & *Differentia Contrarietatis.* fuga in persecutione. *Differentia Minoritatis.* separari à malis & *Magnitudo Virtutis Repug.* paucitas bonorum.

B Ego elegi vos de mundo, inquit Christus Apostolis Ioan. 15. Et Paulus de sacerdotibus dicit, Assumptus ex hominibus.

Quando si eruat pastor de ore leonis duo crura, sic eruentur filij Israël. &c. Amos. 2. Plui super vnam ciuitatem, & non plui super aliam quæ exaruit. Amos 4.

Petrus Damiani opusc. 52. Monasteria in quibus homines saluantur à communi mundi periculo, comparat arcæ Noë.

De Psyllis qui non læduntur à serpentibus dicit Poëta. Pax illis cum morte data est.

Vnum erat peccatum cunctorum Iudæorum vituli factitii, & tamen alii quidem puniti, alii autem non puniti sunt, miserebor, cuius miserebor;

C hæc scrutari non pertinebat ad Moysen. Exod. 33. O homo quis es qui respondeas Deo &c. D. Chrysosth. homil 16. in epist. ad Roman.

Deus non omnes hic punit, vt aliis pœnitentiæ spatium tribuat, sic non omnes latrones etiam rei magis capite plectuntur ita dicit Christus Luc. 13. de his super quos turris Siloë ceciderat, putatis quod illi vltra reliquos omnes peccatores fuerint. &c. Ibid. homil. 25.

Aquæ peruenerunt vsque ad paradisum terrestrem. Tost. Math. 10. 7. fo. 129. c. 4. 1.

Hæbræa lingua quæ prius apud omnes erat, à confusione linguarum mansit in stirpe Heber so-

D lum, vnde dicta est hæbræa. Id Gen. fol. 250.

Leuitæ & sacerdotes non offerebant Deo primogenita pecorum suorum sicut alii propulares, sed sibi reseruabant, quia erant ipsi in redemptionem primognitorum Israël. Id. nu. 10. 1. fo. 37.

Leuitarum matres non tenebantur ad legem purificationis, nec filii ad præsentationem. Id. 1. Reg. 10. 1. fo. 39.

Moyses & Aaron, non seruiebant in Ægypto operibus vilibus, sicut cæteri. Id. Exo. 10. 1. fo. 59.

Cum sole in cancro existente decrescunt dies, & cætera flumina ob ardorem intensum, tunc Ni-

E lus intumescit, & terram Ægypti non solum ab ariditate cæteris communi præstat immunem, sed impinguatam aquis suis fertilem efficit. Id. Gen. fo. 103.

Pisces non sunt puniti per diluuium, quia nondum inuenta nauigatione homines non peccauerant in aquis. Ibid.

Cum in Noruegia lacus & flumina à mense Octobri congelentur, est tamen lacus iuxta metropolim Noruegiæ Nidrosam, qui nunquam congelatur. Olaus Magnus. lib. 1. cap. 17.

Permittuntur quæ non multum nocent. Vide quæ scripsi de iure naturali. lib. 1. lege 11. §. 4.

Imperantis potestatis est aliqua præter consuetum ordinem indulgere. Ibid. §. 5.

Deus interdum eximit sanctos à communi cæteris calamitate in fati vniuersi Apologia. cap. 2. & 10.

Fulgur non quatit laurum, nec vitulum marinum, aut stabula eius adipe linita. Van Helmont.

Parcæ dictæ sunt per Antiphrasim quia nemini parcant. Leo Hebr. dialo. 2 de amore.

Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terraIn Ægypto tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat. Vbicumque autem habitabant filii Israël, lux erat. Exod.

Enoch. tanto tempore seruatus est à morte, vt ostendatur quid potuissent homines si non peccassent. Alcuin. in Genes. interrog 17.

Noë cum filiis seruatus est in arca à diluuio quasi seminarium secundæ originis. Id.

Sunt priuilegia quædam non personalia tantum, sed multis communia, vt Ecclesiarum, veteranorum, militum, creditorum, &c. Cuiac. obseru. lib 15. cap. 8.

Mirum non est cur in aliquibus regionibus rariores sunt portarum apertiones, & aëris mutationes, verbi gratia in Prouincia Galliæ, cum planetæ benefici ibi imperent. In iis vero vbi luna Mercuriusque dominantur, tempus est inconstans & pluuiosum.

PARITAS IN MISERIIS solatium est.

Vide *Media Contrarietas.* ex origine de iustis captiuis, vt cæteris essent in solatium.

Ærarii præpositi dum spoliant plebem vt egestas illi sit tolerabilior, etiam imponunt regi, negantque quod suo nomine exactum est.

Damnati quia inuidi sunt, vellent damnari omnes illos quos hîc non dilexerunt. Tostat. Math. to. 7. 183. c. 1. c.

Compassio dolorem alienum solatur. *Vide Concordantia Minoritatis.* compassio,

Cum aliquis est in aliquo errore, cupit vt omnes imitentur eum, vt per aliorum imitationem error suus honestetur. Tost. 2. paral. fo. 1 9.

Vide *Ius naturale à me collectum. lib 3. l. 12. §. 1.*

Minus nos delectat bonum quod in commune profertur, vt est lux solis, fluuiorum cursus, anni tempestatibus præscriptus ordo; vix enim nostra putamus quæ publica sunt, & quæ sine nostri præ cæteris electione profusa, amor proprius velut inofficiosè præteritus contemptim excipit. Similiter mentem nostram minus percutiunt mala quæ publicè grassantur, & quæ non perueniunt ad nos nisi quia sumus partes vrbis, regionis, naturæ, his addictæ calamitatibus fato communi. Patitur in bonorum direptione cupiditas; ingemiscit vulneribus acceptis, fame tabescens natura sed dolori secreta quædam se miscet consolatio, quod hæc non patimur cœlo nobis irato ob singulare peccatum; innocentiæ singularis patrocinium est, vis illa maior in commune desæuiens.

Hic cessat contumelia, & quæ sanctum Iob grauiter afflixit amicorum opinio, calamitatem esse publicam illatam à Deo, de peccatis occultis vindictam; nullus sic proximis improperat, cum omnes eadem constringit aduersitas. Pauperi solatium est videre vanas spes diuitum & potentiorum, quibus rerum abundantia hoc solum præstat vt plus perdant, plus doleant in communi naufragio, sic diu in supplicium suum laborauerint. Inuidia pascitur casu talium, quos iniquior

A euexerat fortuna; gaudens videt vt morte sic aduersis ad æqualem cæteris sortem, nihil indulgente, nihil parcente manu deiectos. Inanes, ridiculi sunt, tot verbo tenus tituli quibus se miseri mortales munire putant contra vim cœlestem. Agit, versat nos, priuata publicaque suis concludit finibus, occulto nobis loco, modo, tempore iusto tamen iudicio. Eminens necessitas est cui nihil præscribit, & cum propria conscientia, cum hominum opinio huic calamitati contumeliam doloremque non adiiciat, solatium videri debet, cum vniuerso rapi; quis enim se dignum putet vt

B à communi lege, à publicis prouidentiæ decretis immunitatem habeat. In hoc publico iudicio ab extremo dispari, quod à malis boni non separentur, videre licet iustos aduersam hanc sortem fortiter ferentes, etiam prouocantes, absoluta cum diuino beneplacito conformitate: hæc contemplari, hæc imitari summa virtus est & sanctitas, propria diuinaque non carens consolatione. *Ex Principiis.*

Vide *Maioritas Contrarietatis.* In desperationem non est hostis adducendus, nam tunc illi solatium est, commori.

Sic rudes eloquentiam improbant. *Vide Gloria Veritatis.* splendor veritatis eloquentia ex D. Gregorio.

C

MALIS PVBLICIS PARcitur.

Qvidquid multis peccatur, multum est. Lucan. Multitudo potest facere consuetudinem, quæ est tanquam lex contra ius positiuum. cap. sanè. de tempo. ordin.

Ne singulis irascaris, vniuersis est ignoscendum; quid ni habeant excusationem, cum publica via errauerunt. In singulos seueritas Imperatoris distringitur, at necessaria venia est, vbi totus desæuit exercitus. Seneca lib. 2. de ira.

D

Deus confirmauit Regem Israel quem populus contra voluntatem eius petierat. Tost. Iosue. to. 1. 166. c. 2. a.

Excommunicationis sententia non est ferenda in totam communitatem, quia sunt in ea multi innocentes. cap. sentimus de his quæ fiunt à maiori parte Capituli &c 1. q. 7. can. quoties.

Vide *Media Contrarietas.* temperata seueritas.

Lex humana non punit nisi illa peccata, quibus punitis potest stare Respublica. Thostat Math. to. 5. fo. 109.

Interdum peccans non punitur, si ex punitione eius proueniat magnum damnum Reipublicæ. Id. Ruth. fo. 266.

E

Vide Potestas Magnitudinis. multitudo præualet.

Multitudini secundum iura solet remitti, vel attenuari pœna, ideo dicit Augustinus, quod cum multitudine agendum est, magis monendo quam minando, seueritas exercenda est in peccata paucorum, quando scilicet maius periculum timetur ex pœna quam ex dissimulatione. Tostat. Math. to. 5. fo. 21.

Quod multitudini peccanti lex interdum totaliter parcat patet cap. latores, de cleric. vbi si peccantes fuerint vltra quadraginta, non imponitur

pœna, si verò pauciores puniuntur.

Si omnis turba Israël ignorauerit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offert sacerdos hostiam pro peccato, & propitius erit eis Dominus Leuit. cap. 4.

Politia multitudini parcit, quia si multitudo puniretur, periret politia, & multitudo videtur lege superior, cum lex nisi accepta sit non valeat, & multitudo non sit propter legem, sed lex propter multitudinem.

Ciuitati delinquenti, solent principes imponere pœnas pœcuniarias, nec ad cædem ciuium omnium proceditur, sed in paucos seditionis authores, vnde merito D. Ambrosius excommmunicauit Theodosium ob cædem Thessalonicæ factam.

A

Legionis alicuius delinquentes milites ob seditionem aut desertionem solent decimari.

Repug. magnæ clades. *Vide Magnitudo Contrarietatis.*

Deus aliquando punit ipsas communitates, tanquam singulares personas, quando earum peccata grauia sunt; vt diluuio vniuersam terram, quatuor ciuitates Sodomorum igne cœlesti, tot millia Israëlitarum propter adorationem vituli. Tostat. Leuit. to. 1. fo. 37. toto populo Hebræo peccante, Deus totum tradidit captiuandum Assyriis & Babyloniis; sic regna puniuntur & destruuntur. *Vide Finis Potestatis.* Deus enim vniuersorum est, & coram eo regna sunt quædam singularia, & minima. Idem. 1. Reg. to. 1. fol. 127.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

RERVM MAGIS NOTABILIVM

QVÆ IN HOC TOMO TERTIO HABENTVR.

A

Abbatissa sacerdotis officium vsurpans. pag. 1117. d.
Abdicatio paterna. 994.
Abdicatio rerum mundanarum perfecta. pag. 2. col. 2. c 448.
Abortiuum quid sit. 90. col. 2. a.
abortum procurare, nefas. 994. col. 2.
abortum quæ causant. 996. col. 2.
Abreuiatio scripturæ fallax. 70. col. 2. b. c.
Absentia torpentem renouat amorem. 20. e. 8 4. 558.
absentia non soluit matrimonium. 1193. col. 2. a.
Absolutio rarò neganda pœnitentibus. 11. col. 2. e.
Absolutum quid sit. 1009. c.
Abstinentia. 611. *Vide temperantia.*
Abstractio facit veram intellectionem. 265. d. 271. a. & seq.
Abundantia melior defectu. 1105. 1106 & seq. 1109. col. 2. c. 1118. a.
Abundantia nociua. 61. c. 75. col. 2. d. 11 6. *Vide excessus.*
Abusus vt vitetur, multa interdicuntur. 277. d. col. 2. a.
propter Abusum bonum non debet interdici. 1060, col. 2. c.
Abyssus aquarum sub terra. 506. c.
Abyssus quid sit. 291. col. 2. d.
Academia vnde dicta. 100. b.
Accessorium sequitur suum principale. 74. col. 2. d. 1121. col. 2. e. 1154. a.
Accessus & discessus sponsi. 217. col. 2. e. 558. & seq. 1158. col. 2. a. 119. c. 2. c.
Accusatio in Republica necessaria. 872. 1200. col. 2. a. 1201. c.
publica. 1018. col. 2. d.
accusandi nimia licentia. 540. col. 2. e.
Acedia quid sit. 403. a.
Accenti natura. 404. col. 2. e.
acidum vbi noceat. 112. c.
Actio ad intra & ad extra. 165. col. 2. a.
ad actionem quæ requirantur. 188. a.
actio imputatur principali agenti. 962. 1055. col. 2. a
actiua vis bona. 151. col. 2.
Acus nautica dirigit. 2c. col. 2. a
Acolyti qui sint. 294. col. 2. b
Adamitæ hæretici. 1170. 2. b
Admiratio peperit philosophiam. 235. col. 2. d. 236. a
Admonere tenemur proximum. 148 c 490. col. 2. 515.
admonitio constans. 144. col. 2. a. 380. e
opportunè differenda. 8. d. 224. e
blanda & lenis. 911.
docili animo suscipienda. 514. col. 2. 1153 b. c
admonitionem non recipientes 20. d. 185. col. 2. a.
admonitio præcedat vindictam. 861.
Adolescentia Deo sacra. 381. d. & seq.
Adoratio quid sit, 455. col. 2. d.
Aduerbium quare sic dictum 1120. a
Aduersitas homini necessaria. 57. b. 61. d. 754. d. 842. c
aduersitas purgationis causa. 59. b. col. 2. e. 441. col 2. d. 888.
exercitationis causa. 39. e. col. 2. c. 883. col. 2.
aduersa præuidenda. 870. dissimulanda. 875.
aduersa optanda. 416. col. 2. c. 879.
non optanda, sed toleranda. 881. e. 389. 1192 a. b.
aduersitatum causæ. 903.
aduersitatum finis. 915.
Adulatio nociua. 44. a 179. col. 2. c. 183. col. 2. c
placet potentioribus 59 col. 2. b. 179. col. 2. d. 431. c 518. c. 797. col. 2. e
ipsis tandem est tædio 136. b. 179. b. col. 2. d.
adulatores puniti. 179. d.
adulari nescius 431. d
adulatio quando licita 346. 797. col. 2. e.
Adulterium graue crimen. 607.
à parentibus punitur. 1143. a.
Aduocati officium, 582. 1206. col. 2. d.
aduocati salarium. 62. d.
aduocatis pactio de quota litis prohibita. 40. col. 2. e. 42. col. 2. e.
aduocati sint veraces, non eloquentes. 281. e. col. 2. c.
temporarij, & perpetui. 1049. col. 2. e
duo in qualibet causa aduocati. 1018. col. 2. b.
Ædificium cedit loco. pag. 2. col. 2. b
ædificiorum ornatus 552. nimius. 595. 1089. col. 2. c
Æmulatio. 1107. col. 2. b. 1112.
Æquales mutua laborant inuidia. 54. col. 2. b. 1144. a. b.
æqualitas vera quæ sit. 1135.
æqualitas geometrica & arithmetica. 81. e. 199. 1136. col. 2. c. Media. 1147.
æqualitas quæ nociua. 73. col. 2. b. 125. b. c.
æqualis resistentia impedit actionem. 916.

Digitized by Google

æqualitas permanens. 1117 col. 2. b. 1130. & seq.
æqualitas morum in vtraque fortuna. 78. col. 2.b 1130. & seq. 1134. c.
Æquitas. 915.
Æquiualens quando admittendum. 1147.
Aër habet in se occultum alimentum. 54. c.
omni animali necessarius. 1038. col. 2. e.
sanior, quo mobilior. 754. a. e. & seq.
immotus fit pestilens. 291. e
aëris corruptio, vnde procedit 1202. e
aëris proprietates. 778. col. 2. d. 1067. col. 2. b.
aër plurimum potest ad sanitatem. 904. b. c. 985. col. 2. b
Æra pro temporum numeratione. 69. col. 2. b. d.
Æstus nimij causa. 356. c
æstus nimius destruit. 356. col. 2. b
Ætas quid sit. 104. a. 780. col. 2. d
ætas quadruplex. 107. c
ætatum diuersitas vnde procedit. 107. b
ætas causat diuersitatem. 756. col. 2. a
ætates ordinibus Ecclesiasticis congruæ. 27. col. 2. d
Æternitas est origo temporis. 26. b
æternitatis pia meditatio. 94 c. & seq.
æternitas pœnarum in damnatis. 854. col. 2.
æternitas gloriæ beatorum 554.
Affectatio. Vide hypocrisis.
affectatio nimia est odiosa. 129. col. 2. a. 452. col. 2.
affectantur, quæ magis deficiunt. 421. e
Affectus mouere. 345. col. 2. d
Afflictio non est danda afflicto. 920.
afflictio dat intellectum. Vide necessitas.
Agens quale dicatur. 71. e.
agens omne repatitur. 147. col. 2. b.
agnus castus. 343. col. 2. e
agnus Dei cerei. 1050. c
Aggredi hostem melius est. 864. 865.
Agriculturæ grata & vtilis exercitatio. 832. col. 2. 1014. e
eius priuuilegia. 10. col. 1. b. 51. col. a. 1045. a
agri incensi fiunt fœcundiores. 882.
Albedo vnde fit. 437.
reperitur in rebus contrariæ naturæ. 43. col. 1. a
est bonum signum 427. e. & col. 2. 505. col. 2. a
Alea prohibita. 292. & seq. 548. col. 2. e
Alcopecia quid sit. 50. col. 2. c
Alexandri M. ambitio enexpleta. 349. col. 2.
Alienis non se immiscere negotiis. 282. col. 2.
Alienatio bonorum Ecclesiasticorum prohibita. 411. e
Alimentum quale conueniens. 176. a. 1050. col. 2. b. 1137. b. col. 2. b.
alimenti viæ distinctæ in animalibus. 9. e
naturam reparant. 1048. 1054. b. 1069. col. 2. a. 1073. col. 1.
alimenta moram non patiuntur. 9. col. 2. b.
alimenti vis maxima. 59. col. 1. 2. c. 797. col. 1. b. 1023. 1210. col. 2. b. c
copia nimia. 59. c. 61. c. 65. col. 2. b. 1059. col. 2.
alimento posse carere. 1071. col. 2. a. 1072. c
Aliud, alius, alter quomodo distinguantur. 763. e
Altari seruientibus victus debetur. 93. col. 2. c
Alterationis causæ. 771. col. 2. b. e. 773. col. 2, a. e 778. c. & seq. Vide Mixtio.
alteritas cum identitate. 1147. col. 2. a
Altiora sunt præstantiora. 1104. 1113. col. 2. d. 1119. b.
Altitudo maxima. 84. d. & seq.
Altitudinis appetitus. 1131.
altitudini contraria. 779. col. 2. e
Ambitionis mala. 145. 1116. col. 2. & seq.
Amethisti gemmę vis. 220. col. 2. e
Amicitię vtilitas. 793. & seq.
amicitię onera. 57. a. 839.
amicus pro alio moritur. 39. d. 315. col. 2. e. 798. c. 803. e
amicitia contineatur virtutis legibus. 67. b. c. 800. col. 2. a. 811.
amicitia vera inter bonos. 295. col. 2. d. 475. col. 2. 793. col. 2. d
amicitia quo modo distinguatur ab adulatione. 330. col. 2. e
amicorum multitudo. 794. c
amicorum fortunæ perfida societas. 332. d
fallax amicitia hostis reconciliati. 856. col. 2.
esse sine amico quando bonum. 392. a. 889. 1134. col. 2. d. 363. a
Amor. Vide charitas. Amor proximi. 1138. col. 2. & seq.
amor ad plures malus. 62. a. 76. col. 2. a. 295. e 837.
amor est iniustus rerum ęstimator. 32. b. 257. col. 2. a. d
moris continuatio. 4. e 295. col. 2. d. 307. col. 2. c. 798. 799. 1131. col. 2. e
amoris diuersæ causæ. 336. col. 2. c. 783. col. 2. d. 814. col. 2. a
amor qui se profert. 19. b. 319. b. & seq.
amor latens. 32. 321.
Amor sui bonus, & se quisque aliis præfert. 25. 26. & seq. 46. col. 2. c. 60. col. 2. a. 61. col. 2. e. 150. d. 217. c. 236. col. 2. d. 416. e
amor sui malus. 27. col. 2. c. 31. col. 2. 418. col. 2. d
amor proprius charitati contrarius. 68. col. 2. e
Amor Dei sine modo. 295. d. & seq. 308. a. 316. col. 2. d. 321. d. 351. 356. col. 2. e. 1086. c.
amor superiorum ad inferiora est maior, quam contra. 1196. col. 2. c.
amor vehemens & integer. 295. & seq.
amor læsus furit. 46. col. 2. e. 1144. a. Vide zelotypia.
amoris dolores & lachrymæ. 300. col. 2. a 335. e
amoris voluptas. 334.
amor carens zelotypia. 69. col. 2. b
amoris sacri & prophani ferè pares effectus. 82. col. 2. e
amor fallit amantem. 102. c. d.
amor fallax & periurus. 95. c
amor vult foueri. 306. d. e. 1198. col. 2. e
amorem fouet præsentia. 43. col. 2. b. 221. a
amor imperat. 186. col. 2. c
est liberalis. 294. 316. col. 2. b. 319. b.
transformat. 314. 317. d. 327. col. 2. c. 1198. col. 2. e.
vi amoris parcitur. 315. c. d. & seq.
vis amoris mala 316. 343. a
amor non potest cogi. 315. col. 2. d
aperit secreta. 320. col. 2. c. e. 333. col. 2. e
est ingeniosus. 326. col. 2. d
amoris incentiua. 345. d. 1207. col. 2. d
amoris insani remedia 343. 1108. col. 2. b
quidam præ cæteris amandi. 350. & seq. 361. b
amor nimius. 352. e. 353. 356.
amor semper crescit. 353.

amor

Digitized

amor mutuus. 363. col. 2
amor & coniugium diuersorum. 775.
Amplitudo melior defectu. 1105. c. 1106.
Amplitudinis causæ. 77 col. 2. c. 83.
amplitudinis desiderium. 77. col. 2. c. 214. col. 2
b. 219. a. 1043. c
Anatomiæ inuentio. 758. c
Anathema. 372. d. c. 849.
Angelorum existentia. 489. c. 496. c
angelorum auxilium. 54. d. 488. d
angeli custodis perpetuum auxilium. 4. col. 1. d. 5.
a. 232. col. 2. d. 379. col. 2. c. 488. & seq.
quando cessat. 59. b
angeli fauent orantibus. 447. col. 2. b
boni plus iuuant, quam mali noceant. 60. col.
2. d
angelorum celeritas. 122. b
vnus angelus multorum hominum custos. 124.
col. 2. e
Angeli semper exercent idem officium. 138. e
Angeli cœlorum motores. 232. a. 489. a
angelorum diuersa cognitio. 260. a
angeli non omnia clarè vident. 267. b
angeli faciunt miracula. 1069. c
ad angelos an pertineant sydera. 277. b
Angeli possunt mouere localiter. 754. col. 2. e
angeli inter se specie distincti. 756. col. 2. c. 768.
col. 2. a
angelos imitari. 771. col. 2. c
angeli precibus conciliantur. 409. d
mentes humanas illustrant. 1121. d. e
angelorum cum mulieribus commixtio 775. col.
2. b. a
Anima rationalis non est pars Dei. 439. c
cur coniuncta corpori. 112. col. 2. b. 768. col. 2. a
est templum Dei. 16. col. 2. c
fert Dei similitudinem. 27. e
est immortalis 90. c. & seq. 213. e. 216. b 224. d
312. col. 2. c. 335. c. 417. col. 2. b. 1041. c
habet leuem grauitatem. 115. col. 2. b
eius præstantia. 149. d
animæ inter se diuersæ. 164. col. 2. b. 467. d &
col. 2.
earum transmigratio credita. 284. a
animarum saluti incumbere. 537. c
Animalia vitant sibi nociua. 22. c
animalia munda quæ. 44. col. 2. b
animalium ætas diuersa. 107. col. 2. b
animalia cur potius nascuntur ex cadauere, quam
plantæ. 195. col. 2. a
Annus vnde sic dictus. 7. b. 783. col. 2. d est re-
ditus ad similia. 1131. col. 2. c
annos numerandi diuersa ratio. 979. 1129. b
Antidota nascuntur cum venenis. 13. col. 2. 1173.
c. col. 2
Antipathia. 905. 1144. a
Antiqua pluris æstimantur 10. col. 2. c. d. 104. c.
d. 234. col 2. a
Antropophagos fecit ira & necessitas. 1144. e
Apes puritatis amantes. 235. e
apum innocens rapina. 50. b
Apostasia à fide & votis. 402.
apostatæ omnium pessimi. 404. 1065. b. 1127. col.
2. d
Appellatur à sede Apostolica ad ipsam. 249. col.
2. c
Appetitus boni & melioris 24. & seq.
appetitus in diuersis diuersi. 316.
Aprilis mensis vnde dictus. 420 col. 2. d
Aqua est antiquius & præstantius elementum.
105. e. 1064. c. 1065. col. 2. e
assumit qualitates locorum per quæ transit.
808. b.
aquea signa zodiaci diuersè significant. 759 a
aquæ & ignis temperata mixtio. 191. col. 2. e
aqua pluuialis fecundior. 7. b. 53. col. 2. d. 54. a
aquæ in mixto effectus. 777. d
aqua pluuialis amara, herbas necans. 43. col. 2. a
aqua quæ salubrior. 506.
aquam cur colebant Ægyptij. 44. col. 2. d
aqua lapidescens, necat. 50. col. 2. c
aqua vehit alimentum. 53. e
est nociua febricitantibus. 55. col. 2. c
est corruptionis principium. 110. col. 2. a 1103. col.
2. c
aquæ motu celeriores. 121. col. 2. e
aquarum inundationes infaustæ. 857. d 858.
à sanctis coërcitæ. 1123. col. 2. d
aqua in calice vino mixta quid significet. 1141. col.
2. c
Aquila implumis. 210. a
Arbiter conciliator pacis. 827. col. 2.
Arbor tantum roris colligens vt sit loco pluuiæ,
fontium fluminum. 54. b. *Vide Planta.*
Arbores maximæ. 74. e
Arca Noë 110. col. 2. c
Arenosa cur sterilia 68. b. 836. col. 2. d
Argenti viui mira natura. 831. a.
Arithmeticæ vtilitas. 75. d
Armoriæ seu stemmata. 423. b 424. a. 781. a
Artes tempore excultæ. 6. a. 4. b 1010. e
artium noua inuentio. 224. col. 2. d 226. b col. 2. d
ars naturam perficit. 54. col. 2. e 231. b 233. a
ars cito operatur. 229. col. 2. e
ars quid sit. 240. d 250. col. 2. a
artes sibi mutuo auxiliantur. 63. col. 2. b 64. a
artium excellentia & præmia. 243. & seq.
artifices egregij, in rebus præclaris impendantur.
1041. a
artium diuersitas. 250 col. 2. 1136 col. 2. d
artes peccatorum ministræ. 1107. col. 2.
artes à casu 190. e
ab amore. 326. col. 2. c
artificum vita laboriosa. 858. col. 2. d
Archiuum publicum. 112. e
Aristocratiæ deffensio. 205. b
pericula. 205. col. 2. d
Arteriarum motus perpetuus. 4. col. 2. c
Ascensio ab igne & aëre. 1115. col. 2. b
Astrologiæ à longæuis hominibus inuentio. 228. a
261 col. 2. b
astrologia qualiter probanda. 274. col. 2. & seq.
889. d
à Patriarchis reuelata & ab illis exculta. 274. col.
2. d e
astrologia Theologiæ consona. 522. a
astrologis non licet de vita regentium inquirere.
193. c. 187. e
astrologiam profitentium errores. 276. col. 2. d
281. a. 282.
Astutia dedecet principem. 158. col. 2. d
Asylum templi. 587. Asylum domus. 587
Attributa diuina cur distincta. 84. b. col. 2. c. d
Auarus sibi nocet. 30. col. 2. d. 68. e. 1113. col. 2. b
sibi contradicit. 203. c
auarus infanticida. 68. e. idololatra 1115. d
est pauperrimus. 1115. c d
auarus rapit & non dat. 68. col. 2. d
auaritia insatiabilis. 202. col. 2. & seq. 1113. 1115.
auaritiæ maior est quam libidinis cæcitas. 1115. b

Digitized by Google

Audacia vnde procedit. 433. e nimia. 1184 a
audere supra vires. 1117. col. 2.
auditus organum. 801. col. 1. a
auditus mortificatio. 604.
Aues nocturnæ. 235. col. 1. d
aues vocem humanam imitantes. 570. col. 2. e
Augmenti causæ & media. 1124. 1125.
Augmentum quæ impediunt. 75. col. 2. c. 1124. 1127.
Auguria & ex illis diuinatio 273. a. & col. 2. 289. col. 2. d 1067. col. 1. a. 1181. e
Aulæ miseria. 462. b. 1122. col. 2. e
aulam fugit sapiens. 461. col. 1. e. 790. a. b
aulici simulant amorem. 332. a. & seq.
Aulicorum casus. 1102. 1122. col. 2. e
Aurum non communicat vim suam aquis per illud transeuntibus. 65. d
Auxilium dare oppressis 33. col. 1. d. 1186. 1200. 1201. a. *Vide eleemosyna.*
qui tenentur ex officio præstare 69. a
mutuo indigemus auxilio. 1009. col. 2. a. 1016. a

B

BAptismus delet omne peccatum. 1. 2. 1013. col. 2. c. 1203. col. 2. d
non debet dari pueris infidelium citra consensum parentum. 132. d
baptismi conferendi ritus diuersus. 514. a 1191. c
Barbari non sunt in re bellica instruendi. 65. b.
Bellorum necessitas & vtilitas. 844. 866. b
à bellis quantum fieri potest abstinendum. 931.
bellorum causæ. 904. 1202. c
bellum flagellum Dei. 882. c
bellum ciuile. 904.
bellum scientiis contrarium. 253. col. 1. a
bellicæ fortitudinis gloria. 186. col. 2. b
bellum peperit imperia. 187. a
vis armata priuatis prohibita. 907. 931. col. 2. c
in bello temperata sæuitia. 914.
Benedictio parentum. 946.
Beneficium *Vide munera*, eleemosyna, donatio, liberalitas.
beneficij continuatio 3. & seq. 26. c. 386. e. 501. col. 2. c. 1111. d
beneficium non continuum. 4. col. 2. d. 5. e. & col. 2. 6. b. 68. c. & seq. 68. b. 1126. d
sine dilatione præstandum. 5. c. 19. & seq. 22. col. 2. 303. c. 1213. e
cum mora & dilatione. 5. e. & seq. 67. a. 225. col. 2. e
palam collatum. 18. & seq. 59. col. 2. d. 75. col. 2 b. 140. e
latens. 7. a. 21. & seq. 19. col. 2. b
conciliat animos. 16. & seq. 295. a. 346. col. 2. e 361. col. 2. e. 805. col. 2. e
fouet amicitias. 33. c. 46. col. 2. b
verum beneficium quale sit. 39. & seq.
beneficium seipso conferre. 1069. col. 2. e
vere gratuitum. 40. & seq. 64. col. 2. b. c. 605. col. 2. e
inuitis collatum. 41. e. & seq.
falsum lædens sub specie auxilij 42. col. 2. e. & seq. 44. col. 2. a
benefactor colandus. 44. d
commodum ex collato beneficio. 45. a
beneficium etiam ingratis collatum. 2. col. 2. e 5. e.
beneficia largè & integrè conferenda 1. 2. per totum. 40. e
pro parte collatum. 54. col. 2. e. 55. a
beneficia Ecclesiastica debent conferri integra & sine diminutione. 1. c. col. 2. e
beneficium non fit sine aliquo incommodo. 46. e
beneficia ne conferantur, impedire. 50. & seq.
à beneficio quando cessandum. 58. c. & seq. 64. col. 2. e. 65. & seq.
beneficium quod est maius. 61. a
commendat illud recipientis necessitas. 267. d. 5. col. 2. & seq.
beneficii gratitudo. *Vide gratitudo.*
beneficia quibus neganda. 65. 66. & seq. 1001 & seq.
beneficij conciliator & promotor. 53. & seq. 188. b. 793. a
beneficia spargenda, non vni tantum conferenda. 952. e. & seq.
benignitas, mansuetudo. 392.
bezoart lapis, vnde procedit. 14. e
bibaces innoxiè. 257. a
bibliotheca amplissima. 214. e. 223. d. e
bigamia cur sacerdotibus prohibita. 471. col. 2. e
bitumen seruat à corruptione. 111. b
blanditiæ conciliant amorem. 346 e
blasphemia, impietas. 968.
blasphemia etiam falsæ religionis non probatur. 795. a
bonum ex integra causa. 70. & seq. 71. a. e. & seq.
bonum natura sui diffusiuum. 14. col. 2. a. d
bonum potest differri in tempus opportunum. 8. c. & seq.
bonum est prius malo. 131. col. 2. c
bona noscuntur cum his priuamur. 19. col. 2. e. 20.
boni à malo discretio. 22. & seq. 43. c. 55. col. 2. d 244. col. 2. c
bonum in conuenienti. 23. col. 2. b. 48. & seq. 59. c. 336. c
boni naturalis appetitus. 24. & seq.
bonum morale triplex. 48 col. 2. b
bonum malo mixtum. 55. d. & seq. 76. col. 2. c 95. e. 117. col. 2. b. 179. col. 2. e. 223 a. 768. b. 409. d. 494. e. col. 2. 822. b. 819. b. col. 2. d
boni plus est quam mali. 58. col. 2. a. 60. d. 372. col. 2. 1218.
bonus quisque præsumitur 373. 441. e
bonum quando nocet. 60. col. 2. a. 256. col. 2. a.
bonum non ideo respuendum, quia potest in abusum conuerti. 255. b. 256. c.
bonum quod sit excellentius 60. d
bonum quod potest, non faciens, peccat. 68. col. 2. d. e 69. col. 2. b. c
bonum commune conciliat dissidentes. 73. col. 2. a
bonorum inter religiosas personas, communio. 169. col. 2. e. & seq. 294. c
bonis abuti. 204. col. 2. c
bonus inter malos. 67. col. 2. e. 78. d. 130. col. 2. c. 392. & seq. 495. col. 2. b. 828. col. 2. d
bonorum congregatio. 472.
boni cum malis aduersa patiuntur. 910. d. 1220.
Breuitas sermonis bona. 87. c. d. 312. d. & seq. 1154 col. 2. d. e
breuitas sermonis nociua. 129. col. 2. a

C

CAbalistica doctrina. 245. a
cadauera suæ speciei fugit animal. 1190. e. 1144. a. b
Caducæus quid significet. 818. c. d
Cæremoniæ sacræ. 426. splendidæ. 1042. a. 1043. col. 2. a

Digitized by Google

ab hæreticis debent dissentire. 767. a. 1192.
Calceus possessionis signum. 193. col. 2. d.
Calamitatum diuersitas. 894. 1187.
calamitas communis. 1210. e
Calendarii reformatio. 69. c.
Caloris effectus varii. 315. e. 440. col. 2. a
calor est actionis principium. 229. a
fœcunditatis. 51. c. d. 295. b. 315. col. 2. 745. e
calor nimius nocet. 6. e
calor rerum naturas mutat. 714. col. 2. e
calor naturalis quomodo deperditur. 1102. col 2. e
Calumnia graue crimen. 575. *Vide maledicentia.*
calumniatur sibi nocet. 30 col. 2. d
calumnias non audire. 578.
calumniæ non cito consentiendum. 67. c. 402. d
calumnia fortiter ferenda. 398. b
Cancri & capricorni contrariæ significationes. 1196. e
Cancer significat auaros. 68. col. 2. e
Canonizatio quid. 455. col. 2. d
canum erga dominos fidelitas. 1188. d
Capillorum cura nimia. 765. b. 594. col. 2. d
Captiui redimendi rerum sacrarum pretio. 129. col. 2. b
Caput est membrum vniuersale. 124. a. 159. col. 2. b
est principale membrum. 130. col. 1. d
Capitis conueniens magnitudo. 87. e
Caput aperiendi mors. 159. col. 2. b. 154. col. 2. b secundo.
caput arte factum loquens. 265. d
Carcerum causæ cœlestes & pœna. 777. col. 2.
carceratorum cura. 778. col. 2. a
in carcere consolatio & fortitudo. 397.
carcerum differentiæ. 522. d
Cardinales qui sint in Ecclesia. 288. d
cardinalis deponitur à Papa. 104. a.
Castitas. *Vide virginitas.*
castitas spiritualis quæ sit. 296. b
Castratio cur interdicta. 70. col. 2. b. 1012. e. 1172 col. 2. d
vbi legibus præscripta. 1110. d
Casu quædam benè cesserunt. 289. col 2. & seq. 441. col. 2. b
Causarum cognitio difficilis. 596.
quæ sit vera rerum causa. 962. 963.
causæ vniuersales supplent defectum singularium. 54. b. 997. 1006. c. 1015. col. 2. c. 1210. c
Causa particularis, plus determinat. 1015. b 1 20. e
Causæ vniuersales, sunt magis beneficæ. 61. b
Causa nobilior suo effectu. 973. 1001. 1015. a. 1099. col. 2. 1107. b. 1112. col. 2. a. 1131. a. & seq.
causæ agunt secundum dispositionem recipientium. 48. d. 50 b. 1026. 1027.
Causa quæ produxit conseruat. 945.
causarum plurium concursus. 49. c. 73. d. 692.
causa eadem contrarios parit effectus. 221. d. 901.
causæ diuersæ quæ similes pariunt effectus. 900.
causarum concursus in bono. 992.
in malo. 993. *Vide societas malorum.*
Cedendo quædam vincunt. 788. a
Cedrus longæua. 92. col. 2. e
Celibes quomodo cœlum efficiat. 74. col. 2. e
Celeritas in conferendo beneficio. 9. & seq 1211. col. 2. c. 2 0 c
Celeritatis causæ. 9. col. 2. a. 15. col. 2. d 226. col 2. e
celeritas in quibus est bona. 111. d. & seq.
celeritas & agilitas corporis. 112. a
celeritas & impetus in conflictu. 140. e
celeritas cum iudicio. 212. b. 229. b
celeritas in cognitione. 228. col. 2. & seq. 263. a
celeritas nimia. 90. & seq. 338. e. *Vide mora bona.*
celeritas in remediis & vindicta. 864. & seq.
Cellæ monasticæ laus. 763. col. 2. b
Centones quid sint. 798.
Centrum suum quare appetunt corpora. 782. col. 2. b
Cerebrum præcipua sedes animæ. 351. col. 2. d
Cetæ quomodo capiuntur. 859. d. col. 2. d
Charitas à Deo 344. col. 2.
charitas erga Deum vera quæ sit. 33. e. col. 2. 351 a
posita charitate tollitur omne peccatum. 329. col. 2. c
charitas ad omnes æqualis. 1. col. 2. b. 32. col. 2. e 52. a. 262. col. 2. c. 768 e. 361. & seq.
non nobis sed & aliis nati sumus. 32. c
charitatis vis summa. 316. col. 2. 318. d
charitas summa virtutum. 319. d. 1138. col. 2. e
charitas est ordinata. 310. b. col. 2. b. c
magis miseris magis auxiliatur. 361. c
Choreæ nocturnæ castitati periculosæ. 396. col 2. a
Christus saluator. 579. 919. col. 2. b. 965. a
christi resurrectio & ascensio. 1214. & seq.
Resurrexit cum suis vulneribus 18. a
in christo vna persona 87 col. 2. d
christus durationem mundi prorogauit. 108. b
christus rex. 197. e
fuit pulcher. 428. e. col. 2. b. 1039. col. 2. a
dicitur babuisse duas exteriores formas 433. col. 2. a
Christum imitari. 986.
Chymera quid significet. 245. a
chymiæ libri. 188. a. 253 c.
de vi chymiæ *Vide ignis.*
chymiæ spiritualis operationes. 118. col. 2. a
cingulum religiosum quid significet. 304. col. 2. b
circulatio rerum omnium. 783. c. & seq.
circumcisio signum fidei. 441. a. 448. col. 2. e
ciuitatem quæ constituunt. 812. col. 2. b. 1135. col. 2. b.
clades magnæ. 848. col. 2. 1099. col. 2. c. 1121. col. 2.
clementia *Vide misericordia, & de clementia Regis.* *Vide rex.*
Coactio quantum fieri potest vitanda. 928. 18. a 78. b.
Coactio & vis interdum necessaria. 41. b. 55. a. 73. a
Coagulatio quomodo fit. 827. c. 1153. & seq.
Cæcitatis malum, & consolatio. 290. col. 2. b. 1165. d
Cæcitas ex peccato. 245. d. *Vide peccatum.*
cæcitatis causæ à cœlo. 254. c
Cœlibatus. 609. Sacerdotum. 610
Cœlum est locus omnium. 778 e
est quintum elementum. 1014. c. 2. e
cœlorum motus circularis. 337. col. 2. d. 1130. col. 2. b. c
cœli motus vniformis vnde. 338. d. 760. col. 2. c 761. col. 2. a. 778. c
cœlorum occulta vis. 274. col. 2. d
Cœlos aliqui crediderunt animatos. 141. d 277 b
cœlum est finitæ quantitatis. 84. e. col. 2. a.
cœli motus quare perpetuus. 4. col. 2. c. 754. e. 755. e
Cœlum Empyreum influit. 109. col. 2. a
Cœlo conformari. 985. e. 986. 1089. col. 2. a
Cogitationum pia moderatio. 301. d. 1158. a
Cognitio *Vide scientia.*
gnitio sui ipsius. 76. a. 1158. & seq.

Digitized by Google

sui defectus. 420. col. 2. d. Vide humilitas. 1159. 1160.
suę virtutes. 416. 1107. a
cognitio perseuerans. 220. e
cognitio successiua. 225. b
matutina & vespertina in Angelis. 228. e
cognitionum diuersitas. 245. col. 2. b
Cohobatio chymica. 94. a
Color an insit corpori. 422. b
colores planetis tributi. 978. e
colorum diuersitas & origo. 346. d
colores sunt significatiui. 759. b. 42. col. 2. b
colores iridis. 767. d
Columnaris figura partium corporis. 357. col. 2. d
Cometæ situs & significatio. 1155. b
Communcationis creatæ diuersi modi. 40. c. 54. col. 2. e
Communio bonorum. 169. col. 2. & seq.
Communio Eucharistica frequens. 14. col. 2. & seq. 919. col. 2. b. 1027. col. 2. b. 1028.
communio sub vna specie. 520. col. 2. d
Comparatę res melius intelliguntur. 75. b. 76. col. 2. d. 497. a
Compati malis alienis. 1193. & seq.
Compassio naturalis. 53. c. 1194. a. est meritoria. 54. col. 2. a
Vide misericordia.
compati infirmis. 278. & seq. 795. b. & seq.
compati peccantibus 300. vide zelus.
compassio non est sine delectatione. 300. col. 2. e
compassio non sit nimia. 1194. col. 2.
Compatres in baptismo. 54. c
Complacere & conformari omnibus. 135. col. 2. b
Compositio Vide mixtio.
concertatores in certaminibus. 1195. a
conciliorum authoritas. 519. 803. 252. c
concilium seu consistorium Iudæorum. 252. e
Concordia, Vide amicitia, vnio societas, congregatio, pax, concordiæ vtilitas. 743.
concordia à Deo. 73. c. 344. col. 2.
concordia media seu mediata. 794. c. 2. c. d. 828. & seq.
Conditione sua nemo contentus. 36. d. 348. 349.
Conditioni cuilibet salus est proposita & possibilis. 770. b 360. d. 367. a. 468. b. 506. col. 2. c. 507. e
Confessio Vide pœnitentia,
confessio delicti pœnam minuit. 1160.
confessio sacramentalis. 1161. 1189. c. 1211. col. 2. d. 1113. d.
confessionis secretum. 1165. col. 2. b.
confessio iterata. 1213. col. 2. b. e
Confidentia in beneficiis prohibita. 55. e
confidentia sui bona. 416.
est periculosa. 418. col. 2. & seq. 1205. c
conformari omnibus salua virtute 795. 1067. a
Congaudere. 334. c. 813. c. d. 572. & seq.
Congregatio Vide societas.
congregationis piæ institutor. 825.
in congregatione vita securior. 472. d
congregationes quæ prohibendæ. 838. col. 2.
Coniux Vide mulier, vxor, matrimonium
coniugum mutuus amor & æqualis castitas. 364. 8 0. b. & seq.
coniugum nimius amor. 355. col. 2.
coniugium inter personas diuersæ sortis. 775. c. 800. e. 1191. d
coniugium cum infideli malum. 776. 902.
Consanguinei vide parentes. 53. b.
consanguineorum amor aut odium. Vide frater.
Conseruationi prius intendendum. 89. & seq.
conseruationis & vitæ amor. 57. & seq.
conseruatio quibus modis habetur. 72. c
conseruationis causæ naturales. 108. col. 2. 109. & seq.
Conscientia recta quæ sit. 241. col. 2. a.
conscientia erronea. 241. col. 2. c. 533. col. 2.
conscientia qualiscumque sit, obligat. 534. b.
conscientiæ bonæ pax & securitas. 463. b. & seq 465.
malæ stimuli. 465. & seq. 1212. col. 2. e
Consilium verum & sincerum semper dandum. 505. c
Consilium fraudulentum. 40. a
consilium malum dans, tenetur. 1106. col. 2. 1107 b. & seq. col. 2. a. 1217. col. 2. d.
in consiliis pertinacia mala. 205. col. 2. d. 250. e.
consilii optima sępè mutatio. 249. col. 2. & seq. 337. b. & seq.
Cuilibet opus est consilio. 251. & seq. 262. 293 col. 2. d
Consiliorum Euangelicorum perfectio. 150. d
Consistentia & cessatio motus. 784. col. 2. d.
Consolatio non debet tarde fieri. 10. a
consolationes diuinæ quantum prosint. 295. a. 464. d. e. & seq.
Consolationes in diuersis vitæ calamitatibus. 366. & seq.
constantia in proposito. 70. col. 2. c. 95. d. 554 col. 2. a
in aduersis. 108 b
consuetudo mala. 257. col. 2. a. 265. col. 2. e. 864. col. 2. a
consuetudo plurimum potest. 92. & seq. 216. col. 2. d. 258. col 2. a. 286. e
consuetudo legalis. 93. c. 422. col. 2. e
quomodo introducitur. 74. col. 2. e. 93. c. 104 col. 2. a.
vera quæ sit. 104. a. & col. 2.
consultatio optima. 223. 224. & seq. 251. & seq.
Contagio quid sit. 807. c
Contemplatiuæ vitę excellentia. 761. col. 2.
contemplatio sterilis. 459. col. 2. d
contemplationi actio mixta. 160. e. & seq. 469. col. 2. b. 829. c
contemplationis voluptas 244. & seq.
continuatio vim habet maximam. 29. d. & seq.
Continentia in coniugio. 607.
Contraria sibi opposita magis apparent. 404. c
contrariorum vnio bona. 56. c. 80. c. 85. e. 897. & seq.
Mala 901.
Contumax quis sit. 310. a
Conuersatio. Vide societas.
conuersatio malorum inficit. 300. c. 393. col. 2. b.
806. col. 2. & seq.
bonorum prodest. 422. col. 2. e 805. col. 2. & seq. 1112. c
Conuersio subita ad Deum. 10. a. col. 2. a. d. 373. col. 2. d. 381.
Vide pœnitentia.
Conuiuiorum honesta festiuitas. 573. 574.
olim in natalitiis martyrum. 1032. b. 1062. col. 2. a
conuiuium ad quod omnes admittuntur. 2. col. 2. b. 2. a. 62. col. 2. a. 1196. c
à conuiuiis abstineat clericus. 27. e. 1032. col. 2. e
In conuiuiis luxus nimius. 62. col. 2. a. 595
In conuiuiis sanguis effusus spectaculi gratia. 867.
Cor calidissimum. 267. col. 2. e

Digitized by Google

cordis pulsus quid efficit. 758. a
Cornu copiæ. vnde 3. col. 2. b
Corona clericalis quid significet. 117. col. 2. b. 506. a
corona regum quid significet. 148 d. 158. col. 2. e
coronantur reges certis adhibitis cæremoniis. 150. a. 151. col. 2. e
corpus à Deo assumptum in creatione. 1197. e
Corpora omnia mala dicunt Manichæi. 64. c. 2. a
corpus duplex in homine. 1137. a 53. col. 2. e
corporum nostrorum putrefacio vtilis. 1150. a
Corruptionis causæ 110. b col. 2. a 1204. 1205. col. 2. b 1201.
corruptio optimi pessima. 186. col. 2. c. 404. c. & seq. 1218. d
Correctio fraterna mutua. 65. col. 2. e
Crateres pleni. 80. a
Creatio fit in instanti. 229. b. e
Crimen crimine tegitur 61. col. 2. d 1152.
criminis manifestatio pœnalis. 1163.
Crudelitas fucata 43. c.
crudelitas vitanda 1144. d
crudelitas nimia. 223. col. 2. d 918.
crudelitatis ministri 906. col. 2.
Crocodili morsus horrendus. 477. col. 2. e
crocodylus ex sicurato ferus. 972. c.
Crux Christi quare ornata. 426. a
Crucis Christi gloria. 14. e 887.
est titulus Ecclesiarum. 137. c
Crux, vt veritas, odiosa. 518. e
Culpa grauior post veniam. 404. col. 2. e
Cultum quædam auersantur. 59. c
Cupiditates mortalium inter se pugnant. 30. e. col. 2. e
Curiositas nimia in rebus alienis inuestigandis. 283. a. & seq.
Currere est res indecens. 9. col. 2. c
Cursores regum 121. col. 2. e. 263. col. 2. d

D

Damnatorum æternæ pœnæ. 854. col. 2.
damnatos quomodo ignis torqueat. 55. d
Dæmonis in hominem odium. 450. col. 2. a. 480. col. 2.
dæmon homines decipit. 43. b. col. 2. b. c. d. 121. b. 142. a. 1207.
imitari conatur sanctitatem Ecclesiæ. 440. c
dæmones animalia, aëreа, immortalia. 109. a
dæmones vertumni. 120. e
valent experientia. 227. col. 2. b
habent scientiam naturalium. 240. c
nihil à dæmonibus petendum. 1032. c. e. 1033. a. a. col. 2. c.
Debiti solutio 62. col. 2. c
Decanatus signorum zodiaci. 141. c. 189. a
Decimæ Deo debitæ 58. col. 2. b
Defectus maximus 1150.
ex Defectu aliorum profectus bonus. 1147. e. 1178. malus. 1180.
defectus perpetui. 1151.
Defectus suos nosse, difficile est. 1131. d. 1158. 1159. 1160.
Defectus suos abscondere. 775. col. 2. d. 1165. 1210. col. 2. b
defectus in mundo necessarij 1149. & sequen.
defectus alieni regendi non reuelandi 323. col. 2. d. 325. col. 2. c. 326. c. 1165.
quot modis eos reuelando peccatur. 1166. col. 2. d
defectus miscentur perfectioni. *Vide bonum malo mixtum*
Defensio sui iusta 47. c. & seq 249. d
defensores ciuitatum, qui. 181 col. 2. a.
defuncti suffragiis iuuandi. 129. col. 2. c. 308. col. 2. & seq.
Degeneres 111. col 2. c. 860. col. 2. e
Degradatio quid sit 193. col. 2. b
Delegari qui non possunt. 180. col. 2. d. 190. & seq.
ex Delicto suo nemo debet proficere 1186.
Democratiæ deffensio. 205.
Demogorgon quid apud antiquos. 288. col. 2. d
Denarius numerus. 75. c. 81. col. 2. d. 84. c
Descensus superiorum ad inferiora. 492. b. 1196. & seq.
Desertionis pœna. 60. a. 403. col. 2. e. 404. a 89.
Desideria sint limitata. 348. 349. 760. d. 1117. col. 2. a. d
Desperatis crescit audacia. 340. col. 2. a. 1072 col. 2. c.
in desperationem non est hostis adducendus. 920.
Nullus ob sua peccata, de misericordia Dei desperet. 1168. 1212. d. & col. 2.
Devs. vnus est. 87. col. 2. d. 88. b. 952.
Dei cognitio per creaturas. 212. col. 2. a. 952.
Dei infinitas & immensitas. 95. b. 941.
immutabilitas. 365. b. 944. 1131. col. 2. e
omnipotentia. 947.
solus potest sine mediis agere 1070. col. 2. b. 1071. a
sapientia. 951
præsentia vbique. 1951. 1197 col. 2. e
Sanctitas. 959.
Deus non est author peccati 1203. d. & seq.
Bonitas & misericord ia 939. 1133. col. 2. a. 1198 col. 2. e
Prouidentia res creatas etiam minimas conseruans. 108. 944. 1062. col. 2. e
Deus est vera pulchritudo. 144. col. 2. b
est ineffabilis. 266. a. 955.
est summum hominis bonum 1083.
vult præces nostras ad ipsum dirigi. 25. a. 359. col. 2. d. e. 488. col. 2. & seq. 1069. b. c
Dei amor erga homines. 365. 501. col. 2. c. 956.
Deum amare. *Vide amor* & 956.
In Deo nos ipsos amamus. 27. col. 2. d.
Deus impiorum oblationes respuit. 27. col. 2. 35. col. 2. e
bonos in centuplum remunerat. 45. & seq.
est dator fœcunditatis 51 col 2. e
dator gratiæ. *Vide gratia.*
vtitur causis secundis vt instrumentis. 124. col. 2. b
dator luminis & scientiarum. 158. & seq. *Vide scientia*
vult omnes saluos fieri. 357. & seq. 359. a. & seq.
est sponsus animæ. 365. col. 2. c
diuinæ prouidentiæ se committendum. 280. col. 2. a
potest facere alia quam quæ facit. 337. col. 2. d.
par fit malis propter bonos. 409. c
Dei dona non sunt vulganda. 412. col. 2.
diuersis modis Deus olim consulebatur. 540. e
eius sera vindicta 852.
infert iustè mala temporalia. 903
Irascitur cum non punit. 937.
dat bonum omne in eo tantum sperandum. 578.
Dei gloria in omnibus quærenda. 964.
gratias Deo agere. 965.
Dei voluntati conformari. 990.

Digitized by Google

Dei iusta vindicta. 995. 1135. col. 2. a.
Dextra pars. 1110.
Dialecticæ vtilitas. 241. d. 537. col. 2. e. 540. b
Dies infausti. 858. c. 865 col. 2. c
dies fœlices. 5. b. 534.
dies natalis 971.
dies dominica. 534. c
Differentia in rebus necessaria. 751.
differentia maior in rebus nobilioribus. 756. 785.
Difficilia plus amantur. 103. a
difficilia quæ pulchra. 82. col. 2. c.
Diffidentia legitima. 22. col. 2. e. 23. col. 2. a. 324. d. & seq. 374. col. 2.
Digestio vnde fit 780. col. 2. a
Dignitates muneribus non sunt obtinendæ. 17. e. col. 2. e
dignitates exercere meritorium est. 73. col. 2. c. 144. c. & seq. 150. c. 360. col. 2. b.
dignitatum continuatio 137. & seq.
dignitates quæ exercentur per vices & successiuè 138. c. 2. d
dignitates qualiter possunt appeti. 144.
dignitas sensim obtinenda. 188. c. 376. col. 2. e. 378. 1089. a. 1108.
à dignitatis gradu non cadere. 403. col. 2. e
dignitatum onera. 150. c. 153. b 161. & seq.
dignitas auget peccatum. 1218. 1219. a
dignitatum pericula. 155. b. col. 2. d
dignitates sunt sanitati contrariæ. 99. col. 2. b.
dignitatis abdicatio. 67. col. 2. d. 141. col. 2. & seq. 155. col. 2. b. 161. & seq. 1158. col. 2. c
Dilationis causæ. 85. b. Vide *Mora*.
dilatio iudicij bona. 223. col. 2. d. & seq.
Diluuium 849. a. 857. d. 858. 863. e
Diluuia à sanctis impedita 1125. col. 2. c. d
diluuium vniuersale an futurum, 1127. c
Director spiritualis. 261. d. 263. 472. c. 491. col. 2. d e
Discretio boni à malo. 22. & seq. Vide *electio*.
Discordiarum seminatores. 905.
Discursus homini proprius. 219. col. 2. a.
Dispensatio. Vide *priuilegium*. 1220. d
debet esse cum causa rationabili. 199. d. & col. 2. e
semel concessa semper durat. 3. col. 2. b
est reuocabilis 59. a. 350. d
Dispositio mediorum. 1014 e
Dispositio in recipiente plurimum confert ad actionem. 1026. 1193. e
Disputatio vtilis vel vana. 246. 247. 277. d. 289. e. de rebus diuinis non disputandum. 247. a. 288. & seq. col. 2.
fieri debet salua charitate 914. 289. e.
Dissimulatio vitanda. 505. c.
quando licita. 646. & seq.
Distillationis commoda. 1125. a
distinctionis necessitas. 74. a. 753. 758. c. & seq.
distinctio tempore cognoscitur 226.
distinctio honorifica 766. d. 807. col. 2. a. 1192.
Distributio fit per proportionem geometricã. 48. c
Diuersitas à cœlo. 778. c. & seq.
cur à Deo creata. 73. col 2. d
in quibus rebus est maior 756. & seq.
diuersitas placet. 10. b. c. 71. col. 2. b. c. 73. a. 77. col. 2. a. 753 & seq. 306. d. 760. c. 764.
diuersi diuersa appetunt. 245. col. 2. a & seq. 1047. c. & seq.
diuersitas media. 782. col. 2. 783.
diuersitas nimia. 785.
diuersorum vnio. 767. & seq. multis. 785. b
Diuinatio. Vide *saturnus*, *procedit à terra*. Vide *terra. per sortes*. Vide *sors*; *per somnia*. Vide *somnium*.
Diminandi cupiditas per diuersas artes. 272. col 2. & seq.
Diuisa sunt infirma. 155. d
diuisionis vtilitas. 753. b. & seq. 1149. a
Diuitiarum qualis debeat esse vsus. 68. col. 2. a
diuitiæ magnæ in quantum bonæ. 155. col 2. e. & seq. 194.
in eleemosynis impendendæ. 35. col. 1. 68. c. & sequ. *Vide eleemosyna*.
diuitiæ magnæ solent esse nociuæ. 201. & seq. 202. & seq. 206. col. 2. c. & seq. 209 col. 2. e 1114. e
ditiores cæteris præferendi. 136. d. col. 2. d. 137. col. 2. b. 160. a
diuitiæ Ecclesiæ. *Vide Ecclesia*.
diuitiæ à Ioue. 185. c. d. 186. b
à causa cœlesti. 186. b. c
diues factus ex paupere insolescit. 1185.
Diuortium & eius causæ. 836.
quare à Moyse permissum. 1208. col. 2. d.
Docere alios, diuina res est. 261. & seq. 489. col. 2. c
doctorum illustris titulus. 140. col. 2. b
de doctoribus scriptoribus. *Vide scriptor*.
doctoris officium potest licitè appeti. 262. col. 2. a
doctrina publicè proponenda. 284. col. 2. a
doctoribus assentiendum. 543.
Doloris causæ. 903.
doloris cessatio. 915. & seq.
dolor in natura necessarius. 42. e
Dolus bonus & quando eo licet vti. 546. & seq.
dolus malus. mendacium. 548. e
Dominij necessaria distinctio. 163. a. 170. c
Domus. *Vide ædificium*.
domus est tyrocinium virtutis politicæ. 376. d
Dona. *Vide munera*, *beneficia*, *eleemosyna*.
donare proprium est nobilibus 33. b
donum quid sit propriè. 40. col. 2. b
donantis intentio non mutanda. 44. col. 2. d
dona, diuersis, diuersa. 48. & seq.
donationis reuocatio. 58. & seq.
do vt des. 63. col. 2. e. 100. col. 2. a
donationes prohibitæ 294. col. 2. a
donaria & trophæa in templis suspensa. 421. c. 2. b.
Draco habitus pro Deo. 128. col. 2. d.
Dubium quid sit 265. e col. 2. c. 267. col. 2. a
Duellum vitandum. 67. e. 916.
vbi permissum. 454. col. 2 e. 1057. a
Durationis & conseruationis causæ. 108.
durationi & conseruationi contraria. 107. c. 119. 120. & seq.
durant minus quæ plus agunt. 73. col. 2. c. Vide *fœcunditas*
minus durant perfectiora. 1108.
Durities vnde fit. 803. col. 2. a

E

Ebrietas sumitur pro magna delectatione. 1193. col. 2. b.
ebrietatis summa turpitudo. 254. col. 2. & seq. 1033. 2 b
punit ebrium pœna quadam talionis. 257. c. col. 2. & seq.
secreta aperit. 540. col. 2.
consilia destruit. 860. a. 1152. b.
ebrietas herbis prouocata. 189. col. 2. e
Ecclesia visibilis. 513.
Militans. 529. col. 2. 999. col. 2. c
ecclesiæ vnitas. 470. col. 2. & seq. 502. b. & seq.

Digitized by Google

ecclesia catholica & vniuersalis. 506. & seq.
successiuè educta. 225. a. d. & seq. 249. b
credenda proponit. 272 b. 310. c. 541.
in ritu distingui debet ad hæreticis. 1192. *Vide distinctio honorifica.*
dubia soluit. 153. col. 2 d
ecclesiæ thesaurus. 3. col. 2. b. 61. col. 2. e 816. c
ecclesiarum diuersarum vnio. 74. d
ecclesiastica clementia 177. col. 2
ecclesia iure diuitias possidet. 157. b. 209. col. 2. e 410 col. 2.
Illi nimiæ diuitiæ nocent. 204. d 206. c. 411. d. 591 col. 2. c.
ecclesiæ quare dicuntur tituli, 137. c
ecclesiam ambitio destruit. 145. col. 1. d. & seq.
ecclesiastica authoritas & iurisdictio. 157. 411. col. 1. e
Ecclesiæ bona alienare quando licet. 193. col. 2 c. 411.
ecclesia de suo confert in necessitatibus publicis. 412. col. 2.
ecclesiasticorum bonorum recta dispensatio. 413. & seq.
ecclesia paradiso comparata. 873. col. 2. b.
templum dicitur ecclesia. *Vide templum.*
Eclipsis significatio. 112. b
Solis quid efficiat. 285. col. 2. e. 1149. col. 2. e
Eculeus & tormenta. 540. col. 2
Educatio liberorum. 959.
Effectus suis causis similes. 982. 983.
dissimiles & degeneres. 988.
suis causis præstantiores. 1003.
Electio melioris. 212. col. 2. c. *Vide discretio.* 1099
electus à maiori parte. 74. c
electiones publicè factæ. 140. c. col. 2. b 186. d
electionum modi diuersi. 186. col. 2. e.
electio per inspirationem 229 d
Eleemosyna integrè & abundanter danda. 2. b. c 35. e. 36. b. 69. c
non est in finem vitæ remittenda. 9. col. 2. e. 10. a 33. a. e. 34. d
remissionem peccatorum meretur. 16. c. 33. col 2. b. 34. b. 35. col. 2. e & seq.
eleemosyna est virtutum complementum. 32. e. 33. d. col. 2.
eleemosynæ quotidianæ. 33. e. 36. col. 2. a.
eleemosyna est sacrificium. 33. col. 2. e. 35. col. 2. a. 35. c. 36. c. col. 2. e
eleemosynam qui tribuit, agit vices Dei. 34. col. 2. c. 1186.
eleemosynæ spirituales & corporales 34. col. 2. e 45. col. 2. e
eleemosyna in pauperes est ornatui templorum præferenda. 35. e. col. 2. c. 61. c. 1041. col. 2. d 106. col 2. d est ars vitæ. 35. d
non est facienda de rapinis. 29. col. 2. 35. col. 2. e 36. col. 2. b. 39. col. 2. c
est facienda sine inquisitione & contumelia. 40. col. 2. a. e. 69. b. 1169. d. 1195. col. 2. c
dantibus prodest. 45. c. d & seq. 1015. col. 1. c
eleemosynæ in cœlo remuneratio. 46. c. 1195. col. 2. d
Maior eleemosyna debet fieri à ditioribus. 61. e 68. c. 69. col. 2. a
eleemosyna manu propria facienda. 190. col. 2. b c. 1070. col. 2. b
eleemosynam qui non potest conferre, procuret 68. col. 2. d. 188. a
Elementorum circulatio. 60. c. col. 2. d
in elementis sunt angeli. 55. e.
elementa secundum totum non possunt corrumpi. 1109.
Eleuatio sensim facienda. 188. c. 1108.
Eloquentia in senibus maior. 220. col 2. e. 508. col. 2. c
eloquentia extemporanea. 227. a. 228. col. 2. a & seq.
eloquentiæ vis. 233. & seq.
eloquentia cæteris scientiis præferenda. 233. e col. 2. b. c
eloquentię triplex genus. 245. a
eloquentiæ nociua vanitas 258. b. & seq. 281. & seq. 593. c. 889. b eloquentia abuti. 1061. b
eloquentia sacra. 514. vera sine fuco. 453. col. 2. a
Emphyteusis ad quid instituta. 54. b
Empusa spectrum mutabile. 785. c
Eunuchi non carent concupiscentia 368. a. 448. col. 2. b. 1012. e
vocem habent tenuem. 512. col. 2. a.
eunuchi libidinis gratia. 1142. c
Episcopus *Vide sacerdos*, eorum electio cum communi consensu 1051. col. 2 e
episcopi honore digni. 159. & seq. 194. b
non neophiti. 1108. e
episcopi non sunt æquales apostolis. 1061. col. 2. a
episcopus inculpatus, ornatus tamen. 531. c
non debet separari à sua ecclesia. 1003. b
peste laborantibus personaliter adest. 7 col 2. a
debet dare eleemosynas. 31. c. d. 116. col. 2. b
est bonorum ecclesiæ non dominus sed dispensator. 414. b. & col. 2. a
eius scientia. 140. col. 2. b
debet visitare suam diœcesim. 142. col. 2. a. & seq.
paupertatem euangelicam seruans. 152. col. 2. e 153. e. 411. col. 2. a. b. 413. col. 2. b.
debet admonitionem pati. 183. col. 2. a 1153. b. c
episcoporum mutationes licitæ ob hæresim. 166. b c col. 2. a
episcopi se mutuo iuuent. 179. d. & seq.
episcopi possunt deponi à Papa. 194. a
episcopi vitia populis nociua. 157. col. 2. c
episcopi famę parcendum. 1167. col. 1. a
episcopos non decet principibus adulari. 411. col. 2. c 411. c
episcopi societatem vitet Monachus. 1122. b
episcopi quidam hæretici. 496. a
Equi vnum tantum agnoscentes sessorem. 837. col. 2. c 1107. a 1121 col. 2 c
Eremetica vita. 458. & seq. multis.
Esca fallens. 43. b
Essentiæ rerum sunt æternæ. 1131. col. 2. a
Euangeliũ quando fuit scriptum. 113. b. d. col. 2. b
euangelium non est bonæ politiæ contrarium. 493. d. 494. d
euangelica lex quare perfecta 497. b
euangelica perfectio vita monastica. 498. d
Eucharistia vnde dicta. 63 e
eius grande mysterium. 288. col. 2. b. 1024.
est validus animæ cibus. 7. c. 14. col. 2. d. 1014.
olim cum corporibus sepulta. 1089. col. 2. d
ad eam recipiendam digna dispositio. 6. e. 259. d. 859. col. 2 b. 1027. 1041. col. 2. b. 1190. c. 1213. a
communio frequens. *Vide communio.*
Eulogiæ quę fuerint. 16. col. 2. b 472. b
Excellentia à magnis coniunctionibus. 497. c
excellentiæ appetitus 1113. 1120. c. & seq.
excellentia dat rebus pretium. 496. col. 2. e
excellentia tardius perficiuntur. 118. c
Excessus resecatio. 1125.
Excessu plurima depereunt. 6. col. 2. a. 107. c. 380.

Digitized by Google

a. 1037. col. 2. & seq. 1106.
Exilij pœna. 579. Fortiter ferenda. 398.
Excommunicatio vtilis. 1189. col. 2
excommunicatio scripta atramento cum sanguine Christi. 1190 c
Excommunicati non recipiendi. 65. e 1190. d
Excretio nociui. 1188. & seq.
Excusatio mala peccati. 1161. b e col. 1. d 1164. d 1168. b
Exempla plurimum mouent. 127. d 251. col. 2. a 443. & seq.
Exemptio. *Vide Priuilegium.*
Exemptio à communi lege 302. c 1220. col. 2
à communi calamitate. 1220. d. & col. 2.
exercitatio in omnibus necessaria. 227. col. 2. d. e 377. 260. col. 2. e
Exhæredatio paterna 994.
Experientia. 23. c 227.
Expiationes vrbium. 1211. *Vide mori pro alio.*
Exploratores regentium. 141. col. 2
Expulsa non resumuntur. 1151. col. 2. d
Extasis 334 col. 2. c
ad libitum patientes. 1171. col. 1. e
[Exte]rorum melior conditio 58. col. 2. d
[e]xteri posthabendi. 350. b. 351. col. 2. c. 773. c. 829. col. 2. a. 831. d
ad regimen admissi. 281. d. 772. b. 767 col. 2. d. 774. 454. a. 499. c. 520. col. 1. e
non admittendi. 772. col. 1. b. c. 374. col. 2. d 822. col. 2. b
Extrema continent media 75. e. 79. a. 80. e
Extrema conueniunt 802. col. 2. a. 1009. c. 1039. a
ab extremo in aliud transitus bonus. 381. 1065.
periculosus. 388. 1032. col. 2. e 1066.
Extremitates rerum bonæ. 1074.

F

FAbulæ quare inuentæ. 288. d & col. 2. b
Falsidia ab oneribus libera. 2. col. 2. e
Falsitas grata. 77. e
falsa diu non latent. *Vide falsitas, mendacium.*
Fama plurimum potest apud homines. 561.
famæ post mortem cupido honesta. 100. col. 2. & seq.
fama post mortem verior. 20. d. col. 2. a. b
est quædam fœcunditas. 101. c. e
fama celebres quæ cœli dispositio efficiat. 74. col. 2. c. 140. d. 101. b.
fama mala vix sanatur. 242. c. 1152. b
fama bona vnicuique & cæteris vtilis. 421. c. col. 2. d. e. 455. e. 561. col. 2. a
famam suam non licet lædere. 1173. col. 2. b. c. d.
famam alterius lædens grauiter peccat. 493. d. 1166. 1167. a
Fames graue supplicium. 1073.
cogit humana carne vesci. 1073. col. 2. c
Sæua fames in mundo. 1073. col. 1. e. & seq.
famis necessitas est supra legem. 1034. e. 1037. c
fames à causa cœlesti. 1202. c
moderata confert ad vitæ conseruationem. 69. d 260. col. 2. e
Familiaritas nimia vitanda. 836. d
Famulari malis, malum est. 1207. col. 2. d. & seq.
Fatum quid sit. 301. col. 2. 302
fatum sequi. 985. 2
fatum cœleste quas habeat vires. 274. 275. & seq. 312. col. 2. d
fati cœlestis exemplum memorabile. 302. e
Fauor principum. 351. col. 2. e
nimius 352 e. 1121.
in fauorem admissis vt ipsi regi, cæteri blandiuntur 352. c
Feræ in naturam suam etiam domesticæ redeunt. 972. e
ferarum venatio omnibus permissa etiam præmio proposito. 1200. a. 1205. b.
Ferrum vsibus humanis necessarium. 2. c
quomodo induratur. 110. d
ferratiæ artis inuentio. 290. c
Festiuitates publicæ. 551. col. 2. d. 552. e
festorum dierum ratio 455. col. 2. e. 572. col. 2. b.
festa sanctorum. 455.
festum omnium sanctorum. 456. b
Fictio in veritatem conuersa. 286. e
ficta citò in naturam suam redeunt. 510. 511. & seq. 517. col. 2. b
Fides Christiana vna & vniuersalis. 470. 471. 506
debet esse integra. 71. col. 2. a. 76. c. 368. c. & seq. 370. c. e
fidei diuinæ humana ratio debet subiici. 267. col. 2. d. & seq. 289. c.
Fidei certitudo. 76. e
Fides potest rationibus elucidari. 224. col. 2. c. 251. a. 252. col. 2. b. 260. col. 2. a. 247. c. 1011. b
de fide non disputandum 247. a. & col. 2. a
fides certa sed obscura. 266. col. 2. d. 267. col. 2. & seq. 1126. col. 2. e. 1199. col. 2. d
fides dat menti quietem. 264. col. 2. a
fidei publica confessio. 431. col. 2.
fides cum operibus. 445. col. 2
fides hominibus data debet seruari. 302. col. 2
Figuræ sermonis vtiles. 266. b
Filij parentibus similes. 981.
degeneres. 988.
præstantiores 1049. col. 2. a. 1001.
parentum pœnas luunt. 851.
non obediunt patri religionis ingressum impedienti. 67. col. 2. a. 1009. col. 2. c
Finis est nobilior his quæ sunt ad ipsum. 1099. col. 2. a
Finis determinat actiones. 1076. d. & seq. 1082. 1156. c
finis respondet initio. 801. col. 2. a. 1099. col. 2. c. 1093.
finis melior principio. 6. b. d. 7. a. 24. d. 105. col. 2. c. 385. 1009. e. 1074. b. 1075. 1076. 1083. col. 2. 1087 col. 2. 1088. 1211. col. 2. c.
finis deterior. 43. e. 84 col. 2. c. 91. c. 105 e. 1100. & seq. 186. col. 2. d
quies & delectatio in fine. 1087.
Labor in fine. 1095.
ad finem, proposita res debet perduci. 70. col. 2. e
ex fine vitæ, pendet Dei iudicium. 385. col. 2. b
finis mundi nescitur. 266. a
Fixatio. 305. b. c. 784. col. 2. d.
Flagellatio voluntaria & pia. 879. col. 2. b
Fluida habent suas concretiones. 795.
fluuius terra mersus & inde emergens. 115. col. 2. e 116. a
Fœcunditas à Deo. 51. col. 2. e. 52. 74. col. 2. b
fœcunditatis causæ naturales. 44. col. 2. d. 51. d. col. 2. c. 53. col. 2. e. 54. d. e
fœcunditas maxima. 941.
fœcunditas nimia vitam efficit breuem. 107. c. 114. col. 2. b
Fœdus cum personis diuersæ religionis. 17. a. 775. col. 2
fœderis sanciendi mos antiquus. 302. col. 2. e. 303. b. col. 2. b

fine

Digitized by Google

ſine fœdere ſtans reſpublica. 3 65. a
fœdera infœlicia 776. d. col. 2. e
Fœlicitas nimia 555. 556.
inconſtans. 556. col. 2. 570. 584 *Vide inconſtantia.*
fœlicitas media 587.
Fœmina. *Vide mulier.* qualiter à natura intenta, 1034, col. 2. c 1149. a
fœminæ ad hæreditates admiſſæ. 361. col. 2. a b 442 col. 2. c
citius adoleſcunt. 103 d 118. col. 2. a
viris ſubiectæ. 149 b col. 2. c. 775. col. 2. b
fœminarum malitia. 449. col. 2 c 1157. col. 2. c
fœtus in vtero qualiter viuit. 163. c
Fontes vnde fiunt. 51. c 1134. col. 2. c
fluunt ex montibus. 1. col. 2. a
fontes centum ex vno monte. 1. a
fontes inconſtantes.. 1134. e col. 2.
fons lapideſcens, bibentes necat. 43. col. 2. e
fontem inquinare crimen eſt. 50. a c 51. a col. 2.
fontium cuſtodia. 51. col. 2. d 53. col. 2. b
Forma vniuerſalis. 231. d 271.
forma principium actionis. 261. col. 2. b
formæ rerum diuerſæ. 755. b
forma implens totã potentialitatẽ materiæ. 305. d
formatæ epiſcoporum litteræ. 472.
Fornicatio vitanda. 607.
Fortitudo in aduerſis 389. col. 2. & ſeq. multis. 1125. b
fortia ſimul & pulchra. 418. b
Fortunæ nomen commentitium. 1104. col. 2. a
fortuna bona. 193. col. 2. a 577.
fortuna virtuti iuncta. 9. col. 2. a 167.
fortunæ inconſtantia. 242. col 2. e e *Vide inconſtantia* 1102. col. 2.
fortunæ multum tribuitur. 289. col. 2. a 993. c
Fori diuerſitas. 979.
iniuſtitia. 1148. col. 2. a 1165. col. 2. e
Fractio quibus rebus propria, 756. col. 2. e.
Fratres poſſunt eſſe collegæ eiuſdem dignitatis. 167. col. 2.
fratrum concordia & amor. 1140.
fratrum odia & cædes. 1144. col. 2.
fratres duo. inuicem homicidæ. 302. e
Fraus. *Vide dolus.* mendacium.
Frigus. *Vide calor.*
frigus duplex, vtile & nociuum. 67. col. 2. e 1153. d
vtile 118. col. 2. b 191. col. 2. c 192. d
frigiditas nociua. 298. b e 291. b 366.
frigidiſſimus lapis. 343. col. 2. b
frigidiſſimum animal. 293. a
frigidi proprietates. 777. b 1125. a 1153. d
frigus intenſiſſimum. 404. c
Fructus quare non ſimul omnes producuntur. 6. col 2. d
Frutex inter plantas.. 85. col. 2. c
Fucus quando licitus aut prohibitum. 451. col. 2 c
Fuga mali bona. 897. d. 1190. mala. 897
fuga in aduerſitate 895. 1210. col. 2. d
Fulminis effectus miri. 93. a 1210. col. 2. d
fulminis timor 410. col. 2. e
Fundus, ædificio deſtructo remanet ſacer. 1066. col. 2. e
Funerum luctus. 815. b
Furtum vbi permiſſum. 1036. c e.
Furtum in extrema neceſſitate licitum. 25. col. 2. e
de Futuris nimia ſollicitudo vitanda. 275. & ſeq.

G

Gelofia lapis. 343. col. 2. b
Gemmæ, falſæ, quomodo à veris diſtinguntur. 1132. a
gemmæ multicolores. 768. b
gemelli pares. 361. 1099. col. 2. b
gemellos olim fœminæ producebant. 1141. d
geminorum vis diuerſa. 1069. d & ſors. 1136. b c 1141. d 1143. col. 2. e
gemelli vnde fiunt. 775. col. 2. a
generationis ingens ardor 102. c & ſeq. 103. b c 1012. col. 2.
generatio vnius ex alterius corruptione. 193. d 1178
generis humilitas non obſtat virtuti. 397. d
genium ſuum noſſe. 76. a 1136. col. 2. d
Geographiæ vtilitas. 1065. d
Geometria quando inuenta. 75. d 758. col. 2. d
genuflexio quid ſignificet. 1163. a 1109. b
gigantum proceritas. 84. col 2. d
gigantes quare à Deo producti. 191. b
cenſentur mali. 201. d
Gloriæ bona cupido. 421. c 455. e
gloria vana. *Vide ſuperbia.* amor ſui malus
vana gloria fugienda. 423. col. 2. c 565. col. 2. 584.
gloria cœleſtis virtutis præmium. 456.
in ea eſt perfecta fœlicitas. 553.
eius perpetuitas. 554. d
gloriæ cœleſtis deſiderium & ſpes. 566.
per gradus ad dignitates aſcendere. 377. 1108.
è gradu non cadere. 1107.
Gratiæ diuinæ neceſſitas ad virtutem. 358. c 484. col. 2. & ſeq. multis.
gratia Dei in nos perpetua. 4. col 2. a b c & ſeq. 5. c d
non perpetua. 59. col. 2. a & ſeq. 60. col. 2. b
gratia ſufficiens datur omnibus à Deo. 357. & ſeq. multis.
gratia præueniens. 10. col. 2. e
gratiarum abundantia quibuſdam data 61. b 350.
gratiæ vis ſumma. 298. col. 2. & ſeq.
gratia qualiter concurrat cum libero arbitrio. 313. b & ſeq.
Gratitudo beneficii mutuaque collatio. 27. e. 62. & ſeq. 71. b 261. e 272. b
in animo potiſſimum conſiſtit. 44. d
qui parem gratiam, non tenentur referre. 68. b
Grauitas & pondus vnde fit. 301. c
Gulæ vitium 59. e *Vide conuiuium.*
guſtus rectè percipit rerum qualitates. 1069. col. 2. c
guſtus mortificatio. 611.
Gygis annulus. 817.
gyrouagus eſt quaſi ſchiſmaticus. 793. col. 2 b

H

HAbitationis electio. 112. a 755. col. 2. b
Hæreditates quomodo ad liberos perueniun. 1178. b
Hæreſes oportet eſſe quomodo intelligendum. 518 col. 2. d
hæreſum diuerſitas. 492. col. 2. e 1107.
hæreticorum falſa virtus. 448. col. 2. & ſeq 519 b
hæretici non gaudent immunitate Eccleſiarum. 65. d
pro his miſſa non celebratur, 66. e

hæreticis in pecuniarum collatione non fauendum. 36. col. 2. d 67. e
hæretici volunt propagari. 74. col. 2. b
non debent præesse Catholicis. 412. col. 2. b
an vi & armis cogendi, an tantum admonendi. 523. 527. 844. col. 2. d
sunt seductores & corruptores sacræ scripturæ. 530.
vtuntur mulieribus. 1157. col. 2. d
fides illis non seruanda. 548. d
Harpiarum descriptio. 69.
Hederæ natura varia. 1009. e
Herbarum vtilitas diuersa. 21. e
Hermaphroditus. 68. a 364. col. 2. e. 492. d 495. col. 2. c. 795. col. 2. c. 1070. col. 2. c
Heteroclita & cum aliis non conuenientia. 288. col. 2. a
Hierarchia quid sit. 148. e
Historiæ vtilitas & necessitas. 221. col. 2. 222. & seq.
historiæ diuersæ. 69. d
Homo cæteris animantibus præstat. 171. a. 1118 col. 2. c
per hominem Deus, natura, sydera operantur. 53 d. 1014. col. 2. c
seipso potest omnia. 1006. b
ex contrariis compositus. 439. col. 2. a
factus ad Dei imaginem. 440. a
continua eius miseria. 857. b
homo homini lupus. 1143. col. 2. b
communis. 1120.
homines marini. 1100. a
Homicidium graue crimen. 1144. d. 1101. col. 2. a
Honoris cupido. 563. col. 2. e
honoris rectus vsus 453 col. 2. d. 455. e. 561. col. 2. a
honos aliť artes. 83. col. 2. b. 561. 564.
honores mutant mores. 156. col. 2. d e 157. c & seq. 185. col. 2. d 1185. col 2
honor mutuus superioris & inferioris. 182. col. 2. b 846. col. 2. a 598. col. 2.
honor à dignitate deposita. 555. d
honoris mundani contemptus. 565. col. 2. 570. 584.
honor rebus malis exhibitus. 1184. 1185. 118. col. 2. d
verus honor. 569.
honori contraria. 575.
honorem dat Rex. 580.
honor medius. 589.
Horologij inuentio. 771
vtilitas. 69. b col. 2. c d
Horti pensiles. 315. b
Hospitalitas exercenda. 771. col. 2
hospites perfidi. 44. c 773. col. 2. b
hospites tenentur legibus territorij in quo sunt. 795. col. 2. c 796. col. 2. e 776. a
Hostibus licet non benefacere. 65. b c col. 2 d
hostium virtus honorata. 454. col. 2
hostibus reconciliatis non fidendum. 856. col. 2 347. col. 2. d.
Humiditas ad augmentum necessaria. 1125. c
Humilitas virtutum fundamentum. 78. col. 2. d 419. col. 2. d e 1010. col. 2. c 1175. & seq. 1158 col. 2. d
Velle humilia. 1108. b. 1171. 1198. 1199.
humilitas exaltata. 187. d 409. col. 2. c 1180. 1199. b
sæpius insolescit. 1185. col. 2
salus & securitas ex humilitate. 1126. col. 2. d 1182 col. 2
humilis sapiens omnia diiudicat. 754. col. 2. d 1180. 1182.
humilitas generosa. 1181.
Humores in mixtis. 55. col. 2. e
Hyperbole. 1126.
Hypocrisis. *Vide affectatio nimia, mendacium.*
hypocrisis graue malum. 449.
hypocrisis occultè lædens. 42. 43. & seq. 448. & seq. 548. col. 2. b & seq.
hypocrisis & ficta pietas. 421. e. 434. c
hypocrisis hæreticis propria. 448. col. 2 b & seq.

I

IActantia vitanda. 430. 450. e 481. c
Ianuarius mensis, quomodo depictus. 109. a
Iaspidis natura. 343. col. 2. b
Idæa Platonis. 72. col. 2. d
Ideæ veritatis, omnium mentibus insitæ. 259. a & seq. 533. & seq.
Ieiunium. 612.
moderatum est melius. 380. a 612.
in ipso non consistit sanctitas. 440. b
ieiunium superstitiosum. 497. e
Ignis qui non potest extingui. 855. col. 2. e
ignem sine læsione tolerantia. 781. a 200. c
ignis causa motus. 778. col. 2. e
eo solus animantium homo vtitur. 1041. c 1043 col. 2. e
vt Deus à quibusdam gentibus cultus. 1185. e
ignis in mixto proprietates. 780. a
quomodo est in visceribus terræ. 1165. e & seq.
non venit in compositionem 356. b
habet vim duplicem vstiuam & illustratiuam 55. d
habet vim purgatiuam. 217. col. 2. c 329. e
prodest & nocet. 56. col. 2. b
est sol hybernus. 264. c 1068. col. 2. a
quando non communicandus. 65. e
eius raritas maxima. 85. e
ignis & aquæ temperata mixtio. 192. col. 2. e
ignis sacer perpetuus. 218. a 265. col. 2. b 1152. c
ignis quomodo extinguitur. 343. col. 2. c 348.
confert ad cognoscendas rerum differentias. 759. b
Ignorantia diuersa. 292. c
ignorantia quæ non in totum excusatur. 1100. e
ignorantia quæ meretur excusationem. 285. c col. 2. & seq.
quæ sit bona. 265. col. 2. c 284. & seq. 1138. col. 2. a
docta ignorantia. 285. a. 286. e
ignorantia mala. 290. col. 2. & seq.
affectata mala. 290. col. 2. e 291. & seq.
ignorantia media est pessima. 265. col. 2. c & seq.
Imaginationis vis stupenda 129. c 133. col. 2. & seq. 265. col. 2. a 211. 346. col. 2. a 475. d
vnit diuersa. 768. d
Imagines & statuæ virorum præstantium 454. b
imaginibus exhibita reuerentia. 255. col. 2. c 264. col. 2. secundò.
imagines charæ & piæ. 264. secundò. 453. col. 2. c
imagines Imperatorum. 264. col. 2. d. secundò
piæ non sunt in parietibus depingendæ. 434. col. 2. a

Imago astrologicè fabricata, 3. b 110. e col. 2. a 111. a 265. 907. e
imago conferens ad conseruationem. 109. b
imago vi imaginationis facta. 346. col. 2. a 1008. b 1014. col. 2. c
non vti imaginibus. 1070. col. 2. d
Imitatio bonorum. 467. & seq.
Immunditiæ apud Iudæos diuersæ. 1188.
imperfectum quid est. 70. a
displicet. 71.
imperium. *Vide Rex.* dominium.
imperium quo latius, eo gloriosius. 77. col. 2. a
impossibilia non obligant. 67. col. 2. c
impudentia sub specie pietatis. 1169. d
Incarnatio Verbi. 1196. & seq.
incarnationis dilatio. 6. e 224. col. 2. e 1198. col. 2. e
Incensum cur dignioribus personis offertur. 421. b *Vide thurificatio.*
incestus olim permissus, nunc prohibitus. 1034. col. 2. d 1141. 1142.
inclinatio in malum maior, magis est coërcenda. 15. a 849.
inconstantia rerum mundanarum. 119. 120. & seq. 336. d 385. col. 2. b 386. col. 2. c 1131. col. 2. c 1132. col. 2. e 1147. col. 2. b
inconstantia mentis humanæ. 20. c col. 2. e 250. 338. d
vnde procedit. 113. a 779. col. 2. d
inconstantia iudicii & consiliorum. 250.
in virtutis proposito. 401. col. 2. & seq.
inconstantiam vitet princeps. 250. c *Vide Rex.*
Incrementum quæ impediant. 81. d
incubi dæmones. 775. d & col. 2. b.
independentia. 75. d 131. col. 2. c 259. col. 2. b 261. col. 2. a 1008. & seq.
indeterminata non valent. 787. e 1074. col. 2. 1103. col. 2.
indifferentia. *Vide Neutralitas.*
actus indifferentes. 494. b
Indigenæ exteris præferendi. 65. c 772.
indictio quid sit. 457. col. 2. e
indiuisa & indistincta. 70. b & seq. 71. b 116. col. 2. a 786. 787.
indoles bona, 483 col. 2.
inductio quid sit. 73. d 214. a
induciæ. 863.
indulgentia nimia. 935.
indulgentia plenaria quid importet. 1. c 1154. e 1212. col. 2.
diuersæ infirmitates. 1187.
infirmitas vera quæ sit. 1176.
infirmitas ficta. 541. col. 2 e 1177.
infirmis compati. 1195. *Vide compassio.* misericordia.
infirmitas in multis eadem. 1220.
infirma oppugnantur. 1201.
ingeniorum diuersitas. 159. col. 2.
excellentia. 1111. d
ingenium versatile. 212. d 215. b col. 2. e
Ingratitudo erga Deum & homines. 64. & seq.
ingratitudinis diuersi gradus 64. col. 2. d
ingratis etiam benefaciendum. 1. col. 2. e 4. e
ingratitudinis cur non detur actio. 64 col. 2. c
ingratus lædens benefactorem. 46. col. 2. c d & seq. 64. col. 2. e
ingratus priuatur beneficio. 59. d & seq.
Inimicorum dilectio. 3. a 889.
salus ab inimicis. 892.
inimicitiæ placatio. 916.
Initium bonum. 949. 961. 1109. col. 2. e
initia à magnis. 78. col. 2. b 104 d 803. col. 2. b 942.
initia à paruis. 8 a 71. a 169. e 493. a 795. col. 2. d 1009. & seq. 1199. col. 2. c
ab initiis pendent sequentia. 259. a 949. 960. a
initiis contraria 998. 1199. d
initia difficilia. 299. col. 2. a 997.
indulgendum debilibus rerum initiis. 975.
initia iucunda. 73. a 101. col. 2. e 230. a 769. d 977
initia austera sunt optima. 112. e 997.
Iniuria latens deterior. 42. 43. & seq. 480. col. 2. e 858. col. 876. & seq. multis.
iniurias acceptas non vlcisci. 71. col. 2. d 387. & seq. 372. & seq.
iniuriarum vindicta priuata prohibita. 31. col 2. c e 907.
Innocentes martyres. 41. col. 2 e 115. e 961
insignia dignitatum. 139. & seq.
instinctus animalium. 24. & seq. 258. a
Instrumenta atteruntur & reficiuntur. 57. col. 2. d e
diuersa. 1037. c & seq. 1050. col. 2. c d
operi proportionata. 72. a 1050 & seq. 1111. a
opportunè mutantur. 1048.
plurima ad vnum opus. 793. a 1047. c & seq.
à quo præparentur. 1054.
plurimum possunt ad operis perfectionem 1012
instrumentis honor defertur. 1045.
instrumenta criminis cum reis deleta. 1051. col. 2.
Insulæ mobiles. 79. col. 2. a
Integra quæ debent esse, non imminuta 70. & seq. 114. col. 2. d e & seq.
Intellectio. *Vide scientia.*
intellectionis præstantia. 111. & seq.
intellectus agens & possibilis. 213. d 214. c
Intentio ministri in sacramentis necessaria. 24. b 39. col. 2. 537. a
intentioni accedat meditatio. 216. col. 2. c
intentionis bonæ meritum. 242. col. 2 e 198. col. 2. a 1181. d
vis summa. 311 *Vide Voluntas.* 1082.
Intercessores ad gratias pro aliis obtinendas. 53. & seq 68. col. 2 d 581. & seq.
Interdicta & excommunicationes non debent frequenter fieri. 93. col 2. b
Interualla rebus certis constituta. 115. col. 2. d & seq. 120. a b
laborem leuant. 863. e
Inuentori res cedit. 25. col. 2. b
Inuidia vitium capitale. 481.
inuidiam magna virtus superat. 455.
inuidia tollit boni communicationem. 51. a 54. col. 2. b 60 e
Inuidia viget inter similes. 1144. a b
inuidia vitanda. 559. a
Reipublicæ nociua. 73. col. 2 b
inuidia principis cautè vitanda. 159. a 160. e
inuitis beneficia conferuntur. 41. & seq.
Inundatio noxia. 50. a col. 2. c *Vide aqua.* diluuium.
Ira quæ licita. 196. col. 2. b & seq.
ira sæuiens. 918.
ira musica excitatur 906. d
ira ficta 885 b
ira non placabilis. 550. a 855. col 2
iræ placatio. 916.
iridis colores. 767. d
Itinerum libertas. 765. *Vide via.*
itineri contraria. 777. a & sequentibus 1204. col. 2. d

Iteratio potens est. 93. col. 2. e
reparat malè aut inualidè gesta. 306. col. 2. a
Iteratio figura orationis. 94. a
Iubilæi annus restituens. 1211. d 1212. col. 2. d
Iudæorum eleemosynæ erant amplissimæ. 35. col. 2.
Iudæi extra patriam multa legalia non obseruabant 111. col. 2. d e
Iudæorum malitia contra Christum. 192. col. 2. a
Iudæi non peregrinabantur. 759. col. 2. e
iudæorum sæpius ficta conuersio. 449. col. 2. c
iudex ordinarius & extraordinarius 163. col. 2. b
iudex abstinere debet à muneribus. 17. e. 28. e & seq. 1133. col. 2. d
non sit acceptor personarum. 352. col. 2. e 1133. col. 2. d 1153. col. 2. d 1200. b
iudex nemo potest esse in sua causa. 31. col. 2. c
iudex sedet. 225.
Iudicium extremum. 861. col. 2.
in eo quare commemorantur tantum opera misericordiæ. corporalis 34. col. 2. e
iudicium erroneum. 241 col. 2. c.
iudicium bonum de proximo. 373. c. & seq.
Iugum Christi suaue. 464. 465. & seq.
Iupiter inclinat ad clementiam. 10 a
Retrogradus quid efficit. 10. col. 2. b
Iuramentum de re mala est nullum. 338. a
iuramentum religiosè seruandum. 303. d 541. 754. b 1036. col. 2. c.
quale non seruandum. 69. col. 2. b. 5 3. col. 2. a e
iuramentum annuum ministrorum iustitiæ. 94. col. 2. a
iurare quando licet. 303. col. 2. c 304. a
non iurandum. 03. col. 2. e & seq. 1172. col. 2. b
iuramentum falsum. 908. 968.
Iurisdictio duplex. 26. col. 2. e 163. col. 2. b
iurisdictio distincta. 163. col. 2. c
sæcularis & ecclesiastica. 163. 195. col. 2. e 979.
certis limitibus circumscripta. 164. e col. 2. d 166. col. 2. c 194. a
Iustificatio fit in instanti. 10. a col. 2. a
Ius. *Vide lex.*
ius naturale secundum Hebræos. 505. col. 2. a
ius gentium. 829. d
iuris fictiones bonæ. 548. c
iuri suo cedere. 1171. col. 2.
Iustificatio peccatoris est à Deo. 1213. c d
Iustitia distributiua fit per proportionem geometricam 48. c
iustitiæ laus. 1131. & seq.
iustitia non respicit personas, sed est æqualis ad omnes. 362. col. 2. c 1148. col. 2. a
conuenit cum sacerdotio. 1131. d 1134. a b
Iuuenes, sapientia senes. 130. & seq.
iuuenum ad dignitates promotio. 113. col. 2. d
iuuenum mors immatura fortiter ferenda. 113. 114.

L

LAbor dat abundantiam. 3. a
labor & exercitatio omnia superat. 51. 387. b
Lac ex mammis virginum elicitur. 10.
ex mammis masculorum. 1019. a
Lac augentia. 53. col. 2. c
quomodo sterilescit. 59. col. 2. a
Lachrymæ doloris. 876. 1113. col. 2. c d
Amoris. *Vide amor.*
lachrymæ pœnitentis. 1160. col. 2. d
compassionis. 1194. c
Lætitia publica instituta. 393. d. *Vide festiuitas.* 1214. col. 2. a
lætitia dolori mixta. 457. e
Laici aguntin causa religionis. 1067. c. 1068. e
Lamiæ quæ. 42. col. 2 d
Lapides animalium figuris naturaliter insigniti. 289. col. 2. c e 290. a d
Lapidescens succus. 111. col. 2. a
Lapsi & relapsi. 401. & seq.
Largitio effusa. *Vide beneficium.*
Laron auis furem significat. 150. col. 2. d
Lassitudo vnde fit. 180. b
Laus vera omni carens suspicione. 448. c
laus post mortem. 10. d. 1088. & seq.
laus sui ipsius licita. 231. col. 2. a 417. e 419. col. 2. 1092. d.
indecora. 410. e & seq.
Lectio est alimentum animæ. 216 c 217. col. 2 a
Lectio prophana in pios vsus conuersa. *Vide scientia.*
lectio nimia hæbetes efficit. 282. a.
Legata pia sepulturæ solemniis præferenda. 69. col. 2. a 1084. col. 2
legati persona inuiolabilis, & innoxia. 64. b
Lenonum detestanda malitia. 17. d. 43. col. 2. e 1106. d
Leo signum cœleste. 271. b.
leones sub iugum missi. 1041. a
à culicibus expugnantur. 1154. col. 2. e
Lepra morbus. 1151. c
Leuia habent aliquid lucis. 1135. d
Leuitæ possidebant immobilia. 410. col. c e
Lex debet fieri cum suffragio. 251. col. 2. e
debet esse generalis. 507. a & seq. 511 e 516. e
leges imperatorum quantum valeant apud nos. 475. col. 2. b
Lex de actu & specificatione 447. col. 2. b
lex naturæ 140. e 245. c 259. a 534. col. 2.
leges quantum fieri potest sint perpetuæ. 754. b. 508. & seq.
legibus aliquid addere. 226. a
legum multitudo noxia. 1057.
legum opportuna mutatio. 249. col. 2. & seq. 510. & seq. 1192. c. & seq.
lex est simul fauorabilis & odiosa. 56. col. 2. c
lex non scripta. 223. col 2. e
leges ciuiles non indigent acceptatione. 41. a
leges à tribus numinibus. 148. col. 2. c
lex à Deo. 185. b 535. 536.
legum mutatio miraculis probatur. 200. b d col. 2. d. & seq.
legum origo humana. 536.
lex ciuilis conueniat cum religione. 169. col. 2. b
leges diuersæ diuersis populis. 514. 518. 889. e
leges territorii obligant hospites. 795. col. 2. c
legis imperium. 511.
legum differentiæ. 519. e
Lex quando definit. 545.
lex iniusta quæ sit. 1148. col. 2. b
lex euangelica quare perfecta. 497. b
Librorum vsus. 220. col. 2 c 221. col 2. 211. e
libri mali prohibendi & comburendi. 253. c. 254. e 285. col. 2. c
libri scientiarum in sepulchris reconditi. 260. b. 261 col. 2. d
librorum multitudo noxia. 277. d

by Google

Liberalitas principem decet. 125. col. 2. & seq. 149. d
Liberi nascimur. 20. a
Libertas naturaliter ab omnibus amatur. 129. col. 2. & seq. 133. 7. 8. a
libertas competit sapienti. 259. c. 365. c. 367. a. *Vide sapiens.*
libertas vera in vinculorum non solutione, sed incisione. 2. col. 2. c 846. a
libertas vera quę sit. 157. d. & seq. 202. e
liberum arbitrium in Deo quid sit. 301. col. 2. a
liberum hominis arbitrium. 20. c. 185. a. 301. col. 2. b. 311. & seq. 340. col. 2 b. 438. col. 2. d. 928. d. 1209. col. 2. c. 1212. b
est causa peccati. 1203. col. 2. c. d. e.
est fons in deficiens meritorum. 78. col. 2. c 306. b
non stat cum necessitate. 311. col. 2. d. 443. d. 928. d
est tamen intermixta quædam necessitas. 192. col. 2. b. 40. d
media tantum libertas homini concessa. 302. b.
libertati quædam non relinquenda. 41 41.
salus nostra pendet à gratia & libertate. 359. & seq.
Ligius vasallus quis sit. 177. b
ligna in aquis lapidescentia. 72. e
linguæ & sermonis vtilitas. 263. secundo.
linguam populi sui parrochus debet intelligere. 190. col. 2. c
linguarum diuersitas. 73. col. 2. d. 245. col. 2. c. 246. col. 2. d
sine lingua loquentes. 1072. e
lingua prodigiosæ magnitudinis. 86. b
linguas plures intelligere. 246. a. 264. b secundo.
linguę non vulgaris vsus in sacris. 288. col. 2.
Linum excipiens corpus Christi quid significet. 366. d
Litem cito dirimere. 859. col. 2. c. 864. e
litem salua charitate prosequi. 914.
à litibus abstinendum. 929.
Litterarum & scripturæ inuentio. 223. col. 2. c. 258. c. 265. a
vsus mirabilis. 263. & seq.
littera occidit, spiritus viuificat. 516. col. 2. b
Locus quid sit. 111. col. 2. b
locus est rei conseruatiuus. 72. d. 111. c. & seq.
[illegible] locis honor delatus. 1046.
loci crebra mutatio. 253. 254. 255.
locum non mutare. 217. col. 2. c. 988. col. 2.
loci communes doctrinę. 220. col. 2. b.
loci differentiæ. 756. a
locus dicitur firmamentum. 363. e
loci minima distantia, facit maximam differentiam. 778. col. 2. c
locis diuersis, gaudent diuersa. 782. b
loco conformari. 795. col. 2. c 796. col. 2. e
Locustarum nubes omnia depascens. 74. col. 2. b
Longæua. 91. 1030. col. 2. a
Luctus in morte magni viri. 401. 815. d. col. 2. b
in suorum funeribus. 400.
in morte liberorum. 401.
luctus quis licitus aut illicitus. 291. col. 2. d. 293. a
Luctus publicus. 1120. d
Lumen est caloris vehiculum. 784. col. 2. b
Luna multum potest in inferiora. 760. 1015. a
est corruptionis parens. 1203. a
luna cursu velox. 750. col. 2. e
lunæ plenæ vis. 159. col. 2. a
luna mediante dissita leguntur. 263. col. 2. b
lumine minuta non est fœlix. 291. b d col. 2. b 1128 b 121. c illi quomodo succurritur. 1211. a
fausta. 185. d
Lustrum spatium quinquennij fatale. 81. c 94. b
Lux & lumen quid sit. 219. col. 2. e
lucis maxima diuersitas. 245. col. 2. d
lucis commoda. 111. d & seq. 230. d 1153. col. 2. d
lux matutina & vespertina in Angelis. 44. col 2. d
luminaria cur accenduntur in funeribus. 212. col. 2. b
lux hærens silici in tenebris. 116. d
lucem amant omnia. 235. d. & seq.
lucidi sunt in corpore spiritus. 1043. a
luminaria cur in cæremoniis Ecclesiasticis. 239. col. 2. b e 259. b 421. a 536. col. 2. d 1044. col. 2. e
in funeribus. 1089 col. 2. d
lumen frigidum, 240. b 245. col. 2. d 315. col. 2. e
luci quæ sint opposita. 153. & seq.
lux primo creata cum sole. 1011. b
Luxus in conuiuiis, veste, ędificiis, &c. 61. col. 2. a 594. 595.
Luxuria excæcat. 2 .b 257. col. 2. a d

M

Magia naturalis quid sit. 188. b
magicis artibus quæsita scientia. 264 c d
dantur venti ad libitum. 780. d
magiæ vis. 17. a
magica scientia prohibita. 277. col. 2. a 278. a
magis & minus quot modis dicuntur. 1120. a
Magistri præstantissimum munus. 261. & seq.
magistri salarium. 62. d
magistris honor debitus. 971.
in magistros ingratitudo. 971.
magistro non indigentes. 1008. e
Magistratus bonus fœlicem efficit ciuitatem. 488. e
magistratuum honori parcitur. 159. colu d
Magnetis natura & virtus. 435. a 1065. d 1066. a
Magnitudo est melior paruitate. 70. & seq.
magnitudo quæ sit vera. 79. & seq.
rebus debet esse conueniens. 82. a
magna sunt rara. 82. a
magna plus habent virium. 150. c. 1155. b
magnitudinem quæ impediant. 82. d
magnitudinis congruæ defectus malus. 1056 2. d. 87.
Maiora suis viribus non suspicienda. 22. col. 2. d 1117.
maiores imitari. 474.
Maiestati principis quæ repugnant. 390. d
Maledicentia potens. 1155. col. 2. c *Vide calumnia.*
Malum duplex, culpæ & pœnæ. 504. col. 2. b 1187. col. 2. c
malum absolutum non datur. 1176. col. 2. b 1187 col. 2. c
mali temporalis causæ. 903.
malorum series. 89. col. 2. 1611. col. 2. 1151. col. 2. b 1152. e semel malus semper talis præsumitur. 1152. col. 2.
malum subito ingruens. 849.
mali plus est quam boni. 56. e. & seq. 374. a. 439. 1150. 1196. a. 1218. 1220. col. 2. b
mala plus apparent quam bona. 18. d
malum cuiusque ab ipso procedit. 30. c. 194. col. 2. e 292. col. 2. d. 333. e 242. b. col. 2. d 1107.

col.2.b 1204. 1205. e col. 2 c 1104.
malorũ societas vitanda,52.col 2.c 806.807.& seq.
malis bene vti,114.col. 2 a 441. & seq.1034. & seq.
è duobus malis minus eligendum,1174 col 2.c 1168.
ex malis commodum percipere. 8 0.
ex alienis malis profectus bonus aut malus. 1178. 1179. 1180.
male parta, male dilabuntur. 413. col. 2. e
mali & defectus cessatio. 1210. & seq.
mala nõ sunt facienda vt eueniãt bona. 393. e 1031.
mammæ quomodo sterilescunt. 59. col. 2. d
maledictio & imprecatio quando licita.1125.col.2.c
Maledictio.908.eius effectus.50.col.2.d234.col.2.e
Manichæi existimant omne corpus esse malum. 64. col. 2. a
Mansuetudo. 391. col. 2. & seq. 796. a
manus officium 53. d in insignibus quid significet. 445. a manuum eleuatio in oratione.446.col.2.d
mare cur varios patitur motus. 754. c
maris ad commercium necessitas 53. col. 2. b
Mare cur intumescit. 1125. c
eius fluxus & refluxus. 1126. col. 2. b
mare se purgat. 1189. c
Mariæ Virginis immaculata conceptio 960.
ipsi priuilegia à Christo concessa. 971.
Mariæ Virginis auxilium. 585.
Mars est Ioui contrarius.50.a semper nocens.102.b
Martyrum constantia. 99. col. 2. a d 299. a b 402.
Matrum affectus maior 103. a 264. c d 958.
mater vrgente necessitate propriis vescitur filiis. 25. col. 2. e
matres nutrices filiorum. 946.
mater colenda. 62. col. 2. d 970.
Matrimonium *Vide coniugium, nuptiæ, vxor.*
matrimonii necessitas & vtilitas.194.a.937.& seq.
matrimonium auersantes. 56.b c 609. col. 2.
debet esse liberum. 129. col. 2. b
mutuus in matrimonio consensus. 339 a.810.col.2.
rixæ & contumeliis obnoxium. 158 a
in matrimonio consensus necessarius. 139.
quare non fit inter consanguineos. 768 e
infœlix inter personas diuersæ religionis 776.
est indissolubile. 799. & seq. 1191. col. 2. a
significat vnionem verbi. 812. col. 2. c
matrimonii onera. 818.
matrimonium dirimentia. 822. c
matrimonium cum inæqualibus. 775. 1011. col. 2. e
matrimonium non iterandum. 6:8.
Medicamentum stupefaciens. 286. col. 2. a
medicamenta dicuntur venena. 44. b
Medicinæ inuentor. 253. col. 2. c
medicina per similia. 1143. col. 2. 1197. col. 2. b
medicinæ ars difficillima & fallax. 48. c 1136. b
per contraria 1210 col. 2. e. 1211. col. 2. a
est scientia quædam vniuersalis.1131.b col. 2. c. 581.
restituit in integrum. 1211. d
medicina quæ non sanat sed necat. 44. b
medici inuidi. 51. a
fœliciores in cura pauperum. 418. col. 2. a
medicorum præmia. 243. col. 2.
medicus insignis mortuus sanat. 1143. b
Mediocritas optima. 84. d. & seq. 1037. & seq.
Meditatio necessaria. 222. a
rerum diuinarum assidua. 116. & seq. 137. e & seq.
Medium. *Vide instrumentum.*
medium quid sit 71. col. 2. e 837. col. 2. e 1040.
mediorum necessitas ad finem obtinendum. 100. c 1013. & seq. 150. d
Deus solus potest agere sine mediis. 1070. col. 2. b. 1071. a
mediorum præparatio. 1014. e 1054.
medium illustre. 1041. 1089. e
Abuti digniori medio. 1060. col. 2.
Medium quo vtimur debet esse iustum. 1031. & seq. 1186.
quando licet vti malo medio. 1034. 1174. col. 2. b
Medium aliud pro alio. 51. a. 1148. d 1049. col. 2. b & seq. 1089. e
medium pluribus commune. 263. a 1064.
mediorum multitudo bona. 54. e 102. e 103. col. 2. a 264. col. 2. b c 1018. 1063. col. 2.
noxia. 1056.
vti debili medio 817. 1066. col. 2.
defectus mediorum impedit actionem. 1072. col. 2. e
non vti medio sed seipso agere. *Vide seipso agere.*
vsus mediorum quando desinit. 1055.
Bonum in medio. 1016. 1037. & seq.
malum in medio. 477. e 1017. 1045. b col. 2.
mediocria sunt meliora & magis durabilia. 333. col. 2. a. 1021. col. 2.
mel seruat à corruptione. 110. col. 2. b
Membra ministrantia. 53. d. col. 2. a
Memoria. *Vide obliuio.*
memoria quid sit, & eius miri effectus. 221.
quarum rerum est pia & vtilis. 221. col. 2. b
memoria localis. 798. a
memoriæ amissio. 253. col. 2. c
Mendacium prohibitum. 548. e
seruile vitium, regnantibus indecorum. 158. col. 2. d
an aliquando licitum. 546. & seq.
diu non potest tegi. 509. col. 2. d 511. & seq.
mendacio qui benè vsi sunt. 547. 548. 1171. d col. 2 b 1194. col. 2. b
Mendicatio ostiatim. 206. c. 207. col. 2. b
Mensa communis, sacræ iuncta. 15. col. 2. e
mensa solis. 1. col. 2. b
Mercatura quæ sordida, quæ illustris. 136. d
Merces operariis sine dilatione soluenda. 12. 26. b 59. c 63. col. 2. c Moderata. 41. a
non est eleemosina. 40. col. 2. e
Mercurij planetæ natura varia. 768.
Mercurius minimus planetarum. 87. b
cultus olim à germanis. 281. c
mercurij metalli fixatio. 375. c
Meridies præcipua cœli pars. 1016. col. 2. e 1093. col. 2. d
Metalla diuersis locis & temporibus reperta. 5. col. 2. e 7. col. 2. b
tribuuntur planetis. 754. e
eorum inuentio. 22. e 61. col. 2. a
turpe est homini illa fodere. 1171. e
Metaphoræ vsus. 166. b
Metus mali nimius. 874.
meticulosi 874. col. 2. c
metus non tollit voluntarium. 441. d
metus iustus. 98. b 870.
metu non peccantes. 490. 843. col. 2. 872. 1101. e
Militaris fortitudo. 390. e *Vide bellum.*
eius gloria. 100. a 844. d
militia vnde dicta. 74. c
miles indoctus, audacior. 286. c
præcepit ad iram. 297. col. 2. c
militem non decet vestis ornatus. 425. e
miles præfertur doctori. 844. col. 2. e
milites veterani præmio donati. 457. e
miles virtute & pietate præditus. 884. e 547. col. 2. b

by Google

militum præmia & stipendia. 895.
Minari quando bonum. 140. b. 885. b
Minima multum conferunt maioribus. 264. col 2. c
minima in bonum valida. 109. a. 233. col. 2. a. & seq. 769. a. b. 768. col. 2. e. 363. col. 2. d. 778. col. 2. c. 1067. c. 1153. 1199. col. 2. d. 1212. a
minima ad nocendum valida. 231. col. 2. a. 285. col. 2. e. 370. col. 2. b. & seq. 1155. col. 2.
in minimis deficere. 195. col 2. & seq. *Vide posse maiora.*
Ministrorum in regimine necessitas. 188. c. & seq. 1013. 1014. & seq.
opportuna mutatio 1043. col. 2.
ministri nimium potentes. 58. col. 2. d. 72. a. 201. col. 2. e. 1058. & seq. 1178. a
ministrorum periculosa diffidia. 132. col. 2. c. 133. c. 167. & seq. 180.
ministri dignitate splendidi fœlicius operantur. 1041. c. & seq. multis.
Ministrorum malorum. 1206. a
ministris honor deferendus. 1044. col. 2.
ministrorum honori parcitur. 159. col. 2. d
ministrorum vtilis concordia. 167. & seq. 176. e. 232. d. 251. col. 2. d. 670. b. 1050.
minister pro Republica exponitur. 302. col. 2. e
ministros suos deleat tyranni. 1047. col. 2. b
Ministri sint maximæ probitatis. 1030. 1031.
ministri remuneratio. 1046. 1215. e
Minium quomodo inuentum. 449. col. 2. b
Miracula vi naturæ facta. 200. b. c. col. 2. b. 761. col. 2. e. 1121. d.
quæ sint vera miracula. 200. e
miracula diuina non semper fiunt. 59. d. 273. c. 200. & seq.
fiunt ex fide. 269. col. 2. e
fiunt per sanctos. 409. e. & seq.
fiunt ab Angelis. 1069. c
quare fiant interdum apud hæreticos. 200. col. 2. e
non sunt certum sanctitatis argumentum. 440. col. 2. b
vera à falsis quomodo distinguantur. 441. b
Miseria aliena non debet esse occasio percipiendi commodi. 64. col. 2. b. 1115. col. 2. & seq. 1180.
in miseriis paritas solatium est. 1221.
Misericordia. *Vide Eleemosyna.* Compassio.
misericordia Dei amplissima. 1. col. 2. a. *Vide Deus.*
magis miseris, & infirmis magis auxiliatur misericordia. 361. c. 1193. b. 1205. d. 1219. a.
misericordia est à planeta fortunatissimo 50. a
misericodita in publicis delictis necessaria. 1121.
misericordia falsa & nimia. 396. col. 2. b
Missa, quid sit apud Christianos. 288. c col. 2. a. 470. col. 2. c
cur die, non per noctem ordinariè celebratur. 422. a
missæ sacrificii effectus. 1. a
missæ audiendæ præceptum. 291. c
Missio probanda miraculis. 263. col. 2. a
Apostolica. 761. 507. col. 2. c. 535. & seq. 558. e. & seq.
Mititas & mansuetudo. 191. 399.
Mitra Episcopi quid significet. 140. col. 2. b
Mixtio vera quæ sit 812. d
mixtio est causa alterationis. 772. col. 2. b. e. 773. col. 2. a. 805. col. 2. d. 817. col. 2. d. 855. col. 2. b
mixta plus habent virtutis, quam simplicia. 804. e. & seq.
Mobilia pretiosa comparantur immobilibus. 86. col. 2. c
Monachus. *Vide Religiosus.*
monachi sunt magistri morum & scientiarum. 281. b
Monachorum multitudo. 372. col. 2. c
Monarchicum regimen. 124. d. & seq. 129. a. 132. & seq. 809. e
monarchia vniuersalis non possibilis. 163. d 166. col. 2. d
Monodica. 797. col. 2. c. 839. b
Monopolia mercatorum. 1142. col. 2.
Monstra curiosè videntur. 760. col. 2. e
Montes vnde producti. 863. 1125. col. 2. a. b
montes ab inuicem diuisi. 855. col. 2. c
montes niuosi. 393.
montes omnium feraces. 769. a
montium vtilitates. 18. col. 2. d. 1148. a
montium nociua vicinitas. 1122. c
montes producunt fontes. 18. d
Mora mala. 377. col. 2. c. 381. e. *Vide celeritas bona.*
Mora bona. 90.
in rerum excellentium productione. 118. c. 1198. col 2. e
Moralis philosophia est omnium optima. 367. col. 2. E
Morum æqualitas. 1132. 1134.
Morbus iterata mors. 859. d
Morborum diuersitas 1187.
morbi periodici. 863. col. 2. b
morbi qui non curandi. 66. c. e
in morbis constantia & consolatio. 396. col. 2.
Mores in melius mutare. 1211. col. 2. a
Mors vnde procedit. 116. b. 117. a. & seq.
mortis timor. 97. 1191. d
mors senis. 128. 1084.
mors iuuenis & immatura. 112. col. 2. & seq. 118. b. 353. col. 2. b. 401. 961. b
mortui pro bono publico. 754. b.
mors iusti læta & secura. 1088.
mortui boni laudantur. 20. d. 1088.
in malos mortuos vindicta. 831. col. 2.
mortis cogitatio. 1077.
morientes sunt veraces. 1086.
simul mori. 1099. c
mors mortem destruit. 1143. c
mortuis parcitur. 20. col. 2. a. 1090.
mors optanda. 1079.
mors sibi non inferenda. 97. col. 2. c. 98. e. 1015. col. 2. b 1081.
de his qui sibi mortem consciuerunt. 1081.
mortis alienæ captandæ votum illicitum. 283. col. 2. d
mors domesticorum & magnorum virorum fortiter ferenda. 40. & seq.
mori pro alio. 584. & seq. 1211.
non licet 1172. d
mortua vim pristinam retinent. 799. 1143. b
Mortificatio sensualis delectationis. 598.
debet esse continua. 854. 1127. col. 2. c. 1113 col. 2. e
est longum martyrium. 99. col. 2. e
est species quædam resurrectionis. 236. e
Motus circularis. 357. d
motus cœli perpetuus. 4. col. 2. c. 61. e. 108. a. 760. d. col. 2. c
non erit perpetuus. 116. col. 2. c
datur primus motor. 187. col. 2. b. 1131. a. & seq.

Digitized by Google

non moueri bonum. 1130. 1131. col. 2. e 1136.
motus applicat actiua passiuis. 53. col. 1. c
immobilia situ, mobilia qualitate. 56. a
motus vtilitas & necessitas. 264. col. 2. d - 54. & seq. 757. e & seq. 765. d 423. a
immota corrumpuntur. 754. col. 2. a 790. col. 1. 585. col. 2.
motus est actus imperfecti. 754. col. 2. d
motus progressiui differentiæ. 756. b
mobilibus præferuntur immobilia. 301. c
mobilia sunt tenuiora 779. col 2. c d
motus super immobili. 781. col. 1. b 1131. col. 2. b d
motus primi affectuum. 297. col. 2. b 1184. a 1204. d
Mulier fortis & plurimum vtilis. 1066. col. 2. d 1153. 1161. col 2. d
mulier in templo psallit. 1067. c
mulier plurimum nocens. 42. col. 2. d 333. col. 2. e 343. d 1157. b col. 2.
erga mulieres amor. 783. col. 2. d
mulierum inconstans deuotio. 388. & seq.
mulier testis. 74. b 1058. col. 2. b
mulieris in familia officium. 164. col. 2. e
mulierum potens imaginatio. 234. a
mulieres non possunt arbitrium suscipere. 817. col. 2. e
sunt loquaces. 541.
non debent viros docere. 261. d col 2. d 284. b 289. a
Multitudo est imago infinitatis. 767. a
supplet defectum singularem. 73. col. 2. d
præualet. 74. d & seq. 1109.
multitudini non potest resisti. 74. col. 1. b c
multitudo noxia. 58. e 74. col. 2. b 85. col. 2. b 112. d
Mundus ab æterno non est. 6. col. 2. c 7. d 8. a
fuit successiuè edoctus. 224. col. 2. e
dicitur à quibusdam antiquior quam à Moyse describitur. 9 . b 116. col. 2. b
mundi dicuntur esse plures. 1061. col. 2. e
mundus est templum Dei. 153. a
creatus in æquinoctio. 986.
mundi finis. 116. col. 2. c d
nescitur. 266. a
mundenæ vitæ scena & inconstantia. 94. & seq. 95. e
Munus. *Vide beneficium.*
munus quid sit propriè. 40. col. 2. b
munera conciliant animos. 16. & seq.
excœcant. 17. col. 2. 28. & seq. 29. a
munera respuere. 27. col. 2. & seq. 106. c. 285. col. 2. d
à malis & hostibus non accipienda. 28. col. 2. d 773. d 381. d 1033. col. 2. c 1044. e
Munitio naturalis præcipua. 109. col. 2. e
Murmuratio vitanda. 181. 175. 1167. d col. 2 e
Musica gratissima. 769. d 552. c
mollis fugienda. 769. col. 2. d 770. b
asperâ in iram actus 906. d
Mustum quid sit. 230. a
Mutatio illicita in alterius præiudicium. 788. e
mutationum differentiæ. 1132. col. 2. c
mutatio mediata & temperata. 783.
sensim facienda. 380 a 57. c & col. 2.
mutationes magnæ in mundo vnde procedunt. 780. col. 2. b
mutationi minus subiacent nobiliora. 1131. a
Myrthus cur amori sacer. 336. a

N

NApellus herba, duas habet radices sibi contrarias. 14. b
Narratio in oratione quid sit. 514. c
Natalis dies. 973.
nascentibus rebus aduersantia. 110. col. 2. d 996.
natiuitas spiritualis. 259. e
nati fœliciter. 158. d
Naturæ infirmitas virtuti contraria. 480. b
natura exhausta restituitur. 8. c
Necessaria sunt obuia & facilia. 2. c
Necessitas extrema cogit ad illicita. 25. col. 1. b & seq. 403. col. e 1144. e
vrgente necessitate potest esse vera virtus. 441. d & seq.
necessitate cogente ad Deum conuersi. 42. col. 2. a. 101. col. 2. b. 441. e
necessaria censetur vitæ conseruatio. 98. col. 2. d 260. col. 2. d
necessitas cogit ad humilia. 11 1.
necessitas dat intellectum. 260. col. 2. 263. c
necessariis prius prouidetur. 260. col. 2. c 351. d
necessitas tollit liberum & voluntarum. 311. col. 2. d
necessitati parendum. 340. c & seq.
necessitas addit animos. 340. col. 2. a
necessitas duplex. 341. d 1022. a
necessitas & indigentia peperit societates. 824 col. 2. e
negationes conferunt ad cognitionem. 263. b
Nereides. 1200. a
Neutralitas inter diffidentes mala. 887. col. 2. d
neutralitas periculosa. 53. a 71. d 832. col. 2. d
bona. 67. col. 2. b 347. col. 2. 831. col. 2. 1016. col. 2. d 1038. col. 2. e 1065. a
Nexus rerum omnium. 494. c
Niger color infaustus. 68. col. 2. c
Nili inundatio supplet defectum pluuiarum. 189. col. 2. d
Nitimur in vetitum. 130. c 363. col. 2. c 395. col. 2. e 1124. b
Nobilitas est aduersæ fortunæ remedium. 101. col. 2. a
est splendor originis. 974. 1007. b
antiquior est præstantior. 78 b. 974. col. 2.
est vmbra nos antecedens. 101. col. 2. e 231. col. 2. c
nobiles sunt aliis præferendi. 148. col. 2. c
nobilium est aliis donare 33. b d
Nocere nulli. 30. 445. d 930.
non licet sibi nocere. 1172.
Nocere sibi 1117. col. 2. b 30. *Vide malum à seipso.*
Nodus in arboribus ad quid vtilis. 226. col. 2. a.
Nomen vnde dictum. 263. col. 2. c
nominum vis *Vide verborum vis.*
nominum impositio vnde facta. 63. d. 235. b 246. c
nomina publicis oneribus inscripta. 19. a. c. 21. e
nomen suum mutant Papæ. 755. col. 2. c. 782. col. 2. d
nomina ad distinctionem. 763. d
præclara nomina iuuant. 429.

nomen

Digitized by Google

nomen virtutis, vitio datum. 179. 451. 452. col. 2. b 453. a 454. col. 2. d
nomina ambigua sunt errorum causæ. 533. col. 2. c
populi sine nominibus propriis 787. c
Notæ scripturam abreuiantes sunt fallaces. 70. col. 2. b c. *Vide breuitas sermonis.*
Nouenarius numerus. 81. col. 2. d
Nouitas. *Vide diuersitas.*
nouitas bona. 118. a
noua plus amantur. 59. col. 2. d 71. col. 2. b. e 760. c
nouatio rebus quibusdam optima. 733 a col. 2. b
nouitas fugienda. 356. e 787. e
nouissimi sæpè sunt primi. 95. col. 2. c 105 col. 2. c & seq.
Nouitiorum probatio. 800. col. 2. a & seq.
Nox *Vide tenebræ.*
noctis vtilitas. 286. e 291. e 258. d 280. col. 2. e 1210. col. 2. b
incommoda. 291. col. 2. d e
nocturni imbres meliores. 21. col. 2. e
nocte facta præcipua Christianæ religionis mysteria 258. c. 1093. col. 2. d 1198. col. 2. c
tunc tamen missa non celebranda. 412. a
Noxa caput sequitur. 851. col. 2.
particularis pro communitate patitur. 1201. b
Numeri consistunt in indiuisibili. 71. b
numerorum vtilitas. 75. c 69. col. 2. a
numerorum mysteria. 80. & seq.
numerus nimius nociuus. 85. col. 2. b
Nuncii celeritas. 121. col. 2. e
Nuptiæ. *Vide matrimonium.*
non nubere magna libertas. 407. col. 2. a
Vide cælibatus, virginitas.
secundæ nuptiæ toleratæ non probatæ. 805. col. 2. c 608.
ad secundas nuptias mulieres inclinant. 303. col. 2. e
ætas matura nubentium. 802. d
nuptiæ iuuenum. 802.
nuptiæ senum. 802.
nuptialis festiuitas. 814. col. 2.
Nutrici & nutritio honor debitus. 971.

O

Obedientia perfecta. 781. col. 2. a
Perfectiores sunt magis obedientes. 1109. b
obedientia Religiosa. 172. & seq. 191. e 474. col. 2. c
obediendum ciuili potestati. 174. & seq.
quando non obediendum. 181. col. 2. & seq.
obedientiæ contraria est præsumptio. 440. d
Oblationes debent esse liberæ non coactæ. 411. e
Obliuio. *Vide memoria.*
obliuio vnde procedit. 257. col. 2. d 257. b 270. col. 2. b
obliuio quæ bona. 284. b
Obstetricem medicinam mulierum excellent. 1190. col. 2. c
Obstinatio & rigor. 119. col. 2. e
obstinatio mala. 29. d 460. col. 2. e 309. & seq. 1191. & seq.
Occasio, *Vide opportunitas infra.*
occasio mali vitanda. 109 col. 2. d 119. d & seq. col. 2. d.
occasio celeriter captanda. 111. d & seq. 280. d
ex occasione quædam fiunt, aliter non possibilia. 399. e
Octonarius numerus. 81. col. 2. b
Oculorum situs. 316. a
occulorum vtilitas. 212. a. *Vide visus.* 271. col. 2. a
oculorum vis & fascinatio. 231. c e 254. b
oculis lumen innatum. 258. d
oculorum mortificatio. 601.
Odium implacabile. 855. col. 2. *Vide antipathia inimicitia.*
Odor bonus homini conueniens. 552. d
odor vnde procedit. 194. col. 2. b 453. b
odorifera non durant. 110. col. 2. d
Odoratus mortificatio. 547. col. 2 b 604. e
Officium gratuitum. 28. col. 2. c 40. & seq.
officium suum nemini debet esse damnosum. 46. e & seq. 58. col. 2. e
officia diuersa diuersis distributa. 54. d 164. col. 2. & seq. 250. col. 2.
plura simul officia exercere. 114. & seq. 165. col. 2. b 213. col. 2. e 764. a
Olympiades. 81. e
Omnia sunt in omnibus. 763. col. 2. & seq. 471. b c 797. c. col. 2. b 804. e
Onus ferat qui sentit commodum. 56. d col. 2. e & seq.
onera matrimonij, societatis, regiminis, *Vide suis propriis titulis.*
Opera super erogatoria. 3. a col. 2
opera dictis concordent. 26. a 131. b. 201. col. 2. b d 247. col. 2. d 380. col. 2. d 440. col. 2. d. 443. & seq.
Opinio quid sit. 264.
opinionum vnde tanta diuersitas. 245. & seq.
propter falsas opiniones à vero non deflectere. 393. col. 2. c
Opportunitas celeriter captanda. 111. & seq. 13. c d 232. b 771. e col. 2. a
Opposita magis apparent. 18. d e 220. b 417. a 497 a 888. col. 2. & seq.
Oppugnantes simul multi. 848.
Oraculum in templo Salomonis. 260. d
Oratio ad Deum quid sit. 446. 447
fiat piè & attentè. 446. e & seq.
cum manuum extensione. 1112. d
pro quibus rebus obtinendis debet fieri. 488. col. 2. & seq.
orationis summa vis. 308. col. 2. b 408. col. 2. & seq.
oratio vocalis & publica. 18. b. 473. c & seq. col. 2 476. col. 2
orationis sacrificium. 129. col. 2. d
Orationis 40. horarum institutio. 717. col. 2. d
oratio perseuerans obtinet. 53. b 94. col. 2. d
quare non semper obtinet à Deo. 66. b
precis non continua, sed per interualla. 1111. col. 2. d
oratio continua. 118. e col. 2. a 447. d
orat pro populo sacerdos. 585
orandum pro inuicem. 583
oratio pro defunctis. 308. col. 2. & seq.
Orator habeat rerum omnium peritiam. 213. col. 2. d 2123. e
Oratio funebris. 1088. col. 2
Orbis totus ab Augusto descriptus. 73. b
Orcini serui. 10. e
Ordinis necessitas. 770. col. 2. e. 1149. a col. 2. b
Ordo fit interdum casu. 189. col. 2. d
Ordo firmamentum. 768
Organum multis actionibus commune. 124. e col. 2. co *Vide instrumentum.*
Oriens præcipua mundi pars. 165. col. 2. a 241. b 500. e

adorientem orantes conuertuntur. 165. a 446. col. 2. d & seq.
Originis humilitas non spernenda 1011. col. 2. e 1012.
originis æqualitas 1017
originis diuersitas. 979.
Ornatus exterior licitus. 424. col. 2. 552. e
in sacris. 424. 1042. a
Osculum amoris incentiuum. 346 d
osculum sanctum 1062. col. 2. b 1141. e
Ostensio potentiæ. 137. e & seq.
Ostracismus improbandus. 73. col. 2. b 82. col. 2. d
Otium nimium vitandum. 585
Oua cur à capitibus non franguntur. 590. col. 2. b

P

PActa sine fraude facienda. 503. a
Palladium Trojanum. 110 e
Pallium Archiepiscopis concessum. 191. e
Palmæ arboris multiplex vtilitas. 1. col. 2. a
palmæ dignitas. 1181. c
Pan qualiter figuratus. 271. col. 2. d
Papa mutat nomen proprium. 755. col. 2. c
illi electo refricatur memoria mortis. 1078. a
quam habet in Ecclesia potestatem. 198. d 197. & seq. 248. col. 2. b
deponit Episcopos & Cardinales. 194. a
Papæ cur vita breuis. 1077. col. 2. d
Parcæ quæ sint. 302. d
Parentum amor gratuitus & sincerus. 350. col. 2. e 957. col. 2. e
amor nimius. 352. col. 2. d 353. d
Non aperiant liberos à Religiosa professione 946.
parentum benedictio. 194. e
parentum æqualis amor erga liberos 361. a
parentum onera. 57. col. 1. d
parentes sint exemplar virtutis. 959. 960. col. 2. a
parentum fortitudo in morte liberorum. 400. col. 2. e & seq.
parentum seueritas exhæredatio. 994
de parentibus qui filios occiderunt. 41. col. 2. e
parentibus quando non obediendum. 181. col. 2. d 995. col. 2. e
Parricidium. 995. col. 2
Paritas in miseriis solatium est. 1131
Partium in composito consensus. 751. a b
partes suo vniuerso conformes. 983. 774. a
partita inter plures sunt faciliora. 56. d. 74. b
Parua sunt fœcundiora. 1150. b
Paruum habetur pro nihilo. 85. col. 2. a 1109. e 1177
Pascha quid sit. 754. col. 2. c
Passionum sensibilium origo. 492. d
damna. 354. col. 2
vtilitas. 296. e & seq.
passiones rationem turbant. 353. col. 2. b 354. col. 2. 355. d
passiones videntur penitus rescindendæ. 782. b 368. b
passionibus suis dominari bonum. 145. b
Pater. *Vide supra Parentes.*
Patrem & matrem honorare. 969
illis pauperibus debita alimenta. 972
patris potestas summa vel limitata. 958. 1035. 1036. a
paterna paternis, materna maternis. 784
Patientia in expectatione beneficij. 6. col. 2. a 9. col. 2. e
patientia in aduersis. 389. col. 2. 592. 1159. a
Patria confert ad mores bonos aut malos. 483.
patriæ amor. 111 c & seq. 754 b. 957.
patriæ & Reipublicæ seruiendum. 145. b
patriæ conuenientis electio 755. col. 2. b
patriam deserere quando licet. 755. col. 2. c
in patria sua nemo propheta. 591. col. 2. c
Patronis honor debitus. 547. b. 972.
ius Patronatus 946. c
Paupertatis voluntariæ ratio. 414. col. 2. c
paupertas voluntaria est magni meriti. 95. col. 2. e & seq. 201. col. 2. d. 204. & seq. 206. & seq. multis. 368. a
paupertati voluntariæ non officit victus exhibitus. 41. competit magna in dicendo libertas. 512 col. 2. e
Paupertas in particulari, non in communi. 156 col. 2. a 157. b. paupertati Euangelicæ Deus prouidet. 207
Paupertas coacta Reipublicæ vtilis. 65. col. 2. e 206. a
docet huius vitæ inconstantiam. 111. b 210 a
à qua cœli dispositione procedit. 193. col. 2. d 209 col. 2. d 210. col. 2. b
pauperes habent ius aliquod in bonis diuitum. 34 b col. 2. b
paupertas coacta est suspecta. 207. a 209. col. 2 210. col. 2. a
eius consolatio. 319. a 599. col. 2
pauperibus debita bonorum Ecclesiasticorum maxima pars. à 412. ad 416.
pauperes fingunt morbos, vt obtineant eleemosynas. 547. col. 2. e
pauper factus diues, insolescit. 1183. col. 2
Pax à Deo. 815. d
pax quæ sit vera. 569
pacis & concordiæ fœlicitas. 793. & seq. 571. e
pacis conciliator. 817. 906. c d
Peccatum originale. 855. col. 2.
peccatorum distinctio & diuersitas. 763. d 1187. a.
Peccati origo. 1103. c. & seq.
à peccato etiam veniali abstinendum. 368. 369 col. 2
peccata venialia difficilius vitantur. 371. d 492 col. 2 b
peccatum sensim accrescit. 493. col. 2. e
peccatum habituale. 1131. b
peccatum plus habet difficultatis quam virtus. 464 col. 2. e
peccantium multitudo. 374. 439.
non excusat. 493. b
peccatum ex sola voluntate. 318. col. 2. e
Peccatorum connexio. 1152. c
peccatum ex peccato. 1152. b 1154. c
peccatum ad mortem. 365. col. 2. d 303. & seq.
per peccatum opera mortificata. 1189. d 1213. a
peccatum ... 497. col. 2. ... *Vide ... lum à seipso.*
peccatum quod est alio grauius. 1187. & seq.
peccatum est seruitus. 1162. b 1409. & seq.
peccata an sint omnia æqualia. 1210. c. 1209. col. 2. b 1217. d
peccati ... 1509
Peccatoris conuersio & iustificatio. 1218. 1210. & seq.
peccati ... debetur ... 940. col. 2. d
plurium peccantium, idem reatus. 1219. e & seq.

à peccato nullus hominum immunis. 94. b. 1113 col. 2. e
cœcitas ex peccato. 245. a 253. col. 2. c 257. & seq.
de peccato gloriari. 256. a col. 2. d 1184
peccatum quomodo dicitur pœna peccati. 1153. c
Pecunia. *Vide diuitiæ.*
pecunia est cornu copiæ. 136. a e
belli neruus. 136. e col. 2. e
Pedum nuditas. 782. d
Pedum vsus in animali. 1057. a
Peregrinationes piæ, non tamen necessariæ. 760. a
peregrinationis vtilitas. 212. d 113. a 263. col. 2. e 264. col. 2. d 759 e & seq. 761. c
peregrinatio quibus fœlix. 755. col. 2. a
peregrinationem quæ impediant. 777. col. 2. b
non peregrinandum. 759. 788. 789.
Perfectio rei in quo consistit. 1118
Perfidia graue crimen & malum ineuitabile. 302 col. 2. b
Periurium graue crimen. 303. e
Permutatio rerum. 63. col. 2. a
Perseuerantia in virtute. 152. e col. 2. d 386. & seq. 1131. a & seq 1199. d.
Personarum acceptio. 352. e. *Vide index.*
Pestis causæ 1101. d
Pestis remedium. 799. c
Pertinacia. *Vide obstinatio.*
in consiliis periculosa. 205. col. 2. d
in viris. 309 & seq.
ab astris. 310. a
Petitio. *Vide oratio.*
petitio continua, tandem obtinet. 52. b 93. col. 2. e
nescimus quid petamus. 56. col. 2. d
Petri primatus 197. & seq.
Pharisæi qui fuerint. 461. col. 2. b
Philtra amatoria. 346. col. 2
Philosophia moralis omnium optima. 367. col. 2. a
philosophiæ vtilitas. 211. col. 2. c
eius inuentio. 261. col. 2. b 262. col. 2. b
philosophi in tyrannos conuersi. 186. col. 2. d
philosophi peregrinationibus edocti. 759. col. 2
Physionomia. 321. c. 422. e. & col. 2. 428. col. 2 1164. a
fallax. 452. col. 2. b
Pigmei. 87. col 2. a
Picturæ lasciuæ fugiendæ. 1207. col. 2. d
Pigmenta vultus prohibita. 451 452
Pingues quæ cœli constitutio faciat. 1125. b
Pisces suis se limitibus continent. 163. b
non sunt puniti per diluuium. 1110. col. 2. e
habent in se lumen frigidum. 240. col. 2. b
Placere sibi. 417. d. *Vide amor & confidentia sui.*
Planetæ cur Dij vocati. 44. d
planetarum motus medius. 97. col. 2.
planetæ inferiores temperant vim superiorum. 156. c
sunt sibi mutuo contrarij. 180. e
plures iuncti mira præstant 802. col. 2. d
Planeta quando dicitur malè dispositus. 1177. a
Plantæ quædam sunt longioris vitæ quam animalia. 91. col 2. b
plantæ quæ culturam auersantur. 59. c
conueniunt cum animalibus. 768. d 550. b
Plumbi natura. 91. a
Pluribus intentus minor est in singulis. 165. b col. 2. a
Pluuia. *Vide aqua pluuia.*
Pœna talionis. 923. 1129. 1125. c & seq. 1155. col. 2. e
pœnæ legibus impositæ sunt necessariæ. 42. d
pœnæ metu non peccantes. 490. b
pœna lenta protracta. 209. col. 2. c 858. col. 2.
pœna maior in viles personas. 849. col. 2. b 847. d
pœna capitis. 847. col. 2.
pœna reorum publica. 868. 889. col. 2. e
pœnarum & suppliciorum diuersitas. 864. 1207. b
pœna pluribus æqualiter imposita. 922. 1099. b 1209. c
Pœnitentia non est differenda. 381. & seq. *Vide conuersio ad Deum.* 1079. b
sera tamen valida. 384. col. 2. b & seq. 1009. e
pœnitentia debet esse omnium peccatorum. 1. b 372.
pœnitentes ad pristinas dignitates admittendi. 2 col. 2. a
pœnitentibus non est differenda absolutio. 21. col. 2. 373. d
impœnitentia Deo displicet. 310. col. 2. d
pœnitentibus non est grauis pœna imponenda. 373.
pœnitentia publica. 843. col. 2. e 1162
Poësis gratissima. 514. e
poëtarum præmia. 62. c
Polygamia. 838. e
Pondus vnde fit. 301. c
Populus regem imitatur. 148 col. 2. d 149. col 2 b e 177. & seq.
in malo. 119. col. 2. c. 991. 300. 302. b 461. b 1167 c 1218. col. 2. e
populus an aliquid possit in regem. 166. col. 2. b 182. b
vox populi, vox Dei. 258 col. 2. d
populi multitudo grata regibus. 777
populi mores varij. 477. col. 2. e
populus punitur pro rege. 849. col. 2
Potentia quotuplex. 163. col. 2. a
potentes tenentur infirmiores iuuare. 13. e 68. c & seq. 1186
potentiorum societas periculosa. *Vide societas.*
potentia certis limitibus circumscripta. 164. col. 2 d & seq. 190. col. 2. & seq. 193. b 202. a 302. b
potentia magna & continua. 137
Non continua sed mutabilis. 138 1048. col. 2
potentiora dominantur. 194. b 1149. col. 2. a
potentia maxima est periculosa. 201. col. 2. & seq.
qui potest plus, potest minus. 194. col. 2. & seq.
posse maiora non minora. 195. & seq. 221. d 1255 col. 2. d
Potestatis defectus bonus. 206. a 1149
potestatis defectus malus. 209. e
potestatibus quando licet resistere. 181
Prædicationi verbi diuini incumbendum. 409. e & seq.
prædicationis officium est magni momenti. 213 col. 2. d 527
prædicator laïcus. 1068. c
prædicatores non sint nimis curiosi. 278. & seq. 281. & seq.
non sunt sine aliquo defectu. 493. col. 2. e

prædicatoribus victus debetur. 63. col. 2. c. 454. e. 537. col. 2. e
Prælatus. *Vide Episcopus.*
Præmia diuersis diuersa. 571.
Præsagia mali publici. 521. col. 2. d. 868. col. 2. & seq.
præsagia fœlicitatis. 562. c. 1042. col. 2. e. 1181. e
Præsentia fouet amorem. 143. col. 2. b. 221. a. 233. b
Præsumptio nimia de suis viribus. 767. col. 2. b. 418. col 2.
Prætiosa diuturno tempore perficiuntur. 118.
Præuisio mali futuri. 263. d. e. 279. e. 870. & seq.
nimia. 874. 1173. a. b
Præueniens bonitas. 10. col. 2. e
Primogeniti posthabiti. 95. col. 2. c. 105. c. & seq.
Primogeniti prælati. 105. b. 787. a
Princeps. Vide *Rex*
Principium. *Vide causa. Initium.*
principio viciniora sunt meliora 83. col. 2. d. 821. col. 2. d
principia rerum sunt inter se contraria 180.
principiorum cognitio difficilis. 269. a. 934.
principij triplex influxus. 783. c
separari à suo principio, quando bonum, quando malum 980. 981.
in suum principium refluxus. 261. e. 783. c. & seq. 796. col. 2. d. 800. col. 2. d. 978. c. & col. 2. 1089 d. 1137. c
Priora sunt meliora. 104. d. & seq. 1009. a. b.
prior tempore, potior iure. 105. 974.
Priuatio qualiter est à Deo. 59. col. 2. b
non recipit magis & minus. 1218. a
Priuilegium. V*ide dispensatio.*
priuilegium est concessio præter legem. 199. a. 302. c 1220.
extenditur. 1. e
priuilegia publica 2. d. 1188. perpetua. 3. col. 2. b. & 4. 1221. b
priuilegium qualiter interpretandum. 39. col. 2. d
reuocabile. 59. 60. a
causæ priuilegiorum. 350. d
quis priuilegio abutitur. 60. b
priuilegio licet renuntiare. 1171. col. 2. c
publico non, licet. 1172. col. 2. c d
Processiones & litaniæ publicæ, 476. col. 2
Prodigalitas mala. 5. col. 2. e 61. col. 2. b & seq.
sceleribus reparatur. 58. d. 61. col. 2. d
Proditio graue crimen. 61. e. 1032. 813 878. 1156. col. 2. e
mali se possunt mutuo prodere. 1143. b
proditione non vti contra hostes. 1032. col. 2. e
Profana in pios vsus conuersa. 214. col. 2. a. 215. b. c. d
Profectus maiores quæ impediant. 1124. a
Profectus ex alienis malis bonus & malus. 1178. 1180.
Profunditas maxima. 85. c
Pronomen quid sit. 765. a
Pronuntiatio non sit præceps 277. c
Propagationis ingens cupiditas. 102. & seq. 341. col. 2. d. 633. & seq.
Prophetarum collegia. 472. col. 2. d.
prophetiæ diuersi modi. 234. c. 273. d. & seq.
prophetia cum improbitate. 240. col. 2. a. 1035. col. 2. b
Propositi boni constantia. 67. col. 2. e
Propria magis delectant. 163. a
Prosapia. *Vide nobilitas, est virtutis argumentum.* 237. col. 2. c.
vitiorum. 852. c. d
prosapia pœnas luit parentum. 852. 853. col. 2. a 868. col. 2. d
Prouidentia humana. 202. col. 2. b
prouidentiæ diuinæ se committendum. 280. col. 2. a 299. a
Prudentia res conseruat 72. col. 2. c. 217. e. 1037. col. 2. e
eius officia diuersa. 230 d. 232. d. 279. col. 2. a
est fallax. V*ide sapientia humana.*
Prudentia futuri præscia. 271. col. 2. d.
Psalmodia. 769. col. 2. e
Publica priuatis præferenda. 65. c. 302. c. 362. col. 2. a. 789. col. 2. b. 819. & seq. 1046. col. 2. e 1062. c. 1179. a. col. 2. c. 1201. a. b
interdum non præferenda. 27. b
publica mala fortiter ferenda. 401. col. 2. e
Publicani vita nocētissima, 50. col. 2. a. 1114. col. 2. d
pudor. V*ide vitium vult latere.*
Pulchritudo quæ vera. 244. col. 2. a. 293. a
pulchritudinem omnia appetunt. 73. a. 102. col. 2. e. 219. d. 307. col. 2. d. 428. d. & col. 2.
pulchritudo cito marcescit. 22. col. 2. e. 71. col. 2. b
quare nos rapit. 71. col. 2. b. 102. col. 2. e. 363. col. 2. e. 397. b
est species magiæ. 316. c.
pulchritudinis nimius amor. 421. a
pulchritudinis bonus vsus 424. col. 2. e. 425. 427.
pulchritudo Christi domini. 427. c. col. 2. b
pulchritudo à cælo. 428. e. col. 2.
Pulchritudo velata. 431. c
Pulchra & fortia. 428. b. 888. col. 2
Putrefactio quid sit. 365. col. 2. d
Pyramides quid significent. 50. col. 2. d
Pytagoræ littera 438. d

Q

QVadragesimæ ieiunium. 611.
illud præcedit magna morum dissolutio. 395. 1033. b
Quadratum soliditatem & constantiam significat. 387. col. 2. b
Quæstiones vtiles aut vanæ. V*ide disputatio.*
Quantitas est primum accidens. 78. a
in omnibus limitata. 81. col. 2. e 84. a 85. col. 2. e
Quaternarius numerus. 81. b
Quies rebus mortalibus optima. 550. 563
quies præcedens externas virtutis actiones. 457 col. 2. & seq.
quies virtutis post labores. 457. 1198. e V*ide Sabbathum.*
quies media. 574
quieti contraria. 588.
quies nimia. V*ide otium.*

R

RAngifer animal Scythicum. 112. d
Raptus contemplantium. *Vide extasis.*
Raptus virginum, olim permissus. 394. col. 2. b
Rara & noua sunt in prætio. 130. col. 2. b
Ratihabitio retrotrahitur. 94. b. 306. b
Rationis in homine munus. 211. col. 2. b c & seq.
supplet vices innocentiæ. 230. col. 2. d 231. col. 2. d
vim habet omnium victricem. 231. col. 2. b & seq.
Recollectio præcedens magnas actiones. 457. 458.
subsequens. 160.
Recriminatio. 924
Rectitudo quid sit. 386. col. 2. a

Digitized by Google

Rector. *Vide Rex*, *Episcopus*.
Rectores populus imitatur. *Vide populus*.
Rectoris vigilantia. 57. c
Rectoribus honor deferendus. 159. & seq.
eorum honori parcitur. 159. col. 2. d
Rectoribus resistere quando & quatenus liceat. 181. & seq.
Rectores etiam mali sunt tolerandi. 184. & seq.
Redamatio, seu mutuus amor. 363. col. 2
Regimen potest licitè appeti. 144. 162. col. 2. a
Regiminis origo diuersa. 185. & seq.
Regiminis necessitas. 72. col. 2. e 124. & seq. 185 col. 2. c. 771. col. 2. b
diuersitas. 166. col. 2. c
præstantia. 149. e
Onera. 142. b 145. col. 2. d 161. & seq.
Regimen hæreditarium melius est electiuo. 137 186. col. 2. a 187. b
Relapsi grauius peccant. 64. col. 2. a 403. col. 2. e 404. b
Religioni exteræ & non veræ parcendum. 795. a 1068. col. 2. c
religio vera est à Deo. 536
est vnica 545
religionis cultus interior & exterior. 770. e 536 col. 2. e
religio miscet altis humilia. 71. col. 2. a
religionis & politiæ concordia. 168. col. 2. & seq.
ad religionem potest aliquis muneribus allici. 16 col. 2. c d
religionis secreta mysteria. 286. & seq. 431. col. 2. e
religio an vi sit imponenda. 42. col. 2. a 513
religionis diuersitas regimen efficit diuersum. 758. b
de religione non disputandum. 288. col. 2
religionis immunitas & imperium 411. col. 2
religio sit à superstitione libera. 497. & seq.
moderata & discreta. 1037. col. 2. & seq. 1039 c
Religiosus ritus idem apud diuersos. 502. b
religionis antiquitas & permanantia. 508. 509. & seq.
religiones diuersæ turbant regimen. 546.
religione politia abutitur vt instrumento. 1051. col. 2. e 1067. d
Religiosæ seu monasticæ vitæ perfectio. 48
Religionum ordines diuersi. 248. a
religiosorum ordinum institutores. 248. a
religiosi possunt se immiscere negotiis charitatis. 37
religiosi singuli non debent habere proprium. 170 & seq.
cur in vrbibus habitent. 516. col. 2. c
impugnantur clericorum inuidia. 38. col. 2. c 499 d 935. col. 2. d
nulli sunt a Religione reuocandi, vel impediendi. 403. col. 2. c
potentes in sæculo facti religiosi. 1041. col. 2. e
Reliquiæ sanctorum cur honorentur. 456. c. 1091
Remediorum diuersitas. 896.
Remora quomodo dicitur nauem sistere. 74. col. 2. b
Repetitio indecora. 1039 e
Reseruatio casuum. 191. e 192. e
Residentia in beneficiis & officiis. 559. col. 2. 789 793
Resignatio humanæ voluntatis in diuinam. 280. col. 2. a 299. a
Resistentia æqualis impedit actionem. 112. a 194. b 926
resistentia æqualis est iusta. 249. d
Restitutio, satisfactio. 917.
in pœnitentia. 913.
Respiratio vitæ necessaria. 109. e
Restitutio in integrum. 734. d 1210. & seq.
Resurrectio corporum. 236. b 1211. e. 1216. & seq.
Retentio facilius, quam actio conceditur. 89. & seq.
Retentiua virtus. 109. col. 2. d
Reuolutio astrologica. 94. col. 2. b
Rex. *Vide Rector*.
Rex à Deo. 167. & seq.
regum liberalitas & clementia. 125. col. 2. & seq.
plus potest clementia quam vi. 1196. col. 2. e
regum virtus cæteris excellentior. 78. b 129. a 148 & seq. 150. b
rex honore dignus. 159. & seq. 187. e
rex dat honorem. 112. col. 2. d 351 col. 2. e 380. 774 a
sit sapiens & litteratus. 140. col. 2. a & seq. 2. p col. 2. d
moderatè tamen. 266. e 277. c 288. a
an teneatur legibus. 149. col. 2. d 150. col. 2. b
coronationis cæremoniæ. 150. a 151. col. 2. e
Rex sæuus & tyrannus. 101. 129. b
regum pietas. 150. col. 2. & seq. 168. & seq. 409. d
rex sacerdos 151. b col. 2. b 187. e
regum vitia quantum noceant. 155. col. 2. & seq. 991. col. 2
regem populus imitatur. *Vide populus*.
rex sit verax. 158. & seq.
an debeat esse duplici animo. 547.
regis præsentia, militum animos accendit. 159. d 190. c
se tamen non exponat certamini. 1061. col. 2. b 1067. a
rex an possit deponi. 182. b & seq. 166. col. 2. b 185 col. 2. b
à Papa depositi. 179. col. 2. e 411. col. 2. d
pro regibus orandum. 187. col. 2. d
rex non sit inconstans in consiliis. 250. c. 301. b
non tamen pertinax. 310. a b
regum fauor humiles eleuans. 351. col. 2. e
regem decet fortitudo bellica. 844. col. 2. b c 845 col. 2. c
regibus malis, boni succedunt. 865. col. 2. c
Risus quis bonus. 552. col. 2. b
à risu abstinentes. 56. c
Ritus religiosus, idem apud diuersos. 502. b
ritus diuersi pro locorum & temporum diuersitate. 502. b
Romantiorum lectio prohibenda. 603. col. 2. e
Rubeus calor. 1039. a
Rufa vitula quare offerebatur. 36. a
Rumores contemnere. 161. col. 2. d 285. col. 2. e 398. 416. d. 479. d & col. 2
Rusticæ vitæ tranquillitas. 832. col. 2

S

SAbbathi obseruatio religiosa. 160. col. 2. c. 365 b 407. a e 408. col. 2. b. 457. e 461. col. 2. c 5 4. col. 2. d
Sacerdos. *Vide Episcopus*. *Ecclesia*.
sacerdotum dignitas & potestas mira. 132. e 196 col. 2. & seq. 1041. col. 2. c
Immunitas. 411. & seq. 1120 col. 2. d
sacerdotum clementia. 127. col. 2. & seq.

scientia. 140. col. 2. d 198. col. 2. b 257. e & seq
integritas. 152. & seq. 153. & seq 421. b. 446. a d
sacerdotes non sint auari. 101. col. 2. d
non debent esse pauperes 209. col. 1. e 410. & seq.
summus sacerdos, erat olim ditissimus. 411. b e
vnus. 1107. d
sacerdotum cœlibatus. 756. b
vitent suspectum contubernium. 1151. e & seq
sacerdos orat pro populo. 583
sacerdotio aliquo funguntur laïci. 35. c 33. col. 2. e
1042. e
Sacra prophanis iuncta sine vitio, 15. col. 2. e
Sacramenta legis naturæ. 1013. a
nulla fuissent in statu innocentiæ. 1070. b
sacramenta nouæ legis, 385. 1013. col. 2
quæ caracterem imprimunt, 4. e
Sacramentalia quid præstent, 489. col. 2. e
Sacrificia cur instituta. 63. d. 783. d. 965. 1144. col.
2. a
sacrificium spiritus & cordis, 446. 965. col. 2. d
Sacrilegium, 328. col. 2. e 1061. col. 2. c
à sacris non statim ad prophana, 388.
Sacularij deceptores. 44. col. 2. b
Sal refert omnia elementa. 797. c
Salarium operibus debitum, 41. 62. d 1047. b
non debet differri. 560. col. 2.
non debet exigi nimium, 41. a 42. col. 2. e
Saluandorum certus numerus. 75. e
Sanctitas vera quæ sit, 369. col. 2. b
sanctis creaturæ obediunt, 409. e & seq. 1125. col.
2. c d
sancti imperant dæmonibus, 1037. b.
sancti sunt colendi, 453. c 455. & seq.
sanctorum reliquiæ honoratæ, 456. e,
Sanctos imitari, 474. 455. 1089. col. 2. b
sanctorum intercessio, 586.
sancta sanctis. 1041. col. 2. b
sanctitas sola potens est apud Deum, 408. col. 2,
453. b. 1151. a
sanguine Christi scripta excommunicatio. 1150. c
Sanitatis maximum est beneficium. 58. d.
Saphiri mira virtus contra pestem. 7. col. 2. a
Sapiens seipso contentus 406. & seq. 1008. e 1064.
col. 2. d 1182. e
sapere ex alienis malis. 767. col. 2. b
sapienti soli vera competit libertas. 299. c 406.
407. 1153. col. 2. e
sapientia à Deo. 258. & seq. 285. a
omnia diiudicat. *Vide humilitas.*
sapientia arte magica quæsita, 264. c d
sapientiæ officia, 236. col. 2. c
sapientia regit. 55. d. 140. col. 2. & seq. 264. d
sapientiæ voluptas. 244. c
sapientia humana veræ contraria. 240. 241. col. 2.
c e & seq. 245. d 267. col. 2. c 270. a 284. col. 2.
c 292. a
Satio quando debet fieri. 940. col. 2. a
Satisfacere pro alio. 580. c 581. c. 584. col. 1. & 2
satisfactio non sit aspera in confessione. 913. 917.
Saturni planetæ influxus. 90. col. 2. b 92. col. 2. b 160
e 1149. col. 2. e
Scandalum non dandum. 1164. 1206. 1207. e
Scientia hominem decet. 211. & seq.
scientia hominum est imperfecta. 55. col. 2. b. 214.
c. 253. col. 2. b 254. d 259 e 265. col. 2. & seq.
266. a b & seq. 494. c 544. b
scientia vniuersalis. 135. col. 2. c 168. col. 2. b 212.
& seq. 271. col. 2. c 489. a b
scientia prophana in pios vsus conuersa. 214. col.
2. a 215. b & seq. col. 2. e 216. col 2. a 238. 2719 a
vera scientia quæ sit. 240. d. & seq.
scientiæ & contemplationis excellentia. 243
sciendi naturale desiderium. 235. d & seq.
scientia ex visu & auditu. 1274. col. 2. d
scientia à Deo. 238. d 258. col. 2. & seq. 236. c. 326
col. 2. b
scientia cum virtute & pietate. 236. & seq. 248
col. 2. c 253. a 257. e 261. b 326. col. 2. b. & seq.
445. & seq.
cum humilitate 238 a col. 2. e
scientia cum improbitate. 140 a 242. a
scientia quomodo augetur. 238. c
scientiarum diuersitas. 245. & seq.
scientia scholastica. 248. a
in scientia quilibet vult excellere. 247. a
scientias qui abolere voluerunt 253. c & seq.
ad scientias nati, 258. d col. 2. b c
scire ab aliis. 261 & seq. 265. col. 2. b
scientia excellens. 271. & seq.
scientiis abuti, 277. d & seq. 278. & seq.
scientia media & periculosa. 71. c 265. 1067. e
1071. c
defectus scientiæ innoxius, 284. 1138. col. 2. e
Scripturam sacram hæretici corrumpunt. 530. 531
scripturæ sacræ nos docent de agendis. 23. b 218. b
507. d. 542. b & col. 2
eius assidua meditatio. 216. & seq.
eius varij sensus. 248. c 289. e 510. col. 2. b 519.
col. 2. 599. e
scripturæ sacræ concordant. 260. e 522. 1099. a
earum simplicitas & veritas. 281. col. 2. b 505
earum lectio non omnibus permittenda. 284. col.
2. b
quare sunt intellectu difficiles. 288. a col. 2. b
scriptores cæteris doctoribus præferendi. 221. col.
2. e & seq. 762. c 507. d
scriptores sacri, quomodo consentiant. 260. e
Scrupulis non debemus deterreri à frequenti communione. 14. col. 2. c
scrupuli vitandi. 285. a 299. d 416. col. 2. d 886
col. 2. e
Secreti diligens debet esse custodia. 324. col. 2.
548. b
secretum aperit ebrietas. 555. b a 540
aperit amor. 320. col. 2. e 333. 334. 541. c
secretum alterius quando non seruandum. 812. b
Sectæ secretæ vitandæ. 506. col. 2. b & seq. 545.
Seditio vnde oritur. 132. col. 2. c 823. 838. col. 2 d
fit à religionis diuersitate. 358. b
Seipso sine medio agere. 17. c 190. & seq. 1041. d
col. 2. a 1069. & seq. multis.
Semen quam vim habeat. 1069. col. 2. b 1071. b
1154. col. 2. b
Senarius numerus, 81. d 116. c d & col. 2
senectus valida, 1083
Senectutis incommoda. 84. c. 2. c 859. c. 1101. 1110. b
senectutis causæ. 1102. a
senectus veneranda. 104. c & seq.
senum sapientia. 106. col. 2. c & seq.
senum quies. 107. col. 2. 1087. 1172. b
senum pietas. 402. col. 2. b 386. col. 2. a b 783. d
1084
Separari à defectu & malo, 256. b.
separatio constans & perpetua. 756. e & seq.
separatæ formæ plus agunt. 761. col. 2. e 762. e
Septenarius numerus. 81. col. 2. b 105. col. 2. d
116. c d 1213. e
sepulturæ honor. 1079. & seq.

Digitized by Google

sepulturæ publicis impensis factæ, 1089. col. 2. e
in sepulchris prætiosa non sunt condenda. 43 b 69 a 1089 e
sepulchrum familiare, 1094
sepeliri in Patria 1094
sepultura priuari, 851. col. 2. & seq.
de his qui sibi sepulchrum posuerunt, 1092
sepulturæ contemptus, 1092
sepulchrum non violandum, 1037. d 1090. col. 2
Sermo. *Vide verba lingua.*
sermo debet esse perspicuus & intelligibilis, 1119. a
sermonis vtilitas, 263. col. 2
sermo breuis, 1154. col. 2. d e. *Vide breuitas.*
sermo mutus, 263. col. 2. d. 264. c secundò.
sermo de aliorum peccatis non est habendus. 1169
sermo in sacris non intellectus prodest tamen, 135. a
sermonis diuini vis, 512
Serpens sapiens, 264. d col. 2. c 271. col. 2. b 1129. a
serpens æneus Moysis, 264. c
Seruitutis summa calamitas. 129. col. 2. d e 209 col. 2. c 408
in seruitute consolatio, 398. 1210. col. 2. a
ad seruitutem quidam nati, 1015. col. 2. a
serui orcini qui. pag. 10. e
seruitus quæ continuum aut non continuum vsum habet, 116. col. 2. a
seruile bellum, 1156. e
Seueritas magna quando bona. 845. & seq.
Æqualis erga plures, 922. 1099. b
seueritas maior, vbi magna in contrarium inclinatio, 849. e 1207. b
seueritas vtiliter continuata. 850. 854
continua seueritas mala, 855. col. 2
temperata seueritas optima. 908. 1120. col. 2. c & seq. vbi delictum est publicum, 1120. 1121 col. 2
seueritas nimia, 9 8
seueritatis defectus malus. 935. 1018. col. 2. c 1101 1206. a d 1119 c
sibi nocere. *Vide nocere & malum à seipso.*
Siccitas vitæ contraria, 785 b 808
Signa breuium ascensionum quid significent, 70 col. 2. b
signum humanum quid sit, 263. b e
signa zodiaci viuificantur à sole 1121. col. 2. b
Silentium diuinum, 189. a
silentium aut sermo moderatus, 321. col. 2. 540 col. 2. c 1198. col. 2. d
simiarum vsus, 62. b
simia se profert qualis sit. 511. b
Similitudines non conueniunt in omnibus, 831. col. 2. b 1136. b a 1137. a col. 2. b 1147. b
similia se iuuant. 1193. d 1100. a
similia se quærunt & complectuntur. 111. d 112. a 801. d 1132 d 1136
similium vnio perpetua. 798. d & col. 2. d
similium pugna bona aut mala. 1141. 1143
Simonia vitanda. 28. b 786. col. 2. a 1033
Simplicitatis laus. 505. & seq. 517. 785. c 838. b 1123. a
Simulatio vitanda. 505. col. 2. b. c
Smaragdi proprietas. 216. b
Societas, *Vide conuersatio, vnio, concordia.*
societatum modi diuersi. 821
societas quælibet ineunda consulto. 800
societatis amor. 782. col. 2. e 810
societas naturalis inter omnes homines. 362. a c & seq.
societas potentiorum bona. 1116
periculosa. 76. a. 35. col. 2. c 461. col. 2. e 1015. e 1112
societas bonorum optima. 444. col. 2. e 472. & seq. 795 col. 2. d 910. d
societas malorum pessima, & fugienda. 255. col. 2. b 216. a 300. c 477. 806. 811. 848. c 1190. & seq. 1188. & seq. multis.
esse sine socio bonum est. 307. col. 2. e 392. a 761 col. 2. & seq. 819
societas media. 773. col. 2. d. 782. col. 2. 794. col. 2. c 828. col. 2
ex societate honor & commodum. 409. a 793. & seq. 815 col. 2. 1154 e
societatis onera. 817. 818
societas cum inferioribus bona. 775. c. 794. 829. col. 2. c 1110. & seq. 1195. c & seq. mala. 1195
in bonorum societate aliqui mali. 494. e & col. 2
propter malos, cæteri tales non sunt habendi. 495 e 853. e 1199. col. 2. d
societas constans & perpetua. 798. 816. col. 2. d
societatis dissolutio. 800. e & col. 2. 855
societatis voluptas. 813. c
sodomia graue peccatum. 1142. 1218. c
Solis vis. 1015. 1121. col. 2. b 1122. d 1124. e 1207. d
solis spiritus omnia viuificat. 779. c
sol stans ad preces Iosue quid significet. 108. c
sol communicationis & diffusionis principium. 511. c. col. 2. c
soles tres apparentes sunt præsagium mali publici, 869. a & col. 2
solis mensa. 1. col. 2. b
solstitia duo 84. 5
solidum quid sit. 79. b
solitudo perfecta. 78. d. 1199. c
solitariæ vitæ tantum dediti. 458. col. 2. e & seq.
solitudo mixta actioni. 160. & seq. *Vide contemplatio.*
solitudo præcedat actionem. 160. col. 2. e 37. col. 2. e 457. 458.
Solitudo pietati conueniens. 761. col. 2. & seq. 447. c
solitaria & quieta virtus. 458. & seq.
solitudinis mala 792. b. 840. & seq.
sollicitudo nimia de futuro vitanda. 273. & seq.
Somni necessitas. 41. col. 2. d. 111. col. 2. a 550. b c
ex somniis diuinatio. 274. c 767. 1121. d
somnia horrenda. 801. e
in plantis est aliquid somno simile. 550. b
somnus nimius nociuus. 585. a
somno dediti qui. 1020. col. 2. c
Sortes mittere ad diuinationem & ad lites dirimendas. 171. 173. & seq. 189. col. 2. b
sorte ducebantur athletarum paria. 1142
sortes apud Christianos prohibitæ. 274. a 1062. b
Spectacula cruenta. 867
Spes gloriæ cœlestis. 566. col. 2. 1215. col. 2. e
spes accendit animos. 24. col. 2. b 76. d 95. d a 566 & seq 568.
spem zelus accendit. 299. col. 2. c
sperandum in Deo solo. 65. e 76. col. 2. b. 578.
spes à stellis. 271. b
spem dat amor 409. a
spes humana fallax. 568
sphæra recta. 1136
sphæricæ figuræ dignitas. 1130. b col. 2. & a

Spiritus in corpore sunt lucidi. 238. b 1043. a
per illos anima operatur omnia. 1016.
spirituum in corpore concordia. 167. a 175. col. 2. c 181. col. 2. a
spiritualia præsunt corporeis. 186. col. 2. b. 231. d col. 2. e 232. a b c & seq.
spiritualia sine sui diminutione conferuntur. 261. 262.
Spiritus sancti dona amplissima. 2. e
spiritus sancti descensus salutis humanæ complementum 317.
Sponsalia quando possunt dirimi 357. col. 2. a
sponsi animæ accessus & discessus. *Vide accessus.*
Spurij, bastardi, præstantes viri. 1004. col. 2. d e 1005. c 1011. col. 2.
Statura corporis recta. 1153. col. 1. e
exigua bona. 87. a & seq. 1119. col. 1. c
procera melior. 1119. col. 2. c
Stellis fixis tribuuntur non fusibilia. 754. e
stellæ non mouentur à se, sed à suis orbibus 1134. d
videntur vbique æqualis magnitudinis. 1135. col. 2. b
Sterilitatis causæ. 68. a b 785. b
sterilitas inauspicata & infamis. 103. col. 2. b 1012.
sterilitas terræ à lacu sulphureo. 50. col. 2.
à nimio calore. 50. col. 2. c
à frigore. 68. a
sterilitas compensata fœliciori partu. p. 2. d 1016. col. 2. e 1154. col. 2. a
à Deo sanata. 51. col. 2. a
stipulatio vnde dicta. 501. d
stratagemata 353. d 547. col. 2. d
Strenuitas quid sit. 438. col. 2. e
Studiorum labor gratus. 57. d
Stulti quomodo fiunt à cœlo. 1 5 c
stultitiam fingens humilitatis causa. 1171. d
stulti prophetantes. 228. col. 2. d
stygmata & aliæ infames reorum notæ 1164.
Suadens malum censetur committere. 231. col. 2 d 1207. *Vide consilium malum.*
Subiectionis causa à cœlo. 70. col. 2. e
Sufficere sibi. 108 & seq. *Vide sapiens.*
Sulphur vinum conseruat. 109. col. 2. e 111. b 863. col. 2. d
Suppellex Ecclesiastica non debet trahi ad prophanos vsus 1062. b col. 2. c
Superbia vitium Deo & hominibus exosum. 262. b 419. e 1116. col. 2.
Superbia humiliata. 767. col. 2. b. 385. col. 2. e 1125.
Superstitio quid sit. 1061. col. 2. e 1062. col. 2. e
superstitionis mala. 497. d & seq. 552 col. 2. c
Supplicationes publicæ. 476. 1036. e
Suspicio illicita. 66. col. 2. d 373. & seq.
suspicio licita. 773. col. 2. e 374. col. 2. d 448. d
vera virtus suspicione carens. 448. c
Suspectum contubernium vitandum. 76. b. 1192.
Sufurratio quid sit 1016. a
siderum quanta vis. *Vide Astrologia.*
sidera an ad Angelos pertineant. 277. b
siluarum causæ. 773. col. 2. a
simpathia. 72. col. 2. a 344. d
sinderesis. 1203. d

T

Tactus præstantia 1154. col. 2. a
tactus mortificatio. 604.
Talionis pœna 68. col. 2. a 69. col. 2. a 158. c 157. c 269. col. 2. d 1204. col. 2. e
Telescopium visum iuuans. 263. d
Temperantiæ laus. 255. d
Templorum ædificatio. 966.
in templis reuerentia. 967.
templum quando de nouo ædificandum. 163. b
templi asylum. 587.
templum non debet muniri vt castrum. 1062 c
templum Iudæorum à Christianis incensum, non debet ab illis reparari. 1062. col. 2, d
Tempus fluxit ab æternitate. 26. b
temporis numerandi ratio. 69. col. 2. a 97. a
temporis natura fluxa. 115. col. 2. e 119. c
tempus parit veritatem. 224. e
iram & amorem sanat. 270. col. 2.
temporis lugenda iactura. 382. d
captanda temporis opportunitas. *Vide occasio opportunitas.*
plus oportet temporis in rei perfectioris productione. 6. d col. 2. b 7. d 90. a b
Tenebræ. *Vide nox.*
tenebræ non sunt rerum principium. 290 col. 2. e
tenebræ plurimum nocent. 291. b 292. & seq.
Tentatio quibusdam necessaria. 192 e 250. col. 2. d
Tepor animi vitandus. 368. a
Termini rebus omnibus positi. 7. col. 2. b 80. col. 2. a 1074. col. 2.
quis sit verus rerum terminus. 1086.
Ternarij numeri mysteria. 80. col. 2. & seq.
Terra ex se fundens pretiosum balsamum. 1070. col. 2. d
terræ spiritus facit concretiones. 787. col. 2. e
terra est retentionis & conseruationis principium. 108. col. 2. b 777. d
terra mortua restituitur suæ fœcunditati à cœlo. 1213. b.
locus subterraneus conseruandis vinis oleis aptus. 111. col. 2. a b
è terra procedit scientia. 260. b 261. col. 2. d 262. col. 2. c 270. e 273. c *Vide serpens.*
terra cur proscinditur. 753. c 754. d
terra est immobilis. 759. d 761. col. 2. e
fæx elementorum 1112. b
terra ignem nutriens vt cera. 353. col. 2. e
terra se faciens inuiam. 1204. col. 2. d
terræ in nostris corporibus officium. 777. d
terra multarum rerum ferax. 778. col. 2. d
terræ motus vbi sunt frequentes. 356. col. 2. b
quid efficiant. 779. col. 2. e 835. col. 2. c 1281. b
Testium fides. 541. 543. col. 2. b
Theatri vanitas & pericula. 603. 1033. e
Teologiæ excellentia. 239. e 271. col. 2. d
theologia scolastica Ecclesiæ necessaria. 248. & seq. 289. e. 772. c
theologia mystica. 260. e 272. e
Thesaurus Ecclesiæ. 3. col. 2. b 61. col. 2. e
thesauri effodiendi tempus. 55. c
Thurificatio quid significet. 334. b 341. col. 2. b 446. col. 2. e 452. col. 2. e 505. col. 2. b
Timor. *Vide metus.*
timidi crudeles. 71. col. 2 d
vigiles. 1153. b
timor melior est confidentia & securitate. 410. e
timor vanus. 886. *Vide verecundia mala.*
timor Dei seruilis. 376. d 872. 873. a

Digitized by Google

timor filialis. 875
Tituli, dicuntur Ecclesiæ. 137
Topazius gemma cæteris maior. 80. a
Torpedo est animal ancipitis naturæ. 215 col. 2. d
Traditionis sacræ authoritas. 545
Transmigratio bona. 754. 755
transmigratio animarum. 284. a
Transplantatio prodest. 755. e
Tributa principi soluenda. 159. col. 2. c 184. col. 1. e
tributorum exactio non debet esse nimia. 129. 910 col. 2. & seq.
Trinitatis imago in anima. 186. a
Tristitiæ origo. 1204. d.
Trutæ piscis celeritas. 1112. d
Turcis bellum inferendum. 514. & seq.
Tyrannus vnde sic dictus 128 col. 2. c
tyrannorum misera conditio. 126. c 128. d & seq.
tyrannorum sæuitia. 129. b & seq. 155. 156. col. 1. b
tyranni sunt meticulosi. 874. col. 2. d. 886. b
tyrannos melius est pati, quam aggredi. 184. d
tyranni ministros suos delent. 1047

V

VAcuum in natura non datur. 1173. col. 2. a 1181. e col. 2
Vanitas rerum humanarum, *Vide inconstantia.*
Vanitas iactabunda. 412. c. *Vide iactantia, superbia.*
Varietas. *Vide diuersitas. Nouitas.*
varietas grata. 764
vegetatiuæ facultatis officia. 26. col. 2. e
Vellus quid sit. 768. col. 2. b
vellus aureum quid significet. 188. a
Venatio quibus permissa. 164. col. 2. d. 185. d
est crudelitatis tyrocinium. 369. col. 2. e 930. e
ferarum. *Vide fera.*
Veneficium graue crimen. 878. e
Veneno necare grauius est. 877. col. 2
veneni sumpti indicium. 1207. col. 2. a
venena vbi sunt, nascuntur antidota. 13. col. 2
Veneno flores inficiens ad apes occidendas. 50. b
Venetæ Reipublicæ regimen temperatum 192. col. 2. e
Ventorum vis maxima. 232. d 577. col. 2. b
ventos magi dant ad libitum. 780. d. 828. b
Venus planeta cum Mercurio. 253.
est magni splendoris. 1111. b
amica Marti. 775. col. 2. d
Ver rebus agendis opportunum. 377. col. 2. d 381. col. 2. a
Verborum vis. 188. col. 2. c. 234. col. 2. d. *Vide nomen.*
verbum mentis quid sit. 261. e
verba tria quæ formandis moribus sufficiunt 489. col. 2. e
verba obcœna vitanda. 1169. col. 2. d
Verecundia 438. e 490. d 492. col. 2. e 1169. col. 2
verecundia mala. 479. 513. col. 2. b
Veritas quid sit. 541. a & seq.
difficilè cognoscitur. 247. col. 2. d
illam probi tantum percipiunt. 236. & seq.
veritas in his qui regunt. 158. e
liberè dicenda. 431. col. 2. & seq. 512 col. 2
odium parit. 518
omnibus communis. 506. & seq.
tandem præualet. 510 & seq. 517. 546
veritati contraria. 530. 533
veritatis cognoscendæ varia media 537. col. 2.
veritas mediata seu imperfecta. 544
Vermis est principium in generatione multorum animalium. 1010. col. 2. b.
Vertumni dæmones. 110. a
Vestigium quid sit 264. b
Vestis distinguit dignitates. 420. col. 2. d 426. col. 2.
vestis ornatus licitus. 424. col. 2. b 425. 552. e
nimius ornatus. 766. col. 2. a c 425. e & seq. 594.
vestes sacræ non prophanandæ. 766. col. 2. a 1062. b col. 2. c
Veste muliebri vir, virili mulier non vtatur. 395 col. 2. c.
id quando licitum. 1036. d
Vestis humilitas. 434. col. 2. e 437. col. 2. e. 594 col. 2. b
affectata improbatur. 425. col. 2. e 1199. d
Veterani milites præmio donati. 457. b
Vetita plus appetuntur. 130. 131
Via non communi incedere. 264. d 761. d 766. col. 2. e
viæ securitas & libertas. 9. e 765. col. 2
Vicarius in regimine necessarius. 188. col. 2. & seq.
per vices aspera sustinentur. 33. col. 2. e 863. 908 1048 col. 2. & seq.
Vicinitas periculosa. 808. col. 2. b
Vigiliæ sanctorum quare institutæ. 1193. c
Vinculorum in corpore vtilitas. 73. c
Vindicta priuata prohibita. 31. col. 2. c
vindicta publica reorum necessaria. 124. col. 2. d 845. col. 2. d 1200
vindicta nimia. 71. col. 2. *Vide seueritas nimia.*
vindicta celeriter sumpta. 846. a 864.
vindictæ optima dilatio. 860 & seq.
Vinum. *Vide ebrietas.*
vinum quomodo corrumpitur. 1102. b
vinum sulphur conseruat. 109. col. 2. e
vini vtilitas. 254. col. 2. c 256. c
vinum multum inoffensi bibentes. 257. a
Virginitas. *Vide castitas.*
virginitatis laus. 604
virginitas inter pericula seruata. 38
Deo grata. 493. col. 2. d
astu vindicata. 747. col. 2. b
virginis signum cœleste quid significet. 50. col. 2 c
virginitatis diligens debet esse custodia. 1152. a
Virtus est homini conueniens. 367.
facilis. 14. d 463. 464. & seq.
virtutis amor. 437. & seq.
virtutes à Deo orationibus petendæ. 488. col. a & seq.
virtus debet esse totalis & perfecta. 368. & seq. 1036. col. 2. e 1131. a 1156. b d
virtus hominum est imperfecta. 55. d & seq. 369. c 470. c 492 & seq. 1109. & seq.
virtutum connexio. 76. c 470
virtus scientiæ iuncta. 236. & seq.
virtus statim perfecta. 78. col. 2. b 373. col. 2. d 379. col. 2. d
virtus exercitatione perficitur. 377. & seq. 440 col. 2. e
virtus quæ se profert ad extra. 18. b. c 22. d 77. b 149. a 387. e 420. & seq. 490. col. 2. c
Virtutum præmia. 52. col. 2. b 453. & seq.
virtus laudibus crescit. 83. col. 2. b 453. & seq.
sola consequitur famam immortalem. 453. & seq. 101. a col. 2. c 454. col. 2. b 456. a
in diuersis diuersa. 457. & seq.
excellentior in rectore. 148. & seq.
sola dignitates meretur 186. e & col. 2. e 187. c 188 d. 411. col. 2. d.

Digitized by Google

virtute præstantes sunt cæteris præferendi. 351. b
virtus in secessu. 761. col. 2. 431. col. 2. d. & seq.
virtutes & vires suas nosse. 416. & seq.
virtus latens. 433. 435. & seq. b 1014. b 1158. col. 2. c. Vide nox. 1199. b
virtus quæ sit vera. 440. 490. c 1132. a
quare sub nomine & habitu muliebri. 438. e
ad virtutem comparandam quæ conferant. 489. & seq.
virtutum pax & voluptas. 463 & seq.
virtutes gentilium non sunt peccata. 442. col. 2
virtus ab hostibus honorata. 454
virtutis hostes. 4:8. c
virtus semper proficit. 500. & seq. 1112. col. 2
in virtute constantia. *Vide constantia, perseuerantia.*
Vis armata prohibita personis priuatis. 31. col. 2. c e 507.
Vis maior. 102. b
Vis & coactio quando necessaria. 511. 512. 522. col. 2. d 513 843. 866. 872. col. 2. b
Vim vi repellere. 98. col. 2. b 924. & seq.
Visitatio Rectorum. 142
Visus. *Vide oculi Visus vtilitas. 212. a 213 b 1069. c*
visio fit per receptionem. 31. col. 2. b
Vita quid sit. 92. col. 2. d
vitæ & conseruationis sui amor. 97. & seq.
Ex viuentibus sumptæ partes plus habent virtutis. 14. b
vitam breuem quæ efficiant. 107. b. c
vitæ diuturnitas bona. 91. col. 2. b & seq. 98. e 107. 175. col. 2. e
nociua. 98. a 118. a. *Vide senectutis incommoda.*
Vitæ fortis contemptus. 99. & seq.
vitæ hominum quare diuersa duratio. 115. col. 2. b
vita censetur indifferens ad bonum & malum 99. a
vita mixta ex contemplatione & actione. 160. e & seq. 781. col. 2. c
vitam longæuam quæ præstent. 436. col. 2. b
vita longior primorum hominum, quare. 220. col. 2. e
vitam in religione communem sequi. 1199. d
Vitium. V*ide crimen, peccatum.*
Vitiorum diuersitas 1187
vitiorum pœna. 188. d
vitia volunt latere. 253. e
vitiorum connexio. 254. col. 2. d 255. 256. d
Vide crimen crimine tegitur.
vitia ab influxu syderum. 476. a
Vide societas.
Vnio quid sit. 817. e
vnionis causæ. 824. & seq.
vnio diuersorum. 213. col. 2. a 214. a d 767. 768. & seq. 1191. d
vnio contrariorum. 897. 1147. col. 2. a
vnio quibus mediis fit. 826
vnioni contraria. 822. & seq.
Vnitatis mysteria. 87. col. 2. b
vnitas pluribus communicabilis. 1. col. 2. a
vnitas dominatur. 133. d
vnitas excellens. 81. col. 2. a
vnitas Ecclesiæ 167. & seq.
vnitas cum multitudine. 830. e
vnita sunt fortiora. 72. c 74. col. 2. a 83. col. 2. b 85. e 87. col. 2. e 158 col. 2. a 492. a 503. c 816 & seq. 1156. d 1137. col. 2. c
vnum multis æquiualens. 1153
vnum quod multis præualet 1154.
vocationis diuinæ dilatio. 7. d e 8. col. 2. c
vocationis diuinæ diuersi modi. 48. a col. 2. c. d & seq.
Voluntas. *Vide intentio.*
Voluntatis libertas. V*ide liberum arbitrium.*
voluntatis opportuna mutatio. 59. col. 2. c & seq. 71. col. 2. b c 337. b
Voluntas constans in proposito. 301. & seq.
voluntas pro facto. 327. d & seq. 442. e
voluntarium verè quid sit. 330. c
voluntas media & imperfecta. 347. a
voluntas vltima defunctorum. 349. e
Voluptas licita. 233. col. 2. b
voluptas laborem solatur. 769. col. 2. a
animalibus necessaria. 551. col. 2. d
appetitur ab omnibus. 563. d
nimia plurimum nocet. 593.
plus nocet quam aduersitas. 596.
Voracitatis signum. 295. c
vota hominum sunt inter se contraria. 30. e
Vota Religiosa sanctè obseruanda. 304. 305. col. 2. a
eorum pia singulis annis renouatio. 305. & seq.
fœlix voti necessitas. 304. col. 2. e & seq. 1182. col. 2. e
vota publica. 476. col. 2.
vrbs vnde dicta. 1129. col. 2. a
Vrbs vno die ædificata. 121. col. 2. d
Vrbes ab hostibus destructæ. 1179. d
Vrbanitas non præiudicat. 58. col. 2. e
vrbanitas omnibus se conformans. 794. 795. & seq.
Vsus maritus mulieris. 775. col. 2. e
Vsura est quasi locatio & conductio. 64. b
est prohibita. 115. col. 2. & seq.
Vultus physionomia. 428.
Vultus pigmenta. 451. e
Vxor. *Vide fœmina, coniux.*
vxor amanda. 62. col. 2. b 364.
vxoris nimius amor. 355. col. 2.
vxor patienter ferat iniurias mariti. 58. a 365. col. 2. d
domesticam habet cum marito potestatem. 191. col. 2. e 364. e
vxorem verberare iniquissimum. 364. b 800. b
in vxoris morte consolatio. 4:0. e
vxor propter diuitias non ducenda. 802. a

Z

Zelotypia grauis & acerba passio. 341. e & seq. 342. 355. col. 2. d
zelotypia carens amor. 69. col. 2. b
zelotypiæ remedia. 342. col. 2. d
Zelus vehemens bonus. 297. col. 2. d
omnia superat. 298. col. 2. d & seq.
zelus torquens ob aliena peccata. 299. col. 2. e & seq. 1162. col. 2. c 1193. col. 2. d 1164. & seq.
zelus nimius. 356

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Hoc opere diligenter perlecto, hæc visa sunt emendatione digna.

PAg. 809. col. 2. e. essentialem, *lege* substantialem. pag. 992. col. 2. d. originis, *lege* principij. pag. 1027. col. 1. e. dat omnibus, *lege* dat multis.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google